ANNALIVM ECCLESIASTICORVM CONTINVATIO.


HIERONYMUS · S·R·E· DIACONUS · CARDINALIS · CASANATTA · DIE · XII · IVNII · MDCLXXIII
Videris hos vultus? confestim dixeris, hîc sunt
Ingenium, Mores, cum Pietate Fides
Frons ergo atque oculi à vero non semper aberrant,
Sed quandoque animi sunt rata signa sui:
Fallimur. hîc etiam Non sunt bene consona vero,
Frons, oculi, quamuis nil nisi grande canant
Non sat pro meritis te magna recludit Imago,
Multa foris prodit, plus tamen intus habes
F. Voet · P.
F. houat Sc.

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM

EMINENTISS. CARDINALIS

CÆSARIS BARONII

CONTINVATIO,

AB ANNO M. C. XCVII.

QVO IS DESIIT,

AD FINEM M. DC. XLVI.

Per HENRICVM SPONDANVM, Mauleosolensem Appamiarum, in Gallia Narbonnensi Episcopum.

TOMVS PRIMVS



LVGDVNI,
Sumptibus fratrum ANISSONIORVM, & IOAN. POSVEL, in vico Mercatorio.

M. DC. LXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D. HIERONYMO CASANATA,

S. R. ECCLESIÆ

CARDINALI;

IOANNES ANISSON felicitatem.

IAMDIU est, quod ut ingrati animi labem effugerem, apud me agitabam, quo tandem modo, EMINENTIÆ TUÆ, plurimam in me benevolentiam professurus, aliquid pro tenuitate mea possem rependere. Opportunè Continuationem Spondani ad Annales Baronij edebamus in lucem, & existimavi nihil deliberandum, quin spissum hoc opus EMINENTIÆ TUÆ,

dedicarem. Et verò apprimè argumentum conveniebat; quid enim convenientius Historiæ Ecclesiasticæ, quàm dignissimi Ecclesiæ Principis nomen præ se ferre, & sub tutela augustissimi Cardinalis prodire in publicum? Vnum erat, quod me ab eo consilio demoveret, quod verebar, ne hac publica contestatione modestiam tuam offenderem, haud nescius te non paucis eandem gratiam ambientibus, haudquaquam annuisse, cùm virtute tua contentus, laudem hujusmodi respueres, & famam nominis abdicares. Sed haud multò post benignitas tua metum hunc depulit, cùm singulari benevolentiæ significatione, istam mihi facultatem fecit, & amantissimo privilegio optatissimam rem mihi indulsit. Quo beneficio cætera cumulavit EMINENTIA TVA, quibus me primum, dein fratrem meum, Romæ versantes, humanissimè affecerat, & totos sibi in æternum devinxerat. Gaudebamus summoperè, cùm te videbamus in amore omnium esse, æstimari palam, haberi in pretio, & prædicari; omnes Ecclesiastici viri partes implere, ad summa omnium votis designari; affabilem, mitem, ingenuum, & sine

fuco ſincerum, ambire ſolis meritis dignitatem ad quam evectus es, nec de præmio virtutis eſſe ſollicitum, cui ipſa virtus præmium locupletiſſimum foret. Illud tamen divina bonitas non diu diſtulit, nam in Te ætate adhuc florentem & vegetum honorum contulit cumulum, quem plerumque ſervat benè meritorum de Eccleſia ſenectuti; haud ignara illa, te intra viriles annos contraxiſſe merita, quæ alij toto vitæ curſu vix conſecuti ſunt. Quarum virtutum nunc ego & frater, unam ſuaviſſimam humanitatem ſupplices compellamus, ut quæ nobis Romæ agentibus, tam aperta fuit atque obnoxia, patiatur eadem hanc grati animi teſtificationem palam eſſe, qua nos profitemur addictiſſimos EMINENTIÆ TVÆ.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est authoritate Regis & Privilegio, ne quis, *Annales sacros à Creatione Mundi ad ejusdem reparationem, Annales Ecclesiasticos ex XII. Tomis Cæsaris Baronij Cardinalis, in Epitomen redactos; & Annalium ejusdem Baronij Continuationem, Authore* HENRICO SPONDANO, *Mauleriolensi Appamiarum in Gallia Narbonnensi Episcopo,* quovis charactere aut forma excudere, aut alibi excusos vendere, aliove quolibet modo distrahere possit intra viginti annos, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Bibliopolam Parisiensem, sub pœnis originali diplomate expressis, &c. Datum Parisiis, &c.

Idem verò Sebastianus Cramoisy transtulit prædictum Privilegium suum Bibliopolis Parisiensibus Societatis jussu Regis constitutæ, qui cesserunt idem Privilegium PETRO LE PETIT, Bibliopolæ Parisiensi.

Et Petrus le Petit, idem Privilegium concessit IOANNI BAPTISTÆ BOVRLIER & LAVRENTIO AVBIN, Bibliopolis Lugdunensibus, juxta pactum inter ipsos initum. Parisiis die 26. Octobris 1673.

Tandem dicti Ioannes Baptista Bourlier & Laurentius Aubin, cesserunt dictum Privilegium IOANNI & IACOBO ANISSON, & IOANNI POSVEL, Bibliopolis Lugdunensibus, sub quorum nomine prodit hæc prima Editio Lugdunensis.

AD

AD LECTOREM.

SI QVIS *adsis, qui oculos huc conjeceris, paucis Te, quicumque fueris, mi Lector, detinebo: Tu in re gravi ne deneges tantillum patientiæ; vel in pœnam curiositatis, quæ Te ad revolvendum hoc folium impulit. Res enim fortè Tua, æquè ac Mea agitur; certè Publica, sub quâ nuncupatione & Ego & Tu comprehendimur. Sum ego ille, qui post* EPITOMEN *Annalium Eminentissimi Cardinalis Baronij ab ortu Ecclesiæ Christianæ confectam, ac sæpiùs publici juris factam, etiam* ANNALES SACROS *ab Ortu Mundi ad* CHRISTVM *usque panxi, & pariter evulgavi. Vt integram Historiam sacram & ecclesiasticam haberes ad hæc tempora, pariter volui inspirante Deo, paritérque perfeci eodem adjuvante; continuas illam à fine Baronianæ ad exitum præsentis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi, per annos 443. Grandi planè conatu, necdum ab ullo alio hactenùs tentato saltem non viso; ut scilicèt ab uno calamo res habeas ab Orbis conditu continuâ serie, quantùm per temporum monumenta licuit, ad hanc quâ vivimus ætatem. Dederam quidem jam olim aliquod hujus Continuationis specimen per breve Auctarium, quod ad finem Epitomes addideram: sed ejusmodi, ut ejus gustu lectorum magis appetitus ad solidioris cibi esum irritari, quàm fames satiari posset: utpotè quod tumultuariè factum, adeò etiam imperfectum esset, quinimmo & in multis erroneum, (quippe ex nutante aliorum Chronologorum fide, quorum plerique nihil pensi habent tempora & facta examinare, præcipitanter compositum) ut sæpiùs me ipsum puduerit, dum postea res ad amussim consideravi, ipsósque auctores primitivos consului, illud edidisse. Historiam ampliorem & accuratiorem jam plena & liberali manu exhibeo. Vtrùm bonam benè, (quæ summa rei est) Tuum judicium sit, ac peritorum qui legent. Si quid tamen ex præteritis augurari liceat, non deest spes, benignè acceptum opus iri.* EPITOMEN *approbavit ipse Baronius, ut patet ejus testimonio apposito in præfatione ad illam: approbavit Ecclesia Gallicana, cui dicata fuit, suo calculo, suis beneficiis: approbasse universum Orbem, ad quem illa pervenit, testantur frequenter repetitæ ejus editiones, & translationes in alias linguas vulgares.* ANNALES SACROS *nuper editos pariter approbare præ se ferunt qui hactenus viderunt. Quorum testimonium si accipimus, majus aliud suppetit Summi Iudicis, cujus est de his decernere; nempe Christianorum Pontificis, & qui eximiè est ad ea idoneus,* VRBANI *Papæ* VIII.

Cùm enim opus SVMMO PONTIFICI AC SEDI APOSTOLICÆ *obtulissem, ídque ad manus ejus pervenisset; rescripsit ipse, quâ est benignitate, quâ gratiâ, hoc Breve, ut vocant; quod adnectere visum, tamquam syngraphum liberi commeatûs tam illius lucubrationis, quàm ceterarum, ad omnes gentes: quæ ejus auctoritati subsunt, & majestatem colunt. Superscriptio fuit:* Venerabili Fratri Henrico Episcopo Apamiensi. *Breve autem sic habet:* VRBANVS PP. VIII. Venerabilis Frater Salutem & Apostolicam benedictionem. Conciliaverant jampridem Fraternitati tuæ existimationem, simúlque benevolentiam nostram lucubrationes, quæ cùm omnium mani-

bus

bus terantur, præclaram tibi famam pepererunt. Paternæ autem erga te charitati nostræ cumulus adjectus est, cùm recens à te editum volumen acceperimus, quod non sine pietatis tuæ significatione Nobis & Apostolicæ Sedi dicatum voluisti. In eo historiam è sacris petitam monumentis cùm diligentissimè prosequaris, speramus fore ut inde par voluptati utilitas percipiatur. Nos, quamvis in ejus lectione diù immorari hactenùs non potuerimus, ubi per negotia licuerit, eruditum opus libenter percurremus. Interim hasce literas non minùs propensæ erga te voluntatis nostræ, quàm virtutum tuarum testes extare volumus, quibus & felicitatis affluentiam ab Altissimo bonorum largitore fraternitati tuæ postulamus, & Pontificiam benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die ix. Iulij, M. DC. XXXIX. Pontificatûs nostri Anno xvi. *Ita ille. A quo, si & ista Continuatio, & à Sede Apostolicâ approbetur; pro minimo mihi erit, ut ab aliis judicer, aut ab humano die.* CVI SICVT PRIORA OMNIA, ITA ET ISTA, LVBENS VOLENS, PRO DEBITO OFFICII, ET ANIMI PROPENSIONE, SVBIICIO AC SVBMITTO; EMENDATVRVS, CORRECTVRVS, DELETVRVS, ABOLITVRVS, SI QVID EMENDANDVM, CORRIGENDVM, DELENDVM, ABOLENDVM IVDICAVERIT.

Vt autem de opere ipso breviter agam; haud adeò temporum & morum ignarus sum, quin sciam ipsum in varia judicia incursurum. Opperiuntur multi editionem, ut discant quæ nesciunt; & hi invenient quamplurima, unde eis satisfiat: plures fortè, ut carpant quæ sciunt; & hi quamvis non spiritu discendi ducantur, poterit nihilominùs fieri ut multa quæ jam sciunt, meliùs sciant, & aliqua reperiant quæ nesciant, nec carpere possint. Non dicant cum Isaiâ, Expectabamus ut hæc vinea faceret uvas, fecit autem labruscas. Sed si vina dulciora habeant, hederam apponant, quâ sitientes ad eorum potum alliciant; & caveant, ne acerbiora subministrent. Ego non potui nisi quæ inveni proferre: non enim fabulam scribo, sed historiam: quam Tullius describit, gestam rem esse ab ætatis nostræ memoria propter vetustatem remotam. Hanc quâ diligentiâ potui protuli. Nationum ac gentium historias sacras, profanásque, & annales editos evolvi; ineditos nonnullarum Bibliothecarum consului. Nihil quod ad Sanctæ Ecclesiæ publicam administrationem, dogmata, & disciplinam pertineat sciens omisi: nullam hæresim aut publicum errorem; nulla Concilia generalia, nationalia, aut provincialia quæ non descripserim, aut attigerim; nulla item præcipua hæreticorum aut schismaticorum conventicula; nulla universalia decreta Pontificia; nihil quod majestatem Romanorum Antistitum, aut Sedis Apostolicæ spectet, vel etiam Ecclesias Nationales; quod quidem ad notitiam meam venerit. Successiones quoque ac præcipua gesta eorumdem Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Nationum, belláque, & diversas mutationes immiscui: persecutiones in Christianos & Catholicos; martyria passa; præcipuorum Sanctorum, clarorúmque aliorum virorum memoriam; Ordinum quorumcumque tam regularium utriusque sexûs quàm equestrium institutiones; longinquas navigationes, gentium inventiones, mores, conversiones adtexui; singulares casus qui variis locis contigerunt retuli: denique nihil intactum reliqui, quod vel sciri utile, vel lectu delectabile existimaverim: Instituti tamen mei imprimis memor, quòd ecclesiastica magis quàm sæcularia aut politica, & gene-

ralia quàm singularia uniuscujusque Ecclesiæ ac gentis tractarem. Quo factum est ut quamplurima volens sciénsque siverim, quæ non tanti habui ut libros iis spissarem, cùm vel paßim fiant, vel frequenter recidant, aut ejusdem naturæ cum recitatis sint. Si namque omnia complecti voluissem, quando unquam finis? Si qua tamen sint quæ prætereà sciri pretium sit quæ ego ignoraverim, aut etiamsi non ignoraverim; tamen aliquibus compendiosum fuerit addi, rogo ut quorum intererit de iis me monitum velint, quò alia brevì conficiendâ editione singulis satisfaciam. Nulla enim per gratiam Dei me invidia in quemquam tenet, nullius in ullam gentem livor. Christianus sum, Presbyter, Episcopus: quæ hujusmodi conditiones dedecent, procul facio: ac Deo meo, sanctæ Matri Ecclesiæ, proximo debitorem me profiteor, non detrectatorem. Et hæc quidem de materiâ operis.

De Formâ ut dicam, Annales scribo; non propriè Historiam: quamvis dicat Cicero ad Quintum fratrem, fuisse olim Historiam, nihil aliud nisi Annalium confectionem. Sciunt docti utriusque Scriptionis differentiam. Nostrum hoc opus farrago est historiarum diversarum variarum gentium, hominum, casuum. Unde nec stylus adeò æqualis, aut fluidus; quoniam ex diversis auctoribus confectus. Satis fuit breviter claréque res exponere: quippe dicebat idem in Brûto, Nihil esse in Historiâ, purâ & illustri brevitate dulcius. Unde & id præcipuè servare enixus sum, ut nec brevitate jejunum lectorem dimitterem: nec prolixitate fastidium ingererem. Romanos etiam eligens imitari quàm Græcos. De quibus agens idem auctor, dum quærit qualis & quanti hominis sit historiam scribere; ait, si ut Græci scripserunt, summi esse oratoris; si ut Romani, nihil opus esse oratore, satis esse non esse mendacem. Absit verò à me ut mendax sim. Si quod fortè mendacium reperiatur, non propterea mendax ego; qui nihil nisi auctore prævio profero, quo fidem meam liberem. In discordiâ auctorum, quæ frequentissima est, secutus sum in dubio, quò me vel verisimilitudo rerum, vel scribentium traxit auctoritas. Si quid acerbiùs dictum reperiatur, consideret qui legerit, an res id exigat, aut patiatur; túmque id de factis dictum intelligat; personas quantum voluerit excuset, modò culpam mecum agnoscat. Non fiant mala, non scribentur: si facta fuerint, non debent qui fecerunt, ægrè ferre si quæ ipsi facere non erubuerunt aut timuerunt, alij propalent; non in odium, (absit) sed in exemplum & documentum ceterorum, ne in id ipsum cadant. Divinè monuit CHRISTVS *Dominus, nihil esse opertum, quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur, & in palàm veniat. Ac præclarè Tacitus, præcipuum munus Annalium esse, ne virtutes sileantur; útque pravis dictis factísque ex posteritate & infamiâ metus sis. Et Tullius, primam esse Historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Quas postremas notas sicut longißimè abesse ab his Annalibus certus sum, ita si quid appositum fuerit contrà quàm alij secùs gestum certò sciunt, gratissimum utique mihi erit de eo moneri, & pronissimum emendare. Mittantur obsecro & ab his, & ab iis quos superiùs simili de causâ interpellavi, adversaria monumenta Lutetiam ad Bibliopolam, cujus nomen hæc in fronte fert editio, in charitate Christianâ & candore animi, & ut postulat in historiæ tractatione Cicero, cum lenitate æquabili, sine hac judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis. sícque ego omninò in me recipio examinatis eorum rationibus abundè singulis à me satisfactum iri.*

Hæc Te, mi Lector, scire volui. Si Te diutiùs quam initio pollicitus sum de-

tinuerim, ne mihi propterea succenseas. Sic comparatum est inter homines, ut ad captandam benevolentiam multa promittantur quæ difficile sit exequi. Tu si Annales Nostros legere ac pervolutare aves, tam licet. Si satis in iis Tibi fiat, gratias age illi à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursùm est, descendens à Patre luminum. Si minùs; excusatam habeto inopiam meam: & Tu diligentior promus condus, ex abundantiori Tuâ penu profer quæ & Mihi & Aliis ac Tibimet ipsi sufficere possint. Atque interim ora pro paupere egeno; qui quæ habuit, publico exposuit omnium ac singulorum usui. Retribuet, ut spero, Deus Optimus Maximus, in die retributionis: qui sit in cunctis benedictus in sæcula. Gloriáque eidem in excelsis, & honor beatissimæ Matri, omnibúsque Sanctis; atque in terrâ Pax hominibus bonæ voluntatis. Amen.

HENRICI SPONDANI
APAMIARVM PONTIFICIS
ANNALIVM ECCLESIASTICORVM SCRIPTORIS
natales, educatio, studia literarum, res præclarè gestæ, virtutes, mors, tumulus, scriptorum monimenta.

Auctore PETRO FRIZONIO *Theologo Parisiensi.*

CAP. I. PRÆFATIO.

IN conscribendis, & posteritati transmittendis HENRICI SPONDANI Apamiarum Pontificis vitæ monimentis, primùm divini Numinis opem implorabo, cujus nutu omnia in prosperum finem tendunt, & in album collimant; nihil enim ritè, nihilque providenter homines sine Deo immortali, ejúsque auxilio, & honore auspicantur: deinde veritati eorum, quæ à me dicentur, studere pro virili conabor, cùm veritas inter Historiæ leges principem locum obtineat, corporísque Historici anima habeatur: demùm res singulas annorum circulis currentibus, seriéque temporum, ac ordine; quo uno potissimùm Historiæ lux affulget, circumscribam, spicásque hinc & inde colligam, quæ divinæ legis præcepto pauperum usui conceduntur, quásque collectas ex amplissimâ messe scriptorum, & præclarè gestorum ab ipso cùm pietate, tum doctrinâ Illustrissimo SPONDANO, enitar coarcervare in horreum juris publici redigendas. *Levit. 19. & 23.*

NATIVITAS.

Cùm igitur clavum navis Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ regeret in Christianâ puppi sedens Pius V. pientissimus (qui à Patre Paulo Ghislerio aratore ortum duxit, è D. Dominici familiâ ascitus in Patrum Purpuratorum numerú, nomine Cardinalis Alexandrini) anno misericordiæ 68. suprà 1500. Indictione undecimâ, lucis usura conceditur HENRICO SPONDANO, Imperii Gallici habenas gubernante Carolo IX. Adolescente, prole secundo-genitâ Henrici II. Valesii, & Catharinæ Medicææ neptis summi Christianorum Hierarchiæ Clementis VII. quondam Equitis Rhodii; die itaque mensis Ianuarii sextâ Epiphaniæ Regis Regum omnium dicatâ, quam D. Gregorius cognomento Theologus τὴν ἁγίαν τῶν φώτων ἡμέραν nuncupat) in lucem emissus est noster Spondanus Malleone urbe *Solæ* provinciolæ, ab antiquâ voce Subolâ, idiomate Cantabrico sylvestrem notante regionem, quæ alluitur Sasone fluvio in Gavum Oloronensem se exonerante; Diœcesanum habet Præsulem Oloronii, Archiflaminem Auscorum, Senatum Palensem jurisdictione cæteris Bearnensibus imperantem. *Masson. in vita Pii V. init.* *Nazianz. orat. 39. init.*

CAP. II. PARENTES.

PARENTES fuêre Spondano Enecus de Spondo tunc ævi à Secretis, & Consiliis Ioannæ Navarræorum Reginæ, viduæ Antonii Borbonii, (qui diem vitæ extremum obiit Catholicus in Rotomagensi obsidione contra sectarios) & Salvata de Hostâ, urbe Baionensi, Martini Pampilonensis filia. Frater natu major Ioannes Spondanus summo à naturâ instructus ingenio, vir literatissimus, qui annos natus viginti Iliadem & Odysseam Homeri Poëtarum Græcorum coryphæi est Latinè primus mortalium commentatus, non minore laude afficiendus quàm Eustathius Archipræsul Thessalonicensis qui suas παρεκβολὰς in eundem edidit auctorem. Ii Parentes cum lacte quidem nutricis religionem avitam, & Romanam suxêre: sed proh dolor! nescio quâ illorum temporum injuriâ, nescio quo rerum novarum studio & pruritu, hæresi etiam Calvinianâ, veluti lue pestiferâ grassante (quâ infecta fuit Princeps Ioanna Bearnensium Dynasta) eandem ut potum sensim sine sensu hausêre, Gerardo Roussello Episcopo Oloronensi, ejúsque asseclis porrigentibus, malè de Religione antiquorum Patrum sentientibus, & Ioannam in abyssum hæreseos protrudentibus. Hinc vehementissimum animi dolorem concepit mœstissimus filius sæpè sæpiùs mente sua revolvens, ejusce Rousselli, & discipulorum lenociniis infelices parentes suos in religione Catholicâ educatos in hæresis Calvinianæ laqueos incidisse.

HÆRETICI.

ROUSSELLUS EPIS. OLORON. HÆRETICUS.

CAP. III. HENRICUS IV. REX SPÓSOR LUSTRICUS.

SACRO Baptismatis fonte tinctus fuit Spondanus in urbe S. Pelagii citerioris Navarræ, sede Cancellarii, dissita tribus leucis à Malleone: sponsore lustrico quindecim annorum adolescente Henrico Principe Borbonio Ioannæ Reginæ filio unico, qui posteà rebus præclarè gestis HENRICUS inter Heroas MAGNUS jure meruit appellari, Galliarum Rex hujus nomenclaturæ IV. qui patrem pueruli compulit, ut hic eò deferretur, strepentibus in eâ regione, causâ læsæ Religionis, undequaque armis civilibus, datis etiam quadraginta Equitibus cataphractis ad iter tutò perficiendum. Cùm autem Henrici nomen fuerit Spondano impositum, mirum dictu quàm religiosè quantísque animi sensibus vir effectus, receptúsque in ovile Catholicum coluerit D. Henricum, à Benedicto VIII. Pontifice Imperii coronâ Romæ donatum, hoc nomine secundum, qui vitam traxit inter flores virginitatis una cum S. Cunegunde Augustâ uxore Virgine, mutuo utriusque consensu, cujus Beati sui Tutelaris iconem auream sculpendam curavit in Calice, quo diebus quotidianis Deo litabat Presbyteratu initiatus. Grandior factus Orthas ad Gavum Bearnensem lapideo ponte ornatum, sitas in Bearnensi Principatu, mittitur educandus, & literis humanioribus informandus puer maximâ præditus ingenii acie, sed ô nefas, cum adolescentulis Calvinianâ peste laborantibus, cujus venenum brevi haustum infecit mentem, & gratiam sanctificantem à Deo infusam animæ in Baptismi Sacramento corrupit; dum ipse unà cum aliis infantulis jocando ætatis suæ anno VIII. Catholicorum Sacrosancta fana, & sepulchra manu puerili, & sacrilega demolitur, inter alia magnificentissimum Mausolæum Magni illius Gastonis VIII. Vicecomitis Flussatum, Bear- *Krant. in Saxoniâ, l. 4. c. 55.*

EDUCATIO, ET LITERARUM STUDIA.

nenſium Principis, quem Europæ terrorem meritò appellabant Angli, Galli, Caſtellani delictum à Vaſconibus exercitûs Imperatorem. Teſtis eſt, erítque ſemper celebris victoria, quâ fuſus, deletúſque Rex Caſtellanorum Sanctius IV. menſe Iulio, æræ Chriſtianæ octogeſimæ nonæ ſuprà ducenteſimam milleſimam. Gaſto memor æternitatis, anaſtaſim præſtolans, ſibi erexerat monumentum ſepulchrale ſui æneâ effigie inſignitum, cum hac epigraphe,

Ioan. Froſſard. Annal. 1289.

Continet hac foſſa Gaſtonis Principis oſſa.

(alios verſus Leoninos ſuperſedeo recitare relatos à doctiſſimo Præſide Marka Spondani amiciſſimo, & contribule) in ſacris Patrum Dominicanorum ædibus, quas impio & nefando auſu Calvinianæ ſectæ poſſeſſores súſque déque everterunt, cæteras Eccleſiæ, & tumulorum ruinas luſui, & riſui puerorum exponentes.

Hiſtor. Bearn. l.7. c.30 in fine.

Cap. IV. Confeſsio publica criminum.

An. 1567.

De hujuſce rei ſacrilegio, ſéque ſacrilego apud Deum miſericordiarum parentem multas conqueritur Spondanus ad caſtra Catholica poſtliminiò reverſus, imitatúſque D. Matthæum ſe profitentem publicanum, etiam Paulum pluries repetentem ſe Eccleſiam perſequutum, ac admiratione omni majorem Auguſtinum librorum Confeſſionum auctorem, omnes in dictum Salomonis erumpentes, *juſtus prior eſt accuſator ſui*, executionique mandantes. Ita ſub finem libelli Cœmeteriorum ſacrorum vernaculo idiomate evulgari, poſt ejuratam hæreſim, loquitur. Navarræ Regina Majeſtatis Chriſtianiſſimæ parens, relictis patriis ædibus, Rupellam contendens iter habuit Caſtrogeloſo Alebreti oppido; vix limina reliquerat; Ecce, qui in comitatu Reginæ aderant, è veſtigio convolant ad dilapidanda Alebretanorum Dynaſtarum, Majorúmque monumenta in Baſilicâ Deiparæ, & in fano Franciſcanorum ejuſdem oppidi, omnem exuentes humanitatem, nullo habito reſpectu Reginæ, peſſumdatâ omni reverentiâ Principibus ejus proſapiæ, & ſanguinis debitâ, eruentes cadaverum oſſa, & reliquas è dirutis Comitum Fluſſatum ſepulchris cum iis facinoribus, quæ nec mimi fingere, nec ſcurræ ludere, nec Attellani poſſent effari.

Proverb. 18.17.

Hieron. epiſt. 48. ad Sabin.

Fama tot, tantarúmque infamiæ macularum, quibus hæretici ſacros infamârunt Principum tumulos per omnem Aquitaniam pervagavit; ita ut Senatus Burdegalenſis dederit in mandatis Lahetio Cognitori generali, ad inquirendum in delatos, & teſtibus maleficii teſtimonium denuntiandum, & ad colligenda lipſana, quæ gens Tygride ferocior eò loci reliquerat. Ego ipſe Spondanus in memoriam revoco abhinc annos fermè duos & viginti, nondum expleto anno à nativitate meâ octavo, cùm vacarem primis Grammatices elementis in urbe Orthenſi, vidi hiſce oculis in Eccleſiâ ſemi dirutâ Aſcetarum D. Dominici (in quorum cœnobio poſtquàm ii Patres amandati & proſcripti fuêre, unà cum omnibus fidem Catholicam profitentibus, erectæ ſunt ſcholæ & ludimagiſteria) vidi, inquam è regione aræ majoris ſepulchrum quoddam ab humo erectum, labem faciens, limáque ductum; hoc ferebatur eſſe Gaſtonis Phœbi Bearniæ Principis, qui ſuâ tempeſtate totius Vaſconiæ fulmen audiebat, cujus benevolentiam, & amorem Franciæ, Hiſpaniæ, Navarræ, & Angliæ Reges ſibi conciliare enitebantur. Hic tumulus mihi partim, ſed potiſſimùm collegis meis ætate provectioribus fuit infantile oblectamentum; quibus næniis extremam penè adjecimus manum, nefandam quidem, & ſacrilegam, ut penitùs Mauſolæum labefactaretur, totâ urbis plebe nos inſpiciente, nemine unquam admonente, nemine impedimentum objiciente. Oſſa reliquiáſque è tumulo ſenſim eruebamus, & poſt ludicram pugnam, eas Eccleſiæ ruinis ſepeliebamus, iis jocationibus mirè omnes capiebamur: non diſpar fuit conditio amorum ejus Dynaſtæ illic repertorum. Memini inter cætera, cujuſdam enſis ingentis formæ, quo alia arma percellebamus, quo dejiciebamus altarium ſacrorum fragmenta, & ſæpenumerò bilem noſtram excitabamus in reliquas cadaveris ſenſu deſtituti partes: quod inſaniæ furorique noſtro dé fuit, ab iis perficiebatur qui ædes illas ſacras jam labe affectas ſolo adæquârunt, omni poſt habito divino honore, miſſo quocumque humanitatis ſenſu, minimè attendentes Heroëm illum fuiſſe è Progenitoribus ſui Principis, qui hodiernâ luce nobis imperat Rex Chriſtianiſſimus. Verùm, ô bone Deus, ô Deus immortalis, quænam hæc confeſſio, quodnam iſtud examen hujus ſceleris, nefaſque deteſtandi? Quis mortalium, amabo, non me mille rogis devovendum, quis non me mille pedicis manicíſque conſtringendum, quis non me mille Damnatorum tormentis, malè mulctandum judicaret, quòd præſens, imò quod tanti ſacrilegii perpetrator extiterim? Nec juvabit memoriam delendam hujus piaculi, nondum matura meorum annorum ætas, nec planè compos boni, malive diſcernendi, quæ me potiùs ſequacem, quàm ducem & auctorem horum geſtorum reddebat: Enim verò mihi quomodocumque notum eſt, ipſum ſcelus meum tunc temporis incipere mihi cordi fuiſſe, & arriſiſſe illud, quod naturæ inſtinctus vitabat etiam in pueris rudioribus. Non ergo illud eſt, quò ſordes ſceleris mei ſunt ablutæ, verum fuit cordis dolor pœnitentiâ refricatus, & à Deo miſerationum Principe excitatus, oris confeſſio prolata divino ordine, operis ſatisfactio mihi utique præcepta: ſupérque omnia ejuratio voluntaria facinorum, nulla hominum ſtudia deſiderans, nullam mortalium gratiam aucupata; videbat potiùs retrahi ſpe, & hamo rerum humanarum; ad illam à Spiritu tuo ſancto ô Deus, cujus natura bonitas, cujus opus miſericordia, cujus voluntas potentia, ſum impulſus ſecundóque itinere manu ductus, etiam à Divis pro me preces effundentibus, quorum aras dilapidabam quique Majeſtatem tuam divinam deprecabantur, ut ab hoc profundo criminum ſumno, & lethargo ſuſcitarer; velut Protomartyr Stephanus Deum pro perſequentis Pauli converſione, ipſa inquam, ejuratio diris devotæ ſectæ & impiorum dogmatum, quæ à Luthero, Zuinglio, Calvino, ſimiliſque farinæ hominibus ſunt in campis Europæ ſeminata; demùm ipſa eſt ejuratio hæreſeos Calvinianæ, cui primæ partes vitæ meæ debentur, in eâ enim natus, baptiſma & lac ſuſcepi, educatus in illam horam, cujus irreligionis præconia divulgabam, & inter alia everſus Eccleſias prædicabam, quarum ruinis fuiſſem ipſe oppreſſus ô Numen patientiſſimum, niſi præventus gratiâ & tuâ omnipotente manu ſuffultus, hunc caſum, & præcipitium in imam abyſſum declinâſſem; quò me præcipitem agebant technæ horum Pſeudoapoſtolorum, *Quibus innatum*, inquit Africanorum Patrum antiquiſſimus Tertullianus, *de vivis mortuos facere, ut Apoſtoli de mortuis vivos efficiebant*. Hactenùs auribus excepimus confeſſionem juvenilium criminum Henrici Spondani palam, & coram Deo.

Lib. de præſcript. cap. 31.

Angelis, & hominibus peractam; nunc ad cæteras ejus vitæ periodos ſeſe convertat oratio.

Cap. V. Gebennæ studet.

Adolescentiæ ſuæ annos in comparandis diſciplinis cum uberiore fructu conſumpſit, collegam nactus in ſcholis Gebennenſibus Claudium Bullionum Matiſconenſem, qui poſteà Catholicæ Religioni nomen dedit, & Regni variis rebus agendis fuit implicitus Comes Conſiſtorianus, quique Lutetiæ deceſſit corporis ergaſtulo ſolutus, omnium togatorum Galliæ ditiſſimus, ſummus ærarii regii Præfectus, utinam & cœlo ditiſſimus. Totus porrò erat Spondanus in ſtudiis, quæ demum magno fuerunt emolumento Reipublicæ Chriſtianæ: de hoc literarum incendio monitus ejus Frater Ioannes (cujus anteà meminimus) Baſileæ Rauracorum agens, & ſuo Henrico typis mandando vacans, ſic ad eum ſcripſit Calendis Auguſti. Henrico Spondano Fratri ſuo Ioannes Spondanus. Studes, mi Frater, & diligenter ſatis, ut audio: ſtudium pietatis tibi percurrendum eſt, laurea in cœlis obtinenda. Vide porrò quàm te amem, & ſtudia tua, & pietatem tuam hoc noviſſimo aculeo incito, quem tu, ut ſpero, non recuſabis. Titulus libelli docuit, quid eſſet, docebit melius lectio. Pſalmos nuper cùm legerem, neſcio quis me Poëtices ſtatim invaſit furor, ut à calamo mihi temperare non potuerim, & ita mihi placuit, ut in uno non conſtiterim. Aliquot ſelectos Latino verſu ſcripſi, cæteros ſcripturus, ſi hoc ſpecimen arriſerit. Vt tu idem, me duce facias, cùm verſus voles ſcribere (ut autem ſcribere ſcias, quàm maximè opto) auctor tibi ſum. Tu quicquid erit, lege, & me ama. Vale.

Fratrum communicatio.

An. 1584.

Cap. VI. In Scotiam proficiscitur.

Cùm coronidem ſtudiis literarum humaniorum, & philoſophicarum impoſuiſſet Græcè doctiſſimus ſui germani fratris exemplo patrios reliquit lares, & Galliam, ſtudioſus exterarum regionum mores etiam hominum, & urbes avidus luſtrandi, ſe comitem dedit egregiæ formæ adoleſcens Legato Regis Navarræi Guillelmo Saluſtio Bartaſii Toparchæ nobili Novempopulano, ſatis ſupérque noto divinâ hebdomade verſu Gallico heroïco compoſitâ (quam metro Hetruſco reddidit Paracletus Frangipanis Auguſtinianus) in Scotiam profecturo ad Iacobum Stuartium, hujus nominis IV. Scotiæ Regem, qui trimulus quaſi in cunarum ſolio Rex eſt ſalutatus. Vbi Edimburgum (antiquo verbo Agnedam regni Scotici metropolim in provinciâ Landoniâ) Legatus maritimo itinere appulit, nihil habuit gratius noſter Spondanus, quàm ſtatim Scotorum idioma habere familiare, quod paucorum dierum intercapedine eſt aſſequutus, loquebatur cum Iacobo Rege linguâ Scoticâ: admirabilis autem ingenii acie Adoleſcentis Regi cognitâ, etiam linguarum ac literarum peritiâ, Rex ipſius colloquio quotidiano mirum in modum delectabatur. Rediturus in Gallias Bartaſius tranſiit Londino ad Tamarim nobiliſſimum Britanniæ flumen (quo non aliud in Europâ Oceani allabentis æſtus longiùs ſentit) ſalutaturus Henrici Navarræi nomine Eliſabetham Anglis imperantem, cujus erat ſymbolum *ſemper eadem*, eadem ſanè, ſempérque infeſta Catholicæ genti à Romanâ Eccleſiâ, quæ Apoſtolica eſt, ſtanti: & quod omnibus retrò ſeculis fuit inauditum fœmina voluit haberi caput Eccleſiæ Anglicanæ à ſuis Inſulanis; Cæterùm fuit præclaris naturæ dotibus ditata, quæ Græcè, Latinè, Gallicè, Hiſpanicè loqui noverat, Latino idiomate allocuta Spondanum in Comitatu Legati multam ſalutem Reginæ impertientem, & de variis rebus interrogatum. Hâc Scoticâ, & Anglicanâ peregrinatione confectâ Iuri Pontificio, & Cæſareo addiſcendo ſe conſecravit, omnéſque legum civilium libros evolvit, Digeſtum, Codicem, Inſtituta, Authenticum, librum Feudorum (qui alio nomine Collatio nuncupatur) támque tenace, & fœcundâ pollebat memoriâ, ut quatuor libros Inſtitutionum, quos Iuſtinianus Imperator, licet Suidæ ἀναλφάβητος edi imperavit à Triboniano ſacri palatii Quæſtore, & à Theophilo ac Dorotheo viris illuſtribus, ad unguem recitaret. Ne verò hic præclarus enſis vaginâ reconditus videretur Cæſarodunum Turonum ad Ligerim adiit, quò Senatus Pariſienſis, & Rationalium Curia fuerant edicto regio tranſlata, antequàm Bleſas novus Rex Galliarum Henricus IV. relinqueret ſub anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi noni finem, mandatum dans Præſidibus, ac Senatoribus, ubicumque locorum eſſent, ut Turones ad jus dicendum, & munere ſuo defungendum, quamprimùm ſe conferrent, falſi pœnâ additâ in Actores, & Reos qui apud alios judices litigarent: ab illo itaque Senatu admiſſus fuit poſt triennium Cauſidicus in patrociniis, atque in officiis forenſibus, ſtatimque à Rege creatus à Conſiliis, & libellorum ſupplicum Navarræorum Magiſter, cum penſione annuâ ſexcentarum librarum turonenſium percipiendâ è fructibus Bearnenſibus. Nec ita Iuri attendebat, quin aliquid temporis daret lectioni omnium controverſiarum in re Religionis à Roberto Bellarmino Societatis Iesu Profeſſore doctiſſimo, poſteà Sereniſſimo Reverendiſſimo Eminentiſſimo Cardinale, Archipræſule Capuano emiſſarum in lucem, quæ terebantur tunc tempeſtatis non modò manibus Catholicorum, verùm etiam ſectariorum, dicatæque fuerant Sixto V. Pontifici Maximo quas invido dente rodebant Hæretici, verè mures Pontici, ſicut Tertullianus Marcionem Evangelium rodentem appellat, verè mures bonorum indumentorum corroſores, ut S. Epiphanius Conſtantiæ, ſive Salaminis in Cypro Epiſcopus Marcionis Diſcipulos ſentit nominandos, aut ut idem Melchiſedecianos mures araneos membra omnia labe illâ quæ κελέφια vocatur, inficientes. Illo tamen hamo, illâ frequenti lectione ineſcatur tandem à Divino Piſcatore Spondanus, & inter hæreſis tenebras cimmerias luce divinâ perfunditur, etiam maximè incitatur aculeo, & exemplo fraterno Ioannis Spondani, qui prior Spiritu ſancto aurem præbuit, & flammis cœleſtibus cordis glaciem Calvinianam penitùs diffundi ſenſit; eo nomine plurimis Hæreticorum laceſſitus injuriis, & potiſſimùm Theodori Bezæ ipſorum Caliphæ, ac ranæ principis in lacu Lemano, veriùs dixerim, in Gebennenſi Palude coaxantis, etiam hyberno tempore (uti mos eſt ranarum Strigonienſium in Hungariâ) nec non livore crepantis.

Eum admiratur Rex Iacobus.

Regina Angliæ cum eo loquitur Latine.

Iuri Pōtif. et Cæsar. studet.

Suid. in verbo Iuſtinian.

Fit Magister supplicium libellorum.

Initia conversionis.

Lib. 1. adverſ. Marcion. init.

Hæreſ. 41. contra Marcion. & hæreſ. 55.

Busbeq. epiſt. 1. Legat. Turcic.

Bellarminiana ſanè lectio, & aculeus ille fraternus movêre Spondanum ad deſerendam Ægyptum, ad nauſeam cæparum guſtui, & odoratui infenſarum, ad ſectarios procul ab ſe eliminandos: cùm primarium Medici hoc documentum, & præceptum in morbis plebeiis, & peſtiferis præſcribant à locis lue infectis longiùs eſſe recedendum, nec ullâ ratione communicandum cum viris contagion.

LAUS CARDINAL. PERRONII.

laborantibus. Inter alia porrò adjumenta, Spondano plurimùm profuit Perronius Ebroicarum Præsul, quem Clemens VIII. S.P. vocabat *virum secundùm cor suum*, ob ingenii acutissimi aciem, ob præclarissimas animi dotes, ob memoriam post homines natos præstantissimam, ob scientiarum, & hæreseon omnium cognitionem, ob pietatem ac morum suavitatem. Hic ipse Perronius sacræ posteà purpuræ honos Henricum IV. docuit Ecclesiæ Romanæ religionem Meduntæ, Antrici Carnutum, & Sandionysii (hoc Rege Christianissimo fides Catholica imperii Gallici stabilita, quæ pessum iisset per omnes fermè regni fines, si aura illi divina non afflâsset) nec modò caput est sanitati Religionis restitutum, verùm etiam membra ægra sunt à morbo hæretico levata ope & medicinâ hujusce divini Æsculapii. Quid memorem Morlacium, & Spondanum natu majorem viros in maximo pretio habitos à Rege, utpotè domesticos ingenio & doctrinâ florentes, quid commemorabo Chaumontium, Sancyum, Saligniacum nobilitate insignes, quid de ipso Henrico Spondano dicam Antistite futuro, & auctore sexcentis ab hæresi revocandis, qui semper omnibus profitebatur se infinitum debuisse instructioni Perronianæ?

CAP. VII. TRIA CONVERSIONIS JUVAMENTA.

TRIA itaque fuêre adminicula Spondano ad Christum Patrem, & Matrem Ecclesiam redeundi, de quibus sic ipse loquitur totus divini amoris igne accensus in Libello Gallico cujus mentionem fecimus. In mediis oberravi tenebris usque ad meæ ætatis annum 27. tunc lumen Deo infundente, radio quodam cœlestis splendoris fui circumseptus, quo notabam plures meorum commilitonum, Didascalorum, ac Magistrorum (qui eadem erant sequuti vestigia) illustratos fuisse luce gratiæ, hanc obliquam semitam deseruisse, hunc labyrinthum diversis spiris & anfractibus plenum, hæc itinera aspera, has sepes spinosas, hos nigrantes Hyrcaniæ lucos, has Scythiæ sylvas, quibus obvolutus & irretitus tenebar, nullo itineris duce ad ingressum viæ patentis & planæ cælo aperto, ubi diu noctúque sol clarescit, ubi copia plurium manuductorum illustrium, qui recto tramite præcedunt ad sancta supernæ civitatis in apice montis Sion collocatæ domicilia. Hoc igitur mihi illucescente radio, omni conatu aggressus sum pedicas meas dissolvere, vincula disrumpere, obices tollere, ac tenebras illas dissipare, & solis illius claritatem apparentem intueri. Verum enim verò tenebrarum Deus huic piæ cupidini obstaculum injiciebat, si pedem tantillùm versùs lumen divinum movebam, cancrorum more retrocedebam, posticósque passus refigebam, sicque aliud nihil præter pedum offensas, præter diverticula, præter menti turbatæ objecta dubia: nihilominùs fiebam animosior plurimorum hortatione, qui animum meum his jactatum fluctibus decumanis animadvertebant, potissimùm monitis fratris mei, qui omnibus relictis obicibus perfectâ potiebatur filiorum Dei libertate; vir sat notus politioris vitæ hominibus tùm contubernio, tùm librorum monimentis, plura non dicam consanguinitatis ergô, solùm dicam multùm gaudii accidisse Ecclesiæ hoc milite accedente ad castra Catholica, & hac ove ad ovile Romanum properante: etiamnum hodie præmaturum obitum deplorant superstites, & ego unus præ omnibus, qui ejus ope, & auxilio sum destitutus eâ tempestate, quâ maximè indigebam volutatus *in limo profundi*, ut cum Psalte regio loquar, ac paludibus stygiis, cùm ô piissime Deus, mundo immundo contra eum intonante ad cœlestem patriam evocatum traxisti. Commovit me totum hæc fratris averruncani orbitas, verùm extra orbitam propositi mei non me egit, licèt in eâ stantem, paululùm tamen progredientem, iterque manibus prætentantem. E multorum numero, qui mihi obviam fuerunt humanitate, & affabilitate insignes Antesignani, viæ Duces, sacrorum dogmatum Magistri meíque directores, offendi duos primarios magni nominis, imò maximæ apud omnes æstimationis, quorum ductu frater meus eò feliciter pervenit, ubi moras æternas cum Deo est acturus: duo sunt lumina coruscantia, quæ totum orbem terrarum illuminavêre, duo fortissimi Athletæ, quorum heroïca gesta nulli mortalium sunt incomperta, duo Hercules alexiaci, qui tot monstra debellaverunt, tot hydras jugulârunt, quot fuêre nata, quot producta ab ipsâ naturâ præter naturæ ordinem in hoc infelicissimo orbis theatro: unusquisque eorum laureis viridantibus redimitus trophæis, & hostium spoliis onustus ac triumphis illustrissimus, nimirum *Robertus Bellarminus*, Italiæ præcipuum decus, Instituti Soc. IESU gloria, ac in præsenti splendor sacri Cardinalium Collegii, & Principum Ecclesiæ lumen; *Jacobus* etiam *Davy Perronius* Ebroicensis Præsul, cujus natales sibi vendicat Gallia, cujus doctrina rapuit in admirationem omnes Italos, cujus facundiâ etiam ipsa suada Attica obmutescit admirabunda. Illius scripta monimenta, hujus documenta vivæ vocis oraculo effata me allexêre, allectum vocavêre, vocatum tetigêre, & errorum, quibus fidem adhibebam, ineptias digito monstravêre: illi ipsi docuerunt fidei Christianæ vera dogmata, illi ipsi nutantem me firmum, inclinantem me stabilem reddiderunt certo certioribus Religionis nostræ mysteriis. Ita verè, & animosè fatebor neminem illius præclara scripto opera legisse, neminem hujus voces & orationis tonitrua audivisse, quin commotus non remanserit titubans victus, expugnatúsque non cesserit, nisi fortè qui inscitiâ laborat, invidiâ corroditur, odio prævenitur, nimiâ sui æstimatione, & arrogantiâ effertur. Quot periodi, quot verba, quot syllabæ in illius operum codicibus, tot sunt clypei, quibus amici obumbrantur & conteguntur, tot sunt tela, quæ hostes feriunt, graviter offendunt, iisque necem inferunt. Ditissimum est armamentarium, & omni genere armorum sive propugnandi, sive oppugnandi gratiâ instructissimum, ad muros civitatis Dei tuendos, ad propugnaculum Cacodæmonis expugnandum, ad aciem Domini exercituum protegendam, ac classem Principis Piratarum spiritalium mari immergendam, ad tutelam fidelium Catholicorum Christo regeneratorum, ad ruinam, & exterminium Infidelium, Hæreticorum, & Schismaticorum. Non absimili ratione, discursus Perronici, sermones, verba, catenæ sunt Herculis Gallici, quibus vinciebantur, & trahebantur Auditores, fila sunt Ariadnæa, quibus è tricis labyrinthæis propositionum erronearum solvebantur intricati, detentique, gladii sunt magni Alexandri, quibus nodi gordiani fallaciarum, dolorum, ac fraudum ab hostibus Dei & Ecclesiæ inventarum evolvebantur. Quandoquidem verò divinæ bonitati ô Numen clementissimum, placuit me asciscere multitudini infinitæ eorum, quibus lucem infudisti, quod scientiæ rore aspersisti, & à casibus erexisti, studio & operâ horumce victorum, & triumphos agentium, hoc mihi unum dones etiam atque etiam rogo, ut ipsorum

Libel. cœm. sacr. sub. fin.

Psal. 68. vers. 3.

possint inhærere vestigiis, habendo zelo, pietate comparandâ, igne charitatis fovendo: ut expertus in me documenta ab illis infusa mihíque ab his transfusa, valeam ea largiri meâ pinguiore Minervâ omnibus, qui iis opus habebunt. Interim, ô Deus, te testem, simúlque æquissimum Iudicem appello, quòd nec dolo, nec fraude, nec rebus desperatis, non formidine, non commodo, non ambitione, nomen meum Ecclesiæ dedi; verum tuæ solius Deitatis gloriâ, & animæ meæ lucro, ac salute, quæ nullibi gentium, nisi in eâ offenditur, & habetur: nam qui agno vescitur extra hanc aram, extra hunc focum cœlestem, profanorum hominum gregi, & libro est inscribendus, qui in eâ navi non fluctuat aut ipsâ arcâ non continetur, immergatur necesse est. Quamobrem, mi Deus, hoc unum peto à te Domino cœlestium, terrestrium, & infernorum, ut eam gratiam mihi des æternum perseverandi in proposito, quod ab exordio conversionis meæ contulisti ad hoc tempus præsens, in proposito, inquam, vivendi moriendíque longè à schismate, & hæresi, in proposito amandæ pacis, & unitatis, in proposito zeli perpetui fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, in proposito demissionis animi ad pedes SS. Apostolorum Petri & Pauli, in proposito obedientiæ rerum singularum, quæ à Cathedrâ Petri emanabunt, & obsequii dependentis ab ore, & volito successorum Summorum Ecclesiæ Pontificum, vices Christi in terris gerentium, itaut *neque mors, neque vita, neque Angeli,* Rom. 8. vers.
neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, 38. & seq.
neque profundum, neque creatura alia possit me separare à charitate tua, ô Deus, quæ in Christo Iesu Domino nostro, & sponsæ suæ Ecclesiæ communione, & commercio. Hæc sunt pharetræ divinæ dilectionis, quibus cum sponso ait Spondanus, *vulnerasti cor meum soror mea sponsa,* quo vulnere Cant. 4.
fuit ejus anima sauciata ab hoc temporis articulo ad extremum vitæ halitum, non sibi ampliùs, nec vers. 9.
mundo vivens, cum ipsa dilectio morti æquiparetur, unde præclarè S. August. *Fortis ut mors dile-* in Psal. 121.
ctio, nihil est illa fortius: propterea viribus ejus charitas comparatur, quia & ipsa occidit quod fuimus, ut simus, quod non eramus.

Cap. VIII. Hæresis abjuratio.

Anno itaque misericordiæ divinæ 95. suprà 1000. & 500. undecimo Calendas Octobres, die sacrâ D. Matthæo Apostolo, quondam mensæ Publicanorum à quibus vectigalia exigebatur, assessori, Spondanus acceptâ à Ludovico Godeberto Theologo Lutetiano Principis Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiario, & vices gerente Petri Cardinalis Gondii Parisiorum Pontificis, criminum & hæreseos absolutione, deposuit apud eundem suarum macularum sarcinam, *corpus peccati* in sacris paginis Rom. 6.
nuncupatam, peregitque scelerum exhomologesim universalem, cum quantis autem rerum cælestium vers. 6.
sensibus, soli Deo est notum; tunc se totum quantus erat Divinæ Majestati & Ecclesiæ Catholicæ emolumentis consecrans, viros pios, & literatos frequenti communione sibi devinciens, ædes sacras & sacramenta assiduè frequentans, præclarúmque anno sequenti typis mandari curans libellum contra

Scribit contra sectarios.

sectarios, cujus epigraphe, *Cœmeteria sacra,* dicatum Claudio Rambouilletano Cenomanensium Præsuli multis nominibus Illustr. Caroli Cardinalis fratri, ita omnibus gratum acceptúmque ut Burdigalæ, Parisiis, Rothomagi pluribus vicibus fuerit à Typopraphis impressioni datus, quemque Gallicum ipse Latinitate postmodum donavit, multis auctum, & in grandiorem formam redactum. Cùm autem Perronius, antequàm Romam regius cognitor peteret pro obtinendâ Henrici IV. absolutione à Clemente Pontifice Maximo, tantum contulisset Spondano ad eum Ecclesiæ gremio conjungendum, hic illi in Gallias redeunti, ut aliquâ ex parte responderet se dedit dicavítque nec modò Lutetiæ, verùm

Perronium Card. frequentat.

etiam Ebroicis in Neustriâ (quas Româ reversus Perronius partes boni Pastoris sustinens, adiit ovibus pascendis, curandis, & Deo summo omnium Pastori consecrandis) ac Condæi, quod est castrum ditionis Episcopi Ebroicarum, quò, studiis SS. Patrum idem vacaturus, & scribendis contra novæ sectæ Asseclas libris oleum & operam daturus se recepit, verè sacrarum musarum, & pietatis domicilium, literatorúmque Athenas. Vnum versabat animo Spondanus, ut quam primùm sacris ordinibus

Sacris ordinibus cupit initiari.

initiaretur, quibus se Deo consecraret, & divinam supremæ Majestati hostiam quotidie litaret: Hinc Parisiis sub anni M. D. XCIX. primordia, nactus Arnaldum Maytiam suum Oleronensem Præsulem, genitum Petro Arnaldo Maytiâ, qui primis tempestatibus Calvinianæ hæreseos, concionem in urbe Malleonensi habente Roussello Oleronensium Antistite pessimè de Religione Catholicâ sentiente, hicce Petrus Arnaldus igne zelóque religionis totus incensus convolavit ad pestilentiæ Cathedram securi, quam pallio contectam eo fine tulerat, acceptâ, iteratis ictibus in frusta eam intrepidus conscidit, prostravítque, Roussello in terram decidente semimortuo, nec tamen ullâ corporis parte læso: nactus, inquam, Arnaldum Episcopum obtinuit diœcesanus literas ad omnes sacros ordines con-

Vult Romam ire ob Iubilæum. Quoties variatum.

sequendos, hac insertâ literis clausulâ, *etiam extra regnum*, avebat enim anno sequenti Romam se conferre: ubi revolutis quinque & viginti annis instituto Pauli II. & Sixti IV. successoris Iubilæum erat celebrandum: illud Bonifacius VIII. decreverat olim renovandum qualibet annorum ætate, & sæculo, contractum à Clemente VI. natione Gallo è Regulorum Turrensium prosapiâ ad annos quinquaginta, more filiorum Israël, qui præcepto divino Iubilæi festos dies renovabant quolibet anno quinquagesimo; verùm aliâ formâ, alioque modo Vrbanus VI. ad annos tres & tri- Levit. 25.
ginta vitæ Christi redegerat. vers. 10.

Cap. IX. Romæ adest Iubilæo anni sæcularis.

Stato, fixóque post quinque lustra Iubilæi sacri tempore, eoque recurrente anno sæculari M. DC. cùm albo Eminentissimorum Cardinalium inscriptus fuisset Franciscus Escoublæus cognomento Sourdius, anno præcedente collegas ejusdem dignitatis sortitus in eâ Patrum lectione Robertum Bellarminum, & Arnaldum Ossatum, cogitavit Romam, ut primùm liceret, properare, volens in Comitatu suo habere Spondanum sibi notum pietate, & literarum studio: hæc Romana peregrinatio dilata est ad illum sæcularem annum, in quo actum de matrimonio Henrici Magni cum Mariâ Medicæâ Francisci Hetruscorum Ducis filiâ, & Ferdinandi nepte, dissolutis primi connubii vinculis jure dictante inter ipsum Henricum Regem, & Margaritam Valesiam Henrico II. tertiogenitam ejus consensu. Anno itaque incipientis sæculi sub finem vergente Cardinalis Sourdius mandato regio Lutetiâ discessit Massiliam, in quâ cum senioribus sociis Cardinalibus Ioyosa & Giurio prætolatus est novam Reginam Mariam, quæ tertio nonas Novembris eò appulit, cum Claudiâ Lotharingâ

ejusdem Ferdinandi Magni Ducis uxore, & Heleonorâ Medicæâ sorore natu majore Reginæ, & Vincentii Gonsagæ Mantuæ ad Minium circumfluentem, & stagnantem Principis conjuge, triremibus Pontificiis, Melitensibus, & Hetruscis vela expandentibus; post debitis honoribus affectam, egressa est, Lugdunum Avenione peritura, illic matrimonii jam Florentiæ pridie nonas Octobris celebrati, sunt peracti cæremoniarum ritus quinto Idus Decembris à Petro Cadinale Aldobrandino Pontificis Nepote, & Sedis Apostolicæ Legato, qui illis in partibus agebat ad componenda dissidia inter Henricum Regem, & Carolum Emanuelem Sabaudum pro restituendo Sallussii Marchionatu: Tunc Perronius Ebroicensis Præsul, & primus Regi ab eleemosynis convenit Cardinalem Aldobrandinum, intérque alia egit de Spondano Romam Sourdium Purpuratum comitante, eum præclaris laudibus efferens, ingenii præstantiam commendans, singularem literarum scientiam, zeli flammas erga religionem Catholicam; quæ multis repetiit in epistolâ ad eundem Eminentissimum Cardinalem datâ, quarto nonas Februarias anni M. DC. II. Romam orbis Metropolim accessit septimo Calendas Decembris die sacrâ sanctissimæ Virgini & Martyri Catharinæ, cùm Romani Iubilæi anno esset finis imponendus; quod de more fit in primarum vesperarum celebratione diei natalis Christi omnium Soteris, ut etiam eisdem die & horâ reserari solet à Summo Pontifice porta Vaticanæ Ecclesiæ Apostolorum Principis Petri, ad Iubilæo danda initia, nisi obex aliquis intervenerit, uti illo anno accidit ob chiragræ Pontificios dolores, Clemente VIII. diem differente; quis tempore, quod Iubilæis diebus supererat posset verbis explicare reconditos pii animi affectus, studia quotidiana lustrandarum Basilicarum, dispositum animum ad generalem totius anteactæ vitæ exhomologesim, prævias dispositiones sumendis sacræ Synaxeos mysteriis, frequentiam in Ptochotrophiis piè visitandis? videbatur sibi cœlestis patriæ esse novus incola.

Cap. X. Sacros suscipit ordines Romæ.

Finito aliquo annorum intervallo sacris ordinibus initiari summopere avidus; quo sublimioris vitæ fundamenta jaceret, ad palatium amoris divini extruendum perficiendúmque post rivos lacrymarum effusos, post dignitatis officiique Angelicis humeris formidandi attentam considerationem, post multorum dierum secretos recessus, & ardentia cum Deo colloquia, Sacrosancti Presbyteratûs charactere insignitur ab Episcopo Polensi Claudio Sozomeno Archipræsulis Paduani Suffraganeo, in D. Marci Basilicâ Romæ ordines conferente, licentiâ Hieronymi tituli S. Blasii de annulo Cardinalis Pamphili vices gerentis S. D. N. Papæ Pauli divinâ providentiâ hoc nomine V. Hic Hieronymus Cardinalis Pamphilius fuit patruus Ioannis Baptistæ Pamphilii, posteà Cardinalis, & ad Summi Pontificatûs apicem promoti cognomento Innocentii X. nunc ævi meritò sedentis in Cathedrâ Petri: isti ordines fuêre collati die Lunæ; sexto Calendas Apriles feriâ Christi mortuorum primogeniti ad vitam resurgentis, non ampliùs mortui, anno Virginei partûs M. DC. VI. Ab hâc autem horâ diéque nunquam destitit, licèt peregrè, licèt morbo detentus, nisi gravissimo, sacra peragere mysteria, & quotidiana offerre sacrificia hostiæ immaculatæ & incruentæ in aris, (quas sedes & corporis & sanguinis Christi censet nominandas Optatus Milevit. in Africâ Antistes) vitam & mores componere tantæ rei sacræ non indignos, quod de S. Cassio Narniensi Episcopo refert re, nominéque Magnus Gregorius: *Mos, inquit, illi erat quotidianas Deo hostias offerre, ita penè nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non Omnipotenti hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio, valde etiam concordabat vita.* In eâ urbium reginâ cœpit Cæsarem Baronium Ecclesiasticorum Annalium auctorem, & principem, cujus meminisse satis, supérque est, venerari, ejus monimenta posteris transmissa evolvere, amorem ipsius sibi conciliare. Cùm autem prægrandes duodecim historiæ Ecclesiasticæ tomos exarâsset Baronius, veluti divinos lapides duodenos ex profundâ veterum auctorum lapidicinâ & abysso erutos ad memoriam sempiternæ gloriæ in castris Ecclesiæ sublimes collocandos, in mentem venit Spondano, eorum epitomen herculeo & indefesso labore conscribere, ita dilucidè, ita perfectè, ut palmam omnibus præripuerit, qui in eo scribendi genere vacârunt, & in compendia Baronianam historiam redegerunt; ut inter Italos Ioannes Gabriel Bisciola Mutinensi urbe oriundus, qui unà cum fratre Germano Lælio in Societatem Iesu est admissus à S. Ignatio anno obitum præcedente; etiam Ludovicus Aurelius Iureconsultus civitatis Perusinæ; ut inter natione Sarmatas Petrus Skarga Sigismundi III. Polonorum Monarchæ egregius divini verbi præco; ut inter Germanos Cornelius Schultingius Coloniæ ad sancti Andreæ Canonicus; ut inter ortu Gallos Claudius Durandus Theologus Parisiensis, Ecclesiæ Maclovienis Pœnitentiarius, Ios. Planchæus in Principe Senatu Galliæ Patronus, quorum in eâ scriptione collega Artus Thomas Embrii Dynasta. Horum nullus, licèt cuique suæ laudis præconium dandum, rem acu attigit, soli Spondano omnium sententiâ res feliciter successit, quamobrem cecinit quidam verè,

Lib. 6. contra Parmen. initio.
Homil. 28. in Evang. post med.

Componit Epitomem historiæ Baronianæ.

Varii scripserunt compendia Baroniana.

Est liber hic idem, qui Cæsaris antè, sed idem
Mole minor, rerum pondere major erit.

Re scribendæ Epitomes anteà communicatâ cum Eminentissimo Cardinale Baronio, ne præter hujus consensum, & beneplacitum ille insudaret labori, istam vir bonus sapiénsque in Gallias Româ reverso Spondano epistolam misit. Admodùm Reverendo Domino D. Henrico Spondano, Cæsar titul. Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Baronius. Quod de Annalium nostrorum epitome operâ & studio tuo elaboratâ significasti, non gratum mihi, acceptúmque esse non potuit: etsi enim reverâ totum hoc breviandi genus probare vix solemus, rarúmque sit, ut ex animi sententiâ lectoribus procedat, ea tamen de prudentiâ, fide, ac diligentiâ tuâ nostra est fiducia, ut quod abs te profectum sit, id omnibus placere posse arbitremur. Quare quod ad Epitomes tuæ editionem spectat, ne mora sit Sedis Apostolicæ decretum, quo cautum est, ne quid ejusmodi nisi permissu nostro

Literæ Card. Baronii ad Spondanum.

exeat in lucem, plenam tibi, liberámque potestatem damus, ejúsque indices ac testes has literas esse volumus. Vale Romæ pridie Calendas Septembris M. DC. VI. Vti frater amantissimus Cæsar Cardinalis Baronius Lutetiâ relictâ Romam revisit extremam manum impositurus operi Annalium; cùm duodecimum & postremum absolvisset volumen Cæsar Cardinalis summus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, qui illius operâ in eâ librorum omnis generis disciplinæ penu ditissimâ, in eâ codicum omnium orbis linguarum supellectile locupletissimâ, utebatur. Ad superos evolato eodem Cardinale, anno salutis humanæ M. DC. VII. pridie Calendas Iulias, donando mercede amplissimâ tot exantlatorum laborum in Ecclesiæ universæ maximum emolumentum, cogitavit amicorum suasu, & frequentibus multorum postulatis noster Presbyter Romanus (quo nomine gloriabatur ob Fidei Romanæ unitatem, & unionem, ac Sacrosanctam ordinationem) typis Parisiensibus mandare Annalium Epitomem, quod redempti orbis anno M. DC. XII. est dautm executioni: dicato opere Ecclesiæ Gallicanæ Cardinalibus, Archiepiscopis, & Præsulibus, totiusque Cleri ordinibus; quorum nomine multam ei habuêre gratiam quinto Idus Martii; anno Christiano M. DC. XIII. Iacobus Cardinalis Perronius, & Ioannes Cardinalis Bonsius magnus Mariæ Medicææ Francorum Reginæ piarum largitionum Diribitor, decreto eâ de re scripto, & gratitudinis pignore oblato: Et verò quam peperit utilitatem hæc Annalium Ecclesiasticorum Epitome, inde colligitur abundè; cùm fuerit in novum Orbem delata, & in omnes ferè linguas Europæas translata, multis in locis edita, pluribus vicibus recusa: quare in dubium revocari non potest Deum Optimum Maximum benedictionis suæ fontes in hunc laborem derivasse, cùm ipsius auctor, & artifex non aliud intentarit, præter majorem Dei gloriam, publicam Ecclesiæ utilitatem; Cardinalis Baronii historiæ parentis consensum scripto exaratum: tamen quàm de se suoque opere submissè sentiat, loquatúrque, mentem aperit, hisce paucis in epistolâ lectori dicatâ epitomes limini præpositâ; *Nullo*, inquit, *nostro privatim quæsito nomine, imò & libentissimè, si per alios licuisset tacito, fuisset opus promulgatum*; & in calce ejusdem; *si ex qualicumque nostro epitomandi labore aliquid adjumenti percipitur, de omnibus, & in omnibus, & in omne ævum sit Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati perfecta laus, virtus, & gloria, Deique Genitrici, atque omnibus Sanctis honor sempiternus.*

Cap. XI. Præclaræ ejus virtutes. Erasmi opera noluit emere.

Interim dum studiis rerum Ecclesiasticarum tam sedulò vacaret, major erat pietatis ardor erga Deum, majusque odium in Sectarios, licèt natus & educatus fuerit in eorum ulnis, *nihil magis de hæresi contraxit, quàm pisces de sale marino*, quod olim D. Bernardus de S. Malachiâ Connenthensi in Hiberniâ Antistite scriptis mandavit, itaque hæreticorum fœtus, & libros angue & cane pejores habebat, etiam ii librorum auctores erant despectui, qui de rebus ad Ecclesiam spectantibus malè sentire videbantur cùm autem accepisset nonnulla Desiderii Erasmi Roterodami, viri alioquin literati, politè & eleganter scribentis, opera fuisse censuræ notis donata à Theologica Parisiensi Academia die XVI. Cal. Ianuarias æræ Christianæ M. D. XXVII. nunquam adduci potuit, ut illius volumina omnia vili pretio, nimirùm duodeviginti librarum turonensium venum à quodam proposita compararet, quæ nullo Religionis Catholicæ scrupulo quidam hac sæculorum colluvie trecentis turonensibus libris emunt.

Ejus charitas ardens.

Nec temporum injuriis, nec longissimo itineri parcebat, ut animo dissidentes concordiâ uniret, & corpora mutuis amplexibus conglutinaret: videtur admirandum, quod unius diei morâ præstitit aliquando Romæ die septimâ Calendas Februarias anno Verbi carnem assumentis M. DC. XV. peragrans tot dissita loca, tot conveniens Curiones, ut ab iis extorqueret notitiam dissidiorum in eorum Parœciis regnantium; è domicilio suo, quod erat ad radices montis Pincii, sive collis hortorum, nunc temporis Trinità di monte, pedibus adiit quinquagenario major Curarum Parœciæ S. Bartholomæi in insulâ, qui vocabatur Fra Theodosio da Roma, rescivit duos molitores sese litibus injuriísque impetere, progressus est ultrò, convenit Curionem D. Nicolai in carcere, cujus nomen Andrea Bentio, posteà se contulit ad Pastorem S. Mariæ in Scholâ Græcâ, qui appellabatur Don Nicolò Linuerso, non paucos abhinc dies Vincentius Michaël qui præerat, Siciliæ patrios lares repetierat, illo ipso die moræ impatiens, & animarum siti ebrius ad ædes sacras D. Mariæ in porticu processit locuturus cum Parœco, vocabatur il Padre Don Giovanni Primo, qui illi significavit nullas in suâ Parœciâ inimicitias radices agere maximo Dei beneficio; verùm in vicinâ, quæ erat de Monticelli, in viculo Vrsinorum, mulier quædam vetula, gravi morbo detenta jacebat obfirmatos animos gerens non parcendi hostibus, ob graves injurias, quibus se impetitam querebatur, quarumque ultione laborabat: eodem die iter habuit ad D. Gregorii al ponte di quattro capi, allocuturus Pastorem Antonium Domenech ex insulâ Baleari, sive Majoricâ genitum.

Fit particeps suffragiorum ordinis Cartusiani.

Quoties pedes solus lacrymarum uberrimo fonte vias irrorans, ad cœlestia raptus, processit in septem Basilicas Romanas, multa conficiens milliaria, in quarum unâ sanctissimum missæ sacrificium Deo offerebat toto devotionis affectu. Non abs re igitur cognita habens ejus animi sensa, singulares ejus virtutes, divinos affectus erga supremam Dei majestatem, cœlitésque, post Cartusianam Eremum (Angelorum domicilium) lustratam Spondanum *hominem Dei* appellabat, suique Ordinis suffragiorum participem efficiebat Cartusianorum Minister generalis quadragesimus sextus, domúsque majoris Cartusiæ Prior celeberrimus ille Bruno d'Affrinquæus in quâdam ad eum datâ epistolâ.

Cap. XII. Labores ejus in San-Ludovisiana domo Romana.

Demandata est ei Romæ Gallorum, Lotharenorum, Sabaudorum, & Armoricorum, quorum est adesse Congregationi provincia gubernandæ Ecclesiæ, & domûs San-Ludovicianæ nationis Gallicæ; mirum dictu de ejus studio in pace servandâ inter sacerdotes diversarum gentium, qui illi Ecclesiæ pulcherrimi schematis deserviebant ejusdem domicilii incolæ, & convictores, quæ à fundamentis fuit restituta piis legatis Catharinæ Medicææ Franciæ Reginæ, & Matthæi Cardinalis Contarelli frontis templi, & sacelli in quo est cineratus, fundatoris, mirum dictu de ejus labore ad curanda observari à domesticis statuta, tùm antiqua ævo Alexandri VI. stata, tùm nova, tempestate Gregorii XV. decreta, ea procurante Brulartio Sillerio Equite Melitensi Lu-

dovici XIII. Regis apud Summum Pontificem Oratore; mirum dictu in conservandâ unione Ecclesiæ Armoricæ S. Yvonis cum ea, quæ est D. Ludovici, multis oblatis obicibus, licèt diploma ejus unionis datum fuisset à Gregorio XIII. sui Pontificatûs anno 11. Fuit auctor recipiendorum in eam San-Ludovicianam domum Paulo V. Pontificii habenas regente, sex Oratorii Iesu Christi Gallorum Presbyterorum, ut aliis præessent exemplo, & doctrina; in eorum numero primus emicuit Claudius Bertinus ejusdem instituti sacerdos Theologus, familiæ Sorbonicæ socius; sic enim scripsit post aliquot annorum curriculum Petrus Berullus Ordinis sacer Architectus; posteà Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, in epistola ad eum data 13. Calend. Augusti anni M. DC. XXIV. Dominicæ Incarnationis: Humillimis, inquit, à te postulo precibus, ut in tuam revoces memoriam quânam ratione tu ipse unus prima jecisti fundamenta hujusce rei, eáque in parietes exaltasti; hoc quidquid est coram divino Numine uti tuum opus debes intueri, & protegere. Inter Capellanos nonnulli habebant sacerdotia, & animarum curas cùm in Franciâ, tum in Lotharingiâ, qui ad oves pascendas minimè volebant mentem intendere, nec Romanorum solum D. Ludovici deserere; omnem adhibuit operam ad eos Româ eliminandos, licèt aliqui eorum supplices libellos Summo Pontifici offerrent, ut retentis sacerdotiis Romæ commorarentur. Sollicitus erat in eleemosynis singulari adhibitâ diligentiâ, & examine distribuendis Sacerdotibus Gallis, qui rerum penuria premebantur, quíque limina Principum Apostolorum salutanda invisebant; in quorum gratiam eas instituerat Annas d'Escars Cardinalis Giurius, nunquam satis laudandus, relictâ cura Rectori San-Ludovisiano; ille autem decreverat cuilibet dandos quinque Iulios Romanæ monetæ: eorum nomina, cognomina, patriam, Diœcesim manu propriâ scripto annotabat Spondanus, déque ære suo aliquid iis erogabat. Virginibus honesto matrimonio elocandis invigilabat, quæ ortum ducebant è familiâ parentum Gallorum egestate laborantium, idque semel, & iterum quolibet anno revertente moris erat, nimirum in festo D. Ludovici Regis, die natali Deiparæ Virginis, & sacra Sebastiano Martyri. Rebus præclarè gestis virtus ipsius Romæ declarata excitavit Paulum V. Pontificem Max. ut in illum propensâ esset benevolentiâ, réque ipsâ testaretur, cùm præficiens revisendis & trutinâ ponderandis diplomatibus Tribunalis Pœnitentiarii, vitâ functo Aloysio à S. Paulo: huic Tribunali tunc præerat Scipio Cardinalis Burgesius Pauli nepos maternus assumpto patrui cognomine; unus etiam è primariis Pœnitentiariæ Ministris habebatur Ioannes Baptista Pamphilius in præsenti Catholicæ Ecclesiæ jure Pontifex Optimus; unde in literis ad Spondanum 12. Calendas Martias M. DC. XXIX. sic scripsit Mantuâ Carpentanorum Nuncius Apostolicus apud Philippum IV. Regem Catholicum, & Patriarcha Antiochenus: *Io tengo vivo l'obligo della sua buona voluntà verso di me, quando giuntamente stavamo in Roma, & nella Congregatione della Pœnitentiaria.* Summi porrò Pœnitentiarii repetenda est memoria ab ævo Gregorii X. in cap. *Vbi periculum*, cujus Tribunal ac Pœnitentiaria in meliorem redacta est formam à Pio IV. ejúsque successore Pio V. Ii verò soli Pœnitentiariæ officiis primariis vacabant, qui magna erant præditi sapientia, non vulgari eruditione Canonum Ecclesiasticorum, ac Theologia, perfecta & nota vitæ & morum integritate, quibus omnibus elucebat Spondanus.

Creatur Revisor Bullarum Poenitentiariæ.

Caput XIII. Ejus familiares Romæ.

In suorum familiarium albo Romæ aliquot præcipuos nationis Gallicanæ homines de virtute, & scientiâ optimè meritos, ætate venerandos numerabat. Vnus erat Iacobus le Bossu Doctor Theologus Sorbonicæ domus, Asceta Sandionysianus ad Parisios, qui multorum annorum intercapedine Romam incoluit, cujus utpotè Theologicâ scientiâ clarissimi operâ & studio utebantur Summi Pontifices piæ memoriæ Clemens VIII. & Paulus V. in iis velitationibus, quæ habebantur, illis præsentibus, in materia, & spinosissimâ glebâ controversiarum gratiæ efficacis, & divinorum ejusdem auxiliorum inter Patres Dominicanos & Iesuitas: Multa & præclara MS. posteris eâ de re reliquit Iacobus, quo lucis usuram amittente, jussit Paulus Pontifex ejus monumenta Theologica, & controversiarum in Bibliothecæ Vaticanæ supellectilem asportari. Alter familiarium erat Ludovicus de Creil Parisinus, etiam inter socios Sorbonicos annumeratus, quondam facultatis Theologicæ Syndicus, qui loco Silvanectensis Præsulis Crispini Brichantæi interfuit, & subscripsit Concilio Rhemensi, præside Ludovico Cardinale Guisiano Archipræsule Rhemorum; vir natus ad sublevandos pauperes peregrinos, qui Romam è Gallia devotionis ergô properabant. Tertius fuit Christophorus à Rantignyo stirpe nobilis, virtute nobilior, nepos Caroli d'Angennes Cardinalis Ramboüilletani, ejusdem rerum Italicarum scriptus testamento hæres, quondam urbis Meldensis ad Matronam Gubernator, incola Romani soli spatio annorum quadraginta. Tanta erat necessitudine Spondano conjunctus, ut semper unâ easdem ædes habitarent, uno eodémque convictu uterentur, hócque pro solito præferebat effatum Rantignyus, se ab amico Spondano parcissimi cibi homine jejunandi morem didicisse, dederâtque eidem jus sepulchri quod (exemplo Abrahæ) coëmerat in monte Pincio apud D. Francisci à Paula fanum, quod est consecratum Sacrosanctæ Triadi; eodem sepulchro conditus est Dionysius Cardinalis Marquemontius Lugdunensium Archiepiscopus; quare illud non abs re ἡρῷον appellare possumus, quâ appellatione donabant Græci Nobiliorum tumulos, ut monumenta ignobilium ἠρία nuncupabant. In sacro Eminentissimorum Patrum Collegio, multos habebat familiaritate sibi devinctos Cardinales, ejus virtutum admirabundos; sed instar omnium erat Scipio Cardinalis Cobellutius titulo sanctæ Susannæ, Princeps Bibliothecæ Vaticanæ, qui eum tanto amore prosequebatur à pluribus lustris, ut sine dubio post Pauli V. obitum, si Summi Pontificatus fastigium attigisset, proximus ferè numero calculorum, & suffragiorum, proprium miniatum galerum ejus capiti imposuisset. Cùm aliquò peregrè proficiscebatur Cardinalis, & ad Divæ Virginis Lauretanæ, aut in Cœnobium Cassinense toto orbe celeberrimum, aut aliò pietatis ac devotionis gratiâ, viæ Comitem sibi deligebat, asciscebátque Spondanum, quem præsentem cohonestavit non levidensæ dono, vitam cum morte commutaturus, nimirùm crucis crystallinæ au-

eo Crucifixo ornatæ,& pulcherrimæ cælaturæ, ac Divorum reliquiis ad conos redimitæ. Apud Regem Christianissimum, & Comites Consistorianos magnæ erat æstimationis, cum præcipuè ob res Curiæ Romanæ illi apprimè cognitas,& singularem in rebus gerendis prudentiam,eo nomine omnium consiliorum & secretorum, quæ committebantur Galliæ Oratoribus apud Romanum Hierarcham, fiebat particeps. Nihil Dionysius Marquemontius, cujus superiùs mentio habita, nihil Marchio Quevrius, postea Franciæ Polemarchus,nihil Eques Melitensis Salerius, nihil Comes Bethunius secundùm Legatus partes Oratorum sustinentes agebant, inconsulto Spondano, ei datâ epistolarum regiarum lectione.

Caput XIV. Creatur Episcopus invitus.

Inter hæc, sub primordium anni salutis humanæ 1626. Romæ moras agens, nihilque minus mente volvens,quàm pedem illinc referre, ubi perpetuas sedes fixisse à plurimorum annorum intervallo rebatur; en nominatus est à Rege Christianissimo ad Episcopatum Apamiensem in Galliâ Narbonensi obtinendum,vacantem obitu nuperi Præsulis Iosephi Desparbes à Lussano,oriundi è prosapiâ Marchionum Albæterræ. Est castrum Albæterræ in Petragoriis altæ rupi impositum, quæ à Majoribus instar lapidicinæ excavata,detracto lapide,& relictis duobus ordinibus pilarum,quæ veluti fundamentum essent,quibus ædificium niteretur,lumen tantum accipit à meridie versus Dromam amnem. Ille Antistes anno præcedente animam exhalârat Tolosæ 9. Decembribus, ibidémque terræ mandatus ad Protomartyris Stephani basilicam,quæ est Cathedralis. In eum finem Romam misit literas Rex Ludovicus ad Spondanum, quarum initium Domine Spondane, Præclara tuæ pietatis, & literaturæ testimonia,&c. Acceptâ hâc epistolâ ad Regem rescribit,inter alia ait: cùm quædam particularia scribam Domino Phelypæo ad hanc nominationem pertinentia,etiam atque etiam humillimè rogo Majestatem Vestram ut aurem ei præbeat,cum eâdem ingenii benignitate, quâ usa est primùm in gratiâ mihi offerendâ,supplici libello,& rationibus meis satisfaciens;ita majorem præbebit occasionem suas laudes offerendi, ac ubique terrarum publicandi me humillimum, devotissimum, ac fidelissimum Majestatis vestræ servum, subditúmque Spondanum. Romæ 4. Idus Febr. M.DC.XXXVI.

Rex Ludovicus ad eum scribit.

Rationes contra Episcopatum.

Illud porrò,quod V.C. Phelypæo à secretis regiis scripsit, erat propositum de non acceptando Episcopatu,ponderatis rationum momentis primùm quòd huic oneri ferendo parem se non esse compertò haberet,timerétque jacturam se facere propriæ salutis æternæ studens alienæ, non ignorans animarum curam esse artem artium, & sanguinem ovium de manu Episcopi esse requirendum, aiebat cum D. Clarævallensi Abbate, *Considero gradum, & casum vereor, considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi jacentis deorsum,attendo celsitudinem honoris,& è vicino reformido pro eo quod scriptum est,homo cùm in honore esset non intellexit,ac si diceret homo absorbuit intellectum*: deinde in medium proferebat suæ ætatis annos 60. quo temporis puncto haberent in more Antistites in aliquos adjutores,successorésque dirigere oculos: denique quòd firmum,fixúmque in mente statuisset superstites vitæ annos in Vrbe agere, vacaturus quieti animæ, & literarum sacrarum studiis. His à Rege auditis,Phelypæo referente, noluit ipse Rex acquiescere postulatis, secundam scribens epistolam Spondano, 5. Idus Martias,cui calcar addidit summus Pontifex Vrbanus VIII. ipsi significans vivæ vocis oraculo,veluti tubâ cœlesti tonante,*vocatum esse à Deo tanquam Aaronem* Quid ad hæc diceret,quò se verteret non habebat, maximè cùm eadem inculcaret Pontifex ipsi eum visitanti die Veneris quartæ hebdomadis Quadragesimæ post rem divinam celebratam, in cujus Evangelio legebatur, *Lazare veni foras*; sanè mortem vitæ libentissimè prætulisset, si datum ei fuisset, imitatus S. Nilammonem anachoretеos studiosissimum, qui cùm ad Episcopatum Gerarensem in Ægypto, traheretur invitus, Theophilo Alexandrino id avente, in mediâ oratione ad Deum, spiritus ejus in cælum effugit, evolavítque.

C. finali de ætate & qualit. C. irrefragabili de offic. ordinar. In Epist. ad Eugen. IV.

Psal. 48. vers. 21.

Heb. 5. v. 4.

Ioan. 11. vers. 13. Sozom hist. l. 8. c. 19.

Cap. XV. Breve pro Episcopis in hæresi natis.

Vocantem itaque Deum est sequutus; quandoquidem verò in hæresi natales susceperat, in eadémque fuerat educatus, Episcopali infulâ ornari non poterat, nisi præviâ specialique sedis Apostolicæ gratiâ dispensante;quamobrem literas (Breve vocant) dedit Pontifex,cum hac epigraphe. Dilecto filio Henrico Spondano Presbytero Oloronensi, Vrbanus PP. VIII. Dilecte fili salutem,& Apostolicam benedictionem: quarum exordium,Catholicæ religionis zelus, literarum scientiæ,necnon alia insignium virtutum dona.

Caput XVI. In Consistorio Episcopatum obtinet.

His jactis Episcopalis ædificii fundamentis, Eminentiss. Cardinalis Mauritius à Sabaudiâ Francici regni Protector(qui posteà cum nepte quatuordecim annorum nuptias contraxit,dispensante summo Pontifice post emensos in Cardinalatu annos quinque suprà triginta) habuit proponendum in Patrum Consistorio Apamiensem Præsulatum in Spondani gratiam Electum ad ædes Palatinas Cameræ Præfectus & ad pedum Pontificiorum oscula (cujus cæremoniæ meminit Photius Patriarcha Constantinopolitanus, eam vocitans τῶν τιμίων τῆς Πατριαρχικῆς ὁσιότητος ἴχνων ἀπόλαυσιν) introduxit, recepturum manu Pontificis amictum lineum à Præsulatis deferri solitum (Italis Roccetto) si non profiteatur vitam monasticam; nam alia est virorum regularium ratio.

In epist. ad Nicolaum I. Pontif.

Caput XVII. Inauguratur Episcopus a Cardinale Marquemontio.

Antequam verò Electus sacro Episcopatûs charactere sit ornandus tenetur verbis conceptis adactus jurisjurandi fidem dare summo Pontifici, ob quam supremi provinciarum Proceres aliud clientelare sacramentum requirunt à subditis aut Cardinalibus,aut Præsulibus. Inauguratus fuit Pontifex Apamiarum in sacris ædibus San-Ludovisianis Romæ die 17. Cal. Sept. 11. Dominicâ Pentecostes,à tribus Episcopis secundùm Oecumenicæ Synodi Nicænæ Canonum quartum: hi porrò fuêre Dionysius Cardinalis Marquemontius Archiepiscopus Lugdunensium,& Primas Galliarum,antiquâ necessitudine conjunctus Spondano, Attilius Amalteus Athenarum Episcopus, & Antonius Provanus, Archiantistes Dyrrhachii,antiquis Epidamni, Italis Durazzo apud Macedones in orâ Maris Ionii juxta Panyassi fluminis ostia: cincti tres Archipræsules coronâ quatuor & viginti Patrum Purpuratorum, quod fuit mirandum, ac illustrissimi Comitis Bethunii Oratoris regii apud Romanum Pontificem.

Caput XVIII. Quæ e-

De Episcopis inauguratis sapientissimè Patres Concilii Tridentini has protulêre voces, *Optandum est, ut ii qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant, ac*

Trid. sess. 25 cap. 1. de reform.

GIT POST INAUGURATIONEM.

se non ad propria commoda non ad divitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria, vocatos esse intelligant. Intellexit sanè Spondanus inauguratione Episcopali insignitus, opere efficiens quod verbo notatur in jure Pontificio appellante Antistites sanctissimos Christi Legatos, Patres spirituales, Ecclesiæ stellas & columnas, proinde in Episcopatûs charactere suscipiendo, sese devinxit sacramento statûs perfectionis, qui in eo situs est, ut animas sibi concreditas illuminet, instruat, & manuducat ad perfectionem consequendam, próque illis si necessum est proprium sanguinem effundat, uti paratissimus erit, sicuti inferiùs notabitur: quare præclarè D. Claræ vallensis Cœnobiarcha summum Ecclesiæ Pastorem, suum quondam Ascetam hoc alloquitur sermone, *Agnosce hæreditatem tuam in Christi cruce, in laboribus multis;* ut hujus hæreditatis potiretur, hâncque crucem totis ulnis amplecteretur, ac laboribus assiduè vacaret, carissimam Romam deseruit, illique æternum vale dixit habens in comitatu Ludovicum Faurium Oratorii Presbyterum pietate insignem suum ab exhomologesi; antequàm verò illinc pedem retraheret, astitit ejusdem mensis die 16. astrictissimo familiaritate Cardinali Marquemontio morienti morte justorum, urbe Parisino, quondam integerrimo Rotæ Auditori, & multis legationibus illustrissimo, cujus oculos observavit donatus annulo Pontificio; illius cinis in sanctissimæ Trinitatis fano Patrum Minimorum est funeratus. Gallias itaque repetiit novus Præsul cum ovibus Apamiensibus vitam ærumnis plenam acturus: Lutetiâ iter habens convenit Regem Ludovicum, à quo benignissimè exceptus, animi dona, & virtutes ejus mirum in modum colente, & admirante. Tandem Idibus Decembris ejusdem anni Dominicâ tertiâ Dei in terram adventantis, cujus Evangelicus sermo, *Tu quis es,* pro more novorum Antistitum Regi à sinistris genu flexo ministrans (magnus enim Franciæ Eleemosynarius, qui tùm temporis erat Franciscus ille Cardinalis Rupefucaldius nunquam satis commemorandus; semper à dextris in missæ sacrificio, cum cæteris Eleemosynariæ administris) obtulit illi librum Evangelii recitati osculo figendum, & pacem ore excipiendam, ante synaxeos sumptionem instituto B. Innocentii I. summi Hierarchæ. Sanctissimis sacrificii mysteriis completis in sacello Borbonico, coram Rege sedente Spondanus Antistes humi posito utroque poplite jurejurando illi fidem clientelarem præstitit, uti est solitum.

Clement. 1. de Pœnit. — *S. Bernard. l. 2. de consid. cap. 5.* — *Ioan. 1. v. 19.* — *Innoc. 1. Ordin. 42.*

ADEST MORIENTI CARDINALI MARQUEMONTIO. — IN GALLIAS REVERTITUR. — CLIENTELARE SACRAMENTUM PRÆSTAT REGI.

CAPUT XIX. ADIT APAMIAS SOLEMNITER RECEPTUS, ETIÃ A SECTARIIS.

Post solutum Regi clientelaris sacramenti debitum, cogitavit Apamias quamprimùm invisendas, & curam ovium sibi à Deo creditarum quantocyùs habendam: eo fine ad suam Apamiensem Ecclesiam properans appulit Tolosam tertio nonas Majas anni M. DC. XXVII. à Ioanne XXII. Episcopo Episcoporum (ut loquitur Tertullianus) Metropolim creatam, demandatâ provinciâ Ioanni Convenensi lecto primo Archipræsuli (posteà purpurâ ornato) anno reparati orbis M. CCC. XVI. cùm anteà Narbonensis haberetur suffraganea Spondanus Pontifex acceptâ legatione à Magistratu municipali Apamiensi (qui Consulum conventus appellatur) & virorum à consiliis cœtu, peste hæresis contaminato; post nonnullas, & quidem modestas velitationes cum illis, de solemni in urbem ingressu faciendo, tandem evicit, ut celebraretur sabbato pridie Pentecostes, qui fuit omnium habitorum ab undecim lustris, quibus lues hæretica sus déque in civitate omnia sacra, profanaque egerat, honorificentissimus, tam occursu longiore extra urbis limites, ipsos Consules hæreticos præeuntibus insignibus, & magnâ civium frequentiâ comitante, quàm progressu aliquot cohortium signa militaria gestantium. Calvinianis invidia & intimo mœrore crepantibus, ob exhibitos prælatis crucibus honores Præsuli Româ adventanti, illis ignoto cæteroquin hominis. Clerus, qui paucos abhinc dies in urbem postliminio receptus, novum Præsulem celeberrimâ processione comitem habuit, imò Antesignanum per medias civitatis plateas, duo fermè hominum millia è vicinis, ac circumstantibus pagis accurrêre ad solemnes ferias: Perrexit Pontifex ad unum è foris, ex adverso ruderum Ecclesiæ Cathedralis solo adæquatæ ab hæreticis rabie actis (uti cæteræ omnes jacebant) situm; is locus tecto obductus, & aulæis circumvestitus servivit ipsi celebranti, infulis redimito, primas festi Pentecostes vesperas, totóque sequenti triduo sacra missarum, & officiorum mysteria peragenti, etiam concionem ad populum habenti. Postridie ipsius Pentecostes, veterem morem restituendum duxit cujusdam lampadaforiæ quondam præcipuâ solemnitate celebrari solitæ, sed multorum annorum intercapedine dimissæ, concursu ampliùs trium millium utriusque sexûs, & ætatis hominum, tùm extra urbis pomeria, tùm intra ipsius civitatis vicos, stupentibus insuetâ pompâ sectariis. Divina officia sequenti temporum curriculo, fuêre celebrata in aululâ domûs ejus conductitiæ, in quâ eâdémque hebdomade conventus Curionum diœceseos (Rectores nuncupantur) habitus, quo mutuò omnes salutarentur, ipsíque vicinæ visitationis faciendæ commonerentur. Circa hos ipsos dies Raynaldus Caraldus contribulis Riensis, quinque suprà septuaginta annos natus tunc Apamiarum incola Calvinianam hæresim ejuravit, unà cum Bernardo Maury, ejusdem civitatis jure donatus, eâdem lue infectus; quorum vestigiis inhæserunt sedulâ vigilantissimi Patris curâ mille quadringenti tùm mares, tùm fœminæ, nobiles, & ignobiles, trium primorum annorum sui Episcopatûs spatio: omnium nomina cognomináque, ætates, ejurationum dies manu propriâ exaravit in schedâ; ita ut moriens Apamias totas, si duo, triáve domicilia excipias, Catholicâ religione imbutas reliquerit, hinc verè de iis proclamandum, quod de Neocæsareâ (hodie Nisar) apud Pontem-Asiaticum ævo Gregorii Thaumaturgi Neocæsariensium Pontificis. Nunc dierum Ministri, & Præcones Calviniani non modò ab urbe, verùm etiam ab universâ diœcesi amandati, proscriptíque remanent, cùm ante Spondani Episcopi tempora in totam provinciam Apamiensem, & Flussatem dominatum exercuissent ferè solidis sexaginta æstatibus. Tribus provinciæ Flussatis Ordinibus congregatis adfuit Præses, pro dignitate Episcopi Apamiarum debitâ, multa summo Ordinum applausu ad felicem exitum perduxit, res præclaras pro Republicâ gessit, stabilivitque perennes sectariorum cum Catholicis de præteritorum libellorum expensis altercationes mutuo, miróque utriusque partis assensu sedavit, jure *Concilium* vocabatur, ut alter Antoninus sacer Florentiæ Archiflamen.

Lib. de pudicitia, c. 1.

MULTORUM HÆRETICORUM CONVERSIO.

CAP. XX. DISSIDIA FRANCISCANORUM COMPONIT.

ORTÆ rixæ, & dissidia inter Ascetas Franciscani instituti, ab Observantiâ nomen sortitos, Aquitanicæ provinciæ, abhinc multos menses fuerant excitata; Summus Pontifex novo Præsuli Apamiensi demandavit omnem curam, & vices rei pro arbitrio, & prudentiâ, quâ maximè pollebat, componendæ; quare Tolosa semel, iterúmque ei fuit adeunda, acceptis à sede Apostolicâ literis.

CAPUT XXI. STATUS APAMIARUM ET DIOECESIS.

SED antequàm ulteriùs progrediatur oratio, operæ pretium est nonnulla de civitate, & diœcesi Apamiensi enarrare, quæ fuêre deprompta ex schedis nostri Antistitis ad sedem Apostolicam missis, quæque faciem antiquam & recentem repræsentant ætati futuræ proficua. Civitas Apamiarum (antiquis etiam Fredelacum) sita est ad ripas fluvii Aurigeræ (ab auro gerendo id appellationis consequuti, cùm aurea ramenta in ejus arenis colligantur) amœnitate jucundissimo, fertilitate pinguissimo solo. Totius Occitaniæ à Tolosa urbs est amplissima, ab eâque dissita octo leucis patriis, quæ viginti quatuor Romana milliaria penè conficiunt. Fama est quondam extitisse sedem Imperii Fredelai, è Gothorum stemmate, fratris germani Theodorici Regis, qui Tolosam suo jugo subjecit. Quo quidem Fredelao genitus *S. Antoninus Martyr*, regni terreni topiaria vili faciens, omnes nervos contendit ad cœleste rapiendum, vitâmque monastices amplexus, & sacris ordinibus initiatus, ut parentis, patruique furori locum daret, loca plurima sanctitate illustria peregrè visitavit, varias eremos incoluit, potissimúmque Romam appulsus in sylvâ Castro-novo oppido proximâ diutiùs habuit domicilium, & in circumstante regione admiranda signa est operatus. Hinc processit, ut Castri-novi contribules præcipuum patronum sibi delegerint, diem festum ipsius Divi quarto nonas Septembris memoriâ recolentes, quo & Apamiis aliísque cùm Galliarum, tùm Hispaniarum locis festivus celebretur, Ecclesiámque ad prædictum lucum mirandis operibus Antonini depictam (quam noster Præsul Româ Gallias repetens invisit) circumvicina gens veneratione solemni frequentat: qui demùm in patrios lares reversus, fideíque Catholicæ elementis populos imbuens, ac subsequentibus conciones signis confirmans, jussu Principis ejusdem prosapiæ & sanguinis, martyrii palmâ triumphum egit in frusta scissus, quæ ingentium miraculorum gloriâ coruscavêre. Cùm verò illic constructa Præfectura D. Augustinus institutum profitentium, urbs Apamia data fuisset in dotem, reliquúsque regionis tractus Sulpitio Archimandritæ anno 788. à Comite Carcassonensi cujus erat dominii, ab omni Procerum sæcularium potestate liber immunísque ita urbs excrevit, ut virorum multitudine, divitiarum affluentiâ potens, pluribus vicibus bellum pro libertate vindicandâ Comitibus Flussatibus, quorum ditioni subjecta videbatur intentârit: quos tamen temporis recurrentis spatio Cœnobiarchæ, ut se à frequentibus eorum, aliorúmque Magnatum molestiis, & incursationibus immunes redderent, in societatem dominatûs admisêre, onere tamen imposito clientelaris fidei, (homagium vocatur) ac pensionis annuæ a Comite Abbati persolvendæ: a quâ ætate urbs est juris facta Regulorum Flussatum, antiquæ tamen libertatis aliquas partes sibi vendicans, & ab illis donata privilegiis singularibus, in dies incrementum cepit, ut fortunis ita & vitiorum iliade; quemadmodum enim olim Sodomæ, sic *istius fuit iniquitas* (quod ait Ezechiel Propheta) *superbia, saturitas panis, & abundantia & otium ipsius ac filiorum ejus.* Vnde id est assequuta, quod Moyses legislator prædixerat de populo Israëlitico, *& impinguata dilatata, & incrassata recesserit à Deo salutari suo.* Nec sanè, sine Numine vindicante, quandoquidem intestinis dissidiis, & quotidianis, hæreseon scelere, & impietate sæpenumerò irretita in earum miseriarum barathrum incidit, ut vix dum hodiernâ die vigesimam incolarum partem, facultatum quinquagesimam possit in numero habere.

Ezech. 16. vers. 49. Deut. 32. vers. 15.

DE S. ANTONINO MARTYRE.

ABBATIA S. ANTONINI FIT EPISCOPATUS.

Mirum in modum florentibus Apamiis, Præfecturam S. Antonino sacram Bonifacius hujusce nomenclaturæ octavus, in Petri Cathedrâ residens, Episcopalis honoris fastigio cumulavit, Collegio Canonicorum Augustinianorum superstite in hodiernum usque diem. Extracta diœcesis tam a Tolosate, quàm à Carcassonensi, concessáque est Metropolitanæ Basilicæ Narbonensi, cui & illæ subditæ remanebant. Evecta Tolosa in jus Metropoleos uti significavimus, Apamias ob locorum vicinitatem suffraganeas recepit, eâ tamen gloriæ prærogativâ, ut cæteris ejusdem provinciæ Antistitibus suffraganeos præferretur creationis antiquitate, etiamsi quod Præsules spectat, vetus Sacrosanctæ Ecclesiæ mos vigeat, nemine controvertente per universos Galliæ fines, ut eum quisque locum in Episcoporum consessu obtineat, quem inaugurationis tempus concedit, secundùm legem à Conciliis IV. Carthaginensi, & Cabilonensi latam, & usu observatam. Porrò datus est Ecclesiæ Apamiensi regendæ primus Antistes Bernardus Saissetr, cujus operâ & ministerio usus idem ipse Bonifacius summus Hierarcha, ad deferenda, pronuntiandáque Philippo Pulchro Galliarum Monarchæ amarulenta effata, unde labes tanti mali in Pontificis caput, tanquam, à fonte profluit, aut ab equo Troiano exiit, rem totam promoventibus Ministris regiis; Bernardúsque aliquot lunis est detentus ergastulo, qui tamen rebus à sede Apostolicâ cum Rege compositis eundem ipsum Monarcham in societatem (& ut vocant paragium) cæterorum bonorum temporalium Ecclesiæ Apamiensis, interventu quarundam conditionum, libens volens admisit, & ita hactenùs fuit usurpatum. Excrescente tamen Lutheri, & Calvini hæreseon aconito, ac napello eam regionem inficiente, evenit malo omine, seu absentiâ, seu potentiâ Episcoporum decrescente, etiam imbecilli conatu, seu negligentiâ Capituli, necnon alienatis rebus temporalibus, ac movenda arma, belláque sectariis inferenda, ut ferè omnes ejusmodi Ecclesiasticæ facultates fuerint dilapidatæ, aut in alios usus distractæ, ægrè conservatâ dominii alterâ parte, jurium etiam civitatis, ac ruris.

Carth. c. 83. Cabil. c. 16.

CAPUT XXII. EPISCOPI APAMIENSES CARDINALES APAMIENSES.

Bernardo primo Antistiti successêre in Ecclesiâ Apamiensi tres & viginti Præsules, quorum seriem res præclarè gestas hactenùs tenebris, nescio quâ oscitantiâ Antecessorum, involutas è diversis hinc inde monimentis, ac scripturis priscis eruit indefesso labore Spondanus Episcoporum librorum helluo quod de Marco Catone Consule refert Orator Rom. In eorum albo quatuor Eminentissimi S.R.E. Cardinales: ex iis unus summo Pontificatu ornatus, nimirùm Iacobus è Furno Apamiis Mirapicum translatus, qui à Ioan. XXII. Cardinalitiâ dignitate decoratus, eidem decedenti successit Pontif. nomi

ne Benedictus XII. Card. cæteri fuêre Pilus Fortis, ab eodem donatus purpurâ, cùm priùs ob ſimultates inter ipſum, ac Capitulum natas ab Eccleſiâ Apamienſi inſertus eſt Rivenſi. Arnaldus tit. S. Sixti Cardinalis quem Clemens VI. inter purpuratos Patres recenſuit, & Amaneus de Alebreto è regio Navarræorum ſanguine frater germanus Ioan. Navarræ XXXV. Regis à Clemente VI. Cardinalium numero adſcriptus. Non pauci etiam fuêre inter reliquos Apamiarum Antiſtites, magni nominis viri, doctrinâ, pietate, rerum agendarum induſtriâ illuſtres, quibus demùm, tanquam abortivum ſe acceſſiſſe profitebatur eo nomine major Henricus Spondanus, *qui non eram dignus*, inquiebat, *vocari Epiſcopus.*

PARTICULARIA DIOEC. APAMIEN.

Protenditur diœceſis ab Aquilone ad Auſtrum, quà longior eſt, milliaribus quadraginta; ab ortu ſolis ad occaſum, quà latior, viginti; circumvicinas habens diœceſes Rivenſem, & Mirapicenſem ejuſdem Toloſatis Metropoleos, Coſeranenſem Auſcorum provinciæ, Electenſem Narbonenſis, & Vrgelitanam Tarraconenſis in Hiſpaniâ, quibus omnibus, qui diſtrictiori confinis cenſetur montes habens altitudine nobiles, imò unus celebratur *Tabo* appellatus, portentis quibuſdam celeberrimus, omnium Pyrenæorum eminentiſſimus prædicatur, cùm tamen Apamiæ & circumvicinia gratiſſimâ, fœcundiſſimâque planitie ac ridentibus pratis lætetur: cùm non deſunt nonnullæ amœnæ, ac frugiferæ montibus, collibúſque interjectæ valles. Potiſſima diœceſeos portio circumſcribitur terminis Comitatûs Fluſſatis, reliqua in Marchionatûs Mirapicenſis jacet ditione. Oppida habet muris cincta præter civitatem Apamienſem, Varilios, Fuxum (caput totius Comitatûs, à quo denominatio deſumitur) Tarraſconem, (aliud à Tarraſcone ad Rhodanum provinciæ Phocenſis) Aquas, (illa eodem ordine collocata ad flumen Aurigeram) Montemaltum, Montem-Ferrarium, pagos amplitudine celebres, Sauratum, Vicdeſſoſium, Siguerium, Capanas, Pradas, San-Paulum, Rupem-fiſſam, Dalonum, San-felicem, de Rivotorto, Riverotium, Dunum, Bonacum, ut alios taceam. Parœciæ centenario numero comprehenduntur, ſeu veriùs Parœci, aut Parœciarum Rectores, cùm numerentur aliæ nonnullæ Parœciales Eccleſiæ illis nexu conjunctæ, quas ipſi Rectores regunt vicibus commiſſis inferioris notæ Presbyteris, qui ratione & temporis, & voluntatis ſubmoventur, hujuſmodi unionibus creatis, quò Rectores pinguiùs, & commodiùs vitam ducant, cùm ſint alioquin tenuioris proventûs non ſufficientis ad vitam ſuſtentandam. Quòd verò plurima fana eminùs ſint extructa, ac diſtent à laribus incolarum, qui in diſſitis invicem à ſe caſis ac domunculis commorantur, unde latrociniis, & incurſionibus prædonum patent, exponuntúrque, inde naſcitur ut pauciſſimis conſervetur Sacroſanctæ Synaxeos ſacramentum, veſtéſque Eccleſiaſticæ tutò relinquantur. Earum Parœciarum præſentatio potiſſimâ parte ad quoſdam Archimandritas, Priores, ac Capitula tam intra, quàm extra diœceſis fines ſita pertinet: inſtitutio eſt juris Epiſcopi, reliquarum omnimoda diſpoſitio ſolum Antiſtitem ſpectat, in quibus decimarum fructus unà colligit cum Rectoribus æquâ portione dividendos, uti prædicti Cœnobiarchæ, Priores, & Capitula in hiſce, quarum præſentationis jure gaudent. Quotannis pendunt hi fructus Epiſcopo quatuor & viginti librarum turonenſium millia, à quibus ſubducenda onera neceſſaria tùm decimis regalibus perſolvendis, tùm etiam egenorum cujuſlibet loci, & ſacrorum Præconum educationi, ac fanorum ædificiis reſarciendis. In universâ diœceſi duo recenſentur Archipresbyteri, unus Montalti, alter Aquis, octonarii Concionatorum ſuggeſtus ad plebem ſacris inſtruendam numerantur quadrageſimâ recurrente, ſi homiliæ excipiantur, quæ primariis ſingulorum locorum feſtivitatibus fieri conſuevêre. Apamiarum civitas nunc Princeps diœceſis erat quondam andrium, extra urbis mœnia ſeſquimilliari ſitum amplitudine, & loci munitione obſervandum. At enim anno quadrageſimo ſexto ſuprà milleſimum & quingenteſimum effloreſcentibus adhuc Apamiis Capituli tranſlatio decreta eſt inter urbis limites delicatioris commoditatis ergò, ſed ſucceſſu non ſecundo, licèt approbante Antiſtite, (tunc ævi Ioannes à Luxemburgo pedum manu geſtabat) confirmationis calculo, ut dicitur, Apoſtolicæ ſedis; ſiquidem ab eâ horâ Canonici deſerto communi habitaculo, & menſâ, promiſcuam ſectantes unà cum ſecularibus vitam, mores quoque eorum facili negotio imbiberunt; foris Cœnobium ſpatiis dilatatum, & Baſilicam inſignem ruinæ, ac dilapidationi, quæ mox ſubſequutæ ſunt, expoſuerunt, Anguſtâ Eccleſiâ Parœciali, cujus nomen de Mercatali in uſus ſuos traditâ contenti; cùm in eâ reſideret anteà Curio perpetuus, & Collegium octo Presbyterorum, qui Obituarii nuncupantur, inde Parœciæ molem humeris ſuis imponentes, eámque vices gerenti temporaneo, & nutu ſubmovendo committentes exonerati, ſenſim ſine ſenſu eò res eſt delapſa, ut nomina ſolummodò cum larvâ Obituariorum reſtârint, munera prorsùs in auras evanuerint, & Parœcia, ob repetitas Vicariorum viciſſitudines multam ſæpenumerò jacturam fuerit perpeſſa. Capitulum duodenos habet Canonicos, eoſque (ut dictum) regulâ obſtrictos Auguſtinianâ quo more vivebant ante Epiſcopalia, totidémque Præbendiarios ſæculares, qui in fructuum participatione dimidiam ſortiuntur Canonicorum portionem; præter Subſacriſtarum numerum, puerorum etiam Chori, ac Muſicis vacantium, quarumdam etiam perſonarum minorum gentium. Quaternario numero definiuntur Capituli dignitates Archidiaconi, Archipresbyteri, Sacriſtæ, & Præcentoris. Vna & altera Officina Infirmarium, & Eleemoſynarium ſpectat, Prioratus duo Riveroſii, & Arvignani, eorum poſſeſſio ad ſolos pertinet Canonicos, eoſque inſtituti Auguſtiniani. In quatuor reliquis locum ſibi vendicat Theologus, tolerantiâ quidam ſæculares.

CAPUT XXIII. CANONICI ECCLESIÆ CATHEDRALIS REGULARES.

PROFESSIONEM votorum ſolemnem emittunt Canonici obedientiámque profitentur ac vovent Epiſcopo, Noviciatûs, & tyrocinii anno emenſo duplici fructuum portione gaudent. Hæc eſt votorum acceptandorum forma. *Ego N. offerens trado meipſum Eccleſiæ Cathedrali Apamienſi S. Antonini, & promitto ejuſdem Eccleſiæ Pontifici, & toti Capitulo obedientiam debitam, ſecundùm regulam Canonicorum regularium B. Auguſtini. Promitto etiam ſibi, & Capitulo ejuſdem Eccleſiæ præſenti, & futuro, me perpetuam ſervaturum continentiam, quantum humana fragilitas permiſerit, atque ſtabilitatem in loco, & morum emendationem, & renuntio propriis. Actum, &c.* Digni-

tates quatuor, quorum habitus sermo, cùm vacant, à solo Antistite conferuntur, sed solis profitentibus vota Canonicis, quorum optioni subsunt Officinæ, & Prioratus, optantésque a solo Canonicorum Collegio instituuntur: Canonicatus alternis vicibus, tùm à Præsule, tùm à Capitulo conferuntur; præbendarum præsentatio est Canonici hebdomadem perficientis, institutio est juris Capitularis. In eádem civitate sedet aliud Capitulum collegarum, decem Canonicis secularibus constans, uno Decano Præside, quibus septem Præbendarii junguntur, ab antecessoribus Episcopis dotatum in alterá Parœciali Ecclesiâ Deiparæ Virginis à Campo, diplomate sedis Apostolicæ firmatum: erántque ipsæ ædes sacræ seu loci amplitudine, seu ædificii schemate, ac populi frequentiâ nullis totius Occitaniæ secundæ, sed nascente hæresi dirutæ nunquam potuêre restaurari. Hinc factum est, ut Canonici, & Præbendarii eò egestatis, & penuriæ propemodùm sint redacti ad vitam sustentandam non habentes, aliunde victum quærere, & emendicare compulsi, vixdum suffecerint Sacramentis administrandis, ac cæteris Parœciæ oneribus deferendis; tantùm abest, ut officio horarum Canonicarum hactenùs fungi, & illud persolvere valuerint. Extitêre in ipsâ urbe ab his ordinum mendico victitantium incunabulis nobilia Divorum Dominici, & Francisci assectarum Cœnobia, etiam Augustinianum, & Carmelitarum ordines profitentium egregia habitacula, sed à sectariis excisa anno LXI. unà cum suis fanis humi jacent; uti & Partheno, Ecclesiáque sanctimonialium Divæ Claræ concivis, & coævæ Seraphico Assisiati: domus Collegiúmque Ascetarum S. Bernardi, etiam duo Ptochotrophia, iter per fas & nefas in pia sacráque omnia impia Calvini proles Deo, hominibúsque invisa sæviit, & sacrilegas manus injecit. Neque verò tantùm in illa furor arma ministravit, verùm etiam in Catholicorum domunculas, præcipuè virorum Ecclesiasticorum ædes, ac maximè Palatinas Episcopi, in id collimans ut urbis incolatu eos excluderet pauperie, quorum successionem non valeret gladio, & incendio abolere. Cùm Patres Societatis Iesu in Gallias Senatusconsulto Lutetiano, Carolo Cardinale à Lotharingiâ procurante, & imperante Henrico Rege hujus nominis secundo statim recepti; Apamias deinde vocati fuêre ab Episcopo Roberto Pelvæo Nicolai Cardinalatu insigniti fratre germano, anno M. DLIX. Collegii sedem ibi fixêre totius regni à primævâ erectione secundam, sed biennio elapso calumniarum, & insidiarum pedicas, & nervum tendentibus sectariis, inde expulsionem passi Tolosanum gymnasium è ruinis Apamiensibus ædificârunt, nunquamque restitui valuêre nisi nuperâ civitatis recuperatione, quantumvis cæteris tam Ecclesiasticis, quàm religiosæ vitæ professoribus, olivâ pacis viridante, ibi agere muniáque sua exercere utcumque concederetur. Divus Antoninus laureâ martyrii donatus, uti à nobis significatum, est Tutelaris præcipuus Ecclesiæ, & civitatis: ipsa verò urbs Apamiensis, & Basilicæ Capitulum loco parmæ & insignium gerunt iconem Divi martyrio affecti, qui cum celebrantur SS. Ioannes & Almachius ejusdem in seminando verbo divino socii, & in agone collegæ; fitque perennis eorum memoria, dum officium divinum peragitur, sicut & Caii & Alexandri Apameæ Syriæ Martyrum: saca eorum lipsana Apamias Occitanas quâdam expeditione Hierosolymitanâ unus Comitum Flussatum religioso cultu deferri curavit, thecis affabrè argenteis, & unionum, ac margaritarum numero decoratis inclusa, in templo Virginis parentis à Campo fuêre collocata; sed thecas furto sacrilego asportârunt sectarii, ut & Antonini collegarúmque, Divæ quoque Nataliæ Apamiis oriundæ, duplici Virginitatis, & Martyrii diademate redimitæ reliquias rogo consecrârunt. In oppido Flussate ejusdem diœcesis est insignis eorundem Canonicorum normam S. Augustini observantium Ecclesia, Archimandritâ commendam obtinente, sancti Volusiani, nomine, qui prisco ævo Turonibus ad Ligerim Episcopi partes sustinebat, quem Gothi in oras Fuxenses deduxêre captivum, palæstram effuso sanguine tinctam cursu perfecit. Cæterùm istius andrii Canonici, anteà nomine tenus regulares audiebant (ob Ecclesiæ, & Cœnobii dilapidationem) Priorem claustralem quotannis calculo eligentes, qui nulli fermè erat usui, sedis & incessus honore excepto. Verum à paucarum ætatum intervallo mores composuerunt, vitam religiosam sectati. Extra oppidum, in colle fanum collocatum Deiparæ Montis-gaudii, à Carolo Magno re nominéque ex Hispanis illac iter habente ædificatum, non parvo peregrinorum concursu frequens quod ab unguibus rapacium hæreticorum dilaceratum, & dirutum, cœpit ab aliquot annorum intercapedine in molem resurgere. Non tacendæ Capucinorum ædes piorum eleemosynâ absolutæ. Nec alia sunt finibus diœceseos contenta Cœnobia virorum, fœminarúmque, nisi sancti Francisci Paulensis monasterium Tarascone; ejus fabricam incepit, postremámque manum adjecit noster Antistes, ad Montanos & Sylvestres homines verbo Dei, & exemplo virtutum adjuvandos.

Hæretici diruunt Ecclesias.

Tutelaris Ecclesiæ Apamiens. et insignia.

Caput XXIV. Quæ egit in Dioecesi visitanda.

Hactenùs hæc dicta sunto de diœcesi Apamiensi, cujus saxa, & rupes conscensurus bonus Pastor animam pro ovibus expositurus visitationi inchoandæ se accinxit, plures menses solidos in eâ consumpsit rem impigrè agens, plurima loca arduis montibus Pyrenæis cacumine cœlos attingentibus illustria, & terrorem pectori injicientia Christiano labore, modò eques, modò pedes, licèt sexagenario major, collustravit; quorum incolæ (Satyros aut Faunos dixisses) quantumvis septuagesimum suæ ætatis annum, aut etiam octuagesimum attigissent, nunquam oculorum acie Antistitem conspexerant, nec verò per se ibi conspecturos, somnio unquam cogitârant. Huicce messi multæ, & segeti centesimum fructum parienti colligendæ attendens, plurimis hominum millibus characterem Confirmationis impressit ad assultus Cacodæmonis reprimendos, ad inserendas animo virtutes perenniùs, Nonnullos hæreticos Valdenses qui in iis montium jugis erant superstites communioni Catholicæ, & Romanæ secundò conatu restituit, exhomologeses generales omnis generis, & sexûs hominum, indefessis auribus excepit, eo cum fructu, quem solus Deus novit scrutans corda, & secretos renes. Pauperculæ mulieris peccatorum confessioni aurem præbuit, rogatus ab eâ missæ sacrificium supremo Numini obtulit, ei discedenti ab Ecclesiâ mulier dedit denarium unicum, bonus Antistes grato animo accepit seponendum veluti thesaurum

inter pretiosam supellectilem, & cimelia. Innumeros gravissimis inimicitiarum odiis, sive sanguine, & affinitate propinquos, sive ejusdem tribûs aut alterius incolas sese persequentes, Christianâ animorum unione, imò unitate copulavit; Res furto, latrocinióque ablatas, & malis artibus partas curavit restituendas iis, qui legitimum earum dominium sibi vendicabant. Multi grassabantur prædones per invia, & avia Pyrenæa, (in eorum numero quidam Diablas cognomine, & alius nomenclaturâ Pyretus voluit peccata exolvere in horto) qui vitæ mortalium, & eorum marsupio insidiabantur, nihil humanitatis præ se ferentes, veluti feræ bestiæ in iis antris eminentium collium enutritæ, audito sonitu adventûs hujusce Pastoris solo pedo armati, qui oves aberrantes per ea cacumina humeris deferendas investigabat, currebant turmatim eum visuri, & comites viarum sese offerebant, statim divino visco inescabantur; multi ad genua Antistitis se devolvebant: alii blando ejus sermone, & colloquio angelico capti ad meliorem frugem revocabantur, sponsione factâ vitæ deprædatoriæ deserendæ: alii ultrò progressi tarda molimina nescientes, gratiæ cœlesti locum dabant infinitorum scelerum sarcinam deponentes, pœnitentiæ sacramento, & divinæ Eucharistiæ alimoniâ refecti, quantùm ab illis erant mutati certa lacrymarum per oculorum canales decurrentium indicia, quibus patefaciebant se è lupis rapacibus in mitissimos agnos transformatos divinitùs factâ metamorphosi: videbantur initio Leones, Ursi, & Pantheræ & ejus generis feræ in amphitheatra ad discerpendos membratim Christianos immissæ, quæ in conspectu Martyrum positæ, pedes eorum lambebant, & levi caudarum motu velut tacito sermone congratulabantur, humi jacentes mitissimæ, ad omnia obsequia paratissimæ. Matrimonia contra Patrum & Conciliorum canones contracta inter proximos & affines, indulto illi à sede Apostolicâ concesso effecit valida, Deo, Ecclesiæque accepta. De clandestinis nihil attinet dicere, cùm sexcenta coram Curione, & binis testibus juxta novum Tridentinæ Synodi decretum curârit celebrari. Disciplinam Ecclesiasticam rectæ amussi sanctarum ordinationum adæquavit. Natos abusus à multis olympiadibus gliscentes è medio sustulit. Depravatos populorum mores ad plumbum & perpendicum composuit, aliarúmque ejuscemodi plurimarum rerum chiliadem executioni dedit, cum tantâ tribuum singularum alacritate, ut vix quisque se ab ejus latere, pedum manuúmve osculo repetito ægrè divelli pateretur: talis est vis amoris divini, & benefactorum cœlitùs collatorum; testes erant plerorumque lacrymæ jugiter manantes, & discessum boni Antistitis irrorantes. Quibus omnibus attentis exclamavit optimus Pastor totus in Deum effusus: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro, qui hæc potentiâ suâ misericordissimâ per inutilissimum servum suum operari dignatus est in sæcula sæculorum, Amen. Inter visitandas Parœcias adfuit antelucanis horis vir salutaturus nostrum Antistitem, illique significaturus se nocte præviâ somniâsse, illum Pastorem oves visitantem, equo candido insidentem, Dæmonis astu, & malitiâ innatâ in rupes & saxa dejectum iri unà cum equo; cujus rei & somnii volebat eum admonitum: ad quæ subridens Spondanus Episcopus, Omnia, inquit, divinæ sunt committenda providentiæ. Somnio respondit eventus, nam equus albus, quò ferebatur lapsus in saxum ingens cum Præsule equite, nec eques (Angelo tutelari præservante) nec equus ullâ læsione fuêre perculsi.

Marginalia: Prædonum conversio. — Amor ovium erga Pastorem. — Sess. 24. c. 1. de reformatione.

Caput XXV. Apamias invadunt hæretici. Dux Rohanensis.

Opere visitationis diœcesanæ fervente cum eâ felicitate eáque cœlesti benedictione, necdum quidem perfecto, en nuntia afferuntur Annibalem hæreticum, Ducem videlicèt Rohanensem, stare ad portas Apamienses, aut saltem susurrum, & murmur rebellionis primariorum illius urbis sectariorum adventum Ducis (qui manus ad arma moverat contra Regem, & Religionem Catholicam) summo desiderio præstolantium: ne autem videretur bonus Antistes illis diffidere, qui sæpenumerò repetitis publicè juramentis fidem se Regi servaturos fuerant contestati, vitam suam fidifragis, & fallendi artem apprimè noscentibus exposuit, licèt à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, & aliis de religione Romanâ benè sentientibus dissuaderetur Apamias appellere. Alius advenit Tabellarius illum certiorem faciens de certo occursu Rohanensis Mazerias oppidum, & asylum hæresim profitentium Comitatûs Flussatis, dissitum Apamiis octo milliaribus, quò declinaverat vocatus ab infidis, & Calvinianis proditoribus. Hinc ingenti terrore concussi tam Catholici (qui omninò exarmati remanebant, haud permittentibus sectariis penè gladios, aut grafios domi retinere) quàm hæretici; qui pacem bello potiorem ducebant, cùm hi tùm illi eum obnixè obtestabantur, ne urbem fluctibus decumanis periculorum agitatam alter Castor, aut Pollux desereret: nequaquam enim, si ipsi animus esset in eâ cymbâ navigandi, remanendíque, ausuros proditores sua stratagemata, & molitiones perfidas patefacere, esséque cæteris animi satis, & virium repellendo Duci, ejúsque militibus armatis & equitibus cataphractis. Inter has angustias positus in lubrico vigilantissimus Præsul, cùm hinc satis superque perspectum haberet, & sanè quolibet momento ab Ecclesiasticis viris, aliísque pluribus undequaque admoneretur rem periculo, diffidentiáque plenissimam iis fidere, quibus esset solemnissimum fidem frangere, nullísque stare promissis: illinc verò mente volveret, quamvis hæreticorum nulla habenda esset ratio, grande piaculum fore, si Catholici prædæ exponerentur, illud Christi omnium Pastoris suis auribus perpetuò velut tubam è cœlo resonantem auscultaretur: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Denique rebatur sibi ab omnibus culpæ datum iri, si suo animi deliquio civitas in potestatem, & manus hostium deveniret, potius duxit rei exitum qualemcumque Deo, ejúsque providentiæ commendatum præstolari, nec officio suo deesse. Resedit itaque Apamiis inter medios leones cum eâ cautione, & animadversione, ut ne ullam secessûs suspicionem aliquibus injiceret, aut præberet ansam cuidam dubio (oculis oribúsque omnium in eum ac familiares, & domesticos conversis) nihil penitus è supellectile, aut scriptorum monimentis, quæ maximè erant cordi, auferri est passus. Res octiduo permansit integra, quo tantum illi delatum, sive seriò, sive arte & astu, ut non solùm in publico civitatis Concilio, nihil eo inconsulto ageretur, verùm etiam vitæ necísque potestas illi concessa videretur. Quamobrem nonnullos proditionis, & malæ fidei suspectos ab urbe eliminandos curavit, aliis in

Marginalia: Ioan. 10. vers. 11.

urbem aditu interdixit, multa veluti Dictator perpetuus dispoſuit, multa in rem civium, & urbis emolumentum ſtabilivit, faventibus maximè proditorum animis (quorum princeps, & coryphæus habebatur primus Conſul nomine Pratæus) quò communem plerorumque opinionem deſignati ſceleris, & perfidiæ à ſe eminùs amoverent. Cùm tamen ipſa ſuſpicio apud eum, & Catholicos, ac pacis ſtudioſos ſectarios majus incrementum caperet, illo demum rem redegit, ut publici universíque Concilii decreto fides Catholicis aſſereretur, ſi quid ſiniſtri timeretur à Rohanenſi Duce, & Anteſignano rebellium, non modò vim omnem ſe amolituros à cervicibus Catholicorum alioque vocaturos, verùm etiam maturo, ſecuróque auſu, & Comitatu ad tutas ipſorum arces conducturos. Hiſce ſolidis in ſpecie vix jactis fundamentis, auditur próximus quaſi ex condicto in urbem adventus Rohanenſis, tempore veſpertino feriæ ſextæ diei duodenæ Novembris, ejuſdem currentis anni M. DC. XXVII. poſtquàm foris ad mœnia ſubdio nocturno fuiſſet detentus fictitiis, an veris repulſis paulò antè auroram naſcentem ſabbati, loco minùs munito à Proditoribus indicato, huícque nullis cuſtodibus de induſtriâ appoſitis, vi & pulvere tormentario trium Bellonæ inſtrumentorum (nomenclaturâ petardorum donantur) in urbem illicò prorupit miles hoſtili ferociâ animoſus. E veſtigio ſectariorum miniſter, ſive eorumdem Calipha, Tiſnerus cognomento, ad Epiſcopum celeri greſſu ſe recepit opem ſuam illi oblaturus (qui anteà nec de facie quidem erat ei notus) nunciaturúſque ſe priùs ad ejus genua millies mortem oppetiturum, quàm illi ulla damni labes inureretur. Epiſcopo Eccleſiaſticis aliíſque è grege Romanæ fidei primariis referto, quid conſilii in arenâ capiendum eſſet unuſquiſque hærebat; en adfuit armis cinctus ſecundus urbis Conſul Fitæus hæreſeos ſtudioſiſſimus, ſed præſtiti juramenti memor, & ſollicitus, unà cum aliis itidem armatis ſectariis aurorâ nondum illuceſcente, qui Epiſcopum traxit potiùs, quàm duxit, ut verum fatear, per medios militum cuneos, & hoſtium civiumque conclamantium turmas, ad turrim quandam munitionum divitem, quæ ponti fluminis Aurigeræ adjacebat, ubi tutò primus hoſtium furor, & impetus poterat declinari, poſteà de vitæ induciis, & pacto agi, moras trahendo. Sed providentiſſimâ Dei miſericordiâ præter omnem ſpem, & expectationem inventis ibi clavibus januæ, quæ aditum patefaciebat ad pontem, extractis vi lapidibus & cæmentis è turri, eáque pertuſâ, evaſerunt imo foramine, fluménque ponte tranſmeârunt, primulo quidem diluculo, cùm intenti eſſent hoſtes occupandis plateis, & expilandis Catholicorum ædibus, pro certo habentes ita exitus quoſcumque obſeratos, ut nullus daretur elabendi locus. Ea fuit militum, & calonum inſolentia, ac impietas, ut unus trabeâ Epiſcopali redimitus, & infulatus palàm adierit Rohanenſem. Claves porrò civitatis ſecum aſportandas duxit Epiſcopus; bonum omen inquiebat recuperandæ brevi civitatis. Exiêre cum illo pedite, & ſolidis crepidis ambulante, ac unica veſtito togâ talari, triginta Catholici, quà Eccleſiaſtici, qua Laïci, novémque ſectarii, duo Conſules, bini Duces, duóque Syndicatûs officio fungentes, ac tres honeſtæ familiæ privati. Abibant omnes per ardua & devia lutoſaque itinera Varilios oppidulum Catholico nomine illuſtre & munitione, quatuor milliaribus diſſitum Apamiis: recepti porrò fuêre comites hæretici in fidem & clientelam. Turri Apamienſi concluſus Miniſter ſectæ Calvinianæ unà cum aliis, qui illic remanſerant orto ſole fecit deditionem: à quorum ſupplicio, & reſti ægrè abſtinuit Rohanenſis accepto nuntio Spondanum Antiſtitem evaſiſſe, ſibique conſuluiſſe, in quem maximè animum intendebat, laborabatque flagranti deſiderio eum comprehendendi, ſive necis inferendæ causâ; ſive ad ipſum cum Theophilo Bracheto Milleterii Toparchâ irreligionis primario rerum negotiatore, poſteà Catholico, qui Pariſiis ergaſtulo arcis regiæ detinebatur, commutandum. Qui ſupererant Catholicæ, & Romanæ communionis in abdita ſe recipientes, vel à conjunctis familiaritate, & ſanguine hæreticis, tecti in latibulis, demùm & ipſi fugam capiebant. Sectarii omnes Rohanenſis lateri adhæsêre. Nunquam ullus timor, nunquam ulla trepidatio animum Epiſcopi inceſſit, in hiſce turbarum motibus, & rerum anfractibus: uti verè aſſerebat ſibi ſemper præſentiſſimus, omnia pro fide Catholicâ amiſſa & omiſſa ſummo gaudio ducebat. Cum Pſalte regio, jactâ in Deum firmiſſimâ anchorâ, intonabat, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, ipſe eſt qui reſtituet hæreditatem meam mihi,* cum Ioanne divini amoris Diſcipulo, *ſit Deo benedictio, laus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* cum Iobo omnium jacturam paſſo, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

Episcopus pedes fugit cum crepidis.

Psal. 15.5.

Apoc. 5.13.

Iob. 1.21.

Caput XXVI. Epistolas accipit ab amicis consolatorias.

Translato in oppidum Fluſſatenſe Eccleſiæ Cathedralis Collegio, Spondanus Epiſcopus clade Apamienſi animoſior effectus, Toloſam adiit, tùm ut ſibi res neceſſarias contegendo corpori provideret, tùm ut quantum in ſe eſſet ſitum, Rohanenſi (cui libentes volentes cunctæ aliæ illius regionis hæreticorum munitæ arces, & loca deditionem fecerant) ejuſque aſſeclis negotium faceſſeret, rebus Catholicis in lubrico verſantibus ob improviſam in has oras illius incurſionem. Interim fama cladis Epiſcopi Apamiarum per diverſas provincias vagata pervenit ad aures amicorum de virtute & doctrinâ benemeritorum, ſanguine clarorum, auctoritate & fortunâ pollentium, qui ſtatim nuntios, & epiſtolas miſêre dolentes vicem, offerentes omnem opem: inter alios recenſendos occurrit celeberrimus Antiſtes Vrgelitanus apud Tarraconenſes in Hiſpaniâ, qui nepotem ex Hiſpaniis Toloſam ad extorrem Antiſtitem cum hiſce literis miſit. Illuſtriſſime Domine: Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala, ut ſit mutua inter homines terrarum intervallo diſſitos communicatio aliqua. Ego tuam, Illuſtriſſime Domine, dolui vicem qui à ſede Epiſcopatûs tui exulem extorrémque eſſe accepi. Vnde nepoti meo curam dedi proficiſcendi in Vrbem Toloſanam cum litteris obſervantiæ & amoris erga te mei teſtibus, quibus illuſtriſſimam ſanctitatem tuam precor enixè, ut ad iſtam Vrgelenſem meam Eccleſiam, ac palatium (quantumvis tanto Præſule impar) te recipias, donec tranſeat iniquitas, & hæreticorum perſecutio deferveat, atque ad meliorem fortunam res veſtræ venerint. *Sed quid de ſecuritate in hoc miſero mundo ſperandum,* ait S. Auguſtinus: Vale Illuſtriſſime Domine, cujus felicitatem ſupernam ſecundet Deus, ut opto. Vrgellæ die 10. Cal. Ian. anno ſalutis generis humani M. DC. XXVII. Obſequentiſſimus ſervitor F. Antonius Epiſcopus Vrgelenſis. Sub finem

Ex Hispania.

Epist. 64.

Ex Italia.

hujuſce anni nigro lapillo notandi accepit optimus Spondanus epiſtolam Româ ſcriptam à viro literis divinis & humanis excultiſſimo, amicitiâ ſibi devinctiſſimo Clemente Merlino, Ferrarienſium Oratore ad Vrbanum VIII. & Præſide Auditorum Rotæ Romanæ, qui erat os hujus Senatûs (ut Andronicus Imperator Leonem Monaſteriotem appellabat) & γλῶσσα νόμων (ut Stephanus nominabatur à Demetrio Syncello:) quæ quidem epiſtola animum ipſius recreavit; digna profectò eſſet uſurâ lucis, tùm ob Latini ſermonis elegantiam, tùm ob conceptam de noſtro Præſule ſingularem in Romano Orbis theatro æſtimationem. *Lib. contra Iudæos.*

Caput XXVI. Deditio Apamiarum ab Hæreticis pacta.

Ineuntis proximi anni primordiis contigit divinâ virgulâ, Rohanenſi turbarum face, jam ad vanas & inanes occupandæ arcis Montiſpeſulani (qui Agathopolis etiam nominatur) ſpes reverſo, adventare fretum poteſtate regiâ Henricum Borbonium Principem Condenſem pro aris & focis partes Catholicorum defendentem, licèt Henrico parente ſectario prognatum, cui re ſedulò ab Antiſtite communicatâ de recuperandis Apamiis, habitóque cum Ducibus Mommorancio & Eſpernonio, aliíſque Tribunis militum, & urbium præfectis conſilio bellico, repulſam eſt paſſus, ob hiberni temporis injurias, obſidioni locorum adverſarias, & copiarum paucitatem nullatenùs ſufficientium cingendæ & circumvallandæ tam amplæ civitati, valido præſidio, firmâ ſtatione, fortiſſimíſque Rohanenſis Ducibus protectæ defenſæque. Haud tamen animo cecidit, ſed importunis & peropportunis ſollicitationibus, nullóque temporis momento incaſſum impenſo, tandem effecit, ut poſt emiſſarios à ſtrenuiſſimo Principe viros fortes delectos, qui urbis ſitum, munimenta, & propugnacula ſpecularentur, decreta ratáque fuerit obſidio. Rebus pro tempore, & facultate ad eam comparatis, proceſſum eſt tutelâ Virginis Deiparæ, die Sabbati menſis Martii quartâ anni à Chriſto nato vigeſimi octavi ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, manu quinæ militum cohortis, & aliquot Equitum cataphractorum turmæ, univerſim conficientium numerum (pudor eſt dicto referre, niſi ad extollendam Dei potentiam, qui ut loquitur divinus Apoſtolus, *Infirma mundi eligit, ut confundat fortia*) trium millium, & quingentorum peditum, ac ducentorum & ſexaginta Equitum, octonis muralibus tormentis æneis eam urbem impetituris. Vnâ, & alterâ die elapsâ ejuſdem menſis quibuſdam velitationibus, ubi eſt appropinquatum: ſeptimâ conflictu martio (quo Firmacani Marchio adoleſcens è noſtris periit fortuitâ glande, vulneratíque aliqui Duces) facta eſt loci cognitio, tentamentum, & experimentum. Tormentis muralibus in ordinem redigendis octava eſt collocata. Nonâ ab oriente ſole ad occidentem muri tanto fragore, & ariete vulcanio ſunt percuſſi, & conquaſſati his primoribus Bellonæ inſtrumentis, ut pars ſolo adæquata patentem videretur noſtris viam aperuiſſe, ad conſcendenda mœnia, & impetus faciendos; cùm è veſtigio apparuêre pone foſſam nonnulli aggeres, qui rem propè deſperatam reddiderunt. Iuſſus nihilominùs miles impreſſionem fecit; dum verò ordines diſponerentur, pius Præſul Eccleſiaſticorum coronâ cinctus litanias, Eccleſiæ inſtituto, majores ſummâ animi devotione incœpit recitare; monitus à quodam ex eorum cœtu, eſſe initia feſti recurrentis Divorum Caii & Alexandri civitatis Tutelarium (quorum mentio apud Apollinarem Hierapolitanum, & Dionyſium Alexandrinum) magnâ in Deum ſpe confiſus, & ſecundo rei ſucceſſu, horumce ſanctorum patrocinio, etiam in litaniarum precibus illos in numero Beatorum Martyrum repetitis vicibus duxit invocandos, & ipſorum præſens auxilium implorandum; cùm autem eò verſiculorum eſſet deventum, quibus rogatur Deus nos exaudire, hos auctario ſubdidit altiori voce ſæpè prolatos, *Vt pavorem, & terrorem in hoſtes immittere digneris, Te rogamus audi nos. Vt noſtris animum, & fortitudinem augere digneris, Te rogamus audi nos.* Miraculo res acta, ut uno ore omnes fatebantur, etenim acceptâ à piiſſimo paſtore Apamiarum miles benedictione irruit alacer, levi hoſtium obniſu murum conſcendit, occupavit, ſignáque bellica muris inſerta eſt tutatus; ſex tantùm è noſtrorum numero deſideratis, pauci vulnere ſunt ſauciati: declinante in occaſum die, ultrà progredi prohibuit Princeps. Ita porrò dejecti ſunt hoſtium animi, ut quamvis ipſis ſecundis vigiliis nocturnis à ponte, qui liber remanſerat, ſuppetias accepiſſent trecentorum Legionariorum Duce Auroſio è vicinis præſidiis, nihilominùs iis terrorum ſtygiis, & faſcino ſunt correpti, Deo excæcante Præfectum, Duces, præſidiarióſque milites, unáque cives omnes, ut diei ſequentis diluculo, quæ fuit Martii decima, feria ſexta, Divorúmque Martyrum prædictorum feſtiva, cuncti nullâ cunctatione viri, fœminæ, pueri, puellæ fugerint omnibus poſthabitis, nemine impium perſequente, inſciis obſidentibus, eodem ponte timor eorum pedibus alas addidit, córque in talos, ut cum Homero loquar, decidit, urbe deſertâ vix, ſuperſtitibus, qui ſuppetias laturi advenerant, ad deditionem faciendam. Digitum Dei Sabbaoth hîc eſſe, quis mortalium ibit inficias? Cognitâ obſeſſorum fugâ, immiſſiſque in fugitivos alariis, plurimi fuêre internecione deleti. Præfectus, cæterique Tribuni, ac primarii cives quà fugiendo celeri greſſu, quà in ſaltibus, quà in latebris intercepti, urbs expilationi militum data. Præfectus Bellifortius, locum vicéſque ejus tenens Auroſius rebellionis excitatæ gratiâ obtruncato capite vitam cum morte commutârunt Toloſano Senatuſconſulto, quorum is ad Catholicam frugem moriens rediit, adhortante in ferali theatro Petro Donando Theologo Pariſienſi & Præſule Mirapicenſi, Epiſcoporum Galliæ Decano; quinque & triginta, qui facinoris perpetrati magis erant conſcii (in quorum ſerie primus Municipii Conſul, cognomento Pratus, prima rebellandæ civitatis ſcintilla, cujus cadaver à morte veluti atrum marmor in patibulo viſum) laqueo ſtrangulati, cæteri vitam prece & pretio redemêre. Paupérculus Miniſter, qui ſuam operam diſcedenti Epiſcopo olim præſtiterat glebarum manipulis obvolutus, in penu granarii latitans, inventus tormentis, necíque ereptus ab optimo & gratiſſimo Antiſtite, qui oblati memor beneficii redemptionis pretium ſolvit curavitque libertate donari, & ad ſuos, uti poſtulârat tutò remitti equo dato & itineris comite. Poſtridie receptæ civitatis, in fano hæreticorum poſt ſacrificium incruentum Deo oblatum, celebrata eſt celebris lampadaphoria cum auguſtiſſimo ſynaxeos ſacramento, in perpetuas gratiarum actiones, per urbis vicos, umbellam deferentibus Principe Condæo, Duce Mommorancio, Marchione Ragnienſi caſtrorum Præ-

1. Cor. 1. 27.

Lib. contra Cataphrygas. Apud Euſeb. hiſt. l. 5. c. 15.

Iliad. o.

fecto,& Comite Carmagnio civitatis,& provinciæ Fluſſatis Prorege. Idem templum ceſſit uſui Ca-
tholicorum, quamplurimi ſectarii utriuſque ſexûs in communionem Eccleſiæ Catholicæ fuêre ad-
miſſi;cæteri urbe amandati poſt expilatas nullo habito diſcrimine omnium,ac ſingulorum incolarum
opes,ac fortunas, conſumpta ſupellectilia, incendio multas domos in cinerem redactas, viros Ca-
tholici nominis per nefas inſolentiſſimum è vitâ ereptos,& malorum ac ſcelerum à milite perpetra-
torum iliadem, menſtruâ depopulatione nefandiſſimâ (non valens bonus Pontifex obicem ponere,
nec eſſe impedimento, illam cladem ægerrimè tulit) cœpit tandem conculcatiſſimæ, ac miſerrimæ
civitatis cadaver anhelare potiùs, quàm reſpirare. Rebus demùm pace firmatis, & manu Catholico
gubernaculo admotâ adminiſtratis,Canonici Cathedralis Eccleſiæ Apamias ſe recepêre,eis aſſignato
ad divina officia celebranda ſectariorum templo ritu Calviniano expiato; alius Canonicis Campen-
ſibus locus datus, in quo munia curialia præſtarent necdum ſufficientes, rerum anguſtiâ preſſi, rem
capitularem inire.Religioſi mendicitate victum ſibi comparantes,ſuis domiciliis redditi.Patres Soc.
IESU unà cum ſanctimonialibus D.Claræ longiſſimo poſtliminio reſtituti.In æternam autem harum
rerum memoriam, gratéſque Deo perſolvendas urbis Catholico regimini redditæ, & in priſtinam
libertatem reductæ, ſolemnis proceſſio Comes ſanctiſſimæ Euchariſtiæ deferendæ, quotannis die
10. Martii recurrente in perpetuum inſtituta. Audito poſt tot tantáſque ærumnas reditu Paſtoris

Expulsis hæreticis redit Apamias.

Apamienſis ad ovile, has gratulatorias ei ſcripſit literas ſummus Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ
Paſtor, hoc concepto verborum textu. Vrbanus PP.VIII.Venerabilis frater ſalutem, & Apoſtoli-
cam benedictionem.Qui paterni amoris commiſeratione Fraternitatem tuam proſequebamur extor-
rem,atque impiorum furore agitatam; nunc ingenti lætitiâ te comitamur ad ſacræ tuæ ſponſæ am-
plexus revertentem.Nos dum civitas Apamienſis exultat ſui Præſulis aſpectu,miſericordiarum Do-

Breve Vrbani VIII.

mino gratias agimus,qui tuum reditum inſigni hæreticorum clade voluit illuſtrare. Sanè exoptatiſ-
ſimo gaudio Pontificias ſollicitudinum cumulavit numerus ille reſipiſcentium,quo fidelem gregem
auctum nunciârunt Fraternitatis tuæ literæ.Paſtorem ſempiternum nos enixè ſemper rogabimus, ut
vota & conatus tuæ pietatis juvet; tibíque benedictionem noſtram peramanter impartimur. Datum
Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Maii 1528. anno Pontifica-
tûs noſtri 5. Ioannes Ciampolus.

Caput XXVII. Eum perſequuntur ſectarii.

RESUMPTA diœceſanâ perluſtratione,noſter Pontifex cæteras Curionum inviſit Eccleſias,divi-
náque opitulante gratiâ ab iteratis hæreticorum illi, ob ſublatas Apamias extrema quæque minitan-
tium inſidiis,& periculis ſe vindicavit:nonnunquam militari præſidio opus habens,rem demùm per-
fecit in campeſtribus, quam in montanis inchoârat. Contigit aliquando Baronem à Lerâ Calviniſ-
mo infectum, pedicas tendere Spondano iter habenti Apamias Varillio; verùm cælitùs necem præ-
ſentiſſimam effugit. Vice alterâ progredienti cis Caſtellum-novum Arvi (Caput arietis Gregorio
Turonenſi)primariam Comitatûs Laureacenſis urbem,ſectarii obſidias poſuêre, manúſque injecêre *Lib.30.hiſt. Fr. cap.8.*
in ſervum equo inſidentem pone ſe peram viatoriam deferentem, quâ excerpta hiſtoriæ Eccleſiaſti-
cæ, & Continuationis Annalium Cardinalis Baronii continebantur; delata & data Miniſtro ſectæ
Calvinianæ,qui ea lectu capere unquam potuit, quo audito optimus Antiſtes, & hominem,& ſcri-
pta hiſtorica pretio octingentarum librarum redemit. Sæpenumerò jejunus ſolido die confitentium
labes emundavit, & Confirmationis characterem ſacrum, nunquamque delendum menti acceden-
tium impreſſit. Initus autem, & recenſitus numerus eorum omnium, qui hoc ſacramentali ſtigma-
te fuêre divinitùs inuſti, pervenit ad quadraginta oleo chriſmatis unctorum millia: Non repetam
multas centenas ſectariorum ejurationes ab hæreſi, quarum meminimus; hunc præcipuum eſſe
ſcopum viſitationum omnium iſtarum,aſſerit Synodus Tridentina Oecumenico: *Sanam*, inquit,*or-* *Seſſ. 24. decret. de refor. cap.3.*
thodoxámque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum
cohortationibus,& admonitionibus ad religionem,pacem, innocentiámque accedere,quod ſanè ſtudio
religioſiſſimo ad normam decretorum, ac conſtitutionum Tridentinarum compoſuit. Vt autem id
totum ſolido firmaretur fundamento,ſynodos habuit frequentes, quibus ſtatuta univerſa diœceſanis
obſervanda cùm diſciplinam Eccleſiaſticam, tùm mores ovium ſuæ fidei & pedo commiſſarum ſpe-
ctantia promulgavit. Adigebat Parochos ad jurejurandum ſe in ſacerdotiis actu, & reapſe perman-
ſuros: novos Curiones niſi id in ipſo limine ſponderent, eoque manû ſcripto Sacramento, non
admittebat.

Statum ſuæ Eccleſiæ quolibet quadriennio mittit Romam.

Fuit ipſi ſolemne fidem exſolvere, quâ obſtrictus erat Summo Pontifici de viſitandis Apoſtolo-
rum liminibus quolibet quadriennio, ut Sixtus V.vigeſimâ quintâ Conſtitutione, diplomate Romæ
dato 13. Cal. Ian.anni 1585. reliquit conſtitutum pro Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Hungariæ,
Angliæ Epiſcopis, contraxit tempus ad triennium pro Antiſtitibus Italiæ. Hi omnes,ut initiantur
Epiſcopalibus infulis tenentur jurejurando ſummo Pontifici polliceri, & eidem rationem reddere
villicationis Epiſcopalis præſentes, vel abſentes committendo alteri vices, qui eas ad unguem exe-
quatur; ita verò fuit ſuæ jurisjurandi religioni addictus, ut acto quadriennii tempore ſtatim unius
anni moras impetraret ad plenè ſatisfaciendum debito; ſicuti pluribus dignoſcitur, literis Eminen-
tiſſimi Cardinalis Veroſpii præſidis apud congregatos Patres pro Synodi Tridentinæ decretis ex-
plicandis, ad ipſum Spondanum, qui ſuæ Eccleſiæ ſtatum in Vrbem mandârat, ſcriptis Romæ, die
22.Decemb.1535.

Caput XXVIII. Præclara gerit pro Dioeceſi.

DECRETUM à Concilio Tridentino de ſacerdotiorum concurſu, & examine prævio promulga- *Ead.ſeſſ.c.18. de refor.*
tum,ad noſcendos digniores exercendis muniis ſacerdotiorum,quibus eſt annexa animarum cura, &
provincia, publicavit initio ſui Epiſcopatus; quo quidem decreto Adoleſcentioribus ad vacandum
ſtudiis literarum ſpe remunerationis obtinendæ, excitaretur animus, & illiterati à ſacerdotiis expe-
tendis pudore repulſæ deterrentur.Aliquorum annorum intervallo expoſuit examini eos qui obviam
ibant ad ea ſacerdotia conſequenda,contulítque doctrinâ,& gradu aliquo Theologico illuſtrioribus.
Verùm cùm experientiâ rerum magiſtrâ didiciſſet tam hos, quàm Toloſanos nonnullos, qui ob re-
gionis vicinitatem pinguiora ſacerdotia aucupabantur,& occupabant,ad reſidendum compellere rem

Decretum concursûs pro beneficiis quare a se promulgatum abrogat.

esse difficultatibus plenam, imò difficiliorem quàm ursus patrios, & Pyrenæos efficere cicures: ita enim fastidio habebant animarum, & ovium curam, quarum facultates & substantiam deglubebant. Moniti verbis, coràm & palàm sese promissis obstringebant, ponè irridebant, citatio & vocatio adhibebatur, & cætera, quæ sunt fori judicialis: dum instaret sententia ore Iudicis proferenda, absentiæ causas obtrudebant, & purgabant, & elapsâ quindecim dierum intercapedine, redibant ad volutabrum, nec unquam absentiæ excusandæ finis. Hæc una è causis primaria potest enumerari, cur sacerdotiorum concursum, quem secundùm canones, & decreta instituerat Spondanus, è medio sustulerit. Ne unquam obtinere potuit ab iis, qui jure præsentationis gaudebant, ut concursui postulantium sacerdotia exponerent, juxta formam à Concilio Tridentino præscriptam. Eo nomine, réque maturè consideratâ, & cum Eminentissimo Cardinale Rupefucaldo communicatâ, ejúsque sapientissimo judicio accepto, constitutionem concursûs priùs à se publici juris factam, veluti hydram contentionum in diœcesi resecavit.

Consultantibus ariolos hanc cautionem, & pœnam adhibebant, ut etiamsi pœnitentes decederent, tamen Ecclesiasticâ privarentur sepulturâ; cujus ignominiæ alicui irrogatæ exemplum cæteros reddidit cautiores. Ad excitandam populorum negligentiam, omnino vetabat, ne qui utriusque sexûs ullibi locorum diœceseos ad matrimonia contrahenda admitterentur, nisi priùs trutinâ examinarentur à Curionibus, utrùm noscerent vel idiomate Latino, vel vernaculo Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, síque illa ignorarent, cogerentur memoriâ tenere, antequam matrimoniorum fierent ternæ denunciationes; sic verè contra ipsam naturam concupiscentiâ carnis spiritus excitabatur ad bonum, & trahebatur.

Instituerat congregationem virorum pietate, literis, & prudentiâ celebrium, qui sæpenumerò pro rebus diœcesanis convenirent, apud ipsum palatium Episcopale, quod magnis impensis, & sumptibus à fundamento ædificavit, etiam ipsum fundi solum olim distractum in alios usus, & alienatum comparans, mensæque Episcoporum in æternum addicens.

Caput XXIX. Deserit Episcopatum.

Cogitavit Episcopatui, nuntium remittere, animadvertens populum esse duræ cervicis, regendúmque virgâ ferreâ, cui ille manum non habebat; conclamâsset usque ad ravim, iratúsque fuisset ad indignationem, lenimenta hæc erant passionum, non remedia malorum. In hoc propositum rem notatu dignam recensebo, quæ abhinc 90. annos contigerat. Asceta quidam Franciscanus, nomine frater Thomas, cujus adhuc celebris viget vigebítque memoria, admirandâ virtute & pietate oras Apamienses Apostolicis prædicationibus perlustravit, proximus aliquando civitati (accurrentibus extra civitatis portas plerísque incolis, ad aures sacris ejus hortamentis præbendas) nunquam tamen persuaderi potuit, ut pedes in urbem inferret, *Quoniam*, ut referebat, *maledictio Dei erat super eam*: quare in communi colloquio noster Præsul non se ejus probitatis, aut virtutis existere profitebatur, ut hujusmodi divinæ iræ averruncandæ esset; sæpiùs inclamabat cum divino Prophetâ & Rege; *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar*, (quod Hebraïcè sonat tenebras) qui enutritus quondam in croceis urbis æternæ, & Romanæ, compellor hîc porcorum siliquis vesci. Martyrium olim Patriarcham Antiochenum imitaturus, quem refert Theodorus Lector pari tædio affectum publicè in Ecclesiâ suâ præfatum esse in hæc verba, *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio*: è vestigio iis relictis abscessu sibi consuluisse: Exploratâ à Spondano Episcopo, ut par erat, summi Pontificis Vrbani voluntate, apud se omninò constituit suæ Ecclesiæ vale dicere, non modò quò se liberaret ab ejusmodi molestiis, verùm etiam ne fortè malo serpenti, inquiebat, incrementum daret, cùm illud retardare quæreret; ac denique ut diligentiore studio vacaret continuandæ Historiæ Ecclesiasticæ Baronianæ, quam olim calculo orbis Pontificis comprobante inchoârat, & tot deploratissimæ diœceseos curis frequentiùs in cursu retardatam, jam tandem ferè ad scopi palos perduxerat. Abdicavit in gratiam Ioannis Spondani Nepotis, ætatis annorum quadraginta, quem non aliâ ratione Regi, ejusque Ministris commendatum voluit, quàm ut is examine probatus vel admitteretur, vel rejiceretur, nequid inde oneris majoris animæ imponeretur. Admissus primò in Coadjutorem, nomine Episcopi Megarensis, deinde in Pontificem Apamiensem, etiam vivente Patruo, qui Lutetiam Parisiorum se recepit operam daturus editioni ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ, tribus tomis comprehensæ, & sacrorum Annalium veteris Testamenti. Nullus porrò mortalium historiam ab Adamo ad hæc tempora unâ manu unquam contexuit, si Spondanus excipiatur.

Psal. 119. 5.

Collect. lib. 5.

Quanti æstimabatur a viris Principibus.

In maximo pretio eum habuit Vrbanus VIII. unde de illo verba faciens aliquando religiosissimo viro Santio à D. Catharinâ Fueillantini instituti aiebat, *io l'amo cordialisimamente*; cujus summi Pontificis nepos Franciscus Cardinalis Barberinus Patrui mentem, & amorem erga illum secundam, solidam crucem auream dono mandavit, multis pyropis adornatam. Tanti eundem fecit Rex Ludovicus XIII. ut solito *virum bonum* appellaret, ejusque doctrinam extolleret, ac pietatem: non petenti, nec digitum quidem moventi, quod rarum est apud Palatinos, & Curiales, idem Monarcha misit schedam Cœnobiarchæ Corbiniacensis D. Leonardi apud Æduos à Carolo Magno dotatæ, cujus vices commisit Spondanus Ioanni à Vyennâ multis nominibus commendando Abbati Sammartino Nivernensi, ut spiritalia & temporalia regeret, qui præclara in Abbatiæ emolumentum præstitit. Serenissimus Carolus Emanuel Allobrogum, seu recentiori voce Sabaudorum Dux, & Princeps Pedemontanus Spondanum Taurino sæpè transeuntem excepit maximâ animi significatione, miréque ejus colloquiis familiaribus delectabatur. Federicus Cardinalis Borromæus Mediolanensium Archipræsul, S. Caroli consobrinus, ita virtutem, & bona literarum studia in eo coluit, ut ipsi contulerit sanctissimi consobrini ligneam supellectilem lecti, & tylem seu culcitram ob ipsius venerationem erga divos manes Caroli.

Caput XXX.

Parisios deseruit Tolosam petiturus anno partus Virginei M. DC. XLII. uno ante obitum, frequentissimâ confabulatione sibi mortem esse vicinam, licet mens sana esset in corpore sano, augu-

Ejus in Domino obitus.

rabatur : Sanctimonialis quædam pientiſſimæ vitæ, quæ multa multis prædixit, agens in Parthenone Carmelitarum Senonenſium, epiſtolam miſit ad noſtrum Præſulem nonis Ianuarii, anno ſubſequenti, quâ certiorem faciebat de ejus morte pro foribus ſtante, præceſſurúmque, licèt ipſa ægerrimè haberet ; acceptarum literarum dorſo inſcripſit Præſul ſe hoc anno è vitâ deceſſurum ; rem ita fore eventus comprobavit ; nam ille ad Deum abiit, infrà quadrimeſtre, nimirùm die 15. Cal. Iunias. In morbo poſtremo, dum æſtu febris jactaretur, ſæpè ſæpius has voces repetebat, *Piiſſime Jeſu ſis mihi Jeſus*, oratiunculâ ſibi viventi familiariſſimâ. Medicis ſolitas ejus preces impedire tentantibus aiebat, *Dominii veſtri fines corporis eſſe, non animæ.* Tandem quietiſſimâ mente extremum Creatori, & Soteri ſpiritum exhalavit, oculis, cœlum intuentibus, quò iter ſuum parabat, totáque hujuſce vitæ mortalis tempeſtate, à deſertis ſectariis, paraverat. Biduo elapſo corpus ad Baſilicam Toloſanam Protomartyris fuit delatum, ſepulturæ mandandum, quâ Epiſcopali pompâ, quâ populi frequentiâ, quo omnis ordinis Comitatu teſtati ſunt obſervantiam Toloſates univerſi, quaſi alterum Divum colentes.

Funus.

Ioanne Ludovico Berterio ex illuſtri Berteriorum proſapiâ Rivenſium Pontifice rem divinam celebrante horâ tertiâ pomeridianâ ob plebem confluentem, quæ tactu ſtrophiorum & piarum Deiparæ Virginis coronarum conceptam de Spondano Epiſcopo ſanctimoniæ opinionem ſignificavit, etiam veſtium libitinam operientium ſciſſurâ. Vnus è Societate Iesu Patribus ſumpto hoc lemmate, *Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur*, oravit in inferiis frequenti Senatu, recenſuítque dignas Cælite virtutes, & zelum illum domûs Dei, quo ſacrum ipſius pectus inurebatur ; cujus incendii ſcintilla apparet in calce operum, dum Catholicos Monarchas inter ſe digladiantes, ſúſque déque pro terræ puncto omnia evertentes, infelicium ſubditorum fortunas, & vitam ludentes ita affatur, *ô Principes, ſi Chriſtum audire non ſuſtinetis, Senecam audite.* In coronâ virtutum ipſius principem locum obtinebat inimicorum dilectio, quæ eſt ſignum prædeſtinationis in Zodiaco Chriſtiano : dicere conſueverat ſectariis, & aliis odio eum perſequentibus juſtitiæ causâ ; *Quot mala mihi irrogabitis, tot bona vobis rependam*; didicerat enim illud B. Hieronymi referentis Deum fabrum eſſe, inimicos limam, & malleos, quibus nos ipſe expurgat, ſanctóſque ſculpit.

Eccl. 39. 12.

In cap. 5. Matth.

Inimicorum dilectio.

Paucis ante obitum diebus, teſtamento conſcripſit Toloſanos Patres à S. Franciſco Paulenſi hæredes ampliſſimæ Bibliothecæ triginta millibus librarum Turonenſium æſtimatæ, conditâ etiam ſibi hac epigraphe ſepulchrali. *Hic jacet corpus Henrici Spondani quondam Epiſcopi Apamiarum, cujus anima requieſcat in pace.* † Petro Frizonio urbe Remenſi, ordine Theologo Pariſienſi familiaritate conjuncto cùm Romæ tùm Lutetiæ ſex luſtrorum intercapedine, reliquas facultates abſenti tabellis teſtamentariis legavit, cui in grati animi ſignificationem ipſe Frizonius Mauſolæum erigi curavit.

SCRIPTORVM A SPONDANO PONTIFICE ELENCHVS.

Cœmeteria sacra primò vernaculè, deinde Latino idiomate multis aucta.

Annalium Ecclesiasticorum Cardinalis Baronii epitome duobus tomis comprehensa.

Annales sacri à Mundi creatione ad ejusdem reparationem, uno volumine.

Continuatio Annalium Ecclesiasticorum ab anno M. CXCVII. *quo Cardinalis Baronius desiit, ad finem* M. DC. XL. *tribus tomis, deinde duobus minore charactere.*

M S. omnium Ecclesiæ Conciliorum historia non absoluta.

SPONDANA INSIGNIA.

Parma quadripartita, I. *&* IV. *quadrante cæruleo, duabus fluvialibus truttis argenteis,* II. *&* III. *miniato, cruce aureâ, & spineâ coronâ prasynâ.*

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM CONTINVATIO.

IESU CHRISTI Annus 1198.

INNOCENT. III. An. 1.

ALEXII ANG. An. 4.

I. SVPERIORA breviter præfati, ad opus ipsum nos accingentes, déque proprij ingenij viribus minimùm præsumentes, quinimmò penitùs diffidentes; imprimis Deum Optimum Maximum oramus, veneramúrque, ut mentem nostram Spiritûs sancti sui lumine illustret, manum ductu suo dirigat; quò scriptione sit gratum, utilitate jocundum, veritate proficuum: intercessione Matris misericordiæ Beatissimæ Virginis, cui piè, ut solet omnia, petenti nihil ab eo denegari potest: à qua fideliter fidentérque invocatâ nihil non fausti rectíque sperari debet.

II. INNOCENT. III. CREATUR PONTIFEX. Eâdem igitur die quâ Cælestinus Papa III. obiit, celebratis honorificè ejus exsequiis, sufficienti suffragio Cardinalium, (explosis senioribus mutuò concertantibus) novo exemplo, ætate junior, annorum triginta septem, (non tantùm triginta, ut plerique habent) *Lotharius* patriâ Anagninus, ex nobili genere Comitum Signiæ, filius Trasimundi, ex Diacono Cardinali SS. Sergij & Bacchi creatus est Pontifex, & nominatus INNOCENTIUS ejus nominis Tertius. Coincidisse porrò Cardinalium vota potissimùm in *Ioannem Salernitanum* titt. S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum, & prædictum Lotharium Diaconum; sed Ioannem cessisse Lothario, vetera [a] Chronica habent. Qui quidem Ioannes cùm Cælestini fuisset in Germaniâ Legatus, ab Innocentio quoque in regno Siciliæ, & in Angliâ atque Hiberniâ, eâdem functione insignitus est.

[a] *Memor. Histor. Colleg. Navarr. Paris. & Addit ad Ciac.*

III. EJUS ANTERIORA. De Innocentij autem primordiis, ex Vitâ ejus exactissimè & fidelissimè descripta usque ad ejus Pontificatûs annum undecimum, acceptâ ex Archivo Avenionensi, (quam & postmodùm in lucem editam vidimus à Francisco Bosqueto Iurisconsulto ex Bibliothecâ Collegij Fuxensis Tolosani) traditur; ipsum primò in Vrbe, deinde Parisiis, tandem Bononiæ scholasticis studiis insudâsse, & supra coætaneos suos tam in Philosophiâ quàm Theologia (quam & publicè professus est) profecisse: à Gregorio verò Octavo in Subdiaconum ordinatum, à Clemente Tertio promotum esse in Diaconum Cardinalem. Quem & Iuris Civilis atque Canonici fuisse peritissimum, Decretales datæ ab eo ad diversos Epistolæ docent. Eumdémque ante Cardinalem acceptam Diaconiam, militâsse in basilicâ S. Petri Canonicum, idem ipse testatur quâdam epistolâ [b] ad eosdem Canonicos datâ jam Pontifex. Ex quâ eos omnes refellas, quotquot scripserunt fuisse eum Canonicum regularem Ecclesiæ Lateranensis. Cardinalis autem varios scripsit Tractatus, summâ eruditione & pietate refertos. Quapropter & testantur eadem ipsius Vitæ Acta, ipsum præ ceteris omnibus, ob morum honestatem, & scientiam literarum, licèt flentem, ejulantem, ac renitentem) evectum esse in Pontificatum; præcessisséque de futura ejus electione prænunciationes per quietem ostensas: sed & signo visibili electionem ejus confirmatam esse; cùm videlicet è tribus columbis quæ frequentabant volatus in locum in quo Cardinales sedebant congregati, post ejus nominationem una, quæ candidissima erat, juxta dexteram ejus insedit. Sumpsit autem sibi symbolum sive sententiam, quam in circulo sigilli de more insculperet, *Fac [c] mecum Domine signum in bonum.*

[b] *Innoc. 1. Epist. 295.*

[c] *Psal. 85.*

IV. Sequenti verò die, nempè quinto Idus Ianuarij, idem de suâ electione dedit Literas [d] circulares ad universos Antistites, &

[d] *Id. 1. ep. 1.*

Christi fideles: breves illas quidem, sed quæ modestiam prudentiámque ejus singularem demonstrent: eæque primum locum obtinent inter ejus Epistolas; sed in aliquibus mendosè cusæ; & inter alia dum quod in scripto codice ponitur *C. prædecessor noster*, quod Cælestinum significat; qui edidit, loco Cælestini Clementem posuit. Peculiares autem scripsit, ad Philippum Francorum Regem Christianiss. quas & literarum suarum primitias esse testatur; quoniam (ut ait) considerans quantùm Regnum Franciæ in Ecclesiæ semper permanserit unitate, eas omnium primo ei tamquam speciali Ecclesiæ Romanæ filio destinandas duxit; monens ut exemplo paterno in cultu & obseruantiâ Sedis Apostolicæ permaneat. His verò junxit alias [f] ad monachos Galliarum, quibus ad optimè instituendum Ecclesiæ regimen, preces illorum efflagitavit. Ad Ecclesias quoque transmarinas de electione suâ scripsit; atque imprimis ad patriarcham [g] Ierosolymitanum, necnon ad ejus suffraganeos; his etiam literis excitans emortuum unà cum Pontifice negotium de expeditione contra Saracenos in Terram Sanctam. Ac denique (ut subjicitur in textu) in eumdem ferè modum Moguntino Archiepiscopo, & Episcopis de regno Alemanniæ in Vltramarinis partibus constitutis scripsit.

[e] *Epist.* 2.
[f] *Epist.* 3.
[g] *Epist.* 11.

V. CONSECRATUR, ET CORONATUR.

Quod autem esset tantummodo Diaconus, dilata est ejus ordinatio in presbyterum usque ad Sabbatum Quatuor Temporum, IX. Cal. Martij: & sequenti Dominicâ, quâ celebrari consuevit in Ecclesiâ Catholicâ, Cathedra S. Petri Antiochena, fuit apud S. Petrum in Episcopum consecratus, (quod testatur ipsemet epistolâ supradictâ ad Capitulum S. petri) & in ejusdem Apostoli cathedrâ constitutus, cum multâ cordis compunctione, & lacrymarum effusione: eâdémque die solemniter coronatus processit de more à Basilicâ S. Petri ad Palatium lateranense, ingenti populi lætitiâ. Postridie verò Petrum Vrbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit; qui usque ad illud tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo Præfecturæ tenebat honorem: pariterque ab aliis Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit: ac missis Nunciis per totum ecclesiæ patrimonium, fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi; & exclusis Iustitiariis Senatoris, suos ordinauit. Nihilque hoc sui pontificatûs exordio antiquius habuit, quàm ut tyrannos occupantes dominium S. Rom. Ecclesiæ (ac præcipuè Marcwaldum & Conradum Teutonicos, qui sub Henrico Imp. magnam ejus partem occupaverant) procul abigeret, revocarétque sublatas provincias ejusdem Ecclesiæ potestati. Quod quamvis perdifficile negotium videretur; tamen quia manus Domini fuit cum illo, cuncta felicissimè brevi tempore peregit tam per Legatos, quàm per seipsum non tam armis, (quamvis nec ista penitùs omiserit contra obstinatiores) quam censuris Ecclesiasticis. Vt hæc omnia fusè narrantur in iisdem Actis Vitæ ipsius: extántque ejus de his literæ [h].

PROVIDET DOMINIO TEMPORALI ECCLESIÆ ROM.

[h] *Ep.* 15. 23. 27. 38. 88. 405. *Adde Sigon. lib.* 15.

VI. DE REB. SICULIS QUOMODÒ TRANSEGERIT.

Cùm verò & Constantia Augusta, confestim ut is creatus est Pontifex, frequentibus ad eum legationibus, atque muneribus, agere cœpisset ut investituram sibi filióque suo Rogerio Fridericò impertiret Regni Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, ac Principatûs Capuæ, cum ceteris suis adjacentiis; econtrà ipse attendens privilegium concessionis indultum primò ab Adriano, & renovatum postmodùm à Clemente, super quatuor capitulis, videlicèt Electionibus, Legationibus, Appellationibus, & Conciliis, derogare non solùm Apostolicæ dignitati, verùm etiam Ecclesiasticæ libertati, atque Monarchiam illam infaustam fulcire: numquam potuit adduci, ut id faceret, nisi capitulis illis omninò remotis. Quâ conditione obtinuit Augusta concessionis privilegium innovari, absque illis capitulis, & cum censu, fidelitate & hominio consuetis. Privilegium tamen non pervenisse ad Constantiam, morte præventam, tradunt Acta. Verùm jurata jam antea fuisse ab eâ pacta conventa, cùm ab Innocentio missus esset ad ipsam in Siciliam Legatus Octavianus Episcopus Cardinalis Ostiensis, testantur literæ ipsius Innocentij ad eamdem Constantiam dein scriptæ, extántque aliæ [k] ejusdem de eâdem Octaviani legatione ad omnes Præsules in Siciliâ existentes; quibus innotescit, eumdem Legatum missum esse in Siciliam ad corrigenda cuncta quæ deformata essent: rursúmque ad eamdem Constantiam aliæ [l], de regimine spirituali in pristinum restituendo; imprimis eam admonentes de electionibus Episcoporum ritè celebrandis more majorum, ut tamen consensus ipsorum principum requireretur. Aliæque [m] insuper ad universos Præsules, & minorem etiam clerum Siciliæ, de iisdem pactis conventis, contentis in Capitularibus eâ de re confectis super ecclesiasticâ libertate in pristinum vendicata. Ac denique in eumdem modum ad Præsules & Clerum in Apuliâ constitutum. Idémque postmodùm ad Comitem [n] Fundanum scribens de morte Constantiæ, ait ipsam legitimum condidisse testamentum, quo ipsi Innocentio Friderici parvuli sui filij tutelam, & curam regni concessisset; ac demùm vigesimâ septimâ die mensis Novembris defunctam esse. Quod ipsum patet etiam ex literis [o] ab eodem paulò pòst ad ipsum Fridericum rescriptis, cùm qui ei inhærebant ad Innocentium ejus nomine legatos misissent.

[De quibus etiam vide quæ dicta sunt in Epitome nostrâ Baronij ann. 1097. XXI. XXII. & XXXVIII.

[i] *Epist.* 412.
[k] *Epist.* 415.
[l] *Epist.* 413.
[m] *Ep.* 414.
[n] *Epist.* 353.
[o] *Epist.* 555.

VII. LEGATIO IN GERM. PRO CAPTIVIS SICULIS.

Idem quoque Pontifex ad liberandos infelices captivos, quos secum Imperator Henricus vinctos in Germaniam duxerat, ac præcipuè Archiepiscopum Salernitanum, adjiciens animum; Legatos misit *Episcopum Sutrinum & Abbatem sancti Anastasij*; scribens Episcopis Germaniæ ut detentores eorum monerent; & si necesse foret, compellerent per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, ut illos dimitterent; comminando Principibus universis, nisi ad hoc impenderent operam efficacem, se totam Alemanniam suppositurum interdicto. Ita in Actis, extántque [p] ipsius Innocentij literæ de hâc legatione ad Episcopos Germaniæ. Pergunt verò Acta narrare; quia Cælestinus decessor Innocentij excommunicaverat Philippum Ducem Sueviæ Henrici nuperi Imp. fratrem, dum esset Dux Tusciæ, propter invasionem Apostolici patrimonij; jam Inno-

[p] *Epist.* 24.

centium permisisse prædictis suis Legatis, ipsum absolvere, dummodò Archiepiscopum Salernitanum liberaret. De quibus sunt etiam literæ [q] Innocentij ad Legatos; & alios [r] pro captivis Siculis, imprimis verò pro solutione Reginæ Sibiliæ relictæ Regis Tancredi. Quæ cum filiabus suis carcerem evadens, ad Regem Francorum confugit; ejúsque primogenita nupta est Gualtero Comiti Brennensi. Philippus autem à nonnullis Principibus electus in Regem, à Legatis se fecit absolvi occultè, Archiepiscopum liberum dimittens.

[q] Epist. 25.
[r] Epist. 26.

VIII. SCHISMA IN IMPERIO.

Cùm autem Imperij insignia in potestate haberet, inscio Pontifice inungi se fecit, & coronari, (ut habent Innocentij Acta) non, ut moris erat, Aquisgrani, sed Moguntiæ; nec à Coloniensi Archiepiscopo, sed à Tarentasiensi; quia nullus Archiepiscoporum Germaniæ id facere voluit. Sed nec aliquis Episcoporum, qui fuerunt in illâ coronatione, Pontificalibus indui præsumpsit, præter solum Sutrinum, qui ad aliud fuerat destinatus: unde & posteà Episcopatu privatus est ab Innocentio. Coloniensis autem Archiepiscopus, & quidam alij Principes tam Ecclesiastici quàm sæculares, videntes se in electione Philippi fuisse contemptos; vocaverunt *Othonem* filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, in Galliâ tunc agentem cum avunculo Richardo Rege Angliæ; & nequicquàm obnitente Philippo, apud Coloniam elegerunt in Regem: eúmque Archiepiscopus Coloniensis, coronavit solemniter Aquisgrani; & Pontifex Innocentius (qui Friderici Ænobarbi, à quo fuerat adeò Sedes Apostolica exagitata, stirpem, ex quâ natus Philippus, oderat) confirmavit. Factáque est divisio in Imperio, longo tempore duratura. Hæc ex Actis. Súntque de his speciatim literæ [s] ipsius Innocentij ad Ducem Zaringiæ (qui nomine *Bertholdus*, cùm priùs à Principibus qui posteà Othonem nominârunt, electus fuisset; idem mox, quòd avarissimus esset, acceptâ à Philippo pecuniâ, ei turpiter cessit jure suo; prout narrant Vrspergensis, Coloniensis, & alij:) postmodùm scriptæ, quibus jure ac legitimè id peractum esse demonstrat; & argumenta ac rationes ab adversariis in contrarium prolatas luculenter diluit.

[s] cap. Venerabilem, de elect. in antiq. collect. 3. Decretal. quarum pars relata est etiam in Decretal. Greg. IX. iisdem cap. & tit. Adde etiam Arnold. Abb. Lubec. lib. 6. Chron. Slavon. in pr. & Anton. par. 3. tit. 19. cap. 1.

IX. CAUSA AGITUR PHILIPPI REG. FRANC.

Laborandum quoque hoc anno & sequentibus fuit Innocentio in causâ Philippi Regis Francorum: ob quam misit in Gallias Legatum *Petrum* Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Viâ-latâ; nempè ut persequeretur jam antè cœptum judicium de divortio à Rege facto cum legitimâ conjuge, aliâ super inductâ. De quibus extant plures ejusdem Innocentij literæ [t] tum ad ipsum Regem, tum ad alios diversos datæ. Iidémque consentientia scribunt Acta; & dicunt, quia Rex sæpè commonitus acquiescere noluit, Innocentium per Apostolica scripta præcepisse, ut sublato appellationis obstaculo, Legatus totam ejus terram Ecclesiastico subjiceret interdicto, ita ut nullum in eâ, præter baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium, divinum celebraretur officium. Congregato igitur per Legatum apud *Senonas*, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & aliorum multorum CONCILIO, Rex præsentiens Legatum velle procedere contra ipsum, per nuncios suos fecit ad Sedem Apostolicam appellari. Legatus verò, non ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatenùs mandatum Apostolicum alibi commodiùs adimpleret, tandem apud *Viennam* [u] coacto CONCILIO, interdicti sententiam promulgavit, mandans universis Francorum Prælatis, sub pœnâ suspensionis, & ipsi illud observarent, & ab aliis observari facerent. Illorum verò nonnulli illud firmiter observârunt, alij verò minimè; donec ab Innocentio jussi, omnes humiliter paruerunt: sícque tota terra Regis Francorum arctissimo est interdicto conclusa; ita etiam ut clausis Ecclesiis nusquam in cœmeteriis sepelirentur corpora mortuorum, sed super terram servarentur ubilibet insepulta. Quare Rex in tantam indignationem excanduit, ut Episcopos & Clericos qui servarent interdictum, faceret ab Ecclesiis suis expelli, & bona omnium occupari. Quo tempore, sicut & olim sub Philippo I. simili de causâ, sunt qui [x] observent, tabelliones in actis & instrumentis publicis, non de more apposuisse *regnante Philippo*, sed *regnante* CHRISTO. Quomodò verò nunc ejusdem interdicti pertæsâ plebe clamores edente, cùm nec Rex vel minis, vel precibus, vel promissis posset flectere Pontificem ut illud relaxaret; tandem advenientibus aliis Legatis, Rex ad mandatum eorum receperit Reginam; dicetur post biennium. In quem intereà divinâ agente vindictâ, præsenti anno, menséque Septembri, Richardus Rex Anglorum eum imparatum aggressus, longè iniquiori congressu tantùm non cepit; captis tamen multis è primâ nobilitate Francorum proceribus. Quando & illud mirum accidisse narrat Brito [y], ut cùm Rex se reciperet Gisortium, subsidente ponte fluminis quod ibi præterlabitur ad pondus supergredientium, Rex semper equo insidens, ad ulteriorem ripam salvus delatus fuerit, nemine penitùs merso. Prædictam autem cladem accire potuit restitutio Iudæorum ab eodem Philippo facta mense Iulio; quos initio regni sui, ob crudelissimas ipsorum usuras; & nefarias impietates, tota Franciâ expulerat; quamvis eorum reductionem nonnulli excusent, quòd ditissimum esset hoc genus hominum, & Bellum sacrum aurum efflagitare videretur.

[t] 1. epist. 4. 171. 346. 347. & lib. 2. epist. 186.

[u] Alij habent Divionem; & rectiùs. Vide Rigord. in Vit. Phil. Aug. ann. 1199.

[x] Bellefor. lib. 3. cap. 69. ex Chr. Fux.

Ejus CLADES UNDE.

[y] Guill. Brito. Philipp. lib. 5.

X. INNOC. AGIT IN REGES INCESTUOSOS HISPAN.

Eodem quoque anno audiens Innocentius, Regem Legionensem sibi filiam Regis Portugalliæ consobrinam suam copulâsse; tam ipsum Regem Portugalliæ, quàm incestuosè conjunctos excommunicationis sententiam innodavit, & eorum Regna supposuit interdicto. Vnde quod illegitimè factum fuerat, penitùs est revocatum. Sed Rex Legionensis ad deteriora manum extendens, filiam Regis Castellæ consobrini sui sibi copulare præsumpsit. Quod cùm audîsset Pontifex, misit in Hispaniam Fratrem *Raينerium*, virum scientiâ & religione ubique venerandum: qui cùm suis monitionibus nihil apud Legionensem profecisset, (Castellanus enim obedire promisit, si sibi filia sua redderetur:) eundem legitimè citatum, nec comparentem, excommunicationis sententiâ perculit. Cúmque iidem Reges per Legatos suos Romam missos non voluissent obtinere dispensationem hu-

jusmodi matrimonij, tandem Legionensis rediens ad cor, incestuosam copulam dissolvit, & absolutionem obtinuit. Ista pluribus Acta: quibus consentientes extant literæ Innocentij ad ipsum Raïnerium [z], necnon ad Archiepiscopum Compostellanum [a], & Episcopos sub Regno Legionensi constitutos. Iisdémque literis Raïnerio præcepit, ut Regem quoque Navarræ excommunicatione percelleret, si fœdus iniret cum Saracenis adversus Christianos. Aliísque [b], ut Reges Castellæ & Portugalliæ cogeret conservare ictum inter se fœdus, sub comminatione inferendæ in eos excommunicationis. Ac denique eundem Regem Portugalliæ coëgit [c] ad debitum Apostolicæ Sedi censum persolvendum.

[z] Ep. 93. 94.
[a] 2. epist. 72.
[b] 1. epist. 242.
[c] 1. epist. 451. 45..

XI. ALIA REGNA CURAT.

Hocque item anno, cùm Hungaria bello intestino laboraret, fratre Regis adversus eum insurgente; Innocentius ut his mederetur, Archiepiscopum [d] Strigoniensem paratum ex voto nuncupato Ierosolymam proficisci, retinuit in Ecclesiâ suâ: fratrémque Regis sub comminatione censurarum, & privationis Regni successionis coërcuit [e]. Suerum quoque tyrannum ex Clerico Deo sacrato, qui regno Norvagiæ invaso, illud sibi à Cælestino nupero Pontifice falsatis literis Apostolicis confirmatum mentiens, tam ipsum regnum quàm Ecclesiis in eo constitutas dirissimè affligebat, omni operâ exturbari præcepit, scriptis eâ de re literis [f] ad Reges Daniæ & Sueciæ, & ad omnes Episcopos Norvagiæ. Rogatus ab Angliæ Rege, jus sibi ab eo dici adversus hæredes Henrici Imperatoris & Ducis Austriæ, pro recuperatione pecuniæ persolutæ pro suâ liberatione; acquievit [g] ejus petitioni. Boleslaüm Poloniæ Ducem (sic enim tantummodo, non Regem nominat) specialem S. R. E. filium audiens exagitatum adversariorum insultibus, scriptis ad Archiepiscopum Gnesnensem & omnes Episcopos literis [h], jussit suo nomine Ecclesiasticis censuris adversarios cohibere. Et à Guidone Comite Alverniæ literas [i] accepit; quibus ipse exemplo patris sui, qui præcipuum quoddam sui Comitatûs castrum donaverat Romanæ Ecclesiæ sub Alexandro PP. Tertio, donavit aliud etiam præcipuum castrum eidem Ecclesiæ; petens a Pontifice patrocinium adversus fratrem suum Episcopum Claromontensem, quem dirum pateretur persecutorem.

[d] 1. Epist. 5.
[e] Epist. 10.
[f] Epist. 384. 385.
[g] Epist. 230. 236. 242.
[h] Epist. 43.
[i] Epist. 501.

XII. RESQUE ORIENT.

Nunciis quoque ab Alexio Imperatore Constantinopolitano acceptis, rogatus est Imperium ejus per Legatos suos visitare. Quod ipse præstitit; monens Imperatorem ut succurreret Terræ Sanctæ, & Græcam Ecclesiam reduceret ad unionem & obedientiam Romanæ; alioquin se super hoc executurum officium suum. Scripsítque pariter ad Patriarcham Constantinopolitanum, ut Imperatorem ad id induceret. Extant [k] enim de his aliquot ultro citróque scriptæ literæ inter cusas ejusdem Pontificis: quibus & nonnulla argumenta à Græcis ad declinandam suæ Ecclesiæ subjectionem objecta, eadémque diluta conspiciuntur. Cùm verò & petiisset Imperator, ut ad eam unionem stabiliendam Innocentius Concilium generale indiceret, ad quod se Græcos Antistites missurum promittebat; ídque se facturum Innocentius spopondisset, (quod ex iisdem literis intelligitur:) pœnitens promissi Imperator, consilio cum suis habito, (ut habent Acta Innocentij) ita se missurum significavit, si Concilium in Græciâ celebraretur, ubi Quatuor priora celeberrima habita fuissent.

[k] Ep. 355. & seq. & lib. 2. epist. 196. & seqq.

XIII. LABORAT PRO TERRA SANCTA.

Rogatus verò dehinc Innocentius ab eodem Alexio Imper. ut per excommunicationis sententiam compelleret Regem Ierosolymitanum ipsi restituere insulam Cypri; eam causam Pontifex in aliud opportunius tempus distulit, quo pleniùs de utriusque jure cognoscere posset; ne interim hæc officerent rebus Terræ Sanctæ, quas ipse omni sollicitudine curabat. Misit enim ad diversos Principes, Cardinales, aliósque Legatos ut omnes ad Crucem suscipiendam excitarent: quod & in Galliâ & in Italiâ ingenti animi alacritate præstitum est. Extántque plurimæ de his ab eo scriptæ literæ [m]. Atque etiam constituit, ut universi Clerici majores pariter & minores, de proventibus Ecclesiasticis quadragesimam partem in subsidium Terræ Sanctæ conferrent: Cardinales vero decimam: ipséque frumentum & pecunias misit; quibus in rebus fuit ei multo tempore laborandum.

[m] Epist. 12. 13. 239. 300. 302. 336. 343. 344. 345. 399.

XIV. HÆRETICOS EXAGITAT.

In Galliâ Waldenses, Catharos, Patarenos, aliorúmque nominum hæreticos, sæpè oppressos, rursùm majori audaciâ resurgentes, (qui cùm in provinciâ Tolosanâ diù, ut vidimus coaluissent, inde etiam sese in proxima loca dilataverant) comprimere studens, scripsit [n] adversus eos ad Auxitanum, Aquensem, viciniorúmque locorum Antistites; necnon ad Principes, Barones, omnésque populos in ipsorum diœcesibus constitutos. Quòd autem indictum adversus eos bellum non fuerit tunc executioni mandatum, impedimentio fuit expeditio Ierosolymitana, de quâ diximus. De bello autem posteà.

[n] Epist. 81. 95. Vide sup. ann. 1179. III.

XV. CURAT DISCIPLINAM ECCLES.

De restituendâ quoque Ecclesiasticâ ubique disciplinâ sollicitus, imprimis Patriarcham Ierosolymitanum graviter arguit [o], quòd tam ipse quàm alij Præsules, Clerici & Laïci illarum partium, vitiis suis iram Dei in Terram Sanctam excitâssent. Antiochenum [p] Patriarcham, & Turonensem [q] in Galliâ Archiepiscopum, quòd præsumpsissent, inconsultâ Apostolicâ Sede, translationes Episcoporum agere, suspensionis sententiâ ad officium reduxit. Súntque ejusdem de translatione Episcoporum epistolæ [r] magistrales ad Episcopos Faventinum & Babenbergensem. Rursúmque eundem Patriarcham Antiochenum perstrinxit [s], quòd tributum Clericis sibi subditis indiceret persolvendum. E Galliis usuras, quæ vehementer illic invaluissent, eliminare sategit [t]. Cultum Sanctorum studuit illustrare: intérque alia redarguit [u] Episcopum Wormatiensem, quòd negligeret celebrare diem Conversionis S. Pauli. Sacerdotes bellatores [x] statuit deponendos. Laïcales Investituras [y] omninò prohibuit. Iudices Ecclesiasticos vetuit [z] aliquid accipere à litigantibus. Prohibuit [a] beneficiorum pluralitatem. Vetuit [b] Episcopos peregrinationem ad loca sancta suscipere absque licentiâ Summi Pontificis, cujus esset vota commutare. Animabus infelicium prostitutarum consulens, indul-

[o] Epist. 521.
[p] Epist. 50. 506.
[q] Epist. 518.
[r] Epist. 326. 335.
[s] Epist. 155.
[t] Epist. 401.
[u] Epist. 44.
[x] Epist. 382.
[y] Epist. 64. 65.
[z] Epist. 378.
[a] Epist. 191.
[b] Epist. 69.

[c] Epist. 113. [d] Epist. 235. [e] Epist. 310.

gentiam [c] impertitus est iis qui aliquam ex iis duceret uxorem. Falsarios [d] Litterarum Apostolicarum coërcuit; occasione impostorum, de quibus dictum est anno superiori. Clericorum quoque percussores [e] à nemine absolvi voluit, nisi ab ipso Summo Pontifice; ne hoc quidem indulgere volens Cruce signatis.

XVI.

[f] Epist. 320. [g] Epist. 421. [h] Epist. 414. [i] Epist. 63.

Idémque remotissimarum etiam Ecclesiarum curam gerens, inter alias Islandiam studuit ad pristinam vivendi formam ex sacro Evangelio præscriptam revocare; scriptâ ad eos egregiâ epistolâ [f], quæ his præsertim temporibus, quibus erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa, iisdem possit esse proficua. Et in Vtlandiâ [g] corrigere sategit disciplinam à pravis moribus qui in eam irrepserant. Daniæ quoque Ecclesiæ consultum voluit [h], ut donationes more prisco fieri solitæ ratæ haberentur. Hibernósque [i] de ritibus Ecclesiasticis informavit.

XVII. Et Monasticam. [k] Epist. 387. Hospit. S. Spir. [l] Epist. 95. 97.

De Monasticâ quoque disciplinâ sollicitus, gravissimas ad Casinenses literas [k] dedit, redarguens eos quòd socordes in eâ custodienda inventi essent. Ordinem regularem Hospitalariorum S. Spiritûs, nuper auctore *Guidone* Comite cœptum erigi apud Montempessulanum in Galliâ, confirmavit [l], & privilegiis auxit: qui & mirificè propagatus est. Et (ut habetur in ejus Actis) propriis sumptibus ad opus infirmorum & pauperum Romæ *Hospitale S. Spiritus* apud S. Mariam in Saxiâ fecit: quod & multis ædificiis, possessionibus, redditibus, thesauris, ornamentis, libris, & privilegiis ditavit & dotavit. Idque tam pro suâ & prædecessorum ac successorum, quàm etiam omnium Cardinalium salute; ut ait constitutione [m], posteà septimo Pontificatûs sui anno editâ de munere Fratrum Ordinis, déque unione illius cum prædicto Magalonensi, sive Montispessulani: quam ita fecit, ut tamen Romanum istud ei subjacere deberet uti capiti, quamvis multo pòst tempore mutatis vicibus fuerit Romanum à Sixto [n] IV. in caput ceterorum omnium locorum S. Spiritûs erectum. Cùm etiam tredecim annis post primam illam factam ab Innocentio unionem, nempè anno Christi millesimo ducentesimo decimoseptimo, Honorius Tertius successor Innocentij Pontificatûs anno primo, animadvertens eam Hospitali Romano perniciosam esse ac damnosam (ut inquit constitutione [o] super eo factâ) ipsam dissolvisset, statuens ut nec Romanum Montispessulano, nec illud Romano in aliquo tenerent, nec illis aliquid esset commune. Sed hæc, ut diximus, post Innocentium.

[m] Ext. Bull. tom. I. Innoc. const. 7.

[n] Ibid. Sixt. const. 11.

[o] Regest. Honor. M. S.

XVIII. [p] Innoc. 1. epist. 475. [q] Infr. ann. 1209. X. [r] Epist. 171. & seqq.

[s] Epist. 196.

Hoc porrò eodem anno idem [p] Regulam Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum approbavit; de quo dicetur posteà [q] pleniùs; sicuti & de aliis item ab ipso diversis temporibus confirmatis. Nunc verò Monasteriis [r] quoque sancti Germani Pariensis, & S. Dionysij, privilegia confirmavit. Et quod ad hæc de privilegiis spectat, illud accidit memoriâ dignum; quòd extensis manibus petentibus aliis undique Religiosis ab eodem Pontifice privilegia, soli Præmonstratenses non augeri privilegiis honorum ambierunt [s]; petentes confirmari ab Apostolica Sede decretum ab ipsis factum de non utendo mitra vel chirothecis in officio divino; ne hujusmodi Pontificalibus utendo, supercilium elationis assumerent. Quod ut idem Pontifex confirmavit, ita etiam nova iisdem de Catholicâ Ecclesiâ benè meritis, & summo decore perfectæ observantiæ vitæ religiosæ florentibus, alia adauxit [t] privilegia. Coluit enim eos plurimùm: Sicut & Cistercienses, quorum preces ad subeunda onera pastoralia sæpè literis [u] admodùm officiosis postulavit; eorúmque maximè operâ, ut videbimus, ad conversionem hæreticorum Albigensium usus est. Qui & toto Pontificatu (ut habetur in ejus Actis, & pluribus exemplis videbitur inferiùs.) Visitatores prudentes per Provincias delegare consuevit; per quos faciebat diligenter inquiri de statu & conversatione non solùm Ecclesiarum, sed etiam Prælatorum; & quos inveniebat culpabiles, à suis Prælaturis protinùs removebat, nolens crimina relinquere impunita.

[t] Epist. 326. [u] Epist. 175. 359.

XIX. Pauperibus abunde subvenit.

Quæ verò, qui aliis ita prospiciebat, sibi ipse ab exordio eodem Pontificatûs pia opera præscripserit, eadem Acta ejus Vitæ narrant: nempè, ad eleemosynas deputâsse universos proventus ad se pertinentes de oblationibus basilicæ S. Petri: ac præterea de cunctis proventibus suis integram decimam in opus eleemosynæ separâsse, ac de residuo, licèt occultas, sæpissimè tamen largas eleemosynas impendere consuevisse: universásque oblationes, quæ secundùm antiquam consuetudinem ad pedes ipsius proveniebant, eleemosynario destinâsse erogandas. Faciebat igitur (inquiunt Acta) famelicos refici, nudos vestiri, virgines pauperculas maritari, pueros expositos enutriri: subveniebat frequenter Monachis & Monialibus indigentibus, reclusis, & eremitis: domósque religiosas visitabat multotiens, & à debitis liberabat. Circuibat & investigabat diligenter eleemosynarius ejus pauperes, ac debiles, maximè nobiles; dabátque illis sigilla, ut per eos qui ipsa referrent singulis hebdomadibus pecuniam destinaret ad victum: exceptis illis qui quotidie recipiebant aut cibos, aut nummos, aut vestes. Permittebátque etiam pauperculos pueros ante mensam suam post finem refectionis venire, & de iis quæ coram eo remanserant victualia exhiberi. Ac denique sabbatis faciebat mandatum, lavans, ac tergens, & osculans pedes duodecim pauperum, & singulis duodecim nummos impendens, faciénsque refectionem omnibus impendi. Hæc ibi. Vbi etiam narrantur quamplurima omnis generis donaria sacra, vasa & ornamenta pretiosa, argentea, aurea, gemmeáque singulis urbis Ecclesiis, aliísque per diversas provincias, necnon & Monasteriis ac Prælatis collata: præter ingentem vim auri, quam in subsidium Terræ sanctæ erogavit. Qui ut & liberiùs posset ceterorum superflua corripere, dicitur vasa aurea & argentea mensarum in lignea & vitrea commutâsse: cùm alioqui quæ ad cultum divinum spectarent, cuncta sacelli sui vasa confecta haberet ex auro purissimo, ornamenta verò auro & gemmis pretiosissimis distincta. Sed ad alia.

XX. Fulconis Nul-

Prodeunt omnes horum temporum historici, Rigordus, Vrspergensis, Rogerus, Otto de S. Blasio, Villahaiduinus, Robertus Altissio-

LIACENSIS EGREGIA OPERA.

dorensis, Guntherus, & alij, hoc eodem tempore mira quædam de *Fulcone* Nulliacensi parocho diœcesis Parisiensis: cui dederit Deus potestatem morbos quoscumque sanandi, ac dæmones effugandi, aliáque admiranda peragendi: eundémque acceptâ à Summo Pontifice & Episcopis verbum Dei prædicandi facultate, meretrices, & usurarios, aliósque facinorosos ad meliorem frugem reduxisse: vitia quoque Regum Francorum & Angliæ intrepidè insectantem, prædixisse illis, unum ipsorum malâ morte brevî periturum, nisi ab hostilitate cessarent; (cujus vaticinij veritatem exitus anno sequenti in Anglo probavit.) Denique ad ejus prædicationem propè infinitos ad Terræ Sanctæ subsidium Crucem assumpsisse; non solùm in Galliis, sed etiam auditâ famâ in aliis gentibus. In quibus & alij eodem prædicationis munere egregiè functi sunt: atque imprimis *Martinus* quidam Abbas Ordinis Cisterciensis in Germaniâ; de quo idem [x] multa & præclara.

[x] Otto de S. Blas. Gunther. in Hist. Constantinop. quæ est tom. V. Antiq. Lect. Canis.

XXI.

Hoc verò eodem anno idem Robertus Monachus cœnobij S. Mariani apud Altissiodorum Ordinis Præmonstratensis, accuratissimus horum temporum chronographus, post prædicta de Fulcone narrata subdit; ab hæresi POPULICANA, omnium (ut ait) feculentissimâ, quæ virulentas radices suas latè quidem, sed latenter hoc tempore per diversa Galliarum loca propagârat, multos ad fidem conversos esse, eorúmque confessione plures ex eâdem hæresi esse detectos: intérque eos hæresiarcham TERRICUM, magnum diaboli laqueum, qui in specu subterraneo diù latuerat, plurésque subverterat, tunc productum è latebris, & convictum, incensum esse. Apud Nivernas quoque Abbatem S. Martini, & Decanum majoris Ecclesiæ, de hoc pestilentissimo errore notatos, Episcoporum *Concilio* SENONIS habito (illo ipso videlicèt, quod diximus [y] celebratum in causâ Philippi Regis sub Petro Cardinale) Abbatem depositum esse, Decanum suspensum, & utrumque ad Sedem Apostolicam remissum: & alibi alios ab Ecclesiâ præcisos, & publicæ potestati expositos. Mentionem verò eorundem hæreticorum reperimus etiam in Magno Chronico Belgico, (cujus auctor sive collector Canonicus quidam regularis Nussiensis) ex antiquiori Chronico Alberici Monachi Trium fontium: qui tamen *Popelitanos* vocat; & nonnullos eorum his iisdem temporibus Trecis igni traditos scribit: atque inter illos, duas turpissimas vetulas, quarum unam vocabant S. Ecclesiam, alteram sanctam Mariam; ut sic Iudices aliósque deluderent, sophisticè dicentes, se credere quicquid crederet S. Ecclesia & S. Maria. Nec alibi quicquam de his legimus; præter illa quæ de *Publicanorum* (quos eosdem esse cum his Populicanis non dubitamus) condemnatione in Concilio Generali sub Alexandro III. aliàs generatim vidimus [z]. Nec isti auctores quænam essent eorum hæreses meminerunt. Ex iis verò quæ de Actis prædicti Concilij Senonensis haberi potuerunt, & ex literis Innocentij ad Odonem Episcopum Parisiensem datis Laterani 13. Cal. Iul. anno Pontificatûs secundo, intelligitur, Abbatem illum S. Martini, nomine Raynaldum, inter alios errores asseruisse Corpus Christi mitti in secessum, & (quæ fuit olim Origenis opinatio) omnes tandem fore salvandos quem Innocentius carceribus Monasterij recludendum injunxit. Scribénsque insuper ad ceteros Galliarum Antistites ac Principes adversùs quoscumque hæreticos ibi errores suos disseminantes, misit etiam Fratres Rainerium & Guidonem cum facultate Legationis Apostolicæ qui eosdem prædicationibus, censuris, aliísque omnibus modis reducere conarentur.

HÆRESIS POPULICANA.

CONCIL. SENON. CONTRA ILLAM.

[y] Supr. num. IX.

[z] Epit. Baron. ann. 1179. III.

XXII. DE WALDENSIBUS HÆRETICIS.

In iis autem cùm nominentur speciatim *Vualdenses, Cathari, & Paterini*, quos item eodem Concilio Generali prædamnatos vidimus; quòd tamen nonnisi generatim de iis actum, absque peculiari nominum eorum atque hæresum expositione; videntur etiam aliqua de iis pro instituto dicenda. Dicti sunt igitur WALDENSES à quodam *Petro Vualdo* homine Lugdunensi in Galliâ; qui circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum, prædives existens paupertatem Evangelicam & Apostolicam imitari velle præsetulit, sectatores sibi alliciens ejusdem instituti; qui & ideò dicti sunt *Pauperes de Lugduno*, quoniam neque fundos sui juris, neque certas sedes habere voluerunt, speciem monachismi præseferentes; qui jam olim à Lucio Papâ III. damnati, cùm ab Innocentio approbari petiissent, æquè repulsam passi sunt: quinimmò & comprimi jussi, cùm diversas provincias peragrando circumeuntes, mulieres etiam circumducerent, à quibus nec secubare dicebantur. Fuêréque iidem & *Leonistæ* dicti ab eâdem urbe, quæ à Gallis *Lion*, ab aliis plerisque populis *Leon* nuncupatur. Nec his solùm nominibus, verùm etiam quamplurimis aliis indigitari mox cœperunt, sive à locis incolatûs, sive à dogmatibus propriis, sive à ducibus sectarum, sive aliunde: quorum plerorumque meminit Fridericus II. Imperat. in suis constitutionibus [a] contra eos editis; & dicetur de aliquibus eorum inferiùs suis locis.

[a] Ap. Petr. de Vin. 1. ep. 17. Authent. de stat. & consuet. cont. libert. Eccl.

XXIII. DIVISI INTER SE.

Quamvis autem initio eodem ferè errores communes haberent; tamen sicut nominibus, ita & opinionibus mox inter se discrepare cœperunt: ut in suo contra eos tractatu ostendit *Rainerius* patriâ Placentinus, qui ex illorum Episcopo ad fidem Catholicam conversus, Ordinem Prædicatorum ingressus est, ac hæreticorum censor factus; alius tamen (ut videtur) à suprà dicto Rainerio, quem vidimus ab Innocentio Pontifice adversus eosdem hæreticos missum: quippè quòd hunc Placentinum adhuc superstitem fuisse sub Alexandro Quarto; constet ex decretis [b] ad eum in Lombardiam directis anno ipsius Alexandri Pontificatûs primo, qui fuit Christi millesimus ducentesimus quinquagesimus quintus; nisi dixerimus eum ad decrepitam ætatem, eámque nihilominùs vegetam pervenisse; cùm alioqui concordent ambo in nomine, natione, ordine, & officio. Edidit autem ejus lucubrationes Gretserus, unà cum nonnullis aliis Scriptoribus antiquis qui Waldensium errores exposuerunt, & confutârunt: præter prolixius opus ejusdem argumenti publicatum à Marianâ, *Lucæ*, Tudensis in Hispaniâ primùm Diaconi, pòst Episcopi; qui sub Gregorio Nono Romam, Constantinopolim, Ierosolymam

[b] Ext. Post Director. Eymer.

rosolymam, & varias Occidentis & Orientis provincias religionis eruditionísque ergò lustrasse reperitur. In quorum auctorum prolegomenis plura reperientur de origine, propagatione, multiplicatione, propugnatoribus, & oppugnatoribus pestilentis hujus sectæ.

XXIV. Fuere iidem cum Albigensibus.

Quod verò dogmata attinet; fuerunt penè eadem quæ Albigensium: ut fuerint iidem ab invicem nominibus magis quàm re distincti. De Albigensibus autem dictum est aliàs: quos sic fuisse nuncupatos ab Albigâ sive Albiâ civitate Aquitaniæ, quam incolebant, credibilius est, quàm, quod nonnulli autumant, quoniam ibi primùm damnati fuerint Waldenses Concilio contra eos habito, cujus etiam aliàs [c] meminimus: cùm certum sit non eos ibi primùm, sed multis antè annis damnatos fuisse in Concilio Turonensi ab Alexandro PP. III. anno 1163. Vt autem erat Waldensium secta nihil aliud quàm priscarum variarum sectarum fœdissima colluvies, ac præcipuè Manichææ & Arianæ; ita etiam ejus sectatores aliquando *Manichæorum & Arianorum* nominibus apud auctores insignitos reperias. Facit autem Rainerius eorumdem errorum classem triplicem; primam blasphemiarum, quas in Romanam Ecclesiam, & statuta ipsius, atque in Pontificem, Episcopos, omnémque Clerum evomebant: secundam errorum multiplicium circa sacramenta Ecclesiæ, & Sanctos: tertiam detestationum, quibus omnes approbatas consuetudines Ecclesiæ abjiciebant.

[c] *Epit. Baron. ann. 1176. III.*

XXV. Eorum dogmata.

Romanam enim Ecclesiam non Christi, sed malignantium esse; defecisséque sub Silvestro, quando venenum temporalium infusum est in eam: Esséque meretricem Apocalypsis, propter superfluum ornatum: Statuta ejus gravia esse & nimia: Papam caput omnium errorum: Prælatos, Scribas; Religiosos, Pharisæos: Neminem majorem altero in Ecclesiâ; ac propterea soli Deo obediendum: Non esse dandas Ecclesiasticis decimas, nec bona temporalia; nec dotandas Ecclesias, aut immunitatibus ornandas: Clerum debere manibus operari, sicut Apostoli fecerunt: Populos non esse in partes aut parochias dividendos: & alia ejusmodi. Sacramenta Ecclesiæ nihil esse, nec ritè conferri: Baptismi ablutionem nihil prodesse: exorcismos & benedictiones quæ in eo fiunt, ludos esse: Confirmationem rejiciendam: Eucharistiam non confici à Sacerdotibus qui sunt in peccato mortali: nec fieri transubstantiationem in manu indignè conficientis, sed in ore dignè sumentis; posséque confici in mensâ communi; & debere vulgari idiomate peragi: Missam nihil esse, quoniam Apostoli non habebant; fieríque propter solum quæstum: Cantum Ecclesiæ esse cantum infernalem, &c. Pœnitentem non posse absolvi à malo Sacerdote; bonúmque laïcum potestatem habere absolvendi, &c. Mortaliter peccare conjuges, si absque spe prolis conveniant: Gradus affinitatis & consanguinitatis carnalis & spiritualis, non esse servandos: Clericis non debere prohiberi conjugia: Continentes non peccare per oscula & amplexus, &c. Sacramentum Vnctionis reprobari, propter plures Sacerdotes ibi necessarios: Sacramentum Ordinis nihil esse: Omnem bonum laïcum Sacerdotem esse: & tam mares quàm feminas prædicare posse: Orationem mali Sacerdotis nihil proficere; & Latinam laïcis non prodesse: Quicquid extra textum Bibliæ prædicatur, fabulas esse: dicta & expositiones Sanctorum, & decreta Ecclesiæ nequaquàm attendenda: Excommunicationem non esse curandam: Indulgentias, dispensationes, nihil virium habere: Nullum Sanctum esse, nisi Apostolos; nullúmque invocandum, nisi solum Deum: Miracula & legendas Sanctorum suppositisia esse, ac Reliquias minimè venerandas: Signum sanctæ Crucis abominandum esse, propter supplicium Christi: Traditiones Ecclesiæ, traditiones esse Pharisæorum: omnésque ejus consuetudines, ritus, festa, jejunia, consecrationes, benedictiones, &c. rejiciendas: Deum non habitare in Ecclesiis; ideò nec dedicandas, nec ornandas: Ornamenta & vestimenta Sacerdotalia, thurificationes, Imagines, lumina, processiones, Aquam benedictam, Ecclesiæ cantum, &c. deridenda esse, ac rejicienda: Ecclesiasticam sepulturam, exequias & suffragia defunctorum, nihil prodesse animabus, sed omnia fieri propter quæstum: non enim esse purgatorium: Omne peccatum esse mortale: Vnum Pater noster plus valere quàm Missam: Numquam esse jurandum; & qui cogit jurare vel in judicio vel quâlibet aliâ occasione, plus esse quàm homicidam; atque etiam Sacerdotes, cùm cogunt abjurare peccata: Omnes Principes & Iudices damnari, qui damnant maleficos; quoniam vindicta scelerum soli Deo sit reservanda, & plura alia ejusmodi, quæ plerisque Waldensium communia fuisse Rainerius dicit.

XXVI. Variæ eorum sectæ.

Veniens verò postmodùm ad nonnullas eorum sectas, *Runcariorum*, *Siscidensium*, *Ortlibensium*, *Ordibariorum*, (vel à locis, vel à personis, aut aliunde sic dictorum) & in quibus à ceteris Waldensibus, & ipsæ ab invicem differant; horrendum est quæ blasphema in Sanctissimam Trinitatem, singulásque ejus personas; in Christi humanitatem, nativitatem, vitam, passionem; necnon de mundi æternitate, corporum resurrectione, Iudicio extremo, aliisque fidei articulis, déque Sacramentis Ecclesiæ comminiscebantur: quæ & alij itidem auctores antiqui enumerant; ac speciatim *Petrus* monachus *Valissarnensis* Ordinis Cisterciensis in Historiâ Albigensium, quam eo tempore conscripsit: atque insigniter Innocentius [d] ipse Pontifex epistolâ posteà scriptâ Archiepiscopo Tarraconensi de confessione fidei quorumdam Waldensium ad fidem reversorum: aliáque [e] ad omnes ubique Archiepiscopos & Episcopos, de confirmatione propositi Bernardi primi Magistri eorumdem Waldensium conversorum, de quo dicetur posteà [f]: necnon & recentiores [g], qui singulis patent.

[d] *Innoc. ep. 78. ann. 13. edit. Tolos.*
[e] *Ibid. ep. 94.*
[f] *Infr. ann. 1210. VII.*
[g] *Eymer. Direct. par. 2. qu. 14. & ibi Pegna. Guid. Carmel. Luzemburg. Prateol. Sand. & alij qui de hæres. tractârunt. Bellefor. Hist. Franc. lib. 3. cap. 75.*

XXVII. Cathari qui?

Catharos (non illos antiquos Novatianos, de quibus alibi [h]; sed Waldensium germen) eosdem esse cum Gazaris, qui etiam inter damnatos ab Innocentio & Friderico horum temporum hæreticos nominati reperiuntur, plerique volunt: & quidam [i] inflexione vocum, ut sit utraque Germanica. Alij tamen Gazaros à gente Illyricâ ejus no-

[h] *In Epit. Baron. in Indic.*
[i] *Gretsf. in Prolegom. ad Rainerium cap. 2.*

minis, sicuti & *Patarenos* à Patarâ urbe Dalmatiæ, denominatos volunt. Sed quidni dixerimus, sese *Catharos* vocâsse, eò quòd cùm renovarent hæreses Manichæorum, etiam nuncupationem *Catharistarum* antiquis Manichæis placitam sibi indiderint? Hos autem sive Gazaros, sive Catharos, in tres sectas divisos fuisse, idem Rainerius tradit; *Albanensium, Concorrezensium*, & *Bagnolensium*, à locis Lombardiæ sic dictas; quarum tamen sectatores dispersi essent per universam ferè Europam. Vbicumque autem locorum essent, habuisse opiniones communes in quibus concordarent, & proprias in quibus discordarent. Concordâsse, quòd diabolus fecerit mundum, & omnia quæ in eo sunt: quòd Sacramenta nihil prosint ad salutem, sed sint deceptoria & diabolica, quòd non puniatur qui graviùs in futuro propter adulterium & incestum, quàm propter legitimum conjugium; quòd non sit credenda carnis resurrectio, nec Purgatorium; quòd potestates sæculares peccent mortaliter puniendo malefactores & hæreticos; quòd graviter peccaret qui occideret aliquod animal, aut carnes manducaret; & alia ejusmodi, quæ communia inter se & cum plerisque Manichæis, aut aliis antiquis hæreticis habuerunt. Discrepâsse autem in plurimis ab invicem, quæ singillatim, eadémque putidissima enumerat: Atque Albanenses, inter se subdivisos, errâsse in pluribus quàm ceteros Catharos, cùm tenaciùs deliriis & impuritatibus Manichæorum inhærerent. Habuisse omnes quatuor Sacramenta (ut vocabant) communia; videlicèt Manûs impositionem, Panis benedictionem, Pœnitentiam, & Ordinem; quæ inaniter & sacrilegè exercebant. Ordines fuisse quatuor, Episcoporum, Filiorum majorum, Filiorum minorum, & Diaconorum; & qui sine ordine essent, vocitari Christianos & Christianas. Refellit autem Catharorum errores idem Rainerius: quod & pridem fecerat Eckbertus presbyter Ecclesiæ Coloniensis in Germaniâ tredecim sermonibus contra decem præcipuas Catharorum hæreses exaratis, quibus & ait, solitos eos vocari in Germaniâ *Catharos*, in Flandriâ *Piphles*, in Galliâ *Tisserants* ab usu texendi.

EORUM SUBDIVISIONES.

XXVIII. DE PATARENIS.

Restant PATARENI, sive *Paterini*, vel etiam *Patrini* ab aliquibus nuncupati: qui sive ab urbe Patarâ, ut quibusdam visum diximus, nomen eis inditum fuerit; seu potiùs, ut est in constitutione Friderici Imperatoris, à patiendo ipsi sibi illud indiderint, quòd jactarent se ad exemplum martyrum qui pro fide Catholicâ patiebantur, exponi passioni: factio quoque fuit Waldensium, licet non in omnibus iis concors. De quorum item erroribus agens Rainerius, ait asseruisse, Luciferum omnia visibilia creâsse; Deum hujus sæculi excæcasse mentes infidelium; Matrimonium esse adulterium; Deum malum apparuisse Moysi in igne; Mortuis suffragia non prodesse, cùm nullum sit Purgatorium; Omnia peccata esse mortalia, & æqualiter puniri in inferno: Inferiores partes corporis factas esse à diabolo, ac propterea flagitiosè iis utendum: In Lombardiâ vocari solere *Consolatos*, in Germaniâ *Bonos homines*. Eos autem in Concilio Vniversali Lateranensi sub Alexandro III. jam vidimus [k] damnatos fuisse unà cum Catharis & Publicanis, aliisque ejusmodi monstrosis sectis. Cùm verò tales doctrinâ fuerint, nihilominùs ut faciliùs incautos seducerent, ait Rainerius, eos in moribus compositos & modestos fuisse, semper operantes, ac viventes de labore manuum suarum, necessariis contentos, castos plerosque, temperatos in cibo & potu, fugientes scurrilitates, choreas, mendacia, & alia ejusmodi vitia. De quibus modò hactenùs.

[k] In Epit. Baron. an. 1179. III.

XXIX. MIRACULA IN EUCHARIST.

Constat porrò facta fuisse hoc ipso tempore variis locis divinitùs miracula, quibus tam hi quos Innocentius perquiri mandavit, quàm ceteri quilibet hæretici confunderentur. Putà (quod hoc ipso anno contigisse narrat Rigordus in Vitâ Philippi Regis ad filios ejus scriptâ, & ex eo alij) cùm in Galliâ infinitis novitatibus apparentibus, inter ceteras apud Roseum in Briâ in sacrificio altaris vinum visibiliter mutatum est in sanguinem, & panis in carnem: Et in territorio Viromanduo seu Vermendesio miles quidam è mortuo redivivus multa futura prædixit, & posteà sine cibo & potu multo tempore vixit. Cui de Eucharistiâ miraculo simile, quod in Fragmento Historico præfixo Alberti Argentinensis Chronico, legimus accidisse anno sequenti de sacrâ particulâ, quam mulier quædam apud Augustam Rhetiæ, dum communicare deberet, ore reservatam, cerâ circumdedit ad quoddam machinamentum; quæ posteà in veram carnem mutata reperta est, & multis miraculis claruit. Cujus etiam miraculi meminit Henricus Stero monachus Altahæ inferioris in suis [l] Annalibus, quos scripsit ab initio Imperij Friderici I. usque ad Rudolphum Habspurgium. De similibus verò aliisque, dicetur posteà suis locis.

[l] Ext. To. 1. Antiq. Lect. Canis.

XXX. IO. CAMATERUS PATRIARCHA CONST.

Quod attinet res Ecclesiæ Græcorum; hoc eodem anno die septimâ mensis Augusti factus est Constantinopoli Patriarcha ex diacono & Chartulario *Ioannes Camaterus*, post Georgium Xiphilinum: ut colligitur ex serie Episcoporum Constantinopolitanorum in Codice juris [m] Orientalis: ubi dicitur Georgius sedisse annos sex, menses decem; & post duos menses suffectus Ioannes, qui præfuerit ad captam usque urbem à Francis & Venetis, annis quinque, mensibus octo, diebus septem, captam autem esse urbem Indictione septimâ, die decimatertia Aprilis. Reperitúrque eodem Codice, ejusdem Ioannis Constitutio data mense Februario Indictionis secundæ, nempè anno sequenti. Meminit insuper ejusdem post Xiphilinum electionis Nicetas [n]: sed graviter eum incusans, quòd pravam quamdam opinionem, quæ sub Xiphilino pullulârat auctore perfido quodam monacho Sicidite, de corruptibilitate corporis Christi in sacrâ Eucharistiâ, déque ejusdem dividuitate in ejus perceptione; non protinùs cum auctore radicitùs extirpaverit atque damnaverit, imposito omnibus de illâ silentio; sed magis disserendi arte & demonstrationibus in rebus ingenij humani captum excedentibus uti voluerit.

[m] Ius Orient. lib. 4.

[n] Nicep. lib. 3. de reb. gest. Alex. Ang.

Iesu Christi Anno 1199.

Innoc. III. Ann. 2.

Alexii Ang. Ann. 5.

I. Innocentius agit pro subsidio Terræ Sanctæ

Anno Christi millesimo centesimo nonagesimo nono, indictione secundâ, Innocentius Papa de rebus Terræ Sanctæ propè deploratis sollicitus, imprimis pacem inter Reges Francorum & Angliæ constituere procuravit, misso ad hoc Legato *Petro* Capuense tituli S. Mariæ in Viâ-lata Diacono Cardinale. Ac scriptis tam ad eosdem Reges, quàm ceteros ubique Principes, Antistitésque, commonitoriis literis [a] pro Cruce sumenda, & pecuniis mittendis in subsidium Christianorum in Syria laborantiũ; destinavit insuper Venetias *Goffredum* (ut nonnulli vocant, qui potiùs *Soffredus* dicendus) tituli S. Praxedis presbyterum Cardinalem, qui hoc negotium ibi promoveret, & exercitum unà cum eodem Petro comitaretur: proposita omnibus qui Crucem susciperent Indulgentia peccatorum, & Sedis Apostolicæ protectione pro omnibus terris, bonis, causisque ipsorum. Ceterum Petrus cùm inter Reges plenam pacem non potuisset, quinquennales inducias firmavit: sicut hæc narrant in Actis Innocentij; & confirmantur ab historicis ejusdem temporis.

[a] *Ext. lib. 2 epist. Innoc. III. & in Act. Vit. necnon ap. Roger. & alios.*

II. Mors Richardi Regis Angliæ.

At verò *Richardus* Rex Angliæ, cùm audîsset quendam thesaurum in castro Chaluz Lemovicensi repertum fuisse sive (ut alij habent) quòd ingentem vim auri ibi reconditam fama ferret; eò properans ut illam sibi haberet, quòd essent Lemovices ipsius beneficiarij, & Aquitanis contribuerentur; negante accessum domino castri, dum illud obsidione tentat, è muro ictus spiculo è ballista misso, vulnere neglecto uti leviori, paucis pòst diebus obiit octavo Idus Aprilis, ut Rogerus & Parisius habent, sive sexto ut Rigordus. Cujus corpus, uti jusserat, ad cœnobium monialium Fontis-Ebraldi ad pedes patris sui de quo se pessimè meritum fuisse palàm fassus est, ad sepulturam delatum fuit: cor Rotomagum, quòd eam civitatem, ut semper sibi fidam, miro amore complexus esset: visceribus ac vilioribus intestinis in Pictonum terra, ut suo Principi ingrata, relictis. Observat verò Gotefridus monachus S. Pantaleonis apud Coloniam hujus temporis scriptor, in suis Annalibus; eodem ipso momento quo Richardus obiit, Episcopum quemdam qui ab eo sede sua injustè pulsus Romam venerat, cùm adstaret altari, vidisse ipsummet telum quo Richardus ictus fuerat, secus altaris crepidinem lapsum, habens chartam innexam in qua scriptum erat, ***Telum Limogiæ occidit leonem Angliæ.*** Ipsum tamen Richardum post triginta tres annos pœnarum Purgatorij, in cœlum receptum esse, ex quadam revelatione facta Episcopo Roffensi, apud Parisium [b] legitur.

[b] *Paris. in Henr. III. an. 1232.*

III. Ioannes sine terra Rex Angliæ.

Successorem porrò sibi reliquit in regno *Ioannem* fratrem suum Comitem Moretonij, quamvis olim regni perturbatorem [c]: eumdémque *Sine terrâ* à patre (ut ferunt [d]) olim nuncupatum, quòd fratribus ejus ad amplissimos honores sublimatis, ipse nihil haberet: quamquam posteà non pauca ei collata fuerunt. Nec tamen is absque contentione regnum suscepit; quoniam Arthurus Dux Minoris Britanniæ se potiorem hæredem contendebat, ac jure superiorem, quòd ex Gothofredo, sive Gaufredo fratre majore Ioannis natus esset; cui etiam propterea Richardum regnum attribuisse, Angli quidam [e] asserunt: sicuti & posteà eadem ratione in Richardo II. observatum videbimus. [f] Favítque Arthuro Philippus Rex Francorum, ut & beneficiarium provinciarum quas Angli in Gallia possidebant apud se habuit; Ioannem aversatus, quod possessionem earumdem provinciarum, nulla à se, ut supremo illarum domino, facultate petita usurpasset: unde & bellum inter eos ortum est, de quo inferiùs.

[c] *Vid. in Epit. Baron. ann. 1191. VIII.*
[d] *Thomas Vualsingh. in Hypodig. Neustr.*
[e] *Harpsfeld. Histor. Eccl. Anglic. sæc. 14. cap. 6.*
[f] *Infra. ann. 1377. XII.*

IV. Interdictum in Gallia.

Eodem verò tempore prædictus Petrus Legatus, tam ditionem Regis Francorum, ob captum detentúmque quarumdam simultatum occasione electum Cameracensem; quàm Normanniam, ob Bellovacensem Episcopum, de quo superiùs [g], hactenùs in custodia ab Anglo habitum; interdicto subjecit, donec uterque liber dimissus est; solutis tamen à Bellovacense bis mille marcis argenti pro expẽsis à tempore quo captus in bello fuerat. Narrant hæc Rogerius, Parisius, Rigordus, & alij.

[g] *Supr. 1196. I. in Epit. Baron.*

V. Alexius Imper. gravia pericula evadit.

Constantinopoli intereà quibusdam Imperij perduellibus quà necatis, quà fugatis, Alexius Imp. duo alia ingentia evasit pericula; alterum à maris tempestate, dum recreationis causâ conscensâ navi, unà cum omni ferè sua cognatione utriusque sexûs, subito turbine agitatus vix terram attigit: alterum paulò pòst ab hiatu terræ cùm Blachernas ire constituens, in ipso procinctu solum ante cubile Imperatorium ultrò profundè dehiscens multos ea voragine implicuit, ipso Imperatore mirabiliter evadente. Quæ Nicetas [h] narrans, hoc postremum divinitùs accidisse innuit, quòd cùm eorum temporum Imperatores Constantinopolitani nec minimam locorum mutationem astris inconsultis instituere consuevissent tempúsque commodum aliquot jam diebus Alexis præstolatus fuisset, is dies (qui erat sextus Iejunij Quadragesimæ) tamquam non incommodatus itineri destinatus fuisset.

[h] *Nicet. lib. 3. de gest. Alex. Comn.*

VI. Innoc. cum Imp. et Patriar. agit de auctoritate sua.

Extant verò ad eumdem Imp. Alexium datæ hoc anno Innocentij Papæ literæ [i], quibus diluens infirmas quasdam excusationes ejus de dilatione subsidij Terræ sanctæ, eum vehementiùs ad illud hortatus est significans etiam se decrevisse Synodum congregare pro unione Ecclesiæ, ad quam & Patriarcham Constantinopolitanum venire jubeat, nî vellent cùm ipsis severiùs agi. Paritérque ad ipsum Patriarcham Ioannem Camaterum de primatu Romanæ Ecclesiæ rescribens [k], dubitationes ejus dissolvit, quibus mirari se scripserat quomodò ipse Innocentius literis ad se anteà scriptis unam & universalem, ceterarúmque omnium majorem, Romanam vocasset Ecclesiam, quas literas transmisit per Ioannem Capellanum suum & Legatum. Cùm verò iis acceptis Alexius alias rescripsisset, quibus Innocentium argueret, quòd ipsum increpare præsumpsisset, cùm Petrus Apostolus præceperit subjectionem erga Principes, unde &

[i] *Innoc. 2. ep. 199. & in Act. Vit.*
[k] *In act. & epist. 197.*

colligebat Imperium Sacerdotio dignitate & potestate præstare, haberéque Imperatorem tam in sacerdotes quàm laïcos jurisdictionem: rescribens [l] mox ad eum Innocentius, imprimis significavit non se animo increpandi, sed affectu commonendi eas scripsisse literas: deinde explicans quæ Imperator objecerat, concedit quidem Imperatorem in temporalibus præcellere iis qui temporalia ab eo recipiunt; at Pontificem in spiritualibus antecellere, quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori, & quantò Sol, quod luminare est magnum, præeminet minori, nempè Lunæ. Quæ postquàm pluribus scripturis & rationibus probavit, auctoritatem se habere, uti totius gregis Christi pastorem, etiam Imperatores & Reges corrigere, & ad ea quæ Dei sunt inducere, significavit: simul & ipsum Alexium arguens, quòd Constantinopolitanum Patriarcham juxta scabellum pedum suorum in sinistrâ parte sedere faceret; cùm alij Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis, sicuti debent, reverenter assurgant, & eis juxta se venerabilem sedem assignent. Ita Ille: quæ nonnisi anno sequenti vel etiam altero scribi potuêre, cùm prior illa ejus epistola data sit Idibus Novembris anni Pontificatûs secundi. Qui [l] verò hanc posteriorem, ad Balduinum Imp. post captam Constantinopolim, vel ejus fratrem & successorem Henricum, scriptam fuisse existimârunt, hi temporum, & rerum, ac personarum negligentes se discussores ac diribitores, ut aliàs sæpè, præbuerunt. Vix homini cuicumque possibile est, simul præcipitanter, simul & benè rem quampiam agere. Satiúsque longè est ex proverbio, Festinare lentè.

Ext. ep. integra in Act. Innocentij; fine decurtata in Collect. 3. Decretal. Ant. Aug. lib. 1. tit 21. cap. 2. par verò relata in lib. 1. Decretal. Greg. cap. 6. de majorit.

[l] *Bzov. in Annal.*

VII. CETERAS QUOQUE PROVINCIAS CURAT.

Idem porrò Pontifex ceterarum quoque Ecclesiarum curam gerens, inter alia planè egregia quæ hoc anno præstitit, statuítque in utilitatem & correctionem omnium tam ecclesiasticorum, quàm sæcularium, per omnes totius Christianitatis provincias, quæ in ipsius epistolis conspici possunt; quod quidem principium ejusmodi virorum res spectat, & horum historiam temporum, (præter illa quæ jam superiùs attigimus, ad hunc etiam annum pertinentia:) Patriarchas [m] Antiochenum & Ierosolymitanum, causam inter ipsos controversam de juribus suarum Ecclesiarum, coram se prosequi jussit. In Dalmatiam [n] & Diocliam (patriam Diocletiani Imp.) petente Wlcano earum Rege, legatos misit Ioannem Capellanum, & Simonem Subdiaconum, qui eorum regnorum Ecclesias reformarent. Quod & ipsi egregiè præstitisse reperiuntur, [o] multis eâ de re decretis editis, quæ extant inter epistolas Innocentij. Eosdémque pariter eâdem legatione, sicuti habuerant in mandatis, Magnum Iupanam Serviæ (titulus erat Principis) visitasse, constat ex literis [p] ab eo ad Innocentium rescriptis. Duci ac populo Veneto sub districtione anathematis prohibuit, ne specie mercaturæ arma & res bello aptas Saracenis, quod multi solebant, subministrarent: ut tamen promptiores redderentur ad subsidium Terræ Sanctæ, concedens ad aliquod temporis spatium, ut in Ægyptum & Babylonem alia inituri commercia navigare possent. Cùm Reges Castellæ & Aragoniæ Regnum Navarræ hostiliter ingressi, illud inter se partiri tractâssent, & ut hoc Navarrus evitaret, jurejurando se Aragonio obstrinxisset daturum se illi sororem suam in uxorem, etsi tertio consanguinitatis gradu ipsi conjunctam: idem Pontifex eidem Regi Navarræ omninò inhibuit [q], ne prædicti juramenti, quod potiùs perjurium dicendum esset, prætextu, ejusmodi illicitum matrimonium adimpleret. Tradunt autem ipsimet Scriptores [r] Hispanici, Alfonsum Castellæ & Petrum Aragoniæ tantâ cupiditate in Sanctium Navarrum conspirâsse, ut obliti dignitatis, nihílque rei Christianæ periculo moti, tum maximè cùm Castellanus ingenti prælio à Mauris devictus fuisset; cum communi Christiani nominis hoste Abenjuzepho Maurorum Rege pacisci, barbarósque de fœdere ultrò appellare, turpe non judicaverint.

[m] *Innoc. 1. epist. 501.*

[n] *Epist. 522. 523.*

[o] *Ap. Innoc 2. ep. 167.*

[p] *2. Ep. 166.*

DE REB. HISPAN.

[q] *Ep. 550. & Collect. 3. Decretal. lib. 2. tit. 15.*

[r] *Roder. Tolet. lib. 7. cap. 2. Marian. lib. 11. cap. 19.*

VIII. ALIÆ INNOC. CURÆ GRAVES.

Prætereà idem Innocentius Papa, mortuâ Constantiâ Aug. Reginâ Siciliæ, Rogerij Friderici ejus filij tunc ferè septennis curam, jure supremi dominij, & tutelæ sibi testamento à Constantiâ commendatæ suscepit [s], ac regni perturbatores, præcipuéque Marcwaldum illum sibi tam vi quàm fraudibus habere contendentem, armis spiritualibus & temporalibus compressit; commissâ pupilli curâ, ac Regni administratione Gregorio [t] S. Mariæ in Porticu Diacono Cardinali viro strenuo ac prudenti. Viros regulæ & ordinis nuper [u] instituti pro Redemptione captivorum è manibus infidelium, in Africam ad id operis mittens, eos Mirammomolino [x] Regi Marrochiæ Saraceno commendavit, conversionem ad fidem ei deprecans. Richardum Angliæ Regem tunc adhuc superstitem, per literas & legatos monuit sub pœnâ interdicti, ut Gaufredo ipsius Regis fratri, Archiepiscopo Eboracensi, quem bonis privatum extorrem fecerat, possessiones suas omninò restitueret. Cur autem Richardus Gaufredum fratrem suum nothum prosequeretur, scribit Rogerius id accidisse, quòd noluisset Gaufredus consensum præbere quibusdam donationibus à Rege factis nonnullorum beneficiorum Ecclesiasticorum Ecclesiæ Eboracensis: cùm & alioqui non leviter Gaufredus insimularetur, quòd regiis & profanis negotiis plus justo sese implicaret; & causaretur Richardus, quasdam pecunias sibi ab eo ex pacto deberi. Passum verò eumdem multas alias calamitates à Ioanne Rege, æquè fratre suo, tam ob defensionem jurium Ecclesiæ suæ, quàm aliis de causis; habet idem Rogerius, alíique rerum Anglicarum scriptores.

[s] *Ep. 551. & seqq. & 2. ep. 156. 209. 214. 233. 265. Act. Vit. Innoc. Fazel. de reb. Sicul. dec. 2. lib. 8.*

[t] *Vid. Epit. Baron. ann. 1097. XXXVIII.*

[u] *Vid. infr. ann. 1209. in fi.*

[x] *2. ep. 9.*

IX. ITEMQUE ALIÆ.

Hoc verò eodem tempore Innocentius Hungariæ [y] Regi (erat tunc adhuc Emericus filius Belæ Tertij, quem decessisse in fine anni millesimi ducentesimi ipsorum Annales [z] tradunt, cui succedens filius ejus Ladislaus, post sex menses regni moriens successorem accepit Andream patruum suum, ejusdémque Emerici fratrem, de quo sæpè inferiùs) ut Episcopo Waciensi malè à se habito satisfaceret, omninò injunxit interminatione ultionis canonicæ. Cúmque Dux Boëmiæ (Premislaus is erat, de quo prosteà) repudiatâ legitimâ uxore Adelaide Marchionis Misnensis sorore, cum quâ jam per viginti annos consuevisse susceptis ex

[y] *2. Epist. 89.*

[z] *Thurof. part. 2. cap. 70.*

eâ liberis dicebantur, superinduxisset Constãtiam sororem ejusdem Regis Hungariæ; Magdeburgensi [a] Archiepiscopo cognitionem causæ commisit, ad Sedem Apostolicam, postinde remittendam. Ad Livoniam, quæ fidem Christianam prædicatione Meinardi Episcopi recèns amplexa fuerat, à Paganorũ circumjacentium persecutione & incursibus defendendam, Saxones [b], & Westphalos, Sclavósque, atque alios vicinos populos animavit. Leonem, sive Lievonem dictum, Regem Armeniæ, de quo superiùs [c], Sedem Apostolicam in causâ successionis Principatûs Antiochiæ, vertente inter Rupinum filium Alizæ neptis ipsius Regis ex Raymundo filio natu majori Principis Antiochiæ, & Boamundum Comitem Tripolitanum fratrem natu minorem prædicti Raymundi, appellantem, jussit à vi abstinere, quousque Legati eâ de re mittendi causam dijudicarent: Eidémque Vexillum B. Petri misit, quo in hostes Crucis dumtaxat uteretur, ut de his constat ex literis tunc ultrò citróque scriptis; quæ habentur in Actis Vitæ Innocentij, & in Regesto ceterarum [d] ejus Epistolarum.

[a] 2. ep. 176.
[b] 2. ep. 179.
[c] In Epit. Baron. ann. 1197. IV.
[d] 2. ep. 239. usque 242.

X. S. Homoboni canonizatio; et alia Innocentii gesta.

Retulit [e] hoc eodem anno S. *Homobonum* Cremonensem, simplicitate morum magis quàm eruditione conspicuum, paulò antè defunctum, sed miraculis quamplurimis sanctitatem suam post obitum confirmantem; in numerum Sanctorum Confessorum. Religionémque *Teutonicorum* [f] militum confirmavit: Et *Calatravenses* [g] jam anteà in Hispaniâ institutos, privilegiis munivit. (qui iidem in Lusitaniâ *Avisienses* dicti sunt.) Antiquissimam litem Ecclesiarum Turonensis, & Dolensis in favorem Turonensis, ut alibi [h] dictum, decidit. Idémque manifestos hæreticos tam in Italiâ quàm alibi ubique comprimere studens [i], scriptis multis eâ de re ad diversos literis; cùm etiam accepisset ab Episcopo Metensi [k], occasione sacræ Scripturæ à quibusdam in linguam Gallicam versæ, multos in iis partibus tam viros quàm feminas, contemptis sacerdotum suorum prædicationibus, occulta conventicula celebrare, & officium sibi prædicationis usurpare: ne hinc gravius malum oriretur, tum illos severè monuit ab his desistere; tum episcopum jussit, aliósque Antistites, diligenter inquirere quis fuisset auctor translationis illius, quæ ejus intentio, quæ fides utentium, quæ causa docendi, & utrum Sedem apostolicam & Catholicam Ecclesiam venerarentur; ut his cognitis quid statui deberet maturiùs deliberaret.

[e] Ep. 525. Sigon. lib. 15. de Regn. Ital. Bullar. t. 1. const. 2.
[f] 1. Epist. 564.
[g] 2. epist. 51.
[h] Epist. ann. 859. VI.
[i] 1. Ep. 505. ad Ep. Syracus. 2. ep. 1. ad Viterb. Ec.
[k] 2. ep. 130. 131. 223. & cap. Cum ex injuncto. Collect. 3. & ext. de hæret.

XI. Humiliatorum duplex institutum.

Sicuti etiam cùm Archipresbyter Veronensis, auctoritate literarum ab eodem Pontifice contra Gazaros, Arnaldistas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, ac universim contra omnes hæreticos ipsi directarum; nullâ habitâ distinctione etiam Humiliatos cum ceteris hæreticis excommunicationi subjecisset; indéque nonnulli, quos licèt invitos populus *Humiliatos* vocabat, eò quòd in humilitate cordis & corporis studerent Deo famulari, cùm alioqui fidem saperent orthodoxam, à multis vitarentur uti excommunicati: ne sic innoxij cum nocentibus damnarentur, idem Pontifex [l] Episcopo Veronensi præcepit, ut fidem istorum Humiliatorum examinaret, & si nihil sentirent quod saperet hæreticam pravitatem, eos prædictâ excommunicatione non teneri publicè denunciaret. Ex quibus apparet, fuisse & quamdam aliorum *Humiliatorum* sectam impiam, quam idem Pontifex prioribus literis exagitandam præceperat. Cujus & meminit post Vrspergensem [m] Æmilius [n] hoc eodem tempore, & inter reprobatas unà cum Pauperibus de Lugduno collocat: cujus sectatores, ut ait, humilitatis nomine munia, quibus curatores animarum sacerdotes jure funguntur, sibi arrogabant; confessiones arcanas audiebant, ac velut ipsi expiandi jus haberent, noxâ solvebant: à liberalibus artibus cùm abhorrerent, concionabantur tamen, & regimen animarum sibi vendicabant. Sed de approbatorum origine, ac confirmatione Apostolicâ alij [o]: de religione verò, modóque vivendi, ceteris fusiùs, qui etiam ætate anteivit, Iacobus de Vitriaco [p]. Fuitque demùm & ipsa eorum religio posteà à Pio [q] Papâ V. ob eorum scelera, extincta; ut videbitur suo loco. De *Gazaris* autem hæreticis, déque *Pauperibus de Lugduno*, quorum ibidem meminit Innocentius, dictum est nuper [r]: de *Arnaldistis* etiam jam olim [s], cùm fuerint Waldensibus, cunctísque ejus germinibus antiquiores.

[l] 2. epist. 216.
[m] Vsperg. in Chron. ann. 1212.
[n] Æmil. in Philip. Aug.
[o] Sabell. 9. Ennead. 5. Volater. l. 21.
[p] Vitriac. Hist. Occid. lib. 2. cap. 28.
[q] Const. 119. To. 2. Bullar. poster. edit.
[r] An. super. XXII.
[s] In Epit. Baron. ann. 1139. III.

XII. Torneamentorũ damnatio.

Cùm verò & prava percrebuisset tum in Italiâ consuetudo, ut non solùm privati privatos, sed etiam populi populos ad contractas controversias dirimendas indicto certamine invitarent, quod illi *Torneamenti* nomine appellabant: quamvis illa, ut mortalium generi exitiosa, pluribus fuissent jam decretis [t] ab Ecclesiâ condemnata, nihilominùs tanta tum, sive tractandorum armorum, sive virtutis experiendæ cupiditas Italicos, acuit, ut contemptis legibus, Placentini Parmenséque sociis utrique suis confirmati, hoc anno alteri alteris ejusmodi certamen indixerint in contentione de dominio Burgi S. Domnini, sic dicti loci inter utrosque positi. Quæ ubi Innocentius comperit, ut impendenti civitatibus cladi quoad posset occurreret, scripsit ad Antistites Lombardiæ, ut eos ad pacem & concordiam redigere studerent: & si minùs audientes essent, per sacrorum interdictionem ad subeundum judicium ipsius Innocentij Pontificis adstringerent; Burgúmque ipsius nomine in manibus Abbatis Lucedensis assignarent, tenendum donec ab eo illis restitueretur quibus visum jure fuisset convenire. At verò hæc utcumque curata sint, parùm momenti ad conceptam populorum animis rabiem comprimendam habuerunt: etiamsi cladem Deus cælestis prodigij novitate apertè portendisse sit visus; cùm nive per Augustum mensem prodigiosè cælo lapsâ frigus per triduum hiemali simile sævit. Spretis namque Pontificiis cælestibúsque præceptis, quarto Idus Octobris, ut condictum fuerat, magno utrimque animorum atque armorum ardore congressi, pugnârunt æquo Marte à primâ diei horâ usque ad vesperam; quando superveniente nocte defatigatione magis quàm satietate pugnandi ingenti utrimque clade ex acie recesserunt. Narrat ista ex antiquis monumentis in calce prioris partis libri decimiquinti de Regno Italiæ Sigonius: quæ sicut

[t] Vid. tit. de torneament. extr.

ad res ecclesiasticas non parùm pertinere videntur, ita pium studium Innocentij manifestant prospiciendi populorum calamitatibus. Idémque deinceps ingentes alios eorumdem, aliorúmque populorum Italicorum, ac præcipuè Lombardorum motus, atque conflictus, recensere pergit; in quos ejusdem Innocentij Pontificatu, primò Regni Italiæ vacuitas, deinde Othonis impietas, & subsecuta nova Imperij divisio, illos conjecit: de quorum nonnullis, uti magis res sacras spectaverint, dicetur suis locis.

IESU CHRISTI Annus 1200.

INNOC. III. Ann. 3.

ALEXII ANG. Ann. 6.

I. ANNO Christi millesimo ducentesimo, Indictione tertiâ, Innocentius Papa præter continuam totius Orbis Ecclesiarum sollicitudinem; ac Principum negotia ad legitimam Reipublicæ administrationem salutémque animarum spectantia; compressionem hæresum, & subsidium Terræ Sanctæ; quibus omnibus per literas quamplurimas, & frequentes legationes summâ curâ ac diligentiâ pro munere suo pastoris universalis providisse reperitur: cùm auditis anno superiori nuntiis competitorum Imperij, Philippi Suevi, & Othonis Saxonis, de juribus suis contendentium; necnon eorum qui eis favebant ceterorum Principum, ac speciatim Philippi Regis Francorum pro Suevo, in odium Regis Angli, qui erat avunculus Othonis, Pontificem interpellantis; sed nec deessent qui coronam Imperij Rogerio-Friderico Siciliæ Regi, filio Henrici postremi Imp. etsi adhuc puerulo deberi assererent, eò quòd Principes Imperij fidem ei suam in cunis adhuc vagienti, vivente patre jurejurando obstrinxissent; idémque Pontifex singulorum rationibus maturè ponderatis, causam OTHONI adjudicasset: Hoc anno missis in Germaniam Octaviano Ostiensi & Guidone Prænestino Cardinalibus Episcopis, rem cunctis declarandam curavit, & obedientiam Othoni præstare jussit, atque à Philippo excommunicato recedere: quódque Othocarus Boëmiæ Dux, à Philippo stans, etiam regium diadema ab eo suscepisset; (quod quidem à duobus Boëmiæ Ducibus jam olim interpolatis temporibus susceptum, sed à posteris eorum variis rationibus intermissum, nunc Premislaum hunc Othocarum de manu Philippi denuò assumpsisse, tertium propterea ordine Regem dictum, & successoribus deinceps continuâ serie reliquisse, historici Boëmici ac Germanici tradunt:) redarguit eum Innocentius, quòd dignitatem regiam importunè quæsîsset ab eo qui coronam Imperij à Sede Apostolicâ minimè meruisset: monuitque ut Othoni adhærens ab eâdem Sede approbato, jus regium ab eo acciperet. De quibus omnibus extant in Regesto [a] Epistolarum ejusdem Pontificis quamplurimæ scriptæ ad eum, & ab eo ad prædictos aliósque literas.

Innocentius Regnum Roman. asserit Othoni Saxoni.

[a] *Innoc. lib. 3. sup. negot. Imper. ep. 1. & seqq. & cap. venerab. de quo supr. ann. 198. XI*

II. Quamvis autem his moti non pauci Philippo deserto Othoni adhæserint, haud tamen minùs plerique cessârunt Philippum sequi ingenti totius Germaniæ ruinâ: cùm etiam (ut scribit Vrspergensis) Principes terrarum & Barones nec curarent juramenta infringere, nec fidem violare, & jus omne confundere, nunc recedentes quamplurimiâ Philippo Othoni adhærentes, & è converso. In quibus & idem Premislaus: qui variis de causis Philippo infensus adeò redditus est, & Othoni se tanto studio applicuit, ut quidam dicant eum inde *Otthischgarum*, sive ut vulgò scribitur *Othocarum*, quasi totum Othonis, dictum fuisse: à quo & rursùm coronam regni suscepit; & ab Innocentio [b] Papâ ejus confirmationem. Sed de aliâ ejus mutatione infrâ. De his verò dissensionibus, frequentibúsque præliis, aliísque Imperij cladibus, ac plurimorum defectionibus; multa etiam habent ejusdem temporis auctores, Arnoldus Abbas Lubecensis [c], & Godefridus [d] monachus Coloniensis. Itali verò neutrum istorum contendentium pro Imperatore habuerunt.

Othocarus Rex Boemiæ.

[b] *Innoc. lib. 6. Epist. & Bullar. to. 1. Innoc. III. const. 6.*

[c] *Hist. Slavor. lib. 6. & 7.*

[d] *In Annal.*

III. Eodem item anno mense Maij pax composita est inter Philippum Francorum & Ioannem Angliæ Reges; iis inter cetera conditionibus, ut Ludovicus filius Philippi acciperet in uxorem *Blancham* filiam Alfonsi Regis Castellæ ex sorore ipsius Ioannis, cum dote Comitatûs Ebroicensis, aliorúmque locorum quos Rex Philippus occupaverat, & triginta millium marcarum argenti; & si Ioannes sine liberis decederet, provinciæ omnes quas in Galliâ Angli occupabant, ad Ludovicum redirent: denique ne Anglus ullum omninò auxilium præstaret Othoni Imperatori ejusdem Angli sororis filio, nisi de consensu ipsius Regis Philippi. Ipse verò Ioannes repudiatâ conjuge suâ filiâ Comitis Glocestriæ, propinquitatem tertij gradûs consanguinitatis tunc demùm causatus; duxit Elisabetham filiam unicam Comitis Engolismensis; desponsam jam Hugoni Comiti Marchiæ, patríque in opes successuram: quod matrimonium eidem Ioanni totíque Regno Anglorum maximo fuit detrimento. Habent ista pluribus Rogerius, Matthæus Parisius, Rigordus, Brito, aliíque Anglorum Francorúmque [e] Annales.

Pax inter Reges Fr. et Anglor.

[e] *Vid. Bellefor. Histor. Fr. lib. 3. cap. 70.*

IV. Eodémque fermè tempore (ut habet idem Parisius) Epistola de cælo delapsa Ierosolymis ad altare sancti Symeonis in Golgothâ, de observatione diei Dominicæ, quæ passim à Christianis negligebatur; delata est ad Summum Pontificem, & ab eo publicata. Quam & in Angliam allatam esse anno sequenti per Eustathium quemdam sanctum Abbatem, Rogerius habet tunc vivens & scribens: & ad ejusdem Eustathij eâ de re prædicationem, plurima ingentiáque edita esse miracula, iidem auctores attestantur, simul & Epistolam verbatim referentes: cujus fides penes eos sit.

Epist. cælestis de die Dominica.

V. Celebratum item est hoc eodem anno ab *Huberto* Cantuariensi in Angliâ Archiepiscopo, *Londini* apud *Vvestmonasterium* nationale CONCILIUM Angliæ, nequicquàm prohibente Gaufredo summo Iustitiario Angliæ. In quo edita sunt decreta quatuordecim de recto usu & legitimâ admini-

Concil. Angl. pro reform.

stra-

stratione Sacramentorum, déque aliis ad reformationem illius Ecclesiæ pertinentibus; ex Lateranensi præcipuè Concilio sub Alexandro Tertio celebrato deprompta: quæ integrè refert Rogerius; extántque pariter in Tomis Conciliorum.

VI. Eodémque anno, decimoquinto Calendas Decembris, ibidem Londini mortuus est mirificus ille ac præclarissimus *Hugo*, ex monacho Carthusiensi Episcopus Lincolniensis, Regum malleus, de quo superiùs [f]. Cujus corpus cùm à civibus Londinensibus deferretur Lincolniam sepeliendum, mirandum illud accidit, ut cùm cerei in exitu civitatis ante corpus fuissent accensi, per quatuor dies jugiter arserint, licèt tempus ex aëris intemperie multoties esset vento & pluviâ turbulentum. Cúmque eodem tempore convenissent ibidem Lincolniæ Ioannes Rex Anglorum & Willelmus Scotorum, occasione fidelitatis ab ipso Willelmo pro agris quos in Angliâ habebat eidem Ioanni jurandæ: iidem simul obviam procedentes sanctissimo corpori Hugonis, illud unà cum Principibus suis deportaverunt propriis humeris usque ad atrium Ecclesiæ Cathedralis; ubi à tribus Archiepiscopis & tredecim Episcopis susceptum, delatum est usque ad chorum; comitante pompam infinitâ aliâ Cleri ac nobilitatis, populíque multitudine: hanc nobilissimam ei retributore bonorum Domino sepulturam procurante, quòd is dum viveret in mortuis sepeliendis diligentissimam operam exhibere solitus fuisset. Quem in vitâ & post obitum insignibus miraculis clarissimum, Honorius Papa Tertius, qui Innocentio successit, in album Sanctorum retulit. Quæ verò modò de illo retulimus; narrantur pluribus apud Parisium, Rogerium, Auctorem vitæ [g] Hugonis, & in Chronicis Carthusiensibus.

[f] Ann. 1189. II. 1191. I X. in Epit. Baron.

HUGONIS EPISC. LINCOL. OBITUS, ET SPLENDIDUM FUNUS.

[g] Ap. Sur. 17. Novemb.

VII. Denique (ut iidem Rogerius & Parisius habent) eodem anno paulò ante Natale Domini, in provinciâ Eboracensi apparuerunt quinque Lunæ circa primam vigiliam noctis: una in Aquilone, altera in Meridie, tertia in Occidente, quarta in Oriente, quinta in medio quatuor illarum, habens secum stellas multas; quæ & cum iisdem stellis circuivit quinquies vel sexies reliquas quatuor lunas. Subsecutam ferunt hiemem frigidissimam, pluvias & inundationes præter solitum, & grandinem formâ quadrangulari ad ovi magnitudinem.

QUINQUE LUNÆ VISÆ IN ANGLIA.

VIII. Apponemus hîc & in gratiam Legum professorum, quibus & nos aliquando operam dédimus; vixisse hoc tempore [h] duo lucidissima Iuris Civilis lumina, *Vvernherum*, sive *Irnerium*, *Lucernam Iuris* appellatum; tum quòd Ius civile Romæ atque Bononiæ summâ laude publicè interpretatus fuerit; tum etiam quòd illud primus omnium glossulis illustraverit, ac sine exemplo ceteris id ipsum præstandi exemplum præbuerit: Et *Azonem* Bononiensem; quo post Ius civile renovatum nemo majorem cum laude in eâ disciplinâ versatus est. De isto tamen scripserunt nonnulli, eum anno præsenti Domini 1200. morte mulctatum fuisse, quòd *Bulgarum* Iurisconsultum adversarium suum in disputatione interfecisset. Sed hanc fabulam refellit Sigonius [i] duplici ratione; tum quòd Bulgarus multis ante id temporis annis mortuus esset; tùm quòd in Actis civitatis Bononiensis post eum annum frequens Azonis gravissimis in legationibus memoria celebretur quinetiam Azonem non judicio sed morbo sublatum, testari Odofredum qui Azonem novit; mortuúmque esse in vacationibus studiorum, cùm numquam ægrotare solitus esset, nisi per vacationes: fuisseque eo tempore Bononiæ decem fermè millia scholarium, qui juri discendo operam dabant: Ceterùm hunc *Odofredum*, qui illa de Azone scribebat, anno 1262. fuisse auditorem *Ioannis Balduini*; Balduinum Azonis, Azonem *Ioannis Bosiani*, Cremonensis, Bosianum *Alberici de Portâ* Ravennatis æqualem, ac sine dubio aut Bulgari, aut Martini, aut primorum Iureconsultorum auditorem: Scripsisse autem Azonem Summam Iuris Civilis; verùm non primum: primam enim ipsomet teste fuisse Rogerij, secundam Placentini, tertiam Ioannis, quartam demùm ipsius Azonis. Hæc Sigonius: quæ idcircò in annales se retulisse scribit, ut progressum Iuris Civilis post inventos à Lothario Imp. Pandectas, eósque exponi publicè jussos, plerisque ignotum ostenderet. Ab hoc autem tempore, hísque præeuntibus, copiosa effluxit professorum utriusque Iuris multitudo; qui & illud illustrârunt, & sui nominis famam posteritati consecrârunt.

[h] Trithem. de Script. Eccles.

DE IRNERIO, AZONE, ALÍISQUE IURISCONSULTIS.

[i] Sigon. Hist. Bonon. lib. 4. ad fin.

ANTIQUÆ SUMMÆ IURIS CIVILIS.

IX. Et quòd jam historiam tractemus, haud omittimus *Helinandi* meminisse, (qui apud nonnullos corruptione literarum Helmandus scriptus reperitur) patriâ Belvacensis Galli, monachi Frigidimontis, viri Theologicis & sæcularibus facultatibus apprimè docti: [k] qui inter alia eximij ingenij opera, scripsit Historiam ab Orbe condito usque ad annum millesimum ducentesimum duodecimum libris quadraginta octo. Cujus & meminerunt cum laude ante Trithemium, Vincentius, & Antoninus [l], eumdémque in suis Historiis conscribendis præcipuè secuti sunt.

HELINANDUS HISTORICUS.

[k] Vinc. Belvac. lib. 29. cap. 108. & seqq.

[l] Anton. Florent. part. 3. tit. 18. cap. 5.

IESU CHRISTI Annus 1201.

INNOC. III. Ann. 4.

ALEXII ANG. Ann. 7.

I. HOc tandem anno, Indictione quartâ, mense Aprili, à Legatis Apostolicis *Octaviano* Episcopo Ostiensi & *Ioanne* Presbytero tituli S. Priscæ Cardinalibus, convocato *Suessione Concilio*, totius ferè Regni Francorum Episcoporum ac Principum, cui Rex ipse Philippus interfuit, post varias & longas multorum dierum disputationes Iurisperitorum, Rex longioris moræ tædio affectus receptâ spontè legitimâ suâ conjuge Engenbergâ summo mane omnibus insalutatis inde recessit: sublatúmque est diuturnum interdictum [a] regni: & qui illud non servaverant Episcopi, jussi Romam ad Pontificem ire, ab eo post pœnitentiam absoluti sunt. Cùm verò Rex suscepisset ex Mariâ (Agnetem vocant Gallica monumenta) superinductâ filium nomine Philippum, & filiam Ioannam nuncupatam; statuit Pontifex, petente Rege, eos ut legitimos

CONCIL. SUESSIÓ. IN CAUSA UXORIS REGIS PHILIPPI.

[a] Epit. Baron. ann. 1193. III. Supr. 1198. I X.

haberi, quoniam & nonnullis Episcopis auctoribus eæ nuptiæ junctæ fuerant, & Mariæ, nobilissimæ feminæ (erat enim filia Ducis Meraniæ; non Moraviæ, ut quidam perperàm habent, perpetuo ferè errato scriptorum, aut librariorum, in duabus his vocibus; cùm Moravia sit ad Mahram, Merania ad Athesin fluvium, ubi nunc principatus Tyrolensis consistit) bonam fidem auxilio liberis esse, justum visum. Reginam tamen vix umquam Rex, nec nisi post multos abhinc annos [b], induci potuit ut amore conjugali diligeret; (unde & quòd in conspectu ejus totus perturbaretur, quidam eum maleficorum artibus fascinatum existimârunt:) sed apud Stampas velut in custodiâ detinuit, regio licèt cultu. Ipsa verò Agnes, sive Maria, paulò pòst ex mœrore obiit. Narrant hæc pluribus Acta Vitæ Innocentij, Rigordus, Æmilius, & alij.

[b] Infr. ann. 1213. VI.

II. Regum Franc. et Angl. novum foedus eiúsque ruptio.

Quo eodem anno, Ioánnes Rex Angliæ, post colloquium apud Andeliacum cum Philippo Rege habitum, ab eo ductus Parisios honorificentissimè susceptus est: & renovato fœdere sancitum, ut cujus Regis culpâ id solveretur, ejus subditi liberi essent ab obsequio ei debito, & ad alterum transire liceret. Sed omnia incassùm: sicut ferè mos Principum, verbis ludere; & multa cùm sese offert occasio prætexere, quibus datam fidem deserant, violéntque. Rupti porrò fœderis præcipuam causam, seu veram illam, seu quæsitam plerique, utriusque gentis scriptores Arthurum faciunt, cujus jura Philippus adversus Ioannem tuenda susceperit: quâ de re posteà.

III. Divina ultio de quodam Theologo temerario.

Eodem item anno divinitùs accidit, ut quidam Theologus Scholæ Parisiensis, sibi nimiùm fidens, omni repentè memoriâ privatus fuerit. Rem memoriâ dignam, quâ discant sublimissima quæque ingenia sapere ad sobrietatem, narrat Matthæus [c] Paris, ex relatione sibi factâ ab Episcopo Dunelmense qui vidit. Ejúsque summa est; Theologum illum, *Simonem* nomine, cognomento *Churnai*, (Polydorus [d] Thurvaium habet) ingenio capacissimum, & memoriâ tenacissimum, cùm per decennium scholas Artium nobilissimè rexisset, indéque se ad Theologiam conferens adeò intra paucos annos profecisset, ut quæstiones subtilissimas & inauditas facillimè solveret; quâdam die, cùm frequentissimâ auditorum coronâ difficillimas de Trinitate propositas quæstiones, per quàm dilucidè, eleganter, & catholicè ingenti omnium stupore enodâsset, hortarentúrque publicè familiares ut eam disputationem literis commendaret; his insolentiori fastu abreptum, oculis in cælum elatis in hæc verba temerè prorupisse, *O Iesule, Iesule, quantùm in hac quæstione confirmavi legem tuam & exaltavi; profectò si malignando & adversando vellem, fortioribus rationibus & argumentis scirem illam infirmare, & deprimendo improbare*: hócque dicto, elinguem penitùs obmutuisse; adeóque sapientiam ejus infatuatâ esse, ut quamvis ultione divinâ aliquantùm mitigatâ, linguæ usus utcumque redditus fuerit; vix tamen posteà intra biennium, filio ejus magnâ sollicitudine edocente, prima literarum elementa cognoscere, & Orationem Dominicam, Symbolúmque Apostolorum, memoriâ discere, ac balbutiendo pronuntiare potuerit.

[c] Matth. Paris. Hist. Angl. in Ioan. an. 1201.
[d] Polyd. Hist. Ang. lib. 15. in fi.

IV. Obitus Absalonis Lundensis.

Hoc insuper anno, duodecimo Calendas Decembris, mortuus reperitur [e] *Absalon* Lundensis in Daniâ Archiepiscopus, de quo aliàs [f], rebus præclarè domi forísque gestis valdè iis partibus illustris; in monasterio quod apud Selandos exædificaverat, ut in eo viri præstantes alerentur, qui regni annales résque posterorum memoriâ dignas chartis quotannis mandarent. Quo etiam impulsore *Saxo Grammaticus* & ipse Danus, Sialandicus, ac Præpositus Ecclesiæ Rotschildensis, quam priùs Absalon rexerat, in gratiam & decus suæ gentis Historiam, quæ hodiéque in manibus est, Latinè contexuit, tantâ styli elegantiâ, ut etiam cùm maximè posteà literæ excultæ fuêre, admirationi habitus sit: hoc uno non immeritò reprehensus, quòd æras annorum aut temporis addere omiserit, non parvo historiæ detrimento. Absalonis verò item operâ in *Concilio* Episcoporum factum est, ut omnes Ecclesiæ Daniæ priùs discordantes in ritibus & officiis Ecclesiasticis, ad uniformem rationem reductæ sint. Suffectus est ei in Archiepiscopatu *Andreas Sunonis* ipsius è fratre pronepos, à Regibus genus ducens; qui diù apud exteros ætate honestissimè transactâ, etiam Lutetiæ publicè docuerat. Cui Innocentius Pontifex etiam primatum in Sueciam contulit; seu potiùs jam ejus decessoribus ab anterioribus Pontificibus collatum confirmavit, datis literis [g] præsenti anno millesimo ducentesimo primo, ipsius Innocentij quarto, Indictione quartâ, nono Calendas decembris.

[e] Pontan. Rer. Dan. lib. 6.
[f] Vid. in Indic. tom. poster. Epit. Baron.

De Saxone Grammat.

[g] Ext. ap. Pontan. ibid.

V. Expeditio Gallorum procerum in Terram Sanctam.

Cùm interim frequentibus Christianorum Orientalium lamentationibus, & Innocentij Papæ hortationibus, ac Fulconis Sacerdotis aliorúmque prædicationibus, multi Galliarum proceres Crucem sumpsissent suppetias Orientalibus laturi, pársque Massiliam inde navigaturi concessissent; pars nobilior Venetias facilioris spe trajectûs petierunt, quorum præcipui duces Bonifacius Marchio Montisferrati, Balduinus Comes Flandriæ, Henricus frater ejus, Hugo S. Pauli, (Henricum nonnulli vocant) Simon Montisfortis, Ludovicus Blesensis, & alij, quos recenset unus ex illis qui rem diligentissimè descripsit *Gaufredus Villarduinus* Marescallus Campaniæ. Verùm deficientibus ob plurimorum absentiam pecuniis quas pacti fuerant in mercedem transvehendarum classe copiarum; speciosam obtulerunt Veneti gloriæ cupidis, virtute simul illam dissolvendi: simúlque trajectum facilem adipiscendi: dum rogans eos Henricus Dandulus, (senex quidem ille, & olim [h] Emanuelis Græci Imperatoris fraude visu debilitatus, sed strenuissimus alioqui Venetiarum Dux) ceterique Veneti, opitulari sibi adversus Istros & Illyricos piraticam Adriatico mari factitantes; etiam invitos impulerunt non solùm hæc præstare, verùm etiam Iaderam civitatem oræ maritimæ Dalmatiæ, (vulgò Zaram dictam) quæ à Venetorum imperio ad Hungaros defecerat, oppugnare, ac Venetis expilatam restituere, quæ præter jam dictum Villarduinum, referunt etiam alij ejusdem temporis Scriptores, Guntherus [i] monachus Basiliensis; qui accepit à Martino Abbate suo, qui interfuit dux Germanorum illius expeditionis:) Godefridus monachus, ac Rigordus: necnon

[h] Sabell. 9. Ennead. 5. Petr. Iustinian. lib. 2. Hist. Venet.
[i] Ext. tom. 5. Lect. Antiq. Henr. Canis.

[k] *Sanut. lib 3. par. 11. cap. 1.*
[l] *Sabell. d. c. 5. & 1. Dec. 8.*

Sanutus [k] Torsellus patricius Venetus qui posteà vixit; Sabellicus, & alij; licèt, ut fit, in nonnullis diversè. Eadémque hoc anno cœpta, alterum etiam totum occupârunt: ad cujus finem minis potiùs quàm armis Iadera intra triduum ad deditionem compulsa est, ac post direptionem solo ferè æquata. Ita enim rem narrant qui aderant, contra vanas quorumdam assertiones de longâ obsidione, & forti obsessorum propugnatione: cùm sanè alioqui munitissima esset civitas, marinis fluctibus undequaque ferè cincta.

VI. INCIDŪT IN EXCŌMUNICATIONEM OB CAPTAM IADERAM.

Vt verò rem absolvamus; cùm propter hæc constaret omnes prædictos incidisse in excommunicationem Pontificiam; non solùm ex eo quòd Innocentius eorum qui Crucem assumerent terras ac bona universim (ut vidimus) sub protectione Sedis Apostolicæ esse decrevisset: verùm etiam speciatim prædicto exercitui semel iterùmque sub excommunicatione prohibuisset, ne terras Christianorum, nisi omninò coacti, nullo verò modo Iaderam invaderent, possessam tunc à Rege Hungariæ qui Crucem contra Saracenos sumpserat; & iniquum censeretur occupatos Belli sacri causâ ita lædi: post captam Iaderam Franci, Germaníque pœnitentes misso Romam Episcopo Suessionensi qui in expeditione erat, cum suprà dicto Martino Abbate, & Ioanne quodam Martino Parisiensi, obtinuerunt quoad præterita absolutionem, sub juramento standi mandato Ecclesiæ pro satisfactione damnorum: & in futurum, si quidem Veneti (qui non solùm anteà audire contempserant Pontificis monita, verùm etiam & tum cùm Franci pœnitentiam profiterentur, nec ad pœnitentiam agendam, nec ad indulgentiam implorandam aliquatenùs inclinari valebant, tanquam qui gloriarentur cùm malè fecissent, & exultarent in rebus pessimis; ut expresse loquuntur Acta Vitæ Innocentij, ubi hæc minutim describuntur:) possent ad satisfactionem induci, & absolutionem obtinerent, securè cùm eis navigare possent: sin verò in obstinatione permanerent, quandoquidem non possent Franci absque eorum navibus in Syriam trajicere, possent cum Venetis etsi excommunicatis liberè pro rebus necessariis communicare, usque dum in terras hostium pervenissent; cum dolore tamen cordis, & spe veniæ: eò maximè quòd jam Veneti ab ipsis majorem nauli accepissent partem, nec ad ea possent restituenda induci vel cogi: ne alioqui Franci damnum ex pœnitentiâ, Veneti præmium ex contumaciâ reportare viderentur. Quod Innocentij eâ de re decretum integrum extat in ipsius Actis, & Epistolis [m]; decurtatum verò in Collectionibus [n] Decretalium eâ parte, quâ omninò prohibuit societatem belli cum Venetis quamdiù in excommunicatione permanerent; multis Scripturæ auctoritatibus quantùm id nefarium esset comprobans.

ABSOLVUNTUR POENITENTES.

[m] *Innoc. 6. ep. 102.*
[n] *Collect. 3. & extr. cap. si verè de sent. excom.*

VII. SILENTIUM VENETORŪ DE REBUS SUIS INDECORIS.

Hanc porro rem tantam cùm auctores Veneti omninò tacuerint: (verecundiâ, ut par est credere, fœditatis suæ:) non tamen Villarduinus, qui & prohibitionis ducibus ex parte Pontificis factæ per Abbatem Vallis Cisterciensem, & petitionis veniæ per Episcopum Suessionensem meminit. Expressiúsque rem narrans prædicti Abbatis nepos Petrus monachus Cisterciensis cœnobij Vallis-Sarnensis diœcesis Parisiensis, qui illam egregiè confirmat in Historiâ Simonis Comitis Montisfortis: dum pietatem Simonis, qui in expeditione erat, commendans, nobilissimum & omni memoriâ dignum ipsius facinus prodit; quo ferè quicquid præclari unquam bello gessit fortissimus alioqui ac fortunatissimus copiarum ductor, superavit: dum scilicèt unà cum aliis proceribus in obsidione Iaderæ existens, ubi audivit inhiberi à Pontifice sub excommunicatione, nequid incommodarent Iadernsibus; tum omninò negavit se contra ipsos pugnaturum; tum prædictum Abbatem Vallis-Sarnensis à Venetorum furore, necem ei inferre tentantium, quòd literas Pontificis eâ de re scriptas in conventu Procerum recitâsset, defendit: ac demùm, cùm post expugnatam à ceteris contra prohibitionem Pontificis Iaderam, aliâ rursùm ab eodem Pontifice expugnatores excommunicatione perculsi fuissent; ipse Simon non ampliùs sustinens cum iis commorari, aliâ viâ cum fratre suo Guidone, summo labore & dispendio perrexit in Syriam; (quantumvis eorum abscessum secùs interpretetur Villarduinus) & rebus contra Saracenos præclarè gestis insignes, soli penè ex omnibus proceribus redierunt in patriam incolumes. Scribit hæc pluribus Petrus [o]; qui unà cum prædicto Abbate patruo suo expeditionem Procerum comitatus, quæ vidit literis mandavit. Quem sanè non inde reprehendisset qui ejus Historiam edidit, si vel Acta Innocentij vel Epistolas; vel etiam Villarduinum, aut Guntherum, easdem excommunicationes & legationem pro absolutione ad Pontificem missam æquè attestantes, videlicet; quin potiùs ceteros expeditionis conscriptores affectati silentij jure arguisset.

ILLUSTRE FACINUS SIMONIS MONFORTII.

[o] *Hist. Albig. cap. 19.*

VIII. VENETI QUOQUE RESIPISCUNT, ET ABSOLVUNTUR.

Ceterùm & ipsum quoque Ducem Dandulum cum suis Venetis; tandem post captam primò Constantinopolim, absolutionem per legatos ab Innocentio postulâsse, excusantes ignorantiam de Iaderâ sub protectione Sedis Apostolicæ receptâ; Pontificem autem eam commisisse Petro Cardinali Capuano tituli S. Marcelli Legatione in Oriente fungenti, ut data à Venetis satisfactione, illos absolveret; intelligitur ex literis [p] ab Innocentio eâ de re scriptis. Ex Actis verò ejusdem Pontificis prætereà habetur, Petrum ab eodem Dandulo id exequi rogatum, Thesaurarium Nicosiensem Cypri misisse, qui id præstiterit post exhibitum ab iis secundùm formam Ecclesiæ juramentum; etiamsi in nullo adhuc satisfecissent de commissis; quòd mallet Petrus (ut loquuntur Acta) eos habere claudos quàm mortuos, præsertim ne ipsorum contagium ceteros inficeret.

[p] *Innoc. Regest. 7. ep. 202. 207.*

IX. ALEXIUS IMPLORAT AUXILIUM CRUCESIGNATORUM CŌTRA PATRUUM.

Cùm autem existente exercitu in hibernis apud Iaderam, accessisset eò Alexius quindecim annorum adolescentulus, filius Isaacij Angeli Imper. olim Constantinopolitani, quem vidimus à fratre Alexio excæcatum; qui patrui manus evadens, transtulerat se ad Philippum Suevum, Imperatorem in Germaniâ agentem, cui soror ejus nupserat; ab eóque impensè commendatus fuerat prædictis Proceribus apud Iaderam hiemantibus, paterno

IMPER. CONSTANTINOP.

Imperio restituendus: ísque insuper unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ, ingentiáque pro recuperatione Terræ Sanctæ præter expensarum exercitûs solutionem, & præmia singulis eximia polliceretur: esséntque alioqui tam Franci satis animati contra Græcos ob multas ab eis sæpè receptas injurias, ac speciatim ob occisum olim Alexium Imp. filium Emmanuelis qui sororem Philippi Francorum Regis duxerat: quàm Veneti, ob damna ac probra ab iisdem Græcis & Emmanuele non ita pridem accepta: His, inquam, de causis; necnon quòd ob rebellem discissionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ à Romanâ, existimarent illius urbis oppressionem haud fore Pontifici ingratam: demùm effectum est, ut omissis Syriacarum rerum consiliis; quæ multis etiam implicita videbantur difficultatibus, bellum Græcum ab iisdem Francis simul & Venetis uno animo susceptum fuerit: de cujus exitu posteà suo loco. Hæc autem prætereà tractant Guntherus, Rigordus, Sanutus, Nicetas, Sabellicus, Æmilius, & alij: necnon ipse Comes S.Pauli unus è proceribus [q] de expeditione Constantinopolitanâ ad Ducem Brabantiæ scriptâ. Ex Actis tamen Innocentij constat, ipsum Pontificem missis ad eosdem comminatoriis literis, etiam hanc Constantinopolitanam invasionem in favorem Alexij adolescentis susceptam, impedire conatum esse; quòd maximè cuperet Terræ Sanctæ quamprimùm subveniri, nec Crucesignatos Christianorum dissidiis componendis distineri: verumtamen quòd eam ipsi suscepisse se permissu Petri Cardinalis Legati posteà contestati sint, eamdem & ipsum Pontificem excusâsse, spe facilioris recuperationis Terræ Sanctæ, quam ipse tantoperè sitiebat.

[q] *Ext. in Annal. Godfr. mon. Colon. an. 1203.*

IESU CHRISTI Annus 1202.

INNOCENT. III. An. 5.

ALEXII ANG. An. 8.

I. De rebus Siculis.

ANNO Christi millesimo ducentesimo secundo, Indictione quintâ, inter alia quæ Innocentius Papa toto orbe diligenter & utiliter curavit; de Siciliæ regno sollicitus, quod Marcwaldus [a] Senescallus imperij, qui in præcipuâ gratiâ cum Henrico Imp. olim extiterat, vir potens, ingeniosus, & subdolus, sibi arte & armis subdere omni conatu, auxilióque etiam Saracenorum studens, pessumdare non cessabat, in gravissimum damnum Ecclesiæ, Regni, & Friderici pupilli, sæpè ideò excommunicatione perculsus, atque etiam aliquando armis repressus; idem Innocentius, ut Friderici potentiam novâ affinitate augeret, Constantiam Regis Aragonum sororem [b], quæ priùs nupserat Emerico Hungariæ Regi tunc defuncto, in matrimonium ei promitti fecit: (quam & posteà [c] Panormum ad id venientem duxit:) & interim Gualterum Comitem Brennæ, cui nupsisse vidimus filiam primogenitam Tancredi Regis, eóque capite Dux erat Tarenti & Comes Lucij, hærésque regni post Fridericum, misit contra Marcwaldum, & Episcopum Trajanum invasorem Sedis Panormitanæ, & Cancellarium regni, aliósque, excommunicatos, ac Sedi Apostolicæ rebelles; legato etiam in eamdem rem Petro Cardinale Portuense. De quo fertur in Actis Vitæ Innocentij, ubi ista prolixè narrantur, eo tempore quo idem Petrus in procinctu cujusdam certaminis, exercitui Gualteri benedixisset, & rebellium maledixisset, visam Crucem auream splendidissimam ante Gualterum miraculosè deferri, quâ hostes perterriti terga dederint magnâ acceptâ clade. Post quæ & Marcwaldus malâ calculi morte periit: atque occiso etiam magno Reipublicæ damno, Gualtero Brennensi à Teutonicis in obsidione cujusdam castri: tandem rebus cum ceteris compositis, reddita pax est universo regno virtute Comitis Riccardi fratris Pontificis. Vt de his omnibus tam ex iisdem Actis constat, quàm ex epistolis ab Innocentio ad diversos scriptis, quæ extant in ejus Regesto. Expeditionem autem Gualteri, animíque ejus magnitudinem, ac mortem, describunt auctores Itali, Francique.

[a] *Vid. Sigon. de reg. Ital. lib. 15. & 16.*
[b] *Innoc. 5. ep. 51. Surit. Reg. Aragon. lib. 1. an. 1208.*
[c] *Surit. an. 1209. Fazel. de reb. Sicul. Dec. 2. lib. 8. cap. 2.*

II. Turbæ Romanorum componuntur.

Quo tempore gravissimè ægrotâsse Innocentium Anagniæ, tradunt ejus Vitæ Acta; cùm ob turbas civiles Romanorum, quibus tum contra eum, tum inter se, primis ipsius Pontificatûs annis contenderunt, non semel coactus fuerit Vrbem deserere: quousque iidem suis ipsorum malis & calamitatibus defessi, non solùm se ipsius benignitati penitus submiserunt, sed etiam quietè ad ejus usque exitum egerunt; renunciantes quinquaginta sex virorum Senatui, quem illis concedere compulsus fuerat, & unico ut priùs contenti.

III. Privilegia Regi et Primati Armeniæ concessa.

Eodem anno Leo, sive Lievo, Rex Armeniæ, de quo suprà [d], & Ioannes Catholicus (ut vocabant) seu Primas Ecclesiæ ejusdem gentis, nuncios ad eumdem Innocentium miserunt [e], qui consensum eorum in fide cum Romanâ Ecclesiâ significârent; opémque adversus Comitem Tripolitanum, & Antiochenos ac Templarios ei adhærentes, à quibus gravissimas infestationes paterentur, implorarent: Rex verò insuper privilegium peteret, ut præter Romanum Pontificem, nemo in ipsum, vel Regnum ejus, aut quoscumque subditos, potestatem haberet excommunicationis vel interdicti: Catholicus autem, ut recens sibi ad eam dignitatem evecto pallium, annulum, & mitram transmittere dignaretur. Quod utrumque indulsit Innocentius: privilegium tamen Regis coartans, ut nonnisi à Romano Pontifice, vel ejus Legato, aut de speciali ejus mandato, nemo districtionem Ecclesiasticam exercere auderet. Controversia tamen Principatûs Antiochiæ, de quâ jam [f] dictum, non potuit à *Soffredo* tituli S.Praxedis, & *Petro* tituli S. Marcelli (nempè Capuense, olim diacono tituli S.Mariæ in Viâ-latâ, pluribus sub Innocentio legationibus insigni) presbyteris Cardinalibus Legatis in Oriente constitutis, componi; tam ob duritiem Comitis & Antiochensium, quàm propter conniventiam (ut Rex per literas questus est) Petri Cardinalis. Quare & posthâc sæpiùs eamdem rem necesse

[d] *Ann. 1199. IX.*
[e] *Act. Vit. Innoc. & Regest. 5. ep. 43. usque 48.*
[f] *d. num. IX.*

Cõtroversia de Principatu Antiochiæ.

fuit retractare; & multa certamina bellica ineunda, cladésque utrinque sustinendæ; quas referunt historici hujus temporis. Quæ autem hactenùs dicta sunt, desumpsimus ex Actis Vitæ Innocentij, ubi descriptæ habentur multiplices iis de rebus datæ ultrò citróque literæ; quæ etiam habentur in Regesto [g] Epistolarum.

[g] Lib. 5.

IV. De rebus Ecclesiæ et Regni Bulgariæ.

Cùm verò hoc item anno Calo-Ioannes Imperator, ut sese vocabat, Bulgarorum, & Blachorum, sive Walachorum, qui jugum Græcorum excusserant; ab Innocentio anteà literis salutatus, legationem ad eum hoc anno misisset, quâ devotionem suam erga Romanam Ecclesiam testatur, peteret sibi ab eâ coronam concedi, quam olim decessores ipsius ab eâdem suscipere consuevissent; eáque de re scripsisset etiam Basilius illius gentis Archiepiscopus: idem Pontifex misso confestim Ioanne Capellano suo, Sedis Apostolicæ Legato, qui res Ecclesiæ ibi componeret; pallium quoque eidem Basilio transmisit; coronam etiam Imperatoris spondens, postquàm de rerum illius regionis statu fuisset à Legato certior redditus. Qui quidem eò profectus, pallium, mitram, & annullum prædicto Archiepiscopo tradidit, recepto ab eo juramento obedientiæ Romano Pontifici in perpetuum exhibendæ: creansque duos alios metropolitanos, eosdem Basilio subjecit, primatum regni constituens Trinone nobiliori ceteris civitate. Quando & ipse Calo-joannes professionem edidit subjectionis Ecclesiæ suæ Regnique, Sedi Romanæ, ejúsque legibus & ritibus, à quibus olim Græcorum arte discissi fuerant: cùm tamen necdum corona ei impertita fuisset, quam posteà collatam videbimus. Hæc autem pleniùs tractantur in iisdem Actis Vitæ Innocentij; quæ etiam reperiuntur in Regesto [h] ejusdem Pontificis: quibus locis idem Calo-Ioannes sæpè Ioannucius vel Ioanninus vocatus reperitur.

[h] Lib. 3. & 6.

V. [i] Boëth. Hist. Scot. lib. 13. Munera Regi Scotiæ missa.

Hócque item anno [i], cùm Willelmus Scotiæ Rex concilium Procerum suorum indixisset, quo filio suo Alexandro tertium dumtaxat annum agenti fidem suam uti futuro Regi oppignerarent; pervenit eodem missus ab Innocentio Papâ Legatus, ensem, cujus capulus vaginâque aurea & gemmis distincta erant, & galerum purpureum indicium Ecclesiæ (uti volebat) defensoriis, afferens; multis insuper indulgentiis ac privilegiis eum honorans. Erat enim Princeps valdè pius; adeò ut & miraculis claruisse Boëtius asserat. Quare & Pontificiis muneribus gratum se exhibens, ac suasione Præsulum inductus, decrevit ut dies Sabbati à meridie sacer esset, neque exinde quisquam res profanas exerceret, sed rebus divinis vacaret, constitutâ adversus contemptores gravi mulctâ: multáque postmodùm sacra loca magnificè dotavit.

VI. De Regno Germanico. [k] Mut. Rer. Germ lib. 19. Dubrav. Rer. Boëm. lib. 15.

Pergebat interim Germania continuis partium Philippicarum & Othonianarum præliis, direptionibus, proditionibus, dissidiis, etiamque Ecclesiarum perturbationibus & Episcoporum factionibus, miserè desolari; nequicquàm Innocentio literis & legationibus medicinam tot ac tantis malis reperire satagente. Cùm præsenti anno [k] Philippus Othocaro Boëmiæ Regi graviter infensus quòd se relicto adhæsisset Othoni, eum regno indignum pronuncians, Theobaldum stirpis Boëmiæ principem adolescentem ex gymnasio Magdeburgensi evocavit, regnóque Boëmiæ jure proximitatis investivit. Ipsúmque Othocarum armis persequens, demùm cum eo reconciliatus, ut eum in partibus suis contineret, filiam suam Cunegundem filio ejus Wenceslao; puellulam puellulo despondit anno millesimo ducentesimo quinto; eóque pacto obsequentem sibi quamdiù vixit, habuit.

VII. Ioannes Rex Anglor. ob diversa crimina damnatur in Gallia.

In Galliâ, cùm renovatâ jam anno superiori simultate inter Philippum Francorum & Ioannem Angliæ Reges, immissus Arthurus Britannus in Aquitaniam, totam Pictonum nobilitatem sibi obsequentem contra Ioannem patruum suum habuisset, operâ Hugonis Comitis Marchiæ viri amplissimæ ac opulentissimæ cognationis, cujus sponsam sibi Ioannem abstulisse vidimus; post aliquos verò progressus, à Ioanne magnis itineribus cum expeditissimo milite accurrente priùs oppressus fuit quàm Philippus auxilio venire posset; captúsque prælio, post carcerem aliquot mensium, propriis patrui manibus necatus fuisset: Id parricidium matre adolescentis Constantiâ Ducissâ Britanniæ, ejúsque regionis Proceribus persequentibus apud Philippum supremum dominum; sed & Proceribus Aquitaniæ & Pictonum multa de iniquâ Ioannis dominatione apud eumdem Philippum conquerentibus; cùm & inter alia liberos [l] datos obsides à parentibus nobilibus qui cum Arthuro capti fuerant, suspendio necâsset: Philippus diem Ioanni dixit ad quam cùm neque adesset, neque excusaretur, judicio Parium Baronum Regni (quod fuisse primum Iudicium Parium Franciæ, cujus fiat mentio in Historiis Francorum, ab aliquibus [m] observatum reperimus:) infidelitatis scelerísque damnatus est, tum ob injurias Proceribus Aquitanis illatas; tum quòd immemor sacramenti Regi Francorum dicti, filium majoris fratris beneficiarium Francorum in finibus qui juris Francorum essent, neque legibus quæstione habitâ, neque cognoscentibus iis quorum hæ partes forent, patruus occidisset: constitutúmque eumdem Ioannem excidisse jure omnium provinciarum, finiúmque, quos beneficij nomine à Francorum Rege haberet. Post quæ armis rem agens Philippus, quà vi quà spontaneâ deditione quamplurima loca, ac integras aliquot provincias, odio Ioannis incensas, in potestatem suam redegit. Narrant hæc Rigordus, Brito, Parisius, Polydorus, & alij.

[l] Memor. Hist. &c.

[m] Bellefor. lib. 3. cap. 71. Masson. in Phil. Aug.

VIII. Innoc. PP. mittit ea de re legatos.

Quare odiis hominum, & armis Philippi Ioannes impar, fidem Innocentij Pontificis implorare coactus; fœdúsque, induciásque pactas, ac jusjurandum à Philippo violari dictitans, obtinuit mitti legatos, (videlicèt Abbates Cæsamarij & Trium Fontium) qui denuntiarent utrique Regi arma deponi, ecclesiásque restitui, quæ continua bella vel eversæ vel ad egestatem redactæ fuerant. Extatque in libris Iuris [n] Pontificij, ipsius Innocentij ad Antistites Galliarum tunc scripta epistola, causam jurisjurandi non servati ad cognitionem Sedis Apostolicæ pertinere,

ap. novit ille. Collect. 3. [n] extr. de iudic. Vid. infr. ann. 1203. XI, XII.

etiam cùm inter Reges res agitur, contendentis; cæteraque declarantis nequaquàm se intendere jurisdictionem aut potestatem ejus minuere, vel judicare de feudo, cujus ad Regem spectaret judicium. Auditis porrò legatis, cum minis interdicti dominij utriuslibet Regis qui mandata aspernaretur, etsi Ioannes libentissimè obsecuturum se testaretur; Philippus tamen certam sibi victoriam de manibus eripi indignum ratus; Pontificem appellavit, intereà se jus suum prosecuturum contestans. Quod apud Medontam gestum in octavis Assumptionis Beatissimæ Virginis præsentis anni, Rigordus habet qui adesse potuit. Rem verò præter alios Francorum historicos, prosequitur etiam breviter Æmilius [o]; & ex Anglicis Thomas de Walsingham [p], & Polydorus [q]; cùm Parisius & Westmonasteriensis legationis Pontificiæ non meminerint, fortè ut suo Regi parùm honorificæ: quem gulæ, luxuriæ, & avaritiæ dumtaxat attendisse interim dum Philippus terras ejus occuparet, tradunt. In Actis autem Vitæ Innocentij traditur, Legatos *Concilium* convocâsse apud civitatem *Meldensem*: (Rigordus *Medontam* habet, quæ Francis *Mante*, Meldis *Meaux* dicitur: sed potuit res utrobique tractari, cùm alioqui satis dissitæ sint urbes istæ ab invicem:) cùm verò Antistites pro Rege appellâssent Sedem Apostolicam, noluisse Legatos appellationi deferre, nisi jurâssent, omnes staturos Romæ die condictâ, sed indulgente Pontifice, aliquot tantùm omnium nomine ad prosequendam appellationem venisse; & cùm diu expectâssent, nec ullus adesset pro Rege Angliæ, liberos remissos esse. Quæ verò posthâc geri contigerit, dicetur inferiùs suis locis.

[o] Æmil. in Phil. Aug. [p] Walsingh. in Hypodig. Neustr. [q] Polyd. lib. 15.

CONCIL. MELDENSE IN EA CAUSA.

IX.

PRÆCLARUM EXEMPLUM MUTUÆ BENEVOLENTIÆ IN POLONIA.

Egregium verò planè, & omni memoriâ dignum, editum hoc eodem anno in Poloniâ magnanimitatis & fidei exemplum, nefas sit intactum præterire. Obierat [r] Mieciflaus Princeps ejus nominis Tertius, Senex dictus; & in Lescum cognomento Album egregiæ indolis adolescentem universorum ferè studiis pronis, quod & justus Princeps esset, & olim legitimè creatus post obitum patris sui Cazimiri, fraude Mieciflai bis principatu pulsus fuisset: evicêre tamen qui ei haud adeò favebant, ut eâ demùm lege principatum reciperet, si Govoricium Sendomiriensem Palatinum relegaret, principem in consilio ejus & amicitiâ locum obtinentem, quem illi exosum habebant. Missi itaque ad Lescum legati, mandata exponunt: cunctantemque Govorici causâ, fidi amici, ac de se benè meriti, ipse Govoricius ultrò hortatur ne suâ causâ tanta commoda negligeret: malè Lescum sibi suísque posteris consulturum esse, si propter se unum seniculum, & pauculos atque eos incertos dies vitæ suæ, in aliam familiam transferri Principatum sineret: libenter se pro ejus commodis atque honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet atque cuperet: felix ac sempiternâ posteritatis memoriâ gloriosum exilium illud suum fore, susceptum pro dignitate & amplitudine optimi Principis. Commovit Lescum ea Govoricij oratio, & insignis benevolentia cum animi magnitudine conjuncta, eam quidem in partem ut is illicò negaret tanti se facere Principatum, ut ejus adipiscendi gratiâ tam fidum consiliarium proderet. Principatum quidem duplici nomine ad se pertinere, quòd & heres Cazimiri esset, & à Conventu pridem electus & expetitus numquam se eo abdicâsset: Verùm tyrannicam illam vocem, *Si jus violandum sit, regnandi causâ violandum esse*, non placere sibi, qui justo & legitimo imperio suos regere, à patre & à majoribus suis didicisset: proinde alium sibi Proceres istis legibus quærerent: se in paternâ ditione suâ acquieturum, potiùs quàm per scelus Principatu potiturum: & cum his mandatis legatos dimisit mœstos. Electúsque ejus loco est *Wladislaus* Lasconogus Mieciflai Senis filius: qui tamen, nisi consentiente nominatim Lesco, Principatum inire noluit.

[r] Cromer. Rer. Polon. lib. 7.

X.

TARTARORUM PRIMORDIA.

Hoc item anno plerique omnes Scriptores, TARTARORUM, sive (ut obtinuit usus propter Tartaricam eorum immanitatem) TARTARORUM dominium sumpsisse initium ponunt; duce *Changio Chane*: quem Haytonus [s] Armenus, cui potissimùm antiquiora eorum primordia debemus, scribit (tempus tamen incertum relinquens) nonnullis visionibus animatum, ex fabro ferrario, vetulóque, à ceteris suis gentilibus, de voluntate divinâ persuasis, in Regem creatum, unum solum Deum colere jussisse (ita tamen ut & simul aliqua idola coluisse perhibeantur, quousque Mahometismum amplexi sunt; de quo posteà) cùm anteà ferè more bestiarum viventes, nullum cultum, aut legem, aut civilem consuetudinem scirent, gregibus solùm pascendis intenti, ac subinde pascuis quærendis vagantes: Indéque jugum excutientes Regis Indorum, cui hactenùs abjectè servierant, per vicinas provincias prædas agere cœpisse, ulteriùs posteà progressuros. Sunt qui velint à Totharim dictos, quasi dicas relictos, quemadmodùm in exercitu sæpè est quædam pars neglectior & contemptior: ut erat ea gens anteà vilissima, vectigal quibusvis pendens. Alij [t] à Tataro flumine, cujus accolæ Sumogli dicti sint, hoc est Mogli Tataríve aquatici; cùm & universæ gentis, quæ pluribus nationibus constabat, *Mogli* commune nomen fuisse Haytonus affirmet: E septem verò præcipuis nationibus primam dictam fuisse *Tatar*: unde fortè & quòd Changius ex illâ erat, tota gens nomen sumpserit. Constat autem fuisse genere Scythas; cùm Græci gentes illas universas quæ supra Caucasum intra & extra Imaum montem habitant usque ad Oceanum Indicum, Scythas promiscuè vocârint. Hósque Tataros ultra Caspium mare, & intra Imaum montem primò habitâsse [v] volunt: quidam [x] etiam eos esse, quos Plenius [y] *Tocharos*, Strabo [z] *Tacharos* [a], inter Scytharum gentes nominant; vel item [b] quos *Tractaros* idem Plinius [c] nuncupavit; haud dubiè cognitioni nostræ propriores, quàm qui Scythicæ Asiæ recessus incolunt. Cùm tamen nec desint [d], qui ex decem tribubus Hebræorum missis ultra montes Medorum & Persarum, & Orienti ac Septentrioni infusis, ortos Tartaros opinentur; cùm aliis de causis, tum quòd, ut diximus, nomen Tatari Hebraicè

[s] Hayton. cap. 16.

[t] Leunclav. in Pandect. Turc. [u] Cromer. rer. Polon. lib. 7. [x] Bizar. de reb. Pers. lib. 8. [y] Plin. lib. 6. cap. 17. [z] Strab. lib. 11. [a] Dubrav. Hist. Boëm. lib. 16. [b] Æmil. Hist. Franc. in Ludov. IX. Reinec. in Append. ad Hayton. cap. 16. [c] Plin. lib. 4. cap. 12. [d] Genebr. Chronol. lib. 1. an. Mund. 3443.

UNDE ORTI SINT.

& Syriacè ſonet derelictum, ac deſertum; & quòd etiamnum Hordæ (ut vocant, quæ vox multitudinem ſonat) & regna Tartariæ in Provinciis Septemtrionalibus aliqua nomina retinuerint tribuum Iſraelis, locorúmque Paleſtinæ: ut nec mirum ſit, Ruſſiam, Sarmatiam, Lituaniam, Moſcoviam, & ceteras verſus Tartariam regiones Iudæis abundare.

XI. Quæ tamen opinio, quamvis antiquiores habeat aſſertores [e], cùm minùs recipiatur; illud ſanè ex præcedentibus ſatis colligitur, apertè errare eos, qui quod Vincentius [f] Bellovacenſis, & M. Paulus [g] Venetus tradunt, Regem illum cui Changius (ſive ut alij vocant Gingis, vel Chingis, Paulo Chinchis dictus, Vincentio Gingiſchan, ſicut Gregoræ [h] Sitziſchan, Pachymerio [i] Tzinciſcan; ut tam nomen proprium quàm dignitatem comprehendat: eſt enim *Chan*, ſive *Cham*, princeps ſeu dominus; quam appellationem ſibi omnes Tartarorum Imperatores retinuerunt, ut Romani *Cæſaris*, ſeu *Auguſti*, Perſæ *Sophi*, Mauritani *Seriphij*, &c.) rebellavit, vocant *Presbyterum-Ioannem*, interpretantur dominatorem Æthiopiæ quæ ſub Ægypto eſt; qui eo nomine nobis cognitus, à ſuis vocatur *Belul-Ian*, hoc eſt pretioſus, ſive altus Ioannes: cùm Tartaricus à pleriſque omnibus collocetur in Aſianâ Indiâ. Et qui de nomine ſpecialiùs egerunt [k], tradunt imperâſſe in Aſiâ longè latéque Chriſtianum quemdam ſectâ Neſtorianum, cui nomen *Presbytero-Ioanni*, ſive quòd & Ioannes vocaretur & presbyter fuiſſet; ſive, ut alij volunt, quòd in honorem Ionæ Prophetæ à ſuis Ionas vocaretur, & cùm exiret in publicum Crux ei anteferretur: cùm verò aliquamdiù hoc Imperium floruiſſet ſub Regibus eodem communi nomine Presbyteri-Ioannis dictis; (cùm nihilominùs haberet quiſque ſuum proprium nomen: (demùm à Chinge deſtructum fuiſſe, vel admodùm debilitatum, occiſo Rege, quem plerique tunc proprio nomine Davidem dictum ferunt: Traditum autem eſſe à noſtris poſteà eumdem titulum Imperatori Æthiopiæ; quoniam cùm multa audita eſſent de illo Chriſtiano Imperio Presbyteri-Ioannis, nec verè ſciretur quo eſſet orbis loco; invento in Æthiopiâ Chriſtiano Principe longè maximo, creditum fuit illum ipſum eſſe qui anteà Presbyter-Ioannes nuncupabatur. Sed hæc fortè nimis modò extra rem; de quibus alius erit commodior dicendi locus [l].

[e] Pariſ. Hiſt. Angl. in Henr. III. ann. 1240. [f] Vincent. Spec. Hiſt. lib. 29. c. 69. [g] Paul. Ven. lib. 1. cap 51. [h] Greg. lib. 2. [i] Pachym. l. 5.

DE NOMINE PRESBYTERI-IOANNIS.

[k] Reinec. in Not. ad M. Paul. Ven. lib. 1. cap. 51. Nicol. Goding. de reb. Abaſſin. lib. 1. cap. 5.

[l] Infr. an. 1442. III. IV.

XII. De Tartarorum autem origine dictæ ſufficiant. De quorum fœdâ effigie, victu ferino, pravis moribus, impiâ religione, turpi vitæ conſuetudine, ſepulturæ ritu, crudelitate, perfidiâ, bellandi modo, multa qui de iis copioſiùs egerunt [m]. De quibus etiam agens ſub nomine Scytharum è Græcis Nicephorus Gregoras [n], mirè ſe involviſſe videtur: ſicuti & multi è Latinis fecerunt, tam in eorum diviſionibus & ſucceſſionibus, quàm & rebus geſtis. Ceterùm idem M. Paulus electionem Chingis in eorum Regem factam ait anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo: quidam etiam in alios referunt. Eum verò poſt regnum ſuſceptum, plurima bella geſſiſſe, ac finitimas ſibi provincias ſubegiſſe, omnes conſentiunt. De ejus autem ſucceſſorum in Chriſtianos progreſſibus, ceteríſque eorum rebus, dicendum ſæpè inferiùs ſuis locis.

[m] Pariſ. d. ann. 1240. Vinc. d. c. 69. uſque 89. & lib. 31. Paul. Ven. d. c. 51. uſque 60. Hayton. c 48. Sanut. Secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 13. cap. 3. & ſeqq. Anton. tit. 19. cap. 8. Sabell. Ennead. lib. 6. & 7. Michov. & Guaguin. in deſcript. Sarmat. Bonfin. Hiſt. Hungar. lib. 8. Bizar. de reb. Perſ. lib. 8. Dubrav. d. l. 16. Sigiſm. Herbeſt. de reb. Moſcov. & alij plurimi. [n] Greg d. l. 2.

XIII. DIRI TERRÆMOTUS IN ORIENTE.

Hoc interim anno, tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, circa diei crepuſculum, (ut tempus ſignat Robertus Monachus Altiſſiodorenſis in ſuâ Chronologiâ) audita eſt vox terribilis de cælo, & mugitus horribilis de terrâ, & & terræmotus facti ſunt tam horrendi in Oriente, ut Acconenſis urbis pars maxima, ipſúmque Regis palatium corruerit; Tyrus urbs munitiſſima ferè funditùs ſubverſa fuerit; Archas oppidum inexpugnabile in finibus Tripolitanis ad ſolum uſque dirutum; ipſáque Tripolis magnâ parte proſtrata: paucæ urbes maritimæ cladem hanc evaſerint, innumerabili ubique pereunte populo. Antarados civitas, quæ & Tortaſa dicebatur, incolumis permanſit; in quâ primam baſilicam S. Dei genitricis nomine Petrus Apoſtolus dum Antiochiam peteret ferebatur condidiſſe. Sequuta verò eſt ex corruptione aëris tanta mortalitas, ut tertia ferè pars eorum qui cladem terræmotus evaſerant, vel extincti fuerint, vel longâ ægritudine debilitati. Et cùm terræ fructus ſolito uberiores apparerent, ſubitâ nebulâ ita corruptæ ſunt ſegetes, ut vix dimidiam partem ſeminis reddiderint. Ita Altiſſiodorenſis; & Continuator Nangij: quorum etiam meminit Antoninus [o].

[o] Anton. tit. 17. cap. 9. §. 31.

IESU CHRISTI Annus 1203.

INNOC. III. Ann. 6.

ALEXII ANG. II. Ann. 1.

I. ANNO Chriſti milleſimo ducenteſimo tertio, Indictione ſextâ, Franci Venetíque, de quibus ſuprà [a], Iaderâ Conſtantinopolim navigantes cum Alexio Iuniore adverſus ejus patruum Alexium tyrannum: poſt felicem appulſum, & Francorum exſcenſum, quorum copiæ viginti millium peditum, octo equitum erant; ipſis terrâ, Venetis mari (quorum claſſis ſexaginta triremibus, ſeptuaginta onerariis, & centum viginti hippaginibus conſtabat) impigrè rem agentibus; poſt multa utrobique certamina, nequicquàm Græcis ingenti armatorum numero peditum equitúmque reſiſtentibus, urbémque propugnantibus; (namque epiſtolâ Procerum, de quâ poſteâ, ſexaginta millia equitum eos in armis habuiſſe aſſeritur; præter pedites, quos eodem numero recenſet Æmilius:) capta urbs eſt octavo oppugnationis die, magnâ hominum ſtrage, & ædificiorum ruinâ; ipſo Alexio tyranno interim fugâ lapſo. Môxque *Iſaacius* ſenex Auguſtus, tyranni frater, & Alexij adoleſcentis pater, è carcere eductus, acclamatus rurſùm eſt Imperator; unà cum filio ALEXIO, (qui coronatus eſt de more à Patriarchâ primâ die Auguſti, ut Villarduinus habet, in templo S. Sophiæ) cunctáque mox firmavit quæ filius Francis Venetíſque promiſiſſet.

[a] An. 1201. in fi.

CÔSTANTINOPOL. CAPITUR A LATINIS.

ALEX. II. IMP.

II. AUCTORES QUI

Quomodò autem iſthæc ſeſe habuerint, non tam ex Nicetâ hiſtorico Græco, qui tunc

DE HAC EXPUGNATIONE EGERUNT.

fuit Constantinopoli, petenda sunt; quòd homo schismatis Græcorum studiosissimus, amarissimo animo ea scribens, totus sit in evomendo acerbitatis suæ veneno in prædictos Latinos, qui Alexium Iuniorem Constantinopolim deduxerunt; ipsúmquemet Alexium, quòd thesauros Imperij in eos effundere, & Ecclesiam Græcam Romanæ subjicere in animum induxisset: quàm ex Günthero in Historiâ Cōstantinopolitanâ, & Literis ab ipsismet Francorum ducibus nudâ, ut patet, simplicitate post rem gestam scriptis iisdem verbis ad Innocentium Pontificem Romam, & Othonem Imp. in Germaniam; quæ describuntur in Actis, & Epistolis [b] Innocentij, & apud Arnoldum Abbatem Lubecensem in Chronico Sclavorum; [c] quas & encyclicas esse voluerunt, Necnon ex aliis prolixioribus privatim à Comite sancti Pauli scriptis ad Henricum Ducem Brabantiæ, quas recitat Godefridus monachus S. Pantaleonis Coloniensis in suis Annalibus: ex quibus eadem summatim refert Rigordus [d]; & Robertus Altissiodorensis in suâ Chronologiâ, ex Historia, ut puto, prædicti Villarduini qui aderat. Tractántque eadem Sabellicus, [e] Blondus [f], ac præ cæteris elegantissimè Æmilius, sed in quibusdam nonnihil diversè ab iis literis. Captam verò fuisse Constantinopolim mense Iulio hujus Indictionis sextæ, scribit Nicetas; postquàm Alexius, qui aufugit, imperâsset annos octo menses tres dies decem: consentiúntque de tempore expugnationis ceteri.

[b] Innoc. 6. p. 11.
[c] Lib. 6. c. 19.
[d] Rigord. de reb. gest. Phil. Aug. 1201.
[e] Sabell. 9. En. 5. & 1. en. 8.
[f] Blond. dec. 2. lib. 6.
[g] Æmil. in Phil. Aug.

III. PHILIPPUS REX NORTHMANNIAM RECUPERAT.

Quo eodem tempore cùm in Galliâ Rex Angliæ Ioannes bello non sufficeret adversus Philippum Francorum Regem, abscessit in Angliam: Philippus verò totâ potitus est Northmanniâ, ducentis nonaginta & uno annis (non trecentis, ut Brito; vel trecentis sexdecim ut Rigordus; nec tantùm ducentis septuaginta, ut Æmilius colligit) postquàm attributa ea fuerat à Carolo Simplice Duci Rolloni: nimirum anno Christi 912. ut habent omnes historiæ Northmannicæ; quando Rolloni Christianorum fidem suscipienti Carolus filiam suam Gislam in matrimonium collocavit: cùm tamen Rollo Rotomagum primùm occupâsset anno Christi 876. nimirùm trecentis viginti septem antehàc annis. Ceterùm deditionem Philippo factam urbs Rotomagi, quæ caput est totius provinciæ nonnisi anno sequenti Parisius ponit: sed Rigordus præsenti, in festo S. Ioannis Baptistæ. Post quæ, ut iidem aliíque auctores habent, Philippus tam Aquitaniam, quàm ceterum quicquid Anglorum in universâ Galliâ fuit, quà vi quà deditione aliquot annis in suam potestatem redegit Ioanne aut nihil contrà obnitente, aut infelici demùm exitu recuperationem tentante.

IV. INNOC. PP. GESTA ERGA PRINCIPES, ET SUBDITOS ECCL. ROM.

Intereà Innocentius Papa, tam pacem eorumdem Regum variis missis & literis, censurarúmque etiam comminatione curans, ut eorum arma in bellum sacrum Palæstinæ converteret; (quod tantâ animi contentione promovere satagebat, ut etiam qui voto ejus sese obligâssent, eos nisi adimplerent, excommunicatione percelleret:) quàm ceteris ubique corrigendis atque optimè dirigendis intentus, inter alia plurima, quæ hoc anno præstitit, eumdem Philippum Regem ut Reginam conjugem suam, quam malè habebat, uti Reginam & conjugem coleret & amaret: eumdémque Ioannem, ut Ecclesias & Episcopos persequi desineret; & Alfonsum Regem Castellæ, ut permitteret dissolutionem incesti matrimonij inter ejus filiam & Petrum Aragoniæ Regem illicitè contracti; sub pœnis & censuris monuit. Siculis & Apulis, Magistratibus Romanæ Ecclesiæ sacramentum præstare; Sardis item, præter idem fidelitatis juramentum, utpotè de patrimonio sancti Petri in temporalibus, etiam censum Romanæ Ecclesiæ debitum, absque ullâ tergiversatione persolvere; paritérque Ianuensibus, & ipsis de donario Sedis Apostolicæ existentibus, duos solidos affortiatorum annuatim de domibus singulis nomine censûs pendere præcepit: ut sunt de his omnibus ejus epistolæ in Regesto [h] illarum.

[h] Innoc. Regest. lib. 6.

V. PATRIARCHÆ IEROSOL. HUIUS TEMPORIS.

Cùm verò mortuo Heraclio Patriarchâ Ierosolymitano post sedis annos viginti quatuor, canonici in ejus successorem elegissent Goffredum, sive *Soffredum* S. R. E. Cardinalem tituli S. Praxedis, quem vidimus in Orientem ad res Palæstinæ promovendas ab eodem Innocentio legatum; eumdem idem Pontifex confirmavit [i], eíque mandavit ut se consecrari toleraret, atque interim animum in afflictionibus non desponderet, sed auxilia submissa patienter expectaret. Recusante tamen omninò Soffredo eam dignitatem, electus est anno sequenti [k] *Albertus* Vercellensis Episcopus, absens quidem corpore, sed vitæ & scientiæ famâ præsens: ad quem extant [l] ejusdem Pontificis ad onus suscipiendum hortatoriæ literæ. Quem humiliter acquiescentem Romam venisse, & in Patriarcham ac Legatum Sedis Apostolicæ promotum in Syriam navigasse, Acta Vitæ Innocentij tradunt. Idémque in serie Patriarcharum Ierosolymitanorum [m] ponitur sedisse ab obitu Heraclij annos viginti tres [n]; & contra eum *Dositheus* Græcus.

[i] Ibid.
[k] Onuphr. in Chron. ann. 1204.
[l] In Act. Vit. & Reg. 7. ep. 222.
[m] Ap. Onuphr. & Genebr. in Chr.
[n] Vid. infr. ann. 1215. num. pen.

VI. DE MIRABILI IMAGINE B. MARIÆ.

Hoc eodem tempore observant nonnulli miracula fieri solita ex oleo limpidissimo & maximè odorifero, mirabiliter emanante à quâdam Imagine S. Mariæ pictâ in tabulâ ligneâ, positâ in quodam loco Sardenai dicto prope Damascum; ad quem Ierosolymis delata fuerat; quo infirmi quique sanari consueverant. Inter quos Soldanus Damascenorum oculis captus ad locum accedens, Saracenus licet visum ejusmodi olei illitione recepit, qui in grati animi testimonium, oleum in perpetuum assignavit, quod ante prædictam Imaginem continuò arderet. Inter mira verò quæ acciderunt, insignia planè fuêre quòd & Imago à mamillis sursùm incarnata est super lignum, unde liquor guttatim incessanter distillare cœpit; & quantumcumque inde acciperetur, nihil tamen minueretur; atque etiam aliquando oleum ipsum in carnem solidatum fuerit. Quibus omnibus effectum est, ut & fides Catholica per universum Orientem confirmatior extiterit, & plurimi Saracenorum ad eam profitendam allecti fuerint. Meminit horum breviter Matthæus Westmonasteriensis hoc anno & sequenti, ex prolixiori historiæ Imaginis narratione, ut apparet,

[o] Vinc. lib. 31. cap. 66. [p] Arnol. lib. 7. Chronol. Slavor. c. 10.

Matthæi Parisij: cujus & meminit æqualis Parisij Vincentius [o]: antiquiorémque etiam de eâdem narrationem reperimus apud Arnoldum Lubecensem, ex relatione itineris facti in Ægyptum anno Domini millesimo centesimo septuagesimo quinto à Gerardo Vicedomino Argentinensi, jussu Friderici Imp. Ænobarbi, ubi & dicitur, Imaginem illam delatam primùm fuisse in prædictum locum Saydaneidam (ut vocat) anno Incarnationis Dominicæ 870. ejúsque oleo non Christianos solùm, sed & Iudæos ac Saracenos curari consuevisse.

Iesu Christi Annus 1204.

Innoc. III. Ann. 7.

Balduini Ann. 1.

I. Seditio Cōstantinopoli contra Impp.

Anno Christi millesimo ducentesimo quarto, Indictione septimâ, cùm Latinorum exercitus apud Constantinopolim hiemaret, Francis in castris ex adverso urbis interjacente portu locatis, Venetis in navibus suis sese continentibus interim dum Isaacius & Alexius Augusti præstarent quæ pro suâ in Imperium restitutione promiserant, & tempus navigationi Syriacæ opportunum adveniret: orta inter hæc est grandis seditio in urbe à Græcis collationem ingentis pecuniæ gravissimè ferentibus, ignem præcipuè incendente Alexio Ducâ, cui ob conjuncta supercilia & velut oculis imminentia *Murtzuphli* cognomentum ab æqualibus inditum fuerat, regni cupiditate flagrante; quem idem juvenis Alexius Protovestiarij amplissimâ dignitate nuper ornaverat; sive ut multi scribunt, Imperiali sanguine satus esset, sive, ut alij, ab infimâ plebe ab Isaacio ad patriciatum evectus fuisset. Quare ad finem mensis Ianuarij, seditiosi convitiis Imperatores insectantes, primò adolescentem quendam *Nicolàum Canabum* invitum Imperatorem in Ecclesiâ inaugurârunt: deinde verò cùm Alexius adolescens ad eum submovendum Montisferrati Marchionem propinquum suum cum Latinis copiis in palatium evocare destinâsset; (animam enim inter hæc Isaacius agebat, sive dolore rerum præsentium sive aliâ occultiore causâ extinctus) re detectâ Ducas, consilio cum suis inito, specie Alexium, qui intimè ei fidebat, subducendi incursui concitatæ plebis, insigni proditione in teterrimum carcerem conjecit: & sumptis confestim Imperij insignibus, etiam Canabum, à suis mox derelictum, captúmque custodiæ mancipavit; ipsúmque Alexium, veneno bis frustrà tentatum, laqueo propriis manibus sceleratissimè necavit mense Imperij sexto, die octavo. Hæc ex Nicetâ: qui & conqueritur, se ipso statim initio *Alexij Ducæ Murtzuphli* fuisse ab eo remotum officio Logothetæ secretorum, ut illud traderetur Philocatio ipsius Murtzuphli socero, viro ejusmodi dignitati longè impari.

Alexius necatur, Murtzuphlus invadit Imperium.

II.

Posteà verò cùm idem Murtzuphlus (Myrtilum etiam multi vocant) armatas copias in Francos educens, præferri jussisset à sacerdotibus, insignibus suis amictis, sacram Imaginem Beatissimæ Virginis, quam Imperatores Constantinopolitani secum in expeditionibus tanquam belli sociam deferre consueverant: initáque pugnâ, Græci fusi fugatíque, ac in urbem compulsi magnâ cæde fuissent: capta est etiam unà cum vexillo Imperatorio sacra Virginis Imago; firmâ inde factâ Francis certæ victoriæ spe, quòd numen urbis tutelare à Græcis ad se transivisset. Quæ quidem Imago putatur illa esse, quam Græci vocabant νικοποιὸν, *victoriæ effectricem*; de quâ crebra mentio apud Zonaram, Cedrenum, Nicephorum; quámque ab Imperatoribus Ioannibus Zemisce & Comneno curru triumphali post adeptas victorias reductam aliàs vidimus. Volúntque Veneti, eamdem illam esse, quæ modò in Ecclesia S. Marci asservata, circumlatáque piis per forum precibus, tempestates sedat, Solémque inducit; contrariáque ratione nubes pluviásque ciet: ut refert Iustinianus libro secundo Historiæ Venetæ. Ex literis porrò Innocentij Papæ intelligitur; cùm Veneti post captam urbem, Imaginem B. Virginis quæ in sacrario basilicæ S. Sophiæ Constantinopoli asservabatur, à S. Lucâ, ut ferebatur, depictam, effractis sacrarij foribus abstulissent eos à Thomâ Patriarchâ ob istud sacrilegium anathemate perculsos fuisse; atque Innocentium Papam sententiam Thomæ confirmâsse, & ut Imago restitueretur, auctorem fuisse.

De Imagine B. Mariæ Nicopio.

[a] Innoc. Epist. lib. 3 sup. negot. Imp. ep. 137.

III.

Post illam autem victoriam Francorum, renovato inter eos ac Venetos sanctiori fœdere, ut communi animo consilióque oppugnatio urbis, totiúsque subactio Imperij susciperetur, & cùm debellatum esset, quæ in potestatem venissent æquis portionibus dividerentur: inde sexaginta ampliùs diebus, nullâ fermè nec diu nec noctu quiete datâ, acriter terrâ maríque urbe oppugnatâ, cùm jam quâdam parte expugnatam cerneret Murtzuphlus, fugâ sibi consuluit, post duos menses & dies sedecim occupati Imperij: nec valens *Theodorus Lascaris*, Alexij Angeli tyranni gener (qui insanâ eo rerum statu, præsentissimâque Imperij calamitate, cum Theodoro Ducâ de Principatu concertatione, Cleri suffragio in Murtzuphli locum tumultuariè suffectus est Imperator) Latinos urbe propellere; fugiens & ipse, eam illis diripiendam reliquit. Quam quidem receptam esse hoc anno Christi millesimo ducentesimo quarto, Indictione septimâ, pridie Idus Aprilis, feriâ secundâ post passionem Domini, ex Nicetâ constat, & ex Villarduino, atque Altissidorensi, necnon ex literis encyclicis paulò pòst de totâ re gestâ à Balduino Imperatore scriptis ad universos Christi fideles, quas recitat Arnoldus in Chronico [b] Slavorum, iisdémque missis ad Summum Pontificem, ut habentur in ipsius Actis & Regesto [c]; necnon privatim ad Adolfum Archiepiscopum Coloniensem, quas suis Annalibus inseruit Godofridus monachus: mutatis tantùm in singulis quæ mutanda essent, secundùm personas ad quas mittebantur. Et in Pontificiis quidem additur Balduini vehemens ad Innocentium hortatio & obsecratio, ut exemplo multorum è suis decessoribus dignaretur Ecclesiam Constantinopolitanam suâ præsentiâ visitare, & Concilium ibi celebrare ad stabiliendam

Cōstantinopolis iterùm capitur a Latinis.

[b] Lib. 6. cap. 20.
[c] 7. ep. 152.

eam Ecclesiam, & perfectè uniendam Romanæ: ac postremò Dandulum cæterósque Venetos ei obnixè commendat, ut viros omni favore dignos.

IV. VNDE HÆC CLADES IN GRÆCOS.

Differunt autem ejusmodi Balduini litteræ in nonnullis à Nicetâ: eóque maximè quòd Nicetas tragicè direptionem urbis, sacrorum profanationem, aliáque scelera in ejusmodi urbium expugnationibus patrari contra fas justúmque solita describens, Latinos immensis probris, inexpiabili cæteroqui in Ecclesiam Romanam odio actus, onerat: literæ verò, sicuti & cæteri auctores ac præcipuè Villarduinus qui aderat, omnem culpam tam in Murtzuphlum proditorem & fœdifragum, quàm in ipsosmet Imperatores Isaacium & Alexium rejiciunt, quòd ingratissimos se in Latinos exhibentes, sive ex innatâ genti perfidiâ, sive plebis tumultibus incitati, Latinos perdere quæsierint. Præter quæ etiam antiquiora respiciens districtus Iudex, (inquit Otto de S. Blasio) injurias peregrinorum suorum vindicavit, quæ à Græcis ab antiquo omnibus Ierosolymam per fines suos tendentibus semper irrogatæ sunt. Deus ultionum Dominus reddens retributionem superbis: nec tamen in irâ misericordiæ suæ oblitus, quòd hoc flagellum non à Paganis, sed à Christianis super filios pestilentiæ induxit: hoc nimirùm meritis Sanctorum exigentibus, nec præclaræ eorum Reliquiæ manibus Paganorum polluerentur, sed à Christianis aliò translatæ, debito colerentur honore. Ita Otto. De damnis autem, & insidiis atque injuriis Græcorum in Latinas ad Orientem expeditiones, dictum est suis locis. Quæ verò de hâc clade urbis tam Græci quàm Latini diversè referunt, videtur utrosque utcumque conciliare voluisse Æmilius dum & ipse rem accuratè narrans, prævios habuit Blondum & Sabellicum errantem tamen istum minimè secutus, dum hæc contigisse posuit anno millesimo ducentesimo secundo humanæ salutis; quod & alij quoque asseruisse reperiuntur nonnulli etiam fœdiori lapsu anno millesimo ducentesimo. Huic enim anno millesimo ducentesimo quarto apprimè etiam convenit alia supputatio Græcorum. Cùm enim ex Zonarâ[d] constet, annos urbis numerandos esse ab anno Mundi (ut ipsi numerabant) 5838. & Nicetas dicat captam fuisse anno 6712. si ab hoc posteriori numero priorem dempseris, restabunt 874. quibus si junxeris 330. qui fluxerūt à Christi Nativitate ad dedicationem urbis Constantinopolitanæ, reperiuntur 1204. Tunc enim cœptos esse numerari annos ab urbe conditâ cùm dedicata est, nulli potest esse dubium.

De tempore captæ urbis.
[d] Zonar. tom. 3. Hist.
[e] In Epit. Baron.

V. ORACULA ANTIQUA DE EJUS CLADE.

Quod autem observat Nicetas, hanc urbis cladem nullo nec cœlesti nec terrestri portento præsignificatam esse; sunt nihilominùs apud Tzetzen[f], qui paulò antè vixit, oracula duo, quæ Constantinopoli vulgò jactari solita tradit: nempè *Bos mugiet, & taurus lugebit: & væ tibi, septicollis, mille annos non ages.* Quæ quidem Tzetzes argutè interpretari in bonum & laudem Imperij & urbis videri voluit. Gyllius verò de hâc ejus expugnatione intellexit; quâ per Latinos Græcorum tyrannorum alij ex Tauri summâ columnâ præcipitati, alij ad Bovem æreum (quæ loca erant ejus urbis) combusti. Et quod ad durationem urbis spectat; scribit Zonaras, Constantinum Magnum, postquàm urbem absolvisset, vocâsse præstantissimum quendam astronomum nomine Valentem, ac præcepisse ut ejus sidus natalitium & horoscopum observaret, ut nosceret quot annos esset permansura; Valentem autem sexcentos & nonaginta sex annos tribuisse. Sed ut sunt fallaces hujusmodi artes, ita nec convenit hic numerus cum annis Græcæ, nec cum annis æræ Latinæ, ut possit ad hanc Constantinopoleos expugnationem aptari; quâ sanè neque illa destructa fuisse dici potest, quamvis magnam cladem acceperit; ac præcipuè ab igne, quem ter pauco tempore eam fœdissimè deformâsse, Villarduinus testis oculatus narrat, & dolet.

[f] Tzetz. Chil. 9. hist. 277. & 278.
[g] Gyll. Topogr. Constant. lib. 4. cap. 2.

VI. ALIA ORACULA.

Quodque ad oracula rursùm attinet, reperimus item apud Sanutum[h] & Sabellicum[i], vaticinium aliud, quod pro Sibyllino habitum volunt, de Romano Imperio Byzantium transferendo, & mutationibus aliquot posteriorum Imperatorum, hujúsque Latinorum occupatione; *Æneadum gloria Byzantium deducetur, eruntque Danai in robore delicato usque ad Leonem sexaginta pedes: donec catulos ejus ursus devoret: hinc aquila despecta ursum dissipet; aquilam hircus obtenebret, pullum voret aquilæ: fiétque potentum in aquis Adriaticis congregatio; cæco duce hircum abigent, Byzantium profanabunt. Hircus non balabit, gallus non cantabit, usque dum quinquaginta quatuor pedes, & novem pollices semisque præmensurati discurrant.* Hoc est, ut interpretantur, Romanum imperium transferetur Byzantium; eritque pacatum usque ad Emmanuelem Imperatorem qui vivet sexaginta annis: cujus liberos Andronicus perimet: Isaacius excæcatus Andronicum obtruncabit: Alexius ritu Græcanico barbatus privabit luminibus, & filium ejus Alexium vexabit. Tunc proceres Galli Venetis juncti, Dadulo duce Alexium tyrannum regno pellent, Constantinopolim diripient: nec erit ampliùs Imperator Græcus, neque Patriarcha, per quinquaginta quatuor annos, novem menses cum dimidio, quanto tempore erit urbs in potestate Latinorum. Hoc enim tempus disertè habet Sanutus; & ex eo Corius[k] illud ipsum vaticinium recitans: cùm apud Sabellicum legatur *sexaginta tres pedes & pollices novem*; quod omninò notandum duximus, ob plerorumque auctorum discrepantiam in definiendo tempore quo Latini Constantinopolim possederunt; de quo dicetur posteà[l]. Denique haud omittimus quod apud alios antiquos chronographos[m] reperimus, Constantinopolitanos vix credere potuisse occupationem urbis, eò quòd prædictum fuisse eam nunquam captum iri nisi per Angelum: hostes autem ingressos esse per murum ubi Angelus depictus erat, sícque se ænigmate delusos sensisse. Iamque de vaticiniis satis, seu veris illis, seu fictis: quæ quidem ut exposita sunt, adimpleta esse constat.

[h] Sanut. l. 3. par. 11. cap. 1.
[i] Sabell. 9. Ennead. 6. & 1. dec. 8.
[k] Cor. hist. Mediol. an. 1202.
[l] Infr. an. 1261. VIII.
[m] Mart. Pol. Landulph. de Col. Ptol. Lucens.

VII. TRACTATUR DE ELIGENDO IMP. LATINO.

Cæterùm urbe receptâ, rebúsque pro tempore compositis, de creando Imperatore consultatio Procerum est habita: nonnullísque censentibus (ut Æmilius habet) unum oportere esse nominis Christiani Imperium, ut unum Pontificatum maximum, & quòd Irene filia Isaacij legitimi Imp. una reliqua ejus soboles, conjugio juncta esset Philippo Imperatorem

in Germaniâ agenti, Franci nominis amantissimo, nec à Venetis alieno, deferendam eidem Philippo etiam esse rei Græcæ summam: majori tamen parti visa eadem res Græca est præsenti Augustæ majestatis moderatore indigere, qui ex propinquo ferre opem Latinis sacro bello posset. Itaque ex conventione creatis nonnullis, quibus Imperatoris eligendi jus ac potestas esset: (conveniúntque plures recentiores auctores, fuisse quindecim creatos electores; videlicèt Episcopos qui Proceres comitati fuerant, Suessionensem, Trecensem, Halberstatensem, unà cum Bethleemitâ, qui è Syriâ advenerat, & Abbate Lucedij: Comites Flandriæ, Blesensium, S. Pauli, & Brennæ, cum Marchione Monferratensi, exercitûs duce: & ex Venetâ nobilitate quinque reliquos: cùm tamen in literis ipsius Balduini electi Imp. necnon apud Villarduinum qui aderat, & Altissiodorensem, nonnisi duodecim mentio fiat; hoc est, Episcoporum Suessionensis, Halberstatensis, Trecensis, Bethleemitani, qui Apostolicâ auctoritate advenerat, Acconensis electi, & Abbatis Lucedij, cum sex nobilibus Venetis: isque numerus disertè præscribatur in pactis conventis inter ipsos antequàm civitas caperetur, & in scriptum redactis; quæ recitantur cùm alibi, tum in Actis Vitæ Innocentij: quibus sanè majorem fidem habendam, nemo dubitet: cùm & prætereà apud Guntherum, & in antiquo Chronico manuscripto Andreæ Danduli Venetiarum Ducis, nonnisi duodecim fiat mentio: ac denique ex Villarduino qui rem vidit omninò constet, nec Monferratensem nec Flandrum inter electores fuisse, cùm nullum esset dubium quin alter eorum eligendus foret,) uno eorumdem duodecim consensu in templo Sanctorum Apostolorum convenientium, Dominicâ *Misericordia Domini*, post rem divinam celebratam, electus est in Imperatorem idem Comes Flandriæ BALDUINUS, & Dominicâ sequenti *Iubilate* à prædictis Episcopis coronâ ceterísque insignibus Imperialibus ornatus; ut disertè habetur in iisdem literis ipsius Balduini, quam fuisse diem decimam sextam Maij, ex eo constat, quòd eo anno Pascha, exemplo rarissimo, inciderit in vigesimam quintam diem Aprilis, quæ sacra est S. Marco. Egisse verò tunc Balduinum annum ætatis dumtaxat trigesimum secundum, omnes consentiunt: fuisséque virum fortem, pium, modestum, ac justum, non solùm nostri, sed ipse etiam Nicetas ingenuè fatetur. Arte tamen Ducis Danduli electum eum fuisse asserit; ne si Monferratensis eligeretur, & aliqua Venetis controversia cum illo incideret, is faciliùs Venetis incommodare ob antiqui dominij vicinitatem posset, quàm Balduinus, aut quivis alius Francorum, qui remotissimi à Venetis essent. Iactant verò & Veneti [a], (quod ceteri omnes tacent; nec verisimile videtur de homine cæco senio confecto, nisi fortè honoris causâ aliqua de eo facta fuerit mentio) Imperium Proceres Dandulo deferre voluisse; sed unius ex electoribus Venetis suasione exterum virum delectum, ut Veneti eâ curâ tutandi Imperij adversus efferas gentes levarentur.

Numerus electorum. — *Balduinus eligitur Imp.*

[a] *Pet. Iustin. lib. 2.*

VIII. Cùm autem sic inter illos conventum fuisset, (sicuti habetur in Actis Innocentij, & apud Blondum, Sabellicum, & alios Italos: nihil enim de eo apud Francos illos antiquos, nec in literis Balduini Imp.) ut quorum pars Imperatorem haberet, alteri cederet gentis suæ Patriarcham; creatus est Latinorum primus THOMAS *Maurocenus* nobilis Venetus; superstite licèt Ioanne Camatero Græco, qui captâ urbe, unà cum Nicetâ aliísque plurimis inde se recepit. Divisis posteà provinciis, insulæ maris Ægei Venetis cesserunt: quibus & Monferratensis Cretam, sibi anteà ab Alexio Iuniore, cui paternâ & avitâ cognatione conjunctus erat, donatam, acceptâ magnâ vi auri concessit: ipséque Thessaliâ ac Peloponneso à Balduino donatus, Rex earum provinciarum salutatus est. Paritérque Godefridus è Tricassium nobilitate summæ virtutis vir, Dux Athenarum & Achaiæ Princeps declaratus. Ita tamen ut tam iidem, quàm ceteri quicumque donabantur urbium regionúmque ditionibus, eas beneficio Balduini Imperatoris possiderent.

Thom. Mauroc. primus Patr. Constant. Latinus.

IX. Itaque Ecclesiâ Græcâ Pontificis Romani dicto parere post tot sæcula incipiente; Thomas electus Patriarcha confestim Romam ad Innocentium Papam profectus, adeptæ ab eo dignitatis confirmationem obtinuit; ut Veneti scriptores produnt. Cujus tamen electionem primò à Pontifice nullam declaratam esse, eo quòd contra canones à clericis potestatem non habentibus, à laïcis facta fuisset; sed precibus Imperatoris Balduini, eumdem, olim suum subdiaconum, ac propterea sibi probè notum, dignúmque eo throno existimatum, suâ auctoritate elegisse, & electum confirmâsse ac consecrâsse; apud S. Antoninum [o] legitur; & intelligitur ex Actis Vitæ & Literis [p] ejusdem Innocentij eâ de re tunc scriptis. Quibus etiam apparet, eumdem Thomam, post consecrationem à Pontifice acceptam, Venetias petiisse, ibíque coactum à Venetis certa cum ipsis pacta inire, ac præcipuè de beneficiis Ecclesiasticis non aliis conferendis quàm Venetis; quæ Pontifex irritaverit: cúmque demùm Constantinopolim appulisset, à clericis Francis minimè receptum esse, quòd causarentur ejus electionem subreptitiam extitisse; donec à Stephano Legato illuc misso concordia inita est.

Eius electio cõtrovertitur, et confirmatur à Pont.

[o] *Anton. par. 3. tit. 19. cap. 2. §. 3.* [p] *Reg. Innoc. 7. ep. 203. & seqq.*

X. Ceterùm & Balduinum quoque Imp. ac Dandulum Ducem, legatos ad eumdem Pontificem misisse, ut rata omnia haberet, quæ de ipsius Balduini electione, & Provinciarum partitione ac distributione gesta fuissent: iisdémque Pontificem, post gravissimam increpationem de sacrilegiis ac direptionibus in urbis occupatione perpetratis, annuisse; monuisse tamen ut ceteros Græcos schismate præcisos ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ revocari curarent, & in eorum Ecclesiis ritus Latinos introduci; ne verò Principes possessiones Ecclesiarum (quod decreverant) inter se dividerent, sed eas integras omninò relinquerent, districtè mandâsse sub pœnâ anathematis; constat ex diversis aliis epistolis tunc ultrò citróque scriptis, quæ habentur in dictis ejusdem Pontificis Vitæ & Actis & Regestis [q].

Confirmatur electio Balduini ab Innoc. PP.

[q] *d. l. 7. ep. 152. & seqq.*

XI. Ex hâc verò Imperij discissione, multi quoque è Græcis urbe elapsis novos sibi in Asiâ Principatus, interim dum Latini provin-

Partitio re-

LIQUI IMPERII INTER GRÆCOS.

ciis Europæis recipiendis attenderent, constituerunt; non parùm & ipsi inter se de dominatione ac finibus concertantes. Inter quos præcipuus *Theodorus Lascaris* trigesimum ætatis annum agens. Nicææ in Bithyniâ Imperij insignia accipiens, cujus titulum ei collatum vidimus in direptione urbis, cæteris latiùs imperavit. Aliásque sibi Michaël, David, & Alexius Comneni Imperatorij sanguinis provincias occupantes, Michaël partem Epiri, David Heracleam Ponticam & Paphlagoniam, ejúsque frater Alexius Trapezuntem tenuit ad Pontum Euxinum civitatem inclytam in finibus Cappadociæ & Colchidis: unde & ortum *Imperium Trapezuntinum*, quod à Constantinopolitano divisum remansit, complectens ferè Cappadociam, Paphlagoniam, Pontum, & Colchidem Murtzuphlus autem ille Imperij invasor, odio Græcis juxta & Latinis habitus, ab Alexio Isaacij fratre tyranno, erro ab errone, gener à socero, dolosè comprehensus, luminibus orbatus est: ac paulò pòst à Latinis tentus, Constantinopolímque reductus, uti domini sui Alexij Iunioris proditor & occisor, ex altissimâ columnâ præcipitatus miserabiliter periit. Narrat hæc pluribus Nicetas: & in nece Murtzuphli consentiunt Villarduinus, Guntherus, & alij.

TRAPEZUNTINI IMPERII EXORDIUM.

XII. DE ALEXIO TYRANNO.

Idémque Nicetas prædictum Alexium tyrannum à Monferratensi Marchione primò Halmyrum locum obscurum in Thessaliâ relegatum, deinde in Germaniam per mare unà cum uxore ad Philippum Suevum missum ait. Haud tamen eò pervenisse, intelligitur ex Georgio [r] Logothetâ rem aliter narrante; dum scribit eum à Monferratense, eò quòd novis rebus studeret, relegatum, dum adhuc sibi metuens ad Michaëlem patruelem suum, qui oris illis Naupactum usque dominabatur, sese conferret, captum fuisse à quibusdam Longobardis unà cum uxore, & venumdatum; sed brevì Michaëlis operâ libertati restitutum: ad Iathatinem Sultanum Iconij, cum quo erat ei vetus necessitudo, recurrisse, ut ejus auxiliis restitueretur Imperio Græcorum, quod Theodorus Lascaris gener suus occupaverat: sed Sultano à Lascare difficillimo prœlio occiso, captum etiam esse Alexium, Nicæámque deductum, & monasterio inclusum ibi decessisse. At Nicephorus Gregoras, qui suam Historiam inde ferè auspicatur ubi Nicetas desinit, nihil de missione Alexij in Germaniam, vel captivitate à Longobardis; sed eum opibus quas secum abstulerat spoliatum à Monferratense, postquàm longo tempore circa Achaiam & Peloponnesum oberrâsset, audito Lascarem generum suum rerum in Oriente potiri, invidiâ ductum auxilium Iathatinis Principis Turcorum, antiqui amici, adversus eum implorâsse; & Turcis à Lascare superatis captum Nicæámque deductum; ut vel ex hac historiolâ intelligi possit, quàm sit difficile plerumque rerum gestarum veritatem eruere; cùm singuli res sibi probè notas scribere profitentes, longè tamen diversa obtrudant. Denique rebus præsens Villarduinus, ait Alexium captum à Marchione missum fuisse unà cum conjuge captivum ad Monferratum.

r Georg. in Hist. Constantinop.

XIII. MITTITUR LEGATUS IN BULGARIAM.

s Supr. ann. 1202. IV.

Hoc eodem anno Innocentius Papa, inter plurima magni momenti quæ præstitit, cùm *Leonem* tituli S. Crucis Presbyterum Cardinalem Legatum in Bulgariam & Blachiam sive Valachiam misisset, cui Calo-Ioannem, sive Ioannicium dictum, ejus gentis Principem, hoc jam diù expetentem [s] diademate Regio coronaret; Réxque Hungariæ Andreas, post honorificè primò habitum Legatum, eundem inde in finibus regni sui detinuisset, quousque controversia quæ inter ipsum Andream & Calo-Ioannem erat de quibusdam juribus & prætentionibus terminata foret: de iis certior factus Innocentius, commonitoriis scriptis ad eundem Andream Regem, Strigoniensémque Archiepiscopum literis, omninò inhibuit ne sic propagationi fidei Catholicæ obniterentur; spondens se utriusque Regis perpensis juribus, controversiam ex æquo & bono dirempturum. Quarum literarum vigore, & quòd timere cœpisset Andreas, ne Pontifex coronationem filij sui parvuli quam moliebatur impediret; dimissus Leo Legatus ad Calo-Ioannem perveniens, sceptrum ei, diademáque, & vexillum Cruce ac Clavibus in memoriam Crucis Christi, & Clavium S. Petro ejúsque successoribus traditarum insignitum porrexit, cum facultate cudendi monetam: & Archiepiscopo Trinonitano, ornamenta Pontificalia, cum titulo Primatis ejusdem Regni, & facultate coronandi Reges. A quo etiam ex more juramentum recepit de obedientiâ Romanæ Ecclesiæ ejúsque Pontifici præstandâ; & quòd *cùm aliquem coronaret in Regem Bulgarorum & Blachorum, juxta indulgentiam sibi & successoribus suis à Sede Apostolica concessam, ab eo juratoriam reciperet cautionem, quòd ei qui tunc Apostolicæ Sedi præfuisset, successoribus, & Ecclesiæ Romanæ devotus & obediens permaneret, & cunctas terras ac gentes suo subjectas imperio, in obedientia & devotione Sedis Apostolicæ confirmaret.* Quia verò secundùm consuetudinem Bulgarorum & Blachorum, nec in ordinatione presbyteri, nec in consecratione Pontifices fuerant inuncti; fecit eundem Primatem ritu Catholico per alium Episcopum Romæ inunctum pariter inungi, ac per ipsum cæteros Episcopos ac presbyteros, ita ut deinceps nulli sine unctione ordinarentur presbyteri, aut consecrarentur Episcopi. De quibus omnibus gratias per literas agens Calo-Ioannes Pontifici, misit etiam cum muneribus duos pueros Romam, quorum alter filius ipsius erat, ad ediscendas Latinas literas: rogans pariter Pontificem, provideret, ne vel Hungari, vel Latini qui Constantinopolim occupaverant, regno suo incommodarent; alioquin ipsum eos omnibus modis persecuturum, nec propterea destiturum ab obedientiâ Ecclesiæ Romanæ. Tractantur hæc omnia diffusè in literis tunc ultrò citróque de iis scriptis, quæ in Actis Innocentij, & Regesto [t] Epistolarum ejus reperiuntur. Et quæ de unctionis mysteriis dogmaticæ scripsit ad prædictum Primarium Trinonensem Innocentius per Episcopum Brandizuberensem, qui inde Romam venerat, relata sunt in corpus Decretalium [u].

REX BULGARIÆ CORONATUR A LEGATO.

t Lib. 7. & Bullar. to.1. in Innoc III. const 5.

u Cap. cùm venisset, de sacr. unct. Collect. 3. & ex.

XIV.

x d. lib.7. epist.155.

Committens [x] verò insuper idem Pontifex Lundensi Archiepiscopo collectionem censûs Beati Petri in Daniâ & Sueciâ, misit per eundem

dem Vpsalensi Archiepiscopo pallium. Et in Livoniam [y] prædicatores destinavit, qui eam gentem ad Christi fidem erudirent; præcipiens Archiepiscopo Bremensi, ut eis auxilio esset.

[y] Epist. 139.

XV. REX ARAGONIÆ SEDI APOSTOL. SE REGNÚMQUE SUBJICIT.

[z] Surit. Indic. Rer. Aragon. lib. 1. Marian. de reb. Hisp. lib. 11. c. 21.

Hoc item anno mense Novembris Petrus [z] Aragoniæ Rex Romam veniens, splendido apparatu exceptus est: idémque in festo S. Martini in Ecclesiâ S. Pancratij à Petro Portuensi Episcopo Cardinale sacro oleo inunctus & coronatus; Pontificísque manu diademate redimitus, cæterísque regiis insignibus decoratus; Sacramento fidelitatis se Pontifici atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ addixit: indéque in sacello Vaticano S. Petri, regiis insignibus ad altare depositis, & gladio de Pontificis manu accepto, militiæ auctoramentum professus est. Nondum enim in more susceptum erat, ut Reges Aragonij continuò à morte patris regni insigne acciperent: sed cum milites creabantur, more Hispanis usitato, aut uxores ducebant, tum demùm regium nomen insignéque usurpabant. Iam verò privilegium Pontifex irrogavit, ut cùm vellent Reges coronari, coronam à Sede Apostolicâ requirentes, de speciali ejus mandato per Archiepiscopos Tarraconenses coronæ imposterùm iis Cæsaraugustæ imponerentur; modò caverent se id Ecclesiæ præstaturos, quod à Petro sancitum fuerat. Pro eo namque merito, & quòd Pontificis manu diadema sumpsisset, Petrus Regnum suum tributarium Ecclesiæ Romanæ constituit, ducentos & quinquaginta Mahozemutinos aureos nummos (quorum singuli sex solidis regalium æstimabantur) pendere quotannis pollicitus, pactúsque; quemadmodum & jam olim Ramirum primum ejus nominis Regem, seipsum unà cum liberis, regnúmque Sedi Apostolicæ tributarium constituisse, eorum historici [a] agnoscunt.

[a] Sur. ibid. & Hist. l. 3 c. 18. & lib. 2. c. 51. & vid. in Epit. Bar. an 1097. XXX.

XVI. INEPTA FABULA DE CORONATIONE ILLIUS.

[b] Sur. in Ind. an. 1204

Hujus verò subjectionis Petri extant apud eosdem [b] publicæ tabulæ, datæ anno Domini millesimo ducentesimo quarto, Pontificatûs Innocentij septimo, Regni Petri octavo, tertio Idus Novembris. Vnde & eos refellas, qui alio anno hæc gesta posuerunt. Nec sanè has tabulas viderunt, aut certè eas simulârunt, qui commenti [c] sunt Petrum coronatum fuisse à Pontifice coronâ panis azymi: cùm præter dictas tabulas, literis etiam Innocentij eâ de re scriptis, quæ habentur in ipsius Vitæ Actis, & Regesto [d], recitantúrque à diligentissimo Rerum Aragonensium scriptore Suritâ, disertè contineatur, ipsum tam coronam quàm alia regia insignia, *non minùs pretiosa quam speciosa*, de propriis manibus Pontificis accepisse. Et alioqui quam illi rationem addunt coronæ suæ paneaceæ, (nempè quòd cùm intellexisset Petrus, Romanos Pontifices pedibus diademata Regibus imponere consuevisse, illud ex pane conficiendum curaverit, quò sibi ob reverentiam panis, non pedibus sed manibus imponendum esset:) quamvis posset hoc quidem referri ad modum illum, quo vidimus [e] Henricum V. Imp. coronatum à Cœlestino Papâ: haud tamen ille pedibus coronam imposuit capiti Henrici; quos sanè non habebat uncinos, aut hamatos; nec par jus Pontificis in Reges liberos quoad hæc, ac in Imperatores, quorum confirmatio & coronatio absolutè pendet à Pontificum auctoritate.

[c] Marian. de reb. Hisp. l. 10. c. 9. Taraph de Regib. Hispan in Alph IX. Blanch. de reb. Arag. in Petr. II.

[d] Itemque Bullar. tom I. const. 8. Innoc. III.

[e] Epit. Baron. an. 1191. II.

XVII. DE AMALRICO HÆRESIARCHA.

Intereà verò prodiit novus hæresum seminator, Almaricus, sive *Amalricus*, literarum scientiâ in Academiâ Pariensi non ignobilis, patriâ Carnotensis; quem hoc anno errores suos publicare cœpisse, sunt [f] qui tradant; cujus alij [g] post triennium, quidam [h] etiam post quinquennium meminerunt. Fuêre verò ejus errores: Nisi Adam peccâsset, non futuram liberorum generationem, aut sexuum distinctionem; sed multiplicandos fore homines sicut Angelos: Corporum resurrectionem nullam esse, nec paradisum aut infernum; illum enim habere in se paradisum, Dei notitiâ præditus est; infernum, qui peccato lethifero se contaminaverit: omnes creaturas in Deum converti, ut sint unum cum ipso, & omnia sint Deus: Iesu Christi Corpus non aliter in pane Eucharistico existere quam in alio pane, immò quàm in aliâ re quâlibet: Sanctorum invocationem, altariúmque & Imaginum thurificationem, idololatriam esse: quemlibet fidelem omninò teneri credere se esse membrum Christi; ita ut dum à Iudæis Christus pateretur, unà cum ipso quique fideles dolorem fuerint reverâ perpessi: & alia ejusmodi plurima, quæ collegerunt qui de Hæresibus scripserunt [i]. Cùm verò suos errores tueri non posset; primò ab Episcopis & Theologis Parisiis Synodicè congregatis, deinde etiam ab Innocentio Papâ damnatus; coactus est eos publicè ibidem Parisiis abjurare: & quòd non ex animo id faceret, contractâ inde ægritudine paulò pòst obiit. Qui ritu Christiano ad S. Martini sepultus, quòd in pace Ecclesiæ mortuus putaretur; damnatâ tamen rursùm in Concilio Lateranensi post hæc ab Innocentio celebrato, impiâ ejus doctrinâ, in discipulis ejus adhuc vigente; tam ejus ossa, ut impœnitentis mortui, extumulata sunt atque combusta; quàm discipuli pertinaces igne consumpti.

[f] Lutzemb. & Prateol. de hæres.

[g] Gaguin. Hist. Franc. l. 6. in Phil. Aug.

[h] Rigord. in reb. gest. Philip. Aug. an. 1209. Altissiodo. in Chronol. Contin. Nang. an. 1210.

[i] Eymer. Direct. par. 2. q. 7. & ibi Pegna. Lutzem. Prat. Castr. de hæres. Sander. hær. 153. Gaulter. in tab. chronogr. sæc. 13. cap. 1. Agúntque de iisd. Cæsar. l. 5. c. 22. Vinc. lib. 29. c. 107. Anton. par. 3. tit. 19. cap. 1. §. 7. Rigord. Altissiod. Gaguin. Bellefor. l. 3. c. 76. & alij.

XVIII. ALII HÆRESIARCHÆ.

Quod idem & cum iis præstitum, qui eodem auctore blasphemi in Sanctissimam Trinitatem, singulis personis singula tempora per successionem tribuebant asserentes Patris omnipotentiam Christi adventu desivisse; Christi verò doctrinam, cùm hactenus viguisset, Spiritu Sancto jam adveniente exoletam esse: nec ulteriùs necessaria esse Sacramenta Christi, sed unumquemque per solam Spiritûs Sancti gratiam interiùs inspiratam salvari posse: charitatis virtutem in tantum extollentes, ut quod aliàs peccatum esset, si in charitate fieret, non esset peccatum: unde & stupra, & adulteria, & alias corporis voluptates, charitatis nomine committebant: mulieribus cum quibus peccabant, & simplicibus quos decipiebant, impunitatem promittentes, ac Dominum tantummodò bonum & non justum prædicantes. Ita de illis Rigordus, Continuator Nangij, Gaguinus, & alij. E quibus etiam plures, & inter illos aliquos Sacerdotes incendio fuisse traditos Parisiis tradunt. Habent & plurimis *Davidem Dinantium* ejusdem Almarici discipulum, prætereà asseruisse Deum esse materiam primam; contra quem errorem doctissimè disputavit S. Thomas [k]; Davidísque libri damnati sunt & exusti.

DAVID. DINANTII ERROR.

[k] S. Th. lib. 1. cont. Gent. c. 17. & p. 1. q. 3. a. 8.

LIBRI ARISTOTELIS PROHIBITI.

Et quòd prædictis hæresibus causam dedisse viderentur subtiles quædam quæstiones librorum Aristotelis de naturali Philosophiâ, seu Metaphysicâ, recens in Galliam Constantinopoli delatorum; æquè iidem libelli in provinciali CONCILIO *Parisiis* contra emergentes easdem hæreses celebrato, jussi sunt comburi, & sub anathemate prohibiti; ut idem Rigordus & alij habent. Ex quibus etiam liquet, floruisse admodùm his temporibus Lutetiam studiis literarum; adeò ut ex omni Europâ auditores eò confluerent, propter honorem quem Rex Philippus eorum professoribus exemplo Ludovici patris deferebat.

XIX. Hoc eodem anno notant historici Anglicani Parisius & Wemonasteriensis, Calendis Aprilis primâ noctis vigiliâ versùs Aquilonem & Orientem tantum ruborem in cœlo apparuisse, ut videretur succendi firmamentum: & quod mirabilius fuit, in tanto rubore stellas micantes apparuisse. Meminit ejusdem ruboris Monachus Altissiodorensis: quod pluries eo tempore accidisse ait, & quasi quiddam notabile discurrere visum.

XX. COMITIS ALTISSIODORENSIS INSIGNIS PŒNITENTIA.

Cui narrationi aliam subnectit idem auctor haud omittendam, de pœnitentiâ & satisfactione *Petri* Comitis Altissiodorensis fratris patruelis Regis Francorum; quam suspiciant & imitentur qui in similibus delinquunt. Qui quidem jam anteà ab Hugone Episcopo suo ob diversa facinora & contumaciam anathemate percussus, cùm eum post diram persecutionem expulisset; demùm operâ Archiepiscoporum Senonensis & Bituricensis ad satisfactionem inductus; ut solveretur à vinculo excommunicationis, Dominicâ Palmarum hujus anni, inspectante Clero & populo, dum processio solito frequentior ageretur, nudus solâ indutus linteâ incessit; & cadaver quod in domûs Episcopalis camerâ, in Episcopi vituperium qui Comitis homines in cœmeterio sepeliri prohibuerat, infodi jusserat, propriis manibus effossum, propriísque humeris in cœmeterium delatum rursùs infodit, ac denique illata damna plenissimè resarcivit. Quò pertinent epistolæ Innocentij [l] Papæ, quibus eidem Comiti Altissiodorensi gladium excommunicationis districtum, donec a persecutione Episcopi & ejus Ecclesiæ desisteret, eúmque Ecclesiæ suæ restitueret, ostentavit; inque eam rem tuum Philippo Regi scripsit, ut Comitem compesceret; tum Archiepiscopo Senonensi, ut id curaret. Fuit autem demùm præmium hujus pœnitentiæ Petri, Imperium Constantinopolitanum; ad quod pervenisse videbimus [m].

[l] *Innoc. Reg. lib. 7. ep. 149. 150.*

[m] *Infr. ann. 1216. X.*

XXI. ALIA IMPOSITA PEREMPTORIBUS EPISCOPI.

Quantò verò gravius fuit crimen eorum qui Conradum Episcopum Herbipolensem in Germaniâ, Imperialis aulæ Cancellarium, ante biennium scelerate occiderunt; tantò & gravior pœnitentia, quam illis Romam humiliter pro sceleris veniâ petentibus, Innocentius hoc eodem anno mense Aprilis imposuit: quam recitat Trithemius [n], dignam planè tanti Pontificis justitiæ & disciplinæ zelo: quamvis ipsi olim cum eodem Conrado severiùs agendum fuisset ob favorem impensum Philippo excommunicato, & mutationem [o] Ecclesiæ.

[n] *Trithem. in Chron. Hirsaug. ann. 1202.*

[o] *Est enim de eo cap. 3. quanto de translat. Episc.*

IESU CHRISTI Annus 1205.

INNOCENT. III. An. 8.

BALDUINI An. 2.

I. RELIQUIÆ PRETIOSÆ CONSTANTINOPOLI MISSÆ AD REGEM FRANC.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinto, Indictione octavâ, Balduinus Imperat. Constantinopolitanus probè sciens quantâ religione Christianissimi Francorum Reges, universíque eorum populi, ac veneratione sacras Christi Domini Sanctorúmque ejus Reliquias prosequerentur, munus pretiosissimum juxtà & gratissimum Philippo Regi misit, frustum Ligni S. Crucis longitudinis unius pedis; de Capillis Christi pueri; de linteo quo involutus fuit in præsepio; de Indumento purpureo; Spinam unam Coronæ; Costam unam S. Philippi Apostoli cum uno Dente ejusdem; posita omnia in pretiosis vasis aureis: quæ Balduinus de sacrâ capellâ Imperatorum Constantinopolitanorum cum timore & reverentiâ præviis jejuniis & orationibus acceperat; Philippus autem eâdem reverentiâ propriis manibus tradidit septimo Idus Iunij Abbati S. Dionysij collocanda in Ecclesiâ ejusdem S. Martyris, cum solemni processione, hymnis & canticis. Narrat ista Rigordus, qui vidit. Extántque [a] hactenùs eædem sacræ Reliquiæ ibi inclusæ thecis aureis gemmis ornatis.

[a] *Hist. Abbat. S. Dionys. lib. 4. cap. 9.*

II. ALIÆ AD DIVERSA LOCA DELATÆ.

Alios quoque plurimos multas alias inde in diversas Provincias Occidentales detulisse, ex diversis auctoribus constat. E quibus Guntherus Cisterciensis, de quo superiùs, longum indicem profert earum quas Martinus Abbas ad monasterium suum attulit: atque imprimis Vestigij Sanguinis Christi, Ligni Crucis Dominicæ, portionis non modicæ S. Ioannis Baptistæ, Brachij S. Iacobi Apostoli, &c. dedisséque Philippo Imperatorem agenti Tabulam quandam, auro & gemmis pretiosis operosissimè exornatam, ac plures insignes Reliquias continentem; quam Imperatores Constantinopolitani solemnibus festis ad pectus gestare consueverant; in eâque jaspidem unum infixum, passionem Domini insculptam habentem, cum B. Virginis & Ioannis Evangelistæ hinc inde Imaginibus; & sapphirum admirandæ magnitudinis, divinam Majestatem artificiosissimè repræsentantem. Parisius quoque aliarum meminit, à quodam Anglo Capellano Balduini Imp. post ejus casum in Angliam delatarum; ac præcipuè non modicæ portionis Ligni S. Crucis, ad quam ingentia contigerit fieri miracula, & duorum digitorum S. Margaritæ. In Chronico etiam Magno Belgico traditur, Faciem Ioannis Baptistæ delatam fuisse Ambianum; Brachium S. Laurentij Laudunum; portionem Coronæ Spineæ Christi Hoiam; partes S. Crucis Trajectum & Floreffiam; Dentem S. Petri, & quatuor tabulas aureas cum signo Crucis, & Caput S. Pauli Confessoris Namurcum. Itémque apud Continuatorem Chronici Nangiaci, Galonem quendam clericum Constantinopoli redeuntem, secum Faciem capitis S. Ioannis Baptistæ detulisse, &

Ambianensi Ecclesiæ donâsse. In Chronico similiter Andreæ Danduli, Henricum tunc Ducem Venetorum obtinuisse mirificam Crucem auro inclusam, quam post inventionem matris Constantinus Imp. in bellis secum deferre consueverat; & ampullam sanguinis miraculosi Iesu Christi, & brachium S. Georgij, cum parte Capitis S. Ioannis Baptistæ, ac Venetias misisse: Imperatorem autem Balduinum sibi retinuisse Coronam Christi aliásque pretiosas Reliquias Regi Francorum misisse. Sed quod partem illam Helenicam Dominicæ Crucis spectat: Godefredus ait, eam ab Episcopis qui præsentes erant Constantinopoli, incisam cum aliis pretiosissimis Reliquiis, nobilibus quibusque distributam fuisse, eósque ad sua revertentes, diversis ecclesiis & cœnobiis contulisse. Denique in Chronico [b] Præmonstratensi Miræi legimus, portionem quamdam S. Crucis Dominicæ allatam Constantinopoli per Philippum Comitem Namurcensem fratrem Balduini Imp. traditam ab eo fuisse monasterio Floreffiensi: ac diversis vicibus stillâsse sanguinis guttas, quæ particulis lineis exceptæ in hodiernam usque diem reverenter asservantur.

[b] *Mira an.* 1204.

III.

Accidit verò intereà, sive secreto Dei judicio, sive publico, tot inobedientias Latinorum erga Romanum Pontificem, & sacrilega scelera in res ac personas Constantinopolitanas patrata vindicantis, fastúmque & insolentiam quâ ceteros mortales nihili faciebant comprimere volentis; ut cùm idem Balduinus Adrianopolim, urbem Thraciæ amplam atque munitam, Latinis rebellem, quò plerique Græcorum, qui Latinorum imperium detrectabant, confugerant, obsedisset, advenientíque suppetias obsessis Ioannitio sive Calo-Ioanni Bulgarorum Regi cum ingentibus suorum Scytharúmque copiis, obviàm processisset; dum fugientes hostes acriùs persequeretur, in paratas insidias incautè præcipitatus, captus fuerit, vinctúsque in Mysiam abductus; (est Mysia inferior eadem quæ Bulgaria: superiorē verò Mysiam, Rassiam, Bosnâmque, ut hodie vocant, continere volunt:) multis è suis desideratis cum præclarissimo Ludovico Comite Blesensi; reliquis verò Constantinopolim se recipientibus, unà cum Henrico Dandulo Venetiarum Duce, qui sive ex acceptis in pugnâ vulneribus, sive alio oppressus morbo, paulò pòst mortuus est, & in atrio templi S. Sophiæ sepultus. Habent ista Nicetas, (qui cladem Balduini contigisse ponit decimoquinto die Aprilis hujus Indictionis octavæ (Gregoras, & Georgius, nonnihil de more diversè: ex quibus eadem Latini, & quidam perturbatiùs.

BALDUINUS IMP. CAPITUR AB HOSTIBUS.

IV.

Eam verò cladem cùm Henricus Balduini frater, & imperij interim moderator, Innocentio Papæ significasset; suasit Pontifex, ut pacem componeret cum Calo-Ioanne, quò faciliùs posset fratrem liberare: Calo-Ioanni autem indixit, ne se difficilem eâ in re præberet, quinimmò & Latinis in Imperio Constātinopolitano retinendo faveret: Archiepiscopúmque Trinonitanum, ut illi persuaderet monuit: prout de his patet ex Actis Innocentij, & literis [a] ab eo ad prædictos scriptis. Est enim Ioannes, sive Ioannitius qui Balduinum cepit, idem cum Calo-Ioanne, quē vidimus anno superiori regiâ dignitate ab Innocētio auctū, cui Georgius nomen fuisse ait, Cane, cùm vulgò nuncuparetur Scylojoannes. Tantum porrò abest ut is Innocentio obsecutus fuerit, ut potiùs more barbarico efferatior tam in Latinos quā ipsos etiam Græcos qui eum evocaverant redditus; postquàm ingentes clades utrorumque promiscuè ditionibus intulit, rabiem suam in Balduinum convertens, eundem post longum carcerem brachiis cruribúsq; trūcatis, in profundam vallem adhuc viuum præcipitaverit; ubi tertio demùm die esca volucrum miserabiliter expiravit: ut quidem Nicetas scribit: ceteri namque Græci necem Balduini leviùs referunt: sicut & Latini, qui eam agnoscunt: sunt enim qui taceant, vel etiam negent, & captum evasisse velint: Villarduinus autem, obiisse in carcere Ioannitij: atque Henricum ei suffectum anno sequenti, cùm de Balduini vitâ vel morte nulla fieret certitudo. Ipse verò Ioannes in literis [c] ad Pontificem rescriptis, postquàm se injustè contemptum, & minis exceptum à Latinis, quorum amicitiam exquisierat, nec nisi eorum provocatione compulsum in eos duxisse, excusavit; (quod sanè idem & Nicetas confirmat) quod ad Balduinum attinebat, simpliciter respondit, se non posse eum ad mandatum Summi Pontificis liberare, quia debitum carnis exolverat cùm in carcere teneretur.

[a] *Innoc. Regest. 8. ep. 40. &c.*

VARIÆ OPINIONES DE BALDUINI EXITU.

[b] *Vid. infr. ann.* 1225. *III.*

[c] *Extr. in Act. Vit. Innoc.*

V.

De eodem verò Ioanne Georgius ait, eum ob gravissima mala Romanis (hoc est Græcis, quos ipsi Romanos appellare consueverunt) illata, & quòd Romanum sanguinem in deliciis haberet, *Romanicidam* vocatum fuisse: tandémque apud Thessalonicam pleuritide mortuum esse; sive divintiùs plexum, viso in somnis armato viro sibi adstare, & hastâ latus percutere. Sed hoc posteà. Ejus verò interim progressus, victorias, sævissimas crudelitates, aliáque nefaria tam in Latinos quàm Græcos commissa; (quæ à pugnâ corvorum & cornicum in campis Thraciæ atrociter paulò antè factâ, vincentibus corvis, prænuntiata fuisse, Nicetas has clades flebiliter describens, ait) simul & frequentes Græcorum rebelliones in Latinos, & clades varias diversis locis ab iisdem Latinis acceptas, adeò ut numero valdè imminuti vix sufficerent urbi regiæ ac paucis aliis in officio continendis; ac præterea importunas Theodori Lascaris apud Nicæam Bithyniæ imperitantis incursiones; prolixè narrat Villarduinus, qui rebus interfuit: quousque Henricus Balduini frater virtute suâ res in meliorem statum redegit.

CALOIOANNIS NEFARIA FACINORA.

VI.

Ad quæ pertinet quod in Historia Ecclesiæ Aurelianensis [d] notatum reperimus ex Genealogiâ Comitum S. Aniani; Hodinum de Bellovillari & Baronem de Sulliaco, cum tribus aliis qui in hâc expeditione secuti fuerant Ludovicum Comitem Blesensem, quodam cum hostibus desperato certamine voto facta S. Cruci Aurelianensi miraculosè de illorum manibus ereptos, & ad eam ecclesiam translatos momento fuisse. Quorum successores in rei gestæ memoriam, quotannis in primis vesperis Inventionis S. Crucis, & Dedicationis ejusdem Ecclesiæ, offerre hactenùs consueverint stillicidia cerea ponderis ducentarum tredecim librarū & semis. Cujus & miraculi quòd non meminerint Scriptores qui de hâc expe-

[d] *Lib. 10. in Hugon. I.*

MIRACULOSA TRANSLATIO QUORUMDAM NOBILIUM.

ditione tractârunt, facile fuit illis id ignorare, cùm ab oculis omnium in ardore certaminis erepti, existimati potiùs fuerint cum ceteris necati. Estque valdè probabile accidisse id in prædictâ pugnâ quâ Balduinus Imp. captus est, Comes Blesensis cæsus, eorúmque copiæ penitùs deletæ, paucis fugâ elapsis; ut Villarduinus describit. Apud quem etiam inter illos qui Crucem cum Comite Blesensi acceperant, invenimus quendam Hervilum de Bellovidere; qui fortè is est quem diximus Hodinum de Bellovillari. De miraculo autem non disputamus, cùm nihil sit Deo impossibile; nec desint in sacrâ Scripturâ & Historiâ Ecclesiasticâ plurima alia ejusdem modi.

VII. De filiabus Balduini Imp.

Reliquit Balduinus duas filias, Ioannam & Margaritam impuberes, nihil ex patris Imperio Constantinopolitano præter nomen adeptas: dictæ enim fuêre Constantinopolitanæ, quarum majorem Ioannam Philippus Francorum Rex posteà Ferdinando Sanctij Lusitaniæ Regis filio natu minori nuptam elocavit; viduámque relictam S. Ludovicus Thomæ Comitis Sabaudiæ fratri: eadémque demùm absque prole decessit anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quarto. Margaritam verò Bochardus Avesnarum domini filius primùm duxit, qui cùm olim literis egregiè instructus, & quòd fratres ejus amplam hereditatem paternam adiissent, ut dignitatibus commodísque ecclesiasticis abundaret, Aureliani publicè Iuris doctor factus, & Laudunensis Ecclesiæ Archidiaconatum, ac Tornacensis canonicatum adeptus, eâ de causâ, propinquis tamen propè omnibus insciis, subdiaconus fieri admodùm invitus coactus esset: dehinc eâ propensione immutatâ, cùm militiæ sese addixisset, atque ingenio, prudentiâ, eruditione, comitate, facundiâ, roboréque & elegantiâ corporis præstans, Principibus primatibúsque viris longè acceptissimus factus esset; sed & procurationem Flandriæ, ac tutelam Margaritæ dexterrimè gessisset: demùm consensu Ioannæ Comitis, aliorúmque quorum intererat, eamdem Margaritam uxorem accepit; & duos filios, sive ante, vt quidam volunt, sive post contractum matrimonium, ex eâ genuit. Innotescente verò post hæc ejus subdiaconatu, ac Ioannâ omnibus eum modis insectante, ad Innocentium Tertium Pontificem supplex refugit, siquo modo expediri à sacro ordine, atque manere in matrimonio posset. At Innocentius eâ in re inexorabilis, sententiâ in eum excommunicationis in Concilio Lateranensi latâ, ante omnia jussit Margaritam consanguineam suam, fraudulenter abductam, Ioannæ sorori restituere; deinde in Asiam proficisci, spatio unius anni contra Saracenos militaturum; reversúmque in suscepto sacro ordine manere. Qui quidem in Syriam profectus, ubi domum revertit, conspectâ Margaritâ ac pulcherrimis filiis, dixisse fertur, malle se vivum excoriari quàm cetera complere quæ Pontifex injunxerat. Demùm verò mœrore, quod Hannonici Annales, (ob sublatam sibi Margaritam, quæ posteà alteri nupsit) vel capitis supplicio, quod Flandri aiunt, mortem est consecutus. Cujus tamen filij, quòd ex matrimonio coram Ecclesiâ solemniter celebrato nati essent; legitimi declarati, in partem hereditatis maternæ successerunt, ejúsque rei occasione gravissima ac diutina orta sunt dissidia & bella inter ipsos ac matrem, secundarúmque ejus nuptiarum liberos. Quæ omnia fusè narrant Meyerus [e], Marchantus [f], & alij earum gentium historici; nonnihil tamen in quibusdam inter se diversi. Extántque in Regestis Pontificum Honorij & Gregorij successorum Innocentij, literæ ejusdem Bochardi damnatoriæ; quibus apparet hanc causam in plurimos annos productam fuisse.

Bochardi Avesnensis tragica Historia.

[e] Meyer. in Annal. Flandr. an. 1212. & 1218.
[f] Marchant. in Flandr. lib. 2. in Magar. Constantin.

VIII. Innoc. providet rebus Orientalibus.

Cùm autem ante cladem Balduini acceptam, misisset Innocentius Papa Benedictum tituli S. Susannæ presbyterum Cardinalem Constantinopolim, qui eidem Balduino adesset consiliis & operâ; auditâ postmodùm ejus captivitate, idem Pontifex [g] universo Clero & populo Christiano in exercitu Latinorum existenti præcepit, ne pedem inde moverent; tum ut reliquis sociis opem ferrent, tum ut Græcos ad obedientiam S. R. E. reducerent. Scribénsque pariter ad Galliarum Antistites, monuit ut tam clericos quàm laïcos ad id opus mitterent: ac Parisiensis Scholæ Doctores & studiosos, ut in Orientem se conferrent ad studia literarum instauranda, unde primùm in Occidentem derivârant. Ac nihilominùs quòd recedentibus ex Syriâ Soffredo & Petro Cardinalibus Legatis ibi constitutis, quamplurimi alij inde pariter Constantinopolim navigâssent, magno detrimento rerum Ierosolymitanarũ, quæ sic viris ac viribus destitutæ periclitabantur; in eos graviter commotus, districtè jussit [h] in Palæstinam redire.

[g] Reg. Innoc. lib. 8.
[h] In Act. Vit. & 7. ep. 39. & 40.

IX. Et Ecclesiis illarum partiũ.

Sed & nihil de Ecclesiasticâ disciplinâ, juribúsque singularum ecclesiarum remittens; consultus à Patriarchis Constantinopolitano & Ierosolymitano, utrùm clericos qui sine literis suorum Episcoporum eò accederent, permittere deberent vel celebrare divina, vel ab inferioribus ordinibus ad superiores promoveri: omninò negavit [i] fieri, nisi de illorum ordinatione canonicâ per idonea constaret testimonia, vel argumenta. Eidémque Patriarchæ Constantinopolitano inhibuit [k], eas ecclesias sibi subjicere, quæ priusquàm Constantinopolis caperetur, minimè ejus Patriarchæ respondebant.

[i] Cap. 2. & 3. extr. de cler. peregr.
[k] Cap. inter quatuor de major. & obed. in Collect. 3. & extr.

X. Curat Iaderæ satisfieri a Venetis.

Cùm verò post obitum Henrici Danduli, Petrus Zianus Venetiis in ejus locum Dux creatus fuisset, ísque in Archiespicopum Iadertinum promoveri fecisset Abbatem S. Felicis, atque à Gradensi Patriarchâ confirmari & consecrari; rogans posteà Innocentium Papam ut eidem pallium concederet, repulsam passus est: quippe Innocentius improperatis denuò excidio Iaderæ, & sceleribus ac sacrilegiis apud Constantinopolim, ingenti Ecclesiæ scandalo, & Reipublicæ Christianæ damno perpetratis; negavit id præstare, nisi priùs Veneti de Iaderâ contra jus fásque captâ & expilatâ satisfacerent: ut legitur in ejusdem Pontificis Vitæ Actis.

XI. Agit contra Philippum Imp.

Cùm item Philippus Suevus Othone ipsius æmulo graviter ægrotante, & penè ab omnibus deserto, ad festum Epiphaniæ hujus anni magnum conventum Principum sibi adhærentium habuisset Aquisgrani, & tamquã mi-

IN GERMAN.

nùs legitimè olim ad Imperium electus, depositâ coronâ regiâ iterùm ab iisdem Principibus eligi petens, & impetrans; ab Adolpho Archiepiscopo Coloniensi, qui priùs ab Othone steterat, jam donis & muneribus à Philippo corrupto, solemni pompâ rursùm inunctus & coronatus fuisset, unà cum Irene (sive Mariâ dictâ) uxore, filiâ Isaacij olim Imp. Constantinopolitani: his auditis Innocentius Siffridum Archiepiscopum Moguntinum, & Antistitem Cameracensem Coloniam ire jussit; qui nomine & auctoritate ipsius in mediâ Ecclesiâ coram universo Clero & populo eundem Adolphum propter Philippi coronationem excommunicatum publicè denunciârunt: & quòd infra terminum ei præscriptum Romam ad satisfaciendum pergere contempsit, eundem officio & dignitate deposuerunt, electo in ejus locum Brunone præposito Bonnense; unde multas clades Coloniam pati contigit à Philippo; ipsúmque Brunonem semel iterumque capi, & in vinculis detineri: quousque Philippo in gratiam Pontificis recepto, & ipse Bruno inter pacis conditiones liber dimissus est, ac paulò pòst obiit. Habent ista, pluribus Godefridus Monachus, & Trithemius in suis Chronicis; pleniúsque etiam Arnoldus Lubecensis in suo; & ex illo Krantzius [l] in Saxoniâ; recitans uterque literas Innocentij Papæ pro depositione Adolphi scriptas quem nihilominùs posteà in gratiam receptum esse, ex aliis Innocentij literis [m] intelligitur.

[l] Krantz. Sax. lib. 7. cap. 24. &c.
[m] An. 13. ep. 177. edit. Bosq.

XII. MORS ALMERICI REGIS CYPRI.

Mortuus est quoque hoc eodem anno ad finem vergente, Ptolemaide, *Almericus* Rex Cypri & Ierusalem, ex nimio esu auratarum, (piscis genus est, ab auri colore nomen accipiens) quæ in proximo flumine singulariter magnæ & sapidæ capiuntur: relicto ex Isabellâ conjuge parvulo filio Almerico. Fueratis primò Rex Cypri post mortem Guidonis fratris, ac deinde ductâ prædictâ Isabellâ Reginâ Ierusalem, adeptus etiam fuerat hujus regni titulum. Cùm autem brevì post ejus obitum mortuus etiam fuisset Almericus puer, & post eum mater; remansit hæres regni Ierosolymitani Maria filia prædictæ Isabellæ ex alio priori viro Conrado Marchione Montisferrati Tyri domino, regni verò Cypri Hugo ejusdem Almerici senioris ex altera conjuge filius. Videntes porrò dehinc Barones Mariam jam nubilem, habito cum Patriarchâ cæterísque Prælatis consilio de quærendo ei viro, qui jura Regni, & quæ remanserant Terræ Sanctæ tueri ac providè gubernare posset; decreta legatio est ad Philippum Francorum Regem, quò aliquem ejusmodi virum mitteret cui Maria collocari posset; quâ functi sunt anno millesimo ducentesimo octavo Episcopus Ptolemeensis & Aymarus Cæsareæ dominus. Misitque Philippus *Ioannem* Comitem Brennensem, fratrem Gualterij, de quo suprà [n]; egregium quidem illum virum, sed qui in Syriam appulsus anno millesimo ducentesimo decimo, post conjugium celebratum, & coronam regni Tyri acceptam, levibus quibusdam initis cum hostibus certaminibus, Ptolemaide se velut obsessus defectu copiarum continere habuit, donec aliud adveniret subsidium; de quo dicetur suo loco. Hæc autem desumpta sunt ex Marini Sanuti patricij Veneti Historiâ Terræ Sanctæ [o], quam centum post hæc annis scripsit.

IOANNES BRENNENSIS REX IERUSALEM.

[n] An. 1202. II.

[o] Sanut. l. 3. par. 11. cap. 3. &c.

XIII. DE ALBERTO CONDITORE REGULÆ CARMELITARUM.

His iisdem temporibus (ut ponunt Sabellicus [p] & Onuphrius [q]) *Albertus* Patriarcha Ierosolymitanus, Apostolicæ Sedis auctoritate Fratribus *Carmelitanis*, qui sub Alexandro III. [r] primùm in unum coëuntes, cùm anteà sparsim circa montem Carmelium agerent, haud adeò certo vitæ instituto, aut cultu, aut ceremoniâ constabant; Regulam [s] conscripsit, certámque observationis dedit formam, ex S. Basilij aliorúmque placitis: quam posteà confirmavit Honorius Tertius Innocentij successor; mitigavit Innocentius [t] Quartus. Sed quoniam utebantur pallio versicolori ex albo & canusino circulato, quali dicitur olim Helias Propheta Carmeli cultor usus; ejus formam Honorius [u] Quartus, (non Tertius, ut ponit Sabellicus) & Bonifacius VIII. velut religioni parùm convenientem ademerunt; pro circulato & versicolore album ejus attribuentes, ita ut sub eo canusinati essent, sícque uterque color retineretur.

[p] Sabel 9. Ennead. 5. ad fi.
[q] Onuph. in Chron.
[r] In Epit. Baron. an. 1181. III.
[s] Ext. Bullar. to. 1. in Honor III. const. 8.
[t] Ibid Innoc. IV. Const. 6. Vide infr. an. 1245. XXII.
[u] Vide const. 3. Bonif. VIII. Bullar. tom. 1.

XIV. DE TEMPORE DATÆ REGULÆ.

Verùm quod tempus datæ ab Alberto Regulæ spectat; cùm in ejus calce signetur annus millesimus centesimus septuagesimus primus, (malè namque millesimus ducentesimus septuagesimus primus ponitur à nonnullis eorum qui de hoc Ordine egerunt; quandoquidem Honorius qui eam primò confirmavit, decessit anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo;) nec alius Albertus Patriarcha reperiatur ab eo quem vidimus anno superiori ad eam dignitatem evectum: difficile admodùm est aliquid certi de his asserere; nisi numerum annorum corruptum esse dicamus. Nam quòd sunt qui hunc Albertum eundem faciunt cum Bethlehemitano, quem Tyrius tradit processisse secum ad Concilium generale Lateranense sub Alexandro Tertio anno millesimo centesimo septuagesimo nono; eundémque pòst creatum volunt Patriarcham Ierosolymitanum; cùm verò adhuc Bethlehemitanus Episcopus esset, Regulam dedisse, sed ejus inscriptioni additum esse nomen Patriarchæ postquàm eam dignitatem adeptus est; & pleraque alia quæ de eo à recentioribus scriptoribus narrantur: cùm hæc omnia levibus tantummodò conjecturis innitantur, síntque penitùs contraria iis quæ superiùs [x] diximus ex Actis Vitæ & Regesto Epistolarum Innocentij omni certitudine constantibus, de ejusdem Alberti translatione ex sede Vercellensi in Lombardiâ ad Patriarchalem Ierosolymitanam: omninò dicendum videtur, aut ipsum ex Bethlehemitano factum esse Episcopum Vercellensem, indéque evocatum ab Innocentio Pontifice Ierosolymam, eo quòd assuetus jam iis regionibus esset: aut verò, quod diximus, annum datæ Regulæ emendandum esse. Tradunt autem iidem, non quidem primùm ab Alberto Regulam datam esse Ordini Carmelitano; sed primam dici, quòd antiquiorem renovaverit, & in meliorem formam redegerit; fuerítque primùm confirmata à Sede Apostolicâ, quæ solo usu anteà viguerat. Possideant (per nos quidem licet) uti possident. Mortuus autem traditur Albertus anno millesimo ducentesimo decimotertio die

[x] Ann. 1203. V.

octavâ Aprilis; ejúsque officium in universo Ordine Carmelitano fieri à Paulo V. Summo Pontifice permissum. Non quidem quòd ipse Albertus Carmelita fuerit, sed quòd Regulam eorum consarcinaverit, benevolúsque admodùm eorumdem extiterit. Quem & natione Gallum patriâ Ambianensem, pronepotémque Petri Eremitæ qui Vrbano II. Belli sacri auctor extitit, tradunt: Eumdémque jussu Innocentij Tertij, luculento ac veraci sermone (inquit Trithemius, qui de laudibus Ordinis Carmelitarum duos libros conscripsit, & ex eo Sixtus Senensis [y]) commentarium composuisse de ritu & statu Terræ Sanctæ quam frequentaverat: qui non extat.

[y] Sixt. Sen. Bibl. lib. 4.

XV. Iisdem temporibus, alterius *Alberti* Rigensis in Livoniâ Episcopi operâ & auspiciis, apud Livones populos Septentrionales, (quorum conversioni & Innocentium Papam adlaborâsse vidimus: hícque Albertus ita eam Ecclesiam novellam per annos triginta & instituit & amplificavit [z], multis laboribus & periculis exantlatis terrâ maríque, gladiúmque etiam materialem in contumaces fidei sæpè distringens, ut verus Livonum Apostolus habitus fuerit:) quò faciliùs barbaries extirparetur, & fides propagaretur, effectum est, ut multi continentiam voventes, & soli Deo militare cupientes, formâ quâdam Templariorum Ordinem instituerint sive Societatem, CHRISTI MILITIÆ dictam, vestibus suis signum Gladij assuentes quo pro Deo certarent. Qui magnos continuò progressus facientes; inimicis Christi ingentia damna, multúmque terrorem intulerunt. Narrat ista pluribus Arnoldus [a] in Chronico Salvorum. Qui verò de hoc Ordine plenius scripserunt [b], aiunt fuisse eum ab Innocentio Papâ Tertio confirmatum; (cujus etiam extant binæ de iis epistolæ [c]:) ejúsque fuisse insignia binos Gladios formâ Crucis decussatim positæ rubescentes: ac primum ejus ducem & Magistrum *Vinnonem* creatum esse: súbque ejus successore Volquinio, triginta circiter pòst annis, unitis Livonensibus cum Militibus Teutonicis; ab eo tempore fidâ inter se societate Antistites Rigenses (quibus scilicèt Livonici ex instituto suberant) & Ordinis principes amicitiam coluisse, quamdiù externis bellis cum Lithuanis, Russis, Samogitis, Semigallis, res illis fuit: sed foris pacatis rebus, statim ex æmulatione bella civilia inter eos exarsisse: donec tandem post longas disceptationes, & judicia Pontificum & Imperatorum, remanente penes Antistitem Rigensem integrâ ejus civitatis jurisdictione, vicissim Ordinis princeps fide & obsequio ejus solutus est; haud tamen propterea cessante hominum armatorum contra inermes audentiâ. De quibus sæpè agendum inferius.

[z] Krantz. 7. Vvandal. 21.

ORDINIS LIVONENSIUM INSTITUTIO.

[a] Lib. 7. cap. 8. & 9.
[b] Funct. in Chronol. Michov. in Sarmat. Europ. Favin. in Theatr. Honor. lib. 7. Menen. lib. de Equestr. Ordin.
[c] Reg. Innoc. an. 13. edit. Bosq. ep. 141. 142.

IESU CHRISTI Annus 1206.

INNOCENT. III. Ann. 9.

HENRICI Ann. 1.

I. ANNO Christi millesimo ducentesimo sexto, Indictione nonâ, cùm jam Latini Rempublicam Græcam annum unum & menses quatuor absque Imperatore administrâssent; demùm nequid gravius accideret, vigesimâ Augusti HENRICUM Balduini fratrem, qui post ejus captivitatem illam egregiè administraverat, in Imperatorem elegerunt. Quod narrans Nicetas, valdè prædicat eorumdem Latinorum modestiam atque justitiam, quòd non antè Imperium cuiquam conferre deliberaverint, quàm Balduini mortem exploratam habuissent; cùm Græcis in usu esset, eodem momento quo Imperatorem aliquem inaugurarent, etiam qui inauguratum perderet animis concipere, unde & jure merito apud omnes gentes ut parricidæ viperæ, ut gens nullius consilij, ut filij iniqui audirent. Addit verò, Henricum, cùm audisset Scythas & Blachos novo exercitu Adrianopolim, quam Latini obtinuerant, tentare; eò convolantem illos fugâsse, & post alia præclara gesta Constantinopolim incolumem rediisse; Sícque Historiam suam terminat. Quemadmodùm & suam Villarduinus, post narratam necem Bonifacij Marchionis Montisferrati ac Thessaliæ Regis qui hoc eodem anno in pugnâ contra Bulgaros & Blachos præcipitanter initâ occisus est; capútque ejus ad Ioannicium Regem missum: qui tantum accepit ex hoc munere gaudium, quantum Henricus Imperator & omnes Latini dolorem, ac respublica detrimentum.

HENRICUS ELIGITUR IMPER. CŌSTANTINOP.

II. Dixerat paulò antè idem Nicetas, mortuum iisdem temporibus fuisse Ioannem Camaterum Patriarcham Græcum, de quo superiùs [a]: sed qui suffectus fuerit, non ponit; quippe ex serie [b] Patriarcharum intelligitur, Græcos neminem ei subrogâsse nisi post annum unum & menses decem: tunc verò à Theodoro Lascare ipsorum Imperatore factum fuisse Patriarcham *Michaëlem* ejus nominis IV. cognomento *Saurianum* ex magno Sacellario; habuisséque Sedem Nicææ in Bithyniâ, ubi & ipse Theodorus sedem Imperij sui constituerat: cùm interim, ut diximus, sederet Constantinopoli Thomas Venetus. De quo extant [c] Innocentij Papæ literæ ad suos Legatos Cardinales Petrum S. Marcelli & Benedictum S. Susannæ; ut quòd is aliarum nationum clericos spernens, Venetos tantùm in Constantinopolitanâ Ecclesiâ satageret constituere; monerent eum, ut viros literatos & alios idoneos undecumque originem ducerent, in eâdem Ecclesiâ institueret, alioquin indignum se redditurum, ut ipsi Legati aliarum nationum clericos ad ejus obedientiam compellerent. Et quòd significâssent Legati, Thomam eâ de re juramentum præstitisse Senatui Veneto; idem Pontifex scriptis ad ipsummet Thomam literis, illud tamquam illicitum nullius roboris declaravit. Súntque de iisdem aliæ item ejusdem Pontificis literæ in ejus Vitæ Actis, tam ad eumdem Patriarcham, quàm etiam Ducem ac Senatum Venetum, de injusto illo juramento à Patriarchâ extorto, & per illum præstito quarum etiam pars quædam relata est in Corpus [d] Iuris. Habuítque nihilominùs de eâdem culpâ rursùm arguere Patriarcham Pontifex anno Pontificatus decimotertio [e], rogatu Imperatoris.

[a] An. 1199. VI.
[b] Iur. Orient. lib. 4. ad fin.

MICHAEL SAURIANUS PATR. CONSTANT. GRÆCUS.

[c] Reg. Innoc. an. 9 ep. 95.

THOMAS LATINUS ARGUITUR AB INNOC. PONT.

[d] Extr. de institut. cap. ad decorem.
[e] Reg. an. 13. ep. 18.

III. DE IURIBUS AC BONIS ECCL. CŌSTANTINOPOL.

[f] An. 9. ep. 106.

Scripsit [f] item ad eumdem Thomam Patriarcham hoc ipso anno Pontificatûs nono, antequàm Henricus crearetur Imperator, sed moderatorem ageret Imperij; ut compositionem inter ipsum Thomam & Clerum ei commissum ex unâ parte, & prædictum Henricum ac Barones, nobiles ac populum ex alterâ, factam coram prædicto Benedicto Cardinale Legato, & à Sede Apostolicâ confirmatam, super divisione & satisfactione possessionum ac honorum Ecclesiarum, quæ Francos & Venetos sibi usurpâsse vidimus; necnon solutione decimarum omnium fructuum, immunitatéque Ecclesiarum, &c. observaret: dummodò circa possessiones & proventus earum nullum generaretur præjudicium. Reperitúrque [g] ejusdem confirmationis publicum instrumentum, datum Constantinopoli in templo S. Sophiæ anno Domini millesimo ducentesimo sexto mense Martij. Indictione nonâ, annóque pariter nono Innocentij. Qui & insuper interrogatus à prædicto Thomâ de variis rebus ad Ecclesiæ suæ jura & administrationem pertinentibus, egregiam ad illum epistolam [h] rescripsit, è quâ nonnulla capita inserta sunt Iuri [i] canonico. Cùm verò quidam Burgundus electus in Archiepiscopum Patrarum & Primatem Achaiæ, Romam venisset cum literis commendatitiis Principis & Cleri Achaiæ ad confirmationem & consecrationem; eumdem Innocentius confirmatum ad Thomam Constantinopolim remisit, accepturum ab eo, cujus Patriarchatui suberat, consecrationem, & honorem pallij; ut sic antiqua jura Ecclesiæ Constantinopolitanæ illibata custodiret sub auctoritate Romanæ.

[g] Ibidem.

[h] Extr. in Act. Vit. Innoc. recitatque Bzov. in Annal. hoc anno.

[i] Cap. 2. de cler. peregr. cap. 8. de major. & obed. cap. 10. de cler. non resid. cap. 5. de relig. domib.

IV. DISSIDIUM INTER PATR. ANTIOCH. ET IEROSOL.

[k] 9. ep. 83.

[l] 8. ep. 76.

Cúmque inter Patriarchas Antiochenum & Ierosolymitanum controversia suborta esset de Ecclesiâ Tyrensi, quam uterque sibi subditam asserebat; Innocentius Ierosolymitano præcepit [k], ut intra certum tempus Romam se conferret responsurus ad objecta Antiocheni. Ad quem extant etiam ejusdem Pontificis literæ [l] pro confirmatione cujusdam provinciarum partitionis factæ inter principes Palestinæ.

V.

[ll] Epit. Baron. par. 2. Iudic. verb. Kanutus, & Vvaldemarus.

INNOC. CURAT RES DANIÆ:

[m] 8 ep. 58. 59.

[n] Arnold. lib. 6. cap. 18. & lib. 7. cap. 12. 13. 15. 21.

[o] Krantz. 7. Dan. 14. &c.

[p] Id. 7. Vvandal. 1. & seqq. ac Metrop. lib. 7. cap. 31.

Comminatus quoque Waldemaro Regi Danorum & Slavorum (erat is filius alterius Waldemari piissimi Regis, nepos S. Kanuti martyris, de quibus alias [ll] dictum; successerátque anno millesimo ducentesimo secundo fratri suo primogenito nomine itidem Kanuto,) censuras [m] Ecclesiasticas ob detentum in vinculis Waldemarum Slesvvicensem Episcopum, regio genere ortum, magníque patrimonij heredem; responsum accepit, promptum se fore Apostolicæ Sedi obedire. Sicuti & constat ex Chronico Slavorum [n] & Historiâ Danicâ [o], atque Wandalicâ [p], ita prædictum Episcopum liberatum esse jussu Pontificis; ut tamen, quòd inquieti esset ingenij, omninò abesset à locis quibus Waldemaro Regi suspectus & importunus esse posset: quod & ipse sacramento suo firmavit. Quare Romam petiit, & inde Bononiæ habitationem constituens, electus absens in Archiepiscopum Bremensem, & ope Philippi Suevi in sedem suam immissus; excommunicatus est à Pontifice, quod non acceptâ veniâ discessisset, cùm esset jussus indiscussâ causâ non abire: ac tandem cùm electo adversus eum Burchardo, nec quidem armis sedem suam adversus Regem conservare potuisset; post mortem Philippi pœnitentiam præ se ferens absolutus, minimè tamen permissus est Bremam habere; demúmque mœrore confectus obiit.

VI. ITEMQUE HISPANIÆ, GERMANIÆ, ANGLIÆ.

[q] 8. ep. 70.

[r] 9. ep. 84.

[s] 8. ep. 64.

Sunt & literæ [q] hujus anni Innocentij Pontificis ad Compostellanum, alióśque nonnullos Hispaniæ Antistites, pro componendâ controversiâ inter Reges Castellæ & Legionis de quibusdam castris. Necnon ad Archiepiscopum Saltzburgensem, pro diligenti inquisitione facienda de repudio ab Othocaro Boëmiæ Rege facto legitimæ suæ conjugis, maximo Fidelium scandalo. Itémque ad Ioannem [s] Ferentinum Apostolicæ Sedis in Angliâ Legatum, pro compescendo Ioanne Rege vi censurarum à molestatione virorum & bonorum Ecclesiasticorum. Quem quidam ipsum Ioannem Legatum historici Anglici Parisius & Westmonasteriensis avaritiæ insimulantes, aiunt perlustratâ Angliâ, magnam pecuniæ summam congessisse; & tandem ne nihil aliud egisse videretur, apud *Radingum* die posterâ festi S. Lucæ *Concilium* celebrâsse; móxque sarcinulis cautè sublatis, ad sua se properè recepisse. Quorum ut vera sit accusatio, (quid enim si & inveniantur aliquando inter ministros Apostolicos, imitatores Iudæ Apostoli?) suspecta tamen omninò est in hominibus parùm in Pontificem æquis, ob simultates quæ posteà (ut videbitur) inter ipsum & Ioannem Regem intercesserunt.

CONCIL. RADING. IN ANGL.

VII.

[t] Cap. consilium nostrũ Collect. 3. & ext. de observat. jejun.

[u] 9. ep. 68. cap. nisi cùm prid. Collect. 3. & ext. de renuntiat.

NON FACILE DESERENDUS EPISCOPATUS SEMEL SUSCEPTUS.

Denique ut multa alia ejusdem Pontificis taceam, quæ hoc annò scripsit fecitque in Ecclesiæ utilitatem ac directionem; consulenti Archiepiscopo Bracarensi de observatione Iejuniorum, dies præfixit [t] quibus jejunandum esset, & casus quibus carnes comedere liceret. Et Calaritano Archiepiscopo postulanti missionem ab Episcopali curâ, respondit, suscepti semel operis ejusmodi licentiam deserendi minimè postulandam esse, nisi ob conscientiam criminis, debilitatem corporis, defectum scientiæ, malitiam plebis, graue scandalum, irregularitatémque personæ: & in his quidem omnibus observandam esse cautelam, pluribus egregiè planè prosequitur: nec facilè credendum ait, ejusmodi animum sive inspirationem à Deo esse: nec putandum, ideò Martham malam partem elegisse, quòd Maria optimam elegisset; quoniam licèt sit ista magis secura, illa tamen est magis fructifera, & si ista magis suavis, illa magis utilis: ac propterea faciliùs indulgeri, ut ascendat monachus ad præsulatum, quàm præsul ad monachatum descendat.

VIII. DIDACUS EPISCOP. OXOMEN. AGIT CONTRA ALBIG. HÆRETICOS, UNA CUM MONACHIS CISTERC.

Quare & cùm eodem tempore *Didacus* Oxomensis in Hispaniâ magnæ virtutis, scientiæ, ac pietatis Episcopus Romam pietatis ac negotiorum Alfonsi Regis causâ accedens missionem pariter Episcopatûs petiisset, quò liberiùs posset ad prædicandum Paganis Evangelium se transferre; noluit Innocentius acquiescere ejus desiderio, sed præcepit ad Ecclesiam suam redire. Quando & contigit magnâ Dei providentiâ, ut cùm in reditu appellens Montempessulanum provinciæ Narbonensis, invenisset ibi *Arnaldum* Abbatem Cisterciensem, cum duobus ejus sociis *Petro de*

Castronovo, & *Randulpho*, ejusdem Ordinis professoribus, quos aliquot jam antè annis idem Pontifex ad conversionem & extirpationē Albiensium, sive Albigensium hæreticorum miserat; qui tædio parùm fructiferæ legationis, obstante præcipue patrocinio quod eisdem hereticis impendebat Raimundus Comes Tolosanus, eam deserere deliberaverant: ipse Didacus animos eis addens, non solùm ad perseverantiam excitaverit, verùm etiam proprio exemplo summæ in conversatione & prædicatione servandæ sui ipsius humiliationis, & abnegationis, viam aperuit progressum faciendi in eorumdem conversione hæreticorum; qui & secutus est tam ejusdem ipsius Didaci ac sociorum, quàm prædictorum, aliorúmque recentiùs ejusdem Pontificis missione duodecim doctissimorū ac piissimorum supervenientium Abbatum Gallorum ejusdem Ordinis Cisterciensis, cùm pluribus monachis, abjectis, agentis, ac nudipedalibus, laboriosissimisque & periculosissimis circumcursationibus, prædicationibus, ac publicis & privatis disputationibus Apamiis & alibi habitis, sequentibus etiam signis & miraculis: incumbente item viriliter eidem negotio unà cum ipsis, Fulcone ex Abbate ejusdem Ordinis Cisterciensis facto nuper Episcopo Tolosano, viro doctrinâ & pietate ac fidei zelo valdè insigni; quamvis ob pervicacissimam obstinatissimorum hæreticorum, ac potissimùm Comitum Tolosæ, Fuxi, aliorúmque illius oræ procerum, contumaciam, non ea messis collecta fuerit, quæ ejusmodi diligentissimis ac vigilantissimis operariis sperari potuerat. Quomodò verò hæc gesta fuerint, fusiùs prosequitur Petrus monachus Valissarnensis, qui iis interfuit, & quæ vidit sincerè scripsit: breviùs Guillelmus de Podio Laurentij, qui paulò pòst Tolosæ vixit, & Chronicon sive Historiam de rebus contra Albigenses hoc sæculo eo tractu gestis conscripsit: necnon Monachus Altissiodorensis egregius illius temporis Chronographus: ex quibus alij acceperunt.

EXIGUO TAMEN FRUCTU, OB FAUTORUM POTENTIAM.

IX.

[x] *Guill. de Pod. in Prolog.*

MISER TŨC STATUS ILLIUS REGIONIS.

Quo verò statu esset tunc regio illa describens idem Guillelmus [x], ait Prælatorum ac Principum negligentiâ, ac Sacerdotum incuriâ & ignorantiâ, latenter se hæreticos introducentes, nemine se opponente, adeò defecisse in pejus, ut ubique suas hæreses publicè & impunè prædicarent; existentes quidam Ariani, alij Manichæi, alij Waldenses sive Lugdunenses: qui quamvis inter se dissiderent, omnes tamen in animarum perniciem contra fidem Catholicam conspirabant. Capellanos autem tanto contemptui habitos à laïcis, ut eorum etiam nomen in detestationem & execrationem sumeretur: nec decimæ eis aut Episcopis solverentur: Clericos, cùm prodirent in publicum, coronas modicas prope frontem pilis occipitis, ne dignoscerentur, occultâsse: Nobiles omnem dominationem parvi facientes, ad libitum hæreticis adhæsisse: Hæreticos in tantâ reverentiâ fuisse, ut & morientes largiùs iis quàm Ecclesiasticis legarent: nec iidem ad subsidia, aut excubias cogerentur: & dum itinerarent, ab hostibus tuti essent: Sicque magnâ parte diabolum per illos terram in pace suâ, velut suum atrium possedisse: quoniam erant positæ tenebræ, & facta erat nox ignorantiæ, & in illâ bestiæ silvæ diaboli pertransibant.

X.

S. DOMINICI LABORES CONTRA EOSDEM HÆRET.

[y] *Epit. Baron. ann. 1170. XI.*

Fuit porrò inter socios prædicti Didaci Episcopi præcipuus *Dominicus* Calarogâ ejusdem Oxomensis diœcesis oppido) ut aliàs [y] diximus) ortus: qui cùm magnis in pietatis ac literarum studiis factis progressibus, egregiâ clarescens famâ ab eodem Didaco in numerum Canonicorum Ecclesiæ suæ, quos ad præscriptum Regulæ S. Augustini canonicæ religionis observantiam profiteri induxerat, cooptatus, ac Subprior consensu omnium factus fuisset: ab eodem comes Romanæ peregrinationis deductus, & in itu hospitem suum Tolosæ ab hæresi ad fidem reduxit; & in reditu doctrinâ, pietate, miraculis, omnes quibuscum congressus est convicit, permultos convertit: cùm à Didaco post biennium laboris ad Ecclesiam suam revertente, in provinciâ Narbonensi unà cum Abbatibus Cisterciensibus relictus, summâ fortitudine, nec minori prudentiâ, multis annis pugnavit verbis, scriptis, signis, ac vitâ Apostolicâ, etiam cum immensis vitæ periculis: Inquisitoris officio, auctoritate [z] Arnaldi Abbatis Cisterciensis Apostolicæ Sedis Legati fungens. Qui & ipso prædicationis initio, antequàm abscederet Didacus, quasdam nobiles feminas è laqueis hæreticorum eductas, monasterio ad hoc instituto in loco Pruliano dicto inclusit; cœpto jam jaci fundamento Ordinis, qui posteà à Sede Apostolicâ approbatus, diffusus est longè latéque per universum orbem terrarum. Est verò mentio laborum ac miraculorum ejus contra hæreticos in prædictâ Historiâ Albigensium: sed diligentiùs tractantur in ipsius [a] Vitâ, & apud alios qui de eo scripserunt [b].

[z] *Vit. Annal. Abb. in Fascic. SS. Ord. Cister. lib. 1. dist. 22. Bzov. ann. 1215.*

[a] *Ap. Sur. 5. Aug.*

[b] *Vinc. Spec. Hoster. lib. 30. cap. 94. Anton. par. 3. tit. 19. cap. 1. & tit. 23. cap. 4. & alij.*

XI.

[c] *Paris. Rigord. Vid. Bellefor. lib. 3. cap. 75.*

Quod ad res bellicas Galliarum attinet; hoc eodem [c] anno Ioannes Rex Angliæ transfretans in Aquitaniam cum magno exercitu, cepit aliqua loca: sed opponente se Rege Philippo, factis cum eo induciis biennalibus, aliâ necessitate cogente, reversus est in Angliam.

XII.

VISIONES MULTIPLICES DE INFERNO, PURGAT. ET PARADISO.

[d] *Paris. in Ioann. hoc ann.*

Eodémque anno referunt historici Angli, quemdam rusticum, *Thurcillum* nomine, diœcesis Londinensis, hominem pro modo facultatum suarum hospitalitati deditum, S. Iuliani ductu mirabiles habuisse animâ visiones pœnarum Purgatorij & Inferni, ac beatitudinum Paradisi, corpore interim toto biduo in lectulo quiescente: ex quarum auditione multi ad lacrymas & pœnitentiam compuncti fuerint. Rem verò fusè narrat præ ceteris Parisius [d]. Nec dissimilia quæ circa hæc eadem tempora accidisse cuidam *Adalberto* viro bono & honesto, opere manuum familiam suam enutrienti, prope monasterium Sponheimense in diœcesi Monguntinâ, (qui post mortem, ab Angelo per loca Purgatorij, Inferni, & Paradisi animâ deductus, mira ubique vidit & sensit; ac dum elationi corporis ejus opera daretur, ad vitam revocatus, eadem narravit;) habet Trithemius [e] ejusdem monasterij posteà Abbas: Et in diœcesi Trajectensi, cuidam Episcopi dispensatori, qui post mortem revixit ad pœnitentiam: aliíque usurario adhuc viventi, qui post triduum moriens ad easdem pœnas quas vivens vidit damnatus est: quæ recitat Ioannes à Leidâ

[e] *Trithem. in Chron. Sponh. an. 1212.*

Carmelitanus in Chronico Belgico [f], ex Cæsario [g] Cisterciensi in Dialogis. Ac denique in oppido S. Trudonis in Hasbaniâ, Christinæ virgini mirabili, quæ post obitum visis iisdem Purgatorij & Inferni pœnis, ad gaudia cælestia deducta, elegit immensâ charitate ad vitam redire luendis horrendissimis pœnis pro defunctis in Purgatorio existentibus, quam tum certâ beatitudine frui: uti narrat in ejus Vitâ Thomas [h] Cantipratensis Dominicanus. Præter alias quamplurimas ejusmodi visiones [i] diversis tẽporibus & locis divinâ dispensatione variis personis ostensas, quò homines tam metu pœnarum retraherentur à vitiis & peccatis, quàm desiderio beatitudinis accenderentur ad cultum virtutis & pietatis. Sed heu! quàm plerumque id frustrâ! Obdurescimus homines ad assueta: Vnde diviné Abraham [k] ad divitem damnatum: *Si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si qui ex mortuis resurrexerint, credent.* Quàm facile enim est explodere ejusmodi apparitiones: & vel phantasiæ, vel dæmoni adscribere? Nónne Lazarus [l], nónne CHRISTUS à mortuis redivivi fuêre? an illis ideò crediderunt Iudæi? Vnde meritò omnibus mortuorum, vel raptorum relationibus præferenda sacra Scriptura, tanquam certior testis tormentorum inferni, & beatitudinum paradisi; cujus auctoritas, utpotè divina, elevari vel rejici non potest, quamquam etiam nec propterea apparitiones ac visiones proborum virorum contemnendæ; quippè quæ confirmationes sint sententiarum Scripturæ.

[f] *Io. à Leid. lib. 21. cap. 5. & 6.*
[g] *Cesar. 3. dial. 7. & lib. 12. cap. 23.*
[h] *Ap. Sur. 23. Iunij.*
[i] *Vid. in Ind. to. 2. Epit. Annal. Baron. verb.* Visiones. *& ap. Cæsar. Dialog. lib. 12.*
[k] *Luc. 16.*
[l] *Ioann. 11.*

XIII.

Hoc item anno in Poloniâ Lescus ille, de quo suprà [m], post partam anno superiori insignem de Romano Russorum Wladimiriensium & Haliciensium Duce, ipsum contemptim invadente, victoriam: magnam virtutis & felicitatis existimationem apud suos pariter & exteros consecutus; à Polonis iam tertiò electus est communi omnium consensu in Principem; cedente libenter magnâque animi moderatione Wladislao. Prosequitur ista Cromerus [n]. Tacet tamen, ac ut par est credere ignoravit, quod ex Regesto Epistolarum [o] Innocentij PP. intelligitur: nempè prædictum Wladislaum, quòd multa contra Ecclesias & ecclesiasticas personas commisisset, excommunicatione fuisse ab Innocentio Perculsum: & quòd id ipse auctore Episcopo Bosnaniense peccâsset, tam eumdem Episcopum simili pœnâ affectum esse, quàm ipsius diœcesi sacris interdictum, quibus, eorúmque complicibus, si ad cor reverterentur, absolutionis beneficium impertiri Archiepiscopum Gnesnensem, Innocentius mandavit. Ex quibus & putamus, Polonos Poceres faciliores extitisse ad Wladislaum rejiciendum: cùm alioqui quem Cromerus testatur initio Principatûs magnâ facilitate, humanitate, & justitiâ, atque liberalitate studia, & voluntates hominum adjungere sibi cœpisse; haud sit verisimile, si eundem tenorem administrandæ Reipublicæ continuò servâsset, Principatum ei fore abrogandum.

[m] *An. 1202. IX.*
[n] *Cromer. Hist. Polon. lib. 7.*
[o] *Epist. Innoc. sup. negot. Imp. ep. 132. & seqq.*

DUX POLON. EXCOMMUNICATUR, ET REIICITUR.

XIV.

EGREGIA EPISCOPI CONSTANTIA.

Nec verò nostris Annalibus pereat magnitudo & integritas animi Wladicæ Episcopi Wladimiriensis: quem ferunt [p], cùm à prædicto Romano Duce, expeditionem illam in Poloniam facturo missis muneribus rogaretur ut se exercitúmque suum solemni precatione ac benedictione dignaretur; id omninò recusâsse, affirmantem nefas esse Christianos Christianis injustum bellum inferentes eo honore affici: cúmque indignatus Romanus mortem ei minaretur, cùm ex eo bello victor domum revertisset; illum constanter respondisse, se mortem pro veritate neutiquàm reformidare; nescire autem se utrùm Romanus ex eo bello reversurus esset. Vnde posteà Episcopus ille sanctitatis opinionem apud vulgus nactus est, quasi divinitùs futurum belli eventum præscivisset.

[p] *Crom. ibid.*

XV.

Ceterum cùm post Romani necem, Russi Halicienses Colomannum Andreæ Hungariæ Regis filium in Principem sibi elegissent; rogavit per literas [q] Innocentium Papam Andreas, ut cùm Halicienses promitterent, in unitate & obedientiâ S. R. E. perseveraturos se imposterùm, salvo tamen eo quod fas illis esset aliàs; à ritibus propriis non recedere; (erant enim schismatis Græcanici, aliorúmque errorum tenacissimi professores:) Strigoniensi in Hungariâ Archiepiscopo vices suas committeret ad Colomannum inungendum, & sacramentum de obedientiâ Romanæ Ecclesiæ exhibendâ ab eo recipiendum, ne si Legatus à latere ad hoc expectandus foret, res quæ dilationem non patiebatur, effectu careret. Cur autem non Strigoniensis, sed Cracoviensis in Poloniâ Episcopus, Colomannum inunxerit ac coronaverit, ut Cromerus docet; tam ipsi, quàm aliis [r] discutiendum relinquimus. Quam verò infelix illius Principatus extiterit, idem auctor prosequitur: & ante illum Michovius [s], paulò tamen tardiùs hæc gesta esse significans. Reperitur autem in Epistolis [t] Innocentij memoria petitæ per eumdem Andream Regem facultatis ab eodem Innocentio Pontifice, collocandæ unius ex suis neptibus in matrimonium Sultano Iconij Saraceno, promittenti Christianam fidem amplecti. Quod tamen utrùm perfectum fuerit, ignoratur; cùm nihil de eo historici. Quinimmò perfectum non fuisse inde intelligi posse videtur, quòd extent [u] aliæ ejusdem Andreæ ad Honorium Innocentij successorem literæ, quibus eamdem facultatem sibi concedi petiit: idemque Sultanus Iconij eodem temporè dum Damiata obsideretur mortuus reperiatur [x]: quem quidem adeò Christianorum studiosum ferunt, ut & baptismum suscepisse credatur.

[q] *Ext. lib. 1. Privil. Rom ep. 36. & to. 1. Orient. Exped. ad fi.*

DE REBUS HUNGARICIS.

[r] *Bzov an. 1204. ad fi.*
[s] *Michov. Rer. Pol. lib. 3. cap. 32.*
[t] *Ibid. ep. 35.*
[u] *To. 1. Orient Exped. ad fi.*
[x] *Vitriac. lib. 3. Hist. Orient. ad fi. Anton. par. 3. tit. 19. cap. 3. §. 3. & alij.*

IESU CHRISTI Annus 1207.

INNOCENT. III An. 10.

HENRICI Ann. 2.

I.

ANNO Christi millesimo ducentesimo septimo, Indictione decimâ, cùm Germania continuis afflictaretur ex duorum Imperij competitorum Othonis & Philippi factionibus, cladibus; Principes Imperij finem eis tandem imponi percupientes, eò maximè quòd pars Othonis quam ferè sola Innocen-

CONVENTIONES INTER COMPETITORES IMPERII GERMANIÆ.

tij Pontificis sedula commendatio hactenùs sustinuerat, longè inclinatior videretur; Legatos ad eundem Pontificem decreverunt Wolfgerum Patriarcham Aquileiensem & Geboardum Burgravium Magdeburgensem, cum quibusdã Philippi familiaribus, qui Philippum in gratiam Pontificis reducerent. Cui cùm etiam nihil magis in optatis esset, quàm pacem & unitatem conciliare: misit confestim in Germaniam *Hugolinum* Ostiensem Episcopum, & *Leonem* S. Crucis presbyterum Cardd. qui post multas difficultates accepto à Philippo juramento de stando judicio Papæ super omnibus pro quibus fuerat excommunicatus, eum solemniter absoluerunt. Itáque rem illum inter & Othonem composuerunt, vt Philippus filiam suam uxorem daret Othoni, factâ à Pontifice dispensatione super quarto consanguinitatis gradu quo erant conjuncti: eique Otho, si superviveret, Imperio succederet: & interim dum hæc ad Pontificem ab Apostolicis & utriusque Principis Legatis referrentur, essent induciæ unius anni. Ita enim rem conventam esse, intelligitur ex literis [a] Innocentij Papæ his de rebus tunc scriptis: & confirmatur ab auctoribus ejusdem temporis, Conrado Vrspergensi, Godefrido Coloniensi, Arnoldo Lubecensi, in ipsorum Chronicis.

[a] Reg. Epist sup. neg. Imp. ep. 142. usque 150.

II. CALUMNIA IN PONTIFICEM.

Habet verò insuper Vrspergensis: ut Innocentius faciliùs induceretur ad concedendum Philippo regnum, promissam ei fuisse unam ex filiabus ipsius Philippi in uxorem filio fratris sui Richardi; cum ipse fore ut eâ occasione quæ in Tusciâ, Spoleto, & Marchiâ Anconæ, veluti ad Ecclesiam Rom. pertinentia Pontifices continuè ab Imperatoribus repetere consueverant, prædicto suo nepoti cederent. Ad quæ licitatorem agens Nauclerus [b] recentior longè scriptor, ac post eum alij quidam sequioris fidei homines; non Legatos obtulisse Innocentio uxorem nepotis, sed ipsum Innocentium ait, ut Philippo regnare permitteret, conditionẽ Legatis interposuisse de filiâ Philippi uxore dandâ nepoti suo: legatos verò negasse eâ de rè sibi aliquid à Principibus commissum: cúmque redeuntes in Germaniam petitionem Pontificis retulissent, eam Philippum ac principes risu excepisse. Mirum tamen hæc nesciyisse virulentum Aventinum, aut contempsisse: qui harum discordiarum culpam in Innocentium, & omnium semper aliarum in ceterorum Flaminum Romanensium (ut per contemptum vocat profanus) averitiam & ambitionem rejicere consuevit. Plerisque sanè Germanis auctoribus in rebus Pontificum absque aliorum testimonio haud tutò credatur, tutissimè, cùm quid in eorum favorem aut honorem dicunt. Ceterùm nec Vrspergensis ex plenâ aut publicâ scientiâ, sed ex quorumdam sibi factâ privatim relatione, quæ scribit se accepisse testatur: nec Godefridus aut Arnoldus eorum quicquam meminerunt: nec item alius ejusdem temporis auctor, Otho de S. Blasio in Appendice ad Frisingensem, cùm hujus Pontificiæ legationis meminit. Vt vel inde intelligas, quam fidem mereantur qui post longa tempora res eo sæculo ignoratas, in odium & invidiam Pontificum omni asseveratione scribere non erubuerunt.

[b] Naucher. gener. 41. hoc an.

III.

Ceterùm Otho prædictarum induciarum commoditate benè usus, in Angliam navigavit ad Ioannem Regem avunculum suum, & acceptâ ab eo magnâ pecuniæ summâ, (quam Ioannes tam à clericis quàm laïcis extorsit, hujusmodi expilationibus jam anteà assuetus) in Germaniam rediit. Ejus enim iter Historici Anglici hoc anno referunt: cùm Germani præcedenti collocent, & quidem eam necessitatem prætexentes, quòd adeò res Othonis dilapsæ essent, ut vel pro retinendo Saxoniæ Ducatu, intercessorem avunculum suum quæreret.

OTHO IN ANGLIAM.

IV. TURBÆ ANGLICÆ DE ELECTIONE ARCHIEP. CANTUAR.

Sed longè majores turbæ Angliam concusserunt. Mortuo ante biennium Huberto Archiepiscopo Cantuariensi, monachi illius ecclesiæ timentes ne Rex more suo electionem successoris impediret, ejus consensu minimè requisito, confestim Reginaldum suppriorem suum clàm elegerant, miserantque Romam à Pontifice confirmandum, antequàm res innotesceret Regi: cùm verò Pontifex confirmationem denegasset priusquàm de legitimâ ejus electione constaret; monachi intelligentes culpâ & loquacitate Reginaldi rem dilatam esse, in eum jam irati, ne & ipsi regem in se iratiorem sentirent, facultatem novæ electionis ab eo petierant, eóque jubente Ioannem elegerant Episcopum anteà Norwicensem, omnium ejus secretorum conscium: sícque facto schismate, & alteris quidem priorem electionem sustinentibus, ceteris posteriorem, cùm diù partes apud Pontificem altercatæ essent, nec possent in alterutrum consentire: idem Pontifex hoc anno re maturiùs deliberatâ, cùm & utriusque electionem vitiosam esse, & contra constitutiones canonum factam reperisset; utrâque irritâ declaratâ tertium eligendum censens, id per monachos Cantuarienses, qui ad Sedem Apostolicam prædictæ disceptationis occasione frequentes advenerant, ibidem Romæ fieri jussit: (excusantibus tamen nonnihil monachis, haud sibi id licere præter consensum regium, & sui Conventùs (electúmque Stephanum Langtonum natione Anglum, (quem [c] ipse eodem anno è lectore publico, & Cancellario Academiæ Parisiensis, ob morum probitatem, ac Philosophiæ & Theologiæ, aliarumque scientiarum insignem peritiam [d], creaverat Cardinalem presbyterum tituli S. Chrysogoni, propriis manibus consecravit XV. Cal. Iulij, scribénsque ad Regem literis benignis & suavibus, ut eum susciperet hortatus est. At Rex irâ excandescens ob repulsam Norwicensis, quẽ omni conatu fovebat: in primis monachos omnes è conventu Cantuariensi expulit, bonis ecclesiæ fisco addictis: & Stephanum ne pedem in Angliâ poneret prohibuit: deinde aculeatas Pontifici reddens literas, graviter de re gestâ expostulavit, quasi ingratus Pontifex de beneficiis ab Angliâ in sedem Apostolicam collatis, ejus jura (electionis scilicet, ac consensûs prævij ad eam, temerare præsumpsisset: Ad quæ respondens Pontifex, tam docuit nec se contempsisse per literas & nuncios Regis consensum postulare antequàm Stephanus ordinaretur: quàm de electionibus quæ apud Sedem Apostolicam celebrarentur, minimè consuevisse Principum consensum exquiri: demúmque in memoriam

[c] Act. Vit. Innoc.

[d] Vid. Nomenclat. Cardin. sub Innoc. III.

DISCEPTATIO INTER PONTIFICEM ET REGEM.

revocans præclarum Thomæ Cantuariensis pro Ecclesiastica libertate certamen, patrisque fratrisque ipsius Ioannis factam in manibus Legatorum Apostolicorum ejusmodi pravarum consuetudinum abjurationem; paternè monuit, ne se in eas difficultates conjiceret, è quibus se vix expedire posset. Recitat integras Innocentij literas Parisius in suâ Historiâ, datas hoc Pontificatûs ipsius anno decimo; post summam regiarum relatam; totámque rem gestam ab initio singulis suis temporibus accuratè describit: ex quo, aut post quem, breviùs alij [c].

[c] Vvestmon. Vvalsingh. Polid. alij.

V. INNOCENTII CURA ECCLESIARUM, ET DEPOSITIO EPISCOPORŪ.

Tractantur item eadem in Actis Vitæ Innocentij; post laudatam ejus sollicitudinem in visitatoribus per diversas provincias mittendis ad inquirendum de statu Ecclesiarum, & conversatione Prælatorum. Eáque occasione traditur, multos diversis temporibus ob varia delicta dignitatibus deposuisse: putà in Germaniâ, Archiepiscopos Coloniensem & Moguntinum, Episcopos Herbipolensem Imperialis aulæ Cancellarium, Hildesamensem, Gurcensem, & alios: in Italiâ, Archiepiscopum Mediolanensem, Episcopos Astensem & Ipporegiensem: in Galliis, Tolosanum, Biterrensem, Lingonensem: in Siciliâ, Archiepiscopum Panormitanum, Episcopum Trojanum: & alios tam iisdem provinciis quàm aliis Episcopos, & Abbates: in Angliâ verò Ecclesiam per Principum insolentiam in profundo servitutis ancillatam tunc jacuisse; ita ut Apostolica quoque mandata ibi jam quasi precaria haberentur, & electiones nusquàm liberè fierent; unde & contigerit hæc divisio post obitum Huberti Cantuariensis Archiepiscopi. Quem verò progressum & exitum hæc causa nacta sit, dicetur annis sequentibus.

IESU CHRISTI Annus 1208.

INNOC. III. Ann. 11.

HENRICI Ann. 3.

1. ANNO Christi millesimo ducentesimo octavo, Indictione undecimâ, Philippus Suevus, dum reditum expectaret Legatorum ad Pontificem anno superiori missorum pro confirmatione regni sui, & conditionum inter ipsum & Othonem Saxonem pactarum, quas Pontifex ratas habuerat, & promulgari jusserat; interímque arma pararet in alios quosdam hostes: decimo Cal. Iulij (quidam nono, alij etiam undecimo habent) Bambergæ post venæ utriusque brachij sectionem quiescens in lectulo, ab Othone Palatino de Witelspach proditoriè gladio confossus interiit; cùm jam post continua decem fermè annorum prælia & expeditiones, gratiam adeptus Pontificis, speraret gloriosè regnare. De nece gladio illatâ omnes [a] consentiunt, licèt de modo nonnihil discrepent: causam verò odij Othonis in Philippum produnt, quòd cùm Philippus unam è filiabus suis prædicto Othoni desponsâsset, eam posteà illi denegâsset eò quòd injusti homicidij, perfidiæ, & crudelitatis publicè notatus esset. Sed aliam Vrspergensis aperit, quâ iratiorem in se Deum Philippus reddiderit; cùm ei dat crimini, (propensissimus ipse alioqui, cum ceteris omnibus scriptoribus Germanis, in Philippi laudes) quòd cùm non haberet pecunias ad stipendia militum, cœperit distrahere prædia Ecclesiastica, ipsásque Ecclesias pignori dare, quare & Deus ultionum Dominus (inquit) in primum hujus sceleris auctorem, præfatum videlicèt Philippum, vindictam exercuit, ut sub gladio tyranni caderet, qui primus Ecclesias in potestatem tyrannorum contradidit. Ita Vrspergensis. Damnátque insuper in eodem Philippo Auctor Magni Chronici Belgici ex Alberico, quòd Conradum Herbipolensem Episcopum vel jussisset, vel dissimulando permisisset interfici. Cùm & prætereà minimè sit dubium, multa alia præstitisse Philippum illicita facinora, quorum minùs fortasse expiationem cogitaret, aut curaret. Sepultus est autem primò Bambergæ, indéque posteà translatus Spiram, & in majori Ecclesiâ locatus.

PHILIPPUS IMP. GERM. PRODITORIE OCCIDITUR.

[a] Vrsperg. Colon. Lubec. Otto. de S. Blas. Ster. Avent. &c.

EIUS CRIMINA.

II. Post ejus auditam necem Innocentius Papa ad Præsules, Principes, Populósque literas [b] dedit pro confirmando regno Othoni Saxoni. Ipsíque convenientes in unum Francofurti in festo sancti Martini, eumdem OTHONEM maximâ frequentiâ & solemnitate denuò elegerunt in Regem, seu Imperatorem ejus nominis Quartum. Qui sponsatâ sibi Beatrice filiâ primogenitâ cum dote bonorum omnium quæ fuerant Philippi, (quam tamen non nisi post quadriennium [c], ob teneram ejus ætatem, uxorem duxit; eáque quatriduo pòst obiit;) publicâ proscriptione damnavit Othonem Philippi percussorem: qui post inflictum vulnus incolumis evadens, diutinis oberrationibus agitatus, demùm occisus est capútque recisum in Danubium projectum. De Rege verò Othone queritur Vrspergensis, & nonnulli alij, eum confestim superbè agere cœpisse; nimiúmque familiaribus suis Saxonibus & Anglis contra æquitatem studuisse, sæcularia & Ecclesiastica beneficia iis conferendo: feuda quæ Philippus habuerat ab Ecclesiasticis Principibus, etiam contra voluntatem eorum obtinere voluisse: fictóque justitiæ zelo, quo à pauperibus & monachis benè audiebat, tam eosdem Ecclesiasticos Principes, quàm Ecclesias oppressisse.

[b] Epist. sub. neg. Imp. lib. 3.

OTHO CONFIRMATUR.

[c] Godefr. Trithem. Naucler. & alij ann. 1212.

EIUS DEVIA VITÆ RATIO.

III. Hoc eodem anno, ubi Innocentius Papa cor Ioannis Regis Angliæ adeò induratum intellexit, ut nec blandis admonitionibus, nec asperis comminationibus, emolliri posset ad Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum recipiendum, monachósque restituendos: missis ad Episcopos Londinensem, Eliensem, & Wigornensem literis, jussit omnia rursùm tentare, quò eum ad officium revocarent, & si nullo pacto flectere valerent, universum regnum interdicto supponere. Quibus ipsi obtemperantes, postquàm nec validis rationibus, nec humilibus precibus, nec rorantibus lacrymis, aliquid ab eo obtinere potuissent, quinimò rabiosas voces blasphemiásque audirent, jurantis per dentes Domini (id enim jurisjurandi mordacis hominis palato mirum sapiebat) se Episcopos & clerum om-

ANGLIA INTERDICTO SUPPONITUR.

nem, bonis & possessionibus eorum sibi vendicatis, exilio proscripturum, & Romanos quotquot in suâ ditione reperisset erutis oculis naribúsque præcisis Romam amandaturum: iidem Episcopi desperatâ jam ejus salute, die Lunæ Passionis Domini ad decimum Cal. April. generale interdictum promulgârunt; quod adeò est ab omnibus inviolabiliter observatum, ut cessârint ubique omnia sacra, præter confessionem & viaticum in ultimâ necessitate, & baptismum parvulorum; elatáque defunctorum corpora sine orationibus, & sacerdotum ministerio, instar canum abjicerentur in fossas profanas: nisi quòd anno sequenti, Stephani flagitatione vehementissimè dolentis suâ causâ ita patriam affligi, (qui interim in monasterio Pontiniacensi, ubi & Thomas martyr diutiùs egerat, agebat) majoribus Ecclesiis indultum est, ut semel per hebdomadam liceret sacra conficere: privatis tamen eo beneficio monachis Albis, (ut vocabant, hoc est Cisterciensibus) eò quòd cùm initio & ipsi interdictum servâssent, posteà tamen de mandato Abbatis sui principalis, inconsulto Pontifice celebrare præsumpsissent. Rex autem statim ut de interdictio certior factus est, furore æstuans, bona omnia Ecclesiasticorum tam spiritualia; quàm temporalia fisco addixit; sacerdotalémque ordinem funditùs evertendum constituens, eos modis omnibus vexavit, spoliavítque, ac contumeliis affecit: necnon qui vel Stephano, vel Episcopis interdicti promulgatoribus, necessitudine & cognatione juncti erant, bonis privavit, & carceribus mancipavit: reliquos denique Antistites omnes cum suis regno exire jussit; qui tamen (præter interdicti publicatores, qui statim post publicationem in Gallias aufugerunt) omninò negârunt se abscessuros, nisi vi pellerentur. Ac demùm sibi timens ab excommunicatione & regni privatione; ne eâ occasione à proceribus desereretur, eorum liberos obsides sibi dari coëgit. Narrat hæc omnia pluribus Parisius: paucioribus Westmonasteriensis, Polydorus, ac ceteri rerum Anglicarum scriptores; meminerúntque & alij.

REX ECCLES. PERSEQUITUR.

IV. TOLOS. COMES EXCOMMUNICATUR PROPTER HÆRESIM.

Hoc item anno Innocentius PP. Raymundum Comitem Tolosanum Albigensium hæreticorum fautorem acerrimum, jam sæpiùs excommunicatione perculsum, & simulatâ pœnitudine absolutum; denuò eodem anathemate feriit, & subditos ejus omnes à fidelitate ei debitâ absolvit, ditionémque occupantibus concessit, (salvo tamen jure supremi dominij Regis Francorum) cùm ob continuam hæreticorum defensionem, & Catholicorum insectationem; tum ob necem recèns ab ejus satellitibus illatam Fratri *Petro de Castronovo* Ordinis Cisterciensis, Legato Apostolico, alteri è presbyteris Monachis qui primò cum Arnaldo Abbate Cisterciensi fuerant (ut vidimus) ab Innocentio in eas partes ad conversionem hæreticorum missi; viro zelo fidei & animarum salutis ardenti, ac vitâ & scientiâ conspicuo. Quâ de re extant [d] publicæ ejusdem Innocentij literæ, datæ hoc ipsius Pontificatûs anno undecimo VI. Id. Martij. Hunc autem Petrum Cisterciensem monachum cœnobij Fontisfrigidi diœcesis Bellovacensis (sive, ut alij volunt, Narbonensis, ubi est etiam monasterium ejus nominis & Ordinis) primum omnium sanguine proprio tribunal sanctæ *Inquisitionis*, quod ab eo & eodem Arnaldo Abbate ac Radulpho socio, de quibus suprà [e], ante Religionis Dominicanæ ortum, exordium habuit, firmiter stabilisse, eíque quicquid tot Cistercienses monachi, tot ex Prædicatorum familiâ posthâc institutâ viri illustres, pro extirpandis hæresibus deinceps sub Inquisitionis titulo peregerunt, tanquam primario ejusdem sancti Officij ministro à Sede Apostolicâ instituto, deberi; multis auctorum testimoniis probatum habetur in ejus Vitâ, quæ extat in Fasciculo Sanctorum Ordinis [f] Cisterciensis.

[d] *In Reg. Innoc. & Hist. Albig. cap. 8.*

PETRI DE CASTRONOVO PRIMI INQUIS. MARTYRIUM.

[e] *An.* 1206. 8.

[f] *Lib. 1. dist.* 21.

V.

Ceterùm cùm post hæc Raymundus Comes Tolosanus missis ad Pontificem nunciis, conquestus de nimiâ Abbatis Cisterciensis ac suorum acerbitate, postulâsset alium sibi à latere Pontificis mitti, cui in omnibus se obtemperaturum promittebat; Pontifex, ut omnem excusationis occasionem tolleret, legavit *Milonem unum de clericis suis collateralibus*, ut vocat, (erat enim Notarius Pontificis) virum scientiâ & vitæ integritate eximium, & adversus omnem metum imperterritum; unà cum *Thedisio* canonico Ianuensi, paris constantiæ, doctrinæ, & integritatis viro. Qui post oblatas primùm Regi Philippo Innocentij literas, quibus eum hortabatur exercitum contra Albigenses ducere aut immittere; de Regis voluntate securus, mox celebrato apud *Montilium* in Provinciâ Narbonensi conventu Episcoporum, de illorum consilio diem Raymundo dixit, apud Valentiam civitatem judicio se sistendo: eumdémque famâ expeditionis in Albigenses ubique conclamatæ territum: ad constitutum venientem, & quæcumque Legatus præcepit adimplere jurejurando promittentem; postquàm & pro securitate septem castra in manu Thesidij nomine Romanæ Ecclesiæ retinenda tradidit, die decimâ-quartâ Cal. Iulij anni sequentis, Christi millesimo ducentesimo nono, Pontificatûs Innocentij duodecimo, apud S. Ægidium solemni ritu, & coram viginti Archiepiscopis aut Episcopis, & grandi populi multitudine, nudum ante fores Ecclesiæ constitutum, & ad flagellorum ictus absolutum, per stolam ejus collo impositam introduxit in Ecclesiam, in quâ conditus fuerat prædictus Petrus de Castronovo, ab ejus satellitibus occisus. Hæc pluribus auctor qui aderat Historiæ Albigensium; quam fideliter conscripsit ex iis quæ vel ipsemet vidit, vel à fide dignis qui interfuêre accepit. Extátque in Historiâ Comitum Tolosanorum [g] Guillelmi Catelli Senatoris Tolosani, formâ juramenti tunc ab eodem Comite præstiti de stando mandatis Papæ ac Legati Milonis, super universis capitulis pro quibus excommunicatus fuerat; quæ singillatim recenset: subduntúrque præcepta & mandata ipsi super quolibet eorum à Milone pro satisfactione injuncta; necnon alia juramenta Procerum ac civitatum, de satisfaciendo omnibus Sedis Apostolicæ ejúsque Legatorum mandatis. Post quæ & ipse Comes Crucem sumpsit à Legato, ut se Catholicorum exercitui contra hæreticos jungeret: de quo dicetur anno sequenti.

MILO LEGATUS AD RES ALBIGENSIŨ.

CONCIL. MONTILII CELEBRAT.

COMITEM TOLOSANŨ SOLEMNITER ABSOLVIT.

[g] *Lib. 2. c. 2*

VI. Sunt qui prædictum Milonem Legatum confundunt cum Gualone Card. Diac. tit. S. Mariæ in Porticu, quem hoc eodem anno ab Innocentio PP. missum esse in Gallias ad Ecclesias visitandas, & Regem ac populũ adversus Albigenses concitandos, Rigordus, Vincentius, Antoninus, Gaguinus, & alij scribunt. Sed refellũtur illi, tum ex eo quòd ubicumque Milo nominatus reperitur, nusquam appelletur Cardinalis, sicut semper Gualo, sed tantùm Notarius; tum verò quòd in Historiâ Albigensi Milo mortuus legatur apud Montempessulanum anno Salutis 1210. longè ante obitum Innocentij, Gualo verò etiam reperiatur superstes sub Honorio PP. successore Innocentij. Fuisse autem Gualonem virum Iurisperitum, sanctis moribus ornatum, & prudentiâ ac fidei zelo eximium, iidem auctores tradunt. Cujus etiam extant [h] Statuta in aliquibus Synodis ab eo promulgata: quibus inter alia prohibet sacerdotibus & clericis consortium feminarum, de quibus posset mala aliqua suboriri suspicio: Ne quid pro administratione sacramentorum, sepulturæ, ac benedictionis exigerent. Cappas manicatas, sotulares rostratos, vestes rubri aut viridis coloris prohibet atque etiam ne fœnus exercerent. Quæ vitia tunc vigentia uti laudabiliter extirpare conatus est Gualo in Galliâ, ita in alia incidisse ipse accusatur in Britanniâ, ut videbitur suo loco [i].

MILO ALIUS A GUALONE CARDIN.

GUALONIS STATUTA.

[h] *In Bib. Patr.*

[i] *Infr. an. 1216. VII.*

VII. Interim verò *Franciscus* Assisias, qui jam biennio antè mundanæ primum mercaturę cui cum patre attendebat, deinde rebus omnibus renunciârat, ac multa eximiæ pietatis in Deum, charitatis in proximos, & maximè in egenos atq; leprosos, humilitatis in omnes, ac despicientiæ sui, & amoris paupertatis, exempla vitâ eremiticâ præstiterat; diversis revelationibus ac vocationibus divinitùs confirmatus, demùm hoc anno Dom. 1208. (ut verior est sentẽtia, tametsi plures annum sequentem signare maluerint) ipsiusq; ætatis 28. inchoato, dum quâdã die ex Evangelio in Missâ audîsset dictũ à CHRISTO discipulis, ne possiderent aurum vel argentum, nec duas tunicas, nec calceamenta, eam sibi regulam servandam proposuit. Et cùm undecim alios socios adhibuisset, Romam cum illis post biennium accedens, ejus cõfirmationem ab Innocentio PP. subdubitãte primùm, sed mox & ipso in somnis visionibus palmæ succrescentis, & Ecclesiæ Lateranensis à ruinâ sustentatione hominis despecti servatæ, divinitùs monito, obtinuit: crescentésq; paulatim magno numero Fratres vitę Apostolicę cupidi, diffusi brevî sũt per universum orbem, ingenti Ecclesiæ bono, & animarum salute. Describit accuratè ejus Vita [k] S. Bonavẽtura Cardinalis & Doctor Ecclesię, ejusdem Ordinis alumnus: tractántque ista alij [l] quamplurimi. Ex quibus omnibus summâ nuper diligentiâ Annales suos Minorum construere cœpit carissimus amicus noster *Lucas Vvadingus* Hibernus ejusdem Ordinis & Regulam à Pontifice confirmatam recitat [m].

S. FRANCISCI PRIMORDIA.

REGULÆ CONFIRMATIONEM OBTINET A PONTIF.

[k] *Ext. ap. Sur. 4. Octob*
[l] *Vinc. Spec. hist. lib. 29. cap. 97. & seqq. Anton. par. 3 tit. 24. ac plerique Chronographi.*
[m] *Annal. Minor. to. 1. an. 1210.*

VIII. Vrspergensis [n] autẽ de hoc S. Francisci, alióque S. Dominici paulò pòst instituto Ordine agens; existimavit eos veluti in locum Humiliatorum & Pauperum de Lugduno, reprobatarum sectarum, de quibus aliàs [o], introductos fuisse in Ecclesiã: atque ideò Franciscanos primùm *Pauperes Minores* vocitari cœptos loco Pauperum de Lugduno; sed posteà ad tollendã omnem ex paupertatis nomine gloriationem, maluisse *Minores Fratres* dici: Dominicanos autẽ in locum Humiliatorum succedẽtes, *Prædicatores* dictos esse, quòd studio & lectioni sacræ jugiter insistentes Ecclesiã defenderent, fidem roborarẽt, virtutes instituerent, vitia redarguerent, in omnibus Sedi Apostolicæ obedientes; cùm ecõtrà Humilitati propriâ auctoritate populis prædicarent, rudes ipsi & illiterati. Vt verò cumq; de his sit, haud sanè dubiũ est clarissimos istos Ordines SS. Francisci & Dominici singulari Dei providẽtiâ oppositos fuisse, cùm aliis, tum pręcipuè Waldensium, seu Pauperum de Lugduno, & Albigensiũ pessimis sectis; in quibus cõfutandis, oppugnandis, & extirpandis pręclarã operam posuerunt. Sed de confirmatione Ordinis S. Dominici dicetur suo loco sub Honorio Innocentij successore à quò & illum Fratrum Minorum rursùs confirmatum videbimus.

[n] *Vrsperg. in Chron. ann. 1212.*
[o] *An. 1199. XI.*

QUANTO CÕMODO INTRODUCTUS ORDO IN ECCLESIAM.

IESU CHRISTI Annus 1209.
INNOC. III. Ann. 12.
OTHONIS IV. Ann. 1.
HENRICI Ann. 4.

I. ANNO Christi 1209. Indict. 12. Otho Rex Germaniæ invitatu Pontificis Romã cogitans ad coronã Imperij suscipiendã, primùm Romanæ Ecclesiæ privilegia confirmata voluit editâ constitutione seu Bullâ aureâ Spiræ 11. Cal. April. Indict. 12. an. Incar. 1209. ejusdem Othonis regni à primâ electione 11. quam per Wolfgerum Patriarchã Aquileiensẽ misit Innocentio: eáq; omnem obedientiã & reverentiã Ecclesiæ Romanę ejúsq; Pontificibus spõdens, tam electionibus Prælatorum, & spoliis decedentium, ac bonis Ecclesiarum vacantium, quæ pravo abusu solebant usurpari, renunciavit; quàm bona omnia Ecclesiæ Romanæ, ab anterioribus Imperatoribus, aliísque quibuslibet detenta, restituere & recuperare promisit.

OTHO REX GERM. CONFIRMAT PRIVIL. R. E.

[a] *Rec. Bzov. hoc an. ex Reg Innoc. lib. 3. de neg. Imp.*

II. Pergens autẽ in Italiam cum numeroso exercitu, & copioso comitatu Principũ tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, primo Mediolani [b] in basilicâ Ambrosianâ, coronâ, ferreâ ab Vberto Archiep. (quã Modoëtię suscipere moris erat) coronatus est: Indéque Romã dirigens iter, & à cunctis Italiæ civitatibus cum honore & muneribus receptus, perveniens demùm Viterbium, ibi Pontificem invenit: à quo ingenti gaudio exceptus, ac posteà Romã, pręeunte Põtifice, adveniens, occursu cleri ac populi singulariter honoratus, paulò pòst coronatus est coronâ aureâ ab eodem Põtifice in Imp. (ejus nominis IV. Christianorum; V. ab illo Gentili, qui octavus à Iulio Cæsare regnavit Romæ) in basilicâ S. Petri circa festum S. Michaëlis, ut ait Vrspergensis cùm distinctiùs Arnoldus [c], totũ iter ejus relegens, habeat Othonẽ feriâ sextâ, quæ fuit post festũ S. Michaëlis, quod eo anno incidit feriâ tertiâ, ad limina Apostolorũ accessisse, & Dominicâ sequenti consecratum & coronatũ esse: (quæ fuit, ut plures etiam auctores diem coronationis signant, IV. Non. Octobr.) cúmque inde discessuri ad prandium, venissent ad equos, Imp. non immemorem Apostolicæ reverentiæ quæ exhibenda est ipsorum Vicario, Innocentio equum ascendenti stapedem

CORONAM FERREAM ACCIPIT MEDIOL.

[b] *Cor. Hist. Mediol. par. 2.*

AUREAM ROMÆ A PONT.

[c] *Chron. Slavor. lib 7. cap. 20. & 21. in Append. edit. Lindenbrog. ann. 1609. pag. 276. quæ deest in edit. Reiner. ann. 1581.*

OBSEQUIUM STRATORIS EXHIBET PONTIFICI.

tenuisse. Post quæ narrata, idem Arnoldus finem operi suo imponit, quod post Helmoldum continuaverat; candidus admodùm atque sincerus auctor ejus temporis: eò fortè concisè hîc cessans, quòd cùm hactenùs Othonem laudâsset, quem sciebat Apostolicæ Sedi fuisse obedientem & acceptum; puduerit illum, ejusdem defectionem & vituperia prosequi.

III. MUTATUR IN HOSTEM.

Ingratissimus enim omnium mortaliũ Otho, in cujus primũ promotione, ac subinde contra Philippum defensione, & confirmatione, Innocẽtius colũmnam sese immobilem (ut loquitur Arnoldus [d] exhibuerat; adeò ut quamvis non deessent qui suggestionibus, sive etiã muneribus, ac promissionibus, tentarent animũ ipsius immutare, ille tamen nec prece, nec pretio, nec etiam minis aliquo modo quæ fecerat retractare voluerit: confestim ut dignitatis apicem ab eodem accepit, retractans & ore & opere, quæ non solùm, ut diximus, antequàm è Germaniâ proficisceretur, verùm etiam post adventum in Vrbem ante consecrationẽ solemni juramento, publicâ cõstitutione [e] cõfirmato promisisset: simul ac inde recessit, vir majori animo cupiditatéq; (ut eum indigitat Æmilius [f]) quã cõsilio religionéve; specie recuperãdi jura Imperij, manu hostili cœpit invadere in Tusciã & Flaminiâ terras Ecclesię Rom. & in Apulia ditionẽ Friderici Regis Siciliæ, ejusdẽ Ecclesiæ beneficiarij: frequentérq; ab Innocẽtio monitus, non solum à cœpto desistere recusavit, verùm etiã acrioribus responsis, literísq; patientiã ac longanimitatẽ Põtificis exagitare gestivit. Quæ hoc anno cœpta magnã sequentis partem occupaverunt.

[d] *Ib. lib. 7. cap. 4.*

[e] *Reg. Innoc. d. lib. 3. Vrsperg. Godef. in Chron. hoc an. Paris. an. seq. & alij plerique.*

[f] *Æmil. in Phil. Aug.*

IV. DISSIDIUM INTER EUM ET ROMANOS.

Haud tamen hîc omittendum, quod Robertus de Mõte ejusdem temporis auctor in fine Appẽdicis ad Sigebertũ observat: nempè quosdam Cardinales, & partem Senatorum Romanorum contradixisset consecrationi Othonis; indéque fuisse bellũ tribus diebus inter partes. Eam verò cõtradictionem processisse præcipuè ex parte Philippi Aug. Franc. Regis, (quòd scilicet à Philippo Suevo sẽper stetisset; & Othoni, in Regum Angliæ odium, quorum nepos erat, adversatus fuisset) scribunt alij [g]. Vnde & intelligitur, cur Innocentius (sicut ait Vrspergensis) juramentum exegerit ab Othone de ineundâ pace cum Philippo Rege Franciæ, standóque eâ in re judicio Pontificis. Consentiunt denique plures, statim post Othonis coronationem ortã inter Romanos & Germanos, sive ob jura quædam seu donaria Romanis causâ coronationis debita, sive aliã de re, dissensione; ad arma ventum esse, multósque Germanorum necatos: & quòd Romani recusarent damna resarcire, Othonem iratiorem ab iis recessisse.

[g] *Rigord. in Phil. Aug. ann. 1210. Magn. Chron. Belg. ex Alberg. Naucl. gener. 41. Lang. in Chron. Citizen.*

V. REX ANGLIÆ OB PERSEC. ECCLESIÆ EXCOMMUNICATUR.

Hoc itẽ anno, Rege Angliæ Ioanne nihil remittente de sævissimâ persecutione contra Ecclesiã & Ecclesiasticos ratione Interdicti, quinimmò in dies eam novis pœnis ac suppliciis augente; eóque re dilapsâ, ut omnis simul emendationis spes corruisset: (omittimus injustã expeditionem in Regem Scotorũ, quòd recepisset Anglos fugientes à furore ipsius Ioãnis; & iniquissimas quorũcumq; subditorum suorum expilationes atque vexationes, quibus non tam terrori quàm horrori cũctis erat:) Innocentius PP. eum nominatim excõmunicatum per universam Angliam denuntiari jussit. Vnde majori furore sæviens, inter ceteros Archidiaconum Norwicẽsem vinculis asperrimis tetro carceri inclusum, tunicâ plumbeâ induit, cujus pondere, & victûs subtractione, brevi periit. Inventúsq; est pseudotheologus quidã Scholæ Parisiẽsis, *Alexander Cementarius* dictus, qui ambitione seductus Ioannẽ iniquis suis persuasionibus magis dementavit, & ad crudelitatẽ accendit; affirmans eum ad hoc principẽ esse à Deo cõstitutũ, ut regeret populos in virgâ ferreâ; neque ad Papã pertinere de Regũ aliorumve potentum possessione, vel subditorum regimine quibus sic gratiã Ioannis promeruit, ut plurima aliis per vim extorta sibi dari obtinuerit beneficia. Qui tamen posteà Pontifice procurãte bonis omnibus ac beneficiis spoliatus, in tantam miseriã ac confusionẽ præcipitatus est, ut coactus fuerit panẽ suum ostiatim mendicare, ab omnibus meritissimè subsãnatus. Hæc pluribus Parisius; ac breviùs de more Westmonasteriẽsis.

DEMENTATUS A QUODAM PSEUDOTHEOLOGO.

VI. DISSIDIUM INTER REGEM FRANC. ET DUOS EPISC. OCCASIONE MILITIÆ.

Hoc eodẽ anno, cũ Rex Philippus Francorum cõmisisset Gualtero Comiti S. Pauli expeditionem in quosdã rebelles Britanniæ Minoris; & ceteris regni proceribus tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis qui de Rege tenebant, ex receptâ consuetudine milites ad eam præbentibus, Manasses Aurelianẽsis & Guillelmus Altissiodorẽsis Episc. fratres germani suos dare recusâssent, excipientes se nõ teneri ire vel mittere ad exercitum, nisi quando ipsemet Rex eum duceret, iratus Rex (quoniã adversari eis videbatur regni cõsuetudo) manus injecit in prædia & jura beneficiaria quæ à Rege possidebãt, quæ vocãt regalia, quorum ratione ad servitia personalia teneri cẽlebantur: intactis tamẽ decimis aliísq; spiritualibus. Episc. verò terrã & homines Regis interdicẽtes, & ad Innoc. PP. eã de causâ recurrẽtes; post plures ab eo ad Regẽ & Archiep. Senonensem, cui causæ cognitionẽ delegavit, scriptas annis sequentibus literas [h] pro restitutione in integrũ eorumdẽ fratrũ Episc. demùm quãvis arguendus ab eo fuerit Senonẽsis, quòd non ritè adversus eosdẽ Episc. processisset; nihilominùs quòd nollet Pont. consuetudines & jura regni infringere, Episc. monuit, ut cũ aliter fieri nõ posset cum Rege cõcordarent. Qui post bienniũ, pensã Regi mulctã, sua receperũt. Quã rem præter Innoc. epistolas, narrãt Rigordus [i], & ex eo Vincẽtius [k]. Fuisse autẽ hos Episc. pietate & fortitudine insignes, cùm ex aliis multis cõstat, tum ex susceptâ expeditione pro Christi fide adversus hæreticos Albigenses in auxiliũ Simonis Monfortij, cui valde utiles fuêre, & Amalricum ejus primogenitum solemni ritu militem ordinarunt: ut pluribus describit Petrus Vallis-Sarnensis in Historiã [l] Albigensiũ.

[h] *Reg. Innoc. an. 13. edit. Bosq. ep. 191. 192. an. 14. ep. 52. an. 15. ep. 39. 40. 106. 161.*

[i] *Rigord. in Phil. Aug. hoc ann.*

[k] *Vinc. Spec. hist. lib. 29. cap. 102.*

[l] *Hist. Albig. cap. 69. & 70.*

VII. EXPEDITIO FRANCOR. CÕTRA ALBIGENSES.

Hoc etenim anno, Innoc. PP. hortatu, ut vidimus superiori, ejusdẽ Regis permissu per universã Galliã quãplurima armatorũ millia Crucem sumpserũt adversus hęreticos Albigenses; (novo more contra fidei desertores eam ad pectus assuentes, cũ ad expeditiones Syriacas cõtra Saracenos super humerũ ponerentur) propositâ literis Pont. omnibus eam devotè sumẽtibus, cõfessísque ac pœnitentibus, remissione peccatorũ, & pœnitentiarũ absolutionem: omnésq; ex condicto Lugdunum pervenerũt mense Iun. circa festũ S. Ioannis Bapt. tanto numero, ut sint [m] qui ad 500000. ascẽdisse velint. In quibus extitere inter præcipuos, Archiep. Senonensis Episc. Eduensis, Claromontensis, Ni-

[m] *Tilius de Reg. Franc.*

vernensis; Dux Burgundiæ, Comites Nivernensis, sancti Pauli, Montisfortis, aliiq; quamplurimi è præcipuâ nobilitate viri. Nec verò tantùm permisisse Philippum Regem hanc expeditionem, quod plerique solùm dicunt) verùm & ipsummet suo nomine sumptibúsque exemplum aliis præbentem, quindecim millia armatorum ad eam dedisse, (ipse namque aliis bellis detentus haud ire potuit, nec filium mittere, ut cupierat) asserit Guillelmus Brito, qui tunc vivebat, & Res gestas Philippi ad ejus filium Ludovicum sincero, nec pro tempore inculto carmine scripsit. Iisdémque Raymundus Comes Tolosanus nuper absolutus & Cruce signatus se adjunxit; magis tamen illorum timore, quàm Crucis amore.

VIII. PROGRESSUS EORUM.

Primùm autem, divino auxiliante, nec sine miraculis, numine, Biterras urbem celebrem & copiosam, sed præ ceteris hæresi infectam, & turpitudinibus ac sacrilegiis, aliísque sceleribus contaminatâ, vi ceperunt, ac combusserunt, cunctis ad internecionem deletis: quorũ numerum ad 60. vel etiã 70. millia ascẽdisse tradunt. Estque eâ in re notandum, captam urbem esse die festo S. Mariæ Magdalenæ die 22. Iulij, atq; intra ipsius Ecclesiam occisa esse 7000. hæreticorũ; justissimâ divinæ dispensationis vindictâ, quòd blasphemarent impurissimè & impudentissimè Albigenses, Magdalenam Christi fuisse concubinam. Post hæc verò Carcassone urbe amplâ, & naturâ atque arce munitissimâ in colle positâ, & multis divitiis rerúmque omnium copiâ affluente, ad quam plerique illarum partium cõfugerant, in deditionem eâ conditione acceptâ, ut omnes rebus omnibus relictis nudi abirent solis induti lineis: inito inter Proceres consilio de præficiendo aliquo ex ipsis regioni illi, qui illam tutaretur, & reliquum bellũ prosequeretur; electus est omnium consensu SIMON *Montisfortis* in finibus Carnutũ Comes, regio Francorum genere, licèt olim illegitimo, Roberti Regis ortus, & ex matre Leicestriæ in Angliâ Comes; religione, pietate, prudentiâ, & fortitudine præstans; divinóque nutu, & præcedente prophetiâ, ad eam expeditionem (post reditum a Syriacâ, quã vidimus [n] eum suscepisse) vocatus qui ceterorũ instantissimis precibus & hortationibus rejectis, vix tandem auctoritate & districtâ jussione Abbatis Cisterciensis legatione Apostolicâ fungẽtis, onus & honorẽ suscipere adductus est: & recedente post hæc cum maximâ parte exercitûs Comite Nivernense, & post aliqua alia gesta Duce Burgundiæ cum reliquâ; relictus ferè solus Simon, nihilominùs multa castra & oppida quà vi quà deditione cepit; plurimorũ tamen proditiones & defectiones, suorumq; neces posteà passus. Quæ omnia ut sese habuerint, necnon quædam miracula in iis edita, accuratè descripsit Petrus [o] Vallissarnensis in Historiâ Simonis & Albigensium; & Monachus Altissiodorensis in suâ Chronologiâ: memineruntque ejusdem sæculi auctores, Cæsarius [p] ejusdem Cisterciensis Ordinis professor, Guillelmi Brito [q] & de Podio [r] Laurentij, Vincentius [s], & alij qui pòst vixerunt.

SIMON MONFORTIUS REBUS PRÆFICITUR.

[n] *An.* 1201. VII. [o] *Hist. Albig. c.* 14. *usque* 52. [p] 5. *Dial.* 21. [q] *Brit. lib.* 8. [r] *Chron. c.* 14 [s] *Vinc. lib.* 29. *c.* 109. *& seq.* [t] *Anton. tit.* 19. *cap.* 1. §. 3. *&* 4. *Æmil. in Phil. Aug. Guaguin. lib.* 6. *& alij. Sed qui accuratiorem de his cognitionem habere voluerit, omnino videat Hist. Comitum Tolos. Guill. Catelli lib.* 2. *c.* 6.

IX.

Observat autem idem Petrus; si post deditionem Carcassonæ sustinuissent duces exercitûs ulteriùs progredi, facili negotio omnia hæreticorũ loca occupare potuisse: sed Deum humani generis saluti salubriùs providentem, ideo cõsilio ad longiora tempora differri voluisse, ut dum plures successivè homines ad vindicandas Christi ejúsque Ecclesiæ injurias sese accingerent, etiã plures peccatores veniam, justi gratiã uberiorem adipiscerentur. Quale quid divinitùs revelatum fuisse B. Christianæ tempore occupationis urbis Ierosolymę per Saladinum, vidimus aliàs [u]. Accidítq; frequenter Simoni in toto hoc bello, (quod in plures annos protractũ est) ut potenti aliquando exercitu pollens, derepentè paucis comitatus cerneretur; quoniam cum nonnisi occasione veniæ à Pontifice promissæ Crux à plerisque sumeretur, iidem statim ferè atq; exercitum vidissent, tanquam munere suo functi, remeabant ad sua. Vnde & necesse fuit Legatis Apostolicis, tẽpus Crucesignatis pręfinire quo cõcessam remissionẽ consequerentur, nempe quadraginta nimirũ dierum. Quid verò post hæc Simon præstiterit, dicetur suis locis. Cui interim tam Dominicum, quàm Fulconem Episcopum Tolosanũ, ac ceteros quos diximus Abbates Cistercienses, fidelissimâ & assiduam in prædicationis & consultationis negotio operam præstitisse, non sine multis ab hæreticorũ pertinacissimâ contumaciâ injuriis atque ludibriis, necnon & quorumdam è suis martyrio, iisdem auctoribus constat. Quando & Simon Appamias nostras ab Abbate earum domino vocatus, de illis eidem Abbati fidelitatem juravit, fiduciario jure eas possessurus.

[u] *Epit. Baron an.* 1187. II.

TEMPUS INDULG. ADIPISCENDÆ.

X. ORD. SS. TRINIT. DE REDEMPT. CAPTIVORUM CONFIRMATIO.

Præsenti quoque anno Ordinem *Sanctissimæ* TRINITATIS *de redemptione captivorum* confirmatum esse ab Innocentio Papâ, constat ex ejus eâ de re constitutione [x] datâ Viterbij XIV. Cal. Iul. Indict. 12. Incarnat. Domin. ann. 1209. Innocentij PP. III. 12. De quo agens, qui posteà ejusdem fuit generalis Minister (ut vocant) Robertus Gaguinus [y] Gallus, ait Auctores, ejus *Ioannẽ de Mata* oriundum ex Provinciâ Theologum Parisiensem, & *Felicem* anachoretam Valesiensem, postquam apud Cervumfrigidum (vulgò *Cerfroy*) Meldensis territorij solitariam diù vitam egissent, per quietem admonitos Põtificem Rom. convenire, à quo vitæ modum acciperent; cùm Innocẽtium adiissent, cognovisse eum simili revelatione fuisse divinitùs instinctum: & v. Cal. Febr. ostensâ Innocentio, dum rem divinam faceret, visione Angeli candore multo fulgentis, cæruleáque & rubenti Cruce ad pectus insigniti, ac cancellatis manibus duos captivos tenentis, Christianum unum, alterum Maurum, tanquã eos commutaret: hinc Pontificem, ad visionis similitudinem, Ioanni Felicíque, eorúmq; in futurum sociis, cãdidas vestes, superadditâ Cruce qualẽ Angelus ostendisset, tribuisse; ac novo Ordini titulum *De Trinitate & Redemptione Captivorum* indidisse; cum onere captivos à malè credentibus Christianos liberandi. Hæc Gaguinus: quæ contractiùs habet Sabellicus. Ipsa verò Innocẽtij Papæ de Regulâ illius Ordinis jam antehàc facta cõstitutio, data reperitur [a] Romæ apud Lateranum XVI. Cal. Ianuar. ann. Incarnat. Domin. 1198. Pontificatûs Innocentij primo; quo & plerique auctores ejus ortũ ponunt. Eumdémq; paulò pòst, nempè VIII. Id. Martij Pontificatûs secundo, idem Pontifex significãdum curavit Miramamolino Regi Saracenorum Marrochitano, & subditis ejus literis [b] ad eos scriptis, ut faciles se captivorum permutationi & redemptioni exhibe-

[x] *Bullar. to.* 1. *Innoc. III. const.* 9. [y] *Gaguin. Hist. Franc. lib.* 6. *Quâ de re pleniùs in Mari Ocea. omn. Relig. Silvestri Maurol. lib.* 3. *& ap. Miræ. Orig. monast. lib.* 1. *cap.* 8. [z] *Sabell.* 9. *Ennead.* 5. *in fi.*

[a] *Bullar. const.* 1. *& lib.* 1. *Epist. Innoc. ep.* 475.

[b] *Innoc.* 2. *ep.* 9.

rent; simul adhortans eos ad suscipiendam fidē.

XI. COLLECTIO EPIST. INNOC. PP.

Ceterùm ad hunc usque annum Pontificatùs Innocentij duodecimum, collectioné ejus Epistolarum, seu rescriptorum decretalium, factam esse à Petro subdiacono ejus Notario, testatur ipsemet Pontifex scribés ad Magistros & scholares Bononienses, epistolio quod habetur in principio tertiæ Collectionis apud Antonium Augustinum. Cujus, aliarumque Collectionum Decretalium ipsius Innocentij, ceterorúmque anteriorum Pontificum, post illam gratiam factarum, historiam protulit eruditissimus Bosquetus Iurisconsultus in Notis [c] ad Epistolas Innoc. ab ipso in lucem editas ex Biblioth. Collegij Fuxi Tolos. quem consulat qui hæc cupit.

[c] *Ad lib. 1. an. Pont. 13. ep. 72.*

IESU CHRISTI Annus 1210.

INNOC. III. Ann. 13.

OTHONIS IV. Ann. 2.

HENRICI Ann. 5.

I. OTHO IMP. EXCOMMUNICATUR.

ANNO Christi 1210. Indict. 13. Otho. Imp. sæpè frustrà ab Innoc. Pont. monitus cessare ab invasione & usurpatione bonorum Ecclesiæ Romanæ, & regni Friderici Siculi ejusdē Ecclesię beneficiarij; tandē contumax & rebellis existens, ab eo excōmunicatus est, atque per omnia loca denuntiatus. Cúmque nihilominùs in pertinaciâ perseverans, ingenti exercitu, quē ex Angliâ suppeditato sumptu alebat, totius Italię imperium appetere præseferret; nec dissimularet, se cōpositis ex sententiâ rebus Italicis in Regem Francorum ducturum, ut Regi Anglię avunculo suo Nortmanniam ceteráfq; provincias amissas recuperaret: adeóque nec Innocentio offerenti (ne scilicèt major in Repub. Christianâ discissio fieret (ut sibi Otho liberè haberet quæ ex bonis Ecclesiæ Romanæ per vim eripuerat, dum à ceteris desisteret, aures accōmodare sustineret: sed & latrociniis vias omnes quæ Romam deducerēt infestaret, nequis eò vel religionis causâ accedere posset: demum de consilio Cardinalium & Episcoporū eâ de re ad *Synodum* convocatorum, eumdem Othonem sanctę Ecclesiæ hostem judicavit; eíque jus Imperij abrogavit, omnes Imperij subditos sacramenti religione quo tenebantur ei obnoxij absolvens. Quâ sentētiâ, ejusdem Pontificis jussu, per universam Germaniā à Siffrido Archiepiscopo Moguntino promulgatâ; frementes multi in eumdē Siffridum, unà cum Henrico Comite Palatino Rheni fratre Othonis, ipsum aggressi, fugere compulerunt ad Hermannum Lantgravium, qui ejus protectioné suscepit: plures autem alij Principes tam sæculares quàm Ecclesiastici, & in eis Archiep. Treuerensis, Rex Boëmiæ, Duces Austriæ & Bavariæ, in unum convenientes, Rege etiam Francorum suadente, & ut fieret omni ope contendente, *Rogerium* FRIDERICUM Siciliæ Regē, Henrici V. Imp. filium, annum agentem [a] ætatis 17. & jam olim parente superstite, dum adhuc ferè in cunis vagiret, Regem Romanorum renunciatum, in Imperatorem elegerunt: misísque in Italiam Legati, primò assensum Innocentij obtinuerunt; deinde Fridericū adeuntes, eum in Germaniam invitarunt. Qui tamen ægrè acquievit; contrà obtinente uxore ejus Constantiâ sorore Regis Aragonum; necnon & proceribus Siculis, quòd timerent ei (ut loquuntur auctores) à fraude & inconstantiâ Germanorum. Peracta porrò sunt ista hoc anno, & parte sequentis: quæ prosequuntur Vrspergensis, Godefridus, Rigordus, Parisius, Blōdus, Nauclerus, Trithemius, Æmilius, & alij; sed nonnihil, ut fit, diversè quidamque Othonem in asserendis Imperij juribus aliquatenus excusantes, omnes tamen ejus duritiem vehementer inculpantes, & jure merito ab Innocentio damnatum asserentes.

ET DEPONITUR.

[a] *Vid. in Epit. Baron. an. 1197. III.*

FRIDER. II. ELIGITUR IN REGEM ROM.

II. HENR. IMPER. CONST. ARGUITUR AB INNOC. PONT.

Nec minore zelo contra Henricū Imp. Constantinop. Innocentius insurrexit. Cùm enim Henricus edixisset, ne quispiam bonorum immobilium scriberet hæredem Ecclesiam; graviter monuit eum Innocentius eam legem abrogare; necnon & bona Ecclesiarum quæ usurpâsset restituere, suósq; proceres ad id ipsum compellere: quæ si tam ipse quàm ceteri perficere detrectarent, in eos gladium anathematis exercere Archiepiscopis quibusdam commisit. Tanti verò fuit apud pium principem Pontificis exhortatio, ut nonnullis honestis pactis cum Patriarchâ & reliquis Ecclesiasticis conventum fuerit; quæ posteà Innocentius confirmavit. Sic enim hæc gesta esse, constat ex plurimis literis ab eodē Pontifice [b] iis de rebus ad eosdem scriptis. Ceterùm Robertus Altissiodorensis [c] hoc eodem anno notat, eumdem Henricū Imp. exercitu congregato Græciam pervagantem ditionis suę terminos circumquaque dilatâsse. Quorum & meminêre Nicephorus Gregoras [d], & Georgius [e] Logotheta. Hicque eumdē de optimâ Reipub. administratione, & in Græcos sibi subjectos comitate, mirificè laudans, ait eum cum Theodoro Lascare Grecorū apud Nicęam Imperatore concordiam de limitibus iniisse.

[b] *Lib. 13. Epist. in Reg. Vatic. & in edit. Tolos. an. 13. ep. 98. & seqq. itémque Bullar. tom. 1. Innoc. III. const. 10.*
[c] *In Chron.*
[d] *Greg. lib. 2. cap. 1.*
[e] *Georg. in Chron. Constatinop.*

III. FERITAS GRÆCORUM IN LATINOS.

Quod aliquando factum non dubitamus. Hoc tamen anno scribens Innoc. [f] Pont. ad Patriarcham Constantinop. VII. Id. Dec. significat certiorem se factum ab Imp. Henrico, multos è Latinis adhærere cuidam Michalicio Græco, qui contra fidelitatem ipsi Henrico juratam, & affinitatem cum eo contractā, non solùm ab eo defecerat, verùm etiā Imperij Conestabulo cum multis militibus & aliis dolo captis, quosdā ex eis flagellaverat, alios in carcerem retruserat, nonnullos necaverat, ipsúmque Conestabulum cum tribus aliis & capellano in cruce suspenderat; ac deinde Latinorum fretus potentiâ, qui cupiditate cæcati ad eumdem Michalicium confugerant, castra ejusdem Henrici Imp. obsederat, atque omnes Latinos sacerdotes quos capere potuit, & quemdam electum in Præsulem, fecerat capitibus detruncari: Ac præterea Lascarim, qui pro Imperatore se gerebat, stipatum viribus Latinorum, quos majoribus stipendiis quàm quæ Henricus erogare posset alliciebat, quemdā de principibus cepisse, & excoriari fecisse. Quapropter mandavit Innocentius eidem Patriarchæ, Latinos monere, & sub excommunicationis pœnâ inducere, ne Græcis, adeò in Latinorum religionem efferatis, ut etiam eos canes appellarent, auxilium contra Henricum præberent. Porrò de Lascari quis esset, satis notum. Michalicium autem, illum esse non dubitamus Michaëlem Comnenum, ex Angelorum familiâ, cujus superiùs [g] meminimus; quémque Nicephorus Gre-

[f] *An. 13. ep. 184. edit. Tolos.*

[g] *An. 1204. XI.*

goras scribit Epirum sibi usurpâsse: Villarduinus eum initio Marchioni Monferratensi Regi Thessaliæ creato adhæsisse, paulóque pòst in eum ac ceteros Latinos insurrexisse. Contra cujus successores sæpiùs agendum fuisse ab Imperatoribus Græcorum, quòd ambitiosissimi existentes longè latéque fines propagare quærerent, apud eumdem Nicephorum legere licet; nósque dicemus aliquoties inferiùs.

IV. PONT. AGIT CONTRA ALIOS REGES DELINQUENTES.

Eumdem quoque Innocentium Pontificem ceterorum item Regum Christianorum solicitam curam habuisse, ut quæ contra legem Christianam ab ipsis facta intelligerentur, ad æquitatis amussim reducerentur; ostendunt inter cetera literæ [h] ab eo scriptæ ad Othocarum Regem Boëmiæ, ut Romam ad causam dicendam de repudio conjugis suæ, de quo diximus [i], procuratores mitteret: & ad easdem ipsas Reginas contendentes, universum rei processum ab ipso initio recensens) ut & ipsæ procuratores suos mitterent; nisi fortè honesta aliqua inter eas concordia proveniret. Ad Archiepiscopum Eboracensem, ut Ioannem Angliæ Regem, qui inter ceteras Ecclesiæ vexationes, ob denegatam sibi à Clero Eboracensi violentam quamdam exactionem, ejus bona expilârat, moneri faceret de restitutione faciendâ; quod si detrectaret, tunc Archiepiscopus in eum jure suo ageret: paritérque ad Episcopos Roffensem & Saresberiensem, ut quoniam idem Rex bona dotalitia Berengariæ relictæ Richardi fratris sui eripuerat, ipsi cuncta loca quæ Reginæ juris essent interdicto supponerent, donec Rex ablata restitueret. Ad Episcopum Zamorensem, ut Sanctium Regem Lusitaniæ ingressu Ecclesiæ & Sacramentorum communione interdiceret, nî Episcopo Portugalensi de illatis injuriis satisfaceret. Ad Fridericum Siciliæ Regem, ut Episcopum Catanensem Cancellarium Regni, optimè de ipso Rege, quem enutrierat & custodierat, déque regno, pro cujus defensione magnos labores exantlaverat, meritum, quem à se amoverat, in familiaritatem suam & bona restitueret; minatus nî faceret, super hoc se aliud cogitaturum. Ad Philippum Francorum Regem, pro restitutione prædiorum ac jurium seu regalium Episcoporum Aurelianensis & Altissiodorensis, (de quorum causâ dictum est anno superiori;) ne hâc occasione contingeret inter regnum & sacerdotium scandalum exoriri. Ad Gnesnensem Archiepiscopum, de modo componendæ contentionis quæ intercesserat inter plures fratres de Principatu Poloniæ. (In quo & illud rursùm observes, quod etiam aliâ simili occasione observandum monuimus; numquam eum suis epistolis tam hujus anni quàm ceterorum, *Regem* Poloniæ, sed *Ducem* tantùm nuncupare: videlicet ob sententiam privationis regni contra eos latam à Gregorio Septimo in pœnam necis Stanislaï martyris, de quâ aliàs [k].) Ad Comitem Tolosanum, ne hæreticos Waldenses, sive Albigenses ampliùs reciperet: & si ejicere negligeret, terras illius exterminatoribus hæreticorum possidendas concessit. Nonnullis autem eorumdem hæreticorum ad Ecclesiam Catholicam conversis, formulam præscripsit quam jurare deberent; quâ recensentur præcipuæ eorum hæreses, pridem à nobis prolatæ.

h Reg. Vatic. & in edit. Bosq. an. 13.
i An. 1206. VI.
k Epit. Bar. an. 1079. VII.

V. DE DISTINCTIONE VESTIS ORDINUM TEMPLAR. ET TEUTONICOR.

Milites quoque Teutonicos, ne alba pallia quæ Templariorum Teutonicis longè antiquiorum erant, deferrent (quod facere cœperant) prohibuit; ne inde Ordines confunderentur. Commisítque Patriarchæ Ierosolymitano, ut super his inquisitione factâ, ea statueret quæ religioni pariter & militum saluti expedire videret. Cui quidem videtur satis fuisse, si Crucis colore distinguerentur, cùm ex Vitriaco, qui paulò post hæc historias suas scripsit, intelligatur [l], utrosque albis vestibus uti tunc consuevisse; sed Templarios Cruces rubras, Teutonicos nigras iis assuisse. Cùm verò hoc eodem tempore Prussiæ nonnulli proceres ad fidem conversi essent, prædicatione quorumdam monachorum qui permissione Innocentij eò accesserant; scripsit idem Pontifex Archiepiscopo [m] Gnesnensi in Poloniâ, ut in iis quæ ad ampliandum Christianæ religionis iis partibus cultum spectarent, curam pastoralis officij impenderet. De aliis autem Prussorum Russorúmque conversionibus jam antehàc factis, eorúmque ad pristinam paganitatem relapsibus, jam dictum est aliàs [n]. Idémque insuper Innocentius hoc eodem anno [o] compositionem quamdam inter Albertum Rigensem in Livoniâ Archiepiscopum & Volcwinum Magistrum Militum Livonensium (de quibus dictum superiùs [p]) confirmavit.

l Vitriac. Hist. Orient. c. 65. & 66.
m An. 13. ep. 128. edit. Tolos.
n Vid. Indic. to. 2. Epit. Baron.
o An. 13. ep. 141. 142.
p Sup. ann. 1205. XIII.

VI. ORDO S. IACOBI CONFIRMATUR.

Confirmavit [q] itidem Ordinem & Militiam *S. Iacobi*, & privilegia ab Alexandro Tertio ei concessa in approbatione Ordinis; quæ ibidem recensentur. Dicitur is Ordo vulgò *de Spathâ*: à nonnullis etiam *Fratres Velesij*, à præcipuâ eorum sede in regno Castellæ. De cujus divisionibus, & Magisteriatûs dignitate Coronæ Castellæ unitâ alij [r] pluribus. Meminítque eorumdem Iacobus de Vitriaco [s] hoc tempore vivens, in suâ Historiâ Occidentali. Eodémque anno idem Pontifex rogatu Roderici Toletani Archiepiscopi, ipsi, ejúsque in perpetuum Ecclesiæ, Primatûs dignitatem per Hispaniarum regna, ad exemplar, ut ait, prædecessorum suorum, quos multos enumerat, confirmavit [t] salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Sed de hoc Primatu jam aliàs [u].

q Ann. 13. ep. 11.
r Menen. de Ordin. Milit. Favin. Theatr. Honor. lib. 6.
s Vitriac. c. 26.
t d. an. 13. ep. 5.
u Vid. Indic. to. 2. Epit. Baron.

VII. CONGR. PAUPERUM CATHOL.

Cùm verò nonnulli Waldenses hæretici in Provinciâ Tarraconensi conversi ad fidem, quorum præcipui *Bernardus Primus* & *Durandus de Oscâ*, congregationem quamdam instituere deliberâssent sub nomine *Pauperum Catholicorum*, (loco videlicèt *Pauperum de Lugduno*, quo nomine vidimus Waldenses nominatos) quâ sæculo renunciantes, omnibus propriis abjectis, in vili habitu & paupere vitâ, jejuniis & orationibus, consilia Evangelica velut præcepta servare proponerent, lectioni, & exhortationi ac disputationi contra omnes errorum sectas vacantes: eorum propositum Innocentius, post multam ejus examinationem, approbavit, & sub Sedis Apostolicæ protectionem suscepit. De quibus extant [x] plures ejusdem Pontificis tam ad ipsos quàm ad diversos Prælatos scriptæ epistolæ, tum eorumdem fidei professionem, tum vivendi propositum continentes. Prædicti porrò Bernardi meminit

x d. an. 13. edit. Bosq. ep. 78. & 94 an. 15. ep. 80. 135. & pluribus aliis.

y Vrsperg. in Chron. ann. 1212.

etiam Abbas Vrspergensis; eúmque se vidisse ait Romæ, cùm peteret à Sede Apostolicâ ordinem suum confirmari; sed Pontificem quædam superstitiosa in ejus conversatione adnotâsse, quæ quidem eum correxisse, intelligitur ex eo quòd vitæ ejus ac instituti genus Pontificem approbâsse diximus. De Durando verò de Oscâ, déque ipsius congregatione, agit pariter Guillelmus de Podio Laurentij in suo Chronico de Rebus gestis contra Albigenses; cùm narrat disputationem inter quosdam Catholicos & hæreticos in civitate Appamiarum factam. In quâ cùm soror Bernardi-Rogerij Comitis Fuxensis palàm hæreticos tueretur, dixit ei quidam Frater Stephanus de Miniâ, *Ite Domina, filate colum vestram;* (hoc est, è colu vestrâ fila ducite, quod mulierum est) *non interest vestra loqui in hac contentione.* Factâ verò disputatione, sententiâ ejus arbitri victis Waldensibus, aliquos eorum fidem Catholicam professos ait; qui Sedem Apostolicam adeuntes, licentiam vivendi regulariter obtinuerunt. In quibus Durandus de Oscâ fuit Prior, & composuit contra hæreticos quædam scripta. Iidémque in quâdam parte Cataloniæ sic vixerunt, sed paulatim posteà defecerunt. Ità Guillelmus ex quibus intelligas prædictam Congregationem haud diù perstitisse; sive à primâ puritate declinantem, seu fortè à supervenientibus Franciscanâ & Dominicanâ absorptam.

VIII. REGIS ANGLIÆ RAPACITAS.

Intereà in Angliâ Rex Ioannes pergens in furore suo & contumaciâ, post reditum ex Hiberniâ, quam à se alienatam maximo exercitu ad deditionem compulit, gravissimum tributum omnibus Ecclesiis ac monasteriis Angliæ imponens, immensam vim auri per vim exegit: hísce opibus cogitans satisfacere rapacitati, cujus explendæ cupidine Hibernos invadens, eorum inopiâ spem suam frustratam senserat. Cujus pariter exsaturandæ causâ adeò miseros Iudæos carceribus alíisque gravissimis pœnis afflixit, ut plerique à regno aufugerint. Denique tanta fuit omnium ab eo calamitas, ut quemadmodùm de his agens Parisius [z] loquitur, ejus rei seriem si quis pleniùs prosequeretur, lacrymas excuteret tyrannorum, & animos audientium perturbaret.

z Paris. in Ioan. hoc an. Eadémque V. Vvestmon. in Floril. hoc an. & Polyd. lib. 15.

IX. PROGRESSUS SIM. MOFORTII CONTRA ALBIG.

In Galliâ Narbonensi Simon Comes Monfortius novis subinde Crucesignatorum ex Galliâ & Germaniâ copiis recreatus, multa hæreticorum munitissima castra & oppida, non tamen sine ingenti labore & frequenti propriæ vitæ periculo, cepit; multósque obstinatissimorum hæreticorum gladio, suspendio, ignè necavit. Inter quos Aimericus dominus Montis regalis, præcipuæ vir nobilitatis, anno sequenti in expugnatione munitissimi castri Vauri captus, ob defectionem à fide Simoni datâ, & obstinationem in hæresi, resti suspensus est: ejúsque soror Gerarda domina dicti castri, hæretica pessima, (quæ etiam [a] de fratre vel filio suo se concepisse dicebat) projecta in puteum, & lapidibus obruta Raymundus autem Comes Tolosanus, cùm & Philippum Francorum Regem pro cõfirmatione vectigalium, quibus terras suas supra modum vexaverat, & ob quæ sæpiùs excommunicatus, de mandato Legatorum Apostolicorum, quando finxit se Catholicum, iis renunciaverat; & Innocentium Papam, pro restitutione locorum quæ tradere, ut vidimus, coactus fuerat; & Othonem Imperatorem, pro impetratione auxiliorum adversus Comitem Monfortium, frustrà adiisset; ac rursùm in *Concilio* apud AVENIONEM à *Milone* Legato celebrato, excommunicationis sententiam, siquid ampliùs in prædicta vectigalia intentaret, accepisset: nihilominùs denuò post obitum Milonis, (qui contigit hoc eodem anno) in aliâ *Synodo* Episcoporum à *Thedisio* ejusdem in Legatione socio apud S. ÆGIDIUM habitâ, re ipsâ excommunicatus denunciatus est, eò quòd detrectâsset adimplere quæ impleturum se multotiens juraverat. Et quamvis sæpiùs post hæc tractatum fuerit de illius, Comitísque Fuxi, crudelissimi omnium ac pervicacissimi hæreticorum fautoris, (sunt enim qui eum de manifestâ hæresis professione excusant) amplis etiam conditionibus, dummodò Ecclesiæ se judicio submitterent, redintegratione; nihil tamen effici potuit: quamvis non parùm & in his laboraverit Petrus Aragonum Rex, qui ad hoc eò accesserat, quòd & pleraque eorum tractuum loca in ejus tunc fide essent tam ratione ejus conjugis quàm aliis capitibus, (adeóque ipsa Carcassone, quam Simon ejus se beneficio possidere agnovit; ita tamen ut tam ejus quàm ceterarum illarum provinciarum supremum dominium Regum Francorum esset:) ac Raymundus Leonoram sororem Petri uxorem haberet, alterámque nomine Sanctiam alter Raymundus prædicti filius. Quomodò autem hæc se habuerint, diffusè prosequitur Petrus Vallissarnensis in [b] Historiâ Comitis Montisfortis & Albigensium: quædam etiam inserens divina miracula, quæ in iis fieri contigit (ut aliàs sæpè totâ hâc sacrâ expeditione) in confirmationem fidei Catholicæ, & confusionem perfidiæ hæreticæ: quæ unà cum rebus bellicis, attigit etiam Monachus Altissiodorensis [c] in suâ Chronologiâ; & per suos Dialogos de miraculis & visionibus suo tempore factis, distribuit Cæsarius Monachus Cisterciensis & ipse tunc vivens. Inter quæ fuit illud, [d] cujus & alij meminerunt, quòd cùm nonnulli Catholicorum insidiis hæreticorum apud Montem-gaudij trucidati fuissent, ad demonstrandum eorum meritum, lux cælestis emicuit, & globus, seu columna ignis super corpora defunctorum visa est descendere: repertique sunt omnes supini jacentes, brachiis in formam Crucis extensis.

a Altissiod. in Chron.

COMITIS TOLOS. SUBTERFUGIA, ET DAMNATIO.

CONCILIA IN EIUS CAUSA HABITA.

b Hist. Albig. cap. 33. usque 53.

MIRACULA CONTRA HÆRETICOS.

c Altissiodor. ann. 1210. 1211.

d Petr. c. 53. Robert. ann. 1211. Vitriac. lib. 2. &c.

IESU CHRISTI Annus 1211.

INNOCENT. III. Ann. 14.

HENRICI Ann. 6.

I. FRIDERICUS PETIT GERMANIAM.

ANNO Christi millesimo ducentesimo undecimo, Indictione decimaquartâ, Otho olim Imperator auditis in Apuliâ Germanicis tumultibus suæ causâ depositionis & Friderici electionis: dispositis utcumque rebus Italicis, quamprimùm in Germaniam cum exercitu properavit. Itémque Fridericus eódem festinandum censens, Romam primò

venit. Vbi à Pontifice benignè exceptus, cùm coronari etiam peteret; re à Pontifice dilatâ, Legatum tamen accepit R. E. Cardinalem cum mandatis Apostolicis ad Germaniæ Principes & civitates, ut Othone derelicto obtemperarent Friderico: & per Italiam à Principibus & civitatibus quasi per manus devectus ad vallem Tridentinam, Alpes obliquo itinere, quòd rectâ propter insidias Otho iis prohiberetur, per asperrima & invia loca transivit: perveniénsque tandem in Rhætiam, & ab Episcopo Curiensi, Abbate S. Galli, aliisque nobilibus cum magnâ reverentiâ susceptus, perductus est Constantiam. Ita Vrspergensis, Coloniensis, Rigordus, Nauclerus, & alij; tempore tamen nonnihil confuso. Observátque Rigordus [a], & ex eo Vincentius [b], & alij, ita in tempore pervenisse Fridericum Constantiam, ut si moram fecisset trium horarum, nunquam ingressurus fuisset Germaniam; quoniam Otho longè viribus superior eodem die Constantiam venturus ad accessum ejus impediendum, jam ministros præmiserat qui necessaria parabant. Recepto verò semel Friderico, Otho cum suis ignominiosè repulsus est.

[a] Rigor. in Phil. Aug. an. 1211.
[b] Vinc. Spec. hist. l. 30. c. 1.

II. Præstat iuram. fidel. Innocentio pro regno Siciliæ.

Antequàm verò Fridericus è Siciliâ proficisceretur, Messanæ existens, juramentum [c] fidelitatis (ut vocant) pro regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, Principatu Capuæ, Neapoli, Salerno, Marsiâ, cæterísque omnibus terris quas possidebat, Innocentio Papæ, ejúsque legitimis successoribus, præstitit in manibus Gregorij tituli S. Theodori Diaconi Cardinalis Crescentij Apostolicæ Sedis Legati ad hoc eò missi. Alioque diplomate agnoscens se beneficio Innocentij ac Sedis Apostolicæ prædicta omnia dominia sub censu annuo possidere; electiones Episcoporum, de quibus sæpè controversum fuerat, canonicè fieri se velle declaravit; eo scilicèt modo ut accidente vacatione Ecclesiæ, Capitulum primò Regi obitum decessoris, deinde successoris electionem significare teneretur: ita ut nec ante assensum regium electus in throno collocaretur, nec ante confirmationem Romani Pontificis administrationi sese immisceret.

[c] Reg. Innoc. lib. 13.

III. Pandulphi adventus in Angliam.

Advenit hoc item anno in Angliam *Pandulphus* Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, Iuris prudentiâ & morum integritate clarus, (sunt qui imperitè hunc confundunt cum *Pandulpho Masca* Pisano, creato à Lucio Papâ Tertio Cardinale tit. Basilicæ SS. XII. Apostolorum, qui adhuc sub Innocentio vixit, & functus legatione Etruriæ mortuus est: quem & tradunt scripsisse Vitas Romanorum Pontificum; unà cum *Durando* ex collegio Templariorum; missi ambo ab Innocentio PP. ut Ioannem Regem hortarentur ad se redire, & à perversitate recedere. Quos Ioannes satis benignè suscipiens, ut pacem Ecclesiæ quoquo modo adipisceretur, acquievit quidem ut omnes proscripti ad sua reverterentur: sed quia omninò recusavit sarcire detrimenta sacerdotibus, aut aliis illata, Legati infecto negotio in Gallias regressi sunt. Innocentius autem his auditis, maturo habito cum Patribus consilio contra eundem Ioannem, quòd religionem contemptui haberet, quòd monita Pontificia nihili penderet, quòd Ecclesiam Anglicanam acerrimè persequeretur,

Ioannes Rex privatur regno;

& Vniversalem maximè perturbaret, quòd quæ ipsius populi conducerent saluti nihil respiceret; primò cunctos ei quoquo modo subjectos ab ejus fide & observantiâ absolvit, districtè mandans omnibus ut mensam colloquiúmque ejus aversarentur; deinde ipsummet regno regiâque omni potestate exuit: postremò Philippum Regem Francorum, ad quem omnes exules Angli recurrerant, hortatus est ad eum bello lacessendum, ut publicum Dei & Ecclesiæ hostem; concesso ei, ejúsque successoribus, ipsius regno: cæterósque ubique omnes excitavit ad Crucem contra eum in Philippi auxilium suscipiendam, quemadmodùm in infideles & hæreticos fieri consueverat. Habent hæc pluribus Parisius, Westmonasteriensis, Polydorus: quæ hoc anno cœpta, sequentem etiam occupârunt. De quibus item extant [d] plures Innocentij epistolæ: aliáque acta in ejus Regesto.

Quod Regi Francorum cōtribuitur.

[d] Reg. Vatic. Innoc. & edi. Tolos. li. 3. ep. 231. & seqq

IV. De rebus Albigens.

Quod ad res Albigensium; Cùm post expugnationem Vauri nobilissimi & amplissimi castri, (cujus meminimus anno superiori, cùm tamen nonnisi præsenti contigerit die S. Crucis mensis Maij;) Raymundus Comes Tolosanus penitùs à Catholicis descifcens, eis variis modis insidiaretur: omníque spe ejus emendationis excisâ, fuisset idem jussu Innocentij PP. (cujus rursùm extant [e] eâ de re hujus anni literæ) à Legatis Apostolicis publicè denunciatus excommunicatus, & cunctis ad diripiendum expositus, (consentiente huic expositioni Rege supremo domino, ut necesse erat, & disertè tradit Guill. Brito) tanquam refuga fidei & Ecclesiæ hostis: idcircò novo Monfortius Crucesignatorum ex Galliâ & Germaniâ robore adversus eum progressus, post nonnulla ipsius castra expugnata, ipsam etiam Tolosam obsedit: priùs tamen per Fulconem Episcopum Tolosanum (qui jam antè à Raymundo pulsus continuè Monfortio adstabat) evocatis à civitate clericis; qui nudis pedibus solemni processione cum sacratissimo Corpore Christi egressi sunt. Solutâ verò paulò pòst obsidione, ob Catholicorum contra amplissimam urbem paucitatem: desertus brevi Monfortius à Crucesignatis, sese ad sua (ut fieri consueverat) maturè recipientibus; sed & plerorúmque castrorum atque nobilium defectiones ac proditiones passus; postremóque in quâdam munitione dictâ Castronovo, ab eodem Raymundo Tolosano, Raymundo-Rogerio Fuxensi, Gastone Bearnensi, aliísque illarum partium Proceribus cum exercitu centum fermè millium mense Septembri obsessus: egregiam divino favore de Comite Fuxensi separatim reportavit per suos quodam certamine extra castrum, vix uno contra triginta pugnante, victoriam; cujus beneficio soluta est obsidio.

[e] Ibid.

Comes Tolos. refuga denuò excommunicatur, et dominio privatur.

V. Progressus Monfortii.

Cùm verò nihilominùs idem Monfortius, ob frequentes indigenarum proditiones ac defectiones parùm proficeret; sub finem anni recreatus est adventu primùm Roberti Malvicini strenuissimi ducis cum delectâ Gallorum manu; deinde Guidonis fratris ipsius Monfortij, redeuntis è bello Syriaco (ad quod cum Simone fratre ipse vidimus) unà cum suâ conjuge dominâ Sidonis, regij sanguinis feminâ, quam ibi duxerat. Quando

IACOBUS DE VITRIACO.

& *Guillelmus* tunc Archidiaconus, & posteà, ut puto, Episcopus Parisiensis, & *Iacobus de Vitriaco* Presbyter loci Argentorij ejusdem Diœcesis Parisiensis, (qui posteà Ordinem Canonicorum Regularium sancti Augustini ingressus in monasterio Oigniacensi in Brabantiâ, indéque factus Episcopus Acconensis in Syriâ, demùm à Gregorio IX. creatus est Cardinalis Episcopus Tusculanus, egregiæ vir doctrinæ & pietatis (auctoritate Apostolicâ per Galliam & Germaniam Crucem magno zelo prædicantes; ingentem Fidelium multitudinem in Albigenses concitârunt. Quorum auxilio Monfortius præclara multa præstitit toto anno proximo tam contra hæreticos quàm eorum fautores, usque ferè Burdegalam: adeò ut Comes Tolosanus universâ fermè suâ ditione amissâ, præter Tolosam & Montemalbanum, coactus fuerit ad Petrum Aragoniæ Regem recurrere: Balduino intereà ipsius fratre, abjuratâ sincerè hæresi, Monfortio fideliter adhærente, & multa edente egregia pro fide reliquo bello facinora. Quæ cuncta breviter relata, fusè prosequitur Petrus [f] Vallis-Sarnensis, qui iis interfuit; & Guillelmus Catellus in Historiâ Comitum Tolosanorum [g]: meminerúntque alij plurimi.

[f] *Hist. Albig. cap. 48. usque 65.*
[g] *Hist. Com. Tolos. l. 2. c. 6.*

VI. INNOC. PP. SANCIUM REGEM LUSIT. DE PLURIMIS EXCESSIBUS ARGUIT.

Habuit rursùm hoc anno VII. Cal. Martij Innocentius [h] Pontifex Sancium Regem Lusitaniæ de pluribus excessibus redarguere, quos enumerat; ac speciatim quòd de Ecclesiis ac beneficiis Ecclesiasticis disponeret ad libitum, ac proventus usurparet; Clericos malè haberet, eósque ac cæteros religiosos adeò horreret, ut pro diro reputaret augurio cùm aliquis sibi occurreret; pythonissam secum detineret; Ecclesiasticos qui extra regnum peregrinari deberent, jurare priùs cogeret Apostolicam Sedem non adituros: denique, cujus maximè causâ epistola scripta est, Episcopum Colimbricensem pessimè tractaret, & quòd ad Sedem Apostolicam accedere velle videretur, publicæ custodiæ tradidisset: atque insuper ipsimet Pontifici quasdam literas (ut ipsi improperat) indiscretione plenas, & præsumptione non vacuas scribere ausus esset; quales nullus Principum quantumlibet magnus, nisi forsan hæreticus aut tyrannus, scribere attentâsset. De quibus eum paternè arguens Innocentius rogavit ut mensurâ illâ contentus quam Deus ei donavit, ad Ecclesiastica jura non extenderet manus suas, sicut nec ipse Pontifex suas ad ejus regalia jura extendebat: Prædicta igitur emendaret, atque Episcopum libertati ac suis bonis restitueret, eíque satisfaceret de damnis illatis; alioqui se ei in jure ipsius non defuturum. Pœnituisse autem Regem, intelligitur ex literis VI. Cal. Iunij hujus ipsius anni ab eodem Pontifice [i] scriptis, de confirmatione testamenti ab eo in gravi ægritudine constituto piè conditi: & absolutionis ipsi à Bracarensi Electo impertitæ ab excommunicatione, in quam pro violentâ Clericorum & religiosorum virorum captione in Canonem sæpiùs inciderat. Mortuus est autem ex eodem morbo: cujus filias idem Pontifex III. Id. Oct. sub protectionem B. Petri recepit [k] pro bonis quæ prædicto testaméto fuerant eis legata. Vnde corrigas eos, qui in annum sequentem ejus obitum differunt. Successit ei in regno *Alfonsus* ejus filius, hujus nominis Secundus, & cognomine Crassus. Qui parùm in fratres æquus [l], etiam prædictis sororibus oppida in testamento patris legata adimere voluit: nihil tamen proficiens, tam armis Regis Legionensis, qui unam earum duxerat in uxorem, quàm Summi Pontificis interminationibus, & interdictione sacrorum compressus.

[h] *Ep. an. 14. edit. Bosq. ep. 8.*
[i] *Ibid. ep. 58. 59.*

SANCIUS MORITUR: SUCCEDIT ALFONSUS FILIUS.

[k] *Ibid. ep. 115. & seqq.*
[l] *Duard. de Reg. Portug. geneal.*

VII.

Res quoque Orientales curans Innocentius; imprimis Regem Armeniæ, quem ob veterem controversiam cum Militibus Templariis de castro Gastonis, & aliis rebus de quibus jam superiùs [m] actum, Patriarcha Ierosolymitanus, cui Pontifex causæ cognitionem commiserat, eò quòd non solùm noluisset judicio se sistere, verùm etiam alia Templariorum bona quæ in Armeniâ habebant occupâsset, & monitus restituere recusâsset, excommunicationis vinculo innodaverat; adhuc pejora in Templarios magnâ animi obstinatione perpetrantem, ut comprimeret, jussit [n] prædictam excommunicationis sententiam tam apud peregrinos quàm indigenas solemniter publicari, & inviolabiliter observari. Regem verò Avoguiæ [o] Christianum, ad defensionem Terræ Sanctæ exemplo progenitorum ejus hortatus est. (Est hoc regnum ad Colchidem situm: & ut putamus ab Abo denominatum, monte Armeniæ majoris apud Ptolemæum, Strabonem, & alios; quem Tauri partem esse volunt, ex quo Euphrates oritur.) Ac Soldano [p] Alapiæ, (hanc Neream Cœlesyriæ urbem esse, ex Tyrio tradit Ortellius) quamvis non Christiano, sed tamen Christianis faventi, Patriarcham Antiochenum ejúsque Ecclesiam commendavit, rogans auxilio & consilio iis adesse. Et Patriarchis [q] Alexandrino & Ierosolymitano in mandatis dedit, ut apud Reges & Principes Orientales, necnon Milites Templi & Hospitalis, agerent pro liberatione miserorum Christianorum qui Alexandriæ captivi detinebantur, per communicationem Saracenorum quos ipsi detinebant.

[m] *Supr. an. 1202. III.*

REX ARMENIÆ EXCOMMUNICATUR.

[n] *Reg. ep. 64. & seqq.*
[o] *Ep. 68.*

CURAT APUD ALIOS INNOCÉTIUS RES CHRISTIANORUM ORIENT.

[p] *Ep. 69.*
[q] *Ep. 146. & seqq.*

VIII.

Habent etiam in literis Innocentij [r] Norvagi quæ de regni sui rebus discant, intacta Krantzio & Pontano, qui eorum historiam describendam suscepêre. Scribens enim hoc eodem anno 7. Id. Iunij Nidrosiensi Archiepiscopo, significavit ad suam audientiam pervenisse; obeunte Swero qui Norvagiæ regno præsederat, nonnullos quendam ejus nepotem Ingonem in Regem sublimare studuisse; sed prudentiores Philippum quendam ab antiquis Regibus trahentem originem, insignem genere, & morum honestate præclarum, in Regem concorditer elegisse: Ortâ inde dissensione, tandem quorundam Episcoporum operâ ita pacem esse factam, ut uterque partem regni titulo regio sibi haberet, dummodò Pontifex annueret: Parte nihilominùs Ingonis urgente ut Philippus regium nomen abdicaret, cum ad Sedem Apostolicam provocâsse. Quare commisit Innocentius prædicto Archiepiscopo, ut inquireret plenissimè de veritate rei, ac jure partium, ut in re tantâ securius sententiam ferre posset. Cujus rei nullum apud prædictos auctores verbum. De Suero quidem ex Saxone Grammatico referunt, fuisse eum fabro patre genitum; qui abdicato sacerdotio

[r] *Ibid. ep. 73.*

DISSENSIO IN NORVAGIA DE REGNO.

quo initiatus fuerat, ducem se præbens quibusdam vagantibus, & regium genus ementitus, regnum tandem, occiso legitimo Rege, omnique propemodùm regio genere deleto, ad totius Norvagiæ cruentissimam stragem extremámque perniciem, occupaverit. Quam rem diligentiùs etiam prosequitur Neubrigensis [c] in Historiâ Anglicanâ sui temporis. Suntque de ejusdem Sueri sceleribus & tyrannide, Innocentij PP. scriptæ anno primo Pontificatûs epistolæ [u] plures ad Islandenses, Nidrosiensem Archiepiscopum, & Regem Daniæ: quibus etiam constat, jam à tempore Clementis III. hujus causæ cognitionem delatam fuisse ad Sedem Apostolicam. De turbis autem post Sueri obitum inter prædictos Ingonem & Philippum ortis nihil auctores: sed tantùm Suero successisse Haquinum ejus filium, eâque in stirpe continuatam esse Regum Norvagorum successionem ad bina circiter sæcula. Nam quod quidam [x] prædictum Suerum putavit eundem esse cum Suerchero Canuti Regis Sueciæ filio, cujus historiam prosequitur Ioannes [y] Magnus; planè si auctores quos citat consideraverit, & tempora ac regna distinxerit, sententiam, ut puto, facilè retractabit.

[s] Krantz. 5. Norvag. 13. Pontan. rer. Danic. l. 6.

[c] Neubrig. lib. 3. cap. 6.

[u] Innoc. 1. ep 319. 383. & seqq.

[x] Bosq. in prolegõ. ad Not. in Ep. Innoc.
[y] Hist. Sueton. lib. 19.

IESU CHRISTI Annus 1212.

INNOCENT. III. An. 15.

HENRICI II. An. 7.

I. FRID. II. RECIPITUR IN REGEM ROM.

ANNO Christi millesimo ducentesimo duodecimo, Indictione decimâ quintâ, Germania quæ aliquantulùm respiraverat à morte Philippi, cœpit iterùm agitari motibus Othonis & Friderici. Sed Othone undique ferè expulso, *Fridericus* copiis & amicis socíisque civitatibus ac Principibus multò præpollere cœpit: & Moguntiam accedens, celebri ibi conventu habito in festo S. Andreæ, Principum Imperij tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium; (inter quos etiam fuit Othocarus Rex Boëmiæ; quem Otho [a] conventu suorum Nurimbergæ, ut eum in Pontificem Innocentium animaret, habito circa Pentecosten, regno privatum declaraverat, specie repudiationis Adelaidis uxoris, de quâ superiùs) ab iis in Regem agnitus est: annóque sequenti ad festum S. Iacobi Aquisgrani à Theodorico Archiepiscopo Coloniensi inunctus & coronatus Imperator ejus nominis Secundus: ut distinctè tempora notat Trithemius: cùm Vrspergensis sub hoc ipso anno etiam unctionem Aquisgranensem habeat. Alij etiam aliter; uti frequenter libet scriptoribus in ratione temporum ludere. Cæterùm Fridericus animadvertens amicitiam Regis Francorum maximo compendio & usui sibi futuram, eâ per Episcopum Metensem expetitâ, constitutóque [b] die apud Vallis colorem ad Mosam fluvium, adfuit pro Rege. Ludovicus ejus filius: fœdúsque renovatum, quod Francicum justis Imperatoribus icere servaréque soliti erant. Otho verò omni aliâ spe destitutus, conjunxit se cum avunculo suo Ioanne Anglo, excommunicatus atque depositus cum excommunicato atque deposito. De quorum in Francos conatibus posteà.

[a] Godefr. Colon. in Chron. hoc an.

[b] Rigord. in Vit. Phil August. an. 1211. Naucler. gener. 41. an. 1213. Æmil. in Phil. Aug.

Mut. Germ. Chron. l. 19. ad fin. &c.

II. INGENS APPARATUS BELLI IN HISPANIA.

Hoc item anno, æráque Hispanicâ millesimâ ducentesimâ quinquagesimâ, consignatur nobilissima victoria de Mauris in eâdem Hispaniâ habita. Cùm enim exacto induciarum tempore, quas cum Mauro Abeniuzepho, ingenti nominis dedecore initas vidimus [c], iidem barbari Rege Mahomade, prædicti Abeniuzephi fratre, cui *Viridi* à pileo, quem eo colore, quòd ex genere ipsorum Prophetæ se esse jactaret, gestare consueverat, cognomen fuit, (quem & nonnulli hujus victoriæ scriptores, communi ab iis Regibus sibi inditâ appellatione Miramamolinum tantùm nominant; quæ vox principem gentium, sive credentium, significare dicitur) universam sibi Hispaniam, cujus non minimam partem adhuc possidebant, obtinere in animo induxissent; & huic rei Africæ & Hispaniæ vires superbissimo delectu in unum contulissent; eóque periculo rogatus Innocentius Papa, veniam peccatorum omnibus impertiisset, qui more per ea tempora frequentato cruce insigniti ad sacrum hoc bellum convenirent; atque inde tanta incessisset homines adversus Christiani nominis hostes dimicandi cupiditas, prorsùs ut centum mille pedites, decem mille equites ex externis nationibus, Galliâ, Germaniâ, Italiâ, sub diversis Principibus & Antistitibus, (quorum tamen plerique ante prœlium, insueto calore, cœli gravitate, & rerum in tantâ multitudine inopiâ, ad sua se referre compulsi sunt: remanente nihilominùs adhuc cum multis *Arnaldo*, ex Abbate Cistercienſi misso [d] olim ab Innocentio Pont. ad conversionem Albigensium, facto Narbonensi Archiepiscopo; qui etiam ante pugnam benedixit exercitui Christianorum) eò confluxisse tradantur; ipsâ verò Hispaniâ Reges Christiani ex magnis diuturnísque dissidiis concordiâ initâ, (ad quam etiam eos Innocentius Pontifex hoc eodem anno literis [dd] suis impulisse reperitur, & supplicationem generalem Romæ pro felici belli successu induxisse [e]) vires in unum junxissent: Alfonsus autem Castellæ, cujus præcipuè res agebatur quòd proximior periculo esset, ex universo regno, quorum ætas idonea erat, arma induere omnes compulisset: Demùm die Lunæ decimosexto Iulij hujus anni Christianis omnibus peccatorum confessione & Eucharistiæ sumptione roboratis, congressi cum Mauris ad Marianos Bœticæ montes (quos nunc Hispani prisco nomine corrupto *Sierra morena*, hoc est Morenos montes dicunt) saltúsque Castulonensis fauces quibus Tolosæ sive Losæ nomen erat; tres Reges, Alfonsus Castellæ, Petrus Aragoniæ, & Sanctius Navarræ, cum absentium etiam Regum Hispanorum Legionensis & Lusitani auxiliis; habentes in vexillis Imaginem B. Mariæ Virginis, & prævium Signum Crucis; nobilissimam adepti sunt victoriam, quâ de centum octoginta quinque millibus equitum Mauricorum, peditúmque infinitâ propemodùm multitudine, centum minimùm millia ciciderunt, in iísque triginta equitum, (alij namque eum numerum duplicant) Rege ipso Mauro equæ velocitate salutem sibi quærente; è Christia-

[c] Supr. an. 1199. VII.

[d] Supr. an. 1206. VIII.

[dd] Reg. edit. Bosq. l. 3. ep. 15.
[e] Ibid post. ep. 179.

INSIGNIS CHRISTIANORUM VICTORIA DE MAURIS.

nis viginti quinque viris dumtaxat desideratis, seu ut qui maximè numerum augent, quindecim supra centum. Spoliorum auri, argenti, vasorum, supellectilis pretiosæ omnis generis, jumentorum, immensa fuit copia: quæ inter cæteros ferè divisa, Castellæ Rege partæ victoriæ gloriâ contento. Hastarum verò & sagittarum hostium tanta reperta est copia, ut duobus diebus quibus exercitus Christianorum iis locis hæsit, lignorum usum exhibuerint excitandis ad quaslibet necessitates ignibus, ac ne comburi quidem potuerint tametsi studium adhiberetur.

III. AUCTORES QUI DE ILLA EGERŪT.

Rem porrò gestam, ut planè insignem, cùm omnes chronographi memorent, (aliis tamen nonnulli annis malè collocantes) describunt pleniùs Rodericus [f] ipse Archiepiscopus Toletanus qui interfuit; & ex eo, aliísque antiquis historicis Ioannes Mariana [g]; recitans [h] etiam literas à Rege Alfonso eâ de re ad Innocentium Pontificem scriptas, quibus totius belli summa comprehensa est. Ad quas & Pontifex gratulatorias [i] rescripsit: quibus etiam significavit, sicuti ad hanc obtinendam victoriam (quod superiùs diximus) statuerat Romæ supplicationes fieri, ita publicas gratiarum actiones de obtentâ egisse. Nam & insuper, præterquàm tantus erat Maurorum exercitus, ut totam etiam Europam obtinere posse sperarent; fuit speciatim timendum Innocentio, si Cæsarium [k] audiamus ejus temporis auctorem; dum scribit Regem ipsorum mandâsse Innocentio se equos suos in porticu basilicæ S. Petri stabulaturum, & supra eandem basilicam vexillum suum fixurum; quod & impletum esse ait, dum post victoriam missum ad Innocentium principale Mauri vexillum, illud Pontifex in eâdem basilicâ ad Christi gloriam erexit; cujus & meminit Rigordus, ac post eum Vincentius [l], & Antoninus [m] lanceam quoque Mauri unà cum vexillo missam asserentes, & in Ecclesiâ loco eminenti unà suspensam.

[f] *Roder. de Reb. Hist. l. 8.*
[g] *Marian. lib. 11. c. 23. & seqq.*
[h] *Edit. in fol. desunt enim in edit. in 4. Ext. etiam in Reg. Vatic. Innoc. & in edit. Bosq. l. 3. ep. 186.*
[i] *Ibid. ep. 81.*
[k] *Cæs. 5. Dial. 21. ad fin.*
[l] *Vinc. lib. 30. cap. 2.*
[m] *Anton. tit. 19. c. 2. §. 4.*

IV. DE CRUCIS SIGNO IN PRÆLIO.

Multùm ad victoriam contulisse CRUCIS signum vario colore in aëre sub ipsum conflictum visum, nonnulli [n] asserunt: negantibus tamen aliis, quòd nec Rodericus Toletanus qui interfuit de re tantâ in Historiâ suâ aliquid meminerit; nec Rex ipse suis ad Pontificem literis; quod imprimis memorari debuerat. Convenit autem Paschasium Toletanum canonicum, Crucem quam Roderico Archiepiscopo de more præferebat insignem, per hostium cuneos semel atque iterùm circumtulisse, evasisséque incolumem, tametsi talis omnibus peteretur, multæque sagittæ Crucis hastili confixæ sint. Quod verò ad Crucem cælitùs visam; fuerit hæc fortassis immutatio historiæ ex nominis & circumstantiarum similitudine; ut quod certum est testimonio Petri [o] Vallissarnensis, contigisse hoc ipso anno in diœcesi Rutenensi Aquitaniæ, ut cùm Abbas Bonævallis populum hortaretur ad sumendam Crucem contra Albigenses, subitò videntibus cunctis apparuerit Crux in aëre, quæ versùs partes Tolosanas tendere videbatur: hìncque illa Crucis apparitio, cujus ubique fama dispersa est, à nonnullis loca minùs distinguentibus tributa fuerit prælio apud Tolosam Bœticæ à Crucesignatis gesto. Vel sanè quòd deinceps perpetuâ lege à Rege Castellæ sancitum fuerit; hujus victoriæ memoriam quotannis 16. Iulij celebrari festo die cui *Triumpho S. Crucis* nomen est inditum; hinc occasionem sumpserint asserendæ visionis Crucis.

[n] *Roder. Sanct. Hist. Hisp. part. 3. c. 35. Cartag. cap. 80.*
[o] *Hist. Albig. cap. 20.*

V. PRÆLIŪ SINE SANGUINE.

Illud porrò insuper omninò mirum de hoc prælio refert Rodericus; quòd in tantâ Saracenorum strage, quamvis jacerent membris truncati, & aliàs gladiis sagittísque & lanceis cæsi, vestigium tamen sanguinis toto campo nullum visum fuerit. Quod tamen non tam miraculo, quàm naturali Maurorum constitutioni tribuitur; qui exustâ Sole terrâ exanguibus plurimùm cibis & solius aquæ potu victitantes, adustis corporibus excolorem sanguinem gerant. Denique Regem Navarræ, ut tantæ victoriæ monimentum esset, mutatis insignibus quibus majores utebantur, catenas aureas posuisse in campo rubro, & in medio Smaragdum; quòd ferreas catenas, quibus castrorum pars ubi Regis barbari prætorium erat, & fortissimus quisque Maurorum considebat, munita fuerat, perrupisset primus; quas & solas in partem spoliorum habere voluerit; sunt qui scribant; ab aliis [p] tamen qui diligentiùs hæc examinârunt inde reprehensi. Quemadmodùm & qui Regem Castellæ ad vetera insignia arcis figuram auream adjunxisse in rubro scuto volunt, à cæteris refelluntur rem antiquiorem asserentibus.

REX NAVARRÆ MUTAT INSIGNIA.

[p] *Vid. Oihenart. Not. Vascon. lib. 1. cap. 16.*

VI. INDUCIÆ MAURIS EXITIOSÆ.

Quos autem paucis pòst diebus Reges simul posteàque solus Alfonsus progressus in Mauros fecerit, & necessitatem inducias paciscendi cum eis ob infirmitates militum, & insolitam famis calamitatem; iidem narrant auctores: docéntque, hoc beneficium Mauros in occasionem intestini dissidij vertisse, atque inde eorum potentiam in plures partes diductam & dilaceratam fuisse, quæ hâc maximè Castulonensi clade conciderat: (Vbedensem nonnulli cladem vocare malunt, quòd certamen non longè ab urbe Vbedâ initum fuerit, & in ejus expugnatione alia sexaginta Maurorum millia perierint:) cùm alioqui iidem Bœticâ considentes, nonnisi post longa tempora pelli penitùs potuerint.

VII. CONSTITUTIONES SIMONIS MONFORTII.

Hoc item anno, exeunte Novembri, Simon Comes Monfortius, post multa prosperè gesta, quæ attigimus anno superiori, vocatis Appamias Episcopis & Proceribus civitatum ac terrarum quas ceperat; de communi eorum consilio constitutiones [q] valdè egregias condidit, (digestas illas per XII. viros ad id electos, quatuor videlicèt Ecclesiasticos, nempè Episcopos Tolosanum & Conseranensem, & Templarium unum, aliúmque Hospitalarium; quatuor Milites, sive Equites Francos; & quatuor peregrinos exteros, duos scilicèt Milites, & duos oppidanos) pro bonorum morum institutione, fidei Catholicæ confirmatione, hæresum extirpatione, & populi ab oppressionibus potentum liberatione: quarum etiam observationem jurejurando tam à se quàm à cæteris omnibus firmari voluit.

[q] *E didit illas Tilius extátque insuper in Hist. Com. Tolos. lib. 1. cap. 6.*

VIII.

Alia parte hoc eodem anno *Robertus de Corceone* Presbyt. Card. tit. S. Stephani in monte Cælio natione Anglus, missus ab Innocentio Papâ in Galliam ad negotium Crucis contra Albigenses, & pro subsidio Terræ Sanctæ,

CONCIL. PARISIENSE SUB ROB. DE CORCEONE LEG.

Concilium habuit *Parisiis* (in quâ Ecclesiâ Canonicum olim egerat) quo multa statuit pro correctione morum, extirpatione abusuum, & restitutione disciplinæ Ecclesiasticæ tam in Clericis sæcularibus, quàm regularibus & monialibus: sæcularibus inter cætera prohibens, nequis juramentum faceret de non commodando libros, vel domos, vel alias res, vel de non mutuando, aut fidejubendo pro aliis; & ne excommunicatio pro hujusmodi fieret. Regularibus autem interdicens itidem juramentum de non commodando libros suos indigentibus; (cùm, ut ait, commodare inter præcipua opera misericordiæ computetur) ita tamen ut de indemnitate & restitutione caveretur sufficienter: Itémque ne bini jacerent in uno lecto, propter metum incontinentiæ. Quod etiam Monialibus prohibuit. Sunt plurima alia egregia decreta pro singulis eorum; necnon pro Episcopis: quæ dabit aliquando doctissimus Iacobus Sirmondus in continuatione Conciliorum Gallicanorum: à quo interim nos hæc habuimus, communicata nobis ab ipso pro suâ humanitate. Prædictus autem Robertus Legatus, impigrè (ut ait Petrus Vallissarnensis in Historiâ Albigensium) injunctum officium exequens, plura alia Concilia seu Conventus celebravit prædicatores Crucis instituit, hæreticos exagitavit. Sed tantâ, ut legitur in Memoriali Historiarum, acerbitate in Clericos Catholicos, & facilitate in Cruce omni hominum generi indignè impertiendâ, ut fuerint de illo deferendæ à Rege & Clero ad Pontificem querelæ. Qui & in alio MS. Cod. dicitur in Conciliis quæ celebravit multa contra dignitatem Prælatorum, & consuetudines Ecclesiarum statuisse: Cúmque tandem apud Bituricas se sensissent gravari, interposuisse appellationem. Quod in Appendice Roberti Monachi in Chronico S. Mariani expressiùs describitur; dum ait auctor, eundem Robertum cùm jam per biennium ob negotium Crucis Franciam peragrâsset, & propter temeritatem suam omnibus se fecisset exosum, demùm apud Bituricas Concilium convocâsse: túncque Episcopos Franciæ appellâsse, viri improbi impetum formidantes; quem postea Romæ in Generali Concilio vehementissimè reddidêre confusum: adeò quòd Innocentius PP. multiplices dicti Cardinalis excessus à Prælatis Franciæ ipsi petierit relaxari. Nesciebat hic Anglus cum Clero Gallicano, docili illo quidem, sed libero & injuriarum impatiente, sibi rem esse: atque ideò meruit exuberantis inconsiderantiæ suæ ab ipso summo Ecclesiæ Iudice, cujus est jus suum cuique reddere, acriter argui: cùm esset alioqui literis & eruditione insignis; qui & præclara edidit Theologica [r] scripta.

ROBERTUS LEGATUS ABUTITUR POTESTATE SUA.

[r] Nomenclat. Card.

IX. [s] An. 1202.

X. TARTARORUM PRIMA IRRUPTIO IN EUROPAM.

Ingentes intereà auditi sunt tumultus à Tartaris; de quorum initio superiùs [s]. Hi namque, post devictum & interfectum Indorum Regem cui servierant, Asiam penè omnem divisis copiis victores mirâ felicitate pervagati; pars ad Occidentem progressi, hoc anno primam intulerunt cladem Polowciis simul & vicinis Russis sive Ruthenis, quorum Polowcij, hostium licèt perpetuorum, necessitate adacti opem imploraverant. Munitiones dein Polowciorum expugnatæ, ipsíque deleti; & omnis illa circa Tanaïm fluvium & Mæotidem paludem ora quam ipsi habitabant, tum Taurica Chersonesus à Tartaris habitari cœpta. Narrat ista Matthias [t] Michoviensis, & ex eo Martinus Cromerus [u]; quæ apud alios confusiora reperiuntur. Observátque uterque, apparentem anno superiori cometen decem & octo diebus mensis Maij, qui caudam in occasum porrigebat, & supra Polowcios Tanaim & Russiam circuibat, hunc Tartarorum adventum, & futura mala quæ statim Sarmatiam utramque afflixerunt, præsagîsse.

[t] Michov. de reb. Polon. lib. 3. cap. 32. & Sarmat. lib. 1. cap. 2.
[u] Crom. de reb. Polon. l. 7.

IESU CHRISTI Annus 1213.

INNOCENT. III. An. 16.

HENRICI II. An. 8.

I. INNOC. PP. OMNES HORTATUR AD SACRUM BELLUM.

ANNO Christi millesimo ducentesimo decimotertio, Indictione primâ, Innocentius Papa è tribus arduis negotiis quæ tanquam vir animosus, & confidens in Domino, (ut loquitur Vrspergensis) simul explere disposuerat; videlicèt depositione Othonis à culmine Imperiali, provectione succursûs Terræ Sanctæ, & convocatione Concilij universalis: primo jam expleto, cætera promovere cœpit; dum hoc ipso anno literis encyclicis per Europam transmissis, omnes ad sacrum bellum cohortatus est: quarum exemplar, in nonnullis tamen decurtatum, exhibet idem Vrspergensis; integrum, Innocentij Regestum [a]: aliísque [b] ad universos per orbem Antistites & Principes exaratis, Synodum Oecumenicam ad eandem expeditionem promovendam, & Ecclesiam ab hæresibus & pravis moribus repurgandam, indixit triginta pòst mensibus celebrandam Romæ Cal. Novembris anni 1215.

[a] Ext. etiam Tom. 4. Conc. edit.
[b] Ibid. in præamb. Concil.

II. PUERORUM EXPEDITIO IN TERRAM SANCTAM.

Cujus hortationis Syriacæ occasione, ingens Puerorum diversæ ætatis & conditionis multitudo, fermè viginti millium ex Galliâ & Germaniâ Crucesignati, quasi divinitùs moniti essent Terram Sanctam recuperare, cantilenam modulantes, *Domine Iesu Christe Crucem Sanctam nobis restitue, &c.* Ierosolymam proficisci statuerunt; tantâ animorum obstinatione, ut nullo modo à proposito dimoveri possent; quorum exemplo ingens alia multitudo omnis pariter ætatis & sexûs & conditionis: sese mutuò Cruce signantes, idem iter aggressi sunt. Turmatim autem diversa itinera aggressi, partim à prædonibus & piratis terrâ maríque spoliati, submersi, aut Saracenis venditi sunt; partim maris tempestate, aut in silvis & desertis locis æstu, fame, & inopiâ perierunt, reliquis cum ingenti confusione ad propria redeuntibus. Quos quidem in hanc insaniam diabolicis illusionibus incidisse, plerique fatentur: quidam [c] etiam, arte Senis, sive Vetuli de monte Arsacidarum, sive Assasinorum principis id factum asserunt; quò pueros istos ad sua homicidia & scelera more [d] suo educaret. Súntque alij [e] qui observent, ex illis pueris qui Saracenis venditi sunt, multos martyrij palmam consecutos esse, quòd nunquam

[c] Anton. tit. 19. c. 2.
[d] Vid. infr. an. 1231. IV.
[e] Alber. in Chron. apud Magn. Chr. Belg.

induci potuerint ad fidem abnegandam; & ad locum quendam ubi multi naufragio perierunt, postea a Gregorio IX. erigi jussam Ecclesiam, *Novorum Infantum* dictam, quorum corpora in terram projecta integra permanserunt. Hanc autem Puerorum expeditionem cùm sint plures qui anno superiori collocent, magis tamen ad præsentem pertinere, quo etiam Cantipratanus [f] & Parisius [g] ponunt, persuadet præcedens Pontificis de sacrâ expeditione edictum.

[f] *Cantiprat. 2. de Apib. 3. 3. §. 14.*
[g] *Paris. in Ioan. Reg.*

III.

[h] *Cantipr. ibid §. 4.*

MIRA TRANSLATIO CUJUSDAM HOMINIS IN TER. S.

Ejusdem item prædicationes Crucis occasione, idem Cantipratanus [h] historiam refert cujusdam hominis Brabantini: qui cùm eodem tempore ingenti desiderio flagrans Terram Sanctam invisendi retardari ejusmodi peregrinatione à divinâ contemplatione, cui maximè intendebat, vereretur; in vigiliâ sancti Petri ad Vincula, dum orationi in cubiculo suo vacaret, ab Angelo Dei abreptus in Terram Sanctam, omnia ejus loca spectabilia adeò perfectè sibi ostensa perceperit, ut dispositiones & situs his qui terras noverant exactissimè designaret: eâdémque nocte cubiculo suo restitutus fuerit.

IV.

IURAMENTUM FRIDERICI REGIS DE OBEDIENTIA PONTIFICI PRÆSTANDA, ET JURIBUS ECCL. ROM. CŌSERVANDIS.

Fridericus interim ab omnibus jam ferè Germanis Principibus in Regem receptus, agnoscens hæc sibi Innocentij beneficio obvenisse; tam ut gratum se erga ipsum exhiberet, quàm ut consuetæ Imperatorum in Romanos Pontifices observantiæ satisfaceret; antequàm Aquisgranum ad suscipiendam Imperij coronam pergeret, apud Egram existens cum plerisque præcipuis Ecclesiasticis ac sæcularibus Principibus, juramentum publicum scripto firmatum de more præstitit de reverentiâ & obedientiâ eidem Innocentio Papæ, ejúsque successoribus exhibendâ: de Ecclesiæ Romanæ defensione suscipiendâ: déque bonis ac possessionibus ejus, sive quæ jam possideret conservandis, sive quæ ab aliis occupata essent recuperandis: ad eam speciatim pertinere agnoscens terram quæ est à Radicofano usque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitissæ Mathildis, Comitatum Brittonorij, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Massam, Trebariam, cum adjacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum à tempore Ludovici Pij: (nisi quòd cùm à Sede Apostolicâ ad recipiendam coronam Imperij, vel pro necessitatibus Ecclesiæ vocatus accederet, accepturus esset procurationes sive fodrum:) omniáque supradicta, & quæcumque alia pertinerent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate & conscientiâ, consilio & consensu Principum Romani Imperij liberè se illi dimittere, renunciare, & restituere, atque ad omnem scrupulum removendum, omnémque contentionis & dissensionis materiam tollendam, prout meliùs & efficaciùs intelligi valeret, concedere, conferre, & donare profitens: promitténsque insuper, adjutorem se futurum ad retinendum & defendendum eidem Ecclesiæ Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipsam spectantibus tam citra quàm ultra Pharum; necnon Corsicam & Sardiniam: Sed & concedens, ac sanciens, ut sublatis abusibus quorundam anteriorum Imperatorum, Electiones Prælatorum fierent liberè & canonicè; Appellationes in causis & negotiis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam nullus impedire præsumeret; occupationes bonorum decedentium Prælatorum, & Ecclesiarum vacantium cessarent; Omnia spiritualia Pontifici & Ecclesiarum Prælatis relinquerentur liberè disponenda, ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo rectâ distributione redderentur. Quæ omnia ita jurata, & duplici scripto firmata fuêre [i], testibus iisdem Principibus qui aderant, 4. Id. Iulij hujus anni 1213. Indictione primâ. Post quæ Fridericus Aquisgranum pergens, ibi coronatus est die festo S. Iacobi die 25. ejusdem mensis Iulij, ut diximus anno superiori: & unà cum multis aliis Crucem [k] pro recuperatione Terræ Sanctæ sumpsit, cùm recens in Germaniam litteræ Pontificiæ eâ de re publicatæ advenissent [l]. Eos verò qui adhuc Othoni contra ipsum adhærerent, Innocentius Papa censuris ad officium revocare conatus est.

[i] *Ext l. 1. Privil. Rom. Eccl. & in Collect. Card. Arag. & ap. Baron. to. 11. an. 1097. & Epit. nostram eod. an. 1097. XXIII. Bzov. hoc an. Goldast. in Const. Imp.*
[k] *Trithem. in Chron. Sigon. de regn. Ital.*
[l] *Vrsperg. in Chron.*

V.

MEDIOLANENSIUM CLADES OB DEFENSIONEM OTHONIS EXCOMMUNICATI.

Inter quos cùm essent etiam in Italiâ Mediolanenses, intimo quo in universam progeniem Friderici Barbarossæ à quo fuerant funditùs eversi, flagrabant odio, minas Pontificias detestari: bellum inferre Cremonensibus, qui à Friderico stabant, aliásque sibi hostes inimicissimi erant, statuerunt. Accidit verò, ut cùm paratis ad pugnam exercitibus, die Pentecostes, qui erat 4. Non. Iunij, Cremonenses propter diei solemnitatem in crastinum pugnam differri peterent; & contra Mediolanenses, quòd longè viribus superiores essent, acriùs eos urgerent; coacti Cremonenses pugnam inire, eos magnâ clade affecerint: Nec multò pòst Mediolanenses refectis viribus Papiensium fines ingressi, ab eis rursùm profligati & spoliati sint. Sic Domino repetitâ clade vindicante in eis simul defensionem Othonis excommunicati, simul hæreses varias quibus eo tempore civitas illa infecta erat. Narrat ista Rigordus [m] tunc vivens; & ex eo, ut solet, Vincentius [n], atque etiam Antoninus [o]. Cæterùm scribit Sigonius [p], postquam Otho depositus est à Pontifice, & Fridericus in ejus locum subrogatus, veteres inimicitias Italicas inter populos instauratas esse, tum priscis odiis, tum novis duorum Regum studiis animos ad nova certamina irritantibus: quæ ipse distinctiùs prosequitur: præcipuè verò Mediolanenses omnium truculentissimè se gessisse, ut qui jampridem principatum sibi Lombardiæ deposcerent. Quos & ubi Innocentius [q] Papa, de multiplicibus sceleribus, ac de hæresi redargutos, hortatus est ad Ecclesiæ obsequium & fidei unitatem reverti; minatus est, si obstinati persisterent, confirmaturum se excommunicationis sententiam in ipsos per Legatum suum latam, & ubique promulgaturum: acturúmque cum Rege Francorum, cæterísque Galliarum & Italiæ Principibus ac Baronibus, ut res eorum ac merces omnes retinerent, nec solvi eis debita permitterent, quin etiam Crucesignatos in eos immissurum; ac denique Episcopos Lombardiæ à jurisdictione Archiepiscopi Mediolanensis soluturum.

[m] *Rigord. in Phil. Aug. hoc an.*
[n] *Vinc. l. 30. cap. 7.*
[o] *Anton. tit. 19. cap. 1. §. 5.*
[p] *Sigon. l. 15. de regn. Ital.*
[q] *Reg. Vatic. 15. ep. 118. & edit. Bosq. 15. ep. 87.*

MINÆ INNOCENTII IN EOS.

VI.

PHILIP. REX FRANC.

Hoc eodem anno Philippus Francorum Rex instructissimo collecto exercitu, ac numerosissima classe, in Angliam transmissurus, tam ut Episcopos Angliæ in Gallis exulantes suis

sedibus,

PARAT EXPEDITIONEM IN ANGLIAM.

r Supr. an. 1211. III.
s Rigord. & Altissiod. hoc an. Vid. supr. an. 1201. I.

VXOREM RECIPIT IN GRATIAM.

sedibus, ac divinum officium quod jam à multo tempore per interdictum cessaverat, Ecclesiis restitueret; quàm etiam Ioanne Rege pulso ipse illud regnum sibi ab Apostolicâ Sede collatum [r] acquireret; imprimis Engembergam conjugem [s] suam, post viginti fermè dissensionis annos, adjuratus sæpè de eo ab Innocentio Pontifice, in gratiam recepit; magnâ populorum lætitiâ, ob egregias Reginæ virtutes, & in amarissimis ærumnis longanimitatem, quâ multos annos apud Stampas arctâ custodiâ transegerat. Deinde verò mari se commissurus, duobus maximè retardatus est; videlicèt Pandulphi Legati Apostolici oppositione, & Ferdinandi Comitis Flandriæ rebellione.

VII. PANDULPHUS REGEM ANGL. INDUCIT AD OBSEQUIUM.

Cùm enim intereà dum Philippus opportunitatem transitûs expectaret, Pandulphus vir industrius Ioannem Anglum adiisset; quamvis & ipsum magnis ex universâ Angliâ collectis copiis adventum Philippi apud Doveram præstolantem reperisset; territo tamen & potentissimi Regis viribus, & suorum dubiâ fide, maximéque Patri cujusdam eremitæ Angli, cui populus ut sacro vati credebat, prædictione, quâ non ita pridem ipsimet Ioanni palàm constantérque pronunciaverat fore ut ante proximum Ascensionis Dominicæ festum regno excideret: (quem Ioannes, ut ille obtulerat, in vinculis detineri jussit usque ad rei exitum:) his inquam territo Ioanni, & in desperationem ferè acto, persuasit tandem Pandulphus, invitissimo licèt, præsentissimæ necessitati cedere, & omnia quæ imperarentur præstare. Iurans igitur super sancta evangelia se judicio Ecclesiæ acquieturum; & sexdecim ex primis regni proceribus in animam ipsius Ioannis ad ipsum jurejurando affirmantibus, séque ipsum, si fortè à promissis resiliret, ad eorum observationem compulsuros: imprimis die Lunæ ante festum Ascensionis 13. Maij scripto promisit se Stephanum Cantuariensem, aliósque omnes Antistites, clericos, Monachos, necnon & laïcos his de causis exules restituturum, & ut liberè ac quietè bona sua possiderent, officiáque sua exequerentur, permissurum; de damnis & injuriis illatis cumulatissimè satisfacturum; parsurúmque sic omnibus, ut nulli fraudi foret quòd ab ipso defecissent.

IOANNES REGNUM DIMITTIT SEDI APOST. ET AB EADEM ACCIPIT.

Deinde post biduû, nempè 15. Maij, ipsâ vigiliâ Ascensionis, perinde ac Romæ statutum fuerat, idem Ioannes coronam capiti detractam Pandulpho in manus tradidit vices Pontificis gerenti, nunquam eam ipse aut successores ejus accepturi nisi à Romano Pontifice, sícque tam ipse quàm ceteri deinceps Reges Romanæ Ecclesiæ clientes forent, & beneficiario jure regna Angliæ & Hiberniæ ab eâ possiderent; annúmque pro illis solverent censum mille marcarum sterlingorum, septingentarum videlicèt pro Angliâ, & trecentarum pro Hiberniâ; præter denarium S. Petri ab antiquo solvi consuetum: hæcque sive ipse Ioannes, sive aliquis successorum prævaricaretur, nisi ritè admonitus resipisceret, caderet jure regni: actóque de his publico instrumento, ubi illud in conspectu Antistitum & magnatum Pandulpho tradidit, continuò clientelæ professionem, seu ut vocant homagium eidem præstitit, solutâ etiam pecuniâ censûs in testimonium & arrham subjectionis.

VIII. TESTIMONIA DE SUBJECTIONE ANGLIÆ.

t Vatic. lib. 15. Tolos. lib. 4. ep. 76. usque 83. & 130. usque 138. & 164.
u Paris. in Ioan. hoc an.
x Naucler. gener. 41. an. 1214.

Extant enim de his publica tunc confecta instrumenta ac monumenta, unà cum juramento & homagio Regis, non solùm in Regesto [t] Epistolarum Innocentij Papæ, verùm etiam in Historiâ Anglicanâ sæpè nominati Matthæi [u] Paris tunc viventis, qui verbatim multa descripsit; partim etiam Westmonasteriensis & ipse Anglus ejusdem Parisij Historiæ compilator: meminerúntque alij ipsorum scriptores, non sine dolore ac pudore subiectionis patriæ suæ. Cùm tamen (ut Nauclerus [x] harum rerum narrationi addit) haud id fuerit novum; quandoquidem longè antè Adulphus primus Monarcha Anglorum idem regnum Leoni Quarto Romanæque Ecclesiæ vectigal fecit; & post eum Henricus Rex ob necem S. Thomæ Cantuariensis idem regnum pro se & suis successoribus à Sede Apostolicâ in feudum recognovit. Hæc Nauclerus: cujus tamen de Adulpho (sive AthWlpho, vel EthelWlpho) assertio magis pertinere videtur ad Denarium sancti Petri, à singulis totius regni domibus privatim pendi solitum; de cujus impositione dictum est aliàs [y]; quémque etiam nunc Ioannes, ut anteà, sic imposterum pendi voluit. Quod verò de Henrico Nauclerus dixit; id quidem planè ipsos Reges, Regníque possessionem a Pontificum auctoritate dependentem spectare noscitur: quemadmodùm vidimus [z] ubi de Henrico actum est, quod & modò solemnius à Ioanne, etiam de totius Cleri & Nobilitatis ipsi adhærentis consensu & approbatione peractum fuit.

y Epit. Baron. an. 740. I I. 775. VII. 847. VIII.
z An. 1172. I. Epit. Baron.

IX.

Imponit autem, ut aliàs frequentissimè ubi de Sede Apostolicâ & Pontificibus agitur, Parisius, atque alias errandi viam præbuit, cùm ait Romæ fuisse sententiatum (ut loquitur) quòd Ioannes resignaret coronam & regnum in manus Papæ, si vellet apud eum invenire gratiam. Quamvis enim abjudicatum (ut loquitur) sit ei regnum, non tamen ut in possessinem Ecclesiæ Romanæ veniret, sed Regi Francorum ejúsque successoribus adjudicaretur. Ipséque Pontifex, cùm posteà gratulatus est Ioanni de emendatione & satisfactione injuriarum, addens & de oblatione regni Ecclesiæ factâ sub censu annuo, quasi admirabundus; *Quis enim* inquit *te docuit? quis induxit? nisi Spiritus ille divinus qui ubi vult spirat*, &c. Ceterùm Polydorus [a] & Harpsfeldius [b] ex aliis antiquioribus monumentis asserunt, Pandulphum post quintum diem à receptâ Ioannis coronâ, quòd videret illum pristinæ vitæ pœnitere, eam ei restituisse. Omnes autem simul iidem auctores referunt, Ioannem, cùm Ascensionis dies, quô Petrus vates eum absque regno futurum prænunciaverat, ipso Ioanne incolumi præterisset, confestim misisse: qui illum ut vanum & mendacem vatem caudis equorum alligatum per plateas traherent, & unà cum ipsius filio patribulo suspenderent. Id tamen crudele nimis visum fuisse omnibus, cùm ob viri sanctitatem, tum quoniam cùm Ioannes pridie ejus diei regno renunciâsset, & alieno beneficio illud possidere cœpisset, non inanis ejus prædictio videri poterat.

a Polyd. lib. 15.
b Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæc. 13. cap. 2.

X. PANDUL-

Cùm autem post hæc Pandulphus in Galliam rediens, Philippum Regem ab expeditio-

PHUS OBNITITUR PHILIPPO REGI FRANC.

ne Anglicâ, rebus jam ibi ex sententiâ Pontificis compositis, demovere conaretur; nec tamen audiret Rex, quòd præter causam restituendæ religionis Angliæ, ob quam à Pontifice rogatus bellum suscipere, immensam vim auri in eo apparando impendisset; aliam etiam legitimam haberet Ioannem persequendi; nempe quòd Angli continentem Galliam quotidiano trajectu infestarent: quoniam tamen Ferdinandus Flandriæ Comes (cui scilicèt, filio Sanctij Regis Lusitaniæ natu minori, Philippus Ioannam Balduini Imperatoris Constantinopolitani & Flandriæ comitis filiam heredémque, nuptum elocauerat) consilia Regis in gratiam Ioannis disturbare conatus, ad diem dictam pro trajectu in Angliam apud Gravelinam non adfuisset; irâ in eum accensus Philippus Flandricum bellum Anglico antevertere deliberavit, ne dum foris, rem ageret, domi seditionibus laboraret. Flandriam autem terrâ marique ingressus, dum post plerasque urbes occupatas Gandavum obsideret, classe interim in portu Dammi prope Brugas, quæ in ejus potestatem concesserant, stante; accidit ut missi in auxilium Ferdinandi à Ioanne Anglo, Reginaldus Boloniæ Comes, (qui ob multa prava facinora, expilationes subditorum, & vitam turpissimam, sæpiùs, excommunicatus, etiam anno præterito Regi rebellans ad Ioannem excommunicatum confugerat, Regem totam ipsius ditionem, quam munere regio habuerat, occupante) & Guillelmus Comes Salisberiensis Ioannis frater ex concubinâ, cum aliis electis ducibus, regias naves omni ferè custodiâ vacuas de improviso adorti, quicquid earum extra portum erat (neque enim omnes, quamvis capacissimus capiebat, cùm essent, ut Rigordus qui aderat habet, mille septingentæ, etiamsi alij numerum minuant, non tamen ita ut non supra mille agnoscant) partim cepere, partim depressêre: quæ verò in portu erant, impetum hostium sustinentes, usque dum Rex ipse accurrens hostes, qui etiam excensionem facere præsumpserant, viriliter in suas ipsorum naves cum magnâ cæde repulit; omnes ejusdem ipsius Regis jussu combustæ fuêre: totâ pariter in circuitu regione cum prædictâ urbe [c] Dammâ incendio traditâ, quòd incolæ Francos Anglis prodidissent. Post quæ receptis Rex obsidibus à Gandavensibus, aliísque Flandriæ populis, (quos tamen ingenti pondere auri paulò pòst remisit) & eâ confectâ provinciâ ad sua se recepit. Narrant porrò hæc ejus temporis auctores Rigordus, Brito, Parisius, Altissiodorensis; & è posterioribus Flandris Meyerus [d] cladem suorum ingenuè agnoscens, licèt gloriæ Francorum perpetuò invidus, eorúmque nominis acerbus hostis: cùm Polydorus [e] contra ceterorum omnium assertionem Francos eâ pugnâ deletos scribat.

EXPEDITIO REGIS FRANC. IN FLANDRIAM.

[c] *Vid. infr. an. 1224. III.*

[d] *Meyer. Annal. Flandr. lib. 8.*

[e] *Polyd. lib. 15.*

XI. IOANNIS REGIS ANGLIÆ FICTA POENITENTIA.

Ceterùm Ioannes Anglus metu externæ classis liberatus, novis rursùm domi agitatus est, & quidem longè sævioribus procellis. Primùm enim cùm in Aquitaniam adversus Francos transfretare deliberâsset, in ipso procinctu a Proceribus Anglis omninò derelictus, est quòd nondum ab excommunicatione quâ fuerat à Pontifice irretitus, solutus fuisset. Deinde verò cùm evocatis è Galliâ Stephano Cantuariensi [m] aliis exulibus, humilique in terram cum lacrymis prostratione illis exceptis; post renovata juramenta de fide Romanis Pontificibus præstanda, de Ecclesiæ ac sacerdotalis ordinis libertate defendendâ, de restitutione omnium oblatorum plenissimâque damnorum satisfactione; insupérque de sanctis ac probis legibus antecessorum suorum, ac præcipuè Regis EdWardi ab Henrico Primo confirmatis, in pristinum usum revocandis, & iniquis abolendis, ac si falleret excommunicatus ut priùs haberetur; absolutus ritu solemni auctoritate Pontificiâ à Stephano ceterísque Antistitibus fuisset 17. Cal. Augusti: idem paulò pòst ad ingenium rediens, cùm videret obstare sibi Stephanum, ceterósque Antistites & magnates Angliæ, quo minùs liberè tyrannidem suam exercere posset; rem meditatus horrendam nuncios ad Miramamolinum Saracenorum in Africâ & Hispaniâ Regem secretò misit, opis illius implorandæ gratiâ; paratum se asserens & regnum Angliæ ipsi subjicere, ab eóque tenere sub tributo, ipsámque ejus Mahometanam legem amplecti. Cujus tamen preces posthabens Miramamolinus, tantámque perfidiam detestatus, nuncios voti inanes remisit, maximo Ioannis dolore. Quæ cuncta compendio relata, fusè prosequitur Matthæus Paris: & quæ de legatione ad Saracenorum principem habent, asserit semet accepisse ab uno ex ipsis Ioannis nunciis. Addítque insuper, adeò Ioannem in fide desipuisse, ut inter alia mortuorum resurrectionem negaret: & cùm aliquando cervum quemdam pinguissimum venatu captum vidisset, subsannando dixisse, En quàm prosperè vixit iste, qui tamen numquam Missam audivit.

ET HORRENDA IMPIETAS.

XII. MATTHÆI PARIS DELIRÆ CALUMNIÆ IN PONT. INNOCENTIUM.

Quod verò idem Matthæus ait, Ioannem, postquàm se contemptum à Saraceno vidit, cùm multiplici didicisset experientiâ Papam super omnes mortales ambitiosum esse & superbum, pecuniæque sitientem, & ad omnia scelera pretio proclivem; multum aurũ ei transmisisse, spopondisséque ipsius se fore tributarium, si Stephanum Cantuariensem & Barones Angliæ quos priùs foverat excommunicaret; ídque Pontificem muneribus ac promissis corruptum, & promisisse, & postea adimplêsse: hoc quidem symptoma est febris Matthæi, quâ tum vexatus supra modum deliramenta loqui cœpit, ceteris omnibus incognita; quorum non meminerint Westmonasteriensis, Walsinghamus, Polydorus, scriptores Anglici, nec quis alius hujus historiæ tractator quem viderim. Satísque sit refellendæ huic calumniæ, quòd idem ipse Matthæus jam ante ista subjectionem Angliæ factam à Ioanne coram Pandulpho Legato publicis juramentis & actis prolixè retulit; & quòd Innocentij in Stephanum & Barones commotionem non ex corruptione, sed ut ultimum quid Matthæo indulgeam, ex obreptione processisse; ex ipsiusmet Matthæi rerum gestarum narratione evidentissimè colligitur. Vt omittam neminem umquam alium his vitiorum propudiis Innocentium infamâsse; quem econtrà omnes moribus integerrimum prædicant; si quos fortè hæreticos aut schismaticos dempseris, à quibus laudari probum, vituperari gloria est. Cetera verò de Ioanne posteà suis locis: quo sanè vix umquam Anglia

capaciorem, sæviorem, & irreligiosiorem, ac patriæ suæ exitiabiliorem, sibíque ipsi inimiciorem tulit.

XIII.

[c] *Reg. Innoc. edit. Tolos. lib. 3. & 4. & apud Catel. in Hist. Comit. Tolos. lib. 2. cap. 6.*

CONCIL. VAURENSE IN CAUSA ALBIGENSIUM

[e] *Ext. ibid. & in Hist. Albig. Acta huius Conc. cum petitionibus Regis, Responsis Antistitum, & literis de iis scriptis ad Innoc. PP.*

Hoc eodem anno mense Ianuarij celebratum est auctoritate Apostolicâ (sunt enim plures de his literæ [c] Innocentij Papæ, scriptæ anno præterito per obreptionem ad falsas querimonias Regis Aragoniæ, ac Comitum Tolosæ, Fuxi, Convenarum, & Gastonis Bearnensis contra Legatum & Monfortium, præcipientis ab eorum vexatione cessare; & ab Episcopis, maturo habito desuper consilio, statui quod utilius foret religioni ac tranquillitati earum partium:) apud *Vaurum* oppidum provinciæ Narbonensis *Concilium* Episcoporum de rebus Albigensium, sub *Arnaldo* Archiepiscopo Narbonensi Apostolicæ Sedis Legato, de quo pluries superiùs. Vbi auditis [f] postulationibus Petri regis Aragoniæ, (qui Tolosam se contulerat, ut vel has turbas componeret, vel opem ferret Raymundo Comiti sororio suo) pro restitutione bonorum ejusdem Raymundi, necnon supradictorum Comitum fautorum & receptatorum hæreticorum, ideóque sæpiùs excommunicatorum, vel saltem pro induciis à Simone Monfortio ipsis concedendis: eædem à Patribus rejectæ sunt, nisi illi priùs operam darent absolutionis beneficio consequendo, & judicio Ecclesiæ stare promitterent. Quare iratus rex, non solùm prædictos Comites eorúmque terras in fidem suam & patrocinium recepit, verum etiam ipsi Simoni bellum indixit: quantumvis à Summo Pontifice rei veritatem per suos Legatos aliosque Episcopos apprimè edocto [g], omnino jussus fuisset à prædictorum patrocinio & Simonis persecutione cessare.

[g] *Ext. de his omnibus litt. in eod. Reg. an. 16. & ap. Catel. p. cap. 6.*

XIV. REX ARAGONIÆ HÆRETICORŪ FAUTOR AGGREDITUR SIMON. MONFORTIŪ.

Quare in sententiâ suâ obstinatiùs permanens, exercitu centum millium (quidam etiam numerum duplicant) suorum Aragonensium & Tolosanorum, unà cum iisdem Comitibus ditionem Simonis aggressus est: sed magno suo malo. Cùm enim Murellum, vulgò Muretum dictum oppidum ad Garumnæ fluminis ripas situm, tribúsque leucis Tolosâ distans obsedisset; accurrente Simone, qui tum aberat, seséque multis pietatis, humilitatis, fiduciæque in Deum, & somniorum, atque in ipso procinctu supervenientium auguriorum contemptûs actibus, sanctisque Ecclesiæ sacramentis unà cum suis omnibus ad bellum sese præparante; iisdémque benedictionibus Episcoporum qui aderant, & firmis victoriæ pollicitationibus confirmatis: initum prælium est pridie Idus Septembris in octavis Nativitatis B. Mariæ Virginis; (diem Exaltationis S. Crucis earumdem octavarum quidam habent:) quo idem Rex, sub ementitis armis, ut Petrus monachus habet, pugnans, celeberrimo omnium quotquot fere unquam fuerunt certamine victus, atque necatus est, cum aliis quindecim, vel (ut plures habent) viginti suorum millibus, qui vel gladio in pugnâ, vel submersione in fugâ perierunt: cùm Simon octingentis tantummodò quà militibus quà servientibus pugnaverit, (quos enim paucos pedites habebat, ad custodiam oppidi relictos, & ad certamen exire prohibitos, Petrus ait; cùm tamen nonnulli alij mille etiam pedites Simoni eo prælio pugnâsse velint:) & unicum dumtaxat militem cum paucissimis servientibus amiserit. *Milites* autem eius ævi ac sequentium scriptores, viros nobili genere ortos vocare consueverunt ut plebeiis opponuntur. Quamvis & alias antiquâ etiam significatione, ita eos indigitari solemne fuerit, qui certis ritibus cingulo militari ac gladio, vel etiam calcaribus auratis, aut aliis id genus ornamentis donabantur à Principibus, aut Prælatis, aliísve id potestatis habentibus. *Servientes* autem, qui licet ex equis pugnarent, (reperiuntur tamen etiam pedites aliquando eodem nomine vocati) haud tamen nobili sanguine nati, vel nondum dignitatem cinguli adepti erant, sed Militibus inserviebant: à quibus erant etiam armis ut plurimùm distincti, cùm Milites gravioribus, Servientes equites levioribus uterentur.

NECATUR CELEBERRIMO PRÆLIO APUD MURELLUM.

MILITUM ET SERVIENTIUM DISTINCTIO.

XV.

AUCTORES QUI VICTORIAM DESCRIPSERUNT.

Ceterùm Simon post cælestem illam victoriam, de loco victoriæ pedes nudus ad Ecclesiam Murelli magnâ devotione accessit; & equum cum armis quibus pugnaverat pauperibus erogavit. Ipsius autem victoriæ historia uti eam breviter attigimus, unà cum illis quæ præcessisse diximus, prosequitur uberiùs Petrus [h] Vallissarnensis: recitátque literas encyclicas, quibus eadem historia summatim continetur, à Fulcone episcopo Tolosano, & aliis sex episcopis, & nonnullis Abbatibus, qui dum prælium gerebatur, in ecclesiâ Murelli preces cum lacrimis ad Deum pro suis fundebant, ad universos Christi fideles pro reddendis gratiis divinæ bonitati scriptas: quas etiam additamento ampliores Heroldus [i] edidit; partem Matthæus Paris historiæ suæ Anglicanæ inseruit. Describit etiam eamdem victoriam Guillelmus de Podio Laurentij in Chronico [k]; atque egregiè carmine suo Guillelmus Brito [l]: nec ullus fere est auctor, qui horum temporum res gestas memoriæ mandaverit, qui non eiusdem cum stupore meminerit.

[h] *Hist. Albig. cap. 66. usque 73.*

[i] *Post. Hist. de B. l. sacr.*

[k] *Pod. Laur. cap. 21. 22.*

[l] *Brit. Philip. lib. 8.*

XVI. CULPÆ IN HIS PETRI REGIS.

Petrum verò Aragonensem dum Hispani laborant Catholicum sicuti cognomine, ita & re asserere; nec ut fidem impugnaret, sed ut affinis & amicorum ditiones tutaretur, eò processisse; numquam tamen valebunt excusare, quin contra morem Catholicorum, disertissimámque Innocentij Papæ eidem ipsi significatam sub interminatione divini judicij prohibitionem [m], pro eodem affine hæretico, amicísque fautoribus & auxiliatoribus hæreticorum, iisdémque omnibus nominatim excommunicatis & proscriptis, cõtra Catholicos rem fidei & Ecclesiæ agentes pugnans mortem oppetierit, atque utinam non æternam! inquit Theodoricus in Vitâ [n] S. Dominici, cùm refert huius sancti viri, etiam tum perfidissimorum obstinatissimorúmque hæreticorum conversioni insudantis, (sunt etiam ex antiquis nonnulli, qui eū unà cum episcopis interfuisse Murelli; aliqui ex recentioribus, qui ipso quoque prælio Catholicis præisse cum sacrâ Crucifixi Imagine, quæ illæsa unà cum ipso permanserit, asserunt; sed tacent utrumque omninò antiquiores.) de nece Petri prophetiam. Quem sanè Petrum ridiculè Marineus [o] Siculus Româ discedentem venisse cum exercitu contra Simonem scribit, eúmque prælio vicisse, & Gallos omnes Simonis exercitûs in fugam vertisse; cùm autem fugientes Gallos

[m] *Hist. Albig. cap. 66.*

[n] *Vit. S. Domin. lib. 1. cap. 11.*

[o] *Marin. de reb. Hisp. lib. 10. cap. 11.*

HISTORICORŪ

HISP. DE HOC PRÆLIO NVGACITAS.

insequeretur, à suis qui ejus cursum adæquarè non poterant longè digressum, à fugientibus hostibus qui eum quasi solum inter se viderunt conversis circumventum occisum esse. En acumen fidémque regij historiographii qui quòd Gallos Siculus ipse exosos habuit, existimavit impunè licere sibi in historiam multipliciter peccare. Sed tot sunt aliæ hujus inanis scriptoris hallucinationes, ut operam luserit qui corrigere voluerit nisi unâ liturâ. Invenit tamen Hispanos Taraffam[p] & Garivajum[q], qui absque alio rei examine leviter ei libentérque crediderunt: adeò impatienter ferunt Hispani vinci se à Gallis. Corpus Regis à Simone concessum militibus Hospitalariis, delatum dicitur in Aragoniam ad monasterium Xixenæ: quamvis apud Murellum sepulturæ fuisse traditum eodem campo quo cecidit, incolarum per manus traditio ferat.

[p] Taraf. de Reg. Hisp. in Alfons. IX.
[q] Gariv. lib. 32. cap. 5.

XVII. IACOBVS PATRI SUCCEDIT.

Successit porrò in regnum Petri *Iacobus* filius sexennis: quem furtivo[r] conceptu arte matris ab ignaro rege, cum aliâ rem habere existimante, susceptum, sibique commendatum, vel, ut quidam habent, obsidem datum, Simon Carcassone educabat; cùm eo tempore pueri mater Maria Comitissa Mompellerij, femina innocentissima, à viro Petro fœdis concubinarum amoribus perdito, propinquitatis prætextu rejecta, Romæ ageret, etiam post causam ipsi à Pontifice adjudicatam viro exosa. De cujus causa est epistola Innocentij[s], anteà ad eamdem Reginam scripta, rem omnem, totúmque processum complectens: prosequitúrque eamdem pluribus Gomesius in Vitâ Iacobi Regis. Puerum autem mandato Pontificis Simon posteà Aragoniis restituit: qui 63. annis regnauit: & ab ipsâ umbrâ educatoris sui Simonis tantam virtutem hausit, ut à rebus postea præclarè gestis *Expugnatoris*, sive *præliatoris* cognomen meritò sortitus sit: de quo sæpè inferiùs.

[r] vid. Bernard. Gomes. lib. 1. vita Iac. Arag.
[s] Reg. Innoc. edit Tolos. lib. 3. ep. 219.

XVIII. S. DOMINICVS INSTITUIT PRECES ROSARII.

Sed quòd & S. Dominici nuper memoriam opportunè renovavimus, haud importunum videri debebit, si & meminerimus, his ipsis temporibus quibus Albigensium hæresis per partes Galliarum & Italiæ miserè grassabatur, & adeò multos excæcaverat sæculares, ut in Domini sacerdotes & clericos sævissimè furerent; prædictum Dominicum levantem in cælum oculos, & montem illum gloriosæ Virginis MARIÆ, quæ germine suo tortuosi serpentis caput obtrivit, & cunctas hæreses interemit, ac benedicto fructu ventris sui Mundum primi parentis lapsu damnatum salvavit, respicientem; (cui sacratissimæ Virgini & prædictâ Simonis victoriam, ejusdem Dominici, & Arnaldi Archiepiscopi Narbonensis, Vitæ scriptores acceptam ferunt) modum facilem, atque omnibus pervium, ac valdè pium orandi & precandi Deum excogitâsse: nempè *Rosarium*, seu Psalterium ejusdem Beatæ Virginis nuncupatum; quo eadem Virgo Salutatione Angelicâ centies & quinquagesies ad numerũ Davidici Psalterij repetitâ, & Oratione Dominicâ ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus totâ Domini nostri IESU CHRISTI vitam demonstrantibus interpositâ, venerāter colitur: hócque orandi modo per Ordinis sui Fratres divulgato, atque à nonnullis accepto, cœpisse Christi fideles iis meditationibus accensos in alios viros repente mutari, hæresum tenebras remitti, & lucem Catholicæ fidei aperiri; denique ad hanc orandi formam pro locorum diversitate Sodalitates institui. Istam enim institutionis sanctissimi Rosarij rationẽ, eósque illius effectus, totidem ferè verbis multo pòst tempore aperuit nobis Romanus Pontifex ejusdem Ordinis Pius PP. Quintus constitutione[t] de eo editâ; quod & nonaginta antè annis à Sexto Quarto approbatum, eius pariter constitutio[u] declarat: & ipsis S. Dominici temporibus usu receptissimum, & quamplurimis divinis miraculis illustratum, ejus Vitæ Scriptores abundè testantur. Cùm nihilominùs antiquissimorum auctorum[x] testimoniis constet, jam olim usu receptas fuisse orationes ad numerum per lapillos.

[t] Bullar. to. 2. in Pio V.
[u] Bull. to. 1. Sixt. IV. const. 18.
[x] Pall. in. Lausiac. cap. 23. Sozom. lib. 6. cap. 29. &c.

XIX. INNOC. PP. AGIT CONTRA ARCHIEPISCOP. AUSCITANUM.

Inter alia verò quæ circa Ecclesiæ regimen Innocentius Papa hoc anno præstitit, Archiepiscopum Auscitanum, de cujus vita & moribus, cum eorum fœditas ad Sedem Apostolicam delata fuisset, jam aliàs[y] inquisitionem fieri Pontifex jusserat, deinde ipsummet monuerat spontè ei Ecclesiæ cedere: demùm præsenti[z] anno Archiepiscopo Burdegalensi & Episcopo Agennensi de his scribens, post narrata quæ hactenùs in ea causâ gesta essent, iisdem commisit, ut diligenti factâ inquisitione, si invenirent aliquid eum commisisse quod ad depositionem sufficeret, in eum sententiam depositionis proferrent: sin verò accusatores deficerent, nihilominùs ob frequentes clamores qui contra ipsum ad Sedem Apostolicam delati essent, ei purgationem canonicam deferrent, cum quintâ manu (vt loquitur) vicinorum Episcoporum qui ejus conversationem nôssent, hoc est quinque Episcoporum testimonio, manus enim symbolum fidei. De quo purgationis more ac modo disertè Iuretus[a] ad Epistolas Ivonis Carnotensis, apud quem is frequens est; sicuti & in Iure canonico. Mandavit autem iisdem Antistitibus Pōtifex, quòd si Auscitanus hanc purgationem præstare negligeret, alium loco illius substituerent.

[y] Reg. Innoc. edit. Tolos. lib. 1. ep. 88. & lib. 2. ep. 32.
[z] Ibid. lib. 4. ep. 5.
[a] Iuret. ad ep. Ivon. 54. & 206.

XX. DE CONTROVERSIA INTER ARCHIEPISC. BITVR. ET BURDEGAL.

Qui tamen hæc Archiepiscopo Burdegalensi committebat, idem Papa Innocentius (ita fuit in omnibus, juris cujuscumq; absque ullâ personarum acceptione assertor) latam in eumdem Burdegalensem suspensionis sententiam ab Archiepiscopo Bituricensi auctoritate Primatiæ, eò quòd vocatus ab eo ad suum Concilium, nec per se nec per alium accedere curasset, anno præterito confirmâsset reperitur[b]: (ita tamen ut, sicuti disertè addidit, non de primatiâ, sed de sententiâ tantummodo judicium tulerit quam nihilominùs hoc eodem anno cùm is ad Sedem Apostolicā eâ de causâ accessisset, auditis ejus rationibus, relaxari voluit[c], acceptâ ob eo promissione quod vocatus ad Bituricense Concilium, iret facturus quod de jure foret faciendum. Quod enim esset Bituricensis im longâ quasi possessione auctoritatis supra Burdegalensem, voluit Innocentius Burdegalensem eam agnoscere, (uti etiam rogatus[d] fuerat à Rege Philippo) donec controversia per Sedem Apostolicam judicata fuisset; quam noluit ipse tunc attingere. De utriusque verò jure cum plurimi egerint, habent etiam non contẽnenda qui ad has Innocentij epistolas Notas addiderunt[e]: quos aliósque consu-

[b] d. Reg. lib. 3. ep. 45. & 128.
[c] Lib. 4. ep. 64. & 65.
[d] Vid. Robert. in Gall. Christ. in Gerard. Bitur. 69.
[e] Paul du May. in lib. 3. epist. 45. Bosq. in lib. 4. epist. 64.

lant quorum interest ea scire: nos modò, interim dum de iis acturi sumus[f] alio loco, reliqua Innocentij præcipua hujus anni gesta perlustrabimus.

[f] *Vid. infr. an. 1308. VII. VIII.*

XXI. VARIOS REGES ARGUIT INNOC. PONT.

Inter quæ est quòd Regem Lusitaniæ Alfonsum ejus nominis secundum, ob graves injurias sororibus[g] suis illatas jam antè excōmunicatione & interdicto obnoxium, non priùs liberari concessit[h], quàm jurâsset judicio Romanæ Ecclesiæ stare, & injuriam passis satisfacere. Regem[i] Cypri duabus de rebus arguit; nimirùm quòd Ecclesiæ Nicosiensis canonicos non permitteret liberè episcopum sibi in locum defuncti eligere; & quòd quemdam consanguineum Ioannis Regis Ierosolymitani & nonnullos alios ejus vassallos in custodiâ detineret, regnúmque ejus non parùm vexaret, in maximum discrimen rei Christianæ. Monuit igitur à prædictis desistere: Regísque Ierosolymitani defensionem Patriarchæ, & Templariis atque Hospitalariis commendavit. In Regem Armeniæ[k], quòd contra fœdus induciarum Principatum Antiochiæ adversus Rupinum nepotem suum crudeliter devastâsset; quemdam qui se Patriarcham Antiochenum appellans depositus à Patriarchâ Ierosolymitano ipsius Pontificis mandato fuerat, Rex protegeret atque defenderet contra legitimum Patriarcham; aliáque plura contra fas júsque perpetrasset; adeò commotus est, ut etiam consuetam omnibus impertiri Apostolicam salutationem & benedictionem denegaverit: & nisi emendaret, Patriarchæ & aliis Episcopis in mandatis dederit, ut cum jam aliâ ex causâ vinculo excommunicationis astrictum, hinc quoque usque ad satisfactionem, excommunicatum declararent. Quem posteà pœnitentem absolvi permisit. De rebus autem hujus Armeniæ Regis, déque ejus cum Principe Antiochiæ & Templariis discordiis, jam actum est superiùs.

[g] *Supr. ann. 1211. VI.*
[h] *Reg. Vatic. ep. 150.*
[i] *Reg. Tolos. lib. 3. epist. 202. & 206.*
[k] *Ib. lib. 4. ep. 2. & 7.*

XXII. DE ALDEBRANDINO MARCH. ESTENSI.

Quòd verò in Lombardiâ Patavini unà cum Ecelino tyranno, & aliis anathemate damnatis, Aldebrandino Marchioni Estensi sive Atestino Romanæ Ecclesiæ beneficiario, arma movissent, dedit Innocentius[l] in mandatis Gradensi Patriarchæ, ut eosdem Patavinos ab incœpto removeret, aut si pergerent insanire censuris irretiret. Meminerunt hujus insultûs Patavinorū, qui de rebus illius populi, Atestinorúmq; Principum scripsêre[m]: & Aldebrandinum, egregium licèt militiâ virum, vi majori cogente pactis induciis, mox haud ægrè pacem vel iniquis conditionibus fecisse: indéque in hostes Ecclesiæ, qui Picenum provinciam, seu Marchiam Anconitanā occupârant, arma convertentem; eamdem ab Innocentio Papâ Azoni Marchioni ipsius Aldebrandini parenti ob præclara ejus in Ecclesiam Romanam merita jam pridem donatam, recuperâsse. Extántque[n] aliæ Innocentij ad eumdem Aldebrandinum ante prædicta datæ literæ, hortantis eum ut ad coercēdos Anconitanos pergeret; cum pacto tamen ut censum Ecclesiæ Romanæ persolveret, & Marchiam Anconitanam Romanæ Ecclesiæ esse cognosceret.

[l] *Reg. Vat. ep. 160.*
[m] *Monach. Paduan. Chron. lib. 1. Sigon. de regn. Ital. lib. 16. Scardeon. de antiq. Patav. lib. 3. class. 13. Cynth. de Princip. Antist. &c.*
[n] *Reg. Vat. ep. 158. 164.*

XXIII. INNOC. CURAT ORIENTALIA.

Ad graviora autem remedia afflictissimæ Ecclesiæ idem Pontifex animum adjiciens; pro subsidio Terræ sanctæ literas[o] scripsit encyclicas ad universos Christi fideles, cum indulgentiâ remissionis peccatorum, & innovatione sententiarum latarum contra eos qui aliquid opis aut mercis Saracenis deferret, ac denique ad implorandum divinū auxilium, certas preces cum jejuniis & eleemosynis indicens; tamquam etiam præparatorias ad Concilium generale pro ejusdem Terræ sanctæ subventione, & aliis Ecclesiæ necessitatibus, ac morum reformatione, indictum[p]. Idémque ad Soldanum Damasci & Babyloniæ Saphadinum fratrem Saladini qui Ierosolymam cœperat, scribens[q], hortatus est ad ejusdem civitatis restitutionē, de cujus detentione, præter inanem gloriam, fortè plus illi difficultatis (ut ait) quàm utilitatis accrescebat: & ut ipsâ redditâ, ac dimissis utrinque captivis cessaretur à mutuis impugnationum offensis. Quod Pontifex tentavit, (sicut ad Patriarcham Ierosolymitanum scripsit) si fortè omnipotens Deus suum in barbarum terrorem immitteret; sicque is benignè rogatus, ostenderet facere se spontè quod durè compulsus facturum se putaret invitum.

[o] *Regest. an. 16. ep. 28. & 29.*
[p] *Ib. ep. 30. &c. Supr. in pr. hujus an.*
[q] *Ibid. ep. 36. 37.*

XXIV. PELAGIUS CARD. HISP. LEGATUR CONSTANTINOPOL.

Legatum quoque misit ad Imperium Constantinopolitanum Latinorum, qui necessitatibus Ecclesiæ & Imperij vice sui provideret; *Pelagium*[r] Cardinalem Episcopum Albanensem, virum, ut ait literatum, providum, & honestum; quem Henrico Imperatori & universis Imperij Antistitibus, Principibusque ac proceribus commendavit. De quo agens Georgius Logotheta Græcus in suo Chronico Constantinopolitano, ait missum eum fuisse, quò cunctos Græcos ad obsequium Pontificis adigeret: habuisse verò purpurea talaria, ac vestimenta, frenáque & sagum pariter purpurea: (Vnde videas purpuram proprium fuisse colorem Legatorum à latere, etiam antequàm communis facta esset omnibus Cardinalibus in Concilio Lugdunensi sub Innocentio Quarto; de quo tunc[s] dicetur.) Cùm autem asperiùs legatione suâ fungeretur; monachos Græcos carceribus includendo, sacerdotes vinculis onerando, templa omnia obserando; Henricum Imperatorem à civibus Constantinopolitanis, qui nullo modo induci poterant ad ritus suos deserendos, rogatum ab his calamitatibus ipsos liberare, eorum misertum, invitissimo legato, templa aperuisse, carceratos exolvisse, resque composuisse: ac nihilominùs ex Ecclesiasticis & Monachis plurimos ad Theodorum Græcorum apud Nicæam Imperatorem confugisse, ut in avitæ religionis libertate secure vitam agere possent. Ita Georgius. Fuit autem hic Pelagius natione Hispanus: de quo aliàs[t] pleniùs.

PURPUREA VESTIS LEGATORUM.

ASPERIÙS AGIT IN GRÆCOS.

[r] *Ibid. lib. 4. ep. 104. & seqq.*
[s] *Infr. an. 1244. IV.*
[t] *Infr. ann. 1221. XV. & XIX.*

XXV. IUDÆORUM IN GALLIA CONVERSIO EX MIRACULO IN EUCHAR.

Multi Iudæi hoc eodem anno in Galliâ ad Christum conversi leguntur, occasione insignis miraculi sacræ Eucharistiæ: cùm scilicèt Isaac quidam Hebræus acceptam à perfidâ ancilla suâ Christianâ sacram Hostiam, quam ipsa tempore Paschali ore sumptam sed non deglutitam servaverat; per errorem in pyxide quâdam ubi erant septem nummi argentei reponens, suo tempore ignominiosè tractandam; apertâ deinde pyxide reperit omnes nummos in totidem hostias commutatos. Quo miraculo commotus, ejuratâ lege veteri, & multis idem facere persuasis, Romam accessit; & ibi ab Innocentio Papâ baptizatus, remissus est in Galliam cum literis[u] commen-

[u] *Reg. Vat. an. 16 & in edit Tolos. eod. an. ep. 84.*

datitiis ad Archiepiscopum Senonensem, quibus tota res gesta continetur. Sed de miraculis Sanctissimæ Eucharistiæ singulis ubique temporibus fieri solitis plenæ sunt historiæ: & plurima habet hujus temporis auctor Cæsarius Ordinis Cisterciensis in suis Miraculorum [x] Dialogis.

[x] Cæs. lib. 9.

XXVI. Obitus S. Steph. Dien. Episcopi.

Quoniam verò in iis sumus, haud alienum videbitur obitū hic recensere *S. Stephani* Diensis in Delphinatu Allobrogum Episcopi; ceteroqui & omni memoriâ, pietatis, ergô, & vitæ sanctimoniæ præstantiâ, digni: quem ferunt [y] erga venerabile altaris Sacramentum tanta devotione & attentione affectum fuisse, ut totus lacrymis madens cum ipso Christo ad Crucem affixus videretur. Factus autem fuerat ex monacho Carthusiensi Episcopus: & laudabiliter eo munere functus, hoc anno die septimo Septembr. migravit ad Dominum, miraculis in vitâ & post mortem clarissimus.

[y] Ext. ejus vita ap. Sur. 7. Sept.

XXVII. De Gaufridi Episcopi Meld. sanctitate.

Nec item eâdem de causâ *Gaufridum* [z] omittimus, virum sanctissimum Meldensem Episcopum; qui hoc eodem tempore Episcopatui renuncians, in monasterio S. Victoris Parisiensi tunc maximè viris religiosis florente: diuinæ contemplationi sese arctiùs mancipavit. Qui inter alia sanctitatis opera; toto tempore quadragesimæ & Adventûs ter tantùm in septimâ modicum cibum, potum numquam sumebat. Reliquis verò temporibus raró quoque comedens & bibens, etiam cibis ejusmodi utebatur, quos propter eorum amaritudinem & insipiditatem vix quis alius gustare potuisset: sumptione verò sacratissimæ Eucharistiæ mirificè refici solebat. Successit in sede Meldensi Guillelmus (quem alij Gualterum nominant) Cantor Parisiensis, & frater Episcoporum Petri Parisiensis & Stephani Noviomensis, filij omnes Gualteri quondam Philipi Regis Camerarij & fratres Gualteri Iunioris virtute clarissimi.

[z] Rigord. in Vit. Philip. Aug. hoc an.

XXVIII. De B. Maria Oegniacensi

Nec fas item *B. Mariam*; Oegniacensem à loco Brabantiæ ubi diem obiit dictam, cum orta esset Nivellæ, miræ virtutis ac pietatis feminam præterire: quæ cùm frequentibus sacratissimæ Eucharistiæ mirabilibus visionibus recrearetur; in ultimâ infirmitate, tametsi nihil penitùs edere posset, immò nec modici panis odorem perferre, facile tamen, & quidem crebrò Corpus CHRISTI sumebat; quod statim quasi liquescens, & in animam ejus transiens, non solùm illam confirmabat, sed etiam corporis infirmitatem relevabat: cúmque aliquando tantâssent num hostiam non consecratam sumere posset, illa à panis odore mox abhorrens cœpit clamare, expuere, & perinde ac si pectus rumperetur cum ingenti anxietate singultire. Cujus Vitam, multâ sanctitate & miraculis gloriosam, duobus libris conscripsit [a] Iacobus de Vitriaco Cardinalis Tusculanus, de quo superiùs; qui cum eâ aliquandiù sanctissimè conversatus, etiam post mortem Romæ obitum, in eamdem Ecclesiam ad sepulturam transferri voluit. Iisdémque tertium librum adjecit qui eodem posteà sæculo vixit *Thomas Cantipratensis*, & ipse Brabantinus professione Dominicanus. Quæ verò Vitriacus de eâdem Mariâ scripsit, inseruerunt suis Operibus Vincentius [b] & Antoninus [c]: meminerúntque & alij, piissimi ejusdem transitûs; qui contigit in Vigiliâ Nativitatis S. Ioannis Baptistæ hujus ipsius anni. Memorátque ibidem in Prologo Vitriacus multos cœtus aliarum mulierum ac virginum, quæ iisdem regionibus contempto sæculo soli Christo servire desiderantes, congregationésque sibi constituentes, sanctissimam vitam in iis egerant, multis licèt malignorum hominum calumniis initio traductæ. Eas verò *Beghinas* dictas fuisse, tradit auctor Magni Chronici Belgici ex Chronico Petri Herentalij Prioris Floreffiensis: quarum & meminit Cantipratensis [d]. Estque de iisdem constitutio [e] Ioannis Vigesimi Secundi, quâ eas distinguit ab aliis eiusdem appellationis, anteà damnatis à Clemente Quinto in Concilio Viennensi: & apologia Molani [f] contra hæreticorum criminationes: ut etiam dicetur à nobis sub iisdem Pontificibus.

[a] Ext. ap. Sur. 23. Iunij.

[b] Vinc. Spec. Hist. lib. 30. Anton. tit. 9. cap. 12.

Beghinarum origo.

[d] Cantiprat. 2. Apum. 50. & 53.

[e] Cap. un. de relig. domib.

[f] Mol. de SS. Belg. 9. Ian.

XXIX. Successio Patriarcharum Græcorum Constantinop.

Hoc item anno, mensísque Septembris die vigesimo, post obitum *Michaelis Sauriani* Græcorum Patriarchæ Constantinopolitani Nicææ sedentis, & sedis vacationem decem mensium & semis, propter absentiam Imperatoris; (neque enim absque eo fas erat electionem successoris fieri:) creatus demùm est *Theodorus*, ejus nominis tertius cognomento *Irenicus*, ex Chartulario; qui & *Cupas* dictus, studio philosophiæ præstans. Quem Series [g] Græca episcoporum Byzantij sedisse ponit annum unum menses quatuor dies tres; Onuphrius [h] annos duos, computando videlicèt etiam vacationem sedis: Georgius [i] Logotheta annos sex. Huic omnes successorem tribuunt *Maximum* eius nominis Secundum, ex Abbate cœnobij Accœmetarum: sed Series octo menses, Onuphrius septem, Georgius sex tantùm sedis tribuit. Post cujus obitum evectus est in thronum *Manuel Caritopulus* scientiâ & cognomento *philosophus*: cuius sedis tempus deest in Serie: Onuphrius habet annos quatuor, & menses septem, usque ad annum Christi millesimum ducentesimum vigesimum secundum: Georgius nec tempus notat, sed ab eo coronatum ponit Ioannem Imperatorem, quem videbimus Lascari successisse eodem anno 1222.

[g] Iur. Orient. lib. 4. in fi.

[h] Onuph. in Chron. Ecclesf.

[i] Georg. in Chron. Constantinop.

IESU CHRISTI Annus 1214.

INNOCENT. III. An. 17.

HENRICI II. Ann. 9.

I. Martyrium Balduini fratris Comitis Tolos. a proprio fratre.

ANNO Christi millesimo ducentesimo decimoquarto, Indictione secundâ, tempore quadragesimæ *Balduinus* [a] frater Comitis Tolosani, piissimus ac fortissimus Princeps, cùm ab eo tempore [b] quo hæresim abjuraverat, adstitisset semper fidelissimè partibus Monfortij; proditoriè à fictis amicis dum in lectulo suo dormiret captus, & fratri traditus; ipso jubente & inspectante: propriis manibus Comitis Fuxi, ejúsque filij & Bernardi cujusdam Argonensis, fune collo injecto per summum scelus ad infelicis nucis arborem suspensus est in confessione fidei Catholicæ. Tanta erat perfidissimorum hæreticorum rabies!

[a] Hist. Albig. cap. 75. Guill. de Pod. Laur. cap. 23.

[b] Supr. ann. 1211. V.

II. Petrus Benevent. Leg. in Gall.

Inter quæ missus ad eas partes ab Innocentio Papâ *Petrus* [c] Beneventanus Diaconus Cardinalis tituli S. Mariæ in Aquiro, tum ut Iacobum infantulum, de quo superiori anno, à Monfortio reciperet Aragonensibus restituendum, tum ut rebus fidei provideret: utrumque præstitit; & speciatim Comites Convenarum & Fuxi, Tolosanos, aliósque plurimos, pietatem præseferentes, Ecclesiæ reconciliavit; receptis tamen ab eis, non solùm juratoriâ cautione standi mandato Ecclesiæ, verùm etiam quibusdam castris munitissimis. Post quæ Monfortius bellum circumferens, multa castra occupavit in provinciis Narbonensi & Aquitanicâ; confortatus adventu ingentis numeri Crucesignatorum sub *Roberto de Corceone* Card. Legato natione Anglo, de quo superiùs [d], Guidone Episcopo Carcassónensi, (olim Abbate Vallis-Sarnensis, patruóque Petri hujus historiæ scriptoris) aliisque piis ac nobilibus viris. Quando & idem Comes Monfortius filium suum primogenitum Almaricum, patri pietate & fortitudine non imparem, matrimonio junxit cum filiâ Principis Delphini. Hæc pluribus Petrus [e]. In rebus autem gestis [f] S. Dominici traditur, Monfortium tantâ eumdem Dominicum benevolentiâ & reverentiâ prosequutum fuisse, ut ab eodem baptizari filiam suam Aniciam, (quæ posteà apud S. Antonium Parisiis habitum religionis induit) & has filij sui nuptias benedici voluerit.

Rob. de Corceone alius Leg.

S. Domin. magnî habitus a Com. Montfort.

[c] *Reg. edit. Tolos. an. 16. ep. 167. & seqq. Hist. Albig. cap. 77. Guill. de Pod. cap. 24.*
[d] *Supr. an. 1212. VIII.*
[e] *Hist. Albig. cap. 77. & seqq.*
[f] *Theod. lib. 1. cap. 11.*

III. Ioan. Rex Angl. agit contra Reg. Franc. sed infelici exitu.

In eâdem Historiâ Albigensium meminit Petrus adventûs Ioannis Regis Angliæ in Aquitaniam; qui minas intentans in Monfortium, haud tamen ausus fuerit eum aggredi. Et narrant quidem Historiæ [g] Francorum Anglorúmque, eundem Ioannem, post fœdus cum Ferdinando Flandro jurejurando firmatum, hâc fine ut Flander suis, Ioannísque, & aliorum sociorum quantis posset viribus in unum collectis, Philippum Francorum Regem Flandriam rursùs ingressum impeteret; ipse verò Ioannes in Aquitaniam transmitteret, ut vel eam recuperaret, vel saltem vires Philippi à Flandriâ averteret, ubi summa rerum agebatur: grandi pecuniâ, & instructissimis Anglorum copiis Ferdinando traditis, ipsum cum magno alio exercitu in Aquitaniam transmisisse; Comitem Marchiæ, cujus offensio defectionem olim Pictonum totiúsque Aquitaniæ induxerat, sibi conciliâsse sponsione filiæ suæ in uxorem filio Comitis; & quasdam munitiones cepisse: sed dum post captum incautè apud Nannetes Minoris Britanniæ quodam acri certamine Robertum Druidensem, regiam Francorum sobolem, cujus fratri minori Petro Adela heres Britanniæ desponsa fuerat; castrum Monachirupem dictum ad Ligerim flumen in finibus Andegavensium obsideret, adveniente Ludovico filio Regis Francorum cum delectu fortissimorum virorum, ignominiosam fugam capessivisse, relicto omni apparatu bellico; tanto pavore ut uno die octodecim milliaria emensus sit; magnâ exercitûs parte aut aquis Ligeris, aut gladio deletâ: Ludovicum inde ea recuperasse quæ Ioannes occupâsset ac speciatim urbis Andegavis mœnia à Ioanne olim diruta, & nuper refecta, penitùs disjecisse.

[g] *Rigord. in Philipp. Aug. hoc an. Brit. Philipp. lib. 10. Vvestmō. & Vvalsingh hoc an. Polyd. lib. 15. Paris. quoque in Ioann. sed contra reliquorum fidē, etiam Ludovicum apud Rupē monachi turpiter fugisse, rebus Francorum minimùm addictus, scribit.*

IV. De bello Bovinensi inter Philipp. Regem et conjuratos.

Cum interim in Flandriâ pater Ludovici Rex Philippus multorum in se conspirationem Principum prælio Bovinensi felicissimè disjecit. Adfuit omnium potentissimus, cum suis proceribus & immensis copiis, Otho ipse Imperator excommunicatus atque depositus; ratus Fridericum novum Imperatorem ceterósque inimicos suos haud difficilè superari posse, si Anglorum Flādrorúmque subnixus ope Francorum antè humiliâsset potentiam; sed & præterea Ioannis Regis Angli avunculi sui hortationibus & pecuniis allectus; ac denique veteri recentique odio in Philippum flagrans, quòd & olim Philippo Imp. favisset, & posteà ipsius Othonis depositionem, & Friderici electionem promovisset, ipsíque demùm Friderico fidem & dexteram amicitiæ porrexisset. (Nam quod aliqui [h] scripsêre, ideò Othonem hoc bellum suscepisse, quòd cùm olim ipse coronam Imperij accepturus per Galliam iter haberet, Philippus illudens ei, ridens promisisset, se daturum ei urbem Parisiorum si fieret umquam Imperator; aut nugæ sunt; aut si Othonis ea mens fuit, profectò pueriliter sapuit; nec gladio, sed ferulâ castigandus erat.) Denique extat [i] ipsius Othonis decretum de bello Papæ ac Regi Francorum inferendo, factum in Comitiis Valentianis, non minùs Regi honorificum, quàm Othoni dedecorum: quo disertis verbis Otho ad Principes & Proceres adstantes profatur, si Rex Francorum non esset, tutum se in toto mundo à quolibet hoste haberi posse, & totum mundum gladiis suis supponere: sed eo solo contra se favorem impendente, & Cleri causam semper quasi propriam habente, Papam Romanum ita præsumere ipsum Othonem anathemate ferire, ac ejus proceres fide ipsius absolvere, &c. Contra hunc igitur solum toto conatu insistendum esse, qui solus impedire provectus suos posset: quippè eo superato, reliquos vincere facile fore, regnúmque Francorum ad libitum inter omnes adstantes Principes partiri: Clerum autem & monachos, quos Rex Francorum sic exaltaret, amaret, & protegeret, aut deponendos aut deportandos esse; sic tamen ut pauci manerent, qui oblatâ tantummodò stipe viverent, bona autem & decimas miles reciperet, &c. Multa enim præterea habet thrasonica; adeóque indecora, ut nisi crederemus hæc in eo potuisse spiritum vertiginis, quo extra Ecclesiæ communionem agebatur, operari: facilè nobis persuaderemus rem esse scurriliter ab aliquo in ejus opprobrium confictam: nisi qui edidit, hostis implacabilior Religionis Catholicæ, faciliùs nos eâ suspicione liberaret, rémque ita gestam esse omninò persuaderet.

Otho et Imperator contra Philip. Regem.

Eius pavor a Regis viribus et pietate.

[h] *Arnold. Chron. Slavor. lib. 7. cap. 17. Monach. Padua. Chron lib. 1. an. 1210. &c.*
[i] *Ap. Goldast. in. Constit. Imper.*

V. Eius asseclæ.

Huic porrò decreto subscripti reperiuntur nominatim, post ipsum Othonem, plerique alij qui prælio Bovinensi post prædicta Comitia Valentiana interfuerunt, putà Guillelmus Comes Salesberiensis Ioannis Regis Angli frater, qui cum auxiliis Anglicis præstò fuit; Reginaldus Boloniæ Comes; & omnium impulsor, fáxque seditionis, Ferrandus sive Ferdinandus Flandriæ Comes, cujus rebellionis causâ bellum Flandrense occœptum vidimus: Henricus quoque Dux Brabantiæ & Lotha-

ringiæ focer Othonis, genérque Philippi, Theobaldo superioris Lotharingiæ Duce in castris tum regiis militante. (Sciendum quippe obiter, duos eodem tempore fuisse olim Ducatus titulo *Lotharingiæ*: alterum Superioris Lotharingiæ, situm ad flumen Mosellæ, atque inde etiam Ducatum Mosellanorum dictum; qui is est quem tenent qui hodie Duces Lotharingiæ dicuntur. Alterum Inferioris Lotharingiæ, aut Ripuariorum dictum; qui continebat bonam partem Brabantiæ, Geldriæ, ac vicinarum regionum; cujus fuit Dux Godofredus Bulionensis qui cepit Ierusalem; ac posteà possessus fuit ab ultimis Ducibus Burgundiæ; & cõsequẽter ab Austriacis, qui & propterea unà cum titulo Brabantiæ arrogant etiam titulum Lotharingiæ.) (Dux Lemburgi, (ut à nonnullis indigitatur, cùm tamen in subscriptionibus prædicti decreti Othoniani dicatur tantùm Comes) ac Comites Hollandiæ, Nivernensis, & Namurcensis; (hic Regi licèt sanguine propinquus;) aliique quamplurimi Principes, procerésque. Inter quos recensentur etiam in dicto decreto nonnulli, qui tamen ab auctore Philippidos adscribuntur numero illorum qui à Rege steterunt, (quam discrepantiam conciliare conatus est Belleforestius [k]) unà cum Theobaldo quem diximus, & Walerano filio prædicti Comitis Lemburgensis, Roberto Druidum Comite Regis consanguineo, Ioanne Comite Pontivij ex sorore Regis genito, Waltero Comite S. Pauli, atque aliis plurimis è præcipuâ nobilitate regni: cum tamen exercitus regius vix tertiam partem Othoniani æquaret, quem centum & quinquaginta peditum millibus constitisse auctores tradunt: & cùm de equitum numero minùs constet, ad mille tamen & quingentos qui aurato balteo virtutis causâ donati fuerant adfuisse memorantur; unde & ceterorum ex equis pugnantium ingentem planè fuisse numerum colligere liceat. Quibus numerosissimis fortissimarum nationum copiis freti prædicti Principes, universum Regnum jam certâ spe devoratum ita inter se partiti fuerant, ut Ferdinando urbem regiam, Anglo Aquitaniam Normanniámque; Reginaldo Boloniam, Veromanduam, Peronam, & Suessiones; Othoni ipsi pro Imperatore se gerenti Campaniam, Burgundiásque; aliis alias provincias, terrásque singulis commodiores, inanissimo consilio has secum rationes deputantes, destinâssent.

DUPLEX LOTHARINGIA.

[k] Bellefor. Hist. Franc. lib.3.cap.81.

INGENS OTHONIANORUM EXERCITUS PRÆ REGIO.

VI. PRÆLIUM BOVINENSE.

Facta est pugna ad Pontem Bovinarum non longè ab urbe Tornaco, sexto Calendas Augusti, die Dominicâ; quâ vix alia unquam in Galliis majoribus animorum odiis commissa. Ante cujus initium, cùm Rex nihil minùs eâ die expectans quàm pugnam, qui & numquam aliàs, nisi omninò coactus, Dominicâ die, ob ejus reverentiam, pugnare consueverat) dum copiæ ipsius ponte traducerentur Insulam versùs, æstu diei ac itinere fessus sub fraxino arbore juxta quamdam ecclesiam in honorem S. Petri Deo dicatam quietem caperet; hostibus ex improviso converso itinere, qui videbantur Tornacum tendere interfluente amne, exercitũ ejus invadentibus, excitatus à suis vel ad pugnam vel ad fugam; jussis illis quod instaret tantisper agere, proximam ecclesiam ingressus, ac Deum Opt. Max. veneratus, ingentem vultu fiduciam præseferens arma poposcit; & ad suos, *Bono*, inquit, *fortique animo simus: integri ab omni dedecore, Deúmque ac fidem Christianam piè colentes, etsi peccatores, communione tamen ac pace Ecclesiæ fruimur, ejúsque ac Cleri libertatis pro parte nostrâ defensionem agimus: pugnabimus adversus hostem, judicio sacræ Ecclesiæ ac Summi Pontificis damnatum, & grege Christi ob scelera motum, destructorem rerum Ecclesiæ, & de rapinis bonorum Ecclesiasticorum stipendia suis ministrantem.* Habéntque insuper Ricordanus Malaspina, & Ioannes Villanius Itali in suis Annalibus Florentinis, dum hujus prælij meminerunt; Regem, quòd ex suis Proceribus nonnulli ab eo alienati essent, detractâ capiti suo coronâ aræ impositâ, *Date*, dixisse, *ei quem me digniorem existimaveritis; lubens illi ego parebo:* Conclamâsse verò omnes, & fidem fortémque in prælio operam pollicitos esse: quam & egregiè servârunt; petitâ etiam ante pugnæ initium à Rege (ut Rigordus observat) benedictione.

PIA REGIS AD SUOS HORTATIO.

[l] Ricordan. cap.101. Villan. lib.3. c.35.

Et quod Regem quidem spectat; sicut piè & animosè dixit, sic & fortissimè pugnavit: non sine ingenti vitæ periculo, cùm jussisset Otho, pugnacissimos quosque suos secum omissis ceteris unum omnes undique Regem petere: qui cùm ingenti utrimque cæde ad eum penetrâssent, eoque disjectum tantùm non occiderunt; cùm suis animos & vires colligentibus, unus etiam ex equo suo desiliens stratum Regem rursùm in equum sustulit. Sicuti & ex aliâ parte velut ex condicto, Othonem delecta manus Francicæ nobilitatis, unà cum ipso Rege, unum omninò, ceteris velut vilibus capitibus omissis, animo, oculis, dextrâ insectantes, per infestásque turmas impetu facto ad eum perrumpentes, unus etiam medium complexus equo detrahere contendit; alius gladio pectus percussit, loricâque vulnus arcente repetitum ictum excepit equus erecto capite; & ad vulneris sensum circumagens se rapuit ex prælio sessorem, alio Franco frustrà fræna retinere conato; nec post id quisquam frontem Othonis adversam vidit, illudente etiam Rege fugæ ipsius.

VII. REGIS ET OTHONIS PERICULUM IN PUGNA.

Aliis etiam partibus pugnatum est utrimque ingentibus animis à meridiano tempore in diei serum: donec tandem profligatis ubique hostibus, Rex minùs infestam fugam iis præbuit, ob loca noctu incognita, & multitudinem nobilissimorum captivorum, quos diligenti custodiâ validóque præsidio asservatos volebat. In iis fuêre Ferdinandus Flander, Reginaldus Boloniensis, Guillelmus Salesberiensis, Guillelmus Hollandus, & alij quamplurimi Principes procerésque: quos Rex diversis locis custodiendos divisit; Reginaldo imprimis Peronam misso, quam ipsi Otho in funiculo distributionis concesserat; Ferdinando Parisios, regiam urbem ipsi pariter tributam: Deo sic justissimè vesanæ eorum temeritati illudente. Traditúrque insuper, cùm anus Comitissa Flandriæ & ipsa Lusitana, ipsiúsque Ferdinandi matertera, de exitu belli ariolos consuluisset, responsum accepisse, Regem in prælio casurum, pedibusque hominum equorúmque conculcatum iri, nec sepeliendum fore; ipsum autem Ferdinandum à

VIII. CAPTIVI ILLUSTRES.

AMBIGUUM DÆMONUM ORACULŨ.

Parisiensibus cum maximâ pompâ receptum iri. Quo oraculo, more dæmonum ambiguo, stolida mulier decepta, pro regno filij carcerem accepit; & triumphum, quo cum multâ rusticorum aliorúmque illusione & subsannatione ductus est Parisios.

IX. AUCTORES QUI PUGNAM DESCRIPSERŪT.

Descripsit hæc, pugnámque ubertim qui interfuit, preces ad Deum unà cum ceteris clericis pro Rege suo fundens, Rigordus ejusdem Regis capellanus & Chronographus in ejus Rebus gestis: uberiúsque Guillelmus Brito [m] carmine suo Philippidos; ac cultiùs Æmilius [n] Veronensis in Historiâ Francorum. Peccat tamen iste, sicuti & Gaguinus [o], dum eam commissam ponunt pridie Non. Iunij, quemadmodum & ceteri qui alij diei tribuunt, quàm sextæ Calendas Augusti, sive vigesimæ septimæ Iulij, quæ erat dominica. Descripsit quoque eandem ex prædicto Rigordo, ut solet, Vincentius [p]: paulò brevius Parisius [q], Altissiodorensis [r], Antoninus [s], Meyerus [t], & alij: nec ferè scriptor ullus est qui ejus non meminerit; quidam tamen, sicut in die, ita in anno errantes, dum aliis quàm præsenti attribuunt.

[m] Brit. lib. 10. & 11.
[n] Æmil. in Phil. Aug.
[o] Gaguin. l. 6.
[p] Vinc. lib. 30. cap. 53. & seqq.
[q] Paris. in Ioann.
[r] Altiss. in Chron.
[s] Anton. tit. 19. cap. 2.
[t] Meyer. Annal. Flandr. lib. 8.

X. VEXILLA REGIA UTRIMQUE.

Ferebat in prælio Vexillum regium liliatum Walo, sive Gualo Montiniacus nobilis Veromanduus vir fortissimus. Præter quod adfuit etiam Vexillum S. Dionysij, quod universo exercitui præire mos erat; de quo mox. In acie verò Othonis, pro signo aurea Aquila erat, draconi horribili specie insidens, sublimíque hastâ vecta curru; quæ in potestatem Regis cum aliis manubiis venit: Rex verò curru cum dracone igni cremato, Aquilam refectis alis quæ concisæ fuerant, ad Fridericum misit, pignus translati jam penitùs in ipsum Imperij per excisionem virium ipsius adversarij.

XI. OTHONIANI DESCRIPTIO.

Eorum verò signorum formam describens Gullielmus [u] Brito, (liceat enim his lætioribus animum ab horrore armorum oblectare; nec sine rerum de quibus agimus utili illustratione:) primùm de Othoniano sic habet:

[u] Brit. Philipp. lib. 11.

Mox Otho Imperij declarans signa, volensque
Iam quasi promeriti rem prælibare trophæi,
Standardum ædificat, miroque insignit honore
Imperij ut fasces tanto illustrante paratu
Sed dominatorem totius disputat orbis.
Erigit in carropalum, paloque Draconem
Implicat, ut possit procul hinc atque inde videri;
Hauriat & ventos cauda tumefactus & alis;
Dentibus horrescens, rictusque patentis hiatu.
Quē super aurata volucer Iovis imminet ala,
Tota superficies cujus nitet aurea Solis
Æmula, quo jactat plus se splendoris habere.

XII. VSUS CARROCII PRO VEXILLO.

Hæc de signo Othonis Observavimúsque apud alios sæpè illius ætatis scriptores, fuisse horum, superiorúmque, ac posteriorum aliquot temporum, Italorum præcipuè consuetudinem, ut *Carrocium*, quod vocabant, (nempè currum prægrandem) aureâ Cruce in vertice mali sive antennæ, insigníque vexillo, in expeditionibus magnâ religione ducerent, bobus electis sive equis tractum: quod in castris fossâ vallóque munitum, à fortissimis totius exercitûs viris custodiebatur: erátque quasi prætorium, aut tribunal quoddam commune, in quo magistratus & omne robur exercitûs consistebat: & tum quidem exercitus credebatur fusus, quando Carrocium amissum erat. Quare quòd nihil gloriosius ac speciosius victoribus, ignominiosius aut turpius victis habebatur, quàm cum illud in potestatem victoris veniret; inde plerumque fiebat ut acerrimæ pugnæ circa illud committerentur. Quale verò Florentinorum esse consuevisset, describit accuratè Ioannes Villanius [x] hujus prope temporis egregius auctor; Mediolanensium, Sigonius [y].

[x] Vill. an. lib. 6. cap. 77.
[y] Sigon. de regn. Ital. lib. 8 an. 1038.

XIII. AURIFLAMMÆ DESCRIPTIO.

Francorum verò signa Brito delineans, imprimis de Auriflammâ;

Ast Regi satis est, (inquit) *tenues crispare per auras*
Vexillum simplex, cendato simplice textum,
Splendoris rubei, lethania qualiter uti
Ecclesiana solet certis ex more diebus
Quod cùm Flamma habeat vulgariter Aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire:
Quod regi præstare solet Dionysius Abbas,
Ad bellum quoties sumptis proficiscitur armis.

XIV. REGIUM SIGNUM QUALE DISTINCTUM AB AURIFLAMMA.

De signo verò Regio sic pergit:

Ante tamen Regem signum regale tenebat
Montini accensis vir fortis corpore Gualo:

quod quidem fuisse liliis distinctum Rigordus & Armaricus tradunt; apertissimè & ipsi illud ab Auriflammâ distinguentes; cùm multi utrumque in vnum confundant, & plerique Auriflammam à Gualone hoc prælio delatam scribant: cùm nihilominùs Rigordus, qui & aderat, & regi adstabat, disertè scribat, ubi Rex consilium cepit pugnam ineundi, *clanxisse tubas, reverti cœpisse cohortes quæ jam pontem transierant, revocatum esse Vexillum B. Dionysij, quod omnes præcedere in bello debebat, nec tamen*, inquit, *satis properè revertitur: vnde nec expectatur. Immò Rex cursu rapido revertitur, & ponit se in prima fronte belli* &c. Deinde postquam jam pugnatum esset *spatio trium horarum, intereà adveniunt legiones Communiarum, quæ fere usque ad hosp.tia processerant, & Vexillum B. Dionysij, & accurrunt quantocyùs ad aciem Regis, ubi videbant signum regale, Vexillum videlicet floribus lilij distinctum, quod ferebat die illo Gualo de Montigniaco miles fortissimus, sed non dives*, &c. Et in Historia Caroli Sexti Regis, scriptâ à Ioanne Iuvenale Vrsino Archiepiscopo Rhemensi tunc vivente legimus [z], in quodam bello adversus Anglos in Flandriâ gesto, Guidonem Tremolium gestasse Auriflammam, & Philippum Artesiensem Vexillum regium Liliatum. Quæ fuêre paulò latiùs explicanda ob rei majestatem, & nævis historicorum auferendis.

[z] I An. 383.

XV. SINGULARIA DE AURIFLAMMA.

Porrò de AURIFLAMMA, ejúsque in bellis usu & efficacitate, etiam alias [a] dictum est. Fuisséque illam diuinitùs exceptam à Clodoueo primo Francorum Rege Christiano, firma est quorumdam illius gentis auctorum [b] assertio. Quâ tamen de re nihil apud antiquos: qui omnes cum ejus meminerunt, vocant simpliciter *Vexillum sancti Dionysij*. Quinimmò cùm à diversis diversè describatur; satis innui videtur non eamdem semper fuisse, sed unâ usu consumptâ aliam substitutam. Illud quidem omnium consensu certissimum est, consuevisse [c] ab antiquo Reges Francorum, cùm bellum aliquod difficile susciperent, eam ex altari Martyrum sumere. Cujus rei solemnem

[a] Epit. Baron. an. 1125. II. 1147. III.
[b] Ap. Frossard. vol. 2. cap. 125. Gaguin hist. Franc. lib. 1. & alij.
[c] Vid. Til. in Collect. Reg. Franc. Doublet. in Antiquis. Dionys. lib. 1. cap. 41.

[d] *An.* 1382. *& adde monach. Dion. infr. an.* 1414. *II.*

MODUS EAUTENDI.

ritum describens Ioannes Iuvenalis [d] qui suprà, ait, cùm Rex exercitum ducturus esset in hostes ante omnia ire solitum ad monasterium S. Dionysij; ibíque post celebratum ab Abbate sacrificium Missæ, & posita sacra Martyrum corpora supra altare, eundem Regem nudo capite & discinctum ea adorare, & munera offerre; tum acceptam de manu Abbatis Auriflammam tradere cuidam fideli, pio, strenuo, ac nobili militi custodiendam ac deferendam; (& id quidem postquàm Comitatus Vexini unitus est coronæ, cùm priùs hoc officium ejus Comitis peculiare esset, tanquam primi beneficiarij clientis ecclesiæ Sancti Dionysij:) qui sumpto priùs sacratissimo Eucharistiæ sacramento, eam solemni jurejurando fideliter illam custodiendi recipiebat: Confecto bello, Regem ad dictum monasterium redeuntem, aperto, ut priùs, capite, & absque cingulo, eam propriis manibus ad eadem sacra corpora Abbati restituere. Habetúrque apud eundem [e], non debuisse deferri, nisi pro regni defensione, (non etiam pro invasione alterius) & contra Infideles & Ecclesiæ hostes. Quod tamen non semper servatum. Quare sunt alij [f] qui asserant, cùm eâ etiam abuterentur Reges contra Christianos & Catholicos, levibúsque de causis, eamdem evanuisse: alteram tamen non dissimili formâ instauratam esse, quæ ab Episcopis & locis Abbate consecratam esse, quæ ab Episcopis & locis asservatur, cùm alioqui nullus [g] Regum à Carolo Sexto hactenùs eâ in belli usus reperiatur.

[e] *An.* 1386.

[f] *Gaguin. d. lib.* 1.

[g] *Til. ubi supr. Agetúrque de his rursùm sub Phil. Pulchr. & Carol. VI. an.* 1414. *II.*

XVI.

Fuisséque, quod diximus, simplex vexillum ecclesiæ S. Dionysij, quod solerent Reges ob reverentiam Martyrum ab eorum Ecclesiâ ad protectionem exercitûs sui sumere; inde quoque intelligi videtur, quòd solitum esset semper benedictione consecrari quotiescumque Regibus traderetur: quod non videtur fore necessarium si verè creditum fuisset cælitùs delatum; aut sanè aliqua ejusdem supernæ evectionis ingerenda mentio ad augustiorem rei significationem. Fuit autem hæc benedictionis formula [h]: *Inclina Domine aurem tuam ad preces humilitatis nostræ, & per interventum B. Micaëlis Archangeli tui, omniúmque cælestium virtutum, sed & beatorum Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, omniúmque Sanctorum tuorum, præsta nobis auxilium dexteræ tuæ; ut sicut benedixisti Abraham adversus quinque Reges triumphantem, atque Davidem Regem in tui nominis laude triumphales congressus exercentem: ita benedicere & sanctificare digneris hoc Vexillum, quod ob defensionem regni: & sanctæ Ecclesiæ, contra hostilem rabiem defertur; quatenùs in numine tuo Fideles & defensores populi Dei illud consequentes, per virtutem S. Crucis triumphum & victoriam se ex hostibus acquisisse lætentur: qui cum Patre & Spiritu sancto,* &c. Sed de his modò hactenùs, quæ non tam ad convellendam receptam de cælesti Auriflammâ opinionem, quàm ad demonstrandam Regum Christianorum pietatem dicta sunto.

FORMULA BENEDICTIONIS.

[h] *Ap. Til. & Doublet. ubi sup.*

XVII. GRATITUDO PHILIPPI REGIS ERGA DEUM PRO VICTORIA BOVIN.

Ceterùm Philippus Rex post adeptam divinitùs nobilissimam victoriam, gratiis Deo exsolutis, Parisios triumphans ingressus est: ac quòd eodem tempore tam ipse Othonem, quàm filius Ludovicus Ioannem Angliæ Regem fugâssent; horum beneficiorum gratiâ, qui in Deum omnia referebat, monasterium quod *Victoriam* appellavit prope Silvanectum extruxit, constitutis in eo canonicis regularibus de ordine S. Victoris Parisiensis, & assignatis largissimè annuis proventibus. Deincépsque jura [i] Sacerdotum auctiora esse decernens, conquerentibus Magistratibus sic regia jura imminui; tot esse ac tam perspicua respondit cæli in se Franciámque beneficia, ut Sacerdotibus templísque nihil denegare jure posset ex iis rebus, quas divinâ potiùs quàm humanâ ope integras florentésque ac victrices haberet. Sed quod fugam Ioannis per Ludovicum factam, uno eodémque die cum pugnâ Bovinensi contigisse plerique volunt, Rigordus tamen, qui cum Rege erat, disertè asserit victoriam Bovinensem secutam esse fugam Ioannis modico tempore, ita ut intra unius mensis spatium utraque acciderit: Vnde intelligi posse videatur, contigisse eodem recurrente mensis die: atque ita accipiendam esse inscriptionem numismatis tunc in memoriam utriusque pugnæ confecti, hæc verba continentis, *Virgini Dei Matri ob geminas unâ die ad Bovinum contra Othonem & conjuratos, & in Aquitania adversus Ioan. Angliæ, partas victorias, ædes sacras ex voto pos.*

[i] *Nang. in Vit. S. Ludov. cap. antepen. Æmil. in Phil. Aug.*

XVIII. ANGUSTIÆ IOANNIS REGIS ANGL. A PHILIPPI PPOSPERITATE.

Ceterùm cùm Ioannes Anglus auditâ in Pictonibus Bovinensi clade, animo consternatus, primùm inediâ perire destinâsset; deinde tristitiâ animi in furorem versâ in clamorem prorupit postquàm cum Deo reconciliatus Ecclesiæ Romanæ subjecisset se, nulla sibi prospera, sed contraria omnia sibi accidere, Audiénsque rursùs Philippi Regis in Pictones, qui ad ipsum Ioannem defecerant, expeditionem, móxque eorumdem ad Philippum reversionem: quid jam consilij caperet in iis angustiis non habens, agit demum per multas concursationes, itúsque reditúsque Roberti de Corceone Cardinalis Angli, & Apostolicæ Sedis ad promovendum expeditionem Orientalem in Galliâ Legati, ut solutâ pecuniâ quinquennales sibi induciæ concederentur à Rege: sicque lætus hoc munere mense Octobri Angliam repetit, indignantibus satis Francis quòd sic permitteretur è manibus elabi. Sed sanè videbimus eum evitatâ Charybdi in Scyllam incidisse: quamvis antequàm Angliâ excederet, renovatis apud Nicolaum Cardinalem Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum ad hoc missum, prioribus pactis cum Pandulpho conventis, & subjectione Angliæ & Hiberniæ bullâ aureâ confirmatâ, compositísque aliquo modo contentionibus damnorum Sacerdotibus, aliisque illatorum, idem Nicolaus post Ioannnis abscessum in Galliam die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli Interdictum sustulisset, quo universum regnum sex annis, mensibus tribus, & diebus quatuordecim irretitum fuerat. Quæ quomodò gesta fuerint, narrat ceteris diffusiùs Matthæus Paris. Quæ verò post hæc sævissimæ tempestates & Regem & regnum agitaverint, dicetur annis sequentibus quibus ea contigerunt.

XIX.

[k] *Ioan. Major. Hist. Scot. lib.* 4. *cap.* 6. *in fi. Boët. lib.* 13.

WILL. REGIS SCOT. OBITUS, ET ALEX. II. SUCCESSIO.

Obiit hoc anno [k] *Vuillelmus* Rex Scotiæ, de quo superiùs [l], anno ætatis suæ 74. regni 49. vir præclarus tum regni gubernatione, tum victæ sanctimoniâ. Cui successit filius *Ale-*

[l] *An.* 1200. *V.* 2102. *V.*

xander hujus mominis Secundus, annum agens ætatis decimumsextum: qui veterum Regum more, Sconæ marmoreâ sedens cathedrâ, quâ primùm insederat in Scoticâ Hiberiâ Gathelus gentis auctor, (festivus est, ut sæpè aliàs, Walsinghamus [m] Anglus cùm ait, fuisse eum lapidem, quem Iacob [n] supposuerat capiti suo cùm fugeret in Haran (quámque fatalem [o] dicebant, ut ubicumque esset, regnum Scotis portendere existimaretur; regni gubernacula impositâ capiti coronâ suscepit: duósque Legatos Romam suo nomine obedientiæ suæ demonstrandæ gratiâ misit: & triginta quinque annis egregiâ prudentiæ & moderationis laude regnavit.

[m] Vvalsing. in Eduard. I. [n] Gen. 28. [o] Boët lib. 1. Lesl. lib. 1.

XX. ALFONSI REG. CASTEL. OBITUS, ET HENRICI SUCCESSIO.

Mortuus item est hoc eodem anno [p], æráque Hispanicâ 1252. prid. Non. Octobr. *Alfonsus* Rex Castellæ eo nomine Nonus, militiæ domíque clarissimus, anno ætatis 57. nondum exacto, regni verò 54. per tres ferè menses inchoato: erat enim tantummodò trimulus cùm patri successit. Post eum verò regnavit filius *Henricus*, annos duntaxat undecim natus, (majoribus fratribus ante parentem immaturâ morte sublatis) non imbecillâ solùm ætate, sed etiam infirmo ingenio; qui nec triennium regni egit.

[p] Roder. Rer. Hisp. lib. 8. cap. ult. Marian. lib. 12. cap. 3.

IESU CHRISTI Annus 1215.
INNOCENT. III. Ann. 18.
HENRICI II. Ann. 10.

I. CONCIL. MONTISPESSUL. QUO SIMONI MONFORT. TRIBUTA EST DITIO COMITIS TOLOS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo decimoquinto, Indictione tertiâ, ipso ferè ejus principio, nempè decima quintâ die post Natale Domini, celebratum est apud *Montempessulanum*, à *Petro* Cardinale Beneventano Apostolicæ Sedis Legato, *Concilium* quinque Archiepiscoporum, Narbonensis, Auxitani, Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis, & viginti octo Episcoporum, compluriúmq; Abbatum, necnon Baronum ac præcipuæ nobilitatis virorum. Quo, unanimi omnium consensu, Simoni Comiti Monfortio, ob præclaram ejus in bello contra Albigenses navatam operam, & eximia in Ecclesiam Romanam merita, collatum est dominium civitatis Tolosanæ, totiúsque ditionis quæ fuerat Raymundi Comitis excommunicati & depositi; necnon reliquarum omnium urbium terrarúmque, quas Crucesignati in provinciis Narbonensi & Aquitanicâ obtinuissent. Missíque Romam à Concilio nuncij, ejus concessionis confirmationem obtinuerunt ab Innocentio Pont. usque ad futuram tantummodò Synodum Vniversalem, quâ res tanta deberet maturiùs perpendi. Cùm intereà adveniens eò Ludovicus filius primogenitus Regis Francorum supremi illarum partium domini, qui Crucem contra Albigenses sumpserat; ut faciliorem redderet Monfortio possessionem illius regionis, cui Rex pater suus consenserat, dirui jussit muros Narbonæ, Tolosæ, & quorumdam castrorum ingenti licèt hæreticorum civiúmque dolore. Hæc pluribus Petrus [a]. Extántque [b] epistolæ ipsius Innocentij ad prædictos Cardinalem, Antistites, Simonem, & Barones, datæ quarto Nonas Aprilis, anno pontificatûs decimooctavo, (nempè præsenti) quibus prædictas terras Simoni commendat, cum attributione proventuum & omnis jurisdictionis usque ad Concilium generale.

[a] Hist. Albig. cap. 81. 82. [b] Reg. Innoc. & d. c. 82.

II. IOAN. REX ANGLIÆ URGETUR A SUIS

Hoc eodem anno quiescens ab externis bellis Anglia, intestinis miserè agitata est discordiis, armatâ in Regem nobilitate pro restitutione pristinarum Eduardi Legum quam Rex promiserat, próque libertate Ecclesiæ & regni, titulo sibi indito *Exercitûs Dei & sanctæ Ecclesiæ*. Quorum vim ut Rex repelleret, vel ad tempus saltem impediret, Christianæ religionis, sacríque propositi reverentiâ; primùm Crucem suscepit pro subsidio Terræ Sanctæ, hoc pacto se specialiori Sedis Apostolicæ patrocinio, ex privilegio Crucesignatorum, committens: deinde verò cùm nec hoc procederet, nec exercitum colligere valeret nobilium copiis parem, simulatâ benevolentiâ, postulata ultrò concessit, aliquótque permisit eligi viros graves, qui quod concessisset ritè servandum curarent; datis eâ de re literis publicis, quas etiam, ut fraudem cautiùs regeret, à summo Pontifice confirmari curavit.

III. IMPONIT PONTIFICI, ET ANGLIAM PESSUNDAT.

Mox verò facti pœnitens, & latibula subinde mutans, tum in partes transmarinas suos misit colligendis undique militaribus copiis; tum novâ excogitatâ malitiâ, alios Romam unà cum Pandulpho Subdiacono olim Sedis Apostolicæ legato direxit, qui conquererentur Regem vi coactum, & nequicquàm Sedem Apostolicam appellantem, reddidisse Leges regno exitiales. Quibus auditis Pontifex, & quòd missi jurejurando affirmarent, jus cum sapientissimorum hominum judicio cum Rege facere; secundùm ea, literis publicis pacta inter Regem & Nobilitatem irrita fecit: aliísque privatis Nobilitatem arguens, quòd Regi suo, eidemque Crucesignato, & Romanæ Ecclesiæ beneficiario adversarentur, ei audientes esse jussit; quousque in Concilio Generali proximè celebrando, pleniori deliberatione jus suum cuique tribueretur. Rursúmque, quòd Nobilitas causans falsum Pontificis suggestum, séque non auditâ sententiam latam esse, obtemperare abnueret; eamdem primò generatim designatione perturbatorum regni, posteà etiam speciatim sub nomine Baronum excommunicatione percelli mandavit: recusantémque Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum & Cardinalem eam promulgare, à divinis suspendit. Cùm Rex intereà copiis transmarinis receptis, Barones acerrimè persequeretur: habens etiam in animo novos incolas veteribus pulsis in Angliam introducere; nisi contigisset cujusdam vi tempestatis quadraginta omnis sexûs & ætatis millia ad hoc evocata miserè in appulsu perire. Qui nihilominùs universum quaquaversùs regnum, tam per se ipsum, quàm per transmarinos, suósque, ingenti voluptate & delectamento, ferro & flammâ fœdissimè devastans, nullíque parcens sacrilegio, spurcitiæ, libidini, sævitiæ, rapinæ, rerúmque omnium divinarum & humanarum violationi; extremam propemodùm desolationem intulit; non solùm factus de Rege tyrannus, verùm de homine in bestialem versus feritatem: ut ait Matthæus Parisius, prædicta omnia ceteris fusiùs nàrrans, nec absque in Innocentium PP. stomacho, quòd sic facilè

[c] Paris. Vvestmon. Polid. &c.

sibi à Ioanne, quem nequissimum cognovisset, imponi sustinuerit. Quare & Barones [c] tot malis uno tempore affecti, hinc Rege cuncta perdenti, illinc Pontifice acriter adversante, post multas querulas contumeliosásque voces tam in Ioannem, quàm in Innocentium jactatas, inito consilio Ludovicum Regis Francorum filium, cui uxor erat Blanca Ioannis neptis, Regem sibi optârunt; missísque nunciis cum obsidibus in Galliam, enixè rogârunt ut suis opem quamprimùm ferret. Ioannes verò his auditis suos Romam ad Pontificem misit, qui auctoritate suâ ejusmodi conatibus remedium afferret. Quid verò postinde factum fuerit, dicetur anno sequenti.

IV. FRIDER. RURSÙM CORONATUR IN IMP.

Hoc eodem anno, cùm Otho post funestissimam cladem Bovinensem, in Saxoniâ suâ ab omnibus penè derelictus, cōfusus delitescens, absque ullâ spe fortunæ melioris tabesceret; Fridericus Innocentij Pontificis auctoritate Aquisgrani denuò coronatus est in Imperatorem à Siffrido Moguntinensi Archiepiscopo Apostolicæ Sedis Legato; deficiente Archiepiscopo Coloniensi, qui id de more præstaret: & ut aliquam de receptis beneficiis grati in Deum & Pontificem animi demonstrationem ederet, voto se iterùm solemniter obligavit subsidio Terræ Sanctæ, vnà cum pluribus, aliis Principibus ac proceribus Ecclesiasticis & sæcularibus Germaniæ: Romanæque Ecclesiæ Comitatum Fundensem in Campaniâ perpetuo donationis jure possidendum attribuit. Indéque arma sua circumferens, Principes omnes, ac civitates quæ pertinaciùs Othoni adhæsissent, in sua verba jurare compulit. Habent ista Monachi [d] Altissiodorensis & Coloniensis, Blondus [e], Sabellicus [f], Trithemius [g], Nauclerus [h], & alij.

[d] Altiss. & Colon. in Chron.
[e] Blond. 2. dec. 6. ad fi.
[f] Sabel. 9. Ennead. 6.
[g] Trith in Chron. Sponheim.
[h] Naucler. gener. 41.

V. HÆRETICI PUNIUNTUR IN GERMAN.

Grassabatur etiam his temporibus in nonnullis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ provinciis, quædam Hæresis; inter cetera asserens licitum esse singulis totius anni diebus carnes manducare, nec fornicationem peccatum esse. Cujus sectatores permulti ab Episcopo Argentinensi igni damnati sunt. Eos tamen cùm Frater Conradus Marpurgensis, Inquisitor Apostolicus in Germaniâ ab Innocentio PP. constitutus, incerto admodùm Ferri [i] Candentis judicio probare consuevisset; plures innocentes quàm nocentes damnâsse creditus est. Ita Trithemius & Nauclerus. Sed illud de examine Ferri Candentis valdè suspectum: aut sanè mirum in Conrado, qui ignorare non potuit fuisse jam illud sacris canonibus improbatum.

[i] Vid. in Epit. Baron. an. 890. I. & in Ind. to. 2. verb. Fer. Cand.

VI. INSTIT. ORDIN. EREMIT. S. PAULI IN HUNG.

Ponit etiam hoc anno Onuphrius initium Ordinis Fratrum EREMITARUM in Hungariâ, ex instituto *S. Pauli* primi Eremitæ, à *B. Eusebio* Strigoniensi. Quem [k] qui de hoc Ordine scripserunt, aiunt occasione translationis sacri corporis prædicti Pauli Budam Hungariæ, eum Ordinem instituisse: Cùm tamen sacras illas Reliquias nonnisi sub primo Lodovico Hungariæ Rege, qui centum fermè & quinquaginta post hæc annis vixit, Venetiis translatas esse Budam ad monasterium illius Ordinis, legamus in antiquioribus Chronicis Hungaricis [l] Sed & Ordinem *Eremitarum* S. Augustini, jam propemodùm extinctum, sub isto Innocentio PP. Tertio instauratum esse, Sabellicus [m] observat, & pleniùs tractat S. Antoninus [n].

[k] Vid. Maurol. in Mari Ocea. omn. Relig. lib. 1.
[l] Thuros. Chron. Hüg par. 3. cap 41. Ranzan in Epit. cap 19. in fi.
[m] Sabel. 9. Ennead. 6.
[n] tit. 24. cap. 14.

VII. CONCIL. OECUM. LATERANENS.

Hoc denique anno mense Novembri celebratum est *Romæ* in basilicâ *Lateranensi* CONCILIUM Oecumenicum; cui præfuit Pontifex ipse INNOCENTIUS; interfuerúntque Patriarchæ Constantinopolitanus & Ierosolymitanus, (Latini utique) Alexandrinique sub Saracenis gementis, & Antiocheni gravi languore detenti Legati, istius quidem Episcopus Anteradensis, illius autem diaconus nomine Germanus; Archiepiscopi 71. Episcopi alij circiter 340. omnes numero quadringenti & duodecim tam Græci, quàm Latini; præter absentium procuratores: Abbates autem & Priores ultra octingentos: nec defuerunt Legati Imperatorum Friderici electi in Romanum, & Henrici Constantinopolitani, Regúmque Philippi Franciæ, Ioannis Angliæ, Andreæ Hungariæ, Ioannis Ierosolymorum, Hugonis Cypri, Iacobi Aragoniæ, necnon aliorum principum & Magnatum, civitatûmque. Sic enim numerum præsentium collegerunt Vrspergensis, Altissiodorensis, Stadensis, & Parisius hujus temporis auctores iisdem penè verbis omnes usi; ut videantur ex eodem fonte hausisse quæ de his scripserunt. Celebratum autem esse Concilium à festo S. Martini usque ad festum S. Andreæ, legimus in Annalibus Godefridi monachi Coloniensis.

NUMERUS PATRUM.

VIII. QUÆ IN EO GESTA.

TRANSSUBSTANTIATIO STABILITA.

In eo, post egregias habitas ab Innocentio Pontifice, pro rerum necessitate ac dignitate, ad Patres admonitorias atque hortatorias orationes; primùm explicata est Catholica fides contra varios hæreticorum errores: & speciatim vocabulum TRANSSUBSTANTIATIONIS [o] panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini in sacrificio Missæ, ad cavendas tollendásque omnes hæreticorum tergiversationes, receptum est; ejúsque antiquissima doctrina confirmata. Damnatus item liber [p] Ioachimi Abbatis Florensis contra Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis; & doctrina Catholica de summâ Trinitate explicata: haud tamen propterea ipso Ioachimo damnato, quoniam repertus est omnia sua scripta judicio Sedis apostolicæ subjecisse. Quare & post ejus obitum, Innocentius [q] laudabilem fecit ejusdem mentionem. Extátque Honorij III. qui Innocentio successit epistola ad Episcopum Lucaniæ (quam etiam recitat Possevinus in Apparatu suo) adversus eos qui de Ioachimo ejúsque monasterio acerbius obloquebatur. Damnata [qq] pariter fuêre in Concilio impia Almarici Hæresiarchæ dogmata; de quibus superiùs [r]. De hæreticis [s] coërcendis ac puniendis, inquirendísque multa statuta, Græcorum [t] superbia, Latinos in rebus sacris abominantium repressa. Antiquæ Sedium Patriarchalium Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Ierosolymitanæ, prærogativæ confirmatæ [v]; reservatâ appellatione ab iis ad Sedem Apostolicam. Tum inde plurima de Sacramentis, politiâ sacrâ, statu ac disciplinâ Ecclesiasticâ, compescendâ, Religiosorum diversitate, morum reformatione, constituta; quæ 70. in universum capitulis continentur [x]: In quibus, ut omnes [y] omnis utriusque sexûs Fideles semel saltem in anno proprio Sacerdoti peccata confiteantur, &

[o] Conc. Later. sub Innoc. III. cap. 1. Déque hoc vocab. vide inter cet. Genebr. Chronol. lib. 4. Bellar. 3. de Euchar. 21. 23. Suar. to. 3. disp. 50. sect. 1.
[p] Ib. cap. 2. Vid. in Epit. Baron. an. 1164. V. & Matth. Paris an. 1179.
[q] Innoc. 14. ep. 99.
[qq] d. c. 2. in fi.
[r] Supr. an. 1204. XVII.
[s] Cap. 3.
[t] Cap. 4.
[u] Cap. 5.
[x] Ext. to. 4. Conc. l. relata etiam suis quibusque locis, in Decretal. Greg. IX.
[y] Cap. 21.

& Eucharistiam sumant. Atque in postremis, dum agitur de compescendis Iudæis, inter cætera statuitur [z], ut quod in nonnullis provinciis ritè observabatur, etiam ubique tam Iudæi quàm Saraceni inter Christianos versantes diversitate habitûs distinguantur; quòd ex eorum confusione interdum contingeret, ut per errorem commiscerentur cum mulieribus Christianorum.

[z] Cap. 68.

IUDÆI ET SARACENI DEBENT HABITU DISTINGUI.

IX. SUBSIDIA PRO RECUPERATIONE TERRÆ S. INIUNCTA.

Vltimò verò pro recuperatione Terræ Sanctæ, assignatâ expeditione in mensem Iunij post annum alterum, Crucem suscipientibus multæ indulgentiæ & privilegia concessa sunt; preces publicæ & litaniæ indictæ; omnésque ubique ad subveniendum facultatibus suis huic sancto operi diligenter admoniti; cui & ipse Pontifex magnam vim auri, navésque & alia necessaria de suo assignavit: atque insuper vigesima clericis omnibus cujuscúmque ordinis & dignitatis Ecclesiasticorum proventuum ubique imposita, ipso Pontifice & Cardinalibus decimam integrè persoluturis: qui verò arma, naves a t auxilia Saracenis suppeditarent, excommunicationi subjecti: torneamenta sub eâdem censurâ ad triennium prohibita: & ut saltem per quadriennium pax toto Christiano orbe inter Principes & populos custodiretur, præceptum.

X. DECRETA CONCILII DE REB. ANGL.

Fuisse verò & multa præthereà in Concilio tractata, ex variis auctoribus intelligitur. Atque imprimis ex Matthæis Parisio & Westmonasteriensi; sententiam suspensionis à delegatis Papæ in Stephanum Cardinalem & Archiepiscopum Cantuariensem prolatam, quòd excommunicationem in Barones Angliæ Regi adversantes promulgare detrectâsset, confirmatam esse: & cum iisdem Baronibus etiam Ludovicum Francum ab iis electum, aliósque omnes in Regem Angliæ, Romanæ Ecclesiæ beneficiarium insurgentes, excommunicationi subjectos esse. Ex Historiâ Petri [a] Vallis-Sarnensis, Chronico [b] Guillelmi de Podio Laurentij, Bernardo Guidonis, & aliis: causâ Albigensium hæreticorum ibidem discussâ, actum etiam esse de translatione Comitatus Tolosani, aliarúmque terrarum, facta in Concilio Mompessulano [c] in favorem Simonis Monfortij, & post rationes auditas tam Raymundi Tolosani, ejúsque filij, ac Comitis Fuxensis, quàm Guidonis fratris Simonis, qui omnes Romam rem suam acturi venerant; adjudicatam esse causam Simoni: ita tamen ut (quemadmodum etiam in literis ipsius Innocentij 19. Cal. Ianuar. scriptis [d] statuitur) de proventibus terræ pro sustentatione prædicti Comitis Tolosani quadringentæ marchæ annuatim assignarentur quamdiù curaret humiliter obedire: uxor verò ejus femina Catholica terras dotalitias integrè haberet: & terra quæ nondum fuisset à Crucesignatis obtenta custodiretur ad mandatum Ecclesiæ; ut provideri posset filio prædicti Comitis postquam ad legitimam ætatem pervenisset, si per bonam conversationem eâ se dignum ostenderet. De negotio verò Comitis Fuxensis plenius cognosci deberet; ita quòd interim castrum Fuxense ad mandatum Ecclesiæ detineretur. Ex Archivis [e] Ecclesiæ Toletanæ: eâdem Synodo, causâ cognitâ & diligenter agitatâ; Roderico Toletano jura Ecclesiæ suæ propugnante, ei-

[a] Hist. Albig. cap. 83.
[b] Ped Laur. cap. 26.
[c] Super hoc an. num. I.

DE TOLOS. ET MONFORTIO.

[d] Reg. Innoc. an. 18.

ECCLESIA TOLET.

[e] Ap. Garf. Locis in Collect. Concil. Hisp. not. ad Decr. Gundem.

dem delatum, seu potiùs confirmatum fuisse, quem etiam anteà habuisse vidimus, etiámque ab ipso Innocentio Pontifice, Primatum omnium totius Hispaniæ Ecclesiarum, contradicentibus nequicquàm Compostellano, Bracarensi, aliísque Archiepiscopis. Ex Historiâ Cypri [f]; ad instantiam Legatorum, quatuordecim ejus Insulæ Episcopatus, qui tunc residui erant è longè majori numero, quibus olim illustrabatur, reductos denuò esse ob ruinas urbium ad solos quatuor, quorum sedes essent Nicosia, olim Ledra, erecta in Archiepiscopatum; Famagosta, olim Arsinoë; Paphus nova, & Limissus olim Amathuntis, Episcopatus; quibus præessent Antistites Græci Latinique, pro ratione populorum tunc ibi degentium. Ex Godefrido [g] monacho Coloniensi; ita Ecclesiam Orientalem Romanæ se subditam exhibuisse, ut etiam cùm duo in Patriarcham Constantinopolitanum electi Romam venissent, utroque deposito tertium Innocentius substituerit, & ad sedem propriam remiserit.

[f] Steph. Lusign. Hist. Cypr. cap. de orig. cleri Lat.

CYPRI EPISC.

[g] Godofr. in Annal. hoc an.

ECCLESIA ORIENT.

XI. OBSTACULA EXPEDIT. TERRÆ S.

Quare cùm tot ac tanta in hâc Synodo gesta, decreta, stabilita reperiantur; dum idem Godefridus ait nihil dignum memoriâ ibi actum esse, quod commendari possit; proculdubiò dicendum est, vel ea ipsum ignorâsse; vel respexisse tantùm quæ expeditionem Orientalem spectabant, cujus promovendæ causâ potissimùm convocatam fuisse Synodum constabat: quæ sanè etsi desideratam firmitatem in eâ accepisse videbantur, minorem tamen expectatione habuerunt effectum; quoniam ut ex Sabellico [h] & Nauclero [i], de hoc ejusdem Synodi conatu agentibus, intelligitur, quominùs res parari posset, Genuensium & Pisanorum obstitit discordia, qui maritimo inter se bello disceptabant; jámque & Cisalpina Gallia intestinis armis laborare cœperat.

[h] Sabell 9. Ennead. 6.
[i] Naucler. gener. 41.

XII. CONTROVERSIA DE ELECTIONE PATR. CŌSTANTIN. LATINI.

Quod autem Godefridus habet de controversia Patriarchatûs Constantinopolitani; accedit illa post obitum Thomæ primi ejus Ecclesiæ Patriarchæ; quem ex Regesto Innocentij PP. reperimus decessisse Thessalonicæ circa mensem Iunij anni ejusdem Innocentij Pontificatûs decimi-quarti, nempè Christi 1211. fuisséque magnam pro electione successoris inter Venetos ac cæteros ejus Ecclesiæ clericos dissensionem, quæ diutinam induxit sedis vacationem. Extátque etiam in collectione Decretalium [k], ejusdem Innocentij constitutio de lite eâ de re vertente inter Archiepiscopum Heracliensem, & L. Plebanum S. Pauli Venetiarum; cùm nihilominùs ex Regesto constet, etiam alios hinc inde diversis vicibus electos tumultuosè fuisse. Quis verò demùm thronum obtinuerit, non adeò invenimus: cùm tamen existimemus prævaluisse Venetos: sed ita ut alius quispiam fuerit electus; cùm legerimus in Chronico manuscripto Andreæ Danduli Ducis Venetiarum, Robertum Imperatorem Constantinopolitanum coronatum fuisse post quinque abhinc annos à *Matthæo* Patriarchâ; quem & natione fuisse Venetum indicare videtur.

[k] Cap. Scriptum est collect. 4. & ext. de elect.
[l] Edit. Tolos. lib. 2. ep. 97. 154. & lib. 4. ep. 91. & 112.

XIII. ALIOR. PATR. SUCCESSIONES.

Græcorum autem Patriarcham putamus tum extitisse *Manuelem* Philosophum, de quo suprà [m]: cùm Antiochenam Ecclesiam pro Latinis regeret *Rodulphus* Secundus, qui succes-

[m] An. 1213. in fi.

ſerat Aimerico [n]; dicitúrque ſediſſe [o] annis 33. uſque ad 1219. Salvatoris: Ieroſolymitanam, poſt Albertum [p], (quem anno 1214. in proceſſione mortuum eſſe, Sanutus [q] refert) alter *Rodulphus* ab eodem auctore aſſertus ejus ſucceſſor: (quod latuit diligentiſſimum Onuphrium, qui ſedem Alberti extendit uſque ad annum 1227.) Alexandrini verò Patriarchæ nomen nos lateat [r].

[n] *Epit. Bar. an.* 1187. *I.* [o] *Onuphr. in Chron. an.* 1187. [p] *Supr. an.* 1203. *V.* [q] *Sanut. lib.* 3. *par.* 11. *c.* 5. [r] *Vid. infr. ann.* 1219. *XII.*

XIV. DE PATR. SURIANORUM.

Interfuiſſe quoque huic Concilio reperimus [s] *Ionam* quemdam Patriarcham Surianorum versùs Meſopotamiam & Armeniam: cui cùm aliquando Miſſam ritu ſuæ gentis celebranti accidiſſet, ut panis ille magnus fermentatus quo ſacrificium peragere conſueverant, in parvam & pulchram hoſtiam ad morem ſacrificij Latinorum converſus eſſet; & calice ligneo cum cochlearibus evaneſcente, repertus ſanguis eſſet in argenteo calice: inde factum eſſe dicitur, ut plurimi Surianorum Eccleſiæ Armenij, Georgiani, & Iacobitæ, ad ritus Romanæ Eccleſiæ converti cœperint, quem Ionam & poſtmodùm in Patriarcham Alexandrinum promotum eſſe ferunt. Fuiſſe porrò Surianos religione Græcos, iiſdémque erroribus implicitos; mores verò Saracenorum & linguam ferè uſurpâſſe, quòd inter eos viverent; & Iacobi Vitriaci [ss] eorum deſcriptione intelligitur. Fuerit verò fortè hic eorum Patriarcha, idem qui Maronitarum montis Libani, de quorum converſione dictum aliàs [t]; quem omnes tradunt [tt] interfuiſſe pariter huic Concilio. Erant enim omnes populi Syriæ: deſcribuntúrque ab eodem Vitriaco.

[s] *Magn. Chron. Belg. an.* 1202. [ss] *Vitriac. Orient. lib.* 1 *cap.* 75. [t] *Supr. Epit. Baron. ann.* 1182. *II.* [tt] *Volater. lib.* 11. *Lutzemb. de Hereſ alij.*

XV. S. DOMINICUS CONFIRMATIONEM SUI ORD. PETIT.

Vt verò reliqua Concilij proſequamur, ex rebus etiam geſtis [u] S. Dominici habemus, ipſum unà cum Fulcone Epiſcopo Toloſano Romam ad Concilium acceſſiſſe: cúmque ab Innocentio PP. confirmationem Ordinis ſui petiiſſet, Innocentium ſubdifficilem ſeſe exhibentem, proximâ nocte vidiſſe in ſomnis labantem Eccleſiam Lateranenſem humeris Dominici ſuſtentari; (quod ipſum & jam anteà eidem Pontifici cum S. Franciſco accidiſſe vidimus [x]:) ac propterea commendato ejuſdem propoſito remiſiſſe eum ad fratres ſuos, ut Regulam aliquam approbatam ſimul deligerent quam profiterentur, ab ipſo poſteà Pontifice unà cum Ordine confirmandam: Dominicum autem reverſum Toloſam, re cum fratribus ſexdecim, quot omninò tunc erant, diligenter perpensâ, Regulam S. Auguſtini, egregij olim prædicatoris, & ipſos Prædicationis munus profeſſuros unanimiter elegiſſe, adjunctis quibuſdam arctioris vitæ conſtitutionibus. De cujus confirmatione dicetur anno ſequenti.

[u] *Theodor. in Vit. S. Domin. lib.* 1. *ad fi. Vinc. lib.* 30. *c.* 65. *Anton. tit.* 23. *cap.* 4 §. 3. *Ptol. Lucen. in Chron.* [x] *An.* 1208. *VI.*

XVI. ORDO S. FRANC. CONFIRMATUR IN CONCILIO.

Itémque ex Annalibus Minorum habemus; hoc eodem Concilio Ordinem ipſorum, quem jam Innocentius PP. approbaverat, iterùm ab univerſali Eccleſiâ receptum, approbatum, & confirmatum fuiſſe; petente ejus inſtitutore Franciſco, qui ad hoc eò venerat.

XVII. ITEMQUE CRUCIGERORU.

Ac denique Bergomenſis [y], Sabellicus [z], aliique teſtantur, eodem Concilio CRUCIGERORUM Ordinem, ab ultimâ primitivæ Eccleſiæ antiquitate repetitum, cùm jam propè excidiſſet, reſtitutum fuiſſe & approbatum, ac privilegiis ornatum: cujus & ſedulam curam ſubſequentes Pontifices habuiſſe, intelligitur ex eorum conſtitutionibus [a]: éſtque ejus inſigne, cæruleus habitus, & Crucis manu geſtatio, unde & inditum ei nomen. A quâ diverſa eſt alia ejuſdem nuncupationis Cœnobitarum familia ſub Regulâ S. Auguſtini: quæ ſub eodem Innocentio PP. orta, & ab eodem confirmata, per Galliam, & Germaniam, aliáſque citra montes provincias propagata eſt; florétque multis locis hactenùs: cujus profeſſores induuntur veſte albâ cum ſcapulari nigro, & nigrâ deſuper cappâ, CRUCE albâ & rubrâ ex panno ſcapulari aſſutâ: inſtitutore quodam *Theodoro de Celtis* patriâ Leodienſi apud Huyum oppidum; ubi & primaria domus eſt totius Ordinis, ſive Congregationis.

[y] *Bergom. lib.* 13. [z] *Sabell.* 9. *En.* 6. [a] *Vid. Sabell. ibid. Maurol. in Mari Ocea. Relig. Pii. V. conſt.* 59. *Bullar. to.* 2.

XVIII. INNOC. PP. CONCEDIT RELIQUIAS S. DIONYSII EIUS MONASTERIO.

Redeuntibus quoque ex Concilio nunciis inſignis monaſterij S. Dionyſij prope civitatem Pariſienſem, idem Pontifex conſiderans (ut ait conſtitutione [b] ſuâ) diverſas eſſe diverſorum ſententias de corpore S. Dionyſij in eâ Eccleſiâ quieſcentis, utrùm ſit Areopagita, vel alterius qui fidem Chriſti Francorum populis prædicaverit; neutri tamen volens præjudicare ſententiæ, ſed monaſterium honorare, ſacrum B. Dionyſij pignus, quod Petrus titt. S. Marcelli Preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis in Græciâ Legatus inde detulerat Romam, ad prædictum monaſterium transferendum conceſſit; ut cum utraſque Reliquias haberent, nulla impoſterùm remaneret dubitatio, quin ſacræ B. Dionyſij Areopagitæ reliquiæ apud idem monaſterium haberentur.

[b] *Antiq. Dionyſ. lib.* 2. *cap.* 22.

XIX. DE APOSTOLATU S. DIONYSII.

At non tantùm, ô ſancte Pontifex, de reliquiis agebatur, quæ huc atque illuc facilè transferri poſſunt: ſed de Apoſtolatu Dionyſij; cujus tu licèt dubitationem augere videaris, ejus tamen ſolutionem longè prudentiùs evitâſti, quàm ſolent hodie noſtri ipſi Galli, qui ſilentibus exteris ſe ipſos mutuò conficiunt pernicioſo exemplo. Negari quidem non poteſt, plurima eſſe antiquitatis argumenta, quæ alium ab Areopagitâ primò fidem prædicâſſe Pariſiis inſinuent: ſed ſtant ab eo media tempora, & diuturna traditio, auctorúmque eorumdem ſæculorum aſſertio, inveterata̋que credulitas populorum; cui nec ipſa poſterior Græcia, cujus maximè intereſſe debuit, derogat. An verò ſi alius fuit ab Areopagitâ, ideò minoris quid gloriæ Areopagitæ in cœlo eſſe putabimus? an quid pietati ac religioni Pariſienſium, cæterorúmve Gallorum detrahi? Non diſtrahatur propterea charitas inter vos, ô ſcriptores, & diſputatores: & ſtate vos, ô cives Pariſienſes, cæterique Galli in avitâ fide & doctrinâ Apoſtolicâ, quam ſive ab Areopagitâ, ſive ab alio quocumque hauſiſtis; & in unione Eccleſiæ Romanæ, à quâ miſſi ſunt ad vos Apoſtoli & prædicatores: quódque rem attinet, ut verbo Iuriſconſultorum pro omni noſtrâ ejus deciſione utamur, Poſſidete uti poſſidetis.

IESU CHRISTI Annus 1216.

INNOC. III. Ann. 19.

VACAT. IMPER.

I. HIEMS

ANNO Chriſti milleſimo ducenteſimo decimo-ſexto, Indictione quartâ, hiems

ASPERRIMA.
[a] Sigon. de regn. Ital. l. 16.

[a] omnium atrocissima fuit: itaut in Italiâ vites atque arbores vi frigoris aruerint, Padus ad quindecim cubitos congelaverit. Quâ re animadversâ, homines non solùm curribus & jumentis sine metu transibant, sed etiam per lusum super glacie securi saltabant, atque incitatis equis adversis inter se spiculis concurrebant. Notatúmque præterea est, cùm in die Purificationis in agro Regiensi domus quædam incendio fortuito conflagrâsset, ignem ipsa dolia combussisse, vinum autem liquefactum non esse, immò ita concretum remansisse, ut dissolvi, nisi valido ictu securium non potuerit.

II.
[b] Paris. Vvestmon. Bellefor. & alij.
LUDOVICUS PRINCEPS FR. TRANSFRETAT IN ANGLIAM AD REGNUM ACCIPIENDUM.

Quo anno [b] Ludovicus filius Regis Francorum, electus (ut vidimus) ab Anglis in Regem adversus tyrannidem Ioannis Regis; nequicquàm Innocentio Papâ ejus in Angliam transitum (quem Angli impensiùs urgebant) per Walonem sive Gualonem SS. Silvestri & Martini tituli Equitij Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum ad hoc missum, & precibus ac monitionibus, atque etiam excommunicationis interminatione, quinimmò & denunciatione ejus quæ jam in Concilio Generali lata fuerat universim in omnes Regi Angliæ Romanæ Ecclesiæ beneficiario adversantes; interrumpere conato: (ad quem tamen Romam suos Ludovicus nuncios, crimen purgaturos, & jura sua in id regnum, quod hec Ioannes unquam legitimè possedisset, & ab usurpato multipliciter decidisset, probaturos misit:) in eam insulam mense Maio transmisit: dissimulante Philippo ejus patre, & se apud Legatum excusante; nec auxilium filio præstante, ne Innocentij offensam incurreret: rursúmque Gualone, qui & ipse Philippi favore clàm transfretavit, ejus conatibus excommunicationis & interdictionis promulgatione frustrà obtinente; magnam ejus partem in suam potestatem redegit; proceribus populisque certatim, ipsóque etiam Scotiæ Rege pro ditione quam in Angliâ habebat, in ejus verba jurantibus.

III.
[c] Guill. Armor. Memor. Histor. MS.
QUOMODO CUM PHIL. REGE IN HIS ACTUM.

Sunt autem qui præterea observent [c], Philippum Regem Ludovici parentem, nolentem de perjurio notari super induciis cum Ioanne Anglo pactis, totam terram filij sui & Baronum qui ei adhærebant fisco suo addixisse, atque etiam obtulisse manum contra eos gravare, si Ecclesia judicaret: Nihilominùs Pontificem de favore filij sui suspectum eum habentem, Petro Archiepiscopo Senonensi commisisse ut ipsum excommunicatum denunciaret, & regnum interdicto supponeret. Eâque de re *Synodo* apud MELODUNUM congregatâ, universos Primates regni proclamâsse, se Regem excommunicatum non habituros, nec interdictum admissuros nisi disertiùs de voluntate Papæ fierent certiores; præsertim cùm Rex nullum filio impenderet consilium aut auxilium: Papam verò audito Ludovici in Angliam transitu, vehementer excanduisse; & oratione hoc themate [d] habitâ, *Mucro, mucro evagina te, ut interficias & splendeas*; promulgâsse excommunicationem in Ludovicum & suos: atque etiam in Philippum Regem sententiam ferre deliberâsse, nisi morte præventus fuisset. Sed de obitu Innocentij posteà. Philippi verò innocentiæ idoneum auctorem habebimus anno consequenti [e] Honorium Innocentij successorem.

[d] Ezech. 21.
[e] An. seq. num. 4.

IV.
QUID IN ANGLIA.

Cùm autem Ludovicus in obsidione Dovrensi diù tempus tereret; interim Ioannes profugus, collectâ apud Wintonam facinorosorum ac perditissimorum hominum manu, cuncta quaquà potuit sacra profanáque diripiens, disjiciens, conterens, comburens, nec rebus parcens nec personis; demùm cùm suos prædâ locupletes per litus Oceani ducens pervenisset ad quendam fluvium qui in mare labebatur: repertóque fortè ab uno aliquo vado, reliqui omnes audentiùs sese nullo servato ordine in aquam tutò ubique tranabilem existimatam immittentes; omnes unà cum prædâ & thesauris, voraginibus quæ frequentes intra arenas eo loci sunt, momento absorpti essent; idem Ioannes qui vadi exploratorem secutus vix cum paucis evasit, immenso ex hâc copiarum rerúmque jacturâ contracto mœrore, febréque ex intemperanti esu malorum persicorum, & potu recentis siceræ ex malis confectæ accedente; (nam quod quidam veneno à Monacho potatum, & nescio quæ alia portenta, atque extumulatum ex monumento Westmonasteriensi tradunt, recentioris commenti fuisse putantur:) post aliquot dies, factâ peccatorum confessione, & sumptâ Eucharistia, filióque suo Henrico primogenito successore regni declarato, mortuus est mense Octobri nocte sequenti diem festum S. Lucæ; postquam miserrimè, & ferè in omnibus perversissimè regnum tenuisset annos decem & octo atque aliquot menses: cujus infinita vitia, nullam virtutem, paucissima omninò, si quæ fortè, bona quibus divinam misericordiam flectere potuerit, auctores Anglici aliique agnoscunt. Ipsum tamen moribundum palàm fidem ac devotionem erga Sedem Apostolicam testatum esse, literásque ad Honorium Pontificem, qui jam tum in locum Innocentij demortui suffectus fuerat, quibus regnum uti S. Petri patrimonium, unà cum liberis suis commendaret, scripsisse; testantur illæ quas Honorius [f] ad Henricum Ioannis filium, & Angliæ proceres scripsit.

IOANNIS REGIS OBITUS.
[f] Reg. Vatic. Ep. Honor. III. lib. 1.

V.
HENRICUS FILIUS EI SUCCEDIT.
[ff] Paris. an. 1207.

Post obitum igitur Ioannis, die festo SS. Simonis & Iudæ 28. Octobris, prædictus *Henricus* ipsius filius, annum ingressus ætatis decimum, (natus [ff] est enim primâ die ejusdem mensis anni Domini 1207.) apud Gloverniam sive Glocestriam, præsente Legato Gualone, atque Episcopis & proceribus qui Ioanni inhæserant post præstitum juramentum clientelaris fidei & obsequij erga Romanam Ecclesiam, tributique annui ei pendendi; unctus est & coronatus in Regem ejus nominis Tertium, ac curæ Willelmi Mareschalli Glocestriæ Comitis commissus: quòd Londinum & Westmonasterium (qui locus ab antiquo huic decori capiendo destinatus erat) à Ludovico detineretur. Quo tamen loci, post pacem regno redditam, solemni pompâ, maximâque omnium ordinum frequentiâ, diademate redimitus est.

VI.
LUDOVICUS AB ANGLIS DESERTUS REVERTITUR IN GALLIÂ.

Ludovicus autem in certam spem erectus rerum potiundi, brevi sensit non eâ mente Anglos ipsum accersivisse ut ei regnum submitterent, cùm immortali odio Francos persequerentur; sed tantùm ut ejus auxilio & viribus eatenùs sese tutarentur, quoad vel Ioannes ad se rediisset, vel sic aliàs rerum immutaretur facies, ut ipsi sua absque ope extraneâ curare valerent. Quippe mox animis plurimorum ad

Henricum optimæ indolis puerum,& pravitatum paternarum innocentem inclinatis, jamque & gravitatem excommunicationis Pontificiæ sibi ob oculos ponentibus, quam Legatus frequentissimè iterabat; & Ludovici malam in se mentem, ex cujusdam nobilis Franci morientis propalatione (verâne illâ, an fictâ) metuentibus, vel ex propriâ iniquitate suspicantibus: eò demùm Gualonis operâ processum est, ut post aliquas sub principium anni sequentis factas inter Ludovicum & Henricum inducias, (quarum intercapedine Ludovicus Bononiam Galliæ ad patrem navigavit; qui tamen, ut habent iidem qui suprà Chronographi, nec quidem verbo cum eo communicare voluit, nec ullum auxilium præstare, ne in excommunicationem, aut Pontificis indignationem incurreret) & turpem atque ingratissimam defectionem multorum à Ludovico, ac cladem ejus & Baronum exercitui in obsidione Lincolniæ, aliámque in mari novis advenientibus copiis illatam; timens sibi Ludovicus ab aliquâ interiori Anglorum proditione, oblatas sibi apud Londinum Septembri mense ejusdem consequentis anni acceperit conditiones pacis; ut ipse magno accepto auri pondere pro obsidibus quos ab Anglis habuerat, cedens tam jure quàm possessione regni Angliæ, domum se conferret; & Barones omnes cæterique qui ei adhæsissent, tuti essent ab omni Regis injuria; iisdémque Rex suas quibusque facultates juráque restitueret, cum omnibus libertatibus & immunitatibus, quarum causâ discordiæ ortæ essent inter illos & Ioannem: & tam ipsi quàm Ludovicus (qui & juravit stare judicio Ecclesiæ) solverentur à censuris, quibus ob prædicta irretiti fuissent: prout hæc omnia prolixè narrant Parisius, Westmonasteriensis, Polydorus rerum Anglicarum scriptores, aliique [g]: summatim accuratissimus horum temporum digestor Altissiodorensis Monachus tunc vivens.

[g] Vide Bellefor. Annal. Franc. lib. 3. cap. 82.

VII. Boëtius quoque satis diligens rerum Scoticarum scriptor prædicta tractans [h], ait Alexandrum Scotiæ Regem, unà cum Ludovico transmisisse ad Philippum Regem ad fœdus antiquum renovandum: eíque additum esse, neutrum alterius hostes vel exules in suum regnum recepturum, nec alienigenam sine alterius consensu ducturum. In Gualonem autem Legatum idem auctor amaro admodùm animo invehitur, quòd, ut ait, Ioannis Regis Angliæ corruptus auro omnia turbaverit, & insatiabili ductus avaritiâ, non priùs Anglis proceribus ac præsulibus absolutionem impertire voluerit, quàm ingentem numerâssent argenti summam. Inde verò & Scotiam expilare cupientem, eam interdicto, Regem excommunicationi ob Angliam exercitu devastatam subjecisse: sed aliquorum Episcoporum interventu rebus inter Reges compositis, & Scotiâ interdicto, Rege excommunicatione solutis, nihilominùs Gualonem ne prorsùs vacuus abiret, Antistites ac clerum non aliter absolvere voluisse, nisi solutâ pro facultatibus pecuniâ; & qui eam recusarent, Romam adire jussisse: ibíque tam ab Anglis (quos etiam multis miserisque modis per universam Angliam ab eodem Legato & pecuniis & beneficiis Ecclesiasticis spoliatos esse, Parisius non parùm alioqui in eum propensus ob navatam egregiè adversus Francos operam, conqueritur) quàm Scotis accusatum, cùm non satis se purgaret, mulctatum esse à Pontifice. Ita ille: quæ sanè non prima in Legatos quæ sua sunt quærentes antiquorum auctorum expostulatio; ut ex pluribus jam aliàs visum. Sed ut justæ sint accusationes, non tamen propterea justè inde Sedes Apostolica, à quâ Legati mittuntur culpanda; dum quos probos existimat mittens, si improbi fiant, aut detegantur, minimè excusat vel defendit, quinimmò & castigat. Vt in isto Gualone factum dici potest: qui sicut ex iis quæ olim præclarè in Galliâ gessisse reperitur [i], laudem, ita ex turpibus pòst in Britanniâ patratis dedecus & mulctam tulit. Fuisse autem patriâ Vercellensem, & Canonicum regularem, ex Onuphrio aliisque auctoribus constat.

[h] Boët. l. 13.

QUERIMONIÆ CONTRA GUALONEM LEGATUM.

[i] Vid. sup. an. 1208. VI.

VIII. SIMON MÕFORT. REGEM ADIENS CUM SUMMO HONORE UBIQUE EXCIPITUR.

Hoc eodem anno circa Calendas Maij (ut habet Altissiodorensis) Simon Comes Monfortius Parisios accedens ad Regem Philippum, toto itinere per singulas urbes & castella ingenti honore, miráque populi ac cleri devotione, ob famam ejus pietatis ac fortitudinis ubique sparsam, etiámque cum publicis supplicationibus, sive processionibus, exceptus est: confirmationémque donationis sibi primùm in Concilio Mompessulano, deinde in Lateranensi factæ Comitatûs Tolosæ, & terrarum hæreticis ereptarum, à Rege ut supremo earum domino, accepit sibi ac posteris, beneficiario jure possidendarum, jurejurando fidelitatis sese ei obstringens. Cùm intereà filius Raymundi olim Comitis Tolosani ejus ditionem invadens, multa mala intulit; ipse verò Raymundus collectis ex Aragoniâ militibus Tolosam iterùm occupare gestiens, adveniente Simone aufugit; ipsáque Tolosa, quæ illum avebat, à Simone muris turribúsque nudata est. Rem omnem gestam prosequitur Petrus [k], necnon alij.

[k] Hist. Albig. cap. 83.

IX. HENR. IMP. CÕSTANT. OBITUS.

Hoc item anno, 3. Id. Iunij apud Thessalonicam (Bizantium quidam habent) moritur Constantinopolitanus Imp. *Henricus* laudatissimus Princeps, & belli pacísque artibus valdè inclytus; Imperij sui duodecimum agens annum. Ita enim Altissiodorensis, numerando videlicèt à clade Hadrianopolitanâ [l], quâ Balduinus Henrici decessor imperare desiit, & ipse Henricus rerum potiri cœpit; quamvis nonnisi post sedecim menses interregni Imperator renunciatus fuerit. Quare & ejus obitum hoc etiam anno collocans [m], ait eum imperâsse annos plus minùs decem: cui etiam alij undecim tribuunt. Nec verò omninò audiendi Blondus [n] & Æmilius, (quos in dirigendis temporibus minùs accuratè sese gessisse constat) cùm aiunt, eomet die, vel sequenti quo Bovinensis pugna in Galliâ commissa fuit, etiam Henricum decessisse; cum pugnam Bovinensem altero ante hunc anno, sextóque Calendas Augusti contigisse viderimus.

[l] Supr. ann. 1205. I.

[m] Onuphr. de Rom. Princip. lib. 2.

[n] Blond. I. dec. 6. Æmil. in Phil. Aug.

X. PETRI SUBROGATIO.

In locum porrò Henrici suffectus est PETRUS Corteniacus Comes Altissiodorensis: quem prædictus auctor Cœnobij S. Mariam apud Altissiodorum Monachus, sororium Henrici rectiùs dicit, quàm alij generum; cùm & omnes Flandrorum historici Henricum, qui Flander erat, absque ullâ prole decessisse, Iolantámque Petri uxorem, ejusdem Henrici sororem fuisse, absque ullâ dubitatione scribant: ídque ipsum confirmet Georgius [o] Logotheta

[o] Georg. in Chron. Constant.

auctor Græcus, dum Petri sobolem recenset, & filiam ejus Mariam nupsisse Theodoro Lascari Græcorum Imperatori narrat. Fuisse autem Petrum Philippi Francorum Regis patruelem, (filium videlicèt alterius Petri, qui frater fuerat Ludovici Iunioris patris Philippi, duxerátque uxorem Isabellam Corteniacam) virúmque fide & armis præstantissimum, omnes consentiunt: cujus & pietatis egregium testimonium superiùs [p] adduximus ex pœnitentiâ publicâ de injuriis Episcopo suo illatis: fortitudinis vero bellicæ ingentia specimina dedit in expeditione Constantinopolitanâ, quâ sororij ipsius Imperium adepti sunt; & prælio Bovinensi, quo magna pars victoriæ fuit, etiam pugnante in ipsum sceleratissimè ab hostibus Philippo ipsius primogenito, ut narrant historici. Cætera de ipso anno sequenti, postquàm quæ reliqua hujus sunt expedierimus.

[p] An. 1204. XX.

XI. De imaginis Veron. festivis solemnitatibus.

Hoc eodem anno Parisius ponit (& ex eo, ut solet Westmonasteriensis) contigisse Romæ, ut cùm Innocentius Papa, quem vacillantis Ecclesiæ cura sollicitabat, effigiem Vultûs Domini, quæ *Veronica* dicitur, sicut moris erat, ab Ecclesiâ S. Petri solemni processione ad Hospitale S. Spiritûs delatam, suo postea loco aptè reposuisset; ipsa sese spontè vertice deorsum invertterit: idque Pontificem ut triste præsagium horrentem, quandam orationem in honorem ejusdem sacræ imaginis composuisse, decémque dierum indulgentiam recitantibus eam concessisse. Meminimus aliàs [q] hujus Sudarij, seu Veli, quod à piâ feminâ Veronicâ, seu Berenice dictâ, capiti suo detractum CHRISTO Domino Crucem magnâ angustiâ bajulanti, ad cruentam faciem tergendam porrectum fuisse antiqua fert traditio, gravissimorum auctorum testimoniis confirmata. Ejúsque Romam posteà translati, & in basilicâ Vaticanâ ingenti veneratione asservati, extant vetusta monimenta apud Iacobum Grimaldum [r], qui commentarium de eo conscripsit: quibus etiam appareat, tam illud hisce ac posterioribus temporibus Dominicâ primâ post Octavam Epiphaniæ solemni processione cum hymnis & facibus ab eâdem basilicâ ad prædictum Hospitale S. Spiritûs (quod Innocentius inter plura alia pia & sacra ædificia à fundamentis extruxit, & redditibus locupletavit alendis peregrinis, & ægrotis, & vulgò conceptis ac orphanis; regulísque ac constitutionibus formavit:) quotannis deferri consuevisse; ibíque largas eleemosynas ad solemnitatem concurrentibus impertiri: (sicut etiam traditur in hujus Innocentij Papæ Actis: ratióque institutionis redditur in Sermone ab eo de more habito eâ Dominicâ in eodem Hospitali; ut scilicèt CHRISTI gloria fidelibus populis, qui illuc convenirent ad nuptias pietatis & misericordiæ, significatas per illas ad quas Christus vocatus fuisset cum discipulis in Canâ Galilææ, denuntiaretur:) quàm aliis etiam temporibus sive statis, sive incertis, devotionis gratiâ ostendi solitum peregrinantibus ad Limina Apostolorum.

[q] Epit. Bar. an. 34. XLII.

[r] Ex quo Bzovius de scripsit hoc an. quibus adde Gretzer. Syntagm. de Imag. non man. fact. cap. 17.

XII. Innoc. PP. obitus.

Quid autem, vel utrùm quid, hujusmodi asserta sacræ Imaginis inversio portenderit, aliis divinandum relinquimus. Constat sanè hoc eodem anno Innocentium Pontificem magno Ecclesiæ luctu diem obiisse 17. Cal. Augusti Perusij; cùm totus incumbens promovendæ expeditioni Orientali, importuno Solis æstivi tempore Pisas tenderet ad sedandas Pisanorum & Genuensium, Cisalpinarúmque urbium intestinas discordias, quas sacræ Expeditioni valdè obstare sentiebat. Ita namque Blondus [s], Platina, Sabellicus [u], Nauclerus [x], Sigonius [y], & recentiores, de itineris, occasione: de loco & tempore obitûs consentiunt Vrspergensis, Altissiodorensis, Stero, Onuphrius, & alij plerique omnes paucis exceptis, qui in eâ discrepantiâ non sunt audiendi. Sedit annos 18. menses 6. dies 9. Sepultúsque est ibidem Perusij in Ecclesiâ Cathedrali S. Laurentij. Cujus doctrinam, Iuris divini humaníque peritiam, pietatem, charitatem, constantiam, zelum fidei & disciplinæ; sollicitudinem omnium Ecclesiarum, & curæ animarum, ac concordiæ Principum; probatissimos mores, felicitatem denique laboriosissimi regiminis; præclara ejus scripta (quæ enumerata habentur in Nomenclatore Cardinalium) satis testantur; decreta innumera gestáque abundè probant; omnium auctorum laudationes cumulatissimè confirmant. Quippe qui, vel teste Petrarchâ [z], virtute & ingenio ante tempus ad Romani Pontificatûs apicem evectus, in Pontificatu talis fuerit, ut haud dubiè post illum Petri Sedem æquè nullus honestaverit. Cujúsque vita (ut etiam Platina, & Nauclerus agnoscere compelluntur) adeò probata sit, ut post ejus mortem nil eorum quæ in vitâ egit, laudavit, improbavit, immutatum fuerit. Nam quæ nonnulli hæretici atque schismatici in eo carpere gestierunt, sagittæ parvulorum sunt, quæ non magis ejus famam lædant, quàm cœlum attingant.

[s] Blond. 2. Dec. 6. in fi.
[t] Plat. in Vitt. Pontif.
[u] Sabell. 3. En. 6.
[x] Naucler. gen. 41.
[y] Sigon. de regn. Ital. l. 6.

Ejus laudes.

[z] Petrar. Ep. Rer. Senil. lib. 15. ep. 9.

XIII. Visiones de ejus pœnis post mortem.

Iste tamen talis tantúsque apud homines, post talia tantáque in vitâ pro utilitate Ecclesiæ præstita, mortémque etiam in prosecutione causæ fidei piissimè obitam; visus in transitu cuidam Abbati Ordinis Cisterciensis in prato quodam prope Perusium obdormiscenti, confugere ad Dominum in excelso throno sedentem, ab ingenti dracone ipsum devorare nitente, & his verbis altâ voce supplicare, *Miserere mihi miserere, misericordissime Deus*; draccone ex adverso clamante, *Iustè judica justissime Iudex*: (quam visionem sic indecisam Abbati ostensam, refert Auctor quidam Compilationis [a] Chronologicæ ex antiquioribus monumentis:) idem ipse posteà Lutgardi sanctissimæ virgini Deo sacratæ tum viventi, ingenti flammâ cinctus apparens, significavit se tres ob causas pœnis atrocissimis usque ad diem Iudicij addictum esse, quæ etiam æternis suppliciis ipsum justissimè addixissent, nisi per intercessionem piissimæ Matris Dei, cui monasterium extruxisset, in extremis ipsum pœnituisset: quemadmodum refert in Vita [b] ejusdem Lutgardis Thomas Cantipratensis, ex Ordine S. Dominici vir fide dignissimus, qui cum eâdem piè cōversatus est, & tres illas causas ab eâ se didicisse testatur, pro tanti tamen Pontificis reverentiâ referre nolle. Ego sanè facilè mihi persuadeo, (inquit magnus quidam piúsque vir [c] de his agens) tantum Pontificem, qui in oculis hominum non probus & prudens solùm, sed etiam sanctus & imitatione dignissimus habitus est, non potuisse lethalia peccata committere, nisi sub specie boni deceptum ad adulatoribus & domesticis; de quibus in Evangelio [d] dicitur;

[a] Ext. tom. I. Rer. Germ. Pistorij.

[b] Lib. 2. c. 7. Ext. ap. Sur. 16. Iunij.

[c] Bellarm. de gemit. colũb. l. 2. c. 9.

[d] Matth. 10.

Inimici hominis, domestici ejus: Cùm & possit etiam dici, noluisse Deum tres illas Innocentij culpas publice patefieri, ut cùm omnes tum maximè Prælati à quibuscumque sibi diligentissimè caveant, ne fortè in aliquam illarum incidant; & discant omnes sollicitè scrutari conscientiam, ne tum fortè erronea sit cùm recta & sana esse videtur. Sed de Innocentio hactenùs.

XIV. [c] *Onuph. in Chron. & de Rom. Pont.* HONORII III. ELECTIO IN PONTIFICEM.

Post cujus obitum cùm Sedes vacâsset [c] unum tantummodò diem, creatus est ibidem Perusij in locum ejus 15. Cal. Aug. *Cencius Sabellus* patriâ Romanus, vir doctus, & morum probitate conspicuus, ex Presbytero Cardinale tituli SS. Ioannis & Pauli; dictúsque HONORIUS ejusdem nominis Tertius: qui nobili Sabellorum familiâ patre Aymerico ortus, à teneríſque annis monasterio Lateranensi oblatus, & in eo Canonicorum Regularium institutum professus, à Cælestino III. (cujus dum esset Cardinalis œconomus extiterat) Diaconus Cardinalis & Camerarius creatus fuerat, & ab Innocentio Presbyter tituli Pammachij: cui olim privato promissum fuisse divinitùs Pontificatum, & sub eo Ierosolymam recuperandam fore, Vrspergensis narrat. Consecratus autem in Pontificem 9. Cal. Augusti, symbolum sive sententiam sibi sumpsit, *Perfice* [f] *gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Móxque Romam rediit ad res Ecclesiæ procurandas.

[f] *Psal. 16.*

XV. FRIDERICUM IMPELLIT AD DEPONENDUM REGNUM SICILIÆ.

Literas verò de suâ electione scribens de more, imprimis Fridericum in Imperatorem electum officij erga Romanam Ecclesiam admonuit; útque Regno Siciliæ se exueret, atque illud dispositioni Sedis Apostolicæ relinqueret, nequis existimaret illud non Ecclesiastici, sed Imperij juris esse. (Viderat enim Othonem illud sibi eo titulo vendicare voluisse.) Ad quæ respondens Fridericus, spopondit simul atque Imperij diademate ornatus fuisset, emancipaturum se filium Henricum, & Regem Siciliæ declaraturum, si Sedes Apostolica consentiret; ut de his constat ex literis tunc eâ de re scriptis, quæ habentur in Regesto [g] Honorij.

[g] *Reg. Vatic. lib. 1.*

XVI. [h] *Ext. in Bullar. to. 1. const. 2. Honor. III.* ORDO PRÆDICATORŨ CONFIRMATUR.

Sub finem anni idem Pontifex publico diplomate [h], cui & unà cum ipso subscripserunt Cardinales duodeviginti, undecimo Calendas Ianuarij approbavit Ordinem PRÆDICATORUM, à DOMINICO institutum: qui remissus (ut vidimus) ab Innocentio ad Regulam deligendam, Augustinianâ cæteris præhabitâ, Romam reverterat ad ejus ac constitutionum additarum confirmationem. Vbi & *Franciscum* Ordinis Minorum fundatorem, sibi per divinam revelationem notum factum, amplexatus; sanctâ simul societate juncti sunt, quam & ab ipsorum successoribus observari voluerunt.

XVII. OFFICII MAGISTRI SACRI PALATII INSTITUTIO.

Hâcque ipsâ peregrinatione (ut à nonnullis ponitur: quod tamen magis aliâ factum putamus, quam pòst Romam suscepit ut ibi aliquod sui Instituti cœnobium erigeret) auctor extitit eidem Honorio Pontifici, Officij *Magistri sacri Palatij* instituendi. Nempè cùm cerneret quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibus, eorum Clericos & ministros vanis deambulationibus ac nugis tempus terere; Pontifici insinuâsse, ut quempiam virum doctum destinaret qui eo tempore utile aliquid publicè interpretaretur: Pontificem re probatâ illi ipsi Dominico eam commisisse; qui Pauli Apostoli epistolas in numerosissimo auditorum consessu interpretari cœperit; adeóque rem Pontifici placuisse, ut deinceps institutum sit, ex eodem Prædicatorum Ordine ad id muneris aliquem eligi sub prædictâ Magistri sacri Palatij nuncupatione. Cui Officio & pòst attributa est censura librorum & scriptorum promulgandorum in Vrbe, & quæ in Vrbem aliunde deferuntur, & quorumcumque notitia ad ipsum pervenit: adeóque supremæ Inquisitionis & Indicis Congregationibus interesse ei datur. Acceptâ porrò hoc tempore Ordinis sui confirmatione Dominicus, rursùm Tolosam rediens, mox Fratres suos ad diversa loca amandavit: à quibus brevi tempore ingentes prædicationis suæ fructus collecti sunt, & multa variis locis monasteria condita, sequentibus eorum prædicationes signis & prodigiis. Quæ omnia pluribus Vitæ Dominici, & Historiæ Ordinis scriptores prosequuntur. Ex quibus etiam intelliges, primum habitum Ordinis fuisse eundem cum illo quem Canonici Regulares S. Augustini, cujus Regulam sumpserant, gestabant; sed paulò pòst ex revelatione Beatissimæ Virginis, mutâsse in eum quem modò gerunt.

PROPAGATIO ORDINIS.

XVIII. PRIMUM GENERALE CAPITUL. FRANCISCANORUM. [i] *Vuaddingh. to. 1. hoc an.*

Hoc verò jam ipso anno ad festum Pentecostes, antequàm Dominicus Regulæ suæ confirmationem obtinuisset, Franciscum primum Ordinis sui Capitulum generale celebrâsse Assisij, atque ex eo suos ad diversas nationes dispersisse, ac Provincias divisisse, retentâ sibi eâ quæ Franciæ dicitur; Annales [i] Minorum tradunt; quamquam sunt eorum nonnulli, qui primum Generale Capitulum fuisse velint celeberrimum Storearum anno 1219. habitum.

XIX. [k] *Cantiprat. 1. Apum. 25.* INSIGNE EXEMPLŨ AMORIS IN CHRISTUM.

Claudimus hunc annum egregio in CHRISTUM amoris exemplo. Vir [k] quidam ex oppido Dinanthæo in Belgio, cùm Terram Sanctam peregrinatus, post cætera loca ubi Christus vivens conversatus fuisset, summâ veneratione & animi delectatione perlustrata, ad locum supplicij in montem Calvariæ pervenisset; immenso dolore in lacrymas & ejulatus prorumpens, ruptis vitalibus cordis venis spiritum exhalavit.

IESU CHRISTI Annus 1217.

HONORII III. An. 1.

PETRI II. An. 1.

I. [a] *An. super. num X* PETRUS CORONATUR ROMÆ IMP. CONSTANTIN.

ANNO Christi millesimo ducentesimo decimo-septimo, Indictione quintâ, *Petrus* Altissiodorensis suffectus [a] Imperator Constantinopolitanus in locum sororij sui Henrici, eò progressurus unà cum Iolantâ conjuge, domo in Italiam concedens, & ab Honorio Pontifice Romæ in Basilicâ S. Laurentij extra muros, (nequid [b], si intra Vrbem coronatio fieret, videretur juris habere in Imperium Occidentale) Dominicâ *Misericordia Domini*, quinto Idus Aprilis consecratus & coronatus est. Quod tamen mox excusans apud Patriarcham Constantinopolitanum Honorius [c] literis ad eum scriptis pridie earum-

[b] *Bellefor. Annal. Franc. l. 3. cap 82.* [c] *Reg. Hon. M.S. quod*

habuimus à Duchesnio. vidimúsque pariter in Formul. Marini Ebol. quod ext. in Vat. & Tolos. in Bibl. Coll. Fux.

EXCUSAT ID PONTIFEX APUD PATR. CŌSTANTINOP.

dem Iduum, significavit id se fecisse ad instantem Petri supplicationem, & multiplices aliorum intercessiones, postquàm id pluries denegâsset: fecisse demùm de potestatis plenitudine, non præjudicium facturum auctoritati Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sed quòd timeretur ne grave dispendium Imperio immineret, si Petrus incoronatus abscederet à Sede Apostolicâ, ad quam eâ de causâ accessisset. Rogavítque ut quod ab ipso sic factum esset, immò per ministerium suum Dominus operari luisset, gratanter acciperet, & ipsum Imperatorem ad solium suum accedentem benignè susciperet. Cui de cetero Honorius injunxit, ut Patriarchæ & Ecclesiæ ejus de omnibus juribus & consuetudinibus plenariè satisfaceret. Ex quibus videas, minimè consuevisse Pontifices, quod blaterant hæretici & novatores, auctoritatem sibi ceterorum Episcoporum usurpare, nisi cùm ratio aut necessitas postulat.

II.

Nec sanè hæc tunc profuêre Petro. Quippe qui nono pòst die cùm validâ militum manu, adjunctóque sibi Sedis Apostolicæ in Græciam & Syriam Legato *Ioanne* Columnâ Romano Presbytero Cardinale tituli S. Praxedis, reliquum iter suscipiens; cùm uxore ac liberis continuâ navigatione Brundusio Constantinopolim præmisisis, ipse in adversam Macedoniæ olim transmisisset spe Dyrrachij recipiendi, quod à Theodoro Comneno Græco Epiri Dynastâ occupatum, (hunc nonnulli Latini eumdem cum Theodoro Lascari qui Imperatorem Græcorum agebat, faciunt; quos planè diversos extitisse, & hunc Epiri dominium Angelâ Comnenáque familiâ fuisse, fratrémque & successorem illius Michaëlis, cujus in discissione Imperij facta est superiùs mentio; ex Græcis Gregorâ & Georgio, atque etiam Latinis intelligitur:) promiserat certis pactionibus Petrus Venetis recuperare, restituereque: post multos dies inutiliter in obsidione consumptos, terrestri itinere sub fide Theodori Constantinopolim petens, in difficillima Thessaliæ loca incidisset; ab eodem fidifrago Theodoro inermis captus est, & in vincula conjectus, unà cum Ioanne Legato, multis eorum qui cum iis erant interemptis. Rem gestam narrant Altisiodorensis chronologus, & alij [d], nonnihil tamen diversè. Georgius verò Græcus suis parcens, Petrum cum Theodoro congressum, ac prælio occisum scribit, Latinorum plerique, eum post longum carcerem, & novum initum fœdus, turpiori etiam scelere ab eodem Theodoro convivio exceptum, obtruncatum esse: idque multi post biennium, quidam quinquennium, nonnemo [f] etiam novennium. Cujus interim conjux Iolanta Imperium prudenter administravit: eáque post biennium defunctâ, *Robertus* ipsius ac Petri filius omnium consensu illius administrationem suscepit. Ioannem verò Legatum nonnulli volunt jam antè rectà Constantinopolim petiisse; alij & ipsum cum Petro captum, sed paulò pòst dimissum, unà cum Andreâ Hungariæ Rege Syriam petiisse. Testatúrque Volaterranus [g], eum hâc legatione martyrium ferè passum esse, inter duos postes à barbaris hostibus inclusum secandum; nisi illos, divinâ providentiâ, ejus constantiâ fidéque permotos pœnituisset. Denique extat in Formulario [h] Marini Eboli, epist. Honorij Papæ gratulatoria ad eumdem Legatum de ipsius liberatione à manibus immanis inimici; quâ etiam concedit ut vel redeat Romam, vel susceptum iter prosequatur, prout ipsi magis placuerit.

PETRUS IMP. CAPITUR A GRÆCIS, ET OCCIDITUR.

[d] Blond. 2. Dec. 7. Sabell. 9. En. 6. & 1. Dec. 8. Naucler. gener. 41. Bergom. lib 13. Æmil. in Phil. Aug.
[e] Onuph. in Chron. & in Princ. Rom.
[f] Bergom. d. lib. 13.

IOANNIS LEGATI PERICULUM A GRÆCIS.

[g] Volater. Anthropol. lib. 22.

[h] To. 1. Colleg. Fux. Tolos.

III. GESTA HONORII PP. CUM DIVERSIS PRINCIPIBUS.

Quo eodem anno Honorius Pontifex universorum Christianorum commodis pro munere pastorali prospiciens; de necessitatibus diversorum regnorum monitus, inter cetera [i] decimo-sexto Cal. Febr. Alexandrum Scotiæ Regem per literas Laterani scriptas arguit, quòd à fidelitate domini sui naturalis Regis Angliæ, & à devotione Ecclesiæ Romanæ recedens, adhæreret Ludovico Francorum Principi contra Henricum adolescentulum Angliæ Regem: & si quid juris in his prætenderet, apud Sedem Apostolicam id prosequi mandavit. Eumdémque Henricum consolatus de morte patris, hortatus est ad fidem Ecclesiæ servandam, & ad rectam regni administrationem: Et Archiepiscopos Burdegalensem, Dublinensem, atque alios monuit fideles ei permanere. Tertio Cal. Febr. Andreæ Regi Hungariæ, petenti ut quòd cùm in procinctu expeditionis Terræ Sanctæ esset, nuncios accepisset à Latinis in Græciâ commorantibus, de eodem ipso Rege, vel Petro Comite Altissiodorensi ipsius socero, in Imperatorem Constantinopolitanum evehendo; universos qui Crucem pro Terrâ Sanctâ sumpsissent, juberet eumdem Regem terrestri itinere comitari: annuit, monens tamen ne propterea opus Terræ Sanctæ omitteret, aut protelaret. Acceptísque postinde ab eodem Rege literis, quibus rogabat confirmari dispositionem, quam peregrinaturus fecerat de terris suis, Regnum Hungariæ relinquens Belæ primogenito, Halitiæ regnum Colomanno, & utrique vel alteri sine liberis decedenti, Andream substituerat; tertio Idus Febr. petitioni annuit. Cùm verò audisset proditionẽ Theodori in Petrum Imperatorem, de quâ nuper, scripsit mox ad eumdem Andream Regem 5. Cal. Augusti, cœpto jam ejus Pontificatûs anno secundo, ut nuncios mitteret quamprimùm ad Theodorum, ut tam Petrum quàm Ioannem Legatum libertati restitueret; nisi vellet totum exercitum Crucesignatorum in perniciem suam evocare. Sed quid de utroque factum, jam diximus. Pridie autem Cal. ejusdem mensis Februarij conventiones inter Fridericum electum Imperatorem & Waldemarum Regem Daniæ, de quibusdam terris quæ ad Imperium pertinere dicebantur, quásque Walderamus acquisîsset, factas, eorum petitione confirmavit. Aliásque pariter inter Principes Poloniæ pactas, 5. Id. Febr. aliásque inter Reges Hispaniæ, 4. Novemb. edicens nequis violaret.

[i] Quæ sequûtur usque ad num. VIII. habuimus ex Reg. Epist. Honor.

IV.

Decimo-quinto Cal. Apr. Consules & Populum Montispessulani, exemplo Innocentij Papæ, ac terram ipsorum sub B. Petri & Sedis Apostolicæ protectionem suscepit. Eorumdémque spontaneam oblationem duarum marcarum auri, eidem Sedi singulis annis in festo Resurrectionis Dominicæ persolvendarum acceptavit. Idib. verò Apr. Philippum Francorum Regem rogavit, ut cùm dominium ejusdem civitatis Montispessulani pertinuisset jure hereditario ad Mariam Reginam Aragonum nuper defunctam; neque ipse molestaret su-

per hoc Iacobum Regem prædictæ Mariæ filium & hæredem, nec permitteret à suis molestari; præsertim cùm ipsa tam filium Iacobum quàm terras suas sub protectione Sedis Apostolicæ reliquisset. Vndecimo Calendas Maij ad eundem Regem pariter rescribens, laudavit eum quòd ita se gessisset in obsequio mandatorum Sedis Apostolicæ, ut nullus de illo in aliquorum cordibus posset scrupulus remanere: in hoc videlicet decessorum suorum vestigiis inhærens, qui semper fuissent per devotionis spiritum Sedi Apostolicæ obsecuti. Dolere autem se, quòd Ludovicus filius ejus à patrum suorum semitis tanquam columba seducta recedens, & contra Romanam Ecclesiam arma movens, Christi ex hæreditate niteretur cohæredem pupillum & Crucis charactere insignitum à sede propriâ depellere. Rogavítque ut eum resipiscere solicitaret. Sed Ludovici conatus quem exitum habuerint, jam dictum anno superiori per anticipationem. Qui cùm absolutionem à legato adeptus fuisset, voluit nihilominùs & ipsemet Honorius literis suis datis Idibus Ianuarij anni sequentis, ipsius Pontificatûs secundo, quæcumque fuissent contra eum & ejus adjutores laïcos ob invasionem Angliæ contra prohibitionem Sedis Apostolicæ decreta & promulgata, omninò revocare, nullásque ea vires habere statuit.

Quomodò cum Rege Fr. ac filio eius ob res Angl. se gesserit.

V. Regem Boemiæ de multis arguit.

Præsenti verò anno, ipsius Pontificatus primo, 10. Cal. Iulij, per literas Anagniæ scriptas Regem Boëmiæ arguit, quòd in regno ejus clerici non solùm ad sæcularia judicia pertraherentur, verùm etiam per laïcos ultimo afficerentur supplicio: Interdicti sententiam ab Episcopo Pragensi justitiâ exigente prolatam ipse vilipenderet; excommunicatis publicè communicare non dubitaret; investituras Ecclesiarum usurparet; ac tam religiosis quàm aliis viris Ecclesiasticis actiones indebitas imponeret: Ecclesiarum jura passim tam ipse quàm nobiles regni usurparent. Monet hæc emendare, & Episcopum Pragensem pro tuendâ Ecclesiæ libertate exulantem in gratiam recipere. Qui cùm patienter & gratanter reprehensiones Pontificias accepisset, laudavit illum eâ de causâ Pontifex literis 4. Non. Novemb. scriptis Romæ; promisítque nihil se in negotio Regis cum Episcopo moturum antequàm advenirent nuntij Regis, prout Rex petierat. Ex Dubravio [ii] enim intelligimus, Episcopum hunc Andream nominatum, ob persecutionem Regis occasione decimarum, primùm in Austriam secessisse, ut ex loco tuto Regem unà cum nobilibus ei adversùs Ecclesiam & Ecclesiasticorum immunitates adhærentibus, anathemate percutere posset, eóque facto Romam migrâsse. Quid verò posteà de illo actum, dicetur suo loco [k].

[ii] Dubrav. Hist. Boëm. lib. 15.

[k] Infr. an. 1221. VI.

VI. Diversósque Italos.

Scribens quoque idem Pontifex 8. Cal. Septem. Ferentini ad Abbatem & Conventum Cassinensem, dolet vehementer quòd monasterium illud, à quo principium Religionis esset exortum, deberétque semper omnibus lucere, nihilominùs quasi sentina effectum esset omnium vitiorum. Ac propterea juxta decretum Concilij generalis mittere se eò Reinerium pœnitentiarium, & O. Capellanū suum, ad monasterium & monachos vice Pontificis visitandum & reformandum tam in capite quàm in membris. Et 7. Idib. Octob. Laterani existens, Magistratum & populum Florentinum arguit, quòd Ecclesiam SS. Apostolorum illius civitatis cogere niterentur ad duellum pro quâdam controversiâ, quæ inter illam & quosdam cives Florentinos versabatur de Cœmeterio, & aliis rebus. Mandavítque desistere penitùs ab hac impietate, sub pœnâ excommunicationis, per Episcopum Pistoriensem, & Archipresbyterum Florentinum ipsis infligendæ. Pisanos item ab invasione Sardiniæ, Sedis Apostolicæ censuariæ, dehortatus est. Ac Mediolanenses & Placentinos, ob invasos contra prohibitionem Cremonenses, interdicto supposuit, prædæque omnium exposuit. Norvegiámque, quòd Rex magnum humerum Crucesignatorum conscripsisset, in protectionem Sedis Apostolicæ recepit. Quæ omnia, aliáque ejusmodi plurima, hoc anno ab eodem Pontifice gesta & statuta, vidimus in ejus epistolarum Regesto: quorum etiam non pauca alij [kk] retulêre.

[kk] Bzov. hoc an. & seqq. ex eod. Vatic.

VII. Incursio Christianorum in Saracenos parvi momenti.

Hoc eodem anno, cùm exiissent induciæ, quas in Syriâ Christiani cum Saracenis inierant, renovatum est bellum, rem pro Christianis agentibus Regibus Ioanne Ierosolymorum, Hugone Cypri, Andreâ Hungariæ, cum Ducibus Austriæ & Bavariæ, multísque aliis proceribus & Antistitibus Germanis & Gallis recens eò diversis itineribus appulsis. Qui omnes cum ceteris Christianis Syris, Accone, sive Ptolemaide, (quæ insignis Phœniciæ urbs maritima, amissis Ierosolymis regia Latinis erat) post festum omnium Sanctorum castra moventes in hosticum, præeunte Patriarchâ Ierosolymitano cum CRUCE Dominicâ, (fuerat enim divino consilio, cùm Saladini immineret bellum, in duas partes secta; quarum altera ab eo capta, altera hactenùs servata) obvias quasdam barbarorum turmas in fugam verterunt, terras vastârunt, & in vigiliâ sancti Martini ablutis corporibus in fluvio Iordane, ac munitione montis Thabor nequicquàm tentatâ, (Comite Tripolitano Boamundo rem malo animo disturbante) duo alia loca apud Cæsaream egregiè muniverunt, quæ magno usui sequentibus bellis Christianis fuêre: nihílque præterea pro tantâ coactâ manu præclari gesto, Acconem se receperunt: cùm tamen priùs Rex Hungariæ, statim ubi se Iordane perluisset, velut se paterni voti) quòd soluturum se obtestatione morientis patris recepe-rat; & hactenùs sæpè licèt ab Innocentio excitatus variis excusationibus remissum, coactu tandem Honorij Pontificis & Ioannis Cardinalis Columnensis susceperat) religione exemisset, Pontificísque edicto paruisset; ingenti rerum damno copias suas reduxisset: excommunicatus tamen cum suis, quòd instantissimè rogatus, admonitúsque, vel tantillam moram interponere detrectâsset. Narrat hæc pluribus qui omnibus interfuit, & quæ vidit scripsit, Iacobus de Vitriaco [m], de quo superiùs, Acconensis tunc Episcopus, & posteà Cardinalis Tusculanus; ac plurimi alij [n] proximi ac posteriorum temporum auctores.

[l] Vid. cap. licèt universis. Collect. 3. & ext. de vot.

Andreas Rex Hungariæ improvide Syriam deserit.

[m] Vitriac. Hist. Orient. lib. 3.

[n] Paris. in Henr. III. Godefr. Colon. in Chron. Sanut. Secret. Fidel. Cruc. lib. 3. par. 11. c. 6. Vinc. lib. 30. c. 79. Anton. tit. 19. cap. 3. Naucler. gener. 14. Æmil. in Phil. Aug. Bos. Hist. Medit. lib. 15. &c.

VIII.

Ex quibus sanè mirari non desino, unde Blondus, qui tanto pòst tempore vixit, hauserit [o] Andream triennium in eâ expeditione posuisse: nisi fortè hoc laudationis benefici

[o] Blond. 2. Dec. 7.

compensare voluerit publico Venetorum nomine cessionem juris omnis Dalmatiæ, quam ipsis ab Andreâ factam solo vecturæ pretio in Syriam, asseverat cum cæteris Venetis scriptoribus; subticentibus licèt Hungaricis Annalibus. Ejus verò de Andreæ mora orationẽ Bonfinius [p] magnificè amplificans, longissimam texuit seriem rerum ab Andreâ totius expeditionis supremo imperatore in Syriâ totidem annorum spatio gestarum: quousque post captam ejus auspiciis Damiatam, eamdémque iterùm Saracenis ad salvandum exercitum redditam, rebus compositis tum demùm in patriam revertit. Cùm tamen neque apud Vitriacum testem oculatissimum, qui singulos non solùm Reges ac Principes, sed & alicujus præcipuæ nobilitatis cujuscumque nationis viros, qui huic expeditioni à principio ad finem interfuerunt, nominatim recenset, nec apud quemquam alium Blondo antiquiorem scriptorem, quem viderim, sed nec recentiorem, (Sabellicus [q] enim, quamvis benè in omnibus Blondum sequi solitus, haud tamen constanter id exprimere ausus est:) Andreæ ulla ampliùs mentio fiat, postquàm vix trimestri tempore in Syriâ commoratus, abscessit excommunicatus: quinimmò & vetustiores Rerum Hungaricarum scriptores, Ioannes Thwroczius [r], ipse Pannonius, & Petrus Ranzanus [s] disertissimis verbis testentur, eum nonnisi tribus mensibus in Terrâ Sanctâ moratum esse: & quamvis velint ipsum eo tempore victoriam de Saracenis retulisse, (quæ fuit fuga illa quam diximus aliquot turmarum barbarorum, quæ initio occurrere Christianis ausæ fuerant) nihil tamen omninò de Damiatâ, quæ planè fuit totius caput expeditionis, summúmque opus: quam ne somniando quidem vidit, cùm ejus obsidio non nisi mense Maio proximi anni cœperit, nec expugnatio nisi Novembri alterius pòst anni contigerit. Denique extat [t] ipsiusmet Andreæ Regis ad Honorium PP. epistola, excusantis intempestivum suum in patriam reditum, ob dissensiones in regno suo subortas; ejusque censurarum opem adversus earum auctores tam Ecclesiasticos quàm laïcos implorantis; quorum læsionibus & injuriis factum esset ut ipse juxta propositum non potuisset ultra mare stare, sed coactus & compulsus fuisset licèt invitè à Terrâ Sanctâ recedere. Qui nihilominùs haud omittens sua curare, (quamquam specie res Christianorum promovendi) in regressu tractavit cum Leone Rege Armeniæ de filiâ ejus matrimonio jungendâ filio suo cum dote regni: itémque cum Theodoro Lascare de filiâ ejus Mariâ alteri filio suo tradendâ: nec non cum Azane tum Imperatore Bulgarorum, de filiâ suâ ei in uxorem dandâ quæ omnia à Summo Pontifice rata haberi & confirmari, eâdem epistolâ supplex petiit.

[p] Bonfi. Annal. Hungar. Dec 2. lib. 7.

BLONDI ET BONFINII MENDAX DE EO RELATIO.

[q] Sabell. 9. Ennead. 6.

[r] Thuros. Chron. Hungar. par. 2. cap. 73.

[s] Ranz. Epit Rer. Hungar. Indic. 15.

[t] To. I. Orient. Exped. & in Collect. Archiep. Auxit. Coll. Fux. Tolos.

IX. ELEGANS HISTORIA DE IUSTITIA ET ÆQUITATE ANDREÆ REGIS.

Fuisse verò & aliam ei causam præcipitandi reditum, ex ipsomet Bonfinio intelligitur: dum rem perpetuâ memoriâ dignam, aliisque etiam scriptoribus Hungaricis cognitam, in justitiæ & æquitatis Andreæ commendationem, ipse solitâ verborum elegantiâ latè diffundit: Nimirùm pergentem Andream in Terram Sanctam, curam regni sui Bancbano commisisse, spectatæ fidelitatis ac sapientiæ viro; imprimis admonito ut justè regnum administraret, nulli injuriam fieri pateretur: Cùm verò paucis post ejus abitum diebus Gertrudis Reginæ frater ex Germaniâ ad sororem venisset ut eam de viri absentiâ mœrentem solaretur; ac repentè intemperantem juvenem Bancbani uxoris, quæ dies noctésque cum Reginâ versabatur, pudicissimæ juxtà ac pulcherrimæ feminæ amor incessisset, Regináque eam illi, temerariâ ardoris fratris commiseratione, turpi lenocinio violandam exhibuisset: Bancbanum hoc ab uxore audito, Reginam adiisse, & exprobrato scelere gladio confodisse: confestímque publicatâ spontè nece, ad Andream abiisse Constantinopolim, cùm nondum inde solvisset in Syriam: réque apertâ, illum unum judicem, & si meruisset vindicem poposcisse: Andream autem vultu & animo composito respondisse, rediret in Regnum, delegatum munus pro solitâ fide gesturus; se, quoniam sacram expeditionem nullo capitali judicio fas esset interpellari, cùm in Hungariam rediisset, rem judicaturum: cùm autem rediisset, causâ seriò inquisitâ & cognitâ, in exemplum servandæ pudicitiæ, Reginam jure cæsam pronunciâsse. Hi ergo fuerint acres stimuli, quibus Andreas multipliciter agitatus, expeditionem properè deseruerit, ut Regno provideret, ac liberis, quos jam in potestate hominis non quidem convicti, sed tamen suspecti esse sciebat. Cæterùm quamvis ipse Bancbanum absolverit, in ejus tamen domum universam deinde miserabiliter sævitum auctores tradunt, quando Reginæ liberi inultam suæ parentis mortem æquo animo pati nequivêre. Ipsum porrò Andream multas insignésque Sanctorum Reliquias ex Oriente in Hungariam detulisse, iidem scribunt, illas & numerantes.

X. EX APPARITIONIBUS CRUCIUM, GERMANI ACCENDUNTUR AD EXPED. TER. S.

[u] Vitriac. Vinc. Sanut. Anton. Naucler. ubi suprà.

Incubuerunt etiam Germaniæ civitates maximis viribus in Bellum sacrum; cùm apparuissent variis locis manifestæ multiplicésque CRUCES in cœlo, & quædam cum figurâ hominis crucifixi, quibus ad id præstandum piâ æmulatione certatim populi animati sunt. Quare confectâ classe trecentarum fermè navium omnibus rebus necessariis egregiè instructâ, navigantes versùs mare mediterraneum, aliquot eorum tempestate absorptis, cum cæteris Vlyssiponem Lusitaniæ appulêre: ibique divisis sententiis pars Italiam tenuêre ad hiberna, pars rogatu Pontificum ac nobilium Lusitanorum Alcatiam sive Alcassarem, munitissimum castrum à Saracenis detentum, unde infinita mala Christianis inferebantur, unà cum militiâ regni obsidentes; advenientes suppetias quatuor Saracenorum Reges, (jam enim Mauri duces [x] in Hispaniâ, post prælium Castulonense excusso jugo Mahomadis in Africâ regnantis, cujus vices gerebant, imperio quique suarum præfecturarum sibi arrogato, multa regna constituerant, tantò infirmiora quantò plura & minora) signis cælestibus confortati, egregio prælio vicerunt, multis occisis hostium millibus cum duobus eorum Regibus, & longè pluribus captivis factis: ac demùm castro per deditionem accepto, Vlyssipone hiemarunt. Describit harum copiarum itinera, casus, & gesta ita singillatim Godofredus Coloniensis, ut videatur cum illis fuisse, aut certè quæ scripsit ab aliquo qui

[x] Marian. Rer. Hisp. lib. 12. cap. 3.

VICTORIAM DE SARACENIS CONSEQUUNTUR IN HISP.

aderat accepisse: quæ concisiùs referunt Iacobus de Vitriaco, Cæsarius, Matthæus Parisius, & alij. Ex quibus, aliisque antiquis monumentis nondum in lucem editis, uberiori oratione Italico idiomate, Iacobus Bosius in suâ accuratissimâ Historiâ militiæ Hospitalariorum, eadem magnâ sinceritate descripsit.

XI. HENRICI REGIS CASTEL. OBITUS.

Hoc item anno, turbatâ motibus civilibus (ut fit Regibus pueris) Castellâ, *Henricus* Rex, dum Pallentiæ in ædibus Episcopi luderet in areâ cum æqualibus, ictu tegulæ casu decidentis caput percussus, undecimo pòst die ex vulnere obiit octavo Idus Iunij, postquàm regnâsset annos duos, menses novem. Narrant hæc Rodericus [y] Toletanus & Mariana [z]. Ex literis porrò Honorij [a] Pontificis ad Seguntinum & Conchensem Episcopos intelligitur, (quod tacent iidem auctores) Henricum divinam in se vindictam concitâsse, quò cùm ausus fuisset occupare possessiones Ecclesiæ Toletanæ, monitus ab Honorio restituere ac satisfacere, minùs audiens extitisset: ac propterea injunxisse Pontificem prædictis Episcopis anathema in contumacem sacrilegum promulgare, ac regnum interdicto supponere. Verùm ejusmodi scelerum culpam, non tam in Regem, qui puer erat, quàm in Comitem Alvarum cui ejus tutela commissa fuerat, virum sacrilegum ac perfidum, rejiciendam esse, prædicti auctores satis indicant, dum & ob iniquam bonorum Ecclesiasticorum rerúmque sacrarum contrectationem, eum à Vicario Archiepiscopi Toletani excommunicatum fuisse scribunt.

[y] Roder. lib. 9. cap. 4.
[z] Marian. lib. 12. cap. 6.
[a] Reg. Honor. ann. 2. 10. Cal. Dec. apud Bzov. an. seq.

XII. HISPANORUM INIUSTITIA IN DENEGANDO REGNO CASTELLÆ BLANCÆ REG. FRANC.

Cùm verò duæ Henrico sorores essent natu majores; *Blanca* videlicèt, quæ Ludovico Francorum Principi nupserat; & *Berengaria* olim incestis nuptiis Alfonso Regi Legionensi juncta, & ab eodem Innocentij PP. jussu repudiata: tametsi Blancæ prærogativâ ætatis, ac legibus Hispaniæ, Iurisque consultorum placitis, regnum deberetur; Castellani tamen jura regnandi studiis populorum, ac rerum proximitate metientes, maturatis comitiis, Blancâ prætermissâ, Berengariæ regnum detulêre, ex decreto, ut ferebant patris superstitis. Nàm quod prædictus Rodericus, & Tudensis habent Berengariam inter sorores fuisse primogenitam, magis ex partium studio (ut etiam ingenuè fatentur Rodericus [b] Santius, Garivaius, & Mariana [d], ipsimet Hispani, & inter eorum historicos accuratissimi & receptissimi) quàm ex fide positum est; etiamsi sequiori opinioni eodem studio plures alij earum partium auctores suffragentur, ne cogantur gentis injustitiam agnoscere. Quam sanè & agnoverunt antiqui cæterarum nationum historici: intérque eos Ptolomæus Lucensis Episcopus Torcellensis, Blondo & aliis sæpè laudatus; cùm tam in suis Annalibus [e] quàm in Historiâ [f] scribit, Berengariam cum Ferdinando filio regnum Castellæ invasisse, & armis occupâsse, licet duplici jure deberetur Blancæ, & ex pactis dotalibus, & ut primogenitæ. Extántque [g] in Thesauro Titulorum Franciæ, plures epistolæ multorum procerum Castellæ ad Ludovicum & Blancam, quibus regnum offerunt Ludovico ipsorum filio, supplicántque ut eum in Castellam mittant: quippe præter jus naturale, Alfonsus Henrici pater ultimâ suâ voluntate statuisset, si Henricus absque liberis decederet, regnum deferri liberis Blancæ jure hæreditario.

[b] Rod. San. Hist. Hisp. par. 4. cap. 4.
[c] Gariv. lib. 12. c. 41. & lib. 13. c. 10.
[d] Mar. lib. 12. cap. 7.
[e] Lucen. an. 1214.
[f] Id. Hist. lib. 21. c. 16.
[g] Sammarth. Hist. Franc. lib. 7. in S. Ludov.

XIII.

Injuriæ autem illis factæ ut nonnulli medeantur, volunt [h] S. Ludovicum Blancæ filium, qui post matris obitum jure regnum debebatur, eo cessisse in favorem nuptiarum Blancæ filiæ suæ cum Ferdinando pronepote Berengariæ. Quod equidem (utcumque tandem id se habuerit; neque enim desunt, qui ejusmodi cessionem & omninò factam negent, & fieri non potuisse astruant: quæ si demûm facta fuerit, vel ex hoc solo capite apertissimè confunduntur qui Blancæ ætatis prærogativam, & jus legitimum in id regnum negare non sunt veriti,) haud adeò abnuerim; cùm sciam non eo statu tunc fuisse regnum Castellæ, ut potentissimi juxtà ac religiosissimi Regis, solis expugnandis Infidelibus, ac paci inter Christianos Principes, etiam cum rerum suarum detrimento, conservandæ, (ut aliis exemplis videbitur inferiùs) totis piissimi animi & florentissimi regni viribus intenti, cupidinem cum damno Christianitatis in Hispania solicitare deberet.

[h] Vid. infr. an. 1269. V.

XIV. FERDIN. III. CREATUR REX CASTELLÆ.

Ceterùm Berengariam vitæ privatæ studio, dominationem in filium Fernandum, sive *Ferdinandum* ex eodem incesto conjugio natu maximum transtulisse, iidem auctores tradunt; egregium cętera Principem, ejus nominis Castellæ Regum Tertium, decimúmque circiter & octavum ætatis tum annum agentem: Alfonso ejus patre impotentiùs ejus electionem ferente, quòd ad novi regni quasi dotalis spem animum adjecisset; armáque etiam aliquandiù in eum inferente: adeò omnia pietatis jura confundit funesta imperandi ambitio! Ferdinandi porrò electionem confirmatam fuisse ab Honorio Pontifice, ejúsque regnum in protectionem Sedis Apostolicæ susceptum, (quod erat his temporibus, esséque semper debilioribus deberet, potentissimum remedium repellendis adversariorum injuriis:) ex ejus epistolis alij [i] comprobant.

[i] Bzov. an. 1218.

IESU CHRISTI Annus 1218.

HONORII III. Ann. 2.

PETRI Ann. 2.

I. APPARATUS CHRISTIANORUM AD INVADENDUM SARACENOS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo decimo-octavo, Indictione sextâ, conveniente Acconem in Phœniciâ ingenti Crucesignatorum multitudine, ex Germaniâ potissimùm & Galliâ, tam illorum quos vel jam anno superiori illic militâsse, vel in Italiâ Hispaniáque hiemâsse vidimus, quàm aliorum; unà cum Ioanne Rege Ierosolymitano, (Andream namque Hungarum jam ad suâ accessisse ostendimus: Hugo Cyprius Tripoli ex hâc vitâ decesserat adhuc adolescetulus, relicto filio Henrico novem tantummodò mensium puerulo:) Duce Austriæ, Magistris trium Ordinum militarium, Hospitalariorum, Templariorum, Teutonicorum, multisque aliis proceribus Ecclesiasticis & sæcularibus: decreta est obsidio urbis Damiatæ in Ægypto, sicut & olim Innocentio Papæ in Concilio Lateranensi placuis-

DAMIATA QUÆ ET QUALIS CIVITAS.

se dicebatur: quæ olim Pelusium, ut magis placet, dicta, posteà nomen Æliopolis (non Heliopolis, ut nonnulli habent; cùm etsi in eâdem Ægypto, longo tamen intervallo distent) ab Ælio Cæsare cepit, (nec illo Pertinace, ut quibusdam visum, cui Helvij, non Ælij prænomen) & triplici muro cincta, fossá navigabili è Nilo ductâ, in oblongæ insulæ speciem obducebatur: nobilissimum totius Orientis emporium, mercibus extremo ab orbe importandis, ac totum in orbem terrarum dividendis. Quæ ipsa res Christianos ad eam obsidendam incitabat, ut Deo militantes, se prædâ gentium ditissimarum locupletarent: cùm & alioqui, etiamsi expeditio ad Terræ Sanctæ, & quæ in Syriâ Christianis erepta fuissent recuperationem (ad quæ non pertinebat Damiata) instituta fuisset; tamen caput Saracenicæ superstitionis Ægyptus tunc esset, cujus imperio incolumi Christiani nullum operæpretium in Syriâ facturi videbantur; captâ autem Damiatâ, & Cayrus & Babylon facilè casuræ forent, ipsáque Ierosolyma ultrò reditura, ac tota gens Saracenica longè abitura.

II. OBSIDETUR A CHRISTIANIS.

Ceterùm appulsis Christianis Damiatam mense Maij, paulò pòst facta est eclipsis Lunæ ferè generalis: quæ licèt ex causis naturalibus sciretur procedere, eam tamen in Saracenos interpretati Christiani, quasi portendentem ipsorum defectum qui sibi Lunam attribuerēt; animosiores redditi sunt. Sed priùs expugnanda fuit Turris ingens, firmissimáque, in medio flumine posita, quæ amplum suburbium, locupletissimas mercium tabernas, ac publica horrea, à piratis & prædonibus tutaretur; eadémque propterea telis, tormentis, ac propugnatoribus egregiè munita: quæ nonnisi post multa ac difficillima certamina militum, precésque ac litanias sacerdotum, obtineri potuit die festo S. Bartholomæi 24. Augusti. Ejus verò amissionis dolore Saphadinus, supremus totius Orientis Saracenorum dominus, fratérque Saladini illius quem vidimus cepisse Ierosolymam, cujus & filios undecim, post ejus mortem, uno excepto Naradino Halapiæ Sultano, seu domino, ut regnaret ipse cum propriis filiis, impiè occiderat:) inveteratus dierum malorum, mortuus est, ac sepultus in inferno.

III.

Post turrem verò captam, ingentibus partis divitiis, multis ex Christianorum exercitu Europam repetentibus; advenerunt rursùm alij ex Galliâ, Italiâ, Angliâ, unà cum Pelagio Cardinale Episcopo Albanensi Apostolicæ Sedis Legato ab Honorio PP. misso, (cujus & aliam sub Innocentio Legationem vidimus) Roberto de Corceone Anglo Presbytero Cardinale tituli S. Stephani in monte Cælio, multísque aliis Antistitibus ac Proceribus earumdem gentium: ac nonnullis cum Melealimo (Meledinum alij vocant) Sultano Babyloniæ, prædicti Saphadini filio, qui exercitum adduxerat, initis pugnis; periculosiùs certatum est cum insolitâ Nili tali tempore, nempè fine Novembris, excrescentiâ, (quæ solùm post festum S. Ioannis Baptistę usque ad Exaltationem S. Crucis accidere consuevit, hoc [a] est à Lunâ novâ quæcumque post solstitium æstivum est, donec quadraginta circitèr diebus crescat, totidémque decrescat) atque sævissima maris procellâ, quodámque pestilentis morbi genere: & adversùs has clades indictis à Legato jejuniis & orationibus, divina misericordia efficaciter implorata. Sicque transiit hic annus: cujus res gestas breviter à nobis relatas, distinctè ac copiosè refert qui omnibus interfuit Iacobus de Vitriaco in Historiâ sua Orientali [b]; & à Turri captâ etiam Oliverius Saxo Germanus,) tunc Scholasticus Coloniensis, & insignis prędicator Crucis pro subsidio Terræ Sanctæ, posteà Episcopus Paderbornensis, & Cardinalis Episcopus Sabinus creatus ab Honorio Pontifice: cujus & meminit cum laude Cæsarius [c] sæpè in suis Miraculorum libris) Epistolâ ad [d] Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum de Captione Damiatæ, iisdem pene verbis; ut pateat, alterum ab altero ea mutuatum esse, vel utrumque simul contulisse: & ex illis Parisius in Henrico Tertio, Godefredus Coloniensis in Annalibus, Monachus Altissiodorensis in Chronologiâ; breviúsque alij; elegantiùs verò, sed nonnihil perturbatiùs, ut solent, Blondus, Bonfinius, Æmilius; & linguâ Italicâ jam superiùs laudatus Iacobus Bosius in Historiâ [e] Hospitalariorum.

IV. NAUFRAGIŨ DESERTORUM SACRÆ MILITIÆ.

Legimus verò in Chronico antiquo ms. cujusdam Armorici; hoc ipso anno Herveum quemdam de Leone virum inter Britones armis & divitiis potentem, qui in expeditione Syriacâ erat, cùm mortuo ibidem Vicecomite Fogi sororio suo, cupidine terræ ejus occupandæ in patriam redire contra prohibitionem Patriarchæ decrevisset, eáque occasione alij quoque ad sexdecim millia ad sua redituri desertâ militiâ sacrâ vela hieme fecissent; omnes simul prope Brundusium confractis sævissima tempestate navibus naufragio periisse, paucis tabularum & fragmentorum adminiculo terram attingentibus. Atque ita (inquit auctor) qui terræ cupiditate Dei servitium intermisit, justo Dei judicio terrâ caruit, & honore sepulchri.

V. SIMONIS MONFORTII OBITUS.

Hoc eodem anno apud Tolosam Galliæ *Simon* Comes Monfortius è vivis excessit. Cùm enim, ut obtemperaret Bertrando tituli SS. Ioannis & Pauli Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, à Papa Honorio ad eas partes, ut res fidei ac religionis promoveret, misso, pacis conturbatores in Provinciâ persequeretur, atque interim mense Septembri anni præcedentis Raymundus Excomes Tolosanus ex Hispaniâ quò secesserat rediens & à Tolosanis secretò receptus, eamdem urbem muris à Simone nudatam præcipiti properantiâ fossis & repagulis cingere festinasset; uxoribus Simonis ejusque fratris ac filiorum in urbis munitione existentibus; móxque accurrens Monfortius urbem obsedisset, & quòd amplissima, ac civibus & militibus, iisdemque obstinatissimis hæreticis, refertissima esset, nec valeret totam præ suorum paucitate circumvallare, nec partes quas invaderet præ contumaci obsessorum resistentiâ facilè expugnare: Demùm post novem fermè obsidionis menses, cùm posterâ die festi sancti Ioannis Baptistæ vigesimâ quintâ Iunij erumpentes in castra sua hostes fortiter repulisset; lapide machinâ conjecto caput lethaliter percussus, ac quinque prætereà sagittis confixus, martyrium potiùs quàm mortem subiit, pectus bis

[a] plin. lib 5. cap. 9.

[b] Vitr. Hist. Or. lib. 3.

[c] Caes. lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap. 6. lib. 12. cap. 23.

[d] Ext. to. 1. Orient. Expedit.

[e] Bos. lib. 13

AC PIETAS.

tundens, ac Deo se & B.Mariæ Virgini commendans: cùm & initio eruptionis sacrificio Missæ ipse assistens, quamvis repetitis nunciis sollicitatus suis graviter laborantibus succurrere, omninò negâsset priùs se iturum quàm suum Redemptorem vidisset: túmque demùm adoratâ sacrâ Hostiâ in elevatione Sacerdotis, manibus in cœlum elevatis, *Nunc dimittis*, inquîsset, *servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*: ac subjunxisset, *Eamus, & si oportuerit moriamur pro illo qui pro nobis mori dignatus est*. Narrat hæc pluribus Petrus; qui Historiam ejus fideliter conscripsit, & in ejus obitu terminavit: necnon Guillelmus de Podio Laurentij[f], & ex eo Bernardus Guidonis: meminerúntque plurimi alij, nemine non eum summis pietatis ac fortitudinis, ut planè meruit, laudibus extollente, ac perenni memoriâ dignum prædicante. Quem & propter virtutē ejus admirabilem, vulgò *Comitem fortem* vocatum fuisse Rigordus[g] Philippi Regis capellanus & Vitæ scriptor ait; eumdémque quamvis semper esse sub armis, semper in periculo omni tamen die Missam & omnes horas canonicas audisse; atque spretâ pro Dei servitio patriâ, sic se egisse militem in hac peregrinationis viâ, ut demùm se videret civem in patriâ Ecclesiæ triumphantis. Ejus verò & obitum præmonstratum fuisse in somnis S. Dominico ejus amicissimo, visione proceræ cujusdam arboris ramorum expansione & densarum frondium venustate insignis, in cujus ramis quiesceret aviū multitudo copiosa: quæ corruit, & omnis cœtus volatilium dispersus aufugit; narratur in Vitâ ejusdem Sancti[h]. Haud tamen omittimus piam observationem prædicti Guillelmi de Podio Laurentij; non adeò prosperè successisse arma Simonis ac suorum, postquàm rebus domesticis prospicientes superbiùs imperare cœperunt, & minùs hæresis extirpationi, cujus causâ bellum susceptum fuerat, intendere.

f Pod. Laur. cap 30.

LAUDESQUE.

g Rigor. an. 1213.

VISIO DE EIUS OBITU OBLATA S.DOMINICO.

h Theodor. lib.2. cap.2. & ap. Vincent. lib.30. cap. 85. Anton. tit. 19. cap.3. §.1 & tit.23. cap.4. §. 8.

CULPA ALIQUA SIMONIS.

VI. TRES FILII EIUS.

Reliquit Simon tres filios, Amalricum, qui in patris ditionem successit; Guidonem Comitem Bigerronum seu Bigorræ in Aquitaniâ, cujus Comitissam Petronillam uxorem duxerat; & Simonem, qui fuit Comes Lecestriæ in Angliâ ex aviæ hæreditate. Amalricus autem solutâ obsidione, cadaver patris primò Carcassonam, indéque postea ad sepulchra avita Monfortium cum honore deducendum curavit; amisso interim fratre suo Guidone in quodam certamine apud Christum-novum-de Ario cum hæreticis inito. Cessantibúsque post obitum Simonis expeditionibus peregrinorum, habuit idem Amalricus opus deserere: cui, quamvis haud patri virtute impar, non erat tamen ulteriùs ducendo ob hostium potentiam & urbium defectiones. De quo rursùm posteà; necnon de fratre minimo Simone.

VII. OTHONIS EXIMPER. OBITUS.

Mortuus est item hoc anno *Otho* olim Imperator; ut testantur Vrspergensis, Stadensis, Coloniensis, & alij: quamvis Stero sequentem signet, Siffridus præcedentem: ídque Idibus Maij, ut Coloniensis; sive decimo-quarto Calendas Iunij, ut Stadensis habet: felicior morte quam vitâ. Siquidem scribit Coloniensis, eum jam octo annos excommunicatum, cùm septem honoratos viros pro impetrandâ veniâ Romam misisset, sed tamen stare mandato eorum non admitteret, febre correptum, ubi sibi diem mortis imminere cognovit; Episcopo Hildensheimense, aliísque religiosis viris ad se vocatis, postquàm cum gemitu & lacrymis mandato Pontificis stare jurâsset, ab Episcopo absolutum esse; susceptísque Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Vnctionis sacramentis, cum magnâ cordis contritione decessisse. Addit verò Stadensis, & post eum Krantzius[i], tantam fuisse morituri pœnitudinem, ut coquis suis præciperet collum suum calcaneis premere, & vilissimam Dei creaturam omninò supplantare: ejus autem absolutionem Honorium PP. ratam habuisse. Extátque apud Thomam Cantipratensem[k], testimonium apparitionis ejusdem Othonis pœnis purgatorij excruciati, factæ ejus materteræ quæ monasterio virginum præerat, certa quædam suffragia orationum & disciplinarum à diversis monasteriis efflagitantis: alteriúsque post illa adimpleta, immensâ claritate fulgentis, & se à pœnis liberatum declarantis. Nec hoc mirandum monet Cantipratensis; quippè audîsset ipse ab iis qui diutino ejus languori & morti interfuerant, eum singulis diebus dorsum suum exhibuisse sacerdotibus flagellandum; tantámque ejus contritionē fuisse, ut Hildensheimensis Episcopus testaretur, vix se posse credere ut post tantam cōtritionis pœnitentiam Otho vel ad horam purgatoriū sustineret: cùm & præterea anno qui mortem præcessit infinitam annonā tempore famis diversis monasteriis & pauperibus largâ manu divisisset.

i Krantz.7. Saxon.37.

EIUS INSIGNIS POENITENTIA.

k Cantipr. lib.2.cap.53.

VIII.

Ac nequid de ejus pœnitentiâ omittamus, legitur apud Walsinghamum[l], cùm instante morte viaticum recipere (quia nihil retinere poterat) non auderet, tamen Corpus Christi ad se allatum humiliter adorâsse; & cùm quasi amplexaturus brachiis expansis nudo corpore approximaret, factâ in latere aperturâ, sacram hostiam de manu sacerdotis prosilientem per eam intrâsse, & confestim latus consolidatum esse. Quod ut non negamus fieri potuisse; (nam & in S.Bonaventurâ factum legimus[m], unde & fortè sumpsit qui Othoni tribuit:) ut tamen factum in Othone fuerit vix in animum inducimus ut credamus, cùm reliqui dicant eum reverâ communicâsse, & haud dubium viâ naturali consuetâ: nec tanti ponderis est auctoritas hujus scriptoris, ut cæteris prævalere debeat. Sicuti nec illud credimus, quod habent alij[n], ejusdem ferè fidei homines, Othonem postquàm excommunicatus fuit, numquam sedisse ad mensam cibi sumendi causâ: quandoquidem scimus illum obstinatissimum diù permansisse, excommunicatione nihili pensâ. Potuit tamen id servare postquàm seriò ad cor rediit. Denique quod addunt, in obitu jussisse ossa sua deferri coram Summo Pontifice, quò saltem cadaver conveniret cum Ecclesiâ quam in vitâ læsisset; si reverâ jussit, (quod tamen magis cæteris adinventionibus adnumerandum videtur) ingens fuit signum ejus contritionis. At de illo hactenùs.

l Vvalsingh. in Hypodig. an. 1215.

FALSA QUÆDAM DE EO ASSERTA.

m Vinc. S. Franc c.4. Vvaddingh. Annal. Minor. tom. 2. an.1274.

n Cor. Hist. Mediol. par. 2.

IX. HONORII PONT. GESTA ALIQUA HUIUS ANNI CUM DIVERSIS PRINCIP.

Quod alia attinet; inter illa quæ Papa Honorius in utilitatem Ecclesiæ & commodum Principum hoc anno præstitit, quæ plurima fuêre, Philippum[o] Francorū Regem hortatus est laborantibus post necem Monfortij Catholicis contra Tolosanos succurrere. Et Iacobo Aragoniæ Regi, unde Raymundus au-

o Quæ sequuntur desumpta sunt ex Reg. Honor. PP.

xilia in Catholicos eduxerat, interdixit ne perduelles tueretur, néve subditos suos eis favere toleraret, aut negotiis Tolosanorum sese ullo modo immisceret. Cùm item Henricus Rex Angliæ, Berengariæ viduæ Richardi olim Regis dotalitia bona, ab Ioanne Henrici patre ex pacto roborata, & à Sede Apostolicâ confirmata, eripere conaretur; præcepit Henrico Honorius ab ejus infestatione cessare: recusantémque censuris compellere injunxit Gualoni Gardinali Legato, & Episcopo Wintonensi. Quódque timeret Berengaria, nequis Episcopus instinctu Regis censuras in ipsam aliquo prætextu exereret: exemit tam illam, quàm etiam Isabellam relictam Ioannis, (quæ & ipsa pro juribus suis Pontificem interpellavit) hoc metu Pontifex, sublatâ cuivis Antistitum omni potestate ullam in eas earúmque res Ecclesiæ vindictam exercendi: quin etiam utrique indulsit, ut tempore generalis & particularis interdicti possent sacris interesse, dummodò causam ipsæ interdicto non dedissent. Iisdémque privilegiis dignatus est Alexandrum Scotorum Regem (quod & plurimis aliis Principibus sæpè his temporibus alij Pontifices præstiterunt.) Ac denique *Guillelmum* [p], ex monacho Cisterciensi Bituricensem olim in Galliâ Archiepiscopum, non ita pridem defunctum, sed miraculorum gloriâ illustrem, in Sanctorum numerum retulit.

GUIL. ARCH. BITUR. CANONIZATIO.

[p] *Hoc ipsum testatur etiã Altissiod. Vincent. & alij extat verò Guill. Vita in Fascic. SS. Ord. Cisterc. lib. 1. dist. 20. & adde Robert. in Gall. Christ. in Arch. Bitur. num. 68.*

X. ORD. S. MARIÆ MERCEDIS INSTITUTIO.

Hoc ipso anno à Iacobo Aragonum Rege Barcinone sacrum Ordinem institutum S. MARIÆ MERCEDIS nomine, Surita [q] habet in Rebus Aragonensibus, & Mariana [r] in Hispaniensibus: (quem tamen alij probabilibus rationibus in annum 1223. referunt:) seu voti reus, ut quidam scribunt, id Rex fecerit, quòd Montionis arce captivi instar à suis puer detentus, usu didicisset quantum esset captivitatis malum: seu, ut alij, quòd cùm multi terrâ marique Christiani homines capti à Mauris, & in servitutem abacti, vitæ acerbitate à fide moverentur; magnum id dedecus Christiani nominis Rex arbitratus, ut erat pietatis & religionis cultor insignis, societatem hominum instituerit, qui corrogatis undique eleemosynis stipem colligerent, quâ Christianos à barbaris & infidelibus redimere, pristinæque libertati restituere deberent. Usus est autem hâc in re consilio *Raymundi Peniaforti*, Barcinonensis, qui tunc Regi à confessionibus erat, & deinde Ordinis Dominicani Magister fuit, de quo sæpè inferiùs; ac *Petri Nolasci* nobilis Galli è regione S. Pauli provinciæ Narbonensis; qui secundùm Regem Ordinis ducem secuturis se præbens, primus omnium ejus instituti habitum de manu Raymundi solemni ceremoniâ suscepit; (vestem nempè candidam cum cucullo, ac cum regis Aragoniæ insignibus, & Cruce argenteâ superimpositâ in rubro clypeo) & Magister Generalis creatus præscriptis legibus Ordinem temperavit. Ad cujus institutionem, tam Regem, quàm Petrum ac Raymundum, divinis Beatissimæ Virginis visionibus & hortationibus impulsos fuisse; ejusdem Ordinis Annales historici tradunt. Fuisse verò posteà à Gregorio PP. Nono sub Regulâ S. Augustini approbatum, patet ex ejus eâ de re constitutione [s] 16. Cal. Febr. ipsius Pontificatûs anno octavo; qui fuit Domini 1235. Sunt autem duplicis [t] generis in hâc familiâ Sodales; alij Milites, sive Equites, alij monachi: quibus utrisque unus hodie præest Magister generalis Barcinone residens, & quidem Sacerdos, ex decreto Clementis Quinti, & Ioannis XXII. cùm olim suum singuli habuissent præfectum ac moderatorem. Iam porrò antehàc alium institutum fuisse in Galliâ Ordinem ejusdem instituti sub nomine *Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum*, vidimus [u] sub Innocentio Tertio.

[q] *Sur. Indic. lib. 1.*

[r] *Mar. lib. 12. cap. 8.*

[s] *Bull. to. 1. in Greg. IX. const. 9*

[t] *Menea. de Milit. Ordin. & de const. 9.*

[u] *Ann. 1209. X.*

XI. MARIS INGENS INUNDATIO IN FRISIA.

Denique hoc eodem anno mare terminos suos in Frisiâ egrediens, magnam ejus regionis partem inundavit, plurima loca subvertit, & plusquàm centum hominum millia consumpsit. Cujus diluvij causam fuisse divinæ vindictæ tribuendam, quòd homo quidam temulentus sacram Eucharistiam de pyxide quam Sacerdos tenebat excussisset in terram; posteà cognitum est revelatione Beatissimæ Virginis. Rem verò breviter narrat Trithemius [x]; sed ex prolixiori, ut apparet, tractatu Cæsarij [y], tunc viventis cùm facta est; qui & Ecclesiam eo loci ubi sacra Eucharistia excussa est ædificatam fuisse ait; & alia quamplurima circa delapsas sacras Hostias his iisdem temporibus edita miracula alibi [z] refert.

[x] *Trithem. in Chron. Hirsaugh.*

[y] *Cæsar. 7. Dial. 3.*

[z] *Ibid. lib. 9.*

IESU CHRISTI Annus 1219.
HONORII III. Ann. 3.
PETRI An. 3.

I. DAMIATA OBSIDETUR A CHRISTIANIS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo decimonono, Indictione septimâ, ipso anni exordio Christiani post Turrim Nili (ut vidimus anno superiori) captam, Damiatam ipsam aggressuri, urbem amplam & munitissimam in ulteriore ripâ sitam; ingentibus incommodis tam à civibus, & exercitu Sultani, qui ad urbem castra fixerat, quàm hiberni temporis injuriis affecti, fluminis transitum tentârunt: donec immisso divinitùs nocte festi S. Agathæ Non. Febr. terrore in Sultanum, ejúsque proceres (renovata sunt etiam his sæpiùs expeditionibus antiqua miracula, & speciales gratiæ Fidelibus impertitæ) ipse relictis castris aufugit cum suis; ac Christiani transmisso liberè flumine, multos ex fugientibus occiderunt, castris potiti sunt; urbémque undique obsidione cinxerunt, desperatione jam propemodùm affectam.

II. MURI IERUSALEM A SULTANO DISIECTI.

Quando & Coradinus alius Saphadini filius, Damasci & Ierosolymæ Sultanus, auditâ fratris fugâ, Christianorúmque successu; retinendæ ultra Ierosolymæ spem omnem abjiciens, inexpugnabilis licèt ferè visæ, ne & Christiani rursùm captam retinere possent, muros ejus, propugnacula, ac turres omnes funditùs diruit; solis parcens Turri Davidis, ac Templo Domini Sepulchróque: à quibus vel propter locorum reverentiam, vel ut Christianis ex omni Syriâ, Armeniâ, Æthiopiâ, Georgianâ, aliisque Asiæ tractibus, sub dominio Saracenorum Terram Sanctam incolentibus gratificaretur, manus abstinuit. Qui tamen ingentem exercitum Damiatam ducens, unà cum ceteris qui à fugâ vires & animos resumpserant; nonnullis occupatis, illorum desidiâ & inertiâ quos eâ cura tangebat, opportunis locis,

Christianos arctiùs ferè obsedit quàm ipsi urbem. Vnde & acerrima inter eos conserta sunt certamina, cum magno utriusque partis, sed tamen majori Saracenorum damno: nisi quòd eorum uno, Gallorum innatâ audaciâ hostes imprudenter adorientium inito, (quo maximè vitio, præ nimio pugnandi ardore, in bellis laborare perhibentur) multi occisi captíque sunt Proceres Galli, ipséque Rex Ierosolymitanus Græco, ut vocant, igne, quem facibus tragulísque Saraceni immittere consueverant, penè combustus vix evasit.

GALLORUM INCONSIDERATA FEROCIA RETUSA.

III.

Post hæc verò, cùm & cœpisset urbs fame ac peste vexari; nec Christiani, quamvis multis cæsis, plurimísque subinde abeuntibus obsidionem solvere cogitarent; Sultani fratres Malealimus & Coradinus, penuriâ & ipsi aliísque incommodis afflicti, desiderio Damiatam retinendi, obtulerunt restitutionem S. Crucis quam Saladinus ceperat, & omnium captivorum; sumptus ad reparandam Ierosolymam, & totum regnum Ierosolymitanum, duabus exceptis munitionibus, pro quibus tributum penderent. Sed rejectâ auctoritate Legati ac Patriarchæ, quæ Ioanni Regi plurimísque ducibus accipienda videbatur, conditione; demùm Nonis Novembris cùm nonnulli milites portas urbis propiùs accessissent, & altum in propugnaculis & intra mœnia silentium intellexissent, re ad Duces relatâ, etsi dolus mutuebatur, admoveri tamen scalas placuit: conscensísque muris, & fractis portis, exercitus introductus est, nemine ferè qui resisteret invento, sed stratis tabo cadaveribúsque viis; cùm ex 70. velut alij habent 80. hominum millibus qui initio obsidionis in urbe erant vix tria superessent; quibus eâ lege concessa vita ut urbem purgarent. Sícque capta est munitissima & opulentissima civitas duodevigesimo obsidionis mense, divináque potiùs deditione quàm armis aut vi humanâ; inspectante etiam, nec obsistente Sultano, sed castris spontè combustis turpiter aufugiente, ut magis appareret omnia divinitùs fieri. Ingens præda omnis generis parta: Saracenorum basilica immenso sumptu ædificata, in honorem B. Virginis consecrata: cætera ritè disposita. Quæ ut se habuerint, fusè prosequuntur iidem quos superiùs diximus, Vitriacus, Oliverius, Parisius, Godefredus, Altissiodorensis, Sanutus, Blondus, Bonfinius, Æmilius, Bosius; Vincentius [a] item, Antoninus [b], Nauclerus [c], & siqui alij. De quibus & Vrspergensis nonnulla secùs habet, peccans etiam in tempore rerum gestarum.

DAMIATA CAPITUR.

[a] *Vinc. lib. 30. cap. 86. & seqq.*
[b] *Ant. par. 3. tit. 19. c. 3.*
[c] *Naucler. gener. 41.*

IV.

S. FRANCISCUS MARTYRIUM QUÆRIT, NEC INVENIT.

Adfuit verò etiam tum in obsidione Damiatæ Sanctus Franciscus Assisias Fratrum Minorum conditor: qui cùm ardens martyrij desiderio, jam aliàs semel in Syriam, iterúmque Marochium ad prædicandam Infidelibus Christi fidem, peregrinationem irrito conatu suscepisset; nunc demùm Damiatam delatus est, & ingenti vitæ periculo hostibus sese capiendum obtulit ad Sultanum ducendus. Cui cùm fidem insinuare cœpisset, ísque ejus conservatione delectatus instantiùs hortaretur apud ipsum residere: promisit Franciscus mansurum se, si vellet ille Christi fidem amplecti; & ne de certitudine Fidei dubitaret, ingressurum se rogum ardentem cum sacerdotibus Mahometanis; vel si illi periculum detrectarent, subiturum se solum, dum se illæso exeunte Sultanus Christum agnosceret. Respondente verò Sultano, se minimè optionem accipere audere, quòd formidaret seditionem populi: offerentéque munera pretiosa, ut vel pro salute ipsius ea Christianis pauperibus & Ecclesiis erogaret; amator paupertatis, quia & onus fugiebat pecuniæ, & nullum in animo Sultani cernebat veræ pietatis radicem; iis omninò recusatis, amissáque penitùs spe martyrij, ad castra Christianorum reversus est; indéque divinâ revelatione in Occidentem: ubi jam Frater Elias, relictus ab eo ordinis Vicarius, nonnulla moliebatur in detrimentum regularis observantiæ, quam jam in Comitiis nuperìs convellere tentaverat. Narrat hæc Bonaventura [d] in Vitâ ejusdem Sancti; & ex eo Sanutus [e] in Historiâ Terræ Sanctæ: quorum & testis oculatus Iacobus de Vitriaco [f], qui se illum apud Damiatam in exercitu Christianorum vidisse scribit.

[d] *Bonav. cap. 9.*
[e] *Sanut. lib. 3. par. 11. cap. 7. & 8.*
[f] *Vir. lib. 2. cap. 32. & ep. ad Ioan. de Nivel. & ap. Anton. par. 3. tit. 24. cap. 7.*

V.

DE SULTANO, CUM QUO S. FRANC. EGIT.

Quod verò hunc Sultanum sunt [g] qui eumdem faciunt cum illo, quem Vitriacus [h] & alij valdè favisse Christianis, & baptizatum fuisse tradunt; longè erràsse agnoscuntur; cùm ij istum Christianorum fautorem, Iconij, non Babyloniæ aut Ægypti Sultanum fuisse, & diem obiisse in ditione suâ dum Damiata obsideretur, scribant; fuisséque filium (seu potiùs, ut ex eorum stemmate [i] constare videtur, fratrem) Sultani illius quem olim Theodorus Lascaris occiderat [k]; & filium quemdam Saphadini contra alios ejus fratres protexisse, quæ omnia quantùm abhorreant à Sultano Babyloniæ ad quem S. Franciscus accessit, nemo non videat, cùm fuerit ille longè superstes obsidioni Damiatæ, filiúsque Saphadini, quem non nisi anno superiori post captam Turrim Damiatæ mortuum esse vidimus. Cùm tamen haud propterea negare velimus, factum esse Sultanum Ægypti mansuetiorem ex colloquio cum S. Francisco habito; quem visuri [l] sumus humanissimum sese Christianis exhibuisse in clade Ægyptiacâ post captam Damiatam.

[g] *Vvaddingh. in Annal Minor.*
[h] *Supr. an. 1206. in fi.*
[i] *Append. ad Hayton. cap. 15.*
[k] *Supr. ann. 1204. XII.*
[l] *Infr. ann. 1221. XVII.*

VI.

CAPITULUM AMPLISS. STOREARUM ORDIN. MINOR.

Antequàm verò Franciscus Ægyptum peteret, celebravit hoc anno in Pentecoste Assisij Comitia Ordinis sui, seu ut vocant Capitulum generale, amplum ad miraculum: quippe cui plus quinque millibus Fratrum ex omnibus provinciis & regnis, in quæ jam dilatati tam brevi tempore fuerant, interfuisse dicantur; præter illos qui in cœnobiis remãserant. Quod primum [m] omnium fuisse nonnulli censent, alij secundum. Dictum autem *Storearum*, quòd ob immensum Fratrum numerum, in tuguriis & casulis, ac storeis compactis habitare habuerint. Interfuit *Hugolinus* Cardinalis Ostiensis, primus Ordinis Protector, posteà Gregorius PP. Nonus, qui nihil in tantâ multitudine cernens inordinatum aut incompositum, sed omnes divinâ tractantes, & seriùs de sua aliorúmque salute sermocinantes; verè castra Dei esse illa dixit. Cùm nihilominùs reperti sint inter illos plurimi, qui instinctu dæmonum sub specie boni & æqui, circa receptionem nobilium, literarum magistrorum, & puerorum, ad enervandum disciplinæ rigorem, nonnulla ab instituto Ordinis valdè absona

[m] *Vid. supr. ann. 1216. XVIII.*

Vtrùm Dominicus ei interfuerit.

proposuerint: quos, aliósque aliis viis id ipsum tentantes, divinitùs S. Franciscus compescuit. Interfuisse verò etiam S. Dominicum cum septem sociis; & obstupefactum divinæ providentiæ exemplo, quo tantæ Fratrum multitudini, absque ullâ eorum ipsiusve Francisci prævia curâ, quinimmò expressâ Francisci interdictione nequis de rebus ad corpus pertinentibus sollicitus esset, vidit ab urbibus & civitatibus vicinis omnia sponte abundantissimè certatim afferri; constituisse redditus omnes à suo quoque Ordine removere; Annales[n] Minorum hæc sui Ordinis Comitia describentes, longâ auctorum & argumentorum serie asserunt: negantibus nihilominus Dominicanis, tum Dominicum his Minorum Comitiis interfuisse, tum exemplo S. Francisci bonorum proprietatem abdicasse, quantumvis non inficias eant S. Dominicum id in Ordinis sui Comitiis Bononiensibus anni consequentis, sed propriis suis rationibus motum, statuisse. Franciscus autem statutis quæ ad Ordinem pertinebant, dimissis ad omnes mundi partes Fratribus, ipse sibi duodenísque sociis Syriæ & Ægypti regiones designavit, atque in Ægyptum, ut diximus, pervenit.

[n] *Vvadingh. tom. 1. hoc an.*

VII. *Liber antiquus Damiatæ repertus.*

Vbi etiam dum obsidio Damiatæ adhuc duraret, repertum esse librum Arabicè scriptum, cujus auctor se Iudæum, vel Christianum, aut Saracenum esse negabat; prædicentem victorias Saladini, occupationem Damiatæ per Christianos, & destructionem urbis Mechæ, atque ossium Mahometi distractionem; Vitriacus, Antoninus, & alij memorant. Qui & munitissimam urbem Tancos, (in qua lapidatus olim propheta Ieremias) paucis post Damiatam diebus à Christianis non minori miraculo captam esse, referunt: & Regem Georgianorum auditâ Damiatæ occupatione, decrevisse pariter Saracenos invadere: Esse autem *Georgianos* cultores quidem Christi, sed rituum Græcorum observatores, Persis vicinos, & longo terrarum tractu ad Caspios usque montes dominantes; rasuram capite, clericos rotundam, laïcos quadratam gestantes; pugnacésque tam viros quàm nobiles feminas. Sic autem dictos Vitriacus[o] habet, eò quòd S. Georgium in præliis suis contra Infideles præcipuum patronum haberent, atque invocarent. Quod verò religionem spectat; addunt Vincentius[p] & Antoninus[q], subditos olim eos fuisse Patriarchæ Antiochenos; sed quòd propter bellorum incommoda non possent ab eo visitari, nec ipsi ad eum accedere, petiisse ab eo universalem Vicarium; ipsum verò suas vices cuidam eorum Archiepiscopo commisisse, qui propterea *Catholicus* appellabatur, & tam Georgianis quam Armenis præerat: esse autem tam ipsum quàm ceteros ibi Episcopos & Abbates simoniacos, & usurarios, sacramenta & sacramentalia vendentes, divortiáque sterilium pecuniâ permittentes. Tradunt alij[r] vivere hodiéque Mahometici jugi expertes, suósque fines fortiter tueri adversùs frequentes Barbarorum insultus: cùm sint inter quatuor potentissimos monarchas constituti, Turcum, Persam, Tartarum, & Moscum; cincti autem inaccessis montibus, ut facile sit exterorum conatus repellere.

De Georgianis populis.

[o] *Vitr. c. 80.*

[p] *Vinc. lib. 30. cap. 96.*
[q] *Ant. tit. 19 cap. 3. §. 3. & c. 8. §. 9.*

Catholicus Armenorum.

[r] *Cotov. Itin. Ierosol. lib. 2. cap. 6.*

VIII. *Tartarorum in Armeniam irruptio.*

Cæterùm ne Georgiani hoc tempore, quod decreverant, Saracenos invaderent, putamus obstaculo fuisse, quòd à Tartaris sibi cavere habuerint; quos altero pòst anno Georgiam intrâsse ac devastâsse, iidem Vincentius[s] & Antoninus, aliíque habent: post illa verò majorem Armeniam eosdem Tartaros sibi subjecisse; ac speciatim amplissimam ejus urbem nomine Am, in quâ essent mille Ecclesiæ, ac centies mille domus inhabitatæ, duodecim dierum spatio cepisse: fuisse autem Armenos variis circa fidem & ritus Ecclesiasticos erroribus conspersos; ingentíque odio cum Georgianis de dogmatibus controvertisse. Sed de erroribus Armenorum dictum est aliàs[t]: quos ipsi sæpè abjecisse, & iterùm revocâsse reperiuntur: iísque & alios his temporibus addidisse circa jejunia, festa, & ritus sacramentorum, ex iisdem auctoribus[u], & Vitriaco[x], & Sanuto[y] intelligitur, præter quæ etiam infantibus duorum mensium, ceterísque omnibus indifferenter Sacramentum Eucharistiæ impertiisse tradunt: itémque in calicibus vitreis & ligneis, quosdámque etiam sine vestibus sacerdotalibus celebrâsse: purgatorium negâsse; matrimonia propter adulterium dissolvisse, ita ut permitterent cum aliis contrahere; Episcopos ac sacerdotes, monachósque impunè usuris, simoniis, divinationibus, potationibus publicè vacâsse, ut non sit mirum si Dominus eos in manus barbarorum tradiderit. Ita illi: quibus tamen, quod ad mores, non parùm adversantur quæ de iisdem habet Borchardus in suâ Terræ Sanctæ ac finitimarum regionum descriptione[z]: ubi & multa refert de Catholici, reliquorúmque Armenorum vitæ asperitate, ritibus sacrorum, monachorum, sacerdotum, nobilitatis, ac populi receptis moribus; sicuti se propriis oculis vidisse testatur, & cum admiratione suscepisse. Sed ut dicebat[a] Christus Dominus, duodecim sunt horæ diei: & potuerunt Armeni aliquando ambulare in die, & aliàs in nocte.

[s] *Vinc. c. 95. Ant. d. §. 9.*

Armenorum multiplices errores.

[t] *In Epit. Bar. an. 535. XIII. 863. V. 1080. XIV.*
[u] *Vinc. c. 98. Ant. §. 10.*
[x] *Vitr. Hist. Orient. lib. 1. cap. 79.*
[y] *Sanut. lib. 3. par. 8. c. 3.*

[z] *Borchard. cap. 11. §. 9.*
[a] *Ioan. 11.*

IX.

Hoc eodem anno Philippus[b] Rex Francorum publico edicto Iudæorum regni sui usuras in Christianos coercuit. Hortatuque Honorij Pontificis inducias[c] cum Rege Angliæ in quatuor subsequentes annos icit; quas Honorius confirmavit. Missus autem cum exercitu Ludovicus[d] ejus filius in Albigenses, ab obitu Simonis Montfortij ferociùs agentes; post quædam prosperè gesta, Tolosæ obsidionem, quo nondum proditione, seu morbo ingruente, vel aliis Regni necessitatibus revocatus, (ut diversè scribunt auctores) deserere coactus est: nam quod nonnulli volunt etiam Tolosam ab eo post quadraginta quinque dierum obsidionem captam, rejicitur à pluribus.

[b] *Altissiod. in Chron. Vinc. lib. 30. c. 86.*

Iudæor. usuræ coercentur in Gallia.

[c] *Reg. Honor. an. 3. Tilius in Inventar. Phil. Aug. ad fi.*
[d] *Altiss. & Vinc. ibid. Guillel. de Post. Laur. Chron. cap. 32. Paris. in Henr. III. Brit. in Phil. lib. 12. Ant. tit. 19. cap. 3. §. 1.*

X.

Honorius autem hoc eodem Pontificatûs sui anno tertio (ut quidem Vincentius[e] habet cùm Onuphrius[f] anno ejus primo collocet) confirmavit Ordinem Religionis Vallis Scholarium, ex diversis aliis Religionibus approbatis paulò antè institutum juxta B. Augustini Regulam in diœcesi Lingonensi à *Guillelmo* quodam: qui cùm literis operam dedisset Parisiis, indéque in Burgundiâ docuisset; unà cum nonnullis è suis scholaribus in eremum secedens, auctoritate Guillelmi Lingonensis Episcopi Ordinem inchoavit. Quod

[e] *Vinc. Spec. hist. lib. 30. cap. 123.*
[f] *Onuphr. in Chron.*

Ordinis Vallis Scholarium institutio.

anno Domini 1212. sub Innocentio PP. Tertio contigisse, auctoribus *Guillelmo* Anglico & Fratre *Richardo* de Marcio, totúmque ordinante prædicto Episcopo Lingonensi; alibi [g] legitur, Vbi & additur, alium item Ordinem ejusdem Regulæ S. Augustini vocatum MONTIS DEI IN ALBOIZ, cœpisse anno Domini 1203. in diœcesi Spirensi per *S. Alexandrum* quondam Archiepiscopum Magdeburgensem, posteáque eremitam: fuisséque Ordinem confirmatum ab Innocentio, Alexandrum verò in canonem Sanctorum relatum ab Honorio. Denique & alium Ordinem in eâdem diœcesi Lingonensi, Fratrum de VALLE CAULIUM eodem tempore quo Vallis Scholarium cœpisse innotescere, ante aliquot annos fundatum à *Viardo* quodam sed vitæ districtioris. Cujus etiam institutum sub Regulâ Cisterciensium, & observationis rigorem, pluribus describit Iacobus de Vitriaco [h]. Nomen autem acceperunt à monasterio Vallis Caulium ejusdem diœcesis, quod præcipuum fuit Ordinis caput.

[g] *Magn. Chron. Belg. ex antiq. monum. Add. Rober. in Gall. Christ. in Episc. Lingon nu.* 62.

ORDO MONTIS DEI. ORDO VALLIS CAULIŪ.

[h] *Vitr. Hist. Occid. c.* 17. *Add. Chopin. Monast. lib.* 2. *tit.* 2. §. 20. *& Mira. in Chron. Cister. & in Orig. Monast. lib.* 2. *cap.* 9.

XI. RAINERIUS PATRIAR. ANTIOCH. LATINUS.

Hujus item ipsius anni mense Novembris, ejusdem Honorij quarto jam cœpto, in locum *Rodulphi* Antiocheni Patriarchæ Latini, post triginta tres sedis annos defuncti, suffectus est *Rainerius* de Castro veteri diœcesis Tudertinæ, ex canonico regulari & Priore Sancti Fridiani Lucensis, ac Vicecancellario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: seditque annos viginti quem Onuphrius observat primum extitisse, qui commodiori vocabulo pro *Cancellarij vicem agente* appellatus fuerit *Vicecancellarius*, quod jam erat hujus officij nomen: & tamen cum etiam post Patriarchatum adeptum per aliquot dies eo munere fungeretur, sese iterùm *Cancellarij vicem agentem* vocitâsse, quòd non ampliùs officium Vicecancellarij haberet. In Gregorio verò Octavo, qui sedit anno Christi 1187. pariter observaverat, ipso Gregorio ex Cancellario Papâ creato, nullum Cardinalium in ejus locum factum esse Cancellarium, nec aliquem suffectum qui pro Cancellario ad tempus esset; sed Domnum Moysem quemdam Lateranensem canonicum regularem, S.R.E. Subdiaconum ad id munus assumptum esse: qui quòd Cardinalis non esset, non Cancellarium, ut Cardinales consueverant se appellare, sed Cancellarij vicem agentem dictum esse; cùm tamen re ipsâ Cancellarij munere fungeretur, proventúsque illius perciperet: fuisséque eum primum, qui post longa tempora, cùm non esset Cardinalis, eo functus sit munere, quod nonnisi Cardinalibus demandari consueverat; indéque Vicecancellarij originem manâsse. Rediit porrò rursùm officium ad Cardinales, sed sub nomine Vicecancellariatûs; quæ præcipua est dignitas Sedis Apostolicæ post Pontificalem. De quâ qui plura cupierit, habet Gomesium [i], quem consulat.

DE OFFICIO CANCELLAR. ROM. ECCL.

[i] *Gomes. in proœm. ad Regul. Cancell.*

XII. DE SUCCESSIONE PATR. ANTIOCH.

[k] *Reg Honor. Duchesn.*

Sed ut ad Rodulphum Patriarcham revertamur ex literis [k] Honorij PP. scriptis Ferentini prid. Cal. Sept. anno Pontificatûs secundo, nempè Christi 1217. ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Antiochenæ, intelligitur jam eo tempore defunctum eum fuisse, eosque ei successorem elegisse *Pelagium* Cardinalem Albanensem, de quo suprà, ab Honorio petiisse ut illum mitteret. Qui respondit, Pelagium malle esse in Ecclesiâ Romanâ, in quâ magnum locum obtinebat, & erat omnibus acceptus, præcepitque eisdem, ut abdicatis æmulationibus & scissuris, successorem idoneum eligerent intra tres menses post susceptionem ipsius literarum; vel aliquos mitterent quorum consilio de personâ idoneâ ab ipso Pontifice provideretur. Vtrùm verò Rainerius ab iis postulatus, aut à Pontifice spontè datus fuerit, non reperimus.

XIII. ET ALEXANDR.

[l] *Cod. ms. Vatic. num.* 3813. *de reb. gest. Carmel.*

Præfuisse quoque his temporibus dicitur [l] Alexandrinæ Ecclesiæ *B. Athanasius* de Claromonte: cui secundùm quietem S. Ioannes Baptista apparens hoc Domini anno in festo Annunciationis B. Virginis, jussit ex Ecclesiâ ipsius nomine ibi existente ob peccata illius populi efferri insignes quasdam sacras Reliquias; nempè Imaginem ejusdem B. Virginis, Brachium & Tibiam ipsiusmet S. Ioannis, Caput Ieremiæ Prophetæ, Brachium S. Catharinæ virginis & martyris, & Tibiam S. Gregorij Capadocis martyris: easque per Fratrem Angelum Ierosolymitanum presbyterum Ordinis Carmelitani in Italiam mitti ad Fridericum ipsius Patriarchæ germanum fratrem; tradendas Honorio Pontifici, qui eas populo devotè venerandas exhibiturus esset. Tulit autem eas *Angelus*: quem ad id numeris Alexandriam divino monitu accessisse; Romámque venientem ibi SS. Francisco & Dominico notum factum esse; atque anno proximè sequenti in Siciliam ire cælitùs jussum, ab hæreticis ob defensionem Catholicæ fidei, & redargutionem impuritatis Berengarij cujusdam Comitis, qui sorori suæ germanæ sese jam duodecim annis turpiter immiscebat, necatum, nobile martyrium ipsi à S. Francisco prænunciatum, (cui & vicissim ipse Stigmata prædixisse traditur) consecutum esse; & quamplurimis miraculis, quibus vivens insignis fuerat, etiam post mortem claruisse, traditur in ipsius Vitæ Actis [m]. Cui & fratrem germanum fuisse volunt, *Ioannem* nomine, insignem & ipsum pietate ac virtute signorum, Patriarchatúsque dignitate.

ANGELUS MARTYR. CARMELIT.

[m] *Ext. in præd. Cod. & compendiosius tom.* 2. *Thes. Concion.* 5. *Maij & ap. Bapt. Mantuan. lib.* 10. *Fastor. & in Apolog.* pro *Carmel. & ap. Bzov. an. seq. fitque ejus mart. mentio in Rom. Martyrol.* 5. *Maij.*

XIV. DONATIO INSULÆ MAN FACTA ECCL. ROM.

Hoc eodem anno factam reperimus donationem Insulæ *Man* Romanæ Ecclesiæ, à Reginaldo Insularum Britanniæ adjacentium Rege, in manibus Pandulphi, diuturnâ Anglicâ legatione noti, tunc etiam electi Episcopi Norwicensis in eâdem Angliâ; à quo idem Reginaldus eam imposterùm possidendam accepit sub censu annuo duodecim marcharum sterlingorum. Cujus instrumentum publicum vidimus in Collectione Nicolai Cardinalis Aragoniæ, sumptâ ex Regestis Romanæ Ecclesiæ, factum Londoniæ in domo Militiæ Templi 10. Cal. Octobris hujus anni 1219. quo etiam prædictus Rex Honorium Pontificem rogavit, ut protectionem quam aliis Regibus censualibús & vasallis Ecclesiæ Romanæ concedi mos esset, etiam ipsi impertiret. Est autem nobilis insula inter Hiberniam & magnam Britanniam sita: cujus etiam Regum extat [n] antiquum Chronicon, ubi multa de isto Reginaldo; tametsi nihil de hâc donatione, nisi fortè malâ manu abrasum fuerit.

[n] *Ap. Camden. in Hibern.*

XV. CONCIL. SALTZBURG.

Hoc pariter anno notat Stero in Annalibus, celebratum esse in Germaniâ *Concilium* provinciale *Saltzburgense* sub *Eberardo* Archiepiscopo, cui interfuerint alij quinque Episcopi.

Quid verò in eo actum sit, non ait. Putamus tamen causam ejus celebrationi, præter restitutionem disciplinæ Ecclesiasticæ, dedisse novam institutionem Episcopatûs Secoviensis, sive SetnoWensis in eâdem provinciâ; quam idem auctor paulò antè dixit factam fuisse ab eodem Eberardo de licentiâ Honorij Papæ.

XVI. OCTO SORORES FIUNT SIMUL MONIALES. [o] *Divæ, lib. 10.*

Et ut annum egregio pietatis & puritatis exemplo claudamus, in Historiâ Brabantinâ [o] legimus Reinerum quemdam ab Vdechem equitem Brabantinum, octo filias quas habebat Præmonstratensium Ordini consecrâsse in vico Pellebergâ prope Lovanium.

IESU CHRISTI Annus 1220.
HONORII. III. Ann. 4.
FRIDERICI II. Ann. 1.
ROBERTI Ann. 1.

I. FRIDER. II. ROMAM PETIT AD CORONAM IMPERII.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo, Indictione octavâ, FRIDERICUS electus Imperator è Germaniâ Romam venturus ad coronam Imperij accipiendam, quinto Septembris die (ut habet Donatus Bossius in Chronico Mediolanensi) Italiam intravit: peténsque priùs à Mediolanensibus coronâ ferreâ exemplo majorum insigniri, repulsam passus, dissimulatâ irâ Romam profectus est. Præmisso tamen Abbate [a] Fuldense, qui Honorij Pontificis consensum rogaret; eo accepto, illuc magno apparatu processit. Cujus iter, & res ab eo per singulas Italiæ civitates pro juribus Imperij gestas, Sigonius [b] relegit. Ad octavum verò Calendas Octobris in castris apud S. Leonem coram Apostolicæ Sedis Legato juramentum de more præstitit de Ecclesiæ Romanæ juribus illæsis conservandis: ejúsque privilegia omnia, bonáque ac possessiones confirmavit, & Fundanum Comitatum iterùm attribuit. Tum deinde Vrbem unà cum uxore Constantiâ ingressus, in basilicâ S. Petri die festo S. Cæciliæ 22. Novembr. præsente Pontifice ab Hugolino Cardinale Episcopo Ostiensi consecratus est, atque ab ipso Pontifice coronatus. Votáque votis accumulans, de manu ejusdem Cardinalis Crucem accepit, ad transferendum illicò in Ægyptum adversùs Saracenos, ex pacto collati sibi Imperialis diadematis. Ista ex Actis [d], Honorij, Vrspergensi, Coloniensi, Nauclero, Sigonio, & aliis. Extántque [e] insuper Leges ejusdem Friderici ipso die coronationis editæ contra hæreticos, & pro immunitate & libertate Ecclesiasticâ; cum approbatione & confirmatione Honorij Papæ.

[a] *Int. Epist. Honor. an. 4.*
[b] *Sigon. de regn. Ital. lib. 17.*
[c] *Vid. Baron. an. 1097. & Epit. nostram, eod. an. XXIII.*
CORONATUR, ET VOVET EXPEDIT. ADVERS. SARAC.
[d] *Ap. Bosi. lib. 5. Hist. Hospital. & Bzov. hoc ann.*
[e] *Bullar. tom. 1. Honor. III. const. 1. & post. Cod. Iustin. in fi. Feudor. & alibi.*

II. ANNI EIUS IMPERII AB HOC ANNO NUMERANDI.

Hunc autem primum annum ejus Imperij numerat Coloniensis, & plerique alij: more scilicèt majorum, ut quamvis semel iterúmque in Germaniâ coronatus fuisset in Regem, non tamen Imperatorem sese indigitaret antequàm diadema à Pontifice accepisset. Sicuti etiam profert Sigonius diplomata ejus, post recessum ab Vrbe data Calendis Decembris prope Sutrium anno Regni Romani octavo, Imperij verò primo: reperiuntúrque plurima alia similis notæ ipsius diplomata; cùm nihilominùs plerique auctores, ac potissimùm Germani, ejus Imperij annos à primâ electione numerent. Sed quod ejus iter Orientale spectat; causatus ipse difficultatem navigationis hiberno tempore, inducias in aliquot menses obtinuit à Pontifice: (quas & subinde variis prætextibus prorogari petiit:) atque intereà in Apuliam adversùs quosdam Proceres novis rebus studentes processit: Saracenósque Siciliæ partem occupantes diversis cladibus affecit, & reliquias in Apuliam transtulit.

III. ROBERTUS IMP. CONSTANT. [f] *Vid. Sur. an. 1217. II.*

Numeratur & hic annus primus Imperij ROBERTI Constantinopolitani, licèt in posteriora tempora alij referant [f]: cujus sororem Mariam matrimonio junctam fuisse Theodoro Lascari Græcorum Imperatori, Gregoras & Georgius auctores Græci habent.

IV. HENRICUS REX ANGL. CORONATUR. [g] *Sup. ann. 1216. V.*

Pariterque in Angliâ Rex *Henricus* die Pentecostes decimosexto Calendas Iunij apud Londinum & Westmonasterium more [g] majorum coronatus est, cùm jam regnâsset quinquennium, sed sub aliorum tutelâ ob minorem ætatem.

V. [h] *Altissiod. in Chron. Bellefor. in Philip. Aug. &c.* ROBERTI EP. ANIC. CÆDES, ET VINDICTA.

Hoc eodem tempore [h] *Robertus* Aniciensis Vellaunorum, sive Podiensis in Galliâ Episcopus, à quodam viro nobili, quem is ob injurias Ecclesiæ suæ irrogatas vinculo anathematis constrinxerat, occisus est. Quod gravissimè ferens populus, domos & castella homicidæ, ejúsque cognationis diruit: Regéque facinus persequente, tota progenies regno pulsa est. Erat enim Robertus nobili prosapiâ, nobilioribúsque moribus; ac præsertim virginitatis cultor egregius, cum esset vultu speciosissimus: quem etiam signis claruisse ferunt.

VI. PRIMI MARTYRES ORDIN. MINORUM.

Quo item anno contigit martyrium quinque discipulorum S. Francisci in Africâ: qui eodem tempore ad prædicandam fidem Miramamolino Marrochij Regi Saraceno ab eo missi, quo ipse in Ægyptum ad ipsum Sultano præstandum proficiscebatur; illo hâc re feliciores, post verbera & carcerem semel iterúmque remissi, denuóque reversi, horrendis affecti pœnis, demùm propriis Regis manibus gladio martyrium acceperunt 17. Cal. Febr. quorum corpora, post ludibria, concisa & feris projecta, deinde ne à Christianis earum partium colligerentur, igni injecta sunt: illæsáque divinitùs servata, & à Saracenis vendita Christianis, Conimbriam Lusitaniæ urbem cum triumpho delata, & in Ecclesiâ monasterij S. Crucis Regularium canonicorum S. Augustini collocata, ubi quamplurimis claruerunt miraculis: ut fusiùs narratur in ipsorum martyrij Actis [i]. Quo quidem audito, incredibiliter lætatum esse Franciscum, ibidem traditur. Itémque Ferdinandum Vlyssiponensem, tum canonicum prædicti monasterij S. Crucis, ad appulsum Reliquiarum tanto ardore martyrij succensum esse, ut ejus aliquando consequendi spe, ad eundem Ordinem Minorum se transtulerit; ubi posteà mirabiliter excelluit, dictus à loco cui S. Antonij nomen, ubi habitum Franciscanorum suscepit, *Antonius*, ac deinde à loco obitûs *De Paduâ*. Quæ verò pœnæ secutæ sint impium Regem post martyrum necem, quamve ultionem immiserit Deus in ejus subditos, prosequuntur eadem Acta. Illorum autem martyrij participes facti fuêre alij septem anno proximo apud Septam [k] Mauritaniæ. Hæque fuêre primitiæ Martyrum fan-

[i] *Ap. Sur. 16. Ianuar. fitque eor. mentio in Mart. Rom. eád. die.*
[ii] *Vid. infr. an. 1233. II.*
[k] *Ap. Sur. 13. Octob & Mart. Rom.*

ctissimæ Religionis: quæ subinde uberrimos peperit Ecclesiæ fructus aliorum, qui pro testamento Dei sua corpora tradentes CHRISTI vestigia sunt secuti.

VII.

Cum autem sicut S. Francisci, ita & Ordo S. Dominici jam valdè dilatatus esset, ac viris summâ pietate & doctrinâ refertis abundaret; (qui ab acceptâ Parisiis anno superiori Ecclesiâ S. Iacobi ad portam Aurelianam seu Narbonensem dictam, vulgò *Iacobini* tam ibidem Parisiis quàm per universam inde Galliam dici cœperunt, dicuntúrque hactenùs:) accepisséttque Dominicus à Sede Apostolicâ plenam potestatem de toto Ordine disponendi, constituendi, & corrigendi: pro ejusdem conservatione decrevit ut Capitula generalia (sic enim Comitia, sive conventus totius Ordinis vocant; qualem à Francisco habitum anno superiori vidimus) celebrarentur. Hócque ipso anno convocatis undique per literas Fratribus Bononiam, primum habuit Capitulum: quo ex omnium sententiâ paupertatis studium quod semel susceperant, retinendum atque colendum esse statutum est; abjectæque omninò in perpetuum possessiones ac reditus temporarij, etiámque illi quos apud Tolosam habuerant. Cùm verò noluissent Fratres Dominicum cedere, uti cupiebat, regimini Ordinis; ex eorum consensu decrevit, ut deinceps crearentur *Diffinitores*, quasi arbitri earum rerum de quibus in ejusmodi Conventibus instituerettur deliberatio; qui haberent potestatem de Magistro Generali & toto Capitulo statuendi ac disponendi quamdiù illud duraret, salvâ postea manente reverentiâ Generali debitâ. Ac denique ad extirpandos vitiorum frutices, & virtutes plantandas, sancitum est ut quotannis ejusmodi generales Conventus celebrarentur. Traduntur ista in actis [l] ejus. Vbi & additur, Dominicum inter cætera doctrinæ suæ hortamenta, tria præ cæteris voluisse à suis sollicitiùs observari: primò, ut semper de Deo, vel cum Deo loquerentur, secundò, ut iter habentes non ferrent apud se pecuniam; tertiò, ut nullas umquam reciperent temporarias possessiones: hæc enim esse, quæ cor mundum & à curis liberum efficiunt, servósque Christi ad meditanda divina, tractandáque spiritualia reddunt expeditos. Qui & insuper, ne [m] paupertatem Evangelicam, firmissimum ejus instituti fundamentum, inimica Deo carnis sapientia aliquando everteret, quantâ potuit severitate prohibuit, nequis possessiones temporales Ordini inveheret; omnipotentis Dei & suam maledictionem ei terribiliter intentans, qui Ordinem Prædicatorum terrenæ substantiæ pulvere ausus esset obscurare. Quæ verò circa hæc progressu temporum, refrigescente spiritu, seu ex rerum necessitate [n], interpretata fuerint atque lenita; scire debent qui curam illorum gerunt.

PRIMUM CAPITUL. GENERAL. DOMINICANORŪ.

[l] Ap. Sur. 5. Aug. lib. 4. cap. 1. & 11.

[m] Ibid. lib. 5. cap. 1.

[n] Vid. Ant. tit. 23 cap. 4. §. 13. Conc. Trid. sess. 25. cap. 3.

VIII. ORDINES MINOR. ET PRÆDIC. VALDE FLORENT.

Viguisse porrò admodùm hoc de quo scribimus tempore, ipsius Dominici, necnon & Francisci Ordines viris insigni morum sanctitate, & miraculorum virtute, egregiáque doctrinâ; ac multas orbis provincias mirum in modum illustrâsse, vitia hominum extirpando, virtutésque inserendo, diffusè narrant qui de illis sanctis, eorúmque Ordinibus scripserunt: In quibus non postremi, qui Historiam universalem rerum in Ecclesiâ & Imperio Regnísque mundi gestarum, quam tractamus egregiè descripsêre, *Vincentius* [o], & *Antoninus* [p], præclara Dominicanæ familiæ ornamenta.

[o] Vinc. Spec. Hist. lib. 30.
[p] Ant. tit. 23. & 24.

IX. CUMANORUM CŌVERSIO AD FIDEM.

Hoc eodem anno à Roberto Strigoniensi in Hungariâ Archiepiscopo baptizatum esse *Cumanorum* proximæ gentis Regem, unà cum filio ejus & quindecim aliorum militibus; traditur in Magno Chronico Belgico. Additúrque de visione ostensâ cuidam pio monacho S. Galgani prope Senas Missam celebranti, sæpiúsque repetitâ; nempè manûs è nebulâ & lumine, scribentis super sacro linteo quod corporale dicitur, multa ad correptionem generis humani depravati. Cæterùm in reliquis Cumanis ad fidem Christi convertendis, multùm posthâc insudâsse Fratres Prædicatores, & post gravissima mala tolerata, etiámque fusum sanguinem, non parùm profecisse, traditur in fine Vitæ S. Dominici. Eâmque Ecclesiam diligenter etiam curâsse Gregorium Papam Honorij successorem, constat ex ipsius eâ de re scriptis ad Belam Hungariæ Regem literis. De quibus etiam agetur suis locis.

IESU CHRISTI Annus 1221.
HONORII III. Ann. 5.
FRIDERICI II. Ann. 2.
ROBERTI An. 2.

I. GREGORII CARDINAL. CRESCENTII INSIGNIS LEGATIO AD POP. SEPTEMTR.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo primo, Indictione nonâ, *Gregorius* titt. S. Theodori Diaconus Cardinalis, patriâ Romanus ex antiquâ Crescentiorum familiâ, aliis jam legationibus Apostolicæ Sedis egregiè functus, insignem valdè obivit ad Reges & populos Septemtrionales: cùm rogatus Honorius Pontifex Legatum à latere mittere, qui res illarum Ecclesiarum ordinaret; elegit ad tantum opus Gregorium, virum utique (ut loquitur) prudentiâ & honestate conspicuum, & inter ceteros Cardinales suis exigentibus meritis ipsi Pontifici specialiter charum: concesso ei plenæ Legationis officio, ac plenariâ potestate, ut extirparet nociva, & plantaret salubria, evelleret ac destrueret, prout quæque secundùm datam sibi à Deo prudentiam videret facienda; quemadmodùm traditur in literis ad Reges Daciæ, (sive Daniæ: confunduntur enim plerumque à recentioribus scriptoribus gentes istæ, sive quòd processu temporis permixtæ fuerint, sive ob nuncupationis affinitatem; cùm certum sit antiquas earum sedes longè sepositas extitisse, & Dacorum seu Dacarum vetustiorem esse memoriam [a].) Suetiæ, Boëmiæ, Poloniæ, & universos Antistites eorum Regnorum scriptis, quæ habentur in ipsius Epistolarum Regesto, datæ sub finem præcedentis, cœpto jam Pontificatûs quinto. De quibus tamen rectè putamus ab aliquo [b] observatum, eas à magno [c] viro non rectè tributas Honorio Secundo, quas omninò hujus Tertij esse, non solùm quæ idem observator disputat probare possunt; verùm etiam quòd Eminentiss. ipse Cardin. *Petrus-Paulus Crescentius* nunc adhuc vivens, dum aliquando de hâc legatione mecum Romæ ageret, ita esse ex familiæ suæ Archivis testatus sit.

DACIÆ ET DANIÆ NOMINA CŌFUSA.

[a] Vid. Krätz. Hist. har. gent. & Ortel. in Thes. Georg.
[b] Pontan. Hist. Dan. lib. 6. ann. 1221.
[c] Baron. to. 12. an. 1129.

II. STATUS DANIÆ EO TEMPORE. [d] An. 1206. V. [e] Krantz. 7. Dan. 17. [f] Id. 7. Metrop. 31. 36. 40. & vid. supr. d. n. V.

Daniam porrò regebat adhuc *Waldemarus* Rex, de quo facta mentio superiùs [d]; quem apud Albertum Krantzium [e], satis accuratum Septemtrionalium rerum gentiúmque descriptorem, hoc tempore occupatum reperimus in perdomandâ Livoniâ & Prussiâ, & ad Christi fidem perducendâ: cùm post diuturnas de primatu [f] Ecclesiæ Bremensis turbas, extinctis Waldemaro illius Antistite, ejúsque æmulo Burchardo, & qui ad illam ex Ecclesiâ Osnaburgensi auctoritate Apostolicâ translatus fuerat Gerardo; alius ei præesset Gerardus pridem Paderburnensis Præpositus, religiosi patris filius æquè religiosus: Bernardi scilicet nobilis domini de Lippiâ; qui cùm post militiam laudabiliter & strenuè in sæculo cultam, monasterium ingressus, primùm Abbas, deinde etiam Episcopus Lealhensis in Livoniâ electus consecrationem accepisset ab altero filio suo Othone Episcopo Trajectensi; eam & ipse unà cum eodem Othone filio, prædicto alteri filio Gerardo Bremensi Archiepiscopo impertivit; Gerardus alteri Bernardo fratri suo, Paderburnensi Episcopo creato: quibus & alius fuit frater Theodoricus Præpositus Ecclesiæ Trajectensis: magnâ utique benedictione familiæ, & majori fructu Ecclesiarum quibus præclari illi viri præfuerunt. Cæterùm Gregorium Legatum nonnisi anno sequenti pervenisse in Daniam, intelligitur ex brevissimâ Historiâ Danicâ Erici [g] Regis.

[g] Ext. tomo Rer. Germ. edit. Lindembrog.

III. [h] Pont. d l. 6. an. 1218. VICTORIA A DANIS DIVINITÙS PARTA. VEXILLUM CÆLITÙS MISSUM.

Quod verò spectat res gestas Waldemari contra prædictos Infideles; describens eas paulò fusiùs recens diligénsque Rerum Danicarum auctor [h], inter alia ex antiquis monumentis refert; in prœlio quod Waldemarus anno 1218. contra eosdem Infideles numero longè superiores, hortantibus Præsulibus quos secum habebat, pugnavit; cùm Dani amissâ per errorem quem sequebantur aquilâ signo militari, in fugam agerentur, mox dimisso cælitùs novo Vexillo, in cujus rubra planicie Crux alba erat descripta, gradum continuò revocâsse, atque edito acerrimo conflictu aciem hostilem perrupisse, & egregiam victoriam reportâsse. Hócque Vexillum exinde magnâ semper religione veluti regni Palladium aliquod custoditum; atque existimatum in prœliis omnibus ex eo certantium pendere fortunam.

IV. CONCIL. DANICŪ PRO RESTIT. DISCIPL. [i] Pont. ibid.

Gregorius autem Cardinalis prædicto anno sequenti, quo in Daniam pervenisse diximus, *Concilio Slevvici* celebrato [i], inter alia ad restitutionem disciplinæ Ecclesiasticæ statuta, decrevit Sacerdotes & quicumque Ecclesiastici ordinis essent cœlibes vivere, ac ne liberi eorum hæreditatem adirent: cùm plurimi, ut rem Sacerdotibus etiam licitam existimatam, matrimonia inirent; eâque de re à Pontifice, qui hunc abusum per Episcopos auferri curaverat, ad Concilium generale jam ante provocâssent. Denique ejusdem Gregorij operâ concessum primùm volunt Fratribus Dominicanis sive Prædicatoribus ingressum in Daniam, commendatione Pontificis & ipsius S. Dominici.

V. SUETIÆ REGNI STATUS.

Suetiæ simul & Gothiæ imperâsse hoc tempore *Ioannem* Erici filium, dictum ob defectum ætatis Iuvenem, sive ob innatam pietatem Pium; ex alio non minùs diligenti rerum Gothicarum & Suevicarum tractatore Ioanne [k] Magno Archiepiscopo Vpsalensi, & utriusque regni Primate intelligimus: sed eodem Ioanne Rege anno sequenti immaturâ morte subrepto, suffectum fuisse *Ericum*, sive Henricum cognomento Balbum; qui à sanctorum Regum progenie, videlicèt à S. Erico abavo, à Canuto avo, & Erico patre, descendens, quamvis impeditioris linguæ & claudi incessûs esset, tamen hos defectus tantâ morum probitate compensavit, ut à Deo donatus potiùs quàm per humanam electionem assumptus visus fuerit: cùm prudentissimè Ecclesiam tunc illam, fermè & Regnum universum, multis anteà dissensionum fluctibus agitatum, Olaus Archipræsul ejusdem Erici consanguineus moderaretur. Fuisse tamen plura in Suetiâ, quæ Honorij Papæ reprehensionem mererentur, intelligitur ex ipsius ad eos literis [l]: dum imprimis Ioannem Regem arguit, quòd tam ipse quàm regni principes ac proceres bona Ecclesiarum vacantium apprehenderent, & electiones successorum impedientes, quos vellent intruderent per annulum & baculum, quódque Iudices sæculares matrimoniis contrahendis & dirimendis, aliísque juribus Ecclesiasticis sese immiscerent; & Clericos sua judicia subire compellerent. Deinde universum populum corripiens, quòd à quinquennio & ampliùs censum Apostolicæ Sedi annuatim debitum solvere prætermisissent; monuit satisfacere, nî vellent supponi censuris Ecclesiasticis. Sed prædictos procerum ac judicum excessus attingens etiam in suâ Historiâ Ioannes [m] Archiepiscopus, eos sub imbecillâ ætate Regis Ioannis invaluisse tradit: fuisse porrò emendatos diligentiâ ac pietate Henrici successoris Ioannis; qui, ut ait [n], pro Christianâ religione, pro libertate Ecclesiæ, pro salute totius regni, privilegia, libertates, immunitates Ecclesiis & Ecclesiasticis personis concessit, declarans ipsas nedum Ecclesiastico & Cæsareo sive regio, verùm à divino, naturali, & gentium jure liberas esse debere ab omni judicio sæculari; bonáque earum mobilia & immobilia, non secùs ac oblationes ad altare Dei appositas, omne tribunal regium evadere: gravissimásque statuit pœnas in Ecclesiasticæ libertatis violatores, præcipiens Dei sacerdotes & templa sacrosancta atque inviolata ab omnibus haberi.

[k] Io Magn. Hist. Goth. & Sueon. l. 19. c. 13. & 14. & in Metrop. Vpsal. lib. 3. in pr.

[l] Reg. Honor. III. an. 5. 3. Non. Novembr. & 3. Non. Ianuar.

[m] Io. Magn. d. c. 13.

[n] Metrop. l. 3. cap. 2. PIETAS ERICI REGIS SUECIÆ.

VI. BOËMIÆ EJUS TEMPORIS STATUS.

Boëmiæ porrò regnabat etiam adhuc Premislaus, idémque Othocarus nuncupatus, de quo sæpè dictum. Cui cùm his temporibus discordia esset cum Andreâ Pragensi Episcopo, (quam etiam superiùs attigimus) delinitus idem oratione Abbatis Strahoviensis, tum viri locísque religiosis deinceps insultare (quæ causa fuerat discordiæ) edicto capitali inhibuit; tum Andream Româ, quò eum vidimus confugisse, per literas reconciliationem pollicentes revocavit; eundémque redeuntem cum Legato Honorij benignè excepit: atque ad mandata Honorij, de injuriis Sacerdotum, & ut omnibus calamitatibus imposterùm liberarentur, eò faciliorem se præbuit, quò illum constantiorem, Ecclesiasticíque juris tenaciorem esse sciebat. At verò non diù ea concordia servata est: quippe cùm paulò pòst decedente ex hâc vitâ Wladislao Regis fratre, de omnibus Regni ordinibus optimè

merito, pietatis & charitatis operum egregio cultore, emisisset Andreas vocem haud satis providam, unicum sacerdotum præsidium patrociniúmque intercidisset; eâ voce Rex non secùs atque contumeliâ offensus, judicánsque malâ fide secum in gratiam Andream rediisse; vicissim illum deriuò contemnere cœpit, ac bilem illi sæpiùs dissimulatâ sacerdotum injuriâ excitare; donec iterùm Andreas Romam profugeret, ubi tandem extremum clausit vitæ diem. Cujus caput Sacerdotes Pragam referri, & in sacello S. Wenceslai supra aram recondi curarunt; dignum esse dicentes, ut caput libertati illorum natum, in loco obvio ac maximè celebri reponeretur. Ita enim hæc gesta narrat Ioannes Dubravius [o] Olomucensis Episcopus in Historiâ suæ gentis. Extátque Gregorij Legationis memoria in nonnullis privilegiis Ecclesiæ Pragensis, quorum causâ inter Othocarum & Andream lis fuerat, confirmatis ab eodem Rege hoc ipso anno 1221. mense Iulio Indictione nonâ; quæ continentur Boëmiæ Piæ libro sexto.

DISSIDIUM INTER REGEM ET EPISCOP. PRAGEN.

[o] Dubrav. Hist. Boëm. lib. 15.

VII. POLONIÆ STATUS SUB PRINC. RELIGIOSO:

Poloniam quoque adhuc administrabat *Lescus Albus*, cujus egregios mores superiùs memoravimus: qui bella fastidiens, & pace delectatus, justè, clementer, & moderatè Principatum administrabat; obiens cunctas regiones ditioni subjectas; causásque & controversias hominum omnibus in locis ipse per se cognoscens & judicans, insontésque & maximè in sycophantas seu calumniatores animadvertens, atque oppressos potentiorum injuriis vindicans. Sicuti & in rebus Ecclesiasticis ritè ordinandis egregiam navaverat operam *Henricus* Archiepiscopus Gnesnensis; tam perficiens auctoritate suâ, ut Principis atque omnium Ducum Procerúmque Polonorum consensu, & universi conventûs constitutione, sacer & Ecclesiasticus ordo omnis cum adscriptitiis etiam ac subditis suis ab omnium profanorum Iudicum, etiámque Ducum atque ipsius summi Principis jurisdictione prorsùs liber esset: quàm etiam Sacerdotes omnes ex decreto *Synodi* à se convocatæ, uxores & concubinas quas retinebant adhuc plerique, abdicare cogens, jurejurando ab eis exacto. Qui etiam obtinuit à Sede Apostolicâ Archipiscopis Gnesnensibus, perpetuæ Legationis, quam natam vocant, munus. Hujus verò nuper defuncti successor electus Vincentius eam Ecclesiam modò administrabat. Tantúmque tunc rebus pacatis vigebat in Polonis religionis amplificandæ studium; ut eo potissimùm inter se certarent, quis Ecclesiis & monasteriis ac domibus hospitalibus extruendis dotandísque, diligentiorem sese præberet. Vt hæc omnia pluribus narrant ejus gentis scriptores Dlugoskus [p], Cromerus [q], Michovius [r].

ET ANTISTITIBUS VIGILANTIBUS:

AC POPULO PIO.

[p] Dlugos. in Hist. Polon.
[q] Cromer. lib. 7.
[r] Michov. lib. 3. c. 33.

VIII. S. HYACINTHUS ORD. PRÆDIC. PROPAGATOR IN POLONIA.

Quando & Ivo electus non ita pridem Episcopus Cracoviensis in locum alterius Vincentij, qui amore quietioris vitæ abdicato Episcopatu monasterio sese incluserat; Romam profectus, ac sancti Dominici qui aderat doctrinam vitámque admiratus, *Hyacinthum* consanguineum suum canonicum Cracoviensem, ac nonnullos alios, ab eodem Dominico institutum illius vitæ edoctos atque professos, Cracoviam secum reducens; præcipuus auctor extitit illius Ordinis iis regionibus propagandi; Hyacinthi maximè eximiis atque ferventissimis prædicatoribus, & miraculorum virtutibus; ob quas dignus posteà fuit Sanctorum catalogo [s] connumerari. Quibus & *Iacobus Crescentius* nepos prædicti Gregorij Legati, cùm iisdem temporibus in Poloniam cum patruo venisset, divinitùs tactus, ingenti animi ardore totum ejusdem Hyacinthi disciplinæ sese dedens, habitum religionis ab eo suscepit, eúmque Ordinem egregiâ vitâ & magnorum operum editione pro fide Christi & salute animarum promovendâ admodùm illustravit.

[s] Martyr. Rom. 16. Aug. extátque ejus Vita ap. Sur. ea die.

IX. GREGORII LEG. EGREGIA OPERA IN PRÆDICTIS PROVINC. VISITANDIS.

Hícque tunc status rerum Septemtrionalium: ad quas visitandas & componendas missus Gregorius, egregiam navavit operam præsenti & aliquot sequentibus annis: cùm etiamsi res publicæ satis commodè procedere viderentur, essent nihilominùs (ut pacatissimis etiam religiosissimísque locis fieri consuevit) quamplurimæ privatæ discordiæ, serpentia vitia, mores corrupti tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, rerum sacrarum profanationes, dogmatum contentiones, barbari ritus, & alij id genus nocui vepres, quibus eradicandis necessaria omninò videbatur manus Apostolica. Rediisse autem Gregorium cum gloriâ à præteritâ suâ Legatione, tum intelligitur ex Canonizatione [t] *Vvillelmi* Abbatis Rochildensis monasterij sancti Thomæ de Paraclito in regno Daniæ, factâ ab Honorio PP. anno sui Pontificatûs octavo, quâ Pontifex testatur se per prædictum Gregorium, qui Legationis officium in partibus illis exercuerat, certiorem effectum fuisse de vitâ, famâ, & miraculis prædicti Willelmi; tum etiam quòd eum post hæc promotum fuisse in Archipresbyterum Ecclesiæ Vaticanæ, illius antiqua monumenta testantur.

[t] Ext. in Reg. Honor. III. Vide Sur. 6. April. in Vit. Vvill. Roschil. in fi. & Baron. in Martyr. ibid.

X. HONORII PP. SOLICITUDO CETER. REGNORUM.

[u] Reg. Hon. ann. 5.

Hoc eodem anno in cæteras quoque regiones oculos intendens Honorius [u] Reges Hispaniarum Ferdinandum Castellæ, Alfonsum Legionis, Iacobum Aragoniæ, quòd negotia quæ ipsis tractanda erant cum Miramamolino Marrochij Sultano, Iudæis committerent, qui eâ occasione consilia Christianorum Saracenis aperiebant; singulos monuit ne perditorum consortio rem Christianam in discrimen adducerent: ac tergiversantes censuris compescere præcepit nonnullis singulorum Regnorum Episcopis. Aliúmque Alfonsum Lusitaniæ Regem, quòd injurius in Bracarensem Archiepiscopum esset, desistere hortatus est; atque obedire negligentem anathemate ab ejus Episcopis percelli jussit. Isabellam Ioannis Regis Angliæ relictam, quæ aliquanto post ejus mortem recipiens se in Galliam ad Comitatum suum Engolismensem, eidem ipsi Hugoni Comiti Marchiæ nupserat, cui olim desponsam Ioannes sibi arripuerat; (quæ tamen Regina vocari perseveravit, atque adeò ita à marito salutabatur:) quòd ditionem Henrici filij armis invasisset; eam cessare monuit, ne pupillum orphanum, Romanæ Ecclesiæ clientem, Cruce-signatum, filium denique persequeretur: quòd si non cessaret, Santonensi & Lemovicensi Episcopis præcepit illam à cœtu fidelium exturbare, & ditionem ejus interdicto Ecclesiæ subjicere. Sanè

hanc historici Franci elatiorum spirituum, & in rebus agendis vehementem ac violentam extitisse agnoscunt. Quòd tamen superiùs [x] viderimus, antequam illa ex Angliâ solveret, interpellandum ei fuisse Honorium Pontificem pro jurium suorum conservatione; existimamus dissidium posteà crevisse occasione dotis eidem Isabellæ assignatæ [y] in Pictaviâ & Andegavi, quæ fuerant Regis Angliæ.

[x] Supr. an. 1218. IX.

[y] Tili. in Invent. Ludov. VIII.

XI. Prædicatores ad universas gentes mittere disponit.

Denique conversionem Gentilium & Saracenorum in animo habens Honorius, scriptis [z] 8. Cal. April. ad universos Europæos Episcopos literis, injunxit ex singulis provinciis quaternos, vel ternos, vel saltem binos cujuscumque religionis vel Ordinis, ac præcipuè Cisterciensis, cui (ut ait) Dominus benedixit à mari usque ad mare ipsius extendendo palmites, Romam ad se mittere, scientiâ literarum & morum integritate conspicuos, & qui parati essent animas suas offerre discrimini & martyrio; quos ipse ad universas gentes ad prædicandum Evangelium dirigeret.

[z] Ext. in Reg. Vatic. & inde in Vit. Aquil. p. 171.

XII. S. Dominici obitus.

Mortuus hoc ipso anno est Bononiæ Ordinis Prædicatorum institutor *Dominicus* 8. Idus Augusti, anno ætatis suæ quinquagesimo primo; contracto morbo dysenteriæ ex itinere quod diebus æstuosissimis susceperat pro necessitatibus sui Ordinis ad Hugolinum Cardinalem Episcopum Ostiensem Legatum Insubriæ: condito testamento, quo suis discipulis præcepit, Charitatem servare, Humilitatem sectare, Paupertati voluntariæ studere. Cujus pium transitum, nobile funus ab Hugolino Legato curatum, ingentia post obitum miracula, felicissimam fecundissimi Ordinis propagationem, prosequuntur ejus Vitæ [a] auctores. In cujus locum creatus est anno sequenti in Comitiis Bononiensibus totius Ordinis Magister Generalis *Iordanus* natione Saxo, magnæ vir sanctitatis & doctrinæ; cujus extat Vita apud Surium [b]. Dominicum verò Gregorius IX. Honorij successor Sanctorum albo adscripsit [c] anno Pontificatûs octavo, qui fuit Domini millesimus ducentesimus trigesimus quartus.

[a] Ap. Sur. 5. Aug. Ant. tit. 23. &c.
[b] Sur. in Febr.
[c] Ap. Sur. 5. Aug. & Bullar. to. 1. Greg IX. const. 8.

XIII. Natales SS. Bonaventuræ et Thomæ.

Hoc autem eodem anno natus perhibetur Balneoregij in Tusciâ *Bonaventura*, clarissimum familiæ Minoritanæ lumen, Doctor Seraphicus dictus. Sequenti verò *Thomas* Aquinas, Doctor Angelicus, Theologiæque Scholasticæ princeps, Ordinis Prædicatorum lucidissimum sidus; ut eodem fermè pede processerit semper utraque Religio viris egregiis virtutum & scientiarum cultu, necnon miraculorum gloriâ insigniter claris.

XIV. Desidia Christianor. apud Damiatam.

Quieverant intereà res Ægyptiæ ab occupatione Damiatæ, desidentibus ibi Latinis, tanquam in eam coloniam nominibus datis; & Pelagio Legato nequicquàm urgente ut exercitus ulteriùs progrederetur, cum spe firmâ Sultanum totâ Ægypto pellendi, & evertendæ impiæ superstitionis; eò maximè quòd nova Crucesignatorum militia recèns advenisset ex Europâ & castra omnis commeatûs copiâ abundarent: causantibus econtrà cæteris, deesse exercitui ducem, cui tot variarum nationum homines audientes essent, quòd Ioannes Rex Ierosolymitanus abscessisset Ptolemaidem. Quâ in re non levem sanè injuriam Andreæ Hungarorum Regi irrogant, qui scribunt adfuisse etiam tum illum in castris; cùm quem tantoperè laudandum susceperunt, & cuncta ejus nutu gesta pronunciant, nullius tamen apud milites auctoritatis fuisse fateri necesse habent, etiamsi Pelagium, cujus erat jure sacrosanctæ Legationis summa auctoritas, ei in omnibus adhæsisse fingant. Sed hanc ventosam fabulam jam superiùs exsufflavimus.

XV. Discordia inter Regem Ierosol. et Legatum Apostol.

Cur autem abscessisset Ioannes, non concordant auctores: nonnulli enim volunt id ex eo contigisse, quòd cùm jam ab initio adventûs Pelagij Legati aliqua inter eos orta fuisset simultas de præfecturâ exercitûs; quam Legatus eo nomine sibi deberi contendebat, quia & expeditio fuerat ab Ecclesiâ in Concilio Lateranensi decreta, & Crucesignati ad Ecclesiasticum regimen pertinebant; ea graviùs aucta fuisset; quòd post captam Damiatam Pelagius primas partes sibi omnium rerum vendicans, etiam captæ urbis gloriam sibi attribuere, eandémque ditionis Pontificiæ facere contenderet. Verùm utcumque æmulatio Legati & regis, alienissimo sanè tempore exercita, vera fuerit causa discordiæ, (eam enim omnes æquè agnoscunt:) tamen quod dominium urbis spectat, Iacobus de Vitriaco Acconensis Episcopus qui omnibus intererat, epistolâ [d] ad Ioannem de Nivellâ de rebus Damiaticis; & qui eodem tempore vivebat Altissiodorensis Monachus in suâ Chronologiâ, & alij eos secuti; disertè affirmant, dictum Legatum statim ab urbe captâ, de cæterorum omnium consensu dominium ejus cum universis pertinentiis, ad ampliationem Regni Ierosolymitani, contulisse Ioanni Regi Ierosolymæ in perpetuam possessionem. Cæterùm Ioannem varias alias causas prætexuisse abscessûs sui, idem Iacobus in fine Historiæ suæ tradit, nullam tamen designans. Sed Marinus Sanutus [e], qui post eum scripsit, unam aperit; nempè, cùm eodem anno quo capta est Damiata mortuus esset Lievo Rex Armeniæ, hoc audito Ioannem Ierosolymitanum, ut regnum sibi Armeniæ acquireret ratione uxoris, relictis castris Damietanis spe proximi reditus, Ptolemaïdem se contulisse: sed intereà tam uxorem ejus, quàm parvulum ex eâ susceptum filium diem obiisse. Alij autem recuperationem quorundam locorum, quæ Coradinus nuper cepisset, eam prætexuisse aiunt. Vtut verò sit, negari non potest hunc Ioannis abscessum plurimùm incommodâsse rebus Christianorum.

[d] Ext. tom. 1. expedit. Orient. post Hist. Vitr.

[e] Sanut. l. 3. par. 11. c. 9.

XVI. Legati imprudentia res perditur.

Cùm tandem Legatus tantæ moræ támque inutilis impatiens, accito etiam necessitate cogente per publicos oratores Ioanne, (quem etiam ab Honorio Pontifice literis de reditu monitum, ex ejus Regesto [f] patet) adversùs Sultanum Babyloniæ in superiorem Ægyptum castra moveri jussit: & cùm censeret potiùs Ioannes arma converti in Syriam & Palæstinam, quarum recuperandarum causâ expeditiones institutæ essent, & difficilis admodùm futura videretur ulterior in Ægyptum progressio ob proximas Nili inundationes: nihilominùs perstante in sententiâ Legato, & qui dicto audiens non foret, eum se execrari minante; iverunt metu censurarum potiùs quam rationis judicio ad septuaginta millia armatorum ad certamen promptissima, & Idi-

[f] Et ap. Bos. Hist. Hospital. l. 15.

bus Iuliis castra sua hostium castris intermedio flumine apud Cairum contulêre. Sultanus autem innumera licèt pollens Saracenorum multitudine, haud tamen ausus congredi, quin potiùs ex simulato metu cedens quò commodum videbatur, divisis copiis viarum aditus per quos Christianis commeatu succurri poterat, penitùs obstruxit:atque accedente solito incremento Nili,ipse ruptis insuper aggeribus damnum multipliciter augens, victoriam incruentam penè sedens de bellicosissimis & victricibus gentibus adeptus est; cùm nostri corrupto aqua commeatu,nec in sicco consistere,nec Damiatam repetere obstructis itineribus, nec denique hostes tutis & editioribus locis collocatos aggredi ullo modo valerent.

XVII. Pax conficitur restitutione Damiatæ.

Factum tamen est divinâ misericordiâ, ut spontè Sultanus pacem obtulerit; tanti æstimans recuperationem Damiatæ, ut prætulerit eam universi Christianorum exercitûs submersioni, quam nullo sui discrimine facilè inferre poterat.Eáque demùm ita pacta est,ut Damiata & Tanais ipsi restituerentur, ipséque Crucem Dominicam quam Saladinus ceperat redderet; captivi utrimque liberarentur; & induciæ servarentur tam in Ægypto quàm Syriâ ad octo annos.Post quæ datis hinc inde obsidibus,Sultanus lenitatem summam in nostros præstans, reductis aquis in fossas suas & obturatis cataractis,eos in siccum perducens,commeatu quoque ac viatico juvit: receptáque in die Nativitatis Beatissimæ Virginis sexto Idus Septembris Diamatâ, quam tanto sanguine tótque laboribus partam vix tandem qui ad ejus custodiam relicti fuerant, nec nisi vi eorum qui pro exercitu stabant, reddere compelli potuerunt) eosdem rebus omnibus necessariis ad reditum terrâ maríque in Syriam,dato etiam proprio filio obside,subministravit.Quæ quomodò se habuerint, deserente jam nos Vitriaco, breviter narrat Sanutus [g], fusiùs Antoninus [h], & ex eo Nauclerus [i];Blondus [k] item, Æmilius [l], Bosius [m],& alij: extántque de iisdem apud Parisium [n] epistolæ binæ,altera Philippi de Albeneio Angli, qui dum Damiata reddenda esset eò appulit, & quæ in portu à quibusdam nautis audivit scripsit: altera Magistri Templariorum, qui quæ vidit, & quorum pars magna fuit, literis mandavit.

[g] *Sanut. d. c.9.*
[h] *Anton. tit. 19. c.3.*
[i] *Naucl. gener.41.*
[k] *Blond. 2. Dec.7.*
[l] *Æmil. in Phil. Aug. ad fi.*
[m] *Bos. d. l. 15.*
[n] *Paris. in Henr. III. an. seq.*

XVIII. Quis fuerit Legatus hujus expeditionis.

Vnum superest quod moneamus de hâc Damiaticâ expeditione;errare planè Blondum,& qui eum secuti sunt,cùm *Ioannem Columnensem* Presbyterum Cardinalem S.Praxedis (est & in hoc alius Blondi error, cùm Episcopum Portuensem nuncupat) eum esse qui Legati munere ibi interfuit.Quippè Vitriacus,& Oliverius, qui viderunt; Antissiodorensis, Coloniensis, Parisius,Sanutus,Vincentius,Antoninus,Nauclerus,Æmilius,& alij qui vel auditu tunc perceperunt, vel ex antiquis monumentis rem postmodùm descripserunt, nullam omninò mentionem totâ eâ expeditione faciunt Ioannis Columnensis; sed omnes penitùs,vel *Pelagium* Episcopum Albanensem ab Honorio ad id operis speciatim missum nominatim exprimunt; vel ita designant, ut cùm quæ scribunt apertè cernantur ex iis desumpsisse qui Pelagium habent;nihil possint Columnensi suffragari: ac denique quod cæteris omnibus testimoniis præstare debet,ex literis [o] Honorij Pontificis manifestè habetur,Pelagium fuisse ab eo missum ad id bellum successorem Columnensis. Nempè (ut vidimus) missus Columnensis cum Petro Imperatore Constantinopolitano ad dirigendas res profuturas negotio Ierosolymitano, jussúsque imprimis Andream Regem Hungariæ solicitare, eíque inhærere, vix Syriam videre potuit ob repentinum Andreæ recessum:adeò ut nulla mentio Columnensis fiat à Vitriaco, dum illius expeditionis præcipua capita enumerat:& ut novi decerni consueverant Legati novis expeditionibus, ita illâ inutilissimè terminatâ,cessavit etiam Legatio Columnensis; quam nihilominùs Blondus ad restitutionem Damiatæ continuâsse posuit, eò quòd falsò putaverit non antè Andream expeditionem deseruisse.

[o] *Reg. Hon. III. relatum etiam à Bos. d. l. 15. & Bzov. an. 1219. I.*

XIX. Pelagii Legat. multiplices culpæ.

Cæterùm si non Columnensi Damiatæ expugnationis gloriam tribuerimus, sanè nec amissionis dedecus;quod plerique omnes in Pelagium rejiciunt, qui contra omnium militarium ducum sententiam, ipse earum rerum inexpertus, alienissimo tempore vi censurarum adversus Sultanum castra movere inconsultè coëgerit,& tantùm non ignavissimæ morti,vel turpissimæ servituti florentissimum Christianorum exercitum objecerit; quo vel tum universam Syriam & Palæstinam,vel commodiori tempore etiam Ægyptum & Babylonem totúmque Orientem subjugare facillimum fuisset.Quem quidem fuisse natione Hispanum ex Tudensi [p],& aliis constat: eundémque,ex cujusdam prædictionis vanitate, quasi ex Hispaniâ venturus eo tempore esset qui sectam Mahometis extirparet, in eam perniciem exercitum præcipitâsse,Antoninus [q] & alij [r] habent; ac propterea jam anteà [s] intercessisse ne pax barbaris amplissimis etiam conditionibus daretur. Quem sanè & naturâ fuisse cervicosum, intelligi etiam datur ex Cæsario [t]; (si tamen is est, de quo Cæsarius loquitur, nigri Ordinis Cardinalis;ut ex vetusto Calendario Cassinensi existimavit qui notas ad Ciaconum addidit:) dum recusavit olim assentiri Innocentio Papæ, ac cæteris omnibus Cardinalibus, in concessione cujusdam privilegij Ordinis Cisterciensis;unde & Cæsarius ait, ita in illum exarsisse Innocentium, ut statim eum dignitate amovere minaretur.

[p] *Tud. Chron. an. 55.*
[q] *Ant. tit. 19. cap. 3. §. 3.*
[r] *Æmil. l. 6. Vuasseburg. in Antiq. Belg. par. 5.*
[s] *Supr. an. 1219. III.*
[t] *Cæs. 7. Miracul. 6.*

XX. Columna flagellationis Christi Romam delata.

Columnensis porrò laudes Iovius [u] etiam amplificans, (ut egregiè consuevit) illud equidem apprimè decorum refert post Volaterranum [x];eum ex labore suo,honestissimum sacrato viro, omníque armorum specie splendidiorem, triumphum Romam detulisse, COLUMNAM in quâ Christus Salvator Ierosolymis deligatus & flagris cæsus fuit; quámque in S.Praxedis templo ad Exquilias etiamnum venerantur Christiani. Nec sanè ad illam adipiscendam, adeunda fuit Ægyptus aut Damiata: cùm quæ tempore S. Hieronymi (ut ipse [y] scribit) Ecclesiæ Sion porticum sustinebat, vivente Venerabili [z] Bedâ in medio Ecclesiæ, majoris venerationis ergô collocata visebatur; nec ullibi legimus translatam inde ante hæc tempora fuisse. Facile autem fuit Ioanni Cardinali, vel alij in Syriâ agenti, eam inde subducere, quando, ut vidimus,Coradinus destructam Ierosolymam deseruit; cùm alioqui quæ in Eclesiâ S. Praxedis visitur, non sit Co-

[u] *Iov. in Vit. Pomp. Colūn.*
[x] *Volater. Anthropol. l.22.*
[y] *Hier. ep. 27. ad epitaph. Paul.*
[z] *Bed. de loc. SS. cap. 3.*

lumna illa integra Domini; sed tantùm pars ejus, habens formam vel basis, vel epistylij sive capitelli: ostendantúrque aliæ ejusdem partes in diversis Ecclesiis Vrbis Romæ, quas indicant qui de iis scripserunt [a]. Atque de his hactenùs: quæ operæ pretium duximus sacræ elucidandæ historiæ paulò uberiùs tractare.

[a] *Pancirol. in Thes. absc ond. Vrb. Rom. in Indic. Reliq. verb. Iesus.*

XXI. FRIDER. IMP. URGETUR À PONT. AD TRANSFRETANDUM, NEC TAMEN PRÆSTAT.

Auditâ porrò ab Honorio PP. amissione Damiatæ, magno dolore percitus, confestim Fridericum Imperatorem acerbioribus literis [b] datis Romæ 13. Cal. Decemb. arguens de ejus contra fidem sæpiùs datam ac juramento firmatam, itineris Orientalis comperendinatione, quâ factum videbatur ut amissæ res in Ægypto essent, impensiùs institit ut abjectâ omni cunctatione illud susciperet, novas etiam minas intentans si differret: significánsque concredidisse se ad id operis Legationem Apostolicam Hugolino Cardinali Episcopo Ostiensi, summæ auctoritatis & prudentiæ viro, à quo Fridericus unctionem Imperialem & Crucem acceperat. Sed ille instantissimas denuò necessitates causatus, respondit jussisse se nonnullos Imperij Principes cum validâ militum manu præire unà cum Hugolino; subsecutúrúmque ipsummet brevi cum potentissimo exercitu: interímque ut Honorium palparet, qui etiam illum monuerat de restitutione terræ Comitissæ Mathildis, aliarúmque Ecclesiæ Romanæ possessionum; id præstitit, resignans eas in manus Nuncij Apostolici: atque alia rursùm confirmavit, quæ jam anteà concesserat, promiserátve: quæque contra hæreticos, & pro immunitate personarum Ecclesiasticarum sanciverat. Denique spoliare se regno Siciliæ præseferens, illud de consensu Pontificis filio suo Henrico duodecim fermè annorum puero contulit: quod tamen nunquam, ac nec etiam post necem filij administrare cessavit. Filium autem etiam anno sequenti à Principibus Germaniæ obtinuit coronari [c] Aquisgrani in Regem Romanorum.

[b] *Reg. Honor. & ap. Bos. Hist. Hospita. lib. 16. in pr.*

[c] *Godefr. Colon. in Annal. Naucler. Gener. 41. Trith. in Chr. Hirsaug.*

XXII.

Hoc item anno vigesimo primo Maij mortuus ponitur *Guillelmus à S. Lazaro* Episcopus Nivernensis: cujus eximiam in pauperes charitatem plerique omnes Chronographi celebrant, paucos aut nullos sibi similes relinquentis; quem singulis diebus duo millia pauperum pavisse dicunt.

IESU CHRISTI Annus 1222.

HONORII III. An. 6.

FRIDERICI II. An. 3.

ROBERTI An. 3.

I. FRIDER. INSURGIT IN PONT. ET ECCLES.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Indictione decimâ, Fridericus Imper. personam aliam, aliámque identidem induens, spretâ jurisjurandi religione, (ut post Villanium [a], Antoninum [b], & alios, Nauclerus [c] habet) multa, & quidem enormia aggressus, ditionem vexavit Pontificiam: Episcopos in Apuliâ & Siciliâ modo suo constituit, institutos à Papâ expellens; collectásque ab Ecclesiis exegit, quasi hoc jus ab antiquo Regibus Siciliæ competeret: admonitúsque non solùm non destitit, verùm etiam admonentem Pontificem magis magísque in dies sprevit: unde & primò excommunicationis, inde etiam depositionis minas accepit. Extant enim in Regesto Epistolarum Honorij, ejus ad Fridericum eâ de re increpatoriæ & comminatoriæ literæ, missæ per Priorem S. Mariæ novæ. Quibus motus videri volens Fridericus, edictum Verulis promulgavit de privilegiis Ecclesiarum, rerúmque & personarum Ecclesiasticarum, inviolatis conservandis, eodem modo quo servabantur olim tempore Guillelmi Secundi Regis Siciliæ. Sub quibus sanè verbis potuit etiam latere dolus Friderici, ut erat exquisitæ malitiæ, quòd etsi Guillelmus ille dictus fuerit Bonus comparatione patris sui cui Mali cognomen terra facta indiderant; tamen & ipsum illum Bonum, pessimam nonnunquam manum in res & personas Ecclesiasticas, electionésque Episcoporum, immisisse compererimus [d].

[a] *Vill. Hist. l. 6. c. 1. & 15.*
[b] *Ant. tit. 9. cap. 6.*
[c] *Naucler. gener. 41.*

[d] *Vide in Epit. Bar. an. 1169. VII.*

II. QUANDO EXCOMMUNICATUS FUERIT.

Cæterùm etiam ante præsentem annum, Fridericum re ipsâ excommunicatione perculsum fuisse ab Honorio ob prædicta aliáque ejus nefaria, iidem & plerique alij auctores affirmant. Idque ipsum posteà novis supervenientibus causis in eum ab eodem Honorio denuò iteratum, multi volunt: cùm tamen neque id ex literis Honorij apertè habeatur; & ipsemet Fridericus in suis ad Regem Francorum sub Innocentio IV. scriptis [e] disertè asserat, *Gregorium IX.* qui Honorio successit, *primitùs eum excommunicationi subjecisse*. Ipsum porrò excusationem aliquam offensionis ab Honorio prætexuisse, quòd Pontifex nonnullos Comites Friderico rebelles, & ab ipso pulsos ac bonis spoliatos, in protectionem suam suscepisset; ex Vrspergensi intelligitur: quos fuisse Richardum & Thomam fratres olim Innocentij III. Pontifex speciaiùs alij [f] tradunt; præcipuè verò confugientium Episcoporum injuriis commotum Honorium, in Fridericum exacerbatum fuisse, consentiunt [g] omnes. Habétque idem Vrspergensis, & post eum Nauclerus, ac Mutius [h], cùm nonnullæ Italiæ civitates etiam tum in eum conspirâssent, imprimis à Bononiensibus ignominiosè habitum fuisse; adeóque ipsius exercitum diminutum, ut coactus fuerit insignia Imperialia in Germaniam in tutum mittere, ne sibi in Italiâ auferrentur; etiamsi Bononienses primis ipsius Imperij annis ei addictos fuisse Sigonius [i] significet.

[e] *Ap. Petr. de Vin. ep 20. Adde Sigon. de regn. Ital. l. 17. an. 1227.*

[f] *Collenut. Hist. Neapol. lib. 4. Sigon. lib. 17. &c.*
[g] *Vid. Fazell. de Reb. Sicul. 2. dec. 8.*
[h] *Mut. Chr. Germ. l. 20.*

[i] *Sigon. d. l. 17. & Hist. Bonon. l. 5.*

III. NOVÆ EJUS TERGIVERSATIONES.

Cùm verò rursùm vehementiùs urgeretur à Pontifice ad expeditionem Orientalem; ut tempus in longum extraheret, callido astu proposuit operæpretium fore, dum exercitus paratur, ut non solùm ipsi sese mutuò Pontifex & Imperator viderent; adessentque Rex Ierosolymæ, Pelagius Legatus, & Magistri Hospitalariorum ac Templariorum, à quibus, ut earum rerum experientissimis, instrui planè possent de modo recuperandæ Terræ Sanctæ. Quod licèt non ignoraret Pontifex vanum esse effugium invitissimi animi: (sicut enim Pontifex virum pacis & quietis impatientem, duplici lucro in eam expeditionem multùm hortabatur, inquit Krantzius [k]; videlicèt ut & Terræ Sanctæ per vires ejus quas de Imperio & regnis

[k] *Krantz. 7. Metrop. 51.*

suis habebat maximas, consuleretur, & ipse interim Pontifex molestiâ ejus careret: ita Fridericus vanis promissionibus rem differens, maluit vir malignus Ecclesiam lacerare quàm amplificare, maluit rodere viscera ejus, quàm fidem Christi propagare:) ut tamen omnem tolleret contentionis ansam, etiam hoc indulgens, scriptis ad prædictos literis [l], si absque rei Christianæ detrimento fieri posset, venire monuit. Quos intereà reperimus [m] (Legatum scilicèt ac Magistros) hoc ipso anno occupatos fuisse componendis in Cypro controversiis de decimis ac bonorum immobilium possessione, quibus Rex & nobiles Ecclesiam & Sacerdotes privare conabantur. Quæ ita Legatus die 18. Sept. sententiâ suâ terminavit, ut causâ Clero adjudicatâ, cæteris excommunicationem ostentaverit si res vel personas Ecclesiasticas violare præsumerent.

[l] Reg. an. 6. Bos. Hist. Hospital. lib. 16. Sanut. lib. 3. par. 11. c. 10.
[m] Ibid.

IV. THEODORI IMP. GRÆCI OBITUS.

Hoc eodem anno mortuus est *Theodorus Lascaris* Græcorum Imperator postquàm regnâsset annos octodecim, vixisset quadraginta octo; ut Nicephorus [n] Gregoras & Georgius [o] Logotheta habent, multarum virtutum vir & vitiorum, cui Græcia debuit quòd non penitùs Imperium amiserit. Cùm verò prole masculâ careret, successorem sibi designavit IOANNEM DUCAM cognomento *Batatzen*, (Latini plerique Vatacium, nonnulli etiam Diplobatacium nominant) Protovestiarium, generum suum, annum agentem circiter 27. quem Manuel Patriarcha coronavit in Imperatorem ejus nominis Tertium. Cujus rei Alexius & Isaacius Theodori fratres æmulatione ducti, Roberti Imp. Constantinopolitani auxilio cum Ioanne prœlio conflixêre: sed victi non solùm illa amiserunt quæ anteà possidebant, verùm etiam tenti excæcati sunt. Ioannes autem terrâ maríque Latinos infestans, Imperij sui terminos valdè propagavit; decrescente in dies Latinorum potentiâ: & tam adversus eos, quàm Scythas, seu Tartaros, incursionibus suis omnia infestantes, Bulgarorum affinitate, & Turcorum amicitiâ sese munivit; frugalitatis insuper, hospitalitatis, justitiæ, & æquitatis eximium sese cultorem exhibens, ut Græci tradunt. Cùm & ex aliâ parte *Theodorus* ille Petri proditor [p], qui dominationis suæ fines, occupatâ Thessaliâ, cum Thessalonicâ, aliísq; Imperij Græcanici Occidentalibus provinciis quas Latini possederant, nonnullísque etiam Bulgarorum, multùm dilataverat; purpuram & ipse induens, ac rubra talaria, pyramidémque margaritis distinctam, in cujus summitate purpureus lapis refulgebat, (insignia videlicèt Imperij) nequicquam obsistente Metropolitano Thessalonicensi, ab Archiepiscopo Bulgariæ primæ Iustinianæ regium habitum & diadema suscepit. Quæ hoc anno cœpta, & in plures sequentes producta, iidem auctores prosequuntur.

[n] Greg. l. 2.
[o] Georg. in Chronol. Constant.

IO. DUCÆ SUCCESSIO, ET PROGRESSUS CONTRA LATINOS.

THEODORUS ALIUS IMP.
[p] Suprà an. 1217. II.

V. GERMANUS PATRIAR. CONST. GRÆCUS.

Quod verò ad Patriarchas spectat; jam superiùs [q] monuimus, Onuphrium sedem Manuelis, à quo Ioannem coronatum fuisse Georgius habet, in hunc dumtaxat annum protendere. Ei verò suffectum ponit *Germanum* ejus nomine Secundum, ac sedem tenuisse annos septemdecim menses sex, de quo plura inferiùs [r]. Fitque ejus mentio apud eundem Georgium, dum ab eo celebrata ait solemnia sponsalium filij Ioannis Imp. cum filiâ Asanis Regis Bulgarorum post decem fermè abhinc annos. Nec ullius alterius meminit, usque ad coronationem filij Ioannis, qui patri successit post triginta tres annos ipsius Imperij; quando creatum habet Arsenium Monachum. Series autem Patriarcharum quæ habetur in Iure Orientali, post Manuelem jacturam passa est trium quatuórve successorum; nempè *Germani*, quem diximus; *Methodij* Secundi, qui tenuit sedem tribus solis mensibus; *Manuelis* Secundi, qui quatuordecim annis; & *Germani* iterùm, qui anno uno usque ad prædictum Arsenium; quos aliunde Onuphrius exhibuit, & post eum Genebrardus, atque alij. Quinam verò è Latinis intereà Constantinopoli præsiderent, haud adeò nobis exploratum: nisi quòd ex Danduli Chronico superiùs [s] *Matthæum* retulimus: & in quâdam constitutione Innocentij [t] Quarti anni ejus tertij reperimus subscriptum *Nicolaum*; ac denique in amissione [u] urbis Constantinopolitanæ *Pantaleonem Iustinianum*; credimúsque omnes semper Venetos fuisse, ex primævâ pactione [x] occupationis urbis; nec fortè alios præsedisse, quàm quos nominavimus.

[q] An. 1213. in fin.
[r] An. 1232. 1233.

SUCCESSIONES PATRIARCHARUM TAM GRÆCORUM QUAM LATINORUM.

[s] An. 1215. XII.
[t] Vid. infr. an. 1245. XI.
[u] Infrà an. 1261. X.
[x] An. 1204. VIII.

VI. COMITIS TOLOS. MORS REPENTINA, ET IMPROVISA.

Hoc item anno perierunt duo illa hæresis Albigensis dira capita, quorum sæpè superiùs facta mentio, Raymundus-Rogerius Fuxensium, & Raymundus senior Tolosatium Comites: ille mense Iulio in obsidione Mirapici, ex putri ulcere, solemni ferè impiorum morbo; iste Augusto Tolosæ morte subitâ, impœnitentiæ ejus debitâ, quamquam nonnulla doloris signa dedisse dicatur [y]. Successítque priori filius Rogerius-Bernardus; posteriori filius item Raymundus dictus. Traditur autem de Raymundo Tolosano Seniore, delatum fuisse corpus ejus ad domum Hospitalariorum, sed minimè sepulturæ traditum, quòd mortuus esset in excommunicatione: adeò ut nec filius ejus, etiam postquàm Ecclesiæ reconciliatus est, quantumvis semel atque iterùm productis testibus signa eum dedisse pœnitentiæ probare contenderet, nunquam ut sepeliretur impetrare potuerit. Ita enim habet Chronicon [z] Guillelmi de Podio Laurentij, qui fuit capellanus ipsius Raymundi Iunioris; & inde auctor anonymus alterius Chronici [a], cui titulus *Præclara Francorum facinora*; (quod etiam *Monfortianum* dicunt; uti & à nobis ad vitandam confusionem vocabitur, quamquam parùm convenit, nisi ratione priorum temporum:) incipiens ab anno Domini millesimo ducentesimo secundo, usque ad millesimum trecentesimum undecimum: itémque Bernardus Guidonis, qui pòst vixit sub Ioanne XXII. Denique extant in Regesto [b] Innocentij IV. binæ literæ ad diversos Episcopos earum partium, datæ 4. Cal. Mart. an. 4. & 13. Cal. Decemb. an. 5. quibus significat prædictum Iuniorem Raymundum de his egisse primò apud Gregorium IX. qui Honorio successit, deinde etiam apud ipsum Innocentium qui post Gregorium sedit; & ab utroque Pontifice commissam esse diversis Prælatis inquisitionem veritatis pœnitentiæ istius Raymundi Senioris. Quæ nihilominùs cùm nunquam probari sufficienter potuerit, mansit perpetuò res absque effectu: magno sanè Dei judicio, ut Princeps potentissimus in ipsâ suâ civitate ipsi deditissimâ terram post mortem non invenerit quâ operiretur, qui eam dum viveret adeò

[y] Vide Catell. Hist. Com. Tolos. lib. 2.
[z] Guill. de Pod. cap. 34. & 47.
[a] Edit. est post Hist. Com. Tolos.
[b] Ex quo etiã rec. Catell. d. l. 2. cap. 7. & Vvaddingh. to. 1. Annal. Minor. in Reg. Pontif.

PRIVATUS EST SEPULTURA.

commoverat

commoverat contra Dei Ecclesiam.

VII. CONCIL. OXON. IN ANGLIA PRO RESTIT. DISCIPL. ET MORUM.

Hoc item anno circa festum S. Barnabæ (ut ponunt Parisius & Westmonasteriensis) celebratum est apud *Oxonium* in Angliâ à *Stephano Langtono* S.R.E. Cardinale & Archiepiscopo Cantuariensi, CONCILIUM totius Angliæ Antistitum: quo multo fuerunt statuta ad reformationem status Ecclesiastici, & monasticæ religionis; festáque, & vigiliæ, jejuniáque stabilita: cujus extant [c] decreta & ordinationes, atque anathematismi in variorum scelerum reos. Fertúrque [d], paucis ante Concilium diebus comprehensum fuisse quemdam impostorem, qui sibi latere, pedibus ac manibus quinque vulnera crucifixionis Dominicæ ad seducendum populum impresserat: atque in eodem Concilio, simul cum eo alium nebulonem Hermaphroditum, ejus erroris fautorem, oblatum; utrumque sceleris convictum, & publicè confessum, judicio ecclesiæ punitum esse. Ita Matthæus Westmonasteriensis. Expressiùs Thomas Walsinghamus [e], stigmaticum illum fuisse rusticum ait, ac perpetuò, ut loquitur, immuratum: alterum verò diaconum apostatam, qui degradatus, & manui sæculari traditus, flammis ultricibus absumptus fuerit. Alij [f] etiam tradunt, prædictum stigmaticum se Christum esse jactasse, habuisséque Mariam ejusdem farinæ: damnatúmque in Synodo, cruci affixum esse.

DUO IMPOSTORES IN EO PUNITI.

[c] In Tom. Concil.
[d] Ap. Vvestmon. in Chron. hoc an.
[e] Vvalsingh. in Hypodigm. Neustr.
[f] Ranulph. lib. 7. cap. 34.

VIII. In vicinâ autem Scotiâ hoc eodem anno [g] Rex Alexander valde pius egregiè ultus est cædem à Cathanesiis Episcopo suo Adamo illatam. Cum enim illum, decimas more consueto exigentem, ac solvere recusantes diris, ut mos, execrationibus persequentem, correptum domi suæ flagris priùs fœdè cæsum, in propriâ ipsius crudeliter culinâ concremâssent; hoc flagitium ubi ad Alexandrum perlatum est, contractis paucis quibusdam copiis illuc extemplò profectus, comprehensis sceleris auctoribus qui supra quadringentos erant omnes supremo affecit supplicio: filios verò impuberes eorum (nam puberes eumdem cum parentibus exitum habuerunt) testiculis privavit, ne hominum sceleratorum proles successione multiplicata diù superstes esset. Comitem verò Cathanesium, quòd nec succurrisset invocanti auxilium Adamo, nec trucidato de homicidis supplicium mox sumpsisset, Comitatu privavit. Quæ ubi Pontifex audivit, plurimis verbis ejus in puniendis flagitiosis diligentiam & curam per Legatum laudauit, ac privilegiis donavit. Tertio verò à cæde Episcopi anno, cùm Cathanesius Comes veniam à Rege impetrasset, eum tamen haud inultum Deus dimisit: nam famuli ejus, quòd eos asperiùs æquo tractâsset, noctu trucidatum accensis ædibus concremârunt: facto divinitùs, ut eodem supplicij genere periret, quo Episcopum affici permisisset.

[g] Sic tempus notat Buchan. rem verò ex Boëth. referimus lib. 13. cujus & meminit Lesla. in Alex. II. absque temporis notâ.

ALEX. REGIS SCOTIÆ EGREGIŨ IUSTITIÆ EXEMPLŨ.

IX. Variis quoque prodigiis insignis fuit hic annus: Stella crinita visa: Luna defectionem memorabilem passa: inauditâ Aquarum inundatione pecora, tecta, arbores consumptæ: Terra non solùm ingéti motu contremuit, sed altissimo quoque mugitu concussa personuit: quo factum est vt montium juga nutaverint, domus ac templa multa corruerint, campanæ nullius hominis impulsu crepuerint, flumina cursus suos naturales retorserint, atque ad ipsos unde manabant fontes recurrerint, multi homines ubique fœda ædium ruinâ collisi sint. Ita Sigonius [h] de rebus Longobardiæ; quæ in Chronico Bossiano post biennium locantur. Sed antiquiores [i] æquè præsenti anno ponunt: qui etiam in Germaniâ easdem clades sævisse tradunt; & in Cypro quoque duas civitates tremore terræ corruisse; atque Romæ terram sanguine mixtam pluisse. Et plura etiã sæviora de tempestatibus quibus Anglia vexata est, Parisius [k] recitat: in quibus & experimento confirmata vis sacræ Candelæ & Aquæ benedictæ, cum quædam ecclesia igne fulmineo terribiliter succensa cum intolerabili fœtore, nullo alio remedio quàm ejusmodi Candelæ accensione & Aquæ aspersione servari potuit. Ceterùm cometen apparuisse mense Septembri, Monachus Paduanus [l] tunc vivens observavit: eúmque radios suos Franciam versùs direxisse, Antoninus [m]: cujus & meminêre Rigordus [n], Brito [o], Parisius [p], & alij; omnesque obitum Philippi Regis Francorum, qui contigit anno sequenti, portendisse asserunt: quem & propterea nonnulli paulo tantummodo ante ejus obitum apparuisse ponunt.

PRODIGIA INGENTIA.

[h] Sigon de Regn. Ital. lib. 17.
[i] Godefr. in Annal. Trithem. in Chron. Hirsaug.
[k] Paris. hoc an.
[l] Paduan. Chron. lib. 1. hoc an.
[m] Anton. tit. 19. cap. 3. §. 6.
[n] Rigord. in Phil. Aug.
[o] Brit. Philipp. lib. 12.
[p] Paris. in Henr. III. an. prox.

IESU CHRISTI Annus 1223.

HONORII III. An. 7.

FRIDERICI II. An. 4.

ROBERTI An. 4.

I. ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo-tertio, Indictione undecimâ, appulso Romam Ioanne Rege Ierosolymitano, ut monitus fuerat ab Honorio Papa, una cum patriarcha Ierosolymitano, & Magistris sacrorum ordinum militarium, Templariorum, & Hospitalariorum; atque ab eo benignissime & honorificè suscepto; adfuit etiam Fridericus Imp. & ab eodem Rege, post renovatam promissionem restitutionis jurium ac bonorum Ecclesiæ, & satisfactionis injuriarum illatarum, plenè Pontifici reconciliatus est. De rebus autem Orientalibus unà deliberantes, convenerunt ut imperator, cujus uxor Constantia nuper obierat, Iolen sive Iolantam (Isabellam nonnulli vocant; malè confundentes cum tertiâ conjuge Friderici) filiam Regis, ac Ierosolymitani Regni jure materno heredem, ipsi licèt Friderico quarto consanguinitatis gradu propinquam, dispensatione [a] Pontificiâ conjugem duceret; & intra biennium expeditionem susciperet ad recuperationem Terræ sanctæ, jam etiam sibi dote conjugis debitæ, appositâ in fallentes excommunicationis sententiâ. Ita Sanutus [b], & alij: sed in annum præcedentem hæc ipse referens: quæ Godefridus, Antoninus, Sigonius, cæterique plures præsenti collocant; vixque prius potuisse fieri, colligitur ex iis quæ de illis dicta sunt præcedenti: cùm & quidam perturbatiùs aliis annis ponant, ac Villanius etiam sub Gregorio Nono Honorij successore. [a] Extant verò quæ omnem fidem fa-

IOANNIS IEROSOL. REGIS ADVENTUS IN ITALIAM.

FILIAM SUAM TRADIT UXOREM FRIDERICO IMP.

[a] Ext. int. epist. Honor. an. 8.
[b] Sanut. lib. 3. par. 11. cap. 10.

ciant, Honorij PP. literæ [c] ad Philippum Francorum aliósque Christianos Reges scriptæ 3. Id. April. anni Pôtificatûs septimi, nempè præsentis; quibus eos de his quæ deliberata fuerant certiores reddens, quanto potuit affectu hortatus est ad eamdem cum Imperatore expeditionem: quippe qui miro arderet desiderio, ut Pontificatu suo, quod semper speraverat, Terra Sancta à Christianis recuperaretur. Quapropter & nuncios per universas provincias misit, qui Crucem prædicarent, discordias Principum ac populorum componerent, & abitum indicerent in festum S. Ioannis Baptistæ alterius anni. Missi quoque Ptolemaïdem, qui sponsam Inperatoris inde educerent. Et ex hoc matrimonio auctoritate Pontificis sic contracto factum pleriq; [d] observant, ut deinceps Siculi Reges sese etiam Ierosolymitanos dicant: cùm tamen (ut notat Æmilius [e]) armis jus suum sacri Regni persequi negligant, qui tot profanis causis sæpiùs implicantur.

[c] Reg. Honor. an. 7.
[d] Platin. Naucler. Æmil. Fazel. Collenut. &c.
[e] Æmil. lib. 6. ad fi.

II. PEREGRINATIO IOANNIS REGIS AD ALIOS PRINCIPES.

Post hæc verò pergens Ioannes Rex ex Italiâ ad alios Principes, res terræ Sanctæ eis commendaturus; primò Angliam petiisse dicendus esset, si vera crederetur assertio Parisij, illum eò pervenisse circa octavas Apostolorum Petri & Pauli hujus ipsius anni; quem omnes affirmant fuisse apud Regem Francorum Philippum, antequam is diem obiret die decimaquartâ Iulij. Quare quòd tempus ad utrumque nimis arctum videatur, alij rectiùs, ut opinor, Ioannis in Angliam transitum collocant post peregrinationem Hispanicam anno sequenti. Ceterum Philippum Regem legâsse ei testamento suo in subsidium Terræ sanctæ, centum millia librarum Parisiensium; totidem Magistro Hospitalariorum; totidémque Magistro Templariorum; Rigordus [f] Vincêtius [g], Sanutus [h], Antoninus [i], & alij habent, quæ Brito [k] quinquagena millia marcarum, Æmilius sexagena millia aureorum exprimunt: Gaguinus [l] autem summam valde auget fide aliûs historici Galli. Inde verò Ioannes (ut ejus reliquum iter uno ductu expediamus) solvendi causâ voti ad S. Iacobum in Hispaniam peregrinatus, (ad quod primâ Dominicâ Quadragesimæ anni proximi Turonis baculum peregrinationis accepisse, traditur in Vitâ Ludovici octavi Francorum Regis) eo itinere Berengariam sororem Ferdinandi Regis Castellæ, neptem Blancæ Reginæ Franciæ, uxorem duxit: quod quidem Surita in rebus Aragonensibus [m], Annales Toletani, aliíque [n] anno proximo factum ponunt; Ioannes Mariana contra ceterorum omnium mentem, post octo abhinc annos. Demùm cum uxore in Galliam rediens, aliquantisper in avitâ ditione constitit: (non eâ quidem Viennâ Allobrogum, aut Vianâ Belgij, ut aliquibus placuisse reperimus; sed neque Branâ oppido Campaniæ prope Suessionem, ut aliis; verùm Brennâ, sive Briennâ, nobili Comitatu in eâdem Campaniâ Trecos versùs, posteà inserto familiæ Lucemburgensi: (Henricúmque Regem postinde in Angliâ ad opus Terræ Sanctæ visitans, magnis muneribus ab eo donatus est: & ad sepulchrum S. Thomæ Cantuariensis peregrinatus (ut Polydorus [o] scribit (quatuor pretiosissimos sapphiros, qui doni nomine in ornamentis essent, contulit.

PHIL. FR. REGIS MUNIFICENTIA ERGA EÛ, ET TERRAM SANCTAM.

[f] Rigord. in Vit. Phil. Aug.
[g] Vinc. lib. 30. cap. 125.
[h] Sanut. lib. 3. par. 11. cap. 10.
[i] Ant. tit. 19. cap. 3. § 6.
[k] Brit. Philip. lib. 12.
[l] Gaguin. lib. 6. in fin.
[m] Sur. in Indic. lib. 1.
[n] Colon. Sanut. Anton. &c.
[o] Polyd. lib. 16.

III. PHILIPPI FRANC. REGIS OBITUS, ET LAUDES.

Quod autem Philippi Regis obitum spectat; contigit ille Meduntæ prid. Id. Iul. anætatis ejus 58. regni 43. utroque propè exacto; cùm annum fermè laborâsset febre quartanâ, nec tamen penè ad ultimum destitisset provincias lustrare, urbes restaurare, mores populorum componere. Egregius planè Princeps; & quo vix Gallia à Carolo Magno maiorem tulit: cujus studium erga justitiam, pietatem, religionem, & literas, munificentiam erga omnes, misericordiam in pauperes, liberalitatem in Ecclesias & religiosas personas, prudentiam civilem, fortitudinem bellicam, auctores omnes prædicare non sufficiunt: adeò nec ipsi Angli [p], & Italici [q]: ita ut quæ aliquando circa uxores peccavit, quamplurimis piis operibus abundè diluerit. *Augusti* cognomen promeruit, cùm ob majestatem vultûs, & formæ venustatem; tum propter rerum gestarum præstantiam, & quòd pulsis Anglis, aliísque provinciis vendicatis, Regnum valdè auxerit. *A-Deodati* etiam, quòd obsecrationibus suis totiúsque populi eum pater tertiâ tandem ex uxore ipse magno natu impetrâsset. Villanius etiam *Bornium* vocat, (quæ vox unius oculi visu destitutum significat) eò quòd altero oculo imbecillo esset, non tamen indecoro.

[p] Paris. in Henr. III.
[q] Anton. d. § 6.

VARIA EIUS COGNOMINA.

IV. SPLENDOR ACADEMIÆ PARIS. EO TEMPORE.

Sub quo etiam adeò floruisse in omni facultatum genere Academiam Parisiensem tradunt [r], ut nec ipsi Græciæ liberalium artium studio cederet. In eâ tamen Honorius PP. qui hoc tempore sedit, Ius Civile doceri prohibuit [s]; eò quòd in Franciâ (ut ait) laïci Romanorum Impp. legibus non uterentur; & occurrerent rarò Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possent statutis canonicis expediri. Ad cujusmodi rationes cùm posent non pauca dici, remittimus ea Legum peritis. Interimque hinc colligimus, videri Ius Canonicum citiùs prælegi cœpisse in Galliâ in Scholis, quàm Civile. Vtebantur autem antiquis Collectionibus; sive illâ, quam Nicolaus [t] Primus *Canonicum Codicem* vocat, sive aliis Isidori, & Burchardi, atque Ivonis; & Capitularibus Caroli Magni: quibus successit Compilatio Decreti per Gratianum. Decretalium enim libri editi sunt post hæc, auctoritate Gregorij Noni successoris Honorij de quo agimus. Habètque nihilominùs idem Rigordus, eodem tempore ibidem Parisiis æquè de Iure civili ac de canonico, sicuti & de Theologiâ, ac Medicinâ plenam atque perfectam tradi solere doctrinam.

[r] Rigord. Vincent. Masson. vid. Bellefor. lib. 3. cap. 76.
[s] Extr. de privil. cap. 28.

IUS CIVILE PROHIBITUM LEGI IN EA.

[t] dist. 19. cap. si Romanorum.

V. FUNUS PHIL. REGIS.

Sepultus est Philippus cum majoribus suis apud sanctum Dionysium; adstantibus funeri filiis ejus Ludovico & Philippo, unà cum Principibus ac Proceribus Regni: Ioanne Rege Ierosolymitano; *Conrado Eginonis* Cardinale Episcopo Portuense, (non quidem Bavaro, ut nonnullis placet, sed [u] ex nobili Zaringiæ apud Helvetios Ducum genere, olim monacho & Abbate primùm Villariensi, deinde Claravallensi, demúmque Cisterciensi, viro doctrinâ & religione celebri, Legato paulò ante ab Honorio misso in Galliam & Germaniam adversùs hæreticos Albigenses, & pro Terræ Sanctæ subsidio: multísque Galliarum Archiepiscopis & Episcopis, qui convenerant jussu Pontificis in Sy-

[u] Cæsar. 3. Dialog. 33. Cantiprat. lib. 1. cap. 9. Fascic. SS. Ord. Cisterc. lib. 1. dist. 26. Ciaccon. in Honor. III. Vid. infr. an. 1225. V.

NODUM, ad deliberandum de modo extirpandæ prædictæ hæreſis. Quam rem Philippus, cui ea valdè cordi erat, impensùm filio Ludovico, quem jam bis olim adversùs eos immiſerat, commendavit; legata etiam ad hoc multâ pecuniâ: relictiſque Amalrico Comiti Monfortio, filio Simonis viginti millibus librarum Pariſienſium, ad uxorem ejus & ſuos de manu eorumdem hæreticorum reducendos. Ceterùm mortem Philippi tam Honorio Pontifici quàm aliis, revelatione Sanctorum Dionyſij & Germani ſignificatam fuiſſe, ut pro ejus animâ orarent; Brito [x] carmine ſuo narrat; continetúrque in monumentis monaſterij ſancti Dionyſij [y]. Rigordus autem, Miſſam exequialem celebratam à Conrado Legato, & Guillelmo Archiepiſcopo Remenſe, una voce ad duo altaria propinqua, ceteris Epiſcopis cum clericis & monachis eis reſpondentibus, ſicut uni. Philippi verò uxor Engelberga ei ſupervivens, Corbolium ſe recepit ad Hoſpitale ſancti Ioannis: ubi tota dedita pietatis & miſericordiæ operibus, collegium fundavit tredecim presbyterorum ſecundùm regulam Hoſpitalis Ieroſolymitani; vixítque adhuc ibi tredecim annis.

[x] Philipp. lib. 11.
[y] Lib. 4. c. 9.

VI. LUDOVICUS REX VULGÒ VIII. DICTUS, DICENDUS XI.

Philippo ſucceſſit filius ejus *Ludovicus*, de quo ſæpè ſuperiùs: cui cognomen factum *Leoni* ob magnitudinem animi, & fortitudinem bellicam quâ valuit: annum emenſus ætatis trigeſimum ſextum, natus ex priori Philippi conjuge Iſabellâ filiâ Balduini Comitis Hannoniæ; quam volunt deſcendiſſe lineâ directâ ex Ermengardâ filiâ Caroli legitimi regni heredis, quem Hugo Capetus eo privavit: ac proinde hunc Ludovicum ſanguine Carolino ſimul & Capetiano ſatum eſſe: unde & philoſophantur [z] plus hinc nobilitatis ad Reges qui pòſt ſecuti ſunt perveniſſe. Fuit autem ſui nominis Rex *Octavus* vulgò dictus; initio numeri ſumpto à Ludovico Pio Rege & Imperatore filio Caroli Magni: cùm tamen reverâ dicendus ſit *Vndecimus*, quòd qui primâ Regum ſtirpe Merovingiâ tres *Clodovei* regnârunt, iidem ſint & *Ludovici*, ſive *Hludovici*, aut *Hludovei*, vel etiam *Luduini*, priſcis auctoribus nuncupati. Cùm & alius inſuper apud pleroſque de tribus illis Clodoveis error irrepſerit, ut qui ſecundus fuit primus dicatur ſepoſito magno CLODOVEO, qui Regum primus Chriſtianitatem profeſſus eſt; fortè quòd fuerit initio paganus. Ceterùm Ludovicus iſte ſive Octavus, ſive Vndecimus, unctus & coronatus fuit Remis unà cum *Blancâ* Caſtellanâ conjuge ſuâ octavo Idus Auguſti die transfigurationis Domini: præſente etiam eodem Rege Ieroſolymitano, ſacris operante eodem Guillelmo Archiepiſcopo. Scripſítque ad eum Honorius Papa epiſtolam octavo Calendas Novembris, quâ conſolatoriam de morte patris, quâ hortatoriam ad optimam regni adminiſtrationem, & devotionem erga Sedem Apoſtolicam. Idem verò paulò pòſt congreſſus amiciſſimè apud Ambarros cum Friderico Imperatore, fraternum nomen inter Francos Germanoſque redintegravit, fœdúſque ſanctiſſimum icit; ut Æmilius habet. Quod tamen Auctor Fragmenti Vitæ Ludovici, non niſi anno ſequenti circa feſtum ſancti Martini, & inter Ludovicum atque Henricum Germaniæ Regem filium Friderici, apud Vallemcolorem tranſactum eſſe tradit: agente videlicèt filio tam ſuo quàm patris nomine.

[z] Auctor. Fragm. Vitæ Ludov VIII. quod ext. poſt Briton. Vide Spec. Hiſt. lib. 30. cap. 126. Vvaſſeburg. lib. 3. in fi. Gaguin. lib. 7. in pr.

VII.

DE ALBIGENSIUM PAPA NARRATIO PARISII ANGLI.

Quod Albigenſes ſpectat; cùm circa hæc tempora in Galliis illi & Hiſpaniis (nam & in has penetrâſſe ex Lucâ Tudenſi [a] teſte oculato, & aliis conſtat) nimiùm quàm exagitati, pars in fines Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ juxta Hungariam abſcedentes, nonnullis Epiſcopis & quamplurimis aliis in ſuas partes allectis, etiam Antipapam ſibi conſtituiſſent, ad quem undique conſultationes ſuas deferrent; iſque vices ſuas in Galliis Bartholomæo cuidam Carcaſſone oriundo, Epiſcopo à ſe creato delegâſſet, qui ſe in literarum ſuarum inſcriptione *Servum ſervorum ſanctæ fidei* nuncupabat, & Epiſcopos ſuæ ſectæ creandi, atque Eccleſias ordinandi auctoritatem ſibi arrogabat: his motus prædictus Conradus Apoſtolicæ Sedis Legatus, ut exorienti periculo quamprimùm mederetur, SYNODUM Gallicanorum Epiſcoporum *Senonis* celebrandam indixit. Verùm hunc tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminavit, ut ait Pariſius, ex quo iſta, quorum nullum apud quemquam alium antiquorum veſtigium reperimus: nec tamen omninò repudianda putamus, cùm literas Conradi Legati ad Archiepiſcopum & Epiſcopos provinciæ Rothomagenſis verbatim recitet, quas non facile ſit comminiſci: quamvis adſcriptæ dies non mendâ carere videantur. Quod enim boni hic auctor habet, id eſt quod plurimas epiſtolas à diverſis ſcriptas, & acta publica verbatim referat: quod ſanè negandum non eſt egregij eſſe emolumenti. Hæc verò ſi dempſeris, in reliquis nulla tuta fides: cùm portentoſis plerumque mendaciis, calumniis atrocibus, ineptiſſimis narrationibus, & inſulſis commentis ſcatere noſcatur ex collatione aliorum auctorum melioris notæ.

[a] Tud. contr. Albig lib. 3.
[b] Marian. lib. 12. cap. 1.

IUDICIUM DE EODEM PARISIO.

VIII.

CERTIOR NARRATIO DE REBUS IN GALLICUM ALBIG. GESTIS.

Habet autem Antoninus [c], Raymundum Iuniorem Comitem Tholoſanum, alioſque Albigenſes, miſſis hoc ipſo anno Romam Legatis, ſpopondiſſe Romanæ Eccleſiæ ſtare mandatis: Honorium Pontificem mandâſſe Archiepiſcopo Narbonenſi, ut dictum Comitem audiret: Archiepiſcopum convocatis totius provinciæ Epiſcopis atque Prælatis, juramentum Comitis, aliorúmque Baronum qui erant ſuſpecti hæreſis, cepiſſe ſtaturos ſe judicio Eccleſiæ: móxque illius vi juramenti injunxiſſe eis, ut terras ſuas ſecuras & Romanæ Eccleſiæ obedientes redderent; Clericis redditus ſuos integros reſtituerent, & pro illatis damnis viginti quinque millia marcarum auri, intra tres annos perſolverent, hæreſímque pro viribus è terris ſuis extirparent. Quæ quidem Antoninus ſumpſiſſe noſcitur ex Fragmento [d] Rerum geſtarum Ludovici Regis: ubi CONCILIUM celebratum ponitur apud *Montempeſſulanum* infra Octavas Aſſumptionis Beatæ Mariæ anni proximi: differtque in eo duntaxat, quòd nonniſi quindecim millia marcarum injuncta pro damnis habet, facili apud alterutrum characterum mutatione. Habet verò præterea, jam antè, nimirum menſe Maio dicti anni

[c] Ant. tit. 19. cap. 3. §. 6.
[d] Ext. ubi ſupr. in z.

proximi, Ludovicum Regem conventum generalem antistitum ac Procerum Parisiis celebrâsse: in quo, præter Anglica, (de quibus anno proximo) & alia ibi agitata, auctoritate Honorij Papæ revocata ad tempus fuerit indulgentia quæ in Lateranensi Concilio contra Albigenses instituta fuerat, & Raymundus fide Catholicus approbatus, videlicèt propter obsequium per nuncios ejus Romæ, ut diximus, exhibitum: ad cujus probationem celebratum postinde fuit prædictum Concilium Mompessulanum. Quæ tamen reperimus à nonnullis in dubium revocari, tam ex eo quòd cùm sint in excusationem & laudem Comitis Tolosani, nihil tamen de iis habeat Guillelmus de Podio Laurentij, qui fuit capellanus ejusdem Comitis; quàm quòd eodem tempore missum constet Romanum Cardinalem Legatum ad Regem incitandum contra Comitem. Sed nec unius silentium nocere debet plurium assertioni: & potuit facilè contigisse, ut Comes rursùm Pontificem & Regem concitârit, quòd detectus fuerit non tam pristinæ hæresis pœnitentiâ, quàm recuperandi dominij affectu prædicta curâsse.

IX. WALDEMAR. REX DANIÆ CAPITUR PRODITORIÈ, ET LONGO TEMPORE IN CARCERE DETINETUR.

Audax facinus hoc anno commissum est in Daniâ. Erat Henricus Comes ZWerinensis homo Saxonici generis, extra gratiam Waldemari Regis ob quamdam offensam: cùm verò fide publicâ ad placandum Regem accedens, difficillimam reperisset reconciliationis suæ viam ob duriores obtensas à rege conditiones; observans ipse tempus quo Regem in venatione rusticâ domo pernoctantem ejus stipatores negligentiùs custodirent; noctu ingressus cum fidissimis, Regem vinxit, & occluso spiritu oris perduxit in navim quam non longè apparatam habebat, indéque in Saxoniam, ubi in quodam suo castro arctissimæ custodiæ mancipavit. Tentatum quid simile olim ferunt in Fridericum Primum Imperatorem, quem cum unico famulo ad amnem despatiantem, Friso quidam coriariâ strictâ veste substrictus, ex alterâ parte amnis emergens, medium complexus conatus est pertrahere in amnem ut abriperet: peregissetque nisi gladiis famuli & cujusdam alterius supervenientis abacto latrone Imperator se explicuisset, illo per amnem ad suos natando revertente. Ille quidem exitu frustratus: sed Henricus quod cogitavit peregit. Qui & insuper non solùm Henrici Germaniæ Regis pro Dani liberatione sollicitudinem frustravit; verùm etiam Albertum Dani nepotem prælio victum, captúmque in eumdem carcerem cum auunculo conjecit. Quousque Rex post biennium, cùm alia via non esset, argento se redemit datis quadraginta quinque millibus marcarum argenti; præter munera quæ in eam rem impendit amicis æstimationis trium millium marcarum: cùm & præterea medio tempore Nordalbingiam provinciam amisisset; quam post liberationem recuperare tentans, prælio victus est: & olim victoriosissimus (unde & victoriosi cognomen meruerat) cuncta fermè post carcerem adversa habuit. Narrat hæc Krantzius [c] in Daniâ, & Saxoniâ: quorum & alij meminêre. Sed in brevi Historiâ Danicâ Erici [f] Regis traditur, non solum Waldemarum Regem captum fuisse ab Henrico, verùm etiam ejus filium ejusdem nominis jam à patre regem creatum; & post triennij ferè carcerem redemptos esse per Danos sexaginta millibus marcarum, præter alia munera dupli valoris.

[c] *Krantz. 7. Dan. 18. & 19. & 7. Sax. 38. & 39.*
[f] *Ext. in Tom. Rer. Germ. Lindenbrog.*

X. CONFIRMATIO REGULÆ S. FRANCISCI AD LITERAM. DE S. CLARÆ ORDINE ET INSTITUTO.

Hoc [g] item anno Honorius Papa Regulam fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci, jam anteà ab Innocentio Tertio approbatam, rursúmque ei divinitùs traditam ad literam & sine glosâ observandam, confirmavit tertio Calendas Decembris, Pontificatûs sui anno octavo jam cœpto. Additúrque insuper testamentum ipsius sancti Francisci, quo ejusdem Regulæ observationem, tamquam divinitùs sibi revelatæ, Fratribus suis commendat. De tribus autem Ordinibus ejus instituti; nempè horum *Fratrum Minorum*; *Sororum Monialium*; (quæ *sanctæ Claræ* dictæ sunt, à virgine ejus nominis Assisiate; quæ à sancto Francisco ipsius concive contemptum mundi edocta, prima omnium feminarum ipsius institutum suscepit; plurésque alias sui exemplo ad illud inducens, eas sanctè rexit: quæ eædem & *Damianitæ* dictæ sunt; ab ecclesiâ sancti Damiani, in quâ primò firmam suæ mansionis sedem fixerunt:) & *Tertiariorum* tam regularium quàm sæcularium, (quos etiam *Fratres pœnitentiæ* vocant (eorúmque Regulis; déque singulorum posteà divisionibus, & subdivisionibus, mitigationibus, ac constitutionibus Pontificum de iis editis, privilegiísque eis concessis; videndi præcipuè Annales Fratris *Lucæ Vvaddingi*, quos ipse ceteris longè accuratiùs summâ fide conscripsit; & notationes ejusdem in Opuscula sancti Francisci.

[g] *Trithem. Boss. Onuphr hoc. an. Bullar. to. 1. Honor. 3. const. 5. Paris. Hist. Angl. an. 1227. Sed de his pleniùs Vvaddingh. in Annal. Minor.*

XI. S. FRANCISCI INDULGENTIA ET STIGMATA.

Hoc verò item anno, sed ad principium ejus, revelatum eidem sancto Francisco esse divinitùs diem consequendæ exuberrimæ illius plenariæ Indulgentiæ Assisij apud ædem Portiunculæ; nempè illum quo Petrus Apostolus fuit vinculis solutus, à secundis vesperis illius diei usque ad vesperas sequentis; eumdémque ad Honorio Papâ confirmatum, multísque miraculis illustratum; iidem Annales ceterique Scriptores habent: Itémque, eidem Francisco anno proximo, biennio videlicèt ante ejus obitum, impressa fuisse in monte Alverno sacra *Stigmata* singularis CHRISTI in eum amoris testes: de quibus illi mira, ut verè fuêre miranda: quorum etiam extant apud eosdem egregia Alexandri Papæ Quarti testimonia: eorumdémque festum posteà Benedictus Vndecimus celebrari, Officium etiam Paulus Quintus recitari concessit.

IESU CHRISTI Annus 1224.
HONORII III. An. 8.
FRIDERICI II. An. 5.
ROBERTI An. 5.

I. FRIDER. IMP. LEGES PROMULGAT CONTRA HÆRET.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Indictione duodecimâ, vigesimo secundo Februarij, Fridericus Imperator Paduæ existens, ut se verè pium ac fidei defensorem esse orbi persuaderet, cujus pleraque vita contrarium indicabat; egregias aliquas Leges [a] contra varias hæreticorum sectas; eorumque receptatores, ac conscios, & participes, promulgavit; quibus primùm pœna mortis statuta reperitur contra hæreticos obstinatos: quas posteà Innocentius Quartus & subsequentes Pontifices confirmarunt, sæpiusque publicari curarunt. Ejus porrò studia ac mores ita breviter Ioannes Villanius [b] Florentinus antiquus historicus descripsit, ut dicat fuisse virum multæ industriæ ac peritiæ, egregiè literatum, & complurium linguarum gnarum. Græcæ, Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Saracenicæ; magnificum, liberalem, consilio prudentem, armis strenuum, ædificiis splendidum: sed multis modis impudicum, gregem concubinarum, & mameluchos (obsoletos, ut puto) Saracenorum more habuisse, omnique deliciarum genere defluentem vitam epicuream duxisse, quasi nulla alia esset vita: hincque præcipuè Ecclesiam ac clerum dirè persecutum esse, templa ac monasteria diripuisse, bona rapuisse, ut esset quo voluptates suas satiaret.

[a] Ex. int. epist. Petr. de Vinc. lib. 1. cap. 25. 26. 27. Bullar. to. 1. Innoc. V. const. 1. Direct. Inquis. in fi. Bzov. an. 1225.
[b] Vill. lib. 6. cap. 1.

QUALIS ESSET FRIDER.

II.

Hoc eodem anno Ludovicus Francorum Rex, post celebratum Conventum Parisiensem, de quo diximus anno [c] superiori, ex deliberatione ibi habitâ in Aquitaniam contra reliquias Anglorum movit. Cùm enim confestim ab ipsius coronatione Henricus Rex Angliæ misso; [d] ad eum Archiepiscopo Cantuariensi cum aliis tribus Episcopis, rogâsset restitui sibi Northmanniam cum alias terris quas in Galliis Angli habuerant, sicut ipse Ludovicus ex Angliâ recedens jurâsset: respondentéque Ludovico; paratum se esse ostendere in Curiâ suâ, si Henricus judicium ejus subire vellet, justè se terras illas possidere; tùm, quod juramentum attinebat, nequaquàm se ejus reum esse, quandoquidem priùs Henricus pacta conventa multis capitibus violaverat, tam quæ Francos spectabant, quàm quæ Anglos; quibus non solùm non ipse probas leges ac consuetudines juratas restituisset, verùm etiam pravis pristinis retentis longè insuper deteriores ingessisset; (unde etiam novas turbas ac seditiones in Angliâ ortas esse, auctores tradunt:) confusi Legati ad propria rediissent: justáque prætereà suppeteret Ludovico Regi causa in Henricum, quòd cùm is maximam adhuc Aquitaniæ partem occuparet, cujus respectu negare non poterat, quin beneficiarius esset Regni Francorum, haud tamen interfuisset de more unctioni & coronationi Regis, nec per Legatos excusatione morbi; necessariæve occupationis usus fuisset: His igitur de causis Rex cum exercitu pergens, Savaricum Malleonensem magnæ in Pictonibus nobilitatis & militaris peritiæ virum, quem Anglus Aquitaniæ præfecerat, fudit, captáque cùm aliis ejus tractûs munitionibus Rupellâ maritimo oppido, ad quod Angli applicare consueverant, postinde Lemovices ac Petracoricenses, ceterósque populos Burdegalam usque fluviúmque Garumnam quà vi quà deditione in suam potestatem redegit. Savaricus autem cùm in Angliam se recepisset, & falsò proditionis insimularetur, inde elapsus ad Regem Ludovicum transiit, ab eóque cultus & magnificè donatus est. Ricardus autem Henrici frater cum longè maximâ classe; ad quam parandam omnes Angli tam Ecclesiastici quàm laïci decimanquintam partem omnium rerum mobilium contulerunt (Burdegalam missus anno sequenti, obstitit ne etiam Vasconia tota, quæ Francos respiciebat, ad ipsos tunc deficeret. Narrant hæc auctor Vitæ Ludovici, Parisius [e], Vincentius [f], Antoninus [g], Gaguinus [h] Æmilius [i], & alij.

[c] An. super. num. VIII.
[d] Paris. & Vvestmon. an. super.

LUDOVICI REGIS FELIX EXPED. IN AQUIT. ADVERSUS ANGLOS.

[e] Paris. in Henr. III.
[f] Vinc. lib. 30. cap. 127.
[g] Ant. tit. 19. cap. 3. §. 9.
[h] Gaguin. lib. 7. in pr.
[i] Æmil lib. 7.

III. SAVARICUS EGREGIUS POETA.

Prædictum verò Savaricum reperimus [k] poëticis fuisse studiis deditum admirandum in modum; confluxisséque ad eum ex omni Galliâ poëtas, quòd ipse eos magnis honoribus & præmiis afficere esset solitus, tam qui Latinè, quàm qui Gallico sermone similiter desinentes versus scribebant, qui *Rythmi* vulgò appellantur: quod genus apud Siculos (inquit Petrarcha [l]) non multis antè sæculis renatum, brevì per omnem Italiam ac longiùs manavit; apud Græcorum olim ac Latinorum vetustissimos celebratum. Hic tamen Savaricus quanto fuerit odio Flandris ob incensam urbem amplam Dammam, cui eum Rex Philippus præfecerat, & alias rapinas & extorsiones ab eodem commissas, demonstrat sequens Epithaphium haud inelegans, quod ejus monumento eos inscripsisse narrat Ricardus Wassebugensis [m] in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ; quod cuilibet crudelissimo tyranno convenire possit.

[k] Ap. Papir. Masson. Annal. Franc. lib. 3. n Ludov. Leo.
[l] Petr. pref. in Epist. famil.
[m] Vvasseburg. lib. 4.

EPITAPHIUM EIUS.

Concepit facinus mens, suasit lingua, peregit
Dextra: malus, pejor, pessimus iste fuit
Concipiendo malus, suadendo pejor, agendo
Pessimus: huic turpis vitáque mórsque fuit.
Mors ea non habuit planctum, nec vita favorem,
Nec facinus veniam, nec cinis exequias.
Mors lætam, tristem mora mortis fecerat urbem:
Cujus mors placuit, non bona vita fuit.

IV. VICTORIÆ PRECIBUS PARTÆ.

De supradictâ verò Regis expeditione observat idem Vitæ ejus Auctor; cùm in eâ ipse ageret, Parisiis die festo sancti Petri ad Vincula solemnes factas esse supplicationes ac processiones ab Ecclesiâ sanctæ Mariæ usque ad sanctum Antoninum pro victoriâ Regis, quibus interfuerunt tres Reginæ, Ysamburgis (sive Engelberga dicta) relicta Philipi; Blanca uxor Ludovici cum filiis suis, & Berengaria conjux Ioannis Regis Ierosolymitani; atque exaudiente Deo preces earum populique, postridie Litaniarum Rupellam redditam esse Regi. Sicuti & in Historia [n] Hispanicâ legimus, cùm Ferdinandus Castellæ Rex Mauros hoc eodem tempore armis persequeretur, Reginis Berengariâ ejus

[n] Marian. lib. 12. cap. 11.

matre, & Beatrice conjuge (filiâ Philippi quondam Imperatoris) de ejus salute solicitis, vota publica toto regno pro felici ejus reditu suscepta fuisse, & pòst exsoluta. Sic enim spiritualibus armis feliciùs faciliúsque expugnari hostes, quam materialibus, frequentissimis exemplis experti sunt Fideles.

V. Amalricus cedit ditione Regi.

Ex Chronicis quoque Guillelmi de Podio Laurentij, & Monfortiano, constat; hoc ipso anno Amalricum filium Simonis iis omnibus, quæ à Summo Pontifice & Philippo Rege pater ejus sibi ac suis possidenda acceperat in provinciis Narbonensi & Aquitanicâ, aut alibicumque unà cum Tolosano Comitatu ejusque omni ditione, cessisse Ludovico Regi supremo domino; quòd deficientibus sacrarum expeditionum auxiliis, non esset ipse solus iis tuendis contra potentiam Raymundi ejúsque sociorum, ac frequentes populorum rebelliones: Regem autem vicissim renunciâsse illum Magistrum Equitum, sive Conestabulum Franciæ; (quæ proxima est à Regiâ dignitas) virum prudentiâ & fortitudine præstantem.

VI. Honor. PP. agit pro Rege Angl.

Ceterùm laborâsse Honorium Papam ut Ludovicum Regem à prædicto in Anglos bello revocaret, eúmque in Albigenses immitteret; in ipsâque Angliâ curâsse nonnullorum in Regem Procerum conspirationes (quas eorum historici prosequuntur) compesci; constat ex literis ab eo his de rebus scriptis [o]. Cúmque mortuo hoc ipso anno Alfonso Crasso Lusitaniæ Rege, qui ei successit filius *Sanctius* ejus nominis Secundus, cui [p] sive quòd remissioris ac negligentis existens animi magis ad quietam & monasticam vitam aptus videbatur, sive quòd caputij quodam genere ad instar monachorum utebatur, sui *Capelli* cognomen, ita enim cucullum vocant, indiderunt:) Bracarensem Archiepiscopum pari atque pater persecutione insectaretur; eum illi reconciliari monuit: ac renitentem per censuras compelli jussit, potestate ad id traditâ Archidiacono & Magistro Scholæ Auriensis Ecclesiæ.

[o] Reg. Honor. an. 8.

[p] Duard. de Regib. Portugall.

Et contra Lusitanum.

Iesu Christi Annus 1225.
Honorii III. An. 9.
Friderici II. An. 6.
Roberti An. 6.

I. Frider. Imp. inclementer agit contra Ioan. Reg. Ierosol.

Anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Indictione decimatertiâ, Honorius [a] PP. Iolantem regni Ierosolymitani heredem ex Syriâ advectam, coronatámque, Friderico Imperatori præsenti conjugem copulavit. Eodémque anno Henricus Friderici filius, in Germaniâ apud Nurenbergam uxorem duxit Margaritam (Agnetem alij vocant) filiam Lupoldi Ducis Austriæ. Imperator autem Ioannem Brennensem patrem Iolantæ cogens [c] cedere sibi juribus ac possessione Regni Ierosolymitani, quæ ipse integra sibi quandiù viveret remansura existimaverat, eum à se alienavit: parúmque abfuit quin & posteà eundem occiderit unà cum Gualterio ipsius nepote, filio alterius Gualterij & filiæ Tancredi, de quibus supra, quem ad regnum Siciliæ jure materno aspirare, & an illud occupandum ductum fuisse à Ioanne ipsius patruo suspicabatur.

[a] Sigon. de Regn. Ital. lib. 17.
[b] Trithem. Naucler. &c.
[c] Sanut. lib. 3. par. 11. cap. 10.
[d] An. 1202. I.

II. Eius tergiversationes de exped. Orient.

Cùm autem Fridericus [e] biennium ad Orientalem suscipiendam expeditionem sumptum jam adventare videret; causis cur proficisci non posset explicitis, inter cetera præ se tulit vereri, ne se absente Lombardia Mediolanensium ac Bononiensium instigatione deficeret. Cùm verò & his ei operâ Honorij Pontificis reconciliatis, rursùm alia prætexeret demùm missis ad eum à Pontifice in Apuliam Pelagio Episcopo Albanensi: & Guallone Presbytero titt. S. Martini, S. R. E. Cardinalibus, qui de postulatis ab ipso juribus inquirerent, & quicquid ex æquo esset concederent; obtentum est, ut is apud sanctum Germanum mense Iulij, præsentibus omnibus suis ex Germaniâ Principibus sacris Evangeliis manu tactis juraverit se intra biennium ab instanti mense Augusto computandum in Orientem sine ullâ excusatione properaturum, multáque circa id bellum præstaturum, quæ referuntur in publico eâ de re confecto instrumento [f]: eadémque in animam suam jurare ceteros jussit, se singula completurum: spontè consentiens in se & regnum suum sententiam ferri, si quâ eorum conditione temerè recessisset. Quo facto Cardinales in conspectu Principum ac populi circumstantis anathema in eum auctoritate Apostolicâ protulerunt, si officio defuisset.

[e] Sigon. ibid.

[f] Ext. in Reg. Honor. & in Collect. Card. Arag.

III. Balduinus suppositius dat poenas suæ temeritatis.

Hoc eodem anno (nonnulli præcedentem signant (circa Pascha quidam se *Balduinum* Flandriæ olim Comitem & Imperatorem Constantinopolitanum venditans, quem staturâ, ætate, lineamentísque corporis haud admodùm, malè referebat; & multis in Flandriâ tædio feminei dominatûs acceptus, (asservabatur enim adhuc in carcere Ferdinandus Lusitanus Ioannæ Comitissæ veri Balduini filiæ vir, prælio Bovinensi captus, Honorio Pontifice, Blancâque Reginâ sanguinis necessitudine Ferdinando junctâ, etiam hoc anno nequicquàm pro ejus liberatione apud Regem Ludovicum satagentibus:) Ioannâ Comitissâ vix ejus manibus elapsâ, Regis Ludovici opem in eum implorante, vocatus à Rege publicâ fide Peronam, magno comitatu advenit: sed multa rogatus cùm vel superbè, responderet; vel hærês æstuaret, nulláque de se vera indicia exhiberet, dimissus à Rege eâdem fide quâ venerat, Valentianas rediit: desertúsque ab omnibus clàm fugit in Burgundiam; atque ibi agnitus, & Ioannæ venditus, ab ejus ministris multis cruciatibus in ergastulo affectus est, restéque demùm suspensus non tamen sine plebis rumoribus, quæ patrem ab improbâ filiâ ignominiosè extinctum tunc & diu post, disseruit. Rem tragicam, nec tamen insuetam, narrant plurimi [g]: quæ ut plerisque commentitia visa est, aliísque dubia, ita apud nonnullos plenam fidem invenit fuisse hunc verum Balduinum. In quos acriter invectus Meyerus [h], hunc tandem asserit audaciam suam propalantem, confessum esse Bertrandum se vocari (Bernardum quidam habent) cognomento de Rayns natione Campanum, qui in silvâ prope Valentianas eremitam aliquando egerat. De veri autem Balduini casu dictum est suo loco [i].

[g] Auct. Vita Ludov. Reg. Colon. in Annal. Staden. in Chron. an. 1224. Vinc. lib. 30. cap. 127. Anton. tit. 19. cap. 3. §. 6. Gaguin. lib. 7. Krātz. 7. Metrop. 41. Æmil. lib. 7. Bellefor. lib. 3. cap. 85. & alij.
[h] Meyer. Annal. Flandr. lib. 8.
[i] Supr. an. 1205. II.

IV. ENGELBERTI ARCH. COLON. MARTYRIUM.

Hoc eodem anno in Germaniâ *Engelbertus* Coloniensis Archiepiscopus, res Germaniæ tunc pro imperatore administrans, conspiratione Friderici Comitis Isenburgensis consanguinei sui, Coloniensis quondam canonici, quod ejus in Ecclesiam Essendiensem, cujus patrocinium Engelbertus susceperat, injurias non ferret; septimo Idus Novembris triginta octo vulneribus (sive, ut in Vitâ legitur, quadraginta septem) confossus, gloriosum martyrium obiit pro defensione justitiæ; multisque postinde miraculis claruit. Rem breviter narrat Godefridus sæpe nominatus Coloniensis monachus in Annalibus suis; prolixè Cæsarius Heisterbacensis in [k] Vitâ Engelberti, scriptâ ad Henricum ejus successorem: Meminitque Krantzius [l] in Metropoli. Vrspergensis [m] autem, & post eum Aventinus [n], queruntur hoc contigisse ex eo quòd prædicatores qui populos ad Crucem contra Infideles sumendam hortabantur, ingererent quemcumque sceleri obnoxium, parricidio, incesto, sacrilegio pollutum, continuò ubi Crucem vesti assuisset, solutum esse & crimine & pœnâ; quæ licèt aliquâ ratione possent defendi, tamen quòd aliter ab auditoribus intelligerentur, maximam fenestram ad immanissima flagitia patefecisse: ac plerosque ansâ hinc arreptâ, inimicos priùs suos tollentes, inde in militiam sacram nomina dare consuevisse, quâ tuti reddebantur: quin etiam cùm in defunctorum animas eamdem indulgentiam extenderent, inde factum esse ut multi pessimi sine pœnitētiâ & satisfactione defuncti, qui fuerant sepultura asini in agris sepulti, Ecclesiasticam sepulturam susciperent. Ita ipsi: qui sanè si legitimos aliàs semper rerum Ecclesiasticarum tractatores egissent, possent & hîc audiri: verùm cùm primus parùm se æquum sæpè in ea quæ à Romanâ Ecclesia procederent, alter veluti hæreticus nūquam fere nisi iniquissimum exhibuerit; illa & in his fides habenda eis, quā merentur: quandoquidem etsi negare nolumus, potuisse prædicatores extollendo virtutem sumptionis Crucis, & protectionis Sedis Apostolicæ, quædam inculcare quæ multi in propriam & aliorum perniciem interpretarentur: (invenimus enim etiam apud probatos auctores, & alias eorumdem temporum de his querelas: (tamen quod ad Engelberti necem attinet, nec prædicti auctores qui eam descripserunt, quicquam habent de Cruce à Friderico Comite susceptâ; nec si suscepit, innoxius ejus patrocinio dici potuit; quem iidem referunt, cùm post scelus patratum aufugisset, primò à Conrado Cardinale Episcopo Portuense legatione tum in Germaniâ fungente, terribili anathemate cum suis complicibus percussum esse; deinde castris ejus à Coloniensibus solo æquatis, demùm & ipsum, cùm nec Romæ veniam invenire potuisset, post latebras sæpè mutatas comprehensum, rotæ supplicio, pœnitentem licèt, cruribus brachiisque fractis punitum fuisse, & carnivoris avibus expositum: Henrico Engelberti successore hæc omnia solicitè procurante, quod certè non fuit eum à crimine & pœnâ solutum declarare. Observat autem Trithemius [o], mox ubi vindicta sumpta est de Friderico, ad tumbam Engelberti cessasse fieri miracula: cui tamen minimè Cæsarius suffragatur.

[k] *Ap. Sur. 7. Novemb.*
[l] *Krantz. 7. Metrop. 43.*
[m] *Vrsperg. in Chron. ann. 1221.*
[n] *Avent. Annal. Bojor. lib. 7.*

SUPPLICIUM DE PARRICIDA SUMPTUM.

[o] *Trith. in Chron. Hirsaug. & Sponheim.*

V. SYNODUS GERM. CELEBRATA A CONRADO LEGATO.

Quod verò ad prædictum Conradum Legatum attinet; postquàm officio in Galliis functus (sicuti vidimus [p]) in Germaniam advenisset, inter alia quæ preclarè ibi gessit, *Synodum* hoc ipso anno, quarto Idus Decembris pro reformatione Ecclesiæ ac cleri, præcipuè contra clericos concubinarios & simoniacos, celebravit: cujus extant [q] canones quatuordecim. Qui quòd præpositi habeantur Collectioni Conciliorum Coloniensium, putârunt nonnulli, Synodum factam fuisse Coloniæ: verùm cùm Acta nullum locum designent, ex Cæsario in Vitâ prædicti Engelberti [r] palàm fit celebratam esse *Moguntiæ*: Cur autem præponantur ejus canones Coloniensibus, ex præfatione iis appositâ intelligitur id fieri, quoniam jussi sunt à Conrado per universam Germaniam annis singulis promulgari ante omnia in provincialibus & diœcesanis Synodis. Cùm & alioqui in historiâ Ecclesiæ [s] Moguntinæ tradatur, tam celebre hoc Concilium extitisse, ut vocaretur absolutè *Germanica Synodus*; fuisseque tunc Archiepiscopum Moguntinum Sigfridum ejus nominis Tertium. Quod tum putamus accidisse ob præstantiam Canonum ibi conditorum, & auctoritatem Sedis Apostolicæ cujus Legatus Synodo præfuit: tum verò etiam ob insigne ipsius Legati nomen quo in Ecclesiâ Dei claruit: quem ferunt [t] tanti fuisse meriti & pietatis, ut ejus digiti quibus sacratissimam Christi hostiam offerre solitus erat, noctu ad instar candelarum ita fulgerent, ut ejus lucis ope scripturas omnes expeditè legeret. Sed de eo pluribus in Fasciculo [u] Sanctorum ordinis Cisterciensis; ubi & post mortem pro Sancto cultum videbis. Qui nihilominùs quamvis talis & tantus esset, morti proximus adstantibus pronunciâsse ibidem dicitur: *Vtinam usque in hanc horam in Villario* (cœnobium erat Ordinis Cisterciensis diœcesis tunc Leodiensis, in quo monachus & Abbas fuerat) *sub disciplina vixissem regulari, & cū culinæ hebdomadariis ibidem scutellas abluissem!* Eum verò cum alio Conrado filio Henrici Nigri Bavariæ Ducis monacho Claravallense, cujus meminit Monachus Altorfensis [x], ab aliquibus confusum reperimus. Denique eumdem ipsum paulo post supradicta, aliud *Concilium* celebrâsse LEODII, ex eodem Cæsario intelligitur: cujus tamen nulla mentio in Gestis Pontiff. Leodiensium.

[p] *An. 1223. V.*
[q] *In Tom. Concil & in Collect. Conc. Colon.*
[r] *Vit. Engelb. lib. 2. c. 13.*
[s] *Serar. Rer. Mogunt. l. 1. cap. 33.*

CONRADI PIETAS ET GLORIA.

[t] *Th. Cantiprat. 1. Apum 9.*
[u] *Fascic. to. 1. lib. 1. dist. 16. Vide etiam addit. ad Ciacon. in Honor. III.*
[x] *Ap. Canis. Antiq. Lect. to. 1.*

VI. PARISII CALUMNIÆ.

Observat quoque Parisius, & ex eo quidam alij, hoc anno Honorium PP. misisse nuncios per orbem universum, petituros in perpetuum ex singulis Ecclesiis Cathedralibus & cœnobiis, duas præbendas, seu portiones, in subsidium expensarum Pontificum; ac speciatim missos ad hoc in Galliam *Romanum* Cardinalem Legatum, in Angliam *Othonem* Nuncium: qui celebratis anno sequenti conventibus, utrobique repulsam passi sunt. Scimus quidem missum fuisse in Galliam Romanum ab Honorio; (de cujus ibi gestis dicetur anno proximo:) sed ut aliquid ejusmodi tentârit, apud nullum Francorum historicum reperimus. Et ne fidem adhibeamus Parisio, in rebus Pontificum & Ecclesiæ Romanæ mentiri

solentissimo, Polydorus[y] facit; dum ex veraciorum auctorum assertione scribit, Othonem in Angliâ solùm petiisse decimas sacerdotiorum pro bello gerendo contra Saracenos, eásque facilè impetrâsse.

[y] Polyb. Hist. Angl. lib. 16.

VII. S. Laur. Dublin. canonizatio.

Quo item anno idem Pontifex Reate existens 3. Id. Decemb. in Sanctorum Confessorum numerum retulit *Laurentium* Archiepiscopum Dublinensem in Hibernia, filium olim Regis Hiberniæ, virtutibus & miraculis, etiámque mortuorum suscitationibus insignem: qui sub Henrico Secundo, Angliæ Rege, in Northmanniam Galliæ ad eum concordiæ inter ipsum & Regem Hiberniæ conciliandæ causâ transfretans, mortuus est in vico Augensi diœcesis Rotomagensis, cujus extant apud Surium[z] res præclarè gestæ sincerè scriptæ: noménque relatum in Tabulas Romanæ Ecclesiæ.

[z] Sur. 14. Novemb. Martyr. Rom. ead. die.

VIII. Puella septennio vivens absque ullo cibo.

Hoc denique eodem anno memorat idem Parisius, in Angliæ urbe Legre Cestrẽsi obiisse puellam quamdam inclusam religiosam, quæ per septennium ante obitum, nullum omninò gustavit cibum; nisi quòd diebus Dominicis Corporis & Sanguinis Domini communionem accepit: ac nihilominùs faciem semper habuisse ut lilium candidissimam, roseóque rubore perfusam. Cujusmodi exempla non raro inveniuntur apud alios quoque auctores, & nostros Annales.

Iesu Christi Annus 1226.

Honor. III. Ann. 10.

Friderici II. An. 7.

Roberti Ann. 7.

I. Anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo sexto, Indictione decimaquartâ, Fridericus Imp. auctore Pontifice Lombardiæ res compositurus conventum[a] Cremonæ habuit, jam anno superiori indictum: sed infrequentem, quòd Mediolanenses ac Bononienses unà cum plerisque aliis Lombardiæ, Romaniæ, ac Marchiæ populis, sibi ab ejus armis timentes, (armatus enim ad conventum accesserat (antiquo inter se fœdere renovato, sub nuncupatione *Societatis Lombardiæ*, in eum sese munierint; & Henrico ipsius filio (quem item ad conventum cum armato exercitu venire jusserat) ad Alpium saltus progresso, aditum in Italiam occluserint. Quæ quidem Honorij PP. consilio peracta à Lombardis esse, scriptoribus[b] Germanicis persuasum fuit. Sanè talem se in omnes exhibebat Fridericus, ut omnium in se cõcitaret animos; cùm sacra profanáque, Italiæ imperio totis nisibus intentis, nihili penderet dum optatum consequeretur. Quare & hoc ipso anno, cùm Honorium,[c] quòd Ecclesiis regni Siciliæ à multo tempore vacantibus dignos Antistites præfecisset, exclusis quos Fridericus ineptos obtrudebat, cõtumeliosis literis lacessens, etiam cum Ecelino[d] de Romano, aliîsque Ecclesiæ hostibus in Lombardia conjurasset: in gravem rursùm incurrens Pontificis indignationem, eo denuò placato, Fœderatorum tamen populorum animos reconciliare sibi etiam censuris Ecclesiasticis nequicquàm studuit; à Mediolanensibus imprimis repulsam passus, cum coronæ ferreæ apud eos de more accipiendæ causâ potissimùm venisset, quam ei jam olim[e] cùm Romam peteret denegaverant.

Societas Lõbardiæ contra Frider. Imp.

[a] Sigon. de Regn. Ital. lib. 17. Litera Frid. Pont. Greg. IX. ap. Paris. ann. 1239. Siero in Annal.

[b] Godefr. Vrsperg. Brith. Naucler.

[c] Int. ep. Honor. ann. 10.

[d] Sigon. Hist. Bonon. lib. 5.

[e] Supr. ann. 1220. I.

II. Rebellio in Germ. contra eundem.

Quo etiam tempore in Germaniâ Comitem Palatinum Rheni Ducem Bavariæ, eidem rebellâsse, pertractis in conspirationem, Boëmiæ, Poloniæ, Hungariæ, & Daniæ Regibus, Aventinus[f] narrat: adeò ut & conventu Libussæ in confinio Poloniæ celebrato, *Vualdemarum* filium alterius Waldemari Regis Danorum, annuente Pontifice in Regem Romanorum elegerint qui tamen coronatus non est, tum quod ejus electioni duo tantùm ex Septemviris Electoribus, Boëmus videlicèt & Palatinus interfuerint; tum etiam quòd iidem paulò post Friderico reconciliati fuerint.

[f] Aventin. Annal. Boior. lib. 7. Golstad. de Bohem. lib. 2. cap. 6.

III. Hoc item anno, *Romano* sancti Angeli Diacono Cardinale Legatione in Galliâ fungente ad extirpandas Albigensium reliquias; circa[g] festum Purificationis Beatæ Virginis, Parisiis Ludovicus Rex, unà cùm Antistitibus & Proceribus quamplurimis, Crucem ab eo suscepit. Inde verò circa Pascha *Biturigibus* centũ[h] fermè Episcoporum cum Abbatibus & Prioribus *Conventus* ab eodem Legato habitus est. Quod enim Lugdunensis Archiepiscopus primatum sibi super Senonensem vendicaret, & Rotomagensis super Bituricensem; (aderant & ceteri Archiepiscopi, præter Narbonensẽ, cujus sedes vacabat; & Burdegalensem, qui Romam petierat, conquesturus de Rege, quòd quia sub Anglis erat impediisset Rex ne possessionibus quas in suis terris habebat frueretur: quâ de re extant[i] Honorij Papæ ad Regem literæ:) nequa inde oriretur discordia, non sessum est *quasi in Concilio*, sed *ut in Consilio*: inquit Parisius. Qui agitatam ibi fuisse ait causam Raymundi Tolosani præsentis, petentísque ut sibi jam Catholico, paratóque tam Romano Pontifici quàm Regi in omnibus satisfacere, paterna bona restituerentur, & arma adversùm se ferri vetarentur: Legatum autem audire contempsisse, nisi omninò renũciaret hereditati suæ. Nihilominùs tamen negasse regem, moturum se in eum & Albigenses nisi Pontifex summo jure interdicere Anglis, nihil interim in regnum suum moliri: Anglos verò eò libetiùs id pollicitos esse, quò constantiùs quidam astrologus coram Henrico Rege Anglo affirmavit, eam expeditionem Ludovico Regi & Francis funestam poculdubiò futuram. Ita Parisius; non levem præseferens indignationem injuriæ, ut vocat, Raymundo factæ. Injurius potiùs ipse Legato; nisi quis malit ignorantiam rei excusare) quem Annales Francorum docent ideo se Raymundo severum exhibuisse, quòd is fidem pro tempore & occasione mutare solitus, Catholicos rursũ exagitare cœpisset; nec videretur quiescere posse, nisi potentiæ suæ diminutione. Cetera autem quæ idem auctor ait post Concilium à legato cum prælatis de exactione præbendarum tractata esse, ut vanè à vano capite narrata[k] prætermittimus.

Bituricens. Conventus sub Romano Leg.

[g] In Vit. Ludov. Reg. Vincent. lib. 30. c. 128.

[h] Paris. in Henr. III. hoc ann.

[i] Reg. Hon. an. 10. 11. Cal. Iunij.

[k] Vid. an. sup. num. VI.

IV. Erat verò quando prædictus Conventus Bituricensis celebratus est, ejus urbis Archiepi-

scopus *Simon de Soliaco*, factus posteà Cardinalis [1] tituli S. Cæciliæ à Gregorio Nono; quem tamen omisêre Onuphrius & Ciacconius; sicuti & plures alios ipsis incognitos, cui quidem Simoni Gregorius Pontifex Honorij successor confirmâsse dicitur jus Primatûs in provinciam Burdegalensem; eâque de re mentionem fieri cap. fi. de majorit. & obedient. Quod etsi non adeò disertè eo capitulo definiatur; fuisse nihilominùs factum, ex ipsis etiam Ecclesiæ Burdegalensis archivis, nedum ex Bituricensis, hausimus: ubi legimus, Gregorium super jure Primariæ inter alia statuisse, ut Bituricensis provinciam Burdegalensem si vellet visitaret: ad quod dies haberet quinquaginta, per quos procurationes inter diœceses dividendas reciperet in Ecclesiis ad quas eum declinare contingeret: eósque quinquaginta dies Octavianum Sanctæ Mariæ in Viâlatâ Diaconum Cardinalem utiles fore declarâsse, Neapoli anno 1255. Pontificatûs Alexandri Quarti primo. At de hâc istarum Ecclesiarum controversia jam etiam dictum aliàs, dicetúrque rursùm inferiùs.

[1] *Robert. in Gall. Christ. sub. Archiep. Bitur. num. 70.*

DE CONTROVERSIA ECCLES. BITUR. ET BURDEGAL.

V. DELIRIA PARISII CONTRA LUDOVICI REGIS EXPEDITIONEM IN ALBIGENSES.

Quod verò Regis expeditionem in Albigenses spectat, cum idem Parisius quinquaginta millia bellatorum equitum & innumerabiles pedites ei attribuit, vereor ne & hoc malo animo faciat, ut eo lætantiùs de plurimorum ex pestilentiâ pernicie exhilarescat; quem sanè non solùm perpetuum ferè Legatorum Apostolicorum criminatorem reperimus, verùm etiam innatâ in Francos invidiâ, prospera eorum semper extenuare, adversa adaugere, actiones infamare, ac pleraque diverse ab exterarum etiam nationum scriptoribus referre. Vt & hîc accidit; cùm narrat Regem & Legatum dolosè ab Avenionensibus transeundi facultatem petiisse, ut urbem occuparent; cùm verò obsessâ urbe pestilentia exercitum invasisset: eámque Rex devitans paulò se inde elongasset, veneno petatum fuisse à Comite Campaniensi, quòd commeatum ei, quem amore Reginæ quâ turpiter abutebatur petierat, denegasset, sícque mortuo Rege, Legatum cum cæteris Prælatis, ne obsidio solveretur, mortem ejus celâsse: quòd tamen nihil proficerent in obsessos, cum eis fraudulenter egisse ut urbem ipsis ingredi liceret ad probandam civium fidem, num verè Catholici, sicuti asserebant, essent; præstitóque utrinque de securitate juramento, dum hi urbem ingrederentur, unà & milites Francos irrumpentes eam in partem suam redegisse: periisse verò in obsidione ex regio exercitu variis morbis & casibus viginti duo hominum millia; ut perspicuè constaret bellum injustè fuisse susceptum, exardente magis concupiscentiâ, quàm exterminio hæreticorum pravitatis. Hæc ille, multaque alia similis farturæ. Quæ quis non videat nugamenta esse malè sani cerebri? ut parùm dicam, faventis hæreticis, calumniantis pudicitiam Blandæ Reginæ, insultantis zelo Romani Pontificis, ac Regis Christianissimi obsequium erga fidem Catholicam ac Sedem Apostolicam traducentis, denique omnia mentientis? Sed sinamus cæcos præire cæcis nos cum videntibus, rem uti narraturi sumus gestam esse scimus.

VI. VERA ILLIUS RELATIO.

Cùm fuisset constitutum in Albigenses expeditionem ducere, Rex unà cum Legato & ingenti exercitu Lugduno movens, ceterísque conditionibus transitum Avenione pactus; ubi eò accessit, civibus contra conventa aditum tanto exercitu denegare ausis, (quòd enim hactenùs septem totos annos ob eamdem hæresim excommunicationi Pontificiæ subjacuissent, ut sunt mali semper pavidi, timere cœperunt ne Legatus Regem in ipsorum obstinationem commoveret:) urbem obsedit, ac resistentibus licèt acriter civibus, superveniente que mortalitate, renuens omninò pedem inde referre, nisi urbe coactâ arbitrio suo se permittere, post alterum mensem acceptis ab eâ ducentis obsidibus, cum juramento standi judicio Ecclesiæ, eam mœnibus circumquaque nudari, fossas impleri, trecentas privatorum insigniores ædes turribus munitas solo æquari, mandante Legato jussit: hísque peractis, Legatus cives excommunicatione absolvit, res Ecclesiæ ac religionis composuit, Episcopum eidem Nicolaum Corbejensem monachum Cluniacensem præfecit. Rex verò amissis totâ obsidione bello aut morbo duobus hominum millibus, receptísque deinde plerisque civitatibus & munitionibus Occitaniæ, atque imposito toti provinciæ Humberto, sive Imberto Bellojocensi consanguineo suo, in recessu morbo oppressus, apud Mompenserium Alverniæ oppidum in octavâ Omnium Sanctorum diem obiit, anno ætatis quadragesimo, regni mense item quadragesimo, utroque propè expleto; corpúsque Parisios delatum solemni pompâ in Ecclesiâ sancti Dionysij Regum mausolæo conditum est. Itaenim omninò rem se habuisse intelligitur ex sinceris scriptoribus illorum ac sequentium temporum, Auctore Vitæ Ludovici, Godefrido Coloniensi, Chronicis Podij Laurentij, Monfortiano, & Augerij Biterrensis, Vincentio [m], & Antonino, ac Francorum Annalibus [n]. A quibus etiam omnibus, præter zelum Catholicæ fidei, & fortitudinem bellicam, eo maximè laudatur Ludovicus, quòd eximio sanè Principibus exemplo, numquam se alij feminæ quàm legitimæ conjugi immiscuerit. Narrátque Guillelmus de Podio Laurentij qui propè erat, audivisse se à viro fide digno, cum is esset morbus Regis ut usu feminæ sanari posset, Arciambaldum de Borbonio virginem speciosam secretò in thalamum regium introduxisse; sed Regem magno & verè Christiano animo respondisse, malle se mori quàm mortaliter peccare; jussisséque virginem honestè nuptui dari. Eum denique; ob mortem in expeditione adversus hæreticos obitam, Gregorius IX. ad filium ejus sanctum Ludovicum scribens, Martyrum consortio adscribit.

LUDOV. REGIS OBITUS.

[m] *Vinc. lib. 30. cap. 128 Anton. tit. 19. cap. 3. § 7.*
[n] *Vid. imprimis Bellefor. lib. 3. cap. 86.*

EXIMIA EIUS CONTINENTIA.

VII. COMES FUXI RESIPISCIT. PLURES CONVENTUS A ROMANO LEG. CELEBRATI IN CAUSA ALBIGENSIUM.

Habent verò Annales Fuxenses ac Francorum [o], dum Rex eâ esset expeditione, missum ad Rogerium-Bernardum Comitem Fuxensem, jam Regis hortatu resipiscentem, Romanum Legatum, *Conventum* Prælatorum ac Procerum habuisse apud *Sanctum Ioannem de Virginibus* prope oppidum Fuxi; quo eumdum Comitem Ecclesiæ Romanæ Regíque obsequium jurantem, absolverit ab hæresi, excommunicatione, & omnibus sceleribus ac

[o] *Ap. Bellefor. ibid.*

flagitiis eatenùs perpetratis: Rogeriúmque in pignus servandæ fidei, nonnullas arces provinciæ Fuxi in manus ministrorum regiorum tradidisse. Habéntque insuper Chronica Podij Laurentij & Monfortianum, apud Appamias complurimas à Rege & Legato statuta fuisse pro optimo regimine Ecclesiæ, & immunitate ejus, nec non optimâ status politici administratione; maximéque in contemptores auctoritatis Romani Pontificis & Apostolicæ Sedis: quæ postea promulgata fuêre in *Concilio* ab eodem Legato sequenti Quadragesimâ Narbonæ celebrato.

VIII. LUDOVICUS XII. SEU IX. REX FRANC.

Mortuo Ludovico successit filiorum superstitum natu maximus, LUDOVICUS item dictus, ejus nominis Rex Duodecimus, Nonus vulgò [p] nuncupatus, sed *Sancti* titulo à ceteris posteà insigniùs distinctus: annum ætatis nondum emensus duodecimum, natus est enim vigesimo quinto Aprilis die sancti Marci Evangelistæ anni millesimi ducentesimi decimiquinti (sub curâ ac tutelâ Blancæ matris, cui pater supremâ voluntate Regni administrationem demandavit ob probatissimam ejus prudentiam ac virtutem, & ob periculum ab administratione Principum in damnum Regni & pupilli: haud tamen absque multorum Principum ac Procerum indignatione, quòd & mulier, & extranea esset: de quorum conjuratione dicetur posteà. Interim verò ductus Rex puer Remos de more, consecrationem ibi accepit primâ Dominicâ Adventûs à Iacobo Suessionensi Episcopo, vacante sede Remensi, cujus Archiepiscopus Guillelmus eâdem expeditione Albigensi ex morbo obierat. (Coronari namque atque inungi quâlibet ætate poterant Reges; administrationem Regni non ante ingressum vigesimi anni suscipere consueverant; quousque Rex Carolus Quintus, ut suo loco [q] videbitur, legem tulit de majoritate anni decimiquarti.) De Ludovico porrò novi Regis optimâ educatione mater solicita, omnem operam in eo collocavit, ut à sanctissimis viris, atque imprimis Ordinum Minorum & Prædicatorum, qui tunc maximè florebant sanctitudine vitæ & scientiarum cultu, disceret piè numen colere, & boni æquique studium amplecti. Vitam autem ejus scripsêre,

SCRIPTORES VITÆ S. LUDOV. REGIS.

imprimis *Ioannis Ionvillæ* dominus nobili genere in Belgicâ natus, omniúmque ferè laborum & periculorum ejus socius, particépsque consiliorum: *Gaufredus de Belloloco* Ordinis Prædicatorum, qui fuit ei à confessionibus: & *Guillelmus Nangius* monachus sancti Dionysij, qui sub Philippo Ludovici nepote vixit; ac nonnulli alij.

[p] Vid. sup. an. 1223. VI.

[q] Infr. an. 1375. VI.

IX. LESCI POLON. PRINC. CÆDES.

Mortuus item est hoc anno (ut ex *Vincentio Cadlubco* Episcopo Cracoviensi, qui primus hoc ipso tempore Polonorum Historiam conscripsit, refert Cromerus [r]; cùm Ioannes Dlugossius ejusdem posteà Ecclesiæ canonicus, & ipse rerum ejus gentis scriptor, sequenti ponat, *Lescus* [s] cognomine Albus Poloniæ Princeps. Neque enim Regem dixeris, tum quòd jam à multo tempore, ut vidimus, abstineretur ab ejus dignitatis nuncupatione; tum etiam quòd Lescus iste quietis studiosus haud ferè in quemquam, nisi in propriæ & avitæ suæ ditionis homines, perinde atque ceteri principes in suos, potestatem exercuerit, suâne id angustiâ animi, an aliorum contumaciâ, an verò utroque. Occisus est autem mense Novembri per proditionem à Suentopelco Pomeraniæ præfecto, ob denegatum ei illius provinciæ dominatum. Post cujus necem major confusio & perturbatio consecuta est; ita ut vix aliquod summi Principatûs & communis Reipublicæ vestigium in Poloniâ extaret; ob controversiam de tutelâ *Boleslai* filij Lesci, admodùm pueri à patre relicti, quæ multo tempore intercessit inter Conradum Lesci fratrem, & Henricum Barbarum Ducem Silesiæ & Wratislaviæ. Quæ omnia ut se habuerint Cromerus narrat.

[r] Cromer. Hist. Polon. lib. 7.

[s] Vid. supr. an. 1206. XIII.

X. DE S. HEDUIGE CARINTHIÆ.

Sed quoniam *Henricum Barbatum* nominandi opportuna se ingessit occasio, nefas fuerit ejus conjugem præterire; ex cujus ipse consortio, egregiis alioqui factis satis nobilitatus, longè celebratior redditus est. Fuit enim ea *Sancta Hedvvigis*, filia Bertholdi Ducis Carinthiæ & Meraniæ; quæ post susceptos ex Henrico viro suo tres mares, totidémque feminas pudici viri consensu toro disjuncta triginta ferè annis continentiam servavit: atque in virtutum exercitio non paucas ærumnas passa; prophetico spiritu insigniter à Deo donata est: multísque tam in vitâ quàm etiam post obitum illustrata miraculis, relata fuit solemni ritu à Clemente Papâ Quarto in catalogum Sanctorum [t] anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo. Soror ejus fuit Maria illa, quam vidimus [u] contra fas ductam fuisse à Philippo Augusto Francorũ Rege. Nec ferè felicior alia ejus soror Gertrudis, nupta Andreæ Hungariæ Regi, cujus necem superiùs [x] quoque retulimus: nisi quòd mater fuit *Elisabethæ*; quæ & ipsa connubio juncta Ludovico Lantgravio Turingiæ viro æquè pio (quamvis [y] patre valde impio orto, triumque liberorum mater effecta, post viri obitum multa gravissima & indignissima passa ab ejus cognatis, iis summâ patientiâ toleratis, totâ se mirabilibus pietatis, charitatis, & abjectionis suæ operibus dedens, tertio sancti Francisci suscepto instituto, multísque editis miraculis obdormivit in Domino anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo, & post quatuor annos à Gregorio Papâ Nono Sanctorum [z] catalogo adscripta est.

S. ELISABETHA LANTGRAVIA.

[t] Martyro. Rom. 15. Octobr. Ext. ejus Vita ap. Sur. eo die.

[u] Supr. an. 1201. I.

[x] An. 1217. IX.

[y] Vid. Cæsar. de convers. lib. 1. cap. 27.

[z] Martyrol. Rom. 19. Novembr. Bullar. to. 1. Gregor. IX. Const. 11. Ext. ejus Vita ap. Sur. eo die; & to. 5. Antiq. Lect. Canis. Auguntq; de ead. Vinc. lib. 30. cap. 136. Anton. tit. 19. cap. 11. §. 1. Bonfin. Rer. Hung. lib. 7. & alij antiqui: ac novissimè ceteris dilucidiùs Vvaddingh. in Annal. Minor. Vid. infr. 1231. XI.

XI. S. FRANCISCI OBITUS.

Hoc item præsenti anno 4. Non. Octobr. mortuus etiã est ex gravissimis morbi doloribus *Sanctus Franciscus* Ordinis Minorum institutor, Assisij ad sanctam Mariam de Portiunculâ; quo, transitum suum prævidens se ægrum deferri præcepit, ut ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ; inquit sanctus Bonaventura in ejus obitu: quem & multi alij [a] prosequuntur, unà cum miraculis ad ejus memoriam editis: ob quæ post biennium à Gregorio Nono summo Pontifice relatus est in sanctorum [b] Confessorum numerum. Obiit porrò anno ætatis suæ quadragesimo quinto, primâ suâ conversione vigesimo, ab Ordinis institutione decimo-octavo; ut cum eodem Bonaventurâ, & Antonino, boni quique notarunt scriptores; cùm nonnulli aliter numerent. Habent autem Annales Minorum, hoc ipso anno mense Decembri Minores Assisio misisse Blancæ Reginæ Francorum, ejúsque filio Ludovico Regi, cervical

[a] Collegit. omnia quaq; eò spectantia Vvaddingh. to. 1. Annal. Minor. hoc an.

[b] Ext ejus canoniz. lib. & Bullar. to. 1. Greg. IX. const. 2.

humile sancti Francisci, quo sub mortem usus fuerat; quod illi pro magno munere venerati sunt. Hócque sancto Rege plurimùm sancti Francisci tertium Sodalitium, nec immeritò, gloriatur.

IESU CHRISTI Annus 1227.

GREG. IX. Ann. 1.

FRIDERICI II. An. 8.

ROBERTI An. 8.

I. HONORII PP. OBITUS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo septimo, Indictione decimaquintâ, Honorius PP. Pontificatu egregiè functus annos decem, menses octo, ex hâc vitâ decessit 15. Cal. Aprilis, ut habent Onuphrius[a], & Sigonius[b]. Mensem etiam Martium hujus anni tribuunt ejus obitui Urspergensis & Parisius illius temporis auctores; quamvis nonnulli alij exeuntem Februarium signent. De anno consentiunt plerique; cùm perperàm nonnulli recentiores superiorem ponant; immò & quidam quæ posteriorum fuêre annorum Honorij, Gregorio ejus successori assignent. Qui verò undecim annos sedisse tradunt, non solidos, sed novissimum intelligant tantummodò inchoatum necesse est. Sepultus est autem in Ecclesiâ S. Mariæ Majoris propè altare præsepis. Scribúntque Platina[c] & Sabellicus[d], sub ejus obitum tantos terræmorus repentè exortos esse, ut ad Alpes in montibus Salviis ad quinque millia hominum perierint, cadentibus domibus, saxísque, ex cacuminibus montium in habitantes convalles passim ruentibus.

[a] Onuphr. in Chron. & de Pontif.
[b] Sigon. lib. 17. de Regn. Ital.
[c] Plat. de Vit. Pontif.
[d] Sabel. 9. Ennead. 6.

II. GREGORII IX. SUBROGATIO.

Subrogatus est in ejus locum altero post ejus obitum die, nempè 13. Cal. April. GREGORIUS Nonus, *Hugolinus* anteà dictus, patriâ Anagninus, nepos ex Tristerio consobrino Innocentij Tertij, Episcopus Cardinalis Ostiensis; de quo non semel superiùs, quam dignitatem ei sæpiùs prædixisse S. Franciscum, (cujus Ordinis fuit primus Protector, ab ipso Francisco petitus, & ab Honorio concessus;) nec non Leonardum Eremitam Camaldulensem, dum in illam eremum cum illis secessisset; asserunt Annales Minorum & Camaldulensium. Vir (inquit Sigonius) singulari sapientiâ præditus, & cùm legum peritissimus, tum in publicis Apostolicæ Sedis negotiis gerendis exercitatus. Qui 5. Cal. April. die Paschæ coronatus, symbolum, sive sententiam eamdem sibi sumpsit, quam Innocentio Tertio placuisse vidimus, videlicèt *Fac[e] mecum Domine signum in bonum.*

[e] Ex Psal. 85.

III.

Confestim verò post suam electionem, Fr. Guilielmum Ordinis Prædicatorum cum literis ac potestate Legati de latere ad Fridericum Imperatorem mittens, quem olim ipse[f] suis manibus jussu Honorij in Imperatorem unxerat, & Cruce insignierat, imprimis eum fidei & obedientiæ erga Ecclesiam Romanam, deinde officij in Imperium universum admonuit: documentáque præclara ex insignibus quæ ante Imperatorem solerent deferri præscripsit; nimirùm ut *Gladio* in tutelam Ecclesiæ & vindictam malefactorum, *Sceptro* in correctionem populorum & rectitudinem justitiæ uteretur; *Manibus* verò clementiæ & beneficentiæ cunctos Christianos placidè, quòd *Pomum* Cruce signatum significat, amplecteretur. Ac demùm hortatus est, atque anathematis pœnâ præcepit, primo quoque tempore ad recuperandam à Saracenis Ierosolymam cum exercitu proficisci. Et ne impedimento ei vel prætextui Societas Civitatum Lombardiæ esset; per eundem Guillelmum cum eis egit, ut ipsi reconciliarentur; cùm & paulo ante Fridericus omnes eis illo fine injurias condonare publicâsset. Habentur hæc ex literis[g] Gregorij, Nauclero[h], Sigonio[i] & aliis.

[f] Supr. an. 1220. 1.

FRIDER. IMP. MONET OFFICII SUI.

[g] Reg. Greg. IX. lib. 1.
[h] Naucler. gener. 41.
[i] Sigon. de Reg. Ital. lib. 17.

IV.

Cùm igitur nulla alia jam occurreret excusatio cur Fridericus Gregorij monitis repugnaret; interpellarétque necessitas, juramentum, ac præfixus terminus, quem conceptâ in se religione spoponderat[k]: cœptâ in speciem parari in Italiâ expeditione, (à quâ tamen animum habebat alienissimum) etiam Germanos per filium suum Henricum ad eam invitavit; omnésque Brundusium ad diem Assumptionis convenire jussit? tantáque ex ceteris quoque provinciis Occidentalibus Crucesignatorum multitudo, literis primò Honorij, posteáque Gregorij excitata, rem seriò ab Imperatore agi existimans, confluxit, ut ex solo Anglorum regno sexaginta se ampliùs millia commovisse Parisius[l] scribat; tantâ (ut ait) devotione, & animorum alacritate; ut etiam divini sibi numinis veluti gratulationem exegerint; dum nocte nativitatis S. Ioannis Baptistæ in luce clarissimâ ostendit se CHRISTUS in firmamento clavis ac lanceâ perforatus, cruoréque perfusus; ut fidelibus significaret, se prompto eorum studio propitiatum esse, nec defuturum; quamvis cùm pòst detecta est dedecorosa simulatio Friderici Imp. multi (ut idem auctor subdit) talem CHRISTI manifestationem interpretati sint, queri se à Friderico turpiter flagellatum & cruci confixum.

[k] Supr. an. 1225. II.

INGENS EXPED. PARATUR IN ORIENTEM.

[l] Paris. in Henr. III. hoc an.

V. LUDOVICI LANTGRAVII PIUS OBITUS.

Ceterum cùm sævientibus æstatis caloribus in terrâ Calabriâ versarentur, magna pars insoliti aëris intemperie, æstu, morbis, siti, aliisque incommodorum generibus periit: inter quos Episcopi nonnulli; & Ludovicus Lantgravius Turingiæ maritus S. Elisabethæ, de quâ superiori anno; qui ob intemperiem aëris febre correptus, sacramentis Ecclesiæ à Patriarchâ Ierosolymitano perceptis, piè in Domino quievit. Cujus ossa in patriam relata, miraculis claruisse dicuntur[m]. Eum tamen veneno sublatum fama fuit. Ejúsque ditissimi ac nobilissimi Principis equos, arma, aurum, argentum, & lautissimam supellectilem Fridericum diripuisse, Blondus[n], Platina[o], & Krantzius[p] habent: atque ut factæ prædæ contentiones declinaret, tandem ad 3. Id. Aug. cum omni classe Brundusio solvisse; ceterisque in Syriam velis remísque ardentissimè contendentibus, ipsum noctu triremi dilapsum, Brundusium revertisse.

[m] Hist. 2. de Lantgra. Turing. edit. Pister.

TURPIS FRIDERICI AVARITIA.

[n] Blond 2. dec. 7.
[o] Plat. in Greg. IX.
[p] Krantz. 8. Saxon. 1.

ET DOLUS.

VI.

Reversum repentè Imperatorem post tridui navigationem, causantem neque se maris jactationem, neque incommodam valetudinem pati posse, Parisius habet, omnésque consentiunt; ipséque suis literis ad Principes Germaniæ Fridericus, quarum argumentum Urspergensis recitat, fassus est. Indéque factum ut

exiis qui præcesserant, audito ejus reditu, supra quadringenta millia fortium virorum iisdem navibus quibus ierant reverterint, significavit posteà Patriarcha Ierosolymitanus literis encyclicis tam suo quam aliorum Antistitum, & Magistrorum Hospitalis, Templi, & Teutonicorum, nomine ad universos Fideles directis ad excitandos illos in subsidium paucorum illorum qui in Syriâ remanserant: quas Gregorius PP. aliis à se eâdem de re promulgatis inseruit; & utrasque Parisius Historiæ suæ. Quare & Mutius in Chronico [q] suo Germanico Fridericum revertisse ait cum ignominiâ: palámque jam omnes clamare formidolosum hominem, mollem, perjurum: nunquam enim in animo habuisse proficisci contra hostes fidei; imperio dedecus esse, quem & plerique alij auctores (si quos Germanicos dempseris) morbum simulâsse in confesso habent; multi [r] etiam, malo virum animo, malâque mente, ut Blondus vocat) jam tum secreta consilia cum Sultano iniisse, rei Christianæ perniciosissima; factâ ei promissione à Sultano concessionis regni Ierosolymitani, dum hanc Christianorum expeditionem interturbaret.

CONCLAMATUR IN EUM.

[q] Mut. lib. 20.

[r] Villan. lib. 6. c. 17. Anton. tit. 19. c. 4. §. 1. Blöd d. l. 7. Æmil. in Ludov. IX. &c.

VII. PATR. IEROSOL. HUIUS TEMPORIS.

Quem verò Patriarcham Ierosolymitanum diximus; tam iisdem ipsemet literis, quàm aliis post triennium scriptis, quas itidem Parisius [s] recitat, *Geroldum* se nominat: cùm tamen Onuphrius, & ex eo Genebrardus, successisse hoc ipso anno in locum Alberti, post viginti tres annos sedis demortui, *Robertum* ponant; cùm (ut aiunt) Thomas Capuanus Presbyter Cardinalis S. Sabinæ priùs designatus adire noluisset. At verò Albertum longè ante hæc decessisse, & successorem habuisse Rodulphum, jam ex Sanuto rerum Orientalium scientissimo aliàs [t] vidimus: ut necesse fuerit hunc Geroldum successisse Rodulpho. Denique hic Geroldus ille ipse est, quem Ciacconus in Vitâ Innocentij Tertij agens de prædicto Thomâ Cardinale ait; cùm idem Thomas fuisset sub Gregorio Nono ab Ecclesia Ierosolymitanâ Patriarcha electus, à Gregorio tamen non esse concessum, quòd ejus opera universali Ecclesiæ necessaria esset; ac propterea creatum fuisse in ejus locum Patriarcham *G. Episcopum Valentinum*; cui non diù sedenti successerit demùm *Robertus* Episcopus Nannetensis: cùm, ut idem auctor habet, postulatus *Iacobus de Vitriaco* itidem Cardinalis, qui priùs fuerat Episcopus Acconensis, ab eodem Gregorio Pontifice retentus apud se fuerit, oblato in ejus locum Episcopo Nannetensi. Quod & à serie [u] Episcoporum Nannetensium confirmatur, dum in eâ ponitur circa hæc tempora *Robertus* Episcopus Patriarcha Ierosolymitanus. Adeò ut omninò sedes Roberti, longiùs adhuc differenda veniat; eadémque ulteriùs diducenda quàm ab eodem Onuphrio, qui eum decessisse ponit anno 1247. ubi dicetur de successore.

[s] Paris an. 1229.

[t] Ann. 1215. XIII.

[u] Ap. Robert. in Gall. Christ.

VIII. FRIDER. EXCOMMUNICATUR A PP. GREG.

Præ cæteris autem Gregorius PP. de Friderici ludificatione doloris acerbitate tactus, de communi consensu Cardinalium, eum in execrationes illas quas ipsi nisi paruisset Honorius intentârat, & ipsemet in se receperat, incidisse pronunciavit, excommunicatum publicè denuncians, & mandans ab omnibus arctiùs evitari; contra ipsum, si contumacia ejus exigeret, graviùs processurus: eámque sententiam, missis ad omnes Principes & Antistites de his quæ hactenùs cum illo circa expeditionem Syriacam tractata fuerant literis, promulgavit: quarum exemplar, ut missum est in Angliam ad Archiepiscopum Cantuariensem, Parisius [x] recitat. Sicuti econtrà Fridericus ad eosdem scribens [y] causam omissi officij in adversam valetudinem retulit; Gregorium verò acriter increpavit, & in omnes Pontifices Romanos, gravissimè atque atrocissimè intonuit.

[x] Paris. an. prox.

[y] Ap. Vrsperg. & Paris. ubi supr. & Avent. lib. 7.

IX. TURBÆ GALL. DE REGNI ADMINISTRATIONE.

Intereà turbatis in aulâ Gallicâ rebus, (ut impubere Rege feminâ Regni procuratrice, eáque genere externâ, necesse fermè erat) dum Philippus Boloniæ Comes patruus Regis (duxerat ille filiam & hæredem Reginaldi Comitis, qui captus prælio Bovinensi in compedibus interierat) administrationem ambiret, ac Robertum Comitem Druidum, & Petrum ejus fratrem Britanniæ Armoricæ Ducem, Regis agnatos puderet muliebri imperio subesse; sed & Comes Theobaldus Campaniæ, paterno Francus, materno genere Hispanus, metu iræ Regis ob derelictum patrem ejus in obsidione Avenionis, unà cum Hugone Comite Marchiæ viro Isabellæ olim Reginæ Angliæ, aliísque multis Proceribus, unà cum prædictis Principibus conspirarent: Blanca Regis mater femina prudentissima, quem iis opponeret, Ferdinandum Flandriæ Comitem à prælio Bovinensi hactenùs in custodiâ detentum, certis conditionibus libertati restituit. Reversóque mox Philippo Boloniensi, Rex in cæteros exercitum duxit. Cui cùm non essent illi resistendo, Theobaldus secretis etiam artibus sollicitatus, in regias partes concessit. Sed cùm ejus consilio dictâ cæteris die ad armorum suorum rationem reddendam, adesse promisissent Vindocini, Réxque eò properaret; ipsi magno scelere ad Stampas ei insidias tetenderunt; si Regem in potestate haberent administrationem rerum ad se vocaturi. Fecisséntque, nisi detectis à Theobaldo insidiis, quem illi solicitare non desinebant, Parisienses audito Regis periculo, correptis armis ad Montem-Letericum accurrentes eum Lutetiam incolumem reduxissent. Inde conjurati dolore detectarum insidiarum in Theobaldum iram omnem effundentes, Campaniam ingressi sunt; sed superveniente regio exercitu excedere coacti.

DISSIPANTUR A REGE.

X. DE BRITAN. MINORI REGNI FRANC. BENEFICIARIA.

Iámque aliis alijsque subinde ad Regem redeuntibus, ultimò cum Petro Britone agendum fuit; & quidem specie periculosiùs, quòd Regis Angliæ auxilia poposcisset. Qui tamen, cùm post auditos motus Gallicos, frustrà tentâsset populorum animos; demùm à Petro accitus, & in Galliam transmittens, nihil prætereà profecit, quàm ut pecunias vi à subditis suis extortas inutiliter expenderit, & virium suarum imbecillitatem manifestaverit: quoniam præventus Brito à regio exercitu, pactione pacem obtinuit, ut Britanniam summo jure ad Regem pertinere supplex agnosceret, séque clientem & beneficiarium Francorum profiteretur. Ita quidem, ut quamvis & semper anteà itâ [z] se habuisset, tamen quoniam & contendebant Angli minorem Britanniam beneficiariam esse Normanniæ, indéque

[z] Vid. Bellefor. Annal. Franc. lib. 4. cap. 3. & 4. Infr. 1463. V.

que Britanniæ Comites sive Duces; quamdiù Angli possederunt Normanniam, modò Regi supremo utriusque feudi domino, ut subclientelares; modò Anglo ut clientelares, prout ipsis commodius videbatur, inhærere consuevissent; jam Petrus iste, abnegatâ prorsùs Anglorum fide, solum agnoverit patrocinium ac dominium Regis Francorum. Quod tametsi longè honorificentius ei fuerit, Britones tamen rebus novis assueti, hanc rem pudori vertentes, *Maliclerici*, sive *Maledocti* cognomen illi eâ ex re indiderunt, quem eruditione præstitisse oportuisset, qui Lutetiæ literis operam dederat. Producta sunt ista in aliquot annos, quæ ne inutiliter ad rem nostram disjungerentur, uno tenore proposuimus: tractantur autem pleniùs à Ionvillæo & Nangio in Vitâ S. Ludovici Regis, & in Chronico ejusdem Nangij, à Parisio in rebus gestis Henrici Angli; Vincentio in Speculo [a] Historiali; Antonino [b] in Chronicis; Gaguino [c], Æmilio, Belleforestio, in Historiâ & Annalibus Francorum quantumvis contrà cæterorum omnium sententiam Argentræus [d] Brito in rebus suæ gentis, prædictum Petrum malum Clericum inde vocatum velit, quòd multis vexationibus dirè Clerum exagitaverit; unde & contigerit ipsum à Pontifice Gregorio excommunicari, ac subditos ab ejus obedientiâ absolvi.

[a] Vinc. l.30. cap.130. [b] Ant. par 3. tit.19. cap.9. [c] Gaguin. l.7. Æmil. lib.7. Bellef. lib.4. [d] Argentr. lib.5.

XI.

Cùm autem prædictæ in Regem conjurationis historiam plerique etiam exteri auctores attigerint; inter eos Polydorus [e], quod Anglica attinet, diversas ejus gentis historicorum narrationes memorans, quæ magis secundùm fidem sint, pauci momenti esse ostendit, quando (ut ait) unum satis constat, Anglum, sive sollicitationibus rem egerit, seu bello, nihil profecisse. Imploràsse verò etiam Blancam Regis matrem auxilia Ferdinandi Castellæ Regis, filij sororis suæ; sed quòd eodem tempore Rex Biatiæ gente & religione Maurus Ferdinando amicus necatus fuisset à suis, vicisse apud Ferdinandum sententiam belli in Mauros instaurandi, spe eos Hispaniâ pellendi; nihil vel ad dignitatem honestius, vel ad utilitatem fructuosius ducentem, quàm tueri innocentiam, ac vindicare amici Regis casum; nihílque ineptius, quàm falsâ specie laudis objectâ, sua negligere, aliena curare; narrat Mariana [f], hoc ejus facinus tanquam laude dignissimum magnoperè extollens: quod ne pro merito exagitemus, ut facile esset, tum vetat suspicio invidiæ gentis, tum Societatis Marianæ respectus ac reverentia.

[e] Polyd. l.16.

REX CASTELLÆ ELIGIT SUCCURRERE MAURIS QUAM CHRISTIANIS.

[f] Mar. l.12. Rer. Hisp. cap.12.

XII. DE REBUS ALBIGENSIUM.

In prædictis autem motibus Gallicis Romanum S. Angeli Cardinalem Legatum egregiam operam navàsse Regi, ut reductis ad obsequium Proceribus, Regni vires in reliquias Albigensium converterentur, auctores Franci testantur. Nec minùs propterea rem cum iis gestam, sed varia certamina, martéque vario inter Raymundum Tolosanum, eorundem hæreticorum sive sectatorem sive fautorem, & Imbertum Bellojocensem regium earundem partium rectorem, inita esse; tam ex iisdem auctoribus, quàm specialiùs ex Guillelmo de Podio Laurentij qui videbat, & Chronico Monfortiano intelligitur: donec anno proximo (ut dicetur) finis diù desideratus ei bello impositus fuit.

XIII. HENR. REX ANGL. MAJOR ÆTATE FACTUS REGNUM VEXARE INCIPIT.

In Angliâ verò Henricus Rex, qui hactenùs à morte patris propter minorem ætatem de voluntate Procerum sub curâ fuerat priùs Guillelmi Comitis Marescalli, deinde Petri Episcopi Witonensis; conventu apud Oxoniam habito mense Februario, ingressus jam per quatuor ferè menses annum ætatis vigesimum, remoto à se prædicto Petro Episcopo; consilio Huberti, regni (ut vocabant) Iustitiarij, cujus major erat apud Regem quàm apud Optimates aut populum gratia, denunciavit publicè se legitimæ esse ætatis ad regnum per se ipsum administrandum. Simúlque nihili pendens paternas ex veterum Legum abolitione calamitates, earúmque restitutionem ante biennium à se ipso concessam, aliásque factas promissiones causatus hæc sibi in ætatis tyrocinio & aliorum tutelâ posito extorta, omninò rescidit: denunciatúmque est cœnobiorum præsidibus, & aliis qui privilegiis muniti erant, ut ea novo Regis sigillo corroborari curarent, vacuam alioqui atque inanem futuram omnem priorem confirmationem; quo artificio ingentem pecuniam conflavit. Paulò verò pòst orto inter ipsum & fratrem ejus Richardum, quem Cornubiæ in Angliâ & Pictonum in Aquitaniâ Comitem fecerat, prædij cujusdam occasione discidio; illud brevi ita studium Principum, qui infestis in Regem animis ob imminutas nuper libertates existentes, Richardum sumptis armis sequebantur, adauxit, ut nisi Rex properè tam de prædio satisfecisset fratri, quàm aliis amplissimis muneribus eum sibi conciliàsset, ad arma ventum esset.

XIV. OTHONIS EPISC. TRAJECT. CÆDES.

In inferiore Germaniâ Otho Episcopus Trajectinus in bello contra Drenthianos, seu Trentones, quod pro juribus Ecclesiæ suæ susceperat, cùm sese in loca paludosa incautè conjecisset, miserè ab indomitâ gente cruciatus & interfectus est. Quod in Chronicis Trajectensium Pontificum pluribus descriptum, memoratur etiam à Monachis Coloniensi & Stadensi, aliísque eorum temporum Germanis scriptoribus. In quibus frequentissimè eâ ætate bellica Antistites Germanos tractàsse reperias; nec minùs fortitudinis bellicæ quàm Ecclesiasticæ administrationis laudari: cum videlicet ob continuas Principum sæcularium invasiones, & censurarum contemptum, cogerentur Antistites armis sua & Ecclesiæ bona defendere. Fuit autem hic Otho, qui patrem duósque fratres Episcopos habuit, aliúmque fratrem Præpositum; de quibus superius [g] aliâ occasione.

[g] An. 1221. II.

IESU CHRISTI Annus 1228.

GREG. IX. An. 2.

FRIDERICI II. An. 9.

ROBERTI An. 9.

I.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo octavo, Indictione primâ, Fridericus Imp. probris indignè jactis in Grego-

[a] *Blond. dec. 2. l. 7. Bzov. hoc an.* [b] *Vrsperg. in Chro. Æmil. in Ludov. IX. Sigon. de Regn. Ital. lib. 17.*

FRID. IMP. PONTIFICEM ROMA PELLI CURAT, ET BELLUM ECCLESIÆ INFERT.

rium Pontificem non contentus, subindéque se se non ad emendandam culpam, (à Pontifice licèt, etiam post latam in eum sententiam, & literis & nuntiis invitatus [a]) sed ad vindicandam injuriam conferens, atque insidias Pontifici, & ditioni Pontificiæ comparans, Frangipanes [b], atque alios nobilitate opibúsque Romæ præstantes ad se vocatos, ut beneficiarios Imperij institueret, sicque ad sua vota in omnibus paratos haberet; omnia castra ac prædia eorum pretio persoluto coëmit, ac mox eadem illis feudali sacramento astrictis donavit: tacitúmque mandatum dedit, ut Gregorium Vrbe occasione quæsitâ dejicerent. Qui expectato tempore dum Gregorius in Cœnâ Domini excommunicationem in Fridericum ex instituto redintegraret, populum in eum concitârunt; atque Vrbe exactum [c], Viterbium primò, indéque Perusium confugere compulerunt; ubi permansit, quousque rebus compositis Romam rediit. Ex alterâque parte ipse Fridericus Ecclesiam, atque homines Ecclesiæ deditos, variè vexare; patrimonia Apostolicæ Sedis per Saracenos, quos in Apuliam transtulisse vidimus, invadere, Hospitalariorum & Templariorum bona occupare cœpit: & quod fœdius etiam fuit, fœdus cum Sultano adversus eosdem Hospitalis & Templi milites contraxit, bellum denique pluribus locis in Pontificem concitavit: prout ipse Gregorius epistolâ [d] ad Romanum Cardinalem Apostolicæ Sedis in Galliâ Legatum conquestus est; aliíque testantur.

[c] *Iid. & Paris. hoc an.* [d] *Ex. ap. Paris. hoc an. & vid. Sigon. & Blond. ubi suprà.*

II. [e] *Blond. & Sig. ibid. Naucler. gener. 41.*

GREG. PONT. UTITUR OPERA IOANNIS BREN.

Gregorius autem haudquaquàm se in tantâ rerum iniquitate deserens, Ioannem [e] Brennensem, Regem olim Ierosolymorum, socerúmque Friderici, qui ad famam Syriacæ expeditionis accurrerat, Venetorum navibus transmissurus, Romandiolæ Marchiæque tuendæ præfecit; qui rem benè, prompto Civitatum Lombardiæ fœderatarum auxilio, gessit.

III.

Mense verò inde Augusto Fridericus, tam sibi timens à transmissione Brennensis, quem infensum habebat, quàm se futilem haberi & multis odiosum esse conspiciens, denique amicorum precibus & diris Pontificis fessus, (Iolantâ amissâ conjuge, sive ut plures habent ex partu, quo Conradus filius editus est, & titulum Regis Ierosolymitani retinuit; sive, ut quidam alij [f] scripserunt, mariti sævitiâ è medio sublatâ, quòd ægrè tulisset neptem suam ab eo turpissimè constupratam esse:) Syriam versùs contendit, maximâ copiarum parte in regno Siciliæ ad Ecclesias convellendas Raynaldo Ducis Spoletani filio relictâ. Quod ut Gregorius audiit, multò vehementiùs in eum inflammatus, quòd neglectâ absolutionis gratiâ, & satisfactionis remedio, ut Crucesignatus, parvóque Comitatu, ad sacrum bellum veluti per ludibrium & contemptum processisset; prædictum Brennensem adversus Raynaldum immisit; cæteras verò Ecclesiastici dominij Provincias per alios Duces defendere instituit; Lombardis non solùm auxiliantibus, verùm etiam amicas Friderici civitates bello adorientibus. Habentur ista ex Godefrido [g], Sanuto, Platinâ, Nauclero, Æmilio, Sigonio, & aliis.

[f] *Vide Anton. tit. 19. c. 6 §. 1*

FRIDER. TRANSMITTIT IN SYRIAM.

[g] *God. in Annal. San. l. 3. par. 11. c. 11. Plat. in Greg. IX. Naucl. gen. 41. Æmil. in Lud. IX. Sig. l. 17.*

IV. GIBELLINORUM ET GUELFORUM FACTIONES RESURGUNT IN ITALIA.

Ab hoc porrò tempore Italiam apertè in duas partes distractam, præter alios Æmilius & Sigonius observant; (quod tamen post decennium plures memorant;) aliis Imperij sub nuncupatione GIBELLINORUM, aliis Ecclesiæ auctoritatem GUELFORUM nomine sequentibus. Quæ duæ factiones desumptæ ex vetere Germaniæ dissensione familiarum Bavaricæ & Suevicæ, quarum illa Welfa sive Guelfa à Welfone Duce, ista Gibellina à loco nativitatis sive educationis Conradi Imp. cùm sub Friderico Ænobarbo hujus avo Italiam primò occupâssent; haud omninò sub Henrico ejus filio obliteratæ, demùm sub isto Friderico nepote effusiùs erumpentes, (sumpto initio apud Pistorienses, ut plerique volunt) ingentes in multa pòst tempora strages in Italiâ edidêre. Cur autem Guelfa Pontificum, Gibellina Imperatorum fuerit, inde evenisse traditur [h], quòd cùm olim Rogerius Siciliæ Rex, veritus ne Conradus Imp. in Italiam adversum se veniret, Welfonem Bavariæ Ducem in ipsum concitâsset auxilia Innocentij II. Romani Pontificis cujus se beneficiarium profitebatur nomine miserit, sicque Welfo pro Pontifice contra Imperatorem pugnare visus sit. Sunt tamen qui alias [i] afferant exoticas harum nuncupationum origines: sed quoniam illustriores scriptores huic acquievisse videntur, ideò & nos alias insinuare supersedimus. Nisi quòd nonnulli Itali [k] allusione ad linguam suam Guelfos interpretati sunt, servantes fidem, (*Guardatori di fè*) quoniam adhærebant Ecclesiæ: Guibellinos, ductores bellorum; (*guidabelli cioè guidatori di battaglie*) eò quòd sequentes Imperatorem, ob titulum Imperij superbi essent, ac rixas & seditiones moverent. Postquàm verò renovatæ modò fuêre in Italiâ factiones istæ cum suis nominibus, non solùm aliæ civitates Imperatorem, aliæ Pontificem sequutæ infestis inter se animis decertârunt; verùm etiam in ipsismet urbibus ac ferè familiis eò furoris ac vesaniæ processerunt, ut alij Ecclesiæ, alij Imperatori studerent, séque inter se pellere urbibus, & spoliare bonis, inexpiabili odio stimulante, contenderent. Quinimmò (ut habent etiam Blondus [l] & Krantzius [m]) miris circumvectionibus & vertiginoso circuitu impliciti, nescientes quidnam eâ in re insequerentur, etiam colores, terræ fructus, habitus corporum, ipsos hominum incessus, digitorum concrepitus, oris hiatus, rerum comestibilium scissiones, cætera denique ferè omnia habuêre diversa.

[h] *Æmil. ib. Anton. tit. 17. c. 8. Naucler. gener. 38. & 42. Sigon. l. 11. &c.* [i] *Plerasque in unum congessit Cuspin. in Frid. II.*

[k] *Io. Villan. l. 4. c. 78.*

QUANTO ODIO INTER SE DECERTARENT.

[l] *Blond. dec. 7.* [m] *Krantz. 8. Saxon. 8.*

V. AUCTORES QUI FRIDERICI EXPEDITIONEM ORIENT. TRACTARUNT.

Quod autem iter Friderici spectat, résque in eo gestas; descripserunt ea Geroldus Patriarcha Ierosolymitanus, qui tum fuit Accone, sive Ptolemaide, Legatione Apostolicâ fungens; Gregoriúsque ipse Pontifex ex certâ relatione inde acceptâ; literis uterque [n] encyclicis ad Principes ac Fideles Christianos; Sanutus [o] Torsellus in Historiâ Terræ Sanctæ; Villanius [p], Antoninus [q], (hi tamen duo malè in posteriora tempora referunt) Blondus [r], Nauclerus [s], Æmilius [t], Mutius [u], & alij plurimi quà prolixiùs quà breviùs; tum verò distinctiùs Iacobus Bosius [x] in Historiâ Hospitalariorum, ex prædictis literis Patriarchæ & Pontificis, aliísque antiquis monumentis. Ex quibus omnibus totam rem hoc & sequenti anno gestam sic breviter collegimus.

[n] *Ext. in Reg. Greg. IX. an. 3. & ap. Paris. an. 1229.* [o] *Sanut. l. 3. par. 11. c. 11. 12. 13.* [p] *Vill. lib. 6. cap. 18.* [q] *Ant. tit. 19. c. 4. §. 1.* [r] *Blond. dec. 2. lib. 7.* [s] *Naucler. gener. 41.* [t] *Æmil. in Lud IX.* [u] *Mut. Chron. Germ. l. 20.* [x] *Bos. lib. 16*

VI. QUAM

Cùm applicuisset in Cyprum Fridericus, præmisso in Syriam Magistro militiæ, qui secretò de pace cum Sultano Babyloniæ ageret;

PROPUDIOSE IN EA SE GESSERIT.

(hic enim nomine Malealimus sive Melahadimus, vel etiam Meledinus, aut denique Melec Equemel, ut apud diversos nominatum reperimus; quamvis Syriam & Palæstinam sibi Sultanus Damasci tribuebat, tamen quòd Coradinus ipsius frater, Damascique Sultanus, de quo aliàs, anno præterito mortuus fuisset relicto filio duodecim tantùm annorum sub tutelâ Admirati, idem Melahadinus Damascenam etiam Sultaniam ut rem propriam administrare, invito licèt nepote ejúsque rectoribus, ingerebat sese.) Henricum Cypri Regem undecim tantùm annorum puerum specie amicitiæ & propinquitatis in suam potestatem redegit; & Ioannem Ybelinum Regis avunculum, regníque rectorem, ac Baruti, sive Beryti dominum, adeò fallaciis, minis, víque constrinxit, ut ad quas voluit conditiones adegerit; usurpatis sibi regni redditibus, quousque Rex puer 25. ætatis annos implêsset. Ita namque de hâc re plures. Cùm nihilominùs Stephanus Lusinianus de sanguine regio, in Historiâ Cypri aliter rem narret, dicens quidem Fridericum in vincula Henricum Regem conjecisse unà cum duobus filiis Ioannis Ybelini; sed à Ioanne collectis copiis hostiliter invasum; coactum turpiter fuisse eos liberos dimittere.

VII. Ejus cum Sultano tractatus.

Post quæ Fridericus certior factus tractatum cum Sultano à Christianis detectum, magnum generare scandalum, Sultanúmque nihilominùs ingentem cogere belli apparatum; Ptolemaidem navigavit: Iaphámque postmodùm, sive Ioppen munire velle præseferens, cùm sanè tempus opportunum urgeretur, non solùm regnum Ierosolymitanum recuperandi, sed etiam Saracenos totâ Syriâ pellendi, ob dissensiones quæ inter ipsos vigebant; hócque ipsimet barbari & perspicerent & timerent: nihil tamen hæc pendens, Balianum dominum Tyri & Thomam Comitem ad Sultanum cum amplis muneribus misit, qui significarent non se bellandi animo, aut dominium dilatandi advenisse, sed sanctorum locorum gratiâ, & regni Ierosolymæ quod filio suo hæreditario jure debebatur; parcendúmque esse effusioni sanguinis humani. Cùm verò Sultanus vilitatem ejus animi, viriúmque militarium exiguitatem contemptui habens, difficilem se studiosè præberet; & missis licèt primâ vice ad eum muneribus, ipsius tamen iteratos subinde nuncios, etiam semel ignominiosè à se rejecisset, alióśque se in alium locum subsequi ludibundè jussisset; quinimmò & quòd inter hæc Christiani milites quædam Sultani loca diripuissent, omnia turpissimè Fridericus restitui jussisset; permitteret verò ut Saraceni Christianos impunè quotidie lacesserent, caperent, spoliarent, occiderent, nec tamen sic quicquam proficeret: jam se Saracenis juxtà ac Christianis ludibrio esse verecundans, aliquídque aggredi statuens, Magistros militum Hospitalariorum, Templariorum, & Teutonicorum, (quos Gregorius Pontifex omninò prohibuerat ei præstò esse, utpotè excommunicato & publico Ecclesiæ hosti, qui etiam quamvis suam conversationem à Christianis quoque in Syriâ vitari conspiciens, absolutionem per nuncios à Pontifice petere simulâsset, haud tamen cessabat, ab eo in Italiâ insequendo, & Saracenis æquiorem se ubique quàm Christianis præbebat, ac Sultani in Syriâ amicitiam cum ingenti damno & ignominiâ Christiani nominis ambiebat:) enixè deprecatus est, ut vires, quas admodùm validas habebant, cum suis ipsius tenuissimis jungere vellent. Cui ita demùm ipsi (spe tamen ratihabitionis Pontificiæ, ob evidentissimum iis locis religionis periculum) consenserunt, dum omnes ordinationes militares, & præconia seu proclamationes, non ipsius Imperatoris nomine, sed *ex parte Dei Christianitatis* fierent. Quod cùm ipse ingenti confusione acceptare coactus fuisset, nihil tamen tam in votis habens, quàm laqueis his & difficultatibus extricare se, eò maximè quòd intellexisset Ioannem Brennensem à Pontifice in regnum Siciliæ immissum multa jam occupâsse: omninò decrevit quibuscumque conditionibus cum Sultano pacisci.

ILLUDITUR A SULTANO.

QUIBUS CONDITIONIBUS ADHÆSERINT EI CHRISTIANI.

Itaque demùm concordavit, (reclamantibus nequicquàm Magistris Hospitalis & Templi, Teutonicus enim obstinato cessit:) ut Sultanus urbe Ierosolymâ Imperatori cederet, muris ut erat ac propugnaculis turribúsque desolatâ, & nihilominùs quod sanctissimum erat Templum Domini & Salomonis, unà cum circuitu in potestate Saracenorum ad ritus suos celebrandos, Legémque Mahometis publicè prædicandam, permaneret: itémque ut eidem urbs Bethlehem, & alia quædam pauci momenti loca restituerentur, quorum nonnulla munire, non verò omnia, posset: & ut in decem annos induciæ armorum essent, quibus tamen minimè comprehenderentur Principatus Antiochiæ, Comitatus Tripolis, & aliæ civitates, & loca Hospitalariorum, sed si quæ horum à Saracenis invaderentur, non solùm non illis suppetias ferret Imperator; verùm etiam ne ab aliis ferrentur impedire teneretur.

TURPIS PACTIO CUM SULTANO.

VIII. Ingreditur Ierosolymam.

Hisque, & nonnullis aliis similis propudij conditionibus, quæ in maximum Sultani & Saracenicæ gentis commodum, atque impiæ superstitionis honorem vertebant, utrimque juratis, (quibus tamen Sultanus Damasci, quòd sine ipsius interventu, qui maximè requirendus fuerat, initæ fuissent, omninò consentire renuit) Fridericus veluti triumphabundus Ierosolymam ingressus, cùm ob ejus excommunicationem, & interdictum a Patriarchâ civitati injectum, non esset qui divina officia celebrare auderet, ipse Dominicâ *Oculi mei*, quæ anno sequenti incidit die 18. Martij, in templo Sepulcri Dominici positam super altare coronam regni Ierosolymitani capiti suo per se ipsum imposuit: literásque [y] ad Pontificem, Regésque ac Principes Christianos evestigiò misit, gratulationis & lætitiæ plenas. Postridiè verò Acconem properans, & post multas simultates cum Patriarchâ, Hospitalariis & Templariis, vímque illis intentatam, urbémque armis spoliatam, quorum etiam partem amico suo Sultano transmisit, atque destructas triremes, quæ ad custodiam Terræ Sanctæ ibi stare consueverant, quasi tunc inutiles essent ob inducias cum Saracenis: demùm die SS. Apostolorum Philippi & Iacobi primâ Maij, nemine salutato, à nemine salutatus, mare clanculùm ingressus, cum duabus solis triremibus navigavit in Cyprum, & inde in Italiam. Quando & Gregorius Pontifex de prædictis omnibus certior redditus per literas Patriarchæ, suas [z] promulgavit ad Principes, quibus ostentatio-

[y] Rec. Paris. an. seq. missas ad Reg. Angl.

REGREDITUR IN ITALIAM.

[z] Ext. in Reg. Greg. data Perus. 15. Cal. Aug. an. 3. Domini 1229.

nes Friderici retulit, opprobrium rei Christianæ aperuit, eique eluendo novam suscipere in Syriam expeditionem hortatus est: ubi confestim post abscessum Friderici Saraceni omnia perturbare cœperunt, & Christianos peregrinos variis modis vexare, spoliare, necare: & qui à Friderico ad res administrandas relicti sunt, sanctiùs fœdus Sultani servârunt, quàm Christianos tutati sunt.

IX. Frustra nonnulli auctores conati sunt eum excusare.

Húncque tandem exitum habuit Fridericana expeditio, tanto tempore tantísque conatibus solicitata, tot tantísque viribus & impendiis promota, tantâ Christianorum strage nec viso hoste turpissimè terminata. Quæ quidem ex probatissimis auctoribus atque testimoniis suprà indicatis à nobis collecta, non est ut quis convelli posse putet, vel Abbatis Vrspergensis auctoritate qui tum vivebat, & Chronicon suum clausit laudibus Friderici, insectationéque Pontificis; vel Monachi Parisij, qui non pòst multò Historias suas scripsit, & multa more suo solemni hîc congerit in Papam, Patriarcham, Hospitalarios, Templarios, & alios qui Friderico adversati sunt, contra exemplum ac tenorem literarum Pontificis & Patriarchæ quas ipsemet recitat: Fridericúmque ait piè sacrum bellum gessisse; nullâque virtute, observantiâ, obsecratione, placare odium Pontificis potuisse, quo minùs in eum indignè, nec ullo illius merito, evertendum incumberet; Ierosolymam aliáque loca, antequàm decederet, egregiè munîsse, rebus Christianorum utiliter providisse, cuncta ritè disposuisse: Cùm sanè non aliunde isthæc ipsi, quam ex literis Friderici, & calumniis ab eo sparsis desumpsisse noscantur: & sicut in Vrspergensem observat hîc Æmilius, fama frequentior, & sensus propè omnium conspirans Fridericum damnent: & ex probatioribus Germanicis historicis, uti profitetur, rem colligens Hieronymus Mutius, & ipse Germanus, & Imperatorum Germanorum studiosus, scribat, Pontifici pacem cum Sultano non placuisse, quòd nihil in eâ stabile esse posse prævideret; quippe quamvis Ierosolymam Fridericus cum toto regno recepisset, reliquisset tamen in potestate Sultani arces illas quæ robora regni erant, ut cùm primùm dilapsus esset exercitus, facilia omnia essent receptu: Nec fuisse tam rerum imperitum Fridericum, ut hoc non videret; sed animum fuisse in Germaniâ & Italiâ, satisque illi fuisse votis satisfecisse: sic enim fieri; cùm venatur aliquis invitis canibus. Ita ille; Ac de his jam satis; reliqua de Friderico suis locis.

X. Res in Gallia contra Albig. gesta.

Sanctiùs porrò atque illustriùs rebus intereà in Galliâ sub strenuo & sancto Rege puero, ac feminâ prudentissimâ regni procuratrice, procedentibus; dum ex unâ parte rebelles Status armis & arte ad officium reducuntur, (quod tractavimus anno superiori) etiam ex aliâ perduelles Religionis vi & suasionibus manus dare coguntur; concidítque momento vis sectæ Albigensium, quæ tot lustris universæ Christianitatis vires fatigaverat. Obsessâ enim ab Imberto Bellojocensi cum exercitu regio & Crucesignatorum Tolosâ, & sive capta fuerit, sive in deditionem accepta, vel etiam tantummodò agrorum & vinearum vastatione contrita, (ut sunt variæ de his auctorum narrationes) Raymundus Comes tandem in eas pacis conditio-

[a] Vide Catell. Hist. Comit. Tolos. l.2.c.7.

Raym. Comes Tolos. duris conditionibus recipitur in Ecclesiam.

nes consensit, quas Rex & Romanus Legatus præscribere voluerunt, factâ earum tractatione & transactione Meldis primò, deinde Parisiis mense Aprilis præsentis anni Christi millesimi ducentesimi vigesimi octavi, regníque Ludovici secundi. Quæ cùm multiplices [b] fuerint, earum hæc summa fuit, ut Comes foret deinceps Ecclesiæ Romanæ, Regique ac successoribus ejus devotus ac fidelis, omni studio & diligentiâ curaret Albigensem sectam extirpare, damna illata Ecclesiis ac monasteriis resarciret, Crucem in Saracenos indueret, transiturus proximâ expeditione, ac per quinquennium militaturus: Ioannam filiam unicam nuptum daret uni ex Regibus fratribus; & si nulli ex eo matrimonio liberi nascerentur, omninò tamen Comitatus Tolosæ post mortem eorum ac Raymundi ad Regem ejúsque successores transiret: muri Tolosæ, aliarúmque triginta urbium solo tenùs dirueruntur, & fossæ adæquarentur; alia nonnulla munitiora Regi ad decennium traderentur: Theologis quatuor, Iurisconsultis duobus, sed Artium liberalium professoribus, & Grammaticis duobus Tolosæ docentibus annuum stipendium numeraret. Quibus juratis Raymundus Comes in die sanctæ Parasceves [c] præsente Rege, atque innumerâ Prælatorum, procerum, populique multitudine, introductus fuit à Legato in Ecclesiam, caput, pedes, ac totum corpus, præter lineam tunicam & femoralia, nudus, & unà cum aliis qui cum ipso erant ab excommunicationis sententiâ absolutus. Planéque meritò observat prædictus Guillelmus ejus Capellanus, & post eum alij, sic Deum etiam hâc parte Ludovici Regis pueritiam honorare voluisse, ut quamvis eo adhuc statu res Comitis essent, ut longo tempore negotium Regi facessere potuisset, tot tamen talésque conditiones prædicto tractatu admiserit, quarum vel singulæ per se solæ sufficere viderentur ad se redimendum, pacémque obtinendam etiamsi prœlio captus à Rege fuisset: adeò ut manifestè apparuerit, cuncta hæc facta esse non per hominem, sed per Deum solum.

[b] Rec. integrũ Regis de his dipl. Lat. Catell. ibid. in Gall. versum Bellefor. li. 4. c.2. summam Surit. Indic. l.1. & alij.

[c] Guillel. de Pod. Laur. Chron. Monfor. Bern. Guid. &c.

Digna observatio de prædicto tractatu.

XI.

Post hæc autem idem Comes spontè Regis satellitibus se custodiendum dedit, donec Ioannam filiam ejus tunc novennem apud Carcassonem nunciis Regis ad hoc missis, & quinque munitissimas arces ex conventione traditas, & muros urbium subversos constitisset. Hisque confectis, anno proximè insequenti Tolosam rediit, creatus primùm à Rege miles in festo Pentecostes. Eúmque secutus Romanus Legatus, *Conventum* [d] Antistitum & Procerum provinciarum Aquitaniæ & Narbonensis *Tolosæ* celebravit mense Novembri ejusdem proximi anni, cui interfuerunt Archiepiscopi Narbonensis, Burdegalensis, & Auxitanensis, ac Comes ipse Tolosanus: ubi rursùm confirmata fuêre quæ Parisiis gesta fuerant. Ejus Acta nos vidimus beneficio Eminentissimi Cardinalis Filonardi quondam Vicelegati Avenionensis: quibus præfatus Romanus, licet à diversis Apostolicæ Sedis Legatis diversa emanâssent instituta contra hæreticos, credentes, fautores, & receptatores hæreticorum, & super pace conservandâ in Tolosanâ diœcesi, & Narbonensi provinciâ, & circumjacentibus diœcesibus, ac terris vicinis,

[d] Guillel. de Pod. Laur. Chron. Monfort. Chron. Auger. Biter.

Concil. Tolosanum de rebus Hæreticorum.

& super aliis quæ ad bonum statum terræ pertinebant: se tamen attendentem terras prædictas, post longæ ac miserabilis turbationis discrimen, quasi miraculosè pace de assensu & voluntate Majorum gaudere; ordinandum duxisse & statuendum de consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum, ac Baronum & Militum, quæ ad purgationem hæreticæ pravitatis, conservationem pacis, necnon & terræ quasi neophytæ nôsset expedire. Sunt autem sexdecim capita valdè severa de modis detegendi, inquirendi, & puniendi hæreticos; conversiones & abjurationes eorum recipiendi, pœnitentiásque imponendi; denique de pœnis eorum qui negligentes forent in iis persequendis. Sícque instituta est generatim ab eo Inquisitio Tolosæ contra hæreticos: quæ posteà (ut dicetur [e]) tributa est speciatim Dominicanis. Post quæ idem Legatus Tolosâ recedens, aliud rursùm *Concilium* Antistitum celebravit apud civitatem *Auraicam*; quo pœnitentias contra suspectos de hæresi constituit, & Episcopo Tolosano publicandas transmisit. Atque hactenùs de rebus eâ Legatione per Romanum Cardinalem summâ diligentiâ & utilitate Religionis ac regni gestis.

INQUISITIO CONTRA HÆRET. INSTITUITUR TOLOSÆ.

[e] *Infrà an. 1234. III.*

XII. PRIVILEGIUM ARCHIEPISCOPI MOGUNT. CIRCA CORON. REG. BOËM.

Hoc eodem anno Othocarus senex Rex Boëmiæ, & Wenceslaus filius ejus, quem [f] jam pridem Regem cum uxore Chunegunde filiâ Philippi olim Imperatoris, auspice Siffrido Moguntino Archiepiscopo coronaverat; privilegium concesserunt Ecclesiæ Moguntinæ, quæ metropolis tum erat Boëmiæ, ut ejus Antistes, & nullus alius in perpetuum Reges Boëmiæ inungere & coronare deberet: quod verbatim recitat Trithemius [g], datum hoc Christi anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo, Indictione primâ: additque [h] id multo tempore observatum fuisse, quousque tandem per quẽdam Archiepiscopum Moguntinensem hoc jus Ecclesiæ Pragensi venditum est. Quæ mirum est ignorâsse, vel dissimulâsse Ioannem Dubravium Olmucensem Episcopum, diligentem alioqui Rerum Boëmicarum scriptorem, ejúsque illustratorem Thomam Iordanum: dum is [i] agens de coronâ regiâ traditâ Wladislao Boëmorum Principi à Friderico Imperatore Ænobarbo ob egregiam ipsi navatam operam in bello Mediolanensi, ait asservari in Archivis Boëmiæ diploma ejusdem Cæsaris, in quo planè disertéque nominantur, à quibus idem Wladislaus coronari deberet; nempè ab Episcopis Olmucensi simul & Pragensi, vel eorum altero si alter defuisset; cùm (inquit Dubravius) anteà Moguntinus Archiepiscopus id munus sibi arrogaret. Sed potuit id peculiare tum fuisse coronationi prædicti Wladislai: nec verba diplomatis quæ Dubravius recitat, necessariò rem trahunt ad successores; quamvis eum posteà morem Boëmos perpetuum incorruptúmque retinuisse scribat. Potéstque dici, Othocarum Regem infensum (ut vidimus) Andreæ Pragensi Episcopo, in ejus invidiam pristinum jus restituisse Antistiti Moguntino: donec circa annum Christi 1350. (nisi fortè, ut Trithemius significare videtur, etiam anteà Moguntinus jure coronandi cesserat) Pragensis [k] Ecclesia petitione Caroli IV. Imperatoris & Boëmiæ Regis, atque auctoritate Clementis PP. sexti à Moguntinæ jurisdictione liberatâ, in Metropolitanam conversa est, additis Olmucensi & Litomissensi Suffraganeis; ipséque mox Carolus à primo Archiepiscopo suo, nomine Ernesto, unà cum uxore Blancâ, coronâ, quam ex auro & unionibus fieri jussit pretiosissimam, in maximâ hospitum clarissimorum celebritate coronari voluit.

[f] *Dubrav. Hist. Boëm. lib. 15.*
[g] *Trith. in Chron. Sponheim.*
[h] *Id. in Chro. Hirsaug.*
[i] *Dubrav. lib. 12.*
[k] *Dubrav. l. 22. Pontan. Boëm. Pie l. 1. & 3.*

IESU CHRISTI Annus 1229.

GREG. IX. An. 3.

FRIDERICI II. An. 10.

BALDUINI II. An. 1.

I. GREG. PP. AUXILIUM PETIT ECCLESIÆ DESOLATÆ.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo nono, Indictione secundâ, Gregorius Pontifex nuncios misit in varias Provincias, qui impia Friderici Imper. facinora, ac turpem cum Sultano initam societatem renunciarent, urgentes Ecclesiæ necessitates exponerent, & auxilia postularent. Præter enim epistolas ejus, quæ de his extant in ipsius Regesto, reperitur etiam memoria Simonis [a] Scriptoris Pontificij ad Regum Sueciæ, & Stephani [b] Capellani Pontificis in Angliam ad hoc missorum. Ac Stephano quidem decimas omnium rerum mobilium totâ Angliâ, Scotiâ, & Hiberniâ concessas fuisse in subsidium Pontificis, Parisius scribit, & sævè exactas queritur: quinimmò & quæcumque sunt Pontificum cavillari solitus, etiam hanc decimationem pactam priùs fuisse cum Gregorio ait, quò is facilior redderetur ad exclusionem cujusdam Walteri electi à Monachis Ecclesiæ Cantuariensis in Archiepiscopum loco Stephani Cardinalis demortui, qui Regi ingratus erat, & approbationem Richardi Cancellarij Lincolniensis.

[a] *In Vit. Aquil. ex Reg. Greg.*
[b] *Ap. Paris. hoc an.*

II. TURBÆ IN SUECIA.

Simoni autem in Sueciam misso parùm prosperum fuisse iter existimamus, quod in Historiâ [c] ejus gentis reperiamus, ubi tamen nihil de hâc legatione) Henricum sive Ericum Regem, de quo superiùs, hoc ipso anno per conjurationem invasum à Canuto ipsius sororio, contemptu illius claudicationis & balbutiei, prœlio victum fuisse, & regno pulsum; qui tamen reparato paulò pòst exercitu, Canutum vicit & occidit; justam in se divinæ ultionis potentiam expertum, qui potentiam suam contra benignissimi Regis innocentiam temerè extendere præsumpserat.

[c] *Io. Magn. l. 19. c. 14.*

III.

Invenimus [d] & missum à Gregorio adversus Fridericum in Germaniam & Daciam, (hoc est Daniam) *Othonem* (*Candidum* dictum [e], aliàs *Blancum de Alterano*, ex Marchionibus Montisferrati) Diaconum Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano: qui à Leodiensibus & Aquensibus malè habitus, censuris in eos egit; parúmque apud cæteros Germanos Friderico addictos profecit. Quid verò in Daniâ egerit, vix reperimus; quantumvis ejus Danicæ legationis plures meminerint; & anno se-

[d] *Ap. Godefr. in Annal. an. super.*
[e] *Onuphr. de Pontif. in Greg. IX.*

quenti ibi fuisse, tradat Rex Ericus in suâ brevissimâ Historiâ [f] Danicâ. Recens ejusdem Historiæ scriptor [g] hoc tantùm habet, fuisse eum totum in restituendis sacrorum ritibus, ac Cleri moribus formandis.

[f] Tom. Rer. Ger. Lindenbrog. [g] Pontan. l. 6. an. 1230.

IV. Agitatas porrò his temporibus eas partes rebellionibus ac bellis, Krantzius [h] docet: cùm videlicèt post Waldemari Regis ZWerinensem carcerem quem vidimus, cunctis ei improsperè succedentibus, & totâ Nordalbingiâ, ac civitate Lubeccâ, aliísque pluribus jugum Danorum excutientibus, nihil etiam mansit in fide Regis ex Wandaliâ, præter solam Rugiam. Quâ occasione observat idem auctor, paulatim increscente novâ urbe in littore maris oppositâ Rugiæ, multos in eam commigrâsse è vicinâ Saxoniâ, ut & linguâ & moribus jamdudùm sit Saxonica: idque ipsum in Lubeccâ & Rostochio posteà evenisse. Nam etsi fundus esset Wandalicus, omne tamen nomen Wandalicum ita habuisse advenas Saxones exosum, ut non paterentur in suis collegiis & societatibus quemvis esse, qui non esset ortus parentibus Teutonicis, idque sacramentis extorquerent ab iis quos susciperent. Magna gentis injuria, quæ patrio solo exturbata, in ipsis suis nativis sedibus non sineretur habitare & vivere: retrusa in mediterranea, ubi pro durissimâ servitute multis dilabentibus, & Saxonum se populis immiscentibus, vix pauci ad agrorum culturam sub gravissimis tributis residerent: Titulum autem gentis remansisse apud Principes: qui morientes, proximâ successione illum transmiserint ad Duces Magnopolenses: quibus hoc pacto pareret terra quæ *Wandaliæ* nomen retineret, ex latissimâ Europæ totius latitudine redacta in brevem angulum: Fecisse hoc contemptu gentis, ut nemo, nisi quem lingua proderet, se fateretur esse origine hujus gentis. Ita Krantzius: quæ voluimus hîc retulisse, memores sententiæ sacræ. *Omnis* [i] *consummationis vidi finem*: ut quisque considerare possit, quò tandem redacta sit gens numerosissima, cujus patres tam amplas res gessisse reperiuntur, non iis solùm tractibus, verùm etiam in Galliis, Hispaniis, Africâ, Siciliâ.

[h] Krantz. Dan. lib. 7. Vandal. l. 7.

DE REBUS DANICIS.

WANDALIÆ EXINANITIO.

[i] Psal. 118.

V. Hoc item anno *Ioannes* Monachus Cluniacensis natione Gallus ex Diœcesi Ambianensi, nobili familiâ Halgrinâ, ex Archiepiscopo Bisuntino doctrinâ & virtutibus claro creatus à Gregorio PP. Cardinalis Episcopus Sabinensis, & Sedis Apostolicæ Legatus in Hispanias missus, *Concilio Turiasone* in Regno Aragoniæ sub finem mensis Aprilis celebrato, (cui interfuerunt Toletanus & Terraconensis Archiepiscopi, aliíque Episcopi) causâ cognitâ conjugij Iacobi Aragoniæ Regis, quod octo ante annis tenerâ admodùm & impotenti adhuc ætate cum Leonorâ matertera Ferdinandi Castellæ Regis natu multò grandiori inierat; auctoritate Apostolicâ dissolvit, ob propinquitatem cognationis, cujus nulla facta gratia fuerat: sive id expetente Rege tædio ejusmodi nuptiarum, sive non nolente, sanè nequaquàm contradicente; nisi quòd cavit de legitimitate Alfonsi pueri, quem ex Leonorâ bonâ utriusque parentis fide susceperat, & in spem successionis educabat. Sicque secundùm Regis voluntatem pronunciatum est, locum esse divortio, eóque non obstante Alfonsum verum ac legitimum esse patris successorem: ac Leonorâ ad suos remissâ, oppidis dotalibus quæ in Aragoniâ habebat retentis, multâque supellectile, auro, gemmis, ac veste pretiosâ secum asportatâ. Narrant hæc pluribus Surita [k], Gomesius [l], Mariana [m], & alij Rerum Aragonicarum & Hispanicarum scriptores. Cúmque nihilominùs post aliquot annos nonnulli prædictum Alfonsum in periculum successionis adducere vellent, Gregorius Pontifex sententiam Legati confirmans, eundem Alfonsum auctoritate Apostolicâ legitimum esse ac regnandi capacem semel iterúmque declaravit [n], eò quòd natus Iacobo fuisset, cùm bonâ fide legitimum illud matrimonium ab omnibus credebatur.

CONCIL. TURIASON. PRO DISSOLUTIONE MATRIMONII REGIS ARAGONIÆ.

[k] Sur. Indic. Reg. Arag. lib. 1. [l] Gomes. in Vit. Iac. Reg. lib. 5. [m] Mar. Rer. Hisp. lib. 12. cap. 14. [n] Reg. Greg. an. 4. ep. 44. & an. 9. ep. 28. Perus. 12. Cal. Mah.

VI. Ex aliis verò literis ejusdem Gregorij hoc ipso anno quinto Calendas Maij ad Iacobum scriptis intelligitur; antequàm hæc agerentur in Hispaniâ, eundem Regem misisse quemdam Ioannem Buccados ad Pontificem, qui desiderio illum teneri coronæ regiæ ex manu Pontificis recipiendæ significaret; sicuti & ipsius patrem fecisse vidimus; Pontificem autem laudatâ ejus in Ecclesiam Romanam devotione, pollicitum esse, quamprimùm Romana Sedes quievisset à fluctuationibus, acquieturum se ejus desiderio. Prædictis autem Hispanicis auctoribus constat, hoc item ipso anno eundem Iacobum Regem primo & vigesimo ætatis suæ vix exacto, suscepisse expeditionem Balearicarum à Mauris detentarum; & intra biennium non sine labore, clade, ac plurimorum etiam Procerum cæde, (in quibus egregiâ fortitudine præstitit Guillelmus Moncada Benearnensis regulus, qui ingenti omnium desiderio, cum multis aliis ejus gentis proceribus gloriosissimè dimicans concidit) feliciter confecisse; occisis, vel ad deditionem compulsis Mauris utriusque Insulæ Majoris & Minoris, magno nominis Regis ejúsque rerum incremento. Quo etiam bello præstò Iacobo fuisse S. Georgium martyrem, regnorum Aragoniæ patronum, visum tam Christianis quàm Saracenis fulgentibus indutum armis equóque & ephippiis splendentem albis; idem Gomesius [o] refert, ex ipsius Regis commentariis, quos de rebus à se gestis conscripsit. Captus etiam Rex earum Insularum, una cum filio tredecim annorum; qui posteà Christianus factus est, & à Rege Iacobo honesto matrimonio [p] locatus.

IACOBUS REX ARAG. BALEARES SUBJUGAT.

[o] Gomes. l. 7.

[p] Surit. Hist. Arag. l. 3. c. 8. in fin.

VII. Cæterùm prædictum Ioannem Legatum, reliquas pariter Hispaniarum provincias peragrâsse, & celebratis in singulis Regnis *Conciliis* monita salutis proposuisse; Rodericus [q] Toletanus in suâ Historiâ tradit, virum bonum, sapientem, & literatum prædicans; quem & Trithemius inter Scriptores [r] Ecclesiasticos collocat, & maximè commendat. Eundémque ex Hispaniâ remeantem *Raymundus de Peniaforti* Barchinonensis Iurisconsultus egregius secutus est: cujus posteà operâ Gregorius Pontifex libros Decretalium condidit, ut dicetur suo loco [s].

[q] Roder. Tol. l. 9. cap. 12. [r] Vide Ciaccon. & Nomencl. Card. sub Greg. IX. [s] Infrà an. 1234. VI.

VIII. Hoc item eodem anno [ss] *Gaufredus de Castillione* tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis patriâ Mediolanensis, Legatúsque Apostolicus, ibidem Mediolani cum Magistratibus egit ut severè in hæreticos animadverteretur, exilio, comprehensione, donorum eversio-

[ss] Cor. Hist. Mediol. par. 2. Sigon. de Regn. Ital. lib. 17.

MEDIOLANI HÆRETICI EXAGITANTUR.

ne, fortunarum publicatione, aliisque pœnis atque suppliciis; his cum Archiepiscopo & præcipuis ex clero, intervenientibus etiam Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, sine quorum consilio nihil ferè his temporibus tam in sacris quàm etiam politicis fieri consueverat. Quinimmò & hoc eodem tempore *Guallam* Ordinis Prædicatorum, Legationem Apostolicam suscepisse ad tractatus pacis inter aliquas civitates discordes componendos, ex Actis publicis apud Sigonium [t] intelligitur. Eique paci plurimùm etiam contulisse *Antonium* Vlyssiponensem Ordinis Minorum, qui posteà *De Paduâ* est appellatus, concionibus suis doctrinâ & pietate refertis ad colenda mutua caritatis officia omnes incitando, eodem auctore constat.

[t] Sigon. d. l. 17.

IX. Frider. Imp. de pace cũ Pont. solicitus.

Reversus autem intereà hoc anno extremo mense Maij Fridericus Imp. ex Syriâ in Apuliam, evocatis è Germaniâ novis copiis hostes paulatim ejecit, & qui ultrò ad eos transierant suppliciis affecit; atque omnia Hospitalariorum & Templariorum quos sibi adversus in Syriâ expertus fuerat, bona ac possessiones occupavit, & alias terras Ecclesiæ invasit. Ac nihilominùs tot malis fractus, pejora timens, cœpit agere de pace cum Pontifice, accersitis quos ei negotio præficeret, Patriarchâ Aquiliensi, Archiepiscopo Saltzburgensi, Episcopo Ratisponensi, Lupoldo Duce Austriæ; ut tradit Vrspergensis, his Chronicon suum claudens. Meminerunt & alij: sed res nonnisi anno sequenti fidem accepit; ubi quomodò se habuerit dicetur.

X. Roberti Imp. Constant. obitus.

Mortuus est hoc anno (superiorem aliqui consignant) *Robertus* Imp. Constantinopolitanus in Achaiâ, cùm rediret Constantinopolim ab Vrbe Româ, quò processerat coronam à Summo Pontifice augustiori formâ suscepturus: &, ut nonnulli etiam scripserunt, conquesturus de injuriâ sibi à quodam nobili Burgundione illatâ: cui desponsatam insignis formæ virginem, ipse sibi in uxorem acceperat; ille verò impotens animi eam auribus ac naribus truncaverat, matrémque ejusdem, nuptiarum Cæsarearum conciliatricem in mare dejecerat. Cui quidem rei cùm omnes scriptores [u] fidem faciant; quòd tamen difficile creditu sit, Burgundionem illum, utcumque suorum præsidio ferocem, tantam rem ausum esse præsente Imperatore, vel Imperatorem tam exiguæ auctoritatis fuisse ut ad ultionem adeundus sibi esset Pontifex; verosimilius nonnulli existimarunt, Roberto pro coronâ Romam navigante, Burgundionem captatâ ejus absentiæ occasione audax facinus commisisse.

[u] Sanut. Hist. Orient. lib. 2. par. 4. c. 18. Andr. Dandul. in Chron. Blöd. 2. dec. 7. Sabell. 9. En. 6. & 1. dec. 8. Æmil in Lud. IX. Cuspin. de Cæs. &c.

XI. Balduinus II. ei succedit.

Successit Roberto in Imperio Balduinus ejus nominis Secundus; seu filius ejus, ut plurimi Latini recentiores volunt; seu potiùs frater, ut antiquiores [x] cum Græcis Gregorâ & Logothetâ. Qui quòd junior esset, & de quærendâ affinitate quæ Imperium ei stabiliret quæstio esset; Venetis agentibus, quorum amicitiâ Robertus plurimum usus fuerat, Comnenus Imp. Trapezuntinus [y], sive Hexagonarum, ut alij vocant, filiam ei suam obtulit, fore pollicitus vt expulso Batatze [z] totam ejus ditionem ipsi acquireret. (Erat enim æmulatio inter duas illas familias Græcas, & nisi communis à Latinis metus cohibuisset, inter se de Imperio contendissent, consanguinitatis majorúmque immemores.) At Franci Proceres veriti ne qua nova pernicies eâ occasione rebus Latinorum à perfidiâ Græcorum, quos sciebant istos illósque nihil tam in votis habere quàm recuperationem urbis Imperialis, oriretur; in eam magis sententiam inclinarunt, ut acciretur Ioannes Brennensis olim Rex Ierosolymitanus, dux veteranus & experientissimus, perspectæque fidei, ac virtutis, qui curam Imperij dum Balduinus idoneus redderetur gereret, ejúsque filiam reliquam Martham nomine virginem pulcherrimam Balduinus duceret. Vincentéque hâc sententiâ, Brennensis ex Italiâ & Romandiolâ permissu Gregorij Pontificis, cui militabat, evocatus; desponsatâ filiâ Balduino, rerum Constantinopolitanarum administrationem consensu omnium suscepit. Sícque è privato Comite factus olim virtute suâ Rex Ierosolymitanus, & posteà socer duorum Imperatorum Christianorum; amisso truculentâ primi generi inurbanitate regno Ierosolymitano; Imperium Constantinopolitanum comi facilitate secundi obtinuit, (Cæsaris tamen titulo contentus, & ab Imperatoris & Augusti abstinens; quem nihilominùs multi scriptores ei tribuunt:) rexítque usque ad obitum, non viginti ut quidam habent, sed decem summùm annis.

[x] Paris. an. 1238. Nang. in Vit. S. Ludov. Blond. d. lib. 7. & c.
[y] Vid. supr. ann. 1204. XI.
[z] Supr. an. 1222. IV.

Ioannes Brennensis fit administrator Imperii Cóstantin.

XII. Græci Latinos urgent.

Imperator autem Hexagonarum repulsâ filiæ factus in Latinos animo multò infestior, quòd sæpè antè rogatus facere renuerat, eam Theodoro filio Batatzis despondit uxorem. Iunctíque hâc novâ affinitate duo illi Imperatores Græcorum, pellendis Latinis non minùs arma quàm animos junxerunt; multáque terrâ marique tam Francis quàm etiam Venetis eripuerunt. Qui verò in Thessaliâ æque Imperatorem agebat Theodorus [a] Angelus, cùm post quædam erepta Bulgaris, pacem inde per affinitatem cum iis fecisset, paulò pòst eam rumpens, ab Asane Bulgarorum Rege Scythicis auxiliis prælio (quo tabulam in quâ fœdus consignatum fuerat militari signo suspendit) victus, captúsque est; cúmque in custodiâ novis rebus studeret, etiam excæcatus. Cujus frater *Angelus Manuel*, ductâ filiâ Asanis, ditionem fraternam possedit. Qui tamen posteà ab eodem fratre suo Theodoro, ejusdémque Asanis, cùm post hæc filiam Theodori uxorem duxisset, auxiliis in ordinem redactus est, translato regno in Ioannem Theodori filium: qui & ipse demùm à Batatze depositus est. Prosequuntur hæc, aliáque bella inter Græcos, Bulgaros, & Latinos gesta, pluribus iidem auctores Græci, sed ita confusè, ut vix ordinem ac tempora quis consequi possit: Logotheta tamen distinctiùs rem agere videtur, sicuti & agit longè diffusiùs. Ritum verò fuisse Bulgarorum, ut cùm invaderentur contra fœdus, tabulas fœderis vel pacis contra suspensas prælio deferrent, Deum ultorem invocantes; colligi potest ex eo quòd idem olim ab iis præstitum adversus Iustinianum Iuniorem Impe. Cedrenus [b] habet: ut non alios modò enumeremus, qui idem diversis temporibus usurpâsse reperiuntur.

[a] Supr. Ann. 122. IV.

Græcorum inter se rixæ.

[b] Cedren. in Iustin. Iun. ann. 7.

Iesu Christi Annus 1230.
Græ gor. IX. An. 4.
Friderici II. Ann. 11.
Balduini II. An. 2.

I. Frider. Imp. pacem a Pont. impetrat.

[a] Sign. de Regn. Ital. lib. 17.

Anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo, Indictione tertiâ, Fridericus Imp. conventu [a] Capuæ acto, de Principum suorum consilio inducias à Pontifice Gregorio, per Episcopum Messanensem & Magistrum Teutonicorum postulavit; iisque ægrè impetratis, haud difficilè inde pacem quoque obtinuit. Cujus causâ missi à Pontifice Ioannes Episcopus Sabinensis nuper ex Hispaniâ redux, & Thomas Presbyter sanctæ Sabinæ Cardinales Legati, ita cùm Bertholdo Patriarchâ Aquileiensi, Eberardo Archiepiscopo Saltzburgensi, Siffrido Episcopo Ratisponensi, Leopoldo Austriæ, Bernardo Carinthiæ, & Othone Meraniæ Ducibus à Friderico designatis, apud sanctum Germanum in finibus Campaniæ convenerunt; ut Fridericus ante omnia promitteret stare præcisè, & absque ullâ conditione mandatis Ecclesiæ pro omnibus ob quæ excommunicatus fuerat. Hócque ab illo, eodem loci existente, aureâ bullâ firmato, eidem injunxerunt ut omnia quæcumque Ecclesiæ Romanæ aliisque Ecclesiis ac monasteriis, locísve ac personis sacris, cunctísque qui Ecclesiæ ac Pontificis partibus adhæsissent, per se suósve eripuisset, omninò restitueret; Episcopos pulsos revocaret; jura ac privilegia Ecclesiæ Romanæ aliarúmque in regno Siciliæ integra conservaret; pro damnis Sedi Apostolicæ illatis centum viginti millia unciarum auri persolveret; & ad Pontificem Anagniam supplex accederet, beneficium absolutionis accepturus. Stetit jussis Fridericus; & Anagniam veniens, post pedum oscula anathemate solutus est, omnibus Imperij & regnorum suorum juribus restitutus, & ad convivium, eamdémque mensam cum Pontifice comiter adhibitus. Quæ quidem ita gesta esse hoc anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo mense Iulio Indictionis tertiæ, constat ex Regesto [b] ejusdem Gregorij Pontificis, quo tractatus, juramenta diplomata, ceteráque eâ occasione confecta singillatim continentur; unà cum literis à Pontifice ad Ludovicum Francorum, aliósque Christianos Reges exaratis, quibus initam concordiam summâ gratulatione significavit.

Quibus conditionibus absolutus sit.

[b] Refert etiã Bos. Hist. Hospital lib. 16. & Bzov. hoc ann.

II.

[c] Blond. 2. Dec. 7.
[d] Krantz. 8. Saxon. 3.

Non cessat persequi adhærentes Ecclesiæ.

Meminerunt verò etiam ejusdem concordiæ plerique omnes Annalium & Chronicorum auctores, Coloniensis, Augustensis, Stadensis, Salisburgensis, Stero, Parisius, Sanutus, Platina, Sabellicus, Trithemius, Nauclerus, cæteri Blondus [c] autem & Krantzius [d] etiam queruntur, Pontificem mitiorem quàm debuit decuítque in Fridericum sese exhibuisse. Nec sanè diù fuit, cùm repetendæ fuêre in eum expostulationes, tum ob alia, tum præcipuè quòd perseverans in odio semel contra Hospitalarios & Templarios concepto, etiamsi illi nominatim comprehensi fuissent in pactis conventis, nihilominùs tamen non solùm ablata non eis restitueret, verùm etiam quibusdam quæsitis prætextibus, novis spoliationibus depauperaret, ipsósquemet expelleret; & quòd specie mittendi subsidia in Syriam, plurimos eorum qui Ecclesiæ contra se adhæserant, ad Crucem sumendam etiam nolentes cogeret, ut hâc honestâ occasione longè relegaret, & periculis exponeret. Quibus de rebus misit primò ad eum Pontifex Româ mense Februario anni proximi Abbatem Casæmarij, deinde Aprili & Iunio Episcopum Mutinensem, ut eum ad debitam satisfactionem & moderationem reducerent.

III. Hermanni Magistri Teutõ. præclaræ res gestæ.

[e] Naucler. gener. 41. ad fi.
[f] Michov. Rer. Polon. l. 3. cap. 35.
[g] Crom. de reb. Polon. lib. 7. ad f.
[h] Krantz. 8. Saxon. 3.

Quem porrò diximus superiùs Magistrum Teutonicorum, fuit is nomine *Hermannus de Salizâ* nobilis Misnensis, quartus ordine in eâ dignitate: qui post multa in Syriâ cum cæterorum Ordinum Magistris pro re Christianâ præclarè gesta, cùm his temporibus Prussi, sive Borussi dicti, inquietissimi populi, & Christianæ religionis, ad quam etiam nuper per Waldemarum Danorum Regem compulsi fuerant, desertores pervicacissimi, ingentes clades Polonis intulissent; eam provinciam, accitu Conradi Polonorum & Moscoviæ Ducis, atque permissu Friderici Imperatoris, auctoritatéque Gregorij Pontificis accepit regendam, ut fines ibi Christianitatis & tueretur & amplificaret. Quod ejus Ordinis milites egregiè posteà immenso labore præstiterunt: ut hæc pluribus narrant Nauclerus [e], Michovius [f], Cromerus [g], Krantzius [h], & alij. Habemúsque ex Chronico Prutenico, eumdem Hermannum ob rem feliciter inter Pontificem & Imperatorem tractatam, creatum fuisse ab Imperatore Principem, dato ei Imperij insigni aquilâ: Pontificem autem annulum ei aureum attribuisse.

IV. Hæret. Nicolaitæ exagitantur.

[i] Trith. in Chron. Hirsaug.

[k] Ap. Cor. par. 2. ann. 1233.

Hoc eodem tempore innotuisse in Longobardiâ & Alemaniâ hæreticos, qui diù in occulto latuerant, Trithemius [i] ponit; & Nicolaitarum turpitudines exercuisse, matres, filias, uxores communes omnibus habentes; Ecclesiam & Prælatos contempsisse: carnes Quadragesimâ comedisse, multa alia erronea docuisse, & scelera perpetrâsse: primatum verò Mediolani constituisse, eóque ex cæteris provinciis censum annuum mittere consuevisse: habuisséque signa privata quibus sese internoscerent: detectos multos combustos fuisse. Vnde & plurimas severas leges his temporibus à Mediolanensibus auctoritate Romani Pontificis in hæreticos promulgatas, in ejus urbis [k] Historiâ legimus: ipsúmque etiam Fridericum, ubi absolutus à Pontifice fuit, ejusdem monitu multa contra eosdem edixisse, Pontificiæ de his literæ testantur; cùm hæc pestis jam universam ferè Italiam infecisset.

V. Alfonsi Reg. Legion. victoria de Mauris.

In Hispaniâ *Alfonsus* Rex Legionensis in Maurorum fines incurrens, Abenhutum potentissimum eorum Regem, (qui Almohadum ritus & opiniones de religione ante octoginta fermè annos veteribus motis introductas, tanquam omnium quæ Mauris supervenerant calamitatum causam detestans & exterminans, summam sibi apud omnes auctoritatem conciliaverat) magno prælio vicit, & Emeritam urbem, ac pleraque alia ejus tractûs loca occupavit. Fuitque opinio, Iacobum Apostolum, præcipuum Hispaniarum patronum, Isi-

dotum, & plerosque alios cælites in veste candidâ visos inter acies, Christianorum animos confirmâsse, Maurorum fregisse audaciam. Post quæ Rex Compostellam, ut Deo gratias pro victoriâ ageret, pergens, in ipso itinere mortuus est; corpúsque ad sepulturam Compostellam delatum; postquàm duobus & quadraginta annis regnâsset. Cujus auditâ morte, Ferdinandus ipsius filius Castellæ Rex, quamvis à patre supremis testamenti tabulis, ob vetus odium [l], quod sempiternum in eo fuit, exhæredatus, scriptis hæredibus duabus filiabus ex priori conjugio; nihilominùs post leves contestationes, regni Legionis possessionem adeptus est: nec ampliùs Regna Castellæ & Legionis disjuncta sunt. Hæc pluribus Mariana [m], ex antiquioribus monumentis: qualia sunt Roderici [n] Toletani qui interfuit, & Lucæ [o] Tudensis qui ei æqualis extitit.

MORITUR IN PEREGR. COMPOSTEL.

[l] Supr. ann. 1217. in fi.

VNIO REGNOR. CASTEL. ET LEGION.

[m] Mar. lib. 12. cap. 15.
[n] Roder. lib. 9. c. 14. & 15.
[o] Tud. Chro. ad fi.

VI. Hoc item anno [p] orta seditio Parisiis inter cives & scholasticos, eò processit, ut cuncti scholastici, quorum erat immensus ex omnibus Europæ nationibus numerus, cum professoribus & doctoribus inde secesserint in diversas alias regni civitates, ac præcipuè Andegavim, nonnulli etiam in exteras nationes: satagente etiam Angliæ Rege ingentibus pollicitationibus, ut studium transferretur Oxonium. Sed brevi rebus Parisiis à sancto Rege, non minùs decoris liberales artes, humaniora studia, sacram disciplinam, cultum ingeniorum Francis, quàm arma afferre prædicante, prudentissimè compositis, plerique omnes redierunt. Enimverò (inquit de his agens Nangius) *si tam pretiosissimus thesaurus Sapientiæ salutaris de regno Franciæ tolleretur, maneret utique Liliatum signum Regnum Franciæ, quod trini floris folio depictum est, mirabiliter deformatum. Nam ex quo Deus & Dominus noster* IESUS CHRISTUS *Fide, Sapientiâ & Militiâ specialiùs quàm cætera regna voluit regnum Franciæ illustrare; consueverunt Reges in suis armis & vexillis florem Lilij depictum trino folio comportare: quasi dicerent toti mundo; Fides, Sapientia, & militiæ probitas abundantius quàm regnis cæteris sunt regno nostro Dei providentia & gratiâ servientes. Duplex enim par flos Sapientiam & Militiam significant: quæ Fidem, tertium florem significantem, & altiùs medio duorum positum, custodiunt & defendunt. Nam Fides gubernatur & regitur Sapientiâ, atque Militia defensatur. Quamdiu enim prædicta tria fuerint in regno Franciæ fortiter & ordinatè sibi invicem cohærentia, stabit regnum. Si autem de eo separata fuerint, vel avulsa, omne illud in se ipsum divisum desolabitur & cadet.* Ita ille philosophatur.

[p] Nang. in Vit. S. Ludov. & in Chron. Vinc. lib. 30. cap. 137.

ACADEMIA PARIS. EX SEDITIONE CUM CIVIBUS PERICLITATUR.

LILIA INSIGNIŪ REGNI FRANC. QUID SIGNIFICENT.

VII. Academia verò post hæc fulgentioris splendoris augmento iterùm florere cœpit, præclaris legibus, & novis immunitatibus à Rege confirmata: adhibitâ etiam auctoritate Gregorij Papæ; cujus extat [q] eâ de re cōstitutio data ad eumdem Regem Ludovicum anno Pontificatûs quinto, Christi millesimo ducentesimo trigesimo secundo: quâ civitatem & Academiam egregiis præconiis insigniens; *Parens* (inquit) *scientiarum Parisius velut altera Cariathsepher, civitas literarum clara claret. Magna quidem, sed de se majora facit optare, docentibus ac discentibus gratiosa: in quâ utique tanquam in officina sapientiæ spirituali, habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo ritè conflatur. Ex quibus prædantes eloquij murenulas mystici aureas vermiculatas argento cudentes & fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, immò nulli pretio comparandis sponsam Christi decorant. Ibi ferrum de terra tollitur: quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus, & cætera fabricantur. Inde fit Christianæ militiæ armatura, potens adversus aëreas potestates: & lapis calore solutus in æs vertitur: quia corda lapidea Sancti Spiritus afflata fervore, dum ardent incendunt, & fiunt prædicatione sonora præconantia laudes Christi.*

[q] Reg. ann. 5. & in archiv Eccl. Paris. libro inscripto Magn. Pastor. lib. 10.

ACAD. PARIS. LAUS A GREG. PONT.

VIII. Quippè cùm civitas Parisiensis, (ut ait qui optime eam noverat Iacobus [r] de Vitriaco, creatus nuper, virtutum & doctrinæ, laborúmque pro Ecclesiâ exantlatorum merito, ab eodem Gregorio Papâ Cardinalis Episcopus Tusculanus; cujus sæpè meminimus superiùs) *sicut & aliæ civitates, variis involuta criminibus & sordibus innumeris deturpata, in tenebris ambulâsset, mutatione dexteræ Excelsi, qui desertum ponit in delicias, & solitudinem in hortum Domini, facta urbs fidelis & gloriosa, civitas Regis magni, velut paradisus voluptatis, & hortus deliciarum, omnibus pomorum generibus refertus, in universo mundo spirans suavitatem odoris, ex qua tanquam de thesauro suo summus Paterfamilias profert nova & vetera. Ipsa enim velut fons hortorum & puteus aquarum viventium irrigat universæ terræ superficiem, panem delicatum & delicias præbens Regibus, & universæ Dei Ecclesiæ super mel & favum ubera dulciora propinans.* Sed de his jam satis; de quibus pleniùs aliàs: nunc autem obiter tacta occasione dissolutionis Academiæ, ejusdémque restaurationis; cujus & meminerunt plurimi [s]. Inter quos Parisius [t] rem diffusiùs narrans, & maledicas nonnullorum secedentium criminationes maledicentissimus ipse cupidissimè referens, culpam solutionis rejicit in Reginam Blancam & Romanum Legatum, qui armis lictorum scholasticos compescendos censuissent.

[r] Vitr. Hist. Occid. cap. 7.

VRBIS PARIS. PRÆCONIA A IAC. VITRIACO.

[s] Nang. & Vincent ubi supr. Anton. tit. 19. c. 3. in fi. Gaguin. histor. Franc. lib. 7. cap. 2 Æmil. lib. 7 &c.
[t] Paris. an. 1230.

IESU CHRISTI Annus 1231.

GREGOR. IX. Ann. 5.

FRIDERICI II. Ann. 12.

BALDUINI II. An. 3.

1. ANNO Christi millesimo ducentesimo trigesimo primo, Indictione quartâ, cum Gregorius Papa, ut bonum pastorem decebat ad omnia intentus, Perusinorum res ab exulibus perturbatas compositurus: eò Româ profectus fuisset; iisdémque compositis tam civitatem publicè, quàm cives privatim pro singulorum indigentiâ pecuniis recreâsset; atque ut etiam omnes opibus augeret, diutiùs ibi cum totâ curiâ residere deliberâsset; intereà Romani, ipsius benignitate abusi, omnia eis præter antecessorum consuetudinem permittentis, auctore Hannibale Senatore, ex Hannibaldâ gente tum clarâ in Vrbe

SEDITIO ROMAN. IN PONT. PUNITUR DIVINITÙS,

& opulentâ, cum multis è clero, tantam seditionem ac rebellionem concitârunt; quantam numquam anteà: exarsissetque id malum plus nimio, nisi inopina religio offusa esset oculis civitatis, cælestis in eam iræ nuncia; cùm & Tiberis supra modum inundans ingentia damna plerisque intulit, & subsecuta sævissima pestis neminem ferè intactum reliquit, tot verò sustulit ut decimus quisque vix superfuerit. Venit nihilominùs in Lateranum Pontifex & solitâ clementiâ usus, non solùm populo ignovit, verùm etiam publicè omnes privatímque distributâ pecuniâ consolatus est: præter Hannibalem, quem excommunicatum Senatoriâ dignitate deposuit; & sacerdotes ac clericos ejus hæresis participes, (ita enim plerique loquuntur hujus rebellionis descriptores; sive hæresim, ut videntur, accipiant pro pravâ opinione contra fidem; sive pro rebellionis flagitio & conjuratione contra Pontificem: (quos dignitatibus & beneficiis privavit. Quod verò Physici tunc censuerunt, tabem illam non tam ex Tiberis alluvione, quàm ex aquis quæ in concavis cavernosísque in Vrbe locis resederant, processisse, cloacas veteres purgari, novásque substrui curavit; nihil omittens quo simul Vrbis valetudini simul & dignitati consuleret. Et hæc quidem anno præsenti: quæ tractantur à Platinâ, Blondo, Sabellico, Nauclero, & aliis. Reliqua de Romanis, suis posteà temporibus quibus contigerunt.

II. [u] *Bos. in Hist. Hospital.* HORTATIO AD NOVAM EXPEDIT. ADVERSUS SARACENOS.

Cùm verò & inter hæc accepisset [u] Pontifex è Syriâ literas à Patriarchâ Ierosolymitano & Magistris Hospitalariorum & Templariorum, de accessu Regis Persarum ad occupandam universam Syriam, magnísque jam factis ab eo progressibus quibus etiam Palæstinæ appropinquabat, idem Pont. imprimis Fridericum Imp. (quem etiam iidem eâdem de re certiorem fecerant, & ut subveniret rogaverant) hortatus est, regno sancto, jámque suo, diligenter succurrere: deinde verò Reges Francorum & Angliæ monuit, rogavítque ut simultatibus pro Christo depositis, arma converterent in Infideles: ac demùm cunctos ubique Antistites publicis literis jussit monere omnes qui jam Crucem induissent, quíque novis ipsorum hortationibus eam induturi essent, primo cuique classico paratos se habere cujus eâ de re literæ extant in ejus Regesto. Misisse porrò Fridericum trecentos milites, seu nobiles, Sanutus [x] habet: Sed Richardum Marescallum qui eos duxit, nihil aliud quàm schisma & divisionem inter Barones regni posuisse, prosecutum (inquit) malitias quas inchoaverat Fridericus. Adeò ut qui Ptolemaide erant, ut ab ejus sibi tyrannide providerent, privatum fœdus societatémque ineuntes, cuncti *Fraternitati S. Iacobi* nomen dederint, quæ regali privilegio ante instituta fuerat, quò sic liberiùs sibi mutuò uti fratres opem ferre valerent: cùm tamen nec propterea in reliquâ Syriâ ac Cypro scandala cessarent, sed potiùs in dies augerentur. Hæc ibi reliqua posteà.

[x] *San. lib. 3. par. 11. c. 13.*

III. FRIDER. BAVARIÆ DUCEM DE MEDIO AUFERT.

Fridericus autem semper & ubique sibi similis, hoc ipso anno Ludovicum Bavariæ Ducem, egregium Principem, & qui præclarè se olim in Orientalibus expeditionibus gesserat, cujus & posteà curæ filium suum Henricum in Germaniâ Fridericus commiserat; nescio quibus de causis infensum sibi redditum, necari curavit in medio suorum à quodam sicario, immisso, ut ferebatur, à Vetulo de Montanis Saraceno, cum quo Fridericus fœdus inierat. Ita enim rem gestam narrant Coloniensis, Stadensis, Stero, Trithemius, in suis Annalibus & Chronicis, atque alij. Aventinus [y] autem Friderici existimationis nimiùm quàm studiosus, scelus in ejus filium Henricum derivare maluit; cùm nihilominùs persuadere nitatur, Ludovicum à quodam morione, quem per ludum incessebat, cultro saucium periisse. Et potuit utique sicarius ille Saracenus præmio inductus ad Principem occidendum, de industriâ se morionem simulâsse: qui confestim à familiaribus Ducis discerptus est.

[y] *Avent. Annal. Boior. lib. 7.*

IV. [z] *Haython. cap. 24.* [a] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 19. ann. 1253.* DE SENE DE MONTANIS ASSASINORUM PRINCIPE.

Sed quoniam jam superiùs aliquoties facta est mentio prædicti *Vetuli* sive *Senis de Montanis*, (*Sexmontium* etiam nonnulli [z] vocant, atque etiam Sigonius [a] *Viglum Montaneæ*, corruptâ haud dubium voce à Gallicâ *Vieil de la Montagne*) faciendáque imposterùm, ut quis ille, quæque ejus conditio árste fuerit, aperiamus, narrat Guillelmus Tyrensis [b] Archiepiscopus, diligentissimus sacrarum Orientalium expeditionum, quibus & interfuit, & pars magna fuit, scriptor, in provinciâ Tyrensi Phœniciæ circa urbem Antaradensem, gentem quamdam fuisse decem omninò incolentem oppida, sexaginta circiter millium hominum in universum, qui quadringentis fermè ante ea tempora annis susceptam Mahometis legem tantâ observantiâ colerent, ut præ illis cæterorum observantissimi prævaricatores à reliquis Saracenis existimarentur: summâ autem concordiâ inter se viventes, non hæreditariâ successione, sed meritorum prærogativâ magistrum sive principem sibi eligere, quem spretis aliis dignitatum nominibus *Senem* vocarent, non ab ætate, sed ab ingenij maturitate: eíque tantæ subjectionis & obedientiæ vinculo obligari, ut nihil esset tam durum, difficile, periculosum, quod ad ejus imperium animis ardentibus non aggrederentur: atque inter cætera, si quos haberent Principes odiosos, aut genti suæ suspectos, datâ uni eorum aut pluribus sicâ, minimè considerato rei exitu utrùm evadere possent, illuc contendere, & tamdiù occasionem per fas nefásque quærere donec mandatum peragerent: Vocari autem tam à Saracenis quàm Christianis *Assissinos*: fuisséque tum velut subditos Militibus Templariis, qui vicina oppida & propugnacula possidebant, pendentes eis quotannis tributi nomine duo millia aureorum, ut tuti ab eorum molestationibus viverent: Voluisse denique ipsius Guillelmi tempore eum qui principatum eorum gerebat, Christianæ religioni verè & ex animo nomen dare, dummodò liberarentur ab eo Templariorum tributo, sed à Templariis rem disturbatam ingenti Christianitatis damno, ac penè subversione regni Ierosolymitani. Hæc Tyrius: ex quo, vel post quem alij [c], nonnulla etiam addentes, vel immutantes.

[b] *Tyr. Orient. Hist. lib. 20. cap. 31. 32.* [c] *Vitriac. Hist. Orient. lib. 1. cap. 14. Nang. in Vit. S. Lud. an. 1236. & in Chron. Brocard. in descript. Ter. 5. c. 11. §. 8. Sanut. Hist. Orient. lib. 3. par. 6. cap. 23. Ant. par. 2. tit. 17. cap. 9. §. 7. Æmil. Hist. Franc. lib. 5. in Ludov. VII. & alij. Agit etiã de iisd. Vincent. lib. 30. c. 93. & lib. 31. c. 66. sed ex alia narratione, ut profitetur. Itémque Hayth. c. 24. & M. Paulus lib. 1. cap. 28. nonnihil diversè, &c. Meminit & ex Græcis Nicetas lib. 2. de Isaac. Ang. & lib. 3. de Alex. Ang. sed* Chasios *vocans: Sicuti & ex nostris Ionvill. in Vit. S. Ludov. cap. 56.* Beduinos, *diversam eis à cæteris Sarac. legem tribuens.*

V.

Inter quos, qui proximè eum secutus est, quem nuper diximus, Iacobus de Vitriaco,

ALIA DE IIS NARRATIO.

statum Assassinorum paulò uberiùs tractans, habet eos scopulis & montibus undique circumclusos extitisse, vallibus omnium frugum ac fructuum fertilitate & amœnitate præstantibus: venisse autem olim ex partibus Persidis: pueros selectos locis secretis ac deliciosis enutrisse, & diversis idiomatum generibus diligenter imbuisse; quos postea Senex in varias provincias cum cultellis mitteret ad quoscumque magnates occidendos (in inferioris enim conditionis homines machinari dedignabantur) tam è Saracenis quàm Christianis, quos vel ipse Senex odio prosequeretur, vel precibus aut pretio inductus ab aliis fuisset e medio sustollere; persuasis omninò pueris; ex mandatorum hujusmodi executione paradisum se consecuturos, quo longè majoribus deliciis quàm quibus enutriti fuissent perenniter fruituri essent, quos verò in iis mori contigisset, eos ut martyres summâ reverentiâ coli, eorúmque parentes ac propinquos muneribus ditari consuevisse: Tanto autem potentibus, quibus Senex adversaretur, terrori extitisse, ut vel pretio magno ab eo se redimerent, vel catervâ satellitum, cum mortis nihilominùs continuâ suspicione, munire sese haberent.

VI. ALIA DE IISDEM.

Agit rursùm de iis idem Iacobus alio loco [d]; sed in nonnullis paulò aliter; & ut profitetur ex relatione factâ Innocentio PP. Tertio de rebus Syriacis: vel etiam, ut videtur, ex narratione Gerardi Vicedomini Argentinensis, qui missus à Friderico Primo Imp. in Ægyptum anno Domini millesimo centesimo septuagesimo quinto ad salutandum Babyloniæ Sultanum, quæ vidit totâ peregrinatione memoriæ mandavit; & Arnoldus Abbas Lubecensis Historiæ suæ Slavorum [e], quam sub Othone Quarto Friderici II. decessore scribere desiit, verbatim inseruit. Quâ cùm non negemus videri quædam fabulosa de rebus Assasinorum, (sicut & idem alibi Arnoldus [f] fatetur; & ferè accidere consuevit omnibus rerum insolitarum narrationibus, quæ solo auditu percipiuntur:) quòd tamen asseratur, eos vulgari ipsorum linguâ *Heissessim* vocari, (*Heresim* corrupte legitur apud Vitriacum.) frustrà video inquiri, cur nobis *Assasini* (quæ penè eadem vox est) dicantur; cùm potiùs quærendum fuerit, unde primò ipsi ejusmodi nuncupationem nacti sint. Conjectarunt alicui [g] venisse ex *Essenis* Iudæis, qui eâdem fere regione vixerunt olim; de quorum victu mira Philo [h], Iosephus [i], Plinius [k]. Sed communior sententia, processisse è Perside: éstque apud Ammianum [l], describentem expeditionem Persicam Iuliani Aug. mentio Malechi Podosacis *Philarchi Saracenorum Assanitarum, famosi nominis latronis*, qui omni sævitiâ per limites Romanorum diù grassatus, insidias tetendit Hormildæ. Vt jam videamur & ortum & artem, penè & nomen tenere nostrorum Assasinorum. Qui verò *Arsacidas* nominare malunt, (ut sunt multi) habent apud eumdem Ammianum [m], & alios [n], post Persarum Monarchiæ ab Alexandro dissipationem, auctorem Regni Persidis sive Parthici, quod posteà Romani Imperij vires diutissimè fatigavit, *Arsacem* obscurè genitum, *latronū inter adolescentiæ rudimenta ductorem*; è quo deinde omnes Parthorum Reges *Arsaces* & *Arsacidæ* dicti. Sunt & qui ab *Assacenis* sive *Assacanis* Indiæ populis, qui olim Assyriis, deinde & Persis paruerunt, quorumq; meminêre Arrianus [o], Strabo [p], Stephanus [q], & alij, ob proximitatem nominis derivent. Verùm ut in nominibus ludere permittamus quosque, cùm rem modò teneamus, nobis jam dicere sufficiat, à prædictis Assasinorum sicariis venisse, ut omnes posteà sicarij *Assasini* dicti fuerint. Quorum tam frequens extitit etiam inter Christianos ejus temporis usus, ut de iis tractandum fuerit in Concilio Lugdunensi [r] sub Innocentio IV. quo tam ipsi quam eorum fautores atque receptatores excommunicationi & depositioni subjecti sunt.

VNDE NOMEN ACCEPERINT.

[d] Vitr. lib. 3. post pr.
[e] Arnold. lib. 7. c. 10.
[f] Id. lib. 3. cap. 37.
[g] Ap. Vitr. lib. cap. 81. Æmil. ibid.
[h] Phil. tract. omnes stud. lib. ess. & de Vit. contempl.
[i] Ios. lib. 2. de bel.
[k] Plin. lib. 5. cap. 17.
[l] Ammian. lib. 24. c. 5.
[m] Am. lib. 3. cap. 16.
[n] Iustin. lib. 41. Strab. lib. 11.
[o] Arrian. lib. 4. & 5. de expedit. Alex. & lib. de Reb. Indic.
[p] Strab. lib. 15.
[q] Steph. de urbib.
[r] Cap. 1. de homicid. in 6.

VII. ANGLORUM INSULTUS IN ROM. CLERICOS.

Hoc anno in Angliâ commissum est à nonnullis conjuratis tam clericis quàm laïcis indignum facinus contra Romanos clericos, qui beneficia Ecclesiastica aliáve bona eo regno possidebant: ut scilicet prætextu gravaminum ab iis obvenientium universo regno & Ecclesiæ Angliæ, adulterinarum auctoritate literarum regiarum, omnes ipsorum redditus ac proventus occupari mandârint, ac distrahi ab hominibus armatis & personatis: præter injurias Romanis clericis qui aderant illatas, in quos violentas manus injecerunt; & minas incendij bonorum intentatas quibuscumque Anglis, hujusmodi violentiis adversari & repugnare audentibus. Quæ cùm innotuissent primò Episcopo Londoniensi, deinde etiam Gregorio summo Pontifici, Episcopus quidem convocatis aliis decem Episcopis prædones istos anathemate percussit: Pontifex autem literis Regem arguens, quòd talia scelera fieri permitteret, pœna excommunicationis in ejus personam, & interdicti in regnum, omninò jussit eorum auctores inquirere ac severè punire: paritérque Episcopis præcepit eos tamdiù denunciare excommunicatos, quousque Romam accederent absolvendi. Quod tam Rex quàm Episcopi præstiterunt; multis à Rege carceri mancipatis, ac præcipuo auctore Romam transmisso. Quæ ut se habuerint, narrat pluribus Parisius hoc anno & sequenti.

VIII. CONCILIA PLURA IN CAUSA EPISCOPI ET ECCLESIÆ BELVACENSIS.

Hoc verò celebratum est *Concilium* Provinciæ Remensis apud *S. Quintinum* Veromanduæ ab *Henrico de Brennâ* Archiepiscopo, in causâ Episcopi Belvacensis, cujus jura Rex Ludovicus, seu ejus ministri usurpaverant, & damna non pauca tam ipsi quàm incolis Belvacensibus intulerant. Pro quo Patres Concilij nonnullos Episcopos ad Regem destinârunt, rogatum ut Episcopum in integrum restitueret. Qui rursùm anno sequenti *Lauduni* convenientes sub eodem Henrico metropolitano, eâdem de re legârunt ad Regem Gothofridum Episcopum Laudunensem, alterum Gothofridum Cameracensem, & Azonem Atrebatensem. Cúmque nihil obtinuissent, decreto inter Episcopos in Synodo facto de interdicto ponendo in singulis diœcesibus, ita ut cessaretur ubique à divinis, recusârunt illud admittere nonnulla Capitula cathedralia; qua de re iis gratias egit Lux Ludovicus anno 1233. cùm nihil se in his egisse diceret quod Episcopos potuisset inducere ad ejusmodi interdictum. Ipsi verò interim Episcopi rursùs apud *S. Quintinum* collecti eodem anno 1233. sabbato post Nativitatem B. Mariæ, promiserunt inter se, & sese (ut loquuntur Acta) obli-

gaverunt pro honore Dei & Ecclesiarum libertatibus conservandis, ad hoc quòd irent omnes Romam in propriis personis, si Archiepiscopo videretur expedire, vel illi quos ad hoc eligeret, vel ipsemet Archiepiscopus si Episcopis expediens videretur; & qui irent, expensas facerent de communi omnium. Dein iterùm apud idem oppidum *S. Quintini* congregati anno 1235. mense Iulij, contestantes lædi graviter Ecclesiæ libertates in relegatione Thomæ de Bellomanso canonici Remensis, in obsignatione bonorum Capituli Suessionensis, & in eo quòd Rex prohibuisset Episcopo Suessionensi ne benedictione in eâ Ecclesiâ uteretur, nisi priùs acceptis ab eâ regalibus; necnon in eo quòd vellet ut personæ Ecclesiasticæ probarent per duellum in curiâ sæculari homines de corpore suo esse; & aliis pluribus hujusmodi concernentibus jura Ecclesiæ & Archiepiscopi Remensis: Demùm omnium tam Episcoporum quàm capitulorum consensu, decreverunt omnes illos unà cùm Archiepiscopo conventuros Regem ad supplicandum ex parte Concilij super iis. Quod & factum est in Octavis B. Mariæ Magdalenæ apud Meledunum. Super quibus Rex Respondit se habiturum consilium: tempúsque audiendi illud assignavit quindenum diem Assumptionis B. Mariæ. Cùm verò nihil ageretur, Sabbato ante Nativitatem B. Mariæ, præsentibus Archiepiscopo Remensi, Episcopis Suessionensi, Laudunensi, Catalaunensi, Noviomensi, Tornacensi, Silvanectensi, & procuratoribus Ambianensis, Atrebatensis, & Morinensis, necnon præsentibus procuratoribus omnium Capitulorum Remensis provinciæ; absente Episcopo Belvacensi, qui ad Romanam Curiam profectus erat; & Cameracensi qui ad Imperatorem ierat: fuit Rex monitus apud S. Dionysium de negotio Remensis Ecclesiæ & Archiepiscopi, ac de relegatione Thomæ de Bellomanso. Quæ fuit secunda monitio. Denique convenientes rursùm Episcopi apud *Compendium* decreverunt Regem Tertiò monere per tres Abbates, S. Crispini Suessionibus, S. Dionysij Remensis, & de Essone Suessionensis, ita ut nisi Rex dictis monitionibus pareret, ad pœnam procederetur contra eum. Quod ipsi fecerunt apud Vicennas contra Parisios feriâ secundâ post exaltationem S. Crucis dicti anni 1235. Rebus verò ex parte Regis eodem statu permanentibus, habitô omnium Episcoporum & Capitulorum *Concilio* apud *Silvanectum* feriâ quartâ post festum B. Martini, consultantes de pœnâ quâ in Regem non satisfacientem agendum esset; cùm Laudunensis, Noviomensis, Ambianensis, Atrebatensis, & Silvanectensis Episcopi, unà cum procuratoribus Capitulorum illarum Ecclesiarum respondissent, pœnam fore competentem si in cathedralibus Ecclesiis & capellis Episcoporum submissâ voce celebraretur: Archiepiscopus unà cùm Episcopis Suessionensi, Catalaunensi, Cameracensi, & Morinensi, (Belvacensis absens erat in Curiâ Romanâ, sed Capitulum illius Ecclesiæ consensit cum Archiepiscopo) attendentes quòd alij Episcopi non faciebant quod promiserant & debebant, statuerunt pœnam interdicti in totum dominium Regis situm in provinciâ Remensi: ita tamen quòd exhiberetur ibi viaticum & baptisma. Et excommunicârunt omnes Episcopos, qui pœnam hanc non observarent, & in suis quibusque diœcesibus non publicarent, & servari facerent.

IX. QUID INDE FACTUM.

Hæc ibi tunc statuta; quæ propriis Actorum verbis retulimus, quid verò porrò secutum fuerit, haud nobis compertum: nec quid ampliùs reperimus in Schedis R. P. Sirmondi de rebus Conciliaribus Gallicis, quas nobis pro suâ humanitate communicavit, decerptis illis ex Chartulario Archiepiscopatus Remensis. In quibus & valdè mirati sumus ferventem constantiam Episcoporum illorum in conservatione jurium Ecclesiarum suarum, & patientiam Regis in audiendis æquanimiter adeò frequentibus eorum querelis: sed & maximè, quòd piissimus Rex (fuit enim iste Ludovicus, qui virtutum ergô inter Sanctos colitur) ita potuerit à suis ministris persuaderi, (qui nusquam ferè non cessârunt, malo omnibus Regnis atque provinciis communi & inveterato, felicitati Ecclesiæ invidere, eámque omnibus immunitatibus & gratiis ac privilegiis tam à Deo ipso Opt. Max. quàm à Regibus & Principibus Christianis ei collatis spoliare ad nudum:) ut tot annis sustinuerit hanc actionem. Quin enim demùm satisfecerit Episcopis, jura sibi debita servando, & illorum restituendo, (sic enim feliciter adimpletur ad omnium satisfactionem & salutem præceptum Domini, ut reddantur Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei) nihil dubitamus; non solùm quòd nullæ ampliùs reperiantur dictorum Episcoporum adversùs Regem querimoniæ; verùm econtrà quòd ex eodem Cartulario habeamus anno 1239. die Lunæ ante festum S. Andreæ Apostoli celebrato alio Concilio dictæ provinciæ Remensis apud *S. Quintinum*, adversus quosdam nobiles qui prædictum Thomam de Bellomanso tunc Præpositum Ecclesiæ Remensis captum violenter carceri mancipaverant; eos Concilium de ejus restitutione & satisfactione moneri statuisse, pœnâ excommunicationis propositâ & interdicti in terras eorum: necnon si obstinati permanerent, invocari auxilium dominorum sæcularium à quibus dicti nobiles temporalia tenerent: Et si isti eos ad satisfactionem cogere postponerent, pariter excommunicari: & ad eorum malitiam compescendam, supplicationem fieri summo & supremo sæculari domino, Regi videlicèt: ad quem non recurrerent, nisi de præcedentibus ab eo ipsis satisfactum fuisset.

X. S. ANTONII DE PADUA OBITUS.

Hoc præsenti anno illustratus valdè est Ordo Minorum felici transitu *Antonij* Vlyssiponensis, eximij illius professoris, cujus primordia suo [s] loco attigimus; vitam mirabilem, signa & prodigia ab eo edita, fructus ex ejus doctrinâ & prædicationibus collectos, sacras peregrinationes, aliáque insignia ab eo præstita, videre est in ejus Vitæ [t] historiâ: quem & Gregorius Papa aliquando concionantem audiens, *Arcam testamenti, & sacrarum Scripturarum armarium* nuncupavit. Obiit autem Idibus Iunij Patavij; unde & *Patavini, sive de Padua* cognomen sortitus est. Quem ob numerosa miracula; quæ quotidie ad sanctum ejus corpus fiebant, idem Gregorius mox anno sequenti in Sanctorum numerum retulit [u].

[s] *An.* 1220. *V.*

[t] *Ap. Sur.* 13. *Iun. Vincent. lib.* 30. *c.* 131. *Anton. tit.* 24. *cap.* 1. *Vvaddingh. Annal. Minor. to* 1.

[u] *Bullar. to.* 1. *Greg. Const.* 4.

XI. ITEMQUE S. ELISABETHÆ LANTGRAVIÆ.

Mortua est item hoc anno, die decima nonâ Novembris, Marpurgi *Elisabetha* Hungarica, sive Lantgravia, ejusdem Ordinis Tertiaria, mirifica femina de quâ superius [x]; & post quatuor annos Sanctorum [y] catalogo adscripta: tantóque concursu sacrum ejus corpus anno inde sequenti elevatum, & aureæ thecæ inclusum, præsente Imperatore Friderico & quamplurimis Principibus Ecclesiasticis ac sæcularibus, ut ad duodecies centena hominum millia convenisse tradantur [z]. Ex cujus ossibus sacer olei liquor liberaliter cum gratissimâ odoris fragrantiâ promanavit, testis ejus castimoniæ, sanctitatis, & in pauperes benignitatis. Extat [a] ejus Vita à Iacobo Montano scripta: sed gravior & prolixior illa, quam octo libris compositam à Theodorico Turingo Ordinis Prædicatorum primus edidit Canisius [b]. Fuit ei famula sancta virgo *Iutta*, Germanis [c] Scriptoribus prædicata, virtutum atque operum dominæ suæ, quinimmò & miraculorum imitatrix egregia: quæ post viginti fermè abhinc annos diem obiit. Distinguenda ea tamen ab aliâ ejusdem nominis & temporis nobili feminâ Prutenâ; quæ ab ineunte ætate pietatis operibus exercita, & invita à parentibus in matrimonium collocata, post viri obitum sub Regulâ Tertij Ordinis S. Augustini vitam sanctissimam peregit, miraculis ante & post mortem clarissima.

x An. 1226. X.
y Bullar. Greg. const.
z Colon. in Annal. Stad. in Chron. Trith. in Chron. Hirsaug. & Spoheim. ann. 1236. & alij.
a Ap. Sur. vet. edit. & ap. Sedul.
b Ant. Lect. tom. 5. estque item ap. Sur. poster. edit. 19. Novemb.
c Trith. in utroq; Chron.

SS. IUTTÆ.

XII.

Ponitur etiam ab Onuphrio præsenti anno [d] Ordo sive Congregatio *Canonicorum Regularium sancti Marci Mantuæ*. Quod quidem de confirmatione eorum Regulæ, jam antè ab Innocentio Tertio, & Honorio Tertio approbatæ, accipiendum esse, intelligitur ex antiquis illius Congregationis monumentis. In quibus etiam habetur, eos *Sancti Marci* dictos esse, non solum ab Ecclesiâ illius sancti Evangelistæ, in quâ primùm instituti sunt, verùm etiam quòd originem duxerint ab eodem Sancto, qui primarius fuerit Canonicorum auctor.

d Onuphr. in Chron. Eccles.

ORDO CANON. REGUL. S. MARCI.

e Ap. Maurol. in Mar. Ocea. omn. Relig. c. 4.

XIII. ORDIN. SILVESTRIN. INSTITUTIO.

Eodémque anno institutum fuisse in Eremo S. Benedicti de Montefano diœcesis Camerinensis, non longè à Fabriano Piceni oppido, alium Ordinem, sive Congregationem SILVESTRINORUM, à *B. Silvestro Guzolino* Auximate; vitæ integritate & miraculorum operatione insigni sub Regulâ S. Benedicti; (qui è Canonico Ecclesiæ suæ civitatis factus eremita, famâ suæ sanctitatis multos discipulos ad se allexit:) tradit in ejus Vitâ [f] Andreas Iacobi posteà ejusdem Ordinis Abbas Generalis: cui haud dubium major fides habenda, quàm aliis qui tardiorem ejus institutionem ponunt. Ipsa verò Congregatio confirmata reperitur [g] ab Innocentio Papâ Quarto Lugduni 5. Cal. Iul. anno Domini 1247. ipsius Pontificatûs quinto: & Silvester mortuus nonagenarius anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, ab inchoato Ordine trigesimo septimo, à confirmato fermè vigesimo. Quem in multa monasteria dilatatum, S. Antoninus [h] suo tempore penè extinctum fuisse ex defectu Fratrum ait. Sed posteà restitutus est à Sixto Quinto.

f Ap. Sur. poster. edit. 26. Nov.
g Bullar. to. 1. Innoc. IV. const. 5. ex Reg. Vatic.
h Ant. tit. 15. cap. ult. §. 2.

IESU CHRISTI Annus 1232.
GREGOR. IX. An. 6.
FRIDERICI II. Ann. 13.
BALDUINI II. An. 4.

1.

ANNO Christi millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Indictione quintâ, quinque fratres Minoritæ Ordinis S. Francisci, post multa à barbaris in Oriente tolerata mala, Nicæam Bithyniæ pervenientes, ubi Græcorum Patriarcham post amissam Constantinopolim sedem collocâsse vidimus; benignè excepti à Germano Patriarchâ, occasione arreptâ egerunt cum eo de unione Ecclesiæ Græcæ cum Romanâ adeò efficaciter, ut etiam impulerint literas per ipsos, & nuncium specialem à se missum, scribere ad Gregorium Papam: quibus imprimis agnoscens primatum Romanæ Ecclesiæ, & quorum culpa, Græcorum an Latinorum, ortum esset schisma, vel apud quos veritas fidei resideret, affirmare nolens, maximoperè hortatus est ad harum rerum utrimque inquisitionem; nullíque se parsurum labori, nec fatiscentem causaturum ætatem, aut viæ longitudinem, quominùs hæc unio optatum consequeretur effectum. Scribénsque pariter ad Cardinales, eadem inculcavit, sed nonnihil acerbiùs; jactans in fine multitudinem populorum qui fidem Ecclesiæ Græcæ sectabantur in Oriente. Vtramque epistolam descripsit Parisius [a]: sed malè collocans anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo; cùm responsio Gregorij Papæ data reperiatur Reate septimo Calendas Augusti, anno ipsius Pontificatûs sexto; nimirùm præsenti. Et non solum ignarus ipse omnis historiæ antiquæ, existimavit hoc tantùm tempore cœpisse Schisma Ecclesiæ Græcæ; verùm etiam ut perpetuus est suâ farragine in arguendâ avaritiâ, & exaggerandis expilationibus Pontificum & Cleri Romani, non abs re existimatur utramque epistolam iisdem querimoniis vitiâsse, Germanum inducens tam Pontifici quàm Cardinalibus exprobrantem, non aliunde ortum esse schisma, quàm ex injustis eorum oppressionibus & protervis exactionibus; & quòd electus nescio quis Archiepiscopus Græcorum non potuisset Romæ a Greгrio Papâ confirmationem obtinere, nisi infiniti auri pollicitatione. Quæ putida esse vel ejusdem ipsius, vel eorum qui eum ediderunt additamenta, de epistolâ ad Pontificem dilucidè ostendit Waddingus in Annalibus Minorum, ex collatione factâ cum antiquiori exemplari codicis Vaticani: cùm quæ ad Cardinales est, desit eo codice. Est autem inscriptio Epistolarum; ad Pontificem quidem, *Sanctissimo & excellentissimo Papæ veteris Romæ, & Apostolicæ Sedis Rectori, Germanus miseratione divinâ Archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ*: Ad Cardinales autem, *Germanus miseratione divinâ Archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ, sanctissimis & discretissimis & egregiis Cardinalibus & Apostolicæ Sedis decori.*

PATR. CŌSTANTINOP. GRÆCUS AGIT CŪ GREG. PP. DE UNIONE ECCLES.

a Paris. in Henr. III.

PARISII HISTORICI CORRUPTELÆ.

II.

Quid autem Cardinales Germano rescripserint, vel utrùm omninò rescripserint, non

reperimus. Quinimmò non rescripsisse separatim existimamus : quoniam quæ Gregorij est per duos ex dictis Minoribus reddita ad Germanum epistola [b], communis est responsio ad utramque illius. Estque ejus titulus, *Venerabili fratri Archiepiscopo Græcorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.* Non enim Patriarcham, aut Archiepiscopum Constantinopolitanum agnoscere volebat, quòd sederet ibi orthodoxus Patriarcha Latinus. Spondens autem primò missurum se ad eum viros religiosos vitæ laudabilis & probatæ scientiæ, qui verba vitæ deferrent, & suam ac fratrum suorum Cardinalium voluntatem exponerent; intereà firmavit Petri Apostoli ejúsque Sedis Primatum, quem Germanus comparatione Pauli, & perstrictione negationis Petri, scribens ad Cardinales vellicare visus fuerat : deinde quis Ecclesiam scidisset, vel inde intelligi posse significavit, quòd postquàm Græcorum Ecclesia à Romanæ Sedis unitate recessisset, statim privilegio caruisset Ecclesiasticæ libertatis, & quæ fuerat libera, facta esset sæcularis potestatis ancilla: ut justo Dei judicio quæ nollet divinum recognoscere in Petro Primatum, toleraret in vita sæculare dominium; sub quo paulatim decidens, fidémque informem profitens, & à fraternâ charitate tepescens, sine alicujus reprehensione licentiùs discurrere cœpisset : ac demùm gravi oratione hortatus est ad gremium matris Ecclesiæ reverti. Quosnam verò post hæc miserit, quidque ij præstiterint, dicetur anno sequenti.

[b] *Ext. ap. Paris. ibid. Edidit etiam Voss. ex cod. Vat. & notis illustravit : éstque insuper in Append. Bullar. tom. 3.*

GREGORII PP. RESPONSIO AD PRÆD. PATRIARCHAM.

III. Intereà rebus Friderici Imp. in Syriâ & Cypro valdè periclitantibus, idem [c] promittens omnia Hospitalariis & Templariis restituere quæ abstulerat, egit cum Gregorio Pontifice, ut mandaret eorum Magistris rerum sacrarum patrocinium suscipere, & commotos populorum animos sedare. Quando & Pontifex, ut tum de statu rerum certior redderetur, tum de opportunis remediis conferret cum illarum partium peritis, Patriarcham Ierosolymitanum, qui Legatum etiam agebat Apostolicæ Sedis, cum aliquibus prudentioribus è Templariis & Hospitalariis ad se venire jubens, Patriarcham interim Antiochenum Ptolemaidem se conferre jussit, & ibi auctoritate Apostolicâ, ac prædictorum Magistrorum consilio & auxilio, reducendæ tranquillitati adlaborare, ut de his omnibus constat ex literis Pontificis hoc anno mense Iulij Spoleti & Reate ad prædictos datis, quæ habentur in ejus Epistolarum Regesto.

[c] *Bos. Hist. Hospital. lib. 17 in pr.*

GREGOR. PP. SOLICITUS DE REB. SYRIACIS.

IV. Cùm verò prætereà idem Fridericus Lombardos sibi adjungere magnoperè cupiens; potestatem [d] arbitrariam eidem Gregorio Pontifici permittere præ se tulisset, discordias inter ipsum & civitates fœderatas vertentes componendi; ac Pontifex semel ei reconciliatus, pacem imprimis & concordiam toto animo spectans, jam anno superiori duos Cardinales Legatos in Lombardiam decrevisset, Iacobum Episcopum Prænestinum, atque Othonem S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum, cum mandatis ut Civitates, quæ nuper fœdus inter se novo jurejurando adversus Fridericum sanxerant, quâcumque ratione possent ad concordiam cum eo redigerent: multis licèt ultrò citróque consiliis habitis, certæ etiam pacis conditiones conscriptæ fuissent; nihilominùs cùm Fridericus ex ejusdem Gregorij auctoritate conventum Civitatibus Ravennam [e] indixisset, atque eò Henricum etiam filium ac Principes suos ex Germaniâ evocâsset: etiamsi ad priorem [f] armorum eximendam suspicionem inermis, atque aulico tantùm comitatu stipatus accessisset; ac variis secum ad ludum & delectationem populorum generibus belluarum adductis rarò in Italiâ visis, elephanto, leonibus, leopardis, camelis, & avibus rapacibus, per multos dies mirificum omnibus spectaculum præbuisset : Lombardi tamen haudquaquàm simulatæ (ut interpretabantur,) Friderici comitati fidendum rati, non solùm Ravennam non adierunt, sed etiam, ut antè, Henricum ac Principes angustias Alpium penetrare prohibuerunt, & civitates Friderici studiosas armis aggredi cœperunt. Quod ubi Fridericus cognovit, Ravennâ Venetias profectus, inde navibus Aquileiam processit; atque ibi cum Henrico filio cæterísque Principibus omnes belli suscipiendi rationes explicuit : indéque Henrico in Germaniam remisso, paratis triremibus in Apuliam se recepit.

[d] *Sunt de his epist. Greg. in ejus Reg. an 5. & 6.*

FRIDER. IMPER. QUÆSITAM PACEM A CIVIT. LOMB. NON IMPETRAT.

[e] *Colon. & Stero in Annal. Cor. in Hist. Mediolan. Trith. in Chron. Hirsaug. Collenut. Hist. Neapol. lib. 4. Sigon. de Regn. Ital. lib. 17.*
[f] *Supr. an. 1226. I.*

V. Acceptis autem ibi nunciis dilectorum suorum Sultani Babyloniæ, & Senis de Montanis, Pascha Saracenorum die Mariæ Magdalenæ solemni convivio celebravit, assidentibus unà cum iisdem nunciis, multis Episcopis ac nobilibus Teutonicis. Cui Sultanus egregium munus misit, Tentorium mirâ arte ita constructum, ut Sol & Luna in eo facti cursum suum certis & debitis spatiis observarent, & Horæ tam noctis quàm diei citra errorem indicarentur. Tradit hæc Coloniensis; ac tentorij donum refert etiam Trithemius. Sed & hoc eodem anno Saracenos, quos idem Fridericus Luceriam Apuliæ è Siciliâ transtulerat, inter alias grassationes quibus eo connivente totam regionem vexare consueverant, etiam Ecclesiam quamdam diruisse, lapidésque & ligna pro suis ædificiis maximo Christianæ religionis opprobrio abstulisse; constat ex literis Gregorij Papæ tertio Nonas Decembris Anagniâ ad eum datis, cum interminatione ultionis divinæ, nî his remedium afferri curaret. Rebellavit [g] & Messana civitas in Siciliâ, eidem Imperatori : qui eam paulò pòst in potestatem suam redigens, omnes rebellionis complices igne cremavit.

FRIDER. MUNERA ACCIPIT A SULTANO, FAVETQUE SARACENIS.

[g] *Colon. Trith. alii.*

VI. Hoc eodem anno, cùm Raimundus Comes Tolosanus tepidiorem se ac remissiorem in observatione eorum quæ Regi ac Romano Cardinali Legato Parisiis promiserat [h] pro extirpatione hæresis in suâ ditione, exhiberet: *Gualterus* Episcopus Tornacensis, vir insignis virtutis & prudentiæ, (cujus cum laude meminit Cantipratanus [i]) quem Papa Gregorius post discessum prædicti Romani, petentibus Episcopis Galliæ Narbonensis, Legatum miserat ad negotium fidei perficiendum; unà cum Archiepiscopo Narbonensi & aliis Episcopis, apud Tolosam vocavit ad se, auctoritate etiam Regis Francorum, eumdem Comitem : qui post aliquem de iis rebus tractatum, spopondit cuncta omissa & commissa emendaturum se arbitrio Raimundi Episcopi Tolosani, (qui nuper ex Provinciali Ordinis Prædicatorum electus fuerat dignus successor

[h] *Supr. an. 1228. X.*
[i] *Cantipr. I. Ap. 15.*

COMES TOLOS. RURSÙM CONFIRMAT QUÆ PRIÙS PROMISERAT.

dignissimi decessoris Fulconis nuper demortui (& unius Militis quem Rex vellet ad hoc destinare. Quo factum est, ut confirmatis decretis [k] omnibus, quæ anteà per Legatos, ac Synodos super his celebratas, contra hæreticos & pro immunitate Ecclesiæ ac restitutione disciplinæ & morum tam Ecclesiasticorum quàm laicorum, aliisque rebus ad rectam Reipublicæ administrationem spectantibus constituta fuissent; idem ipse Comes oblata sibi condita recens ab iisdem Legato ab Antistitibus contra eosdem hæreticos, eorúmque fautores ac defensores, & pro immunitate ac conservatione personarum & bonorum Ecclesiasticorum ac Religiosorum, & reformatione malorum præteritorum, statuta; de consilio (ut ait) & assensu Episcoporum & aliorum Prælatorum, Comitum & Baronum, militum, & plurium aliorum virorum prudentium terræ suæ, ac sine præjudicio Regis Franciæ, (supremi scilicèt domini) & Ecclesiæ, (cujus erat statuta de hæreticis condere & confirmare) ac salvâ pace Parisiensi, promulgaverit, quæ ex antiquis membranis in lucem prodiderunt Massonus [l] & Catellus [m]; data illa ibidem Tolosæ 12. Cal. Martij anno Domini 1233. quorum etiam meminit Guillelmus de Podio Laurentij ejusdem Comitis Capellanus in suo Chronico [n], dum legationem prædicti Episcopi Tornacensis, & res illâ ab eo gestas tractat. Quem & ait post hæc *Synodum* BITERRIS celebrâsse: in quâ renovavit prædicta illa antiqua decreta, aliáque pro rerum necessitate addidit.

[k] Rec. Catell. in Hist. Com. Tolos. hoc an.

[l] Masson. Annal. Frãc. lib. 3. in S. Ludov.
[m] Catell. ibid. lib. 2.
[n] Pod. Laur. cap. 42.

VII. RUSSIS DATUR EPISCOPUS A GREG. PP.

Hoc item anno, cùm apud Russos sive Rutenos negotium fidei Catholicæ operâ Fratrum Prædicatorum felices progressus fecisset; Gregorius Pontifex, eis Antistitem vitæ sanctimoniâ & Ecclesiæ administrandæ peritiâ insignem præficere rogatus, *Gerardum* ejusdem Ordinis professorem, Provincialis Poloniæ officio nuper egregiè perfunctum, primum ei genti constituit Episcopum.

VIII.

Concessum verò à Friderico Imp. nobile ac prædives monasterium Laurissense Archiepiscopo Moguntino, eíque Ecclesiæ perpetuò unitum, (quâ de re sunt literæ Friderici, datæ Aquileiæ anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense Aprili, Indictione quintâ, Imperij duodecimo, regni Ierusalem septimo, & Siciliæ trigesimo quarto) idem Gregorius confirmavit: ac Siffridus Archiepiscopus Moguntinus ejectis inde monachis Benedictinis dyscolis, Cistercienses introduxit: sed illis à Benedictinis ægrè ejectionem ferentibus, semel iterúmque pulsis, demùm locus cessit Præmonstratensibus, quæ ut facta fuerint, diffusè tractat Trithemius [o], singula de his diplomata referens, dolénsque & ipse monasterium illud Ordini suo fuisse ereptum. Quò pertinere videtur, quod habet Parisius in Historiâ Anglicanâ; constitutos esse hoc ipso anno à Papa Gregorio per literas quas recitat, visitatores Episcopos & Abbates per universum orbem Christianum, in omnia loca monachorum, monialium, & canonicorum regularium, necnon sæcularium clericorum, ad reformandos mores, & disciplinam restaurandam: conquerens & ipse, Abbates Cistercienses & Præmonstratenses nimis rigidè in eâ visitatione processisse. Extátque [p] pariter Gregorij constitutio de reformatione monachorum Cluniacensium; data Anagniæ Idib. Ianuarij anno Pontificatus 6. cui posteà Nicolaus [q] IV. in multis moderationem attulit.

[o] Trithem. in Chron. Sponheim.

GREG. VISITATORES MITTIT AD REFORMANDOS MORES.

[p] Bullar. to. 1. Greg. const. 5.
[q] Ibid. Nicol. IV. const. 3.

IX.

Accidisse item hoc eodem anno, tradit auctor Historiæ [r] Lantgraviorum Turingiæ, ut cùm prædictus Siffridus Archiepiscopus Moguntinus, ob denegatam sibi ab Abbate Reinsbornense quamdam pecuniam, eum triduanis disciplinis in capitulo suscipiendis damnâsset; tertio demùm die casu eò adveniens *Conradus* Lantgravius, frater Ludovici de quo suprà [s], & Henrici posteà Imperatoris de quo infrà [t], audiénsque quid Abbati fieret; furore accensus extracto cultello in Archiepiscopum irruerit, & comâ capitis apprehensâ ipsum transfigere tentaverit, nî præpeditus fuisset. Qui cùm & inde recedens Fritslariam oppidum, in vindictam cujusdam muliebris irrisionis, crudeliter nimis ferro & igne destruxisset, nec Ecclesiis nec Ecclesiasticis parcens, atque etiam Episcopum Wormatiensem ac plures alios Prelatos cepisset: horum mox pœnitentiâ ductus, tum in prædicto oppido publicè coram omnibus prostratus veniam petiit, & illatis damnis satisfecit; tum religioso habitu indutus ordinem Teutonicum professus est; ac Romam posteà peregrinatus, Gregorióque Papæ peccata confessus, absolutionem adeptus est: factúsque inde Magister sui Ordinis post vitam egregiè piéque ductam, mortuus demùm est anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo. Hæc ille auctor. Nauclerus [u] verò ampliùs de Conrado habet, in ejus benedictione, (quando scilicèt religiosum Ordinem professus est) Spiritum Sanctum in igne super caput ejus apparuisse, & ex eo tantam consecutam esse gratiam, ut peccata hominum mortalia occulta cognosceret.

[r] Ext. tom. Rer. Germ. Pistor.

[s] An. 1227. V.
[t] An. 1246. IV.

CÕRADI LANTGRA. DELICTA, ET POENITENTIA.

[u] Naucler. Gener. 42. ad fi.

X. ORD. SERVOR. B.M. INSTITUTIO.

Hoc insuper anno ortum habuisse Florentiæ Ordinem SERVORUM B. MARIÆ, auctoribus septem viris nobilibus ac locupletibus, (quorum primus *Bonfilius de Monaldis*) cælesti vocatione, dum in die Assumptionis Beatissimæ Virginis preces & laudes ei in quâdam sodalitate persolverent, de hoc monitis; traditur in ejusdem Ordinis Annalibus Archangeli Gianni; quamvis nonnulli in alios annos referant. Hi autem in arduum proximum montem Sanarium secedentes, primâ ibi æde sacrâ statutâ, eâdem ipsâ Virgine monente nigrum habitum & Regulam S. Augustini ab Episcopo Florentino susceperunt: & primùm (ut tradunt) ab Innocentio Papâ Quarto verbo tenùs, posteà ab Alexandro Quarto ejúsque successoribus, scriptis diplomatibus approbati, ac diversis gratiis & privilegiis decorati & aucti, longè latéque propagari cœperunt: quos & posteà Martinus Quintus inter Mendicantes retulit.

XI.

In Angliâ Rex [x] Henricus pecuniis exhaustus, quas nullo operæ pretio in expeditione Gallicâ inaniter consumpserat, cùm necessitate compulsus auxilium à subditis imploraret, omnésque se excusarent; (qui tamen posteà tam Ecclesiastici quàm laïci quadragesimam partem rerum omnium suarum mobilium ac sese moventium, exceptis tamen bonis Ecclesia-

[x] Paris. in Henr. III.

REX ANGL. QUÆSTORES SUOS DE FRAUDE

CONVICTOS EXPILAT.

rum, ei concesserunt : (consilio Petri Episcopi Wintonensis, qui rebus tunc præerat, cœpit à ministris suis, qui rem quæstoriam administrabant, rationem gestionis exigere; & de fraude convictos ab officiis deponens, etiam cum usuris sublata restituere coëgit. Hubertúmque de Burgo Cantiæ Comitem & Magnum Angliæ Iustitiarium, cujus insigni fidei Rex multùm debuerant, cujúsque nutu & arbitrio tam Rex ipse quàm regnum universum multis annis pependerat, quamplurimis gravibus objectis criminibus tantâ contentione persequi cœpit, ut etiam fugientem ad Ecclesias vi extrahi jusserit, & Episcoporum censuris reduci coactum, obsideri, atque subtractione victûs sese dedere compulerit, thesauris ejus distractis. Qui diù in custodiâ detentus, denuóque cum Rege in gratiam reversus, ac rursùm calumniis oneratus, demùm post multiplices fortunæ varietates domi suæ obiit: Illustre præbens exemplum, nullis non regnis ac temporibus consuetissimum juxtà ac neglectissimum, quanto periculo, immò & pernicie, ambiantur, vel etiam admittantur singulares gratiæ ac favores Principum. Frequentissimum autem fuisse hunc ludum fortunæ sub hoc Rege in Angliâ, quòd levissimi atque inconstantissimi esset animi, ex ejusdem rebus à Parisio descriptis ubertim cognoscitur.

IESU CHRISTI Annus 1233.
GREGOR. IX. Ann. 7.
FRIDERICI II. Ann. 14.
BALDUINI II. An. 5.

I. GREG. PP. MITTIT FRATRES MINORES AD SARACENOS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo trigesimo tertio, Indictione sextâ, Gregorius Papa magnam pro suo munere curam gerens Saracenorum ad fidem Christi convertendorum, atque Græcorum ad unitatem Ecclesiæ reducendorum; operâ Fratrum Minorum ad hæc usus, imprimis ad Sultanum Damasci literas [a] per eos scripsit Anagniâ decimo-quinto Calendas Martij, anno Pontificatûs sexto nondum exacto: quibus gravissimè exponens Dei circa Ecclesiam suam & animarum salutem providentiam, missionémque ad hanc procurandam, primò Patriarcharum, deinde Prophetarum, demúmque proprij Filij, ejusque operis vicariorum Apostolorum; postremò hortatur ad eorum fidem amplectendam, & ut Fratres Minores ad hoc ad ipsum directos libenter suscipere & diligenter audire velit.

[a] *Rec. eas ex Reg. Greg. Vvaddingh. in Annal. Minor. hoc ann.*

II. Cùm verò alios ejusdem Ordinis Fratres mitteret etiam ad alios Saracenos ultra regiones Georgianorum, scripsit [b] pariter ad Regem Georgiæ Christianæ [c] legis cultorem, Româ tertio Idus Aprilis cœpto jam anno ejus septimo, ut quâ cœperat benevolentiâ ejus instituti Fratres recipere & fovere pergeret. Septimo verò Calendas Iunij Româ item ad *Baldaci* (Bagdet, vel Bagadet aliter dictæ urbis; seu Babylon illa fuerit [d] Chaldææ, ut plerique interpretantur, ad Euphratem sita; seu potiùs ut alij, Ctesiphon, vel Seleucia ad Tigrim, amplissimæ olim urbes non longè ab antiquâ Babylone) Calipham, (sive Imperatorem dixeris simul ac Pontificem : erat enim penes ipsos tam Imperij quàm Religionis summa potestas, voce significante successorem, seu vicarium, quâ successores se ac vicarios Mahometis sui Prophetæ esse declararent: & quamvis præter Baldacenses etiam Cairenses Ægypti, & aliorum regnorum Caliphæ memorentur; satis tamen constat Baldacenses auctoritate semper potentissimâ eminuisse, immò solos legitimos, reliquos veluti schismaticos habitos esse: fuiséque eis etiam in Sultanos, seu terrarum dominos, religionis causâ summam auctoritatem: licèt fuerit potestas eorum in rebus temporalibus multùm imminuta à Saladino :) nec non ad *Miramamolinum* (Miralmuminum dici debere volunt, hoc est credentium principem) dominantem in Africâ per alios Fratres ejusdem Ordinis literas dedit similes illis quas ad Sultanum scripsit. Aliásque ad eumdem Miramamolinum adjecit die sequenti; quibus ei commendans Agnellum Ordinis Minorum Christianorum Fecensium & Marrochitarum Episcopum, aliósque ejusdem Ordinis Fratres, quibus se benignum exhibere consuevisse audierat; (motus enim miraculis, quæ Deus post martyrium quinque Minorum quos ipse neci dederat [e], operari dignatus fuerat, publico edicto permiserat Christianos fidem suam palàm exercere, & Episcopum, modò è Minoribus esset, sibi habere :) postremo declaravit, si Christi hostis esse mallet quàm amicus nullatenus se passurum ut ei à Christi fidelibus serviretur.

[b] *Ext. litt. ibid.*
[c] *Vid. supr. ann. 1219. VI.*
[d] *Vid. Ortel. verb. Babylon.*

CALIPHA BALDACENSIS.

[e] *Supr. ann. 1220. VI.*

III. LEGANTUR PRÆDICAT. ET MINORES AD GRÆCOS PRO UNIONE ECCL.

Quod autem Græcos spectat; memor idem Gregorius promissi Germano eorum Patriarchæ facti de mittendis qui causam unionis Ecclesiæ seriò cum ipso tractarent, præstitit id hoc anno, electis ad tantum opus ex Fratribus Prædicatoribus Hugone & Petro, & ex Minoribus Aymone & Rodulpho; viris (ut ait) virtute ac religione conspicuis, morum honestate præclaris, & Scripturarum sacrarum scientiâ præditis. Per quos egregiam ad eum scripsit Epistolam decimoquinto Calendas Iunij, de duplici gladio Ecclesiæ, & utriusque usu spirituali & temporali; de unicâ agnoscendâ Ecclesiâ; déque Eucharistiæ usu in azymo & fermentato, diverso ritu à Latinis & Græcis frequentari solito : quæ extat Græcè & Latinè à Vossio ex Codice Vaticano edita [f].

[f] *Edid. etiam Vvaddingh. in Annal. Minor. hoc ann. eamdémque Latinè rec. Paris. an. 1237. extátque pariter in Append. Bullar. tom. 3.*

IV. Quid autem egerint Apocrisiarij isti, seu missi, plenè continetur ipsorum Relatione [g], quam post reditum suum tradidêre Pontifici. Cujus summa est; eos ineunte proximo anno, nimirùm Dominicâ primâ post octavam Epiphaniæ, pervenisse Nicæam Bithyniæ; (ubi celebrata olim nobilissima Concilia Oecumenica, Primum contra Arium, & Septimum contra Iconomachos, & ubi Patriarcham & Imperatorem Græcorum, post Constantinopolim à Latinis captam, sedem Patriarchatûs & Imperij constituisse vidimus) & tam à Germano Patriarchâ, quàm à Ioanne Imperat. magno honore susceptos; postquàm tractatum est de modo rem agendi ad quam venerant, déque causâ vel modo reces-

[g] *Ext. integra in Cod. Vatic. Centij Camer. ex quo Vvadd. in compendium redegit, vidimusq; pariter in eod. Bibl. Fux. Tolos. not. Chron. Pap. & Imp.*

Quid cum iis egerint in Bithinia.

sûs Græcorum ab Ecclesia Romanâ tandem convenisse ut conferrent de duobus præcipuis separationis prætextibus, videlicèt Processione Spiritûs Sancti à Filio, & consecratione Eucharistiæ in azymis: habitâque per multos dies collatione in Palatio Imperatoris, cùm Patriarcha suos causâ cadere videret, post multas tergiversationes & subterfugia ultimum excogitâsse suæ pressuræ remedium, non ad se solum spectare quæstiones istas dirimere, aut unionem perficere; sed vocandos etiam Patriarchas Ierosolymitanum, Antiochenum, Alexandrinum, (ejusdem ritûs & schismatis socios) cum quibus celebrandum foret Concilium mense Martio, cui & Apocrisiarij Pontificij interessent: Apocrisiarios autem dato responso, neque se ad Concilium, neque ad alios Patriarchas missos esse, haud tamen obstare quin ipsi Græci Concilium celebrarent, séque interim Constantinopoli opperituros ejus exitum & determinationem, eò se recepisse. Verùm rogatos sæpiùs per literas & nuncios Patriarchæ & Imperatoris ad Concilium accedere, demùm iis acquiescentes accessisse ad locum *Concilio* destinatum, videlicèt *Nymphæam* ejusdem Bithyniæ oppidum ad Pontum Euxinum: Ibique post Pascha convenientibus Patriarchis Constantinopolitano & Antiocheno cum multis aliis Antistitibus Græcis, post multas disceptationes convenisse, ut Græci fidem suam de consecrationis materiâ, Apocrisiarij etiam suam de processione Spiritûs Sancti scriberent, & scriptas invicem traderent: eóque facto, postquàm frustrà de his disputatum esset, Imperatorem valdè unionis studiosum, seorsùm Apocrisiariis persuadere tentâsse, concordiam iniri posse, si Latini suam de processione Spiritûs Sancti à Filio sententiam missam facerent, & Græci approbarent consecrationem Latinorum in azymis; sed negantibus illis, quicquam de processione à filio tolli posse, & asserentibus nequaquàm propter usum fermentati Græcos à Latinis rejici; colloquio denuò cum Synodo, præsente universâ plebe habita, excitato tumultu rem eò asperitatis utrinque processisse, ut sibi invicem anathema dixerint: Apocrisiarios autem sibi timentes, dolente maximè Imperatore rem infectam manere, impetratâ ab eo facultate abeundi, sese itineri commisisse: sed nuncios Synodi eos insecutos minis & vi abstulisse scriptum de fermentato quod Græci dederant; dedisse verò professionem fidei Patriarcharum & Synodi de processione Spiritûs Sancti ex solo Patre, deferendam ad Gregorium Papam: quæ extat [h] valdè prolixa; ut vix alibi eam quæstionem à Græcis adeò diffusè tractatam reperire sit.

Concilium de re habitum.

Dissolvitur re infecta.

[h] Vbi supr. Sing.

V.

Hicque demùm fuit exitus tantæ expectationis quam præcipuè ab Antiocheno interturbatam fuisse, intelligitur ex literis Ioannis Cardinalis Columnensis ad Othonem S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem tunc Legatum in Angliâ scriptis post Apocrisiariorum reditum, quas recitat Parisius [i]: & inanem fastum prædicti Græculi Antiocheni eousque processisse tradit, ut non solùm Romano Pontifici sese præferre, quòd ibi priùs sederit Petrus quàm Romæ, verùm etiam excommunicationis sententiam in eum proferre præsumpserit. Sed vani hujusmodi decessorum ejus conatus, & futiles objectiones jam aliàs retusæ, & in capita eorum retrusæ. Hoc verò tempore putamus accidisse, quod Nicephorus Gregoras [k] sub Michaële Palæologo memorat; cùm res unionis Ecclesiarum tractaretur sub isto Ioanne Imperatore, doctum virum *Nicephorum Blemmydam*, divinarum literarum peritissimum, multa è sacrâ Scripturâ testimonia pro confirmatione dogmatum Latinorum collegisse, (clàm tamen, infamiæ metu & Imperatori tradidisse.

[i] Paris. ann. 1237. 1238.

Antioch. Patriar. Græci fastus.

[k] Greg. lib. 5.

VI.

Felicior in Italiâ pacis per earumdem Religionum Fratres procurandæ, Gregorij Papæ solicitudo. Quam enim tot Cardinalium auctoritate haud præstare potuerat, sibi procurandam statuens per Fratres Prædicatores & Minores, illâ maximè tempestate doctrinâ, pietate, atque integritate præstantes; præcipuè *Ioannem* [l] *Vicetinum* Ordinis Prædicatorum, quòd summam ejus eloquentiam, atque incredibilem apud populos auctoritatem, mirâ doctrinâ & sanctitatis specie, necnon miraculorum editione conciliatam, accepisset; (Bononiæ namque urbanis, agrestibus, artificibus, militibus, magistratibus, clero, ipsóque Episcopo, in ejus unius arbitrio sese profitentibus, nulla lis fuerat quam non facilè diremisset nulla discordia quam non sedâsset:) Legatum destinavit: qui Lombardos & Marchianos circumiens & in unum convocans, ingenti ubique & ab omni hominum genere honore susceptus, orationibus suis pacis bona, belli detrimenta, & divina mandata complectens, facilè omnes ad concordiam ineundam adduxit. Tantâ denique fuit apud omnes æstimatione, ut etiam à Veronensibus Dux ac Prætor civitatis acclamatus fuerit, quem cùm ille honorem iniisset, tantùm sexaginta homines hæreseos convictos cremavit.

Ioannis Vicet. Dominicani gratia, in pace conciliandâ.

[l] Sigon. de Regn. Ital. lib. 17.

VII.

Nec tamen solus ipse hoc tempore sacro hoc concionandi ac pacificandi munere floruit; sed multi etiam alij ex iisdem familiis Sanctorum Dominici & Francisci in aliis civitatibus; qui populorum dissensiones, inaudita factionum certamina, corruptam in omni genere veterem Christiani nominis disciplinam; irámque propterea divinam, per terræmotus, pestilentiam, penuriam, diluvia, frigora, qualia nullâ umquam ætate graviora Lombardia senserat, ostensam, singulari dicendi gravitate ac copiâ identidem intonantes, adeò populos converterunt ad vota suppliciter facienda pro divini numinis irâ placandâ, ut etiam tacitâ quâdam religione plurimi perfusi in urbibus, castris, agrísque, omnium ætatum, sexuum, ordinúmque homines, laudes divinas per vias incedentes canere audirentur, cruces & vexilla præferentes, ac ramos & cereos accensos tenentes; ex eóque hic annus vulgò *Generalis devotionis annus* sit appellatus: atque ab hoc initio cùm plurimæ sacræ laicorum Sodalitates ad divinas laudes celebrandas institutæ; tum ad pacificandas civitates, novus militum Ordo, qui Sanctæ Mariæ Gloriosæ vocati sunt, factus, auctore *Fratre*

Alii insignes pacificatores.

Annus Generalis devotionis.

Ordo S. Mariæ

GLORIOSÆ AD PACIFICANDAS CIVITATES.

Bartholomæo itidem *Vicetino* Prædicatorij Ordinis. Quin etiam Mediolani hæreticis in dies magis furentibus, Frater *Petrus Veronensis*, qui posteà S.Petrus martyr est appellatus, eò accessit Inquisitionis auctoritatem à Pontifice adeptus; ac cùm multas conciones utiles habuit, tum plurima contra hæreticos decreta severissimè fecit. Mutinæ autem Frater *Gerardus Rangonus* Ordinis Minorum, & aliquando S. Francisci socius, cives pariter inter se capitali odio dissidentes reconciliavit: vir tantâ prudentiâ, ut propterea à Parmensibus Prætor ascitus sit ad civitatem administrandam: tantâ sanctitate, ut post mortem multa signa ediderit. Narrat isthæc omnia pluribus Sigonius [m] ex antiquis monumentis. Statuta verò Petri Inquisitoris contra hæreticos, Corius [n] recitat in Historiâ Mediolanensi.

[m] *Sigon. d. l. 17. hoc ann.* [n] *Cor. par. 2. hoc an.*

VIII.

[o] *Sigon. lib 19. an. 1261.*

Et quod prædictum Ordinem S. Mariæ attinet; scribit idem Sigonius [o] ex Villanio & Salimbenio, fuisse eum confirmatum ab Vrbano Papâ IV. sub quo plerique auctores de illo agunt. Cujus etiam Pontificis ea de re constitutionem, datam Viterbij anno ipsius Pontificatûs 1. (Domini 1261.) 10. Cal. Ianuarij, refert Ghirardacius in suâ Historiâ Bononiensi, unà cum Ordinis regulis & instituto; quo sancitum est, ut qui hanc militiam amplecterentur, professionem regularem facerent secundùm Regulam S. Augustini, modo ibi præscripto; & tunicam albam ac subcinericiam togam induti, Crucem purpuream in campo albo duabus suprà positis stellis præferrent, viduarum & pupillorum tutelam susciperent, pacique ac concordiæ inter homines conciliandæ studerent. Qui etiam, quòd suis quique in ædibus cum uxoribus & liberis vitam agere permissi sunt, vulgus eos *Fratres Gaudentes* vocavit.

FRATRES GAUDENTES.

IX. PROPAGATIO ORDD. MINOR. ET PRÆDIC.

A prædictorum verò Ordinum Minorum & Prædicatorum professoribus multa alia pro fidei dilatatione ac morum correctione, his iisdem temporibus per cæteras Orbis regiones præclarè gesta, miracula insigniter edita, mala fortiter tolerata, martyria gloriosè suscepta, eorum Annales & Historiæ continent. Cùm ex aliâ parte, non minima multis locis, quod ad prædicationes & Sacramentorum administrationem, fieret iis ab Episcopis & Sacerdotibus Parochis controversia, quasi in messem alienam mitterent falcem: nec levia etiam objicerentur iisdem à diversis impedimenta, ne per domorum ac conventuum ædificationem nimis dilatarentur. Quæ omnia literæ Apostolicæ & privilegia iis concessa ac conservata dissipavêre. Quando etiam mirabili incremento propagatum esse Ordinem Clarissarum, Annales Minorum docent.

X.

Sed de prædicto Ioanne Vicetino non prætereat; cùm plurima alia ab eo edita miracula, etiam usque ad septem mortuorum suscitationem, Thomas Cantipratensis [p] narret; scribere tamen Matthæum Parisium [q], eum tandem astutiâ diaboli gloriâ elatum, & familiaritate carnalium amicorum enervatum, Dei amorem, & hominum honorem, nec non & Prælatorum amittere meruisse reverentiam. Vt sanè, si verum id fuerit, visus sit Gregorius Pontifex, cujus epistolis invenitur sæpius dilaudatus, velut præsagiens pro ejus perseverantiâ orâsse, cùm ad eum aliquando scripsit [r]: *Ad orationum vota convertimur, & adorantes super fastigium virgæ ejus qui percutit & medetur, fideliter petimus, ut gratiam quam magnificavit facere tecum in mirabilibus ad laudem sui nominis & salutem fidelium animarum, augeat & conservet; quò cum justorum vitam in humilis patientiæ servitute servaveris, eorum morte pretiosâ in conspectu Domini moriaris.* Quàm præclarè Basilius [s] monachos suos monuit! *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, eamdémque mellis illitu fraudis sui veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem.* Quod tamen quem demùm exitum Ioannes habuerit, sit nobis incompertum; potuerit hæc etiam de eo Parisius audisse ex falsis aliquibus rumoribus in eum invidiâ diaboli concitatis, qualem & apud eumdem Cantipratensem legimus, delatum ad Gregorium Pontificem, ut tantùm non fuerit excommunicationi subjectus. Sanè monachus [t] Paduanus etiam observat, citò ejus potentiam expirâsse, ferméque post unum mensem quicquid auctorisabiliter (ut loquitur) statuerat, ad nihilum [u] redactum esse.

[p] *Cantiprat lib. 2. cap. 1.* [q] *Paris. in Henr. III. an. 1238.*

IO. VICETINI LAPSUS.

[r] *Reg. Greg. an. 7. ep. 130.*

[s] *Basil. const. monast. c. 11.*

[t] *Paduan. Chron. lib. 1. hoc ann.* [u] *Vid. an. seq.*

XI.

Quod autem de hæreticis Lombardiæ mentionem fecimus, déque inquisitione in eos decretâ; pertinet ad eos quod Bernardus Lutzenburgus [x] ex Historiâ Fratrum Prædicatorum, & ex eodem Bernardo Gabriel Prateolus [y] refert: videlicèt fuisse in Episcopatu Brixiensi virum quemdam, cui nomen *Guidoni de Lachâ*, tantam sanctitatem & vitæ puritatem præ se ferentem, ut ab omnibus velut alter Ioannes Baptista coleretur, confluerentque ad eum undique populi. Cùm verò post mortem, & honorificam sepulturam, ab Inquisitore per testes fideles hæreticus detectus, de consilio Episcopi damnatus esset effodi & comburi; accidisse ut ossibus in ignem adstante populo conjectis, dæmones invisibiles ex igne illa in aërem sustollentes, suspensa & illæsa multo tempore tenuerint; clamitante populo necandum esse Episcopum cum Fratribus, qui invidiosè sanctum Dei virum igni adjudicâssent, haud parùm inde sibi timente Episcopo: donec à Fratribus roboratus, ne fides periclitaretur, ad divinum implorandum auxilium Missam de Beatâ Virgine celebrare cœpit: quando ad elevationem sacræ Hostiæ auditi sunt dæmones exclamare, *O Guido de Lachâ, nos quantum potuimus defendimus te; sed non ampliùs possumus, cùm major nobis adsit:* & confestim ceciderunt ossa in ignem, ac combusta sunt, & fides ab omnibus exaltata. Hæc illi. Quæ quamvis absque ullâ temporis notâ uterque referat; eamdem tamen historiam puto designari ab auctore Magni Chronici Belgici, cùm sub hoc eodem anno refert ex Alberico ejus temporis auctore, (qui monachus Trium fontium existens Chronicon suum perduxit usque ad annum Domini millesimum ducentesimum quadragesimum) cùm multi in Alemanniâ ob maleficia comburerentur, quemdam non potuisse comburi donec allatum esset ante ignem Corpus Dominicum. Potuit enim pestis illa, ut aliàs frequenter, ex Germaniâ in proximam Lombardiam serpere.

[x] *Lutzenburg. in Catal. hær. ver. Guido.* [y] *Prateol. de hæres. lib. 7. cap. 16.*

GUIDO DE LACHA POST MORTEM DAMNATUS HÆRESIS, ET COMBUSTUS.

IMPOTENTIA DÆMONUM IN CONSPECTU SACRATISS. EUCHARISTIÆ.

XII. Secta Condormientium in Germ.

[z] Vide Prateol. l. 3. c. 28.
[a] Reg. an. 7.

Detectam verò etiam in eâdem Germaniâ hoc anno fuisse sectam quandam turpissimam *Condormientium*, (qualis fuit[z] posteà Anabaptistarum) constat ex literis [a] Gregorij Papæ ad Fridericum Imp. Antistites Germaniæ, & Provincialem Fratrum Prædicatorum; quibus illos in eam pestem commovit. Quando & contigit, ut cùm multi diversis locis quotidie detegerentur eâ infecti, & à *Conrado Marpurgensi*, generali in Germaniâ hæreticæ pravitatis Inquisitore, damnati comburerentur; celebratóque ab Henrico Rege Friderici Imp. filio ejusdem hæresis causâ Moguntiæ conventu Prælatorum & Principum, idem Conradus etiam in Comitem Seynensem, ejusdem criminis insimulatum, accusationem accepisset; (cui tamen Rex ac cæteri sinceræ fidei testimonium perhibuerunt) idémque Conradus jam anteà multis odio existeret, quòd diceretur sententias suas in quoscumque accusatos, nullâ cujusquam defensionis aut appellationis ratione habita, nimis præcipitare: hujus demùm Comitis occasione, à quibusdam nobilibus nequiter occisus fuerit; quod narrat ejus temporis auctor Monachus Coloniensis in suis Annalibus, & ex eo Trithemius in Chronicis: refértque item Erphordensis Monachus in Appendice ad Schafnaburgensem; meminerúntque multi alij: quorum nonnulli hunc Conradum Ordinis Prædicatorum, quidam Minorum faciunt; cæteri [b] nullâ religiosi Ordinis notâ, ut de Sacerdote sæculari loquuntur. Sed in his non immoramur. Illud non omittimus, illum valdè laudatum reperiri in Vitâ S. Elisabethæ [c], cujus fuit magister & director Gregoriúmque Pontificem auditâ ejus nece, vehementer indoluisse scriptis ad Prælatos literis [d] hoc anno suo Pontificatûs 7. rursúmque post biennium mandâsse Archiepiscopo Saltzburgensi, ut procederet contra ejus interfectores.

Conradi Inquisit. cædes.

[b] Append. ad Lambert. Siffrid. lib. 2. Vit. S. Elisab. ap. Sur. 19. Novemb. l. 3. cap. 11.
[c] d. c. 11.
[d] Reg. Greg. an. 7. & 9. ap. Vvadding. in Annal. Minor. an. 1226

XIII. Magia fundamentum Condormientium.

Et quod ad prædictam hæresim attinet; traditur in prædicto Chronico Belgico, præcipuum ejus fundamentum fuisse magiam, advectam in Germaniam à quodam *Magistro Toletano*: fuisséque versùs urbem Coloniam synagogam, ubi responsa dabat imago Luciferi: sed ubi Catholicus Sacerdos eò adveniens pyxidem cum corpore Domini de sinu suo protulisset, pestiferam imaginem corruisse: prædictúmque tantæ perversitatis Magistrum, cùm vellet transire in Angliam, submersum esse in mari.

XIV. Greg. PP. contra Ducem Venet. agit.

Quid verò præterea Gregorius Pontifex circa regimen Ecclesiæ hoc anno præstiterit, cognoscitur ex Regesto ipsius Epistolarum; quo nullum probatius historiæ genus. Inter cætera verò in Iacobum Theupolum Ducem Venetiarum, qui plurimis ex Senatu & nobilitate in sententiam suam pertractis, multa contra libertatem Ecclesiasticam edixerat, résque ac personas sacras non minimis injuriis affecerat, vehementer commotus; sub initium mensis Maij commisit Episcopo Vicetino, & Prioribus Montis Crucis & Montis Silicis, diligentem rei inquisitionem, exerturus ipse contra refractarios vindictam Ecclesiasticam. Bosnensium ad Savũ Pannoniæ fluvium habitantium (Bessos olim, seu Scordiscos fuisse volunt) Duce Nicoslavo ad fidem Catholicam Fratrum Prædicatorum operâ ex hæresi converso; cùm is perseverantiæ in fide Catholicâ obsidem proprium filium iisdem Fratribus tradidisset, metueréťque ne Rex Hungariæ cui suberat, pro receptâ consuetudine, ut feudorum jura hæreticis auferrentur, & pro voluntate conversis concederentur, eundem filium suum eo feudo privaret: certior factus Gregorius, Nicoslavum multis argumentis fidem suam Ecclesiæ probâsse, tum scripsit Regi mense Octobris ut benignè cum dicto filio ageret; tum Fratribus ut eum patri restituerent. Cùm verò & in Prussiâ, sive Borussiâ, agentibus Militibus Teutonicis, fides Christiana dilatata esset; idem Gregorius primum ibi Episcopatum Pomezanensem instituit.

Curat fidei propagationem.

XV. Signa in cœlo in Anglia et bella in terra.

Hoc eodem anno in Angliâ in finibus Herefordiæ & Wigorniæ, 6. Id. Aprilis ab orta Solis usque ad meridiem apparuerunt in cœlo quatuor soles adulterini (præter verum & naturalem) rubri coloris, cum quibusdam circulis sese intersecantibus. Mense verò Iunij in parte Australi ejusdem Angliæ, visi sunt in aëre secùs littus maris duo immanissimi dracones præliantes & post diutinam pugnam alter alterum superans fugavit in profundum abyssi. Secuta sunt autem bella crudelia per universam Angliam, Walliam, & Hiberniam, stragésque maxima hominum; cum Rex Henricus consilio Petri Episcopi Wintoniensis, cujus nutu Regnum administrabatur, ex aulâ suâ remotus Anglis, tanquam sibi minùs fidis, Pictavienses & alios exteros evocavit: magnates verò Angli id ægrè ferentes, Duce Richardo Comite Marescallo arma in Regem moverunt. Donec anno sequenti, studio Eadmundi Archiepiscopi Cantuariensis ac cæterorum Episcoporum, minas excommunicationis Regi intentantium nî pacem cum suis componeret; ejectus est Petrus cum suis, & quies regno restituta: extincto tamen Marescallo in Hiberniâ. Quæ omnia ut se habuerint prolixè narrat Parisius, & post eum Westmonasteriensis.

Iesu Christi Annus 1234.

Greg. IX. An. 8.

Friderici II. An. 15.

Balduini II. An. 6.

I. Gregorii PP. cura de rebus Orient.

Anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo quarto, Indictione septimâ, Gregorius Pontifex per Soldanum Iconij certior factus de periculis Terræ Sanctæ ab aliis Saracenis imminentibus; cùm in tractatibus quos vidimus habitos pro concordiâ inter Fridericum Imp. & Confœderatos Lombardiæ, stipulatus ipse fuisset missuros eos quantas possent copias in auxilium ejusdem Terræ; essétque multorum suspicio, Fridericum collectum eâ specie exercitum in Confœderatos immittere, quos sibi subjicere summoperè avebat, in animo habere: idem Gregorius[a] mense Maio Româ ad Ducem Venetiarum & Rectores Civitatum fœderatarum scribens, voluntatem Friderici, sibi per literas mense Aprilis Capuæ datas significatam, intimavit non aliam esse, quàm ut pacificè cum iis, judicio ipsius Summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ ageret. Indéque maturâ de eâ re deli-

[a] Reg. an. 8.

[b] Rub. Hist. Raven. l. 6.

beratione [b] habitâ cum eodem Imperatore & Patriarchis Latinis Constantinopolitano, Antiocheno, & Ierosolymitano, multisque aliis Archiepiscopis, Episcopis, ac Prælatis apud Sedem Apostolicam constitutis; cùm jam induciæ inter Fridericum & Sultanum pactæ ad exitum properarent, communi omnium consensu decreta est Expeditio generalis in Syriam: eique sacro negotio præfectus auctoritate Pontificiâ & Imperatoriâ, magno vir animo & consilio *Thedericus* Archiepiscopus Ravennas: cui illuc præmisso ut in omnibus obediretur, tanquam Sedis Apostolicæ Legato, scripsit Pontifex Spoleto mense Augusti ad Antistites Regni Ierosolymitani; & tanquam Nuncio suo, Imperator Reate eodem mense ad Barones & milites ejusdem Regni: quorum eâ de re literas recitat Rubeus [c] in Historiâ Ravennate ex archivis illius Ecclesiæ. Quæ sanè Imperatorem egisse, non tam quòd illi cura esset de rebus Christianitatis promovendis, quàm ut his simulationibus Pontificem induceret ad conservandum ipsi auctoritate suâ regnum Ierosolymitanum, quod Procerum ac populorum adversùs tyrannidem ipsius ministrorum frequentibus commotionibus valdè nutabat; cùm indicatur ipsius ad eos literis, quibus omninò promisit se velle concordiam cum eorum procuratoribus initam observare; tum ex diversis auctorum de rebus ejus temporis narrationibus: ex quibus, etiam constat Thedericum eò profectum id præcipuè negotij gessisse ut discordias illas componeret. Quod tamen vix exequi potuisse, quinimmò in legatione suâ prævaricatum esse intelligitur ex literis [d] Gregorij adversùs Fridericum post excommunicationem in eum latam scriptis, dum ait, Archiepiscopum, postquàm Palæstini ab ejus sententiâ, contra formam sibi datam prolatâ, appellâssent ad Pontificem, contra omne fas Terram Sanctam supposuisse interdicto; quod Gregorius ut omninò injustum relaxaverit. Causámque appellationis eam fuisse ex Sanuto [e] cognovimus, quoniam Palæstinorum procuratores multa Friderico concesserant contrà quàm mandatum eis fuerat.

[c] Rub. ibid.

FRIDER. IMP. IN IIS ANIMUS.

[d] Infrà ann. 1239. IV.

[e] San. lib. 3. par. 11. c. 14.

II. HORTATIO AD EXPEDITIONEM.

Sed quod ad Expeditionem attinet; Gregorius summâ fide rem agens, eam per literas & nuncios (hósque præcipuè ex Fratribus Minoribus & Prædicatoribus electos) omnibus modis promovere procuravit, scribens pariter Spoleto ad principium Septembris literas encyclicas ad universos Christianos, quibus eos magnoperè exhortatus est ad eam suscipiendam, vel saltem facultatibus suis adjuvandam: (quarum exemplar, uti in Angliam missum est, recitat Parisius:) ac speciatim posteà Perusio mense Novembris ad Reges Francorum & Angliæ, ut depositis odiis in id & ipsi operis incumberent; itémque ad Reges Hispaniarum, & Boëmiæ, aliósque Septemtrionales, ac Principes Germaniæ, ut sese ad transmittendum cum Imperatore pararent; quæ extant in ipsius Regesto. Quòd enim & res Imperij Latinorum Constantinopolitani in præceps ruerent; ideò putamus & advenisse Patriarcham ad Sedem Apostolicam, ut opem imploraret: sicuti & visuri sumus, partem collectarum ad sacram expeditionem copiarum eò directas fuisse.

III. AGITUR

Cæteris quoque Ecclesiarum necessitatibus providentissimè invigilans Gregorius, inter alia Regem Francorum Ludovicum; reliquias Albigensium, Inquisitores fidei multis malis opprimentes, & bona Ecclesiasticorum rapientes, compescere monuit. Cùm enim dum Episcopus Tornacensis, de quo superiùs [f], Legatione Honorij contra Albigenses fungeretur, commissa fuisset per eundem Pontificem Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitio in iis partibus cōtra hæreticos, deputatis ad hoc primitùs Fratribus Petro Cellani & Guillelmo Arnaldi; híque officium suum non solùm in minoris conditionis homines, quos facilè judicatos damnârunt, verùm etiam in potentiores hæresis suspectos exercere cœpissent: ægrè hoc isti ferentes, tantâ ferociâ sese illis opposuerunt, ut gravi excitatâ seditione, non solùm iidem Inquisitores cum omnibus Fratribus Prædicatoribus, verùm etiam ipse Episcopus urbe ejectus fuerit, & canonici Ecclesiæ indignissimè habiti: ut refert qui videbat Guillelmus de Podio Laurentij in suo Chronico [g]; sed parcè ac breviter, parcens, ut ait, urbis honori. Debuisset addere, & Comitis Raymundi domini sui: quem ex alio Chronico [h] intelligimus acerrimè in his contra eosdem Inquisitores omnésque Prædicatores egisse. Et quod ad distinctionem temporum attinet, ait fuisse Inquisitores constitutos ad finem mēsis Aprilis 1233. pulsos ad principium Novembris 1235. Prædicatores autem urbe processionaliter binos & binos exiisse animis ad martyrium dispositis, cantantes Credo & Salve Regina. Subdit verò missum à Pontifice Ioannem Archiepiscopum Viennensem, negotium Inquisitionis benigniùs temperâsse: & quòd Prædicatores rigidiores essent, collegam ex Ordine Minorum mansuetiorem iis datum esse: obtentis tamen quocumque modo literis ab Honorio Pontifice, mansisse diù inquisitionem hæreticorum in suspenso. De quo posteà. Ex his porrò videas, quo animo Comes Raymundus & hæresim olim abjurâsset, ac statuta contra hæreticos promulgâsset, cùm nunquam cessaverit iis patrocinari. Quem & dolore paterni dominatûs amissi, cujus tantùm usufructum relictum ei vidimus, cum regni perduellibus & hostibus arma contra Regem gessisse, auctores testantur.

IN GALLIA CONTRA RELIQUIAS ALBIG.

[f] An. 1232. VI.

INQUISITIO TOLOSÆ TRADITA FRATRIBUS PRÆDICATORIBUS.

[g] Pod. Laur. cap. 43.

[h] Ap. Catell. lib. 2. de Comit. Tolos.

PELLUNTUR INQUISITORES CUM CETERIS PRÆDICATORIBUS.

IV.

[i] 8. Cal. Nov. & 18. Cal. Dec.

Vt verò cætera Gregorij Pontificis hujus anni gesta prosequamur; inter alia Belæ Hungariæ Regi (vivebat adhuc Andreas, sed senio confectus onus regiminis in filium refuderat) novellam Cumanorum [k] Ecclesiam commendans, suasit ut eorum Episcopo à se recens instituto sedem Episcopalem designaret, ædificaret, ac dotaret: efficerétque ut Walachiæ populi, qui ad ritus Græcorum defecerant, iis rejectis eidem Cumano Episcopo, ut debebant, subderentur. Norvagiæ Regem, (quem Aquinum fuisse nomine, conjicimus ex Krantzio [l]) Hameriensem Ecclesiam rapinis, ejúsque Episcopum Sedem Apostolicam appellantem contumeliis vexantē graviter monuit ab iis desistere, & satisfacere: quod si contemneret, Archiepiscopo Lundensi potestatem fecit anathemate eum percellendi.

[k] Suprà an. 1220. in fin.

AQUINUS REX NORVAG. ARGUITUR A PONT.

[l] Krantz. 5. Norvag. 14

V.

Agnetem filiam Othocari Regis Boëmiæ, quæ posthabitis nuptiis [m] Friderici Imp. virginitatem suam Deo consecraverat, ac monasterium & domum hospitalem, exemplo S. Elisabethæ Lantgraviæ, cui sese cum aliis nobilissimis fœminis sub instituto S. Claræ incluseret, construxerat; literis [n] laudavit, & præ-

[m] Stad. in Chron. an. 1236. Dubrav. Hist. Boëm. lib. 15. ad fin.

AGNES BOËMA RESPUIT NUPTIAS FRIDER. IMP.

[n] Spol. 3. Cal. Sept.

dictam domum ac monasterium, ut rogatus fuerat, privilegiis auctum in protectionem Sedis Apostolicæ suscepit. Alienum verò eam à Friderico animum habuisse, propter summam illius intemperantiam ferunt [o], per quam Deus ab illo offensus, tradidit illum in contumelias ignominiosas, ita ut more Regum Ethnicorum greges [p] aleret pellicum, quarum ipse devorato omni pudore, velut admissarium agebat manifestum. Contrà verò ipsa Agnes inter sodales virgines, dum non aliud cogitaret quàm ut esset sancta corpore & spiritu, hanc sanctitatis gloriam adhuc superstes emeruit, ut signa & miracula ederet; quæ etiam post obitum [q] multiplicavit.

[o] Dubrav. ibid.
[p] Suprà an. 1224. I.
[q] Pontan. Boem. Pia li. 4. ante fin. sed de illa plur. Vvadding. in Annal. Minor.

VI. COLLECTIO DECRETALIUM.

Iuris quoque Ecclesiastici causam gerens Gregorius, divini ipse ac humani scientissimus, operâ Fratris *Raymundi de Peñaforti* Barchinonensis Ordinis Prædicatorum; eximiæ pietatis & scientiæ viri (quem à Ioanne Cardinale Episcopo Sabinensi ex Hispaniâ Romam deductum vidimus [r]) Capellani sui (causarum scilicèt Palatij Apostolici Auditoris) & Pœnitentiarij, Decreta Romanorum Pontificum quo quæque tempore condita erant diversis Conciliis & Epistolis sparsa, ad communem omnium utilitatem in ordinem & compendium quinque libris sub titulo DECRETALIUM redigi curavit; additis etiam illis quæ ipse Gregorius eatenùs promulgâsset; atque ab omnibus ubique in controversiis dijudicandis servari præcipit [s].

[r] An. 1229. VII.
[s] Ext. Gregorij ea de re constit. in pr. Decretal. Agitúrque de eisd. in Vit. Raym. quæ describitur in ejus canoniz. factâ à Clement. VIII. Bullar. tom. 3. constit. 77. Adde. Ant. tit. 19. c. 4. in pr. & §. 5.

VII. PRÆDICATIO CRUCIS CONTRA STADINGOS HÆRET.

Hoc item anno facta est expeditio contra STADINGOS, seu Stedingos hæreticos; prædicatâ contra eos Cruce auctoritate ejusdem Gregorij Pontificis, illâ ipsâ indulgentiâ, iisdémque privilegiis, quæ pergentibus ad Terræ Sanctæ subsidium concedi consueverant; qui quidem in confiniis Frisiæ & Saxoniæ ac Bremensi tractu inviis paludibus & fluminibus circumcincti, dudúmque à Sede Apostolicâ ob varios excessus & errores excommunicati, claves Ecclesiæ contemnentes, pluries cum Episcopis ac Proceribus vicinis homines infrenes conflixerant, frequentiùs victores quàm victi. Quænam verò essent eorum hæreses & scelera, exactiùs prosecutus in Chronico suo Albertus tunc Stadensis Abbas, & ex eo, ut puto, Auctor incertus Historiæ Archiepiscoporum Bremensium [t], longéque posteà Albertus Krantzius Hamburgensis in suâ Metropoli [u]; aiunt, eos doctrinâ Ecclesiæ penitùs vilipensâ, ipsius libertatem conculcâsse, nulli parcentes sexui vel ætati: quæsîsse responsa dæmonum; simulacra fecisse cerea; consuluisse in suis spurcitiis erroneas Pythonissas; & Viaticum salutis æternæ horribiliùs quàm deceat exprimi pertractâsse: Clericos & Religiosos cruciâsse omni genere tormentorum; & claves Ecclesiæ scelestis labiis turpiter blasphemâsse: suísque persuasionibus ac malis exemplis adeò populos infecisse, & maximè rusticos, ut non solùm verbo ab iis defenderentur, verùm etiam quotiescumque se opportunitas obtulisset opere. Donec ab exercitu Crucesignatorum, cujus præcipui extitêre duces Henricus Dux Brabantiæ & Florentinus Comes Hollandiæ, unà cum Gerardo à Lippiâ Archiepiscopo Bremensi, efferatissimâ licèt rabie pugnantes, (nam & eorum duces sic eos ad pugnam hortabantur, ut aut succumbere necesse esset, aut velut canes rabidos insanire) die sabbati, quæ fuit sexta Calendarum Iulij, adstante eminùs, & pro victoriâ Fidelium supplicante cum gemitu Clero, maximâ clade cæsi ac prostrati sunt, occisis novem eorum millibus; cadente è Fidelibus Comite Oldenburgio cum solis novem aliis Crucesignatis: qui verò ex hæreticis gladium evaserunt, aut fugâ aquis submersi sunt, aut in diversas regiones dispersi. Hæc prædicti auctores. Quæ etiam tractans Monachus Coloniensis tunc vivens, victoriam Catholicorum posterâ die Ascensionis Domini assignat: Annales Belgici [x] superiori anno; quo videlicèt Crucem prædicari, bellúmque geri cœpisse, Stadensis rerum inspector observat, rem verò hoc anno confectam esse: sub quo etiam meminit eorum Parisius, tacito tamen Stadingorum nomine. Reliquias autem illorum pœnitentiam præseferentes pulsâsse Sedem Apostolicam pro absolutione; patet ex literis Gregorij Papæ scriptis anno sequenti Pontificatûs sui nono, duodecimo Calendas Septembris, ad Archiepiscopum Bremensem, quæ extant inter privilegia [y] illius Ecclesiæ; quibus Pontifex indulget, ut factâ congruâ satisfactione illis Archiepiscopus absolutionem impendat.

[t] Ext. tom. Rer. Germ. edit. Lindembrog.
[u] Krantz. 7. Metrop. 47.

ILLORUM ERRORES ET SCELERA.

SUPERANTUR à CRUCESIGNATIS.

[x] Ægid. de Roya, & Iac. Meyer.
[y] Tom. Rer. Germ. edit. Lindembrog.

VIII. UNDE ORTA PRÆD. HÆRESIS.

Quo verò principio ea hæresis orta fuerit, narrat Ioannes à Leydis Religiosus Carmelitanus in Chronico Belgico [z], quod longè post hæc tempora conscripsit triginta duobus libris distinctum. Nempè cùm nobilis quædam Stadinga femina die Paschatis oblationem proprio sacerdoti unius denarij fecisset; avarum sacerdotem eo denario minimè contentum, cùm mulier ad communicandum accessit, non sacram hostiam, sed eundem ipsum denarium sceleratissimè in os ingessisse, cùm ipsa clausis oculis devotè Corpus Dominicum suscipere expectaret: sentientem autem duritiem susceptæ substantiæ: & propriis culpis tribuentem quòd illam deglutire non posset, clauso ore ab Ecclesiâ recessisse, linteóque mundissimo eam excepisse; sed viso denario magis mente confusam, superveniente intereà viro suo, & causam mutati vultûs inquirente, post multas tergiversationes rem aperuisse: ipsum autem eâ de re conquestum apud superiorem dicti sacerdotis, cùm minùs ei satisfieret, iracundiâ accensum, sacerdotem suffocâsse: eâque de re ipso excommunicatione perculso, cùm à popularibus suis ac conterraneis in pertinaciâ foveretur, demùm totam illam provinciam in hæresim declinâsse ac præter alia scelera, propriarum etiam neptum, sororum, ipsarúmque matrum nuptiis sese polluisse: reversos item ad idola vana, parùm curâsse mandata Pontificis & Imperatoris: quinimmò cùm misisset ad eos Pontifex Legatum cum multis honestis sacerdotibus, contumeliis affectos occidisse: quousque instantiâ Bremensis Episcopi decreta est in eos à Gregorio Crucis prædicatio. Hîque fuêre fructus sordidæ avaritiæ impij sacerdotis, & iniqui zeli viri nobilis.

[z] Chron. Belg. l. 22. c. 14.

IX.

Cujus autem generis hæresis fuerint decem, quos hoc eodem tempore reperimus [a] Duaci in Belgio arsos, haud indicat auctor: res tamen minimè omittenda videtur, ob inusitatum supplicij diem. Narrat ergo, postquàm frustrà la-

[a] Annal. Gallo-Flandr. lib. 6.

DECEM HÆRET. MAGNO APPARATU DIE DOMINICA IGNE COMBUSTI.

boratum esset ut ab insanâ mente ad sanam reducerentur, placuissétque eos pro meritis insigni supplicio plecti; nihil ad judicij pœnarúmque celebratum defuisse. Adfuisse Remensem Archiepiscopum, unà cum Episcopis Cameracensi, Atrebatensi, & Tornacensi; Patrem quendam Dominicanum Fidei Inquisitorem; Ioannémque Flandriæ Principem multâ ditionum suarum septam nobilitate: quóque plus terroris hominum multitudini incuteretur, delectum esse supplicio diem Dominicum Maio mense, uti cives omnes ac vicinorum incolæ locorum ab operibus feriati spectaculo adessent: sícque tot viris nobilissimis, & innumeris hominum turbis adstantibus, illos flammis injectos absumptósque esse.

X. TERRIBILIA EXEMPLA AVARITIÆ.

Quod verò ad superiorem historiam sorditiei Sacerdotis Stadingi spectat; etsi multa quę Parisius de sacerdotum avaritiâ habet, suspecta valdè sunt nobis, quòd ad id maximè opus suum conscripsisse videatur, ut mores eorum carperet & sordes exaggeraret; quoniam tamen non defuit omnibus sæculis aliorum etiam probatissimorum auctorum necessaria turpissimi hujusmodi vitij in personis Ecclesiasticis insectatio; haud omittimus recensere quæ refert ipse hoc eodem anno de Waltero Archiepiscopo Eboracense in Angliâ. Nempè, cùm in summâ plebis egestate toto quinquennio multum frumentum servâsset turpi nundinatione distrahendum; reperisse illud demùm tot serpentibus, bufonibus, vermibus refertum, támque tetro odore fœtidum, ut fuerit totum illud nullius operæpretio comburendum. Itémque de quodam alio ejusdem provinciæ sacerdote; qui ut diues ex paupere fieret, pacto cum diabolo inito, mancipium se ejus constituerat: qui tamen Dei misericordiâ ad cor reversus, gravissimum illud jugum à se excussit. Denique de quibusdam provinciæ Cantabrigensis rusticis; qui quòd pauperes eâdem summâ inopiâ spicas per agros vellicantes excommunicatione cohiberi quæsîssent, exortæ subitò horrificæ vi tempestatis tam fruges quàm armenta funditùs amiserunt; uno excepto, qui quòd contestatus esset minimè se acquiescere ut eâ occasione censuris in egenos ageretur, nullum in bonis suis, quamvis aliis permixta essent, damnum sensit.

XI. [b] *Vincent. l.30.c.138. Nang. in Vit. S. Ludou. Anton. tit. 19. c.4.§.3.&c.*

LAPIS GRANDINIS CUM INSCRIPTIONE MIRIFICA.

[c] *Sigon. de regn. Ital. l.17.*

Et quòd in prodigia dilapsi sumus, legimus etiam apud Corium in Historiâ Mediolanensi, hoc eodem anno (quod tamen plures [b] ad annum 1240. referunt) apud Cremonam cecidisse lapides grandineos enormis magnitudinis; quorum uno, in monasterio S. Gabrielis, inventa sit Imago Crucifixi expressa, cum aureâ inscriptione IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM; & ex ejus liquefacti aquâ unctis oculis Monachi cæcutientis, visum recepisse. Observátque insuper Sigonius [c], varia hoc item anno visa in Italiâ, oculos ac mentes hominum summâ formidine perculisse; hiemem solito asperiorem inhorruisse; ex eóque grandem pecudum arborúmque perniciem consecutam, quæ magnam victûs inopiam, & inopia gravem pestilentiam importaverit: (quibus cladibus cæteras quoque Europæ provincias gravissimè aliquot annis afflictas fuisse, omnes earum historici vehemeter queruntur:) monstrum in Apennino natum, gemi-

VARIÆ CLADES, ET PORTENTA IN ITALIA.

nos pueros corporibus ad umbilicum inter se nexos, quorum alter simul ac natus est, alter postridie mortuus sit: lupos urbem Bononiam ingressos, captos atque suspensos esse. Prodigium autem omnium truculentissimum illud fuisse, quòd populi pacem quam superiori anno rigantibus ora lachrymis in nomine Iesu Christi jurârant, fermè omnes uno tempore cruentandis mutuâ cæde manibus violârint.

XII. BELLUM INTER PONT. ET ROMANOS.

Ad quam pacem redintegrandam cùm Pontifex Gregorius omne studium adhiberet, ipse cum Romanis eam retinere non potuit. Nam Romani cùm lites quasdam de jure Vrbis illi intentatas obtinere non potuissent; ipsum nuper in Vrbem reversum cum Cardinalibus, iterùm abscedere compulerunt, ac quædam ejus ædificia diruerunt. Itaque Perusium profectus, propriis copiis ac Friderici Imperatoris auxiliis usus villas Romanorum evertit. Romani verò 8. Id. Octobris. Vrbe cum ingenti militum numero erumpentes, Viterbium Pontificis oppidum invaserunt: verùm à Pontificiis excepti, & summo prœlio decertare compulsi, ingenti clade acceptâ incœptum reliquerunt, ac pacem rursùs cum Pontifice confirmârunt. Ita breviter Sigonius; quæ pluribus refert Parisius; recensens & jura, propter quæ Romani Pontifici adversabantur: quorum præcipua fuisse ait, quòd contenderent neminem ex civibus posse à Pontifice excommunicari, aut Vrbem interdicto supponi: Ecclesiam Romanam annuum tributum persolvere debere Senatui Vrbis: & quòd limites suos in longinquiorem Ecclesiæ ac Pontificum ditionem extenderent. Exercitum autem eorum centum millium armatorum extitisse scribit. Hujúsque bellicæ expeditionis meminit eodem sensu Coloniensis Monachus. At Nauclerus [d] ex literis ipsiusmet Gregorij, Blondo, & Platinâ scribit; ubi decertandum fuit, Imperatorios milites sese ab exercitu Pontificio subtraxisse; immò ipsum Fridericum cum hostibus fœdus pepigisse, ut ipso inde certo die recedente illi ad arma consurgerent, & B. Petri patrimonium occuparent: Gregorium autem post recessum Friderici, magnis præmiis Germanos milites ad se allexisse, suáque omnia recuperâsse. Quibus etiam adstipulatur Sabellicus [e]. Eadémque plenius tractata reperimus in Vitâ [f] Gregorij ab auctore ejus temporis scriptâ, quâ inter alia traditur, Fridericum pacto tacitè cum Romanis recessûs die, cùm is advenit, relicto exercitu & gladiis Romanorum exposito, tantâ velocitate, quasi impar esset Romanorum viribus, abscessisse in regnum, ut non equitâsse sed volâsse crederetur. Cæterùm domitis per Germanos Romanis, nova cum iis inita est per Legatos Pontificios concordia; quâ se rursùm Sacramento fidelitatis & obedientiæ Pontifici obstrinxerunt, die 16. Maij, Indictione octavâ, anno ipsius Gregorij Pontificatûs nono; nempè sequenti: cujus extant in ejus Regesto Acta.

[d] *Naucler. gener. 42. Blond. 7. Dec. 2. Plat. in Gregor. IX.*

FRIDER. IMPER. FRAUS ADVERSUS PONTIFICEM.

[e] *Sabell. 9. Ennead. 6.*

[f] *In cod. MS. Bibl. Colleg. Fux. Tolos.*

XIII. EGREGII MORES LUDOVICI REGIS FRANC.

Hoc eodem anno (ut habent auctores Vitæ S. Ludovici, & Annales Francorum) idem Rex cùm post multa ac præclara virtutis bellicæ adversus rebelles & hostes facinora, quietem & tutiorem & gloriosiorem nactus, totum se piis operibus dederet, corpus jejuniis, ciliciis,

flagellis affligendo; pauperum & egenorum necessitatibus liberalissimè subveniendo; (quorum etiam pedes lavabat, cibum sumentibus ministrabat, certo numero ad propriam mensam adhibebat) mores populorum corrigendo, vitia extirpando, leges sanctas publicando, singulorum commoditati, publicæ utilitati, decori communi inserviendo: denique in omnibus vitæ partibus ipse sanctus, (quem scilicèt pia mater à puero ita instituisse fertur, eâque religione imbuisse, ut in animum induceret malle emori, quàm scelus concipere, aut mortiferi peccati reum se constituere) tantâ æquitate simul & dignitate illâ etiam adolescentiâ Regnum suum moderari cœpisset, ut plebs parentem, nobilitas principem, leges custodem, Gallia verum Regem, Religio vindicem sentiret: nullâ ductus libidine, sed solâ successoris quærendi causâ, & ut matris totiúsque Regni desiderio acquiesceret; (nam & ferunt adeò matri obsequentem & in pueritiâ ac deinceps quamdiù vixit sese præbuisse, ut & rideretur ab aliquibus quasi ejus injussu nihil facere aut tentare auderet:) anno ætatis suæ decimonono uxorem duxit Margaritam filiam Raymundi Berengarii Comitis Provinciæ Phocæensis è quatuor natu maximam; habitâ priùs à Summo Pontifice dispensatione [g] quarti consanguinitatis gradûs quo conjuncti erant.

VXOREM DUCIT.

[g] Reg. an. 7. 4. Non. Ianuar.

XIV. FILIÆ COMITIS PROVINCIÆ SPLENDIDÈ NUPTÆ.

Reliquarum Margaritæ sororum, Leonora Henrico Regi Angliæ posteà nupsit; Sancia Richardo ipsius fratri Imperatori olim designando; Beatrix omnium minima Carolo fratri ipsius Ludovici Regis futuro aliquando Regi Siciliæ. Invenimus & alicubi [h] quintam additam, Ioannam nuptam Philippo Regi Navarræ; sed contra omnem fidem historiæ. Hoc autem summum beneficium divinitùs ei familiæ collatum creditur, cùm ob egregias parentum virtutes, tum ob ipsarum virginum præclaram indolem, & sanctam educationem, pietatémque, quibus eas mater Beatrix à pueritiâ imbuerat, Thomæ Comitis Mauriennæ inclyta soror. Laudatur enim & ipse Raymundus Berengarius (qui ex Aragoniæ Regibus oriundus erat) de pietate ac religione, humanitate, virtute bellicâ, cultu literarum, (adeò ut & versus scriberet sermone Provinciali facundiæ & gratiæ plenissimos, re utique eo tempore paucis familiari) aliísque animi dotibus; quarum famâ & quòd benignè omnes exciperet, ejus aula à multis etiam exteris frequentabatur. Quod quidem præcipuè accidisse narrant Dantes & Villanius [i] solerti industriâ cujusdam Romei: (ignotum enim hominem & peregrinum, Italicâ linguâ ita vocant:) qui cùm à peregrinatione Compostellanâ rediens in aulâ Raymundi consedisset, homo prudens, modestus, gravis; processu temporis tam carus Raymundo fuerit, ut ejus consilio omnia privatim ac publicè gererentur: eum redditus annuos domini sui triplo auxisse; liberalitate in omnes usum, nihilominùs grandem in ærarium pecuniam intulisse, & honestis largitionibus effecisse ut domini nomen apud exteras etiam nationes in pretio esset: & quod caput est, affinitatis cum Rege Francorum quibuscumque conditionibus ineundæ auctorem fuisse, quò & cæterarum filiarum nuptiæ faciliùs conciliarentur, dum ambirent cæteri quicumque magni Principes affinitatem potentissimi Francorum Regis: Tantis tamen rebus gestis superare invidiam non potuisse, nec tot virtutibus Raymundum ingrati animi vitium; cùm aulicorum suggestione persuasus, pecuniæ publicæ rationes à Romeo exegit; quas ubi ille summâ fide reddidisset, discedendi facultatem petiisse, nec ullis Comitis aut procerum & amicorum precibus retineri potuisse. In aulam inopem cum baculo & perâ venisse; eadem instrumenta, cæteris omnibus facultatibus dimissis, discessurum resumpsisse: nec unquam quis esset, aut unde esset, aut quónam se recepisset, cognitum esse.

[h] Ap. Ping. de Reb. Sabaud.

[i] Vill. lib. 6. cap. 92.

DE ROMEO COMITIS STATUM OPTIMÈ ADMINISTRANTE.

XV. IDEM COMES FIT MILES AB IMPER.

Legimus autem de prædicto Comite apud Monachum [k] Coloniensem ejus temporis auctorem, & ex eo apud Trithemium [l]; cùm anno sequenti Imperatorem Fridericum Haganoam Alsatiæ salutatum isset, fuisse, cùm jam esset quinquagenarius, militiæ honore ab eo decoratum: (hoc est, equestri auctoramento; cùm nulli etiamsi magnates ac Principes, *Militum* nomine censerentur, nisi per militaris regulæ professionem sacris ceremoniis inaugurati fuissent:) noluisséque eum priùs illum gradum adipisci, quin immò nec tum nisi subrenitentem, & ut gratum faceret generis suis Regibus Francorum & Angliæ, quibus indignum videbatur socerum suum non esse Militem, eum accepisse; quoniam ejus cognationis Comitibus persuasum erat, haud diù se posse vivere postquam militiæ gradum adepti essent. Vixisse tamen post inde reperitur [m] iste Raymundus per decennium, usque ad annum quadragesimum quintum supra mille ducentos.

[k] Colon. in Annal. an. seq.

[l] Trith. in Chron. Hirsaug.

[m] Bellefor. & Masson. in Annal. Fräc. in S. Ludov.

XVI. SANCTII REG. NAVAR. OBITUS, ET THEOBALDI CAMPANI SUCCESSIO.

Hoc eodem anno ad septimum Idus Aprilis *Sanctius* cognomento *Fortis* Rex Navarræ mortuus est, postquàm fermè implêsset annum regni quadragesimum. In cujus locum successit *Theobaldus* Campaniæ in Galliâ Comes lege propinquitatis, quòd filius esset Blancæ sororis ejus: posthabitâ quâdam conventione inter prædictum Sanctium & Iacobum Regem Aragoniæ triennio antè initâ ad exclusionem Theobaldi; quâ velut per ludibrium inter se mutuò adoptârant, ut altero decedente alter in regnum ejus succederet, cùm Sanctius esset jam tum propè septuagenarius, & diuturnâ ac desperatâ valetudine confectus, Iacobus vix dum annum ætatis vigesimum secundum exegisset, essétque prole auctus. Quare & Surita [n] Aragonius prædicta adoptionum pacta contra omnia jura divina & humana facta esse ingenuè fatetur. Sed tanta fuit semper Aragonensibus cupido vicini ejus regni, ut cunctis juribus proculcatis ad ejus tandem occupationem perveniendum fuerit: comprobantibus etiam (quod non parùm mireris, nec tamen insolitum existimes) rerum gestarum scriptoribus, quibus æqui boníque potior debuit esse respectus quàm iniqui atque improbi commodi. Rem namque tunc gestam fusiùs Mariana [o], fusissimè narrat Gomesius [p], in detrimentum Theobaldi; quasi per ejusmodi fraudulentissimam adoptionem, quamvis eam monstri similem ab ipsomet Aragonio habitam fuisse, sed & Sanctium mox ejus pœnituisse fateatur, non minimum jus fuerit Aragoniis ad regnum Navarræ acquisitum.

[n] Surit. Indic. lib. 1. in fin.

[o] Marian. l. 12. c. 16.

[p] Gomes. in Vit. Iac. Reg. lib. 8.

XVII. PRÆCONIA NA-

Hâc tamen occasione multa præclara de *Navarrensibus*, atque eorum propinquis *Viscainis* (sunt utrique qui olim *Cantabri* dicti) elo-

VARRORUM ET VISCAINORUM.

quens; esse dicit prœliis valentes, industrios, ac perpugnaces, ab insitâ genti natura, vi non à Gothis Hispaniæ enatâ, cùm & multis sæculis virtutis fama Cantabri illos antecesserint: conjunctissimos inter se, & in tuendâ patria constantissimos; quin & ingenio pares, adeóque unis semper moribus viventes, ut ægrè externos inducant: & quorum lingua, à communi cæterorum omnium populorum eloquio remota, à primo ipsorum terræ cultu cœpisse credatur: quò verò illa verborum præsertim propriorum inopiâ laboret, iratiores in colloquendo eos fieri consuevisse; indéque continuis olim tum Romanorum tum Saracenorum prœliis assuetos, fortiores atque in bellum propensiores semper extitisse: eóque fieri, ut fidelitate, cui proprium est silentium, ij valdè præstent, & à loquacibus, tanquam fallacibus, caveant summoperè: & quoniam eorum incorruptus est animus, tantam ipsis inesse ingenuitatis rationem & opinionem, ut mortem citiùs quàm ut à suis degenerent cum vitâ commutent: quamquam verò eorum regio non admodùm lata est, plúsque robore quàm numero vincant; adeò tamen res maximas, tótque præclara domi forísque facinora edidisse, déque devictis toties hostibus amplissimè triumphâsse, ut non in postremis ea collocanda sit; quòd proprias ipsi sedes, montanas saltem, tam strenuè tutati sint, ut ab eis nunquam depulsi fuerint, nec tunc quidem cùm cæteram ferè Hispaniam Saraceni occupavêre.

XVIII. Coronatus autem est Theobaldus Pampelone mense Maio. Quem præter cæteras virtutes, ac peritiam rei militaris, liberalibus artibus egregiè excultum fuisse, maximéque scribendis carminibus delectatum, Francorum [q] historiæ docent.

[q] Nang. & Masson. in Vit. S. Ludov.

IESU CHRISTI Annus 1235.

GREG. IX. An. 9.

FRIDERICI II. An. 16.

BALDUINI II. An. 7.

I. GREG. PP. AGIT CONTRA HÆRETICOS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo trigesimo quinto, Indictione octavâ, Gregorius Pontifex rebus fidei sollicitè invigilans, Inquisitores fidei è Fratribus Prædicatoribus adversus hæreticos in diversis regnis ac provinciis constituit: & contra Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnoldistas, Speronistas, aliásque ejusmodi diversorum nominum sectas, (plerasque tamen Waldensium, aut Catharorum & Albigensium ramos; de quibus jam suprà) sæpiùs antehâc condemnatas, sed adhuc errores suos disseminantes, déque modo agendi cum eis, sanctionem [a] edidit. Sanè enim *Patarenos*, & *Bugares*, multùm invaluisse his temporibus in partibus transalpinis, & in finibus Franciæ & Flandriæ, testatur Parisius [b]: sed diligenti ministerio atque indefessâ prædicatione Minorum & Prædicatorum ac Theologorum, præcipuéque Fratris *Roberti* Ordinis Prædicatorum, cognomine *Bugre*, quòd ab hæresi Bugarum conversus fuisset, & ob zelum in fidei depravatores *Mallei hæreticorum* dicti, contusam esse eorum superstitionem, multósque obstinatos igne crematos. Quod & confirmatur à Meyero in Annalibus [c] Flandriæ, *Sodomiticos* eos hæreticos vocante, (cui respondet vox Bugarum) & sectam Albigensium fuisse censente; sicuti reverâ fuit. Sed quòd permulti quoque alij nomen iis Bugarum, seu Buggarorum, inditum volunt ob propudiosam eorum sodomiam; quicquid sit de corruptâ illorum vitâ, de nuncupatione tamen convenientius esse videtur quod alij *Bulgaros* seu *Burgaros* appellant: à Bulgariæ videlicèt regione, in cujus finibus sedem Albigenses fixisse, ex eodem Parisio superiùs [d] vidimus. Sed de supradicto Roberto scribit posteà idem Parisius [e], eum abutentem potestate sibi concessâ, & fines modestiæ ac justitiæ transgredientem, quòd bonos unà cum malis, insontes cum sontibus indiscretè confunderet, auctoritate Summi Pontificis privatum esse eo officio; demúmque gravibus detectis ejus culpis, perpetuo carceri adjudicatum. Quàm verò latè diffusa esset his temporibus secta Patarenorum, quibúsque artibus disseminaretur ab ejus professoribus, declaratur prætereà epistolâ cujusdam Yvonis Clerici Narbonensis, qui diù inter eos conversatus fuerat, scriptâ ad Gerardum Archiepiscopum Burdegalensem; quam etiam recitat idem auctor [f].

DE BUGARIS HÆRET.

[a] Ext. in Director. Inquis. ex archiv. Inquis. Bonon.
[b] Paris. an. 1236.
[c] Meyer. an. 1236.
[d] An. 1223. VII.
[e] Paris. an. 1238.
[f] Idem an. 1243.

II. CONCIL. NARBON. CONTRA HÆRETICOS.

Quo eodem tempore habitum quoque fuit *Narbonæ Concilium* sub *Petro Amelio* Archiepiscopo, cui etiam interfuerunt Arelatensis & Aquensis Archiepiscopi, unà cum trium illarum provinciarum suffraganeis Episcopis: cùm mandato accepto à Sede Apostolicâ, de consilio impertiendo Fratribus Prædicatoribus recens in partibus illis constitutis Inquisitoribus contra hæreticos, quomodò se gerere adversus eos deberent; 29. capitula condiderunt de pœnis tam iis quam eorum fautoribus imponendis, sive qui converterentur, sive qui obstinati permanerent, ac de signis quibus detegi possent: súntque valdè severa, prout ferebat praxis ejus temporis. In quibus fit itidem mentio Statutorum Romani Cardinalis Legati quæ vidimus edidisse in Concilio Tolosano. Hæcque monita se dictis Fratribus Inquisitoribus dare profitentur, non ut vellent eos ad ea arctare, sed per modum consilij quod ipsi petiissent, & ex mandato quod diximus Sedis Apostolicæ.

III. GREG. AGIT CONTRA ALIOS.

Cùm verò etiam antehâc Spargo Archiepiscopo Tarraconensi & suffraganeis ejus Gregorius [g] Pontifex pariter præcepisset, hæreticos eâ regione invalescentes tã per se ipsos quàm per Fratres Prædicatores, alióſque quos ad id esse idoneos nôssent, diligenti solicitudine perquirere: defuncto illo Archiepiscopo, jam à Guillelmo in ejus locum electo de quibusdam ad eorundem hæreticorum inquisitionem ac punitionem pertinentibus dubiis consultus; præter geminas ad eum redditas litteras, jussit etiam tractatum Raymundi Peñafortis de iis compositum sequi. Idémque de expeditione adversus Saracenos in Syriam,

[g] Ext. litt. in Reg. Greg. an. 6. & 9.

& in Græcos ac Bulgaros Constantinopolim urgentes haud minùs solicitus, nihil omisit officij erga Reges ac Principes Christianos, quo illos ad eam suscipiendam excitaret.

IV.
[h] Ricord. cap. 131. Villan. l. 6. cap. 23. Blond. 2. dec. 7.
[i] Colon. in Annal. Trithem. in Chron. Hirsaug.
[k] Blond. ibi. Krantz. 8. Saxon. 5. Naucler. gener. 4
HENR. REX GERM. IN PATREM MACHINATUS, AB EO PUNITUR.
[l] Trith. ibid.

Cùm anno superiori Henricus Rex Friderici Imperatoris filius, sive zelo justitiæ ob iniqua patris facinora, ut antiquiores Itali [h] historici referunt; sive pravorum hominum instigatione, ut nonnulli Germani [i], (plerique enim rem quidem narrant, sed causam reticent:) consilia in patrem cum aliquibus Germaniæ Principibus, & Civitatibus [k] fœderatis Lombardiæ agitâsset: (& sunt qui scribant, Mediolanenses et tacitè coronam Italiæ, quam patri denegaverant, promisisse:) de his certior factus Fridericus, præsenti anno è Siciliâ in Germaniam properavit: filium persuasione Magistri Teutonicorum ad se venientem custodiæ mancipavit; ac post mutatos sæpiùs carceres, demùm in Apuliam transmisit, ubi per quinquennium in arctâ custodiâ usque ad obitum detentus est: Deo (inquit Trithemius [l]) meritis suis vicem reddente, qui regnum Alemanniæ prædonibus exposuerat, ac viros Religiosos & Ecclesiasticos violenter oppresserat. Quæ scelera apud nullum antiquiorem legimus Henrico objecta, quantumvis Friderico faventem. Coloniensis ait, receptum filium in gratiam patris, quòd non staret promissis, custodiæ mancipatum esse à patre. Parisius, filium à patre quodam munitissimo castro obsessum, patri se dedidisse; & laxiori custodiâ detentum, cùm venenum patri procurâsset, durioribus vinculis traditum esse, quibus posteà miserè periit. Ex quo eadem Sigonius [m]. Addit tamen iste ex Blondo, Krantzio, Nauclero, (quibus & Collenutius [n] & alij adstipulantur,) Fridericum in his auctoritate Gregorij Pontificis usum, literas ab eo obtinuisse ad Principes Germaniæ, quibus eos à filij partibus avocavit. Cujus etiam ad eundem ipsum Henricum filium extant literæ [o] hortatoriæ ad obedientiam patri reddendam. Ita in omnibus ei Pontifex morem gerere, quò in officio contineret, studebat. Sicuti & dispensavit cum eodem, ut Isabellam Regis Angliæ sororem, gradu affinitatis prohibito ipsum attinentem, uxorem ducere posset: cujus nuptias hoc ipso anno Wormatiæ ingenti magnificentiâ celebravit. Cúmque insuper rogatus ab eo Pontifex esset jura regni Ierosolymitani tueri adversus nonnullos ea labefactare conantes; scripsit Perusio quinto Calendas Augusti ad Magistrum [p] Hospitalariorum, ut omni modo efficeret nequid molitionis in ejus ministros fieret. Cæterùm Henricum tandem jussu patris in carcere necatum fuisse, plerórumque opinio fuit: qui minùs senserunt, eum squallore carceris ac pædore miserè extinctum tradunt. In cujus locum *Conradum* alterum filium, Ierosolymorum ex matre Regem, in Regem etiam Germaniæ paulò pòst patre expetente, coronatum fuisse, omnes consentiunt.

[m] Sigon. de Regn. Ital. l. 17. in fin.
[n] Collen. Hist. Neap. lib. 4.
[o] In Formul. Mar. Ebol. tom. 1. in Vatic. & Colleg. Fux. Tolos.
[p] Rec. ep. Bos. ex Reg Greg IX. in Hist. Hospital. lib. 18.
CONRADUS REX IEROSOL. ET GER.

V.
[q] Dubrav. l. 16. ad pr.
PERICULUM IMPERATORIS À REGE BOËMIÆ.

Habet item Historia Boëmica [q], accidisse cùm Imperator Bambergæ esset, adesśetque etiam Wencenslaus Rex Boëmiæ, qui nuper Othocaro patri defuncto successerat, & uti pacis publicæ perturbator accusabatur; ut acerbiùs propterea Imperatore privatim cum eo agente, ipsóque calumniam à se rejiciente, jurgium inde acrius inter ipsos excitatum fuerit: (ut erant scilicèt à lauto prandio ambo vino haud minùs quàm irâ æstuantes) cúmque retrusus etiam fuisset Rex manibus Imperatoris, Rex dexteram ejus suâ lævâ accipiens, alterâque stringens gladium, promptè juraverit se illum confossurum, si non sospes omnibus suis fortunis salvis dimitteretur: Eo periculo territum Imperatorem, cùm solus ei adesset Episcopus Bambergensis, qui ne posset cubiculo egredi ad vim conclamandam detinebatur à quodam Comite Wenceslai, res enim inter ipsos solos quatuor agebatur) sanctè promisisse se nihil Regi ejúsque rebus nociturum: Regem inde ad hospitium, móxque in Boëmiam recessisse: Mutâsse verò paulò pòst cognomen suum, dum inter venandum parùm cautus in ramum obviam impingens, alterum amisit oculum, unde Monoculus deinceps pro *Othocaro* (quæ ferè communis fuit cognominatio omnium Boëmiæ Regum post partem [r] hujus Wenceslai) nuncupatus fuit: Adeò autem Imperatorem præter omnem expectationem patratæ nuper audaciæ memoriam deposuisse, ut celebraturus nuptias cum sorore Regis Angliæ, inter præcipuos hospites multis juramentis, reconciliati animi velut testibus, ad se Wenceslaum evocaverit, nullúmque comitatis atque liberalitatis in eum genus prætermiserit.

[r] Vid sup. an. 1200. II.

VI.
[s] Bonfin. & alij Rer. Hungar. scriptores.
ANDREÆ REGIS HUNGAR. OBITUS.
[t] To. Rer. Germ. Vrstis.

Hoc quoque anno [s] mortem obiit *Andreas* Hungariæ Rex, postquàm regnâsset annos triginta quatuor: qui ubi audisset S. Elisabethæ filiæ suæ obitum, ingenti tristitiâ correptus, quod filiæ præstantiam ut par erat non coluisset, reliquam vitam in languore traxit; ut Bonfinius habet. Legitur nihilominus in antiquo Chronico [t] Monachi Paduani rerum in Lombardiâ & Marchiâ Tarvisinâ suo tempore gestarum; hoc ipso anno Beatricem quondam Aldrenandi Marchionis Estensis filiam, eidem Andreæ Regi esse matrimonio conjunctam; ægerrimè licèt id ferentibus Belâ & Colmano Andreæ filiis, quòd timerent ne pater senex filios de juvenculâ susciperet. Relictam autem illam gravidam à moriente Andreâ cùm à Belá ejus filio summâ diligentiâ custodiretur, & interim advenissent in Hungariam legati Imperatoris, ipsam sese iis in reditu veste virili sociâsse ut sic effugeret crudeles manus privigni: peperisséque in Germaniâ filium, quem Stephanum appellavit; móxque domum paternam cum prole revertisse. Rem tamen aliter narrantes historici Hungarici [u], aiunt Andream in reditu ab expeditione Syriacâ apud Estensem hospitatum, duxisse prædictam ejus filiam formâ excellentem: eámque gravidam à Rege relictam, declaratâ proceribus Hungariæ graviditate ad sua se recepisse, ibique Stephanum peperisse, qui post varias fortunas Venetias se recipiens, patricidij cujusdam viri ex Maurocenorum familiâ locupletissimi filiam uxorem duxerit, & ex eâ Andream genuerit, qui posteà regnum Hungariæ (ut suo loco [x] videbitur) obtinuit. Modò verò prædicto Andreæ seniori successisse *Belam* filium natu majorem, Regum Hungariæ ejus nominis Quartum, qui jam anteà regni administrationem volente patre susceperat, ex iisdem auctoribus constat,

[u] Thuros. pa. 1. c. 82. Bonfin. 2. dec. 9.
[x] Infrà an. 1290. VIII.
SUCCEDIT BELA FILIUS.

VII. Iudæi in Angl. ob puerum ad crucifixionem raptum puniti.

Hoc denique ineunte anno Henricus Rex Angliæ meritas pœnas sumpsit de nonnullis Iudæis, qui Nordwici puerum quendam Christianum furtim sublatum, circumcisúmque, totum integrum annum nutrierant, ut solemnitate Paschali cruci affigerent, in contumeliam Passionis Christi; quam rem narrant Parisius, Westmonasteriensis, & Polydorus. Eandémque, ut puto, repetit idem Parisius, cæteris tacentibus, post quinque annos: nisi aliquot additæ circumstantiæ, (ac præcipuè quòd cùm capti jussu Episcopi Iudæi, auctoritate regali se tueri vellent, exceperit Episcopus, hujusmodi judicium, quo ageretur de circumcisione & fidei læsione, non ad Regem, sed ad Ecclesiam pertinere) præfractam gentis malitiam idem iterùm tentâsse persuadeant.

Iesu Christi Annus 1236.

Greg. IX. An. 10.

Friderici II. An. 17.

Balduini II. An. 8.

I. [a] Paris. in Henr. III. Sigon. lib. 18. in princ. Frider. Imper. exercitum ducit in Lombardiam.

Anno [a] Christi millesimo ducentesimo trigesimo sexto, Indictione nonâ, Fridericus Imp. in Civitates confœderatas Lombardiæ exacerbatus, quòd & filium sollicitâssent, & nova in ipsum molirentur; Gregorium Pontificem è Germaniâ rogavit, ut aut ejus studio pax honesta conciliaretur, aut sibi adversùs illas adesset. Qui rescribens, caveret ne armatus in Italiam intraret, quòd adhuc induciæ Lombardis pro Terræ Sanctæ subsidio comparando concessæ manerent, séque accuratissimè rem tractaturum; ac propterea Magistrum Teutonicorum prò parte Imperatoris & Procuratores civitatum Romæ adesse jussisset: adveniente ad diem Teutonico, cùm cæteri defuissent, irritatior factus Imperator, Teutonico revocato, exercitum in Italiam duxit, ac Vicetiam deditione accepit. Quo eventu territis Civitatibus, & ad Pontificem recurrentibus; ipse iteratis literis Imperatorem monuit Teutonicum remittere, nec levi de causâ Italiam miscere, & negotium Terræ Sanctæ impedire.

[b] Ab. Paris. & Sigon. ibid. Ejus excusationes ad Pontificem.

Reperiuntur [b] verò ejusdem Friderici literæ, cùm primùm Pontifex ad eum de his scripsisset, redditæ; quibus intelligitur quo animo in his esset, quámque speciosis coloribus causæ suæ deformitatem obtegere consuesceret: Italiam scilicèt hæreditatem suam esse; anhelare verò ad aliena, (nempè quæ Saraceni possidebant) & propria relinquere, ambitiosum esse & enorme; præsertim cùm Italicorum, ac præcipuè Mediolanensium injuriis lacessitus esset: cúmque tot hæreses non tantùm pullularent, immò silvescerent in Italiâ, & jam zizania segetes inciperent suffocare per civitates Italicas, præcipuè Mediolanensium; transire ad Saracenos hostiliter expugnandos, & illos incorrectos pertransire, fore vulnus infixo ferro fomentis superficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare: nec ad tantum laborem expugnandi inimicos Crucis: sufficere solùm se, nec sibi thesauros ad tam arduum negotium suppetere: quare vires & opes Italiæ in opem & ultionem Crucifixi convertere se destinâsse: abundare quippe Italiam armis, equis & opibus. Cæterùm illum ad turbandam Italiam inductum maximè fuisse ab *Ezelino* seu *Ecelino*, sive Icilino, quem *De Romano* ab oppido paternæ originis Marchiæ Tarvisinæ ejus nominis vocârunt, oriundo tamen ex Germaniâ, & obscuro [c] loco, (cujus avus ejusdem nominis gregarius miles Othonem III. in Italiam secutus fuerat) sed potentiâ in Lombardia claro, Ecclesiæ hoste & morum immanitate omnes homines hoc sæculo superante; ex diversis auctoribus intelligitur.

[c] Sabell. 1. dec. 9.

III. De Frider. Duce Austriæ perversissimo. [d] De quo omnes earum gentium historici: colligitque in num Cuspin. in Austr. in Frider. II.

Quæ verò prætereà Imperator hoc anno in Lombardiâ & Germaniâ egerit, narrant ejus temporis scriptores Coloniensis, & Paduanus, quíque pòst vixerunt Blondus, Trithemius, Nauclerus, Sigonius, & alij. Et quidem in Germaniâ agendum illi fuit cum alio *Friderico Duce Austriæ*, turbulentissimi & ipso ingenij viro; quíque diù vires Imperij, regnorúmque Hungariæ & Boëmiæ fatigavit, fugatus licèt sæpè & spoliatus, nec victus unquam quiescens nec victor; unde & *Bellicosi* cognomen adeptus [d] est: *Rixosus* potiùs dicendus: itémque *Sacrilegus*, qui inter alia impia facinora, uno die cuncta totius Austriæ cœnobia inopinatò suis thesauris spoliâsse reperitur: & *Impius* in parentes, qui & matrem suam custodiæ mancipavit: & *Rapax* in subditos, qui præter novas & insolitas exactiones, deposita diripuit violenter: & *Impurus*, qui eximias formâ civium uxores stupravit: & *Fidifragus* in omnes Principes: & quicquid denique vitij in Principe excogitari potest; unde tam suis quàm exteris execrabilis plerúmque fuit. Nuper autem ab Imperatore, ob contumaciam, quòd ejus mandata semper contempsisset, & ob aliorum in ipsum quærimonias, publicè proscriptus, cùm hæc aspernaretur, & missas adversum se copias bellicas eluderet; ipsummet Imperatorem in Austriam ire compulit, qui eam occupavit; & Viennam Austriæ metropolim, Imperialem urbem creavit; quam tamen paulò pòst Dux Fridericus cum reliquâ ditione suâ recuperavit.

IV. Conversiones aliquot Principum Mahometanorum.

Hoc ipso anno Regis Tunetani in Africâ nepos per Fratres Prædicatores in fide Christianâ instructus, dum Romam properaret ad baptismum à Pontifice suscipiendum, Siciliam præternavigans à Siculis captus, spoliatus, & in custodiâ positus est. Quâ de re certior factus Pontifex, graves pro ejus liberatione ad Fridericum Imp. & Siculos literas dedit Interamnâ nono Calendas Iulij. Ac nescio utrùm ad prædicti Principis conversionem pertineat quædam alia ejusdem Pontificis epistola [e] scripta anno superiori Idibus Maij Perusio ad Regem Tuneti; quâ testatur se recepisse literas ab eo Rege ad se scriptas per duos cives Ianuenses, iisque cognovisse ipsius devotionis affectum: quòd verò quæ proposuisse diligentiori tractatu gerenda essent, commisisse se Ioanni Ministro Ordinis Minorum in Barbariâ, ut cum Rege de iis ageret, cui omnium à se fidem adhibere tutò posset. Quod enim aliud negotium tractandum esset, non reperimus: & scimus his temporibus rem fidei ac Religionis pro-

[e] Rec. Vvadding. Annal. Minor. an. 1235. ex Reg. Vatic.

miscuè utriusque Ordinis Minorum & Prædicatorum Patribus committi à Pontificibus consuevisse. Reperimúsque [f] etiam Zeitium Abuzeitium Valentinorum Saracenorum in Hispaniâ Regem, paulò antè hæc à Zaëne tyranno regno exactum unà cum filio Abahomete, eo prætextu quòd clàm consilia cum Summo Pontifice & Iacobo Aragoniæ Rege agitâsset de superstitione Mahometanâ ejurandâ: ídque ipsum fœdere cum Iacobo inito posteà præstitisse, ac Christianæ fidei sese palàm addixisse, aditúmque Iacobo aperuisse ad regnum Valentinum: cui & nomen inditum ferunt *Vincentij Belvisij*: háncque ipsius Christianismi professionem prædictam [g] olim ei fuisse à duobus Fratribus Minoritis, quos ad supplicium ob fidem Christi Valentiæ rapi jusserat.

[f] Ap. Surit. Indic. l. 1. & 2. Gomes in Vit. Iacob. Reg. l. 5. Marian. lib. 11.

[g] Vvaddingh. an. 1231. & 1238.

V. GREG. PP. SOLICITUDO DE REBUS PRINCIPUM.

Quo item anno Gregorius [h] Roberto Comiti Atrebatensi, & Alfonso Pictonum, fratribus Ludovici Francorum Regis, indulsit ut Robertus cum Mathilde Ducis Brabantiæ filiâ, Alfonsus cum Ioannâ Raymundi Comitis Tolosani, matrimonium inire possent, quod salvis propter sanguinis propinquitatem legibus contrahi non poterat. Cúmque idem Raymundus promissorum suorum in pluribus immemor, multa rursùm contra Ecclesiasticos & Inquisitores fidei præstitisset; ac Regis Ludovici, hortante Pontifice, operâ iterùm omnia in integrum restituisset: jussit Pontifex absolutionem ei per Raymundum Peñafortium Capellanum & Pœnitentiarium suum impertiri; per quem & Iacobum Aragonum Regem, & Comitem Roncilionis, qui in Canonem inciderant, ille quòd electum Cæsaraugustanum civitatis Oscensis introitu exclusisset, iste quòd hæresim fovisset; utrumque pœnitentem pariter absolvit. Et Othonem tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem Legatum in Angliam à Rege petitum, misit ad res componendas inter ipsum & Scotiæ Regem de juribus suis dissidentes; & Cleri statum recognoscendum, ac corrigendum. Quem anno sequenti in Angliam appulisse, Parisius habet: præsenti verò expostulationes Regis Scotiæ in Anglum commemorat.

[h] Reg. Greg. an. 10.

VI. IUDÆI MULTIS LOCIS PEREMPTI.

Eodem anno in Galliis, qui Crucem ad subsidium Christianorum Orientalium susceperant, interim dum generalis expeditio parabatur, arma in Iudæos convertentes, aliquot eorum millia omnis sexûs & gradûs peremerunt, quòd recusarent Christi fidem suscipere quos à Ludovico Rege compesci Gregorius monuit [i], & Iudæos secundùm legem suam vivere permitti. Ad fidem enim eos vi compelli, haud omnibus probatum, vidimus aliàs [k]. Cùm alioqui perversissima gens, & Christiani nominis inimicissima, nunquã cessaverit ei insidiari, & Iesum Dominum in membris suis contumeliis afficere: ut etiam de hoc ipso tempore vidimus anno superiori; & præsenti ponit tunc vivens auctor Fragmenti Historici, Alberti Argentinensis Chronico in manuscriptis codicibus præfixi soliti, & compendiosiùs Trithemius [m], Iudæos in oppido Fuldensi quosdam pueros Christianorum, ut eorum sanguinem reciperent ad suum remedium, in quodam molendino clàm peremisse: eóque comperto scelere multos ex eis fuisse ab oppidanis occisos & combustos: corpora puerorum ad Imperatorem Fridericum Haganoam delata, uti martyrum sepulta fuisse: Imperatorem inquisitione factâ utrùm Iudæi necessarium haberent sanguinem Christianorum in Parasceve, cùm nihil certi reperisset, pecuniâ à Iudæis acceptâ tumultum adversus eos concitatum sedâsse. Denique Parisius, tum aliis locis, tum maximè in Hispaniâ magnam factam esse hoc anno stragem eorundem Iudæorum scribit: unde qui in Angliâ erant sibi timentes, datâ Regi pecuniâ obtinuisse proclamari ne quid molestiæ ipsis fieret.

[i] Reg. an. 10.

[k] Vid. Indic. Epit. verb. Iudæi.

[l] Ext. tom. Rer. Germ Vrstis par 2.
[m] Trith. in Chron. Hirsaug.

QUINQUE PUERI MARTYRES AB IIS.

VII. VARIA PORTENTA DIVERSIS LOCIS.

Eodem anno visas esse mense Maio in Angliâ & Hiberniâ, varias equitum armatorum formas in cœlo velut instructis ac dispositis aciebus dimicantes; & circa tempora æquinoctialia bis eandem Angliam immensis inundationibus vastatam esse cum ingenti fructuum hominúmque jacturâ; narrat Parisius, atque ex eo alij. Et Aventinus [n] pleráque alia prodigia ejusdem temporis recensens, quæ futuras calamitates portenderint, inter cetera ponit, in finibus Charionum in oppido Stain, dum quidam sacerdos sacrificaret, victimam Sacrosanctam in carnem & sanguinem commutatam esse: In Rathstadio oppido in Alpibus Noricis infantem cornutum natum esse, cujus vagitus atque ploratus quatuordecim antè dies quam ederetur auditus fuisset: Terram tremuisse in Burgundiâ: montémque aliò de improviso migrantem quinque millia hominum obruisse: Signa in Sole & Lunâ apparuisse.

[n] Avent. Annal. Boior. lib. 7.

VIII. REX LUDOV. LIBERATUR AB INSIDIIS ASSASINORUM.

Historiæ verò Francorum tradunt [o], invidentem dæmonem bonis operibus Ludovici Regis, sibique ab eo timentem, immisisse hoc anno in cor Arsacidæ Assasinorum Senioris, seu Vetuli [p] de montanis, ut mitteret de suis qui quocumque modo eum occiderent: Sed Deo animum ejus immutante, eundem Arsacidam quantociùs alios direxisse, qui Ludovicum monerent ut a prioribus sibi caveret: támque istos, quàm priores inventos, à Ludovico muneribus affectos esse, & ad dominum suum cum pretiosis etiam ad ipsum donis remissos: Ejus tamen occasione periculi Regem latus suum custodibus postmodùm sepsisse armatis; nec temerè cuiquam aditum ad se dedisse.

[o] Nang. in Vit. S Ludov. & in Chron. Æmil. Bellefor. &c. Vincent. lib. 30. cap. 137.
[p] Vide suprà an 1231. IV.

IX. CASTELLÆ REX MULTA ADIMIT MAURIS.

In Hispaniâ quoque rebus prosperè contra Mauros procedentibus, hoc eodem anno Corduba regia eorum in Bœticâ civitas, post semestrem obsidionem à Ferdinando Castellæ ac Legionis Rege deditione capta est in festo Apostolorum Petri & Pauli, 3. Calendas Iulij. Templum quod Mahometis superstitioni dicatum erat, expiatum Christiano ritu, sacratúmque ab Episcopis qui aderant: sed campanas, quas Alhagibus Almanzor maximus ipsorum dux ante ducentos sexaginta annos Compostellâ ablatas, ut victoriæ monimentum esset, in Cordubense templum intulerat, exæquatâ ignominiâ Mauri succollantes Compostellam retulerunt. Rex verò Ferdinandus ad veteres titulos Castellæ & Legionis, *Biatiæ* etiam (quæ alia erat Maurorum regia urbs Bœticæ, in illâ eorum Imperij in minutissimas partes dissectione non ita pridem iis adempta) & *Cordubæ* se Regem dixit lepido inventu ad multiplicandos facilè Regnorum titulos. Rem verò gestam prolixiùs narrant Roderi-

cus [q] Archiepiscopus Toletanus, & Lucas [r] Tudensis tunc viventes; & ex iis aliisque Ioannes Mariana [s].

[q] Roder. Tol. l. 9. cap. 16. & 17. [r] Tudens. Chron. Mund. in fin. [s] Mar. lib. 12 cap. 18.

X. B. IORDANI GENER. PRÆDICAT. NAUFRAGIŪ.

Hoc item anno *B. Iordanus* primus post S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Generalis, vir scientiâ, prudentiâ, pietate valdè insignis, ac miraculis tam in vitâ quam post mortem clarus, celebravit Parisiis ad Pentecosten Comitia totius Ordinis, quæ vocârunt Generalissima. Post quæ Ierosolymam, visendi sancta loca, ac Fratrum cœnobia visitandi gratiâ navi delatus, in reditu propè Acconem sive Ptolemaïdem ortâ gravissimâ tempestate periit Idibus Februarij anni proximi (non præsentis, ut multi ponunt) unà cum duobus sociis, & nonaginta novem aliis qui navi eâdem vehebantur. Ad cujus & sociorum corpora inhumata, luminaria de cœlo singulis noctibus effulgere visa sunt, Crucésque multæ; fragrantissimúsque inde odor manare cœpit: usque dum ab incolis sepulturæ tradita, delata inde sunt ad ipsorum cœnobium Acconense. Narrantur hæc, & alia de eo præclara in ejus Vitâ [t]: quam & compendio retulit S. Antoninus [u], dum præcipuorum ejus Ordinis (cujus & ipse professor) virorum gesta recenset, atque Summorum Pontificum, Cardinalium, & Episcoporum, qui ad sua tempora ex eo prodierunt, necnon & Magistrorum Generalium qui illum rexerunt, Scriptorúmque qui illustrârunt, ac denique provinciarum & cœnobiorum tunc per orbem existentium catalogum profert. Electus est autem in Iordani locum Magister Generalis in Comitiis Bononiensibus anni 1238. Fr. *Raymundus de Peñaforti* (cujus jam sæpè facta superiùs mentio) tunc agens in patriâ suâ Barcinone: qui post biennalem præfecturam eâ cessit: & sicut Decretales Pontificum compilaverat, ita & Ordinis sui constitutiones, quæ priùs indistinctè vagabantur, in Ordinem redegit: Summámque Casuum conscientiæ valdè utilem post se reliquit.

[t] Ap. Sur. 13. Febr. [u] Ant. tit. 23.

XI. B. DIANA PRIMA FEMINARUM ORD. IN. PRÆDICAT.

Eodem præsenti anno mortua dicitur *Diana* nobilis virgo Bononiensis: quæ olim in manibus S. Dominici virginitatem & religionem ipsius Ordinis professa, suscepto ab ejus successore Iordano habitu, invitissimis parentibus, quibus unica erat, fundatóque monasterio S. Agnetis, in eo piè & sanctè vitâ per duodecim circiter annos transactâ prima feminarum ex eo Ordine, virtutum & miraculorum laude clara, in cœlum hoc anno evolavit. De quâ plura scriptores Ordinis.

IESU CHRISTI Annus 1237.

GREG. IX. An. 11.

FRIDERICI II. An. 18.

BALDUINI II. An. 9.

I. CONVERSIO PATRIARCHÆ IACOBITARUM.

ANNUS Domini millesimus ducentesimus trigesimus septimus, Indictionis decimæ, maximam lætitiam attulit universæ Ecclesiæ, ipsique imprimis Gregorio ejus Pontifici, & conversione Patriarchæ Iacobitarum Orientalium: qui cum magno Archiepiscoporum, Episcoporum, & Monachorum suæ sectæ comitatu (præerat ille Chaldæis, Medis, Persis, Armenis, aliarúmque plurimarum provinciarū à Saracenis occupatarum Christianis) Ierosolymam veniens ad loca sancta visitanda, hortationibus & prædicationibus Fratris Philippi Ordinis Prædicatorum Prioris Terræ Sanctæ divinitùs tactus; in processione solemni quæ die Palmarum in descensu Montis Oliveti fieri consueverat, antiquâ abjuratâ hæresi, promissâque obedientiâ Romanæ Ecclesiæ, habitum ejus Ordinis assumpsit. Eandémque abjurationem, & obedientiæ professionem, imitati sunt duo alij Archiepiscopi, alter Iacobita Ægyptius, Nestorianus Orientis alter. Ipsíque eorum Patriarchæ, aliorum Fratrum Prædicatorum operâ, id ipsum præstare promiserunt; cùm esset Iacobitarum Ægyptiorum longè depravatior quàm Orientalium fides, (utpotè qui circumcisionem more Saracenorum aliis erroribus adderent) subesséntque eorum Patriarchæ minor India, Æthiopia, Libya, & Ægyptus; Nestoriano verò India major, & regnum Presbyteri Ioannis, aliæque Asiæ provinciæ. Extant enim de his literæ prædicti Philippi ad Gregorium Pontificem scriptæ; quas recitat Parisius [a], partémque earum Godefridus Monachus Coloniensis, qui hoc anno Annales suos claudit. Addit verò Parisius, hæc præstitisse Patriarcham illum Iacobitarum Orientalium, metu Tartarorum; quòd cùm illi regiones ei subjectas vastâssent, ipséque auxilium à Saracenis adversus eos quæsîsset, nec invenisset; ad Christianos recurrerit: postquàm verò res ejus in meliorem statum reductæ sunt; coactum à magnatibus suis à fide turpiter resiluisse. Quod non semel postea in Orientalibus illis hæreticis, Græcísque, experta est magno suo dolore Ecclesia Catholica. De Iacobitarum autem & Nestorianorum erroribus jam aliàs dictum: quos & explicant qui de Hæresibus scripserunt, ac speciatim qui his iisdem temporibus vixit, & in Oriente versatus est, Iacobus Cardinalis de Vitriaco [b]: ex quo ad verbum descripsit Parisius, tacito tamen ejus nomine. Ait autem, Iacobitarū præcipuos tunc errores fuisse, quòd Circumcisione unà cum Baptismo uterentur: Confessionem peccatorum non sacerdotibus, sed soli Deo secretò facerent, ponentes thus juxta se in igne, tanquam cum fumo peccata sua ascenderent ad Dominum: parvulos suos ante Baptismum ferro candenti in frontibus, vel genis, aut temporibus cruce signarent, putantes eos per ignem materialem expiari, eò quòd in Evangelio Ioannes Baptista de Christo dixerit, Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & Igne: unam naturam in Christo, quemadmodùm unam personam, esse assererent.

[a] Paris. in Henr. III. hoc an. QUÆ PAUCO TEMPORE DURAVIT.

[b] Vitr. Hist. Orient. c. 76. & 77. ERRORES PRÆCIPUI IACOBITARUM HUJUS TEMPORIS.

II. IMPIETAS REGIS TARTARORUM.

Quod verò ad depopulationes Orientis, his temporibus per Tartaros factas; accidit [c] alicubi, ut cùm eis occurrerent quidam Monachi nigri Syriani vel Græci cum Cruce, cereis, & aquâ benedictâ, ut eos sibi propitios redderent; eosdem Rex Tartarorum de vitæ genere modóque vivendi, déque Deo ac religione interrogatos, cum omni eorum substantiâ includi jusserit, & flammis impiè absumi, additâ ironiâ, magno se illos afficere beneficio, quòd cum omni substantiâ transmitteret ad Deum suum.

[c] Magn. Chron. Belg. ex Alber.

III.
[d] Ext. ejus epist. in Vit. Aquil. rer. Suet. ex cod. Vatic.
Tavestorum in Christianos crudelitas.

Quo item anno scribens Gregorius [d] quinto Idus Decembris ad Archiepiscopum Vpsalensem in Suecia & suffraganeos ejus, Crucem prædicari jussit contra *Tavestorum* gentem, quæ olim multo labore ad fidem Catholicam conversa, rursúmque ad antiquam Gentilitatem reversa, parvulos baptizatos interimebat, adultos quosdam extractis primò visceribus dæmonibus immolabat, & alios usque ad amissionem spiritûs arborem circuire compellebat: sacerdotes quosdam exoculabat, alios manibus & cæteris membris mutilatis, reliquos paleis involutos igne cremabat.

IV.
Bald. Imp. Cóstant. venit in Occid. suppetias petiturus.

Intereà rebus Imperij Constantinopolitani valdè afflictis à Ioanne Batatze Græcorum Imperatore & Asano Bulgaro, dum Ioannes Brennensis resistit, Balduinúsque Imperator Pontificis opem, Regisque Francorum, atque aliorum, per se ipsum implorat; ac Pontifex tam Fridericum Imp. aliosque Principes Christianos ad subveniendum sollicitat, quàm hostes literis ac nunciis ab ejusdem Imperij invasione diversis rationibus avertere conatur: (sunt enim ejus plurimæ de his rebus scriptæ hoc anno literæ in Regesto ipsius:) Veneti à Brennensi, jure veteris eorum cum illo Imperio amicitiæ, & communis periculi, exciti, (habuerunt enim & ipsi Constantinopoli ab ipsâ ejus occupatione perpetuum magistratum, sive prætorem, qui suorum curam gereret; nec paucas insulas eo mari possidebant, quas Græci infestare non cessabant) classem educentes, hostem disjecerunt, fugárúntque: ut narrant ipsorum historici. Obiisse autem Brennensem hoc ipso anno, magno rerum Constantinopolitanarum damno, multi [d] volunt: quamvis id alij in annum Domini 1240. differant. Eumdémque in extremâ ægritudine habitum sancti Francisci, sic divinitus iteratis visionibus jussum, induisse, & magno exercendæ humilitatis & paupertatis desiderio decessisse, multis testibus probat Waddinghus in Annalibus [e] Minorum. Duos verò filios superstites reliquisse, intelligitur ex quâdam epistolâ [f] Friderici Imp. ejus quondam generi, post auditum ejus obitum scriptâ, quâ ipsos ad se deduci jussit.

[d] Paris. Blond. &c.
Ioannis Bren. obitus.
[e] Vvadding. ann. 1240.
[f] Ap. Petr. de Vin. 4. ep. 15.

V.

In Italiam verò Fridericus ex Germaniâ ineunte autumno rediens, parvi pensis Gregorij Pontificis precibus ac monitionibus per diversos Nuncios, & Cardinales Legatos repetitis [g]; quibus eum ab infestatione Civitatum Lombardiæ dimovere eò propensiùs sategit, quò exploratius habuit, Fridericum his armis magis ipsummet Pontificem quàm Lombardos petere: Mantuam adortus, in deditionem accepit Cal. Octob. Montemclarum, aliáque plurima loca in agro Brixiano expugnavit, & igne delevit: indéque Mediolanenses, cum Bononiensibus, Placentinis, aliísque sociis jam & ipsi Brixiæ timentibus, ad sexaginta millia armatorum magno animo occurrentes, ipse pollens exercitu centum millium tam Germanorum, Apulorum, ac Lombardorum, quàm etiam Saracenorum; secúmque elephantem habens, super quem castellum instar carrocij [h] constituerat, signis in angulis ac vexillo exercitûs in medio posito decoratum, ipsius elephantis magistro atque aliquot Saracenis ad castelli defensionem impositis; cùm eos aperto marte ad certamen pellicere non posset, per insidias adortus ad locum Curtemnovam dictum 5. Cal. decemb. magnâ clade affecit; quâ cæsa sunt decem hominum millia, captum Mediolanensium carrocium: (vexillo tamen ablato ab eo cui ejus custodia demandata fuerat; unà cum cruce malo superpositâ:) ac præter cæteros nobiles, ipse Mediolanensium ejus anni Prætor Petrus Teupolus Iacobi Ducis Venetiarum filius captivus factus, & ad carrocium captum, atque elephante tractum, vinculis alligatus in triumphum Cremonam ductus.

[g] Reg. Greg. an. 11. Vit. ms. colleg. Fux. Tolos. Blond. 2. dec. 7. Krantz. 8. Saxon. 6. Naucler. gen 42. &c.
[h] Vid. supr. ann. 1214. XII.
Frider. Imp.
Lombardos magno prælio vincit.

VI.
Eius elatio ex hac victoria.

Quâ victoriâ plurimùm gloriatus Fridericus, ad Principes magnificè atque elatè ad eos de eâ scripsit, ut nec officiis sepulturas sufficere, nec Cremonæ palatia multitudinem captivorum capere posse asseruerit. Quin etiam aliquot carrocij frusta Romam misit, jubens ut ad prodendam rei memoriam conservarentur. Denique hâc clade acceptâ omnes fermè civitates, præter Mediolanum, Brixiam, Parmam, & Bononiam, ad ejus auctoritatem & obsequium redierunt: cùm & aliâ parte tyrannus Ecelinus hujus anni principio Patavium, aliásque civitates occupâsset. Tractantur ista breviter ab ejus temporis auctoribus, Monachis Coloniensi & Paduano: prolixiùs à Parisio, qui & literas à Friderico de victoriâ scriptas ad Richardum Cornubiæ Comitem sororium suum, fratrémque Henrici Regis Angliæ, recitat: sed in cæteris more suo quasdam nugas immiscet: quam Sigonius [i] camdem historiam ex ipso referens prudenter evitavit. Extátque insuper ejusdem Friderici ad Pontificem & Cardinales de eâdem victoriâ thrasonica epistola apud Petrum de Vineis [k]. Agúntque de iisdem & plurimi alij. E' quibus Blondus & Krantzius observant, haud cessisse victoriam Friderico incruentam; sed tam multos ex ejus exercitu interfectos vulneratósque fuisse, ut potiundi Mediolani spe positâ, quæ haudquaquàm tenuis videri poterat, Cremonam redierit. Quinimmò in Chronico Bossiano traditur, Mediolanenses confestim resumptis viribus, bellum ultrò Imperatori denunciâsse, & ad certamen provocâsse: si vir esset, aperto marte rem ageret, non insidiis more latrocinantium. Cæterùm Petrum Teupolum in Apuliam missum, in vinculis periisse, iidem ac plerique habent. Sed Antoninus [l], & ex eo Nauclerus [m], Mutinus [n], & alij collo suspensum fuisse jussu Imperatoris è quâdam turri in littore maris; cæterósque captivos diversis tormentis cruciatos miserè extinctos esse: ut delectabatur Fridericus supra modum atrocitate suppliciorum. Petri verò necis tempus distinctiùs notans Collenutius [o], nonnisi altero pòst anno collocat; cùm videlicèt classe Friderici à Venetis dissipatâ, (quod perperàm Sabellicus [p] & Petrus Iustinianus [q] ante cladem Curtisnovæ, ipsiúsquemet Petri Teupoli ductu contigisse scribunt) is in ejus rei vindictam ex turre vrbis Tranensis ad mare constructâ, à Fridericianis in oculis Venetorum laqueo suffocatus est.

[i] Sigon. de Regn. Ital. lib. 18.
[k] Petr. de Vin. 2. ep. 39.
[l] Ant. tit. 19. cap. 4. §. 4.
[m] Naucler. gener. 42.
[n] Mut. Germ. Chron. lib. 10.
Crudelitas in captivos.
[o] Collen. lib. 4.
[p] Sabell. 9. En. 6.
[q] Iustin. Hist. Ven. lib. 3.

VII.
Greg. PP. revocatur in Vrbem.

Quæ verò carrocij frusta diximus à Friderico Romam missa ad rei gestæ memoriam, ea contrà Romani in ejusdem contumeliam incenderunt: quippe qui jam Gregorio Pontifici peni-

tùs reconciliati, eum post multorum annorum absentiam ingenti exultatione & veneratione susceperant [r], accitum in Vrbem per Iacobum Capocium nobilem ac potentem civem frustra obnitentibus Petro Frangipane Friderici fautore; & Ioanne Cincio Senatore Vrbis, ab eodem Friderico pecuniis corrupto ut regressum Pontificis impediret. An quæ, aliaque nefanda in Pontificem & Ecclesiam machinanda recens inductum fuisse Fridericum, narrat auctor Vitæ ejus tunc scriptæ, ex eo quòd Pontifex muneribus tentatus à Friderico, & solicitatus de tradendâ quâdam suâ nepte in matrimonium filio naturali ipsius Friderici; hæc Gregorius non minori constantiâ rejecisset, quam fuissent levitate à Friderico proposita.

[r] *Vit. Greg. MS. Blond. 2. dec. 7. Platin. in Greg. IX. Sabell. d. l. 6. Naucl. gen. 42.*

VIII. Quo etiam tempore accidit, ut cùm ad temperandum Friderici furorem adversus Mediolanenses, & pacificandos tumultus Lombardiæ; misisset Pontifex Cardinales Legatos Raynaldum Episcopum Ostiensem & Thomam Capuanum tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum, cum plenariâ potestate controversias omnes cognoscendi atque dirimendi (de quorum missione extat ejusdem Pontificis ad ipsum Fridericum epistola, quâ hortatus est ut eorum arbitrio rem totam permitteret:) quamvis eâ parte res effectu caruerit, id tamen iidem Cardinales præstitisse reperiuntur, ut exceperint querelas Fratrum Minorum adversus Religionem Eremitarum Fratris *Ioannis Boni* Ordinis S. Augustini: qui Mantuâ oriundus, postquàm à joculatoriâ seu comicâ arte, cui cum circulatoribus se addixerat, quámque dolente vehementissimè piâ matre per varias Italiæ urbes multo tempore exercuerat, ex gravissimo morbo ad meliorem frugem redactus, ac mundo valedicens in eremum Cesenatensem pœnitentiam acturus secessisset, multos sibi adscivit discipulos: qui pecuniam pro eleemosynis aliisque subsidiis deposcentes, adeò variabant Ordinis sui substantiam, ut eisdem Minoribus uniformes viderentur, in multiplicem derogationem ipsorum, & scandalum plurimorum. Quibus per eosdem Cardinales Pontifici significatis, rescripsit ille, ut ad confusionem tollendam Eremitæ illi Augustiniani aut nigrum aut album sibi habitum eligerent. Cùm verò nigrum elegissent, ac nihilominùs nonnulli ex iis eum non admitterent, fuit rursùm eidem Gregorio Pontifici post aliquot annos novo decreto sanciendum, ut omnes nigrum gestarent, pœnâ excommunicationis in reluctantes decretâ. Neque tamen sic omnibus quiescentibus, habuerunt & Innocentius IV. & Alexander IV. iterùm atque iterùm de iisdem agere: ut de his omnibus diligentissimè disseruit Lucas Waddingus [s] Minorita, occasione prætenti Monachatûs S. Francisci, quem Augustiniani omninò volunt [t] discipulum fuisse ejusdem B. Ioannis Boni; pernegant Minores. Ipsius autem Ioannis Vitæ breviarium descripsit olim Antoninus [u]: quam non ita pridem Constantius Landensis Eremita Augustinianus fusiùs explicatam publicavit, ex processu de eâ facto jussu Innocentij Papæ IV. biennio post obitum ipsius Ioannis, qui contigit anno Domini 1249. cùm esset octogenario major.

DE B. IOANNE BONO EREM. AUGUST. EJUSQUE CONGREGATIONE.

[s] *Vvadding. Apol. de prӕt. Monachat. S. Franc. in calce tom. 1. Annal. Minor.*
[t] *Vide Bergom. lib. 12. ad fin.*
[u] *Ant. tit. 24. cap. 13.*

IX. Hoc eodem anno adveniens in Angliam Otho S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, (idem ipse, quem olim nondum Cardinalem, Nuncium egisse ibidem in Angliâ Honorij Papæ; & à Gregorio Cardinalem creatum, Germanicâ atque Danicâ legatione insignitum vidimus [x];) honorificentissimè à Rege & Clero exceptus, (cùm tamen non deessent qui ejus adventum improbarent, quòd cæteris inconsultis à solo Rege accitus [y] fuisset) & prudentissimè in omnibus, ac continentissimè in acceptandis oblatis muneribus se gerens: (quod fatetur, licèt invitè, Parisius, solitus omnes Romanæ Curiæ ministros turpis avaritiæ & rapacis expilationis accusare) imprimis quasdam graves discordias inter nonnullos magnates ortas sedavit: deinde apud Eboracum controversias Regum Angliæ & Scotiæ ibidem præsentium de juribus suis, cum bonâ utriusque gratiâ composuit: ac demùm post octavas S. Martini *Concilium* Antistitum totius Regni *Londini* celebravit. Cujus primâ sessione ortâ inter duos Angliæ Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem, qui ad latera Legati considere debebant, de ordine dissensione, quòd Eboracensis (ob antiquiorem, ut puto, consecrationem) dexteram sibi deberi contenderet; adjudicata nihilominùs ea est à Legato Cantuariensi, ob vetustiorem illius Ecclesiæ antiquitatem, ac potiorem dignitatem, & quòd in ejus provinciâ Concilium celebraretur. Deinde cùm agere vellet Legatus adversus eos qui plura beneficia Ecclesiastica possiderent, rogatus nequid in his innovaret, substitit dum Pontifex consuleretur. Leges verò plurimas tulit de disciplinâ Ecclesiasticâ, morum correctione, matrimoniis clandestinis, Clericis concubinariis, legitimâ administratione Sacramentorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, déque officio ministrorum Ecclesiæ: quas videre est apud Parisium [z], qui Acta & Decreta Concilij singillatim describit. Et quod pluralitatem beneficiorum attinet; habet idem anno sequenti, Pontificem, cùm audisset non posse eâ in re procedi absq; turbatione regni, propter potentiam propinquorum illorum Clericorum qui eo possiderent, jussisse subsisti; quoniam (inquit) etsi peccatum non debeat pro scandalo vitando committi, bonum tamen quod agi debeat prudenter interdum intermittitur ut scandalum evitetur. Quid verò constantiùs atque intrepidiùs de his decretum fuerit Parisiis, dicetur anno consequenti.

LEGATIO OTHONIS CARD. IN BRITANNIAM.

[x] *An. 1225. VI. & 1229. III.*
[y] *Super. an. V. in fin.*

CONCIL. LON IN. DE DISCIPLINA ET REFORMAT.

[z] *Paris. hoc an.*

X. Cùm autem idem Legatus etiam Scotiam visitare vellet, (ut scribit idem Parisius) ab ejus Rege Willelmo dissuasus est, quòd, ut assereret, nunquam audisset ullum Legatum aliquando introisse in Scotiam, nec velle se aliquid innovari: si verò nihilominùs ipse Otho, qui vir sanctus audiret, eam ingredi vellet, cautè omninò progrederetur, quòd ibi homines silvestres essent humanum sanguinem sitientes, quos nec ipse Rex valeret ab injuriâ ei inferendâ cohibere. Desistens igitur tum Legatus ab Scotiâ, ac Londinum regressus, anno sequenti Conventu Abbatum Ordinis S. Benedicti itidem Londini celebrato, multa decreta promulgavit pro optimo illius regimine, déque statu Monachorum & Monialium, præsertim

ÆGRE LEGATUS PERMITTITUR INTRARE SCOTIAM.

ex decretis Honorij Tertij & ipsius Gregorij; quæ recenset Parisius. Intrâsse tamen eumdem post hæc in Scotiam, sed eâ conditione scriptis traditâ, ut non id in consuetudinem verteretur, nec tamen interiora regni penetrâsse; eodem auctore Parisio [a] constat. Et quod ad rem attinet; invenimus in regesto [b] Innocentij Quarti qui post Gregorium sedit, fuisse anteà illi regno à Sede Apostolicâ indultum; non quidem ut nullus Legatus posset Scotiam intrare, (commentum hoc est Parisij) sed tantùm ut nullus in eo regno posset legationis officium exercere nisi de latere Romani Pontificis illuc specialiter & per speciales literas destinaretur, quod privilegium idem Pontifex confirmavit [c].

[a] Id. ann. 1239.
[b] Innoc. IV. an. 5. prid. Id. Mart.
[c] ibid. & ap. Vvadding. Annal. Minor. ann. 1248.

XI.

Obiit in eâdem Angliâ hoc ipso anno, decimo-septimo Calendas Maij (ut idem Parisius habet *Richardus* Episcopus ejus nominis Secundus, vir eximiæ sanctitatis & profundæ scientiæ, postquàm tres Ecclesias successivè optimè administrâsset, Cicestrensem, Sarisberiensem, & Dunelmensem. Ad cujus spectat præconium immortale, (inquit auctor) quòd *Ecclesiam Sarisberiensem* à loco convexo, arido, & vicino castro Comitis, ad locum transtulit competentem, adjuvante Rege & Magnatibus. Vnde & versus:

MIRA STRUCTURA ECCL. SARISBER. IN ANGLIA.

Rex largitur opes, fert Præsul opem, lapicidæ
Dant operam: tribus his est opus, ut stet opus,

Quod haud vanè observatum à Parisio esse, facit structuræ magnificentia, quæ cunctis aliarum omnium Ecclesiarum splendorem facilè superâsse censenda sit, si vera fuerit alterius cujusdam versificatoris assertio de illâ hujusmodi [d]:

[d] Ap Godvin. de Præsul. Angl.

Mira canam: Soles quot continet annus, in unâ
Tam numerosa (ferunt) æde fenestra micat.
Marmoreásque capit fusas tot ab arte columnas,
Comprensas horas quot vagus annus habet.
Totque patent portæ quot mensibus annus abũdat,
Res mira, at verâ res celebrata fide.

Quare & quamquam tot adjutus præsidiis Richardus summâ diligentiâ operi instaret, adeò tamen procul fuit ipse ut ultimam manum imposuerit, ut anno demùm post ejus obitum vigesimo vix absolveretur, quam dedicatam esse anno 1258. ab Archiepiscopo Cantuariensi, præsentibus Rege & Prælatorum copiosâ multitudine, Continuator Parisij scribit.

XII.

[e] Vid. supr. an. 1236. IV.

INGENS VICTORIA DE MAURIS IN HISP.

In Hispaniâ mense Augusto præsentis anni, Bernardus Guillelmus avunculus Iacobi Regis Aragonum, qui arcem montis Enesæ non longè à Valentiâ, cui Podio S. Mariæ nomen, valido præsidio obtinebat, Naënem [e] Maurum tyrannum Valentinum, cum exercitu quadraginta millium peditum & sexcentorum equitum ad arcis expugnationem advenientem; numero multis partibus inferior, animo verò & justæ causæ fiduciâ longè superior, suis omnibus ante prælium sacrâ Eucharistiâ munitis, ingenti strage prostravit, viso palàm adesse suis, ut aliàs non semel, S. Georgio martyre, regni Aragonici protectore. Memoriæque proditum est, ex Mauris extinctis ad decem millia nullo vulnere saucios, postquàm spoliati fuêre, repertos esse: quòd videlicèt effusi in fugam immensis agminibus, præcipiti & ruenti turbâ compressi permanserint. Accepto victoriæ nuncio Rex Iacobus, post injunctas pro gratiarum actione toto regno supplicationes, eò advolans; rebus ibi adversus futuros Maurorum incursus dispositis, Cæsaraugustam recessit: sed mortuo interim Guillelmo avunculo, eò confestim rediens, cùm suos cerneret in id inclinare ut arx illa Enesana, quòd Valentiæ vicina, & procul à regiâ ditione, nisi magno sumptu ac periculo retineri non posset, desereretur ipse palàm omnibus aram templi tenens, nuncupatis votis jurisjurandi religione se obstrinxit, se eos fines non derelicturum quoad ipsiusmet urbis Valentiæ esset potitus: & ut fidem voti faceret, uxorem ac filiam advocavit in castra. Rejectísque inde amplis conditionibus, quas pro concordiâ Zaënes obtulit; cum solis equitibus trecentis & sexaginta, peditibus mille, ingenti animo, an temeritate, Valentiam obsidere cœpit, frequentissimam ac nobilissimam urbem, armísque virísque opulentam: & advenientibus quotidie auxiliis tam Hispanicis provinciarum Regis, quàm etiam exteris Gallorum præcipue & Anglorum, qui famâ Regis, ejúsque sacri belli opinione accurrerunt; res eò processit, ut amplificato exercitu usque ad mille equites & sexaginta millia peditum, post multa certamina, (quorum etiam uno Rex sagittâ frontem transfixâ galeâ, minimè tamen letali vulnere confixus est) tandem pactis deditionis cum Zaëde conventis, anni sequentis mense Septembri, pridie ejus diei qui Michaëlis Archangeli memoriâ & celebritate sacer est, Rex ovans urbem faustis laudum insignibus introierit; exeuntibus è civitate quinquaginta millibus promiscuæ multitudinis Saracenorum, in quorum locum suffecti sunt Christiani. Quæ omnia uti sese habuerint, Surita [f] & Mariana [g] breviter narrant, fusè Gomesius [h] & Bosius [i], ex antiquioribus monumentis, ipsísque etiam Iacobi Regis commentariis; ut plurimos alios taceam, qui rem omni memoriâ dignam vel descripserunt vel attigerunt.

EGREGIA REGIS ARAGONUM CŌSTANTIA, ET MAGNUS ANIMUS.

VALENTIA URBS CAPITUR.

[f] Sur. Indic. lib. 2.
[g] Mar. lib. 13. cap. 19.
[h] Gom. lib. 10. & 11.
[i] Bos. Hist. Hospital. lib. 17.

XIII.

[k] Michov. lib. 3. c. 37. in fi.
[l] Cromer. lib. 8.

MIESCO POL. OB RAPINAS DEVORATUR A MURIBUS.

Hoc eodem anno (ut Michovius [k] habet, narrátque item Cromerus [l]) accidit in Poloniâ, ut Dux Miesco, sive Mieceslaus, cui ob deformitatem capillorum Cossisconi cognomentum fuit, cùm in provinciâ Cuiaviâ, quam à patre suo Conrado Massoviæ Duce acceperat, inopum, viduarum, ac pupillorum bona diriperet, indéque quodam tempore convivium multis præberet; ab ingenti multitudine murium invasus, & frustrà navi fugiens, muribus etiam per aquas eum persequentibus, miserabiliter devoratus fuerit: exemplo futurus posteris, ne se rapinis, injuriis, & sanguine miserorum hominum saginarent. Quâ eadem pœnâ olim sacrilegum periisse, alias [m] vidimus. Nec ab iis alienum quod refert Aventinus [n]; circa hæc eadem tempora murium agrestium in agro Fruxinensium Bavariæ ingentem vim subitò natam segetes, herbas, fœnum radicitùs depastam esse; inde fugatis accolis, execratum locum mutare, avitos lares deserere agricolas coactos fuisse.

[m] Epit. Baron. an. 1011. II.
[n] Avent. l. 7.

Iesu Christi Annus 1238.
Gregor. IX. Ann. 12.
Friderici II. Ann. 19.
Balduini II. An. 10.

I. Anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo octavo Indictionis undecimæ, cùm Fridericus Imp. tam per se ipsum quàm per Ecelinum tyrannum universas fermè Lombardiæ civitates in sua verba jurare vi ac metu compulisset, nulli parcens in adversarios crudelitati, direptioni, disjectioni; eâ re perterriti quoque Mediolanenses, rogante etiam Gregorio Pontifice, pacem ab eo supplices petierunt, spondentes se illi tanquam Imperatori ac domino debita obsequia præstaturos; aurum & argentum suum ei promptè exhibituros, auxilióque Terræ Sanctæ, quod Fridericus in animo habere præseferebat, decem armatorum millia præbituros; cum eo, ut civitatis ac civium statum incolumem conservaret. Cùm verò eos Fridericus insolentiâ rerum secundarum repudiaret, nisi se résque suas ac statum civitatis liberè suæ permitterent voluntati; id se ipsi nequaquàm facturos responderunt, malléque se, ejus feritate edoctos, sub clypeis, gladio, aut spiculis mori, quàm laqueo, fame, ac flammâ cruciari. Eáque res ubi percrebuit, multorum animos à Friderico, ut tyranno avertit, & tam Mediolanenses, quàm alios nondum subactos populos alacriores ad propriam tuendam libertatem effecit. Inter quos obsessi magnâ potentiâ Brixienses, tantâ fortitudine ei restiterunt, ut cùm intereà Mediolanenses Papiam rursùm sibi armis subjecissent, eâ re Fridericus impulsus, Brixiâ post tres ampliùs menses inani conatu tentatâ Cremonam ita discesserit, ut quantum de potentiæ opinione amisit, tantum de superbiâ concepta remiserit. Narrat hæc Parisius illius temporis auctor; & ex eo Sigonius[a]: meminítque Monachus Paduanus, Chronicon Bossianum, & alij auctores.

Frider. Imp. præ nimia superbia rebus suis decidit.

[a] Sigon. de Regn. Ital. lib. 18.

II. Habet quoque Nangius in Vitâ S. Ludovici Francorum Regis & in Chronico, Æmilius item, aliique Francorum historici, eumdem Fridericum hoc ipso anno invitâsse Regem ad colloquium apud Vallem-coloris ad Mosam fluvium in confiniis regnorum, velut acturum de summis Reipublicæ Christianæ rebus: mox verò ut comperit Regem cum delectissimâ suorum manu proficisci, tantóque apparatu ut etiamsi armis res agenda esset, par aut superior futurus videretur; valetudine excusatâ non adfuisse: qui putatus est, ut erat fidei vacuus & doli plenus, si Rex suî potestatem facturus inermi incautóque comitatu venisset, eum detinere constituisse, quem sibi adversaturum sciebat in oppugnatione quam moliebatur Romani Pontificis. Parisius[b] scribit, vocâsse quoque eumdem alios præcipuos Principes Orbis Christiani ad idem colloquium: sed Regem Francorum illud suspectum habentem, collecto exercitu exemplum aliis præbuisse: Regemque Angliæ præsentiam suam excusantem, fratrem Richardum eò destinâsse; qui tamen Friderico accessum renunciante, insulâ pedem non extulerit. Ex literis verò Gregorij[c] Pontificis intelligitur; cùm ex Angliâ per idem temporis missus fuisset Romam Petrus quidam Saracenus Andreotius civis Romanus, Fridericum suspicantem id contra se agi, Petrum contra jus gentium carceri mancipâsse: hácque de re Gregorium misisse Florentinum Episcopum, qui Fridericum moneret eum restituere; armáque sua à civitatibus Lombardiæ in Saracenos convertere, ac neque pacis neque induciarum ampliùs fœdera cum iis inire. At nihilominùs Petrum diutiùs in carcere detentum fuisse, nec nisi magnâ pecuniæ vi liberari permissum, ex Parisio[d] intelligitur. Tantum enim aberat ut Fridericus de expugnandis Saracenis cogitaret, ut econtrà reperiatur hoc ipso anno pro iis ita rescripsisse,[e] ut Saracenos, qui utilem ei operam adversus hostes suos præbuerant, salvos ubique in Imperio & regnis suis esse juberet; & Christianos qui se illis opponerent, impunè occidi: cæsorum autem Saracenorum quæstionem, si reus captus non esset, in vicinæ regionis populos haberi, qui æris summâ ac totidem capitum supplicio mulctarentur. Egregium planè Christiani Principis facinus! Sed satis fuit rem à Friderico procedere.

Insidiatur Regi Francorum, ceterísque Principibus.

[b] Paris. an. super.

[c] Reg. Vat. an. 12. Later. 3. Non. Iunij.

[d] Paris. an. seq.

Rescribit pro Saracenis contra Christianos.

[e] Ap. Goldost. in Const. Imper.

III. Cùm igitur quæcumque Friderico à Pontifice suggerebantur, surdo cani cernerentur, idem Gregorius ut ejus conatus infringeret, duorum præpotentium Italiæ populorum, Venetorum ac Genuensium animos, ob quædam ad Cretam insulam, quam Veneti obtinebant, Genuenses concupiebant, & variè inde inter se hactenùs decertaverant, admissa exulceratos, unde cruentum timebatur inter eos bellum, quod magnam Italiæ perniciem, nec minus impedimentum sacro bello illaturum erat; conciliare invicem studens; utriusque populi oratoribus Romam evocatis, pacem inter illos in novem annos his conditionibus sancivit, ut bella uterque populus susciperet gererétque communia, nec pacem, amicitiam, bellúmve alter sine altero cum Batatze Græcorum Imperatore habere aut inire posset, & utriusque populi navigia amborum simul deferrent insignia, additúmque à Pontifice, ut qui populus pacta conventa primus infringeret, excommunicationi eo ipso subjectus censeretur, interdictúmque à sacris incurreret. Quæ quidem pax alioquin laudabilis, vel eâ ratione maximè fuit necessaria, ut hi populi potentiâ suâ hinc Friderico in Italiâ, inde Græcorum Imperatori apud Constantinopolim resistere valerent. Narrat autem hæc Blondus[f], & ex eo Sabellicus, Nauclerus, & alij.

Greg. Pont. pacem conciliat inter Venet. et Genuen.

[f] Blond. 2. dec. 7.

IV. Nec verò externa auxilia deserens Gregorius; famâ motus rerum gestarum Iacobi Aragonum Regis, cùm & ipsum privatis injuriis tactum existimaret sævitiæ à Friderico in Henricum filium exercitæ, qui consobrinus Iacobi fuerat; unà cum civitatibus confœderatis Lombardiæ, quæ jugum Friderici detrectabant, legatos misit ad eum, qui summè solicitarent uti Ecclesiæ ac communi omnium parenti Italiæ, quarum interitus ab impio tyranno parabatur, subveniret; & in expeditionis sumptus centum quinquaginta millia libra-

Quærit auxiliū Regis Arag. contra Frider. Imp.

rum Imperialium, atque in singulos annos jura & redditus qui Imperatoribus in Cisalpinâ Galliâ pendebantur, pollicerentur. Erat tum Iacobus in obsidione, quàm vidimus anno superiori, Valentiæ civitatis. Cui, mense Iunij hujus anni auditis Legatis, cùm non satis tutum visum esset, cœptum in provinciâ magni momenti plaudente fortunâ bellum deserere, ut novum, & externum, & incertum susciperetur; hoc tantùm cum Legatis pepigit, transmissurum se in Italiam duo millia equitum ex nobilitate delectorum, ad bellum adversus Fridericum ejúsque socias civitates gerendum. Quod tamen effectu caruisse, tradunt Hispanici historici [g] qui hæc narrant, eò quòd Fridericus inde sibi timens, se falsò Pontifici conciliaverit, simul Ecclesiam ludibrio habens, simul externum hostem à suâ pernicie avertens.

[g] *Surit. in Indic. hoc an. Gomes. in Vit. Iac. Reg. lib. 11. Marian. de reb. Hisp. lib. 12. &c.*

V. VENETI PRO SUBSIDIO IMPER. CONST. PIGNORA ACCIPIUNT INSTRUMENTORUM PASSIONIS DOMINI.

Eodem anno quo pax inter Venetos ac Genuenses à Gregorio Pontifice conciliata est, etiam Constantinopolim ab arctissimâ obsidione Græcorum, qui reparatis viribus à clade navali anni superioris, eam terrâ maríque constrinxerant, liberatam esse per Venetos, Blondus habet, ac post eum Nauclerus, Sabellicus, & alij: idque ut præstarent, Balduinum Imp. illis pignora omnium pretiosissima, cùm aliæ facultates deessent, dedisse, *Lanceam, spongiámque*, quibus Dominus vulneratus potatúsque, & *Crucis* Ligni in quo ea pertulit partem. Platina verò scribit, etiam plumbum ex ædibus sacris ablatum Venetis à Balduino venditum fuisse: quod tamen Blondus non Reipublicæ sed mercatoribus venisse indicat; quibus & proprium filium infantulum accepit ab eis æris pignus jam & priùs tradidisset. Sed prædicta sacra pignora distracta fuisse Venetis, negat Sabellicus, eo argumento quòd id neque Annales Veneti tradant, neque Venetiis hujusmodi res visantur. At taceant sanè Veneti, (diceret quis, ne opprobrio illis vertatur, quòd contra communes inimicos, laboranti extremâ inopiâ amico, reíque Christianæ suæque ipsorum summè periclitanti opitulari, nisi sacrosanctis acceptis pignoribus, quorum injurium commercium fit, adduci nequiverint:) dum loquantur alij.

VI. REDIMIT EA, ET ALIA S. LUDOVIC. REX FRANC.

Et Nangius quidem ejus sæculi auctor, qui Vitam S. Ludovici Francorum Regis conscripsit, apertè quà in eâ, quà in Chronico à se itidem conscripto testatur, sanctum Regem, cùm *Coronam* Christi spineam Constantinopoli summâ veneratione acceptam, unà cum fratribus suis nudis pedibus publicâ Cleri populíque cum cereis & hymnis processione in magnificentissimo sacello à se in palatio suo constructo & dotato) quod sanctam Capellam vocant) ingenti reverentiâ collocâsset, (quâ de re confectum esse libellum scribit Gaufridus Regis confessarius) non multò pòst audientem sacra vexilla Dominicæ passionis, maximam scilicèt partem sanctissimæ Crucis, & Spongiam, ac ferrum Lanceæ, pro quadam pecuniæ summâ à Ioanne Imp. Constantinopol. (Brennensi videlicèt, illius Imperij administratore) Venetis pignori obligata fuisse; tantarum Reliquiarum metuentem jacturam, illas continuò, permissu & dono ipsius Ioannis, ejúsque generis Balduini Imp. redemisse, ac pari cultu & veneratione sacræ Coronæ adjunxisse; pretiosissimam vestem auro & argento gemmísque intextam iis recondendis dedisse; ac canonicos & capellanos eo sacello instituisse, qui perpetuò illic Deo servirent: ut & fit etiamnum. Visuntúrque ibidem sacra illa pignora maximâ religione: quæ frustrà Sabellicus, aliúsve quivis, Venetiis aut alibi terrarum quæsierit: cùm & Parisius [g] tum vivens disertissimè testetur, fuisse ea Constantinopoli & Venetiis in Gallias redemptione sancti Regis delata, & in ejus capellâ mirifico decore collocata. *De Coronâ* tamen legimus ex Iperio [h] ejus temporis auctore Belgâ, non directò eam Constantinopoli delatam, sed pretio viginti millium librarum redemisse à Pisanis: quibus scilicèt Ioannes eam oppignerâsset, sicut cætera Venetis. Verùm & ipsam quoque Coronam fuisse Venetis oppigneratam, sed à Ludovico, consentiente Balduino, redemptam, plures [i] habent.

CÕSTRUCTIO ET DOTATIO SANCTÆ CAPELLÆ AD EA ASSERVANDA.

[g] *Paris. an. 1240. 1241.*

[h] *Ap. Locr. in Chron. Belg.*

[i] *Alber. ap. Magn. Chron. Belg. Anton. tit. 19. cap. 4. §. 6. Meyer. Annal. lib. 8. Æmil. in S. Ludov. &c.*

VII. GALTERI ARCHIEP. SENON. RELATIO DE CORONA.

Et quod omne dubium tollat, est Historia Susceptionis prædictæ Coronæ, composita per Galterum Cornutum Archiepiscopum Senonensem, qui adfuit & præfuit negotio; ut legitur in M S. Chronico cœnobij S. Petri Senonensis. Quâ ait, Balduinum ad Regem Ludovicum venientem ad auxilium contra hostes petendum, cùm perpenderet Regis & Blancæ matris ejus devotionem, mentionem injecisse de Spineâ Coronâ quæ Constantinopoli magnâ veneratione servabatur, quámque Proceres Constantinopolitani ob rerum pressuram aut vendere aut pignori dare deliberâssent: percupere autem se Regi dono dare, non vendere, ne Regis conscientia ejusmodi emptione læderetur: Gratantissimè id Regem audîsse, donúmque acceptâsse; ac confestim misisse Constantinopolim Iacobum & Andream Fratres Ordinis Prædicatorum, quorum Iacobus Prior fuerat Fratrum ejus Ordinis Constantinopoli, & sæpiùs Coronam viderat cum suis ornamentis: Misisse item Balduinum nuncium ut corona eis consignaretur: Hos autem invenisse Barones tantâ arctatos fuisse penuria, ut Coronam pro ingenti pecuniæ summâ compulsi fuissent Venetis oppignerare, eâ pactione ut nisi intra terminum constitutum, videlicèt festum SS. Gervasij & Protasij 19. Iunij redimeretur, eam sibi Veneti pro pecuniâ datâ haberent: Quo à Rege audito; misisse eum pecuniam redemptionis per nuncios, qui Coronam à Venetis ægrè eam restituentibus receperint: Eam ubi Rex intellexit advenisse Trecas, ipsum unà cum Reginâ & fratribus in occursum properantes, assumpto secum prædicto Galtero Archiepiscopo Senonensi: & Bernardo Episcopo Aniciensi, ac Baronibus quos subitò habere potuit, ad locum dictum Villam-novam Archiepiscopi thesaurum invenisse; qui ritè cognitus, sigillis ablatis inventus est intra vas aureum, quod inclusum erat intra aliud argenteum; hócque intra ligneum. Delatum ingenti solemnitate ac concursu populorum Senonas, in ipso civitatis ingressu à Rege ac fratre ejus Roberto Comimite nudis pedibus solísque indutis tunicis susceptum ac delatum esse propriis humeris postera die S. Laurentij martyris 11. Aug. anno 1239. Inde magnâ pompâ delatum Parisios, & intra urbem a Rege & fratre eodem modo

portatum esse, ac primò in Ecclesiam B. Virginis inductum, deinde in capella regia B. Nicolai collocatum; ubi multa operatus est Dominus per virtutem sacri illius Diadematis circa languentes miracula & virtutes. Hæc ibi pluribus de Coronâ, omni fide constantia.

VIII. Crucem autem Parisius tradit, primò Venetis à filiis Ioannis Ierosolymorum Regis pretio viginti quinque millium librarum distractam fuisse, deinde verò a Balduino majori summâ Regi Francorum venditam; & anno 1241. ipsâ feriâ sextâ majoris Hebd. celeberrimâ sacrâ processione ab ipsomet Ludovico Rege post jejunium triduanum, pedes & caput nudo, discincto, & in lineis, delatam fuisse ad sacellum ei ac cæteris prædictis sacris Reliquiis destinatum. Denique ne ampliùs in his hæsitari queat, extat [k] ipsissimum Balduini diploma datum apud S. Germanum in Layâ; quo disertè agnoscit, se pro urgenti necessitate Imperij Constantinopolitani prædictam sacrosanctam Coronam Domini Spineam, & magnam portionem vivificæ Crucis, Spongiam quâ potatus fuit, Sudarium quo involutus, ferrum Lanceæ quo transfixus, unà cum aliis pretiosis & sacris Reliquiis) quarum indicem subdit) olim in urbe Constantinop. servatis, diversis creditoribus & diversis temporibus pignori obligâsse; eásque prædictum Regem Ludovicum de ipsius Imperatoris consensu & voluntate redemisse magnâ pecuniæ summâ, & Parisios transtulisse. Quibus sanè rebus uti summè nobilitata est Gallia, & laudata sancti Regis pietas; ita apud Græcos Latinos invidia aucta, quòd quæ monumenta sanctitas eorum tot sæculis intacta inviolatáque servâsset, ea loco moverentur, è templis asportarentur, pignori darentur, pretio addicerentur, tam procul transferrentur: ut jam bellum in Latinos sacrum Græcis videretur.

[k] *Antiq. Paris. lib. 1.*

BALDUINI IMP. EA DE RE DIPLOMA.

IX. GREG. PP. SOLICITUDO PRO REBUS CONSTANT. ET BALD. IMP.

Cæterùm Balduini res Constantinopolitanas, dum ipse in Galliis abesset, commendatas fuisse à Gregorio Pont. Venetis, ut non sinerent ei Imperium eripi, quorum maximè intererat illud à Latinis administrari; necnon Regibus Francorum & Angliæ, eorúmque Regnorum Prælatis scripsisse, ut in sumptus exercitûs quem Balduinus parabat, partem fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum conferrent; & quòd Balduinus terrestri itinere exercitum ducturus esset, dubitarétque ne vel Fridericus Imp. vel alij Principes, per quorum terras transiturus esset, aliquid à se per vim contra Imperij Constantinopolitani jura extorquerent, indulsisse ei, ut sicubi in animæ suæ periculum, & grave Imperij sui præjudicium, etiam jurejurando interposito quicquam concessurus esset, illud nullius roboris ac momenti foret; atque etiam, ne à quoquam Legato à latere, vel alio quovis Iudice Apostolico, prætextu quarumcumque literarum conveniri posset, in quibus nomen proprium Balduini Imp. Constantinopolitani non exprimeretur: De his, inquam, omnibus sunt literæ ejusdem Gregorij [l] hoc anno scriptæ quæ ea declarent.

[l] *Regest. Greg. an. 12. mens. Novembr. & Decemb.*

X. THEOBALDI REG. NA- [VARR. EXPEDITIO IN ORIENTEM.]

Quòd verò plurimi eorum qui Crucem pro subsidio Terræ Sanctæ assumpserant, eodem indulgente Pontifice in auxilium Balduini & Imperij Constantinopol. concurrerent, conquererentúrque nonnulli, negotium Terræ Sanctæ hoc modo impediri: habuit Gregorius Theobaldo Regi Navarræ & Campaniæ Comiti, præcipuo duci expeditionis Syriacæ, qui jam itineri se commiserat unà cum Hugone Burgundiæ, Petro Britanniæ, Amalrico sive Almerico Monfortio Franciæ Conestabili, Henrico Barensi, Ioanne Matisconensi, Guidone Nivernensi, aliisque Comitibus ac Proceribus Galliarum, & infinitâ propemodùm Crucesignatorum multitudine, literis [m] significare, subsidium Palæstinæ sibi quidem præcipuè cordi esse, haud tamen omittere posse quin etiam Imperio Constantinop. succurreret; præsertim cùm exinde faciliùs auxilia Palæstinis subministranda venirent. Sicuti & Belam Hungariæ Regem adversus Asanum Bulgarorum dominum, qui à fide & obedientiâ Ecclesiæ Romanæ ad schisma & hæresim Græcorum transierat, & unà cum Græcis Latinos Imperij Constantinopolitani divexabat, animans, concessit ut à Provinciali Prædicatorum & Ministro Minorum Hungariæ, eorúmque Religiosis, vota Crucesignatorum earum partium, pro subsidio Terræ Sanctæ concepta, in eam expeditionem Bulgaricam iisdem indulgentiis & privilegiis commutarentur; scriptis his de rebus literis [n] ad Regem, Religiosos, & Episcopum Perusinum Apostolicæ Sedis Legatum.

[m] *Ibid. ep. 310.*

GREG. PP. HUNGAROS ANIMAT CÕTRA BULGAROS APOSTATAS A FIDE.

[n] *Ibid. & ap. Vvadding. in Annal. Minor. hoc ann.*

XI. BALDUINI IMP. ITER CÕSTANTINOPOLIM.

Balduinum autem hoc ipso anno cum valido exercitu Constantinopolim versùs iter accelerâsse, testatur etiam Parisius Georgiúsque Logotheta in Chronico suo Græco ait, fuisse ejus exercitum sexaginta millium Francorum: cúmque maritimi itineris ratio difficilior videretur, per continentem profectos, ducto per Galliam Cisalpinam exercitu, Italiáque transmissâ, per Alpium radices in Istricum solum deductos esse: ingressos deinde Hungariam, Istrum transmisisse, Bulgariámque tenuisse: & quòd pacificè ubique se gererent, ab omnibus regionum præfectis commeatu aliisque rebus necessariis adjutos esse: quinimmò & Bulgaros nullâ habitâ ratione fœderis cum Græcis percussi, liberum iis transitum permisisse; transitis autem Bulgarorum finibus, Tsurulum munitissimum oppidum obsidione Græcis eripuisse, & qui intùs reperti sunt Constantinopolim abductos sub hastâ vendidisse: dúmque Tsurulum obsideretur, Græcorum classem triginta navium à tredecim Latinis victam fuisse, tredecim Græcis demersis, cæterísque in fugam versis: sed rursùm Asanum Bulgarorum, ut ei fidem frangere, temporíque inservire, subinde lusus erat, pacem cum Ioanne Batatze Græcorum Imperatore redintegrâsse.

XII. THEOB. REGIS NAVAR. ITER IN SYRIAM.

Theobaldum quoque Regem Navarræ, quòd Veneti rebus Græciæ occuparentur, Genuenses Italiæ; Pisani verò Friderico Imp. cui parùm hæc sacra expeditio arridebat, etiamsi eam in fidem suam datis literis publicis pro tuto & libero Theobaldi per omnes Imperij terras commeatu recepisse reperiatur, faverent; (qui tum populi mari mediterraneo potentiores erant) navali apparatu destitutum, terrâ iter, per Germaniam, Hungariam, Walachiam, Mysiam, Thraciam peregisse; & post aliquantam Constantinopoli in gratiam Balduini moram, trajecto Bosphoro post multos

labores, magnámque rerum hominúmque ab hostium insultibus, commeatûs defectu, & viarum incommodis jacturam, in Syriam tandem pervenisse; historici [o] tradunt. Quid verò ibi egerit, dicetur anno sequenti quo illuc pervenit.

[o] Blond. 2. Dec. 7. Sabell. 9. En. 6. Contin. Bel. Sacr. lib. 3. Platin. in Greg. IX. Bellefor. lib. 4. cap. 6. &c.

XIII. TURBÆ ANGLICÆ IN REGEM.

Hoc eodem anno insurgentibus de more in Angliâ adversus Regem Henricum magnatibus unà cum Richardo Regis fratre, quòd ipsis contemptis nimis extraneis favere videretur; ac novissimè sororem suam Eleonoram relictam Willelmi Marescalli Angliæ, quæ post mortem viri perpetuam Deo voverat castitatem coram Archiepiscopo Cantuariensi, Simoni Monfortio Leicestriæ ex aviæ hæreditate Comiti, viro strenuo, filio minimo magni illius Simonis qui Albigenses contuderat, (qui ob quamdam offensam sibi timens à Reginâ Blancâ matre S. Ludovici, in Angliam aufugiens acceptissimus Regi factus fuerat) secretò in uxorem dedisset; Othonis Legati operâ facta est reconciliatio. Simon autem Romam petens, obtinuit à Pontifice dispensationem matrimonij, quòd Eleonora nec habitum nec velum religionis sumpsisset, essétque jam gravida à Simone, ac proptereà nequiret divortium fieri absque magnâ ejus infamiâ: quamvis ea dispensatio nõ parùm aliquibus generaverit scandali; ut Parisius de his agens scribit. Quare & post ejus in Angliam reditum, etiamsi initio amicissimè à Rege exceptus fuerit, inde tamen turpiter ejectus [p] est unà cum uxore, ac si excommunicatus esset, etsi non id ab eo Rege mirum, qui quantum quisque unquam ingenio fuit levi atque mutabili; unde & paulò post eumdem Simonem in pristinam gratiam recepit, de quo rursùm inferiùs.

DE SIMONE MONFORTIO MAGNI SIM. FILIO.

[p] Paris. an. seq.

XIV. REGIS ANGLIÆ PERICULUM A SICARIO.

Sed longè gravius adstitit periculum eidem Regi à milite quodam: qui ab aliquibus proceribus ad eum jugulandum immissus, amentem se simulans quòd sine suspicione locum & tempus patrandi facinoris observaret; nocte concubiâ clàm per fenestram cubiculum ingressus quo Rex quiescere consueverat, lectum stricto pugione adiens frequentes ictus incussit, arbitrans se Regem fodere. Sed illo, divinâ protegente eum providentiâ, eâ nocte alio cubiculo cum Reginâ quiescente, tentatum incassùm scelus est: ipséque sicarius ab unâ ex nobilibus puellis Reginæ, quæ vigilabat orationi vacans, edito clamore detectus, & à ministris regiis comprehensus, equorum distractione membratim in partes discissus est. Rem gestam narrant hoc anno idem Parisius, & Westmonasteriensis. Quo etiam meminerunt cujusdam *B. Roberti* eremitæ Angli, cujus fama hoc maximè anno innotuerit ob oleum medicinale ex ejus tumbâ copiosè eructare cœptum. Recensétque insuper idem Parisius egregia statuta reformationis Ordinis S. Benedicti monachorum nigrorum, (nempè Cluniacensium) quæ Otho Legatus à Gregorio Pontifice accepta, hoc eodem anno promulgavit in conventu Abbatum ad hoc ab ipso Londini convocatorum, de quo jam dictum anno [q] superiori: sicuti & de constitutione [r] ab ipso Gregorio priùs de iisdem editâ.

OLEUM EX TUMBA B. ROBERTI ANGLI.

[q] An. super. IX.
[r] An. 1232. VIII. in fi.

XV. DECRETUM EPISCOPI ET

Quo eodem anno *Guillemus* Parisiensis Episcopus ejus nominis Tertius, patriâ Arvernus, vir literis sacris & profanis eruditissimus, omníque scientiarum genere excultissimus, (ut Opera ejus, quæ extant, plenissimè demonstrant) conventu Doctorum habito in Capitulo Fratrum Dominicanorum, ad discutiendam quæstionem de pluralitate Sacerdotiorum, seu Beneficiorum Ecclesiasticorum; post longam disputationem conclusit, neminem cum salute animæ duo beneficia, dummodò alterum valeret in annos singulos quindecim libras Parisienses,) summam videlicèt, quæ tum temporis satis esset honestæ sustentationi viri Ecclesiastici) tenere posse. Quam eamdem sententiam in Scholis propriis confirmârunt Hugo Ordinis Prædicatorum posteà Cardinalis, Ioannes de Rupellâ insignis Ordinis Minorum professor, aliíque Magistri Theologiæ. Cùm & idipsum ante tres annos longè celebriori disputatione conclusum fuisset ab omnibus sacris Doctoribus tam sæcularibus quàm regularibus: uno excepto Philippo Cancellario Parisiensi, & altero Arnoldo posteà Episcopo Ambianensi quorum ille, eà partim de causâ damnatum se esse in perpetuum, apparens post mortem eidem Guillelmo Episcopo significavit; cùm in ægritudine ab eo monitus plura quæ habebat beneficia uno pinguiori excepto dimittere, miser negando respondisset experiri se velle utrùm id esset damnabile. Magnâ proculdubiò fiduciâ! quasi facile esset post hanc vitam ab ejusmodi experimentis resilire: majoríque vitæ æternæ despectu, ut tantillo momentanei commodi usu, seu potiùs abusu, inferre iste se non dubitaverit; tanquam ludo tesserarum, in periculum æternorum cruciatuum. Narrat porrò quæ diximus Thomas Cantipratanus [s], qui tum se ibidem Parisiis extitisse asserit: ex quo & alij [t], quorum tamen nonnulli hæc contigisse referunt anno 1228. ex corrupto apud auctorem anni numero. Habéntque idem insuper, alia quædam exempla nonnullorum Ecclesiasticorum qui proptereà malè perierunt, & æternis suppliciis addicti sunt; testem advocans Deum veritatis dictorum suorum.

DOCTORUM PARIS. DE PLURALITATE BENEFICIORUM.

MULTI OB EIUSMODI PLURALITATEM DAMNATI.

[s] Cantiprat. I. Ap. 19
[t] Dionys. Carthus. de plur. benef. cap. 7. Alb. Magn. lib. de sacram. Vverner in Fascic. temp. Meyer. Annal. Flandr. lib. 8.

XVI.

Ac scribit pariter Iacobus de Vitriaco [u] egregiæ doctrinæ & famæ Cardinalis, cujus frequens superiùs mentio, in Vitâ B. Mariæ Oegniacensis cælesti prudentiâ & pietate fœminæ, de quâ jam dictum; consultam aliquando ipsam super hâc re à quodam qui cùm haberet beneficium sufficiens ad mediocritatem, coactus fuerat etiam alterum suscipere; petitis de more ad respondendum induciis, tandem divinâ acceptâ revelatione, vidisse hominem vestibus albis indutum, & satis ad cursum expeditum, atro insuper pallio indui, & mentis sarcinâ onerari: hócque audito qui eam consuluerat, posteriori beneficio pinguiori licèt atque honoratiori incunctanter renunciâsse. Post quæ pius auctor egregiam admonitionem subdens; *Ignoscite*, inquit, *mihi, fratres, qui dignitatem dignitati adjungitis, & sacerdotia sive beneficia Ecclesiastica alia aliis coacervatis. Non enim meum quod retuli, sed Christi revelantis. Fortaßis autem & ancillæ Christi visiones ridebitis, & pro somniis & phantasmatis habendas statuetis. Sed etiam Pharisæi Dominum de avaritia disputantem, & divites in regnum cœlorum difficile introituros asserentem, non solùm irriserunt, sed insanum quoque judicârunt.* Denique idem ipse Guillelmus Episcopus præ-

[u] In Vit. Mar. Oegniac. lib. 2. cap. 6. ap. Sur. 23. Iun.

RES DIVINITÙS CONFIRMATA.

cipuus prædicti decreti auctor, præter ea quæ de his luculenter tractavit commentario proprio [x] *contra pluralitatem beneficiorum*, aliâ egregiâ disputatione quam edidit. *De vitiis & peccatis*, ubi ea monstris comparat, hæc inter alia de præsenti controversiâ, *Hujusmodi monstruositates in se ipsis horribiliter effigiant, qui uno officio vel dignitate non contenti, & interdum nec uni sufficientes, vel idonei, multa in se conjungunt. Dum enim aliquis decanus est in unâ Ecclesiâ, præpositus in aliâ, cantor in tertiâ, archidiaconus in quartâ, quid est nisi monstrum spirituale in corpore universali Ecclesiæ? Assueti autem ejusmodi monstris, vel potiùs honorificam eorum monstruositatem non videntes, ad ea expavescere jam nescimus.* Intervenêre posteà dispensationes summorum Pontificum.

[x] Trithem. & Bellarm. de Scriptor. Eccles. Vid. Not. ad Cantiprat. ibid.

XVII. CONCIL. CAMPINACENSE. ET ROFFIAC.

Hoc eodem anno *Gerardus* Archiepiscopus Burdegalensis *Concilium* provinciæ suæ habuit apud *Campinacum* (vulgò Cognac) post Octavam Paschæ. In quo cupiens, ut ait, novis ac damnosis hominum malitiis obviare, per quas justitia læderetur, propagaretur iniquitas, cresceret impietas, totiúsque Cleri decoloraretur honestas; multa constituit pro reformatione morum, immunitate Ecclesiæ, & disciplinâ Ecclesiasticorum tam sæcularium quàm regularium. Qui & idem Gerardus ad longum tempus sedem propagans, anno 1256. 12. Cal. Sept. alias salutares constitutiones provinciales edidisse reperitur apud *Roffiacum* diœcesis Pictaviensis, ac speciatim contra illos qui Ecclesiasticam immunitatem & jurisdictionem læderent: quod fiebat multis modis & excessibus ibi expressis, seu impediendo ejus exercitium, seu invadendo ejus jura, quod erat iis temporibus, & aliis ferè semper, éstque, & ut vereor erit in perpetuũ, singulis regnis atque provinciis frequentissimum, ac penè irremediabile malum.

IESU CHRISTI Annus 1239.
GREGOR. IX. Ann. 13.
FRIDERICI II. Ann. 20.
BALDUINI II. An. 11.

I. FRIDER. IMP. OCCUPAT SARDINIAM ENTIUMQUE NOTHUM SUUM EIUS REGEM CONSTITUIT.

ANNO Christi millesimo ducentesimo trigesimo nono, Indictione duodecimâ, Fridericus Imperator quasi hoc solum pensi accepisset, ut Ecclesiam Romanam ejúsque res ac jura subverteret, auctoritatémque convelleret; partem Sardiniæ insulæ, quæ ab antiquo juris Ecclesiæ Romanæ fuerat, occupavit, velut ad Imperium, cujus jura recuperare juràsset, pertinentem; ac nequicquàm repetente eam Gregorio Pontifice, Henricum filium suum ex concubinâ natum, (quem plurimi Hencium, sive Entium nominant) misit ut eam contra edicta Pontificia retineret Sardiniæ Regis titulo. Quod ægrè ferens Pontifex; ac simul multis aliis offensis exulceratus, quibus cùm eum denuò per aliquot Germaniæ & Lombardiæ Episcopos satisfacere monuisset, verba tantùm ad excusandas excusationes in peccatis retulit, (ut patet ex ejus ad singula objecta responsionibus, quas continent literæ prædictorum Episcoporum apud Parisium) quinimmò & minas Ecclesiasticas Fridericum spernere, nec denique ullam ampliùs resipiscentiæ ejus atque emendationis spem superesse animadvertit: arma quæ comminatus fuerat in eum distringens, ipsum publicè ac solemniter præsentibus Cardinalibus anathematis mucrone feriit, nono Cal. Aprilis, ut Stadensis habet: (nempè die Cœnæ Domini, ut plerique etiam omnes adnotant; cùm Pascha eo anno incideret in sextum Cal. Aprilis. Quòd tamen Parisius Dominicam Palmarum signet; ex eo nonnulli ineptè collegerunt, Gregorium tempus hisce actibus consuetum anticipâsse ne Imperatoris legati rem impedirent: Stero namque id factum ait & die Palmarum, & subsequenter in Cœnâ Domini, & in Paschâ:) omnésque jurisjurandi religione solvit, quâ Imperij regnique ratione tenerentur ei quomodolibet adstricti.

EXCOMMUNICATUR A PONTIFICE.

II. RATIONES EXCOMMUNICATIONIS.

Cujus sententiæ formulam in commentarios suos verbatim retulit Parisius [a]; nonnihil contractiùs Albertus Abbas Stadensis [b], Krantzius [c], Sigonius [d] & si qui alij; sensum & summam plurimi, quæ hæc fuit, ut eum excommunicaverit, quòd Romanum Pontificem à suâ Sede repellere, seditione excitatâ in Vrbe, tentaverit; & contra privilegia, dignitates, & honores, Apostolicæ Sedis libertatem, necnon & Ecclesiasticam proculcare: quòd Cardinalem Episcopum Prænestinum, à Sede Apostolicâ ad Albigensium partes pro fidei corroboratione missum, ne in suâ legatione procederet, impedierit: quòd non permitteret in regno Siciliæ & Apuliæ plerisque Ecclesiis vacantibus pastores & antistites ordinari, aliásque reparari; quinimmò multæ destruerentur & profanarentur; clerici caperentur, carceribus manciparentur, proscriberentur, occiderentur, Ecclesiæ & monasteria suis bonis spoliarentur, atque tributis & exactionibus premerentur: quòd nepotem Regis Tunisij, Romam pro suscipiendo baptismo venientem, necnon Petrum Saracenum à Rege Angliæ ad Pontificem missum, captos detineret, nec ire permitteret: quòd multas terras Ecclesiæ contra proprium juramentum occupaverit, & devastaverit; quòd Templariis & Hospitalariis bona erepta non restituerit: quòd contra tenorem pacis illi omnes qui adhæsissent Ecclesiæ bonis omnibus spoliati exulare cogerentur, uxoribus eorum ac liberis captivatis: quòd impediret negotium Terræ Sanctæ, & reparationem Imperij Constantinopolitani. Et quoniam de eodem Friderico ubique ferebatur, eum de fide Catholicâ non rectè sentire; addidit in fine sententiæ suæ Gregorius, se circa hæc suo loco & tempore ordine juris processurum. Ipsam autem sententiam ad omnes ubique Principes Christianos, Sedis Apostolicæ in diversis regnis Legatos, universósque Antistites, confestim transmisit, & coram populis promulgari præcepit, datis ad singulos literis [e] tertio Idus Aprilis hujus anni, ipsius Pontificatûs decimi-tertij; aliisque peculiaribus [f] rursùm in Germaniam missis octavo Calendas Octobris, & nono Calendas Decembris.

[a] Paris. in Henr. III. hoc an. [b] Stad. in Chron. [c] Krantz. 7. metrop. 52. [d] Sigon. de Regn. Ital. lib. 18.

[e] Ext. in Reg. Vat. Greg. IX. & ap. Paris. hoc an. [f] Ap. Ster. in Annal. & Bullar. to. 1. Greg. IX. const. 13. & 14.

III.

Agebat [g] tunc Patavij Fridericus, exceptus ab Ecelino tyranno, & summâ gratulatione unà cum populo versabatur. Cui cùm Gregorij sententiâ tertiâ die Paschæ, dum ab

[g] Paris. Blond. Boss. Krantz. Sigon. &c.

DEFENSIO FRIDERICI CONTRA PONT.

Ecclesiâ magnâ pompâ rediret, nonnulli habent, dum Ecclesiam adiret) innotuisset, ipse facio ad simulatam animi quietem compositâ, concionem in palatium advocans, postquàm multâ de suâ justitiâ, déque rei indignitate disseruit; pro tribunali sedens, Petrum de Vineis suarum magistrum epistolarum, magnâ, ut illâ ætate, facundiâ virum, prolixiorem de iisdem sermonem habere jussit. Qui ut pro profano loquens, ab auctore profano, ejúsque impuritate digno, nempè Ovidio, exorsus.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est:
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit;

inde hæc verba ad rem suam accommodans, orationem habuit, laudibus Friderici, ejúsque de Romanâ Ecclesiâ déque Romanis Pontificibus meritis, horúmque in ipsum injustitiâ, redundantem. Idémque post hæc Fridericus Tarvisium profectus, die vigesimâ ejusdem mensis Aprilis scripsit ad Romanos, graviter expostulans, quòd se innocentem in urbe suâ publicè condemnari passi essent, quam epistolam recitat Parisius: habetúrque pariter inter illas Petri de Vineis [h]. Sed quæ utrobique item legitur, & à Stadensi quoque & Krantzio [i] descripta fuit, data Podonij ad Cardinales; tam ex ejusdem Parisij verbis, quàm ex ipsius epistolæ contextu, & die scriptionis, nempè decimâ mensis Martij Indictionis undecimæ, expressiúsque ex prædictis literis ipsiusmet Gregorij ad Legatos suos pro excommunicationis denunciatione scriptis, intelligitur, eam ante latam excommunicationem decretam fuisse, (cùm scilicèt minas ei Pontifex intentâsset) sed non nisi post sententiam promulgatam redditam. Quod minùs, ut puto, advertens Sigonius, cùm videret cæteros omnes illam etiam post latam sententiam missam fuisse constanter asseverâsse, decimam diem Martij, quàm nondum sententia excommunicationis lata fuerat, mutavit in decimam Maij.

[h] Petr. de Vin. 1. ep. 7.
[i] Krantz. 7. metrop. 53.

IV. SCRIPTA FRIDERICI ET GREG. ADVERSA.

Cùm verò Fridericus ad omnes Principes literas eodem fermè exemplo misisset, quibus semetipsum purgans, variis Pontificem maledictis aspergeret, & accusationibus impeteret: (quas recitat Parisius [k] ut scriptæ fuere ad Richardum Friderici sororium fratrem Regis Angliæ, item Tarvisio vigesimo die Aprilis:) Gregorius iis singulatim respondens, apertissimi mendacij arguit, prolixis scriptis circularibus Calendis Iunij, quas ad Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, Reges Galliæ, Hispaniarum, Angliæ, Hungariæ, cæterósque omnes Christianos Reges ac Principes sæculares, sacros Antistites, Proceres, ac nobiles, populósque omnes Catholicos transmitti curavit; præcipiens speciatim Ecclesiarum Prælatis, ut eas unà cum edicto excommunicationis in Fridericum prolatæ ubique publicarent. Recitat illas, ut missæ sunt in Angliam ad Regem & ad Cantuariensem Archiepiscopum, idem Parisius: qui si quàm diligens fuit in colligendis & describendis hisce monumentis, tam æquus extitisset in expendendis utriusque partis rationibus; majorem sibi laudem apud cordatos omnes comparâsset; nec tot ineptias & inanes rumores scriptis suis infarsisset, cùm nihilominùs & ipse fateatur, epistolam Friderici, licèt probabilia contineret, suspectam tamen Orbi fuisse; & nisi Romana avaritia (perpetua est ista hujus auctoris cantilena; seu justam ei occasionem præbuerit rapacitas nonnullorum Apostolicæ Sedis ministrorum, ut est etiam aliorum ejus temporis scriptorum querela; seu, ut multa apud ipsum alia, conficta hæc fuerint, aut sanè exaggerata quàm nimiùm:) devotionem populorum à Papâ plusquàm expediret & deceret avertisset, totum mundum ipsius epistolâ exasperatum, in Imperatorem quasi in manifestum hostem Ecclesiæ & Christi inimicum, graviter & unanimiter insurrecturum fuisse, quâ videlicèt Pontifex vitam, mores, ingratitudinem, fraudulentiam, malitiam, immanitatem, impietatémque Friderici ab ipsis penè incunabulis aperiens; rursùm causas insinuavit, propter quas in eum necessariò insurgere habuerit: *præambulum* etiam *Antichristi* appellans, qui hæresim assereret, non potuisse se per Gregorium tanquam Christi Vicarium vinculo excommunicationis astringi; eóque modo affirmans non esse apud Ecclesiam à Domino Beato Petro & ejus successoribus ligandi atque solvendi traditam potestatem: ac denique has omnium deterrimas ei blasphemias objiciens, quòd ferretur aliquando asseruisse, A tribus baratatoribus (ut loquebatur; hoc est circulatoribus & impostoribus (scilicèt Christo Iesu, Moyse, & Mahometo, totum mundum fuisse deceptum; & duobus eorum in gloriâ mortuis, ipsum Iesum in ligno suspensum manifestè proponens: Omnésque fatuos esse, qui crederent nasci de Virgine potuisse Deum, qui creavit naturam & omnia; cùm nullus nasci potuerit, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præcesserit; & homo nihil aliud credere debeat, nisi quod potest vi & ratione naturæ probare.

[k] Paris. hoc an. Extantque alia plur. lib. 1. epist. Pet. de Vin. virulentiss. stylo in Greg. scripta.

HORRENDÆ BLASPHEMIÆ FRIDERICI.

V.

Recitatur etiam alibi [l] eadem Pontificis epistola ex codice Vaticano, prout directa fuit Suffraganeis Ecclesiæ Ierosolymitanæ. Nauclerus [m] autem summam ejus referens, citat eam, quemadmodum & plerique alij, titulo epistolæ Gregorij ad Regem Francorum, quæ incipit, *Ascendit de mari bestia*, cùm fuerit ad omnes ubique eodem exemplo perscripta, mutatis tantùm quæ personarum ad quas mittebatur qualitatem seu dignitatem spectabant. Cæterùm prædictam blasphemiam de tribus seductoribus, ut calumniosè sibi objectam, diluere conatus est Fridericus publicis scriptis ad universos Prælatos literis, quæ extant apud Petrum de Vineis [n] ipsarum consarcinatorem: quibus & eos hortatus est Pontificem ab his conatibus revocare; alioquin se ferro injurias suas vindicaturum. Cùm tamen eam reverâ prolatam palàm fuisse à Friderico in conventu Francofordiensi, quo filium suum Conradum in Regem eligi procuravit, & ab Henrico Lantgravio Turingiæ, qui cum aliis Principibus audivit & horruit, relatam fuisse Gregorio; testetur auctor Historiæ [o] Lantgraviorum. Et Compilatio [oo] Chronologica, addidisse eum, si Principes Imperij institutioni suæ assentirent, velle se meliorem modum credendi & vivendi ordinare. Quin & præterea ejus temporis auctor Albericus [p] monachus Trium-Fontium in suo Chronico scripsit, fuisse de

[l] Ap. Bzov. hoc an.
[m] Naucl. gener. 42.

CONFIRMANTUR ILLÆ MULTIS TESTIBUS.

[n] Pet. de Vin. 1. ep. 11.
[o] Hist. Lantgrav. c. 50. to. uno Rer. Germ. Pistor.
[oo] Ibid.
[p] Ap. Magn. Chron. Belgic.

eodem Friderico disseminatum, dixisse eum aliquando cuidam de suis, cùm vidisset Sacerdotem Corpus Dominicum ad infirmum deferentem: Heu me! quamdiù durabit fraus ista?

VI. [q] Cuspin. in Frid. II. Imp.

Tradit insuper Ioannes [q] Cuspinianus Friderici fautor atque palpator insignis, ex eodem, ut ait, Alberico, Fridericum post acceptam anathematis sententiam, indignabundum hæc inter cætera Pontifici scripsisse:

CARMINA INVICEM SCRIPTA.

Roma diù titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Pontificem autem ita rescripsisse:

Niteris incassùm navem submergere Petri:
Fluctuat, ast numquam desinet esse ratis.

Rursúmque Fridericum:

Fata volunt, stellæque docent, aviúmque volatus,
Quòd Fridericus ego malleus orbis ero.

Pontificémque sic retorsisse:

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Sed paulò aliter Parisius, hæc velut ex antiquâ quâdam prophetiâ procurante Friderico prolata fuisse, & in cubiculo Pontificis, modo & auctore penitùs ignorato, inventa narrat; sic fatidicum carmen eodem penè modò, sed magis nonnihil ad antiquitatem compositum, recensens:

Fata docent, stellæque monent, aviúmque volatus,
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diù titubans variis erroribus acta,
Totius mundi desinet esse caput.

Hæcque cùm Fridericus & alij multi interpretarentur in interitum & desolationem Papæ & Romanæ Curiæ, Papam in Fridericum hos versiculos Christianè retorsisse:

Fama refert, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tua vita brevis, pœna perennis erit.

VII. ALIA SIGNA DE HUIUSMODI DISSIDIIS.

Refértque præterea idem Parisius quædam alia scripta prognostica de his dissidiis Ecclesiæ & Imperij: qualia omni tempore fuit mos jucundorum & elegantium ingeniorum, ejusmodi occasionibus confingere:ut vel paucissima, vel penitùs nulla iis fides adhibenda veniat. Illud sanè omninò falsum esse non dubitamus, quod ait hoc eodem tempore cuidam monacho Cisterciensi apparuisse manum candidam scribentem in Corporali hæc verba: *Cedrus alta Libani succidetur: Mars prævalebit Saturno & Iovi; Saturnus verò insidiabitur Iovi*, &c. Quis enim sibi persuadeat, Spiritum Sanctum sacro monacho in re sacrâ idolorum nominibus mysteria sua signare voluisse? De Cometâ verò prodigioso, qui apparuerit in vigiliâ S. Iacobi, haud gravatè fidem eidem auctori adhibuerimus; magis quàm iis quos eo die eclipsim Solis adnotâsse reperimus. Eclipsim enim tam idem auctor, quàm plerique alij, contigisse ponunt tertio Iunij feriâ & horâ sextâ. Vnde & fortè irrepserit error in Sigonium, cùm eam tribuit tertio Iulij; quamvis & ab aliis nonnullis ponatur octavo Iulij. Diversam namque ponere (quod factum à quibusdam reperimus) vix natura patitur: cùm non sine Solis & Lunæ conjunctione Solis deliquium existere possit; nec Luna à mediâ signiferi lineâ, (per quam Sol decurrit, & ubi existentibus iis astris eclipses fiunt, unde & ecliptica dicitur) digressa semel, ad eamdem recurrat ante mensem circiter sextum. Sed hæc Astrologi dijudicent. Qui autem de prædictâ eclipsi agunt, aiunt Solem ab horâ sextâ usque ad nonam tantâ obscuritate obductum esse, ut meridies omnibus speciem intempestivæ noctis afferret, stellis in cœlo perinde ac nocte ipsâ nudatis, eáque re in religionem versâ vulgò homines ita perculsos esse, ut multi finem instare sæculi arbitrati, ac peccata sua per confessionem expianda, & pœnitentiam agendam confugerent; alij verò in gratiam cum inimicis suis veteribus injuriis condonatis redire contenderent.

VIII. FRIDERICI SÆVA PERSECUTIO IN PONT. ET ECCLESIAM.

Quorum numero haud sanè Fridericus: qui econtrà furore in Pontificem, eósque qui ei adhærerent ardens, quoscumque potuit, exiliis, carceribus, tormentis, ferro, flammâ, nullo non pœnæ, cruciatûs, ac crudelitatis genere perdidit: præcipuam tamen iram transfundens in Prælatos, cæterósque Ecclesiasticos, Templariósque & Hospitalarios, ac loca sacra: adeò ut nec Episcopo Cataneensi, à quo ab infantiâ educatus fuerat, nec celeberrimo ac religiosissimo S. Benedicti Cassinensi monasterio pepercerit, quin & illum ingratissimè relegaverit, & istud, vi ac convicio ejectis monachis, aureísque & argenteis vasis in nummos redactis, penitùs satellitibus in habitationem & ruinam sceleratissimè tradiderit. Quæ non sine summo dolore atque horrore apud auctorem Vitæ [r] Gregorij, aliósque [s] earum rerum scriptores, legi à bonis viris & nullâ partium malevolentiâ tinctis possint. Quando & maximè invaluerunt per universam Italiam infaustissimæ factiones Guelforum, qui acriter à Pontifice stantes Friderico ejúsque asseclis summo nisu obstiterunt, & Gibellinorum, qui Friderici partes eâdem animositate tutati sunt, de quarum origine, & adversâ invicem vesanâ maniâ, dictum jam superiùs [ss].

[r] Cod. ms. Colleg. Fux. Tolos.
[s] Paris. hoc ann. Villan. lib. 6. Blond. 2. dec. 7. Anton. tit. 19. cap. 6. Platin. in Greg. IX. Naucler. gener. 42. Krantz. Saxon. lib. 8. Fazel. de Reb. Sic. 2. dec. 8. Sigon. de Regn. Ital. lib. 18. &c.
[ss] An. 1228. IV.

IX. GREG. PP. AUXILIA ADVERSÙS EUM IMPLORAT.

Et Gregorius ne sibi & Ecclesiæ deesset, imprimis nuncios & legatos in omnia regna & provincias misit, qui excommunicationem in Fridericum promulgarent, & præsidia afflictis Ecclesiæ rebus implorarent. Præcipuéque in Galliam direxit Iacobum de Pecorariâ Ordinis Cisterciensis Cardinalem Episcopum Prænestinum, patriâ Papiensem, multis aliis legationibus insignem, virúmque, ut Gregorius suis literis indigitat, approbatæ bonitatis & sanctitatis expertæ, magnum Ecclesiæ Dei membrum. Per quem ad Regem Ludovicum scribens [t] Anagniâ 12. Cal. Nov. Pontificatûs anno 13. hoc est præsenti, imprimis eminentissima Regum Galliæ in Ecclesiam ad Fidem Catholicam, ipsámque Sedem Apostolicam merita breviter recolens, ait; Dei Filium, secundùm divisiones Linguarum & gentium, in signum divinæ potentiæ, diversa regna constituisse, diversáque populorum regimina in ministerium mandatorum cælestium ordinâsse: Inter gentes, sicut inter Tribus Israëliticas Iuda ad specialis benedictionis dona suscepta est, sic regnum Franciæ præ cæteris terrarum populis à Domino prærogativâ honoris & gratiæ insignitum fuisse, quod pro exaltatione Catholicæ Fidei Dominica prælia dimicans, & in Orientis & Occidentis partibus pro defensione Ecclesiasticæ libertatis Ecclesiæ hostes expugnans, sub vexillo claræ memoriæ prædecessorum ipsius Regis Ludovici ad quem

[t] Ext. in Archiv. Franc.

REGUM FRANCIÆ ET REGNI PRÆCONIA.

scribebat, quandoque Terram Sanctam superna dispositione de manibus Paganorum eripuisse; quandoque Constantinopolitanum Imperium ad obedientiam Ecclesiæ Rom. reducens, dictorum prædecessorum studio Ecclesiam ipsam à multis periculis liberâsse: pravitatem hæreticam quæ in partibus Albigensium fere fidem extirpaverat Christianam, totis viribus expugnare non destitisse, donec eâ quasi penitùs confutatâ Fidem ipsam ad pristini statûs solium revocâsset, quippe in eo Regno, quod à devotione Dei & Ecclesiæ nullo casu avelli potuit, numquam libertatem Ecclesiasticam periisse, nullo umquam tempore vigorem proprium Christianam fidem amisisse; quinimmò pro earum conservatione Reges & homines dicti Regni sanguinem proprium fundere, & se periculis multis exponere minimè dubitâsse: Ex iis evidenti ratione perpendi, id Regnum benedictum à Domino, Redemptorem nostrum quasi specialem divinarum voluntatum executorem elegisse, & ipsum sibi sicut pharetram circa femur accinxisse, ex quâ sæpiùs sagittas electas extraheret, quas in tuitionem Ecclesiasticæ libertatis & fidei, in contritionem impiorum, & defensionem Iustitiæ, in arcu brachij potentis emitteret: Propter quod prædecessores Romanos Pontifices à progenie in progenies tam laudabilia dictorum Regum opera recensentes, ad ipsos continuum in necessitatibus suis habuisse recursum: illósque credentes non petentium, sed causam Dei potiùs agi, petitum nunquam negâsse subsidium, quin potiùs nonnumquam non postulatum Ecclesiæ opportunitatibus in manu forti indulsisse succursum: Ideóque se sperantem quòd gratia bonitatis quæ Regis prædecessoribus erat innata, in ejus esset derivata personam, ad ipsum multâ confidentiâ recurrere, ut ejus serenitati plagas longè duriores & diriores quàm in Crucis patibulo inflictæ fuissent Regi omnium sæculorum, quas in corpore Christi multis blasphemiis & aliis modis quasi obductâ cicatrice Fridericus dictus Imperator jam renovaret & cruentaret, aperire posset. Invehitur exinde in Fridericum, & ejus scelera improperat, atque excommunicationem in eum latam nunciat, & conatus ejusdem significat. Additque, se proinde ad ipsum Regem, præcipuum Ecclesiæ filium, speciale subsidium, & refugium singulare, mittere supradictum Cardinalem Prænestinum, ac per eum in tantæ necessitatis articulo ejus brachij auxilium invocare. Quippe cùm pugnare pro eripiendâ Terrâ Sanctâ de manibus Paganorum sit perpetuæ vitæ meritorium, multò majoris meriti credi, si eorum qui exterminium Fidei, in quâ salus totius mundi consistit, & Ecclesiæ machinabantur generale excidium, impietas expugnaretur. Hortatur posteà ad Legatum benè audiendum, & subsidium mittendum. Qualia & ad alios Reges & Principes scripsisse, non est dubium; quòd scilicèt subsidiorum petitionem attinet: nam quoad præconia, non potuerunt adeò eximia ullis tribui. Cúmque cæterorum memoriam non adeò exploratam habeamus, abstinemus ab iis recensendis: nisi quòd legatos & nuncios Gregorij benè & favorabiliter ubique exceptos atque auditos tradant auctores; præterquàm in magnâ Germaniæ parte, metu Friderici.

X.

Præter quæ idem Pontifex cum Lombardis, Venetis, ac Genuensibus fœdus percutiens, Lombardiæ Legatum *Gregorium de Montelongo* Ferrariensem, Protonotarium Apostolicum, virum strenuissimum præfecit; qui populos armans & animans, adeóque & clericos adhibens adversùs immanissimum tyrannum, multùm ejus conatibus obfuit, nec paucis eum aut parvis cladibus affecit, strenuè etiam in his laborante Leone Minoritâ, creato hoc ipso anno Mediolanensi Archiepiscopo; in quem, æquè ac in prædictum Gregorium Montelongum, sunt acres Friderici querelæ apud Parisium. Cùm ex aliâ parte Helias ejus Ordinis Minorum Generalis Minister, ab officio per Gregorium Pontificem, ob multa ejus in detrimentum & dedecus Ordinis facinora, ejectus, & ad Fridericum transiens, (ut idem Parisius tradit) plura evomuit in Pontificem, suámque operam adversùs eum locavit Friderico, quamvis hoc nonnisi sub Innocentio Gregorij successore contigisse Waddingus [u] argumentetur.

[u] *Annal. Minor. an.* 1239. & 1244.

XI. CLADES FRIDERICIANIS ILLATÆ.

Cæterùm Fridericus, tam felicibus Montelongi in Longobardiâ successibus, quàm quòd classis communibus Pontificis & Venetorum sumptibus in Apuliam missa, Fridericianam ad Garganum montem disjecit; navémque ceteam in sinu Sipontino, omnium quæ tempestate illâ in mari fuerunt nobilissimam præcipuáque magnitudine visendam, quæ mille erat pugnatoribus instructa, expugnavit, multáque iis oris oppida cepit: ac Genuenses Pisanorum classem triremium supra centum, Friderici copiis refertam, apud Corsicam fugârunt. His, inquam, Fridericus exacerbatior redditus, in ipsam Romam, Pontificémque vindictam transferri decrevit: finitimísque oppidis in suam ditionem adductis, in tantum timorem Pontificem intulit, ut omni humanâ spe depositâ ad divinam implorandam opem clero ac populo advocato, sacra Apostolorum Petri & Pauli Capita proferens, præmissâ Cruce cui Ligni salutiferi portio inerat, à Laterano in Vaticanum processerit, ubi orationem ex ambone commiserationе plenam habens, periculum quod à scelestissimo Friderico Ecclesiæ inferretur ostendit; & Capita Apostolorum brachiis tenens, se non illa absque Romani populi virtute, cui & se & illa committebat, defendere posse, uberibus lacrymis contestatus, commoto ad hæc populo, decretum promulgavit quo præmia salutis æternæ omnibus pollicebatur, qui Crucem adversùs Fridericum sumpsissent; ac plurimos ad eam sumendam accendit: non sine miraculo divino, ut qui aliàs seditiosè à Romanis pulsus fuisset, in eâ hostis potentissimi propinquitate, cujus largitione corruptos atque etiam conjuratos esse primores quosque potentiorésque constabat; eosdem Romanos potuerit in suam defensionem armare. Quare & factum est, ut cùm Fridericus mox infesta ad Vrbem signa ferens, legiones Crucesignatorum integras obviam adversum se exîsse vidisset, ad ejus rei aspectum adeò territus fuerit, adeóque in furorem & Vesaniam versus, ut post gravissimum certamen quos vivos è Romanis Crucesignatis habere potuit, partim quaternis ad crucis formam confoderit

ROMAM AGGREDI STATUENS, REPELLITUR CUM DEDECÓRE.

IMMANIS EIUS SÆVITIA.

vulneribus, partim caput in crucis modum quadrifariam sciderit, partim ferro candenti crucis signum in fronte impresserit: clericos verò detonsam in vertice coronam ferro cæsim in crucem vulneratam, ut dicebat, ornari jusserit, quorum unius inflictum vulnus nimis patienter ferre visus, in palearum cumulum funiculo est protractus, & cùm benedicere ac laudare Deum perseveraret, igni supposito est crematus. Spem verò Romã potiundi deserens, tertio quàm advenerat die mœrens frendénsque abscessit, & quacúmque transiit obvia cuncta urens diruénsque devastavit, quæ prolixè prosequitur Auctor Vitæ Gregorij, tractántque Blondus, Krantzius, Fazellus, Sigonius, & alij superiùs citati. E' quibus etiam constat, eum in his omnibus præcipuè usum fuisse operâ carissimorum sibi Saracenorum; quibus & incolendam dedit Nuceriam ejectis Christi cultoribus, præter pauculos quos ibi Episcopum habere permisit.

XII. [x] Vit. Greg. Coll. Fux. Blond. Krantz. Naucler. & alij: quod nonnulli tribuerunt Honorio III. ANTIPH. SALVE REGINA OFFICIO DIVINO ADDITA.

Cùm intereà Pontifex contra ejus insidias præsidium supernum imploraturus, decrevit [x] ut præcellens illa dulcísque ab Hermanno Contracto ducentis fermè antè annis composita antiphona *Salve Regina*, certis divinæ rei horis adderetur: campanæque ad sacratissimam Eucharistiæ confectionem pulsarentur; & laudes Dei-Genitricis Mariæ speciali oratione in matutinalibus celebrarentur.

XIII. INVENTA PARISII DE REGE FRANC.

Misisse quoque ad piissimum Francorum Regem nuncios, quibus Imperium offerret Roberto ipsius fratri, Parisius tradit: sed durum responsum accepisse de injustâ in Fridericum persecutione, qui religione ipsi etiam Pontifici antecelleret: Misisse nihilominùs Francos ad Imperatorem suos nuncios, qui ejus fidem tentarent, & auditâ ejus rectâ etiam cum lacrymis professione, declarâsse nequaquàm velle Francos aliquem Christianum sine manifestâ causâ impugnare: cæterùm Francorum Regem, qui regij sanguinis successione sceptrum regni adeptus esset, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio provehit voluntaria: sufficere Roberto fratrẽ esse tanti Regis. Hæc diffusè blaterat Parisius: quæ meras nugas esse hominis cerebro laborantis, tam nullus dubito, quàm omninò mihi persuadeo nullum fore sanæ mentis, qui putidam ejus narrationem, & futilem dialogismum inspicere voluerit, qui non idem mecum sentiat: cùm etiam tantæ rei ne per somnium quidem ullus prorsùs alius auctor meminerit. Sed huic monacho quicquid effingere, etiam effari libuit, licuítque.

XIV. INFELIX SUCCESSUS EXPEDIT. SYRIACÆ REGIS NAVARR. [y] Cõtin. Bel. sacr. lib. 3. cap. 15. [z] Nang. in Vit. S. Ludov. & in Chron. an. 1237. Paris. an. seq. & alij.

Quod res attinet Orientales; parùm prosperè eas Crucesignatis successisse constat. Cùm enim vix tertia pars exercitûs qui cum Theobaldo Rege Navarræ iter aggressus fuerat in Syriam pervenisset; & Friderici Præfectus [y] aliquid contra Saracenos movere, quòd sciret Fridericum fœdus cum eis renovâsse, & inducias prorogâsse, recusaret: post leves aliquot pugnas, quarum [z] unâ Petrus Britanniæ Comes sejunctim ab aliis magnâ gloriâ hostes egregiè fudit, ac copiosam prædam retulit; cùm & ejus æmulatione ac spe lucri Amalricus Montisfortis & Henricus Bari Comites, multis aliis ad se allectis, neglecto Theobaldi Regis ejusdémque Petri ac cæterorum consilio, temerariè (ut solent plerumque Galli) in hostium fines processissent, magnâ acceptâ clade, Amalricus captus remansit, Henricus mortuus vel captus nusquàm ampliùs apparuit. Scribunt aliqui [a] interfuisse etiam Theobaldum illi certamini, & vix post multam cædem, hortantibus aliis, pernicissimo equo salutem quæsisse: posteàque visitato fide publicâ Saracenorum, unà cum Petro Britanno (quos fratres fuisse, quidam inscitissimè scripserunt) Sepulcro Dominico, rebus omnibus amissis in Galliam se recepisse. At ex Sanuto [b] intelligitur, occasione dissensionis quæ erat inter Sultanos Damasci & Babyloniæ, ortum esse quoque dissidium inter Christianos, dum post prædictam cladem Henrici & Amalrici, Templarij unà cùm Proceribus exercitûs inducias cum Damasceno contra Babylonium, receptis duabus munitionibus & toto territorio Ierosolymitano, pepigerunt; Hospitalarij verò cum parte Christianorum Babylonico adhæserunt contra Damascenum; Theobaldo, Petro, & aliis Crucesignatis ad propria redeuntibus.

[a] Contin. ubi supr.

[b] San. lib. 3. par. 11. c. 15.

XV. AMALRICI MONFORTII OBITUS, ET EPITAPHIŨ.

Amalricus autem (ut Nangius habet) post aliquod tempus liberatus, dum rediret Romam tendens, in itinere obiit, atque in Vrbem delatus in basilicâ S. Petri honorificè sepultus est. Cujus epitaphium sepulcro ejus inscriptum, placuit in memoriam propriæ ipsius, sed magis paternæ virtutis, cujus nomine acceptissimus ubique fuerat, hîc describere ex Volaterrano [c], cujus tempore extabat: *Hic jacet Amauricus Comes Montis fortis, Franciæ Conestabilis, qui contra Albigenses pro fide Catholicâ sæpiùs dimicavit: posteà contra Saracenos ad partes Syriæ transfretavit: à quibus in bello captus fuit, & diù in captivitate detentus. Tandem per treugam liberatus, dum rediret ad propria, apud Hydruntem expiravit an. Dom. MCCXLI.* Pro cujus liberatione Gregorius Pontifex scripsisse reperitur [d] anno sui Pontificatûs decimo-quarto, nempè sequenti, quarto Nonas Martij ad Willelmum Minoritam Pœnitentiarium suum, in Galliâ existentem, ut ex pecuniâ proveniente de redemptione votorum Crucesignatorum exhiberet quinque millia marcharum argenti, si minoris redimi non posset.

[c] Volat. Anthropol. lib. 22.

[d] Regest. Greg. IX. an. 14. & ap. Vvading. an. seq.

XVI. CRUCIS RELAXATIO IN AUXILIŨ TERRÆ SANCTÆ. [e] Ibid. an. 12.

Sic enim Pontifex de ejusmodi expeditionibus Orientalibus valdè solicitus, iis qui ad eas se accingerent succurrere satagebat. Veluti cùm [e] prædicto Henrico Comiti Bari centum milites ducenti in subsidium Terræ Sanctæ vel Imperij Constantinopolitani, decimam pecuniæ quæ de redemptione votorum Remensis provinciæ exacta fuerat, dari jussit: & Episcopo Nivernensi, cum honorabili bellatorum numero in eandem Terram Sanctam transfretaturo, redemptiones duarum diœceseon assignavit: H. quoque domino Bellijoci alias, aliásque similiter plerisque aliis: atque imprimis Richardo [f] Comiti Cornubiæ fratri Regis Angliæ, quicquid in Angliâ ex ejusmodi redemptionibus haberi potuit, cùm videlicèt præter dona & legata spontanea quæ fiebant ad subsidium Orientalium à Fidelibus, mos esset vota senum, debilium, atque infirmorum qui Crucem sumpsissent, pecuniâ relaxare; quæ dispensabatur ad id operis ex præscripto Pontificis: quicquid maledicus Parisius calumniari non cesset, ejusmodi redemptiones in proprium Pontificum commodum fieri consuevisse.

[f] Paris. an. 1241.

XVII. Hoc anno [g] mortuo *Rainerio* Patriarchâ Antiocheno Latino post viginti annos sedis, suffectus est in locum ejus *Helias Robertus* Regiensis ex Episcopo Brixiano: seditque annos octo. Ita Onuphrius: cùm tamen in quodam diplomate Innocentij Papæ Quarti dato anno tertio ipsius Pontificatûs, qui fuit Christi 1245. Patriarcha Antiochenus vocetur *Albertus* [h]; sive is ipse fuerit, sive ejus successor. Quisnam autem pòst Patriarcha Antiochenus ex Latinis fuerit, incompertum sibi esse idem Onuphrius ait. Comperimus nos tamen *Christianum* Ordinis Prædicatorum; qui in expugnatione [i] illius civitatis martyrium consummavit. Nec ullus ampliùs quærendus est, qui ibi sederit excisâ civitate: cùm nihilominùs nunquam desierit dari titulus tam Græco alicui quàm Latino.

g Onu phr. in Chron.

QUIS SEDERIT HOC TEMPORE PATR. ANTIOCH.

h Vid. infr. ann. 1245. XI.

i Inf. ann. 1268. XIX.

XVIII. In Galliâ Regem Ludovicum Albigenses hæreticos rursùm tumultuantes misso exercitu compescuisse, Nangius narrat: & distinctiùs anno sequenti Guillelmus [k] de Podio Laurentij, qui videbat. Mariana [l] verò; in Hispaniâ novum regnum Maurorum hoc anno institutum esse: nempè *Granatæ*, cùm eam urbem armis virisque potentem, nulliúsque rei indigam, Alhamur Rex Maurus imperio suo adjunxisset volentibus civibus: Ex alterâ verò parte Hudielem *Murciæ* Regem Alhamaris odio à civibus esse renunciatum: Indéque mutuæ atque internecinæ inter utramque urbem nata simultatis semina: Quòd verò Hudielis se viribus Alhamaris imparem sentiret, anno mox proximo in fidem Ferdinandi Regis Castellæ se dedisse.

k Pod. Laur. Chron. c. 43.

l Mar. lib. 13.

GRANATÆ ET MURCIÆ REGNA IN HISPANIA INSTITUTA A MAURIS.

XIX. In minori [m] Poloniâ Boleslaus ejus Princeps, ut se adversus patrui sui Conradi Masoviæ Ducis machinationes tueretur, externa quoque auxilia sibi adjungere studens, & nova cum Belâ Hungariæ Rege fœdera icens, sive antiqua firmans, filiam ejus Kingam, seu Kunegundem dictam, uxorem duxit; puellam moribus & sanctimoniâ vitæ nobilem: quæ statim matris alvo fusa, non fletum ut cæteri pueri, sed linguâ Hungaricâ articulato sermone protulit *Ave Regina cœlorum*: ac deinde per pietatis opera, non secùs quàm B. Hedvigis, cujus neptis ex sorore germanâ erat, in Poloniâ refulsit. Quinimmò & primis nuptiarum diebus Boleslao viro suo continentiam persuadens, confirmatâ inde mutuo consensu religione, ambo perpetuam vovêre virginitatem. Hincque Boleslao *Pudico* cognomen inditum. Fuítque [n] eidem Boleslao soror germana nomine *Salomea*; quæ pariter cum viro suo Rege Haliciæ, absque omni illecebrâ carnis integra vixit; & post viri obitum, religionem S. Claræ professa, sanctissimè vitam duxit, & mortem obivit miraculis clara: ex cujus etiam sacris reliquiis oleum odoriferum manare cœpit, quo morbi curari consueverunt.

m Michov. Rer. Pol. lib. 3. cap. 18. Crom. lib. 8.

KUNEGUNDIS ET SALOMEA SANCTÆ FEMINÆ.

n Micho. cap. 57. Crom. lib. 9.

XX. Cæterùm post hæc Boleslai fœdera & nuptias, Conradus eum bello lacessere tum quidem cessans, intestinum malum suâ sibi temeritate & furore præcipiti, falsâ suspicione inflammatò, accersivit. Cùm enim profectus Casimirus filius ejus Wratislaviam, ut sponsam suam filiam Henrici Pij Wratislaviæ Ducis, neptémque S. Hedwigis, & affines suos viserat; captúsque consuetudine ejus diutiùs ibi, nequicquàm revocante patre, commoraretur: suspectâ eâ re Conrado, verito ne quod filius cum socero contra patrem consilium iniret; (fuerat enim olim magna inter eos dissensio, quæ composita fœderibus nuptiarum erat:) revocatum Ioannem Czaplam Wladislaviensem & Plocensem Scholasticum, Sacerdotem, suúmque Cancellarium, quem filio moderatorem dederat; causâ non cognitâ, ut auctorem consiliorum filij, carceri injecit, equuleo torsit, & in patibulum egit. Quâ de causâ Conradus excommunicatus, & universa Plocensis diœcesis, in quâ facinus perpetratum, sacris interdicta fuerit; donec ipse anno proximo pœnitens ad Archiepiscopum Gnesnensem accedens, de admisso scelere ejus arbitratu satisfecit, & ab delegatis Gregorij Pontificis absolutus est.

MASSOVIÆ DUCIS SCELUS ET POENITENTIA.

XXI. Insigne verò castitatis exemplum id etiam temporis editum à feminâ quâdam nobili Suevâ conjugatâ narrat Cantipratanus [o], quæ cùm formosissima esset, virque ejus nobilitate conspicuus à multis aliis nobilibus frequenter visitaretur; illa animi decore præstantior quàm formâ corporis, graviter has visitationes ferens ne curiosè videntibus occasio scandali præberetur; oratorium suum sola semel ingressa, fusis ad Dominum lacrymis instantissimè rogavit, ut speciem suam in tantam fœditatem commutaret, ut esset carnis turpitudo majori horrori quàm fuisset pulchritudo honori. Nec mora, horribili leprâ ita vultus contabuit, ut vix à proprio viro & familiâ agnosceretur. Quâ de re cùm ipsa mirè gauderet, à viro tamen religioso qui confessiones ejus audiebat acriter increpita quòd in contumeliam & periculum mariti sui opus Dei in se destruxisset, & propinquos atque amicos suos ad blasphemandum impulisset; jussáque proptereà divinam clementiam pro priori formâ interpellare: illa pari obedientiâ ad orationem prostrata, Dominum rogavit, ut quandoquidem quod illa petierat ut liberiori mente ei serviret, indiscretè petiisse argueretur à patre spirituali, dignaretur plasma in ipsâ restituere secundùm quod divinæ ejus voluntati placeret. Vixque verba compleverat, cùm facies ejus pristinæ formæ restituta est. Quæ paulò pòst decedente viro suo, cum unicâ quam habebat filiâ monasterio Lincherchensi Sororum Ordinis Prædicatorum sese inclusit.

SUEVÆ FEMINÆ SINGULARE CASTITATIS EXEMPLUM.

o Cantipr. lib. 2. c. 30.

XXII. Hoc [p] verò ipso anno, sive sequenti [q], Adolphus Holsatiæ (olim Cimbricæ Chersonesi) Saxoniæ & Daniæ conterminæ nobilis Comes, post vindicatam olim fortiter à jugo Danorum ditionem patriam, ac res præclarè recèns gestas in Livoniâ, quæ non ita pridem [r] ad Christum converti cœpta paulatim augescebat, concessâ à Romano Pontifice pugnantibus in eâ provinciâ, eâdem plenariæ indulgentiæ gratiâ quæ militantibus in Terrâ Sanctâ: valedicens sæculo, Ordinem Minorum ingressus est Hamburgi: ac posteà Romam tendens, obtentâ dispensatione Pontificiâ ab effusione sanguinis in armorum tractatione, sacris Ordinibus & presbyteratu initiatus, vixit supra annos viginti magnâ religione. De quo ferunt, cùm aliquando iret hydriam lacte ex eleemosynis suorum quorumdam subditorum collecto plenam bajulans, &

p Krantz. 7. Vvandal. 18. Albert. Stad. in Chron.

q Krantz. 8. Saxon. 7.

r Vid. supr. an. 1205. XIII.

ADOLPHUS HOLSATIÆ COMES FIT MINORITA.

obvios fortè habuisset filios suos sublimes in equis Comitum more sæcularium, passum humanitùs aliquid cœpisse rubore perfundi: sed mox robore mentis advocato, in eorumdem conspectu hydriam levatam super caput evertisse, totúmque lacte perfusum dixisse; Infelix erubuisti Christi pauperiem, bajulare lac in manibus; nunc vel in capite ostende quid portaveris: magno despicientiæ suî & fortitudinis exemplo.

IESU CHRISTI Annus 1240.
GREGOR. IX. An. 14.
FRIDERICI II. Ann. 21.
BALDUINI II. An. 12.

I. NOVÆ FRIDERICI INSULTATIONES IN PONTIFICEM.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quadragesimo, Indictione decimatertiâ, cùm perlatum in Italiam esset, Crucesignatos in Syriâ rem parùm secundo successu gessisse; inde Fridericus occasionem arripiens invehendi in Pontificem, quòd eos compulisset absque ipso Friderico, qui vel ipsemet decreverat expeditionem ducere, vel ei filium suum Conradum Ierosolymæ Regem præficere, intempestivè properare; scripsit eâ de re publicas, ut puto, literas, quarum exemplar ut missæ sunt ad Regem Angliæ Parisius inseruit Historiæ suæ: quibus etiam zelum suum venditando, ut omnium sibi captaret benevolentiam, pollicetur scripturum se ad Sultanum, pro liberatione captivorum.

II. INDICTIO CONCILII GENERALIS ROMÆ. [a] *Ext. in Reg. Greg. an. 14.*

His verò motus Pontifex, & quòd mala crescerent in dies in Italiâ; de Cardinalium consilio, ad remedia laboranti Reipublicæ Christianæ opportuna exquirenda, CONCILIUM Generale advocare decrevit; literísque [a] ejus indictionis primùm quidem quinto Idus Augusti, tum inde Idibus Octobris ad Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, Regésque Franciæ, Angliæ, Boëmiæ, Scotiæ, Sueciæ, Norvagiæ, Portugalliæ, Aragoniæ, Castellæ & Legionis, Hungariæque; ac Duces Poloniæ, Venetorum, Slavoniæ, ac reliquos omnes; imprimísque ad universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, ac Prælatos scriptis; præcepit ut omnes ubique terrarum Antistites ROMÆ in diem Dominicæ Resurrectionis sequenti anno futurum adessent. Legatósque in diversa Regna ad provincias recens destinatos, eósque qui jam in aliis, variis occasionibus anteà missi reperirentur, sedulò monuit ut quot omninò possent ad Concilium secum adducerent. Auctores verò indicendi Concilij fuisse Pontifici Reges Francorum & Angliæ, Blondus & alii scribunt. Consensisséque item eidem indictioni Fridericum, & inducias usque ad ejus consummationem cum Pontifice pepigisse, Parisius habet, & ex eo Sigonius, quinimmò & ab ipso priùs petitum fuisse, habet Innocentius successor Gregorij in sententiâ depositionis Friderici, de quâ posteà. Sed quod Parisius addit de subsecutâ Gregorij pœnitentiâ, & fractione fœderis cum Friderico icti; desumpsisse videtur ex literis ejusdem Friderici, quas recitat ad Regem Angliæ scriptas de revocatione consensûs sui in celebrationem Concilij. Quales etiam extant apud Petrum de Vineis [b] ut missæ sunt ad Regem Francorum; nimirùm eodem tenore ad singulos Principes: rogans quoque eos ne permitterent Prælatos ditionum suarum Romam pergere. Cùm videlicèt conscius sibi Fridericus de tot horrendis facinoribus in Ecclesiam & Christianos patratis, pro certo habens se in Concilio condemnatum iri, occasionem quæsivit (ut idem Parisius fateri coactus est) illud quibuscumque modis, & cum detrimento famæ Gregorij præpedire: tam inverecundâ fronte, ut publicis literis promulgare non dubitaverit, revocare se omninò securitatem quam promiserat adeundi Romam ad Concilium, eâ prætextâ excusatione, quòd præfuturus ei esset hostis publicus Imperij. Nec quidem fefellisse, quinimmò longè graviori scelere rem peregisse, videbimus anno sequenti.

[b] *Petr. de Vin. 1. ep. 14. Nang. in Vit. S. Ludov.*

ILLUD FRIDERICUS IMPEDIRE CONATUR.

III. [c] *Monach. Paduan. Blond. Sigon. Rubeus, &c.*

Priusquàm autem hæc ita peragerentur, dum esset Fridericus in Apuliâ, Ferrariæ [c] urbs quæ juris erat Pontificij, sed à Fridericianis tenebatur, hortante Gregorio Montelongo Legato Apostolico, terrâ fluminéque à fœderatis Lombardis & Venetis mense Februario arctissima obsidione cincta, post quatuor menses in deditionem accepta est, atque Azoni Marchioni Estensi Ecclesiæ ac Pontificis nomine & auctoritate gubernanda tradita. Ex quo principio ortum tradunt dominatum familiæ Estensis in illâ urbe; quo demùm nostro tempore cecidit. Aliâ verò parte Fridericus ex Apuliâ rediens, Ravennam occupavit: indéque Faventiam aggressus, nonnisi post septem menses, cùm cibis omnibus consumptis se sustinere cives nequirent, mense Aprilis anni sequentis obtinere valuit: quando cives squalore, fame, ac post tentatam frustrà veniam, desperatione confecti, ingenti agmine facto ad pedes ejus humiliter se abjicientes, vix obstinatum ejus ad sumendum de iis supplicium, ob graves ab illis acceptas injurias, animum expugnare potuerunt, quæ pluribus prosequitur Parisius; & probantur literis ipsius Friderici, quæ extant apud Petrum [cc] de Vineis earum thrasonicum concinnatorem. Eâ verò obsidione ferunt [d], ipsum defectu pecuniæ ad stipendia militum, post gemmarum ac vasorum auri & argenti oppignerationem, jussisse cudi monetam ex corio insignitam suâ imagine, quæ nummo aureo censeretur; edicens ut quicumque eam posteà quæstoribus suis referrent, acciperent verum aureum nummum. Quo tamen nonnulli ad Parmensem obsidionem, de quâ posteà [e], contra plerorumque assertionem referunt.

FAMILIÆ ESTENSIS INITIUM DOMINATIONIS FERRARIÆ.

[cc] *Petr. de Vin. 1. ep. 8. & lib. 2. ep. 4.* [d] *Ricord. cap. 130. Villan. lib. 6. c. 22. Anton. tit. 19. c. 6. §. 1. & alij.*

MONETA EX CORIO. [e] *Infr. an. 1247. VI.*

IV. ITER SYRIACUM RICHARDI FRATRIS REGIS ANGLIÆ.

Hoc eodem anno Richardus Comes Cornubiæ frater Henrici Regis Angliæ à Gregorio Pont. ad sacram militiam incitatus, cum magno suorum exercitu (sunt enim qui quadraginta millia pugnatorum ex Angliâ eduxisse ferant) in Syriam per Gades & mare mediterraneum navigans; vastatâ in gratiam Pontificis Sardiniæ insulâ, quam Pisani nomine Friderici ejúsque filij Entij nothi obtinebant; ulteriùs progrediens, fœdâ tempestate multis navibus atque militibus amissis, in Palæstinam pervenit: rebúsque Ierosolymis cum Præfecto Friderici communicatis, cùm is nullo pacto adduci posset ut quidquam contra Saracenos

tentaret quod fœdera inita violare videretur; considerans Richardus suas vires debiliores esse quàm ut suâ ope Saracenis aliquid adimi posset, iisdem induciis Friderici in aliquot annos subscripsit: atque particulâ quâdam Sanguinis Christi qui Ierosolymis servabatur, à Patriarchâ, sive à Magistro Hospitalis donatus, domum rediit. Ita enim rem gestam narrant multi [f]. Quam paulò diversè tractantes scriptores Anglici, nihil de Sardiniâ memorantes, quinimmò Richardum contra Pontificis prohibitionem iter suscepisse asserentes, aiunt eum prosperè cum totâ suâ classe Acconem appulisse paulò pòst quàm Rex Navarræ inde solvisset; inducias ab eodem Rege pactas firmâsse magno Christianorum commodo; captivos Gallos liberâsse; mortuorum clade Damascenâ ossa, quæ insepulta jacebant, piè humâsse; castrum apud Ascalonem munîsse; omnibúsque ritè dispositis ad propria redeuntem, in octavis S. Ioannis Baptistæ anni sequentis appulisse Drepanum Siciliæ; quæ & firmant literis ipsius Richardi ad suos scriptis.

[f] Blond. 2. dec. 7. contin. Bel. sacr. l. 3. c. 16. Bos. Hist. Hospital. lib. 18. & alij.

V. De quodam Anglo multa contra fidem delirante.

Hoc eodem anno ponit Parisius captum fuisse in Angliâ apud Cantabrigiam fanaticum quendam hominem, habitum gestantem Ordinis Carthusiani, qui nolebat ullam Ecclesiam intrare, quòd assereret eas profanas esse: Gregorium, qui Papa diceretur, non esse Papam, nec caput Ecclesiæ; sed esse aliud caput Ecclesiæ: diabolum solutum esse, Papam hæreticum: Christum carnem sumpsisse in virgine, sed non de virgine: & alia ejusmodi deliramenta: ob quæ ductus ad Othonem Legatum, inclusus est Turri Londinensi. Quæ ut verè acciderint; subdubitamus tamen artem intervenisse fautorum Friderici in odium Pontificis. Vt sanè plurima sunt apud hunc auctorem, quæ apertè manifestent eum Friderici fuisse studiosissimum, Ecclesiæque Romanæ parùm æquum; eâ præcipuè causâ quòd ejus ministri tum sacræ expeditionis prætextu, tum occasione subsidij Pontifici in angustiis constituto quærendi, gravioribus exactionibus Angliam premerent; consentiente tamen Rege, in gratiam Pontificis, & Legati sibi charissimi; nequicquam etiam Friderico ipsius Regis sororio per literas, quas idem auctor recitat, summè rogante ne opem pecuniariam Pontifici ferret.

VI. S. Edmūdi Archiep. Cantuar. obitus.

Quo item anno (ut idem auctor habet) mortuus est *Edmundus*, sive Eadmundus Cantuariensis in eâdem Angliâ Archiepiscopus. Qui cùm & Regis levitatem in promissionibus de antiquarum legum observatione infringendis; & immoderatam cupiditatem in emungendâ tam ab Ecclesiasticis quàm laïcis, novis semper quæsitis prætextibus, pecuniâ; eo etiam periculosiori abusu, quòd cùm ex antiquo instituto vacantium Episcopatuum ac cœnobiorum fructus eatenus capere consuevisset quoad aliquos viros dignos illis præficiendos curaret, eo lucro illectus sacerdotia ejusmodi diutiùs vacare de industriâ permitteret: nimis item dissolutum sæpè animum in repellendis Episcopis & aliis Cleri proceribus idoneis, & justo suffragio electis, inque sacerdotiis ac beneficiis non solùm exteris, verùm & sæpè indignis, perperàm & vitiosè sine delectu credendis; necnon in exteris ad regni negotia procuranda advocandis, incolis ferè exclusis atque in ordinem redactis, nisi qui se avarè & impotenter agerent: Hæc inquam, & alia ejusmodi plurima in detrimentum religionis & disciplinæ Ecclesiasticæ regníque totius, cùm Edmundus à Rege fieri perspiceret; & aditâ Sede Apostolicâ his rerum perturbationibus parùm profecisset; nec in manu suâ ampliùs esse ut ejusmodi malis mederetur apud Principem, qui benè monenti aures non daret, consideraret: demùm exilij libertate domesticæ antepositâ servituti, in Gallias ad Pontiniacum Cistercensium cœnobium, quod & olim Thomas ejus decessor innocentiæ asylum sibi delegerat, se recepit; ac post multa veræ probitatis & integritatis exempla ibi præstita, confectus ærumnis animi, & corporis austeritatibus, in morbum incidens, ac consilio medicorum in Sociacensem purioris aëris domum Canonicorum regularium secedens; diem illic obiit 16. Cal. Decemb. corpus verò relatum est Pontiniacum; & multis miraculis claruit; ob quæ ipse post sex annos ab Innocentio IV. adscriptus est solemni ritu Catalogo Sanctorum. Narrantur ista a Parisio, Polydoro, & aliis historicis Anglicis: extátque ejus Vita antiquitùs scripta apud Vincentium [g], Antoninum [h], & Surium [i]: necnon utilis ejusdem commentarius titulo Speculum Ecclesiæ, in Bibliothecâ Patrum. Fuit ei adjutor in administratione Ecclesiæ suæ *Richardus* creatus posteà Cicestrensis in eâdem Angliâ Episcopus: qui & ipse egregiis virtutibus & miraculis coruscans, fuit post obitum ab Vrbano [k] IV. in numerum Confessorum relatus.

[g] Vinc. l. 31. cap. 67. & seqq.
[h] Ant. tit. 19. cap. 10.
[i] Sur. 16. Novembr.

S. Richardus ejus adjutor. infrà an. 612. IV.

VII.

In Hispaniâ, dum Rex Aragoniæ Iacobus Montem-Pessulanum, sive Mompellerium Galliæ, ejus tum ditionis, cujusdam compescendæ seditionis causâ, & ut pecuniam ab illis civibus in stipendium suorum acciperet, adiisset; interímque induciarum jura in ditione Valentiæ cum Mauris pacta, à Christianis ducibus qui in præsidio urbis & regni relicti fuerant violarentur, dedititiísque Mauris bellum inferretur: accidisse ferunt, ut dum iidem duces Chium castellum obsiderent, Maurique ad viginti millia ad obsidionem solvendam concurrissent; cupientibus ducibus antequàm prœlium inirent sese participatione sacratissimæ Eucharistiæ communire, jamque sacerdos Missam celebrans sex particulas totidem communicandis ducibus consecrâsset: orto inter hæc ingenti clamore, quo hostes in castra Christianorum ex improviso irrupisse signabatur, ac propterea ducibus intermisso sacro ad pugnam accurrentibus; intereà dum iniretur certamen cum hostibus, sacerdos de hostiis vehementer sollicitus, eas intra sacra linteamina quibus sacrificatum fuerat, quæ corporalia vocant, distinctas involvens, sub quodam lapide reposuerit; donec profligatis divinâ virtute hostibus, qui numero Christianos viginti ferè partibus superabant, educta sacra corporalia hostias exhibuêre sanguine respersas, & ipsis corporalibus affixas atque hærentes. Quæ Darocam Aragoniæ oppidum, unde erat sacerdos qui illas consecraverat, divino cogente numine delatæ, magnâ religione hactenùs integræ ac velut recenti sanguine rubentes conspiciuntur. Rem verò gestam quidam [l] hoc anno, alij [m] præcedenti collocant; quæ proprio ac pecu-

Miraculum in sacris Hostiis.

[l] Surit. in Indic. Marian. l. 13. c. 1 in fi.
[m] Gomes. de reb. gest. Iacobi Reg. lib. 13. Ludov. Granat. Introd. Symb. Fid. par. 2. c. 27. §. 7.

liari tractatu prolixiùs descripta reperitur: ab ipso verò Iacobo Rege in commentariis quos de rebus suis composuit omissam, multi mirantur. In ipso verò loco ubi miraculum factum est, multa alia succedentibus temporibus facta esse tradunt.

VIII. IMPIA ET TURPIS CONVENTIO PERFIDORUM CONTRA REGEM FRANCIÆ.

Dum autem esset Rex Mompellerij, præstò ei affuêre Raymundus Berengarius Provinciæ Phocæensis & Raymundus Tolosæ Comites. Qui simul ad turpem & omni dedecore famosam (ut loquitur sincerus scriptor [n] Rerum Aragonensium) pactionem devenientes, decreverunt uti divortium inter Tolosatem & Sanctiam Regis amitam procuraretur; quo Ioanna ex eo conjugo nata, Alfonsi Pictonum Comitis fratris Ludovici Francorum Regis uxor Tolosatium ditionis hæreditate privaretur: convenítque [o] ut in eam rem arma tres Principes sociarent; quorum tamen mala mens effectu caruit, dissipante Deo prava eorum consilia. Assueverant scilicèt sic Principes Hispaniæ, & porrò perseverârunt in conjugiis ineundis & solvendis, nullâ religionis ac fidei reverentiâ ludere. Tolosas autem totius juramenta sua infregerat, ut non mirum videri debeat si etiam in ejusmodi consortio adversus dominum suum, etiam cum detrimento propriæ filiæ conjuraverit. Quâ verò & fide esset Phocæensis, socer licèt tanti Francorum Regis, vel ex hoc facinore facile est intelligere. Namque etiam de his expressiùs agens Guillelmus [p] de Podio Laurentij Capellanus prædicti Tolosatis, & divortium factum esse per sententiam Iudicum olim à Pontifice delegatorum, falsis productis testibus, ait; & Comitem Provinciæ iis annuisse, quò Tolosas in uxorem duceret filiam ipsius tertiam nomine quoque Sanctiam: misísque ad Pontificem nunciis pro dispensatione, rem effectu caruisse ob supervenientem Pontificis obitum; hancque Sanctiam nuptui datam esse Richardo fratri Regis Angliæ: Tolosatem autem pactum post hæc iniisse cum Comite Marchiæ (cujus filiam in uxorem postulabat) & Angliæ Rege, de bello inferendo Francorum Regi; de quo dicetur post biennium.

[n] *Surit. in Ind. an. seq.*
[o] *Marian. l. 13. c. 2.*
[p] *Pod. Laur. Chron. cap. 44. 45.*

IX. SCHOLÆ SALMANTINÆ INSTITUTIO.

Consultiùs longè alius Hispanus Rex Ferdinandus Castellæ & Legionis, de rebus gravioribus & honestioribus cogitans, hoc ipso anno [q] Palentinam Scholam ab Alfonso avo constitutam, *Salmanticam* transtulit; loci commoditate invitatus, & ut eo beneficio Legionensium ampliùs sibi conciliaret voluntates: cùm jam anteà Alfonsus ipsius Ferdinandi pater Legionensis Rex, ne subditis necesse foret eruditionis causâ in Castellam abire, ejus fundamenta posuisset: quæ Ferdinandi nunc filij, & deinde Alfonsi nepotis curâ & liberalitate usque eò aucta est, ut inter præcipuas universi terrarum orbis Academias numeretur. Cùm tamen observet Dominicus [r] Bañes Dominicanus; usque ad annum 1416. in publicis Scholis nondum fuisse pro sacræ Theologiæ professoribus stipendia publica designata: donec Benedictus XIII. (Petrus scilicèt de Lunâ Hispanus) primus instituit Theologiæ Cathedras.

[q] *Marian. l. 13. cap. 3. Middedorp. de Acad. l. 7*
[r] *Ban. ad S. Th. 2. 3. q. 1. art. 7.*

X. HUGO DE S. CARO CARD. AUCTOR CONCORDANTIARUM BIBLIORŨ.

Quo eodem tempore *Hugo de S. Caro*, sive *de S. Theodorico* dictus, insignis Ordinis Prædicatorum Theologus, & secundus illius Ordinis Magister Theologiæ creatus in Academiâ Parisiensi, (primus enim fuit *Rolandus* patriâ Cremonensis, Theologicis & Philosophicis facultatibus egregiè eruditus) & scriptor [s] clarissimus, qui in universam Scripturam juxta quadruplicem sensum breves commentarios edidit; idémque natione Gallus Delphinas, (non Barcinonensis Hispanus, ut perperàm quidam scripserunt, ex æquivoco oppidi subalpini Barcinonetæ, ubi cœnobium fuit Dominicanorum, quod Hugo incoluit & auxit:) CONCORDANTIARUM Bibliorum laboriosissimum opus, multorum operâ adhibitâ, primus omnium instituit, ingenti studiosorum commodo. Cui tamen operi posteriorum industria multa addidit; ejúsque diligentiam deinde imitati sunt Græci & Hebræi; Rabbi Isaac Nathan Iudæus in Hebraïcis, Eutalius Rhodius Monachus in Græcis condendis. Eodémque tempore, ac fortè eorundem operâ qui cum Hugone Concordantias concinnârunt, primùm distincta esse Biblia in capitula, Genebrardus [ss] existimavit: nam ante ista tempora Theologos ea non usurpâsse, posthinc frequenter. Quod tamen Balæus [t] Stephano Langtono Cardinali natione Anglo, doctissimóque (de quo sub Innocentio [u] III.) tribuit. Nec nos adeò abnuerimus; cùm reperiatur [x] idem Stephanus universos sacræ Scripturæ libros tam Veteris quàm Novi Testamenti explanâsse, ac multa alia egregia ejusmodi opera composuisse.

[s] *Vid. Nomẽcl. Card. sub Greg. IX. & Bellarm. de Script. Eccl.*
[ss] *Genebr. Chronol. l. 2. in Cœlest. IV.*
[t] *Bal. 3. Centur. 87.*
[u] *Suprà an. 1207. IV.*
[x] *Vide Nomencl. Card. sub Innoc. III.*

XI. CONCIL. TARRACONENSE CONTRA HÆRETICOS.

Celebratum etiam circa hunc eundem annum *Concilium Tarracone* sub *Petro* Archiepiscopo, argumentatur Franciscus Pegna [y] in notis ad illud editis: cui & interfuit Raymundus de Peñaforte Pœnitentiarius Papæ, quòd in eo agendum esset de modo hæreticos inquirendi, puniendi, & ad Ecclesiam recipiendi. Nominantur autem ibi tantummodò hæretici *Waldenses*, *Pauperes de Lugduno*, & *Inzabbatati*: qui iidem fuêre sub diversis nominibus; ut de Waldensibus & Pauperibus dictum superiùs. *Inzabbatati* autem inter eos dicti [z] sunt, qui argumentum majoris perfectionis in superiori calcei parte signum aliquod deferre consueverant; quòd Hispani Calceum Zapato vocent. Invaluisse namque istos hæreticos etiam in Hispaniâ, tam ex prædicto Concilio, quàm ex aliis superiùs narratis constat; tum verò maximè ex Directorio Eymerici, & prædicti Pegnæ ad illud notis. Cujus quidem calceorum ritus est etiam antiquior apud Vrspergensem [a] mentio, dum ait, vidisse se apud Sedem Apostolicam aliquos de numero eorum qui dicebantur Pauperes de Lugduno, petentes sectam suam approbari: sed Pontificem quibusdam superstitiosis in conversatione eorum animadversis, eos rejecisse: inter quæ erat, *quòd calceos desuper pedem præcidebant, & quasi nudis pedibus ambulabant.*

[y] *Pegn. Direct. Inquis. par. 2. comment. 25.*
[z] *Prateol. de hæres. l. 9. c. 13.* INZABBATATI HÆRETICI.
[a] *Vrsperg. in Chron. an. 1212.*

XII. DIVERSI CONVEN-

Missus in Gallias à Gregorio Pontifice *Iacobus*, ex Monacho Cisterciensi & Abbate Trium Fontium, patriâ Placentinus [b] (Papiensem quidam, nonnulli etiam natione Gallum faciunt) Cardinalis Episcopus Prænestinus, ad promulgandam sententiam adversus Frideri-

[b] *Vide Addit. ad Ciacon.*

TUS IN GALL. PRO AUXILIO PONTIFICIS.

[c] Nang. in Vit. S. Ludov.
[d] Meyer. Annal. Flandr. hoc an.

cum; inter alia *Conventum* [c] Episcoporum & Abbatum MELDIS eâ de re celebravit; quo illos præterea auctoritate Pontificis monuit Romam ad Concilium secum accedere. Alióque [d] Episcoporum provinciæ Remensis *Silvanectis* habito, petiit, obtinuítque vigesimam omnium redituum Ecclesiarum ad auxilium Pontificis. Quod idem cùm per alias quoque Galliarum Provincias, permittente Rege exegisset; scribit Parisius, (dubiâ sanè fide, ut frequenter de hoc auctore conqueri compellimur, cùm nihil ejusmodi apud Francorum historicos invenerimus) Regem; cùm audisset Pontificem resilisse ab induciis cum Friderico pro celebratione Concilij pactis, præcepisse pecuniam totam quam in terrâ suâ Legatus collegisset, reservari donec videret exitum rei.

XIII. QUIDAM ERRORES DAMNATI PARISIIS.

Hoc de rebus fidei in eâdem Galliâ certius; præsenti anno Guillelmum vigilantissimum Episcopum Parisiensem, habito Theologorum consilio, damnâsse errores quosdam de essentiâ divinâ, Spiritu sancto, Angelis, & loco animarum: qui continentur in Bibliothecâ Patrum.

XIV. MÕSTRA MARINA.

[e] Alb. in Hist. anim.

Illud verò minori veritatis periculo ex eodem suspecto auctore Parisio cognoscimus; Balenas circiter undecim, præter alias belluas marinas, in littore maris Angliæ mortuas repertas esse, quasi in aliquo certamine, non tamen ab humano impetu vel industriâ læsas: ídque nautas interpretatos esse, bellum fuisse inauditum inter belluas & monstra marina. Albertus [e] autem Magnus circa hæc eadem tempora capta fuisse ait duo monstra pilosa in silvis Saxoniæ versus Daciam, ferè habentia figuram hominis: ac feminam quidem canum morsibus & venatorum vulneribus confectam esse: masculum captum, factúmque domesticum, didicisse loqui, imperfectè tamen valdè, aliqua verba: rationem verò nullam habuisse, sed mulierum appetentissimum extitisse.

XV. IUDÆI FRANCOFURTI CÆSI, AUT BAPTIZATI.

Sub hoc item anno in Additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem legimus, apud Franckenfurtum in Germaniâ cujusdam Iudæi filium baptismum Christianorum suscipere cupientem, à parentibus & amicis prohibitum esse: indéque altercatione inter Christianos & Iudæos exortâ, rem ad certamen venisse, quo paucis Christianis occisis, Iudæorum circiter centum & octoginta gladio & igne propriis manibus excitato consumpti fuerint: igne verò invalescente, mediam ferè partem urbis conflagrâsse: eáque propter videntes reliquos Iudæorum sibi mortis imminere periculum, baptizatos esse numero viginti quatuor, intérque eos quendam eorum Episcopum, sive Rabbinum.

XVI.

[f] Onuphr. in Chron.
[g] Series Patr. Constantinop. l. 4. Iur. Orient. ad fi.

Pulso [f] Germano Patriarchâ Græcorum Constantinopolitano, suffectus est in locum ejus *Methodius* Secundus; seditque tribus tantùm mensibus. Eíque subrogatus [g] *Manuel Charitopulus* itidem ejus nominis Secundus; qui præfuit annis quatuordecim.

IESU CHRISTI Annus 1241.

GREG. IX. An. 15.

CÆLEST. IV.

FRIDERICI II. An. 22.

BALDUINI II. An. 13.

I. TARTARORUM IRRUPTIO IN POLONIAM.

ANNUM Domini millesimum ducentesimum quadragesimum primum, Indictionis decimæ-quartæ, celeberrimæ aliquot clades insignem admodum reddidêre: Namque imprimis Tartari, de quorum in Oriente progressu, & in Septemtrionem ingressu, superiùs actum, infinito propemodùm numero, post Russiam devastatam, & amplissimam ejus metropolim Kioviam funditùs eversam, aliásque vicinas provincias miserè pessumdatas, jam quoque Poloniam atque Hungariam, finitimásque regiones ad ultimam propè desolationem cædibus & incendiis redegerunt; præcipuis eorum ducibus Batho qui Hungariam, & Petâ qui Poloniam ingressi sunt: divisísque in plures partes immensis suis copiis, tot ac tantis eos populos cladibus attriverunt, ut quod Poloniam attinet, Boleslaus Princeps miserandâ suorum territus strage, & Cracoviæ aliarúmque urbium templorúmque incendio, omnium rerum sacrarum profanarúmque direptione atque devastatione, divini cultûs pollutione, personarum sacrarum contumeliâ, omnis sexûs & ætatis crudeli cæde aut turpi servitute, quibus non esset medendo; acceptâ matre & uxore, raptímque collectis sarcinis, ad Belam Hungariæ Regem socerum suum profugerit, nihil tutum in totâ Poloniâ à barbarorum furore sibi ducens, cùm verò Hungariam quoque major etiam vis eorundem barbarorum infestaret, ad fines Poloniæ se recipiens, in quâdam arce ad Carpathum montem veluti delituerit, ac Principis exemplo plurimi mortales, ditiores præsertim, partim in Hungariam, partim in Germaniam diffugerint; tenuiores in silvas, montes, & paludes sese abdiderint.

II. ET IN SILESIAM.

[a] An. 1226. IX. X.

Cùm verò Tartari etiam Wratislaviam Silesiæ metropolim aggressi, resistentem ejus arcem obsedissent; divino ostento perterriti, (quo orationibus B. Cieslai Ordinis Prædicatorum intra arcem existentis tribuit Deus, ut columna ignea cœlitùs apparens stativa Tartarorum omnéque territorium ingenti atque terribili fulgore collustraret) irrito cœpto similes fugientibus abierunt. Contendentes autem adversus Henricum Pium Ducem Wratislaviensem, filiúmque Henrici Barbati, & S. Heduigis, de quibus suprà [a]; ipsum collecto exercitu paratum ad eos excipiendos invenerunt. Qui exercitu à Sacerdotibus sacris mysteriis procurato, (eo quidem animo ut aut vinceret, aut fortiter pro aris atque focis, & pro populo suo dimicans occumberet) non modò non deterrente, sed etiam atque etiam hortante matre, quæ futuri præscia tamen divinæ voluntati repugnare nefas esse ducebat; atrocissimum cum iis mense Aprilis hujus anni prœlium iniit: quo cùm post ingentem suorum cædem, illos demùm virtute

superstitum cominùs adortus in veram fugam vertisse; (solebant enim plerúmque de industriâ fugere, ut Christianos longiùs à suis productos repentè conversi circumdarent, & imbribus sagittarum in quibus tota eorum vis consistebat, obruerent; cùm & alioqui fugiendo pugnare ei genti maximè usitatum esset:) magico terriculamento victoriam amisit. Quippe cùm in extremo agmine barbarorum esset inter alia signa vexillum insigne, cujus pictura X literæ figuram præ se ferebat, in cuspide verò imago erat terra nigráque capitis humani barbati: id vexillum cùm signifer vehementiùs quateret, fumúsque inde atque nebula densissima atque fœtidissima exhalaretur, quæ non modò aspectum barbarorum Christianis adimebat, verùm etiam odore teterrimo eos necabat: (incantationibus id quibusdam Tartari effecerant, quibus juxtà ac ariolationibus & divinationibus, cùm aliàs tum in bello plurimùm utebantur:) ubi Tartari Christianos novitate rei stupefactos trepidare senserunt, impressionem in eos facientes ingenti cæde prostraverunt; quâ etiam Dux ipse Henricus fortissimè pugnans occubuit. Tantámque ferunt eo prœlio extitisse Christianorum stragem, ut singulis singulæ auriculæ à barbaris præcisæ novem ingentes saccos explerent. Post quæ infestatâ Moraviâ, in Hungariam superatis montibus atque siluis ad Bathum pervenerunt. Quæ cuncta hactenùs breviter relata ut gesta fuerint, cæteris fusiùs descripsêre Michovius [b] in Descriptione Sarmatiæ, & Historiâ Polonicâ, & Cromerus [c] eâdem Historiâ. Addítque Dubravius in Boëmicâ, dum agit de invasione Moraviæ, Petam Tartarorum ducem occisum fuisse in obsidione Olomutij civitatis; (cujus ipse Dubravius [d] fuit longè posteà Episcopus) confestímque cæteros solutâ obsidione, ad Bathum in Hungariam, Petæ cadaver secum honorificè deferentes, sese contulisse.

[b] Michov. de script. Sarmat. Asian. l. 1. cap. 3. & Rer. Polon. lib. 3. cap. 39.
[c] Crom. l. 8.
[d] Dubrav. lib. 16.

III. S. HEDUIGIS CONSTANTIA ET OBITUS.

Quorum antequàm patrata ibi facinora prosequamur, de S. Hedwige monendum, eam auditâ Ducis Henrici nece, uxorem ejus, ac moniales cum quibus versabatur, lamentantes ac pectora plangentes comiter consolatam, minimè dejecto vultu gratias egisse Deo, quòd ejus munere talem filium peperisset, cujus ipsa viventis pietatem summam in se experta semper esset, quíque ad extremum pro religione & populo suo vitam alacer projecisset. Quemadmodùm & cùm quadriennio antè Henricum virum ex morbo amisisset, cæteris viris juxtà ac mulieribus plangentibus, sola moderatè conjunctissimi mariti mortem tulerat, impium esse voluntati divinæ adversari dictitans. Quæ altero post filium anno, nempe Domini 1243. defuncta; ob transactam præstanti pietate ac sanctimoniâ vitam, & miracula etiam post obitum edita, tertio demùm & vigesimo pòst anno à Clemente [e] IV. in numerum Sanctorum, examinato benè ac diligenter negotio, relata est.

[e] Bullar. to. 1. Clem. IV. const. 9. Martyrol. Rom. 15. Oct. Ext. ejus Vita apud Sur. eo. die.

IV. CLADES HUNGARICA À TARTARIS.

Iam quod Hungaricam cladem à Tartaris illatam spectat; describens illam prolixè Rogerius [f] quidam Presbyter qui eam præ oculis habuit, & ex eo Bonfinius [g], contractiúsque Michovius [h], & Dubravius [i], (ut Ranzanum [k], & plurimos alios qui eam breviùs tractârunt, aut attigerunt, prætereamus) in summâ docent, cùm Rex Hungariæ Bela, tum multis aliis de causis, tum quòd Cumanorum proximam Sarmaticam gentem, à Tartaris gravissimè infestatam, unà cum ipsius Rege Cutene in Hungariam adeò intimè excepisset, ut longè affabiliorem sese illis ac beneficentiorem, etiamsi multa mala committerent ac scelera patrarent, quàm ipsis Hungaris exhiberet, plerorúmque suorum animos vehementer in se exacerbâsset: indéque contigisset, ut adveniente Tartarorum rumore, eum fictum Hungari reputantes, quia sæpè anteà suscitatus continuò evanuerat; quin etiam ad exaggerandam Regis invidiam, primò spargentes, Cumanos cum Rutenis antiquis Hungarorum hostibus conjurâsse; deinde verò cùm reipsâ Tartaros claustra Hungariæ penetrâsse cognoverunt, Cutenem eorum adventûs auctorem fuisse criminantes, eum crudeliter occidissent, eâque re Cumanos infensissimos sibi in ipso regni corde adversarios reddidissent: Inter hæc Bathum Tartarorum Principem cum armatorum quinquies centenis millibus intra Hungariam irrumpentem, præter multas variis locis diversorum Antistitum ac Procerum collectas tumultuariè minores copias quà vi quà arte dispersè deletas, Regem ipsum Belam ad Agriam castra habentem aggressum, ingenti cæde prostrâsse, ipsorummet culpâ Hungarorum, qui cæcâ ducti vesaniâ, quasi hæc non publica sed privata futura esset calamitas, Belæ fugam & cladem cupiebant, quò deinceps ei chariores haberentur, se cùm voluissent facilè omnia recuperaturos existimantes, pugnare detrectârunt, donec imbribus telorum obruti, cumulatissimas immitis suæ libidinis dedêre pœnas; pereuntibus omnibus, nisi quos fuga (datâ ab hoste viâ, ob pertinacissimam quorundam pugnam, quâ multi Tartarorum desiderabantur) neci eripuit.

[f] Ext. in volum. script. Rer. Hung.
[g] Bonfin. Rer. Hung. 2. Dec. 8.
[h] Mich. d. l. 1. c. 4.
[i] Dubr. d. l. 16.
[k] Ranz. Epit. Rer. Hung.

V. INGENS HUNGARIÆ VASTATIO.

Cæsorum numerus fidem exsuperat: in quibus plurimi sacri Antistites, atque à præcipuâ nobilitate viri: quinimmò nec fugientes ita evaserunt, quin maxima eorum pars aut insequentium barbarorum telis absumpta, aut demersa paludibus fuerit: ita ut per duorum dierum iter prostrata cadavera & cruenta terra videretur. Invento verò ad secretarij Regis cadaver sigillo regio, adulterinas literas eo obsignatas ad civitates transmittentes, gravissimam reliquis Hungariæ populis perniciem intulerunt. Ac ne diutiùs his immoremur; tribus solis locis Hungariæ ulterioris excidij expertibus remanentibus, nempè Albâ regali, ubi erant monumenta Regum, quæ inter paludes sita nullâ vi & arte capi potuit; arce Strigoniensi, (captâ & deletâ urbe) & S. Martini cœnobio: in reliqua omnia tam sacra quàm profana, inque omnem sexum, ætatem, conditionem, igne, ferro, libidine, impietate, omníque sævitiæ sceleris & turpitudinis genere, ut uno verbo dicam, adeò tartaricè sævitum est, ut hæc sine controversiâ omnia Dei flagella superâsse existimata sint. In citeriore verò Hungariâ haud tantum calamitatis illatum; quoniam stativa ibi nequaquàm habuêre: solùm dum iter facerent, quæcumque fuêre obvia ferro ignéque vastârunt. Quo usque demùm tertio adventûs anno, cùm audissent mortem Hoccotæ summi ipsorum Principis, (quem veneno extinctum tradunt) nihílque jam penè

eorum furori reliquum esset, onusti prædâ per Cumaniam & Ruteniam, regiones ad Tanaim & paludes Mæotidis patriæ propiores repetiverunt.

VI.

[l] Vinc. l. 30. cap. 149.
[m] Nang. in Chron. & in Vit. S. Ludov.
[n] Anton. tit. 19. c. 8. §. 15.
[o] Krantz. 7. Vvandal. 13.

CAUSÆ INCURSIONIS TARTARORUM.

[p] Paris. an. 1243.
[q] Suprà an. 1214. II.

Probatúmque eventû est, quod Vincentius [l], Nangius [m], & Antoninus [n] referunt; cùm Bathus de Hungariæ ingressu dæmones consuleret, responsum ab idolo accepisse, iret securè; præituros enim tres spiritus, à quorum facie Hungari non possent resistere, nempe Discordiæ, Incredulitatis, & Timoris. Nec abs re observavit alicubi Krantzius [o], hoc nunc passos esse Hungaros à Tartaris, quod ipsi præteritis sæculis Pannoniis, Germanis, Italis, & omnibus quas attigerant nationibus intulissent. Extátque apud Parisium [p] epistola ad Giraldum Archiepiscopum Burdegalensem, cujusdam Yvonis Clerici Narbonensis; qui olim hæresis accusatus apud Petrum de Corceone [q] Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, inde aufugiens, post multas per orbem inter hæreticos Paterinos circumcursationes, apud Viennam Austriæ tempore hujus Tartaricæ cladis latitabat: quâ post narrata multa eorum horrenda scelera, modúmque bellandi, ait eos apud diversos diversas hujus suæ expeditionis causas prætexuisse; aliquando asserentes, se ad Magos Reges è Coloniâ in patriam suam reportandos eam suscepisse; aliquando ad superbiam & avaritiam Romanorum, qui ipsos olim oppresserant, contundendam; quandoque ad subdendas sibi barbaras tantùm & hyperboreas nationes; aliàs ad furorem Theutonicum comprimendum; aliàs ad militiam à Gallis addiscendam; nonnunquam ob peregrinationem ad S. Iacobum in Galiciâ adimplendam; ut sic viderentur universæ Europæ dominatum mente concepisse; vel ad terrorem incutiendum, lusisse in recensendis præcipuis singularum nationum insignibus.

VII.

BELÆ REGIS HUNGAR. LATEBRÆ.

Quod autem Belam Regem attinet, is è prælio Adriensi cum paucis elapsus, in proximam silvam se recondidit: indéque Austriam versùs clàm tendens, & à Friderico ejus Duce fœdè delusus ac spoliatus, acceptâ uxore in Dalmatiam se contulit; & cùm nec ibi tutò esse liceret, in proximas insulas maris Adriatici trajecit, rei exitum expectaturus: misso tamen anteà Episcopo Vaciensi ad Romanum Pontificem & Fridericum Imperatorem, ut legitima ab utroq; auxilia mitterentur, ne obrutâ à Tartaris Hungariâ, cætera Christiana Respublica periclitaretur. Quo audito Pontifex maximè indolens, & quod solum per tyrannidem Friderici licuit, id in subsidium Hungariæ præstans; imprimis ad ipsum Belam, ejúsque fratrem Colomannum Haliciæ in Russiâ Regem, qui prœlio in Tartaros egregiam operam præstiterat, (quinimmò & ipsum eo periisse, sive in fugâ, plerique scripsêre: quod potuit aliquamdiu ignorari:) consolatorias literas [r] scripsit: deinde pro eis eorúmque regnis pugnantibus vel pugnaturis indulgentias Crucesignatorum concessit, Crucémque adversùs barbaros prædicari jussit: pollicitus etiam alia subsidia, si Fridericus pacem Ecclesiæ restitueret. Prædicatámque fuisse diligenter Crucem à Prælatis, Fratribúsque Dominicanis & Franciscanis, noscitur etiam ex literis Palatini Saxoniæ de crudelissimâ Tartarorum incursione ad Ducem

GREGOR. PP. QUOMODÒ EI SUCCURRERIT.

[r] Reg. Greg. an. 15. 16. Cal. Jun. & Cal. Iul.

Brabantiæ scriptis, quas recitat hoc eodem anno Parisius: asserúntque id ipsum Krantzius [s], & alij.

[s] Krantz. 8. Metrop. 9.

VIII.

ET QUOMODÒ FRIDERICUS.

Fridericus autem de iisdem per dictum Episcopum Vaciensem certior redditus; occasione inde arreptâ in Gregorium Pontificem invehendi, scribens ad omnes Principes, totam hujus desolationis culpam in eum derivare conatus est; quasi ejus in ipsum Fridericum persecutione factum esset, ut non potuerit maturè occurrere Tartaris, quos facilè deleturus fuisset. Verùm ipsummet Fridericum publicè creditum fuisse hanc Tartarorum pestem machinatum esse, in subversionem fidei Christianæ, & ut desolatis provinciis ad monarchiam orbis faciliùs perveniret; ac per elegantem ejusmodi epistolam scelus tam nefarium nequiter palliâsse; testatur qui epistolam ipsam recitat studiosissimus ejus fautor Parisius [t]. In quorum confirmationem est item apud Petrum [u] de Vineis alia ejusdem Friderici de hâc Tartaricâ tempestate scripta epistola; quâ asserit Regem Hungariæ regnum suum ipsius Friderici ditioni subjecisse, dummodò defensionis ejus clypeo protegeretur: utcumque suum Fridericum Parisius [x] à prædicto crimine absolvere contendat, ac persuadere contra cæterorum omnium fidem, eum misso exercitu Tartaros ab Hungariâ magnis sumptibus & periculis expulisse, atque Regem pactione subjectionis in regnum suum restituisse.

[t] Paris. hoc an.
[u] Petr. de Vin. 1. ep. 30.
[x] Paris. an. 1244.

IX.

BATHI DUCIS TARTARORUM EXITUS.

Quod denique Bathum spectat, hujus Tartaricæ incursionis ducem; sunt ex scriptoribus, qui eum supremum omnium Tartarorum Regem constituant, filium videlicèt Hoccotæ Chaam, nepotémque Changij primi Tartarorum Regis: alij, qui summum tantùm hujus expeditionis ducem à Rege missum. Et qui eum Hoccotæ filium faciunt, volunt Hoccotam, cùm præ animi magnitudine imperium Asiæ & Europæ mente concepisset, provincias armis subigendas tribus suis filiis distribuentem, Bathum ad Septemtrionem destinâsse, qui fulminis instar obvia quæque ad Austriæ usque limites perrupit ac prostravit; (ubi & in transmissione fluvij periisse volunt;) dum interim frater natu major Parthiam, Mediam, Persidem, aliásque Orientis provincias occuparet. Eorum autem amplissimi Imperij tam Asiatici quàm Europæi descriptionem, & singularum Hordarum, sive tribuum, aut conventuum, quæ multiplices existunt, distinctionem, morúmque ac religionis diversitatem, quam lapsu temporis ex vicinorum conversatione contraxerunt; sunt qui [y] plenis commentariis tractaverint. Et quod religionem attinet; postquàm semel Mahometismum amplexi sunt, eum hactenùs ferè omnes retinuerunt: nisi quòd per tempora nonnulli Christianismum professi sunt; de quibus dicetur suis locis. Dicuntur autem esse modò inter eos & Gentiles & Iudæi & Nestoriani. Tantam verò reverentiam supremo suo Sacerdoti, quem *Seyd* vocant, exhibere traduntur, ut Reges ei advenienti occurrant, stantésque equo insidenti manum porrigant, capitéque inclinato manum illius osculentur; Ducibus verò non manum, sed genua, nobilibus pedes tantùm deosculari datum sit; plebeis vestes tantùm aut equum attingere. Atque hæc modò de iis satis: cætera

[y] Sigism. Herbest commët. de reb. Moscovit. Michov de Sar. Asian. lib. 1. Guaguin. de script. Sarm. Europ. Magin. commët. in Ptolem. par. 2. tab. 28. & alij; qui numerantur suprà an. 1202. XII. in m.

DE RELIGIONE EORUM.

X. PRÆLATORUM AD CONCILIUM ITER.

præcipua suis temporibus inferiùs.

Dum autem prædicta in Poloniâ & Hungariâ inciperent fieri, cùm instante præfinito tempore celebrandi Concilij Generalis, anno superiori à Gregorio Pontifice indicti, hinc à Friderico minacibus literis prohibiti Prælati Romam accedere, illinc à Pontifice nihilominùs moniti properare; mandatis Pontificiis parere æquiùs censentes, quamplurimi ex Galliâ, Angliâ, Italiâ, aliisque regnis ac provinciis, Genuam unà cum Iacobo Prænestino, & Othone S. Nicolai Cardinalibus Legatis anteà in Gallias & Angliam missis, necnon Gregorio de Montelongo Protonotario Apostolico Lombardiæ Legato, convenissent: rursúmque solicitati à Friderico, terrestre iter per regiones sibi obsequentes agere, quasi eos de rebus suis commonefacere in animo haberet, ac causam suam eis probare; ipsi & periculosum nimis & indecens arbitrantes sævissimo ac nullius fidei homini, eidémque communione piorum ejecto, & adversùs Summum Christianorum Antistitem odium intimum & inveteratum publicè profitenti, sese credulos præbere, satius duxerunt discrimen subire navigationis: ac propterea Genuensium freti fiduciâ, Romam se eos classe incolumes devecturos pollicentium; & Pontificis hortationibus roborati, opportuno se submittendo subsidio excepturum eos promittentis, naves conscendere decreverunt.

XI. CAPIUNTUR IN MARI FRIDERICI INSIDIIS.

Quorum consilio cognito, Fridericus primo quoque tempore Entium filium suum nothum, quem Regem Sardiniæ creaverat, & maris custodiæ præfecerat, monuit ut eos adoriens manu caperet, vel submergeret, aut aliâ ratione opprimeret. Is verò rem impigrè Pisanorum auxilio gerens mense Maij, vel Iunij, (ut variant auctores) certamine navali commisso Genuenses devicit, ac Legatos, Prælatos, & nuncios civitatum, paucis tantùm elapsis, aut captivos fecit, aut mari submersit. Captivos autem Fridericus vinctos in Apuliam misit, pessiméque toto itinere habitos teterrimis carceribus inclusit; quorum multi pædore confecti, & aliis incommodis afflictati, miserè perierunt. Ipséque Fridericus, tanquam de re præclarè gestâ, literas ad omnes Principes scripsit; quibus Deum causæ suæ tantâ concessâ victoriâ suffragatum esse jactavit. Narrat hæc omnia Parisius [z], impensissimus Friderici æstimator; cujus & literas recitat, quæ etiam habentur apud earum scriptorem Petrum [a] de Vineis. Ac speciatim de prædictis Cardinalibus Portuensi & S. Nicolai asserit Innocentius IV. in sententiâ depositionis Friderici, de quâ posteà; eos captos, ac bonis omnibus spoliatos, per diversa loca non semel ignominiosè deductos & circumductos, carceribus mancipatos fuisse. Referúntque plurimi post Ioannem Andream Iurisconsultum, cùm Entius patrem consuluisset quid sacris Antistitibus ac Pontificiis Legatis c[a]ptis faciendum esset, Fridericum præ gaudio minùs sui compotem, etiam facetum & elegantem videri volentem, duobus his carminibus respondisse,

Omnes Prælati Papâ mandante vocati,
Et tres Legati veniant huc usque ligati.

[z] Paris. hoc an.

[a] Petr. de Vin. 1. epist. 8. & 9.

XII.

Quod verò in prædictis Friderici literis nihil de hortatione ipsius Friderici ad Legatos & Antistites pro terrestri itinere fide publicâ faciendo contineatur; quinimmò & disertè asseratur, ipsum Fridericum naves suas & Pisanorum, ad Prælatorum impediendum transitum magnâ solicitudine diù antè providisse, & parâsse in omnibus locis ac portubus per quos oportebat eos necessariò transire: (quod etiam confirmatur ab Innocentio IV. in prædictâ sententiâ depositione ejus:) apertè intelligi datur, commentum hoc esse Parisij, ut sunt alia ejusmodi apud eum innumera, in excusationem Friderici excogitatum, quasi justam causam habuerit Prælatos mari insectandi, qui recusâssent terræ securum iter: quo tamen vidimus eum anteà omninò illis interdixisse literis publicis: atque reipsâ omnes terrestres vias validis ejus stationibus insessas fuisse, cæteri omnes tradant. Miramúrque isthæc Sigonium [b] parùm animadvertisse; cùm totam rem gestam ex infidâ hujus auctoris fide, ut pleraque alia de Friderico refert, quorum nullum apud alios scriptores vestigium appareat; cùm & inter cæteros ejusdem rei assertores, qui præ oculis habebat Guillelmus de Podio Laurentij, dum agit de itinere Antistitum Gallorum & Hispanorum, disertè asserat, Fridericum suspectam habentem celebrationem Concilij, uti contra se convocati, accedentibus ad illud Prælatis terrâ maríque insidias tetendisse: nec sit aliquis qui contradicat.

PARISII HISTORICI IMPOSTURÆ DE EORÉA IN RE CULPA.

[b] Sigon. de Regn. Ital. lib. 8.

XIII. CULPA DUCIS GENUENSIS.

Cæterùm cladem istam accidisse Genuensis classis præfecti amentiâ veriùs quàm temeritate, historici [c] tradunt: cùm videlicèt ipse imbelli multitudine, & sarcinarum omnísque generis impedimentorum vi oneratam potiùs quàm ad pugnam firmatam classem, nequicquàm Legatis ac Prælatis hortantibus ut itinere extra Corsicam insulam deflexo paratam perniciem declinaret, rectâ tendens, prævalidæ hostium classi, ac copiis numero & genere & apparatu firmissimis opponere non dubitavit. Quòd verò ope maximè Pisanorum tanta clades sacris Antistitibus universæque Ecclesiæ illata fuit, piè ac sapienter observavit Blondus [d] eos suo infortunio hanc operam præstitisse Friderico, eâque die suæ ruinæ causam & initium dedisse: quippe qui à Sede Apostolicâ diris inde devoti, & anathemate profligati, divino numine eam sententiam confirmante, & pœnas tanti sceleris à sacrilegis hominibus repetente; in eas miserias paulatim inciderunt, quibus tandem facti sunt omnibus & prædæ & derisui. *Concitatus* [e] *est furor Domini super eos: tradiditque eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris:* ut modò de Entio & Friderico taceamus, quorum justam retributionem videbimus inferiùs suis locis.

[c] Villan. l. 6. c. 20. Anton. tit. 19. c. 4. §. 3. Foliet. Hist. Gen. l. 4. & alij.

[d] Blond. 2. Dec. 7. Vide etiam infra an. 1282. XV.

[e] 2. Paral. 29. vers. 8.

XIV. GREGORII PP. OBITUS.

Gregorius autem Pontifex tanto Ecclesiæ ictus vulnere, brevi mœrore consumptus, 11. Calendas Septembris (ut plures probatioresque habent [f], cùm quidam diem, mensem, annum mutent) ærumnosam vitam cum felici morte commutavit; postquàm sedisset annos quatuordecim, menses quinque, trésque dies: vixisset (ut apud unicum ex antiquis Parisium, à quo nonnulli recentiores [g] sumpsêre, reperimus) centum propè annos: vir, ut ex iis quæ de eo dicta sunt abundè patet, & omnes fatentur quos favor Friderici à recto non avertit, pietate

[f] Paris. Sigon. Onuphr.

[g] Vvestmon. & Sigon.

at que

atque doctrina insignis; multisque & egregiis virtutibus, atque in universam Christianitatem meritis clarus, acerque dignitatis Pontificiæ & jurium Ecclesiæ ac constans vindex. Obiit autem Romæ, & sepultus est in Basilicâ S. Petri juxta corpus Gregorii Magni.

XV. SUBROGATIO CÆLESTINI IV.

Post cujus obitum cùm Sedes vacasset dies triginta electus est in locum ejus 10. Cal. Octobris à decem Cardinalibus tum in Curiâ existentibus, *Gaufridus* Castilioneâ nobili familiâ Mediolanensi, patre Joanne, matre Cassandrâ Cribellâ Urbani Papæ Tertii sorore: quem ex Canonico & Cancellario illius Ecclesiæ, privatæ vitæ studio factum post Urbani avunculi obitum Monachum [h] Cisterciensem, Gregorius primò Presbyterum Cardinalem tituli S. Marci, deinde Episcopum Sabinum creaverat: ac CÆLESTINUS ejus nominis Quartus dictus est. Ita plerique auctores.

[h] *Addit. ad Ciaccon.*

XVI. DE SCHISMATE ASSERTO IN EJUS ELECTIONE.

Atqui eo tempore vixerunt, Albertus Abbas Stadensis (qui anno præterito, ut ipsemet testatur, cùm per plures antè annos frustrà tentasset Abbatiam suam ad Ordinem Cisterciensem transferre, quòd in Regulâ S. Benedicti quam professus erat scriptum animadvertisset. *Qui eam servare tenetur, & non servaverit, sciat se à Deo damnari quem irridet*; se Abbatiâ abdicans, Ordinem Minorum ingressus est:) & frequenter citatus Parisius, hujus anni res memoriæ mandantes, aiunt, schismate inter paucos illos Cardinales orto, duos fuisse in Pontifices electos. Verùm in ipsâ hujus schismatis historiâ divisi diversique iidem auctores, Albertus quidem ait, electos fuisse Romanum Episcopum Portuensem, & prædictum Gaufredum, sive, ut vocat, Godefridum Sabinensem: cessisse verò ambos, & iterùm Cardinales elegisse unum, sed non de suo collegio, dictum olim *Jufridum*. (Quæ perspicuè vides quàm confusè & inscienter referat: nam & hic Jufridus, is ipse Gaufridus intelligitur.) Parisius autem; cùm post obitum Gregorii Cardinales sententiis inter se discreparent, misisse ad Fridericum oratum ut duos Cardinales quos in custodiâ habebat dimitteret quacumque conditione vellet; ne Comitia Pontificia, unde Ecclesiæ Universalis salus penderet, per ipsum impedirentur: Fridericum autem, precibus Richardi Comitis Cornubiæ sororii sui, qui tum apud ipsum agebat, flexum id eâ conditione indulsisse, ut ad custodiam redirent, nisi Otho, qui longam in Angliâ legationem egerat, eligeretur Pontifex. Itaque convenientibus in unum octo, quotquot tum ibi erant Cardinalibus, Gaufridum à quinque, Romanum à tribus electum esse: Fridericum autem electioni Gaufridi consensisse: húncque demùm novâ electione Pontificem permansisse; duósque illos Cardinales ex pacto ad Fridericum rediisse rursùm carceri mancipandos.

XVII. ASSERTIONIS ILLIUS VANITAS.

Ita illi: quæ adeò ridicula cæteris visa sunt, ut etiam Westmonasteriensem, qui Parisium compilavit referre puduerit; & Sigonius, qui sibi ab eodem Parisio imponi passus est de relaxatis tum à Friderico Cardinalibus, iisdémque re infectâ ad ejus custodiam reversis; schisma tamen attingere verecundatus sit: cujus ne per somnium quidem meminerunt cæteri, qui de his egerunt ejusdem temporis proximorúmque nobiles scriptores, Vincentius qui tum in Galliâ magnâ diligentiâ historiam suam scribebat, ac Monachus Paduanus in ipsâ Lombardiâ: non Bernardus Guidonis, Amalricus Augerii, nec alii quos tam ipsi quàm Auctor Magni Chronici Belgici videre potuerunt: non Ricordanus, Villanius, Antoninus, Platina, Blondus: non ipsi Germanicarum rerum collectores, alioqui satis Pontificibus adversi: nec denique ullius gentis scriptores alii, quos equidem videre potuerim. Ne tamen fidem duorum illorum auctorum omninò elevemus; quòd videamus alterum in Germaniâ, in Angliâ alterum dissitis longè partibus illud eodem tempore attigisse; facilè concesserimus discrepantiam aliquam in electione successoris Gregorii intercessisse, quòd non deessent inter Cardinales qui pro bono pacis Friderico adhærerent: ejúsque discrepantiæ rumores ab adversariis auctos, subitò, ut fit, ad exteras gentes adeò confusè penetrasse, ut qui rem scriptis mandare voluerant, fabulis implicare necesse habuerint, eò maximè quòd & brevissimus fuerit Cælestini Pontificatus, & diuturna Sedis post ejus obitum vacatio, ac post multum temporis facta fuerit liberatio Cardinalium.

XVIII. CÆLEST. PP. OBITUS.

Electus igitur Cælestinus, ut erat non solùm vitâ integer, & doctrinâ insignis, verùm etiam prudentiâ in rebus agendis egregius, atque tranquillitatis Ecclesiæ studiosissimus; confestim ad Fridericum (timentem ne Pontificem patria ardentiorem sibi hostem efficeret) legationem mittens, multis illum de futurâ pace pollicitationibus delinire conatus est. Sed priusquàm Fridericus respondere potuerit, Cælestinus ipse ætate jam gravis & valetudine confectus, 18. Pontificatus die, 8. Idus Octobris antequam coronatus fuisset, defunctus est, atque in basilicâ S. Petri sepultus, magno sui desiderio relicto, quòd homines sperarent se ejus Pontificatu felices futuros. Ita Platina, Blondus, & alii. Refértque de eo Nauclerus, fuisse ei frequens in ore, *Difficiliorem in secundis rebus quàm adversis esse moderationem.* De quo & tradunt [i], cùm negotia pauperum Clericorum diligenter promovere consuevisset apud Papam Gregorium; ideò Gregorium prophetìcè ei prædixisse, fore & ipsum Papam: sicuti & ipsi Gregorio prænunciaverat olim S. Franciscus Pontificatum.

[i] *Compil. Chron. int. Script. Germ.*

XIX. SOLIS ECLIPSIS.

Biduo autem ante ejus obitum, nempè pridie Nonas Octobris die Dominicâ, post meridiem factam esse Solis eclipsim modicùm stellis apparentibus, & Sole penitùs à nostris visibus occultato, sed tantâ cœli serenitate ut nulla in aëre nubes appareret; scribit Stadensis qui tum vivebat: meminerúntque Parisius, & auctor Chronici Augustensis quasi viderentur cœlestia terrenis conformari, inquit idem Parisius.

XX. DIUTURNA SEDIS VACATIO, ET UNDE ILLA.

Vacavit autem Sedes à Cælestini obitu viginti ampliùs mensibus. Cujus diuturnæ vacationis causam cùm nonnulli in discordias paucorum Cardinalium, quod alii Friderici, alii Ecclesiæ causam in suffragio ferendo spectarent, quidam in Friderici persecutiones & comminationes referant; Platina inde processisse ait, quòd censuerint Cardinales non priùs Pontificem eligendum, quàm quos Fridericus captivos detinebat dimitterentur: Blondus ex quodam Theologo Parmensi Or-

dinis Minorum, qui vidisse omnia scribit de Friderico, quòd tenti carcere Cardinales, ne ipsis absentibus electio fieret protestati essent: iisq; collegas facilè assensisse, videntes omnem Italiam Friderici motibus quassatam esse, & imminere per singulos dies periculum ne Urbē Romam caperet, diligenti etiam curâ ubique adhibitâ ut maria undique, undique itinera latrociniis infestarentur, ne Prælato cuipiam, aut viro excellenti à Regibus Principibúsque Christianis ad Urbem esset accessus, creando Pontifici auxilium suasionésque additurо. Qui cùm & post captam Faventiam (de cujus obsidione dictum anno præcedenti Bononiam duxisset, atque urbe quæ diligenter custodiebatur potiri posse non speraret; vastato agro, ut aliqua insigni urbem ignominia deformaret, Gymnasio ac studio literarum edicto publico eam privavit, illúdque Patavium transtulit. Ita Blondus, & qui eum sunt secuti: eo tamen errans, quòd Fridericum etiam cùm electus est Cælestinus in obsidione Faventiæ adhuc perstitisse scribit, quam etiam ante captos mari Legatos à se obtentam fuisse, ipsemet literis [k] suis ad Principes de utraque re scriptis disertè significavit.

[k] *Ap. Pet. de Vin. 1. ep. 8.*

DE OCTAVIS NATIVITATIS B. VIRGINIS.

Est verò observatione dignum; in perplexitate electionis constitutos Cardinales, votum fecisse, si eis præstaretur rectæ gratia unitatis & concordiæ, decreturos se ut octavæ Nativitatis Virginis Mariæ celebrarentur per universum Orbem: obtentâque demùm gratia, votum adimplêsse. Quod quidem ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi post quadriennium celebrato decretum tradunt. Unde non careat suspicione additio ejus Octavæ in Martyrologio Bedæ; cùm nec reperiatur in antiquo Romano, nec ejus meminerint qui post Bedam scripserunt, alioquin diligentissimi earum rerum tractatores, Usuardus, Ado, ac cæteri Innocentio antiquiores. Víxque nobis persuaderi permittimus, voluisse Bedam, si verè ejus esset, in angulum eam rejicere; & novissimo loco ejus diei commemorare; quæ præ dignitate ac majestate Beatissimæ Virginis primo collocanda omnino fuerat.

XXI. SEDE VAC. CARDINALES CAUSAS DIJUDICANT.

Nec verò intereà Sede vacante omisisse Cardinales emergentibus negotiis providere, & causas ad Sedem Apostolicam delatas cognoscere atque decidere; satis intelligitur ex decreto quod refert anno sequenti Parisius, in quâdam causâ Anglicanâ dato; quo septem Cardinales Romæ existentes, ex potestate (ut aiunt) penes ipsos Sede Apostolica vacante residente, infirmarunt quoddam aliud decretum à Gregorio Papâ per subreptionem obtentum.

XXII. LUDOV. REX FRANC. CURAT SUOS PRÆLATOS RELAXARI À FRID.

Cæterùm cùm rumor captorum Prælatorum apud omnes percrebuisset, Ludovicus Rex Francorum de suis sollicitus, egit confestim cum Friderico ut eos libertati restitueret, (erant inter præcipuos, Archiepiscopi Rotomagensis & Burdegalensis, Abbates Cluniacensis, Cisterciensis, Claravallensis; præter illos qui mari perierant, in quibus Archiepiscopus Bisuntinus:) ac superbè audire detrectantem minacibus litetis increpans, significánsque hanc se Prælatorum detentionem suam injuriam reputare, nec esse regnum Franciæ adeò debilitatum ut se permitteret Friderici calcaribus perurgeri, Fridericum timentem potentiam Francorum, vel invitum induxit incolumes restituere. Extant ipsæ de his scriptæ utrimque literæ apud Petrum [l] de Vineis: quarum summarium recitat etiam Nangius in Vita S. Ludovici, & in Chronico: rémque sic gestam memorant Antoninus [m], Æmilius [n], & alii.

[l] *Pet. de vin. 1. epist. 12. & 13.*
[m] *Ant tit. 19. c. 4. §. 3.*
[n] *Æmil. in Ludov IX.*

XXIII. VVALDEMARI REG. DANIÆ OBITUS, PATRIÆ INFELIX.

Hoc eodem anno diem obiisse *Vvaldemarum* Daniæ Regem, de quo superiùs aliquoties actum, Parisius ponit; Krantzius [o] sequenti; uterque quadraginta regni annos ei tribuens: Parisius etiam centum ætatis. Consentit de anno obitûs, (signans & diem, nempè Cœnam Domini; quæ incidit eo anno in 5. Cal. Aprilis) & annis regni, Ericus Rex in sua brevi [p] Historia Danicâ: sed non de ætate; cùm tradat eum natum esse anno 1170. à quo in hunc obitûs numerantur tantummodò septuaginta & unus. Ait autem, in ejus obitu verè cecidisse coronam capitis Danorum; nam ab illo, bellis intestinis & destructioni mutuæ vacantes, omnibus in circuitu nationibus factos esse in derisum, nec solùm terras quas patres eorum gloriosè acquisierant, ab eorum dominio recessisse, verùm etiam plagas magnas regno illatas esse. Successit *Ericus*, sive Henricus, inter duos filios ejus superstites natu major cui junior Abel subesse detrectans duros motus ei excitavit, quibus Dania multa damna per octo circiter annos pati habuit, ut prolixè narrant illius gentis historici.

[o] *Krantz. 7. Dan. 20.*
[p] *Ext. tom. Rer. Germ. edit. Lindenbrog.*

XXIV. ITEMQUE HAQUINI NORVAGI.

Cùm autem per eadem tempora *Haquinus* quoque Rex Norvagiæ vitâ excessisset absque filiis legitimis, (nam quem unicum habebat, ut idem Krantzius [q] scribit in Historia ejus gentis, idem ipse pater ejus, sive capitis mania, quæ Regibus nonnunquam incidit, sive culpâ adolescentis, anno superiori interemerat) alter Haquinus ejus filius nothus, susceptus ex soluta dum & ipse solutus esset, pulsatâ Sede Apostolica diadema de manu Gregorii Pontificis adhuc viventis postulavit. Qui rem nequaquàm præcipitandam ratus, scriptis ad Abbatem S. Michaëlis Bergensis, & Provincialem Norvagiæ Ordinis Prædicatorum literis [r], præcepit inquirere de moribus ejus, atque voluntatem Procerum Norvagiæ explorare; & quicquid de iis invenissent, Sedi Apostolicæ renunciare. Quem autem exitum res habuerit, videbitur inferiùs [s].

[q] *Krantz. 5. Norvag. ult. quam tamē rem aliter contigisse narrat Pontan. Hist. Dan. lib. 6. an. 1240. quē consulat qui hæc scire cupierit.*
[r] *Reg. Greg. IX. an. 15. 8. Id. Jul.*
[s] *Infrà an. 1246. VIII.*

XXV. MIRUM DE MONTE.

Hoc verò eodem tempore in Burgundia mirum accidit, ut mons [t] terræmotu à reliquis montibus abruptus, & per subjectam vallem ad alios montes transiens, omnes interpositas villas & quinque millia hominum oppresserit.

[t] *Palmer. in Chrō. Trith. in Hirsaug. Krantz. 7. Vvand. 25. &c. Magn. Chron. Bulg.*

XXVI. LIBER PROPHETICUS INTRA RUPEM REPERTUS.

Eodémque fermè tempore apud Toletum in Hispaniâ accidisse legitur [u], ut cùm quidam Judæus ad ampliandam vineam suam rupem comminuisset, in medio saxi reperta sit concavitas, & in eâ liber folia lignea habens, descriptus tribus linguis, Hebraica, Græca & Latina, ac de triplici mundo disserens ab Adamo usque ad Antichristum: principio verò libri tertii sic ajens, *In tertio mundo filius Dei nascetur ex Virgine Mariâ, & pro salute hominum patietur*; ac demùm in fine libri dicebatur, repertum eum iri tempore Regis Ferdinandi, qui tum Castellæ regnabat. Quæ Judæus considerans, confestim cum totâ familiâ sua sacrum Baptismum suscepit. Hæc verò nonnulli ante hunc annum, alii post contigisse ponunt:

[u] *Mart. Pol. in Chron. d. Chron. Belg. Villan. l. 6. c 31. Roder. Sant. Hist. Hisp part. 3. cap. ult.*

cùm satis sit scire, si verè contigit, contigisse sub Ferdinando qui regnavit ab anno Domini 1217. usque ad 1252.

IESU CHRISTI Annus 1242.

VAC. SED. An. 2.

FRIDERICI II. An. 23.

BALDUINI II. An. 14.

I. FRIDER. OBSTAT CREATIONI PONTIFICIS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, Indictione decima-quintâ, perstitit in viduitate Pastoris Ecclesia Romana & Vniversalis, ob tyrannidem Friderici qui interim castra habens circum Romam, fictè instabat electioni Pontificis, cui re ipsâ impedimentum inferebat: parùm curans cladem Poloniæ & Hungariæ, quæ interim miserè vastabantur à Tartaris; quibus facile ei fuerat opem ferre, si quàm pernicies Ecclesiæ tam ei salus Reipublicæ Christianæ cordi fuisset.

II. TURBÆ GALLICÆ EX PROTERVIA COMITIS MARCHIÆ.

Gallia quoque hoc anno unius feminæ superbiâ gravem motum sensit. Rex Ludovicus fratrem suum Alphonsum Comitem Pictonum creaverat, & illius provinciæ proceres in ejus verba jurejurando adigi jusserat. Quod cùm cæteri plerique præstare non dubitarent, Elisabetha Hugonis Comitis Marchiæ, præcipuè nobilitatis atque potentiæ viri, quòd olim uxor Ioannis Regis Angliæ fuisset, ac mater Henrici jam regnantis esset, atque marito licèt tantummodò Comite, Regina tamen salutaretur; (ut hæc omnia superiùs vidimus:) virum adduxit à fide subjectionis Alphonso exhibenda; (eâ tamen specie quasi ea provincia pertineret ad Richardum Cornubiæ Comitem fratrem Regis Angliæ, & quod Rex Ludovicus eam dicto fratri suo contulisset dum Richardus occupatus esset in Bello [a] sancto:) & ut fastum ac contumaciam sustineret, filij auxilia ex Angliâ imploravit: cúmque Rex Ludovicus expeditionem in Comitem ob prædictam proterviam ducens, aliquot ejus oppida expugnâsset, ambitiosa femina furiis agitata immane scelus attentavit, ut Regem ac fratres ejus veneno tolleret, submissis in castra qui quocumque modo id sceleris perficerent: qui deprehensi meritas pœnas luerunt. Post quæ multis aliis locis, quæ Marchiani ejúsque propinquorum perduellium erant, quà vi quà deditione receptis, eorúmque nonnullis (ac præcipuè Fontenaio, quòd in ejus oppugnatione Alphonsus Regis frater, cujus causâ bellum gerebatur, vulnus pede ex ballistâ accepisset, propugnante munitissimum illud castrum filio notho Marchiani) funditùs dirutis; Rex in Henricum Angliæ Regem ejúsque fratrem Richardum, qui exercitum in Aquitaniam traduxerant, movens; eos adortus apud oppidum Talleburgum ad flumen Carantonum acri prælio fugavit. Vnde Marchianus rerum suarum desperatione, unà cum uxorem jam fastu deposito ad cor reversâ, ac tribus filiis, Rege adito, ad ejus pedes prostratus, veniam petiit; hísque

[a] Suprà an. 1240. IV.

REX REBELLES ANGLÓSQUE VINCIT.

inter cæteras conditionibus impetravit, ut quæcumque belli jure de ipsius possessionibus Rex haberet, ea Alphonso forent; ipse verò Rex prætereà tria alia præcipua Marchiani castra ab eo acciperet, tamdiù detinenda quamdiù ejus fides satis probata foret: sícque idem fidelitatis jurejurando sese Alphonso obstrinxit. Paritérque Rex paulò pòst Regi Angliæ, qui à clade Talleburgensi primò Santonas, inde Blaviam, demúmque Burdegalam, nullibi à Rege eum persequente tutus, sese receperat, pacem enixè expetenti inducias quinquennes ægrè concessit. Ac deinde amissâ suorum multitudine ex intemperie calidioris aëris Parisios remeavit. Narrant hæc Ionvillæus [b], & Nangius [c], Vincentius [d], Gaguinus [e], Æmilius [f], & alij Francorum historici, ac Vitæ Ludovici scriptores.

[b] Ionvil. in Vit. S. Ludov. [c] Nang. in Vit. & Chron. [d] Vinc. l. 31. cap. 148. [e] Gaguin. l. 7. cap. 2. [f] Æmil. l. 7. in Lud. IX.

III. PARIS. REGEM SUUM ARGUIT.

Confirmantúrque à Parisio [ff] Anglo: nisi quòd rem gestam suavibus quibusdam ratiocinationibus conspergit, quò cladem à suis acceptam non virtuti Francorum, sed delusionibus Comitis Marchiani, (à quo vanè promissæ fuerant vires totius Aquitaniæ, & suppetiæ Regis Aragoniæ ac Comitis Tolosani, quos in Comitem Alphonsum Regémque Ludovicum armorum societatem inisse superiùs vidimus [g];) & ipsius Angli Regis præcipiti atque imprudenti crudelitati tribuit: ingenuè cæteroqui agnoscens, eam expeditionem injustè ab eodem suo Rege, & contra unanime magnatum suorum consilium adversus Regem Francorum susceptam esse, cùm pactæ olim inter eos induciæ in triennium adhuc producerentur, neque Rex Francorum aliquid contra moliretur. Quinimmò & illud, quod tacent omninò Franci, ipse asserit [h]; ob clades Anglis mari frequenter a Francis, dum Rex Henricus Burdegalæ otiaretur, illatas, cùm sponsæ nuperæ quinquennales induciæ nondum promulgatæ essent; eundem Henricum, ut illæ confirmarentur, & stabiles forent, præter restitutionem aliquot locorum à suis occupatorum, promisisse pendere Regi quinque millia librarum sterlingorum monetæ Anglicæ.

[ff] Paris. hoc an. [g] An. 1240. VIII. [h] Paris. an. seq.

IV.

Addit idem auctor, Regem Francorum, postquàm Lutetiam revertit, convocatis omnibus Regni Prælatis tam regularibus quàm sæcularibus, petiisse ab eis auxilium pecuniarum ad bellum contra hæreticos Albigenses, & Raymundum Comitem Tolosanum; qui cùm sæpiùs hæresim abjurâsset, ejus denuò defensorem ageret, atque in ejus rei argumentum nuper aliquot Fratres Prædicatores nequiter occidisset: Prælatos autem vigesimam partem redituum suorum illius anni concessisse. Sed quod necem Fratrum spectat, non Prædicatores solùm, verùm etiam Minores, qui Inquisitionis officium conjunctim exercebant, necnon plures alios Ecclesiasticos viros tam regulares quàm sæculares, apud Avinionettum diœcesis Tolosanæ, ubi convenerant ad negotium fidei promovendum, hoc ipso anno quarto Calendas Iunij, nocte Ascensionis Domini, in ipsis ædibus Comitis Tolosani, interfectos esse ab hæreticis, prodente illos præfecto Comitis, cantantes cum jubilo & exultatione, *Te Deum laudamus*; constat ex Guillelmo [i] de Podio Laurentij Comitis Cappellano qui aderat, & ex aliis antiquis monumen-

MULTI MARTYRES À PERFIDIA COMITIS TOLOS.

[i] Pod. Laur. in Chron. c. 45.

tis [k]; quibus & nomina occisorum & munera recensentur: additúrque, eorundem martyrium variis locis eâdem horâ significatum esse divinitùs, & plurimis miraculis pòst illustratum. Quomodò verò, quibúsque conditionibus prædictus Comes post arma contra Regem cum sociis sumpta, receptus denuò in gratiam fuerit, & postinde interfectores prædictorum martyrum suspendio necaverit; narrat idem Guillelmus in suo Chronico.

[k] Ap. Catell. de Com. Tolos. lib. 2. c. 7. Vuading. in Annal. Minor. hoc an.

V. De Testam. XII. Patriarc.

Quò itidem anno Parisius ponit, librum cui titulus est *Testamentum XII. Patriarcharum*, hactenùs, ut ait, invidiâ Iudæorum eum abscondentium incognitum, à Roberto Episcopo Lincolniensi eâdem in Angliâ, viro utriusque linguæ perito conversum fuisse è Græco in Latinum. Prostat [l] ille, sed inter apocryphos adnumeratus; quòd quamvis non pauca habeat utilia, pluribus tamen scateat vanis atque erroneis. Nec adeò fuit antiquis omnibus incognitus, ut bardus iste & omnis ignarus antiquitatis Parisius putavit, quin eum viderint ac citaverint Origenes [m] & Procopius [n] Gazæus. Fuit prædictus *Robertus*, qui primus eum Latinis communicavit, cognomento *Grosse-tete*: quem idem auctor sæpiùs laudat de Episcopatu optimè administrato, ac præcipuè quòd sese acriter petitionibus Pontificiis opposuerit: hócque demùm elogio funus ejus ornat [o], ut fuerit *Papæ & Regis redargutor, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum director, Clericorum instructor, scholarium sustentator, populi prædicator, incontinentium persecutor, Scripturarum sedulus perscrutator, Romanorum malleus & contemptor; in mensa corporalis refectionis civilis & affabilis, in spirituali devotus & contritus, in officio Pontificali venerabilis & infatigabilis*; quæ sanè haud conveniunt hominibus quos Franci per ludibrium vocant *Grosse-tete*, hoc est capitones, inertes & ineptos; qualis omninò erat hic Parisius.

[l] In Bibl. Patr.

[m] Orig. hom. 15. in Ios.

[n] Procop. in Gen. 38.

[o] Paris. an. 1253.

IESU CHRISTI Annus 1243.

INNOC. IV. An. 1.

FRIDERICI II. An. 24.

BALDUINI II. An. 15.

I.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, Indictione primâ, Fridericus Imper. malè habens vulgò jactari se impedimento esse quominùs Sedi Apostolicæ diutinâ vacatione languenti Pontifex crearetur; semel atque iterùm Cardinales qui supererant pungentibus literis ursit ad id coïre; quæ reperiuntur apud Petrum [a] de Vineis, qui dictavit. Vbi cùm aliæ item reperiantur nomine Regis Francorum ad eosdem Cardinales de eâdem re datæ; eæ si non confictæ fuêre, sanè in titulo palàm falsæ convincuntur, cùm *Philippum* Regem habent, qui *Ludovicus* dici debuit. Sed nec mordaces invectivæ, mansuetudinem sancti Regis, & reverentiam in Ordinem sacrum, adeò sapiunt. Illud tamen verè ex genio & ingenio Regum Francorum, quòd eos ad fortitudinem animi & prudentiam exhortans, pro defensione libertatis Ecclesiasticæ offert eis adversùs tyrannidem (ut vocat) Friderici subsidium Francorum, regnúmque, personas, & pecunias, ipsorum committit potestati: non enim se timere alicujus Principis, sive odium dicere oporteat, sive fraudem; quem nesciat quo nomine appellare debeat, cùm Rex esse postulet & sacerdos. Habet verò ampliùs Parisius; Francos significâsse Cardinalibus per solemnes nuncios, nisi properarent Pontificem ritè creare, se ex privilegio à S. Clemente B. Dionysio concesso, electuros sibi alium cui obedirent. Sed cùm de hujusmodi privilegio nullam alibi mentionem invenerimus, existimamus totum hoc commentum esse Parisij, vel alterius qui illi imposuerit.

[a] Pet. de Vin. 1 epist. 14. & 17.

Lud. Rex Franc. agit pro electione Pontificis.

II. Frider. liberat Card. captivos.

Cùm autem & inter hæc Balduinus Imperator Constantinopolitanus in tantam rerum angustiam à Græcis redactus, ut etiam de retinendâ Constantinopoli desperaret; probéque sciens auxilia à Christianis Latinis frustrà expectari aut peti posse, quibus mittendis Romani Pontificis deesset & opera & auctoritas; in Italiam appulsus, cum Friderico ageret ut Cardinales quos in custodiâ habebat, libertati restitueret; quandoquidem cæteri firmiter constitutum haberent, nequaquàm se electioni Pontificis operam daturos, quin omnium votis simul in unum collatis res ageretur: Demùm, seu Balduino cedens Fridericus, ut Platina [b], Blondus, & alij post eos habent; seu, ut Parisius [c], & ex eo Sigonius, ipsorum Cardinalium compulsus exprobrationibus, ut si tantoperè electionem Pontificis expeteret, detentos remitteret: eos ægrè dimisit.

[b] Platin. in Cœlest. IV. Blond. 2. dec. 7.

[c] Paris. hoc an. Sigon. lib. 18.

III. Innoc. IV. fit Pontifex.

Qui simul omnes Anagniæ convenientes, consenserunt tandem in *Sinnibaldum*, patriâ Genuensem, patre Obizzone, familiâ Fliscum ex Comitibus Lavaniæ: quem Gregorius IX. ex Canonico Ecclesiæ Cathedralis Parmensis, quòd esset Iuris consultissimus, (unde & *Pater Iuris* appellari meruit: ejúsque constitutiones ac singularia opera [d] à Bartolo summo Iuris interprete sæpè citari constat:) Auditorem literarum contradictarum, & Vicecancellarium, demúmque Presbyterum Cardinalem tituli sancti Laurentij in Lucinâ creaverat. Qui Pontifex renunciatus octavo Calendas Iulij ipso die natali S. Ioannis Baptistæ, nomen Innocentii ejus nuncupationis Quarti accepit: ac tertio Calendas, die Apostolorum Petri & Pauli ibidem Anagniæ consecratus & coronatus est. Ita Parisius, Onuphrius [e], & plerique [f] alij: cùm parùm considératè nonnulli anno præterito, quidam sequenti creationem Innocentij collocent. Symbolum autem, sive sententiam hanc sibi sumpsit, *Notas* [g] *fac mihi Domine vias vitæ*.

[d] Recens. in Nomencl. Card.

[e] Onuph. de Rom. Pontif. & in Chron. Eccles.

[f] Vinc. l. 30. c. 152. Anton. tit. 19. c. 5. in pr. & alij.

[g] Psal. 15.

IV. Quomodò erga eum se gesserit Fridericus.

Ferunt [h], ejus electione auditâ Fridericum, qui tum Beneventi agebat, quamvis in gratiam ejus, quòd intercederet ei cum Sinibaldo arctæ amicitiæ consuetudo, procurata fuisset; cæteris ipsi de eâ gratulantibus, triste responsum dedisse, bonum se amicum Cardinalem in acerrimum hostem Pontificem commutâsse quam scilicèt vocem perspecta Innocentij virtus, ac sibi familiari usu cognita, & conscientia sui ipsius erga Ecclesiam animi illi expressit. Qui

[h] Villan. l. 6. c. 24. Blond. 2. dec. 7. Ant. dec. 5. Platin. in Innoc. IV. & alij.

nihilominùs continuò ut ejus electionem audivit, ad eum grâtulandi causâ honorificam legationem destinavit G. Magistri Theutonicorum, A. Admirati Imperij, Petri de Vineis & Thaddæi de Suessâ magnorum Curiæ Imperialis Iudicum, & R. Capellani sui, cum literis quæ habentur apud eundem Petrum [i]: quibus eum ex veteri amico novum sibi creatum patrem lætabatur; atque tam seipsum quàm potentiam suam, (ut habent ejus verba) Imperium ac Regna sua, & quicquid in bonis suis consisteret, ejus beneplacitis, ad honorem Ecclesiæ, ac favorem omnimodum Ecclesiasticæ libertatis, quantum cum Deo salvis jure & honore Imperij & suorum regnorum posset, obnixiùs offerebat. Meminítque pariter Aventinus [k] alterius epistolæ gratulatoriæ ejusdem Friderici ad Othonem Ducem Boiorum Benevento datæ; quâ significavit, virum bonum, amicum pacis, amatorem Reipublicæ, Imperiíque Christiani studiosum, Maximum Pontificem electum esse à Patribus.

[i] Petr. de Vin. 1. epist. 33.

[k] Avent. Annal. Boior. lib. 7.

V. ET QUOMODÒ INNOC. ERGA FRIDER.

Ex aliâ verò parte Innocentius, post scriptas de more tam ad ipsum Fridericum, quàm ad cæteros ubique Reges ac Principes Christianos, nec non Prælatos, literas [l] de suâ assumptione; simul cum Pontificatu Pontificium quoque ad tuenda Ecclesiæ jura studium adeptus, statim ubi Romam advenit, legatos ad eundem Fridericum misit, Petrum Archiepiscopum Rotomagensem, Guillelmum Episcopum Mutinensem, & Guillelmum Abbatem S. Facundi, omnes Gallos; (qui quòd fuerint anno sequenti creati Cardinales ab Innocentio, ideò scripsêre nonnulli ipsum tres Cardinales misisse ad Fridericum: quos & sunt qui diversè nominent, contra ipsammet assertionem Innocentij in sententiâ depositionis Friderici:) ut de reconciliatione cum eo tractarent: petens imprimis ut omnes Prælatos, & Clericos, & Laïcos, quos sub Gregorio mari ceperat, liberos dimitteret, sicuti promiserat: (ex quibus constat, non omnes, ut Parisius, Blondus, & alij scripsêre, sed tantùm Anglos intuitu Regis eorum sororij sui; & Gallos ad minas, ut vidimus, Regis; ac posteà Cardinales dimissos è custodiâ fuisse ad electionem Pontificis: quod ferè vidit jam olim Nauclerus de his contra Blondum disputans:) deinde proponens, paratum se esse ad pacem Ecclesiæ eum reciperet, si crimina illa purgaret, quorum damnatus à Gregorio fuisset; ac vice versâ si eum Ecclesia in aliquo contra debitum læsisset, satisfacere eidem judicio atque arbitrio Regum, Prælatorum ac Principum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, in aliquem tutum locum ad id in Concilium vocandorum. Hæc enim ita gesta & proposita esse, constat ex eâ quam diximus sententiâ depositionis in Fridericum posteà latâ; cujus pars inserta est libro sexto Decretalium [m], integra reperitur in Regesto ejusdem Pont. & apud Parisium, ac initio Epistolarum Petri de Vineis, atque in Bullario [n] Laërtij Cherubini.

[l] Reg. Innoc. IV. epist. 1.

[m] Cap. ad Apost. de sent. & re judic. in 6.

[n] Bull. tom. 1. Innoc. IV. const. 3.

VI. FRIDERICUS SÆVIOR FACTUS.

At verò Fridericus has preces & monita, ut ait ibidem Innocentius, obturatis more aspidis auribus, elatâ obstinatione despiciens; effrenatiori furore incensus, statim portus atque itinera omnia (ut scribit Parisius [o]) terrâ marique diligenter custodiri mandavit, ne quis à Pontifice ad transalpinos Reges & populos, vel ab iis ad Pontificem accederet: ac Fratres aliquot Minores, qui detecti sunt aliquas literas secretò deferre, fœdo affici suspendio jussit. Cujus & filius Conradus in Germaniâ huic operi diligentissimam curam impendens adeò vias obstruxit, ut nec Fratribus Minoribus ac Prædicatoribus Romam ire deprehensis parceret, quin usque ad mortem variis cruciatibus torqueret. Quæ res ubi percrebuit, mirè animos omnium commovit: & postquàm Viterbienses injuriis assiduis præfectorum Friderici exagitati, ab eo desciscentes Romanis se junxerunt, & eundem ipsum opem suis arcem adhuc tenentibus ferentem turpiter fugârunt; multi alij pariter populi & principes Italiæ ab eo recessêre. Hæcque meritò ipsi accidere vulgò homines dictitabant, quòd iis imbutus moribus esset, ut neque officia divina audiret, neque Deum prece propitiaret, nec debitum sacerdotibus honorem haberet, nec de fide Catholicâ rectè aut loqueretur aut sentiret, & mulieres Saracenas amicas haberet, viros verò in Italiam induxisset. Ita Parisius, etsi ei addictissimus.

[o] Paris. hoc an. Anton. tit. 19. cap. 5. in princ.

MULTI AB EO DESCISCŨT.

VII. DISSIDIUM INTER FRANCISCANOS ET DOMINICANOS.

Habet idem auctor, ortam eodem tempore controversiam inter Fratres Minores & Prædicatores, quinam eorum priores & digniores censendi essent, magnum generâsse scandalum: & utrosque fastu elatos, antiquiores Ordines pro nihilo duxisse, atque ædificia magnifica sibi extruxisse; avaritiâque ardentes circuîsse quærentes quorum sive vivorum sive morientium divitum bona deglutirent: Quinimmò & quædam subtiliùs de rebus Theologicis disputantes, multa proposuisse (quæ ipse recitat) quæ à Prælatis Ecclesiarum ut erronea rejecta sunt, eorúmque assertores excommunicationi subjecti. Sanè multos habuisse ab initio hos Ordines contradictores è Clero, eò maximè quòd privilegiis Sedis Apostolicæ ditati, viderentur Ordinariorum auctoritati derogare; jam aliàs vidimus, éstque eorum temporum ac sequentium jugis querela quamplurimorum; quæ etiamnum in dies crescit magno Christianæ Religionis detrimento, & majori hujusmodi zizaniorum disseminatorum, vel etiam eorum qui ansam præbent conquerendi, periculo. Quod verò ad fastum & avaritiam quam Parisius carpit; ne existimemus eum falsa omninò de his scripsisse, (quod sæpè solet,) ut Prædicatores in aliud tempus remittamus, fatentur Minores, has pestes in suum Ordinem invexisse Heliam S. Francisci aliquando socium, & ab eo rectorem Ordinis constitutum; ac per hæc tempora [p] viguisse in multis miram quandam & insatiabilem hujusmodi cupiditatem, ædificandi loca sumptuosa, procurandi legata pia, & ultimas voluntates ac sepulturas; crevisséque in tantum temporalium rerum desiderium & effrænem libidinem possidendi, ut non erubescerent pro suis votis implendis palàm pecuniam procurare & recipere, atque lites in curiis excitare adeò ut ad hujusmodi vitiorum correctionem, exerenda fuerint multa divinæ ultionis in reprobos & regulæ transgressores exempla.

[p] Vvadding. Annal. Minor. an. 1244.

FRANCISCANORUM CORRUPTI MORES.

VIII.

Sed aliquorum licentiam, cæterorum virtus & pietas atque observantia longè superavit, superátque: firmo permanente oraculo, quo

[q] Id. ibid.
S. BONAVENT. INGREDITUR ORDINEM S. FRANCISCI.
[r] Suprà an. 1221. XIII.

dicitur Christus S. Francisco promisisse, nunquam defuturos in ipsius Religione viros, qui doctrinæ vitæque exemplo aliis in Ecclesiâ tempore quantumlibet caliginoso prælucerent. Qualis insigniter extitit, qui hoc ipso anno [q] eum ordinem ingressus est, ætatis suæ vigesimo tertio, magnus ille *Ioannes* in baptismo dictus, sed occasione desperatæ sanitatis ei quadrimo precibus S. Francisci restitutæ, *Bonaventura* à piâ matre rem admirante nuncupatus, & Ordini votus; cujus ortum aliàs [r] retulimus; qui non solùm moribus ita Seraphicum suum patrem expressit, ut ejus virtutum hæres visus fuerit; verùm etiam universam Ecclesiam doctrinâ & miraculis illustravit: de quo plura inferiùs variis locis.

IX. INNOC. CURAT RES TERRÆ S. ET IMPERII CONSTANT.
[s] An. 1219. II.
[t] Reg. an. 1.
[u] An. 1. epist. 122. & ap. Vvadding. hoc an.
[x] D. a. 1. & vide Aquilon. p. 177.

Inter hæc autem Innocentius principio sui Pontificatûs de Terrâ Sanctâ suorum decessorum exemplo solicitus; ut muri Ierusalem reædificarentur, quos olim vidimus [s] à Sultano Coradino dirutos, scriptis ad omnes Principes Christianos literis [t] hortatus est manus adjutrices ei operi porrigere: & Roberto Patriarchæ Ierosolymitano, Legatum Sedis Apostolicæ in Syriâ agenti, mandavit idipsum operæ cum Principibus ac Proceribus Magistrisque Ordinum præstare, ac collectam Ecclesiasticis juxta singulorum facultates imponere. Curámque pariter Imperij Constantinopolitani Latinorum jam penè extincti suscipiens, inter alia partem pecuniarum in Terræ Sanctæ subsidium collectarum, in commodum illius Imperij converti voluit [u]. Sicuti & pro fidei in Livoniâ ac Prussiâ propagatione eandem curam habuisse, noscitur ex literis in Sueciam aliásque Septemtrionales partes scriptis [x] 9. Cal. Octobris.

X.
[y] Ap. Sãmart. Hist. Franc. l. 22. cap. 2. ex Til.
BALD. IMPER. CONST. AFFINITATEM CONTRAHIT CUM SULTANO.
[z] Vide suprà an. 1218. IV.

Legimúsque alibi [y], hoc ipso anno Balduinum Imp. Constantinopolitanum scripsisse Blancæ Reginæ matri S. Ludovici Regis Francorum, amicitiam se cum Sultano Iconiensi icisse; cujus occasione Sultanus ab ipso Balduino petiisset dari sibi in uxorem unam ex ipsius neptibus, promittens permissurum se illam cum suis vivere Christiano ritu, & Ecclesias Christianis ædificaturum; quippe natus ipse Græcâ matre Christianâ, quam pater [z] ejus duxerat: ac propter eà rogâsse Reginam, ut curaret sibi ad hoc mitti unam ex neptibus ipsius Balduini: verùm Reginam abnuisse hujusmodi affinitati assentiri.

XI. TARTARI TURCOS SUBJUGANT.
[a] Vinc. l. 30. cap. 150.
[b] Ant. tit. 19. c. 8. §. 15.
[c] Hayton. c. 18. in fin.
[d] Bizar. de Reb. Pers. l. 8.
[e] Vinc. l. 31. cap. 28.
[f] Leunclav. lib. 1.

Quo item anno (ut Vincentius [a] habet, & ex eo Antoninus [b]; cùm Haythonus [c] & Bizarus [d] sequentem signent) Tartari, postquàm per plures annos Turcos diversis vicibus atque ducibus varióque marte tentâssent, jam majoribus viribus eos aggressi, ingenti prœlio conciderunt; excisóque eorum regno tributarios sibi fecerunt modum tributi Vincentius [e] explicat. Cladis verò Turcicæ meminit etiam Leunclavius [f] in Historiâ Musulmanâ Turcorum, & multi alij.

XII.
[g] Marian. l. 13. cap. 3.
REX GRANATÆ BENEFICIARIUS CASTELLANI.

In Hispaniâ Giennium [g] insignis urbs Bæticæ à Mauris detentâ, & rebus omnibus egregiè instructa, sæpiúsque à Christianis frustrà tentata; demùm post octimestrem obsidionem à Ferdinando Castellæ Rege deditione accepta est: tradente illam Rege Granatæ Mauro, qui suorum factionibus agitatus, Ferdinandi amicitiam expetivit, & beneficiarium se ejus constituit.

IESU CHRISTI Annus 1244.

INNOC. IV. An. 2.

FRIDERICI II. An. 25.

BALDUINI II. An. 16.

I. FRIDER. NUNCIOS PRO PACE MITTIT ROMAM, SED MOX REVOCAT.
[a] Reg. Innoc. epist. 501. ad Ludov. Frãc. Reg. Cal. Ianuar. an. 1. Guill. de Pod. Laur. Chron. c. 46. Catell. de Com. Tol. lib. 2.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Indictionis secundæ, Fridericus accepto ex vexatione intellectu, & assiduis amicorum hortationibus stimulatus, animum ad pacem cum Ecclesiâ faciendam adjecit. Itaque Raymundum Comitem Tolosanum, (qui paulò antè ad Vrbem veniens, ejuratis rursùm erroribus, ab Innocentio absolutionem [a] obtinuerat) unà cum Petro de Vineis & Thaddæo de Suessâ Curiæ suæ Iudicibus, nuncios & procuratores suos Romam mittens; per eos apud Innocentium die Cœnæ Domini, præsente Balduino Imperatore Constantinopolitano, Cardinalibus, multísque aliis Prælatis Senatoribus Romanis, ac populo, solemniter juravit, staturum se judicio Pontificis super omnibus articulis, injuriis, damnis, & offensis, ante & post excommunicationis sententiam, Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis illatis. Quod lætissimè accipiens Pontifex, mœrorem confestim ingentem ex eo suscepit, quòd mox Fridericus ad ingenium rediens, se hujusmodi sacramento, ut sibi pernicioso, stare nolle contendit. Testatur hæc ipse Innocentius in sententiâ depositionis ejusdem Friderici. Quæ ne quis ficta existimet, Parisium habet, quamvis Friderici fautorem acerrimum, qui post rem distinctiùs ex ipsiusmet Friderici scriptis enarratam, subjungit, eum furiis invectum, illo instigante qui primus superbivit, à formâ juratâ & humilitate satisfactionis compromissæ superbiendo infeliciter resiliisse; calcaneóque Papali insidias tetendisse, & laqueos absconditos, qui tamen posteà apparuerunt.

II. INSIDIATUR PONTIFICI.

Cùm enim (ut addit) octavo die ante festum Nativitatis S. Ioannis Baptistæ accessisset Innocentius ad civitatem Castellanam, ut propiùs de pace cum Friderico, quem Interamnam se contulisse quòd crederet venturum Pontificem Narniam, quæ non longè aberat, ipse Fridericus literis suis circularibus de his scriptis asseruit, tractaret: (verè namque Pontificem accessisse civitatem Castellanam, quod multi negant, manifestè inde probatur, quòd reperiantur [b] constitutiones ejus eodem loco 15. & 8. Calendas Iulij, nondum elapso anno ipsius Pontificatûs primo, datæ de rebus Ordinum Prædicatorum & Minorum; ne scilicèt ante annum probationis expletum professionis voto obligarentur; & ne alterius Ordinis professores ab altero reciperentur inconsultis Superioribus: cùm hi abusus in eos Ordines contra Patrum regulas irrepsissent; tum ut præcipitaretur novitiorum professio, eo fine ne ad sæculum redire, vel ad aliam religionem transire, etiamsi maximè vellent, possent; tum ex mutuâ horum Ordinum invidiâ, ut quoscumque alter posset ex professis alterius ad se traheret, non sine alterius, aut potiùs utriusque dedecore) indéque Fridericum ad promissa præstanda vehementiùs urgere institisset; atque illo nequaquàm se facturum respondente, nisi

[b] Ap. Paris. hoc an. & Vvadding. tom. 1. hoc an. ex Reg. Innoc.
CONSTITUTIONES INNOCENTII DE RELIGIOSIS.

e Blond. 2. dec. 7. Sigon. de Regn. Ital. lib. 18. Hist. Genuens. &c.

priùs anathemate absolveretur; Innocentius verò quorsùm ejusmodi spectaret exceptio non ignorans, penitùs abnuisset: eâ de re Fridericus accensus, non solùm gravia apertè minari, verùm etiam Pontificis capiti insidias comparare instituit.

III. INNOC. AUFUGIT IN GALLIAM.

Quibus rebus cognitis, Innocentius clàm accitis triremibus Genuensium ad portum Civitatis-veteris, cùm è civitate Castellanâ Sutrium se contulisset in ipsâ vigiliâ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli silentio noctis, & ut volunt habitu militari ne à Fridericianis vias custodientibus interciperetur, Sutrio se cum nonnullis Cardinalibus subducens, ad classem concitatis equis venit, indéque mari Genuam patriam suam. Vbi gravi tentatus morbo, postquàm convaluit, Galliam cogitans, consuetum atque tutissimum Romanorum Pontificum asylum, tertio Nonas Octobris terrestri [d] itinere, (non marino, ut quidam hallucinantur, cùm recentis ac procellosæ navigationis tædio Pontificem à mari abhorruisse, antiquorum auctorum assertione certò constet:) præsidio amicorum tectus, per Alexandriam, Montemferratum, & Sabaudiam, Lugdunum Galliæ tenuit in principio mensis Decembris; exceptus de more jussu Regis summo honore atque veneratione.

d Paris. Monach. Paduan. Cor. Hist. Mediol. par. 2. Hist. Genuens. &c.

IV. CARDINALES CREAT.

Ibi, cùm jam numerus Cardinalium ad paucissimos redactus esset, hiemali Iejunio Duodecim allegit: in quibus *Hugo de Sancto Caro*, de quo superiùs [e], primus [f], ex Ordine Prædicatorum, ob eximiam eruditionem & morum elegantiam eo honore insignitus; & alij scientiâ ac moribus insignes: qualis videlicèt ipse Innocentius qui eos ad eam dignitatem promovebat; ut solent plerumque similes gaudere similibus. Quando & Cardinalibus, vel (ut alij malunt) posteà in Concilio Lugdunensi, proprium insigne, ut equo sedentes galerum seu capellum rubrum gestarent, dedisse volunt [g]; cùm ut eum ordinem nobilitaret, tum ut significaret eos etiam caput suum, si opus esset, pro libertate Ecclesiasticâ gladio offerre debere; ac præsertim eo tempore quo Romana Ecclesia a Friderico vehementissimè oppugnabatur. Fuisse namque jam ipsos antehàc reliquâ veste purpuratos, multorum est assertio; aliis tamen ad posteriora tempora referentibus. Sanè vidimus superiùs [h] ex descriptione Georgij Logothetæ auctoris Græcanici, fuisse eum jam antehàc Legatorum Apostolicæ Sedis habitum. Quem & putamus designâsse Innocentium III. [i] cùm meminit Legatorum Pontificum *utentium insignibus Apostolicæ dignitatis*. Estque de iisdem in Formulario [k] Literarum Apostolicarum Marini Eboli, sub Innocentio IV. & sequentibus Pontificibus viventis, titulus *De Insigniis consuetis Legatorum*. Denique apud Parisium [l] sæpiùs reperias mentionem habitûs Legatorum, tanquam illis peculiaris, quamvis nec formam exprimat nec colorem: & apud Bzovium [m], ipsis etiam Fratribus Dominicanis, dum legatione fungerentur, rubrum colorem concessum. Sed hæc ijdẽ ipsi diligentiùs perquirant & examinent, qui iis dignitatibus inhiant, si tanti id scire æstimaverint, quanti eas avent. Illud tamẽ omninò certum est; quod Innocentius instituit, de galero, seu vt vocant capello, intelligendum esse: non etiam de pileo seu birreto: hoc enim

e An. 1240. X.
f Anton. tit. 19. c. 5. §. 2.
g Platin. in Innoc. IV. Gaguin. Hist. Fr. lib. 7. Sabell. 9. En. 6. Æmil. in Ludov. IX. Onuphr. annot. ad Platin. &c.
h An. 1213. XXIV.
i Cap. antiqua ex. de privil.
k Ext. in Bibl. Vat. & in Fux. Tolos.
l Paris. in Henr. III.
m Bzov. an. 1253. V.

rubrum gerere, concessio fuit Pauli demùm II. [n] 220. post hæc annis, ut tum dicetur.

n Infr. an. 1464. XVII.

V. FRIDERICI DEFENSIO.

Cæterùm Fridericus vehementer expavescens abitum Pontificis, scriptis circularibus literis, quarum nuper meminimus, innocentiam suam prædicare, & culpam omnem rupti tractatûs pacis in ipsum Innocentium rejicere sategit. De cujus negotij prosecutione & exitu dicetur posteà.

VI. EPISCOPI WINTON. PERSECUTIO A REGE ANGL.

Quo eodem anno, sed antequàm Pontifex Lugdunum advenisset, Willelmus Episcopus Wintoniensis in Angliâ sævissimam persecutionem Regis sui fugiens, (tantum enim oderat illum, eò quòd ipso abnuente, qui alienigenam invito ejus Ecclesiæ clero intrudere ambiebat, electus fuisset, ut qui ei in aliquo communicaret, vel necessaria ad victum ministraret, hostem publicum denunciâsset:) & in Galliam secretò transmittens, à Rege Ludovico hæreditario jure suscipiendi & defendendi afflictos, benignissimè exceptus est; suísque ita commendatus, ut etiam armis si necesse foret contra quoscumque adversarios protegere jusserit, qui demùm agente pro illo instantissimè Innocentio Pontifice, cæterísque Angliæ Antistitibus, cùm & Regem terrerent minæ censurarum quas Pontifex precibus suis atque admonitionibus addiderat, eumdémque pudere cœpisset pessimè se inde apud omnes audire; sedi suæ restitutus est ingenti totius Angliæ gaudio, quòd vir pius ac prudens esset. Quæ ut se habuerint, narrat diffusè Parisius diversis temporibus quibus contigerunt.

VII. DE CHORASMINIS SYRIAM INFESTANTIBUS.

Dum autem his motibus Occidens agitaretur, in Oriente Syria gravissimam quassationem passa est à *Chorasminis* populis, qui sive Parthi, sive Persæ, vel Scythæ, aut Arabes fuerint, ut variæ sunt auctorum sententiæ; & sive Chorasmeni [o]; vel Chorasmusini [p], aut Chorasmij scribi debeant; (nam quod nonnullis recentioribus Gohesmeni [r], vel Choërmini [s], aut etiam Grossoini [t] dicuntur, manifestæ depravationes sunt nominis) cùm à Tartaris, quòd tributum pendere gens superba & belli experientissima detrectaret, primùm è sedibus patriis, inde ex finibus Persidis vi ejecti, apud nullos Saracenos, quamvis sectâ Saraceni & ipsi, propter singularem ipsorum nequitiam, receptaculum adinvenirent: à Sultano Babyloniæ & Ægypti ad invadendam Palæstinam excitati, quæ tum qualicumque pace, ob fœdus cum Sultano Damasci hoste Babylonici, ut aliàs vidimus, firmatum, fruebatur; in eam repentè irruentes, miserè vastaverunt: sanctámque civitatem Ierusalẽ magnâ Christianorũ strage intrantes, ipsum etiam sacrosanctum Sepulchrum Domini, atque alia cuncta religiosiora loca, quæ cæteri Saraceni eatenùs intacta venerabundè conservaverant, cruore omníque nefariâ fœditate atque turpitudine polluerunt, & ornamentis spoliârunt: ac demùm cruentissimo iterato prælio, (quorum posterius pugnatum est die festo S. Lucæ 18. Octobris) militiam Christianorum, ducibus Patriarchâ Ierosolymitano, Magistris Hospitalariorum, Templariorum, ac Teutonicorum, aliísque Prælatis ac Baronibus, sese fortiter iis cum auxiliariibus copiis Sultani Damasceni opponentem, ipsi aucti viribus Sultani Babylonici tantâ cæde prostraverunt, ut præter immensam equitum pedi-

o Arrian. de exped. Alex. lib. 4.
p Strab. lib. 11.
q Ptol. lib. 6. Steph. de urbi. Plin. lib. 6. cap. 16.
r Petr. de Vin. 1 ep. 28.
s Paris. an. 1244.
t Nang. in Chron. & in Vit. S. Ludov. Blond. 2. dec. 7.

INGENS CHRISTIANORUM CLADES.

túmque multitudinem, (cùm tamen hostium, qui decem ferè partibus Christianos superabant, longè major fuerit strages) occisis vel captis prædictis Magistris, aliísque non paucis è Prælatis ac Baronibus, ex omnibus Templariis qui aderant numerosi, non nisi tres & triginta, ex Hospitalariis sex & viginti, è Teutonicis tres tantùm evaserint: quos & puduit fratribus superfuisse.

VIII. AUCTORES QUI EAM DESCRIPSERUNT.

Quæ omnia ut gesta fuerint, describuntur epistolâ ab eodem Patriarchâ cæterísque Prælatis scriptâ ad Antistites regnorum Franciæ & Angliæ 25. Novemb. hujus ipsius anni; cùm ipsi Acconem post cladem reversi, expectantes à Chorasminis & Ægyptiis obsideri, Waleranum Episcopum Beritensem & Arnulfum Ordinis Prædicatorum in Occidentem miserunt ad imploranda auxilia. Eámque recitat Parisius [u], unà cùm aliâ de eâdem remissâ à Magistro sanctæ Domûs Ierusalem ad nobilem quemdam Anglum: atque insuper aliâ Friderici Imp. ad Richardum Cornubiæ Comitem, quâ culpam cladis tum in Templarios rejicere conatus est, quòd bellum adversùs Sultanum Babylonicum suscepissent contra fœdera ab ipso Friderico cum eodem Sultano icta; tum solemni more in Summum Pontificem, quòd pacem Friderico negando, impedimento esset ne vires suas adversùs Infideles converteret. Cujus etiam argumenti est alia ejusdem Friderici apud Petrum [x] de Vineis. Referunt eadem breviùs Vincentius [y], Nangius [z], Sanutus [a], Antoninus [b], & alij. E quibus etiam constat, prædictos Chorasminos post hæc patrata, cùm etiam Ægypto excluderentur à Sultano, sibi ab eorum immanitate timente, divino judicio ab invicem divisos, intra breve tempus ferè omnes periisse à populis in eos insurgentibus. Quod etiam confirmatur ab Haythono [c]: qui tamen eos qui in propriis sedibus (quas & describit [d]) remanserant, suo tempore ritus Græcorum in religione sectatos esse, ac Patriarchæ Antiocheno obedîsse ait. Ab hâc autem eorum devastatione urbis Ierosolymorum, numquam ampliùs ea in potestatem Christianorum venit; sed hactenùs penes barbaros Saracenorum & Mahometanos perstitit.

[u] Paris. hoc an.

[x] Petr. de Vin. 1. ep. 28.
[y] Vinc. lib. 29. cap. 88.
[z] Nang. in Vit. S. Ludov.
[a] San. lib. 3. par. 11. cap. 1.
[b] Ant. tit. 19. cap. 8. § 8.
[c] Hayth. cap. 15.
[d] Id. cap. 4.

IX. GUALTERI DE BRIENNA NOBILE MARTYRIUM.

Hâc autem incursione captum quoque putamus *Gualterum de Briennâ* Comitem Ioppensem, cujus martyrium narratur à Ionvillæo in Vitâ S. Ludovici Regis: quod tamen nonnisi post sexennium contigisse ponitur à Parisio [e], fortè quòd eò usque detentus fuerit in carcere. Qui quidem moribus & armis præstantissimus, cùm captus fuisset à duce seu principe Chorasminorum, quos Ionvillæus Persas vocat, & sollicitatus pro redemptione suâ Ioppen reddere, eapropter ad portas civitatis brachiis suspensus ductus, ut eo tormento flexi inclusi deditionem facerent: è contrà ille hortatoriâ oratione ad ipsos habitâ, nullam suî rationem habere, sed fortiter usque ad extremum halitum canibus illis pro fide CHRISTI resistere adjuravit, unde in carcerem reductus; & in Ægyptum ad Soldanum missus, ab eóque crudelissimis hostibus traditus, post exquisitissima generosè tolerata tormenta, in frusta concisus, ad Deum feliciter migravit. Cujus posteà ossa Ludovicus Rex sanctus à barbaris recuperata Acconem retulit, ubi honorificè sepulta fuêre.

[e] Paris. an. 1251.

X. LUDOV. REX FRANC. EX MORBO GRAVISS. CRUCEM TRANSMAR. SUSCIPIT.

Suscitavit enim eum Regem Deus hoc ipso tempore, qui tanta Christianis illata à barbaris mala egregiè ulcisci conaretur, licèt secreto divinæ providentiæ judicio non valuerit plenè perficere. Qui quidem jam existens in ætatis robore trigesimi anni, florénsque matre, uxore, fratribus, liberis, opibus, nomine; cùm morbo gravissimo apud Pontisaram correptus circa Idus Decembris vocis usu amisso, ac nullis reliquis sensibus animus eum defecisset, jámque pro mortuo deploraretur; repentè cum omnium stupore ad se rediens, primùm omnium sacræ transmarinæ militiæ Crucem depoposcit, & ab Episcopo Parisiensi accepit: paulatímque valetudinem integram recuperavit, peculiari intercessione SS. Dionysij ac sociorum ejus, quorum corpora de loco suo extracta, (quod numquam nisi pro salute Regis, vel regni periculo, fiebat) processionaliter per claustrum monasterij & Ecclesiam deportata magnâ solemnitate fuêre. Hæc Ionvillæus & Nangius in Vitâ Sancti Regis, Æmilius, & alij.

XI. LIBRI IUDÆORUM CONQUISITI AD IGNEM.

Ante quæ, hoc tamen ipso anno, septimóque Iduum Maij Innocentius Pontifex adhuc Romæ existens, ad eumdem Regem literas [f] dederat hortatorias, ut libros *Thalmud* & reliquos Iudæorum, blasphemiis & impietatibus fabulísque refertissimos, jam anteà à Doctoribus Parisiensibus monitu Gregorij Noni, ac Regis auxilio damnatos, & publicè crematos, sed adhuc in usu habitos, per universum regnum conquiri præciperet, & igne cremari: ac ne permitteret ut iidem Iudæi nutrices seu famulas haberent Christianas, in dedecus & contumeliam fidei.

[f] Ext. in Reg. Innoc. IV. an. 1. & in Bullar. to. 1. Innoc. const. 2. & in Director. Inquis.

XII. LUDOLPHI EPISC. MARTYRIUM, ET FELIX EXITUS.

Quo item propè tempore *Ludolphus* Raceburgensis in Saxoniâ inferiore, seu Wandaliâ, Episcopus, cujus eximias laudes prædicat Krantzius [g], post longum pro Ecclesiæ suæ libertate martyrium à Duce Saxoniæ Alberto toleratum, susceptus benignè Wismariæ à domino Magnopolense; dum jam viribus totis destitutus idem expectaret extremum, nocte præcedente Cœnam Domini duos vidit ex Fratribus monasterij Racesborgensis ad se venientes, qui poculum salutis ei præbuerunt: quo confortatus, viribus receptis, ipso die Cœnæ officium suum devotissimè peregit: creditúmque est duos illos, sanctos fuisse Episcopos ipsius antecessores, cùm unde venissent aut quò abiissent, viderit nemo. Claruit porrò miraculis post mortem. Extántque hi versiculi tornati artifici manu in laudem ejus.

[g] Krantz. 8. metrop. 8.

Gemmula pastorum, lux fulgens, regula legis,
Pastorum speculum, juvenum dux, senis icona,
Lux juvenum clara, reparator, gloria plebis,
Fulgens dux, reparator cleri, pacis amator,
Regula senis, gloria pacis, formula dulcis,
Legis icona, plebis amator, dulcis adesto.

quorum si singulorũ dictiones primas junxeris, fit primus versus; si secundas singulorũ, secundus; si tertias tertius; ac deinceps usque ad finẽ.

XIII. CONCIL. PERTH. IN SCOTIA.

Et circa hæc eadem tempora celebratum fuit *Perthi* in Scotiâ (quod oppidum posteà S. Ioannis dictum est) *Concilium* Episcoporum præsente Rege Alexandro, ad disciplinæ morúmque reformationem: in quo edita sunt statuta provincialia, approbante Rege ac regni primoribus, quorum memoria vìsque multis posteà temporibus conservata est.

Iesu Christi Annus 1245.
Innnoc. IV. An. 3.
Balduini II. An. 17.

I. Indictio Concilii Lugdun.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertiâ, ipso mense Ianuarij, Innocentius Pontifex Lugduni existens, *Concilium* Vniversale, quod Gregorius Nonus habere non potuerat, ad proximum diem Nativitatis S. Ioannis Baptistæ indixit, ut de subsidio Terræ Sanctæ atque Imperij Constantinopolitani, repulsione Tartarorum, pace Ecclesiæ, rebúsque Friderici, ac morum reformatione tractaretur, datis eâ de re literis ad omnes Reges, Præsules, Principes, Abbates, & Capitula, quarum forma habetur in præambulis [a] ejusdem Concilij, & apud Parisium [b]. Insupérque Fridericum, quotiescumque [c] sermonem ad populum haberet, quod unoquoque scilicèt solemni die, altâ voce citare non cessavit, ut per se vel suos nuncios compareret in Synodo, responsurus de iis quæ ei objicerentur.

[a] *Tom. 4. Conc. l. edit. Rom.*
[b] *Paris. hoc an.*
[c] *Innoc. ap. indic. Conc. Blond. 2. dec. 7. Collenut. lib. 4.*

II. Suentopelci Pomerani prava facinora, et condemnatio.

Nec tamen intereà cætera Ecclesiæ negotia curare omittens, inter alia multa Suetopelcum Pomeraniæ Ducem, ob fœdus cum Prussis seu Prutenis Paganis adversus Fratres Crucigeros & Teutonicos contractum, ingentiáque mala Christianis omnibus illata, (Christianus licèt ipse professione, sed perversissimi ingenij homo, & dira [d] Poloniæ ac vicinarum regionum fæxque luésque, qui etiam non ita pridem Prussis, qui Christiani jam facti erant, idololatriæ ritus nefarios repetere, & Christianos omnes cujusvis nationis apud eos agentes constitutâ certâ die interimere persuaserat) anathematis sententiâ à Guillelmo Episcopo Mutinensi Legato Sedis Apostolicæ damnatum, scriptis Calendis Februarij literis [e] de præteritis redarguens, admonuit emendare, & Ecclesiæ reconciliari. Missúmque ad hæc & alia curanda Opizonem Abbatem Messanensem, legatum Sedis Apostolicæ, prodit Historia [f] Polonica: cúmque pacem anno sequenti inter Suentopelcum & Crucigeros redintegrâsse, atque exacto ab illo jurejurando quòd nihil deinceps commune cum Prussis habiturus esset, ipsum ab excommunicatione & interdicto prioris Legati absolvisse. At verò Suentopelcum quietis impatientem, violatis paulò pòst fœderibus, iterùm prælia commisisse, & damna ingentia intulisse, intelligitur ex ejusdem Historiæ scriptoribus, atque ex Nauclero, (qui Suandepoldum nominat,) aliísque donec diversis cladibus cum Prussis attritus, & auctoritati cedens Iacobi Leodiensis Archidiaconi Legati Apostolici, pacem cum Crucigeris iniit, quam vel invitus adeò quamdiù vixit, (vixit autem viginti & ampliùs dehinc annos) servavit, ut etiam moriens filiis suis præceperit [g] bello Crucigeris inferendo quoad possent abstinere, Polonósque Principes (quos ipse persæpè læserat) omni ratione ac benevolentiâ sibi devincire, quorum tamen illi præceptorum immemores magnis se posteà calamitatibus implicarunt.

[d] *Vid. Cromer. Rer. Polon. lib. 7. & 8.*
[e] *Reg. Innoc. an. 2.*
[f] *Crom. d. l. 8 Michov. lib 3. c. 44.*
[g] *Crom. lib. 9.*

III. Res Polon. huius temporis.

Hócque eodem tempore arsisse bellis civilibus tam majorem quam minorem Poloniam, iidem auctores prosequuntur: cùm videlicèt in minore, post abscessum Tartarorum Boleslao Pudico nusquam comparente, delatóque Principatu Boleslao Calvo Henrici Pij, qui fuerat à Tartaris occisus, filio natu maximo; Conradus Masoviæ Dux Pudici patruus primò Calvum aggressus, eum in Silesiam suam rejecit, deinde & in ipsum Pudicum, à Polonis, Conradi asperiorem dominatum non ferentibus, quæsitum & revocatum, movens, diù eumdem fatigavit: quousque ipse tertio abhinc anno extremum vitæ clausit diem. Post quæ Pudicus pacem nactus, collapsa & vastata bello instaurare, depravatáque corrigere in minori Poloniâ instituit, magnámque mansuetudinis & probitatis laudem etiam apud exteros adeptus est. Quemadmodùm & in majori Poloniâ Premislaus & Boleslaus fratres Wladislai Sputatoris filij, in Principatum evecti quem pater aliquando obtinuerat, egregium hoc ipso anno pietatis exemplum ediderunt [h]; cùm à Baronibus livore actis rogati ut libertates Ecclesiarum Gnesnensis & Posnaniensis, juráque ducalia, & specialiter de monetâ cudendâ per Wladislaum eorum parentem concessa rescinderent; non solùm non consenserunt, verùm etiam eadem privilegia recèns confirmârunt, ac per civitates & castella præconum voce observanda publicârunt.

[h] *Michov. lib. 3. c. 43. in fi.*

IV. Innoc. mittit prædicatores in Tartariam.

Longinquiora etiam curans Innocentius, hoc eodem anno varios prædicatores ex sacris Ordinibus Francisci atque Dominici ad Tartaros misit saluti eorum procurandæ, cum literis [i] ad Regem eorum ac populum scriptis 3. Nonas Martij, Pontificatûs sui anno secundo, quibus eos ad viam veritatis hortabatur: aliósque item cum aliis literis, pro iisdem à grassationibus in Christianos avocandis, ac pace ineundâ. Ad quod munus obeundum electus est ex Franciscanis *Ioannes de Planocarpini* socius olim S. Francisci, vir magnæ fidei & disciplinæ, cum aliis itineris comitibus: ex Dominicanis *Anselmus*, sive *Ascelinus*, cum sociis. Non tamen missos simul, aut directè ad eosdem, nec idem iter peregisse, quamvis utramque legationem nonnulli confuderint, ex utrorumque relatione intelligi datur, quippe iter ac gesta successúsque Franciscanorum descripsit prædictus Ioannes; Dominicanorum, Simon de S. Quintino socius Ascelini; quorum breviarium Vincentius Bellovacensis Speculo [k] suo historiali inseruit, & ex eo Antoninus [l] suis Chronicis in quibus & situm ac qualitatem terræ, & mores ac consuetudines gentis, & bella ac victorias, modúmque præliandi, divitias immensas ex prædis, muneribus ac tributis, magnificentiam comitatûs Principum, potentiam exercituum, aliáque id genus considerare licet.

[i] *Rec. Vvadding. in Annal. Minor. hoc an. ex. Reg. Vatic.*
[k] *Vinc. lib. 32.*
[l] *Ant. tit. 19. cap. 5. & 8.*

V. Quid Franciscani ea missione præstiterint.

Et quidem Franciscani Boëmiâ, Poloniâ, Russiâ peragratis, ad primam Tartarorum stationem pervenientes, indéque ad varios subinde duces per Cumaniam, Changitanam, aliásque amplissimas provincias à Tartaris subactas, ac fere destructas, ingentibus incommodis inter peragentes; demùm ad terram Mongalorum, hoc est ipsam Tartariam, & ad supremum omnium Tartarorum Chaam seu imperatorem, nomine *Cuyne*, sive Cuynch, qui tum

in regnum sublimatus fuerat in locum Hoccotæ patris sui defuncti, pervenerunt in die B. Mariæ Magdalenæ anni sequentis, post quindecim ferè menses cœptæ peregrinationis. A quo post multos dies auditi, & benignè excepti, (licèt enim vexillum erigeret adversus Christianos, videbatur tamen erga illos inclinatior, adeò ut & collegium clericorum penes se haberet qui officia sua liberè exercerent) literas Pontificias obtulerunt; aliásque ad eum ab illo receperunt die 13. Novembris quâ permissi sunt ad propria redire, muneribus etiam honestati. Cùm vellet autem Chaam suos etiam ad Pontificem nuncios unà cum Fratribus dirigere, excusârunt isti prudentissimè pluribus de causis; atque iis maximè, ne fortè explorandi causâ mitterentur specie legationis, ac ne visis maximis Christianorum inter sese discordiis & bellis, magis animarentur Tartari arma in Europam transferre. Post quæ Fratres ingentibus toleratis laboribus ex rigore hiemis & rerum penuriâ, eodem quo ierant regressi itinere in Russiam ad decimum Iunij anni millesimi ducentesimi quadragesimi septimi pervenerunt: tractatúque cum ejus provinciæ Principibus & Episcopis (ut jussi fuerant à Pontifice, cujus & literas ad eos detulerant) habito de reductione ad Ecclesiam Romanam ex schismate Græcorum quod sectabantur; responsum ab eis acceperunt, velle se Pontificem Romanum habere in specialem dominum & patrem, Ecclesiámque Romanam in dominam & magistram; confirmantes omnia quæ priùs de hâc re per Abbatem suum transmiserant; novósque rursùm nuncios unà cum Fratribus ad Pontificem dirigentes. Hæcque summa itineris Fratrum Minorum, quod triginta circiter mensibus confectum est.

VI. Quid Dominicani.

Prædicatores autem aliâ viâ rem tentantes, pervenerunt in Persidem in Baiothnoi, unum ex præcipuis ducibus Tartarorum, qui tractui illi cum numerosissimo exercitu præerat: sed arrogantissimè excepti, quòd dixissent se missos esse à Papâ, qui apud Christianos dignitate major quovis alios existimaretur, ac renuerent ipsum Baiothnoi adorare in signum subjectionis Papæ & Romanæ Ecclesiæ, ipsiúsque dominum Chaam filium Dei agnoscere; vix necem sæpiùs in eos à barbaro decretam effugerunt. Recusantes verò etiam ad Cuyne Chaam ire, quòd dicerent se non ad eum, sed ad primum quem invenire possent exercitum Tartarorum missos esse; variis modis delusi, & ignominiosè habiti in summâ victûs egestate diutiùs detenti fuêre: donec tandem post adventum magni cujusdam consiliarij Chaam dimissi, literas retulerunt à Baiothnoi ad Pontificem, proterviâ plusquàm Tartaricâ scriptas; consumptis toto itinere annis tribus ac septem mensibus.

VII.

Quæ cùm ita gesta esse, ex ipsorummet Fratrum relationibus, & qui ex illis exscripserunt Vincentio & Antonino, absque ullâ dubitatione constet; nescimus unde quidam [m] hauserint, prædictos Ascelinum sive Anselmum Dominicanum & Ioannem Franciscanum simul in intima Persidis penetrantes, dum idololatras ab idolorum cultu averterent, multis pro Christo perlatis cruciatibus, martyrium profuso sanguine consummâsse.

[m] Bzov. an. 1245. XIII.

VIII.

Cùm autem hi Patres ab Innocentio missi itineri se accingerent, properantibus ex cunctis Orbis Latini partibus Prælatis Ecclesiasticis, necnon sæcularibus quibusdam Principibus, aliorúmque Legatis Lugdunum ad Synodum à Pontifice indictam; Fridericus [n] celebrato Paschate Capuæ, ad excidium agri Viterbiensis sese convertit. Indéque Veronam concedens, mense Maio celebrem Principum populorúmque conventum [o] egit: cui præcipuè Conradus filius Rex Germaniæ, Balduinus Imp. Constantinopolitanus, Fridericus Dux Austriæ, & Ecelinus Lombardiæ tyrannus interfuêre. Vbi multo habito tractatu de rebus suis, & Innocentij Papæ in se conatibus; negotiísque Italicis dispositis, simulans se (ut ait Monachus Paduanus tunc vivens) unà cum filio suo Conrado velle ad Concilium properare Lugdunum, cùm pervenisset Taurinum, Innocentium sententiam depositionis adversus se pronunciâsse accepit.

[n] Collenut. lib. 4. Sigon. lib. 18. & alij.

[o] Id. & Monach. Paduan. &c.

FRIDER. CONVENTUM SUORUM AGIT VERONÆ.

IX.

Quod quomodò actum fuerit, mox videbitur; postquàm dixerimus, prædictum Ducem Austriæ, virum bellicosissimum [p] juxtà ac rixosissimũ, cùm sæpè à Regibus Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ, toto ferè dominio spoliatus, eâdem facilitate illud recuperare consuevisset quâ amittebat; ut se conciliaret Friderico, Veronam ad eum accessisse. Quem Fridericus non solùm in gratiam suscepit, & honori pristino restituit, verùm etiam novis privilegiis nobilitavit, ut Crucem auream qualem Imperatores in suis coronis gestant, in suis insignibus gereret; quasi parem ipsum regiæ dignitati efficeret, ut inter cæteros Imperij Duces veluti Archidux splendesceret: dato eâ de re diplomate ibidem Veronæ anno præsenti Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, mense Iunio, tertiâ Indictione, Imperij ipsius Friderici anno vigesimo quinto: quod recitat Cuspinianus in suâ Austriâ. Quinimmò Ducatum Austriæ in regiam evectum esse dignitatem, ut ejus domini non ampliùs Duces, sed Reges dici deberent, ab eodem Imperatore concessum prędicto Duci Friderico ejúsque successoribus, est aliud diploma apud Petrum de Vineis [q] quo id præstatur: sine die tamen & anno unde, & quoniam non reperitur in tabulario seu archivo Principum Austriæ, in dubium illud idem ipse Cuspinianus revocat. Cùm tamen ejusdem etiam meminerit longè Cuspiniano antiquior auctor Gobelinus Persona natione Westphalus, Ecclesiæ S. Mariæ Bilfeldensis diœcesis Paderbornensis Decanus, opere Historico, cui nomen indidit *Cosmodromium* hoc est Mundi cursum: qui ait se ejus privilegij exemplar vidisse; nec tamen effectum habuisse. Fuisse porrò hoc tempore causam, cur Austriam Fridericus Imp. beneficiis ac muneribus decoraret, colligere quis posset ex eo quod ait Parisius [r], ipsum desponsâsse sibi filiam Ducis; sed illam ejus horruisse amplexus, eò quòd ei excommunicationi subjacenti, depositionis periculum imminebat. Verùm cùm asserant scriptores Austriaci, Fridericum Ducem ex duabus quas duxit, & repudiavit, uxoribus nullam suscepisse prolem; putamus hoc inter frequentissima ejusdem Parisij commenta recensendum; quamvis ei, ut in plerisque aliis, fidem Sigonius adhibuerit.

[p] Vid. supr. an. 1236. III.

DUCEM AUSTRIÆ HONORIBUS ET PRIVILEGIIS AUGET.

[q] Pet. de Vin. 6. ep. 26.

[r] Paris. hoc an.

X. De tempore celebratæ Synodi oecum. Lugdun. I.

Iam quod Synodum œcumenicam LUGDUNENSEM spectat; tollendi imprimis errores recentiorum auctorum, Blondi, Platinæ, Naucleri, Krantzii, aliorúmque qui anno sequenti, & Trithemii, Langii cæterorúmque qui præcedenti illam celebratam ponunt: ut alios prætermittamus qui multò longiùs in hoc à vero aberrant: cùm ex ipsius Actis, tam manuscriptis quæ extant in Bibiliotheca Vaticanâ, & in Navarricâ Parisiensi, quæ vidimus, quam editis Romæ [s] & apud Parisium; necnon ex Stadensi, Vincentio, Nangio, Paduano, Sterone, aliisque eorum temporum, ac plerisque subsequentium scriptoribus, itémque ex die appositâ sententiæ Innocentii, & plurimis aliis antiquis monumentis, & absque ullâ dubitatione constet, habitam fuisse hoc anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, Pontificatûs Innocenrii tertio inchoato.

[s] Edit. Rom. tom. 4. & ap. Paris. hoc ann.

XI. Numerus et nomina Patrum.

Interfuerunt autem unà cum summo Pontifice & Cardinalibus, tres Patriarchæ, Nicolaus Constantinopolitanus, Albertus Antiochenus, (Latini utique, non quæ Græcis schismaticis præerant: malè autem Parisius unum eumdémque fuisse Patriarcham, qui utramque hanc sedem tunc regeret, existimavit:) & Bertoldus Aquileiensis, Aymericus Archiepiscopus Lugdunensis, aliique Archiepiscopi & Episcopi centum quadraginta ex Galliis, Hispaniis, Italiâ, Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ; quorum octodecim Archiepiscoporum, undecim Episcoporum, Abbatum Cluniacensis, Cisterciensis, & Claravallensis, Magistri Ordinis Fratrum, prædicatorum, & Vicarii Ministri generalis Fratrum Minorum, nomina, unà cum prædictorum Patriarcharum nominibus, reperimus in quodam diplomate Innocentiii dato ibidem Lugduni tempore Concilii tertio Idus Julias, circa quasdam literas Andreæ Regis Hungariæ scriptas olim ad Innocentium & Honorium illorum nominum Pontifices Tertios; quod habetur ad finem Tomi primi Gestorum Dei per Francos. Interfuerunt insuper plures absentium procuratores, Abbatésque & Priores: & ex sæcularibus Principibus Balduinus Imp. Constantinopolitanus, Raymundus Comes Tolosanus, aliúsque Raymundus Berengarii Comes Provinciæ (advenerant [t] isti ad impetrandam à Pontifice dispensationem consanguinitatis super matrimonio contrahendo [u] inter eumdem Tolosanum & Beatricem minimam natu filiam Provincialis: quam tamen obtinere nequiverunt, obstantibus Beatricis tribus sororibus, Reginis Franciæ & Angliæ, ac Ducissæ Cornubiensi posteà Reginæ Germaniæ, atque superveniente morte patris) & quibusdam aliis, unà cum Friderici Imp. Francorúmque, Angliæ, ac cæterorum Regum Principúmque legatis. Ex Germania verò paucos accessisse Prælatos ob turbas Fridericianas, neminémque ex Hungariâ ob vastationem Tartarorum, Parisius ait: sicuti neque de Terrâ Sanctâ, præter Waleranum Episcopum Beritensem, qui adfuit occasione legationis [x] pro implorando subsidio susceptæ. Multósque alios ne irent impeditos fuisse à Friderico, præsciente sibi dedecus à Concilio oborturum, Westmonasteriensis observat. Quod verò quidam scripsêre adfuisse etiam Græcos, ac Tartarorum legatos, id ad Concilium Secundum Lugdunense sub Gregorio Nono habitum, pertinere dignoscitur, ut tunc dicetur. Observandum autem putamus, quod Jacobus Severtius in suâ Chronologiâ Ecclesiæ Lugdunensis ex apographo Cameræ regiorum computorum, & Charpini atque Rubii qui de rebus Lugdunensibus scripserunt testimonio profert; hoc tempore fuisse in Ecclesiâ Lugdunensi 74. canonicos, unum Imperatoris filium, novem Regum, quatuordecim Ducum, triginta Comitum, & viginti Baronum. Quod si verum fuerit, profectò denotat summam illius Ecclesiæ nobilitatem, conjunctam cum antiquitate & dignitate, quibus præeminet cæteris Galliarum; quamvis postinde & numero canonicorum, & redditibus, & auctoritate atque splendore, ut sunt rerum mundanarum vicissitudines, valdè deciderit.

[t] Guill. de Pod. Laur. Chon. c. 47. Catell. de Com. Tolos. lib. 2.
[u] Vid. supr. ann. 1240. VIII.
[x] An. super. VIII.

XII. Acta Synodi ex Parisio.

Ut verò acta Concilii breviter ex prolixiori Parisii tractatu, qui illa accipere potuit ex Anglis qui ei interfuerunt, prosequamur: ubi dies celebrationi ejus præstituta advenit, die Lunæ proximâ post Nativitatem S. Joannis Baptistæ, convocatis omnibus in refectorio Religiosorum S. Justi, apud quos Innocentius hospitabatur, Patriarcha Constantinopolitanus miserum statum & necessitates Ecclesiæ suæ proposuit, petitáque fuit à nonnullis canonizatio S. Edmundi olim Archiepiscopi Cantuariensis; de quo non ita pridem [y]. Hisque in aliud tempus à Pontifice dilatis, auditus est Thaddæus Suessanus unus è Friderici procuratoribus, egregius Legum Doctor, & palatii Imperialis Judex: (addunt plurimi & Petrum de Vineis: quem tamen non interfuisse, sed destinatum postremæ legationi fuisse unà cum Episcopo Frisingense & Magistro Teutonicorum, idem ipse Fridericus [z] epistolâ ad Regem Francorum post suam depositionem scriptâ testatur:) qui multa magnáque domini sui nomine offerens, promisit universum Græciæ Imperium ad unitatem Ecclesiæ Romanæ revocare, Tartaris, Chorasminis, Saracenis, aliisque Ecclesiæ hostibus sese viriliter opponere, ac statum Terræ Sanctæ per se ipsum propriisque sumptibus restaurare, atque ablata Romanæ Ecclesiæ restituere, déque injuriis illatis satisfacere. Ad quæ Pontifex exclamans, *O quàm multa & magna promittuntur, numquam adimplenda! quæ & constat nunc promitti, ut securis jam ad radicem posita, illuso Concilio, & soluto, per dilationem avertatur: Pacem nuper in anima suâ, juratam, secundùm formam præstiti sacramenti teneat, & acquiesco.* Cùm verò & interrogaret Thaddæum, ecquem sponsorem tantarum rerum præberet? illéque Reges Francorum & Angliæ offerret: Nequaquàm inquit Pontifex, ne Friderico fidem ut hactenùs fallente, in eos quoque animadverrere compellamur, ac res terrarum Principes omnium potentissimos hostes adipiscamur. Post quæ Episcopus Beritensis literas obtulit Magnatum Terræ Sanctæ, de quibus dictum est anno præcedenti, quæ meritò lacrymas Patribus omnibus excusserunt.

[y] Ann. 1240. VI.
[z] Ap. Pet. de Vin. 1. ep. 2.

Promissa Friderici vana.

XIII. Oratio Pontificis in Synodo.

Tertiâ pòst die convenientes in majori Ecclesia S. Joannis, post invocationem Sancti Spiritus, cum letaniâ sequente, Pontifex sermonem accipiens ab eis verbis lamentatio-

num [a] Prophetæ Jeremiæ, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*; comparavit quinque Christi vulneribus quinque dolores suos & Ecclesiæ maximos; nempè vastationem Tartarorum, schisma Græcorum, propaginem novarum hæresum, destructionem Terræ Sanctæ per Chorasminos, & Friderici persecutionem: hæcque cum fletu & lacrymis exponens, in peroratione crimina Friderici explicuit, hæresim, sacrilegia, commercia cum Saracenis, quorum etiam ritibus uteretur spretâ Christianorum religione, & obscœnis illorum mulierculis abuteretur: atque imprimis frequentissima ejus perjuria, quæ etiam prolatis ejusdem literis comprobavit. Quibus Thaddæus cùm multis rationibus conatus esset respondere; demùm animadvertens eas speciosas magis quàm veras à Patribus judicari, temporis spatium postulavit, quo Fridericum monere posset, ut ipsemet ad causam dicendam veniret. Cui Innocentius, *Minimè verò*, inquit, *etenim laqueos ejus, quibus me vix explicui, pertimesco; nec me adhuc idoneum martyrio sentio.* Postridie tamen exortatus ab Oratoribus Regum Francorum & Angliæ, inducias duarum ferè hebdomadarum contra multorum Prælatorum voluntatem concessit, ad Fridericum de re tota commonefaciendum.

a Thren. 1.

XIV. FRIDERICI CONTUMACIA.

Cùm verò Fridericus omninò consilium Thaddæi repudiasset, negans Imperatoriæ dignitatis esse, judicio sese sistere Synodali; indéque Patres omnes, atque ij etiam qui priùs eum favore prosequebantur, in eum incitati, ut in contumacem ac rebellem inclamare cœpissent, multíque insuper de variis criminibus accusarent; neque Thaddæus ea satis diluere videretur, nec verò ad Concilium proximè futurum generalius appellans audiretur: interponentibus licèt Anglis, qui impensiùs Friderico ob ejus cum Rege suo affinitatem favebant, quærimonias de tributo Ecclesiæ Romanæ pendi solito, déque gravibus extorsionibus ministrorum illius Curiæ in Anglia; (eo scilicet animo, ut his Pontificem Patrésque distinendo, causa Friderici protelaretur:) nihil tamen his motus Pontifex, hujusmodi querimoniarum cognitionem in tempus opportunius rejiciens, sententiam in Fridericum protulit: qua cum propter alia quamplurima ejus scelera, atque flagitia, quæ recitat; tum maximè propter quatuor gravissima, nempe frequentia *Perjuria* atque molitiones contra Ecclesiam Romanam, cujus erat ratione Siciliæ beneficiarius, & à qua Imperium acceperat; cùm non solùm ut sæpiùs cum juramento promiserat, non ejus bona ac jura servasset & protexisset, verùm etiam ejus Pontifices & homines dirè persecutus esset, possessionésque occupasset atque diripuisset: *Pacis cum Ecclesia solemni sacramento pluries firmatæ violationem*; cum diversis vicibus ob iniqua ipsius facinora excommunicatus, non tantùm nihil eorum præstitisset quæ pollicitus esset ut excommunicatione solveretur, sed etiam detestabiliora committens, Ecclesias regni Siciliæ expilasset, libertatem Ecclesiasticam protrivisset, electiones impedisset, clericos ad judicium sæculare traxisset, subire duella coëgisset, patibulis affixisset, aliísque tormentis cruciasset, atque omnes qui ab Ecclesia Romana stabant bonis spoliasset, exiliis mulctasset, vita privasset, pensionem annuam mille squifatorum, ad quæ pro eodem regno tenebatur, per novem annos & ampliùs solvere prætermisisset: *Sacrilegium*, cùm Cardinales Legatos, aliósque Ecclesiæ Proceres ac religiosos viros ad Concilium Romam à Gregorio Papa vocatos, comprehendisset, submersisset, variis modis ac cruciatibus necasset, aut in turpem servitutem adegisset: *Hæresim*, cùm claves Ecclesiæ floccifaciens non solùm jactasset nihil se vereri excommunicationem & interdictum Pontificum, sed etiam alios coëgisset has eorum censuras non servare, ac prætereà conjunctus Saracenis amicitia, ipsorum ritus amplecteretur, aliorúmque etiam infidelium perniciosis obsequiis contra fideles abuteretur; Ducem Bavariæ Ecclesiæ Romanæ devotum per assasinos occidi procurasset, Battacio Græcorum Imperatori, Dei & Ecclesiæ inimico, & à communione Fidelium per excommunicationis sententiam unà cum fautoribus suis solemniter separato, filiam suam tradidisset in uxorem.

QUATUOR EJUS GRAVIORA CRIMINA.

XV. CONCILII SENTENTIA DEPONITUR AB IMPERIO.

Propter hæc igitur, & alia nefanda Friderici facinora, quæ parùm emendare curabat, Innocentius habita cum Cardinalibus & sacri Concilii Patribus matura & diligenti deliberatione, eum ut omni honore & dignitate indignum, Imperio ac Regnis Siciliæ & Jerusalem latâ sententiâ privavit: omnes qui ei juramento fidelitatis quocumque modo tenebantur adstricti, ab hujusmodi juramenti obligatione perpetuò absolvit: quique deinceps, velut Imperatori, aut Regi, consilium, auxilium, vel favorem præstarent, eos ipso facto excommunicationis vinculo subjectos declaravit: illis verò ad quos electio Imperatoris spectaret, successorem ei eligere potestatem fecit; de regno Siciliæ posteà decreturus cum Cardinalium consilio. Quæ sententia ut prolata est, plenè & integrè recitatur ex regesto Vaticano Innocentii, in Actis Concilii, & in Bullario [b] Laërtii Cherubini, necnon ab antiquis scriptoribus Anglis Parisio & Westmonasteriensi: atque ex alio vetusto codice præfixa est ab Schardio operi Epistolarum Petri de Vineis; cùm tamen nonnullis verbulis penè omnes inter se differant. Ex eâ verò Nangius [c] causas depositionis descripsit. Eadémque mutila refertur libro sexto Decretalium [d], & apud alios plurimos auctores. Lata verò ponitur in Actis, Bullario, & Schardio, decimo sexto Calendas Augusti, seu die decimaseptimâ Julii; apud alios diversis aliis diebus ejusdem mensis Julii: cùm alioqui non possit nisi uni quo à Pontifice lata est assignari; quandoquidem eodem mox tempore ex scripto recitam fuisse, Acta Vaticana declarant, nisi dixerimus fuisse diversis diebus repetitam.

b Bull. to. 1. Innoc. IV. const. 3.

c Nang. in Vit. S. Ludov.
d Cap. ad Apostolica de sent. & re judic.

XVI. STELLÆ PRODIGIOSÆ APPARITIO.

Observat autem Stadensis [e], eâdem die (quam ipse Jacobi, nempè 25. Julii fuisse scribit) eclipsim Solis horâ primâ factam esse: præter *Stellam* prodigiosam, quam circa Ascensionem Domini ortam esse ait versus meridiem quasi in capricorno, ad instar Luciferi magnam, & claram, sed rubram, sicut unum planetarum: quæ postquàm certum singulis diebus ortum tenuisset & occasum, post diem

e Stad. in Chron.

Iacobi ulteriùs adeò lucida visa non fuerit, sed paulatim tam magnitudinem amiserit quàm claritatem: porrò asseruisse eos qui in astrorum consideratione versati erant, numquam anteà talem visam esse. Stellam sanè novam fixis aut planetis parem, nullâ vel caudâ vel comâ insignem, præter eam quæ anno 1572. & quæ ab Hipparcho jam olim circa finem Monarchiæ Græcorum est observata, vix aliam illuxisse, literarum monumentis reperias. Nam quæ in Christi Nativitate apparuit Magis, non fuit vera stella cælestis, sed aliquod meteorum stellæ figurâ apparens, ex aëreâ materiâ pellucidâ ab Angelo formatum, & Angelico ductu motum, ut olim in deserto [f] columna nubis & ignis.

[f] Exod. 13. vers. 21.

XVII. Fulgur excōmunicationis in Fridericum.

Cæterùm post sententiam contra Fridericum pronunciatam, Pontificem & Prælatos omnes Concilij, candelis accensis in dictum Fridericum terribiliter, recedentibus confusis ejus procuratoribus, fulgurâsse, iisque extinctis eumdem excommunicatum & depositum declarâsse, signáque sua sententiæ depositionis, in majorem rei confirmationem, & memoriam sempiternam apposuisse; idem Parisius habet: demúmque Pontificem palàm dixisse, se quod suum esset fecisse, prosequeretur super iis Deus quod sibi placeret. Quid verò iis auditis Fridericus egerit, dicetur postquàm reliqua Synodi expedierimus.

XVIII. Acta Synodi ex Cod. Vatic.

Atque imprimis quod ad prædicta rursùm attinet; in Actis Vaticanis, rebus paulò aliter atque distinctiùs explicatis, nullâ factâ mentione Sessionis apud S. Iustum habitæ, *Prima* celebrata ponitur in majori Ecclesiâ S. Ioannis in vigiliâ S. Petri. In quâ Pontifex Missâ celebratâ locum eminentiorem ascendens, Imperatorem Constantinopolitanum sedentem habuerit ad dexteram, & quosdam alios Principes laïcos ad sinistram; inferiùs verò sic Prælati sederint, ut ex opposito tres Patriarchæ essent, videlicèt Constantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, & Aquileiensis: quæstionem tamen de isto tertio motam fuisse à cæteris duobus, negantibus illum cum ipsis sedere debere, eò quòd non esset de Quatuor antiquis, adeóque amotam fuisse inde ab iis sedem ejus: eam tamen ad vitandum scandalum Pontificem restituisse. In navi autem Ecclesiæ ad dexteram & in eminentioribus locis sedisse Episcopos Cardinales, ex alterâ Presbyteros Cardinales, Archiepiscopos & Episcopos post eos: inque aliis sedibus constitutis in eâdem navi, aliquos alios Episcopos, Abbates, Procuratores Capitulorum, Nuncios Regum & Imperatoris Friderici, atque alios multos.

Ordo sessionis I.

XIX. Pontificis oratio.

Tunc Pontificem, post invocationem Sancti Spiritûs, & litaniarum recitationem, sermonem inchoantem ex illâ Scripturâ [g], *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, &c.* dixisse circumdatum se esse quinque doloribus; De Prælatorum ac subditorum deformitate; de insolentiâ Saracenorum; De schismate Græcorum; De sævitiâ Tartarorum, De persecutione Friderici: eósque diffusè explicuisse, ac præcipuè postremum de Friderico; respondente ad ejus objectiones disertissimè Thaddæo, ipsóque rursùm Pontifice Thaddæi responsiones enucleatè diluente. *Secundâ Sessione* habitâ octavo post die, auditas esse accusationes nonnullorum Antistitum in Fridericum; ac præcipue Hispanorum Pontificem in eum animantium: eásque Thaddæum refellere conatum, demum suppliciter postulâsse ut prorogaretur tertia Sessio, quò posset Fridericus adesse, quem jam Taurini esse audierat: atque Pontificem, Friderici adventum vehementer cupientem ut pax firma sanciretur, contra multorum Prælatorum voluntatem, & cum aliorum tædio, ac speciatim militum Hospitalariorum & Templariorum, quibus custodiam Concilij Innocentius commiserat, inducias duodecim dierum concessisse. Quibus elapsis, cùm nec Fridericus compareret, nec novi pro eo legati cum specialiori mandato; die lunæ, decimalextâ Cal. Augusti *Tertiâ* habitâ *Sessione*, post multa dicta, & hinc inde audita, Pontificem Nativitatis Beatissimæ Virginis ordinâsse Octavam, sacro Concilio approbante: deinde quasdam constitutiones, quæ pro recuperatione Terræ Sanctæ, subsidio Imperij Romaniæ, (hoc est Constantinopolitani) & contra hæreticos factæ fuerant, exhibuisse: cunctáque privilegia Romanæ Ecclesiæ à quibusvis Principibus concessa confirmâsse: nuncios Regis Angliæ de juribus regni sui audisse: Thaddæo de rebus domini sui appellanti ad futurum Pontificem & Concilium generale, benignè respondisse, esse illud quod tum celebrabatur Concilium Generale, quia tam Principes sæculares quàm Ecclesiastici ad illud fuerant invitati, & qui sub ditione Friderici erant fuisse ab eo impeditos ne accederent: ac postquàm inde multa dixisset de antiquâ suâ in eum dilectione, & indulgentiâ post initum Pontificatum; protulisse oretenùs sententiam, quâ eum omni honore, & Imperio, aliisque Regnis suis privavit; eamdémque mox ex scripto coram universâ Synodo recitari fecisse. Eâ verò lectâ, & cantato ab omnibus hymno *Te Deum laudamus*, fuisse Concilium dissolutum: quod in universum tribus Sessionibus confectum est. Hæc breviter ex prædictis Actis: quibus Parisium vehementiùs de iis, secúsque in nonnullis agentem, aut emendes, aut explices.

[g] Psal. 63.

Sessio II. de rebus Friderici.

Sess. III. de eius condemnatione, aliisque cōstitutionibus.

XX. Caetera in Synodo statuta pro reformatione, et contra Infideles.

In quibus prætereà, cæteris quoque doloribus, quibus se nimis afflictatum esse Pontifex dixerat, idem mederi studens unà cum Synodo; multas constitutiones edidit pro reformatione Iudiciorum Ecclesiasticorum; déque rescriptis, appellationibus, sententiâ excommunicationis, electionibus, usuris, & aliis ejusmodi; quæ insertæ reperiuntur diversis titulis libri Sexti Decretalium, ac pro majori parte referuntur à Parisio, & in Actis Vaticanis. De negotio verò Crucis, & subsidio Terræ Sanctæ multa similiter piè prudenterq; decernens cum Patribus Innocentius, omnia illa renovavit, quæ olim in Concilio Generali Lateranensi fuerant ab Innocentio Tertio statuta; atque inter cætera, ut omnes Ecclesiastici tam subditi quàm Prælati vigesimam Ecclesiasticorum proventuum ad triennium conferrent; exceptis, præter nonnullos Religiosos, iis qui sumptâ Cruce cum expeditione proficiscerentur: ipse autem Pontifex & Cardinales decimam omninò persolverent. In auxilium verò Imperij Constantinopolitani, præterea destinavit pariter ad triennium, dimidium omnium pro-

ventuum Ecclesiasticorum earum personarum, quæ in suis beneficiis residentiam non facerent personalem per sex menses; exceptis nonnullis, quos enumerat: ipso Pontifice decimam obventionum Romanæ Ecclesiæ (deductâ priùs decimâ succursui Terræ Sanctæ designatâ) persoluturo: atque insuper iis omnibus qui eidem Imperio aut armis & expeditionibus, aut alio quocumque modo subvenirent, eadem concessit privilegia, immunitates, & indulgentias, quæ pro Terrâ Sanctâ concedebantur. Denique adversùs Tartarorum ferociam, omnes illos per quos facilis eis esset ad interiora terræ Christianorum transitus, hortatus est vias & aditus diligenter munire; promittens se de suo amplè collaturum, cæterósque Christianos ad idem præstandum hortaturum. Hæc ex Actis.

XXI. ALIA EX PARISIO.

Præter quæ intelligitur ex Parisio [h], concessisse Pontificem in subsidium Imperij Constantinopolitani, ea quæ fuissent per usuras aut aliàs malè acquisita, nec non relicta à morientibus in pios usus, quæ non fuissent certis locis aut personis deputata, quæque ab omni obligationis essent debito libera; data facultate in hæc per censuras inquirendi. Quod verò apud eumdem est de Electoribus Imperij, apertè intelligitur non ex Actis Concilij id esse, (quamvis Sigonius, & alij nonnulli parùm cautè in eum sensum ejus verba acceperint) sed ipsius Parisij inanem digressionem: qui ut sciolum egerat, quòd canonem de electionibus Pontificum attigisset, voluit etiam electionem Imperatoris inserere: cujus tamen ministros tam hîc, quàm cùm posteà aliâ occasione de iis egit, parùm compertos habuisse, etiam adnotavêre qui de his expressiùs egerunt [i].

[h] Paris. an. seq. ex: atque in Reg. Innoc. literæ ead. de re ad alias etiam provinc. scriptæ an seq.

[i] Gevvold. cap. 6. & Vvind. cap. 8. de Elect. Imp. Vide etiã in Epit. Baron. ann. 996. & inf. an. 1256. XI.

XXII. DE CARMELITANIS ITEM IBI ACTUM.

Narrat idem Bernardus [k] Guidonis ex tractatu Stephani de Salagnaco de Regulis diversarum Religionum; venisse hoc eodem tempore Lugdunum ad Innocentium Pontificem aliquos ex Patribus Carmelitanis, pro difficultatibus Regulæ suæ. A quo re commissâ Hugoni de Sancto-Caro tituli Sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali & Guillelmo Episcopo Antadarensi ex Ordine Prædicatorum; ab his nova, mitiórque ac dilucidior eis data est Regulæ forma, quam Innocentius constitutione [l] suâ confirmavit. De quibus plura auctores qui ex professo de illo Ordine commentarios ediderunt [m]; satis conciliatu difficiles ob multiplices difficultates quæ in serie ejus Ordinis occurrunt.

[k] Vidimus in Bibl. Dominic. Tolos. cod. inscripto Sanctorale Guidonis lib. 7.

[l] Ext. Bull. to. 1. Innoc. IV. const. 6. & vid. supr. ann. 1205. XIII.

[m] Vid. præcipuè Meno l. g. Thomæ Saraceni edit. Bonon. an. 1627.

XXIII. QUID FRIDERICUS EGERIT POST AUDITAM SUAM DEPOSITIONEM.

Cæterùm Fridericus auditis Taurini quæ contra ipsum in Concilio gesta essent, furore exardescens, & in contumelias adversùs Pontificem & Synodum prorumpens, coronam sibi afferri jussam capiti imposuit; & se illam nondum vel Papali vel Synodali decreto amisisse ait, nec sine cruento amissurum certamine. An verò Principem, cui non esset par, de culmine Imperialis dignitatis vulgaris superbia deturbatura esset? Meliore tamen se nunc conditione esse: quandoquidem antè aliquâ re tenebatur ei obsequium præstare, aut saltem venerationem exhibere, nunc autem omni amoris, obedientiæ & pacis vinculo solutum esse. Itaque ab illâ die tam ipsum Pontificem, quàm ejus propinquos, affines, & amicos, sine ullo pudore internecino bello insectari instituit. Vtque Principes ab ejus amicitiâ sejungeret, nuncios ad omnes misit cum literis, quæ habentur apud Petrum [n] de Vineis earum compositorem, & Parisium [o], omni criminatione plenis; in quibus non solùm Pontifici, sed etiam toti sacerdotali ordini asperè maledicens, Principes hortabatur unà cum ipso conspirare ad privandos eos omnibus bonis, & ad paupertatem Ecclesiæ primitivæ reducendos: de cætero jactans se proximo vere omnes illos oppressurum qui ipsum modò opprimerent, etiamsi totus mundus se ipsi opponeret. Sícque virosum propositum suum, (inquit Parisius) quod diù occultaverat, evomens de annullandâ libertate ac nobilitate Ecclesiæ, quam ipse numquam auxit, sed antecessores ejus malo grato suo stabilierunt; ac de hæresi per id ipsum se reddens suspectum; meritò omnem quem hactenùs habet in omni populo igniculum famæ propriæ prudentiæ & sapientiæ, impudenter & imprudenter extinxit atque delevit. Ita Parisius, Friderici alioqui, ut sæpè monuimus, studiosissimus.

[n] Petr. de Vin. 1. ep. 2.

[o] Paris. hoc ann.

PARIS. IURE EXAGITAT FRIDERICUM.

XXIV. FRIDER. EXCITARE CONATUR PRINCIPES ADVERSÙS PONT. ET UNIVERSUM CLERUM.

Extántque insuper apud eosdem auctores [p] aliæ literæ ad Regem Francorum, cæterósque Principes ac Præsules, pridie Calendas Augusti Taurini datæ; quibus singula sententiæ Innocentij capita examinans, contendit probare eam de jure esse nullam: minatúrque vindictam se de Pontifice sumpturum, dummodò non ejus defensionem Reges suscipiant: quos potiùs ipsi Friderico patrocinari debere eâ maximè ratione persuadere sategit, quod Regum omnium in hoc causa verteretur, ne & fortè in ipsos Pontifex similem translationis regnorum auctoritatem exercere vellet. Qui & rursùm aliis prolixioribus [q], narrans omnia quæ hactenùs inter ipsum & Pontifices tractata fuissent, objecta crimina diluere studuit; & cunctorum imploravit auxilium, quasi omnium ipse causam sustineret. Speciatímque missis [r] ad Francorum Regem universámque gentem, eodem ipso Petro de Vineis, & Guillelmo de Ocrâ clerico, obtulit stare omninò judicio ejusdem Regis ac Parium nobiliúmque suorum. Intereà nihilominùs scribens [s] Magistratibus suis, ut per expoliationem & exilium procederent contra sacerdotes & clericos recusantes Missarum solemnia aliáque divina officia tempore interdicti celebrare, & sacramenta populis ministrare: nec Religiosos permitterent de unâ civitate in aliam se transferre: Itémque ut exigerent à cunctis clericis, ad bellum Pontifici inferendum, tertiam partem obventionum & proventuum omnium, ac reluctantes carceribus manciparent. Quem & sævissimam persecutionem in Religiosos, auctoritatem Ecclesiæ præ cæteris propugnantes, excitâsse, multis aliis testimoniis probatur. Regem autem Francorum se virésque Regni sui ac consilium, sacrosanctæ potestati tutandæ paratum profitentem, Innocentij causæ dignitatem robúrque addidisse, refectósque animos fuisse etiam in Italiâ Pontificiarum partium; Æmilius [t] scribit.

[p] Pet. 1. ep. 3. Paris. an. seq.

[q] Pet. 1. ep. 21.

[r] Ap. Goldt. in Const. Imper.

[s] Ap. Petr. ep. 4. 10. & 23.

[t] Æmil. in Ludov. IX.

REX FRANC. FULCIT ECCLESIAM AC PONTIF.

XXV. FRIDER. VINCITUR A MEDIOLANENSIBUS.

Quare cùm Fridericus ingenti habito delectu Mediolanenses aggressus esset, tanto animo ij restiterunt, ut & filium ejus Entium Sardiniæ Regem prælio commisso captivum fecerint; licèt Parmensibus ac Regiensibus intercurren-

tibus pòst paulò reddiderint. Ita enim ex Annalibus Italicis referunt Bossius, Corius, & Sigonius: cùm Parisio, in Angliâ persuasum fuerit, Mediolanenses à Friderico & Entio inter urbem & flumen Abduæ interceptos cladem insignem accepisse, eam tamen & Friderico cruentissimam.

XXVI.

Henricus Lantgravius eligitur in Imp.

Quod verò maximoperè ejus rebus incommodavit, id fuit, quod Principes Germaniæ, ad quos spectabat electio Imperatoris, quamvis non deessent qui Friderico faventes reclamarent, ut scribit Stadensis, ad Papam non pertinere Imperatorem vel instituere, vel destituere, sed electum à Principibus coronare: (quod & ipse Fridericus prædictis ad Regem Francorum literis diligenter inculcavit:) plures nihilominùs mandatis Pontificis obtemperantes, abnegato Friderico, in Regem & Imperatorem eligendum decreverunt (auxilia etiam in ejus defensionem promittente Pontifice) *Henricum* ejus nominis Septimum Lantgravium Hassiæ & Turingiæ, levirum S. Elisabethæ, de quâ superiùs [u], quem anno sequenti in Ascensione Domini ab Archiepiscopis Moguntino & Coloniensi, ac quibusdam Principibus, juxta Herbipolim electum esse, idem Stadensis ait, & post eum Krantzius [x]. Adstitisseque ejusdem electioni etiam Archiepiscopum Trevirensem, & Episcopos Argentinensem, Metensem, Spirensem, & alios quosdam, scribit auctor ejusdem temporis Fragmenti historici, præfixi Chronico Alberti Argentinensis. Monachus autem Paduanus [y] & ipse tum vivens, testatur fuisse Henricum virum Catholicum, strenuum, nobilem, sapientem, benignum, & constantem, Deo & hominibus gratiosum; paratúmque intuitu divinæ majestatis omne periculum pro Ecclesiâ & Republicâ sustinere. Quod quomodò peregerit, dicetur anno sequenti.

[u] *An.* 1226. X. & 1231. XI.

[x] *Krantz.* 8. *Saxon.* 13. *in fi.* & 8. *Metrop.* 13.

[y] *Paduan. Chron. lib.* 2. *hoc an.*

XXVII.

Ratio consequentium annorum.

Intereà verò monendum, ex eo quòd neque ipse, neque qui ei successit Willelmus Hollandiæ Comes, nullúsque posteà alius, ad Germaniæ licèt coronæ culmen evectus, in Italiâ aut ab Archiepiscopo Mediolanensi, aut à Pontifice regiis seu Augustalibus insignibus exornatus fuerit; non numerari eos ab Italis, aliísque nonnullis, inter Imperatores; sed à depositione Friderici usque ad electionem Rudolphi Habspurgensis, quæ contigit demùm anno Domini 1273. constitui Interregnum annorum 28. à quibusdam 23. tantùm, nimirùm ab obitu Friderici, cujus annos, quamvis depositi, non desiverunt numerare usque ad ejus mortem. Quòd autem nihil inde pereat rectæ chronologiæ constitutioni, quinimmò quæ per hujusmodi Reges Romanorum constituenda foret, non nisi infirma admodùm esse posset ob perturbatissimum Imperij statum; certioréque reperiantur anni Christi Romanorúmque Pontificum: ad vitandam omnem scriptorum temporúmque confusionem, satius est nobis visum ab eorumdem Regum dinumeratione in titulis singulorum annorum abstinere, quàm dubia aut enim rejecta apponere.

XXVIII.

Crux prædicatur in Gallia.

Post Concilium celebratum, proximo mense Augusti Innocentius Papa ad decretum de subsidio Terræ Sanctæ promovendum, *Odonem de Castro-Rodulphi* Cardinalem Episcopum Tusculanum, natione Gallum ex diœcesi Bituricensi, virum egregiè doctum & consilij maturitate præclarum, ex Cancellario Parisiensi vitæ contemplativæ desiderio factum olim, ut quidam volunt, monachum Cisterciensem; Legatum misit ut per totam Franciam Crucem prædicaret. Cúmque ad hoc Rex Ludovicus infra octavas S. Dionysij generalem Conventum Parisius haberet tam Præsulum quàm Principum & magnatum sæcularium; ad prædicti Legati prædicationem, ac Regis exhortationem, quem jam anteà Crucem assumpsisse vidimus, quamplurimi eorum eamdem susceperunt. Indéque Rex mense Novembri ad videndum Pontificem, Cluniacum, quò ille ad ejusmodi congressum accesserat, nobilissimo apparatu cum matre & fratribus perrexit. Falluntur enim omninò qui Ludovicum modò convenisse Lugduni Pontificem scripsêre: quod tunc solùm præstitit, quando iter suscepit Orientale tertio abhinc anno. Nam ipsos prædicto mense simul Cluniaci fuisse, ac Pontificem in festo S. Andreæ Missam solemniter in majori altari Ecclesiæ celebrâsse, testantur antiqua illius cœnobij monumenta [z]; existente tunc abbate Guillelmo ejus nominis Tertio, Abbatum ordine vigesimo quarto. Quo autem comitatu eò advenerint Pontifex & Rex describens auctor Chronici [a] ejusdem cœnobij; ait fuisse cum Pontifice duodecim Cardinales, quos & nominat; Patriarchas Antiochenum & Constantinopolitanum, Archiepiscopos Remensem, Lugdunensem, Bisuntinum, Episcopos quindecim quos recenset, Abbates plurimos tam nigros quàm albos, (hoc est Ordinum Cluniacensis & Cisterciensis.) Cum Rege verò, matrem ejus, & sororem, ac fratrem Comitem Artesiensem, Imperatorem Constantinopolitanum, filios Regum Aragoniæ & Castellæ, Ducem Burgundiæ, Comitem Pontivensem, ac multos alios Comites, Principes, ac Milites. Intra ambitum autem monasterij hospitium habuisse Pontificem cum capellanis suis, & omni privatâ familiâ; Regem cum matre, fratre, sorore, & totâ ipsorum familiâ privatâ; Imperatorem Constantinopolitanum, filios Regum Aragoniæ & Castellæ, ac tres Episcopos, unumquemque cum suâ familiâ; ac denique plures alios milites, clericos, religiosos. Et tamen non propterea monachos dimisisse dormitorium suum, aut refectorium, aut monasterium, aut capitulum, aut infirmariam, aut cellariam, aut coquinam, aut aliquam de officinis deputatis conventui. Ex quibus intelligas, quantæ amplitudinis monasterium illud esset.

Cõgressus nobilissimus Pontificis ac Regis apud Cluniacum.

[z] *Biblioth. Cluniac. col.* 1514. & 1666.

[a] *d. col.* 1666.

Amplitudo monasterii Cluniacensis.

XXIX.

Cæterùm post secretum à Rege cum Pontifice per aliquot dies consilium habitum, (quo creditum est, egisse de pace inter Ecclesiam & Imperium componendâ, déque induciis cum Rege Angliæ producendis, ne ipsius Ludovici Regis ad Terram Sanctam expeditio his impedimentis turbaretur:) rediens Rex ad propria, misit partem exercitûs sui in Provinciam adversùs Iacobum Regem Aragoniæ; qui, mortuo paulò ante Raymundo Berengarij Provinciæ Comite, hærede testamento relictâ Beatrice è quatuor filiabus [b] natu minimâ, Provinciam invaserat, ut eamdem Beatricem consobrinam suam, (fuit namque Raymundus frater pa-

[b] *Vid. supr. ann.* 1254. XIV.

LUDOV. REX FRANC. AGIT CŌTRA ARAGONIŪ PRO PROVINCIA.

truelis Iacobi) cum eâ nobilissimâ dote, uni ex filiis suis, quos plures habebat, uxorem quæreret. Sed tum Aragonius à Francis fugatus, tum Beatrix tam ipsâ consentiente, quàm etiam adnuentibus ejus matre, & avunculis Comite Sabaudiæ, & Archiepiscopo Lugdunensi, aliisque propinquis atque tutoribus, eximiâque Provincialium voluntate, Carolo fratri sancti Regis è tribus minimo, Comiti Cenomanensi & Andegavensi, in matrimonium collocata est anno sequenti. Hæc Nangius in Vitâ prædicti sancti Regis; Chronicon Monfortianum, & Parisius in Rebus gestis Henrici Regis Angliæ: nisi quòd nihil Parisius de conatu Aragonij habet: De tractatu verò pacis inter Ecclesiam & Imperium ait, Ludovicum constitutum à Friderico procuratorem & mediatorem, partes suas diligenter apud Pontificem Cluniaci interposuisse. De conatu autem Aragonij nihil pariter scriptores Hispani, parcentes suorum famæ. Tradunt [c] tamen, jam hujus anni Iunio mense prædictos Reges Ludovicum Francorum & Iacobum Aragonum, rogatu Ludovici convenisse in Arvernis ad sacram Sanctæ Mariæ Podiensis ædem, déque arduis utriusque regni negotiis egisse. Sed quæ fuerint ea negotia tacent: cùm tamen admodùm sit verosimile, fuisse de rebus Provinciæ; quæ quòd fuisset olim ab Aragoniis possessa, (cesserat porrò in partem Alfonsi patris prædicti Raymundi, & patrui Iacobi) à Iacobo concupiscebatur: Ludovicus autem eam, vel ut sortem Margaritæ conjugis suæ, maximæ natu filiarum Raymundi jure primigenio, vel ex tabulis testamenti minimæ Beatricis, quæ connubium Caroli fratris Ludovici consentiebat, retinere quærebat, quod & demùm factum est; non solùm cæterâ omni Provinciâ Carolo attributâ; verùm etiam ipsâ Arelate civitate, quæ sub imperio Friderici Imp. & dominio Archiepiscopi, plenâ penè libertate vivebat, eidem Carolo sese subdere [d] post aliquam repugnantiam coactâ.

[c] Surit. in Indic. hoc an. Gomes. in Vit. Iac. Reg. lib. 14.

[d] Hist. Eccl. Arelat. Petri Saxij.

XXX. REX LUSIT. PRIVATUR ADMINISTRATIONE REGNI.

Hoc eodem anno contigit [e] in Hispaniâ, ut cùm Sanctius [f] Capellus Lusitaniæ Rex, eâ ingenij mansuetudine esset ut in socordiam degenerare videretur; omníque penitùs regni administratione uxori concesâ, apud eam gratiâ & auctoritate plurimùm possent quos minimè omnium oportebat; indéque molestè Proceres ferentes ignobilium hominum arbitrio Rempublicam agitari, & tam sacra quàm profana violari; id conjugium primùm divellere, & lege propinquitatis, & quoniam Regina infecunda erat, conati nequicquàm fuissent: amandatis deinde Lugdunum ad Innocentium Pontif. occasione Concilij, Bracarensi & Conimbricensi Antistibus cum nonnullis Proceribus, ac per eos misero regni statu significato; impetrarint à Pontifice, non quidem quod petebant, ut Sanctius regno privaretur; sed ut Alfonsus ejus frater eximiæ vir indolis, qui Mathildem Bononiæ, in Galliâ Comitem uxorem duxerat; quíque decedente sine liberis Sanctio successurus in regnum erat, Regis nomine Rempublicam gubernaret: ita tamen ut regiæ Sanctij dignitati quamdiù viveret consultum esset, & si liberos procrearet eis regnum conservaretur, ut sunt de his ipsius Innocentij ad Proceres Lusitaniæ datæ hoc anno literæ, insertæ libro sexto Decretalium [g]. Ægrum tamen id multis; nec ferè ex arcium præfectis inventus, qui non expectatâ obsidione, aut Pontificis interminationibus, Alfonsum vellet recipere. In quibus maximè enituit Martinus Flectius Conimbricensis arcis præfectus: qui ab Alfonso longo tempore obsessus usque ad coriorum esum & lotij potum, nunciatâ Sanctij morte, cùm non satis crederet, petitis induciis tanti temporis quanto Toletum ire, ubi Sanctius mortuus dicebatur, & redire valeret; aperto ibi Sanctij sepulchro, claves arcis ei, à quo acceperat, in manus dedit, & à præsenti notario instrumentum rei gestæ accepit, reversúsque demùm Conimbricam, arcem Alfonso reddidit; egregio fidei atque constantiæ exemplo.

[e] Marian. lib. 13. cap. 4. Duard. de geneal. Reg. Portug. [f] Vid supr. an. 1224. in fi.

[g] De suppled. neglig. Prael. cap. 2.

EGREGIŪ DUCIS CUIUSDAM ERGA DOMINŪ SUUM FIDEI EXEMPLUM.

XXXI. ALPHONSUS REX LUSIT.

Sanctio igitur postmodùm absque prole defuncto, (quo id anno, controvertitur apud auctores) regnum tenuit prædictus *Alphonsus* ejus nominis Tertius: cùm priùs relictâ injuriosè optimè de se meritâ Mathilde, ut sibi regnum constabiliret, duxisset Beatricem filiam notham Alfonsi Decimi Regis Castellæ; eâ etiam dignitatis diminutione, ut esset regnum, sicut fuerat olim, Castellano obligatum: Videlicèt [h] ut Reges Lusitani tenerentur ad Castellanorum Curias seu conventus vocati accedere, & trecentos milites contra Mauros requisiti mittere.

[h] Sant. par. 4. cap. 3. Taraf. in Alph. X.

XXXII. DE UXORIBUS ET LIBERIS EIUS.

Non parva autem fuit apud posteros controversia, num iste Alphonsus ex prædictâ Mathilde liberos susceperit: asserentibus nonnullis natum ex eo matrimonio Robertum quemdam, qui fuerit Comes Bononiæ, & ad quem ejúsque progeniem pertinuerit regnum Lusitaniæ, licèt occupatum fuerit à descendentibus ex conjugio Alfonsi cum prædictâ Beatrice: aliis verò omninò negantibus ullam prolem Alfonsum ex Mathilde suscepisse, asserentibúsque eam propterea ab eo relictam quòd annosa ab eo ducta, (fuerat enim priùs conjugata Philippo filio Philippi Augusti Regis Francorum ex Mariâ Meranicâ) liberos ampliùs non pareret, quæ ex prædicto Philippo unicam tantùm filiam genuisset, quæ mortua est ante matrem absque liberis: prædictúmque Robertum non filium Mathildis, sed ejus sororis Alidis, quæ locata fuerat Comiti Arverniæ, extitisse; ac propterea successisse etiam in hæreditatem materteræ, nec quicquam ad eum de regno Lusitanico pertinuisse. Vt ut verò se res hæc habeat, illud sanè omnium consensu certum est; postquàm Alfonsus Beatricem dixit, questam [i] Mathildem apud Summum Pontificem de injuriâ sibi factâ, uxorem legitimam declaratam esse, ac Beatricem concubinam: cúmque nihilominùs Alfonsus Beatricem dimittere nollet, Alexandrum Quartum Pontificem tam ipsum Alfonsum excommunicationi quàm regnum Lusitaniæ interdicto supposuisse, eóque statu mansisse aliquot annis usque ad Christi 1262. quo Mathildis vitâ functa est; túmque petentibus regni Præsulibus ab Vrbano Quarto Alfonsum solutum esse, matrimoniúmque cum Beatrice consolidatum, ac numerosam prolem legitimam declaratam.

[i] Duard. ibid. Marian. cap. 12. Reg. Alex. IV. an. 1.

XXXIII.

Moritur hoc eodem [k] anno (tametsi alij [l] adscribant millesimo ducentesimo quadragesimo septimo *Rodericus* Ximenius Archiepisco-

[k] Marian. lib. 13. c. 5. [l] Surit. in Indic.

RODERICI XIMENII ARCH. TOLET. OBITUS.

pus Toletanus, (historiâ suæ gentis, rebúsque insigniter gestis clarissimus, cui multùm debet Hispanica Ecclesia & Regnum:) cùm extremâ ætate Lugdunum iter suscepisset ad Innocentium Pontificem, jura Ecclesiæ suæ adversùs Petrum Taraconensem Antistitem prosecuturus; à quo fuerat diris defixus, nullâ graviori de causâ quàm quòd jure primatis Hispaniarum per ejus fines Crucem dignitatis insigne prætulisset: quoniam etsi Romani sæpè Pontifices secundùm jura & merita Ecclesiæ Toletanæ sententiam tulissent [m], ut ejus Antistites Primatum totius Hispaniæ obtinerent, nondum tamen controversia satis composita fuisset. Mortuus autem in reditu, cùm Rhodano in Hispaniam navigaturus navi veheretur; sepultus est Hortæ cœnobio in ipsis regnorum Castellæ & Aragoniæ confiniis quem sanè nequaquàm Concilio Lugdunensi interfuisse, inde liquidò convincimus, quòd in illâ constitutione Innocentij tempore Concilij editâ, cujus superiùs [n] meminimus, cui & subscriptus reperitur Petrus Taraconensis, nulla inter cæteros Archiepiscopos extet Roderici memoria, cùm multi longè minorum sedium recenseantur.

[m] Vid. Loais. in not. ad Decret. Gúd. in Concil. Hisp.

[n] Supr. num. XI.

XXXIV. ITEMQUE ALEX. ALENSIS.

Hoc item anno, duodecimo Cal. Septemb. mortuus ponitur Parisiis *Alexander Alensis* natione Anglus, vitâ, scientiâ, & scriptis [o] insignis; nec solùm primus Franciscanæ religionis Doctor in Academiâ Parisiensi, sed etiam (ut volunt [p]) omnium qui Theologiam scholastico stylo ediderint, ex quo velut fonte cæteri suas implevêre lacunas: cujus & discipuli extitêre SS. Thomas & Bonaventura: ut meritò *Doctor Doctorum, Fonsque vitæ, & Doctoctor Irrefragabilis*, passim nuncupari meruerit. De cujus ad eum Ordinem vocatione, & occasionibus ingressûs, tam festiva sunt nonnulla quæ narrantur, quàm seria alia; quæ apud apud rerum Minorum tractatores [q] videre quisque poterit.

[o] Vid. Trithem. & Bellarm. de Script. Eccles.
[p] Vvadding. Annal. Minor. an. 1245. XIX. &c.
[q] Vvadd. an. 1222. XXVI. &c.

XXXV. INNOC. PP. CONSERVATORES DAT MINORIBUS.

Eodemque anno Innocentius Papa, ut Fratres Minores vindicaret à vexationibus, quibus per multos Prælatos & Ecclesiasticos viros passim inquietari nunciabantur, quas & enumerat; electis per singulas totius orbis Christiani provincias & regna Conservatoribus (ut vocat) præcipuis Archiepiscopis & Episcopis, graviter iisdem commisit curam ejusmodi vexationes & molestias prohibendi; datis eâ de re literis [r] ad singularum provinciarum Conservatores decimo-quinto Cal. Septemb. Fuisse verò de his sæpè agendum à Pontificibus in defensionem eorumdem Minorum, necnon & Fratrum Prædicatorum, cùm utrique per multiplicia indesinenter atque opportunè & importunè petita & accepta à Sede Apostolicâ privilegia, invidiam sibi cæterorum cumularent; non semel jam à nobis observatum, & ex Regestis Pontificum, eorumdémque Fratrum, aliorúmque auctorum scriptis, & excitatis per singula tempora controversiis, abundè constat.

[r] Ext in Reg Vatic. Innoc. an. 3. & apud Vvadding. Annal. Minor. tom. 1. in Reg. Pont.

XXXVI. CONCIL. DANICŪ.

Per hoc idem tempus celebratum dicitur [s] in Daniâ apud civitatem *Othoniæ* sub Vffone Archiepiscopo Lundensi *Concilium* provinciale, cui interfuit *Ioannes* Episcopus Placentinus nuncius Apostolicus. Quo inter alia sancitum fuit adversus Ecclesiæ prædatores, eos anathematis reos haberi; sicuti & illos, quibus ritus Ecclesiastici contemptui essent, vel qui cujuscumque status aut conditionis essent horum facinorum rei forent. Hísque putatum est notari etiam ipsos Daniæ Principes, Ericum Regem ejúsque fratrem Abelem, quòd dum illi mutuis inter se odiis & armis flagrarent, (de quibus dictum superiùs) multa præter fas & æquum cùm ab ipsis tum ipsorum militibus in bona & loca Ecclesiastica perpetrarentur.

[s] Ap. Pontan. Hist. Dan. lib. 7.

IESU CHRISTI Annus 1246.

INNNOC. IV. An. 4.

BALDUINI II. An. 18.

I. FRIDERICUS INSIDIIS APPETITUR:

ANNO Christi millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, Indictione 4. dum Fridericus in Senensi orâ maritimâ apud Grossetum verno tempore aucupiis indulgeret, Procerum quorumdam contra se conspiratione penè interceptus est, qui detecti, pars maturâ fugâ supplicium evasêre; plures nonnulla loca in Apuliâ occupantes, obsidione capti ad finem mensis Iulij, singuli oculo, manu, naso, & tibiâ mutilati, insuper antiquâ parricidarum pœnâ singulis culeis insuti, cum singulis canibus, simiis, gallis gallinaceis, ac viperis in mare projecti sunt. Prius enim illud supplicium iis illatum fuisse, testantur literæ Willelmi de Ocrâ capellani ipsius Friderici apud Parisium [a]; posterius Collenutius [b] in suo Compendio; etiam addens, omnes eos qui usque ad quartum & quintum consanguinitatis gradum conjuratores attingerent, oculis effossis exustos fuisse; ita ut vindictæ asperitas ad sensum totius regni pervenerit.

QUAS AFFATIM ULCISCITUR.

[a] Paris. hoc an.
[b] Collen. Hist. Neap. lib. 4.

II.

Ipsam autem conjurationem promulgans Fridericus literis publicis ad omnes Principes, (quas recitat idem Parisius; extántque insuper cum nonnullis aliis eâdem de re ad quosdam speciatim scriptis, in opere Epistolarum Petri [c] de Vineis:) eam Pontifici imposuit, ac Crucis prædicationi ejus auctoritate contra se per Fratres Minores publicatæ, cùm certum sanè omnium scriptorum assertione maneat, ipsisque literis [d] Pontificiis constet, Innocentium, quòd videret Fridericum in deterius quotidie labi, Ecclesiámque dirissimè persequi, & eos qui à Pontifice starent, bonorum direptionibus & incendiis ac personarum necibus & cruciatibus incessanter prosequi; ejus contumaciam quibuscumque modis retundere necessariò coactum, sacrum bellum ac Crucem in eum, ejúsque filios paternæ tyrannidis solertissimos atque diligentissimos executores, ac promotores, uti in infideles & hæreticos fieri consueverat, indixisse: nec tamen ut in personas eorum quicquam per proditionem tentaret, sed solùm ut ab eorum armis & insultibus sese Ecclesiámque tutaretur.

[c] Pet. de Vin. 2. ep. 10. 20. 51. 52. & lib. 3. ep. 18. 62. &c.
[d] Rec. Masson. de Rom. Pont. lib. 5. in Innoc. V. non suo loco.

PONTIFEX CRUCEM IN EUM PROMULGAT.

III. FRIDER. SICARIOS AD CONFODIENDUM PONTIFICEM IMMITTIT.

Quod nihilominùs in deterius literis suis persuadere Principibus conatus Fridericus, etiam reipsâ talionem duplo rependere tentavit: dum, ut ait Parisius ad finem hujus ipsius anni, transmissi ab eo fuêre duo facinorosi temerarij, qui more assasinorum subdolâ conspiratione Pontificem interficerent; sed eos casu inopinato captos esse. Ac licèt addat Parisius, fuisse qui dicerent hoc inventum à Ponti-

fice ad calumniam Friderici; qui tamen & rabiem consideraverit quâ Fridericus in Pontificem agebatur, & solitum eum fuisse in longè minùs invisos ejusmodi perfidiâ uti [e], haud gravatè fidem & huic sceleri adhibebit. Cùm præcipuè addat idem auctor anno sequenti absque ulla dubitatione, Radulphum quemdam militem à quodam clerico & consiliario Friderici præmiis ac pollicitationibus inductum ad Pontificem necandum, re per alium complicem in articulo mortis detectâ, captum fuisse, ac scelus propalâsse: Rursúmque captos duos alios milites affirmâsse, circiter quadraginta audacissimos in necem Pontificis sese jurejurando obstrinxisse.

[e] Vid. supr. an. 1227. V. & 1231. III.

IV. HENRIC. REX GERMANIÆ PRÆLIO VINCIT CONRADUM FIL. FRIDERICI.

Quo verò tempore prædictos conjuratores Fridericus ulciscebatur, eodem fermè Henricus Lantgravius electus (ut vidimus) in Germaniâ in Regem Romanorum, & ab Innocentio Pontifice confirmatus, cùm indixisset conventum Principum apud Francofordiam ad diem festum S. Iacobi, vigesimum quintum Iulij, occurrentem sibi cum exercitu Conradum filium Friderici, die S. Osualdi (ut plerique consignant, nempè quinto Augusti) magno prælio vicit atque ignominiosè fugavit, multis captis ejus ducibus ac nobilibus. Quod testantur Stadensis, Parisius, Paduanus, Nauclerus, Trithemius, & alij omnes: uno excepto Krantzio [f]; qui rem describens (ut apparet) ex Stadenti, ejúsque nihilominùs verba in sequiorem sensum accipiens, victoriam stylo suo contulit Conrado. Observat autem ex eodem, Henricum, quòd foveretur à Summo Pontifice, pugnarétque pro Ecclesiâ, ab adversariis nuncupari consuevisse *Regem clericorum*: Paduanus, Philippum Episcopum Ferrariensem Apostolicæ Sedis Legatum apud Henricum agentem, strenuissimè sese in omnibus gessisse. Auctor verò Fragmenti historici præpositi Chronico Alberti Argentinensis, qui eodem quoque tempore vixit. Conradum imposuisse Suevis suis, se ab eis fuisse in certamine proditum; (quod & reperias à prænominato Ocrâ suis literis assertum, rémque sollicitationi Pontificis attributam: ita nimirùm quæsierunt cladem excusare, ac proinde Suevos irâ motos secessisse in partes Ecclesiæ & Henrici, bellúmque Conrado movisse, ac de civitate in civitatem fugâsse: parúmque ei profuisse, quòd spe consilij & auxilij duxit filiam Othonis Ducis Bavariæ. Tantum tamen ei hanc novam affinitatem profuisse Paduanus scribit, ut nisi Otho eum suscepisset, immemor, ut exprobrat, patris sui à Friderico per assasinos interfecti [g]) Henricus eum de Germaniâ expulisset. Nam quod Trithemius ait, eum in Italiam fugatum esse, id posteà contigit. Cæterùm Othonem, ob favorem Friderico & Conrado impensum, & quòd eorum causâ cœpit clerum persequi, ab Innocentio Pontifice & Episcopis Bavariæ excommunicatione fuisse perculsum, ex Sterone & aliis intelligitur. Meminítque Aventinus [h] (cuncta tamen de more contra Pontificem hæretico sensu tractans) Conventûs Episcoporum Myldorfij eâ de causâ jussu Innocentij contra eum celebrati, quod Chronicon [i] Salisburgense anno 1249. collocat. Nec tamen omninò audiendus Trithemius, dum asserit eum anno præcedenti repentinâ morte extinctum esse; cùm id nonnisi septem abhinc annis contigisse, ex eodem Sterone, qui rem præ oculis habebat, certissimè constet.

[f] Krantz. 8. Saxon. 14.

[g] Supr. an. 1231. III.

OTHO DUX BAVAR. EXCOMMUNICATUR.

[h] Avent. lib. 7.

[i] Ext. to. 6. Antiq. Lect. Canis.

V. INNOC. PP. SCRIBIT AD SOLDAN. PRO PACE CHRISTIANORUM.

Cùm autem Innocentius Papa sollicitus de rebus Terræ Sanctæ scripsisset etiam ad Soldanum Babyloniæ, pro pace, vel saltem induciis inter ipsum & Christianos ibi agentes, quos ipse per Chorasminos, ut vidimus, dirissimè vexaverat, conciliandis; idem Soldanus literis ad Pontificem mense Augusti rescriptis, contestatus est se quoque pacem desiderare, haud tamen posse de illâ agere absque Friderici consensu. Vnde & Stadensis in suo Chronico, & ex eo Krantzius [k] in Metropoli, existimârunt, tanto impetu Innocentium devectum fuisse in Fridericum, ut non solùm Christianos milites ei opponere, verùm etiam Soldanum Saracenum ab ejus amicitiâ avocare quæsierit. Cùm tamen Parisius non alio fine hoc ab Innocentio tentatum velit, quàm ut benè esset Christianis Palæstinæ, quousque Ludovicus Rex Francorum, sicuti destinaverat, eò transmittere posset.

[k] Krantz. 8. metrop. 14.

VI.

Et quod Soldanum spectat; equidem putamus eum ad pacem propensiorem fuisse, tum occasione gravissimæ dissensionis quæ ipsi erat cum Sultano Damasceno, tùm quòd timeret rebus suis ab apparatu bellico Ludovici jam ubique vulgato; noluisse tamen absque Friderici assensu, cum quo priùs fœdus inierat, eam concludere, quòd sciret plerosque Terræ Sanctæ Christianos adversatos fuisse huic fœderi cum Friderico inito; ne cum iis jam paciscendo videretur fidem Friderico datam frangere. Literas autem Soldani Græcâ linguâ scriptas, sed in Latinam traductas, recitant iidem ejus temporis auctores Stadensis & Parisius; ac post eos Krantzius, & alij recentiores: quarum titulum hîc apponere visum, ut quo numero ei Pontifex esset, intelligatur: *Præsentiæ Papæ, nobilis, magni, spiritualis, affectuosi, sancti, tertij decimi Apostolorum, universalis loquelæ Christianorum, manutenentis adoratores Crucis, Iudicis populi Christiani, ductoris filiorum baptismatis, summi Pontificis Christianorum: confirmet eum Deus, & det sibi felicitatem: A Soldano potentissimo, regnante super colla nationum, continente duas virtutes gladij & calami, possidente duo præcellentissima, scilicet Doctrinam & Iudicium, Rege duorum marium, dominatore Austri & Septemtrionis, Rege regionis Ægypti & Syriæ, & Mesopotamiæ, & Mediæ*, (& aliarum plurimarum provinciarum quas enumerat) *cujus regnum Deus diligit.* In fine verò; *Scriptum est hoc in 7. die mensis Macharon, quæ fuit lunatio Augusti. Laus Deo soli, & benedictio ejus super dominum nostrum Mahometum, & super illius genus. Ipse sit pars nostra.*

LITERÆ SOLDANI BABYL. AD INNOCENT. PP.

VII. INNOC. SCRIBIT AD REGES MAURITANIÆ IN AFRICAM PRO CHRISTIANIS.

Cùm item mortuo Fratre Agnello [l] Minoritano Christianorum in Africâ Episcopo, successorem ei suffecisset Innocentius Lupum ejusdem Ordinis virum pietate, scientiâ, ac virtutibus egregiè insignitum; eâ occasione tam ad Christianos in regno Marrochitano degentes ut eum susciperent, quàm ad ipsum Marrochij Regem ut eundem benignè haberet, literas [m] scripsit pridie Calendas Novembris; Regem imprimis laudans, quòd exemplo decessorum suorum Christianos suæ ditionis

[l] Vid. supr. an. 1233. II.

[m] Rec. Vvadding. in Annal. Minor. ex Reg. Vatic.

beneficiis afficeret, deinde ad veritatis lumen invitans: ac postremò, quoniam Christiani occasione belli quod ipse cum finitimis gerebat injuriis hostium subjacerent, rogans ut loca aliqua munita quibus tutò agerent, & custodiam aliquorum portuum, quò esset iis liberum exire & cum subsidio redire, retento sibi principali eorum dominio, iisdem consignari procuraret. Scribénsque pariter ad alios Saracenorum Africanorum Reges Tuneti, Captæ, & Bugiæ, rogavit eos ut tam eundem Episcopum, quàm cæteros Fratres Minores quos ipse pro salute Christianorum in ipsorum regna transmittendos duceret, benigno favore reciperent. Ipsíque Episcopo indulsit, ne per decennium teneretur visitare Limina Apostolorum, cùm non liceret ex Africâ nisi de licentiâ Saracenorum navigare.

VIII. Hócque item anno [n] idem Pontifex Haquinum, Norvagiæ Principem, de quo superiùs [o], qui magno Crucesignatorum exercitu circumstantes Paganos ad veri Dei cultum cogere, Palæstinámque petere paratus erat; in regnum illud, illicitâ quamvis copulâ natum, succedere concessit, atque in Ecclesiis provinciarum quas ad fidem reduceret jus patronatûs perpetuum obtinere. De cujus coronatione dicetur anno sequenti.

[n] Reg. Innoc. an. 4. 6. Id. Novemb.
[o] An. 1241. XXIV.

IX. INNOC. AGIT CONTRA REGEM ARAGON. PROPTER DIVERSA CRIMINA.

Qui idem Pontifex multis licèt pressus angustiis, nihil tamen remittens de severitate disciplinæ Ecclesiasticæ, quin eam etiam in majores Principes, quos alioqui demulcere beneficiis prudentia carnis suadere poterat, districtè exerceret, cùm Rex Iacobus Aragoniæ à Theresiâ Vidaurâ nobili feminâ Catalanâ, cum quâ olim clandestino matrimonio assueverat duobus ex eâ susceptis filiis, tam apud Gregorium IX. quando idem Rex Iolantem seu Violantem filiam Regis Hungariæ uxorem duxit, quàm nuper eâdem Iolante adhuc superstite apud Innocentium de conjugio postulatus; causâ superior remaneret, eò quòd non satis firma dicerentur pro Theresiâ testimonia, donec Episcopo Gerundense matrimonij illius conscio rem secretò per scedulam Pontifici revelante in Theresiam Innocentius animo propensiori redditus esset: eâque de re irâ succensus Iacobus, cùm suspicaretur id non alio quàm Gerundensis testimonio, cui soli confitens enunciâsset, fuisse patefactum; eidem Gerundensi ad se vocato linguam abscindi coràm jussisset: Id sacrilegi sceleris ubi cognovit Pontifex, tum ipsum Regem diris omnibus defixum anathematis ignominiâ damnavit, tum universa ejus regna Ecclesiastico supposuit interdicto: neque ullas excusationis causas à rege propositas audire sustinuit; quousque misso Rex Episcopo Valentino culpam agnoscens, errati veniam, paratus pœnarum dare quantum arbitratu Pontificis decerneretur, summissis precibus deprecatus est. Tunc enim Pontifex Episcopum Camerinensem & Fratrem Desiderium Pœnitentiarium Apostolicum Legatos misit: qui *Conventu* Episcoporum ac Procerum *Ilerdæ* habito, Regem publicè & coram promiscuâ populi multitudine, gravissimis verbis castigatum, atque in genua procumbentem, & ex traditâ formulâ admissum scelus detestantem, Ecclesiæ communioni restituerunt certis legibus ac conditionibus; quas referunt qui hanc historiam pleniùs describunt, Ioannes Mariana [p] & Bernardus Gomesius [q]; atque diploma Pontificis de potestate Legatis concessâ 10. Calend. Octobris hujus anni Lugduni datum, absolutionem Ilerdæ impertitam 14. Cal. Novembris demonstrant. Meminítque rei gestæ Parisius [r] in Historiâ Anglicanâ: quamquam non desunt qui honoris magis Regis seu gentis, quàm rei gestæ utilis narrationis rationem habentes, hanc turpitudinem ab Historiâ amoliri quærunt. Quod verò Theresiam attinet; cùm post Iolantis mortem obtinuisset [s] à Summo Pontifice matrimonium suum legitimum declarari, nihilominùs id tantùm à Rege consequi potuit, ut nullam sibi ampliùs feminam in matrimonium duxerit: ejúsque filiis à successione regnorum exclusis, ne turbæ cierentur, traditæ sunt quædam aliæ ditiones.

[p] Mar. l. 13. cap. 6.
[q] Gom. in Vit. Iac. Reg. l. 14.
[r] Par. hoc an.
[s] Gomes. l. 19.

X. REGIS FILIO NONDUM ADULTO NEGATUR EPISCOPATUS.

Hócque item anno, postulante Ferdinando Rege Castellæ ut filius suus Philippus Vallisoleti Abbas sæcularis Ecclesiæ Oxomensi præficeretur, quem Canonici elegerant; excusavit Pontifex, tum quòd non æquum censeret eum à liberalibus studiis quibus incumbebat Parisiis avelli; tùm verò præcipuè quoniam Philippus nondum adultus erat, Ecclesia autem illa non puero sed pastore indigebat. Quare alio eligi jusso, eum confirmavit, datâ Ferdinando spe, cùm filius maturioris foret ætatis, eum ad dignitates Ecclesiasticas evehendi. Sunt enim de his ejusdem Innocentij literæ [t] datæ quinto Idus Novembris. Qui posteà [u] Philippus Abbas, cùm fuisset Hispalensis Archiepiscopus designatus, ejúsque frater Alfonsus Rex, qui Ferdinando defuncto successerat, quòd ex Violante filiâ Iacobi Aragonij quam duxerat prolem non susciperet, eam ut inhabilem deserere decernens, ex Daniâ Christianam Regis filiam sibi uxorem mitti per legatos obtinuisset, atque interim Violans ex Rege concepisset: confuso ingenti verecundiâ Rege de adventu Christianæ, idem Philippus ut ejus honori consuleret, dimisso Clericatu illam regni spe depulsam uxorem duxit: quæ tamen ex dolore contumeliæ brevi defuncta est. Ita enim frequenter his temporibus licuisse Regibus Hispanicis, variis prætextibus conjugum dimissu & admissu ludere, in eorum historiis legitur.

[t] Reg. Innoc. an. 4.
[u] Roder. Sant. Hist. Hisp. par. 4. cap. 1. Marian. l. 12. c. 9. an. 1254.

XI. QUERELÆ PARISII DE EXTORSIONIBUS PONTIFICIORUM.

Hoc pariter anno ingeminans Parisius more suo etiam ultra nauseam querelas de vexationibus quas pateretur Anglia à Curiâ Romanâ, tam circa sacerdotiorum usurpatione, quàm pecuniarum extorsionem, aliásque oppressiones; ait Conventum omnium Episcoporum, Procerum, & Abbatum habitum esse à Rege; quo decreta est legatio ad Pontificem pro salubri remedio his miseriis quærendo: Sed quoniam pleraque eorum quæ isti modò objiciebant, constituta fuisse reperta sunt in Concilio Generali Lugdunensi, cui & Angli interfuerant, permissum demùm esse à Rege ut decretæ tum collectæ liberè fierent: novúmque insuper spolij genus introductum, ut bona Clericorum qui intestati decederent in usus Papæ converterentur; quòd tamen anno sequenti revocatum esse ait. Conqueritur etiam (quasi procuratorem agens Ecclesiæ Gallicanæ; cujus tamen nullam ejusmodi expostulationem reperimus; cùm solita semper fuerit illa liberalissimè

sua non solùm petentibus concedere, sed spontè profundere in subsidium Romanorum Pontificum, Regúmque suorum, ac contra hæreticos & infideles:) Ludovicum Regem de consensu Pontificis, ad impensas expeditionis Terræ Sanctæ exegisse decimam singulorum proventuum universæ Ecclesiæ regni sui; præter vigesimam decretam in Concilio, à ministris Pontificis dispensandam. Eadémque fermè anno sequenti repetita scribit.

XII. POLONORUM PRÓPTA LIBERALITAS ERGA PONTIF.

[x] Michov. l. 3. cap. 51. Crom. l. 8.

Haud sanè acerbi adeò censores Michovius & Cromerus, nec tristes Poloni datores, licèt divitiis longè Anglis inferiores. Quippe scribunt[x], convocatâ altero pòst anno apud *Vratislaviam* Episcoporum *Synodo* à Iacobo Leodiensi Archidiacono, quem Innocentius in Poloniam recèns miserat, cùm ad motus ejus regni, de quibus superiùs egimus, componendos, tum ut Pontifici à Friderico vehementer exagitato & afflicto aliquid subsidij obtineret; quintam partem redditúum Ecclesiasticorum ex totâ Poloniâ in triennium oblatam fuisse, ac Summo Pontifici citò transmissam: Relaxâsse autem Legatum tunc Polonis partem ejus Iejunij, quod est solemne cunctis Christianis ante Pascha: ut videlicèt cùm id à Dominicâ Septuagesimæ totis novem hebdomadis veteri patriæ instituto vulgò servarent, cum frequenti prævaricatione & gravi discordiâ inter Clerum & Laicos, esset deinceps, ut aliis locis, hebdomadarum sex & dimidiæ.

XIII.

[y] Michov. cap. 44.

Aliâ verò parte, hócque ipso anno (ut ponit Michovius[y]) alius Legatus Opizo, de quo anno superiori, (quem multo tempore, repetitis tamen vicibus, in Poloniâ eo munere functum reperimus;) post impertitam Suentopelco absolutionem, Danielem quoque inter Russorum Principes potentiorem, & quò majorem sibi inter ipsos auctoritatem compararet, nomen ac diadema regium sibi & posteris suis dari expetentem, ídque ut obtineret pollicentem se cum universâ gente suâ, Græco ritu ac schismate derelicto, ad Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ obedientiam & communionem accessurum, Christianásque regiones adversus Tartaros defensurum; in Regem coronavit, & inunxit: nequicquàm dissuadentibus Poloniæ Episcopis, qui Danielis fidem vafram & fluxam optimè noverant. Veluti & posteà compertum est, cùm licèt id rursùm[z] priori innovatâ coronatione Daniel sacramento confirmâsset; consecutus quod concupierat fidem & jusjurandum violavit; atque in pristinum errorem relapsus, non modò non defendit à barbaris Christianos, verùm etiam eos cum Tartaris pariter infestavit, mox etiam cum Lithuanis tunc atrocissimis Christianorum hostibus: ut apud eundem Michovium[a], Cromerum[b], cæterósque ejus gentis scriptores videre licet.

RUSSIS DATUR REX à LEGATO PONTIFICIO.

[z] Michov. cap. 54.
[a] Michov. ibid.
[b] Cromer. lib. 9.

XIV.

FRIDER. DUCIS AUSTR. NEX IN PRÆLIO.

[c] Stad. Ster. Chron. Austral. &c.
[d] Vide suprà an. 1236. III.
[e] Siffrid. in Epit. l. 2. Thuros. Chron. Hungar par. 2. c. 74. Cuspin. in Austr. Frider. Bellicos. &c.
[f] Bonfin. Rer. Hung. 2. dec. 8. Dubrav. Boëm. l. 16. Krantz. 7. Vvandal. 23. &c.

Hoc item anno[c], die decima-quintâ Iunij, facto ad Neapolim Austriæ atroci prœlio inter Belam Hungariæ Regem ab exilio Tartarico reducem, & Fridericum Austriæ Ducem, idem Fridericus pœnas tandem dedit suæ inquietudinis[d]; dum sive prœlio victor[e], sive victus[f], (variant enim hâc in re, sicuti & in causâ belli, & in modo obitûs Friderici; súntque etiam qui laqueo à suis periisse velint:) absque ullâ prole occumbens, Austriam legitimis orbatâ reliquit hæredibus; quæ dehinc per matrimonium Margaritæ ejus sororis, quæ olim nupserat Henrico Germaniæ Regi filio Friderici tunc Imperatoris, ad Othocarum Boëmum, ac subinde per ejusdem Othocari contumaciam ad Rudolphum Habspurgensem Romanorum Regem, inque ejus familiam transiit, & hactenùs in eâ perseverat: uti fusiùs prosequuntur earum gentium historici.

XV. CONCIL. BITERRENSE.

[g] An. 1235. II.

Quo etiam anno factum est *Concilium* provinciæ Narbonensis apud *Biterras* 13. Cal. Maij: è quo Patres literas scripserunt ad Inquisitores Ordinis Prædicatorum, à Sede Apostolicâ contra hæreticos in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, & Viennensi provinciis constitutos, de modis procedendi contra eosdem hæreticos, cùm à Cardinale Albanensi Legato moniti fuissent eos iisdem Inquisitoribus præscribere; Quod & fecerunt 37. capitibus per modum consilij, eodem ferè tenore, quo usos vidimus[g] Patres Concilij Narbonensis.

XVI. S. LUTGARDIS OBITUS.

[h] An. 1216. XIII.
[i] Ap. Sur. 16. Iunij.

Obiit item hoc anno decimo-sexto Calendas Iulij *S. Lutgardis* virgo in Monasterio Aquiriæ in Brabantiâ Ordinis Cisterciensis; de quâ superiùs[h]; quæ quantùm claruerit virtutum splendore, prophetiæ spiritu, & miraculorum donis; cognosci potest ex tribus libris qui de ejus Vitâ extant[i] auctore Thomâ Cantipratensi Dominicano Lovaniensi, qui ei familiarissimus extitit.

XVII.

[k] Cantipr. l. 2. Ap. 3. §. 8.

SIGNA IN CÆLO ET MARI.

Qui idem Cantipratensis alibi[k] narrat, se hoc anno vidisse sereno cœlo Crucem ex clarissimo & sidereo lumine optimè formatam, octonorum circiter cubitorum longitudine. Eodémque anno in Angliâ accidisse Parisius scribit, ut Oceanus per multos dies solitum æstum sive ascensum non habuerit. Quæ tamen signa quid portenderint, non significant ij auctores; nec nos disputando divinare volumus.

IESU CHRISTI Annus 1247.

INNOC. IV. An. 5.

BALDUINI II. An. 19.

I. HENRICI REGIS GERM. OBITUS.

[a] Io. à Leid. Chron. Belgi. l. 22. c. 4.
[b] Trith. in Chron. Hirsaug. & Sponheim.
[c] Mut. Chron. Germ. l. 20.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, Indictione quintâ, tempore Quadragesimali (ut scribit Parisius) Henricus Lantgravius cùm ad coronam Regni Romanorum accipiendam pergeret, à Conrado Friderici filio invasus, acerrimóque prœlio victus, confectus dolore interiit. Ita ille: quod cæteri omnes penitùs ignorârunt: qui quidem Henricum intra annum electionis suæ hoc ipso Domini 1247. extinctum esse consentientes, (excepto Ioanne à Leidis[a] qui quatuor annos, & Trithemio[b] qui fœdiori errore quinque, & siqui alij in hoc hallucinati sunt, ejus regno tribuerunt:) vel tamen ejus obitum simpliciter referunt, ut Stadensis, Paduanus, Stero, Martinus, Siffridus, Blondus, Meyerus, Bossius, Corius, Historia Turingensis, Krantzius, & alij; vel sagittâ in obsidione civitatis Vlmæ ictum, accedente dysenteriâ periisse volunt, ut Nauclerus, & Mutius[c]; vel simplici ventris profluvio, ut Trithemius, & auctores

Appendicis ad Lambertum Schafnaburgensem, & Compilationis Chronologicæ; vel lapsu ex equo, ut Aventinus; nec horum ullus, aut quisquam alius quem viderim, meminit prædicti certaminis: quod propterea miramur tam facili credulitate admissum fuisse à Sigonio, ut multa alia ejusmodi ex Parisio: nec advertisse, Parisium in rebus Friderici & aliorum Ecclesiæ Romanæ oppugnatorum, pleraque ex falsis malevolorum rumoribus ineptè, ne dicam fraudulenter, suis scriptis inserere consuevisse. Qui sanè nec in his constat sibi; quandoquidem paulò pòst ante narratam subrogationem Guillelmi Hollandi in locum Henrici, ait eundem Conradum fugisse in Italiam ad patrem suum, quòd non valeret sustinere impetus sibi adversantium. Quomodò enim tam brevi deficere potuit, si tantam victoriam cum morte ducis adversarij obtinuit? Cæterùm in prædicto Henrico, Principes Thuringiæ Caroli Magni prosapiâ oriundos defecisse, auctores [d] tradunt.

[d] Siffrid. &c.

II. Guill. Hollandus eligitur in locum Henrici.

Addit porrò Parisius, post auditam mortem Henrici Innocentium quatuor Cardinales Legatos in diversas Orbis Christiani partes subitò destinâsse ad concitandos Reges in Fridericum: In Germaniam autem missum ex iis esse *Octavianum* (familiâ Vbaldinâ patriâ Florentinum, Diaconum Cardinalem in Viâ-latâ) qui procuraret Henrico subrogari *Guillelmum* Hollandiæ Comitem, virtutibus, viribus, divitiis, propinquis & affinibus potentem, ætatéque viginti annorum florentem: ídque factum esse postridie S. Michaëlis à majori parte Principum Electorum: ei verò, cùm Aquisgranum ad coronam accipiendam iret, se item Conradum opposuisse, & aditu prohibuisse. Ita namque facile fuit Parisio, Conradum ex Italiâ, quò paucis antè diebus rerum omnium inopem amandaverat, cum potentissimo exercitu in Germaniam reducere cùm nihilominùs certum sit cæterorum etiam assertione, urbem Aquisgranum restitisse Guillelmo; ideóque obsidione ab eo auxilio Crucesignatorum cinctam fuisse: de cujus adeptione, & Guillelmi coronatione dicetur anno sequenti, quo contigit. Non tamen Legatum Apostolicum fuisse Octavianum, sed *Petrum* Capoccium Romanum, Diaconum Cardinalem tituli S. Georgij in Velabro, sive ad Velum aureum, plerique omnes habent. Octavianum enim in Italiam missum ad res ab injuriis Friderici tutandas, tam ex aliis auctoribus, quàm ex literis ipsius Friderici apud Petrum [e] de Vineis constat. Nec quidem prædictos Legatos ad res tantùm Friderici, verùm etiam ad expeditionem Orientalem promovendam, & Ecclesias ritè componendas, decretos fuisse, videbitur ex iis quæ de iis dicentur inferiùs.

[e] Pet de Vin. 2. epist. 37. 40. &c.

III. Tempus ejus electionis.

Res verò Guillelmi Regis cæteris dilucidiùs prosecutus est Ioannes à Leidis Carmelitanus in suâ Historiâ Comitum Hollandiæ, quam centum penè & quinquaginta post hæc annis conscripsit; (seu ferè descripsit ex antiquiori Chronico Ioannis de Beckâ de gestis Pontificum Trajectensium & Comitum Hollandinorum;) & post eum Renerus [f] Snoius, aliíque recentiores Rerum Batavicarum scriptores. Ex quius intelligitur, electionem Guillelmi factam fuisse ad Voringiam pagum agri Coloniensis ipsi die S. Michaëlis Archangeli tertio Calend. Octobris: móxque eum militari cingulo donatum esse à Petro Legato. Stadensis tamen, sicut & Parisius, post festum S. Michaëlis, electionem ponit: quidam etiam 5. Nonas Octobris. Quæ ut conciliemus, putamus cœpta esse Comitia die festo S. Michaëlis, postridie factam electionem; 5. Nonas perfectam celebritatem ordinis militaris: cujus ritus & solemnitatem describunt iidem scriptores Batavi. Post quæ digressum Coloniam, ab *Alberto Magno* Ordinis Prædicatorum insigni tunc ibi professore, posteáque Episcopo Ratisponense, convivio exceptum fuisse in die Epiphaniæ, horridâ hieme versa in floriferum ver & formosam fructibus æstatem, iidem Hollandici auctores, (ex quibus eadem Trithemius [g]) arti magicæ, rem amplificando, tribuentes, tradunt: quæ potuit Albertus (si verè ea contigerunt) vel philosophiâ naturali, vel etiam virtute sibi communicatâ supernaturali præstare, ut erat sanctitate juxtà ac doctrinâ præditus.

[f] Snoi. Rer. Batavic. l. 7

Alberto Magno perperam tributâ magia.

[g] Trith. in Chron. Sponheim. an. 1254.

IV. Frider. opprimere molitur Pontificem.

Intereà Fridericus Lugdunum cogitans, non (ut Collenutius & quidã alij Fridericiani finxére, atque Sigonius [h] deceptus hypocrisi Friderici id literis [i] suis prætexentis credidit) gratiæ cum Pontifice reconciliandæ causâ; sed ut Parisius indicat hoc anno, & disertè asserit post sequentem, confirmántque Itali Germanique auctores [k], Blondus, Sabellicus, Nauclerus, Fazellus, Krantzius, Mutius, ex antiquioribus & probatioribus scriptoribus, ad invasionem & oppressionem Pontificis; (suasus nempè, ut plerique iidem habent, à Duce Burgundiæ: quem sanè vnâ cùm nonnullis aliis Francorum Proceribus fœdus quoddam obtentu conservationis jurium suorum adversùs Pontificem & Clerum iniisse, Parisius [l], *Rem omnibus sæculis*, ut ait, *in Francis inauditam* [l], scribit) viam carpsit unà cum Comitatu non armatorum magis quàm togatorum, qualem quantúmque post stantis Romani Imperij tempora nullus aut domi habuerat, aut in itinere duxerat Imperator; relictâ Italiæ administratione Entio filio suo Regi Sardiniæ; eâ injunctâ conditione, ut sese apud Parmam continens, (cui civitati maximè timebat, quòd ea præ cæteris Pontificiæ parti adhæsisset, fuisséntque inde ab ipso multi nobiles cives expulsi, præter Innocentij Papæ affines, qui jam antequàm Fridericus deponeretur moniti ab Innocentio secesserant Placentiam, quorum ædes & villas posteà Fridericus funditùs sustulit) quæcùmque ingruerent remotiùs gerenda per legatos curaret.

[h] Sigon. de regn. Ital. lib. 18.
[i] Ap. Pet. de Vin. 2. ep. 49.
[k] Blond. 2. dec. 7. Sabell. 9. En. 6. Nau. l. gener. 42. Faz. 2. dec. 8. Krantz. 8. Saxon. 12. Mut. l. 2●
[l] Paris. hoc an. ad pr.

V. Sed novo casu revocatur à cœpto.

Iámque Fridericus Taurinum attigerat, cùm Entius parùm cautè contra patris mandata à Gremonensibus persuasus, ut oblatâ Quintiani Brixianorum oppidi furto aut primâ oppugnatione capiendi occasione, per suam ipsius solitam diligentiam uteretur; & Quintianum frustrà aggressus est, & interim Parmam amisit: cùm Parmenses patriâ extorres haudquaquàm illo pigriores, occasione admoniti, Placentinorum, aliorúmque Friderici hostium Ecclesiæque amicorum subitâ ope freti, iter ad repetendam patriam ingressi, Prætorem urbis cum suis ad Tarum amnem occurrentem, commisso prœlio occiderunt, atroci factâ Fridericianorum strage; urbémque sine certamine in-

ierunt, benignè à populo excepti. Quo audito Fridericus, cùm Taurino profectus radices Alpium attigisset, veritus ne & aliæ civitates rebellarent, intermisso itinere Gallico, ad Parmæ recuperationem novis copiis undique celeriter contractis signa convertens, eam sexaginta millium armatorum obsidione cinxit, munitam jam ipsam multorum Friderici hostium selectissimis auxiliis, atque imprimis præsentiâ Gregorij Montelongi Sedis Apostolicæ in Lombardiâ Legati, & Bernardi Rossij sororij Innocentij Papæ, qui cum delecto equitatu Mediolano advolârant.

VI. OBSIDET PARMAM QUÆ AB EO RECESSERAT.

Statuens autem Fridericus non priùs inde recedere quàm urbem expugnâsset; cùm frequentibus & acerrimis obsessorum eruptionibus vexatus, castra sua in magnum circuitum fossâ vallóque munîsset; occasione inde acceptâ, tum urbem ad vindictam rebellionis ac cæterarum terrorem funditùs delere decrevit, tum eadem castra sua in aliam urbem erigere, quæ in locum veteris suffecta maneret. Quare observatis de cœlo astris eam construere cœpit, atque ædificiis, foro, tribunali, sacris ædibus, omnis generis opificiis, cæterísque rectè institutarum civitatum rebus ornavit, ut nihil ab urbe justâ differret: & quò felici omine cuncta procederent, *Victoriam* eam nuncupavit, primariam basilicam in honorem sancti martyris *Victoris* dedicavit, & nummos ibi cusos *Victorinos* dici voluit. Fuítque planè urbs Victoria vario gentium ac rerum inusitatarum commercio & multitudine frequentata; quòd per singulos penè dies ex Africâ, Asiâ, Ægypto, novi homines novâ veste novis moribus sunt visi: itémque animalia quæ post theatrales stantis Romani Imperij ludos, Italia non viderat, elephantes, dromedarij, pantheræ, leones, pardi, lynces, & ursi albi: avéique rapaces & cicures omnis generis, & quod eam decuit majestatem immensæ magnitudinis barbati bubones. Quin etiam contraxit eò Fridericus thesaurum suum; & habitas priùs túncque primùm raptas speciosissimas mulieres; quibus à spadonum grege custoditis viridaria, hortos, & consitiones cum villis apud eam urbem curavit. Ita Blondus [m] ex oculatis testibus; atque ex eo plerique [n] alij. Meminerúntque ejusdem novæ civitatis Victoriæ antiquiores, Parisius, Paduanus, Ricordanus [o], Villanius [p], & quicumque alij de obsidione Parmæ egerunt: cujus & dimensiones Collenutius [q] descripsit. Parisius autem obsidionem Parmæ cœptam ait cùm Sol ad æquinoctium vergeret autumnale: expressiùs Corius [r] eam mense Iunio captam à Pontificiis, obsessam à Friderico initio Augusti: quod & Sigonius ex antiquis monumentis confirmat. Eâque obsidione contigisse multi scripsêre, ut cùm mœnia urbis sæpè invadens, & crebra cum erumpentibus prœlia miscens Fridericus, irritos omnes conatus præ obsessorum fortitudine experiretur; ac propereà urbis vi expugnandæ abjectâ spe, sola famis via superesset; is usque adeò furere irâ cœperit, ut adversæ partis captivos maximis atque exquisitis suppliciis, ut erat ejus ingenium truculentissimè in conspectu Parmensium ante urbis portas, promuraliáque, quotiescumque ei rem malè gerere contingeret, truncari, laniaríque ballistísque majoribus in urbem semivivos projici curaret. Tradítque Parisius, in tantam

NOVAM CIVITATEM VICTORIAM CONSTRUIT, ET ORNAT.

[m] Blond. d. l. 7.
[n] Naucler. Krantz. Æmil. Cuspin. &c.
[o] Ricord. Hist. Flor. c. 139.
[p] Vill. lib. 6. cap. 35.
[q] Collen. l. 4.
[r] Cor. Hist. Mediol p 2.

Ejus CRUDELITAS.

Parmenses victûs inopiam redactos fuisse, ut pacem petere coacti fuerint, sed immisericordem Fridericum eam omninò respuisse. De quorum propemodùm desperatione sunt etiam literæ [s] ejusdem ipsius Friderici, quibus se brevî urbe potiturum jactabat. Quomodò verò nihilominùs ab iisdem illis obsessis turpiter fugatus fuerit, dicetur anno sequenti.

[s] Ap. Pet. de Vin. 2. epist. 37. & 40.

VII. GUILLELMI CARDIN. LEGATIO AD REGNA SEPTEMTRIONALIA.

Inter hæc missus ad Boreales partes *Guillelmus* Cardinalis Episcopus Sabinensis natione Allobrox Sedis Apostolicæ Legatus, susceptâ per Angliam navigatione in Norvegiam perveniens 4. Cal. Augusti hujus anni, celebri illis partibus die sanctissimi Regis & martyris Olavi, de cujus passione aliàs [t] dictum; apud Bergas Haconem (ita enim Parisius vocat, quem in Regesto Innocentij Papæ Haquinum nominatum vidimus [u], Krantzius absque aspiratione Aquinum dicere consuevit; etiamsi istius nullam invenerimus apud eum mentionem, nisi & tempora & res, quod vereor, confuderit) authoritate Innocentij Romani Pontificis coronavit & unxit in Regem Norvegiæ: & quoniam Crucem susceperat concessit eidem recipere tertiam partem proventuum Ecclesiasticorum regni sui ad sumptus sacræ expeditionis. Narrat hæc Parisius: qui se anno sequenti missum fuisse jussu Innocentij Pontificis ab Abbate suo S. Albani in Norvegiam ad restituendam in cœnobio Holmensi regularem S. Benedicti disciplinam, ipsemet de se testatur. Eundem tamen falsò asserere quæ diximus de tertiâ parte proventuum, cônstat ex literis Innocentij [x] ad eundem Regem, quibus nonnisi vigesimam ad triennium concedit; nimirùm juxta decretum Concilij Lugdunensis. Cæterùm de isto Haquino nihil, ut diximus, Krantzius in Historiâ illius gentis: sed Haquino hujus patri Olavum quendam subrogatum [y] in regno; Olavo Ericum, qui extremâ senectute pervenerit ad annum Christi trecentesimum.

[t] Epit. Baron. an. 1028. III
[u] An. 1241. XXIV. 1246. VIII.

HAQUINUM CORONAT IN REGEM NORVAGIÆ.

[x] Reg. Innoc. IV. an. 5. 13. Cal. Dec.

[y] Krantz. 6. Norvag. 2. & 3.

VIII.

Addit verò Parisius, prædictum Haquinum, sive Haconem, à Rege Francorum Ludovico rogatum secum in Terram Sanctam transmittere; gratiis actis excusâsse periculum oborturæ inter utrumque populum dissensionis: petiisse tamen concedi liberum sibi ad portus ejus appulsum, si fortè in transitu aliquâ re indigeret; atque Ludovicum libenti animo literas ei publicas eâ de re indulsisse, quas idem recitat. At verò Haconem, aut quòd illegitimo cùm esset concubitu procreatus, hæc omnia finxisset ad obtinendam ab Innocentio coronam regni, & gratiam unctionis, (observat enim Parisius [z], non ab antiquo Reges Norvegiæ consecrari consuevisse) aut quòd aliis negotiis distentus fuerit, nequaquàm in Syriam transmisisset; constat ex eo quòd nulla penitus ejus mentio reperiatur apud sacrarum expeditionum scriptores, qui singulos earum proceres diligentissimè memorare consueverunt.

HAQUINUS DESERIT NEGOTIUN CRUCIS.

[z] Paris. an. 1251.

IX.

Sed quod legationem Guillelmi Cardinalis attinet: scribit prætereà Ioannes [a] Magnus, eum *Scheningiæ* vetustissimo Ostrogothorum oppido ditionis Sueticæ *Concilium* celebrâsse. Quo tamen anno non ponit: cùm nihilominùs certum sit malè ipsum in Historiâ suæ gentis sub Gregorio IX. Pontifice illud collocâsse, rectè verò in Metropoli sub Innocentio, quandoquidem nonnisi sub Innocentio Guillelmus crea-

[a] Io. Magn. Hist. Goth. & Sueon. l. 19. c. 15. & Merop. Vpsal. l. 3.

tus fuit Cardinalis, quamvis etiam sciamus, eum quoque sub Gregorio, antequam crearetur Cardinalis, legatione functum fuisse ad partes Septemtrionales; sed magis versùs Livoniam & Prussiam, ac cæteras neophytorum populorum provincias. Celebratum autem prædictum Concilium fuisse sequenti anno existimamus, postquàm præsenti res vicinæ Norvegiæ Legatus composuisset. Sanè ante annum Domini millesimum ducentesimum quinquagesimum factum, inde evidenter intelligitur, quòd qui ei interfuit unà cum Iarlero Vpsalensi Archiepiscopo cæterisque Episcopis ac regni Proceribus, piissimus Rex Ericus Balbus diem eo anno obierit. Hoc autem Concilio primam curam Legati fuisse Ioannes tradit, revocare Suecos & Gothos à schismate Græcorum, in quod sacerdotes ductis publicè uxoribus consensisse videbantur: effecisséque ut abjuratis conjugibus & concubinis cœlibatum amplecterentur: transgressores verò hujus statuti omnibus proventibus, dignitatibus, ac privilegiis, & libertatibus Clericali ordini annexis privâsse, gravibúsque pœnis & censuris, ac judicio sæculari subjecisse hæcque & alia ejus Concilij decreta confirmata fuisse ab Alexandro IV. Innocentij successore, atque aliis Summis Pontificibus. Quæ, inquit, si hactenùs æquè diligenter observata fuissent, quemadmodùm piè & ad publicam concordiam instituta fuerunt, non solùm Christianam Rempublicam Suetici felicem haberent, sed etiam regnum ex omni parte beatum ad successores transmitterent. Intelligens videlicèt de mutatione religionis; cùm vixerit ipse eo tempore quo Suetia abdicatâ fide Catholicâ hæresim Lutheranam sive Calvinianam amplexa est.

GUILL. LEGATUS CONCIL. IN SUETIA CELEBRAT.

X. DIŒCESES ORDINAT IN PRUSSIA.

Reperitur item in Historiâ Polonicâ[b] idem Guillelmus Legatus Prussiam, à Crucigeris eorúmque adjutoribus cruce signatis ad hoc tempus subactam, atque adeò etiam dum subigendam, mandato & auctoritate Innocentij Papæ tribus diœcesibus, nempè Varmiensi, Sambiensi, & Pomesanensi, distinxisse; Culmensi antiquiori in suo statu relictâ: háncque distinctionem Innocentium confirmâsse. Quamvis hæc narrans Cromerus, significare videatur, quando ea præstitit Guillelmus nondum fuisse Cardinalem, sed dumtaxat Episcopum Mutinensem: ac proptereà hæc potiùs referri debere ad anteriorem Guillelmi in Poloniam legationem, cujus meminimus ante biennium[c]. Quid verò prætereà in hâc postremâ gesserit, nullibi reperimus: ex prædictis autem satis intelligere licet, eum præclarè ritéque Ecclesias ubique composuisse, ac mores disciplinámque restituisse; qui reversus in Galliam ad Innocentium obiisse dicitur[d] Lugduni anno 1251. & ad Prædicatores sepultus cum præclaro zeli, fidei, & pietatis elogio.

[b] Cromer. l. 8.
[c] An. 1245. II.
[d] Ap. Ciaccon. in Vit. Pontif. sub Innoc. IV.

XI. INNOC. PP. CURAT RES ECCLESIÆ ORIENT. PER FRATRES MINORES.

Cùm verò credidisset aliam nobilem juxtà atque difficilem legationem Innocentius Fratri *Laurentio* Ordinis Minorum Pœnitentiario suo, in Orientem, per Armeniam, Iconium, Turchiam, Babyloniam; & ad Græcos omnes tam per Græciam, quàm in Antiocheno & Ierosolymitano Patriarchatibus atque in regno Cypri commorantes; necnon ad Iacobitas, Maronitas, & Nestorianos; datísque posteà literis eundem monuisset ut Græcos universim à Latinorum molestiis defenderet: conquerente Patriarchâ Ierosolymitano Latino, prædictum Laurentium fines suæ potestatis excedentem, sibi inhibuisse ne curæ Græcorum ultrà sese ingereret, indéque Græcos sibi aliàs subjectos exemptionem à pristinâ & ordinariâ jurisdictione causari: Scribens hoc anno mense Iunij ad eundem Laurentium Innocentius, præcepit ne ullo modo ejusmodi jurisdictionem turbaret haud enim se illud mandâsse, sed tantùm ut Græcos à malignorum incursibus Apostolicâ auctoritate defensaret. Alisque literis mense Augusti idem de Græcis utriusque Patriarchatûs Antiocheni & Ierosolymitani confirmans, illos tantùm Græcos curare jussit, qui nunquam fuissent illis subjecti. Laudavit autem eum de impensâ solicitudine in alliciendo ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ Patriarchâ Græcorum, ejúsque suffraganeis. Quas ejus his de rebus literas continet Regestum ipsius; ex quo descripsit Waddingus[e]: necnon & epistolas ad eundem Pontificem à Catholico seu Patriarchâ Orientis, per quendam Fratrem Andream, quem Innocentius ad eum miserat; itémque à Patriarchâ & Primate Iacobitarum, unà cum ipsorum Nestorianorúmque fidei professione, redditas; quibus inter cætera primatum Romanæ Ecclesiæ insigniter agnoscunt, ejúsque Pontificem mirificis titulis efferunt.

[e] Annal. Minor. an. 1247.

XII. SUMMA ÆQUITAS LUDOVICI FRANCORUM REGIS.

Hoc item anno Ludovicus Francorum Rex cùm se ad iter Orientale accingeret, egregium summæ pietatis & æquitatis exemplum præbuit; cùm missis per universum regnum Religiosis Prædicatoribus & Minoribus, indixit ut quisquis suo quoquo modo jure à ministris suis fraudatus fuisset, satisfactionem (modò injuriam debitúmve legitimè probaret) ex fisco recepturus compareret; quod & mandatum esse executioni, Parisius hæc narrans affirmat.

XIII. SANGUINIS CHRISTI PARS DELATA IN ANGLIAM.

Quo eodem auctore habemus, receptum à Rege Angliæ omni thesauro pretiosius munus cujusdam partis *Sanguinis Christi* quem effudit in Cruce, transmissum sibi in vasculo crystallino è Terrâ Sanctâ à Magistris Templi & Hospitalis, cum authenticis testimoniis Patriarchæ Ierosolymitani, cæterorúmque Prælatorum Palæstinæ; delatum fuisse solemni sacrâ processione propriis Regis manibus ad Ecclesiam Cœnobij Westmonasteriensis: exemplo Ludovici[f] Francorum Regis, qui portionem sacratissimæ Crucis eodem Christi Sanguine irrigatæ in sacrum suum sacellum portaverat. Ejusmodi verò conservatas fuisse alias etiam partes veri Christi Sanguinis in terris, certum redditur ex eo quem Mantuæ repertum aliàs[g] retulimus: & alio quem nos ipsi in Ecclesiâ S. Maximini Provinciæ Phocæensis in Galliis vidimus, collectum à S. Mariâ Magdalenâ sub Cruce cum terrâ; qui singulis annis in Parasceve perlectâ Christi passione ebullire consuevit cùm reliquo tempore cernatur in eâdem terrâ desiccatus: cæterisque similibus exemplis, quæ collegit Franciscus Collius Collegij Ambrosiani Mediolanensis Doctor libro quinto.[h] De Sanguine Christi: (quibus poterat & istud Parisij, aliúdque de quo inferiùs[i], adnumerare:) ubi & disputat quomodò Sanguis ille in terris remanserit post Christi resurrectionem absque ullo detrimento perfectionis ipsius corporis.

[f] Suprà an. 1238. VI.
[g] In Epit. Baron. an. 804. I.
[h] Coll. lib. 5. cap. 2.
[i] Infrà an. 1259. I X.

XIV. IACOBUS PANTALEO. PATRIAR. IEROSOL.

Hoc denique anno mortuo *Roberto* Patriarchâ Ierosolymitano Latino, suffectum ei esse *Iacobum Pantaleonem* natione Gallum, patriâ Trecensem, ex Episcopo Virdunensi, ac sedisse annos quatuordecim, Onuphrius ponit in Chronico. At Richardus Wasseburgensis in Historiâ Episcoporum Virdunensium, Iacobi translationem ad Patriarchatum nonnisi anno 1256. collocat sub Alexandro IV. cùm Alexander, ut ait, audito, quòd decessor ejus Patriarcha submersus fuisset unà cum plurimis aliis Christianis per Saracenos in mari Syriaco, eum ex Episcopo Virdunensi Patriarcham fecit. Nec verò potuit citiùs id contingere, si verum fuerit quod in Serie Episcoporum Virdunensium, decessor Iacobi ponitur tantùm mortuus anno 1252. Cùm autem fuerit idem Iacobus post obitum Alexandri creatus Pontifex; propterea non potuit Patriarchatu fungi ultra quinquennium quo tempore plura de illo dicentur.

IESU CHRISTI Annus 1248.

INNOC. IV. An. 6.

BALDUINI II. An. 20.

I. FRIDER. TURPITER FUGATUR À PARMENSIBUS, CUM RERUM OMNIUM AMISSIONE.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, Indictione sextâ, cùm Fridericus, qui jam per septem menses obsidionem Parmæ continuaverat, (nam quod plurimi ferè biennium eam tenuisse scripserunt, nisi partem duorum annorum interpretemur, erroris excusare non poterimus) rerum omnium ab obsessis, ob creditam eorum debilitatem, propè securus, scortorum gregi lasciviens per nemora colluderet, (ut Blondus ex oculato teste refert; cùm nonnulli recentiores post morbum quo aliquamdiù laboraverat, recreandi aucupio animi causâ è castris exiisse tradant:) eâdemque negligentiâ atque securitate otiosi plerique milites viam quæ à castris in urbem ducebat inermes deambulando compleßent, Germani verò & Saraceni sagittarij extra castra sua ad quandam urbis portam impetum pro occasione facturi conglobati essent; hâc diu expectatâ occasione usi obsessi, post invocatum Dei & Beatissimæ Virginis auxilium, præcedente vexillo cum Imagine ejusdem Virginis, magnis animis protinùs tam populus quam milites erumpentes, Victoriam urbem adorti, custodibus oppressis ac fortissimè dissipatis, magnâ inermium armatorúmque promiscua cæde, urbe ipsâ castrisque, antequam Fridericus recurrere auxilio posset, & exercitus ad prœlium ordinari, potiti sunt: occiso etiam Thaddæo Friderici Iudice, & Victoriæ custode; qui videns cives erumpentes, subsannans dixerat, eos esse mures exire de cavernis. Fugatis autem, vel captis cæteris hostibus universis, ipsoque Friderico pari fugâ turpiter sibi consulente; ingens capta est præda, cum universo thesauro & pretiosâ supellectili Friderici; atque imprimis coronâ Imperiali magni ponderis & pretij; quippe ampla, & ex auro gemmis pretiosis intextis confecta, ut magis dignitati Imperij, divitiarúmque ostentationi quam capitis ornamento serviret. Captum quoque est Carrocium Cremonensium, quod in castris erat & Victoria igne consumpta.

II. AUCTORES QUI REM DESCRIPSERINT.

Rem ad memoriam insignem descripsêre Blondus [a] & Sigonius [b] ex auctore, ut diximus, qui interfuit: significârúntque iidem ipsi Parmenses Bonifacio de Salâ Prætori Mediolanensi literis post redditas Deo gratias scriptis, quas recitat Matthæus [c] Westmonasteriensis. Descripsêre item eandem breviter Parisius [d], (qui tamen victoriâ Parmensibus concessisse ait ope B. Rogeri Episcopi Londinensis, cùm quem olìm Parmenses illàc transeuntem rebus suis spoliârant, jam voto restitutionis facta, placâssent:) Paduanúsque [e], Ricordanus [f], Villanius [g], Corius [h], Bossius [i], Nauclerus [k], Krantzius [l], & alij. Eandémque elevare conatus Fridericus literis [m] ad suos datis, tribuit occultæ proditioni nonnullorum exulum. Vbi & id accidisse ponitur die Martis decimo-octavo Februarij: cùm in prædictis literis Parmensium signetur duodecimus, apud alios alij, conveniant tamen omnes in mense Februarij. Addit Parisius, Innocentium Pontificem, cùm hæc audîsset, gaudio magno exultantem dixisse.

Ad laudem Christi Victoria victa fuisti.

Collenutius verò ait, Parmenses eversâ funditùs urbe Victoriâ, hos versiculos in loco conspicuo posuisse,

Per te Rex alme cessit Victoria Parmæ;
Antiphrasi dicta cessit Victoria victa.

[a] Blond. 2. dec. 7.
[b] Sigon. de reg. Ital. l. 18.
[c] Vvestmon. in Florileg. hoc an.
[d] Paris. hoc an.
[e] Pad. Chron. lib. 2.
[f] Ricord. cap. 138.
[g] Vill. lib. 6. cap. 35.
[h] Cor. par. 2.
[i] Boss. in Chron.
[k] Naucler. gen. 42.
[l] Krantz 8. ax. 14.
[m] Ap. Pet. de Vin. 2. ep. 41.

FRIDERICI CRUDELITAS IN EPISCOPUM.

Nec omittendum, hanc in se divinam vindictam accelerâsse Fridericum, ex eo quòd tribus antè diebus ausu nefario Marcellinum Episcopum Aretinum, Pontificis causam defendentem, per suos Saracenos publicis contumeliis delusum, ac per plateas tractum, turpiter suspendisset in patibulo primâ Dominicâ Quadragesimæ: qui posteà claruit miraculis. Vt de his constat ex publicâ epistolâ Rainerij Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Archidiaconi, quam recitat Parisius anno sequenti: referuntúrque eâdem aliæ Friderici neces diversis aliis Episcopis ac Religiosis illatæ, ac Summo etiam Pontifici & quibusdam Cardinalibus intentatæ, multáque horrenda scelera ac sacrilegia in sacras Christi Domini & Beatissimæ Virginis aliorúmque Sanctorum Imagines, per eosdem ipsius Saracenos perpetrata.

III. FRIDER. ITERÙM AGGREDITUR PARMAM SED IRRITO CONATU.

Cæterùm Fridericus acceptâ Parmensi clade Cremonam fugiens, triduo pòst (ut ipse [n] scribit) restaurato exercitu novâ Parmam obsidione premere instituit: eóque ducens, Parmenses levibus aliquot cladibus affecit; quas ipse more suo exaggerans, id maximè prædicat quod Bernardus Rossius sororius Pontificis occisus fuerit. Caruit autem & hic novus conatus alio effectu. Florentiam tamen in suas partes coëgit; multas alias civitates in obedientiâ retinuit; nonnulla adversariorum loca destruxit: cùm nihilominùs vigilantiâ Octaviani Cardinalis & Gregorij Montelongi Legatorum Apostolicorum, atque fortitudine Mediolanensium, Bononensium, cæterorúmque populorum Guelforum qui à Pontifice & Ecclesiâ stabant, res Friderici & Gibellinorum post prædictam Victoriæ cladem retrò passim in Italiâ præcipiti gradu ire cœperint. Quæ ut se habuerint, prosequuntur illorum populorum historici.

[n] Ap. Pet. de Vin. ibid. & epist. 42.

IV. GUILL. HOLLANDUS CORONATUR REX ROM.

In Germaniâ verò *Guillelmus* Romanorum Rex electus, post longam urbis Aquisgrani obsidionem, retentis per constructos aggeres aquis, quibus locus abundat, (unde & urbi nomen) eam invadens ad deditionem compulit: ingressúsque eam ultimâ die mensis Octobris, posterâ, nimirùm festo Omnium Sanctorum, inauguratus & coronatus est in Regem Romanorum. Cujus solemnitatis ritum, ut tum observatus est à Principibus Electoribus, aliísque ibi præsentibus, inseruerunt suis Chronicis Ioannes à Leidis [o], Renerus Soneius [p], & Ioannes Trithemius [q]. Ait tamen Parisius, hanc ejus coronationem à multis nullam existimatam esse, eò quòd ei non interfuissent ex Electoribus Duces Saxonum & Bavariæ, quoniam Conradus filius Friderici duxerat filiam Othonis Bavari, & ipse Fridericus filiam Saxonis ducturus erat si reconciliaretur Ecclesiæ. Verùm cùm disertè iidem omnes auctores adstitisse ponant unà cum aliis inaugurationi Guillelmi, Ducem Saxoniæ ensiferum, & Ducem Bavariæ Palatinum Rheni Archidapiferum Regni; etiam non fortè interfuerint præcipua illarum familiarum capita, nihil tamen est quod eorum absentiam Parisius causetur, cùm ex iis qui de Electoribus diligentiùs egerunt [r] intelligatur, tunc temporis Electoralem dignitatem ita annexam fuisse Ducatui Bavariæ, (cur verò non & pariter Saxonico?) ut omnes ac singuli ejus familiæ Principes jus haberent eligendi. Subdit autem Parisius, cùm inter hæc Conradus ad solvendam Aquisgrani obsidionem potentem collegisset exercitum, ab occurrentibus ei Crucesignatis grandi strage fugatum, ad patrem sese in Italiam recepisse.

[o] Io. à Leid. l. 23. c. 6.
[p] Snoi. l. 7.
[q] Trith. in Chron. Hirsaug.
[r] Gewvold. de Septem-vir. Imp. cap. 10.

V. CIRCUMCELLIONUM NOVA HÆRESIS.

Sed quod armis non potuit Fridericus, Conradúsve; id per falsa dogmata efficere conatus dæmon, pessimam excitavit hæresim, quam hoc ipso anno initium accepisse in Sueviâ ponit Albertus Stadensis tum vivens & videns; & ex eo posteà Albertus Krantzius [s], qui ejus sectatores vocat *Circumcelliones*: fortè quòd circum cellas vagarentur, ut olim secta quædam Donatistarum pessima. Audebant enim dicere Papam esse hæreticum, omnésque Episcopos & Prælatos simoniacos & hæreticos; ac nec illos, nec alios quoslibet sacerdotes, quòd essent in vitiis & peccatis mortalibus, habere auctoritatem ligandi atque solvendi, vel etiam consecrandi: neminem omninò, nec quidem Papam, Episcopósve, interdicere posse divinis officiis & sacramentis: Religiosos Prædicatores & Minores, Cistercienséque, atque alios, Ecclesiam pervertere falsis prædicationibus, pravámque vitam & injustam ducere. In fine verò suarum prædicationum addebant, indulgentiam quam ipsi darent, non à Papâ confictam, non à Prælatis compositam, sed ex Deo omnipotenti se impertire. Denique non esse memoriam habendam Papæ, sed orandum pro Friderico & Conrado. Quos hæreticos cùm tueretur Conradus, re in contrarium versâ, docti undique viri adversus ista tam frivola & rustica dogmata contendentes, effecêre ut omnis nobilitas Conradum desereret, ipséque cogeretur clàm ac velut profugus exire de Sueviâ in Bavariam. Hæc ij auctores.

[s] Krantz. 8. Metrop. 18. & 8. Saxon. 16.

VI. S. LUDOVIC. FRÂC. REX SACRAS RELIQUIAS MITTIT ECCLESIÆ TOLET.

Hoc eodem anno S. Ludovicus Francorum Rex in procinctu expeditionis Orientalis sanctissimis Reliquiis Ecclesiæ Toletanæ religionem augere desiderans, per Ioannem ejus Archiepiscopum misit particulam Ligni sanctæ Crucis, unam de Spinis Coronæ Dominicæ, de Lacte Beatissimæ Virginis, de Tunicâ purpureâ Domini, ac de Pannis infantiæ ejus, séque ejusdem Ecclesiæ Cleri orationibus commendavit. Cujus eâ de re scriptam mense Majo epistolam recitat Mariana [t]. Liberaliores enim Franci in Hispanos, sæpè illos hujusmodi sacris donis ornârunt, necnon & corpora integra Sanctorum concesserunt: cùm ipsi econtrà petenti nuper Annæ Reginæ Christianissimæ piissimæ conjugi Ludovici Iusti, licèt Hispanæ vix digitum manûs S. Isidori, nec nisi clanculùm præcisum, impertire sustinuerint. Sed decet Francos ita agere; ut qui Reges eorum fide Catholicâ imbuerunt olim, etiam in eâ sacris donariis confirment.

[t] Mar. Rer. Hisp. lib. 13. cap. 8.

VII. NAVIGAT IN ORIENTEM.

Idem verò Rex Ludovicus relictâ matri suæ Blancæ regni curâ, cujus prudentiæ & pietati summè confidebat, feriâ sextâ post Pentecosten Parisiis movens, unà cum Odone Cardinale Episcopo Tusculano Sedis Apostolicæ Legato, & duobus suis fratribus Roberto Comite Atrebatensi, & Carolo Andegavensi, atque uxoribus tam Regis quàm fratrum, magnóque Antistitum ac Procerum Comitatu; (sumpserat quidem Crucem etiam Alfonsus alius Regis frater Comes Pictaviensis, sed tamen permansit hoc adhuc anno in Galliâ cum matre Blancâ ad Regis tutelam: uxórque Roberti, quòd uterum gestaret, è portu domum revertit, transmissura posteà cum eodem Alfonso:) deductus extra civitatem ab omni ordine cum processionibus, Lugdunum contendit, & benedictione Pontificis munitus, secundo flumine Rhodani ad Fossas Marianas, quas dicunt Aquas mortuas, delapsus est: ibíque (ut disertè habent Nangius, & Chronicon Dionysianum, cùm alium locum, aliúmque diem nonnulli intrudant) octavo Calendas Septembris navim conscendens, biduo pòst feriâ sextâ velis se dedit, & decimo-quinto Calendas Octobris Cyprum tenuit, insulam longè omnium opportunissimam res Syriæ Ægyptíque classe tentantibus: inque illâ ob imminentem hiemem, & quòd nondum naves quibus omnis generis tela & commeatus deferebantur advenerant, morari constituit usque ad vernum tempus: persuasus quoque à Cypri Rege Henrico (Alexium quidam vocant) Lusiniano, qui & ipse suscepta cum suis majoribus Cruce, se cum Rege trajecturum promisit. Atque intereà exorta pestilentia non paucos è Proceribus, plures è plebe sustulit. Natam verò gravissimam inter Insulæ Archiepiscopos Latinum & Græcum, quòd Latino Græcus parêre recusaret, indéque secutam inter Cyprios Francósque discissionem, Odo Legatus, dum in procinctu certaminis essent, prudenti industriâ pacavit. Qui cùm etiam de his Innocentium Pontificem certiorem fecisset, ac de diversis ritibus quibus Græci à Latinis discrepabant quid decernendum esset petiisset; respondens posteà Pontifex, qui Græcorum ritus tolerari possent quíve omninò corrigi deberent, constitutione [u] ad eum missâ significavit.

HIEMEM TRANSIGIT IN CYPRO.

[u] Ext. Bull. tom. 1. Innoc. V. const. 14. ex Reg. Vatic.

VIII.

Extremo autem ferè mense Decembri hu-

LITTERAS IBI ACCIPIT à PRINCIPE TARTARO CHRISTIANO FACTO.
[x] *Ap. Vinc. l. 31. c. 91.*

jus anni appellentes ad Ludovicum Regem nuncij unius è præcipuis Tartarorum Principibus Ercalthay nomine, literas ab eo linguâ Persicâ characteribus Arabicis detulerunt cum hâc inscriptione [x], *Per potentiam Dei excelsi missi à Rege terræ Chaam Ercalthay Regi magno provinciarum multarum propugnatori strenuo, orbis gladio, Christianitatis victoriæ, religionis Apostolicæ defensori, legis Evangelicæ filio, Regi Francorum. Augeat Deus dominium suum, & conservet ei regnum suum annis plurimis; & impleat voluntates suas in lege & in mundo nunc & in futurum, per veritatem divinæ conductricis hominum & omnium Prophetarum & Apostolorum, amen; centum millia salutum & benedictionum.* Post quæ prosperam expeditionem adversus Mahometanos precatus, certiorem faciebat tum se longè priùs, tum tribus ante hâc annis summum ipsorum Chaam sive Imperatorem (inductum matris suæ Christianæ, & sanctissimi cujusdam Episcopi nomine Malassiæ hortationibus; quando & legationem Fratrum Minorum ad eum pervenisse vidimus [y];) unà cum maximâ parte Principum gentísque Tartarorum abjuratâ idololatriâ fidem Christi suscepisse: missúmque se cum potentissimo exercitu ad destruendum Caliphам Baldaci, & Saracenos extirpandos: proinde Rex Ægyptum impugnaret ut distractis eorum viribus, pessima secta deleri posset: audivisse verò se de adventu Ludovici, per literas Soldani Ninives, sive ut vocabant Mussulæ, Christianitatis studiosi, cujus & ipse amorem à matre Christianâ hauserat; quem Soldanus Babyloniæ, sibi hinc à Francis, illinc à Tartaris metuens, (quibus repellendis non solus ipse, eò maximè quòd esset ipsi cum cæteris Soldanis dissidium, quos sibi subjicere conabatur, sufficeret) falsò illatæ à se cladis Ludovico nuncio in partes suas reducere tentaverat. Hæc Ercalthay literis indicans, diligentiùs ore nunciorum Ludovico significavit.

MAGNUS CHAAM TARTARORUM FACTUS CHRISTIANUS.
[y] *An. 1245. V.*

IX. LUDOV. REX NUNCIOS AD EUM MITTIT CUM MUNERIBUS.

Quæ cùm etiam consona reperirentur aliis literis de rebus Tartarorum nuper à Conestabili Armeniæ ad Regem Cypri directis; ingenti gaudio nuncios Ercalthay Rex Ludovicus suscipiens, die Natali Domini, ac sequenti Epiphaniâ, secum ad Ecclesiam cum honore ductos, mensæ abhibuit: muneribúsque donatos ad propria remisit, junctis suis ad magnum Chaam & Ercalthay nunciis: per quos & particulas Crucis Dominicæ, & elegantissimum misit Chaamo tentorium coccinum, quod mirâ phrygionis arte Christi Domini pro salute humanâ perpessa ludibria graphicè expressa continebat: hortatúsque est literis suis ad perseverantiam in fide quam susceperant, & ut optima initia incremento sanctitatis in dies adaugerent. Sicuti & Odo Legatus tam eisdem Imperatori Principíque, quam eorum Prælatis, eandem fidei constantiam & Romanæ Ecclesiæ obsequium aliis literis prædicavit. Legationis verò Regiæ princeps fuit Frater quidam Andreas Ordinis Prædicatorum, qui quòd jam anteà eas terras peragrâsset, hominum regionúmque peritus erat.

X.
[z] *Vinc. l. 31. c. 89. & seqq*
[a] *Ibid. c. 105*
SCRIPTORES EXPEDITIONIS S. LUDOVICI.

Narrat hæc omnia pluribus Vincentius Belvacensis in suo Speculo [z] Historiali. Cui cùm semel finem imposuisset [a] anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Innocentij Pontificis secundo, Regni Ludovici decimo-octavo, Imperij Friderici trigesimo tertio, (uti tempora signat) inserere posteà visum est quæ cum Tartaris gesta fuêre per missos ad eos ab Innocentio Pontifice; & quæ per Ludovicum Regem in hâc priori contra Saracenos expeditione usque [b] ad annum Domini millesimum ducentesimum quinquagesimum, ipsius Regis vigesimum quartum: Vir laboriosissimæ diligentiæ cùm in aliis suis scriptis quæ recensentur à Trithemio, tum præcipuè in quatuor *Speculis* digerendis, Naturali, Doctrinali, Morali, Historiali; quæ petente Francorum Rege, & sumptus præbente, composuit; quorum tamen Morale sunt [c] qui ei auferre conentur, alij [d] qui firmiter conservent; quibus & nos libentiùs adhæremus. Cæterùm quæ de his rebus Ludovici habet, eadem verbatim exscripsit Guillelmus Nangius in Rebus gestis ejusdem Regis; ac posteà ferè Antoninus in suo Chronico [e]; elegantiori verò stylo polivit Continuator [f] Belli sacri. Eadem contractiùs idem Nangius in Chronico, & Gaufridus in Vitâ [g] ejusdem Regis, Gaguinus [h] & Æmilius in Historiâ Francorum; atque attigêre Parisius, Blondus, Nauclerus, cæterique omnium penè gentium historici atque Chronographi qui Latinè scripserunt: præter illos qui etiam vulgari [i] sermone Gallico in tam magni sanctique Regis laudem & gloriam eadem memoriæ mandârunt.

[b] *Ibid. c. 101. in fin.*

VINCENTII BELVAC. SPECULA.
[c] *Bellarm. de Script. Eccl.*
[d] *Vvadding. Annal. Minor. an. 1245.*
[e] *Ant. tit. 19. c. 8. §. 21. & cap. 9. §. 1.*
[f] *Contin. Bel. sacr. l. 4.*
[g] *Ap. Sur. 25. Aug.*
[h] *Gaguin. l. 7. Æmil. l. 7.*
[i] *Ionvill. in Vit. S. Ludov. Chron. Dionys. Bellefor. Annal Fräc. l. 4. c. 12. & seqq. & alii.*

XI. QUÆNAM ALIA REX LUDOV. PRÆSTITERIT IN CYPRO.

Quomodò verò etiam advenerint in Cyprum ad Regem Ludovicum Regis Armeniæ legati, (postquàm idem Rex devicto ope Tartarorum Soldano Iconij cui suberat, in libertatem se asseruisset) ipséque Rex Ludovicus ad componendam quæ diuturnè viguerat inter eundem Armeniæ Regem & Principem Antiochiæ ingenti rei Christianæ damno atrocem discordiam, suos item miserit, cum auxiliaribus copiis ad repellendos Turcomanorum insultus: Quomodò item Meledinus Babyloniæ Soldanus nihil non moverit ut cæteros Soldanos sibi contrarios in auxilium suum adduceret, ac per Magistrum Templariorum injectis subdolis de pace sermonibus Ludovicum Regem à cœptâ expeditione demoveret; denique & quosdam in Cyprum immiserit, qui Regem cum ducibus exercitûs veneno necarent: Quomodò insuper plurimi Saracenorum qui multò antè à Christianis capti fuerant, visâ Ludovici sanctitate, licèt ad eam diem abduci ab insitâ de Mahomete persuasione non potuissent, sacrum baptismum susceperint: Hæc inquam, aliáque nonnulla quæ dum Rex hibernaret in Cypro contigerunt, plerique iidem auctores prosequuntur.

XII. RATIO TEMPORIS CONVERSIONIS CHAAMI.
[k] *Hayth. c. 23.*

Cùm verò ex iisdem nullum omninò relinquatur dubium, quin Rex Ludovicus hoc ipso anno transmiserit in Cyprum; venerintque ad eum Tartarorum legati, denunciantes Chaamū jam triennio antè baptismum suscepisse; idémque literis suis jam antè Regi Cypri significâsset Conestabilis Armeniæ: est omninò ut asseramus, deceptum fuisse Haytonum [k] Armenum, cùm primam Chaami ad Christum conversionem nonnisi post Regis Armeniæ ad eum iter, quod suscepit anno Domini 1253. contigisse scribit; quod & Sanuto [l] ac cæteris recentioribus errandi occasionem præbuit in constituendâ eâdem conversione eo anno, vel sequenti. Cæterùm cùm hoc eodem tempore idem

[l] *San. lib. 3. par. 13. c. 6.*

Ercalthay nuncium quoque misisset Ioannem presbyterum capellanum suum ad Innocentium Papam; idem Ioannes captus in Siciliâ à Conradi ministris, non nisi post mortem Conradi, quæ contigit anno 1254. liberari potuit, & ad Innocentium pervenire, quo demùm anno Innocentius ad eumdem Sartach (ita enim vocat, quem alij Ercalthay) literas [m] scripsit de conversione gratulatorias, excusans moram ob diuturnam ejus nuncij detentionem.

[m] *Reg Innoc. in litt. secret. n. 12. & ap. Vvaddingh. Annal. Minor. tom. 2. an. 1254.*

XIII. HISPALIS CIVITAS CAPITUR À REGE CASTELLÆ.

Hoc eodem anno *Hispalis* civitas Bæticæ caput, ad extremum Hispaniæ occasum sita, atque in primis Europæ nobilis atque opulenta, deditione capta est à Ferdinando Castellæ Rege, post difficilem decem & sex mensium obsidionem, quo spatio in justæ urbis speciem castra conformata fuerant: exemplo fortè Victoriæ Fridericianæ apud Parmam: sed longè feliciori exitu; ut æquum erat vincere qui pro fidei dilatatione pugnabat, vinci qui Fidelium oppugnationem toto nisu agitabat. Novembris de vigesimâ septimâ centum Maurorum millia promiscui sexûs & ætatis urbe egressa, pars in Africam trajecit, pars per alia Hispaniæ loca ipsorum dissipata est: mense verò Decembri die vigesimâ secundâ publicâ supplicatione & apparatu Rex in urbem ingressus, in templo maximo, quod in eam rem expiatum erat, sacris interfuit: Archiepiscopus urbi datus: & tributorum immunitate abs Rege propositâ, multi mortales totâ Hispaniâ convenientes, domicilium in eâ collocârunt. Hæc pluribus Mariana.[n]

[n] *Mar. l. 13. cap. 7.*

XIV. TERRÆMOTUS IN SABAUDIA.

Eodem fermè tempore in Sabaudiæ valle Maurianâ horribili terræmotu aliquot pagi scissis montibus & scopulis obruti sunt, pereuntibus novem circiter millibus hominum, cum infinito animantium numero. Quam cladem narrans Parisius, existimavit eam illis immissam esse in vindictam usurarum, libidinum, simoniarum, latrociniorum, homicidiorum, quæ tam ipsimet incolæ inter se, quàm præcipuè in itinerantes & peregrinos inhumaniter exercere non erubescebant.

XV. PRÆDICATIO DÆMONUM AD EPISCOPOS.

Quo eodem anno ponit Cantipratanus [o] pavendam historiam quæ, accidit Parisiis in concione Episcoporum ibi collectorum: nimirùm cùm clericus quidam coram eis publicè prædicare compulsus, angustiaretur quî posset satisfacere, dæmonem ad eum jussu divino, ut dicebat, accedentem jussisse hoc tantùm prædicare, *Principes infernalium tenebrarum, Principes Ecclesiæ salutant. Læti omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsis eorum nobis afferuntur subditi, & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter ferè mundus:* hæsitantis clerici maxillam, ad faciendam fidem, tactu nigram reddidisse, quæ, factâ cum omnium stupore ejusmodi brevi prædicatione, aquæ benedictæ lotione in pristinum statum rediit. Hæc Cantipratanus; qui videre potuit. Quibus similia aliàs etiam diversis locis ad morum emendationem ab invitis dæmonibus cogente Sancto Spiritu peracta reperias: Eorúmque pariter occasione non pauca sæpè conficta in odium Ecclesiasticorum.

[o] *Cantipr. l. 1. c. 20. §. 8.*

IESU CHRISTI Annus 1249.

INNNOC. IV. An. 7.

BALDUINI II. An. 21.

I. PETRI DE VINEIS MISERANDUS EXITUS.

ANNO Christi 1249. Indictione septimâ Fridericus eximperator, Entio Rege Sardiniæ filio suo cum firmâ Germanorum manu in Lombardiâ relicto, in Apuliam rediit: ubi gravi morbo correptus, cùm potionem veneno dilutam ei Petrus de Vineis ejus curiæ Iudex & Cancellarius, cujus frequens facta est mentio per suum medicum parâsset, occultæ fraudis ab amicis monitus, venenóque perceleri interitu nonnullorum morte damnatorum comprobato, medicum suspendio necari, Petro oculos erui jussit, eundémque per multas civitates in ostentationem circumductum, Pisanis ipsi inimicissimis cruciandum tradi. Quod ut Petrus audivit, caput ad columnam, ad quam alligatus fuerat, tanto nisu allisit ut cerebrum excusserit. Ita Parisius, & post eum Volaterranus [a], atque Sigonius [b]. Collenutius [c] autem, Petrum à Friderico ob animadversa in eo fidei dubiæ ac proditionis signa, apud S. Miniatum in Tusciâ oculis privatum, conscientiæ stimulis agitatum sibimetipsi mortem in publico omnium conspectu conscivisse. Húncque tandem vitæ finem sortitus est laudatissimus eo tempore doctrinâ & eloquentiâ vir, ab eo, cujus toties scelera excusaverat, partes studiosissimè contra jus fásque foverat. In eo maximè reprehensibilis (inquit Trithemius [d]) quòd Friderico adhærens, contra Ecclesiam Romanam stolidus latravit. Vnde [e] & condigna mercede ab eo remuneratus est, cùm ei oculos eruit. Hoc præmium (inquit) eorum qui Principibus contra obedientiam Romanæ Sedis & Vicarij Christi deserviunt, & post hæc nisi pœniteant ad inferos miseri descendunt.

[a] *Volat. l. 23. Anthrop.*
[b] *Sigon. l. 18.*
[c] *Collen. l. 4*
[d] *Trith. de Script. Eccl.*
[e] *Id. in catal. vir. illustr.*

II. CALUMNIAM PASSUS EST.

Quòd autem eum prædicti auctores, & qui eos secuti sunt, proditionis insimulant; id per meram aulicorum invidiam ei contigisse, est Ricordani [f] & Villanij [g] (hi candenti lance æreâ oculis objectâ excæcatum volunt) qui iisdem propemodùm temporibus vixerunt, itémque Fulgosij [h], quorundam aliorum sententia. Volaterranus autem ait, eum priusquam sibi mortem consisceret, composuisse de consolatione libellum. Platina [i], scripsisse olim tractatum de Potestate Imperiali, quo omnium rerum arbitrium Imperatori tantùm adscribebat; quem Innocentius Papa contrario scripto confutavit. Qui verò ejus nomine circumferuntur sex libri Epistolarum, quas ex Friderici domini sui suâque personâ ad diversos conscripsit non paucas etiam continent quarum ipse nequaquàm auctor esse potuit, cùm non solùm post ejus, verùm etiam post ipsius Friderici mortem à Manfredo aliisque exaratas esse constet. Fuisse denique patriâ Capuanum, ex iisdem epistolis [k] certissimè intelligitur: confirmántque iidem Volaterranus, Fulgosius & alij: ex quibus Trithemium arguas, dum eum nationi Germanicæ asserere sategit.

EJUS SCRIPTA.

[f] *Ricord. cap. 131.*
[g] *Vill. lib. 6. cap. 23.*
[h] *Fulgos. 6. exempl. 11.*
[i] *Plat. in Innoc. ad fin.*
[k] *Pet. de Vin. 3 epist. 43. & 45.*

III. ENTIUS REX

Aliâ verò Italiæ parte cùm Entius Sardiniæ Rex valido exercitu Bononiensium agrum inire decrevisset; ipsi, stimulante Octaviano Car-

SARDINIÆ PRÆLIO CAPITUR A BONONIENSIBUS.

[l] Parif. Paduan. Sigon. &c.
[m] Ricord. Villan. Collen. Cor. &c.
[n] Ap. Pet. de Vin. 2. ep. 34. & 3. ep. 47.
[o] Vid. Sigon. lib. 18. in fi.
[p] Ricord. cap. 140. & 197. Villan. lib. 6. c. 38. & lib. 7. cap. 42. Anton. tit. 19. cap. 6. §. 2. in fi. & tit. 20. cap. 2. §. 5.

dinale Vbaldino Apoſtolico Legato, magnis animis ei apud Mutinam occurrentes, acerrimo eundem prœlio profligarunt menſe Maio, hujus, ut quidam [l], ſeu ut alij [m] habent, ſequentis anni: captúmque cum pluribus aliis glorioſiſſimo triumpho Bononiam deduxerunt; ſancitâ lege ne ullo unquam tempore dimitteretur, ſed uſque ad exitum vitæ in cuſtodiâ ſumptu publico aleretur. Quod adeò ſervârunt, ut nullis [n] nec minis nec precibus Friderici ipſius patris, ſed nec permutatione [o] captivorum, nec denique immensâ oblatâ redemptione (tradunt enim auri tantum quantum ad cingenda circulo urbis mœnia ſatis eſſet ſpopondiſſe) permoti, totos fermè viginti tres annos detinuerint uſque ad mortem, quæ contigit anno 1272. Et quamvis monumentum publicum Bononiæ ad rei memoriam poſitum, teſtetur illum in cuſtodiâ regio more habitum; ſunt tamen probatiſſimi auctores [p] Itali, qui ſcribant eum à Bononienſibus caveæ ferreæ incluſum fuiſſe, poſt mortem tamen honorificè ſepultum in Eccleſiâ S. Dominici: in quo finem habuerit progenies viperea Friderici.

IV. LUDOVICUS REX FRANC. APPELLIT DAMIATAM

Intereà eodem menſe Maio præſentis anni Ludovicus Francorum Rex collectis in unum copiis ſuis, quæ per inſulam Cyprum diſperſæ ad hiberna fuerant; ſabbato poſt feſtum Aſcenſionis conſcensâ navi, conjunctâque Cypriâ juventute cum ſuo Rege; & dum ob ventorum difficultatem & maris inclementiam moras traheret, receptis interim novis Guillelmi Villæ-Arduini natione Franci Achaiæ Principis, & Roberti (Hugonem alij vocant) Ducis Burgundiæ auxiliis; penultimâ die Maij ſolvens, 4. die Iunij feriâ ſextâ ad portum Damiatæ in Ægypto appulit. Cúmque paratos in littore ſub ſignis cum telis tormentiſque Saracenos excenſionem prohibituros, Niliíque oſtia firmiſſima triremium naviúmque præſidio munita conſpexiſſet, poſterâ nihilominùs die ſigno exſcenſionis dato, prævióque de more una naviculâ S. Dionyſij vexillo, (quod Auriflammam dici, & ſemper exercitum antegredi conſueviſſe, aliàs vidimus) ipſe mox aliâ cimbâ, ſacratiſſimo ſigno Crucis nudo & aperto erecto, unà cum Legato Apoſtolico incedens, fratribus Regis cum cæteris Principibus atque proceribus circumquaque comitantibus, atque aliis omnibus omni navium genere, quantum illæ ferre potuerunt ad littus prorumpentibus; unuſquiſque ut ſcapham navímque maris altitudo deſtituebat, in aquam ſabulúmque, nequicquàm hoſtibus obnitentibus, deſiliens; ubi in juſtum numerum coacti pedem pedi virum viro conferre, ac Chriſtianæ triremes ad claſſem hoſticam tendere cœperunt; tum pedites hoſtium tum claſſiarij fugam inire, & ad urbem properare conſpecti ſunt, nullo penè Chriſtiano deſiderato, magnâ verò fugientium Saracenorum ſtrage editâ, in quâ & cecidit Strapes ille cui urbis & littoris cuſtodia fuerat à Soldano concredita.

V. EAMQUE A SARACENIS DERELICTAM INGREDITUR.

[q] Sup. an. 1218. & 1219.

Vnde & tantus divinitùs invaſit reliquos milites civéſque pavor, ut urbem ampliſſimam maximis munitam, firmatam, inſtructam opere, præſidio, commeatu, telis, tormentis, quam potentiſſimus Chriſtianorum exercitus ſub lectiſſimo duce Ioanne Brennenſi vix poſt ſeſquennem [q] obſidionem, ac ne ſic quidem, niſi peſtilentiâ faméque domitam capere potuerat: inito conſilio, paulò antè lucem diei ſequentis; (quæ Dominica erat, eadémque octava poſt feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis) ponte navali conſtructo, publiciſque atque privatis ædificiis injecto igne, deſerentes, per averſum à caſtris Chriſtianorum fluminis alveum omnes cujuſcumque ſexûs ætatis & conditionis, humeris quicquid potuêre rerum pretioſarum efferentes, ſeſe in ulteriorem ripam ſubduxerint. Quibus Rex auditis, cùm per miſſos in urbem exploratores fraudem abeſſe comperiſſet, ignémque extingui, civitatem immunditiis atque ruderibus purgari præcepiſſet; decretis à Legato in gratiarum actionem ſupplicationibus, idem Rex unà cum eodem Legato, Patriarchâ Ieroſolymitano, Epiſcopis, cæteriſque Clericis ac religioſis qui ex omni natione coïerant, Principibus item atque proceribus, universóque exercitu, urbem nudis pedibus & capite ingreſſus eſt, & in majori moſqueâ ritu Eccleſiaſtico reconciliatâ ſacrum à Legato in honorem Beatiſſimæ Virginis celebratum audivit. Cùm verò poſt hæc eſſent in conſilio qui dicerent utendum victoriâ, & antequàm barbarus animos aut vires reſumeret, Caïrum ſuperſtitionis & gentis arcem (hanc nonnulli antiquam Memphim, alij Babylonem Ægypti eſſe volunt) petendam: quamvis hæc ſententia fortis viſa, illa tamen cautior ob memoriam ſuperioris [r] belli, ne ante circumactam quâ Nilus inflari conſuevisset diem, quæ inſtabat, caſtra moverentur.

[r] An. 1221. XVI.

VI.

PERGIT ULTERIUS ADVERSÙS SARACENOS.

Tranſactâ igitur in otio æſtate Damiatæ, (quo tempore pleróſque in omne genus vitiorum, luxuum, atque libidinum ſeſe effudiſſe, unde poſteà rerum hominúmque pernicies juſto Dei judicio ſubſecuta fuerit, Ionvillæus qui aderat conqueritur) appellantéque ad eam cum novo militum ſubſidio ac rerum neceſſariarum ſupplemento, Alfonſo Comite Pictavienſi Regis fratre die Dominico ante feſtum SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ; Rex 20. die Novembris cum terreſtribus & navalibus copiis Damiatâ movens, in barbaros duxit ad urbem Pharamiam, ſeu Maſſoram dictam, ſuper Nilo, ubi Soldanus coactas undique ſuorum copias continebat; ac levibus in itinere proſperis certaminibus decernens, ad rivum Taneos è Nilo effluentem, qui propter aquarum profunditatem & riparum altitudinem immeabilis erat, caſtra metatus eſt, Saracenis ex alterâ parte ſua habentibus: quorum intereà Soldanus Meledinus morbo extinctus eſt apud Cayrum, relictâ rerum adminiſtratione Farchardino ſtrenuiſſimo ſuo Admirato, (ſic enim plerique noſtri Satrapas Soldanorum vocant corruptè, quos illi Emmiros) quouſque filius ſuus ex Oriente adveniret, quò miſſus fuerat ad ſedandas cæterorum inter ſe diſſidentium Soldanorum inimicitias, & auxilia accerſenda, de quo dicetur anno ſequenti. Quæ verò præſenti geſta retulimus, deſcribuntur ab iiſdem auctoribus quos anno præterito citavimus; necnon à Sanuto [s] Torſello, & aliis: ſed prolixiùs à Ionvillæo, ut qui rebus interfuit, paulóque in nonnullis diverſiùs.

[s] Sanut. lib. 3. par. 12. cap. 2.

VII.

[t] Vid. ſupr. an. 1247. XI.

Inter quæ cùm ſollicitè urgeretur à Fr. Laurentio Minoritâ negotium unionis Eccleſiæ

VNIO ECCLESIÆ GRÆCÆ TRACTATUR PER MINORITAS.

Græcæ, nec viderentur abhorrere Ioannes Imperator & Manuel Patriarcha: ut id uberiùs ageretur, misit hoc anno Innocentius Papa ipsummet Generalem [u] Ordinis Minorum *Ioannem Parmensem* in Græciam, scriptis ad Imperatorem & Patriarcham literis, quibus Angeli pacis eum nomine commendavit. Qui munus injunctum tantâ sanctitatis & sapientiæ ex ištimatione obivit [x], ut verus Christi discipulus ab omnibus censeretur: creditúrque rem tandem feliciter confecturus fuisse, nisi Pontificis & Imperatoris mors dum ea tractarentur intervenisset. Siquidem & missam fuisse ad hoc à Græcis ad Innocentium nobilem legationem duorum Archiepiscoporum totidémque Comitum, reperimus in Regesto Alexandri [y] successoris Innocentij: de quâ dicetur sub ejus Pontificatu.

[u] *Vvadding. hoc an.*
[x] *Anton. tit. 24. c. 9. §. 5.*
[y] *Reg. Alex. IV. epist. 325. an. 2.*

VIII. CISTERCIENSES DISPENSANTUR AD STUDIA.

Hoc eodem anno (ut Parisius habet) Cistercienses Monachi, ne forent ampliùs contemptui Fratribus Prædicatoribus & Minoribus atque sæcularibus eruditis, novum impetrârunt privilegium, ut Scholas frequentando darent operam Theologiæ, Decretis, & Legibus; ad quod & nobiles sibi Parisiis atque alibi ubi Scholæ vigebant erexerunt mansiones.

IX. RELATIO PARISII DE QUIBUSDAM SACRIS.

Quod verò idem auctor subdit de lapide albi marmoris, Christi pedum habente impressa vestigia, è Terrâ Sanctâ delato in Angliam à quibusdam Fratribus Prædicatoribus; deceptus est aliorum relatu, (homo alioqui omnis antiquitatis ignarus) dum credidit fuisse ea vestigia Domini in cœlos ascendentis. Non enim lapidi, sed terræ sive arenæ ea miraculosè impressa fuisse, aliàs [z] probatissimis veterum Patrum testimoniis ostendimus. Sed potuit esse unus aliquis ex iis lapidibus, quos Baronius [a] ab iis qui viderunt se accepisse testatur, etiamnum in imo vallis quam torrens Cedron præterfluit reperiri ejusmodi Christi pedum vestigiis notatos. Notandum verò quod idem Parisius observat de relictâ ipso Domino impressione faciei suæ, quæ Veronica dicitur: ut non oblatrent hæretici, inventum hoc esse Clericorum Romanorum cujus & nos [b] ex eodem Baronio antiquiora testimonia retulimus. Habet insuper idem auctor, visum hoc tempore in confinio Walliæ puerum, quem à matre dæmoni succubâ generatum ferebant, qui nondum sex menses natus plenè dentatus erat, & proceritate corporis adolescentem septemdecim annorum æquabat; cujus mater post partum languore correpta protinus emarcuit, & miserè extincta est. Econtrà verò in insulâ Vecte inventum alium octodecim annorum adolescentem, qui vix tripedalem staturam attingeret; quem Regina Angliæ ut ostentum secum circumferri præceperit.

[z] *In Epit. Baron. an. 34. LXIV.*
[a] *Bar. Annal. tom. 1. an. 34. LXVI. & nos in Epit. eod. an. num. XX.*
[b] *d. an. 34. XLII. Vide etiam suprà an. 1216. XI.*

NONNULLA PUERORUM MONSTRA.

X. ALEXANDRI REGIS SCOT. OBITUS

Mortuus item hoc anno die tertiâ Iulij ab eodem auctore ponitur *Alexander* Rex Scotorum ejus nominis Secundus, laudatissimus Princeps; sed qui (ut idem auctor addit) sub finem vitæ à tramite justitiæ declinans, dum Oenum Argatheliæ dominum, unum è primoribus suis proceribus injustis armis persequi destinâsset, exscendens è navi quâ in eam insulam delatus fuerat, quasi divinâ vindictâ subitò & lethali morbo percussus est. Ita Parisius tunc vivens & scribens, qui scire potuit ob locorum proximitatem; nisi imponi sibi & in hoc passus fuerit, ut in aliis frequentissimè. Quippe auctores [c] Scoti, etiamsi morbo Regem hoc eodem anno in insulâ mortuum agnoscant, longè tamen aliter rem narrantes, volunt Sumerledum Argatheliæ Thanum, (hoc est gubernatorem, seu præfectum) filium alterius Sumerledi, quem post alteram seditionem Rex Malcolmus hujus Alexandri II. patruus in crucem egerat, patris insistentem vestigiis à Rege defecisse; sed à Regis ducibus victum in deditionem eâ lege venisse, ut suspenso ex collo laqueo supplex ad Regem veniret; eóque peracto veniam impetrâsse: Regem autem non multò pòst morbo correptum decessisse anno ætatis quinquagesimo primo, regni trigesimo quinto. Quibus equidem plus fidei quàm Parisij loquacitati tribuerim. Successit autem Alexandro filius ejusdem nominis, puer vix dum octavum ætatis annum egressus, qui ut pacem cum potenti vicino conservaret, filiam Henrici Anglorum Regis in uxorem accepit [d].

[c] *Boeth. l. 13. Lesle. lib. 6. Buchan. l. 7.*
[d] *Infrà an. 1251. in fin.*

XI. ITEMQUE RAYMUNDI ULT. COM. TOLOSANI.

Hócque item anno mortuus est *Raymundus*, de quo sæpè superiùs, Comes Tolosanus; cùm rediens ab Aquis-mortuis Provinciæ Phocæensis, ubi Alfonso fratri Regis Ludovici generóque suo, ac filiæ suæ uxori ejus, navigatione Orientali ad Regem properantibus occurrerat; (falluntur enim qui Raymundum ante Regis abitum mortuum esse, & Alfonsum soceri morte præpeditum cum Rege tunc navigare non potuisse scribunt:) morbo correptus, apud Amilianum Ruthenensis tractûs (non Mediolanum, ut quidam ineptè habent) defunctus est 5. Calendas Octobris, sumptis magnâ cordis contritione, & corporis demissione, sanctis Ecclesiæ Sacramentis: sicuti videre est apud Guillelmum de Podio [e] Laurentij qui interfuit, & Guillelmum Catellum [f] qui ex iis aliisque monumentis rem dilucidavit. Fuit autem hic ultimus Comitum Tolosanorum: qui multis sæculis magnâ potentiâ dominantes, tandem ob labem hæresis divinitùs extincti sunt; unicâ superstite hujus filiâ Ioannâ, quæ nupta prædicto Alfonso fratri Regis Ludovici & absque liberis defuncta, universam hæreditatem transtulit ad Coronam regiam, ex pactis olim [g] Lutetiæ conventis.

[e] *Pod. Laur. Chron. c. 48.*
[f] *Catell. de Com. Tolos. l. 2. c. 6. in fin. & 7. in pr.*
[g] *Suprà an. 1228. X.*

IESU CHRISTI Annus 1250.

INNOC. IV. An. 8.

BALDUINI II. An. 22.

I. ROBERTUS FRATER LUDOVICI REGIS OCCIDITUR À VICTIS HOSTIBUS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo, Indictione octavâ, dum nostrorum in Ægypto conatus in fluvio Taneos transmittendo, hostium tormentis & missili igne eluduntur; demùm indicante paulò inferiùs vadum, quamvis admodùm difficile, quodam Saraceno è castris hostium ad Regem transeunte; die Martis carnis privij, octavo Februarij, transmisso amne, ubi in locum æquiorem pars exercitûs evasit, quam Robertus Comes Atrebatensis frater Regis Ludovici ductabat; is vir animosissimus majora ausus

quàm sine totius exercitûs robore perficere credibile erat, in hostium castra impetum faciens, magnâ ipsorum strage factâ, dum fugientes effusissimè persequitur, ab iisdem animadversio inordinato insequentium progressu signa convertentibus interceptus ad urbem Massoram, cum multis aliis nobilibus interemptus est: victoriâ tamen diuturni illius ac ferocissimi conflictûs, & aliorum qui subsequentibus diebus, postquàm universus exercitus extructo sublicio ponte transmissus est, initi sunt, Christianis cedente, occisis clarissimis barbarorum ducibus. Quibus quanta ediderit sanctus Rex fortitudinis miracula potiùs quàm exempla, (adeò ut terrori cunctis hostibus existens, etiam semel à sex ferocissimis Saracenis seorsùm interceptus, solus se ab eorum manibus fulmineis ictibus eos contundendo ac fugando eruerit) ex Ionvillæo, qui & ipse strenuam in iisdem certaminibus operam exhibuit, intelligi potest.

REGIS FORTITUDO MIRABILIS.

II. MORBIS ET PENURIA CONCIDIT EXERCITUS.

Cùm verò post aliquod temporis spatium repentè novus Soldanus Melechiala, defuncti nuper Meledini filius, cum immensis barbarorum auxiliaribus copiis ex Oriente advenisset; & jam Christianos palustribus locis morbus pestilens incessisset, quo pedibus intumescentibus, cruribus tabescentibus, ore putrescente, capite gravedine affecto, nec incedere eis dabatur, nec consistere per hostes licebat, à quibus sine ullâ intermissione lacessebantur; obstructísque terrâ Nilóque itineribus, nihil commeatûs à Damiatâ reciperetur: in tantas omnium rerum difficultates reducti Christiani, de reditu cogitantes, imprimis Regem Ludovicum, gravi & ipsum morbo laborantem, hortari Proceres cœperunt, ut paratâ naviculâ clàm secundo flumine (quod facile foret) Damiatam ferretur: eo namque incolumi res integras fore, quantâlibet cæterorum jacturâ. At negante illo se suos deserturum, sed quamcunque Deus daret subiturum cum eis fortunam affirmante; dum castra difficillimè ob ingentem ægrorum multitudinem movent, ab hostibus locis iniquis circumventi, post acre & longum pro sanorum exiguitate & minùs languentium debilitate certamen, multitudine hostium obruti, tam Rex ipse quàm duo ejus fratres Alfonsus Pictaviensis & Carolus Andegavensis Comites fortissimè pugnantes in manus hostium devenerunt; cæterique fermè omnes, paucis admodùm fugâ prolapsis, aut cæsi aut capti fuêre, die quintâ Aprilis feriâ tertiâ post octavas Paschæ, ægrotis ad unum interemptis: Deo fortassis propter quorundam peccata tantam cladem permittente, vel ut illustrior sancti Regis virtus & patientia appareret.

REX CAPITUR CUM FRATRIBUS.

III. CRUCIFIXUS À BARBARIS FLAGELLATUS ET CONCULCATUS.

Quando & impiissimi barbari, præter contumelias in Salvatorem nostrum jactatas, Christianis inspectantibus Crucifixi effigiem flagellis cædentes, ac per summum ludibrium sputis fœdantes, in Christianæ religionis dedecus pedibus conculcârunt. Ludovico tamen Soldanus medicos eorum morborum expertos tradens, etiam ea omnia quæ curando recreandóque corpori necessaria essent subministrari jussit. Cujus captivitatem eodem ipso momento revelatam fuisse Gerardo socio Ministri Generalis Minorum, tunc concionem habenti in foro Constantinopolitano, & ab eo circumstanti populo cum fletu nunciatam; legitur in Annalibus Minorum [a]. Cùm verò audita eadem fuisset Damiatæ, dolore correpta Margarita Regina Ludovici conjux, cùm partui esset proxima, magno vitæ periculo filium peperit, cui in baptismo Ioanni nominato cognomen *Tristandi* inditum est, ob miserias temporis & parentum calamitatem atque tristitiam.

[a] Vvadding. hoc an. in pr.

IV. PACTA CUM HOSTIBUS CONVENTA PRO LIBERATIONE REGIS AC SUORUM.

Vbi autem Rex paulò recreatus est è morbo solicitatus cum minis à Soldano de induciis, (quæ fuit etiam insigne providentissimæ divinæ potentiæ testimonium, ut quos facillimum erat omnibus rebus spoliatos perdere, non indignis pactis in libertatem assererent) his tandem conditionibus in decennium eas pactus est, ut Rex, ejúsque fratres, cæterique omnes cujuscumque conditionis Christiani, qui ab eo tempore quo Fridericus tunc Imperator pacem cum Soldano hujus avo inierat in eam diem capti fuissent, è Soldani ditionibus liberi dimitterentur: terræ omnes quas Christiani in adventu Regis Ludovici in regno Ierosolymitano obtinebant, quietè ab iisdem possiderentur: res cunctæ quas Christiani Damiatâ secum efferre non possent, eis posteà integræ restituerentur cùm peterent: Vice verò versâ Rex Damiatam restitueret; (cujus scilicèt retinendæ nulla jam spes erat;) Saracenos omnes totâ Syriâ & Ægypto captivos ab eâdem pace Fridericianâ factos liberaret; octingenta Byzantiorum Saracenorum millia (nempè, ut Ionvillæus interpretatur, quadraginta librarum millia) pro redemptione captivorum, & damnis illatis, ac belli sumptibus numeraret. Nisi quòd idem auctor observat, Regem indignum judicantem personam suam hujusmodi pecuniariæ redemptioni subjici, renuisse eam comprehendi, sed pecuniam pro suis, Damiatam pro se obtulisse.

V.

Prædictis autem pactionibus firmatis, cùm Soldanus unà cum Rege ad recipiendam Damiatam pergeret, subito Mammaluchorum furore, (erant * hi è Christianis ut plurimùm servi emptitij, sive in bellis capti, unde & *Mammaluchorum* nomen, quod propriè servum sonat, robur exercitûs constituentes; quippe quibus post fidem abjuratam, vel aliàs Sultano oppigneratam, ad militarem disciplinam egregiè instructis custodia Sultanorum Ægypti concedebatur, eâdem auctoritate apud eos pollentes, quâ posteà Genitzari apud Turcorum Imperatores:) sive occasione pactæ cum Ludovico pecuniæ, ut quidam habent, sive ut alij hortatu Emmirorum, hoc est procerum, qui sibi ab ejus crudelitate timebant, aut aliâ quâcumque; die secundâ Maij cùm à prandio surgeret, spectante conniventéque nobilitate, frustatim gladiis concisus est: ultimus existens Soldanorum descendentium de genere & stirpe Arabum per lineam famosi Saladini. Eodémique impetu iidem ad Regis tabernaculum strictis gladiis accurrentes, tantùm non & ipsum confoderunt; quem divinâ protegente clementiâ, & majestas oris & dignitas vultûs ab ejusmodi proditorum vesaniâ servavit. Quinimmò & tractâsse Emmiros sive Admiratos, consideratâ Regis fortitudine & virtute, de illo in Soldanum evehendo, sed ob summam ejus in Christianâ religione constantiam, ab eo proposito destitisse;

* Vide infrà an. 1501.

MAMMALUCHI QUI?

SOLDANUS NECATUR AB IIS.

TRACTANT DE LUDOVICO REGE IN EJUS LOCUM

Subrogando.

Ionvillæus narrat, qui ei semper fideliter adhæsit, & magna pars rerum manu & consilio fuit. Renovatis autem pactis quæ cum Soldano stabilita fuerant cùm ea jurejurando utrimque firmanda essent, primò jurârunt Emmiri, si ea non implerent, velle se talem infamiam incurrere, qualem qui pro suis peccatis nudo capite peregrinatur ad sepulchrum Mahometis; & qualem qui dimissam semel uxorem denuò recipit; ac denique qualem Saracenus qui carnem porcinam comedit, quæ maxima omnium fuisse Saracenorum juramenta, hæc narrans idem Ionvillæus ait. Cùm verò vicissim peterent illi, jurare inter alia Regem, si fidem falleret, se Christum Deum negâsse intelligeretur; tam impium carmen Rex detestatus, etiam si mortem non assentienti minarentur, nec deessent qui hoc jusjurandum licitè præstari posse viri docti qui apud eum erant persuadere vellent; mortem tamen se potiùs subiturum constanter respondit, quàm ut vel mente conciperet, vel ex dentium vallo eam formulam sibi elabi sineret. Cujus constantiam Saraceni admirati, eum illâ absolverunt.

VI. Fabula de sacra Euchar. pignori data a S. Ludovico.

Ex quibus fabulam illam quorumdam recentiorum, antiquis omnibus ignoratam refellas; quâ tradunt Regem in fidei suæ pignus, ciborium cum sacratissimâ Eucharistiâ tradidisse. Præterquàm enim quòd Saraceni nihil tale pensi habuissent; qui Rex piissimus quem Deum suum tantâ conscientiâ coleret, impiissimorum barbarorum ludibriis committere sustinuisset, qui nec dubiæ jurisjurandi formulæ sese submittere induci potuit? Sunt autem qui conjiciant [b], inde fabulam ortam, quòd Saraceni aurum eo tempore cudisse reperiantur cum figurâ azymi calici superimpositi, eâ formâ quâ in sacris uti solitum; eandémque posteâ suis stromatis sive tapetis indere consueverint. Quod etiam in contumeliam Christianorum ab hostibus effictum fuisse, longè propius verò videtur: cùm Rex ipse (sicuti etiam ex antiquis Villanius [c] Florentinus observavit) in memoriam sumendæ aliquando de tantâ clade à perfidis Saracenis vindictæ, monetæ à se cusæ boias carceratorum (*le bove de' prigioni*) alterâ parte impresserit. Sunt enim *boiæ* (ut Festus & Isidorus [d] habent) genus vinculorum tam ligneorum quàm ferreorum; seu torques damnatorum, quibus colla illigabantur, ut boves jugis, unde & nomen acceperunt: fitque earum mentio apud Plautum [e], & frequenter in antiquis Actis Martyrum. Quæ ut puto quidam non animadvertentes, scripserunt Ludovicum Regem nummis suis taurum cancellis circumscriptum impressisse.

[b] Contin. Bel. sacr. lib. 4. cap. 7. &c.

[c] Vill. 6. hist. 37.

[d] Isid. 5. Orig. 27.

[e] Plaut. in Asin. sc. 2. act. 3. & in Capt. sc. 1. act. 4.

VII. Barbari non stant promissis.

Restitutâ porrò à nostris Damiatâ, Rex cum suis Ptolemaidem petens, captivos omnes Saracenos à dominis pretio redemptos nullâ cunctatione remisit, sperans Christianos pariter secundùm pacta restitutum iri. Sed Saracenorum Emmiri, (sive fuerit Turqueminius unus ex ipsis, quem multi ponunt à Mammaluchis confestim suffectum in locum Soldani cæsi; cùm tamen nec Ionvillæus, nec Nangius, nec Rex ipse epistolâ suâ, de quâ mox, ullam de eo mentionem habeant, sed omnia cum Emmiris post necem Soldani transacta peractáque velint:) servili barbaráque fide, ex duodecim millibus Latinorum, qui post discessum Friderici alij alio tempore capti fuerant, quadringentos tantùm dimisêre, eósque haud sine pretio: qui etiam de cæteris rebus Damiatæ relictis nihil voluêre remittere: & quod longè fuit immanius, ex captivis ægrotos omnes trucidavêre; aliósque egregios adolescentes Christianos ad fidem abjurandam adhibitis ad eorum cervices gladiis compellentes, quos metus ad scelus impulit circumcidi præcepêre, constantes martyrio sustulêre.

VIII. De trecentis cæcis, eorúmque domo Parisiis a S. Ludovico constructa.

Ferunt [f] & trecentos nobiles captivos, sive obsides in Ægypto relictos, ab iisdem barbaris excæcatos, & ad Regem pretio remissos quorum tametsi nulla apud eorum temporum historicos mentio reperiatur, rem tamen satis probatam volunt erectione ac dotatione insignis domûs hospitalis dictæ vulgò Quindecim-viginti, factâ Parisiis à sancto Rege ad eos recipiendos & enutriendos. Sanè domum illam & hospitale ab eodem Rege constructam esse confestim post suum ex Syriâ reditum ad recipiendos & alendos trecentos cæcos, nullus est dubitandi locus; cùm extet visa à nobis (beneficio Petri Frizonij nobis amicitiâ ac necessitudine conjunctissimi, Doctoris Theologi Parisiensis, & in magnâ Franciæ Eleemosynariâ, à quâ dicta domus pendet, Vicarij generalis) archetypa constitutio Alexandri Papæ Quarti, data Anagniæ 10. Kal. Augusti Pontificatûs ipsius anno sexto: (qui fuit Domini 1260.) quâ Regem alloquens, *Cùm* (inquit) *sicut ex parte tuâ fuit propositum coram nobis, tu quamdam domum ad opus cæcorum Parisiensium, & in eâ Ecclesiam in honorem S. Remigij, de novo duxeris construendas, &c.* (concedit eas visitantibus indulgentias (Itémque ipsius Ludovici diploma datum Meleduni anno 1269. mense Martio, de quâdam annuâ pensione in sustentationem eorumdem cæcorum à se constitutâ, quo statuit, *quòd in domo & congregatione pauperum cæcorum Parisiis numerus trecentorum perpetuò observetur.* Neutrobi tamen ulla mentio trecentorum illorum militum excæcatorum à barbaris: sicuti nec in aliâ constitutione Clementis Papæ Quarti datâ anno ipsius Pontificatûs primo (nempè Christi 1265.) duodecimo Calendas Octobris, pro illius domûs eleemosynarum collectoribus. Nec denique vllam antiquiorem ejusmodi trecentorum nobilium à barbaris excæcatorum memoriam reperimus, quàm Sixti Papæ Quarti constitutionis, anno ipsius Pontificatus decimo-tertio Christi 1483. pro eâdem domo hospitali Quindecim-viginti cæcorum (ut vocat, & primò S. Remigij, posteà S. Ludovici nuncupatam ait) datæ ad petitionem administratoris prædicti hospitalis: quâ narrat, dictâ petitione contentum esse, dum S. Ludovicus Terram Sanctam à manibus Infidelium eripere conaretur, trecentos ex ejus militibus ab iis excæcatos fuisse; eúmque post reditum in suum regnum, *ob memoriam sempiternam præmissorum Hospitale prædictum pro receptione Trecentorum pauperum cæcorum utriusque sexûs erexisse.* Quibus verbis cernis totam hujus rei difficultatem solutam: ut scilicèt Rex in memoriam quidem prædictorum Trecentorum militum excæcatorum, hospitale pro pari numero cæcorum utriusque sexûs erexerit; at non quòd

[f] Volater. Geogr. lib. 3. & alij posteriores.

iidem ipsi à barbaris excæcati in illud transvecti fuerint. Quæ paulò fusiùs tractanda duximus, ad tollendas apud nostrates omnes hujus controversiæ anxietates.

IX. Rex consilium capit moram faciendi in Oriente.

Cæterùm cùm non habens Rex quo posset fallacias Saracenorum ulcisci, (vix enim ex triginta duobus millibus armatorum quos domo eduxerat, præter Cyprios & Græcos, ad sex millia supererant) de reditu in Europam consilium caperet; cedens tamen Principum Syrorum rationibus, non videri ex re provinciam deserere, quando nihil tutum à Saracenis esset, qui etiam eo præsente contra fidem interpositam omnia labefactarent; esséque non contemnenda præsidia à Christianis recuperata, quæ communienda viderentur; cúmque immineret à Soldano Alapiensi bellum in Turqueminium, ob usurpatum ab eo, veris extinctis Principibus, Imperium Ægypti, si victor Alapiensis exiret, Syriam continuò haud dubiè invasurum: His, inquam, rationibus Rex, & quòd ex discordiâ Saracenorum spes affulgeret recuperandi captivos, nec non dulcedine sacrorum locorum & cupidine restituendi quæ barbari diruerant, in Syriâ retentus; utrumque fratrem ad matrem consolandam in Gallias remisit. Quæ omnia hactenùs de rebus ejus relata, collecta à nobis sunt ex prolixiori narratione auctorum quos initio regiæ expeditionis produximus: ita ut dimissis nonnullis quæ inter aliquos reperiuntur, ut fit, diversitatibus atque differentiis, ea tantùm apposuerimus quæ plurium ac probatiorum testimoniis nituntur; maximéque epistolâ ad suos ab ipsomet Rege Accone scriptâ mense Augusti hujus ipsius anni quando fratres remisit; quam legere licet in calce tomi primi Gestorum Dei per Francos.

X. Parisii de expedit. Ludovici hallucinationes.

Minimè verò omnium attendenda quæ de his Parisius habet: quippe qui eodem tempore ea scriptis mandans quæ publicis rumoribus pro cujuscumque libito de rebus tam longinquis in Angliam ferrentur, mirè se involvit, & absque ullo judicio multa inepta immiscet; túmque præcipuè cùm de Guillelmo Longaspatâ è regio sanguine Angliæ, aliísque Anglis qui in Ludovici exercitu militabant agendum fuit: & si superis placet, totam hanc Christianorum cladem extorsionibus Papalibus, & collectis pecuniarum obtentu sacri belli factarum, quas etiam plus solito amplificat, tribuit, ac plaustris injuriarum non solùm Francos, verùm etiam Innocentium Pontificem onerat. Post quæ præclara elogia & emblemata, narratámque Friderici eximperatoris mortem, (de quâ mox) repetitis breviter iis omnibus quæ insigniora per orbem à quinquaginta annis accidissent, finem imposuisse Operi suo videri voluit. Quod confirmans etiam Westmonasteriensis, qui post eum scripsit, in suo Florilegio, nihil de iis quæ pòst sequuntur apud eumdem auctorem, utrùm ejusdem vel alterius fuerint, meminit. Nos tamen tam ex modo loquendi quàm res tractandi, aliísque certissimis argumentis, nihil omninò dubitamus quin eidem Parisio tribuenda sint usque ad annum 1259. sicuti etiam annotavit ibi nonnemo: cætera [g] namque usque ad finem quin alterius sint, nemini non patet.

Quousque historiam suam perduxerit.

[g] Vid. Infr. ann. 1259. VII.

XI.

Antequàm autem ad alia progrediamur, ut quæ reliqua sunt expeditionis regiæ exequamur; habet insuper Ionvillæus, postquàm Rex in libertatem assertus est, advenisse à Friderico eximperatore legatum, specie quidem procurandæ liberationis Regis, quem adhuc à Soldano detentum existimabat; reverâ autem ut tam ipsum quàm ejus principes ac proceres arctiori custodiâ detineri, cum Soldano ageret. Ex quibus intelligas, significationes illas Friderici, quas literis ac verbis, aliquando etiam & factis ostentavit propensioris in Ludovicum animi, fucos potiùs fuisse malignæ ipsius malevolentiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

Friderici insidiæ in Regem Ludovicũ.

XII. Epistola consolatoria Innocentii Pontif. ad Regem.

Non sic Innocentius Pontifex: qui auditâ Regis calamitate, sincerè & ex animo egregiam epistolam consolatoriam & corroboratoriam misit 2. Id. August. Lugduno per nuncios. In quâ inter alia est apostrophe ad Christum Dominum his verbis. *Liceat quæso Domine Iesu, servorum tuorum servi sciscitari paulisper, quod tam asperè purgandum fuit in Christo tuo Christianissimo Principum, tibi se suos & sua in tanto fidei fervore exponente? aut quid duxisti tam severè plectendum in devotissimo populorum populo, ducem suum tantâ promptitudine in præceptorum tuorum laboribus subsequente? Ostende clemens Pater ostende, ne fidelium tuorum devotio ruat in scandalo, tibíque cedant severiùs judicandi, si punire voluisti zelo animadversionis congruæ peccatores, aut probare justorum patientiam gloriosiùs coronandam. Si enim decrevisti eos ideò tanto tribulationis igne purgandos, ut fierent parato ipsis inenarrabilis mercedis, quæ merita supplicum & vota præcellit, præmio digniores; tibi laus, tibi actio gratiarum, qui per hoc dignatus es prærogare laborantibus fructum, quem eis spes productior edidisset. Si autem punire tam acriter, sed temporaliter voluisti tuorum vel ingratitudinem, vel peccatum, misericorditer cum illis dispensans ne perpetuò damnarentur; quis dixerit tuum hoc, quantumlibèt durum in hominibus, iniquum esse judicium, qui terrenum habent & sordidum fundamentum in coinquinatione inevitabili domos luteas inhabitantes, cùm luna non sit munda in conspectu tuo, & in stellis repereris pravitatem?* Inde ad Regem sermonem convertens; *Intende*, inquit, *Rex inclyte, Dei potentia Damiatam Ægypti januam, quæ vix humanis laboribus obtineri multo tempore potuisset, miraculosâ facilitate in manibus tuis dedit: in quo fortè tibi & his quos tecum disposuit de hostium futurâ decipulâ eruendos benignâ miseratione providit, ut liberandis opportunum redemptionis præmium non deesset. Sed quis scit si quisquam congratulantium successibus, vel aliorum fidelium animis ex hoc in jactantiam erectus humanum homini aliquatenus, & non totaliter nomini Domini gloriam arrogârit? Cepimus igitur à curiositate inquisitionis hujus, quæ forsitan veniâ opus habet: & confiteamur in humilitate spirituum Domino Deo nostro, benedicentes nomen ipsius excellentissimæ potestatis, & cantemus ei in consolationis ubere, in gaudio spiritûs, & dicamus, Omnia quæ fecisti nobis Domine in vero judicio fecisti, qui vincis per incommutabilem tuæ justitiæ veritatem, cùm à superbæ cæcitatis ignorantiâ de injustitiâ judicâris.* Hortatur posteà

multis egregiis & efficacibus rationibus & argumentis ad constantiam. Demúmque rogat: & per Deum obsecrat, ut terram Ierosolymitanam, quæ tunc sub ipsius nominis umbrâ respirabat, respiceret oculo pietatis, providens sicut expedire cognosceret, ne res tam caro totiens empta pretio, alienari valeret à cultu Dei, & cum periculo fidelium in exterorum redigi potestatem: Se quoque in hoc cooperatorem ipsius esse velle juxta facultates suas, & prout Rex inveniret. Addidit alias prolixiores literas encyclicas ad Archiepiscopos & Episcopos regni Franciæ: quibus narrans quæcumque Regni accidissent, hortatus est ad preces ad Deum pro eo fundendas; & populos excitandos ad Terræ sanctæ succursum eò celeriùs & fortiùs properare, quò festinatiori & priori consilio & auxilio illa tunc noscetur indigere: nec pro hâc adversitate à tam pij, necessarij & salubris negotij prosecutione torpescerent, quinimmò ex ejusmodi casu tanquam firmi & stabiles animo exurgerent ad illius subsidium fortiores.

XIII. Occupationes Regis in Terra Sancta.

Quomodò autem se Rex habuerit in Terrâ Sanctâ breviter narrantes iidem qui suprà auctores, aiunt eum insigniora religiosioráque loca plurimùm pedibus paucísque comitatum invisisse: (Ierosolymam tamen isse, quod nonnulli scripsêre, disertè Ionvillæus negat; quoniam, quamvis id maximè cuperet, fidémque publicam Soldanus Damasci libenter interpositurus fuisset; non tamen existimatum sit, tantum Regem decere sanctam civitatem adire, & in manibus Infidelium relinquere: fore enim & istud sequiori exemplo futurarum expeditionum Principibus, idipsum tantummodò præstandi, nec ampliùs enitendi:) Sidonem, Cæsaream, Ioppen, aliáque loca restituisse ac munisse, Ptolemaidémque reparâsse: circummissis oratoribus, cujuscumque nationis Crucesignati apud barbaros in servitute habebantur, eos gregatim ducenos tricenósque redemisse; & alia plurima pietatis officia exercuisse: (inter quæ egregium fuit quòd aliquando apud Sidonem multa Christianorum à Saracenis cæsorum cadavera insepulta putridáque offendens, propriis ea manibus, suis fœtorem vix ferentibus, velut martyres Christi sepelierit:) denique toto quinquennio quo in Syriâ permansit (electâ Ioppe in præcipuam habitationem, quam propterea præ cæteris egregiè ornavit ac munivit) tantâ fide, pietate, prudentiâ vitam duxisse, ut non solùm Christianis immensùm profuerit, verùm etiam barbaros in suî admirationem trahens, in officio continuerit, ac plurimos ad sacrum baptisma perduxerit.

XIV. [h] San. l. 3. par. 12. c. 4.

Consiliũ plerorũq; Barbarorum de S. Ludovico.

Quod verò superiùs audivimus de apparatu belli Soldani Alapiensis adversus usurpatorem Ægypti; narrat Sanutus [h], Alapiensem hoc eodem anno ducto in Ægyptum exercitu triginta millium equitum, factum primò victorem, posteà tantâ strage superatum esse, ut vix duo millia suorum reduxerit. Quorum dissidia memorans itidem Parisius annis sequentibus, inde quoque Alapiensem commotum fuisse contra Ægyptum scribit, quòd Ægyptius Regem Ludovicum cum suis liberum abire permisisset; quem reliqui proposuissent ludibrio Saracenorum omnium, in Christianæ religionis dedecus, per singulas ipsorum regiones circumferre, ac demùm Caliphæ suo offerre, ejus libitu vel perpetuo carceri mancipandum, vel Mahometo immolandum. Citátque eâ de re literas Magistri Hospitalariorum in Angliam missas: quas se integras retulisse ait in libro *Additamentorum*; in quem ab aliquot retrò annis usque ad finem Historiæ Anglicanæ conjecisse reperitur plerasque epistolas, aliáque eorum temporum monumenta publica, quæ solitus antè fuerat Historiæ inserere: in quo tamen posteà in lucem edito multa eorum deficiunt, sive deperdita, sive surrepta. Addit verò tam ipse [i], quàm Monachus Paduanus [k], & Chronicum Monfortianum, Saracenos considerantes Damiatam illicium & invitamentum esse Christianorum, eam funditùs diruisse, ne ampliùs esset occasio bellorum. Et confirmatur ab Haythono [l] Armeno; qui addit Saracenos transposuisse illam longè à flumine & mari, nec muris, aut vallis, aliisve munimentis cinxisse.

[i] Paris. an. s. q.
[k] Paduan. Chron. lib. 2.
[l] Haython. cap. 54.

Damiata diruta ab ipsismet Barbaris.

XV. Alia Ludov. Regis gesta in Terra S.

Quos autem præterea Rex Ludovicus cum Soldanis sibi invicem insidiantibus, ipsiúsque auxilium nundinantibus, tractatus habuerit, eâque occasione captivos receperit; quæ certamina cum aliis hostibus Syriam incursantibus fecerit; cujusmodi legationem, primò ineptam, posteà amicabilem; à Sene de monte, quem Principem Beduinorum appellat, susceperit; quámque relationem de Tartarorum primordiis per Fratres illos quos ad ipsos è Cypro miserat habuerit; & alia id genus Ionvillæus qui ei semper adhæsit, speciatim prosequitur. Quorum etiam nonnulla nota fuêre Parisio [m] ex quibusdam literis ac publicis rumoribus, sed ut pleraque alia ejusmodi confusè & indistinctè: nos verò maximam partem dilucidiùs superiùs tractavimus.

[m] Paris. an. 1252.

XVI. Frider. eximp. tempus obitûs.

[n] Siffrid. & Copil. Chronol.
[o] Paduan. &c.

Quare iis omissis, ut postrema Friderico eximperatori solvamus; eum dum novos belli apparatus majori quàm umquam anteà nisu adornaret, hoc anno die S. Lucæ decimotertio Decembris extinctum esse, concors est omnium sententia, si quos [n] excipias, qui contra antiquorum fidem & rerum gestarum seriem, id post biennium referunt; & alios [o], apud quos erroneè dies S. Lucæ ponitur pro S. Luciæ. Habet etiam Parisius, eodem die S. Luciæ maximum terræmotum in Angliâ contra naturam loco solido & cretoso, cum ingenti mugitu subterraneo, factum esse, velut indicem mortis Friderici. De loco verò, genere mortis, & vitæ exitu, non parva est inter auctores dissensio. Nam quod locum attinet, scripsêre nonnulli mortuum fuisse Panormi in Siciliâ, alij Florentiæ in Tusciâ. Sed conveniunt plerique id contigisse in Apuliâ, quo nomine continebatur universum regnum, quod posteà à Siciliâ ultra Pharum distinctum, Neapolitanum dictum est. Locum tamen specialem nonnulli Tarentum designant, Foggiam alij; plures & probatiores Florentinum oppidum vulgò Firenzolam nuncupatum, in finibus Aprutij non longè à Tarento: idque ex quodam delusorio (ut sunt pleraque omnia dæmonum) arioli cujusdam augurio, vitæ terminum ultimum statutum ei esse Florentiæ: quod quidem adeò ejus animo adhæserat, ut quamvis percupierit Florentiæ in Tusciâ do-

Locus, ubi mortuus.

minium obtinere, sicuti & obtinuit, numquam tamen eam ingredi voluerit, etiamsi propè accesserit. Itaque habent Ricordanus [p], Villanius, Antoninus, & Collenutius: déque obitu apud Firenzolam consentiunt Blondus [q] ex Ptolemæo Lucensi qui tum vivebat, Felix [r] Fabri, Palmerius, Fazellus, Corius, Onuphrius, Cuspinianus, Surita, & alij.

[p] *Ricor. Hist. Flor. c. 139. & 143. Vill. lib. 6. c. 36. & 42. Ant. tit. 19. cap. 6. §. 2. & 4. Collen. lib. 4*
[q] *Blond. 2. dec. 7.*
[r] *Fel Fabr. Chron. Suevor. lib. 1. Palm in Chron Fazel. de reb. Sicul. 2. dec. 8. Cor. par. 2. Onuphr. de Princip. Rom lib. 3. Cusp. de Cæsar. Surit. Indic. lib. 2. &c.*

XVII. GENUS MORTIS.

Genus mortis cùm multi dubium relinquant, utrùm morbo ex mœrore contracto, an veneno, an suffocatione à filio illegitimo Manfredo, quem Tarenti Principem creaverat, perierit; antiquiores Ptolemæus, Martinus Polonus, Amaricus Augerij, Landulphus, Chronicon Monfortianum, Ricordanus, Villanius, Antoninus, & alij eos secuti disertè tradunt, cùm ipse graviter ægrotaret, Manfredum ejus thesauro & usurpationi regni Siciliæ inhiantem, timentémque ne pater convalescens aliud statueret, corrupto magnis promissionibus secretiori ipsius cubiculario, ipsummet propriis manibus pulvinari ori ægri jacentis imposito eum suffocâsse. Quod quamvis rejiciat Collenutius, firmat tamen Cuspinianus, non minùs Friderico addictus.

XVIII. ANIMÆ STATUM QUI FELICEM ASSERANT:

Quis autem fuerit quoad animam vitæ exitus; Stadensis breviter ait, eum absolutum fuisse ab Archiepiscopo Panormitano. Guillelmus de Podio [s] Laurentij, suum in fine agnovisse errorem, atque interdixisse ex hiberi sibi funus Imperiale, & plangi, quòd Ecclesiæ inobediens fuisset ac rebellis. Parisius impensissimus ejus laudator, non solùm pœnitentem absolutum fuisse, verùm etiam assumpto (ut ferebatur) habitu Cisterciensium, mirificè compunctum atque humiliatum obiisse: condidisséque nobile testamentum (quod ipse Parisius in librum Additamentorum se reposuisse, tradit, nec tamen in eo reperitur, summam verò anno sequenti refert) quo damna Ecclesiis illata rependi & resarciri, cuncta malè ablata restitui, omnes captivos, exceptis proditoribus, liberos dimitti, centies mille uncias auri in subsidium Terræ Sanctæ pro animâ suâ impendi, jussit. Hæcque amplificans Collenutius, qui vitam ejus encomiasticè potiùs quàm historicè scripsit, addit præthereà eum, cùm finem vitæ sibi ultimum adesse sensit, inter manus Archiepiscopi Panormitani, aliorúmque religiosorum, ad delictorum recognitionem sese convertisse; quinetiam sacrosanctæ Ecclesiæ obedientiæ sese addixisse, jurejurando præstito staturum se omnibus ejus mandatis; tantáque abjectione & animi contritione peccata confessum esse, ut creditum sit ipsum vas Dei electum esse: Hospitalariis magnam vim auri in compensationem fructuum ab iis tempore belli non perceptorum, & ad recuperationem Terræ Sanctæ testamento legâsse: omnibus inimicis suis ignovisse, & quæ ad Ecclesiam legitimè spectarent prolixè restitui jussisse: sícque summâ religione ac pietate finem vivendi fecisse.

[s] *Pod. Laur. Chron. c. 46.*

XIX. QUI DEPLORATUM.

At contra Monachus Paduanus [ss] ejus temporis auctor, disertè tradit, eum descendisse ad inferos, nihil secum deferentem, nisi seculum (fortè sacculum) peccatorum. Martinus [t] Polonus, & auctor Chronici Monfortiani, jam tunc etiam viventes, eum sine sacramentis & pœnitentiâ in Anathematis vinculo & schismate esse defunctum. Sicuti & Ricordanus [u] Malaspina, qui tunc pariter in vivis erat, ac post eum Ioannes Villanius [x] & S. Antoninus [y], mortuum esse excommunicatum sine aliquo sacramento & signo pœnitentiæ. Idque ipsum Amalricus Augerij in Chronico, & Gobelinus Persona in Cosmodromio. Confirmátque Historia [z] Lantgraviorum Turingiæ; necnon Corius [a], & alij. Vtut verò sit, sicut haud culpanda venit divina misericordia, si is æternis, ob tot scelera commissa, ac demùm impœnitentiam, pœnis damnatus fuerit; ita si pœnitens misericordiam consecutus est, minimè omnium sunt ejus nequitiæ excusandæ, vel vitia imitanda, quibus egregias quasdam virtutes, atque animi corporísque dotes penè obscuravit, quem & linguarum Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Germanicæ, & Saracenicæ, peritum fuisse constat; multósque libros ex Arabicâ & aliis linguis Latinos fieri curâsse: necnon initio præclaras leges ac constitutiones tulisse de fide Christianâ & Catholicâ, déque Ecclesiasticâ libertate, & literarum studiis, aliísque ad rectam Reipublicæ administrationem pertinentibus quæ Iustiniano Codici sunt appositæ: præter tractatus de usu Feudorum & regni statutis.

[ss] *Paduan. Chron. lib. 2.*
[t] *Mart. Pol. Chron. Rom. Imp. in Frider.*
[u] *Ricord. Hist. Flor. cap. 143.*
[x] *Vill. lib. 6. cap. 42.*
[y] *Ant. tit. 19. c. 6. §. 4.*
[z] *Inter Script. Rer. German.*
[a] *Cor. Hist. Mediol. par. 2.*

EGREGIÆ EIUS DOTES INTER SUMMA VITIA.

XX. DE IPSIUS TESTAMENTO.

Quod verò Nauclerus [b] negat, quid testamenti statuerit, & quomodò Rempublicam vel rem domesticam componi voluerit, liquere; ea nihilominùs alij [c] ex ipsius testamento sic describunt, ut Conrado filio suo ex Iole Ierosolymitanâ (hunc ex Constantiâ Aragonensi primâ conjuge susceptum quidam contendentes, & contrariâ antiquorum omnium sententiâ, & multis ipsius Friderici epistolis, aliísque ejus temporis monumentis omninò refelluntur:) Imperium cùm regno Germaniæ, & Apuliâ, Henrico alteri filio ex Isabellâ Anglâ Siciliam, Friderico nepoti ex Henrico primogenito quem ex Aragoniâ susceperat, Austriã, Manfredo notho Tarentum, ita tamen ut omnes Conrado subessent, reliquerit. In Collectione verò Constitutionum [d] Imperialium leguntur brevissima capita ejus testamenti: quibus imprimis reliquerit pro animâ suâ, centies mille uncias auri pro Terrâ Sanctâ recuperandâ: omnia malè ablata, juráque Ecclesiastica restitui, omnésque captivos Imperij & regni liberos esse, exceptis proditoribus, jusserit: Conradum in Imperio & regno Siciliæ, Henricum in regno Ierosolymitano, nepotem suum filium Henrici in Austriâ hæredes instituerit: Manfredúmque Ballivum Conradi in Imperio & regno Siciliæ constituerit, quæ videas nonnihil à prædictis auctoribus differre. Cùm sint [e] etiam, qui Fridericum intestatum obiisse velint, suósque testamentum confinxisse, & Pontifici Romano confirmandum obtulisse, Pontificem autem asserentem eum per sententiam depositum, testamentum condere non potuisse, illud penitùs abrogâsse. Habuit autem & plures alios utriusque sexûs liberos ex diversis conjugibus & concubinis, quos alij [f] enumerant. Et inter spurios Entium, quem suprà memoravimus; atque Fridericum Principem Antiochiæ, susceptum (ut volunt) ex furtivo concubitu cum sorore Principis Antiochiæ cùm in Syriâ esset, cujus fuit

[b] *Naucler. gener. 42.*
[c] *Collen. & Surit. ubi supr. Summont. Hist. Neap. lib. 2. c. 8. ad fi.*
[d] *Goldast. in Const. Imp.*
[e] *Paralip. ad Vrsperg.*
[f] *Crus. Annal. Suevic. par. 3. lib. 2.*

[ff] Infr. an. 1258. V.

filius Conradus de Antiochiâ dictus, de quo inferiùs [ff].

XXI. Fridericus quidam impostor.

Decessit autem anno ætatis suæ quinquagesimo septimo. Corpus solemni pompâ à Manfredo delatum est ad sepulturam in Siciliam ad Ecclesiam Montis-regalis supra Panormum; quamvis, ut diximus, & Collenutius confirmat, vetuisset ipse exequias sibi Pompâ Imperiali fieri. Inventus [g] est tamen multis pòst annis impostor quidam magus (quem nonnulli Fridericum Stuphium [h] nominatum tradunt; alij Tilo Kolup:) apud Nussiam Germaniæ oppidum infra Coloniam Agrippinam; qui se Fridericum Imperatorem esse mentiens, multáque patefaciens arcana ministris quondam Friderici, non paucos etiam è nobilitate seduxit: quousque ab Archiepiscopo Coloniensi captus, fraudémque confessus, publicè igni traditus est: quod multi auctore Rudolpho Romanorum Rege qui tum imperabat, cui & arma contra illum sumenda fuerint, factum scribunt.

[g] Chron. Austral. Siffrid. Epit. lib. 2. & alij signant ann. 1284. Io. à Leid. Chron. Belg. lib. 24. c. 18. & alij 1286. [h] Avent. Annal. Boior. lib. 7. [i] Crus. Annal. Suevic. par. 3. lib. 3. cap. 7.

XXII. Conradi Regis periculum a sicariis.

Sub finem autem hujus anni, nempè proximâ nocte post festum sanctorum Innocentium quinto Calendas Ianuarij, cùm prædictus Rex Conradus Friderici filius Ratisponæ in monasterio S. Emmerani dormiret, parùm abfuit quin gladiis quorumdam ministrorum Ecclesiæ Ratisponensis confoderetur; nisi audito irrumpentium rumore, sub scamno sese abscondisset, alio ejus loco occiso: facinoris auctoribus Alberto Episcopo Ratisponensi & Vlrico Abbate S. Emmerani, in ultionem Ecclesiæ violatæ & monasterij expilati, ut Nauclerus habet;) malè tamen istud in finem anni sequentis referens, postquàm, ut ait, Conradus rediisset ex Apuliâ: quem ipse reditum unde hauserit nescimus, cùm ejus nullus antiquorum meminerit; licèt post eum Bzovius eundem asseruerit:) sive, ut Stero & Aventinus, ob possessiones Episcopi & ministrorum incendiis vastatas, quòd à Pontifice starent contra cives Ratisponenses qui Conrado favebant. Quàm graviter autem facinus ultus sit Conradus, pluribus describit idem Aventinus hæreticus, hostisque Ecclesiæ infensissimus. Qui etiam addit, Albertum dignitate & officio privatum, redactum esse in ordinem monachorum.

XXIII. Erici Regis Dan. cædes a fratre.

Quo eodem item anno, nocte verò S. Laurentij, nempè decimâ Augusti, occisum esse *Ericum* Daniæ Regem à minori fratre suo Abele, Stadensis [k], qui non longè aberat, scribit: quamvis Parisius tunc in Angliâ scribens, & Krantzius [l] qui post ducentos quinquaginta annos historiam suam composuit, in annum sequentem referant. A' Stadensi tamen stat alius Ericus Rex in suo Chronico sæpiùs citato; necnon Siffridus, & plures alij, hoc item anno collocantes. Res autem ita se habuit; ut cùm nuper iidem fratres reconciliati fuissent ex longo dissidio, de quo superiùs, Réxque Ericus Abelem in ditione visitandum duxisset, hospitaliter exceptus, dum sive scacchis, aut latrunculis, sive aleis securè luderet cum quodam nobili viro, à fratris militibus captus & in navim perductus; post petitam acceptámque facultatem confitendi peccata sacerdoti, detectámque prædictionem sibi anteà divinitùs factam de nece à fratre inferendâ; ac denique turpiorem ipsi nisi vitam emendaret prædictam, securi cæsus est: cujus corpus saxo seu ferro alligatum in profundum mersum, post aliquod tempus inventum est supernatare, cervice adhuc per cutem adhærente corpori: quod primò à Fratribus Prædicatoribus in Ecclesiâ suâ sepultum, deinde Abel jam Rex deportari jussit in regia monumenta; ubi miraculis claruisse ferunt. Hæc pluribus Krantzius, breviùs cæteri, dissentiente etiam in nonnullis Parisio. Traditque quidam [m] alius, inventos post ejus obitum fuisse codicillos; quibus de consensu uxoris votum fecerat moriendi in habitu Fratrum Minorum. Qui autem ejus necis conscij fuêre, omnes malè perierunt: ipséque Abel regnum pessimè partum citò amisit, cùm improvidè depugnans in Frisiâ à rusticâ plebe oppressus est. Cujus cadaver aliquamdiù inter cæsorum cadavera volatilibus ferísque expositum, cùm demùm sepulturæ traditum fuisset, locúsque spectris & lemuribus infestaretur, ideò effossum in proximam paludem deportatum est, ac palo transfixum cœno profundo adobrutum; ubi & rursùm varij auditi lemurum, ac venationi quasi operantium strepitus, indicia perpetrati in fratrem Parricidij. Præteritis ejus filiis in odium parricidij, successit in regnum *Christophorus* prædictorum Regum germanus frater, quod tenuit variâ fortunâ usque ad annum 1259. Episcopis, ac præcipuè Primati Lundensi, quem etiam cum nonnullis aliis in carcerem conjecit, valdè iniquus.

[k] Stad. in Chron. [l] Krantz. 7. Dan. 21.

Claret miraculis.

[m] Pontan. Rer. Dan. lib. 7.

XXIV. Erici Regis Sueciæ obitus.

Hoc item anno mortuum esse alium *Ericum* Sueciæ Regem, egregium item principem; & qui multum pro fidei Christianæ dilatatione, & optimâ regni sui Ecclesiæ & politici statûs administratione laboravit; tradit Ioannes [n] Magnus in Historiâ suæ gentis. Krantzius [o] tamen, & supradictus Ericus Rex Daniæ præcedentem annum signant. Cúmque Krantzius Birgerum quemdam Erico absque liberis defuncto suffectum à Proceribus scribit, eundem Ioannem adversantem habet: cui non Birgerum, sed *VValdemarum* ejusdem Birgeri Ostrogothi filium, Erici verò ex sorore nepotem, in Regem Gothorum Sueonúmque sive Suecorum sublimatum tradit, ætate adhuc adolescentulum; Birgero interim regni negotia ad libitum administrante. Cui cùm adversaretur nobilissima familia Folchungorum, ac propterea ad arma ventum esset; Birgerus ad fraudes conversus, Folchungos spe reintegrandæ pacis ad colloquium advocavit: ipsi verò ejus fidem suspectam habentes, non priùs ad eum accedere persuaderi potuerunt, quàm Colo Episcopus Lincopensis de Birgeri integritate confisus, jusjurandum de eorum salvo accessu & recessu præstitisset. Cùm verò nihilominùs Birgerus eos ad se venientes perfidè trucidâsset; id Episcopus adeò graviter tulit, ut numquam deinceps eo ore sanctum Christi corpus consecrare præsumpserit, quo nobiles viri ad interitum deducti fuerant: sed relictâ Ecclesiâ Episcopali & patriâ, ad Christi Sepulchrum profectus, vitam peregrinatione & exilio finivit. Ita Ioannes [p]: qui Birgerum gravem de hoc scelere pœnitentiam ab Archiepiscopo Vpsalensi sibi impositam peregisse, & multa præclara in regni administratione ad obitum usque, qui contigit anno millesimo ducentesimo

[n] Io. Magn. lib. 19. c. 15. [o] Krant. 5. Suec. 22.

De eius successore.

[p] Ioan ibid. cap. 17.

exagesimo sexto, præstitisse, narrare pergit; quæ Krantzius ignoravit.

XXV. DOMINICI PUERI MARTYRIUM A IUDÆIS.

Reperitur etiam hoc ipso anno passus Cæsaraugustæ à perfidis Iudæis puer Christianus nomine *Dominicus*: qui natus cum coronâ in capite & Cruce in humero dextro, cùm septennis literas edisceret, furtim sublatus ab Hebræis, clavísque parieti confixus, & latus lanceâ perfossus, martyrium consummavit, cujus corpus ad littus fluminis occultatum, sed indicio cælestis luminis detectum, solemni pompâ in urbem à Christianis relatum est, & miraculis coruscans in Ecclesiâ collocatum. Iudæus verò qui puerum furatus fuerat, ad fidem conversus baptismum suscepit. Narratur hæc historia pluribus in Rebus Aragonicis [q].

[q] *Hieron. Blanc. in Iacob. I.*

XXVI. [r] *Reg. Innoc. an. 8.* **FACULTAS CELEBRANDI OFFICIA LINGUA SLAVA.**

Hócque eodem tempore Innocentius [r] Papa, Episcopo Sceriensi, petenti ut sibi liceret divina celebrare secundùm literam specialem (ut loquitur) Beati Hieronymi, quam Slavi, inter quos agebat, profitebantur habere se à Beato Hieronymo; indulsit, ut quia sermo rei & non res est sermoni subjecta; id ipsum observare posset in illis dumtaxat partibus ubi de consuetudine prædicta observarentur, dummodò sententia ex ipsius varietate literæ non læderetur. Sanè sunt qui tradant [s] S. Hieronymum vertisse divinas literas in linguam Slavonicam, sive Illyricam; quamvis id videatur antiquis incognitum. Vt autem Slavis licuerit suâ linguâ in sacris uti, à Methodio & Cyrillo Episcopis, qui præclaram iis populis religione Christianâ imbuendis operam navârunt, perfectum esse, assentiente Romano Pontifice, asserunt [t] qui de eorum conversione & religione agunt.

[s] *Vid. Bellarm. lib. 2. de Verb. Dei cap. ult.*

[t] *Cromer. Rer. Pol. lib. 3. & alij.*

XXVII. [u] *Avent Annal. Boior. lib. 7.*

Denique observat hoc eodem anno Stero in suis Annalibus, & post eum alij [u], Fratrem quemdam *Bertoldum* Ordinis Minorum patriâ Ratisponensem, clarum integritate vitæ, tantâ etiam prædicandi gratiâ & Christianæ eloquentiæ facundiâ hoc tempore excelluisse, ut sexaginta ampliùs millia hominum ejus conciones frequentarent. In quibus extitisse narratur [x] femina quædam; quæ copiam sui corporis facere solita, dum invehentem aliquando Bertoldum vehementiùs in luxuriæ vitium audiret, tantum dolorem præteritæ vitæ conceperit, ut illicò expirarit. Ad quem casum commoto populo, post orationem à Bertoldo cæterísque ad Deum effusam, resurgens mulier, se ad divinum judicium advocatam fuisse dixit, sed propter vehementem contritionem liberatam esse, & ut peccata confiteretur sacerdoti, revocatam fuisse ad vitam. Nec veremur addere, quod non veritus est S. Antoninus dum hanc historiam tractat; prædictam mulierem inter cætera asseruisse, eâdem horâ quâ obierat, sexaginta millia hominum fuisse diversis partibus orbis ex sæculo evocata, è quibus tres tantùm purgatorium intrâssent, unicus Frater Minor per purgatorium transiens subitò acceptis secum duabus animabus quæ sibi confessæ fuerant, paradisum cum eis ascendisset, cæteris omnibus inferno sepultis.

[x] *Ap. Anton. tit. 24. cap. 9. §. 2.*

GRANDIS CONTRITIO FEMINÆ PECCATRICIS.

PAVENDA VISIO DE PAUCITATE SALVATORUM.

IESU CHRISTI Annus 1251.

INNOC. IV. An. 9.

BALDUINI II. An. 23.

I. INNO. PP. GUILLELMŨ REG. GERM. CONFIRMAT.

ANNO Christi 1251. Indictione nonâ, Innocentius Pontifex auditâ Lugduni morte Friderici, Guillelmum Germaniæ Regem iterùm confirmavit [a]; & Conradum Friderici filium, omnésque ejus fautores excommunicavit [b]: missóque [c] in Germaniam Hugone tituli S. Sabinæ presbytero Cardinale Legato, eundem Guillelmum ad rem fortiter agendam hortatus est; Principibúsque Imperij mandavit ut ei firmiter adhærerent, rejecto Conrado Friderici filio. Et in Apuliam missis pariter Rainaldo Ostiensi & Petro Albano Episcopis Cardinalibus, studuit populos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducere, prohibens [d] ne cui alteri præterquàm Apostolicæ Sedi legitimæ regni dominæ obsequium præstarent.

[a] *Ster. in Annal. Paduan. in Chron.*
[b] *Par. hoc an.*
[c] *Reg. Innoc. Lugd. 15. Cal. Mart. Siffrid. Epit. lib. 2. Naucler. gen. 42.*
[d] *Matth. Spinel. Iuvenal. in Annal. Summont. Hist. Neapol. lib. 2.*

II. [e] *Reg. Innoc. an. 8. Severt in Chronol. Antist. Lugdun.* [f] *Ep. 60. 15. Cal. April.* [g] *Ep. 68. 4. Non. April.*

Ipséque Italiam repetere statuens, imprimis civitatem Lugdunensem, in quâ totos sex annos totidémque ferè menses hæserat, privilegiis [e] atque elogiis singularibus ornavit: cupientémque Blancam Reginam, & Henricum Angliæ Regem, ipsum antequàm è Galliis absccederet invisere; Reginam [f] quidem, ab ægritudine ex quâ convaluerat vix consistentem, monuit ne sibi novum periculum ex itinere accerseret: Regis [g] verò, fore aliquando tempus huic officio præstando opportunius insinuavit; videlicèt providens ne absente Rege Ludovico per istius adventum pax Galliarum turbaretur. Vtrùm autem hoc è Galliâ discessu, an verò jam anteà, indulserit ut quicumque pro Regibus Franciæ oraverint, decem dierum indulgentiam consequantur, nescimus: quod certò concessum ab eo scimus, teste probatissimo S. Thomâ [h] Aquinate: indicio videlicet grati animi, (ut Navarrus [i] interpretatur) ob præclara atque continua officia, regiásque munificentias, quibus tam ipse Innocentius quàm ejus decessores, à Regibus Francorum honestati, ipsáque Sedes Apostolica decorata fuit. Refertque ampliùs Ioannes [k] Feraldus tractatu de privilegiis regni Franciæ, se legisse diploma Clementis, concedentis centum dies indulgentiæ orantibus pro pace & salute Regis & principum regni. Quinimmò & Leonem Decimum unum annum indulsisse, Rebuffus [l] asserit testimonio Benedicti [m], & Heliæ [n] Archiepiscopi Turonensis. Id denique certum est, Innocentium hunc quartum per literas datas Laterani decimonono Calendas Ianuarij Pontificatûs anno primo, quarum exemplar vidimus, indulsisse Regi, ut nullus in ejus terram excommunicationis vel interdicti sententiam proferret absque speciali mandato Sedis Apostolicæ. Sed de his pleniùs infrà sub Alexandro Quarto [o].

PLURES INDULGENTIÆ CONCESSÆ ORANTIBUS PRO REGE ET REGNO FRANCIÆ.

[h] *S. Th. ad 4. Sent. dist. 20. q. 1. ad 3. in fi.*
[i] *Navar. tract. de orat. cap. 19. n. 90.*
[k] *Styl. Cur. Paris. par. 4.*
[l] *Rebuff. in proœm. Concordat.*
[m] *Bened. repetit c. Raynutius verb. si absque 2. de pupil. substitut nu. 44. de testa.*
[n] *Hel. Defens. Concord. in 4 rat.*
[o] *Infr. ann. 1255. III.*

III. [p] *Hist Genuens.*

Lugduno porrò post Pascha celebratum recedens, terrestri [p] itinere Genuam petiit, & ibi legatos omnium civitatum occurrentes habuit: indéque post quindecim dies digressus, Mediolanum septimo Idus Iunij per-

INNOC. PP. REGREDITUR IN ITALIAM
[q] Cor. par. 2. Sigon. lib. 9.
[r] Vvadding. Annal. Min. to. 2. hoc an.
PANTALEO PATR. CONSTANT.

venit [q]: ac per tres menses ibi moratus, res Ecclesiæ & Reipublicæ prudentissimè composuit: frequentibus habitis concionibus, cùm de fide disseruit, tum summo studio pacem ac concordiam populis persuadere contendit: & Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani Latini, (nescio unde quidam [r] Manuelem Græcum sumpserit: sanè Corius quem citat, Nicolaum disertè habet) qui per eosdem dies Mediolani obiit, exequias celebravit. In cujus locum posteà suffectus est *Pantaleo Iustinianus*, sub quo capta est à Græcis Constantinopolis.

IV.
INNOC. PERUSII SUBSISTIT OB CONTUMACIAM ROMANORUM.
[s] Blond. 2. dec. 7.

Mediolano Innocentius Brixiam, indéque Mantuam habens, ad monasterium S. Benedicti inter Padum & Larionem divertit, atque ibi sepulchrum Comitissæ Mathildis visitavit, unaque cum Cardinalibus carmen illi expiatorium cecinit, summorum recordatione beneficiorum quæ Princeps illa Romanæ quondam Ecclesiæ contulerat. Ferrariam inde, ac pòst Bononiam perrexit, summo ubique gaudio & honore exceptus: demúmque Perusium accedens, diuturniorem ibi moram traxit; Romam [s] adire nolens, quòd requisitos literis & nunciis Romanos, ut attributam Senatoribus, quos tunc annuos creabant binos, proximam regiæ, vel potiùs tyrannicæ potestatem, aut abrogarent, aut se præsente moderatiorem curarent, evincere nequivisset. Adventu autem ejus in Italiam, magnam rerum mutationem factam esse; Gibellinorúmque opibus, quæ Friderico vivente innixæ supra cæteros se extulerant, eo defuncto altè concisis, contrà partes Guelfas ad eum diem depressas in immensum crevisse, omnes auctores testantur.

V.
CONRADUS FILIUS FRIDERICI ITALIAM PETIT.
[t] Sier. in Annal. Paduan. Chron. lib. 2. Ricord. c. 14. Villan. lib. 6. c. 44. Anton. tit. 19. cap. 6 §. 5. Colen. lib. 4. &c.

Intereà verò Conradus, morte patris acceptâ, cùm vix in Germaniâ potentiam Guillelmi sustineret, collecto valido exercitu in Italiam [t] ad obtinenda regna paterna migrans, mense Octobri primùm Veronam, deinde Cremonam accessit: habitóque apud Goitum in agro Mantuano sociarum civitatum conventu, mense Decembri Venetorum navibus mari Adriatico in Apuliam appulit. Vbi à Manfredo illegitimo fratre, qui interim proregem egerat, dissimulato animi mœrore, quem, quòd regnum ambiret, ex ipsius adventu hauserat, magno in speciem gaudio susceptus, totius regni possessionem adeptus est; exceptis Neapoli, Capuâ, & Aquino, quæ civitates excluso Manfredo Apostolicæ Sedis auctoritati sese subjecerant.

VI.
PASTORELLORŨ PESSIMA FACTIO.

Quo eodem anno in Germaniâ & Galliâ ingens perditorum manus, ad famam circumventi à barbaris Regis Ludovici, specie sacræ militiæ Crucem induentes tanquam ad ipsum liberandum; passim vagantes infinita mala commiserunt: duce Hungaro quodam nebulone, qui fictis quibusdam divinis revelationibus, & Beatæ Mariæ mandatis, pastores quoscumque pecudum & armentorum ad se allexit, impresso signis militaribus Agno: unde & *Pastorellorum* factio vocata est, quamvis fuerit potiùs colluvies latronum, exulum, fugitivorum, excommunicatorum, omniúmque ejusmodi sceleratorum hominum. In quibus etiam erant aliqui qui se Magistros vocabant, & Episcopalia munia ineuntes populos consignabant, prædicationibus suis multos errores effutientes; visionésque fingentes. Connubia conjungebant & dissolvebant ad libitum; peccata commissa & committenda dimittebant; omnes Ecclesiasticos & religiosos ordines condemnabant; eósque, & quicumque se eis opponerent, nefariis modis persequebantur, nulli parcentes rapinæ ac sceleri. Quousque demùm præcipuo eorum ductore à Biturigibus perempto, cæteri omnes variis locis ad quos sese extenderant, miserè extincti sunt, aut dispersi evanuerunt. Quæ cæteris uberiùs prosequitur Matthæus Paris: tractantúrque pariter à Guillelmo Nangio [u], Sanuto [x] Trosello, Sancto Antonino [y], Ioanne Nauclero [z], Roberto Gaguino [a], Paulo Æmilio [b], & aliis. Apud auctorem verò anonymum *Compilationis Chronologicæ*, quæ habetur inter Rerum Germanicarum Scriptores à Pistorio editos, singulariter observatur, prædictum nebulonem Hungarum proprio nomine vocatum fuisse Iacobum, peritum multarum linguarum, apostatam Ordinis Cisterciensis, & sceleratissimum. Et in Chronico Gallico prædicti Nangij, fuisse ipsum magum, & cùm Rex Ludovicus esset apud Cyprum, pepigisse cum Sultano Babyloniæ, ducturum se in manus ejus omnem juventutem Gallicam.

[u] Nang. in Chron. & in Vit. S. Ludov.
[x] San. lib. 3. par. 12. c. 3.
[y] Ant. tit. 19. c. 9 §. 5.
[z] Naucl. gener. 42.
[a] Gaguin. lib. 7.
[b] Æmil. in Ludov. IX.

VII.
[c] Serar. Rer. Mogunt. lib. 5.
ARCHIEPISCOP. MOGUNT. DEPOSITUS QUÒD NOLLET ARMA TRACTARE.

Hoc item anno mortuus ponitur à Trithemio in utroque Chronico, *Christianus* Archiepiscopus Moguntinus. Qui tamen in Historiâ Moguntinâ [c] non mortuus, sed depositus asseritur ab Hugone Cardinale Legato: cùm in odium incurrens Guillelmi Regis & aliorum Principum, ex eo quòd vocatus ad expeditiones militares invitus accederet, accusatus fuisset apud Pontificem tanquam prorsùs inutilis Ecclesiæ. Quoniam enim receptissima horum temporum Germaniæ consuetudo erat, ob continua bella inter Ecclesiam & Imperium, ut etiam Episcopi arma tractarent, exercitúsque ducerent, vel iis interessent; visus est Regi vir iste probus Episcopatu indignus, quòd ipsum ad bella sequi, togámque & pedum in sagum & gladium mutare nollet: omninò asserens, nequaquam cædes & incendia & agrorum vastationes quæ fierent in bellis, decere sacerdotem; quicquid autem deberet per gladium spiritûs, quod est verbum Dei, hoc se libentissimè præstaturum: Dictum enim Petro [d] à Christo esse, *Mitte gladium in vaginam*.

[d] Ioan. 18.

VIII.
[e] Serar. Rer. Mogunt. lib 5. in Gerar. I. multis auctoritatibus id probat.
INSIGNE FACINUS RUDOLPHI HABSPURGII.

Quo item anno contigisse fertur [e] præclarum illud juxtà ac pium *Rudolph.* Comitis Habspurgensis facinus, quo sibi Imperium posteritatique suis (quibusdam dumtaxat exteris intermediis) in hanc usque diem feliciter acquisivit. Nimirùm cùm quadam die optimo insidens equo cum uno famulo iter agens, ruri sacerdotem quemdam sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad infirmum pedibus longiùs deferentem, præcedente ministro, obvium habuisset; interrogatóque illo, cur asperum & lubricum iter equo non ageret, respondisse, accepisset non esse ei unde equum emeret: Rudolphum religione motum, equum ei suum, famuli verò ministro tradidisse, quibus deinceps ad ejusmodi pietatis opera uterentur; ipsúmque pedibus insecutum esse: cúmque pervenissent ad quandam religiosam fœminam

inclusam cui hæc Deus revelaverat, audisse ab eâ, fore ut qui Deum equo honorâsset, largam remunerationé magni honoris suo tempore ab eo recepturus esset, qui post annos viginti duo Imperium adeptus est, ut videbitur suo loco.

IX. [f] Chron. Colmar. par. 2. to. ali. Rer. Germ. Vrstis. Albert. Argent. in Chró. QUALIS IS FUERIT.

Tradunt autem qui de ejus primordiis agunt [f], eum natum esse anno 1218. ad finem Aprilis, cúmque patre fratribúsque defunctis solus relictus, cerneret vicinos Comites divitiis abundare, séque præ illis in paupertate constitutum, nec facile sibi esse magna consequi nisi vicinorum inquietatione; qua Ecclesiasticos, quà sæculares, per fas nefásque, fraude, astutiâ, vi aggressum, magnum sibi nomen fecisse, nec parvam potentiam consecutum esse; tum maximè cùm post mortem Friderici, (sub quo & aliquando militavit, & omen Imperij ab ariolo Friderici accepit) eo statu res Germaniæ essent, ut eâ gravissimis dissensionum & bellorum procellis agitatâ, sine certo rectore & gubernaculo fluctuaret, adeóque quicquid liberet idem licere vulgò putaretur. Fuisse autem procero corpore, semptémquepedali staturâ, sed valde gracili, parvo capite, pallidâ facie, nasa aquilino, paucis crinibus; cibo & potu temperatum, prudentem atque sapientem, & in magnis divitiis semper egentem.

X. ORDO DE POENIT. IESU CHR. INSTITUITUR.

Hoc eodem anno (ut habet Auctor Magni Chronici Belgici ex Bernardo Guidonis) institutus est Ordo Fratrum *de Pœnitentiâ Domini nostri Iesus Christi* apud Massiliam, de speciali mandato Innocentij Papæ. Quæ fuit Congregatio quædam Eremitarum, per Galliam & Italiam propagata; unáque ex iis quas Alexander IV. hujus Innocentij successor sub unam Ordinis *Eremitarum S. Augustini* professionem, observantiam & nuncupationem reduxit [g]: quos & à nonnullis *Saccatos* nuncupatos reperimus. Cùm essent præterea Ordinis Tertiariorum S. Francisci & S. Dominici; quos certâ regulâ extra conventus viventes, *Fratres Pœnitentiæ* vocârunt. Protuleritque etiam Palæstina his iisdem temporibus equestrem [h] Ordinem *Pœnitentiæ SS. Martyrum*, Crucem rubram præferentes, & S. Augustini regulam profitentes: de quibus fit quoque mentio in Regulis, seu Practicâ Cancellariæ Romanæ. Sed nihil isti ad prædictam Innocentij institutionem.

[g] Infr. an. 1256. V.

[h] Menen. de Ord. Milit. ALIUS ORDO EQUESTRIS.

XI. REX SCOTIÆ RECUSAT CLIENS DICI ANGLI.

In fine anni convenientibus apud Eboracum Regibus Angliæ & Scotiæ, Scotus filiam Angli duxit uxorem; & clientelæ professionem, quod vocant homagium, eidem Regi Anglo præstitit pro terris & ditionibus quas in Angliâ possidebat. Cùm verò urgeret Anglus, ut pro ipsâ etiam Scotiâ fidelitatem juraret, respondit nequaquàm se de his cum suis tractasse, venisse autem ad hoc se dumtaxat ut fœdus matrimonij cum Anglo iniret. Ita Parisius. [i] Quæ Scoti historici sub silentio præterierunt, cum de hoc conventu Eboracensi ad nuptias celebrandas egerunt. Est tamen inter Epistolas [k] Innocentij Papæ, responsio ejus ad eundem Regem Angliæ, quâ constat petiisse ab eo Anglum, ne sineret Regem Scotiæ, invito se & sine consensu pro tempore futuri Regis Angliæ, inungi & coronari, eò quòd homagium ei præstare consueverit. Verùm id Pontifex facere recusavit, & eâ quâ decebat libertate Anglum injustitiæ redarguit.

[i] Paris. an. Seq. ad pr.

[k] Reg. Innoc. ep. 474. Lugdun. 8. Id. April.

IESU CHRISTI Annus 1252.

INNOC. IV. An. 10.

BALDUINI II. Ann. 24.

I. CONRADI CRUDELITAS IN NEAPOLITANOS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo Indictionis decimæ, Conradus Neapolim obedire ei detrectantem, post arctissimam octo mensium obsidionem, fame in deditionem accepit; contráque datam fidem diripuit, pulcherrima quæque ornamenta disjecit, muros diruit, cives nobiliores aut neci aut exilio dedit, nihílque non crudelitatis, impietatis, avaritiæ, libidinis, in Sacerdotes & clericos, religiosos, viros, fœminas, omnis conditionis & ætatis, exercuit. Quæ ut se habuerint, narrat diffusè ex Iuvenatio ejus temporis & regni scriptore, Collenutio, aliísque, Summontius in Historiâ Neapolitanâ: & tractantur breviùs à Ricordano [a], Villanio, Antonino, Blondo, Platinâ, Nauclero, Fazello, & aliis. Ex quibus etiam constat, eundem Conradum, postquam etiam Aquinum & Capuam in suam potestatem redegit, nec humaniùs tractavit, universo potitum regno, omnes Ecclesiæ inhærentes sævissimè persecutum esse, Ecclesias destruxisse, Episcopatus & alia beneficia Ecclesiastica ad libitum distribuisse: fuisse denique genitori Friderico inclementiâ, ambitione, & malignitate perquàm similem, sed morum elegantiâ & facilitate, quam ille artificio quodam præseferebat, caruisse. Adeò ut cùm principio obsidionis Neapolitanæ misisset Innocentius Pontifex ad eum, monitum ne urbem in Sedis Apostolicæ potestate sitam invaderet, & siquid juris se habere existimaret, id benignitati Pontificis permitteret; feratur risisse ejusmodi legationem, & contumeliosè respondisse, satius fore Pontifici de hominibus rasorum verticum curam agere. Quare & Pontifex sacrum in eum rursum anathema contorquere coactus fuit; Crucémque in eum prædicare jussit: Ecelino [b] intereà inauditâ omnibus sæculis tyrannide in Marchiam Tarvisinam desæviente.

[a] Ricord. cap. 146. Vill. lib. 6. c. 44. Ant. tit. 19. cap. 1. §. 5. Blond. 2. dec. 7. Plat. in Innoc. IV. Naucl. gen. 42. Faz. 2. dec. 8. cap. 3. EIUSDEM FERI MORES.

[b] Mon. Pad. in Chron.

II. INNOC. PP. OFFERT REGNUM SICIL. CAROLO FRATRI LUDOVICI REG. FRANC.

Qui insuper idem Pontifex, cùm rebus ejus regni deploratis per Italos providere non posset, eò quòd Lombardorum vires contra Ecelinum tyrannum distractæ essent, & Ianuensium urbs milite in Syriam misso exhausta fuisset, Venetíque in Conradum propensiores viderentur: ad exteros respiciens, Carolum Andegaviæ & Provinciæ Comitem, S. Ludovici Francorum Regis fratrem, selegit cui regnum Siciliæ, Ecclesiæ Romanæ feudum, legitimo jure ad eam devolutum, certis, conditionibus offerret; misso ad eum Alberto Sedis Apostolicæ Notario cum literis [c], quibus illum ad ejus possessionem adipiscendam accelerare hortaretur. Cujus tamen rei executionem in aliud tempus dilatam constat; propter absentiam (ut putamus) Regis Ludovici, sine cujus licentiâ vix Carolus rem tantam suscipere attentâsset, aut ei integrum fuisset numerosum exercitum è regno educere. Habet autem Parisius [d], eandem prædicti Regni conditionem oblatam fuisse à Pontifice per eundem Albertum Ricardo fratri Regis

[c] Reg. Innoc. an. 10. prid. Id. Iun.

[d] Paris. hoc an.

Angliæ, eum verò noluisse consentire, tum quòd corpore imbecillus, & belli inexpertus esset, tum ne Henricus nepotem suum Friderici filium, cui pater Siciliam reliquerat, supplantare videretur.

III.

Cætera verò etiam Ecclesiæ negotia diligenter curans Innocentius, cùm post auditam Regis Ludovici cladem, omnes Septemtrionalium regnorum Crucesignatos, etiam anathematis minis sollicitâsset ad transfretandum in Syriam; hoc rursùm anno scripsit ad Regem Angliæ (ut Parisius habet) persuasoriam & efficacem valdè epistolam, ut sine dilatione ad Terram Sanctam adjuvandam, & Regi Francorum auxilium præstandum sese accingeret; vel saltem aliis ad id paratis moram & impedimentum (ut hactenùs fecerat) non inferret. Quibus Rex motus, cùm jam biennio antè Crucem cum multis aliis sui regni magnatibus suscepisset, rursùm ad iter sese jurejurando obstrinxit, sed post triennium dumtaxat suscipiendum nisi rationabili causâ impediretur: & jurans hoc (inquit idem auctor) apposuit manum suam dextram ad pectus suum more sacerdotis, & posteà supra Evangelia, osculans etiam ea more laïci. Cùm tamen nec sic persuaserit suis, se id ex animo vovisse: qui potiùs ex aliis frequentibus ipsius similium promissionum ac juramentorum transgressionibus conjecerunt, non alio fine hæc ipsum præstare, quàm ut eo specioso prætextu pecunias ab omnibus emungeret: sicuti & nunc fecit, non solùm à miseris Iudæis quicquid haberent abradendo, verùm etiam à Christianis aurum & monilia tantâ aviditate extorquendo, ut videretur Crassus ab inferis exurrexisse. Ita ille.

ANGLIÆ REX VOVET SIMULATE ITER SYRIACUM.

IV.

Quâ in re haud prætereunda egregia laus Fratrum Minorum qui Londini erant, quâ illos præter solitum idem auctor commendat: ut cùm Rex misisset ad eos, tanquam ex propriâ suâ eleemosynâ, bigam onustam pannis laneis ad vestimenta ipsis conficienda; audientes fratres, Regem hos pannos à mercatoribus, sicut alia quæ rapiebat, extorsisse, tale xenium abhorrentes, bigam remiserint, asserentes nec Regi licere eleemosynas de rapinis pauperum elargiri, nec sibi accipere.

FRATRES MIN. RECUSANT DONARIA EX RAPINIS.

V.

Hoc item anno Innocentius Papa Regnum [e] Lituaniæ, ejúsque Regem Mendegonem, sive Mendocum, recèns ad fidem conversum, in protectionem Sedis Apostolicæ recepit. Qui tamen; etsi armis Crucigerorum debilitatus, & in angustum redactus, ut imminenti ab ipsis exitio sese eriperet, religioni Christianæ initiari unà cum suis assensus esset, & aliquas regiones donaturum se Crucigeris promisisset; adeóque eorum operâ regium nomen à Summo Pontifice adeptus, à Rigensi & Culmensi Antistitibus solemni ritu diademate cinctus fuisset: non multò pòst stabilitis rebus suis, neque Crucigeris promissâ præstitit, & religione abjectâ ad sua idola resiliit, atque finitimis Christianorum regionibus ingentia mala summâ crudelitate intulit: donec à fratris filio per insidias dormiens cum filiis interfectus est. Ita Michovius [f], Cromerus [g], & alij rerum Polonicarum scriptores. Quo pariter anno idem Innocentius Regi Norvegiæ concessit, ut si Paganos Sabitas ad cultum veri Dei adduceret, eorum provinciam sui juris, absque tamen præjudicio aliorum, faceret. Et conventiones inter Castellæ Regem Saracenósque, in magnam Christianitatis utilitatem factas, auctoritate Sedis Apostolicæ confirmavit.

[e] Reg. Vat. an. 10.

LITUANIÆ REGIS FRAUDES.

[f] Michov. lib. 3. c. 53. & 55.
[g] Crom. lib. 9.

VI.

Creverat interim apud Mediolanum & universam Insubriam pestifera hæresis [h], in quatuor præcipuè sectas divisa, *Catharorum*, *Gazarorum*, *Concorretiorum*, atque *Credentium*. De quarum nominibus & dogmatibus jam superiùs [i] dictum: præterquàm de *Credentibus*: de quibus nihilominùs haud quicquam aliud habemus modò dicere, quàm quòd fortè ita se nonnulli ex Waldensibus aut Catharis speciatim indigitarint, (tædio scilicèt aliarum sectarum nuncupationum, à locis vel auctoribus desumptarum) ad imitationem priscorum Christianorum, qui in sacris Scripturis Novi Testamenti frequenter *Credentes* reperiuntur nominati. In Constitutionibus quidem Pontificum [k] & Friderici Imperatoris adversùs hæreticos promulgatis, reperiuntur *Credentes erroribus hæreticorum*, hæreticos pariter judicari; sed non ut sectam specialem designent.

[h] Cor. Hist. Mediol. par. 2.

DE CREDENTIBUS HÆRET.

[i] An. 1199.

[k] Post Director. Eymer.

VII.

Concorretios verò, sive Concorrezenses, sectam fuisse Catharorum, hósque ex progenie Waldensium, ex Rainerio ipsorum olim Episcopo jam vidimus: unde eos refellas, qui ad antiquiora tempora referunt. Proprias eorum opiniones, à cæteris Catharis disjunctas, diligenter prosequitur idem Rainerius: Inter quas erant, quòd errarent in Trinitate & unitate: diabolum dicerent de limo Dei creâsse mundum, & corpus hominis, in quod infuderit primum Angelum qui in modico jam peccaverat: animas extractas esse à dicto Angelo: Christum non assumpsisse humanam animam, sed Angelicam naturam; ac Beatam Virginem fuisse Angelum: Reprobâsse quoque totum ferè vetus Testamentum, & antiquos Patriarchas: &c. cæterùm damnasse reliquos Catharos & Bagnolenses, ob alia portentosa eorum dogmata; sicuti ipsi vicissim ab eis damnabantur. De quibus, déque aliis ejusmodi sectis agunt pariter Antoninus [m], ac cæteri [n] qui de hæresibus scripserunt.

DE CONCORRETIIS.

[l] Prateol. in Catal. hæret.

[m] Ant. Sum. par. 4. tit. 11. cap. 7.
[n] Prateol. Gaul. &c.

VIII.

Has igitur sectas extirpare Pontifex cupiens, cùm leges & constitutiones [o] contra eas promulgâsset, à Magistratibus & ministris sæcularibus observandas, & in tabulas publicas singularium civitatum referendas; eamque inquisitionem Fratribus Prædicatoribus, atque imprimis *Petro* Veronensi, viro acri & doctrinâ ac sanctitate claro mandâsset; isque Mediolanum profectus, rem pro dignitate exerceret, summâ cum curâ hæreticos è latebris eruens, ac nocentes convictos pro ratione culpæ carcere, exilio, incendio vindicans: non ferentes id Credentes, consilium sancti viri interimendi ceperunt; adeóque perfecerunt, ut per nefarios homines, libris Ticinensibus quadraginta promissis, octavo Idus Aprilis Sabbato in Albis, ipsum Como Mediolanum abeuntem unà cum *Dominico* socio pluribus vulneribus confecerint, Symbolum fidei in ipso transitu clarâ voce recitantem, qui in Chronico Monfortiano dicitur Virgo, Doctor, & Martyr, triplici coronâ laureatus. Eum denique miraculis in vitâ & post mortem clarissimum Innocentius Pontifex anno sequenti in SS. Martyrum numerum retulit [p]; ac tertium [q] illi diem ante

[o] Ext. Bull. to. 1. Innoc. IV. const. 8. & 9. & in Director. Inquis. in fi.

PETRI VERON. MARTYRIUM AB HÆRETICIS.

[p] Bullar. ib. const. 11. & ap. Vinc. lib. 31. cap. 103. & Anton. tit. 23. cap. 6.
[q] Sigon. lib. 19. an. seq.

Calendas Maias statuit, quòd dies mortis ejus fermè vel in dies Paschatis incideret, vel quadragesimæ, in quam Ecclesia Ambrosiana nullam solemnitatem admitteret. Ejus verò Vitam fusiùs descripsit [r] Thomas Patriarcha Ierosolymitanus qui tum vivebat, & S. Antoninus [s]: conjurationem autem in ipsum, modúmque necis à se prævisæ, & vindictam de illâ à Mediolanensibus sumptam, atque auctoris cædis conversionem, distinctiùs prosequuntur Corius [t] atque Sigonius [u].

[r] Ext. ap. Sur. 29. April. [s] Ant. d. c. 6. [t] Cor. par. 2. [u] Sig. d. l. 19.

IX. FERDINANDI REG. CASTEL. OBITUS.

Mortuus quoque est hoc anno tertio Calendas Iunij *Ferdinandus* Castellæ ac Legionis Rex, cùm expeditionem in Africam contra Mauros pararet; anno ætatis circiter quinquagesimo secundo, regni Castellani trigesimo quinto, Legionensis vigesimo secundo: Vir multis animi & corporis dotibus præditus, morum probitate tantâ, ut *Sancti* cognomen à suis tulerit, quamvis non fuerit inter Sanctos ab Ecclesiâ relatus. Nam quòd regnum Castellæ Regi Francorum jure debitum [x] contra fas tenuit, hoc magis iniquis suorum suasionibus, quàm ipsius innocentiæ imputari debuit.

[x] Sup. ann. 1217. XII.

X. ALFONSI X. SUCCESSIO.

Successit ei eodem indebito jure primogenitus filius *Alfonsus* ejus nominis Decimus: cujus res gestæ plus habuêre admirationis, quàm gloriæ. Quid enim admirabilius, quàm arma à primâ ætate tractanti tantam fuisse astrorum, philosophiæ, rerúmque gestarum cognitionem, quantam vix otiosi homines in umbrâ assequuntur? Extant enim de astrorum conversionibus, déque Hispanicâ historiâ, ab eo edita magno ingenio atque incredibili studio volumina. Quid autem ignominiosius, quàm iis literarum præsidiis, quæ privato potuissent summam potentiam conciliare, neque oblatum ab exteris Imperium, neque paternum Regnum tueri potuisse? Sed ista ut contigerint, videbitur inferiùs suis locis. *Sapientis* [y] autem cognomen, quod literæ pepererunt, aut inimicorum injuria, aut temporum iniquitas, aut ipse ingenij socordiâ labefactâsse videtur, eâ sapientiæ opinione vix sibi cavere sapeféque doctus. Idem verò die primâ Iunij hujus anni feriâ septimâ fixit æram suam Alfonsinam dictam; convocatis præstantissimis astronomis Hebræis & Mauris, qui Tabulas Alfonsinas confecerunt, expensis in eam rem ad quater centena millia aureorum.

[y] Marian. Rer. Hisp. lib. 13. c. 8. & 9.

TABULÆ ALFONSINÆ AB EO DICTÆ.

XI. BLANCÆ REG. FRANC. OBITUS.

Scribit item Parisius, hoc pariter anno Calendis Decembris diem obiisse *Blancam* Reginam Franciæ matrem S. Ludovici, & regni procuratricem, mœrore absentiæ filij charissimi, quem perpetuam in Palæstinâ moram vovisse audierat, & morbi incurabilis alterius filij Alfonsi Comitis Pictaviensis. Vocat autem illam, dominarum sæcularium excellentissimam; aliisque præclaris elogiis, ut aliàs frequenter, jure merito ornat: atque velum sanctimonialis professæ ante obitum accepisse; ac sepultam esse regali habitu in domo sanctimonialium, quam ipsa à fundamentis extruxerat prope Pontisaram. Malum-dunum eam vocant, seu Malodunum, vulgò Maubuysson; ubi Blanca virgines constituit Cisterciensis Ordinis. Eam tamen nonnulli anno præterito defunctam ponunt, quidam etiam sequenti: sed plures & melioris notæ præsenti, unà cum Parisio, qui tum vivebat & scribebat, nec longè aberat, mortuámque volunt anno ætatis sexagesimo tertio. Quàm autem dolenter simul ac piè se sanctus Rex habuerit, cùm Ioppe existens accepit ab Odone Legato nuncium obitûs matris, Ionvillæus & Nangius descripsêre in ejus Vitâ. Claruisse verò Blancam miraculis, testantur [z] vetusti auctores Ioannes de Columnâ, & Didacus de Valeriâ.

[z] Ap. Vvadingh. to. 2. Annal. Min. an. 1251. & præf.

XII. PRODIGIA DIVERSA.

Visa quoque hoc anno diversa prodigia, observant auctores: In Germaniâ [a] tres Soles: In Italiâ [b] varias in cælo ignium stellarúmque ardentium per noctem species: In Angliâ [c] puerum bimulum, qui omnes languentes quâcumque gravi infirmitate detinerentur curaret: & alibi alia.

[a] Annal. Dominic. Colmar. [b] Sigon. lib. 19. hoc an. in fi. [c] Paris. hoc ann.

XIII. CAUSÆ SCHISMATIS GRÆCANICI.

Hoc eodem anno editus legitur [d] à Fratribus Ordinis Prædicatorum Constantinopoli Tractatus contra errores Græcorum de Processione Spiritûs Sancti, de Purgatorio, de Azimo, de Primatu Romanæ Ecclesiæ; qui diligenter ibi expenduntur, ac refelluntur. Inter cætera verè recensentur in fine quatuor prætextæ causæ Schismatis Græcorum; prima, Divisio Imperij; secunda, quòd non fuerint vocati ad Concilium Latinorum quando dictio *Filióque* fuit apposita Symbolo; tertia, superbæ exactiones & Pompæ Legatorum Romanorum Pontificum qui in Græciam mittebantur: quarta & potissima, depositio & excommunicatio Photij Patriarchæ, & aliorum Antistitum. Sed quàm futiles hæ sint excusationes, quámque necessariæ fuerint suis temporibus tres illarum causarum, affatim de singulis demonstratum est suis locis. Superbæ exactiones & pompæ Legatorum, sicuti nullo tempore aut loco excusari possunt, ita nec satis idoneam præbere potuerunt causam tam diri ac diuturni Schismatis conficiendi. Cujus veram causam sæpiùs demonstravimus, superbiam Patriarcharum Constantinopolitanorum, & obstinatam hæresim.

[d] Tom. singul. Steban.

IESU CHRISTI Annus 1253.

INNOC. IV. An. 11.

BALDUINI II. An. 25.

I. INNOC. PP. REVOCATUR A ROMANIS, ET MALE HABETUR.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Indictionis undecimæ, cùm Romani jam anno superiori, ad revocandam quæ solutior evaserat veterem disciplinam, Brancaleonem Andalum Bononiâ evocâssent, virum non tam justitiâ quàm severitate insignem; isque notas habens frequentes Romanorum ex minimis causis seditiosas commotiones, ita oblatam Senatoriam dignitatem acceptâsset, si sibi illa in triennium contrà statuta Vrbis firmaretur, seséque cives sacramento, & datis obsidibus triginta primorum filiis, ad fidelem præstandam obedientiam adstringerent; sicuti & fecerunt: modò iidem missis ad Innocentium Pontificem Perusium nunciis, obsecrârunt ut Romam tandem rediret; ni veniret, se pecuniam ingentem ab illo repetituros quam pro Ecclesiâ adversus Fridericum defendendâ fudissent: ac Perusinis, si eum ulteriùs retinerent, exitium comminati sunt. Cúmque hæc Pontifex metuens,

Assisium concessisset; rursùm idipsum ab eo postularunt, simul Assisiatibus excidium intentantes si detinerent. Reversum autem, ac summo ab omnibus honore exceptum, paulò pòst aggressi, omnia sibi damna quæ ex ejus absentiâ in locationibus, commerciis, usuris, & vectigalibus pertulissent, resarciri petierunt. Is verò delusum se sentiens, egit cum Senatore ut populum compesceret; inhumanum enim esse, pastori quem ad animarum solatium advocâssent, negotium de his iniquè facessere. Hæc Sigonius ex Parisio.

II. [a] Reg. Vat. Innoc. ann. 11. mens. Ianuar. CONTROVERSIA INTER REGES CAST. ET PORTUG. DE ALGARBIIS. [b] Vid. sup. an. 1245. XXX. XXXI.

Antequàm verò Perusio recederet, inter alia ibi gesta, reperimus [a] eum inter Reges Portugalliæ & Castellæ, de provinciâ Algarbiorum dimicantes, auctoritatem suam interposuisse, ut ab armis discedentes controversiam judicio Sedis Apostolicæ permitterent; absque tamen alicujus eorum præjudicio juris aut dignitatis. Tradunt verò auctores Hispanici, Alfonsum Portugalensem [b] Algarbiorum regnum ab Alfonso Castellano socero jure clientelæ accepisse, sed posteà Castellanum, in gratiam Dionysij filij prædicti Alfonsi Portugalensis nepotísque sui, clientelam illam remisisse; indéque Reges Portugalliæ pro symbolo Algarbiorum, regni Portugalliæ insignibus clypeum purpureum addidisse, aureis castellis respersum. Sed hæc multis abhinc annis.

III. PRÆDICATORES MISSI AD GENTES. [c] An. 11. 12. Cal. Aug. [d] Ann. 4. 13. Cal. Maij Director. Inquis. in fi. & ap. Vvadding. tom. 2. ann. 1258. [e] Inf. ann. 1325. VII.

Dum autem Assisij Pontifex moraretur, æquè solicitus de gentium conversione, Provinciali Poloniæ Ordinis Prædicatorum commisit [c], ut Fratres ad conversionem Ruthenorum, Bulgarorum, Græcorum, Saracenorum, Paganorum, Æthiopum, Indorum, & aliarum gentium infidelium, hæreticarum, aut schismaticarum mitteret: quos & multis privilegiis ad id muneris faciliùs exequendum auxit. Sicuti & id ipsum præstitisse posteà reperimus [d] Alexandrum Innocentij successorem erga Fratres Minores. Quos æquè ac Prædicatores in his pro viribus insudâsse, haud dubitare licet. Indéque ortæ *Societates inter Gentes*, de quibus alias [e].

IV. CONVENTIO INTER REGES ANGLIÆ ET SUBDITOS.

In Angliâ cùm Rex Henricus, magno Prælatorum Procerúmque conventu mense Aprilis Londini habito, prætextu peregrinationis Ierosolymitanæ quam voverat, ingentem, pecuniam ab iis posceret, ipsíque præteritis ejus frequentibúsque delusionibus edocti, eam denegarent; in id tandem convenerunt, ut Regi daretur in id iter decima pars proventuum Ecclesiasticorum ad triennium, atque etiam à nobilibus certum quid impertiretur; Rex verò antiquas libertates, immunitates, & consuetudines Ecclesiæ & Regni sæpè juratas, sæpiúsque violatas, omninò bonâ fide restitueret & observaret. Sícque Rege præsente, maximáque omnium ordinum frequentiâ, iisdem quibus aliàs ceremoniis, Bonifacius Archiepiscopus Cantuariensis, aliique Episcopi Pontificiis vestimentis ornati, candelásque

TERRIBILIS EXECRATIO PROMULGATUR IN PRÆVARICATORES.

accensas manibus tenentes, anathemate & diris Ecclesiasticis eos omnes execrati sunt, qui easdem deinceps leges violarent. Extinctas deinde candelas in terram projecerunt, fumo naribus ingrato & tetro odore plenas: campanísque magno clangore sonantibus, acclamârunt singuli, Sic extinguantur & fœteant hujus sententiæ prævaricatores in inferno. Réxque ipse, quamdiù sententia proferebatur, manum ad pectus tenens expansam, (cùm enim initio traderentur omnibus candelæ accensæ, noluit ipse sibi oblatam tenere; non enim decere se, qui non esset Sacerdos; cor autem majus perhibere testimonium:) demùm ad imprecationem Prælatorum addidit, se omnia illa servaturum illibatè, sicut erat homo Christianus, miles, & Rex. Qui nihilominùs confestim, sicut aliàs, pessimorum usus consilio, omnia prædicta cogitavit infirmare, quasi ea dignitatem regiam labefactarent. Narrat hæc pluribus Parisius.

V. CONTROVERSIA DE DOMINIO VASCONIÆ CÕPONITUR INTER REGES CASTEL. ET ANGL.

Subdítque; cùm interim Vasconia Aquitaniæ Provincia, quam adhuc Rex Angliæ possidebat, periclitaretur à Rege Castellæ, qui eam ad se pertinere ex dono Henrici Secundi, & confirmatione Richardi & Ioannis Regum Angliæ (salvo tamen semper jure Regis Franciæ supremi domini) asserebat: eundem Angliæ Regem, ut suis opitularetur, ingenti classe Burdegalam applicuisse mense Augusti; quædam loca, quæ ab Hispano, & Gastone strenuissimo Benearni domino, qui ei militabat, stabant, recuperâsse: ac nihilominùs fidentem parùm Vasconibus, legationem misisse ad Regem Hispaniæ, quâ ejus amicitiam humiliter exquireret, & sororem ejus uterinam nomine Eleonoram Eduardo filio suo primogenito uxorem peteret, cùm dote juris illius quod Regi Hispaniæ prædicto titulo in Vasconiam competere poterat. Quibus rebus à legatis obtentis, missus anno proximo Eduardus adolescentulus quindecim annorum ad Alfonsum Castellæ Regem, ab eo cingulo militari donatus, prædictam ejus sororem desponsavit: non tamen sine gravibus Anglorum in suum Regem expostulationibus; non solùm quòd nihil commodi, quin potiùs multùm incommodi ex ejusmodi fœdere obventurum Angliæ foret; verùm etiam quòd essent Hispani hominum peripsemata, (ut eos depingit Parisius) vultu deformes, cultu despicabiles, moribus detestabiles. Ex cujusmodi illius auctoris narratione [f] desinat Mariana [ff] causam inquirere adventûs Eduardi in Hispaniam.

[f] Paris. hoc an. & seq. [ff] Mar. lib. 13. c. 9. in fi.

VI. EDICTŨ LUDOVICI REGIS DE IUDÆIS E REGNO PELLENDIS.

Habet insuper idem auctor, venisse hoc anno mandatum à sancto Rege Ludovico adhuc in Syriâ agente in Galliam, ut omnes Iudæi e regno penitùs pellerentur, iis exceptis qui opere manuum artibus mechanicis attendere vellent: hæcque Regem præcepisse, quoniam objectum ipsi fuisset à Saracenis, parùm se Christum diligere, qui ejus peremptores in regno suo toleraret. Perturbationem quoque passam esse Academiam Parisiensem, ex eo quòd Fratres Prædicatores nollent subesse antiquis ejus consuetudinibus: sed post multam altercationem, immutatis quibusdam consuetudinibus, concordiam initam esse.

VII. [g] Nang. in Vita S. Ludov. GUILL. DE S. AMORE DOGMATA CONTRA RELIG. MENDIC.

Intelligit autem (ut puto) turbas, quas sequentibus annis fusiùs prosequitur: & Nangius jam anno superiori cœpisse ponit, occasione libelli contra Religiosos Dominicanos & alios Mendicantes conscripti à GUILLELMO *de S. Amore* ex oppido Amatoris apud Sequanos, canonico Bellovacensi, & Theologo Parisiensi magni nominis, inscripti *De periculis novissimorum temporum*, eo prætextu quasi subesse ac parere Academiæ nollent. Qui tamen

metas longè egressus in errores lapsus est, quibus asserebat Religiosos ex eleemosynâ in otio viventes salvari non posse, sed omnes indiscriminatim teneri ad victum sibi opere manuali comparandum: paupertatem habitualem esse licitam non autem actualem: hoc est licitam esse animi promptitudinem ad omnia pro Christo relinquenda cùm urget necessitas; hâc tamen necessitate seclusâ, illicitam esse bonorum renunciationem, quæ fit ad serviendum Deo liberiùs. De cujus damnatione agetur pleniùs sub Alexandro [h] Papâ Quarto.

[h] Infr. an. 1255. VIII.

VIII. COLLEGII SORBONICI INSTITUTIO.

Intereà hoc eodem anno, ut Tilius habet in Chronico, (nisi fortè præcedenti; siquidem inscriptio apposita laminæ æneæ in aulâ Sorbonicâ id contigisse circa annum Domini 1252.) institutum est Parisiis ad Thermas Iuliani Cæsaris celeberrimum toto orbe COLLEGIUM Theologicum SORBONICUM, à *Roberto Sorbone*; unde perpetuâ successione præstantissimi, ac cunctis aliis Scholis venerabiles prodière Theologi. Hunc autem Robertum valdè charum & familiarem fuisse S. Ludovico Regi, testatur Ionvillæus: [i] quem & nonnulli ineptè admodùm ejusdem Regis fratrem extitisse scripserunt. Ipsósque Sorbonicos collegas ab ortu suo *pauperes* & fuisse & nuncupatos esse, constat ex antiquis ejus domûs monumentis: sicuti etiam nominantur (videlicèt *Pauperes Magistri*) à Clemente Quarto Pontifice Maximo in confirmatione illius domûs & Collegij, factâ anno ipsius Pontificatûs quarto, qui fuit Christi 1268. Extant [k] verò hactenùs nonnulli Tractatus ejusdem Roberti; quibus ejus animi pietas magis quàm linguæ facundia elucet.

[i] Ionvil. in Vit. S. Ludov. c. 94.

[k] In Bibl. Patr.

IX. THEOBALDI REGIS NAVAR. OBITUS.

Mortuus est hoc [l] anno octavo Idus Iulij Pampelone *Theobaldus* Rex Navarræ, postquàm regnâsset annis undeviginti: egregius armis & literis, ac maximè poëti Princeps; sed qui postremâ sui dominatûs fœdavit oppressione Ecclesiastici juris: Vnde interdicto Episcopi Pampelonensis universo regno cessatum est toto triennio à sacris: Réxque ipse anathemate percussus, captum aliquando Episcopum, qui interim in Aragoniam secesserat, carceri mancipavit. Populo tamen tumultuante, eum liberare coactus est: ac demùm viris primariis & religiosis adnitentibus concordiâ initâ, Rex culpam agnovit, & jura restituit; solutúmque est interdictum ingenti omnium gratulatione, nec desunt qui asserant ipsummet regem adiisse Innocentium Pontificem ad petendam absolutionem. Successit in regnum filius ejus natu major, nondum quindennis, *Theobaldus* item dictus ejus nominis Secundus, sub curâ Margaritæ matris suæ feminæ prudentissimæ: quam falluntur multi cùm filiam faciunt Arcimbaldi Fuxi Comitis, nullus enim his temporibus ejus nominis Fuxi Comes: fuisse verò filiam Arcimbaldi Borbonij & Dampetrensis cognomento Magni, & scivit Surita, [m] & explicant Historiæ nostræ [n]. Hæc verò pro filio solicita, ac Alfonsi potissimùm Castellæ Regis arma verita, Navarram veteri prætento jure appetentis; cum Iacobo Aragoniæ Rege fœdus iniit; quod à Romano Pontifice confirmari, ut sanctius esset, voluerunt: renovâruntque Iacobus & Theobaldus, postquam Theobaldus regni administrationem suscepit. Eóque processum est, ut conscriptis utrimque exercitibus parùm abfuerit quin inter eos & Castellanos ad manus veniretur; cùm etiam Navarrus multa olim à Castellano occupata sibi restitui postularet. quæ omnia ut demùm composita fuerint, narrant earum gentium historici.

[l] Surit. in Indic. Marian. lib. 13. cap. 9. Gomes. lib. 115. &c.

THEOB. II. SUCCESSIO.

[m] Sur. in Ind. hoc an.
[n] Bellefor. lib. 4. cap. 25.

X. OTHONIS DUC. BAVAR. MORS SUBITANEA.

Hoc eodem anno (ut rectiùs Annales Steronis & Aventini habent, quàm Trithemij [o] Chronicon, ubi alius longè annus consignatur) Otho Dux Boiorum sive Bavariæ, in vigiliâ S. Andreæ Apostoli, vespere unà cum uxore & familiaribus suis hilariùs acto, subitaneâ morte periit: præcedente revelatione cuidam pauperi rustico divinitùs factâ de proximâ malâ ejus morte, nisi citiùs auferret monetam quamdam novam à se in detrimentum publicum cusam, & resipisceret à vexatione Cleri, pauperum, & Ecclesiarum; ob quam & propter favorem Friderico eximperatori & Conrado ejus filio obstinatè impensum, ab Innocentio Papâ, & Episcopis fuerat sæpè excommunicatus; nequicquàm satagente sub finem ejus vitæ Bertoldo illo insigni prædicatore, (non tamen propterea ex Ordine Prædicatorum, ut quidàm [p] perperàm acceperunt; sed ex Minorum Ordine, de quo suprà [q]) ut eum induceret ad obedientiam Ecclesiæ, atque erga Ecclesias & Clerum mitigaret, qui in principio sui regiminis severum judicem, & principem mansuetum sese exhibuerat. Post ejus autem obitum, initâ concordiâ inter ejus filios ac Bavariæ Antistites, relaxatum est interdictum sacrorum, quod jam per multos annos ubique ferè observatum fuerat. Hæc pluribus Henricus Stero [r], tunc in monasterio Altahensi in eâdem Bavariâ vivens, & alij post eum.

[o] Trithem. Chron. Hirsaug. ann. 1245.

[p] Bzov. hoc an. contra quem prolixè disputat Vvaddingh. tom. 2. ann. 1272.
[q] An. 1250. ult.
[r] Ster. in Annal. tom. 1. Antiq. Lect. Canis.

XI. S. CLARÆ OBITUS, ALIARÚMQUE EIUS PROPINQUARUM.

Obiit item hoc anno postridie festi S. Laurentij, (præcedentem tamen nonnulli signant) *S. Clara* virgo S. Francisci paupertatem Assisij quadraginta annis sanctissimè professa, fermè sexagenaria, dilatato jam ejus instituto per universum ferè Christianum orbem. Quam Innocentius Pontifex Assisij tum agens ægram visitavit, mortuæ funus curavit, & Regulam ipsi à S. Francisco traditam approbavit [s]. Eamdem verò signis & miraculis in vitâ & post mortem clarissimam, Alexander Quartus Innocentij successor, qui fuerat totius Ordinis Minorum Protector, biennio pòst in numerum Sanctarum Virginum retulit [t], & præclarissimam Vitam [u] scriptis mandari jussit. Paulò verò pòst secuta est Claram, sicut ipsa prædixerat, ad æternam vitam *Beata Agnes* virgo ipsius soror germana, idémque vitæ genus professa, & ipsa miraculis illustris. Quarum & mater nomine *Hortulana*, filias imitata in conversatione regulari, post viri obitum religionis se adstrinxerat statutis, velúmque ab ipso institutore Francisco receperat, signis & ipsa ac virtutibus clara. Cui & tertia fuit filia *Beatrix*, quæ cùm pervenisset ad annos nubiles voluit cum sororibus CHRISTO copulari. Earum inter neptes *BB. Amata* & *Balbina* germanæ sorores, idem institutum professæ feliciter paulò pòst in Domino quieverunt. Quibus & adnectimus aliam sanctam virginem Viterbiensibus summo honore cultam, *B. Rosam* Tertij instituti Minorum, quæ iisdem temporibus & ipsa miraculis in signis feliciter ad Deum migravit.

[s] Bullar. to. 1. Innoc. IV. const. 12.

[t] Ibid. Alex. IV. const. 3.
[u] Ext. integra ap. Sur. 12. Aug. contractior, ap. Anton. tit. 24. c. 6. dilucidior ap. Vvaddingh. to 2. Annal. Minor. ann. 1251. & præf. qui etiam de subsequentibus hic designatis sanctis feminis uberiùs agit. ann. 1252. 53. 54.

XII.
[x] Hayth. c. 23. [y] San. lib. 3. par. 13. c. 6.
PETITIONES REGIS ARMEN. AD CHAAM TARTARORUM.

Hoc pariter anno collocat Haythonus [x] Armenus Monachus & historicus, ac post eum Sanutus [y] & alij, adventum Haythoni Armeniæ Regis, prædictique historici avunculi, ad Mangonem Chaam Tartarorum: benignéque ab eo exceptum, septem illi petitiones porrexisse; primam, ut ipse cum gente suâ Christianus fieret; secundam, ut inter Christianos & Tartaros perpetua pax esset; tertiam, ut in universâ Tartarorum ditione Christiani omnes ab omni essent servitute & tributo immunes; quartam, ut Terram Sanctam & Sepulcrum Domini à Saracenis vindicaret, & Christianis restitueret; quintam, ut Calipham Baldacensem caput superstitionis Mahometicæ, destrueret; sextam, ut quotiescumque Rex Armeniæ auxilium à vicinioribus Tartaris postularet, ipsi præstare tenerentur; septimam, ut quæcumque loca regni Armeniæ à Tartaris occupata fuissent, restituerentur, & quæcumque alia Rex ipse Armeniæ Saracenis auferre posset, sibi liberè habere permitteretur: Mangonem autem, post deliberationem cum suis proceribus factam, petita omnia libenter concessisse; atque imprimis cum plerisque suorum suscepisse baptismum; Haolonúmque fratrem suum in subsidium Terræ Sanctæ immisisse; qui primò regnum Persidis occupavit, & inde Asiasinorum munitiones expugnavit, ac demùm Calipham aggressus est: de quo dicetur posteà suo loco. Et ut reliqua omnia ab Haythonio narrata vera sint, quæ videmus absque controversiâ à plerisque recepta; sanè de tempore ne iis penitùs fidem præbeamus, prohibemur certioribus aliorum rationibus, quas audivimus superiùs [z].

[z] An. 1248. XII.

IESU CHRISTI Annus 1254.

INNNOC. IV. An. 12.

BALDUINI II. An. 26.

I.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, Indictione duodecimâ, impleta est visio facta anno superiori rustico quem vidimus mortem Othoni Bavaro prænunciâsse. Cùm enim & cæteros Principes qui pacem turbarent eâ comprehensos fuisse assereret, ejus æquè efficacitatem nonnullos alios per mortem insperatam expertos esse, tradunt auctores qui ejus meminerunt.

II.
CONRADI REGIS MALA MORS.
[a] Iuvenat. in Annal. ap. Summont. Hist. Neap. l. 2. Paris. hoc an. Colen. l. 4.
[b] Ster in Annal. Paris. hoc an. Paduan. Chron. lib. 2. Cor. par. 2. Sigon. l. 19. &c.
[c] Ricord. cap. 146. Villan. l. 6. c. 44. Anton. tit. 19. cap. 6. §. 5.
[d] Maurol. & Constant. in Hist. Sicil. Sommont. in Hist. Neap.

Quorum præcipuus *Conradus* Rex, cùm in suâ adversus Ecclesiam contumaciâ perseverans, non ita pridem & fratrem suum Henricum, quem Fridericus pater ejus Regem Siciliæ constituerat, duodecim annorum puerum elegantissimum, ministerio ac proditione cujusdam ducis Saraceni è medio sustulisset [a], ut tam eo regno quàm thesauris Henrici liberè potiretur: ipse quoque hoc eodem anno (ut plures & antiquiores [b] volunt, non superiori, ut quidam) undecimo Calendas Iunij in vigiliâ Ascensionis mortuus est, excommunicatus & impœnitens, ut multi [c] tradunt; & ut ferè omnes, veneno sublatus à Manfredo pessimi ingenij fratre Notho, qui etiam patrem suffocaverat. Et sunt qui scribant [d]; cùm ejus cadaver Messanam ad sepulturam delatum fuisset, dum exequiæ in templo celebrarentur, subitò ex multitudine cereorum incendio, templi tectum cum cadavere arsisse; quendámque sic in eum egregiè serióque lusisse:

Funere Conradus caruit, tumuloque: rebelli
Vtraque namque negat munera Relligio.

Condito verò testamento, filium suum ejusdem nominis (quem tamen Itali auctores *Conradinum* maluerunt appellare, ad distinctionem patris, & quòd nec dum trimulus esset cùm pater obiit) ex filiâ Ducis Bavariæ Elisabethâ susceptum, hæredem regnorum suorum reliquit; nesciénsque se fraude Manfredi perire, tutorem eum illi constituit, unà cum nonnullis proceribus Bavaris quos secum adduxerat.

III.
INNOC. PP. PETIT NEAPOLIM.
[e] Reg. Innoc. an. 11. ep. 212. Ioan. à Leid. Chron. Belg. l. 23. c. 27. Sigon. lib. 19.
[f] Paris. hoc an. Io. à Leid. c. 23. Meyer. lib. 9.
[g] Ioan. Becka, Ioan. à Leid. &c.
[h] Reg. Vat. an. 12.

Auditâ ejus morte Innocentius Papa continuò animum ad recuperandam Neapolim, Capuam, cæterásque illius Regni urbes applicans, Guillelmum Germaniæ Regem ad id in Italiam evocavit [e], & ad coronam Imperij accipiendam. Vbi autem illum domestico bello contra Margaritam Flandriæ Comitem, cujus & numerosissimum exercitum ingenti nuper clade prostraverat [f], implicitum, venire non posse sensit; (nam quod nonnulli scriptores [g] Batavi aiunt, eum duodecim dumtaxat assumptis viæ Comitibus furtim venisse Ianuam ad Pontificem, eóque salutato confestim rediisse in Germaniam; huic assertioni & obstant tempora & loca, & aliorum omnium auctorum silentium, ac multa alia, quæ commentitiam arguunt:) Manfredo [h] & aliis infesta arma gestantibus, monitis, nec obedientibus, novâ rursùm excommunicationis sententiâ perculsis: præmisso demùm valido exercitu, ipse Neapolim accessit. Vbi ab omnibus, longâ Suevorum Principum oppressione fessis, benignè & honorificè admissus, atque tum ab aliis Regni Proceribus, tum ab ipso etiam Manfredo debito obsequio cultus; cunctis & ipse se benignum exhibens, non solùm Manfredum in gratiam recepit, verùm etiam præter confirmationem Principatûs Tarentini à Friderico patre accepti, novis aliis honoribus auxit, & consiliorum participem fecit. Sed idem mox ad ingenium rediens, cùm virum quendam Pontifici valdè acceptum occidisset, Luceriam Saracenorum sese recepit, eorundémque Saracenorum armis immissum adversus se cum exercitu Guillelmum de Flisco Diaconum Cardinalem S. Eustachij nepotem Innocentij unà cum Marchione Hemburgensi, profligavit. Hæc prolixè ex antiquioribus Scriptoribus, Iuvenatio, Villanio, Blondo, Fazello, Sigonio, Summontius in Historiâ Neapolitanâ; quibus addendi Parisius, Paduanus, Antoninus, Nauclerus, Æmilius, & alij. Extántque in collectione Epistolarum Petri de Vineis [i], binæ Manfredi de hâc ipsius victoriâ literæ; ex quibus intelligitur, tum ipsum hæc præstitisse specie conservandi regni Conradino nepoti suo, tum victoriam partam esse die secundâ Decembris, vivente adhuc Innocentio Pontifice; ac proinde errare illos, qui ad initia Alexandri successoris Innocentij referunt.

EJUS EXERCITUS À MANFREDO DELETUR.
[i] Pet. de Vin. 2. ep. 45. 46.

IV.

Eo igitur nuncio accepto Innocentius, cùm jam quâdam ægritudine tentaretur, ingravel-

INNOC. PP. IV. OBITUS.

cente morbo, non multò pòst septimo Idus Decembris interiit: ut ex antiquis Stero & Parisius ex recentioribus Sigonius & Panvinius optimæ notæ auctores scribunt;& disertè testatur Alexander ejus successor in literis [k] circularibus de suâ electione scriptis; ex quibus tutò arguas qui alium diem vel mensem assignant. Repetiisse verò frequenter in mortis articulo Psalmi [l] versiculum, *Domine propter iniquitatem corripuisti hominem*, Paduanus ait: Cujus rei causam ferunt [m] quorum res interest, quòd paulò antè falsis quorundam suggestionibus in Religiosos Mendicantes commotus, quos antè eximiè foverat, revocâsset optima quæque illorum privilegia; atque inde in morbum incidens, graviter pœnituerit. De quo quicquid sit, quæ in Mendicantes ipse statuisset, referuntur in Constitutionibus [n] Alexandri ipsius successoris, quibus omnia in pristinum statum reposuit.

[k] *Ext. in ejus Reg. Vatic.*

[l] *Psal. 38.*

[m] *Vide Vvaddingh. to. 2. Annal. Minor. hoc an. & Bzov. item hoc an.*

[n] *To. 1. Bullar. in Alex. IV. & ap. Vvaddingh. an. 1255.*

V. Ejus LAUDES.

Sedit Innocentius annos undecim, menses quinque, dies quatuordecim. Sepultúsque est ibidem Neapoli in Ecclesiâ S. Laurentij Fratrum Minorum. Cujus memoriam cùm ejus exquisita doctrina, (cujus illustria extant [o] monumenta, ipsius scriptis immortalitati consecrata) atque insignis pietas, tum verò præstantia in Rempublicam Christianam merita, assiduíque & indefessi labores, claram imprimis faciunt: quicquid eam obscurare atque maculare conati fuerint schismatici Fridericiani; ac Parisius Ecclesiæ Romanæ & Pontificum osor, malignis juxtà ac fatuis quarundam visionum figmentis perstringere. Eundémque adeò necessarium Ecclesiæ existimatum fuisse nonnulli scribunt [p], ut eum vulgò lugentes dictitarent, (quod & olim de alio usurpatum) aut nunquam nasci, aut nunquam mori oportuisse. Quòd verò nonnulli ejus obitum retulerint uno, quidam etiam altero antè anno; inde putamus accidisse errorem eorum qui Sedem Romanam sesquianno vel etiam biennio vacâsse scripsêre: planè contra plurium & antiquiorum & accuratiorum auctorum assertiones; quibus constat vix tredecim dies intercessisse usque ad creationem successoris.

[o] *Recensentur etiam in Nomencl. Card. & in Addit ad Ciaccon.*

[p] *Hist. Genuens.*

VI. CONSTITUTIONES CONTRA HÆRETICOS.

Sed antequàm de illâ agamus, perquirentes cæteras hujus anni actiones Innocentij priusquàm vitæ finem imponeret; imprimis reperimus memoriâ dignum, eum ut puritatem fidei incontaminatam conservaret, plures edidisse constitutiones [q] adversus hæreticos, eorúmque fautores: & Inquisitoribus eorum tam Episcopis & Prælatis sæcularibus, quàm Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, (hos enim Episcopis, quorum fuerat semper ea cura, adnexos voluit; atque ita ut potior auctoritas penes Inquisitores esset: relicto etiam nonnihil auctoritatis magistratibus sæcularibus circa ministros & assessores Inquisitoribus dandos, ut ex prædictis aliisque ejus constitutionibus intelligitur:) multiplices concessisse facultates, Crucémque in eosdem hæreticos prædicari jussisse; iisdem attributis indulgentiis & privilegiis, quæ transeuntibus in Terræ Sanctæ subsidium Concilium generale tribuisset.

[q] *Ext. in Bullar. tom. 1. Innoc. IV const. 15. 16. 17. 18. 19.*

VII. ECELINI TYRANNI IMMENSA SCELERA.

In [r] Ecelinum quoque portentosissimum Marchiæ Tarvisinæ tyrannum, qui (ut Pontifex ait) sub humani vultûs effigie bellualem animum retinens, Christiani sanguinis sitibundus implacabile adversus communia humanitatis fœdera bellum gerebat; nec solùm ferali hominum excidio debacchabatur in corpora, verùm etiam spiritualis vitæ operabatur exitium in interitum animarum: cujus horrendissima scelera, & inauditæ in omnis sexûs ætatis & conditionis personas tam alienas quàm etiam proprias suas sævitiæ exempla, Paduanus diligentiùs recensuit, multi alij attigerunt: qui denique, ut paucis absolvam, talem sese exhibuit, ut quemadmodùm scribit Corius [r], creditus fuerit generatus esse à dæmone: (quamvis & eundem in vindictam scelerum Marchianorum immissum fuisse, ex eodem auctore intelligitur, dum narrat quendam Monachum servum Dei aliquando elevatum in spiritu, vidisse Christum in aëre quærentem ab Angelis suis, quomodò posset vindictam sumere de peccatoribus Marchiæ Tarvisinæ; & unum ex Angelis respondisse, adesse Ecelinum virum paratum scelera super sceleratos augere: Christúmque porrecto ei gladio, jussisse facere vindictam de hostibus suis.) In hunc igitur talem, non solùm crudelissimum tyrannum, sed etiam de hæresi suspectum, & ad causam dicendam sæpiùs antehàc à Pontifice evocatum, nec satisfacientem, ideóque pluries excommunicatum: rursùm hoc anno in die Cœnæ Domini publicè, ut in manifestum hæreticum sententiam [s] anathematis protulit Romæ quinto Idus Aprilis.

[r] *Cor. Hist. Mediol. par. 2. an. 1207.*

EXCOMMUNICATUR AB INNOC. PP.

[s] *Reg. Innoc. IV. an. 11.*

VIII. ALIA INNOCENTII HUJUS ANNI GESTA.

Periclitantibus in Romaniæ Imperio Latinis, & unà cum Balduino Imperator. ad extremum ferè discrimen adductis subvenire cupiens, piam Crucis militiam in eorum subsidium, ut aliàs sæpè, indixit: útque ea quæ in illud bellum erogarentur, Pantaleon Patriarcha Constantinopolitanus colligeret, illi ipsi præcepit; & ut qui arma aliáque vetita ad Saracenos detulissent, anathemate solveret indulsit. Henrico [u] Angliæ Regi, Siciliæ & Apuliæ regnum in feudum obtulit pro Eadmundo minore ipsius filio: acquirendum militiâ Pontificis, sed expensis Regis; ad quarum solutionem sese Rex sub privatione Regni Angliæ obligavit. Missúsque [x] ad hoc in Angliam Ottobonus de Flisco Diaconus Cardinalis tituli S. Adriani; qui certis pactis conventis rem peregit Reges Hungariæ & Boëmiæ inter se dimicantes (regebat Hungariam Bela, Boëmiam Othocarus; cujus pater Wenceslaus, & ipse Othocarus cognominatus, & Monoculus, de quo sæpè superiùs, è vivis excesserat mense Septembri anni præteriti:) misso nuncio ad pacem mutuam reducere conatus est quorum de Austriæ dominio agitata his temporibus sæva bella, & inita parùm firma pacis fœdera, earum gentium historici [y] tractant. Et ut plurima alia in beneficium multorum Regum ac Principum diversarúmque Ecclesiarum ab eodem Pontifice benignè indulta, salubritérque constituta, quæ in ejus Epistolis præsentis anni reperiuntur [t], prætereamus; illud nequaquàm prætermittendum ducimus, quòd ne Episcopatus in commendam (ut vocant) concederentur, aut obtinerentur, unde certissima pernicies Ecclesiæ

[t] *Reg. an. 11 ep. 4. & seqq.*

[u] *Paris. hoc an.*

[x] *Bzov. an. seq. ex cod. Vatic.*

PACTIO CUM REGE ANGLIÆ DE REGNO SICILIÆ.

[y] *Ster. in Annal. Dubrav. l. 16. ad fin. Cuspin. in Austr. &c.*

EPISCOPATUS IN COMMENDAM.

ac destructio totius religionis immineret, omninò prohibuit: cùm frequenter his temporibus fieret, (& utinam non etiam modò:) ut qui eligebantur in Episcopos, consecrationem non acciperent; sed perinde ac si ad dignitatem tantùm & divitias vocati essent, temporalia atque etiam bellica liberiùs tractarent, maximo rei Christianæ & disciplinæ Ecclesiasticæ, ipsarúmque Ecclesiarum & animarum detrimento.

IX. ALEX.IV. CREATUR PONTIF.

Mortuo autem Innocentio, statim (ut loquitur Stero ejus temporis auctor) à Cardinalibus ibidem Neapoli subrogatus est in locum ejus *Raynaldus* Episcopus Ostiensis, prior Cardinalium; & vocatus ALEXANDER IV. Idémque de tempore testantur Parisius, Nangius, & Paduanus, & ipsi tunc viventes. Idémque posteà Sanutus, Blondus, Collenutius, Langius, Sigonius, Panvinius, & alij. Et quod omnem tollit dubitationem, literæ sunt circulares ipsiusmet Alexandri, quarum meminimus superiùs, scriptæ postridie suæ electionis ad eam de more significandam, poscendásque preces omnium; quæ datæ ponuntur Neapoli undecimo Calendas Ianuarij, cùm, ut ait, ipsius decessor Innocentius obiisset septimo Idus Decembris. Ex quibus manifesti erroris convincuntur Villanius, Antoninus, Palmerius, Trithemius, ac quicumque alij Sedem duobus fermè annis vacâsse, & alio quàm hoc tempore Alexandrum creatum esse scripsêre. Narrátque Blondus [z], Cardinales eâ fuisse conclave ingressos conditione, ut omni postpositâ longiore debito morâ, rebus Ecclesiæ à Manfredi violentiâ insidiisque periclitaturis per novi Pontificis creationem providerent: adeóque Bartolinum Tavernariam equitem Parmensem, quem Innocentius, sororium suum, Neapoli Prætorem imposuerat, virum prudentem, honestâ ac consuetâ vi adhibitâ, illos cibo per singulos dies imminuto, ut in aliquem concordarent impulisse potiùs quàm hortatum esse. Fuit autem Alexander natione Hernicus, sive Campanus, patriâ Anagninus, patre Philippo (Gerardum quidam vocant) ex Comitibus Signiæ, patruo Gregorio IX. Pontifice, à quo creatus fuerat Cardinalis, primò Diaconus tituli S. Eustachij, deinde Episcopus Ostiensis; quem & Monachum fuisse S. Benedicti, assertum reperimus apud unum Paulum Langium ejusdem instituti Monachum in Chronico Citizensi; nec unde sumpserit, aut dicit ipse, aut nos alibi invenire potuimus: nec si ita esset, omissurus fuisset diligentissimus Trithemius in enumeratione [a] Summorum Pontificum illius Ordinis: ubi disertè asserit, non alios quàm quos ipse profert, (in quibus nullus Alexander reperitur) ex eo Ordine extitisse, nec audiendos qui alios obtrudunt.

[z] *Blond. 2. dec. 7.*

VTRùM FUERIT MONACHUS.

[a] *Trith. de vir. illustr. Ord. S. Bened. lib. 4.*

X. EJUS CONDITIONES.

Renunciatus autem est Pontifex, ut diximus, duodecimo Calendas Ianuarij; & die Natalis Domini coronatus. Cui hoc symbolum seu sententiam placuisse, quam solemnibus subscriptionibus apponeret, reperimus, [b] *Suscipe, Domine servum tuum in bonum.* Laudatur verò ab omnibus de doctrinâ, morum probitate, & sanctitudine vitæ: ac singulariter à Parisio, quòd præter aliorum Pontificum morem, statim à creatione suâ scripserit (quod etiam diximus) ad universos Ecclesiæ Prælatos, humiliter petens ut preces ad Deum funderent pro optimo suo regimine. In cujus tamen meritâ laude non potuit is auctor abstinere ab iniquâ cæterorum insectatione, (adeò fuit prono in calumnias animo) cùm certum sit, & exemplis decessorum comprobatum viderimus, morem fuisse Romanorum Pontificum, confestim ab electione literas circulares scribere, in quibus haud dubium quin & preces omnium efflagitarent. Laudatur verò etiam Alexander ab Sterone, de eo quòd minùs quàm cæteri curans de negotiis Principum & regnorum, non pauca revocaverit quæ in oppressionem multorum sub decessore suo constituta fuerant. Sed de rebus ejus gestis dicetur annis consequentibus.

[b] *Psal. 118.*

XI.

Hoc eodem anno Ludovicus Francorum Rex, post obitum matris Blancæ à suis rogatus regnum suum revisere, quod non parùm periclitari videbatur ab Anglis, quorum Rex in Aquitaniam transmiserat, & à tumultibus Flandricis: demùm rebus quàm optimè potuit in Palæstinâ constitutis, mœstus tamen quòd parùm ex Republicâ perficere potuisset, in vigiliâ festi S. Marci (ut Ionvillæus habet) navem conscendit Ptolemaïde: indéque solvens cum classe quatuordecim navium, post gravia navigationis pericula, (quorum maximum fuit, quòd tertiâ pòst nocte quàm solverat, navis quâ ipse cum uxore ac liberis ferebatur, plenis velis æquor sulcans, tanto impetu ad latentem terræ lingulam seu arenam induratam allisa est, ut læsâ graviter carinâ omnes de vitâ desperarent: cùm interim Rege coram sacratissimo Corporis Christi sacramento, quod, acceptâ à Legato facultate, decentissimo loco in navi erecto altari collocaverat, ad orationem prostrato, cuncti in eâ fuêre sententiâ, mortis tam præsens discrimen ejus meritis & precibus se evasisse;) appulit in Provinciam Phocensem in die Translationis [c] S. Benedicti, quæ celebratur 11. Iulij; sexto postquàm è regno abierat anno expleto. Indéque Parisios properans, ac summâ ubique gratulatione exceptus, corpora Sanctorum Martyrum Dionysij ac sociorum visitavit, ac gratiis actis munera Ecclesiæ contulit. Húncque sortita est exitum novissima Occidentalium mediterraneorúmque Regum in Syriam expeditio: cùm posthàc nonnisi privatis aliquorum armis atque velitationibus rem agi contigerit.

REX FR. LUDOV. REVERTITUR IN REGNUM.

[c] *Paris. hoc an. Ionvillaus, qui aderat, decem septimanas navigationis habet. Nangius ferè undecim.*

XII. OPTIMA EJUS VIVENDI RATIO.

Quomodò verò ab hoc tempore idem Rex magis magísque de virtute in virtutem proficiens, ad omnem vitæ perfectionem pervenerit; publicæque utilitati ac religioni, quod regij muneris erat, studuerit: Regnum suum optimis legibus atque institutis, extirpatione vitiorum, atque imprimis blasphemiarum, (quarum reis candenti etiam ferro notam in os inussisse reperitur) histrionum, lupanarium, usurarum, duellorum; atque insitione virtutum & proborum morum composuerit: plurimis domibus hospitalibus, (ac præcipuè cæcorum, de quibus aliàs [d]) monasteriisque diversorum Religiosorum à se extructis ornaverit, (atque imprimis *Carmelitarum*, quibus ex Monte Carmelo deductis, apud Parisios locum atque Ecclesiam primus attribuit: non tamen ut primus ille hunc Ordinem in Gallias adduxerit, quod

[d] *Suprà an. 1250. VIII.*

DE ADVENTU CARMELITARUM IN GALLIAS.

nonnullis persuasum videmus; sed tantùm Parisios: cùm jam ante hæc, tum alia alibi, tum Burdegalæ reperiatur fuisse Cœnobium ejus Ordinis, in quo Simon Stoch Anglus Prior illius Generalis mortuus fuerit & sepultus anno 1250. ut habet ejus urbis Chronicon: quem uti sanctum Ordo colit, cui primùm Beatissima Virgo, ei manifestè apparens, sacrum Scapulare contulerit;) largitione munerum & eleemosynarum egenis succurrit; infirmis quorumcunque etiam graviorum morborum infectione deformibus, quinimmò & leprosis membrorum corrosione horridis, flexis genibus cibos in os ministraverit; in victu suo & vestitu (ac fuisse hunc Tertij Ordinis Minorum, cui se post reditum ex Syriâ addixerit, nonnulli [e] volunt: quod tamen vix credibile, cùm nullus antiquorum singularis hujus rei meminerit:) perfectæ humilitatis ac continentiæ exemplum singulis præbuerit; ac præterea corpus ciliciis & flagellis castigaverit; liberis suis optima salutis & rectæ administrationis monita impertierit, Magistratus castè integréque jus dicere impulerit, ipséque pauperum causas & querelas audierit: pietatem, justitiam, pacem, tam à subditis quàm vicinis coli sategerit; adeò ut etiam extranei Principes ejus judicium in suis controversiis spontè subire eligerent; & Galliam incolæ extraneique beatissimam tali Rege judicarent: Hæc, inquam, & alia eò spectantia, quæ longum esset enumerare, prolixiùs tractârunt ejus Vitæ scriptores, Gaufridus de Bello-loco ejusdem diuturnus confessor Ordinis Prædicatorum; Ioannes Ionvillæus miles insignis, qui cum eo familiarissimè vixit; Guillelmus Carnotensis ipsius Sacellanus ex eodem ordine Prædicatorum, aliúsque Guillelmus Nangius Monachus Benedictinus S. Dionysij; Iudocus Clictovæus; Bonifacius item Octavus in Bullâ canonizationis ejus, S. Antoninus [f], Gaguinus, Paulus Æmilius, & alij omnis generis & gentis auctores; qui eadem breviùs attigerunt, & summâ cum laude de eo meminerunt.

[e] Vide Vvadding. tom. 2. Annal. Minor. hoc an.

Ejus Vitæ scriptores.

[f] Ant. tit. 19. cap. 9. §. 4.

XIII. De curatione strumarum.

Itaque illa generatim retulisse contenti, ut unum tantùm & alterum speciatim referamus; de ejus pietate in *Strumis* curandis testatur Nangius, (*Sodellas* ipse vocat; *Chœrades* Græci; Latini etiam *Scrophulas*; à fuibus qui peculiariter eo morbo infestantur; súntque veluti glandulæ consistentes, in cervice maximè, quamquam & in alis, inguinibus, mammísque mulierum oriri solitæ, etiámque in cæteris corporis partibus, ut usus & experientia quotidiana demonstrat) cùm decessores Reges in tangendis strumosis verba solummodò consueta proferre in more haberent, (sunt autem ea, *Tangit te Rex, Deus te sanat*) ipsum verbis signum Crucis addidisse, (quidam tamen volunt, restituisse tantùm, quod jam ob initio fieri solitum omitti cœperat, fortè ob nauseam ulcerum) ut sequens curatio virtuti Crucis tribueretur potiùs quàm regiæ dignitati: quod quidem ita fieri consuevit, ut Rex verba proferens simul etiam manum salutiferam explicet, primò rectâ & in longum, mox in latum cruciatim faciem strumosi tangens, superaddénsque signum Crucis in aëre versùs eandem morbosi faciem. Quam vim Regibus Galliæ jam ab ipso Clodoveo primo Christiano divinitùs datam, auctores [g] testantur; confirmátque insigniter continuus vel ex ultimis Hispaniæ finibus ad certum ejusmodi remedium ægrorum concursus.

[g] Vide eorum testimonia ep. Maucler. Monar. par. 3. l. 7. c. 10.

XIV. De præsentatione Beneficiorum.

Cùm verò in Beneficiis Ecclesiasticis quæ ad patronatum aut collationem ipsius pertinebant, eam circumspectionem adhiberet, ut non nisi dignis diligenter conquisitis concederet, nec unum habenti quantumvis digno, nisi eo dimisso aliud conferret; tum verò his etiam immiscere se timens, aliquando dixisse legitur, *Sufficit mihi coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam de spiritualibus rationem reddere.* Et cùm ei nominandi Pastores ab Alexandro IV. Pontifice potestas facta fuisset, ad ídque diploma orator ejus Româ detulisset [h], *Quòd mea*, inquiens, *Romæ negotia strenuè obieris, laudo; quòd mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo; intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ & regni id susciperem;* protinùs diploma in ignem projecit. Sed de his modò satis; quibus nonnulla ejusmodi alia venient etiam inferiùs addenda.

[h] Broimard. in vit. S. Ludov. Genebr. in Chronol.

XV. Rex Angliæ invisit S. Ludovicum.

Intereà Henricus Rex Angliæ, quem Burdegalæ reliquimus, compositis rebus suis in Angliam redire deliberans, cùm vitandi causâ marini discriminis, tum sanctissimi Regis florentissimíque regni videndi desiderio, terrestri itinere viam conficere, si per Regem liceret, statuit. Quare postulatâ, acceptâque mox ejus fide, nobilissimo Comitatu incedens, sanctum Regem obvium habuit apud Carnutum, & ab eodem Parisios deductus, nullo non honoris, munificentiæ, ac benevolentiæ officio exceptus est: auctâ immensùm festivitate, quòd quatuor sorores, nempè Reginæ Franciæ & Angliæ, atque Comitissæ Andegavensis & Cornubiensis, unà cùm ipsarum matre Beatrice seniore Comitisâ Provinciæ, omnium eo tempore mulierum tali prole felicissimâ, tunc simul in unum ibidem convenientes, mirificis sese mutuò solatiis & oblectamentis consolatæ sunt. Describit hunc Regum congressum accuratè Parisius: cui sanè credi tutò potest cùm Francos laudat, quorum vix nisi cum detractione meminisse consuevit. Quocircà & valdè notandum ad majestatem Regum Francorum demonstrandam quod ipse refert; nempè cùm in solemni convivio considere Reges haberent, *Regem Francorum* (verba ejus refero) *qui terrestrium Rex Regum est, tum propter ejus cœlestem inunctionem cùm propter sui potestatem, & militiæ eminentiam, in medio sedisse; & Regem Angliæ à dextris, & Regem Navarræ* (juniorem videlicèt, de quo anno superiori, qui Regem Ludovicum mox ab ipsius reditu convenerat) *à sinistris. Et cùm niteretur Rex Francorum aliter ordinare, ut videlicèt Rex Anglorum in medio & eminentiori loco sederet, aisse Regem Angliæ, Non domine mi Rex, decentiùs sedetis modò, scilicèt in medio, & digniùs: dominus enim meus es & eris, & superest causa.* In abitu comitatus est eum Rex unius diei itinere, & posteà recesserunt ab invicem.

Illustre encomium Regis Franc. à Parisio Anglo.

XVI.

Rogatus quoque idem sanctus Rex à Margaritâ Flandrâ, ipsi succurrere adversùs Guillelmum electum Romanorum & Germaniæ Regem; Carolum fratrem cum amplissimis auxiliis misit: de cujus ibi rebus gestis, & nisi-

bus sancti Regis ad pacem inter partes conciliandam, Meyerus [i], & alij. Cùm verò idem Guillelmus ægrè honorem Romani regni sustineret, quòd illi Principes non parerent, & à vicinis impugnaretur; accidit hoc ipso anno [k] ut ortâ apud urbem Nussiam inter eum & Archiepiscopum Coloniensem controversiâ, ignem milites Colonienses immittentes in domum in quâ Rex erat cum Legato Apostolico tantùm non utrumque combusserint. Rursúmque apud Trajectum [l], dum unà cum aliquibus Prælatis locum aptum exquireret construendo sacello in honorem S. Georgij Martyris, emisso à quodam incerto è longinquo grandiori saxo in caput ejus, penè contrivit. Annóque sequenti [m] cùm ipse conventum Principum Wormatiæ haberet, ejúsque uxor ad quoddam castrum iret, à nobili quodam capta est cum suis, & post aliquot dierum detentionem omnibus rebus spoliata remissa. In tantum devenerat majestas Regia & Imperialis contemptum.

[i] Meyer. Annal. Flandr. lib. 9.
[k] Staden. in Chron. Krantz. 8. Saxon. 19.
GRANDIS CONTEMPTUS MAJESTATIS IMPERIALIS.
[l] Io. à Leid. Chron. Belg. l. 23. c. 29.
[m] Trithem. in Chron.

XVII. MIRACULUM INGENS DE EUCHARISTIA.

Eodem hoc anno admirabile quippiam contigit Duaci in Belgio de sacratissimâ Eucharistiâ: quæ cùm omnia miracula in se contineat, etiam mirabiliter oculis intuentium apparere dignata est; rem narrante qui vidit, teste omni fide digno Thomâ Cantipratano ex Dominicanorum Ordine suffraganeo Cameracensi, multæ pietatis & doctrinæ viro, in suo Boni Vniversalis, sive Apum opere [n]. Nimirùm ipso die Paschatis, cùm sacerdos in Ecclesiâ S. Amati communicato populo unam è consecratis hostiis humi jacere animadvertisset, ac flexis genibus tollere tentâsset; eam repentè in aërem per se sublevantem, se in eo linteolo quo sacerdos post consecrationem digitos detergere solet collocâsse. Exclamante Presbytero, Canonicos Ecclesiæ populúmque accurrentem conspexisse in linteo Corpus vivificum specie venustissimi pueri. Sparsâ ubique tantæ rei famâ, etiam ipsum Thomam Cameraco Duacum inspiciendi desiderio accessisse: apertâ thecâ magnâ populi frequentiâ, primùm nihil vidisse præter speciem panis, mox conspexisse faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam habentem in capite coronam, & duas guttas sanguinis de fronte ex utrâque parte nasi manantes. Cùm eam pronus in terram adorâsset, surgentem nec coronam nec sanguinem ampliùs vidisse, sed faciem hominis miro decore venerabilem, naso oblongo & directo, superciliis arcuatis, oculis simplicissimis & demissis, cæsarie promissâ ad humeros, barbâ intonsâ & sub mento curvatâ, ex utrâque parte menti valliculis à pilo nudis, quales in juvenibus apparere solent; fronte latâ, genis macilentis, collo longo, & cum capite nonnihil inflexo. Hâc formâ cùm se Thomæ exhibuisset, aliis unius horæ spatio in Cruce extensum apparuisse, aliis quasi ad Iudicium venientem, plerisque pueri specie. Ita Thomas: meminítque ejusdem miraculi Bredembachius. [o] Cujus tempus cùm Thomas non consignet, hoc tamen anno 1254. contigisse asserit qui Notas ad eum apposuit Colvenerius, ex tabellâ dependente ad sacellum Ecclesiæ S. Amati in quâ historia depicta est. Cujus & hactenùs ibi celeberrimam esse memoriam ait, & quot annis renovari solemni celebritate feriâ quartâ Paschæ; atque in processione statis diebus deferri capsulam argenteam, in quâ hostia illa est reposita. Fuiséque frequentia circa Eucharistiam his temporibus miracula, illiciendis aut confirmandis ad fidem hominum mentibus, jam superiùs non semel demonstravimus, & ex Dialogis Cæsarij qui eo tempore vixit intelligere licet.

[n] Cantipr. 2. Ap. 40. art. 2.
[o] Bred. lib. 1. sacr. collat. cap. 8.

XVIII. MAURI PELLUNTUR EX ARAGONIA.

In Hispaniâ Mauri qui Valentino in regno Iacobo Aragoniæ Regi se subjecerant, quæ genti est innata infidelitas, eodem Rege aliis bellis implicito, magnâ conspiratione ab eo deficientes aliquot ejus castra expugnârunt. Quare Rex accurrens, deliberatione factâ de illâ gente finibus pellendâ, repugnantibus licèt Proceribus, quòd sibi persuasissent colonos Christianos minùs fore culturæ agrorum atque sibi utiles, edici imperavit ut intra mensem Mauri omnes cujuscumque sexûs, ætatis & conditionis regni finibus excederent. Idque tantâ facilitate divinâ operante virtute effectum est, ut quamvis ad sexaginta millia, exceptis mulieribus & pueris, sumptis armis ad omnia subeunda pericula paratissimi viderentur, dicto tamen paruerint; qui partim in Murciæ & Granatæ fines dissipati sunt, partim in Africam trajecerunt: præter quosdam, qui duce Alazaracho rebellionis auctore sese in montana regionis recipientes, permultis commissis prœliis triennio sese strenuè tutati sunt, favore Castellanorum qui tum ab Aragoniis dissidebant. Hæc breviter Surita [p] & Mariana hoc tempore, prolixè Gomesius [q], sed malè confundens cum iis quæ contra eosdem Mauros rescripsit ad Regem Clemens [r] PP. IV.

[p] Sur. Indic. lib. 2. Mar. l. 13. c. 9.
[q] Gom. in Vit. Iacobi Reg. lib. 15.
[r] Infrà an. 1264. VIII.

IESU CHRISTI Annus 1255.

ALEX. IV. An. 1.

BALDUINI II. An. 27.

I.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decima-tertia, die undecimo Aprilis, Alexander Papa adhuc Neapoli existens, (falluntur enim omninò qui cum jam mense Februarij Romam petiisse scripsêre; cùm nonnisi sub Adventum eò accessisse, ex signatis diebus plurimarum ejus constitutionum de diversis Ecclesiæ necessitatibus, quæ habentur in ipsius Regesto Vaticano, planè certum reddatur:) Ordinem Fratrum & Militum Hospitalis *Leprosorum S. Lazari* Ierosolymitani sub regula S. Augustini approbavit & confirmavit [a]. Cujus tamen longè antiquiora fuisse initia, eundémque jam tum per varias Asiæ & Europæ provincias valdè dilatatum, & quamplurimis gratiis & beneficiis à diversis Pontificibus Principibúsque affectum; constat ex iis quæ de illo collegerunt Petrus Beloius Tolosanus, & Franciscus Menenius Antuerpiensis in suis de Equestribus Ordinibus libellis; & Silvester Maurolicus Messanensis in Mari Oceano omnium Religionum; necnon ex constitutionibus posteriorum Summorum Pontificum, cùm eundem Ordinem decursu temporis obscuratum, & cum Hospitalariis

ORDO LEPROSORUM S. LAZARI.
[a] Bullar. tom. 1. Alex. IV. const. 1.

[b] Bull. Pij IV. const. 95. Pij V. const. 28. Greg. XIII. constit. 7. Clem. VIII. const. 102.

S. Ioannis fere confusum, excitavit [b] denuò Pius IV. & Gregorius XIII. præscriptâ illi Regulâ Cisterciensi univit Ordini S. Mauritij, & principatum ejus seu magisterium Ducibus Sabaudiæ in perpetuum contulit; confirmavítque Clemens VIII. de quibus etiam agetur suis locis.

II. [c] Ibid. const. 2. Alex. IV. & post Direct. Eymer.

Eâdem quoque Neapoli Alexander pridie Calendas Maij nonnullas edidit declarationes [c] quorundam Decretorum Innocentij decessoris sui contra hæreticos Lombardiæ promulgatorum: quibus & ipse plura alia posteà addidit, secundùm temporum & locorum necessitates.

III. [d] In Reg. Vatic. Alex. IV & in Cod. MS. quem habuimus à Duchesnio, continente Epist. Honor. III Innoc. IV. Alex. IV. & Clem. IV.

ENCOMIA REGNI AC REGUM FRANC. AB ALEX. PP.

Eodemque loco, septimo Calendas Maij, scriptis ad Ludovicum Francorum Regem literis [d], post effusas in Regnum Francorum laudes; quod, ut ait, *Sublime solium præeminentiæ coruscans titulis generositate, magnanimitate, ac strenuitate clarius cæteris & excelsius innotescebat: Fidei sole, devotionis igne, ac speculo operum præfulgens, his tribus luminaribus copiosius radiare, ac fulgorem exempli ad alios potiorem effundere: Claritate sanguinis rutilare, sed animi puritate prælucere: magnum esse dignitatis honore, sed gestorum nobilitate magnificum; conspicuum altitudine status, sed præcellentiâ bonitatis illustre.* Post hæc, inquam, præmissa, subdens: *Convenire itaque ut hoc genus regium tot præeminentiis & meritis insignitum, singularium privilegiorum in signum præcipuæ benevolentiæ ac gratiæ præsignaretur; maximè quod ex hoc genere suscepit mater Ecclesia & suscepit filios benedictionis & gaudij, filios factis & famâ pollentes, filios opportuni auxilij & favoris, ex quibus suavem delibat dulcorem reverentiæ filialis, & haurit continuè amœnum sinceritatis odorem,* demùm hujusmodi genus eximio dono gratiæ honorare decernens, *auctoritate Apostolicâ indulget, ut nullus ordinariam jurisdictionem habens, nullúsque Sedis Apostolicæ Legatus, aut delegatus, vel subdelegatus ab eorum aliquo, seu executor aut conservator ab eâdem Sede Apostolicâ deputatus, in Regis, vel uxoris ejus, aut successorum qui legitimè in regno Franciæ succedent personas, interdicti vel excommunicationis sententiam valeat promulgare sine speciali ejusdem Sedis licentia, vel mandato plenam & expressam faciente de præsentibus mentionem: decernens hujusmodi sententias, si contra hoc indultum prolatæ fuerint, irritas & inanes.* Aliisque superadditis literis concessit eisdem Regi & Reginæ, & eis qui cum illis sacras conciones audirent, indulgentiam centum dierum. Itémque, ne capellæ Regis, nec universaliter terra ejus, sine speciali Sedis Apostolicæ mandato interdici possent. Et ut orantes pro Rege, singulis diebus decem dies indulgentiæ consequantur. Quod & jam anteà Innocentium IV. concessisse, aliósque posteriores auxisse, superiùs [e] vidimus. Aliæque modò recensitæ Alexandri gratiæ, à singulis penè succedentibus Pontificibus, cæteris Francorum Regibus confirmatæ aut renovatæ fuisse reperiuntur.

GRATIÆ ET PRIVILEGIA EIS INDULTA.

[e] An. 1251. II

IV. [f] Ap. Bzov. hoc an

COMMUNIA QUÆDAM ALIIS REGIBUS.

Quæ tamen omnes ne putentur in gratiam solummodò Regum Francorum indultæ; invenitur [f] etiam idem Alexander hoc eodem anno Anagniæ existens septimo Idus Iulij, itidem Boëmiæ Regi concessisse, ne vel ipse excommunicari, vel ejus regnum interdici posset absque ejusdem Sedis Apostolicæ mandato. Idque ipsum frequentiùs his temporibus cæteris ubique Regibus indultum: cùm videlicèt Legati populos ac Principes ad partes Ecclesiæ contra tyrannos sollicitantes, & Antistites suarum Ecclesiarum injurias ulciscentes, censuris Ecclesiasticis passim minúsque discretè ad id uterentur. Noluisse tamen propterea Pontifices Romanos auctoritatem Legatorum aut Antistitum corruere, sed tantùm intra terminos contineri, exemplo demonstratur Clementis IV. qui licèt natione Gallus, & in Regem Ludovicum, totámque ejus domum & familiam propensissimus, petenti tamen Regi ne filij sui excommunicari possent ab ullo Episcopo ex quâcumque causâ; rescribens [g] Viterbio 17. Cal. Maij anno Pontificatûs quarto (Christi 1366.) abnuit omninò morem illi gerere, quòd ejusmodi petitio Ordinariorum jurisdictionem absorberet: Neque (ut ait) unquam ipsi Regi, vel aliis dari debuisset: quamvis ipsi Regi concessa fuerit illo dumtaxat obtentu, quòd Sedes Apostolica singulariter de eo benè præsumens, non cum facilè credidit ea commissurum, propter quæ justè valeret anathematis sententiâ licèt medicinali feriri: Indulgentias tales dare, nihil esse aliud, quàm Prælatos inermes exponere Principum aggressuris: Nec Prælatos patienter hoc audire, ut de Regis potiùs innocentiâ, quàm de illorum prudentiâ ac modestiâ Apostolica Sedes præsumeret. Ita Clemens.

[g] Eod. Cod. Duchen.

V. [h] Reg. Vat. an. 1. & ap. Vvadding. Annal. Minor. tom. 2. hoc an.

ILLUSTRE ENCOMIUM ACADEMIÆ PARIS. AB ALEX. PP.

Sed ut ad Alexandrum revertamur; quantî is pariter Academiam Parisiensem faceret, insigniter demonstravit hoc ipso anno, cùm super quæstione de mendicitate Religiosorum, de quâ suprà, ex eâdem Neapoli ad eam scribens [h] decimo-octavo Calendas Maij: *Quasi lignum vitæ in paradiso Dei,* inquit, *& quasi lucerna fulgoris in domo Domini, est in sanctâ Ecclesia Parisiensis studij disciplina. Hæc quippè velut fecunda eruditionis parens, ad irrigandam sterilem orbis faciem fluvios de fontibus sapientiæ salutaris cum impetu foras mittens, ubique terrarum Dei lætificat civitatem, & in refrigerium animarum flagrantium siti justitiæ, aquas doctrinæ dividit publicè in plateis. Ibi nimirùm ordinatus est per providentiam Conditoris ad opus, ad custodiam, Doctorum ordo præcipuus, ut ad vitæ fructum rationabilis creaturæ deducat affectum, ne in gustum mortis vetitâ veteris prævaricationis illecebrâ seducatur. Ibi humanum genus ignorantiæ cæcitate deforme, per cognitionem veri luminis, quâ scientia pietatis assequitur, reddita visionis specie reformatur. Ibi præcipuè dat Dominus sponsæ suæ os & sapientiam, ac linguam mysticis eloquiis eruditam, cui resistere nequit omnis adversitas improborum, &c.*

VI. [i] Ibid. & ap. Vvadding. an. seq.

ITEMQUE ALIUD, ATQUE IPSIUS URBIS.

Paritérque ad eandem anno [i] sequenti: *Parisius peritiæ summæ sinus, de suæ scientiæ summæ plenitudine replens orbem, & tanquam fulgidus sol doctrinæ per totum orbem claræ intelligentiæ lumen fundens, depellit ignorantiæ tenebras, ruditatis abstergit caliginem, aufert imperitiæ nubilum, promit illuminationis au-*

rorum, cognitionis pandit serenum, & lucidum scientiæ monstrat diem, rigat documentorum suorum fluentis paradisi omnem terram, & bonorum influentiâ dogmatum instruit & imbuit universum; copiosis & dulcibus sapientiæ fructibus reficiens Ecclesiam, mundum pascens; quia de Parisiis, velut de parentis sinu partus scientiarum plurimi prodeunt, de ipsâ rectæ ac perfectæ disciplinæ soboles gignuntur: Hinc procedit inclyta doctorum prosapia: hinc alta progenies provenit peritorum, quibus Christianus illustratur populus, & fides Catholica roboratur. Hunc profectò amœnitatis & commoditatis locum universæ artes de totius orbis ambitu sibi habitaculum communiter elegerunt; & consideratis cæteris sæculi mansionibus quasi deliberatione concordi suam fixerant ibi immobilem stationem. Hæc est egregia literarum civitas, Artium urbs famosa, eruditionis Schola præcipua, summa sapientiæ officina, & potissimum studiorum Gymnasium. Hic conversantur & degunt scientiæ: hic firmâ & latâ societate convivunt: hic suas habent & possident Cathedras: hic sua profunda & arcana veritatis magisterij insinuatione revelant: & cujusque ipsarum propria virtus suo ibi propitio innotescit affectu. De Parisiis fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum. Ibi erumpit altus puteus scripturarum, de quo profundæ intelligentiæ pocula mundus haurit, &c.

VII.

Hæc & alia ille in causâ ut diximus Mendicantium; de quâ plures hoc & duobus sequentibus annis tam ad Regem & Academiam, quàm ad Episcopos, aliósque quorum intererat, scripsit epistolas, quæ habentur in ejus Regesto; & separatim excusæ [k] simul reperiuntur quodam volumine, cui titulus factus est *Defensorium privilegiorum Fratrum Mendicantium*: unde & Waddingus in suos Annales Minorum transtulit. Quippe etsi non tam in Franciscanos controversia primùm mota fuisset, quàm in Dominicanos; fuit tamen inde facta communis; & utrique à consortio Vniversitatis Parisiensis exclusi, ex vi quorundam statutorum à Theologis Parisiensibus contra Mendicantes conditorum, quæ ab eodem Alexandro Pontifice recensentur in prædictâ ad Vniversitatem scriptâ hoc anno epistolâ; quâ eadem accuratè expendit; & secundùm moderationem ab ipso adhibitam, & non aliter servari mandavit. Cui cùm non continuò in his pateretur, fuerunt postea aliæ atque aliæ ad diversos de his scribendæ sequentibus annis quas diximus literæ. Quódque Dominicanos attinet; fuit etiam persecutionis speciatim particeps *Thomas Aquinas*, qui tunc Lutetiæ erat. Pro quo Alexander scribere habuit quinto Nonas Martij anno secundo Cancellario Parisiensi, ut eum jam ab eo licentiatum laureâ Magistrali insigniret. Ac deinde decimo-quinto Calendas Iulij Episcopo Parisiensi injurias, molestias, & vituperia omnibus Dominicanis illata repræsentans, meminit etiam oppositionis factæ iis qui ejusdem Thomæ voluissent interesse principio. Rursúmque sexto Calendas Iulij anno quinto, eidem Episcopo mandavit, ut bedellum, hoc est apparitorem nationis Picardiæ, qui dum Thomas publicè prædicaret aufus fuerat quendam libellum famosum promulgare in medio concionis, ab officio deponeret. Et quòd iidem Dominicani diffamarentur apud vulgus, quasi homines inquieti, qui pacem turbantes Vniversitatis tot excitâssent tumultus, scripsit decimo Calendas Iunij anno Pontificatûs tertio ad omnes Galliarum Prælatos epistolam [l], quâ eos egregiè laudat; eorundémque in hâc controversiâ innocentiam prædicat.

[k] *Paris. an. 1507. in 8.*

ALEXANDRI PP. LABORES IN CONTROVERSIA INTER ACADEM. PARIS. ET MENDICANTES.

[l] *Ext. eod. libr. & ap. Vuadding. an. 1257.*

VIII.

GUILLELMI DE S. AMORE CONDEMNATIO.

Denique ut rem contraham, ea demùm ita se habuit, ut cùm ad dissensiones istas componendas, sanctus Rex tam Lutetiæ cum Vniversitate, quàm apud Pontificem per nuncios multùm laborasset; paritérque ex utrâque parte Doctores ad Sedem Apostolicam unà cum ipso *Guillelmo de S. Amore*, de quo suprà [m], turbarum harum præcipuo auctore, ac sociis ejus *Odone de Duaco, Nicolao de Barro super Albam* Doctoribus Theologis, & *Christiano* Canonico Belvacensi, accessissent; ultimò post exactissimum totius negotij, ac libelli ejusdem Guillelmi *de Periculis novissimorum temporum*, examen; eum Pontifex ejúsque doctrinam penitùs damnavit, librúmque ipsum comburi & aboleri præcepit, promulgatâ eâ de re constitutione quæ extat [n]; ipsúmque Guillelmum magisterio & omni dignitate deposuit, ac regnum Franciæ intrare absque speciali Sedis Apostolicæ licentiâ prohibuit: Doctorésque & Vniversitatem Parisiensem, post multas repetitas in renitentes jussiones ac comminationes, Fratres ad pacem recipere, & benignè cum iis agere, auxilio sancti Regis tandem compulit, & pœnitentium absolutionem ab incursis censuris Episcopo Parisiensi commisit anno demùm Pontificatûs sexto, qui fuit Christi 1260. ad quem usque durities adversariorum perseveravit: cùm sint etiam qui Guillelmum in suâ pertinaciâ malè obiisse scribant. Quæ autem de prædictis turbis breviter retulimus, tractantur pleniùs, ut jam dictum, tam iisdem Alexandri Pontificis epistolis, quæ cæteris cunctis Actis & auctoritatibus præponderant, quàm etiam ab auctoribus qui de ejusdem Guillelmi, ac scriptorum & errorum ejus damnatione tractârunt [o]; quos item, sicut & alios ejusdem generis *Giraldi de Abbatis-Villa*, & *Desiderij Longobardi* (nonnihil tamen inter se discrepantium) eodem fermè tempore confutârunt præ cæteris idem Thomas Aquinas Dominicanus scripto opusculo [p] *adversus Impugnantes Religionem*; & Bonaventura Franciscanus opusculis *de paupertate Christi*, & *Apologiâ Pauperum*: cùm eo tempore eandem Academiam Parisiensem illustrarent duo illa fulgentia suorum Ordinum ac totius Ecclesiæ Catholicæ lumina, tricenûm circiter tunc uterque annorum: qui post adeptam eodem tempore Magisterij lauream, magnâ post hæc suî suorúmque Ordinum laude, ac totius Academiæ favore, Cathedras rexêre Magistrales. Et quidem Bonaventura [q], cedente hoc ipso anno *Ioanne de Rupellâ* ejusdem Ordinis Minorum, viro doctrinâ celebri, & Alexandri Alensis in eâdem Academia successore, Cathedræ magistrali regendæ; in ejus locum suffectus est: usque adeò tunc non sanctimoniæ solùm, sed & doctrinæ splendore prælucens, ut præclarè de eo testatus sit Gerson [r]

[m] *Vide suprà an. 1253. VII.*

[n] *Vbi suprà & Bullar. to. 1. Alex. IV. const. 8.*

[o] *Cantiprat. 2. Ap. 10. Anton. tit. 19. c. 7. Platin. in Alex. IV. Æmil. in Ludovic. IX. Prateol. de hær. l. 7. in fin. Sander. de visib. Monar. hær. 156. Castr. verb.* Labor. Monachatus. Paupertas. *Gaulter. in Tab. Chronol. sæc. 13. Vvadding. tom. 2. Annal. Min. an. 1255. & seqq. & alij.*

[p] *S Th. opusc. tom. 19.*

[q] *Vvadding. tom. 2. hoc an.*

BONAVENTURA SUSCIPIT CATHEDRAM IN ACADEM. PARIS.

[r] *Gers. de lib. log. consid. 5. p. 2.*

ejusdem posteà Academiæ Cancellarius, nunquam talem doctorem habuisse Studium Parisiense. Idipsum & de Thomâ dixeris. Quid enim latere potuit vel Seraphicum, vel Angelicum Doctorem.

IX.

[s] *Vvadding. an.* 1256.

[t] *Cantipr.* 2. *Ap.* 10.

ELOGIUM BERTR. DE BAIONA.

Nec illud omittendum putamus quod scribunt aliqui [s]; cùm in disputatione coram Pontifice Anagniæ habitâ inter prædictum Guillelmum de S. Amore & viros doctos Ordinum Prædicatorum ac Minorum à Pontifice ad hoc vocatos; (cujus etiam meminit Cantipratanus [t] auctor illius temporis) interfuisset *Bertrandus de Baiona* Minorita provinciæ Aquitaniæ vir eminentis doctrinæ; hunc ita expeditè omnia Guillelmi argumenta repetiisse, & faciliter dissolvisse, ut hærens ac stupens Guillelmus qui hominem non noverat, dixerit ad eum, *Vel tu es Angelus è cœlo, vel dæmon ex inferno, vel Strabo de Baiona*: respondisse autem Bertrandum, *Neque angelus, neque dæmon, sed Strabo sum de Baiona*: quo nimirùm ob distortos oculos audiebat nomine in sæculo antequàm Ordini initiaretur, & sub eâ appellatione valdè celebris erat in populis.

X.

MANFREDUS ECCLESIÆ REBELLIS OCCUPAT REGNUM SICILIÆ.

[u] *Suprà an.* 1247. *II.*

[x] *Ciaccon. Innoc. IV.*

[y] *Nomenclat. Card. sub Innoc. IV.*

[z] *Paris. hoc an. Ricord. c.* 147. *Vill. l.* 6. *c.* 46. & 47. *Anton. tit.* 19. *c.* 7. *Blond.* 2. *dec.* 7. *Naucler. gen.* 42. *Collen. lib.* 4. *Faz.* 2. *dec.* 8. *cap.* 3.

Quod cætera attinet; cùm Alexander statim à suâ electione Manfredum victoriâ quam diximus ferocientem admonuisset ne quicquam ulteriùs contra dignitatem Ecclesiæ moliretur; isque monita contemnens, ac propterea diris ab Alexandro, qui se interim Anagniam receperat, devotus, etiam Octavianum Cardinalem Vbaldinum cum prævalidis copiis contra se missum attrivisset: (sive Octavianus vi bellicâ pulsus, sive ut plerorúmque suspicio fuit, studio partium, quo ex genere inficiebatur, cùm esset gens Vbaldina factionis Gibellinæ, sponte cesserit in favorem Manfredi. Quamvis enim ejus operâ, ut vidimus [u], usus aliquando Innocentius utiliter visus fuisset in defensione Italiæ ab injuriis Friderici; ejus tamen simulationibus posteà detectis, adeò in eum exarsisse Innocentium dicunt [x], ut nisi mors prævenisset, depositurus eum à dignitate fuisset. Et scribit Cortesius tractatu de Cardinalatu [y], composuisse eum levissimi & jejuni argumenti librum de laudibus Gibellinorum;) fictâ insuper Conradini nepotis sui, quam incassùm machinatus fuerat, morte; Regni Siciliæ, & Apuliæ coronam, cujus adipiscendæ cupidine & patrem Fridericum & fratrem Conradum homo spurius per maximum scelus de medio sustulerat, quà vi armorum (accito etiam ex Africâ novo milite barbaro) quà verborum suasionibus à proceribus populisque, quasi nullâ jam justâ regiæ Siculæ stirpe, consecutus est: ditionémque Ecclesiæ invadens, Comitatum Fundanum occupavit, quem ei Fridericus olim contulerat prævalente pariter ejusdem factione in Etruriâ & Lombardiâ, cùm digladiarentur inter se Guelfi & Gibellini. Quæ præsenti & aliquot sequentibus annis gesta, quomodò se habuerint, narrat diffusè apud Summontium in Historiâ Neapolitanâ Iuvenatius ejus temporis & regni scriptor, tractántque Parisius [z], Ricordanus, Villanius, Antoninus, Blondus, Nauclerus, Collenutius, Fazellus, & alij. Meminitque Fazellus Ioannis Columnæ Archiepiscopi Messanensis, Legati constituti ab Alexandro Papâ ibidem Messanæ cùm ea urbs Manfredo rebellans sese Pontifici commisisset. Qui *Ioannes* patriâ Romanus ex Ordine Prædicatorum auctor fuit insignis operis, quod *Mare Historiarum* inscripsit, perduxítque ad annum Christi 1250. ex quibus eos refellas qui in posteriora tempora eum referunt.

IOAN. DE COLUMNA AUCTOR MARIS HISTOR.

XI.

ALEX. PONT. REGNUM SICIL. CONFERT EADMUNDO ANGL.

[a] *An. super. VII.*

[b] *Ap. Baron. Annal. to.* 11. *an.* 1097. §. *vivente*, *ubi pleniùs de hac investiturâ: & adde Epit. nostram d. an.* 1197. *XXVII.*

[c] *Paris. hoc an.*

His autem Manfredi conatibus atque progressibus mederi cupiens Alexander Pontifex Henricum Regem Angliæ ad regnum invitans, quod ei Innocentius nomine Eadmundi ejus filij in feudum concesserat [a], Legatum hoc ipso anno in Angliam misit qui annulum investituræ solemni Regni Conventu Eadmundo contulit post festum S. Lucæ, ut Parisius habet; hoc est ut expressiùs signatur in bullâ [b] aureâ super his confectâ, die sextâ Novembris hujus ipsius anni millesimi ducentesimi quinquagesimi quinti Indictionis decimæ-tertiæ. Quâ investiturâ inter cætera cautum fuit, ut duo millia unciarum auri annis singulis Ecclesiæ Romanæ penderet, dispositiones Ecclesiarum & beneficiorum spiritualium Summo Pontifici liberas permitteret, & omnes personas Ecclesiasticas iis libertatibus & immunitatibus gaudere frui sineret quæ ipsis competunt secundùm sanctiones Canonicas: Imperium non ambiret; & si fortè ad illud eveheretur, ipso facto jure regni Siciliæ caderet quod quidem ultimum eâ ratione additum est, atque in omnibus posteà concessis Siciliæ Regibus à successoribus Romanis Pontificibus investituris apponi solitum; quoniam invadendæ Ecclesiasticæ libertatis in Friderico occasio fuerat auctum Imperio regnum Siciliæ, quo munitus despexit parere Pontifici. Vt verò faciliùs esset Regi Angliæ rebus Siciliæ attendere, absolvit [c] eum Pontifex voto Ierosolymitano, quo sese olim obstrinxisse vidimus, dummodò ad debellandum Manfredum arma moveret: in quem & idem Pontifex uti in publicum Ecclesiæ hostem Crucem prædicari jussit, eâdem propositâ (ut in similibus fieri consueverat) peccatorum veniâ quæ concedebatur pro Terrâ Sanctâ pugnantibus.

XII.

IUDÆI IN ANGLIA PUERUM CRUCIFIGUNT, ET PUNIUNTUR.

Hoc eodem anno (ut habet idem Parisius) circa festum Apostolorum Petri & Pauli, Iudæi qui Lincolniæ habitabant, puerum Christianum octennem furto sublatum, convocatis ex universâ Angliâ nonnullis aliis suorum, morti tanquam ex tribunali Pilati adjudicatum, iisdémque illusionibus & pœnis ac suppliciis, quæ olim Christo illata fuêre affectum, acutísque telis punctum, Cruci affixerunt, lanceâ cor pupugerunt, ac depositum eviscerârunt ad Magicas artes exercendas. Cùm verò corpus humo conditum, spontè rejectum comperissent, sæpiúsque obrutum totiésque à terrâ evomitum in profundum puteum præcipitâssent; re à matre pueri crucifixi solerter detectâ, capti primores Iudæorum, fassíque hoc se infanticidij crimine ferè quotannis scelerare consuevisse, (& vidimus aliquot alia pervicacissimæ gentis superiùs ejus rei exempla) meritas pœnas suspendio luerunt. Hæc pluribus Parisius. Qui & meminit missum hoc eodem anno à Rege Francorum ad Regem Angliæ elephantum; ad quem videndum confluxerint undique populi, cùm ejusmodi bellua nunquam ferè antea visa fuisset in eâ insulâ.

XIII. THOMÆ SABAUDI CARCER à SUBDITIS.

Eodem anno in festo S. Clementis, (ut Nangius in vitâ S. Ludovici adnotat) nempè 23. Novembris, Taurinenses instantibus Astensibus in vincula conjecerunt dominum suum Thomam è Comitibus Sabaudiæ, virum olim Ioannæ Comitis Flandriæ, & posteà Beatricis Fliscæ neptis Innocentij Papæ IV. qui nuper Taurinum munire, & liberalitate Guillelmi Romanorum Regis & Ecclesiæ Romanæ occœperat. Causam autem vinculorum ejus Paris [d] tribuit sævitiæ in subditos, & violationi receptarum eorum consuetudinum. Sed huic maledico haud adeò credendum, cùm à cæteris omnibus Thomas moderationis laudetur; quâ etiam gratissimus Flandris fuisse perhibetur [e]. Id autem ei contigisse, quòd Pedemontanam ditionem undequaque discissam resarcire omni conatu studeret, ejus gentis historici [f] tradunt. Quare & re auditâ Alexander Pontifex Taurinenses & Astenses excommunicavit, ipsósque ac eorum bona tam in Galliâ quàm Angliâ apprehendi à Regibus earum petiit (erant enim eorum uxores filiæ sororis Thomæ) scriptis ad eos literis, quarum extat exemplar apud Parisium; quibus cùm asserat Pontifex, Thomam proditoriè à civibus Taurinensibus intra ipsam eorum civitatem procurantibus Astensibus captum esse; est unde eos arguas qui scripsêre [g], eundem Thomam junctim unà cum Taurinensibus prœlio decertantem cum Astensibus, captum fuisse ab iisdem Astensibus, & in vinculis detentum invitis Taurinensibus. Cæterùm cum adversùs eosdem Taurinenses pro liberatione Thomæ exercitum duxissent Petrus Comes, Bonifacius Archiepiscopus Cantuariensis, & Philippus electus Lugdunensis, ipsius Thomæ fratres, nec tamen rem conficere potuissent; necesse fuit Ludovico Francorum Regi manum admovere: cujus demùm auctoritate mulctatis severè Astensibus, Thomas liberatus est. Ex quo ducta est posteà recta Comitum Ducúmque *Sabaudiæ* huc usque linea, cùm non esset tamen ipse Comes Sabaudiæ, sed Bonifacius filius ipsius fratris; quem non rectè quidam loco Thomæ captum ponunt. Defuncto autem Bonifacio, itémque Petro & Philippo ejus fratribus, pervenit successio ad Amedeum ejus nominis Quartum cognomine Magnum, prædicti Thomæ filium.

SUCCESSIO COMITUM SABAUDIÆ.

[d] *Paris. an. seq.*

[e] *Meyer. l. 8. in fin. Marchant. in Ioan Constātinop. &c.*

[f] *Pingon. de Princip. Sab.*

[g] *Id. Ping. in Aug. Taur.*

XIV. OTHOCARUS REX BOËMIÆ PRUTENOS SUBJUGAT.

Hoc eodem anno Othocarus Boëmiæ Rex, cùm jam fines suos usque ad mare Adriaticum prolatâsset, bellum Prutenis inferre statuit, qui Christianâ religione violatâ, vim intolerandam proximioribus Christianis spoliis cædéque & strage inferebant; ita ut in illos Romanus Pontifex Crucem prædicari jusserit. Induens igitur eam Othocarus, & cum Brumone è familiâ Saxoniæ Schombergâ munifico & magnifico Episcopo Olomucensi, atque Othone Marchione Brandeburgensi ex sorore Othocari prognato, in Prussiam pergens; eosdem secum congredi ausos prœlio fugavit, ac duces eorum ad deditionem compulsos cum aliis quamplurimis baptismum suscipere induxit, cæteris perfidam retinentibus pertinaciam ad internecionem cæsis. Deinde totam regionem usque ad mare victor peragrans, urbem in littore maris præclaram condidit nomine Kunisberg, hoc est Montem regalem, ut tantò Prutenos in officio retineret faciliùs: aliámque Brumo suo nomine Brumsberg, id est Brumonis montem appellatam, ad Episcopi usum quem Prutenis propastore constituit. Sicque Rex Prussiâ subactâ gloriari palàm solebat, se terminos Regni Boëmiæ à mari Adriatico usque ad mare Germanicum promovisse: quod aliis ante se Regibus ne per somnium quidem contigisset: pluráque se ædificia nova relicturum, quàm ut ad ea instauranda sarciendáque & tegenda unius hæredis cura sufficeret. Eo tamen valdè culpandus, quòd quantum aucta ejus potentia est, tantum etiam insolescentiâ crescens, Margaritam uxorem, quam [h] amplissimæ dotis gratiâ effœtam & sterilem duxerat, ingratissimè, contráque pietatem Christianam, in monasterium relegavit, superductâ Cunegunde Belæ Regis Hungariæ nepte, ex quâ Wenceslaum regni hæredem procreavit: præter alios spurios, quos ex quâdam Austriâ suscepit. Hæc pluribus Dubravius [i] in Rebus Boëmicis: de quibus etiam Michovius [k] & Cromerus in Polonicis; quædam quoque alia ad rem addentes.

UXOREM BENE MERITAM REPUDIAT.

[h] *Suprà an. 1246. XIV.*

[i] *Dubrav. lib. 17.*
[k] *Michov. l. 3. cap 54. Crom. l. 9.*

XV.

Quo item anno, cùm Regnum Germanicum ferè sine rectore fluctuaret, & qui viribus pollebat alium opprimeret, impunè latrocinia exercerentur, & ut in licentiâ armorum civilium, sacerdotes, cives, mercatores, agricolæ spoliarentur, & vectigalibus atque tributis opprimerentur, sed & regiones civitatésque liberæ inter se tumultuosiùs agerent, Réxque ipse Guillelmus cum Comitissâ Flandriæ & Frisonibus bella gereret: has ob causas civitates Rheno continuæ, quasi regiâ defensione destitutæ, auctore quodam primario cive Moguntino, instar civitatum Lombardicarum [l] firmissimum fœdus ineuntes, ad quod etiam coacti sunt plurimi Principes tam Ecclesiastici quàm sæculares, nova vectigalia abruperunt, prædonum castella solo æquaverunt, latrones exciderunt, pacem & quietem in finibus suis stabilierunt; quæ tamen confœderatio ob malitiam eorum qui ei detrahebant non ita pòst corruit, omniaque in pristinum malum statum redierunt. Testantur ista ejus temporis auctores Stadensis & Stero; istéque [m] etiam civitates ac Principes fœderatos omnes nominatim recenset: habétque ferè eadem Aventinus [n].

FŒDUS CIVITATŪ RHENANARUM.

[l] *Suprà an. 1226. I.*

[m] *Ster. an. 1254. & 1255.*
[n] *Avent. l. 7.*

XVI. BATATZIS IMP. GRÆC. OBITUS.

Hoc eodem pariter anno mortuus ponitur *Ioannes Ducas* cognomento *Batatzes* Græcorum Imperator, de quo sæpè superiùs; postquàm multis bellis tam in Latinos quàm Bulgaros, & Græcos rebelles novos subinde principatus constituentes, feliciter gestis, Imperium suum valdè dilatâsset: vixissétque annis sexaginta [o], vel etiam sexaginta duobus [p]; regnâsset triginta tribus; quorum postremo circa mensem Februarium noctu in lecto apoplexiâ correptus, medicorum arte respirans, usque ad mensem Decembrem cum eodem morbo (sive etiam phrenitis fuerit, aut epilepsia) per intervalla colluctatus fuisset. Laudatur ita à Græcis, ut tamen in summis ejus pacis bellique præconiis unam excipiant Veneris libidinem; ab eo potissimùm tempore quo defunctâ priori ejus conjuge Irene, cujus nuptiis Imperium consecutus [q] fuerat, Annam duxit filiam Friderici olim Imperatoris, Manfredi sororem, admodùm adolescentulam. In quo tamen libidi-

[o] *Niceph. Greg. l. 2. in fi.*
[p] *Geor. Logoth. in Chron.*

[q] *Suprà an. 1222. IV.*

LAUDABILIA QUÆDAM EJUS OPERA.

nis peccato illud aliquando boni præstitit, ut cùm pellex ejus quædam, quæ majori pompâ quàm ipsa Augusta incedere consueverat, ab ingressu templi Blemmydæ prohibita ab ejus Abbate Nicephoro magnæ virtutis & austeritatis viro; & tam ipsa quàm cæteri assentatores Imperatorem ad contumeliam ulciscendam concitarent; Imperator contrà mœrens responderit, Quid me adversùs justum virum impellitis, cùm ipse probrosâ meâ vitâ huic contumeliæ causam præbuerim? ipse meritis meis malæ sementis malam messem percipio. Hæc pluribus narrat Gregoras. Qui & inter alias ejus laudes hanc meritò ponit, quòd cùm videret Romanorum (hoc est Imperij Græcorum) divitias in peregrinas ac sumptuosas vestes vario artificio confectas effundi, severo decreto sanxerit ne quis subditorum iis uteretur, sed his contenti essent, quas Romanæ provinciæ ac manus præberent.

XVII. THEODORUS II. FILIUS EI SUCCEDIT.

Reliquit filium ex prædictâ Irene ætatis annorum 33. quot pater regnaverat, *Theodorum*, Lascarim ab avo materno, Ducam à patre cognomine dictum. Quem etsi pater successorem non designâsset, (tum ut eâ dubitatione juvenilium animorum levitatem cohiberet, tum ne sibi diutiùs victuro insidiæ ab eo regni securo, ut ferè solemne erat Imperio Græcorum, necterentur) post ejus tamen obitum totius populi militúmque concursu in clypeo, more à majoribus accepto, collocatus, salutatus est Imperator ejus nominis & cognominis Secundus. Cùm autem mortuo paulò antè *Germano* Patriarchâ Græcorum Constantinopolitano, qui post obitum Manuëlis [r] sedi restitutus anno uno eam iterùm tenuerat, non esset qui Imperatorem coronaret; factâ deliberatione de successoris electione, prælatus est cæteris *Nicephorus Blemmydes*, quem nuper diximus, cujúsque & longè antè [s] clariorem memoriam celebravimus; qui vitam quietam in monasterio à se constructo degebat. Eóque honorem recusante, creatus est *Arsenius* Autorianus Monachus monasterij juxta Apolloniam, virtutis quidem famâ conspicuus, sed simpliciori ingenio. Qui Episcoporum suffragio electus, & ab Imperatore de more confirmatus, uniúsque diei curriculo Diaconus, Sacerdos, & Patriarcha ordinatus, ipsum mox Imperatorem unxit & coronavit. Narrant hæc pluribus Nicephorus [t] Gregoras, & Georgius [u] Logotheta: post quæ pergunt describere (sed longè prolixiùs, ac nihilominùs obscuriùs Georgius) bella ab eodem Theodoro Imp. contra Bulgaros & quosdam Græcos Principes fortiter ac feliciter gesta, usque ad ejus obitum, qui contigit quarto post creationem anno.

[r] *Vide suprà an. 1240. in fin.*

[s] *An. 1233. V.*

ARSENIUS PATR. CONST. GRÆCUS.

[t] *Greg. l. 2. ad fi. & 3. in pr.*
[u] *Georg. in Chron. Constantinop.*

IESU CHRISTI Annus 1256.

ALEX. IV. An. 2.

BALDUINI II. An. 28.

I. GUILL. ROM. REGIS MISERANDA CÆDES.

ANNO Christi 1256. Indictione decimaquartâ, Guillelmus Romanorum Rex anno electionis suæ nono inchoato, Frisones Occidentales, gentem inquietam, & rebellionibus assuetam, qui dum ipse profectionem in Italiam ad coronam Imperij suscipiendam, & opem Ecclesiæ adversùs Conradum tyrannum ferendam pararet, Hollandiam depopulari cœperant, armis persequens; post magnas clades eis illatas, dum quinto Calendas Februarij per loca paludinosa glacie constricta ad eos denuò conterendos transitum exercitui quærens longiùs à suis digressus esset, atque equo disruptâ glacie immerso non valeret se inde expedire; à nonnullis Frisonibus qui in arundineto proximè latitabant, quis esset ignorantibus, jaculis & contis confossus est; atque ex signo aquilæ nigræ aureis armis insculptæ agnitus, occultè ignoto & ignobili loco sepultus, nequis casum sciret. Ita Chronicon Belgicum Ioannis à Leidis [a] ex Beckâ: sed rem sub anno superiori collocans, sicuti & nonnulli [b] alij; cùm plures & antiquiores in præsentem referant [c]. Nec potuisse præcedenti contingere, inter alia argumenta apertè convincit diploma Alexandri Papæ datum Anagniæ duodecimo Calendas Octobris anno ipsius Pontificatûs primo, nimirùm prædedenti; quo ad preces Guillelmi tum adhuc superstitis confirmavit quandam concordiam inter ipsum & Frisones paulò antè circa decimarum solutionem initam. Et quoad ejus sepulturam, narrat Stero, cùm paulò antè incidens in quoddam sepulcrum sumptuoso opere constructum, incolas interrogâsset cujus id esset, audîsset ab iis nondum quemquam ibi sepultum esse, sed traditione patrum pro constanti haberi Regem quendam Romanorum eo sepultum iri, eundémque post necem ibi ab occisoribus repositum fuisse. Quod verò Krantzius scribit, suo etiam tempore (qui ducentis quinquaginta fermè post hæc annis scripsit) ignoratum fuisse quo fuerit loco tumulatus; tradunt plerique cæteri, idémque ipse Ioannes à Leidis [d], post 27. demùm ab ejus nece annos detecto ejus sepulcro translatum fuisse ejus corpus magnâ pompâ ab ejus filio Florentio Middelburgum Zelandiæ, & in Ecclesiâ monasterij Ordinis Præmonstratensis honorificè conditum.

[a] *Leid. l. 23. cap. 30.*
[b] *Nang. in Vit. S. Ludov. Meyer. Annal. Flandr. l. 9. Cuspin. Onuphr.*
[c] *Stad. in Chron. Ster. in Annal. Parif. in Henr. III. Siffrid. in Epit. l. 2. Append. ad Lãbert. Naucl. gen. 42. Trith. in Chron. Krantz. 8. Saxon. 19. &c.*

[d] *Leid. l. 23. cap. 13.*

II.

Fuit ei soror nomine Mathildis (Margaritam nonnulli vocant: errant tamen qui eam Comitem Hollandiæ faciunt) nupta Hermanno Comiti Hennembergensi; quam ferunt [e], cùm decem fermè post hæc annis pauperculæ cuidam feminæ, quæ gemellos enixa pendentes utrimque ab uberibus lactabat, stipem flagitanti adulterium contumeliosè exprobrâsset, quasi impossibile videretur uno ex marito binam uno partu prolem nasci, illáque pudicitiæ suæ Deum testem invocans, imprecata Comiti esset tot prolium numerum ex unico partu quot unius solidi anni dies numerarentur: eandem Comitem, Deo mirabiliter pauperis feminæ vocem exaudiente, vertente anno 365. infantes ex viro suo edidisse promiscui sexûs, omnibus corporis membris & lineamentis perfectè distinctos: quos omnes Guido suffraganeus Othonis Episcopi Trajectensis patrui ejusdem Mathildis, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, aquâ baptismatis in duabus pelvibus abluerit, masculis Ioannis, feminis Elisabethæ nomine imposito: iidémque mox omnes è vitâ excesserint. Comi-

[e] *Io. à Leid. l. 24. c. 11. an. 1276. Meyer. l. 9. an. 1278. Gesta Comit. Holl. in Magn. Chron. Belg. Iun. Hist. Batav. cap. 20. &c.*

PARTUS CCCLXV. INFANTIUM.

tem quoque nonnulli, pœnitudine ductam injuriæ pauperi feminæ illatæ, eodem die vitâ functam tradunt; alij diù superstitem, longam pœnitentiam egisse, & pauperem feminam cum ejus prolibus ditâsse. Sunt verò qui partum Comitis usque ad numerum 1514. puerorum augent [f]. Nec desunt alia numerosorum partuum exempla [g] scire cupientibus; quamquam vix ullum adeò copiosum.

[f] Avent. Rer. Boic. l. 7. [g] Vide infrà an. 1270. in fi. & Michov. Rer. Polon. l. 3. c. 57. Locr. Chron. Belg. an. 1276.

III. Romæ hoc eodem anno (ut Parisius habet, cui non parùm quoad temporum suorum observationem tribuimus, utpotè qui res dum gererentur scribebat; cùm alioqui Nangius præcedenti, Sigonius sequenti collocet) Brancaleo Senator, de quo suprà [h], cùm severiùs justo capitales quæstiones exercere putaretur, quòd flagitiosos quoscumque graviorum pœnarum detrimentis sine ulla exceptione afficeret; in potentum juxtà populariúmque offensionem incidens, seditione in eum motâ captus, atque in carcerem tanquam ad pœnam conjectus est. Quâ re cognitâ uxor ejus occultè Româ exiens Bononiam properavit, cives suos obtestatum ut Romanorum obsides quos apud se habebant arctius custodirent. Quod adeò ipsi præstiterunt, ut etsi Pontifex rogatu Romanorum eos restitui postulans, cùm non obtinuisset, interdicto Bononiam supposuerit; ipsi nihilominùs mala omnia sustinere, quàm obsides in præsentissimam præclari sui civis perniciem liberare elegerint. Interim verò Romani Madium Brixianum, Senatorem substituerunt; qui & ipse jus severissimè dixit. Reliqua verò de Brancaleone posteà suo loco.

[h] An. 1253. I.

SEVERITAS SENATORŪ ROMAN. EJUS TEMPORIS.

IV. Intereà cùm inæstimabili crudelitate nequissimi Ecelini (ut loquitur Monachus Paduanus) [i] admiraretur cœlum, turbaretur terra, horreret infernus, commoverentur Reges & principes nationum; Alexander Papa precibus Marchionis Estensis & aliorum Magnatum Marchiæ inclinatus, qui contra efferatissimum inimicum auxilium Ecclesiæ implorabant, officium Legationis Lombardiæ Marchiæ & Romaniolæ commisit *Philippo* electo Ravennati Archepiscopo, viro strenuo & in rebus agendis exercitatissimo. Qui de clementiâ divinâ confisus, militares copias ex prædicatione Crucis, & Venetorum aliarúmque amicarum civitatum auxiliis colligens; vexillifero exule quodam Patavino nomine Carello Fratre Minore, qui ingentis spiritûs vir patriæ recuperandæ cupidus, hunc sibi pro Christi honore laborem depoposcit: dum Ecelinus urbi Mantuæ expugnandæ intentus erat, Patavium versùs iter dirigens, post aliquos prosperos progressus, urbi appropinquans, ad cujus defensionem cum valido præsidio relictus fuerat Ansedisius sororis Ecelini filius; Prælatâ Cruce, & hymno Ecclesiæ *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium*, à Clericis præcantato, urbem aggressus est, atque intra paucos dies expugnavit, immensâ civium lætitiâ, qui sævissimâ omnium ac diuturnâ servitute ab impiissimo tyranno oppressi fuerant. Quod ut audivit Ecelinus, relictâ Mantuâ Veronam quam citissimè properans, ingenti dolore simul & furore commotus, tum duodecim millia Patavinorum, quos vel apud se vel diversis locis aut obsidum, aut militum, aut ministrorum nomine habebat, quamvis essent eorum quamplurimi qui fortem sæpè ei fidelémque operam navârant, satellitibus suis variis necis afficiendos generibus tradidit; qui cunctos aut suspendio truculento, aut tractatione, aut igne, aut obtruncatione, aut fame delêrunt: (sic olim crudelis Sylla [k] duodecim similiter Prænestinorum millia in Marianarum partium invidiam truculentissimè obtruncari jussit:) tum Ansedisium, quòd civitatem non rectè custodîsset, ita laceratum ut viscera denudaret, in tormentis animam efflare coëgit: rursúmque urbem cum exercitu tentans, à Legato viriliter repulsus est, ac quibusdam aliis locis spoliatus. Quæ omnia ut gesta fuerint, narrant diffusè Paduanus [l], Blondus, Sabellicus, Sigonius; attingunt Nauclerus [m] & alij.

[i] Paduan. Chron. l. 2.

AGIT PONTIFEX CONTRA ECELINUM TYRANNUM.

ECELINI RABIES.

[k] Plutar. in Syll.

[l] Pad. ibid. Blond. 2. dec. lib. 8. & 9. En. 6. & 1. dec. 3. Sigon. lib. 9. [m] Naucl. gener. 42.

V. Hoc item anno Alexander Pontifex, S. Augustini monitu sibi per quietem apparentis, (ut Bergomensis [n] Eremita Augustinianus scribit) quod Innocentius decessor ejus inchoaverat impigrè perficiens, multas Congregationes *Eremitarum* diversis regulis, titulis, & vestibus viventes, ad tollendam omnem confusionem in unam Ordinis & Regulæ S. Augustini observantiam, & uniformem in spontaneâ paupertate vivendi & nigro amictu vestiendi modum redegit; primo ei dato *Priori Generali Lanfranco Septalano* Mediolanensi. Quâ de re extat [o] ejus constitutio data Laterani quarto Nonas Maij: ipsas autem Congregationes unitas enumerant Pamphilus [p] & Maurolicus [q]. Post quæ hic Ordo relictis solitudinibus urbes incolere cœpit, & doctrinæ verbo pariter & exemplo, sicuti & cæteri, salutis fructum afferre. Vtrùm verò fuerit hujusmodi Eremitarum institutor S. Augustinus, ut ipsi volunt; an verò tantummodò Canonicorum Regularium, ut plerique alij; & quis fuerit olim eorum habitus; disputatum à multis [r] reperimus; quos absque ullo præjudicio veritatis nos in suis sensibus abundare permittimus, rem indicâsse contenti.

[n] Bergom. lib. 13. [o] Bullar. to. 1. Alex. IV. const. 6. [p] Pamph. in Chron. Ord. Eremit. [q] Maurol. in Mar. Ocea. omn. Relig. [r] Vide S. Anton. tit. 24. cap. 14. & ibi notas. Volater. Anthropol. lib. 21. Lang. in Chron. Citiz. sub an. 1248 1259 &c. Vvaddingh. Apol. de Monach. S. Fräc. & auctores ibi notatos.

VI. Misit item hoc anno idem Pontifex Episcopum Vrbevetanum Constantinopolim pro negotio unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ. Cùm enim jam olim (ut vidimus [s]) missus ad id ipsum ab Innocentio IV. Ioannes Parmensis Generalis Minorum ad Ioannem Ducam Imperatorem Græcorum, eò rem provexisset, ut cum eodem Ioanne Generali mitterentur Romam apocrisiarij ex parte Ioannis Imp. & Patriarcharum Episcoporum ac Prælatorum Ecclesiæ Græcorum ad Innocentium duo Archiepiscopi Quisicensis & Sardensis, Comésque Angelus, & Theophylactus magnus Interpres, unà cum conditionibus ineundæ unionis, illæque quantumvis nonnihil à recto deviæ, admittendæ tamen pro bono pacis visæ fuissent: mortuis inter hæc tam Innocentio Pontifice quàm Ioanne Imper. cùm rursùm pro eâdem causâ Theodorus Ioannis successor Sedem Apostolicam pulsare perrexisset; jam Alexander oblatas conditiones explicans, & quatenùs concedi possent prædictum Episcopum instruens, illum eò legavit; offerens insuper Græcis Concilij Generalis celebrationem, ut res facilius exitum feliciorem consequi posset: sicut de his patet ex eâdem ipsâ Instructione prædicto

[s] Suprà an. 1249. VII.

LEGATIO IN GRÆCIAM PRO UNIONE ECCLESIÆ.

[t] *Form. Marin in Bibl. Vatic. & Coll. Fux. Tolos. ipsámque Instruct. edidit. Vvaddingh. Annal. Minor. to. 2. hoc an. ex Reg. Vatic.*

Episcopo data, & literis tam ad Theodorum Imperatorem quàm Patriarcham Constantinopolitanum, Episcopos & Clerum Græcorum scriptis, quas vidimus in Formulario [t] Marini Eboli.

VII. [u] *Ap. Vvadding. ibid. ex eod Reg.*

IENTUOSI POPULI AD FIDEM CONVERSI.

Quo item anno commisit idem Pontifex [u] Episcopo Wratislaviensi, & quibusdam Fratribus Ordinum Prædicatorum ac Minorum illarum partium, ut Paganos *Ientuosos* dictos, vicinos terris Casimiri Cujaviæ Ducis, sponte ad fidem venire, & ejusdem Ducis ditioni subjici cupientes, in omnibus auctoritate Apostolicâ protegerent, non obstante concessione Fratribus Teutonicis factâ, ut quos illarum partium paganos possent bello subjugare, suo dominio subjicerent: quippe gratuitam esse debere conversionem, non coactam.

VIII. SOLDANI AD ALEX. LITERÆ.

[x] *Formul. Mar. ubi su pr. recitátque etiam ipsas literas Bzov. tom. 14. an. 1340. longè alieno tempore.*

[y] *Vide infrà an. 1258. in fi*

Cùm verò nuncios accepisset à Soldano Persarum, cum literis quibus significaverat habere se in votis ad Christum converti, peteratque sibi virum aliquem Orthodoxum mitti per quem plenè instrui posset in lege Christi: rescribens [x] ad eum Pontifex, promitténsque viros idoneos ad eum destinare, interim fidei Christianæ seriem sub compendio misit, hortatus ante omnia baptismum suscipere, quò facilius de tenebris prodiret ad lucem. Quis autem hic Soldanus fuerit, & utrùm aliquis ex Tartaris qui Persiden hoc tempore [y] subjugarunt; an verò, ex Persis ipsis, qui à Tartaris Christianis invasi, ut quieti dimitterentur fidem simulaverint, (quod sæpiùs ab aliis factum reperitur) curiosioribus ac diligentioribus inquirendum relinquimus.

IX. PROHIBET ALEXAN. PP. NE CONRADUS PUER ELIGATUR REX ROM.

[z] *Ext. Bull. tom 1. Alex IV. const. 7. ex cod. Vat.*

Cæterùm cùm post necem Guillelmi Regis, in Germaniâ ab aliquibus tractatum fuisset de eligendo in ejus locum Conrado, Conradi filio, Friderici nepote, (Conradinum, ut diximus, Itali vocarunt) adhuc infantulo; ne id ullo pacto fieret Alexander Pontifex omninò prohibuit, cùm ob ineptam pueruli ætatem ad defendendã, quod muneris regij erat Ecclesiam; tum ob immanem progenitorum ejus Ecclesiæ persecutionem, ex quâ nimis timendum esset ne inveterata eorum malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum cum sanguine in eum derivaretur: scriptis eâ de re literis [z] Anagniæ 15. Cal. Aug. ad Gerardum Archiepiscopum Moguntinum, ad quem ea cura præcipuè spectabat, quòd primus esset Electorum: præcipiens sub excommunicatione ut antequàm ad electionem Regis procederetur, singulis Electoribus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, ejusmodi Pontificiam prohibitionem significaret: ac nihilominùs decernens, ut siquid contra eam gestum aut tentatum ab aliquibus eorum foret, tum electio Conradi irrita & inanis penitus maneret, tum ipsi Electores excommunicationi subjacerent.

X.

[a] *Append. ad Lambert. hoc an. Chron. Slavic. an. ser. Naucl. gen. 42. Trith. in Chron Sponheim. Avent. lib. 7. &c.*

SCHISMA IN IMPERIO INTER RICHARDUM ANGLUM ET ALPHONSŨ HISP.

Prætermisso igitur Conradino, schisma in ano designando inter Electores ortum est, corruptos, ut quorundam auctorum [a] est assertio, pecuniis ac muneribus eam dignitatem ambientium, *Richardi* Comitis Cornubiæ fratris Regis Angliæ, & *Alphonsi* Regis Castellæ. Richardum enim primò in Octavâ Epiphaniæ anni proximi Francofurti elegerunt Gerardus Archiepiscopus Moguntinus, Conradus Coloniensis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, ac frater ejus Henricus Dux Bavariæ: Alfonsum posteà mediâ Quadragesimâ Arnoldus sive Arnulphus Archiepiscopus Treverensis, fretus literis & auctoritate Regis Boëmiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum Brandeburgensium, & multorum Principum. Ita enim rem & tempus Stero tunc vivens Germanus auctor designat. Quamvis testetur Parisius & ipse tunc scribens, jam ad festa Natalia præsentis anni venisse in Angliam legatos de electione Richardi. Communior tamen est in temporis diversitate plerorumque sententia, Conventum Principum Electorum factum fuisse ineunte anno sequenti: quem qui annum ab Annunciatione Virgini factâ inchoant in præsentem exeuntem referunt.

XI. REI GESTÆ HISTORIA.

[b] *Infrà an. 1263. IV.*

[c] *Vide in Epist. Baron. an. 996. & suprà an. 1245. XXI.*

Rem verò gestam ex partium auditione dilucidiùs explicans Vrbanus Papa IV. in literis ad utrumque electum, de quibus suo [b] loco, ait, ex Septem Electoribus Imperij (tot enim omninò, nec plures pauciorésve agnoscit; eosdémque ipsos qui hodiéque numerantur; eámque electionis formam observatam fuisse à tempore cujus memoria non existeret; unde & apprimè refellas illos, qui eam ad Gregorium X. differunt [c].) Moguntino legitimo detentum impedimento non adfuisse, sed vices suas commisisse Coloniensi; qui unà cum Palatino, in loco dicto Frankforte extra oppidum Frankeneford, in Octavis Epiphaniæ elegerit Richardum; Treverensem autem tam suo quàm Brandeburgensis nomine, unà cum Saxone & legatis Boëmi, intra ipsum oppidum convenientes, tum quidem Richardi electionem nullam multis de causis pronunciásse, posteà verò in Dominicâ Palmarum Alfonsum Imperatorem declarâsse. Cujus verò electio causáque potior fuerit, ex earundem partium rationibus eâdem epistolâ colligere licet.

[d] *Paris. an. seq.*

[e] *Mar. lib. 13. cap. 10.*

[f] *Krantz. 8. Saxon. 21. & 8. Metrop. 30.*

[g] *Ext. tom. Rer. Germ. edit. Lindenbrog.*

Quâ de re etiam disputantes Parisius [d] Anglus & Mariana [e] Hispanus, insuper & causas tangunt quibus Electores motos putârunt ad hos Principes exteros, Germanis omissis, ad Regnum Germaniæ & Imperium evocandos. Præter quas hanc Krantzius [f] Germanus assignat, quòd cùm summa rerum tunc maximè constaret in Archiepiscopis Electoribus, is videretur status Regni & Imperij, ut indignum Principes ducerent illis pro eo blandiri: potuisse autem sperare Archiepiscopos, Regnum intestinis malis exhaustum, opibus alienigenarum reparatum iri. De quibus item agens incertus auctor Chronici [g] Slavici, ait Richardum effudisse pecuniam ante pedes Principum sicut aquam: de pecuniâ ejus multa incredibilia sonuisse: stultam Angliam, quæ tot denariis est spontè privata: stultos principes Alemanniæ, qui nobile jus suum pro pecuniâ vendiderunt. De prosecutione verò controversiæ inter Richardum & Alfonsum, dicetur inferiùs suis locis.

XII. [h] *Avent. Annal. Boior. l. 7. Andr. Presb. & alij.*

TRAGICUS ACTUS LUDOVICI PALATINI.

Erat cruentatus prædictus Ludovicus Palatinus sanguine uxoris suæ Mariæ sororis Henrici Ducis Brabantiæ, quam ad principium hujus anni (nempè decimo-quinto Calendas Februarij, ut notant auctores [h] qui rem narrant) ob suspicionem ejus incontinentiæ necaverat. Cùm enim illa absens à marito, binas eodem tempore literas, uno quidem sigillo, diversa tamen cerâ, atrâ ac rubrâ obsignatas, alteras marito, alteras Ruchioni cuidam vero

nobili secreta quædam continentes, alicui deferendas dedisset; hic per errorem quæ nobilis erant Ludovico tradidit. Qui lectis literis amatoria agi suspicatus, confestim re dissimulatâ ad uxorem properavit; atque iracundiâ percitus absque ullâ cunctatione eam indictâ causâ adulterij damnatam securi percuti jussit. Inde virginem quandam veluti consciam cultello confodi, feminam aliam gynæcio præfectam de turri præcipitavit: proditorem qui hæc ad se detulerat, primum ferro necavit. Nobilis ille, ubi hæc accepit, finibus excedens, literis ubique atque tabulis suam atque Mariæ innocentiam prædicare non cessavit, ac delatorum scelera & flagitia commemorare. Ludovicus ut conjugis manes ritè conderet, obtentâ primùm ab Alexandro Pontifice veniâ, Furstenfeldium monasterium construxit, quod Cistercìensibus tradidit; ubi posteà ipse cum filiis & uxoribus situs est.

XIII. Origo dissidii inter Venetos et Genuenses in Syria.

Hoc item anno cœpit Ptolemaide, quæ & Accon dicta, funestissimum toti Orienti dissidium inter Venetos & Genuenses, quod labantibus jam à multo tempore Christianorum in Syriâ & Græciâ rebus ultimum excidium intulit. Cujus origo hæc refertur. Habebant in eâ civitate (quam post amissam Ierosolymam, regiam urbem nostris extitisse, celeberrimúmque in Oriente totius Orbis emporium vidimus) Veneti, Genuenses, & Pisani, potentissimi Italiæ rebus navalibus populi, qui auxiliares classes ad Terræ Sanctæ recuperationem impenderant, sicut & in præcipuis aliis Christianorum maritimis civitatibus, privum vicum, privum forum, suum prætorem, suas leges; commune tantùm templum sortiti, quod S. Sabbæ nuncupabatur, habebátque cœnobium monachorum conjunctum, ejus urbis primarium. Hoc cùm per multa tempora ita servatum fuisset; demùm Veneti Genuenséśque, cùm non parvis jam antè odiis, variis quidem aliis prætextibus, sed præcipuâ invidiæ & æmulationis atque imperij dilatandi causâ, inter se dissensissent; hujus sacræ ædis monasteriique jus sibi utrique vendicare studentes, in apertas simultates eruperunt: Venetis speciatim contendentibus, ex fœdere pridem cum Balduino Ierosolymorum Rege icto tertiam sibi partem urbis deberi, in quâ prædictum monasterium contineretur. Sed ad tollendam futuri certaminis causam, re ad Alexandrum Pontificem delatâ, quietis ipse & æquitatis amicus, pro potestate decrevit, templum ac monasterium commune censeri, datis super his utrique populo eodem tenore literis, ne ab altero occultarentur. Eam verò Pontificis declarationem cùm Genuenses Ptolemaide aliquanto priùs quàm Veneti recepissent, favore Philippi Monfortij Galli, qui ob familiæ claritatem, quâ rebus in Asiâ & Europâ præclarissimè gestis excellebat, Præfectus ejus urbis delectus fuerit; ædem cum cœnobio occupantes arcis instar munire cœperunt & cum Philippo egerunt ut Veneti injuriam querentes totâ urbe ejecti fuerint. Hæc enim discordiæ tantæ initia fuisse, commemorant Sanutus [i] Ricordanus, Villanius, Blondus, Sebellicus, Nauclerus, Bergomensis, Æmilius, Iustinianus, & alij. Cùm tamen historici Genuenses [k] causam tribuant rixæ privatæ duorum obscuri hominis: quorum alter Venetus cùm alterum Genuensem verberâsset, id ad publicam injuriam Genuenses revocantes, ut est natio perciti ac fervidi ingenij, omníque levi de causâ facilè irritabilis, armis repentè arreptis Venetos improvisò deprehensos adortos esse, rémque iniquo animo Venetos ferentes, omni Genuensium excusatione rejectâ, in apertam vim prosiliisse: cúmque à Genuensibus magno damno affecti fuissent, ac rebus in Italiâ cognitis non potuissent ipsorum Respublicæ concordare, missas utrimque esse instructas classes in Syriam in suorum subsidium.

[i] San. lib. 3. par. 12. c. 5. Ricord. c. 156. Vill. lib. 6. c. 62. Blond. 2. dec. 8. Sabell. 9. En. 6. & 1. dec. 10. Naucl. gen. 43. Bergon. lib. 13. Æm. in Lud. IX. Iust. Hist. Ven. lib. 3.
[k] Nebiens. lib. 3. Foliet. lib. 4.

XIV. Veneti prævalent Ptolemaide.

Sive igitur S. Sabbæ monasterium, sive privata ac parvæ rei altercatio belli initium dederit; constat ab iis ad Tyrum Ptolemaidémque vario marte sæpiùs pugnatum esse; Venetósque auxiliis Pisanorum prævalentes, S. Sabbæ ædibus expugnatis, spoliatis, dirutis, Genuenses omnes unà cum Monfortio urbe expulisse, ac publica privatáque eorum ædificia solo æquasse; tantâ victoriæ insolentiâ, ut impotenti lætitiâ turris cujusdam opere conspiciendo à Genuensibus ædificatæ fores unà cum aliquot quadratis lapidibus Venetias usque miserint; ubi & in rei memoriam publicis ædificiis inditi fuisse dicuntur. Accidítque illud observatione dignum, ut cùm intereà Alexander Pontifex his motibus auditis, quos sciebat vehementissimè incommodare consiliis suis de restaurando bello sacro, Venetiis Genuáque necnon & Pisis legatos ad se Romam mitti postulâsset; iisque morem gerentibus, ejusque arbitrio rem omnem solemni compromisso promittentibus, leges pacis dixisset, atque eas pœnâ gravissimâ sanxisset, sacris & Ecclesiæ communione illis interdicendo qui priores eas perfregissent; eodem ipso die quo Pontifex pacis formulas Romæ edicebat, nempè die natali S. Ioannis Baptistæ alterius post hunc anni, ingentem Genuenses cladem ante portum Ptolemaidis à Venetis acciperent, quâ penitùs urbe exclusi, Tyrum secesserunt. Faverúntque posteà in his ipsorum dissidiis adeò qui Ptolemaidem incolebant Venetis, ut juris ipsorum ea urbs potiùs quàm omnium Latinorum esse videretur; Tyrensibus econtrà pro viribus supérque pro Genuensibus stantibus: ut hæ nobilissimæ totius Orientis Christianorum urbes detestando sese affligerent bello, quæ à Saracenis tum quiescebant.

Alex. PP. leges concordiæ indicit.

XV. Recrudescũt nihilominus dissidia.

Quamvis enim pacis illæ conditiones ab Alexandro indictæ à singulis iis populis acceptæ fuerint; eæ tamen potiùs bella & contentiones in præsentes sustulere, quàm animos veteribus odiis inter se exulceratos conjunxere. Quippe contentionibus brevî recrudescentibus, non minore irarum certamine quàm viribus, per plurimos annos, penè & sæcula, Veneti & Genuenses tantâ animorum obstinatione pugnârunt, ut longum sit enumerare quàm variis locis, cruentis concursionibus, ancipitibus casibus, funestis cladibus, rem gesserint: cùm bella vel induciis, vel etiam pace, (nunquam tamen fidâ) nonnunquam intermissa, acriora semper & infestiora quâcumque levi de causâ exurgerent; quòd tacita continuáque subesset furoris causa, æmulæ virtutis certamen, ac de principatu maris mediterranei conten-

tio, in quem uterque populus impotenti cupiditate tendebat. Quare & tamdiu bella durârunt, dum utriusque mutata fortuna finem illis imposuit; cùm Venetis potentiâ in immensum crescentibus, contra Genuensium vires internecinis civilibus dissensionibus ita fractæ sunt, ut populo Genuensi exsangui & confecto nullum jam esset cum Venetorum florentibus opibus per certamen [l]. Sed hæc longè posteà: de quorum interim rixis dicetur pro occasione suis locis inferiùs, cùm & istud initium atrocis belli eò diligentiùs tractandum venerit, quòd præsentissima causa Latinorum inter Barbaros, Græcósque imperij finiendi fuisse dignoscatur.

[l] *Ita Foliet. Hist. Gen. lib. 4.*

XVI. GRADENSIS PATR. PRIVILEGIA.

Interea verò idem Pontifex Alexander Anagniæ existens, pridie Idus Iulij anno Pontificatûs secundo, in gratiam eorumdem Venetorum confirmans privilegia Patriarchatûs Gradensis, auxit etiam eò, ut omnes Ecclesias quas Veneti in toto Imperio Romaniæ seu Constantinopolitano haberent ab ordinario exemptas, illi subjecerit; concesseritque ut in quâlibet civitate ubi Veneti haberent plures Ecclesias liceret ei Episcopum ordinare. Quod ejus eâ de re constitutio [m] declarat; confirmátque Andreas Dandulus in suo Chronico rerum Venetarum.

[m] *In Reg. Vatic.*

XVII. TURBÆ GENUEN. OB INQUISITIONEM.

Genuæ verò turbulentæ nonnihil res fuêre; quòd cùm hæresis Inquisitor Frater Anselmus Dominicanus haud potuisset cum Prætore efficere ut quasdam constitutiones contra hæreticos sancitas in tabulas publicas & leges civitatis referret, (quod aliàs ab Innocentio civitatibus Italiæ injunctum meminimus [n]) tam Prætorem & Consules anathemati, quàm universam civitatem interdicto subjecerit. Provocatione verò ad Pontificem factâ, dum causa coram illo agitaretur, leges à Magistratibus in tabulas relatæ, ipsíque ac cives sacris illicò restituti fuêre. Et qui hæc referunt Genuensis Historiæ scriptores [o], continuò subdunt, hoc ipso anno corpora Martyrum *Fructuosi* ac sociorum, (quos olim sub Gallieno Imp. Tarracone in Hispaniâ passos Martyrologium [p] Romanum memorat) ex Cataloniâ in promontorium oræ Ligusticæ, vulgò Caput montium appellatum, quod quindecim millium intervallo ab urbe Genuâ distat, divinitùs ac sine ullo humano ministerio translata fuisse, & in vetustam sacram ædem Fructuosi nomine dicatam illíque adjunctum cœnobium illata.

[n] *Supr. an. 1252. VIII.*
[o] *Nebiens. lib. 3. Foliet. lib. 4.*
[p] *Martyr. 21. Ianuar.*

DIVINA TRANSLATIO SS. MARTYRUM.

XVIII. PETRUS DUX BRIT. RESIPISCIT DE MALIS CLERO ILLATIS.

Hoc item anno, Alexandri Pontificatûs secundo, septimo Aprilis, Ioannes Dux minoris Britanniæ, filius Petri Maliclerici de quo supra [q], cùm post longas cum clero altercationes de juribus suis, ob quas & ipse fuerat sæpè excommunicatus, Romam adiisset ut aliquem his finem quæreret; domùm re partibus auditis compositâ, præstitit juramentum de servandis illæsis antiquis Ecclesiarum juribus, quæ ejusdem juramenti diplomate recensentur; quod Argentreus [r] Brito Historiæ suæ gentis inseruit.

[q] *An. 1227. X.*
[r] *Argentr. lib. 5. c. 24. & 25.*

XIX. BOLESLAI SÆVITIA IN EPISCOP.

Boleslaus autem Calvus, sive etiam Sævus dictus, Dux Legnicensis in Silesiâ, Henrici Pij filius, S. Hedwigis nepos, sanctorum parentum longè moribus dissimilis filius; pecuniis ex bello exhaustus, ut cupiditatem suam expleret, facinus aggressus impium & sacrilegum; in Thomam Episcopum Wratislaviensem, virum ætate & vitâ laudabilem, dum templum quoddam dedicaturus esset, die sextâ Octobris manus injecit; & sive noctu in lectulo captum, sive ad subuculam usque spoliatum, succussario equo nudum ignominiosè impositum, cum præposito & uno ex canonicis ejusdem Ecclesiæ, primò in quamdam arcem, indéque Legniciam in tetrum carcerem & dura vincula deportavit, poscens eos decem millia marcarum. Quo audito Fulco Archiepiscopus Gnesnensis, provincialibus Episcopis celerrimè Lanciciam convocatis, de *Synodi* sententiâ Boleslaum diris devovit, atque Wratislaviensi omni diœcesi sacris interdixit. Deinde verò, cùm nihilo magis dimitteret captos Boleslaus, Alexandrum Pontificem quid porrò fieri oporteret consulens, mandatum ab eo accepit ut Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda Crucis militiâ promulgatâ unâ cum cæteris Episcopis concitaret. Quod ut etiam in Germaniâ fieret, idem Pontifex Archiepiscopo Magdeburgensi rescripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam, unà cum præposito & canonico se redemit. Narrant hæc Polonici Scriptores, Michovius [s], Cromerus [t], & alij.

WRATISLAV.

[s] *Michov. lib. 3. c. 48.*
[t] *Crom. lib. 9.*

IESU CHRISTI Annus 1257.

ALEX. IV. An. 3.

BALDUINI II. An. 29.

I. IMPERII COMPETITORES FAVOREM SIBI ET AUXILIA QUÆRUNT.

ANNO Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima-quintâ, electis, ut vidimus, in Reges Romanorum Richardo Anglo & Alfonso Hispanos, & utroque conditionem acceptante, *Richardus* Aquisgranum accedens, à Conrado Archiepiscopo Coloniensi unà cum uxore Sanciâ unctus & coronatus est in die Ascensionis Dominicæ; ut Parisius scribit, Subdens, eâ de re Alfonsum querelas apud Regem Angliæ Richardi fratrem, necnon apud Alexandrum Pontificem contra eundem Richardum, tanquam sui juris usurpatorem, ingeminâsse; ipsíque Richardo minas tam à se quàm à Regibus Francorum, Aragoniæ & Navarræ, sibi (ut asserebat) faventibus, intentâsse, quinimmò, Rege Angliæ ac Richardo ejus comminationes pro nihilo pendentibus, expeditionem ingentem parâsse; sed novis Maurorum in Hispaniâ conatibus retardatum esse. Habet item Sigonius [a], scripsisse etiam Alfonsum Patavinis, ut legatos viros honestissimos legerent, qui sibi Lombardiam ingredienti occurrerent, ac debitum comitatis officium exhiberent: has tamen literas ab Ecelino tyranno fictas fuisse, creditum esse. Quamvis & Monachus Paduanus testetur, misisse Ecelinum nuncios ad Alfonsum, promittentem ei regnum Italicum si accedere vellet. Quod verò ad Pontificem pertinet; scribit idem Monachus [b], utrumque electum suos legatos ad ipsum destinâsse pro confirmatione ab eo impetrandâ; sed ipsum neutri faventem, de consilio Cardina-

[a] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 19. an. 1258.*
[b] *Paduan. Chron. lib. 2. hoc an.*

lium, ne majores dissensiones orirentur, sub specie deliberandi distulisse sententiam suam de hâc controversiâ proferre. Villanius [c] tamen ait, Ecclesiam favisse magis Alfonso, tanquam potentiori ad destruendam Manfredi tyrannidem: eâque ratione Guelfos Florentinos misisse ad eum legatos ad invitandum eum in Italiam, promittentes ei sua auxilia. Quem verò progressum & exitum ea controversia habuerit, dicetur suis locis.

[c] Vill. lib. 6. cap. 75.

II. REX SCOTIÆ DETRUDITUR IN CARCEREM À SUIS:

[d] Boët. lib. 13. Lesla. lib. 6. Buchan. lib. 7.
[e] Vid. supr. an. 1249. X.

Hoc item anno idem Parisius habet, gravem discordiam ortam esse inter Reges Daniæ & Norvagiæ, & commissa prælia navalia; sed utriusque Regni Episcopos pacem inter eos composuisse. Regem quoque Scotiæ Alexandrum, quòd indigenis contemptis alienigenas promoveret, à magnatibus suis in custodiam traditum esse. Quod Scotici historici [d] longè aliter narrantes, omnes uno calamo scribunt, cùm Rex grandior factus, (agebat [e] hoc anno septimum circiter ac decimum ætatis suæ) prohibere volens injurias quibus populus diù vexatus fuerat ab iis qui in ejus pueritiâ regnum ita administrârant ut singuli se pro Regibus gererent, raperéntque omnia; eos in jus vocâsset ut rationem rerum à se gestarum redderent, & comparere detrectantes hostes judicâsset: eos periculum audaciâ discutere decernentes, manu clientium subitò collectâ Regem inopinatò noctu in ipsâ regiâ cepisse, & in custodiam detrusisse, omniaque rursùm pro libidine agere cœpisse: donec præcipuo seditionis auctore à propriâ uxore, ut adultero nuberet, veneno sublato, reliqui impetratâ à Rege veniâ deinceps in fide perstitêre. Ita illi. Sed Parisius assuetus contumeliis in alienigenas qui in Angliâ erant congerendis, quasi non possent ulibi turbæ accidere nisi ab alienigenis, etiam Scoticas inde erupisse vel existimavit vel existimari voluit.

ET LIBERATUR.

III.

Qui etiam quod hoc eodem anno Alexander Pontifex ex veteri formulâ edixit, ut Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates quarumcumque Ecclesiarum etiam exemptarum, certis temporibus Sedem Apostolicam visitarent, omniáque privilegia huic sanctioni contraria revocavit; & ut quilibet electi ad eandem Sedem accederent ordinavit: interpretatur factum in commodum Romanæ Ecclesiæ; nihil attendens reverentiam, quæ ei uti matrici à cæteris omnibus debetur. Meminítque pariter de novo Ordine Religiosorum, qui apparuit hoc eodem tempore Londini, dictorum a saccis quibus induebantur *Saccatorum* quæ fuit una ex Congregationibus Eremitarum S. Augustini, quas nuper unitas in unum corpus ab Alexandro vidimus; qui & dicebantur *Fratres de Pœnitentia Iesu Christi*: de quibus suprà [f]. Fuerunt [g] olim hæretici *Saccophori*, qui & *Massaliani*: sed illi nihil ad hæc tempora, nec ad pietatem istorum. Introduxit [h] eos primùm S. Ludovicus Rex Lutetiam anno 1261.

RELIGIOSI SACCATI.

[f] An. 1251. X.
[g] Epit. Baron. an. 361. X. & 383. X.
[h] Antiq. Paris. lib. 2.

IV. CÕGREG. SERVORUM S. MARIÆ MATRIS CHRISTI.

Cùm autem hoc eodem tempore erecta fuisset apud Massiliam alia Congregatio sub nuncupatione *Servorum Sanctæ Mariæ matris Christi*, in cœnobio beatæ Mariæ de Areno; requisitus à Priori & Fratribus Alexander Pontifex eam approbare, rescripsit hoc ipso anno ipsius Pontificatûs tertio, sexto Calend. Octobris, Benedicto Episcopo Massiliensi, unam de Regulis approbatis concedere, sub quâ Deo famulari possent: qui Regulam S. Augustini eis observandam præscripsit: fortè quod imitatione Servorum Beatæ Mariæ Italorum, de quibus actum superiùs [i], suam Congregationem instituissent: à quibus tamen distinctos fuisse, multa sunt quæ indicent quorum institutum posteà à Clemente Papâ Quarto anno Pontificatûs secundo, qui fuit Christi 1266. confirmatum esse constat [k].

[i] An. 1232. X.
[k] Mira. Orig. Monach. lib. 2. cap. 19.

V. ASSASINORUM DESTRUCTIO.

De quibus vid. sup. an. 1231. IV.
[l] Hayth. Arm. c. 24.
[m] San. lib. 3. par. 13. c. 7.

Ponit item hoc anno Parisius destructionem Assasinorum per Tartaros. Quod tamen ex Haythono [l] intelligendum est de terris eorum; excepto præcipuo illorum castro Tigado dicto, in cujus obsidione decem millia Tartarorum totos viginti septem annos continuos absque ullâ vel æstatis vel hiemis intermissione perstitisse, nec nisi defectu vestimentorum, cùm adhùc cibariis aliísque rebus necessariis abundarent, deditionem Assasinos fecisse, idem Haythonus scribit, atque etiam Sanutus [m]. Quod etsi multis persuaserint, non sanè nobis, dum exactiùs rerum aliarum gestarum seriem apud eosdem ipsos expendimus. Quare & M. Paulus [n] non nisi tres annos huic obsidioni assignat: discrepans etiam in eo ab Haythono & Sanuto, quòd Assasinos defectu cibariorum captos fuisse scribit; idque anno Domini 1262.

[n] M. Paul. Ven. lib. 1. cap. 29.

VI. PREMISLAI POL. PRINC. VALDE PII OBITUS:

[o] Mich. lib. . cap. 54. bron. lib. 9.

Hoc eodem anno pridie Nonas Iunij diem obiit *Premislaus* majoris Poloniæ Dux, anno ætatis trigesimo-sexto; mitissimus sui temporis Princeps, & prudens, priúsque ac religiosus, & in pauperes, monachos, Ecclesias largus atque munificus; justitiâ autem & animi moderatione in judicando tantâ, ut ejus judicium victus atque victor ex æquo probarent. Harum enim eximiis virtutum laudibus cumulant eum Michovius [o] & Cromerus. Subdúntque hoc item anno ad decimum octavum Calendas Septembris vitâ functum esse Iacicum, sive *Hyacinthum*, patriâ Polonum, Sanctíque Dominici institutum vitæ professum; post exhaustos multos labores in Poloniâ & Russiâ pro religione Christianâ. Quem miraculis in vitâ & post mortem clarissimum, longè posteà Clemens Papa Octavus in numerum Sanctorum Confessorum retulit anno 1594. 15. Cal. Maij, editâ eâ de re constitutione [p], quâ breviarium ejus vitæ ac miraculorum comprehendit: ejusque memoriam Romana Ecclesia sacris suis tabulis [q] quotannis celebrandam recepit.

ET S. HYACINTHI DOMINICANI.

[p] Ext. Bullar. tom. 2. Clem. VIII. const. 27.
[q] Martyr. Rom. 16. Aug.

VII. ARCHIEPISC. SALISBURG. DEPONITUR OB NON SUSCEPTAM CONSECRATIONEM.

Hoc item eodem anno Philippus Archiepiscopus Salisburgensis, quòd jam decem annos electus ordinem presbyteratûs & Episcopalem suscipere consecrationem negligeret, atque Ecclesiæ bona malè adminstraret, instante Capitulo Salisburgensi, ab Alexandro Papâ depositus est; & in ejus locum subrogatus Vlricus Seccoviensis ejusdem provinciæ Episcopus: cúmque nihilominùs Philippus obedire detrectaret, excommunicatus est. Vnde in furorem conversus, atrociùs in cæteros Episcopos ac sacerdotes sæviit, opem ferente Rege Boëmiæ, cùm Duces Bavariæ Vlrico studerent. Quorum demùm operâ ejectus omninò Philippus, factus est posteà Patriarcha Aquileiensis. Vlricus etiam se abdicans, locum fecit Wladislao Henrici Ducis Vratislaviensis fratri, quem Clemens Quartus ei suffecit. Vt

hæc pluribus narrantur ab Sterone & Aventino, atque in Chronico & Metropoli Salisburgensi.

VIII. PUER LOCUTUS PRIÙS QUAM NATUS.

Traditur quoque in eâdem Metropoli, hoc eodem anno puerum in Rastat natum esse cum duobus cornibus, cujus ploratus quatuordecim diebus antè auditus est quàm nasceretur.

IX. [r] Vill lib. 6. cap. 66. DIGNA VOX S. LUDOVICI REG. FR. DE FIDE EUCHARISTIÆ.

Præclarius quod refert sub hoc ipso anno Villanius [r] de sancto Rege Francorum Ludovico: nempe cùm sacerdote quodam Missam Parisiis in sacello aulæ regiæ celebrante, visa esset in manibus ejus sacrosancta hostia in specie pulcherrimi pueri eodem rogato à circumstantibus ut tantisper eam teneret donec Rex ad conspiciendum miraculum acciretur, Regem vocatum respondisse, irent visum qui non crederent, se quidem continuè in corde suo videre & conspicere. Dignam admodùm sancto & Christianissimo Principe, ac de veritate fidei Catholicæ circa Transsubstantiationem nihil hæsitante sententiam.

IESU CHRISTI Annus 1258.

ALEX. IV. An. 4.

BALDUINI II. Ann. 30.

I. [a] Vid. supr. an. 1256 III. GRAVES SEDITIONES ROMÆ À SENATORIBUS TYRANNIS.

ANNO Christi 1258. Indictione, primâ, ingens rursùm Romæ tumultus concitatus est occasione Senatoris. Cùm enim Madius [a] Senator mutato instituto populum variis injuriis opprimeret, solis nobilibus maximéque Hanniballensibus placere studens; eâ re conciti populares, hortatu cujusdam Matthæi Anglici magistri pistorum, impetu facto in carcerem quo Brancaleo antiquus Senator detinebatur, ipsum extrahentes pristinæ dignitati restituerunt, ac fidelitatem ei veteri instituto jurârunt. Qui confestim adversarios suos Vrbe ejecit, ac duos Hanniballenses patibulis obtulit, nullâ habitâ ratione Pontificis, qui tunc Romæ præsens erat, neque excommunicationis, quâ illum ac sequaces ejus feriit. Cùm verò etiam extrema omnia ipsi Pontifici & Cardinalibus intentaret, his territus Pontifex relictâ Vrbe Viterbium se recepit. Brancaleo verò, Manfredo notho, Apuliæ & Siciliæ occupatore, & hoste Ecclesiæ atrocissimo, omnia adversùs Pontificem subsidia ministrante, arces ac turres nobilium Romanorum circiter centum quadraginta ad solum evertit, multósque nobiles Ecclesiæ ac Pontifici faventes in carceres detrusit, aliísque suppliciis affecit: nec cæteros persequi desiit quo usque in obsidione urbis Corneti infirmitate correptus, Romam se deferri jubens vitæ finem ibi imposuit. In cujus locum statim Romani Catellanum avunculum ejus, nequicquàm reclamante ac prohibente Pontifice, substituerunt, & caput Brancaleonis pretioso vase reconditum super columnam marmoream statuerunt virtutis ac benevolentiæ ergò. Hæc pluribus Parisius hoc anno; breviter Nangius [b] superiori, quæ perperàm à Platinâ sub Vrbano Quarto Alexandri successore collocantur, ad cujus tempora Parisius non pervenit.

[b] Nang. in Vit. S. Lud.

II. [c] Supr. an. 1256. IV.

Hoc eodem anno, cùm Philippus electus Ravennas Legatus [c] Apostolicus, post Patavium Brixiam quoque operâ quorumdam Theologorum Minoritarum ad partes Ecclesiæ reduxisset; accurrens Ecelinus cum amicis suis ac delectibus militaribus, eundem Philippum haudquaquàm satis ad prælij tempestatem perferendam instructum, ac nihilominùs ejus discrimen subire à suis importunè compulsum; sub finem mensis Aug. apud Gambaram ad flumen Ollium certamine superavit, cepítque cum Episcopo Brixiensi, electo Veronensi, multísque viris illustribus, & magnâ popularium multitudine: urbéque Brixiâ iterùm deditione receptâ, ut tyrannidem more suo sanciret, duas arces illicò condidit, atque eò multos nobiles ac populares initæ proditionis insimulatos conjecit; quorum nonnullos ædibus eversis ac bonis publicatis interfecit, quosdam in varia loca relegavit, ac paucis diebus urbem florentissimam civibus opibúsque exhausit. Hæc pluribus Monachus Paduanus [d], Blondus, & Sigonius. Quòd verò liberationem Philippi Legati spectat, quamvis in Historiâ Ravennate Rubei [e] asseratur, ipsum paulò postquàm captus est, incolumem ab Ecelino Pontifici restitutum esse, factâ redemptione grandi pecuniâ quam ex Ravennate Archiepiscopatu collegit: audiendum tamen magis censemus ejus temporis auctorem, qui rem præ oculis habuit, prædictum Monachum Paduanum [f]; qui disertè scribit, post ruinam Eceleni, quæ contigit anno sequenti, Marchionem Palavicinum Brixiam obtinuisse, ac statim cœpisse vestigia Ecelini imitari; Philippúmque Legatum ab Ecelino in vinculis ibi derelictum præcepisse cum summâ diligentiâ custodiri, denique Romani Pontificis solicitè ejus liberationem procurantis mandata neglexisse: donec ipse Philipus quâdam nocte deceptis custodibus fune per fenestram evasit. Quæ & Blondus agnoscit; nisi quòd custodes corruptos re pecuniariâ à Philippo tradit.

ECELINUS VINCIT, CAPÍTQUE LEGATUM PONTIF.

[d] Pad. lib. 2. Blond 2. dec. 8. Sig. lib. 19.

[e] Rub. lib. 6. hoc an.

[f] Pad. lib. 2. in fi.

III. LIBER EVANGELII ÆTERNI COMBURITUR.

Hoc autem eodem anno Alexander Pontifex libellum pestiferum, cui titulus *Evangelij æterni*, flammis addixit; quo auctor asserebat (ut Chronicon Augustense, Platina, & Nauclerus tradunt) Statum gratiæ non à Lege Evangelij, sed à lege Spiritûs procedere; & Christi Evangelium, ac doctrinam novi Testamenti, neminem ad perfectum adduxisse: evacuandúmque illud esse anno 1260. & tunc inchoandum Evangelium æternum, ac legem Spiritûs. Qui errores sumpti dicebantur ex scriptis Abbatis Ioachimi, vel Amalrici, de quibus superiùs. Promulgator autem eorum his temporibus præcipuus extitit IOANNES quidam *Parmensis*, tam concionibus suis atque disputationibus, quàm prædicti libelli editione notissimus: extántque apud Eymericum [g] 27. articuli errorum ejus ab Alexandro damnati, quorum plurimi pertinent ad prædicta ejus hæresum capita: cæteri doctrinam Abbatis Ioachimi præponentes doctrinæ Christi, asserunt neminem idoneum esse ad instruendos alios de rebus spiritualibus nisi qui incederent pedibus nudis: Iudæos in fine mundi liberandos esse à Deo etiam in Iudaismo manentes: Græcos magis ambulare secundùm spiritum quàm Latinos quippe spiritualem intelligentiam Scripturarum non esse commissam Ecclesiæ Romanæ, sed tantùm literalem: Spiritum Sanctum aliquid recipere

[g] Director. Inquis. par. 2. q. 9. num. IV.

AUCTOR EIUS IO. PARMENSIS QUIS FUERIT.

ab Ecclesiâ, sicut Christus in quantum homo accepit à Spiritu Sancto: & alia ejusmodi delira & impia, quorum pleraque jam damnata fuerant in antiquioribus hæreticis. Vtrùm autem prædictus Ioannes Parmensis fuerit ille ejusdem nuncupationis Fratrum Minorum Generalis, legatione [h] Constantinopolitanâ insignis, de crimine hæresis hoc eodem tempore accusatus; disputat Wadinghus in Annalibus Minorum [i], & omninò negat: quem & demùm anno ætatis octogesimo, Christi 1289. sancto fine quievisse, & miraculis claruisse tradit [k].

[h] Supr. an. 1249. VII. [i] Annal. to. 2. an. 1256. [k] Ibid. an. 1289.

IV. Cùm autem & alij passim errores disseminarentur, & Pontifex ad eos extirpandos Fr. Minores & Prædicatores immitteret; idem multis editis post hæc rescriptis [l], quâ variis eos privilegiis & facultatibus ad opus faciliùs peragendum munivit, quâ plurimas difficultates in eo negotio sæpiùs emergentes explicavit.

[l] Ext. Bull. tom. 1. Alex. IV. const. 9. 12. & seqq. & in Direct. Eymer. in fi.

V. CŌGRESSUS REGUM FRANC. ET ARAGON. ET TRANSACTIO DE IURIBUS SUIS.

Hoc item anno Iacobus Aragoniæ Rex Monpellerium, sive Montem-pessulanum contendens, Ludovicum Francorum Regem apud Carbolium proximum oppidum utriusque colloquio designatum mense Maio convenit. Eóque in loco summæ conjunctionis vinculis sese alterutrum devincientes, imprimis constituerunt ut Isabella Iacobi filia natu minima Philippo Ludovici secundò genito (vivebat enim tum adhuc Ludovicus natu maximus) nuberet, atque dotis nomine, vetusto Galliæ more & instituto, quinta Regni pars arcibus & propugnaculis receptis assignaretur; eóque nomine Carcaso & Biterræ ad Gallorum ditionem transierunt. Deinde verò actiones de controversiis omnibus utrimque constitutas remittentes, Ludovicus Catalaniæ, ac Barcinonensis, Ruscinonensis, Empuritanæ, Vrgelitanæ, Gerundensis, & aliarum proximarum ditionum supremis juribus, quæ ex quo eæ regiones ereptæ fuerant Mauris Francorum extiterant; (tametsi à multis jam annis præter imperij nomen nihil Francis concedebatur;) Iacobus Rhodensi, Albigensi, Fuxensi, Cadurcensi, Narbonensi, Nemausensi, & aliis eorum tractuum ditionibus, quarum proprietatem ex antiquis cum Principibus affinitatibus & conjugiorum fœderibus sibi vendicabat, spontè alter vicissim alteri cessit. Eodémque ipso tempore idem Iacobus id omne jus quod repetere in Provinciâ Phocæensi, Folcalquierensi, Arelatensi, Avenionensi, & Massiliensi ditione, aut obtinere poterat, Margaritæ Ludovici conjugi, Raymundi Berengarij Provinciæ Comitis, Iacobi fratris patruelis, filiæ attribuit: quas tamen Carolus [m] Ludovici Regis frater, qui Beatricem Raymundi filiam natu minimam duxerat, Ludovico Rege permittente, sibi habuit. Hæc Aragonicarum Rerum scriptores [n], longè diligentiores in rebus suis recensendis quàm Franci. Meminit tamen eorundem Nangius in Vitâ S. Ludovici, & in Chronico: sed sub anno 1262. quo scilicèt (ut & cæteri habent) nuptiæ Philippi & Isabellæ celebratæ sunt apud Clarummontem Arverniæ civitatem.

[m] Vid. supr. an. 1245. XXIX. [n] Surit. Indic. lib. 2. Marian. lib. 13. c. 11. Gomes. lib. 15.

VI. ANGLORŪ QUERELÆ IN REGEM SUUM.

In Angliâ, cùm misisset ad Regem Alexander Pontifex Arlotum Rom. Ecclesiæ Subdiaconum & Notarium (ut vocatur in literis [o] Pontificiis; quem Parisius Herlotum appellat) Sedis Apostolicæ nuncium pro negotiis Regni Siciliæ, quæ ab eo Rege negligi videbantur: & collecto Rex conventu suorum Londini, ingentem auri vim postularet, quam ex pactione in bellum contra Manfredum pendere teneretur; obstaréntque Magnates, in Regem maximè commoti, tum quòd similibus petitionibus, ac multiplicibus juramentis sæpissimè delusi ab eo fuissent; tum etiam quòd naturales Anglos expilaret ut exteros locupletaret, bonísque & dignitatibus, suis contemptis, augeret; ac præcipuè fratres suos uterinos natione Pictones in tantam extulisset auctoritatem, ut illi avarè se nimis atque impotenter gerentes, gravissimas etiam injurias præcipuis Proceribus Anglis inferre pro nihilo ducerent: Demùm post diuturnas altercationes de his rebus in prædicto conventu Londinensi habitas, alio posteà Oxoniæ ad festum S. Barnabæ celebrato, ad quem magnates & nobiles armati accesserunt; iidem, præcipuo duce Simone Monfortio, de quo aliàs [p], Regem, ejúsque filium primogenitum Eduardum jurare coëgerunt se obsecundaturos decretis Conventûs, & quàm primùm reddituros antiquas leges & libertates, sæpè aliàs solemni jurejurando confirmatas: fratrésque Regis uterinos, recusantes restituere castra ac bona quæ à Rege acceperant, tot minis terruerunt, ut insulam spontè deserere adegerint. Narrat hæc omnia prolixè Parisius, parùm in Regem suum propensus: quem sanè negari non potest, magnam animi levitatem atque inconstantiam in tot promissis infringendis, effrenémque cupiditatem in emungendâ pecuniâ, ac nimis dissolutū & supinum sæpè animum in reprimendis immoderatis exactionibus, quibus exteri clerum totúmque regnum exhauriebant, ostendisse. In cujus tamen, quoad istas in eum Oxonienses turbas, excusationem, extat apud Westmonasteriensem [q] cujusdam moderatoris viri Relatio, res ab initio ad finem usque seriatim brevitérque describens. Quomodò autem eæ se habuerint, videbitur inferiùs suis locis.

[o] Reg. Alex. an. 3. prid. Id. Dec.

[p] An. 1238. XI.

[q] VVestmon. in Floril. an. 1265.

VII. Fuit verò inter dictos Regis fratres Ademarus [r] electus Episcopus Wintoniensis: qui prædictorum causâ tumultuum sedem suam deserere coactus, Pontificem adiit tunc Anagniæ existentem. Pontifex autem Fr. *VValascum* Ordinis Minorum suum Capellanum & Pœnitentiarium, ac quamplurimis per Europam ad Principes legationibus insignem, (posteàque Episcopum Famagustanum in Cypro, atque inde Egitaniensem in Lusitaniâ) destinans in Angliam, datâ ei plenâ totius negotij instructione [s], jussit cum Rege ac proceribus agere, ut idem Ademarus ad Ecclesiam suam reverti permitteretur, bonáque ei ac jura sublata restituerentur; sub pœnâ excommunicationis in personas rebelles, & interdicti in terras eorum. Fuisse tamen inanem Walasci legationem, ob induratos in Ademarum Anglorum animos, prædicti auctores Angli habent: donec post triennium ipsemet Ademarus Pontificiâ auctoritate in Angliam rediens obiit in itinere Parisiis.

[r] Paris. an. 1260. Floril. an. 1259.

[s] Ext. in Reg. Vatic. ex quo descripsit VVading. ann. 1269.

VIII. De rebus Orientalibus scribit Haythonius [t] Armenus, Haolonum fratrem Mangonis magni Chaami Tartarorū, religione Christianum postquàm regnum Pesarum occupâsset, cepisse hoc anno civitatem Baldach [u] in quâ erat Calipha. Cui cùm esset immensa auri & argenti, gemmarúmque, & omnis pretiosæ supelle-

[t] Haython. cap. 25.

[u] Vid. supr. an. 1233. II.

REGNI CALIPHÆ BALDAG. EXTINCTIO PER TARTAROS.

ctilis copia, quam tam avidè asservaverat, ut nec stipendiarios ad suæ civitatis defensionem accire curâsset; eâ coram se positâ Haolonum ad eum dixisse, quandoquidem ipse Magistrum se omnium credentium in sectâ Mahometi diceret, talem magistrum & tanti Principis successorem non decere aliis epulis vesci: uteretur ergo pretioso illo cibo, quem tantoperè adamaverat reclusúmque in quodam cubiculo, omni alio cibo & potu subtracto, inter margaritas & aurum fame animam efflare compulisse; regno Caliphæ Baldacensis, quod multis sæculis steterat, in eo penitùs deficiente. Postinde Haolonum in eâ civitate ac finitimis regionibus, omnia Saracenorum templa everti jussisse, & Christianorum quæ diruta fuerant instaurari. Hæc pluribus Haythonus, & alij post eum: quæ pariter Sanutus [x] ac Bizarus [y] hoc anno contigisse ponunt: Paulus [z] verò Venetus jam anno Domini 1250. Villanius [a] 1256. & Suchensis [b] ad 1268. differt. Quomodò verò Regnum Persarum post extinctos veteres eorum Principes à Saracenis occupatum, ad Turchemanos deinde venerit, indéque ad Georgianos & majores Armenos, ab hísque ad Chorasminos, ac demùm ad Tartaros; apud eundem Sanutum [c] breviter descriptum reperitur: universam verò eorum historiam duodecim libris Bizarus prosecutus est.

[x] San. lib. 3. par. 12. c. 6. & par. 13. cap 7.
[y] Bizar. Rer. Pers. lib. 8.
[z] Paul. Ven. lib 1. cap. 16.
[a] Vill. lib. 6. cap. 61.
[b] Such. in Itiner.
[c] San. d. c. 7.

IESU CHRISTI Annus 1259.

ALEX. IV. An. 5.

BALDUINI II. An. 31.

I. ALEX. PP. RESCRIBIT CONTRA PRESB. CONCUBINARIOS.

ANNO Christi 1259. Indictionis secundæ, Pontificatûs Alexandri Quarti quinto, Idibus Februarij, idem Pontifex morum quàm armorum studiosior, Anagniæ existens, cùm accepisset in Germaniâ ex continuis bellorum tumultibus disciplinam Ecclesiasticam in plurimis pessumîsse; literas ad Archiepiscopum Saltzburgensem ejúsque suffraganeos ac cæteros per Baioariam Antistites scripsit, quas recitat Stero in suis Annalibus: quibus sacerdotes publicos cõcubinarios vehementiùs exagitans, Pastores intimis hortationibus in eos excitavit; vetuítque ne quispiam eorum sacrificiis interesset; quandoquidem secundùm antiquiora canonum scita essent illi tam quoad se quàm quoad alios suspensi. Meminit earundem literarum etiam Aventinus [a]; sed fœdè amplificans, & deturpans, multáque de suo addens, (quâ fide est) quæ nequaquàm in iis reperiuntur. Cæterùm easdem missas quoque fuisse ad cæteros ubique Metropolitanos, testatur Willelmus Florilegus, dum meminit earum quæ missæ sunt in Angliam ad Archiepiscopum Cantuariensem.

[a] Avent. Reg. Boicar. lib. 7.

II. CURAT RES NAVARRÆ:

Alexander autem cætera pariter curans, inter alia Theobaldi [b] Regis Navarræ, cui post matris prudentissimæ feminæ obitum multæ turbæ [c] tam in Campaniæ avito patrimonio, quàm etiam in regno Navarræ excitatæ fuerant, assumptionem per elevationem ex more factam laudavit & approbavit: útque tam ipse quàm ejus successores ad eum modum sive in clypeo sive in humeris elevati, incontinenti, sicut eatenùs fuerat observatum, nomen regium sortirentur, unctionem & coronationem quando ipsis placeret recepturi, indulsit: cùm nuper idem Rex Isabellam secundò genitam S. Ludovici Francorum Regis uxorem duxisset. Idémque Pontifex Academiam ab eodem Theobaldo in oppido suo Tutelensi diœcesis Tirasonensis erectam confirmavit [d], ac privilegiis ornavit Regem quoque Hungariæ Belam [e], ne iniquis conditionibus cum Tartaris pascisceretur cohibuit: qui victoriis continuatis insolentes, inter cætera poscebant ut vel filia Principis eorum Stephano Belæ filio, vel filia Belæ filio Principis eorum in matrimonium collocaretur; atque etiam truculentiori ferocitate, ut Stephanus Belæ filius cum parte exercitûs Hungarici ad exterminandos reliquos Christianos, Tartarorum copias præcederet; ita tamen ut nonnisi quintam partem bonorum ex Christianis acquisitorum Hungarici milites reciperent. Hæc & alia Alexander Anagniæ existens.

[b] Reg. Alex. an 5. 8. Id. Febr.
[c] Marian. hoc an. Gomes. lib. 15. &c.
[d] Reg. 8. Id. Octobr.
[e] Ibid. prid. Id. Octobr.

ET HUNGARIÆ.

III. ROM. TURBARUM CONTINUATIO.

Interim verò Romæ [f] nobiles quorum Brancaleo Senator turres arcésque disjecerat, tumultu concito duos Senatores sibi creârunt; ac statim impetum in Brancaleonis avunculum, quem vidimus in ejus locum à populo Senatorem suffectum, facientes, ipsum in quâdam arce Romæ circundederunt eo animo ut si in potestatem adducerent, continuò in frusta conciderent. Ille autem confisus sacramento quo se populus ipsi obligârat, & obsidibus quos Brancaleo Bononiam miserat, acriter se defendit: unde magnum Vrbs Roma detrimentum accepit.

[f] Pavis. & Sigon.

IV. ECELINUS CAPITUR.

Quo item anno inveteratus ille dierum malorum Ecelinus, pœnas tandem luit gravissimorum scelerum, quæ diutissimis temporibus in Ecclesiæ fideles & innocentes populos impunè commiserat. Cùm enim nihil memor nec divini timoris, nec suæ annis jam marcescentis ætatis, quinimmò nihil mali putans esse actum cùm quid superesset agendum; spe ductus potiundi Mediolani per proditionem quorumdam malorum civium, eò cum valido exercitu properâsset; réque detectâ abscedere coactus, & à Cremonensibus, Ferrariensibus, Mantuanis, Patavinis, Mediolanensibus, ducibus Azone Estensi, Bosone Dovariâ, Huberto Palavicino, & Martino Turriano, inter oppida ac flumina hostilia conclusus, cùm ne fame conficeretur pontem Abduæ ab hostibus occupatum perrumpere transeundi gratiâ statuisset, cœptâ pugnâ sagittam ex propugnaculo pontis per ballistam in incertum emissam in articulum pedis accepit: ejúsque immenso dolore certamen deserere compulsus, tranato paulò superiùs nemine resistente vado, dum fugam Bergomum versùs init, ab hostibus velociter insequentibus circumventus, ac prælio decertare coactus, vivus in potestatem eorum incidit, die Sabbato quinto Calend. Octob. quo celebratur ab Ecclesiâ festum SS. Cosmæ & Damiani. Quem ubi captum privatus homo conspexit, adeò iram ex acceptâ injuriâ contractam non tenuit, ut ipsum in caput gravissimè vulnerârit: cúmque in tabernaculum unius ex ducibus adductus fuisset, vulgò milites ad eum visendum, perinde atque ad portentosum aliquod in terris spectaculum, convolârunt: nec defuêre,

qui stimulantibus odiis ipsum suis manibus parricidam Italiæ discerpere gestirent, nisi ducum eos auctoritas retinuisset, cùm ille interim Deum suorum scelerum vindicem adesse confessus, demisso vultu tristem & elinguem se gereret. Soncinum posteà deductus, post undecim dies dolore magis animi quàm vulnerum gravitate confectus, sine pœnitentiâ, & sacramenta Ecclesiæ detestando, homo omnium sceleratissimus, ac Deo hominibúsque invisus, decessit propè septuagenarius; atque ibi sepulturam (non tamen Ecclesiasticam) accepit. Eáque res ubi percrebuit universa Marchia Tarvisina, quæ ex horto voluptatis per ejus inauditam tyrannidem quasi in eremi solitudinem redacta fuerat, jam libertatem adepta ingentis gratulationis ac lætitiæ signa edidit; testantibus omnibus, nullum unquam hominem humano generi perniciosiorem ac pestilentiorem editum fuisse.

PERIT IMPOENITENS.

V.

Cùm verò nullam prolem reliquisset, supererat tamen ejus frater Albericus, civium Tarvisinorum mitior carnifex: qui audito fratris casu, parum se tutò esse Tarvisij ratus, in castrum S. Zenonis ad ejusmodi necessitates munitissimè conditum, una cum familiâ & thesauro se transtulit. Vbi anno sequenti à Patavinis & Tarvisinis aliísque finitimis populis Cruce instructis, quam in eum publicavit Legatus Pontificius, arctissimâ obsidione cinctus, post varios insultus, crebráque certamina, dedentibus se militibus ac familiaribus Alberici, & ipse cum uxore ac liberis in manus obsidentium traditus est: à quibus primò sex ejus filiis crura & brachia in conspectu parentum amputata sunt, & ori oculisque parentum adhuc palpitantia admota; deinde uxor, & duæ filiæ nubiles formaque præstantes ad stipites alligatæ ac vivæ crematæ; ipséque Albericus postremus, postquam peccata sua ritè confessus est, ore occluso ne loqui posset, pedibus ad caudam equi alligatis per tota castra sic tractus est, ut unusquisque forcipibus bolum ex carnibus ejus excerpserit: & ut cadavera filiorum per castra populi cujusque divisa, sic patris reliquiæ lupis cæterisque feris devorandæ objectæ sunt. Hicque fuit exitus potentissimæ *à Romano* familiæ; quæ nisi ei summâ diligentiâ fuisset occursum, facilè imperium consecuta totius Lombardiæ fuisset. Hæc autem præsenti & sequenti annis gesta, prolixiùs describunt Monachus [g] Paduanus qui iis temporibus & locis vivebat, Iovius [h], & Sigonius [i]; breviter attingit Bossius [k]; nonnulla Corius [l] secùs narrat. Tradunt autem, post mortem Ecelini Sanbonifacios (potentissimam Veronæ familiam, factione Guelfam, & Ecclesiæ studentem) unà cum Guelfis exulibus vi armorum restitutionem quærentes, in urbem receptos esse: sed paulò pòst tumultu populari iisdem abire compulsis, contrariam Gibellinorum partem *Mastino Scaligero* præfecturam in perpetuum detulisse: qui initium imperio illi dedit, quod deinde Veronæ *Scaligeri* tenuerunt.

ALBERICI FRATRIS EIUS, AC TOTIUS FAMILIÆ DIRUM SUPPLICIUM.

[g] *Paduan. Chron. lib. 2. & 3.*
[h] *Iov. Elog lib. 1. in Actiol.*
[i] *Sigon. de Regn. Ital. lib. 19.*
[k] *Boss. in Chron.*
[l] *Cor. Hist. Mediol. par. 2.*

INITIUM DOMINATIONIS SCALIGERORUM VERONÆ.

VI.

Ad principium quoque hujus anni Richardus Rom. Rex, cùm fermè biennium in Germaniâ à multis ut verus Rex cultus egisset; postquàm pecuniæ, quarum largitione Principum ac populorum sibi obsequium conciliaverat, deficere cœperunt, ab iisdem qui prædam magis quàm hominem sequuti fuerant, penè desertus; commissâ ubi utcumque nonnullis sibi fidelioribus rerum administratione, ipse in Angliam remeavit, ubi ante omnia à Baronibus compulsus est juramentum præstare de reformatione Regni, ad quod vidimus Regem ipsum Henricum ac filium ejus Eduardum adactos ab iisdem fuisse. Quæ prosequuntur Parisius & Trithemius.

RICHARDUS ANGLUS DEFECTU PECUNIÆ GERMANIAM DESERIT.

VII.

Hicque nos demùm idem Parisius deseret: cujus (ut verum fateamur) diligentia non parùm nobis profuit; etiamsi nos facilis ipsius de vanis rebus credulitas, & impensissimus in suos amor, atque in exteros livor, & in Romanæ Ecclesiæ Pontifices atque ministros contumeliarum aculei, & acerba maledicta,) dederint utique, nec diffitemur, non levem sæpè conquerendi occasionem immoderatæ nonnullorum eorum extorsiones) frequentes in eum invectivas ingerere compulerint. Cui qui *Supplementum* addidit usque ad obitum Henrici Regis *Guillelmus Rishanger* ejusdem cœnobij S. Albani monachus, ejus vitia diligenter imitatus, ab ejus in reliquis industriâ & accuratione longissimè abfuit. Itaque Parisij locum supplebit, utcumque deinceps *VVillelmus* monachus Westmonasteriensis *Florilegus* dictus, cujus non rarò facta superiùs mentio: qui cùm hactenùs Parisium fere expresserit, (longè tamen in multis illo accuratior, sicuti & in omnibus modestior) hinc usque ad annum Domini 1307. breviori stylo res in Angliâ præcipuè gestas prosecutus est.

PARISII HISTORIÆ FINIS.

VIII.

Habet porrò idem de prædicto Rege Richardo; postquàm ipse in Angliam rediit, venisse ad eum missos à Summo Pontifice duos Fratres Minores, unà cum Cancellario ejusdem Richardi & alio Magistro, cum literis quibus eum Pontifex invitabat in Italiam ad coronam Imperialem accipiendam; Regem autem nuncios benignè habitos misisse in Germaniam, ut hæc Principibus (ad quos pariter à Pontifice cum iisdem mandatis mittebantur) significarent.

RICHARDUS INVITATUR A PONT. AD CORONAM IMPER.

IX.

Pertinet verò ad ejusdem Regis inter Germanicum, quod inter alia Polydorus [m] eo contigisse refert: nempè Edmundum ejus filium, cùm fortè Regum Germanorum monimenta quæ ad cultum divinum pertinebant pio studio attrectaret, vas quoddam aureum reperisse quo continebatur portio *Sanguinis Christi*; ejúsque partem à custode impetratam in Angliam detulisse, ac post parentum obitum subdivisæ partem in cœnobio Haylensi ubi ipsi conditi erant reposuisse, reliquam divino monitu in cœnobio Alsheruggiensi à se extructo collocasse: & utroque loco ad sacra ejusmodi Dominicæ Passionis pignora, crebra & magna quotidie edi miracula consuevisse. Hæc pluribus Polydorus ex eorum locorum traditione. Quæ ut verè facta concesserimus, ut tamen Edmundo Richardi filio ea tribuantur vix per ejus ætatem licere videtur; cùm ex Parisio constet, eum natum fuisse dumtaxat anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo, ac proinde cùm ejus pater Germaniam deseruit nonnisi novennem extitisse. Quare tribuissemus ea potiùs Henrico ejusdem Richardo primogenito, qui jam tum erat an-

[m] *Polyd Hist. Angl. lib. 16.*

PORTIO QUÆDAM SANG. CHRISTI DELATA IN ANGLIAM.

norum ampliùs viginti, nisi eum ante patrem mortuum reperissemus. Stet igitur egregio puero sua integra pietatis gloria; quandoquidem potens est Deus ex ore [n] infantium atque etiam lactentium perficere laudem: nisi forte id ei pôst viro facto aliâ occasione præstare contigerit, & Polydorus, ut solet, tempora confuderit. De hujusmodi autem partibus Sanguinis Christi dictum est satis superiùs [o] simili occasione. Addit verò idem auctor, prædictum Edmundum in monasterio Aisheruggiensi viros novæ Religionis non anteà in Angliâ visos, qui *Boni Homines* appellabantur, collocâsse: qui S. Augustini regulam professi vestimentum cærulei coloris induebant eâdem penè formâ quâ utebantur Eremitani: inter quos fuerint sequentibus temporibus monachi sanctitate vitæ & doctrinâ præclari. Cujusmodi Congregationis nusquam alibi mentionem reperimus; præterquàm apud Paulum Morigiam in commentario de origine omnium Religionum, qui non aliunde quàm ex Polydoro sumpsit. Putamus autem prodiisse à Ioanne Bono, de quo suprà [p]; & ex iis fuisse qui de habitûs colore decertârunt; quandoquidem non sumpserunt nigrum, quem à Summis Pontificibus Eremitanis omnibus injunctum fuisse tunc vidimus.

[n] Psal. 8.

[o] An. 1247. XII.

ORDO BONOR. HOMINÛ.

[p] An. 1237. VII.

X. OTHOCARI REGIS BOEMIÆ POTENTIA.

Quod ad Imperium attinet; posito jam eo quasi in Interregno, Richardo in Angliâ, & Alfonso in Hispaniâ absentibus, nec ullam ejus curam habentibus; inde factum est, ut omnia manu regiâ ab omnibus gererentur, & potentibus quicquid libebat liceret. Qua occasione benè inter alios in commodum suum usus Othocarus Boemiæ Rex, multas Imperij Germanici provincias variis prætextibus ad se pertraxit; atque inde potentissimus totius ferè Septemtrionis Princeps, à mari Hadriatico ad Oceanum Balthicum imperans, etiam usque ad contemptum Germanicæ dignitatis Imperialis, factus est: de quo sæpè inferiùs.

XI. TRANSACTIO INTER REGES FRANC. ET ANGL. DE SUIS IURIBUS DAMNOSA REGNO FRANC.

Henricus intereà Rex Angliæ, post diversos tractatus de pace cum S. Ludovico Francorum Rege per legatos habitos, eosdémque stabilitos, ipsemet in Galliam transfretans unà cum uxore, filiis, ac Principibus; ita de omnibus ac singulis quæ inter utrumque Regnum vertebantur jurium controversiis cum Rege Ludovico Parisiis concordavit, annuentibus atque confirmantibus Richardo ipsius fratre, filiisque Eduardo & Edmundo, ac Principibus & Prælatis Angliæ, ut nullum posthac jus foret Anglis repetendi Normanniam, Cœnomanos, Andes, Turones, Pictones, quæ majores Henrici possedissent, Philippus Augustus cùm jure belli tum Parium solemni judicio recuperâsset: potirentur autem ulteriore Aquitaniâ, & aliquibus ex citeriore provinciis, ita tamen ut omnia beneficio Regum Francorum obtinerent, panagióque jurejurando se illis obstringerent; essétque titulo Ducis Aquitaniæ Rex Angliæ unus è Paribus Franciæ. Quibus sic pactis & confirmatis, datáque insuper Henrico magnâ pecuniæ summâ pro aliis prætentis juribus, idem Ludovico Regi homagium ligium, ut vocant, præstitit circa festum S. Andreæ; ac deinceps abstinuit à titulis Ducis Normanniæ & Comitis Andegaviæ. Rem gestam breviter narrat prædictus auctor Supplementi Parisij, ac Regem suum ad hæc pacta rerum suarum necessitate compulsum significat: paulò uberiùs Nangius in Chronico & in Vitâ S. Ludovici, & sanctum Regem hæc scrupulo possessionis Normanniæ ac cæterarum provinciarum quæ Angli fuerant, præstitisse tradit: plenissimè Tilius in Collectione Bellorum atque Tractatuum inter Reges Francorum & Anglorum; qui prudentiam Regis in his requirit, quòd nullâ necessitate coactus, nihilque contrà ab Anglis accipiens, tanta iis gratis contulerit, quorum potiùs vires debilitare debuerat; unde & ingentia deinceps damna regno Francorum obvenerint, & infinitæ lites ortæ sint. Quare & observat Ionvillæus, Regis Consiliarios rem quantum potuêre dissuasisse; sed Regem, tametsi fateretur Anglos justè cecidisse illarum provinciarum dominio, neque se propterea ad ullam restitutionem teneri; maluisse tamen ad hæc descendere, tum ut Regem Angliæ suum hominem ligium faceret, qui pro supremo domino in his quæ possidebat sese gerebat, tum ut omnem tolleret (sicuti existimabat) dissensionis occasionem inter suos & Angli filios, qui erant inter se fratres patrueles.

XII. LUDOVICI PRIMOGENITI S. REGIS OBITUS, AC FUNUS ILLUSTRE.

Subdit autem Nangius, antequàm Rex Anglus ad sua se reciperet (quod nonnisi mense Aprilis anni sequentis contigisse, Florilegus asserit) Ludovicum filium primogenitum sancti Regis diem suum obiisse Parisiis: cúmque ejus corpus patris jussu deferretur sepeliendum ad monasterium Regalis-montis, primò ad S. Dionysium, ubi tunc Rex Anglus agebat, delatum fuisse; ac post nocturnas hymnodias eundem Regem Angliæ unà cum nobilibus Baronibus Franciæ & Angliæ illud propriis humeris aliquantum itineris portâsse. Fuerat [q] ei desponsata Berengaria filia primogenita Alfonsi Regis Castellæ, cum dote quinque millium librarum Turonensium quotannis solvendarum; & obligatione ejusdem Regis Alfonsi, fratrúmque ipsius, Prælatorum, Baronum, & communitatum Castellæ, de successione regnorum Alfonsi deferendâ Berengariæ, si contingeret ipsum mori absque prole masculâ quâ tunc carebat. Eujus autem audito obitu Alexander Pontifex patris mœrori condolens, gravissimis literis [r] eum discutere sategit.

[q] Til. in Invent. S. Ludov. Floril. an. seq.

[r] Reg. Vat. ann. 6. Anagn. 3. Cal. Mart. & ap. Vvaddingh. tom. 2. ann. 1260.

XIII. THEODORI GRÆC. IMP. PIA MORS.

Hoc item anno mortuus est *Theodorus* Græcorum Imperator, postquàm regnâsset non solùm tres annos, ut ex Nicephoro Gregorâ [s] plerique scribunt, at fermè quatuor, ut expressiùs habet Georgius [t] Logotheta: unde & necessariò hoc anno collocanda venit ejus mors, non superiori; quandoquidem nonnisi sub initium anni Domini 1256. regnare cœpit. Is verò morbo lethali correptus, monasticum habitum induit, multam pecuniam pauperibus erogavit, tantáque cordis contritione & lacrymarum profusione ad pedes Episcopi Mitylenensis humi prostratus peccata sua confessus est, ut è rivis lacrymarum in solum decidentium limus conficeretur. Quæ tanta si profuerint ei ad salutem, non sanè ut in schismate Græcorum perseveranti, sed ut unionem ejus Ecclesiæ cum Romanâ toto animo desi-

[s] Greg. lib. 3.

[t] Georg. in Chronol. Constantin.

deranti, & solicitè prosequenti: de quâ multi variíque his temporibus tractatus præcipuâ operâ Fratrum Minorum intercessisse reperiuntur. Sub cujus obitum, sexto die Solem per horam obscuratum esse, adeò ut stellæ apparerent, Georgius *Pachymerius* observat: qui ab ejus obitu historiam suam, quam mutilam habemus, inchoavit; Constantinopoli ipse oriundus, sed Nicææ natus & educatus; atque in sacerdotum collegium cooptatus; factus etiam Protecdicus seu primus Defensor, & Dicæophylax seu custos legum, ut ipse de se principio historiæ testatur: cujus item extat commentarius in Dionysium Aropagitam, aliáque plura scripta, quæ recensentur à Gesnero.

PACHYMERII HISTORIA.

XIV. IOANNES PUER IMPERATOR AGNOSCITUR.

Reliquit Theodorus, præter quatuor filias, unicam prolem masculam, (ut Græci disertè asserunt; quamvis nonnulli Latini binas ponant) *Ioannem*, sex circiter annorum puerum, sub tutelâ Arsenij Patriarchæ, & Georgij Muzalonis, quem ipse Theodorus ob morum urbanitatem, & facilem ad ejus nutus accommodationem, ab obscurâ propagine ad dignitatem Protovestiarij promoverat. Quibus etsi Principes ac Proceres, ducésque militiæ, & capita populi, non solùm sub Theodori obitum, verùm etiam posteà semel iterúmque sanctissimo se jurejurando obstrinxissent; nihilominùs iidem conspiratione factâ, nono ab Imperatoris obitu die, cùm de more solemne sacrum pro ejus animâ in Ecclesiâ fieret, Muzalonem ad ipsum sacrum altare unà cum duobus ejus fratribus, consueto Græcis in causâ damnationis sacrilegio, in favorem Michaëlis Palæologi ei adversantis, crudeliter interemerunt: indéque Patriarcham simplicioris ingenij virum, & ad Imperij administrationem inepti, variis artibus adegerunt ut eundem *Michaëlem* maternâ origine Comnenum, paternâ Palæologum, (quam familiam nonnulli perhibent [u] ex Viterbio, haud ignobili Tusciæ municipio, suum genus atque originem traxisse) qui ob suspicionem affectati Imperij in periculum vitæ sub Theodoro adductus, & ad Turcos profugus, rursùm in gratiam revocatus fuerat; virum opibus & amicis potentem, industrium, & artificio simulationis apprimè eruditum, armísque impigrum, in administrationem Imperij vocaret tantisper dum puer ad maturiorem ætatem pervenisset. Qui primùm *Magnus Dux*, ac paulò pòst *Despota* creatus, (quæ dignitas proxima erat ab Imperiali) rursùm non multis elapsis diebus à suis fautoribus in clypeum de more elatus, acclamatus est Imperator ejus nominis VIII. accedentibus etiam fictis magis quàm veris Imperij ejus præsagiis ac prædictionibus, quæ omnes satis in eum spontè proclives magis provocarent. Inter quas fuit Episcopi Thessalonicensis assertio, audivisse se ter vocem μάρτυ; quam ita interpretati sunt; Μιχαὴλ ἄναξ Ῥωμαίων Παλαιολόγος ὀξέως ὑμνηθήσεται: hoc est, *Michaël Palæologus Imperator Romanorum citò celebrabitur*. Cæterum electione Michaëlis Patriarcha vehementer perculsus, cùm tam electum quàm electores excommunicatione percellere deliberâsset; deinde re maturiùs pensatâ, consultius fore decrevit sacrosancto eos jurejurando astringere haud se vitæ pueri insidiaturos, vel Imperio eum privaturos, sed cùm adolevisset istud ei restituturos. Sicque factum est ad finem anni.

[u] *Bizar. Rer. Pers. lib. 8.*

MICH. PALÆOL. IMPERIŨ AFFECTANS FIT EIUS ADMINISTRATOR.

XV. ALIUS MICH. ÆQUE IMPERIŨ AFFECTANS FUGATUR.

Cùm verò misisset priùs idem Michaël Palæologus fratrem suum Ioannem Sebastocratorem cum exercitu adversùs Angelum Michaëlem Ætoliæ & Epiri Despotam, filium nothum alterius illius Michaelis Angeli; de cujus in Latinos sævitiâ dictum est superiùs [x], ac Theodori nuperi Imperatoris affinem; (duxerat quippe ejus filius Nicephorus Mariam filiam Theodori) qui auditâ morte Theodori, fretus auxiliis generorum suorum, Guillelmi de Willarduin natione Galli Achaiæ & Peloponnesi Principis, (nepotis, ut puto, illius Willarduini, quem vidimus unà cum aliis Proceribus interfuisse occupationi urbis Constantinopolitanæ, & historiam ejus conscripsisse; quémque donatum fuisse iis partibus aliquâ ditione, idem ipse scribit) atque Manfredi Siciliæ Regis, Imperium sibi accipere cogitabat: idem Ioannes in Macedoniam adveniens, ubi in conspectu fuit hostium ad æquinoctium Autumnale Michaëlem quidem per fictum transfugam circumveniens, quasi ejus generi clàm de pace tractarent, nocte intempestâ relictis sociis domum fugere compulit: Guillelmum verò & Manfredum eâ re turbatos, séque proditos ratos, prælio aggressus facili negotio prostravit; Manfredo vix cum paucis fugâ elapso, Guillelmo verò capto, qui traditione trium munitissimarum urbium Peloponnesi, Tænari, Epidauri, & Spartæ libertatem redemit. Narrant hæc omnia pluribus iidem Græci Scriptores, Nicephorus Gregoras, & Georgij Pachymerius ac Logotheta; (in nonnullis tamen paulò diversi) necnon alius Georgius Phranzes Protovestiarius, qui longè pòst brevem historiam conscripsit de rebus Græcanicis, quam exorsus est à prædicto Michaële Palæologo. De hâc porrò Manfredi expeditione; nihil apud auctores Italos qui de illo egerunt. Quod verò uxorem duxerit Helenam Michaëlis Despotæ filiam, etiam ipsi consentiunt [y]; eámque Manfredo superfuisse cum aliquot liberis ex eo susceptis volunt. Vnde & corrigas alios [z], qui Beatricem Sabaudam, priorem Manfredi uxorem, nonnisi anno 1266. decessisse scripserunt, quo Manfredus obiit.

[x] *An. 1210. III.*

[y] *Vid. Summont. Hist. Neapol. lib. 2. ad fi.*

[z] *Pingon. de Princip. Sabaud. n. 167.*

XVI. ALBERTUS MAGNUS FIT EPISCOP. RATISPONENSIS.

Hoc eodem anno Albertus Ratisponensis in Bavariâ Episcopus, de quibusdam criminibus apud Sedem Apostolicam accusatus, cùm se defendere non posset, cessit: eíque Fr. *Albertus* de Ordine Prædicatorum subrogatur. Ita Stero: cui & cæteri consentiunt. Extántque in Regesto Epistolarum Alexandri Papæ literæ ejusdem datæ Anagniæ Nonis Ianuarij anni proximi de electione ipsius Fr. Alberti. Fuit is patriâ Suevus, nobili genere ortus, vitæ autem probitate insignis, & ob excellentem in omni disciplinâ eruditionem cognomen *Magni* etiam vivens adeptus; qui tunc apud Colonienses sacram Theologiam magnâ famâ profitebatur. Laudat eum impensissimè Aventinus [a], cùm de hâc ejus Ecclesiasticâ præfecturâ agit; Germanum eum Varrone doctiorem appellans, etiámque longè Varrone doctiorem asserens, quem nihil penitùs fugerit, omnia perfectè noverit, naturæ secundùm Aristotelem

[a] *Avent. lib. 7.*

EIUS INCLYTÆ LAUDES.

verissimus interpres extiterit; adeóque singula quæ de omnibus scientiis & facultatibus scripsit in suo genere absoluta esse, ac si uni dumtaxat operam navâsset, cætera ne attigisset quidem. Breviùs ac pleniùs Bergomensis [b], tantæ eum fuisse doctrinæ, ut non solùm nemo ei anteponendus sit, sed ne quidem æquiparandus. Nec sanè mirum, cùm is ab ipsâ Virgine MARIA, quam cultu præcipuo prosequebatur, & in quâ requiescunt omnes scientiarum ac gratiarum thesauri, dum hebetioris ingenij in adolescentiâ existens philosophiam assequi desperaret, dono scientiæ præditus feratur. Suscepit autem Episcopatum invitus, & dehortante maximè Humberto Ordinis Generali (quinto à S. Dominico, patriâ Viennensi Gallo, vitâ & scriptis [c] insigni) efficaci ad illum eâ de re scriptâ epistolâ. Non valens tamen jussioni Pontificiæ obniti, collum jugo supposuit: sed durius & onerosius expertus, quàm pro transactâ vitâ, impetratâ non toto pòst biennio missione, ad philosophiam & literas rediit.

[b] Bergom. lib. 13.

EIUS INCLYTÆ LAUDES.

[c] Trith. & Bellarm. de Script. Eccl. [d] Ap. Leandr. de Vir. ill. lib. 3.

XVII. Eundem Langius [e] scribit primum fuisse qui sapientiam humanam, seu philosophiam profanam divinis literis copulare ausus sit, quique Dialecticam contentiosam & spinosam sacratissimæ & purissimæ non pertimuerit commiscere Theologiæ. Qui tamen rem familiarem non deserens, ita eam administravit [f], ut cùm Ecclesiam Ratisponensem pauperem & obæratam invenisset, intra biennium ære alieno liberaverit, ac divitem reliquerit. Quod verò Necromantiam multi ei tribuerunt, frivolum (inquit Trithemius [g]) & fictitium est; quippe quem usque ad finem vitæ religiosissimè vixisse constat: siqua verò miranda fecisse traditur [h], non malis artibus, sed occultis naturæ rebus, sibi tamen cognitis tribuenda sunt. Ferunt tamen, cùm venisset ad extremum vitæ, dum ex more quâdam die Coloniæ publicè profiteretur, repentè memoriam illum defecisse, secundùm quod ei prænunciâsset Beatissima Virgo quando donum scientiarum illi contulit, ut sic & verè divinitùs hæc se accepisse sciret, & proximi obitûs admoneretur: idque tunc ipsum auditoribus propalâsse. Ejus scripta recensent Trithemius & Bellarminus. Vixit autem usque ad annum Domini 1280. ætatis suæ octogesimum septimum, quem præsenti egisse sexagesimum sextum Trithemius [i] ait. Corpus Coloniæ sepultum, incorruptum usque ad suam ætatem permansisse, Krantzius [k] scribit, hactenúsque permanere asseritur, & aliis miraculis claruisse. Habuit autem discipulos egregios multos, atque inter eos qui quamplurimorum instar esse possit, S. Thomam Aquinatem. Scripsit Vitam ejus Rudolphus Noviomagensis tribus libris Coloniæ olim editis; & Io. Ant. Flaminius in opere de Viris illustribus è familiâ S. Dominici. Quæ verò contra illum objiciuntur, præter Trithemium, Delrius & alij diluunt.

[e] Lang. in Chron. Citizen.

[f] Metrop. Salisburg. in Ep. Ratisp. 31.

[g] Trith. in Catal. Vir. illust. & lib de Script. Eccles.
[h] Vid. supr. an. 1247. III.

EIUSDEM OBITUS.

[i] Trith. in Chron. Hirsaug.
[k] Krantz. Metrop. lib. 8.

XVIII. Vltimò hic adjicimus ex historicis Florentinis Ricordano [l] & Villanio, egregium amoris materni & mansuetudinis leoninæ exemplum. Fuerat populo Florentino donatus quidam leo ferocissimus: qui cùm aliquando incuriâ custodis è caveâ elapsus per urbis compita ingenti omnium terrore rugiens pererraret, arreptum infantulum unguibus tenuit: quod videns mater vidua, cui unicus erat dolore & desperatione ducta in leonem insiliens, filium ei eripuit, nihil eos leone lædente, respexit tantùm, & abiit: majoríne belluæ generositate an feminæ audaciâ? servatus infans, dictus posteà fuit *Orlanducius de leone*; qui vir factus pœnas exegit de occiso olim patre ab inimicis suis.

[l] Ricord. cap. 161. Vill. lib. 6. cap. 71.

DE PUERO LEONI à MATRE EREPTO.

IESU CHRISTI Annus 1260.

ALEX. IV. An. 6.

BALDUINI II. Ann. 32.

MICHAELIS VIII. An. 1.

I. ANNO Christi 1260. Indictione tertiâ, Dominicâ Passionis Ludovicus Rex Francorum Parisiis celebravit *Concilium* Episcoporum ac Principum regni sui, eò quòd Alexander Pontifex ei per literas significâsset, Tartaros excursione factâ Saracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim & Damascum, Alapiam, ac terras illas subjugâsse; & tam Acconi civitati, quàm universæ Christianæ rei in Syriâ periculum imminere. Vnde decretæ sunt publicæ litaniæ, blasphemiæ vetitæ, luxus repressi, ludi prohibiti. Ita Nangius in Vitâ prædicti sancti Regis, & in Chronico. Idque ipsum præstitisse Alexandrum erga omnes ubique Principes sæculares & Præsules Ecclesiarum; hortando eos ut contra rabiem Tartarorum consiliis & armis se munirent; Stero scribit anno sequenti. Ac Siffridus ait, celebrata esse eodem anno Concilia Moguntiæ ab Archiepiscopo Wernero, & alibi ab aliis Archiepiscopis, jubente Papâ Alexandro, contra Tartaros & alia pericula, ut per verbum Crucis & orationes Fidelium inimicis Ecclesiæ resisteretur. Quod & Florilegus scribit factum post Pascha in Angliâ, itidem anno sequenti. Quem cùm sic ab omnibus de his agentibus signatum reperiamus, veneramus aliquando in dubitationem num errâsset Nangius dum id anno Domini 1260. nempè præsenti, factum in Galliâ posuit. Verùm animadvertimus postmodùm nos ipsi errorem nostrum; cùm minùs attendissemus rationem computi Nangij, qui annos consuevit numerare ab Incarnatione Domini, quæ incidit in 25. Martij, quâ ratione hoc quoque Concilium Gallicanum in annum 1261. Iulianum, quo nos utimur more Romano, referendum venit. Quamvis etiam cùm apud Rubeum in Historiâ Ravennate sub anno superiori Concilium eâ de re illic habitum legamus; videatur dici posse, mandatum Alexandri citiùs aut tardiùs pro locorum proximitate aut longinquitate, vel rerum aut personarum commoditate, executioni datum fuisse.

ALEX. PP. CURAT CONCILIA UBIQUE CELEBRARI PRO AUXILIIS CONTRA TARTAROS.

II. Agens porrò Sanutus [a] de hâc excursione Tartarorum in Syriam, ait Alapiam & Damascum cum aliis quibusdam civitatibus ab iis captas fuisse magnâ Saracenorum strage: Sidonem quoque captam præter arcem; & Acconenses, sive Ptolemæenses, sibi timentes, quæ extra mœnia erant diruisse: posteà verò, nempè tertiâ die Octobris eosdem Tartaros

[a] San. lib. 3. par. 12. c. 6. & par. 13. cap. 7.

VENERUNT TARTA-

à Soldano Babyloniæ debellatos esse in plano Tyberiadis. Ex quibus intelligi datur, magis venisse Tartaros in auxilium Christianorum contra Saracenos, quàm ut eos impugnarent: (quamvis non parùm sibi timuerint ab eorum ferocitate Ptolemæenses, ut fit in exercituum licèt amicorum proximitate:) & Pontificem auditâ eorum excursione, vel putâsse eam in perniciem Christianorum susceptam fuisse, vel timuisse ne barbara gens in omnes æquè sævir t.

[III. — Certior de iis relatio.] Quæ ut lucem accipiant ab Haythono[b] historico Armeno hæc prolixiùs tractante; narrat ipse, Haolonum fratrem Imperatoris Tartarorum, de quo suprà[c], ut rem Christianam in Syriâ promoveret, Haythono accito Armeniæ Rege cum suis copiis, de ejus consilio Alapiam primò oppugnâsse, quòd ejus Soldanus, qui tunc Melechnaser vocabatur, teneret totius Syriæ principatum, (sive fuerit illa antiqua Berrhœa, sive Hierapolis, aut alia Cœlesyriæ vel Phœniciæ urbs; in quo variant auctores: Antiochia sanè insignis illa Syriæ metropolis non fuit, quamvis sit ea nonnullorum opinatio) & tantâ vi id egisse, ut licèt undique munitissima esset novem tamen diebus urbem, & aliis undecim arcem expugnârit: ac præter infinitas divitias, cepisse etiam uxorem & liberos Soldani ibi existentes: quod ubi intellexit Soldanus qui tunc temporis erat Damasci, eum omnis inopem consilij ad Haolonum accessisse, & pedibus ejus provolutum reddi sibi vxorem ac liberos, partémque ditionis enixissimè postulâsse: sed spe frustratum, unà cum illis ablegatum fuisse in Persidem: [Soldani Alapiæ captivitas.] Haolonum autem Regi Armeniæ plura loca Saracenis erepta donâsse, ac Principi Antiochiæ qui Regis Armeniæ gener erat, omnes terras ipsius jurisdictionis quas Saraceni occupaverant restituisse: cùm verò postinde ad regnum Ierosolymitanum è manibus Saracenorum vindicandum totis viribus contenderet, accepto nuncio de obitu fratris sui Mangonis Imperatoris Tartarorum (qui in quandam insulam delatus, hostem oppugnans, urinatoris arte regiæ navis carinam perfodientis, submersâ protinùs navę periisse dicitur) dimissâ confestim expeditione, relictóque ad rem Ierosolymitanam exequendam uno è suis ducibus nomine Guiboghâ cum decem millibus Tartarorum, ad regnum fratris accipiendum properâsse: sed præventum ab alio fratre suo Cobilâ, (Gobellum alij nominant) qui in Sede Imperatoriâ Tartarorum à Proceribus collocatus fuit, in Perside resedisse: cúmque Barcat alius Tartarorum dux Persidem occupare niteretur, cum eo congressum esse super quodam flumine gelu constricto, ruptâque glacie submersa utrimque fuisse triginta Tartarorum millia.

[IV. — Dissidium inter Christianos et Tartaros.] Intereà verò Guibogham, cùm optimè affectus in Christianos esset, (quippè qui diceretur fuisse de progenie trium illorum Regum qui venerunt ad Christi nativitatem (ac solicitè laboraret ut Terram Sanctam in eorum potestatem reduceret; accidisset verò, ejus nepotem, occasione prædæ à Christianis Sidoniensibus ex nonnullis villis Saracenorum quæ tributum Tartaris pendebant collectæ, quam is reddi petebat perimi; eumdem Guibogham vehementer hâc cæde commotum, invasisse civitatem Sidonis, & vi captam excidisse; fuisséque inde commercia inter Christianos & Tartaros dirempta. Paulò verò pòst adveniente in Syriam Soldano Ægypti, Guibogham ab eo occisum prælio fuisse, & Syriam universam in Saracenorum potestatem redactam, præter aliquas civitates Christianorum maritimas. Hócque audito Haolonum rursùm expeditionem in eos parâsse, sed interveniente morbo, indéque morte, rem infectam reliquisse. Ejus verò filium Abagham impetrato à patruo suo Cobilâ Chaam regno paterno Persidis, illud prudenter ac prospere administrâsse nisi quòd contemptâ patris religione Christianâ, idololatra permansit, ac vicinos bellis inquietans Saracenos Syriæ & Ægypti multo tempore liberè permisit Christianos labefactare. Hæc Haythonus; qui Abaghæ regni initium ponit anno 1264. ac post eum Sanutus[d], Sabellicus[e] & alij. Meminerúntque eorumdem Gregoras[f] & Continuator[g] Belli sacri; sed non parùm diversè ab Haythono.

[V. — M. Pauli Veneti historiæ exordium.] Quæ cum sint nobis conciliatu difficilia, nec verò hujusmodi extranea atque barbarica ad trutinam examinanda susceperimus, haud tamen omittimus, *M. Paulum Venetum* à bello inter Haolonum & Barcatum exordium sumere suæ scriptionis. Nec item quod addit Sanutus, Soldanum illum Ægypti qui Guibogham superavit, cùm post victoriam revertisset in Ægyptum, interfectum fuisse à Bendocdare, qui regnum ejus usurpavit, quem Haythonus Bendecarem, Bizarus Benedeclarem appellat; cognomento Melechdaër, hoc est regem potentem. [De Soldanis Ægypti.] De quibus omnibus distinctiorem invenimus narrationem in Fragmento MS. libri de Statu Saracenorum post destructionem Damiatæ[h], quem Fr. Guill. Tripolitanus Acconensis conventûs Ordinis Prædicatorum scripsit, & Thealdo Archidiacono Leodiensi, qui posteà fuit PP. Greg. X. dum esset in Palæstinâ nuncupavit. Soldanum nempè illum quem Admirati successorem dederunt[i] Melechsalæ (Melech Elmahadin ipse vocat) à se necato, qui Ludovicum Regem ceperat, genere fuisse Turcum, noménque ei impositum ab iis fuisse Melech Elmehec: vixisse annos quinque, & suffocatum esse in balneo à propriâ uxore. Succesisse ei filium nomine Melech Elmansor; ac regnâsse anno tantummodò uno, quòd captus & ejectus fuerit è regno ab uno de Admiratis, qui vocabatur Sein Fadyn Tocos: qui regnum usurpavit, & nominatus est Melech Henahech. (Habentur hæc ferè eadem in Chronico Nangij; sive ex eodem Fr. Guillelmo exceperit, sive aliunde.) Hunc, dum in Ægypto audîsset adventum Tartarorum in provinciam Galilææ contra Christanos & Saracenos, veloci cursu cum omni suâ militiâ venisse ad Christianos qui erant Accone, & cum eis fœdus iniisse: indéque abeuntem contra Tartaros, devicisse eos interfecto eorum duce Cathogobâ. Cùm post victoriam in Ægyptum rediret, suasioni unius ex suis Admiratis Bondogar nomine ut expugnaret Acconem aures præbere nolentem: sed servare fidem fœderis; occisum ab eo esse; qui regnum usurpavit, dictúsque est Melech Elnahet Bondogar: regnavítque solus in po-

[b] Haython. cap. 28. & seqq.
[c] An. 1258. ult.
[d] San. lib 3. par. 13. cap. 7.
[e] Sabell. 9. En. 7.
[f] Greg. lib. 4.
[g] Contin. Bel. sacr. lib. 4. cap. 14. & 5.
[h] Supr. an. 1250. XIII.
[i] Ibid. V. & IX.

pulo Mahometi, tenens imperio Ægyptum, Syriam unà cum Ierosolymâ, Alapiam, Arabiam; interfectis omnibus quoscumque reperire potuit de genere regio Saladini, & plurimis ex suis Admiratis. Inter multa verò vitia habuisse nihilominùs hoc boni, quòd vinum & meretrices detestaretur: cúmque ei dictum fuisset, decessores ejus consuevisse quinque millia stipendiariorum alere pecuniâ ex vini & meretricum commercio collectâ, respondisse malle se habere paucos & sobrios quàm plures mulieribus viliores, qui Veneri magis militarent & Baccho quàm Marti bellorum & proborum Deo. Iustè & in pace suos subditos vivere mandâsse: nec Christianos suo imperio subjectos adeò malè tractâsse, quinimmò & Religiosis montis Sinaï aliísque favorabilem sese exhibuisse: Existimatum tamen esse clementiam erga Christianos fingere, quò incautos opprimere posset, & Acconem occupare, quam maximoperè obtinere cupiebat. Ita Frater ille Guillelmus; cùm jam, ut ait, Bondogar (ita enim vocat) duodecim annis regnâsset. Quem & putamus eum esse, quem tradunt historici Hispani [k], (licèt quidam alio nomine appellent) hoc anno ad Alfonsum Castellæ Regem, cujus fama toto orbe celebris esset, misisse legatos cum multâ veste stragulâ ac pretiosâ, & animalibus insolentis formæ. Nec tamen id alio impium tyrannum fine præstitisse, quàm ut partum scelere imperium, Christianorum favore tutaretur; donec eosdem securos redditos (sicuti fecit) opprimeret; de quo sæpè agendum inferiùs.

[k] Marian. lib. 13. cap. 12. &c.

VI. Tartari incursant Poloniam.

Ceterùm alij Tartari mense Decembri anni superioris ingentibus copiis, Russis ac Lituanis adjutoribus atque ductoribus, Poloniam minorem per flumina glacie concreta summâ celeritate ingressi; hoc maximè anno ingentem ediderunt stragem omnis generis & sexûs Christianorum, combustis Sendomiriâ, Cracoviâ, aliísque locis, ecclesiis, & monasteriis; nemine resistente, quòd Boleslaus pudicus Princeps, tantæ multitudini impar, in Hungariam cum uxore profugisset. Sícque incendiis ac cædibus quocumque voluerunt impunè provecti, inde prædâ onusti in Russiam reverterunt. Eam verò cladem cùm Boleslaus Princeps & Prandotha Cracoviensis Episcopus Alexandro Papæ significâsset; idem Pontifex visitantibus die secundâ Iunij ecclesiam S. Mariæ Sendomiriensis, (in quâ, & cœmeterio ejus, ingens peremptorum numerus sepultus fuit, qui pro fide à barbaris necati, uti martyres habiti sunt) eamdem indulgentiam in perpetuum concessit, quam habebat ecclesia S. Mariæ ad Martyres de Vrbe. Quæ pluribus narrant Rerum Polonicarum Scriptores [l].

[l] Michov. lib. 3. cap. 45. Crom. lib. 9.

VII.

In Historiâ verò Neapolitanâ legitur [m], Despotam Peloponnensi, Manfredi affinem, mense decembri anni superioris, & ut necesse est, post adeptam libertatem à captivitate de quâ ibi, quamvis de eâ nihil in dictâ Historiâ Neapolitanâ) exscendisse in Apuliam, & inde sub initium hujus anni ad Romanum Pontificem îsse ut pacem inter ipsum & Manfredum componeret, quò faciliùs rebus Græcanicis attendere possent, cùm verò Pontifex ita ei acquiesceret, si Manfredus bona exulibus restitueret, & Saracenos regno pelleret; Manfredum non solùm id recusâsset, verùm etiam protervè respondisse, se potiùs alios Saracenos acciturum; ac reipsâ accivisse. Cui post hæc animos immensùm addidit ingens victoria, à Senensibus, & Gibellinis exulibus Florentinis, apud Montemapertum ad flumen Arbiam in territorio Senensi, ductu Comitis Iordani ab ipso Manfredo cum suppetiis missi, de Florentinis ceterísque eorum sociis Guelfis habita die quartâ Septembris hujus annis, quâ & multa eorum millia occidione occiderunt, & urbs ipsa Florentiæ à Gibellinis occupata in verba Manfredi juravit. Minimúmque abfuit quin funditùs de sententiâ omnium Etruriæ Gibellinorum dirueretur, quòd numquam eâ salvâ res eorum in tuto esse posse autumarent: nî Farinata Vbertus nobilis Florentinus, Gibellinus licèt & ipse, amore patriæ generosè obstitisset; quo uno cive ea stetit. Quæ ut peracta fuerint, diffusè narrant Florentini historici, Ricordanus [n] Malaspina, Ioannes Villanius [o], Leonardus [p] Aretinus, S. Antoninus [q] & ex iis alij breviùs: sed fusissimè, & cum ingenti præconio, ut par erat, Historiæ Senensis auctor Orlandus Malavoltus [r]. Fuisse verò hoc prælio (ut aliàs ferè semper) Lucenses junctos Florentinis, & magnâ clade affectos, iidem tradunt: testatúrque eorum civis Ptolemæus [s] Lucensis; addens in Tusciâ citra tempora Salvatoris non fuisse majorem cladem; eâmque Deum permisisse, quia nimis fastuosè suis finitimis Florentini erant infesti.

[m] Summont. lib. 2. ex Iuvenat. ejus temp. scriptore.

Manfredi contumacia.

Florentinorũ ingens clades.

[n] Ricord. cap. 163. & seqq.
[o] Vill. lib. 6. cap. 36. & seqq.
[p] Aret. lib. 2.
[q] Anton. tit. 19. cap. 7.
[r] Malavol. par. 2. lib. 2.
[s] Ptol. Luc. in Annal. hoc an.

VIII. Mich. Palæol. Ioannem pupillũ relegat, et imperio potitur.

Quod verò Græcos spectat; in Bithyniâ Michael Palæologus Imperij sibi perpetuò asserendi solicitus, Ioannem pupillum Theodori filium, legitimúmque successorem, Magnesiam ablegavit custodiendum, neque ejus occasione turbæ in ipsum Michaëlem cierentur. Quod ægrè ferens Arsenius Patriarcha, relictâ sede monasterio se inclusit. Datúsque ei successor est *Nicephorus* ejus nominis Secundus, ex Archiepiscopo Ephesino: qui post annum obiit. Ita Gregoras [t], & alij Græci.

Niceph. II. Patr. Const.

[t] Greg. lib. 4.

IX.

In Italiâ hoc eodem anno [u] Alexander Pontifex Anagniæ agens, diuturnis Romanorum precibus victus, postquàm repetitis monitis Bononienses ad reddendos eorum obsides adducere non potuit, vim sibi adhibendam existimans, eis, sacra & gymnasium interdixit. Quorum detrmetum ipsi diù ferre non sustinentes, postero anno legatis missis ad Pontificem, se obsides dimissuros ostenderunt, atque ita remissionem rerum interdictarum obtinuerunt.

[u] Sigon. lib. 19.

Alex. PP. agit contra Bononienses.

X. Dispensat cum filio notho Regis Boemiæ.

Idem quoque Pontifex Nicolaum Othocari regis Boëmiæ filium nothum ex quâdam pellice Austriâ susceptum, & à patre Opaviæ Ducem creatum, ad omnes dignitates & principatus sæculares aptum fecit. Cùm autem accepisset, Proceres inde vereri ne Nicolaus in Regni successionem (quòd Rex tum adhuc legitima prole careret) venturus esset; idem Pontifex misso [x] ad mensem Octobris Bernardo Sedis Apostolicæ Scriptore, significavit eis numquam se quid tale cogitâsse; ac Regi contestatus est, ne aliquando id in animum induceret.

[x] Reg. Vatic. Alex. IV. an. 6.

XI.

Præcesserat autem prælium grave commissum tertio Idus Iulij inter eumdem Othoca-

GRANDIS VICTORIA OTHOCARI BOEMI DE HUNGARIS.

y Ranzan. Indic. 15. Bonfin. 2. dec. 8.
z Dubrav. lib. 17.
a Paduan. lib. 2. Ster. in Annnal. Nang. in Chron. Vill. lib. 6. cap. 73. Anton. tit. 19. cap. 7. §. 6. Suppl. Parif. &c.

rum & Belam Hungariæ Regem, occasione Syriæ & finium: quo tantâ strage victi sunt Hungari, (in quorum exercitu pugnabant vicinæ gentes Christianis inimicæ (ut præter multa cæsorum millia, per submersorum proximo flumine cadavera pars Boëmorum velut per pontem ad fugientes insequendos in alteram ripam transierit. Quam victoriam auctores Hungari [y] quantùm possunt elevant, Boëmi [z] contra prædicant: à quibus stant & ceteri scriptores [a]; qui & tradunt, ingressum post hæc Othocarum Hungariam esse, sed pace ab Hungaris petitâ compositam eam esse matrimoniorum affinitatibus. Additque Dubravius, Othocarum victoriam Deo acceptam ferentem, literas de illâ ad Pontificem dedisse: adeóque ejus gloriam & potentiam eâ dilatatam esse, ut etiam ex Italiâ Veronenses, Feltrenses, Tarvisini, ac totum penè Forum-Iulium ultrò ad eum oratores miserint, rogatum ut ab eo in clientelam reciperentur. Tantum porrò auri ex prædictâ nactum esse, ut aureum deinceps pro argenteo abacum sibi ad mensam instruxerit; aureósque calices & aurea thuribula ad altaria facienda curaverit: tantum prætereà manubiarum, ut præter donativum militibus affluenter dilargitum, ex pecuniâ quæ superfuit nobile atque opulentum in Boëmiâ cœnobium, quod Regiam-coronam vocari voluit, condiderit.

XII. FLAGELLANTIUM INSIGNIS PER ITALIAM DEVOTIO.

Hoc eodem anno mirabile quoddam ac planè novum religionis studium animos Italorum incessit, ut se verberibus in expiationem peccatorum, urbes passim agrósque obeuntes, afficerent. Initium à Perusinis inductum, auctore Eremitâ quodam *Rainerio* nomine viro spectatæ sanctitatis; qui Dei nomine eos monens, nisi ad pœnitentiam se conferrent, fore ut brevi universi fœdâ lue considerent, adeò illos movit, ut nullâ interpositâ morâ præcepta Eremitæ tamquam à Deo missa exhaurientes, jam senescente autumno, viri feminæque omnis ætatis ordinísque repentè corpora usque ad umbilicum nudare, ac se sumptis ad id loris cædere per urbem instructo agmine incedentes cœperint, sanctam Virginem, ut sibi à Filio salutem impetraret summis clamoribus obtestantes, atque veteribus odiis positis paces inter se mutuis osculis sancientes. Inde urbe vexilla Crucésque longo agmine præferentes egressi, ad vicina oppida prodierunt, & in viis ac templis eamdem pietatem exercuerunt. Quorum exemplo populi illi ejusdem sanctitatis & pœnitentiæ studium ascíscentes, catervatim ad urbes proximas accesserunt. Atque ita ex Tusciâ in Marchiam, ex Marchiâ in Romaniam, ac subinde ex urbe in urbem, & ex provinciâ in provinciam, tamquam serpente quodam igne ea religio transiit, singulis populis (nec solùm Italis, verùm etiam exteris) Episcopis ac Magistratibus præcedentibus, urbes agrósque eâ verberatione, & invocatione, & pacis conciliatione lustrantibus. Descripsit hanc pietatem ex recentibus Sigonius [b]: aítque homines qui eam exercerent vulgò *Devotos* & hunc annum *Generalis Devotionis* esse appellatum; mansisséque inde in multis civitatibus claram hujus religionis memoriam, sacris *Verberantium* sodalitiis ejus rei monumento aliquot institutis. Quod ipsum ferè observatum ex eodem auctore vidimus sub Pontificatu Gregorij Noni: ut fuerit hæc potiùs instauratio veteris devotionis cum aliquâ accessione & accretione, quàm novæ institutio.

b Sigon. lib. 19. de regn. Ital. & lib. 3. de Episc. Bonon.

c An. 1233. VII.

XIII.

d Ster. in Annal. hoc an.
e Pad. lib. 2. Chron.

VARIA DE ILLA HOMINUM IUDICIA.

Quod verò prædictam Devotionem hoc tempore cœptam aut renovatam spectat; ex auctoribus qui tunc vixerunt, descripsêre eamdem Stero [d] & Paduanus [e]. Et ille quidem ait, quia origo hujus pœnitentiæ nec à Sede Romanâ nec ab aliquâ personâ auctoritatem habente fulciebatur, in Germaniâ à quibusdam Episcopis & ab Henrico Duce Bavariæ cœpisse haberi contemptui; indéque tepescere brevi cœpisse, sicut rem immoderatè conceptam. Paduanus autem, illam à Spiritu S. processisse non dubitans, tum queritur eam à nonnullis Ecclesiæ fidelibus minùs susceptam esse; tum præcipuè in Manfredum Siciliæ tyrannum invehitur, quòd in omnibus locis suæ ditionis eam pœnâ capitis prohibuerit: necnon in Marchionem Palavicinum, (qui post necem crudelis Ecelini, ejus vestigia in aliquot Lombardiæ & Insubriæ civitatibus sectabatur (quòd & ipse eamdem omnibus modis impugnârit; dum timeret uterque ne suos amitterent Principatus, si populi ad pietatem & concordiam reverterentur. Meminerunt ejusdem & alij plurimi, quà laudantes, quà damnantes. Eamdémque in Poloniam anno sequenti pervenisse, & gravibus pœnis prohibitam; pariterque in Boëmiâ severissimè punitam; tradunt earum gentium auctores [f]. Sed & in regiones Græciæ penetrâsse, & qui eam sectabantur oracula divina mentientes lucro & rapinis inhiâsse, ex Nicephoro [g] Gregorâ intelligimus; quamvis ipse aliud ei initium tribuat. Quippe res à devotione cœpta, abiit posteà apud nonnullos (ut plerumque accidere consuevit) non solùm in superstitionem, verùm etiam in detestationem. Quæ fuit secta *Flagellantium* dicta; de cujus erroribus dicetur pleniùs iis temporibus quibus maximè viguit [h].

f Michov. Rer. Pol. lib. 3. cap. 55. Dubrav. Rer. Boëm. lib. 17.
g Greg. lib. 5. post. pr.
h Vid. infr. an. 1274. XVII. & 1349. II.

XIV. CONCIL. COLON. DE DISCIPLINA.

i Collect. Concil. Colon.

Hoc eodem anno quarto Idus Martias celebratum est *Coloniæ* Agrippinæ à Conrado Archiepiscopo, de mandato Apostolico, *Concilium* [i] provinciale: cujus extant quartuor decim capita contra incontinentiam, & alios indecentes ac depravatos clericorum mores; ac de officiis & ministeriis Ecclesiarum dignitatum ac personarum Ecclesiasticarum. Additáque prætereà plura alia statuta de monachorum officio, conversatione & vitâ.

XV.

k Prat. de hær. lib. 16. cap. 2.
l Gaulter. Tab. Chron. sæc. 13. cap. 5.

RAIMUNDI LULLI DOCTRINÆ PRIMORDIA.

m Recens. in Direct. Inquis. Eymer. certum capita errorum, par. 2. q. 9.

Hoc quoque tempore Prateolus [k] ex Bern. Lutzenburgo, & ex utroque Gaulterius [l], ponit RAYMUNDUM LULLUM, ortu Majoricensem, genere Catalanum, conditione laicum, literarúmque omninò expertem, philosophum tamen ac Theologum agentem, suas cœpisse disseminare opiniones. Quibus inter alia quamplurima [m] asseruit Deum habere plures essentias: Deum patrem fuisse antequàm esset Filius: Divinam Essentiam, cùm non sit otiosa, essentiare, (ut loquebatur) naturam naturificare, bonitatem bonificare, &c. Spiritum S. de Patre & Filio conceptum esse: crimen esse, hæreticos punire. Cujusmodi doctrinam se in quodam monte à Christo sibi in formâ & specie Crucifixi apparente accepisse affirmabat: cùm nihilominùs eam iidem

auctores non dubitent asserere ipsum potiùs hausisse à dæmone, ac propterea condemnatum fuisse à Petro Archiepiscopo Taraconensi. Quòd tamen non desint qui eum colendum ut martyrem censeant [n], & scripta ejus orthodoxa esse publicis apologiis, quæ non fuerunt ab Ecclesiâ damnatæ, confirment, ideò censuit Cardinalis Bellarminus libro De Scriptoribus Ecclesiasticis, quid in hâc controversiâ tenendum sit, nondum videri esse definitum ab Apostolicâ Sede. At de eo rursùm inferiùs: déque ejus scriptis sub Gregorio XI. [o] apud quem fuerunt ea accusata & examinata, longè post Lulli obitum: quem contigisse nonnulli [p] volunt anno Christi 1301. alij [q] re diligentiùs examinatâ, tantummodò 1315. ætatis suæ septuagesimo nono. Vnde & tardiùs quàm ex prædictis recentioribus auctoribus posuimus, doctrinæ ipsius disseminationem contigisse necesse est; quippe qui tempore suæ conversionis à vanâ mundi conversatione & illicitis amoribus, jam penè quadragenarius fuisse perhibetur: quando & cœlesti lumine illustratus diligentem operam dederit addiscendis linguis, quarum ope legem Mahometis confutare, & Saracenos ad fidem Christi allicere, (quod totâ mente totísque viribus suscepit) valeret.

[n] Vid. epist. Bovil. de eo scriptam, quæ refertur int. Vit. Patr. Occid. lib. 6. & Vvadding. Annal. Minor. to. 3. an. 1315.
[o] Infr. ann. 1372.
[p] Marian. Rer. Hisp. lib. 15. cap. 4.
[q] Vvadding. tom. 2. ann. 1275. & to. 3 an. 1315.

XVI. Accursii I.C. obitus.

Obiit hoc anno (ut Bononiensis Historia habet, adstipulatúrque Volaterranus [r]) *Accursius* nominatissimus Iurisconsultus Florentinus, auditor quondam & discipulus Azonis [s], anno ætatis septuagesimo octavo, qui expositiones in universum Ius civile, quas Glossas vocant, aut omninò primus, aut superioribus accuratiùs, aliáque plura scripsit, quæ magno sunt pretio ejus facultatis professoribus. Cujus tamen obitum nonnulli anterioribus annis collocant. Fuit [t] ei filius *Franciscus* nomine, vir & ipse in Iure civili, aliísque disciplinis egregiè doctus. Extátque amborum unum sepulchrum marmoreum in cœmeterio S. Francisci Bononiæ, ubi mortui sunt.

[r] Volater. Epit. lib. 21.
[s] Vid. supr. an. 1200. VIII.
[t] Trith. de Script. Eccles. ad an. 1300.

XVII. Magus à dæmone punitus.

Postremò apponimus huic anno ex Siffrido [u] presbytero horrendum exemplum ultæ libidinis in adolescentem Germanum; si fortè quis alius ex ejus lectione à simili viâ pedem retrahere divinâ operante misericordiâ discat. Narrat igitur, quemdam scholarem in Fribergâ Misniæ amore cujusdam puellæ vesanè captum, consilio atque auxilio cujusdam magi implorato, noctu deductum ab eo fuisse in cellarium domûs, & cùm post circulos atque figuras circum se, conjurationésque à mago ut assolent factas, apparente extra circulum diabolo in formâ puellæ adamatæ, scholaris manum ad eam apprehendendam extendisset; illicò à diabolo arreptum, parietibus cellarij allisum fuisse, corpúsque exanime magno impetu in magum projectum: quo ille prostratus, ac semianimis factus, nec valens se movere, residuum noctis cadaver illud super se sustinuit, horribiles ejulatus edendo: ad quos manè accurrentes vicini miserum inde eduxerunt. Hi sunt nimirùm fructus & ejusmodi artium, & ejusmodi amorum.

[u] Siffrid. Epit. lib. 2.

Iesu Christi Annus 1261.

Alex. IV. Ann. 7.

Michaelis VIII. An. 2.

I. Alexander Pont. Concilium celebrare parat.

Anno Christi 1261. Indictione quartâ, Alexander Pontifex, cùm & ipse qui Concilia ab aliis ubique ad res contra Tartaros dirigendas, ut vidimus anno superiori, celebranda indixerat, celebrare quoque decrevisset Romæ post Pascha, (ut Florilegus narrat) mutato consilio illud Viterbij in octavâ Apostolorum Petri & Pauli (ut Stero scribit) celebrandum indixit, quò & faciliùs,) quemadmodùm Blondus, Platina, & alij tradunt) paci inter Venetos & Genuenses, acriùs inter se cum maximo Reipublicæ Christianæ detrimento decertantes, conciliandæ prospiceret. Cùm autem ad hæc peragenda, Anagniâ ubi diutiùs egerat Viterbium concessisset; ibi tædio affectus rerum ubique adversè à Tartaris, Græcis, Gibellinis, odiísque funestissimis Catholicorum, succedentium; octavo Cal. Iunij diem clausit extremum; & in Ecclesiâ cathedrali S. Laurentij sepultus est; postquàm sedisset annos sex, menses quinque, dies quatuor. Qui præter illa quæ de eo retulimus, prædicatur fuisse non solùm ipse doctrinâ conspicuus, sed etiam in doctos viros munificus, in pauperes liberalis, divinique cultûs propagandi studiosus; & ubi ab externis negotiis vacuus fuit, aliquid semper quod ingenium saperet edens, cùm & deinceps Epistolas decretales compilaverit. Vacavit autem Sedes post ejus obitum, tribus mensibus & tribus diebus.

Moritur.

II.

Quòd enim ipse nullum toto Pontificatu suo Cardinalem creâsset, (eâ ratione, ut Monachus Paduanus [a] ejus temporis auctor scribit, quoniam cùm nonnulli Cardinalium ædificare Sion in sanguinibus affectarent, quidam verò vellent viros idoneos promovere, ipse licèt haberet plenitudinem potestatis, quòd tamen esset pacis & concordiæ studiosissimus, ne quid inde turbarum inter eos oriretur, maluit ab omni promotione abstinere:) nec nisi novem tempore ejus obitûs superessent, è quibus etiam Stephanus Hungarus Episcopus Prænestinus absens in patriâ erat: cæteri octo magnis inter se contentionibus dissentientes, ad tam longum tempus electionem successoris protraxerunt. Donec alteri alteris cedere nescientes, extra suum collegium consenserunt in *Iacobum Pantaleonem* (quem nonnulli *Iacobum de Curtopalatio* dictum volunt, patrísque fuisse cognomen Pantaleonis:) Patriarcham Ierosolymitanum, casu tunc in curiâ pro negotiis Terræ Sanctæ existentem. Qui natione Gallus, patriâ Trecensis, patre sutore veteramentario, sed literis ac Iure Canonico & Theologiâ apprimè eruditus, animíque magnitudine, consilio, & morum gravitate conspicuus, primò Laudunensis, inde Leodiensis Archidiaconus, posteà Episcopus Virdunensis [b], demùm Patriarcha Ierosolymitanus creatus, & intereà Legatione Apostolicâ in partibus Septemtrionalibus & Orientalibus egregiè functus, ad summum Pontificatûs apicem per omnes Ecclesiasticos gradus pervenit. De quo legitur [c], cùm quidam

[a] Pad. Chr. lib. 3.

Iacobus Pantaleo Gallus fit Pontif. Vrbanus IV.

[b] Vid. supr. an. 1247. XIV.
[c] Ap. Bergom. lib. 13. Cor. par. 1

ipsi aliquando viles natales objecissent, præclarè respondisse, *Virum non nasci, sed virtute fieri nobilem.* Scripsit autem cùm esset Patriarcha, De Terrâ Sanctâ librum, quo usus est Adrichomius in conscribendo Theatro Terræ Sanctæ, & Metaphrasin in Psalmum quinquagesimum, quæ habetur in Bibliothecâ Patrum.

III. QUANDO CORONATUS.

Renunciatus autem Pontifex 4. Calendas Septembris, pridie Nonas coronatus nomen assumpsit VRBANI ejus nominis IV. & signum, sive sententiam jam & aliis placitam, [d] *Fac mecum Domine signum in bonum.* Quod autem nonnulli [e] scripserunt coronationem ejus dilatam fuisse per plures menses; decepti sunt corruptâ die epistolæ quam citant scriptæ ab illo ad denunciandam omnibus Ecclesiasticis suam electionem. Cùm enim constet electionem contigisse mense Augusti, quid opus erat eandem denunciare Calendis Martij anni sequentis, quibus data ponitur illa epistola? Scilicèt cùm eâdem epistolâ disertè ipse Pontifex dicat, se *festinam* de suî in locum Alexandri substitutione *certitudinem sine aliquâ dilatione* dare voluisse; magna fuerit festinatio eam post sex solidos ab electione menses denunciâsse, quando jam vel famâ volante ultimis finibus terræ nota esse debuit.

[d] *Psal. 85.*
[e] *Vvadding. Annal. Minor. tom. 2. hoc an.*

IV. NOMEN PONT. NON IMPRIMITUR SIGILLO ANTE CONSECRATIONEM.

Illud tamen non malè ex eâ epistolâ ab aliis observatum [f], haud consuevisse Pontifices ante consecrationem nomen suum bullis seu sigillis apponere. Siquidem eâ scribit ipsemet Vrbanus, non debere quemquam mirari si bulla quæ ei appensa erat, sine impressione sui nominis esset; quippe ante solemnia consecrationis scripta, infra quæ usus bullæ cum impressione nominis non haberetur: ubi verò consecrationis insignia assecutus foret, daturum se literas perfectæ bullæ appensione munitas. Quales videlicèt fuerunt, quas [g] postridie suæ consecrationis, nempè Nonis Septembris, imprimis ad S. Ludovicum Francorum Regem, Remensémque Archiepiscopum & suffraganeos ejus; itémque ad reliquos Principes Christianos & Prælatos Ecclesiarum, de assumptione suâ literas dedit, orationes omnium pro optimo Pontificatûs regimine postulans. Quales etiam dedisse reperitur [h] ad Agnetem sororem suam monialem Clarissam monasterij Montis-Lucidi juxta Perusium.

[f] *Marin. Ebul. in Formul. lib. 2. tit. de elect. Rom. Pont.*
[g] *Reg. Vrb. IV. epist. 1. Non. Sept.*
[h] *Mar. Ebul. ibid.*

V. HENR. DE SEGUSIA CARDINALIS CREATUR CUM ALIIS VIRIS ILLUSTRIBUS.

Sequenti mense Decembri octo creavit Cardinales, vitâ & scientiâ illustres; & inter eos *Henricum de Segusia* (à patriæ nomine in Allobrogibus sic dictum) ex Archiepiscopo Ebredunensi factum Episcopum Cardinalem Ostiensem; qui *Splendor Iuris* denominatus est, intérque alia ingenij monumenta auctor fuit celebris Summæ quæ vulgò Ostiensis dicitur: atque *Guidonem Grossum* ex Galliâ Narbonensi, qui successit ipsi in Pontificatu: præter sex alios paris meriti, quos creavit anno sequenti, qui à multis unâ eâdémque promotione creati censentur. Quàm autem providè in iis deligendis & acceptandis procederet, indicant bina ejus diplomata [i], quibus declarat se de consilio cæterorum Cardinalium duxisse evocandum ad tantam dignitatem Magistrum Simonem Canonicum Paduanum; sed quòd inter hæc audisset sinistra quædam de illo, differre ejus ordinationem quoad de iis pleniorem habuisset notitiam: decernens interim eum nequaquàm in Collegium seu consortium, vel ad tractatus aut consilia Cardinalium admittendum, nec de ipsorum habendum aut reputandum collegio, sive quantum ad consilia vel tractatus, sive quantum ad partem habendam de communibus obventionibus, vel quantum ad quæcumque alia ad quæ Cardinales consueverunt admitti; nec Capellum rubeum, vel alia Cardinalatûs insignia deferre, vel uti eis posse; ut sunt prioris diplomatis verba. Posteriori verò declarat, se ob vitæ ipsius incontinentiam, & conversationem inhonestam, & quòd habitum ab honestate Clericali gestâsset alienum, decrevisse contra illum procedere.

[i] *Ext. in Addit. Victorel. ad Ciacon. in Vrb. IV. ex Reg. Vatic.*

VRBANI ACCIRA-TIO IN CARD. PROMOVENDIS.

VI. VITÆ ILLIUS SCRIPTORES.

Cæterùm Vitam Vrbani ab auctoribus illius temporis Gregorio Decano Ecclesiæ Bajocensis solutâ oratione, & à Theodorico Vallicolore Poëta haud ignobili carmine, studio Antheri sive Ancheri filij fratris Vrbani, à patruo tituli S. Praxedis Presbyteri Cardinalis creati, conscriptam, publici juris fecit solertissimus Papirius Massonus in Vitis Pontificum Romanorum ex quorum relationibus nonnulla cæterorum auctorum emendes; cùm tamen nec illa omnia contineant quæ ex aliis fide dignis monumentis habentur.

VII. SUCCESSIO PATRIAR. IEROSOL. LATINORUM.

Quod verò ad Ecclesiam Ierosolymitanam vacantem per ipsius ad Pontificatum assumptionem; præfecit ipse ei Patriarcham quinto Idus Decembris anno Pontificatûs secundo, *Guillelmum* ex Episcopo Agennensi in Aquitaniâ, quem & de more creavit Legatum Sedis Apostolicæ in Oriente: ut sunt plures ejusdem ad illum aliósque de his epistolæ in ejus Regesto Vaticano. Ex quibus etiam cognoscitur, eidem commisisse curam Ecclesiæ Acconensis, tunc pariter pastore carentis per translationem Florentij in Sedem Arelatensem, cum facultate exigendi fructus illius tantisper dum redditus Ierosolymitanæ recuperarentur. Quare quod Panvinius in locum Vrbani suffectum ponit Fr. *Thomam Agni* de Lentino Ordinis Prædicatorum ex Archiepiscopo Messânensi, oportuit ipsum ignorâsse Guillelmum. Cujus sanè brevissimam extitisse Sedem, necesse est asserere, quòd in eodem Regesto reperiantur Vrbani ad Thomam anno tertio datæ literæ de pace inter Christianos in Syriâ procurandâ, & solemnitate Corporis Christi celebrandâ. Scribit autem Panvinius, eum sedisse usque ad annum Domini 1272. quis autem post eum ex Latinis Patriarchatum obtinuerit incompertum esse. Verùm dicetur de eo in ingressu Gregorij X. qui incidit in prædictum Domini 1272.

VIII. CŌSTANTINOPOLIS RECUPERATUR à GRÆCIS.

Ponunt hoc eodem anno recuperationem urbis Constantinopolitanæ per Græcos, antiqui scriptores Nangius [k], Paduanus [l], Continuator Parisij, Sanutus [m], & siqui alij. Plures tamen recentiores ante biennium collocant; quidam etiam anno proximè præterito, nonnulli proximè sequenti, aliique aliis, variantes proinde in numero annorum quibus eam Latini tenuerunt; quemadmodum nec parùm in eorum constituendo exordio inter se dissentiunt. Indéque factum putamus, ut in antiquo vaticinio de hâc urbis recuperatione asserto, quod vidimus superiùs [n], variè tempus referatur, prout fuit quorumcunque auctorum ea de re sententia. Cæterùm è Græcis Gregoras [o] ur-

[k] *Nang. in Vit. S. Ludov. & in Chron.*
[l] *Pad. Chron. lib. 3.*
[m] *San. lib. 3. par. 12. c. 6.*
[n] *An. 1204. V & VI.*
[o] *Greg. l. 4.*

bem captam asserens exacto biennio ex quo Michael Palæologus Imperium adeptus est; æquè præsentem annum designare videtur, vel omninò sequentem. Expressiusque Logotheta [p], cùm mensem Iulium Indictionis quartæ agnoscit: longiùs tamen à vero aberrans, cùm possessam à Latinis ponit annos dumtaxat quinquaginta & menses octo, (quem errorem etiam Pachymerius habet) à quibus occupatam vidimus pridie Idus Aprilis anni Domini millesimi ducentesimi quarti, testimonio tam Græcorum quàm Latinorum qui rei gestæ interfuerunt. Si verò Cantacuzenum [q] audiamus, detentam ab iis dicemus paulò ampliùs sexaginta annos: sícque differenda veniret recuperatio in annum ab hoc tertium. Phranzes [r] denique unum circiter annum demit, cùm ait captam à Græcis post annorum novem & quinquaginta, mensium trium, dierum quatuor intervallum.

[p] *Logoth. in Chron. in fin.*
[q] *Cantacuz. l. 4. c. 25.*
[r] *Phranz. l. 1. c. 4. in fin.*

IX. Modus occupationis urbis.

Modum autem occupationis sic Græci describunt: cùm Michaël Græcorum Imp. Alexium Cæsarem cognomento Strategopulum adversùs Angelum Michaëlem Ætoliæ & Epiri Despotam denuò fines suos egressum, cum modicis copiis equitum ac peditum misisset, jubens ut obiter per suburbia urbis Constantinopolitanæ ad Latinos perturbandos transiret: Alexium noctu propiùs accedentem incidisse fortè in quosdam rusticos Græcos Constantinopoli commorantes; à quibus de statu urbis & Latinorum interrogatis didicerit, tum urbem defensoribus esse destitutam, eò quòd Venetorum classis quæ adesse consueverat, unà cum maximâ parte præsidij, ad oppugnandam Daphnusiam oppidum Ponti Euxini mille stadiis à Constantinopoli distans abscessisset; tum veterem esse occultum cuniculum juxta unam è portis urbis, quo facilis esset hominibus armatis in urbem ingressus: pactóque cum prædictis rusticis facto, admissos per cuniculum quinquaginta viros armatos, occisis vigilibus, effractâque portâ, copiis reliquis aditum patefecisse: Cæsarem quatuor locis ignem ædibus ad occupandum hostem injici jussisse: ac Balduinum Imp. qui cum paucis ad custodiam urbis remanserat, cognito hostium ingressu ad arma concurrentem, cùm animadvertisset irritum fore conatum suum, conscensâ navi salutem fugâ quæsîsse: ac reliquos qui gladium & ignem ac captivitatem Græcorum effugere potuerunt, navibus eorum qui Daphnusiam obsidentes audito tumultu accurrerunt exceptos esse, omnésque simul Italiam versùs cursum tetendisse. Ita Georgius Logotheta, (cujus Chronicon hîc desinit) Nicephorus Gregoras, Georgius Phranzes. Idque contigisse die 25. Iulij, Logotheta ait: cui & ex Latinis Scriptoribus concordat Monachus Paduanus.

X. Balduinus Imp. incolumis evadit.

Captam quoque per proditionem Constantinopolim, ac Pantaleonem Iustinianum Patriarcham unà cum Balduino Imp. manus Græcorum effugisse, & in Italiam incolumes pervenisse, Latini consentiunt: sed nonnulli Michaëli ipsi Palæologo adscribunt, quod ejus auspiciis gestum est: alij Balduinum absentem tum fuisse cum classe volunt ad Hellesponti angustias frenandas: alij Genuenses odio Venetorum auxilia in his præstitisse Palæologo. Qui verò Balduinum unà cum Patriarchâ interceptum in fugâ à Sultano Ægypti fuisse, & post septennium ambos argenti pondo viginti millibus ab Alphonso Castellæ Rege precibus Augustæ solutis liberatos tradiderunt [s]; næ illi res suas insigni vanitate contra cæterorum omnium tam Græcorum quàm Latinorum, cunctarúmque aliarum gentium fidem, prædicari ambiunt. Cùm & insuper extent [t] literæ Vrbani Pontificis ad Provincialem Minorum in regno Franciæ, paulò pòst amissam proditionaliter, ut loquitur, Constantinopolim scriptæ; quibus narrat Balduinum Imp. & Ducem Venetorum per nuncios suos ipsi Pontifici significâsse, se copias terrâ maríque parare adversùs Palæologum; hortatúque prædictum Provincialem ut tam per se ipsum quàm per alios Fratres Ordinis populos ad eandem expeditionem excitet.

[s] *Roder. Sant. Rer. Hisp. par. 4. cap. 2. Marian. lib. 13. cap. 6.*
[t] *Reg. Vatic. num. 129. & apud Vvaddingh. Annal. Minor. tom. 2. hoc an.*

XI. Ratio nuncupationis Impp. et Patriar. Constantinopolitanorum.

Cœptum igitur Imperium Constantinopolitanum Latinorum à Balduino, in alio Balduino desiit: sicuti quod ibi primitùs erectum fuit à Constantino, in alio Constantino penitùs extinctum posteà visuri sumus. Quare quòd præcipuè in dominatione regiæ urbis Constantinopolitanæ Imperium Orientale constitui consueverit; in titulis annorum non ampliùs Balduinum, sed Michaëlem collocabimus; ejus tamen annos ad vitandam temporum & auctorum confusionem, non à captâ urbe, sed ab usurpato Græcorum Imperio metientes, quo & alij constituunt. Cùm alioqui non solùm non destiterit Balduinus usque ad obitum titulum Imperatoris Constantinopolitani retinere, verùm etiam ad aliquot posteros transmiserit: annuentibus etiam Romanis Pontificibus, qui Græcos Principes Constantinopoli dominantes, non Imperatores Constantinopolitanos, sed Græcorum Imperatores, sicuti & Patriarchas, non Constantinopolitanos, sed Græcorum Patriarchas; Balduinum autem ac posteros, Imperatores Constantinopolitanos, & Pantaleonem Patriarcham, ejúsque successores Latinos, Patriarchas Constantinopolitanos nuncupare consueverunt. Quæ nisi quis diligenter adverterit in proximorum temporum rebus gestis, in magnas anxietates incidere necesse habebit.

XII. Michaëlis Imp. pius in urbem ingressus.

Cæterùm Palæologus auditâ urbis occupatione confestim accurrens, eam pedes, præcedente sacrâ Imagine Beatissimæ Virginis *Hodegetria* dictâ, quasi viæ monstratrice, ingressus est: *Arsenium* qui sese Patriarchatu abdicaverat, mortuo jam Nicephoro, in Sedem revocavit: Alexium Cæsarem, ob rem præclarè gestam, nobili triumpho honestavit, ornamentis propè Augustalibus decoravit, & ut nomen ejus unà cum nomine Imperatoris in sacris officiis celebraretur præcepit.

XIII. Prophetia de interitu Imperii Græcorum.

Narrat autem Theodorus Spanduginus [u] nobilis Constantinopolitanus, qui sub Clemente VII. scripsit quosdam tractatus de Rebus Turcicis & Græcis; auditâ hâc Constantinopolis urbis per Græcos occupatione, quendam nobilem Græcum, virum rari judicij & magnæ experientiæ, nomine Theodorum Torvichium, tunc in Asiâ Græcâ jacentem in lecto ex infirmitate, cœpisse vehementer lamentari & lacrymare, quòd, ut asserebat, hinc successurum esset excidium Christianitatis in Asiâ & Græciâ; quippe abiturum Imperatorem Constan-

[u] *Ext. in Collect. Sansovin. de rebus Turc. par. 2.*

tinopolim cum suis ducibus, & Asiam relicturum in prædam Saracenis & Turcis: qui mox & in Europam transeuntes, occupaturi forent universum Græcorum Imperium: Hísque dictis, versum ad alteram lecti spondam, continuò expirâsse. Cujus sanè prophetiæ veritatem rerum posteà successus demonstrârunt.

XIV.

Tunc verò, ut sunt rerum vicissitudines, accidit ut cùm brevi interpositâ morâ prædictus Alexius Cæsar jussu Palæologi expeditionem in Michaëlem Epiri & Ætoliæ Despotam resumens, validis ex Thraciâ & Macedoniâ collectis copiis hostem invasisset; retundente Deo feroces ipsius spiritus, victus ipse prœlio, captúsque fuerit. Qui tamen à Michaële Despotâ traditus Manfredo Siculo genero suo, permutatione factâ cum relictâ Ioannis Batatzis olim Imperatoris, quæ soror erat Manfredi, & à Græcis detinebatur, liberatus est. Post quæ Palæologus regnum suum undique firmare adnitens, cum Michaële Despotâ fœdus iniit, datâ in matrimonium ejus filio Nicephoro Annâ consobrinâ suâ: deinde Ioannem pupillum decimum jam annum agentem insigni scelere atque perjurio excæcavit: (non quidem ferro, sed ut moris tum erat apud Græcos, objectu pelvis, sive crepitaculi igniti, quo adurebantur oculi ut paulatim visus extingueretur; sicut disertè habet Pachymerius[x]: quod Itali *Abacinare* dicūt;) ejúsque duas sorores reliquas, alteram nobili cuidam Latino Belicurto nomine in Peloponneso commoranti, alteram Vintimilio cuidam Comiti Genuensi in matrimonium collocavit, & ab iis in sua deduci persuasit.

IOANNES IMPERII HERES EXCÆCATUR À MICHAËLE USURPATORE.

[x] Pachym. lib. 3.

XV. MICHAËL IMP. EXCOMMUNICATUR À PATRIARCHA.

De excæcatione verò Ioannis vehementissimè dolens Arsenius Patriarcha, ubi quiritando ac lamentando nihil se proficere posse consideravit; quod reliquum fuit, ipsum Palæologum, unà cum facinoris consciis & administris anathemate perculit. Qui cùm diebus compluribus supplici gestu & habitu restitutionem à Patriarchâ expectaret; spe se frustratum cernens, ad ultionem conversus, convocato Episcoporum conventiculo eundem quibusdam criminationibus accusatum, atque imprimis quòd Azatinem Sultanum sacris interesse permisisset, & intra templum cum eo collocutus fuisset, (cùm nihilominùs omnibus constaret; eum Christianis parentibus ortum, & sacro baptismate initiatum fuisse; atque etiam tum, licèt Turcorum Princeps factus, præcipua Religionis Christianæ capita animo conservaret, & omnia palàm dum Constantinopoli esset profiteretur:) aliísque calumniis obrutum, atque ejusmodi judicio se sistere, quòd ab Imperatore indictum fuisset, recusantem; ut contumacem deponi, & in Præconesum deportari curavit: subrogato in ejus locum *Germano* ejus nominis tertio, ex Monacho, & Archiepiscopo Adrianopolitano, veteri ipsius Palæologi amico. Qui licèt eruditus non esset, eruditos tamen amabat & colebat. Idémque paulò pòst accipiens se maledictis conscindi quòd sedem viventis occupâsset, insupérque ab ipsomet Palæologo malis artibus clàm oppugnaretur; eam abdicavit. Successítque *Iosephus* senex Monachus cœnobij montis Galesij; qui sedem tenuit annis tredecim: in quo desinit Series Episcoporum Byzantij & Patriarcharum Constantinopolitanorum, quæ habetur in fine libri quarti Iuris Græco-Romani. Reliqua verò superiùs enarrata prolixè recenset Gregoras, breviùs Phranzes: quæ proximum quoque annum, fortè & alterum occupârunt.

PATRIARCHAM DEPONIT ET ALIOS SUBROGAT PRO LIBITU.

XVI. ABSOLVITUR À PATR. INTRUSO.

De prædicto verò Iosepho tradit Gregoras, fuisse Græcarum literarum planè rudem, & nimium simplicem; cujus tamen consuetudine Palæologus uti solitus fuisset; Cùm autem primò sacrum cum cæteris Pontificibus in Ecclesiâ Constantinopolitanâ peregisset, Palæologum ante vestibulum sacri suggestûs prostratum, duo sua peccata, perjurium scilicèt, & filij Imperatoris excæcationem, publicè confessum fuisse, & absolutionem petiisse, primúmque Patriarcham, ac subinde Pontifices suo quemque ordine super eundem sic jacentem absolutionis formulam recitâsse. Quæ omnia longè pleniùs à Pachymerio descripta fuisse, intelligitur ex argumentis capitum librorum ejus, quæ Wolfius subjecit Gregoræ: Ex quibus & illud ampliùs habemus, post Ioannis pupilli excæcationem, Trinaciotas & Zygitas montana Nicææ incolentes, cæcum quendam erronem pro Ioanne excæcato Imperatorem salutâsse; & Palæologo diù fortiter adversatos, tandem ab armis discessisse, cæco illo in Persidem ablegato. Ipsúmque Palæologum cùm subditos, ob facinus impium excæcationis pupilli & usurpationis Imperij, suspectos haberet, è re suâ fore censuisse, (quod tyrannorum est) detrimenta inferre populo ne seditionem moveret; ac proptereà illum, etsi rebus ad victum necessariis abundaret, pecuniis tamen spoliâsse: indéque factum esse, ut nonnulli populi Asiatici ob tributorum exactiones ad Turcos defecerint.

XVII. LATINI INCOLUNT PERAM.

Habet verò insuper Gregoras, pulsis urbe Latinis turbam opificum & circumforaneorum hominum ex Venetis & Pisanis permissam esse permanere: quòd tamen haud tutum esset eos intra urbem continere, tam ipsis quàm etiam Genuensibus quantumvis amicis Græcorum, habitationes assignatas esse apud Galatam (quæ & Pera dicta, ultra fretum contra Constantinopolim) mercium quoque immunitate concessâ: solitósque, eos populos mittere illuc suos Magistratus, quos Veneti Bajulos, Genuenses Potestates, Pisani Consules nominare consueverant: Palæologum autem magnâ classe comparatâ, recepisse Ægei maris insulas ferè omnes quas Latini occupaverant. Referunt tamen historiæ Venetæ[y], audito urbis Constantinopolitanæ casu Venetos, ne Insulæ & loca quæ circa Hellespontum & Ægæo Ioniόque mari tenebant indefensa manerent, validam classem eò misisse sub ducatu M. Michaëlis; qui tantâ strenuitate rem gesserit, ut Palæologus desperatis remediis brevi fuisset Constantinopolim relicturus, nisi Genuenses auxiliari classe ei opem tulissent. Quod non solùm non diffitentur Genuenses[z]; verùm etiam ipsis, ob fœdus cum Palæologo contra Venetos ictum, & classem subsidio missam Vrbanum Pontificem, tanquam pacis dudùm[a] cum Venetis Pontificiâ auctoritate initæ violatoribus, sacris & Ecclesiæ communione interdixisse fatentur: nec diffiteri possunt, cùm extent[b] ipsius Vrbani eâ de re literæ. Hinc autem recrudescentibus odiis sæpiùs inter eos populos, tam iis tractibus quàm etiam in Syriâ pluribus annis navalibus prœliis variâ fortunâ est dimicatum, classibus

[y] Blond 2. dec. 8. Sabell. 9. Ennead. 6. Pet. Iustin. l. 3.

[z] Nebiens. l. 3. Foliet. l. 4.

[a] Suprà an. 1256. XIV.

[b] Reg. Vat. Vrb. IV. an. 2.

Bellum inter Venetos et Genuenses recrudescit.

utrimque indesinenter emissis; cedentéque plerumque velut ex compacto modò his modò illis alternatim victoriâ, ferociâ verò & redintegrandæ pugnæ cupidine nec victoribus nec victis unquam deficiente. Quæ pluribus eorum historici, nec tamen obscuro singuli in propriam gentem affectu, prosequuntur.

XVIII. [c] Cantipr. 2. Ap. 29. n. 22. & 23.

Iudæi puellam Christianam incidunt.

In urbe Germaniæ Pfortzeim contigisse hoc eodem anno narrat Thomas Cantipratensis [c] qui tum vivebat; cùm quædam pessima vetula Iudæis puellam septennem vendidisset occidendam, ipsos per omnes membrorum juncturas incisionibus vulnerantes expressum diligentissime sanguinem linteaminibus recepisse, mortuæ cadaver in profluentem projecisse congerie lapidum superpositâ: paucis pòst diebus illud indicio manûs ejus ad cœlum erectæ à piscatoribus inventum, adductis ad spectaculum Iudæis, ex singulis vulneribus copiosum sanguinem emisisse: detectóq; scelere Iudæos unà cum vetulâ in crucem actos esse. Cur autem Iudæi ferè quotannis Christianorum sanguinem per singulas provincias effundere consuevissent, (sunt enim frequentissima apud scriptores ejus rei exempla) disputans idem Thomas, ait quendam literatissimum Iudæorum suo tempore conversum ad fidem dixisse, alium quasi Prophetam eorum in extremo vitæ prophetâsse Iudæis, nullo modo sanari eos posse ab eo quo puniebantur, cruciatu, nisi solo sanguine Christiano: indéque cæcos Iudæos effundendi sanguinis Christiani appetentissimos fuisse. Quod quidem licèt verum in se dici possit, putamus tamen ab iis prætextum fuisse ad excusandam suam nequitiam, odiúmque religionis Christianæ.

Cur sanguinem Christ. appetant.

Iesu Christi Annus 1262.

Urbani IV. An. 1.

Michaëlis VIII. An. 3.

I. Crux assumitur contra Manfredum.

Anno Christi 1262. Indictione quintâ, Urbanus Papa animum ad Italiam ab armis & machinationibus Manfredi Siculi hostis Ecclesiæ ac clavium ejus despectoris liberandam, résque Romanæ Ecclesiæ recuperandas, adjiciens; postquàm nec nunciis, nec minis, nec diris aliquid se proficere animadvertit, Crucem in eum ubique prædicari jussit. Ad quod plurimi in Italiâ, ipsóque etiam regno Apuliæ auctore Rogero Sanseverino præcipuo extorrum capite, excitati, arma pro Ecclesiâ assumpserunt. Misso verò etiam in Gallias Legato à Pontifice ad Regem tanquam ad defensionis suæ dexteram, ut loquitur Nangius; validæ inde mox copiæ Crucesignatorum accesserunt; ducibus Guidone Episcopo Antisiodorensi, Richardo Comite Vindocinensi, & Roberto filio Comitis Flandriæ: quæ & Teutonicos cæterósque Manfredianos in Lombardiâ transitum impedire conâtes facile fregerunt; & inde Viterbium nullo obice ad Pontificem pervenientes, acceptâ ejus benedictione, Saracenorum exercitum ex agro Spoletino & Campaniâ nullo negotio expulerunt. Cùm inter hæc tumultuantibus denuò Romanis, iidem Crucesignati revocati à Pontifice ad defensionem cæterarum terrarum Ecclesiæ, paulò pòst defectu stipendiorum ad sua se receperunt: & Manfredus ab Ecclesiæ rebellibus evocatus, (quorum etiam nonnulli ipsum Pontificem ei in manus tradere promiserant) cum solis Saracenis ire habuit; recusante nobilitate, etiámque illâ quæ ab ipso pro tuitione regni stabat, Terras Ecclesiæ Romanæ invadere. A cujus furore sibi timens Pontifex, Viterbio Urbem-veterem, (Orvietum vulgò dicunt) Tusciæ civitatem aspectu & securitate conspicuam secessit, ibíque diù cum Cardinalibus permansit. Tractantur hæc fusè à Summontio [a] ex Iuvenatio ejus temporis auctore, aliísque posterioribus; in quibus sunt Villanius, Blondus, Platina, Panvinius. Observârúntque Vitæ Urbani auctores superiùs citati, de duce exercitûs Saracenorum, aliorúmque infidelium Manfredo militantium, nomine *Percevallo de Auriâ*; eum, cùm terras Ecclesiæ invasurus minis etiam in Deum & blasphemiis in Christum ageret, in transitu modici fluminis Nigræ, quod jam pleraque pars exercitûs vadaverat, insigni phaleris equo & superstitionibus communito superbientem, lapso in aquam equo suffocatum esse, itaque unà cum equo evanuisse, ut nullibi reperiri potuerint.

Fugit Urb. PP. ab ejus furore. [a] Summont. Hist. Neap. lib. 2.

II. Manfredus affinitatem Regis Aragoniæ quærit.

Cùm verò antequàm hæc fierent considerans Manfredus quanto in periculo res suæ essent, præter cætera subsidia quæ undique comparare satagebat, (quid enim non tentaret, qui etiam Saracenos infideles ex Africa ciebat?) Iacobi Regis Aragonij, cujus potentiæ fama celebris erat, affinitatem conquisîsset, Constantiâ filiâ suâ, quam ex Beatrice filiâ Amedei Tertij Sabaudiæ Comitis susceperat, Petro Iacobi filio in matrimonium oblatâ; & Iacobus per istiusmodi affinitatem in regni Siculi spem erectus, quòd Manfredus masculâ prole careret; ne Pontificis in eum diræ impedimento essent tam commodo sibi filióque matrimonio, legatos ad Pontificem misisset, atque inter eos Fr. Raymundum Peñafortium è Dominicano Ordine virum prudentem, eruditum & sanctum, de quo suprà, qui pro eâ auctoritate quâ valebat maximè, Pontificem cum Manfredo in pace poneret: Nihil tamen Pontifex de sententiâ remittens, non solùm quæ Rex petiit abnuit, verùm etiam quantum potuit enisus est ut Regem à conjunctione istiusmodi hominis, perfidi, impij, execrati, Ecclesiæ hostis atque perduellis, destructorísque, avocaret atque deterreret. Testantur enim ista auctores Hispanici [b]. Súntque in Regesto Urbani ipsius ad Iacobum Regem prolixæ literæ de his scriptæ Viterbio sexto Calendas Maij hujus anni, currente primo ipsius Pontificatûs.

[b] Surit. in Indic. lib. 2. an. 1260. Gomes. in Vit. Iac. lib. 16. ad pr. Marian. lib. 13. c. 13.

III. Eam Aragonius invito Pont. amplectitur.

Sed vicit in Iacobo, ut plerumque in Principibus, ac hominibus mundanis, utilitas: sepositísque Pontificis monitis, utpotè importunis & intempestivis, adducta est Constantia Mompellerium, quæ tum adhuc Aragonio parebat; ac nuptiæ omni lætitiæ significatione & ludis celebratæ hoc eodem anno, 17. Calend. Iulij. Quod autem Surita & Gomesius scribunt, dotem Constantiæ fuisse quinquaginta millia unciarum auri, Mariana duodecim auri myriades, vereor ne utrumque, quamquam non parùm in-

ter se diversum, vanè dictum sit, ad extollendas, uti solemne habent, res suas: non tam quòd ipsimet fateantur immodicam fuisse iis temporibus summam, (potuerit enim, debueritque Manfredus ad hanc sibi affinitatem conciliandam insolitè ag re) quàm quòd scriptor qui tum in Apuliâ his omnibus præsens erat Iuvenatius, quem refert in Historiâ Neapolitanâ Summontius, disertè ass rat, non nisi tria millia unciarum d ta fuisse filiæ in dotem à Manfredo, eádemque collecta ex donatione populorum, quamvis illi eâ occasione ampliùs septem millia contulissent: quod sanè nec fuit adeò exiguum eâ tempestate pretium, maximè si vel dantem vel accipientem intuearis.

IV. Multa alia Vrbani gesta hujus anni.

[c] Reg. Vat. an. 1. & 2.

[d] Suprà an. 1256. IX.

Quod ad alias Vrbani PP. res gestas hujus anni, quarum est memoria in ejus Epistolis [c]; cùm inter cætera accepisset Conradinum Friderici olim Imperatoris nepotem, Ducem Sueviæ in discordia duorum Imperij competitorum Alfonsi Castellani & Richardi Angli, ad illud aspirare; renovans prohibitionem olim factam [d] ab Alexandro decessore suo Electoribus Imperij, nequid tale cogitarent; scripsit potissimùm Premislao Othocaro Boëmiæ Regi; cujus maxima erat totâ Germaniâ auctoritas, atque Electoribus Ecclesiasticis, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ omninò præcipiens ne ullo unquam tempore vel nominarent, vel eligerent, aut nominari & eligi tolerarent Conradinum, tum quòd Friderici Ecclesiæ hostis nepos esset, tum ne juribus eorum qui jam electi fuerant aliquod præjudicium fieret. Crucis militiam contra Græcos schismaticos indixit. Ludovicum Francorum Regem ejúsque regni Prælatos, cæterósque pariter alibi Principes ac Præsules, ad subveniendum Latinis Constantinopoli ejectis piâ aliquâ contributione hortatus est. Genuenses auxilia Palæologo contra Venetos ferre severè prohibuit, & ab ejus amicitiæ recedere pluribus scriptis literis præcepit. Gubernatores regni Cypri monuit, Græcos & Syros eam insulam incolentes compescere à rebellione in Archiepiscopum Latinum Nicosiensem, & ut ei morigeros sese exhiberent cogere, secundùm leges concordiæ inter ipsos olim auctoritate Apostolicâ stabilitæ. Regem Norvegiæ, vt provinciis quibus Tartarorum exercitus imminebant succurreret admonuit. Constitutiones [e] contra hæreticos, & de Inquisitorum auctoritate promulgavit. Richardum Episcopum Cicestrensem in Angliâ, ante aliquot annos [f] vitâ functum, atque sanctitate & miraculorum gloriâ conspicuum [g], in Sanctorum Confessorum numerum retulit.

[e] Ext. etiam Bull. tom. 1. Vrb. IV. const. 2. & 4.

[f] Vide suprà an. 1240. V.

[g] Ext. ejus Vit. ap. Sur. 3. April. memoria in Mart. Rom. eodem die: bulla canoniz. in Reg. Vatic. & ex eo Bull. to. 1. Vrb. IV. const. 3.

V. De rebus Anglicis.

[h] Suprà an. 1258. VI.

Cùm verò Henrico ejusdem Angliæ Regi, ipsiúsque filio Eduardo absolutionem indulsisset ab obligatione juramenti [h] per ipsos Baronibus regni præstiti, utpotè per vim & contra jus fásque extorti; Réxque Francorum S. Ludovicus auxilia iisdem Principibus contra Barones promisisset: hinc tumultibus adauctis, iidem paulò pòst iterùm utcumque compositi sunt; donec rursùm in apertum bellum eruperunt, de quo dicetur inferiùs: cùm interim prædicta apud Florilegum fusiùs tractata videre liceat, ac breviùs in Supplemento Parisij.

VI. Maurorum in Hisp. rebellio compressa.

In Hispaniâ Mauri Reges, Mahomad Almazar Granatæ, & Hudied Murciæ, uterque Alfonsi Castellæ Regis beneficiarius, spe auxilij Africani, (pro eo quòd extincto in Africâ Almohadum imperio, Tremesenio & Tuneto demptis, quas urbes in eâ rerum perturbatione ex Almohadum gente reguli occupârunt; Merinorum familia dominatum usurpaverat, & quasi veteris gentis virtute, quæ recentiorum ignaviâ Regum exolescere videbatur excitatâ, bellum in Hispaniam transferre cogitabat, in spem haud dubiam pristinæ gloriæ, atque imperij quod fermè extinctum erat restaurandi:) consilia rebellandi inter se agitantes, sumptis armis, nec Africano expectato auxilio, Murciæ arcem, aliáque non pauca loca quæ Hispanorum præsidiis obtinebantur occupârunt; quæ tamen anno sequenti Alfonsus Rex recuperavit: præter Murciam, quæ triennio pòst (nempè Domini 1266. eò enim usque Mauri bellum, licèt imbecilliter, quòd nulla validior manus ex Africâ venisset, nec rem Hispani aliis etiam curis distenti adeò urgerent, continuârunt) forti ope Iacobi Regis Aragoniæ, qui se belli socium Alfonso genero suo præbuit, recepta est; ac Reges Mauri in fidem reverterunt, non paucis locis atque pecuniis mulctati. Insigni Regis Iacobi gloriâ, quòd regnum Maurorum defectione amissum, suâ dexterâ, suis sumptibus, suo milite oppugnatum & recuperatum, genero spontè restituerit. Rem gestam describunt [i] Mariana, Gomesius, Surita.

[i] Mar. lib. 13. cap. 14. & 15. Gom. l. 16. & 17. Sur. lib. 2. Indic.

VII. Impostor magus in Germania.

[k] Trithem. in Chron. Sponheim.

In Germaniâ *Theodo* [k] quidam magus & impostor multis præstigiis populos in suî admirationem rapuit; quibus etiamnum circulatores passim simplicium hominum marsupia, ut sua farciant, evacuare consueverunt.

Iesu Christi Annus 1263.

Vrbani IV. An. 1.

Michaelis VIII. An. 4.

I. Ludov. Rex Fr. fit Iudex controversiarum Anglicarum.

Anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, Indictione sextâ, hinc dissidiis Anglicanis in dies augescentibus, (quibus & aliquando patres Reges in filios armati sunt, & Proceres divisionum auctores ab invicem distracti, aliáque seditionum civilium consueta & inevitabilia mala jugiter viguerunt) illincque satagentibus pro pace & concordiâ Prælatis Angliæ & Franciæ; id tandem effectum est, ut tam Rex quàm ejus Proceres de suis controversiis judicio se submitterent sancti Regis Ludovici Qui postridie festi S. Vincentij vigesimo tertio Ianuarij, magno Conventu Ambiani celebrato, cui etiam interfuit Henricus Rex Angliæ, secundùm Henricum sententiam tulit, abrogatis penitùs statutis Oxoniensibus, ita tamen ut magna Charta Regis Ioannis in suo robore permaneret. Sed minimè ejus judicio acquiescente Simone Monfortio cum cæteris Proceribus, (nonnullis exceptis qui ad Regem transierunt) rursùm ad arma ventum est, & misera Anglia ingentibus affici perrexit malis, quæ memorant Continuator Parisij, Florilegus, Walsinghamus, & alij ejus gentis historici, necnon Scriptores [a]

[a] Ap. Masson. in Vit. Pontif.

LEGATUS AD RES COMPONENDAS MISSUS NON RECIPITUR.

Vitæ Vrbani. Ex quibus etiam constant, Vrbanum Papam his auditis, eisque compatientem, Legatum-à-latere eò misisse anno proximo *Guidonem* Cardinalem Episcopum Sabinensem, qui suâ industriâ & Sedis Apostolicæ auctoritate dissidia componeret. Quem tamen Angliam ingredi à Proceribus impeditum fuisse, ideóque Bononiam Galliæ aliquot Episcopos Angliæ evocâsse; latáque excommunicationis & interdicti sententiâ in omnes pacem Regis turbantes, iisdem injunxisse ut eam promulgarent & exequerentur; sed illos dissimulâsse, ac Sedem Apostolicam, vel Concilium generale, aut etiam Ecclesiam triumphantem, ipsúmque denique supremum omnium Iudicem appellâsse; narrant iidem auctores: confirmatúrque ex literis ipsiusmet Guidonis Legati, quas postquàm factus fuit Pontifex Clemens IV. de iis scripsit [b] ad Othobonum S. Adriani Presbyterum Cardinalem tunc in eâdem Angliâ Legatum, ad eosdem Episcopos injurios & rebelles ad Sedem Apostolicam citandos. In quibus longiùs exorbitans Polydorus, res & tempora incautiùs, ut aliàs sæpè, invertit.

[b] *Reg. Clem. IV. ann. 1. Perus. 3. Cal. Dec.*

II. BELLUM INTER SCOTOS ET NORVAGOS DE HEBRIDIBUS.

Antequàm verò ad alia progrediamur, vicinam Scotiam lustrantes, invenimus & ipsam hoc eodem anno bello agitatam; sed longè minùs periculoso quòd non civile, sed externum esset: excitatum videlicèt ab Hacone sive Haquino Norvagiæ Rege, ad tollendas è manibus Scotorum quasdam Insulas quas è numero Hebridum sive Æbudarum esse, ac propterea ad regnum Norvagiæ pertinere contendebat. Qui post initia prospera, duplici infortunio eodem ferè momento perculsus, nempè terrestri prælio ingenti cæde fugatus; & classe centum & quinquaginta navium penè omni fœdissimâ tempestate privatus) in Orcadas se insulas recipiens, mortuus ibi est mense Decembri. Cui succedens *Magnus* filius, ita cum Alexandro Scotiæ Rege pacem iniit, ut omnes Hebrides antiquò jure ad Scotos pertinentes ab iis possiderentur, ac pro illis Scoti Norvagis in præsentiâ quatuor millia marcarum argenti, deinceps verò in singulos annos centum marcas numerarent: ac prætereà ut Margarita Alexandri filia infantula Hangonano Magni filio in cunis adhuc vagienti cùm per ætatem commodum esset matrimonio jungeretur. Ita auctores Scoti [c], quæ frustrà quæras in Norvagiâ Krantzij: tractat verò recens Scriptor [d] Rerum Danicarum, paulóque aliter, ex Chronico vernaculo Norvagiæ.

[c] *Boëth. lib. 13. Buchan. lib. 7.*
[d] *Pontan. lib. 7.*

III.

Cùm autem prædictis vigentibus in Angliâ turbis neque Rex ipse Henricus, neque filius ejus Edmundus rebus Siculis intendere valerent, quibus sese obligâsse vidimus; nulláque spes auxilij affulgeret ab electis Imperatoribus Richardo & Alfonso; ac Conradinus non solùm ætate, sed etiam labe Suevicâ ineptus haberetur defensioni Ecclesiæ: idem Vrbanus Pontifex, cui haud ulteriùs sufferenda videbatur Italiæ ac Romanæ Ecclesiæ à Manfredo tyranno Gibellinisque oppressio ac laceratio; consilio cum Cardinalibus & Episcopis habito, tum Archiepiscopum [e] Consentinum specialem legatum in Angliam misit, qui à prædictis Henrico & Edmundo jus, si quod in regnum Siciliæ & Apuliæ prætenderent, postquàm pactis conventis neque starent, neque per bella civilia stare possent reposceret: tum in solis Francis spem omnem Francus ipse constituens, *Carolum* fratrem S. Ludovici, Comitem Andegaviæ & Provinciæ Phocæensis, virum illâ tempestate opibus, virtute, ac rei militaris peritiâ (quam & maximè nuper in domandis rebellibus Provincialibus ostenderat) inclytum, in Regem Siciliæ & Apuliæ elegit: *Simonémque de Briâ* ex Thesaurario Ecclesiæ S. Martini Turonensis creatum non ita pridem tituli S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, Legatum in Galliam misit ad Carolum in Italiam acciendum, cum obligatione etiam dignitatis Senatoriæ Vrbis Romæ.

[e] *Reg. Vrb. IV. ann. 2. Vrbevet. 5 Cal. Aug.*

CAROLUS S. LUDOV. FRATER VOCATUR AD REGNUM SICILIÆ.

IV. ANNUIT PONTIFICI.

Qui ubi re cum fratre Rege communicatâ, urgentéque maximè ejus uxore Beatrice, quæ trium jam Reginarum soror molestè ferebat se Comitem tantummodò salutari, mox se affuturum promisisset; mirificè admodùm Guelforum animos jam pridem languescentes erexit. Rem autem narrant auctores Vitæ Vrbani, de quibus suprà; necnon Ricordanus [f], Villanius [g], Nangius [h], Antoninus [i], & alij. Gaguinus [k] verò haud immeritò queritur, grave hinc incommodum Andegavorum familię ortum esse: hinc enim bella geri oportuisse, quibus ejus Principes ad Carolum usque octavum Franciæ Regem (sub quo scilicèt Gaguinus scribebat, cùm alioqui etiam sub consequentibus Regibus eadem labes regnum inquinaverit) occupati, vano labore & plurimo damno sese extenuârunt: Italámque gentem suis rebus attentam semper extitisse, ut nulla expeditio Alpes ex Galliâ ob hujusmodi causam transcenderit, unde laceri & mendicantes milites Franci non redierint. Sed hæc posteà: quæ & sanè dixerimus majori Gallorum ipsorum quàm Italorum culpâ contigisse; cùm insitâ gentis juventuti, cujus maximè operâ res confici solet, imprudentiâ, levitate, & inconsideratiâ, quæq; corrumpere, & facilè parta longè faciliùs amittere consueverint, serò nimis, nec nisi post clades acceptas, sapientes. Annuisse autem Ludovicum Regem fratris ad Siciliam vocationi tres ob causas, Ptolomæus Lucensis in Chronico ait ipsummet aliquando retulisse; videlicèt Reverentiam erga Romanam Ecclesiam amorem generis sui circa honoris augmentum; & quietem Regni sui, quam perturbabat Carolus in torneamentis & aliis. De vocatione autem Caroli sunt item literæ [l] Vrbani Pontificis: quibus etiam, quemadmodùm & aliis ad Margaritam Regis Ludovici uxorem scriptis, maximè satagit ut componerentur acres controversiæ, quæ inter eosdem Carolum & Margaritam vertebantur occasione Comitatûs Provinciæ, quem illa jure primigenio prætendebat, Carolus ex tabulis testamenti possidebat; ne inde expeditio Caroli in Italiam impediretur.

[f] *Ricord. cap. 175.*
[g] *Vill. lib. 6. cap. 90.*
[h] *Nang. in Vit. S. Ludov.*
[i] *Ant. tit. 19. cap. 13.*
[k] *Gag. lib. 7.*

[l] *Reg. an. 2. 5. Cal. Aug. & 5. Non. May.*

V. VRBAN. PONTIF. QUÆRIT PROVIDERE IMPERIO GERM.

Nec minùs intereà cætera curans Vrbanus, cùm ob contentionem quæ inter Richardum Anglum & Alfonsum Hispanum de Imperij dignitate vigebat, Imperium ipsum vacare videretur, indéque Ecclesia præcipui Defensoris auxilio destituta jurium suorum jacturam pateretur, & adversariorum injuriis exposita permaneret, liberiùs peccatis insisteretur, hæreses pullularent, scandala suscitarentur, multiplicarentur cædes & strages: eosdem ad

concordiam reducere tentavit, scriptis ad utrumque literis [m] ejusdem tenoris, (mutatis tantummodò quæ utriusque personam respectabant) 6. Calendas Septembris hujus ipsius anni: quibus post narrata prolixè quæcumque tam in ipsâ utriusque electione, quàm apud Sedem Apostolicam eorundem nomine gesta petitáque fuissent, ipsos sese judicio Apostolico, quòd hactenùs declinâsse visi fuerant, nuper verò subire paratos esse declaraverant, per legitimos procuratores sistere die secundâ mensis Maij proximè venturi mandavit: Interim tamen decernens, utrique absque præjudicio partium titulum Regis Romanorum electi tribuendum. Adveniente verò præscripto die, & urgente Alfonso per legatos, sed Richardo domesticum bellum excusante, diem Vrbanus prorogavit [n] in festum S. Andreæ anni postinde subsequentis; ad quod tamen ipse non pervenit.

[m] *Reg. Vatic. an. 2 Formul. Marin. Ebol. to. 1. Surit. Indic. lib. 2. an. 1256.*

[n] *An. 3. 6. Cal. Sept. Theod. in Vit. Vrb. ap. Masson. de Vit. Pontif.*

VI. MICH. IMPER. GRÆC. AFFECTAT UNIONEM ECCLESIÆ.

Res quoque Ecclesiæ & Imperij Græcorum respiciens cùm Michaël Palæologus Imperator Græcorum considerans omnes Latini nominis gentes ab ipso Vrbano Pontifice, Balduino Imperatore Constantinopolitano extorre, Duce Venetiarum, adversùs se concitari, sibi non sine causâ timens, ad solitas artes cæterorum Græcorum Imperatorum, dum in similibus angustiis essent, recurrisset, ut scilicèt unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ præ se ferens legatos eâ de re ad Vrbanum misisset, rogans ut ipse suos Constantinopolim dirigeret cum quibus res tanta posset fideliter tractari: (sive etiam rem seriò egerit, quam studiosè posthâc prosecutum esse videmus:) idem Pontifex, ne officio deesse videretur, electos ad id sub finem mensis Iulij quatuor Fratres Ordinis Minorum viros pios & eruditos legavit, cum literis [o] multâ eruditione doctrinam fidei & bonum unionis explicantibus, quibus & eas amplecti, atque interim à persequendis residuis Latinis desistere hortatus est. Meminit Phranzes [p] legationis à Michaële post urbis Constantinopolitanæ recuperationem ad Alexandrum IV. Pontificem missæ super Ecclesiarum pacificatione, modò is Caroli Regis expeditionem impediret, quem audierat cum Balduino aliisque Principibus fœdus contra ipsum Michaëlem pepigisse: Pontificem legationem benignè admisisse, & quod peteretur facturum spopondisse: concordiámque tribus capitibus circumscriptam ac definitam esse. Verùm quantùm in his tempora confundat, nemo non videt: cùm & Alexander ante recuperationem Constantinopolis decessisset, & Carolus nondum quid somniâsset de Oriente, nec concordia nisi sub Gregorio X. in Concilio Lugdunensi facta fuerit: ubi de illâ dicetur, déque illis quæ pòst secuta sunt, & narrantur ab eodem auctore.

[o] *Ext. in Reg. Vat. & in formul. Mar. Ebol. & apud Vvadding. tom. hoc an. quas Bzov. grandi, nec infrequenti oscitatione, in an. Dom. 1339. reservavit.*

[p] *Phranz. lib. 1. c. 6.*

VII.

Accidit autem interim, ut cùm idem Palæologus, sive ut diximus ex animi propensione, seu magis ex vexatione quæ dare solet intellectum, (fuit [q] enim ei circa hæc tempora ab hostibus internis & externis maximum periculum, & extremum penè discrimen) unionis desiderium ardentiùs expetere videretur, Nicolaum Crotoniensem in Magnâ Græciâ ad sinum Tarentinum Episcopum, natione Græcum apprimèque doctum & pium, ad se accersisset, quò per eum instrueretur de Romanæ Ecclesiæ fidei dogmatibus & formâ sacramentorum; eáque haud ita comperisset à doctrinâ & ritibus Græcorum aliena: eundem ipsum Nicolaum ad Vrbanum Pontificem miserit cum literis [r], quibus eum *Patrem Patrum, beatissimum Papam veteris Romæ, patrémque Imperij: & Sacrosanctæ atque Apostolicæ Sedis summum Pontificem*, in epigraphe agnoscens & nominans, in ipsâ epistolâ summoperè deprecabatur, *quatenùs sicut princeps omnium Sacerdotum & universalis Doctor Ecclesiæ Catholicæ*, sollicitaret unionem ejusdem Ecclesiæ, *cui loco B. Petri Deus præcipuè ipsum præfecisset*: promittens se *omnes gentes & Patriarchales Sedes sui Imperij ad obedientiam & devotionem ejus subjecturum*: ac demùm rogans ut ei rei peragendæ confestim prædictum Nicolaum cum aliis Apostolicæ Sedis Legatis ad se remitteret. Quod Vrbanum libentissimo animo, & magnâ unionis spe præstitisse, intelligitur ex ejus ad illum rescriptis literis per eundem Nicolaum ac duos alios Fratres Minores decimo Calendas Iunij anni tertij, nempè sequentis. Quem verò progressum & exitum res habuerit, dicetur suis locis.

[q] *Niceph. Greg. lib. 4. & 5.*

EJUS LITERÆ AD PÔT.

[r] *Ext. in Reg. Vat. & indè apud Bzov. hoc an. & Vvadding. seq.*

VIII. CONCIL. RHEDONENSE.

Hoc eodem anno celebratum reperitur *Concilium* provinciæ Turonensis apud *Rhedones* die Lunæ post Ascensionem Domini, per *Vincentium de Pilenis*, Archiepiscopum & suffraganeos Episcopos. Quo decretum fuit, ut qui in Episcopum: Abbatem, vel Abbatissam, manus injecerit violentas, vel in eorum domos ignem immiserit, vel sacerdotem aut personam Ecclesiasticam voluntariè occiderit, aut mutilaverit; si Clericus fuerit, omnis beneficij obtenti vel obtinendi incapax sit, & anathematis vinculo innodatus; si Laïcus, ejus liberi usque ad tertium gradum à susceptione tonsuræ & quorumcumque Ordinum ac quolibet beneficio Ecclesiastico habeantur alieni: atque ut usurpatores bonorum Ecclesiasticorum excommunicationi subjaceant; cum declaratione, quæ censenda sint bona Ecclesiastica. Fuerunt & aliæ quamplurimæ toto hoc sæculo celebratæ, ac præsertim in Galliâ, Synodi; quarum nonnullæ editæ, alias non paucas quidam ex manuscriptis codicibus collegerunt; cunctas quæ reperiri possunt, dabit aliquando pleniori manu, si vita suppetierit, diligentissimus earum investigator Iacobus Sirmondus in continuatione illarum quas jam edidit. Quoniam verò sunt pleræque aut de reformatione, & abusibus tollendis, aut directione Ecclesiarum sæcularium & regularium, vel etiam maximè de conservatione auctoritatis & jurisdictionis atque immunitatis Ecclesiæ, quæ variis modis ubique lædebatur; abstinebimus ab iis singulatim recensendis, (sicuti & hactenùs de multis fecimus;) nisi quando aliquid specialius continere videbuntur quod notatu dignum fuerit.

IX. SOLDANI BABYL. ET REGIS ARAG.

Hoc item anno narrant Historiæ Aragonicæ [s], Soldanum Babyloniæ præclarâ Iacobi Regis famâ commotum, legatos ad eum misisse sui erga eum studij indices: Regem iis splendidè exceptis, suos quoque ad eundem Soldanum direxisse; qui magnificentissimè Alexandriæ excepti fuerint; vexillúmque Aragonium quod secum detulerant, honoris &

[s] *Surit. Indic. l. 2. Gomes. in Vit. Iac. l. 16.*

MUTUÆ LEGATIONES.

dignitatis causâ à Soldano propter se in solio Artacidarum constitutum: unúmque è legatis rogatu Soldani, filium ejus, Missarum solemnibus celebratis, Regis Arâgoniæ nomine militari cingulo decorâsse. Qui tamen Soldanus, homo impius, hujusmodi simulationibus Principes Christianos decipere solitus, (fuit enim is Bendocdar, quem nece dñi sui Ægyptum occupâsse vidimus) hoc ipso anno mense Aprilis cum triginta millibus equitum ante Ptolemaïdem venisse reperitur; magnóque facto impetu, in summum illam periculum adduxisse. Quâ de re est in Regesto Epistolarum Vrbani insignis hortatio ad Regem Galliæ, excitans eum ad subsidium Christianorum Syriæ; quamvis Sanutus [c], qui hanc Soldani grassationem pariter refert, ejus causam in Templarios & Hospitalarios rejicere videatur, eò quòd contra pacta cum eodem Soldano conventa, recusâssent reddere captivos Saracenos, cùm ipse Christianos quos detinebat libertati restituere paratus esset. Quanta autem alia mala Christianis Bendocdar per scelus & fraudem intulerit, dicetur suis locis.

[c] San. lib. 3. par. 12. c. 6

IESU CHRISTI Annus 1264.
VRBANI IV. An. 3.
MICHAELIS VIII. An. 5.

I. INDICTIO SOLEMNITATIS CORPORIS CHRISTI.

ANNO Christi 1264. Indictione septimâ, Vrbanus Pontifex Vrbeveteri existens, occasione grandis miraculi, quod hoc tempore Vulsiniis, loco ejusdem diœcesis & ditionis cōtigit in Ecclesiâ S. Christianæ; (cùm videlicèt sacerdote quodam sacra Missarum solemnia celebrante, confectóque jam sacramento de veritate corporis Christi dubitante, statim ut sanctissimam hostiam frangere cœpit, vivus inde sanguis effluxit, & totam mappam, quam corporale vocant, tinxit: sacratissimi Corporis Christi solemnitatem annuatim quintâ feriâ post octavam Pentecostes perpetuis temporibus cum solemni supplicatione, ad confusionem specialiter hæreticæ perfidiæ atque insaniæ & ad corroborationem atque exaltationem Catholicæ fidei, celebrandam indixit; & qui ejus interessent Officio (quod Fr. Thomas Aquinas, qui sacras illo tempore literas Vrbeveteri illustri jam tum doctrinæ & sanctitatis famâ docebat, jussu Pontificis composuit) indulgentiam centum dierum concessit. Quâ de re extat [a] præclara & elegans ejus Constitutio ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Prælatos: quam posteà ob bellicos tumultus quibus tota penè Europa agitabatur, parùm plerisq; locis observatam, Clemens V. in Generali Concilio Viennensi [b] recepit & confirmavit: ejúsque successor Ioannes XXII. iterùm publicavit; aliique deinceps Romani Pontifices gratiis & privilegiis exornarunt. In miraculi verò memoriam cives Vrbevetani nobilissimum templum construxerunt [c], tantâ mole, apparatu, & impensarum magnitudine, ut nullum toto orbe terrarum tunc ei potuerit comparari: cujus primum fundamenti lapidem Nicolaus IV. [d] manibus propriis sacravit ac posuit. Ipsúmque sanctum Corporale, altari & tabernaculo ad illud conservandum elegantissimè fabricatis collocatum, singulis annis in die Corporis Christi celebri supplicatione circumfertur, finitimis omnibus populis eò illa die ad id videndum confluentibus.

[a] Bullar. to. 1. Vrb. IV. const. 1. Clem. tit. 16. de Reliq. & vener. Sanct. Frizon in Gall. Purpur. & alibi.
[b] Infrà an. 1311. XI.
[c] Onuphr. annotat. ad Platin. in Vrb. IV.
[d] Rub. in Vit. Nicol. IV.

II. FUIT ILLA ANTIQUIOR.

Fuisse nihilominùs jam anteà hujus festivitatis celebrationem divinitùs indicatam nonnullis sacris virginibus Leodiensibus, & à gravissimis Theologis diligentissimè examinatam, atque ab illius urbis Episcopis receptam, necnon à quibusdam Cardinalibus Legatis Apostolicis confirmatam, ab ipsóque Vrbano Papâ dum esset Archidiaconus Leodiensis cognitam certis illorum testimoniis, aliísque ejus temporis monumentis ostendunt, qui propriis tractatibus de his egêre. Ioannes Diestemius [e] Prior S. Iacobi Leodiensis, & Io. Chapeavillus [f] Canonicus & Vicarius ejusdem Ecclesiæ. (Quibus & Gretserum addas in Auctario de Festis, contra ineptas objectiones Hospiniani hæretici.) Quæ quidem si cognita Panvinio fuissent, non adeò facilè (ut puto) assertionem de revelatione factâ Evæ moniali reclusæ rejecisset [g]. Observátque prudenter de his agens Genebrardus [h], sic olim publicè circumgestari solitam fuisse [i] Arcam testamenti, manna, Corporis Christi symbolum, continentem, ad pacem & misericordiam procurandam, ad debitum cultum Deo, qui in Arcâ habitare dicebatur exhibendum, &c. Sícque Iudæos hodie mense Septembri festo Legis, quod vocant, librum Legis circum synagogam ferre solemniter, adorare, & in arcâ reponere.

[e] Ap. Bzou. an. 1230.
[f] To. 2. Pontif. Leodien. in fin.
[g] Onuph. d. annot.
[h] Genebr. Chron. l. 4. in Vrb. IV.
[i] Iosu. 6. 1. Reg. 4.

III. DE ERICO REGE DANIÆ.

Hoc item anno idem Pontifex Belam [k] Regem Hungariæ, ut cum Tartaris vinculum affinitatis non contraheret, sed ab eorum consortio velut detestabili abhorreret, útque cum Stephano filio suo pacem conservaret, gravioribus verbis commonuit. Erico [l] sive Henrico Regi Daniæ, (filio Christophori, de quo suprà [m]) ac matri ejus, adversus quos Archiepiscopus Lundensis & Episcopus Roskildensis publicas exercebant simultates, ne iis gliscentibus anathemati vel interdicto subjici possent concessit. Imponunt sæpè Pontificibus ac Principibus, qui aliquid ab eis impetrare contra fas quærunt. Vt putamus hic factum. Scribit enim alius posterior Ericus Rex in suâ brevî Historiâ Danicâ [n] sæpè citatâ, Henricum istum sive Ericum filium Christophori multa mala fecisse, Ecclesias spoliando, læsis & injuriam passis justitiam nullam faciendo, monasteria quoque quæ patres ejus ædificaverant per equos & canes miserabiliter attenuando. Propter quæ haud mirum si correptus fuerit ab Antistitibus Daniæ; & si mittendus eò fuerit Legatus Apostolicus, de quo dicetur anno sequenti.

[k] Reg. Vat. Vrb. an. 3. 5. Cal. & 4. Non. Febr.
[l] Id. 4. Non. Ianuar.
[m] An. 1252. XXII. in fin.
[n] Eric. hist. Dan. an. 1259.

IV. BELLA CIVILIA IN ANGLIA.

Præsenti autem pergente Angliâ direptionibus & populationibus hostilibus, rerúmque ac personarum tam Ecclesiasticarum quàm profanarum injuriis ac sacrilegiis, vehementissimè divexari; vario marte certatum est inter Regem & Proceres. Primóque Rex Oxonium petens, orationis gratiâ ad S. Fredeswidam accessit, nihil veritus superstitiosam eorum opinionem qui asserebant illicitum esse Anglorum Regibus villam intrare, ultionem in eos virgine exercente. Deinde cum magnis copiis Northantonum oppidum progressus, circa Dominicam Passionis multos ibi Proceres cepit,

& in iis Simonem filium primogenitum Simonis Monfortij præcipui Procerum ducis. Sed Simone patre fortem exercitum in Regem ducente, post multa alia hostilia utrimque commissa, pacémque frustrà tentatam, pridie Idus Maij inito ad Lewense oppidum gravissimo prœlio, dum Eduardus Regis filius Londinenses præcipuos Procerum fautores (quos & speciatim pejùs reliquis omnibus oderat, quòd Reginam ipsius matrem paulò antè conviciis & luti ac lapidum jactu insolentissimè incessissent) in fugam versos acriùs cum robore militum ad quatuor milliaria persequeretur, paternum exercitum præsidio suo destitutum relinquens, pulcherrimam victoriam hostibus tradidit; quâ Rex ipse Henricus confosso sub se equo, ejúsque frater Richardus Rex Germaniæ cùm multis aliis magnatibus capti sunt. Cùm autem rediens à cæde Londinensium Eduardus certamen redintegrare quæreret, discurrentibus inter partes Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ita conventum est, ut ipse Eduardus & Henricus filius Richardi pro fratribus suis obsidum nomine Simoni se traderent, quò parentibus benè ab hostibus esset, & interim modus concordiæ inveniretur. Narrant hæc pluribus Florilegus, & Auctor Supplementi Parisij atque ex eo Thomas Walsinghamus in Hypodigmate Neustriæ. Nec discordant Guillelmus de Podio Laurentij & Chronicon Monfortianum, dum de iisdem agunt.

Rex cum Fratre et Filio capitur ab hostibus.

V. [o] *An 1258. VI. in fin.*

Auctor verò Relationis cujus superiùs [o] meminimus, ait nequaquàm Regem prœlio captum fuisse; sed cùm post cladem suorum se in Prioratum Lewensem recepisset, redeunte Eduardo, séque ad congressum cum hostibus ineundum parante, Simonem sibi timentem, per quosdam Fratres Minores utrique renunciâsse, cupere se in gratiam cum illis redire, suámque causam suppositurum arbitrio quorumcumque quos Rex duceret eligendos; si verò hæc audire negligerent, se Richardum Regem cum cæteris captivis neci traditurum: eâque re motum Regem ab armis abstinuisse, & sic cum adversariis transegisse, ut re iterùm ad Regem Francorum delatâ, nominaret ipse duos viros è Franciâ, qui venientes in Angliam tertium sibi quem vellent ex eâdem Angliâ sociarent, & quicquid tres illi de singulis vertentibus controversiis decernerent, ratum & stabile permaneret: hísque sic utrimque jurejurando & scripto firmatis, datos esse in obsides ex parte Regis prædictos Eduardum & Henricum; ipsúmque et Regem se hostibus commisisse: Simonem autem hâc occasione usum, prædicto compromisso posthabito, Regem per singulas provincias circumduxisse, donec universo propemodùm Regno potitus est: novísque libitu suo conditis statutis, minis & terroribus coëgisse Regem & Eduardum iis subscribere. Hæc ibi: quæ etiam in circumductione Regis, & occupatione regni per Simonem, confirmationem accipiunt à cæteris. Reliqua verò posteà.

VI. *Turbæ Aragonicæ.*

Hoc item anno exortis pariter in regno Aragoniæ civilibus motibus, quod cùm Rex Iacobus de subsidio Alfonso Castellæ Regi genero suo adversùs Mauros in Conventu Cæsaraugustano retulisset, publicè privatímque tam plebs quàm nobilitas, honores & magistratus externis aut obscuris hominibus demandari, ingenuos & immunes homines vectigalibus opprimi: leges patrias inverti, & qui earum custos erat Iustitiæ Præfecti auctoritatem imminui, conqueri cœpisset; res ad arma spectare videbatur, cùm admittentibus viris sanctis actum est ut jure potiùs transigeretur. Quæ ut gesta sint, describunt breviter Mariana [p] & Surita; prolixè Gomesius [q], qui etiam hâc occasione originem & facultatem prædicti *Iustitiæ Præfecti* inquirit, atque describit.

[p] *Mar. l.13. c.15. Sur. Indic. lib.2.* [q] *Gomes. l.16.*

VII. [r] *Crom. l.9.* IAZYGUM DESTRUCTIO.

Eodémque anno (ut Cromerus [r] habet) Boleslaus Pudicus minoris Poloniæ Princeps Iazygas, Prussis Lituanísque finitimos Sarmatiæ Europeæ populos, ditionibus suis infestos, mense Iunij acerrimo prœlio fortiùs quàm pro numero dimicantes, ad internecionem usque cæcidit; adeò ut ex eo tempore nomen quoque *Iazygum* penè deletum sit. Regionéque eorum potitus Boleslaus, exiguas gentis reliquias Christianam religionem suscipere, capitali pœnâ in contumaces sancitâ coëgit: & ne regio vasta & inculta maneret, colonias eò deduxit. In Prussiâ verò Crucigeri adversâ fortunâ usi penè deleti sunt à barbaris, occiso eorum Magistro Helmerico.

VIII. COMETES INSIGNI MAGNITUDINE.

Quo item anno cometes visus est, qui ab oriente surgens usque ad medium hemisphærij versùs occidentem comam protrahebat, & Iulio, Augusto, ac Septembri mense (ferè à solstitio æstivali usque ad æquinoctium autumnale) insigni magnitudine fulgens, ac speciem ingentem edens, omnes mortales in sui admirationem adduxit. Qui cùm variè aliquantùm ab auctoribus describatur, & multa varia portendere potuerit, quæ pòst subsecuta sunt tam in Italiâ, quàm in Græciâ & Syriâ, ubi etiam cum horrore mortalium visus legitur; eo sanè primùm apparente Vrbanum Papam infirmari cœpisse, ultimò evanescente mortuum esse, sunt ex antiquis scriptoribus [s] qui observaverint. Adeò ut pauci illi qui Vrbani obitum vel in præcedentem annum, vel in sequentem referunt, etiam cometen eo apparuisse parùm consideratè ponant.

[s] *Theodor. in Vit. Vrb. Supplem. Paris. Ricord. c.175. Villan. l.6. c.7. Ant. tit.19. in fin. Bern. Guid. in Chron. Magn. Chron. Belg. in Vrb. IV. Palmer. in Chron. &c.*

IX. VRB. PP. OBITUS.

Cæterùm Vrbanum præsenti anno defunctum esse Perusij, plerique omnes [t] consentiunt idque, ut diligentiores adnotârunt, sexto Nonas Octobris; postquàm sedisset annos tres, dies triginta quatuor. De cujus aliis rebus gestis circa recuperationem multorum locorum Ecclesiæ Romanæ, solutionem debitorum ejus, restaurationem & ædificationem Ecclesiarum, aliáque id genus, qui hæc cupierit, habet Massonum [u] antiqua ejus ævi monumenta describentem, à quo ea discat. Sepultus est autem ibidem Perusij in Ecclesiâ Cathedrali S. Laurentij. Vacavítque sedes ampliùs quatuor mensibus: de cujus proinde successore dicetur anno sequenti.

[t] *Theodor. Ricord. Vill. Palmer. & Chro. Belg. ibid. Ster. in Annal. Nang. in Vit. S Lud. Ptol. Luc. in Annal. Sig. de regn. Ital. l.20. Onuphr. in Chron. &c.* [u] *Suprà an. 1261.*

X. [x] *Greg. lib.4.* MICHAELIS GRÆC. IMP. PERICULŪ À BULGARIS.

Quod ad res Græcorum attinet; scribit Nicephorus [x] Gregoras, Michaëlem Palæologum eorum Imperatorem: cùm in expeditione Thessalicâ esset adversùs alterum Michaëlem Epiri atque Ætoliæ despotam, qui denuò turbas civerat; viso prædicto comete cladem veritum, festinum Constantinopolim repetere decrevisse: in itinere verò tantùm non incidisse in manus Constantini Regis Bulgarorum; qui cùm duxisset unam è sororibus Ioannis pueri,

Imperatoris quem Palæologus excæcaverat, impellēte conjuge in vindictam insurgens, accitâ validâ Scytharum sive Tartarorum manu Thraciam incursabat; cùm Palæologus clàm per montes ad mare descendens, inventis fortè duabus triremibus Latinis quæ Constantinopolim navigantes aquationem faciebant, in eas se conjecit, & in urbem incolumis delatus est; Thraciâ interim à Tartaris penè hominibus & animantibus desolatâ. Post quæ idem Palæologus filium suum *Andronicum*, quæsitâ ei uxore Annâ filiâ Regis Hungariæ insignibus Imperij ornavit, & edictis subscribere rubris literis permisit, attamen sine mense & indictione. Andronicus autem juravit se Dei Ecclesiam piè veneraturum, ejúsque privilegia inviolata conservaturum, & vitam atque Imperium patris sui expertem insidiarum usque ad ejus obitum pro virili custoditurum. Cujus jusjurandum Patriarcha in sacros codices referri curavit. Ita Gregoras: qui pergit narrare obitum Michaëlis Despotæ, & bella filiorum occasione, aliáque adversùs Eubœos & Cretenses gesta.

Andronicum filium vocat in consortium Imperii.

Iesu Christi Annus 1265.

Clem. IV. An. 1.

Michaelis VIII. An. 6.

I.

Guido Grossus absens eligitur in Pontificem.

[a] Suprà an. 1263. I.

Parentum ejus pietas.

[b] Clem. IV. ep. dat. Viterb. 11. Cal. Dec. an. 4. Chron. Carthus.

[c] Anton. tit. 20. ad pr.

Anno Christi 1265. Indictione octavâ, postquàm ob discordiam Cardinalium in successore Vrbano dando Sedes Pontificia vacâsset ampliùs quatuor mensibus; demùm communibus eorundem suffragiis (non ex compromisso, ut quidam recentiores somniârunt, quod omnes antiquos latuit: compromissum enim ad Gregorium Clementis successorem pertinet) electus est Perusij Nonis Februarij *Guido* Cardinalis Episcopus Sabinensis absens, cùm à Legatione Anglicâ, de quâ superiùs [a], rediens in itinere esset. Fuit is natione Gallus, ex oppido S. Ægidij ad Rhodani ripam in provinciâ Narbonensi, nobili familiâ *Grossa*, patre *Fulcodio*, matre *Germana*, è quibus ille post mortem conjugis Ordinem Carthusianum [b] ingressus, plurimos annos in eo religiosè vixit, & agonem suum feliciter consummavit; ista tantâ extitit vitæ sanctimoniâ, ut etiam divinis nonnunquam visionibus illustraretur [c]. Ipse verò Guido relictâ armorum militiâ cui adolescens se addixerat, literis operam dedit, Iurísque disciplinam ita exactè didicit, ut Durandus gravis eâ ætate Iurisconsultus *Lumen juris* appellet. Platina *Iurisconsultum totius Galliæ sine contentione primarium* Onuphrius *Iureconsultorum peritissimum*. Vnde, & quòd forensem vacationem amplexus causas integerrimè ageret, singularísque esset vitæ moderationis, à S. Rege Ludovico in sanctius Consilium allectus, in omnium amore & admiratione fuit. Vxore autem, quam virginem duxerat, & ex quâ duas filias susceperat, mortuâ, sacris ordinibus initiatus, primùm Podiensis sive Aniciensis Archidiaconus, indéque ejusdem Ecclesiæ Episcopus, ac paulò pòst Archiepiscopus Narbonensis, postremò ab Vrbano IV. Cardinalis

Ejus primordia.

Episcopus Sabinensis creatus est; demùmque ob vitæ integritatem, & in rebus agendis solertiam, absens licèt, omnium Cardinalium suffragiis Pontifex renunciatus. Quo nuncio in itinere accepto, cùm Manfredi tyranni Siculi jussu vias sibi omnes interclusas, insidiásque paratas audiret; mercatoris specie, vel (ut alij volunt) religiosi mendicantis habitu (non fugiendi oneris causâ, ut cuidam ariolari placuit, sed ne in viâ interciperetur) Perusium pervenit: indéque unà cum Cardinalibus Viterbium accedens, coronatus est ibi octavo Calendas Martij die Cathedræ S. Petri, & Clemens eo nomine Quartus nuncupatus. Vt horum testes sunt tam veteres quam recentiores auctores, Nangius [d], Stero, Rishanger, Ricordanus, Villanius, Ptolemæus Lucensis, Antoninus, Blondus, Platina, Nauclerus, Panvinius, & alij. Symbolum autem, sive sententiam eandem quam decessor ipsius Vrbanus usurpavit, videlicèt, *Fac mecum Domine signum in bonum.*

Nomen accipit Clementis IV.

[d] Nang. in Chron. & in Vit. S. Ludov. Ster. in Annal. Rich. in Supplem. Paris. Ricord. c. 175. Vill. l. 6. cap. ult. Ptol. in Annal. Ant. tit. 20. ad pr. Blond. 2. dec. 8. Plat. in Clem. IV. Naucl. gen. 43. Panvin. de Rom. Pont.

II.

Incredibilis erga suos moderatio.

[e] Panvin. addit. in Platin. Masson. & Ciaccon. in Vit. Pontif. Bzov. hoc an. &c.

Qualis autem erga suos futurus esset mox demonstrare volens, ad quendam Petrum Grossum nepotem suum septimo Martij in festo SS. Perpetuæ & Felicitatis epistolam Perusio scripsit, quam multi ob penè incredibilem ipsius moderationem descripsêre [e]: quâ quidem omninò prohibuit, nequis ex suis agnatis ad se venire præsumeret absque speciali ipsius mandato; alioqui sciret confusum se rediturum: non enim velle se aliquem è sanguine suo cujusvis sexûs obtentu ipsius sublimationis inflari, sed feminas illos viros accipere, quos habituræ forent si ipse esset in simplici Clericatu: uni verò illarum, ipsius Petri ad quem scribebat sorori, daturum se, si filio simplicis militis hoc est nobilis desponsaretur, trecentas libras Turonenses; si verò altiora quæreret, nec unicum denarium largiturum. Quæ ut scripsit, sic & præstitit: adeò ut fratris filium Clericum tres Canonicatus obtinentem, jusserit duobus dimissis quem maximè optaret unicum habere: instantibúsque amicis, non solùm quæ habebat ei dimittere, sed majora & plura tribuere, responderit vir sanctissimus, se Deo non carni & sanguini acquieturum: Deum ita velle ut sua in pias causas erogarentur: nec esse dignum Petri successorem, qui plus cognationi quàm pietati & Christo tribueret. Cúmque filiæ ejus sperarent plenas summæ dignitatis nuptias, negavit licere sibi quod suum non esset dare propinquis; satísque esse si quas ante Pontificatum possedisset fortunas eis relinqueret: unde illæ innuptæ relictæ, Christo meliori sponso virginitatem consecrârunt. Ac speciatim narrat Ioannes Hocsemius [f] Canonicus Leodiensis, qui paulò pòst scripsit res gestas Pontificum Leodiensium; cùm multi præcipuæ nobilitatis viri filiam ejus Cæciliam sibi desponsari peterent, deridentem eos Pontificem dixisse, ipsos non petere Cæciliam, sed Papam; eam autem non Papæ esse filiam, sed Guidonis Fulcodij, cujus nequaquàm filiam ipsi petituri forent: Ipsum autem noluisse eam in matrimonium collocare, sed mediocriter ei providentem quamdiù vixit voluisse vivere honestè in quodam monasterio civitatis Nemausensis. Habuisse pariter eundem Pontificem fratrem Rectorem cujusdam Ecclesiæ Parochialis,

[f] Hocsem. de Gest. Episc. Leodien. l. 1. cap. 6.

honestum virum & sanctæ vitæ: quem noluerit altiùs promoveri, quàm quòd pinguiorem parochiam dimissâ aliâ ei concessit. Cætera rectum fuisse adeò in omnibus, ut nulli Regi vel Principi deferret; & ideò omnes eum & dilexisse & timuisse. Cùm alioquin qui talis erat in suos, in proximum & Christi pauperes summæ liberalitatis fuisse reperiatur.

III. DUPLEX SIGILLŪ PONTIFICUM.

In prædictâ verò ejus ad Petrum nepotem epistolâ observatione dignum à nonnullis existimatum est: cùm in fine ait, *non scribere se ipsi aut familiaribus suis sub bullâ, sed sub piscatoris sigillo quo Ramani Pontifices in suis secretis uterentur*, duo sigilla designari, quibus etiamnum Pontifices Romani utuntur: unum in publicis jussionibus & expeditionibus, quas *Bullas* vocant; quod & plumbeum est, impressas habens ex unâ parte Imagines Apostolorum Petri & Pauli, ex alterâ nomen Pontificis pro tempore sedentis: alterum in privatis ad quoscumque epistolis & gratiis concessis, quas *Brevia* appellant, habens effigiem sancti Petri in nauiculâ positi & retia laxantis; qui priùs piscium piscator, factus est à Deo piscator hominum.

IV.

CAROLUS ITALIAM PETIT ADVERSÙS MANFREDUM.

Quod autem ad publicas ejus res gestas; postquàm ipse imprimis S. Ludovico Francorum Regi, & Archiepiscopo Senonensi, paritérque universis Christianis Principibus & Ecclesiarum Prælatis electionem sua literis significavit; eundem quem Vrbanus gerens in Manfredum animum, ratámque habens electionem ab Vrbano factam Caroli Andegaviæ & Provinciæ Comitis in Regem Apuliæ & Siciliæ; ejus adventum accelerare, ac illi copias amicósque per Italiam parare, contendit. Carolus autem celebrato Paschate Parisiis cum Fratre Ludovico Rege, validísque ordinatis terrestri Alpium itinere copiis; (rem omnem diligentissimè curante Beatrice ejus conjuge, quæ cordata ac virilis mulier omni mundo suo distracto cogendo alendóque militi, fortissimum quemque ad signa sua allexerat;) ipse triginta navibus longis & pluribus minoribus lignis Massiliâ solvens, per varias maris tempestates, & insidias quæ octoginta longis navibus mare Tyrrhenum observabant, divino auxilio ad Tiberina ostia incolumis improvisò pervenit. Quem tradunt [g], cùm quidam ei Massiliâ solventi hostium insidias navalémque apparatum ob oculos proponere ausus esset, virum fortissimum respondisse, *Virtutem esse fortuna superiorem*.

[g] Villan. lib. 7. cap. 3.

V.

RENUNCIATUR ROMÆ REX SICILIÆ.

Romam delatus in ipso pervigilio Pentecostes, susceptus est ingenti honore à populo, & auctoritate Pontificis Senator Vrbis (qui honos amplissimus tum habebatur) renunciatus, necnon à quatuor Cardinalibus natione Romanis, uno Presbytero, reliquis Diaconis, Clementis Papæ Legatis, in Ecclesiâ Lateranensi quarto Calendas Iulij Rex Siciliæ & Apuliæ (sive, ut dicitur in investiturâ, Siciliæ & totius terræ citra pharum; exceptâ tamen civitate Beneventanâ) declaratus; præstito primùm sacramento de observatione conditionum [h] quas custodire deberet. Quarum hæ præcipuæ fuerunt; ut singulis annis solveret Ecclesiæ Romanæ censum octo millium unciarum auri, & unum palafrenum album pulchrum & bonum: ne Imperium Romanum, aut regnum Teutoniæ, nec Tusciam aut Lombardiam occuparet; vel pateretur se eligi aut inungi in Imperatorem aut prædictarum provinciarum dominum; nec posset unquam regnum Siciliæ uniri Imperio: (Ex quo enim Pontifices mala quæ sibi & Ecclesiæ Romanæ à Regibus Siciliæ provenerunt, experti sunt, horruêre semper nimias eorum opes,) & ut cautum esset immunitati ac libertati Ecclesiarum & Ecclesiasticorum in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, appellationibus, aliísque omnibus: & cum revocatione omnium constitutionum, per Fridericum, Conradum, atque Manfredum, aliósque quoscumque factarum contra Ecclesiasticam libertatem.

[h] Notantur à Baldo in l. cùm antiquioribus C. de jur. deliber. Edidítque earum summarium Summont. Hist. Neapol. lib. 2. & ex eo Bzov. hoc an. Habenturque ipsa litt. quat. illor. Card. & confirmationis Pontif. in Reg. Vat. Clem. IV. & vide Baron. an. 1097. & nostram Epit. eodem ann. XXVIII.

VI. EXERCET SENATORIAM DIGNITATEM VRBIS.

Reliquam autem partem hujus anni consumpsit Carolus in administratione Senatoriatûs Vrbis, & dispositione rerum ad expeditionem Siculam necessariarum; intereà dum adveniret uxor, ac terrestres copiæ, quæ ob longi & ardui itineris difficultates, & Gibellinorum insidias, nonnisi mense Decembri Romam applicuêre; exceptæ in Italiâ à Legato Pontificio, deductæque à Guelfis in Manfredum operâ Pontificis armatis, cùm aliis, tum Florentinis patriâ exulibus, qui susceptâ spe restitutionis sese Francis magno numero & apparatu conjunxerunt. Hæcque sunt quæ præsenti anno gesta, ex probatioribus auctoribus [i] collegimus: quamvis confundant aliqui renunciationem Caroli in Regem cum ejus coronatione, quæ nonnisi principio anni sequentis facta est; ac Beatricem Caroli conjugem alij dicant mari, & quidam cum viro suo, quidam quatuor pòst mensibus Romam delatam esse: Censúmque Carolo impositum nonnulli quadraginta millium nummûm aureorum, alij etiam duodequinquaginta faciant. Cùm autem sint etiam literæ [k] Clementis Pontificis, quibus alias prætexuit excusationes cur Romæ his solemnitatibus adesse non potuerit, quàm quòd Romani eum in Vrbem admittere nollent; non est cur Blondus ineptiæ arguat Ptolemæum Lucensem oculatum harum rerum testem, aliósque iis temporibus ætate proximos auctores, quòd scripserint hæc tanta Romæ à populo & Cardinalibus auctoritate Pontificis, eóque absente, in Carolum collata esse.

[i] Ptol. Luc. ap. Blond. 2. dec. 8. Paduan. lib. 3. Nang. in Vit. S. Lud. & in Chron. Iuvenat. ap. Summont. lib. 2. Ricord. cap. 177. & 178. Villan. lib. 7. cap. 1. & seqq. Anton. tit. 20. cap. 1. Sigon. lib. 20. Fax. de reb. Sicul. 2. dec. 8. & aliis.

[k] Reg. Vatic. an. 1. 13. Cal. Iun. & ap. Bzov. hoc an.

VII. CLEM. PP. SUBVENIT CAROLO.

Præter quæ ex aliis literis [l] ejusdem Pontificis constat, ipsum ut Carolo auxilia promissa submitteret, à Comite Pictaviensi quatuor millia marcarum argenti, & quinque mille libras Turonenses, à Senensibus autem & mercatoribus Florentinis centum millia Provisinorum, mutuò accepisse; & in his ex consensu Cardinalium, possessiones & bona omnium Ecclesiarum urbanarum, exceptis Lateranensi, sancti Petri, sancti Gregorij, Hospitalariorum, & Cardinalium basilicis; ad triennium obligâsse. Cúmque hæ pecuniæ non satis sufficerent ad molem belli diutiùs sustinendam, in toto regno Galliarum omnibus Ecclesiis decimam imposuisse, Regémque Ludovicum ut eam exigi pateretur obsecrâsse. Excusánsque apud Carolum quòd non quantum vellet erogare posset, *Thesaurum apud se nullum latere*, inquit [m], *nec se eum multiplicare proponere illis modis quibus homines multi*

[l] Peruſ. 15. Cal. & 3. Non. Aug.

[m] Ep. Cal. Aug. an. 1.

vellent. Causas inopiæ esse partes Orbis concussas; Anglicos adversari; Alemanniam vix obedire; Franciam gemere & queri; Hispaniam sibi non sufficere; Italiam non subvenire, sed emungere. Denique cùm Manfredus his tantis à Clemente in Carolum beneficiis irritatus, contumelias & minas in ipsum injecisset; Pontifex in spiritu mansuetudinis injurias vincere & in fortitudine Apostolici pectoris jura Ecclesiæ vindicare doctus, respondit ferocienti, se nonnisi Deum timere, qui postquàm occiderit corpus, potest & animam in gehennam detrudere: cæterùm Carolum Dei justitiæ administrum, brevî omnes injurias Ecclesiæ Romanæ ejúsque Pontificibus illatas ulturum.

VIII.

Nec verò minùs cætera curans Pontifex, inter plura alia quæ hoc eodem anno gessit in utilitatem Ecclesiæ, & fidei Christianæ propagationem, plurima statuit contra hæreticos; ac prædecessorum suorum & Friderici Imp. contra eosdem latas leges confirmavit, atque Inquisitoribus amplissimas concessit in eos facultates [n]. Iacobum Regem Aragoniæ literis [o] vehementer hortatus est. Mauros gentem perfidam & in Christum contumeliosam è finibus suis, sicut etiam vovisse dicebatur, (& jam olim suscepisse vidimus [p]) exterminare; ac Iudæorum pervicatiam (absque tamen mortis periculo, & membrorum mutilatione) coërcere.

[n] *Ext. ejus de his constitutiones in Reg. Vatic. & Bullar. to. 1. & Append. to. 3. & in Director. Inquisit. Eymer. in comment. Pegnæ. & ap. Vvadding. Annal. Min. tom. 2.*
[o] *Rec. Surit. Indic. lib. 2. hoc ann.*
[p] *Sup. ann. 1254. in fi.*

IX. LEGATIONES AD RES ECCLESIÆ CURANDAS.

Guidonem tituli sancti Laurentij in Lucinâ Presbyterum Cardinalem natione Gallum è Burgundiâ Religiosúmque Cisterciensis ordinis, magnæ virtutis scientiæ & prudentiæ virum, Legatum ad Reges & provincias Septentrionales misit, cùm ad suppetias Christianis contra Saracenos & paganos impetrandas, tum ad Ecclesias visitandas & disponendas. Quâ de re extant ejusdem Pontificis literæ [q], earúmque gentium historicorum monumenta, quæ videbimus duobus proximis annis. Pariterque solicitus de rebus Anglicanis, quas ipse suâ Legatione ob Simonianorum insolentiam & contumaciam imperfectas reliquerat, *Othobonum* de Flisco Genuensem, Innocentij Papæ Quarti nepotem, tituli S. Hadriani Diaconum Cardinalem, (posteà Hadrianum Papam V.) quem item jam aliàs sub patruo eâdem Anglicanâ legatione functum vidimus [r], eò misit [s]; qui cœpta à se consummaret. Sanctúmque Regem Ludovicum ferre auxilia Regi Angliæ, regníque ejus oppressiones reprimere admonuit [t]. Quod & Regem conatum esse Anglici historici ostendunt.

[q] *Ep. an. 1. Perus. prid. Id. Iun.*
[r] *An. 1254. VII.*
[s] *Supplem. Paris. & Florid. hoc ann.*
[t] *Ep. 5. Id. Maij.*

X. DE TURBIS ANGLICIS.

Ex quibus etiam intelligitur, invenisse Legatum longè aliam rerum faciem, quàm Clemens reliquerat. Cùm videlicèt quidam nobiles ac Proceres indignè ferentes Regem ejúsque fratrem ac filios adeò indignè à Simone Monfortio haberi, unà cum Gilberto Glocestriæ sive Gloverniæ Comite, qui pari cum Simone auctoritate rebus gerendis præfectus, haud jam valens ejus ac filiorum insolentissimam superbiam ferre, ab eo discessit, junctis viribus, & Eduardo Regis filio deceptis custodibus pernicissimi equi cursu in libertatem vindicato; ac principium Augusti hujus ipsius anni inito acerrimo prælio ad vicum Evesham, Simonem occiderunt unà cum Henrico filio ipsius primogenito, cæterísque ferè omnibus ejus partis magnatibus & ducibus: vulnerato etiam Henrico Rege, quem Simon captivum circumducebat, & ut quidam [u] habent armis suis indutum in fronte aciei constituerat, ut si fortuna adversa esset dum Rex specie Simonis peteretur ipse sibi Simon fugâ consuleret. Corpus Simonis, capite, genitalibus, manibus, pedibúsque truncatis, fœdè laceratum est. Inhæsit tamen in mentibus plurimorum hominum opinio constans deinceps, eum, quod ob patriam jusjurandúmque servandum pugnando vitam amisisset, martyrem interiisse; cúmque vitam sanctè transegisset, miraculis etiam post mortem claruisse, quæ propter metum Regum occulta remanserint. Post victoriam Rex dignitati suæ unà cum fratre Richardo restitutus, reliquos adversarios suos exiliis & bonorum publicationibus mulctavit, urbes privilegiis & libertatibus privavit. Cui nihilominùs adhuc exules non parùm negotij in ipso regno facessérunt; satagente strenuè Othobono Legato ut perfecta concordia confirmaretur. Narrant hæc pluribus scriptores Angli [x]. De quibus item agens auctor antiquus Memorialis Historiarum, ait Clementem Papam jussisse corpus Simonis extrahi de cœmeterio in quo à suis positum fuerat, propter excommunicationem ab illo dum esset Legatus in Angliâ latam, & alio loco sepeliri.

[u] *Polyd. lib. 16.*

SIMON PERDUELLIS OCCIDITUR, REX LIBERATUR.

[x] *Supplem. Paris. Floril. Polyd. ubi suprà, & alij.*

XI. S. BONAVENTURA ELECTUS ARCHIEP. EBOR. RECUSAT ADIRE.

Mirum autem, neminem Anglorum meminisse promotionis *S. Bonaventuræ* Ministri Generalis Ordinis Minorum, factæ hoc ipso anno ab eodem Clemente Pontifice ad Archiepiscopatum Eboracensem in eâdem Angliâ, excluso Decano ejusdem Ecclesiæ, quem illius monachi sive canonici ad eam dignitatem elegerant. Extant [y] enim de his ipsius Pontificis ad eundem Bonaventuram literæ datæ octavo Calendas Decembris. Sed latuit fortè res illos, ex solertiâ sancti viri in eâ dignitate renunciandâ: quippe qui ut primùm accepit literas Pontificis, quàm concito gressu eum adiens, adeò efficaciter rogavit ab eo onere liberari, ut ægrè licèt tandem impetraverit, quod pluribus narrant ejus Vitæ Scriptores. Notam tamen fuisse etiam aliis auctoribus ejus electionem, satis constat ex eo quòd non semel eum reperimus nominatum *Electum Eboracensem.*

[y] *Reg. Clem. num. 170. & inde ap. Vvadding. to. 2. hoc an.*

XII. REX SCOTIÆ VEXAT ECCLESIAM, ET RESIPISCIT.

Hâc eâdem tempestate in vicinâ Scotiâ Alexander Rex per quosdam homines impios incitatus, monachos & Ecclesiasticos à nobili juventute vexari & injuriis affici permisit. Quod cùm prohibere Episcopus S. Andreæ excommunicationibus conaretur, ac quosdam attigisset ex regiâ familiâ; primùm Rex commotus in exilium eum abire, aut cœptis desistere jussit: deinde cùm is exilium præferens navigationem in Galliam pararet, objurgatus Rex ab optimis quibusdam viris quòd Christi Ecclesiam, quam tueri deberet, non vereretur vexare, revocato Episcopo factorum veniam obsecravit: reparatísque damnis quæ nefarij illi homines intulerant, absoluti omnes sunt ab excommunicationis vinculo. Ita Boëthius [z]. Quæ eadem narrans Buchananus [a] hæreticus & damnatus auctor, culpam omnem rejicit more suo in avaritiam & arrogantiam Ecclesiasticorum & monachorum.

[z] *Boëth. lib. 13.*
[a] *Buch. lib. 7.*

XIII. Vt verò non propterea excusatos velimus in omnibus & ubique monachos, (nec sanè cæteros Ecclesiasticos, quos tot bellorum ac tumultuum agitationibus non usquequaque vitam inculpatè duxisse scimus (haud omittimus recitare quod hoc ipso anno Trithemius [b] dolet, Ordinis S. Benedicti observantiam eo tempore in omnibus penè monasteriis Germanicæ nationis (utinam non & aliarum, nèc aliorum Ordinum!) usque adeò defecisse, ut pristinæ institutionis vestigium nullum in moribus cerneretur: Omnia corrupta esse, omnia collapsa, monachos simul cum Abbatibus in præcipitium vitiorum corruisse: neminem hanc illius Ordinis deformationem curâsse, neminem condoluisse; non Regem, non Papam, non Principes, non denique Præsulem ullum de monachorum reformatione quippiam cogitâsse: tam enim publicas fuisse transgressiones monachorum, ut licitæ putarentur. Ita ille. Quam tamen, rerum confusionem, & vitæ perturbationem, conatum esse Clementem Pontificem tollere, & disciplinam ubique restituere: cùm omnes auctores testatur, tum ex multiplicibus scriptis ab eo de his ad diversos literis, quas continet ipsius Regestum, affatim confirmatur.

[b] Trith. in Chron. Hirsaug.

Solutio disciplinæ Monasticæ.

De Fratribus autem Minoribus & Prædicatoribus, quorum vitæ sanctimoniâ & doctrinæ excellentiâ Ecclesia his temporibus mirificè illustrabatur, quid idem Pontifex senserit, Antoninus [c] aperit, cùm ait, ipsum à quodam consultum, quem potiùs Ordinem ex his duobus deberet intrare, in quo magis secundùm Deum proficeret, respondisse habere se illos sicut excedentia & excessa: quippè in cæremonialibus & religionis disciplinâ, ac subjectione, Prædicatores Minores excedere; in austeritate paupertatis & vestitûs Minores Prædicatores superare: Sicque uni eorum adhærescendum, ut ab altero non discederetur: *Nam bonum Fratrem Prædicatorem non esse, qui Minores non diligit; & execrabilem Fratrem Minorem esse, qui Prædicatores odit vel contemnit.* Quàm præclarè, ô sancte Pontifex! sed quid diceres si hodie viveres? quantum plerique mutati ab illis!

[c] Ant. tit. 20. cap. 1. ad pr.

De Prædic. et Minor. quid senserit Clemens.

Iesu Christi Annus 1266.

Clem. IV. An. 2.

Michaelis VIII. An. 7.

I. ANNO Christi millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Indictione nonâ, in ipsâ die Epiphaniæ, Romæ à quinque Cardinalibus ad hoc à Clemente Pontifice Perusio ubi is agebat missis, Carolus Andegavensis, quem anno superiori Romam appulsum vidimus, præstito sacramento, & homagio ligio Clementi Romanæque Ecclesiæ, inunctus & coronatus est in basilicâ S. Petri in Regem utriusque Siciliæ citra & ultra Pharum, unà cum uxore suâ Beatrice. Sunt qui dicant, coronatum etiam tum fuisse in Regem Ierosolymorum: at hoc anno tantùm Christi 1277. contigisse ex cessione Mariæ ejus regni hæredis, videbitur ibi. Errántque pariter qui coronationem Caroli in Regem Siciliæ in Ecclesiâ Lateranensi, & à duobus tantùm Cardinalibus, vel qui à sex factam scripsêre. Quippe id gestum esse in basilicâ principis Apostolorum, & à quinque Cardinalibus, certum omninò redditur ex Actis coronationis, quæ vidimus in Formulario [a] Ms. Marini Eboli Archiepiscopi Capuani S. R. E. Vicecancellarij: quibus etiam insertæ sunt literæ Clementis Pontificis ad eos eâ de re scriptæ, & sacramentum atque homagium Caroli: quæ descripserunt etiam alij.[b] qui quidem Cardinales nominantur ibidem *Rudolphus* (princeps Legationis, natione Gallus nobili familiâ de Chevrieres, ex Episcopo Ebroicensi) Episcopus Albanus; *Ancherus* (itidem Gallus, nepósque ex fratre Vrbani) Presbyter tituli S. Praxedis; *Richardus* (Romanus) tituli S. Angeli, (Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus) *Godofridus* (Alatrinus) tituli S. Georgij ad Velum aureum; & *Matthæus* (Romanus) tituli S. Mariæ in Porticu Diaconi Cardinales. Ex quibus pariter, aliísque monumentis, corruit quod nonnulli asseruerunt coronationem factam esse Romæ ab ipsomet Clemente Pontifice; cùm extra omne dubium sit, ipsum nunquam toto Pontificatu Romam vidisse, sed semper aut Viterbij aut Perusij egisse.

Carolus coronatur in Regem Siciliæ una cum coniuge.

[a] Ext. in Bibl. Vatic. atque etiam in Fux. Tolos. lib. 1.

[b] Vid. Addit. ad Ciacon. in Clem. IV. & Bzov. hoc an.

II. Egregium porrò, quod ipse jam penitùs exhaustus Carolo pecunias subinde poscenti prudenter ac piè rescripsit [c]; *Nec montes nec fluvios habere se aureos, & quantumcumque necessitas urgeret nihil se posse ultrà posse: fecisse se liberaliter quod potuisset, & quod commodè poterit facturum: sed exhaustis jam viribus, & mercatoribus fatigatis, cur ipsum ulterius inquietaret videre se non posse: nisi forsan requireret miraculum, ad quod sibi nequaquàm merita suffragarentur, ut in aurum terram vel lapides converteret.* Egregium & quod ad literas à Manfredo insolenter scriptas respondit; eas nec favorem promeruisse, quòd veritati contrariæ essent, nec timorem incutere potuisse homini timorato, qui nihil præter Deum timeret, & quod est formidabile præter ipsum: Manfredi literas veritati contrarias esse, quòd cõparationes prosequerentur odiosas, & nunc impotentiam nunc superbiam Carolo imponerent: Neminem enim dubitare, Carolum potentem esse & humilem, ac de potentissimâ & humillimâ domo natum: & si potentiæ probatio quæreretur, visurum brevi omnem oculum non solùm quid homo valeat, sed quid in homine possit Deus: Venisse Carolum non ut sibi jus raperet alienum, sed ut jura Ecclesiæ prosequens & honorem ejus promoveret, ac suum pariter inquireret commodum, juxta providentiam sibi factam ex indulgentiâ Apostolicæ largitatis: Quòd si viarum difficultas objiceretur, si terrarum marisque conclusio, si Saracenorum & excommunicatorum promiscua multitudo, si cujuslibet barbaræ nationis admixtio; potentem esse Deum aperire conclusa, & colligata dissolvere, & in paucis multos subigere. Denique negotium Dei agi in cujus manu sunt omnia regnorum jura: ac propterea judicium ejus expectandum, & quod in ejus oculis bonum foret, suscipiendum ab omnibus & à singulis approbandum. Hæc & alia ejusmodi Clemens,

[c] Reg. Vatic. Clem. IV.

Egregia responsa Clementis PP. ad literas Caroli et Manfredi.

eadem auctoritatibus & exemplis sacræ Scripturæ confirmans.

III. ITEMQUE CAROLI AD MANFREDUM.

In quem etiam sensum ipse Carolus nunciis Manfredi ad se de pace vel induciis missis generosè respondit [d]; *Ite, & renunciate Sultano Lucerino* (Manfredo scilicèt, qui Saracenis Luceriam obtinentibus maximè confidebat, & familiariùs utebatur) *vel me brevi ipsum in infernum detrusurum, vel ipsum me in paradiso collocaturum*, quippe Manfredus excommunicatus contra Ecclesiam arma gestabat, Carolus vocatione Pontificiâ & benedictione Apostolicâ Ecclesiæ defensionem susceperat.

[d] *Summont. Hist. Neap. lib.2.ex Collenut.lib.4.*

IV. CAROLI BELLICI PROGRESSUS.

Nec fefellit vaticinium. Siquidem ductis mox in Manfredum copiis Carolus, cùm ad Lirim fluvium pervenit, Ceperano primùm (cedente Comite Casertano, quem cum validissimo præsidio ejus pontis custodiæ Manfredus præfecerat; in vindictam stupri uxori suæ, Manfredi sorori, ab eodem spurcissimo Manfredo per vim nuper illati (absque certamine potitus; ac subinde S.Germano, loco naturâ, operibúsque, ac mille ampliùs equitum & quinque millium peditum è Saracenis, Germanis, & Apulis selectorum defensione, munitissimo, cœptâ per calones pugnâ, multo hostium sanguine in potestatem suam redacto: postremò ad campos Beneventanos in conspectu Manfredi positus die Veneris vigesimâ sextâ Februarij, (ut disertè habent literæ [e] ipsius Caroli de victoriâ ad Clementem postridie scriptæ, confirmántque alij [f]; cùm dies alios ejusdem exeuntis mensis nonnulli scriptores consignent, quidam [g] etiam tertium Nonas Martij) post suos à se oratione militari confirmatos, & ab Episcopo Altissiodorensi Guidone de Melloto Legato Apostolico sacrâ benedictione & peccatorum absolutione securos redditos; Manfredum atrocissimo prælio, (quo ducum virtus in longo & dubio certamine valdè conspicua fuit; ipséque Carolus, in quem unicum decem fortissimi viri conspiraverant, prostratus, conclamatúsque pro mortuo est; sed mox erectus magno clamore certamen redintegravit) ingentique, utrimque cæde devicit; occiso ipso Manfredo, captísque ferè omnibus ejus Proceribus qui gladium evaserunt.

[e] *In Reg. Clem. an.2.*
[f] *Nang. in Chron. Guill. de Pod. Laur. Chron. c.49. &c.*
[g] *Ster. in Annal.*

MANFREDUM VINCIT, ET OCCIDIT.

V.

Ferunt, cùm in procinctu certaminis Manfredus in acie Caroli conspexisset Guelfos exules splendentibus armis conspicuos, quinam ij essent interrogâsse, & cùm Guelfos ex Lombardis Hetrucísque ac cæteris de Italiâ regionibus collectitios responsum esset, exclamâsse ubinam essent Gibellini, quos tanto studio defendisset; jurejurandóque comminatum, se Gibellinam, si vicisset, factionem Guelfæ prostraturum: (Potuerunt prætereà Guelfi dignosci ex insignibus militaribus: quandoquidem reperimus [h], Clementem Papam tribuisse iis coccineam aquilam in campo argenteo, draconem sibi subjectum acutis unguibus calcantem: cùm jam olim Fridericus Gibellinis sequacibus suis aquilam nigram addixisset:) In ipso autem certamine, cùm aquilæ imago quam idem Manfredus pro insigni in summitate galeæ ferebat, in terram spontè cecidisset, portento turbatum suis dixisse, *Hoc esse signum Deo*; quòd eam aquilam ita ipse propriis manibus galeæ affixisset, ut cadere nullatenus posset. Corpus ejus tertiò demùm die inter mortuos repertum, Ecclesiasticâ sepulturâ, quoniam in excommunicatione mortuus erat, privatum, ad ripam fluminis quod Beneventum præterfluit in fossam conjectum est, aggesto super illud à militibus acervo lapidum. Quod posteà Clementis Papæ jussu extra regnum ad ripam fluminis Viridis, quod Picentes ab Aprutinis dividit, terrâ profanâ sepultum est. Ejus verò uxor (quæ ex Principibus Græciæ erat) cum liberis, receptâ post hæc Luceriâ [i], quò se receperant cum Saracenis, in vinculis publicis Neapoli decessêre; parémque exitum nonnulli Proceres à Carolo capti habuêre: plerísque tamen libertati & dignitati restitutis; qui nihilominùs ei in causâ Conradini magno scelere infidi fuêre. Narrant hæc omnia prolixè Italici Scriptores Ricordanus [k], Villanius, Corius, & Collenutius; ac prolixiùs ex iis aliísque Summontius [l], nonnulla eorum vel corrigens, vel interpretans. Eadem etiam fusè Nangius [m], breviúsque Paduanus [n], Guillelmus de Podio Laurentij, Blondus, Antoninus, Nauclerus, Fazellus, & alij qui Latinè scripserunt, præter Gallici idiomatis historicos qui eadem tractârunt. Quæ quidem præsenti anno contigisse, omninò certa est plerorumque sententia: quamvis non desint qui anno 1265. collocent, sive errore, sive quòd annum inchoënt ab Annunciatione Virginis, ut Florentiæ fiebat.

[h] *Ap. Ciaccon. in Clem. IV.*

QUID DE CORPORE, ET LIBERIS MANFREDI ACTUM.

[i] *Vid. infr. an. 1269. VI.*
[k] *Ricord.cap. 179. 180. Vill. lib. 7. cap. 5. usque 10.Cor.par.2. Collen. lib. 4.*
[l] *Sum. lib. 2.*
[m] *Nang. in Chron. & in Vit. S.Lud.*
[n] *Paduan. Epit. lib. 3. Guill. Chron. cap. 49. Blond.2. dec. 8. Ant. tit. 20. cap.1. §. 3. Nauc.gen. 43. Fazel. 2. dec. 8. c.3.*

VI. SÆVITIA VICTORIS IN BENEVENTANOS.

Cæterùm Francis post victoriam Beneventum, quòd Manfredus possederat, unà cum fugientibus permixtim ingressis, non solùm in hostes, verùm etiam eodem impetu tam in cives innoxios, nullo sexûs ætatis, aut conditionis habito respectu, quàm in ipsum sacrum Clerum, qui unà cum Episcopo civitatis solemni pompâ, præcedentibus Crucibus & Sanctorum reliquiis, cum hymnis & canticis supplex obviam processerat, sævitum est; virginum ac matronarum pudor violatus, omnium opes direptæ, templa spoliata, cuncta ferro flammáque vastata. Quâ de re meruit Carolus à Clemente Pontifice, inter victoriæ gratulationes, graviter reprehendi [o], tum ob crudelitatis excessum, tum quòd Beneventum esset dominij specialis Ecclesiæ Romanæ: moneríque ut eidem civitati & damnis illatis satisfaceret, ac ne imposterùm militibus licentiæ habenas relaxaret, nec denique victoriâ divinitùs ei concessâ in superbiam extolleretur. Neapolim autem mox progressus Carolus, magnóque triumpho exceptus, cùm thesaurum Manfredi ibi repertum, in frequentissimo Procerum suorum conventu, staterâ Beltramo (sic enim Villanius [p], ac post eum Collenutius & Summontius nominant, quem Ricordanus [q] iis antiquior Hugonem) Balcio nobili Provinciali traditâ, dividere jussisset; Beltramus abjectâ staterâ, thesaurum in tres portiones pede partitus, unam Regis assignavit, Reginæ quæ & ipsa aderat alteram, tertiam militibus qui Regi fortiter adstitissent: quæ partitio omnibus probata est.

[o] *Reg. Vatic. an. 2. 3. Id. April.*
[p] *Vill.cap.10. Coll. lib. 4. Sum. lib.3.*
[q] *Ricord.cap. 181.*

PARTITIO THESAURI MANFREDI.

VII. CAR. POTITUR UNIVERSO REGNO.

Inde verò universo Regno tam citra quàm ultra Pharum brevî potitus, multis aliis bonis ac terris suis dispartitis, Regni statum

quàm potuit optimè ordinavit, & Guelfis in sua reducendis egregiè adlaboravit: Ecclesiis, ac præcipuè Romanæ ablata restituit, privilegiáque omnibus confirmavit. Quæ ut gesta fuerint iidem qui suprà auctores prosequuntur: ex quibus erunt nonnulla speciatim inferiùs memoranda.

VIII. Affinitates contrahit cum Principibus Latinis Græciæ

Vulgatâ verò per orbem ejus victoriæ & Regni adeptionis famâ, Balduinus Imperator olim Constantinopolitanus, qui post suam inde expulsionem Eubœam Græciæ provinciam adhuc retinuerat, missis ad eum legatis affinitatem ejus ambiens, petiit unico filio suo Philippo, quem Thessaliæ Regem vocabant filiam Caroli conjugem dari, & auxilium recuperando Imperio præstari. Paritérque Guillemus Willarduinus Achaiæ Princeps & ipse Gallus, filiam suam unicam obtulit Carolo in conjugium Philippi ipsius secundogeniti, cùm primogenitus æquè Carolus dictus cognomento Claudus jam duxisset Mariam unigenitam Stephani Regis Hungariæ. Quam utramque conditionem facilè Carolus, jam quæcumque magna animo versans, accepit: quamvis Philippus ejus filius paulò pòst decesserit, seu casu tendendo arcubalistam, seu veneno. Hæc Summontius [r], diligens rerum scrutator, ex Iuvenatio tunc vivente, aliísque probatis scriptoribus. Quibus & suffragatur Gregoras [s] Græcus auctor, & alij plerique omnes.

[r] Sum. Hist. Neap. lib. 3.

[s] Greg. lib. 4.

IX. Conradinus assumit titulum Regis Sicil.

Ex aliâ verò parte Conradinus filius Conradi Regis, nepósque Friderici quondam Imperatoris, adolescentulus quindecim circiter annorum, Dúxque Sueviæ, de quo jam aliquoties superiùs, auditâ Manfredi patrui sui nece, titulum Regis Siciliæ, tanquam sibi etiam ante Manfredi usurpationem debitum, assumens, cœpit literis eo nomine scriptis populos ac civitates Italiæ inimicas Ecclesiæ solicitare. Quod audiens Clemens Pontifex, primò decimo-octavo Calendas Maij, deinde in festo Dedicationis Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli (nempè die decimâ-octavâ Novembris) anni secundi sui Pontificatûs, publicè in Ecclesiâ Viterbiensi præceptum promulgavit, quo tam ipsi omninò injunxit à præmissis desistere, quàm cæteris omnibus cujuscumque conditionis hominibus prohibuit eum in Regem Siciliæ agnoscere, aut qualemcumque favorem, ad turbationem Ecclesiæ Romanæ ac juris Carolo acquisiti, in quâlibet parte Italiæ præstare; sub pœnâ excommunicationis in personas, necnon privationis beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum atque feudorum laïcorum, & interdicti in loca. Vt de his constat ex ipsius eâ de re constitutionibus quæ habentur in ejus Regesto Vaticano; ac speciatim ex postremâ in Conradinum latâ sententiâ anno quarto Pontificatûs, de quâ dicetur suo loco.

Vetatur à Pontifice.

X. Anglia pacatur à Legato Apost.

Interim in Angliâ nondum rebus paccatis, Rex Henricus celebrans de more Londini festum S. Eduardi Regis 5. Ianuarij, in prandio Othobonum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, in sedili regio collocavit, singulis ferculis priùs appositis cum eo. Post quæ idem Othobonus celebrato *Concilio* apud *Northamptonem*, sententiam excommunicationis tulit in omnes Episcopos & clericos, qui Simoni Monfortio contra Regem præstiterant auxilium vel favorem: (quorum nonnulli Romam ad petendam absolutionem missi sunt, quidam in ipsâ Angliâ eam acceperunt:) eâdémque sententiâ cæteros quosque Regis adversarios publicè constrinxit. Ne verò Rex inopiâ sumptuum in retinendo contra rebelles milite premeretur, auctoritate Pontificiâ decimam omnium fructuum Ecclesiasticorum totius Angliæ in septem proximos annos imposuit. Ita Continuator Parisij: sed malè sub anno sequenti collocans, quæ ex aliis constat præsenti peracta: ut ferè semper uno anno cæteris postesse gaudet. Subdit verò; convocatis posthâc à Rege apud S. Edmundum totius regni optimatibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, cùm decimarum impositio, aliáque ad rem pecuniariam spectantia retractarentur, eos acriter obstitisse Regi atque Legato: monitósque à Legato rebelles qui insulam Eliensem occupaverant, redire ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ & Regis, multa priùs emendari insolenter petiisse, quos anno sequenti Eduardus Regis filius inde expulit; & subsecuta est demùm regni tranquillitas, quemadmodum pluribus describit Florilegus.

XI. Disputationum in comitiis Ordinũ institutio.

Hoc item anno sub mensem Aprilis celebratis à S. Bonaventurâ, Ministrum Generalem Ordinis Minorum à multis annis agente, Comitiis generalibus Ordinis Lutetiæ, cœptæ [t] sunt publicæ haberi disputationes; tum quò faciliùs de eâ quæ in singulis est fide & spe omni petenti, juxta S. Petri consilium, cum modestiâ & timore rationem reddere assuescerent, tum ut perspicere possent Ordinis Rectores quantùm proficerent in sacris doctrinis adolescentes. Quæ semel introducta in eum Ordinem consuetudo, neque aliquando posteà intermissa, in cæterorum quoque fermè omnium Comitiis frequentari cœpit, cùm propter tanti institutoris reverentiam, tum propter manifestam ejusmodi exercitationum utilitatem.

[t] Vvadding. in Annal. Minor. to. 2. hoc an.

XII. Victoria de Russis à Polonis parta precibus Boleslai Princ.

Quo eodem anno Boleslaus [u] Pudicus minoris Poloniæ Princeps, frequentibus Russorum sive Ruthenorum paganorum excursionibus vehementer irritatus, delectu in eos habito, bellíque administratione Petro Palatino Cracoviensi commissâ; ipse egregius cæteroqui fortísque dux milésque, domi residens, una cum uxore Kingâ sive Kunegunde precationibus & supplicationibus vocavit, exercitûs sui curam & protectionem Deo commendans: cùm Petrus ingentes Russorum, & Tartarorum in auxilium evocatorum copias, quas Suarno filius sororis Danielis, de quo aliàs, ducebat, nobilissimâ victoriâ prostravit, direptísque opulentis castris, & agris vastatis, victor in Poloniam revertit: viribus & animis Russorum ita illâ clade fractis, ut permultis deinceps annis nihil hostile contra Polonos molirentur. Quæ quidem victoria, Boleslai cum uxore precibus à Deo impetrata esse existimata est, magis quam humanis viribus parta; de tantâ scilicet hominum multitudine ut quadruplo Polonos excederet. Quin & illud memoratur, oranti Kingæ adstitisse duos viros candidatos, & futurum belli eventum

[u] Microv. Rer. Polon. lib. 3. c. 46. Crom. lib. 9.

prædixisse: qui Gervasius & Protasius martyres, quorum memoriæ dicata erat dies illa quâ pugnatum est, fuisse crediti sunt.

XIII. Decimo Calendas Iulij Clemens Pontifex Viterbij agens, pacem & concordiam inter Belam Regem Hungariæ & Stephanum filium ejus, post diuturna ipsorum dissidia stabilitam, & ab Archiepiscopo Strigoniensi die nono Martij anni præsentis in instrumentum publicum redactam, ad preces utriusque Regis confirmavit. Quæ omninò nesciremus, nisi detexissent epistolæ Clementis; cùm nihil de iis in Historiis Hungarorum hactenùs editis quas equidem viderim. Sicuti nec quod in aliis ejusdem Pontificis literis ante prædicta hoc ipso anno 12. Calendas Februarij Perusij ad eundem Belam Regem datis legimus, quòd Rex admittere recusaret Timotheum creatum ab Vrbano Episcopum Zagabriensem, eo prætextu quòd vilis esset originis, redargutum eum severè fuisse ab eodem Clemente, ægregiè docente, cùm naturâ omnes homines æquales sint, aliquos posteà cæteris regendis necessariò eligi; ac propterea non debere ratione originis contemptui esse, cui ob virtutum merita principatus vel præsulatus in alios confertur, nec decere potentem persequi pauperem, additísque denuò precibus ac monitionibus pro eodem Timotheo admittendo, demùm minatur nisi his acquiescat, inhærendo se vestigiis ejus qui pro christis suis corripuit Reges, causam pauperis prosecuturum.

NON REIICIENDUS EPISC. PRÆTEXTU VILIS ORIGINIS.

XIV. GUIDO LEG. AGIT IN DANIA CONTRA REGEM.

Hoc item anno Guidonem Legatum, de quo anno superiori, adiisse Daniam, tradit Ericus Rex in suâ illius gentis brevissimâ annali historiâ; ac Regem (dictum item Ericum sive Henricum) & Reginam (matrem videlicèt Regis, quæ filio adolescentulo regnum administrabat) excommunicâsse. Quo etiam auctore vidimus [x] quàm miser tunc esset Daniæ Ecclesiæ status. Causam tamen hujus excommunicationis non aperit. Sed eam ex Krantzio [y] intelligimus, dum in suâ Wandaliâ ait, missum Guidonem fuisse in Daniam componendis rebus inter Regem & Iacobum Archiepiscopum Lundensem; multámque impendisse operam ad liberationem Archiepiscopi, quem Rex vinctum tenebat in carcere: cúmque diù laborans nihil proficeret, festinâsse egredi, ut Regem excommunicationi, universum regnum interdicto subjiceret. Fuisse autem Archiepiscopum jam à patre Erici Christophoro in carcerem conjectum, tam idem Ericus historicus, quàm Krantzius in Daniâ consentiunt; & causam Krantzius addit, solutionem decimarum, qui tamen in eo errare videtur, quod scribit Guidonem rebus compositis relaxâsse interdictum; cùm reperiantur etiam epistolæ Gregorij Decimi de his decimarum controversiis, quarum causâ Rex Archiepiscopum Lundensem aliósque Episcopos expulerat, ad Henricum scriptæ pro pace inter eundem Regem & Clerum componendâ: nisi & hæc fuerit nova Regis in Clerum persecutio. In eo verò planè corrigendus Krantzius, quòd prædictum Guidonem Legatum, eundem esse putavit cum Clemente Quarto Romano Pontifice, qui etiam nomine proprio Guido dicebatur.

[x] *Supr. ann. 1264. III.*

[y] *Krantz. 7. Dan. 24. & 7. Vvandal. 33.*

Quo etiam eodem errore lapsos reperimus & alios. Intérque illos Ioannem [z] Magnum in Historiâ Gothicâ; cum de hâc eâdem Guidonis legatione agens, ait eum missum fuisse ab Vrbano Pontifice, à quo vidimus Guidonem posteà Clementem legatum fuisse in Angliam. Hic enim de quo modò agimus, non ab Vrbano, sed ab ipsomet Clemente missus. Qui egregiè & impigrè suâ legatione ubique fungens, hoc eodem anno (ut idem Ioannes scribit) in Calmarniam, (quæ civitas caput erat Gothiæ meridionalis) pervenit, & quædam negotia curavit; quæ Ioannes ait se relaturum opportuniore loco: nec tamen nos eum locum diligenter licet quæsitum invenire potuimus vel in ejus Historiâ vel in Metropoli. Quæ verò præterea Guido præstiterit hâc suâ legatione, dicetur anno sequenti. XV.

[z] *Io. Magn. lib. 19. c. 20.*

VISITAT QUOQUE SUETIAM.

Hoc verò egregia reperiuntur [a] edita ab Engelberto Archiepiscopo Coloniensi Statuta, pro immunitate Ecclesiarum & Ecclesiasticorum ac Regularium contra ejus violatores. Adversùs quos habuit [b] ipsemet sæpè arma tractare. XVI.

[a] *In Collect. Concil. Colon.*

[b] *Trith. in Chron. Hirsaug.*

Intereà verò rebus Christianorum Syriæ in dies ad interitum ruentibus, Bendocdar Soldanus Ægypti & Babyloniæ, cùm post tentatam frustrà eodem mense Iunij Ptolemaïdem, castrum Saphet deditione obtinuisset; contra deditionis pacta cunctos Christianos qui ibi reperti sunt ultra sexcentos, excepto duce, occidit, quòd fidem negare duobus Fratribus Minoribus qui aderant, Iacobo de Podio & Ieremiâ de Ianuâ eos ad martyrium hortantibus, recusaverint. Post quos iidem Fratres, unà cum Priore Templariorum excoriari jussi sunt, deinde fustibus cædi, postremò in loco necis cæterorum capite truncari. Quem posteà locum, quoniam singulis noctibus ipsismet cernentibus Saracenis, lux cælestis splendesceret super corpora, idem Soldanus maceriâ circumdari jussit. Sequenti verò mense Augusti quidam ex ipsius ducibus, occasionem aucupatus absentiæ Haythoni Regis Armeniæ, viri bellicæ disciplinæ expertissimi, qui ad Regem Tartarorum perrexerat, Armeniam ingressus, congressúsque cum duobus Regis filiis, unum occidit, & alterum cepit, uti hæc narrat Marinus Sanutus [c]. XVII.

MARTYRES IN SYRIA A' BENDOCDARE SOLD.

[c] *San. lib. 3. par. 12. cap. 8. & par. 15. cap. 10.*

Quæ autem Armeniæ sunt, Haythonus monachus & historicus, è regiâ familiâ oriundus, expressiùs tractans [d], ait Regem ingenti hâc clade perculsum, cùm à Rege Tartarorum, ob bella quæ cum vicinis gerebat nihil tum subsidij sperare posset, suis viribus diffisum, pactis cum Soldano induciis, certis conditionibus filium ab eo recepisse; ac brevì pòst, ubi regnum quadraginta quinque annis optimè administrâsset, multáque & magna pro defensione ac propagatione fidei Christianæ gessisset, relicto regno prædicto filio suo, (quem Haythonus Tyvonum, quidam alij Thynum, Sanutus Leonem sive Lievonem nominat) religionem ingressum esse, accepto nomine Marcaris; & post modicum temporis spatium felici exitu in Domino quievisse anno salutis 1270. Cujus tamen obitum Sanutus differt ad annum 1272. XVIII.

[d] *Hayth. c. 33.*

REX ARMENIÆ FIT MONACHUS.

Clemens verò Pontifex auditis Soldani progressibus, Europæos Principes ad succurrendum XIX.

CLE-

MENS HORTATUR ADVERSÙS SARACENOS.

dum Christianis ibi laborantibus hortari non cessavit: missis in Syriam nunciis, omnes ad constantiam animavit, cum promissione citorum auxiliorum à Rege Francorum, aliisque Principibus qui Crucem induissent: ad Michaelem Græcorum Imperatorem, & ad Regem Armeniæ, necnon ad Abagham Regem Tartarorum, de iisdem scripsit; nihil denique omisit quod rebus promovendis & accelerandis esset: prout intelligitur ex ipsius literis iis de rebus ad diversos scriptis, quæ reperiuntur in Regesto Vaticano. Cùm intereà (ut Sanutus habet) non cessarent Veneti ac Genuenses, eorúmque causâ Ptolemaidenses & Tyrenses, cæco furore inter se digladiari, & Christianitatis perniciem totis viribus atque conatibus accelerare.

IESU CHRISTI Annus 1267.

CLEM. IV. An. 3.

MICHAËLIS VIII. An. 8.

I. TRACTATUS DE UNIONE ECCLESIÆ GRÆCÆ.

ANNO Christi 1267. Indictione decimâ, Clemens Pontifex receptis à Michaële Palæologo Græcorum Imperatore Constantinopolitano, & a Fratribus Minoribus ad ipsum pro unione Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ missis [a], literis; quibus significabatur, non potuisse Fratres id plenè consequi quod cupiebant; ne tamen re omninò infectâ recederent, in quandam devenisse concordiam, quam proposituros se Apostolicæ Sedi spopondissent: respondens ad ea Pontifex, primùm declaravit nequaquàm admitti posse prædictam concordiam, quòd nonnulla contineret absona, & damnosa unioni expetitæ: deinde ut absque ullis ambagibus res fieret, formulam fidei transmisit, quam explicitè coram Sedis Apostolicæ Apocrisiarius Imperator unà cum Patriarchâ, Episcopis, Clero & populo publicè, ex more prisco profiteri deberet. Quòd si de quoquam ambigeretur, Apocrisiarios suos ad Sedem Apostolicam mitteret, quibuscum de fide & unione tractari commodè posset. Si verò etiam Concilium Oecumenicum congregari postularet, in hoc item Pontificem ei adquieturum: non tamen ut in disputationem revocarentur ea quæ semel essent à sanctis Patribus & sacris Synodis definita; sed ut sublatis concertationum scrupulis pax & concordia firmiter stabiliretur. In quem modum tam prædicto Imperatori quàm etiam Patriarchæ Græcorum scripsit [b] quarto Nonas Martij.

[a] *Supr. an. 1263. VI.*

[b] *Reg. an. 3. ep. 1. & 2. extantque pariter in Formul. Mar. Ebol. tom. 1. & ap. Vvadding. to. 2. hoc an. ap. Bzov. an. 1339. loco non suo, & malè sub titulo Greg. X.*

II. CLEMENS ALFONSUM CASTEL. CORONAM IMPERII IMPORTUNE' PETENTEM NON AUDIT.

Alfonso Regi Castellæ & Richardo Comiti Connubiæ, de Imperio Occidentali apud Sedem Apostolicam contendentibus, quosdam articulos ex controversiâ partium resultantes, quorum probationes conquirendæ forent, misit, diémque ad eas producendas assignavit. Interímque Alfonso ipsum interpellanti, ut omisso Regni Romanorum diademate quo ante omnia Aquisgrani redimiri mos erat, Imperij sibi coronam conferret, ac vel Romam se venire juberet, vel ipse in Hispaniam trajiceret; significavit [c] nec se Italiam in magno discrimine deserere posse, nec Imperij insignia illi per saltum conferre.

[c] *Non. & 5. Id. Iunij.*

III. CAROL. REX SICIL. CREATUR VICARIUS IMPERII.

Carolus intereà rebus in regno suo Siciliæ satis firmatis, cùm magnam apud omnes existimationem adeptus esset, Pontificem adiens, ob rem præclarè gestam ab illo est vacantis per prædictorum Principum contentionem quasi *Imperij Vicarius* constitutus. Ipsíque Florentini eximiâ in eum benevolentiâ, quem pulsis Gibellinis auctorem reditûs sui & protectorem salutis haud falsò prædicabant, propriâ sponte plenum civitatis suæ arbitrium ei permiserunt: cujus ipse regimini singulis annis Vicarios suos præficere cœpit, qui statum civitatis ejusdem Regis atque Pontificis auctoritate ordinaverunt. Narrat enim hæc Villanius [d] post Ricordanum [e]; & S. Antoninus [f] ex Leonardi [g] Aretini historiâ. Quorum etiam meminêre Blondus [h], & alij. Tradúntque non tam hæc ambitiosè à Pontifice & Rege gesta esse, quàm rebus ipsis vehementer flagitantibus; quòd crebrâ famâ haud ambiguè vulgatâ de proximo adventu Conradini pro recuperatione regni paterni, ad securitatem rerum plurimùm pertinere cognoscerent Etruriam in suâ potestate habere, ex quâ permagni rerum motus prodire consueverant.

[d] *Vill. lib. 7. c. 15. 16. 21.*
[e] *Ricord. cap. 185. & 188.*
[f] *Ant. tit. 20. cap. 1. §. 5.*
[g] *Aret. lib. 2.*
[h] *Blond. 2. dec. 8.*

IV. VICARIATUS IS QUOMODÒ ACCIPIENDUS.

Sed quod iidem auctores, aliíque, *Vicarium* tunc temporis Imperij constitutum esse Carolum scribunt; negavit hoc Pontifex absolutè, cùm scribens ad Richardum electum Romanorum Regem (non Rudolphum Habspurgensem; ut ingenti historiæ ac temporum perturbatione quidam [i] incautè nimis, deceptus interpretatione literæ R. quæ in argumento epistolæ [k] reperitur, persuadere conatus est) paritérque ad ejus æmulum Alfonsum Castellæ, ob falsos ab his rumores nonnihil commotos, factúmque excusans, disertissimè ait, *Non se Carolum Imperij, sicut quidam mentiebantur, Vicarium, sed pacis constituisse servatorem*; quòd Manfredo de medio sublato, familiares ejus in Lombardiæ & Tusciæ partibus se videntes acephalos, Conradini nomen invocare cœpissent. Similia autem a suis prædecessoribus facta fuisse: nec solùm vacante Imperio legitimè posse fieri, sed etiam fluctuante: nec denique id se Carolo nisi in triennium concessisse, ac præstito juramento quòd si intereà certus quis declararetur Imperator, ipse continuò ei juri cederet. Quemadmodùm & in literis de eâdem dignitate ad ipsummet Carolum pridiè Nonas Iunij scriptis, non ait se illum Vicarium constituere, sed *Paciarium, seu pacis servatorem, in Tusciæ partibus Romano subjectis Imperio*. Quamvis & posteà novis emergentibus occasionibus etiam Vicarium constituerit, ut videbitur anno sequenti.

[i] *Bzov. hoc an. num. XI.*
[k] *An. 3. 17. Cal. Iul.*

V. FRATRŨ HISPAN. PRAVA CONSILIA IN PONTIFICEM ET CAROLUM.

Quomodò verò prædictam expeditionem Conradinus susceperit, enarrans Blondus ex scriptis (ut profitetur) Cardinalis Aragonensis qui rebus interfuit, ait duos Alfonsi Regis Castellæ fratres Henricum & Fridericum, ob nescio quos motus regno pulsos, diversas petentes regiones, suos Reges aut populos in fratrem concitare possent, Fridericum in Africam ad Saracenos, Henricum in Galliam ad sanctum Regem se contulisse. Sancto autem Rege æquè iis fratribus cognatione juncto, (erat Rex natus Blancâ sorore Berengariæ istorum fratrum aviæ: errántque plerique om-

nes hujus historiæ scriptores, cùm dicunt Carolum Regem fratrem sancti Regis & hunc Henricum natos fuisse ex fratre & sorore:) reconciliationis munus promittente, auxilium armorum denegante; Henricum in Angliam trajecisse, nec satis potuisse contendentem de Imperio cum fratre Richardum ad conatus illi propositos incitare: indéque Germaniam petentem, ibi demùm adolescentem Conradinum suo consentaneum desiderio reperisse: constitutúmque esse inter eos clandestinè fœdus, ut rebus ad machinationem ordinatis Conradinus cum exercitu in Italiam advolaret. Prævenientem verò Henricum ipsius in Italiam adventum, Pisanos, alióique populos Carolo adversantes, facilè in eandem machinationem traxisse; itáque se suis simulationibus, & datâ mutui nomine pecuniâ, quâ abundabat, ac præcipuè favore Caroli Regis, à quo benignè uti consanguineus susceptus fuerat, in gratiam Pontificis insinuâsse, ut etiam Vrbis Senator, eodem auctore Carolo, creatus fuerit: túncque Conradinum ut properaret admonuisse; ac Pisanorum classem in Africam, ad Fridericum fratrem suum cum validâ manu Saracenorum in Siciliam deducendum, misisse: Fridericum unà cum quodam Capitio Neapolitano Siciliam penè omnem in Conradini partes traduxisse. Ita Blondus. Ex cujus tamen narratione manifestè colligitur, haud fuisse Henrici propositum, Conradinum in fratrem Alfonsum commovere, sed in Carolum. Sicuti etiam Æmilius, hanc technam Henricum ab ipso exordio in hunc finem orditum esse scribit. Errat tamen uterque, & qui idem cum ipsis senserunt, cùm Conradinum pronepotem fuisse volunt Henrici ex Constantiâ ipsius sorore: cùm ex iis quæ suis locis superiùs disputavimus, certum sit Conradum patrem Conradini non fuisse natum ex Constantiâ primâ Friderici Imp. conjuge, sed ex secundâ Iole Ierosolymitanâ. Cæterùm expeditionem Conradini insperatò susceptam esse, divinâ providentiâ sic res disponente, nequa radix amaritudinis remaneret secundùm Dei judicium impræcisa; observavit Guillelmus de Podio Laurentij in suo Chronico, & post eum auctor Monfortiani.

VI. ALIA DE IIS RELATIO S. ANTONINI.

Res autem Henrici Hispani paulò aliter narrans S. Antoninus ex Leonardo, & ex utroque Marineus Siculus, aiunt ambos illos fratres Henricum & Fridericum extorres patriâ in Africam transgressos, Tuneti apud Regem longo tempore meruisse; ibíque prædâ simul stipendiísque ditatos, consultum duxisse ut Henricus qui major natu erat, cum omni pecuniâ & cæterâ gazâ in Italiam trajiceret, Sardiniæ regnum à Pontifice petiturus: hunc fautore Carolo usum, dum res tractaretur, petenti Carolo magnam pecuniæ vim mutuâsse: cúmque Pontifex Caroli gratiâ in eo esset ut Sardiniam concederet, ortis in Vrbe Româ seditionibus, ad eas sedandas Henricum Viterbio ubi cum Pontifice agebat, vocatum fuisse à civibus, & Senatorem constitutum, cùm verò dominatum veluti jure patrum nullo Pontificis respectu exerceret, ac majora quædam moliri videretur, tam Pontificem negotium Sardiniæ intermisisse, quàm Carolum repetenti mox pecunias bono consilio haud quaquàm reddendas existimâsse, ne scilicèt majores ad nocendum facultates illi adessent: hínceque Henricum, qui jam inde ab initio contrariam Pontifici Carolóque factionem magis fovere cœperat, Pisanos ac Senenses cæterosque ejus factionis homines, qui auctoritatem Pontificis & Regis detrectabant, sollicitare cœpisse, Conradino favorem suum promisisse, ac fratrem ex Africâ in Siciliam unà cum Capitio ad res turbandas evocâsse; ipsúmquemet Romæ, principibus civitatis aut pulsis aut custodiæ traditis, rem pro arbitrio in favorem venturi Conradini disposuisse. Hæc Antoninus.

VII. ALIA EX NANGIO ET VILLANIO.

Simpliciùs Nangius & Villanius, Henricum tradunt, (nihil enim ipsi de Friderico ejus fratre: sicuti nec Mariana Hispanus, cùm rebellionis Henrici in fratrem Regem, ejúsque in Africam secessûs, indéque in Galliam, ac demùm in Italiam itineris meminit [l], cùm nihilominùs, præter aliorum etiam auctorum testimonia, in sententiâ excommunicationis contra Conradinum à Clemente latâ anno sequenti, mentio fiat invasionis Siciliæ per eundem Fridericum Regis Castellæ fratrem:) audito in Africâ prospero statu Caroli, venisse ad ipsum in Apuliam cum octingentis equitibus Hispanis, & ab eo uti consanguineum ac virum strenuum benignè exceptum, constitutum fuisse loco ipsius Senatorem Romæ. Machinationes autem ejus Nangius ex perversitate ingenitæ naturæ, Villanius ex denegatâ restitutione mutuatæ pecuniæ & collatione regni Sardiniæ processisse tradit. Et quod ad Pontificis affectum in eum est ejusmodi Pontificis ad Carolum epistola [m], quâ patet ipsum Henrico nobilissimam conjugem è sanguine Græco conciliare laborâsse: præter Corsicæ atque Sardiniæ Regna, quæ per id temporis multi à Sede Apostolicâ optabant, quæ eidem conferre in animo habuit. Quibus ipse se ipsum per nefariam in Sedem Apostolicam (ut Carolum taceam) proditionem indignum præbuit, vexillum Conradini in Vrbe erigendo, ac præcipuos cives Pontificis amicos, & Cardinalium fratres ac nepotes carceri mancipando [n], aliáque nefanda perpetrando: atque eò magis quòd paternè sæpè monitus [o] à Pontifice ad cor redire, & à Conradini factione abire, non solùm audire contempsit, verùm etiam minas Pontifici intentare non dubitavit: ut tandem coactus sit Pontifex obduratum hominem censuris percellere. Sicuti & loca eorum, qui Episcopum Silvensem & Decanum Salamantinum Alfonsi Regis Castellæ ad Sedem Apostolicam in negotia Imperij nuncios, eorúmque itineris comites, dum per Tusciam transirent sceleratè spoliârant & occiderant, (sive id Henricus jussisset, sive tolerâsset) perpetuâ habitatione privari, & omninò deserta jacere, remaneréque in ævum Ecclesiastico supposita interdicto; publicâ sententiâ [p] decrevit; ipsóque ejus criminis reos, (citra tamen mortis & mutilationis periculum) & bona eorum mobilia quibuslibet Fidelibus liberè capienda exposuit.

HENRICI HISP. SUMMA PERFIDIA.

VIII. CLEMENS PP. AGIT

Quod verò ad Conradini adventum attinet; imprimis ex sententia in eum à Clemente Pontifice lata constat, ipsum præcepta & inhibitiones, de quibus anno præterito, præsum-

[l] Mar. lib. 13 cap. 11.

[m] Reg. Vat. in Clem. IV. ann. 2. Non. Ianuar.

[n] Est de his processus Clem. int. ejus epist. an. 3. 16. Cal. Dec.

[o] Sunt de his ejus epist. an. 3. mens. Dec.

[p] Ibid. in Reg. Clem.

CONTRA CONRADINUM.

[q] Ap. Goldast. in const. Imper.

ptuosè contemnentem, (cujus etiam extant [q] publicæ querimoniæ de injuriis sibi per Clementem ac decessores Romanos Pontifices illatis) hoc anno ipsius Clementis tertio, in die Cœnæ Domini in Ecclesiâ Viterbiensi publicè citatum esse, ut per se vel per procuratorem idoneum adesset apud Sedem Apostolicam infra festum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli : rursúmque in die Ascensionis Domini, eidem ingressum Italiæ, nisi pacificum ad sistendum se judicio Pontificis, inhibitum esse: cùm verò elapso dudùm dictæ diei termino, etiam Veronam manu armatâ accessisset, seque ulteriùs progredi velle comminaretur; declaratum esse excommunicatum , ac nisi infra mensem de Italiâ exiret, omni dignitate & jure privatum.

IX.

[r] Pad. Epit. lib. 3.
[s] Sigon. de regn. Ital. lib. 20.
[t] Ricord. cap. 190.
[u] Vill. lib. 7. cap. 23.
[x] Avent. lib. 7.

Pervenisse autem eum Veronam mense Octobri hujus anni, Paduanus [r] & Sigonius [s] scribunt : quamvis nonnulli alij in principium anni sequentis referant, fortè quia ibi hiemavit. Quod verò Ricordanus [t] & Villanius [u] asserunt, ipsum invitâ matre, (quam malè Austriacam faciunt, cùm certum sit fuisse Bavaram) eò quòd adolescentulus annorum sexdecim nondum per ætatem esset tantæ rei præstandæ satis idoneus , expeditionem suscepisse; inde recentiorem rerum Bavaricarum auctorem [x] arguere possis, dum ait ipsum consilio matris Italiam petiisse. Fuisse autem præcipuè à Senensibus & Pisanis , partium Gibellinarum studiosissimis omnium populis , ad expeditionem suscipiendam excitatum , & pecuniis adjutum, Villanius & alij tradunt. Habuit porrò expeditionis socios Fridericum Austriæ Ducem, ejusdem fermè cum ipso ætatis adolescentem, (filium [y] nempè Hermanni Marchionis Badensis ex Gertrude natâ Henrici fratris Friderici Bellicosi ultimi Ducis Austriæ; cùm alioqui Othocarus Boëmiæ Rex hoc tempore Austriam possideret ex nuptiis [z] cum Margaritâ prædicti Bellicosi sorore contractis :) & Leopoldum Bavariæ Ducem avunculum suum. Sed istum paulò pòst in Germaniam revertisse , auctores tradunt : causámque Aventinus refert, jussionem Pontificis. Quippe in prædictâ sententiâ Clementis reperitur ipse specialiter excommunicatus , ipsiusque terra interdicto supposita , nisi infra duos menses ab exhibendo favore Conradino desisteret. Hoc tamen non nisi post prædictam sententiam anno sequenti in Conradinum latam contigisse oportuit; quandoquidem idem ipse in eâ nominatim recensetur inter excommunicatos ob continuatum eatenùs favorem Conradino. Ex decem autem millibus equitum , quos ex Germaniâ Conradinus eduxerat , dum Veronæ nihil agens desideret , omnes præter tria circiter millia , venditis præ inopiâ equis & armis, domum rediisse; Paduanus, Ricordanus, Antoninus , & alij scribunt.

SOCII CONRADINI IN HAC EXPEDITIONE.

[y] Cuspin. in Austr.
[z] Supr. an. 1246. XIV.

X.

CAROLUS MULTIS INCOMMODIS SIMUL IMPETITUR.

[a] Iid. auctor. Villan. Anton. Blond. &c.

Intereà verò Carolus [a] , qui in Pisanis atque Senensibus ad obedientiam reducendis, prospero successu totus erat; eodem penè tempore de Conradini adventu , Romanæ Vrbis motu , Luceriæ Saracenorum , aliorúmque Apuliæ locorum, ac totiùs ferè Insulæ Siciliæ defectione , certior factus ; ancipiti perculsus malo , Senensium Pisanorúmque curam omittere , ac velut ad domesticum extinguendum incendium properare deliberavit : relictáque parte equitatûs in Etruriâ , ne Conradino veniente civitates quæ in fide ejus erant præsidio vacuæ forent, cum reliquis copiis in Apuliam properavit ; ubi conjugem suam Beatricem iisdem diebus defunctam reperit. Luceriam verò obsidens , cùm non facilè capere posset, castellis in circuitu ad omnes viarum exitus excitatis , gentem barbaram ne erumpere posset clausit : cæterósque locos in fide persistentes præsidiis adversùs hostes firmavit ; fortunam prælij cum cæteris copiis experiri decernens.

XI.

SCHISMA IN ECCL. MEDIOL. INTER TURRIANOS ET VICECOMITES.

Cùm verò Mediolanenses , aliíque Lombardiæ populi ac Principes Ecclesiæ studentes, procurante Legato Pontificis fœdus inter se adversùs Conradinum & Gibellinos renovássent : Napus Turrianus Præfectus Mediolanensis iniquè passus se ac civitatem suam jam per plures annos usu sacrorum ac divinorum officiorum orbatam Apostolicæ expertem gratiæ trahere vitam ; (eò quòd creato ab Vrbano Pontifice in Archiepiscopum Mediolanensem Othone Vicecomite magni viro consilij & animi ; Turriani civitati dominantes , qui unum è suâ familiâ in schismate cleri electum, quem Pontifex rejecerat, in eâ dignitate asserere conabantur , Othonem hactenùs in urbem admittere detrectaverant :) rem quacumque ratione componere cum Pontifice statuens, nuncios ad eum destinavit. Qui primum à Clemente ob præteritam pervicaciam accedere prohibiti , deinde in gratiam deprecantis pro illis Caroli auditi ; causâ ab iis , & Othone magno utrimque apparatu peroratâ, recusantéque omninò Pontifice sacra civitati restituere nisi Otho reciperetur ; nuncij id sine dubio exequi , aliáque præstare quæ Pontifex jussisset, promiserunt. Quod tamen cùm ægrè promitti Otho non dubitaret ; omniáque ad irritum ut priùs casura timens , Cardinalem Legatum Mediolanum eâ de re mitti elicuisset : accidit rursùm ut quamvis missus anno sequenti Cardinalis, civitate jurejurando adactâ Othonem tanquam verum Archiepiscopum recipere , ablata restituere, neque imposterùm Clerum molestiâ aut onere ullo afficere, & damna illata resarcire ; communionem ei restituerit : nihilominùs interveniente eodem tempore morte Clementis Pontificis, Turriani nihil eorum quæ spoponderant observàrint : donec Otho justis armis post multos tandem annos , ut videbitur , rerum potitus est. Quomodò autem hæc se habuerint, narratur apud Sigonium [b] ; sed expressiùs ac diffusiùs in Chronico Bossiano , & Historia Corij Rerum Mediolanensium.

[b] Sigon. lib. 20.

XII.

[c] Ext. de his omnibus liter. in Reg. Vat. Clem. IV. an. 3.

ALIA GESTA CLEMENTIS HUIUS ANNI CŪ REGIBUS

Quo eodem anno idem Clemens [c] Pontifex Othocaro Boëmiæ Regi concessit , ut si terram Lituaniæ, cui olim Mendocus titulo regio præfuerat, è manibus Paganorum eripere posset, iterùm aliquem ibi in solium eveheret. Eundémque adversùs Infideles Gothlandiæ & finitimarum regionum excitans , si opportunum videret aliquam Episcopalem Ecclesiam inter illas erigere. Sedi Apostolicæ significare monuit. Atque ut Patriarcham Aquileiensem à Comite Goritiæ captum in libertatem vindicaret , præcepit Iacobum Aragoniæ Regem , qui voto conceptam expedi-

tionem Syriacam instruebat, & interim incesto matrimonio tenebatur; ne nisi deposito peccato, & factâ satisfactione, tam sanctum opus susciperet, severè admonuit. S. Ludovico Francorum Regi in subsidium Terræ Sanctæ transmittere paranti, decimam omnium fructuum in universo regno suo, atque etiam nonnullis diœcesibus finitimis, ac redemptiones votorum Crucesignatorum, (eorum scilicet qui legitimus detenti impedimentis peregrinationem suscipere non poterant) in triennium concessit. Cumque audisset multos Christianos ad Iudæorum iterum transire, in eos tanquam in hæreticos per Inquisitores procedi jussit [d]; Iudæósque qui eos ad id inducerent, graviter puniri, quæ eadem totidem verbis posteà Gregorius Decimus [e] & Nicolaus [f] Quartus repetivisse reperiuntur. Quâ de re videndus Eymericus [g] in suo Directorio.

[d] *Append. to. 3. Bullar.* [e] *Ibid.* [f] *Bull. Nicol. IV. const. 1.* [g] *Direct. Inquis. par. 2. q. 44.*

XIII. VARIA CONCILIA A GUIDONE LEG. CELEBRATA IN GERMANIA.

Hoc item anno pergens Guido Cardinalis, de quo annis superioribus, legationis suæ munus adimplere in festo Purificationis B. Mariæ *Vvratislaviæ* in Silesiâ *Synodum* celebravit Episcoporum Ecclesiæ Polonicæ: quâ, ut Michovius [h] tradit in Chronicis Polonorum, pro subveniendo Terræ Sanctæ, anni jubilei gratiam, & Crucem contra Saracenos prædicavit. Idémque mox in Austriam divertens, aliam *Synodum* Antistitum provinciæ Saltzburgensis & diœcesis Pragensis apud *Viennam* habuit sexto Idus Maij; ut scribit Stero in Annalibus. Cujus & extant [i] integra Acta de reformatione Cleri, decimarum solutione, usurariorum pœnis, & audaciâ Iudæorum comprimendâ. De quâ & putamus Krantzium intellexisse, cùm in Wandaliâ scribit eum per Germaniam multa constituisse quæ extarent. Nisi & fortè alia præstiterit, quæ hactenùs nobis non occurrerunt.

[h] *Michov. lib. 3. cap. 57.* [i] *Ap. Canis. tom. 1. Antiq. Lect. & to. 3. Concil.*

IESU CHRISTI Annus 1268.

CLEM. IV. An. 4.

MICHAELIS VIII. An. 9.

I. CLEMENTIS PP. SENTENTIA IN CONRADINUM.

ANNO Christi 1268. Indictione undecimâ, cùm neglectis Clementis Pontificis censuris & comminationibus, Conradinus Veronâ Papiam concessisset, atque nonnullas terras Imperij, & illorum qui ab Ecclesiâ in Lombardiâ starent, aggredi cœpisset, idem Pontifex nihil ampliùs cunctandum ratus, in die Cœnæ Domini Pontificatùs anno quarto ibidem Viterbij sententiam in eum promulgavit [a]; quâ illum rursùm excommunicavit, omníque jure regni Ierosolymitani privatum denunciavit; & nisi infra mensem mandatis Ecclesiæ atque Pontificis sese subjiceret, declaravit in perpetuum ineligibilem & prorsùs inhabilem ad regnum quodlibet seu imperium obtinendum: feudis omnibus ac juribus quibuscumque, quæ à quibuslibet teneret Ecclesiis privavit: omnes & singulos qui ei quomodocumque faverent, cujuscumque forent dignitatis, præeminentiæ aut status, excommunicationi, & singula loca interdicto subjecit. Cúmque his nihil motus ferox adolescens, Liguriæ littora petens, Pisas classe Pisanorum advenisset; ultimo idem Pontifex in die Ascensionis Domini eandem sententiam confirmavit.

[a] *Reg. Vatic. an. 4. quam & descripsit Bzov. hoc an.*

II. CONRADINI ITER, ET PROGRESSUS.

Conradinus [b] autem confluentibus undique ad eum Gibellinorum auxiliis, & eodem quo Imperator ubique susceptus honore, Senas procedens; per præfectos suos equitatum Caroli, quem in præsidium Etruscorum reliquerat, apud Aretium in viarum angustiis, neque explorato neque satis composito agmine (pro gentis levitate & incuriâ) procedentem, ad cujusdam pontis transitum ex insidiis intercepit, & profligavit septimo Calendas Iulias. Eáque re adeò in superbiam elatus est, ut etiam in contemptum Pontificis, instructissimas copias suas præter Viterbium sub signis ducens, ab illo conspici voluerit. Quando & Pontifex, seu prudenti animi conjecturâ, quòd inexpertus adolescens in exercitatissimum juxtà ac rei militaris peritissimum ducem improvidè ferretur; seu potiùs, ut communis fuit plerorumque opinio, divinâ revelatione ac spiritu prophetico, adolescentem tanto comitatum exercitu, contrà ac omnes opinabantur, prædixit *tanquam victimam ad exterminium cædémque deduci*. Romam inde progressus Conradinus, ab Henrico Senatorem agente, atque à Romanis, pompâ Imperatoribus introducendis adhiberi solitâ exceptus est: ac multis sacris ædibus spoliatis in Apuliam prodiit. Verùm infausto admodùm adventu, ut sanctus prudénsque Pontifex prædixerat.

[b] *Quæ sequuntur de Conradino tractantur ap. Nang. in Vit. S. Lud. Paduan. Chron. lib. 3. Ricord. cap. 191. & seq. Villan. lib. 7. cap. 24. usque 30. Ptolem. Luc. in Annal. Aret. lib. 3. Anton. tit. 20. cap. 1. §. 8. & 9. Blond. 2. dec. 8. Platin. in Clem. IV. Sabell. 9. En. 7. Naucler. gener. 43. Æmil. in Ludov. IX. Marin. Sicul. lib. 11. Collenut. lib. 4. Summont. lib. 3. Fazel. 2. dec. 8. cap. 3. & alii.*

CLEMENS PONT. PRÆDICIT EJUS EXTERMINIUM.

III. CORAD. PRÆLIO VINCITUR, ET CAPITUR.

Siquidem cùm ad Fucinum lacum Marsorum regionis ventum esset, obvio Rege Carolo, prælium inter eos initum est acerrimum ac difficillimum die Iovis vigesimo tertio Augusti, (ut ex literis post victoriam scriptis [c] à Carolo ad Clementem Pontificem certò constat) seu ut plures historici & chronographi ponunt, in vigiliâ S. Bartholomæi, quæ extra Romam in eundem vigesimum tertium diem Augusti incidit: cùm nonnulli malè alios dies ejusdem exeuntis mensis consignent. Quo quidem prælio Carolus longè militum numero inferior, astu & arte Erardi sive Alardi de Valeriaco, nobilis Franci, (non Neapolitani, ut quidam perperàm scripsêre) veterani ducis, qui à militiâ Terræ Sanctæ opportunè eò appulerat, ex loco ubi interim subsederat derepentè hostem adortus, qui prostratis jam Carolinis pro victore se gerens colligendis spoliis insistebat, clarissimam consecutus est victoriam, magnâ hostium strage, ac fugâ Conradini Suevi, Friderici Austriaci, Henrici Hispani, aliorúmque plurimorum è præcipuâ nobilitate. E quibus Henricus, sive ab Abbate Cassinensi (ut quidam volunt) cùm eò confugisset, retentus, & Carolo eâ conditione redditus, ut vitæ ejus cautum esset; sive apud Reate, ut alij habent, agnitus & Carolo traditus, perpetuo carcere ab eo damnatus est, (quo totos viginti quinque annos detentus, demúmque dimissus in Hispaniam rediit [d].) Conradinus & Fridericus agasonum sive calonum habitu per aliquot dies per saltus silvásque oberrantes, demùm apud Asturiam oppidum Frangipanum nobilium Romanorum, speciositate anuli, quem pecuniâ destituti in pretium alimentorum & suæ Pisas transvectionis

[c] *Ext. in Reg. Clem. an. 4.*

[d] *Marian. lib. 14. c. 16. Vid. infr. ann. 1295. XII.*

piscatori cuidam dederant, & formæ præstantiâ agniti, ad Carolum deducti sunt, qui eos in custodiâ anno ferè integro habuit; magnâ interim acerbitate in cæteros captivos, ac populos rebelles, (quos iterùm in suam potestatem redegit) quà in Apuliâ, quà in Siciliâ, tam per se quàm per suos duces, ut erat naturâ in vindictam & sævitiam proclivi, ultus. Quomodò vero hæc omnia se habuerint, narrant auctores superiùs citati; in nonnullis tamen circumstantiis, ut fieri assuevit, paulò diversi: meminerúntque omnes Chronographi. Observatúmque alicubi [c] reperimus, Germanos qui reliqui fuerant à clade, globo facto *Stichonem* quemdam fabrum ferrarium Wirtzburgensem sibi præfecisse, eóque duce per Italiæ fines penetrâsse ferro sibi viam aperientes: ubi verò Germaniæ fines attigêre, Stichonem clàm se ab exercitu subducentem ad incudem rediisse. Vnde & putamus prodiisse quod pariter alibi [f] legimus, anno 1270. per urbem Basileam transiisse quemdam Stochilinum, qui diceret se esse Conradinum: sive is id joco dixerit, quòd reduceret reliquias copiarum Conradini; sive alij in vulgus (ut fit) sparserint.

[c] Ap. Avent. lib. 7.

[f] In Annal. Dominican. Colmar.

IV. Carolus monasterium construit, pro suorum defunctorum animabus. Clemens Pont. divinitùs certior fit de victoria.

Illud verò laudabile post victoriam Carolus præstitit, quòd eo loco quo pugnatum est ex voto antè concepto nobile monasterium ædificavit titulo *S. Mariæ de Victoria*; quod magnis reditibus dotatum tradidit monachis Benedictinis ad orandum pro animabus suorum qui eo prælio ceciderant. Nec illud omittendum, quod sanctitatis Clementis Pontificis divulgatam confirmat opinionem, cùm pugnatum fuisset usque ad noctem, postero tamen mane ipsum, dum Viterbij sermonem haberet ad populum, de fugâ hostium divinitùs monitum, (neque enim locorum distantia ampliùs centum millium passuum ullo modo patiebatur ut humanâ viâ rem scire posset) momento subsistentem velut extasi raptum, ut ad se rediit, *Festinate*, aisse, *festinate in vias, & comprehendite hostes Ecclesiæ profugatos.*

V. De Conrado Antiocheno.

Traditur verò alibi [ff], Conradum Antiochiæ Syriæ Principem (Friderici II. Imper. ex alio Friderico notho [g] nepotem, vulgò de Antiochiâ nuncupatum) auditâ expeditione patruelis sui Conradini, sive ab illo vocatum in auxilium, navigâsse in Siciliam, quam quidem ferè totam in suas partes traxisse, ex Nangio [h] quoque & Fazello [i] intelligitur: Sed missos à Carolo Rege strenuos duces, tum regnum recuperâsse, tum ipsum etiam Conradum cepisse: quem primò oculis privatum, ultimò suspendio vitam finîsse tradunt. Verùm eum jam antehàc in Italiâ fuisse tempore Manfredi, & rursùm quoque unà cum Conradino in prælio stetisse contra Carolum, captúmque, à pœnâ capitis liberatum esse precibus Clementis Pontificis; quinimmò & quasdam terras in regno Caroli, ac præsertim castrum Saracenicum, retinere permissum esse; donec Siculorum rebellioni adhærens, à Martino Quarto Pontifice sæpiùs citatus, nec comparens, excommunicatus est, ac terris suis privatus: constat ex multiplicibus processibus eâ de re confectis, & sententiis contra eum latis, quæ reperiuntur in Formulario Marini Eboli, de quo sæpè mentio facta superiùs; post quæ demùm sic peracta, potuit contigisse quod prædicti auctores dicunt de ejusdem Conradi nece.

[ff] Contin. Bel. sacr. lib. 4. cap. 16.
[g] Supr. ann. 1250. XIX. in fi.
[h] Nang. in Vit. S. Ludov.
[i] Fazel. 2. dec. 8. cap. 4.

VI. Clemens Carolū Senatorem constituit, et Vicarium Imperii.

Post Caroli victoriam Clemens Pontifex eidem & Senatoriam Vrbis dignitatem, quam semel deposuerat cum juramento non ampliùs suscipiendi, confirmavit [k] in decennium cum relaxatione prædicti juramenti; & quem dudùm constituerat *Paciarium*, jam quòd (ut ait [l]) pacis filios in diversis civitatibus & locis non inveniret, sed potiùs turbatores; ne officij commissi tenuitas ipsius Pontificis posset propositum, & Caroli impedire processum; eundem *Imperij*, cujus fluctuantis cura ad ipsum Pontificem pertineret, *Vicarium* in partibus Tusciæ constituit.

[k] Reg. Clem. ann. 4. 3. Non. April.
[l] Ep. ad Carol. Viterb. 15. Cal. Maij.

VII. Caput S. Pauli Apost. non alibi quærendum quam Romæ.

Idémque inter plurima alia quæ hoc eodem anno gessit, scripsítque, Isabellam sive Elisabetham sororem S. Ludovici Regis Francorum, existimantem se Pauli Apostoli Caput habere, reprehendit [m], illúdque Romæ reperiri demonstravit: nec mirandum si Græci se aliquo tempore id habuisse dixerint; cum etiam de Fide Catholicâ in multis mentiri minimè dubitaverint. Quare hortatur illud quod ipsa habebat tradere Simoni tituli S. Cæciliæ Cardinali (posteà Martino Papæ Tertio) Legato, ne si ad alias manus deveniret, posset inde cum erroris periculo scandalum suscitari. Fuit auem hæc *Isabella* (ut Historiæ Francorum docent [n]) valdè pia: quæ olim à Conrado filio Friderici Imp. patréque Conradini, in conjugem expetita, recusatis ejus nuptiis virginitatem perpetuam servavit, ac monasterium Longi-campi Sororum Minoritarum in agro Parisiensi fundavit: in quo & tantâ pietate aliquamdiù vixit, (haud tamen sumpto habitu) ac demùm obiit anno sequenti 1269. ætatis suæ 55. miraculisque claruit, ut iis auditis Leo Papa Decimus anno 1521. permiserit ejusdem conventûs Sororibus celebrare ejus memoriam die ultimâ Augusti.

[m] Ep. 13. Cal. Maij.
[n] Adde Cantiprat. lib. 2. c. 29. Vvadding. tom. 2. hoc an.

De B. Isabella sorore S. Ludovici Regis Franc.

VIII. Regis Lusit. fallax nequitia.

Alfonso quoque Lusitaniæ Regi in Syriam adversùs Infideles navigare præseferenti, multa Pontifex indulsit [o], quò faciliùs atque commodiùs id exequeretur. Quin etiam interdictum quod in ejus regnum latum fuerat ab Archiepiscopo Bracarensi & aliis Episcopis Lusitanis, ob controversiam de jurisdictione & immunitate Ecclesiasticâ, suspendit ad sex menses. Sed omnia frustrà, cum nihilo magis Rex expeditionem susceperit, nec à vexatione Ecclesiarum destiterit: ut fuerit rursùs adversùs eum ejúsque Regnum agendum, sicuti videbitur suis locis. Ex quo enim semel Alfonsus justissimam iram Dei, & Romanorum Pontificum indignationem, in se concitavit ob ejectam legitimam conjugem Mathildem Boloniæ Comitem, & superinductam Beatricem notham Alfonsi Regis Castellæ, non cessârunt mala in eo regno, & innocentes populi pœnas sustinuerunt improbitatis Principum: adeò verum omni tempore & loco fuit vetus illud dictum cunctis decantatum,

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

[o] Ext. plures de his litt. in Reg. Clem. an. 4. ex quo Vvadding. exscripsit Annal. Minor. tom. 2.

IX. Pragmatica Sanctio S. Ludovici Regis.

Hoc eodem anno 1268. mense Martij S. Ludovicus Rex Francorum constitutionem edidit Parisiis, quam *Pragmaticam Sanctionem* vocavit, (& ut puto annuente Simone Cardinale, qui tunc apud eum agebat Legatum Apostolicum, fuítque posteà Martinus Papa Tertius) de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ;

videlicet, ut electiones & collationes beneficiorum Ecclesiasticorum fierent secundùm sacros canones & dispositionem juris; simoniæ crimen eliminaretur; ac singulæ Ecclesiæ personæque Ecclesiasticæ & loca sacra gauderent prærogativis ac privilegiis, iis à Regibus Francorum concessis. Hoc enim tantùm ejusmodi Pragmaticâ continetur in editione Parisiensi Bibliothecæ [p] Patrum.

[p] *Bibl, Patr. tom.6. in fi.*

X. CONCIL. LONDINENSE DE REFORMATIONE.

Hoc eodem anno Othobonus Diaconus Cardinalis, de cujus in Angliam Legatione suprà, magnum celebravit *Concilium Londini* in Ecclesiâ S. Pauli, omnium Prælatorum Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ: in quo multa constituit ad reformationem illius Ecclesiæ. Ita Florilegus, & alij auctores Angli: meminerúntque Scoti. Et quæ in eâ Synodo edita sunt decreta, *Othoboni dicta*, unà cum decretis *Othonis* in aliâ itidem Londinensi Synodo [q] sub Pontificatu Gregorij IX. sancitis, diligenter & accuratè in Anglicanâ posteà Ecclesiâ observata esse traduntur [r]. Post quæ idem Legatus, traditâ Cruce expeditionis Ierosolymitanæ Eduardo & Edmundo filiis Regis, aliísque Angliæ nobilibus, Romàm revertit. Eduardus [s] autem desiderio ardens sacræ expeditionis, colloquio habito cum S. Ludovico Francorum Rege, qui se ad eandem accingebat, accepit ab eo grandem pecuniam ad expensas itineris, oppignerans ei Vasconiam.

[q] *Supr. an. 1237. VIII.*
[r] *Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. in Henr. III.*
[s] *Flor. Supplem. Paris. Vvalsingh.*

XI. COLLECTIO PECUNIARUM INDICTA PRO TER. S.

Alium verò post Othobonum, advenisse à Clemente Legatum in Angliam, ad exprimendam grandem pecuniam ad sacram prædictorum Principum expeditionem; cúmque etiam eandem Scotis indiceret, tam Regem quàm Ecclesiasticos populúmque ei restitisse, tum quòd immodica esset, tum ne Angli eâ occasione confessionem elicerent Scotiam sui juris esse; cæterùm collectâ per seipsos habitâ, mille marchas argenti ad Clementem, ad Regem verò Ludovicum, ut ipse per suos nuncios postulaverat, mille milites misisse: apud auctores Scotos [t] legimus. Sicuti & apud Germanos [u], *Ioannem Semecam* Teutonicum Præpositum Halberstatensem, primum Decreti glossatorem, de hujusmodi collectis quæ æquè in Germaniâ ac in aliis regnis atque regionibus ad sacram militiam indictæ fuerant, contra Clementem appellâsse ad futurum Concilium; ideóque excommunicatum fuisse, & Præpositurâ privatum: reconciliatum tamen posteà in pace quievisse.

[t] *Boët. lib. 13. Buch. lib. 7.*
[u] *Lang. in Chron. Citiz. Krantz. 8. Sax. 27. Avent. Annal. Boicor. lib. 7. &c.*

XII. CLEMENTIS PP. OBITUS.

Adveniente porrò die 29. Novembris hujus anni, (alium diem nonnulli consignant, cùm in anno & mense omnes consentiant; quos & Clementis epitaphium [x] signat:) idem Pontifex *Clemens* morbo senióque confectus, Ecclesiâ Dei, quantùm per turbas sui temporis licuit, optimè administratâ, plenus gloriâ, & onustus bonis operibus, Viterbij migravit in cœlum, post tres Sedis annos, menses novem, & dies vigintiquinque. Sepultus est ibidem Viterbij primò in Ecclesiâ cathedrali; contendentibus nihilominùs Fratribus Prædicatoribus sacrum ejus corpus Ecclesiæ suæ deberi, quòd in eâ ipsum sibi sepulturam elegisse assererent. Quod diù controversum demùm ab Innocentio Quinto ex Ordine Prædicatorum ita decisum est, ut reddendum fuerit corpus Prædicatoribus. Ejus modestia & inde speciatim laudatur, quod nihil grave toto Pontificatu inconsulto Cardinalium collegio fecerit, aut aggressus fuerit. Ejusdémque vigiliis, jejuniis, cæterísque corporis afflictionibus, atque orationibus, eleemosynis, & aliis bonis operibus, Deum multas tribulationes, quas tunc variis locis sustinebat Ecclesia, extinxisse creditum esse; testantur inter cæteros Bernardus Guidonis, Nangius, & auctor Chronici Viennensis; ejúsque gesta in opinione præclarâ haberi & referri cum laudibus. Quantò enim plus crevit in dignitate, (Ptolemæus [y] Lucensis Episcopus Torcellensis tunc vivens in Annalibus suis ait) tantò plus floruit in sanctitate. Et ut S. Antoninus [z], valdè felix fuit secundùm Deum, quia valdè bonus; & secundùm sæculum, quia prudens & expertus in regimine & negotiis sæculi & in maximâ dignitate.

[x] *Ext. ap. Nommencl. Cardinal.*

EIUS LAUDES.

[y] *Ptol. in Annal.*
[z] *Ant. tit. 20. cap. 1. in pr.*

XIII. DILUTIO CALUMNIÆ DE MORTE CONRADINI.

Quod autem nonnulli recentiores Germani auctores commenti sunt, eundem Clementem Carolo Regi auctorem necis Conradini extitisse famoso illo dicto, *Vita Conradini, mors Caroli; Mors Conradini, vita Caroli:* id facilè refellitur ex eo quòd Clementem certissimè constat diem suum obiisse totis fermè undecim mensibus antequàm Carolus judicium ferret de nece Conradini, quæ contigit tantùm septimo Calendas Novembris anni consequentis. Ac nihilominùs si ea præcessisset obitum Clementis, auctores haberemus iis temporibus proximos [a], qui fidem facerent Pontificem & Cardinales eam ægrè admodùm passos esse, Carolúmque de eâ acriter reprehendisse. Sicuti & quâ erat Clemens vitæ sanctitate, humanitate, & charitate, (de quibus laudatur ab omnibus) non solùm eundem reprehendisse vidimus [b], cùm sæviùs in hostes egit; verùm etiam cùm Iacobum Aragonium adversùs Iudæorum pervicaciam animavit, disertè cavisse [c] ut fieret absque mortis periculo & membrorum mutilatione: itémque cùm peremptores Episcopi Silvensis exposuit, solemnem cautionem addidisse [d], ut esset citra mortis & mutilationis periculum, ut alia quamplurima omittamus ejusdem mansuetudinis testimonia, quibus plenæ sunt ipsius epistolæ quæ habentur in Regesto Vaticano. Denique nec ipsi Germani scriptores qui vel iisdem temporibus vel proximis vixerunt, cùm necem Conradini referunt, vel hilum de suasione aut consensu Clementis, putà Stero, Auctor Fragmenti præfixi Alberto Argentinensi, Siffridus, & alij: neque illi etiam ex recentioribus, qui maledictis in Pontifices Romanos non assueverunt, ut aliarum gentium antiquos historicos taceam, apud quos nullum est hujus suasionis vestigium: cujus etiam vanitatem aliis quoque argumentis Summontius [e] detexit. Tum denique si hoc daremus quod nonnulli [f] scripsêre, Clementem rogatum quid de captivis decerni placeret, respondisse se non intercedere quo minùs lege ageretur; annon & multi alij sunt modi lege in Principes captivos agendi, iidémque communi, omnium gentium usu recepti, quàm nece? putà diuturno aut etiam perpetuo carcere, vel grandi redemptionis pretio, aut aliis ejusmodi. Sed de hac vanitate satis.

[a] *Ricord. cap. 193. Villan. lib. 7. cap. 29.*
[b] *An. 1266. VI.*
[c] *An. 1265. VIII. in fi.*
[d] *An. 1267. VII. ad fin.*
[e] *Sum. Hist. Neap. lib. 3.*
[f] *Angel. in l. generaliter. C. de sec. nupt.*

XIV.

Quod postremò ad Clementem pertinet,

INDULGENTIÆ AD NOMINA IESU ET MARIÆ.

legimus apud auctorem Fasciculi temporum, eum ad petitionem S. Ludovici Francorum Regis concessisse omnibus legentibus seu pronunciantibus totiens quotiens hæc verba, *Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus, in æternum & ultrà. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen*; tres annos indulgentiarum.

XV. DIUTURNA SEDIS ROM. VACATIO.

Post cujus obitum, ob discordiam Cardinalium in digno ei successore eligendo, (nullum ipse toto Pontificatu creaverat (vacavit Sedes annos duos, menses novem, dies duos; non sine maximo totius Reipublicæ Christianæ damno & incommodo. Carolus autem Rex Senatoriâ Vrbis & Vicariâ Imperij auctoritate circumspiciens nequid sede vacante, séque absente, qui S. Ludovico fratri suo comes expeditionis Orientalis accedere rogatus fuerat, Ecclesiasticæ ditioni atque Etruriæ obveniret; pacem Pisanis concessit, quorum navibus transmittere in animo habebat: cæteráque omnia ita composuit, ut quamdiù Sedes Romana vacavit, quieta omnia iis partibus fuerint. Quæ prosequuntur Villanius, Aretinus, Blondus, Antoninus, & alij.

XVI. [g] Vvanderburch. in Hist. Sab.

Hoc item anno mortuus ponitur [g] Petrus Sabaudiæ Comes magnarum virtutum Princeps, & rebus gestis valdè insignis. Qui absque prole masculâ decedens, Philippum fratrem suum, qui Romæ Ecclesiasticam vitam agebat Lugdunensi Valentióque Episcopatibus conspicuus, (nullo tamen ordine sacro suscepto) sibi successorem instituit: jusso ei tradi, veluti dominationis symbolo, *Anulo S. Mauritij* Martyris Legionis Thebææ olim ducis; quem ipse Petrus hactenus gestaverat, postquàm illum dono accepisset ab Abbate illius monasterij in Veragris siti, eâ lege ut esset exinde omnibus Sabaudiæ Principibus investituræ loco.

ANULUS S. MAURITII INSIGNE PRINCIPUM SABAUDIÆ.

(Sic olim Alexander Magnus anuli sui traditione in Perdiccam visus est auctoritatem suam transferre. Et Antoninus Pius Imp. moriturus Fortunæ simulacrum aureum, in cubiculo Principis asservari solitum, ad M. Antoninum Philosophum, tanquam Imperij insigne transferri jussit. Qui quidem Philippus, quamvis ad Principatûs sui administrationem perquam idoneus visus fuisset, tamen ex quo pristinum sanctiúsque vitæ genus deseruit, uxorémque duxit, omnia illi retrò & in pejus fluere cœpêre, tam ab hostibus, quàm ab adversâ valetudine, quâ ad mortem usque toto ferè decennio exagitatus est. Quod & frequenter in aliis tristi experimento confirmatum passim in Historiis gentium legitur.

XVII. SEDITIONES BELGICÆ.
[h] Trith. hoc an.
[i] Io. à Leid. l. 25. c. 6. Rener. Snot. l. 7. in Flor. V.

Hoc eodem anno in partibus Hollandiæ visis in aëre nocturno tempore militibus ad invicem dimicantibus; id prodigij magna gentis calamitas subsecuta est. Exurgente namque vulgo indomito contra Principes & nobiles, ut iis deletis sese in libertatem assererent; post multa ab eâ hominum colluvie damna nobilibus illata, iidem ope Episcopi Trajectensis & Comitis Gelrensis, armis debellati & repressi sunt. Quæ breviter Chronicon Hirsaugiense [h], diffusiùs Belgica [i] prosequuntur.

XVIII. ANTIOCHIA CAPITUR A SARACENIS.
[k] San. lib. 3. par. 12. c. 9.

In Syriâ Sultanus Bendocdar crudelissimus Christianorum hostis, multa cepit eorum loca cum magnâ Fidelium cæde, quos variis tormentis peremit: ac præcipuè Antiochiæ, quam fermè vacuam inveniens ob abscessum quem diximus Conradi ejus Principis, nullo negotio (ut Marinus Sanutus [k] habet) occupavit die 29. Maij, interfectis in eâ septemdecim hominum millibus, & amplius centum millibus in captivitatem abductis: factáque est civitas totius Orientis præcipua, velut solitudo deserti. Qui fuêre fructus dissensionum intestinarum Christianorum, tam in Cypro inter Regem ac fratres ejus, quibus & Rex Armeniæ implicitus; quam præcipuè Venetorum & Genuensium, qui vesano odij furore occæcati, quasi nihil ad eos de publicis Reipublicæ Christianæ cladibus pertineret, nec his à mutuis incursationibus in Syriâ abstinere; nec in Italiâ Pontificiis Clementis, regiísque Francorum & Siciliæ legationibus [l] atque hortationibus ad pacem ineundam induci potuerunt. Accidit autem in prædictâ expugnatione Antiochiæ memorabile pudicitiæ & sanctimoniæ muliebris exemplum [m] nequaquàm reticendum. Cùm enim religiosæ virginis cujusdam monasterij cæde ac stupro omnia compleri audirent; consilium à suâ Antistite implorantes, postquàm ipsa multa præclarè de martyrij præstantiâ & castitatis merito præfata est, exemplum ejus omnes incunctanter secutæ sunt, quo ipsa sibi cultello nasum abscidit, oraque cruore dehonestavit: sícque trucem horrendámque speciem irruentibus Saracenis exhibentes, salvâ pudicitiâ, quam maximè conservatam volebant, ad unam omnes enecatæ sunt. Eodem planè modo, quo aliàs vidimus [n] Ebbam Anglam cum suis monialibus virginitatem servâsse, & martyrium obtinuisse.

[l] Blond. 2. dec. 8. Aug. Iustin. & Foliet. Hist. Gen. an. 1267. Pet. Iustin. Hist. Ven. lib. 3. an. 1268.
[m] Refertur ap. Contin. Bel. sacr. l. 4. c. 16. Nisi potiùs hæc eadem sit historia, quam in expugnat. Ptolem. infrà an. 1291. XI. contigisse Anton. refert.
MONIALIUM INSIGNE EXEMPLUM PUDICITIÆ.
[n] In Epit. Baron. an. 870. IV.

XIX. ITEMQUE FORTITUDINIS PATRIARCHÆ.
[o] Leand. ex Bern. Guid. tract. de Fratribus passis pro fide.

Nec minus fortiter *Christianus* [o] ejusdem urbis Patriarcha Latinus Ordinis Prædicatorum: qui Saracenos cædibus occupatos accipiens, Pontificalia indutus ad altare Ecclesiæ procumbens unà cum quatuor sui ordinis Fratribus confectus occubuit.

XX. QUINSAI AMPLISSIMA ORBIS CIVITAS CAPITUR A TARTARIS EX QUADAM PRÆDICTIONE.

Et quoniam in barbaris sumus, narrat Marcus Venetus, hoc ipso anno magnum Chaam Tartarorum Cobilam (Cublai ipse vocat) inhiantem provinciæ Mangi (quam ad Sinarum regionem pertinere volunt) amplissimæ & omnium rerum necessariarum abundantissimæ, in quâ sita est Quinsai maxima totius orbis civitas habens in circuitu centum milliaria; misisse ad eam expugnandam unum quendam è suis ducibus nomine Baian Chinsan, quod sonat centum oculos. Qui cùm eò duxisset exercitum, Rege Mangi fugam arripiente eò quòd armorum inexpertus esset, uxorem ejus animo virili resistere constituisse; sed ubi audivit nomen ducis Tartari, protinùs elanguisse, eò quòd percepisset ab astrologis civitatem illam à nullo fore expugnandam quàm ab eo qui centum haberet oculos. Itaque vocato duce, eam illi liberè tradidisse: unáque totum regnum in potestatem Cobilæ concessisse; quod ipse in novem regna subdivisit, cuilibet proprium assignans Regem sibi tributarium.

IESU CHRISTI Annus 1269.

SED. VAC. An. I.

MICHAELIS VIII. An. 10.

I. EXPEDITIO RENOVATUR ADVERSUS SARACENOS.

ANNO Christi 1269. Indictione duodecimâ, rebus Christianorum ad extremum ferè malorum perductis in Syriâ, nova se spes melioris fortunæ ostentavit; cùm uno fermè tempore Gallia, Anglia, Italia, & Hispania, ad arma in felici ultimis expeditionibus conatu tentata repetenda, nuperorum Romanorũ Pontificum hortationibus, & Tartarorum atque Armenorum Saracenos simul oppugnantium, atque etiam Græcorum Imperatoris legationibus & promissionibus excitæ, rem planè prostratam & in perditis ac desperatis habitam erigere magnis animis annisæ sunt.

II. REGIS GALLIÆ APPARATUS.

Imprimis autem S. Ludovicus Francorum Rex, incredibili præter hæc ardens cupiditate priorem Ægyptiam ignominiam eluendi, sumptâ Cruce à Simone de Briâ tituli S. Cæciliæ Cardinale tum in Galliâ Sedis Apostolicæ Legato, unà cum tribus filiis suis Philippo primogenito, Ioanne cognomento Tristano Comite Nivernense, & Petro Comite Alenconio; fratréque suo Alfonso Pictaviæ & Tolosæ Comite, generóque Theobaldo Rege Navarræ, Guidone Comite Flandrensi, aliisque Regni principibus atque proceribus; ita cùm fratre suo Carolo Rege Siciliæ, & Eduardo regni Angliæ hærede, & ipsis in societatem belli evocatis, statuit ac deliberavit, ut Eduardus classe rectâ in Syriam contenderet, ipse verò Rex sanctus Tunetum in Africâ adoriretur, ne alij Saraceni aliis subsidio esse possent; eique adesset quamprimùm Carolus, ut subactâ Africâ junctis copiis in Asiam navigarent. Id tamen consilij rerum suarum respectu Carolum dedisse, firmius regnum suum sperantem opibus Africanis eversis, nonnulli tradunt: cùm nihilominùs & id prudenter à Rege deliberatum esse, plerique scribant, eò quòd regnum Tuneti in medio navigationis consistens, non parvum afferre consuevisset impedimentum Christianorum expeditionibus. Addunt denique nonnulli [a] aliam causam, sancti Regis genio atque pietati longè accommodatiorem: nimirùm quòd Rex Tuneti per suos nuncios ei significâsset, habere se in votis fidem Christianam amplecti, si per suos proceres sibi liceret; spéque ejus conversionis susceptâ, Regem eò tetendisse. Quæ tamen barbarum fraudulenter proposuisse constat, ut simulans se suos paulatim ad vota sua pellecturum, hác elusione Regem ab invasione regni sui averteret. Tradunt [b] autem, fuisse numerum ex omnibus gentibus Crucesignatorum quindecim millium equitum & ducentorum millium peditum. Quomodò verò Rex eò appulerit, quidve ibi præstiterit, dicetur anno sequenti, quo plerique auctores iter ejus collocant; cùm Nangius, Sanutus, & alij non pauci præparationem expeditionis cum ipsâ expeditione confundentes, utramque præsenti collocent.

CONSILIUM DE INVADENDA AFRICA.

[a] Ionvil. & Nang. in Vit. S. Ludov.

[b] Villan. l. 7. cap. 37.

III. ARAGON. REGIS VANUS EXPEDITIONIS CONATUS.

Quo quidem Iacobus Rex Aragoniæ, cùm jam anteà votis nuncupatis sacrum bellum professus esset; susceptis jam à Michaële Palæologo Græcorum Imperatore & à Chaamo Tartarorum legatis, ad illud suscipiendum eum hortantibus; pridie Nonas Septembris Barcinone solvens, classe paulò pòst fœdâ ventorum tempestate eversâ, suorum hortatu in Hispaniam rediit nullo majori operæpretio. Sicque verum apparuit quod ei Clemens Papa prædixerat literis Viterbij datis 17. Calendas Februarij, anno Pontificatûs secundo. Nempè cùm sæpè monitus abjicere Berengariam mulierem incestuosè superinductam vivente legitimâ uxore Teresiâ, nec obaudiens, sed facinus turpiùs ferè excusans [c] quàm committens, ad Pontificem scripsisset se proposuisse transfretare: rescripsit Pontifex, Crucifixum non recipere illius obsequium, qui incestuoso contubernio se commaculans, in se ipsum iterùm crucifigeret. Quæ si sciverunt auctores Aragonici, maluerunt tacere, quàm Regis sui pudenda detegere. Nec sanè illorum diligentissimus simul & modestissimus Hieronymus Surita [d] adeò permirari habuit, quod à Bernardo Guidone in Pontificiâ Historiâ memoriæ proditum fuit; Regem, cùm classem comparâsset ut Ierosolymitanam expeditionem obiret, & ejus classis pars cursum tenuisset, mulierculæ consilio à tanto gloriæ cursu destitisse: Quandoquidem & Guillelmus de Podio Laurentij, qui tunc vixit, & Capellanus fuit Comitis Tolosani ipsius Iacobi Regis consobrini, in suo Chronico [e], & auctor Monfortiani ejusdem temporis, disertè tradant, Iacobum Regem postquàm mare ingressus esset in subsidium Terræ Sanctæ, præmissâ parte suorum reversum esse, ut dicebatur, consilio mulieris: quem reverâ Dominus in suum noluerit holocaustum. Sicque fecisse Iovem, qui juxta fabulam cœlum deseruit sequendo vitulam.

[c] Ep. Clem. 5. Febr. an. 2.

[d] Sur. Ind. lib. 2. an. 1269.

[e] Pod. Laur. cap. 50.

IV. FILIORŨ EJUS DISSIDIUM.

Quædam igitur Aragonicæ naves cursum tenentes, in Palæstinam delatæ sunt, unà cum Petro Ferdinandio classis Præfecto, & Ferdinando Sanctio Regis filio: qui brevì nullâ re gestâ in patriam redierunt. In transitu verò in Siciliam delati, & humanissimè à Rege Carolo excepti, ejusdem etiam manu Ferdinandus militiæ auctoramento insignitus est unde postea Petrus frater in eum hostili odio fuit, quasi cum Carolo egisset ut sibi ex legitimo matrimonio Teresiæ procreato adversùs ipsum Petrum illegitimum in adeptione regni opitularetur. Nec destitit quoadusque illum aliquot pòst annis falsis criminibus apud patrem insimulatum, bellóque captum, fœdissimâ crudelitate fluvio merserit [f].

[f] Surit. an. 1275. Marian. l. 13. c. 21. Gomes. l. 18. & 19.

V. NUPTIÆ FILII REGIS CASTEL. ET FILIÆ S. LUDOVICI REG. FRANC.

[g] Iid. auctor. ibid.

Interim in Castellâ hoc eodem anno [g] celebratæ sunt Burgis nuptiæ Fernandi sive Ferdinandi majoris filij Alfonsi Regis, & Blancæ filiæ S. Ludovici Francorum Regis, ingenti solemnitate: (præhabitâ à Papâ Clemente dispensatione super impedimento consanguinitatis:) cui interfuerunt præter Alfonsi fratres & agnatos, iidem Iacobus Rex Aragoniæ sponsi avus, & Petrus major ipsius filius; Philippus sancti Regis filius natu maximus sponsæ frater; Eduardus Angliæ Princeps, qui Leonoram sororem Alfonsi duxerat uxorem; Mahomad Alhamar Rex Granatæ; Guillelmus Montisferrati Marchio; Permultíque ex Galliâ,

Italiâ, Angliâ, Hispaniâ Proceres atque Antistites. Quod autem Hispani [h] scribunt, iis nuptiis provisum fuisse, ut Ludovicus Rex sanctus suo & filiorum nomine jure decederet, quod in Castellæ regnum obtinebat [i] ex parte matris suæ Blancæ; minùs dicunt quàm conventum est. Id enim etiam concedunt Franci [k]; sed eâ conditione nuptialibus pactis additâ, (quam etiam Ptolomæus [l] Lucensis illius temporis auctor Historiæ suæ inseruit; & ex Hispanis ingenuè agnoscit Rodericus [m] Santius Episcopus Palentinus) ut liberi qui ex hujusmodi nuptiis procrearentur, etiamsi Ferdinandus eorum parens ante obitum patris sui moreretur, succederent in regno Castellæ post obitum avi Alfonsi, exclusis aliis ejus filiis Ferdinandi fratribus minoribus; quâ posteà, ut videbitur [n], violatâ, etiam hoc capite pristinum hæreditariæ successionis jus remansisse denuò noscitur penes S. Ludovici posteros.

[h] *Mar. ibid.*
[i] *Suprà an. 1217. XII.*
[k] *Nang. in Chron. hoc an. & in Gest. Phil. III. Memor. Histor. & alij omnes.*
[l] *Ptol. lib. 23. cap. 23.*
[m] *Rod par. 4. c. 4. & 6.*
[n] *Infrà an. 1275. VI. 1276. XIII.*

IUS REGŨ FRANC. IN REGNUM CASTELLÆ.

VI. SARACENORUM LUCER. DEDITIO.

Hoc item anno, 6. Cal. Augusti, (ut præcisè tempus signant Guillelmus de Podio Laurentij & Chronicon Monfortianum) Saraceni, quos civitatem Lucerinam in Apuliâ concessione Friderici II. tenuisse vidimus, quíque à Carolo ad adventum Conradini cum aliis rebellaverant; post multas molestias illatas & acceptas, Regis Caroli misericordiam implorantes, restibus collis impactis sese in ejus servitutem dediderunt.

VII. CONRADINI SUPPLICIUM, AC FRIDERICI AUSTRII.

Idémque Carolus Siciliæ Rex expeditionem in Africam ducturus, quid de Coradino Suevo & Friderico Austrio captivis interim ageret anxius; convocatis ex toto regno syndicis civitatum, judicium eis in illos dedit. Ex quorum sententiâ, uti pacis Ecclesiæ & regni perturbatores, ac majestatis divinæ humanæque rei, solemni pompâ, instratóque loco sericis tapetibus, securi publicè Neapoli percussi sunt, unà cum quibusdam aliis, die 26. Octobris. Raro & sævo exemplo, (quod famæ Caroli non parvam inussit notam, vix ullis suffitibus expiandam: sed quid non agat in novo Principe, regno inquietissimo nondum satis constabilito, timor turbarum?) nobilissimos adolescentes bello captos, quibus anceps prœlij fortuna pepercerat, in judicio pœnas capite dare! Et ut Conradini in Sedem Apostolicam contumacia pœnam mereretur; excusare tamen adolescentulum poterat vel color repetendæ paternæ hæreditatis, ut vitæ beneficio resipisceret. Denique & ipsi Franci Carolum minimè Francicè in his egisse, & dolent & conqueruntur: quantumvis Conradini proavus Henricus [o] longè sæviorem crudelitatem in Principes Normannos ejusdem Siciliæ dominos exercuisse dignosceretur. Obsérvátque Villanius [p], hinc processisse tot labores & ærumnas quibus posteà vexatus est Carolus. Cùm nihilominùs negari non possit, meruisse nefarias Principum Suevorum in Romanam Ecclesiam molitiones & mala Fidelibus illata, ut tota ipsorum progenies, cui nihil potius unquam fuit quàm velut ex condicto fœdis parentum vestigiis insistere, divinâ vindictâ funditùs eradicaretur è terrâ. Sicuti accidit in hoc Conradino, qui postremus fuit sanguinis Suevici ex legitimo matrimonio procreati; originem, ut volunt, trahentis ex priscis Clodoveis & Carolis Francis: cùm ex illegitimis, Conradus filius Friderici

[o] *In Epist. an. 1196. II.*
[p] *Vill. lib. 7. cap 29.*

EXTINCTIO SEMINIS SUEVICI.

Antiocheni, Nothi Friderici olim Imperatoris cui pater titulum ejus principatûs contulerat, his iisdem temporibus ob Siciliam in partes Conradini traductam captus (ut vidimus) à Carolinis, & laqueo suspensus fuerit: Entiúsque alius nothus Friderici, jam pridem a Bononiensibus, ut æque vidimus, prœlio captus, altero post hæc anno in diuturno carcere vitam absque liberis finierit. Ac ne etiam feminæ quamvis insontes afflictione carerent, accidit [q] hoc eodem anno ut Margarita filia item Friderici Imperatoris, & uxor Alberti Lantgravij Turingiæ, persecutionem passa à viro suo, ob unam de pedissequis suis quâ is abutebatur, quò necem sibi paratam effugeret, noctu per ministros sibi fidos demitti habuerit funibus ex muro castri: quæ Francofurdiam delata, ibi feliciter obiit anno sequenti.

[q] *Histor. Lantgrav. Turing.*

VIII.

Cædem autem Conradini ac sociorum, quam omnes tangunt, specialiùs describunt eorum temporum scriptores, Nangius [r], Ricordanus, & Villanius; & ex iis aliísque posterioribus prolixè Collenutius atque Summontius in Historiâ Neapolitanâ. E quibus habetur, Friderico Austrio primo securi percusso, caput ejus recisum, dum extremum calorem expiraret, nomen Beatissimæ Virginis Mariæ semel iterúmque clarè pronunciâsse: Conradinum autem illud amplectentem atque osculantem, innocentis adolescentuli & amici, cui causa interitûs fuisset, cùm lacrymis casum planxisse: deinde multâ de acerbitate inimicorum, & sui innocentiâ conquestum, chirothecam (sive anulum) ad circumstantes abjecisse in signum investituræ regnorum suorum, quorum hæredem jure suo constitueret Fridericum Castellanum filium amitæ suæ, seu (ut plures habent) Petrum Aragonium qui duxerat filiam Manfredi patrui sui. Scribítque Æneas Silvius in suâ Europâ, hoc pignus delatum à quodam fuisse ad Petrum. Addunt post necem utriusque adolescentis, carnificem in ipso temporis & loci vestigio ab alio ad hoc parato confectum fuisse, ne gloriari posset abs se tam nobilia capita abscissa esse. Habéntque item nonnulli, ante omnia Protonotarium regni, postquàm sententiam capitis publicè legisset, sicâ repentè à Roberto Flandriæ Comite Regis Caroli genero, qui aderat, necémque pro viribus dissuaserat, rei indignitate commoto, confossum fuisse. Quam omnem Conradini tragœdiam præter alios descripsit egregiè Italico sermone Ioannes Baptista Giraldus in Hecatommytho [s], sub nomine Græci Tydei à Turcis victi. Corpora autem occisorum sepeliri quidem permissa; verùm non in loco sacro, quòd non fuissent absoluti ab excommunicatione Pontificiâ: quamvis antequàm ducerentur, & peccata sacramentaliter confiteri, & Missam audire, concessum eis fuerit: ac denique supervenienti Conradini matri Elisabethæ Bavaræ datum à Carolo ut corpus filij nobiliori monumento reconderetur; in quo posteà constructum est sacellum.

[r] *Nang. in Vit. S. Ludov. Ricord. c. 193 Vill. l. 7. c. 29*

PIUS FRIDERICI AUSTRII TRANSITUS.

CONRADINUS HÆREDEM CÕSTITUIT REGEM ARAGONIÆ.

RELIQUA HUJUS SUPPLICII TRAGŒDIA.

[s] *Girald. par. 2. dec. 9. Novel. 2.*

IX.

Hoc pariter anno celebratum reperitur [t] *Concilium* Provinciale *Ravennæ* die festo S. Vitalis vigesimo octavo Aprilis: quo censuris Ecclesiasticis actum est ab Episcopis in bonorum Ecclesiarum suarum raptores & invasores. Eodémque anno variis prodigiis in Italia laboratum ferunt [u]; Adulto enim Aprilis tantam per

[t] *Ap. Rub. Hist. Raven. l. 6.*

CONCIL. RAVEN. CONTRA INVASORES BONOR. ECCLESIÆ.

[u] *Sigon. l. 10.*

PRODIGIA VARIA DIVERSIS LOCIS.

noctem diémque cœlo effusam nivem esse, ut ad inauditam altitudinem creverit: sequenti nocte tantam pruinæ copiam fluxisse, ut vineas omnes adusserit: ventos feroces adeò sævîsse, ut magnam partem arborum etiam robustissimarum evulserint: avium multitudinem globis confertis adeò devolâsse, ut vix cœlum interspici posset; tanto præterea strepitu, ac segetum detrimento, ut speciem transeuntis atque omnia depopulantis exercitûs exhiberet: terram sic ab imis sedibus concussam contremuisse, ut mons Anconæ diffissus in mare prosilierit. In Germaniâ [x] quoque in festo Nativitatis Domini tantam factam esse inundationem aquarum, quanta nunquam à tunc viventibus visa fuisset. In Poloniâ [y] visas in aëre armatorum acies inter se concurrere. Et in Armeniâ [z] tantum extitisse terræ motum, ut quinque castra, tres Abbatias Armenorum, & duodecim pagos obruerit.

[x] Ster. in Annal.
[y] Michov. l. 3. cap. 57. Crom. l. 9.
[z] Sanut. l. 3. par. 12. c. 9.

IESU CHRISTI Annus 1270.

SED. VAC. An. 2.

MICHAELIS VIII. An. 11.

I. S. LUDOVIC. REX ITER ARRIPIT IN AFRIC.

ANNO Christi 1270. Indictione decimâtertiâ, S. Ludovicus Rex Francorum paratis jam anno superiori quæ ad expeditionem Africanam necessaria videbantur; & obtentis à Clemente Papâ dum adhuc in vivis ageret literis [a] excommunicationis in omnes quicumque terras ipsius, vel eorum qui cum ipso navigaturi forent, in eorum absentiâ quocumque modo turbare præsumerent: post visitatos de more S. Dionysium ac socios martyres Regni protectores, sumptúmque de illorum altari vexillum, cum perâ & baculo peregrinationis, (ut Nangius in ejus Vitâ scribit) itineri se commisit: relicto [b] ad Regni administrationem *Matthæo* Vindocinensi prædicti monasterij S. Dionysij Abbate viro prudentiâ insigni, unà cum Simone Claramontensi Comite Nigellano (vulgò de Nellâ) viro fidei ac virtutis probatæ. Calendis autem Martiis, ut plures [c] habent, etiámque Gaufridus qui fuit Regi à confessionibus, & Vitam ejus Gregorij X. Pontificis jussu [d] composuit, (si tamen illa est quàm Surius, Vitarum Sanctorum, fere magis interpolator quàm collector, operi suo inseruit) & Ionvillæus eidem familiarissimus, Massiliâ; sive, ut idem Nangius, qui & ipse Vitam Regis ad Philippum Pulchrum ipsius nepotem conscripsit, Villanius iis temporibus proximus, & alij, ex Aquis-mortuis (Fossas Marianas antiqui dicebant) solvit. Quæ sanè parva esset de loco diversitas; cùm præ multitudine navium potuerint aliquæ Massiliâ, aliæ Aquis-mortuis solvere: Sed longè major est de die profectionis; quandoquidem ferè omnes Calendas Martias signant; Nangius verò qui universum iter ita per singulos dies ac penè horas diffusè admodum descripsit, ut necesse sit accepisse ab aliquo qui interfuit, disertè ait, Regem die Martis post festum Apostolorum Petri & Pauli, auditâ Missâ in aurorâ, circa ortum Solis intrâsse mare. Et Guillelmus de Podio Laurentij qui tum vivebat, & fortè videbat, ait eum in principio Iulij cœpisse navigare ex Aquis-mortuis. Atque expressiùs Bernardus Guidonis Episcopus Lodovensis sub Ioanne XXII. Regem venisse ad Aquas-mortuas sexto Calendas Iulij, indéque cœpisse navigare in principio mensis Iulij. Cujus sanè discrepantiæ non alia nobis modò occurrit conciliatio, quàm si dixerimus Regem Parisiis profectum esse Calendis Martiis, & post longum terrestre iter celebratâ Pentecoste (ut idem Nangius habet) apud S. Ægidium, navem conscendisse post festum Apostolorum.

[a] An. 3. Viterb. 13. Cal. Iun.
[b] Nang. in Chron.
[c] Gaufrid. Ionvil. & Æmil. in Vit. S. Ludov. Blod. 2. dec. 8.
[d] Reg. Vatic. Greg. X. ep. 117 4 Non. Mart. an. 1.

SOLUTIO ALIQUARUM DIFFICULTATUM.

II. CARDINALIUM AD REGEM ET LEGATŪ LITERÆ DE UNIONE ECCL. GRÆC.

Non enim priùs id contigisse, insinuare etiam videntur literæ S. R. E. Cardinalium Sede vacante Viterbij ad electionem Pontificis collectorum, tam ad suum ipsorum collegam *Rodulphum* natione Gallum Cardinalem Episcopum Albanensem, à Clemente IV. Apostolicæ Sedis (post revocatum in Italiam Simonem de Briâ, de qua superiùs) ad prædictam expeditionem S. Ludovici Regis Legatum constitutum [e], quàm ad Regem ipsum scriptæ [f]. Quæ cùm datæ ponantur Idibus Maij hujus ipsius anni 1270. nec abitûs Regis ullam mentionem faciant, quinimmò de rebus in Græciâ cum Imperatore Græcorum tractandis agant; proculdubiò indicant eas missas esse antequam Rex è regno suo solvisset. Occasio autem earum scribendarum ea fuit, quòd cùm Palæologus sive seriò sive fictè dolens rem unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ sæpiùs agitatam in longum protrahi, prædictum S. Ludovicum gravissimi hujus negotij missis ad eum nunciis ac literis arbitrium constituisset, promittens quidquid idem Rex super his pronunciaret (tanta erat ejus apud omnes æstimatio!) se inviolabiliter observaturum, piúsque Rex probè sciens non suarum esse partium de iisdem decernere, ad collegium Cardinalium Sede vacante totius negotij definitionem remisisset: Iidem Cardinales prædictis literis tum Rodulpho Legato universam ejus rei cum Imperatore, Patriarchâ, Antistitibus, universóque Clero ac populo Græcorum tractationem, secundùm illa quæ jam à Clemente constituta fuissent [g], commiserunt, tum ipsum Regem Ludovicum de laudabili studio & pietate circa pacem & unitatem Ecclesiarum dignè commendârunt.

[e] Commissio Legationis Rodulphi, à Clem. PP. ei data, ext. in Formul. Mar. Ebol. unà cum ampliss. facultatibus ei concessis.
[f] Ext. in eod. Formul. ex quo descripsit Vvaddingh. Annal. Min. to. 2. hoc an.
[g] Suprà an. 1267. l.

III. REX CARTHAGINEM CAPIT.

Quod autem expeditionem Regis attinet (ut rem contrahamus) postquàm Rex in altum delatus fuisset, sævâ tempestate jactatus, Sardiniam insulam ægrè tenuit: ubi parùm comiter exceptus exin Carthaginem decurrens, post nonnulla cum ferocibus & subdolis hostibus inita certamina, illatásque clades, urbe potitus est; non illâ quidem ipsa antiquâ Romanæ potentiæ æmulâ, sed aut in ruinis ejus vestigiisque restitutâ, aut non procul sitâ. Quo tempore venisse ad eum legatos à Michaële Imperatore Constantinopolitano, timente sibi à Carolo Rege Siciliæ, ex Pachymerio [h] intelligitur. Sed liberatus ab eo timore tunc fuit; ex eo quòd cùm Rex Tunetum nobiliorem tunc Carthagine urbem regiam obsidione aggressus, (ut quidem plerique habent: Ionvillæus enim, qui tamen hoc itinere non comitatus est Regem ut priori, Nangius, Gaguinus & alij non pauci, volunt Regum eò proficisci distulisse, donec frater ejus Carolus, qui proximè

[h] In Fragm. edit. Petavij.

TUNETŪ OBSIDET.

expectabatur, adventâsset. Sed potuit etiam Tunetum obsessum dici, quòd esset Carthago non procul à Tuneto:) obortis intereà in castris propter pestilentes aquas & aëris intemperiem variis morborum generibus, mortuus imprimis est Ioannes Tristanus filius Regis. Cujus decoctis carnibus, ossa (ut mos est talium, inquit Nangius; qui tamen mos, barbariem nimis redolens, prohibitus est posteà legibus [i] Ecclesiasticis:) balsamo & aromatibus condita, in Ecclesiâ B. Dionysij tumulanda, in quodam scrinio reposita sunt. Quem mox secutus est Rodulphus Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus, (subdelegato priùs quodam Fratre Ordinis Prædicatorum) & alij non pauci.

[i] Extrav. lib. 3. c. 2.

IV.

Rexque ipse profluvio ventris laborans, postquàm ad se vocato Philippo filio suo natu maximo, cui & ipse quartanis febribus laborabat, sanctissima atque utilissima salutis monita & benè regnandi præcepta, quæ ipse ante infirmitatem, tanquam Domino proximum obitum revelante, manu suâ Gallicâ linguâ scripserat, dictâsset: (quæ eâdem lingua Ionvillæus, Latinâ Nangius & Gaguinus publicârunt: qualia fuêre etiam quæ filiæ suæ Isabellæ Reginæ Navarræ scripsit: & recitantur utraque idiomate illius temporis, sicuti scripta fuêre, unà cum Testamento S. Ludovici in Observationibus ad Ionvillæum: suntque ejusmodi, ut vix ab excellentibus Theologis Philosophísque similia dictari aut concipi animis potuissent:) sacris Christianis multâ religione ac pietate perceptis, cinericio impositus strato, manibus supra pectus in modum Crucis formatis, in Sanctorum invocatione, & oratione ad Deum, in cœlum suspiciens, in illis verbis: [k] *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum*, sanctam animam efflavit eâdem horâ quâ Dei Filius pro mundi vitâ in Cruce positus expiravit, die 25. Augusti, ætatis suæ anno quinquagesimo quinto ac mense quarto, regni quadragesimotertio mense nono die decimo octavo. Cujus facies post mortem longè splendidior apparuit. Sacra ossa carne denudata, lotione mundissimâ pannis sericis cum aromatibus involuta, in loculo reservata sunt; deferenda ad Ecclesiam S. Dionysij, in quâ sepulturam cum patribus suis pridem elegerat; ubi & posteà solemni pompâ recondita fuere. Carnem verò & intestina Carolus frater ejus à nepote Philippo Rege obtinẽs, honorifice in Siciliam delata, sacro ritu reponi curavit propè Panormum in Ecclesiâ Montis regalis Ordinis S. Benedicti. Ipsum verò in vitâ & post mortem, miraculis clarissimum, Bonifacius Pontifex ejus nominis Octavus in Sanctorum Confessorum numerum solemni ritu retulit [l] anno Domini 1297. Pontificatûs sui tertio. Cujus & nummos ipsius imagine excusos, mirificè valere adversùs nonnullos morbos, reperimus alicubi [m] observatum.

MONITA REGIS LUDOV. FILIO DATA.

[k] Psal. 5.

MORITUR SANCTE.

REFERTUR INTER SANCTOS.

[l] Ext. Bulla Canoniz. Bullar. tom. Bon. VIII. const. 6. & in Tomo Gest. Dei per Francos.

[m] Ap. Bos. de Sign. Eccles. sig. 68. c. 12.

V.

Successit ei in regno qui præsens ibi erat, filiorum superstitum natu maximus prædictus *Philippus* ejus nominis Rex Tertius, anno ætatis suæ vigesimo sexto per quatuor menses cœpto. Cui adhuc supererant duo fratres minores, *Petrus* Comes Alenconius, qui longè posteà decessit absque liberis: & *Robertus*, ex quo processit stirps *Borbonia*, quæ hodie rerum potitur. Philippus autem à multis cognomento *Audax* dictus, quòd quamvis natura lenis esset multa tamen bella fortissime gesserit, inde quoque ab aliis *Cor Leonis* ob magnanimitatem suam cognominatus reperitur [n]. Ex quibus Æmilium arguas, dum eum nullo suo cognomine celebratum fuisse, sed tantùm sancti Regis Ludovici filium dici scripsit. Cùm alioqui tantum honoris plerique sancto Regi detulerint, ut etiam filium laude nominis ejus decorârint. Nec solùm filium, sed & patrem; quem Ludovicum sancti Regis patrem velut cognomine nuncupârunt; egregium quantumvis Principem, ac rebus gestis præclarum.

PHILIPP. III. PATRI SUCCEDIT IN REGNO.

[n] Hocsem. cap. 14. Gest. Pontif. Leodiens. tom. 2

EJUS COGNOMINA.

VI.

Ludovici porrò morte non mediocriter consternatus Christianorum exercitus, cùm non videretur Philippus per valetudinem tanto perferendo oneri, mox confirmatus est adventu Caroli Regis Siciliæ, tot jam victoriis celeberrimi, qui peropportune eodem ipso die pervenit in castra. Quò etiam cùm adventâssent Eduardus Princeps Angliæ, ejúsque frater patruelis Henricus Cornubiæ Comes, filius Richardi electi Romanorum Regis, qui ipse allecti quòd Tuneto propediem in potestatem Christianorum redacto, conjunctis classibus in Syriam cursum dirigerent, transmissionem Syriacam distulerant: aucti Christiani viribus, post quædam certamina cum Rege Tuneti, qui cum immensâ suorum multitudine castra non longè locaverat, prosperè inita, peste imminui cœperunt. A quâ cùm nec Saraceni immunes essent, Rex eorum ut sese suósque tam ab illâ, quàm præcipuè à victricibus Christianorum armis tutaretur, misso caduceatore inducias petiit: quæ post maturam deliberationem his conditionibus in decennium concessæ fuerunt, ut impensam omnem præsentis expeditionis Saracenus auro compensaret: Annuum tributum quo Carolus pro regno Siciliæ obnoxius erat Romanæ Ecclesiæ, ipse quotannis Carolo penderet: Captivos Christianos, quos grandi numero adveniente exercitu toto regno in custodiam conjecerat, liberos dimitteret: Pateretúrque Christi fidem in suâ gente per Fratres Prædicatores & Minores atque alios quoscumque liberè annunciari & doceri; monasteriáque erigi; neque suos prohiberet sacro baptismó initiari. Quæ ut optimæ conditiones videri potuerint pro rerum Christianorum statu, non defuerunt tamen qui fœdus cum Saraceno probro verterint Carolo, quòd suo duntaxat commodo prospiciens Tunetum barbaris reliquerit, quod intra paucos dies venturum erat in manus Christianorum. Quem tamen non adeò facile putamus eos condemnaturos fore, si rationes perspexissent, ob quas Guillelmo [o] de Podio Laurentij, & post eum auctori Chronici Monfortiani, de his agentibus, longè utilius ac propemodùm necesse fuisse Christianis opus deserere, etiamsi Tunetum capi potuisse non inficientur, visum fuit; quæ apud eos videri possunt.

CAROLUS VENIT IN CASTRA.

INDUCIÆ CUM MAURIS INITÆ.

[o] Pod. Laur. Chron. c. 51.

VII.

His autem ita utrimque pactione firmatis, cùm nec tempus opportunum videretur iter Syriacum persequi, ac Regem Philippum negotia regni sui necessariò revocarent, communi consilio in Siciliam navigatum est Fœdáque tempestate jactatos, quâ & multæ naves perierunt, terrestris rursùs calamitas excepit; cùm

REGIS NAVARRÆ OBITUS, ET REGINARUM.

Rex Navarræ idémque Comes Campaniæ Theobaldus Drepani mortuus est ad quintum Decembris. Cujus & uxor Isabella, S. Ludovici Regis filia, mariti itineris Comes, posteà in reditu propè Massiliam diem suum obiit; ejúsque ossa una cum mariti ossibus ad sepulturam majorum Pruvinum Briæ delata sunt. Successítque Theobaldo in regnum & Comitatum, cùm absque liberis decessisset, *Henricus* frater ejus, à multâ saginâ *Crassus* dictus, quem regni sui procuratorem reliquerat. Cùm verò Rex Philippus è Siciliâ in Apuliam transîsset, contigit & Isabellam Aragoniam uxorem ejus lapsu ex equo dum quendam fluvium trajiceret uterum ferens, paulò pòst interire apud Cosentiam. Hícque hujus anni, quoad expeditionem Africanam, quam descripsêre plurimi [p], finis; quamvis non funerum: de quibus, cæterísque Regis Philippi rebus, dicetur anno sequenti, ad quem noscuntur pertinere.

[p] *Nang. in Chron. & prolixiùs in Vit. S. Ludov. & Phil. III. Paduan. l. 3. in fin. Mart. Polon. in Chron. Ster. in Annal. Villan. lib. 7. c. 37. & seq. Bern. Guid. in Chron. Floril. in Hist. Anglic. Sanut. l. 3. par. 12 c. 10. Gaguin. Hist. Franc. lib. 7. cap. 2. & 3. Naucler. gener. 43. Æmil. in Ludo. IX. Contin. Bel. sacr. l. 4. c. 17. & alij.*

VIII. EDUARDUS ANGLIÆ PRINCEPS.

Eduardus verò Angliæ Princeps peregrinationem quam voverat cum nonnullis nobilibus Gallis prosecutus, (Henrico patruele, cujus pater Richardus interim decesserat ineunte Aprili, patriam repetente) appulit feliciter Ptolemaïdem cum suis, ac Ioanne filio Comitis Britanniæ qui sororem ipsius duxerat uxorem, aliísque nonnullis Francis. Quòd tamen non nisi mense Maio anni sequentis contigisse Sanutus [q] ait, satis accuratus temporum observator; quamvis non pauci præsenti collocent. Cæterùm cùm non iis essent viribus (licèt Edmundus Eduardi frater, aliíque atque alij subinde adventarent carptim cum modicis auxiliis) ut Bendocdaris Sultani potentiæ conferri possent, qui magno exercitu cuncta capiebat, diripiebat, disjiciebat; satis visum si vel Ptolemaïdem, quæ jam sola unà cum Tyro & paucis municissimis castris maritimis supererat in Syriâ, ab ejus invasione tutarentur. Nisi quòd missis nunciis ad Tartaros Christianos in Persidem, quibus continuum erat cum Saracenis bellum, commoverunt eos ad excursionem in Syriam adversùs illos faciendam, quâ non parvum iis damnum intulerunt. Secutæque sunt infaustæ quædam induciæ inter Hugonem Regem Cypri & Ierusalem ac Bendocdarem. Narrant hæc Nangius [r], Sanutus, Florilegus, Walsinghamus, & alij; sed nonnulli, ut diximus, diversis annis sequiùs collocantes: quod inter cæteros solemne est Polydoro; quem minùs accuratè res Anglicas scripsisse quàm à multis putatur, collatione cum antiquioribus factâ sæpè reperimus. Nec sanè his studiis atque laboribus molestius quid diversitatibus narrationum & temporum: quas qui quandocumque occurrerint tollere susceperit, operam oppidò perdiderit. Est tamen plerumque iis tenebris lumen aliquod, quo in rectam viam benè oculatis deduci liceat: quod si non ubique nos vidisse asserere audemus, divinâ tamen ope plerisque aliis minus cæcutîsse profiteri possumus.

[q] *San. lib. 3. par. 12. c. 11.*

[r] *Nang. in Phil. III. San. d. c. 11. Flor. in Henr. III. Walsi. in Hypodigm. Neustr.*

IX. CASTELLANI INSURGUNT IN SUUM REGEM.

In Castellâ regni proceres à Rege suo Alfonso animis alienati, conjurare in eum cœperunt: Nocebant enim asperi mores, ac nimia severitas, & quòd superbis auribus, linguâ petulanti, literísque potiùs quàm civilibus artibus instructus esset. Cùm verò & in gratiam Dionysij octennis fermè pueri nepotis sui, filij Alfonsi Regis Lusitaniæ ex ipsius Alfonsi filiâ Beatrice, Lusitaniæ immunitatem [s] contra quorundam vota concessisset; alienatiores redditi, unà cũ Philippo Regis fratre exitialia consilia Reipublicæ Regíque agitantes; quoniam viribus non satis fidebant, externa præsidia, ipsorúmque etiam Maurorum Regum, cæco in patriam impetu, comparare decreverunt. Vnde & Rex Granatæ Alhamarus, homo audax, & rebus Christianorum maximè infensus, violato fœdere quod cum Alfonso pepigerat, prior in fines Christianorum irrupit; & proceres incendiis ac vastationibus omnia hostilis animi exempla ediderunt: Alfonso nequicquàm eorum animos placare, & Granatensem sibi reconciliare satagente. Donec defuncto eodem Alhamaro inchoante anno 1273. filius ejus novâ pactione conciliatus, & proceres ad officium, omnibus quæ flagitabant promissis, Reginæ Violantis diligentiâ revocati sunt. Quæ pluribus narrant Rodericus [t] Santius & Ioannes Mariana.

[s] *Suprà an. 1245. XXXI. & 1253. II.*

[t] *Sant. par. 4. cap. 3. Mar. l. 13. cap. 10. & 22.*

X. COMITES FUXI HÆRESIS IMPETITI.

In Aragoniâ agentes Inquisitores in hæreticos, qui his temporibus, & maximè Manichæi & Waldenses, repullulabant in diœcesi Vrgelitanâ, assidente Episcopo, Arnaldum Castelbonium Vicecomitem, & Ermesendam Fuxensem Comitem ejus filiam, Rogerij Bernardi Fuxensis Comitis aviam, jam olim defunctos, impietatis condemnârunt, & eòrum famam memoriámque detestandam, ossa erui atque inuri sanxerunt; Rogeriúmque Ermesendæ nepotem eodem crimine in judicium arcessêrunt. Ita Surita in suis Indicibus. Quorum licèt non meminerint Annales Fuxi, aviam tamen hujus Rogerij, (nempè conjugem illius Rogerij-Bernardi, de cujus impietate & sævitiâ dictum aliàs (non *Ermesendam*, sed *Brunissenam* appellant, filiam Vicecomitis Castelbonij, per quam idem Vicecomitatus insertus est ac junctus domui Fuxensi.

XI. BELÆ REG. HUGAR. OBITUS.

Mortuum hoc eodem anno esse *Belam* Regem Hungariæ, ponit in suis Annalibus Stero auctor illius temporis; necnon qui paulò pòst vixêre Siffridus [u] Presbyter, & Erphesfordensis Monachus haud indiligens scriptor in Additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem. Quod tamen ejus gentis historici, Ioannes de Thwrocz [x], Ranzanus [y], Bonfinius [z], qui omnes longè posteà vixerunt, differunt in annum 1275. mensémque Maij. Verùm cùm dicant ipsum regnâsse post patrem triginta quinque annis, patrémque obiisse posuerint anno Domini 1235. proculdubiò dicendus & ipse decessisse præsenti anno. Quod & inde confirmatur, quia invenitur in Regesto Gregorij Papæ X. confirmatio facta tertio Nonas Maij anni ipsius Pontificatûs primi, qui incidit in Domini 1272. ad preces Stephani successoris Belæ & Othocari Regis Boemiæ, conditionum pacis inter ipsos stabilitarum anno anteriori quinto & pridie Nonas Iulij, post atrox bellum inter eosdem gestum; quod non nisi post obitum Belæ contigisse, omnes consentiunt. Et concordat adamussim Stero prædictis Gregorij literis, cùm ait, circa solstitium æstivale anni 1271. Stephanum & Othocarum, post plurima utrinque mala commissa, per Episcopos & Religiosos viros ad inopinatam & subitam pacis concordiam rediisse; eámque ad utriusque partis instantiam auctoritate Sedis Apostolicæ confirma

[u] *Siffrid. Epit. lib. 2.*

[x] *Thuros. par. 2. cap. 76.*

[y] *Ranz. Epit. Indic. 15.*

[z] *Bonf. 2. dec. 8.*

confirmatam fuisse. Ac quod denique omne dubium tollit, iisdem concordiæ inter Reges literis, quas Gregorius suæ confirmationi integras inseruit, ipse Stephanus disertissimè ait, eas conscriptas fuisse anno Christi 1271. quinto Nonas Iulij regni sui anno secundo; videlicèt inchoato à Nonis Maij, quibus patrem ejus Belam defunctum fuisse superiores illi auctores tradunt.

XII. Cæterùm fuit Bela miti ingenio Princeps, & vitâ integer, sed in rebus gerendis, bellisque agitandis parùm fortunatus. Felix tamen quòd suis subditis acceptissimus extitit; & quòd sororem habuit *S. Elizabetham* Lantgraviam Turingiæ, de quâ superiùs [a]: filiam *B. Margaritam*; quæ ex voto parentum ab ineunte ætate Ordini S. Dominici inserta, rejectis Regum Poloniæ & Boëmiæ nuptiis, præclaros tulit purissimæ atque sanctissimæ asperrimæque vitæ fructus: quam breviter descripsit idem Ranzanus. Cui natalibus inferior ejusdem nationis & temporis beata virgo *Helena*, eo superior extitit quòd ex vehementissimâ Dominicæ Passionis contemplatione stigmata Christi ipsomet Domino imprimente recepit. Vtraque verò vivens ac vitâ functa ingentibus miraculis sanctitatem suam illustravit.

[a] An. 1226. IX.

Sanctæ feminæ Hungaræ.

XIII. Belâ porrò extincto, prædictus *Stephanus* ejus filius hæreditario jure regnum suscepit, hujus nominis Quartus, sive, ut alij numerant, Quintus: quem viventi patri negotium facessisse vidimus superiùs. Parente verò bellis fortunatior, præter clades Boëmis & Austriis illatas, Regem Bulgarorum stipendiarium sibi fecit: & si diutiùs vivere licuisset, omnium judicio Princeps clarissimus foret habitus: sed mortuus est in progressu victoriarum anno tertio regni sui inchoato.

Steph. IV. Rex Hung. inclytus.

XIV. In Poloniæ regione Cracoviensi [b] honesta quædam matrona *Margarita* Virboslai Comitis uxor triginta sex pueros vivos uno partu edidisse fertur, vigesimâ die mensis Ianuarij; sed qui eodem die mortui sint. Sextâ verò Decembris crepusculo novus & insignis splendor in figuram Crucis efformatus, cœlitùs non modò urbem, sed omnem circumcirca regionem illustravit. Calissiæ intra octavam diem Natalis Christi natus est vitulus cum duobus caninis capitibus atque dentibus, & septem pedibus vitulinis: capitum autem majus quidem antrorsùm in loco suo, minùs verò retrorsùm ad caudam situm erat. A cujus cadavere canes atque volucres abhorruêre. In Silesiâ verò apud Michaloum pagum, & inter Odram & Nyssam fluvios triduo sanguine pluisse dicitur. Hæc, & alia quæ anno præcedenti contigerant, cùm ingentem terrorem animis hominum incussissent, supplicationibus & sacrificiis publicè procurata sunt; secutáque nihilominùs sunt externa bella, & domestici motus; quos illius gentis historici enarrare post hæc pergunt.

[b] Michov. l. 3. c. 57. Crom. l. 9. Vide supr. an. 1256. II.

Partus numerosus, aliaque portenta in Polonia.

Iesu Christi Annus 1271.

Sed. Vac. An. 3.

Michaelis VIII. An. 12.

I. Anno Christi 1271. Indictione decimâquartâ, Philippus Rex Francorum unà cum patruo Carolo Rege Siciliæ, ex Apuliâ Romam [a], indéque Viterbium accedentes; cùm adhuc invenissent Cardinales magno Reipublicæ Christianæ damno & scandalo dissidentes in electione Pontificis, hortati eos summoperè ad concordiam, re infectâ discessêre, unusquisque in Regnum suum; cùm singuli Cardinales ad Pontificatum aspirantes, nemini cedere vellent. Errant enim qui scribunt, præsentibus Regibus creatum esse Gregorium: quamquam non dubitamus, Cardinales tantorum Regum ora, & propriam ignominiam erubescentes, faciliores sese exinde ad rem peragendam exhibuisse.

Phil. et Carol. Reges urgent Cardinales pro electione Pontificis.

[a] Nang. in Phil. III.

II. Cæterùm Philippum jam inde saltem ad principium mensis Martij discessisse, necesse omninò est asserere, cùm qui terrestri itinere ad sua tendebat, areas secum deferens reliquiarum patris, fratris ac conjugis, (quarum & paternæ nonnullis miraculis in viâ claruerunt [b]) & in singulis civitatibus honorificentissimè & cum litaniis ac processionibus, ut decebat, excipiebatur, atque etiam antequàm Mediolanum perveniret, Cremonæ aliquot diebus substitit, tractandæ paci inter Venetos & Genuenses, quò simul omnes in Saracenos proficisci possent; (qui magnitudini Regis hoc dederunt, ut in quinque annos induciæ fierent [c], irritatiores enim adhuc utriusque populi erant animi, ut in perpetuam pacem consentirent:) nihilominùs Mediolanum pervenisse reperiatur [d] die octavâ Aprilis hujus ipsius anni & inde recessisse undecimâ. Qui transitis Alpibus in Galliam, ac demùm Parisios perveniens, post solemnissimum charorum suorum funus (præcipuéque sancti parentis, cujus ossa proprio collo portavit) in festo Assumptionis B. Virginis (ut Nangius habet in ejus Vitâ, cùm tamen plerique alij diem trigesimum Augusti signent) unctus fuit Remis ab Episcopo Suessionense vacante sede Remensi. Quem cùm omnes auctores Gallici, blanditiæ, affabilitatis, & mansuetudinis laudent, (etiamsi, ut diximus in parentis obitu, ob magnanimitatem animi, & bellicam fortitudinem, cognomen Audacis, & Cordis leonis obtinuerit) pietatem etiam eo commendant, quòd quamdiù post obitum prioris conjugis cœlebs permansit, fermè quadriennium, cilicio continenter etiam sub loricâ usus sit, & totâ vitâ abstinentiam penè Monachalem servârit. Post quadriennium porrò viduitatis, uxorem alteram duxit Mariam sororem Ioannis Ducis Brabantiæ, egtegiis animi corporisque dotibus ornatam; de quâ plura inferiùs.

Philippi iter in Galliam.

[b] Sigon. de regn. Ital. 20.

[c] Hist. Ven. & Gen. Æmil. in Philip.

[d] Cor. Hist. Medio. par. 2.

Probi ejus mores.

III. Cum autem & decessisset in reditu apud oppidum Cornetum Tusciæ, Alfonsus Comes Pictaviæ & Tolosæ Philippi patruus, paulóque pòst ejusdem uxor Ioanna, eorum morte Rex, ex conventione [e] olim factâ, cum nullos liberos reliquissent, in solidam Comitatûs Tolosani

[e] Suprà an. 1228. X.

RECIPIT TOLOSAM, AC REBELLES DOMAT.

(cujus nihilominùs dominium directum semper Regum Francorum fuerat) possessionem iit ac dissidentes, deficientésque paulò pòst nonnullos illius tractûs Proceres, ducto exercitu compescuit; ac præcipuum, eorum, Comitem Fuxi captivum abduxit. Quæ pluribus tractant Nangius, Æmilius, Gaguinus; ac dilucidiùs Guillelmus de Podio Laurentij qui videbat, & hic claudit Chronicon suum. Nec videntur ea intellexisse Aragonici, cùm non solùm Comitem Fuxensem, quem præcipuè Rex impetebat sed etiam civitatem Tolosatem, Regis imperiū detrectâsse, ac Petrum Aragonium tanquam legitimum dominum arcessisse scribunt, nunquam non rebus suis intenti. De Gastone verò Bearnensi habet speciatim Nangius[f], eum auditâ Comitis Fuxensis generi sui captione, séque apud Regem traduci tanquam rebellionis Fuxensis auctorem, sibi vehementer timentem ad Regem accessisse, ac genu flexo junctísque manibus suppliciter exorâsse ne hujus facinoris iniquè sibi impositi suspectus haberetur; séque scuto & lanceâ, vel alio quocumque modo ad Palatinorum arbitrium crimen purgaturum: vixque tandem veniam à Rege impetrâsse.

[f] Nang. in Chron. an. 1272. Vide infra an. seq IX.

IV.

Dum autem adhuc esset Philippus cum patruo Carolo Viterbij, ingens ibi facinus inopinato casu accidit. Cùm enim prævenisset eorum adventum Henricus Comes Cornubiæ filius Richardi Romanorum Regis, & ejus regni causâ novum creari Pontificem anxius expectaret; accedentes eodem cum Regibus Simon & Guido germani Comites de Monteforti, filij Simonis senioris prœlio Eveshamensi[g] occisi, atque ejusdem Henrici fratres amitini; qui post cladem paternam ex Angliâ evadentes in Galliam, & inde Italiam, Carolo militaverant, & Guidoni, tum ob generis nobilitatem, tum ob strenuitatem animi, Aldebrandinus dictus Rubeus sive Rufus Comes Anguillatiæ filiam suam in uxorem dederat: arreptâ occasione Henricum perimendi in vindictam necis paternæ, cùm in Ecclesiâ S. Laurentij tempore Quadragesimæ rei divinæ intenderet; nulla loci vel officij habitâ ratione, diabolico furore incautum invadentes, & ab Ecclesiâ extrahere conantes, nec valentes, gladiis confoderunt, & adhuc spirantem ac misericordiam deprecantem, capillis extra Ecclesiam tractum iteratis ictibus penitùs confecerunt, septíque comitatu suorum, quos ad fores Ecclesiæ paratos habebant, aufugerunt ad Guidonis socerum, quem Carolus Etruriæ suo nomine præfecerat. Narrant scelus plurimi[h], sed nonnihil diversè: & in eo quidem longissimè errantes, quòd & Henricum fratrem germanum constituunt Eduardi Principis Angliæ, eundémque Eduardum tum Viterbij præsentem extitisse aiunt. Consentiunt tamen plerique id Regi Carolo apud plurimos & maximè Anglos, ingentem invidiam conflasse, quòd tantum facinus præter suos oculos impunè committi sivisset. Cæterùm Carolum haud scelus inultum reliquisse, inde Summontius[i] demonstrat, quòd reperiatur privâsse Guidonē terris quas ei in regno Apuliæ contulerat. Nec verò hoc tantum, sed etiam indignationem Philippi Regis propterea Guidonem incurrisse, & ab Ecclesiæ Romanæ judicio perpetuo carceri damnatum fuisse, Nāgius habet, quā de re dicetur pleniùs annis proximè sequentibus.

[g] Suprà an. 1265. X.

MONFORTII FRATRES HENRICUM CORNUBIÆ COM. INTRA ECCLESIAM PERIMUNT.

[h] Nang. in Chron. & in Phil. III. Ricord. c. 96. Villan. l. 7. c. 40. Flor l. in in Henr. III. Blond. 2. dec. 8. Anton. tit. 20. c. 1. §. 12. Platin. in Greg. X. Æmil. in Phil III. Polyd. l. 16. & alij.

[i] Sum. Hist. Neap. lib. 3.

Et quod ad rem gestam attinet; ea, ut nos narravimus, descripta habetur in sententiâ Gregorij X. contra Guidonem prolatâ, de quâ suo loco: ubi & diserta fit mentio Simonis germani Guidonis, ut sceleris participis: quem alij auctores ideò, ut puto, tacuerunt, quoniam ante latam sententiam jam diem suum obierat.

V.

CARDINALES COMPROMITTŪT PRO ELECTIONE PONTIF.

Intereà Cardinales de Pontificis electione Viterbij dissentientes, (erant tunc reliqui numero quindecim; nec adhuc mos erat ut in conclavi recluderentur; sed singulis diebus unà conveniebant) demùm sive timore Dei, sive pudore suî, seu Principum aliorúmque omnis generis hominum continuis hortationibus, precibus, querelis, fortè & minis commoti: (Referunt & quidam antiqui Cronographi lepidum quid ac nihilominùs grave Ioannis Cardinalis Episcopi Portuensis natione Galli Ordinis Cisterciensis: nimirùm aliquando ridendo dixisse in cæterorum Cardinalium Conventu, discooperiendam esse domum, quia Spiritus Sanctus per tot ad eos copercula pertransire nequibat;) hanc demùm electionis rationem inierunt, ut compromissum in sex Cardinales eâ lege facerent, ut intra triduum quinque unum ex sex, aut iidem sex simul alienum quempiam vel intra vel extra Collegium Pontificem renunciarent. Reperimus alicubi[k] expetitum tum fuisse *B. Philippum Benitium* Florentinum Ordinis Servorum, ob insignem miraculorum ejus famam; sed illum re cognitâ apud montem Tuniatum delituisse, quousque facta esset electio alterius. Fuítque is æquè extra collegium quæsitus, *Thealdus*, (Theobaldum plerique vocant) civis Placentinus, è familiâ Vicecomitum Mediolano olim extorre, Archidiaconus Leodiensis, (non Laudensis, aut Lugdunensis, ut quidam habent) vir sanctitate vitæ, morum integritate, utriusque Iuris scientiâ, & rerum sæcularium experientiâ conspicuus; qui suasu maximè S. Bonaventuræ Ministri Generalis Ordinis Minorum renunciatus est Pontifex Calendis Septembris, post Sedis vacationem triginta trium mensium; cùm absens tunc esset Ptolemaide unà cum Eduardo Angliæ Principe ac semper antea totus ferè in eo fuisset ut Christianos Principes (quibus ob singulares virtutes, ac præcipuè Francorum & Angliæ Regibus, carissimus fuerat) in Saracenos animaret. Quare auditâ ejus electione in Syriâ, (delatâ[l] illâ per Fratres Prædicatores & Minores specialiter ad hæc missos) magnâ Christiani spe erigi cœperunt opportuni auxilij. Ipséque accepto electionis decreto, atque approbato, dum recessurus concionem haberet ad populum, illud Davidicum[m] inter alia magno zelo contestatus est, *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Quod & quantum in se fuit, opere, ut videbimus, implevit. Recessit autem Ptolemaide mense Decembri, ab Eduardo Principe rebus ad navigationem necessariis abundè adjutus: de cujus in Italiam adventu dicetur anno sequenti. Isthæc autem de ipso collegimus ex Ptolomæo[n] Lucensi, Sterone, Sanuto, Continuatore Parisij Florilego, Blondo, Platinâ, Antonino, Bossio, Onuphrio, Ciacconio, & aliis. Quorum tamen nonnulli eo maximè falluntur, quòd Thealdum

[k] Vit. B. Phil. Ferrar. in Catal. SS. Ital. & ap. Bzov. an. 1285.

ELIGITUR THEALDUS ARCHIDIACONUS LEODIENSIS ABSENS.

[l] Contin. Paris.

[m] Psal. 136.

[n] Ptol. in Annal. Ster. in Annal. San. cap. 13. Cont. Par. in Henr. III. Flor. an. seq. Blond. d. l. 8. Plat. ib. Ant. c. 2. in pr. Boss. Chronic. lib. 10. Onuph. in Pontif. Rom. & Addit. ad Plat.

Episcopum Placentinum faciunt: quem nonnisi Archidiaconum Leodiensem fuisse, communis est plerorúmque sententia. Vnde & versus à prædicto Ioanne Cardinale Portuense tunc compositi, quos multi referunt:

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus:
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

Episcopatum autem Placentinum per depositionem hominis indigni vacantem, ab Innocentio IV. sibi oblatum recusâsset reperitur [o], ne homines suspicarentur, ipsum occasionem exauctorandi sibi alioqui amici quæsîsse, quò ipse eum honorem assequeretur. Ipsa porrò acta Compromissi cujus meminimus, necnon electionis, unà cum literis ad eum à Cardinalibus in Syriam scriptis, jam edita habemus diligentiâ Fratris Lucæ Waddinghi accuratissimi Annalium Minorum scriptoris, ex Formulario manuscripto sæpè à nobis memorato *Marini Ebulensis* Galli tum viventis, thesaurarij Saresbiriensis in Angliâ, & Ecclesiæ Romanæ Vicecancellarij sub Innocentio IV. ac demùm Archiepiscopi Capuani; qui egregium reliquit Cancellariæ Formularium Literarum Apostolicarum per suos titulos materiásque distinctum: quod tum habetur in Bibliothecâ Vaticanâ, unde Waddinghus descripsit; tum in locuplete olim, nunc valdè furtis exterorum; & incuriâ internorum depauperatâ, Collegij Fuxi Tolosani; ubi id vidimus duobus grandibus voluminibus contentum.

[o] *Ap. Ciaccon. in ejus Vit.*

VI. Cùm verò Thealdus, antequàm electionis suæ nuncium accepisset, certior ibidem Ptolemaide seu Accone factus à Nicolao & Matthæo Paulis fratribus natione Venetis, qui diù apud Cublai (ita enim vocant, quem Haythonus & Sanutus Cobilam; filium Mangonis, de quibus suprà [p]) magnum omnium Tartarorum Chaamum versati, post revisam patriam ad eum tum redibant, de petitione Cobilæ ut mitterentur ad ipsum nonnulli viri in Lege Christianâ apprimè docti, qui eam possent Tartaris insinuare, literas illis ad Chaamum dedisset, quibus is pleniùs in fide instrueretur: paulò pòst eorum abitum receptâ suæ in Pontificem electionis legatione, illis continuò revocatis, alias Pontificio nomine ad Chaamum literas scripsit, mittens etiam unà cum iis duos Fratres Prædicatores probitate & literaturâ conspicuos. Quibus in Armeniâ subsistentibus ob ingentia viarum à Saracenis pericula, Veneti animosiores immensis laboribus ad Cobilam penetrârunt, & tum literas Pontificis, tum oleum de lampade Dominici Sepulchri, quod concupierat, obtulerunt: quæ ille maximâ lætitiâ & observantiâ accepit. Hæc autem Marcus Paulus filius prædicti Nicolai, qui agens tunc annum ætatis decimum-quintum, unà cum patre & patruo id itineris peregit, ita gesta esse narrat in suâ Historiâ [q] de Regionibus Orientalibus; quas occasione negotiorum sibi à Chaamo, cui ob prudentiam & solertiam in rebus agendis carissimus factus est, per latissimas Imperij sui provincias commissorum, perlustravit. Cùm autem dicat, alterum prædictorum Fratrum Prædicatorum vocatum fuisse Guillelmum Tripolitanum; legitur in Bibliothecâ Gesneri, eum ad prædictum Thealdum (Theobaldum vocat) Archidiaconum Leodiensem (non Laudensem) posteà Gregorium X. Papam, scripsisse commentarium De Statu Saracenorum: ex quo etiam nonnulla citat Geraldus Mercator. Quare existimamus eum antè notum Thealdo ob cognitionem rerum Orientalium, ab eodem facto Pontifice eò libentiùs ad Tartaros legatum esse.

[p] *An. 1258. VIII. 1260. III.*

THEALDUS ELECTUS SCRIBIT AD CHAAM TARTARORUM.

[q] *M. Paul. l. 1. c. 5. & 6.*

HISTORIA M. PAULI VENETI.

IESU CHRISTI Annus 1272.

GREGOR. X. An. 1.

MICHAELIS VIII. An. 13.

I. ANNO Christi 1272. Indictione decimâquintâ, ineunte Ianuario Thealdus electus Romanus Pontifex Brundusium appulit: indéque à Carolo Rege summo honore, & solitâ pedestri [a] dextratione exceptus, deductúsque Ceperanum; eo inde ad sua remisso, Viterbium, ubi Cardinales eum opperiebantur, pervenit quarto Idus Februarij; ac sumptis Pontificatûs insignibus, Romam profectus, sexto Calendas Aprilis in basilicâ Principis Apostolorum consecratus, ac coronâ Pontificiâ ornatus est, sumpto nomine Gregorij ejus nuncupationis X. & symbolo *Perfice* [b] *gressus meos in semitis tuis.* Móxque literas de suâ assumptione ad universos Prælatos ac Principes scribens [c], tum preces eorum expetiit ad rectam Pontificatûs gubernationem, tum eosdem ad optimam Ecclesiarum ac Regnorum & Principatuum suorum administrationem hortatus est. Cùm tamen jam anteà memor pollicitationis factæ Christianis Terræ Sanctæ, priusquàm Viterbio exiret, operam dedisset ut eis subveniretur: exemplum ipse cæteris præbens, cùm ære Ecclesiastico quingentis conscriptis equitibus, ac multis peditibus, tres triremes à Venetis conduxit iis transmittendis. Missóque ad Philippum Francorum Regem Archiepiscopo Corinthio validiora subsidia ferre suasit, & ab eodem viginti quinque millia marcharum argenti ad id operis accepit; ut etiam ex aliis ad Carolum Siciliæ Regem de eodem negotio scriptis per Patriarcham Ierosolymitanum hortatoriis literis intelligitur. Quales & ad Venetos, Ianuenses, & alios dedit. Ac denique ne arma, ligna, naves, & reliqua belli adjumenta Saracenis divenderentur, vel ullus quocumque modo eis favor impenderetur, anathemate prohibuit; & qui in id peccarent, Ecclesiasticâ prætereà sepulturâ indignos pronunciavit; ut sunt de his ejus ad diversos literæ scriptæ quarto & tertio Nonas Martias *anno primo suscepti à se Apostolatus officij*; ut ponit, cùm nondum consecratus & coronatus esset: ac proinde nec nomen suum apposuisset: quandoquidem, ut addit, ij qui fuerant eatenùs in Romanos electi Pontifices, consueverant in bullandis literis ante suæ consecrationis & benedictionis munus modum ejusmodi observare; quamvis nihilominùs nomen accipere non differrent; siquidem & ipse iisdem literis his verbis usus est, *Gregorius electus Episcopus servus servorum Dei, &c.*

THEALDUS APPELLIT IN ITALIAM.

[a] *Ptol. Luc. in Chron.*

NOMEN ACCIPIT GREGORII X.

[b] *Psal. 16.*

[c] *Ext. in ejus Reg. Vat. data 4. Cal. April.*

CURAT RES TERRÆ SANCTÆ.

II. INDICTIO CONCILII AD LOCUM DESIGNANDUM.

Post quæ & majora his auxilia cogitans, Concilium Oecumenicum celebrare instituit; quo rebus Ecclesiæ & Imperij optimè stabilitis, factâque (ut sperabat) unione Ecclesiæ Græcorum cum Latinâ, omnes in perniciem barbarorum armaret. Quare & literas Indictionis Concilij ad universos Prælatos ac Principes misit datas Laterani Calendis Aprilis; quibus omnes paratos esse monuit ad sistendum se Calendis Maij anni Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti in loco posteà designando: & de his omnibus certiores etiam reddens Eduardum Angliæ Principem, ac cæteros quos in Syriâ reliquerat, subsidiáque citissima promittens, hortatus interim est ad constantiam. Et vacante Sede Patriarchali Ierosolymitanâ, sexto Idus Maij ei præfecit *Thomam* Archiepiscopum Consentinum, annexâ ei de more cæterorum curâ Ecclesiæ Acconensis, & Legatione totius Orientis; quem suis literis virum vitâ & honestate decorum, literarum scientiâ præditum, Deo & hominibus gratum, ac consilij maturitate præclarum, prædicat. Eundémque Acconem cum quingentis illis armatis stipendio Ecclesiæ hoc ipso anno pervenisse, etiam Sanutus [d] tradit. Ex quibus Onuphrio [e] alium Patriarcham suggerimus, alios etiam postmodùm suis locis suggesturi; quos ipse ignoravit, cùm scripsit, quis post Fr. Thomam Agni de Lentino [f] ex Latinis Patriarchatum Ierosolymitanum obtinuerit, incompertum esse. Hunc enim Consentinum diversum fuisse ab illo Messanensi, convincere videntur epistolæ Vrbani IV. de Messanensi, & istius Gregorij X. de Consentino: etiamsi Frater Guillelmus Tripolitanus, de quo superiùs [ff], unum eundémque Thomam Ordinis Prædicatorum facere videatur eum qui sub Vrbano quique sub Gregorio extitit; ac primò fuisse Episcopum Bethleemitanum atque Apostolicæ Sedis Legatum Accone, deinde Patriarcham Ierosolymitanum. A quo non videtur abire sanctus Antoninus [g], cùm Thomæ Agni suffectum ponit Nicolaum de Anapiis Ordinis item Prædicatorum; licèt tempus non designet. Nec nos quid certius de his dicamus omninò habemus.

THOMAS PATR. LAT. IEROSOLYMIT.

[d] *San. lib. 3. par. 12. c. 11.*
[e] *Onuphr. in Chron. Eccl.*
[f] *Vide suprà an. 1261. VII.*
[ff] *An. 1260. IV.*
[g] *Anton. tit. 23. c. 11. §. 1.*

III. CURAT REDUCENDUM REGEM LUSIT.

Secedens post hæc Gregorius Vrbem-veterem, Alfonsum Regem Portugalliæ, jam sæpè ab antecedentibus Pontificibus de excessibus suis redargutum, denuò mense Iunio [h] per Religiosos Ordinum Prædicatorum ac Minorum ad meliorem frugem reducere sategit; concedens etiam ut interdictum regni, de quo aliàs [i], per septem menses suspenderet, intra quos ni resipisceret ipso jure in eandem censuram regnum incideret. Sed surdo hæc cantata, videbitur ex iis quæ pòst in eundem Regem gesta fuêre.

[h] *Epist. 50. & 51.*
[i] *An. 1268. VIII.*

IV. IMPER. GRÆCOR. INVITATUR AD CONCIL.

Post hæc ex eodem loco misit idem Pontifex nono Calendas Novembris Constantinopolim ad Palæologum Græcorum Imperatorem, Fratrem Hieronymum de Esculo cum aliis tribus Fratribus Minoribus, ac literis quibus eum invitavit ad unionem, & ut Concilio interesse vellet, aut saltem viros magnæ auctoritatis mitteret, quibuscum posset commodè tractari: scriptis pariter eâdem de re aliis literis ad Patriarcham Græcorum. Tradunt autem historici Græci [k], Palæologum auditis apparatibus bellicis quos Carolus Rex Siciliæ adversùs eum faceret ad restituendum generum suum Imperio Constantinopolitano; quamvis & ipse non sibi deesset in colligendis viribus quas illi opponeret, fuisse tamen tanto terrore perculsum ob ingens nomen virtutis & potentiæ Caroli, ut legatos miserit ad Pontificem, quibus promisit Ecclesiam Græcam Romanæ subjicere, dummodò Carolum ab eâ expeditione averteret. Verùm hujusmodi unionis & subjectionis tractatus jam antequàm Carolus in Italiam veniret cœptos fuisse, superiùs vidimus: quamquam nihil dubitamus, Palæologum ob continuas infestationes quas passus est à Latinis post captam Constantinopolim, longè faciliores ei rei præ metu aures præstitisse. Sunt autem in eodem Regesto Pontificis literæ ad Carolum datæ septimo Idus Novembris; quibus eum monet, Palæologo ac suis diplomata tuti commeatûs, sive salvi-conductûs dare, quò possent liberè ad Concilium accedere.

[k] *Nicephor. Greg. lib. 5. Phranz. lib. 1. cap. 6.*

V. STEPHANI REG. HUNG. OBITUS.

Hoc eodem anno circa Calendas Augusti *Stephanus* Rex Hungariæ moritur: ut Stero, Siffridus, & Chronica [l] Australis rectiùs ponunt, quàm cæteri post quadriennium; cùm omnium consensu certum sit, eum non nisi paulò plus biennio regnâsse: Ac denique extent in Regesto Gregorij Papæ literæ ad filium ejus hoc tempore scriptæ post patris obitum; quibus eum hortatur ad regnum probè administrandum. Fuit autem is *Ladislaus* ejus nominis Tertius, sive ut alij numerant Quartus. Cui soror fuit Maria, quæ jam nupserat Carolo Claudo, filio primogenito Caroli Regis Siciliæ; & hoc ipso anno peperit ei Carolum Martellum, qui fuit posteà Rex Hungariæ, ut videbitur suo loco. Ipse verò Ladislaus uxorem habebat Isabellam ejusdem Caroli Regis Siciliæ filiam: quam æquè ac ipsum Ladislaum ejus virum utrumque adhuc teneræ ætatis, debito honore & cultu prosequi, mandavit Gregorius aliis literis universis Prælatis ac proceribus regni Hungariæ. Cæterùm haud multò post initum à Ladislao regnum, redintegratum esse bellum cum Othocaro Boëmo novis occasionibus idem Stero, & alij Rerum Hungaricarum & Boëmicarum scriptores tradunt, ac prosequuntur. Ipsum autem Ladislaum virum fuisse volunt atroci ingenio, belli cupidum, honestati parùm intentum, libidinibus ac præcipuè cum feminis Cumanis Gentilibus deditum; ideóque ei turpitudine Chuno cognomentum inditum: de quo plura inferiùs suis locis.

[l] *Rer. Germ. edit. Frebér.*

SUCCEDIT LADISLAUS III. PRAVIS MORIBUS REX.

VI. HENRICI REG. ANGL. OBITUS.

Mortuus item est hoc anno decimo-sexto Calendas Decembris, Londini *Henricus* Rex Angliæ, anno ætatis suæ sexagesimo-quinto, die quadragesimo-septimo regni quinquagesimo-sexto die vigesimo; ipso videlicèt die S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis, quem ipse aliquando exagitaverat: & quatriduo pòst, nempè die S. Edmundi Regis olim Angliæ & martyris, sepultus est in Ecclesiâ Westmonasteriensi, quam magnificè reædificaverat. Fuisse in rebus agendis minùs prudentem, ex iis quæ de ipso sæpè dicta sunt,

Ejus pietas.

intelligi potest. Pietatem tamen coluit adeò, ut præter cultum Sanctorum, & sacra ædificia atque donaria, quibus eximius extitit, quotidie tres Missas cum cantu audiret, præter alias privatim ac submissâ voce celebratas quibus assiduè assistebat. Ferúntque, cùm aliquando sanctus Ludovicus Francorum Rex dixisset ei, non semper Missis, sed frequentiùs sacris concionibus audiendis vacandum esse; urbanè prudentérque respondisse, se malle amicum suum sæpiùs videre, quàm de eo loquentem, licèt bona dicentem, audire. Idémque paulò ante obitum, cùm cives Norwicenses in odium Monachorum Ecclesiam suam Cathedralem combussissent; accurrens eò, nocentiores caudis equorum trahi, bona fisco addici, Ecclesiam à civitate magnificentiùs restaurari, vasa sacra pretiosiora restitui jussit. Quæ narrant pluribus Continuator Parisij, (qui hîc desinit) Florilegus, Walsinghamus, Polydorus, Harpsfeldius, & alij ejus gentis historici.

VII. Eduardi ipsius filii grande periculum a sicario.

[m] San. lib.3. par.12. c.12.

Aberat tunc in expeditione Syriacâ Eduardus Henrici primogenitus, & regni hæres. Cui hoc ipso anno Ptolemaïde ingenti infandæ necis periculo eripi contigit: Cùm videlicèt decimo-octavo Iunij (ut tempus disertè Sanutus [m] perscribit) in cubiculo solus existens, dum surgeret è somno meridiano, sive adhuc in lecto esset, percussor quidam eum adortus, tribus vulneribus gladio venenato affecit: confecissétque penitùs, ni prævalidus juvenis extorto de manibus gladio ipsum peremisset; vel, ut alij habent, compressam sicarij dexteram tamdiù continuisset, quousque accursu famulorum insidiator trucidatus est. Scelus præter Sanutum, Lucensis, Martinus, Nangius, Continuator Parisij, Florilegus, Blondus, Platina, Polydorus, cæteri, Arsacidæ Assasinísque, de quibus aliàs [n], adscribunt: nempè unum aliquem ex illis adeò se in consuetudinem Eduardi variis artibus insinuâsse, ut liber ei esset ad eum accessus. At Frater ille Guillelmus Tripolitanus, ex cujus Fragmento nonnulla superiùs [o] retulimus, id sceleri Bondogari Soldani tribuit; qui quòd cerneret armis se non posse contra Eduardum prævalere, unum ex suis Admiratis induxerit ad fingendam cum Eduardo adversùs ipsum Bondogarem amicitiam, adeóque persuaserit ut ejus internuncius familiaris Eduardo factus id tandem sceleris tentaverit. Cui magis crediderim existenti tum Ptolemaïde, cùm res gesta est, quàm Æmilij conjectationi, fuisse paratum insidiatorem ab iisdem ipsis Monfortiis, quos superiori anno vidimus in Henricum Eduardi patruelem longè atrociori scelere grassatos in eandem vindictam paternæ cædis: Quorum enim audaciâ regio Henrici cruore aræ perfusæ fuêre, ab iis immissum percussorem in Syriam: id autem Arsacidæ Assasino tributum, quòd fama jam obtinuisset ut omnes sicarij Assasini dicerentur.

[n] An.1231. IV. & seqq.

[o] An.1260. IV.

VIII. Idem Eduardus succedit patri in regno Angliæ.

Mortuo igitur Henrico Rege, protinùs Antistites ac Proceres ibidem Londini in Ecclesiâ convenientes, eundem *Eduardum* absentem in Regem agnoverunt & proclamârunt, ejus nominis Primum post obtentam à Normannis Angliam; Quartum verò ab antiquioribus ejusdem nuncupationis Regibus; agentem tunc ætatis annum trigesimum-tertium, & mensem quintum: cui fuit cognomentum populare *Langschanx* à tibiarum longitudine. Nugantúrque insigniter, qui scribunt [p] Edmundum ipsius fratrem fuisse natu majorem, sed quòd ineptus esset ad regnum propter deformitatem membrorum, communi consilio Principum decretum esse ut Eduardus junior succederet in regno, eâ tamen conditione ut filij Edmundi succederent post mortem Eduardi: Edmundum autem factum esse Comitem Lancastriæ: quódque filius Eduardi noluerit cedere regno filiis Edmundi, inde ortas esse factiones Rosæ Rubræ & Rosæ Albæ; quæ longis temporibus Angliam fatigârunt. Sed de his factionibus postea suo loco. Nunc ut fabulam de primogeniturâ fratrum uno ictu jugulemus, auctoritatem habemus Matthæi Parisij, qui utrumque probè novit, & ante Henricum patrem eorum obiit, ac propterea quid post ejus obitum futurum esset scire nequivit; qui disertè in suâ Historiâ scribit, Eduardum natum esse anno Domini 1239. 16. Calendas Iulij; Edmundum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto in die sancti Marcelli. Quod & Matthæus Westmonasteriensis, Thomas Walsinghamus, & cæteri omnes antiqui confirmant.

[p] Io. à Leid. Chron. Belg. l.24.c.16. & alij quidam.

IX. Relicta Syria redit in Europ.

Porrò Eduardus paternæ mortis inscius, postquàm ægrè curatus est à vulneribus quæ à sicario acceperat, vigesimo secundo Septembris (ut Sanutus habet) Syriam deserens, appulit in Siciliam. Vbi à Rege Carolo honorificè susceptus, tunc primùm audiit de morte filij sui Henrici, ac subinde Henrici patris. Tradúntque, cùm acerbiùs mortem patris quàm filij lugeret, miranti eâ de re Carolo piè admodùm respondisse, filios quidem sortiri se posse, patrem non item. Inde verò Vrbemveterem, ubi tunc Pontifex erat, accedentem, amantissimè ab eo exceptum, expostulâsse de sacrilegio commisso in Henricum patruelem suum à Monfortiis [q]. Pontifice verò diem tam Guidoni (decesserat quippe paulò post scelus patratum Simon ipsius germanus) quàm etiam Rufo Comiti Guidonis socero, ad quem confugerat, dicente; Rufum quidem sese purgâsse; Guidonem autem contumacem, sacrilegij, homicidij, & læsæ majestatis reum, adeóque infamem, intestabilem, & omni honore ac dignitate ad quartam usque generationem indignum, à Pontifice pronunciatum esse, perpetuóque anathemate damnatum: omnésque ejus fautores & receptatores excommunicationis vinculo constrictos, atque eorum terras interdicto subjectas, quousque Guido ad Sedem Apostolicam accedens, in omnibus sese voluntati Pontificis submisisset. Narrat hæc pluribus Matthæus Westmonasteriensis, Florilegus vulgò dictus, in suis Annalibus Anglicanis: ídque haud dubium ex ipsâ sententiâ Gregorij in Guidonem latâ; quæ unà cum citationibus Guidoni antè factis, & illius ad eas responsionibus & excusationibus, continetur in Regesto Vaticano Epistolarum Gregorij, data Calendis Aprilis anno ipsius Pontificatûs secundo, nempe sequenti. Meminitque eorundem Thomas Walsinghamus in

[q] An. super. IV.

Gregorii PP. sententia in Guidonem Monfortium.

X. GASTO BEARNENSIS SUBJICITUR ANGLO.

Hypodigmate Neustriæ, & alij recentiores rerum Anglicanarum scriptores.

Post quæ ritè peracta, tradunt Eduardum Galliam petentem, & à consobrino suo Rege Philippo susceptum magnificè, homagium fecisse ei de terris quas fide ac jure clientelari ab eo tenebat: nempè Aquitaniâ; ad quam inde abscesserit ad compescendos conatus Gastonis Bearnij dynastæ, (de quo anno superiori) subjectionem ipsi denegantis: qui ab Eduardo in arctum redactus, & supremum utriusque dominum Francorum Regem appellans, latâ sententiâ coactus tandem fuerit Anglo Duci Aquitaniæ sese submittere: à quo aliquot annis in custodiâ detentus, posteàque libertati restitutus, exinde semper ei fidelis extiterit. Cujus tamen subjectionem, non de ipsâ provinciâ Bearnij intelligendam, sed de aliis terris quas in Aquitaniâ possidebat, intelligi volunt quidam rerum Bearnensium scriptores, pro patriæ suæ libertate pugnantes. Cæterùm Eduardus in Angliam transfretans, anno Christi 1274. Londini solemniter coronatus est 14. Calend. Septembris, præsente Alexandro Rege Scotiæ, qui pro terris quas ab eo possidebat, in ejus verba juravit.

EDUARDUS CORONATUR REX ANGLIÆ.

XI. INGENS VENTORUM TEMPESTAS IN SCOTIA.

[r] Boet. l. 13. ad fin.

Præsenti verò anno prædicti Alexandri Scotiæ Regis vigesimo-tertio, tradunt ejus gentis historici [r], circa festum Epiphaniæ ventorum tantam tempestatem cum ingenti grandinis insolitæ magnitudinis copiâ totâ Scotiâ factam esse, ut prostratis passim ædibus ignis ex focis enatus pagos complures ac oppida perdiderit; plurimo etiam damno in sacris ædibus accepto, dum incensis turribus campanæ partim confractæ, partim liquefactæ perierunt.

XII. TRIUM FRATRŨ MEMORANDA HISTORIA.

[s] Bzov hoc an. ex Diac. Eccles. Cracov.

Eodémque anno Cracoviæ [s] in Poloniâ tres fratres uterini, Wenceslaus Presbyter, Wladislaus Diaconus, & Wislaus Subdiaconus, qui uno die Religionis S. Dominici habitum à S. Hyacintho susceperant, & in eo plurima puritatis sanctitatisque conspicuæ illustria specimina dederant, uno item die, nempè feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ, cùm Sacro-sanctâ Eucharistiâ refecti, pro antiquâ Poloniæ consuetudine, ante altare prostrati gratias Deo persolverent, subitò exanimati reperti sunt. Cunctísque existimantibus id eis contigisse quòd ore contaminato Christi mensæ communicâssent, terrâ profanâ absque ullis Ecclesiasticis ceremoniis sepulti fuêre: donec iidem ipsi Priori Conventûs lucidissimâ specie semel, iterùm tertióque in somnis apparentes, beatitudinem suam demonstrârunt, & maximo hominum plausu in sacrum sacellum illati sunt.

IESU CHRISTI Annus 1273.

GREG. X. An. 2.

MICHAELIS VIII. An. 14.

I. GREG. PONT.

ANNO Christi 1273. Indictione primâ, Gregorius Pontifex accingens se ad celebrationem Oecumenicæ Synodi, quam in sequentem annum indixerat; datis apud Vrbem veterem publicis literis ad singulos Metropolitanos, Antistites, & Reges ac Principes sæculares Idibus Aprilis, locum significavit ubi illa celebranda foret, quem priori indictione reticuerat: nempè *Lugdunum* Galliæ: electâ ad tantum opus nobilissimâ illâ civitate, tum quòd ipse existens primò ejus Ecclesiæ Canonicus, (ut tam ex ipsiusmet literis apud Paradinum [a], quàm ex constitutionibus eidem Ecclesiæ ab eo relictis post exitum Concilij de quo agitur, quæ extant in ejusdem Ecclesiæ archivis [b], aliisque monumentis constat) & priori Concilio sub Innocentio IV. ibi celebrato, Philippo Sabaudo Archiepiscopo assistens, ejúsque consilia regens, optimè novisset civium erga Sedem Apostolicam promptum & fidelem animum; tum quòd urbs positione suâ & amplitudine longè commodissima esset tot hominibus ex universo orbe colligendis & excipiendis: tum denique quòd cùm in Regno Christianissimo sita esset, nihil sibi securitatis & benevolentiæ non à pio & magnanimo Rege Philippo decessorum exemplis promitteret.

LOCUM CONCILII DESIGNAT LUGDUNUM.

[a] Par. lib. 2. Hist. Lugd. cap. 2.

[b] Ap. Severt. in Chronol. Lugd. part. 3. c. 1. sect. 5. §. 1.

II.

[c] Leand. l. 3.

Recedens autem Vrbeveteri, (relicto [c] Aldebrandino Cavalcante ejus urbis Episcopo ex Ordine Prædicatorum integerrimo ac prudentissimo viro, suo in Vrbe Româ & Italiâ Vicario) comitante Balduino Imperatore Constantinopolitano extorre, Carolo Rege Siciliæ, ac Procerum manu, (ut antiquiores Ricordanus [d] ac Villanius habent, cùm recentiores Aretinus [e] & Antoninus eadem tractantes Balduinum omittant) Florentiam adiit 14. Calendas Iulij: ibíque summâ veneratione susceptus, ac mirâ urbis amœnitate delectatus, æstatem in eâ traducere statuit. Et quâ erat bonitate, pacem inter factiones Guelforum qui tum ibi dominabantur, & Gibellinorum extorrium conciliandam suscipiens; Carolo Rege, cujus erat maxima Florentiæ, sicut & in reliquâ Etruriâ, totâque Italiâ, Vicariatûs Imperij titulo auctoritas, in suam sententiam adducto; gravissimam ad Magistratus principésque civitatis orationem habuit, quâ illis id persuadere conatus est. Ipsi verò re in concilio suo deliberatâ, iniquiùs ferentes Pontificem causam inimicorum adversùs amicissimos suscepisse, omninò abnuerunt se id facturos, quod tranquillitatem Reipublicæ perturbaturum foret. At Pontifex nihilominùs in proposito permanens, urgere atque monere non priùs destitit, quàm ipse arbiter sumptus ad res componendas, pacem pronunciavit inter cives, gravissimis in ejus transgressores constitutis pœnis: atque ad tollendam suspicionem Guelforum, complures ab exulibus Gibellinis jussit obsides tradi. Cùm verò paulò pòst Guelfi, qui graviter tulerant adversariorum in urbem reditum, multis confictis suspicionibus occultè quædam in eos machinari cœpissent, iique minis etiam Præfecti militiæ Regis Caroli (ut creditum fuit) territi sponte suâ demigrâssent: id Pontifex usque adeò indignè tulit, ut mox derelictâ civitate interdicto eam subjecerit, non parùm inde in Carolum commotus. Fuítque civitas huic interdicto ferè per triennium obnoxia, tantâ Pontificis obfirmatione animi, & civium contumaciâ, ut ne-

[d] Ricord. cap. 198. Vill. l. 7. cap. 43.

[e] Aret. lib. 3. Ant. tit. 20. cap. 2. §. 1.

GREG. PACEM FLORENTIÆ COMPONIT INTER GUELFOS ET GIBELLINOS.

OB ILLAM RUPTAM À GUELFIS, CIVITATEM SUPPONIT INTERDICTO.

que Pontifex, quanquam multùm rogatus, interdictum sustulerit, neque cives eo conterriti sententiam mutaverint. Narrant hæc pluribus auctores superiùs nominati.

III. GUIDO MONFORT. SUBIICIT SE PONTIFICI.

Non tam obstinatus Guido Monfortius. Cùm enim, ut vidimus, diris devotus à Pontifice fuisset, non sustinens diù eo infelici statu permanere, cùm peteret Pontifex Florentiam, nullâ postulatâ securitate occurrens ei toto corpore nudus, exceptâ subuculâ & femoralibus, nodatúsque collum laqueo, unà cum sceleris complicibus eodem modo comparentibus, ad pedes Pontificis sese abjecit, misericordiam implorans, atque ipsius voluntati sese in omnibus subjiciens. Qui rigorem benignitate temperans, vitam concessit, sed omnes tutâ arce arctóque carcere custodiri præcepit, commissâ diligenti eorum custodiâ Regi Carolo, ut de his constat ex literis eâ de re ab eodem Pontifice ad Eduardum Anglum scriptis tertio Calendas Decembris, postquàm Lugdunum pervenit. Aliis autem ibidem scriptis post Concilij celebrationem decimo Calendas Augusti, motus supplicationibus illius quem severam admodùm pœnitentiam peregisse intellexisset, Patriarchæ Aquileiensi commisit, ut eundem stare mandatis Ecclesiæ spondentem anathemate exsolveret; ita tamen ut cætera quæ in eum statuta fuissent in suo robore permanerent.

IV.

[f] *Cor. Hist. Mediol. par. 2. Sigon. de regn. Ital. lib. 20.*
[g] *Vid. supr. an. 1267. XI.*

GREG. MEDIOLANUM SUPPONIT INTERDICTO OB NON RECEPTUM ARCHIEPISCOPUM.

Postquàm verò Pontifex Florentiâ abscessisset, (Carolo cum Balduino Neapolim regresso) Placentiam [f] patriam suam adiit quinto Nonas Octobris, secum ducens Othonem Vicecomitem Archiepiscopum Mediolanensem, quem restituere [g] cupiebat. Quòd tamen audisset nequaquàm à Turrianis ac plebe receptum iri, (quantumvis in gratiam Turrianorum unum ex eorum familiâ Patriarcham Aquileiensem creâsset) dimisit usque ad reditum à Concilio: & indignatione in Mediolanenses ejus occasione motus, tametsi eò accedens octavo Idus ejusdem mensis omni honore & veneratione exceptus fuerit, tamen toto triduo quo illic fuit nec indulgentias ullas publicavit, nec se nisi à principibus videri permisit: ac post suum inde discessum urbi sacra interdixit. Cùm autem Lugdunum procedens Camberiacum pervenisset, literas ibi accepit ab Alfonso Rege Castellæ: qui ardens cupiditate obtinendi Imperij, eo majori studio quòd auctore Pontifice Germaniæ proceres malorum pertæsi, quæ interregni tempore multa & gravissima atque diuturna erant perpessi, novam electionem adornabant; cùm naturâ cunctator nunquam nisi verbis & nunciis tam arduum opus suscipere induci potuisset; ut modò Pontificem ad congressum pertraheret, finxit se habere aliqua secretiora de rebus in Concilio tractandis, quæ alteri quàm ipsi non committenda esse censeret. Cujus artes intelligens Pontifex, tertio Nonas Novembris rescripsit, ut si Concilio interesse non posset, secretiora illa vel literis, vel fidelissimo alicui ex intimis committeret, ut ipse iis perspectis quid facto opus foret, decerneret.

V. LUGDUNI VISITATUR A' REGE.

Vbi autem Lugdunum pervenit, mox eum Philippus Rex visitavit: habitóque cum eo tractatu de regni sui negotiis, abscessit inde quousque tempus Concilij adveniret, relicto interim ad custodiam Pontificis, & eorum qui ad Concilium accessuri essent, Imberto de Bellojoco consanguineo suo cum validâ militum manu: ut testatur Nangius in Philippi Rebus Gestis. In eo tamen corrigendus, quòd Pontificem nonnisi circa Quadragesimam Lugdunum advenisse scribit: cùm etiam ante undecimum Calendas Decembris hujus anni eum illò pervenisse certum reddatur ex literis eo die ibidem scriptis, quæ reperiuntur in ejus Regesto, tum ad Græcorum Imperatorem Palæologum de salvo conductu, quem is petierat pro suis legatis quos ad Concilium missurus erat; aliísque ad Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum pro concedendo prædicto salvo conductu; (Ita enim, ut jam diximus aliàs, quamdiù fuerunt qui ex Latinis Imperium Orientale prætenderent, Imperatores Constantinopolitanos vocare consueverunt, tametsi nec eam urbem nec glebam ejus ditionis possiderent; Græcos verò qui re ipsâ Imperium atque urbem regiam possidebant, Imperatores Græcorum;) tum de Comitatu Venaisino, quem ad Sedem Apostolicam ex publicatione bonorum Raymundi Comitis Tolosani hæretici pertinentem, cùm Alfonsus Comes Tolosanus Regis patruus ac Raymundi successor olim occupâsset, eundem Rex patrui hæres post ejus obitum reposcenti Pontifici restituit. Sed lapsus eo fortè Nangius fuerit, quòd Philippus nonnisi circa Quadragesimum Pontificem convenerit. Restitutionis autem Comitatûs Venaisini est etiam testis Sanutus [h] in suis Secretis Fidelium Crucis.

COMITATUM VENAISINU AB EO RECIPIT.

[h] *San. lib. 3. par. 12. c. 13.*

VI.

[i] *Naucler. gener. 43.*

Quod pertinet ad electionem Regis Romanorum; cùm Richardo Anglo pridem mortuo, & Alfonsi Castellani juribus valdè obscuris & decisu nimiùm quàm difficilibus, Gregorius Pontifex, ob plurimas in Germaniâ contentiones, vastitates, & deprædationes, præcepisset [i] Electoribus Ecclesiasticis pœnâ privationis officij, & sæcularibus excommunicationis, ut sine cunctatione Ecclesiæ Advocatum darent, alioquin se id auctoritate suâ facturum: iidem in unum convenientes de more Francofordiæ, postquàm variis certatum est sententiis, cùm quidam ex iis æquum esse Alfonsum, (cujus aderant legati, tam juris specie, quàm etiam largitionibus causam domini sui procurantes) retinere censerent; prævalente nihilominùs cæterorum opinione Germaniæ Regem nonnisi ex ipsâ Germaniâ legi debere, ac posthabito Othocaro Boëmiæ Rege, quòd oblatam [k] sibi pauló ante ab Electoribus eam dignitatem, oneri sibi potiùs quàm honori fore, séque potentiâ Imperatorem anteire existimans, magnâ arrogantiâ & inconsiderantiâ rejecisset: (quamvis sint qui eam illum posteà ambivisse, ac propterea Rudolpho reluctatum esse scripserint:) demùm cæterorum consensu (agente potissimum Wernero Moguntinensi Archiepiscopo, quem sibi olim Rudolphus Comes Habspurgensis aliquo officio devinxerat; cùm cæteris Electoribus penè ignotus esset:) pridie Calend. Octobris (ut tradunt qui ex antiquis res Rudolphi diligentiùs tractârunt [l]; cùm quidam diem S. Michaëlis, alij alios dies ineuntis Octobris no-

[k] *Æn. Silv. in Boëm. cap. 27. Dubrav. Hist. Boëm. lib. 17.*

RUDOLPHUS HABSPURGENSIS ELIGITUR IN REGEM ROM.

[l] *Chron. Colmar. par. 2. Albert. Argentin. in Chron.*

tent:) in Regem elegerunt *Rudolphum*, sive Rodulphum, aut etiam Rudolphum, ut variè scribitur ab auctoribus, Comitem Habspurgensem, diœcesis Constantiensis circa partes Basileæ, absentem in expeditione adversùs Episcopum Basileensem cognatum suum, quem a multo tempore persequebatur; eundémque exiguarum quidem opum, sed maximorum spirituum virum, quique sub prædicti Othocari peritissimi ducis, cujus fuerat aulæ præfectus, disciplinâ, militiam egregiè coluerat: de cujus etiam primordiis jam olim [m] dictum. Significatúmque fuisse ei olim Imperium à quodam astrologo, cùm adhuc juvenis in Lombardiâ esset cum Friderico II. qui eum de sacro fonte levaverat, Argentinensis tradit. Nempè astrologo illo frequenti assurrectione illum præ cæteris senioribus & honoratioribus venerante, sciscitatum esse Fridericum cur id faceret; & astrologum respondisse, quòd ad Rudolphum honor Imperij deventurus esset. Ægréque ferente Friderico, addidisse astrologum non debere ipsum propterea indignari, quoniam antequàm id contingeret, ex decem filiis quos tunc Fridericus habebat nullus foret qui ei succedere posset.

[m] *Supr. an.* 1251. *VIII. IX.*

VII. Cruce loco Sceptri utitur.

Observat item Stero sæpius citatus auctor ejus temporis, & Eberardus Ratisponensis, Ecclesiæ Archidiaconus, qui eodem quoque tempore Annales [n] scripsit; cùm vocatus Rudolphus ab Electoribus, statim exegisset à Principibus Ecclesiasticis ac sæcularibus fidei juramentum, iique recusarent propter sceptri absentiam, ipsum suscepto signo Crucis, dixisse *Ecce signum, in quo nos & totus mundus est redemptus: & hoc signo utamur loco sceptri:* atque deosculata ab eo Cruce, cæteros omnes pariter eam deosculantes fidelitatis juramentum ei præstitisse: quorum etiam præcipuos affinitate sibi per matrimonia filiarum suarum conjunxit. Habet insuper Chronicon Colmariense; cum Rudolphus in vigiliâ Omnium Sanctorum coronatus fuisset Aquisgrani, (tradunt plures coronatum fuisse mense Ianuario anni sequentis) tunc spatio unius horæ apparuisse nubem candidam formatam in modum Crucis, quæ posteà in ruborem sanguinis est mutata: cúmque Principes hoc Regi retulissent, eum promisisse, si Dominus vitam prosperitatémque concederet, transmarinas partes se aditurum, & pro peccatis suis maximis sanguinem suum consecraturum Domino Iesu Christo. At verò Krantzius [o] recentior auctor, non nubeam, sed auream Crucem apparuisse ait supra Ecclesiam sanctiss. Virginis in quâ ministerium coronationis implebatur. Quomodò verò Rudolphus à Gregorio PP. fuerit confirmatus, & quæ præclara egregius Princeps posteà præstiterit, dicetur inferiùs suis quibusque locis. Cujus electionem qui anno præcedenti, aut alio quàm præsenti collocârunt, certissimum est errâsse.

[n] *Ext. to.* 1. *Lect. Antiq. Canis.*

[o] *Krantz.* 8. *Saxon.* 30.

VIII. Mendacia de origine domûs Austriæ

Cæterùm ad hunc Rudolphum hodierna Dominus Austriaca genus suum refert; cùm videlicet post necem Othocari Boëmiæ Regis, Austriam ab eo possessam Rudolphus Alberto filio suo; posteáque Imperatori concessit; omnésque Alberti successores relicto Habspurgi cognomine ut minùs nobili, *Austriæ* longè nobilius sibi assumpserunt; & quà nuptiarum fœderibus, successionibúsque inde provenientibus, quà etiam prudentiâ civili, prævià religione Catholicâ, Hispaniarum accessione, & Novi Orbis beneficio Sedis Apostolicæ adeptione, in eam demùm Imperij amplitudinem pervenerunt, ut terrarum latitudine ac vastitate antiquiora quæque maxima ferè æquaverit, fortè etiam superaverit; quantumvis & earundem disjunctione, & longinquarum desolatione, nec minimo eorum comparandum videatur. Festivi sunt, qui antiquitatem domûs etiam ad Chamum vel Iaphetum revocant: quasi aliquid habeat eâ re quod non æquè competat vilissimis quibusque cerdonibus, sutoribúsque veteramentariis, æquè à Noë horum parente ortis. Alij fabulatores ad Romanos referunt, gentémque Aniciam. Nugaciores etiam ex primâ Regum Francorum familiâ, Principibúsque Austrasiis derivant, quò si superis placet etiam ipsum Regnum Francorum ad eam pertinere demonstrent. *Filij [p] hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Non eget præclarissima familia fucatis hisce pigmentis, ut compta & formosa appareat in oculis hominum. Quare & sunt plurimi ex ipsissimis vestris (ut alios taceam) quos ejusmodi commentorum puduit: etiamsi & iidem ipsi non paucas alias quisquilias veris narrationibus immiscuerint, quibus non immoramur. Quos inter *Franciscus Guillimanus* Historiographus Rudolphi Secundi Imperatoris, tractatu *De Verâ Origine Domûs Austriæ* typis edito Mediolani anno 1605. cum privilegio, ac Superiorum permissu, prædictas hariolationes prolixè confutans, omninò contendit fictam eorum esse & inanem opinionem, qui Comites Habspurgenses asserunt ab Australiæ Regibus natos; haud secùs quàm qui Romanos, & Petri Leonis posteritatem dicunt: invehens in tot Habspurgensis familiæ & Austriæ Ducum & Archiducum originis novos, ut loquitur, architectones qui optimos Principes suâ vaniloquentiâ temerè huc usque variis eorum de ortu & stirpe figmentis, & somniis, an adulamentis, induxisse & circumduxisse, quíque dum dicerent & gratiam pararent & pretium, quæ dicerent, & unde, súsque déque habuisse videntur. Ita namque ille. Cujus sententiam præ aliis laudat & confirmat *Petrus Mantuanus* à Secretis Bernardini Fernandez de Velasco Conestabilis Castellæ libro idiomate Hispanico impresso Madriti anno 1613. titulo *Animadversionum in Historiam Patris Ioannis Marianæ:* quem inter alia ex eodem Guillimano reprehendit, quòd scripserit Rudolphum descendere à Regibus Francorum. Quinimmò nec illum ex primis Habsburgi Comitibus nisi materno genere provenisse, paterno autem ex Comitibus de Tierstein prope eandem Basileam, manifestum facit vera ejus familiæ series descripta in antiquis Originibus [q] Murensis monasterij fundati ab Wernhero Episcopo Argentinensi sive Strasburgensi, eodémque arcis Habsburgi in Argoviâ Basileam inter & Tigurum constructore, qui decessit anno 1029. in Legatione Constantinopolitanâ, susceptâ jussu Conradi Imperatoris. Lepidum est quod *Frater Felix Fabri* Ordinis Prædicatorum Conventûs Vl-

[p] *Psal.* 4.

Origo generis Rudolphi.

[q] *Edit. an.* 1618 *in* 4°.

mensis in Historiâ Suevicâ, post ducentos circiter à Rudolphi Imperio annos conscriptâ, & à Goldasto tantâ commendatione editâ, ut asserat nullum in Germaniâ extare scriptum cujus magis Reipublicæ intersit non interire; post narratam aliam anilem fabulam fundationis castri Habspurgi, ait, de progenie Comitum de Habschipurg esse egregias historias Latinas & Teutonicas, sed ex iis nullam ad suas devenisse manus, licèt multùm sollicitus fuerit ut eas habere posset. Sanè nisi alij fabri manum huic domui ædificandæ apposuissent, jaceret adhuc illa in terminis Vtopiæ. Sed *scitote* [r] *filij hominum, quia Dominus sanctum suum mirificavit.* Rudolphum ex modico Barone, seu Comite, ad Imperium extulit; ut olim Davidem ex pastore ovium. Etiamsi tantâ antiquitate non polleat, pollet nihilominùs ejus progenies magnâ auctoritate & amplitudine. *A Domino* [s] *factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Vivat igitur nobilissima gens, quamdiù religionem Catholicam tueri ac propagare perrexerit Pietate ac justitiâ: suóque contenta alienum non appetat, ne fidem trito proverbio faciat, Qui totum ambit, totum perdit; & moveatur [t] candelabrum de loco suo, ac vineam [u] suam locet Dominus aliis agricolis.

[r] d. Psal. 4.
[s] Psal. 117.
[t] Apocal. 2.
[u] Matth. 21.

IX. Turbæ Polonicæ auctore Episcopo Cracoviensi.

In Poloniâ minori, factâ hoc anno quorundam conjuratione adversùs Principem Boleslaum Pudicum, iis prætextibus, quòd hæredem sibi inscio conventu delegisset Lescum Nigrum Ducem Siradiensem propinquum suum; calumnias in judiciis regnare pateretur; & ad crebras venationes canes ejus alere & equos atque subvectiones præbere omnibus passim nobilibus quacumque iter faciebat necesse esset: cùm ad arma utrimque ventum esset, rebelles Boleslaus cruentâ etiam sibi victoriâ oppressit. Atritísque eo prælio vehementer Poloniæ viribus, illicò Lituani, Prutheni, & Samogitæ excursione factâ, magnâ strage totam regionem nemine prohibente vastaverunt. Auctore & incentore harum omnium turbarum & cladium Paulo Episcopo Cracoviensi: qui cùm suæ dignitatis immemor, totus voluptatibus, venationi, & libidini deditus, ac subditis suis gravis, & adversùs Boleslaum Principem contumax esset, ac nec precibus nec monitis quorumcumque flecteretur, sed & prætereà quâdam monachâ de monasterio suo violenter abstractâ pro concubinâ abuteretur; quâdam die, vel jussu, vel permissu Boleslai, captus & in custodiâ detentus à Lesco, postquàm Archiepisc. Gnesnense toti provinciæ sacris eam ob rem interdicente dimissus esset; ut Boleslaum ulcisceretur, & domi factiosorum hominum animos in eum concitavit, & foris cum Lituanis Polonorum hostibus affinitates & amicitias junxit.

X. Pauli Episcopi illusiones, et infelix mors.

Tantam autem ejus audaciam, támque sceleratum animum divina clementia paululùm tunc repressit novo & inusitato modo. Nam cùm Cracoviæ apud Dominicanos esset, vox de aëre lapsa palàm insonuit, *Væ tibi Paule Episcope: melius esset, si natus non fuisses.* Et quidam Religiosus per quietem lupum anterioribus pedibus contra eum erectis humanâ voce exclamantem vidit: *Væ tibi Paule Episcope, quoniam cepisti, & occidisti.* Quibus rebus vehementer expavefactus, cùm in cubiculo suo solus peccata plangeret, tunc demùm audivit, *Ne timeas Paule Episcope, age quod lubet, septimo anno moriturus.* Hæc ita gesta esse, narrant Michovius [x] & Cromerus in Rebus Polonicis. Istéque addit, credibile esse, Satanæ eas voces fuisse, primùm desperationem, deinde securitatem & majorem licentiam ingerentis. Refrenavit tamen Paulus aliquatenùs audaciam suam quamdiù vixit Boleslaus. In Lescum verò ejus successorem, à quo in custodiâ detentus fuerat, rursùm turbas ciens, iterùm [y] captus ab eo est, itémque dimissus; etiam cum præmiis, quibus eum Lescus sibi reddere benevolum quæsivit: ac denuò à Silesiis eadem passus, tandem non post septem annos, ut mendax spiritus annunciaverat, sed anno demùm Christi 1292. (Deo tam diuturnum tempus ad resipiscendum concedente) in improbitate suâ vitam amisit.

[x] Michov. lib. 3. c. 46. Crom. lib. 9.
[y] Mich. cap. 59. Crom. lib. 10.

Iesu Christi Annus 1274.
Gregor. X. An. 3.
Rdoulphi Ann. 1.
Michaelis VIII. An. 15.

I. Concil. Lugdun. II. numerosissimum.

Anno Christi 1274. Indictionis secundæ, celebratum est Lugduni in Galliâ *Concilium* Vniversale ejus civitatis Secundum, omnium quotquot unquam fuerunt numerosissimum; quippe cui interfuisse dicantur ex universis Christianismi regionibus quingenti Episcopi, sexaginta (vel septuaginta) Abbates, & alij Prælati circiter mille: ut habent illius temporis auctores: è quibus Ptolemæus Lucensis brevibus suis Annalibus numerum rotundè exprimit mille quingentorum septuaginta, quorum quidam recentiores, Episcopos sexcentos, quinimmò & septingentos, Abbates supra ducentos fuisse volunt. Eorum verò præcipui fuêre Patriarchæ Latini *Pantaleo* Constantinopolitanus, & *Opizio* Antiochenus: Græci namque earum sedium Antistites in schismate perstabant: cùm tamen advenerint post Concilium inchoatum legati Michaëlis Græcorum Imperatoris, & Metropolitanorum Orientis; necnon & Regis Tartarorum. Quod enim Blondus [a] scribit, contulisse eò se ipsummet Michaëlem Imper. hæc ex illis est ipsius assertionibus, quas nimis quàm imprudenter suis sæpè scriptis inserit, & totidem foveas sequacibus suis præparat incidendi in eosdem errores: sicuti hìc contigisse noscitur Platinæ, Sabellico, Trithemio, Nauclero, Sigonio, Vignerio, ac plurimis aliis. Adfuêre porrò Iacobus Rex Aragonius, Magistri Hospitalis & Templi; Legati Rudolphi electi Imperatoris Romanorum, Philippi Francorum & Hugonis Cypri Regum, Principum & Christianorum Terræ [b] Sanctæ, aliorúmque Europæorum atque Rerumpublicarum; præsidente universæ Synodo Gregorio ipso summo Pontifice, quindecim Cardinalibus comitato: Vacante fortè adhuc Sede Lugdunensi post promotionem *Petri de Tarentasia* nuperi Archiepiscopi ad dignitatem Cardi-

[a] Blond. 2. dec. 8.
Blondi et aliorũ hallucinationes.
[b] Sanut. lib. 3. par. 12. cap. 13.

nalatûs, (qui posteà Innocentius V. Pontifex;) aut verò sedente *Aymaro Rossiloneo* monacho Cluniacensi; quem Gregorius eidem Petro successorem dedit.

II. S. THOMÆ AQUINATIS OBITUS.

Cúmque præterea eidem Pontifici curæ fuisset viros sanctitate & doctrinâ conspicuos undique accersere, quos Græcis opponeret; accidit ut S. Thomas Aquinas Neapoli evocatus moreretur in itinere ex morbo in monasterio Fossæ-novæ Ordinis Cisterciensis diœcesis Tarracinensis, Nonis Martij hujus ipsius anni, ætatis suæ quinquagesimi: meritò dictus *Doctor Angelicus*, ob excellentiam & sublimitatem Doctrinæ. Ferunt cùm illud monasterium jam aliquantulùm infirmus ingrederetur, prophetìcè dixisse versum Davidicum [c], *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Ejúsque transitum Alberto Magno quondam Ratisponensi Episcopo, sed à turbine rerum sæcularium ad tranquillitatem monasterij reduci, revelatum esse cùm maneret in conventu Fratrum suorum Coloniensi; ipsúmque in lacrymas resolutum Fratribus indicâsse: scribit Krantzius [d]. De quo item agens ejusdem pariter Ordinis professor Ptolomæus Lucensis in suo Chronico [e], laudat maximè eum de multâ mentis & corporis puritate; quam sibi probè notam fuisse ait, quòd ejus sæpè confessionem audîsset, & cum eo multo tempore conversatus esset familiari mysterio; séque ipsius auditorem extitisse. Quod verò à mordace Dante [f], qui nihil in Francos intactum relinquebat eò quòd cùm esset Gibellinus fuisset ab eis Florentiâ pulsus, asseri in ejus Purgatario videtur, eundem S. Thomam arte Caroli Regis Siciliæ veneno sublatum fuisse, ut jejuni ejus expositores nugantur; somnia hæc lymphatica Inferni sunt, non Purgatorij, quæ in neminis omninò antiquorum auctorum cerebrum ascenderunt. Nam quod Ioannes Villanius [g] ejusdem rei assertor producitur; nec ipse asserit, sed solùm dictum fuisse à medico regio factum existimante rem gratam se Regi facturum, eò quòd timeret ne Thomas fieret Cardinalis, sícque Aquinatum familia potentior fieret. En acumen ingenij, quæ Regi adversabantur prospicientis à longè. Nec hoc Villanius Carolo impingit: nec si faceret, aliunde habuisset quàm ab eodem populari suo Dante; cui uti poëtæ fingere atque mentiri licuit. Cæterùm eundem Thomam miraculis in vitâ & post mortem clarissimum, Ioannes Papa XXII. anno salutis 1323. 15. Cal. Aug. Sanctorum, Pius V. anno 1567. 3. Id. April. Doctorum Ecclesiæ numero adscripsit, quem sanè solummodò nominâsse, prolixè laudâsse est.

[c] Psal. 131.
[d] Krantz. 8. Metrop. 51.
[e] Ptol. lib. 23.
[f] Dant. Purgat. cant. 20.

VTRÙM FUERIT VENENO SUBLATUS.

[g] Vill. lib. 9. cap. 218.

III.

Quod res in Concilio gestas spectat; extant brevia quædam ejus Acta tomo quarto Conciliorum Generalium editionis Romanæ. Vidimúsque & alia manuscripta in quodam Codice Bibliothecæ Collegij Navarrici Parisiensis, quæ & cæremonias Concilij & dierum distinctiones accuratiùs explicent. Ex utrisque verò habemus, Primam *Sessionem* habitam esse die Lunæ septimâ Maij in majori Ecclesiâ S. Ioannis. Quâ Pontifex post preces ac solemnia in Conciliis ante omnia fieri consueta, tres causas convocationis Synodi exposuit, nempè Subsidij Christianis in Syriam mittendi; Græcorum ad fidem & communionem Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ traducendorum, & Reformationis morum ac disciplinæ; simúlque modi alicujus præscribendi ad celerem Romani Pontificis electionem faciendam, quòd multa ex longâ Sedis vacatione mala accidere consuevissent. Post quam Sessionem, interim dum expectabatur dies secundæ, advocatis seorsùm Prælatis, decretæ sunt in subsidium Terræ Sanctæ decimæ omnium fructuum & proventuum Ecclesiarum in sex annos proximos.

SESS. I. CONCILII.

IV. SESSIO II.

Secunda verò *Sessione* celebratâ die decimâ octavâ ejusdem mensis Maij, tradunt Acta promulgatas esse quasdam constitutiones de fide; dimissis à Concilio procuratoribus Capitulorum, & omnibus Abbatibus ac Prioribus non mitratis, qui non fuissent speciatim vocati ad Synodum. Ac post Sessionem Iacobum Regem Aragonum recessisse Lugduno, indicant eadem Acta. Cujus rei causam cùm non referant, referunt scriptores Hispani [h]: nempè hominem extremâ ætate gloriæ & honoris cupidum, cùm expeteret coronæ regiæ insignibus Pontificis manu decorari, ídque Pontifex renueret, nisi tributum, quod Petrus [i] pater Iacobi quo tempore Romæ coronam susceperat ab Innocentio Tertio pendere quotannis pactus erat denuò Ecclesiæ Romanæ sanciretur, & quod solvi desitum erat persolveretur: Iacobum indignum existimantem regnum majorum virtute partum cuiquam esse vectigale, ab eâ re destitisse, & ad sua se recepisse. Etiamsi ex ipsiusmet Historiâ intelligatur, non tam ipsum denegâsse tributum voluntarium, quàm coactū ex obligatione aut infeudationis contractu. Erant verò interim in ejus regno filiorum ejus discordiis, quæ in publica arma eruperant, omnia turbata: nec ea cessare, ipso licèt connitente patre, nisi alterius, ejúsque (ut creditum) innocentioris nece [k] valuerunt.

[h] Surit. Indic. lib. 1. Gomes. lib. 19. Marian. lib. 13. c. 21.
[i] Supr. an. 1204. XV.

IACOBUS REX ABIT À CONCILIO.

[k] Vid. sup. an. 1269. IV. Sur. ib. Gomes. lib. 18. & 19. Mar. cap. 2.

V. SESSIO III.

Sessione Tertia Concilij, habitâ die septimâ Iunij; promulgatæ sunt quædam constitutiones circa electiones & provisiones Ecclesiarum, ætatem ac residentiam provisorum, immunitatem Ecclesiarum, custodiam & regalia vacantium, usuras, aliáque ad disciplinam Ecclesiasticam, mores populorum, ac processus pertinentia: quæ unà cum cæteris totâ Synodo promulgatis, habentur in unum collectæ prædicto quarto tomo Conciliorum; necnon relatæ à Bonifacio Octavo in Sextum Decretalium suis quibusque titulis: & quod magis est, paulo post Synodum à *Guillelmo* [l] *Duranti* Gallo, posteà Episcopo Mimatensi, qui aderat, magni nominis & eximiæ doctrinæ viro, *Speculatore* dicto à Speculo juris in tria volumina distincto, quod dicavit Cardinali Othobono, qui fuit posteà Hadrianus Papa Quintus) commentariis illustratæ, qui extant editi à Maiolo unà cum ipsius Vitâ & Notis non contemnendis.

[l] Vid. infr. an. 1311. III.

VI. GRÆCORUM AD SYNODŪ ADVENTUS.

Protelante verò Pontifice quartam Sessionem donec Græci accederent, quos proximè affuturos acceperat, demùm die vigesimâ quartâ ejusdem mensis Iunij (ut Acta notant) advenerunt apocrisiarij sive legati Michaëlis Imperatoris & Antistitum Patriarchatui Constantinopolitano subjectorum, *Germanus* olim [ll] Patriarcha, *Theophanes* Metropolita Nicænus in Bithyniâ *Georgius* Acropolita magnus

[ll] Vide suprà an. 1261. XV.

Logotheta, & quidam alij summæ auctoritatis viri: qui admodùm honorificè excepti, literas obtulerunt, tum ipsius Imperatoris ejúsque filij Andronici, tum Antistitum qui numero 38. recensentur in epigraphe metropolitani & Archiepiscopi rem tam pro se quam pro Episcopis qui eis suberant ac pleroque Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clero agentes. Extántque literæ prædicto tomo quarto: quas & olim Historiæ suæ inseruit Matthæus Westmonasteriensis Anglus. Et quæ ab Imperatore sunt, hanc habent inscriptionem, *Sanctissimo & Beatissimo Primo & Summo Pontifici Apostolicæ Sedis universali Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & venerabili patri Imperij nostri Domino Gregorio, Michaël in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Ducas Angelus Comnenus Palæologus, & spiritualis filius magnæ Sanctitatis vestræ.*

INSCRIPTIO LITERARŨ IMP. CONSTANTIN.

VII. [m] Sup. an. 1267. I. 1272. III. CONSENTIT ECCLESIÆ ROMANÆ.

Quibus quidem imprimis Imperator petitam [m] à se schismatis abjurationem, ac fidei Catholicæ Romanæ sacrorúmque ejus rituum confessionem, abundè profitebatur, unà cum Spiritûs Sancti à Patre Filióque processione, & summo Primatu ac Principatu Ecclesiæ Romanæ super universam Ecclesiam: rogans tamen Pontificem, consentire ob infirmitatem multorum Græcorum qui nec dum possent his acquiescere, ut Symbolum fidei eodem modo recitaretur in eorum Ecclesiis quo ante schisma, & recepti ritus servarentur qui non essent contra fidem Romanam & Generalium Conciliorum decreta. Quam eandem confessionem prædictus Logotheta ipsius Imperatoris nomine *Quarta* Synodi *Sessione* (habitâ die sextâ Iulij) præsente Patrum conventu professus item est, atque in eâ perseverare juravit. Sicuti & postquam lectæ sunt eâdem Sessione literæ Antistitum, quibus Imperatoris zelum circa fidem & unionem prædicantes, suámque ipsorum in idipsum consensionem profitentes, dolebant interim haud potuisse hactenùs se Constantinopolitanum Patriarcham (erat is Iosephus, quem in locum supradicti Germani suffectum vidimus.) ad eandem unionem inducere; cæterùm si post reditum apocrisiariorum in pertinaciâ suâ permaneret, depositurós se illum à throno Patriarchali, & alium in ejus locum suffecturos, qui fidem & primatum Ecclesiæ Romanæ agnosceret, profitebantur: eorundem nomine Ioannes Lector & Cartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ (cognomine Beccus, qui fuit posteà Patriarcha) hanc fidem & subjectionem juravit.

SESS. IV.

VIII. GRÆCI PROFITENTUR SYMBOLUM FIDEI MORE ROMANO.

Priusquàm verò hæc Sessio ageretur, die festo Apostolorum Petri & Pauli celebrante solemniter Missam Pontifice, præsentibus iisdem Græcis, cæterísque Patribus Synodi, cantatum est Symbolum tam Græcè quàm Latinè cum adjectione *Filióque* ter repetitâ. Iterúmque prædictâ quartâ Sessione, post illa quæ diximus ibi peracta, ipsemet Germanus Patriarcha cum cæteris Episcopis Græcis qui aderant, idem Symbolum publicè cantavit, bis repetendo *Qui à Patre Filióque procedit.* Numerántque Latini [n] auctores hâc demùm Tertiadecimâ vice in sententiam Romanæ Ecclesiæ Græcos toties deficientes consensisse; Græci [o] verò, tria præcipua capita unionis fuisse; primum ut Papæ nomen in Diptycha referretur, memorandum in sacris una cum cæteris quatuor Patriarchis: secundum ut liceret cunctis Romanam Sedem appellare: tertium ut illi primatus in omnibus deferretur; (quæ breviùs in Pachymerij excerptis recensentur, τὸ μνημόσυνον, τὸ ἔκκλητον, τὸ πρωτεῖον.) cætera namque de additione Symboli, aliísque ritibus, minùs fuisse controversa.

[n] Blond. Platin. Sabell. Naucl. Trith. &c.
[o] Greg. lib. 5. Phranz. lib. 1. cap. 6.

CONCORDIA GRÆCORUM CUM LATINIS.

IX. HENRICI EPISCOPI LEODIENSIS DEPOSITIO.

Tertiâ Iulij Pontifex, ut habent Acta edita, Episcopum Leodiensem (*Henricum* videlicèt Geldrensem consanguineum illius Guillelmi, quem Innocentius IV. Regem Romanorum creandum curaverat [p] contra Fridericum Secundum) multorum gravissimorum excessuum accusatum, damnatúmque deposuit. Ad quem extat egregia ejusdem Pontificis parænetica epistola ante depositionem scripta. Quam qui descripsit Hocsemius [q] in Vitâ ejusdem Henrici, & qui ad eam notas apposuit, tradunt eundem ipsum Gregorium, cùm esset Archidiaconus Leodiensis, quòd aliquando eum increparet de constupratione cujusdam nobilis virginis, calce ab eo percussum fuisse: ac nihilominùs, cùm propinqui virginis Episcopum occidere vellent, fuisse ab Archidiacono defensum. Depositus [r] Henricus post viginti septem annos sedis, vixit adhuc duodecim annis; quibus vidit tres alios Episcopos Leodienses, singulísque bellum intulit: quousque demùm occisus est à prædictæ virginis propinquis, habens quando mortuus est sexaginta quinque filios naturales: cùm qui talis esset multa nihilominùs præclara egisset pro defensione patriæ, ac per probos viros spiritualia rexisset. Cæterùm depositum quoque eâdem Synodo fuisse Fridericum Abbatem S. Pauli de Vrbe ob alios excessus, eadem ejus Acta tradunt.

[p] Supr. an. 1247. II.
[q] Tom. 2. Pontiff. Leodiens.
[r] Magn. Chron. Belg. ex Chron. Leodiens.

X. TARTARORUM AD SYNODUM ACCESSUS.

Addunt quoque, prædictâ quartâ Sessione lectas esse literas Abaghæ Regis Tartarorum, quas per nuncios suos ad Gregorium Pontificem & Concilium transmiserat. Quos tamen non causa fidei, sed ut fœdus cum Christianis inirent missos fuisse, Westmonasteriensis observat; & ex Haythono [s] patet; necnon ex literis a Pontifice ad ipsum redditis. Vnum tamen ex ipsis solemniter baptisatum fuisse cum duobus sociis à Petro Episcopo Cardinale Ostiensi, Acta tradunt. De isto porrò Abaghâ Rege Tartarorum Orientalium jam actum est superiùs [t] ex eodem Haythono & Sanuto; qui eum prædicant [u] virum prudentem, sed tamen idolorum cultui deditum, quamvis pater ejus Christianus fuisset: cæterùm Christianis faventem ingentes clades Sultano Bendocdari atque Ægyptiis intulisse. Ad quem rescribens [x] post Synodum Pontifex, promisit se legatos suos missurum, qui cum eo agerent tum de rebus quas petierat, tum etiam de aliis quæ ad salutem ejus spectarent.

[s] Haython. cap. 35.
[t] An. 1260. III.
[u] Haython. cap. 32. 34. 35. Sanut. lib. 3. par. 13. cap. 7. & 8.
[x] Ext. litteræ tom. 4. Concil. edit. Rom.

XI. S. BONAVENTURÆ CARDIN. OBITUS.

Pergunt porrò Acta narrare obitum *Bonaventuræ* Cardinalis Episcopi Albanensis, qui contigit mane diei decimæquintæ Iulij, quæ erat Dominica: eximij nempè Doctoris illius Minoritæ *Seraphici* dicti: qui Cardinalis à Gregorio, quem ipse Papam eligendum curaverat, invitus [y] admodùm creatus unà cùm aliis quatuor viris insignibus, (non tamen, ut quidam scripserunt, tempore Concilij, aut

[y] Vid. Vvadding. tom. 2. Annal. Min. ann. 1273.

Lugduni: cùm non solùm Bonaventuram fuisse Cardinalem quando Gregorius Mediolanum accessit Lugdunum petiturus, ex Historiâ Corij certum reddatur; verùm etiam Ptolomæus Lucensis tunc vivens in Italiâ, & fortè rem videns, tam in Annalibus quàm in Chronico disertè asserat, etiam antequàm Gregorius iter arriperet Galliam versùs, post reditum è Syriâ creasse Viterbij anno 1272. Cardinales, intérque eos Bonaventuram,) pars præcipua Synodi fuit, ac veluti præses; uti etiam vocatur in Pontificiis constitutionibus ipsius canonizationis & Doctoratûs Ecclesiæ. Desideratus autem ingenti omnium planctu; eodem ipso die Dominico quo decessit sublatus est ad Ecclesiam Minorum prædictæ civitatis Lugdunensis, ipsomet Pontifice exequias celebrante; & Petro Tarentasiensi Cardinale (posteà PP. Innoc. V.) orationem funebrem non sine lacrymis habente. Idémque Gregorius Pont. postridie plenâ Synodo omnibus Prælatis, cunctísque per universum orbem presbyteris mandavit ut singuli Missam unam celebrarent pro animâ illius, aliámque pro animabus eorum qui mortui essent veniendo, stando, aut redeundo à Synodo. Obiit autem Bonaventura anno ætatis suæ quinquagesimo tertio. Eumdémque miraculis & scientiâ clarissimum, Sixtus IV. Sanctorum Confessorum numero, anno 1482. 18. Cal. Maij, Sixtus V. anno 1588. pridie Idus Martij Doctorum Ecclesiæ, adscripsit [z], uterque ejusdem Ordinis Pontifex. Sicuti & contigisse vidimus S. Thomæ Aquinati, quocum fuerat S. Bonaventura morũ & studiorum parilitate conjunctissimus: & de quibus fermè dici potest quod de Principibus Apostolorum canit Ecclesia, ut qui in vitâ suâ dilexerant se, ita & in morte non fuerint separati. Sed quod ad Bonaventuram; ei & Græci *Eutychij* nomen Bonaventuræ respondens, imposuerunt, præclarum divinæ sapientiæ, pietatis & eruditionis ejus elogium. Quippe qui ita mores cum scientiâ conjunxit, ut præceptor ejus Alex. Alensis de eo dicere soleret, videri sibi Adamum in Bonaventurâ non peccâsse. Quém & Gerson Cancellarius Parisiensis in opusculo de libris legendis à Religiosis dixit, singulariter inter omnes Catholicos videri idoneum & securissimum ad illuminandum intellectum, & inflammandum affectum. Qui tamen impiorum hæreticorum Calvinistarum effugere manus non potuit; cùm primo de Religione bello quod in Galliâ teterrimum fuit, ejus ossa in Rhodanum flumen projecêre. Peculiare quoque eidem tribuitur [a], ut primus instituerit laïcorum sodalitates qui ad opera pia convenirent, precésque certas recitarent, initio facto Romæ in Sodalitate Confalonis: unde mox in universum orbem disseminatæ fuerint ingenti Christianorum bono. At de ejus vitâ, rebus gestis, lucubrationibus, & scriptis, plenissimè supra omnes alios Frater Lucas Wadinghus tomo secundo accuratissimorum suorum Annalium Minorum.

GREG. IPSE PP. EJUS EXEQUIAS CELEBRAT.

[z] Ext. Bulla canoniz. Bullar. to. 1. & Doctor. tom. 2.

EUTYCHIUS À GRÆCIS DICTUS.

[a] Boz. de sign. Eccl. lib. 9. cap. 5.

XII. SESS. V. SYNODI.

Vt verò ad Synodum revertamur; *Sessione Quinta*, celebrata die decima sexta Iulij, tradunt Acta promulgatas esse quasdam Gregorij Constitutiones. In quibus fuit illa [b] quam condidit de electione Romani Pontificis, post acres quasdam ea de re agitatas inter ipsum Pontificem & Cardinales dissensiones: quòd videlicèt conclavi eos includens, & unico ferculo arctóque ac vili cibo contentos esse jubens, longissimis ac plerumque vanissimis, semper sanè Ecclesiæ damnosissimis, eorum altercationibus viam præcluderet. Ac demùm sequenti die, nempè decimâ septimâ ejusdem mensis Iulij, factâ *Sextâ*, eâdémque vltimâ *Sessione*; quâ pariter nonnullæ lectæ sunt Constitutiones; & commoniti Prælati à Pontifice de morum spontaneâ emendatione, ne manum ipse apponere cogeretur; finis impositus est celebrationi Synodi.

[b] Ext. locis supr. cit. num. V. & ap. Frizon. in Gal. Purpur. in Innoc. V.

SESS. VI. ET ULT.

Cùm verò præterea plerique auctores meminerint Legationis Rudolphi electi Imp. ad Synodum missæ; miramur prædicta Acta eam prorsùs intactam præteriisse. Fuit [c] autem Otto Præpositus Ecclesiæ S. Guidonis Spirensis diœcesis Rudolphi Cancellarius, ab eo missus ad obedientiam & fidelitatem ipsius nomine Pontifici & Romanæ Ecclesiæ solemni jurejurando spondendam confirmandáque de more omnia jura, privilegia, ac bona quæcumque Apostolicæ Sedi ab antecessoribus Imperatoribus data & concessa. Idque Otto publicè plenâ Synodo præstitit; spondens nihilominus ipsummet Rudolphum postmodùm per semetipsum idem præstaturum. Antequàm verò ejus electionem Pontifex confirmaret, nequid inconsultè ageretur, legatum [d] ad Alfonsum Regem Castellanum inanem Imperij umbram ostentantem misit, qui nomine Pontificis Ecclesiasticorum redituum decimas in bellum Mauricum illi polliceretur modò vano Imperij jure cederet. Quod tantum commodum Alfonsus lubenti animo acceptans, totam controversiam arbitrio Pontificis permisit. Sícque Pontifex Rudolphi electionem ratam fecit octavo [e] Idus Septembris: (ac proinde post Synodi dimissionem:) eáque de re literas dedit ad universos Principes Christianos: atque imprimis Rudolphum monuit út quantociùs Romam ad se veniret, confirmaturus ea quæ Otto legatus ejus nomine jurâsset, & coronam Imperij suscepturus. Quid verò postinde acciderit, dicetur anno sequenti.

XIII. LEGATIO RUDOLPHI ROM. REG. AD SYNODUM.

[c] Bzov. in Annal. hoc an. & Bos. Hist. Melit. lib. 13. ex Cod. Vatic.

[d] Marian. Rer. Hisp. lib. 13. c. 22.

ALFONSUS REX CASTEL. RENUNCIAT JURI IMPERII.

[e] Ita Mariana; cùm Surita Ind. lib. 2. habeat 6. Cal. Oct.

Fuisse porrò & alia quædam in Concilio tractata de rebus & controversiis nonnullorum Italiæ populorum, qui miserè inter se digladiabantur, putà Venetorum [f] & Anconitanorum; necnon auditas [g] querelas Mariæ Antiochenæ adversùs Hugonem Regem Cypri pro regno Ierosolymitano; & alia ejusmodi nonnulla; apud diversos auctores reperimus; quorum etiam fit mentio in Epistolis ejusdem Gregorij Pontificis: paténtque apud eosdem auctores cuilibet. Illud autem hîc omninò memorandum; ex ejusdem Concilij decreto sacram militiam adversùs Saracenos in Syriam susceptam esse, & Indulgentiam plenariam his qui illam amplecterentur concessam; multáque alia privilegia, gratias, & immunitates iis attributas, qui vel armatos, vel pecunias, vel aliqua alia ei expeditioni necessaria subministrarent; cujus etiam causâ & decimæ fructuum Ecclesiasticorum decretæ, & Imp. Rudolphus confirmatus, & Michaël Palæologus approbatus, & Tartari benignè recepti fuissent. Ad ídque operis totis viribus ipse Gregorius incum-

XIV. ALIA IN SYNODO TRACTATA.

[f] Blond. 2.
[g] Sarut. lib. 3. par. 12. cap. 13.

bens,

bens, injunxit [h] universis Episcopis, ac Provincialibus Ordinum Prædicatorum & Minorum, ut sacrum bellum per universas provincias indicerent, & ad illud juvandum ac prosequendum cunctos Christianos excitarent.

[h] *Ext. in Reg. Greg. X. literæ de his scriptæ Lugd. 15. Cal. Octobr. an. 3 & in Vit. Aquil. pag. 182.*

XV. GREG. PP. LITERÆ AD GRÆCOS.

Post Synodum Gregorius Græcos muneribus donatos ad sua remittens, addito eis comite B. Abbate Cassinense intereà dum solemniorem legationem pararet, literas rescripsit [i] quinto Cal. Augusti ad eosdem ipsos à quibus acceperat, Michaelem Imperatorem, Andronicum ejus primogenitum, & Antistites, gratulatorias de iis quæ hactenùs gesta essent, & hortatorias ad perseverantiam, & ad omnem adhibendam solicitudinem ut qui adhuc in schismate perseverarent eandem fidem & unionem amplecterentur. At verò econtra majores turbas excitatas esse post ipsorũ reditum Constantinopolim, Gregoras [k] narrat. Nempè Iosephum Patriarcham eâ unione repudiatâ, ubi Imperatorem vidit eam acriter amplecti, sede cessisse, & ad quoddam monasterium secessisse ubi reliquum vitæ ageret: Sacerdotes plebem adversùs unionem concitâsse, martyrij tempus advenisse clamitantes: Imperatorem verò conatum esse variis suasionibus omnes in suam sententiam perducere; eáque maximè quòd non inducendæ studio novitatis, sed ad vitanda imminentia à Latinis mala hæc prudenter cogitâsset: quos autem neque his suasionibus, neque aliis blanditiis obnoxios sibi reddere valeret, eos publicationibus honorum, relegationibus, carceribus, flagris, excæcationibus, aliísque tormentis persecutum esse: plurimósque inde è plebe religionis prætextu aspero amictu sacrísque indutos hâc illâcque per varias regiones circumcursantes, novas sectas quà *Arsenij* quà *Iosephi* Patriarcharum nominibus, aliísque seductionibus & imposturis, interim sacculos suos infarcientes, professos esse, & ad sequentia tempora propagâsse: At *Ioannem Beccum* magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylacem, excellenti virum ingeno doctrinâ & facundiâ, postquàm & ipse Imperatorio decreto acriter restitisset, demùm vi scriptorum Nicephorij Blemmydæ sacrarum literarum peritissimi, qui non ita pridem sub Ioanne [l] Ducâ Imp. eâdem agitatâ controversiâ multa in confirmationem Latinorum dogmatum collegisset, pellectum, Imperatori adhæsisse ab eóque in thronum Patriarchalem evectum esse. Hæc præsenti & sequenti anno gesta pluribus narrat Gregoras: quæ & fusius tractâsse Pachymerium, intelligitur ex ejus indice, quem Wolfius dedit: attigit tantùm Phranzes; omnes schismati impensùm addicti, & Imperatorem non parùm inde culpantes. Cujus nihilominùs memoria, sive is zelo veræ fidei, (ut magis credendum) sive necessariâ simulatione (ut multis creditum) rem egerit, sicuti posteà suis opprobrio, Andronici filij scelere, ut videbitur, ita piis honori apud posteros extitit; cùm nihil tantæ virtuti æquandum post Imperium Orientale tot calamitatibus fractum Christianæ gentes viderint. Quod verò tradit Gregoras de contradictione Becci factâ Imperatori; oportet id intelligi de anteriori tempore priusquàm mitteretur unà cum cæteris ad Synodum, ubi eum fidem Romanam pro Antistitibus Græcis qui eam profitebantur jurâsse vidimus.

[i] *Ext. in d. Reg. & to. 4. Concil. edit. Rom.*

[k] *Greg. lib. 5.*

CŌSTANTINOPOLI RESISTITUR UNIONI.

IMP. EAM ACRITER PROSEQUITUR.

[l] *Sup. an. 1233. V.*

XVI. IOANNES BECCUS PATR. CŌSTANTINOPOL. AGIT PRO DOGMAT. LATIN.

Ad dogma autem Catholicum apud Græcos roborandum, idem Beccus, præter sententias à Blemmynâ, itémque à se collectas ex Patribus, quibus ostenditur Spiritum Sanctum ex Filio quoque esse; alias item protuli ad probandum Spiritum Sanctum ex Patre esse per Filium, æqualémque in his existere vim præpositionum *Ex* & *Per*. Quæ quidem reperiuntur [m] unà cum Oppositionibus cujusdam Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis longè posteà factis, & Defensionibus sententiarum Becci compositis à Bessarione Cardinale Nicæno. Sed de his denuò inferiùs; insupérque de Synodo post obitum Michaëlis sub Andronico celebratâ contra hunc Beccum & alios qui fidem Rom. amplectebantur. Interim verò Siciliæ Regem Carolum ægrè admodùm tulisse approbationem imperij Michaelis, factam in præjudicium prætenti juris Balduini generi sui Ricordanus, [n] Villanius, Antoninus, & alij tradunt.

[m] *Edidit Bzov. to. 14. an. 1339.*

[n] *Ricord. cap. 199. Vill. lib. 7. c. 44. Ant. tit. 20. cap. 2. § 6.*

XVII. CONCILII DECRETUM CONTRA NOVOS ORDINES.

Quod autem iidem Græci auctores habent de saccatorum illorum sectis, ex eâ inter ipsos Græcos divisione ortis; putamus magis pertinere ad sectam *Flagellantium*, de cujus initiis jam anteà [o] dictum. Ad eámque in parte respexisse Gregorium Pontificem, cùm in prædicto Lugdunensi Concilio [p] contra præsumptuosam (ut loquitur) temeritatem diversorum Ordinum mendicantium, prohibuit ne quis novum Ordinem aut Religionem inveniret, vel habitum novæ Religionis assumeret, præterquam illorum qui Sedis Apostolicæ confirmationem meruissent. (Adeò ut ex crebris tunc Mendicantium ordinibus soli Dominicani & Franciscani ab Ecclesiâ dudum recepti & expressè comprobati, admissi fuerint: Carmelitanis & Eremitis S. Augustini, quamvis etiam antiquiùs institutis, atque ideò in suo statu manere permissis nihilominùs cum cæteris etiam non mendicantibus, ad maturiorem reservatis [q] deliberationem.) Quippe circa hæc tempora hanc Flagellantium sectam multas post se hæreses trahentem vigere cœpisse, tradunt qui de Hæresibus commentarios ediderunt [r]. Sed quoniam hi sæpiùs compressi, sæpiùs etiam exurrexerunt; agunt præcipuè de his longè post hæc tempora plerique auctores quando & nos pleniorem habebimus [s] de eorumdem hæresibus tractationem.

[o] *Supr. an. 1260 XII. XIII.*

[p] *Cap. un. de relig. domib. in 6.*

[q] *Vid. infr. ann. 1285. XX. XXI.*

FLAGELLANTIŨ SECTA.

[r] *Lutzenburg. Prateol. &c.*

[s] *infr. ann. 1349. II. & III. 1414. XIV.*

XVIII. CONCIL. SALISB.

Hoc eodem anno paulò post celebrationem Synodi Oecumenicæ, aliam provincialem habitam reperimus [t] à *Friderico* Archiepiscopo Salisburgi in Germaniâ & comprovincialibus Episcopis in Festo Omnium Sanctorum; tam pro recipiendis Lugdunensis Oecumenicæ constitutionibus, & in usum revocandis quas olim Guido Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus statuerat, aliísque decernendis pro rectâ morum & disciplinæ observatione; quàm pro consecratione [u] majoris Ecclesiæ illius civitatis. Qualia etiam Concilia per alias quoque provincias pro Oecumenici promulgatione, uti fieri consuevit, facta fuisse, non dubitamus, etiamsi non adeò pateant singulorum Acta.

[t] *Chron. Salisburg. to. 6. Antiq. Lect. Canis. Acta ext. ap. eumd. tom. 1. & in Tom. Concil.*

[u] *Metrop. Salisb. in Frider.*

IESU CHRISTI Annus 1275.
GREGOR. X. An. 4.
RUDOLPHI Ann. 2.
MICHAËLIS VIII. An. 16.

I. S. RAIMUNDI PENIAFORTII OBITUS, AC NOBILE FUNUS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertiâ, ipso sacro Epiphaniæ die *Raimundus Peniafortius* ex Dominicano Ordine insignis pietate, religione ac doctrinâ Theologus, olimque Pœnitentiarius, propè centenarius Barcinone patriâ suâ diem obiit: cujus funus [a] Regum Alfonsi Castellæ & Iacobi Aragoniæ, Regúmque filiorum, & ingentis principum turbæ præsentiâ cohonestatum est Actum de illo sæpè superiùs, quámque multa in beneficium Ecclesiæ & propagationem fidei præstiterit, videre est in bullâ canonizationis ejus; quam sæpè expetitam peregit demùm in basilicâ S. Petri Vaticanâ Clemens Papa VIII. anno millesimo sexcentesimo primo, tertio Calendas Maij, virtutum ac miraculorum ejus merito; nobis qui hæc scribimus, rem propriis oculis cernentibus.

[a] *Surit. Indic. lib. 2. Marian. lib. 13. cap. 22.*

II. CÕGRESSUS ALPHONSI REGIS CASTEL. CŨ PONT. DE JURIBUS IMPERII.

Inde Alfonsus, cùm etiam post causam Imperij in favorem Rudolphi dijudicatam, adhuc cupidine ejus potiundi tum maximè cùm minùs posset ardens, cum Gregorio Pontifice colloqui expetiisset, qui hactenùs in Galliâ ad res in Concilio decretas optimè dirigendas moratus esset: ad Bellicadrum [b], vulgò Belcairum oppidum Rhodano præterfluente nobile, ut constituerant, convenit: habitáque oratione ignominiam repulsæ causatus, malle se bello experiri contestatus est, quàm jure suo cedere. Sed Pontifice declarante, jure licuisse novum Imperatorem creare, Richardi obitu nullum jus Alfonso accessisse, ipsúmque se in Pontificis potestate futurum promisisse; publicè id salutare fuisse, privatim haud ignominiosum, nec magis Hispanos Germanis imperare æquum esse quâm Germanos Hispanis, adversùs Germanorum consensum ejus vires haud posse comparari, multùm infamiæ victo fore, victori exiguos fructus: his & aliis ejusmodi Pontificis rationibus ac suasionibus, eo canatu Rex destitit.

[b] *Blond. 2. dec. 8. Naucler. gener. 43. Marian. d. cap. 22.*

III. ALIA INANIA ALFONSI POSTULATA.

Cùm verò secundùm hanc repulsam alias spes tentâsset; nimirùm Sueviæ principatum à Rudolpho occupatum, Conradino interfecto sibi deberi, genus maternum ad Sueviæ Principes referenti: regnum Navarræ mortuo Henrico Rege ad se pertinere, à quo Galli eum propellerent: Henricum quoque fratrem suum injuriâ à Carolo Rege captivum detineri: hísque postulatis haud Pontifex faciles aures præberet: Alfonsus nullo operæpretio iratus rediit ad sua: nec Imperij nomine & insignibus anteà abstinuit, quàm dirarum denunciatione Archiepiscopus Hispalensis, Pontificis jussu ut desisteret perfecit. Decimæ tantùm Ecclesiarum in sumptus belli Maurici concessæ sunt: nimirùm illæ quas decretas in sex annos vidimus in Concilio Lugdunensi; ut patet ex ipsius Gregorij ad eum eâ de re datis literis Lausanæ mense Octobris hujus ipsius anni, & agnoscit Gomesius. Quemadmodùm & easdem Philippo Regi Francorum, & Carolo Siciliæ, cæterisque per Orbem Christianis Principibus qui Crucem adversùs Infideles assumerent attributas esse in sumptus expeditionum; aliis ejusdem Pontificis literis, editísque monumentis intelligitur. Verùm Castellæ Reges, quo annorum definito numero concessum erat, (ut inquit hæc narrans Mariana) inde in omne tempus eâ moderatione extenderunt, ut decimarum tertia pars quam in templorum fabricationes & sarta tecta consumere Ecclesiastici moris erat, regium in fiscum inferretur, initio hinc facto sacros templorum reditus decerpendi.

INITIUM EXPILATIONIS ECCLES. IN CASTELLA.

IV. NAVARRA À REGIBUS CAST. ET ARAG. CONCUPITA, GALLO CEDIT.

Quod autem de rebus Navarris conquestum Alfonsum audîstis; accidit ut cùm *Henricus* Rex anno superiori menséque Iulij decessisset Pompelone, Ioannâ unicâ filiâ suâ vix trimulâ relictâ, quam ex Blancâ (Ioannam vocant nonnulli scriptores rerum Hispaniarum) uxore filiâ Roberti Comitis Atrebatensis fratris S. Ludovici Regis susceperat, regnique hæredem tam procerum priùs jurejurando, quàm deinde suo testamento designaverat: Castellæ & Aragoniæ Reges huic bolo à multo jam tempore inhiantes, & rancidis quibusdam prætentis juribus, de quibus aliàs, pupillæ curam & regni administrationem sibi quique deberi contendentes; postquàm Regina mater ut violentas eorum solicitationes & Navarrorum mobilitatem vitaret, clandestinè aufugiens unà cum filiâ in Galliam se recepisset ad Philippum Regem patruelem suum: Castellanus armis rem tentans, Aragonius artibus, uterque causâ ceciderit. Quamvis enim Castellanus per filium suum Ferdinandum quædam minora oppida in potestatem suam redegisset; Aragonius per Petrum filium Navarros in se proniores induxisset polliceri se operam daturos ut puella uni ex nepotibus suis in matrimonium collocaretur, vel ingens statuta pecuniæ summa in belli sumptus adversùs Castellæ vires pro regni propugnatione ei traderetur: nihilominùs ea omnia inania & irrita evasêre, eò quòd Philippus Rex puellam regni Navarræ & Comitatuum Campaniæ & Briæ hæredem, uxorem dare destinans Philippo filio cui Pulchro cognomen fuit, Navarræ patrocinio sumpto; eandem primò per Eustachium de Bellomarescasio sive marchasio, (ut vocat Nangius, quem alij de Bellâ-marcâ, sive Bello-marchium) inde post quasdam seditiones ac rebelliones, per Carolùm (ut Gaguinus & Hispani vocant, quem Nangius, Æmilius, cæterique Gallici historici Robertum secundùm, filium nempè alterius Roberti fratris sancti Ludovici Regis) Comitem Atrebatensem puellæ avunculum, omninò sibi asseruit. Quæ anno superiori cœpta, præsentem sequentémque occupârunt, & fusè tractantur ab utriusque gentis historicis.

V. MAURI CASTELLAM ET ARAGON. INVADUNT.

Hoc verò præsenti, interim dum Alfonsus Rex Castellæ aliena appetit, propriorum periculum subiit: cùm ejus absentiâ in spem erectus novus Maurorum Granatæ Rex Mahomad cognomento Miralmutius Leminius, qui biennio antè patri Alhamaro defuncto

successerat, res suas prouehendi; pro gentis ingenio utilitati magis quàm firmati nuper cum Alfonso fœderis religioni intentus, Miralmumnium Abeniusessium Marrochij Regem ex Africâ accivit, virum eâ tempestate magnum insignémque militari gloria: qui maximis copiis ex improviso trajiciens, primùm mense Maij victo necatóque Nunnio Larâ spectatæ virtutis duce, indéque Octobri Sanctio Archiepiscopo Toletano Regis Aragonij filio, juvenili audaciâ in victores inconsultè nimis irrumpente profligato: nec minore successu rebus in ditione Regis Aragonij provectis, (cùm ubique Mauri aut Christianos invaderent, aut ab iis invaderentur) summum in discrimen universam Hispaniam perduxit. Tradunt qui hæc describunt [c], cum Sanctio Archiepiscopo ab hostibus capto disceptarent barbari utrius Regis Granatensis an Marrochij futura ea præda esset, & res ad arma spectaret; Atarium Malacæ regulum tragulâ eum confixisse, iniquum esse inquientem ut unius causâ canis tot viri principes cum salutis discrimine ferro dimicarent: Occisi caput præcisum fuisse unà cum manu pontificio anulo ornatâ; postmodúmque unà cum corpore multo auro redempta, & Toleti sepulta.

[c] *Marian. lib. 14. c. 1. Surit. Ind. lib. 2.*

VI. Ferdinandi Principis obitus.

His cladibus fœdum annum Ferdinandi Cerdæ majoris filij Alfonsi Regis obitus insigniorem reddidit, ex morbo mense Augusto defuncti cùm ad bellum Mauricum copias compararet. Cujus obitus luctum ingentem in præsenti attulit, gravia in futurum certamina: quandoquidem Sanctius frater ætate proximus, quasi Alfonsum patrem superstitem proximo cognationis gradu attingeret, regni successionem ad se devolutam contendens; absente adhuc patre cœpit procerum ac populorum studia promereri, ut pulsis Alfonso & Ferdinando filiis defuncti Ferdinandi, quos ex Blancâ [d] filiâ, S. Ludovici Francorum Regis susceperat, ipse in thronum eveheretur. Interimque ducem se adversùs Mauros præbens, salutari consilio universo detrectato certamine firma præsidia pluribus locis disposuit, ut impetus cum quo barbari venerant morâ consenesceret: Sicuti & accidit. Quid verò de regni successione statutum fuerit, dicetur posteà.

Sanctius frater involat regnum.
[d] *Vid. supr. an. 1269. V.*

VII. Greg. agit contra Reges Arag. et Lusit.

Intereà Gregorius Pontifex, dum adhuc Galliis moraretur, Iacobum Aragoniæ Regem, licèt ferè decrepitum libidinibus indulgentem quòd viro cuidam nobili uxorem abduxisset acriter redarguit, & tergiversantem dimittere jussit anathemate percelli, scriptis eâ de re literis [e] Bellicadri Calendis Augusti, & Viennæ decimo Calendas Octobris, ad Archiepiscopum Tarraconensem & Episcopum Dertusensem. Quæ tacent omninò auctores Hispanici; dum communi morbo plerorumque scriptorum nationalium, suorum Principum vitia occultantes aut excusantes, virtutes diligentissimè expendunt ac propalant. Vnde patet, quod sæpè meminimus, quantum intersit Regesta Pontificum evolvere, quibus nihil certius ad puram rerum quas continent historiam sine fuco & adulatione percipiendam. Quale & illud est quod ibidem Bellicadri idem Gregorius in causam sæpissimè agitatam Regis Lusitaniæ, (non quidem Dionysij, ut festinantissimus quidam historicus [f] hallucinari more suo solens scribit; cùm necdum is regnaret vivente adhuc patre ejus Alfonso Tertio, in quem Pontifex invehitur, nec per ætatem tot esset scelerum capax:) inquisîsse reperitur ob denegatum Romanæ Ecclesiæ pendi consuetum vectigal, personas ac libertates Ecclesiasticas violatas, monita Pontificum contempta, aliáque sacrilegia commissa; (quorum nec meminêre prædicti historici) & nisi satisfaceret, novum anathema ipsi, interdictum regno intentâsse.

[e] *Reg. Greg. an. 4. ep. 7. & 16.*

[f] *Bzov. hoc an.*

VIII. Rudolphus Rom. Rex convenit Pontificem, ac juram. præstat.

Inde Gregorius iter resumens Italiam versùs, Lausanæ obvium habuit Rudolphum electum Rom. Regem, unà cum conjuge ac liberis: qui confirmatis quæ nomine ipsius Otto præpositus Lugduni spoponderat, juramentum solitum præstitit, quod extat in corpore Iuris [g] Canonici: ac speciatim Ecclesiæ Romanæ bona ac jura exprimens [h], juravit se omnia sarta tecta tutaturum, propediem Romam ad coronam accipiendam venturum, & ad sacrum bellum adversùs Saracenos sine ullâ detrectatione properaturum. (Nam ejus electionem Pontificem approbâsse in favorem Terræ Sanctæ Krantzius [i] scribit, & nos diximus superiùs,) quæ gesta fuêre ibidem Lausanæ duodecimo Calendas Novembris hujus ipsius anni. Addítque Chronicon Colmariense, jussisse Pontificem Episcopo Basileensi, cui collectionem decimarum ad bellum sacrum commiserat in Germaniâ, ut duodecim millia marcarum Rudolpho numeraret postquàm montes transîsset.

[g] *Dist. 63. cap. 33. tibi domino.*
[k] *Ext. diplom. in Archiv. castri S. Ang. Rom.*
Krantz. 8. Saxon. 30.

IX. Greg. redit in Italiam.

Post quæ Gregorius superatis Alpibus cùm Florentiæ appropinquaret, quamvis proposuisset ab ejus ingressu utpotè interdictæ [k] abstinere; necessitate tamen cogente eò quòd fortè Arnus fluvius per eos dies auctior vado transmitti nequiret, urbem ingressus quà ponte transiret, nihil moratus duobus passuum millibus ab eâ diversatus est; diéque sequenti Aretium processit. De interdicto autem Florentinæ urbis tollendo nihil ab eo impetrari potuit. Tantùm dum per urbem iter fecit, benedictionem exhibuit civibus: egressus verò iisdem censuris quibus priùs obnoxiam reliquit civitatem; illud Davidicum [l] proferens, *In camo & freno maxillas eorum constringe, &c.* Hæc Annales Florentini [m]: Cætera de Gregorio anno sequenti.

[k] *Supr. an. 1273. II.*

[l] *Psalm. 31.*
[m] *Ricord. cap. 202. Villan. lib. 7. cap. 50. Aret. lib. 3. Anton. tit. in c. 2. §. 4.*

X. Turbæ Sueticæ.

Inter hæc in civitate Strengenensi regni Suetiæ celebratus reperitur hoc ipso anno magnus Conventus Antistitum ac procerum, occasione simultatum quæ intercesserant inter Waldemarum Regem & fratres ejus Magnum Sudermanniæ Ducem atque Ericum, post prudentissimi eorum patris Birgeri [n] obitum: cœpto odio ex malignitate Sophiæ Reginæ filiæ Regis Daniæ feminæ arrogantissimæ, quæ fratres Regis adeò despiciebat ut nec ad colloquium admittere dignaretur: aucto verò ex eo quòd Rex flagitiis & stupris deditus (inter quæ sororem quoque conjugis suæ defloravit prole inde susceptâ) omniáque divina & humana turbans, fratribus invideret integerrimis viris, nec posset eorum monitiones sufferre. Cùm autem prædicto conventu nihil erga Regem, qui unà cum fratribus aderat,

[n] *Vid supr. ann. 1250. XXIII.*

promoveri potuisset quantumvis & alius eorum frater Benedictus Episcopus Lincopensis Dux Filandiæ id omni conatu prosequeretur, oblato etiam universo patrimonio suo ut in gratiam mutuam redirent: tum Folcho Archiepiscopus Vpsalensis regni primas, de consilio cæterorum Episcoporum, proceres regni populósque juramento fidelitatis Regi præstito solvit, ipsummétque Benedictum ejus fratrem, sententiam in eum tanquam publicæ pacis perturbatorem, præceptorum Dei & Ecclesiæ contemptorem, & horrendorum scelerum reum, promulgare jussit. Ac prætereà ex eodem Concilio pronunciata sunt dira anathemata in omnes cujuscumque statûs & dignitatis homines, qui præsumerent umquam violare libertates Ecclesiæ aut ejus ministrorum. Sícque Waldemaro exauctorato, suffectus est prædictus frater ejus *Magnus* cognomento Ladalhas, prudentiâ, pietate ac justitiâ insignis. Qui mox collectis copiis contra Waldemarum procedens, ipsum nullo negotio vicit, fugientémque cepit: ac nihilominùs præ innatâ humanitate, ei regnum Gothiæ reliquit, Suetico sibi reservato. Quomodò verò Waldemarus post frustrà tentatam Danorum auxiliis recuperationem universi regni, alio Pontificum procerúmque decreto perpetuæ custodiæ mancipatus fuerit, dicetur suo loco. Hæc autem fusè narrantur à Ioanne [o] Magno posteà Archiepiscopo Vpsalensi, suâ de iis regnis Historiâ, & in Metropoli Vpsalensi.

Rex Suetiæ deponitur à suis, et alius substituitur.

[o] Io. Magn. lib. 19. c. 21. & seqq. & in Metrop. in Folcon. & Iacob. Erlan.

XI. Quæ longè aliter narrans Albertus Krantzius in suâ Historiâ [p] Sueticâ, ait Waldemarum peregrinatione susceptâ in Terram Sanctam, in reditu regnum occupatum invenisse à fratre Magno, eo prætextu quòd is terendis Ecclesiarum liminibus quàm obeundis regni negotiis aptior esset. Reversum Waldemarum regnum armis tum suis tum Danicis recuperare frustrà tentâsse; demúmque post longum exilium se in gratiam fratris dedisse, renunciatóque omni suo jure provinciam accepisse, in quâ cum uxore & liberis tranquillè conquieverit. Sic Krantzius: cùm nihilominùs major fides adhibenda videatur Ioanni & Sueco & vetustorum patriæ monumentorum investigatori diligentissimo, quàm remotiori scriptori, quem propriâ sui ipsius confessione constat multa de rebus ejus regni ignorâsse, quæ Ioanni apprimè nota fuisse apparet. Denique fuisse prædictum Regem Magnum tantis virtutibus præditum ait [q], ut ante eum pauci, post verò nulli adeo probi & magnifici fuisse memerentur: Regéique Norvagiæ ac Daniæ constituto [r] eo judice in causis gravissimis quæ inter ipsos volvebantur, æquitatem ejus utrimque laudâsse: Plura quoque monasteria & Ecclesias fundâsse, quàm omnes Reges qui post eum extiterunt. De quo modò hactenùs.

[p] Krantz. I. Suec. 24.

Magni Regis Suec. virtutes.

[q] Io. Magn. lib. 19. c. 20. in fi. [r] id. lib. 20. cap. 6.

XII. In Poloniâ [s] apud Cracoviam hoc eodem anno puer natus vix semestris distinctè Tartaros adventuros, & Polonorum capita, suúmque etiam ipsius præcisuros prædixit: quod post duodecimum demùm annum impletum est. Alius eodem fermè tempore dentatus natus, eodemque die articulatè locutus suscepto baptismo dentes & sermonis usum amisit.

Prodigia puerorum in Polonia.

[s] Michov. lib. 4. c. 58. Cromer. lib. 9.

XIII. In Oriente Bendocdar [t] Soldanus Ægypti ac Babyloniæ, de quo sæpè superius, percurrens Armeniam ultra viginti millia hominum occidit; captivos pueros ac puellas usque ad decem millia, omnis generis animalium ultra trecenta millia abduxit. Novæque turbæ in Syriâ res Christianorum afflixerunt; cùm post Boamundi Principis Antiocheni obitum, qui contigit hoc eodem anno die undecimâ Maij de filij ejus æquè Boamundi dicti adhuc minoris regimine inter Episcopum Tortosæ datum ei directorem à matre ipsius sorore Regis Armeniæ, & Hugonem de Lusiniano Regem Cypri pueri consanguineum, controversum est. Indéque inter Episcopos, intérque Templarios & Hospitalarios, ipsósque cives præcipuarum urbium Ptolemaidis, Tyri, & Tripolis, aliis diversis prætextibus dissensiones sunt motæ, ad accelerandam totius iis partibus Christianitatis extinctionem.

[t] Sanut. lib. 3. par. 12. cap. 14.

Turbæ Syriacæ in ruinam Christianorum.

IESU CHRISTI Annus 1276.

INNOC. V. HADR. V.

RUDOLPHI Annus 3.

MICHAELIS VIII. Ann. 17.

I. ANNO Christi 1276. Indictione quartâ, Gregorius Papa Terræ Sanctæ recuperationem toto animo cogitans, & unà cum Rudolpho Romanorum ac Philippo Francorum Regibus crucesignatis eò quamprimùm redire, ibíque mori deliberans; fortunatiorem terram invisit, æternum in eâ victurus. Siquidem Aretij in Etruriâ morbo correptus, die decimâ Ianuarij in cœlum migravit; cùm sedisset à die electionis annos quatuor, menses quatuor, dies decem; à consecratione tres annos, novem menses, quindecim dies: Cujus interitum qui anno superiori ponunt, longè errant: Sepultus est in cathedrali Ecclesiâ S. Donati: ubi & miraculis post mortem claruisse, testantur Ptolomæus Lucensis [a], S. Antoninus [b], Blondus [c], & multi alij, quorum etiam aliqua descripta habentur in vetusto codice [d] Vaticano: repetitúrque ejus memoria quotannis in sacris tabulis Ecclesiæ Aretinæ. Ac corpus ejus hactenùs integrum conservatum esse traditur. Denique paulò antè quàm hæc scriberemus, censuit sacra Rituum Ecclesiasticorum Congregatio Romæ, de illius virtutibus, sicuti & de Pij Quinti, satis constare, ut possit ad utriusque canonizationem procedi. Commendatur autem ab omnibus, præter prudentiam rerum gerendarum, fortitudinem animi, contemptum divitiarum, & vitæ sanctitatem, de summâ humanitate & benignitate in pauperes. Observátque idem Ptolomæus in suis Annalibus, primum eum fuisse qui solemnem eleemosynam ordinaverit in Curiâ Romanâ, præfecisséque ei quemdam fratrem Conversum Ordinis Prædicatorum, quem secum duxerat à partibus ultramarinis.

Greg. PP. X. obitus.

Claret miraculis.

[a] Ptol. in Chron. [b] Ant. tit. 20. c. 2. §. 4. [c] Blond. 2. dec. 8. [d] Cod. Vat. nu. 3457. ex quo descripsit Brov. hoc ann.

Auctor solemnis eleemos. Romæ.

II. Eo mortuo atque sepulto, vi constitutionis ejus de electione Pontificis, ibidem Aretij Cardinales qui aderant conclavi inclusi, decimâ Sedis vacationis die, nimirùm duodecimâ

Petrus de Tarentas.

CREATUR PÔT. PRIMUS EX ORD. PRÆDIC.

Calendas Februarij festo S. Agnetis, ei successorem elegerunt *Petrum de Tarentasiâ*, sic à loco originis dictum non procul à Maurien-nâ valle, fluminéque Isarâ quod in Rhodanum influit: qui natus in illis Alpinis scopulis, præclaro tamen ingenio fuit, & olim Ordinem Prædicatorum ingressus, ac probitate morum & scientiâ Theologiæ eundem valdè illustrans, primùm ex Provinciali Franciæ Archiepiscopus Lugdunensis; mox ante consecrationem à Gregorio Decimo creatus est Cardinalis Episcopus Ostiensis, ac paulò pòst Major Pœnitentiarius. Ita Onuphrius ex antiquis monumentis. Primúsque ex eo Ordine ad Summum Pontificatum assumptus; nomen accepit INNOCENTII Quinti; symbolum sive sententiam, *Oculi* [e] *mei semper ad Dominum*; cùm Romam accedens, die vigesimâ secundâ subsequentis mensis Februarij festo Cathedræ S. Petri, in basilicâ ejusdem Principis Apostolorum coronationis insignia suscepit, unde & postridie literas de suâ electione ad omnes Principes & Prælatos de more scripsit; atque ad opus Terræ Sanctæ hortatus est.

NOMEN ACCIPIT INNOCENTII V.

[e] Psalm. 24.

III.

Statímque animum [f] ad pacandas factiones ac bella intestina civitatum Italiæ adjiciens, Florentinos imprimis mandatis Ecclesiæ stare spondentes ab interdicto Gregorij absolvit, & communioni restituit. Venetos ac Genuenses, quorum odia magis inoleverant, ne in suam sententiam penitùs traheret, aliáque præclara quæ animo versabat perageret, mors præpropera impedivit: quæ contigit [g] ei Romæ die vigesimâ secundâ Iunij, postquàm sedisset menses quinque & dies duos: sepultúsque est in basilicâ Lateranensi. Extant [h] multa & præclara nobili ingenij scriptorum monumenta ante Pontificatum exarata. In quibus tamen non defuêre, qui plusquàm centum propositiones ejus reprehenderent: sed jussu Ioannis Vercellensis Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum à S. Thomâ defensæ sunt, ut ex opusculo ejus perspicuum est. Destinâsse quoque Innocentium legatos ad Palæologum Imperatorem pro confirmatione eorum quę ipsius nomine facta fuissent in Concilio Lugdunensi, intelligitur ex literis ipsius Palæologi ad Ioannem XX. scriptis, de quibus agetur paulò pòst.

[f] Lucen. & Mart. Pol. in Chron. Platin. in Innocent. V. Anton. tit. 20. cap. 3.

MORITUR.

[g] Bern. Guid. & alij.

[h] Vid. Nomenclat. Card. & Frizon. in Gall. Purp.

IV.

Cùm autem post ejus obitum Sedes vacâsset dies 19. electus est in ejus locum in palatio Lateranensi duodecimâ [i] Iulij *Othobonus* Fliscus patriâ Genuensis ex Lavaniæ Comitibus, patre Thedisio Innocentij Papæ IV. fratre: qui ex Archidiacono Cantuariensi à patruo creatus fuerat diaconus Cardinalis S. Hadriani, & à Clemente IV. Legatus in Angliam missus Pontifex factus nomen assumpsit HADRIANI V. ex titulo sui Cardinalatûs. Ad quem cùm agnati Thedisij patris mox frequentes accurrissent dignitatem gratulantes; *Vtinam* (inquit [k]) *me Cardinalem prospera valetudine, non moribundum Pontificem invenissetis*; quasi præsagiens proximum vitæ exitum. Quem & Polycrates ejus perfamiliaris sæpè dicentem advenisse refert, *Nullum se ab hoste suo quolibet majus supplicium optare, quàm ut Summum Pontificatum assequeretur.* Quare & citò liberatus eo onere est divinitùs: quippe qui statim post suam electionem ex Vrbe discedens Viterbium, ibi etiam ante [l] consecrationem, necdum etiam presbyter, mortuus est die decima-octavâ Augusti, ubi sedisset triginta-septem tantummodò dies; quamvis plerique triginta-novem ponant. Sepultúsque est ibidem in Ecclesiâ Fratrum Minorum. Tradunt fuisse ei in animo & ditionem Ecclesiæ tutiorem à tyrannis reddere, & Constitutionem Gregorij Decimi de eligendo Pontifice in meliorem formam redigere. Scribúntque speciatim Blondus [m] ac Trithemius, eum Rudolphi Regis in Italiam accessum secretò per literas sollicitâsse ad comprimendam Caroli Siciliæ Regis potentiam, quâ Romæ omnia pro arbitrio agebat; ideóque & Româ abscessisse ut se tantisper ab ejus subjectione subtraheret: sed Rudolphum Boëmico occupatum bello satisfacere non potuisse. Et alioqui Hadriani conatibus mors obstitit: Constitutionem tamen Gregorij suspensam reliquit.

[i] Mart. Pol. in Chron. Anton. d. c. 3. Onuphr. &c.

HADRIANI V. CREATIO.

[k] Ap. Masson in Hadr. V. ex Nebiens. hist. Gen. lib. 3.

ET OBITUS.

[l] Bern. Guid. Ptol. Luc. Platin. Onuphr. &c.

[m] Blond. 2. dec. 8. Trith. in Chron. Hirsaug.

V.

Eo mortuo, vigesimo-quinto pòst die, nempe decima-tertiâ Septembris, electus est in ejus locum ibidem Viterbij *Ioannes-Petrus* filius Iuliani, natione Lusitanus patriâ Olyssiponensis; & ex medico doctissimo, (cujus etiam extat egregium eâ de re monumentum *Thesaurus pauperum* nuncupatum) atque in Logicis apprimè versato, creatus à Gregorio Decimo Episcopus Cardinalis Tusculanus. Qui die vigesimâ ejusdem Septembris coronationis insignia suscepit indito sibi nomine IOANNIS; XXI. (dicti, à Platinâ XXII. ab Onuphrio dumtaxat XX.) & hoc symbolo sive sententiâ susceptâ, *Dirige* [n] *Domine Deus meus in conspectu tuo vias meas.* Sicque vidit hic annus quatuor Summos Pontifices.

IOANNES XXI. CREATUR.

[n] Psal. 5.

VI.

Est qui autumet [o] fuisse & quintum inter prædictum Hadrianum & hunc Ioannem; nempe *Vicedominum* de Vicenominis Placentinum, Cardinalem Episcopum Prænestinum, Gregorij Decimi nepotem, Ordinis Minorum, qui eodem die quo Pontifex creatus fuit obierit: auctoritate annalium manuscriptorum urbis Placentinæ, qui dicunt, *ex domo Vicedominorum fuisse unum Papam Ordinis Minorum, qui non stetit in Papatu nisi per unum diem.* Quibus verbis etsi dignari videatur prædictus Vicedominus Cardinalis Gregorij nepos, quem volunt defunctum esse anno 1276. 8. Id. Septembris: quòd tamen rei tantæ nemo alius uspiam vel minimùm meminerit, nec quo nomine aut tempore hic Papa prædicti annales tradant; sinamus eum adhuc latere, quousque revelaverit dies Domini; nec sine necessitate numerum Pontificum multiplicemus.

[o] Vvadding. Annal. Min. to. 2. hoc an.

FICTUS ALIUS PONT.

VII.

Qui porrò de Ioanne scribunt auctores illorum temporum, Martinus Polonus (qui ad ejus Pontificatum Chronicum suum produxisse perhibetur, cùm in Clemente Quarto semel desiisse visus esset) Stero, Ptolemæus Lucensis, Bernardus Guidonis, & qui pòst secuti sunt Platina, Nauclerus, & alij, tradunt eum doctrinæ suæ præstantiam & Pontificalem dignitatem ignoratione rerum gerendarum, & morum inæqualitate; ac quâdam stoliditate deformâsse: eo tamen commendatione dignum extitisse, quòd adolescentes literarum studiosos, maximéque inopes pecuniis ac beneficiis Ecclesiasticis juverit.

IOANNES PARÙM APTUS PONTIFICATUI.

VIII. MICH. IMP. CONFIRMAT GESTA A' SUIS IN CŌCILIO LUGD.

Sed & illud Pontificalis sollicitudinis præstitit, quòd legatos ab Innocentio V. (ut nuper vidimus) ad Michaëlem Græcorum Imperatorem destinatos, qui nondum abscesserant, proficisci jussit, Episcopos videlicèt Ferentinum & Taurinensem, ac duos Fratres Ordinis Prædicatorum, ad solicitandam confirmationem & observationem eorum quæ Michaëlis apocrisiarij in Concilio Lugdunensi promisissent. Quod & ipsum cumulatè præstitisse, ac per alios suos apocrisiarios formulam professionis fidei ac juramenti obedientiæ tam ab ipso quàm ab ejus filio Andronico Constantinopoli præstiti mense Aprilis quintæ Indictionis (qui fuit annus proximus) ad eundem Ioannem transmisisse; certum redditur ex eâdem ipsâ formulâ quæ extat, [p] & ex Regesto literarum ipsius Ioannis, ac Nicolai [q] ejus successoris, ad quem Ioanne defuncto Imperatoris legatio pervenit.

[p] In lib. Privileg. Rom. Eccles. unde etiam descripsit Bzov. hoc ann.

[q] Reg. Nic. ep. 1. & seqq.

IX. TURCI INCURSANT GRÆC. IMPERIŪ

[r] Greg. lib. 5.

Sed quod literis Andronici fit mentio belli ab ipso contra Turcos gesti, ad quod & auxilia petiit; lucem accipit à Gregorâ [r], (si fortè lucem quis ex ejus historiâ accipiat, quæ & rerum narratione & temporum serie perturbatior, tenebras ferè inducere magis videatur) dum ait, Meleco Sultani Azatinis filio per insidias à suis cæso, Turcicóque Imperio ad polyarchiam multorum Satraparum redacto; accidisse ut Scythæ, seu Tartari, Satrapas sic divisos aggredi cœperint, hìque ab iis pulsi Græcorum regiones infestârint: eóque demùm post funesta quædam prælia rem processisse, ut à mari Pontico & Galatiâ usque ad mare Lycium & Carium ac fluvium Eurymedontem omnia suæ ditionis fecissent. Quibus quidem pressus malis putatur Andronicus, magis quàm ductu religionis, fidei Latinæ professionem edidisse; cujus se impium osorem, etiamque adversùs proprium patrem, exhibuisse suo loco visuri sumus.

X. CONCIL. BITURIC. PER SIM. DE BRIA.

Interim verò *Simon de Bria* tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, relictus in Galliâ à Gregorio Decimo Apostolicæ Sedis Legatus, (ubi & permansit usque ad Pontificatum Nicolai Tertij) vacante Sede post obitum Hadriani Quinti Ecclesiæ Gallicanæ reformandæ intentus, mense Septembri *Synodum* celebravit *Bituirigibus* (cujus extant [s] Acta) pro defensione, ut ibi dicitur, libertatis Ecclesiasticæ, & Ecclesiarum statu pacifico. In quo decreta sunt edita De electionibus ad beneficia; De officio & potestate Iudicis delegati; De officio Iudicis ordinarij; De his quæ vi & metu; De foro competenti; De decimis; De Testamentis; De immunitate Ecclesiasticorum; De privilegiis, & excessibus privilegiatorum; De pœnis. De Iudæis verò statuit, ut quoniam plerumque simplices Christianos fraudulenter deciperent & in errorem pertraherent, nonnisi in civitatibus & locis insignibus habitare præsumerent: temporalibus dominis inhibens sub pœnâ excommunicationis, ne alibi quàm dictis locis habitare permitterent. Cujusmodi & alia diversis civitatibus Concilia celebrâsse idem Simon reperitur ad reformandos mores & disciplinam restituendam. Vnde & meruit postea creari Pontifex sub nuncupatione Martini Quarti.

[s] In Cod. ms. Bibl. S. Vict. Paris. not. Q. I. Fueruntque etiam edita unà cum Constit. Synodal. Xanton. Eccl. Pictavis 1541.

XI.

[u] Surit. Ind. lib. 2.

Hoc item anno cum *Iacobus* [u] Rex Aragoniæ Maurorum motibus, de quibus anno superiori, aut consilio sedandis aut vi comprimendis operam daret, insignisque interim à suis ad Luxenum clades accepta esset, is ex eâ calamitate mœrore concepto, fractóque multis laboribus corpore, ac novo morbo tentatus, Petro filio suo regnum de manu tradidit: ipséque vestem Cisterciensem indutus, Valentiæ obiit Iulij vigesimo-septimo, cùm tres & sexaginta annos regnâsset, vixisset ferè septuaginta. Magnitudine rerum gestarum præclarus, trigesies cum Mauris signa contulit secundo semper eventu; unde & *Expugnatoris* sive *Præliatoris* nomen à suis tulit. Religionísque cultor insignis ad duo millia templa extruxisse traditur, sive ipse condiderit, sive Maurica ritu Christiano expiârit. Denique vir omninò magnus dicendus, nisi turpis libidinis licentia, à quâ nullis Summorum Pontificum hortationibus aut comminationibus retrahi unquam potuit, ad posteritatem eum deformâsset. *Petrus* à morte patris, Regis nomine tantisper abstinuit, regni se tantùm Infantem hæredem in publicis tabulis scribens, dum coronam acciperet, quod nonnullis interim motibus compositis, Cæsaraugustæ factum est die decima-sextâ Novembris: contestatus tamen antequàm coronam acciperet ab Archiepiscopo Taraconensi, nequaquàm se ob coronationem ab Archiepiscopo recipiendam velle se juri suo in aliquo derogare, ut propterea putaretur eam ab Ecclesiâ Romanâ suscepisse, ejusque deditiitium [x] esse. Dictus est Rex ejus nominis Tertius, cognomine suis Magnus; ut sunt Hispani in titulis eximij. Qui & eodem conventu proceres ac civitates regni sacramento adegit, defuncto se non alium regni successorem futurum quàm Alfonsum ipsius filium tum adhuc puerum. Iacobo ejus fratri Baleares insulæ regio titulo ex testamento patris tributæ, adjunctis Ruscinonis & Mompelerij Principatibus. Dolente tamen ipso Valentiâ privari, quàm à patre antè dono acceperat, & fratris beneficiarium se factum; odia inde inter eos orta sunt, quæ tractant eorum historici.

Hieron. Blanc. de reb. Aragon. Marian. lib. 14. c. 2.

IACOBI REG. ARAG. OBITUS.

PETRUS FILIUS SUCCEDIT.

[x] Vid. supr. ann. 1204. XV. & 1274. IV.

XII. SANCTIA IEROSOLYMAM SE CONFERT.

[y] Surit. ibid.

Ex filiabus Iacobi Sanctia [y] cùm se totam divino cultui addixisset, tandem regali personâ depositâ, nemini nota aut manifesta Ierosolymam profecta ad sacro-sanctum Domini Sepulchrum in peregrinos pauperes & ægritudine confectos summè hospitalem se præbuit: cujus obitu insignia ejus sanctitatis miracula claruêre.

XIII. ALFONSI REG. CASTEL. VARIUS ANIMUS DE SUCCESSIONE REGNI.

[z] Mar. lib. 14. cap. 2.

Alfonsus verò Castellæ Rex ex Galliâ redux, ubi Gregorium Pontificem convenisse vidimus, cùm initio ægrè tulisset se superstite Sanctium filium regni successionem intempestivè ambire, sed & nepotes prætermitti jure publico iniquum existimaret; demùm tamen Emanuelis fratris sui consilio, qui jam totus Sanctij erat, ad eam controversiam dijudicandam regni conventus Segobiam indixit. Vbi à proceribus & populis, quà jam anteà Sanctij blanditiis & liberalitate allectis, quà studia sua in pueros dissimulare coactis, secundùm ejus postulata pronunciatum est, opinione incertâ (inquit Mariana [z], rem clarè proloqui titubans) juréne an injuriâ. Cum fidentior Rodericus Santius [a] Episcopus Palentinus

[a] Roder. Sant. Hisp. par. 4. cap. 6.

SANCTIO ILLA ASSERITUR INJUSTE.

nihil dubitaverit scribere, Sanctium obtinuisse regnum excluso de facto Alfonso de la Cerdâ, qui Sanctio præferendus omnium judicio videbatur. Ac sanè dubitationi locus aliquatenùs esse potuisset, si actum esset tantummodò de antiquo illo jure, quo sæpè controversum est rursùm ad mortui avi hæreditatem minor filius vocari debeat, an nepotes ex majore filio jam defuncto; quamvis à sanioribus semper pro nepotibus pronunciatum fuerit. Verùm cùm præter eà pactis nuptialibus matrimonij inter Ferdinandum & Blancam initi disertè cautum [b] fuisset, etiamsi Ferdinandus ante patrem moreretur, successuros avo ejus liberos exclusis minoribus ipsius Ferdinandi fratribus, idque ad sedandas antiquiores de ejusdem regni juribus dissensiones; quis jure dubitaverit, injuriâ liberis Ferdinandi Sanctium prælatum fuisse? Vicit tamen iterùm vetus injustitia, nonnullo publicæ utilitatis respectu adumbrata, quòd Sanctius si repulsam tulisset haud quieturus videbatur: qui nec sic quidem à pellendo sceleratiùs è regno proprio patre, ut pòst videbitur, abstinere potuit. Prædictæ tamen iniquæ contra innocentes pueros sententiæ obstitisse duos germanos fratres Ioannem & Munionem Nuniones, & exeuntes è regno bellum movisse, scripsit Ptolomæus Lucensis in suâ Historiâ [c], habéntque alij de aliis itidem eidem judicio adversantibus. Quæ verò dehinc secuta fuerint, dicetur suis locis.

[b] Vid. supr. an. 1269. V.

[c] Ptol. 23. cap. 23.

XIV.

[d] Krantz. 7. Vvandal. 34. & 45.

LONGA CAPTIVITAS DUCIS MAGNOPOL. INTER SARACENOS.

Hoc item anno narrat Krantzius [d] rem memoriâ dignam; nimirùm Henricum Ducem Magnopolensem in Wandaliâ, cùm in Terram Sanctam militaturus perrexisset, à Saracenis captum per totos sex & viginti annos in servitute permansisse: quoúsque demùm, sive arte elapsus, ac variâ fortunâ sæpè multúmque per itinera delitescens, sive a Soldano natione Germano apostatâ, qui olim sub patre ejus militaverat, ultrò dimissus, domum incolumis rediit.

XV. PORTENTA IN GERMANIA.

[e] Ext. tom. Rer. Germ. Vrstis.

In brevissimis autem Annalibus Colmariensibus [e] hæc portenta leguntur; in urbe Turego Germaniæ lupam domesticam peperisse duos lupos rufos, duos vel tres albos, & tres catulos maculosos generum diversorum. Et in Rotwilre quandam inclusam tres pueros uno die peperisse, & quarto die quartum puerum prioribus addidisse.

XVI. CALUMNIA IN MARIAM REGINAM FRANC.

Tertius omninò fuisset, si vera extitisset suspicio habita de Mariâ Reginâ Franciæ: quam Annales Belgici Ægidij de Royâ narrant hoc anno diffamatam fuisse tanquam interemptricem liberorum Regis, ac propterea igni adjudicatam: sed cùm Ioannes Brabantiæ Dux ipsius frater obtulisset Regi ac Iudicibus quemdam nobilem, qui singulari cum accusatore certamine sororis innocentiam tueretur, accusatorem metu certaminis calumniam confessum esse, & patibulo affixum. Ita ille. At verò damnationem Reginæ, vel certamen oblatum, nuspiam alibi reperimus; calumniam intentatam Gallici [f] historici meminere. Nimirùm cùm Rex Philippus ex priori conjuge Elisabethâ filiâ Iacobi Regis Aragoniæ tres filios suscepisset, maximum natu Ludovicum hoc ipso anno decessisse: Petrum Brocium patriâ Turonensem, qui chirurgum sancti Regis Ludovici egerat, & a Philippo regius cubicularius factus in tantam potentiam pervenerat ut nihil eo inconsulto decerneretur, & omnia ex ejus arbitrio pendere viderentur; Reginæ iniquiorem factum quòd uxorem ejus a comitatu suo & nobilium feminarum ignobilem ipsam ac se maximis & illustribus æquantem procul esse jussisset; insinuâsse Regi filium ejus, Reginæ novercæ operâ veneno extinctum esse, tantumdémque periculi cæteris imminere, quò sola ipsius proles regno potiretur: Regem, cùm ardenter Reginam præstanti formâ ingeniòque feminam amaret, Brocium autem sibi fidissimum existimaret, quid in re tantâ consilij caperet dubium, secretò ad quandam Beguinam, quæ Nivellæ in Brabantiâ prophetissam agebat, sciscitatum misisse quosdam Prælatos, & ab eâ semel delusum (ut est ingenium ejusmodi fatidicarum) demùm accepisse responsum de Reginæ innocentiâ, tacitâ tamen perfidiâ Brocij: Cùm igitur ob summam Regis in eum benevolentiam, atque invidiam aulicorum magnam, maximéque Principum; cunctis ad eum opprimendum consentientibus, Reginâque imprimis exitium illi procurante propter sparsum de Ludovici veneno rumorem; accidisse paulò pòst, ut cùm detectus fuisset commercium literarum cum Rege Castellæ habere adversùs Philippum dominum suum in bello quod inter ipsos paulò pòst (ut videbimus) ortum est; læsæ majestatis damnatus fuerit, communíque latronum patibulo suspensus. Quoniam verò mortis ejus causa vulgo incognita fuit, tradit Nangius, qui hæc longiori oratione in Vitâ Philippi, sub quo vixit, commemorat, supplicium Brocij magnam admirationem & murmurationis materiam ministrâsse. Vnde & Dantes Italus illius temporis poëta, eum insontem astu & invidiâ oppressum esse cecinit. Quod ut fortè verum fuerit, illud sanè longè verissimum, nullam sub cœlo tam lubricam esse posse viam quàm aulicorum gratiam, & maxime illorum quos sicut istum Petrum ex humili loco fortuna ad altum statum provexit. Sed qui habeat aures ad hæc certissima monita audienda, aut oculos ad quotidiana ejusmodi exempla videnda, nec est, nec fortè erit, nec ferè fuit unquam; ita surdi omnes & cæci in perniciem suam ruunt!

[f] Nang. in Vit. Philip. III. Gaguin. lib. 7. Æmil. in Phil. III. Masson. Annal. lib. 3. & alij.

BROCII EJUS ACCUSATORIS SUPPLICIUM.

XVII. VNCTIONEM REGUM FR. NON PERTINERE AD ARCHIEP. REMENS. EXTRA PROVINCIAM.

De prædictæ porrò Reginæ Mariæ unctione & coronatione, quæ ingenti solemnitate facta est anno superiori in festo S. Ioannis Baptistæ à Petro Archiepiscopo Remensi Parisiis extra provinciam ejus; refert Nangius in Chronico & Vitâ Philippi Regis, Gilionem Archiepiscopum Senonensem apud Simonem Cardinalem S. Cæciliæ qui aderat conquestum esse id in præjudicium Ecclesiæ suæ factum fuisse: quippe ex quadam epistolâ Ivonis quondam Episcopi Carnotensis constaret, non pertinere ad Remensem Archiepiscopum Regum vel Reginarum unctionem extra provinciam suam: Sed ex parte Regis dictum fuisse, nullam esse causam quòd Senonensis conquereretur; quoniam Capella domus regiæ, ubi unctio facta fuerat, exempta erat ab Ordinariorum jurisdictione. Hæc ille. Epistolâ autem Ivonis quam memorat, illa est quæ in editione Iureti

ponitur numero 189. quâ Ivo in defensionem unctionis & coronationis Regis Ludovici Grossi Aureliis factæ ab Archiepiscopo Remensi, rationibus & exemplis demonstrat non solùm non pertineret ad Archiepiscopum Remensem Reges extra provinciam suam ungere aut coronare, sed nec unquam id factum esse; quinimmò Metropolitanos Provinciarum, in quibus aut voluntate Regum, aut necessitate rerum, coronationes & unctiones fieri contigisset, eas operatos esse. Sed de his, déque sacratissimo ac cœlesti unctionis Francorum Regum oleo nos [g] alibi, aliique pluribus, & novissimè amicus noster Frizonius in Galliâ purpuratâ.

[g] Epit. Bar. an. 499. V. infrà 1419. VII. l. 2. Gal. Purpurata.

IESU CHRISTI Annus 1277.
IOANNES XXI.
RUDOLPHI Annus 4.
MICHAELIS VIII. An. 18.

I. IOANNIS PP. CONATUS PRO REPUBL. CHRIST.

ANNO Christi 1277. Indictionis quintæ, Ioannes Papa inter alia magni momenti quæ curavit [a] antequàm è vivis excederet, negotium Terræ Sanctæ pro conservatione residui quod adhuc Christiani possidebant urgens, speciatim ad Philippum Regem Francorum Archiepiscopum Corinthiensem misit: Rudolphum Romanorum Regem promissorum admonuit: Nuncios alios in Galliam & Hispaniam ad reconciliandos Reges Philippum & Alfonsum; ad magnum Chaam Tartarorum pro confirmatione fidelium & deviorum reductione; ad Regem Hungariæ pro sedandis domesticis tumultibus destinavit. Quæ sanè, aliáque ejusmodi ab ipso tentata, & sub ejus successore perfecta, minimè quis dixerit hominis esse rerum ignari & stolidi, qualem eum antiquis habitum vidimus. Nisi velimus cum Platinâ, quicquid præclari gessit, consilio Ioannis Caietani Cardinalis qui ei in Pontificatu suffectus est, fecisse; cujus etiam tum nutu omnia gerebantur, eò quòd ejus auxilio Pontifex creatus fuisset.

[a] Regest. Ioan. XXI.

II. MORITUR EX RUINA CAMERÆ.

Cùm autem vitam sibi longam polliceretur, cæterísque prædicaret; (fortè ut medicus, qui se ipsum curaturus esset; vel etiam ut astrologus, qui inani illi mortalium ludibrio sidereorum judiciorum studuisset: nam & inde, ut putamus, magi nomen ei à nonnullis [b] tributum:) accidit derepentè ut cùm noctu dormiret in lecto suo, ruinâ testudinis cameræ novæ quam in palatio Viterbiensi sibi extruxerat oppressus, intérque ligna & lapides collisus inventus, sextâ pòst die, sacramentis omnibus Ecclesiæ perceptis, expiraverit die decimâ-quintâ, vel ut alij habent vigesimâ Maij; postquàm sedisset mensibus octo diebus tribus vel octo: sepultúsque est ibidem Viterbij in Ecclesiâ Cathedrali S. Laurentij. Id enim genus mortis omnes auctores agnoscunt. Refertque Villanius [c] visionem cuidam mercatori Florentino Berto Forzetti nomine tunc oblatam: cui cùm familiare esset nocte dormienti, multa mira narrare, & ad vigilantium interrogata apposite respondere; eâdem ipsâ nocte quâ Pontifex ruinâ cameræ oppressus est, eundem mercatorem dum navigaret versùs Acconem subitò sese in somnis erexisse, & cum lamento adstantibus dixisse, videre se ingentem virum nigrum qui clavâ columnam cui fornix superposita erat excideret, móxque secutum inde Pontificis obitum renunciâsse: adstantes verba noctémque signantes, postquàm Acconem pervenerunt, rei exitum certò cognovisse: & ab iis ipsis testibus omni fide dignis eam se Villanius percepisse tradit.

[b] Chronol. Colmar. par. 1.

[c] Vill. l. b. 7. cap. 50.

VISIO DE EJUS OBITU.

III. VARIÆ ASSERTÆ EJUS REPENTINI OBITÛS CAUSÆ.

Causam verò tam repentini Ioannis interitûs qui aliam quàm pœnam præsumptæ longævæ senectæ (si & fortè ea fuerit: quis enim secreta divina penetraverit?) divinare voluerunt; Siffridus [f] quidem Presbyter Misnensis hanc recitat, quòd quendam librum hæreticum & perversum dictaret. Sed hæc calumnia fuerit hominis Germani, parùm in Romanos Pontifices propensi: nisi fortè ejus interpolator Georgius Fabricius hanc laciniam aliásque ejusmodi non paucas ejus vesti assuerit. Lucensis autem in Annalibus editis id accidisse ait, quoniam Ioannes spiritu Hispanico plenus exosos habuit Religiosos. Et in Historiâ [g] manuscriptâ, quòd fulminâsset quædam contra Religiosos. Vnde existimamus aliquid ipsum constituisse de Religiosis contra aut præter illa quæ de iis statuisset Gregorius X. in Concilio Generali. Fortè etiam speciatim contra Dominicanos, quorum institutum Lucensis sectabatur. Nam & scriptor Annalium Dominicanorum Colmariensium, qui editus est tomo Rerum Germanicarum Vrstisij, æquè improperat infestum fuisse Religiosis. Quod verò subdit, eundem contempsisse decreta Concilij Generalis, quid prætereà rei sit ignoramus: Nisi fortè quòd constitutionem Gregorij eodem Concilio de conclavi promulgatam, quam Hadrianus V. suspenderat penitùs revocâsse, idem Lucensis & alij tradunt: adeò ut sine austerâ illâ conclavis reclusione, qui deinceps ei successerunt Romani Pontifices creati sint, usque ad Bonifacium VIII. qui constitutionem Gregorianam confirmans libro Decretalium [h] sexto inseruit.

[f] Siff. Epit. lib. 2.

[g] Ptol. Hist. l. 23. c. 21.

[h] Cap. Vbi periculum, & ibi gloss. Onuphr. in addit. ad Platin.

IV.

Procedentibus igitur liberiori campo ad successoris electionem septem Cardinalibus tribus Gallis & quatuor Italis, qui soli tunc supererant, tum quòd nec tot numero iis temporibus crearentur quot posterioribus usu venit, nec nuperi Pontifices ob sedis brevitatem ullos creâssent: quò laxiores habuêre spatiandi habenas, eò tardiùs (& quòd etiam, ut perhibent [i], Siciliæ Rex Carolus, cui ut Romæ Senatori, & Etruriæ Vicario, conclavis adeóque Pontificiæ electionis cura debita videbatur, id maximè urgeret ut unus è Gallis ad summam illam dignitatem promoveretur:) in unam sententiam convenientes; demùm sexto mense & quarto die ab obitu Ioannis, nempè vigesimo quinto Novembris die S. Catharinæ, evectus est ibidem Viterbij *Ioannes Caietanus* S. R. E. Archidiaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, patriâ Romanus familiâ Vrsinus; assumpto sibi nomine ex titulo suæ Diaconiæ Nicolai III. & symbolo seu sententiâ, [k] *Miserere mei Deus, miserere mei.* Qui Viterbio Romam petens, consecrationis munus ac co-

[i] Platin. in Nicol. III. Anton. tit. 20. c. 3. Blód. 2. dec. 8. Naucl. gen. 43.

NICOL. III. CREATUR PONT.

[k] Psal. 56.

ronationis insignia suscepit in Basilicâ S. Petri die vigesima sextâ Decembris: & Literas de suâ assumptione ad universos Principes & Ecclesiarum Prælatos de more scripsit. Ei olim infanti S. Franciscum Pontificatum prædixisse, ac suum Ordinem commendâsse ferunt; cujus & Protector in Cardinalatu, & amantissimus extitit defensor in Pontificatu: prudentiæ ac magnitudinis animi, religionisque ac morum præstantiæ ab omnibus laudatus, adeò ut *Compositus* ab omnibus diceretur [l] ob modestiam morum; quem & olim constitutum fuisse à Sede Apostolicâ super officio Inquisitionis hæreticæ pravitatis, constat ex quodam instrumento contra hæreticos facto, insertóque literis [m] ab eo jam Pontifice pro ejus confirmatione scriptis. Vnde & possit existimari primus omnium Inquisitor generalis.

[l] *Volater. anthropol. l. 23.* [m] *In litt. curial. Nicol. III. Reg. Vatic. n. 69. 12. Cal. Iul. an. 1. & ap. Vvaddingh. tom. 2. in Reg. Pont. an. 1278.*

V.

Antequam verò ad ulteriora progrediamur, ut elucidentur nonnulla eorum quæ a Ioanne Nicolai decessore tentata diximus, & hoc anno peracta fuére; imprimis quod Rodulphum Regem Romanorum spectat; cum is (ut vidimus [n]) solemni sponsione sese Gregorio X. obstrinxisset, venturum se quamprimum Romam ad coronam Imperij accipiendam, confestímque ad Terram Sanctam cum validis copiis properaturum; ac propterea Gregorius, non solùm duodecim millia marcarum ab Episcopo Basileensi collectore decimarum Germaniæ ad opus expeditionis numerari jussisset, verùm etiam de suo [o] ducenta millia florenorum auri apud mercatores Italos deposuisset, eidem Rudolpho solvenda Mediolani, ubi se intra præscriptum tempus adfuturum sub pœnâ excommunicationis promisisset: Nihilominùs tamen potiori ipse sollicitudine propria ac domestica curans, bella Germanica causatus, quibus nonnullos Principes qui se ab obedientia Imperij in ejus vacatione & schismate subtraxerant, & jura ac terras usurpaverant, in ordinem reducere habuit; Italiam petere, ac promissis stare, sive legitimè impeditus, sive volens neglexit, ut sunt qui excusent & accusent. Nam & tradunt, aliquando interrogatum a suis cur non iret Romam, apologo Æsopico respondisse, invitatis quondam animalibus diversi generis à leone ut suam adirent regiam, cæterísque accedentibus solam vulpem cùm redire nullum ex eis animadvertisset, pedem retulisse: ex eâque fabulâ conclusisse multos ante se Reges lætos intrâsse Italiam, paucos verò sine luctu & mœrore reversos.

[n] *An. 1275. VIII.* RUDOLPHUS IMPER. NEGLIGIT IRE ROMAM.

[o] *Villan l. 7. c. 44. Anton. tit. 20. cap. 2. §. 6.*

VI. AGIT CONTRA OTHOCARUM BOEM. REGEM.

Inter illos verò quibuscum ei negotium in Germaniâ fuit, præcipuus extitit Othocarus potentissimus Boemiæ Rex, de quo sæpè superiùs, cujus ipse Rudolphus olim magister aulæ fuerat. Eum autem cùm ab initio regni sui Rudolphus semel iterúmque ad Comitia vocasset ad obsequium sibi præstandum uti Imperij beneficiarium, restituendáque multa bona ad Imperium pertinentia, ac speciatim Austriam quam dote uxoris Margaritæ acceperat, & Carinthiam aliásque provincias ditionis Ducis Vlrici qui eas pacta pecunia Othocaro concesserat; tanquam nec Austria muliebre feudum esset, nec Carinthiam injussu Cæsaris Vlricus venundare potuisset: atque Othocarus id omninò renuisset, verbis etiam contumeliosis in Rudolphum qui aliquando sibi servivisset usus; ac propterea ab eo proscriptus fuisset, & hostis Imperij declaratus: Demùm re ad arma redactâ, dum in conspectu exercitus essent, agentibus utrimque amicis in eam concordiam venerunt ut Austria Rudolpho cederet; exin duplex affinitas iniretur, sponsâ Cæsaris filiâ Wenceslao Regis filio, & Regis filiâ Rudolpho Cæsaris filio, cæteræque provinciæ de quibus lis esset dotales fierent. Cùm verò & Othocarum Rudolphus in verba sua jurare compelleret, ídque superbo Regi gravius videretur tanquam ex domino servus fieret; nihilominùs ad vitandam belli aleam eâ lege consensit, si id privatim intra tentorium Cæsareum fieret. Hæc ita gesta narrant Æneas [p] Silvius & Ioannes Dubravius in suis Historiis Boëmicis, Antonius Bonfinius [q] in Hungaricis, Albertus Krantzius [r] in Wandalicis; Nauclerus in Chronico, & alij alibi: prædictíque omnibus antiquiores Henricus Stero, Eberardus Altahensis, Albertus Argentinensis, Matthæus Bappenheimius antiquus scriptor Historiæ [s] Australis, & Monachus Colmariensis in suis Annalibus Chronicis.

PACTA INTER EOS CONVENTA.

[p] *Æn. Silv. Boëm. c. 27. Dubrav. l. 17.* [q] *Bonif lib. 8.* [r] *Krantz. 7. Vvand. 30.* [s] *Tom. Ker. Germ. Freher.*

VII. OTHOCARUS SACRAMENTUM RUDOLPHO PRÆSTAT.

Sed quod attinet obsequium sive juramentum ab Othocaro præstitum Rudolpho, nimiùm quàm diversi sunt recentiores ab antiquis: dum videlicèt idem Silvius & qui eum secuti sunt scribunt, suggesto sublimi in tentorio parato, auréoque solio eminentiori loco erecto, Rudolphum diademate & imperialibus insignibus conspicuum, considentibus Electoribus Imperij, cæteris proceribus circumstantibus, advenientem Regem expectâsse: illum cum paucis regni sui optimatibus ingressum, conscenso suggesto ad pedes Rudolphi genibus flexis jurejurando se adegisse: interea tentorium ita arte compositum ut à summo usque deorsùm in quatuor partes proscinderetur, & laxatis funibus facile decideret; repentè dum adhuc Rex ante tribunal Cæsaris procumberet dissolutum, utrique exercitui illum spectandum præbuisse, Germanis ignominiæ applaudentibus, Boëmis dirâ detestatione ignaviam Regis prosequentibus, qui servire Cæsari quàm prœlio experiri elegisset: stupefactum eâ re Othocarum, quamvis dolo magis quam casu cecidisse tentorium non ignoraret, subticendum tamen impræsentiarum censentem tacita plenum indignatione domum rediisse. At contrà Argentinensis & Colmariensis aiunt, Othocarum splendidissime vestitum regio Comitatu venisse ad Rudolphum, cúmque Rudolpho à suis diceretur ut & ipse pretiosis se vestibus indueret, respondisse, Regem Boëmiæ griseam suam vestem sæpiùs derisisse, nunc autem vestem hanc griseam ipsum derisuram: sícque grisea (nempè leucophæa) tunica rusticali indutum, & altum galerum capite gestantem, viâ publicâ in tripode sedentem, Othocarum genuflexum investivisse de feudis.

DE EJUS MODO DISCRIMEN INTER AUCTORES.

VIII. ILLUDITUR A RUDOLPHO.

Harum duarum ejus rei gestæ descriptionum quænam præferenda videatur, equidem considerato genio Rudolphi jocis ac dicteriis ludificationibúsque dedito [t], omninò antiquis illis adhæserim: sic nimirùm Rudolphum ludos fa-

[t] *Vide Argentin. & Cuspin.*

cere voluisse Othocarum, qui despicientiæ sæpè in eum verba conjecerat. Æneam autem, vel quem ille secutus est auctorem, Imperatoriam majestatem præ oculis habentem, rem pompose à Rudolpho gestam additâ in Othocarum contumeliâ existimasse. Nam & Ioannes Villanius [u] ejusdem fermè temporis auctor Italus, antiquioribus illis consentiens scribit, Rudolphum positâ in medio luto sede, admisisse ad genua Regem Boëmiæ coram omnibus suis Baronibus; quamvis in eo palàm erret, quòd putaverit Rudolphum post necem Othocari sic insultâsse ipsius filio. Incapax enim fuit hujus ludibrij Wenceslaus Othocari filius, quem pater septennem tantummodò reliquit. Cæterùm in eo consentiunt omnes, Othocarum eâ ignominiâ satis suâ sponte percitum, magis tamen ac magis ex uxoris feminæ impotentis probris furentem, vindictâ animo conceptâ validum exercitum in Rudolphum comparare cœpisse: de quo dicetur anno sequenti.

[u] Vill. lib. 7. cap. 55.

IX. DISSIDIUM INTER REGES FRANC. ET CASTEL.

Quod interim spectat legationem à Ioanne Papâ destinatam in Gallias & Hispaniam pro concordiâ inter Reges Philippum & Alfonsum componendâ; non eam quidem ab ipso Ioanne morte præpedito, sed à Nicolao ejus successore missam esse confestim post suam electionem, nempè die secūdâ Decembris cùm adhuc Viterbij esset, intelligimus ex litteris ad eosdem Reges, necnon ad Fratres Ioannem Magistrum Prædicatorum & Hieronymum Ministrum Minorum ei legationi delectos scriptis, quæ extant in principio ejus Regesti. Causam autem dissidij inter Reges cùm non exprimant, duplicem eam reperimus; tum scilicèt defensionem regni Navarræ, quam à Philippo pro patruele suâ adversùs conatus Alfonsi susceptam vidimus [x], cujus causâ ipsemet Philippus [y] cum exercitu ad fines Hispaniæ accesserat: tum sententiam quam diximus [z] latam in favorem Sanctij filij Alfonsi, adversus liberos Ferdinandi majoris ejus fratris Alfonsum & Ferdinandum Cerdas ex Blancâ sorore Philippi procreatos; quorum æquè patrocinium Philippus suscipiebat. Quando ex alterâ parte [a], Iolante uxore Alfonsi sororeque Petri Aragoniæ Regis, nepotum ætatem, in quos potissimùm erat propensa, ludibrio esse dolente, neque satis à Sanctij eorum patrui injuriâ tutâ, clam ad fratrem unà cum nuru ac nepotibus in Aragoniam sese recipiente; Rex Alfonsus adeò impotenter hoc tulit, ut quos discessûs auctores Reginæ fuisse credidit, Fridericum proprium fratrem laqueo, Simonem Ruizium priscæ nobilitatis virum ac Friderici generum igne indictâ causâ sustulerit, magnâ conflatâ in novum principatum invidiâ. Inde ergo Philippo & Alfonso Regibus, pro pueris valdè solicitis, cùm hinc Alfonsus, ne in Galliam, ubi innocenti & teneræ ætati paratum præsidium erat, deducerentur provideret, Sanctio præsertim filio impulsore; illinc Philippus, ne in patrui potestatem redacti, salutis, libertatis certe periculum adirent, summoperè curaret: missis utrimque non semel legationibus, in eam demùm pactionem Emmanuel Alfonsi frater Regísque Aragonij affinis, qui eam curam enixè susceperat ut Sanctium in regni successione stabiliret, Aragonium induxit, ut Iolans ad virum reverteretur, nepotes custodiâ Setabi in ditione ipsius Aragonij detinerentur. Quod graviter ferens Blanca puerorum mater, ubi videlicèt præsidium esse debuit ibi dolos tendi, novâque fraude adimi libertatem, in Galliam abiit ad Regem fratrem qui eam evocaverat, invitè [b] ab Alfonso Rege dimissa quæ Parisios delata, paulò pôst habitum suscepit Clarissarum in monasterio S. Marcelli. Francorum igitur iram, maláque inde secutura ut Pontifices averterent, per legatos quos diximus cuncta componi satagêre. Quibus & alios atque alios, etiámque S.R.E. Cardinales ad utramque partem, ne ad bellum inter eas magno Reipublicæ Christianæ detrimento procederetur, Nicolaus [c] subinde addens; propensiorem Galli animum ad res ex æquitate componendas, inconstantiorem & contumaciorem Hispani semper expertus est, Sanctio omnia Principum consilia artibus suis eludente, ac patris ingenio vario & multiplici turpiter abutente. Quem verò tandem exitum res habuerit, dicetur suo loco.

[x] An. 1275. IV.
[y] Nang. in Vit. Phil. III.
[z] An. 1276. XIII.
[a] Surit. Indic. l. 2. Marian. l. 14. c. 3. & 4.

AC PRÆCIPUE OB FILIOS BLANCÆ SORORIS FRANCI.

[b] Nang. in Chron. & in Phil. III.
[c] Ext. de his quamplurimæ scripta epist. in Reg. Vatic. Et ad. de Nang. ibid. Marian. d. c. 4. B[illegible] & Vvadin. an. 1278.

X. REGIS ANGL. PRUDENS, PIUMQUE RESPONSUM.

Hic verò non omittendum scitum prudénsque juxtà ac pium Eduardi Regis Angliæ consilium, quod refert Matthæus Westmonasteriensis, dictus Florilegus: nempè cùm Philippus Rex arma movens pro Navarræ propugnatione, Eduardo mandâsset ut personaliter accederet cum debito servitio adversùs Alfonsum; Eduardum valdè his turbatum, eò quòd cinctus balteo fuisset ab Alfonso, & Eleonoram ejus sororem duxisset in uxorem, nec tamen Philippum dominum suum offendere auderet; postquàm orationibus se Ecclesiæ commendasset, respondisse Philippo, se nolle servitium debitum denegare, verùm ad sedandam discordiam inter ipsum & Alfonsum ortam velle omnem diligentiam adhibere.

XI. EXEMPLŪ AVARITIÆ PHILIPPI REG. FRANC.

Observat item in suâ Historiâ Ioannes Villanius; [d] jussu prædicti Philippi Regis, obtentu constitutionis Gregorij X. in Synodo Lugdunensi contra usurarios [e] & fœneratores promulgatæ, unà literarum significatione omnes mensarios & mercatores Italicos unâ die, nempè vigesimâ-quartâ Aprilis hujus ipsius anni, toto regno comprehensos fuisse. Meritò tamen Regis in eo facto avaritiam reprehendens, quòd redemptis grandi pecuniâ permiserit more pristino fœneratoriam exercere. Nimirùm Rex bellum agitans, nervos ejus conquirebat quibus illud sustentaret; sed indecoro exemplo, in posteros etiam non semel propagato. Quem etiam decimas eâdem Synodo ad Syram expeditionem indictas acerbiùs exigentem, reprehensum pariter à Ioanne Pontifice reperimus. Sic enim res ubique cessit, ut illæ decimæ adversùs Infideles decretæ, contra Fideles detortæ à Principibus, vel propriis usibus ascitæ fuerint; dum maluerunt jure vel injuriâ inter se digladiari, quàm rebus ex æquo & bono compositis opus Dei promovere: ut plures sunt omnium gentium scriptorum de his querelæ.

[d] Vill. lib. 7. cap. 55.
[e] Cap. usurarum voraginem de usur. in 6.

XII. DAMNATIO MULTORUM ERRORŪ PARISIIS.

Hoc item anno damnati fuêre Parisiis à *Stephano* ejus urbis Episcopo, de consilio Theologorum, quamplurimi articuli erronei circa fidem; videlicèt de Deo, de Angelo, vel Intelligentiâ; de Animâ, vel Intellectu; de Voluntate, sive Libero arbitrio; de toto conjuncto,

id est de toto composito naturali perfecto, sive de Homine; de Mundo, & mundi æternitate; de Cælo, & Stellis; de naturâ Generabilium & corruptibilium; de Necessitate eventûs rerum; de Accidente; de Scientiâ, vel Philosophiâ; de sacrâ Scripturâ; de Fide, & Sacramentis; de Raptu, & Visionibus; de Vitiis & Virtutibus; de Resurrectione; de Felicitate, sive Beatitudine. Qui singillatim recensentur in Bibliothecâ Patrum: unà cum palinodiâ Fratris Guillelmi Minoritæ, postmodùm Constantiensis Episcopi, eodem tempore factâ de quibusdam aliis erroribus circa Liberum arbitrium, & Damnatos: Et aliis nonnullis, jam anno 1270. ab eodem Episcopo de iisem fermè quæstionibus condemnatis.

XIII. [f] San. l. 3. par. 12. cap. 15. & 16. [g] Nang. in Chron. MARIA HÆRES REGNI IEROSOL. TRANSFERT JUS SUUM IN CAROLŪ REGEM SICIL.

Eodémque anno (ut Sanutus [f] habet) sive sequenti, ut Nangius [g], Maria regni Ierosolymitani hæres præsumpta, postquàm diù jus suum apud Romanos Pontifices, etiámque in Concilio Generali Lugdunensi per semetipsam prosecuta fuisset adversùs Hugonem Regem Cypri, ac prædicti regni Ierosolymitani, quà Christianum erat, possessorem; ísque per suos procuratores litem ad regni proceres remitti obtinuisset: perfecit Maria quod jam antè tractaverat, ut prædictum jus suum, quod à plerisque Doctoribus certum & indubitatum habebatur, publicis confectis actis & instrumentis transferret in Carolum Regem Siciliæ, receptis ab eo bonis ac possessionibus quibus honestè vitam duceret. Sicque regnum Ierosolymitanum ad Carolum devolutum est; cujus & titulum à Papâ Ioanne suscepisse legitur; cùm etiam jam antè ex matrimonio [h] Friderici II. Imperatoris Regísque Siciliæ cum Iolante Brennensi prædicti Ierosolymitani regni hærede, tributum videretur Siciliæ Regibus; ut jam duplici jure ad eos pertinere dignosceretur. Misit verò mox Carolus Rogerium Comitem S. Severini Neapolitanum Ptolemaidem, ubi tunc sedes regni erat, ad exigendam subditorum fidem: quam & ipsi jurârunt, abnegato Hugone, qui sæpè interpellatus rem contempsisse visus est; quamvis non semel posteà variis artibus tentaverit recuperare quod culpâ suâ & negligentiâ amiserat.

[h] Suprà an. 1223. I.

XIV. QUÆNAM FUERIT ILLA MARIA. [i] Variè de illâ Contin. Bell. sacri l. 5. c. 2. Summont. Hist. Neap. par. 2. Cost. in Annot. ad Collenut. l. 5. Steph. Lusign. in Hist. Cypri, Tib. in Histo. Franc. &c. [k] Boz. Hist. Hospital. lib. 13. & 23. Sammarth. Hist. Reg. Franc. l. 18. [l] Vide suprà an. 1250. XIX. in fin. [m] San. lib. 3. par. 11. c. 3. [n] Steph. de Lusign.

Quænam verò fuerit prædicta Maria, cum multùm inter auctores controvertatur [i]; illa cæteris verior sententia existimatur [k], quæ asserit uxorem fuisse Friderici Nothi [l] Friderici II. Imp. filiam verò Raymundi Rupini Principis Antiochiæ posteáque Regis Armeniæ, & Melisendæ filiæ Almerici Lusiniani Regis Cypri & Ierusalem, quem mortuum vidimus anno Domini 1205. Cujus etiam matrimonij meminit Sanutus [m]. Auctor verò Cyprius [n], qui partes tuetur sui gentilis, omninò vult nullam fuisse donationem Mariæ, cùm ob alia, tum quòd Almericus ipsius avus fuisset tantummodò quartus maritus Isabellæ sororis Balduini IV. Regis Ierosolymitani, ex quâ regni jus petebatur; Alysia autem conjux Hugonis competitoris Mariæ, filia Henrici Comitis Campaniæ tertij mariti ejusdem Isabellæ, ac proptereà potiora fuisse jura Hugonis. Sed de his inanibus titulis jam plus satis. Injecit fortior manum; à quâ vix unquam auferant qui rem sibi deberi contendunt. Sic enim naturâ corruptâ comparatum est, ut malint plerique aliena proxima appetere, quàm sua longinqua repetere.

XV. [o] Vill. l. 7. cap. 52. Cor. par. 2. Boss. in Chronic. Sigon. de regn. Ital. lib. 20. OTTO VICECOMES ARCHIEP. ET PRINCEPS MEDIOLANENSIS.

Altera parte Italiæ hoc demùm anno (ut signant Villanius [o], Corius, Bossius, & Sigonius) *Otto* Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis, sed urbe exul à factione Turrianorum, quem nulli Summi Pontifices precibus, minis, censuris, nec Vicecomitum & amicorum tentata sæpiùs arma sedi suæ restituere valuerant, obnitente Turrianorum familiâ, non solùm illius urbis, verùm etiam totius Italiæ potentissimâ: victis illis atroci certamine mense Ianuario, conversísque ex eâ victoriâ omnium erga Ottonem animis, Mediolanum triumphans ingressus est Archiepiscopus idem & Princeps urbis: cui negatus honos debitus, & bellum ortum ex injuria, regnandi principium fuit; indéque familiæ *Vicecomitum* stabilis in aliquot sæcula dominatûs hæreditas: quamvis etiam post hæc sæpiùs ei fuerit cum iisdem Turrianis extorribus magno periculo dimicandum, ut videbimus inferiùs, & fusè tractant illius urbis scriptores.

XVI. BENDOCDARIS SULT. OBITUS. [p] Sanut. l. 3. par. 12. c. 17. & 18. & par. 13. c. 81. Haython. c. 36. in fin. Nangius tamen in Chron. post biennium ponit: sed magis Haythono credendum oculato testi.

In Oriente *Bendocdar* funestus ille Christianorum hostis Sultanus Babyloniæ, hoc eodem anno finem vivendi fecit [p]. Cùm enim audito quòd Tartari quoddam ejus castrum obsedissent super Euphratem, natando flumen pertransiisset, amissis prœlio copiis vulneratus rediit Damascum; & accedente ventris profluvio, venenóque, ut creditum, potatus, extinctus est 15. Aprilis, magno Christianorum gaudio: ingenti & bono, nisi cæcis odiis ac perniciosissimis dissensionibus rem Christianam prodere perderéque perrexissent. Quippe succedens Bendocdari filius ejus *Melechsayt* (quod sonat Regem desideratum) homo longè patri dissimilis, amplam præbuit occasionem negotium Sanctæ Crucis provehendi. Quare & quòd malè rem ageret, pulsus est, locum usurpante *Elphy* sive Elsi dicto. Quæ non abs re sanè considerans antiquus auctor Historiæ Suevorum Felix Fabri [q] Monachus Vlmensis nonnullibi jam superiùs memoratus, ait tempore Rudolphi Romanorum Regis fuisse maximam opportunitatem recuperandi Ierosolymam ac Terram Sanctam: at ipsum Rudolphum, licèt Crucem ad hoc suscepisset, curâ regni sui, & provisione liberorum retentum fuisse ne id exequeretur: habuisse quippe tres filios, & novem filias; quibus omnibus optimè providendis, & nobilissimè elocandis, tantâ diligentiâ & solicitudine vacaret, ut eâ occasione Ecclesiam negligeret: Quapropter quia Saracenis bellum ad quod tenebatur inferre noluit, intestina bella Deum contra eum excitâsse: quæ etsi extinxerit, minoribus tamen laboribus & expensis Terram Sanctam subacturus fuisset. Hæc ille: quæ eadem & cæteris ferè Principibus illius temporis æquè objici possunt.

[q] Fel. Fabr. l. 1. c. 13. De quo suprà an. 1273. VIII. RUDOLPHI IMP. NEGLIGENTIA AD OPUS TERRÆ SANCTÆ.

XVII. [r] M. Paul. l. 3. c. 44. ABASCIÆ REX CHRIST. FIDEI CAUSA REGIONEM ADEN VASTAT.

Hoc item anno accidisse legimus in Itinerario [r] M. Pauli Veneti, ut cùm Rex quidam Abasciæ regionis (quæ India media est) religione Christianus devotione motus decrevisset sanctum Domini sepulcrum Ierosolymis visitare; à suis dissuasus ob itineris discrimina, Episcopum quendam miserit, qui suî loco peregrinationem illam adimpleret: venientem autem Episcopum in regionem Aden (urbs est Arabiæ Felicis ad sinum Arabicum) quam Saraceni summi Christianorum osores incole-

bant, ductum ad eorum Regem, ab eóque sollicitatum Christi fidem abnegare, cùm fortis in confessione permaneret, circumcidi jussum fuisse in contumeliam Christi & despectum Regis Abasciæ; sícque ad sua remissum: Eo cognito Regem Abasciæ Christi injuriam ulturum, exercitum adversùs Regem Aden duxisse, eóque devicto totam regionem devastâsse.

XVIII. CONTEMPTORUM HONORIS SACRAMENTI PUNITIO.

[f] *Cruf. Annal. Suevic. lib. 3. par. 3. Krantz. 8. Metrop. 39.*

Hoc item, vel subsequenti anno, contigit [f] Trajecti, ut cùm choreas ducentibus in ponte Mosellæ frequentibus juvenibus, puellis, viris, & feminis, venerabile Christi Sacramentum ad quendam ægrotum deferretur, nec illi de ritu Christiano prosternerentur, vanitati suæ intenti, momentò desidente ponte ducenti propè mortales submersi sint.

IESU CHRISTI Annus 1278.

NICOLAI III. An. 1.

RUDOLPHI Annus 5.

MICHAELIS VIII. An. 19.

I. NICOL. PP. III. MITTIT FRATRES MINORES IN TARTARIAM.

ANNO Christi 1278. Indictione sextâ, Nicolaus Pontifex, quæ in Cardinalatu dirigebat (ut diximus) sub Ioanne decessore suo ardua Ecclesiæ negotia, in Pontificatu explenda suscipiens; imprimis exceptos ab eodem Ioanne Abaghæ Orientalium Tartarorum Regis legatos, cum literis quibus significabatur cupere se ac patruum suum Quolibey (ita enim vocat, quem ab aliis Cobilam seu Cublai nominatum vidimus) magnum omnium Tartarorum Chaam seu Imperatorem religione Christianum, mitti ad se viros idoneos, per quos in Christianâ fide tam ipsi quàm ipsorum filij populique instrui valerent, ac ritè baptizari: ad sua remittens, quinque elegit Ordinis Minorum Patres, quos unà cum eisdem mitteret, peramplis facultatibus ad petita exequenda, & literis [a] ad eosdem Imperatorem & Regem munitos datis Romæ ad principium mensis Aprilis. Præter quos, alios quoque jam antè Minoritas multos ad Tartaros perrexisse, plurimósque ad fidem convertisse, intelligitur ex aliis literis scriptis hoc ipso anno Nonis Octobris ad Philippum Episcopum Firmanum Apostolicæ Sedis in partibus Hungariæ Legatum.

[a] *Ext in Reg. Vatic. Nicol. III. & ap. Vvaddingh, to. 2. hoc an.*

II. ITEMQUE NUNCIOS AD MICH. IMP. CONSTANTINOPOL.

Acceptâ pariter legatione, quam diximus à Palæologo Græcorum Imperatore ad Ioannem ipsius Nicolai decessorem missam, quâ tam idem Palæologus quàm filius ejus Andronicus, Ioannésque Patriarcha, quicquid hactenùs ab eis circa unionem Ecclesiæ Græcæ & primatum Romanæ expetitum fuerat, ratum habebant; novos idem Pontifex misit Viterbio Constantinopolim mense Octobris nuncios, Episcopum Grossetanum in Etruriâ, & tres Religiosos Ordinis Minorum, cum literis [b] ad eosdem Imperatores patrem & filium, necnon ad Ioannem Patriarcham ac cæteros Græcos Antistites, tum ad consummandum opus variis dilationibus hactenùs productum, tum ad pacem & concordiam inter eundem Palæologum, & Philippum Imperatorem Constantinopolitanum nuncupatum, ac Carolum Siciliæ Regem promovendam, quò faciliùs Ecclesiarum unio desideratum finem consequeretur. Dans etiam eisdem suis nunciis in mandatis, ut Palæologum inducerent apocrisiarios suos Romam mittere, cum facultate omnia ipsorum de Imperio ac rebus temporalibus dissidia tractandi ac componendi: Paritérque ad Carolum scribens, ut idem & ipse præstaret.

[b] *Reg. Nicol. num. 143. & seqq. 153 & seqq. Extat etiam ap. Vvaddingh. to. 2. hoc an.*

III. CURAT ETIAM SALUTEM IUDÆOR. ET TARTAROR.

[c] *Ext. tom. 1. Bullar. in Nicol. III.*

De cæterorum quoque Infidelium salute sollicitus, constitutionem [c] edidit pro Iudæorum conversione; quibus fidem diligenter annunciari per Fratres Prædicatores mandavit. Vsumque eundem Roberti Kilwarbij Angli ejusdem Ordinis Prædicatorum, ex Archiepiscopo Cantuariensi creati à se Cardinalis Episcopi Portuensis, Theologicis & Philosophicis studiis ac scriptis insignis, industriâ ad literas suo nomine pro conversione Tartarorum scribendas; apud Ciacconum legimus.

IV. EXIGIT A' RUDOLPHO IMPER. CONFIRMATIONEM BONORUM AC PRIVILEGIORUM ECCL. ROM.

Qui autem sic spiritualia curabat, interim nec temporalia omittens, gravissimè egit cum Rudolpho Romanorum Rege, ut salva omnia jura vellet Ecclesiæ Romanæ, eáque confirmaret quæ ipsius nomine in Concilio Lugdunensi Otto Cancellarius, ipsemétque Lausanæ Gregorio Pontifici spoponderat. Cui obaudiens Rudolphus, Romam misit Fratrem Conradum à Tubingâ Ministrum Minorum superioris Germaniæ, (posteà Episcopum Tullensem in Lotharingiâ) cum literis publicis datis Viennæ anno præsenti 1278. 14. Calend. Febr. plenariam potestatem continentibus omnia illa præstandi quæ ab ipso exigebantur. Idque Conradum palàm præstitisse coram Nicolao Pontifice & Cardinalibus, multísque Episcopis ac viris nobilibus, Notariísque publicis, Romæ hoc eodem anno die quartâ Maij Indictione sextâ: sed & quòd nihilominùs interim Imperij Cancellarius populos ac civitates ditionis Ecclesiæ Romanæ in verba Rudolphi jurare compelleret; monitum de hoc Rudolphum misisse Gottifredum Præpositum Ecclesiæ Soliensis Protonotarium suum, qui Acta Cancellarij irritaret, datis ad hoc literis Viennæ quarto Calendas Iunij: Hæc, inquam, omnia sic gesta esse, constat ex iisdem litteris, alíisque instrumentis autographis super his confectis, quæ hactenùs servantur [d] in Archivo Romano Molis Hadriani seu Castri S. Angeli. Quorum etiam meminit illius temporis Iurisconsultus famosissimus Speculator [e]. Eáque rursùm ut cuncta firmiora evaderent, remisit [f] Conradum Nicolaus ad Rudolphum, ut ab illo ipso eadem denuò confirmarentur; novo addito pacto, ut cùm primum imperij insignia suscepisset, etiam bullâ aureâ roboraret. Quod & ipsum præstitisse, testantur alia pleniora acta [g] & instrumenta confecta Viennæ mense Februarij anni sequentis Indictione septimâ, ipsius Rudolphi regni Romanorum anno sexto, præsentibus, consentientibus, & confirmantibus Electoribus Imperij tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis, alíisque Principibus Germaniæ: quibus quidem actis singillatim eadem ipsa loca, civitates, provinciæ, regna, quæ descripta habebantur in privilegiis ac donationibus

[d] *In Litt. Cameral. Nicol. III.*

[e] *Specul. par. 2. tit. de rescript. præsent. §. fi. n. 18.*

[f] *Ibid. ep. 7.*

[g] *Extat ibid. Agitque de iis Bzov. an. seq. in pr.*

nibus à cunctis retrò Imperatoribus Ecclesiæ Romanæ concessis, eidem Ecclesiæ confirmantur, ac de novo quantum opus esset conferuntur atque donantur. Eóque pacto factum est, ut multa ex iis locis quæ ab Imperatoribus detinebantur, redirent in potestatem Ecclesiæ: non tamen sine labore, cùm assueta libertati ob frequentes motus Italicos, mallent in propriam perniciem inter se digladiari, quàm justum & æquum Romanæ Ecclesiæ jugum subire. Ei verò rei procurandæ Pontifex Bertholdum Vrsinum fratris sui filium, Romandiolæ (olim Flaminiæ) ac civitatis Bononiæ Comitem creatum, destinavit, unà cum Latino Malabrancâ Cardinale Episcopo Ostiensi Ordinis Prædicatorum, sororis suæ filio, magnæque doctrinæ [h] auctoritatis & prudentiæ viro, Apostolicæ Sedis iis partibus Legato constituto. Quos egregiè officio functos esse; ipsúmque etiam Latinum pacem inter Guelfos & Gibellinos Florentiæ conciliâsse, aliáque præclara tam per se quàm per alios internuncios per omnes civitates peregisse; constat ex auctoribus Italis qui res illarum descripserunt. Quæ verò Rudolphus in his præstitit, sunt qui dicant [i], ea ipsum in gratiam Nicolai Pontificis egisse, tum ob ademptum (ut mox dicetur) Carolo Siciliæ Regi Vicariatum Etruriæ, quòd Etruria Imperij juris esset; tum ad obtinendam solutionem ab excommunicatione quam incurrerat ob non adimpletum juramentum exequendæ intra tempus præscriptum expeditionis Syriacæ. Quorum tamen nullum est vestigium in literis Pontificiis.

[h] De ejus scriptis vid. Nomencl. Cardin.

[i] Villan. lib. 7. cap. 54. Blond. 2. dec. 8. Naucler gener. 43. & alij.

V. RUDOLPHUS QUERITUR DE CAROLO REGE.

Quod autem de Carolo dicunt auctores; sciendum est, cùm post Concilium Lugdunense continuò Rudolphus à Pontificibus urgeretur ad expeditionem Syriacam adeò solemniter promissam suscipiendam; ipsum inter varias excusationes quas prætexuit, hanc quoque causatum esse, quòd Carolus Vicariatum Imperij in Etruriâ se invito usurparet. Quare & ab ipso jam inde Greg. X. & a successoribus ejus brevissimi temporis Pontificibus Sedéque vacante à Collegio Cardinalium, in id maximè per literas ac nuncios incubitum est ut aliquis concordiæ modus inter eos inveniretur, armáque Rudolphi quæ in Italiam eo fine illaturum se contestabatur averterentur: uti prolixè narratur epistolâ Nicolai [k] ad eundem Rudolphum datâ Romæ pridie Id Decembris.

[k] Reg. Nic. ep. 6.

VI. CAROLUS ABDICAT SENATOR. DIGNITATEM ET VICARIATUM IMPERII.

Cùm igitur cerneret Nicolaus hæc omnia incassùm fieri, & nisi Caroli potentia, quæ in perniciem Italiæ tendere timebatur, maturè imminueretur, serò nimis remedium quæsitum iri: impulit tandem eum (quâcumque demùm ratione id factum fuerit) ut ipsemet sponte tam Senatoriam Vrbis dignitatem, quàm Vicariam Etruriæ potestatem, in manus ipsius Pontificis deponeret, datis eâ de re literis die vigesimâ-quartâ Maij hujus ipsius anni, Indictione sextâ, regnorum Ierosolymitani anno tertio, Siculi decimo-tertio: cùm & alioqui Senatoriam dignitatem à Clemente Quarto in decennium dumtaxat, Vicariam potestatem ad arbitrium Sedis Apostolicæ vel futuri Imperatoris accepisse diceretur. Edidítque Nicolaus Constitutionem, nequis imposterùm Imperatoris, Regis, Principis, Marchionis, Ducis, Comitis, vel Baronis titulo, aut cujuscúmque alterius notabilis præeminentiæ aut potestatis honore præfulgens, ipsorúmve fratres, filij, vel nepotes, dignitatem Senatoriam, regiménve Vrbis quocumque nomine indigitaretur, obire, & quicumque alij ad eandem assumerentur, haud ultra annum absque publicis Apostolicæ Sedis literis exercere possent. Quæ ipsius constitutio relata est in Corpus [l] Iuris; & magnâ parte describitur à S. Antonino [m]: qui verò Clementi Tertio tribuit [n], properantissimæ oscitantiæ, ut in aliis quamplurimis, damnari meretur. Interim verò ipsummet Nicolaum prædictam Senatoriam Vrbis dignitatem sibi ipsi ad vitam conferri procurâsse, eámque per alios à se commissos exercuisse, plerique omnes tradunt.

[l] Cap. Fundamenta tit. de elect. & electi potest. in 6.

[m] Ant. tit. 20. c. 3. §. 2.

[n] Bzov. an. 1267.

VII. NICOLAUS ADVERSATUR CAROLO, ET CUR.

Cæterùm quantumvis nefas fuerit Nicolao, tanto Pontifici, in his contra Carolum agendis alium animum quàm libertatis Ecclesiæ & Italiæ, quam sub ejus ac Francorum potentiâ periclitari existimaret, restituendæ tribuere: (hanc enim dumtaxat causam sunt qui adstruant) plurimi tamen diversarum gentium Scriptores [o], rem sequiùs interpretantes, (primò, ut puto, ejus rei assertore Ricordano [p] Malaspinâ Florentino, qui res ejus temporis præ oculis habens historiam suam produxit usque ad annum Domini 1282.) dixêre eum prætereà in Carolum concitatiorem fuisse, ex eo quòd cùm quæsîsset filiam quamdam Caroli in uxorem dari cuidam suo nepoti, (ponunt aliqui, petiisse Pontificem ut Caroli nepos uxorem duceret neptem Pontificis) repulsam tulisset, prædicante fastuosè & minùs providè Carolo, etsi Nicolaus calceis rubris uteretur, ejus tamen sanguinem indignum esse qui regio misceretur: indéque Pontificem quamdiù vixit Carolo & Francis secretò adversatum esse, palàm etiam eum Senatoriâ & Vicariâ dignitate privâsse: quinimmò & illa quæ cum Rudolpho tractavit, simulatè [q] omnia peracta esse ad Carolum deprimendum. Invenimus tamen in manuscripto Chronico dicto Memoriali [r] Historiarum aliam causam offensionis Nicolai: videlicet quòd Carolus quemdam nobilem, qui neptem ipsius Nicolai habebat uxorem, antequàm esset Pontifex, Romæ fecerat decollari eò quòd esset fautor Conradini. Potuerunt omnia simul concurrere, & animum Nicolai in præceps dare.

[o] Villan. lib. 7. c. 54. Anton. tit. 20. c. 3. §. 3. Naucler. gener. 43. & alij.

[p] Ricord. cap. 204.

[q] Blond. & Naucler. ibid. & alij.

[r] Quem vidimus ext. in Bibl. Colleg. Navar. Paris.

VIII. NÆVI NICOLAI IN SUORUM AMORE.

Certè qui de hoc Pontifice egerunt, unâ plerique auctores conspiratione asseruerunt, eum multis licèt virtutibus egregiè ornatum, magnitudine animi, prudentiâ, pietate, religione, castimoniâ, scientiarum cultu; adeo tamen suorum amantem extitisse, ut etiam eos quocumque modo honoribus tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, possessionibus, & pecuniis augere supra omnes decessores studuerit: ac nisi ejus consilia mors præoccupâsset, etiam duos [s] Reges ex suâ eadem Vrsinorum familiâ creare in animo habuisse; Etruriæ alterum, quem Gallis Siciliam & regnum Neapolitanum obtinentibus opponeret; alterum Lombardiæ, qui Teutonicos intra suos terminos contineret. De quibus curiosiùs Lucensis qui tum vivebat agens [t], ex aliorum assertione refert, tractâsse ipsum cum Rudolpho Imp. ut totum Imperium in quatuor partes divideretur, videlicet

[s] Lucens. Blond. Platin. Æmil. Naucler. &c.

[t] Luc. lib. 23.

in regnum Alamanniæ, quod deberet in posteris Rudolphi perpetuari; Viennense, quod daretur in dotem uxori Caroli Martelli, quæ erat filia Rudolphi; Lombardiæ, & Tusciæ, quæ quibus assignarentur nondum esset expressum sed suspicandi satis fuisse materiam. Ita ille. Quæ, item ac superiora, si vera sint, nævos dixerimus in facie hominis magnis animi corporísque dotibus ornati; eò fortè excusabiliores, quò plerísque communiores eos naturalis affectus esse voluit: cùm & alioqui excuset eum Volaterranus, quòd non nisi quæ justis de causis ab aliis erepta essent, suis traderet.

IX. [u] Ricord. Villan. & Anton. ubi suprà. DE EXCLUSIONE COLUMNENSIUM À CARDINALATU.

Quod verò etiam vitio vertunt [u], quòd inter Cardinales quos ex eodem suo genere creavit, etiam Iacobum Columnam sanguine pariter sibi junctum, virum utique exactæ religionis & gravitatis, sed contra antequam Ecclesiæ prohibitionem, quâ ab inde Alexandri III. Pontificatu universi Columnenses beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis, eorúmque descendentes privati fuissent, eò quòd à Friderico I. Imp. Ecclesiæ persecutore stetissent, promoverit: hæc si culpa fuit, intentionis præcipuè fuit: quippe quòd scribant id eum eo animo fecisse, ne Columnenses Hannibaldensibus primariis tunc Romanorum, Vrsinorúmque inimicis adhærerent. Cæteroquin enim Columnensem ad Cardinalatum post Alexandrum III. provehere; si vera hæc prohibitio fuerit, (quam cum Bonifacianâ anni Domini 1298. confusam dicere; nisi vetaret Ricordanus, qui hujus Alexandrinæ disertè meminit, nec tamen ipse aut scriptis aut vitâ ad tempora Bonifacij pervenit) non ejus transgressio primùm Nicolao imputanda, cùm saltem sub Honorio III. Ioannem de Columnâ Romanum Presbyterum Cardinalem tituli S. Praxedis, superiùs viderimus legatione Orientali insignem. Quare & similius vero, quod in prædicto Chronico Lucensis tunc viventis legitur, Nicolaum revocâsse quandam constitutionem Gregorij IX. (qui Honorio successit) quâ sanxerat nullum de genere quodam Vrbis (non nominat Columnenses, rationem habens familiæ illustrissimæ; quam putamus ex illis fuisse, quas vidimus adhæsisse Friderico II. contra Gregorium) promoveri debere ad statum: fecisse tamen de eâdem domo Cardinalem, idque suæ domui multum nocuisse.

X. DIGNUM ELOGIUM CAROLI REGIS. [x] Nang. in Chron. & in Phil. III. Memor. Histor.

Denique ut hinc tandem abscedamus, corollarij loco apponimus, Carolum Regem tantâ animi moderatione ac promptitudine cessisse ad nutum Pontificis Senatoriâ & Vicariâ dignitate; ut quamvis in eum commotus Pontifex, coactus tamen fuerit hoc digno elogio [x] eum efferre, *Habere ipsum fidelitatem à Domo & genere Franciæ, perspicuitatem ingenij à regno Hispaniæ, discretionem verborum à frequentatione Romanæ Curiæ: ac posse quidem se aliis prævalere, istum autem non posse superare.*

XI. OTHOCARUS REX BOEMIÆ PERIT IN PRÆLIO CONTRA RUDOLPH. IMP.

Sed quod cætera Rudolphi hujus anni attitens; cùm (ut vidimus anno superiori) pœnitens Othocarus Rex Boëmiæ subdolæ obedientiæ à se extortæ, novâ in eum arma parâsset; congressis utrimque exercitibus die vigesimâ sextâ Augusti in campis Austriæ trans Danubium acerrimo prœlio Othocarus, tum longè viribus minor, tum à præcipuis suorum, quibus odio secreto erat quòd eos rapinis olim assuetos absque ullâ personarum acceptione severè compescuisset, proditoriè derelictus; fortissimè dimicans inter confertissimas hostium acies necatus est à duobus fratribus ex Styriâ, quorum ipse tertium de medio per supplicium sustulerat. Ita enim rem gestam rerum Boëmicarum scriptores [y] narrant: cùm econtrà Australes [z] Othocarum longè militum numero superiorem imparatum Rudolphum aggressum esse, ac nihilominùs ab eo cum collectitiis copiis ei concurrente prœlio victum, atque à quodam Bertholdo dapifero equo deturbatum & occisum tradant. Ita namque sæpè videas pro affectu nationum res variè describi magno historiæ præjudicio. Nam & Hungarici [a] Othocarum ab ipsomet Ladislao Hungariæ Rege (quem à Rudolpho in auxilium vocatum esse, & cum paganorum Cumanorum copiis adfuisse, omnes consentiunt) singulari certamini prostratum volunt. Germani plerique antiquiores [b] proditionem item agnoscunt. Denique nonnulli sævitum esse in corpus, sepulturâque Ecclesiasticâ privatum; alij honorificè elatum, scriptis prodiderunt. Prætextum verò privationis sepulturæ Ecclesiasticæ hunc in Annalibus Colmariensibus reperimus, quòd mortuus fuisset in excommunicatione Papæ, quam in omnes adversarios Regis Rudolphi intorserat. At eum posteà certum est translatum fuisse Pragam, & in cœnobio Fratrum Minorum magnâ pompâ sepultum.

[y] Æn. c. 27. Dubrav. l. 17. [z] Hist. Austral. edit. Freher. Albert. Argentin. in Chron.

[a] Thurosc. cap. 78. Bonfin. lib. 8.

[b] Ster. & Eberar. in Annal. Sifrid. l. ...

XII. [c] Hist. Austr. & Naucler. gener. 43. [d] De Cumanis vide suprà an. 1270. IX.

Observant etiam nonnulli [c], Rudolphum pro signo seu tesserâ exercitui suo nomen Christi dedisse; quod tum primùm à Cumanis [d] paganis religionísque Christianæ osoribus quos Ladislaus duxerat proclamatum fuerit; cùm suis Othocarus *Pragam* dedisset: Eundem item Rudolphum occiso equo in magnum vitæ periculum adductum esse à quodam strenuo milite Boëmo, sed confestim à suis alij equo impositum pugnam redintegrâsse; eúmque militem sibi posteà oblatum illæsum dimisisse: Cùm autem audisset cæsum Othocarum, ab hâc voce aures suas avertisse, nec ejus occisores posteà in conspectum suum admisisse, cùm vivum captum maluisset: Ladislaum verò tantâ lætitiâ illius occisi captum fuisse, ob ingentes clades quas olim ab eo Hungaria passa fuisset, ut per universum regnum mandârit diem ejus cædis solemniter in perpetuum festivè celebrari: At contrà Boëmis diem illam quâ tam inclytus ac generosus Rex cecidit, inter infandas infaustásque habitam. Cujus etiam casum nonnullis visionibus & ostentis fuisse divinitùs prænunciatum, apud Siffridum legitur.

QUIBUS GRATA VEL INGRATA MORS EJUS.

XIII. CULPÆ IN HIS RUDOLPHI.

Victoriæ præmium, Moraviam Rudolphus consecutus est. Eámque adusque Boëmiæ fines prosecutus, omnia ferro flammísque pessumdedit, monasteriis etiam quamplurimis expilatis, dirutísque pessimè tum inde, tum quòd paganos adversùs Christianos eduxerat audiens. Sed & quòd indignè nimis ac præcipitanter in Othocarum olim dominum suum sese gesserit, multorum Germaniæ Principum odium incurrit, qui secessionem ab eo palàm moliri cœperunt. Quod historicis tacitum, ex epistolis [e] Nicolai Pontificis manifestum redditur; dum missum Philippum Episcopum Firmanum ad dirigenda negotia illarum regionum, testantur speciale habuisse mandatum

[e] Reg. Nic. III. an. 1. ep. 33. 34. 37. & ap. Bzov. hoc an.

eosdem Principes Rudolpho conciliandi. Cæterùm cùm reliquisset Othocarus filium nomine Wenceslaum tantummodò octennem, cui Rudolphus filiam suam Iutham sive Gutham (hoc est Iuditham) nuncupatam, desponsaverat ejus ipse tutelam, regníque Boëmici administrationem quoad puer adolesceret, Othoni Marchioni Brandeburgensi sororis Othocari viro concredidit: sororémque Wenceslai Agnetem Rudolpho filio suo juniori, cui Austriam contulerat, conjunxit: qui posteà defunctus est Pragæ, relicto filio Ioanne, de quo posteà: *Austriámque* Rudolphus *Alberto* filio suo natu majore contulit, ac posteris ejus in hæc usque tempora feliciter asseruit. Hinc namque origo [f] celeberrimæ Domûs Austriæ, quæ rerum hodie potitur: quam qui antiquiorem præsumunt, in aliarum nuncupationum vilioribus familiis quærant necesse est.

ORIGO DOMÛS AUSTRIÆ HODIERNÆ.

[f] *Vide suprà an. 1273. IX.*

XIV. QUALIS LADISLAUS REX HŨGARIÆ.

Qualis autem esset Ladislaus Rex Hungariæ, a Rudolpho in armorum consortium adversùs Othocarum evocatus, & ab eodem, ut tradunt [ff], in filium (impiâ prorsùs & impurâ affinitate) adoptatus; & nos jam attigimus in ejus initiatione [g], & fusiùs describunt ejus regni historici: Nimirùm [h] spretâ legitimâ conjuge, (non illâ quidem, ut autumant, filiá Caroli Regis Siciliæ; decepti forte ex eo quòd Maria soror Ladislai nupsit Carolo primogenito prædicti Caroli Regis, cognomento Claudo ob naturalem cruris debilitatem: ex quo matrimonio natus est Carolus Martellus jam hoc tempore sexennis, postea Rex Hungariæ) Cumanarum amoribus distractum, multas ex iis pellices admovisse, licet à Christianâ religione alienas; eâque de causâ regni sui curas omnes prætermisisse, atque etiam in depravatæ fidei suspicionem venisse: inde suis odio usque eò habitum, ut nihil magis quàm suum Regem execrari viderentur, delatum fuisse ad Summum Pontificem: à quo missus prædictus Philippus Firmanus, eum primò mitissimis admonitionibus, deinde anathematis interminationibus ad bonam frugem reducere conatus fuerit; cúmque econtrà Rex eò pervicaciùs pristinis moribus instaret, demùm anathematis ei notam inusserit, Hungaris Cumanorum ritibus, quos Regis exemplo penè imbiberant, interdictis. Ita illi: quæ etiam à literis [i] Nicolai Papæ augmentum accipiunt; dum ex iis intelligitur, Ladislaum præterea Catholicos oppressisse, Ecclesias diripuisse, ac monasteria spoliâsse: egisséque Pontificem cum Rudolpho Romanorum & Carolo Siciliæ Regibus, ut eundem Ladislaum ab ejusmodi flagitiis cohiberent.

[ff] *Hist. Austral. & Naucler. ubi suprà*
[g] *Suprà an. 1272. IV.*
[h] *Thuros. cap. 80. Lanzan. Indic. 10. Bonfin. 2. dec. 8.*
[i] *Reg. Nic. an. 1.*

XV. RESIPISCIT NONNIHIL A PRAVA VITA.

Hæc autem omnia cùm frustrà fuisse prædicti auctores asserant; habemus tamen aliunde [k], Philippum legatum, cùm ex Hungariâ recessisset, a Ladislao in se reverso revocatum fuisse, eundémque pœnitentiam & omnimodam satisfactionem præ se ferentem vinculo anathematis exsolvisse; eâque de re literas ab eo ad Nicolaum Pontificem accepisse datas Budæ anno sequenti 1279. Et uti inter alia promiserat Philippo, domum hospitalem construxisse [l] cum dote centum marcharum argenti; confectis eâ de re literis 15. Cal. Sept. anno 1280. Quæ prædictis auctoribus Hũgaricis incognita fuisse constat, cùm nihil eorum, quamvis laudabilia sunt, meminerint. Necnon & Polonis [m] eorum vicinis: qui tantummodò scribunt, Philippum à Ladislao ignominiose tractatum, & post carcerem ab Hungariâ turpiter ejectum fuisse: Venisse autem in Poloniam anno 1282. & magno honore exceptum; inde in Prussiam contendisse, & quasdam controversias inter Cruciferos & Ducem Pomeraniæ anno 1283. diremisse. Porrò hunc Philippum nonnulli ex prædictis auctoribus Cardinalem nominant: eundémque primum recensitum reperimus apud Onuphrium in novem illis quos hoc ipso anno 1278. quarto Idus Martias Nicolaus Papa creâsse dicitur, factum ex Episcopo Firmano Cardinalem Episcopum Prænestinum. Quem tamen rectiùs Ciacconius omisit; ejus loco ponens Gerardum Cupalaten Placentinum. Plures namque auctores qui de Philippi legatione egerunt, Episcopum tantùm Firmanum nominant; nec aliter in literis Nicolai scriptis mense Octobris post illam Cardinalium creationem, nec in aliis Martini IV. scriptis anno 1281. de electione Archiepiscopi Gnesnensis, indigitatur. De quo item aperte in eo Onuphrius deceptus est, quòd ponat defunctum sub eodem Nicolao; quem prædicti auctores Poloni etiam triennio post obitum Nicolai in iis partibus egisse constanter asserunt. Quem porrò finem post prædictam seu veram seu simulatam pœnitentiam consecutus fuerit Ladislaus, cujus res nos in has narrationes perduxerunt, dicetur suo loco.

[k] *Ex Cod. Vatic. num. 3535. & ap. Bzov. an. seqq.*
[l] *In Collect. Archiep. Auxit. Colleg. Fux. Tolos. fol. 87.*
[m] *Michov. lib. 3. cap. 61. Cromer. l. 18.*

DE PHILIPPO EPISC. FIRMANO LEG. HUNG. ET POLON.

XVI. QUÆDAM NICOLAI ACTA CUM REGIBUS.

Inter alia quæ item præstitit hoc ipso anno Nicolaus circa negotia Principum, annumerari etiam debent legationes missæ ad componendas controversias Philippi Galliæ & Alfonsi Castellæ Regum, de quibus anno superiori. Cúmque eundem Alfonsum redarguere habuisset de quibusdam injuriis Archiepiscopo Compostellano illatis [n], ejúsque Ecclesiæ bonis usurpatis, misso ad hoc Fratre Iacobo Ordinis Prædicatorum Priore Spoletano; hicque severiùs agens Regem offendisset, meruit & idem Iacobus à Pontifice eâ de causâ reprehendi. Cum Philippo quoque pro præbendâ Ecclesiæ Laudunensis, quam ipse Nicolaus ante Pontificatum obtinebat agere necesse habuit; eò quòd ipse eam Simoni tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali legatione in Galliâ fungenti, alij conferendam misisset; Rex verò eam alteri contulisset, asserens sede Laudunensi vacante, collationem præbendarum etiam in Romanâ Curiâ vacantium ad se pertinere. Quâ de re extant ejusdem Pontificis literæ ad eosdem Regem & Legatum datæ decimo Calendas Septembris. Eduardo Angliæ Regi, petenti sibi concedi, quasdam possessiones nonnullis Abbatibus conferre, ex quarum redditibus illi censum annuum à regnis Angliæ & Hiberniæ quotannis Ecclesiæ Romanæ pendi consuetum, solverent: postulatum denegavit [o], quoniam, ut inquit, nec honori Sedis Apostolicæ congruebat, nec Regis utilitatibus expediebat.

[n] *Ep. Rom. Idib. Febr.*
[o] *Ep. Viterb. Cal. Aug.*

XVII. DE PATRIARC. IEROSOL. LAT. HUJUS TEMPORIS.

Hoc eodem anno, cùm post obitum Thomæ Patriarchæ Ierosolymitani, illius Ecclesiæ Capitulum elegisset ei successorem Angelum Archiepiscopum Neapolitanum; ejus electionem Nicolaus irritans, Fratrem *Ioannem* Vercellensem (non, ut quidam habent,

Viterbiensem) Ordinis Prædicatorum sextum à sancto Dominico Ordinis Fundatore Magistrum Generalem, Patriarcham creavit. Errant enim qui [p] Fr. Hieronymum Asculanum Ministrum Generalem Ordinis Minorum creatum scribunt; cùm is non Patriarcha, sed Cardinalis Presbyter tituli S. Potentianæ hoc anno factus fuerit. Vtrumque vidimus superiùs componendis motibus Gallicis & Hispanicis à Summo Pontifice addictum: quorum industriam voluit jam his dignitatibus remunerare. Cæterùm Ioannes dignitatis pondus horrens, supplicibus ac instantibus precibus excusationem [q] apud Pontificem quæsivit, ut uni soli curæ sui Ordinis vacaret: & acceptis licèt acribus & objurgatoriis à Pontifice literis de ejus inobedientia datis Viterbij Calendas Octobris, in sententiâ perstans missionem tandem obtinuit, datis ei literis Romæ pridie Nonas Februarij anni sequentis. Cui putamus datum esse successorem *Nicolaum de Anapiis* ejusdem Ordinis Prædicatorum, cujus meminit S. Antoninus [r]. Siquidem Patriarcham qui Accone fuit quando ea civitas capta est anno Domini 1291. fuisse nomine Nicolaum, constat ex epistolâ Nicolai Papæ IV. ad eum paulò antè scriptâ pro Inquisitionis officio instituendo in Syriâ & Palæstinâ contra hæreticos & Iudæos illic grassantes; eundémque ex Ordine Prædicatorum extitisse, legimus apud Walsinghamum [s]. Denique reperimus in tractatu [t] Bernardi Guidonis de Prælatis Ecclesiarum ex Ordine Prædicatorum, hunc Nicolaum de Anapiis Diœcesis Remensis, ex Pœnitentiario in Curiâ Romanâ virum doctrinâ & moribus conspicuum, cùm à Nicolao Papâ Tertio singulis Cardinalibus impositum fuisset ut nominarent sibi tres viros idoneos ad Patriarchatum, non sine nutu divino fuisse à singulis nominatum, & à Pontifice promotum: obiisse autem quando capta est civitas Acconensis anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

[p] *Ciaccon. in Nicol. III.*
[q] *Lucens. in Annal. an. 1280. Anton. tit. 23. c. 12.*
[r] *Ant. tit. 23. cap. 11. §. 1.*
[s] *Vualsingh. in Eduard. I. an. 1291.*
[t] *Ext. in Bibl. Prædicat. Tolos. Cod. not. Sanctor. Guid. lib. 7.*

XVIII. [u] *Bzov. hoc an.* MARTINI POLONI EPISCOPATUS, SCRIPTA, AC TEMPUS.

In Polonia [u] quoque, post diuturnas inter electos ad Ecclesiam Archiepiscopalem Gnesnensem pastore viduam discordias, idem Pontifex cæteris rejectis ei præfecit Viterbij decimo Calendas Iunij *Fr. Martinum Polonum* ejusdem Ordinis Prædicatorum Pœnitentiarium & Capellanum suum, Summæ Iuris Canonici Martinianæ dictæ, atque nominatissimi Chronici Pontificum & Imperatorum Romanorum compilatorem: quem quidem Italum, nonnulli etiam Scotum fuisse perperàm volunt. Inscribunt quoque vulgò Archiepiscopum Consentinum in Calabriâ. Quam Ecclesiam si rexit, oportuit contigisse ab anno Domini 1272. quo vidimus nuper nominatum Thomam ejus Antistitem evectum ad Patriarchatum Ierosolymitanum. Et potuit Martinus patriæ amore dimissâ Consentiâ Gnesnam Poloniæ Metropolim acceptare. Sed dum eò concederet, traditur obiisse Bononiæ, sepultúsque esse in Ecclesiâ sancti Dominici, cum brevi inscriptione, quâ & Polonus nuncupatur & Archiepiscopus Gnesnensis. Ex quibus & eos arguas, qui eum produxisse suum Chronicon ultra hæc tempora scribunt; cùm etiam in multis codicibus manuscriptis quos vidimus, non nisi ad hunc Nicolaum illud perduxisse repererimus. Et disertè Bernardus Guidonis in fine Pontificatûs Ioannis XXI. Hispani, notat ibi terminari Chronicon Martini; quantumvis sint etiam qui non nisi ad finem Clementis IV. pervenisse scribendo contendant. Quòd verò longè à patriâ mortuus sit antequàm Ecclesiæ Gnesnensis regimen adipisceretur, inde fortè acciderit ut hæc ejus promotio vel prorsùs ignota fuerit Polonis scriptoribus, vel uti nullius effectus posthabita: quippe illâ penitùs prætermissâ, asserunt [x] Ioanne Gnesnense Archiepiscopo defuncto, post undecim annorum vacationem, & plurium competitorum partim obitum, partim rejectionem, crebrámque Pontificum maximorum mutationem, favore Martini IV. Pontificis qui post Nicolaum sedit, electione Collegij Gnesnensis posthabitâ, successorem datum esse Iacobum gente & cognomento Suincam. At profectò extat in Regesto Vaticano ejusdem Martini epistolâ [y] scripta ad Fratrem Henricum de Brem Minoritam; quâ eum prædictæ Ecclesiæ Gnesnensi, vacanti (ut ait) per obitum Martini, & renunciationem cujusdam Wolstiberij ejusdem Ecclesiæ Canonici à Capitulo in locum Martini electi, in manibus Episcopi Firmani Apostolicæ Sedis iis partibus Legatione fungentis spontè factam, præfecit. Nisi velimus, & hunc Henricum, æquè ac Martinum, obiisse antequàm eò accederet.

[x] *Crom. l. 10.*
[y] *Ep. 126. 10. Cal. Ianuar. an. 1. & ap. Vvad. tom. ... in Reg. ad an. 1281.*

XIX. [z] *Vvadding. Annal. Minor. tom. ... hoc an.* FR. ROGERII BACCHONIS MINOR. DOCTRINA DAMNATUR.

Hoc eodem anno [z] cùm adhuc Hieronymus, quem diximus Cardinalem creatum, Parisiis in suâ Legatione ageret, ac nihilominùs jussu Pontificis regimen Ordinis Minorum gereret; de multorum Fratrum consilio damnavit doctrinam *Fr. Rogerij Bacchonis* ejusdem Ordinis natione Angli Theologiæ Magistri, propter aliquas novitates suspectas: quippe qui in omni doctrinæ facultatis ac scientiæ genere versatissimus, & ad miraculum subtilis, (unde & *Doctor mirabilis* communiter audiebat) dum Mathematicam, & Philosophiam naturalem curiosiùs quàm par erat inquireret, vulgò habitus est præstigiator & magus, & sacram Scripturam tractans, plus sapere studuit quàm ad sobrietatem: unde & meruit ab eodem Hieronymo Ministro Generali carceri mancipari: Eum tamen Pitseus [a] ipsius gentilis conatus excusare, ait hæc illi ex invidiâ vel ignorantiâ aliorum advenisse, dum ea damnarent quæ suam vel effugiebant industriam, vel superabant captum. Obiit post sex abhinc annos Oxonij in Angliâ; & an liber ab his ærumnis, non referunt auctores.

[a] *Pits. de Script. Angl. ad an. 1284. Vvaddingh. ibid.*

XX. [b] *Vvadding. ibid.* ITEMQUE FR. PETRI OLIVI.

Tunc etiam coram eodem Hieronymo Ministro Generali accusatus [b] *Fr. Petrus Ioannes Olivi* Gallus ex oppido Sirignano diœcesis Biterrensis, de quibusdam scriptis tractatibus, quibus voluit Beatissimæ Virginis præconia ultra modum efferre; (quæ quamvis omni laude superior, falso tamen non [c] eget honore, veris cumulata honorum titulis:) eos jubente Generale propriis manibus incendio tradidit: asserens non se voluptuosiùs pro suo captu illos scripsisse, quàm pro Prælati imperio combussisse. Fassúsque est posteà prædictus Generalis, cùm factus est Summus Pontifex sub nomine Nicolai Quarti, ac de

[c] *S. Bernard. ep. 174.*

hujus Petri vitâ & doctrinâ coram eo ageretur, non tam ad supplicium quàm ut luxuriantem ingenij subtilitatem putaret, hoc ei præcepisse; & quæ de Beatissimâ Virgine disseruisset non tam erronea quàm nova & singularia fuisse. Accusatus nihilominùs de pluribus aliis, sæpiùs [d] habuit respondere, & vel explicare quæ nimis periculosè scripserat, vel etiam revocare; cùm Fratrum Ordinis animos in se concitâsset, eò quòd eos à regulæ suæ rigore ac paupertate deviantes acriùs redargueret. De quibus dicetur pleniùs in ejus obitu [e].

[d] Vvadding. an. 1282. 1283. 1285. 1292. 1297.
[e] An. 1297. VIII.

IESU CHRISTI Annus 1279.

NICOLAI III. An. 2.

RUDOLPHI Annus 6.

MICHAELIS VIII. An. 20.

I. GRÆCORUM LEGATIO AD NICOLAUM PONT.

ANNO Christi 1279. Indictione septimâ, advenerunt à Palæologo Græcorum Imperatore Nuncij, Nicolao Pontificatum gratulaturi: per quos etiam idipsum officij præstitit Ioannes Beccus Patriarcha Constantinopolitanus, Nicolaum agnoscens *Pastorum Pastorem, omniúmque Præsulem supereminentem Prælatorum.* Addidit Ogerius Protonotarius Imperatoris Instructionem, quâ voluit ex parte Imperatoris Nicolao Pontifici significatum, hactenùs eundem Imperatorem pro viribus conatum esse omnes ad unionem Ecclesiæ Romanæ reducere; verùm plerósque è suis propinquis & consanguineis, nedum ex aliis, acriter restitisse, adeò ut in apertam rebellionem erupissent, quos nec armis misísque in eos exercitibus Imperator compescere potuisset. Quinimmò & congregatâ quâdam pseudosynodo centum ferè Monachorum, aliquótque Abbatum, & octo Episcoporum, anathema in ipsum Nicolaum Papam, necnon in Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum, atque in omnes ipsis adhærentes pronunciâsse, & tanquam hæreticos reprobâsse, ac Episcopos ipsis resistentes pessimè habuisse. Quare quòd impossibile videretur Imperatori unionem ulteriùs promovere, rem sibi magnâ cautelâ agendam, ne etiam fortè dominatum amitteret. Extant prædictæ epistolæ & instructio in Regesto Vaticano Nicolai [a] Papæ; quas etiam Waddinghus [b] descripsit. Cum quibus pariter concordant, quæ nos initio harum controversiarum sub Gregorio X. ex Nicephoro Gregorâ retulimus [c].

[a] Reg. Nic. III. num. 156. 158. 159.
[b] Vvad. tom. 2. hoc an.
[c] Suprà an. 1274. XV. XVI.

II. CONTROVERSIA DE PROVINCIÆ JURE INTER CAROL. ET MARGARIT: QUOMODO SOPITA.

Cùm jam olim, ut vidimus, dissidium intervenisset inter Margaritam sancti Ludovici Francorum Regis conjugem & Carolum Regem Siciliæ, ob Comitatus Phocæensis & Forcalquerij, quos illa sibi jure primogenituræ deberi asserebat. Carolus testamenti & tabularum matrimonij jure retinebat; cernens nunc Margarita Rodulphi Romanorum Regis zelum in rebus ad Imperium spectantibus, & animum in Carolum concitatum; his benè usa opportunitatibus, quòd penderent prædicti Comitatus titulo beneficiario ab Imperio, Rudolphi opem imploravit: videbatúrque res ad arma inter Reges vergere, quando intercedens Nicolaus Pontifex, commisso primùm negotio [d] Simoni de Briâ Cardinali tum agenti Legatum in Galliâ, qui Margaritam ad diremptionem dissidij induceret; re inde in sequentem annum protractâ, ejúsque cognitione Romæ à Nicolao Pontifice arbitro partium facto, Matthæo [e] Cardinali Vrsino attributâ; ita diremptâ [f] est, ut Carolus utramque provinciam jure beneficiario retineret; Clementia filia Rudolphi (Elisabetham nonnulli auctores perperam vocant) desponderetur Carolo nepoti Caroli Regis (non filio, ut multi habent: filius namque Carolus Claudus dictus, Mariam duxerat Hungaram tum adhuc viventem) Martello cognomine dicto, posteáque Regi Hungariæ: Margarita si quid ultrà juris se habere existimaret, apud subsellia Romanorum Regis proponeret, & sententiam decretoriam à Sede Apostolicâ expectaret. Ad quæ firmanda missus est in Germaniâ Hieronymus tituli S. Prudentianæ Presbyter Cardinalis qui rem feliciter præstitit, & pacem inter Reges conciliavit. De quibus omnibus sunt in Regesto Nicolai variæ literæ ultrò citróque datæ tam præsenti quàm sequenti anno. Quæ prorsùs latuisse videntur historicos Gallos. Meminit tamen hujus etiam fœderis Ptolomæus Lucensis qui tum vivebat in suis Annalibus, inquiens Rudolphum filiam suam tradidisse Carolo Martello cum dote regni Viennensis. Scribítque Villanius [g], Carolum Regem metu Rudolphi consensisse huic matrimonio nepotis sui.

[d] Reg. Vatic. an. 2. ep. 1. Rom. Non. Maij.
[e] Ep. 7. an. 3. Rom. 10. Cal. Febr.
[f] Ep. 14. 3. Non. Febr.
[g] Vill. lib. 8. cap. 55.

III. INVENTIO CORPORIS S. MAGDALENÆ.

Quo eodem anno die quartâ (nonam habent aliqui) mensis Decembris, ibidem in Provinciâ prædictus Carolus Claudus Princeps Salernitanus (quem historici tradunt advenisse anno præcedenti in Galliam) corpus *S. Mariæ Magdalenæ*, quod fuerat olim metu Saracenorum eas partes infestantium loco secreto absconditum, diligenter perquiri jussit; inventúmque in oratorio, in quo illud S. Maximinus primus Aquensis Episcopus & unus è Septuaginta Discipulis Christi reposuerat in villâ quæ ab eodem S. Maximini dicitur, (alio tamen loco quàm quo ille reposuerat) & inscripto titulo ac miraculis editis probè agnitum; convocatis Archiepiscopis Narbonensi, Arelatensi & Aquensi, pluribúsque Episcopis & Abbatibus, collocari fecit in capsâ pretiosâ auro, argento & gemmis ornatâ, caput thecæ ex auro purissimo ac lapidibus pretiosis affabrè factæ includi, tertio Nonas Maij anni sequentis: posteáque conventum Fratrum Prædicatorum ibidem erexit atque dotavit; & Ecclesiam construxit, in quâ pariter repositæ sunt sacræ Reliquiæ prædicti *S. Maximini*, & *Sedonei* qui cæcus natus à Christo illuminatus est, ac *Marcellæ* ancillæ S. Marthæ, quæ Domino dixit *Beatus venter qui te portavit*: uti hæc quidem & alia ad rem firmandam efficacia narrat diffusè Bernardus Guidonis, qui paulò post vixit Episcopus Lodovensis ex eodem Ordine Prædicatorum, in Chronico suo de Romanis Pontificibus; ex quo alij plures sumpsêre: quæ longè anteà scripserat in suâ Historiâ [h] Ptolomæus Lucensis & ipse Dominicanus, túncque vivens. Sunt autem eodem loco etiam reliquiæ

[h] Ptol. l. 23. c. 35. & 36.

S. Susannæ, quæ curata fuit à fluxu sanguinis per contactum fimbriæ vestimenti Christi. Scimus porrò his etiam temporibus esse, qui recepto à multis sæculis horum omnium Sanctorum ad has terras appulsui, & Græcorum auctoritatem asserentium corpora Mariæ Magdalenæ & Lazari quiescere Ephesi, & alia [i] multa opponant: malumus tamen nos in hujusmodi rebus sacris in simplicitate ambulare, (absque tamen ullo veritatis præjudicio, quam omninò illæsam suum locum obtinere cupimus) quàm singula ad severius examen, cum aliquo fidei populorum, vel etiam piæ credulitatis periculo, revocare.

[i] *Vide etiam infrà an. 1281. V.*

IV. [ii] *Marian. lib. 14. cap. 1.* DIONYSII LUSIT. REGIS INITIA INGRATA.

Sub initia [ii] hujus anni defuncto *Alfonso* Tertio Lusitaniæ Rege, de cujus vitiis sæpè actum superiùs, successit *Dionysius* ejus filius octodecim circiter annos natus. Qui haud levi populorum invidiâ regnum à minoris fratris sui Alfonsi persecutione inchoans, quem paternâ hæreditate, alias ex aliis simultatis causas nectens, pellere conabatur; plurimis etiam posteà indignioribus illud facinoribus séque ipsum inquinavit, de quibus agetur suis locis. Duxit verò post biennium in uxorem *Elisabetham* Petri Aragonij Regis filiam majorem natu: illam, quæ virtutum merito, & ob insignem pietatem, in cœlitum numero locum habet.

V. CONCIL. TARRACON. DE CANONIZ. S. RAYMUNDI. [k] *Surit. Indic. lib. 2.* [l] *An. 1275. I.*

Alterâ parte Hispaniæ, *Tarracone* [k] ad diem 7. Idus Decembris *Bernardus* ejus urbis Archiepiscopus cum novem illis Episcopis, item Abbatibus aliisque Prælatis, *Concilium* celebravit. Quo nihil aliud tractatum reperimus, quàm quòd literis Nicolaum Pontificem enixè deprecandum censuerunt, uti *Raymundus Peñafortius* vir sanctissimus, quinquennio [l] antè vitâ functus, solemni ritu inter Sanctos referretur toto orbe colendus.

VI. [m] *Cromer. lib. 9. ad fin.* ALIQUOT PRINCIPUM POLONIÆ OBITUS:

Hoc eodem anno in Poloniâ [m] mortuus est *Boleslaus* Dux Callissiensium, *Pius* à piis operibus dictus. Consecutúsque sub finem anni, nempè 4. Idus Decembris, *Boleslaus Pudicus* Dux Cracoviensis & Sendomiriensis, de quo sæpè superiùs; postquàm minorem Poloniam rexisset, seu vixisset potiùs post mortem patris, annos quinquaginta duos, benignus ac religiosus Princeps, & in egentes, cultúmque Dei, ac ministros ejus munificus; qui & Episcopum Cracoviensem omninò ducali jure in bonis suis esse jussit. Mortem ejus Kinga seu *Kunegundis* dicta, virgo virginis uxor, moderatè ferens gratias egit Deo quòd se conjugij vinculo tandem liberâsset. Ac mox unà cum sorore *Iolenta*, quæ post mortem prædicti Boleslai Pij viri sui ad eam se contulerat, distractis & in usus egenorum distributis cunctis facultatibus suis, Clarissarum instituto sese addixit; & tredecim annis usque ad obitum duram exegit vitam, miraculis ante & post mortem clarissima. Nec multò ante hos duos, tertius quoque *Boleslaus* Legnicicensium Dux cognomento *Calvus* è vivis excessit; à prædictis valdè moribus diversus: quippe homo [n] sævus, ac tam in proprios quàm exteros violentus, in judiciis præceps & injustus, ac propterea Rogatka, quod cornutum sonat, vocatus, fœdóque pellicis amore usque ad senium & mortem vinctus. Reliquit ex primâ conjuge tres filios superstites; quorum primus Henricus, crassus & ventrosus est appellatus; postremus Bernardus, agilis, qui tantæ fuit agilitatis ut quatuordecim robora aliquo ædificio supernè ordinatim erecta præpeti cursu conscenderet, & resiliens pedibus fixis staret. Boleslao autem Pudico successit [o] *Lescus* cognomento Niger, ex fratre ipsius patruele ortus; quem ipse sibi in filium adoptaverat, & successorem destinaverat, principem frugi & comem: qui sub initium anni sequentis Ruthenorum ac Tartarorum Lituanorúmque copias simul junctas, ac ditionem suam invadentes, magnâ strage repulit, majorique clade hostilem regionem pervagatus est.

[n] *Michov. lib. 3. cap. 58.* ET SUCCESSIONES.

[o] *Michov. c. 59. Crom. lib. 10.*

VII. [p] *Floril. in Hist. Angl.* NOVA CONCORDIA INTER REGES FR. ET ANGL. [q] *Vide suprà an. 1259. XI.*

Hoc item anno circa [p] Ascensionem Domini Eduardus Rex Angliæ mare transiens unà cum uxore, convenit Regem Francorum Philippum Ambianum: initâque novâ inter eos concordiâ [q], Anglo cessit Philippus in perpetuum provinciis Agennensi, Lemovicensi, Petragoricensi, Santonensi, & Comitatu Pontivi, qui Reginæ Angliæ jure matris hæreditario competebat; (receptis tamen ab eodem Anglo ejúsque conjuge homagiis, ut vocant, ligiis:) Eduardus verò renunciavit omni juri quod ei competere poterat in Normanniam: recepturus nihilominùs annuatim de Scaccario Rotomagensi triginta libras Parisienses: sicque fuit inter eos Reges omnis controversia pro tempore sopita, & occasio belli quod imminebat sublata.

VIII. [r] *Floril. ibid.*

Quo eodem anno in Angliâ mota [r] fuit discordia inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem, ex eo quòd Eboracensis deferri fecerat Crucem ante se in provinciâ Cantuariensi. Quod vetus fuit inter illarum Ecclesiarum Pontifices dissidium, de quo aliàs dictum. Erat porrò tunc Cantuariensis Archiepiscopus *Fr. Ioannes Peccham* natione Anglus ex Ordine Minorum, creatus sub initium hujus anni à Nicolao Pontifice in locum Roberti Kilwarbij facti Cardinalis, de quo suprà. Qui quidem Ioannes non solùm in Angliâ & Galliâ ubi Theologiam professus est, verùm etiam Italiâ fama celebris, Romæ Lector sacri Palatij constitutus fuerat. Tradúntque tantam fuisse ejus doctrinæ opinionem, ut cùm ad eum audiendum etiam Episcopi & Cardinales non pauci ventitarent, quoties per mediam scholam ad suggestum adiret, omnes honoris causâ consurgere & detecto capite stare consuescerent: verùm cùm factus fuisset Archiepiscopus, ac nihilominùs docere pergeret, neminem deinceps ex Cardinalibus se movisse; quòd anteà, ut aiebant, honorem illum virtuti tribuerent, cui se inferiores agnoscebant; tunc verò dignitati tribuere visi fuissent, quâ erant superiores. Quàm verò sapienter Ecclesiam illam non sine magno labore rexerit, disciplinam Ecclesiasticam restituerit, immunitates Ecclesiæ etiam adversùs Regem propugnaverit, verbo & exemplo cunctis præierit, docent pluribus qui de eo egerunt [s]: de quo & nobis rursùm agendum inferiùs.

IOANNIS PECCHAMI ARCHIEP. CANTUAR. EXIMIA DOCTRINA.

[s] *Harpsfeld. Hist. Eccles. Anglic. sæcul. 13. c. 8. Vvadding. Annal. Minor. to. 2. hoc an.*

IESU CHRISTI Annus 1280.

NICOL. III. An. 3.

RUDOLPHI Ann. 7.

MICHAELIS VIII. Ann. 21.

I. ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo, Indictione octavâ, conceptum diù animo scelus tragicum Terræ Cyclopum, (ut Homerus vocat) nempè Siciliæ, reserari cœpit cothurni ducibus; quorum demùm perfidissimâ industriâ nocentium innocentia crudelissimas pœnas dedit, auctoribus quidem convenientissimas, sed sceleribus longè impares, religioni planè injuriosas, Deo multis nominibus quam maxime invisas.

II. INITIA REBELLIONIS SICILIÆ CONTRA CAROLUM REGEM.

Adeptus (ut vidimus) Carolus Sedis Apostolicæ auctoritate, Romanorúmque Pontificum instantissimis precibus regnum Siciliæ citra & ultra Pharum, cùm ipse rarò in insulam commeans, sed aut Neapoli agens (quam multis sacris ædificiis profanísque, atque diversis aliis ornamentis, sicut & plurima alia ejusdem regni necnon & ipsius insulæ loca insigniter decoravit) aut Romæ & in Etruriâ; quòd illius Senatoriam dignitatem, hujus Vicariatum Imperij gereret: præsides ac duces ei præfecisset, qui etiam post pacatam à cæde & exilio hominum, bonorúmque prædâ insulam, (quæ sunt receptissima, ac fere irreprehensa, cunctis sæculis & nationibus in victoriis & exterorum populorum subactionibus belli jura) Gallorum suorum illic inhabitantium insolentiam, morésque levissimos, (ut est genius gentis) ac fœminarum contactus impudicos, aliáque omnis cupidinis & luxuriæ tentamenta refrenare parùm curarent aut minùs valerent: de his monitus [a] ab insulanis Carolus; (qui sane hæc omnia pericula damnáque vitare potuisset, si studuisset egregia monita [b] servare, quæ olim illi Clemens Papa IV. qui in regnum introduxerat, paterne impertierat pro optimo ipsius regimine:) Herberto Avriliono Insulæ generali Præsidi sub mulctâ mandaverat, ut à rapinis stuprísque suos inhiberet, pœnísque deprehensos afficeret. Cùm verò aut hæc parùm prodessent, aut etiam, ut quidam scribunt [c], ipsimet Siculi odio semel in Gallos concepto, ut probatiorem causam rebellionis præ se ferrent, eosdem Gallos de industriâ in se provocarent; inventus demùm est inter illos astutioris solertiæ Siculus, qui fœdere cum Græcis & Hispanis inito, clandestinæ proditionis cuniculis patriam suam à Charybdis periculis in Scyllæum naufragium perduxit.

[b] Vid. Fazell. de reb. Sicul. dec. 2. lib. 8. cap. 4.
[b] Ext. int. Epist. Clem IV. an. 3.
[c] Vid. Bellefor. Hist. Franc. lib. 4. cap. 31.

III. IOANNES PROCHYTA EJUS ARTIFEX.

Fuit is *Ioannes* quidam *Procida*, sive *Prochyta*, Prochytæ Puteolani sinûs insulæ olim dominus, patriâ tamen Salernitanus, & ut quidam [d] scribunt etiam medicus, Regúmque Friderici Secundi ac Manfredi, quinimmò & ipsius Caroli quondam [e] consiliarius. Qui ob quamdam priorem proditionem intentatam, bonis & opibus à Carolo privatus, ampliúsque, ut ferunt, contaminationem conjugis à Francis passus, desiderio pristinarum opum flagrans, & uxoris violationem ulturus, ut erat callidus ingenio, & in conciliandis animis hominum potens, secretam conjurationem contra Gallos Carolúmque toto biennio apud plerosque Siciliæ proceres, quibus sciebat Francos esse præ cæteris invisos, clàm sollicitavit. Conventione igitur factâ, ut Petro Aragoniæ Regi, qui Constantiam Manfredi filiam uxorem duxerat, Siciliam quasi eo jure debitam traderent; imprimis Palæologum Græcorum Imperatorem adeundum sibi duxit, quem sciebat sibi vehementissimè à Caroli in ipsum instructissimo nautico apparatu timere. Tradunt [f] enim, expeditas jam tum Carolum habuisse plusquam centum triremes, viginti celsas naves, ducentas epibades, præter onerariarum, frumentariarum, & aliarum id genus ingentem copiam, quibus decem millia equitum immensum peditum numerum trajicere ad vindicandum sibi affinique suo Philippo Imperium Constantinopolitanum, indeque regnum Ierosolymitanum sibi æquè cessione Mariæ debitum, (ut hæc omnia superiùs vidimus) parabat magni animi Princeps, túmque temporis toto Christiano orbe ob summam potentiam, rébque præclarissimè gestas nominatissimus æque ac formidatissimus. Palæologum igitur Ioannes religioso Fratris Minoris indumento, quò res omni suspicione careret, conveniens, promissâ ei Aragonensis, quam ipse facillimo negotio potiundi spe regni aucupaturus esset societate, in vota sua nullo labore pertraxit, aurique vis ingentis sponsionem ad opus perficiendum accepit. Ad Nicolaum subinde Pontificem apud castrum Surianum eodem habitu contendens, quem non ignorabat alieno à Carolo esse animo; conjuratione detectâ favorem ejus obtinuit; & cum eo ut Petrus classem maximam ornaret, ut dolus aliquis contra Francos à Siculis repentinus excogitaretur, fœdus pepigit. Hísque omnibus munitus demùm ad Petrum provolans, lætanter exceptus negotium cum eo firmavit; dolúmque insimul excogitârunt cruentum, ut Francis cæsis Petrus rerum in Siciliâ potiretur. At ne res adeò promptum consequeretur exitum, mors repentina Nicolai Pontificis obstitit; de quâ mox dicendum.

AGIT CŪ PALÆOL. IMP. CUM NICOL. PP. ET CUM REGE ARAGON.

[d] Collenut. Hist. Neapol. lib. 5.
[e] Sommont. Hist. Neapol. lib. 3.
[f] Ricord. cap. 6. Villan. lib. 7. c. 57.

IV. AUCTORES QUI HÆC DESCRIPSERUNT, ET NICOL. PP. ACCUSARUNT.

Prædictam autem proditionem Ioannis Prochytæ his initiis ac progressibus ductam esse, narrant prolixiùs (ut Gallos taceam, qui iracundiùs de his egerunt) ipsimet rerum Italicarum Sicularúmque scriptores, Ricordanus [g] Florentinus qui tum adhuc vivebat; Villanius [h] ejusdem urbis civis qui proximè secutus est; Sanctus Antoninus [i] ejusdem civitatis Archiepiscopus; Blondus [k] Foroliviensis; Fazellus [l] Siculus Ordinis Prædicatorum; Summontius [m] Neapolitanus ex antiquioribus monumentis; aliique omnes omnium nationum auctores, qui eam descripserunt. Apud quos [n] unâ omnium conspiratione disertissimè reperias, Nicolaum Pontificem à Prochytâ solicitatum ei consensisse, & auctorem Petro fuisse Siciliam jure uxorio invadendi: quinimmò & ejus investituram ipsi contulisse nonnulli [o] scribunt; & Petrus ipse literis ad Carolum scriptis, de quibus posteà, diserte jactavit. Quibus tamen adversari videtur solicitudo illa ejusdem Nicolai, quâ ab ipso Pontificatûs initio [p] pa-

[g] Ricord. cap. 206.
[h] Vill. lib. 7. cap. 57.
[i] Ant. tit. 20. c. 4. §. 1.
[k] Blond. 2. dec. 8.
[l] Fazel. 2. dec. 8. cap. 4.
[m] Summont. lib. 3.
[n] Lucens. lib. 24. Bocat. in Decam. Platin. in Nicol. III. Surit. Indic. lib. 2. an. 1281. Marian. lib. 14. cap. 6. & 7. Naucler. gener. 43. &c.
[o] Collen. Hist. Neap. lib. 5.
[p] Supr. an. 1277. IX.

cem & concordiam inter Carolum & Palæologum stabilire satagit. Nisi mutato animo ad repulsam quam diximus [q], vel ad querulosas Siculorum supplicationes ipsi publicè oblatas, quas Fazellus describit, cervices eorum jugo Manfrediorum subditas maluerit quàm Francorum; contra decessorum suorum placita, Innocentij, Alexandri, Vrbani, & Clementis eorum nominum IV. quorum tres spurium & parricidam, omniúmque scelerum reum, sacrorúmque contemptorem Manfredum, hostem Ecclesiæ, excommunicatum, & omni jure regni exutum exclusúmque declaraverant; duo Francos nihil minùs cogitantes enixis precibus ad illud suscipiendum sollicitaverant; uti suis locis superiùs vidimus. Sed hæ sunt mundanarum rerum vicissitudines, & secundùm eas animorum ac consiliorum hominum varietates ac mutationes. Cæterùm non solùm Procidam hæc texuisse apud Palæologum, sed adhibitam quoque esse opem cujusdam Benedicti Zachariæ, aliorúmque nonnullorum Genuensium qui terras sub dominio Palæologi possidebant; asserit Lucensis in Chronico: Procidam autem præcipuè rem egisse inter unum de majoribus Principibus mundi (ita enim Nicolaum voluit designare, nomini ac famæ parcens) & Regem Aragonum pro auferendo regno Carolo: eúmque tractatum se vidisse testatur.

[q] An. 1278. VII.

V. SICULORUM INGENIUM.

Quod verò Siculos spectat; haud mirum si his novitatibus faciles præbuerint assensus; cùm & olim eos vitio gentis *suspiciosos* esse Cicero [r] *invidos* Seneca [s], *ad contumeliam & ultionem faciles* Curtius [t] scripserit. Et qui eos intùs & in cute noverat Siculus ipse & Siciliæ calamitatum deplorator Hugo Falcandus [u] ante quingentos propemodùm annos, dixerit hanc insulam, ne tyrannis quandoque careat, eam sibi consuetudinem vindicâsse, ut eos sibi Reges constituat, per quos in eâ perpetuæ possit tyrannidis privilegium conservari. Gaudeant igitur, quia volunt, quantúmque voluerint, his felicitatibus adversis: nos exitum Nicolai repetamus.

[r] Cic. in Verr.
[s] Sen. in Epist.
[t] Curt. lib. 3.
[u] Ext. tom. Rer. Sicul. ad fi.

VI. NIC. PP. MORITUR.

Contigit ille hoc ipso anno, ut Lucensis, Bernardus Guidonis, Continuator Poloni, Westmonasteriensis, Platina, Onuphrius, & alij habent, undecimo Calendas Septembris in Castro Suriano diœcesis Viterbiensis, cœli clementiâ & aquarum amœnitate celebri; (ad quod, nonnullis hæresis accusatis, non tamen sine multorum clamore, ereptum, æstivo tempore vitandi caloris gratiâ consedere solitus erat:) postquàm sedisset duobus annis, mensibus novem, duobus tribúsve minùs diebus: subitâ nimirum apoplexiâ correptus, cùm ob temperatissimum vitæ modum ad multò longiora tempora eam propagaturus putaretur. De cujus pietate etiam illud ab omnibus penè auctoribus refertur testimonium; quòd quotiescumque sacrum faceret, ubertim illacrymaret. Ejus corpus Romam delatum, sepultum est in basilicâ S. Petri. Quòd autem vacaverit Sedes sex mensibus, inde putamus accidisse ut nonnulli ejus obitum anno sequenti attribuerint. Fuitque hujusmodi diuturnitatis causa, solitum dissidium Cardinalium Viterbiâ convocatorum; Vrsinis è suâ factione Pontificem eligi nitentibus, obnitentibus cæteris unà cum Rege Carolo qui aderat. Quis verò tandem, quique electus fuerit, dicetur anno sequenti, quo id contigit.

VII. EJUS QUÆDAM CONSTITUTIONES.

Antequàm verò decederet Nicolaus, pro cōtinuâ quam gerebat Ecclesiæ solicitudine, ediderat hoc ipso anno Pontificatûs tertio, quinto Nonas Martij, constitutionem [x] adversùs hæreticos. Et mense Augusti ad comprimendas quorumdam in Fratrum Minorum Regulam oblocutiones, tanquam inobservabilem & discriminosam, amplam ejus declarationem edidit per constitutionem [y] *Exiit qui seminat*, de quâ aliàs [z] pluribus: quam qui Nicolao IV. tribuunt, errare noscuntur [a].

[x] Ext. Bull. to. 1. Nicol. III. const. 2.
[y] Ext. int. extravag. commun. in 6. tit. de verb. signif.
[z] Sub Ioan. XXII.
[a] Vid. Vvadding. tom. 2. an. 1279.

VIII. PARTUS URSINUS.

Tradunt [b] quoque, hujus Nicolai Pontificatu natum esse Romæ puerulum villosum, & in speciem ursi unguiculis armatum, ex ipsius Nicolai Papæ consobrinâ: eóque monstroso partu permotum illum, omnes ursorum imagines (quæ sunt familiæ Vrsinæ insignia) è domibus suis abradi jussisse; manifestò argumento receptæ ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species tales in partu sæpiùs repræsentari. Quemadmodùm & in vetusto quodam Chronico legimus, sub eodem Nicolao Papâ III. Antoniam quandam feminam Mutinensem jam anno ætatis suæ quadragesimò peperisse viro suo filios quadraginta duos, nonnumquam quinos, aliquando ternos, undecies gemellos edidisse, tandémque in partu decessisse.

[b] Sabell. 9. Ennead. 7. Bergom. lib. 13.

ALII NUMEROSI.

IX. PRODIGIA MULTIS LOCIS.

Quod verò observat Platina, mortem Nicolai à quodam fuisse prædictam, notato per insolitam excrescentiam Tiberis vaticinio: reperimus etiam in Historiâ Australi, mense Iulio hujus anni Danubij maximam inundationem plurima damna vicinis intulisse: ac quarto nonas Augusti horrenda tonitrua, grandinem, & impetus pluviarum, ventósque vehementissimos invaluisse nimis in Austriâ, Itémque apud Nangium, mense Ianuario Sequanam flumen totam urbem Parisiorum inundâsse. Et apud scriptorem quemdam [c] rerum Bononiensium Italiæ, hoc anno die vigesimo quinto Ianuarij factum fuisse in eâ civitate ingentem terræmotum, & horâ Nonæ Solem duarum horarum spatio obscuratum esse; finitáque eclipsi lunam apparuisse colore nigro, visúmque draconem cum longâ caudâ volare per aërem; ac demùm supervenisse pluviarum abundantiam, quæ duobus continuis mensibus perdurantes totam illam regionem inundârunt, & annonæ caritatem pestémque induxerunt.

[c] Ghirardac. lib. 8.

X. HEBRÆI MAIORIC. CONVERSI AD FIDEM OPERA MERCATORIS GENUEN.

Eodem hoc anno quamplurimi Hebræi apud insulam Majoricam (ut refert Nebiensis [d]) Christianæ religioni nomen dederunt, operâ *Inghetij* mercatoris Genuensis: qui cùm eò commercij occasione appulisset, & fortè cum Iudæis in disputationem de fide incidisset, quamquam omnis literaturæ planè rudis, tantùm tamen prævaluit virtute Spiritûs Sancti, ut Iudæorum eruditissimos, etiámque ex Aragoniâ evocatos, convictos mutósque redditos, fidem amplecti compulerit.

[d] Nebiens. Hist. Gen. lib. 3.

IESU CHRISTI Annus 1281.
MART. IV. An. 1.
RUDOLPHI Annus 8.
MICHAELIS VIII. Ann. 22.

I. DISSIDIU IN CONCLAVI.

ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo primo, Indictione nonâ, dissidentibus Viterbij ab invicem summo dissidio Cardinalibus in eligendo successore Nicolao Tertio; cùm præesset conclavi titulo custodis Richardus ex Hannibaldensium familiâ Romanâ, qui paulò ante Vrsum mortui Nicolai nepotem Bertoldi fratrem præturâ Viterbiensi dejecerat, (erat enim, ut aliàs vidimus, familiæ Vrsinæ hostis acerrimus) duóque Cardinales ex eâdem familiâ Vrsinâ, Matthæus Rubeus S. Mariæ in Porticu, & Iordanus S. Eustachij, Nicolai Papæ frater, Diaconi, Palàm contestarentur haud passuros electionem Pontificis fieri, quin priùs Vrsus dignitati restitueretur: hanc ob rem Viterbiensis Richardi impulsu irrumpentes in conclave, prædictos duos Cardinales per vim abstractos in vincula conjecerunt. Quod ubi Romæ auditum est, eadem Hannibaldensium factio Vrsinam Vrbe expulit. Ita Platina [a], Blondus [b], & alij recentiores: quæ antiquiores Ricordanus [c], Villanius, Lucensis, & alij, instigatore Rege Carolo facta innuunt.

[a] Plat. in Nicol. III. in fi. [b] Blond. 2. dec. 8. [c] Ricord. cap. 207. VIII. lib. 7. cap. 58. Lucens. in Annal.

II. Prædictis ergo Cardinalibus in custodiam datis, facilius fuit cæteris in unam sententiam convenire: quâ electus fuit in Summum Pontificem octavo Calendas Martias die Cathedræ S. Petri, *Simon* natione Gallus patriâ Briensis, (unde & *de Briâ* vulgò dicebatur, Galliæ provinciâ Parisiorum agro vicinâ,) Cardinalis tituli S. Cæciliæ ab Vrbano Quarto ex Thesaurario Ecclesiæ sancti Martini Turonensis creatus; quare, & quòd Martini nomen in Pontificatu suscepit, à multis falsò creditus est fuisse patriâ Turonensis. Quem etiam absurdiori errore Æmilius Tarentatiensem credidit; cujas fuerat nuper Innocentius Quintus. Bis functus diutinâ legatione Gallicâ, uti vidimus, multa præclarè in eâ gessit in utilitatem Ecclesiæ & Regni. Et quamvis non alto genere natus, animi tamen magnitudine, sicuti & doctrinâ, ac morum probitate, rerúmque gerendarum experientiâ insignis valdè extitit.

SIMON DE BRIA ELIGITUR IN PONTIFICEM.

III. Sunt [d] qui existiment ante hunc Simonem, electum fuisse in Pontificem *Ioannem* Vercellensem ex Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, quem vidimus superiùs recusâsse Patriarchatum Ierosolymitanum; verùm cùm absens electus fuisset, antequàm suæ creationis nuncium accepisset, vitâ functum esse. Sed hæc gratis dictâ, quæ nemini veterum nota fuisse constat. Non sanè Ptolomæo Lucensi, qui tum vivebat, & Annales scribebat, ejusdem Ordinis professori, & Vaticanæ Bibliothecæ præfectus, cùm inter obitum Nicolai & subrogationem Martini agens de eodem Ioanne, ait factum fuisse Patriarcham Ierosolymitanum à Nicolao, sed recipere noluisse: & convenientissimus locus erat æquè de Pontificali electione agendi, siquid ejúsmodi in mentes electorum incidisset. Non item sancto Antonino [e] æquè Dominicano, cùm eadem de illo refert; recensétque Pontifices sui Ordinis. Non denique ulli probato auctori. Et qui hanc fabulam in suos Annales retulit, meminisse debuerat se id ipsum tam de prætentâ Pontificali dignitate quàm de Patriarchatu Ierosolymitano, eâdem facilitate, ac majori etiam confidentiâ, quamquam vanè, tribuisse [f] jam anteà Humberto Ioannis in Generalatu decessori. Sed quomodò superiùs [g] vidimus, Fratres Minores sibi alium fingere voluisse Pontificem; ita & Dominicanos, ne quid minùs haberent, (quandoquidem iisdem fermè gressibus in omnibus incesserant) suum etiam fictitium in medium afferre decuit. Quæ tamen non in cujusquam contumeliam, (absit omninò) sed ad historiæ elucidationem dicta velim.

[d] Bzov. hoc an. in pr. ex Hier. Plato lib. 2. c. 28.

PAPA FICTITIUS.

[e] Ant. tit. 23. cap. 12.

[f] Bzov. an. 1274. XX. [g] An. 1276. VI.

IV. Cæterùm electus ut diximus in Pontificem Simon, noluit Viterbij coronari, quòd ei civitati ob manus in Cardinales injectas sacris interdictum existimaret. Sed nec valens Romam petere ob excitatas inter Hannibaldenses & Vrsinos, eorúmque fautores turbas; Vrbem veterem (Orvietum hodie vulgò dictâ) abiit: ibíque consecrationis & coronationis insignia suscepit decimo Cal. Aprilis, sumpto MARTINI nomine, in memoriam Ecclesiæ sancti Martini in quâ olim educatus fuerat. Dictúsque vulgò est ejus nominis Quartus, cùm re verâ Secundus tantùm dicendus fuerit: (quo numero etiam probè recensetur ab Sterone in suis antiquis Annalibus:) quandoquidem certum est duos medios Pontifices quos in hanc nomenclaturam allegunt, non *Martinos*, sed *Marinos* appellatos fuisse. Sumpsit item sibi signum seu symbolum (ut Onuphrius habet) *Portio* [h] *mea Domine sit in terra viventium.* Fuisse autem traditur adeò à cupiditate rerum temporalium tam pro se quam suis alienum, ut cùm ipsius frater confestim ex Galliâ ad eum accurrisset, protinùs eum remiserit cum modicis muneribus, & expensis tantùm itineris; bona inquiens esse Ecclesiæ, non sua: cætera ad omnia pietatis opera pronus, & in egenos misericordissimus.

MARTINUS PP. II. DICTUS IV.

[h] Psal. 141.

V. Per eundem autem fratrem suum nomine Ægidium misit Archiepiscopo & Capitulo Senonensi, (ad quos extat in ejus Regesto epistola eâ de re data apud Vrbem veterem octavo Calendas Octobris anno primo) pretiosum munus unius Costæ corporis S. Mariæ Magdalenæ, quam ipse dum primò legatione in Galliâ fungeretur se accepisse ait, quando venerandum ejus corpus apud Vezeliacum monasterium requiescens, præsente Ludovico Rege, & Prælatorum aliorúmque fidelium multitudine numerosâ, de plumbeo sepulchro in quo adhuc humiliter existebat in thecam argenteam celebri solemnitate transtulit: eandémque Costam ornatu insigni à se decoratam mittere se ad illos ait, ob singularem venerationem quâ Clerus & populus Senonensis eandem Sanctam coleret: indulgentias etiam centum dierum impartiens eis qui in die festivitatis ejusdem Sanctæ ad eam Ecclesiam accederent, quadraginta verò eis qui infra cæteros festivitatis dies. Est autem Ve-

COSTAM MARIÆ MAGDAL. DONAT ECCLESIÆ SENONENSI.

zeliacum oppidum diœcesis Æduensis sive Augustodunensis, in quo nobile erat cœnobium monachorum Ordinis S. Benedicti, posteà ad sæculares clericos transcriptum. Translatum verò fuisse illuc corpus S. Magdalenæ à Gerardo Comite Burgundiæ è Provinciâ, Sigebertus scribit ad annum Domini 745. quod jam confirmari à Martino Pont. videmus: & creditum quoqueanteà fuisse ab Innocentio III. ex aliquot ejus epistolis de eo monasterio scriptis, quæ continentur libro primo, intelligitur; ubi inter alia privilegia ei collata, concessit ut in translatione B. Magdalenæ intra Quadragesimam liceret cantare in missâ *Gloria in excelsis Deo*. Cùm nihilominùs id pernegent Provinciales: & ante biennium, anno 1279. viderimus multorum scriptorum auctoritate idem corpus Mariæ Magdalenæ repertum fuisse apud S. Maximinum. De quibus ne ulteriùs disputemus, utemur Iurisconsultorum formulâ, quam in his sæpè inculcare contingit, *Possideant utrique uti possident*: & sit Deus in omnibus benedictus.

VI. PRIMA EJUS GESTA CIRCA RES ROMANAS.

Vt autem cætera Martini Pont. gesta perlustremus; ipso initio Carolo Regi Senatoriam Vrbis dignitatem restituit: seu, ut habent Nangius, Continuator Martini, & alij Chronographi, disertéque exprimitur in literis eâ de re ad ipsum Carolum & ad Romanos scriptis, quæ habentur in ejus Regesto, receptâ ipsemet Martinus (uti fecerat Nicolaus ejus decessor) eâ dignitate à Romanis ad vitam suam, suas vices Regi concessit. Turbis autem in Vrbe excitatis, Vrsinísque in eam reductis, Matthæum Rubeum Vrsinum Cardinalem Romam legavit ad eas sedandas. Ad quem accedentes turbarum auctores ut veniam consequerentur, ipse quoque Richardus Hannibaldensis, pedibus ejus provolutus, & laqueum collo gerens, remissionem injuriæ ipsi in Conclavi illatæ imploravit, obtinuítque, ac per eum à Pontifice. Rebúsque sic compositis, concessit inde Martinus Romanis, ut ex suis civibus duos sibi Senatores annuos deligerent qui Vrbem gubernarent. Delectíque sunt Hannibaldus Petri Hannibaldi filius & Pandulphus Sabellus; qui Rempublicam optimè administrârunt. Multa item alia præstitit post hæc Martinus circa temporalia Ecclesiæ Romanæ, quæ auctores Itali referunt: cùm inter alia rebellans rursùm Flaminia sive Romandiola, armis repetenda fuit; implorato [i] imprimis ad hoc auxilio Philippi Francorum Regis; præfectóque rei gerendæ Ioanne de Epâ sive Apiâ fortissimo nobili Gallo; (amoto priùs inde Bertholdo nepote Nicolai) qui [k] magnis laboribus eam ab invasione Guidonis Comitis Montisfeltri strenuissimi Gibellinorum ducis vindicatam Ecclesiæ assueruit. Eidémque rei adlaborâsse pariter pro Ecclesiâ Romanâ Guidonem Comitem Monfortium, à Martino Papâ longo carcere liberatum, quo eum Gregorius [l] Decimus ob necem Henrici Angli damnârat, intelligitur ex Continuatore Martini, Nangio, Thomâ Walsinhamo, & aliis.

[i] *Ep. ap. Montemflasc. Id. Dec.*
[k] *Describunt hæc Contin. Ricord. cap. 215. Villan. lib. 7. cap. 80. & seqq. Blöd. 2. dec. 8. ant. tit. 20. cap. 4. §. 5. Sigon. de regn. Ital. lib. 20. sed fusius Ghiransac. Hist. Bonon. lib. 8.*
[l] *Supr. an. 1273. III.*

VII. PROSECUTIO PRODITIONIS SICULÆ.

Intereà verò cùm technæ Prochytæ, de quibus anno superiori, ob mortem Nicolai Pontificis dilationem accepissent, & Martini Carolo faventis subrogatione deploratæ videri possent; idem tamen Prochyta, ut erat animo ad perficiendam proditionem obfirmato, negotium resumens, & titubantes ad novam rerum personarúmque faciem Palæologi & Petri Aragonij animos, repetitis ad utrumque ementito ut priùs habitu peregrinationibus confirmans; promissas à Græco pecunias Aragonio detulit; quas fuisse triginta millia unciarum auri ferunt. Ipséque Petrus legatum ad Martinum Pontificem mittens, ut ejus animum consiliáque exploraret; (tametsi legationis species erat Raimundi Peniafortij consecratio, Tarraconensi, ut vidimus, Concilio expetita) negante Pontifice aliquid se concessurum ei qui vectigal Romanæ Ecclesiæ debitum pendere recusaret: inde Petrus ad maturandam expeditionem magis excitatus, ne fortè cunctantem casus aliquis impediret, numerosam classem specie invadendi Saracenos instruere cœpit. Quòd igitur de causâ Ecclesiæ & Christianitatis agi videretur, & tamen suspicio non levis esset sequioris consilij; tam idem Pontifex Caroli Siciliæ Regis instigatione, quàm Philippus Rex Francorum Caroli nepos ac Petri affinis, per suos nuncios separatim missos ab eodem Petro percontati in quos Saracenos arma pararet, auxilium etiam offerentes in causâ communi: hoc responsi ab eo accepisse feruntur, combusturum se interiorem suam tunicam, si suspicaretur illam consiliorum suorum consciam: vel, ut alij habent, abscissurum se linguam, vel unâ manu alteram, si hoc eam scire vel proloqui velle existimaret: sive id utrique, sive tantùm alteri dictum fuerit; sive etiam, ut quidam habent, Rogerio Comiti Palliariensi uni ex proceribus Aragoniis, cùm in procinctu sciscitaretur quò navigandum esset. Adeò enim Hispanorum palato hoc dictum sapuit, ut omninò maluerint contra fidem pluribus dictum, quàm nulli. Cujus nec etiam Petro, aut alicui Hispano, palma inventionis deferenda; quam multis antè sæculis præripuit eis unus ex domitoribus Hispaniæ Romanis Q. Metellus [m] Macedonicus.

PETRI ARAGON. CLANDESTINA CONSILIA.

[m] *Val. Max. lib. 7. cap. 4.*

VIII. CAROLI NEGLIGENTIA.

Cæterùm ut rem magis Petrus celaret, Pontifici quidem eâdem legatione prohibenti ne in quosquam Christianos arma moveret, ambiguè respondit significaturum se cùm tempus foret quos hostes impetiturus esset: à Rege verò Francorum pecuniarum auxilia accepit quadraginta millia librarum, sive, ut alij habent, viginti millia aureorum, cum uberioris summæ oblatione. Quin & sunt qui asserant, etiam ab ipso Carolo oblatam pecuniam accepisse. His tamen responsis ac fictionibus Pontifex Réxque in majorem suspicionem ejus machinationem adducti, Carolum monuerunt ut sibi ab eis caveret: qui nihilominùs sive nimiâ potentiæ suæ confidentiâ, sive in tot ac tantis conjurationis architectorum coïtionibus & concursationibus negligentiâ, vel etiam conjuratorum silentio & taciturnitate deceptus; magis cogitare perrexit de imperio dilatando quàm de conservando, cùm tamen non solùm non minor, verùm etiam multò major sit virtus quàm quærere parta tueri: sed parùm advertunt hoc Galli; longè aptiores acquirendis impetu rebus quàm providentiâ conservandis. Narrant autem isthæc fusè ex

[n] *Ricord. ap. 208.* [o] *Vill. lib. 7. c. 59. & 60.* [p] *Aret. Hist. Flor. lib. 3. Ant. tit. 20. cap. 4. §. 1. Blond. 2. dec. 8. Platin. in Mart. IV. Fazel. 2. dec. 8. c. 3. Summont. lib. 3. Marian. lib. 14. c. 6. Surit. Indic. lib. 2.*

antiquioribus Ricordanus [n], (finem hîc imponens historiæ suæ; quam aliquot capitulis continuavit Iacobus ejus nepos usque ad obitum Martini Papæ) Villanius [o], & alij [p] quam-plurimi tum Itali tum Hispani. Gallos enim taceo, asperiùs in hujusmodi proditoria vaframenta, à cæteris exultanter accepta, invehi consuetos.

IX.

[q] *Supr. ann. 1229. X.*

Intereà verò ut faciliorem sibi Carolus, probatiorémque orbi expeditionem suam in Græcos redderet, Martinum Pontificem adiens unà cum Henrico hærede Imperij Constantinopolitani, filio Balduini ex filiâ [q] Ioannis Ierosolymitani, cui nuper Carolus filiam suam dederat uxorem; eidem persuasit Michaëlem Palæologum Græcorum Imperatorem excommunicatione percellere, tanquam injustum illius Imperij occupatorem: procliviori, ut putamus, Martino ad id præstandum reperto, tum ob non servata unionis pacta, tum quòd existimaret tot Michaëlis legationes, excusationes, ac comperendinationes, ad nihil aliud tendere (quod etiam ab initio creditum fuerat) quàm ad Pontifices ludificandos, armáque Latinorum ab Imperij sui invasione, cui sustinendæ se omninò imparem sciebat, removenda.

MICHAEL GRÆC. IMPER. EXCOMMUNICATUR.

[r] *Ext. tom. 1. Antiq. Lect. Canis.* [s] *Bullar. tom. 1. in Mart. IV.*

Excommunicationis autem in eum, uti eorumdem Græcorum schismaticorum atque hæreticorum fautorem, latæ sententiam transtulit in suos Annales Eberardus [r]: extátque inter Constitutiones [s] Summorum Pontificum, promulgata Vrbe veteri die dedicationis basilicæ Principis Apostolorum (nempè decimoquarto Calendas Decembris) Pontificatûs Martini anno primo, videlicèt præsenti: quâ etiam universis Regibus ac Principibus districtè inhibuit, ne cum eodem Michaële Palæologo in ejusmodi excommunicatione manente societatem vel confœderationem aliquam contrahere sub quâvis machinatione præsumerent; additâ pœnâ excommunicationis ab iis ipso facto incurrendæ. Ex quibus fortè & suspicari liceat, excommunicationem eo fine decretam esse, ut subodoratum fœdus Petri Aragonij cum Michaële timore pœnæ dissolveretur. Hinc tamen præcipuam causam ruinæ Caroli processisse, existimavit Lucensis, eò quòd sic dissolutus fuisset tractatus unionis Ecclesiarum, & Palæologus auxilia præstiterit Aragonio.

X.

COPIÆ CAROLI DISSIPANTUR À GRÆCIS.

[t] *Greg. lib. 5.* [u] *Phranz. lib. 1. cap.*

Hócque nihilominùs anno (sive id ante excommunicationem, sive post contigerit) classem Caroli duce quodam Rosolule in Palæologum per Ionium mare immissam ad invadendam Macedoniam, ad Bellogradum fusam à Græcis fuisse, Nicephorus [t] Gregoras narrat, res tamen temporáque non parùm more suo perturbans. Et Phranzes [u], tam mari quàm terrà copias Caroli in Græcos immissas dissipatas esse, pariter scribit: quorum tamen memoriam apud Latinos auctores nullam reperimus. Addit insuper Gregoras, Ioannem nepotem Alexij Comneni, qui post urbem Constantinopolim à Latinis captam Trapezuntinum regnum constituerat, securitate à Palæologo acceptâ quòd invicem inimici fuissent, venisse Constantinopolim, & Eudociam Palæologi filiam uxorem duxisse: ex quâ intra annum filium susceperit juniorem Alexium Comnenum, qui post patrem regnavit.

XI.

VICARIUS RUDOLPHI PARÙM PROFICIT IN ITALIA.

[x] *Anton. tit. 20. cap. 4. §. 4. Vill. lib. 8. cap. 55.*

Hoc eodem anno Rudolphus Romanorum Rex ex Germaniâ misit in Etruriam postulatione Gibellinorum quemdam Comitem Germanum cum Vicariâ potestate, qui juramentum fidelitatis à singulis civitatibus ipsius nomine exigeret: sed nullâ repertâ quæ id præstare vellet, præter Pisas & castrum sancti Miniatis; post fatigatos nonnihil bello Florentinos ac Lucenses, cæterósque illarum partium Guelfos, compositione cum illis factâ reversus est ad sua. Ita Antoninus [x] ex Villanio. Quod si ipsemet Rudolphus advenisset, haud dubiè ei omnes obtemperaturos fuisse tradunt.

XII.

[y] *Append. Concil edit. poster. Biniј.*

CONCIL. SALISBURG. PRO DISCIPLINA.

Eodémque anno celebratum reperitur [y] *Concilium* provinciale *Salisburgense* sub *Friderico* Archiepiscopo pro disciplinâ. In quo inter alia statutum est, ut toto illo anno in singulis Ecclesiis psalmum *Domine quid multiplicati sunt*, cum oratione Dominicâ, & versu *Fiat pax in virtute tua: Esto nobis turris fortitudinis*: & collectâ *Deus à quo sancta desideria*, Clerus provolutis in terram genibus, in Missâ post tertium *Agnus Dei* quotidie diceret; quatenùs Dominus IESUS CHRISTUS Rex pacificus sedatis tribulationibus, & Ecclesiarum persecutoribus & invasoribus humiliatis, pacem in populo suo largiretur. Quibus intelligas, fuisse graviter afflictas eo tempore Ecclesias Germanicas; sacrósque Antistites plus auxilij ab armis spiritualibus quàm temporalibus expectâsse.

IESU CHRISTI Annus 1282.

MART. IV. Ann. 2.

RUDOLPHI Ann. 9.

MICHAELIS VIII. Ann. 23.

I.

[a] *Nang. in Chron. & in Vit. Phil. III.* [b] *Sabell. 9. En. 7.*

PISCIS MÓSTROSUS.

ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo secundo, Indictionis decimæ, Martini Papæ Pontificatus anno primo nondum expleto mense Februarij (ut habent Continuator Poloni, Nangius [a], Sabellicus [b], & alij) mari Tyrrheno apud Centumcellas captus est piscis pilos membráque absolutâ leonis specie, brevioribus pedibus, planctus horribiles edens: qui ad Pontificem Vrbe veteri tunc existentem delatus, stupore tam ipsum quàm cæterorum hominum multitudinem replevit: & quamvis experientiâ persuasum ferè sit, nihil nasci in aliquâ naturæ parte quod non & in mari cernere sit, eo tamen tempore visa est insueta hæc bellua ululatibus suis mala portendere, quæ paulò pòst in Siciliâ & aliis Italiæ partibus contigerunt.

II.

CATASTROPHE PRODITIONIS SICULÆ.

Hoc nempè est tempus, quo tragœdia proditionis, tot annis à Prochyta Siculo cùm Græcis & Aragoniis in Regem Carolum & Gallos in Siciliâ commorantes composita, extremum actum & catastrophen tandem consecuta est. Referunt nonnulli in annum præcedentem; sed tum eâ ratione dies exeuntis Martij quibus id contigisse traditur, non quadrant ad festa Paschatis quibus cæsi ponuntur Galli; (quippe anno præcedenti Pascha incidit in decimo-tertio Aprilis, præsenti

in vegesimam nonam Martij:) tum plerique, antiqui, putà Ptolomæus [c] Lucensis, Villanius, Continuatores Martini & Ricordani Florilegus, & alij, necnon ex recentibus accuratiores præsenti collocant. Cujus summa hæc est, ut unâ eâdémque die (quam ipsammet fuisse Paschatis quidam [d], sequentem alij [e] tertiam demùm nonnulli [f] fuisse scribunt) totâ insulâ uno eodémque tempore dum sacrarum campanarum sonitu ad vespertinos hymnos populi ubique de more convocarentur; omnes ubique ad unum Galli inermes, nihílque tale umquam veriti, nedum tali tempore suspicantes, viri, fœminæ, pueri, omnis ætatis sexûs ac conditionis, sacerdotes, religiosi omnium Ordinum, occisi sint non solùm à profanis hominibus, sed etiam à Dominicanis, Franciscanis, ac cæteris cucullatis monachis; ut disertè scribit Fazellus ipse Siculus & Dominicanus: tanto etiam sævitiæ excessu, ut exenteratæ quoque prægnantes à Francis Siculæ, ac parvuli (nequid Francici generis in Siciliâ superesset) saxis illisi sint. Ad quæ patranda oportuit sanè Siculos insitis artibus egregiè uti; quos Siculus Falcandus, de quo suprà [g], gentem infidam, mobilem, pronámque ad quodlibet facinus perpetrandum describit, & cautè dissimulando propositum, quos oderint blandis adulationibus demulcere, ut improvisi lædant atrociùs. Cæterùm octo millia cæsa feruntur duarum horarum spatio: hîncque *Siculus Vesper*, sive *Siculæ Vesperæ*, in famosissimum adagium apud omnes gentes abiit. Vnus tamen inter omnes servatus legitur *Guillelmus Porcelletus* nobilis Provincialis, qui communi probitatis opinione incolumis in patriam dimissus est. Rem porrò ita gestam esse, frequentiori scriptorum auctoritate, & famâ per manus ductâ, prædictus Fazellus asserit. Quo certè quis non videat quantâ invidiâ & injustitiâ exaggeretur Francorum in Siculos tyrannis, si tam facile fuit Siculis, quos volunt ne mutire quidem ausos adversùs Francorum insolentiam, omnes uno eodémque momento per totam insulam incautos & inermes internecioni dare? Quare & sunt qui velint rem aliâ occasione incidisse: nempe cùm sacris illis diebus more solemni Panormitani religionis causâ ad templum quoddam extra civitatem convenirent, Francorum ministros specie scrutandi siquis cum telo iret, etiam matronas virginésque licentiosius excussisse, quinimmò & unum eorum pudicitiæ cujusdam matronæ vim inferre voluisse: (diversis enim modis res gesta ponitur, unde non parùm dubia reddatur:) ex eâque re populum in Francos insurrexisse, ac cædem inde cœptam confestim in universam insulam sese extendisse. Cujus assertionis vanitas vel inde apparet, quòd rem duarum horarum spatio factam volunt: quomodò namque tam brevi tempore potuit per tam amplam insulam diffundi, & executioni mandari? Annon & æquè Galli remotiores rem audissent, & sibi cavissent? Sed fuêre hæc & alia ejusmodi in vulgus jacta ad excusandas excusationes in peccatis; cùm sint penitùs contraria tractatibus conjurationis Prochytæ, quos omnes omninò auctores agnoscunt, etiámque illi qui has postremas occisionis Francorum causas comminiscuntur. Nisi quod equidem concedere non dubitaverim, conjuratione semel factâ & stabilitâ, defectionem & carnificinam cœpisse Panormi. Id enim etiam apparet ex processu [h] contra Siculos à Martino Pontifice post scelus auditum publicato.

[c] *Lucens. in Annal. Vill. lib. 7. c. 61.*
[d] *Æmil. in Phil. III.*
[e] *Ricord. & Vill. ibid.*
[f] *Fazel. 2. dec. 8. c. 4.*
[g] *An. 1280. V.*
[h] *Ext. ap. Marin. Ebol. Formul. lib. 2. ad fi.*

VESPERÆ SICULÆ.

III. Accepto ejus nuncio Carolus, qui tum apud Pontificem in Etruriâ agebat, (ut Continuator [i] Ricordani & Villanius referunt) animo turbatus, hanc vocem ad Deum protulit, *Quando fortunam mihi adversam esse vis Deus, facito ut sensim amittam quæ brevi temporis spatio parta fuêre.* Réque cum Pontifice communicatâ, ac per filium Carolum qui in Provinciâ erat Philippo Francorum Regi significatâ, ab utroque sponsionem accepit auxilij. Ipséque Pontifex rem paciscendam magis suadens, ne tamen majores vires rebellio caperet, primùm in festo Ascensionis Domini Vrbe veteri publico processu [k] super his facto, Siculis cujuscumque gradûs & conditionis sub pœnâ excommunicationis in personas & interdicti in loca injunxit in fide Ecclesiæ Romanæ, & Caroli Regis ab eâ constituti, permanere: deinde ad res componendas Gerardum Blancum magni consilij Cardinalem Parmensem Episcopum Sabinensem in Siciliam destinavit: concessâ etiam omnibus illis qui contra Aragonium & Siculos rebelles arma sumentes in conflictibus morerentur, eâdem indulgentiâ quæ concedi transfretantibus in Terræ Sanctæ subsidium consueverat. Philippus autem Rex suppetias quamprimùm misit Comitem Alenconium fratrem suum, cum multis proceribus & delecto equitatu. Antequam verò in Italiam pervenirent, Carolus copias suas in Siciliam ducens, Messanam obsedit, arctavitque adeò ut deditionem cives offerrent satis æquis pro rerum Caroli necessitate conditionibus: quas tamen ille, ulciscendæ injuriæ cupiditate, (ut erat ferox, & in vindictam proclivis) neglecto salubri Legati consilio, imprudentissimè abjiciens; Messanensibus desperatæ salutis conatu rem viris fœminísque ac pueris omnis ætatis ordinísque agentibus, adeóque excommunicationem in eos uti rebelles à Legato latam parvi facientibus; adveniente demùm in insulam Petro Aragonio, idem Carolus hostium astu deceptus, obsidione sub finem mensis Septembris solutâ in Calabriam se recepit. Ita plerique: cùm tamen Lucensis [l] qui tum vivebat, scribat Carolum Messanam vi capere potuisse, si voluisset; sed pepercisse, ne destrueretur ex nimio furore suæ gentis contra Siculos.

[i] *Ricord. cap. 210. Vill. lib. 7. cap. 62.*

VOX CAROLI AD NUNCIŨ CLADIS.

[k] *Ext. in sent. à Mart. IV. cont. Petr. Aragon. latâ, de quâ infrà.*

IMPRUDENTIA EJUS IN REJICIENDA MESSANENSIUM DEDITIONE.

[l] *Luc. in Annal. & in Chron.*

IV. Dum igitur isthæc agerentur, cùm Petrus Rex Aragoniæ paratam classem ad expeditionem Siculam, ne sacræ militiæ professione abusus ementiendo videretur, in Africam ducens, Hipponensem oram incendiis vastâsset; mox ad id cujus gratiâ cætera ficta factáque erant, Siciliam animo spectans, in Corsicam delatus, ubi cædem Francorum audivit, magno veluti pignore Siculorum animos sibi devinctos sentiens, ut quibus facinore admisso nulla spes veniæ gratiæque à Carolo recipiendæ superesset: mense Augusti Panormum appulit, & Rex Siciliæ acclamatus ac coronatus est. Quòd tamen se longè imparem Caroli

PETRI ARAG. ADVENTUS IN SICIL. QUALIS.

viribus

viribus cerneret, jámque ferrè de recessu cogitaret; Prochytæ proditoris consilio ad artes conversus, literis & provocatione ex unâ parte cum Carolo agẽs, ex alterâ classem clàm submittens, effecit ut subitò terrore percitus præfectus maris Caroli patriâ Genuensis rem desperatam annuncians, coëgerit Carolum invitissimum in Italiam redire, ac Siciliam adversario relinquere. Narrantur isthæc prolixè à Continuatore [m] Ricordani, Villanio, Antonino, Fazello, & aliis Italis, specialia quædam addentibus quæ rem aggravent: magnificè etiam ab Hispanis, quamquam nonnihil diversè: à Gallis etiam in favorem & excusationem Caroli. Ceterùm & Comitem Acerrarum in Apuliâ, unà cum aliis quibusdam proceribus qui Carolo adstabant, proditoriè ei persuasisse obsidionem deserere, ex ipsiusmet posteà confessione sunt qui asserant [n].

[m] Ricord. cap. 211. & 212. Vill. lib. 7. cap. 65. usque 67. Ant. tit. 20. cap. 4 Faz. 2. dec. 9. cap. 1.
[n] Vid. infr. an. 1294. in fi.

V.

Quod autem literas spectat invicem scriptas, dum adhuc Carolus apud Messanam esset, ac Petrus Panormi; recitant ferè omnes earum argumenta, integræ verò reperiuntur inter Epistolas Petri [o] de Vineis, & si superis placet, Carolinarum ordinatio imputatur Clementi Papæ IV. Quod qui commentus est, literásque Vineanis inseruit, nec pilum judicij ac notitiæ historiæ habuisse demonstrat: cùm certum sit Petrum de Vineis à domino suo Friderico extinctum fuisse dum vix adhuc Petrus Aragonius decennis esset; ac Clementem obiisse duodecim annis antequàm Rex Petrus hanc expeditionẽ suscepisset. Sed hoc est odium plerorumque Germanorum scriptorum in Romanos Pontifices, ut quicquid pravi aut tortuosi ubique gestum dictúmve putaverint, iis cæcè imputent nihil pensi habentes utrùm rebus vel personis aut temporibus conveniat. Veluti (quando in his sumus, & res sub Martino Papâ gestas scribimus) quod insulsè notatum reperimus apud Siffridum [p] qui tum vivebat, Martinum tanto odio habuisse Teutonicos, ut optaret totam Alemanniam unam esse piscinam. Quod æquè fatuè apud alium ejusdem farinæ seu potiùs furfuris auctorem [q] interpretatum reperimus, ut optaverit Martinus effici ciconia, & Teutonici in paludibus essent ranæ, ut sic posset eas devorare; aut in lacu esset lucius, & ipsi pisces, quos sic posset deglutire: Cùm præter dictorum insipiditatem, longè isthæc absint à Martini animi moderatione, necnon vitæ sanctitudine, quam post ejus obitum Deus miraculis illustravit: & multa idem Pontifex in favorem Rudolphi Romanorum Regis ac nationis Germanicæ fecisse reperiatur.

[o] Petr. de Vin. 1. ep. 38. & 39.

GERMANORUM CALUMNIÆ IN ROM. PONTIFF.

[p] Siff. Epit. lib. 2. an. 1278.

[q] Hist. Austr. tom. Rer. Germ. Freher.

VI. LITERÆ CAROLI ET PETRI INVICEM SCRIPTÆ QUALES.

Sed his per occasionem dictis, quod ad epistolas Caroli & Petri pertinet; sunt illæ, uti habentur apud Vineam, planè thrasonicæ, atq; omninò (si nõ planè confictæ fuerint ab aliquo ardelione) indignæ moderatis Principibus, dignissimæ irritatis, & quorũ mentes turbidæ regnandi passiones occæcâssent: cùm alioqui certum sit, verum ac legitimum Siciliæ dominum fuisse Carolum, Petrum violentum & injustum invasorem; nec perfidam Siculorũ rebellionem jus ei tribuere potuisse, quod non habebat. Quare & Martinus Pontifex, postquàm Petrum ab ejusmodi iniquâ invasione desistere monuisset, [r] parere recusantem, nono die Novembris sententiâ [s] ad Montem flasconem pro foribus basilicæ S. Flaviani martyris, assidente collegio Cardinaliũ, & circumstãte populi multitudine, prolatâ, execratus, excõmunicationi unà cum eis qui ejus arma sequerentur subjecit; hostémque Ecclesiæ denunciavit: Siculos omnes eâdem dirarum imprecatione detestatus, quòd non solùm violâsset majestatem Regis Caroli, verùm etiam sacrosanctam Sedis Apostolicæ potestatem, in cujus fide Sicilia erat: neque Petro tantùm, sed & ejus regnis sacris interdixit. Eâdem quoq; sententia Michaëlem Palæologum, prædictæ rebellionis conscium & adjutorem, ac subditos ejus percellens.

[r] Reg. Mart IV. ep. 104. & 168. an. 1.

[s] Surit. in Indic. hoc an. Extat verò tam ista sententia, quàm cetera diversis posteà temporibus contra Petrum à Mar. PP. lata & publicata, in Formul. Mar. Ebol. lib. 2. ad fi. & in Reg. Vatic. Hanc autem de quâ modo agitur, recitat etiam aliâ occasione Bzov. to. 14. an. 1338. XV. sed malè sub nomine Clem. IV.

SENTENTIA DAMNATIONIS IN PETRUM.

VII.

Petrus [t] autem tum his territus, tum in tantâ Caroli potentiâ, suorúmque auxiliorum longinquitate, ac Siculorũ volubilitate, quæ parta erant amittere metuens; ad artes rursum conversus, Carolum viribus & scientiâ pugnandi confidentem misso feciali ad certamen provocavit: si vir, si Rex esset, congrederetur, innoxióque multorum sanguini parceretur; salvam par esse Siciliam victori præstari, nec everti de cujus possessione ageretur. Nam quod auctores Aragonij [u] scribunt, rem à Carolo occœpisse, qui cùm adversa omnia sibi succedere videret, prior Petrum ad certamen provocârit; falsi convincuntur à literis Martini ad Reges Francorum & Angliæ ipsúmque Carolum scriptis, de quibus mox dicetur. Illud verò omnium assertione constat, acceptâ utrimque conditione, placuisse ut centenis uterque equitibus inter se decertarent, præmium victoriæ Sicilia esset; & victus aut ad locum & diem non accedens, infamis perpetuò & regio nomine indignus haberetur. Locus pugnæ Burdegala assignatus, Aquitaniæ caput, quòd in Eduardi Regis Angliæ, neutri suspecti & utrique affinis, potestate esset: dies Calendæ Iuliæ anni proximi constitutæ: cunctæque hæ conditiones utrimque sacramento firmatæ. Hæc enim ita transacta esse sub finem hujus anni, omnes consentiunt.

[t] Contin. Ricord. cap. 217. Nang. in Chron. & in Phil. III. Villan. lib. 7. cap. 85. Æmil. in Phil. III. Marian. lib. 14. cap. 6.

PETRUS PROVOCAT CAROLUM AD CERTAMEN.

[u] Fazel. [illegible] Surit.

VIII. MART. PP. CAROLUM ARGUIT DE CONVENTIONE CERTAMINIS.

Sed quod multi [x] volunt, etiam Martinum Pontificem huic certamini consensisse; quàm longissimè aberrant à vero. Quippe imprimis extant [y] literæ ab eodem ad ipsum Carolum scriptæ: quibus acerrimè eum redarguit, quòd adeò temerariè consenserit hujusmodi damnabili & damnato certamini; nec adverterit Regem Aragonum ipsi prorsùs viribus inæqualem, velut desperatum hanc provocationem excogitâsse contra Dei justitiam, & Ecclesiæ, ipsiúsque Caroli potentiam; ut sagaci hujusmodi nequitiâ regnum sibi confirmaret, in quo nullum jus haberet, nec ipsum in fortitudine brachij sui, sed in populi rebellione occupâsset; quódque Romanæ Ecclesiæ existens, nec ipse Carolus, quamvis Rex ejus ab eâdem Ecclesiâ creatus, sic pugnæ unius interdictæ eventui cõmittere poterat, & maximè contra virum quem sui enormes excessus culpis gravioribus obligarent; & dum sollicitudo hujus futuri cõflictûs Carolũ ab ejus facili recuperatione abstraheret, suas liberiùs insidias prosequeretur. Demùm post acerbè increpatam ejusmodi indiscretam, temerariam, & damnosam Caroli pugnæ

[x] Contin. Ricord. Villan. Fazel. Mariane. Collenut. &c.
[y] Reg. Vat. recitatque Favin. in Hist. Navar. lib. 6. sub Henr. Crass.

acceptationem; eamdem prorsùs illicitam, & juramentum super eâ præstitum irritum declarans, ei sub debito ipsi Pontifici & Ecclesiæ Romanæ fidei & homagij, omninò injunxit ab ejus persecutione sub excommunicationis pœnâ abstinere: & omnes quicumque ei auxilio, consilio, vel favore assisterent, etiamsi Regiâ vel Imperiali dignitate fulgerent, eâdem censurâ irretitos declaravit.

IX.
PETRUM REGNIS AC BONIS OMNIBUS PRIVATUM DECLARAT.

Hæc Martinus ad Carolum contra Petrum, ejúsque in offerendâ pugnâ vafritiem. Quem & insuper; priorem in eum latam sententiam floccifacientem, ac sæpiùs denuò monitum regnum Ecclesiasticum fraude occupatum vel Carolo dimittere, vel Ecclesiæ restituere, renuentem; ad duodecimum [z] Calendas Aprilis anni proximi apud Urbem-veterem de sacri Collegij sententiâ, uti Ecclesiæ subdititium, & perduellionis convictum, regnis ac ditionibus omnibus multavit, occupandásque concessit Catholicis Principibus. E quibus posteà Carolum Valesium Philippi Francorum Regis minorem filium, natum ex sorore ipsius Petri selegit [a] cui regna ac ditiones Hispanicas sub fide & homagio Sedis Apostolicæ, aliísque adiectis conditionibus attribueret; ne in alienam cognationem regnum transferri populares conquererentur. Idémque Philippo Francorum Regi (quod pugnam attinet) literis duodecimo Calendas Maij ejusdem anni proximi Pontificatûs tertij anxiâ sollicitudine scripsit, ut cujus ipse pactiones tamquam illicitas & noxias penitùs reprobaverat & irritaverat, ipsíque Carolo Regi etiam sub excommunicationis pœnâ illas servare prohibuerat, eam ipse Rex Philippus impedire curaret. Ac denique Eduardo Anglo verbis gravissimis mandavit, ne pugnaturis Carolo & Petro in suâ ditione locum præberet: misso etiam ad hæc Ioanne Choleto Cardinale S. Cæciliæ, ut ex aliis literis eâ de re ad eumdem Eduardum scriptis [b] evidentissimè constat; testantúrque insuper non pauci scriptores.

[z] *Surit. Indic. lib. 2. an.1283.*

[a] *Ext. in Reg. Mart. de his li. ad Reg. Phil. & ad Io. Cholet. Card. Leg. Pontif. art.3.*

[b] *Reg. Mart. recitantque Surit. & Bzov. an. seq.*

X
ALFONSUS REX CASTELLÆ A PROPRIO FILIO EIICITUR REGNO.

Dum verò nihilominùs obfirmatis ad malum animis pugna utrimque pararetur; non leviori scelere aliâ parte Hispaniæ impiissimi filij in indulgentiorem patrem proditio rebellióque sese uniuerso mundo manifestavit. Cùm videlicèt Sanctius filius Alfonsi Regis Castellæ, jam ut vidimus à patre regnandi cupidine alienatus, proceribus [c] populísque in suas partes concessione quarumcumque rerum quas privatim aut publicè postulare ausi sunt, ac majorum promissione allectis; novos elegit magistratus, novas leges sancivit; solo recusato titulo regio, seu inanem appellationem cùm omnia pro Rege ageret repudiaverit, seu potiùs ut cunctando studia hominum magis inflammaret. Quando & Emanuel Alfonsi frater Sanctio addictissimus, suo & aliorum procerum nomine eumdem Alfonsum publica sententiâ in regni conventibus Vallisoleti adversus eum agitatis pronunciatâ, regno privatum declaravit.

[c] *Marian. lib. 14. cap. 5.*

XI.
QUIBUS DE CAUSIS HOC MERUERIT.

Tradunt prædictum jam olim fuisse matri ipsius Alfonsi, id aliquando eventurum, portendisséque ipsimet astra ejus vanitatis non ignaro; & ex eo suspicacem esse redditum; susceptáque ex metu crudelitate, magnam ejus odij partem cócitâsse quæ illi calamitati fuit. Fructus enim hi sunt inanium ejusmodi prognosticationum, ut quique sibi mala procurent quæ venturâ timent. Uti huic accidit Alfóso; qui præter alia non pauca quæ in ejus vitâ & moribus arguenda occurrunt, vel ex eo satis in se justam numinis vindictam provocâsse reperitur, quòd non ita pridem innocentes nepotes [d] suos Ferdinandi primogeniti filij liberos debitâ successione exegit, ut impium Sãctium contra jus fasque in regnum intruderet, à quo ipse eâdem injuriâ truderetur. At verò longè digniorem eâ calamitate se olim præbuerat, cùm divinæ providentiæ opera, & humani corporis fabricam insigni linguæ procacitate ingeniíque confidentiâ accusare ausus fuerat. Siquidem scribit Rodericus Santius Episcopus Palentinus in suâ Historiâ [e] Hispaniæ, ex Annalibus, ut profitetur, Hispanicis, eum ore blasphemo palàm dicere consuevisse, Si à principio creationis humanæ Dei consilio interfuisset, nonnulla meliùs ordinatiúsque condita fore. Refértque visiones quasdam cælitùs ostensas primò cuidam militi, inde eremitæ, de vindictâ in eum divinâ nisi à blasphemiâ resipisceret; ipsúmque diù hæc irridentem eadem verba frequentiùs protulisse, donec horrendis tonitruis ac fulguribus nocte quâdam territus culpam agnovit: verumtamen ex eâ blasphemiâ, licèt remissâ, meruisse Imperio Germanico decidere, plurima infortunia pati, ac demùm regno à proprio filio pelli. Narrant eamdem rem & alij, [f] tam ex antiquis Chronicis quàm ex traditione per manus ductâ. Discite ergo justitiam Alfonsi exemplo moniti, ô Reges ac Principes, cetérique mortales, & Deum non temnere divósque.

[d] *Supr. an. 1275. IV. & 1276. XIII.*

[e] *Rod. Sant. par. 4. cap. 5.*

BLASPHEMIA EIUS IN DEUM.

[f] *Fortalit. fid. lib. 4. consid. 9. bel. 138. Cuspin. de Impp. & Cæs. in Alfons. Marian. lib. 14. cap. 5. & alij.*

XII.
COGITUR AD MAUROS RECURRERE.

Is autem sic ejectus, ab Hispalensibus exceptus est, qui fermè soli in fide erga ipsum summâ eorũ laude perstiterunt: miserque & egens fortunam suam deplorans atque lamentans, cùm Martini Pontificis & piorum Principum fidem misericordiámque obtestaretur, à suis exterísque destitutus; (Expectaverat Legatum à Pontifice eâ de re in Hispaniam mitti: cur autem non acceperit inde accidit, quòd nuncius ejus Romam missus illum postulandi potestatem se non habere dixisset; fortè & ipse à Sanctio corruptus, & quòd Pontifex omnibus Episcopis regnorum Alfonsi præcepisset, ut filium patri reconciliare niterentur.) à Rege Marrocio [g] Abeniusefio, hoste licèt & barbaro, opem mutuámque pecuniam petere compulsus est: illóque prætereà ex Africâ in Hispaniam appulso; post tentatam frustrà communibus copiis Cordubam, Alfonsus suspicione tactus proditionis rursùm se Hispalim recepit. Inde fortè suspicionis occasione sumptâ, quòd idem Rex barbarus, cùm ab eo rogatus suppetias advenisset, (sive sponte venerit, ut quidam habent) generoso admodùm animo in ipso advẽtu ei dixisset, [h] venisse quidem se libenti animo, inductum atroci filij in patrem scelere, quod inultum non remanere omninò expediebat, ne posteris audaciæ erga parentes exemplum relinqueretur: verum sciret, ubi ipse Alfonsus regnum recuperâsset, veterem se in eum simultatem recepturum,

[g] *Surit. Ind. lib. 2. Marian. d. c. 5.*

[h] *Neblens. Hist. Gen. lib. 3. Contin. Bel. sacri lib. 5. cap. 15.*

atque

atque eo animo quo priùs bella adversus eum gesturum.

XIII. SENTENTIAM FERT IN FILIUM.

Hispali igitur Alfonsus quasi desperatione actus, octavo die mensis Novembris in palatio civitatis sedens pro tribunali, adstantibus nonnullis Prælatis ac proceribus, & magnâ aliâ Cleri, militum, civium, & populi multitudine, latâ in Sanctum filium sententiâ, eum ut contra ipsum conjuratorem, populorúmque seductorem, proditorem, rebellem, injuriosum, contumeliosum, vitæ insidiatorem, parricidam, omnis denique juris divini & humani violatorem, ac majestatis reum, execratus, maledictione paternâ feriit, ac divinæ subjecit, omníque iure successionis tam regnorum quàm ceterorum quorumcumque bonorum, honorum & dignitatum privavit. Inseruit verbatim Surita Indici [i] suo Rerum Aragoniarum prædictæ sententiæ formulam. Quo vix aliud illustrius reperias exēplum severæ, ac nihilominùs justæ animadversionis in filium, non solùm crudeliter ingratum, & summi beneficij immemorem, sed dignum qui Impius cognominetur; vel eo nomine quòd nihil eâ religione tactus, fœdere cum Rege Mauro Granatensi instaurato, ad omnem occasionem intentum animum oculósque armaque adversus patrem habuisse dicitur [k]. Et his facinoribus *Fortis* nomen apud suos obtinuit? O mentem injustis titulis vanam! ô mores fœdis adulationibus pravos! Præclarum sanè placitum suî similium servavit impius Sanctius, Si jus violandum est, regnandi causâ violandum esse. Qui ut etiam Deo ipsi & Ecclesiæ insultare videretur, Mariam Alfonsi Molinæ reguli magni patrui filiam prædictis Vallisoletanis conventibus [l] connubio sibi junxit. Quā non solùm sanguine conjunctam, (quod fatentur Hispani) verùm etiam monialem fuisse, & à monasterio à Sanctio avulsam, Nangius ejus temporis scriptor asserit. Utcumque sit, incestum hoc matrimonium confestim ut rescivit Martinus Pontifex, rescidit, ob consanguinitatem tertij gradûs quo se attinebant (nihil enim de Monachatu Mariæ habet) & tum Sanctio Mariæque ut ab invicem secederent, tum Episcopis Burgensi atque Asturicensi ut illos censuris ad id compellerent, præcepit datis literis apud Urbem-veterem Idibus Ianuarij. Frustra tamen; cùm inde Ferdinandus aliíque posteri sint orti; ipséque nec tot annis quibus supervixit veniam impetrare aut curaverit aut valuerit.

[i] Sur. Ind. lib. 2.

[k] Mar. d. c. 5. in fi.

SANCTII INCESTUM CONIUGIUM.

[l] Mar. ibid.

XIV.

INIQUUM PATAVINORUM DECRETUM.

Protulit etiam alia monstra hoc eodem anno Italia. Quorum teterrimum fuit, quòd Senatus Patavinus [m] ingenti religionis Christianæ quam profitebatur ignominiâ, uno tantùm denario, quem grossum vocant, ministros ejus æstimavit; cùm sanxit, si quis clericum interficeret, unico grosso teneretur. Minimè dubito quin clericorum insolentia causam duriùs in eos sanciendi dederit: Sed quid hâc sanctione injuriosius; quid monstruosius? Quare quòd ea iniquâ improbitate constaret, multíque inde clerici religiosíque interimerentur; de iis Martinus Pontifex certior factus, commisit Patriarchæ Aquileiensi ut sacris Senatui & civitati interdiceret. Et quamvis his Senatus coactus fuerit impium decretum antiquare, justè tamen Pontifex commotus in ultionem effusi latè sanguinis, restituere distulit sacra civitati. Donec post septennium Nicolaus Quartus Patavinorum precibus flexus veniam indulsit.

[m] Iacob. Cavac. lib. 3. hist. cœnob. S. Iustin. Patav.

XV. BELLUM INTER GENVENSES ET PISANOS.

Sed nec à monstris excludimus odia illa internecina, quæ inter duos insignes Italiæ populos, professione quidem fidei Christianos, at charitatis defectu plusquàm barbaros, Genuenses Liguriæ ac Pisanos Etruriæ renovari contigit. Quippe qui veteribus resumptis inimicitiis, quæ à ducentis fermè annis inchoatæ nec unquam animo depositæ, sed vel satietate cladium ac tædio laborum tantummodò consopitæ, vel pace numquam inter tam infensos animos ac perpetuis injuriis efferatos fidâ ac stabili ad tempus intermissæ, pérque omnes levissimas occasiones resumptæ; dissidiorū causis vigentibus, quas alebant duæ ante oculos positæ insulæ Corsica & Sardinia, cùm suis ipsæ opibus ac fructibus cupiditatem hominum allicientes, tum utrimque populo inferi maris imperium affectanti peropportunæ: majore quàm anteà mole hoc anno in mortiferum bellum eruperūt quod gravioribus utrimque cladibus per aliquot annos continuè gestum, opes Pisanorum iis temporibus florentissimas ita attrivit, ut enervata civitas nunquam pristinas vires recuperârit; sed infelicia sæpè retractans infracto animo arma, assiduis quotidie damnis tam à Genuensibus, quàm reliquis civitatibus cum ipsis conspirantibus imminuta, cùm viribus suis stare non posset, libertate amissâ in alienum imperium venerit. Ortum autem est hoc anno bellum (ut quidam volunt) à captâ per Pisanos quâdam trireme Genuensi quæ Carolo Regi militaverat, & incursionibus cujusdam Corsi qui in fidem Pisanorum sese tradidit. Describúntque illud ejus temporis auctores, Lucensis [n] Continuator Ricordani, & Villanius, atque inde Antonius; abundiùs Nebiensis [o] & Folieta. Ac observant valdè consideratè & piè, extremam cladem anno 1284. mense Augusto à Pisanis acceptam, quâ cæsa sunt aut capta millia illorum sexdecim, accidisse ad insulam Meloriam in conspectu Pisarum positam, ad quam ante quadraginta tres annos [p] occisi aut capti fuerant Pisanorum operâ ab Entio Friderici tyranni noto Prælati Genuensium navibus delati, quos Gregorius Papa IX. ad Concilium Romam evocaverat: sic videlicèt divino numine meritas pœnas, quamquam seras ab impiis hostibus eodem loco quo scelus commissum fuerat, per eosdem qui simul cum ipso injuriam acceperant, repetente. Commendatúrque modestia Genuensium, quòd post tantam victoriam absque ullâ pompâ aut jactantiâ reversi ad propria, processiones, tantùm & Missas in gratiarum actionem celebrari curârint.

[n] Luc. in Annal. Cont. Ricord. cap. 216. 220. 221. Villan. lib. 7. cap. 83. & seqq. Ant. tit. 20. cap. 4. §. 7. & seqq.

[o] Neb. Hist. Gen. lib. 3. Fol. lib. 5.

[p] Supr. an. 1241. XI.

PISANI SERAS DANT POENAS VETERIS SCELERIS.

XVI. LESCUS LITUANOS VINCIT OPE S. MICHAELIS.

In Poloniâ Lescus Niger minoris Poloniæ Princeps hoc eodem anno insignem planè victoriam retulit ope S. Michaëlis Archangeli, de Lituanis & Iazygum reliquiis, Lublinensem regionem sub finem mensis Septembris invadentibus. Uti enim narrant ejus gentis auctores [q] cùm jura reddens Cracoviæ Lescus hostilem incursionem audîsset, confestímque collectis raptim militibus hostes insecutus eos prædâ onustos jam abiisse reperisset, nec cum parvâ suorum manu, triplo fermè

[q] Michov. lib. 3. cap. 59. Crom. lib. 10.

majorem eorum multitudinem per ignotos sibi, illis autem notissimos silvarum & paludum tramites persequi securum existimans, eo æstu animi sopore oppressus, visione recreatus est Michaëlis Archangeli certam victoriam spondentis. Quare hostes sine morâ persecutus, cõsecutúsque die decimatertiâ mensis Octobris, post acrem pugnam (quâ & captivi fortuitò oblatis telis hostes à tergo adorientes, & canes ipsi quos secum ducebant barbari sævis eosdem morsibus lacerantes magno auxilio fuerunt) ad internecionem cæcidit, nemine prorsùs ex suis desiderato : eóque prælio prædictæ *Iazygum* reliquiæ, quæ pertinaciùs Polonis restiterant, & à susceptâ religione defecerant, penitùs extinctæ sunt : déque Lituanis complures qui evaserant, partim pudore, partim timore suorum mortem sibi consciverunt. Lescus victor Lublinum reversus, templum ibi titulo S. Michaëlis erexit. Laboratum est tamen hoc eodem anno & sequẽti in eâdem Polonia fame [r] usque adeò ut multi cum uxoribus & liberis præsens malum evitaturi in Hungariam atque Russiam commigrarent. Sed utrobique acerbiori calamitate oppressi, ab Hungaris quidem Cumanis Gentilibus venundati sunt, à Rhutenis tributi nomine Tartaris in servitutem traditi. Diriùs etiam in Boëmiâ [s] fame sæviente, matres fœtus suos voràsse repertæ sunt. Secutáque est sævissima pestis ex perniciosis & nocivis herbis.

IAZYGES PENITUS DELETI.

De quibus vide etiam supr. an. 1264. VII.

[r] *Mich. cap. 61. Crom. ibid.*

SÆVA FAMES.

[s] *Mich. ibid.*

XVII. SOLDANUS A TARTARIS VICTUS FIT VICTOR.

Hócque item anno missus à Chaamo Abaghâ Tartaro qui Persidi imperitabat, & de quo sæpè superiùs, Mangodonior, sive Tangodomor dictus ipsius frater cum triginta Tartarorum equitum millibus in Syriam adversus Soldanum Ægypti ; evocato ad belli societatem Lievone Armeniæ Rege, acerrimum inivit cum Elphy sive Elsi Soldano, exercitu centum millium equitum totidémque peditum potente, prælium : quo victus & fugatus Soldanus, culpâ tamen Mangodonioris, qui quòd numquam vidisset præliorum discrimina medio certamine abscessit, campum obtinuit : redeuntéque ad fratrem Mangodoniore, Armenia pariter ad sua se recipientibus, ingentia fuère ab hostibus ac rerum penuriâ sustinenda mala & incommoda. Rem gestam describunt Haythonus [t] Sanutus [u] Bizarrus [x] & fugam Mangodonioris timori tribuunt : quam Villanius [y] & ipse horum memoriam agens proditioni assignat; ac præcipuos Tartarorum duces qui prælio interfuerant neci ab Abaghâ datos, reliquos muliebri vesti ferendæ damnatos tradit : quæ prædicti tacent, quamvis confirmentur à Continuatore [z] Belli sacri. Scribunt autem, Abagham ad hanc fratris sui ignominiam delendam ipsummet contra Soldanum totis regni sui viribus ire constituisse; sed quorumdam familiarium suorum scelere muneribus Saracenorum corruptorum, veneno extinctum esse unà cum eodem fratre suo Mangodoniore : Successisse in regno alium fratrem ejus nomine Tangodorem, qui Christiano baptismate in pueritiâ tinctus nomen Nicolai acceperat ; sed conversatione Saracenorum quam dilexerat, eorum sectæ se dedisse accepto nomine Mahometi, eumdémque quà pœnis quà præmiis Tartaros Christianos pervertisse, cunctas Ecclesias funditùs evertisse, ac societatem cum Soldano iniisse : His porrò per alium quemdam fratrem ipsius, ac per Argonem filium Abaghæ, Cobilæ summo omnium Tartarorum Imperatori nunciatis, hunc Mahometo mandâsse ut ab hujusmodi impietatibus abstineret, alioquin debitas pœnas luiturus : Mahometum autem ejus rei indignatione motum, prædictum fratrem suum interemisse; tantumdem in Argonem commissurum, ni montes petiisset. Ubi nihilominùs captus, & interimi jussus, auxilio cujusdam viri potentis, quem ejus pater Abagha educaverat, servatus est; atque ex captivo Rex factus Mahometum comprehendit, ac per medium detruncari jussit anno Domini 1285. cùm vix biennio solium occupâsset.

[t] *Hayth. cap. 36.*
[u] *San. lib. 3. part. 13. cap. 8.*
[x] *Biz. Rer. Pers. lib. 8.*
[y] *Vill. lib. 7. cap. 81.*
[z] *Cont. Bel. sacr. lib. 5. cap. 2.*

REX TARTARUS APOSTATA A FIDE DAT PŒNAS.

Hoc quoque eodem anno narrat Paulus Venetus [a] in suo Orientali Itinerario, acerrimum initum esse prælium inter Nescordinũ ducem prædicti Cobilæ summi Tartarorum Imperatoris, missum cum duodecim millibus equitum ad tutandam provinciam Carajam, quam regebat filius Cobilæ fluviis aurigeris abundantem ; ac Reges Mien & Bangalæ regionum Indiæ confinium, habentes in suo exercitu præter militum sexaginta millia, duo millia elephantorum turritorum : Quos nihilominùs fugans Nescordinus, circa ducentos elephantos vivos ceperit: Et ex eo tempore cœpisse magnum Chaam uti elephantis in præliis, ac regionem Mien suo subjugâsse Imperio : Repertum nobilissimum cujusdam Regis Mien mausoleum [b] auro & argento tectum, intactum tamen relictum à Tartaris permansisse, ob innatam reverentiam & pietatem in defunctos.

XVIII. MAGNUS CHAAM OCCUPAT REGNUM MIEN.

[a] *Paul. lib. 2. cap. 42.*

SEPULCRUM DIVES INTACTUM RELICTUM A TARTARIS.

[b] *Ib. cap. 44.*

Quo eodem tempore, feria secundâ post Resurrectionem Domini, Iudæi Moguntiæ [c] ubi magna eorum erat multitudo, in gravem suspicionem adducti, quòd Corporis & Sanguinis Domini sacra mysteria (uti frequentissimè consueverant) indignè admodùm & contumeliosè tractâssent, Christianos quosdam infantulos furto surreptos mactâssent, puteos veneno infecissent ; à Moguntinis in eos irruentibus, omnes vel occisi, vel urbe pulsi sunt : ídque totâ penè Germaniâ valuit exemplum.

XIX. IUDÆI IN GERM. MACTANTUR.

[c] *Trithem. in Chron. Hersaug. Serar. Hist. Mogunt. lib. 5.*

Notandum postremò decretum hoc eodem anno in Synodo Paschali diœcesis Santonensis in Galliâ editum à Gaufrido de S. Bricio Episcopo : quo abusum auferens, qui irrepserat, ut cadavera excommunicatorum defunctorum ita prope cœmeteria, vel etiam intra, inhumarentur, ut vix discerni possent à fidelium sepulchris ; id ampliùs fieri prohibuit sub pœnâ excommunicationis; nec corpora eorum propiùs poni ad sacra cœmeteria quàm spatio duorum terræ jugerum circumquaque : sed nec plura quàm duo excommunicatorum corpora simul extra metas prædictas ponerentur, ne propter multitudinem crederetur ab aliquibus esse cœmeterium sacrum.

XX. DECRETUM DE CADAVERIBUS EXCOMMUNICATORUM.

IESV CHRISTI Annus 1283.
MART. IV. An. 3.
RVDOLPHI Ann. 10.
MICHAELIS VIII. Annus 24.
ANDRONICI Ann. 1.

I. DE COMPARITIONE REGVM AD LOCVM CERTAMINIS.

ANno Christi millesimo ducentesimo octogesimo tertio, Indictione undecima, expectabantur ab universâ Europâ summâ expectatione Calendæ Iuniæ, duorum clarissimorum Regum & ducentorum toto orbe electorum fortissimorum virorum certamini constitutæ; convenientibus Burdegalam undique mortalibus ad tantæ rei famam, quà spectaculi gratiâ, quà partium studio: cùm sicut in scenâ delusis spectatoribus, parturierunt montes, natúsque est ridiculus mus. Id unâ omnium auctorum [a] tam antiquiorum quàm recentiorum consensione certum est, præstò fuisse condictis die & loco Carolum cum suis centum selectissimis equitibus, & ab ortu solis usque ad occasum adversarium in campo præstolatum esse; qui nusquam comparuit. Quod plurimi Petri ignaviæ tribuunt: nonnulli excusare quærunt, quasi Petrus admonitus fuisset insidias cavere, quòd Rex Fráncorum cum justo exercitu proximè adesse diceretur: ideóque Petrum, ut ignaviæ perjuriíq; notam effugeret, privati hominis cultu, uno omninò vel altero comite, per dispositos ad celeritatem equos sero illius diei Prætorem Burdegalensem constitutæ pugnæ judicem designatum adiisse, séque illi confessum arma de manu tradidisse, ac confestim pari celeritate sese in Hispaniam recepisse. Tres comites secum sumpsisse, seséque eorum famulum simulâsse; Surita Aragonius rerúmque Aragonicarum diligens scriptor tradit; & postquàm eodem famuli habitu Prætorem adiisset, seséque denuncians arma tradidisset quasi pignora præstitæ fidei, confestim conscensis paratis equis aliò iter deflexisse ne ab ullis dignosceretur. Sed quod ait, nullum Carolum comparuisse, eò quòd Pontifex detestabile certamen sacro interdicto vetuisset; debuissent quidem tam ipse Carolus quàm Petrus Pontificio decreto obaudire: at quando ira odiúmque prævaluit, negare adfuisse Carolum, quis ferat? cùm econtrà non solùm omnes omninò præstò fuisse Carolum assertissimè asserant, verùm etiam penè omnes Petrum nullatenùs comparuisse dicant; quibusdam Hispanis exceptis, qui dolo prædicto advenisse affirmant. Hic Petrus apud suos *magni* nomen adeptus est.

[a] *Contin. Ricord. cap. 218. Villan. lib. 7. cap. 86. Lucens. in Annal. & Chron. Nang. in Phil. III. & in Chron. Chron. Monfort. Blond. 2. dec. 8. Anton. tit. 20. cap. 4. §. 8. Æmil. in Phil. III. & alij.*

MIRVS PETRI ARAGONII COMPARENDI MODVS.

II. QVIS REGVM VICERIT, ET VICTVS EST.

Ceterùm cùm pro affectu partium variis sermonibus & opinionibus præbita sit hinc occasio; equidem si quis meam sententiam requirat existimaverim utrumq; vicisse, utrumque victum esse. Vicit Carolus virtute; quia ut generosus ac magnanimus Princeps se loco, die, horâ, simplici ac Francâ fide stitit, nec expectatores spectatorésque fefellit. Vicit Petrus astu Punico, quia ut plerique omnes consentiunt, non animo pugnandi certamen obtulit aut acceptavit, sed ut his ludificationibus Carolum ab Italiâ removens, quod vi non poterat fraude obtineret. Victus est Carolus dolo; quia interim dum eâ certaminis specie delusus Galliam petivit, Petrus per conjugem suam in Siciliam missam, suósque duces, quod captaverat obtinuit. Victus est Petrus honore, quod sponsas certaminis leges non servaverit, quòd florente quadraginta trium annorũ ætate cum maiore sexagenario congredi ausus non fuerit, quòd utile decori prætulerit, quòd nihil curaverit quid de illo fama loqueretur; tanta erat fœda dominandi ambitio! Qui sanè si pugnam detrectâsset aut excusâsset prohibitione ecclesiasticâ & Pontificiâ, etiãsi fortè defectu animi id egisset, non solùm Magni nomine, quod ob auctũ seu dolo seu virtute imperiũ à suis obtinuit, dignus videri potuisset; verùm etiam Maximi, quòd vanũ & inanem mundi honorem mandatis divinis salutísque animæ periculo postposuisset. Maximè quod jam tum extorris à cõmunione Ecclesiæ à Martino Papâ (ut diximus) hoc ipso anno factus, maiori se discrimini objiciebat. Peccát enim qui scribũt [b] Martinũ audito Petri subterfugio, ipsum ut perjurum ac proditorem excõmunicatione perculisse; pergentes nimirum in errore semel asserto, quòd Martinus duellum approbârit, quod omninò damnâsse prohibuisséq; vidimus. Quãvis non negemus etiam post hæc ingeminatã fuisse excõmunicationis & privationis sentẽtiam [c] in eumdem Petrum, novis semper incrementis cõtumaciã adaugentem. Quem & tradunt, [d] quòd & vetuisset eâdẽ excõmunicationis pœnâ Pontifex nequis eum scienter ac prudẽter Regem auderet nominare; vt acutulum & sciculum ageret, indigitâsse sese *Militem Aragonensem patrem duorum Regum; & dominum maris.* Quin etiam procaciori animo & linguâ, à Martino uti iniquo [e] judice appellâsse, & ad futurum Pontificem minimè suspectũ, aut invisum, insensúmve provocâsse. Ad cujus retundendam temeritatem cõmisit Põtifex Ioanni Choleto natione Gallo patriâ Belvacensi tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Legato in Galliam misso, [f] ut regnum Aragoniæ Carolo Valesio Philippi Francorum Regis filio confirmaret; Crucémque adversus Petrum Aragonensem prædicaret, concessâ peccatorum indulgentiâ omnibus qui arma contra eum susciperent.

[b] *Id. quõ an. super. num. VIII.*

[c] *Surit. & Bzov. an. 284. Marian. lib. 14. cap. 7.*

PETRVS FACETVM AGIT

[d] *Cont. Ricord. Villan. Anton. ubi Supr. Floril. an. seq.*

[e] *Surit. an. 1285.*

APPELLAT A PONTIFICE.

[f] *Villan. lib. 6. cap. 86.*

III. PETRVS AFFINITATEM QVÆRIT CVM REGE ANGLIÆ, REPVGNANTE PONT.

Petrus autem peccata peccatis addens, ut se adversus Gallorum conatus muniret, cum Eduardo Angliæ Rege jam se affinitate attinente, novum fœdus pepigit sponsione connubij Alfonsi filij sui maioris cum Leonorâ Eduardi filiâ. Vnde & manifestior appareat vanitas excusationis Petri & ejus defensorum, quâ persuasum voluerunt mũdo, eum haud fuisse securum apud Burdegalam, quæ in potestate erat Regis Angliæ: quandoquidem eodem ipso tempore prædictam pactionem connubij tractatam & initam fuisse, certò constat ex eo quòd Nonis sequentis Iulij Martinus Pontifex literis ad Eduardũ datis apud Urbem-veterem, quarum ipsemet Surita meminit, illum ab eâ consocietate avertere nisus sit, incestas eas nuptias & illegitimum coniugium fore prædicans, ex eo quòd Leonora Eduardi mater, Amedei Sabaudiæ Comitis soror fuisset, Amedei filiam Manfredus Siciliæ tyrannus uxorem duxisset, Alfonsus nepos esset Manfredi ex Constantiâ eius filiâ. Se-

veris præterea commonitionibus Eduardum cohortatus ne cum Petro Ecclesiæ hoste & perduelle sese devinciret, addidit etiam censurarum minas ni pareret.

IV. MART. PP. AGIT PRO ALFONSO CASTEL. REGE CONTRA FILIUM.

Rebus Castellæ nihilo inter patrem extorrem & filium rebellem tranquillioribus, Alfonsus pater Maroccium Regem secundò in Hispaniam attraxit, nullo magno operæpretio. Sed cùm à Martino Papá mandatum esset, ut quicumque relicto Alfonso Sanctij eius filij partes sequerentur, extra communionem Ecclesiæ essent; datique etiam Iudices in causâ, urbes & oppida Sanctio addicta sacris interdixissent: ea res, injectâ animis religione, multos à Sanctio alienavit; mœstâ Hispaniâ quòd eodem tempore, licèt non eâdem de causâ, in Aragoniâ & Castellâ sacrorum veluti iustitium esset. Neque hoc solùm Martinus; verùm etiam datis literis [g] ad Galliæ, Angliæ, Portugalliæ Reges, eos hortatus est Alfonso adesse, ne Sanctij proximum parricidio crimen in exemplum transiret.

[g] Reg. an. 3. ep. 33.5. Id. Aug. ap. Urbemvet.

V. SUPPLICIUM REBELLIS WALLENSIS IN ANGLIA.

In Angliâ [h] David frater Leolini Principis Walliæ, quorum uterque sæpiùs in Regem rebellaverat, & magnis cladibus ejus exercitus terrasque affecerat; occiso antè in quodam certamine Leolino, ipse omnium malorum incentor & ingratissimus perduellis captus à militibus regis, pœnas dedit commissorum scelerum; tractus primò ad caudas equorum, dein suspensus, posteà decollatus, corpus in quatuor partes divisum nobilioribus civitatibus collocatas, caput pilo infixum in turris Londinensis fastigio erectum unà cum capite Leolini, cor & viscera combusta. Quo etiam tempore quodam loco ejusdem Walliæ Caërnervon dicto repertum fuisse tradunt corpus Constantij patris Constantini Magni, ac Rege jubente honorificè in ecclesia collocatum. Itémque Coronam famosi quondam Regis Arthuri, Eduardo Regi in eadem Walliâ traditam esse. In Scotiâ verò hoc ipso anno Alexandri Regis trigesimo quarto (ut Boëtius [i] observat) primùm pestis sævire cœpit, morbus anteà Scotis incognitus, magnâque populum clade affecit.

[h] Hypodigm. neust. & Walsingh. hoc an.

CONSTANTII CÆSARIS CORPUS REPERTUM.

[i] Boët. lib. 13. in fi.

PESTIS PRIMÒ GRASSATUR IN SCOTIA.

VI. MICHAEL IMP. CONSTANTINOP. MORITUR.

Hoc item anno, dum frequenter rebellantem Ioannnē Sebastocratorem Thessaliæ Principem Michaël Palæologus Græcorum Imperator Constantinopolitanus armis ad internecionem persequi deliberaret; in medio exercitu prope Lysimachiam inter vicos Pachomium & Allagem morbo cordis correptus, paulò pòst obiit: cùm priùs percontatus nomen loci, ut audivit Pachomium, ingemiscens sibi finem instare dixisset; seséque graviter accusasset, quòd non ita pridem deceptus cujusdam oraculi ambiguitate quo sibi Pachomium successurum acceperat, honestum quemdam virum nomine Pachomium excæcâsset ut Imperio inutilem efficeret. Ita Nicephorus Gregoras. [k]

[k] Greg. lib. 5. ad fi.

VII. RATIO TEMPORIS.

Michaëlis autem obitum hoc anno potiùs collocamus cum Onuphrio, [l] quàm cum aliis [m] vel ad extremam Sedem Nicolai IV. Pontificis qui decessit anno tantùm 1292. vel etiam ad Sedem eius [n] vacantem, aut ulteriùs referimus. Namque illum ante Nicolaum defunctum fuisse, satis constat ex literis ejusdem Nicolai [o] ad Andronicum ejusdem Michaëlis successorem solúmque imperantem scriptis. Hoc autem anno mortuum esse inde pariter colligimus quòd ponant Gregoras [p] & Phranzez [q] id contigisse anno ab Orbe condito 6791. Nicetas autem Constantinopolim à Latinis captam asserat anno Mundi 6712. Cùm enim hoc accidisse certum sit anno Christi 1204. & ab eo usque ad præsentem 1283. numerentur 79. profectò si æquè ab anno 6712. numeres usque ad 6791. æquè 79. reperies. Nec item ultra hunc annum Michaëlem vixisse, inde quoque intelligi datur, quòd dicat Gregoras, [r] quando Constantinopolis recuperata est à Græcis, Andronicum Michaëlis filium fuisse bimulum, quando verò defuncto patri successit annum egisse [s] 23. Cùm enim ex ejusdem sententiâ Constantinopolim captam viderimus anno 1261. vel sequenti, sanè si tum bimulus fuit Andronicus, anno præsenti 1283. vigesimum tertium inchoatum vel expletum egisse dicendus erit. (Et quidem Pachymerius [t] viginti quatuor annos natum successisse patri scribit.) Ac denique Michaëlem ante Carolum Siciliæ Regem vitâ functum esse, non obscurè posteà idem Gregoras [u] insinuat. Imperavit autem Michaël, ut Onuphrius ponit, & colligitur ex initio ejus Imperij superiùs [x] à nobis cōstituto, annos viginti quatuor: vixit, ut Gregoras ait, quinquaginta octo. Ex quibus etiam apparet errorē irrepsisse in textum Phranzis, dum annus Mundi Græcus quo mortuum ponit Michaëlem conjungitur cum Indictione XIV. cùm hoc anno numeretur tantummodò undecima. Ceterùm Michaël *Magni* cognomen apud suos sortitus est, quòd Imperium iniquè occupatum strenuè defenderit, finésque protenderit.

[l] Onuphr. in Chron. Eccles.
[m] Blond. Sabel. Naucl. Æmil. Genebr. & c.
[n] Lucens. & c.
[o] Reg. Vat. Nicol. 14. ep. 66. int. litt. Curial.
[p] Greg. lib. 5. ad fi.
[q] Phranz. lib. 1. cap. 6.
[r] Greg. lib. 4. cap. 4. in fi.
[s] Id. lib. 6. cap. 2. ad pr.
[t] Pachym. lib. 6.
[u] Greg. lib. 6. cap. 4.
[x] An. 1259. XIV.

VIII. ANDRONICUS IMPERIUM INCHOAT AB APOSTASIA.

Post cujus obitum idem *Andronicus* Palæologus ejus filius primogenitus Imperiū solus administrare cœpit, quod unà cum patre multis annis tenuerat. Rémque ab impietate inchoans & apostasiâ, contra fidem Concilio Oecumenico Lugdunensi ac Romanis Pontificibus datam in schisma Græcorum relapsus, patrem Imperatoriâ [y] sepulturâ adeò non honoravit, ut ne plebeiâ quidem sit dignatus, eò quòd unioni ac doctrinæ Ecclesiæ Romanæ inhæsisset; sed tantùm noctu à paucis procul à castris multâ terrâ obrui jussit, id modò cavēs ne cadaver ejus à feris discerperetur. Unde colligas Michaëlem ad finem usque constantem in fide semel acceptâ permansisse; etiamsi aliquando visus fuerit, ob titubationem, aut quamdam cum sui simulationem à Martino Papâ excommunicandus. Quinimmò & sunt è nostris qui crediderint, [z] si Andronicus Romani Pontificis auxilia quæ petierat [a] tunc parata habuisset, unionem conservaturum fuisse; quam semper posteà aut omninò recusavit, aut frivolè excusavit.

[y] Greg. ibid.

PATREM PRIVAT SEPULTURA.

[z] Blond. & alij.
[a] Supr. an. 1276. IX.

IX. PERSECUTIO IN PROFESSORES DOCTRINÆ ECCLES. ROM.

Quare & ipso Imperij initio omnes illos quos pater ob recusatam ab iis unionem cum Ecclesiâ Latinâ expulerat revocans, cùm Beccus Patriarcha qui eam amplexus fuerat sibi in hâc præcipiti mutatione timens clàm secessisset, in ejus locum statim reposuit *Josephum* [b] illum qui Beccum præcesserat, morbo licèt ac senio confectum. Quem cùm multi admittere recusarent, eò quòd vivo Arsenio sedem occupâsset, ac propterea ab eo excommuni-

[b] Supr. an. 1274. XV.

municatus fuisset; idem Iosephus tum causâ concordiæ, tum quòd ob senium muneri impar esset, denuò sedi cedere elegit. Eodémque paulò pòst defuncto, creatus est Patriarcha *Gregorius* Cyprius monachus, ex Imperatorij cleri collegio vir egregiæ literaturæ. Cujus rursùm causâ, (videlicèt quòd cùm Cyprius esset, diù inter Latinos ibi conversatus etiam ab illis Lector ordinatus fuisset) cùm novæ dissensiones inter partes orirentur, & ad illas componendas visum fuisset conventum agere utrorumque, post multa verborum certamina placuit contrarias opiniones scriptis mandari, ac Deo judicium per ignem committi: sed igne utrorumque scripta pariter consumente, (deridente videlicèt numine vana schismaticorum tentamenta) receptus est ab utrisque Gregorius; & Arsenij corpus solemniter in urbem deductum; illique qui unioni Latinorum adhæserant, variis modis à restitutis exulibus vexati, afflicti, & opprobriis ac contumeliis affecti sunt, ac Beccus ipse in tetrum exilium deportatus. Prosequitur hæc omnia pluribus Gregoras: subdítque crudeles ipsos novatores justas tandem pœnas luisse divinitùs, cùm nemo illorum in suâ dignitate decesserit, sed omnes turpissimè suis sedibus pulsi fuerint.

DISCORDIA DE PATRIARCHIS.

X.

SYNODVS EA DE CAVSA HABITA A GRÆCIS.

Communicavit nobis doctissimus Pater Iacobus Sirmondus Soc. Iesu, nunc Regi Christianissimo à Confessionibus, Synodum prædictâ occasione habitam sub Andronico Palæologo Imp. & Gregorio Patriarchâ, contra eumdem Ioannem Beccum, ejusque socios Constantinum Meliteniorem & Georgium Metochitam, qui Latinorum dogma de processione Spiritûs Sancti profitebantur, & ab annis octo, ut Synodi verba innuunt, in eo docendo perseverabant: videlicèt à tempore Concilij Generalis Lugdunensis celebrati anno Domini 1274. Post præfationem ponitur Confessio fidei, in quâ potissimùm inculcatur opinio Græcorum de processione Spiritûs S. & in fine rejicitur pax eodem Concilio Lugdunensi facta. Narrat deinde, Ioannem Beccum eâ de causâ dãnatum anteà fuisse in quâdam ipsorum Græcorum Synodo, cui cum Patriarchâ Constantinopolitano aderat etiam Alexandrinum; libellúmque resipiscentiæ obtulisse, quo acquiescebat damnationi ac depositioni suæ; sed posteà iterùm ad pristinã sententiam rediisse. Tum sequitur sententia condemnationis trium supradictorum, & refutatio singulorum capitum doctrinæ illorum de Spiritu S. cum iteratâ detestatione factæ unionis, quam πεπλασμένην οἰκονομίαν, & εἰρηνικὴν πολιτείαν vocant. Addũtur in fine subscriptiones; primò Imperatoris rubris literis: *Andronicus in Deo fidelis βασιλεὺς & Imperator Ducas Angelus Connenus Palæologus.* Deinde Patriarchæ: *Gregorius misericordia Dei Archiepiscopus CP. novæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha. Ioannes humilis Episcopus Ephesiorum metropolis*, &c. Subscribunt Episcopi 42. Officia Ecclesiastica 28. Quo autem loco habita sit hæc Synodus, neque ex titulo, qui magnâ ex parte obliteratus est, neque ex fine deprehendi potest. Quòd tamen ex supra dictis constet celebratam esse sub initia Andronici, putamus in ipsâ Constantinopoli contigisse.

XI.

BARCHARDI DESCRIPTIO TER. S.

Peregrinabatur hoc tempore per Palestinam, loca sancta visitans, *Borchardus* natione Germanus, professione religiosus Dominicanus; cujus extat Descriptio Terræ Sanctæ & regionum finitimarum; eo accuratior existimanda quo decennium integrum se in eâ peregrinatione, ac diligẽtissimâ singulorum locorum pervestigatione consumpsisse affirmat. Præsenti autem anno 1283. ait [c] se fuisse in monte Gelboë, in quo Saul & Ionathas perierunt [d] à Philistæis; & experimento refellit opinionem eorum, qui putaverunt, ob imprecationem Davidis, nec rorem nec pluviam descendere super eum montem. Quippe cùm in festo Omnium Sanctorum super eum dormîsset sub dio cum aliis multis, rore perfusi fuerint supra modum. Et cùm alio tempore in festo S. Martini eumdem ascendisset, adeò ibi pluisse, ut madefactus usque ad carnem fuerit, ac vallis inundaverit descendentibus inde aquis: Verum nihilominùs esse, montem aridum & saxosum esse, sicuti & alios montes Iudææ. Habet alibi, [e] eo tempore omnem nationem quæ sub cœlo est habitâsse in Palestinâ, & quamlibet vixisse secundùm regionem & ritum, prout eligeret. Famosiores earum fuisse Latinos, Saracenos, Syrianos, Græcos, Armenos, Georgianos, Nestorianos, Iamenos, Nubianos, Chaldæos, Medos, Persas, Æthiopes, Ægyptios, Maronitas, Madianitas seu Biduinos dictos, Vhanos, Parthos, Indos: quorum posteà singulorum mores & religionem describit.

[c] Borchard par. 1. cap. 7. §. 10.

[d] 2. Reg. 1.

PLVVIÆ MONTIS GELBOE.

[e] Id. par. 3. cap. 2. §. 1.

NATIONES INHABITANTES PALÆSTINAM.

IESV CHRISTI Annus 1284.
MART. IV. Ann. 4.
RVDOLPHI Ann. 11.
ANDRON. Ann. 2.

I.

ALFONSI REG. CASTEL. MORS, ET TESTAMENTVM.

ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo quarto, Indictione duodecimâ, rebus Castellæ propemodùm desperatis ob dissidium inter patrem Alfonsum & Sanctium filium; mortuus est *Alfonsus* mense Aprili anno ætatis sexagesimo tertio, Hispali, ubi patre defuncto regium insigne susceperat: condito anteà testamento, [a] quo Alfonsum & Ferdinandum Cerdas nepotes suos inter se substitutos regni heredes nominauit; & utroque sine prole defuncto, Philippum Galliæ Regem ad priores Castellæ Reges maternum genus referentem. Inter maximos Reges connumerandus, nisi præclaras animi ac corporis dotes avaritia, severitas, atque impotens dominatus fœdâssent. Primus Hispaniæ Regum vendendi atque paciscendi vulgari Hispanorum linguâ potestatem concessit; eam linguã, quæ rudior erat, excolere locupletaréque eo decreto cupiẽs, quare & sacros libros in eamdem linguam vertendos curavit. Et ex eo tempore in regiis diplomatibus ac publicis tabulis Latina lingua, cujus, anteà visus erat, desiit usurpari: exindéq; pudenda literarum ignoratio in gentem Hispanicam atque utrumque ordinem invasit. Ita namque Mariana. [b] Observant [c] etiam nonnulli, Alfonsum inter tot negotia perlegisse quater & decies integram

[a] Ext. in Chron. ipsius Alfonsi Reg. impress. in Hisp. an. 1554.

ACTA PVBLICA LINGVA VVLGATA FIERI IVSSIT.

[b] Mar. lib. 14 cap. 7.

[c] Genebr. in Chronol. sub Vrb. IV.

Bibliam cum suis Glosis. Extant item ejusdem de Astrorum conversionibus, déque Hispanicâ Historiâ edita volumina. Unde & *Sapientis* cognomen ipsi à suis inditum: quod [d] tamen aut inimicorum injuria, aut temporum iniquitas, aut ingenij socordiâ labefactâsse videtur; eâ sapientiæ opinione vix sibi cavere saperéque doctus, ut ex ejus rebus gestis superiùs suis locis recensitis evidenter intelligi datur.

[d] *Marian. lib. 13. cap. 9.*

II.

[e] *Mar. d. l. 14. cap. 8.*

SANCTIVS FILIVS INIVSTE SVCCEDIT.

[f] *An. 1272. VI. 1276. XIII. 1282. X.*

[g] *Roder. Sanr. Hist. Hisp. par. 4. cap. 7.*

[h] *Durand. Non. in censur. cont. Teixer.*

[i] *Supr. an. 1282. XIII.*

Eo verò defuncto, regnum [e] ad Sanctium, quamvis ab eo exheredatum, nullo prohibente pervenit: iure tamen multipliciter (ut vidimus [f]) justitiæ & æquitati injurioso. Cui *Fortis* cognomen apud suos res magis feliciter quàm præclarè factæ pepererunt: ut ferè magnifici tituli, fortunæ potiùs quàm virtutis sunt beneficium. Qui sanè spoliati ejectique patris notâ ad posteritatem infamis permansit, quantumvis regnum flagitio partum non malè exercuisse reperiatur: nisi quòd iracundiâ & sævitiâ [g] supra modum exarsit. Unde etiam non *Fortis*, sed *Ferocis* cognomen ei inditum alij [h] observant. Ipso porrò regni initio, ut Alfonsum ac Ferdinandum Cerdas fratris natu maioris filios, & à patre heredes institutos à regno excluderet; Isabellam filiam suam, ex incesto [i] licet connubio natam, secundúmque tantummodò agentem annum, si alia proles deesset, regni hæredem consensu ordinum renunciari curavit. Natum verò post biennium ex eodem incesto matrimonio filiū, Ferdinandum in baptismate nominatum, confestim regni heredem [k] renunciari in conventu procerum de successione sollicitus curavit.

[k] *Mar. cap. 10.*

III.

ROGERIVS LAVRIA INSIGNIS DVX MARITIMVS.

[l] *Summont. Hist. Neap. lib. 3.*

Hoc eodem anno *Rogerius Lauria* Aragoniæ classis ad Siciliam præfectus, omniū ejus sæculi dux rei maritimæ peritissimus & astutissimus, quíque frequentibus victoriis navalibus res Gallicas pessum iis partibus dedit. Siciliámque Aragoniis quæsivit firmavítque: (ferunt autem fuisse natione Calabrum, & Carolo rebellasse quòd in thalassiarchatu postpositus ab eo fuisset Henrichino Genuensi) interceptis literis, quibus pater Carolus Siciliæ Rex è Provinciâ Carolum filium cognomento Claudum, Principem Salernitanum, quem petens Galliam Neapoli ad custodiam regni reliquerat, congressu quolibet eum hostibus vetito, certiorem de proximo suî adventu faciebat: variis autem subsannationibus, irritationibus, provocationibus, sagittarúmque etiam in urbem Neapolim injectionibus, Claudum ad navale certamen elicere omni nisu & arte festinans; evicit tandem ut idem Claudus incautus juvenis ejusmodi injuriarum sannarúmque impatiens, dehortante nequicquàm Gerardo Cardinale Parmense legatione Apostolicâ illic fungente, improvidè extra Neapolim ad pugnā minùs sibi suísque Gallis expertam exierit: quâ prætereà à magna regnicolarum parte derelictus factóque in unam ejus navem omnium hostilium impetu, quinimò & eâdem ipsius nave per urinatorem subter carinam perforatâ, fortissimè pugnans captus est unà cum nonnullis proceribus Gallis Italísque quinta die Iunij; (seu alio ejusdem mensis die, ut diversè notatur) eo maiore Francorum dolore, quòd pater Carolus tertio pòst die cum magna classe advenit: quæ si expectata fuisset, aut Lauriæ abeundum erat, aut longè alia fortuna expectanda. Rem gestam fusiùs narrant Continuator [m] Ricordani & Villanius præ ceteris. Adduntque, Carolum patrem cùm filium captum audivit, valdè indignatum exclamâsse; Utinam & mortuus fuisset, qui mandatum meum transgredi præsumpsit. At Ptolomæus Lucensis inquit, Carolum nihil hac clade perterritum dixisse ad suos; Congaudete mecum, & confortamini, quia hodie perdidimus unum Clericum, qui nostrum impediebat vigorem bellandi.

CAROLVM CLAVDVM NAVALI PRÆLIO CAPIT.

[m] *Ricord. c. 222. Vil. lib 7. cap. 92. Ant. tit. 20. cap. 4. §. 9. Chron. Nang. in & in Phil. III. Blond. 2. dec. 8. Æmil. lib. 7. in Phil. III. & Fazel. 2. dec. 91. cap. 1.*

IV.

CLAVDVS MORTI ERIPITVR A REGINA ARAG.

Ceterùm ductus Claudus in Siciliam, & arci Messanensi inclusus, à Siculis capite damnatus est, vt eodem pœnæ genere plecteretur, quo pater ejus Córadinum affecerat. At Constantia uxor Petri Aragonij, quæ in Siciliâ erat, timens periculo viri sui filiorúmque, saniori usa consilio, haud incósulto Petro quicquam agi debere inquiens, eumdem manibus Siculorum subductū in Catalaniam ad virum misit. In reliquos verò captivos igne sæuitum est à Siculis. Ita Continuator [n] Ricordani & Villanius, aliíque. Scribunt tamen quidam, [o] cùm omninò deliberatum Siculis esset Carolum morti tradere, Constátiam Principi mandâsse ut se ad eam præpararet: illum verò, cùm fortè feriâ sextâ id ei renunciatum esset, magno animo respondisse, paratissimum se esse ad illam patienter suscipiendam eo die quo Salutis nostræ Redemptor insons culpas mortalium sanguine suo lavit: Constantiamque hujusmodi responso perculsam, se etiam ejusdem mortis Redemptoris intuitu parcere illi velle inquîsse; ac supradictâ arte eum Siculis sublatum est virum transmisisse. Cùm interim legati in Siciliam duo Cardinales à Martino Papâ ut rebus compositis eum plenæ libertati restituerēt, ubi nihil ab induratis Siculorum animis obtinere potuêre, inde recedentes excommunicationis sententiam jam anteà in eos latam aggravârunt. Quo verò tempore, quibúsque conditionibus fuerit Carolus in libertatē assertus, dicetur suo loco [p].

[n] *Ricord. cap. 214. Villan. cap. 95.*

[o] *Cor. par. 2. Collenut. lib. 5. Summont. lib. 3.*

[p] *Infr. an. 1288. III.*

V.

PHIL. PVLCHER DVCIT IOANNAM REGIN. NAVAR.

Intereà hoc eodem anno postridie Assumptionis Beatissimæ Virginis, Philippum filium natu maiorem Philippi Francorum Regis, cui ab oris venustate Pulchro cognomen fuit, annos tantummodò quindecim natum, Ioannam Reginam Navarræ annorum tredecim uxorem duxisse Parisiis, regno dotali, & Comitatibus Campaniæ & Briæ, multi ponunt. Nangius tamen anno sequenti, quo Rex Carolus Siciliæ decessit. Itáque omninò dicendum fuerit, si verum sit quod Hocsemius [q] ejus temporis auctor scribit, dispensationem super consanguinitate quâ se mutuò Pulcher & Ioanna attingebant, datam fuisse per Honorium Papam IV. qui nonnisi anno sequenti sedere cœpit. Quamquam verius est, duplicem fuisse obtentam ea de re dispensationem, & priorem à Gregorio X. cùm nondum nubiles essent: cujus extant literæ in Regesto Epistolarum ejus, & in Archivis Franciæ.

[q] *Tom. 2. Gestor. Pontiff. Leodien. lib. 1. cap. 12*

VI.

[r] *Michov. lib. 3. cap. 62. Cromer. lib. 10.*

In Poloniâ [r] cū Henricus Dux Wratislaviæ (Probus cognomine dictus, etiamsi re longè à probitate abfuerit, ut Cromerus scribit) ob ingentem vim pecuniæ Thomæ Episcopo & clero diœcesis Wratislaviensis, præter ius &

motum,

motum, ad bellum contra Premislaum majoris Poloniæ Principem imperatam, nec obtentam, bona ecclesiastica invasisset, & monitus restituere recusaret: celebratâ *Lanciciæ* Synodo ab Archiepiscopo Gnesnense, de ejus sententiâ idem Henricus Dux communione Ecclesiæ unà cum sociis & fautoribus exclusus est, ac terris ejus sacris interdictum. Quibus Henricus factus irritatior, Episcopum ac sacerdotes omnes ejecit; posteáque Ratiboriam oppidum ad quod ipsi confugerant, obsidione cinxit. Unde Episcopus collocutus cum suis, indignum esse inquiens ut suâ & paucorum sacerdotum exulum causâ benè merita de se civitas periculum subiret, ac præstare ut ipsi soli vel capitibus suis iram tyranni exsatiarent; indutus vestes Pontificales, unà cum sacerdotibus sacris pariter vestibus ornatis ad hostilia castra progressus est. Et ad rei novitatem simúlque majestatem attonitus Henricus, quasi numine afflatus obviam procurrens, ad pedes Episcopi sese abjecit, & culpam deprecatus est, augustius quiddam humanâ specie in vultu Episcopi contemplatus. Episcopus elatum exosculatus in proximam ædiculam duxit; ibíque invicem collocuti in gratiam redierunt, factâ mox ab Henrico bonorum occupatorum restitutione, & damnorum satisfactione, adeò ut etiam Wratislaviam ipsam, cùm liberos non haberet, Episcopo & Ecclesiæ civitatis donare posteà voluerit, nisi Episcopus donationem abnuisset. Quare Probus cognomento exhinc jure dici meruit; qui anteà injuriâ eum titulum usurpaverat. Cùm autem in insulâ Wratislaviensi ecclesiam S. Crucis conderet, & fundamenta pararentur, reperta [s] est ex radice arboris in terrâ enata Imago Christi cruci affixi, tantâ proportione singulorum membrorum, ut à perfectissimâ sculptoris arte facta videretur; quæ hodiéque in eâdem ecclesiâ servatur.

Henr. Dux Wratislaviæ excommunicatur.

Poenitet ad egregium Episcopi facinus.

[s] *Bzov. hoc an.*

Crucifixi imago reperta in arbore.

VII. Hoc item anno (ut plures [t] ponunt, quamquam sunt qui sequenti collocent) die decimasextâ (aut vigesimâ sextâ) Martij mortuus est Tyri *Hugo* Lusignanus Rex Cypri, de cujus etiam ad regnum Ierosolymitanum jure dictum est superiùs. [u] Cui successit ejus filius *Ioannes*: huícque post annum defuncto *Henricus* ejus frater.

[t] *Sanu. lib. 3. par. 12. cap. 19. Bos. Hist. Hospital. lib. 24.*

Hugonis Regis Cypri obitus.

[u] *An. 1277. XIII. XIV.*

VIII. Dilabebantur quotidie res Christianorum in Syriâ, cùm divisionibus sui viam pararent victoriis Saracenorum, ac subinde urbium & munitionum occupationibus. Quemadmodùm & accidit [x] hoc vel sequenti anno de Margatho munitissimo ac maximi momenti oppido ab Hospitalariis possesso: quod summâ virtute ab iis defensum, dum vi non potuit arte captum est; cùm videlicèt fingentes Saraceni se eos fame vincere instituisse, ac proptereà quietè in castris agentes, interim dum Christiani rebus necessariis abundantes eorum propositum riderent, & negligentiùs vigilias & custodias agerent, illi magnâ fossorum manu cuniculis mœnia suffodientes ligneis paxillis suffulcierunt, & datâ fide accitos urbe qui periculum inspectarent, sese dedentes incolumes dimiserunt.

De rebus Syriacis.

[x] *Vill. lib. 7. cap. 100. Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 5.*

IX. Quo eodem tempore Accon, sive Ptolemais, primaria civitas Christianorum, Sedésque regni Ierosolymitani, multitudine ac discordiâ dominorum atq; rectorum pessum ibat, juxta sententiam Dominicam, [y] *Omne regnum in se divisum desolabitur*: Ubi videlicet Rex Cypri, Legatus Apostolicus, Patriarcha Ierosolymitanus, Præfectus Regis Siciliæ, duces Regum Francorum & Angliæ, Princeps Antiochiæ, Comes Tripolitanus, Hospitalarij, Templarij, Teutonici, Veneti, Genuenses, Florentini, Pisani, Armeni, Tartari, eam sibi quique diversis juribus atque prætextibus vendicare cupientes, singuli suas regiones, sua prætoria, judices, magistratus habebant, nihil alteri alteris deferentes; sed quique supremum jus in suos exercentes, tantâ rerum confusione Reipublicæque damno, ut non rarò ad manus & arma venirent, graviáque scelera impunita permanerent, dum qui in unâ regione delinquebat in alterâ sine metu pœnæ vivebat.

Ptolemais.

Multitudine dominorum obruitur.

[y] *Matth. 12. Luc. 1.*

Iesu Christi Annus 1285.

Honor. IV. Ann. 1.

Rudolphi Ann. 12.

Andron. Ann. 3.

I. Annus Christi millesimus ducentesimus octogesimus quintus Indictionis decimæ tertiæ, valdè insignis fuit funeribus Martini Papæ, ac triũ magnorum Regum, Philippi Francorum, Caroli Siciliæ & Petri Aragonij. Quæ eo ordine enarrabimus quo contigerunt.

II. Agmen duci Carolus: quem cùm Nangius, Ricordani Continuator, & Villanius ejus temporis auctores scribunt mortuum esse anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto die septimâ Ianuarij, in errorem impulêre nonnullos ut Caroli obitum collocarent anno superiori; haud animadvertentes, Ricordanum & Villanium Florentinos solitos annum inchoare ab Incarnatione Domini vigesimo quinto Martij; Nangium more antiquo Francorum à Resurrectione, non à Nativitate aut Circumcisione: ac proptereà cum mortem Caroli ponunt die septimâ Ianuarij anni ducentesimi octogesimi quarti, præsenti esse collocandam, qui numeratur à Nativitate aut Circumcisione millesimus ducentesimus octogesimus quintus. Mortuus est autem Foggiæ Apuliæ oppido, cùm rebus adversis non cedere, non animo succumbere sciens, regnum circumiret ad confirmandos titubantium ab acceptis cladibus populorum animos, & arma classémq; ad Siciliam recuperandam compararet: princeps indole animi summus, omnibus sui sæculi virtute bellicâ & pacis artibus longè antestans, Ecclesiæ Romanæ ejusq; jurium defensor & amplificator egregius, regni sui optimis institutis & ordinationibus, ædificiis sacris profanísq; ac monasteriorum fundationibus illustrator præcipuus, *Magni* jure merito cognomen adeptus ob fortia gesta, præstantissimásque animi ac corporis dotes; quas qui probè novit descripsit inter ceteros Villanius: [a] denique & tantæ apud Græcos, quamquam hostes infensissimos, existimationis, ut scripserit Gregoras, [b] animi vigore præstantique sapientiâ majores suos longo intervallo superâsse. Ac de eodem & Michaële Palæologo

Caroli Reg. Sicil. obitus.

Eius virtutes.

[a] *Vill. lib. 7. cap. 1. &c.*
[b] *Greg. lib. 5.*

logo celebre dictum refert: Nisi Constantinopolitanum regnum talem Imperatorem habuisset, facilè illud à Rege Carolo subigi potuisse; & contrà nisi tum talem Regem Italia habuisset, eam ab Imperatore capi potuisse. At verò sub finem vitæ peccata suorum luens, documento factus est ceteris Principibus, ut non minùs subditorum moribus quàm suî ipsorum invigilent, cùm & alioqui ipsemet splendori gloriæ suæ maculam inusserit ambitionis, cupidinis, severitatis, & vindicationis.

ET VITIA.

III. Moriens verè contritus & pœnitens, cùm sanctissimum sacratissimæ Eucharistiæ Viaticum suscepturus esset, hæc ex intimo corde protulit verba; [c] *Domine Deus obsecro te ita miserearis animæ meæ, quemadmodum ego verè credo te esse Salvatorem meum; & ita dimittas peccata, sicuti ego suscepi expeditionem Siculam honoris magis ac commodi Ecclesiæ quàm propri*: ac paulò pòst animam sacris ritè purgatam efflavit. Quæ, ut ferunt, [d] in Ignem purgatoriũ delata, apparens B. Andreæ Anagnino Ordinis Minorum Alexandri IV. Pontificis pronepoti, & Bonifacij Octavi sub quo vixit consanguineo, rogavit ut pro se divinam misericordiam imploraret, brevì ejus orationibus à pœnis liberando. Mortuus est anno ætatis sexagesimo sexto, regni Siculi vigesimo inchoato, Ierosolymitani octavo. Visceribus Foggiæ relictis; corpus Neapolim delatum est in ecclesiam metropolitanam, cor Parisios ad Dominicorum. Cujus uxor Margarita Comes Tronodori Burgundiæ (vulgò *Tonnerre*) post viri obitum ad sua se recipiens, in domo hospitali à se constructâ, & omnibus rebus ad pauperes recipiendos & alendos instructâ, piâ ac sedulâ devotione omnia servitutis & humilitatis obsequia ad finem usque vitæ, quam ad plurimos annos produxit, impendere perseveravit.

[c] *Villan. lib. 7. cap. 94.*

ULTIMA VERBA.

[d] *Vid. Vvadding. to. 2. Ann. Minor. an. 1295. X.*

IV. Successorem in regno filium Carolum Principem Salernitanum reliquit. Sed quòd is captivus detineretur, Martinus [e] Papa ut supremus regni dominus, Gerardum Cardinalem Parmensem Sedis Apostolicæ apud Carolum Legatum, titulo Balivi seu administratoris regno præfecit; qui unà cum Roberto Comite Atrebatensi Caroli patruele à Philippo Rege Francorum illuc misso, & Maria Hungarâ conjuge prædicti Caroli Salernitani, regnum gubernaret, & ab hostium insultibus tutaretur. Cui à Roberto in sumptus ordinarios ex proventibus regni mille auri uncias tradi tantisper dum Balivi officio fungeretur, idem Martinus scriptis literis [f] injunxit.

MART. PP. CVRAM GERIT REGNI.

[e] *Collenut. lib. 5 Æmil. in Phil. III.*

[f] *Reg. Mart. IV. an. c. 4. ep. 25. 3. Cal. Mart.*

V. Sequitur ordine obitus ejusdem Martini Summi Pontificis: qui cùm sacris in ecclesiâ Perusinâ solemnitate Paschali, quæ eo anno incidit in diem Annunciationis Beatissimæ Virginis, vigesimam quintam Martij, celebratis, occulto morbo medicis incognito correptus fuisset; post quatuor dies, nempè vigesimâ octauâ ejusdem mensis migravit ad Dominum; postquàm sedisset annos quatuor, unum mensem, & dies septem. Et in eâdem ecclesiâ cathedrali S. Laurentij sepultus, miraculis cõfestim claruit; restituta cæcis, claudis, mutis, aliisque infirmis ad ejus monumentum accedentibus pristinâ sanitate: ut testatur qui vidit Poloni Continuator; confirmántq; Nangius, Platina, ac plerique alij. Quasi declarare voluerit Deus universo mundo, non injustum fuisse aut iniquum Martinum cùm Petrum Aragonium damnavit, quemadmodùm Petrus criminabatur; sed justum & æquum vindicem jurium & auctoritatis Ecclesiæ, propulsatorem injuriarũ insontibus illatarum: quem in eâdem contra Petrum sententiâ usque ad obitum perseverantem haud alioqui Deus signis & miraculis illustrâsset. Cum autem in habitu Minorum mori voluisset, & in eodem sepeliri, corpúsque ad ecclesiam S. Francisci Assisiatem transferri, relicto inter alios Iacobo Sabello Cardinale hujus voluntatis suæ executore; accidit ut evectus in locũ ejus ad Pontificatũ idem ipse Iacobus, arduis mox negotiis obrutus id tam citò præstare nequiverit: cúmque anni sequentis Cal. Febr. scripsisset [g] ad Perusinos, ut permitterent, curarentque corpus Assisium deferri, illíque ne sacris ejus privarentur reliquiis, varias interponentes excusationes rem distulissent usque ad obitum Iacobi, nec quisquam ampliùs translationem urgeret; remanserit corpus Perusij, ubi ob crebra miracula quibus claruit, colitur ut sanctus.

MARTINI PONT. OBITVS.

CLARET MIRACVLIS.

[g] *Reg. Vat. Honor. IV. ep. 266. quam descripsit. Vvadding. to. 2. an. seq.*

VI. Postquàm igitur Sedes vacâsset diebus tantummodò quatuor, electus est in locum ejus die secundâ Aprilis ibidem Perusij idem *Iacobus* primus Diaconus ex nobili familiâ Sabellâ Romæ Lucâ patre natus, & ab Vrbano IV. creatus Diaconus Cardinalis tituli S. Mariæ in Cosmedin. Qui confestim de more, etiam antequàm insignia Summi Sacerdotij acciperet, datis itidem Perusij Nonis Aprilis, literis [h] encyclicis, omnes Prælatos Principésque & universum populum Christianũ suæ assumptionis admonuit. Indéque Romam petens, consecrationis & coronationis insignia suscepit apud S. Petrum 17. Cal. Maij; assumpto nomine HONORII IV. ac symbolo seu sententiâ *Pars mea Deus in sæcula*. Fuit autem vir quolibet virtutum genere insignis, sed adeò morbo articulari [k] pedes manusq; præpeditus, ut sæpè non nisi sedens, atque adminiculo quorumdam instrumentorum ad id aptè fabrefactorum sacra agere posset: ceterùm consilio & prudentiâ tantùm valens, ut non multùm corporis vires in eo desiderarentur. Cui & frater [l] fuit Pandulphus; qui Senatoriam dignitatem gens tantâ justitiâ ac severitate viguit, ut quoties Populus Romanus Urbem latronibus & nefariis hominibus purgare vellet, non alium Senatorem quàm Pandulphum deligeret: quamvis & ipse podagrâ & chiragrâ admodùm vexaretur: illud dictitans, non manus & pedes, sed caput imperare.

IACOBVS SABELLVS FIT PONTIFEX.

[h] *Reg. Hon. IV. ep. 1.*

DICTVS HONORIVS IV.

[i] *Psal. 72.*
[k] *Vvestmonast. hoc an. Platin. in Honor. IV.*

[l] *Platin. in Honor. III.*

VII. Sic etiam Honorius nihil constantiæ Pontificalis remittens, imprimis Eduardo Angliæ Regi, per oratores ad Martinum decessorem suum nuper missos petenti ut sibi liceret decimas in Concilio Lugdunensi ad sacram expeditionem Terræ Sãctæ indictas, in regno Scotiæ exigere, negavit [m] se quidquam ei in alieno regno permissurum; tempúsque nihilominùs præscripsit quod ad sacrũ id bellum transferre deberet. Paritérque Rudolpho [n] Romanorum Rege per nuncios deprecante ne Pontifex similes decimas in Leodiensi, Metensi, Basileẽsi, ac vicinis diœcesibus impositas exigeret, excusavit se non posse eas non exigere

QVOMODÒ EGERIT CVM DIVERSIS PRINCIPIBVS.

[m] *Ep. 14. 13. Cal. Maij.*
[n] *Ep. 11. Tibur. 9. Cal. Aug.*

viribus

pro regno & Rege Siciliæ vindicandis ab invasione & usurpatione Petri Aragonij Ecclesiæ hostis. Nihilque non egit, ut Carolũ Claudum à captivitate liberaret; quamvis nec literis, nec legatis neque etiam beneficentiâ id à contumacibus Ecclesiæ hostibus obtinere potuerit quippe constat, [o] eum ob gravia onera quæ à Friderico Imp. ejúsque filiis imposita fuisse obtendebatur, & à Martino PP. Caroli Regis consensu in ordinem redacta fuerant, Apostolico decreto sanxisse uti tributorum onera quæ provincialibus Siculis intolerabilia imponebantur, tollerentur. Quare quantumvis (ut ait Platina) neminem lædere in Pontificatu suo constituisset, omnibúsque prodesse quoad fieri poterat; provocatus tamen Petri Aragonij injuriis & duritie animi, Martini decessoris sui decreta ac sententias in eum confirmavit.

[o] Surit. Indic. lib. 2. hoc an.

VIII.

Quod autem de Rudolpho diximus, existimamus eum ita cum Pontifice egisse, ut vel eo officio aliquatenùs satisfaceret Aragonio; qui quòd perspiceret [p] sibi adversus Regis Frãcorum, à quo gravissimũ bellum imminebat, potentiam satis virium non esse, externa auxilia conquirens, misisset in Germaniam legatos ad Rudolphum pertentãdum, si fortè Gibellinæ factionis misericordiâ cõmotus ab adversariis oppressæ, Italiã aggredi induceret in animum. A quo tamen præter speciosa verba nihil melioris spei relatum est, Rudolpho cautis potiùs consiliis quàm periculosis dedito, & tunc Helvetiorum bello implicito: quem & alioqui proniorem esse decuit in filios Caroli apud Aragonium captivi, vel ex eo quòd Clementia ipsius Rudolphi filia jam desponsa fuisset Carolo Martello prædicti Caroli captivi filio primogenito.

[p] Marian. lib. 14. cap. 9.

PETRUS ARAG. RUDOLPHUM IMP. TENTAT DE AUXILIIS.

IX.

REGIS FRANC. NOBILIS EXPEDITIO IN ARAGONIAM.

Sed quod expeditionem Francorum in Aragoniam spectat, susceptam pro eo regno asserendo Carolo minori Regis filio, cui à Sede Apostolicâ assignatũ fuerat: extitit ea omniũ eâ tempestate maximè memorabilis, equitum viginti millium, peditũ octoginta, crucesignatorum, utpotè contra publicũ Ecclesiæ hostẽ certaturorum; navium centum viginti. Aderat ipse Rex Philippus unà cũ filiis Philippo Rege Navarræ, & Carolo Rege Aragoniæ destinato, necnon Iacobo Rege Balearium Petri fratre, sed hoste imprimis infenso ob multas quas ab eo passus fuerat in spoliatione ditionũ suarum injurias. Nec deerat Summi Põtificis nomine Legatus qui Apostolicæ Sedis auctoritate negotiũ roboraret: *Gervasius* videlicèt *Iancoletus* patriâ Cenomanẽsis, tituli Sanctorum Silvestri & Martini Presbyter Cardinalis. Ita namque plures: cuius loco nonnulli *Ioannem Choletũ* Cardinalem S. Cæciliæ ponunt, quem sub Martino missum vidimus legatum in Galliam ad Crucem cõtra Aragonium prædicandam: facili lapsu ex nominum similitudine. Mense igitur Maio Narbone Perpinianũ itum est: ídque oppidum Iacobo Regi deditionem fecit, Francosque intra mœnia recepit, atque ejus exemplo reliqua eo tractu oppida; præter Elnam Urbem Episcopalem, (quam nonnulli hujus expeditionis tractatores Ianuam corruptè vocant) obsidionem tolerare ausam; quæ vi capta est, cæsis, ad unum oppidanis ob fraudem in promissâ deditione factam. Servatus tamen eâ occisione Ruscinonẽsis nothus gratiam Francis retulit in ulteriora penetrare parantibus; dum Pyrenæi montis fauces Aragonio obsidente, sic ut transeundi spes nulla esset notis tramitibus eos circumductos integrâ fide ad juga deduxit quæ Aragoniorum castris imminebant. Unde repentinus metus Aragoniis incussus, tutum Regibus iter aperuit in campestria Cataloniæ, ubi nonnullis oppidis brevì in potestatem redactis, Gerunda urbs nobilis, ampla, & egregiè munita, ac fortiter defensa à Raymundo de Cardonâ nobili Catalano in tertium mensem obsidionem sustinuit.

X.

PETRUS ARAG. SUIS INSIDIIS INTERCIPITUR.

Quo tempore cùm Petrus Aragonius impar viribus loca insidiis opportuna captaret; ac quâdam die commeatum qui à portu Rhodopensi, sive Roseo, ubi classis erat Francorũ, in castra cum militum stipendiis devehebatur intercipere parâsset, quingẽtis delectis equitib. & duob. peditũ millibus in insidiis collocatis: re per exploratores cognitâ, Rudolphus de Nellâ Conestabilis & Ioannes Haricuria Marescallus viri fortissimi, cum solis trecentis ex toto exercitu selectissimis equitibus, (id videlicèt providentes ne Petrus multitudine deterritus fugam capesseret) ad locum insidiarum contendunt. Ex quo ortis cum clamore hostibus, pugnatum est atrociter, numero Aragoniis, ita ac virtute Francis præstantibus: donec Petrus strenuissimè pugnãs gravi in facie vulnere accepto sese ex acie recepit; tantùm non captus ab equite Frãco, qui correptis ejus equi habenis secũ abduxisset, nisi Petrus iis gladio discissis in repentino periculo fugâ evasisset, amissis ducentis equitibus ac peditatu. Peracta est pugna in vigiliâ Assumpt. Beatiss. Virgin. Eiusque nuncio accepto, obsessi Gerundæ defensione desperatâ deditionem fecerunt.

XI.

OB INGRUENTEM PESTEM DESERITUR HISPANIA À FRANCIS.

Sed quòd intereà lues grassari cœpisset in Francorũ castris, insuetum æstum & fœtorem cadaverum iniquissimo anni tempore haud ferentium, receptâ Gerundâ in Galliam sese pedestri itinere referre præcipiti autumno decernẽtes, majorem navium partem velut inutilem improvido consilio dimiserunt. Quippe Rogerius Lauria vigilantissimus ille ac fortunatissimus classis Aragonicæ ad Siciliã præfectus, post captũ in extremâ Italia Tarentum, in Hispaniam Petro laturus opem maturans, imminutam Frãcorum classem improvisò adortus profligavit, capto etiã ejus præfecto. Quo audito Rex *Philippus*, adversâ jam valetudine afflictus, omnia inde difficiliora fore providẽs iter continuò in Ruscinonensem agrum convertit; & superatis ægrè, nec sine clade, Pyrenæis montibus ob cõtinuas infestationes Aragoniorum, angustias & fauces montium obsidentium, lecticariorum humeris ob valetudinem vectus Perpinianum pervenit: atq; ex agitatione itineris aucto morbo, ibi decessit die sextâ Octobris, (sive alio die ejusdem mensis, ut quidam assignant (exacto ætatis suæ anno quadragesimo, regni decimoquinto. Cuius viscera, & carnes ab ossibus seiunctæ, Narbone in Ecclesiâ cathedrali, cor apud Dominicanos Parisienses, ossa in templo S. Dionysij prope Parisios in Regum sepulcris condita sunt. Circa quæ obseruat Nangius in fine ejus Vitæ, magnam dissensionem ortam esse inter monachos S. Dionysij & Fratres Prædicatores con-

PHILIPPUS REX FRANC. MORITUR.

ventus

vetus Parisiēsis; ex eo quòd Philippus defuncti Regis filius & in regno successor, ad petitionē cujusdam ex dictis Fratribus cōcessisset improvidè cor patris sui: monachi autē contestarentur nō debere alibi condi quàm ubi Rex sepulturam elegerat, nempè in monasterio suo: prævaluisse tamen auctoritatem novi Regis, ut cor apud Prædicatores sepeliretur. Verumtamen fuisse posteà determinatū per plures Magistros in Theologiâ, neq; Regem neq; monachos dare, neq; Prædicatores posse cor regium retinere absq; dispensatione Summi Pontificis.

XII. SUCCEDIT FILIUS PHILIP. PULCH.

Successit in regno *Philippus* Rex Navarræ major filius, natus tantummodò annis septemdecim; ejus nominis Rex Quartus, & cognomine *Pulcher*, quòd omnium mortalium suæ ætatis formosissimus haberetur, procerâ staturâ membris decenter compositis: de cujus coronatione dicetur anno sequenti.

XIII. MARGARITÆ RELICTÆ S. LUDOVICI OBITUS.

Mortuam quoque hoc anno mense Decembris, (non post decennium, ut Nangius & alij quidam volunt) *Margaritam* Reginam relictam S. Ludovici & matrem prædicti nuperi Regis Philippi, in monasterio Clarissarum suburbij Parisiorum S. Marcelli quod fundaverat, & sepultam apud S. Dionysium penes Regem virum suum, ac testamento pretiosam omnem supellectilem suam reliquisse magno Hospitali urbis Parisiorum, scribunt pro re indubitatâ solertissimi Sanmarthani fratres post obitum S. Ludovici.

XIV. AUCTORES QUI PRÆDICTAM EXPEDITIONEM DESCRIPSERUNT.

Sed quod ad prædictam expeditionem Aragonicam rursùm spectat; eam ita ut narravimus processisse, copiosè describunt ejus temporis scriptores sincerissimi, quos sæpè citamus, Ptolomæus [q] Lucensis, (qui se ab iis qui interfuerunt didicisse asserit) Villanius, [r] & Nangius; [s] auctor Chronici Monfortiani, ac qui subinde scripserunt ceteri Itali, & Franci; ac medius inter eos Æmilius [t] Italus ipse, sed res Francorum eximiè describens: Mariana [u] item, ac ceteri Hispani veritatis amatores: denique omnis generis & nationis historici, ac Chronicorū aut Annalium Scriptores qui de iis meminerunt: (nisi quòd discrepant nonnihil aliqui in numero pugnatorum:) Solis Aragoniis exceptis, aut qui res eorum memoriæ mandârunt; qui turpi rerum suarum quâ commendatione quâ excusatione, inter alia scribūt prædicto certamine ad insidias Gerundenses inito adfuisse ingentem partem equitatûs Gallici & copiarum exercitûs; Petrum integrum nec ullo modo læsum exæquatâ utrimque cæde discessisse quantumvis cùm qui hæc quoque asserit Surita, fateri nihilominùs cogatur, exteros omnes ad unum auctores Aragonium eo prælio devictum, atq; ex eo saucium elatum referre. Utris igitur credendum? Aragoniis res suas venditantibus, aut exteris ad unum omnibus rem ut gestam esse constabat narrantibus, quorum nihil intererat quis victor aut victus fuisset? Quinimmò quasi hæc parva essent, reperitur alius [x] audetior, quem contra ceterorum omnium assertionem scribere non puduit, nequaquàm Gerundam in manus Francorum devenisse, sed ab ejus expugnatione cessare coactos fuisse ob immissa divinitùs in eos grandium muscarum agmina. Muscas sanè Francos inquietâsse; & alij memorant; (nasci videlicèt spontè faciles regione ac tempore calidissimis inter sordes & cadavera castrorum, quæ & pestilentiam induxerunt:) at obsidionem solvere coëgisse, nemo usquam prætereà somniavit. Nugatur verò etiam insigniter more suo solens Lucius Marineus [y] Siculus, cùm Carolo Regi Siciliæ hanc expeditionem tribuit. Et nugaciùs Auctor Historiæ [z] Australis, cùm de hâc expeditione scribere attentavit, plura mendaciorum quàm verborum monstra de utroque exercitu coacervans.

[q] *Ptol. Luc. Hist. lib. 24. cap. 14. & seqq.*
[r] *Vill. lib. 7. cap. 101. & seqq.*
[s] *Nang. in Phil. III. & in Chron.*
[t] *Æmil. in Phil. III.*
[u] *Mar. lib. 14. cap. 9.*
[x] *Hier. Blanc. comment. Rer. Arag.*
[y] *Marin. de reb. Hisp. lib. 11.*
[z] *Ext. tom. Rer. Germ. Freher.*

XV. PETRI ARAG. OBITUS.

Ut verò cetera breviter expediamus; discessu Francorum tum alia oppida ab illis occupata, tum ipsa Gerunda brevì in manus Aragoniorum redierunt. Petrus autem dum fratrem Balearium Regem jam anteà invisum, ac recèns quod Francis inhæsisset summè exosum, bello persequi statueret; ad Villamfrancam morte sublatus est die octavâ Novembris; ex vulnere, ut plerique volunt, ad pugnam insidiarum accepto; sive etiam, ut quibusdam creditum Villanius [a] refert, ex eo quòd nondum persanato vulnere quamdam feminam carnaliter cognovisset. Princeps præclaris animi corporísque donis egregiè dotatus; majoris tamen famæ quàm laudis, & ignominiâ anathematis ad usque vitæ finem notatus, quam imaginem menti morientis oculísque inerrâsse [b] fama fuit. Eâ tamen religione ab Archiepiscopo Tarraconensi solutus est sub mortem, Ecclesiæ Romanæ cui parere recusârat, obedientiam conceptis verbis juratus. Sic enim Principes qui cornua in Sedem Apostolicam erigunt, postquàm effrenatè passionibus suis ac immoderatis animorum motibus diù indulserunt, coacti tandem sunt, si quam curam vitæ æternæ habeant, ad eamdem Sedem, quæ claves regni cælorum tenet, recurrere. Quid igitur prodest leonina ferocia in vitâ, si in morte induenda est ovina simplicitas? Nec est qui recogitet: ô cæcas hominum mentes! Nihil tamen Petrus de restitutione Siciliæ decernens, ejus regni mentione tacitâ, (quicquid secùs dicat Fazellus, multa his narrationibus contra aliorum sententiam immiscens) *Alfonsum* natu maximum paternarum ditionum hærede testamento dixit; qui tum in expeditione Balearicâ erat, quâ patruum Iacobum regno illo exturbavit, sibique adjecit. Alter Iacobus [c] Alfonsi frater, qui cum matre Constantiâ Siciliam regebat, *Regem* se ejusdem *Siciliæ*, necnon *Ducatûs Apuliæ ac Principatus Capuæ* nominavit: eóque titulo posteri Reges Siculi Aragoniæ stirpis usi fuêre quandiù cum Caroli Regis nepotibus bella gesserunt.

[a] *Vill. cap. 102. Anton. tit. 20. cap. 4. §. 10. ad fi.*
[b] *Marian. d. cap. 9.*
[c] *Surit. Indic. lib. 2.*

XVI. PHILIP. COM. SABAUD. PIUS OBITUS.

Tot Regiis mortibus aliam addimus Principis licèt majestate ac potentiâ inferioris, virtutis tamen ac pietatis laude pluribus superioris, vel eo facto quod narrabimus. Fuit is *Philippus* Comes Sabaudiæ septimus: qui cùm mortem sibi imminere perspiceret, denunciari publicè præconis voce per universam Sabaudiam atque Burgundiam (cui ratione conjugis Comitissæ Burgundiæ præfuerat) præcepit, siquis omninò cujuscumque gradûs aut conditionis quocumque titulo læsum se ab eo vel debito fraudatum prætenderet, securus accedere, satisfacturum se omnibus cumulatè. Nec his cōtentus, suppellectilem copiosam ac pretiosā quâ domus illa abundabat, pauperib.

distri-

distribuit; & monasterio Altæcombæ, ubi sepeliri voluit, multa ac speciosa ornamenta contulit, & proventus auxit. Mortuus autem est hoc anno, ut veriores historiæ habent; non decennio antè; ut qui tempora pervertere nihil pensi habet, [d] inconsideratè posuit.

[d] Bzov. an. 1275.

XVII.

[e] Vid. supr. an. 1273. XI. Michov. lib. 3. cap. 60. Crom. lib. 10.

PAULI EPISC. CRACOV. CONTINUATA MALITIA.

Hoc item anno Paulus [e] Episcopus Cracoviensis, nec domari carceribus, nec deliniri beneficiis Lesci Principis sciens; omnium odia, quò captivitates suas ulcisceretur, in eum inflammans, id effecit ut publico procerum atque nobilitatis consilio Conradus Masoviæ Dux Lesci frater patruelis, ad suscipiendum principatum evocaretur: eóque progressum est, ut Conradus universo ejus dominatu potitus sit, Cracoviensi arce exceptâ quæ in fide Lesci perstitit: quousque Lescus ad Regem Hungariæ profugiens, acceptis ab eo Hungarorum & Cumanorum auxiliis, Conradum prælio vicit, suáque recuperavit; concessâ veniâ proceribus culpam deprecantibus.

XVIII.

[f] Ioan. Magn. Hist. Suet. lib. 20. [g] Supr. an. 1275. X.

WALDEMARUS REX SUEC. DATUR IN CUSTODIAM.

In Sueciâ [f] Waldemaro Rege deposito, [g] post liberam juris sui in fratrem Magnum renunciationem, Danorum auxiliis regnum perturbare non desinente, nec à vitiis & adulteriis publicis, ob quæ invisus omnibus redditus fuerat abstinente; proprij fratris Episcopi Lincopensis ac Finlandiæ Ducis, aliorúmque regni Antistitum procerúmque sententiâ, prædicto Magno Regi consultum suggestúmque est, ut eumdem Waldemarum usque ad emendationem vitæ suæ & morum reformationem custodiæ manciparet, præbitis ei honestè rebus necessariis.

XIX.

WENCESLAUS REGNAT IN BOEMIA.

Hoc eodem anno, postquàm Wenceslaus filius Othocari quondã Regis Boëmiæ sub curâ Othonis Marchionis Brandeburgensis septem annis permansisset, idémq; intereà Marchio consilia in perniciem Boëmiæ agitâsset, (quæ Rudolphus Rex Romanorum dissipavit) quin etiam per Episcopum Brandeburgensem thesauros sacelli regij Pragensis insigni splẽdore ex auro & gemmis exornati expilâsset: demum idem Wenceslaus annum agens decimumquintum ex Marchiâ Brandeburgensi, quò abductus fuerat, immenso auri pondere veluti redemptus, Pragam remissus est, ac regno redditus summâ Boëmorum exultatione. Qui rursùm sub impotẽtiorem cujusdam Zavissij Baronis, quẽ mater Wenceslai post adulterium cum eo commissum in virum acceperat, dominatum redactus; brevi matre morbo extinctâ, & Zavissio ob conjurationem in Regem intẽtatam capite minuto; liberas tandem nactus est regni sui habenas. Celebraverat interim pactas olim cum Iuthâ sive Iudithâ Rudolphi Romanorum Regis filiâ nuptias, tantâ Principum ac nobilitatis frequẽtiâ, ut asserat Dubravius [h] hæc omnia pleniùs describens, quotidiano epulo non minùs centum millia hominum Pragæ excepta fuisse. Otto autem ex hoc matrimonio intra annũ Wenceslao filiolo, ingẽti inde lætitiâ Rudolphus affectus, aliquot ditiones & ampla regalia genero concessit: jussitque solemnibus actibus pòst inde Regem Boëmiæ Electoribus Imperij sine ullâ ambiguitate perpetuò adnumerari pocillatoris nomine. Fuit porrò Wenceslaus inter has pompas tantâ pietate præditus, ut etiam duos ante matrimonium continuos annos cilicium, quod domandæ carni induerat, non exuerit, ac jejunium quâ cœpit abstinentiâ etiam maritus perpetuò servaverit; multus & assiduus in oratione fuerit; mansuetudine ac clementiâ excelluerit; denique ita vitam traduxerit, ut ejus opinio sanctitatis posteà miraculis confirmata tradatur. Cetera de illo posteà.

[h] Dubrav. hist. Boëm. lib. 18.

ADNUMERATUR ELECTORIBUS IMPERII. PIUS EIUS VIVENDI MODUS.

XX.

[i] Masson. in Honor. III. [k] Vid. supr. an. 1205. XIII. & 1274. XVI.

CARMELITARUM MUTATIO HABITUS.

[l] Ex f. Bullar. to. 1. Bonif. const. 3. ex Reg. Vati.

Ordinem CARMELITARUM (quos in Galliâ *Sacculos* sive *Saccatos* vocatos tradit Massonius [i] ex Annalibus S. Victoris; quâ de re jam suprà:) non satis in Concilio [k] Lugdunensi sub Gregorio X. comprobatum, hoc anno ab Honorio Papa cõfirmatum ponit Onuphrius in Chronicos; & pallium album eis datũ mutatis videlicèt eorum chlamydibus, quæ ex albo panno latis fasciis pullis sive canusinis intertextis variatæ erant, tamquam oculis Christianis minùs gratis, in purè albas. Quæ majorem à constitutione [l] Bonifacij VIII. de his editâ lucem accipiunt: dum eâ intelligi datur, Honorium quidem concessisse Fratribus illius Ordinis, habitum Religionis, ob varietatem ipsius minùs decentem, in alium decentiorem commutare; non tamen, qualis esse deberet designâsse: verùm ipsos postmodùm in Capitulo suo generali deliberâsse cappis purè albis imposterùm uti, quam mutationem ipse demùm Bonifacius confirmavit septimo Calendas Decembris Pontificatûs sui anno primo. Scribunt autem multi auctores, [m] Soldanum Saracenorum adeò hâc vestis reformatione offensum fuisse, ut cùm anteà illos veneratióni haberet ob reverentiam Eliæ Prophetæ qui montem Carmeli, à quo eis denominatio, incoluerat; jam eos in contemptum Pontificis ac Christianæ religionis ejecerit de monte, locúmque suis colendum tribuerit. Quod equidem à Deo permissum putamus, ut eò faciliùs Fratres per universum mundum diffunderentur, cujus jam multas provincias incolebant; nec etiam desint qui eumdem montem adhuc incolant postliminio restituti.

[m] Villan. lib. 9. cap. 108. Anton. tit. 20. cap. 5. Contin. Bel. sacr. lib. 3.

XXI.

[n] Onuphr. in Chron. Eccles.

ORDINUM SERVORUM, ET EREMIT. CONFIRMATIO.

[o] Lang. in Chron. Zitzen. Platin. in Honor. IV.

B. CLEM. AUGUSTINIANUS.

[p] Ant. tit. 24. §. ult. [q] Ios. Pamphil. in Chron. Eremit.

Ordinem quoque *Servorum*, [n] necnon *Eremitarum* [o] *S. Augustini* per id temporis Parisiis improbatos (quippe in eodem Concilio Lugdunensi, ut ibi diximus, ad maturiorem deliberationem relatos) idem Honorius Pontifex confirmavit. Quo tempore florebat *Ægidius* ejusdem Eremitani Ordinis professor, de quo plura posteà. Erátque illius Prior Generalis *B. Clemens* de Auximo, vir multis miraculis & summâ pietate clarus: cujus solerti providentiâ constitutiones Ordinis per antiquos Patres editæ, (ut scribit S. Antoninus) [p] fuerunt emendatæ, & in meliorem ordinem redactæ; quibusdam additis & detractis, prout recto Ordinis statui congruere visum fuit. Obiit [q] autem anno 1290. apud Urbem-veterem extremâ senectute: ad cujus corpus, suavissimo odore fragrans, ingentia facta sunt morborum curationis miracula.

XXII.

HONOR. PONTIF. LINGUARUM STUDIUM PARISIIS INSTITUIT.

Quo eodem anno Pontificatûs sui primo idem Honorius fidei Christianæ dilatationem summo ardore desiderans; pro convertendis Saracenis, & reducendis Schismaticis Orientalibus, Arabicæ & aliarum peregrinarum linguarum studium, Parisiis ab Innocentio, Alexandro, & Clemente horum nominum Quartis ut institueretur sæpiùs præceptum, atque à subsequẽtibus Pontificibus solerter commendatum,

r Reg. Honor. an. 1. ep. 270. & ap. Vadd. an. 1287.

datum, ille omninò institui voluit, scriptis eâ de re literis [r] ad Ioannem Gholetum Cardinalem S. Cæciliæ legatione Apostolicâ in Galliâ fungentem. Cujusmodi instituendis collegiis, & Mahometanorum conversioni, indefesso labore ac summo studio incubuisse reperitur *Raymundus Lullus* Catalanus, de quo superiùs agi cœptum, variásque eâ de causâ in Italiam, Galliam, Africam suscepisse difficiles ac periculosas peregrinationes.

XXIII. s An. 1282. XVII. Argon fidem restituit inter Tartaros.

Hócque item anno in Perside, post supplicium Mahometi apostatæ Regis Tartari de quo suprà,[s] nolens Argon ejus nepos Chaam dici priusquàm à Cobila summo Tartarorum Imperatore confirmaretur; id facilè impetravit: regnúmque viriliter ac prudenter gubernans, Christianorum ecclesias à Mahometo dirutas reparavit; Regésq; Armeniæ ac Georgiæ (sive Iberiæ Orientalis) qui ab obsequio Mahometi recesserant, sibi denuò conciliavit: de quo plura inferiùs sub Nicolao Quarto.

XXIV. t Crus. par. 3. lib. 3. cap. 8. Iurandi modus impositus Iudæis.

Traditur quoque in Annalibus Suevicis,[t] hoc primùm anno Augustæ Vindelicorum hunc jurandi ritum impositum fuisse à Senatu urbis Iudæorum perfidæ genti, fallere ac Christianis mētiri solitæ; ut positâ manu dextrâ in Mosis Pentateuchum in suis Synagogis, testarentur se tam bonâ fide veritatem in negotiis propositis professuros, quàm vellent sibi Deū omnipotentem adjutorem esse: ídque se per Legem quam Dominus Deus in monte Sinai lapideis tabulis, sibíque & omnibus Iudæis dedisset, atque per præsentes quinq; Mosis libros jurare. Nulla videtur excogitari potuisse formula, quâ fortiùs astringerentur: an verò inde fideliores apud Vindelicos evaserint, valdè dubitamus; quos aliis ubique locis perfidissimos sæpè sese exhibuisse omniū gentium auctores testantur. Hócq; ipso anno (ut Chronicon Salisburgense [u] ponit, cùm Aventinus sequenti collocet) apud Monachium Bavariæ oppidum, cùm anus quædam pecuniâ corrupta Iudæis infantulum vendidisset, eum illi punctim acubus cædentes necârunt, cruorem malluvio excipientes, quo perlitare credebantur. Cùm verò eadem anus alterum infantem subreptura, à patre ejus deprehensa esset; quæstionibus admota, ac facinus confessa, pœnas luit. Ac vulgus non expectatâ Iudicum sententiâ in Iudæos concurrens, feriâ quâdam sextâ centum octoginta intra Synagogam ne læderentur à magistratu inclusos, unà cum illâ igne concremavit, nemine prohibere valente: ac postmodùm ecclesia Christianorum ibi ejecta est.

u To. 6. antiq. Lect. Canis.

Iesu Christi Annus 1286.
Honorii IV. Ann. 2.
Rudolphi Annus. 13.
Andronici Ann. 4.

I. Honor. PP. ordinem quemdam novum damnat. a Ext. in Reg. Vat. & inde tom. 1. Bullar. Honor. IV. const. 1. & ap. Eymer. in Direct. Inquis. par. 2. q. 12.

Anno Christi millesimo ducentesimo octogesimo sexto, Indictione decimaquartâ, Honorius Papa quarto Idus Martij anno Pontificatûs primo exeunte, constitutionem [a] promulgavit, ad universos Episcopos, contra sectam quæ sub nomine *Ordinis Apostolorum* his temporibus novo religionis habitu per Italiam aliásq; diversas Orbis partes mendicando discurrere, contra prohibitionem Lugdunensis Oecumenicæ Synodi sub Gregorio X. celebratæ, non verebatur: quam unà cum ejus sectatoribus omninò damnavit, & habitu privari mandavit. De quorum hæresibus dicetur commodiùs anno 1297.

II. Filios Petri Arag. excommunicat. b Ep. 28. 34. 40.

Hócque item anno idem Pontifex diebus Cœnæ Dominicæ, Ascensionis Christi, ac Dedicationis basilicæ Principis Apostolorum, Iacobum & Alfonsum defuncti Petri Aragonij filios, anathemate percussit; [b] Iacobum, quòd regnum Siciliæ occupâsset: Alfonsum, quòd Carolum ejus Regem in custodiâ detineret; nec moniti mandatis Apostolicis obtemperare vellent. Quare & missos ab eis ad Sedem Apostolicam de more nuncios [c] ad profitendam obedientiam, audire respuit nisi priùs in his satisfacerent.

c Surit. Ind. lib. 2.

III. Rudolphum invitat ad coronam Imperii. d Ep. 54. & 60.

Rudolpho Romanorum Regi, sæpè Romam ad coronam accipiendam venire proponenti, aut simulanti, sempérq; diem protelanti, permisit [d] ut cum *Ioanne Buccamatio* Cardinale Episcopo Tusculano (quem patriâ Romanum, suúmque propinquum, unicúmque toto Pontificatu creatum à se ex Archiepiscopo Montis-regalis in Siciliâ Cardinalem, Legatum Apostolicæ Sedis in Germaniâ, destinaverat ad accipienda ex more privilegia Sedi Apostolicæ dari à Regibus Romanorum solita) conferret, & ex Legati consensu diem sibi deligeret quo Romæ è manibus Pontificis insignia Imperij obtinere posset. Intereà verò constitutus [e] ab eodem Pontifice Vicarius Imperij in Etruriâ Princivallis de Flisco Genuensis ex Comitibus Lavaniæ, & à Rudolpho confirmatus, Florentinos, aliósque populos partis Guelfæ sacramento Imperij adigere quæsivit; sed ab omnibus repulsam passus, mulctâ indictâ (quam illi irriserunt), inglorius recessit ad Rudolphum; cùm etiam Gibellinis suspectus esset, eò quòd originem traheret à Guelfis. Quod autem Papam Honorium magis favisse Gibellinis quàm Guelfis, Villanius [f] tradit, idcóque parùm juvisse res Caroli in Siciliâ; videtur ignorâsse quæ nos ab eo in Siculos & Aragonios gesta ex veracibus monumentis retulimus. Unde & questos reperimus auctores [g] Hispanos, quòd Frācorum non minus studiosus esset, quàm fuerat cui successit Martinus.

e Villan. lib. 7. cap. 111.

f Id. cap. 112.

g Marian. lib. 14. cap. 9. &c.

IV. h Sigon. de regn. Ital. lib. 20. in fi. Rudolphus libertatem vendit civitatibus Italiæ.

Ceterùm legationē Princivallis prosequens Sigonius [h] ex relatione posteriorum auctorum tam Italorum quàm Germanorum, ait Rudolphum difficultatibus à Princivalle propositis permotum, atque opibus suis si arma vellet adhibere diffisum, vetus obsequium Etruriæ remittere, atque integram libertatem Italiæ concedere statuisse, si certam quâ maximè egebat pecuniam pependissent; atque eundem Princivallem cum his mandatis in Italiam remisisse: ejúsq; regiæ gratiæ admonitos populos qui luce libertatis aliquâ fruebantur, indictam pecuniæ summam solvisse: ac speciatim Lucenses duodecim millia nummûm auri, Florētinos sex millia, alios pro facultatum ratione singulos. Nec displicuisse hanc venditionem Honorio Pontifici, licèt indigna tanto Principe videretur, quòd eâ ratione Ecclesiastica ditio futura securior videretur, cū non

amplius Imperatoribus liceret liberas civitates vexare. Sic enim de his Signonius ex Blondo, Platinâ, Sabellico, Trithemio, Krantzio, Nauclero, Culpiniano. Quorum etiam plerorumq; assertione constat, prædictum, Princivallem fuisse Cancellarium Rudolphi: cùm tamen nonnulli Cancellarium ultimò missum diversum à Princivalle constituant. Lucensis verò, qui tum vivebat, & hæc videbat, in suo Chronico manuscripto ait Rudolphum misisse in Tusciam anno 1283. Vicarium suum Cancellarium, & multos ex Tuscis redemisse se ab eo. Anno verò 1288. misisse Princivallem, qui erat ditissimus totius Orbis clericus in simplicibus præbendis, ac cessisse omnibus propter dictum Vicariatum, eâque de re factum esse pauperem: atque interim coactum esse vendere jurisdictionem Imperij civitatum Tusciæ; ac Lucenses redemisse se pretio duodecim millium florenorum. Nihil autem vel ibi vel in Annalibus editis, ubi etiam de iisdem agit prædicto anno 1288. de Florentinis habet: qui omninò negant habere se libertatem à Princivalle aut Imperatore. Quomodò verò reliquæ Italiæ civitates, aut proprios sibi dominos asciverint, aut ad justam Ecclesiæ Romanæ, cujus fuerant, imperium redierint, aliæ libertatem armis partam obtinuerint, tractant earum scriptores, ac de præcipuis videbitur inferiùs suis locis.

V. TURBÆ COMITIS VVIRTEMBERGENSIS.

Hoc verò etiam præsenti anno vult Nauclerus bellum ab eodem Rudolpho Rege illatum fuisse Eberardo cognomine Illustri Comiti Vvirtembergensi, qui turbas ciere non cessabat; & neque ipsi Regi cedere acquiescens, armis sæpiùs etiam cum ipso acriter egit. Fertur [i] ex utero matris excisus; quæ moriens in partu, cùm recens natum aspexisset, dixerit removendum esse hunc infantem, quòd quamdiù vitâ frueretur Suevia bellis & inquiete caritura non esset. Id verò adeò evenisse constat, ut ipse cum omnibus Romanorum Regibus sui temporis belligeraverit, perveniens ad annum ætatis suæ octogesimum, Christi 13 5.

[i] Annal. Suev. par. 3. lib. 2. cap. 16. & lib. 3. cap. 7. & 8.

VI. LADISLAI REG. HUNG. PESSIMI MORES.

Cùm autem intereà Ladislaus Chunus Rex Hungariæ ferè religionis Christianæ oblitus, in Cumanorum paganorum amicitiam se adeò dedisset, ut & ritus ac mores eorum imitaretur, & legitimâ conjuge abjectâ greges Cumanarum pellicum haberet; neque monita ac censuras Legati Apostolici, promissámque [k] emendationem quicquam pensi haberet, injunxit Honorius Archiepiscopo Strigoniensi, ut eumdem officij sui moneret, & reluctantem censuris constringeret: datis etiam ad Rudolphum, necnon ad Vvenceslaum Boëmiæ Regem, Principes Poloniæ ac vicinarum regionum, ipsósque Hungariæ proceres, literis, ut Archiepiscopo in his præstò essent.

[k] Supr. an. 1278. XIV. XV.

VII. PHILIPPI PULCHRI INAUGURATIO.

Hoc eodem anno, die sacro Epiphaniæ, *Philippus* Quartus Rex Francorum (mortuo, ut vidimus, patre superiori anno) Rhemis de more inauguratus inunctúsque est ab Archiepiscopo Petro Barbeto. Cui ob ingenij excellentiam, magnitudinem animi, ac fortitudinem bellicam, *Magni* cognomen, sicuti & *Pulchri* ob formæ præstantiam, inditum à multis fuisse reperimus. Quod quantum justè, ex gestis ejus inferiùs recensendis intelligi dabitur. Rediens verò Lutetiam, luculentissimam audivit orationem *Ægidij* Romani è nobili gente Columnâ nobilioris Theologi professione Augustiniani, S. Thomæ Aquinatis discipuli haud ferè præceptore minoris; quem Philippus jam à pueritiâ observaverat; auctórque ei fuerat libros de Regimine Principum qui extant inter alia quamplurima ejus monimenta, [l] conscribendi. Factúsque idem Prior Generalis sui Ordinis, & posteà Archiepiscopus Bituricēsis, utramq; dignitatem egregiè administravit. In docendo porrò tantum excelluit, ut nomen *Fundamentarij*, sive *Fundatissimi Doctoris* adeptus sit. Quem etiam Hieronymus Seripandus Cardinalis doctissimus & ipse Augustinianus, proram & puppim Theologorum appellare consueverat. Vitam [m] autem prorogavit usque ad annum Christi 1316. quo mortuus est, ac sepultus Lutetiæ in ecclesiâ S. Augustini; cum epitaphio quo archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus commentator, & clavis Theologiæ vocatur. De quo rursùm inferiùs.

DE ÆGIDIO ROMANO.

[l] De ejus scriptis vid. Trithem. de Script. Eccles. Nomencl. Card. in Bonif. VIII. Bellar. de Script. Eccl. Pamphil. in Chron. August. Possevin. Appar. to. 1. Frizon. Gall. Purpur. lib. 2.

[m] Sixt. Sen. Bibl. lib. 4.

VIII. EDVARDUS REX ANGLIÆ CLIENTEM SE PROFITETUR REG. FRANC.

Ex Angliâ Rex Eduardus [n] ad novum Regem invisendum in Galliam trajecit, simul & homagium pro terris quas in eâdem Galliâ possidebat ipsi facturus ut supremo earum domino: quod & præstitisse, ac se clientem Regis professum esse constat. Cùm autem etiam in animo haberet, medium sese pro reconciliatione Gallorum & Aragoniorum interponere, quid eâ in re præstiterit, dicetur annis sequentibus. Interimque ipsius mater Eleonora, Comitis Provinciæ olim filia, prædictíque Philippi Pulchri magna matertera, in conventu Ambresbiriæ induit habitum monachalem diù desideratum; ubi jam anno præcedenti Maria ipsius neptis Eduardi filia eundem susceperat. Ductâ autem ibi fermè quinquennio laudabili vitâ, piè tandem in Domino obdormivit. Quo eodem anno & Blancæ filiæ S. Ludovici, prædictæque Eleonoræ nepti, relictæ Ferdinandi Hispani, matríque Cerdarum, multis ærumnis gravatæ, Honorius Papa concessit, ut vivere posset intra septa monasterij de Humilitate B. Mariæ Virginis Parisiensis diœcesis Ordinis S. Claræ cum mulierum ac puellarum honestarum numero; datis eâ de re literis [o] tam ad ipsam, quàm ad Ministrum Franciæ & Abbatissam dicti monasterij septimo Calendas Novembris.

[n] Floril. hoc an. Vvalsin. in Hypodig.

REGINA ANGLIÆ FIT MONACHA.

[o] Reg. Vatic. Honor. an. 2. ep. 14. & 15. & inde p. Vvadd. tom. 2. an. 1286 & in Reg. Pontiff.

IX. ERICI REGIS DAN. CÆDES.

Ad finem vergente anno, nempè vigesimosecundo Novembris, *Ericus* [p] Rex Daniæ, cùm non solùm Episcopos, verùm etiam quosdam alios magnates infensos sibi reddidisset: à conjuratis proceribus in lecto quiescens inopinatò invasus, sex & quinquaginta vulneribus trucidatus est. Cui successit alius *Ericus* ipsius filius vix duodennis. Parricidis in Norvagiam, cujus Rex Danis inimicus erat, confugientibus, crescentibúsque in dies dissidiorum seminibus, bellum inter eos populos ingenti utriusque clade integrum propemodùm novennium gestum est.

[p] Krantz. 7. Dan. 24. Pontan. Reg. Danic. lib. 7.

X. HENR. REX CYPRI CORONATUR REX IEROSOL.

Fine verò anni, hoc est vigesimo septimo Decembris die festo S. Ioannis Evangelistæ, Henricus [q] Rex Cypri Ptolemaïdem sive Acconē accedens, & gratissimè exceptus, pulso præsidio Regis Siciliæ Rex Ierosolymæ coronatus est; cùm pater ejus Hugo suâ culpâ, ut vidimus, eo regno excidisset. Quod audien Neapoli

[q] Sanut. lib. 3. par. 12. cap. 19 Cor. Hist. Medie. par. 2.

[r] Vualsingh. in Eduar. I. Contin. Bzl. sacr. l. 5. c. 5.

poli Comes Atrebatensis, qui pro Rege captivo regnum administrabat, bona omnia Templariorum & Hospitalariorum, quòd Henrico eâ in re favissent, occupâsse traditur.[r]

XI. B. AMBROSII SANSEDON. OBITUS.

Hoc eodem anno ad 13. Cal. April. obiit Senis in Tusciâ *B. Ambrosius Sansedonius* Ordinis Prædicatorum, doctrinâ, sanctitudine, prædicatione, & miraculis clarus; olim Alberto Magno doctore, S. Thomâ Aquinate commilitone, Parisiis Theologiam professus: eâ vitæ sanctimoniâ præfulgens, ut in ejus aurem Spiritus Sanctus columbæ specie loqui conspiceretur, cujus memoriam Clemens Papa VIII. nostrâ ætate Romanæ Ecclesiæ Martyrologio adscribi voluit.

XII. CONCIL. RAVEN.

[s] In Tom. Concil.

Ravennæ verò Bonifacius Archiepiscopus *Synodum* provincialem celebravit *Forolivij* mense Iulij cum ceteris Episcopis comprovincialibus: quâ novem sancitis decretis, quæ extant,[s] morum reformationi pauperum necessitatibus, distributionibus Ecclesiasticis, immunitatibus Ecclesiarum, &c. providere curârunt.

XIII. CONCIL. BITURIC.

Fuit & alia celebrata *Biturigis* in Galliâ sub *Simone* de Belloloco Archiepiscopo, posteà Cardinale: qui cùm decessorum suorum Constitutione pluribus Conciliis conditas; quæ tamquam incertæ vagabantur & vacillabant, in unum corpus collegisset, quæ erant in illis dubia declarâsset, aliásque nonnullas addidisset sumptas ex variis decretis Pontificum Romanorum, publicavit illas, & servari jussit: in Concilio provinciali præsentis anni die Iovis ante festum S. Matthæi Apostoli.

IESV CHRISTI Annus 1287.
HONORII IV. Ann. 3.
RVDOLPHI Ann. 14.
ANDRON. Ann. 5.

I. CONDITIONES LIBERATIONIS CAROLI CLAVDI.

[a] Surit. lib. 2. Marian. lib. 14. cap. 11. Æmil. lib. 8.

ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo septimo, Indictione decimaquintâ, agente Rege Angliæ Eduardo cum Alfonso Aragonio, (convenientibus simul apud Oloronem Beneharni civitatem, dictam Iluronem in Itinerario Antonini:) pro liberatione Caroli Claudi Siciliæ Regis ipsius Eduardi patruelis in custodiâ Aragonij detenti; in has præcipuas conditiones convenerunt;[a] ut Iacobo Alfōsi fratri Siciliæ regnum quod usurpaverat cederet; Pontifex exoraretur id annuere, Aragoniósque anathematis religione solvere; Carolus Valesius Philippi Francorum Regis frater jure Aragonij regni, quod à Martino Papa acceperat, decederet; Alfonso magnum auri pondus numeraretur; eáque omnia nisi intra triennium præstita essent, in custodiam rediret; interímque obsides daret tres filios, & sexaginta ex Provinciæ Phocæensis primaria nobilitate viros: sponderétque curaturum se ut trium annorum induciæ à Rege Franco ejúsque fratre concederentur Alfonso, ejúsq; fratri Iacobo. Quibus ab Honorio Pontifice Romæ auditis, confestim Carolum, quòd cum Aragoniis anathemate damnatis & Romanæ Ecclesiæ hostibus, adeóque de regno Siciliæ Sedis Apostolicæ beneficia-

QVIBVS RELVCTATVR HONORIVS PP.

rio absque ejus consensu transigere præsumpsisset, per literas redarguit, scriptas[b] Romæ quarto Nonas Martij, ac ne ulteriùs quicquam stabilire auderet omninò prohibuit, & quæcumque Aragoniis per summam necessitatem concedere compulsus fuisset abrogavit.

[b] Reg. Hon. an. 2. ep. 47.

II.

Quo eodem anno (ut ponunt auctor Historiæ Australis; & Nauclerus, rectiùs quàm qui annis præcedentibus[c] vel sequentibus,[d] cùm res ex tempore decessûs Honorij Papæ, qui præsenti contigit, pendeat) tempore Quadragesimæ Dominicâ Lætare celebratus est apud *Herbipolim* (seu Vvirceburgum dictum) solemnis conventus Principum Ecclesiasticorum & sæcularium Germaniæ; cui interfuit Rudolphus Rex, & Ioannes Buccamatius Cardinalis Episcopus Tusculanus Sedis Apostolicæ Legatus, de quo suprà. Qui cùm partem quartam proventuum Ecclesiasticorum in quadriennium postulâsset; ceteris tacentibus, Conradus Tubingensis Ordinis Minorum Episcopus Tullensis (Probum quidam vocant, sed elogio potiùs quàm proprio nomine: estque ille ipse, quem aliàs[e] vidimus nuncium Rudolphi ad Nicolaum Papam III. laudabiliter egisse) omnium nomine ad judicium Sedis Apostolicæ, vel (ut habet Aventinus[f] Sedis Apostolicæ hostis capitalis, acerrimam Probi à se fabricatam orationem referens) ad Senatum totius orbis, hoc est Concilium generale, provocavit. Adeò ut Ioannes periculum vitæ subiisse dicatur, & quidā ex suis malè habiti. Fortè, quòd ex Lugdunensi Concilio nonnisi pars decima fructuum indicta fuisset, Ioannes verò quartam peteret: vel quòd, ut quidam ponunt, id Rudolpho Regi postularet in expensas itineris Italici, non in subsidium Terræ Sanctæ, ut fuerat in Concilio deliberatum. Et hæc quidem promptiores fuêre auctores adnotare, quàm cetera quæ eodē conventu Herbipolensi à Ioanne Cardinale de rebus Ecclesiasticis ultilissimè tractata fuêre, unà cum Archiepiscopis Moguntinensi, Coloniensi, Salsburgensi, Viennensi, eorúmque suffraganeis: constitutionibus editis, quæ valere deberent per Alamanniam, Boëmiam, Daniam, Sueciam, Moraviam, Poloniam, Prussiam, Russiam, aliásque Septemtrionales provincias: quæ extant:[g] fuéreque sæpiùs posteà diversis illarum regionum Synodis confirmatæ ac promulgatæ: Editæque ibidem Herbipoli dicuntur anno 1287. mense Martij feriâ tertiâ post Lætare; Pontificatûs Honorij Papæ IV. anno secundo.

[c] Trithem. & Genebr. an. 1283.
[d] Eber. & Stero 1290.

CONVINTVS HERBIPOLENSIS.

CONRADI TVBING. INTERCESSIO PETITIONIB. LEGATI.

[e] An. 1278. IV. Vid. Vvadding. n. 1279. XXVIII.
[f] Avent. lib. 7.

DECRETA ECCL. IBI EDITA.

[g] In Append. Concil. postr. edit. Binian.

III.

Ceterùm eumdem Ioannem Cardinalem inter hæc accepto nuncio obitûs Honorij Papæ confestim ad sua se recepisse, iidem auctores tradunt, Conradum verò Episcopum pretium suæ sive constantiæ, sive audaciæ, tulisse depositionem à gradu, nonnulli; alij Conradum spontè abdicâsse. Quod tamen sub alio Pontifice quàm Honorio contigisse, apud Vvassemburgium[h] legimus: nempè Cōradum variis modis in administratione Ecclesiæ suæ vexatum, voluisse sub Nicolao IV. eam deserere; sed recusante Nicolao demissionem illius admittere, id demùm à Bonifacio VIII. obtinuisse. Cui suffectum dicit Iacobum de Revignio, patriâ Ambarum, virum in Theologiâ & Iuribus doctissimum, quem Bartolus magni

CONRADVS EPISCOPATVM ABDICAT.

[h] Vvassemburg. in Antiq. Gal. Belg. lib. 5.

facere

facere consuevit: vocatum tamen ab Italis *Iacobum de Ravenna*, à Germanis *Iacobum de Arena.* quâ nuncupatione ponitur à Trithemio inter Scriptores Ecclesiasticos, & Parmensis fuisse dicitur.

IV.

HONORII PP. IV. OBITUS.

[i] *Contin. Polon.*

[k] *Sabell. 9. En. 7. Bergom. lib. 13. Ciaccon. in Honor. IV.*

[l] *Trith. de Script. Eccles. Volat. lib. 21.*

MEDICUS CLARISSIMUS ATQUE CARISSIMUS.

Hoc ipso anno tertiâ die Aprilis, quæ erat Cœna Domini, *Honorius* Pontifex in vivis esse desiit Romæ, postquàm sedisset [i] duos annos & unum diem: ac sequenti die Parasceves sepultus est in basilicâ S. Petri; & inde posteà ad Aracœlitanam Fratrum Minorum in sepulturam majorum suorum translatus. Ferunt [k] ejus tempore fuisse quemdam *Matthæum* Florentinum (Thadæum vocant Trithemius [l] & Volaterranus) medicæ artis scientissimum, & in curandis morbis fortunatissimum: qui cùm Bononiæ ingenti famâ publicè doceret, numquam pedem illinc ad principem aliquem curandum efferre consenserit minori mercede quinquaginta florenorum aureorum in singulos dies: Vocatum aliquando ab Honorio ægrotante, non priùs accedere voluisse quàm centeni diurni floreni ei statuerentur, sive ut quidam ponunt, tres libræ auri: Pontificem autem sanitati restitutum libenti animo decem millia florenorum dedisse, seu centum libras auri. Mortuus est octogenarius Bononiæ. Habuítque [m] discipulum Crusianum patriâ Florentinum, eruditum quidem, sed minùs è fortunatum; qui ob id sæculo valedicens, Ordinem Carthusiensium ingressus est, & in eo claruit pietate & scriptis.

[m] *Trithem. ibid.*

V.

ELECTIO PONTIF. DIFFERTUR OB MORBOS.

Post Honorij obitum convenientes Cardinales in monte Aventinum ad S. Sabinam ubi is decesserat; cùm plures ex iis gravitate cæli offensi (est enim Aventinus magnâ ex parte noxiis Austri flatib. expositus) subitò in morbum incidissent, aliqui etiã mortem oppetiissent; creationem Pontificis differre habuerunt; vacavítque exinde Sedes undecim ferè mensibus usque ad festum Cathedræ S. Petri anni sequentis: maximè verò (ut ait Platina) cùm terræmotus, qui tum permagni fuére religionem quamdam injecerint quo minùs tunc quidem id fieret. Narrant [n] tamen Hieronymum Cardinalem Asculanum Ordinis sancti Francisci, ceteris omnibus abeuntibus, solum remansisse loco insalubriori, & tamen illæsum evasisse ope copiosarum prunarum, quas totâ æstate in cubiculo, & habitatione ceterísque officinis suis continuò servavit.

[n] *Ptol. Lucens. hist. lib. 24. cap. 10. & alij.*

VI.

[o] *Vill. lib. 7. cap. 116.*

ROGER. LAURIA VINCIT CLASSEM GALLIC.

Præsenti interim anno (ut narrat Villanius [o]) cùm Robertus Comes Atrebatensis qui pro Rege Neapolim administrabat, missis improvisò in Siciliam copiis Augustam occupâsset; jámque majores transmittere pararet; Rogerius Lauria prudentissimus ille atque expertissimus Aragonicæ classis præfectus, priusquàm classis Neapolitana cum Brundusina partis Gallicæ conjungeretur, Neapolitanam solitis suis stratagematibus mense Iunij ad pugnam alliciens, magnâ clade devicit; derelictis Francis in ipso ardore pugnæ ab Heriquino classis præfecto Genuensi. Capti sunt plurimi proceres Franci Italique: ceterísque ferè omnibus pretio dimissis, unus Guido Monfortius ut dimitteretur neque pretio potuit impetrari. Voluit enim Iacobus Siculus, tum Eduardo Angliæ Regi gratificari hosti Guidonis implacabili, tum sibi ipsi & Alfonso fratri in sumendâ de eo pœnâ indulgere: quippe erat Guido Simonis Montfortij pronepos, ejus quo duce ad Murellum Petrum Aragoniæ Regem Albigensium fautorẽ Alfonsi proavum cecidisse monstratum [p] est: filius alterius Simonis nepotis prædicti qui prælio ad Levisiũ in Angliâ Richardum Cæsarem patruum Eduardi ceperat: [q] ipséque Guido Viterbij Henricum Richardi filium Eduardi fratrem patruelem (ut pariter vidimus) [r] in templo interfecerat. Tradunt plerique obiisse in Siciliâ illum in carcere, & ut quidam volunt ex morbo cui solus Veneris usus judicio medicorum succurrere potuit: quod horrens Guido absente uxore maluit corpus perire quàm animam adulterio conspurcari. Quo solo egregio virtutis atque pietatis facinore, potuit apud Deum delere præterita omnia delicta, sicuti apud homines immortalem consecutus est gloriam. Ceterùm partâ victoriâ Augusta civitas reddita est Iacobo ab obsessis, induciæque in annum peractæ.

[p] *An. 1213. XIV.*

[q] *An. 1264. IV.*

[r] *An. 1271. IV.*

GUIDONIS MONFORTII EGREGIUM CASTIMONIÆ EXEMPLUM.

VII.

CONCIL. MEDIOL. CONTRA HÆRESES, ET DE DISCIPLINA.

Hoc item anno celebratum est *Mediolani* die duodecimo Septembris feriâ sextâ in ecclesiâ S. Theclæ *Concilium* provinciale ab *Ottone* Archiepiscopo cum Episcopis suffraganeis, Abbatibus, & cetero provinciæ clero. Quo post acrem primo consessu contentionem inter Episcopum Vercellensem qui dextrâ Archiepiscopo assidere festinârat, & Brixiensem qui injectâ manu eum inde ut loco sibi debito dimovit, ejusdémq; Vercellensis ad Sedem Apostolicam pro sui juris vindicatione appellationem, & è Concilio abscessum; ceteris modestè ac prudenter actis, multa salubriter decreta sunt, tum cõtra grassantes hæreses renovatis constitutionibus Friderici Imperatoris, tum pro restitutione disciplinæ Ecclesiasticæ ac cultûs Ecclesiarum, morúmque tam sacrarum quàm profanarum personarum reformatione; quæ res per lõgam bellorum ac discordiarum licentiam pessumdatæ, ac fere ab usu hominum obliteratæ videbantur. Extant [s] ejus Acta, cum nominibus (quamuis inter se perturbatis) eorum qui pro collegiis canonicorum singularum Ecclesiarum suffraganearum affuerunt, cum Episcoporũ nomina prorsùs exciderint; præter Ottonis Archiepiscopi qui Synodo præfuit. Qui post hæc non leviori curâ civilia tractans, industriè effecit ut Matthæo fratris filio egregiis animi corporísque dotibus præstanti, Capitanei, hoc est Ducis nomine statu Mediolanensis administrandus concrederetur, primò in annum, deinde in quinquennium; unde tandem absolutum dominatum obtinuit.

[s] *Ap. Cor. Hist. Mediol. par. 2. & Ripamont. Hist. Eccl. Mediol. lib. 6.*

VIII.

CONCIL. REMENSE.

Fuit & *Remis* celebratum hoc ipso anno initio Octobris *Concilium* provinciale à *Petrô Barbet* Archiepiscopo cum suis suffraganeis, occasione dissensionis inter ipsos & Fratres Prædicatores & Minores ortæ ex concessione à Martino PP. IV. olim iis factâ super confessionibus audiendis, & pœnitentiis injungendis: quam dicti Fratres accipiebant & intelligebant cõtra jus commune, Concilia, & constitutiones Romanorum Pontificum, & intentionem etiam concedentis. Decretúmque est in Concilio, negotium istud prosequendum esse in Curiâ Romanâ.

IX.

In Poloniâ simulans Lescus Princeps expeditionem in Lituanos & Prutenos Gentiles,

LESCUS CÆLITUS PUNITUR DE IMPROBA ACTIONE. [t] An. 1285. XVII.

cõtra quos Apostolicæ Sedis auctoritate Crux prædicata fuerat, se suósque Cruce signans; omissis barbaris Massoviam invasit ditionem Conradi adversarij sui de quo suprà [t] eámque ferro & igne miserè vastavit. Ex quo tempore prior illa fortuna ab illo recessit, & secũdæ res adversis commutatæ sunt; ne impunè ferret Deum & homines fefellisse, ac prætextu pietatis, iræ suæ impensiùs indulsisse. Itaque & tunc complures de suis amisit, & ad finem anni cunctæ ejus ditiones longè lateq; à Tartaris pervastatæ sunt, atque ipse fugâ in Hungariam consulere sibi coactus est: ac demùm biennio pòst adversis rebus, & sugillationibus hominum afflictus, ex mœrore & angore animi in morbum incidens inglorius obiit. Narrant isthæc pluribus ejus gentis auctores. [u]

[u] Michov. lib. 3. cap. 60. Crom. lib. 10.

X. MAGNA TARTARORUM GRASSATIO IN POLON.

Quod verò Tartaros attinet: tradunt iidem illos fame domesticâ pressos, per Russos & cum Russis in Poloniã delatos, locustarum in modum eas regiones cædibus & incendiis depopulatos esse, eò majori audaciâ quòd Lescũ una cum uxore & primoribus in Hungariam profugisse didicissent. Donec tandem satiati cædibus ac prædâ, in Russiam reverterũt. Tantam autem hominum multitudinem tunc abegisse dicantur è Poloniâ, ut cùm eam partirẽtur inter se, unum & viginti millia innuptarum puellarum censa esse dicantur: quibus ad libidinem servatis, provectiores tum viros tum mulieres itémque pueros immaniter occiderunt. Eâ tamẽ incursione Lyssecensis monasterij quod S. Crucis dicitur direptione abstinuerunt, fulminibus & tonitruis ac grandinum imbribus repulsi, [x] cùm eo monasterio Crucis Dominicæ portio non modica miraculis quãplurimis illustrata asservaretur. Pariterq; Sandacense monasteriũ pavore divinitùs immisso intactum permansit; quamquam aberat tum inde S. Chunegundis, quæ cum duabus sororibus Iolentâ & Constantiâ, ac universo cœtu monacharum quæ ad septuaginta fuêre, ad hæc cum magnâ sacerdotum & equestrium hominum catervâ, in Pieninam arcem naturâ loci munitissimam, ac unum tantùm perangustum aditum habentem sese receperat. Ceterùm ne Russi quidem, quãvis socij & tributarij, prorsùs expertes malorũ à Tartaris fuêre. Nam excessuri illi è Russiâ, ut est malitiosũ genus hominum, atq; incantationum & veneficiorum gnarũ, aquas omnes infecerunt, exsectis captivorum cæsorũ cordibus, & præsentissimo veneno imbutis, ac verubus subter aquas defixis: unde plurimi mortales, cùm seriùs mali causa animadversa esset, mirabiliter extincti sunt.

[x] Testantur hæc etiam in suis Annal. Ster. & Ebe. sub an. 1285.

RUSSORUM AQUÆ A TARTARIS INFECTÆ.

XI. [y] Siffr. ... Extat ... historia ap. Sur. die 19. April. WERNERI PUERI MARTYRIUM A IUDÆIS.

In Germania apud oppidum Weselam [y] ad littus Rheni fluminis in die Parasceves *Vvernerus* adolescens excruciatus est à Iudæis, & sævissimis tormentis occisus; qui multis & insignibus miraculis claruit. Ejusmodi impietate perfidam gẽtem in CHRISTI opprobrium, ac religionis Christianæ contumeliam, solemni more ubique sacro eo tempore uti consuevisse sæpiùs diximus, ac porrò dicemus: testantúrque passim singularum gentium, quas perfida natio frequentavit, scriptores.

XII. [z] Floril. & Vvalsingh. Extat Vita ap. Sur. 2. Octobr.

Quo item anno ponunt historici Angli [z] obitum *Thomæ de Cantilupo* Episcopi Herefordensis, ac priùs Angliæ Cancellarij, doctrinâ ac pietate conspicui. Qui cùm Romam petiisset pro defensione jurium Ecclesiæ suæ, in reditu morbo oppressus apud Faliscos obiit sexto Nonas Octobris, ejúsq; ossa in patriam relata infinitis claruêre miraculis. Eis cùm obviam venisset Gilbertus Gloverniæ Comes, qui beatum virum olim fatigaverat, móxque ab eis sanguis copiosus emanare cœpisset, eâ re perculsus Comes, quæ temerè in eum perpetraverat pœnitudine expiavit.

IESU CHRISTI Annus 1288.
NICOLAI IV. Ann. 1.
RUDOLPHI Ann. 15.
ANDRON. Ann. 6.

I. NICOL. IV. CREATUR PONTIF. PRIMUS EX ORDINE S. FRANCISCI.

ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo octavo, Indictione primâ, die vigesima secundâ Februarij festo (Cathedræ sancti Petri, eam ascendit *Frater Hieronymus* (Ioannem perperàm vocant Lucensis & Blondus) patria Asculo Piceni, patre Arminilao Tinco, professione religiosus sancti Frãcisci, dignitate Cardinalis Episcopus Prænestinus, de quo jam superiùs actum: qui postquàm Sedes Pontificia vacasset decem menses ac dies octodecim, concordi ceterorum Cardinalium consensu, primus ex Ordine sancti Francisci renunciatus est Pontifex ad sanctam Sabinam, & biduo pòst coronatus apud sanctum Petrum, sumpto nomine NICOLAI Quarti, in memoriam Tertij, à quo fuerat creatus Cardinalis; & symbolo seu sententiâ *Illumina* [a] *faciem tuam super servum tuum*. Cardinales paulò pòst creavit virtute præstantes; cùm (ut scribit Platina) omnes pariter amaret, nec plus debere affinibus & cognatis quàm cuivis bono arbitraretur. Tradit nihilominùs Villanius, [b] eum secretò valdè favisse parti Gibellinæ, quæ ferè oppressa multùm inde erecta est, Guelfa verò ac Caroli depressa. Quod sanè mirum videri debet, cùm pars Guelfa Pontificum esset, Gibellina adversariorum. Sed patiuntur etiam viri sanctissimi suos quique manes: nisi fortè ita se gererent Guelfi, ut meritò Gibellinis magis favere nullo habito partium respectu deberet.

[a] Psal. 118.

[b] Vill. lib. 7. p. 118.

FAVET GIBELLINIS.

II. AGIT PRO LIBERATIONE CAROLI CLAUDI.

Quod tamen causam Caroli Siciliæ Regis spectat, sanè Nicolaum non parùm ei opitulatum esse, quæ dicentur inferiùs clarè manifestabunt. Qui & ipso Pontificatûs initio, nempè Idibus Martij, nuncios misisse reperitur [c] duos Archiepiscopos Ravennæ & Montis regalis ad Alfonsum Aragonium, ut cum eo de liberatione Caroli agerent; diémque ei dicerent quo se intra sex menses sisteret rationem de omnibus Pontifici redditurus, alioqui divinarum legum humanarúmque in eum judicio ageretur. Cùm verò respondisset Alfonsus, obsequentem se fore si modò sibi tutum esset Romanum Pontificem adire; confestim Nicolaus, tum ipse concessit, [d] tum Philippo Francorum, ejúsque fratri Carolo Valesio Aragoniæ, & Iacobo Majoricarum Regibus auctor fuit ut literas salvi-conductûs, ut vocant, hoc est liberi commeatûs, venienti Alfonso, aut procuratores mittenti concederent. Interímque de Caroli liberatione

[c] Ep. 6. Rom. Id. Mart. ap. Surit. Indic. lib. 2.

[d] Ep. 68. 7. Cal. Dec.

[e] Ep. 56. 7. Cal. iun.

ratione solicitus; prædictum Philippum Francum & Eduardum Anglum monuit [e], cum Ioanne Choletò Cardinale sanctæ Cæciliæ Legato Apostolico modos aliquos adinvenire, quibus honestè ac sine præjudicio Sedis Apostolicæ, ipsiúsque Caroli, in libertatem vindicaretur.

III. CAROLVS LIBERATVR DVRIS CONDITIONIBVS

Convenientibus porrò Eduardo & Alfonso ad ipsa Pyrenæi culmina in vico Campifranci medio inter utriusque ditionem; deductóque etiam illuc ipso Carolo captivo ut coram pacta Olorone anno superiori conventa jurejurando firmaret: præstitum id ab eo est quarto Calendas Novembris, tribus filiis Ludovico, Roberto, & Ioanne, (sive Raymundo. Variant enim auctores tam in nominibus quàm etiam numero filiorum obsidum, cùm plures Carolus haberet; sed receptior hæc videtur sententia:) obsidibus datis, cum ceteris qui in prædicto conventu Oloronensi promissi fuerant. Tantum enim fuit ipsi Carolo diuturnæ captivitatis tædium, ut gravissimas eas conditiones admittere non recusaverit. Cujus liberationem cùm ita uti diximus factam esse, plerique auctores Franci [f] Itali [g] Hispani [h] Angli [i] Germani [k] tradant, confirmetúrque literis Pontificiis [l] aliisque omnis generis testimoniis: Provinciales nihilominùs Phocæenses, cum precibus Beatæ Mariæ Magdalenæ, quam ipse singulari honore prosequebatur, liberatum fuisse insigni quodam miraculo prædicant [m]. Nempè tertiò ei apparentem, è custodiâ nocte eduxisse, ac prope Narbonam constituisse ipso die festo ejusdem Sanctæ; quo loco sacræ ejus reliquiæ laterent indicâsse, & ut inventas honestiùs locaret, ac conventum ibi Fratribus Prædicatoribus extrueret dotarétque, præcepisse. Quod quidem pium somnium boni alicujus viri, quàm rem gestam esse, quæ pòst secuta sunt demonstrant: cùm & elevationem corporis Beatæ Magdalenæ jam antequam Carolus caperetur, ab eodem ipso factam fuisse, superiùs narraverimus [n].

[f] Nang. in Chron. Æmil. in Philipp. Pulchro. [g] Villan. lib. 7. cap. 114. Ptol. Luc. 24. Hist. 23. Ant. tit. 20. cap. 4 §. 9. Blond. 2. dec. 8. Platin. in Nicol. IV. Collenut. lib. 5. [h] Surit. Indic. lib. 2. Marian. lib. 14. cap. 11. [i] Floril. an. 1289. Vualsingh. in Eduar. I. od. an. [k] Nancler. gener. 3. & [l] Ap. Bzov. hoc an. [m] Narrat. Tho de Trugilla in Thes concion. Bzov. an. 1283. ex alii [n] An. 1279. III.

IV.

[o] Sur. & Mar. ubi suprà.

FOEDVS INTER REGES FRANC. ET CASTEL. CONTRA ARAGONIVM.

Ceterùm è carcere dimissus, confestim ad Regem Philippum Francorum & Carolum ejus fratrem accedens, nihil ab eis obtinere quivit eorũ quæ Alfonsus postulaverat: quin potiùs paratos invenit ad invadendam Aragoniam, cùm icto [o] Lugduni in Galliâ mense Iulij à Ioanne Choleto Legato, novo fœdere inter eumdem Philippum & Sanctium Castellæ Regem, qui suos utrimque oratores eò miserant; conventum est ut Alfonso Cerdæ, modò Regis Castellæ appellatione abstineret, regnum Murciæ à Sanctio traderetur, substituto etiam si sine prole moreretur Ferdinando minori fratre: idémque Sanctius mille equites auxiliares Philippo mitteret Aragoniam bello repetere cogitanti, & si necesse esset tutum iter Gallicis copiis per suas ditiones daret: coacto ad has pacis conditiones Sanctio, quòd ob occisum à se ex invidiâ Lupum Harum; quo maximè auctore & adjutore regnum adversus patrem Cerdásque nepotes occupaverat, magni in Castellâ motus excitati essent. Eos verò ut Alfonsus Aragonius, Galliam in se Castellámque armari cernens, magis adaugeret; prædictos Cerdas fratres quos in potestate habebat liberos dimisit. Quorum major *Alfonsus* confestim laccæ à Gastone Beneharnensi Vicecomite Lupi affine, ac Didacis Haris ejusdem Lupi fratre & filio, pluribúsq; aliis Castellanis proceribus qui post necem Lupi in Aragoniam profugerant, Rex Castellæ & Legionis salutatus est, ac regiis insignibus decoratus: pactis etiam inter ipsum & prædictum Aragonium conventis in perniciem Sanctij, cui Aragonius per legatos renunciatâ amicitiâ bellum tamquam hosti denunciavit intulítque postmodùm haud magno operæ pretio: Sanctio interim sævissimè agente in eos qui à nepote Alfonso starent. Quæ omnia quomodò se habuerint, pluribus narrant earum gentium historici [p].

ALFONS. CERDA SALVTATVR REX CASTEL.

[p] Surit. & Mar. ib d.

V. VGOLINI COMITIS DIRVM SVPPLICIVM.

Cùm inter hæc in Italiâ factiones Guelforum & Gibellinorum totam Etruriam valdè turbarent, accidit Pisis memoriâ dignum, ut cùm Ugolinus quidam Comes de Gerardeschis potentissimus illius urbis civis partis Guelfæ; inito vafrè fœdere cum Gibellinis, ut Nino nepote suo altero Guelforum capite exturbato dominatum urbis solus obtineret, à civibus summo plausu in dominum exceptus fuisset: factóque magnificentissimo convivio die suo natali, quo filiorum nepotúmque atque divitiarum suarum pompam ostentavit, Marcum quemdam Lombardum familiarem suum interrogaret quid sibi de tantâ potentiâ fortunâque videretur, responsum prudentissimum acceperit, nullum totâ Italiâ Baronem sibi paratiorem videri ad perniciem, quippe cui nihil præter iram Dei deesset. Nec fefellit vaticinium. Commotâ namque paulò pòst civitate adversus ipsum ab Archiepiscopo partis Gibellinæ protectore, tamquam in patriæ proditorem, concurrens subitò populus ædes ejus armis oppugnavit, unóque è filiis unóque ex nepotibus eo conflictu occisis, ipsum cepit cum duobus aliis filiis duobúsque nepotibus & turri inclusos, jactis in flumen clavibus, fame mori coëgit, ne quidem sacræ confessionis ad eluenda peccata magnis boatibus petenti factâ potestate. De quâ inhumanitate malè apud omnes audientes Pisani, non tam occasione Comitis, qui forte talia ob multa patrata scelera meruerat, quàm innocentium adolescentum; haud multi divinitùs abierunt ut pòst videbitur. Narrat autem hanc historiam Villanius [q] sincerus ejus temporis auctor, & ex eo alij [r].

[q] Vill. lib. 7. ca. 120 & 127. [r] Anton. tit. 20. cap. 6. §. 1. Blond. 2. d. c. 8. Æmil. lib 8.

VI. VENETI INCREPANTVR A PONT. DE MVLTIS.

Bello etiam à Venetis in ditionem Patriarchæ Aquileiensis moto, cùm grave damnum inde Patriarcha viribus eorum impar tulisset, rem ad Sedem Apostolicam retulit. Quare Nicolaus Pontifex datis literis [s] Ducem ac Senatum severiùs admonendo, præcepit à Patriarchâ persequendo cessare, ablatáque restituere: si quippiam juris in ea prætenderent, apud Sedem Apostolicam causam agere: si obtemperare contemnerent, factam esse potestatem Archiepiscopo Ragusino, in eos anathema distringendi, & universo eorum dominio sacris interdicendi. Quos insuper, quòd non exactè dominio suo cavissent ab hæreticâ pravitate, monuit [t] ut Constitutiones Sedis Apostolicæ atque Imperij hactenùs contra hæreticos editas publicarent, observaréntque. Quod & ipsos cumulatè præstitisse constat: indéque originem traxisse Inquisitio-

[s] Ep. 122. 15. Cal. Sept. Reat.

[t] Ep. 47. 15. Cal. Octobr. ibid.

nem Venetam, sunt [u] qui observent. Habuerunt tamen ijdem paulò pòst ab eodem Pontifice increpari [x] quòd easdem constitutiones non liberè sinerent ab Inquisitoribus executioni mandari.

[u] Vvadding. n. 1289. [x] Id. an. 1291.

VII. Sed & cùm in Germaniâ Rudolphus Rex quemdam Mohirem Rothenburgium Hebræum carceri mancipâsset; de eo certior factus Pontifex, Rudolphum monuit [y] ut si is nihil contra fidem regiámve majestatem deliquisset, libertati restitueret. Creverat per eos dies *Rejudaizantium* secta [z] cùm qui ex Iudaismo Christianismum professi fuerant, denuò certis ablutionibus, erasionibus, ac verborum formulis, abjuratâ fide ad perfidiam Iudaicam recipiebantur. Qui verò à Christianismo ad Iudaismum transibant, prætereà circumcidebantur, sed vario ritu à Iudæis natis, ut ab iis distinguerentur. Contra quos omnes Nicolaus Papa hoc ipso anno Pontificatûs ipsius primo Nonis Septembris ad Fratres Inquisitores Ordinum Prædicatorum & Minorum constitutionem edidit.

[y] 4. Cal. Sept. Reat.

REIUDAIZANTIUM SECTA.

[z] Ap. Eymer. Director. Inquis. par. 2. q. 44.

VIII. Regem quoque Francorum idem Pontifex monuit [a] ne immunitatem ecclesiasticam ab ejus ministris in cogendis clericis ad vectigalia, portoria, exactiones, læsam opprimi pateretur. Et pro Ladislai Hangariæ Regis in peccatis perseverantis procurandâ emendatione, ad circumvicinos Principes iterùm scripsit [b].

[a] 3. Non. Sept. Reat.

REGUM CORRECTIO.

[b] 8. Cal. Aug. ibid.

IX. Hoc item anno mense Iunij ad Coloniam Agrippinam inter Ioannem Ducem Brabantiæ & Henricum Comitem Lutzemburgi gestum est prælium, acrius quàm pro numero pugnatorum. Agebatur de Ducatu Limburgensi, quem quisque sibi post obitum Henrici Comitis diverso jure vindicare satagebat. Brabantino adhæsêre Nella Conestabilis & Haricuria Marescallus Franciæ fortissimi viri ac belli usu præstantissimi, instante Reginâ Mariâ sorore Brabantini: Lutzemburgensi Siffridus Archiepiscopus Coloniensis, Reginaldus Comes Gueldriæ, Adolphus Nassovius qui posteà fuit Rex Romanorum, & plerique alij vicinorum Principum. Nulli omninò pedites, Brabantino 1500. equites, Lutzemburgensi 1300. tantùm fuere, sed utrique ex Franciâ & Germaniâ selectissimi. Pugnatum est à mane usque serò repetitis congressibus receptibúsque, tantâ utrimque audaciâ ac fortitudine, ut negent ab ullâ hominum memoriâ talem iis partibus commissam esse pugnam. Vicit tandem & virtus & numerus, cæso ipso comite Lutzemburgi cum duobus fratribus, & quingentis ex utraque parte equitibus; captis Archiepiscopo, Gueldro, Nassovio, ac reliquis Principibus superstitibus, cum ceteris ferè partis eorum, cùm nemo de fugâ cogitâsset, pauci capessîssent. Præmium victoriæ Ducatûs fuit controversus, ex eo tempore Brabantino unitus. Ac Dux Brabantiæ benignè agens cum Henrico juniore Lutzemburgensi filio cæsi, filiam suam ei in conjugem dedit: qui in tantam posteà crevit virtutem, ut assumi in Imperatorem meruerit, prout dicetur suo loco. Hanc autem rem gestam, præter scriptores domesticos [c] narrant ex Italis Villanius [d] (sed anno sequenti, contra prædictorum domesticorum testium assertionem, necnon contra rationem temporis; quippe disertè testatur Hocsemius tunc vivens & videns, id gestum esse die Sabbati Nonis Iunij: quod non sequenti, sed præsenti competit anno, quo Pascha fuit vigesimo octavo Martij (Antoninus [e] Æmilius [f] variantes tamen in numero præliantium ac cæsorum; necnon in eo quòd auctores patrij dicunt controversiam de Ducatu fuisse cum Comite Gueldro, non cum Lutzemburgensi: quibus potiùs credendum videtur. Ceterùm cùm post prælium sævitum esset in bona Ecclesiæ Coloniensis, in odium Archiepiscopi præcipui adversariorum ductoris; tam ejus captivitate quàm bonorum rapinâ motus Nicolaus Pontifex, postquàm scriptis ad detentores & invasores literis nihil profecit, Rudolphum Romanorum Regem, Ducémque Lotharingiæ, & alios vicinos Principes hortatus [g] est arma pro libertate Ecclesiasticâ in eos inferre.

NOBILIS PUGNA PRO DUCATU LIMBURGENSI.

[c] Hocsem. in Gest. Pont. ff. Leodien. cap. 16. Io. à Leid. Chron. Belg. lib. 24. cap. 21. Meyer. Hist. Flandr. lib. 10. [d] Vill. lib. 7. cap. 132.

[e] Anton. tit. 20. cap. 6. § 7. [f] Æmil. lib. 8.

[g] Ep. 372. & seqq. Reat. 5. Id. Aug.

X. Scripsit item ad principium Aprilis Argoni Tartarorum in Perside Regi, de quo suprà [h]. A quo cùm nuncios & literas accepisset de prompto ipsius erga Christianam religionem affectu, ferventíque desiderio suscipiendi baptismum in ipsâ civitate Ierusalem, quàm è manibus Saracenorum vindicare meditabatur: rescriptis congratulatoriis & laudatoriis literis [i] hortatus est ut non expectatâ recuperatione regni Ierosolymitani festinaret baptismum suscipere, bonâ spe fore ut faciliorem eo suscepto successum sacra ipsius expeditio consecutura esset. Reginas quoque eorum Tartarorum Tuctanem & Elegagen, quæ jam baptizatæ fuerant, ad perseverantiam & profectum excitavit. Ad Episcopos illarum partium dogmaticas epistolas, cum amplâ & accuratâ fidei professione transmisit: Interpretes variarum linguarum atque nationum apud eumdem Regem degentes monuit, ut sicut prudenter & laudabiliter se gerebant in dilatandis fidei Christianæ terminis, in sancto opere solicitè pergerent. Ac demùm Fratribus Ordinis Minorum inter eosdem Tartaros constitutis, quorum operâ prædictâ bona successerant, multas largitus est facultates, quibus commodiùs & majori auctoritate inchoatum opus exequerentur.

[h] An. 1285 XXIV.

NICOL. PONTIF. CURAT SALUTEM TARTARORUM.

[i] Reg. Vat. ., Ep. ff. Camer. num. 12. & seqq. & ap. Vvadding. Annal. Minor. to. 2. hoc an.

XI. Regibus item Sclavorum Urosio & Stephano, quorum dominium tunc latè patebat per Illyricum & Dalmatiam, scripsit [k] de magno suo erga illam gentem affectu, illinc orto quòd ipse apud eos olim Ministrum provincialem egisset, & ex desiderio eos ad fidem convertendi: missis etiam Fratribus sui Ordinis, qui eosdem Reges eorúmque populos Christianis dogmatibus instruerent. Helenámque Reginam eorumdem matrem, quæ Catholica sectabatur instituta, hortatus est eadem suis filiis instillare, eósque ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reducere.

ET SCLAVORUM.

[k] Ep. 32. & seqq. ibid. in Reg. & ap. Vvadding.

XII. Hoc item anno observat Nauclerus, fuisse in villâ Archel diœcesis Leodiensis quamdam puellam, quæ sine cibo & potu ultra triginta annos vixit. Cúmque ejus villæ plebanus aliquando tentandi causâ obtulisset ei hostiam non consecratam, non potuisse eam deglutire; datam posteà consecratam facilè sumpsisse.

PUELLA SINE CIBO VIVENS.

IESU

IESU CHRISTI Annus 1289
NICOLAI IV. Ann. 2.
RUDOLPHI An. 16.
ANDRONICI Annus 7.

I.

DIONYSII REG. LUSIT. VEXATIO ECCLESIÆ.

ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo nono, Indictione secundâ, querelæ & accusationes ab Archiepiscopo Bracarensi, & reliquis Episcopis, ac universo regni Lusitanici clero, olim adversus Alfonsũ [a] Regẽ ad Sedẽ Apostolicam delatę, & in Dionysium ejus filium tam paternarum in eundem Clerum injuriarum quàm regni successorem, hactenùs apud eamdem Sedem continuatæ, de violatione immunitatis Ecclesiasticę circa bona, templa, causas, personas; déque usurpatione jurium ac judiciorum; violentiâ rapinarũ contumeliarum, tormentorum neciúmque, non solùm per Christianos, verùm etiã per Iudæos ac Saracenos in sacra personas tam sæculares quàm regulares, & tam mares quàm feminas, crudeliter exercitâ, aliorúmque ejusmodi sacrilegiorum & impiorum facinorum perpetratione; necnon iniquarum constitutionum in depressionem auctoritatis & libertatis Ecclesiasticæ ab eodem Rege promulgatione; pleniori judicio cognitæ & terminatæ fuêre: Cùm præfectis huic negotio à Nicolao Papa Latino Cardinale Ostiensi cum aliis duobus, ita corã illis inter Cleri Regísque legatos ad id missos conventum est, ut leges impiæ antiquarentur, libertas Ecclesiastica restitueretur, damna illata resarcirentur; pœnis statutis gravissimis in Regem aliósque qui quovis modo contra iura, privilegia & immunitates ecclesiasticas imposterùm delinquerent: confectis hâc de re actis [b] publicis Romæ apud S. Mariam Majorem anno præsenti 1289. Indictione secundâ, die duodecimâ Februarij, Pontificatûs Nicolai anno primo exeunte: qui & eadem Nonis Martij Pontificatûs anno secundo ineunte, auctoritate Apostolicâ confirmavit. Priorique Ordinis Prædicatorum, & Guardiano Minorum civitatis Ulyssiponensis commisit [c] ut ex more à Rege Dionysio & reliquis qui in prædictis deliquerant, juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, & observandis pactis conditionibus, reciperent, omnes anathemate exolverent, regno sacra à multo tempore interdicta restituerent, idémque multis rebus deformatum ad normam Ecclesiasticam conformarent: datis etiam iis de rebus ad ipsum Regem literis. Horum verò nulla penitùs apud auctores Hispanos memoria; in laudes tantùm prædicti Dionysij effusos; nisi quòd fatentur ipsum in juventute libidini deditum fuisse.

CONVENTIO FACTA CUM CLERO.

[a] Vid. supr. an. 1275. VII.

[b] Ext. in Cod. Vatic. num. 2688. & in Formul. Marin. Ebol. necnon int. Epist. Nicol. IV. p. 49. & seqq. & ap. Bzov. & Vvadding. hoc an.

[c] Ep. 100. & seqq. ap. S. Mar. Major. 10. Cal. April.

II.

CAROL. CLAUDUS CORONATUR REX SICIL. ET APULIÆ.

Hoc eodem anno Carolus Rex Siciliæ ab Alfonso Aragonio carcere (ut vidimus) emissus in Italiã pervenit; & Florentiæ initio Maij exceptus honorificentissimè, ducem eis militiæ concessit Americum Narbonensem clarissimũ bello virum, cum facultate lilia gerendi in vexillo militari. Indéque Nicolaum Pontificem Reate conveniens, die Pentecostes, quæ erat vigesima nona Maij, (ut observat Villanius [d] tunc vivens, & hæc videns) coronatus est Rex Siciliæ & Apuliæ iis ipsis conditionibus, promissionibus, ac revocationibus, quas pater ejus juraverat in accipiendâ simili investiturâ à Clemente [e] IV. de utrâque Siciliâ: rescisísque [f] atque irritis pactionibus quæ cum Aragonio constitutæ fuerant, cùm negaret Nicolaus eas rectas fore quæ injussu suo factæ essent de regno Romanæ Ecclesię ab antiquis temporibus vectigali. Quæ res vehementer Aragoniorum animos perculit, qui Carolum non nisi Regem Apuliæ, & hoc ingratiis volebant.

[d] Vill. lib. 7. cap. 129.

[e] Supr. an. 1255. V. & vid. Epit. Baron. 1097. XXIX.

[f] Nicol. PP. ep. 364. & 378. Nang. in Chron. Surit. Indic. lib. 2. Marian. lib. 14. cap. 11.

III.

Itaque Iacobus [ff] ex insulâ Siciliâ solicitare pergens aggredíque populos continentis etiam Catanzanum Calabriæ ut deficeret à Carolo adduxit mense Iunio, occupatúmque præsidio firmavit. Quod Robertus Comes Atrebatensis qui pro Carolo regnum tutabatur audiens, continuóque accurrens ut illud recuperaret, cùm impetu oppidum expugnare non potuisset, obsedit. Iacobo cum Rogerio Lauriâ exercitum adducente ut obsidionem solveret, cùm aliter fieri non posset, terrestri prælio dimicatum est: quo licèt Rogerius numquam mari victus, quæsitum pelago decus gloriâ terrestri augere summo nisu contenderet; ac Iacobus hoc primum prælium suo ductu auspicióque cum Francis committens, nomen sibi commendationémque in futurum peteret: didicit nihilominùs iste quantùm virtute cederet Siculus Catalanúsque Franco; ille quàm distet hasta à conto. Vicêre igitur Franci; at minori cæde cruoréque hostium, quàm fugâ & ignominiâ: quam altissimo silentio contegunt historici Hispani, sicuti & solent alias ejusmodi suorum clades. Narratur autem à Villanio, [g] Antonio Æmilio, & aliis.

[ff] Fazell. 2. dec. 9. cap. 2.

LAURIA MARI VICTOR TERRA VINCITUR.

[g] Vill. lib. 7. cap. 133. Anton. tit. 20. cap. 6. §. 7. Æmil. lib. 8.

IV.

INDUCIÆ INTER CAROL. ET IACOB. ARAG.

Ceterùm exinde Iacobus classem Cajetam ducens, si fortè Francos à Catanzano sic avertere posset, cùm eã obsidione cinxisset, advolante Carolo qui intereà Neapolim accesserat Iacobus rebus suis timens inducias petiit, obtinuítque in duos annos, restituto Carolo Catanzano: indignante verò vehementissimè Roberto Atrebatensi, quòd sic hostis qui facilè vinci poterat è manibus elaberetur: qui & propterea iratus in Galliam se recepit cum magnâ parte nobilitatis: Carolus autem plus salutis suorum quàm honoris sui sollicitus, ut bonus paterfamilias vacare cœpit regni sui restaurationi, quod per tot annorum bella valdè dissipatum fuerat. Qui & dictus reperitur cognomine *Cunctator*, quòd multa segniùs ageret quàm pro ardore Gallico. Narrant verò isthæc pluribus ijdem auctores. Sed recentiores, sicuti & Aragonij, inducias procuratas fuisse à supervenientibus Legatis Apostolicis scribunt: (forte ut honori suorum consulant:) Nangius [h] ab adveniente milite quodam ex parte Regis Angliæ.

[h] Nang. in Chron.

V.

Describunt verò insuper ijdem Itali [i] nobilissimam victoriam, quam eodem mense Iunij obtinuerunt Florentini, duce prædicto Americo Narbonensi, & auxiliantibus aliis civitatibus Guelfis, sub signo Francorum liliato, de Aretinis ac ceteris Gibellinis sub vexillo Imperiali militantibus, ductore Guillelmo ejus civitatis Episcopo: qui fortiter, sed illicitè pugnans occubuit in prælio cum præcipuis ducibus partis Gibellinæ; quæ valdè inde depressa permansit.

[i] Vill. cap. 130. Ant. §. 4.

Quo

VI.
Academia Montpelleri erigitur.

Quo eodem anno Nicolaus Pontifex Universitatem sive Gymnasium generale in civitate Montepessulanâ Apostolicâ auctoritate erexit [k] quod hodiéque celeberrimum est. Et cui universi orbis solicitudo pro muneris sui debito competebat, idem longinquiora etiã curans: cùm per Fratrem Ioannem de Montecorvino in Apuliâ, qui unà cum aliis Minoritis in Orientem ad lustrandas provincias & fidem prædicandam missus fuerat, audîsset de statu Æthiopiæ, Armeniæ, ac Persidis; singularum provinciarum peculiaribus necessitatibus providens, eodem Ioanne cum sociis remisso, imprimis ad Imperatorem Æthiopiæ, Demetrium Regem Georgianorum, Davidem Regem Hiberorum, & ad omnem populum Nestorianorum & Æthiopum, pariterque ad earumdem gentium Patriarchas, (Iacobitarum dictos, de quibus aliàs actum) Metropolitanos, Episcopos, ceterósque Prælatos scribens [l] singulari affectu hortatus est ad unionem Romanæ Ecclesiæ; ejúsque fidem in omnibus recipiendam: cujus & formam transmisit, eamdem ipsam quam olim Clemens [m] IV. Græcis schismaticis præscripsisset.

Nicol. PP. providet nationibus Orientalibus.

[k] Ext. diplom. in Reg. Vatic. & vid. Vvadding. Annal. Minor. to. 2. hoc an.

[l] Reg. Vatic in. Epist. Curial. ep. 48. & seqq. mens. Iul. an. 2. Reate: descripsitque Vvadding. to. 2. hoc an.

[m] Supr. an. 1267. I.

VII.
Et Tartaris.

Deinde ad Dionysium [n] Episcopum ditionis Argonis Tartari pariter scribẽs, commendavit ejus affectum ergà fidem Romanam. Cúmque idem Rex Argon per suos nuncios (ut vidimus anno superiori) ad Pontificem missos significâsset inter alia Magnum Chaam Cobilam omnium Tartarorum Imperatorem desiderare apud se habere aliquos Latini nominis & Christianæ fidei magistros, scribens [o] ad ipsum Cobilam, & ad eumdem Argonem, ac Caidonum seu Baidonem alium Tartarorum Principem, laudans eorum affectum in religionem Christianam, hortatus est quàm maximè ad baptismum quantocyùs suscipiendum. Ex quibus Pontificis literis emendare possis Haythonum [p] & Sanutum, cùm scribunt Argonem jam hoc tempore obiisse, ac successorem accepisse fratrem suum Regaythum: cùm & præterea reperiatur idem Pontifex post biennium (ut videbimus) ad eumdem Argonem scripsisse. Meminit ejusdem etiam post hæc tempora Marcus [q] Venetus, Regem Indorum nominans & uxorem petiisse à Cobilâ tradit: eâque occasione se ac patrem [r] patruúmque probè usos, specie comitandi nuptam Cobilæ valedixisse, ac post ingentes longinquorum itinerum difficultates, Venetias patriam suam pervenisse anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto.

[n] Ep. 49. ibid.

[o] Ep. 54. 55. 56. ibid.

[p] Hayth. cap. 39. San. lib. 3. par. 13. cap. 8.

[q] M. Ven. lib. 1. cap. 9. & 10.

[r] Vid. supr. an. 1271. VI.

VIII.
Tripolis capitur a Soldano.

In Syriâ hoc eodem anno dum Litaniæ fierent S. Marci, (ut tempus signat Continuator Poloni: sive crastinâ die S. Marci vigesimâ sexta Aprilis, ut Epitome [s] Bellorum sacrorum: Sanutus enim, Villanius, Continuator Belli sacri alium diem; aliique nonnulli etiam alium mensem, annúmque ponunt:) Elpis siue Elsi, qui & Melech-meser sive messor dictus, Soldanus Babyloniæ & Ægypti, Tripolim urbem nobilem, munitam, ac divitiis & mercibus abundantem, post difficillimam obsidionem simulato abitu subitâ irruptione cepit, diripuit, diruítque funditùs; occisis septem millibus Christianorum, ceterísque in captivitatem abductis; præter paucos, qui in Cyprum vel Acconem confugerunt. Inde nonnullis aliis occupatis Christianorum præsidiis, cautè cum reliquis inducias pepigit, ne rerum successu totam in se verteret Europam. Quapropter & missæ [t] confestim à Nicolao Pontifice propriis sumptibus triremibus Venetis non contenendæ suppetiæ, nihil profecerunt, quòd jam Soldanus sese ad sua recepisset. Et continuæ ejusdem Pontificis ad Principes hortationes ut depositis inimicitiis languenti in Syria Christianitati opem ferrent, irritæ inanésque ob Principum contumaciam evaserunt: nisi quòd accedentes aliquot copiarum colluvies, ruinam Acconis, ut videbitur, accelerârunt.

[s] Ext. ap. Canis. to. 6. Antiq. Lect.

[t] Sanut. Cont. Bel. sacr. &c.

IX.
Nix calorem induxit.

Hoc eodem anno mirum quid legimus in Annalibus Suevicis [u] ut nive magnâ cadente hiems nihilominùs fuerit calidissima: ita quidem ut Constantiæ in natali Christi serta texerentur ex violis & verbasculis, puerique lavarent in Rheno.

[u] Cru. par. 3. lib. 3. cap. 8. in fi.

Iesu Christi Annus 1290.

Nicolai IV. Ann. 3.

Rudolphi Ann. 17.

Andronici Annus 8.

I.
Miraculum Eucharistiæ Lutetiæ.

Monasterium Billetarum.

[quod à Fratribus illis Charitatis derelictum incolitur nunc a Carmelitanis, quos Mitigatos vocant]

Anno Christi millesimmo ducentesimo nonagesimo, Indictione tertiâ, insigne miraculum accidit Parisiis circa sanctissimam Eucharistiã. Cùm enim quidam Iudæus Christianæ mulieri sub usuris & pignore vestis certam pecuniæ quantitatem mutuò dedisset, eáque adveniente Paschate vestem repeteret in solemnitate induendam, perfido Iudæo sine pretio restituere offerente, dummodò mulier Corpus Christi quod sumptura esset ad eum deferret; promisit misera, & ore reservatam Eucharistiam, sudarióque involutam Iudæo tradidit. Quam sacrilegus in subterraneâ cellâ domûs suæ super ignem in aquâ bulliente ponens, illæsam permanentẽ pluribus cultri ictibus pupugit, unde copiosus sanguis effluxit qui totam aquam rubram fecit. Re à Christianis fortè detectâ; ipsa sacra Eucharistia in evidentiorem sceleris manifestationem ex vase aquæ evolans trabi superpositæ insedit. Captus Iudæus igne combustus est, sacratissima Hostia solemniter in ecclesiam parochialem S. Ioannis delata; ubi hactenùs illæsa & integra conservatur: domus Iudæi in templũ conversa, addito cœnobio Fratrum *Charitatis Beatæ Mariæ* sub Regulâ S. Augustini, quod vulgò *Billetarum* vocant, ab aquâ sive à Salvatore in eâ bulliente: ubi hactenus visitur cellá in sacellum mutata, unà cum prædictis vase, cultro & trabe instrumentis miraculi: quod narratur à Nangio [a] Villanio [b] & Antonino [c] aliísque, atque etiam insigniter ab auctore Fortalitij [d] Fidei: præter antiqua prædicti conventûs monumenta; quæ edita fuêre Parisiis Latinè & Gallicè anno millesimo sexcentesimo quarto.

[a] Nang. In Chron. Gall.

[b] Vill. lib. 7. cap. 136.

[c] Ant. tit. 20. cap. 6. §. 8.

[d] Fort. Fid. lib. 3. consid. 9. § 6 De hoc auctore vide infr. an. 1295. XVI.

II.
Alexandri Reg. Scot. obitus.

Hoc item anno tempore Quadragesimæ ponunt historici Angli [e] obitum *Alexandri* Scotiæ Regis ejus nominis Tertij, principis singularis virtutis: cùm Scoti [f] jam anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto vel sexto eum contigisse scribant. Sed ab Anglis stant cetera ejus temporis monumenta, de quibus dicetur,

[e] Vvestmon. in Floril. Vualsingh. in Eduard. I.

[f] Io. Major. lib. 4. cap. 12. Boët. lib. 13. ad fi. Buchan. lib. 7. in fi.

tur. Obiit autem, cùm post omnem prolem amissam, novæ suscipiendæ spe uxore recèns ductâ, iuveniliter equum agitare volens, ejectus in terram pronus confractâ infeliciter cervice repentè exanimatus est: postquàm regnâsset non tantùm annos triginta septem, ut Scoti ponunt, verùm quadraginta unum, quot numerantur ab anno 1249. quo regnare cœpit ad hunc 1290. Inter salubres leges ab eo conditas reperitur Magistratibus imperâsse, ut otiosos qui nec artem scirent, nec patrimonium haberent, severè compescerent; quòd omnium scelerum ac flagitiorum ex otio, velut fonte, primordia dimanare existimaret. Cúmque vel navigandi inscitiâ, vel temerè se mari committentium avaritiâ multa fierent naufragia, & ad hæc accedente piratarum violentiâ, mercatorum ordo propè ad inopiam redactus esset, quæstûs causâ suos navigare vetuit. Quod institutum cùm propè annum durâsset, ac multorum sermonibus tamquam publicè noxium reprehenderetur; tandem peregrinarum mercium brevî tanta vis invecta est, ut non solùm rerum copia, sed pretij vilitas memoriam superiorum temporum superaret. Verùm ut hîc quoque mercatorum ordini consuleretur, vetuit quemquam à peregrinis invecta emere præter mercatores; ceteros autem quod cuique usui esset ab illis redimere.

SALUBRES EIUS LEGES PRO COMMODO REGNI.

III. Narrant ijdem auctores [g] insignem quemdam ariolum (cui nomen *Thomæ Leirmondo*, habito Anglis & Scotis vati, eò quòd res futuras prædicere solitus esset, licèt verbis obscurioribus: qui & sermone patrio vaticinales rythmos scripsit, unde & nomen accepit *Rythmici vatis*) pridie ejus diei quo Rex periit interrogatum à Comite Merchiarum num aliquid in posterum diem novi eventurum esset; respondisse imminere, vehementissimam procellam, quæ universæ Scotiæ maximam calamitatem illatura esset. Nec defuit fides oraculo, quamquam obscurè prolato. Siquidem Rege sine liberis defuncto, cùm plurimi contenderent de regni successione, duóque ceteris propinquitate longè anteirent, Ioannes Baliolus & Robertus Brusius; juris utriusque judicio ad Eduardum Angliæ Regem à primoribus regni delato, post varias eâ de re consultationes tam in Angliâ quàm Galliâ cum Iurisperitis peractas, quamquam potior videretur Brusij causa, (quippe qui quantumvis ex minore filiâ Davidis fratris Guillelmi olim Regis Scotiæ ad cujus stirpem jus regni reciderat, progenitus esset, tamen ex mare provenisset; Baliosus autem ex filiâ quidem majore Davidis, sed per feminam descendisset:) nihilominùs quòd tentatus ab Eduardo Brusius de submittendo Scotiæ regno Angliæ, fortem se in tuendâ Scotiæ libertate ostendisset, Baliolo cæcâ regnandi cupidine fœdè sese subjicienti regnum Eduardus adjudicavit. Ita enim rem gestam Scoti tradunt: cùm econtrà Angli eam per acta & instrumenta publica in confirmatione superioris dominij sui Regis diligenter tractantes, regnū Baliolo jure legitimo tam à parte ipsius quàm etiam Regis Angliæ delatum esse contendant. Cæterùm reperiuntur quoque Nicolai Papæ IV. scriptæ [h] ad Eduardum, prætenti sui juris confirmationem à Sede Apostolicâ petentem, literæ; quibus disertè rescripsit se non posse in regno Scotiæ Sedi Apostolicæ obnoxio juribus Ecclesiæ Romanæ derogare, ejúsque fiduciarios Regi Anglo submittere. Quibus tamen non obstantibus idem *Ioannes Baliolus*, ut diximus; in verba Eduardi juravit; & coronatus est solemniter anno 1293. ad Sconam [i] more patriæ consueto. Quid verò turbarum hinc postmodùm acciderit, dicetur suis locis.

[g] Major. & Boet. ibid. Lesl. lib. 8.

DE REGNI SUCCESSIONE DISCEPTATIO.

ADIUDICATUR IO. BALIOLO, QUI SUBMITTIT REGI ANGLIÆ.

[h] Ep. 102. Cal. Mart. 4.

[i] Vid. Supr. an. 1214. XIX.

VI. Hoc interim anno idem Rex Angliæ Iudæos omnes, quorum erat totâ Angliâ ingens multitudo, universo regno expulit [k] concessis bonis mobilibus, immobilibus in fiscum relatis. Quod in *Concilio* apud Westmonasterium *Londini* celebrato, Polydorus decretum tradit. Idque ipsum in Aquitaniâ, aliísque terris quas in Galliâ possidebat, eundem Regem anno superiori cavisse, ceteri iidem narrant. Inficiebant enim Iudæi ubique his temporibus Christianos inter quos versabantur, ac præter alia scelera multos ad suam perfidiam subtrahebant. Unde & necesse fuit Nicolao Pontifici, præter generalem constitutionem, quam ante biennium ad omnes Inquisitores contra illos promulgatam diximus, hoc rursùm anno contra eosdem in varias provincias scribere [l] necnon adversus quosdam Christianos [m] qui pro morborum vel tribulationum, aliarúmque necessitatum aut periculorum remediis, ad synagogas Iudæorum confugere, & lampades ac candelas tenentes accensas, oblationésque facientes, vigilias diebus præcipuè sabbati protrahere consueverant.

IUDÆI PELLUNTUR TOTA ANGLIA.

[k] Vuestmon. Vualsingh. ubi suprà Polyd. lib. 17.

[l] Vid. Vuadding. hoc an.
[m] Reg. Vat. Nicol. an. 2. ep. 848. Rom. 10. Cal. Mart.

V. Quòd verò in eâdem Angliâ libertas Ecclesiastica valdè depressa per injustas leges & iniquas oppressiones esset; misit eò Nicolaus hoc eodem anno Episcopum Grossetanum [n] Minoritam cum mandatis, ut tam Regem, quàm proceres, aliósque injurios, pietatis Christianæ admoneret, & ad officium etiam severiore virgâ disciplinæ Ecclesiasticæ reduceret. Rodericum autem itidem Minoritam creatum à se anno superiori ad instantiam Regum Castellæ & Lusitaniæ, necnon Cleri ac populi Marrochitani in Africa, Archiepiscopum Marrochi, (Bocanum Hemerum à Ptolemæo vocari dicunt, urbem Mauritaniæ Tingitaniæ) privilegiis multis & facultatibus auctum per universam Africam Sedis Apostolicæ Legatum instituit; scriptis eâ de re ad proceres & populos earum partium literis mense Februarij.

NICOL. PP. CURAT RES ANGLIÆ;

[n] Ep. 43. Rom. 13. Cal. Iun.

ET AFRICÆ.

VI. Eodémque anno *Clemens de Auximo* Prior generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, iterùm eo munere summâ laude functus, multísque miraculis & magnâ pietate clarus, apud Urbem-veterem, ubi tunc erat Nicolaus Pontifex, extremâ senectute animam egit [o] & ad ejus corpus quam plurima sanitatum miracula edita sunt. Cui post biennium suffectus est *Ægidius* Columnius Romanus vir doctrinâ & pietate insignis, de quo superiùs [p].

[o] Pamp. 1. in Chron. Augustin. ex ore. Saxon.
[p] An. 1286. VII.

VII. At in Hûgariâ lôgè diversâ morte *Ladislaus* Chunus ejus Rex die decimanonâ Iulij periit: ab eijsdem ipsis Cumanis quos in deliciis habebat, dū in tabernaculo quiesceret miserabiliter occisus [q] libidinibus & aliis flagitiis [r] supra modum infamis, & monitionum ac censurarum Summorum Pontificum contemptor protervus. Sub quo tradunt, intestinis bellis atque dissensionibus in eam inopiam redactam

LADISL. REX HUNGAR. OCCIDITUR A CUMANIS.

[q] Thurof. Chron. Hungar. par. 2. cap. 18. Ranz. cap. 16. Bonfin. 2. dec. 8. Michov. lib. 3. cap. 65
[r] Vid. sup. an. 1278. XIV. & 1286. VI.

esse

MISER SUB EO HUNGARIÆ STATUS.

esse gloriosam Hungariam, ut deficientibus absumptis gregibus & armentis, conjugati pro jumentis homines currus traherent, nobilitas præ gravissimâ egestate ad rusticandum redacta esset.

VIII. [s] Vill. lib. 7. cap. 134. CAROLUS MARTELLUS CORONATUR REX EIUS REGNI A PATRE: [t] Sid. auctor. Hungar. ET ANDREAS AB HUNGARIS.

Ejus auditâ morte, Carolus Rex Siciliæ magnâ celebritate Neapoli die octavo Septembris in festo Nativitatis Beatissimæ Virginis (ut Villanius [s] habet tunc vivens & proximè rem intuens) filium suum primogenitum *Carolum Martellum* annos natum septemdecim militem creavit, hoc est equestri dignitate ornavit; & per Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum coronari fecit Hungariæ Regem jure materno, utpotè ex Mariâ ipsius Ladislai sorore genitum, nullo alio relicto herede. Verùm supersedit eum in Hungariam mittere, eò quòd [t] etiam antequàm Ladislaus extingueretur, plerique proceres Hungari *Andream* cognomento Venetum (Andreatium Villanius nominat) in odium Ladislai in Hungariam evocâssent, & Ducem qui in demortui Regis locû subrogari solet, creâssent. Fuisse tamen coactum metu Ladislai Hungariam deserere, apud alios auctores reperimus: donec eo cælo revocatus, communibus omnium suffragiis Rex declaratus est. Feruntque [u] nonnulli, fuisse alterum Andream fratrem ipsius Ladislai, qui proditoriè ejus jussu submersus fuerit paulò ante ipsius necem. Tacent tamen Hungarici scriptores. Húncque Andream qui regnum capessivit, docent filium fuisse illius Stephani, quem Andreas Secundus Hungariæ Rex (ut suo loco vidimus [x]) ex filiâ Marchionis Estensis susceperat; natúmque ex matrimonio ejusdem Stephani cum filiâ Mauroceni Veneti. Quare etiam hoc capite, potiori fuisse jure Martellum filium Carolus contendebat; quippe Maria uxor ejusdem Caroli (cujus jure regnum filio vendicabat) soboles fuisset prædicti Andreæ Secundi per Belam ejus filium natu maximum, quódque eadem patrem (Stephanum videlicèt Belæ filium) fratrémque Ladislaum Reges habuisset; Venetus neque patre Rege procreatus, & ex posteriore avi thoro proles esset. Cùm verò inter hæc etiam Rudolphus Romanorum Rex Albertum filium Ducem Austriæ Regem Hungaris præficere conaretur; misit Papa Nicolaus [y] Eugubinum & Esinum Episcopos qui Rudolpho significarent, regnum Hungariæ in clientelâ Sedis Apostolicæ esse; ac proinde non ejus esse Regem Hungaris dare; aut Carolum jure suo ac beneficio Sedis Apostolicæ exuere; hortarentúrque contra Andream invasorem pro legitimo herede Martello potestatem suam auctoritati Pontificiæ commodare. Quid verò pòst inde secutum sit, dicetur suis locis.

[u] Michov. d. c. 66.

[x] An. 1231. VI.

DISCEPTATIO DE EO REGNO.

[y] Ep. 81. 83. p. Urb. vel 5. Id. Sep. an. 3.

IX. [z] An. 1275. X. MAGNI REGIS SUECIÆ OBITUS. [a] Io. Magn. lib. 20. cap. 9.

Hoc pariter anno Rex *Magnus* Sueonum, de cujus virtutibus & pietate actum superiùs [z] diem suum obiit, relicto filio *Birgero* impubere sub tutelâ Turgilli regij dapiferi. Cujus pium transitum describens Ioannes [a] Magnus Archiepiscopus Upsalensis in suæ gentis Historia inter alia tradit, eum in clerum & Ecclesiæ regni sui libertatem pio atque integerrimo studio delatum, summoperè contendisse Christianum Sacerdotium per omnes terminos Imperij sui adeò felix efficere, ut nec vicini Dani, nec Teutones, aut aliæ terræ liberaliores in Ecclesiam Christi videri potuissent.

X. [b] Onuphr. in Chron. Eccl. [c] Vid. supr. an. 1283. IX. X. [d] Gregoras lib. 6. GREG. PATR. CONST. ABDICAT. ATHANAS. SUCCEDIT.

Constantinopoli Gregorius [b] Patriarcha schismaticus, & in Beccum [c] Orthodoxum sede pulsum impius & immitis, ulciscente tandem numine accusatus [d] & ipse de blasphemiâ, & ab omnibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus derelictus; judicium Dei esse intelligens, dimisso Patriarchatu monasterio se inclusit, ubi paulò pòst defunctus est cùm sedisset annos sex & totidem menses. Successit autem alius monachus monasterij Xerolophi montis Gani nomine *Athanasius*, vir probæ & austeræ vitæ, sed rudis literarum ac morum civilium. Qui ubi primùm ascendit thronum, tum omnes Episcopos urbe excedere jussit unumquemque ad suam Ecclesiam regendam, ne Constantinopoli desidentes & sibi ipsis & aliis nocerent; tum alios etiam consultationis causâ accedere solitos urbis accessu prohibuit. Contra quem sive modo sive cùm post abdicationem restitutus [e] est, sedisse reperimus apud multos auctores [f] ex Latinis *Hugolinum* Malabrancam patriâ Urbevetanum, ordine Augustinianum, ex Episcopo Ariminensi Patriarcham à Nicolao Papâ, ob eximiam doctrinam [g] ac pietatem creatum, quò ejus operâ in reducendâ Græcorum Ecclesiâ uteretur. Cùm nihilominùs in Chronico [h] Augustinianorum ponatur idem Hugolinus creatus Prior Generalis sui Ordinis anno 1368. & 1370. Episcopus Ariminensis & Patriarcha Constantinopolitanus ab Urbano Papâ Quinto: quæ ingens est temporum discrepantia; cujus culpam magis tribuerim Pamphilo, non adeò accurato scriptori.

[e] Infr. an. 1301. pen. [f] Trith. an. 1290. Bzov. an. 1291. Onuphr. & 1305. HUGOL. PATR. LATIN. [g] Scripsit etiam in Magistrum Sent. & alia quædam, quæ Possevinus enumerat in Appar. [h] Pamphil. in Chron. Ord. Eremi.

XI.

Subdit prædictis Gregoras de Constantino Porphirogenito fratre minore Andronici Imperatoris, quem pater ob vultûs & morum elegantiam longè chariorem habuerat, regnúmque Thessalonicense in ejus gratiam erigere, nî morte præventus fuisset, constituerat, apud fratrem per calumniam de rebus novis delato, & ab eo in carcerem conjecto, (quo & post diuturnas ærumnas mortuus est) unà cum ejus intimis, quorum princeps extitit & opibus & genere & rebus gestis celebris Michaël Strategopulus. Quibus factum est, ut cùm ijdem Porphyrogenitus & Strategopulus viri bellicosissimi Turcos ab Imperij finibus facilè arcere consuevissent, ijdem jam nemine ultrà eos prohibente magnas clades Imperio intulerint. Quorum etiam meminit Phranzes [i].

TURCI VASTANT IMPERIUM GRÆCORUM. [i] Phranz. lib. 1. cap. 7.

IESU CHRISTI Annus 1291.
NICOLAI IV. Ann. 4.
RUDOLPHI Ann. 18.
ANDRONICI Annus 9.

I. BELLUM IN ARAGONIAM PARATUR A REGE FRANC.

ANNO Christi millesimo ducentesimo nonagesimo primo, Indictione quartâ cùm arma à Francis pararentur in Aragoniam, nequicquâ Carolo Siciliæ Rege illa avertere conato; jungerentúrque Francis Castellani ex pacto inter eorum Reges fœdere; indéque Alfonsus Aragonius tantis viribus impar ad pacem propensus, & alioqui graviùs ducens

tot annis suas ditiones sacris interdictas ob suam parentísque in Sedem Apostolicam contumaciam, jam anno superiori oratores ad Nicolaum Pontificem misisset pro pace conciliandâ; eodémque fine Iacobus Siciliæ occupator Ioannem Prochytam auctorem rebellionis Siculæ ad eumdem Pontificem legâsset; sed & Eduardus Rex Angliæ; quo agente libertatem Carolus consecutus fuerat, cùm perspiceret conditiones ejus liberationis minimè in omnibus adimpleri fidem suam apud Alfonsum probatam cupiens pro eâdem pace instaret: idémq; Nicolaus Pontifex de hujusmodi controversiis appellatus, ad eas componendas Legatos cõstituisset duos Cardinales, Gerardum Parmensem Episcopum Sabinum, & Benedictum Cajetanum diaconum tituli S. Nicolai in carcere Tulliano: His omnibus jam præmissis, demùm anno præsenti, menséque Februario ineunte, convenientibus Tarasconem in Provinciâ Galliæ iisdem Cardinalibus Legatis, unà cum missis à Philippo Frãcorum Rege & Carolo Valesio ipsius fratre, atque ab Alfonso Aragonio cum amplâ potestate oratoribus, ipsóque Rege Carolo Siciliæ præsente;) quem tradunt [a] sinceræ fidei principem in Galliã accessisse eo animo, ut nisi Valesium inducere posset ad renunciationem juris regni Aragonici, se iterùm ex pacto in custodiam traderet) pax his conditionibus sancita est; ut Aragonius missâ Romã legatione, eorum quæ commissa fuissent veniam supplex peteret; vectigalis nomine, uti Iacobus ejus proavus pactus fuerat, Romanæ Ecclesiæ triginta auri uncias annuas penderet; festo Nativitatis Domini proximo se Romæ sisteret; in Syriam ad auxilium Christianorum exercitum duceret; & in Siciliam appellens, Constantiam matrem, ac fratrem Iacobum, ad ejus insulæ restitutionem induceret; interimque omninò ex eã Aragonios ac Catalanos, tam proceres quàm milites severo edicto evocaret; obsidésque à Carolo Siculo acceptos redderet: Iis conditionibus (quarum vix ulla posteà adimpleta fuit) Pontifex eum in gratiam reciperet, legarétque qui provincias ejus interdicto ecclesiastico solveret: & Carolus Valesius jure cederet, quod ei Martinus Papa in regnum Aragoniæ attribuerat.

PAX CONCLVDITVR.

[a] Summont. lib. 3. cap. 2.

II. SICVLI OBSTANT.

Huic autem fœderi sanciendo Siculi legati non affuerunt; idque Aragonij artibus, ne pacem turbarent; magno proinde Iacobi & Siculorum dolore, se proditos atque desertos à quo minimè oportuisset conquerentium. Spoponderunt itaque Iacobo se in ejus fidem perstaturos, vitámque antè profusuros quàm imperium Gallorum paterentur. Quam ob rem & illos & Iacobum Nicolaus Pontifex semel iterúmque ac tertiò diebus Cœnæ Domini, Ascensionis Dominicæ, & Dedicationis basilicæ Sanctorum Petri & Pauli, anathemate damnavit, [b] parùm id curantes.

[b] Ep. 78. & seqq. an. 4. Rom.

III. Alfonsus autem oratores misit ad Pontificem, Archiepiscopum Cæsaraugustanum, & Cancellarium suum, uti ipsius nomine in Pontificis verba jusjurandum præstarent. Fide publicâ ad colloquium cõgressúmq; ipse & Carolus Siculus ad collem Iuncariæ in finibus Catalaniæ 7. Idus Aprilis cũ duodenis proceribus gladiis tantùm succinctis venientes, fessi malis præteritis ratas pacis conditiones habuerunt: & Carolus Clementiam filiam (Margaritam alij vocant) Carolo Valesio cum dote Comitatûs Andegavensis nuptui dedit, eâ lege ut Aragonij regni repetendi jure actionéque decederet. Ne verò Aragonius ea quæ pollicitus erat præstaret, repentina mors obstitit, cùm plena omnia lætitiâ essent, apparatissimíque ludi maximâ celebritate adornarentur ad excipiendam ejus sponsam Eleonoram Regis Angliæ filiam, quam splendidissimo misso comitatu ex Aquitaniæ finibus advocabat. Defunctus autem est Barcinone decimoquarto Calendas Iulij in ipso juventutis flore, septimum dumtaxat & vigesimum annum agens: atque in cœnobio Fratrum Minorum in veste Minoriticâ sepultus.

ALFONSVS REX ARAG. MORITVR.

IV. IACOBVS FRATER SVCCEDIT.

Eo porrò sine prole defuncto, *Iacobus* ejus frater ex Siciliâ continuò in Aragoniam accurrens, jure propinquitatis debiti sibi regni coronam suscepit Cæsaraugustæ octavo Calendas Octobris, relicto in Siciliâ Friderico fratre ejus administratore. Qui tamen Alfonsi fratris testamento fretus, Siciliam sibi legâtis, non pro Rege sed ut Rex eã administrare cœpit: indéque inter fratres gravissimæ ortæ dissensiones. Iacobus autem inito cum Sanctio Castellæ Rege fœdere, (posthabitis Cerdis, quorũ vires, quæ impetu valuissent, morâ cõsenuerant) nuptias cum Isabellâ Sanctij filiâ tunc adhuc novenni pepigit; & pax in Hispaniâ longo intervallo revocata est. Quæ omnia ac singula uti diximus gesta esse, ex auctoribus Hispanis [c] aliisq; accepimus. Cùm tamen obitum Alfonsi, & initium regni Iacobi, Villanius [d] & Antoninus, ac multi alij qui ex iis sumpserunt, referant in annum Christi 1295.

FRIDER. EIVS FRATER SICILIAM OCCVPAT.

[c] Surit. Indic. lib. 2. Ma[...]. lib. 14. [...]p. & 15.
[d] Vill. lib. 8. cap. 13. Ant. tit. 20. cap. 8. §. 5.

V. NICOL. PP. AGIT PRO RELIGIONE BOSNÆ ET BVLGARIÆ.

Hoc eodem anno Nicolaus Papa ad preces Stephani Regis Serviæ (olim Dardaniæ) instituit in Principatu Bosnæ ejusdem ditionis, Inquisitores fidei ex Fratribus Minoritis contra hæreticos iis partibus grassãtes, scriptis eã de rẽ tam ad ipsum quàm ad Provincialẽ Minorum literis. [e] Alias [f] etiã addens ad Georgium Imperatorem (ut se vocabat) Bulgarorum, & ad Archiepiscopum ejus gentis, pro unione cum Ecclesiâ Romanâ: & ad Helenam Reginam Serviæ, commendans ejus Catholicam fidem, ac zelum pro reductione ejusdem Imperatoris ad obedientiam prædictæ Ecclesiæ.

[e] Reg. Vatic. [...]r. 4. ep. 23. & seqq. 10. Cal. April. [...] Vrb. vet. & ap. Vuad. [...]ng. to. 2. [...]oc an.
[f] Ep. 20. & [se]qq.

VI. CAVSÆ RVINÆ PTOLEMAIDIS.

Cùm intereà adveniens clades reliquiarum Christianorum Syriæ, eum ad majora molienda impulit. Hoc namq; eodem anno capta est à Saracenis Ptolemais, Accon antiquo nomine à quamplurimis ducta, Acra etiã, sive Acris à nonnullis, Phœniciæ urbs nobilissima; & totius Oriẽtis opulentissima, atq; omnium orbis regionum cõmercio apprimè opportuna, ac portu capacissimo tutissimóque munita: in quam, ceu firmum certúmque asylum, quotquot ex reliquâ Syriâ bellorũ strage ejecti vagabantur Christiani, uno omnes impetu sese recipere consueverant. Insecutæ porrò cladis non una fuit causa. Præter enim dominorum multitudinem quam superiùs [g] descripsimus, quâ fiebat ut divisâ multifariâ urbe quotidie facinora & scelera accrescerent, cædes & furta, rapinæ & expilationes, sacrilegia & impudicitiæ impunè perpetrarẽtur, luxu atq; luxuriâ omnia scaterent, nihil sani totâ urbe esset, nec

[g] An. 1284. IX.

quis de peccatis conteri, aut per pœnitentiam ad viam redire justitiæ cogitaret: ut dubium non esset, (inquit hæc deplorans Belli Sacri Continuator) [h] quin Deus, si Saraceni contra sceleratam civitatē venire tardâssent, aut fulminibus aut terræ hiatu eam perditurus foret; præter inquā isthæc incentiva, diviæ vindictæ vim acceleravit auxiliariorum militum licentia & insolentia. Qui cùm ad Crucis prædicationem, Nicolai Papæ jussu post amissionem Tripolis ubique factam, magno numero, & sine aliquo præstanti duce in Syriam accessissent, induciásque cum Soldano pactas invenissent, nec stipendia eis penderentur: propterea raptu vivere coacti, excursiones in Soldani agros exercere incipientes, paulatim eò progressi sunt ut prædas tam hominum quàm jumentorum ac rerum omnium tamquam justo bello abigerent, atque incendiis debaccharentur. Cùm & alioqui observet Borchardus [i] in Descriptione Terræ Sanctæ quam his ferè temporibus circuibat, omnium populorum qui Palæstinam frequentabant, corruptissimos fuisse Latinorum mores: hoc inde procedente, quòd cùm in Occidentis provinciis homines nefarij & perditi, aut in pœnam, aut aliàs pro peccatorum remissione Terram Sanctam peterent, homicidæ, fures, latrones, adulteri, incestuosi, proditores, & alij id genus nequā; cælum non animum mutantes, otiis, ludis, & gulæ vacare consuevissent; consumptísque pecuniis quas detulerant, cùm crimina eorum regressum non ferrent in patriam, ad rapinas revertentes pejora committerent prioribus; dolis & fraudibus pios circumvenientes, qui visitandi ergò sanctissima loca illuc transfretarent: maledictos istos & profanos generare illic filios paternorum criminum sectatores, atque etiam pejores; & ex his nepotes pessimos generari: Indéque provenisse, ut propter habitantium peccata, apud Deum terra ipsa venerit in contemptum. Quæ cùm sint multorum quoque aliorum auctorum frequentes querimoniæ, maluimus tamen ex pio auctore, qui hæc maximo charitatis ardore recēset, referre, quā ex aliis suspectioris fidei & animi.

VII. Prædictis igitur excessibus, & quòd insuper intra ipsam Ptolemaidem aliquot mercatores Saraceni contra fidem induciarum non solùm spoliati, verum etiam perempti fuissent; excitatus Soldanus Melec-Messor, cum per legatos damnorum atque injuriarum satisfactionem sibi fieri, earúmque auctores dedi, sæpiùs nequicquàm postulâsset: satísque sciret res in Europâ ob Principum inter se dissidia, eo statū esse ut auxilia inde expectari nequirent; urbémque Ptolemaidem à nullo regi, ab omnibus premi intelligeret: spem audaciámq; concipiens delendi in Asiâ Christiani nominis, tanto studio tantum exercitum comparavit, ut equitum sexaginta, peditum centumsexaginta millia priùs ferè in campum eduxerit, quàm Christiani aliquid eum moliri sentirēt. Ipsóque interim veneno sublato ab exercitûs sui duce (qui regnum occupare tentans frustatim cæsus est) filius ejus *Melec-Seraf*, Asseraffum, sive etiam simpliciter Araffum quidam vocant) secundùm nominis sui significationem, (sonat enim Regem ardentem) ardentiori animo opus suscipiens, cùm à patre adjuratus fuisset corpus ejus sepulturæ non tradere donec Acconem cepisset; quinto Aprilis urbem undique obsidione cinxit: intra quā dicuntur fuisse tunc armatorum triginta millia, imbellis sexûs & ætatis quadragies mille & plus, exceptis supplementis quæ nuper accesserant numero millium decem & octo. Electus est communi consilio (hâc enim rerum difficultate cœperunt illæ quas diximus contentiones de imperio urbis quiescere; nemine jam volēte solo propugnare ut solus regnaret) qui summæ rei præesset, Petrus Beljusius (Guillelmum Villanius vocat) magnus Templariorum Magister spectatâ virtute clarissimus: cujus prudentiâ ac fortitudine conatus Serafi multoties delusi, machinæ disjectæ, milites magnâ cæde repulsi fuêre. Donec ipso cæso, plurimisque mari, quod liberum Christianis erat, in Cyprum dilapsis; post acerrimas utrimque pugnas cædésque, generali factâ impressione urbs à Saracenis occupata est; atque militibus in prædam data; póstque direptionem igne cremata ac solo æquata, refossis etiam mœnium publicorúmque ædificiorum ac templorum fundamentis.

VIII. Captam esse die quadragesimo quarto obsidionis, disertè asseritur in literis circularibus à Nicolao PP. de eâ clade [k] scriptis Calendis Augusti Pontificatûs anno quarto. Fuisséque eam diem decimamnonam Maij quâ festum celebratur S. Pudentianæ, plures dicunt. Præcedentem tamen aliqui signant; fortè quòd non unicâ die tota urbs occupata fuerit. Remque gestam imprimis descripsit Villanius, [l] qui eam se didicisse ait à nonnullis qui intererant; & ex eo Antoninus, [m] & alij; Nangius, [n] Sanutus, [o] & ex isto Corius; [p] Blondus, [q] Epitomista [r] & Continuator Belli Sacri; Iacobus Bosius [s] diffusissimè, ex antiquâ Historiâ Ordinis Hospitalariorum; & multi alij tum antiquiores tum recentiores omnium gentium historici quà pressiùs quà diffusiùs, sed in aliquibus nonnihil diversè, vt fieri assolet; maximè in numero incolarum, & cæsorum ac submersorum; prout aut scriptis priorum, aut relatione aliorum scire potuerunt.

IX. Factum dicitur initium cladis à turre cui nomen Maledictæ, finis ab aliâ turre Templi nomine Magistrâ. Cæsíque in universum aut captivi adducti Christianorū omnis generis sexus & ætatis ultra sexaginta millia, ut multi ponunt; (longè namque minorem numerum alij habent:) præter illos qui dum navibus recipi quærebant mari absorpti sunt, cùm validissimo vento prohiberentur scaphæ ad magnas naves appellere, vel multitudine concurrentium submergerentur; aut qui navibus recepti in Cyprum tendentes, ortâ sævissimâ tempestate naufragio periêre. Evasêre tamen multi; & inter eos Henricus Rex Cypri; qui cùm suppetias obsessæ urbi venisset, præproperè fugam arripuisse ab aliquibus accusatur. Postremus Patriarcha, idemque Sedis Apostolicæ Legatus, (Nicolaus scilicèt de Anapiis Ordinis Prædicatorum, de quo aliàs) [g] cùm ad manum esset triremis quæ illum exciperet, cunctos fugientes in scapham suam admittere cupiens, nimio pondere submersu, animam ut bonus pastor pro ovibus suis simúlque cum ovibus dedit; solo evadente qui Crucem ei

præfere

Marginalia:

[h] Cont. Bell. sacr.

[i] Borchard. lib. 2. cap. 2. § 2.

CORRVPTISSIMI LATINORVM MORES IN SYRIA.

VII. PTOLEMAIS OBSIDETVR A SARACENIS.

ET EXPVGNATVR.

VIII. RATIO TEMPORIS.

[k] Ext. in Reg. Vatic. & inde Bul. to. 1. Nicol. IV. const. 5. & in fi. Anal. Eberardi.

[l] Vill. lib. 7. cap. 144.

[m] Ant. tit. 20. cap. 6. § 9.

[n] Nang. in Chron.

[o] Sanut. lib. 3. par. 12. cap. 21.

[p] Cor. par. 2. hoc an.

[q] Blond. 2. dec. 8.

[r] Epit. Gel. sacr. tom. 6. Canis. Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 5. & seqq.

[s] Boz. Hist. Hospital. to. 1. lib. 25.

IX. NVMERVS PEREVNTIVM.

[g] Supr. an. 1278. XVII.

INSIGNE FACINUS MONIALIUM.

u Anton. tit. 24. cap. 9. §. 11. Nisi fortè eadem sit hæc historia, quam vidimus ab alio quopiam attribui Monialibus Antiochenis, supr. an. 1268. XVIII.

præferebat. Monialium Clarissarum Abbatissa[u] virilis pectoris femina, cùm urbem captam audivit, potenti sermone Sorores ad nobile facinus suî imitatione hortata, ut unà cum fidei puritate integram virginitatem servarent, in ipso impurissimorum hostium ad monasterium ingressu novaculâ sibi nasum abscidit, reliquis intrepidè id ipsum facientibus, aliisque vulneribus facies deformantibus. Speciali (ut creditur, sicut aliàs sæpè similibus casibus) instinctu Spiritûs Sancti; nec vano consilio, quippe ingressi monasterium Saraceni tam horrendi spectaculo à libidine repressi, omnes ad unam crudeliter occiderunt, ac per martyrium in cælos amandârunt.

X.

Sicque luit peccata (inquit Sanutus) sed non abluit scelerata civitas, gratiis divinis ingrata, pugnantibus adversus eam omnibus elementis: Terrâ videlicèt sanguinem necatorum ebibente, Mari fugientes absorbente, Igne ædificia consumente, Aëre fumo & caligine obtenebrato. Cujus auditâ amissione, confestim Tyrij civitatem vacuam relinquentes victoribus, sine ictu gladij conscensis navibus abierunt. Continuóque Sidone, Barutho, & reliquis omnibus locis Christianorum aut captis aut derelictis, omnis Syria amissa est; cunctique Christiani Terræ Promissionis aut morte extincti sunt, aut profugi exulésque suis demeritis, in Cyprum confugerunt: ubi secum habentes quam secum in conscientiâ detulerant peccatorum sarcinam, & causam prædictæ desolationis, in multâ angustiâ miseram vitam traduxerunt. Contigitque hæc desolatio centesimo nonagesimo secundo anno nondum expleto captæ à Christianis duce Gothofrido Bulioneo Ierosolymæ,[x] ab Accone verò ultimò per Philippum Regem Francorum expugnatâ[y] centesimo.

UNIVERSA SYRIA PULSI CHRISTIANI.

x An 1099. 14. Iul.
y An. 1191. 12. Iul.

XI.

Permansêre tamen adhuc Christianis salvæ in Asia Cyprus & Armenia minor. Et ex Cypro Rex & Templarij atque Hospitalarij aliquas excursiones in Saracenos fecêre nullo aut parvo operæpretio: quas prosequitur idem Sanutus: simul & divinam vindictam in impios Saracenos; quòd licèt judicio Dei inservîssent adversus desertores Legis Evangelicæ, perversâ tamen intentione non Deo famulari, sed nomen Christianum de terrâ eradere cogitâssent. Cùm videlicèt elatus in nimiam superbiam Seraf Cyprum aggredi, aliísque gravioribus bellorum periculis duces suos exponere præsumens, ab eis in venatione occisus est. Ipsique inde inter se duces de dominatu contendentes, mutuò se peremerunt: frater verò Serafi, dictus Melec-naser (hoc est Rex florens (adhuc puer Soldanatum percepit sub tutelâ cujusdam Guyboghæ Tartari: qui ex servo emptitio in summam potentiam evectus, prædicto puero in custodiam dato, dominatum invasit; sed pulsus, successorem habuit quemdam Lachin: hócque à suis occiso, demùm restitutus est Melec-naser: ut hæc speciatim narrat Haythonus.[z] Quid verò de his posteà acciderit, dicetur inferiùs suis locis.

VINDICTA DIVINA IN SARACENOS.

z Haython. cap. 53.

XII.

DE PATRIARCHIS LATINIS IEROSOLYMÆ.

Ceterùm quis post prædictum Nicolaum successerit titulo Patriarchæ Iesoloymitani, minimè reperimus: nisi quòd apud S. Antoninum[a] legimus, post eum eâdem dignitate honestatos fuisse ejusdem Ordinis Prædicatorum professores *Radulphum* Gallicum & *Petrum de Palude* itidem Gallicum & scriptis celebrem: sed hunc Petrum nonnisi anno 1329. creatum fuisse, videbimus eo loco. De Radulpho verò invenimus in Chronico[b] Nangij fuisse eum cognomine de Grandivillâ; ac jussu Cælestini Papæ V. consecratum Parisiis in Patriarcham Ierosolymitanum, cùm Romam accessisset depositum fuisse à Bonifacio VIII. Non aliâ causâ, ut puto, quàm quòd Bonifacius statim post suam assumptionem universas gratias à Cælestino factas revocavit, ut dicetur suo loco. Ejus verò loco putamus ab eo electum *Basilium*, cujus bis fit mentio in actis publicis apud Trithemiû in Chronico[c] Sponheimensi sub eodem Bonifacio. Cùm tamen Bernardus Guidonis tunc vivens, ex tractatu Stephani de Salagnaco de Prælatis Ecclesiarû assumptis ex Ordine Prædicatorum, scribat[d] prædictum Radulphum natione Burgundum, factum à Cælestino, petitione Caroli Regis Siciliæ Patriarcham ex Provinciali Terræ Sanctæ, Patriarchatum tenuisse decem solidos annos usque ad obitum; qui contigit mense Novembris anni 1304. fortè quia quem semel suscepisset titulum retinuit, ut fit, usque ab obitum. Utut sit: id certum est, post ejus obitum à Clemente Papâ V. anno 1303. creatum esse *Antonium* Anglum ex Episcopo Dunelmensi, ut ex assertione Westmonasteriensis & Walsinghami videbitur suo loco.

a Ant. tit. 23. cap. 11. §. 1.
b Nang. an. 1294.
c Trith. an. 1300.
d Sanctoral. Guid. lib. 7. Vidimus in Bibl. Tolos. Dominican.

XIII.

NICOL. PP. URGET NOVAM EXPEDIT.

Intereà Nicolaus Papa audito calamitoso rerum statu, majori quàm umquam studio conscribi milites Crucesignatos urgens, Crucem ubique prædicari jussit;[e] singulósque Principes arma in barbaros, depositis odiis, convertere hortatus est: Nec solùm Occidentales, verùm etiam Orientales, Andronicum[f] Palæologum Græcorum Imperatorem Constantinopolitanum, Ioannem Comnenum Imperatorem Trapezuntij Argonem Regem Tartarorum Orientalium, Regésque Armeniæ, Iberorum, & Georgianorum; singulos ingenti affectu literis suis solicitās ut opem & operam pro viribus huic negotio impenderent: annunciánsque Eduardum Angliæ Regem sumpta jam Cruce brevî in Syriam transmissurum. Nihil denique omittens quod ei rei conducere videretur, gravi edicto[g] vetuit, (ut sæpè aliàs similibus occasionibus ceteri[h] Pontifices) arma, ligna, ferrum, & quascumque merces in quævis loca Sultano subjecta à quibuscumque Christianis mitti aut deferri.

e Ep. 10. & 42.
f Ep. 65. & seqq. in liter. curial.
g Ep. 50. ibid.
h Cap. ita quorumdam, & cap. ad liberandam ext. de Iudæ.

XIV.

AGIT SPECIATIM CUM ARGONE TART.

Qui verò cum prædictis epistolis in Orientem missi sunt Fratres Ordinis Minorum, in mandatis etiam acceperunt ut cum eodem Argone Tartaro seriùs agerent de baptismo cum filiis Sarone & Cassone suscipiendo, quibus pium eâ de re præbuisset exéplum filius ejusdem alius, nomine Nicolaus: dans pariter ad singulos eorum, necnon ad Reginas, & Ducem exercitûs, convenientibus unicuique literis[i] mense Augusti hujus anni Pontificatûs quarti; cùm paulò antè Chaganum nuncium ab eodem Argone accepisset. Putamus tamen Argonem intereà mortuum fuisse, cum de Terræ Sanctæ recuperatione consilia agitaret; ut scribunt Haythonus,[k] Sanutus, & Bizarus, de tempore tamen (ut vidimus)[l] dis-

i Ext. in Reg. Vat. ex quo descripsit [illegible] hoc an.
k Hayth. cap. 18. San. lib. 3 par. 13. cap. 8 Biz. lib. 8.
l An. 1289. VII.

sentientes. Cui successisse ponunt fratrem ejus Regaythum (Quegathum nonnullis dictum) hominem nihili, nulliúsque fidei vel religionis, sed deliciis tantùm & gulæ deditum; ac propterea redditum omnibus invisum, fuisse breui à proceribus suis suffocatum. De cujus successore dicetur posteà.

XV. AGIT DE VNIONE ORDINVM TEMPLI ET HOSPITALIS.
[m] Ep. 60. 15. Cal. Sept. an. 4.

Nunc ut ad Nicolaum redeamus; cùm ab aliquibus persuasum ei fuisset, optimum fore si ex duabus Religionibus militaribus Templariorum & Hospitalariorum, quæ ut insignes erant ac potentes: ita perpetuis dissensionibus inter se laborabant, una fieret sub uno duce iisdem institutis vivens: eam rem idem Pontifex prædictis [m] Imperatori Constantinopolitano, Regibúsque Francorum & Angliæ, ipsísque militiarum Magistris, ac Prælatis ubique Ecclesiarum significans, quid de hâc re sentirent judicium eorum inquisivit. In quâ quidem re persuadendâ Raimundum Lullum supra omnes laboràsse, tradunt qui de illo scripsêre: [n] nempè tria valdè apud Romanum Pontificem ac Principes ursisse; videlicèt ut per orbem varia extruerentur monasteria, in quibus viri sancti & docti linguas edocerentur ad omnium gentium conversionem: ut de cunctis militaribus Ordinibus unicus fieret, qui trans mare assiduis bellis Saracenos lacesseret; & ut scriptorum Averrois lectio, quâ multi Christiani decipiebantur, ubique interdiceretur: composito etiam his de rebus libello, quem Regi Francorum dicavit.

RAIMUNDI LULLI PETITIONES.
[n] Vid. Vvadding. an. 1293.

XVI. CONCILIA CELEBRATA PRO NECESSITATIBUS ECCLESIÆ.
[o] Cor. par. 2. Ripam. lib. 6.
MEDIOLANENSE.

Celebrari quoque jussa à Nicolao Pontifice per singulas provincias Concilia ad acceleranda auxilia, deliberandúmque quâ ope vel consilio id celeriùs ac faciliùs peragi posset. Quorum uno, nempè *Mediolanensi* [o] ab Othone Archiepiscopo hoc ipso anno die 27. Nověb. habito lectæ reperiũtur trinæ à Pontifice scriptæ literæ: quarum unis narratio continebatur calamitatum Orientalium, & exhortatio ad suscipiendam Crucem promissâ peccatorum remissione: alteris judicium expectabatur unionis quam diximus Ordinum militarium: tertiis Otho Archiepiscopus & Matthæus ipsius nepos excitabantur ad tantæ gloriæ materiam pro nominis & imperij sui magnitudine amplectendam. Ad quas responsum est à Concilio; imprimis videri sibi Francorum Regem, ob potentiam & nominis famam, gerendo contra Infideles bello, ducem cui parere ceteri Principes deberent creandum esse: pacem inter maritimas Italiæ civitates procurandam, navésque, arma, commeatum, ceteráque expeditioni necessaria paranda: nec solùm Templarios & Hospitalarios, verùm etiam Teutonicos milites in unum idémque corpus reducendos, cui Pontifex caput & Magistrum constitueret.

XVII. SALISBURGENSE.
[p] Eber. in Annal. Chron. Salisburg. tom. 6. Antiq. Lect. Canis.
GALLICANA.
[q] Nang. in Chron. Æ-

Alio item Concilio hoc pariter anno *Salisburgæ* [p] in Germaniâ celebrato sub Conrado Archiepiscopo, rebus iisdem tractatis; rescriptum fuit Pontifici, videri sibi salubre consiliũ ut prædicti tres Ordines in unum redigerentur, selectis ex unoquoque optimis singulorum statutis, & ut Rudolphus Rex Romanorum cum ceteris Principibus in auxilium Terræ Sanctæ progrederetur. In *Gallia* [q] habitis per singulas provincias Synodis, visum omnibus priùs debere pacem ubique inter Principes ac Respublicas componi, & Græcos ad unitatem Ecclesiæ reduci, alioqui impossibile esse delectum necessarium fieri, & arma adversus Infideles prosperare. Nec dubium quin ceteris provinciis eadem aut similia quæ prædictis deliberata, ac Pontifici significata fuerint.

gyi. de Roya in Annal. Belg. Bellefor Hist. Fr. lib. 4 cap. 38.

XVIII.

Quare cùm his consiliis retardari potiùs expeditio quam accelerari videretur; & alioquin ex Principibus qui ad eam suscipiendam aptissimi existimabantur, Gallus magis distineretur rebus Hispanicis; Anglus, qui omninò se itineri apud Pontificem obstrinxerat, petendis continuò pecuniis ex decimis fructuum ecclesiasticorum ac piis legatis instare, nec acceptis satiaretur; res nullum effectum sortita est. Maximè quòd *Rudolphus* Romanorum Rex, qui præ ceteris negotio velle incumbere præseferebat, senio & laboribus confectus, mortuus sit hoc ipso anno in oppido Germersheim juxta Spiram; cùm ad indicta illic comitia pergẽs tamquam mente divinitus motâ properandum sibi esse dixisset ut Reges Romanorum ibi conveniret, aliquos enim eorum Spirense conditorium receperat in majori ecclesiâ, ubi & ipse conditus est. Decessit autẽ eodem die quo creatus fuerat; nempè pridie Calend. Octobris; ut habet antiquum Chronicon Alberti Argentinensis ex epitaphio, ut ait, ipsius sepulchro apposito; necnon Onuphrius in suo Chronico Ecclesiastico, & alij nonnulli: etiãsi plures [r] ponant obiisse decimoquinto Iulij die Divisionis Apostolorum: postquàm vixisset septuaginta tres annos, regnâsset decem & octo: egregius planè Princeps, justitiæque præcipuus cultor; & de Germaniâ non minùs quàm de familiâ suâ quam non mediocriter auxit, meritus. Qui etiam quòd multos simpliciores per contractus Latinè scriptos deceptos fuisse animadvertisset, statuit [s] ut deinceps Notarij literas contractuum non ampliùs Latinè, sed Germanicè scriberent. De cujus successore dicetur anno sequenti.

RUDOLPHI ROM. REGIS OBITUS.

[r] Siffrid. & Chronol. quæ est post Siffrid to. Ker. Germ. Pistorij: Eber. & Ser. in Annal. Felix Fab. Hist. Suev. lib. 1. cap. 13. Nauclér. gener. 44. &c.
[s] Annal. Suev. Crus. par. 3. lib. 3. cap. 1.

XIX.
[t] Vill. lib. 7. cap. 146. Ant. tit. 20. cap. 6. §. 10.
MERCATORES ITALI COMPREHENSI IN GALL.
[u] An. 1277. XI.

Præsenti, jussu Philippi Francorum Regis (ut Villanius [t] & Antoninus habent) nocte Calendarum Maij omnes Itali totâ Galliâ reperti comprehensi sunt; specie quidem inquirendi in fœneratores, verùm quoniam æquè probi mercatores pecuniâ libertatem redimere coacti sunt, reprehendi Rex ab omnibus turpis avaritiæ meruit: (quemadmodùm & patri ejus aliquando accidisse vidimus:) [u] & à Pőtifice Nicolao moneri de eorum liberatione; paritérque à Cælestino Nicolai successore.

XX. ANDREAS REX HUNGAR. AUSTRIAM VASTAT.

Andreas Rex Hungariæ collecto valido exercitu Austriam invasurus, ad vindicanda multa loca quæ Dux Albertus occupaverat occasione belli contra quemdam rebellem Hungarum gesti; priusquam aliquod hostilitatis signum daret, rem pacificè tractare cupiens, eò quòd olim ab ipo Alberto benignè exceptus fotúsq; fuisset; ubi nihil se apud eum per internũcios Episcopos & Comites proficere vidit, ejus terras ingressus miserè devastavit; tali illatâ clade hominibus, locis, bonis, qualem vix umquam alius intulisse memoraretur. Donec interventu Prælatorum ac procerũ Hungariæ miserentium Austriæ, concordia inita est redditis Andreæ quæ Hungariæ erant, & pax super sacras Reliquias utrimque firmata,

Rem

x Ext. tom. Rer. Germ. Freher.

Rem gestam narrat auctor illius temporis Historiæ[x] Australis; quam jejunè tangunt historici Hungarici.

XXI. NIC. DE LYRA FIT MINORITA.

y Vvadding. Annal. Minor. tom. 2.

Hoc eodem anno, vel sequenti, *Nicolaum de Lyra* nomen dedisse Religioni Minorum in conventu Vernoliensi Normanniæ, docet Vaddinghus; [y] cùm alij quidam in alios referant annos. Natus est Lyræ, pagi ejusdem provinciæ, diœcesísque Ebroicensis, ut ejus epitaphio traditur; non in Belgio, aut Angliâ, ut quibusdam placitum. Hebræúmque genere fuisse, constantior est fama; an item professione & fide ante susceptam Christianam, non ita constat. Cujus nomen, doctrinam, & linguæ Hebraïcæ peritiam, pietatémque, & commentarios in universam sacram Scripturam, aliáque scripta, magnis elogiis multi jure merito commendavêre.

XXII. TRANSLATIO DOMVS B. M. VIRG. IN DALMATIAM.

Hoc denique anno, qui fuit supremâ Palæstinæ clade insignis, Deo dilecta Domus Beatissimæ Virginis, Nativitate & Incarnatione Domini IESV-CHRISTI illustris, è Syriâ pariter cum religione discessit; Angelorum manibus ex civitate Nazareth, & ex templo ab Helenâ Augustâ olim sacræ Domui circumdato avulsa, & in Dalmatiam, monticulúmque Tersactum inter ac Flumen oppida leniter acclivem, Adriatico imminentem mari, maximo miraculo translata. Cui enim ad preces S. Gregorij Thaumaturgi non difficile fuit montem à sede suâ in aliam transferre, eidem & facile fuit in gratiam Reginæ cæli Domum ejusdem, olim ab Apostolis dedicatam, & in formam templi redactam, piéque per tot ætates in Galilæâ maximis honoribus cultam, Angelorum ministerio per ingentes terrarum marísque tractus, unà cum ipsâ arâ sacra, Christíque Crucifixi Imagine ab iisdem Apostolis ibidem collocata, necnon cedrina effigie ipsius Beatissimæ Virginis Filium Iesum manibus sustinentis à S. Luca Evangelista expressa, transportare. Rem gestam frequentibus miraculis testatam, ac relationibus virorum fide dignorum in Galilæam ad rem inquirendam missorum plenè confirmatam, plurimisque omnis generis testimoniis & auctoritatibus assertam, egregiè descripsit Horatius Tursellinus è Societate Iesu accurato commentario de ea re edito, qui omnibus patet: quem posteà contra obtrectatores apologia defendit Petrus Roëstius ejusdem Societatis. Ut non sit quòd ampliùs in examinandis aut enucleandis difficultatibus quæ sive à sectariis, sive à curiosioribus nostris etiamnum objici solent insistamus: cùm omninò majoris sit ponderis apud nos in rebus sacris auctoritas receptæ alicujus sententiæ, quamquam aliquibus circumstantiis dubiæ, quàm elegantiorum quorumcumque ingeniorum subtilitates; quæ magis sunt convellendæ quàm asserendæ populorum fidei atque pietati. Nolo altum, vel plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, ex commonitione B. Pauli [z] Apostoli. Quomodò verò rursum ex Dalmatiâ in Italiam eadem Domus translata fuerit, dicetur suo loco. Amissâ sanè Orientalium culpâ Palæstinâ, nullo majori præmio Occidentales expeditiones compensari poterant.

z Rom. 12.

IESV CHRISTI Annus 1292.

SED. VAC. Ann. 1.

ADOLPHI Annus. 1.

ANDRONICI Ann. 10.

I. ADOLPHVS NASSOVIVS ELIGITVR REX ROM.

a Cuspin. in Adolph.

b Hist. Austral. hoc an. Naucler. gen. 44. an. 1298.

ANNO Christi millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, Indictione quinta, ipso die sacræ Epiphaniæ sexto Ianuarij, *Adolphus* Comes Nassoviæ electus est Francofurti in Regem Romanorum, loco Rudolphi Haspurgij anno superiori defuncti. Tradunt [a] id gestum esse arte Gerardi Archiepiscopi Moguntini ipsius consanguinei: qui cùm non ignoraret Electores ferè cunctos votis in Albertum Austriæ Ducem Rudolphi filium pronos esse, (nam & vocatum ab iis ad coronam accipiendam volunt, [b] sed cùm magno comitatu propè accessisset, auditâ Adolphi electione iratum recessisse) singulis separatim persuaserit ceteros inclinare in aliquem Principem ipsis inimicum, sícque vota singulorum in Adolphum derivârit: virum quidem ipsum insignem ac strenuum, sed virtute magis quàm auctoritate & opibus potentem. Qui verò de Wenceslao Boëmiæ Rege scribunt, [c] narrant ipsum, cùm à majori Electorum parte regnum deferretur, non eodem quo pater olim Othocarus fastu & contemptu, sed per summam animi moderationem delatum honorem recusâsse, asserentem satis supérque sibi laboris esse paternam ditionem æquis legibus gubernare, externis se libenter abstinere, cederéque dignioribus: prætereitóque Alberto & familiaritate & necessitudine devincto, quòd is statim ab obitu patris Rudolphi in dotem sororis, ipsius Wenceslai conjugis, involâsset; Adolphum nec opibus nec dignitate illi parem, ac famâ tantùm notum, Regem nominâsse. Addit verò Æneas [d] Silvius, sororem Wenceslai Agnetem, uxorem olim Rudolphi filij Rudolphi Regis, matrémque Ioannis qui posteà Albertum patruum necavit, cordatam mulierem & ingenio feroci, cùm accepisset germanum suum contentum regno Boëmiæ delatum Imperium recusâsse, *At ego*, inquisse, *si rerum potiar, glebâ ne una mihi modò desit; aut quod reliquum est subjiciam, aut imperio excidam.*

c Krantz. 7. Vvandal. 31. Dubrav. Rer. Boëm. lib. 18.

d Æn. Hist. Boëm. cap. 28.

II. NICOL. PP. SOLICITAT AVXILIA PRO ARMENIA.

e Reg. Vatic. ep. 85. 10. Cal. Febr. an. 4.

f Ep. 10. in liter. camer. an. 4.

Eodem mense Ianuarij Nicolaus Pontifex susceptis Legatis Regis Armeniæ, qui ad miserum rerum suarum & Christianorum earum partium statum tam ipsi Pontifici quàm Regibus Galliæ & Angliæ significandũ missi erãt; eosdem ad prædictos Reges remisit, datis literis [e] quibus hortatus est ut Armeno opem ferrent. Injunxítque præterea omnibus Prædicatoribus Crucis, ut tam Reges ac Principes quàm alios quoscumque ad id opus cierent, statuto [f] tempore mittendi copias sub festum Nativitatis B. Ioannis Baptistæ anni proximi.

III. MORITVR.

g Adaus. ad C accon. ex Vvadding. to. 2. Annal.

Sed hoc ejus propositum mors destruxit; quę illum ex hâc vitâ sustulit pridie Nonas Aprilis (uti plures habent: ponunt enim aliquid tardiùs ex quibusdam ejus literis quæ scriptæ dicuntur undecimo Calendas Maij) Romæ in ædibus à se extructis in Exquiliis ad S. Mariæ Majoris basilicam, in quâ & sepultus est;

PRÆCLARA EIVS GESTA.

postquàm annos quatuor, mensem unum, dies quatuordecim, Ecclesiam Catholicam sapientissimè rexisset, Christianos Principes fœdere unire laborâsset, provinciam Flaminiæ in Ecclesiæ Romanæ iterum ditionem redegisset, tumultus urbicos sedâsset, opus Terræ Sanctæ summis conatibus promovere studuisset, aliáque egregia præstitisset quæ nos superiùs attigimus, & uberiùs prosequuntur auctores: hoc uno ab aliquibus [h] notatus, quòd plusquàm Pontificem deceret in partes declinâsset. Reperimus autem in Collectione Fr. Nicolai Cardinalis Aragoniæ Constitutionum Romanorum Pontificum, eumdem Nicolaum statuisse, ut de omnibus & singulis fructibus, redditibus & proventibus, quos reciperet perpetuis temporibus Romana Ecclesia à quibuscumque terris, locis & censibus, fierent duæ partes æquales, quarum una esset Papæ, altera Cardinalium: Idque confirmâsse Benedictum XII. Avenione. Quod si aliquando servatum fuit, certè à multo tempore abiit in desuetudinem: cùm nihilominùs habeant Cardinales jura sua atque uberes proventus, quibus dignitatem honestè sustineant.

[h] Vill. lib. 7. cap. 118. Platin. in Nicol. IV.

IV.

RIDICVLA ASSERTIO DE NICOLAO.

Quod verò auctor Magni Chronici Belgici ex quodam antiquiori Chronico refert, statuisse eum ut imposterum omnes Summi Pontifices assumerentur ex suo Ordine S. Francisci, rem auget Krantzius [i] ex quodam Egardo ignoto annalium scriptore, haud tamen plenam fidem ejus narrationi tribuens; ut scilicèt Nicolaus deposuerit ceteros omnes Cardinales, ac totidem è suis fratribus suffecerit, jurejurandóque adegerit, ne quem nisi ex suo Ordine Pontificem crearent, aut Cardinalem fieri permitterent; exindéque usque ad tempora Sixti Quarti occultum in Fratribus Minoribus fuisse Papam, qui in personâ ejus defecerit cùm in manifestum Pontificem assumeretur. Quæ nemo non videt anilia esse commenta, in sugillationem tanti Pontificis ipsiúsque Ordinis: cùm etsi diffidendum non sit multa suis privilegia concessisse; non tamen ea talia videbantur, vt propterea vocandus sit in crimen nimiæ in eos exuberantiæ, quem econtrà commendatum reperimus à plerisque de summâ moderatione, quòd nihil magis uni ordini quàm alteri faveret nisi in quantum Rempublicâ Christianam respiceret. Legatúrque in Annalibus [k] Germanicis, (ac multum valdè est cum hujus nationis testes pro Pontificibus producimus) de eo non esse intellectum quòd Fratribus sui Ordinis aliquas fecerit gratias speciales: quinimmò voluisse discutere quæstiones quas Fratres Prædicatores & Minores contra Episcopos de confessionibus ipsis aut parochis faciendis nuper habuerint, ne per ipsum altera partium gravaretur. Aliquid tamen sinistri circa hæc de illo alibi sparsum, innuit etiam Walsinghamus [l] Anglus, (haud tamen parùm & ipse in iis quæ Pontificum Romanorum sunt suspectus) dum ex vulgi sermone vocat eum *idolum Fratrum Minorum*; multáque privatim statuisse ait, quæ facerent non solùm superbire Minores, sed etiam insanire. Adeò difficile est, homi-

[i] Krantz. 8. Saxon 35.

[k] Ster. & Eberar.

[l] Walsingh. an. 1287.

nem in potestate constitutum suos minoris licèt meriti non præferre alienis dignioribus! Approbavit [m] autem anno Pontificatûs secundo Tertiam Regulam Fratrum & Sororum Tertij Ordinis à B. Francisco institutam, pro sæcularibus in propriis domibus viventibus; qui & de Pœnitentiâ vocati sunt; de quibus actum sub illo Sancto.

[m] Bullar. to. 1. Nicol. IV. const. 2.

V.

DIVTVRNA SEDIS VACATIO.

Post ejus obitum Cardinales Perusium profecti, electionem novi Pontificis in eâ urbe eò meliorem futuram rati, quò ipsi mente & corpore per lætam valetudinem quietiores ac liberiores eam tractare possent; (neque enim tum constitutio Gregorij Decimi de conclavi in usu erat) rem ipsam consuetis discordiis intestinis biennium ultra ac tres menses deduxerunt; partem [n] unam ducente Matthæo Rubeo de Ursinis, alteram Iacobo Columnense: quæ duæ illustrissimæ familiæ Romanæ non parvâ invicem invidiâ & laborârunt olim, & laborant hactenùs.

[n] Villan. lib. 7. cap. 150.

VI.

S. CVNEGVNDIS POL. OBITVS.

Obiit item hoc anno [o] die vigesimâ quartâ Iulij in Poloniâ *S. Kunegundis* monialis Clarissa, de quâ sæpè superiùs, [p] prævisâ antè mortis suæ horâ: quæ vivens clara miraculis, post obitum clarissima extitit. Sanctam feminam consecutus est improbus Episcopus Paulus Cracoviensis, de quo pariter sæpè actum, qui cùm aliis studiis minimè dignis Episcopo, tum venationi sic fuit deditus, ut venatorem, quòd feram imprudens è cassibus repulisset, venabulo quondam transfixerit.

[o] Michov. lib. 3. cap. 66. Crom. lib. 10. ad fi. plenius. Wuaddingh. an. 1333.

[p] An. 1239. 1266. 1279.

VII.

ITEMQVE ALBERTI CARMEL.

Albertus quoque religione Carmelita, olim ex voto à nobilibus parentibus sterilibus Drepani in Siciliâ susceptus, Messanæ ad cælos abiit septimo Augusti, miraculis in vitâ & post obitum celebris. In cujus obitu audita est vox clara lætantium beatorum spirituum; & campana quam ipse vivens conflari fecerat, nullo pulsante per se diù sonuit. Extant [q] piæ & præclaræ res ejus gestæ, atque edita in vitâ & post mortem miracula: quorum intuitu dicitur à Sexto Quarto anno 1476. pridie Calendas Iunij in album Sanctorum Confessorum relatus. Apposita quoque est ejus memoria in Martyrologio Romano: appositúsque à Trithemio [r] meritò fuit inter viros illustres Ordinis Carmelitarum.

[q] Ap. Sur. 7. Aug. & in Menol. Carmel.

[r] Trith. lib. 2. de Ord. Carmel.

VIII.

IACOBVS DE VORAGINE.

Hoc item anno datus dicitur Ecclesiæ Genuensi Archiepiscopus *Iacobus de Varagine* Ligurum in orâ maritimâ oppido, qui vulgò *de Voragine* ob crebras dictorum Scripturæ allegationes appellatus est, Ordinis Prædicatorum, doctrinâ, vitæ integritate, & pauperum curâ valdè insignis. Vniversam sacram Scripturam primus omnium in Italicam linguam summâ fide ac diligentiâ vertit. [s] Adeóque doctrinæ S. Augustini studiosus fuisse fertur, ut omnia penè ejus volumina memoriâ tenuerit. Dicitur etiam scripsisse Chronica Genuensium; quorum testimonio utitur nonnunquam Philippus Bergomas in Chron. Supplem. Idémque auctor est Historiæ Longobardicæ, quæ vulgò *Legenda aurea*, vel *Speculum Sanctorum* appellatur: quæ tamen minùs laudatur, ob multa incerta quæ in ea reperiri dicuntur.

[s] Sixt. Sen. Bibl. lib. 4.

IESV

IESV CHRISTI Annus 1293.
SED. VAC. Ann. 2.
ADOLPHI Ann. 2.
ANDRONICI Annus 11.

I. BELLVM INGENS ORITVR INTER REGES FRANC. ET ANGL. EX LEVI CAVSA.

ANNO Christi millesimo ducentesimo nonagesimo tertio. Indictione sexta, exortæ sunt graves discordiæ inter Philippum Francorum & Eduardum Anglorum Reges; indéque bella quibus Gallia arsit, ac vicini populi Principésque commoti sunt: facto initio (ut Angli ponunt) in Vasconiâ ex contentione cujusdam nautæ Normanni cum Anglo ob aquationem, & secutis prædis in mari inter utrosque populos, itémque certaminibus & sævitiis atque incursionibus. Culpam Angli in Francos, hi in illos, suis quique de more faventes, rejiciunt. Reges autem primò rerum inscij, vel conniventibus eas oculis inspicientes, deinde suorum querimoniis excitati, injuriarum invicem agere cœperunt: donec cunctanti Eduardo ablata à suis restituere, Philippus diem dici jussit uti Pari Franciæ, beneficiarióque & Aquitaniæ Duci; ad quam diem nisi adesset, Aquitaniam se illi erepturum denunciabat. Vir magnanimus, & multis magnísque rebus gestis clarissimus, venire detrectans misit nihilominùs fratrem suum Edmundum suæ causæ actorem. Sed eo rejecto, Eduardus quòd per seipsum non adesset, contumaciæ damnatus est: ac Philippus Aquitaniam avens, per Radulphum de Nigellâ, sive de Nellâ, Conestabilem anno sequenti Burdegalam totius provinciæ urbem principem, aliásque plurimas in potestatem suam redegit. Queruntur Angli [a] scriptores, fraude Francorum sub specie concordiæ urbes occupatas, postquàm Rex suus omnia tentâsset ut Francum demulceret. At edictum citatorium à Philippo missum Eduardo; quod Westmonasteriensis suæ Historiæ inseruit, apertè exprobrat [b] non solùm eum non curâsse satisfacere damnis illatis, verùm etiam ante diem ipsi dictam multa hostilia in Francos fieri, urbes invadi, appellationes rejici, aliósque plurimos rebellionis actus in supremi dominij contemptum edi, aut jussisse aut permisisse. Quod & confirmatur à Nangio [c]. Villanius [d] autem Florentinus qui tum vivebat, (parùm tum æquus in Philippum ob mercatores Italos [e] comprehensos) ad sensum Anglorum ait, Philippum cupidine potiundæ Aquitaniæ noluisse acceptare satisfactionem ab Eduardo per fratrem Edmundum oblatam. Nangius verò econtrà in Chronico ampliùs habet, Eduardum non solùm venire contempsisse ad mandatum Regis, verùm etiam ut fraudulentiori consilio posset iniquitatem perficere quam conceperat, Regi mandâsse se ei remittere quicquid ex ejus feudo possideret quippe existimaret se illud & ampliùs vi armorum occupaturum, & absque ullo homagio possessurum. Quanta verò mala ex his levibus principiis prodierint, dicetur inferiùs suis locis.

[a] Vvestmonast. hoc an. Vvalsing. in Eduard. I.

[b] Vide etiam Bellefor. Hist. Franc. lib. 4. cap. 38.

[c] Nang. in Chron.

[d] Vill. lib. 8. cap. 4.

[e] Supr. an. 1291. XIX.

II. Intereà cùm Sanctius Castellæ & Iacobus Aragoniæ Reges, de rebus suis, pacéque inter Francos & Aragonios firmandâ acturi, Logronium die decimanonâ Augusti convenissent; novæ inter ipsos suspiciones natæ sunt, quòd generum socer impotenter habens, omnia ad suum revocaret commodum. Quare Iacobus animo ab Isabellâ sponsâ [f] alienato, ad novum conjugium respicere cœpit per speciem veniæ propinquitatis à Pontificibus Romanis nondum impetratæ. Et ad Iuncariam oppidum mense Novembri cum Carolo Neapolitano, denis utrimque proceribus ac duodenis consiliariis, collocutus; de restitutione Siciliæ, atque de novis ipsum inter & Blancam Caroli filiam nuptiis consilia agitavit. Narrant isthæc Hispanici auctores Surita [g] & Mariana. Carolus autem inde ad sua se recipiens, cùm Perusium divertisset ut Cardinales ad concordiam & electionem novi Pontificis adhortaretur, eíque operi vehementiùs instaret; asperè redargutus (ut referunt Blondus & Platina) à Benedicto Cajetano patriâ Anagnino Cardinale, quòd instando acerbè nimium ipsis Cardinalibus vim oppressionis afferre videretur; re infectâ abscessit.

[f] Vid. supr. an. 1291. IV.

IACOBVS ARAG. NOVVM FOEDVS ICIT CVM CAROLO SICVLO.

[g] Surit. lib. 1. Mar. lib. 14. cap. 16.

CAROLVS REDARGVITVR A CARD. CAIET. QVOD VRGERET ELECTIONEM PONTIFICIS.

III. Silentibus igitur ferè ob Sedis vacationem rebus Ecclesiasticis, quæ auctoritatem & motum ab eâ sumere consueverunt; ut ex sæcularibus aliquas memoriâ non indignas hoc anno gestas recenseamus; (hoc inquam anno: nam quæ alij nonnulli non ignobilia eodem collocant [h] pervertere Annales est, non componere, cùm ad alios omninò pertineant: sed hæc illi more suo solentes) imprimis offert sese in Galliâ acre dissidiú [i] inter Fuxi & Armaniaci Comites de successione Gastonis Moncadæ domini Beneharni. Cujus cùm filias Armaniacus natu majorem, Fuxensis minorem duxisset; (Ita namque plures cum Frossardo; cùm sint nihilominùs, qui Fuxensem primogenitam fuisse velint, & inde Armaniacensem causam querimoniæ habuisse, quòd privaretur parte hereditatis quæ sibi competebat:) & ob denegatum sibi ab Armaniaco auxiliú bello quod contra Hispanos gerebat: socer hereditatem quæ filiæ majori debebatur, Fuxensi sibi obsequenti filiæque minori contulisset: iratus Armaniacus Fuxensem apud Regem Philippum proditionis in Regem accusavit, Fuxensis in suæ innocentiæ defensionem singulare certamen obtulit: Permisso [k] à Rege certamine apud Gisortium Normanniæ oppidum, dum pari animo atque ferociâ campum ineunt præstantissimi milites, Rex præsens suasu Comitis Atrebatensis amici utriusque, certamine vetito, (quod tamen initum fuisse, & Armaniacum equo excussum, túncque ne is occideretur, Atrebatensem intervenisse, Historia Fuxi habet) sibi causæ ac dissensionis cognitionem diremptionémque reservavit: quâ demùm universa Bearnensis successio Fuxensi adjudicata fuit.

[h] Bzov. in Annal.

[i] Hist. Fux. in Roger. Bern. IX. Com. Bellefor. d. cap. 38. Froiss. to. 2. c. 159.

DISSIDIVM DE HEREDITATE BEARNII INTER COMIT. FVX. ET ARMAN.

[k] Ibid. & Nang. in Chron. & alij.

IV. DVCIS LENCICIENSIS DVRVS CARCER.

In Silesiâ Poloniæ provinciâ Henricus Dux Lenciciensis, dolo patrui sui Conradi Ducis Glogoviensis, ob interversum VVratislaviensem dominatum hostis implacabilis redditi, proditoriè in balneo nudus captus ab uno ex familiaribus & consiliariis suis, cujus patrem Henricus ob injustum homicidium capite plecti jusserat; & solo vili palliolo tectus ad Conradum equo perductus, Glogoviæ in an-

gustum vas ferreum conclusus est, in quo erât duntaxat duo parva foramina, alterum quo cibum sumeret, alterum quo egereret: & in eo sex totos menses asservatus, cùm neque sedere neque jacere posset, ad extremum eò redactus est, ut jam tabescente corpore sanies & vermes de scapulis & femoribus ejus scaturirent. Donec his malis victus numeratis Cõrado triginta millibus marcarum pecuniæ, datísque aliquot territoriis, dimissus est. Nec tamẽ postea convaluit, sed tertio deinde anno lẽto morbo consumptus interiit. Narrant hæc Polonici scriptores Michovius [l] & Cromerus [m]. Sic enim cuilibet in Interregno licebat impunè quod libebat: tantúmque sibi quisq; in Republicâ auctoritatis tribuebat, quantæ inerant vires; solâ prædandi atque dominandi libidine cum fraude ac violentiâ in summo rationis atque virtutis jurísque fastigio collocatâ.

[l] Mich.lib. 3. cap.64. [m] Crom. lib. 10. ad fi.

V. HENRICI GANDAVENSIS OBITVS.

Hoc item anno [n] die Apostolorum Petri & Pauli obiit memorabili vir doctrinâ *Henricus Gandavensis* Archidiaconus Tornacensis: qui tam solerti floruit ingenio in Academiâ Parisiensi, ut honorifico nomine *Doctor solemnis* vocaretur. Reliquit plura studiorum suorum monumenta, quæ recensent Trithemius & alij.

[n] Trithem. de Script.Eccles.

IESV CHRISTI Annus 1294.
CÆLESTINVS V.
ADOLPHI Ann. 3.
ANDRONICI Annus 12.

I.

ANNO Christi millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, Indictione septimâ diuturnâ morâ Cardinalium qui Perusium ad electionem Pontificis convenerant, fessi magis cives quàm ipsi Cardinales, (quorum vel impotens tanti culminis propria ambitio, vel inflexibilis suorum pro intimis votorum obstinatio, ac pervicax suspectorum repulsio, modum ullum terminúmve nesciebat:) illos adeò urserunt atque insectati sunt (sicut narrat Villanius [a] qui propè aderat) ut tandem nutu divino potiùs quàm deliberatâ eorum voluntate, postquàm Sedes Apostolica vacâsset duos annos menses tres dies duos; factâ à Latino [b] Cardinale Ostiensi magnæ virtutis & integritatis viro, mentione *Petri de Murrhone*, cujus sanctitatem probè noverat; confestim unanimi omnium consensu, nec sine lacrymis, die quintâ mensis Iulij renunciârunt eum summum Pontificem; ac decretum electionis ad ipsum miserunt per Archiepiscopum Lugdunensem, Episcopos Urbevetensem & Portuensem, ac duos Apostolicæ Sedis Notarios, rogantes ut assensum præbere, ac Perusium se conferre dignaretur. Sunt enim hujus rei testes ipsæ electionis tabulæ, & literæ ad eum scriptæ, quæ hactenùs extant [c].

[a] Vill. lib.8. cap.5. [b] Lucens. in Chron.& in Annal.

PETRVS MVRRHONIS EREMITA ELIGITVR IN PONTIFICEM.

[c] In Vit.Cælest.lib.6. Vitar.Patr. Occid. cap. 24. & ap. Vvaddingh. Annal. Minor.to.2. hoc an.

II. QVIS IS FVERIT.

Fuit [d] hic Petrus patriâ Eserniensis in Sãnio, patre Anglerio, matre Mariâ, honestis & probis, ac filiorum qui illis erant undecimus. Qui ab ineunte ætate viam eremiticam asperámq; sectatus, montem Murrhonis incoluit duobus passuum millibus à Sulmone civitate distantem: multísque ad eum religionis causâ convenientibus, in eremo Magellanâ in Apuliâ ecclesiam Sancti Spiritûs & monasteriũ construxit sub regulâ S.Benedicti. Cùm verò intellexisset Gregorium Decimum in Concilio Lugdunensi plures Ordines recèns institutos reprobâsse, Lugdunum pedes abiens confirmationem suæ Congregationis cognitâ auctoris probitate & sãctitate, facili negotio obtinuit; eámque multis aliis monasteriis aut reparatis aut recèns extructis dilatavit sub nomine *Cõgregationis S.Damiani*; (posteà *Cælestinorum* ab ejus Pontificali nomine dictam;) plurima frequenter atque insignia edens miracula quæ ejus sanctitatem apud omnes probatissimam redderent. Eóque statu creatus est Pontifex; adeò majore omnium admiratione, quò & ob parvam literaturam, & simplicem ac semotissimam ab omnibus negotiis vitam à tanto fastigio sponte remotior esse videbatur.

[d] Ext. ejus Vita egregiè scripta à Petro de Alliaco Cardin. Camerac. ap.Sur.19. Maij. Ext. & alia Matt. Virga in cod. Vac. ex quo Bzovi.descripsit. Itémque alia tam ex iis quàm aliis monum. in Collect. Vitar. Patr. Occid.lib.6.

III. INVITE ONVS SVSCIPIT.

Acceptis literis suæ electionis, tanto oneri se imparem asserens, ægerrimè tulit, fugámque tẽtavit: sed inopinâ & subitâ populi multitudine circumdatus, cum nulla evadendi spes esset, victúsque precibus Caroli Regis, ac Latini Cardinalis, aliorúmq; piorũ ad ipsum concurrentium, ac judicium divinum comminantium, vix demùm assumere acquievit. Haud tamen à suscepto olim vitæ genere dimoveri valens; cùm accitis Cardinalibus Aquilã venit Aprutij urbem ut ornamenta Pontificalia susciperet; à Carolis patre & filio Regibus Siciliæ & Hungariæ, aliísque magnatibus deductus, nequaquàm induci potuit equo vehi, sed humili sedens asello iter confecit. (Unde & forsan accidit, quod quidam [e] scripsere, edixisse eum ne deinceps Romani Pontifices & Cardinales equis veherentur, aut mulis, sed asinis tantùm exemplo Christi (comprobante etiam tum Domino ipsius simplicitatem miraculo sanitatis ægro redditæ. Consecratus ac coronatus est quarto Calendas Septembris, præsentibus plus quàm ducentis hominum millibus, ut testatur Ptolomæus [f] Lucensis Episcopus Torcellensis qui rei interfuit; motis, ut par est credere, nouitate rei & sanctitate viri, quem ut è cælo delapsum suspiciebant. Ut non immeritò etiam CÆLESTINI ejus nominis Quinti nomen sibi sumpserit; vel impositum libenter susceperit. Confirmavit [g] ibidem quinto Calendas Octobris statuta Ordinis ac Congregationis suæ, cum indulgentiarum & plurimarum gratiarum concessione. Atque inde Neapolim hortatu Caroli accedens, mense Septembris duodecim creavit Cardinales doctrinâ & vitæ integritate præstantes; atque in eis plures Gallos ac Caroli amicos; & ex suo instituto monachos binos, propter antiquam familiaritatem, & ut consueto divinarum laudum exercitio cum eis vacare privatim posset.

[e] Mater Histor. ap. Genebrar. in Chronol.

[f] Luc. Hist. lib. 24. cap. 32. & in Annal. hoc an.

CÆLESTINI NOMEN ACCIPIT.

[g] Ext. const. to.1.Bullar.

IV. IVDICATVR MINVS APTVS GERENDO PONTIFICATVI.

Cùm autem eamdem servaret vitæ normam austeritatémque in quâ tot antè annos fuerat maceratus, paucis extrinsecùs dignitati concessis; rebúsque gerendis parùm exercitatus, post obitum Latini Cardinalis viri præstantissimi Ordinis Prædicatorum, (cujus consilio & dexteritate Pontificatus potissimùm regebatur) qui contigit mense Novembri, ex nimiâ in omnes facilitate bona Ecclesiæ inconsultè effundere videretur, etiámque diversis eadem concederet, ac proinde Ecclesiæ universali regendæ minùs idoneus existimaretur:

his

his de causis,& quòd etiam ipsos Cardinales resecatis superfluis ad strictioris observantiæ formam reducere cuperet; de abrogatione ejus primùm secreta, deinde publica cœperūt haberi colloquia: incentore potissimùm (ut volunt) Benedicto Cardinale Caietano (Gaitanam plerique antiqui hanc familiam appellant: quę olim [h] ex Catalania in Italiam migrans, diù Caietæ consedit, indéque Anagniam translata nomen à priore sede Caietâ retinuit) viro sagacissimo, qui pro auctoritate quam post Latinum apud Cælestinum dexteritate ingenij obtinuerat [i], spe adipiscendæ dignitatis, specieq; detrimenti quod ex cunctatione Ecclesia Dei captura foret, eumdem satis propriâ sponte ad sarcinam deponendam pronum, rem quam maximè accelerare compulit. Quòd autem sunt qui scribant, eumdem etiam Benedictum vel per seipsum, vel per alios immissos subornatores noctu clanculùm dimissâ per arundinem quasi cælitùs voce Cælestinum monuisse ut si salvus fieri vellet Pontificatu abiret; cùm hoc apud nullum antiquorum invenerimus, qui Benedicti vel maximè ambitionem arguerunt; putamus id provenisse ex famosis libellis in ipsum posteà Pontificem per orbem sparsis à Cardinalibus Columnensibus ab ipso depositis. Neque enim his vaframentis opus habuit vir sanctus ad onus deponendum, quod invitissimè ferebat: nec etiam credendus est adeò rudis fuisse in discernendis spiritibus, ut his se deludi passus esset, qui cum Angelis Dei frequenter conversabatur, & spiritu prophetico donatus erat.

h Ciaccon. in Bonif. VIII.

i Blond. Platin. alij.

FACILE PERSVADETVR ABDICARE.

V. ABDICATQVE, CONSTITVTIONE DE EA RE EDITA.

Sic igitur Cælestino persuaso, idem, obnitente nequicquàm Rege Carolo, ac populum inducente ut etiam celebratis processionibus, litaniis & supplicationibus nullum se alium Pontificem velle conclamaret; factâ constitutione [k] licere Pontifici abdicare se dignitate; pridie Idus, sive ipsis Idibus Decembris, mense Pontificatûs quinto diéque octavo, ibidem Neapoli in publico Cardinalium consessu, abdicationem suam his verbis ex scripto expressit [l]: *Ego Cælestinus Papa Quintus motus ex legitimis causis, id est causa humilitatis & melioris vitæ & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate personæ, & ut præterita consolationis vitæ possim reparare quietem; spontè ac liberè cedo Papatui, & expressè renuncio loco & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc sacro cœtui Cardinalium, eligendi & providendi dumtaxat canonicè Vniversali Ecclesiæ de Pastore.* Statimque depositis ornamentis Pontificiis, ad Cardinalium pedes consedit: dignior vir nascente quàm senescente Christianâ humilitate; quem nemo simili actione præcessit, nemo hactenùs imitatus est, nemo ut arbitror imitaturus est. Quantumvis enim non desint qui hanc ejus abdicationem damnârint; id tamen potiùs ex invidiâ in ejus successorem accidisse putamus; cùm ea tum ab aliis quamplurimis egregiæ pietatis ac doctrinæ viris, tum maximè à Clemente V. in ejusdem Cælestini canonizatione commendata reperiatur; & à Petro de Alliaco Cardinale, qui tempore Concilij Constantiensis vixit, in Vitâ quam scripsit ejusdem Cælestini, graviter defensa contra detractores. Quinimmò & divino tunc calculo comprobata, cùm idem Cælestinus postridie illius diei quo renunciavit celebratâ Missâ claudo sanitatem restituit. Denique, ut cum Petrarchâ [m] ubi pluribus Cælestini virtutes & excussum Pontificij oneris jugum mirum in modum laudat, loquar, quis Papatum, quo nihil est altius, (rem tam exoptatam, támque mirabilem, ut ab admiratione ac stupore dictam ferant) ullâ ætate, præsertim ex quo tanto in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo contempsit, quàm Cælestinus pristinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egestatem appetens. Subdit, audivisse se narrātes qui viderant, tanto illum fugisse cum gaudio, eáque signa lætitiæ spiritualis oculis ac fronte gestâsse, dum a conspectu Concilij jam tandem sibi redditus ac liber abscederet, ut non humerum blando oneri, sed collum diris securibus subduxisse videretur. Eâque de re agens pariter Alvarus qui paulò post Cælestinum claruit, in Planctu [n] Ecclesiæ, ait hoc fuisse maximum omnium miraculorum quæ ipse umquam fecerit, summúmque exemplum humilitatis & perfectionis; cùm onus Papale, quod majus est quàm dici possit, non est qui rejiciat, sed qui in illud se projiciat & immergat, gloriam considerans & non onus. Egerunt porrò de Cælestino, præter Vitæ ejus Scriptores, aliósque auctores citatos, ex antiquis Stero & Eberardus in Annalibus suis, Continuator Poloni in Vitâ Cælestini, Bernardus Guidonis in Historiâ Pontificum, ac ceteri omnes qui pòst secuti sunt. Quem autem finem habuerit dicetur anno sequenti.

k cap. quoniam. de renunc. in 6.

l Ciaccon. in Cælest. V. & plures alij.

LAVDATVR HOC EIVS FACINVS.

m Petrar. l. 2. de Vit. solit. cap. 18.

n Planct. Eccles. lib. 2. cap. 11.

Præsenti verò pariter Constantinopoli (ubi ejusmodi abdicationes aut spontaneæ aut coactæ frequentissimæ erant) *Athanasius* [o] Patriarcha, ob asperos mores omnibus tam Ecclesiasticis quàm laïcis invisus redditus, cùm & ab Imperatore desereretur, sedi renunciare elegit, postquàm eam tenuisset quatuor annis; & antiquum suum monasterium Xerolophi repetiit. In cujus locum suffectus est *Ioannes* ejus nominis XI. patriâ Sozopolites: qui post susceptos ex legitimâ conjuge liberos, eâ mortua monasterium ingressus fuerat; vir ætate provectus, moribus simplex, sed Græcarum literarum planè rudis. Is Michaëlem Andronici Augusti filium primogenitum volente patre Imperatorio diademate ornavit.

VI. ATHANAS. CONSTANTIN. ABDICAT PATRIARCH.

o Gregor. lib. 7. Onuphr. in Chron.

Antequàm item Cælestinus Sedem abdicaret, decorata est Italia Christianæ religionis arx & domicilium, amplissimo dono Translationis sacratissimæ DOMÛS Beatissimæ Virginis ex Dalmatia, ubi depositam vidimus [p] in oppositam oram Italiæ trans Adriaticum sinum, (quâ trajectus patet millia passuū fermè centum) agrúmque Ricinensem, sive Recinetensem dictū, regionis Picenæ: quasi hoc munere solari voluisset Deus mœrorem populorum conceptum ex abdicatione Cælestini. Delata est enim eodem Angelorum ministerio quarto Idus Decembris in silvâ ejus agri, quæ matronæ cujusdam divitis iuxtà piæque erat, cui *Laureta* nomen fuit. Unde & LAVRETANA DOMVS dehinc appellata est: quamvis paucis pòst mensibus ex illâ silvâ rursùm divinitùs translata fuerit, ob latronum grassationes in peregrinos eò devotionis ac venerationis

VII. DOMVS B. M. TRANSLATIO LAVRETVM.

p Supr. an. 1291. XXII.

tionis causâ confluentes, in apertiorem ac tutiorem locum non multùm à priori distâtem, qui duorum fratrum communis erat: Iterúmque paulò pòst inde, ob dictorum fratrum de donorum quæ deferebantur emolumentis discordiam, in alium locum illi proximum viâ militari, discordiarum & latrociniorum immunem, quo hactenùs firmam & stabilem sedem habuit. Rem testatissimam faciunt antiqua locorum vestigia, certa scriptorum monumenta, indubitata miraculorum testimonia, continua omnium undique populorum peregrinatio. Descripsitque scitè & copiosè Tursellinus Societatis Iesu in suâ Historiâ Lauretanâ; & à telis hæreticorum defendit Petrus Roëstius ejusdem Societatis professor; de quibus jam dictum superiùs [pp]. Cordi autem fuisse Beatissimæ Virgini, diem ipsius natalem, nempè octavam mensis Septembris, præcipuâ celebritate inibi coli; tam revelatione factâ pio cuidam viro significavit, quàm continuâ flammæ cælestis eâ nocte supra sacram Domum incumbentis apparitione demonstravit, Quo factum est ut finitimi prin ùm, indéque etiam longinqui populi Septembri potissimùm mense Lauretum confluere consueverint, ad celebrandum natalem Virginis diem: Quem & Summi Pontifices indulgentiis amplissimis cumulârunt. Tenétque fama, anniversarium hoc cælestis Ignis spectaculum ad Pauli Tertij Pontificis tempora durasse.

pp Ibid.

VIII.

Potestate igitur Cardinalibus à Cælestino factâ alium Pontificem eligendi; undecimo pòst die, in vigiliâ Nativitatis Domini, vigesimâ quartâ Decembris, ibidem Neapoli idem *Benedictus* Cardinalis, Anagniâ Campaniæ civitate patre Liutfredo illustri Caietano stemmate ortus, & Alexandri Quarti ex nepte pronepos, ex Cardinale Presbytero tituli Equitij electus est in Summum Pontificem: operâ maximè Caroli Regis; (ut Villanius [q] & Antoninus habent:) qui accepto à Benedicto jurejurando de præstandis sibi auxiliis ad Siciliam recuperandam, Cardinales sibi amicos ad ejus nominationem induxit. Cùm & alioqui (si ambitionem & avaritiam excipias, quibus nimiopere à plerisque notatur) esset ipse Benedictus tanto throno præ ceteris collegiis dignus quippe qui juris divini humaníque peritissimus, & experientiâ rerum insignis, per omnes honorum gradus ad eum pervenerit; magni animi vir, juriúmque Ecclesiæ zelator præcipuus. Qui mox post suam electionem, ut omnem à se amoliretur perversæ suspicionis occasionem, ante omnia professionem [r] fidei præstitit, cum pollicitatione servandi puritatem ejus in omnibus dogmatibus ab Ecclesiâ receptis. Quod tamen non insolitum fuisse pristinis Pontificibus, ostendit solemnis formula ab antiquo recepta, quam ex codice MS. Antonij Augustini profert in suis Annalibus [s] Baronius. Confestim autem ubi Benedictus adeptus est Pontificatum, manum operi admovens, sexto Calendas Ianuarij ibidem Neapoli acta Nicolai Quarti & Cælestini nondum executioni mandata rescindens, etiam dona ab eis concessa quæ non fuerant effectum consecuta, omnésque gratias expectativas & dispensationes indultas revocavit. Ac nihilominùs ut Iustæ beneficentiæ ac liberalitatis

BENED. CAIETANUS RENUNCIATUR PONTIFEX.

q Vill. lib. 8. cap. 6 Anton. tit 20. cap. 7. §. 1.

PROFESSIONEM FIDEI PRÆSTAT.

r Ext. in Cod. Vatic & inde ap. Bzov. hic.

s Annal. to. 10. an. 869.

spem omnibus faceret, BONIFACII nomen assumpsit *Octaui* vulgò dicti, cùm *Sextus* tantummodò dicendus sit, rejectis duobus Sedis illegitimis invasoribus, quos aliàs [ss] expungendos ostendimus. Symbolum autem sive sententiam hanc sumpsit, *Domine* [t] *Deus in adjutorium meum intende*. De cujus coronatione agetur anno sequenti, quo celebrata est.

BONIFACII NOMEN ASSUMIT.

ss In Epit. Bar. an. 897. & 974.
t Psal. 69.

IX.

Dum autem adhuc Cælestinus Pontificatum teneret, nonnulli Fratres Ordinis Minorum arctioris vitæ desiderio captatâ occasione propensionis Cælestini erga Eremicolas, ipso adito petierunt ut sibi liceret vivere secundū puritatem Regulæ, & S. Francisci intentionem & quò tuti essent à molestiis Superiorum Ordinis, ut imposterùm non Fratres Minoritæ, sed *Pauperes Eremitæ Domini Cælestini* nuncuparentur. Eóque facilè impetrato, acceptóque præfecto Fr. Liberato Maceratensi maximo paupertatis zelatore; unà cum facultate ubicumque eis placeret ad intentum à se rigorem cohabitandi; postquàm Cælestinus Pontificatum abdicavit, ut iram Rectorum Ordinis graviter ejusmodi separationem ferentium, declinarent, abeuntes in partes Achaiæ in quâdam Insulâ habitare decreverunt. In iis fuêre, præter Liberatum, aliquot alij magnæ doctrinæ ac virtutis Patres, variis etiam legationibus Apostolicis ad schismaticos & Infideles obitis insignes. Adeò ut etiam datum divinitùs fuerit *Angelo Clareno* uni ex illis, ut in momento Græcum idioma nocte Nativitatis Dominicæ plenè edoctus fuerit. Describuntur hæc pluribus in Annalibus [u] Minorum.

CONGREG. PAUPER. EREMIT. DOMINI CÆLEST.

u Ap. Vuadingh. to. 2. hoc an.

X.

Et quod in Minoribus sumus, ad eos pariter spectat quod hoc ipso anno contigisse narrat Sanutus [x] nempè cùm Haython Rex Armeniæ Constâtinopolim perrexisset unà cum fratre suo Thoros, eò quòd Michaël filius Andronici Imp. ejus sororem desponsaverat, (Mariam vocatam fuisse tradit Nicephorus [y] Gregoras, dum harum nuptiarum meminit; & ad sponsam adducendam missos esse in Armeniam Theodorum Metochiten domesticum, & Ioannem Glycam Logothetam Dromi, viros rerum prudentiâ & scientiarum doctrinâ insignes; ac Glycam totius itineris historiam scriptis mandâsse, Sebath alium ejus fratrem regnum usurpâsse eo prætextu quòd Haython numquam coronari voluisset, sed magis Fratrum Minorum habitum sumpsisset, & Frater Ioannes vulgò nominaretur: Redeuntem igitur repulsum esse ab Armenis: eóque in Cyprum primò, deinde Constantinopolim navigantem, postremò ad Tartaros opis causâ perrexisse; absque tamen ullo operæ pretio, quòd præventus fuisset à fratre, qui ad Tartarorum gratiam captandam, Tartaram duxerat uxorem: Posteà ab eodem fratre tentum unà cum Thoros, hunc quidem à Sebatho strangulatum, ipsum autem Haythonem excæcatum esse: Sed reddito ei divinitùs lumine, eâ re motum Constantem quartum fratrem carceri Sebathum mancipâsse, Haythone libertati ac regno restituto: qui ne ampliùs fratrum ludibriis subjaceret, tam eumdem Constantem quàm Sebathum sub tutâ custodiâ Constantinopolim misit, rogans Imperatorem ne eos sineret evagari. Hæc Sanutus: quæ præsenti anno

x San. lib. 3. par. 13. cap. 2.

y Greg. lib. 6. cap. 9.

DIRUM DISSIDIUM INTER FRATRES ARMEN. REGNI CAUSA.

cœpta, in plures alios diducta sunt. Reperitúrque inter epistolas [z] Bonifacij PP. VIII. epistola scripta ad prædictum Sebath, sive Sembath, anno ipsius Pontificatûs 4. qui fuit Domini 1298. quâ ait se illius nuncios & literas de angustiis sui regni & molestiis quas ipse patiebatur, recepisse, útque ei & Terræ Sanctæ succurreretur, se excitare quotidie Reges Galliæ & Angliæ. Vixisséque aliquando quietè sub ipso Haythonem, inde colligimus quòd scribat Villanius [a] Regem Armeniæ, qui filiam suam nuptui dedit Cassano Tartarorum Regi (de quo mox dicetur) misisse illam sub ductu Fratris Haythonis germani sui. Nec posse rem de aliis intelligi quàm de prædictis Sebatho & Haythone, (cùm alioqui multi essent fratres germani eodem patre nati) compertum haberi videatur, ex eo quòd ex prædictis & subsequentibus constet, Cassanum non nisi sub Sebatho regnum obtinuisse.

[z] Reg. Vatic. 3. Non. Oct. an. 4.

[a] Vill. lib. 8. cap. 35.

XI.

DISPUTATIO DE REGIBUS ARMEN.

Nam quòd hunc Ioannem sive Haythonem, eumdem esse cum illo Haythone ejusdem Armeniæ Rege, quem vidimus [b] aliàs monasticum habitum suscepisse sub nomine Macarij, disputant quidam [c] & opinantur: negamus nos omnino: cùm Haythonem historicum, ex eâdem regiâ familiâ ortum, túmque viventem habeamus disertè asserentem, Haythonem illum Macarium diem suum obiisse anno Christi 1270. Quamvis enim recentior Sanutus biennium addat, nihil hoc ad totos quadraginta annos, quos isti supervixisse usque ad annum trecentesimum decimum volunt: maximè cùm jam tum Haython historicus Armeniâ abiisset [d]. Quod si etiam, ut ait [e] senior ille ante religionis ingressum quadraginta quinque annis regnum suum administravit; equidem si idem ipse ad annum 1310. pervenit longè major centenario dicendus fuerit; ac proinde armis ferêdis & prælio ineundo, quo Ioannes fortissimè dimicans occubuisse dicitur, omninò inhabilis. Quibus adde, quòd Haython ille Macarius non nepoti regnum dimisisse, sed proprio filio ab Haythone [f] historico Sanuto [g] & aliis dicatur: Ioannes autem ab omnibus qui de illo egerunt, non filio, sed nepoti. Nec officit quòd tam ille filius, quàm hic nepos, Lievones sive Leones, eorúmque parentes Haythones sive Haythoni nominentur: quandoquidem ex illius gentis historiis constat, fuisse illa nomina frequentia & ferè propria familiæ regiæ. Ut omninò crediderim, hunc Haythonem-Ioannem nepotem extitisse senioris illius Haythonis-Macarij, filiúmque Lievonis qui Macario successit: nec ita pridem regnare cœpisse; cùm ex literis ad eum à Nicolao Papâ IV. ante quinquennium scriptis, quarum meminimus [h] superiùs, apertè intelligatur ipsius patrem tunc recèns defunctum fuisse. A quo tempore Haython hic Ioannes conversatione Minorum ad religiosam vitam inductus, habitum Religionis susceperit; & post fratres aut mortuos aut pulsos calamitatum quas passus erat pertæsus, regnum nepoti suo Lievoni, filio (ut Haython historicus [i] scribit) Theodori (fortè alius fratris sui) tradiderit; quem idem Haython historicus regnantem reliquit cùm in Cyprum secedens anno Domini millesimo trecentesimo quinto ingressus est Religionem Præmonstratensium. Sic enim facilè potuit Haython-Ioannes anno millesimo trecentesimo decimo superesse, & prælia gerere.

[b] An. 1266. XVIII.

[c] Vuadding. Annal. Minor. tom. 2. hoc an.

[d] Haython. cap. 46.

[e] Id. cap. 33.

[f] Id. d. c. 33.

[g] San. lib. 3. par. 12. cap. 8.

[h] An. 1289. VII. Ext. etiam ap. Vuaddingh. eo an.

[i] Haython. d. cap. 46.

XII.

CASSANUS REX TARTAR. PELLIT MAHOMETANOS.

Regnabat tum in minori Tartariâ seu Perside *Baydo* sive Baytho consanguineus Regaythi, de quo suprà [k] qui post ejusdem Regaythi necem evectus est in regnum: & ut verus Christianæ fidei amator, vetuit ne quisquam dogmata Mahometi, quæ per negligentiam Regaythi irrepserant, inter Tartaros prædicare auderet. Quod ægrè ferentes illius impietatis sectatores, clàm ad Cassanum (Chaganum quidam vocant; sed literæ Nicolai Pontificis de quibus suprà disertè Cassanum) filium Argonis decessoris Regaythi miserunt, regnum offerentes si vellet fidei Christianæ renunciare. Annuens verò ille regnãdi cupidine, arma contra Baydonem cepit; eóque in prælio proditoriè à suis derelicto, & in fugâ occiso, regnum occupavit; ut narrat Haythonus quod anno 1296. accidisse, Villanius [l] tradit; & confirmat Sanutus [m]. Ceterùm Cassanus ubi regnũ sibi firmavit, Christianis favens, Saracenos expulit, obstinatiores de medio sustulit: bellúmque Soldano Ægypti ac Babyloniæ (ut suo loco [n] dicetur) intulit. Quâ verò ratione Christianus factus fuerit, idem Villanius, [o] & ex eo Antoninus [p] ex relatione cujusdã viri Florentini qui diù in illis partibus versatus fuerat, narrat: Nempè cùm idem Cassanus uxorẽ duxisset filiam Regis Armeniæ speciosissimã, religione Christianam, brevi natum esse filium, sed ita deformem ut vix aliquid humani habere videretur: eâ de causâ, tamquam adulteram unà cum mõstro igni adjudicatam, petiisse licere sibi antequàm cremaretur, confessione peccatorum animam suam purgare & sacrâ communione reficere, puerúmque baptismo Christianorum lavari: his obtentis, ac factis, puerum depositâ omni fœditate elegantissimum ac pulcherrimum evasisse: eóque miraculo motum Cassanum, baptismum unà cum gente suâ suscepisse. Ita Villanius, & Antoninus, quæ valdè inconsideratè nonnulli recentiores historici & chronographi confuderunt cum Mangonis conversione, quæ totis quadraginta antè annis [q] & alio prorsùs modo contigit; & hunc Cassanum eumdẽ cum Mangone esse hariolati sunt. Hujus verò Cassani matrimonij, ac prodigiosæ ejus conversionis nihil legas apud Haythonum, Sanutum, & Bizarum, qui ex professo de Tartaris scripserunt & de rebus Cassani diligenter egerunt. Villanius sincerâ fide quæ accepit, exhibuit.

[k] An. 1289. VII. 1291. XIV.

[l] Vill. lib. 8. cap. 15.

[m] San. lib. 3. par. 13. cap. 8.

[n] Infr. an. 1300. I.

[o] Vill. d. l. 8. cap. 35.

[p] Ant. tit. 19. cap. 8. §. 9.

MIRACULO FIT CHRISTIANUS.

[q] Supr. an. 1253. XII.

XIII.

EDVAR. REX ANGL. AUXILIA MENDICAT CONTRA FRANC.

Hoc eodem anno Eduardus Rex Angliæ, ut se contra potentiam Philippi, Francorum Regis, cui se imparem sciebat, muniret, missis ad externos Principes legatis, omnes adversus Philippum Regem sollicitavit: ac præcipuè Adolphum Romanorum Regem ingenti pecuniâ in suas partes traxit. Utque sumptibus necessariis sufficeret, exigit ab universo clero regni sui dimidium omnium proventuũ suorum, à nobilibus decimã partem bonorum, à populo sextam, quãtumvis sævissimâ fame tota Anglia premeretur. Nec his contenti ejus ministri, etiam dispositis passim per regnum militibus, uno tempore quicquid pecuniarum in cunctis cœnobiis, ecclesiis, aliisque locis sacris depositum aut reconditum erat, omnibus

R[epinæ] I[n]FAUSTÆ.

vestigiis indagatum sustulerunt. Quare in pœnam sacrilegij suscitavit Deus novos in eum hostes, Wallos sæpè rebellantes: qui rursùm hoc anno arreptis armis Edmundum fratrem Regis adversus eos immissum profligârunt. Pariterque missus in Aquitaniam exercitus sacrilegâ pecuniâ conductus, non leves clades à Francis accepit. Quæ pluribus narrant ejus gentis historici [r].

[r] *Vuestmon. in Floril. Vualsingh. in Eduar. 1. & in Hypodigm. Polyd. lib. 17.*

XIV. ADOLPHI ROM. REG. VANITAS IN REGEM FRANC.

Adolphus autem Romanorum Rex stipendiarius Angli factus, magnum aliquod operæpretium præstaturus, quasi minus esset Regem Francorum extra Germaniam aggredi, quàm intra ipsam Comites ejus imperium detrectantes, quibus reducendis nimiùm quàm induabat: ut causam inferendi belli prætexeret, repetivit à Rege Philippo (ut Stero & Eberardus in suis Annalibus scribunt) regnum Arelatense, & quasdam alias terras quas dicebat esse Imperij; insupérque Coronam Spineam Domini: quæ nisi redderet, vi se ablaturum minatus est. Sed impotentem ejus vanitatem adeò contempsisse Regem; ut etiam legatos absque responso remiserit, scribunt Franci. Nisi quòd Wasseburgius [s] habet, dedisse eum nuncio folium chartæ puræ nihil scriptum continens, complicatum in modum epistolæ: alij [t] ex vetusto Chronico Flandriæ, hæc duo tantummodò verba scripsisse eo folio, *Trop Alemand*; hoc est, *Nimis, Germane*: quo solo territus Adolphus demotus fuerit à suo ausu. Sed putamus eum receptis pecuniis Angli, parùm sollicitum fuisse de Galliâ invadendâ, atque ideò facilè quievisse. Quanto verò nihilominùs constiterit ei, pecunias ad hoc ab Anglo recepisse, videbitur posteà.

[s] *Antiq. Gall. Belg. lib. 5.*
[t] *Vigner. Bibl. Hist. to. 2. hoc an.*

XV. ALIA BELLA ADOLPHI

Quo intereà Thuringiam ac Misniam armatâ manu invadente, ut eas sibi subjiceret, emptas à seniore Lantgravio, reclamantibus ejus filiis; ingentes clades iis provinciis illatæ sunt militũ direptionibus, sacrilegiis, crudelitatibus, incendiis, stupris, aliisque ejusmodi haud insolitis, quamquam nefandis sceleribus; quibus nomen ejus invisum & odiosum redditum est: etiamsi haud destiterit Adolphus ultionis gladiũ in aliquot sceleratiores distringere. Quæ describuntur ab Auctore Additionum ad Lambertum Schafnaburgensem, res patrias Erphordiæ civitatis Thuringiæ describente; Lãgio in Chronico Zitizensi; & distinctiùs ab alio Auctore Historiæ de Lantgraviis Thuringiæ, dissensiones ortas inter Lantgravium patrem, ejúsque filios, ac bella inde tam inter eos, quàm à Regibus Adolpho & Alberto cum iisdem filiis gesta prosecuto.

XVI. ORIGO DISCORDIARUM BELG. SUB PHILIPPO PULCHRO.

Ceterùm haud contentus Rex Angliæ exteros Principes in Regem Francorum sollicitare etiam clientes Belgij ad se attrahere studuit; ut sicut ipse domino suo rebellabat, ita & ceteri facerent. In iis Guido fuit Comes Flandriæ, Francíque Regis beneficiarius: quem ob proximitatem & potentiam valdè utilem rebus suis futurum, propositâ affinitate cõjugij filij sui Eduardi Walliæ Principis cum Philippâ filiâ juniore Guidonis, sibi devincire cogitavit. Eum verò honorem cupidè admittente Guidone, filiámque Eduardo spondente; iratus Rex Philippus, quòd id contra leges regni ausus esset, quibus districtè prohibebatur nequis magnatum liberos suos matrimonio collocare absq; regio consensu præsumeret; eumdem Comitem, unà cum uxore, ac filia Philippa (cui Rex de fonte baptismatis à se susceptæ id nominis imposuerat) accivit; venientésque nullis acceptis excusationibus custodiæ tradidit. Ex qua dimissus post annum Comes cum uxore, retenta est adhuc Philippa filia, aut verò, ut nonnulli habent, tunc tantùm accita, ne traderetur Anglo. Est Batavus scriptor Ioannes à Leidis qui longè post hæc vixit. Hic tradit [u] postquàm ipsa unà cum triginta viris ac viginti feminis nobilibus advenisset, ipsá veneno extinctam esse, viros patibulis suspẽsos, feminas strangulatas & in fluvium Sequanam projectas. Longéque recentior Christianus [x] Masseus Cameracensis, ipsam quoque Philippam unà cum ceteris feminis strangulatam ac projectam, viros furcis Montisfalconis affixos scribit. Idque ut verè gestum inseruere nuper suis scriptis alij [y] quidam absque ullà discussione; ut solent ejusmodi quamplurima.

[u] *Io. à Leid. Chron. Belg. lib. 26. cap. 7. sub an. 1302.*
[x] *Mass. Chron. lib. 17. sub an. 1296. & ap. Bellefor. lib. 4. cap. 40.*
[y] *Opmer. Belg. in sua Chronol. Bzov. an. 1293.*

XVII. IMPOSTURA DE NECE PHILIPPÆ FLANDRÆ REFELLITUR.

Horret tamen animus tam atrox facinus de Franco, de Rege, de sanctioris geniture parente cogitare, nedum credere. Nam ut diversitatem narrationis & temporis, & quod hallucinatur Masseus de furcis Montisfalconis, quæ nondum in rerum naturâ erant, omittam, quæ non parùm rem dubiam faciunt; si auctores spectes, apud antiquiores nihil tale legas. Quinimmò in Chronico Guillelmi Nangij monachi S. Dionysij, res tum gestas præ oculis habentis, disertè dicitur [z] Philippam honorificè educatam fuisse unà cum liberis regiis. Et ab ejus Cõtinuatore itidẽ monacho ejusdem monasterij ponitur decessisse anno Domini 1303. circa festum Purificationis; hoc est anno 1304. quòd annos Francico tunc more incipiat à Paschate. Ioannes Villanius [a] Florentinus, qui tũ vivebat, & in Galliâ ac Flandriâ eo ipso tẽpore quo hæ turbæ maximè vigebãt versatus est ac nullius in gratiã parcere scit veritati, de iis hęc tantùm ait, veneni suspiciõẽ in Philippæ morte intercessisse: quã facile fuit ab inimicis Regis vigẽtibus simultatibus spargi. Nam qui distinctiùs res & tẽpora tractavit Ægidius de Roiâ, ante prædictum Leidensem in ipsâmet Flãdriâ scribẽs, & ex alio antiquiori Brãdone Ioãne exscribẽs, cùm sub pręsenti anno 1294. horum meminit, ait iratum Philippum Regem in Guidonem Comitẽ ob fœdus secretò cum Rege Angliæ pactum, filiámque ejus filio desponsam, ipsos Guidonem ac filiam Parisios accersisse; Comitemq; aliquandiù tanquam captivum detentum posteà dimisisse, sed filiã retinuisse in obsequio Reginæ cautè custoditã. Deinde sub anno 1296. Guidonem, cùm non posset filiæ suæ restitutionem à Rege obtinere, egisse cum Bonifacio Pontifice ut eam Regi injungeret: respõdente verò Rege, nihil hęc temporalia ad Pontificem pertinere, Comitem auxilium Regis Angliæ implorâsse, ac renunciato sacramento fidelitatis quo tenebatur obstrictus Philippo tamquam Franciæ beneficiarius, eodem se erga Anglum obligâsse, bellumq; Philippo per quosdam Abbates publicè denunciâsse. Anno item 1298. id ipsum rursùs tentatum esse apud Pontificem; nec magis à Rege obtentum. Ac demùm anno 1304. mortuam esse Philippam: Nullo addito peculiari mortis genere; quod sanè si adeò tragicum

[z] *Nang. an. 1294.*
[a] *Vill. lib. 8. cap. 19.*

fuisset, nullatenùs omisisset: quinimmò & omninò tacitâ veneni suspicione Meyerus Flander res Francorum numquam non Megæricè tractare sciens, nihil tamen hâc in re sequioris impingere eis novit, quàm veneni suspicionem. Petrus verò Divæus Brabantinus de iisdem pariter agens, nec quidem suspicionem agnoscit. Et quod denique omnem tollat dubitationem, nihil prorsùs de eo Angli scriptores, Westmonasteriensis & Walsinghamus, loco proximi & longè iis temporibus proximiores, cùm de captivitate Comitis, ac filiæ agunt: qui minima quæque sollicitè perscrutari soliti, quibus invidiam Francis concitare valeant, hanc occasionem Regi obtrectandi, quem totius belli omniúmque malorum auctorem faciunt, auro cariùs emissent. Quare de hâc impostura jam satis: modò ad alia certiora transeundum.

XVIII. Egregiū facinus Ducis Hispani.

Egregium enim hoc eodem anno editum à duce Hispano fidei simul ac fortitudinis constantiæque exemplum, jucundius erit intelligere. Tariffam Hispaniæ Bæticæ urbē (quam olim Cartejam, seu Tartessum dictam volunt) in ipsis Gaditani freti faucibus sitam, post diuturnam obsidionem Mauris nuper eripuerat Sanctius Castellæ Rex, concreditâ ejus custodiâ *Alfonso Peresio Gusmanio* inclyto belli arte viro; cui præterea beneficia in egentes collata *Boni* cognomen pepererant. Transeunte postea Ioāne Regis fratre ex irâ & stomacho ad Regem Marrocium, commissa est illi à Marrocio Tariffæ obsidio. Quæ mœnium firmitate & Alfonsi virtute defensa, cùm hostiū conatus deluderet, accidit ut Alfonsi filius unicus in eorum potestatem inciderit; eúmque illi ante mœnia ostentantes, in patris oculis, nî urbem dederet, sese jugulaturos minitarentur. Ad eas voces pater nihil commotus, cùm negaret, ne si centum quidem filij jugulandi forent, à fide se & honesto abiturum: *quin* inquit, *si tanta libido jugulandi est, en gladium*; & suum è mœnibus projecit. Inde ad prandium abiens, cùm mox clamore & ejulatu dissono revocatus fuisset ad mœnia, ubi audivit consternationis causam extitisse filij jugulationem, barbarâ crudelitate ab hostibus factam: *Hoccine erat?* inquit, *credebam urbem ab hostibus captam*: & pari tranquillitate ad prandium uxorémque rediit. Barbari verò reputantes animis, nullis artibus nullísque viribus vinci posse qui filij amore non moveretur, desperatâ victoriâ redierunt in Africam. Rem narrat pluribus Rodericus [b] Sanctius: egregiéque Mariana [c]: quam etiam non immeritò Lipsius suis Monitis inserendam existimavit, dignam omnium temporum memoriâ.

[b] Rod. Sant. Hist. Hisp. par. 4. cap. 7. [c] Marian. lib. 14. cap. 17.

XIX. Digna vindicta de Comite Acerrarum

Turpissimum econtrà quod hoc eodem anno contigisse memorant Nangius in Chronico, & auctor Memorialis Historiarum: nempè Comitem Acerrarum in Apuliâ, quem Carolus Claudus Rex Siciliæ custodem provinciæ Phocæensis cōstituerat, repertum & probatum pessimum sodomitam, & sui domini proditorem, mandato Regis à posterioribus usque ad os ardenti veru transfixum fuisse, & posteà igne crematum. Fassum autem prætereà esse in tormentis, se Carolum patrem proditoriè ab obsidione Messanensi [d] retraxisse; & posteà capi se unà cum prædicto Claudo tunc Principe Salerni spontè permittentem, obstitisse quominùs Siculi eum honore prosequerentur.

[d] Supr. an. 1282. IV. in fi.

IESV CHRISTI Annus 1295.
BONIF. VIII. Ann. 1.
ADOLPHI Annus. 4.
ANDRONICI Annus 13.

I. Bonif. PP. ante coronationem edit professionem fidei.

ANNO Christi millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, Indictione octavâ, Bonifacius electus Pontifex Romam progressus, cùm apud plurimos malè audiret quasi improbis artibus Pontificatū adeptus fuisset; ut omnem de suâ integritate dubitationē tolleret, antequàm consecrationis & coronationis insignia susciperet, sinceræ fidei professionem ac probi regiminis pollicitationem, à se mox post suam electionē, ut vidimus, editam, in pleniori jam Principum aliorúmq; hominum conventu, majori solemnitate ad altare S. Petri obtulit. Túmq; coronatus est in eâdem basilicâ decimo-septimo Cal. Febr. præsentib. duobus Carolis Regibus, patre Siciliæ, & filio Hungariæ, & equitantis posteà stratorum vice frenum hinc inde tenentibus. Quam solemnitatem versibus descripsit Iacobus Cajetanus Stephanensis Diaconus Cardinalis tituli S. Georgij ad Velum aureum, creatus ab eodem Bonifacio propinquo suo. Haud tamen mentionē habens duorum infaustorum signorum, quæ tunc contigisse alibi [b] legimus: alterum, quòd incedente Bonifacio ad coronationem Pontificalibus induto, supervenerint densissimæ tenebræ, ortáque vehemens tēpestas lampades & cereos in Ecclesiâ extinxerit: alterū, quòd dum egrederetur è templo ortâ commotione seu collisione in plebe, occisi fuerint homines ampliùs quadraginta. Non aliis meruēre qui ejus Pontificatu horrores & turbines in Ecclesiâ & regnis tam ejus asperitate quàm aliorum impatientia contigerunt, signis prænunciari.

[a] An. super. VIII.

[b] Ap. Vvadding. hoc an. Dira venturorum prænuncia.

II. Bonifacius Cælestinum in custodiam tradit.

Ne verò occasione Cælestini, cujus abdicationē multi vitiosam esse disputabant, schisma aliquod in Ecclesiâ excitaretur; eum Bonifacius perquiri jussit: & occultantem se variis locis, atque etiam in Dalmatiâ secretioris vitæ desiderio transmittere satagentem, sed tertiò vi ventorū ad terram rejectum, ac tandem cōprehensum; post improperatam arroganter discessionem suo injussu, nullâ acceptâ excusatione, nec auscultatis Cardinalibus qui censebant remittendum esse in suam eremum; perpetuæ arctæque custodiæ mandavit in arce Fumonis in Hernicis validissimis muris cinctâ. Quo tempore contingere potuit (nisi magis calumniam dixerimus in odium Bonifacij adinventam) quòd scribunt nonnulli [c], haud rarò falsa vel ipsi comminisci, vel ab aliis commenta libenter proferre soliti, dictum fuisse ab eodem Cælestino, ipsum Bonifacium *ascendisse ut vulpem*, *regnaturum ut leonem*, *moriturum ut canem*. Quòd verò propter illa quæ circa eum gesta fuissent, quamplurimi Pontificatum Bonifacij in dubium revocarent, déque eo disputarent; ipse ante

[c] Vvalsing. in Eduar. I. & alij ejusdem avi & minoris fidei auctores.

Excusat se Bonifacius de rebus Cælest.

omnia epistolam[d] encyclicam ad omnes Præsules ac Principes, & universos Christianos scripsit, quâ rationem dedit actionum Cælestini, suæque assumptionis: deinde constitutionem quam diximus à Cælestino factam de licitâ Pôtificatûs abdicatione cõfirmavit aliâ à se editâ, quam insertam voluit libro sexto[e] Decretalium à se posteà compaginato. Ac denique effecit ut Ægydius Columna Ordinis Eremitarum S. Augustini, de quo suprà, doctissimam scripserit pro illo apologiam; quâ eum verum & legitimum Pontificem ostendit; nec nisi necessitate[f] universalis Ecclesiæ compulsum ea in Cælestinum admisisse. Unde forsan contigit, ut nonnulli[g] eum creatum fuisse Cardinalem à Bonifacio scripserint: quod tamen non probatur; nec quod tale in ejus Epitaphio, cujus meminimus superiùs.

d Reg. Vat. Bonif. VIII. ep. 1. Later. 8. Cal. Febr.

e Cap. quoniam. de renunciat. in 6.

f Ægid. de renunciat. Pap. lib. 1.

g Vid. Nomencl. Cardin. sub. Bonif. VIII.

III. Ne autem diutiùs miserum Cælestinum in manibus feri hominis in opprobriũ dignitatis relinquamus, expediẽda sunt breviter quæ ejus sunt reliqua. Postquàm enim multis incommodis afflictus, & loci angustiâ arctatus (quæ tamen ipse mala patientissimè, atque etiam cum gaudio ferebat) paulatim aëre vitæ necessario suam illi corruptionem infundente, ac in latere dextro pestiferis humoribus congestis, tabificum apostema generante; eo tandem suffocatus est 14. Calend. Iunij anni proximi 1296. aureâ Cruce circa ostium cellulæ in quâ jacebat totâ die mirabiliter in aëre pendẽte; anno ætatis ipsius 87. seu ut alij habent 81. tantummodò. Qui ad sepulturam in quoddam monasterium sui Ordinis dictum S. Antonij de Ferentinis, quod ipse cõstruxerat, honorificè delatus; decimo-septimo circiter pòst anno à Clemente V. Pontifice, ob præstantiam miraculorum, in Sanctorum numerũ relatus[h] est, sub nomine *B. Petri Confessoris*; non autẽ sub nomine Pontificis, quòd dignitatem abdicásset. Ejus autem Congregationẽ, CÆLESTINORUM dictam, quam ipsemet in Pontificatu confirmaverat, post Bonifacij obitum Benedictus[i] XI. ejus successor sub Sedis Apostolicæ protectionem suscepit, cum nonnullarum gratiarum largitione.

S. CÆLEST. EXPONTIF. OBITUS.

h Bullar. to. 1. Clem. V. const. 4.

i Bullar. to. 3. in Append.

IV. Bonifacius autem post suam coronationem rebus gerendis manum admovens, primùm omnium pacem inter Principes & Respublicas dissidentes, ut erat à multo rerum usu & magnarum artiũ disciplinis præclarè instructus, constabilire statuit. Atque imprimis ad Reges Galliæ & Angliæ Berardum de Gotto Albanẽsem & Simonem de Belloloco Prænestinum Episcopos Cardinales natione Gallos legavit[k]; qui primùm in Galliam, inde in Angliam appulsuri, eos ad concordiam revocare conarentur. Ad Adolphũ verò Regem Romanorum, quem audierat in societatem belli ab Anglo pecuniâ allectum, Archiepiscopũ Rheginum & Episcopum Senẽsem misit, qui eum incœpto desistere, & magis pacem inter eos Reges firmare admonerẽt; scriptis ad eum eâ de re literis[l], cùm priùs legationem ab eo suscepisset ad exhibendam obedientiam, & offerendam omnem promptitudinem erga ipsum & Sedem Apostolicam. Atque ut pacis negotium tantò efficaciùs promoveretur, scripsit[m] pariter ad Archiepiscopos Moguntinum, Treverensem, & Coloniensem, ut ad id diligenter incumberent. Rursúmque ad eumdem Adolphum, cùm ad alia negotia tractanda, tum ad eamdem pacem coagmentandam, ipsiusmet Adolphi Regis fratrem Ditherium Ordinis Prædicatorum destinavit[n]. Quos tamen omnes pios ejus conatus irritos fuisse, constat tã ex bello inter prædictos Reges etiã acriùs posthàc continuato, hócque ipso anno vario Marte in Aquitaniâ ab utriusque Regis fratribus eò cum copiis progressis gesto: quàm ex auctorum scriptis, ac præcipuè Anglorum; quorum testimoniis constat, prædictos Cardinales Legatos, cùm apud utrumque Regem permulta de pace in medium adduxissent, ad extremum videntes insedisse in eorum animis, conceptum odium explere armis, infecto negotio Romam rediisse.

BONIF. PAPA QUÆRIT PACEM INTER PRINCIPES STABILIRE.

k Reg. Vatic. an. 1. Later. 11. Calend. Mart. & Veletri 5. Id. Iunij.

l Anagn. 5. Cal. Iulij.

m Veletr. 10. Cal. Iun.

n Veletr. 10. Cal. Sept.

V. Feliciorem successum habuit tractatus pacis inter Frãcos & Aragonios ab ipsomet Pontifice conclusus, & ab ejus decessoribus sæpè frustrà tentatus: mortuo paulò antè *Sanctio* Rege Castellæ; qui & ipse eàdem in re operam suam aliàs incassùm locaverat. Mortuus est autem Toleti septimo Calendas Maij, postquàm explẽsset regni annos undecim: insignis fortitudine, sed callidus ac vafer, non uno loco crudelitatis impressis vestigiis ad posteritatis invidiã relictis: præter impietatem in patrem, & injustitiam in nepotes, de quibus aliàs dictum *Ferdinandum* filium decennem regni heredem reliquit ejus nominis Quartũ, quamvis incesto matrimonio natum sub tutelâ matris creatæ regni procuratricis. Mori autem voluisse ac sepeliri in habitu Franciscano, Minores scribunt: tum scilicèt demùm de aliquo exhibendo tot gravissimorum criminum pœnitentiæ signo cogitare incipientem, quando vix justissimi sibi quique de rectissimè transactâ vitâ præmia audeant promittere.

SANCTIUS REX CASTEL. MORITUR.

VI. Quod verò fœdus spectat Francorũ & Aragoniorum; convenientibus ad Bonifacium Papam Anagniam Carolo Siciliæ Rege & legatis Regum Francorum & Aragoniæ, id his legibus sancitum est: Ut rescissis pactis nuptiis inter Aragonium & Isabellam Sanctij Castellæ Regis filiam propter consanguinitatem, Blancam Caroli filiam Aragonius duceret cum dote septuaginta millium argenti pondo: Universa Sicila & quicquid Aragonij in Brutiis & citra Pharum occupâssent, ad jus Ecclesiæ Romanæ rediret: Si recusarent Siculi obedire, Aragonius subministratis adversus eos copiis rem juvaret: Carolus Valesius Regis Francorum frater jure penitùs cederet regni Aragonij à Sede Apostolica sibi olim collato: A Pontifice quæcumque personæ locáve his controversijs interdictis aut anathematis sententiæ subjacuissent, eâ religione exsolverentur: Obsides filij Caroli libertati darentur. Præter quæ summâ Pontificis ac Regis Francorum contentione impetratum est, ut Iacobus Rex Baleariũ Aragonij patruus restitueretur in regnum. Spéque Sardiniæ & Corsicæ Aragonio injecta dono Pontificis sub censu annuo. Narrant ista Auctores Hispani[o] & Siculi. Extántque de prædicto fœdere literæ Bonifacij mense Iunij datæ; plurimæque aliæ speciatim ad singulos quorum intererat scriptæ.

FOEDUS INTER FRANC. ET ARAGON.

o Surit. Ind. lib. 2. Marian. lib. 14. cap. 17. Fazel. 2. dec. 9. cap. 2.

VII. Vulgata porrò fama prædicti fœderis, cùm

ceteras

SICULI RENUUNT EI CONSENTIRE.

ceteras Orbis Christiani partes lætitiâ cópleret, Siculis gravissima extitit, ultimum malorum putantibus ad Francorum imperia redire. Itaque extrema quæque potiùs pati in animum inducentes, licèt Fridericus Regis Aragonij frater, qué vidimus ab ipso Siciliæ præfectum, arcessitu Pontificis factâ exscensione ad littus Romanum Velitras accedens, & de confirmatione fœderis solicitatus, oblatâ ipsi in matrimoniú Catharinâ Philipi filiâ nepte Balduini olim Imp. Constantinopolitani, spe dotali Græci Imperij communibus Pontificis & Caroli armis atque sumptibus recuperandi; conditionem non detrectaret: nihilominùs postquàm missis ad Regem Aragoniæ legatis, rogaturis ne se desereret in hoc discrimine, eum à studio pacis & conceptâ semel animo religione dimovere non potuerunt; iidem Siculi ipsum *Fridericum*, (nequicquàm obnitente Bonifacio per nuncios suos in insulâ directos, qui etiam vix manus evasêre furentis populi) publicis conventibus Panormi habitis 3. Idus Decemb. Regem sibi creârunt: præclarè exequentes quod ipsis solemne ab omni ævo circa Reges fuisse tradit antiquus eorum auctor Falcandus; nempè ne tyrannis quandoque careant Reges meliores morti objicere, ut eos sibi constituant, per quos in eâ insulâ perpetuæ possit tyrannidis privilegium conservari. Hunc autem anni sequentis octavo Calendas Aprilis die Annunciationis B. Virginis regiis insignibus decorârunt: qui se ex eâ die Siciliæ Regem, Ducatûs Apuliæ & Principatûs Capuæ nuncupavit: unde nova bella excitata sunt, de quibus posteà.

FRIDERICUM REGEM SIBI ELIGUNT.

VIII. CAROLUS REX SICIL. RECIPIT FILIOS OBSIDES.

Intereà verò sub finem mensis Octobris, quâ die Rex Carolus filiam Blancam Regi Aragoniæ tradidit, (deduxit enim illam ipsemet in Catalaniam ad virum, unà cum Guillelmo Ferrario Gallo creato à Cælestino tituli S. Clementis Cardinale Presbytero Legato Apostolico) tres filios, Blancæ fratres, unà cum ceteris obsidibus [q] post septem annorum custodiam liberos recepit. E quibus *Ludovicus* omnium filiorum à Carolo Martello Hungariæ Rege natu maximus; qui ab ipsâ infantia pietatis operibus deditus, cum in captivitate sub curâ & disciplinâ Fratrû Minorum, aliorúmque doctorum virorum conversatione, magnos fecisset progressus tam in literis humanioribus quàm sacris; & aliquando gravissimo ac fermè desperato morbo oppressus, votum emisisset suscipiendi Institurum S. Francisci: liber factus, coram Regibus Carolo patre & Iacobo Aragonio, ac Legato Apostolico, sacrâ Tonsurâ initiari voluit, annum agens vigesimum-primum; etiamsi pater uxorem ducere suaderet; promitteretque mox se illi regnum renunciaturum. Cúmque Montempessulanum cum patre venisset, petiit habitum à Ministro Minorum; quem tamen ille non est ausus dare metu offensionis patris. Quando verò eum susceperit, dicetur suo loco. Præsenti verò anno, qui eum longè antè susceperat *Andreas* Anagninus ex illustri Comitû Signiæ familiâ, Alexandri Papæ IV. pronepos, & Bonifacij nunc sedentis consanguineus, de quo nos aliâ occasione superiùs [r]; creatus ab eodem Bonifacio S.R.E. Cardinalis, nullâ potuit suasione induci ut dignitatem admitteret: quem Deus tam in vitâ quàm post mortem multis miraculis illustravit [s].

[q] Vid supr. an. 1288. III.

LUDOVIC. EIUS FILIUS EMITTIT VOTUM RELIGIONIS S. FRANC.

ANDREÆ ANAGNINI CONTEMPTUS DIGNITATUM.

[r] Supr. an. 1285. III.

[s] Vvadding. in Annal. Minor. to. 2.

IX. BONIF. PP. CONATUR VENETOS ET GENUENSES CONCILIARE.

Bonifacius autem in suis benefactis perseverans; intercedente his temporibus inexpiabili bello inter Venetos ac Genuenses, non tantùm ex vetere odio mutuis injuriis concepto, verùm etiam ex contentione de summo in navalibus rebus honoris loco, ac de maritimo imperio, cùm neuter populus alterius potentiam nimis crescere vellet, quę esset suæ deprimendæ: ad eos pariter in concordiam reducendos, quos dolebat mutuis sese cladibus atterere; utriusque populi oratores ac Pontifices accersens [t], gravi oratione pacem amplecti suasit; nec tamen persuasit. Cúmque Genuenses contumaciores reperisset, potestatem fecit Venetis sese inculpate ab eorum incursionibus defendere, absque metu pœnarum in fœdere olim inter ipsos post aliud bellum inito designatarum.

[t] Reg. Bonif an. 1. 15. Cal. Iun. Alban. Idib. Aug. Anag. F... Hist. Gen. lib. 6.

X. ITEMQUE REGEM ET ARCHIEPISCOPUM DANIÆ.

Cúmque accepisset, Ioannem Archiepiscopum Lundensem in Daniâ, à Rege Erico fuisse in vincula conjectû, eò quòd ejus avaritiam & sacrilegia corripuisset; ad eumdem Regem misit [u] Isarnum Episcopum Carcassonensem, qui Archiepiscopi liberationem curaret, & ut Rex illum ad Sedem Apostolicam, ad quam provocaverat, judicandum remitteret. Qui & posteà gravissimam sententiam pro eodem Archiepiscopo adversus Regem dixisse reperitur [x]; & legatum eumdem Isarnum misisse pro conciliandâ inter eos pace. Quòd verò duriorem se Rex in obsequendo exhiberet, regnum interdicto suppositum est: donec tandem, ne eadem terra perpetuò reciprocanda foret, utiliùs existimavit Benedictus XI. successor Bonifacij Archiepiscopum inde educere; quem (traditâ Lundensi Ecclesiâ ipsi Isarno) ad Rigésem Ecclesiam transtulit; ac deinde Clemens V. ad Bremensem; quæ sub ejus præsulatu multas magnásque tribulationes sustinuit: ut hęc pluribus narrat auctor Historiæ Archiepiscoporum Bremensiû [y], qui rudi carmine ejusdé Ioannis Vitam conscripsit. Meminit eorumdem Krantzius [z] variis locis; simultates inter Regem & Archiepiscopû fuisse aiens de quibusdã regni & Ecclesiæ juribus; valdéque Archiepiscopum de eruditione, zelo, & justitia commendans. Sed prolixius recens Rerum Danicarum [a] scriptor, haud adeò Archiepiscopo æquus; pro fide scilicèt quam sectatur.

[u] Anag. 10. Cal. Sept.

[x] Krantz. 8 Metrop. 56. Pontan. Rer. Danic. lib. 7.

[y] Ext. tem. Rer. Germ. Lindenbrog.

[z] Krantz. 8. Metrop. 56. & seqq. 7. Dan. 25. &c.

[a] Pontan. lib. 7.

XI. CURAT RES ECCLIS. APPAMIARUM NOSTRARUM.

Receptis pariter querimoniis Abbatis monasterij S. Antonini canonicorum Regularium urbis Apamiæ, sive Appamiarum diœcesis Tolosanæ, adversus Rogerium-Bernardum Fuxi Comites; remedium illis afferre curavit, cùm Regem Philippum monendo [b] Comitem compescere, omniáque in integrum Abbati & monasterio restitui jubere; tum Comiti anathema infligendo, ni id præstaret. Quod & non semel olim adversus decessores Comites præstitum ab aliis Romanis Pontificibus. Inhiaverant enim à multo tempore Comites Fuxi prædictæ urbi Appamiarum, (sic enim plurali numero magis nominatur quàm singulari Apamia, vel ut etiam quidam scribunt Pamia; quam vulgus *Pamies* vel *Pamiers* nuncupat) sitæ ad Aurigeram amnem, amplæ, & frequenti; in quâ nonnulli celebratum existimârunt Concilium Epaunense; sed longè à vero

[b] Epist. Bonif. an. 1.

DE S. ANTON. MART APPAM.

Fuit quondam (ut fertur) ejus Princeps ANTONINUS, ex genere Gothorum Tolosæ regnantium: cujus patrem eam Regi Fredelaci titulo obtinuisse volunt: à loco videlicèt sic tunc dicto: ex quo & posteà Abbas monasterij ibi constructi, Fredelacensis, & canonici regulares Fredelacenses, in antiquis ejus monumentis appellati reperiuntur. Ipse verò Antoninus CHRISTI amore patriam deserens, post peragratam multo tempore, & miraculis illustratam Urbem Romam, ceterámque Italiam, atque etiam Galliam, susceptósque sacros Ordines, ad suos in fide & pietate instruendos, Tolosam, Appamiásque reversus; gloriosissimū demùm apud easdem Appamias, unà cum prædicationis sociis *Ioanne & Almachio*, martyrium [c] pro fide Christi suscepit. Quem quòd Augustiniani inter suos Sanctos collocāt, non id intelligendum, ut puto, volunt quòd ipsorum habitum aliquádo susceperit; (quam opinationem tum multa alia sunt quæ destruant, tum quòd Vincentius Belvacensis [d] & S. Antoninus martyrium ejus ad Persecutioné Galerij & Maximini referant, quâ nondum Augustinus natus erat:) sed quòd subsequentibus temporibus constructio ibi per Comites Carcassonenses monasterio canonicorum regularium, ei quoque ab iisdem attributa fuerit urbs Fredelacensis seu Appamiæ. Quòd verò tam ipsa propter loci commoditatem, quàm etiam monasterium propter opulentos reditus: raptorum sacrilegiis, & maximè Fuxi Comitum invasionibus, in quorum districtu posita videbantur, exposita essent; (cùm non contenti parte dominij, ad cujus participationem admitti ab Abbatibus consueverant, totum sibi usurpare contenderent;) Clemens IV. Pontifex ea S. Ludovico Regi tuenda ad certum tempus & beneplacitū Sedis Apostolicæ commiserat [e]; (quos Defensores, seu Custodes, vel advocatos nominabāt; de quibus [f] alij; frequénsq; eorum in Ecclesiarum historiis mentio:) nonnullámque portionem redituum attribuerat nomine custodiæ seu tutelæ; nihil tamen juris Abbati aut monasterio detrahens. Post Ludovicum Philippus Audax ejus filius pariter tuenda suscepit, absq; ullâ novâ facultate Sedis Apostolicæ: & moriēs filio Philippo Pulchro reliquit. Isto verò jus Regibus cōcessum in Comitem transferente, Comes in grave præjudicium Ecclesiasticæ auctoritatis, juramentū fidelitatis à ministris & subjectis Abbatis & monasterij extorquens, urbem solius sui juris facere tentavit: quod reparare Bonifacius jussit. Eóque spectare putamus quod in Historiâ Fuxensi legitur, hoc anno 1295. cives Appamienses impetum fecisse in Rogerium-Bernardum Comitem, cúmque in templum B. Virginis armis coëgisse; donec commutato habitu clàm evasit, quod factum fortè fuerit ad vindicādas injurias ab eo factas Abbati domino suo. De cujus in Episcopū evectione dicetur anno cōsequenti, quāvis præsenti factâ.

c Martyrol. Rom. antiq. Rosveydi; & posterius cum Not. Baronij: Beda, Usuar. Ado &c. Ext. Acta. ap. Montbrit. to. I. & Pet. de Nval. lib 8. Contin. Sur. Hist. A ag. lib. 5. cap 6. d Vinc. lib. 11 cap. 35. Anton. tit. 8 §. 42.

e Ext. Clem. eā de re litt. in ejus Reg. Vat. f Vid. Bosq. in Ep. Innoc. III. lib. 2. edit. Tolos. ep. 122.

XII. DISSIDIA IN HISPANIA DE REGNIS CASTEL.

Ut autem post hæc Bonifacij gesta narrata, in Hispaniam redeamus; mortuo, ut diximus, Sanctio Castellæ Rege, tametsi ab ejus morte die proximo Ferdinandus ejus filius ibidem Toleti fuisset Rex salutatus; nihilominùs proceribus in studia scissis, multitudine rerū novarum avida, Rege puero, Reginæ auctoritate fluxâ; miserabilis, ut in discordiâ civili, facta est rerum facies. Henricus præcipuè Sanctij patruus non ita pridem à longâ captivitate [g] reversus, turbidus naturâ & inconstans malisque artibus assuetus, plerísque sollicitatis id egit ut celebratis Vallisoleti publicis regni conventibus, regni procuratio ipsi decreta fuerit, Regis educandi curâ penes Reginam remanente. Ex alterâ verò parte Ioannes Sanctij frater ex Africâ [h] in Hispaniam appulsus, regnum sibi Castellæ vendicare, in eo fratris exemplum secutus, Ferdinandúmq; fratris filium illegitimis nuptiis procreatum accusare cœpit, magno plurimorum assensu. Ac Dionysius Lusitaniæ Rex in partes attractus, puero Regis per feciales bellum indicere nō dubitavit. Denique inter Iacobum Aragoniæ Regem, & Alfósum Cerdam Regis Castellæ & Legionis titulos [i] usurpātem, fœdus eâ lege factum, ut communibus armis avitum regnum Alfonsus recuperaret, Murcia Aragonio cedere, Legione Caleciâ & Hispali prędicto Ioanni promissis. Sícque res in grandem cōfusionem, nec minus discrimen adductæ, residentibus tamen fœderatorum animis ac viribus, haud parem expectationi successum habuēre: nisi quòd inter singulorū progressus, quos initio satis prosperos habuerunt, Rex Aragonius Murciam urbem & omnem circùm tractum imperio suo adjunxit, paucis locis exceptis quæ in fide Regis pueri perstiterunt. Quæ omnia hoc anno cœpta, & in duos sequētes producta, quomodò se habuerint, Mariana [k] pluribus prosequitur ex antiquioribus monumentis.

ET LEGION. g Vid. supr. ann. 1268. III.

h Vid. supr. an. 1294. XV.

i Vid. supr. an. 1288. IV.

k Mar. lib. 15. cap. 1.

XIII. POLONI SIBI REGEM ELIGUNT.

Hoc item anno pertæsi malorū Poloni proceres, quæ Poloniā discerptō in multos principatus regno miserandum in modum affligerant; respicere ad unius dominatum & regnum cœperunt; quod ducentis quindecim annis in pœnam necis S. Stanislai [l] Episcopi Cracoviensis intermissum fuisse, illius gentis auctores scribunt. Celebratísq; Gnesnæ totius Poloniæ metropoli comitiis, Premislaus majoris Poloniæ princeps, novâ Pomeraniæ ex dono Mesciugi ejus Ducis, & Cracoviensis ac Sendomiriensis ditionis ex testamento Henrici Wratislaviensis accessione auctus, vir acer & ad res magnas gerendas factus, creatus est, ac solemni ritu inunctus vigesimo sexto Iunij. Qui mox cogitationes suas omnes eò intendens ut Poloniam universam pacaret, morte immaturâ sublatus est per dolum, à Marchionibus Brandeburgensibus, ex veteribus odiis & novi regni invidiâ, octavo regni mēse; ætatis anno trigesimo octavo, mense quarto nondum exacto. Rem gestam narrant ejus gentis historici [m]: addúntque creditum fuisse eum, Lukerdi uxori peremptæ nece suâ pœnas dedisse; quam à pedissequis suis jugulatam [n] cùm non ultus est, putatus sit necem imperâsse eò quòd sterilis esset, ut aliam duceret; ex quâ nihilominùs nonnisi filium suscepit.

l Ep. Bar. an. 1079. II.

m Michov. lib. 4. cap. 1. Cromer. lib. 11. n Mich. lib. 3. cap. 65. Cromer. lib. 10.

XIV. REX SCOT. RESILIT AB OBEDIENTIA ANGLI.

Regem quoque Scotorum Ioannem Baliolum, contra fidem Eduardo Anglo juratam [o], ab ejus obedientiâ recedentem, legatos misisse in Galliam ad renovandum antiquum fœdus; & ad illud arctiùs firmandum; Ioannam filiam Caroli Valesij fratris Philippi Regis sponsam accepisse filio suo Eduardo, impuberem impuberi; tradūt Angli Scotíq; scriptores.

o Supr. an. 1290. III.

Quam

(Quam tamen matrimonij sponsionem effectum non habuisse cōstat; sed Ioannam datam esse uxorem p Guillelmo Bono Hanoniæ Comiti.) Addúntq; Scotos elegisse sibi post hæc duodecim viros, quatuor Episcopos, quatuor Comites, & quatuor Barones, quorum consilio regnum administrandum foret: Regem autem Angliæ his auditis, omnia bona Ioannis quæ in Angliâ ampla habebat in fiscum redegisse, ac bellum in eum parâsse, de quo posteà.

p Sammart. Hist. Franc. lib. 8. ex Thes. Franc.

XVI. MEDIOLANI PRINCIPATUS IN FAMILIA VICECOMITUM.

Ad hunc usque annum pervenisse *Ottonem* Vicecomitem Archiepiscopum Mediolanensé, de quo sæpè superiùs, Corius habet; quem Bossius triennio antè, nempè 1292. obiisse ponit. Qui quidem eò lætior mundum deseruit, quò post tot toleratas calamitates, rerúmque vicissitudines, principatum ejus urbis ac proximarum confirmatum reliquit in familiâ suâ: *Matthæo* ipsius nepote (qui post Magnus est appellatus) non solùm Duce ab iis creato; verùm etiam ab Adolpho Romanorum Rege aquilæ insignibus & Imperij in Lombardiâ Vicariatu, solemni legatione honestato. Mortuus autem ab eodem Corio dicitur Otto die octavâ Augusti, ætatis anno octogesimo octavo.

XVII. q Vid. supr. an. 1290. I. SIGNA CRUCIS IN VESTIBUS IUDÆORUM. r Fortal. fid. ... 3. consid. 10. mirab. 10.

Hoc item anno, quo mortuum vidimus Sanctium Castellæ Regem, ex Auctore superiùs q aliquando citato libri cui titulus *Fortalitium Fidei* r, quem scripsit circa annum Domini 1460. didicimus, in regno Castellæ duos fuisse Iudæos prophetas existimatos à suis, qui ceteris Iudæis terminum suæ redēptionis assignaverāt ultimum diem quarti mensis prædicti anni; omninò asserentes eâ die habituros ipsos à Deo signum suæ redemptionis: quam ob rem sanctificâsse se ipsos, ac præparâsse jejuniis, eleemosynis, & satisfactionibus: quando verò advenit dies, accessisse omnes ad synagogas suas indutos sindonib9 albis ac pretiosis, prout est moris solemni eorum die Expiationis: túncque Deo cooperante in singulis omnium sindonibus, etiamque in illis quæ in domibus servabātur, apparuisse signa Crucis: eâ verò re multùm turbatos; paucos nihilominùs conversos esse ad fidem, quòd plurimi id arte diaboli contigisse dicerent, alij in dubio relinquerent. Ita is auctor, ex Alfonsi de Spinâ medici Iudæi qui adorat, libro quem posteà conversus scripsit adversus eosdem Iudæos de Bellis Dei; necnon ex aliis ejusdem Legis cultoribus qui pòst vixerunt, & Christianam fidem amplexi sunt.

XVIII. s Luc. in Annal. FACTIONES ALBORUM ET NIGRORUM IN ITALIA. t Vill. lib. 8. cap. 37.

Observat quoque Ptolomæus Lucensis s, se in Gestis Lucensium invenisse, hoc anno cœpisse discordiam *Cancellariorum de Pistorio*, ut nominarentur *Albi & Nigri*: quod nomen (inquit) fermentavit Florentiæ & Lucæ, & ex eo nomine utrobique exorta sunt multa mala. Ita ille breviter. Quæ distinctiùs explicans Villanius t sub anno millesimo trecentesimo, quo hæc pestis cœpit inficere Florentinos, ait fuisse Pistorij (satis potētis tunc Etruriæ civitatis, sed hujusmodi divisionum fecūdæ; cùm etiam Guelforum & Gibellinorum factiones in eâ primùm in Italiâ sævire cœpisse, aliàs viderimus) familiam quamdam, Cancellariorum dictam à nomine primi ejus auctoris; qui ex mercaturâ quam exercebat coacervatis multis divitiis, plures etiam filios suscepit ex duabus uxoribus, quas successivè habuit, omnes militiæ addictos: & ex iis subsecutam numerosam prolem factam esse gentem amplam & potentem. Cùm autem ex superbiâ nimiâque mollitie & abundantiâ inter natos ex diverso conjugio sensim jurgia & rixæ intervenissent, alteros se Cancellarios Albos, Nigros alteros nuncupâsse; mutuísque se pugnis & cædibus infestantes, totam illam civitatem factâ divisione in partes suas traxisse: nec solùm Pistorium, sed totam penè Italiam hâc lue corruptam esse, atque haud minori damno vastatam, quàm Guelforum & Gibellinorum. Verùm de iis etiam pleniùs auctor ejusdem temporis patriâ Pistoriensis; qui rem præ oculis habuit, & Italicè scripsit res suæ civitatis ab anno millesimo trecentesimo usque ad trecentesimum quadragesimum octavum. Illúdque insuper in iis observandum, Nigris Guelfos, Gibellinos Albis adhæsisse. De quibus rursùm inferiùs.

IESV CHRISTI Annus 1296.

BONIF. VIII. Ann. 2.

ADOLPHI Ann. 5.

ANDRONICI Annus 14.

I. BONIF. PP. AGIT CONTRA SICULOS.

ANNO Christi millesimo ducētesimo nonagesimo sexto, Indictione nonâ, Bonifacius Papa illud imprimis animo agitans ut insulam Siciliam Romanę Ecclesiæ & Carolo legitimo ejus Regi vendicaret; cùm cerneret Siculos obstinatiores in dies fieri, ad consilia de iis quoquo modo reducendis capienda, Iacobum Aragoniæ Regem Romam invitavit a. Et quòd magis ei rei propitium redderet, illum Vexilliferum, ducem, & maritimarum rerum classiúmque Ecclesiæ præfectum (quam Ammiratum vocant) in Terræ Sanctæ subsidium, & adversus Ecclesiæ hostes insigni laudis testimonio creavit b. Rex verò edicimperavit, uti Aragonij & Castellani proceres primariíque viri Siciliâ insulâ excederent; detrectantes in desertorum ac proditorum numero haberentur: magnámque classem ac potentem exercitum comparare curavit. Qui nihilominùs quòd lentiùs ageret quàm pro ardore Bonifacij, indéque suspicionem ingereret convenisse inter illum & fratrem ejus Fridericum, ut hic non solùm Siciliâ non excederet, verùm etiam regnum susciperet, & Caroli urbes ut fecit c in Brutiis) invaderet; idem Bonifacius, ut alium haberet quo in his aliísque necessitatibus Ecclesiæ efficaciùs uteretur, Philippo Francorum Regi scripsit d ut Carolum fratrem suum Romam mitteret; quocum de magnis & secretis negotiis conferret. Quippe cogitâsse putatur e de Carolo ad Imperium Rom. evehendo, Siculis opponendo, & expeditioni Orientali præficiendo. Utque omnem dimicationis occasionem eidem Philippo & Regi Anglorum Eduardo eximeret, utrumque monuit f totam cōtroversiam arbitrio Sedis Apostolicæ permittere. Quorū interim arma varia in Aquitaniâ hoc anno fuēre; clade tamen majori Anglorum, ac præcipuè postquàm Edmundus eorum Regis fra-

a Ep. 5 & 6. Rom. Non. Febr. an. 2.

b Surit. Ind. l. 2. Summont. Hist. Neap. lib. 3.

c Fazell. lib. 9. cap. 3.

ACCERSIT ROMAM CAROLUM VALESIUM.

d Ep. 91. Anagn. 15. Cal. Sept.

e Vid. infr. an. 1301. II.

f Ep. 90.

ter morbo extinctus est Baionæ.

II. FOEDUS CONTRA REGEM FRANC. OCCASIONE PHILIPPÆ FLANDRÆ.

Cùm verò & interim factâ conjuratione g in Philippum ab eodem Eduardo Rege, & Guidone Flandriæ Comite, vehementissimè in Regem commotis dolore detentæ h ab eo Philippæ Flandri filiæ; tractísque in fœdus Adolpho Romanorum Rege, Alberto Austriæ Duce, unà cum Brabantiæ Duce & Ambarorum Comite Regis Eduardi generis, aliisque Principibus; bellum denunciatum eidem Philippo fuisset ab iisdem Adolpho & Guidone separatim; ipséque Philippus ingenti irâ in Flandrum beneficiarium suum hujus conjurationis incentorem arma moveret: ejus impetum mollire gestiens Bonifacius, duos Cardinales Episcopos, videlicèt Berardum Albanensem & Simonem Prænestinum misit, qui inducias inter Reges indicerent sub pœnâ excommunicationis. Contra quam contestatus est Philippus Rex, regimen temporalitatis regni sui ad se solum & neminem alium pertinere, séque in eo nullum superiorem agnoscere; cùm tamen quòd animam tangit & spiritualitatem, paratus esset decessorum suorum exemplo monitionibus & præceptis Sedis Apostolicæ devotè ac humiliter obedire. Ut de his constat ex literis prædictorum Cardinalium de induciarum promulgatione datis i Credulij Belvacensis diœcesis decimotertio Calendas Maij anni sequentis.

g Ægid. de Roya Annal. Belg. hoc an. Mayer. lib. 10.
h Vid. supr. an. 1294. XIV.

BONIF. INDICIT REGIBUS INDUCIAS.

i Ext. in Actis gestor. int. Bonif. & Philip.

III. REX ANGLIÆ SCOTUM CAPTIVUM ABDUCIT.

Ejusmodi tamen induciarum beneficio in suum commodum opportunè usus Rex Angliæ, Scotiam ingressus totam ferè sibi subjecit, magnis cladibus Scotos atterens. Ipsumque Regem Ioannem sese spontè dedentem, (ut Angli k habent) sive ut Franci l & Scoti, à suis turpiter proditum, post acceptum denuò ab illo publicum subjectionis, necnon abdicationis testimonium, Londinum in Angliam cum ejus filio Eduardo adhuc impubere abductum, turri inclusit. Sublatúmque m ex Abbatiâ Sconæ lapidem, quo Reges Scotorum tẽpore suæ coronationis uti pro throno consueverant, transtulit Westmonasteriũ, ut esset ibi celebrantium cathedra sacerdotum. Indéque reversus pecuniæ indignus cùm durissimum populo ac clero tributum indixisset; populo imperatum facere assentiente, respondente verò Clero id sibi per Bonifacij Papæ præscriptum non licere: Rex iracundiâ permotus bona Ecclesiasticorum passim publicari vænireque tyrannicè jussit. Quo factum est ut plerique injustam vexationem factâ solutione redemerint; Roberto tamen Cãtuariensi Archiepiscopo forti animo injurias atroces bonorúmque amissionem pro jurium Ecclesiæ defensione sustinere eligente. Eóque in his progressum est, ut penè in defectionem universa Anglia proruperit.

k Vuestmon. & Vualsing. in Annal.
l Nang. Boët. & Bellefort.
m Vualsing. in Eduar I. & in Hypo. digm. & vid. supr. an. 1290. III. in ff.

CLERUM SUUM GRAVITER VEXAT.

IV. BONIF. RESCRIPTUM CONTRA GRAVAMINA CLERI.

Rescriptum autem Bonifacij, quo se clerici tutabantur, illud est, quod audiens ipse durissimis pecuniarum exactionibus ab omnibus ubiq; Principibus Clerum sine modo & fine gravari; ut immunitati ordinis cõsuleret, edidit n; nequi scilicèt Reges aut Principes ac Potestates, à sacerdotibus ac clericis ullas omninò decimas, vel alia cujusvis nominis subsidia aut auxilia quocumque titulo vel colore exigerent; neve illi petita aut imposita conferrent injussu Romani Pontificis, sub pœnâ excommunicationis in dantes & accipientes, & interdicti in loca. Quam constitutionem valdè errat Polydorus o, & qui idem senserũt quamplurimi alij, cùm aiunt promulgatam fuisse in Concilio Lugdunensi ab eodem Bonifacio celebrato. Non enim ipse post adeptum Pontificatum Gallias intrâsse reperitur; quantumvis constet p militâsse eum olim canonicum in Ecclesiâ Lugdunensi. Sed errorem secuti sunt illi, tituli seu inscriptionis appositæ eidem constitutioni in antiquis editionibus Libri Sexti Decretalium, ubi dicitur, fuisse eam editam in Concilio Lugdunensi; quod in posterioribus rectè correctũ extitit. Et putamus, errorem in eamdem inscriptionem inde fluxisse, quòd cùm dictus Liber Sextus compilatus fuerit & editus jussu Bonifacij & quamplurimi sint eâ compilatione canones Conciliorum Lugdunensium sub Innocentio IV. & Gregorio X. celebratorum, eos Bonifacius sub diversis titulis collocaverit. Denique non Lugduni hanc constitutionem factam esse, sed Anagniæ undecimo Calendas Octobris Pontificatûs anno secundo, certũ penitùs redditur ex Bonifacij Regesto, & ex Actis inter ipsum ad Philippum Regem. Postmodũ Archiepiscopis & Episcopis Galliæ supplicantibus indulsit idem Põtifex, ut si casus cõmunis, & evidentis necessitatis immineret, (ut scriptum est) ac Philippus Rex Frãcorũ illustris Prælatorũ, Ecclesiarũ, bonorum Ecclesiasticorum voluerit defensionem assumere, & id cognoscerent impedire, possent absque metu constitutionis præfatæ ipsi Regi pro ejusdem Regis, & Regni intrinsecæ defensionis subsidio subventionẽ congruã, voluntariam, liberalem, & liberam, non coactã, absque omni cõcussione, exactione, & executione temporali, vel laïcali exigendam præsentium literarum freti licentiâ impartiri, undecimo Calendas Martij. Quapropter convenerunt Archiepiscopi Remensis, Narbonensis, & Rothomagensis, & Episcopi Ambianensis, Parisiensis, Nivernensis, Dolensis, Laudunensis, Tornacensis; Antissiodorensis, Abricẽsis, Cenominensis, Catalaunensis, Morinensis, Trecensis, Ebroïcensis, Lemovicensis, Aniciensis, Silvanectensis, Carnotensis, Constantiensis, Magalonensis, cum Procuratoribus absentium, & eidem Regi in evidenti & urgenti necessitate defensionis intrinsecæ Regem decimam Ecclesiasticorum proventuum & redditiuum pro uno anno voluntate unanimi, & spontaneâ concesserunt, sibi in festo Pentecostes venturæ persolvendam, & colligendam auctoritate Sedis Apostolicæ non invocatâ potentiâ brachij secularis, & quatenùs bellum non cessaret, aliam similem decimam in Calendis mẽsis Octobris liberaliter exhibuerũt, quam Pontifex confirmavit, ac ab eisdem Archiepiscopis; & Episcopis in eorum respectivè diœcesibus exigi mandavit Idibus Maij.

n Cap. clericis laïcos, de immunit. Eccl. in 6. Vid infr. an. 1297. III.
o Polyd. lib. 17.
p Papir. Masson. in Bonif. VIII. & vid. infr. an. 1303. II. III.

ERROR DE CONCILIO LUGDUN. A BONIF. CELEBRATO.

V. AGIT BONIF. PRO LIBERTATE URBIUM TUSCIÆ A SERVITUTE IMPERII.

Hoc eodem anno (ut ponitur in Additione q ad Historiam Ptolomæi Lucensis; quam is quidem primo anno Bonifacij terminavit, attamen adhuc Annales per aliquot annos continuavit;) cum Adolphus Rex Alemanniæ Vicarium suum constituisset in Tusciâ Ioannem de Cabilone; benignè illum excepit Bonifacius Pontifex, & subditos Imperij

q Cod. MS. Colleg. Fux. Tolos.

hortatus

hortatus est ipsum recipere. Verùm illis jugum Imperij excutere quærentibus, atque ut Bonifacium in partes suas traherent octoginta ei millia florenorum offerentibus; factum est ut is Vicario persuaserit opus deserere, tradito ejus fratri Hugoni Episcopatu Leodiensi; quem & posteà transtulit ad Archiepiscopatum Bisuntinum.

VI.

[r] *Vvadding. Annal. to. 2.*

GUIDO COMES MONTISFELTR. FIT MINORITA.

Hoc item anno[r], decimo quinto Calendas Decẽbris, *Guido* Montisfeltrij & Urbini Comes, totâ notissimus Italiâ, & omnium auctorum scriptis ob potentiam, rei militaris scientiam, infensum in Romanos Pontifices & Ecclesiam animum, cladésque illatas, celebratissimus; cùm ab aliquo tempore in cor reversus gratiam à Sede Apostolicâ veniámque commissorum petiisset: eâ jam, factâ satisfactione, à Bonifacio Papâ impetratâ, habitum & Institutum Fratrum Minorum de ejus licentia suscepit. Idque ipsum præstitit[s] *Ludovicus* filius Regis Caroli, de quo superius[t]. Qui cùm electus fuisset ab eodem Bonifacio in Episcopum Tolosanum, loco Hugonis Mascarij defuncti; constanter negavit se aliquod munus Ecclesiasticum suscepturum, nisi priùs in verba regulámque S. Frãcisci, quam anteà vovisset, solemni professione jurâsset, quod & præstare permissũ est ei in vigiliâ Nativitatis Romæ in Conventu Areçæli in manibus Ioannis de Murro Ministri Generalis: indéque declaratus est Episcopus literis[u] Põtificiis datis Laterani 4. Calend. Ianuarij, quibus clarâ utriusque parentis progenie Regali præfulgẽs, eminenti literarum scientiâ præditus, vitæ munditiâ redolens, gravitate morum & consilij maturitate conspicuus, aliarúmque virtutum donis à Deo multipliciter decoratus prædicatur. Dispensante etiam Pontifice cum illo super ætatis defectu, quòd non vigesimumprimum excederet annum. Quàm autem egregiè Tolosam profectus munus Pontificium exercuerit, quantâ humilitate, castitate, charitate, sanctimoniâ vitam illustraverit, videre est in ejus Rebus[x] gestis.

[s] *Id. ibid.*
[t] *An. super. VIII.*

IRÉMQUE LUDOVICUS FIL. CAROLI REGIS.

[u] *Ep. 630. an. 2.*

FITQ. INSUPER EPISCOPUS TOLOSANUS.

[x] *Ap. Sur. 19. Aug. Vvadding. an. 1297.*

VII.

Antequàm porrò votum Religionis emitteret, omnem suam in regnum Siciliæ actionem in fratrem Robertum ætate minorem transtulisse dicitur. Extátque hactenùs in ecclesiâ S. Laurentij Ordinis Minorum Neapoli, imago ipsius ad vivum depicta, diadema regni procumbenti coram se Roberto imponentis. Verùm eam potiùs existimamus factam postquàm Robertus natu minor regnum adeptus est, quod debitum fuisset Ludovico majori natu si non mundo renunciâsset; quàm quòd reverâ nunc Ludovicus tali actione regnum in eum transtulerit, cùm adhuc viverent pater ejus, ac frater primogenitus Carolus Martellus Hungariæ Rex. Cùm alioqui quòd abiisset hoc tempore prædictus Martellus in Hungariam sibi jure debitam, (ubi tamen ob partem Andreanam[y] haud pacificè rerum potiri potuit) nec videretur sufficere aliquãdo posse ipse unus duobus regnis adeò dissitis administrandis; ad Robertum, post Ludovici renunciationem, regni Siculi successio spectare videretur. Quam etiam ut Põtifex Bonifacius in exclusionem Aragoniorum stabiliret; dato anno sequenti sexto Calendas Martij rescripto[z], omnem dubitationem de futuro post Carolum patrem in regnô Siciliæ successore tollens, illud nulli Aragoniorum, sed prædicto Roberto omninò deberi declaravit.

[y] *Supr. an. 1290. VIII.*
[z] *Ep. 322. Rom. Vvadding. an. seq.*

VIII.

ERECTIO EPISCOPATÛS APPAMIARUM.

Sed quod rursùm Episcopatum Ludovici attinet, (nondum enim erat Tolosa in Archiepiscopatum evecta; quod ei posteà contulit Ioannes XXII.) legimus in Chronico Nangij, & apud Walsinghamum Anglum, eum etiam simul reunitum (ut Anglus loquitur) tenuisse Episcopatum *Appamiensem*, recèns erectum à Papâ Bonifacio, & à Tolosano separatum: sive, ut Nangius ait, utrumque Episcopatum integraliter a Bonifacio esse consecutum. Ex quibus & intelligimus, quod Bernardus Guidonis[a], Almaricus Augerij, Chronicon Monfortianum, aliique Chronographi, scribunt Bonifacium erexisse hoc ipso anno 1296. Pontificatûs sui secundo, villam Appamiam diœcesis Tolosanæ in novam civitatem; magis referri debere ad annum superiorem: quomodò enim Ludovicus Episcopatum Appamiensem distinctũ à Tolosano unà cum isto tenere potuisset, si nondum quando ipse Tolosanum accepit erectus fuisset? Denique disertè ipsa bulla seu constitutio ipsius erectionis, quam vidimus, data ponitur 16. Cal. Octobr. Pontif. anno primo: Ubi etiam dicitur, erectionem Episcopatûs iam destinatam fuisse a Clemẽte IV. quem pariter anno superiori vidimus curam monasterij suscepisse, ac Regi Ludovico sancto commisisse. Verùm quoniam eadem bulla institutionis Episcopatû per Bonifaciũ factæ nonnisi præsẽti anno publicata fuit per Ægidium Narbonensem Archiepiscopum, cujus metropoli novus Episcopatus suppositus fuit æquè ac Tolosanus à quo divulsus est, (quam publicationem etiam vidimus factam sabbato post Dominicam Lętare præsẽtis anni 1296.) inde Bernardus & alij quos diximus chronographi nõnisi eidem præsenti anno prędictam erectionem assignârunt. Constituit autem ibi Bonifacius primum Episcopum *Bernardum Saisseti* Abbatem monasterij S. Antonij Canonicorum Regularium ejusdem civitatis, de quo dictum est anno superiori; & ipsam Abbatialem Ecclesiam erigens in Cathedralem, pluribus redditibus optimè dotavit, eandémque limitavit. Quòd tamen, ut scribunt alij[b], ejusmodi erectio & personæ electio ingratæ fuêre Regi Philippo; ideò utramque diœcesim regere habuit Ludovicus. Unde & reperimus inter epistolas Bonifacij, unam ad Philippum Regem scriptam Idibus Augusti anno tertio; quâ eum rogabat, ut executionem ab ipso Põtifice commissam Archiepiscopo Narbonensi pro eodem Episcopo Appamiarum, non permitteret per regios ministros indebitè impediri. Quo factum est, ut defuncto post biẽnium Ludovico; tum demùm Bernardus Appamiensem susceperit: nempè anno 1298; ut etiam ob servatũ ab eodem Nangio & aliis[c]. Ut sic gloriari liceat Ecclesiæ Appamiensi, fundatorem primum habuisse Principem martyrem Antoninum de quo anno superiori; & Protopręsulem Principem Ludovicũ magnum, pium, doctum; sanctum Confessorem: Et admirari divinam in se providentiam, quæ non permisit Bernardum rixarum & dissensionum virum primò sedem ibi figere, ut tantum haberet

[a] *Bern. in Hist. Pontif.*
[b] *Nicol. Gill. in Annal.*
[c] *Forner. in version. Hist. Guill. de Pod. Laur.*

vitæ & morum exẽplum quod intueri & imitari deberet. Putamus autem erectionem hujus Episcopatûs factam esse, non solùm quòd, ut ait in suâ constitutione Bonifacius, locus esset nobilis & insignis, atque omnibus commoditatibus præditus, sed maximè occasione injuriarum inferri Abbatibus ac monasterio solitarum, quasi dignitate Episcopali venerabilior & securior futura esset; tum etiam in gratiam prædicti Bernardi, quem in intimis Bonifacij extitisse volunt & imperitè hæreticus auctor Historiæ Fuxensis Stephanum nomine; patriâ Aragonium fecit.

IX. Ac nequis existimet hæc non adeò insignia otiosè à nobis discussa esse, intelligat oportet duplici de causâ id præstare nos voluisse: atq; imprimis quòd per hunc Bernardum, ac propter eum, odia & inimicitiæ inter Bonifacium Papam & Philippũ Regẽ maximè (ut videbimus) exarserint. Deinde quòd hæc civitas est, seu Ecclesia, ad cujus regiminis labores infelix ego jam ætate provectus vocatus, & renuens invitúsque coactus fui, tum maximè cùm plerique sanæ mentis homines ad quietem secedere consueverunt. Idque eò infeliciùs, quòd qui in croceis Romæ nutriebar, amplexari cõpulsus fui stercora regioni ab omni ævo tumultuosissimæ, à multis lustris hæresi infectissimæ, quotidiano exercitio vitiis inquinatissimæ, & ex pervicaci incolarum naturâ corrigi difficillimæ. Ut sæpè inclamandũ mihi fuerit cũ Prophetâ[cc], Hei mihi, quia habitavi cum habitantibus Cedar. Denique & eò infelicissimè, quòd & ipsos Catholicos, ipsúmque adeò Clerũ morosum ita expertus sim, ut quamvis cum his qui oderant pacẽ essem pacificus, nihilominùs cùm loquerer illis impugnarent me gratis. Unde & parùm multoties abfuit, quin his tædiis afflictissimus Martyrẽ olim Patriarchã Antiochenũ imitarer; quem refert Theodorus Lector pari tædio affectum publicè in Ecclesiâ suâ præfatum hæc verba, *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio*, mox iis relictis abscessisse. Utrùm verò patientia mea, & labores immensi, aliquid utilitatis protulerint nôrunt incolæ quorũ saluti eos impendi; scítque Deus, cujus honori & gloriæ apud eos amplificãdæ desudavi: qui reddet unicuique juxta opera sua. Iámq; in his satis divagati, revertamur ad tẽporis historiã.

AUCTORIS LABORES IN EO EPISCOPATU GERENDO.

cc Psal. 119.

X. Hoc quoque anno iram Bonifacij Pontificis in Columnenses sese manifestâsse, tradunt Continuator Poloni, Stero, & alij [d]: Lucensis[e], Villanius[f], & qui ab iis excerpserunt, sequenti, quo videlicèt lata est sententia in eos. Nec verò modò tantùm cœpisse, sed jam inde ab ipsius in Pontificatum evectione tradunt[g]; eò quòd duo ex illâ familiâ Diaconi Cardinales, Iacobus tituli S. Mariæ in Viâ latâ, ejúsque nepos Petrus S. Eustachij, ei in illâ adversati fuissent, eamdémque posteà traduxissent quasi malis artibus quæsitam; atque in Pontificem obloqui non cessarent familiæ potentiâ, opibus, ac clientum multitudine freti: denique & factioni Gibellinæ[h] addictissimi essent, quam Bonifacius summè odisse cœpit, cùm olim ei non parùm addictus fuisset: Nunc autem erupisse, occasione sacræ ac Pontificiæ supellectilis, ab Stephano Columnâ fratre prædicti Pẽtri Cardinalis, in viâ dum Anagniâ Romam transmitteretur surreptæ atque direptæ cùm ex pristino odio, tum in vindictam cujusdam sententiæ in ipsum ac fratres ex controversiâ partium in favorẽ aliorum ex eadem familiâ latæ. Missis qui ablata reposcerent, (quæ & restituta fuêre) & ob scelus commissum tam Stephano, quàm ejus patruo ac fratri Cardinalibus, quos direptionis conscios esse non dubitabat, diem dicerent; cùm non solùm non comparuissent, verùm etiam arma ad defensionem parâssent Præneste munitissimo ipsorum oppido: tum Pontifex manum operi admovens, tantas contumelias vindicaturus, de ceterorum Cardinalium & Episcoporum Romæ existentium consilio, eosdem Iacobum & Petrum contumaces, perturbatores ac schismaticos declaratos, omni dignitate & honore deposuit, & beneficiis Ecclesiasticis bonísque privavit; Stephani ac fratrum Agapeti & Sarræ, aliorúmque ex ea stirpe descendentiũ, bona juráque publicavit, atque eorum posteros ad honores, officia, beneficia Ecclesiastica inhabiles pronunciavit: omnésque prædictorum fautores anathemate damnavit. Eámque constitutionem, promulgatam anno sequenti in Ascensione Domini, idem posteà Pontifex libro sexto [i] Decretalium à se compacto inseri voluit. Quid verò prætereà in eos gesserit, dicetur posteà pro ratione temporis.

d Magr. Chron. Belg. ex Gest. Pontif.
e Luc. in Annal.
f Vill. lib. 8. cap. 21.
g Vill. ibid. Ciac. in Bonif. VIII.
h Platin. in Bonif. VIII.

ODIUM BONIF. PONT. IN COLUMNENSES UNDE ORTUM.

i Cap. ad succidendos, de schismat. in 6.

XI. Quantum porrò fuerit ejusdem odium contra Gibellinos, eorúmque fautores seu receptatores, vel inde conjicere licet, quòd cùm aliquorum relatu accepisset Cardinales Columnenses qui Gibellinæ factionis erant se Genuam recepisse, Porchetto Spinolæ Ordinis Fratrum Minorum ejus civitatis Archiepiscopo ad pedes ejus die Cinerum de more accedẽti, pro eo quod ex sacro ritu dici solet, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*; dixisse ei tradatur [k], *Memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reverteris*: in eiúsque oculos cineres conjecisse, non caput aut frontem ut consuetum est iis signâsse: quinimmò & eundem ob nomen factionis Archiepiscopatu privâsse: quem tamen paulò pòst restituerit, certior factus Cardinales Columnenses Genuam non petiisse. Quæ quidem contigisse constat tempore fugæ Cardinalium, de quâ dicetur anno sequenti.

ODIUM EIUSDEM IN GIBELLINOS.

k Blond. 2. dec. 9. Plat. in Bon. VIII. & alij

XII. Necato (ut vidimus anno superiori) Premislao Poloniæ Rege, celebratis præsenti ad nonum Cal. Maij Posnoniæ comitiis, suffectus est ei *Voladislaus*, frater Lesci Nigri minoris Poloniæ olim Principis, *Lokticus* quasi cubitalis à staturæ exiguitate dictus, sed bellis compluribus gestis acer atq; rei militaris peritus, ditionibus, opibus, propinquis sãguine & affinitate potens. In cujus verba cùm omnes magno cõsensu jurâssent, distulit tamen is solemnem Regibus inunctionis & coronationis ritum, nec Regis nomen, sed Heredis regni Polonici usurpavit; eò quòd à Vvenceslao Boëmiæ Rege quædam loca occuparentur, quæ ipse priùs recuperare cogitabat. Et initio quidem multa fortiter præstitit in finitimos hostes; sed posteà ad delicias se totum applicans regno privari meruit, ut videbitur suo loco. Hæc autem pluribus narrant Michovius [l] & Cromerus Rerum Polonicarum scriptores.

WLADISLAUS LOKTICUS REX POLON. ELIGITUR.

l Mich. lib. 4. cap. 1. Cromer. lib. 11.

XIII. In Belgio Florentius Hollandiæ Comes,

FLORENTII COMITIS HOLLANDIÆ CÆDES.

postquàm ditiones suas quadraginta duobus fermè annis non malè administrâsset, filióque suo Ioanni Elisabetham filiam Eduardi Angliæ Regis uxorem dedisset; miserabili nece finem vivendi fecit. Cùm enim vagis amoribus deditus feminam quamdam formâ præstantem à se cognitam cuidam Gerardo Velsio viro nobili & forti in matrimoniū collocare vellet, ipséque negaret se velle scortum ejus uxorem habere; indignatus Comes, velis nolis, inquit, scortum meum uxorem habebis. Non intelligens Gerardus quid Comes insinuaret, aliam uxorem duxit. Comes autem ut facto dictum probaret, misso in aliam regionem specie legationis Gerardo, ad castrū ejus accedens, & ab uxore honorificè exceptus, eam fœdè constupravit. Reversus Gerardus, re auditâ seriò cœpit de vindictâ cogitare. Factóque interim conventu Cameraci, de rebus bellicis contra Francos, cui interfuerunt legati Regis Angliæ, Ducis Brabantiæ, & Comitis Flandriæ; decretum ab illis est secretò capiendum esse Comitem, & captivum in Angliam mittendum, traditâ Hollandiæ administratione Ioanni ejus filio prædicti Regis genero. Egressum igitur quâdam die ad aucupiū Velsius cum aliis conjuratis aggressus, sese fortiter defendentem vulneratū cepit; & in quamdam arcem deductum cùm populi finitimi liberare quærerent, inde aliò perducens, nec præ occurrentium multitudine valens, ampliùs viginti vulneribus confodit quinto Calendas Iulij. Qui Velsius posteà captus, nudúsque cado præacutis clavis intùs prominentibus inclusus, ac vicatim à plebe volutatus, demùm securi à carnifice percussus est, ac rotæ impositus: ceteris quoque cōjuratoribus malâ morte affectis. Facinus autem uberiùs narrant scriptores Belgici [m]. Quorum unus [n] observat, dum Comitis funus celebraretur, binos Vultures, quos ita mansuefactos habebat ut quâcumq; iret utrumque ei latus clauderent, cùm adfuissent captivo, adfuissent interfecto, funerantium more exequiis adstitisse, ad pedem altaris cubantes; cùm qui nihil ab usque Comitis captivitate gustâssent, jam præ inediâ funus comitari non valerent.

[m] Becha. in Ioan. II. Io. à Leid. lib. 24. c. 26 Rener. lib. 7. in fin.
[n] Rener. ibid.

VULTURES FUNUS COMITIS AGUNT.

IESV CHRISTI Annus 1297.
BONIF. VIII. Ann. 3.
ADOLPHI Annus. 6.
ANDRONICI Annus 15.

I. CRUX PRÆDICATUR CONTRA COLUMNENSES.

ANNO Christi millesimo ducentesimo Nonagesimo septimo, Indictione decimâ, Bonifacius Pontifex irarū in Collumnenses perduelles plenus, Crucem cum indulgentiâ peccatorum cōtra illos tanquam schismaticos, necnon contra eorum complices, fautores & receptatores, prædicari jussit [a]: ædes eorum in Urbe disjecit, quędam oppida & castella cepit diruitque, & quoquò fugientes persecutus est. Quando & Cardinales Columnenses perverso animo mensibus Maij & Iunij famosos in eum libellos [b] ad universos Principes ac populos spargentes, ambitionis, avaritiæ, arrogantiæ, impotentísque dominatûs insolentissimè infamârunt; eâque specie ab ejus judicio appellare præsumpserunt, quasi nec legitimus Pontifex esset, nec ipsi ei obedire tenerentur. Contra quorum impias & schismaticas querelas commoti reliqui omnes Cardinales, literas [c] publicas scripserunt pro defensione auctoritatis Bonifacij. Postquàm verò Columnenses in munitione Prænestinâ diù restitissent, tractatâ inter hæc reconciliatione, accedentes tam Cardinales quàm alij Reate ad Pontificem, & ad pedes ejus prostrati, misericordiam consecuti sunt, & absolutionem à censuris, cum promissione restitutionis in integrum. Quod anno sequenti menséque Septembri contigisse, auctores [d] tradunt. Sed frustrati expectatione, iterùm à Bonifacio deficientes, etiam ab eo repetitis sententiis duriùs habiti sunt; adeóque exagitati, ut nec occultissimis Italiæ latebris tuti, in exteras regiones fugere compulsi fuerint. Ex quibus Stephanus in Galliam ad Philippum Regem confugiens, liberaliter ab eo exceptus est magnâ Bonifacij invidiâ, qui tam ad eumdem Regem, quàm etiam ad Anglum, alióśque scripserat [e], ne eum ullo modo admitterent, sed captum detineri facerent. Sarra autem sive Sciarra ejus frater inopinato casu à piratis Massiliensium ad littus Anciate interceptus [f], remóque adactus, elegit aliquamdiù durissima pati, bubalorum pastorem se mentiens, quàm nomen suum prodere, ne Pontifici divenderetur. Massiliæ autem agnitus, & à Rege redemptus, perniciem Pontifici molitus est; ut dicetur suo loco.

[a] Ep. 75. & 131. Villan. lib. 8. cap. 21.
[b] Recens. in Collect. Archiep. Auxit. Colleg. Fux. Tolos. fol. 211.
[c] Ext. ibid. fol. 212.
[d] Vill. lib. 8. cap. 23. Ant. ... 20. c. 8. §. 11. Vualsingh. in Ypodig. & in Edua. ...
[e] d. Collect. ... 212. Vid. Petrar. 2. Ep. famil. 3.
[f] Iovi. in Elog.

PROFUGI VAGANTUR

II. VARIA DECRETA ECCLES. BONIFACII HUIUS ANNI.

Qui verò sic prędictos duos Cardinales persequebatur; ne fortè inde ceterorum invidiam in se concitaret, vel occasionem Principibus aliísve malè eos habendi præberet: severissimam hoc eodem tempore sanctionem [g] edidit in eos qui aliquem Cardinalem in aliquo lædere sacrilego ausu attentarent. Aliásque addidit pro immunitate [h] clericorum tam solutorum quàm conjugatorum. Sanctorum [i] Apostolorum, Evangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum Gregorij Papæ, Augustini & Ambrosij Antistitum; atque Hieronymi Sacerdotis festivitates sub officio duplici per universam Ecclesiam celebrari statuit. Ludovicum Francorum Regem, ob miraculorum præstantiam, in Sanctorum Confessorum numerum retulit [k] tertio Idus Augusti apud Urbem veterem; duabus præmissis concionibus de ejus laudibus, quarum alterâ ait se ipsum vidisse & cognovisse (quâ in re hallucinati sunt Blondus, Platina, & Sabellicus, dum hanc canonizationem putârunt esse sancti Ludovici Minoritani filij Caroli Regis Siciliæ, de quo egimus anno præcedenti: quem necdum mortuum esse, nec nisi sub Ioanne Vigesimo secundo albo Sanctorum adscriptum constat.) Ex basilicâ Lateranensi canonicos regulares propter collapsam morum disciplinam expulit, & distinctis præbendis sæculares ex Romanis civibus constituit. Pariterque pulsis ex cathedrali Ecclesiâ sanctæ Cæciliæ Albiensi regularibus, seculares substituit: Bernardo de Castaneto tunc Episcopo Albiensi id solicitè procurāte. Ita enim disertè asserunt antiquiora Chronica; cùm sint alia, quæ contrarium ponant, nempè pulsis sæ-

[g] Cap. felic. de pœn. in 6.
[h] Cap. si judex, de sent. excomm. & Clerici. de Vit. honest.
[i] Cap. gloriosus, de reliq. & vener. sanct. in 6.
[k] Ext. bul. canoniz. in Reg. Bonif. & Bullar. t. ... & ap. Sur. tom. 4. & Vvadding. hoc an.

LUDOVICI FRANCORUM REGIS CANONIZATIO.

cularibus

cularibus introductos esse regulares. Prioratum S. Antonij Viennensis, ubi ejus corpus requiescit, exemit à superioritate & subjectione monasterij Montis-majoris Arelatensis, & in Abbbatiam erexit; atque Abbatem instituit Generalem totius Ordinis Canonicorum & clericorum S. Antonij sub Regulâ S. Augustini; cum obligatione deferendi de antiquâ consuetudine in vestitu signum T, quod potentiam vocant.

ABBAS S. ANTONII VIEN. CONSTITUITUR GENERALIS TOTIUS ORDINIS.

III. INTERPRETATIO PROHIBITIONIS DE SUBSIDIIS CLERI.

Regi quoque Francorum gratificaturus, ad instantiam ejus ac Prælatorum regni, constitutionem à se anno superiori editam de subsidiis à Principibus non exigendis, vel eis à clero non concedendis, ita interpretatus est, ut non extéderetur ad donaria voluntaria, etiamsi petita fuissent, modò cessaret coactio; & ut pro necessariâ universali vel particulari regni defensione, vel etiam Regis aut filiorum ejus redemptione, liceret ea exigere & solvere etiam inconsulto Romano Pontifice. Extat [l] enim responsio nomine Philippi Regis ad prędictam constitutionem Bonifacij: necnon supplicatio Prælatorum regni pro ejusdem interpretatione: itémque ipsa Bonifacij declaratio [m] sive interpretatio, quam diximus; ac denique multæ [n] de his datæ utrimque literæ. Ulteriùs ad preces ejusdem Regis Episcopis Parisiensi, & Meldensi, & Abbatibus Turonensi, & sancti Dionysij Parisiensis diœcesis scripsit, ut universas personas Ecclesiasticas exemptas & non exemptas cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, & ordinis fuerint (exceptis illis de Cluniacensi, & Cisterciensi Ordinibus, & Hospitali S. Ioannis, & de domo militiæ Templi Hierosolymitani) ad exhibendum eidem Regi decimas spiritualiter, & temporaliter auctoritate Apostolicâ compellerent: sextâ Augusti, & octavo Calendas Septembris. Sed ad alia.

[l] In Act. int. Bonif. & Philip.
[m] Cod. MS. S. Victor. Paris. MM. 7. fol. 92. & in Addit. Aufrer. IC. ad Styl. Cur. Paris. par. 4. priv. l. 4.
[n] Reg. Bonif. an. 3.

IV. BONIF. PP. SARDINIAM ET CORSICAM CONFERT REGI ARAG.

Idem quoque Pontifex Iacobum Aragoniæ Regem, quem Romam accersisse vidimus, cùm advenisset, ut promptiorem in auxilium Caroli adversus Fridericum fratrem Siciliæ occupatorem redderet, satis aliàs vi fœderis [o] adstrictum, novo dono insularum Sardiniæ & Corsicæ ad Romanæ Ecclesiæ jura pertinentium obligare voluit. Quarum eum pridie [p] Nonas Aprilis Romæ apud S. Petrum Regem renunciavit; reservato sibi ac successoribus supremo fidelitatis jure ac vi summæ potestatis; & sub censu annuo duorum millium marcharum sterlingorum, ac certo numero triremium & copiarum terrestrium juxta necessitates Ecclesiæ Romanæ sumptibus regiis suppeditando; quòd nunquam possent separari à coronâ Aragoniæ: si verò eum aut successores contingeret decedere sine liberis, aut alicui ex ceteris adscriptis conditionibus non satisfacere, regnum ad Sedem Apostolicam recideret. Quam quidem donationem ideò à Bonifacio prædicto Regi factam Almaricus Augerij in suo Chronico tradit, quoniam (ut ait talem vassallum seu vicarium Ecclesiæ Romanæ quantum ad illud regnum tunc invenire non poterat.

[o] Supr. an. 1295. VI.
[p] Ep. 26. Coll. Card. Arag. Surit. Indic. lib. 2.

V. CONSTANTIA REGINA ROMAM ACCEDIT.

Cùm interim frustrà sollicitato ad colloquiú fratre ejus Friderico in Ænariâ aut Prochytâ insulâ ineundum; idem Rex Iacobus matrem Constantiam unà cum Iolante sorore ex eâdem Siciliâ, accitam, Románque venientem amantissimè suscepit; atque Iolantem matrimonio júxit Roberto Caroli filio Calabriæ Duci ac regni Neapolitani heredi. Quando & Ioannes Prochyta conjurationis Siculæ cótra Francos auctor, & Rogerius Lauria strenuissimus ille præfectus maris Siculi, cum Reginâ Constantiâ advenientes reconciliati sunt Carolo: bellóque in Fridericum, Siciliæ regnum semel susceptum armis tueri parantem, communémque pacem disturbantem, auctore Pontifice decreto, Rex Iacobus copias necessarias comparaturus in Aragoniá rediit. Lauria Neapolim cum Carolo petiit, ei operam cótra Fridericum navaturus, à quo ob quandam offensam indignatus recesserat: qui propterea lege perduellionis ab eodé Friderico ditione quam in Siciliâ obtinebat spoliatus est. Constantia Regina, & cum eâ Ioannes Prochyta, Romæ hæserunt, sive religionis studio, sive rebus fessi. Hæc pluribus Fazellus [q], Summontius, & alij. Ex quibus etiam intelligitur, habitum S. Claræ, quem eadem Constantia suscepisse asseritur [r], non fuisse habitum monialium, sed Tertij Ordinis Pœnitentium, qui valdè hoc tempore florebat compluribus frequentatus patriciis ac Principibus utriusq; sexûs. Quem & matris imitatione suscepisse reperitur Petrus Infans Aragoniæ, ejusdem Constantiæ filius. Ipsa verò Româ discedens in Catalaniam, quarto pòst anno Barcinone obiit [s], vitâ singulari pietate ac religione transactâ; & in cœnobio Fratrum Minorum sepeliri voluit.

[q] Fazel. 2. dec. 9. cap. 3. Summont. lib. 3. Villan. lib. 8. cap. 18. Surit. Indic. lib. 2. Marian. lib. 15. cap. 1. & c.
[r] Vuadding. tom. 2. an. 1290.

FIT TERTIARIA S. FRANCISCI.

[s] Vuadding. tom. 3. an. 1302.

VI. B. MARGAR. CORTONENSIS OBITUS.

Hoc autem ipso anno, 8. Cal. Martij, Cortonæ in Etruriâ ad Deum migravit ejusdem Tertij Instituti sectatrix *B. Margarita* [t], *Cortonensis* à domicilio, & *Pœnitens* ab exercitio dicta: quæ Alviani in Clusinâ diœcesi progenita, cùm priùs vagis amoribus assueta, egregiâ formâ & lascivo ornatu multorum post se corda traxisset; inspectatione cadaveris seu viri seu cujusdam amasij sui fœdè vermibus scaturientis commota, & intrinsecùs à Deo tacta, atque in aliam mutata; post publicam peccatorum asperrimam pœnitentiam, suscepto Tertiariarum habitu, quamplurima edidit humilitatis, abstinentiæ, patientiæ, contemptúsque sui, accepítque à Domino amoris & benevolentiæ per varias apparitiones, ac revelationes miraculorúmque operationes, signa ac testimonia. Quorum certitudine habitâ, primùm Leo X. concessit ejus diem festum agi Cortonæ, corpúsque illæsum atque omninò incorruptum servatum colendum proponi; deinde Urbanus Octavus anno 1623. extendit [u] ad omnes Fratres & moniales S. Francisci.

[t] Id. tom. 2. an. 1271. & 1297.
[u] Bull. to. 4. Vrb. VIII. const. 8.

VII. PET. IO. OLIVI MINOR. OBITUS.

Mortuus item est hoc anno Narbonæ Fr. *Petrus-Ioannes Olivi* de Serignano Ordinis Minorum, de quo suprà [x]; declaratione priùs factâ doctrinæ suæ circa modum & mensuram Paupertatis Regulæ S. Francisci, de quâ multas habuerat controversias & molestas quæstiones cum Patribus Ordinis laxiorem vitam sectantibus. A quibus gravia in vivis passus, graviora post mortem, & corpore & existimatione, necnó doctrinæ fautoribus sustinuit: cùm videlicèt ab adversariis exhumatus est, ac velut hæreticus damnatus, ejúsque scripta igni adjudicata, & qui nollent tradere ad comburendum multis tribulationibus &

[x] An. 1278. XX.

QVID DE EIVS DOCTRINA ET SCRIPTIS CENSENDVM.

[y] Claren. in 5. Tribul. Ordin.

vinculis vexati ſunt: quantumvis ſignis & miraculis poſt obitum effulſiſſe, ſcribat Angelus Clarenus [y] qui ei familiaris extitit. Nocuit autem maximè, quòd multa ſchiſmata & contentiones exortæ ſunt variis locis ex rigidiorum quorumdam indiſcreto zelo, doctrinam ejus ac reformandi Ordinis deſiderium animoſiùs quàm par erat amplectētium. Permanſeréque interdicta ejus ſcripta uſq; ad tēpora Sixti IV. qui illis diligenter examinari juſſis, declaravit nihil eis cōtineri quod expreſſè fidē Catholicā læderet; cunctáq; eâ moderatione ab auctore dicta, ut in rectum ſenſum trahi poſſent; nec defectum aliunde perveniſſe quàm ex pravo affectu vel nimiâ legētium ignorantiâ. Laudatur porrò ab omnibus auctoribus qui de eo Ordine ſcripſerunt. Et ſanctus Antoninus [z] ſemel atque iterùm de illo agens, ait eum Ordini ſuo ſatisfeciſſe, nec repertū fuiſſe ſchiſmaticum aut rebellem. Quinimmò eodem ipſo tempore quo ejus memoria ſic poſt mortem exagitabatur, id prolixè comprobavit Ubertinus de Caſali apologiâ pro ejus doctrinâ ſcriptâ; luculenter oſtendens, articulos ei oppoſitos aut omninò calumnioſè confictos fuiſſe ab adverſariis, aut ſuſtineri poſſe; & quicquid erroris latuiſſet, excuſari ſubjectione quam profeſſus eſt opinationum ſuarum cenſuræ ac correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ. Quod in ejuſdem defenſionem pluribus tractavit Fr. Lucas Waddinghus tomo ſecundo Annalium Ordinis Minorum, ſingulos articulos Petro oppoſitos proponens & examinans; hominémque ab aliquibus [a] uti hæreſiarcham accuſatum, à labe hęreſis purgans. Sicuti & facere poſteà ſategit auctor Nitelæ [b] Franciſcanæ Religionis: quos conſulat qui hujuſmodi irreligionis Religioſorum digladiationibus delectatur. De cujus etiam Petri Ioannis tempore quo vixit cùm multiplex ſit diverſorum ſententia, dum quidam centum fermè antè annis ſub Cœleſtino Tertio, vel Innocentio Tertio ponunt, alij ſub longè aliis [c] Pontificibus; idem Lucas [d] oſtendit, eum natum eſſe anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, mortuum præſenti, ætatis quinquageſimo, Religionis trigeſimo octavo.

[z] Ant. tit. 24. cap. 9. §. 11. & 13.

[a] Eymer. Director. Inquiſ. p. 2. q. 9. & 14. Bzov. an. 1199. 1311. 1325.

[b] Ad. an. 1324. Vid. etiam infr. an. 1311. & 1325.

[c] Eymer. lib. cap. 15. ſub Clem. V. Sander. ſub Innoc. IV. Sixt. Sen. an. 1400.

[d] Vad. an. 1278. & 1297.

VIII. DE SECTA BIZOCHORVM ET FRATRICELLORVM.

Fuerunt porrò per hæc tempora in finibus Aprutij, & Marchiæ Anconitanæ, latitantes quidam diverſarum religionum apoſtatæ, alíique nebulones nullam de approbatis Religionibus profeſſi; qui *Bizochos*, ſeu alio nomine ſeſe appellantes, è latebris ſuis quaſdam pernicioſas diſſeminabant doctrinas, contra condemnationem earum tam ab anterioribus Pontificibus quàm ab ipſomet Bonifacio tunc ſedente factam: ut ipſe teſtatur conſtitutione [e] ad Fratrem Matthæum de Theate Ordinis Minorum Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in provinciâ B. Franciſci; quâ injūxit illi eos perquirere, & captos ad ſe perducere puniendos. Quínam autem eſſent illorum errores, nō meminit. Et putamus fuiſſe ſectam FRATRICELLORVM, alio nomine BIZOCHORVM dictorum, quorum auctor HERMANNVS quidam *Pongilupus*, patriâ Ferrarienſis, olim defunctus: qui quamvis in vitâ à quibuſdam accuſatus quòd nonnullis hæreticis in contumaciâ mortuis cultum impendiſſet, ac de ſacratiſſimâ Euchariſtiâ quamplurima opprobria protuliſſet, multáſque alias blaſphemias in Deum, Sanctos, & Eccleſiam vomuiſſet; indéque ab Inquiſitoribus convictus, damnatúſque fuiſſet: nihilominùs quòd poſt abjuratas impietates per ſpeciem ſanctæ converſationis multis impoſuiſſet, ſepultus in Eccleſiâ fuerat. Quòd verò detectus rursùm ad vomitum rediiſſe, & multos ſeduxiſſe, Inquiſitores ſæpè apud Archipresbyterū Eccleſiæ egiſſent ut exhumaretur, & in ſterquilinium projiceretur, nec obtinere etiam per anathemata potuiſſent: demùm poſt rem diù ſub præcedentibus Pontificibus agitatam, ejus denuò cognitione commiſsâ à Papâ [f] Bonifacio duobus Cardinalibus; eorum ſententiâ idem Hermannus exhumatus, flammíſque traditus eſt vigeſimo ab ejus obitu anno.

[e] Reg. Vatic. Bonif. ep. 170. Non. Maij. & ap. Vvadding. hoc an.

HERMANNVS HÆRESIARCHA EXHVMATVR, ET COMBVRITVR.

[f] Ep. 360. Later. 13. Cal. Ianu. Lutzemb. & Prateol. de Hæreſ. verb. Herman. & Fratricel. & Bizoch.

IX. EORVM HÆRESES AC TVRPITVDINES.

Nec tamen propterea ſecta deſiit, quin ejus aſſeclæ multa loca infecerint, magnámque hominum multitudinem corruperint: qui [g] noctu in abditis locis ſacra operari ſoliti, poſt quoſdam hymnos ſeu cantilenas, extinctis luminibus, promiſcuis ac fortuitis coïtibus ſeſe inquinabant. Partus per hunc modum conceptus tamdiù per manus in orbem ſtantium jactabatur donec ſpiritum redderet: & in cujus manibus expirabat, is Pontifex eorum maximus creabatur. Cremabántque ad hæc unum aliquem ex infantibus ita procreatis; cineribúſque in cadum conjectis, ac vino ſuper infuſo, inde novitij initiabantur. Addebant, nihil poſſe à quoquam haberi proprij; Chriſtianos non debere adminiſtrare Reſpublicas; & animas ſanctas nequaquàm frui viſione Dei ante diem ultimi Iudicij. Quos tamen credere eſt non fuiſſe initio ita alienos à pietate; ſed lapſu temporis, & licentiâ conventuum ſubterraneorum, in eas turpitudines prolapſos eſſe priſcarum hęreſum imitatione. Nam fuiſſe inter illos, qui regularem vitam Fratrum Minorum S. Franciſci, licentiámque eam colendi à Cœleſtino Papâ V. accepiſſe, profiterentur; & alios, qui ſe de Tertio Ordine ejuſdem Sancti eſſe aſſererent, ac ſub tali pallio ſacramenta Eccleſiæ deſpicerent, alióſque errores ſeminarent; *Fratricellos* ſe vel etiam *Fratres de paupere vitâ*, *Bizochos*, ſive *Beguinos*, aut *Begardos*, vel aliis nominibus nuncupantes; teſtatus eſt poſteà Ioannes XXII. conſtitutione [h] contra eos editâ, quâ, ſectam & habitum omninò damnavit. Unde & collegère nonnulli, multos ex prædicti Olivi ſectatoribus, & ex iis plurimos quos vidimus [i] ex Minoritis ſub Cœleſtino V. ſeceſſionem feciſſe, ejuſmodi ſectis ſeſe addixiſſe; vel etiam fortè earum auctores extitiſſe: aliis èconträ pernegantibus: quos ſinemus ſingulos res ſuas agere, abſque tamen præjudicio veritatis.

[g] Sabell. 9. En. 7. Prat. ibid. Sander. hær. 159. Gaulter. ſæc. 13. hær. 7. De hujuſm. verò hæret. quorū his art. fit mentio, eorúmque hæreſib. pleniſſimè. Nitela Franciſcan. cont. Bzov. ad an. 1317. & ap. Vvadding. Annal. Minor. to. 3. eod. an. 1317.

[h] Extravag. Sancta Rom. de relig. domib.

[i] An. 1294. VII.

X. DE PSEVDOAPOSTOLIS, EORÚMQ; ERRORIBVS.

Vigebant quoque hoc eodem tempore PSEVDOAPOSTOLI, ſive fuerint iidem, ſive ejuſdem farinæ impoſtores, de quibus jam ſupra [k], qui per Italiam aliáſque diverſas mundi partes mendicando vagabuntur: auctore, ſeu præcipuo propagatore, GERARDO quodam SEGARELLO [l] patriâ Parmenſe. Qui vitam Apoſtolorum & mores imitari mentiens, ſoli Chriſto ſe ſuóſque ſubjectos aſſerebat, nec Papam aut ullum alium aliquem in ipſos habere poteſtatem: totam enim auctoritatem ſpiritualem

[k] An. 1286. I.

[l] De hoc vide ſpeciatim Pegn. in comment. ad Direct. Inquiſ. Eymer. ex Salimbeno, qui Segalellum vocat.

quam

quam Christus dedit Ecclesiæ, translatam esse in sectam ipsorum, quod eâdem perfectione viverent quâ vixissent Apostoli Christi; ac speciatim in observatione paupertatis & humilitatis, cùm nihil pecuniarum Apostoli à quoquam in suum usum acceperint, aut quicquam in crastinum reservârint: Nullum Papam habere potestatem absolvendi à peccatis, nisi sit ita sanctus ut fuit S. Petrus: omnésque Prælatos Romanę Ecclesię tam majores quàm minores à tempore S. Sylvestri, fuisse prævaricatores & seductores; excepto Fr. Petro de Murrhone, qui fuit Papa Cælestinus: Neminem posse salvari extra ipsorum societatem; ac propterea licitum esse de quolibet statu & ordine transire ad eorum vitam, adeóque conjugibus sine consensu conjugum: ceteros ordines tam regulares quàm sæculares, omnésque Prælatos esse ad fidei Catholicæ detrimentum: Laïços non debere dare decimas sacerdotibus aut Prælatis, nisi sint in tantâ perfectione quantâ fuerunt primi Apostoli, erántque iidem ipsi eorum sectatores: Commisceri inter sese carnaliter quando tentatio subrepit, non esse peccatum: Perfectius esse vivere sine voto, quàm cum voto: Ecclesias consecratas non plus valere ad orationem quàm stabula equorum vel porcorum: nullo casu vel causâ licitum esse jurare, nisi pro defensione articulorum fidei vel præceptorum Dei; in ceteris omnibus licere mentiri. Hæc, & alia ejusmodi impij Pseudo-Apostoli: quos multa ab antiquis hæreticis mutuatos esse, diversos tamē fuisse ab *Apostolicis* tertij sæculi, & *Pseudo-Apostolicis* duodecimi, intelligi potest ex collatione errorū singulorum. Mendicabant autem comedebántque publicè: tunicâ albâ longâ funiculo cinctâ, pallióque albo superposito induti, criniti, nudíque caput ac pedes incedebant, pœnitentiam per pagos & plateas prædicantes. Quorum auctor Segarellus igne demùm crematus fuit. Agúntque de ejus sectâ, qui de hæresibus ac nonnulli diversis annis, secundùm quod noti fuêre diversis locis, aut etiam respectu habito ad diversa judicia contra illos acta.

XI. REX ANGLIÆ TRANSMITTIT IN FLANDRIĀ NVLLO OPERÆPRETIO.

Hoc anno Eduardus Rex Angliæ in Flandriam trāsmissurus in auxilium Guidonis Comitis, cujus ditionem Philippus Rex Francorum ingenti exercitu invaserat, & urbem Insulas aliáque oppida ceperat, ac Flādros & Germanos ab Adolpho Romanorum Rege præmissos grandi clade prælio apud Furnas inito per Robertum Comitem Atrebatensem ex Aquitanico bello evocatū affecerat: veritus nequid se absente novi à commotis in se ob intolerabiles exactiones cunctis regni ordinibus contingeret, Archiepiscopo Cantuariensi in gratiam recepto, coram multitudine cum lacrymis veniam petens de iis quæ per suos ministros injuriosè cōmissa fuissent, rogavit ut si ab hâc expeditione redire daretur, ipsum vellent in Regem sicut priùs recipere; sin minùs, regnum filio conferrent; quem in Angliâ relinquebat sub curâ Episcopi Londinensis & Comitis Warvvicensis. Post quæ sub festū S. Bartholomæi magnas equestres pedestrésque copias traduxit: nullo tamē operæpretio, tum quòd omnia ad Regem Francorum inclinata reperisset, tum propter Adolphi Regis Rom. defectum, qui Principum Germaniæ conspiratione impeditus, tempore condicto adesse non potuit. Quæ omnia ut se habuerint, narrant pluribus Villanius [m], Westmonasteriensis [n], Vvalsinghamus [o], S. Antoninus [p], Æmilius [q], Meyerus [r], & alij.

[m] Vil. lib. 8. cap. 19. 20.
[n] Vvestmon. in Florid. Hist.
[o] Vvalsin Eduar. I. & Hypodigm.
[p] Ant. tit. 20. cap. 8. §. 6.
[q] Æmil. lib. 8.
[r] Meyer. lib. 10.

XII. PRETIO CORRVMPIT PRINCIPES GERM.

Quod verò Adolphum spectat, tradunt nonnulli eum acceptâ à Rege Francorum majori summâ quàm ab Anglo accepisset, fidem Anglo fregisse: alij, Regem Francorum missâ Alberto Austriæ Duci grandi pecuniâ, & spe affinitatis oblatâ, à Flandro ad quem accesserat removisse, & in Adolphum, ne egredi ex Germaniâ posset, commovisse. Potuit utrumque contigisse; (quod & nonnulli scribunt:) ut videlicèt tam Adolphus quàm Albertus auro regio corruptus fuerit. Sanè fuisse Albertum avaritiæ deditum, quò liberos quos plures habebat, ditaret; testantur auctores [s]. Alij [t] tamen pecuniariam ejusmodi corruptionem tacêtes, aiunt quamplurimos Principes Pragam Boëmiæ die Pentecostes convenientes ad solemnitaté coronationis Vvenceslai Regis ejúsque uxoris Iuttæ sive Iudithæ, quæ soror erat Alberti; (in quâ solemnitate non minùs ducenta equitum millia ex regiâ curiâ cibos accepisse, peditum verò infinitam multitudinem pastam, refert Æneas [u] Silvius.) agente præcipuè eodem ipso Gerardo Archiepiscopo Moguntino ipsius Adolphi cōsanguineo, qui eum ad Imperij coronam promoverat, necnon eodem Rege Vvenceslao; consilio inito decrevisse Adolphum regno deponere, illúdque prædicto Alberto conferre: his potissimùm prætentis causis, quòd ecclesias vastâsset; virgines stuprâsset; stipédia belli accepisset ab inferiore se Rege Angliæ; Rempublicam non auxisset, sed magis dissipâsset. Addunt alij [x], id etiam ei contigisse, quòd negligentiùs se gereret erga Principes. Itémque [y] quòd pecuniam ab Anglo acceptam non inter Principes, sicut debuerat, divisisset, sed inde Comitatum quemdam emisset, aut aliàs sibi ferè totam servâsset. Denique Moguntinum [z] aliósque Electores Alberti fautores, ut persuaderet populis ei adhærere, jactâsse permissum sibi fuisse à summo Pontifice Adolphum deponere, eò quod pauper, absque amicis, & inutilis esset: Eóque audito, Adolphum, cùm de his questus fuisset apud Pontificem, responsum ab eo accepisse, non solùm id se non permisisse, verùm etiam si Romam accedere vellet coronam Imperij se ei impositurum. Ac sanè nequaquàm his Bonifacium consensisse, id apertè probat, quòd posteà (ut videbitur) diù distulerit approbationem Alberti, eò quòd in dominum suum insurrexisset.

[s] Naucler. gener. 44. &c.
[t] Siffr. Epit. lib. 2. Ster. Eber. Rebdorff. in Annal.
[u] Æn. Hist. Boem. c. 28.

ADOLPH. DEPONITVR AB ELECTORIBVS.

[x] Magn. Chron. Belg. ex antiq. Chron. Trithem. in Chron. Hirsaug.
[y] Trithem. in Chron. Sponheim. an. 1294. Naucler. gener. 44 an. 1298. Mut. lib. 22.
[z] Annal. Colmar. par. 2.

IESV CHRISTI Annus 1298.
BONIF. VIII. Ann. 4.
ADOLPHI Ann. 7.
ANDRONICI Annus 16.

I. INDVCIÆ INTER REGES FRANC. ET ANGL.

ANNO Christi millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, Indictione undecimâ ineunte, appulsi in Flandriam Magister Generalis Prædicatorum & Minister Generalis Minorum, missi à Bonifacio Pontifice ad

Re

Reges Francorum & Anglorum, eos ipsius nomine hortati sunt oratores suos Romam dirigere cum amplâ facultate tractandi de conditionibus pacis coram ipso Pontifice qui non tamquam judex, sed ut mediator & amicabilis compositor omnibus ritè discussis pacem inter eos stabiliret. Et quia hæc absque induciis fieri non poterant, pactæ sunt illæ in biennium, comprehenso etiam Comite Flandriæ; & unusquisque Regum ad propria rediit. Ita Walsinghamus.[a] Factas autem inducias operâ potissimùm Caroli Regis Siciliæ, utrique Regi necessitudine & amicitiâ conjuncti; qui rogatu Pontificis suscepto in Gallias itinere ad conciliandam inter eos concordiam, opportunè advenit ad eximendum Anglum ignominiæ pudendi ad sua reditus; narrat Villanius,[b] & confirmat Nangius.[c] Ceterùm prædictus Magister Prædicatorum fuit *Nicolaus Bocasinus* de Tarvisio, Minister autem Minorum *Ioannes Minius* de Murro: quorum uterque in his, aliisque sibi commissis gravibus negotiis, ita prudenter & laudabiliter se gesserunt, ut creati posteà ab hoc ipso Pontifice Cardinales, etiam Nicolaus ipsi in Pontificatu successerit.

[a] *Vvalſ. in Eduard. I. & Hypodigm. Til. in tract. int. Reg. Fr. & Angl.*

[b] *Vill. lib. 8. cap. 20.*

[c] *Nang. in Chron.*

II. Quo eodem anno, (quidam sequenti ponunt, sed omnes[d] antiqui, ac plerique recentiores præsenti (diéque secundâ Iulij, Adolphus Romanorum Rex depositus, ut vidimus, in Albertum Austrium contra se armatum animosiùs procedens quàm prudentiùs; non expectatis peditum cohortibus, auxiliaríque manu quæ propè aderat, modico equitatu longè Austriaco impari in agro Spirensi acerrimum prælium iniit: quo, toto pondere belli in eum ruente, equo ulnerato cadens occisus est cum multis proceribus, pluribus aliis calore suffocatis, plurimis captis, in quibus & filius Adolphi. Sunt qui tradant,[e] Albertum cum signo peregrino certamen iniisse, proprio suo pluribus commisso; Adolphum proprio dimicare maluisse, quàm sanguinem innocentem hostibus exponere. Regnavit annis sex & sex ferè mensibus. Ejúsque depositionis ac necis auctores malâ omnes morte periisse, nonnulli ex citatis auctoribus observârunt; & de singulis speciatim Trithemius ostendit.

[d] *Contin. Pol. & Nãg. in Chron. Ster. & Eber. in Annal. Hiſt. Auſtr. Lucen. in Annal. Vill. cap. 22. Sifrid. lib. 2. Albert. Argentin. in Chron. Annal. Colmar. Bern. Guid. in Chron. Pontiff. Vveſtm. Vvalſing. Naucler. Avent. Moyer. &c.*

ADOLPH. ROMAN. REX PRÆLIO OCCIDITVR.

[e] *Annal. Colmar. par. 2.*

III. Post ejus necem idem *Albertus* Dux Austriæ, filiúsque Rudolphi olim Regis Romanorum, priorem suam electionem illegitimam reputans, eò quòd facta esset vivente Adolpho, & nonnullis Electoribus absentibus; eam specie tenùs illis resignavit; & ab omnibus uno cõsensu iterùm electus est sexto Calẽdas Augusti. Qui nihilominùs confirmationem per solemnes nuncios petens à Pontifice, bis terque repulsam[f] passus est, eò quòd in legem majestatis deliquisset insurgendo in dominum suum: quousque tandem (ut videbitur) ob simultatem cum Rege Francorum, ejus electionem Bonifacius approbavit. Fuit autem Albertus monoculus; cùm veneno aliquando potatus,[g] ad illud evomendum diù pedibus suspensus alterũ amisisset oculum. Et facetè Felix Fabri (sicut sæpè consuevit) in Historiâ Suevicâ[h] ait, ideò Bonifacium noluisse eum confirmare, quòd monoculus esset, ac rusticosum (ut loquitur) vultum haberet. Quem quidem fuisse aspectu trucem, etiam alij[i] consentiunt.

ALBERTVS REGNAT REPVGNANTE PÕTIFICE.

[f] *Contin. Pol. Luc. & Ster. In Annal. Platin. in Bonif. &c.*

[g] *Albert. Argent. in Chron.*

[h] *Fel. Fabr. lib. 1. cap. 13.*

[i] *Naucl. gen. 44.*

IV. Hoc eodem anno continuante bello internecino Venetos inter & Genuenses, eductis utrimque in mare classibus, quales irritati mutuis cladibus feroces æmulorum populorum animi totis imperiorum suorum viribus contrahere potuerunt; (variant in numero triremium eorum auctores; ipsi tamen Veneti[k] suas suprà nonaginta, Genuensium non plus septuaginta fuisse concedunt: & sanctus Antoninus[l] Genuensium decem, Venetorum viginti supra centum extitisse memorat; deficiente numero apud Villanium[m] de iisdem agentem, quem ipse Antoninus transcribere consuevit) ad Corcyram nigram, oppidum posteà Curzolam vocatum, in Hadriatico mari ad sextum Idus Septembris invicem concurrentes atrocissimo prælio decertârũt: quo tandem victi Veneti omnem ferè classem amiserunt. Triumphum tamen Lambæ Auriæ præfecti Genuensium minùs conspiciendum fecit Andreas Dandulus præfectus Venetus spectaculo subtractus, qui prælio captus, cùm Genuæ appropinquaret, ignominiæ impatiens ita graviter triremi caput impegit, ut illicò expirârit. Tradunt[n] etiam rursùm pugnatum esse circa Hellespontum, iisdem quidem animis, sed minore navium numero; rursúmque cum Venetorum strage. Donec secuta est pax[o] anno sequenti, redditis utrimque captivis, iis conditionibus quas Genuenses proposuerunt; utroque tamen populo ad pacem necessitate magis quàm voluntate attracto.

[k] *Sabell. 9. En. 7. & 2. dec. 1.*

[l] *Ant. tit. 20. cap. 8. §. 7.*

[m] *Vill. lib. 8. cap. 24.*

VENETI MARI VINCŨTVR A GENVENSIBVS.

[n] *Sabell. ibid.*

[o] *Vill. & Ant. ibid.*

V. Hoc præterea anno (ut recentiores Annales[p] Minorum contendunt; cùm nonnulli auctores præcedente, alij etiam sequente ponant) *S. Ludovicus* Episcopus Tolosanus, & primus[q] Appamiensis, anno ætatis vigesimotertio mense sexto diem extremum ex febre obiit: qui consummatus in brevi (ut sacra loquitur Scriptura[r]) explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius; ac propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum, & quem adhuc viventem miraculis illustrare voluerat, defunctum tot ac tantis tam ad ejus sepulchrum, quàm alibi ad ejus invocationem decorare dignatus est, ut stuporem afferant legentibus ea in ejus Rebus[s] gestis. Ob quæ etiam meruit à Ioanne Papâ XXII. anno 1317. septimo Idus Aprilis in Sanctorum numerum referri. (Falsò quidam id factum scripserunt à Clemente V. in Concilio Viennensi: aliíque à Bonifacio sub quo decessit, confundentes cum Ludovico Francorum Rege magno ejus patruo, quem idem Bonifacius in numerum Sanctorum retulit.) Singularéque, quod fit quotannis prodigium in Principatu Asturiæ diœcesi Ovetensi, in oratorio in ejus honorem erecto; ut eo die quo ejus festum celebratur, dũ Missa dicitur, statim ibi germinent admirandi quidam & inusitati flores, qui expleto sacrificio marcescunt; decerpuntur autem dum virent à devoto populo qui frequens eò confluit, & piè servantur ad varios morbos depellendos. Mortuum autem esse iisdem die, loco quibus natus fuerat, alicubi[t] observatum reperimus; nempè decimo-quarto Calendas Septembris in arce Brincolâ Provinciæ. Quod tamen ut de morte omnes admittunt; sic de nativitate

[p] *Vvadin. to. 2.*

[q] *Supr. an. 1296. VIII.*

[r] *Sap. 4.*

S. LVDOV. EPISC. TOLOS. OBIT.

[s] *Ap. Sur. to. Aug. Sedul. in ejus Vita: Bulla canoniz. to. 1. Bullar. conſt. 2. Ioann. XXII. Vvadingh. to. 2. hoc an. & to. 3. an. 1317.*

[t] *Catel. Hiſt. Toloſ. lib. 5.*

suâ dissentiunt, quam contigisse volunt [u] mense Februarij Nuceriæ Saracenorum Regni Neapolitani. E Brincolâ verò corpus ejus translatum Massiliam, in ecclesiâ Fratrum Minorum honorificè conditum est. Qui & propterea ad distinctionem S. Ludovici Regis, vulgò dicitur sanctus Ludovicus de Massiliâ.

[u] Vvadding. ibid. & an. 1275.

VI. TERRÆMOTUS INGENTES.

Sub finem item anni fuisse per Italiam ingentes per intervalla Terræmotus, cum magno ædificiorum sacrorum ac profanorum necnon hominum damno, scribunt auctores.[x] Quando existens Bonifacius Papa Reate, veritus [y] ne ruinâ ædificiorum opprimeretur, casulâ ex subtilibus asseribus in medio claustro Fratrum Prædicatorum prato admodùm lato construi jussâ, ibi aliquamdiù resedit, licèt horrida sæviret hiems. Apparuit tum quoque Cometes, futurarum calamitatum, sicuti & Terræmotus, prænuncius. Eadémque portenta accidisse pariter in Angliâ, tradunt ejus scriptores. Ac testatur Nicephorus [z] Gregoras, æquè in Thraciâ & Constantinopoli eumdem terræmotum prævaluisse. Ut facile sit creditu eum fuisse universalem totâ saltem Europâ.

[x] Lucens. in Annal. Contin. Pol. Villan. lib. 8. cap. 25. Sif. fid. lib. 2. & alij.
[y] Ibid. & Chron. Monfort. ac Platin. in Bonif. VIII.
[z] Greg. lib. 7.

VII. LIBRI SEXTI DECRETALIŨ PROMULGATIO.

Anteà verò, nempè quinto Nonas Martij, Pontificatûs Bonifacij quarti, idem Pontifex promulgavit *Librum Sextum* Decretalium: præclarum opus, ipsius jussu à tribus doctissimis viris [a] compilatum, *Guillelmo de Mandagotto* Archiepiscopo Ebredunensi, *Berengario Fredoli* Episcopi Biterrensi, (facto utroque posteà Cardinale à Clemente V.) & *Ricardo de Senis* S. R. E. Vicecancellario, creato dehinc Cardinale ab ipso Bonifacio: constitutiones continens Summorum Pontificum à tempore compilationis sub Gregorio Nono factæ, unà cum iis quas ipsemet Bonifacius sive declarando sive decidendo hactenùs edidisset.

[a] In proœm. lib. VI.

IESU CHRISTI Annus 1299.
BONIF. VIII. Ann. 5.
ALBERTI Ann. 1.
ANDRONICI Ann. 17.

I. SENTENTIA ARBITRALIS PONTIF. DE DISSIDIIS REGUM FR. ET ANGL.

Anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecimâ, redeuntibus à Pontifice [a] oratoribus Regis Francorum Archiepiscopo Remensi, & Iacobo de S. Paulo avunculo Reginæ, missis pro concordiâ cum Rege Angliæ & Comite Flandriæ; cùm Rex audîsset sanxisse Pontificẽ quod Anglum, ut duplici affinitate pax inter eos firmaretur, nempè ut Rex Angliæ Margaritam sororem, filiúsque ejus Isabellam filiam Regis Francorum uxores ducerent; & utrimque ablata sequestro darentur, donec Sedes Apostolica quid cuique deberetur decerneret: (quæ non solùm tradunt historici Angli; verùm etiam probantur ex sententiâ arbitrali [b] ab eodem Bonifacio latâ & publicatâ Romæ die vigesima-octavâ Iunij anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, ipsius Pontificatûs quarto, Indictione undecimâ; & aliis pluribus literis de his ab eodem ad diversos tunc scriptis): quoad Flandrum verò, (sicut eorum auctores [c] tradunt) ut Rex filiam ejus atque urbes captas ipsi restitueret: cõsensit quidem Rex matrimoniis Anglicis:) quæ & posteà facta sunt cum dispensatione Apostolicâ super gradibus prohibitis consanguinitatis & affinitatis quibus se invicem attinebant:) cetera verò abnuens, quæ Flandrum tangebât tantâ iracundiâ excepit, ut exclamaverit haud se illa servaturum; sed ut primùm exîssent induciæ, quæ supererant Flandriæ hostiliter invasurum: ac Robertus Comes Atrebatensis, ut erat præceps ingenio in iram, chartam de manu Archiepiscopi raptam dẽtibus lanians coram Rege in ignem projecerit; ut quidem scribunt iidem auctores. Quod tamen magis putaverim ipsos confudisse cum illo ejusmodi facinore, quod certissimum est post hæc Robertum [d] commisisse in alias literas Pontificis adversus Philippum per Archidiaconum Narbonensem missas: cùm nemo sit qui Robertum bis in id ipsum peccâsse, nec quidem ipse Põtifex cùm de eo questus [e] est, scripserit. Quod sanè si etiam hoc tempore fecit, indigno planè ausu fecit; cujus & pœnam eodem bello Flandrico justè luisse videbimus: etiamsi ex iis quæ de missione prædictorum oratorum diximus superiùs, quinimmò & ex ipsismet literis Pontificis quarum modò meminimus, constet missos eos fuisse ad Pontificem, non tamquam judicem, sed tantùm privatam personam & amicabilem compositorem: ac speciatim Philippus promissionem scripto accepisset [f] à Põtifice, (quæ & reperitur inter ejus epistolas data quinto Nonas Iulij Põtificatûs anno quarto) nequaquàm ipsum sententiam prolaturum absque expresso Regis consensu, quem cùm non expectaverit, non levem dedisse videtur causam iracundiæ Regis. Quare elapso induciarum tempore, Carolus Regis frater totam Flandriam occupavit, excepto Gandavo urbe munitissimâ, ubi Comitem specie honoris Regis induciarum ad deditionem cum duobus filiis suis; pactâ tamen conditione incolumes illos reducendi, si Rex eos in gratiam admittere recusaret. Quos Rex nihilominùs detentos diversis carceribus mancipauit. Unde non solùm maximam in se invidiam cõcitavit; verùm etiam clades post hæc acceptas, in tantæ injuriæ ultionem divinitùs immissas esse, Villanius [g] qui tum vivebat existimavit.

[a] An. super. I
[b] Ext. in. Reg. Vatic. Bonif. Til. in Tract. Angl.
[c] Ægid. de Roya, & Meyer.

INDIGNATIO REGIS FR. EX ILLA.

[d] Infrà an. 1301. VIII.
[e] An. 1303. II.
[f] Til. in Tract. inter Reg. Fr. & Angl.

COMES FLANDR. CONIICITUR IN CARCER. A REGE.

[g] Vill. lib. 8. cap. 32.

VIII. CONGRESSUS ALBERTI ROM. ET PHILIPPI FRANC. REGUM. PRO IURIBUS SUIS.

Intereà verò cùm ex prædictis odia inter Bonifacium & Philippum crescerent, & ex aliâ parte recusaret Pontifex electionem Alberti Romanorum Regis confirmare: convenientes iidem Reges mense Decembris hujus anni apud Vallem-Coloris in Lotharingiâ, fœdus antiquum inter Reges Germanorum & Francorũ renovarunt; quod Adolphus interturbâsse videbatur petitione regni Arelatẽsis. Conventúmque inter eos est, ut Albertus omni jure ejusdem regni Francis cederet; ac vicissim Philippus renunciaret omninò juribus quæ Francorum Regibus in Lotharingiam & Alsatiam competerent. Ita enim rem transactam esse, Nicolaus Vignerius ex antiquis monumentis Ecclesiæ Treverensis testatur:[h] cùm Nangius in Chronico scribat, concessum ab Alberto & Germanis fuisse, ut cùm regnum Franciæ usque ad fluvium Mosam tantum-

[h] Adde Belfor. lib. 4. cap. 43.

modò

[i] *Masson. in Philip. IV.*

FOEDUS INTER EOS ICTUM.

modò extenderetur, deinceps usque ad Rhenum produceretur. Ceterùm in tabulis fœderis, quas idem Vignerius recitat, ac pariter Massonus [i] Historiæ suæ regum Frãcorum inseruit, nihil aliud continetur, quàm promissio sacramẽto firmata perpetuæ inter ipsos eorúmque successores amicitiæ, conservandorúmque mutuò jurium regnorum suorum contra omnes adversarios fidelis sponsio; jurantibus in animas ipsorum (ipsismet nihilominùs præsentibus) pro Philippo quidem Guidone Comite S. Pauli, pro Alberto verò Burchardo Comite ipsius avunculo. Quo etiam congressu pactum est matrimonium inter Rudolphum Austriæ Ducem Alberti filium, & Blancam sororem Philippi, (non filiam, ut quidam opinati sunt: sicuti & errârunt, qui eam sibimet Albertum uxorem sumpsisse scripserunt) sequenti anno consummatum. Tradúntque [k] nonnulli, cùm Blanca in Austriam duceretur ad virum, denuò Albertum per oratores postulâsse à Bonifacio Pontifice confirmationem electionis suæ in Regem Romanorum: sed ipsum electionem ejus inanem esse proclamantem tamquam homicidæ, in publicum ense cinctum exiisse, ac se & Pontificem & Cæsarem pronunciâsse. Quod cùm & alij æquè anno Iubilæi (nempè sequenti, quo & hæ nuptiæ celebratæ fuêre) ab eo factum narrent; dicetur eâ de re posteà [l] commodiùs.

[k] *Stem. Lothar. to. 5. in Vic. Albert.*

[l] *An. 1302. VII.*

III. REX ANGL. EMITTIT E CUSTODIA REGEM SCOTIÆ.

Eduardus autem Rex Angliæ rogatus inter hæc à Põtifice Ioannem Baliolum Scotiæ Regem, quem in custodiâ habebat in Turre Londinensi dimisit. Acceptis enim Pontifex mutuis Scotorum in Regem Eduardum, & istius in illos querelis de injuriis ac cladibus illatis; illorum, de iniqua oppressione libertatis regni istius, de perfidâ illorum in se rebellione: imprimis liberationé prædicti Ioannis injunxit: ita tamen ut non in Scotiam remitteretur, ne rursùm Anglo molestus esset; sed in Galliã deduceretur: ubi in antiquâ suâ ditione Balioli in Normanniâ consenescens obiit:) deinde biennales inducias præscripsit. Significavítque Eduardo, regnum Scotiæ non Anglici, sed Romanæ Ecclesiæ juris esse; idcóque mirari se quomodo ausus fuisset illud invadere & occupare, atque Episcopos & alios Ecclesiasticos pro libertate regni & juribus Ecclesiæ obsistentes carceribus mancipare, aliísque cõtumeliis afficere; ad extremum monens ut eos libertati restitueret, regno alieno decederet; & si quid juris in illud habere se putaret, ad Sedem Apostolicam per suos nuncios ac procuratores referret ejus judicio terminandum. Extant enim de his literæ in Regesto Vaticano ejusdem Pontificis, datæ Anagniæ 5. Calendas Iulij Põtificatûs anno quinto, qui est præsens: quas & Matthæus Westmonasteriensis Anglus integrè, Thomas Walsinghamus summatim Annalib' suis inseruerũt sub anno millesimo trecentesimo primo: quo Eduardus copiosas suas ad Bonifaciũ rescripsit pro dictis suis juribus exponendis, & antiquiorum temporum exemplis comprobandis: ipso tamen earum limine contestatus, eâ se non in formâ (ut loquitur) nec in figurâ judicij, sed omninò extra judicium proferenda exhibere. Sicuti quod petierat Põtifex mitti procuratores, nolens ipse ad hoc respondere, per regni proceres aliis literis Põtifici significari curavit, nec Reges aut regnum Scotiæ umquam aliis quàm Regibus Angliæ subjici cõsuevisse; nec Reges Angliæ super juribus suis in eo regno aut aliis suis temporalibus coram aliquo judice ecclesiastico vel sæculari respondisse, aut respondere debuisse ac propterea communi omnium consensu decretum fuisse non mittendos ad Pontificem procuratores; quinimmò si Rex mittere vellet, nequaquàm se permissuros tantum præjudiciũ fieri dignitati & libertati regni Angliæ. Hæc illi satis ferociter. Quæ & pari audacia adimpleta sunt; cùm elapso induciarũ biennio Eduardus Scotiã rursùs tumultuantem, & Anglos cladibus atterentem, ingressus, universam subegit: existimánsque cõgruentibus cum Anglis Scotorum moribus, ita demùm animos quoque coalituros, omnes eorum consuetudines abolere, literarum studia proscribere, proprium idioma immutare, antiqua omnia etiámq; Romanorum monumenta delere constituit, Anglicis in eorum locum repositis, quod tacent quidem prædicti scriptores Angli; loquuntur autem vehementi dolore Scoti.[m] De quibus rursùm inferiùs.

CONTENTIO INTER IPSUM ET PONTIF. DE IURIB. REGNI.

[m] *B. e h. lib. 14. Buchan. lib. 8.*

IV. BELLUM SICULUM.

De Siciliæ imperio, vario inter hæc belli eventu certabatur: résque à Francis & Aragoniis cũ Siculis gestas, ac clades utrimque tam in insulâ Siciliæ quàm in continẽti Italiæ acceptas diffusè Fazellus [n] enarrat. In iis multa præclarè de more Rogerius Lauria Carolo Regi militans præstitit; semel tamen ad Catanzariũ in Brutiis à minori hostiũ numero victus terrestri certamine; quo non ita prævalere cõsueverat ut navali. Cujus & nepos Ioannes Lauria (fratrem nonnulli dicunt) pugnâ quâdã navali captus, & è vinculis causam dicere Messanæ lege perduellionis jussus, capite pœnas solvit, ingenti patrui dolore in quem ea ignominia redundabat. Insigniora totius belli certamina duo fuêre: alterum navale, quo Fridericus Siciliæ occupator profligatus fuit; terreste alterum, quo captus est Philippus Princeps Tarẽtinus filius Caroli Regis. Quæ sic se habuêre. Postquàm Iacobus Rex Aragoniæ Friderici frater ex conventione cum Bonifacio Pontifice & Carolo Rege, anno Superiori Siciliam bello adortus, nõnullis captis urbibus Syracusas diuturnâ obsidione frustrà tentâsset; transactâ hieme majori conatu reversus, Roberto Calabriæ Duce ac prædicto Philippo ipsius fratre sibi adjunctis, classe navigãs sex & quinquaginta triremium, ad promontorium Siciliæ Orlãdi nuncupatum occurrentem sibi habuit Fridericum fratrẽ cum quadraginta tantummodò triremibus: qui ex suorum victoriâ contra Ioannem Lauriam sumptâ audaciâ, cum minore navium numero non dubitans generosus juvenis prælij fortunam tentare, victus est quarto Nonas Iulij ingenti suorum clade. Ipséque nave ex quâ pugnabat captâ, in scapham desiliens incolumis evasit Messanam, locum tempúsque fugæ dante Iacobo ejus fratre, seu Catalanis qui aderãt; ut disertè testantur Lucensis [o] & Villanius [p] ejus tẽporis scriptores; cùm Fazellus [q] Siculus recẽtior auctor, eum visâ suorum inclinatione animo concidisse velut mortuum, sícque regiâ nave à suis extrà periculum deductum narret, contrà ipsorummet Hispanorum [r] assertionem. Sed

[n] *Fazel. 2. dec. 9. cap. 3.*

[o] *Lucen. in Annal.* [p] *Vill. li. 8. cap. 29* [q] *Faz. d. c. 3.* [r] *Surit. Ind. lib. 2. Marian. lib. 15. cap. 3.*

Siculis Scriptoribus in rebus narrandis familiarissimum est pictores atque Poëtas imitari. Scribunt autem omnes, Rogerium Lauriam Ioannis nepotis mortem ulturum, in captivos deſævisse crudeliter. Post quæ Rex Iacobus, quasi bello confecto, causis sive veris sive simulatis in patriam rediit, Pontifice maximo, Carolo Rege, Gallísque omnibus abitionis improvisam celeritatem exprobrantibus; quâ factum est ut insignis victoriæ penè nullus fructus extiterit.

V. CONTINVATIO EIVSDEM BELLI.

Ingressi tamen insulam prædicti Robertus & Philippus fratres unà cum Lauriâ, multa oppida ceperunt: ubi verò divisis copiis rem agere voluerunt, accidit ut Philippus Lilybæũ applicans, Friderici improviso adventu acri prælio Calendis Decembris victus fuerit, captúsque. Quamobrem, & quòd ejusmodi expeditiones Carolus pater incautè inexpertis filiis Francico more committeret, aliaque præcipitanter magno reipublicæ detrimento perageret; meruit à Bonifacio Papâ literis redargui. Cùm que evocâsset intereà idem Põtifex in auxilium Carolũ Valesium fratrẽ Regis Francorum, concessâ ei in sumptus expeditionis proventuum Ecclesiasticorum decimâ parte: ne interim dum is adveniret Carolus Rex quicquã cum Friderico ac Siculis præter scitum ipsius Pontificis pacisceretur, severè prohibuit. Quare continuatum est bellum non magno operæpretio usque ad adventum prædicti Caroli Valesij; de quo dicetur suo loco.

VI. BONIF. PP. CONSTITVTIO CONTRA EXENTERANTES CADAVERA DEFVNCTORVM.

Cùm interim dolo cujusdam Montanerij ducis Friderici proditionem simulantis, aliquot proceribus Gallis per insidias cæsis, Mõtanerius tã turpi avaritiâ quàm fraude Punicâ præstans, occisos Gallos (inquit Fazellus) vendere statuit, quos suâ calliditate viventes paulò antè deceperat. Coxit namque Gentilium more eorum cadavera, quorum reliquias agnati pretio postmodùm redemerunt. Quam impietatem ut audivit Bonifacius PP. simul eam abominatus, constitutionem [s] edidit; quâ prædictum detestandæ feritatis abusum, quo viri nobiles qui extra patriam occidebant, truculenter (ut ait) exenterari, ac mẽbratim vel frustatim immaniter concidi, ac subsequenter aquis ad ignem decoqui, ut carne excussâ ossa in patriam tumulanda deferrentur, consueverant; pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendâ omninò prohibuit. A quâ tamen reperimus inter Epistolas [t] Benedicti XI. ipsius successoris, Philippum Francorum Regem, tam pro se, uxore, ac liberis, quàm etiam pro successoribus Regibus ac Reginis, vel eis quarto consanguinitatis gradu vel circa illum conjuncti fuerint, dispensationem petiisse & accepisse, quandocumque corpus integrum deferri commodè ad locum sepulturæ electum non posset.

[s] Extravag. ommem. de sepulchris &c. [illegible] sepultura.

[t] Bened. XI. litt. dat. Viterb. 14. Cal. Maij an. 1.

VII. CAROBERTVS CORONATVR REX HVNGARIÆ.

Quo eodẽ anno (ut scribunt auctores Hungari [u]) idem Pontifex *Carobertum* (sic enim contracto ex Carolo-Roberto nomine vulgò vocarunt; quidam etiam Itali Nombertum, nonnulli cognomento Strabonem; quem tamen ipsi Hungari Carolum simpliciter dixerunt) filium Caroli Martelli Hungariæ Regis ex Clemẽtia Habspurgiâ filiâ Rudolphi Imp. Caroli Claudi Siciliæ Regis nepotem, adhuc puerum, ab aliquot Proceribus Hungaris in Regem adversus Andream [x] expetitum; coronari fecit, & patris eo regno successorem declaravit. Qui tamẽ ab aliis non magis receptus quàm pater, vix post decem deinde annos rerum potiri potuit; quâ de re infrà suis locis.

[u] Turoc. cap. 83. Ranzan. Indic. 17. Bonfin. 2. dec. 9.

[x] Vid. supr. an. 1290. VIII.

VIII. MIRACVLA IN EVCHARISTIA A PERFIDIA IVDÆOR.

Hoc item anno quidam Iudæus nocte S. Paschatis emptũ à custode ecclesiæ Rhœtingensis in Frãconiâ sacrum Christi corpus, per diversas urbes & loca aliis Iudæis distribuit. Quâ re signo duorum luminarium super ejus domum rutilantium detectâ; ac per alia pariter miracula manifestatis particulis, quas ceteri ad quos missæ fuerant acubus & subulis punctas, & in mortariolis tunsas (copioso inde profluente sanguine) sub terrâ suffoderant; Christiani in eos insurgentes turmatim variis locis ac suppliciis occiderunt. Quãdo & puella quædã Iudæa baptismi desiderio ad Christianos trãsire cupiens, & à suis impedita, præcipitẽ se dedit è quodã castro ubi Iudæi obsidebãtur; & quasi manibus Angelicis delata illæsa permãsit, & baptismum accepit. Rem gestã narrat Siffridus in suâ Epitome. Quam quidam [y] alij anno superiori collocantes, memorãt Iudæos seniores nonnullis locis timẽtes ne pueri sui, ut ignem sibi paratum evaderent, baptisma peterent, eos propriis manibus in ignẽ projecisse, ac post eos spontè insilîsse. Quemdámque nomine *Rindsflaisch* cõditione agricolam, se ut Iudæos ubique gentium deleret divinitùs electum prædicantem, magnâ sibi vulgi caterva allectâ, per Franconiam & Bavariã immensã eorum multitudinem perdidisse; ipso etiam Alberto Cæsare furori cedere coacto, cùm maximè vellet genti calamitosæ auxilium præstare; donec furore vulgi evanescente, grave de seditiosis supplicium sumpsit.

[y] Ster. & Eber. in Annal. Hist. Austral. &c.

GRAVIS EORVM PVNITIO.

IESV CHRISTI Annus 1300.

BONIF. VIII. Ann. 6.

ALBERTI Ann. 2.

ANDRONICI Ann. 18.

I. CASSAN. TART. VINCIT SOLDANVM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo Indictione decima-tertiâ, Rex Tartarorum Cassanus religione Christianus, de quo suprà, unà cum Regibus Armeniæ & Georgiæ pariter Christianis, expeditionem ducens in Syriam ducentorum millium equitum peditúmque contra Saracenos, ad vindicandam ab eorum manibus Terram Sanctam, occurrentem sibi apud Hamam (Emesam antiquis dictam) Melechnazerum Soldanum Ægypti Syriæ imperantem cum cẽtum millibus equitum & infinitâ peditum multitudine, ingenti prælio devicit, & in Ægyptũ fugavit. Rem præclarissimè gestam narrat distinctè Haythonus [a] qui interfuit: eámque disertè ponit contigisse die Mercurij ante festum Nativitatis Domini anno millesimo trecentesimo, (non millesimo trecentesimo decimo, ut perperàm apud eum, & Bizarum ponitur; cùm nec Cassanus ad eum pervenerit, nec tunc ipse Haythonus in Oriẽte esset, ut ex iis quæ dicentur inferiùs certissimè constat, (Quod tamen omninò credimus referendum esse ad finem anni præcedentis; quo & alij nonnulli collocant. Plures tamen

[a] Haython. cap. 41.

ad

[b] Vill. lib. 8. cap. 35.

ad initium præsentis, ac præcipuè Villanius [b] ipso mense Ianuarij: notans quidem annum millesimum ducentesimum nonagesimum nonum, sed præsentem millesimum trecentesimum designans, quòd ipse more patrio annos numerare consueverit ab Incarnatione Domini mense Martij; & quæ scribit, ait se accepisse à quodam viro Florentino ex familiâ Bastarorum, qui ab Infantiâ iis partibus educatus missus unà cum aliis Tartaris à Cassano ad Pontificem venit occasione mox dicendâ. Quare & Ptolomæus Lucensis [c] tunc pariter vivens hoc eodem anno collocat; quo videlicèt res gesta innotuit in Italiâ per eosdem legatos. Tractant verò eamdem Sanutus [d] Antoninus, Æmilius, Continuator belli sacri, Bizarus, & alij quamplurimi. Ex quibus sunt qui tradant, Cassanum duplici usum eo prælio ad consequendâ victoriam strategemate. Primò, ut cùm sagittis maximè utrimque pugnaretur, ipse cum magnâ suorum parte pedibus stans quousq; Saraceni pharetras suas evacuâssent, tunc equis cōscensis eos omni impetu aggressus fuerit, ac facilè fugaverit. Deinde ne Saraceni Tartarorum sagittas in ipsosmet reiicere possent, eas ita cōfici curaverit ut cuspides cerâ tantùm jaculo affixæ, scutis aut corporibus dum extraherētur, inhærerēt. Fuisse verò præmium victoriæ (præter locupletissima spolia, è quibus nisi sibi Cassanus retinuit præter ensē unum & marsupium in quo erant secretiores scripturæ) adeptionē totius Syriæ & Palæstinæ, ipsiúsque sanctæ civitatis Ierusalem: quam sacris locis magnâ veneratione visitatis, restauratis, & dotatis, habitandam concesserit Christianis Armenis, Georgianis, ceterísq; ex Cypro & latebris cōvolantibus. At verò Haythonus, qui se iis interfuisse testatur, ait quidē Cassanum initio peditem cum suis pugnâsse eò quòd improvisò invasus fuisset à Soldano dum in quibusdam pratis quiesceret; sed nihil de sagittis ceratis. Et quod præcipuum est, nihil penitùs de captâ Ierosolymâ: quin potiùs omninò demonstrat minimè captam fuisse ob subitum Cassani in Persidem reditum.

[c] Luc. in Annal.
[d] San. lib. 3. par. 13. cap. 8. & 10. Ant. tit. 20. cap. 8. §. 8. Æmil. lib. 8. Cont. lib. 5. cap. 8. Bizar. lib. 8.

II.

CHRIST. PRINCIPŪ CULPA AMITTITUR OCCASIO RECUPERANDÆ TERRÆ S. ABSQUE PUGNA.

Quippe qui quadragesimo quinto die post Damascum in deditionem acceptum, audito nuncio de Perside à quodam suo consanguineo nomine Baydone hostiliter invasâ, quamprimùm eò redire festinavit; relictâ in Syriâ parte exercitûs; & Damasci quodam Saraceno Soldani transfugâ Capcako dicto: cum mandatis, ut si Christiani ab Occidente venirent, eis Syria traderetur. Missi enim sunt nuncij ad Pont. & ad Francorum aliósque Reges, rogatum uti præsidia & copias sine morâ transmitterent ad parta accipienda & conservanda. Verùm audita fuit legatio, at non executioni mandata; eò quòd (ut Villanius & Antoninus queruntur) tam ipse Pontifex quàm ceteri Principes Christiani sua solùm quærentes mutuis odiis ac dissidiis rem perderent publicam, nihil pensi habentes quæ Dei essent aut dilatationis fidei ac cultûs divini. Quare factū est post Cassani recessum, vt cùm Capcakus Tartarorum vires in Syriâ exiguas, domi civilibus bellis occupatas, ex Europâ nihil subsidij Christianis accedere sensit; à Tartaro rursùm ad Soldanum defecerit: ejectíq; Tartari è Syriâ fuerint, ac cœptum Terræ Sanctæ negotium penitùs derelictum, æternâ Principum ejus temporis infamiâ, & irreparabili religionis Christianæ dedecore. Narrat hæc pluribus idem Haythonus: meminítq; Sanutus. Quàm verò solicitè negotium Terræ Sanctæ Bonifacius Papa apud Principes urserit, videbitur pariter inferiùs. Quem etiam apud Carolum Siciliæ Regem egisse hoc ipso anno, ut permitteret armari in Apuliâ triremem ad reducendum Guiscardum Tartari legatum; reperimus apud Summontium [e] ex archivio & regesto regio.

[e] Summont. Hist. Neap. lib. 3 cap. 2.

III.

Antequàm verò prædicta de Tartaris rescire potuisset, insigni admodùm & salutari operæpretio hunc annum illustravit; dum breviori manu cælum mortalibus aperuit, quod ferè priùs nonnisi difficillimis illis longinquis expeditionibus ceteri Pontifices reserare consueverant: promulgato videlicèt IUBILEO, quo plenam omnium delictorum remissionem, & indulgentiam pœnarum eis debitarū, (hoc enim præcipuè Iubileum operatur; cùm non remittatur pœna temporalis, nisi præcesserit absolutio culpæ; ut ex communis Theologorum sententia:) ii præstitit, qui confessi ac pœnitentes basilicas Apostolorum Petri & Pauli, exteri quidem quindecim diebus, Romani verò triginta visitarent, quamvis non ille literis istiusmodi Indulgentiæ indictionis, (quæ habentur tam in Regesto Vaticano, [f] & inter Pontificias sanctiones, [g] quàm etiam insculptæ marmori in facie basilicæ Vaticanæ) *Iubilei* appellatione usus fuerit: quam primus ex Summis Pontificibus usurpâsse reperitur Clemens Sextus, quando ex anno centesimo, quo Bonifacius eam indulgentiam stabilivit, ad quinquasimum restrinxit: cùm nihilominùs eâ usi sint alij eodem tempore, ac speciatim Cardinalis Cajetanus, de quo mox dicetur.

[f] To. 3. Bonif. VIII. in append. ep. 12.
[g] cap. antiquorum de pœnit. & remiss. in Extravag. commun.

IV.

DE EIUS ANTIQUITATE.

Et posset quidem aliquibus videri hæc institutio facta à Bonifacio ex antiquæ Romanæ Urbis ac populi Iudaïci ritibus, quibus illa centesimo quoque anno Ludos Sæculares magnâ religiositate, iste quinquagesimo Iubileum repetebat quo debitores à creditoribus laxabantur, [h] & servi libertatem vendicabāt. (Neque enim plenior dari potest libertas, quàm cùm debita peccatorum remittuntur.) Verùm longè Bonifacio antiquiorē fuisse hujus sacræ Centenariæ Indulgētiæ observationem, tantùmque eam Bonifacium renovâsse, & edicto cōprobâsse; atq; imposterùm stabilisse, tam intelligitur ex principio prædictæ ipsius [i] constitutionis; quàm præcipuè ex tractatu Iacobi Cajetani Diaconi Cardinalis S. Georgij nepotis ejusdē Bonifacij, quem de eâ re scripsit, inscripsítq, *De Centesimo seu Iubileo Anno.* Quo traditur, adveniente principio anni, spontè concurrere cœpisse ad ecclesiam Vaticanam cives Romanos, subindéque exteros, ad consequendam Indulgentiā quam ex antiquorum traditione singulis annis centesimis illic acquiri acceperant: Eâ re motum Pontificem, diligenti factâ inquisitione, à quodam viro annorum centum & septem accepisse, patrem ipsius narrare solitum peregrinatum se fuisse anno 1200. ad similem centesimi indulgentiā: Eamdem confirmâsse duos provectæ ætatis Gallos diœcesis Bellovacensis, aliósque tam

[h] Leuit. 25. & 27. Ioseph. 3. antiq. 14.
[i] Ext. in Bibl. Vatic. cod. 4877. & Bibl. Par. t. 10. 6.

Gallos quàm Italos venerandâ canicie præstantes. Túmque Pontificem eam firmiùs sanctione suâ stabilire decrevisse: quam octavo Calendas Martij festo die Cathedræ Antiochenæ sancti Petri Apostolorum Principis, Pontificatus sui anno sexto (nempè præsenti) promulgavit.

V. INGENS ROMAM CONCURSUS AD IUBIL.

Ceterùm tantam undique ex universo terrarum orbe hominum utriusque sexùs multitudinem ad thesaurum hunc consequendum Romam concurrisse ferunt, ut magnâ anni parte extraneorum haud minùs ducentis millibus in Urbe visi fuerint, víxq; per eam quàtumvis amplam & vastâ incedere liceret; præter innumerabilem numerum eorum qui erant in viâ euntes aut redeũtes. Quibus tamen adeò nihil necessariorum defuit, ut potiùs quantò magis populus multiplicabatur, tantò ampliùs alimenta hominibus jumentísq; justo & æquo pretio redundare viderentur, nullâ concussione, aut contentione: prout inter alios refert testis oculatus ac fidelis *Ioannes Villanius*, [k] frequentissimè à nobis citatus atque citandus, civis Florentinus; qui Romã eâ de causâ peregrinatus, ex conspectu antiquorum monumentorum ejus, & exemplo auctorum qui de rebus gestis Romanorum scripserunt, ait se excitatum fuisse ad mandandum memoriæ res suæ civitatis Florentinæ, adeóque ceteras per orbem suo tempore gestas quæ ad ipsius cognitionem pervenire potuissent. Quod sanè tanto candore tantâque sinceritate præstitit, ut in paucis laudandus veniat; dignúmque S. Antoninus ejusdem civitatis posteà Archiepiscopus doctrinâ & sanctitate conspicuus existimaverit, cujus maximam Historiæ partem suis Chronicis insereret.

[k] Vill. lib. 8. cap. 36. Ant. tit. 20. cap. 8. §. 11.

XI. INDIGNOS PONTIF. EA GRATIA EXCLUDIT.

Quod verò prædictam Indulgentiã spectat; prævidens Bonifacius multos indignos ad eam consequendam accessuros: ne sanctum [l] daretur canibus, aut margaritæ mitterentur ante porcos, alio diplomate eâdem die promulgato (quod refert idem Iacobus Cardinalis) ab eâ tamquam illius incapaces omninò exclusit qui merces seu res prohibitas Saracenis portâssent: necnon Fridericum Siciliæ occupatorem, ac Siculos Ecclesiæ Romanæ hostes: (quos & insuper, unà cum Genuensibus belli sociis, die Cœnæ Dominicæ in Ecclesiâ Lateranensi diris [m] devovit, universæque Siciliæ sacris interdixit:) itémque Columnenses à Sede Apostolicâ damnatos: & in universum omnes & singulos publicos ejusdem Ecclesiæ hostes ac rebelles, eorúmque fautores & adjutores, quantisper in suâ malitia perseverarent.

[l] Matth. 7.

[m] Ep. 13. & 14.

DIGNIS OPITULATUR.

Econtrà verò in fine anni, piorum peregrinorum devotioni & cõmmoditati intendens; tam illis qui in Vrbẽ tardè appulsi, vel in ægritudinem in eâ lapsi aut etiam mortui præscriptum dierum numerum complere non potuissent; quàm etiam illis qui in viâ decessissent, aut alio legitimo impedimento Romam pervenire prohibiti fuissent; nihilominùs eamdem plenissimam indulgentiam assequi concessit. Hæc fusiùs idem Iacobus prædicto suo tractatu. Quo pariter scribit toto eo anno quamplurimos in basilicis Apostolorum à variis morbis miraculosè sanatos fuisse multos energumenos liberatos, infinitas animas à pœnis Purgatorij (uti per certas revelationes constitit) ad cælestia gaudia translatas.

VII.

Cùm autem infinitam penè fuisse multitudinem eorum qui Romam undiq; Indulgentiæ causâ accesserunt, omnes singularum gentium scriptores testentur, (ac præcipuè de Germanis Trithemius) [n] intérque eos, plurimos Antistites, Principes, proceres, quà apertè cognitos, quà veste peregrinorum latentes præcipuus extitit *Carolus Martellus* Rex Hungariæ, filius natu maximus Caroli Claudi Siciliæ Regis. Qui ex Hungariâ veniens, (relictâ ibi conjuge Clementiâ Habspurgiâ, unà cum filio Caroberto, de quo dictum anno superiori) Romam primùm ad consequendam Indulgentiam, Neapolim inde ad patrem accessit; ut ei post mortem succederet tamquam primogenitus; translato jam in filium Hungariæ regno sibi maternâ hereditate debito. Verùm accidit ut inverso naturæ ordine præcesserit ipse patrem; moriens ibidem Neapoli anno sequenti, ætatis suæ trigesimo; non sine suspicione [o] veneni, ipsi à minore fratre Roberto propinati: quam tamen vanam & calumniosam fuisse, egregia indoles & pij mores Roberti omninò persuadent.

[n] Thrith. in Chron. Hirsaug.

CAROL. MARTEL. REX HUNGAR. URBEM VISITAT AD IUBIL.

[o] Summont. lib. 3. cap. 2.

VIII. CAROLUS CLAUDUS SARACENOS AD BAPTISMUM IMPELLIT.

Quòd verò probrosum videretur, ut qui Saracenos in Asiâ persequi profiterentur, eos in ipsâ Italiâ pacificè res suas & sacrilega sacra agere permitterent; Nuceriæ videlicèt, seu Luceriæ dictæ, quam eis urbẽ non longè à Neapoli distantem, incolendam Fridericus Secundus tribuerat, & Caroli Reges hactenùs grauis tributi commodo concesserant: jam demùm Claudus tam zelo religionis, quàm quòd intellexisset eos clandestina cum suis consilia in perniciem Christianorum agitare; eos ad fidem Christianam reducere aut è terrâ delere deliberans, Bonifacij Pontificis auctoritate edictum proposuit, ut quicumque illorum baptismum suscipere detrectarent, impunè occidi possent; qui verò baptizarentur bonis suis omnibus liberè fruerentur. Quo factum est, ut plerique contentione animi pervicaces abire Italiâ elegerint, ne servilibus quidem cruciatibus cogi valentes ut utrique saluti suæ consulerent: pauci baptismum petierint, qui nihilominùs occultè perfidiam, eorúmque diù posteri retinuerunt, dicti proptereà ab antiquis Christianis *Marrani*, de quâ voce aliàs dictum. Rem porrò gestam narrant Blondus, [q] Collenutius, Æmilius, Summontius, & alij.

[p] Epit. Bar. an. 775. IX. [q] Blond. 2. dec. 9. Collen. lib. 5. Æmil. lib. 8. Summont. lib. 3.

IX. BONIF. PP. SOLICITAT AUXILIA TERRÆ SANCTÆ.

Præter quæ idem Bonifacius Pontifex, cùm acceptâ Cassani Tartarorum Regis legatione quam diximus, honorificum sibi & magnificum existimaret se Pontifice recipi in Syriâ & Terrâ Sãctâ, quæ sub aliis amissa fuissent; imprimis *Concilio* ROMÆ eâ de re habito, inde missis quoquoversùm sacræ militiæ præconibus, omnes Principes ad mittẽda auxilia invitavit; in belli sumptus Clero decumationem proventuum imposuit, laïcis subsidia postulavit: præ ceteris Philippum Francorum Regem de his sollicitans. Apud quem nihilominùs parùm profecit: quòd bello Flandrico distractus, & pecuniis indigens, nec copias transmittere, nec collectas ad id operis decimas dare, aut aliàs in regno suo exigi, præter eas quas nuper idem Pontifex Carolo fratri in Italiam

evocato

evocato dari præceperat, permittere posse excusavit: commotus etiam vehementer adversus Bonifacium variis Columnensium implacabilium Pontificis hostium apud se perfugarum criminationibus: quorum etiam defensio à Rege suscepta, non minima erat commotionis Pontificis in Regem causa. Sed de his posteà distinctiùs; ne tempora cum plerisque confundamus, dum simul omnia in Bonifacium vel Philippum congesserunt, quò nimiæ illos præcipitantiæ atque immoderati furoris reos facerent.

X. HERMANNI HÆRESIARCHÆ DAMNATIO.

Quæ sunt item fidei diligentissimè Bonifacius curans, inter alia fratri Guidoni Ordinis Prædicatorũ hæreticæ pravitatis in Lombardiâ Inquisitori injunxit, in *Hermannum* Pongilupum Ferrariensem, jam olim defunctum, & à multis pro sancto cultum, ab aliis hæresis accusatum, inquirere. Quem prædicti Guidonis solicitudine hæreticũ repertum, exhumatum, ac combustum fuisse, aliâ occasione superiùs [r] vidimus. Cui similis GVILLELMA quædam, sive *Guillelmina* dicta, plebei generis femina parem quoque exitum habuit. Quæ videlicèt postquam Mediolani religiosissimâ vitâ diù simulatâ, unà cùm *Andreâ Saramitâ* amasio suo, sub specie bonorum operum multos utriusque sexûs omnísq; generis homines corrupisset; (quos ipsi in quâdam synagogâ subterraneâ conventibus antelucanis congregantes, cùm ad modum presbyterorũ induti certas orationes ad altare fudissent, extincto aut sub modio abscõdito lumine, ad fortuitos cõcubitus hortari cõsueverant) tandem opinione sanctitatis defuncta, & à monachis Claravallensibus non longè à Mediolano pro sanctâ sepulta; hoc anno [s] ab ejus obitu sexto, detecto impuritatis mysterio quod Andreas exercere perrexerat, exhumata est & igne combusta. Rem dives quidam mercator detexit: qui cũ aliquando uxorem ad conventus frequenter secretò itantem clàm secutus, cum eâ se immiscuisset; & signo detracti ex ejus digito annuli, ac clericaturæ capitis quâ in suis mysteriis mulieres insigniebantur, eam convicisset, scelus magistratui revelavit. A quo Andreas captus, tormentísque adactus, & totis se undecim annis hisce inquinamentis operam dedisse fassus, igni cum sociis dãnatus est; ac Guillelmæ ossa pariter exusta, unà cum tabulis & signis argentóq; & auro omni, quæ velut salutarium beneficiorum votiva monumenta plebs credula circa ejus tumulũ appenderat. Deniq; cella flagitiorum sedes dejecta est, ac rudera cæmentáque in cloacas projecta, priùs tamen flammis ustulata, ne vel contactu terræ superficiem aut superfusum aërem contaminarent. Ne verò solâ Guillelma delirare videretur, reperimus quoque in sentẽtiâ [ss] excommunicationis à Ioanne Papâ XXII. contra Matthæum Vicecomitem ejusque filios latâ, de quâ suo loco; *Manfredam* quamdam feminam de gente Pirovanâ, & cognatione Vicemomitum, pariter exustam fuisse, quòd procaciter assereret Spiritum Sanctùm incarnatum in personâ prędictæ Guillelmæ, ipsámque Guillelmam à Deo assumptam mirabiliter extitisse. De quâ proinde existimamus intellexisse auctorem Annalium Dominicanorum Colmariensium, cùm sub præsenti anno scribit, venisse ex Angliâ virginem valdè decoram & facundam, quæ assereret Spiritum Sanctum incarnatum fuisse in redemptionem mulierum, & baptizâsse mulieres in nomine Patris & Filij ac suî: mortuámque delatam fuisse Mediolanum, & ibi crematam. Cujus rei nulla apud Anglos mentio. Haud tamen absonum ut id impietatis docuerit Guillelma, quæ & sacerdotem agebat, & ceteras mulieres ad modum clericorum tondebat: Namque eam, necnon Andream ex alio solo oriundos fuisse, ac sicuti fuerant ipsi peregrinæ stirpis, ita cœtus eos maximè ex peregrinis instituisse, observant qui pleniùs de iis egerunt [t].

[r] An.1297. VIII.

ITEMQVE GVILLELMÆ TVRPISS. FEMINÆ.

[s] Boff. in Chron. Cor. Hist. Mediol. par. 2.

[ss] Extr. ap. Bzov. an. 1322

ET MANFREDÆ BLASPHEMÆ.

[t] Ripamont. Hist. Eccles. Mediol. par. 2. lib. 7.

XI.

[u] An.1296. XII.

LOCTICVS REX POLON. DEPONITVR.

In Poloniâ cùm Vladislaus Locticus Rex, sive (ut ipse se indigitabat) Regni Heres, de quo suprà [u] se totum deliciis applicaret, ac suos milites impunè grassari tam in bona Ecclesiasticorum quàm laïcorum, necnon stupra passim committere permitteret; nec sæpè monitus ab Andreâ Posnaniensi in majori Poloniâ Episcopo in cujus diœcesi cõmorabatur, eos coërcere curaret: primò idem Episcopus toti diœcesi sacris interdixit: deinde convenientes apud Posnaniam proceres regnum ipsi; in minorem Poloniam tunc fortè profecto, abrogarunt; illúdque ad *Vvenceslaum* Boëmiæ Regem detulerunt. Qui splendidâ accitus legatione adveniens sine morâ, Gnesnæ à Iacobo Archiepiscopo de more inunctus, ac regio diademate ornatus est; ductâ in uxorem cùm prior Iuda Rudolphi olim Romanorum Regis filia defuncta esset) Rixâ, quæ & Elisabetha dicta est, Premislai defuncti Regis filia, quò magis ejus conjugio regnum suum apud Polonos stabiliret. Constitutis verò rebus suis in Poloniâ, relictísque præfectis Boëmis, in Boëmiâ rediit: Loctico interim latebras quærente, & varias regiones peragrante ne interciperetur à Boëmis: quando & occasione Iubilei Romã privato habitu adiit. Narrant hæc Poloni scriptores [x]. Qui & rem licèt non magni momenti, haud tamen tacendam referunt, de Conradi Gibbosi Ducis Stinaviensis & Ecclesiæ Vratislaviensis Præpositi stoliditate: nempè cùm ad Archiepiscopatum Saltzburgensem eodem tẽpore evocatus fuisset, ubi in itinere apud Vsennam accepit cerevisiæ usum Saltzburgi non esse tantummodò vini, repudiato Archiepiscopatu remigrâsse ad potum cerevisiæ Sinaviensis. Quasi verò ne frumentũ quidem Saltzburgi cerevisiæ conficiendæ nasceretur, nec posset illuc tantoperè concupitæ Stinaviensis artifices deducere. Quem quidem si alia justior causa non movit renunciare Archiepiscopatui prætextus sanè insulsissimus fuit. Quare & revertens, à fratre Duce Clogoviensi compedibus vinctus est: sed suorum vi & ope liberatus parvo tempore vixit.

VVENCESLAVS REX BOEM. IN EIVS LOCVM SVFFICITVR.

[x] Michov. lib. 4. Cromer. lib. 11.

XII. ORTVS IMPERII TVRCICI.

Ab hoc item anno plerique incipiunt catalogum Regum seu Imperatorum TVRCICORVM auctore *Otomano*. De cujus gentis origine cùm plures scripserint, non est ut in eâ tractandâ verba profundamus, etiamsi non omnes unam eamdémq; agnoverint, eò (ut putamus) quòd ipsi in varias partes & regiones divisi fuerint. A Scythis qui Caucasios montes inter Pontũ Euxinum & mare Caspium habitant, prin ùm ortos esse, plerique omnes consentire videntur. Ubi diù obscuri in silvis & montibus ve-

natu victitâtes,(unde & fortè nomen acceperunt,cùm *Turcum* sive Turcam significare hominem qui aggrestiorem victûs rationé sequitur,Chalcondyles [y] scribit.Quod autem *Teucros* nonnulli vocâsse reperiuntur,quasi à Trojanis originem traxissent, graviter eos hallucinari [z] constat.)paulatim latrociniis innotescere,& excursiones in vicinas gentes exercere cœperunt.Mox & in Asiam transmittentes, spê imperij stabiliendi atque propagandi; primùm ut sese disciplinâ militari instructiores redderent,stipendia apud exteros merere instituêrunt:(*Scytharum* tamen ut plurimùm nomine)deinde rem per se ac pro se agentes,de Perside cum Saracenis eam occupantibus magnâ contentione decertârunt, ac demùm eos inde expulerunt,religione tam.n eorum Mahometicâ susceptâ:hincque tã Græcis quàm Latinis auctoribus sæpè Persarum,& superstitionis occasione etiam nonnumquam Saracenorum appellatione veniunt.Quod nisi diligenter advertatur,in magnas obscuritates incidere necesse erit.Bello sacro, quod Gothofredi virtute in Syria susceptum gestúmq;est,nobiliores esse cœperunt, ob eas clades quas nostris intulerunt,acceperúntque ipsi mutuò.

[y] Chalcond. lib.1.

[z] Vid. Æn. de Asia.cap. 100. de Europ.cap.4. &c.

XIII. OTHOMANVS EIVS FVNDATOR.

Post quæ occupatis provinciis Asiæ Minoris quæ Imperij Græcorum fuerant, divisísque ipsis in plures Satrapias,(quas septem numero fuisse, tradit item *Laonicus Chalcondyles* Græcus auctor patria Atheniensis,qui decem libris ab Otomanidarum origine res Turcicas complexus est satis diligenter,etsi non infrequênti temporum & rerum perturbatione:)cùm in earum inter duces facta sortione,*Otomano* filio Ortogrulis è tribu Oguziorum obvenisset Bithynia cum aliis ad Olympum sitis regionibus,is animi magnitudine roboréq;præstans, summâ vi Græcos adortus cùm alia plurima oppida, tum demùm Prusam urbem opibus florentem, vetustámque sedem Regum Bithyniæ, post longam aliquot annorum obsidionem fame ad deditionem coëgit,regníque sui sedem constituit. Quò sunt qui referunt antiquum Sibyllarum oraculum apud Zosimum [a] quo dixêre, consilio divino Bithynas regiones à lupis habitatum iri, qui mox regia sceptra tenturi essent urbis Byzantij, quod sanè demùm nimis comprobatum fuit; sed culpâ Christianorum, & justo Dei judicio;cùm potentiæ Turcicæ primordia in Bithynia cœperint,& in eam pedetentim creverint,ut & Imperium Byzantinum,& quamplurima alia regna sibi subjecerint.Utinam & non aliquando reliqua dum Principes Christiani haud sibi ab eâ caventes mutuis se bellis conficiunt: ô fidem ô pietatem! Quod verò Chalcondyles habet, Otomanum, cùm ob res præclarè gestas augustior homine, & quasi divinus reputaretur, posteris reliquisse insigne monumentum ut *Othomanidæ* vocentur;sive ut Latinis magis nuncupare placet, *Otomani*; *Osinanem* tamen,& *Osinaneos* sive *Osinanidas* vocant ceteri Græci,Cantacuzenus & Phranzes:hícque eorum diversas origines,sive à Græcis,sive ab Azatine Sultano,æquè describens, patré Osmanis,seu ut etiam vocat Orthomanis, Ertuculem nominat.Quemadmodùm & *Leunclavius* Osinanem item & Osinanidas dicit in historiâ Musulmanâ Turcorum, quam se ex monumentis ipsorum exscripsisse profitetur. Quæ licet multis fabulis confarta, multa tamen habet de eorum origine & progressu non contemnenda.

[a] Zosim. lib. 2.

VEIVS DE IIS PRÆDICTIO.

XIV. OSMANIS PROGRESSVS.

Et quod Osmanem tangit Ortogrulis filium quomodò à parvis initiis ad magnam potestatem favore Aladinis(Azatinis Phranzi dicti) Sultani Iconij pervenerit;fusè ex ijsdé monumentis,nec tamen sine fabularum admixtione narrat [b]. Initium autem ejus regni æquè collocat præsenti anno, decimo post patris obitum,cùm integrum decennium in multis arcibus,oppidis & provinciis in potestatem suam redigendis consumpsisset.Quamdiù porrò vixit Aladines,noluisse Regem se indigitare,sive,ut Turci vocabant,Chanem,aut permittere nomen suum precibus publicis commemorari:Mortuo verò Aladine utrumque fieri cœpisse,confirmatâ jam ipsius potentiâ & victoriis de Christianis partis,& Aladinis munere,quo sibi eum in filium adoptare voluisse cùm liberis careret visus fuerat, quamvis post Aladinis mortem ei in Sultanatu successisset qui primus erat à consiliis(quem hodie Vezirum vocant) nomine Sahibus.Numerantur porrò ipsius Otomani sive Osmanis regni anni viginti octo,initio sumpto à præsenti millesimo trecentesimo;ætatis verò sexaginta novem:& ab eo perpetuâ serie Turcorum Imperatores deducti; quorum imperium à tenui principio exortum, nostrorum ignaviâ & discordiâ in eam quam cernimus amplitudinem universo mundo formidolosam est auctum.

[b] Hist.Musulm. lib.3.

IESV CHRISTI Annus 1301.

BONIF. VIII. Ann. 7.

ALBERTI Ann. 3.

ANDRONICI Annus 19.

I. COMETES MALORVM PRÆNVNCIVS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo primo,Indictione decima-quarta,Septébri mense,quo Carolus Valesius venit in Italiam, visus est Cometes, post occasum Solis apparens versùs Occidentem in signo Scorpionis, quæ est domus Martis, emittens aliquando comam ad Orientem, aliquando ad Meridiem. Quem per quindecim dies durasse, Siffridus tradit; per mensem Ptolomæus Lucensis,Chronicon Monfortianum,& Continuator Poloni; usque ad mensem Ianuarij Villanius [a].Qui ait significasse eum bella & clades quæ post acciderunt, eò magis, quòd planetæ Saturni & Martis hoc ipso anno bis conjuncti fuêre mensibus Ianuarij & Maij in signo Leonis.Aliam verò duplicem eorumdem astrorum conjunctionem Lucensis agnoscit anno 1303.in signo Virginis: nisi fortè uterque auctor easdem voluerint significare, sed erratum fuerit in tempore.

[a] Vill.lib.8. cap.47.

II. CAROLVS VALESIVS CONVENIT PONTIF.

Hoc igitur tempore idem Carolus Valesius frater Philippi Francorum Regis,à Bonifacio Papa,ut alias vidimus,evocatus mense Iulio [b] Mediolanum,Septembri [c] Anagniam ad eumdem Pontificem pervenit, unà cùm conjuge ac magno nobilium comitatu. Causæ evocationis fuisse dicuntur [d] tum ut Carolo Siciliæ Regi auxilio esset ad recuperandam

[b] Cor. Hist. Mediol.par. 2.
[c] Vill. cap.4.
[d] Id.cap.42.

eam insulam à manibus Friderici Aragonij, cum promissione tam ipsi Valesio quàm Philippo Regi factâ de procurando eidem Valesio Romano Imperio, rejecto Alberto Austriaco cujus necdum electionem approbare voluisset; aut saltem auctoritate quâ pollebat Ecclesia Romana vacante Imperio, creando ipso Vicario Imperij: tum ut Etruriam per factiones Alborum & Nigrorum singulis ferè civitatibus pessumdatam componeret. Erat verò etiam quod eumdem Carolum Valesium in spem erigeret Imperij Constantinopolitani; eò quòd mortuâ Clementiâ (sive Margaritâ) priori conjuge (filia Caroli Siciliæ Regis) duxisset auctore Pontifice Catharinam filiam unicam Philippi nuncupati Imperatoris Constantinopolitani, neptémque illius Balduini qui Constantinopolim amisit; quæ & ipsa titulum ferebat Imperatricis, multorúmque in Græciâ locorum heres erat. Fovebátque Caroli conatum Bonifacius eò impensiùs, quòd speraret eum, si dotale Imperium recuperaret, bellum in Syriâ pridem intermissum instauraturum.

III. Dignitatibus à Pontifice augetur.

Cùm igitur advenisset Anagniam Carolus maximo honore à Pontifice exceptus, & à Carolo Siciliæ Rege visitatus, cum eis convenit ut proximo vere Sicilia tentaretur; quâ expugnatâ facilior foret expeditio Græciæ. Ne verò interim dum classis Neapoli pararetur otiosus quiesceret, creatus à Pontifice universæ ditionis Ecclesiæ Romanæ Præfectus, necnon Tusciæ Paciarius seu Pacificator, & Imperij Vicarius; mandato Pontificis Florentiam profectus est, factionibus valdè agitatam; quas Matthæus Cardinalis Aquaspartanus Minorita Legatus eò anteà missus compescere non valuerat, propositis etiam interdictis. Nec quidem fortunatior Carolus: qui quinque ampliùs mensibus, (nempè ab initio Novembris præsentis anni usque ad Aprilem sequentis) ibi moratus, Florentinos continere non potuit quò minùs Albos (eosdem & Gibellinos) non sine multis hominum cædibus domorúmque ruinis & incendiis urbe pellerent: quorum malorum culpam Villanius [e] iis præsens tam in Bonifacium Albis infensissimum rejicit; quàm præcipuè in Carolum, qui tumultuantibus connivens, urbem in quam ad conciliandas partes susceptus fuerat, majoribus turbis ac calamitatibus irretitam reliquerit. Quem tamen excusans Blondus [f] abscessisse eum ait, quòd majora Florentiæ & per agrum committi scelera vidit, quàm quæ mitissimi & verè regij vir ingenij inspicere posset. Ceterùm quòd auctor rerum Pistoriensium, cujus superiùs meminimus [g] Carolum Siciliam priùs petiisse quàm Florentiam scribit; non solùm à Villanio confutatur, verùm etiam ab aliis auctoribus qui de iis scripserunt.

[e] Vill. d. c. 48.

[f] Blond. 2. dec. 9.

[g] An. 1295. in fi.

IV. Dantes exul Florentinus.

Fuit tum etiam cum iisdem Albis exilio damnatus *Dantes Aligerius* civis Florentinus, Poëta ac philosophus insignis; & linguæ Etruscæ conditor, è præcipuis tunc existens urbis gubernatoribus; quos Priores vocabant: qui cùm per id temporis missus ad Pontificē fuisse orator concordiæ causâ, novis interim Florentiæ exortis tumultibus, pulsísque Albis iísque civibus qui obstiterant ne quis Princeps in urbem vocaretur, quòd id planè ad eversionem libertatis existimarent pertinere; cùm & ipse unus ex iis & quidem præcipuus extitisset (quamvis alioqui Guelfus; quæ factio ut plurimùm Nigris immixta, ut Gibellina Albis erat) absens damnatus est, ejúsque, sicuti & ceterorum, disjectæ domus, direpta prædia atque vastata: propterea Philippo Francorum Regi ac Carolo Valesio admodùm infensus, ut poëmata ejus indicant. Qui Bononiam post hæc petens, inde Parisios, multásque alias visitavit partes orbis. Describunt ejus virtutes ac vitia, recenséntque scripta & errores eis insertos idem Villanius [h] atque Antoninus [i]. Iovius in ejus elogio ait, fuisse ei exilium vel toto Etruriæ principatu majus & gloriosius, cùm illam sub amarâ cogitatione excitatam occulti divinique ingenij vim exacuerit & inflammârit: Enatam siquidem esse in exilio comœdiam triplicem, Platonicæ eruditionis lumine perillustrem, ut abdicatâ patriâ totius Italiæ civitate donaretur. Tentavit enim sæpè restitutionem in suam civitatem; nec valuit umquam impetrare: de cujus obitu dicetur suo loco. Ceterùm eodem quoque exilio pulsum constat patrem magni illius doctrinâ & pietate *Francisci Petrarchæ*: qui eo exule natus est Aretti ut ipsemet testatur [ii]) die Lunæ 20. Iulij anno Domini 1304. de quo sæpè inferiùs.

[h] Vill. lib 9 cap. 135.

[i] Ant. tit. 21. cap. 5. §. 2.

Itemque Petrarchæ parens.

[ii] Petrar. 8. Rer. Senil. 1. ad Bocat. & lib. 13. ep. 3. ad Io. Aret.

V. Bern. Episc. Appam. insolentiùs agit in Regem Philippum.

Hoc eodem anno *Bernardus* Episcopus *Appamiensis* provinciæ Narbonensis (Ariminensem Episcopum inscitè nimis quidam huic negotio adhibitum volunt, Appamiensem prætereuntes, aut ejus loco errore nominis collocantes:) à Bonifacio Papâ legatus ad Philippum Francorum Regem, qui eum ad expeditionem Orientalem impelleret; vetarétque decimas ad eam indictas in alios usus convertere; & vacantium Ecclesiarum fructus sibi retinere, earúmque titulos citra consensum Pontificis conferre, ac libertatem ecclesiasticam violare; quæ omnia Rex facere dicebatur: Hæc cùm prędictus Episcopus insolenter nimis exponeret, (fretus videlicèt benevolentiâ Bonifacij, quâ fuisse vidimus renuente Rege non ita pridem ex Abbate creatum Episcopum) quin etiam minas depositionis nisi Pontifici suffragaretur, intentaret; iratus Rex eum in custodiam Archiepiscopo Narbonensi ipsius metropolitano tradidit. Ita enim plerique. Cùm nihilominùs antiquiores insinuent, Bernardum obtentu conspirationis in Regem, & quòd jactaret nihil se ei debere, sed tam in temporalibus quàm spiritualibus soli Pontifici subesse, accersitum esse à Rege, ac custodiæ Archiepiscopi traditum, judicandum ab eo unà cum Episcopis comprovincialibus, posteàque puniendum.

Et ideò traditur in custodiam.

VI. De quibus accusaretur.

Quæ disertiùs exprimuntur in Actis conventûs apud Silvanectum ad hoc à Rege celebrati, & aliis post inde gestis, quę Lutetię reperiūtur in archivis regiis. In quibus septem accusationum capita ei objecta recēsentur. 1. Quòd jactaret sibi à Rege S. Ludovico hujus Philippi avo dictum aliquando fuisse, quòd tempore ipsius Philippi regnum Franciæ destrueretur per ipsum; & transferretur ad exteros. 2. Quòd cum Rege Aragoniæ & Comite Fuxi conspirâsset contrà Regem. 3. Quòd cum eodē Comite convenisset de pellendis è ditione

Tholosanâ,

Tolosanâ, in cujus possessionem eum introducere promittebat, cunctis Francis. 4. Quòd dictum Comitem induxisset ad rumpendum tractatum matrimonij inter filium ejus & filiam Philippi Artesiensis, & ineundum cum filiâ Regis Aragonij 5. Quòd sæpè dixisset, urbem Appamiarum minimè pertinere ad regnum, nec esse intra regnum. 6. Quòd dixisset Regem esse adulteratorem monetæ. 7. Quòd pariter dixisset Regem esse de spuriis oriundum. Quæ omnia cùm satis per idoneos testes probata fuissent, Regem de consilio majorum regni sui tam clericorum quàm laïcorum Silvanectum ad hoc convocatorum, dictum Episcopum in custodiam dedisse Ægidio Archiepiscopo Narbonensi ipsius metropolitano ibi præsenti; consentiente libenter Episcopo in custodiâ Archiepiscopi detineri potiùs quàm sub manu Regis, ipsóque Archiepiscopo dicente Regi, paratum se in eâ causâ exolvere sui debitum officij, de consilio suffraganeorum suorum, & domino Papâ consulto, cùm negotij gravitas hoc exposceret: ideóque Episcopum sub suâ custodiâ retinuisse, territorio sibi concesso per Episcopum Silvanectensem, ex concessione etiam Archiepiscopi Remensis illius metropolitani: Nuncium eâ de re missum ad Pontificem à Rege hæc ei significâsse in Consistorio: addito quòd licet Rex de suorum consilio potuisset ejusmodi proditorem convictum statim supplicio afficere, ipse tamen progenitorum suorum inhærendo vestigiis, qui privilegia & libertates Ecclesiæ suæ, & honorem Romanæ matris, de cujus ubere essent lactati, usquequaque servare consuevissent; præmissa significare maluerit Summo Pontifici patri suo qui nedum Dei injuriam, cujus locum teneret in terris, sed etiam dicti Regis filij sui & totius regni vindicare teneretur: ac propterea rogare, ut promptum adhiberet remedium; virúmque mortis omni privilegio suo clericali exueret, quatenùs Rex de illo proditore Dei & hominum, de quo aliqua vitæ emendatio sperari non posset, cùm à juventute suâ semper malè vixisset, posset facere per viam justitiæ sacrificium optimum. Ita Rex haud terminos excedens modestiæ, & honoris Sedi Apostolicæ debiti. Bonifacius autem immunitatis Ecclesiasticę studiosissimus, cùm ubi primùm audîsset Episcopi Appamiensis detentionem ad Regem scripsisset ut ipsum quantocyùs in libertatem assereret, & bona occupata aut sequestrata restitueret; sciretque, nisi legitimam atque idoneam haberet excusationem eorum quæ in ipsum commisisset, incurrisse sententiam canonis propter injectionem temerariam manuum in dictum Episcopum, ad Archiepiscopum quoque Narbonensem & Episcopos Biterrensem & Magalonensem scribens, mandavit ut ante omnia Appamiensi ab omni potestate & custodiâ sæculari liberato, & sub custodiâ Pontificiâ constituto, diligenter inquirerent de criminibus ei objectis, quorum capita triginta duo recenset in Regem probrosa ac proditoria: & factam inquisitionem unà cum Episcopo ad ipsum Pontificem sub tutâ custodiâ mitterent. Hæc enim ex archivis regiis omni fide constantia habuimus.

VII. Alia ad

Ut autem quæ & alij habent de re maximi momenti referamus, illud omnium auctorum consensu certum redditur, Bonifacium auditâ Appamiensis Episcopi detentione, continuò ad Regem misisse *Iacobum de Normandis* Archidiaconum Narbonensem Notarium suum, virum insignem; qui nomine Pontificis Philippo mandaret ut missum faceret Episcopum & à vexando clero, ab opprimendâ libertate ecclesiasticâ, & à collatione & usufructu quorumcumque beneficiorum abstineret, nec communem omnium Christianorum utilitatem in iis quæ ad Terræ Sanctæ expeditionem pertinerent præverteret. Id si non impetraret, contestaretur regnum Franciæ ob contumaciã Philippi, ad Sedem Apostolicam devolvi, cui omnes Reges eorúmque regna subessent: addetque anathema, subditos à juramento fidelitatis absolveret: atque insuper omnes Antistites & Doctores Romanæ adesse juberet Synodo ibi celebrandæ Cal. Novemb. anni proximi; ut de eorum consilio corrigerentur injuriæ & damna quæ per Regem ejúsque ministros & officiales tam ecclesiasticis quàm laicis illata fuissent: Quę cùm Archidiaconus Parisios appulsus diligentissimè exequi satageret accidisse ut literæ Pontificię ei ereptæ fuerint ac præsente Rege, nec impediente; per Comitem Atrebatensem palàm in ignem conjectæ & combustæ; facessere Archidiacono procul jusso, unà cum Episcopo Appamiensi libertati tradito: Móxque celebratis trium regni Ordinum comitiis, ibique cunctis in Bonifacium tam ob prædicta inde decus Regni, ac regiæ auctoritatis depressionem intentata, quàm ob plura gravissimarum accusationum capita ei opposita quæ illum Pontificatu penitùs indignum redderent, conclamantibus: tum Regem severè prohibuisse ne quis ex ecclesiasticis Romam peteret, aut aurum vel argentum è regno extraheret; tum custodibus ubique appositis ne ullæ aliæ Pontificiæ literæ in regnum deveherentur, etiam unum è præcipuis suis Consiliariis nomine *Petrum Flotam* militem (dominum Revelli, & castri Escolli diœcesis Claromontensis in Alverniâ) ad Pontificem misisse, qui cuncta intrepidè ei significaverit. Sic enim rem gestam esse, tam ex antiquis scriptoribus [k] quàm ex literis Antistitum ad Bonifacium anno sequenti (quo pręmissorum magna pars gesta noscitur) scriptis, de quibus ibi agetur, intelligitur. Eóque processisse fiduciæ Flotam cum Pontifice, legitur in veteri Chronico S. Dionysij, ut cùm Pontifex minas in Regem intentaret, responderit ei, Sancte Pater gladius vester est verbalis, sed gladius domini mei est realis. Quod si verè dixit, ignem è silice quærebat ense exciere: nec putamus mandatum adeò acerbum habuisse à Rege.

Regem acerbior legatio a Pontif.

Indignatio Regis in Pontificem.

k Lucens. & Eberar. in Annal. Chron. Monfort. Contin. Poloni. Contin. Nang. Bern. Guid. in Chron. Vill. lib. 8. c. p. 62. Ant. tit. 20 cap. 8. §. 20. Blond. 2. dec. 9. Vualsing. in Hypodigm. Platin. in Bonif. VIII. Nic. Gill. in Annal. Franc. & aliis.

Ut denique rem totam adhuc paulò diligentiùs ex ipsismet Actis & Epistolis tũc ultrò citróque factis missísque (quâ nulla est certior historia) pertractemus: (non id quidem animo pudenda patrum detegẽdi, ut à multis factum, aut committendi contrà decretum Clementis V. de quo posteà, jubentis omnia deleri: sed tantùm historiam variè, & à plerisque vanè pro affectu partium descriptam, in excusationem Pontificis simul Regísque elucidandi:) primò reperimus in codice manuscripto [l] Bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, decretum regium editum Parisiis 17. Augusti anni 1296.

VIII. Rei gestæ certa series.

l Cod. Victor. not. MM. 7. fol. 89.

quo

quo (ut ait) ad statum prosperum & defensionem necessariam regni, ad cujus impugnationem hostilis iniquitas ex diversis undiq; partibus suæ conatus malignitatis exercebat, & ne de bonis & facultatibus ejus vires adversantiũ augerentur: inhibuit ne quis cujuscũq; conditionis, nationis, aut dignitatis, aurum vel argentum sive in massâ, sive in monetâ, aut vasis, aliâve quâlibet forma; lapides pretiosos, victualia, arma, equos, terra vel aquâ extrahere è Regno, aut literas pro pecuniis intra fines regni deportatis extrà illud assignãdis conficere absque speciali Regis licentia præsumeret, sub pœna confiscationis tam rerum ipsarum quàm bonorum transgressorum. Ita ibi. Fuisséq; hanc prohibitionem jam eo tempore factam, nõ solùm autem præsenti anno, intelligitur etiam ex responsione Regis nomine facta ad constitutionem Bonifacij de subsidiis non pendendis Principibus, cujus facta superiùs [m] mentio: ex eáq; regiâ prohibitione Pontificem non parum commotum in eum fuisse. Quòd verò tunc universum prohibitum fuerat, & à Pontifice utcumq, toleratum; hoc demùm anno cùm res in apertum dissidium prorupit, etiam speciatim ad Romanam Curiam extentum fuit: unde & Pontifex, ac pro ceteris quæ diximus in Comitiis regni contra ipsum decretis ipse quoque asperiùs in Regem agere cœpit.

PROHIBET EXTRACTIONEM PECVNIÆ E' REGNO.

[m] An. 1296. IV. & 1297. III.

IX.

Quippe imprimis continetur eodem codice [n] Suspensio à Bonifacio facta Laterani 2. Nonas Decemb. (ita enim tunc numerabant, non pridie) Pontificatûs anno 7. nempè præsenti, incipiens, *Saluator mundi*; omnium privilegiorũ & gratiarum factarum Regi Philippo ejúsq; successoribus, & clericis ac laïcis qui de eorum stricto consilio forent; usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum; ob damna quæ eorum occasione per abusum ecclesiis & ecclesiasticis regni inferrentur. Atq; insuper quicquid prælatis & aliis ecclesiasticis titulo decimæ vel cujusvis subsidij impositum fuisset, etiamsi ipsi assensum præstitissent, absque ejusdem Sedis speciali mandato decrevit non solvendum. Mandans nihilominùs prædicta privilegia & gratias sibi exhiberi Calendis Novembris anni consequentis, ad quas Synodum Gallis indixerat, ut iis consideratis providere posset utrũ hęc suspensio foret in aliquo moderanda.

[n] d. cod. MM 7. fol. 46.

SVSPENSIO GRATIARVM REGIBVS FACTARVM.

X.

Biduóque pòst, hoc est Nonis Decembris, gravem Epistolam ad Regem scripsit, quæ reperitur alio codice [o] ejusdem Bibliothecæ, incipitq; *Ausculta fili charissime præcepta patris.* quâ dicens se constitutum à Deo super Reges & Regna ad evellendum, destruendum, ædificandum, atque plantandum sub ejus nomine, & ut gregem pascens Dominicum consolidet infirma, sanet ægrota, vinúmque infundat & oleum vulneribus sauciatis; hortatur Regem ne sibi persuaderi sinat se superiorem non habere, nec subesse sũmę hierarchiæ Ecclesię. Desipere enim qui sic sapit, & pertinaciter hoc affirmantem convinci infidelem, nec esse intra boni pastoris ovile. Nõ posse autem se præterire silentio quin ea per quæ Deum Rex offenderet, exprimat, cùm videlicèt Ecclesias & ecclesiasticos regni sui opprimeret, nobilitatẽ & universitates ac populum gravaret. Se erga illum hactenùs servâsse ordinẽ charitatis, interdum scilicèt per se ipsum dum in minori statu esset, ac postquàm ad apicem Apostolicæ dignitatis provectus fuisset per multiplicatas literas & nuncios monẽdo ut errata corrigeret; sed eum neglexisse. Quinimmò licèt explorati juris existimat, in Ecclesiasticis dignitatibus & beneficiis vacantibus Romanum Pontificem summam & potiorem obtinere potestatẽ, nec eorum collationem posse quomodolibèt ad ipsum Regem pertinere sine auctoritate & cõsensu Sedis Apostolicæ; nihilominùs Regem collationes à Sede Apostolicâ canonicè factas executioni mandari non sustinere; sed impugnare. In propriis causis jus sibi Regem dicere, & contemnere de iis coram ipso Pontifice conqueri, quantumcumque ageretur de juribus ac personis Ecclesiasticis: easdémque uti liberè spirituali gladio qui eis competit non permittere. Lugdunensem Ecclesiam tam nobilem in Sedis Apostolicæ pectore constitutã quæ in spiritualibus & temporalibus anteà reflorebat, ipsius Regis & suorum injuriis & oppressionibus ad tantam redactam esse angustiã ut vix resurgere posset; quam constaret non esse intra limites regni ejus, se namque, qui aliquando canonicus in eâ ecclesiâ fuisset, ejus libertatum privilegiorum & jurium notitiam plenam habere. Ecclesiarum cathedraliũ proventus, quos appellabant regalia per abusum immoderatè assumere: sícque fieri ut quarum custodia fuisset ab initio Regibus pro conservatione permissa, nunc ad consumptionis noxam devenirent. Mutatione quoque monetæ, aliísque gravaminibus regno suo vehementer incommodâsse. Qualitérque in his & aliis libertas & immunitas ecclesiastica ipsius Regis temporibus enervatæ essent, & qualiter idem à sacris & piis ac maturis progenitorum suorum vestigiis, quæ per universa mundi climata emittebant lucidissimos radios claritatum, degenerâsse nosceretur, nedum in regno ipso sed in diversis mundi partibus innotescere. Unde quamvis in ipsum, salubria sua monita audire detrectantem, pharetram & arcum non injustè sumere potuisset; adhuc nihilominùs se hoc ei præsignificare decrevisse, ut saniori ductus consilio à facie arcûs inflexibilis sententiæ potiùs effugeret, quàm expectaret debitæ judicium ultionis. Ne verò Regis & tam amœni regni claritas malis actibus denigraretur, deliberatione cum fratribus suis Cardinalibus habitâ, Archiepiscopos, & Episc. ac præcipuos Abbates & Capitula Ecclesiarum cathedralium regni, necnon Magistros in Theologiâ & in Iure canonico ac civili, ac nonnullas alias personas ecclesiasticas de regno Franciæ per alias patentes suas literas ad suam præsentiam evocare in Cal. Novembr. proximas; quatenùs super præmissis & aliis eos consuleret, & cum ijsdem sicut cum personis apud Regem suspicione carentibus, ac diligentibus prosperum statum regni, salubriùs res ordinare valeret, ad Regis directionem ac salutem, & felix regimen regni. Quibus & ipse Rex per se ipsum, vel fideles ac providos viros diligenter instructos, posset interesse: alioquin eorum absentiam divinâ replente præsentiâ, se prout superna ministrata esset gratia processurum. Ad hæc ne Terræ Sanctę negotiũ se oblivioni dedisse Rex existimaret, recolere ipsum debere quomodò progenitores sui

[o] Cæn. P. 13. fol. 25.

EPISTOLA PONTIF. MONITORIA AD REGEM.

Christianissimi Principes exposuissent olim personas & bona in subsidium ejus: sed Saracenorum invalescente perfidiâ, & Christianorum, ac maximè ipsius Regis & aliorum Regum ac Principum devotione solitâ tepescente, Terram illam ipsius Regis temporibus deperditam esse. Enses & gladios evaginari in domesticos fidei, & in effusionem sanguinis Christiani, & Terram illam fœdari actibus malignorum, magnâ Regis aliorúmque Principum Christianorum ignominiâ. Tartaros paganos & alios Infideles eidem Terræ succurrere, & non subvenire Christi pretioso sanguine redemptos. Hæc, & alia ejusmodi plura Bonifacius ad Philippum.

XI. CULPA IN HIS PETRI FLOTÆ.

Quæ ut amariora in multis videri possint, longè tamen deteriùs accidit, sicut (ex responsionibus ejusdem Pontificis & Cardinalis Portuensis facti anno sequenti legatis Cleri Gallicani, intelligitur (ut *Petrus Flota*, quem à Rege ad Pontificem missum diximus, maligno animo & ad dissensiones augendas solùm intento ad Regem revertens, prædictam illam prolixam Epistolam sibi à Bonifacio communicatam Regem celans, summarium ejus ita composuerit, ut ea tantùm quæ Regi injuriosa videri poterant exprimens, ac sequiori sensu interpretans, de suóque acerbiora immiscens; sic Regi proposuerit, ac si verè ita à Pontifice, nihilque aliud scriptum fuisset. Agetur de iis pleniùs anno sequenti. Interim tamen tam ex prædictis, quàm ex tunc dicendis omninò asserimus, Epistolia illa breviora quæ à multis recensentur, contumeliosiùs & iracundiùs invicem scripta; quæque pleriq; rerum seriem ignorantes, vel fortè memoriæ & pudori tantorum Principum parcere studentes falsa & conficta dixerunt; verè ut se habent missa fuisse. Quare & quòd habeamus quo utcumque utrumq; excusemus, & criminis præcipuam culpã in alios derivemus; satius duximus eadem hîc inserere, quàm ea prætermittendo tantos Principes tantæ criminationis injuriæ perpetuò obnoxios relinquere. Quod igitur nomine Bonifacij à Flotâ Regi oblatum fuit, datum Laterani Nonis Decembris anno Pontificatûs septimo, (nempè eodem ipso die quo scripta ponitur epistola illa prolixior; ut non dubites hanc breviorem venenosam ejus loco suppositam fuisse;) sic se habet in prædicto antiquo manuscripto Victorino [p] *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei Philippo Francorum Regi. Deum time & mandata ejus observa. Scire te volumus, quòd in spiritualibus & temporalibus nobis subes. Beneficiorum & præbendarum ad te collatio nulla spectat. Et si aliquorum vacantium custodiam habeas, usumfructum eorum successoribus reserves. Et si qua contulisti, collationem hujusmodi irritam decrevimus, & quatenùs de facto processerint revocamus. Aliud autem credentes, hæreticos* (sive ut nonnulli [q] qui exscripserunt, legunt *fatuos*) *reputamus. Dat. Later. Non. Decemb. Pontificatûs nostri anno septimo.* Hæc ex parte Bonifacij ad Regem; quæ qui decurtata esse non viderit, planè cæcum esse oportet. Quis enim unquam ita strictè scripserit? vel ipsis Laconibus tanta breviloquentia suspecta fuisset. De responsione Regis, & interpretatione Pontificis, dicetur anno sequenti, ad quem illæ pertinent.

EPISTOLIUM VENENOSUM A FLOTA CONFICTUM.

[p] Cod. Vict. MM. 7. fol. 53.

[q] Nicol. Gill. in Annal. &c.

XII.

Interim quod vidimus in literis illis prolixioribus, Pontificem per alias literas patentes Prælatos & Doctores Galliæ ad Calendas Novembris anni proximi Romam evocâsse: extant illæ in supradicto codice Victorino [r] datæ Laterani ijsdem Nonis Decembris anni septimi. Quibus quidem universis Archiepiscopis & Episcopis, Electis, & Capitulis Ecclesiarum cathedralium regni Franciæ, necnon Doctoribus in Theologiâ & Magistris in Iure canonico & civili de regno natis mandat, quòd cùm ex multis fide dignis audierit de excessibus, injuriis atque damnis quæ Prælatis & ecclesiis ac personis ecclesiasticis regularibus & secularibus per Regem & officiales ejus multipliciter inferûtur, atque etiam nobilitati, Universitatibus & populo; ijdem omnes tertio Calendas Novembris ad suam præsentiam se sistant instructi super præmissis & aliis ejusmodi: Archiepiscopi quidem, Episcopi, Electi, Doctores & Magistri personaliter, Capitula verò per procuratores idoneos: cum quibus omnibus tractare, & statuere possit quæ ad honorem Dei & Apostolicæ Sedis augmentum Catholicæ Fidei conservationem Ecclesiasticæ libertatis, reformationem Regis & Regni, videbuntur expedire. Alioquin eorum absentiam divinâ replente præsentiâ, se processurum prout sibi monstratum fuerit à Domino, & expedire viderit. Ita Bonifacius. Cujus nihilominùs est alia brevis epistola ad eosdem Archiepiscopos, Episcopos, Electos & Cisterciensem, Præmonstratensem, S. Dionysij & Majoris monasterij Abbates, data ijsdem Nonis: quâ Doctores illos in Theologiâ & Magistros in Iure canonico & civili, à supradictâ comparitione excusatos haberi vult, qui coram suis Ordinariis se duxerint excusandos legitimè. Impedimenta verò legitima Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Abbatum, probari debere coram illis quos ad hoc Pontifex deduxerit deputandos. Quid verò ad prædicta responsum à Rege & Prælatis fuerit dicetur anno sequenti.

[r] Cod. MM. 7. fol. 66.

VOCANTUR PRÆLATI ET DOCTORES ROMAM.

EXCUSANTUR MULTI.

XIII.

Intereà solerter Hispani dissidia ista in rem suam vertentes, solicitato Bonifacij animo, quem alienum à Gallis esse videbant, missis Romam legatis pro impetrandâ propinquitatis venia, quæ tum inter Sanctium Castellæ Regem & Mariam ejus conjugem olim intercesserat [s] cuíque moram Rex Francorum in favorem Cerdarum hactenùs attulerat; tû erat etiamnum inter prædicti Sanctij & Dionysij Lusitaniæ Regis liberos; quorum geminâ affinitate fœdus ita quærebatur, ut Ferdinando Sanctij filio Constantia Dionysij filia, Alfonso Constantiæ fratri Beatrix Ferdinandi soror connubio jungeretur: omnia facilè impetrârunt: tametsi quoad Sanctij & Mariæ incestum matrimonium, plerique Romani Pontificis in his auctoritatem imminuere quærentes negarent illud mortuo jam Sanctio coalescere posse, cujus jure irriti eo vivo comprobatio à Sede Apostolicâ denegata fuisset: Illud nihilominùs Bonifacius confirmans [t] liberos inde susceptos titulo legitimorum donavit, atque ad omnes gradus & actus legitimos admitti posse indulsit. Ipsúmque Ferdinandum [u] Regem ex eodem connubio ortum paternè ad-

[s] Supr. an. 1282. XIII.

BONIF. PP. INCESTUM MATRIM. REGIS CASTEL. RATUM FACIT POST EIUS OBITUM.

[t] Ep. 8. Anagn. 8. Cal. Sept. an. 7.

[u] Ep. 81. & 84.

monuit

monuit regnum piè & tranquillè administrare, Ecclesiam venerari, abusus contra Ecclesiasticam libertatem tollere, Prælatis honorem debitum impendere, populos leniter regere, patrueles suos Alfonsum & Ferdinandum Cerdas sibi reconciliare.

XIV. GENEROSUM FACINUS MULIERUM GENUENS.

Memorabile est, quod hoc eodem anno nonnullæ mulieres nobiles Genuenses ardore fidei ad subsidium Terræ Sanctę accensæ; dum Reges & Principes, aliíque dynastæ ad arma dicti ei succurrere detrectarent, virilem animum induentes, non solùm suorum largitione bonorum suppetias ferre decreverunt, verùm etiam ipsæmet cum nonnullis suis concivibus transfretare ad exhibenda obsequia bellatoribus Christi. Quarum laudabilem conatum Bonifacius [x] Pontifex dignis præconiis commendavit, tam ad ipsasmet scribens, quàm ad Porchettum Spinolam Ordinis Fratrum Minorum Archiepiscopum Genuensem, & alios nec tamen hoc scivissent Genuenses per suos historicos, quos res latuit, nisi diligens Annalium Minorum [y] scriptor rem aperuisset ex Regesto Vaticano.

[x] Ep. 57. & seqq. an. 7.

[y] Vvadding. to. 3. hoc an.

XV. NOVÆ DISSENSIONES DE REGNO HUNGARIÆ.

In Hungariâ defuncto tertio Calendas Iunij Andrea Rege, postquàm annos ferè undecim regnum tenuisset; defunctóque; eodem fermè tempore Carolo Martello, Regibus competitoribus; aucta sunt dissidia inter proceres, dum pars Carolum à Pontifice designatum [z] suscipere, pars indignè ferens Hungaros eligendi potestate per Pontificem privari, Wenceslao Regi Boëmiæ regnum deferre decrevit; contendentibus bis, illud ad Wenceslaum etiam absque electione jure pertinere, ex eo quòd Othocarus ipsius pater eum genuisset ex nepte Belæ IV. Hungariæ Regis conjuge suâ. Eo verò nihilominùs regnum adire recusante, filium ejus cognominem tredecim dumtaxat annorum puerum sibi in Regem concedi impetrârunt, ac per Archiepiscopum Colocensem coronari fecerunt *Ladislai* nomine imposito. Quibus rebus offensus Bonifacius Pontifex, tum quod regno Hungariæ fiduciario Sedis Apostolicæ existente, nullus inconsulto Romano Pontifice illud usurpare posset; tum quòd Caroberto jus propinquitatis magis quàm Wencesłao aut Ladislao competeret; tum denique quòd non ad Colocensem, sed ad Strigoniensem Archiepiscopum potestas renunciandi & inaugurandi Regem pertineret: Vvenceslaum patrem literis [a] monuit ut ea quæ in præjudicium Sedis Apostolicæ in his facta fuissent corrigeret; filium ex Hungariâ revocaret; ac Nicolao Bocasino Cardinali Ostiensi Ordinis Prædicatorum Legato misso ut Hungaros ad obedientiam Caroli induceret, opem ferret: siquid tamen juris eo in regno se habere existimaret, id totum ad subsellia Sedis Apostolicæ deferret, sententiam inde expectaturus.

[z] Supr. an. 1299. VI.

[a] Ep. 77. Late. 16. Cal. Nov. & ep. 88. Id. Nov. an. 7.

XVI. GRANDIS AUDACIA QUORUMDAM PRESBYTERORUM HUNGAR.

Quæ tantum abest ut audita fuerint, ut contrà cùm Legatus diligentissimè conatus Antistitum ac procerum dissidentes animos ad obsequium revocare, operam se habere perspiciens Budensibus templis & sacris omnibus auctoritate Pontificiâ interdixisset; plerique insurgentes Pseudopresbyteri, ut Pontifici vicem redderent, execrabili audaciâ ipsummet Summum Pontificem cum Hungariæ Antistitibus & ecclesiasticis qui ei obtemperarent, non modò sacris, verum etiam aquâ & igni publico edicto interdixerint. In quos posteà severè, ut decuit, animadversum est. Cùm autem etiam post hæc re in consessu Cardinalium, citatis auditísque partibus, maturè discussa, causa *Carolo* contra Ladislaum adjudicata [b] fuit; jussíque proceres Hungari rejecto Ladislao Carolum agnoscere; plerique Ladislaum, seu ob Pontificiam auctoritatem, seu ob ejus dissolutionem tenerâ ætate vivendi modum, desererent; timens filio Vvenceslaus, eum in Boëmiam revocavit. Nec tamen propterea quietum Carolus regnum obtinere potuit; quoniam qui ei infesti erant, in suâ pertinaciâ perseverantes Othonem Inferioris Bavariæ Ducem in Hungariam vocatum Regem coronârunt anno Domini millesimo trecentesimo quinto. Donec eodem inviso plerisque reddito, & dum regnum peragraret ut se Regem conspicuum ostentaret, à Ladislao Transsilvaniæ Vaïvodâ (sic Præfectum vocant) capto & in vincula conjecto, regnóque renunciare coacto; demùm missus à Clemente Papâ V. Cardinalis Gentilis Carolum perpetuò stabilivit, ut dicetur suo loco. Quæ autem hactenùs de his dicta sunt, pluribus tractantur ab auctoribus [d] earum gentium: meminerúntque alij plurimi.

[b] Ep. 33. & seqq. Anagn. an. 9.

[c] Infrà an. 1308. IV.

[d] Thurosc. cap. 83. & seqq. Ranza. Indic. 17. Bonfin. 2. dec. 9. Dubrav. Hist. Boëm. lib. 18.

XVII. CONCIL. REMENS.

Hoc eodem anno [e] mense Novembri coactâ apud *Compendium Synodo* provinciali per Archiepiscopum Remensem Robertum de Courtenai, excommunicati sunt Abbates quicumque conspiraverant in suos Episcopos: Fulminati Magistratus qui non patiebantur ut laïci in foro Ecclesiastico convenirentur: decretúmque ut ubicumque à Iudice temporali caperetur clericus, à divinis cessaretur Officiis.

[e] Meyer. Annal. Flandr. lib. 1.

XVIII. ATHANASIUS RESTITUITUR SEDI CONSTANTINOP.

Constantinopoli Ioannes [f] Patriarcha, cùm ob inscitiam & simplicitatem se contemptui omnibus esse cerneret, nec ab Imperatore qui eum promoverat protegeretur; abdicans se dignitate, in patriam Sozopolim se recepit; ibique ævi reliquum tranquillè exegit. Quâ occasione usus *Athanasius*, qui ante eum sedem renuerat, Imperatori nunciavit prævidere se numinis indignationem impendere, ac proinde hortari ut tribus continuis noctibus precibus & supplicationibus vacaret. Cùm autem postridie contigisset terræ motus, persuasum habens Imperator eam esse prædictam ab Athanasio numinis indignationem; eumdem rursùs in thronum evexit, contradicentibus licèt cunctis Prælatis, clericis, & magistratibus ob ejus severitatem; & quæ prædixerat, vel maligni spiritûs inspirationi, vel mathematicis disciplinis tribuentibus. Quæ ut contigerint, pluribus narrant Gregoras [g] & Pachymerius.

[f] Vid. supr. an. 1294. IV.

[g] Greg. lib. 7. in fi. & 8. in pr. Pachym. li. 10.

XIX. NICEPHORI CALLISTI ÆTAS.

Quo eodem tempore vixit ibidem Constantinopoli *Nicephorus Callistus* historicus Græcus celebrioris nominis quàm pro merito; quippe qui in rebus historicis sæpè hallucinatus reperiatur; præter communes ceteris Schismati Græcorum addictis errores fidei. Dedicavit autem Historiam suam valdè prolixo prologo Andronico Seniori tunc Constantinopoli imperanti.

Iesv Christi Annus 1302.
Bonif. VIII. Ann. 8.
Alberti Ann. 4.
Andronici Annus 20.

I. [a] *Lucens. in Annal. Villan. lib. 8. cap. 53.* Ignis svlphvr. ex Ischia. [b] *Summont. lib. 3.*

Anno Christi millesimo trecentesimo secundo, Indictione decimaquintâ, mense Februario,[a] parva quædam insula Iscla sive Ischia vulgò nuncupata, distans ab urbe Neapoli octodecim milliariis, (Inarimen, & Pythecusam olim dictâ volunt) evomuit ignem sulphureum tantâ copiâ, ut magnâ ejus parte homines & jumenta, arbores ac villas consumpserit, mare pumicibus repleverit, cineres ad ducenta milliaria diffuderit. Dicuntur[b] hactenùs superesse horrenda hujus vomitûs vestigia. Nec tamen id in eâ novum; siquidem scribit Strabo, Eretenses & Chalcidicos qui eam antiquitùs incolebant, coactos fuisse eam deserere ob continuos terræmotus & ignis eruptiones. Ceterùm cùm prædictæ desolationis occasione incolæ recusarent decimas pendere Episcopo, præcepit Carolus Rex ministris suis ut ad eas de more persolvendas omninò eos cogerent.

II. Carolvs Valesivs invadit Siciliam. [c] *Villan. lib. 8. cap. 49.*

Eodem anno, menséq; Aprili[c] Carolus Valesius Regis Francorum frater, post res quas diximus anno superiori Florentiæ gestas Neapolim accedens; inventâ ibi numerosâ classe quam interim Rex Carolus paraverat, unà cum Roberto Regis filio, Rogerio Lauria præfecto maris, ac permultis proceribus Francis & Italis, potentíque exercitu, in Siciliam transmisit, & aliquot oppida cepit; Friderico nequaquàm auso cum eo congredi, vel aperto marte sese ei opponere; sed cautè subducendo se, aut insidiando, ac commeatum impediendo, exercitum ejus defatigante. Unde, & quòd dira pestis è corrupto aëre Francorum equos universúmque exercitum invasisset, consideraretq; Valesius propter agnationis jura bellum haud alium quàm miserandum eventum sortiri posse, sibíque tempus ad repetendum Constantinopolitanum Imperium instare: pacem inter eos his conditionibus firmavit;

Pacem conficit inter contendentes.

Vt Fridericus Eleonoram Caroli Regis filiam uxorem duceret: Philippus Princeps Tarentinus ejusdem Caroli filius libertati redderetur; Continentis Italiæ oppida quæ in potestate Friderici essent & quæ in insulâ Siciliæ Carolus possideret, utrimque restituerentur; Siciliam Fridericus & adjacentes insulas dotis profectitiæ nomine retineret, donec Sardiniam aut quodvis aliud regnum Pontificis permissu opéque accepisset; póstque ejus obitum omninò ad Carolum ejusque heredes perveniret, numeratis Friderici heredibus centum millibus unciarum auri: interímque Fridericus non Siciliæ, sed Trinacriæ (antiquo Siciliæ nomine) Rex appellaretur. Quæ sic pacta, firmatáque pridie Calendas Septembris, his rursùm cōditionibus rata Bonifacius Papa anno sequenti mése Maij habuit,[d] ut Fridericus quindecim millium florenorum tributum in singulos annos Ecclesiæ Romanæ conferret; juramentum fidelitatis pro rebus temporalibus ac sæcularibus Summo Pontifici præstaret; liberámq; & plenariam in spirituales & ecclesiasticas potestatem ei relinqueret, contra infaustam Monarchiam[e] Siculam, quam sic Fridericus destructam voluit. Hisque sacramento coram Gerardo Cardinale Legato confirmatis, fœderis conditiones utrimque pro tempore adimpletæ sunt; & longo postliminio pax Siciliæ, sacráque quibus Siculi per interdictum arcebantur restituta fuêre. Narrant porrò ista ex antiquioribus Ptolomæus,[f] Continuator Guillelmi de Nangiaco, Villanius, Aretinus; Antoninus; & ex recentioribus Æmilius,[ff] Fazellus, Surita, Mariana, & alij. E quibus tamen Florentini nonnihil in Valesium commoti ob turbas suæ civitatis, probro dant Valesio, quòd nullo edito tantarum molitionum operæpretio, fœdam pacem in Siciliâ sanxerit. Quæ sanè si parùm honesta ei fuit, valdè universæ Italiæ, ac præsertim Siciliæ, necnon, & Sedi Apostolicæ commoda extitit, ipsíque Bonifacio Pontifici acceptissima: quamtumvis & inventus[g] sit Matthæus Russus sive Rubeus Ursinus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, qui ejusmodi pactioni in Collegio Cardinalium propositæ & confirmatæ repugnaverit. Ceterùm cùm in eo esset Valesius ut classem & arma in Græciam pararet, revocatus in Galliam à Philippo fratre, eò confestim mense Novembri revertit cum copiis quas reliquas habebat.

[d] *Later. 8. Id. Dec. an. 8. & ep. 20. Anag. 12. Cal. Iun. an. 9. Collect. Card. Aragon. Surit. Indic. lib. 2.*

[e] *Vid. Epit. Baron. an. 1097. XXIX.*

[f] *Ptol. Luc. in Annal. Vill. d. c. 49. Aret. lib. 4. Ant. tit. 20. cap. 8. §. 16.* [ff] *Æmil. lib. 8. Faz. 2. dec. 9. cap. 3. Sur. Ind. lib. 2. Mar. lib. 15. cap. 5.* [g] *Sur. an. 1303.*

III. Clades Cvrtracensis Gallorvm.

Ingentem enim inter hæc Philippus, ac planè funestam, apud Curtracum Flandriæ oppidum acceperat cladem à Flandris; tantò acerbiorem quantò à vilissimâ plebe, belli inexpertâ, ac penè inermi, generosissimæ ac pugnacissimæ totius Orbis nobilitati latam: quæ sic se habuit. Cùm (ut vidimus) universam Flandriam idem Rex occupâsset, ministris ejus populos præter solitum vexantibus, Brugensium minuti opifices tam contra eos, quàm contra suos ipsorum majores cives, cum quibus controversia eis erat super pretiis laborum & operarum, insurgentes; multos eorum cùm eâ urbe, tum aliis proximis ad idem facinus solicitatis interemerunt, ac pœnæ timore apertè rebellârunt; accitis sibi ducibus Guidone filio Guidonis Senioris Comitis Flandriæ quem Rex in custodiâ detinebat, & Guillelmo Iuliacensi ejusdem ex filiâ nepote clerico, fratréque alterius Guillelmi, qui à Francis prælio Furnensi captus ex vulneribus in carcere decesserat. His à Rege auditis, florentissimum exercitum 7500. equitum, peditúmque quadraginta millium, in Flandriam misit duce Roberto Comite Atrebatensi è regio sanguine rei bellicæ experientissimo, ac multis victoriis intra & extra regnum clarissimo, & in Flandros inexpiabili odio furente; cujus sæpè facta est superiùs mentio. Comitabantur eum Rodulphus Nella Connestabilis, multarum & ipse palmarum imperator; Guido ejus frater Marescallus, Ioannes Comes Tancarvillæ magnus Cubicularius, Guido Comes S. Pauli ejúsque frater Iacobus avunculi Reginæ, Ludovicus Comes Claromontanus è regiâ stirpe, Fridericus filius Ducis Lotharingiæ, Gothofredus frater Ducis Brabantiæ cum filio, Robertus

Comes

h Io. à Leid. Chron. Belg. lib. 26. c. 8. Meyer. lib. 10.

Comes Bononiensis, aliíque nonnulli Duces & Comites, plurimíque proceres. Fingunt tiam scriptores Belgici, [h] mirificè sibi in hujus cladis descriptione complacentes, quasdam fabulas nescio cujus gigantis, & Reges Majoricæ & Melyden, aliósque Principes Utopiæ, quò cladem augeant: quam sanè nemo sanus virtuti hostium aut ignaviæ Francorum tribuerit; sed ut plerique omnes consentiunt, justo Dei judicio peccata eorum vindicanti, eorumdémque familiari superbiæ, ac præfidenti temeritati & inconsiderantiæ in pugnâ ineundâ. Quam & prænunciatam fuisse à Cometâ [i] viso mense Septembri anni præcedentis, inflammationis suæ radios sive caudam præcipuè versus partes Orientis emittente, putavit Continuator Nangij.

i An. super. in pr.

IV.
COPIÆ FLANDRORUM

Erant in castris Flandrorum viginti tantùm peditum millia, equites paucissimi: quare arte rem agendam censentes, consedêre loco admodùm idoneo prope Curtracum ad Lisam amnem. Fossa enim per patentes campos ad similitudinem novæ lunæ perducta finitimorum agrorum aquas excipiebat: quæ quia penè marginibus carebat, non priùs deprehendebatur quàm ad eam perveniretur, alta nihilominùs latáque. Ad eam Francis ignotam, Flandri lunatum collocantes exercitum, hostes alacriter expectârunt. (Plures ejusmodi fuisse ibi cæcas fossas, quidam scribũt: quidam etiam fuisse illas à Flandris de industriâ factas, viridíque cespite ac multâ fronde contectas ad Francos intercipiendos. Cúmque eo statu sacratissimam Hostiam sacerdos quidam in sacrâ veste illis, quò magis corroboraret, ostendisset; eam cùm sumere non possent, singuli tantillum [ii] terræ venerabundi in os misêre.

TERRÆ SUMPTIO PRO EUCHARISTIA.
ii Vide etiam infr. an. 1415. LXII

V.

Post hæc cùm nonnulli è ducibus Franci, ac præcipuè Connestabilis, eos in multam diem vexandos à tergo per pedites prudentes censerent, neque priùs ab equitibus impeti quàm pugnando languere cœpissent: improbato hoc consilio ab Atrebatensi, quinimmò & Connestabili affectu erga Flandros improperato, incõsideratissimè, nec quidem campo hostium explorato, equites in eos immisit: qui in fossam alij super alios cadentes, & qui se quebantur cùm propter pulverem & immensos clamores quid prioribus accidisset ignorarent, pariter in eamdem fossam cùm alios impellentes, tum ipsi impingentes, à Flãdris fuêre facilè confossi: fossâque cadaverum acervis plenâ, per eam Flandri transeuntes, Francósque reliquos adeò densatos ut arma expedire non possent circumvenientes, tantam eorum stragem ediderunt, ut cùm captivum neminem vellent, pauci eripere ex eorum manibus fugâ potuerint. Cecidére namque equitum sex ampliùs millia, pedites innumeri; Ducésque, Comites, ac proceres ad unum cæsi: exceptis Claromontano, & S. Pauli, ac Bononiæ Comitibus; quibus probro versum est à nonnullis, quòd nondum desperatâ victoriâ prælio excessissent. Rem sic gestam pleniùs describit Villanius; [k] qui eodem anno locum visitavit, & quæ certò cognovit, eâdem pari sinceritate memoriæ mandavit. Ex quo transcripsit posteà Antoninus, [l] Italicum in Latinum vertens: ac recentiùs & elegantiùs Massonus. [m] Narrant tamen paulò diversè alij: sed in parvo sit modus, cùm de clade omnes consentiant. De die tamen quâ contigit Valdè dissentiunt. Siquidem ipse Villanius ponit vigesimo primo Martij, festo sancti Benedicti: Chronica manuscripta quæ vidimus, necnon Westmonasteriensis disertè quinto Idus Iulij; ceterique plurimi eodem mense Iulij. Unde omninò existimaverim, deceptum fuisse Villanium, cùm audiens pugnam factam esse die sancti Benedicti, existimavit intelligi diem obitûs, qui celebratur vigesimo primo Martij; cùm accipi deberet de die Translationis, solemni apud Francos & Flandros, qui contigit quinto Idus Iulij. Nam & pulvis quem ait incommodâsse Francis, non mensem Martij locis humidioribus sed Iulij denotat. Quod miramur non advertisse Massonum, cùm Villanium secutus est. Irrepsit verò pariter error apud alios quosdam, qui undecimâ Augusti posuerunt pro Iulij. Ceterùm post cladem universa fermè Flandria à Francis deficiens, ad suos pristinos dominos rediit.

MODUS PRÆLII, ET CLADIS.

k Vill. lib. 8. cap. 54. & 55.
l Ant. tit. 20. cap. 8. §. 17. & seqq.
m Masson. in Phil. Pulchr.

VI.
DIVINA VINDICTA IN ATREBATENSEM, ET FLOTAM.

Et hæc putantur (ut diximus) accidisse justo Dei judicio, tam in pœnam inconsideratissimæ invasionis hostium, quàm præcipitis Atrebatensis audaciæ, quâ diploma Pontificium licèt aculeatum in ignem projicere non dubitaverat: (ac proinde etiam meruit, ut præter mortem magnâ sua temeritate obitam, etiam in ejus corpus inanime immani feritate sævitum fuerit à Flandris, qui eum summo odio prosequebantur:) necnon & fraudulentes malitiæ Petri Flotæ, quem adeò turpiter literas Pontificias falsâsse vidimus; (quem & hoc eodem prælio occisum reperimus: [n] unde, & ex aliis plurimis, arguas recentiores quosdam auctores, qui eum Cancellarium Franciæ fuisse scripserunt, nemo enim omninò ex antiquis id dixit: certúmque est, non fuisse quando missus est ad Pontificem: nec si factus fuisset quando rediit, iturum continuò putamus ab bellum, repugnant hæc enim penitùs amplissimæ & togatæ dignitati Cancellariatûs apud Gallos. Filium tamen ejus fuisse volunt Guillelmum Flotte, eâ conspicuum sub Philippo Valesio Rege, cujus nomine adstitisse reperitur cessioni Delphinatûs, de quâ dicetur anno 1343.(ac denique ob facilem nimis ipsius Regis in Bonifacium, ad Columnensium aliorúmque hostium ipsius calumnias commotionem. Qui sanè etsi aliquo verborum impetu fines suæ potestatis excessisset, satius tamen videbatur lenibus responsis ejus iram emollire, quàm contumeliosis vehementiùs irritare; in memoriam revocando præclaram illam Caroli Magni Francorum Regis & Romanorum Imperatoris potentissimi sententiam, [o] *Servandam esse cum mansuetudine humilitatem, ut licèt vix ferendum à Sancta Romana & Apostolica Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus, &c.*

n In Chron. dicto Memor. Histor.

o Dist. 19. c. 3. & in Concil. Tibur. c. 30.

VII.
CALUMNIÆ IN BONIFACIUM DE DOMINIO TEMPORALI REGNORUM.

Quod enim plerique auctores asserunt, contendisse Pontificem regnum Francorum, uti alia omnia regna ditionésque Principũ Christianorum, potestati Romanæ Ecclesiæ ejusque Pontificis etiam in temporalibus subjici, in animo habuisse nõ putandus sit, sententiam

p Matth. 22. V. d. infr. X.

Domini [p] convellere, quâ dixit reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Et quod aliqui recentiores referunt, eum tempore Iubilei semel vestibus Pontificalibus indutum benedictionem populis impertiisse; posteráque die Imperiali habitu insignem gladium ante se nudatum jussisse deferri: cùm nullus antiquorum id meminerit, quinimmò & quòd numquam vel istud, vel id de subjectione regnorum objectum ei reperiatur in tot accusationibus & criminationibus à Nogareto & Plessiano in eum quæsitis, de quibus dicetur inferiùs; cuncta illa putidas esse calumnias meritò dixerimus, ab hæreticis & histrionibus aliquibus adinventas. Ortas forsitan & inde, quòd is omnium Pontificum primus tiarâ duplicis coronamenti usus dicatur, cùm anteriores unâ tantùm contenti fuissent: Urbanus [q] autem Quintus triplicem posteà usurpaverit: ut nos docuit elegantissimæ literaturæ amicus olim noster Nicolaus Alemannus Dissertatione de Lateranensibus [r] parietinis. Cùm & insuper quod speciatim regnum Francorum attinet, reperiatur [s] idem ipse Pontifex sexto Calendas Iulij præsentis anni, Ecclesiastico ordini ejusdem regni testatum voluisse, se his quæ Philippo Regi suo nomine renunciata, aut Apostolicis literis proposita promulgatáve fuissent, nihil decreto suo sanxisse, quod juri, libertati, aut honori regio ditionúmve ejus derogaret; ac se velle uti jura, libertas, & honos Regi ac Franciæ Regno incolumia ac salva, & minimè læsa permanerent. Quo quis aliquid expressius requirat; Sed affectis tam gravi ulcere animis hæc medicamenta incassùm adhibita fuère; malevolis nihil non suis criminationibus agentibus, ut Regis animum à Pontifice abalienatum tenerent.

q Vid. infr. an. 1370. V. in fi.
r Later. pariet. cap. 13.
s Surit. Indic. lib. 2. hoc an.

VIII. RESPONSIO PRÆLATORUM REGNI AD PONTIFICEM.

Quæ ut distinctiùs paulóque uberiùs exponamus; postquàm in Galliam delatæ fuère per Archidiaconum Narbonensem Nuncium Apostolicum literæ Bonifacij ad Regem & Prælatos scriptæ, de quibus anno superiori; unà cum ficto epistolio Petri Flotæ: Prælati quidem Regis jussu in unum congregati Parisiis decimâ die mensis Aprilis, unà cum Baronibus regni; illis diligenter & ad omnem rigorem examinatis, legationem trium Episcoporum ad Pontificem decreverunt, cùm literis, [ss] quibus & se valdè mirari testarentur de inauditâ catenùs propositione subjectionis regni Franciæ; & Regem ab objectis criminibus vindicantes, excusarent se Romam accedere prohiberi, ne regnum tot simul columinibus in tantâ quassatione destitueretur. Amariúsq; longè Barones [t] linguâ patriâ, tam ad eumdem Pontificem, quàm ad Cardinales. Rex autem commotior, irritatiori spiritu & aculeatiori stylo contra falsum epistolium, quod verum credebat, in hæc verba prorupit *Philippus Dei gratia Francorum Rex Bonifacio gerenti se pro Summo Pontifice*, &c. Supersedeo reliqua referre quæ contra reverentiam Vicario Christi debitam habentur, fortè hæc nomine regio cóque inscio, aut non advertente, ab eodem Bonifacianæ epistolæ falsario Flotâ, aut alio paris malignitatis calumniatore fabricata fuerint: quandoquidem disertè scribit Continuator Nangij monachus S. Dionysij tunc vivens, & quæ gerebantur videns, Regem destinâsse ad eumdem Pontificem Petrum Episcopum Antisiodorensem, rogatum ut suî amore supersederet negotio pro quo Episcopos vocaverat usque ad tempus magis opportunum. Cùm nihilominùs prædictum Regis nomine scriptum Epistolium iisdem verbis Pontifici redditum fuisse, ex mox dicendis nulla remaneat dubitatio.

ss Ext. in Col. Vatic. 4177. unde Bzov. exscripsit to. 14 hoc an. Extantque insuper in Act. impress. rer. int. Bonif. & Philipp. gestar.
t Ext. lit. in eod. Vict. MM 7. fol. 86. & in præd. Act.

RESPONSIO REGIS.

IX.

u d. cod. Victor. MM. 7. fol. 82.
x Ierem. 1.

ORATIO CARDINALIS PORT. AD LEGATOS GALLORUM.

Extant [u] enim responsiones & monitiones Cardinalis Portuensis (erat is Fr. Ioannes Minius de Murro Ordinis Minorũ, de quo aliàs suprà) corã Pontifice; ipsiúsquemet Pontificis subinde factæ supradictis tribus Episcopis à Clero Gallicano legatis. (quos fuisse Noviomẽsem, Constantiẽsem, & Biterrensem, reperimus in literis excõmunicationis Philippi Regis, de quibus dicetur anno consequenti. Quibus quidem imprimis Portuensis sumpto themate, *Ecce [x] ego constitui te super gentes & regna, ut evellas*, &c. postquàm hæc ostendit Petro & successoribus ejus cõpetere ad malorum oppressionem & bonorum exaltationem subjungit quamdam dissensionem motam esse inter Papam Bonifacium sacrum Collegiũ Cardinalium & Ecclesiam ex parte unâ, & Regem Frãcorum & suos ex alterâ, quæ ex modicâ & levi causâ ortum habuit. Verum quidem esse plures querimonias delatas fuisse ad Pontificem de inordinationibus illius regni, & oppressione libertatis Ecclesiasticæ. Verum item esse, quamdã Epistolam secretam fuisse factam de cõmuni assensu Pontificis & Cardinalium, quæ pluries in Cõsistorio fuerit lecta, relecta, diligentérque examinata; plenam charitate, & dulcibus verbis monentem Regem ut desisteret ab aliquibus & emendaret. Asserere quosdã, eâ cõtineri quòd Rex deberet recognoscere regnũ suum ab Ecclesiâ sed numquam hoc fuisse scriptum in illâ, vel mandatum ex parte Pontificis & Cardinalium. Quòd verò etiam alia quædam Epistola Regi missa diceretur, nescire se unde ea processerit; sed scire non esse missam à Cardinalibus, credereque se firmiter nec à Pontifice emanâsse. Existimare se quidẽ, Regem probum & Catholicum Principem ex se existere, at vereri esse ei consiliarios aliquos minùs utiles. Regem nequaquàm gravari, si Prælati regni sui vocentur ad tractandum de quibusdam negotiis. Non vocari alienos, non æmulos, non adversarios, sed familiares & domesticos qui diligerent honorem Regis & Regni. Vocari Romã non ultra fines mundi; non moraturos perpetuò, sed expedito negotio reversuros. Nec item de collationibus præbendarũ Regem gravari: esse enim duo in iis consideranda, jus patronatûs, & præsentationem: collationem & usum ad laïcos nullo jure pertinere posse, nisi fortè ministerialiter. Si verò Rex dicat præscriptionem pro se habere, quare ergo petiit privilegium ab Ecclesiâ? Dictum se vnam magnam fatuitatem, & præsumptionẽ, sed ita tamen ut pro ejusmodi veritate paratus esset vitam exponere; nimirùm summum Pontificem habere plenitudinem potestatis; quia certũ est Christum, qui fuit dominus universorũ, dimisisse potestatem suam Petro & successoribus ejus. Neminíque licere in dubium revocare, quin possit judicare de omni temporali, ratione peccati, quippe cùm duæ

QUALIS POTESTAS PONTIFICIS IN REBUS SPIRIT. ET TEMPORAL.

sint

sint jurisdictiones, spiritualis, & temporalis, spiritualem habere principaliter summum Pontificem. Temporalem licèt habeant Imperator & Reges, tamen de omni temporali posse etiam cognoscere Pontificem & Iudicare ratione peccati. Considerari etenim temporalem, prout competit alicui ratione actûs & usûs: vel prout de jure. De jure competere Pontifici, non autem quoad usum & executionem actûs: unde & dictum est Petro, Mitte gladium in vaginam. Ac propterea non videri Regem habere materiam conquerendi, &c. Ita Portuensis, & alia plura in eumdem sensum, coram ipso summo Pontifice ad Episcopos Gallos.

X. BONIF. PONT. ORATIO AD EOSD. LEGATOS. [y] Ext. ibid. fol. 84. [z] Gen. 2.

Post quem ipsemet Pontifex longiori sermone [y] rem agens; sumpto verbo, *Quod [z] Deus conjunxit, homo non separet*; illúdque Ecclesiæ Romanæ & Regno Francorum applicans, ait hanc eorum conjunctionem cœpisse à fide & baptismo primi Regis Christiani; túncque ei S. Remigium dixisse, quandiù Ecclesiæ adhæreret, semper prosperaturum & Regem & regnum; ruiturum verò quádocumq; ab eâ recederet. Quò pertineret vetus illud tetrastichó;

Pax erit, & toto florebit Gallia mundo,
Donec adhærebunt Lilia Pontifici,
Pax erit, & puro fulgebit Gallia flore,
Dum claves cingent Lilia Pontificis.

[a] Cod. P. 12. fol. 2.

(Fortè etiam quod huic conjunctioni verba divina de matrimonio Bonifacius aptavit, alludere voluerit ad vetus quoddã proverbium, quod in antiquo codice item Victorino [a] reperimus, & secretum esse inter Francos ibi traditur, cœpisseque à tempore quo Imperium eis collatum est: éstque hujusmodi.

Mariage est de bon devis.
De l'Eglise & des fleurs de lis.
Quand l'un de l'autre partira,
Chacun d'eux si s'en sentira.

hoc est conveniens esse matrimonium Ecclesiæ ac Liliorum: nec posse fieri partium divortium, quin utrique malè cedat.) Sed pergit Bonifacius, se hoc Regi Philippo dixisse, cùm fuisset legatus in partibus illis; ídque Regem cum magnâ reverentiâ & gratiarũ actione recepisse. Quos ergo sic Deus conjunxisset, homo non separaret. Hominem qui id modò agere tentâsset, esse diabolum, vel diabolicum hominem, quem Deus jam ex parte punîsset, cæcutientem corpore, (erat enim strabo distortis oculis) cæcum mente: scilicèt *Petrum Flotam*, hominem fellitum & hæreticum censendum; quia numquam ex quo allectus fuit inter Consiliarios Regis, cessâsset Rex & Regnum de malo in pejus ruere. Satellites illius esse Comites Atrebatensem, & S. Pauli; qui quales essent, notum esset universo mundo. Hunc Petrum Epistolam ipsius Bonifacij de consensu & consilio Cardinalium, non repentinâ sed repetitâ deliberatione totius Collegij confectam; & ex conventione habitâ cum nunciis Regis non missam, eò quòd nunciis visum fuisset scribendum priùs de eis ad Regem esse; falsâsse, seu falsa de eâ confixisse. Imposuisse enim Pontifici, quòd mandâsset Regi ut recognosceret regnum ab ipso. Quadraginta jam annis se expertum esse in Iure, & scire duas esse potestates ordinatas à Deo. Quis ergo deberet vel posset credere, tantam fatuitatem, tantam insipientiam fuisse vel esse in capite suo? Protestari se, quòd in nullo vellet usurpare jurisdictionem Regis: Regem tamen negare non posse, quin esset Pontifici subjectus ratione peccati. Quãtum ad collationem beneficiorum, se zelantem salutem Regis frequenter nunciis ejus dixisse, cupere se ut Rex faceret licitè quod faciebat illicitè, velléque ei omnem quam posset gratiam impertire; quia omnia jura clamãt collationem beneficiorum non posse cadere in laïcum, ita quòd habeat jus & auctoritatem spiritualem conferendi. Se Regi concessisse ut posset ponere unum canonicum in quâlibet Ecclesia regni sui: & quia Ecclesia Parisiensis est honorabilis & nobilis, voluisse ei concedere collationem præbendarum in eâ; dum tamen conferret Magistris in Theologiâ vel doctoribus Iuris canonici vel civilis, vel aliis personis magnæ scientiæ & literaturæ. Si verò ipse Pontifex in aliquorum provisione excessisse diceretur, paratum se esse emendare arbitrio Cardinalium. Quinimmò offerre se, si Rex vellet mittere Barones qui nõ essent satellites malitiæ, sed viri probi, putà Ducem Burgundiæ, vel Comitem Britanniæ, aut similes; revocaturum se eorum arbitrio quicquid existimarent gravaminis ab ipso Pontifice aliquâ in re Regi & regno illatum esse. Cupere se in pace & amore esse cum Rege, quia semper dilexisset regnum & ejus incolas, adeò ut fuisset semper existimatus Gallicus. Quòd si Rex non desisteret ab incœptis, nec permitteret venire Prælatos, haud se posse hoc in eis inultum relinquere. Et quantum ad vocationem Prælatorum, respondere se Episcopis illis qui pro ceteris venerant, non relaxaturum se aut suspensurum vocationem, immò illam confirmare, & iterùm innovare: & si qui non venirent, habiturum locũ illud Canticorum, [b] *Tempus putationis advenit*. Si non possent venire equis, venirẽt pedibus. Vocâsse eos se pro bono statu Ecclesiarum & Regis & regni: potuisse vocare totum Orbem, sed quòd esset debilis & annosus, non vocasse alienos, sed domesticos & fideles Regis & regni. Séque ipsis Episcopis legatis significare, siqui forẽt qui non venirent, se eos depositurum & privaturum: quinimmò ex nunc, si non venirent legitimo remoto impedimento, se eos deponere & privare. Ista & alia ejusmodi plura Bonifacius coràm ad Episcopos. Extátque apud Hocsemium ejusdem temporis auctorem in Gestis [c] Pontificum Leodiensium, fragmentum epistolæ ab eodem Bonifacio ad Prælatos regni rescriptæ de eorum excusationibus: quâ rursùm in Petri Flotæ machinationes invectus, hortabatur illos ut contemptis minis Iudicum, cum ipso Pont. ascenderent ad cor altum; Pro firmo scientes, quòd obedientes gratiosè visurus esset, ac contumaces pro qualitate criminis puniturus.

BENEFICIA EIUS ERGA REGEM.

[b] Cantic. 2.

[c] Hocsem. lib. 1. cap. 29.

XI.

Ex prædictis autem omnibus intelligi datur, imprimis valdè hallucinatos esse auctores illos, qui scripserunt celebratum esse Romæ hoc anno Concilium generale ab eodem Pontifice; quod scitur nonnisi Francis indictum fuisse pro reformatione tantummodò Regni, nec verò cum iisdem celebrari potuisse, prohibente Rege nequis regno excederet

Quo sensu intellexerint Pontiff. subjectionem Regnorum.

Deinde apertè probari quæ diximus de falsatis Bonifacij literis; & quantùm ipse alienus fuerit ab illo supercilio, quod plerique omnes ei impingunt, de subjectione temporali regnorum omnium, ac speciatim Francici; & quo sensu eam intellexerit. Quem eumdem ipsum fuisse existimamus, quo olim Innocentius III. cùm ab aliquibus culparetur quòd in Philippum Augustum Regem Francorum cōmotus fuisset occasione belli ab eo illati Ioanni Angliæ Regi; scribens [f] pariter ad Prælatos Galliæ testatus est, non se jurisdictionem Regis perturbare aut minuere intendere, aut judicare de feudo, cujus ad Regem spectaret judicium; sed decernere de peccato, cujus ad ipsum Pōtificem pertineret sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere posset ac deberet: cùm alioqui diligeret ipse Regem de corde puro & conscientiâ bona, & ad honorem & incrementum ipsius efficaciter aspiraret, exaltationem regni Francorum sublimationem Apostolicæ sedis reputans; quandoquidem hoc regnum benedictum à Deo semper in ejusdem Sedis devotione permansisset, & ab ejus devotione nullo umquam tempore esset discessurum licèt interdum hinc inde fierent immissiones per angelos malos. Quo etiam sensu accipienda celebris illa ab eodem Bonifacio hoc ipso anno, 4. Cal. Decemb. edita constitutio, [g] quæ incipit *Vnam sanctam*, de auctoritate & potestate Ecclesiæ, duplicíque gladio ei à Christo Domino tradito. Denique sibi liberum putavit, quæcumque à Regibus peccarentur, non solùm quatenùs privati sunt homines, sed etiam in regnorum administratione, decretis suis corrigere, & statum publicum Ecclesiæ & regnum Concilij in eam rem coacti sententiâ disponere. Quod nec Rex Philippus nec ceteri Galli concoquere poterant.

[f] Cap. novit, ex. de judic. & in 3. compilat. Ant. August. cap. 3. eod. tit. Vid. supr. an. 1203. VIII.

[g] Extravag. commun. lib. 1. tit. de major. & obedient.

XII.

Ægidii tractatus de auctoritate Ecclesiæ in rebus temporal.

Quare cùm ejusdem Bonifacij gesta dictáq; pleriq; in sequiorem sensum interpretarentur; multi in contrarium compositi sunt in Galliâ tractatus de potestate Papali & Regali; quorū aliquos continet prædictus codex Victorinus. Atq; inter alios unum nomine *Ægidij de Roma* Ordinis Eremitarū S. Augustini Archiepiscopi Bituricēsis, insignis doctrinæ & inclytæ famæ viri, de cujus præstantiâ dictū superiùs; continentem Disputationem super controversia Literarū Bonifacij & Philippi, Utrùm Papa habeat dominium tēporale sicut spirituale; quam & putamus intellexisse Bellarminū, cùm recēsens Ægidij scripta ait se vidisse librū ejus manuscriptū de Potestate Ecclesiasticâ. Non autem habere dominium illud, demonstrare Ægidius cōtēdit, primò per rationes philosophicas; secūdo per rationes Theologicas; tertiò per Iura canonica; quartò per Iura civilia. Atque ad dilucidiorem quæstionis tractationem, quinque proponit agitátque quæstiones; primam, Vtramque potestatem spiritualem & temporalem à Deo esse instituente: secundam; Eas distinctas esse & divisas: tertiam, Deū nullum cōtulisse spirituali dominium terrenorū: quartam, in quibus terrena potestas subsit spirituali: quintam, Quare & qualiter Rex Francorū nullum superiorem in tēporalibus agnoscat, nisi solum Deum. Respondétque demùm rationibus; & argumentis, atque auctoritatib. secùs sentientiū. Quemadmodùm & idē quem diximus Innocentius (ut hunc solummodò proferam, nec quæstioni à pluribus agitatæ extra institutum immorer) scribens ad quemdam Guillelmum Montispessulani dominum [h] de legitimatione liberorum ejus ex adulterio susceptorum, disertè attestatur, Regem Francorum in spiritualibus quidem subjacere Ecclesiæ & Pontifici Romano, at in temporalibus superiorem minimè recognoscere.

[h] Extr. qui fil. sint legit. cap. 13. & in Collect. 3. Ant. August. lib. 4. tit. 12. cap. 2.

XIII.

Philippus Rex iterum invadit Flandriam nullo operæ pretio.

Sed quæ sunt reliqua de controversiâ inter Bonifacium & Philippum in annum sequentē reservantes, ut jam ad bellū Flandrense revertamur; Philippus Rex dolore amissi exercitûs in iram verso, alium cōfestim reparans decem millium equitum & sexaginta peditum (quod quidem qui post tantā cladem tam brevi tempore præstare valeat, vix alius toto orbe Princeps à Rege Francorū inveniri possit, cùm ob frequentissimam simúlque propensissimam ad arma gentem, tum præcipuè ob prōptissimam erga suos Principes obedientiā:) initio Octobris Flandriam ipsemet ingressus, nihilominùs ob supervenientes abundantes pluvias, cùm regio tota paludosa sit & fossis plena, ac proinde hibernæ castrametationi & equitatui ac cōmeatui incōmoda; coactus est re infectâ magnóq; dedecore Parisios reverti; pactis unius anni induciis cū Flandris: quos octoginta millia instructissimorū peditū in castris habuisse testatur Villanius, [i] qui rebus interfuisse & utrumq; exercitum se vidisse tradit, omni fide dignus auctor. Subdítq; aliam quoq; causam vulgatam fuisse recessûs Regis; nimirùm fraudem Regis Angliæ: qui quamvis pacem & affinitatem [k] cum Philippo contraxisset, secretò tamen Flandris favēs, uxori suæ, quæ erat soror Philippi, dolosè insinuavit esse inter ejus proceres qui eum traditurí essēt hostibus; Regémque de his à sorore monitum cùm nullus speciatim designaretur, ab omnib. sibi timentem ad sua revertisse. Quam quidem technam tangit etiā Gaguinus, [l] expressiùs narrat Ægidius de Royâ in suis Annalibus Belgicis. Culpatur verò valdè ab eodem [m] Villanio Philippus, quòd ad prædictum bellum Flādrense, ne stipendia suis deessent militibus, consilio duorum Florentinorum semel iterumque monetam adulterari fecisset, adeò ut paulatim ferè ad tertiam partem justi valoris reduceretur ingenti mercatorum damno. Quod & eidem posteà Bonifacium Papam objecisse videbimus. Fuisséque tam Flandros [n] quàm Regem Angliæ ab eodē Bonifacio in Philippum sollicitatos, auctores [o] tradūt. Et ex Regesto ejusdem Pōtificis [p] intelligitur, nō solùm eum cōmovisse Anglum in Philippum; verùm etiam decimari jussisse in sumptus ejus belli omnes redditus Ecclesiarum Angliæ & Hiberniæ; ita tamē ut ejus pecuniæ pars una Sedi Apostolicæ, altera Regi Eduardo pēderetur. Cujus quidem ut vires Philippus averteret, ei quæ in Aquitâniâ occupaverat, anno sequenti sub jure clientelari restituisse, idem Villanius [q] & Angli scriptores, necnon & Franci [r] produnt. Quomodò verò & Albertus electus Rex Romanorum, & fœdere atque affinitate idem Philippo Regi devinctus, in eumdem Philippum concitatus fuerit, dicetur anno sequenti, quo finem tragica ista lugubria sortita sunt.

[i] Vill. lib. 8. cap. 58.

[k] Supr. an. 1299. I.

[l] Gaguin. Hist. Franc. lib. 7.

[m] Vill. cap. 55. & 58.

Bonif. PP. Angliæ Regem et Flandros in Philippum concitat.

[n] Vill. cap. 63. Vecer. in Vit. Henric. VII. Imp.

[o] Vualsingh. in Eduar. I. & Hypodigm.

[p] Ep. 33. Later. 4. Id. Mart. an. 8. & alia data Anagn. 6. Id. Iun. an. 9. ap. Bzov. hoc an. & seq.

[q] Vill. c. 67. Vuestmon. & Vuals.

[r] Til. in Inventar.

XIV.

Hoc eodem anno cùm Archiepiscopi Gerardus

ALBERTUS CÆS. PERSEQUITUR PRINCIPES OB IURA IMPERII.

rardus Moguntinus, Henricus Coloniensis, & Dietherus Treverensis, unà cum Rudolpho Comite Palatino Rheni, ceterísque Principibus qui telonium supra Rhenum à longo tēpore accipere cōsueverāt, fœdus iniissent adversùs Albertum Rom. Regem ipsos vexantem quod nollent eo jure cedere; (hanc enim ipsorum fœderis, & Alberti in eos commotionis causam antiqui Annales Colmarienses, & Siffredus docent; quibus potiùs fidem præstamus quàm Aventino asserenti id contigisse ex eo quòd promissam prædicto Moguntino pecuniam solvere differret: unde & tradunt dixisse ei aliquando Moguntinum, cornu venatorium collo dependens ostentando, se in eo complures gestare Cæsares; quasi valeret eos suâ potentiâ & auctoritate promovere atque dejicere) accidit hoc anno, ut persequēte eos Alberto, ad oppidū Bingam jurisdictioni Moguntinæ, milites duo ipsius exercitûs, in Ecclesia cœnobij monialium S. Ruperti aliquid subripiendum perscrutantes, unus eorū sublatis è coronâ capitis sacræ Imaginis Beatissimæ Virginis quibusdam gemmis, (frustrà monente altero, ne Matrem misericordiæ, per quam salus speranda esset, spoliaret) ubi aliam è pectore auferre voluit, sudare Imago tota cœperit; eáque nihilominùs sacrilege avulsâ, sanguinis lactísque non parùm è vulnere eruperit; quod ille obstruere nequicquàm tentans, conterritus è templo se proripuit, & in sublabēte Nahâ fluvio furiatâ seipsum mēte submersit. Servantúrque hactenùs sanguis & lac tanti miraculi testes; & tabella, quæ Albertum, ubi quod gestum erat certò comperit, multa & magna ei loco dona largitū indicat. Historiam autē narrat, prolixè Trithemius[s] contractiùs Serarius[t].

SANGUIS ET LAC EX VIOLATIONE IMAG. VIRGINIS.

s Trith. in Chron. Sponheim. t Ser. de Reb. Mogunt. lib. 5.

XV. u Marian. lib. 15. cap. 5.

Quo eodem anno Calendis Aprilis celebrata[u] est *Pennafiele* Vaccæorum Hispaniæ oppido *Synodus* Episcoporum provinciæ Toletanæ sub *Gonsalvo* Archiepiscopo, quâ multa sancita fuēre ad pietatis cultum & disciplinæ restitutionem.

CONCIL. PENNAF. DE DISCIPLINA.

XVI. x Supr. an. 1294. VII.

Hoc item anno Fratres illi Minores, quos ob arctiorem Regulæ observantiam à cæteris sejunctos in Græciam abiisse vidimus[x] à ceteris ad Ordinis unionem sollicitati, & variis modis exagitati, jussi sunt à Bonifacio Papâ redire. Qui ægrè obtemperantes, demùm sub anno proximo applicuerunt ad quemdam Apuliæ portum; ubi moram trahentes ob turbas contra Bonifacium concitatas, Liberatus eorum præfectus in quodam deserto pauperculo loco cum suis hæsit. Angelus verò de Cingulo abiit in Marchiam, ubi juxta flumen Clarenum inter Asculum & Nurciæ Alpes aliud domicilium acquisivit, in quo cum quibusdam suis discipulis pacificè vixit; à quibus posteà orta Congregatio *Clarenorum*, quæ usque ad Pij V. tempus perseveravit, cognomine à flumine adlabente desumpto. Simon Donateni & Franciscus ejus germanus Pratenses cum nonnullis aliis in Etruriam reversi, publicè errorem suum confitentes, fraternè recepti sunt ad Prælatorum obedientiam. De ceteris fuēre rursùm variæ aliæ turbæ; & divisiones factæ in *Fratres Spirituales*, & *de Communitate*: quorum fuit præcipua contentio, quòd Spirituales vestes strictas, breves, viles, & caputia parva ferentes, illos de Communitate damnarent, qui laxioribus, longioribus, & mundioribus vestibus ac majoribus caputiis utebantur: itémque quòd isti frumentum in horreis & vinum in cellis tempore messis & vindemiæ ex eleemosynis collecta reconderent, ac Spirituales id germanæ mendicitati Fratrum Minorum contrarium esse dicerent. De quorum dissidiis, aliisque eò pertinentibus, agit pluribus pluriésque Waddinghus[y] accuratissimus Annalium Minorum conditor: agemúsque nos aliis locis quantum ad nostros necesse fore existimaverimus.

FRATRUM MINORUM INTER SE DIVISIONES.

y Waddingo tom. 3. ann. 1302 7 10. & seqq.

XVII. z Vil. lib. 8. cap. 61.

Pulsus hoc eodem anno mense Iunij (ut Villanius[z] refert) Mediolano Matthæus Vicecomes, (Maphæum multi vocant) cui tanto labore Othonem Archiepiscopum ipsius patruum illius civitatis imperiū stabilire studuisse vidimus; (factâ videlicèt civitatum in eum conjuratione, desertóque ipso à propriis propinquis, ceterísque primoribus, eò quòd omnia ad se trahēs illos ab omni Reipublicæ administratione penitùs excluderet:) loco cessit Turrianis, quos patruus urbe pepulerat. Quem tradunt[a] cùm post varias latebras in quodam oppido Marchionis Estensis affinis sui miseram vitam traheret, misso ad eum à Guidone Turriano contrariæ factionis duce Mediolani dominante, qui eum per ludibrium interrogaret, quid ageret, & quàm benè sibi esset, atque utrùm speraret reversurum se aliquando Mediolanum; & quo tempore: prudentissimè respondisse, videre interrogantem quid ipse ageret, (& inambulabat tū in Athesis fluminis ripâ comite uno privatóque habitu manu virgam tenens) benéque sibi esse quoniam didicisset secundùm tempus vivere: credere autem se venturum iterùm Mediolanum, foréque id quando peccata Guidonis ac Turrianorum in alterâ positâ divinæ libræ lance propenderent illis quæ ipsum expulissent. Nec exulis hanc vocem, sed velut missam è cælo fuisse declarârunt eventa: restituto paulò pòst Matthæo ab Henrico Imperatore, ut videbitur suo loco.

VICECOMITES PELLUNTUR MEDIOLANO.

a Vill. ibid. Cor. par. 2. an. 1308. Petrar. 2. ep. famil. 3.

PRUDENS MATTHÆI VICECOMITIS RESPONSUM.

XVIII. b Vil. cap. 50.

Hoc item anno cœpisse *Societatem Catalanorum*, sive, ut Villanius[b] vocat, *Romaniæ*, hoc est Thraciæ & Græciæ, idem auctor scribit. Quod alij sequenti ponunt: sed nullo discrimine, si ortum consideres, quem à compositâ inter Principes in Sicilia hoc ipso anno (ut diximus) pace sumptum volunt. Nempè Catalanos, & Genuenses aliósque Italos, qui ab utrâque parte conducti in Siciliā militaverant quietis impatientiâ, bellóque & rapto vivere assuetos, facto inter se fœdere, coactâque classe viginti triremium aliorúmque aliquot navigiorum, ducem sibi elegisse Rogerium quēdam militem Templarium, virum utique dissolutum & crudelem, quo in Græciā & Thraciam navigarent novam sibi patriam conquisituri. Illuc appulsos omnia diripuisse Constantinopolim usque. Crescentéq; numero ex gente Latina hominum perditorum, fugitivorum, hæreticorum, nullâ lege viventes piraticam exercuisse spatio duodecim ampliùs annorum, mutatis occisísque pluribus suis ducibus. Indéque Macedoniâ vastatâ, Brennam Comitem natione Gallum Athenis imperitātem rebellione factâ interfecisse, ejúsque ditionem unà cum Peloponneso à Francis item

INITIUM SOCIET. CATALANICÆ IN ROMANIA.

olim occupato, cæsis illis inter se partitos esse, ductísque Francorum uxoribus ac filiabus firmas ibi sedes fixisse. Ita rem omnem breviter describit Villanius, & ex eo Antoninus[c]. Quæ paulò secùs narrans Continuator [d] Belli sacri, ait hos magnâ ex parte Templarios fuisse, & ex hâc ipsorum deprædatione eorum internecioni primam labem atque initium videri datum. Templarios enim post res Christianorum in Asiâ afflictas Siciliam versùs navigâsse; & cùm magnum thesaurum secum detulissent, discordiâ Francorum & Aragonensium fretos classem haud contemnendam instruxisse, ínque omnem occasionem & eventum paratos cùm pacem inter eos factam cernerent, ductu Rogerij qui magistratum apud eos inierat Thraciam invasisse; deinde totum Hellespontum atque Peloponnesum deprædatos esse, & in Atticam impetum facientes eam occupâsse, Brennâ qui rebus ibidem præerat obtruncato.

c *Ant. tit. 20. cap. 8. 16.*
d *Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 13.*

ALIA REI RELATIO.

XIX. ALIAQUE HISPANORUM SCRIPTORUM.

e *Surit. Indic. lib. 2. ann. 1303. & seqq. Marian. lib. 15. c. 14.*

At Hispani scriptores [e] ex relatione unius ex primariis ejusdem Societatis ducibus, Raimundi Montanerij qui res eas memoriæ prodidit, distinctiùs de iis agentes, totámque rem Catalanis tribuentes, aiunt; factâ pace Fridericum Trinacriæ Regem, ut Siciliam colluvie copiarum diffluentium liberaret, cogitâsse eas in Macedoniam & Thraciam emittere: Rogerium Florium patriâ Brundusinum, (sed origine Germanum, cujus pater Friderico Imperatori familiaris amplis possessionibus Brundusij donatus fuerat) qui se Templariis primùm addixerat; ac deinde Friderico Siculo forti operâ navatâ celebre nomen suum apud exteras etiam nationes reddiderat, ad quem perditi omnes & dissoluti adolescentes, & scelere atque egestate profligati, semper confugerent; instructâ classe navium octo & triginta, in quibus triremes octodecim, equites mille quingenti, pedites Almogavares (veterani nempè Catalanæ & Aragoniæ gentis) ad quatuor millia; Friderici voluntate, & Andronici Imperatoris Constantinopolitani accitu, anno sequenti ex Siciliâ Constantinopolim navigâsse, Andronici stipendiis adversùs Turcorum incursiones militaturum, qui ex Asiâ nuper emigrantes complures ejus Imperij regiones depopulabantur, & per Hellespontum in Chersonesum Thraciæ se effuderant. Benignè ab Andronico exceptum, statim Magaducis, (hoc est magni exercituum ductoris) dignitate atque insignibus ornatum, uxorem etiam accepisse Zauræ Imperatoris filiam ex Andronici Augusti sorore genitam. In Asiâ inde transmisso exercitu, multis magnísque cladibus Turcos affecisse & victoriis atque spoliis oneratum Constantinopolim revertisse, & Cæsaris nomine à multo tempore desueto; insignitum esse; Magni Ducis dignitate collatâ Berengario Entenzæ Catalano spectatæ virtutis viro qui in auxilium advenerat cum trecentis equitibus ac mille peditibus ex omni copiâ delectis. Sed odio Michaëlis Andronici filij, populíque, in Rogerium excitato, cùm ob invidiam dignitatis Cæsaris potestate Imperio proximæ, tum quòd ejus milites Callipoli hibernantes ob non soluta stipendia dispersi per urbes & oppida rapere, & spoliare, vi & stupris cuncta polluere cœpissent; eumdem Rogerium Hadrianopolim quasi de rebus magnis deliberaturum evocatum, insigni perfidiâ Græcis familiari impiæ neci traditum fuisse: Societatem electo sibi duce Entenzâ, Callipoli ad ipsas Hellesponti fauces vallo se ac fossâ cinxisse, munîsséque. Hæc illi; quæ hoc anno inchoata duos sequentes occupârunt, occiso Rogerio anno millesimo trecentesimo quarto, quo de iis quæ porrò secuta sunt agendum erit.

XX. NECNON GRÆCORUM.

f *Greg. lib. 7.*

Haud tamen omittimus, Nicephorum[f] Gregoram Græcum historicum eodem fermè modo rem tractare; valdè tamen Catalanorum insolentiam, rapinas, & crudelitates in eos ipsos qui eos accersiverant exercitas exaggerantem, Rogerium verò Rozerium vocat, & datâ ei initio conjugem Mariam neptem Andronici Imp. filiámque Asanis Regis Bulgarorum ait: occisóque illo à satellitibus Michaëlis juxta regiam, ob graviora stipendia insolenter nimis postulata; ceteros qui Callipoli erant oppidanos omnes occidisse, ac se ibi egregiè munîsse. Et apud Pachymerium [g] dicitur Ronzerium ab Alano Georgio, cujus filiū occiderat, per insidias interfectum esse: ejúsque cæde compertâ Catalanos Callipoli nulli ætati, nulli sexui pepercisse, infantes palis suffixisse.

g *Pachym. lib. 12.*

XXI. PORTENTUM DE LEONE OCCISO AB ASINO.

h *Vill. lib. 8. c. 62. ad fin.*

Hoc eodem anno rem narrat Villanius [h] quæ prodigij loco habita fuerit, ac nefas portenderit quod anno sequenti in Bonifacium Pontificem commissum est. Nempè cùm idem Pontifex pulchrum leonem civitati Florentiæ dono misisset, ísque catenâ ligatus in area domus publicæ servaretur; ductum eò asinum ligno onustum, viso leone attonitum subitò in eum ferociter insilîsse, & nequicquàm nitentibus qui aderant impedire eum calcibus occidisse.

XXII. PYXIDIS NAUTICÆ INVENTIO.

i *Summont. Hist. Neap. lib. 3. ad fin. Genebr. in Chronol.*

Nunc quoque primùm ad Pyxidem nauticam, seu Acum magnetis ventorum indicem, inventam tradunt [i] navigandi rationem à *Flavio* quodam Amalphitano in Regno Neapolitano. Quod necessarium inventum præmisit Deus Novi Orbis apertioni, quòd non nisi emenso Oceano & per altum pelagus ad eum navigatio fieri possit, quamvis non desint qui ejus usum longè antiquiorem velint: & alicubi *Ioannem Goiam* civem Amalphitanum vocatum esse ejus sive auctorem sive restitutorem legerimus.

IESV CHRISTI Annus 1303.
BONIF. VIII. Ann. 9.
ALBERTI Ann. 5.
ANDRONICI Ann. 21.

I. BONIF. PP. ALBERTI ROM. REG. ELECTIONEM CONFIRMAT CONTRA PHIL. FRANC. REGEM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo tertio, Indictione primâ, Bonifacius Papa rem contra Philippum Francorum Regem susceptam vehementi ardore prosequens; imprimis ut potentem ei adversarium opponeret, Alberti Romanorum Regis electionem, quam ut confirmaret numquam hactenùs persuaderi potuerat; receptâ jam ab eo promissione satisfactionis omnium injuriarum ac facinorum à se commissorum, & juramento

fidelitatis, ac confirmatione privilegiorum & donationum ab aliis Imperatoribus Regibúsque Romanorum Ecclesiæ Romanæ concessarum, omnes defectus qui in ejus electione intervenerant, aut tulit aut Apostolicâ auctoritate supplevit; & tam illam, quàm quæ ab eâ usque ad hujusmodi confirmationem gesta ab Alberto in regni administratione fuissent rata habuit: nisi quòd omnes uniones, confœderationes, societates, & pactiones cum quibuscumque Regibus aut Principibus in præjudicium Romanæ Sedis & Imperij ab eodem Alberto factas, etiámque juramento firmatas, irritavit, nullas dixit, & quæcumque juramenta quibuscumque verbis concepta relaxavit. Extant [a] enim binæ ejusdem Pontificis literæ pridie Calendas Maij scriptæ, quibus hæc omnia plenè tractantur & declarantur: Et confirmatio [b] eorum omnium ab Alberto facta Norimbergæ decimo sexto Calendas Augusti, Indictione primâ, anno Domini millesimo trecentesimo tertio, regni sui quinto; videlicèt præsenti. Fuisséque illa contra Philippum Regem cogitata, & testantur scriptores omnes qui de iis egerunt, & facile est cuivis perspicere. Denique legitur & oratio [c] tunc à Bonifacio habita, quæ incipit, *Refulsit sol qui erat sub nubibus*: quâ duo Luminaria in firmamento cæli à Deo creata de Pontifice & Imperatore interpretatus, Imperatorem deinde bonis ut solem, malis ut lunam esse dixit, tamquam totius mundi monarcham: multa in Gallicanam superbiam & fastum cum insectatione perorans. Hancque etiam inter ceteras prætexuisse Philippum offensionis causam in Bonifacium, nonnulli [d] tradunt, quòd cùm Pontifex pollicitus ei fuisset Romanum Imperium à Germanis in Gallos reducere, ac primùm Carolo Valesio fratri regis assignare, nihilominùs illud Alberto asseruisset.

[a] *Reg. Vatic. ep. 21. & 22. Later. 2. Cal. Maij an. 9. unde Bzov. descripsit hoc an.*
[b] *In castro S. Ang. Rom. cujus partem refert. Baron. Annal. to. 10. an. 996.*
[c] *Ciaccon. in Bonif. VIII.*
[d] *Vill. lib. 8. cap. 62. Vecer. in Vit. Hen. VII.*

II. IOANNIS MONACHI CARD. LEGATIO AD PHILIP. REG.

Priusquàm tamen ad extremum Pontifex adversus Regem prolaberetur, aliam viam experiri deliberans, nobiliori usus est Legato ad eum sibi obsequentiorem reddendum: nempè *Ioanne Monachi* titali SS. Petri & Marcellini Presbytero Cardinale natione Gallo patriâ Ambianensi, Viro plane insigni, (de cujus familiâ, doctrinâ, virtutibus, scriptis, aliísque rebus gestis, planè disseruit qui notas addidit [e] ad Ciacconium) qui illum verbis amicis benevolè officij moneret: datis illi certis articulis [f] quos Regi exponeret; & ad subscribendũ ac satisfaciendum induceret. Quorum summa erat, 1. Revocandá esse prohibitionem factam Ecclesiasticis, ne Romam accederent ac Concilium à Pontifice indictum. 2. In conferendis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis vacantibus in Curiâ vel extrà, Romanum Pontificem legitimam habere auctoritatem, & post eorum collationem ab eo factam, non posse in iis ab aliquo jus acquiri sine consensu Sedis Apostolicæ. 3. Romanum Pontificem Legatos de latere ac Nuncios liberè mittere posse ad quævis regna & Imperia absque cujuslibet petitione vel consensu. 4. Ecclesiasticorum bonorum ac proventuum administrationé non alicui laïco, sed personis Ecclesiasticis attributam esse; summam autem potestatem ad Sedem Apostolicam pertinere, quæ nullius requisito consensu potest decimam aut aliam quotam imponere & exigere prout viderit expedire. 5. Nulli Principi licere, censire vel occupare bona ecclesiastica aut jura in casibus non concessis; vel ecclesiasticas personas super actionibus juribus aut bonis quæ ab eis non tenentur in feudum, ad suum judicium trahere. 6. Regem impedîsse ne Prælati sui regni liberè uterentur spirituali gladio; & specialiter in monasteriis ac locis, quorum conservationem seu protectionem suscepisset ipse vel decessores ejus. 7. Minimè prohibuisse ne in præsentiâ suâ bulla ipsius Bonifacij, ac literæ quibus erat appensa cum Imaginibus Beatorum Petri & Pauli, ac nomine ipsiu, Bonifacij sculpto, combustæ fuerint in Sedis Apostolicæ contumeliam & contemptum: ac proptereà comparendum ipsi esse coram eodem Pontifice per procuratorem idoneum, cum sufficienti mandato de parendo ejus beneplacitis: séque in tanti facinoris pœnam decrevisse revocare omnia privilegia bullata à Sede Apostolicâ eidem Regi, liberis, fratribus, & posteris, aut officialibus ejus concessa. 8. Non debere Regem abuti custodiâ Ecclesiarum cathedralium vacantium, quæ vocant regalia per abusum; sed deductis necessariis & moderatis expensis, residuum fructuum reservandum esse futuris Prælatis. 9. Gladium spiritualem reddendum omninò esse Prælatis & personis Ecclesiasticis, non obstantibus privilegiis quibuscumque ipsi aut officialibus ejus concessis. 10. Regem emendare debere adulterationem monetæ bis à pauco tempore ab ipso factæ in magnum damnum personarum ecclesiasticarum ac sæcularium. 11. Itémque excessus illos, qui continebantur literis clausis quas Iacobus Nuncios attulerat. 12. Testari se, & Papaliter decernere, civitatem Lugdunensem, ejúsque suburbia, non esse intra terminos regni Franciæ, sed unà cum omnibus castris, terris, possessionibus ad Ecclesiam Lugdunensem pertinentibus, merúmque & mixtum in eis imperium & jurisdictionem esse juris ac proprietatis ejusdem Ecclesię: nec Reges Franciæ, aut communitatem urbis, habere, vel habere debere aliquod jus in ipsis, qualicumque concessione aut commissione id sibi vindicare quærerent; séque illud iis omninò interdicere, velléque ut de his quæ contra ejusmodi jus Ecclesiæ Lugdunensis facta fuissent ei plenè satisfieret. 13. Denique expressè denunciaretur Regi per Cardinalem legatum, nisi prædicta ad rationabilem Sedis Apostolicæ satisfactionem corrigeret intra tempus à Carolo Regis fratre ipsiúsque Regis nunciis promissum; ex tunc ipsum Pontificem eámque Sedem super iis provisuros, statuendo & procedendo spiritualiter & temporaliter prout & quando viderent expedire.

[e] *Victorel. in Addit. ad Ciac. sub Calesti V. E adde Frizon. Gall. Purp. lib 2.*
[f] *Hab. integr. Bzov. hoc an. ex cod. Vat. 4177.*

ARTICULI REGI PROPOSITI EX PARTE BONIFACII.

III. CONTROVERSIA DE IURIB. ECCLES. LUGDUN.

Hæc fuere capita Regi proponenda: de quibus omnibus satis dictum superiùs; præterquàm de jure Lugdunensis Ecclesiæ; quod eâ maximè de causâ Bonifacio curæ erat, quoniam fuerat ipse olim in ea canonicus. Et fuisse nuper de eo controversum inter Philippum Regem ac cives ex unâ parte, & Archiepiscopum & Capitulum ex alterâ, occasione potissimè appellationum, ac pro-

pterea

pctereà ipsum Bonifacium partes coram se citâsse, apparet ex literis [g] ab eo de eâ re scriptis quinto Calendas Septembris anno ipsius Pontificatûs tertio. De cujus controversiæ compositione dicetur opportuniùs sub Clemente V. Ceterùm ubi Ioannes Legatus unà cum prædictis articulis Parisios pervenit mense Februarij, oblatis illis Regi coram ejus consiliariis, responsiones accepit minùs Pontifici gratas. Cùm nihilominùs ne omninò Rex monita Pontificia contempsisse videretur, hoc eodem anno ad medium Quadragesimæ constitutionem [h] ediderit pro reformatione Regni per bella præterita aliósque diversos casus dissoluti & gravati. Quâ imprimis cavens libertati Ecclesiasticæ, omnes ecclesias ac Prælatos & ecclesiasticos statuit iisdem privilegiis, libertatibus & immunitatibus integrè & illæsè frui, quibus gaudebant temporibus S. Ludovici Regis avi ejus.

[g] Ext. in Reg. Vatic.

[h] Ext. integra in Cod. Victor. P.13. fol.12.

IV. Sed quod responsiones ad prædictos articulos spectat; habemus [i] epistolam Bonifacij ad dictum Ioannem Cardinalem Legatum Parisiis existentem, scriptam Romæ Idibus Aprilis, Pontificatûs anno nono, videlicèt præsenti; quâ significat se nuper ejus recepisse literas, inter cetera continentes responsiones regias; sed vacuas charitate & gratitudine, ac plenas amaritudine & dolore, contra exempla laudabilia decessorum suorum. Earum namque serie diligenter consideratâ, & cum magnis Prælatis atque Doctoribus examinatâ, haud æquas inventas esse: quippe quarum aliquæ sub verborum involucris obscurè Regis mentem referrent, aliæ dilationem sapientes Pontificis animum in suspenso detinerent sine fructu. Hæc porrò non esse quæ Petrus Episcopus Altissiodorensis, & Carolus Alenconi & Carnoti Comes germanus Regis promiserant; videlicèt Regem super iisdem articulis Pontifici quantum sufficeret satisfacturum. Quò autem puritas mentis suæ clariùs elucesceret, libenter se cum Ducibus Burgundiæ & Britanniæ fidelibus Regis de his tractaturum, si fortè ad ipsum accedere acquiescerent, eorúmque consilio usurum quantum cum honore suo & Apostolicæ Sedis posset. Quæ verò ipse de Ecclesiâ Lugdunensi definîsset, velle se firma & illibata omninò servari, nec aliquid in eis immutari. Curaret autem harum literarum tenorem Regi in consilio, si fieri posset, significare, ac prudenter insistere ut mentem suam apertè declararet ad satisfactionem Pontificis. Alioquin Regi denunciaret, se contra ipsum spiritualiter & temporaliter sic processurum ut videret expedire.

[i] Ext. d.cod. P.13.

De responsionibus regiis ad propositiones Pontif.

V. Eodémque tempore, omnium morarum impatiens, ac valido nisu in Regem delatus, aliud Decretum [k] eidem Cardinali Legato misit; haud se revocare in dubium, quin Philippus Rex Francorum sententiis anathematis & excommunicationis contentis in processibus ab ipso Pontifice præteritis solemnibus diebus de more publicè promulgatis, (nempè in die Cœnæ Domini, contra omnes generatim, qui obstarent ne Romam iretur, aut pecuniæ eò deferrentur) esset ligatus, quantumcumque regali præfulgeret dignitate, non obstantibus privilegiis quibuscumque sibi ne interdici, suspendi vel excommunicari posset concessis; quæ omninò ipse Pontifex revocanda duxisset ad hoc ut contra ejusmodi sententias, & processus per ea nequiret se Rex tueri, quominùs iis includeretur ex eo quòd ad Sedem Apostolicam venientes & ab eâ redeuntes multipliciter impediri mandâsset, & specialiter Prælatos Romam à Pontifice vocatos ire prohibuisset. Quâ de causâ se eumdem Regem nominatim à communione fidelium & perceptione sacramentorum nunciare exclusum, & per ipsum Legatum, vel alium, præcipere nunciari: Et quicumque cujuscumque dignitatis ausus foret illa ei administrare, aut coram ipso Missam celebrare, se illos excommunicationis sententiâ percellere; graviúsque contra ipsos acturum tam spiritualiter quàm temporaliter: præsertim cùm Rex oblatum sibi à Pontifice per Legatum impendendum absolutionis beneficium recipere contempsisset; Hoc ei denunciari procuraret, & ubique solemniter publicari: Ac Fratri Nicolao Ordinis prædicatorum ejusdem Regis olim confessori districtè præciperet, ut intra spatium trium mensium personaliter se coram Pontifice sisteret, recepturus pro meritis, aut suam innocentiam probaturus.

[k] Ext. ibid.

Decretum excommunicationis in Regem.

VI. Eodémque modo alio Decreto [l] ejusdem diei, Prælatis & aliis ecclesiasticis atque Doctoribus, qui ab ipso Pontifice Romam vocati ire neglexissent, (fuisse namque nonnullos, qui sese vitæ periculo, bonáque sua prædæ exponentes, accedere non omisissent: in diversis regni provinciis publicè diem operâ dicti Cardinalis dici, ad sese intra tres menses per se vel per procuratores idoneos coram Pontifice sistendum, mandavit. Senonensi verò & Narbonensi, Archiepiscopis, Suessionensi, Belvacensi, & Meldensi Episcopis, & Abbati S. Dionysij, omninò præcipit per se ipsos comparere sub pœnâ depositionis & privationis cujuslibet dignitatis: Eos enim qui majora recepissent à Sede Apostolicâ beneficia, & honores, acriùs de inobedientiâ puniendos esse. Rotomagensem autem Archiepiscopum, & Parisiensem, Ambianensem, Lingonensem, Pictaviensem, & Baiocensem Episcopos, propter senectutem & debilitatem corporis, necnon Atrebatensem Episcopum ob constantiam fidei quam erga Pontificem & Sedem Apostolicam gereret, atque etiam Episcopum & Capitulum Laudunense ob multas toleratas eâ de causâ injurias, habere se ab ejusmodi comparitionis obligatione excusatos.

[l] Ibid. fol. 29.

Aliud contra Prælatos.

VII. Quæ quidem omnia cùm Bonifacius Nicolao Benefracto Archidiacono Constantiensi in Normanniâ ejusdem Legati familiari, ipsi deferenda dedisset; accidit ut antequàm is ad dominum suum pervenire potuerit, apud Trecas comprehensus custodiæ traditus sit, vetante Rege eum dimitti, & petenti Legato ejus liberationem denegante. Quinimmò idem Rex adversùs tantas molitiones munimenta quæsiturus, magnum Prælatorum, Doctorum ac Procerum conventum Parisiis celebravit: cujus habentur [m] Acta publica per notarios confecta præsenti anno millesimo trecentesimo tertio, indictione primâ, vigesimo tertio & quarto Iunij, Pontificatûs Bonifacij Papæ VIII. anno nono. Cujusque

Rex contra prædicta conventum agit.

[m] d. cod. P. 13. fol. 30. & in Act. impress. rer. int. Bonif. & Phil. gest.

exitum veritus Legatus, qui jam observari jussus fuerat à Rege ne cum aliquo agere, aut liberè quò vellet ire posset; ante festum S. Ioãnis Baptistæ noctu clàm recessit Romã versus ne vel Papæ indignationem à quo revocatus fuerat, vel Regis odiũ ei resistendo incurreret.

VIII. Iniuriosissimæ accusationes in Bonif.

Prædicto autem conventu, per Guillelmum de Plessiano militem dominiũ Vicenovij, cum assessione Ludovici Comitis Ebroicensis filij Regis, & Guidonis S. Pauli ac Ioannis Drocẽsium Comitum propositis quamplurimis in Bonifaciũ accusationibus diversarũ hæresum, necis Cęlestini Papæ, & illegitimę intrusionis in Sedem Apostolicã, simoniæ, luxuriæ, gulæ, sævitiæ, sacrilegij, magiæ, contemptûs rerũ sacrarum & cæremoniarum ecclesiasticarũ; maledicentiæ in quoscumque Prælatos & Religiosos, fomenti bellorum & dissensionũ inter Principes Christianos; commotionis Principum contra Regem & gentem Francorũ, quos tãto odio prosequeretur, ut assereret præcipitaturum se totam Ecclesiam & universum mundum, si aliter non posset eorũ superbiam comprimere; atque etiam propterea confirmâsse Regem Germaniæ in futurũ Imperatorem, publicè prædicando se id facere ut destrueret superbiam Francorum, qui jactabant se nemini subesse temporaliter; & anathema iis inferendo quicumque negarent omnes Reges mundi subesse eidem Regi Germaniæ; & aliorũ enormium criminum: propter hæc idem Plessianus adhærendo appellationi & processui super his jam anteà per nobilem virũ Guillelmũ de Nogareto factis appellavit pariter & provocavit ad sacrum Concilium generale convocandum & ad sanctam Sedem Apostolicam; non odio Bonifacij, sed zelo fidei & devotionis ad sanctam Dei Ecclesiam & Sedem Romanam: Rogans Regem, ad quem spectaret earũ defensio, & Prælatos qui futuri essent Iudices in Concilio, procurare efficaciter ut illud quamprimùm loco & tempore cõgruo celebraretur, in quo ipse Plessianus proposita probare valeret. Post quæ Rex Prælatos item requirens, provocavit pariter. Ipsique demùm Prælati ibi præsentes, (videlicèt quinque Archiepiscopi, unus & viginti Episcopi Abbates insignes undecim, cum Visitatore domorum Ordinis militiæ Templi ac S. Ioannis Ierosolymitani in Franciâ & S. Martini de Campis Parisiensis Prioribus:) adhæserunt similiter prędictis requisitionibus de congregando Concilio ad discutiendas accusationes contra Bonifacium prolatas: salvis tamen in omnibus (ut disertè exceperunt) sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore & reverẽtiâ, à quâ nullo modo recedere vellẽt. Quòd verò timerent ne his commotus Bonifacius in ipsos agere quæreret, sicuti minatus fuerat, censuris ac depositionibus in impedimentum aut perturbationem prędicti celebrandi Concilij, æquè & ipsi provocârunt ad futurum Concilium, & ad futurum verum & legitimum Pontificem. Quorum tamen plerosque coactè id egisse; traditur in literis excommunicationis regiæ, de quibus posteà. Ac de his agentes Villanius [n] & Continuator Nangij, rem observatione dignam referunt; ex omnibus Ecclesiasticis qui prædicto conventui interfuerunt, solum Abbatem Cisterciensem provocationi assensum denegâsse: (quem

Appellatio ad futurum Concilium.

n Vill. lib. 8. cap. 62.

Cui solus resistit Abbas Cistercien.

Ioannem de Pontissara nominatum fuisse, ex eodem Continuatore & Walsinghamo [o] cõstat:) & quòd eâ de causâ universo Ordini malum à Rege timeretur, ultrò dignitate cessisse. Nec tamen hoc tantùm, verùm etiam carcere detentum à Rege, unà cum quibusdam aliis, ac præcipuè Italis æquè assentire renuentibus; asseritur ijsdem literis excommunicationis.

o Walsi. in Eduar. I.

IX. Bonif. ad obiectis se purgat.

His autem à Bonifacio Pontifice auditis; exertâ in promptu ultione, Anagniæ existens primùm omniũ publico Patrum consessu purgavit se solemni jurejurando de objectis sibi à Rege ejusque ministris, criminibus: rémque ut diximus gestam narrans, decimo-octavo Calendas Septembris, ipsâ die Assumptionis Beatissimæ Virginis. Declaravit [p] insuper, Regem prohibuisse ne ullus nuncios vel literas Pontificis reciperet, aut ei in aliquo obediret; ac Stephanum de Columnâ ipsius Pontificis & Romanæ Ecclesiæ hostem in regno suo recepisse. Quâ verò charitate, quóve zelo hæc tam fatua, tamque superba præstiterit, facile intellectu esse. Fecisse etenim, eò quòd increpationes quibus ipse Pont. peccata ejus purgare volebat, sustinere non potuerit. Quia Pontifex mandaverat eum ex legitimis causis publicè excommunicatum denunciari, Regem ad tantam temeritatis audaciam devenisse. Si talis Regibus & Principibus aliísque potentibus aperiatur via, ut Romanus Pontifex dici possit hæreticus & in scandalum criminosus, ut sic fugiatur correctio, actum esse de Ecclesiæ & Romanorum Pontificum auctoritate. Absit (inquit) à nostris temporibus tam perniciosum exemplum; absit à nobis tanta vecordia; absit tam damnabilis negligentia, quòd talem errorem sinamus succrescere, quin ipso sui ortu succidamus eumdem; & non obstante frivolæ appellationis objectu, prout expedierit suis loco & tempore nisi se corrigat & satisfaciat, ad pœnas debitas procedamus. Hæc & alia plura in eumdem sensum ibi.

p Cod. Vict. MM. 7. fol. 72.

Invehitur in Regem.

X.

Aliâ verò Constitutione [q] eodem die factâ, quæ incipit *Rem non novam aggredimur*, declaravit Citationes auctoritate Apostolicâ de quibuscumque personis undecumque & ubicumque essent, cujuscumque dignitatis vel præeminentiæ ecclesiasticæ vel mundanæ, etiámque Regalis vel Imperialis, præsertim si impedirent ne citationes ipsæ ad eos pervenirent, vel ipsi liberè adiri non possent, si ad instar edictorum præfectorum propositorum in albo Prætoris fierent in audientiâ Literarum Pontificiarum aut in aulâ palatij Pontificij, postmodùm affigendæ in januis majoris Ecclesiæ loci in quo Romana communis omnium nationum Christianorum residebit curia; ęquè valituras, ac si ipsissimis citatis coram intimatæ essent. Rursúmque eodem die, aliâ Constitutione [r] ex eo (ut ait) quòd Philippus Rex Francorum ingratum se beneficiorum & privilegiorum à Sede Apostolicâ tam per ipsum quàm ejus decessores acceptorum ostẽdens, ab ipsius Pontificis & prædictæ Sedis devotione se subtraxit; volens idem Pontifex in ecclesiis cathedralibus & regularibus Regni præficerentur qui & dictæ Sedi fideles & aliter idonei essent; omnes provisiones dictarum Ecclesiarum quas vacare contingeret, dispositioni suæ ac dictæ Sedis, donec Rex

q Ext. ibid. fol. 94.

Decretum de citationibus.

r Ibid. Fol. 78.

Aliud de vacantiis Eccles. regni.

ad debitam obedientiam reverteretur, reservavit; inhibens omnibus ad quos Prælatorum electiones vel confirmationes aut quæcumque aliæ dispositiones pertinerent, hujusmodi reservationi contraire in aliquo, &c.

XI. DECLARATIO EXCOMMUNICATIONIS IN REGEM.

Demùm verò censuras in Regem immissas denuò confirmans, eum diris devovit; Regno sacris interdixit; Academias jure docendi privavit, subditos omnes sacramento solvit; Regnum Alberto Romanorum Regi subjecit, illúdque invadere jussit; Flandros & Anglos Philippi hostes acriùs in eum concitavit; denique nihil intentatum reliquit, quo ipsum è regno deturbaret. Hæc enim testantur omnes Historiarum & Chronicorum Scriptores. Vidimus [s] porrò Decretum ipsum Excommunicationis, quod incipit *Super Petri solio*. Quo quidem post aliqua præmissa de auctoritate Sedis Apostolicæ in regendis quibuscumque Christianis in virgâ ferreâ & directionis; non tamen adhuc assumere se ait, quamquam justè posset, ferream ad confringendum, sed directionis in viam salutis; quinimmò neque Iudicis, sed tantùm denunciatoris officium agentem nullas pœnas Philippo Regi se imponere sed ei propter excessus suos jam notoriè excommunicato inflictas potiùs à jure intimare. Deinde breviter repetens quæ gesta fuissent cum ipso, & ab ipso, demùm ex iis denunciat eum excommunicatum, & subjectos ab ejus fidelitate & obedientiâ absolutos; prohibendo sub interminatione anathematis nequis ullum omninò ei obsequium præstaret, aut beneficia ab eo acciperet; & confœderationes cum quibuscumque Principibus rescindendo. Monens ultimò, ut à facie arcûs fugiens resipisceret, ad obedientiam rediret, & ad Dominum converteretur, ne justo in eum judicio ipse Pontifex animadvertere compelleretur.

s Ibid. fol. 74.

XII. CONSILIA AGITANTUR CONTRA BONIFACIUM.

At contrà consiliis evertendi Pontificis inter Columnenses Bonifacij hostes quos Rex fovebat, & Guillelmum Nogaretum de Sancto Felice Aquitanici generis nobilem militem, eximiúmque legum Doctorem, ac primarium Philippi Regis consiliarium, & Guillelmum Plessianum æquè acerbi ingenij hominem, quem etiam accusatoris in Bonifacium partes subiisse vidimus, communicatis; (auctore aut conscio Rege, etiam memoriâ recenti dubitatum, inquit historicus quidam Hispanus [t] cùm tamen successoribus Pontificibus Benedicto & Clementi certò constiterit, nihil Regem durius in Bonifacium statuisse, quàm ut ei appellatio in conventu Parisiẽsi decreta enunciaretur: adeò ut quod prættereà Nogaretus ad id missus operatus est, cùm fuerit ultra mandati fines, non Regi imputandum fuerit, sed ipsi Nogareto, atque etiam præcipuè Sarræ Columnæ impij & execrandi facinoris potissimo inventori & incentori:) iidem Columnenses & Nogaretus in Etruriam delati, Staggiæ prope Senas consedêre, quod erat Musciati Francesij civis Florentini qui rem juvabat castellum; specie quidem opportunitatem quærendi tractandæ cum Pontifice pacis, aut postulandę celebrationis Concilij; re autem ut interim per occultos nuncios corruptis auro quibusdam Campaniæ proceribus, nonnullísque ex ipsâ Anagniâ, ubi tum patriâ suâ Pontifex agebat, nobilibus viris; quin etiam, ut fama fuit, aliquot Cardinalibus Gibellinæ factionis, exque ipsiusmet Pontificis domesticis & familiaribus nõ paucis in partes tractis, propositũ facinus executioni mandarent. Rebus autem ad cupitum constitutis, conductâque secreto militari manu ex reliquiis exercitûs Caroli Valesij quæ in Italiâ substiterant, septimâ die Septembris vigiliâ [u] Nativitatis Beatissimæ Virginis primâ luce Sarra Columnius cum trecentis equitibus, peditúmque justo numero, Anagniam ingressus, ingeminato Philippi Regis nomine Pontificias ædes invasit. Quando Bonifacius cognito periculo quod vel non præviderat, vel præ animi magnitudine parvi fecerat, etiamsi à plerisque suorum proditum se videret, fortem tamen gerens animum, *Ex quo* (inquit) *proditoriè sicuti Christus capior, saltem ut Pontifex mori volo*: desumptísque ornamentis Pontificiis, manto, coronâ, clavibus, & cruce, in sacro solio consedit, ac solis Nicolao Bocasino Ostiensi & Petro Hispani Sabinensi Episcopis Cardinalibus adsidentibus (ceteris aut fugâ lapsis, aut facinori conniventibus) constantissimè conjuratos expectavit. Eo habitu inventus, cùm præcipuè à Nogareto illuderetur, cum minis ductum iri Lugdunum ut ibi in Synodo dignitate spoliaretur, infracto animo respondit, *Libenter se à Paterinis pro Christi fide & Ecclesiâ condemnationem & mortem subiturum*. Ad quam vocem concidente Nogareti ferociâ, (vocabantur *Paterini*, ut aliàs vidimus, hæretici Albigenses cujus sectæ ac criminis reus Nogareti avus igne fuerat exustus) nemo quoque ceterorum manus in eum injicere ausus est, aut aliud ei malum inferre; sed sub honestâ custodiâ iisdem ædibus triduo detinuerunt; thesauros tantùm ejus & Ecclesiæ diripientes: quos quidem ingentes fuisse constat; adeò ut notatu[m] alicubi [x] ex Landulpho de Columnâ canonico Carnotensi qui sub Ioanne XXII. vixit reperiatur, auri congeriem per Bonifacium factam, ipsius dedisse causam capturæ. Quod fortè verum fuerit intuitu eorum qui Nogaretum & Sarram comitati sunt; cùm ipsos aliâ omninò mente illuc accessisse non dubitetur.

u Contin. Polon. Amalr. Augerij. Magn. Chron. Belg.

CAPITUR ET CONSTANTISSIMÈ SE GERIT.

t Marian. lib. 15. cap. 6

x Chron. MS. Pottan. Paris. num. 241.

XIII. LIBERATUR.

Triduo pòst Anagniæ cives in sese reversi, pudoréque ducti, ac metu ne Pontificem Romanum, eumdémque civem suum prodidisse dicerentur; correptis armis conjuratos urbe expulerunt, multis occisis & captis; vexillúmque Regis Franciæ, quod supra palatium Bonifacij erectum fuerat, disjecerunt atque lacerârunt. Et Pontifex liber factus, quam primùm Romam petens cum validâ Romanorum manu qui mox accurrerant; decernénsque Concilium convocare ad ulciscendam injuriam sibi & Ecclesiæ factam; maledictis in Regem Philippum jactis, ex dolore incidit in morbum ardentissimum, quo furenti similis decessit quinto Idus Octobris, quinto & trigesimo à captivitate die; Sedis anno octavo, mense nono, die decimo-octavo: sepultúsque est die sequenti in basilicâ sancti Petri. Narrat ista, qui tum vivebat, & fortè videbat, Villanius [y] Florentinus, & post eum alij [z] quæ

MORITUR.

y Vill. lib. 8. cap. 63.
z Anton. tit. 20. cap. 8. §. 21. Æmil. lib. 8. & alij.

etiam

a Sfon. in B. & Pp.

etiam Massonus [a] ex antiquis monumentis diligenter collegit, & dilucidè declaravit. Nec ferè est ex omnibus Scriptoribus, qui non aliquâ ratione eorum meminerit; multis tamen perperàm asserentibus Bonifacium violenter in carcerem detrusum fuisse, ac ligatum Romam deductum; cùm certum sit neminem in eum manus injicere ausum esse, sed post triduanam quam diximus custodiam plenæ libertati restitutum ab Anagnensibus, spontè Romam petiisse. Omnium porrò insulsissimè Walsinghamus [b] Anglus rem describens, (& ut puto, ex Polychronico Ranulphi Hygeden æquè Angli & monachi Benedictini) tot anilia coacervavit, ut præ delirio risum, præ putore stomachum moveat. Auctor verò illius temporis Additionis [c] Historiæ Ptolomæi Lucensis (patriâ & ipse, ut videtur, Lucensis) observat sepultum eum fuisse minori reverentiâ quàm deceret ejus statum, ob nimiam aëris tempestatem quæ tunc exorta est; fortè (inquit) in signum excesûs ejus fastûs in administratione Pontificatûs, vel ad ejus purgationem.

b Walsf. in Euard. I.

c Ext. in fin. Hist. MS. Ptol. Luc. Colleg. Fux. Tolos.

XIV. EIVS VIRTVTES ET VITIA.

d Vill. cap. 64.

Cujus virtutes ac vitia idem Villanius [d] exprimens, ait doctum fuisse eum quidem, & à multo rerum usu excellentem, ac magnanimum; sed crudelem, ambitiosum, mundanum; avaritiæ se sordibus fœdâsse, ut Ecclesiam exaltaret, ac propinquos & gentiles locupletaret, dignitatibúsque tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus augeret. Eumdémque Petrarcha [e], qui paulò pòst floruit, vocat *verum populorum, & Regum, atque Orbis stuporem.* Denique quamvis à multis traducatur, quasi Pontificatum malè adeptus fuerit & administraverit; nemo tamen qui res ejus gestas æquo animo consideraverit, inficiari poterit eum de Ecclesiâ optimè fuisse meritum, mortémque ipsi indignissimè acceleratam. Pro cujus defensione insignis ille Ægidius de Româ Archiepiscopus Bituricensis, de quo non semel superiùs, cõmentarium edidit: quo adeò Regis, cui olim gratissimum vidimus, atque illorum qui memoriam Bonifacij damnatam volebãt, in se animos concitâsse dicitur, ut impedimento fuerint ne Clemens Bonifacij successor dignitatem Cardinalatûs à Bonifacio ipsi decretam conferret. Ipse verò Bonifacius inter alia scripsisse traditur. *De Christianæ Fidei, & Romanorum Pontificum Persecutionibus:* tamquam presagiret quid sibi evẽturum esset. Cujus mortem & captivitatem severè Deus in omnes conscios & complices vindicavit: prædicente etiam quæ inde Regi Philippo ejúsque progeniei obventura forent, prophetico spiritu Episcopo [f] Maurianensi, sanctæ vitæ & conversationis viro: cùm auditâ Bonifacij captivitate, etiam quidem summum gaudium Regi allaturam dixit, sed ob tantum scelus magnas ipsum luiturũ pœnas, ac notabile Dei judicium super eum ac progeniem ejus adventurum, plurimósque adversarios in eos insurrecturos. Cujus prophetiæ veritatem eventa nimis quàm comprobavêre: ut his exemplis discant homines, non tangere [g] Christos Domini; & [h] qui eos tangunt, tangere pupillam oculi ejus.

e Petrar. lib. de otio Relig.

ULTIO DIVINA IN CONSCIOS EIUS CAPTIVITATIS.

f Vill. c. 64. Anton. tit. 20. cap. 8. §. 21.

g Psal. 104. h Zachar. 2.

XV. ITEMQUE IN CIVITATEM ANAGNIÃ.

Sed & de civitate Anagniâ tunc quidem florentissimâ observat Alexander Bononiẽsis in descriptione Latij Hernicorúmque gentis; ab eo tempore variis occasionibus ivisse præcipitem, adeóque bello, pestilentiâ, fame, plurimúmque civilibus odiis in tantam calamitatem redactam esse, ut semiruta ac desolata jaceret: Hancque ob rem tempore Clementis VII. Pontificis cùm à paucis qui supererant civibus in cœtu consilióque communi de malorum causâ quæsitum anxiè esset, tandem hoc occurrisse quòd majores illorum Bonifacio prodito se gravissimo scelere devinxissent: Idque quoniam expiatum hactenùs non fuerat, ideò Clementem obtestatos esse, ut Episcopum ad se mitteret aliquem qui populum ab illâ majorum noxâ liberaret expurgarétque.

XVI. CORPUS EIUS CONSERVATŨ INTEGRŨ.

Quod autem non parùm ad Bonifacij excusationem, ac mortem piè obitam facit, (contrà quàm multi rabiosè sese dentibus dilaniâsse tradidère) est quòd duobus ac trecentis pòst annis, eâdem ipsâ die quâ decesserat, nempè 5. Idus Octobris anno 1605. corpus ejus planè incorruptum, adeóque omnibus membris integrum repertum fuerit, ut nonnisi nasus & labia corrupta essent; vestibus quoque sacris atque Pontificiis quibus indutum erat omninò sanis: nobis qui hæc scribimus tunc Romæ existentibus, totâque urbe ad spectaculum concurrente; cùm videlicèt in demolitione antiquioris basilicę sancti Petri ut in ampliorem augustiorémque formam reduceretur, apertum est Bonifacij sepulchrũ ut ejus ossa unà cum ceterorum Pontificum eâ basilicâ sepultorum reliquiis in alium locum transferrentur. Quâ de re confectum est publicum instrumentum [i], quo singulæ ejus corporis partes, singuláque vestimenta & ornamenta graphicè describuntur.

i Descripsit Bzov. to. 14. hoc an.

XVII. CAROLUS REX SICIL. SUCCURRIT ECCLESIÆ.

Scribit autem idem qui suprà Continuator Lucensis, eodem die quo Bonifacius defunctus est advenisse Romam Carolum Siciliæ Regem cum mille quingentis equitibus & octo millibus peditum, in auxilium & obsequium Ecclesiæ: Ejúsque favore convenisse Cardinales ad electionẽ successoris. Qui quidem justis funeribus peractis, ex decreto Gregorij X. aliquandiù intermisso, sed à Bonifacio rursùm servari jusso, conclave ingressi in Palatio Vaticano; prompto & facili consensu successorem ei elegerunt undecimo Cal. Novemb. *Fr. Nicolaum Bocasinum* Episcopum Cardinalem Ostiensem (illum ipsum, quem vidimus Bonifacio fideliter in sceleratorum invasione adstitisse) ex Ordine Prædicatorum, Tarvisij infimo genere patre opilione natum: quem primò Venetiis operam pueris instituendis navâsse, Villanius [k] scribit. Bernardus autem Guidonis ejusdem instituti professor in libello de Viris illustribus Ordinis, quem paulò pòst composuit, eum decimoquarto ætatis anno Prædicatorum Ordinem esse ingressum; & in eo quatuordecim primis annis studiis magnâ diligentiâ vacâsse aliis quatuordecim summâ laude docuisse, aliísq; demùm quatuordecim variis dignitatum generibus vigilantissimè insudâsse. Ex Generali autem Ordinis, ob doctrinæ famam, & morum gravitatem ac vitæ sanctitudinem Cardinalis à Bonifacio primùm Presbyter tituli S. Sabinæ, posteà Episcopus Ostiensis

k Vill. lib. 8. cap. 66.

BENEDICTUS XI. PONT.

creatus, diversis quoque magni momenti legationibus functus est de quarum nonnullis dictum est suis locis superiùs. In quorum memoriam, factus Pontifex nomen BENEDICTI, quod in baptismate Bonifacius acceperat, assumpsit, ejus nuncupationis XI. vulgo dictus, IX. tamen dumtaxat, vel X. dicendus[l]: & Dominicâ sequenti, in vigiliâ Apostolorum Simonis & Iudę sexto Calendas Novembris coronatus apud S.Petrum: sumpto symbolo sive sententiâ, *Illustra*[m] *faciem tuam super servum tuum.*

Vid Indi. Epit. Baro. verb. Benedictus.
[m] *Psal.*30.

XVIII. QVOMODÒ CVM MATRE SESSERIT.
[n] *Anton.tit.* 20.*cap.*9. *Leand.lib.*3. *de vir. illust. Ord. Prædic. Krantz.*8. *metrop.* 46.

Quantùm autem remotus esset ab omni fastu, insigni facinore declaravit, quod referunt S.Antoninus[n], Leander, Krantzius & alij. Nempè cùm mater ejus paupercula adhuc superstes, quæ solita fuerat abluere vestimenta Fratribus, auditâ filij exaltatione ad eum properâsset, sive ipse eam vocâsset, ut quidam habent; atque à matronis summo honore excepta, & pretiosis vestibus ornata fuisset: ipsum se non eam agnoscere simulasse; matrem enim suam neque nobilem esse, neque ejusmodi vestibus, sed vilibus indui solitam: cùm verò pannosas suas vestes resumpsisset, Pontificem ingenti gaudio eam amplexatum, hanc charissimam suam esse matrem dixisse, eámque deinceps honorificè habuisse.

XIX. PHILIPP. REX LEGATOS AD EVM MITTIT.
[o] *Ext. in eod. Victor. MM.* 7.*fol.*89.& *ap. Masson. in Bened. XI. & in act. rer. int. Bonif. & Philipp. gestar. ac denique ap. Bzo. hoc an.*

Ubi nuncius ipsius assumptionis in Gallias pervenit, confestim Rex Philippus gratulatoriam ad eum scripsit epistolá[o], quâ ipsius decessoris refricás in se acerbitaté, multis Benedictum laudibus effert, séque, regnum, & Ecclesiam Gallicanam ejus benevolentiæ commédat; missis etiam oratoribus qui res pleniùs exponerent, & omnimodæ reverentiæ ac devotionis indicia ejus beatitudini exhiberent. Inter quos oratores nominatur Magister *Petrus de Bellâ-perticâ*, insignis ejus temporis Iurisconsultus, & scriptis illustris, cujus opiniones Cynus & Baldus graves Iuris auctores passim laudant: docuítque publicè Aureliæ in Academiâ Iuris. Vocatur in prædictis literis regiis canonicus Carnotensis: at in iis quas Pontifex rescripsit Regi, quas item vidimus dicitur canonicus Bituricensis: ex Calendario verò Parisiensi, atque ejus epitaphio [p], intelligitur fuisse decanus Parisiensis, atque inde creatus Episcopus Altissiodorensis: ac denique in manuscripto Memorali Historiarum sæpè à nobis citato dicitur item fuisse decanus Parisiensis, & Regis sigillifer; creatus anno millesimo trecentesimo quinto Episcopus, ac sedisse circa unum annum.

PETRVS DE BELLAPERT. IVRISCONSVLTVS.
[p] *Guill. Christ. in Episc. Antissiodor.*

XX.
[q] *Æmil. in Phil. Pulchr.*

ANTISTITES QUOQUE SVOS ORATORES MITTVNT.

[r] *Chron. Monfort. Contin. Polon. Chron. Vien. Bern. Guid. Masson. & alij omnes.*

Cum iisdem verò regiis oratoribus etiam Antistites[q] suos miserũt, exhortatum tam eidẽ Regi, quàm toti Ecclesiastico Ordini, Academiæ Parisiẽsi, & universo populo sacris interdicto, gratiam Apostolicæ Sedis, & restitutionem in integrum. Quo factum est, ut Benedictus[r] Regem per oratores purgantem se nihil durius in Bonifacium statuisse, quàm ut Concilium appellaret; hánc que appellationem ei quocumque meliori modo significari jussisset, nec se auctore vim factam contendentem; Ecclesiæ reconciliaverit in hebdomadâ Pentecostes anni sequentis Perusij in Consistorio præsentibus nunciis regiis; omnia & singula decessoris sui in eum acta & quoslibet processus resciderit; regnum interdicto liberaverit; privilegia & quascumque libertates antiquas confirmaverit; Ecclesiasticos omnes laïcósque à cunctis censuris absolverit; (uno excepto Guillelmo de Nogareto, cujus absolutionem sibi specialiter reservavit:) Academias juribus suis restituerit; reservationes vacantium Ecclesiarum revocaverit; contributiones decimarum bonorum Ecclesiasticorum liberas in casibus necessitatis, & ubi laïcorum non suppetunt facultates reliquerit; denique omnia in pristinum statum plenissimè restituerit: ut præter citatorum auctorum testimonia, disertissimam fidem faciunt multiplices ipsius Benedicti literæ de singulis ferè separatim capitibus ad Regem scriptæ; quæ habentur in ejus Epistolarum Regesto datæ decimo-quarto Calendas Maij Viterbij, & tertio Idus ejusdem Maij Perusij anno proximo; quas vidimus.

BEND. PP. REGEM REGNUM IN INTEGRUM RESTITVIT.

XXI. COLVMNENSES QUOQ; RESTITUIT.
[s] *cap. d... bonæ mem. extravag. comm. de Schism.*
[t] *Ep. & process. Perus.* 7. *Id. Iun. Conc. Pol. Chron. Vien. Vuessmon. Platin. &c.*
[u] *In Act. rer. in. Clem. V. & Philip. Pulch. gest.*

Idémque Benedictus intercessione ejusdem Regis, Columnenses veniam postulantes in gratiam recepit; editâ constitutione[s], quâ Bonifacianam in eos latam penitùs revocavit & irritam reddidit, totámque familiam in integrum restituit. Nisi quòd Iacobum & Petrum Cardinales, quamvis in gratiam receptos, purpurâ tamen uti vetuit. Et Sarram, unà cum Nogareto, ac ceteris sceleris in Bonifacium auctoribus, citatos anteà ad judicium, nec comparentes, publico ac dirissimo anathemate[t] sequenti pariter anno damnavit. Adversus quæ multa jactâsse reperitur idem Nogaretus in sui excusationem, publicis literis[u] eâ de re confectis anno sequenti trecentesimo quarto in vigilia Nativitatis Beatissimæ Virginis, quo ipso die præientis anni Bonifacium invaserat.

XXII. LEGATIONES AB ORIENTE AD PONTIF.
[x] *MS. Vatic. num.* 1535. *Leand. lib.* 3. *Genebr. in. Chronol.*

Quo eodem præsenti anno[x] idem Pontifex nuncios accepit, ac literas ab Insibraimo Patriarchâ Orientalium Christianorum Chaldæo idiomate conscriptas; quibus Romanam Ecclesiam matrem & magistram omnium Ecclesiarum, ac ejus Pontificem summum omnium Christianorum pastorem ac Iudicem agnoscebat. Itémque à Tartaris; quibus solicitabatur intestina odia Christianorum Principum ac Rerum publicarum componere, & suppetias in Syriam mittere ad vindicanda nomini Christiano loca sancta. Meminítque Continuator Nangij, monachus & ipse sancti Dionysij, nunciorum Regis Tartarorum, qui hebdomadâ Paschæ venerunt ad Regem Francorum pro eodem negotio. Et quidem hoc anno Cassanum Tartarorum Regem iterùm armâsse contra Saracenos, sed irrito conatu ob novam Baidonis rebellionem, & Cotolossæ Cassani ducis imprudentiam nimiùm sibi præsumentis; Haythonus[y] est auctor qui rebus interfuit. Ipsum autem Benedictum in id diligenter incubuisse, dicetur anno sequenti.

[y] *Hay. cap.* 44.

XXIII. S.IVONIS ADVOCATI PAVPERVM OBITVS.
[z] *Vid. Vuad. Annal. Min.* 10.3. *hoc an. nonnulli citius ponunt.*

Hoc anno mortuus traditur[z] *S.Ivo* minoris Britanniæ diœcesis Trecoricẽsis presbyter & confessor, nobilibus parentibus ortus, & insignis Iurisconsultus, vulgò dictus *Advocatus pupillorum, viduarum & pauperum*, ob eximiam eorum curam habitam tam in judicãdo quàm in defendendo ac subveniendo, quem ideò, & ob vitam in ceteris quoq; actionibus & passionibus sanctissimè transactam, & mi-

racusa in vita & post mortem edita, Clemens Papa VI. anno Domini 1347. in Sanctorum numerum retulit [a]. Erátque [b] ejus Vita antiquitùs scripta apud Surium.

[a] Bullar. to. 1. Clem. VI. const. 4.
[b] Ap. Sur. to. 3. 19. Maij

XXIV. CONCIL. COMPENDIENSE.

Fuítque etiam hoc eodem anno Concilium provinciæ Remensis celebratum apud *Compendium* die Veneris post festum Circuncisionis, à *Roberto* de Courtenaio Archiepiscopo unà cum suffraganeis Episcopis: in quo inter alia statutum est, ut quicumque interessent officiis divinis unà cum excommunicatis aut interdictis nominatim, aut eorum sepulturis ac funeribus, excommunicationi subjacerent ipso facto: necnon qui matrimonia clandestina facerent, aut fieri procurarent, iisve interessent.

IESU CHRISTI Annus 1304.
BENEDICTI IX. Ann. 1.
ALBERTI Ann. 6.
ANDRONICI Annus 22.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quarto, Indictione secundà, Benedictus Papa animum ad componendam Italiæ pacem applicans, cùm in Etruriâ magis, ac præcipuè Florentiæ, quàm alibi seditionibus laboraretur; eò Nicolaum Cardinalem Pratensem Tuscum Ordinis Prædicatorum nuper à se creatum, cum summâ potestate misit, magnæ experientiæ & prudentiæ virum. Qui novis Societatibus & Vexilliferis constitutis, cùm plura sibi licere arbitratus, de reducendis exulibus Albis & Gibellinis tractaret, contrarias factiones in se concitavit; ut fuerit ei necesse re infectâ Perusium se recipere ad Pontificem, (qui eò post Pascha concesserat, timore, ut quidam [a] scribunt, Columnensium, sive ut alij [b] ob proterviam Romanorum, & superbiæ fastum) priùs tamen excommunicatione in cives, interdicto in civitatem injecto. Rem fusè narrat Villanius [c] qui interfuit, & post eum alij [d]; pergentes omnes multa alia narrare de novis contentionibus quæ subsecutæ sunt eâdem civitate, & ingentibus damnis ab exulibus & incendiis. Quos insuper idem Pontifex, unà cum Lucensibus & Pratensibus qui eumdem Nicolaum Legatum violâssent, processu ad undecimum Calendas Iulij publicato, anathemate damnavit.

FLORENTINORUM DISSENSIONES.

[a] Ciaccon. in Bened.
[b] Contin. Hist. Ptol. Lucen.
[c] Vill. lib 8. cap. 69.
[d] Aret. hist. Flor. lib. 4. Anton. tit. 20. cap. 9. §. 1.

II. BENEDICTI CONATUS PRO UTILITATE ECCLESIÆ ET REIPUB.

Cùm autem mens ejus esset pacatâ Italiâ Tartaros Syriam ingressos juvare, à quibus literis & nunciis ad tantam rem conficiendam invitatum vidimus: nihil omittens quod ei rei proficere posset, tum Regem Francorum, ut vidimus, & Columnenses Ecclesiæ reconciliavit: tum in ceteros intendens, imprimis Fridericum Regem Trinacriæ ad sacram militiam hortatus est; correptúmque [e] quòd eo titulo non contentus, contra pacta [f] conventa Rex Siciliæ vocitari exambiret, jusjurandum homagij ab eo accepit, Regémque Trinacriæ ex censu esse jussit. Pariterque à Rege Aragoniæ [g] juramentum pro Sardiniâ & Corsicâ supremi dominij ratione recepit. Venetos item cum Patavinis reconciliari curavit: legationem in Angliam & Scotiam ad res componendas destinavit: collectores sacræ pecuniæ ad singula regna transmisit: deferentes arma ad Saracenos aut alia illis proficientia diris devovit. Nec tamen minùs quæ disciplinam, & correctionem delinquentium spectabant curans; inter alia Albertum [h] Romanorum Regem in Duces Carinthiæ bona Ecclesiæ Tridentinæ occupantes commovit: ipsúmquemet Archiepiscopo Moguntino de injuriis illatis satisfacere severè admonuit. Quibus & aliis ejus præclarè gestis & constitutis, (ac præcipuè, ut Bernardus observat, ob retractationem [i] constitutionis Bonifacianæ contra Prædicatores & Minores de prædicationibus, confessionibus, & sepulturis [k]) factum est ut de eo dictum fuerit, prava eum in directa; & aspera in vias planas commutâsse.

[e] Reg. Bened. ep. 131.
[f] Supr. an. 1302. II.
[g] Surit. lib. 2.
[h] Epp. 4. Id. Ianuar. & 5 Id. Mart. Later.
[i] cap. inter cunctas, extravag. com de privil.
[k] cap. Super cathedram. ibid. de sepult.

III. MORITUR EX VENENO.

Cùm verò & his majora meditaretur, mortuus est pius & sanctus Pontifex ibidem Perusij die sextâ Iulij, ut est in ejus epitaphio, & quibusdam aliis auctoribus [l]; sive septimâ, ut multis [m]; nón autem vigesimoseptimo, ut corruptè legitur apud Villanium: postquàm sedisset menses octo & dies decem & septem: Sepultúsque est ibidem in ecclesiâ Prædicatorum ante altare sub terrâ, ut ex humilitate jusserat, non elevato monumento: quod tamen procedente tempore elevatum fuit. Tradunt [n] mortuum esse ex veneno, parato ei quorumdam Cardinalium invidiâ, (& ut quidam [o] putârunt Columniensium: alij [p] tamen id Florentinis tribuunt, quòd ipsis infensus esset:) cùm in mensâ accumbenti juvenis quidam muliebri habitu mentitus se ancillam monialium S. Petronillæ, in vase argenteo ficus recentes obtulisset veneno infectas, quas ubi comedit in morbum inciderit. Fuisse porrò virum optimum atque sanctissimum, & omnes auctores tradunt, & probant quamplurima miracula [q] ab eo post obitum edita, sanatis ægris, pulsísque dæmonibus à corporibus obsessorum; quæ recenset Bernardus Guidonis in tractatu de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum; & post eum Leanderi, & alij.

[l] Eber. in Annal. Platin. in Bened.
[m] Bern. Guid. Contin. Polon. Amalr Auger. Vvestmon. Onuphr. in Chrō.
[n] Vill. Vvestmon. Leand. &c.
[o] Vvestmonast.
[p] Cor. par. 2.

CLARET MIRACULIS.

[q] Cont. Pol. Bern. Guid. Amalr. Auger. Platin. Anton. Sabell. Leand.

IV. DIVISI CARDINALES IN SUCCESSORIS ELECTIONE.

Post ejus obitum convenientes Cardinales ad successorem ei sufficiendum, mox in duas partes propemodum pares divisi fuêre; singulis magis quæ sua erant quærentibus, quàm quæ Ecclesiæ aut IESU CHRISTI. Alterius principes erant Matthæus Rubeus Ursinus Archidiaconus, & Franciscus Caietanus nepos Bonifacij VIII. Diaconus tituli S. Mariæ in Cosmedin, satagentes Pontificem eligi studiosum actionem Bonifacij confirmandorum: alterius Neapoleo Ursinus Diaconus tituli S. Hadriani, & Nicolaus Pratensis Episcopus Ostiensis, de quo nuper, quærentes aliquem eligi amicum Philippi Regis Francorum & Columnensium. Et tantâ animorum contentione in proposito perseverârunt, ut ampliùs decem menses Sedes vacaverit, magno Reipublicæ Christianæ detrimento. Agetur ergo de ejus successore anno sequenti.

V. REX FRANC. CONTERIT FLANDROS TERRA MARIQ.

Interim Rex Francorum bello Flandrico insistens post induciarum exitum, præter leviores quasdã clades, duplici eos gravissimâ contritione hoc anno menséque Augusto profligavit. Navali alterâ die festo sancti Laurentij, arte Rainerij Grimaldi Genuensis; qui sexdecim triremibus regiâ mercede cóductis & vi-

ginti navibus Gallicis, Guidonem juniorem Comitem Flandrensem cum octoginta navibus castellatis, in quibus erant militum decem millia, ferociter occurrentem, biduano atrocissimo certamine devicit: capto ipso Guidone cũ aliis plurimis, ceteris ferè necatis, classéque diruptâ aut submersâ. Terrestri alterâ decimo-quinto Calendas Septembris (ut probatiora Chronica habent) apud Montem-populeti, sive ut alij vocant Montem-pabuli, vel etiam Montem-in-pascuis, Duacum inter & Insulas oppida: quâ Rex ipse exercitum habẽs duodecim millium equitum & sexaginta peditum, hostes pari peditum numero, & tam suorum quàm aliorum è Germaniâ Principũ ducatu pollentes, intra sua ipsorum castra carris per universum circumdata aggressus; post acerrimam pugnam, (quâ Rex ipse in proprio ferè tentorio ab erumpentibus desperatissimè hostibus difficillimè vitam inter ipsorum manus servavit) in effusam fugam vertit, cæsis cum Guillelmo Iuliacensi ac pluribus aliis proceribus, sex militum fortissimorum millibus, ceterísque beneficio cæcæ noctis elapsis, cùm ad multam noctem accensásque faces prælium durâsset: quod solâ Regis virtute confectum fuisse constitit, desideratis ex suis mille & quingẽtis equitibus, & in iis aliquot Comitibus. Postridie Rex cadavera suorum humo condi, hostium insepulta in exemplum & memoriam manere jussit: eáque Villanius sæpè à nobis citatus, in campo ubi pugnatum fuerat jacentia se paulò pòst vidisse refert, dum narrata jam prælia summâ fide ac sinceritate materno idiomate describit [r]; & ex eo Latinè S. Antoninus[s], ac post alios Massonus[t]. Quod verò auctores Belgici [u] multa mẽdacia ac fabulosa de more effutiũt, tam à prædictis auctoribus quàm à se ipsis sibi in multis contradicentibus abundè confutantur; necnon à Continuatore Guillelmi de Nãgiaco, qui pugnam terrestrem exactè descripsit. Additque, Regem post victoriam, ne collati sibi cælitùs à Deo triumphi videretur ingratus, Ecclesiis Beatissimæ Virginis, & S. Dionysij regni specialis patroni, quorum præcipuè subsidiis se protectum profitebatur, aliísque plurimis Ecclesiis, multa bona contribuisse.

[r] *Vill. lib. 8. cap. 75. usque 79.*
[s] *Ant. tit. 20. cap. 8. §. 22. & 23.*
[t] *Masson. in Philipp. Pulchr.*
[u] *Ægid. & Meyer. Vid. Bellefor. lib. 4. cap. 47.*

VI. Ceterùm cùm post hæc Rex ad obsidendam urbẽ Insulas dictã, in quam Philippus Guidonis senioris Comitis filius se receperat, abiisset; Flandri hortatu Ioannis Comitis Namurcensis, ex cladibus acceptis in furorem versi, ut auxilio obsessis essent, tabernis ubique per urbes clausis, ad sexaginta armatorum millia intra viginti dies convenerunt, jurisjurandi religione sese adstringentes nequaquàm domum reversuros nisi aut pugnâ actâ aut pace impetratâ. Itaque desperatis similes cùm prope regia castra consedissent, missis fecialibus aut pugnam aut pacem poscunt. Quorum rabiem Rex considerans, ac de consilio suorum satius ducens pacem desperatis dandam; arbitris Duce Brabantiæ & Comite Sabaudiæ qui in castris erant, his conditionibus facta est, ut Flandri veteri instituto & immunitate fruerentur; captivi Comites ceteríque dimitterentur; Rex partem Belgij cis Lisam amnem haberet; in quâ sunt Insulæ, Duacum, Bethunia, aliaque oppida; & octingenta librarum millia intra certum tempus ei numerarentur. Hísque juratis, domum quique rediêre, ac bello cruentissimo finis datus est. Prosequuntur ista prædicti auctores. Sed quod ad pacis articulos attinet, fuerunt ij posteà ex consensu partium in quibusdam immutati: quâ in re historici Flandri malæ fidei Regem arguunt, Franci eosdem calumniæ convincunt.

PAX INTER EOS INITUR.

VII. Tunc verò demùm Guidonem seniorem Comitem captivitate liberatum ad sua se recepisse, paulóque pòst diem obiisse, Belgæ [x] tradunt. At Villanius [y], qui hæc probè nôsse potuit, scribit eum tempore induciarum dimissum à Rege ut patriam inviseret, religione jurisjurãdi interpositâ redeundi intra certum tempus; iisse, & ingenti omnium lætitiâ susceptum, laudatâ filiorum virtute ac subditorum fide, rediisse Compendium custodiæ locum, & aliquantò pòst ibidem decessisse majorem octogenario, corpúsque in Flandriam magno honore ad sepulturam delatum. Habet item Continuator Nangij; quamdam mulierem Metis oriundam, quæ sub habitu Beguinarum sanctitatem simulans in Flandriâ, ac fictitiis quibusdam revelationibus tam Regem ac Reginam Francorum quàm proceres suis verbis fallacibus pluries delusisse dicebatur, necnon Carolum fratrem Regis in regressu suo de Siciliâ suggestione Flandrorum extinguere molita fuerat suis maleficiis & veneno: tandem ejusdem Caroli mandato captam, atque plantarum pedum adustione prædicta maleficia confessam, & carcere aliquamdiù detentam, demùn liberam abire permissam esse. Quãdo & Guichardus [z] olim monachus Benedictinus & Abbas, deinde Episcopus Trecensis, à malevolis accusatus de morte Ioannę Reginæ conjugis Philippi Regis, (quodam falso eremitâ asserẽte eum quasdam imagines habuisse, quæ cùm pungerentur Regina similiter pungeretur) ac propterea duro carceri inclusus, bonis etiã omnibus privatus est. Ac licèt nihil certi contra eum probari potuit, tamen Episcopatu remotus est, & à Pontifice, ad instantiam Engerrani Marinij potentissimi regij ministri ad aliam Sedem translatus.

[x] *Io. à Leid. lib. 26. cap. 18. Ægid. de Roya an. 1304. Meyer. lib. 10.*
[y] *Vill. lib. 8. cap. 76. in fi.*

MALEFICA QUÆDAM MULIER FLANDR.

[z] *Memor. Hist. Colleg. Navarr.*

GUICHARDUS EPISC. TRECEN. CALUMNIAM PATITUR.

VIII. Quo item anno [a] mortuus est Fr. Iacobus primogenitus olim & heres alterius Iacobi Regis Majoricarũ; qui potioris regni desiderio Ordinem Minorum ingressus, sub nomine *Fr. Iacobi de Majoricis* piè & sanctè aliquot annis Regulam S. Franc. professus est; relictâ regni hereditate fratri secũdo-genito Sancio. Cujus etiam filius, patruum imitatus, paulò post hæc in Ordinem receptus est Neapoli, & in eo pariter sanctè vixit. Hócque ipso anno indulsit Pontifex Benedictus, ut de Stigmatibus S. Francisci anniversaria fieret solemnitas cum officio Ecclesiastico.

[a] *Vvadding. Annal. Minor. to. 3. hoc ann.*

PRINCIPES MAIORICARŨ FIUNT MINORITÆ.

IX. Hoc item anno mortuus est irreparabili detrimento rerum Syriacarum *Cassanus* Rex Tartarorum, de quo sæpè superiùs, dum rursùm sanctam militiam cogitaret: herede & successore relicto Carbandâ sive Carbagandâ fratre suo: qui matre Christianâ natus in baptismate nominatus fuerat Nicolaus; & quãdiù mater piissima femina vixit, ipse quoq; in fide permansit; eâ verò mortuá (quod post sex circiter annos contigit) ad sectam Mahometi

CASSANI TARTARI DAMNOSA MORS.

transiit

b Haython. cap. 45. Sanut. lib. 3. par. 13. cap. 8.
c Bizar. Rer. Pers. lib. 8.

transiit. Ita Haythonus [b] & Sanutus. Bizarus [c] tamen, quamvis ex eis pleraque noscatur accepisse, hunc non fratrem Cassani, sed filium facit. Sed antiquioribus tutiùs creditur. Ait verò ita eum Christianos pressisse ac fregisse, ut parvo pòst tempore Christiani nominis professio apud Tartaros prorsùs conciderit; cúmque eâ simul concidisse regnum Tartarorum in Asiâ: Syriâ enim Ægyptios retinuisse, reliquam ad Pontum usque occupâsse Turcos, in Persidem involâsse Parthos. Denique Cassano mortuo, etiam cum eo omnem spem Imperij Byzantini mortuam esse, Pachymerius [d] scribit: tanto ejus nomé terrori universis barbaris erat! Quem & Haythonus tradit egregias leges ac constitutiones in utilitaté regni sui condidisse: mirandúmq; [e] valdè fuisse quo modò in tantillo corpusculo támq; deformi (cùm vix inter omnes Tartaros reperiretur aliquis minoris staturę, aut turpioris aspectûs) tanta virtutum copia resideret. In cujus demùm honorem Reges Persidis cognomento dictos esse Cassanos usque ad Usumcassanum, quidam alij [f] observârunt.

d Pachym. lib. 12.
e Haython. cap. 42.
f Geufr. lib. 5.

X. STATUS EIUS TEMPORIS RERŨ TARTARICARUM.

Quæ autem pòst contigerunt, narrat leviòra quædam Sanutus. Nec potuit Haythonus ea prosequi; quoniam ipse defuncto Cassano relictâ in pace Armeniâ patriâ suâ sub regimine consanguinei sui Lievonis Regis, votum religionis multò antè à se nuncupatum adimpleturus in Cyprum navigavit, & habitum Ordinis Præmonstratensis suscepit anno sequenti Domini millesimo trecentesimo quinto, ut ipse testatur [g]. Et quo statu tunc essent res Tartarorum describens [h], ait summo omnium illorum Imperatori nomen fuisse Tamor Chaam, filio ac successori Cobilæ, de quo superiùs, sextóque ordine à primo Changio; sedem Imperij sui habenti in regno Kathay, (nempè Scythiâ ad Imaum montem) cui tres alij magni Reges Tartarorum obedirent, tamquam domino suo. E tribus illis unum, cui tunc nomen erat Chopar, dominari in regno Turquestan, (quod nonnulli Parthiam, alij Arianam, vel Caramaniam putant) & potuisse ad bellum educere quater centum millia equitum. Alterum dictum fuisse Hochtay, regnantem in Comaniâ (hæc apprimè describitur apud Vincentium [i] Bellovacensem) valentem exercitum conficere sexcentorum millium equitum. Tertium Carbandam de quo jam dictum, regnantem in Perside & Asiâ majori, & cógregare posse exercitum trecentorum millium equitum. Sed de eorum potentiâ, aliisque ad imperium résque eorum pertinentibus, jam satis aliàs, dicendúmque rursùs de iisdem inferiùs.

g Hayth. cap. 46.
h Id. cap. 47.
i Vinc. lib. 31. cap. 23.

XI. SOCIETATIS CATALANÆ CLADES.

In Thraciâ Entenza dux Catalanæ Societatis classe decem triremium ab Hellesponto totam oram maritimam percurrens, omnia loca vastavit quæ incurrit: & Calo-Ioannem Andronici Imperatoris filium cum copiis non longè à Constantinopoli profligavit, cecidítque, ingenti prædâ partâ. Sed cùm Callipolim reverteretur ab Eduardo Oriâ Genuensi qui sexdecim triremibus navigabat simulatione amicitiæ interceptus, naves omnes amisit; eâ calamitate dignus quòd Turcos auxiliares evocâsset: ac Peram deportatus Trapezuntem transmissus est. Ita Surita [k] & Mariana ex narratione Montanerij. Pugnam tamen cum Calo-Ioanne Græci tacent; nec deportationem Entenzæ agnoscunt: quem tradunt [l], captum à Genuensibus, suis esse venditum. Eo verò absente ducatum Societatis Bernardus Roccafortius suscepit; de quo posteà.

k Surit. Ind. lib. 2. Mar. lib. 15. cap. 14.
l Gregor. lib. 7.

XII. TERMINATUR CONTROVERSIA DE IVRE CERDARUM IN REGNUM CASTEL.

m Surit. lib. 2. Marian. lib. 15. cap. 7.

Intereà hoc eodem anno terminata [m] est in Hispaniâ controversia tantâ bellorum commotione tot annis agitata de jure Cerdarum in regno Castellæ & Legionis: cùm Iacobus Aragoniæ & Dionysius Lusitaniæ Reges inter Ferdinandum Castellanum & Alfonsum Cerdam competitoré delecti arbitri, pronunciârunt uti Alfonsus deinceps regio munere abstineret, & oppida quædam ac prædia acciperet unde vitam principalem sustentaret; futili ac ridendâ talium regnorum cópensatione: Sed tanti fuit arbitris potentium consideratio, & propriorum commodorum respectus, ut postpositis imbecilliũ potioribus juribus, elegerint à Iustitiâ abire: cùm Lusitanus socer esset Ferdinandi, & Aragonius, ne ex conventione adesse cogeretur Alfonso, rem quâcumque pactione confici cuperet. Quorum capitibus mala omnia Alfonsus imprecatus, ne sententiæ quidem audiendæ patiens animo perturbato discessit; & exinde Alfonsus Exheres vulgò nũcupari cœpit, qui in Galliâ post hæc victitans, Ecclesiasticam etiam vitam aliquando sectatus dicitur [n], & Archidiaconum egisse Ecclesiæ Parisiensis: pòst etiam exercitus regios duxisse: sed & uxorem [o] accepisse, & ex eâ duos filios; quorum alter nomine Ludovicus, factus videbitur suo tempore Princeps Insularum Fortunatarum, alter nomine Carolus, Connestabilis Franciæ.

n Bellefor. lib. 4. cap. 57. & 58.
o Simmart. Hist. Franc. l b. 7. in fi. S. Ludov.

XIII. DE REBUS SUETICIS.

Quo eodem tempore Birgerus Sueonum sive Suecorum Rex Magni filius de quo superiùs, cùm Trugilli Canuti suggestione, cujus curæ à patre adhuc impubes relictus fuerat; quiq; multo tempore regnum optimè administraverat, fratres Regis Ericum & Waldemarum magnâ concordiâ contineret; Carelos populos limitaneos inter Sueones & Moscovitas regno Sueonum armis adjectos, ab idolorum cultu ad fidem Christianam operâ Petri Episcopi Arosiensis perduxerat; Moscovitas magnis & variis cladibus affecerat: demùm eodem Trugillo, post tanta præclarè gesta in contrariũ à fastuosâ conjuge Saxonicâ recèns ductâ mutato: & ipse Rex Birgerus à laudabili educatione in perversos mores, & in publicum totius populi odium delapsus, Ecclesiam Gothię & Suetię primus tributis atq; oneribus gravare cœpit, Archiepiscopúmque Upsalensem Nicolaum & reliquos Episcopos pro libertate Ecclesiasticâ resistentes malè habuit. Unde ad inextinguibile dissidiũ cum fratribus deveniens, ab iis captus est, & regno cedere compulsus: Trugillus verò capite truncatus, & Ecclesiasticâ sepulturâ privatus; donec Nicolaus Archiepiscopus, acceptâ nomine damnorũ quæ Ecclesiis intulerat ingenti pecuniâ, eum sepeliri permisit. Rex autem posteà libertati restitutus parte regni ei tributâ, rursùs contra jusjurandum præstitum Erici Danorum Regis auxilio totum regnum recuperare moliens, cùm id frustrà tentâsset, denuò concordiam cum fratribus iniit; & tertiâ parte regni contentus, reli-

quas duas fratribus reliquit, cum promissione oblivionis præteritorum omnium, quod demùm ita stabilitum est anno millesimo trecentesimo decimo in comitiis Helsingborgésibus, postquàm regnum in extremam ferè desolationem his dissensionibus & bellis propterea susceptis redactum esset ob Ecclesias expilatas earúmque bona fisco regio addicta. Et nunc Reges [p] intelligite, erudimini qui judicatis terram. Nec tamen hic malorum finis; quæ suo loco prosecuturi sumus. Narrantur autem ista fusè à Ioanne [q] Magno in Historiâ Gothorum & Sueonum.

p Psal. 2.

q Io. Magn. lib. 20. c. 10. usque 19.

XIV. IOANNIS PARIS. ERROR DE SACRAM. ALTARIS.

Quo eodem anno (ut habet auctor satis accuratus Memorialis Historiarum) *Ioannes Parisiensis* de Ordine Prædicatorum, subtilis homo & expertus in multis scientiis, actúque Regens in Theologiâ, quamdam novam de Corpore Christi in sacramento altaris positionem proponés; à Guillelmo Episcopo Parisiensi, & Magistris in Theologiâ pluries auditus; demùm ab Ægidio Archiepiscopo Bituricensi & Guillelmo Episcopo Ambianensi & Magistris Theologiæ diligentiùs examinatâ ejus positione, prohibitus est ampliùs legere & disputare Parisiis, qui ad Curiam Romanam appellans, & accedens, ibi mortuus est. Ita ille. Meminerunt ejusdem Ioannis cum laude Trithemius [r] & Bellarminus, & absque ullâ notâ erroris; nisi quòd iste observat eum in tractatu quem scripsit de potestate Regiâ & Papali tempore discordiarum Bonifacij VIII. & Philippi Pulchri, visum esse propensiorem erga Regem. Invenimus autem in quodam opusculo Ioannis Brehalli ejusdem Ordinis Prædicatorum de auctoritate audiendi confessiones, eumdem Ioannem Parisiensem cognomine fuisse *Pungentis asinum* cujus cognominis cùm rationem non ponat, existimare licet, fuisse eum vehementem in disputationibus suis, & rixosum.

r Trith. & Bellar. de Scrip. Eccles.

XV. IUDICIUM PRO IMMUNITATE ACADEMIÆ PARIS. CONTRA PRÆFECTOS REGIOS.

In Continuatione quoque Chronici Latini Nangij invenimus hoc eodem anno ortam esse magnam dissensionem inter Universitatem & Præpositum Regium, ex eo quòd idem Præpositus quemdam clericum scholarem præcipitanter suspendi fecisset: indéque cessatum diù esse à lectionibus in quâlibet facultate; quousque Præpositus de mandato Regis satisfecit Universitati, ac pro absolutione remissus est ad Apostolicam Sedem. Extat in Claustro Conventûs Mathurinorum Parisiensium epitaphium duorum clericorum scholarium, qui pariter à Præposito Regio suspendio necati, honorificè restituti sunt, & ibi sepulti; Præposito ejúsque vicario ab officio depositis ad instantiam Universitatis, quod idem videri potuisset, nisi & numerus clericorum obstaret, & maximè tempus, quod in epitaphio notatur anno 1408. ad quod sine dubio non pervenit auctor prædictæ continuationis, qui desiit anno 1340. & alius produxit ad 1368.

IESU CHRISTI Annus 1305.
CLEMENTIS V. Ann. 1.
ALBERTI Ann. 7.
ANDRONICI Annus 23.

I. IUDÆORŪ PRAGÆ SCELUS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo, Indictione tertiâ, sacrâ die Parasceves Pragæ in Boëmiâ obstinatissimi Iudæi, nullis pœnis & suppliciis à solemni suâ impietate revocari valentes, Christianum hominem in locum abditum pertractum in cruce nudum suspenderunt; circumstantésque alius in illum expuere: alius os verberare, alius virgis cædere, alij denique cuncta in illo repræsentare quæ quondam Christus à gente illâ immanissimâ est passus. Quod scelus populus Pragensis quantâ crudelitate valuit, novis item suppliciis excogitatis ultus est; monumentúmque novo martyri ex spoliis Iudaïcis posuit. Ita rem narrat Dubravius [a].

a Dubrav. lib. 18. ad fi.

II. VUENCESLAI PII BOEM. REG. OBITUS.

Qui obitum subdit *Vuenceslai* Regis; pium illum quidem, & Christiano Principe dignum; ex quo & meruit miraculis clarere, ut scribit Æneas [b] Silvius. Mortuum autem ferunt ex tabe die vigesima tertiâ Iunij, anno ætatis circiter trigesimo quarto: cùm priùs Alberto Romanorum Regi sororio olim suo, cum quo ei graves inimicitiæ bellúmque fuerat ob decumas fodinarum argenti quas in Boëmiâ Albertus exigere volebat, per nuncios reconciliatus fuisset. Successorem reliquit filium æquè *Vuenceslaum* dictum ejus nominis Tertium, vix sexdecim annos natum, & tamen etiam hâc ætate moribus perditum ac dissolutum; quorum etiam causâ regnum Hungariæ amisisse vidimus [c]. Cùm verò pater etiam Poloniæ regnum obtinuisset [d], audito ejus obitu Wladislaus Locticus olim pulsus collectis viribus illud rursùs ambiens, multa occupavit tam spontaneâ populorum deditione, quàm violentâ Boëmorum præsidiorum ejectione; donec Rex iterùm renunciatus est à majori parte regni, reliquâ in potestate Ducis Glogoviensis permanente: quam tamen & ipsam aliquanto pòst tempore Vuladislaus obtinuit. Narrant hæc fusè auctores Poloni [e]: prosequentes & bella quæ eidem Vuladislao gerenda fuêre cum Cruciferis Teutonicis, seu Prussiensibus post subactam Prussiam dictis, Pomeraniæ causâ, quam ipsi in suam potestatem iniquis (ut aiunt) artibus & armis redegerant. Nec dissimili audaciâ Livonienses Cruciferi Rigensem Archiepiscopum ditione suâ spoliarunt: tot ac tantis utrique usi in ipsos Christianos tam sæculares quàm ecclesiasticos sævitiis ac crudelitatibus, ut appareret eos delendæ potiùs religioni Christianæ quàm propagandæ apud barbaros institutos esse.

b Æn. Silv. Hist. Boëm. cap. 28.

c An. 1301. X. XVII.

d An. 1300. X.

VULADISLAUS RECUPERAT REGNUM POLON.

e Michov. lib. 4. cap. 3. 6. 7. 8. Cromer. lib. 11.

CRUCIFERORUM TEUTONICORUM IMPIETATES.

III.

Cæterùm cùm per longam Sedis Apostolicæ vacationem, sæpiùs Perusini ex constitutione Gregorij Decimi promulgatâ in Concilio Lugdunensi, Cardinales conclavi

inclusos

Pactio inter Cardinales pro electione Pont.

inclusos urgerent Pontificem eligere, non tamen ob partium obfirmatos in proposito animos aliquid proficeretur; demùm arte Pratensis ita conventum inter eos est, ut altera factio extra collegium tres Transalpinos, hoc est Gallos, ad Pontificatum idoneos nominaret, ex quibus unum altera infra quadragesimum diem eligeret. Datâ fide, pars Matthæi Rubei Pratensi adversa trium Archiepiscoporum nomina edidit, à Bonifacio creatorum, & Philippo Regi infensissimorum: in quibus primus extitit Archiepiscopus Burdegalensis, tum Regi valdè infensus ob gentiles suos à Carolo Valesio Regis fratre Aquitanico bello contra Anglos gesto plurimùm vexatos; tum memoriæ Bonifacij devinctissimus eò quòd ab eo primùm Episcopus Convenarum; ac quinque pòst annis Archiepiscopus Burdegalensis creatus fuisset: ipsiúsque frater Beraldus, sive Berardus, (quem Cælestinus Papa ex Archiepiscopo Lugdunensi Cardinalem Episcopum Albenensem fecerat) ab eodem Bonifacio legatione Gallicanâ honestatus ad pacem inter Reges Francorum & Anglorum componendam; quâ & obiit anno millesimo ducentesimo nonagesimo-septimo.

IV. Archiepiscopus Burdegalens. multa Regi promittit spe Pontificatûs.

Hunc nihilominùs talem Pratensis potiùs eligendum censens, quòd non dubitaret hominem ambitiosi ingenij oblatione Pontificatûs in verba Regis facilè juraturum; missis secretò per fidum cursorem ad Regem literis monuit Archiepiscopum sibi conciliare. Idque impigrè ille curans, evocatum eum ad Sancti Ioannis Angelini in Santonibus oppidum, re manifestata ita sibi obstrinxit, ut nihil non agere in ejus gratiam sponderet si ejus operâ Pontificatum adipisceretur. Cui à Rege sex capita proposita fuêre: nempè 1. Ut ampliorem veniam læsæ in Bonifacio Pontificiæ majestatis impertiret: 2. Ut socios & fautores quos habuisset in gratiam reciperet: 3. Ut decimas regni sui in annos quinque ad resarciendas Flandrici belli expensas concederet: 4. ut Bonifacij memoriam damnaret: 5. ut Cardinales Columnios depositos pristino honori restitueret, & aliquot alios ex Regis amicis Cardinales crearet: 6. sibi reservato tempore & loco declarando. Quæ omnia Archiepiscopus executurum se jurejurando promisit. Remissóque nuncio, qui trigesimo à missione die Perusium occultè rediit; electus est omnium votis in summum Pontificem die quintâ Iunij vigiliâ Pentecostes, (mense fermè undecimo à Sedis vacatione) idem Archiepiscopus, nomine *Bertrandus de Agutis* (ut verum dicunt [f] fuisse cognomen familiæ, sed ab Anglis Aquitaniæ dominis corruptè dictum *de Gotto*) nobilis Aquitanus Vasco, filius Beraldi militis domini de Villandrado diœcesis Burdegalensis. Cujus electionem, ut eam recensuimus, Italicè descripsit plenius Villanius [g], Latinè ex eo sanctus Antoninus [h], Massonus [i], & alij, sed multi perperàm Raimundum proprio nomine vocantes, vel etiam Bernardum; (& hoc fortè, quòd nonnullos etiam reperimus [k] qui eum confundant cum prædicto Berardo Cardinale ipsius fratre) quem certissimum est nominatum fuisse Bertrandum.

Eligitur in Pontificem.

[f] Bellefor. Hist. Franc. lib. 4. c. 56.

[g] Vill. lib. 8. cap. 80.
[h] Ant. tit. 21. cap. 1.
[i] Mass. in Clem. V. & Phi. Pulch.
[k] Severt. de Lugdun. Archiep. in Beraldo.

V.

Factâ autem electione, Cardinales decretum [l] illius ad eum miserunt in Aquitaniam; non per unum Cardinalem, ut nonnulli scripserunt; sed ut in ipso decreto continetur, per Guidonem Abbatem Belliloci Ordinis Cluniacensis, Verdunensis diœcesis, Petrum de Montegiello Sacristam Ecclesiæ Narbonensis, & Andream de Hugugio canonicum Catalaunensem, omnes Gallos, in obsequio Sedis Apostolicæ commorantes: datum illud Perusij sexto Idus Iunij, Indictione tertiâ, anno Domini millesimo trecentesimo quinto, cum subscriptionibus ac sigillis xix. Cardinaliũ qui præsentes fuerunt Perusij; rogantium enixissimè ut iter in Italiam acceleraret, ob necessitates Ecclesiæ, & quasi divinãtium ejus ac Sedis in Galliis incolatum. Incumbebat tunc Bertrãdus visitationi provincię, cùm apud Lisinianum in Pictonibus electionis suę nuncium accepit. Moxque Burdegalam regressus habitu Archiepiscopi, recepto sacri Collegij decreto die vigesima-primâ Iunij, illud die sequenti festo Mariæ Magdalenæ publicavit in Ecclesiâ Burdegalensi, assumpto nomine Clementis ejus nuncupationis Quinti. Inde Lugdunum concedens, accitis Cardinalibus, (quorum pars maxima ægrè id tulit, jam se delusos sentientes, qui eum confestim in Italiam venturum existimârant) coronatus est in ecclesia S. Iusti undecimâ Novembris die sancti Martini, ut cum Villanio [m] quidam habent; vel decima-quartâ, ut rectiùs alij [n], cùm certum sit factam esse celebrationem die Dominicâ, quæ in decimum-quartum non undecimum incidit eo anno. Adfuêre Philippus Rex, ac frater ejus Carolus, unà cum ceteris fratribus ac filiis regiis, Ducésque Burgundiæ, Britanniæ, ac Lotharingiæ, aliíque permulti Principes proceresque. Sunt qui Reges etiam Angliæ & Aragoniæ interfuisse scribant, decepti eo quòd Villanius, Antoninus, & alij eos secuti dixerunt Clementem eos vocâsse ad suam coronationem. At verò tantum abest ut dicant eos venisse, ut contrà non venisse, ex eorum narratione omninò constet; necnon ex scriptoribus earum gentium.

[l] Ext. ap. Masson. in Clem. V. & nec eo ap. Bzov. to. 14. hoc an. quod nonnihil plenius; verbis etiam aliquibus mutatis, sed pauci momẽti, vidimus in fin. cod. Epist. Clem. IV. Paris.

Nomen accipit Clementis V.

[m] Vill. c. 81. Ant. ibid. Onuphr. in Chron. &c.
[n] Contin. Nang. & Mart. Pol. Bern. Guid. Vvestmon. &c.

Celebris eius coronatio.

VI. Et funesta.

Illud autem funesti eâ solemnitate contigit, quòd dum coronatus Clemens per urbem de more in equo procederet, muri cujusdam vetustate, atque onere superstantis ad celebritatem conspiciendam multitudinis, ruinâ dum illac transiret contingente, prædictus Dux Britanniæ Ioannes nomine, qui unà cum Carolo Regis fratre equi Pontificis frenum hinc inde tenendo stratoris officio fungebatur, (cùm initio pompæ Rex ipse Philippus modico spatio id officij pedes Pontifici exhibuisset) collisus, paucis pòst diebus obierit: Carolus graviter læsus fuerit. Perierunt pariter Gaillardus de Gotto frater Pontificis, & quidam alij nobiles, ac plurimi alij. Rex ad latus Pontificis equitans vix periculum evasit. Ipséque Pontifex in tantâ trepidatione equo delapsus, excussâ tiarâ carbunculum amisit ingentis pretij. Quæ utique clades, tristis ominis loco cessit. Iis namque auspiciis translata est in gratiam Regis Pontificia Sedes in Galliam; perculso ad facinus Christia-

Transfertur

SEDES IN GALL.

no orbe; indignantéque Italiâ, ad ceteras Ecclesiæ calamitates novas ex eâ re tempestates concitari: mansítque ibi ampliùs septuaginta annis (quam propterea Itali *Captivitatem Babylonicam*, quæ totidem fuit annorum, nuncupârunt) non sine gravi jam Italiæ ceterarúmque Christianarum provinciarum, quàm ipsiusmet Galliæ incommodo; ut ex iis quæ inferiùs dicenda venient manifestissimè apparebit.

VII. CLEMENS REGEM PLENISSIME RECONCILIAT.

Ceterùm Clemens post solemnia peracta, ut Regi de promissis rebus satisfacere inciperet, imprimis eum plenissimè Ecclesiæ reconciliavit, datâ de præteritis veniâ: & in Adventu factâ Cardinalium promotione, Iacobum & Petrum Columnenses dignitati restituit, seu potiùs de novo creavit: aliósque decem, omnes (præter unum Anglum Ordinis Prædicatorum confessorem Regis Angliæ) natione Gallos. Inter quos numeratur *Nicolaum Farinula* Ordinis Prædicatorum patriâ Rotomagensis Regi à consiliis & confessionibus; quem volunt primum extitisse ex aulæ Regiæ ministris, qui eâ dignitate fuerit honestatus. Reliqua verò quæ promiserat, ut præstiterit posteà videbimus. Et quod ad prædictos Iacobum & Petrum attinet; ex Clementis epistolis habetur ille quidem posteà creatus ab eodem Archipresbyter Ecclesiæ S. Mariæ Majoris, hic autem Lateranensis.

VIII. [o] *Vvestmon. & Vvalsing.*

ANTONIŪ DE BEEK CREAT PATR. IEROSOL.

Tradunt item Scriptores Angli [o], Eduardum Regem dono misisse Papæ omnia supellectilia quibus in mensâ & cubiculo ministratur, ex auro purissimo: Ipsum verò Pontificem evexisse *Antonium de Beck* Anglum Episcopum Dunelmensem, nobili prosapiâ natum, in Patriarcham Ierosolymitanum, quem vitam produxisse usque ad annum 1311. reperimus in Serie Episcoporum Dunelmensium. Utrùm autem titulum Patriarchatûs servaverit usque ad obitum, dubitare facit, quod apud Bernardum Guidonis & Amalricum Augerij diligentes horum temporum chronographos scriptum legatur, quando capta est Rhodus ab Hospitalariis ann. 1310. fuisse Patriarcham Petrum Episcopum Ruthenensem; de quo tunc dicetur.

IX. FRIGUS INTENSISS.

[p] *Vill. lib. 8. 81. in fin. Contin. Näg. Vvestmon. &c.*
[q] *Trithem. Chron. Hirsaug. an. 1309.*
[r] *Krantz. 7. Vvandal. 46.*

Hâc hieme frigus fuisse intensissimum per universum orbem, auctores [p] scribunt; adeò ut rapidissima tota flumina, ac maria ad aliquot milliaria spississimo gelu concreta fuerint. Ex cujus posteà solutione ingentia contigisse damna circa Rhenum & Moganum, Trithemius [q] narrat Krantzius [r] autem habet, in die S. Remigij Calendis Octobris in solo Wandalico cecidisse grandinem de cælo; in quâ igniti lapilli, qui plurima excitaverunt incendia, adeò ut nihil fuerit innoxium quod illis contactum est, tecta, pecora, & quicquid arsuræ materiæ fuit.

IESU CHRISTI Annus 1306.

CLEMENT. V. Ann. 2.

ALBERTI Annus. 8.

ANDRONICI Annus 24.

I. CLEMENS REVOCAT CONSTITUTIONES BONIFACII CONTRA REGEM.

[a] *De immunit. Eccl. in 6.*
[b] *An. 1296. IV.*
[c] *Ext. in Tom. Concil. cit. sub Clement. V. in fi. Conc. Salisburg. II. & in act. rer. int. Clem & Phil. gest.*
[d] *Vill. lib. 8. cap. 81.*
[e] *Lit. dat. Lugd. 10. Cal. 1. Ianu. an. 1.*

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexto, Indictione quartâ, ineunte mense Februarij, Clemens Pontifex Lugduni existens, pergénsque satisfacere promissis Regi factis; revocavit (inquit Continuator Poloni) duas Constitutiones Bonifacij, quarum unâ continebatur Regem Franciæ Romanæ Ecclesiæ tēporaliter & spiritualiter esse subjectum; & aliam insertam Sexto libro Decretalium, quæ incipit [a] *Clericis laicos*, cum omnibus quæ essent ex iis cōsecuta. Verùm istam non speciatim contra Regem Franciæ, sed generatim contra omnes Principes clerum vexantes, promulgatam fuisse vidimus [b], & ab ipsomet Bonifacio, quâ Franciam tangeret, benignè interpretatam. Quam nihilominùs omninò revocatam voluit Clemens [c] unà cum iis omnibus quæ ex eâ secuta essēt, ac pro infectis haberi: statuens tamen circa illa inviolabiliter observari quę super iis in Lateranēsi aliísq, generalibus Conciliis salubriter provisa fuissent. Regi verò etiam concessit (sicut Villanius [d] & alij omnes tradunt) decimas in quinquennium occasione immensorum sumptuum in bellum Flandrense effusorum. Quâ etiam ratione remisit [e] eidem ac condonavit omnia quæcumque bona ab ecclesiis & prælatis aliísq; ecclesiasticis pro regni sui defensione ab eodem ejúsque jussu exacta, capta, vel etiam extorta fuissent. Sicuti & in biennium decimas Regi Angliæ concessisse ad opus Terræ Sanctæ, Vvestmonasteriensis tradit. Idque ipsius deinceps ceteris pariter per Orbem Principibus Christianis, cum ad idem opus, tum ad bella Maurica & Turcica, ínque alios Ecclesiæ hostes, indulsisse, testes sunt epistolæ ad eos scriptæ quæ ipsius Regesto singulis ferè annis continentur.

II. CLEMENTIS CONSTITUTIO PRO REGE, REGNO, ET CLERO GALL.

[f] *Extrvag. commun. cap. meruit. de privil.*
[g] *An. 1302. VII.*

Quod verò alteram Constitutionem spectat; cùm etiam ferè omnes auctores qui de iis scripsêre, tradant non item solum regnum Francorum subjectum esse in temporalibus Apostolicæ Sedi Bonifacium contendisse, verùm omnia prorsùs regna Christiana; (quod tamen quo sensu intellexerit, dictum superiùs:) nihilominùs quoniam per famosam illam constitutionem *Vnam sanctam*, de quâ item suprà, id expressiùs in Regem ac regnum Francorum egisse videbatur; voluit penitùs Clemens constitutione [f] suâ declarare, *nullum per prædictam Bonifacianam præjudicium iis generari; nec per illam Regem, Regnum, aut Regnicolas ampliùs Ecclesiæ esse subjectos Romanæ quàm anteà existebant: sed omnia intelligerentur in eodem esse statu quo erant ante prædictam definitionem, tam quantum ad Ecclesiam (Gallicanam) quam etiam Regem, Regnum & Regnicolas.* Quod pariter ipsummet Bonifacium olim Clero Gallicano declarâsse, superiùs [g] dictum est.

III. CVRAT. RES GRÆCANICAS.

Rebus item Syriacis intendens Pontifex, Antonium Patriarcham Ierosolymitanum profectionem eò maturare, & ad Reges Romanorum, Hungariæ, Cypri, & Armeniæ divertere jussit, ut auxilia ab iis imploraret, scriptis eâ de re ad eosdem literis quarto Calendas Martij. Quódque perspectum haberet, rem valdè posse promoveri si Carolus Valesius Regis Francorum frater, jure hæreditario per Catharinam conjugem ad se pertinens Imperium Constantinopolitanum (quòd superiùs [h] declaravimus) recuperaret; illum non tantùm ad id hortatus est literis Lugduni Calendis Februarij scriptis, (si tamen de hoc Carolo istud accipiendum putemus, potiùs quàm cum Blondo & qui eum secuti sunt, de Siculo) verùm etiam consiliis & opibus juvit; Venetósque mari potentes ad auxilia illi ferenda excitavit: qui fœdus inter se percusserunt adversus Andronicum Græcorum Imperatorem.

[h] An.1301. II.

IV. FLORENTINORVM PROTERVIA CONTRA CLEM. PONT.

Cùm verò jam ante creationem Clementis, Florentini unà cum Lucensibus, aliisque fœderatis Nigris & Guelfis, accito sibi belli duce Roberto Calabriæ Duce filio natu maximo Caroli Regis Siciliæ, Pictoriũ ab Albis & Gibellinis detentum obsidione cinxissent; Clemens Pontifex renunciatus, literis Neapoleonis Ursini & Nicolai Pratensis Cardinalium rogatus concordiæ tractatum à Benedicto decessore agitari cœptum perficiendum suscipere; antequàm coronationis insignia accepisset, misit duos Clericos Vascones qui nomine suo obsidionem solvi præciperent, gravissimis intentatis censuris ni obtemperarent. Dicto audiens fuit Robertus, & ad Pontificem salutandum abiit. Morémque item gessêre ceteri populi: exceptis Florentinis, (qui semper & in omnibus rebus ipsos tangentibus tenacissimos sese præstiterunt suarum voluntatum, etiámque libentissimè contra Sedis Apostolicæ ac Pôtificum auctoritatem; ut multis aliis exemplis patebit inferiùs:) atque Lucensibus, qui contemptis censuris in eos & civitates eorum jactis, obsidionem obfirmatis animis prosecuti sunt; quousque demùm post undecim menses Pistorium deditione ceperunt mense Aprilis hujus anni, mœnibúsque nudârunt, & agrum inter se partiti sunt. Quorum Clemens auditâ inflexibili obstinatione; necnon aliarum Italiæ civitatum mutuis discordiis ac divisionibus, Cardinalem magni nominis & auctoritatis Legatum suum & Apostolicæ Sedis per universam Italiam & adjacentes Insulas destinavit prædictum Neapoleonem Ursinum Romanum S. R. E. Archidiaconum, cum amplissimis facultatibus. Qui nihilominùs, quòd in Albos & Gibellinos propensior videretur, à Florentinis non admissus, à Bononiensibus pulsus fuit etiam cum periculo vitæ & universæ supellectilis direptione: quâ de causâ Bononiam, præter excommunicationem in personas & interdictum in urbem, privavit etiam privilegio studiorum: unde factum est ut maxima pars Doctorum Patavium abierit. Narrât hęc fusè scriptores Florentini, Villanius,[i] Leonardus, Antoninus, necnon Rubeus [k] & alij Italici: nisi quod auctor Pistoriensis nihil habet de missis à Pontifice nunciis; quos fortè ignoravit. Blondus autem tantum abfuisse ait ut interdictum timuerint Florentini, ut econtrà religiosos ecclesiasticósque suorum locorum, majoribus quàm possent conferre tributis gravatos crudelissimè ab exactoribus vexari exhauririque permiserint: eámque ob rem magnâ Deum calamitate Florentinos afflixisse per seditiones domesticas.

[i] Vill. lib. 8. cap. 82. & 85. Leon. lib. 4. Ant. tit. 20. c. 9 § 2. & tit. 21. c. 1.
[k] Rub. Hist. Raven. lib. 7.

V. ROBERTI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS ACCVSATIONES INIQVÆ.

Ex Angliâ Robertus Archiepiscopus Cantuariensis apud Pontificem à Rege accusatus, quasi turbas in ipsum concitâsset tempore expeditionis Flandrensis, ac clericos Regi inservientes beneficiis suis spoliâsset; citatus à Pontifice, eum adiit Burdegalam (quò Lugduno concessit hoc ipso anno, ibíque totum egit) defensionem suam probaturus; à quo nihilominùs fuit interim officij sui administratione suspensus. Rem narrant auctores [l] Anglici. Quâ verò occasione Robertus Regi restitisset, quámque justâ, dictum est superiùs [m]. Extántque in Codice Vaticano de rebus Anglicis, multa alia capita gravaminum, quibus Ecclesia & Ecclesiastici à Rege & ejus ministris vexabantur. De quibus cùm Robertus pro munere sibi injuncto graviter expostulasset, invidiam sibi grandem conflaverat. Cæterùm Rege anno sequenti defuncto, idem Robertus paulò pòst ab ejus successore revocatus est atque honori restitutus; nullo alio judicio de ejus accusatione à Pontifice lato. Nec tamen cessavit unquam jura Ecclesiæ ac Regni etiam contra ipsummet Regem qui eum ab exilio revocavit, infracto animo propugnare: quousque tandem anno millesimo trecentesimo duodecimo in pace requievit, laudatus à suis quòd toto suo tempore nobiliter rexisset Ecclesiam Anglicanam.

[l] Vvestmon. Vvalsingh. Harpsfeld.
[m] An. 1296. III. 1297. XI.

VI. ROBERT. BRVSIVS REGNVM SCOTIÆ INVADIT.

Intereà verò, ac fortè in ejusdem Roberti expulsionis vindictam, novæ Scotiæ turbæ eumdem Regem Angliæ coëgerunt expeditionem hoc ipso anno adversus Robertum Brusium suscipere. Qui regnum sibi deberi jam olim contestatus, cùm eo adjudicato Baliolo, diù cum Anglis, ægrè tamen & vehementi servitutis suæ patriæ dolore, egisset; demùm communicato cum quodam Ioanne Cumeino è regio Scotorum genere viro strenuo de jugo excutiendo consilio, conditionibúsq; regni adipiscendi scripto & jurejurando inter ipsos firmatis; ubi se paulòpòst apud Eduardum à Cumeino sive invidiâ sive metu delatum sensit, clàm in Scotiam aufugiens Cumeinum in choro Fratrum Minorum inventum occidit: atque impetratâ violati sacri à Pontifice veniâ, auxilio amicorum apud Sconam de more diadema regale sumpsit. Copiis dein collectis, à ducibus Anglis qui præsidio regno erant diversis cladibus affectus, vagus inde & ab omnibus destitutus, per silvas & montes errare, ac secretioribus latebris delitescere extremâ omnium rerum inopiâ coactus est; invictâ tamen patientiâ tot mala sustinens, nec unquam sperare desistens de regno sibi aliquando, & populo suo libertate comparandâ. Sícque hunc annum transegit, cùm necnon Cumeino quarto Calendas Februarij intulisset, coronam regni vigesimoquinto Martij sumpsisset. Dum verò lateret interim cædes per omnem Scotiam eorum

GRANDIS SCOTIÆ CLADES.

qui se ei adjunxissent ab Anglis facta est; fratres ejus & alij plurimi ex antiquo regio sanguine & nobilitate tam viri quàm feminæ suspendio, aliisque dirissimis tormentis ac suppliciis affecti; Roberti uxor, præcipui Prælati in carcerem detrusi: deliberante Eduardo in eum statum Scotiam adeò frequēter rebellantem reducere, ut nunquam ampliùs id attentare quiret. Quare post missas ipso Roberti fugæ initio adversus eum copias, etiā propriū filium, in festo Pentecostes militem factum sequi jussit, ipséquemet senio licèt confectus lentis itineribus ad fines Scotiæ pervenit. Rem gestam fusè narrant utriusque gentis scriptores [p]; sed nonnihil diversè, ut suorum excusandorum & alienorum culpandorum studiosiores. Reliqua verò posteà.

[p] Boët. Rer. Scot. lib. 13. Vvestmon. & Vvalsi. in Annal. Angl.

VII. [q] Ext. tom. Rer. Boëm.

VVENCESLAUS REX BOEM. CÆDITUR.

Quo item pariter anno (ut notat auctor tunc vivens *Chronica*[q] *Aulæ Regiæ Boëmiæ*; quod quidam posteriores sequēti ponunt) Wenceslaus perditæ adolescētiæ Rex, ad bellum Polonicum se accingens, Olomutij in Moraviâ die æstatis calidissimâ cum exutis usq; ad tunicam lineam vestibus omnibus per conclave domûs solus obambularet, à quodam sicario (quidem equitem Thuringium fuisse volunt) tribus lethalibus vulneribus cōfossus est anno ætatis decimo-octavo: & in eo extincta Premislai primi Boëmiæ Principis virilis soboles. Cujus corpus post viginti annos delatum est ad sepulturam regiā ejusdem monasterij aulæ regiæ. In ejus verò locum electo in Regem à proceribus *Henrico* Duce Carinthię, cui altera ex sororibus ejusdē Vvēceslai (non Alberti Imp. ut Mutius[r] habet) nomine Anna natu maior jampridem nupserat; id ægrè ferens Albertus Romanorum Rex, sive quòd filius ejus Rudolphus Dux Austriæ priores partes in suffragiis procerū tulisset; sive etiam quòd regnum ad Imperium devolutum prætenderet; hostili manu Boëmiam invadens, Regem ibi constituit *Rudolphum*, dans ei uxorem (cùm prior Blanca Francorū Regis soror jam diem obiisset.) Rixam Polonam, sive Elisabetham nuncupatam, Vvenceslai Senioris relictam Rudolpho tamen priusquam annus elaberetur mortuo, rursùm reditū est ad Henricum: rursúmque Albertus cum armata manu dejicere festinās, ut alium filium suum nomine Fridericum à nonnullis expetitum introduceret, antequàm id exequi potuerit, occisus est, ut dicetur anno sequenti. Quæ verò hactenùs diximus fusè narrantur à Dubravio[s], breviùs ab Æneâ[ss] Silvo, & aliis.

CONTESTATIO DE SUCCESSIONE REGNI.

[r] Mul. lib. 22.

[s] Dubr. lib. 19.
[ss] Æn. cap. 29. 30. 31. Siff. id Epit. lib. 2. Naucler. gen. 44.

VIII. IUDÆI PELLUNTUR GALLIA.

[t] Contin. Pol. Bern Guid. Trithe. &c.
[u] Ap. Genebr. in Chronol. an. 1295.

Hoc eodem anno, die [t] sanctæ Mariæ Magdalenæ vigesimosecundo Iulij, totâ Galliâ Iudæi omnes unâ eâdémque die jussu Philippi Regis capti, bonis eorum fisco addictis, regni finibus penitùs excedere jussi sūt; nisi qui vellent baptizari. Cùm autem plerìq; in Germaniam commigrârint, inde Iudæos Germanos, de radice seu trunco Francorum esse, scribit [u] Rabbi Elias in Tisbi. Causam expulsionis qui referūt ad anteriores Philippi annos, assignât sacrilegio ab uno eorum in sanctissimam Eucharistiam Parisiis commisso, quod nos ex antiquis illorum temporum scriptoribus anno 1290. retulimus Platina[x] ob maleficia quædā, & ob avaritiam pulsos ait. Nec sanè defuerunt continua perfidæ gentis ubique scelera, quæ

[x] Plat. in Clem. V.

Principes ac populos in eorum perniciē concitarent: præter gravissima usurarum fœnora, quibus Christianos exedebant. Voluítq; fortè Philippus, pecuniis undique corradendis intentissimus, ex eorum malè partis fortunis facili negotio grauissima damna cōpensare Flādrensi bello contracta. Secundùm quod Blondus ait, magni quæstûs & prędę pium facinus cōmisisse Regem pulsis Iudęis, quos divitias possidentes eximias cum singulis vestimentis abire permisit. Reperitúrque præterea inter Epistolas Clemētis [y] Papæ, Mariam Reginam novercam Philippi eum consuluisse de quibusdam pecuniarum summis ab ipsâ de Iudęis exactis, ac jussisse Pontificem eas in sacri belli Syriaci expeditionem erogare. Quòd verò etiam malè audîsset Rex ob monetæ imminutionem, de quâ à Bonifacio PP. & aliis reprehensum vidimus; graviores jam querelæ in eum excitatæ sunt, cùm fortiorē cudi voluit. Siquidem tradit Continuator Guillelmi de Nangiaco monachus S. Dionysij tunc vivens, quòd Rex monetam debilem quæ in regno jam per undecim circiter annos cursum habuerat, hoc eodem anno in fortiorem commutâsset, qualis tempore S. Ludovici currebat; inde ingenti concitatâ populi seditione, ex eo quòd deinceps rerum omnium solutiones fortis hujusmodi monetæ pretio fieri deberent magno populi damno: Parisinos in ipsummet Regem insurrexisse; sed gravi suo malo, quòd plurimi ex seditiosis suspensi fuerint: cùm ut alij habent, ausi etiam essent Regem in domo templi obsidere, nec permisissent apportari ei victualia per unum diem, quos Rex per manum armatam nobilium dissipavit, multis de plebe interfectis, ac pluribus suspensis.

[y] Lugdun. 3. Non. Ian. an. 1.

SEDITIO CONTRA REGEM OB FORTIOREM MONETAM CUSAM.

IX. [z] Baron. in Martyrol. [a] Vol. lib. 3. 1. an. 1295. Panphil. in Chron. Augustin. in 1294. Ant. tit. 24. an. 1300.

S. NICOLAI TOLENTIN. OBITUS.

Eodémque anno (ut veriùs censetur [z], cùm nonnulli [a] pluribus antè annis ponát) quarto Idus Septēbris ex hâc vitâ ad cœlestē migravit *S. Nicolaus* clarum sidus Ordinis Eremitarū S. Augustini, *Tolentinas* à diuturno domicilio oppidi Tolentini in Piceno dictus, cùm natus esset in castro S. Angeli territorij Firmani ejusdē provinciæ. Susceptus ex repromissione parētibus sterilibus factâ, præclaris virtutibus ornatus est, & magnis miraculis tam vivus quàm mortuus illustratus: quorum causâ ab Eugenio Papâ IV. relatus est in numerum Sanctorum Confessorum anno Domini 1446. Calend. Februarij. Fuítque pariter ejusdem Ordinis eodem tempore doctrinæ splendore & sanctitate vîtæ illustris *B. Augustinus de Therma, Novellus* dictus, natione Siculus; ex Iurisconsulto & milite nominatissimo, post necem Manfredi cui inserviebat, factus admirandâ vocatione ejus instituti sectator, & tandem Generalis Prior seu Magister, & post mortem miraculis clarus. Sicuti & eximij tunc extiterunt ejusdem religionis Theologi præter *Ægidium Romanum* Archiepiscopum Bituricensem, & *Hugolinum Malabrancam* Patriarcham Constantinopolitanum Latinorum, de quibus suprà, *Iacobus Viterbiensis* Archiepiscopus Neopolitanus, *Henricus de Vrimaria* Germanus, *Albertus Patavinus*; *Augustinus Triumphus* Anconitanus, aliíque non pauci, nec parùm Ecclesiam Dei pietate, doctrinâ, & scriptis suis decorantes; quos referunt

ALII ILLUSTRES EIUS TEMP. AUGUSTINIANI.

unà

unà cum eorum scriptis qui de Ordine egerunt.

X. [b] Ext. in Collect. Synod. Colon. BEGARDORUM CONDEMNATIO PER ARCHIEP. COLON.

Hoc quoque anno *Henricus* Coloniensis Archiepiscopus Constitutiones [b] editis de rebus & personis ecclesiasticis; déque nonnullis abusibus qui circa jurisdictionem Ecclesiasticam irrepserant, Imprimis autem *Beguardos* & *Beguardas*, sectam hominum idiotarum utriusque sexûs graviter exagitavit; quòd contra quàm Patres statuissent, nequis novam religionem fingeret, vel habitum novæ religionis quàm Sedis Apostolicæ auctoritas non firmâsset assumeret; propriâ temeritate superstitiosis adinventionibus novos ritus & habitus sub paupertatis umbrâ inducerent, *Apostolos* se vulgariter appellantes; & abdicato manuum labore quo victum sibi quærere consueverant, quæstum publicum, in Religiosorum approbatorum discrimen, & Christianæ religionis detrimentum, facere præsumerent. Errantes prætereà in fide, quòd dicerent se sine peccato esse, & qui eos non sequerentur non posse salvari: Nisi mulier virginitatem in matrimonio deperditam deploret, non posse salvari, matrimonium peccatum reputantes: Deum fore in quâdam perditione: Uxorem à quolibet dimitti posse, ipsâ etiã invitâ, causâ sequendi Deum: Simplicem fornicationem non esse peccatum. Quos errores postquàm Archiepiscopus confutavit, ipsis sectariis præcepit, intra unius mensis spatium habitu dimisso ad pristinum vivendi per laborem manuum genus reverti, sub pœnâ excommunicationis, & quòd adversus eos, uti de hæresi suspectos, spiritualiter & temporaliter procederetur. Cujus in eos sanctionem renovans successor ejus Vualramus [c] anno 1335. eosdem Beggardos vocat etiam *Suestriones*: sicuti & posteà Guillelmus Vualrami successor anno 1357. cùm adhuc ea lues ibi grassaretur. Cujus ultimi nominis nullam alibi notionem reperisse meminimus: quod fortè à suibus derivatum, quos in multis imitabantur; vel ab aliquo vocabulo Germanico, quod eorum mores designaret. De Begardis autem, corúmque erroribus, dicetur pluribus in Concilio Viennensi [d].

[c] Ibid. cap. 15.

[d] Infr. ann. 1311. VII. VIII.

XI. HENRICI COLON. LAUDES.

Fuisse verò prædictum Henricum vigilantissimum in restituendâ disciplinâ Ecclesiasticâ, reformandis moribus tam clericorum & monachorum quàm laicorum, dirigendis officiis divinis, juribus ac libertatibus Ecclesiarum conservandis, vitiis & abusibus tollendis; abundè intelligitur ex multiplicibus Synodis diœcesanis & provincialibus quas toto tempore suæ sedis celebravit, & egregiis ac salutaribus statutis in eis conditis; quæ continentur in Collectione Synodorum Coloniensium. Qui etiam contra Ludovicum Bavarum ab Ecclesiâ rejectum (ut videbitur suo loco) strenuè egisse reperitur; multáque inde mala ac damna, tam ab eo, quàm ejus instigatione ab aliis Principibus ipsâque civitate suâ Coloniensi passus esse: quousque demùm mortuus est anno Domini 1334. ut Trithemius docet in utroque suo Chronico.

IESU CHRISTI Annus 1307.

CLEMENT. V. Ann. 3.

ALBERTI Annus. 9.

ANDRONICI Annus 25.

I. ANDRON. GRÆC. IMP. EXCOMMUNICATUR A CLEMENT. PONT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo septimo, Indictionis quintæ, Clemens Pontifex Pictavis existens (quò ex Burdegalâ accesserat ad componendas controversias Regum Francorum & Angliæ; ibíque ampliùs uno anno sedit) Andronicum Græcorum Imperatorem, tamquam eorumdem Græcorum schismatis & hæresis fautorem, tertio Nonas Iunij, anno Pontificatus secundo nondum elapso, excommunicationis sententiâ damnavit. [a] Quippe Carolo Valesio ac Venetis socialia arma (ut diximus) ad recuperandum Imperium Constantinopolitanum parantibus, voluit etiam Clemens gladium spiritualem in eorum auxilium exerere.

[a] Extravag. com. cap. ad certitudinem de sent. excom.

II. [b] Supr. an. 1304. X. HAYTHONUS IUSSU CLEMENTIS PONT. SCRIBIT DE REB. ARMEN. [c] Hayton. cap. 55.

Quo eodem tempore valdè solicitus de negotio Terræ sanctæ, venientem ad se Fratrem Haythonum Armeniæ Regis consanguineum, de quo superiùs [b], benignè suscepit; & quæ esset ejus de illâ expeditione sentẽtia, exponere jussit. Quod & ille abundè præstitit, excipiẽte ejus dictata Nicolao Salconi ibidẽ Pictavis hoc ipso anno millesimo trecẽtesimo septimo, ut ipse testatur in præfatione Historiæ ejusdẽ Haytoni. Quàm verò opportunum esset tunc tempus eandem expeditionẽ suscipiẽdi, multis argumentis demõstrat [c]: nempè quod Põtifex ejus promovẽdæ studiosissimus esset, quòd Reges & Principes Christiani cõcordes viverent; quòd omnes populi eam avidè expeterent; quod Saraceni valdè essent debilitati à Tartaris; & quòd Tartarorum Rex Carbanda adhuc Christianitatẽ retinens, omnem opẽ potentiámq; suam per nuncios suos offerret. Hoc verò opus ut quibuscumq; posset modis Clemẽs juvaret, gravissimâ quoque edidit constitutionem [d] adversus Christianos arma, merces, & alia prohibita Saracenis deferentes. De quibus item agẽs Sanutus [e] ait, cùm post mortem Cassani, Saraceni Armeniam sæpiùs discurrissent, & ingẽtes clades ei intulissent; tandem hoc anno de septem millibus usq; Tharsum percurrentibus vix evadere potuisse trecentos; nec exinde ausos fuisse Armeniam introire, sed inducias invicem firmâsse: Eodémq; tempore [f] divisos valdè fuisse inter se Saracenos Ægypti, debilitatámq; Soldanorum potentiâ, ac proinde aptissimum tempus eos invadendi. Quãdo & auctor quidam anonymus, causarum tamen Ecclesiasticarum Ducatûs Aquitaniæ patronus regius, prolixũ scripsit Tractatum [g] ad Regem Angliæ Eduardũ, De Recuperatione Terræ Sanctæ, déq; modis ad eam & in eâ servandis. Sicuti & eamdem incudem indefessâ solicitudine tudit paulò pòst idem Sanutus [h]: sed obduratis ad tantos támque crebros sonitus auribus.

[d] Cap. multâ mer tis, extravag. com. de Iuda.
[e] San. lib. 3. par. 13. c. 8. in fin.
[f] Ibid. cap. 11.
[g] Ext. tom. 1. Gestor. Dei per Franc.
[h] San. lib. 3. [illegible] 15. & in Epistol.

III. IOANNIS DE MONTE COR-

Nec minùs de propagandâ inter Gentiles fide studiosus Clemens, cùm audisset quanta Deus per *Ioannem de Monte-Corvino* (oppidum est Apuliæ Dauniæ non longè à Luceriâ:

aliúdque

VINO LABORES PRO FIDE PROPAGANDA.

aliúdq; nobilius ejusdem nominis in Picentinis non lōgè à Salerno: utrius fuerit hic Ioānes, haud adeò certum, cùm tamē magis priori tribuatur:) Religiosum Ordinis S. Francisci, ac socios ejus, variis Orientis partibus in conversione populorum præstitisset; cùm missus primò à suo Generali, deinde à Nicolao Papâ Quarto (ut aliàs [i] vidimus) Persidem, Indiam, Tartariam, atque Æthiopiam peragrans, multa Gentium millia baptizavit, permultáque mala à Nestorianis, qui ingenti numero eas partes incolebant, passus, nihilominùs Regem quemdā Georgium de genere Regis Æthiopiæ Pretejannis, eâdem hæresi infectum ad veram fidem convertit; atque in ipsâ regiâ civitate Magni Chaami Tartarorū Cābaliech regni Kathay ecclesias ædificavit, benignè erga eum se Chaamo quamvis idololatra gerente; aliáq; plura egregia præstitit, quę ipsemet nōnullis suis epistolis [k] declaravit, retulitq; B. Odoricus Foro-Iuliensis ejusdē Ordinis professor (qui & ipse eas regiones, totūque penè Orbem prædicādo peragravit [l], Domino cooperante, & sermonem confirmante sequētibus signis, quibus & vivus & mortuus claruit) in Chronicis, quæ ab Orbe cōdito usq; ad finē Pontificatûs Ioannis XXII. concinnavit. Cùm igitur hæc audîsset Clemens; ut tam sanctum opus Dei prosequeretur, septem Fratres Minores eruditione & virtutibus ornatos Episcopos consecrari jussit; atque in Tartariam destinavit, qui prædictum Ioannem de Monte-Corvino in Archiepiscopum Cambaliechensem & Legatum totius Orientis cum amplissimâ facultate ordinarent & consecrarent; atque ipsi septem Episcopi sicut suffraganei ei adstarent in præcipuis civitatibus juxta Cambaliech. Scribénsque ad Magnum Chaamū, gratiis actis de benevolentiâ ejus in prædicatores Christianæ Religionis, hortatus est ad fidem amplectendam: uti pluribus narrat idem Odoricus: peregrinationē [m] quoque subdens quinq; aliorum Minoritarum, qui in Ægyptum, & aliquot Orientis regiones perrexerunt zelo Christianos captivos consolandi, & reducendi eos qui à fide discesserāt. Ubi & morem observat, ut non in contumeliam, sed ex receptâ cōsuetudine erga extraneos, qui in præsentiam Sultani deducerentur, essent ligatis post tergū manibus, nequis posset eum percutere, aut venenū in eum projicere. Ceterùm laborâsse adhuc pluribus annis Ioannem de Monte-Corvino apud Tartaros cum grandi proventu, intelligitur ex literis inde lōgè post hæc scriptis, quas Waddinghus [n] recitat. Putatúrque ad illum pertinere conversio Magni Chaami Tartarorum, ac matris ejus; quam sub Generalatu Minoritarum Gundisalvi Hispani, qui hoc tempore Ordinem rexit, accidisse S. Antoninus [o] prodit. Qui Ioannes in baptismo dictus, cùm pôst obiisset, atq; in cōventu Fratrum Imperiali more tumulatus fuisset; ingruentibus triginta pôst annis bellis, cùm ejus corpus à Fratribus in civitatem Saray transferri deberet, ita integrum & incorruptum cum vestibus & pulvinari serico repertum est ac si tunc fuisset mortuus, grandi fidelium & infidelium stupore. In quâ eadem civitate Saray jacere etiam dicitur Chatogonti frater Imperatoris Tartarorum, ad fidem pariter per eosdem Fratres conversus; quem & miraculis post mortem claruisse tradunt [p].

i An. 1289 Vi.

k Ext. ap. Vvadding. Annal. Min. to. 3. an. 1305. & 1307.

l Id. an. 1331.

CREATUR LEGATUS ORIENTALIUM REGIONUM.

m Id. an. 1307.

n Id. an. 1326. & 1338.

CONVERSIO AD FIDEM MAGNI CHEAM TARTAR.

o Ant. tit. 24. cap. 9. §. 13.

p Vvadding. an. 1310.

IV. PHILIP. REX FRANC. URGET PONTIFICEM CONTRA MEMORIAM BONIF. VIII. ET DELUDITUR.

Hoc anno menséque Iunij Philippus Rex Francorum ad Clementem Pontificem Pictavim accedens, rogavit ut memor sacramenti sui nomen Bonifacij Octavi damnaret, ossáque ejus tamquam hæretici in ignem mitti juberet, cùm essent qui multa in eum hæresum capita proponerent. At Pontifex cùm optimè nosset Bonifacium numquam à Catholicâ fide in aliquo recessisse, & quæ illi objicerentur malitiosè conficta fuisse; ne tamen Regis animum ab se alienaret, consilio Nicolai Cardinalis Pratensis quo maximè utebatur, Regi significavit Bonifacium damnari non posse quin eâdem operâ Cardinales abdicarētur ab eodem promoti; porrò eosdem esse à quibus ipse Clemens in Pontificē lectus fuisset: damnari quoque Summum Pontificem non posse nisi in Oecumenicâ Synodo legitimè accusatum convictúmque: seque eam indicturum, ut causâ cognitâ tantò majori Bonifacij ignominiâ, Regísque gloriâ, ejus memoria damnaretur. Quo responso utcumque Regi satisfactum est. Rémque sic gestam narrant Villanius [q] & Antoninus. Quam & indicat Continuator [r] Historiæ Ptolomæi Lucensis, cùm scribit, quasdam petitiones per Regem porrectas fuisse Pontifici apud Pictavim; quas Cardinales judicaverunt non exaudiendas, quia transcendebant regalem statum; rémque commissam fuisse sex Cardinalibus.

q Vill. lib. 8. cap. 91. Ant. tit. 21. cap. 1. §. 2.

r Cod. MS. Colleg. Fux. Tolos.

V.

INITIUM NEGOTII DE EXTINCTIONE TEMPLARIORUM.

Sic igitur nonnihil quiescens eâ parte Philippus, aliâ rem apud eūdem Pontificem agere cœpisse dicitur, omnium illam sermone celebratissimâ, & variè admodùm à diversis acceptâ; videlicèt de Ordinis TEMPLARIORUM extinctione. Quam fuisse sextam petitionem à Philippo reservatam suo tempore proponendam, quidam opinati sunt; aliis eam de ossium Bonifacij exhumatione accipiētibus, rursúmque aliis de reductione Imperij à Germanis in Francos. Initium autem mali ab ipsismet Templariis prodiit; non (ut plerique conclamant; & inter eos Bocacius [s] huic tempori proximus) ex solâ Regis avaritiâ, eorum bona quæ maxima in Gallis erant concupiscentis. Hæc enim ratio colorem haberet, si res Gallias non excessisset; Sed cùm omnium toto orbe facta sit exterminatio, quo per cunctas regiones diffusi erant, & prædiis ac divitiis amplissimis ubique abundabant, quæ in manus Regis cadere non poterant; sanè si res avaritiæ tantummodò fuit, non solùm & ceteri Principes qui eos pariter exterminârunt, eodem crimine turpandi venient; verùm & Pontifex iniquitatis damnandus, qui Ordinem florentissimum, reíque Christianæ adeò utilem, tam fœdo fundamento deleri jusserit: ipsáque Synodus Universalis Viennensis erroris accusāda, quæ confirmaverit. Denique quantumvis non negemus difficile esse creditu vera in omnibus fuisse cūcta illa facinorosissima crimina quæ iis impacta fuère, quæ posteà videbimus) difficiliùs tamen omninò asserimus, voluisse Deum permittere, talem Ordinem, si tam innocens fuisset quàm multi faciunt, Ecclesiæ decreto pari omnium Principum populorumque cōsensione, nec ipsis quidem eorum propinquis quicquam pro iis satagētibus, ubique

s Bocac. de casib. vir. ill. lib. 9. in Iac. Mola.

extirpari. Cùm & prætereà, quod fundamentum lucri spectat, satis constat eorum bona Hospitalariis aliisq; religiosis Ordinibus militaribus tam in Galliis, quàm ubivis locorum, saltem immobilia, attributa fuisse: quantumvis ea Clemens initio in Terræ sanctæ subsidium destinâsset; ut in quibusdam ejus ad Regem Francorum literis [t] expressum reperimus. Sed de his posteà pleniùs. Nunc quod diximus initium mali ab ipsismet præcessisse, sic se rem habuisse tradunt [u].

[t] Pictav. 9. & 12. Iul. an. 3.
[u] Vill. lib. 8. cap. 92. Ant. tit. 21. cap. 1. §. 3. Blond. 2. dec. 9. Cont. Bel. sac. lib. 5. cap. 15. Chron. antiqua: sed in aliquibus nonnihil diversè.

VI. UNDE MALUM PROCESSERIT.

Quemdam nempè Templarium Priorem Montisfalconis agri Tolosani, ob pessimam vitam & hæresim Parisiis à Magistro Templi perpetuo carceri addictum, socium captivitatem nactum esse Noffum patriâ Florentinum, ex causâ multorum criminum à Prætore Parisiensi in carcerem conjectum. Hos de salute & libertate sollicitos, ministris regiis scelera & impietates Ordinis significâsse, quas ad Regem deferrent, & per ipsum ad Pontificem, ut exacta fieret flagitiorum inquisitio, & meritæ de toto Ordine pœnæ sumerentur. Rem impigrè Regem apud Pontificem agentem, obtinuisse ut ad veritatem indagandam Templarij caperentur. Una literarum significatione toto regno comprehensos esse tertio Idus Octobris [x] feriâ 6. ad ortum solis, & diversis carceribus mancipatos; rem præcipuè exequentibus (ut habet vetus Chronicon non ultimæ notæ, cui titulus *Memoriale Historiarũ*) Guillelmo de Nogareto & Reginaldo de Roy, qui eos fecerunt audiri; Parisiis amplius quinquaginta, quamvis innocentiam contestantes, ob crimina tamen imposita singulis palis alligatos lento igne combustos: Ossa cujusdam dudum defuncti Ioannis de Thuro quondam Thesaurarij Templi Parisiẽsis exhumata fuisse atque combusta: Magistrum ipsum Ioannem Molam Burgundum, unà cum Guidone fratre Delphini Viennensis, Hugone Paraldo, alióque quodam è præcipuis Præceptoribus Ordinis qui fuerat quæstor regius Parisiis captos, ductos Pictavium ad Pontificem & Regem, promissâ eis veniâ si crimina agnoscerent; aliqua confessos reductos esse Parisios; missis etiã à Clemente duobus Cardinalibus qui decretum de Ordinis eversione publicè recitarent, & captivos de se confessos pœnâ aliquâ multarent. Cùm id coràm ingenti multitudine fieret, tunc Molam Magistrum facto silentio omninò negâsse vera esse quæ de hæresi & criminibus contra Ordinem proferrentur; se tamen dignum extremo supplicio, ac ultrò id deposcere, quòd vitæ amore quædam eorum confessus esset. Reductos in carcerem, postéaque damnatos, Molam & Delphini fratrem constantissimè supplicium lenti ignis tulisse; Paraldum & illum alium perstantes in agnitione & assertione criminum quæ coram Pontifice ac Rege confessi essent, liberos dimissos esse. Molæ & Delphini fratris cineres veluti martyrum ab aliquibus collectos fuisse: ceteros duos infelicem exitum vitæ aliunde sortitos, quemadmodum & Noffum ac Priorem primos Ordinis accusatores: quamvis carcere dimissi, alter tamen dehinc ex aliâ causâ à carnifice strãgulatus, alter proditione occisus est. Ita rem narrant, qui Templariorum innocentiam profitentur; & sub unum obtutum proponunt, quæ præsenti quidem anno cœpta, sequẽtes etiam occupârunt, usque ad celebrationem Concilij Viennensis, anno Domini 1311. atque etiam ulteriùs; cum ex antiquis constat, Magistrum ac socium ejus non ante annum 1314. fuisse crematos. De cujus quidem casu est elegans narratio prædicti Ioannis Bocacij, ejus constantiam & magnitudinem animi in tormentis & flammis perferendis prædicantis.

[x] Contin. Polon. & Nang. Bern. Guid.

VII. SPECIALIOR DE MAGISTRO GENERALI NARRATIO.

Certius tamen quod de eodem ejúsque sociis habet Continuator Nangij, qui fortè vidébat: Nempè ejus socios tres fuisse, Visitatorem Franciæ atque Normanniæ & Aquitaniæ Magistros, eorúmque judicium sibi Papam reservasse: cúmque de mandato ejus per Albanẽsem aliósque duos Cardinales Legatos, Senonensis Archiepiscopus, aliíque nonnulli Prælati & doctores ad hoc specialiter cõvocati fuissent Parisiis; consilio multâ cum maturitate digesto, prædictos crimina confessos publicâ sententiâ perpetuo adjudicatos esse carceri. Verùm Magistro generali & Normanno de repentè confessiones suas revocãtibus, confestim ut id Rex audivit, habito cum suis consilio, nullísque vocatis viris ecclesiasticis, nec item re cum Cardinalibus communicatâ, verspere ejusdem diei ambos cremari jussisse, reliquis duobus carceri reclusis. Ceterùm reliquos item qui post confessionem cremati sunt, æquè omnes quæ fassi fuissent abnegâsse, & Ordinis innocentiam prædicâsse; testantur plerique auctores qui de iis egerunt.

VIII. ALIA ITẼ DE PRIMA REI DETECTIONE.

At Amalricus Augerius satis accuratus ejusdem temporis auctor, quem non semel hactenùs citari contigit) patriâ Biterrensis, & Prior monasterij S. Mariæ de Aspirano Ordinis S. Augustini Elnensis diœcesis, in Chronico, quod ex ducẽtis & novem aliis antiquioribus se collegisse tradit, perduxitq; ad Pontificatum Ioannis XXII. casum Templariorum paulò aliter narrans, ait anno Clemẽtis tertio contigisse, in quodam castro diœcesis Tolosano per ministros regios quemdam nomine Spuinum de Floriano civem Biterrensem, cum quodam Fratre Militiæ Tẽpli apostatâ, pro suis maleficiis capi, & carceri ambos simul mãcipari. Cúmq; de suâ vitâ desperarent, ad invicem scelera sua narrantes, speciatim Templarium multos errores sui Ordinis contra Deum & Fidem Catholicam confessum esse. Squinum autem vocato cuidam regio ministro dixisse habere se rem magni momẽti quam Regi revelaret, ex quâ ingentes opes acquirere posset, nec cuiquam alij eam se detecturum. Ejus rei certiorem factum Regem, eum ad se Parisios mitti jussisse: promissaque vitæ securitate ac revelationis præmio, audivisse quæ Templarius cõfessus fuerat de sceleribus & maleficiis suæ religionis: Regem confestim aliquos Templarios comprehendi jussisse; cúmque ab eis eadem accepisset, scripsisse secretò singulis seorsùm urbium Magistratibus per universum regnũ, ut indictâ die parati cum armis essent ad exequendum sequenti nocte mandatũ quod aliis literis tunc tantummodò & non anteà aperiendis invenissent: Adveniẽte igitur præscriptâ die, quæ fuit dies Veneris tertia Idus Octobris anni millesimi trecentesimi septimi, apertis literis

regiis omnes Templarios qui inveniri potuerant captos esse; attonito ad hoc nũcium universo orbe. Ita Amalricus; pergens posteà narrare, quæ Rex, Pontiféxque, & Prælati in suis Synodis contra Templarios statuerunt.

IX. CLEMENTIS IPSIUS PONT. RELATIO.

Sed quomodò res eorum Clementi Pontifici innotuerint, atque in iis sese ipse gesserit, non aliundè luculentiùs quàm ex ipsiusmet intelligimus literis, quas ad singulos per universum Christianum Orbem sacros Antistites, pro inquisitione criminum quorum Templarij accusabantur, scripsit [y] Pictavis secũdo Idus Augusti (sic enim iis temporibus numerabant, ut dicerent secundo Nonas, secundo Idus, secundo Calendas; nec aliter invenies in Regestis Pontificum, quamquam non hactenùs ferè sépere recepto posteà usu, qui antiquorum fuit, pridie posuerimus, & posthàc posituri simus, quod annotâsse voluimus, quoniam reperimus aliquos, qui eâ de causâ quasdam ejusmodi adscriptas dies falsî damnare voluerunt) anno Pontificatûs tertio; necnon ex aliis [z] eâdem die ad omnes ubíque Christianos Reges, atque etiam Antistites, tam de iisdem scriptis, quàm de celebratione Concilij universalis post biennium à mense Octobri tunc proximo, eâ de re, de subsidio Terræ sanctæ, déque libertate Ecclesiæ celebrandi; ad quod omnes invitavit.

[y] Ext. car. exempl. ap. Rub. Hist. Raven. lib. 6. quale ad omnes missum, unde & Bzov. exscripsit seq. an. 1308.

[z] Ext. ante Conc. Vien. edit. Rom.

X. IPSORUM EXAMEN, ET CONFESSIONES.

De Templariis igitur ait; cùm primùm ipse ad Pontificalem dignitatem vocatus fuisset, tam gravia & horrenda contra Templarios apostasię, idololatrię, sodomię, & hæresis crimina ad se delata fuisse, ut fidẽ ejusmodi narrationi de Ordine tantoperè de Republicâ Christianâ merito, & piis operibus ac sacris observantiis assueto, adhibere nullatenùs induci potuerit: Sed cùmettereà Philippus Rex, cui eadem fuerant facinora nunciata, multas & magnas adversus eundem Ordinem inquisitiones coram Prælatis & Inquisitore hæreticæ pravitatis suo jussu factas, (non tamen ex avaritiâ, cùm nihil de eorum bonis sibi intercipere cogitaret, sed omnia Apostolicæ Sedis dispositionis relinqueret, verùm fidei Orthodoxæ fervore) ipsi Põtifici per nuncios & literas transmisisset; increbrescerétque in dies validiùs infamia in Templarios: cœpisse se seriò de causâ cognoscendâ cogitare. Ac primùm à quodam ejusdem Ordinis conspicuæ nobilitatis & auctoritatis milite accersito, juratóque secretò accepisse, in receptione Fratrum Ordinis hanc consuetudinem servari, ut cogerentur CHRISTUM Dominum negare, ac super Crucem sibi oblatam spuere in vituperium Crucifixi, aliáque illicita fieri tam à recipiente quàm recepto. Deinde ut certior de omnibus redderetur, multos de Præceptoribus, Presbyteris, Militibus, & aliis Fratribus Ordinis ad se vocâsse; qui omnes coram se ipso & Cardinalibus examinati ad numerum usq; septuaginta duorũ ad ipsum cõfessi sint: Cùm veròettereà Magistrum ipsum ac Præceptores majores Ordinis qui tum in Galliis erant ad se venire jussisset, ut ipsemet per os ipsorũ sciret utrùm vera essent quæ apud Inquisitorem deposuissent; quòd tamen quidam eorum tam gravi ægritudine laborarent ut equitare non possent, misisse ad ipsos examinandos tres Cardinales: coram quibus juridicè procedentibus iidem absq; ullâ coactione & terrore spontè ac liberè cõfessi inter cetera sint Christi abnegationem, & spuitionem super Crucem; nonnullíque alia horribilia & inhonesta deposuerint: petentes omnes cum multis lacrymis absolutionem ab excommunicatione quam propter præmissa incurrissent, quam ei Cardinales impertierint.

XI. ARTICULI SUPER QUIBUS INTERROGATI FUERE.

Hæc igitur summâ curâ & diligẽtiâ in tanti momenti negotio à se præstita literis suis significans Pontifex; eamdem inquisitionem per singulas provincias in quibus Templarij agerent, (captis illis & securæ custodię mandatis, boníisque illorum sequestratis) ab Ordinariis & Inquisitoribus earum fieri præcepit: designatis etiam articulis super quibus inquisitio fieri deberet, quorum scilicèt rei esse dicebantur: qui fuêre sequentes [a]: 1. An cùm in Ordinem cooptati fuissent, Christum, aut Deum, aut Deiparam, aut Divos abjurare moniti fuissent. 2. An Christum, vel Iesum, Crucíve suffixum, verum Deum esse, vel passum pro humano redimendo genere negâssent. 3. An fuisse pseudoprophetam, & pro propriis suî ipsius afflictum criminibus affirmâssent. 4. An Ordinis Magistrum, qui nullis erat sacris initiatus, crederent per pœnitentię sacramentum eluere animæ sordes & peccata posse. 5. An quæ occulta habebantur in eorum legibus, ea Orthodoxæ Romanæ Ecclesiæ vituperationi essent, crimináque & errorem fovere putarent. 6. An in Ordinis ingressu edocerentur posse inter se luxuriosè cõmisceri, neque ullum ob id perpetrari flagitium. 7. An Ordinis sui amplitudini etiam contra fas studere jurâssent. 8. An qui cooptabat eos in Ordinem, ne spem salutis suæ in CHRISTO Deo positam haberent, illis ediceret. 9. An conspuissent Crucem, Imaginémve CHRISTI Dei, aut pedibus conculcâssent, & die Veneris sancto vel alio in eam minxissent. 10. An cattum, craniúmve, aut simulacrum quodpiam divinâ veneratione coluissent. 11. An quo cingulo interulam carnémve cingebant; eò priùs idolũ quodpiam hujusmodi tetigissent. 12. An tyrones libidinosè atq; aliâ quàm deceat parte osculati fuissent. 13. An sacerdotes dum rem divinam facerent, sacra consecrationis verba omisissent. 14. An nefariũ scelus ducerent, hæc committere. Hæc præcipua capita fuêre, quorum se reos pleriq; Templariorum coram cõmissariis confessi, alij negantes convicti sunt. Narrant etiam alij [b] plura turpiora, nec minùs horrenda. Composuítque de his omnibus tractatum accuratissimum, tam ex libris editis, quàm præcipuè ex archivis regiis aliísque commentariis manuscriptis, vir illustris ac bono literarũ natus P. Puteanus Parisiensis, qui pro suâ benignâ liberalitate eum nobis communicavit; ex quo ea confirmatiora reddantur. Quæ sanè vix ut diximus quis credere posset, nisi publica Clementis Põtificis diplomata, ac diligens facta criminum indagatio, fidem facerent accusationem haud quaquàm vanam extitisse. Atque ut rectè Krantzius [c] ait, nemo levem putet occasionem subvertendi Ordinis, quem antè Romana Ecclesia tantis evexit privilegiis. Et quòd multi fabulati sunt; propter prædia & arces quas renuerant in regnis, Reges in eos conspirâsse;

[a] Ap. Rube. ubi supr.

[b] Gaguin. lib. 7. Hist. Frãc. Ægid. de Roya in Annal. Belg. hoc an. Contin. Bel. sacr. lib. 5. c. [illegible].

[c] Krantz. Vvandal. 47.

vanum

vanum vulgus æquè ad credulitatem fabulationémque promptum est atque temerarium; tùm ex auctoribus qui de iis egerunt, longè plures eos nocentes agnoscant quàm innocentes.

XII. ALIA PUBLICA EORUM CRIMINA.

Quòd si etiam errores ipsorum missos facere velimus, & ea quæ de eorum gestis à Tyrio [d] aliísque sacri Belli scriptoribus recensentur considerare; non injuriâ sublatos eos fuisse comperiemus. Quippe quos tradant in tantam arrogantiam erectos esse, ut à Patriarchâ Ierosolymitano; à quo & Ordinis institutionem & prima beneficia susceperant, sese subtraxissent: Ecclesiis Dei decimas & primitias denegarent, & earum indebitè possessiones turbarent: Avaritiæ igne adeò arsisse, ut multis eâ occasione sæpè Christianorum in Saracenos profectibus obstiterint: quo tempore sanctus Rex Ludovicus in Syria bellum gerebat, Magistrum Templi cum Soldano Ægypti tractatus habuisse: Regibus quoque Ierosolymitanis & Cypriis, ceterísque Principibus Christianis Asiæ, ducibúsque sacrarum expeditionum frequenter molestos fuisse: cum Hospitalariorum probatissimâ malitiâ ferè continuas ex invidiâ simultates exercuisse: aliaque ejusmodi quamplurima prǽsæpè commisisse, quæ illos exosos ferè ubique reddiderint. De quibus etiam olim Alexander Papa Tertius in Concilio Lateranensi [e] conquestus fuerat, quòd abutentes privilegiis à Sede Apostolicâ concessis, robur Episcopalis auctoritatis enervarent; quinimmò & in ipsammet Ecclesiam Rom. ejusque Pontifices cornua erexisse, & inobedientias plurimas ostendisse, meminimus non semel eosdem Pontiff. literis suis cum eis expostulâsse. Cùm nihilominùs negari non possit, eos multa fortiter ac feliciter in utilitatem Reipublicæ Christianæ præstitisse.

PRÆCIPUÆ CAUSÆ EORUM RUINÆ.

Et quod demùm certius de prædictis in eos accusationibus dici posse videtur; divitiæ quibus aucti immensùm erant ruinæ fuere; sive copiâ voluptatum extincta fuerit virtutum indoles, quibus res tantas terrâ maríque perfecerant; (perstátque hactenùs in Galliis proverbium, *Bibere Templariorum more*: quòd denotat eos præ nimio otio & opum abundantiâ ingurgitare se solitos vino & gulâ:) sive cædem divitiæ invidiam eis apud populum conflarint, & spem lucri apud Principes quos ab avaritiâ minimè omninò immunes etiam in persequendâ justâ reorum punitione fecerim, quandoquidem certum est multa ipsos sibi ex eorum bonis ubique usurpâsse.

XIII. EXCUSATIO IN HIS PONTIFICIS.

Quod Pontificem spectat; non potuit ipse quod egit non agere; cùm à Deo constitutus ad faciendum judicium & justitiam, & evellenda ab Ecclesiâ scádala, aures habuit necessariò præbere conclamationibus Principum ac populorum, & secundùm allegata, ac ritè probata, sententiam in sontes ferre. Qui & præterea, nequid in re tanti momenti præcipiti deliberatione conficeretur, hoc temperamento ejus cognitionem Prælatis commisit, ut inquisitione habitâ de re ipsa in Conciliis provincialibus cognosceretur; [f] quæ etiam eâ de causâ à singulis metropolitanis per omnes ubique provincias & regna proximis annis celebrata reperiuntur apud omnium nationum scriptores) indéque ad ipsum deferretur, pleniùs in generali Synodo decidenda. Qui & insuper, [f] ut nihil sinistri aut inconsulti accipere posset, alio diplomate [f] Prælaris in rerum & quæstionum instructione adesse voluit binos canonicos, totidémque FF. Prædicatores & Minores.

XIV.

Ceterum magistrum Templi non fuisse initio in Gallia, sed in partibus transmarinis; vocatúmque ante omnia esse à Pontifice & Rege, unà cum Magistro Hospitalis: (sive quòd & iste in crimen vocaretur, sive ut suspicionis occasio Templario tolleretur) & Magistrum quidem Templi continuò venisse ex Cypro; Magistrum autem Hospitalis bello Rhodiensi impeditum venire distulisse, eóque confecto adventum accelerâsse; sunt nonnulli Chronographi [g] antiqui, qui asserant. Illúdque etiam constat, suboffensum Pontificem ex eo quòd Rex propriâ auctoritate Templarios qui religiosi erant conjecisset in carcerem, ac bona eorum apprehendisset; duobus missis Cardinalibus Berengario tituli SS. Nerei & Achillei & Stephano tituli S. Cyriaci in Thermis Presbyteris, viris doctissimis & in legum ac Iuris facultate versatissimis, Regem monuisse ut & personas & bona in manus eorum daret nec aliquid de iis statueret absque ordinatione Sedis Apostolicæ.

QUO TITULO REX PHILIPPUS ADVERSUS EOS PROCESSERIT.

Quod excusans Rex ad Pontificem scripsit [h] se in his processisse non ut accusatorem, aut denunciatorem, vel partialem promotorem, sed ut Dei ministrum, pugilem fidei Catholicæ, Legísque divinæ zelatorem, ad defensionem Ecclesiæ juxta traditiones sanctorum Patrum, de quâ tenebatur reddere rationem. Denique traditur [i] propudiosum supradictum professionis modum quosdam confessos esse quadraginta circiter antè annis cœpisse: introductum [k] videlicèt à quodam Magistro, qui cùm captus fuisset à Soldano, non potuit aliâ conditione libertatem consequi.

XV. EJUSDEM SOCII CAPIUNTUR UBIQUE.

Sed observat Surita [l] cùm decimo septimo Calendas Novembris præsentis anni nuncij à Rege Francorum in omnes Christianorum Principum regiones deferrentur, expostulantes uti in sua quisque ditione, fidei Catholicæ asserendæ causam adversus Templariòs susciperet: Réxque Aragoniæ confestim capi omnes imperâsset: eos correptis armis arcium se munitione tueri constituisse; verùm missis à Rege copiis facili conatu victos esse ac captos. Et captos pariter per singula alia regna ex ceteris historicis constat.

PROBATIO INNOCENTIÆ QUORUNDAM.

Quod verò scribit Naucleru [m] ex Iacobo Moguntino; cùm Moguntiæ in Concilio considerent Antistites ad processus contra illos actos publicandos, Hugonem Comitem Silvestrem cum viginti militibus Cófratribus sub habitu probè armatis irrumpentem in Conventum, in signum innocentiæ Ordinis testatum esse, eorum qui cremati fuerant albas chlamydes ac rubricatas Cruces (qui erat Templariorum habitus) non potuisse igni absumi: & potuit miraculum (si verè factum fuit) ob venerationem sanctissimæ Crucis fieri: & potuerunt quoque in tanto numero aliqui innocentes [n] reperiri, nec delicta in omnes provincias manâsse, aut contaminâsse singulos: ac nihilominùs justè deletus fuerit Ordo, qui præcipuis suis membris tantas impietates, blasphemias, turpitudines

[d] Tyr. lib. 12. cap. 7. & lib. 20. c. 31 32. Contin. Bel. sacr. d. c. 13. Paris. an. 1241. Vrsperg. an. 1228. & alij.

[e] Conc. Later. sub Alex. III. cap. 9.

[f] Ext. in archiv. Reg. Paris. cap. 1. num. 18.

[g] Contin. Pol. & Nang. Memor. Histor.

[h] In archiv. Reg. cap. 1. num. 34.

[i] Mem. Hist.

[k] d. cap. 1. num. 18.

[l] [illegible] ind. [illegible] 2. an. 1307.

[m] Naucler. g. n. 44. Serr. Chron. Mogunt. l. 5.

[n] Vid. infr. [illegible] 11. [illegible] Mariana [illegible] 15. cap. 11. in pr.

ac scelera sustineret. Cujus clade datum est ceteris documentum similis perfidiæ vitandæ; præsertim viris sacratis, quorum opes viresque integrâ magis probitatis opinione quàm re aliâ nituntur. Atque hactenùs de rebus illorum hujus anni; cetera subsequentibus.

XVI.

[o] Contin. Pol. & Nang. Chron. Mōtfort. Bern. Guid. de Rom. Pontiff. Eymer. Direct. Inquis. par. 2. q. 11. & ibi Pegn. Anton. tit. 21. cap. 1. Platin. in Clem. V. Cor. Hist. Mediol. par. 2. [p] Vid. supr. an. 1197. VIII.

DULCINI HÆRESIAR. PROPALATIO: ATQUE IMPIA FOEDAQUE DOGMATA.

Eodem tempore [o] innotuit pariter DULCINUS quidam hæresiarcha, seu sectæ Fratricellorum [p] propagator, patriâ Novariensis in Lombardiâ; qui aliquot hominum millia (è fæce tamen ferè plebis) profanâ Doctrinâ seducere repertus est; quâ dicebat, Deum Patrem rexisse mundum in rigore & justitiâ ab ejus conditu ad usque Filij adventum; tum à Filio cœpisse gubernari in gratiâ & sapientiâ, jámq; à Spiritu Sancto in amore & charitate regi, tamquam non potuissent simul justitia gratia & amor in sanctâ & individuâ Trinitate consistere. Unde & colligebat, cùm jam vigeret regnum charitatis, illicitū esse denegare quicquid ex charitate postularetur; adeóque promiscuam virorum feminarúmque commixtionem, cùm ex charitate fieret, non peccatum, sed actum esse charitatis; ceteráque pariter omnia esse communia, ac posse liberè ab unoquoque usurpari. Negabat item Papam ac ceteros Ecclesiæ Prælatos veros esse pastores, quòd non servarent vitam Evangelicam: se autem talem esse asserebat, ac propterea ad se spectare Ecclesiæ reformationem. Addebat nebulo & cetera Fratricellorum deliria. Cùm autem per biennium in montibus & silvis impuritates suas exercuissent, multis ob penuriam & vitæ incommoda recedentibus, reliqui ab immisso in eos à Papâ Clemente Legato Apostolico cum exercitu Crucesignatorum, in abrupta Alpium fugati, partim armis partim inediâ & frigore consumpti sunt. Dulcinus unà cum quâdam *Margaritâ* sive uxore suâ sive scorto, aliísque præcipuis erroris sociis vivi capti, Vercellásque deducti, mébratim concisi sunt, ac posteà combusti cineribus dispersis. Invenimus autem observatum alicubi [q] Dulcinum captum fuisse die Cœnæ Domini: nec id sine mysterio contigisse, quippe quod etiam in sanctissimum Sacramentum peccaret, quod eâ die fuit à CHRISTO Domino institutum.

CAPTUS COMBURITUR CUM SCORTO.

[q] Contin. Hist. Ptol. Luc. cod. MS. Colleg. Fux. Tolos.

XVII.

[r] Vigner. Bib. Hist. an. 1308.

UNDE PRODIERINT, ET QUOS PRODUXERINT.

Est verò insuper quidam historicus Gallus hæreticus Calvinista, qui putat hos fuisse ex sectis Waldensium & Segarellorum, de quibus suprà suis locis; & qui posteà reperti sunt in Valle Angronij Pedemontis; & apud Merindolum & Cabrieras Provinciæ, fuisse ex eorum reliquiis. Quod cùm facile sit creditu, cùm essent vicini iis montibus; profiteantúrq; Calvinistæ, hos Angronienses & Cabrierenses secum in fide & doctrinâ sensisse; inde etiam videas, quibus satoribus ipsi producti sint.

XVIII.

LUDOVICUS HUTINUS CORONATUR REX NAVARRÆ.

Quo item anno *Ludovicus* cognomento HUTINUS filius natu maximus Philippi Francorum Regis, ex successione matris suæ Ioannæ Reginæ hereditariæ Navarræ; quæ jam ante biennium Parisiis decesserat, Pampelone coronam regni suscepit: non sine Regis Aragonij à tam propinquo potentéque Principe terrore; quem tamen paulò pòst deposuit, reverso in Galliam Ludovico.

XIX.

EDVARDI REG.

Eodem item anno Nonis Iulij *Eduardus* Rex Angliæ, cùm progrederetur adversus Robertum Brusium regni Scotici vindicem, mortuus est ex dysenteriâ in finibus Scotiæ, cùm regnâsset annos triginta quatuor, menses septem dies viginti unū: vixisset annos sexaginta octo & dies viginti: Princeps animo, corpore, potentiâ, rebúsque gestis magnus: qui & tantum de se præsumpsit etiam moriens, ut & cadaver terrori fore hostibus jactās sepeliri prohibuerit, sed in exercitu deferri donec tota Scotia subjugata penitùs esset: non enim vinci Anglos posse quamdiù ossa sua secum haberent, paritérque filio suo negotium Terræ Sanctæ commendans, jussit cor suum eò asportari, sícque omnia suis prosperè successura. Quæ tamen haud impleta fuêre; sed corpus delatum Londinum ad Ecclesiam Vvestmonasteriensem & cum majoribus sepultum: ut scribunt auctores Angli [s]. Scoti [t] verò perpetui Anglorum tam armis quàm scriptis adversarij, tradunt Eduardum obiisse morbo repentino, nullis receptis sacramentis, nullo pœnitentiæ signo dato; visúmque à quodam in extasi ad tartara à dæmonibus detrahi. Sanè repentinum fuisse Eduardi obitum, prædicti quoque auctores Angli satis innuunt, dum pridie Nonas iter fecisse quamvis jam laborantem, Nonis ipsis mortuum scribunt; nullâ factâ acceptorum sacramentorum mentione, quam solent in aliis diligenter memorare: Et meruisse graves pœnas extremum ejus facinus, quo animam jam trahens quinque ac quinquaginta nobilium Scotorum liberos ferè omnes impuberes paulò antè captos, nihil ætatis innocentiâ commotus, jussit suspendio necari; nemo sanus dubitaverit. Id enim ita factum, iidem Scoti absque ullâ dubitatione tradunt; tacentibus omninò Anglis.

ANGL. OBITUS.

[s] Vvestmon. & Vvalsingh. [t] Bœth. lib. 14.

EIUS MORS QUALIS.

XX.

SUCCEDIT EDVARDUS II.

Patri Eduardo successit *Eduardus* filius natu maximus, ejus nominis Secundus Regum ab adepta per Normannos Angliâ, Quintus verò à primo ejusdem nuncupationis anteriorum temporum Rege; dictus cognomento *de Canervan* à loco ubi natus: annúmque tum emensus vigesimum quartum; longissimè patri in omnibus dissimilis. Qui mox ejus monitorum atque mandatorum negligens, derelicto bello Scotico (priùs tamen magnâ Scotorum parte in verba sua jurare compulsâ) in Angliam rediit. Eâque occasione benè usus Rex Scotorum Robertus è latebris suis erumpens, tam per seipsum quam per fratrem suum Eduardum, Anglos & Scotos eis inhærentes non parvis cladibus affecit, quibus suorum animos metu ac malis consternatos in meliorem spem erexit.

XXI.

[u] Stuph. Guilliman. & Suizzer. in Hist. Helvet.

FOEDERIS HELVET. INITIUM.

In præsentem annum conferunt [u] auctores initium *Fœderis Helvetici*: cùm occasione, seu prætextu injuriarum præfectorum Austriacorum, Urij, Suitij, & Undervaldij, initâ societate cœperunt iis obniti, & arces diruere. Qui deinde anno demùm Christi 1315. mense Decembri fœdus suum primùm in literas retulêre ac juramento confirmavere, quod Ludovicus Bavarus pro Imperatore se gerens Austriacorum hostis probavit, & immunitatibus ornavit. Iisdem autem se paulatim alij atque alij populi vicini jungentes, extinctâ fermè nobilitate, & excusso superiorum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium quo jure quâque injuriâ jugo, in eam Reipublicæ formam & virium potentiam abierunt, quæ illos magnæ

apud

apud omnes gentes ac Principes considerationis reddidit; *Suitiorum* nomine (apud quos primùm pugnatum fuit) notiores. Qui & inter se patriâ linguâ *Eydge nossen* dicuntur, hoc est Fœderati: Græcari in hoc visi, cùm ἕνωσις apud Græcos unitio sit, & ἑνωτικὸς unitivus. Sicuti & ex prædictæ Suitiorum sive Helvetiorum vocis pravâ Gallorum pronuntiatione, sunt qui *Vgonottos* non abs re velint denominationem accepisse, quòd sic sese mutuò hæretici suis bellorum de religione confœderationibus nuncuparent.

IESV CHRISTI Annus 1308. CLEMENTIS V. Ann. 4. ALBERTI Ann. 10. ANDRONICI Annus 26.

I.
[a] *Sup. an. 1299. I.*
NVPTIÆ EDVARDI REG. ANGLIÆ ET ELISAB. FILIÆ PHILIP. REGIS FRANC.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octavo, Indictione sextâ, ipso mense Ianuarij Eduardus juvenis Rex Angliæ transmittens in Galliam, pactas olim[a] auctoritate Bonifacij Pontificis nuptias cum Isabellâ sive Elisabethâ filiâ Regis Francorum, & ob tenerâ illius ætatem (quæ etiánum vix annum decimumtertium attigerat) hactenùs dilatas, atque à Clemente Papâ denuò conciliatas, apud Boloniam in Morinis è Regione Angliæ magnâ plurium Regum ac Principum ad eas cõvenientium solemnitate celebravit: (infaustissimas tam Anglis quàm Francis futuras, ut suis locis videbimus:) indéque revertens in Angliam, cum uxore suâ coronatus est Wintoniæ die S. Matthiæ sexto Calendas Martij. Ab ipso verò regni sui initio, odio esse suis cœpit ob revocatum ab exilio quemdam *Petrum Gaverstonium*: quem filium existentem nobilis cujusdã Aquitani qui strenuè Eduardo patri militaverat, (Italum quidàm dicunt; nonnulli etiam Anglum: equidem oriundum dixerim ex Angliâ, ortum in Vasconiâ Aquitanicâ quæ Anglis suberat; vocabulum enim magis Anglum sonat, quàm vel Italum vel Gallum.) Idem Eduardus pater puerulum scitum & venustum cum filio suo educandum curaverat; ac posteà sive ex invidiâ procerum eò quòd plus ceteris omnibus à filio diligeretur, cunctísque elegantiâ corporis, solertiâ ingenij, armorum peritiâ antestaret, sive ex aliâ causâ, extra Angliam in exilium amandârat, ac moriens severissimè filio prohibuerat ne illum absq; eorumdem procerum consensu revocaret. Revocavit tamen ille statim omnibus inconsultis; & licèt iisdem vehementissimè obstrepentibus, eò usque exaltavit, ut non solùm pecunias à patre ad sacrum bellum relictas, & sub maledictione in alium quemcumque usum erogari prohibitas; Comitatúmque Cornubiæ qui filiis regis attribui cõsueverat, atque insulam Monam quæ specialiter coronæ regiæ erat, eidem contulerit; verùm etiam sororis suæ filiam Glocestriæ Comitissam in uxorem dederit: tanto procerum livore, ob intolerabilem fastum Petri, & opum regni interversionem, ut eâ occasione rebellare in Regem cogitaverint, & manu armatâ in eum processerint: nec unquam à Petro prosequendo cessaverint, quousque tandem semel & iterùm ab Angliâ exulare compulsum, & totiens à Rege ardentiori desiderio revocatum & admissum, eumdem privatâ auctoritate, seu potiùs audaciâ, capite truncârunt anno millesimo trecentesimo undecimo. Quæ narrat pluribus Thomas Valsinghamus[b], acerrimus Petri accusator & Regis carptor: breviùs ac modestiùs Thomas de Moor[c] eques auratus, ejusdémque Regis familiaris in vitâ ipsius. Quorum tamen uterque parcens ceteris dissolutionibus regiis, nihil habet de ejus intemperantiâ, quâ cum parasitis, citharœdis, scurris, ganeonibus, epicureis, vitam transigebat, interim dum Petrus regnum ad libitum administrabat: prout referunt Polydorus[d] & Harpsfeldius[e] ex aliis Angliæ monumentis; & traditur in codice Vaticano[f] Rerum Anglicarum eo tempore fideliter ac sincerè scripto.

PETRVS GAVERST. CAVSA DISSENSIONIS INTER REG. ET PROCERES ANGL.

[b] *Vvals. Eduar. II.*
[c] *Ext. post opera Vvalsingh.*
[d] *Polyd. Hist. Angl. lib. 18. in pr.*
[e] *Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæc. 14. cap. 1.*
[f] *Cod. Vat. num. 5586.*

II.
ALBERTVS ROM. REX OCCIDITVR A PROPRIO NEPOTE IOANNE.

Hoc eodem anno *Albertus* Romanorum Rex Boëmiam rursùm invadere, simúlque pagos Helveticos superiori anno rebelles factos armis persequi deliberans; Calendis Maij post transmissum navigio Rhenum, dum per sata meridie in propriâ suâ terrâ apud Rinsfeldam equitaret, gladio occisus est à proprio nepote Ioanne Sueviæ Duce filio Rudolphi olim fratris sui, quem cũ propriis liberis educaverat; ob denegatum sibi patrimoniũ quod Albertus tutorio alióve nomine diutiùs justo detinebat: factâ ad id conjuratione cum nõnullis aliis proceribus, quos Albertus bonis & juribus suis spoliaverat. Ita enim rem gestam narrat auctor tempori proximus Albertus[g] Argentinensis: adstipulantúrque ceteri[h] omnes tã de nece quàm de tẽpore: Ut nullo modo audiendi sint qui in annum præcedentem referunt. Regnavit à morte Adolphi annos 9. menses 10. à posteriore ipsius ab Electoribus electione minùs dies 25. Cujus occisores variis posteà suppliciis sublati sunt. Ioãnes pœnitentiâ permotus[i] Clementem Pontificem adiens ut expiaretur, ac quas juberet ille pœnas sustineret; rejectus est ad Henricum Alberti successorem; arbitrio enim Cæsaris percussorem Cæsaris luere debere. Quem Henricus, dum in expeditione Italica ageret, Pisis sese ipsi pandentem religioni Eremitarum S. Augustini addixit: in quâ eodem loci usq; ad mortem pœnitentiam egit, ibidémq; sepultus est; atq; ejus sepulcrũ se vidisse testatur Æneas Silvius. Ex quo refellas Felicis[k] Fabri fabulam de reditu Ioannis post 70. annos incognitæ absentiæ ad locum cædis Alberti, mortémque ibi obitam. Nam quod & alij nonnulli scribunt, Ioannem in eremo vitam duxisse: id inde accidit, Quod Ordinem Eremitarũ S. Augustini, ut diximus, ingressus est. Ceterùm Elisabetha uxor Alberti confestim post ejus obitum in ipso loco ubi cæsus est monasteriũ Clarissarum erexit, dictum Kingsfeld, hoc est, Campum-regium, sub avito castro Habspurg, majori altari ecclesiæ ibi collocato ubi expiravit. Ipsáque unà cũ Agnete relictâ Andreæ Regis Hungariæ sorore Alberti, habitaculis sibi juxta monasterium constructis, in sanctâ viduitate reliquum vitæ ibidem trãsegerunt.

[g] *Alb. Argentin. in Chron.*
[h] *Vill. lib. 8. cap. 95. Ant. tit. 21. cap. 1 § 4. Contin. Ster. Rebdorff. in Annal. Felix Fabr. Hist. Suevor. lib. 1. c. 14. Trith. in Chron. Hirsaug. Krantz. 8. Saxon. 41. Vecer. in Vit. Henr. Reg. VII.*
[i] *Æn. Silv. Hist. Boëm. cap. 28. Æmil. in Phil. IV. Krantz. 7. Vvandal. 32.*

IOANNIS POENITENTIA.
[k] *Fel. Fab. l. 1. cap. 13.*

III.

Alberti auditâ nece, Philippus Rex Francorum de Imp. in Gallias postliminio redu-

cendo sollicitus, cujus, spem Carolo Valesio ipsius fratri Bonifacium fecisse vidimus; Clementem ad id peragẽdum urgere deliberavit. Quâ de re secretò monitus Pontifex, simulq; timens, si id fieret, Ecclesiam graviori servitutis jugo pressum iri; arte ac diligentiâ Cardinalis Pratẽsis, (jam à Rege alienati, ob memoriam Bonifacij tantâ ab eo animositate impetitam) cum Electoribus clàm egit, ut priùs quàm Philippus de his cum Pontifice tractare posset, successorem Alberto nominarent *Henricum* Ducem Lucemburgensem: quod ipsi celerrimè intra octiduum executi sunt. Sic enim Regem delusum tradit Villanius [l], & ex eo Antoninus [m]: quem ut solet descripsit Nauclerus, & alij pòst secuti; necnon Conradus Vecerius [n] in Vitâ ejusdem Henrici, quam ferè inde compilavit. Quibus tamen non parùm officit, quòd qui ex cæteris citimum tempus electionis Henrici signant, eam factam ponunt mense Augusti; nonnulli [o] etiam in festo Omnium Sanctorum, totis videlicèt sex mensibus à cæde Alberti; pluresque tardiùs [p] nimirùm octavo, vel septimo, vel etiam quinto Calendas Decembris. Quid enim tanta dilatio in modicâ itinerum intercapedine, ad præcipitem aliorum celeritatem? Aut unde Regi gravis hæc socordia, ut de re maximopere à se concupitâ tandiù distulerit Pontificem sollicitare in suo regno præsẽtem? Omitto quòd ex prædictis auctoribus sunt qui dicant electionem Henrici factam fuisse Midelburgi, seu Magdeburgi, vel etiam Lucemburgi, locis penitùs ad ejusmodi conventus insuetis: cùm tamen ceteri tradant factam more & loco majorum Francofordiæ. Sed utcumque res se habuerit, si quæsivit Rex fratrẽ suum ad Imperium evehi, non ei vitio aut crimini jure verti potest, quòd restitutionem rei à suis decessoribus possessæ, à Bonifacio promissam, ab ejus successore obtinere ambierit. Si non quæsivit, nihil propterea detraxerim candori Villanij qui rem narravit ut auditu ab aliquo malevolo, & tam Regi quàm Pontifici injurio percepit. Fuit autem *Henricus* VIII. eo nomine dictus Romanorum Rex, (VIII. dicẽdus, si ratio habeatur Lantgravij, qui aliquando electus [q] fuit contra Fridericum II.) Sextus verò eorum qui coronam Imperialem à Pontificibus susceperunt: corpore [r] quidem luscus, sed animo integer, multarúmque virtutum Princeps, egregiis belli pacísque dotibus apprimè ornatus: de cujus inauguratione, rebúsque gestis, dicetur postea ordine temporum.

HENRICUS LUCEMB. ELIGITUR IN REGEM ROMAN.

l Vill. lib. 8. cap. 101.
m Ant. tit. 21. c. 1. §. 5.
n Ext. tom. Rer. Germ. vrstis.
o Alb. Argent. in Ch.
p Contin. Pol. Bern. Guid. Trith. Onuphr. &c.

RATIO TEMPORIS ET ELECTIONIS.

q Sup. an. 1245. XXVII.
r Serar. Rer. Mogunt. l. 5.

IV.

Hoc eodem anno Clemens Pontifex motibus Hungaricis [s] provisurus, Legatum eò misit *Fr. Gentilem de Montefloris* Picenum tituli Equitij Presbyterum Cardinalem Ordine Minoritam, non mediocris virtutis & consilij virum. Qui primùm id agens ut procerum animos, malè in Pontificem & Carolum Regem affectos, in eorum obsequium dirigeret; ubi præcipuos in suam sententiam traduxit, atque imprimis Matthæum Palatinum summæ inter eos auctoritatis, (qui tamen posteà adversatus est Carolo:) ratus jam aliquid tutiùs audere posse, tum eundem Carolum vigesimo septimo Novembris hujus ipsius anni [t] in domo Prædicatorum civitatis Pescensis in Regem inunxit; & decimoquinto Iunij anni subsequentis in ecclesiâ B. Mariæ de Castris Budensibus Vesprimiensis diœcesis coronavit: cum severum anathematis edictum in pertinaces Caroli adversarios promulgavit. Ac speciatim Ladislaum Transilvaniæ Vaivodam, quòd Coronam quam Hungari sanctam vocant, ac penè ut ut divinam venerãtur, Othoni Bavaro ademptam, nullis precibus, donis, minis restituere adduci posset; necnon quòd filiam suam Stephani Regis Serviæ (quam Dardaniam sive Mœsiam esse volunt) filio schismatico uxorem dedisset; gravissimo anathemate damnavit. Quibus demùm factum est, ut habitis anno Domini millesimo trecentesimo decimo, generalibus totius Regni comitiis, cunctorum procerum ac populorum suffragiis *Carolus* in Regem acceptus fuerit; & octavo post sancti Stephani eorum olim Regis solemnia die, (nempè vigesimo secundo Augusti) in Alba-regali sacrâ coronâ, quâ Ladislaus paulò antè reddiderat, redimitus; magno regni bono, quod per triginta duos inde annos præclarissimè bello & pace administravit. Res autem ut gesta sit, narrant illius nationis historici [u]. Alij [x], hoc eodem anno prædictum Gentilem Legatum auctoritate Pontificiâ confirmâsse in eâdem Hungariâ ordinem *Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ*, sub regulâ S. Augustini militantem. Cujus vitæ institutum postmodùm etiam Ioannes Papa XXII. confirmavit.

s Vid. sup. an. 1301. XVI. XVII.

GENTILIS CARD. LEGATIO IN HUNGAR.

t Ext. de his litt. in Coll. Card. Archiep.

Auxit. Coll. Fux. Tolos. facta jussu urb. PP. V.

CAROLUM CORONAT. IN REGẼ.

u Thurof. c. 89. Bonfin. dec. 2. lib. 9.
x Onuphr. in Chron. Eccles.

CONFIRMAT ORD. S. PAULI PRIMI EREM.

V.

Misit [y] pariter Clemens hoc eodem anno Pontificatus tertio Calẽdis Aprilis, *Ægidium* Patriarcham Grandensem, Lapum Procuratorem generalem Ordinis Prædicatorum, & Antonium Procuratorem item generalem Minoritarum, ad Urosium Rasciæ (quam Dardaniam esse volunt) Regem, sive ut vocabant Despotâ, schismate Græcorum ab Ecclesia extorrem; qui priùs oratores suos ad Pontificẽ miserat, nunciatum se suósque velle ad gremium Ecclesiæ redire, fidémque edoceri Catholicã, ac petitum idoneos tantæ rei ministros. Cui abundè Clemens per prædictos legatos satis fecit; missâ eadem professione fidei, quàm vidimus [z] à Clemente IV. ad Græcos transmissam: additísque quæ tam ipse Rex, quàm ejus Clerus & populus ad unionem Ecclesiæ præstare ac profiteri deberent. Dans quoque prædictis legatis in mãdatis, ut si res pro voto succederet, auctoritate Apostolica Regem ac regnum ejus sub protectione Sedis Apostolicæ reciperent; & Vexillum ab eo ex devotione petitum contra Infideles illarum partium, sine alterius præjudicio, usque ad beneplacitum ejusdem Sedis traderent. Toleraréque se interim declarans, ut sacerdotes non Latini ritè ordinati, in Missâ Corpus Dominicum in fermentato cõficere possent, quousque aliud per eandem Sedem decerneretur. At verò nunciis licèt honorificè susceptis à Rege, nihil tamen actum est: sive, ut excusavit [a], quòd matris suæ ac fratris metu à cœptis destitisset; seu veriùs; quòd [b] cùm audîsset fœdus adversus Græcos [c] ictum (cujus solius timore legatos ad Pontificem miserat) refrixisse, sententiam mutâsset, delusis de prisco gentis more nunciis.

y Reg. Vat. l. 21. & seq. Vvading. tom. 3. oc an. Bern. Guid. a Clem. V. oc an.

LEGATIO AD REGEM RASCIÆ PRO EIUS CONVERSIONE.

z An. 1267. I.

a Bern. Guid. ibid.
b Blond. & Platin.
c Supr. an. 1306. III.

VI.

Quo item anno, dum adhuc Clemens esset Pictavis, magno infortunio accidit Romæ ut basilica Lateranensis unà cum patriarchio &

BASILICA LA-

TERAN. INCENDIO CONSVMITVR.
[a] Vill. lib. 8. cap. 97.

ædibus circumvicinis fortuito incendio consumpta fuerit; solâ excepta ædiculâ dictâ Sancta Sanctorum, quâ asservabatur sacra Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli. Quod quidem accidisse mense Iunij, Villanius [a] scribit: plerisque tamen ponentibus die festo S. Ioannis ante Portam Latinam qui celebratur sexta Maij. Ipsomet quoque id testante Clemente Pontifice, cùm ad tam acerbum casum (qui fortè damnum Ecclesiæ Romanæ ex translatione Sedis obventurum portendere potuit: quòdque ut averterent Clerus populúsque Romanus supplicationes ac processiones magnas celebrarunt ad implorandam divinam misericordiam:) vehementer indolescens, & damnum celerrimè resarcire cupiens, literis Pictavis secundo Idus Augusti anno Pontificatûs tertio ad Fridericum Regem Trinacriæ pro lignis & trabibus ad opus è Siciliâ mittendis scriptis, narrat qualiter nocte præcedenti festum S. Ioannis ante Portam Latinam ignis in sacristiâ ipsius Ecclesiæ relictus ex improviso succensus eamdem ecclesiam subitâ ruinâ vastaverit. Ad quod misit etiam idem Clemens magnam pecuniam; indulgentiásque singulares concessit porrigentibus manus adjutrices, quibus demùm factum est, ut omnia in meliorem & splendidiorem statum restituta fuerint. Observátque rem notatu dignam Continuator Historiæ Ptolomæi Lucensis tunc vivens; tanto zelo hâc in re processisse nobiles feminas Romanas & viros timoratos ut ipsas quadrigas onustas lapidibus traherent ad ecclesiam, non permittentes ut animalia eam violarent.

ET REPARATVR.

VII. CONTENTIO DE PRIMATV AQVIT.
[b] Boer. addit. ad tract. de praemin. Magni Concil.
[c] Chassan. Catal. glor. mund. par. 4. consid. 21.
[d] Azor. Instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 36.

Dum esset item Clemens Pictavis, ubi anno ampliùs mansit, res alia ibi accidit memoratu digna. Fuit longa olim controversia inter Archiepiscopos Bituricensem & Burdegalensem de Primatu Aquitaniæ, quem quisque suæ Ecclesiæ deberi contendebat; quíque nihilominùs variis Pontificum Romanorum decretis Bituricensi adjudicatus fuerat; tum, ut puto quòd ea civitas primaria esset Aquitaniæ Primæ, Burdegala autem Secundæ, tum etiam quòd aucta fuisset titulo Patriarchali; ægre tamen Archiepiscopis Burdegalensibus ei subesse patientibus; ut patet ex iis quæ de his plenjùs tractavit Ioannes Chenu in Chronologiâ Archiepiscoporum Bituricensium; & ante eum Nicolaus Boërius [b] Bartholomæus Chassanæus [c] Ioannes Azorius [d] & alij. Cùm ergo esset Clemens, dictus tum Bertrandus, Archiepiscopus Burdegalensis, Ægidius Bituricensis, (Hunc enim omninò tunc sedisse constat; non Milonem, quem historiæ à nobis recensendæ auctores ponunt, qui nullus comparet inter Bituricenses Archiepiscopos) ægrè ferens eum sese Primatem Aquitaniæ indigitare, mandavit *Gualtero Brugensi* Episcopo Pictaviensi Ordinis Minorum, viro doctrinâ & pietate conspicuo, (cujus scripta recenset Trithemius [e]) ut nomine suo Bertrando ejusmodi titulo interdiceret, inobedientem excommunicatum denunciaret. Fecit Gualterus, quamvis unus ipse ex suffraganeis Archiepiscopatûs Burdegalensis. Factus Pontifex Clemens, memor injuriæ Gualterum deposuit, & ad claustrum remisit. Hanc enim depositionis ipsius causam in Historiâ Francorum [f] reperimus, cùm Antonius [g] tribuat controversiæ cum Bertrando habitæ pro juribus Ecclesiæ Pictaviensis: Et alioqui fuisse Gualterum animosum defensorem jurium Ecclesiæ suæ, constet ex eo quòd in Archivo Burdegalensi reperiatur memoria gravium dissensionum quæ fuerunt inter ipsum & Henricum de Gebennis Archiepiscopum Burdegalensem decessorem Bertrandi, ob fracturam cujusdam capellæ seu ecclesiæ consecratæ, ab Archiepiscopo factam intra clausuram domûs Episcopalis Pictaviensis. Ceterùm appellante Gualtero à prædictâ sententiâ Clementis Pontificis in se latâ *ad Iudicium Dei*, cum paulò pòst morbo correptus ad extrema devenisset, schedulam appellationis suæ sibi in manum dari voluit, & cum eâ sepeliri: ad cujus sepulchrum cœpére mox in ecclesiâ Minorum civitatis Pictaviensis miracula sanitatum fieri. Accedens autem Pontifex Pictavos, audiens quod Gualterus fecerat, sepulchrum in præsentiâ suâ secretò aperiri jussit ad recipiendam schedulam. Sed mirum accidit, ut numquam illa è manu Gualteri extrahi potuerit, nisi dato priùs jurejurando de illâ restituendâ. Tunc enim apertâ manu accepta est schedula: nec tamen qui sepulchrum ingressus fuerat, exire inde ullo modo potuit, nisi schedulâ, postquàm lecta fuisset à Pontifice, restitutâ. Rem miratus Pontifex, memoriam Gualteri deinceps honoravit, & sepulchrum ornari jussit.

ARCHIEPISCOPVS BITVR. EXCOMMVNICATVM DENVNCIAT BVRDEGALENSEM.
[e] Thrith. in catal. viror. illustr. Vvadding. an. 1307.
[f] Nic. Gill. in Phil. Pulchr. Bellefor. lib. 4. cap. 47.
[g] Ant. tit. 24. cap. 9. 8.

EGREGIA HISTORIA DE GVALTERO EPISC. PICTAVIEN.

VIII.
[h] Vvestmon. & Vvalsing. an. 1306. Bellefor. d. 47

QVID CLEMENS PRÆSTITERIT IN CONTROVERSIA DE PRÆDICTO PRIMATV.
[i] Ex Archivo Eccl. Burdegal. V d. an. 1213. XX.

Quod verò rursùm controversiam Primatûs Aquitanici spectat; sunt qui scribant [h] Clementem eum Ecclesiæ Burdegalensi adjudicâsse contra Bituricensem. Attamen verius putamus, eum dumtaxat Archiepiscopum Burdegalensem exemisse jurisdictioni & superioritati Bituricensis, non ut hunc illi subjecerit. Quâ de re allegantur etiam litteræ Clementis datæ Lugduni 10. Cal. Dec. Pontificatus anno primo. Cùm priùs Gregorius [i] IX. circa hanc controversiam inter alia statuisset ut Bituricensis provinciam Burdegalensem visitare posset: ad quod dies haberet quinquaginta, per quos procurationes inter diœceses dividendas reciperet in ecclesiis ad quas eum declinare contingeret. Haud tamen potuit Clementis decretum controversiam ita sopire, quin & post hæc Archiepiscopus Bituricensis appellationes à Burdegalensi admiserit. Resque hactenùs eo statu consistit, ut uterque Archiepiscopus titulum Primatis Aquitaniæ retineat ac Iudices Primatûs constituat. Quorum nihilominùs auctoritas non ab aliis quàm à propriis metropolibus agnoscitur; ceteris ob illarum contentionem sese à Primatu subtrahentibus: cui alioqui dicuntur jure subesse præter metropoles controversas, tres aliæ, videlicèt Narbonensis (quam tamen alij etiam ab antiquo huic subjectioni eximunt) Tholosana, & Auxitana. Sed de his ipsi viderint, nos cetera hujus anni prosequamur.

IX. MEDICVS PRÆMIVM CVRATIONIS CLEM. ACCIPIT ARCHIEPISCOPATVM MOGVNT.
[ii] Serar. Hist. Mogunt. lib. 5.

Antè verò quàm Pictavis Clementem abducamus, haud omittimus contigisse ibidem eum graviter infirmari; & arte Petri [ii] cujusdam medici expertissimi, quem Henricus Comes Lutzemburgensis posteà Imperator ad Pontificem miserat pro Archiepiscopatu Moguntino tunc vacante Balduino Henrici fratri petendo, sanari. Qui cùm repulsam pro

Balduino passus esset ob juvenilem ejus ætatem; sanatus Pontifex ab infirmitate in quam interim incidisset, eidem ipsi Petro medico Archiepiscopatum contulit; dicens, quòd tam felix esset curator corporum, maximè convenire ut & insignis constitueretur animarum curator & medicus; præsertim cùm esset vir pius & moribus insignis qui & posteà curavit Balduinum Henrici fratrem creari Archiepiscopum Treverensem.

X. CVRIA CLEMENTIS STATVITVR. AVENIONE.

Cùm verò abeundum esset Pictavis, (quod non nisi anno sequenti circa autumnum contigit) statuit Clemens unà cum Cardinalibus (ut habet Continuator Historiæ Ptolomæi Lucensis) Curiam transferre *Avenionem*, (urbem videlicèt Provinciæ Phocæensis dominij Caroli Regis Siciliæ, ubi liberiores forent ab importunis Regis Francorum postulatis) ibíque omnes sistendos se ad octavas Epiphaniæ anni pòst sequentis, nempè 1309. interim quocumque vellent abituri.

XI. [k] Trith. de Scrip.Eccl.s. IOANNIS DVNS SCOTI OBITVS.

Hoc item anno millesimo trecentesimo octavo (ut ex epitaphio, Trithemio[k] aliísque auctoribus constat) sexto Idus Novembris, *Ioannes Duns* Ordinis Fratrum Minorũ insignis Theologus, obiit Coloniæ, ubi prima fundamenta Academiæ posuit. Dictus est à natione *Scotus*; (sunt tamen qui Hibernum fuisse omninò velint: quod eo sensu Scoti consentiunt, ut fuerit antiquitùs Hibernia Scotiæ quoque nomine dicta, de quo alias:) & à profundâ nec cuivis comprehensu facili disputationum suarum tractatione, seu ut sui volunt ab excellenti ingenij acumine quo in difficillima quęque feliciter penetravit, ab Universitatum & Academiarum matre Scholâ Parisiensi *Doctoris Subtilis* cognomen adeptus, ac præcipuè (ut ferunt) ex admirabili defensione Immaculatissimæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis: cui vel hoc solo nomine Deus in æternum benè faciat, Ecclesia benè velit, singuli Fideles gratulentur. Qui verò Alexandri Alensis discipulum faciunt, nimium quàm exorbitant à vero; cùm qui triginta tres duntaxat annos, ut plures volunt, vixit, triginta fermè natus dicendus sit ab obitu Alensis, quem vidimus contigisse anno millesimo ducentesimo quadragesimoquinto. Quòd autem in nonnullis doctrinam S.Thomæ Aquinatis impugnârit, inde ortæ sectæ *Thomistarum & Scotistarum*: quarum altercationibus non semel læsa est sectatorum charitas. Vocat eum Langius[l] Benedictinus *Theologum sui temporis argutissimum & scholasticissimum*: in eum licèt invectus; quòd celestem & Euangelicam doctrinam contra B.Pauli Apostoli formam (ut ait) tractaverit & docuerit philosophicè. Obiit porrò in ipso ardore juventutis; cui si longiùs vitam propagare datum fuisset, majores utique edidisset in Scholis mugitus, quàm post mortem dedisse à nonnullis recentioribus asseritur; cùm, ut aiunt subitâ apoplexiâ correptus pro mortuo vivens sepultus est, & redeunte vitâ magnis clamoribus opem implorans, pulsato diù sepulcri lapide eliso capite periit. Quod tamen ab ejus adversariis planè confictum esse, ipsius & doctrinæ & vitæ defensores multis argumentis & testimoniis adstruere satagunt[m] eumdem pariter à ceteris in eum criminationibus vendicantes.

THOMISTARVM. ET SCOTISTARVM SECTÆ. [l] Chron. Citiz.an. 1330.

[m] Prolixè de his agunt Heruart. in Mantiss. contr.Bzov. ad an.1294. & Vvading. Annal. Min. to.3.an. 1304. & 1308.

XII. S. CLARÆ DE MONTE-FALCO OBITVS.

Quo item anno decimosexto Calendas Septembris apud Montem-Falconem in Umbriâ ad cœlos migravit *Clara* religiosissima virgo, totâ Italiâ celebratissima: cui ardens in Crucem CHRISTI amor, cordíque impressa Crucis mysteria, *de Cruce* cognomen dedêre. Quæ ab ipsâ infantiâ pietati dedita, inde sacrum velum sanctimonialium sancti Augustini accepit, (an nihilominùs sub veste [n] Franciscana?) & Abbatissa facta ingentia omnium virtutum Christianarum exempla dedit; multisque miraculis claruit, divinis etiam revelationibus illustrata, & dono prophetiæ decorata. Post ejus obitum cor exenteratum, & novaculâ divisum, repræsentavit in se expressa instrumenta Dominicæ passionis velut si exculpta essent; & licèt carnea, colorem tamen & duritiem habentia ligni & ferri atque aliarum rerum quarum exempla erant. In vesicâ fellis tres rotundi globi solidi ut cineres colorati inventi sunt haud notæ materiæ magnitudine nucis avellanæ, ita dispositi ut trianguli formam efficerent; & Sanctissimæ Trinitatis, cujus illa cultrix extitit singularis, arcana repræsentare viderentur, cùm non solùm imagine & colore ac magnitudine, verùm etiam ita pondere pares essent, ut si singuli seorsùm, vel unus cum duobus, aut omnes simul appenderentur, æquale semper pondus reperiretur. Visuntúrque hactenùs istiusmodi omnia monumenta unà cum corpore incorrupta. Et quòd claruerit eadem Clara etiam post mortem multis & insignibus miraculis; Nicolaus Quintus eam antiphonâ & oratione honorari, Urbanus[o] VIII. integro Officio coli ejus Ordini concessit.

[n] Vid. Vvading. an. 1308.

INGENTIA PRODIGIA IN EIVS CORDE ET FELLE.

[o] Bullar. tom.4. Vrb. VIII.Const. 23.

XIII. B. AGNES POLITIANA.

Nec minùs eodem tempore decorabat Italiam *B. Agnes* virgo Politiana religionem S. Dominici professa, visionibúsque divinis sæpiùs illustrata; quæ diem obiit anno 1317. eádemque virtutibus & miraculis insignem, anno 1601. Clemens Papa VIII. in gratiam Henrici IV. Regis Christianissimi Beatarum Virginum numero adscripsit [p]. Nec omittenda *B. Angela* Fulginas, tertij Ordinis sancti Francisci professa, olim matrimonio juncta: quæ post viri ac liberorum obitum venditis quæ possidebat, & in usus pauperum distributis, cælestem vitam in terrâ duxit, duodecim totos annos solâ Eucharistiâ nutrita, quæ & multa dictavit cõfessario suo pia opuscula: extátq; ejus Vita, quam anno proximè sequenti finivit, miraculis clara. Cui & socia paris sanctitatis fuit *B. Paschalina*, idem institutum professa.

[p] Bzov.an. 1317. VI.

B. ANGELA FVLGINAS.

B. PASCHALINA.

XIV. GRÆC. CLADES A CATALANIS

Hoc eodem anno Michaël Palæologus Andronici Imp. Constantinopolitani filius, & ipse Imperialibus insignibus à multis annis à patre decoratus; ad Apros vetustam Thraciæ urbē, à Bernardo Roccafortio Societatis Catalanicæ, de quâ supra, duce cum valdè pusillis suorum copiis adversùs numerosissimum Græcorum exercitum signis collatis confligente, ingenti strage profligatus est, amissis sex equitum ac viginti peditum millibus, ipsóque vix summo cum capitis periculo evadente. Rem miraculo propè comparandam diligenter descripsit Montanerius Catalanus qui interfuit, ex quo & alij auctores Hispani[q] summatim meminêre. Narrat & Nicephorus[r] Græcus, sed longè parciùs; & cladem tribuens Massa-

[q] Surit. Ind. lib.2. Marian.lib.15. cap.14.

[r] Nic. Greg. lib. 7.

getarum & Turcopulorum qui cum Græcis militabant defectioni.

XV. PALÆOLOGORUM IN MONTEMFERRATUM INGRESSUS.

Eodémque tempore, (nempè hoc anno, ut quidam ponunt, sive altero antè, ut alij) idem Palæologorum genus in Italiâ radices agere cœpit apud Montemferratum: cùm mortuo Ioanne Marchione absque liberis, successor ei missus est Constantinopoli *Theodorus* filius prædicti Andronici Imp. ex posteriori conjuge Violante (quam Irenem Græci dixerunt) prædicti Ioannis Marchionis sorore, qui Argentinam filiam Opicini Spinulæ civis Genuensis, rerúmque tunc ibi potientis, uxorem duxit, ut ejus viribus juvaretur ad nonnulla loca ditionis suæ amissa recuperanda. Cujus rei, præter Italicos historicos, meminit quoque idem Græcus Nicephorus.

XVI. SENES INUTILES MACTATI À PROPRIIS FILIIS.

Rem multis retrò sæculis commemoratam de barbarie quâ veteli etiam parentes à filiis mactabantur, & senes jam labori inutiles ad mortem urgebantur, hâc tempestate quidam ex rusticâ Wandalorum gente (qui in durissimâ servitute constituti vix panem omni labore ac sudore quotidiano excudere poterant) comprobavit. Quam narrans Krantzius [s] ait, uxorē Comitis Mansveldij cùm iter faceret per Ericam Luneburgensem, in vicino fruticeto audîsse vocem gementis & miserabiliter precantis: admoto cutru conspexisse senem jam annis pressum ligatis manibus orare ut vitæ ejus parceretur: Iuxtà vidisse virum scrobem effodere; eóque rogato quid moliretur, illum nihil ratum illicitum; planè confessum esse, patrem suum jam labori inutilem, quíque panem suum quærere non posset, sepulturum: Redarguenti dominæ impietatem, respondisse, non posse se auferre panem parvulis, quos multos aleret domi, & dare inutili seni: utrisque enim enutriendis non sufficere se. Tum ingemiscentem dominam, prolatis aliquot argenteis, dedisse filio ut patri vitam permitteret: Pollicitū illum esse, quoad durarent argentei, patri prospecturum. Quot putamus eà conditione emori coactos? Cumulatius verò beneficium contulisset Comes, si miserum illum immanis filij fixæ deliberationi ereptum secum abduxisset ad sua, reliquo vitæ tempore enutriendum.

[s] Krantz. 7. Vuandal. 48.

IESU CHRISTI Annus 1309.
CLEMENT. V. Ann. 5.
HENR. VII. An. 1.
ANDRONICI Annus 27.

I. HENR. VII. CORONATUR REX ROM. AQUISGRANI.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nono, Indictione septimâ, Henricus electus Romanorum Rex die Epiphaniæ [a] coronatus est de more Aquisgrani coronâ argenteâ Caroli Magni. Deinde corpus Alberti decessoris sui occisi, unà cum cadavere Adolphi quem Albertus occiderat, Spiram deferri, & utrumque uno eodémque die in sepulchris Regum se præsente ac funus ducente apponi curavit. Legatos quoque ad Pótificem mittens Avenionem duos Episcopos & tres Comites, ac per illos fidem & obedientiam ei ac Sedi Apostolicæ de more jurās; petitam suæ electionis confirmationem impetravit, eâ lege ut intra biennium Romam peteret coronam Imperij ibi accepturus. Ac nequid ejus amplitudini deesset, Clemens duos Cardinales legavit qui eum in Italiam comitarentur; videlicèt sæpiùs nominatum Pratensem, & Lucam de Flisco Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Viâ-lata: ut tam ex aliis auctoribus constat, quàm etiam ex literis [b] ipsiusmet Clementis contra Henricum rebellem posteà promulgatis.

[a] Contin. Pol. Albert. Argentin. in Chron. Villan. lib. 8. cap. 102. [..]ecer. in Vit. Henr. Trithem. in Chron.

[b] Clem. lib. 2. tit. 9. de iureiur.

II.

Erant enim multa quæ Clementem ejus in Italiam profectionem urgere compellerent; ac præcipuè ut discordes inter se populos ad pacem, & invasores jurium ac bonorum Ecclesiæ ad restitutionem armis cogeret, qui Pontificis legationes ac censuras parvi pendentes universam Italiam miserè perturbabant atque pessumdabant. Cùm præter illa quæ superiùs [c] attigimus, novi ubique motus [d] continuò exorirentur: ipsíque Veneti, quamvis multis beneficiis à Pontifice affecti, Ferrariam civitatem ad Ecclesiam Romanam spectantem intercepissent, post Azonem Estensem sine legitimâ prole defunctum, quâ de causâ, & quòd sæpiùs moniti eam restituere detrectarent, ac censuras Ecclesiasticas in eos à Nunciis Apostolicis ad hoc missis vibratas floccifacerent; eosdem denuò Pontifex hoc ipso anno die Cœnæ Domini, si adhuc post triginta dies, aliáque præscripta pœnitentiæ tempora, in pertinaciâ perseverarent, diro anathemate [e] damnavit, civitatem universúmque eorum dominium interfecto supposuit, ac subditos à juramento fidelitatis absolvit; ipsos infames & intestabiles, omnibus privilegiis & immunitatibus privatos, & à quibuscumque officiis ac dignitatibus etiámque Ducatus depositos declaravit; bona eorum mobilia & immobilia atque rationes omnes ubicumque gentium essent occupantibus concessit; personasque ipsas capiendas, & in servitutem redigendas exposuit; ac denique singulis Regibus Christianis ista exequendi facultatem per literas impertiit: quorum permissione bonis ubique direptis, quibusdam etiam ex iis necatis, omnibus verò ab omni commercio ubique locorum exclusis, ingentia damna perpessi sunt veneti. Et ad pertinaces debellandos missus cum copiis Gallorum Crucesignatorum *Arnaldus de Pelagruâ* Pontificis affinis Diaconus Cardinalis tituli S. Mariæ in Porticu, inito cum Lombardis, Bononiēsibus & Florentinis fœdere, eos vigesimo octavo Augusti insigni prælio ad Francolinū juxta Padum profligavit, cæsis quinque vel sex hominum millibus; ac Ferrariam recuperavit: & in gratiam hujusmodi opis à Florentinis acceptæ, anathemate & interdicto quo Neapoleo Ursinus eos constrinxerat [f] solvit: sicuti & eodem jam antè soluti fuerant Bononienses ab aliis ejusdem Pontificis Nunciis, ob parem præstitam in rebus Ferrariensibus contra Estenses tyrannos opem. Narrant hæc multi auctores [g].

[c] An. 1306. [.]V.
[d] Villan. lib. 8. cap 88. 89. 96. An[ton.] [.]. tit. 21. [c]ap. 1. §. 4 [c]ap. 2. §. 1. & 2. & alij

DIRA IN VENETOS SENTENTIA OB FERRARIAM OCCUPATAM.

[e] Ext. ejus form. ap. Bzov. hoc an.

MAGNO PRÆLIO VINCUNTUR A PONTIFICIIS.

[f] Supr. an. 1306. IV.
[g] Contin. Pol. Villan. lib. 8. cap. 103. & 115. Anton. [t.] 21. cap. 2. Platin. in Clem. V. Cor. par. 2. Sabell. 9. En. 7. & 2. dec. 1. Cherub. Ghirardac. Hist. Bonon. lib. 16. &c.

III. CAROLI CLAUDI REGIS NEAPOL. OBITUS.

Mortuus est intereà Neapoli *Carolus* Rex ejus nominis II. ætatis anno sexagesimo primo, regni vigesimo quinto per quatuor menses inchoato, qui bellis satis infelix, pacis

[h] Collenut. & Summont. in Hist. Neapol.

artibus insignis valdè extitit [h], affabilitate, beneficentia, & magnanimitate alter Alexander dictus: regnum suum, ac præcipuè urbem Neapolim, multis publicis ædificiis sacris profanisque decoravit; egregiis institutis ordinavit; viris doctrinâ & pietate præstantibus ornavit; denique ita se gessit, ut omnibus gratissimis existens intimo omnium desiderio ac summo dolore elatus fuerit: hoc uno à nonnallis [i] perstrictus, quòd in senectute libidini vacaverit. Cor ejus ibidem Neapoli conditum est in ecclesiâ Prædicatorum; corpus in Provinciam delatum ad monasterium Arelatense sanctimonialium ejusdem Ordinis à se constructum sub nomine B. Virginis Nazarethanæ. Successit ei tam in regno quàm Comitatu Provinciæ & aliis universis bonis, & patris & Pontificis voluntate, *Robertus* ejus filius eorum qui tū supererant natu maximus: quem Papa Clemens, accepto fidei ac clientelæ sacramento, Avenione Dominicâ primâ Augusti, ut quidam habent, sive ut Villanius [k], octavo Septembris, magnâ celebritate coronavit: rejectâ postulatione Caroberti Regis Hungariæ, qui natus ex Carolo Martello primogenito Roberti jamdiù defuncto, regnum sibi jure repræsentationis deberi asserebat. Cùm enim regnum illud ad dominium Ecclesiæ pertineret, magis ex re Christianæ Reipublicæ esse judicavit Pontifex virum ei præficere pacis & belli artibus apprimè instructum, quàm puerum cui satis supérque regnum Hungariæ sufficere debebat: sicuti tradunt, hanc ejus sententiam approbantes, Baldus [l] & Bartolus [m] celeberrimi illi ævi Iurisconsulti.

[i] Villan. lib. 8. cap. 108. Anton. tit. 21. cap. 2. § 1.

ROBERTI SUCCESSIO.

[k] Vill. cap. 112.

[l] Bald. in l. 3. & l. at intestato C. de suis & legit. l. cum antiquiori C. de jure delib.

[m] Bartol. in authen. post fratres. C. de legit. hæred.

IV.

[n] Ext. ms. in Bibl. Colleg. Fux. Tolos.

GERMANORUM ET ANGL. VANA EXPEDITIO.

Quo eodem tempore scribit diligens Chronographus, qui appendicem [n], addidit ad Historiam Ptolomæi Lucensis venisse ad Curiam triginta circiter millia Germanorum & Anglorum spe transmittendi cum Hospitalariis: sed Hospitalarios noluisse eos admittere, dicentes sibi satis virium suppetere ad expugnandam Rhodum: quòd verò Pontifex non aliter eis providerit, recessisse quosque ad propria cum multo scandalo. Excusant tamen alii [o], quòd incondita multitudo nullos insignes haberet duces; & quòd non suppeteret navium copia ad eam trajiciendam.

[o] Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 12.

V.

ROBERTUS REX SOLICITATUR DE CEDENDO NOMINE REGNI IEROSOLYMITANI.

Cùm autem audisset Iacobus Rex Aragoniæ (bello tunc Almeriensi contra Mauros implicitus; sicuti & Ferdinandus Castellæ Algezirensi; minori tamen uterque operæ pretio, quàm pro apparatibus magno conatu factis) Roberti Regis coronationem; ad eumdem adhuc apud Pontificem Avenione agentem, legavit [p] *Arnaldam Villanovam* nobilem eâ ætate medicum, qui suaderet uti jus regiúmque nomen Ierosolymitani regni ad Fridericum Trinacriæ Regem ipsius Iacobi fratrem transferret; quòd is sacrum bellum contra Saracenos suscipere summoperè concupisceret, si Robertus eam erogaret pecuniam quam ei Carolus pater Roberti caverat [q] si Siciliâ decederet; & pecuniæ sacro bello dicatæ, decimæque Italicæ & adjacentium insularum in eam expeditionem conferentur. At recusavit Robertus tanti decoris splendorem amittere: cùm & sibi in animo sederet arma ad eamdem sacram expeditionem parare; eâque de causâ Clemens [r] ipsum à solutione ingentis pecuniæ Apostolicæ Sedi tam ab eo ob regni investituram, quàm à patre ob subsidia bello Siculo præstita debitæ liberâsset: acceptâ tamen ab eodem novâ cautione solutionis annuæ octo millium unciarum auri die Apostolorum Petri & Pauli in feudi recognitionem. Post quæ idem Robertus ad regnum suum properans, Bononiam ad Legatum Pelagruam accessit [s]: à quo Ecclesiæ nomine tumultuanti Ferrariæ præfectus, (fuit enim insuper creatus à Clemente Pontifice Comes Romandiolæ, & Vicarius generalis in Italiâ universi Status Ecclesiæ Romanæ) equestrem turmam ibi reliquit, cujus ope qui Estensium dominatum appetebant compressi sunt.

[p] Surit. Indi. lib. 2.

[q] Supr. an. 1302. II.

[r] Villan. lib. 8. cap. 112. Anton. tit. 21. cap. 2. §. 1. Summont. Hist. Neapol. lib. 3. cap. 2.

[s] Platin. in Clem. V. Sabell. 9. En. 7.

CREATUR VICARIUS STATÛS ECCLES.

VI.

ARNALDI VILLANOVANI ERRORES.

Quod verò mentionem facimus ARNALDI VILLANOVANI, opportunè quæ sunt ejus hîc recensebimus: Fuit in natione Catalanus, seu ut quidam habet ex Provinciâ, professione medicus, ejúsque artis peritissimus habitus; majori tamen famâ quàm laude, quòd nobile ingenium, eruditionem maximam, pravis superstitionibus pravísque de religione opinionibus fœdare visus sit. Quas cùm Parisiis seminaret, opponentibus [t] se illi Theologis, sibi timens in Siciliam aufugit: unde missus à Friderico Rege ad Summum Pontificem in mari periit. Inter errores quos spargebat [u], humanitatem Christi æquabat in omnibus divinitati: Religiosos damnabat, omnémque philosophiam: opus misericordiæ & medicinæ acceptius esse Deo dicebat, quàm sacrificium altaris, quod etiam, ac Missas pro defunctis penitùs rejiciebat; Constitutiones Pontificum nullius valoris esse jactabat: æternam damnationem iis tantùm deberi, qui sunt aliis malo exemplo & offensioni: Christianorum fidem nihil discrepare ab eâ quæ est dæmonum ac proinde universos Christianos ad infernum deduci: Revelationem factam Cyrillo pretiosiorem esse cunctis sacris Scripturis: mundi finem anno Domini 1335. sive ut alij habent 1345. aut etiam 1376. futurum. Tradunt etiam fuisse alchimistam, & consortio dæmonum execrabilem. Fuit autem ab Inquisitoribus aliquando ignominiâ notatus, ac multi ex libris quos magno numero edidit reprobati: non [x] tamen à Clemente Pontifice, ut nonnulli comminiscuntur, igne damnati.

[t] Villan. lib. 9. cap. 3. Anton. tit. 21. cap. 2. §. 8. in fin.

[u] Lutzemburg. & Prateo. de Heres. Eymer. Direct. Inquis. par. 2. q. 11. & 28.

[x] Vid. Vvading. an. 1311.

VII.

Boëmiæ proceres perosi Henrici [y] Carinthiæ Ducis perversos mores & crudele imperium, missâ ad Henricum Romanorum Regem legatione, impetrârunt ab eo Regem sibi dari *Ioannem* ejus filium quatuordecim tâtummodò annorum adolescentulum, junctâ ei in matrimonium Elisabethâ junioris Wenceslai Regis sorore juniore: qui pulso armis Henrico, coronatus est unà cum conjuge Pragæ die Purificationis Beatissimæ Virginis anni proximi. Rem narrat prolixè Dubravius [z]. Ac Thrithemius [a] coronationi Ioannis plusquàm trecenta hominum millia interfuisse scribit. Cùm verò Henricus Austriæ quoque Ducatum sibi usurpare deliberaret, demotus ab eo consilio dicitur [b] procerum admonitione, memorantium ob unum Austriæ Ducatum quinque Cæsares interemptos; cavendúmque esse ne sextus ipse accederet: &

[y] Vid. supr. an. 1306. VII.

IOANNES FILIUS HENRICI CORONATUR REX BOEMIÆ

[z] Dubrav. Rer. Boëm. lib. 19. & 20.

[a] Trithem. in Chron. Hirsaug. & Sponheim.

[b] Naucler. gener. 44.

Fride

Fridericum defuncti Rudolphi fratrem Ducem appellavit, in verba sua jurejurando adactum.

VIII. Constantinopoli Athanasius Patriarcha actis in sede iterùm receptâ [c] octo annis; à malevolis calumniam passus apud Imperatorem; cùm illi non tam atrociter quàm ipse cupiebat, ab Imperatore punirentur, indignatione motus sedi renunciavit; quæ biennio vacavit. Rem describit Nicephorus [d].

[c] Supr. an. 1301. XIX.

Athan. Patr. Græc. abdicat.

[d] Nic. Greg. lib. 7.

Iesu Christi Annus 1310.

Clementis V. An. 6.

Henr. VII. Ann. 2.

Andronici Ann. 28.

I. Anno Christi millesimo trecentesimo decimo, Indictione octavâ, Clemens Pontifex Avenione existens, ab oratoribus Philippi Regis, (ut Amalricus Augerij & Continuator Nangij ponunt; quod anno præcedenti menséque Septembri alij [a] nempe tunc incoeptum, nunc confectum,) de damnatione memoriæ Bonifacij Papæ sollicitatus; ut os tam ipsis quàm cunctis aliis malevolis obturaret, promulgari jussit, & per compita affigi certa programmata ac libellos, quibus denunciabat omnibus volentibus quicquam in accusationem aut defensionem Bonifacij proponere, sese ibidem Avenione sistere ad mediam Quadragesimam; ultra quam nemo ampliùs eâ de re audiendus foret. Quo tempore accedens Nogaretus ille qui Bonifacium accusaverat & ceperat, unà cum Guillelmo Plessiano alio milite ejusdem conspirationis, magnóque ceterorum comitatu, criminationes suas renovavit: quem falsò mendaciorum quidam amantissimus [b] ante hæc tempora horribili morte periisse finxit; cùm tamen etiam post hæc eumdem superstitem & pœnitentem visuri simus; omni certè supplicio dignum, ob violentas manus in Christum Domini sceleratissimè injectas. Habet porrò Amalricus Augerij in suo Chronico, quemdam Cardinalem de genere Papæ Bonifacij (quis fuerit non nominat; sed putamus fuisse Franciscum Cajetanum Bonifacij fratris filium, magni animi virum, & caput factionis Bonifacianæ in Comitiis celebratis post ejus obitum:) ipsum multipliciter super objectis criminibus excusâsse, & adversarios terribiliter accusâsse: adeò ut timeretur de magno aliquo scandalo, quoniam tam Cardinalis quàm Nogaretus grandi comitatu hominum armatorum in consistorium Papæ pro celebrandis suis diætis convenire consuescerent. Quinimmò & molestè ferentes ceteri Principes Christiani ita famam Romani Pontificis universorum patris traduci, & in discrimen vocari; præ aliis Reges Castellæ & Aragoniæ missis legatis Clementem hortati sunt [c] atque obsecrârunt, ne permitteret in ejus memoriam judicij periculum intendi, aut acerbâ severitate statui, cùm id nec jus nec fas esse videretur.

[a] Bern. Guid. Contin. Pto. Luc. &c.

Philippus Rex Franc. instat pro damnatione memoriæ Bonifacii.

[b] Meyer. Hist. Fland. lib. 11.

[c] Surit. Indic. l. 2. Marian. lib. 15. cap. 9.

II. Quare Pontifex in his æstuans, cùm ex unâ parte difficile existimaretur rem denegare Philippo Regi, quæ juri & æquo consona videbatur, ut ad examinandas & dijudicandas accusationes adversus Bonifacium à Nogareto propositas convocaretur Concilium generale sicut olim Pontifex annuerat; ex alterâ opprobriosum foret Sedi Apostolicæ, & memoriæ Bonifacij injuriosum, de ejus fide, quæ per impactionem hæresis impetebatur, dubitare, atque in Concilio generali causam ejus ventilari: tandem mediam quamdam viam prudenter sectatus, petiit à Rege ut pro pace & honore Ecclesiæ desisteret ab ejusmodi postulatione, totúmque negotium dimitteret ordinationi ipsius Clementis Pontificis & Ecclesiæ, quæ ex officio dispositura de illo esset prout religioni, fideíque, ac paci Ecclesiæ, & utilitati publicæ videret expedire. Huícque petitioni Rex annuens, ex Fontebliaudi dedit ad eumdem Pontificem literas mense Februarij præsentis anni 1310. quibus prædictis breviter narratis totius negotij determinationem Officio Sanctitatis suæ plenariè reliquit, secundùm ipsius arbitrium & Cardinalium consilium, in futuro Concilio, vel aliàs dirimendam: promittens se eorum ordinationi aut judicio, quantum ad sopiendam querelam institutam, seu imposterùm instituendam de hæresi contra Bonifacium pertineret, perpetuò acquieturum.

Clementis Pont. in his æstuatio.

Rex totum negotium remittit Pontif.

III. Quare Clemens Avenione ad Regem rescribens quinto Calendas Maij anno Pontificatûs sexto, ante omnia in laudem Regum & gentis Francorum effusus; sicut olim inter omnia regna secundùm divisiones linguarum stabilita, Israëliticus populus in sortem hæreditatis Dominicæ ad divina mysteria & beneplacita exequenda cælestis judicio electionis assumptus fuisse dignosceretur; sic Regnum Franciæ in peculiarem populum electum à Domino in executionem mandatorum cælestium specialis honoris & gloriæ titulis insigniri ait. Ipsius namque Reges à progenie in progenies zelo Catholicæ fidei inardentes, ac sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem Fidelium præcipuis venerantes honoribus, numquam ab ipsius rectitudine fidei deviâsse, quin potiùs pro ipsius conservatione & defensione Reges & Regni incolas se & sua exponere ac proprium fundere sanguinem minimè dubitâsse, &c. Subdit posteà, Regem de hæresi & criminibus Bonifacij à magnæ auctoritatis viris persuasum, in eum zelo fidei agere cœpisse; ac quæ per Nogaretum & socios in Bonifacij capturâ gesta fuêre, eorum nihil Regem præcepisse, nihil scivisse; denique ad ipsius Clementis instantiam, totius negotij decisionem ipsius & Ecclesiæ dispositioni commisisse. Quocircà se Regi & suis adversùs futura pericula sic planè prospicere in animo habentem, ut inclytæ domûs & regni Franciæ fama celebris, suíque nominis claritas ubique divulgata per orbem, nullis obloquentium morsibus, vel ullorum caninis latratibus, qui vel ex ignorantiâ veritatis, aut propriæ malignitatis astutiâ, vel invidiæ stimulis concitati malum in bono præsumunt & prædicant, imposterùm pateret, sed in sui splendore luminis semper illibata persisteret, ac charitatis, unitatis & pacis fœdera quæ inter

Laudes Regni et gentis Franc. a Clemente.

Ampliss. excusatio et abolitio rerum contra Bonif. gestarum.

Ecclesiam

Ecclesiam Romanam & Reges ac Regnum Franciæ viguerūt & vigent, in sui roboris firmitate perpetuis temporibus observarentur; omnes sententias latas ab homine vel à jure, constitutiones & declarationes, in quantum præjudicarent, vel præjudicare possent honori, statui, juribus & libertatibus dictorum Regis & Regni, regnicolis, denunciatoribus, fautoribus adhærentibus in causâ Bonifacij; necnon privilegiorum revocationes & suspensiones, ac quoslibet processus excommunicationum, interdictorum, privationum, depositionum, & alios quoscumque juris vel facti, verbo vel literis, in scriptis vel sine scriptis, directè vel indirectè, principaliter vel incidenter, implicitè vel explicitè, publicè vel occultè, contra dictum Regem, liberos, & fratres ipsius, & Regnum Franciæ, statum, jura & libertates ejusdem; itémque contra denunciatores, objectores, prælatos, barones & alios habitatores regni, causâ vel occasione rerum contra Bonifacium quomodocumque & ubicumque, etiámque apud Anagniam gestarum, atque item contra adjutores vel adhærentes, vivos vel mortuos; factos & habitos à festo Sanctorum omnium anno Nativitatis Dominicæ millesimo trecentesimo citrà; ad cautelam revocare, abrogare, & nullos ac irritos declarare: omnem maculam sive notam ex præmissis quibuscumque, culpam aut infamiam juris vel facti, quæ possent inde in quemcumque vel quomodocumque imputari, abolere atque auferre: & tam Regem quàm alios quoscumque, in omnibus & per omnia in eum statum reponere ac plenè restituere in quo erant ante suprà dicta. Denique ut omnium memoria penitùs aboleretur, sententias omnes, constitutiones, declarationes, revocationes, suspensiones, excommunicationes, processus, aliasque quaslibet scripturas publicas vel privatas super præmissis factas, de libris, tabulis, Regestis Ecclesiæ Romanæ omninò tolli & expungi jussit: inhibens nequis cujusque dignitatis aut præeminentiæ, eorum originalia vel transcripta retinere, occultare, aut aliis communicare auderet; sed intra quatuor menses omnia eradere & consumere tenerentur alioquin excommunicationis sententiam incursuri, cùm etiam ante hæc omnia libellos criminationum contra memoriam Bonifacij conscriptos flammis addixisset.

Acta omnia aboleri jussa.

IV. Cùm verò à prædictis gratiis & declarationibus exceptum voluisset, tam Guillelmum de Nogareto, Sarram de Columnâ, & alios nobiles, quàm Anagninos cives qui invasioni dicti Bonifacij & rapinę thesauri Ecclesiæ interfuisse dicerentur, de iis aliâ ratione condignè constituturus: posteà tamen, quod dictum Nogaretum spectat, alio decreto declaravit; etsi is assereret de his qui in personam Bonifacij & invasionem domûs ejus ac rapinam thesauri facta fuissent se pluribus rationibus non teneri, ac propterea excommunicationis sententiis contra eum ratione præmissorum à Benedicto Papâ pronunciatis nequaquàm ligari: quia nihilominùs cum instanti instantiâ humiliter & devotè impertiri sibi absolutionis beneficium ad cautelam peteret; se ad salutem ejus, & Regis intuitu pro eo constanter supplicantis, ipsum ab omnibus sententiis suprà dictis absolvere ad cautelam: injuncta ei pœnitentiâ transmissionis in Terram Sanctam cum armis & equis primâ expeditione generali, ibi perpetuò moraturo in subsidium dictę Terræ: (Ex quibus, & aliis pluribus jam de illo superiùs dictis, refelli apprimè videantur qui scripsêre fuisse eum regni Franciæ Cancellarium: quod nemo antiquorum dixisse reperitur; parúmque hæc, & alia de illo relata, ejusmodi dignitati convenire noscuntur:) atque interim peregrinationes faceret ad ecclesias Beatæ Mariæ de Valle viridi, de Rupe amatoris, Aniciensis, de Boloniâ supra mare, Carnotensis sancti Ægidij, & de Montemajori, atque ad Limina S. Iacobi in Compostellâ, iisdem ab hærede ejus adimplendis, si priùs contingeret eum mori. Ita enim totam rem per Clementem gestam esse, constat ex Constitutionibus sive processibus ab ipso desuper factis, quos vidimus in codice [d] MS. Bibliothecæ Victorianę Parisiis. Meminerúntque plures eorum temporum auctores [e]. Quorum item assertione, ac præcipuè Amalrici Augerij, (quo neminem fideliorem aut accuratiorem Chronographum hoc tempore reperimus) constat, Clementi remissam fuisse ab utráq; parte, tam accusantium quàm defendentium totius negotij determinationem: eamque sic ut diximus factam esse in Consistorio publico. Habéntque insuper alij [f] pronunciatum esse Bonifacium Catholicum ac nullâ hæresis labe infectum, verúmque & indubitatum Pontificem; cùm Cardinales Ricardus Petronus Senēsis Iurisconsultus, Gullelmus Longus Decretorum Doctor, & Ioannes de Murro ac Gentilis de Monte-floris Theologi, fortiter pro illo agentes, multis argumentis ex Iure civili & Pontificio ac Theologiâ petitis, probâssent rem ita habere: ac præterea duo milites Catalani, Caroccius & Guillelmus Debolus, singulari certamine se idem probaturos obtulissent. Ne verò ea criminatio quam Philippus suasione suorum in Bonifacium susceperat, ipsi vel ejus posteritati incommodaret, sancitum esse, illatam ejus nomine à Columniis, vel alio quocumque regio administro, Bonifacio injuriam Philippo Regi, heredibúsque umquam exprobratum, aut aliquid damni vel pœnæ ejus prætextu illatum iri: & cetera quæ ex Actis Clementis retulimus. Sícque demùm finem accepit odiosa illa quæstio, quæ multo tempore universum mundum suspensum tenuit.

Nogaretus absolvitur certis conditionibus.

Bonif. declaratur vere Catholicus.

[d] *Cod. MS. S. Victor. P. 13. fol. 34. & seqq.*
[e] *Contin. Nang. Bern. Guid. Amalr. Auger. & alij. MS.*
[f] *Vill. lib. 9. cap. 22. Anton. tit. 11. cap. 3. & alij.*

V. Veneti quoque, postquàm obfirmato animo censuras Pontificias aliquamdiù sustinuissent demùm & damnis quæ diximus foris, & intus atroci conjuratione [g] Bajamontis Theupoli aliorúmque nobilium ei adhærentium, quâ civitas totáque Respublica vix servitutem ruinámque devitavit, consultiores redditi; publico decreto [h] die decimâ-nonâ Martij pręsentis anni & Indictionis confecto, procuratores ad Clementem Pontificem Avenionem miserunt, qui Ducis Petri Gradenici, Consilij & Communitatis nomine veniam, gratiam & misericordiam à suis excessibus, injuriis, atque violentiis, necnon absolutionem à censuris & quibuscumque pœnis tam spiritualibus quàm temporalibus, & restitutionem in famam, honores, jurisdictiones, privilegia,

[g] *Sabell. 2. dec. 1. Petr. Iustin. Hist. Ven. lib. 3. ad fi.*
[h] *Ext. ap. Bzov. hoc. an.*

Veneti absolutionem humillimè petunt ac demum impetrant.

gia, bona, & alia quæcumque, quibus per sententias Pontificis, aut ipsius Legatorum privati fuissent, humillimè peterent; cum exhibitione omnis reverentiæ, & promissione mandata ac beneplacita Pontificis & Apostolicæ Sedis recipiendi, ac firmiter servandi. Quod prosequens Franciscus Dandulus unus ex procuratoribus, vir præcipuæ & antiquæ nobilitatis, post multas preces ac dilationes tandem desideratam absolutionem & plenissimam restitutionem obtinuit; defuncto interim prædicto Petro Duce, & post brevem decem mensium Principatum Marini Georgij, Ioanne Superantio in ejus locum suffecto. Ad quem, & Consilium ac Commune Venetiarum extat formula [l] prædictæ absolutionis & restitutionis, data ibidem Avenione septimo Calendas Februarij anno Pontificatûs Clementis octavo, nempè Christi millesimo trecentesimo decimotertio; quâ plenè continetur quicquid in eo negotio eatenùs tam à Venetis, quàm in ipsos gestum fuisset. Solutámque ab iis fuisse Pontifici summam centum millium Florenorum pro damnis receptis; datúmque juramentum de non reædificando castro quodam; tradit auctor Continuationis Historiæ Ptolomæi Lucensis tunc vivens. Veneti verò scriptores [k], Franciscum procuratorem hæc assiduè prosequentem, illustri exemplo privatæ pietatis in patriam & publicæ in religionem, catenâ ferreâ collo injectâ, ad Pontificis inclementiùs oratores respuentis, cœnantísque mensam tamdiù prostratum jacuisse, donec expugnatâ Clementis irâ ignominiosam notam patriæ ademisset: & ab hoc humilitatis indicio fuisse ei posteà cognomen Canis inter suos. Qui nihilominùs tantâ omnium gratulatione à legatione susceptus fuit, ut aliquot pòst annis pro squalore & sordibus quibus patriæ remissionem obtinuerat, cunctorum ordinum favore in Ioannis demortui locum Princeps factus, sublimi loco conspectus fuerit auro & purpurâ splendens.

[l] Ap. eumd. an. 1313.

[k] Sabel. 9. En. 7. & 2. dec. 1. Egnat. lib. 6. cap. 2. exempl. ill. Venet.

FRANC. DANDULI INSIGNE FACINUS PRO PATRIA.

VI.

MARG. PORRETA HÆRETICA COMBURITUR.

Circa festum Pentecostes (ut Continuator Nangij habet) Parisiis quædam mulier ex Hannoniâ nomine *Margarita Porreta*, quæ librum composuerat ediderátque multis refertum erroribus, (& inter cæteros, quòd anima annihilata in amore conditoris, sine ullo conscientiæ morsu potest & debet naturæ indulgere quicquid appetit & desiderat:) eos abjurare detrectans, incendio tradita est; multis tamen in exitu datis pœnitentiæ signis. Eodémque igne crematus est quidam de Iudæo factus olim Christianus; qui nuper ad vomitum reversus, deprehensus fuerat sacras Imagines Beatissimæ Virginis conspuere. Quando & quidam *Guiardus* nomine de Cressonnessart, qui se Angelum Philadelphiæ à Deo immediatè missum ad confortandum adhærentes Christo dictitans; asserénsque nec cingulum pelliceum quo erat præcinctus, nec habitum quo erat indutus, mandato Papæ deponere obligari; immò Papam id præcipiendo peccare; tandem tamen utrúmque deponens, & errores agnoscens, damnatus nihilominus est perpetuo carceri.

GUIARDUS ANGELUM PROFITENS.

VII.

TEMPUS CONCILII PROROGATUR.

Cùm hoc anno Calendis Octobris incideret tempus celebrationis Concilij Universalis à Clemente ante biennium indicti; illud modò ex certis & legitimis causis usque ad Calendas Octobris anni proximi prorogavit, datis Avenione binis publicis literis [l] ad omnes ubique Prælatos; alteris secundo Nonas Aprilis, cùm nondum exîsset annus quintus ipsius Pontificatûs; alteris decimo Calendas Decembris anno sexto, quibus præcepit omnes convenire Viennam Allobrogum: electâ, ut volunt [m], hac civitate, quòd esset extra Regis territorium ac jurisdictionem; ac proinde liberiora futura essent Patrum vota circa res ibi tractandas.

[l] Ext. ant. Cont. Vien. dit. Rom.

[m] Vill. lib. 8. cap. 91. Ant. t. 21. cap. 1. § 2.

VIII.

HENR. ROM. REX CORONATUR MEDIOLANI CORONA FERREA.

Ad finem hujus anni, Henricus Romanorum Rex ex lege ei à Clemente Pontifice dictâ, & ex assiduâ sollicitatione Gibellinorum, ingressus est Italiam cum potentissimo exercitu; relicto in Germaniâ Vicario Imperij Ioanne filio suo Boëmiæ Rege egregiæ indolis & fortitudinis adolescente: & post aliquam Guidonis Turriani factione Guelfi qui Mediolani dominabatur obluctationem, civitatem ingressus pridie Natalis Domini, sequenti Epiphaniâ coronâ ferreâ redimitus est ab Archiepiscopo in Ecclesiâ sancti Ambrosij; quâ moris erat Imperatores coronari Modoëtiæ ubi ea asservatur in Ecclesiâ sancti Ioannis: (Ridiculè Auctor Pistoriensis, qui Italicè scripsit res patrias ab anno millesimo trecensimo usque ad millesimum trecentesimum octavum, Henricum ait sumpsisse de more coronam paleæ Modoëtiæ: deinde ferream Mediolani. Sed multis ejusmodi paleis stravit hic opus suum,) & Matthæum Vicemicotem (Maphæum à multis nuncupatum) quem à Turrianis pulsum vidimus in civitatem restituit; pulso ob novam in se motam seditionem Guidone. Túncque evenit quod idem Matthæus olim Guidoni renunciaverat [n], ubi domus Turrianonum peccatis Vicecomitum antestaret, fore ut pulsi pellerent expulsores, ipséque in patriam rediret. Quippe acciverat Guido in caput suum iram divinam, cùm in carcerem conjecto [o] ob leves quasdam suspiciones Cassono Archiepiscopo licèt gentili suo, à Legato Apostolico tam ipsi Guidoni quàm filiis ejus sacris interdictum fuisset.

[n] supr. an. 1302. XVII.

[o] Cor. par. 2. Ripam lib. 7.

IX.

EXPILAT ITALIAM ET CLADIBUS AFFICIT.

Ceterùm Henricus, post seditionem Mediolani ob duram pecuniarum exactionem in se concitatam, per Turrianorum arte Vicecomitum factam expulsionem sopitam; totum sequentem annum in expugnandis aut oppugnandis urbibus imperium ejus detrectantibus consumpsit: cùm quocumque incederet studia partium Guelfæ & Gibellinæ ingentésque rerum motus suscitarentur, aliis spe, aliis metu concitatis. Præ ceteris verò Florentinis infensus, multa contra eos molitus est: resistentibus iis viriliter ope Roberti Regis Siciliæ, qui tam eorum quàm ceterorum eis fœdere junctorũ defensionem contra Henricum suscepit. Denique ingentia incommoda Henricus universæ Italiæ intulit. Quorum omnis culpa à quibusdam in Clementem Pontificem translata est, qui Henricum impulisset cum

exercitu Italiam ingredi: cùm tamen id in utilitatem provinciæ a Clemente factum constet, ob intestina mala quæ quotidie cum magnâ hominum cæde in unaquâque civitate, immò in quovis etiam parvo castello committebatur. Nec cessavit Clemens, ubi certior factus est tumultum ab Henrico excitatorum, eum officij & juramenti [p] admonere, quo se priusquàm ingrederetur Italiam coram Nuncio Apostolico obstrinxerat, haud quicquam libertatem Italiæ lædere, aut Ecclesiam ejúsque clientes vel socios armis infestare: qui nihilominùs & vicarios urbibus imponendo, & tributis atque exactionibus populos vexando, aliáque ejusmodi committendo, videbatur non ad aliud Italiam petiisse, quàm ad eam expilandam, sibiq; subjiciendam, ac pulsis Guelfis solos Gibellinos stabiliendos. Ut sanè verum sit, vix unquam benè cessisse Italiæ Germanos Imperatores admisisse; vixque iisdem ipsis Imperatoribus eam adiisse; ac ne vix quidem Romæ & Apostolicæ Sedi eos evocâsse. Probârunt id enim exempla præteritorum, probavit ipsiusmet Henrici, confirmâruntque subsequentium temporum. Quid verò in Urbe præstiterit, dicetur anno post sequentem, quo demùm ad eam accessit. Quas autem interim clades civitatibus Lombardiæ intulerit, quásque ipse ab eis acceperit; (ac præcipuè in obstinatissimâ obsidione Brixiæ, quæ ab eo rebellaverat cùm priùs ei sese dedidisset: quâ fratrem Walramum, sive Vvaleranum ictu sagittæ, & Guidonem Namurcæum (Flandrorum prælio Curtracensi ducem) pestilentiâ, inter multos alios proceres, tantámque militum multitudinem amisit, ut vix quartâ pars exercitûs superstes remanserit) narrant pluribus Villanius [q], Leonardus Aretinus, Antoninus, Blondus, Platina, Bossius, Corius, Albertus Argentinensis, Krantzius, Vecerius, Continuator Nangij, & alij tam antiqui quàm recentiores.

[p] Ext. in cod. Colum. Bib. Vatic. & insertum mand[...] Lud. Bavari ad Bened. XIII. ap. Bzov. an. 1336.

[q] Vill. lib. 9. cap. 7. & seqq. Leon. Aret. Hist. Flor. lib. 5. Ant. [...]t. 21. c. 2. Blond. 2. dec. 9. Plat. in Clem. V. Boss. in Chro. Cor. par. 2. Alb. Argent. in Chronol. Krantz. 9. Sax. 1 Vecer. in Vit. Henr. Cont. Nang. in Chron. &c.

X.

Longè utiliùs hoc eodem anno (ut antiquiores & probatiores habent auctores [r], sunt enim ex recentioribus [s] qui præcedenti, necnon qui ante biennium [t] collocent, numerantes ut puto à suscepto primùm negotio) *Rhodus* insula nobilissima Carpathij maris Turcis erepta est cum aliis quinque adjacentibus, à Militibus Hospitalariis. Qui cùm post Syriam amissam in Cyprum secessissent, indignè ibi ab insulæ Rege habiti liberiorem sedem aucupantes, hanc aggredi cœperunt, concessam sibi à legitimo ipsius domino Andronico Imperatore Constantinopolitano: & post indefessum biennij laborem bellicum, & cruentissimas oppugnationes, indulgentiarum & pecuniarum largitione à Summo Pontifice adjuti, instructioribus comparatis copiis, tandem occupârunt die festo Assumptionis Beatissimæ Virginis decimooctavo Calendas Septembris: pulsis Turcis, qui eam Saracenis, híque Græcis eripuerant: fortissimè æquè ac solertissimè rem agente Fulcone de Villareto Hospitalariorum Magistro natione Gallo; unà cum Petro Episcopo [u] Ruthenensi tunc Patriarchâ & Apostolico Legato. De cujus legatione ei à Clemente in regnis Cypri, Armeniæ, & Insulâ Rhodo, necnon in Patriarchatibus Alexandrino, Antiocheno, & Ierosolymitano, cum plenâ potestate collatâ, extant [x] literæ ejusdem Pontificis ad Reges Cypri & Armeniç cóscriptæ decimoseptimo Calendas Octobris anno Pontificatûs quarto: quibus eum sibi experientiâ familiari præcognitum, virum timore Domini ac literarum scientiâ conspicuum, in agendis grandibus circumspectum, fervidum Catholicæ fidei zelatorem prædicat, Patriarcham tamen non nominat. Vt fortè quòd ei legationem in Patriarchatu Ierosolymitano ac ceteris attribuerit, inde auctores eum Patriarcham quoque indigitaverint. Fuisse porrò Ordinis S. Francisci, ex aliis ejusdem Pontificis literis tradit auctor Annalium illius Ordinis: qui Fr. Petrum de Cassano vocat. Qui verò seriem Episcoporum Ruthenensium contexuerunt [y], nominant *Petrum de Planâ, seu Planâ Cassaneâ*: & adhuc superstitem fuisse anno 1318. docent.

[r] Cont. Pol. Chronol. Monfort. Amalr. Alger. Bern. Guid. Sanut. Annal. Genuens. & .

[s] Palmer. in Chron. Boss. Hist. Ierosol. to. 2. lib. 1.

[t] Naucl. gen. 44. Trith. in Chron. Hirsaug. Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 12.

RHODUS INSULA OCCUPATUR AB HOSPITALARIIS.

[u] Amalr. Auger. & Bern. Guid. in Chron. & vid. supr. an. 1291. XII. & 1305. VIII.

[x] Reg. Clem. V. ep. 378. &c. & ap. Vvadding. Annal. Min. tom. 3. an. 1309.

[y] Robert. in Gall. Christ. Chen. de Præsul. Gall.

XI.

HOSPITALARII DICTI MILITES RHODII.

Ceterùm ab hâc insulâ postindè dicti sunt Milites *Rhody*, quandiù eam tenuerunt; & firmissimos se defensores præstiterunt terrarum omnium atque insularum quæ reliquæ Christianis iis oris erant, ac peregrinorum ad loca sancta itantium; magnis licet & continuis bellis à Saracenis & Turcis oppugnati. Cùm & mox altero à captâ insulâ anno (tardiùs tamen nonnulli [z] referunt) Turci impatienter ferentes eam sibi ereptâ, classe ingenti comparatâ ut Milites priusquàm munissent exturbarent, ingenti clade ab iis profligati sunt. Quâ in re Amedei IV. Sabaudiæ Comitis suppetias euntis operam strenuam & utilem fuisse, volunt eorum historiæ. Indéque & Magni cognomen, & Crucis albæ insignia, & ænigmaticum symbolum quatuor harum literarum F.E.R.T. hoc est *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*, ne scilicèt iterùm in manus Turcorum veniret. Vnde & ejus nepos Amedeus V. cognomento Viridis septuaginta fermè pòst annis in ejus rei memoriam Ordinem *Equitum Annunciationis Angelicæ* apud Allobroges instituit: de quo plura qui de Equestribus Ordinibus egerunt [a].

[z] Vill. lib. 9. cap. 118.

F.E.R.T. PRINCIPUM SABAUDIÆ.

[a] Menen. Mira. Favin.

IESU CHRISTI Annus 1311.
CLEMENTIS V. Ann. 7.
HENRICI VII. Ann. 3.
ANDRONICI Annus 29.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo undecimo Indictionis nonæ, pridie Calendas Februarij (ut observat Memoriale Historiarum) die Sabbati circa meridiem in decimooctavo gradu Aquarij facta est eclipsis Solis: quam tamen alij [a] ponunt anno præcedenti. Circa rerò medium Martij in aurorâ apparuit in medio orbis lunæ Crux rubra cum tribus circulis, quorum major erat albus, medius ruber, tertius qui & minor niger. Quod quid portenderit, an fuerit tantùm visus imaginatio, ut facile est in nubibus, perquirant curiosiores.

[a] Calvis. in Chronol.

SIGNA IN CÆLO.

II.

HENRICUS.

Eodem anno quo Henricus Romanorum Rex civitates Italiç quà vi, quà amore obtinebat, & non solùm Mediolanum aliásque pro-

Rom. Rex pergit Italiam vexare.

ximas, verum etiam Venetias ipsas ac Genuam Pisásque obsequentes habuit, ingentibus pecuniarum summis à singulis acceptis: (ut ceteras minoris potentiæ taceam, quibus & Vicarios præfecit; putà Veronæ Canem Scaligerum, Parmæ Gilibertum Corregium, Mantuæ Passarinum Bonoposum seu Bonacosum, alios aliis; qui temporarij cōstituti earum rectores, dominatum sibi earumdem usurpârunt:) Florentinis nihilominùs unà cum Bononiēsibus aliísq; fœderatis, sub protectione Roberti Siciliæ Regis, ejusdem Henrici imperium omninò detrectantibus: Dum inquam res ita se haberent in Italiâ, Clemens Pontifex Avenione Viennam Allobrogum, ad Concilii Universalis à se (ut vidimus) indicti celebrationem se contulit. Interfuerúntque cum ipso, præter Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus ritûs Latini, Simō de Archiaco ejusdem civitatis Viennensis Archiepiscopus, aliíque ampliùs trecēti Archiepiscopi & Episcopi, (ut Villanius[b] & Antoninus habent; cùm sint qui centum quatuordecim dumtaxat, præter absentium procuratores, ponant) & magnus ceterorum Prælatorum atque Abbatum, necnon legatorum Principum numerus: accedente etiam ad secundam Sessionem Philippo Rege, unà cum fratribus Carolo Valesio & Ludovico Rege Navarræ, Philippo Comite Pictaviensi, & Carolo Marchiano, aliísque Principibus. Qui verò scripserunt adstitisse pariter huic Synodo Reges Angliæ & Aragoniæ, toto cælo errâsse certum est.

Clemens Pont. Viennam petit ad celebrationem Concilii.

b Vill. lib. 9. c. 21. Anton. tit. 21. c. 3.

III. De rebus in Concilio gestis.

Res porrò in eo tractatæ cùm satis confusè ab auctoribus recenseantur; imprimis extat[c] relatio Guillelmi ejus nominis Quarti Episcopi Mimatensis, (ut ipse sese indigitat: unde eos refellas, qui eum volunt fuisse Durandum, de S. Porciano Ordinis Prædicatorum Episcopum Aniciensem atque Meldensem, qui scripsit super Sententias: cùm etiam ex Bernardo[d] Guidonis constet, hunc Durandum de S. Porciano Claromontensis diœcesis, fuisse tantummodò licentiatum Parisiis anno proximo millesimo trecentesimo duodecimo; vocatúmque paulò pòst ad officium Lectoris Curiæ sacri Palatij,) ejusdem ipsius quem Durantem Speculatorem dictum vidimus interfuisse Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. Ex quâ constat, Primâ Sessione habitâ decimosexto Octobris, exposuisse Pontificem tres causas, propter quas Concilium celebrandum duxisset; videlicèt Templariorum, Terræ Sanctæ, & Reformationis morum Christianorum ac disciplinæ Ecclesiasticæ: atque Patribus injunxisse ut suam singuli de iis sentētiam promerent. Quod inter ceteros idem Guillelmus exequens, multis rationibus sensit Templariorum Ordinem à Pontifice, sive de rigore juris, sive de plenitudine potestatis, omninò tollendum esse; bonis ejus dispositioni Sedis Apostolicæ reservatis: Expeditioni Terræ Sanctæ præfigendum esse longius tempus, intra quod res disponerentur, Crux ubique prædicaretur, & eleemosynæ ac decimæ colligerentur à Prælatis nulli alij usui impendendæ: In causâ reformationis, multis productis abusibus circa observationem festorum, Officij divini celebrationem, beneficiorum collationem, excessus exemptorum, promotionem indignorum, pravos mores ecclesiasticorum, & alios ejusmodi, iis remedium afferri postulavit.

c Cod. Vatic. 4177. ut de Bzov. breviarium exscripsit, integram etiam vidimus in Bibl. Colleg. Fux. Tolos.

De Guil. Mimatensi.

d Bern. tract. de Magist. in Theol. Ord. Præd. qui extat in Bibl. Dominican. Tolos. Cod. inscrip. Sāctor. Guid. lib. 7.

VI. Sessio I. Concilii.

At verò Continuator Poloni auctor ejusdem temporis, distinctiùs rem agens, & quicquid singulis Sessionibus gestum fuerit brevissimè indicans potiùs quam narrans; *Prima* ait actum fuisse de recuperatione Terræ Sanctæ; decretúmque esse ut Crux per universum terrarum orbem prædicaretur: Reliqua autem in annum sequentem dilata esse. Quippe cùm res essent gravioris momenti, debuerunt etiam diligentiùs examinari, quæ tamen hîc nobis uno tenore tractandæ visæ sunt, ne divisione annorum, & aliarum rerum intermixtione, gravitatem suam amittant, aut confusionem lectoribus pariant.

V. Ordinis Templ. abolitio. Sessio II.

Ait igitur, anni sequentis mense Martio, undecimo Calendas Aprilis, in privato Consistorio Pontificem Ordinem Templariorum abolevisse & antiquâsse, personis & bonis dispositioni suæ & Ecclesiæ reservatis. Sequenti verò mense Aprilis *Secundâ* Synodi *Sessione* (tertio Nonas dies lunæ post Quasimodo habitâ) promulgatam esse prædictam Ordinis abolitionem & abrogationem, sacro approbante Concilio factam; non tamen (ut in eâ dicitur) per modum diffinitivæ sententiæ, cùm ea super hoc secundùm inquisitiones & processus super his habitos non posset ferri de jure, sed per viam provisionis seu ordinationis Apostolicæ. Cui Sessioni interfuisse Regem Francorum, quòd res ei cordi esset, unà cum filiis ac fratribus, ceteri tradunt, & constat ex Actis. Sedisséque à dextris Pontificis, sed paulò inferiùs, Continuator Nangij habet. Quod verò bona Templariorum spectat; post multam cōsultationem fuêre illa quæcumque & ubicumque existerent, Hospitalariis addicta, decreto[e] eâ de re edito sexto Nonas Maij: ut quę data fuissent ad subsidium Terræ Sanctæ & impugnationem inimicorū fidei Christianæ, iis meritò attribuerentur, qui pro recuperatione dictæ Terræ, & Fidei Christianæ propagatione, indesinenter laborarent & sanguinem suum profunderent. Excepta tamen illa sunt quæ essent in regnis Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum; ob bella quæ contra Mauros bonam adhuc partem Hispaniæ occupantes ab iis Regibus gerenda supererant: quorum causâ bona illa assignata posteà fuêre, in Lusitania novæ Militiæ Christi, in Valentiâ Montesiæ, de quibus dicetur suis locis; pręter usurpata à diversis Principibus. De quib. agit distinctiùs Bosius in suâ Historiâ[f] Hospitalariorū ex Regesto Clemētis. Quod verò ad personas Templariorum attinet, decretum est in Synodo, notabiliores ordinationi speciali Romani Pōtificis reservari; ceteros Synodis provincialibus ita committi, ut sontibus qui judicium detrectâssent pro ratione criminum supplicia irrogarentur; insontes, aut qui leviter deliquissent, vel ultrò confessi verè contriti apparerent, detracto habitu in iisdem domibus in quibus professi fuissent, vel etiam in aliis religionibus à Sede Apostolicâ approbatis quas ipsi eligerent, de bonis quæ fuerant Tēplariorum usq; ad finē vitæ alerētur; prohibitis omnib' ad sæculum reverti. Quæ distinctiùs nar-

Bona Hospitalariis addicta.

e Ext. to. 4. Concil. edit. Rom.

f Bos. Hist. Hosp. tom. 2. lib. 1.

De personis quomodo dispositum.

rantur in Chronicis Monfortiano, Bernardi Guidonis, & Amalrici Augerij tunc viventium. Habet verò etiam Continuator Nangij, Regem se in pleno Concilio adstrinxisse ad expeditionem transmarinam intra sexennium agendam: & si interim moreretur, filium ejus primogenitum ibidem præsentem ad eam obligasse: eáque de causâ Pontificem & Concilium decimas ei regni sui ad sexennium concessisse.

VI. SESS. III. ALIA IN CONCILIO GESTA.

Tertiam Sessionem habitam esse pridie Nonas Maij, & in crastinum protractam, iidem Bernardus & Continuator Poloni aiunt; & in eâ fuisse multas constitutiones editas: quarum unâ declarata fuit Regula Fratrum Minorum, occasione quorumdam illorum qui Spirituales dicebantur: aliâ Begardi & Beguini hæretici reprobati: ac posteà dimissum esse Concilium. Quare quod nonnulli dicunt Cōcilium absolutum esse duobus annis, intelligẽdum est occupâsse partem duorum annorum; cùm alioqui nec septem menses impleverit, à 16. Octobris anni 1311. ad septimum Maij 1312. Causam verò Bonifacij Papæ, cujus præcipuè occasione Concilium indictum fuerat, quámque ferè omnes in eo agitatam scribunt; jam ante Concilij inchoationem tractatam & absolutam fuisse vidimus: nec inter causas ipsius celebrationis à Clemente initio propositas, Guillelmus quem diximus meminit: nec in decretis Concilij posteà promulgatis ulla extat ejus memoria: quod non censuerint Patres rem publicè traducendam esse, sed magis privatim extinguendam, tam ipsius Bonifacij quàm Regis honoris & existimationis causâ. In eodem Concilio Clemens, qui noverat ex constitutione Bonifacianâ, & ex declaratione seu declarationibus postmodum subsecutis etiam ad preces Philippi Regis Frãciæ, ejúsq; in regno successorum emanatis nōnulla scandala, pericula, & incommoda provenisse, constitutionem & declarationes, & quicquid ex eis secutum fuerat, revocavit; & quoad Laïcos exigentes ab Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis tallias, & quascumq; alias exactiones, Alexandri III. & Innocentij III. constitutiones observari debere decrevit.

VII. [g] Recens. Ant.tit.21. c.3. & extr. in Clement. sub divers. tit. BEGVARDORVM ERRORES ET DAMNATIO. [h] Recens. in Clem. ad nostrum, de hæret. & ap. Ant. d.c.3.§.2. quib. adde Alvar. de planct. Eccl. lib.2. c.52. Prateol. voc. Begar. & Beguin. Sander hær.160. Gaulter. sæc.14. Nitel. Franciscan. ad an.1317. cap.1. [i] An.1306. X.

Quod autem attinet, Constitutiones[g] in Synodo contra hæreses, abusus, & de disciplinâ propositas, atque judicio Apostolico relictas, quę præcipuè ad rem nostram pertinent; fuerũt illæ imprimis de erroribus BEGUARDORUM & BEGUINARUM, quos per Germaniam seminabant[h]; de quibus etiam dictum superiùs [i] ex Synodo Coloniensi. Asserebant autem posse hominem in hâc vitâ talem gradũ perfectionis assequi, ut reddatur penitùs impeccabilis, neq; ampliùs in gratiâ proficere possit: si quis enim semper proficere posset, posse etiã Christo perfectiorem evadere: Qui eum gradũ perfectionis acquisierit, posse liberè corpori cōcedere quidquid placet; nec ad orationem, aut jejunium aliquódve præceptum Ecclesiæ, aut subjectionem ullius humanæ potestatis obligari; quoniã ubi Spiritus Domini, ibi libertas: Posse hominem in hâc vitâ ita finem beatitudinem juxta omnem perfectionis gradum adipisci, sicut eã in vitâ beatâ obtinebit; Quãlibet intellectualem naturam in seipsâ naturaliter esse beatam; neque animã indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deũ videndum & eo beatè fruendum: In virtutũ actibus se exercere, esse hominis imperfecti, quia anima perfecti dimittit à se virtutes: Mulieris osculum, cùm natura ad illud non inclinat, esse peccatum mortale; actum autem carnalem, cùm natura inclinat, nō esse peccatum: In elevatione Corporis Christi, nō debere ejusmodi perfectum hominem reverentiam ei exhibere: fore enim imperfectionis, si ab altitudine suę contemplationis ad cognitionem Eucharistię aut Passionis Christi descenderet. Hi sunt præcipui errores perfidæ sectæ, quos de sensu Synodi Clemens Pontifex damnavit. Inter cujus antesignanos numerabantur [k] *Iacobus Iusti* & *Bonanatus* Catalani: quorum ille septis murorum inclusus miseram vitam finivit; Bonanatus vivus combustus est.

[k] Eymer. Direct. Inquis. par.2. q.11. Prateol. & Sander. de hæres.

VIII. DE BEGUINIS EARÚMQ; DISTINCTIONE. [l] Cap. cùm de quibusdã in Clement. de relig. domib. [m] Extrav. commun. c. un. de relig. domib. [n] Extr. in Bibl. Vatic. & Colleg. Fux. Tolos.

Tradunt autem duxisse Beguardos genus quoddam vitæ monasticę, quoad habitũ, convictum, & quamdam speciẽ trium Votorum, ac religiosarum ceremoniarum: veruntamen à consortio feminarũ non abstinuisse, & delicias quæsîsse ac lauta convivia. *Beguinas* item religiosam vitam prætexuisse, sed absq; votorum professione, aut facultatum abdicatione: quarũ auctrix, aut præcipua propagatrix putatur fuisse *Margarita Porreta*, de quâ dictum est anno superiori. Earũ autem institutum penitùs abolendũ sacra Synodus decrevit [l]. Cujus constitutionem cùm post hæc nonnulli ad Sorores de Pœnitentiâ dictas extenderent, Ioannes XXII. Clemẽtis successor declarauit, nequaquàm illas sub eâ cōprehendi, nec Fratres sub Beguardis. Sicuti ab iisdem Beguinis errore infectis quas Clemẽs damnavit, distinguendæ sunt aliæ innocẽtes ejusdem nuncupationis, ex constitutione [m] ejusdem Ioannis; sive illæ fuerint ejusdem generis, sive alterius, sed innocentes: & sive à *S. Beggâ* Pipini Landensis (quem primũ Ducem Brabãtiæ nuncupãt) filiâ, & S. Gertrudis sorore, quæ anno sexcentesimo octogesimonono obiit; sive à *Lamberto Begho* pio sacerdote Leodiensi, qui anno millesimocẽtesimo sueptuagesimo floruit, nomen & institutum acceperint; sive aliunde. De quibus est prolixior tractatus Petri Coëns Canonici Antuerpiensi, titulo Disquisitionis Historiæ de Origine Beghinarũ, anno 1629. editus. Extántq; in formulario [n] Literarũ Apostolicarum Marini Eboli, qui sub Innocentio IV. & deinceps vixit, diversa Pontificũ diplomata in favorem illarum quæ in Germaniâ & Belgio magno numero pullulârunt, pro earũ cōservatione à molestiis tam clericorũ quàm laïcorũ: de quib. agit etiã idem Petrus Coëns.

IX. BEGVINORVM ERRORES. [o] Sander. hæres. 161. ex Guid. Gaulter. sæc.14.

Fuerunt denique etiam BEGVINI: quos etsi plerique cum prædictis Beguardis confundũt, reperiuntur tamen diversa delirâsse: nempè [o], Contra perfectionem Evangelicam esse, aliquid habere in communi, quoniam Christus & Apostoli nihil possederunt vel proprium vel commune: Ideóque nequaquàm posse Pontificem dispensare cum Religiosis paupertatem professis, ut triticum vel vinũ in suis monasteriis servent ad vitam communem: Statum Fratrum Minorum perfectiorem esse statu Episcoporum: Non licere Pontifici dispensare super voto simplici, nec quidem pro bono pacis, aut cōversione alicujus gentis ad

fidem Christianam: Minimè se obligari respondere ad interrogata Inquisitorum Fidei, nisi de articulis Fidei & Sacramentis.

X. ALII ERRORES IN SYNODO DAMNATI.

Cùm verò ferrentur & alij errores; videlicèt, Dei Patris Filium non assumpsisse humanum corpus passibile; & animam intellectivam seu rationalem; ipsum corpus verè per se & essentialiter informantem: Dei filio adhuc viventi latus lanceâ apertum esse: Animam intellectivam non esse formam corporis: In Baptismo gratiam & virtutes parvulis non conferri: Hos item errores (quos plurimi Petro-Ioanni Olivi Fratri Minori, de quo suprà [p], attribuunt, cùm Synodus auctorem non proferat) damnans ex Synodo Clemens [q]; & contrariam doctrinam ut sanam explicans & amplectens; quod quidem animam intellectivam spectat, disertis verbis definivit, Siquis deinceps asserere præsumeret, animam rationalem seu intellectivam non esse formam corporis humani per se & essentialiter, hæreticum esse censendum.

[p] An. 1278. XX. & 1297 VII. Vid. infr. an. 1325. VI.
[q] Clem. 1. de sum. Trin. & fid. Cathol.

DEFINITIO DE ANIMA CORPUS INFORMANTE.

XI.

[r] Supr. an. 1264. I.

MULTA ALIA IN SYNODO DECRETA.

Quòd autem Urbani IV. constitutio [r] de celebratione festivitatis sacratissimi Corporis Christi feriâ quintâ post Octavam Pentecostes, necdum ab omnibus Ecclesiis recepta fuisset, aut minùs religiosè coleretur; eamdem Clemens Actis Concilij inseri, & omnibus ubique observandam præcipi censuit [s]. Fuit item ibidem Regula S. Francisci (quod superiùs innuimus) declaranda [t] contra quosdam in eam emergētes abusus, & varias transgressiones, quarum occasione & strictioris Regulæ observantiæ prætextu, non pauci se ab aliorum corpore segregaverant: prohibitáque est observari, nisi ex formulâ à Concilio decretâ. De statu quoq; Monachorum & Mendicantium, déque eorum exemptionibus, & facultatibus, circa confessiones, prædicationes, sepulturas, sacramentorum administrationem; necnon de Horis canonicis, ornatu clericorum, collatione beneficiorum, immunitate Ecclesiasticorum, exactionibus Principum ac Magistratuum, usurarum damnatione, laicorum reformatione, aliisque disciplinam & mores spectantibus, itémque de officio Inquisitionis & punitione hæreticorum, ac similibus multa saluberrimè statuta fuêre; quę videre est in Actis Synodi, & in Clemētinarū corpore.

[s] Clem. si Dominum. de reliq. & vener. Sanct.
[t] Clem. exivi de Paradiso de verb. sig.

XII.

Formam quoque electionis Romani Pontificis à Gregorio X. constitutam confirmans Clemens, nonnulla addidit [u], seu supplevit. Et quod maximi momenti ad Studiorum splendorem, & conversionem Infidelium atque Mahumetanorum existimatum est, statuit [x] (hortatore præcipuo, ut volunt, Raimundo [y] Lullo qui ad Concilium venit) ut ubicumque Romanam Curiam residere contingeret, necnon in Parisiensi Galliæ, Oxoniensi Angliæ, Bononiensi Italiæ, & Salmanticensi Hispaniæ Academiis, tum linguæ Hebraïca, Arabica, & Chaldæa publicè edocerentur; tum earumdem linguarum libri in Latinam fideliter traducerentur. De Græcâ linguâ quamvis in illâ constitutione nulla hodie fiat mētio, in antiquis tamen codicibus eam quoque expressam fuisse, disertè asserit Glossa in dictam Constitutionem: sed vocem illam fortè ideò posteà sublatam, quòd Græci Christum agnoscerent, etsi schismate contaminarentur.

[u] Cap. ne Romani, de elect. Onuph. ad Platin.
[x] Clem. inter sollicitudines, de magistr.
[y] Vid. supr. an. 1260. XV.

STUDIA LINGVARUM PRÆSCRIPTA.

XIII. DE CONTROVERSIA DOMINII LUGDUNENSIS.

Pertinet item ad hoc Concilium, quod in eo Clementis auctoritate (ut multi volunt) Philippus Rex Francorum concordavit cum Petro Sabaudo Archiepiscopo Lugdunensi de dominio temporali illius civitatis, cùm tamen Bernardus Guidonis & Amalricus Augerij scribant, primò Clementem de ejusmodi concordiâ sollicitatum, cùm nec vellet Regem offendere, nec tamen Ecclesiæ Lugdunensi præscribere, nec assensum præbuisse, nec dissensum præsetulisse, sed Archiepiscopum in manu consilij sui reliquisse: memorem videlicèt decreti Bonifaciani eâ de re editi, quod aliàs [yy] retulimus. Sed quicquid de hoc sit, de re ipsâ certum est, urbem Lugdunensem fuisse primùm regni Arelatensis & Burgundionum; deinde concessam ab iis Regibus, Archiepiscopo & Ecclesiæ ejus, etiam quoad jurisdictionem temporalem: quam & posteà Reges Francorū tolerârunt, salvo duntaxat summi imperij jure. Inde verò ortis frequenter inter Archiepiscopum Capitulúmque Ecclesiæ & cives magnis dissensionibus, seditionibus, & bellis, Francorum Reges non solùm se iis immiscuisse uti supremos dominos ad res componendas, verùm etiam procedente tempore justitiam sæcularem, de quâ controvertebatur, occupâsse, suósque ministros ibi constituisse. Quod ægrè ferens his temporibus prædictus Petrus Archiepiscopus, ejusmodi ministros regios malè habuit, & hostilia in certam ditionem regiam exercuit. Ad cujus conatus reprimendos missus Ludovicus Rex Navarræ filius primogenitus Regis Philippi, eum cepit & ad patrem duxit. Qui diù illū detinens, tandem libertati restituit, eâ conditione ut omninò cederet temporalitate civitatis, cujus causâ tot turbæ concitatæ fuissent; acceptis in compensationem certis aliis redditibus annuis: confecto eâ de re instrumento Viennæ, ubi Concilium celebrabatur, die Lunæ post Dominicam Misericordia, mēse Aprilis anno 1312. Ita namq; res se habuisse, plerique auctores [z] illius & posteriorum temporū tradunt. Ex quibus etiam intelligimus, post hæc restitutam fuisse prædictæ Ecclesiæ temporalitatem à Rege Philippo Lōgo hujus Philippi filio, (servatâ tamen semper supremi dominij auctoritate) ac rursùm novis emergentibus occasionibus, à successoribus in perpetuum receptam, hactenúsque retentam.

[yy] Supr. an. 1303. II.
[z] Contin. Nāg. Chron. Monfort. Æmil. lib. 8. Paradin. Hist. Saband. lib. 2. cap. 18. Claud. Rub. Hist. Lugd. lib 3. cap. 31. & seqq. Bellefor. lib. 4. cap. 50. & 51. Masson. in Philipp. IV. Severt. Hist. Archiep. Lugd. in Ludov. & Petr. III. &c.

XIV. GUIDO EPISCOP. TRAIEC. RECUSAT CARDINALATUM.

Denique quod ad prædictū Concilium spectat; haud omittendum putamus ingenuum facinus ac summæ animi moderationis plenū, *Guidonis* Episcopi Trajectensis in Bataviâ, patrui Willelmi tunc Comitis Boni dicti, qui uxorem duxerat Ioannam filiam Caroli Valesij fratris Philippi Regis. Qui [a] cùm Viennam ad Concilium accessisset, & Pontifex eum petitione Philippi Regis Cardinalem creare vellet; recusavit ille modestè honorem, eo se indignum professus. Cujus modestiâ suspiciens Philippus, cōtribuit illi censum annuū quingentarum librarum: idémque post aliquot annos Ecclesiâ suâ egregiè tam in temporalibus quā spiritualibus administratâ requievit in Domino. Atque hactenùs de Cōcilio Viennensi; cujus maxima pars (ut diximus) ad sequentem annum pertinet. Ejus verò decretorū publicatio facta fuit à Clemēte anno 1313.

[a] Beka in Chron. Io. à Leid. lib. 17. cap. 5. Trithem. in Chron. Hirsaug.

Clementinarum editio.

Montiliis duodecimo Calendas Aprilis. Ex quib s, & aliis, quas item ante vel etiam post Concilium constitutiones edidit, cùm septimum librum Decretalium fieri decrevisset [b], priùs tamen quàm eum publicare & ad studia mittere potuerit, mortem oppetiit. Editæque sunt illæ posteà sub nomine *Clementinarum* à Ioanne ejus successore, octavo [c] Calendas Novembris anno Pontificatûs secundo, qui fuit Christi 131 . & ubique observari jussæ.

[b] *Contin Pol. Amalr. Auger. & alij.*
[c] *Procem. Clementin. & ep. Ioan. XXII. 749. & 124*

XV. Concil. Provin. R vennæ.

Hoc item anno celebratum reperitur *Ravennæ* ab Archiepiscopo Rainaldo & comprovincialibus Episcopis *Concilium*: in quo multa statuta [d] sunt egregia pro cultu Ecclesiarum, reformatione morum, & disciplinâ Ecclesiasticâ.

[d] *Ext. in T. Concil.*

XVI.

Intereà cum Henricus Romanorum Rex rebus suis attenderet, iisque non parùm à Roberto Siciliæ Rege dubitaret; dum copias quas valdè imminutas habebat repararet, Pôtificem rogandum existimavit ut Romam accederet, propriis manibus coronam sibi impositurus. Qui Concilij celebrationem excusans, præcepit [e] nihilominùs Genuensibus, & aliis Romano Imperio subjectis civitatibus, auctoritate Apostolicâ, ut Henrico obtemperarent. Et ad coronationem ejus ritè peragendam, quinque Cardinales destinavit, qui vel jam erant in Italiâ, vel eò mittendi: videlicèt Arnaldum de Pelagruâ diaconum Cardinalem S. Mariæ in Porticu, qui fungebatur in Italiâ Legatione Apostolicâ, Leonardum Albanensem & Nicolaum Ostiensem Episcopos; Franciscum S. Luciæ & Lucam S. Mariæ in viâ-latâ Diaconos Cardinales: cum facultate ut si non omnes interesse valerent, quatuor, tres, duo, vel unus coronationem expediret: prout testatur ipsemet Henricus literis [f] post suam coronationem de eâ scriptis ad Ioannem Abbatem Waldsessensem in Nariscis. Ex quibus corrigendus videtur Ciacconus; dum in Vitâ Clementis agens de Arnaldo de Felguerio (ut vocat; dicendo potiùs Faltuerio, sive de Faltineriis) Cardinale Episcopo Sabino & Archiepiscopo Arelatensi, déque ortâ controversiâ inter Ostiensem & Sabinum (ut ponit) de coronatione Henrici; ac Clemêtis judicio in favorem Sabini, quem legationis principem esse voluit, solúmq; Legati nomine insignivit ut ipse Imperatorem coronaret, reliquos Nuncios vocans: existimavit Arnaldum illum legationis principem, fuisse Sabinum; confundens (sicuti & alij fecisse noscuntur) cum Arnaldo de Pelagruâ; qui certò interfuit inaugurationi Henrici, nô ille Sabinus: quem etiam Onuphrius mortuum ponit hoc anno 1311. Avenione, cùm Henricus nonnisi sequenti coronatus fuerit Romæ. Et quod ad prædictam controversiam attinet; nequaquàm putes favisse Pontificem Arnaldo de Pelagruâ ob affinitatem quâ ipsum attinebat, committendo ei coronationem Imperatoris; sed ex solemni ritu, quo coronationes, etiamque ipsorum Summorum Pontificum, fieri assolent à Cardinalibus Diaconis, qualis erat Pelagrua; unctiones autê ab Episcopis: quemadmodùm & Henricum inunctum fuisse ex decreto Clementis à prædicto Ostiensi, idem Ciacconus narrat. Ceterùm modum quoque inaugurationis Legatis Pontifex præscribens [g], cum formulâ juramenti quod Henricus præstare deberet; eumdem ipsum pariter admonuit [h], ut præstiti jurisjurandi, ac privilegij Sedis Apostolicæ dari côsueti, quatuor exempla subscripta sigillóque aureo munita Legatis traderet. Nihílque non pro dignitate ejus agens, Ludovico fratri Amedei Sabaudiæ Comitis creato ab Henrico Urbis Romæ Senatori, eam dignitatem confirmavit.

[e] *Ep. 39. an.*

Decreti Cardinales ad coronationem Henrici.

[f] *Ext. in fi. Vitæ Henr. per Vecer. to. Rer. Germ. Vetis. & ap. Bzov. an. 1312.*

[g] *Ep. 56. 753. 754.*
[h] *Ep. 278.*

XVII. Lituaniæ Dux poenas fert sacrilegii.

Hoc eodem anno [i] Victenen supremus Dux Lituaniæ Paganus in Prussiam intrans, cuncta ferro & igne vastavit, Ecclesias spoliavit & incendit. Divinissimum Eucharistiæ sacramentum in terram projectum ore conspuit & pedibus conculcavit; insultans etiam, quòd nec ipsi resistere, nec suis cultoribus auxiliari posset. Sed non tulit blasphemiam divina Majestas: siquidem accurrens Magister Prussię Lituanos internecione delevit, captivos in patibulum agens aut undis suffocans: & ex toto Lituanorum exercitu nemo præter Ducem & duos ejus comites, ipséque capite vulneratus, aufugit.

[i] *Michov. Rer. Polon. lib. 4. cap. 13.*

XVIII. Niphon Patriar. Constantinopol. valdè indignus.

Constantinopoli post biennium vacationis Sedis Patriarchalis, *Niphon* Metropolita Cyzicenus ad eam translatus est; vir literarum Græcarum planè rudis, sacrarum etiam ferè, ut qui nec elementa literarum sciret pingere: felicis tamen ingenij, cujus excellentiæ si etiam eruditionê adjunxisset, inter sapientissimos numerari potuisset: qui de cetero rei familiaris curâdæ peritissimus, & divitiarum amore, externíque splendoris intempestivâ cupidine flagrans, mensarum etiam delicias & muliebres mollities sectabatur; denique omnibus qui ingenio vel arte valebant invidens, criminationibus eos impetere, & adulationibus sibi Imperatores devincire egregiè sciebat. His enim coloribus depingit hominem Nicephorus [k] unde videas in quas miserias lapsa fuerit infelicissima Ecclesia Constantinopolitana, postquàm secessit à communione Sedis Apostolicæ, ut hujusmodi hominum propudiis regi debuerit; ac continuis mutationibus & abdicationibus pseudo-Patriarcharum obnoxia, cum indignis liberaretur longè indigniores suscipere cogeretur. Ceterùm Phranzes [l] hanc Patriarcharum successionem paulò secùs recitat; cùm aliàs Nicephorum tantummodò breviare ferè consueverit.

[k] *Nic. Greg. lib. 7.*

[l] *Phranz. lib. 1. cap. 9.*

Iesu Christi Annus 1312.

Clementis V. An. 8.

Henr. VII. Ann. 4.

Andronici Ann. 30.

I. Robertus Rex providet Urbi Romæ adversus Henricum.

Anno Christi millesimo trecentesimo duodecimo Indictionis decimæ, dum Henricus [a] Romanorum Rex Pisis existens iter pararet Romam versùs, Robertus Rex Siciliæ cernens eum omnibus viribus & artibus in Guelforum perniciem vehi, timénsque ne prætextu coronationis Romæ suscipiêdæ, Urbem occupare & Pontificiam auctoritatê minuere præsumeret; pro munere quo fun-

[a] *Villan. lib. 9. cap. 38. 39. 42. Anton.*

gebatur

tit. 21. cap. 2 Platin. in Clement. V. Blond. 2. dec. 9. Alb. Argentin. in Chron. Naucler. gener. 44. Krantz. 9. Saxon. 3. Cor. par. 2. Vecer. in Vit. Henr. & alij: in aliquibus tamen, ut fit, discrepantes ab invicem.

gebatur Vicarij Statûs Ecclesiastici, & Guelforum protectoris, eò misit fratrem suum Ioannem Achaiæ Principem cum sexcentis equitibus; specie quidem pompam coronationis Henrici ornatiorem reddendi, reverâ autem ut unà cum Ursinis aliísque Guelfis conatus Henrici, ac Columnensium aliorúmque Gibellinorum ibidem Romæ ab eo státium molitiones infringeret. In quem finem accedentibus etiam auxiliis Florentinorum, Lucensium; ceterarúmque Tusciæ civitatum fœderatarum; multa intra Urbem ineunda fuêre certamina cum iisdem Columnensibus, qui auctoritate & viribus freti Ludovici Sabaudi Senatoris, quem Henricus cum quingentis equitibus præmiserat, eos Urbe pellere contendebant. Mansit tamen potior Urbis pars penes Guelfos; civitas nempè Leonina unà cum Ecclesiâ & palatio Vaticano S. Petri, ac munitione S. Angeli, & vicinis ædibus Ursinorum; universáque regio Transtiberina, & intra urbem Capitolium; reliquam urbem Gibellinis occupantibus unà cum Ecclesiâ Lateranensi.

II. HENRICI IN URBEM ADVENTUS.

Adveniens nihilominùs Henricus cum exercitu, ruptis hostibus qui etiam pontis Milvij transitum impedire præsumpserant, magnâ pompâ exceptus est in Vrbe à Clero & populo die Dominicâ 7. Maij. Vbi prætextu alienationis à se Vrsinorum, ceteris primoribus Romanorum prehensis, & munitionibus Vrbis, hoc est theatris, thermis, & vetusti operis ædificiis occupatis; cum coronari peteret à Cardinalibus ad id legatis, respondentibus illis non posse id fieri absque novo Pontificis rescripto, eò quòd ecclesia Vaticana S. Petri, in quâ mos erat coronari Principes, occuparetur ab hostibus; missi mox sunt nuncij Avenionem ad Clementem; interímque quotidiani ferè insultus in hostes facti ad eos inde deturbandos. Quorum uno, qui accidit 26. Maij, cùm ad duo millia Henricianorum aut cæsi aut capti fuissent; & inter duces Theobaldus Episcopus Leodiēsis virtute & auctoritate eminens occubuisset: desperans Henricus id assequi quod cupiebat, atque indulgente Clemente coronationem in Ecclesiâ Lateranensi fieri, nihílque exinde de amplitudine Cæsarei nominis imminutum iri si non in Vaticanâ fieret; demùm tertio Calendas Iulij ipsâ festivitate Apostolorum Petri & Pauli; (falluntur enim qui Vinculis S. Petri Calendis Augusti, vel quâcumque aliâ die quam prædictâ Apostolorum, factum tradunt; cùm tam aliis antiquis [b], quàm præcipuè ipsomet Henrico auctore, litteris [c] de suâ coronatione scriptis, certò constet de festo Apostolorum, déque tertio Calendarum Iuliarum) à tribus Cardinalibus, Nicolao Ostiensi, Arnaldo S. Mariæ in Porticu, & Lucâ S. Mariæ in Viâ-latâ, (mortuis inter moras Leonardo Albanensi, & Francisco S. Luciæ, quos vidimus cum prædictis ad id delegatos) coronâ aureâ solemni ritu in dictâ Ecclesiâ Lateranensi coronatus, & sacro oleo inunctus, Imperatoriæ majestatis insignia suscepit. Quibus quòd nullus à Friderico Secundo ad ipsum insignitus fuerit, ideò qui intercesserunt à multis non reponuntur in numero Imperatorum, sed tantùm Regum Germaniæ: uti reverâ non aliter indigitari potuerunt, cùm coronatio Aquisgranensis candidatum duntaxat faciat Imperij, (quem complures Cæsarem vocant) non Imperatorem; qui nonnulli benedictione fit Pontificiâ: quamvis & nos plurium de more nomina eorum in titulis annorum ad consignanda tempora reponere consueverimus, quamdiù non fuerunt à Sede Apostolicâ reprobati.

CORONATUR IN ECCLES. LATER.

[b] Contin. Pol. & Ster. atque ex iis Onuphr. in Chron.
[c] An. super. XVI.

III. IURAMENTA AB IPSO PRÆSTITA.

[d] Dist. 63. cap. 33.

Antequàm tamen Henricus coronaretur, præter fidei professionem, juramentum etiam fidelitatis secundùm formam in Decretis [d], quæ incipit *Tibi Domino*, comprehensam; aliúdque id Pontificali Romano contentum, per Imperatorem coronationis suæ tempore præstandum, quod incipit *Ego N. Romanorum Rex*; necnon alia de Ecclesiæ Catholicæ Fideíque propugnatione, hæresum exterminatione, Ecclesiæ Romanæ, ejúsque bonorum, jurium ac privilegiorum quorumcumque tuitione ac conservatione, ceterarúmque Ecclesiarum ac sacrorum ministrorum & immunitatum eorumdem defensione; coram iisdem Legatis præstitit: quæ & jam olim priusquàm ingrederetur Italiam coram Ioanne de Mollianis nuncio Apostolico ediderat. Hæcque sic innovata & iterata, literis publicis sigillo majori munitis, tam ante quàm post coronationem asseri & confirmari fecit; quæ hactenùs extant [e].

[e] In Archiv. Rom. Eccl. & cod. Vat. 3577. & Clem. Romani Princip. de j rejur. unde Brov. descripsit an. 1308. & 1312.

IV. COGITUR URBEM DESERERE.

His peractis Imperator derelictus à Duce Bavariæ & multis aliis proceribus Germanis, jam satis perfunctos se officio comitandi existimantibus; cùm Romanis sibi faventibus in verba sua, ut moris erat, jurare compulsis, pecuniarum egēs ausus etiam esset tributum insuetum à populo exigere: eâ re commotâ in tumultum universâ civitate, post aliquam pugnam, cladémque acceptam, coactus est Urbem relinquere: & primò Tibur, inde Tuder concedens, posteáque per ditionem Perusinorum iter faciens, eámque & ubique Guelfos ferro & igne persequens, Aretium pervenit animo Florentiam aggrediendi; quæ interim ceteræque pariter civitates fœderatæ, sese viribus & commeatu munierant: solicitæ libertatem conservare, quam à multo tempore consecutæ per absentiam Imperatorum, in perpetuum adeptam interpretabantur. Captis porrò & eversis aliquot Florentinorum castellis, urbem quoque obsidione cinxit: sed post quadraginta dies cùm tempus frustrà conteri, séque commeatu, pecuniis, & copiis deficere cerneret, solutâ obsidione Bonitium se ad hiberna recepit, toto hiemis tempore ab hostibus undique lacessitus, eósque lacessens, haud tamen magno operæpretio: de Florentinis tamen (postquàm sementis faciendæ spem omnem præterîsse, & agrum omninò vastatum vidit) dictans, eos vel sociorum urbi inclusorum auxilio satis sufficere indigentiæ & fami ita accrescendæ, ut ante æstatis initium se qui in deditionem reciperet pariter vocare & orare cogerentur. Quæ omnia uti se habuerint, narrant qui ea præ oculis habebant Villanius [f], & auctor Rerum Pistoriensium; necnon qui pòst scripserunt Leonardus Aretinus [g], Antoninus, Blondus, Platina, Nauclerus, Vecerius, Krantzius, & alij. Illud porrò memorandum quod observat idem

FLORENTIAM FRUSTRA OBSIDET.

[f] Vill. lib. 9. cap. 43 usque 47.
[g] Aret. lib. 5. Ant. tit. 21. cap. 2. Blond. 2. dec. 9. Platin. in Clement. V. Naucl. gen. 44. Vecer. in Vit. Henr. Krantz. Saxon. lib. 9.

Villanius; cùm reſideret Imperator tempore obſidionis apud Salvianum prope Florentiã, & aliquando Ludovicus Sabaudus cum Abbate illius loci confabulans dixiſſet Imperatorem à ſuis aſtrologis ſeu aliis prædictionibus accepiſſe, debere ſe uſque ad Caput mundi in ditionem ſuam redigere; Abbatem ridendo reſpondiſſe impleram jam eſſe prophetiam, quandoquidem eſſet ibi vicus abſque exitu, quem *Caput mundi* incolæ vocarent: indéque Sabaudum cum ceteris proceribus qui aderant remanſiſſe valdè confuſum. Ut ſanè confundi merentur, qui iſtis hariolorum vanitatibus ac dæmonum fallaciis & animum & aures præbent.

RIDETUR EIUS VANITAS.

V.

Cæterùm cùm certior factus Clemens Pontifex de diſſidiis inter Henricum Imperatorem & Robertum Regem Siciliæ ortis; ut ea dirimeret, & pacem Italiæ (qui fuerat præcipuus Clementis finis de itinere Henrici) conſtabiliret, ſcripſiſſet Ca dinalibus Romæ exiſtentibus ut id diligenter attenderent; inter alia inſinuans, eoſdem Principes; quòd ſpecialiſſimi eſſent Eccleſiæ Romanæ filij, éique *juramento fidelitatis* & aliàs multipliciter adſtricti, ejuſdem debere eſſe promptiſſimos defenſores: Henricus ea verba indignè ferens, protervè nimis multis tabellionibus accerſitis, qui de ſuâ reſponſione publica inſtrumẽta conficerent, palam profeſſus eſt ſe non eſſe cuiquam *fidelitatis juramento* adſtrictum, neque umquam ſe illud præſtitiſſe, neque ſcire fuiſſe unquam à ſuis deceſſoribus Imperatoribus præſtitum. Quibus Clemens commotus, zelóque conſervandorum Eccleſiæ Romanæ jurium accenſus, ne foret ei aliquando ejuſdem Henrici procacitas præjudicio, conſtitutionem edidit, quam & in corpus Iuris [h] redigi voluit; quâ planè oſtendit, quæ ſuperiùs diximus Henricum & ante inaugurationem, & in ipsâ, & poſt, juramentum illud fidelitatis & obedientiæ præſtitiſſe, iterâſſe, & literis ſuis publicis confirmâſſe; ídque ipſum ſuos ipſius deceſſores Romanorum Reges & Imperatores Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus præſtitiſſe: fuiſſéque illa indubitanter veræ fidelitatis juramenta, non ut Henricus prætexebat nudos verborum ſonos.

INDIGNATUR IN CLEMENTEM PÓT.

CONSTITUTIO DE FIDELITATE IMPERATORIS ERGA ROM. ECCLES.

[h] *Clem. Romani Principes de jurejur.*

VI.

Nec minùs cetera Chriſtianitatis curans, hoc ipſo anno Fridericum Regem Trinacriæ; ac Philippum Principem Tarentinũ fratrem Roberti Regis, Imperatorémque Conſtantinopolitanum ſeſe indigitantem, (cùm enim Carolus Valeſius ex matrimonio cum Catharinâ illius Imperij herede duas filias ſuſcepiſſet; alteram hic Philippus æquè Catharinam dictam ſibi copulavit cum dote juris Imperij, alteram filio ſuo cum dote regni Theſſalonicenſis; ut diſertè explicat auctor illius temporis Continuationis Hiſtoriæ Ptolomæi Lucéſis; meminerunt q; alij [i],) ab Andronico Græcorum Imperatore in auxilia evocatos contra Turcos, datis utrique literis animavit, & in id operis decimas bonorum eccleſiaſticorũ conceſſit; militaturiſque eo bello parem indulgentiam ac ſi in Palæſtinam trajicerent largitus eſt, aliaque privilegia impertiit. Et erat urgens cauſa, cur Andronicus prædictorum Principum auxilia imploraret; videlicèt quòd poſt magnam æquè ac pudendam cladem à filio ejus Michaële [k] nuper in Cherſoneſo à Turcis, quamvis & in terrâ hoſtili incluſis, & longè numero inferioribus acceptam, (enervatâ jam ſcilicèt à multo tẽpore antiquâ Græcorum militari virtute; ac præterea ulciſcente numine fractam à Græcis fidem, Turcis datam de libero per ſuas terras tranſitu:) iidem Turci omnem Thraciam ita ſubjectam depopulationibus ſuis tenerent, ut vix Græci mœnibus egredi auderent.

[i] *Contin. Gall. Nangij. lib. 4. cap. 35. Summont. l. 3. cap. 2.*

GRÆCI A TURCIS CONTUNDUNTUR.

[k] *Nic. Greg. lib. 7.*

VII.

[l] *Supr. an. 1302. 1304. 1308.*

Quo eodem tempore erraticæ Societatis Catalanæ [l] memorabilis audacia fælicem hunc tandem ſucceſſum nacta eſt; ut cùm ortâ inter Entenzam & Roccafortium duces inteſtinâ diſſenſione, quâ Entenza occubuit; & ipſius Roccafortij paulò pòſt ab Eubœæ præfecto interceptione, (quâ ad Robertum Regem Siciliæ ductus, in carcere obiit) ad ſummam deſperationem redacta eſſet; qui ſupererant percursâ Macedoniâ ac Theſſaliâ in Atticam delati, quam Gualterius Brenna ex veterũ Francorum nobilitate poſſidebat; eum ſive tranſitum ſibi per illam regionem, ſive ſtipẽdia denegantem, prælio occiderint, & Athenarum urbem ac totam Atticam occupaverint; fortuníſque & divitiis Francorum per tot tempora quæſitis locupletati, ſtabiles ibi ſedes nullo ampliùs prohibente anno proximo fixerint. Quæ ut geſta ſint, fusè narrant Montanerius, & Nicephorus. Imperij tamen ſummam noménque iidem Friderico Regi Trinacriæ reſervârunt; (non quidem, ut Sanutus [m] obſervat, voluntariâ ſubiectione, ſed quò ſecuriores eſſent ab inſultibus vicinorum:) qui præfectos urbibus, duces bello dedit, ejus & filij ipſius eò deſtinati nomine res geſturos: nequicquàm Clemente Pontifice literis [n] apud Iacobum Regem Aragoniæ agente, ut juberet Catalanos pro regio imperio ex Atticâ recedere. Hinc porrò per aliquot luſtrorum ſucceſſiones poſſeſſio Siculis & Aragoniis; inde tam illis quàm poſteà Hiſpaniarum Regibus, *Ducis Athenarum & Neopatriæ* (hoc eſt Achaiæ) inane nomen umbráque remanſit. Ita namque Hiſpani [o] déque eorumdem Catalanorum progreſſibus in Blachiâ ſeu Valachiâ, & fælici ſtatu in dominio Athenarum, eſt etiam teſtimonium prædicti Sanuti, qui res illas optimè novit, epiſtolâ [p] ſcriptâ anno milleſimo trecenteſimo vigeſimoquinto ad Ingramum Archiepiſcopum Capuę & Cancellarium Roberti Regis, pro negotio Terræ Sanctæ, quod totâ mente promovere ſatagebat.

RELIQUIÆ SOCIETATIS CATALANICÆ ATTICAM OCCUPANT.

[m] *San. ep. 16.*

[n] *Rec. Surit. Indic. lib. 2. an. 1314.*

[o] *Marian. lib. 15. cap. 14. Surit. ibid. qui & totam hujuſmodi Catalanam expeditionem fuſius unóque contextu cõplexus eſt Hiſt. Hiſpan. Arag. lib. 6.*

[p] *San. ep. 3.*

VIII.

[q] *Contin. Bel. ſacr. lib. 5. cap. 13.*

DE SUCCESSIONE POSSESSIONIS ATTICÆ.

Ex quibus Heroldum [q] de his agentem arguere liceat, dum ſcribit imperium Athenarum delatum fuiſſe Rainerio cuidam è Florentinorum familiâ Acciajolorum; ejúſque gentiles illud tenuiſſe quoadúſque à Turcis occupatum eſt: Vel potiùs de futuris temporibus interpretari; cùm narret etiam Summontius in hiſtoriâ [r] Neapolitanâ, Ioannam Reginam Siciliæ circa annum 1345. obtinuiſſe dominium Athenarũ à Ludovico Maramonte & Nicolao Pratenſi ducibus Leccienſibus in Apuliâ; eóque miſiſſe Nicolaum Acciajolum Florentinum ducem multæ virtutis ad poſſeſſionem ejus loci adeũdam. Sicuti & ex Chalcondyle [ſ] Græco certum redditur, fuiſſe poſthàc Atticam in cujuſdã Rainerij è familiâ

[r] *Summont. lib. 3. cap. 4.*

[ſ] *Chalcond. lib. 4.*

liâ Acciajolorum Florentinorum potestate; sub imperio tamen Regum Neapolitanorum. Unde & deceptum putamus Heroldum ambiguitate nominis Rainerij: ut qui legisset apud Chalcondylem, Rainerium Acciajolum imperitâsse Athenis, existimaverit hoc contigisse ab initio occupatæ per Catalanos Atticæ. Sanè qui non diligenter Chalcondylis narrationum confusiones perpenderit, in magnos errores tali duce incidere periclitabitur. Fuisse autem hunc Rainerium nepotem prædicti Nicolai, ex eodem Summontio intelligitur; quem ait relictum à patruo rectorem Atticæ, auditâ morte Reginæ Ioannæ dominationem sibi usurpâsse sumpto nomine Ducis Athenarum: post ejus verò obitum illos populos rediisse ad obedientiam Caroli Regis Neapolitani qui Ioannæ successit: sed mortuo Carolo, Franciscum filium Rainerij Statum recuperâsse eodem Ducis titulo; cúmque tenuisse quousque eo privatus est per Mahometem Secundum Turcorum Imperatorem. Ita ille ex Historiâ Ferrarij Neapolitani, & Spandugini Constantinopolitani. Ex quibus & intelligas quod auctores Hispani [t] referunt de conatu Ludovici Navarri post obitum Ioannæ, subigendæ Atticæ veteri jure Regum Neapolitanorum; sed à Catalanis fuisse repulsum: nullâ tamen prorsùs factâ mentione principatûs Acciajolorum. Cui nihilominùs & testimonium perhibet Æneas [u] Silvius, sive Gobellinus, asserens Nicolai filium Thebas atque Athenas occupâsse, ac posteris possidenda reliquisse; quousque à Mahomete dejecti fuêre. Unde, & ex nonnullis aliis totius istius Catalanicæ expeditionis circumstantiis, (ut ingenuè fateamur) non semel nobis dubitatio inhæsit, multum in eâ esse fabulosæ narrationis: quemadmodùm in multis aliis ejusmodi expeditionum narrationibus frequenter reperire licet. Illud porrò certissimum, quod jam diximus; Reges Hispaniarum hactenùs inter inanes titulos numerosissimarum suarum dominationum, etiam sese Duces Athenarum indigitare, quâcumque demùm ratione id agant. Benè esset, si recuperandi animo: nisi fortè à proximioribus monarchiam amplificare utilius ducant. At de his modò satis supérque.

t Surit. Ind. lib.3. Marian. lib.18. cap.4. in fi.

u Æn. Commentar. lib.

IX. Cùm vigeret in Angliâ magna discordia inter Regem & proceres, tum Petri Gaverstonij [x] occasione, tum ob quasdam libertates à proceribus manu armata protervè expetitas; ad eos reconciliandos misit Pontifex Arnaldum Novelli Cardinalem S. Priscæ natione Gallum professione monachum Cisterciensem, & alterum Arnaldum Episcopum Pictaviensem ac posteà Cardinalem Sabinum. Qui cùm in Angliam venissent, proceres nec eos admittere, nec literas à Pontifice ad eos scriptas recipere voluerunt; dicentes se non esse literatos, sed tantùm armis & militia exercitatos: habere autem se multos probos & literatos Episcopos, quorum consiliis uti vellent, non verò extraneorum, quibus non esset cognita causa commotionis suæ. Sícque Legati re infecta ad Pontificem redierunt. Quod narrat Walsinghamus in Vita Eduardi Secundi; commixto fortè fermento commentationum suarum.

x Supr. an. 1308. I.

INVRBANITAS PROCERŪ ANGLORVM ERGA LEGATOS APOSTOLICOS.

X. Eodem anno in Hispania cùm Rex Castellæ Ferdinandus duos fratres Carvajalios Petrum & Ioannem de quodam homicidio suspectos, & tamen crimen diffitentes, nec convictos de rupe altâ præcipites dari jussisset: ij magnâ voce innocentiam suam attestantes; quoniam regiæ aures defensioni suæ obstructę essent, ad Deum æquissimum judicem se provocare professi sunt, & Regi diem dicere ab eo trigesimum. Nec fallax fuit vadatio. Siquidem cùm Rex nullâ periculi curâ ad castra abiisset contra Mauros, ibi levi morbo statim tentatus Giennium se contulit: augescentéque in dies vi morbi, septimo die Septembris, ipso trigesimo vadationis die, à prandio somno se dans in strato exanimatus repertus est, anno ætatis quarto & vigesimo mense nono, regni anno decimo-septimo mense quarto die decimo-tertio, qui ob mortem sic obitam, inter Castellæ Reges *Ferdinandus in ius vocatus* nuncupari cœpit. Heredem reliquit *Alfonsum* filium, ejus nominis Regem Undecimum, annum tantùm unum & dies viginti quinque natum. Cujus educatio, post multas altercationes, Mariæ ejus aviæ commissa est; Regni administratio primùm Ioanni & Petro defuncti Ferdinandi patruo & fratri, deinde Senatui: ut Mariana [y] describit. Cui de tempore obitûs Ferdinandi concordat Surita [z] accuratus uterque rerum Hispanicarum scriptor, & temporum indagator: cùm Rodericus Sanctius [a] ante biennium collocet, & alij etiam inconsideratè ad alios annos referant.

FERDIN. IN IVS VOCATI REG. CASTELLÆ OBITVS.

y Mar. lib. 15. cap. 11.
z Surit. Ind. lib. 2.
a Roder. Sanct. par. 4. cap. 9.

XI. In Hungariâ Rex Carolus cum Matthæo Comite Trencinienti viro fortissimo atque potentissimo, solóque jam sibi rebelle, prælio dimicaturus; sacramentis pœnitentiæ & Eucharistiæ sese ante omnia muniens, decimo-quinto Iunij acerrimum certamen iniit: quo, vexillario suo occiso, vexillóque cadente, pugnare habuit sub signo militum Hospitalariorum qui eum assectabantur; & vix tandem post longè majorem suorum quàm hostium cædem fugare potuit, victoriâ cælitus immissâ. Rem describunt Thwrosius [b] & Bonfinius [c]. Matthæi verò potentia simul & audacia quanta esset, Dubravius [d] etiam docet, dum scribit eum privatis opibus Moraviam aggressum, cum Rege quoque Boemiæ præliari, ac pari jure cum eo agere præsumpsisse.

CAROLI REG. HVNGAR. VICTORIA CÆLITVS PARTA DE REBELLIBVS.

b Thuros. Rer. Hungar. cap. 90.
c Bonfin. 2. dec. 9.
d Dubrav. Rer. Boem. lib. 20.

IESV CHRISTI Annus 1313.
CLEMENT. V. Ann. 9.
HENR. VII. An. 5.
ANDRONICI Annus 31.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo decimo-tertio, Indictione undecimâ, Henricus [a] Imperator pecuniis adjutus Friderici Regis Trinacriæ, quibus maximè indigebat, fœdus cum eo sanxit adversus Robertum Siciliæ Regem; creans eum Archithalassum, seu ut vocant Admiratum Imperij, & ad regnum Roberti invadendum excitans: idipsum ex aliâ parte facturus ipse terra maríque, ubi auxilia quæ è Germaniâ & Gibellinis Italiæ expectabat recepisset, & Genuenses ac Pisani numerosas classes imperatas adornâssent.

a Villan. lib. 9. cap. 48 & seqq. [illegible] Blond. 2. dec. 9. [illegible]

sent. Atque intereà è Bonitio Pisas repetens mense Martij, contra Robertum & Florentinos ceterásque socias civitates edicta gravissima proposuit; multósque insignes per eam tempestatem viros, ab adversariis & æmulis ut cuique libuit nominatos sententiis notavit. Sententiam verò contra Robertum, ad certam diem vocatum nec comparentem, quâ eum ob illa quæ in ipsum tam per reliquam Italiam quam Romæ patrâsset ac machinatus esset, uti majestatis reum & Imperij proditorem, regno ceterísque quibuscumque ditionibus privatum proscripsit, pœnâ capitis, si quando intra fines Imperij repertus fuisset, plectendum; Albericus de Rosate egregius eo sæculo Iurisconsultus Bergomensis verbotenùs conservavit [b] notabilem esse dicens; promulgatam Pisis septimo Calendas Maij, regni ipsius Henrici anno quinto, Imperij primo.

HENRICI IMP. VANA IN ROBERTVM SENTENTIA.

[b] Alber. in l. quisquis C. ad l. Iul. majest.

II.

Sed hujus sententiæ vanitatem, etiam vera forent quæ Regi objiciebantur, ostendit posteà & declaravit Clemens Pontifex constitutione [c] eâ de re editâ; tam ex eo quod à Iudice armato, hostéque infensissimo, quippe Regem tutè adire ad suam defensionem non poterat; & in loco pariter non tuto, ob mortale odium quo Pisani Regem prosequebantur; in absentem, nec citatum legitimè, præcipitata fuisset: quàm præcipuè quòd tametsi prædicta cessarent, non esset Rex vel ratione personæ vel regni, jurisdictioni Imperij subjectus; verùm & ortu & domicilio & dignitate homo ligius & vassallus Ecclesiæ Romanæ supremæ dominæ regni Siciliæ. Quibus aliísque rationibus à se deductis, idem Clemens prædictam Henrici sententiam, & processus omnes circa eam factos, & quicquid eorum occasione secutum est; tam (ut ait) ex superioritate quam ad Imperium haberet, quàm ex potestate quâ vacante Imperio (decesserat namque jam Henricus, cùm hanc declarationem Clemens edidit) Imperatori succederet, & nihilominùs ex illius plenitudine potestatis quam CHRISTUS Rex Regum & Dominus dominantium ipsi Pontifici in personâ Beati Petri concessisset; irritos & inanes nulliúsque valoris & auctoritatis declaravit.

[c] Cap. pastoralis. Clem. de sent. & re judic.

EAM ABROGAT CLEMENS.

III.

Quàm & parùm curantes Florentini ac proximæ periculo fœderatæ civitates, cùm vires Henrici augeri cernerent, sibíque adhuc ab eo necnon ab exulibus & intestinis dissensionibus valdè timerent; ad eumdem Regem Robertum ejúsque opem recurrentes, missis oratoribus primò suppetias postulârunt, deinde etiam dominatum ac gubernationem certis conditionibus obtulerunt. Qui eis acceptis, Vicarium misit mense Iunij; quem eis saluti fuisse, Villanius [d] ingenuè fatetur. Fecisséque id ipsum factionem Turrianam de civitate Mediolani, è quâ fuerat ab Henrico pulsa, pactis cum Roberto initis, Corius [e] narrat: cùm & prætereà magnam partem Pedemontij idem Robertus obtineret.

ROBERTVS PATROCINIVM SVSCIPIT GVELFORVM CONTRA HENRICVM.

[d] Vill. lib. 9 cap. 55. Ad. de Aretin. lib. 5.

[e] Cor. par. 3.

IV.

Quare iis dimissis Imperator, ratus si ducem capútque pertinacis eorum constantiæ semel contulisset, facile sibi fore reliquam universam Italiam sibi subjicere; ipsum Robertum aggressurus, Nonis Augusti [f] Pisis movit cum validissimo Germanorum & Italorum exercitu, præmissâ Genuensium classe septuaginta triremium. Quo ipso die solvés ex condicto Messanâ Fridericus cum aliis quinquaginta triremibus, exscensione in Calabriam factâ Rhegium levi obsidione, & quædam alia minuta ejus oræ oppida deditione cepit: monitúsque [g] ab Imperatore Cajetam navigare, dum cursum eò dirigeret nuncium accepit de ejus obitu. Absque quo fuisset, vix sanè Robertus tam potentibus adversariis resistendo fore videbatur, quantumvis invicto animo ad eorum impetus repellendos sese præparâsset.

PERICVLVM EIVS AB INVASIONE HENRICI.

[f] Villan. cap. 50.

[g] Fazel. 2. dec. 9.

V.

Imperator igitur cùm jam Pisis excedens adversâ valetudine aliquatenùs tentatus, ne tamen constitutum expeditioni diem temerè fefellisse crederetur, itineri se dedisse; ubi ad Montem-apertum prope Senas pervenit ægrotare manifestò incipiens; ad balnea Maceretana divertit: parúmque iis recreatus castra movens apud Bonconventum duodecim milliariis Senis distantem substitit. Vbi superante morbo excessit è vitâ vigesimo-quarto Augusti festo die S. Bartholomæi (ut Villanius [h] & auctor Pistoriensis qui propè erant scribunt; seu pridie circa horam nonam, ut Corius ex literis tunc ab ipsis Senensibus in quorum agro obiit ad Reginos Lombardiæ missis) in medio cursu maximarum expectationum, quas placuit numini in auras redire unde fortè venerant. Egregius cetera Princeps, & qui si intra fines officij sese continere voluisset, ingentia in utilitatem Ecclesiæ & Imperij quâ erat innatâ virtute efficere potuisset. Corpus gravissimo suorum luctu Pisas relatum est, ibique in ecclesiâ cathedrali magnâ pompâ sepultum: cùm regnâsset à coronatione Aquisgranensi annos quatuor menses septem dies octodecim à Romanâ annum unum dies quinquaginta sex; vixisset [i] annos quinquaginta unum, dies triginta septem.

HENRIC. IMPER. MORITVR.

[h] Vill. cap. 51.

[i] Onuphr. ex Mussato.

VI.

Mortuum verò esse ex veneno ei in sacrâ Hostiâ (dicunt aliqui in ablutione communionis) die Assumptionis Beatissimæ Virginis porrecto à quodam Fratre Bernardo (Ioannem nonnulli vocant) Politiano Ordinis Prædicatorum, ad eam rem ab adversariis conducto; multi scripsêre. Nemo tamen ex antiquioribus id absolutè asseruit, sed tantùm ex incertâ vulgi opinione. Et quod maximi est apud nos momenti, nihil de eo Ioannes Villanius, qui tum vivebat & scribebat Florentiæ non longè à loco ubi Henricus obiit: cujus tantum esse novimus in scribendo candorem, ut nec suis Florentinis (qui præcipuè in crimen hujus veneni vocati fuere) in tam immani scelere parsurus omninò fuisset. Nihil item Continuator Historiæ Ptolomæi Lucensis, qui propè aderat; quinimmo omnem ejus obitûs sinistram opinionem diluens, disertè ait eum morte naturali (quicquid, inquit, aliqui malevoli dicant) obiisse; infirmitatémque ejus cœpisse ab apostemate in coxâ, & inde venisse in febrem, ex quâ decesserit decimâ pòst die; sicut accepisse se ait à fide dignis qui fuerűt præsentes. Nihil item Albertinus Mussatus Patavinus diligentissimus rerum Henrici scriptor, & veritatis amantissimus, tunc pariter vivens: qui tres alias ejus mortis causas adducit, nimirùm natum sub genu anthracem, ulceris genus; scissam

FABVLA DE VENENO EI IN EVCHAR. PRÆBITO.

ab stranguriâ vesicam, quo morbo assiduè laborabat; & pleurisim, quam merso jam spiritu vomuisse constitit. Et qui posteà ejusdem Imperatoris Vitam ex antiquis monumentis collectam memoriæ mandavit Conradus Vecerius, cùm variam de genere mortis opinionem extitisse testetur, ac nonnullos veneno mortuum asseruisse; quòd tamen vacillantem nimis eam opinionem esse animadvertit, elegisse ait in medio relinquere disputationem quàm de infandæ audaciâ famâ certam proferre sententiam. Denique sunt qui tot fatua & anilia hujus toxici compositioni immisceant [k] ut vel hoc ipso longè ejiciendum existimari debeat. Præter quàm quòd suppetunt testimonia Summorum Pontificum, Imperatorum, ac Principum tam sæcularium quàm Ecclesiasticorum Germaniæ & Italiæ, de innocentiâ prædicti Bernardi ac totius Ordinis; quæ satis superque sint ad obstruenda ora loquentium iniqua. Et ne in reliquis acta agamus, qui plura cupierit, habet Abrahamum Bzovium [l] Dominicanum, qui singulas adversariorum objectiones diligenter expendens, possit quibuslibet abundè satisfacere.

[k] *Io. à Laid. Chron. Belg. lib. 27 cap. 8. Meyer. Annal. Flandr. lib. 11. Mut. Germ. Chron. lib. 23. &c.*

[l] *Bzov. Annal. to. 14. an. 1313.*

VII. HENRICIANI OMNES DISSIPANTVR.

Mortuo igitur Henrico, Fridericus Rex Trinacriæ medio pelago ejus rei certior factus, ac repentino casu perculsus, consultò Pisas cœpto cursu contendit. Ubi cùm Pisanos & Germanos mœrore & animo consternatos, & ob id ad bellum minùs aptos reperisset; spreto sibi à Pisanis spontè oblato ejus urbis imperio confestim, ne Rex Robertus aut ejus fœderati corpori suo insidias, vel contra Siciliam bellum pararent, ad regnum tuendum quamcitissimè convolavit. Cúmque pariter Ludovicus Sabaudus, & Henricus Flander, recusatis ejusdem Pisanæ civitatis habenis, aliorúmque pars magna procerum ad sua se recepissent; eorum discessione Pisani ad summas angustias redacti, retentis sub stipendio mille circiter voluntariis equitibus inferioris Germaniæ, summam rerum suarum Huguitioni Fagiolano patriâ Aretino, rei militaris peritissimo, quem Imperator Vicarium Genuæ præfecerat, detulerunt; qui eâ acceptâ, magna deinceps facinora pro Gibellinis contra Guelfos patravit.

VIII. ROB. REX CREATVR VICARIVS IMPERII ET SENATOR URBIS.

Ex aliâ verò parte Clemens Pontifex rescissis ut vidimus, quæ Henricus in Robertum Regé decrevisset; ne per mortem ejus res Italiæ aut à vi externâ aut ab intestinis seditionibus periclitarentur, eumdem Robertum Imperij Vicarium [m] tamdiù esse jussit, quamdiù Sedi Apostolicæ beneplaceret, atque Imperij Electores Henrico successorem sufficerent. Eumdémque Senatorem Urbis Romæ creavit. Et quòd, ut diximus, Fridericus Rhegium occupâsset, ac graviora moliretur; anathematis censurâ perculit omnes qui contra regnum Siciliæ citra Pharum arma sumere præsumerent, aut à Roberto ad Fridericum desciscere decernerent.

[m] *Clem. ep. 219. an. 9 Contin. Ptol. Lucens Infr. an. 1317. I.*

IX.

Misit [n] etiam Parisios Nicolaum Farinulam patriâ Rotomagensem presbyterum Cardinalem tituli S. Eusebij Ordinis Prædicatorum, pro negotio Terræ Sanctæ; occasione solemnitatis ibi habitæ diebus sanctis Pentecostes, ad exhibitionem baltei militaris à Rege tribus filiis suis, aliisque Principibus ac nobilibus factam, & adventum Eduardi Regis Angliæ ejúsque conjugis Isabellæ filiæ Regis Philippi. Quâ solemnitate tres Reges, iidem nempè Philippus & Eduardus, ac Ludovicus Rex Navarræ, unà cum ceteris filiis ac fratribus Regis, innumerísque aliis Principibus, proceribus, ac nobilibus, Crucem de manu Legati suscipiétes, voto sea dstrinxerút expeditionis Ierosolymitanæ. Ad quam Regi Clemens decimationem redituum Ecclesiasticorum permisit [o]. Observántque antiqua Chronica [p] uxores eorum qui Crucem suscepissent, omnes similiter eam cepisse die sequenti: conditione tamen apposita, ut si viri earum minimè transfretarent sive morte sive aliâ causâ impediti, à voto suo liberæ essent: Eodémque tempore Parisinos ad ostentandam incolarum frequentiam, & vestium armorúmque sumptuositatem; processisse splendidè & ordinatim per urbem; equites viginti mille, pedites triginta, obstupescentibus Anglis aliisque exteris ad multitudinem & pompam armatorum unius civitatis. Quòd verò Robertus Flandriæ Comes fidem Regi jurare detrectaret, nisi receptis oppidis quæ Rex ultimo bello retinuerat, ac propterea Rex in eum arma movisset; Legati operâ induciæ factæ sunt. Non verò item cum populi conclamationibus adversùs Engerranum Marinium nobilem Normannum, ac regio dono Longævillæ Comitem, Fiscíque præfectum, ac summæ apud eum auctoritatis: ob cujus immensas exactiones, & valoris nummorum imminutionem, haud parvæ populares commotiones excitatæ fuêre. Ad quem publicum dolorem accessit [q] domesticum domûs regiæ dedecus, cùm tres nurus Regis impudicitiæ accusatæ, duæque convictæ & inclusæ fuêre: adulteri verendis abscissis, cute nudati, unco tracti, resti tandem suspensi.

[n] *Bern. Guid. & Amalr. Auger. in Clem. V. Contin. Nang. Æmil. lib. 8. Bellefor. lib. 4. Masson. lib. 3. Hist. Reg. Franc.*

VOTA REGVM FR. ANGL. NAVAR. DE EXPEDITI AD TER. S.

[o] *Clem. ep. 101. an. 9.* [p] *Memor. Histor. &c.*

ENGERRANVS MARINIVS FISCI REGII PRÆFECTVS IN ODIO POPVLI.

[q] *Contin. Nang. & alij an. 1314.*

X. INVENTIO IMAG. B. M. DE GVADALVPA.

Per id temporis in Hispaniâ, revelatione Beatissimæ Virginis repertam esse tradunt [r] apud *Guadalupam* in antro, sacram ipsius Imaginem, acceptam olim per Leandrum Episcopum Hispalensem à S. Gregorio Papa, & à profanatione Saracenorum Hispanias invadentium ibi secretò reclusam: ad quam postmodùm innumera facta sunt miracula, & magnus peregrinorum concursus.

[r] *Iud. Nunnius de Reb. Hisp.*

IESV CHRISTI Annus 1314.

SED. VAC. Ann. 1.

IMP. ROM. VACAT. Ann. 1.

ANDRONICI Annus 32.

I.

Anno Christi millesimo trecentesimo decimo-quarto, Indictione duodecimâ; *Clemens* Romanus Pontifex variis [a] ægritudinibus afflictatus, & nunc dysenteriâ, nunc stomachi & laterum dolore cruciatus; dum aërem nativum quæsiturus, Burdegalam versùs iter suscepisset, mortuus est apud Rupem-Mauram supra Rhodanum duodecimo Calendas Maias; (ut plerique habent, & exprimitur in epitaphio monumenti ejus inscripto) postquàm tenuisset Pontificatum annos novem, minùs dies 45. aut 33. Corpus feretro plumbeo transsportatum Carpentoratum [b] ubi

[a] *Contin. Hist. Ptol. Lucens. (qui hîc desinit) [illegible] in Clem. V.*

CLEMENS PONTIF. MORITVR.

[b] *Contin. Pol. Bern. Guid. & Amalr. Auger.*

ubi erat tunc Curia: & post gravem ac diuturnam de eo altercationem inter canonicos S. Mariæ ubi obierat (alij dicunt Carpentoratenses) & Vzestæ ubi sepulturam sibi vivens delegerat; lite Vzestensibus adjudicatâ, delatum eò est ad finem Augusti anno 1316. & tamen non nisi anno 1359. sepulchro conditum; quod magnificentissimè constructum ex marmore & alabastrite lapide tunc demùm absolutum est: ut intelligitur ex eodem epitaphio ei inscripto. Est autem Vzesta ignobilis & sterilis Vasatensis diœcesis vicus; sed nobilis miraculis Beatissimæ Virginis, in cujus honorem Clemens ecclesiam ibi ædificaverat; & confinis loco de Villandrado aviti ejus, & natalis patrimonij diœcesis Burdegalensis, ubi etiam aliam ecclesiam construxit: & in utráque canonicos sæculares constituit, eâ conditione satis insuetâ, ut Vzestenses diœcesis Vasatensis visitarentur ab Archiepiscopo Burdegalensi, Villandradij diœcesis Burdegalensis ab Episcopo Vasatensi; sic ratus disciplinam religiosiùs in utrâque ecclesiâ conservatum iri, cùm ab alienis Antistitibus quasi per æmulationem regerentur. Post longa verò tempora, nempè anno 1568. hæretici Claviniani diruto ejus sepulcro, pretiosa ornamenta quibus conditum fuerat diripuêre, ad corpus hæreticâ rabie flammis addixêre.

CORPVS TRANSFERTVR VZEST. AD SEPVLTVR.

II. COMMENTVM DE DIE IPSI DICTO A MAGISTRO TEMPLARIORVM.

[c] V.d. Addit. ad Ciaccon. in Clem.V.
[d] Bern. Guid. Contin. Pol. & alij.

Quod verò nonnulli recentiores scripserunt Magistrum Templariorum dum cremaretur Parisiis, diem ei ob injustam Ordinis ac suî condemnationem apud Deum dixisse ab eo quadragesimum: etiamsi secundùm illorum sententiam, qui Clementem dicunt obiisse 12. Calendas Maij, (sunt [c] enim qui Calendis ejusdem Maij id contigisse tradant) æquè dici possit mortem quadragesimo die à crematione Magistri oppetiisse: (contigit enim illa, ut vidimus superiùs, & ut auctores [d] habent, vndecimâ Martij in vigiliâ S. Gregorij die Lunæ, quamvis enim ponant sub anno 1313. numerant more tunc in Gallia recepto annos à Paschate inchoante: (ut tamen id ex vadatione Magistri factum sit, tam fuerit verum, quàm quod æquè dicunt Philippum Regem ab eodem Magistro ad diuinum tribunal citatum esse in annum; quem mortuum constat tertio Calendas Decembris. Sed ingeniosi homines id quod nuper Ferdinando Castellæ Regi cótigisse vidimus [e] vel Clementi ac Regi tribuerunt, vel existimarunt licitè etiam posse ad illos extendi: cùm tamen nihil ejusmodi de utrolibet antiqui scripserint, nec quidem illi qui quascumque alias calumnias in eos excogitarunt. Quibus pariter adnumeramus quæ conficta rumoribus fuêre in eumdem Clementem, etiámque à piis viriis [f] scripta, de ipsius libidine, ac rerum ecclesiasticarum venundatione, & curiosa per malam artem investigatione status animæ cujusdam nepotis sui defuncti; necnon de combustione inferioris partis sui corporis. Invidia namque translatæ Sedis, & Templariorum extinctionis, hæc imprudenter fingere suasit: auctore fortè Dante exule Florentino, Pontificum osore & Galliæ; qui uti poëtæ ac fabulatori permissum fuerit quoscumque voluit in Infernum suum præcipitare.

[e] An. 1312. X.

ALIÆQ; IN EVM IECTÆ.
[f] Villan. lib. 9. cap. 58. Anton. tit. 21. cap. 3 §. 3.

III. DISSIDENT CARDINALES IN ELIGENDO SVCCESSORE.

Mortuo Clemente, Cardinales Carpentoratum convenêre ad successorem ei designandum: sed mox in factiones divisi, quòd Aquitani seu Vascones, qui plures numero erant, unum aliquem suæ nationis, ceteri Galli Italis juncti alium vel sibi vel Ecclesiæ utiliorem quærerent, (quorum princeps Neapoleo Vrsinus Archidiaconus) & intereà multa incommoda paterentur, eò quòd cibaria iis subtraherentur, & domûs eorum dissiparentur; hæc non ferentes Cardinales Vascones ignem in conclavi posuerunt, quo incensa est magna pars civitatis: (sive hoc, ut aliis placitum, à familiaribus Cardinalium non minùs & ipsis inter se dissentientibus factum fuerit:) sicque re infectâ egressi sunt ad finem mensis Iulij. Et quamvis in id consensissent, ut præscripto tempore in locum designatum rursùm convenirent; nihilominùs auctis ultrò citróque per malevolentium studia odiis, ac prætereà de loco conventûs discordantes, per diversas urbes dispersi, & ad Principum ac piorum virorum hortationes obstinatè surdi, eo statu per duos annos & aliquot menses permanserunt, non sine maximo Reipublicæ Christianæ scandalo & incommodo. Agunt de his auctores frequenter à nobis testes rerum adducti, *Bernardus Guidonis* Lemovicensis Ordinis Prædicatorum Episcopus, Lutevensis siue Lodovensis in Galliâ Narbonensi, qui tum vivebat & ea videbat in Chronico Pontificum; *Amalricus Augerij* Ordinis S. Augustini Prior S. Mariæ de Aspirano diœcesis Elnensis tunc pariter vivens, & Auctor *Memorialis Historiarum*, qui Chronicon suum perduxit ad annum 1322. & ut videtur monachus fuit S. Victoris Parisiensis; ac post eos alij [g].

[g] Onuphr. Masson. & Ciaccon. de Vit. Pontiff.

IV. ITEMQVE ELECTORES IMPERII IN DANDO SVCCESSORE HENRICO.

Discordârunt item Electores Imperij in sufficiendo successore Henrico; & quamquam non tam diuturnè quoad publicam nominationem personarum electarum, longè tamen perniciosiùs ob sævissimum schisma, quo inter se divisi sunt Ludovicus Bavarus & Fridericus Austrius cognomento Pulcher à partibus electi, & gravissima damna quæ inde obvenerunt universæ Ecclesiæ, & toti propemodùm Christiano orbi. Vt autem se res habuerit, describentes Electores qui Ludovico suffragati sunt, in literis [h] ad futurum Pontificem exaratis, quas omnibus gentibus publicas esse voluerunt; aiunt, cùm inter omnes Septemviros, seu eorum legitimos procuratores convenisset, electionem fieri debere Francofurti loco consueto die crastinâ B. Lucæ decimanonâ Octobris; adveniente eo die ibi se stitisse Balduinum Archiepiscopum Treverensem, (fuerat is germanus Henrici defuncti Imperatoris) Petrum Moguntinum, Ioannem Boëmiæ Regem, (filium utique prædicti Henrici) Waldemarum Marchionem Brandeburgensem, ac Ioannem Ducem Saxoniæ: cúmque deessent Henricus Archiepiscopus Coloniensis & Rudolphus Comes Palatinus Dux Bavariæ, visum esse expectandos illos usque in diem sequentem: cùm verò nec tunc; licèt moniti, nec per se nec per procuratores comparerent, quinque reliquos die vigesimo servatis omnibus de more servandis, unanimi consensu elegisse *Ludovicum* Comitem Palatinum Ducem Bavariæ, (fratrem videlicèt prædicti Rudolphi Electoris absentis) virum fidem Catholicâ, armorum exercitio, aliisque virtutibus præstantem.

[h] Ext. ap. Gevvold. Comment. de Septemvir. unde exscripsit Bzov. hoc an.

DE ELECTIONE LVDOVICI BAVARI.

tem, ac solitis cæremoniis ejus electionem publicâsse; Rogantes futurum Pontificem, ut eum dignaretur admittere, & in unctionis ac consecrationis munus, sacríque Imperij diadema eidem impartiri.

V.

l Heruart, contr. Bzov. cap. 2. & seqq.

ALIA DE EADEM ELECTIONE NARRATIO.

At verò scriptores Germani illius temporis, (ut recentiores, ac ceteros aliarum gentium omittamus, quorum assertiones sunt [l] qui diligentiùs expendant:) Carolus Rex Boëmiæ posteà Imperator in Vitâ suâ, Continuator Chronici Steronis & Héricus Rebdorffius in suis Annalibus, atque Albertus Argentinensis in Chronico, rem paulò aliter narrantes; Carolus quidem per transennam rem agens, simpliciter ait Ludovicum electum fuisse à Ioanne patre suo, Moguntino, Treverensi; & Brandeburgési: Fridericum Austrium à Coloniensi, Saxone, & Palatino. Continuator autem, Electores quosdam Francofurti, aliquos per literas, alióſque in locis sibi competentibus, (Albertus clariùs, minimè Principes in unum convenisse, sed quemq; in suo exercitu per se vel per procuratorem elegisse, & in suis exercitibus publicâsse:) duos per discordiã creâsse: & alteros quidem népè Rudolphum Comitem Palatinum, seniorem Ducem Bavariæ, Archiepiscopum Coloniésem, & Ducem Saxoniæ seniorem, (qui designatus Episcopus Pataviensis, ei dignitati renutiavit ut posset esse habilis ad electionem) elegisse *Fridericum* Ducem Austriæ cognomine Pulchrum, filium natu majorem Alberti quondam Romanorum Regis: Alteros verò, nimirùm Ioannem Boëmum, Balduinum Treverensem, Petrum Moguntinum, & juniorem Ducem Saxoniæ prætendentem ob causam prædictam jus electionis, nominâsse *Ludovicum* Ducem juniorem Bavariæ Rebdorffius denique, Ludovicum electum fuisse Francofurti à Moguntino, Treverensi, Boëmo, & Brandeburgensi, cum magnâ potentia armatorum, quos iidem Electores Francofurtum adduxerant: Fridericum autem à Coloniensi, Rudolpho Palatino, & alio Rudolpho Duce Saxoniæ, in oppido Bonnensi diœcesis Coloniensis, quia tantas vires habere non potuit ut Francofurti ad diem condictum se sisteret. Fuisse autem pariter Bonnę à suis coronatum; Ludovicum autem à suis Aquisgrani loco solito die B. Catharinæ 25. Novébris, existétem triginta circiter annorũ, corpore elegantem, animo multis virtutibus præditum, fortunatúmq; in bellis; sed remissum in executione justitiæ, & tardũ ad laborem. Fuisse denique electos inter se patrueles, ex eo quòd mater Ludovici soror extitisset Alberti patris Friderici. Ita Rebdorffius. A quo in aliquibus discordans Albertus, necnon ex Iacobo Moguntinési Nauclerus, aiunt Ludovicũ, primò promisisse operã suam Friderico, sed deinde permisisse se eligi, quia in promissione Friderico factâ ipse se exceptum intellexisset: ac legatum Marchionis Brandeburgensis (cùm ipsemet Marchio comitiis adesse non potuisset) contra domini sui voluntatem accessisse electioni Ludovici. Et quod ad coronationem Ludovici, aiunt eam factam fuisse die Epiphaniæ proximi anni Aquisgrani, ac posteà Friderici Bonnæ. Sicq; factum dicunt, ut Ludovicus coronatus fuerit ab eo qui non potuit; & Fridericus loco quo non debuit.

SCHISMA INTER LUDOVICUM BAVARUM ET FRIDER. AUSTRIŨ.

Sed non videtur hiscircumstantiis jus absolutè consistere, cùm plura sæpè accidere possint quæ variare compellant.

VI.

k Krantz. 9. Saxon. 8.

ALIA ITEM NARRATIO.

Quòd si quis etiam scriptorem recentiorem, antiquos tamen annales citantem, audiendum existimet Krantzium[k], qui operę pretium putavit rem posteris ad memoriam commendare, hic Electores Principes sæculi refert indignum ratos quòd ab Ecclesiasticis solis potestas electionis expectaretur, nõ expectatis tribus Archiepiscopis Electoribus, Ludovicum elegisse. Archiepiscopos autem contemptum suî reputantes, nullam esse electionem protestatos esse de Ludovico sine se peractam. Nam & Rodulphum Ducem Saxoniæ qui elegisse diceretur, non ad eam pertinere, sed Ericum Ducem Inferioris Saxonię fore advocandum: Ac præterea Waldemarum Marchionem non præsentem, sed per nuncium dedisse vocem; non in eum quem ipse voluerit Fridericum, sed in eum quem falsò nuncius de suo sensu nominaverit Ludovicũ. Hęc igitur objicientes Archiepiscopos, Fridericum elegisse. Ita Krátzius ex quibusdam Annalibus. Quæ quidem si non omninò ita gesta sunt, probant tamen haud immeritò objectum semper fuisse à Summis Pontificibus Ludovico, magnam extitisse contentionem inter Electores de ejus nominatione. Cujus verò potior existimata fuerit à Sede Apostolicâ electio, dicetur posteâ. Si autem legitima existimetur alterutrius; Fridericus dicendus foret ejus nominis Tertius: Ludovicus V. Quartus tamen vulgò dictus. Quem quidem Aventinus [l] tradit adeò literis & virtutibus prædittum fuisse, ut omnes suæ tempestatis Principes magnâ vi & animi & corporis, ingenio optimo superaret: impatientem tamen laborum, ociíque plus æquo appetentiorem, negligentémque instituendis & educendis filiis. Ejusdémque prodigalitatem & luxum, antequàm eligeretur, valdè carpit Mutius [m]. Ceterùm paulo post hujumodi electionem, immissum esse à Friderico secretò militem qui Ludovicum parvâ ballistâ confoderet; sed detectum & comprehensum, ad faciendam Friderico invidiam curriculo circumvectum fuisse, sunt auctores qui tradant: quod tamen vix est ut credamus. De bello vevò inter eos gesto dicetur posteà suis locis.

l Avent. lib. 7.

m Mut. lib. 24.

VII.

n Contin. Nang. Bern. Guid. &c.

o Æmil. lib. 8 Gaguin. l. 7.

PHILIPPI REG. FRANC. OBIITUS.

Hoc eodem anno, ut superiùs attigimus, & antiquiores [n] habent, (non præcedenti, ut recentiores [o]) 3. Cal. Decemb. *Philippus* Rex Francorum diem obiit apud Fontem-Bliaudi, ubi & natus fuerat; morbo naturali, ut pleriq; omnes historici & Chronographi antiqui Galli habent. E quibus tamen Continuator Nangij S. Dionysij monachus tunc vivẽs & fortè videns, ait eum diuturnâ detentum fuisse occultâ infirmitate medicis incognitâ, cujus causam nec pulsus nec urina indicarent: Mortem nihilominùs sibi imminere sentiẽtem, post saluberrima monita filio suo Regi Navarræ impertita, Ecclesiámque commẽdatam, susceptis devotissimè sacramentis in confessione veræ & Catholicæ fidei spiritum Deo reddidisse. Quem nihilominùs Itali [p] & Flandri [q] lapsu equi mortuum volunt: cùm inter venandum equo ejus à feroci apro quem ardentiùs insequebatur graviter læso, seséque in pedes posteriores erigendo Regem deturbante; hæren-

p Vill. lib. 9. cap 65. Bocac. lib. 9. de casib. Anton. tit. 21. c. 3 § 4.

q Roya in chronol. Meyer. lib. 11 an. 1314.

te tamen altero ejus pede in ſtapedâ, longiùs tractus fuiſſet antequàm à ſuis levaretur; indéque in morbum incidiſſe, quo mortem oppetierit. Quod mortis genus (etiamſi in Philippo agnoſceremus) qui ad vindictam divinam referũt, vel nimiùm præſumũt de ſcrutatione judiciorum divinorũ, vel parùm conſiderant quàm gravioribus & miſerabilioribus caſibus etiam pientiſſimi viri frequenter conciderint. Et fortè voluerit pius & miſericors Deus hâc extraordinaria Regis morte culpas ejus, quas non leves in vitâ contraxerat, hîc eluere (voto piorum conſueto) ut velociori pede cælum peteret. Deniq; Flandri auctores Francorum hoſtes infenſiſſimi, aſſerunt [r] Philippum Pulchrum fuiſſe ante obitũ leprâ percuſſum, indéque multos combuſſiſſe leproſos, qui tabo fontes infeciſſe delati eſſent. Sed de leprâ Regis tacẽt ceteri omnes: Leproſorúmque ſcelus ſub Philippo Longo Pulchri filio contigit [s]. Obiit autem Pulcher anno ætatis quadrageſimo ſexto, regni trigeſimo per quinquaginta tres dies inchoato: ejúſque corpus ſepultum eſt cum majoribus apud S. Dionyſium; cor Poſſiacum delatum ad conventum ſanctimonialium Dominicanarum, quem ipſe fundaverat in honorem S. Ludovici avi ſui, qui eo oppido natus & baptizatus fuerat. Negotium Terræ Sanctæ, cui ſe voto obſtrinxerat, Ludovico filio ſupremis mãdatis ſtrictiſſimè commendavit: unà cum probæ monetæ reſtitutione, & vectigalium moderatione; quibus ipſe rebus non parùm exceſſerat, & regnum vexaverat. Fuit porrò venationis, bellíque avidus: at Reipublicæ adminiſtrationem alieno arbitrio ferè commiſit; præſertim aulicorum, quod genus hominum privatis ſtudiis regna plerumq; evertere conſuevit. Eumdémque fuiſſe profeſſorum literarum ſtudioſum, & jam ſuperiùs vidimus; & conſtat ex eo quòd Scholam Aurelianenſem, jam temporibus S. Ludovici ipſius avi (ut ex Pariſio conſtãt florentem, privilegiis [t] auxerit; & conceſſa à Clemente Pontifice, qui ibi literis operam dederat, confirmaverit.

[r] Meyer. lib. 11. an. 1313. in fi. Maſſ. lib. 17. an. 1313.

[s] Infr. an. 1321. VI.

FUIT FUNDATOR MONASTERII POSSIACENSIS.

[t] Maſſon. in Phil. Pulchr in fi.

VIII. ÆDIFICIA EIUS ALIA.

Ejus quoque fuit opus, regia Lutetiæ in inſulâ Sequanæ ampliſſimè juxtà ac magnificẽtiſſimè extructa; ubi & nõ multò pòſt ſub eodem ipſo Pulchro (ſive ut quidam volunt, ſub uno aliquo filiorũ ejus) ſuprema Iudicia *Parlamenti* (ut vocant; quæ vox Concilium ſeu Conventum, veteri voce Gallicâ, Anglis quoque eâdem ſignificatione acceptâ, ſignificat) fieri cœpta ſunt: Nempè ut cùm eadem & Regnum & Iuſtitiæ ſedes eſſet, velut è ſinu Regis judicia prodire viderentur. Sicuti & ſucceſſu temporis factum eſt, ut quod anteà vagum fuerat & ambulatorium, paucorúmq; dierum juriſdictionis exercitũ, certis ſedibus perennique uſu conſtabiliretur. Ioannæ verò Reginæ Navarræ & Campaniæ Comitis, ejuſdem Pulchri cõjugis opus item fuit, quaſi viri æmulæ, alio ejuſdem urbis loco Schola ſeu *Collegium* haud ferè minori ſumptu conſtructum, *Navarræ* vel Campaniæ dictum, amplitudine, præceptorúmque atque auditorum & alumnorum numero facilè ceteris præſtans, & in primis totius orbis meritò connumerandum: cujus fundationem factam anno 1304. poſteà confirmavit Ioãnes PP. XXII. ingẽtibus præconiis: ex quo prodierunt ſequentibus temporibus viri in Theologiâ & Philoſophiâ omníque ſcientiarum genere præſtantiſſimi.

COLLEGIŨ NAVARRÆ A IOANNA REG. EXTRUCTUM.

IX. LUDOVICUS HUTINUS PATRI SUCCEDIT.

Succeſſit Pulchro in regno filius ejus natu maximus annum agens vigeſimum ſextum, *Ludovicus* jã anteà materno jure Rex Navarræ, ejus nominis Regum Francorum Decimustertius [u], Decimus tamen dictus, & cognomento *Hutinus*; quæ vox antiqua Gallica rixoſum ſignificat & tumultuoſũ: quod ei fortè ob indolem in pueritiâ inditum oportuit; cùm major factus nõ reperiatur aliquid commiſiſſe unde ei tribuendum fuerit. Non fuit autem unctus & coronatus ante diem tertium menſis Auguſti anni proximi; quantumvis ab ipſo deceſſu patris de more regni habenas ſuſceperit: ceremoniã autẽ unctionis diſtulit, tum quòd expectaret adventum Clementiæ ſororis Caroli Regis Hungariæ, (non, ut Maſſonus habet, Roberti Regis Siciliæ: ejus enim fuit neptis, filia videlicèt Caroli Martelli Regis Hungariæ fratris Roberti) quam in uxorem poſtulaverat, priori jam demortuâ, ut eâdem operâ & ipſa ungeretur: tum ob turbas initio ejus regni ortas ob mutationem monetæ à patre ipſius introductam, & inſuetas exactiones factas, quæ neque Regi neque regno utiles fuerant: quarum causâ Engerranus Marinius, de quo ſuprà, in quem omnis culpa rejiciebatur, (præter additas accuſationes de conſiliis ſecretis cum Flãdro hoſte initis; déque cereo Regis ſimulacro, arte magicâ ad evertendam ejus ſalutẽ ita ab uxore Marinij compoſito, ut cùm leni igni admodum paulatim liqueſceret, perinde ſenſim ac lentâ tabe Rex deperiret:) privato odio [x] Caroli Valeſij patrui Regis, an jure, publicâ furcâ ſuſpenſus eſt anno ſequenti. Quando etiam ob exhauſtum fiſcum, Iudæi regno à patre (ut vidimus) ejecti, & malo conſilio ſpoliati, longè pejore revocati ſunt à filio, ſolutione ingentis auri ſummæ. Narrantur hæc pleniùs à Continuatore Chronici Nangij auctore illius ſæculi; necnon ab Æmilio, Gaguino, & aliis Rerum Gallicarum ſcriptoribus.

[u] Vid. ſupr. an. 1223. VI.

ENGER. MARINII SUPPLICIUM.

[x] Vid. infr. an. 1225. IV.

X. ROBERTUS REX INVADIT SICILIAM HAUD MAGNO OPERÆ PRETIO.

Intereà Robertus Rex Siciliæ ulturus invaſionem à Friderico Trinacriæ contra fœdus in Brutios factam, magno exercitu trajecit in Siciliam menſe Auguſto hujus anni: ſed capto Caſtro-ad-mare oppido ſic dicto, ac Drepano obſeſſo, ſupervenientibus inundationibus ac morbis, cùm numquam Fridericum ad certamen ſeu terrâ ſeu mari allicere potuiſſet, pactis in triennium induciis Neapolim reverſus eſt. Ita enim Villanius [y], qui res Roberti probè notas habere poterat. Fazellus tamẽ & Surita annuas tantùm inducias agnoſcunt, & ſequenti biennio alia vtrimq; bello geſta narrant haud magni operæpretij. Idémq; Fazellus fabulari de more Siculo ſolit? tradit, Robertum antequàm Siciliam appeteret, eventûs prænoſcendi cupidum, dæmonem conſuluiſſe, & reſponſum accepiſſe Siciliam ipſum capturum & ſpolia relaturum: Cùm autem in terram appuliſſet, cãptâ à militibus muliercula cui nomen Sicilia, agnoviſſe Robertum dæmonis ludificationem. Fortè quòd ſciret Fazellus Henricum Imperatorem Friderici amicum ſic non ità pridem, ut vidimus [z], deluſum fuiſſe à dæmone, voluit homo ingenioſus Ro-

[y] Vill. lib. 9. cap. 61.

[z] Supr. an. 1312. IV.

berto

berto hosti vel illud ipsum adulteratum, vel per scelus impingere. Qui sanè si id commisit, meruit etiam severiùs quàm frustratione justæ ceterà expeditionis puniri.

XI. Priusquàm verò hæc cõtigissent. Pisani duce Huguitione quem superiùs diximus, die 14. Iunij Lucam nobilem Etruriæ civitatem proditione ceperunt, totámque diripuerunt, non minùs amicorũ bonis quàm inimicorum abductis. Præcipuè verò sacra supellectilia & ornaméta Ecclesiæ Romanæ surrepta fuêre: quæ Gẽtilis Cardinalis Montisfloris jussus à Clemente Papâ Avenionem deferre, cùm per motus hostiles absque magno periculo traducere non posset, ibi in monasterio S. Fridiani tamquam loco tutissimo deposuerat; quæ valorem decies centenorum millium florenorum auri superare dicebantur. Ac sanè ludus fortunæ mirificus existimatus fuit, ut Pisani in metu & desperatione rerum suarum Lucâ potirentur, quâ antè prosperis tot rebus nec sperare quidem ausi fuissent. Rem porrò gestam describunt Villanius[a], Auctor Pistoriensis[b], Leonardus[c], & Antoninus[d], prosequentes & alia insignia Huguitionis in Guelfos facinora, & suppetias à Roberto Rege missas, de quibus anno sequenti. Sed quod deprædationem thesauri Ecclesiæ spectat; in publicatione excommunicationis à Ioanne Clementis successore latæ[e] in eos qui eum furati essent, nulla fit mentio Cardinalis Gentilis; sed trium clericorũ, quibus Clemens in mandatis dedisset illum Perusio ad se deferre. Fuisséque partem illius revelatam ab iis qui à raptoribus emerant, scitur aliis ejusdem Ioannis epistolis. Quod autem Gentilem attinet; ex alio processu[f] ejusdem Ioannis eodem tempore cõfecto intelligitur, eum de Hungariæ partibus, ubi functum Legationis officio vidimus, reversum, in civitate Lucanâ diem clausisse extremum Clementémque Pontificem tũc adhuc superstitem, mandâsse Arnaldo Episcopo Sabinẽsi, & Lucæ S. Mariæ in Viâ-latâ Diacono Cardinali, ejusdẽ Gẽtilis bona sequestrare: quę ab iis in sacristiâ Fratrum Prædicatorũ deposita, vi ablata fuêre per ministros Francisci de Faggiolâ tunc civitatem regentis. Ex quibus & eos arguas, qui Gentilem Avenione mortuum ponunt.

Thesaurus sacer Ecclesiæ Rom. diripitur.

[a] Vill. lib. 9. cap. 57. & 59.
[b] Pistor. an. 1314.
[c] Aret. lib. 5.
[d] Ant. tit. 21. cap. 3. §. 5.
[e] Extravag. com. cap. infidelis, de furt.
[f] Ext. in Reg. Colleg. Fux. Tolos.

XII. Ceterùm cùm Roberti viribus Turriani copias Matthæi Vicecomitis Mediolani dominantis fudissent; idque Cassoni Archiepiscopi gente Turriani consiliis factum Matthæus interpretatus, eum injuriis ac cõtumeliis agitatum, ac domi spoliatũ urbem deserere coëgisset, pessiméque Clerum haberet: idem Cassonus mẽse Augusti hujus anni, quod adversus ea telum habebat, id vibravit, Vicecomitem prohibens communione sacrorum, cum ceteris omnibus qui fuissent ejusmodi rerum adjutores & ministri. Cujus publicæ excommunicationis formam propriis verbis recitat Corius[g]: quæ quòd horridiuscula Ripamontio[h] videretur, eamdem ipse politiori linguâ, sed truncam repræsentavit. Id verò tãtùm abest ut Matthæum ad resipiscentiam perduxerit, ut contrà obduratâ ad censuras ecclesiasticas fronte (nam & aliæ jam anteà in eum jactæ eâdem sententiâ recensentur) ad altiora animum erigens, Principem se dominúmq; Mediolanensium appellaverit; & de rei Ecclesiasticæ laceratione, infestâque sacrorum hominum vitâ, à Summo Pontifice paternè redargutus; ejus monita vanis & impiis responsis eluserit; homo ceteroqui fermè septuagenarius, & cui scilicèt exemplo Davidis Regis, fovendo vitali calori conquirebantur lectissima puellarum corpora quæ simul cubarent. Cassonus autem Archiepiscopus, factus post hæc Patriarcha Aquilejensis, octo pòst mensibus diem obiit.

[g] Cor. par. 2.
[h] Ripam. Hist. Eccles. Mediol. lib. 8.

XIII. De rebus Scoticis. Quo eodem tempore apud divisos toto Orbe Britannos, Scoti qui vigilanti Eduardi primi Angliæ Regis fortitudine ita obtriti videbantur, ut nulla aliqua spes fieret resurgendi; & sub inerti filij ejus oscitãtiâ ita ductore Roberto Prusio ipsorum Rege animos resumpserant, ut nihil ferè toto regno residuum esset quod non à durâ Anglorum oppressione vindicatum esset: procedentem hoc anno eumdem Eduardum filium ad solvendam obsidionẽ oppidi munitissimi Strivelini sive Sterlingi adhuc ab Anglis intra Scotiã detenti; memorabili prælio & Scotis prædicatissimo profligârunt. Tradunt Scoti[i], pugnâsse in Anglorum exercitu centum quinquaginta millia peditum, & totidem ferè equitum, collecta tã ex universâ Angliâ quàm ex omnibus exteris nationibus Eduardo amicis: in Scotorum triginta, vel triginta quinq; ad summum millia tam peditum quàm equitum, sed veteranæ militiæ & laboribus induratæ. Numerum Angli non ponunt: quamvis fateantur[k] nũquam magis splendidũ nobilem aut superbum Anglorum exercitum visum esse. Pugnatum est prope Strivelinum ad fluvium Bannacborn die S. Ioannis Baptistæ; cujus vigiliam de ritu Christiano Scoti omnes jejunio celebrantes, ipso quoque die festo, Rege eorum jubente, Christi corpore refecti sunt, & prævio signo Crucis ad pugnam ierũt: cùm nihil ejusmodi curantes Angli totam noctem tripudio & crapulâ transegissent, tamquam ad certam victoriam processuri. Quare & miracula quædam accidisse, & opem Angelicam Scotis accessisse tradunt; præter strategemata quibus Robertus usus est ad intercipiendos hostes. Et cecidisse quinquaginta millia Anglorum, Scoti tradũt; Angli[l] decem dumtaxat; & in eis magnum procerum ac nobilium numerum, præter captivos, & locupletissima spolia. Réxque Eduardus vix manus hostiũ naviculâ effugit; voto nuncupato, si salvus evaderet, erecturum se monasterium Carmelitis sub invocatione Beatissimæ Virginis. E Scotis (ut ipsi dicunt) duo tantùm equestris ordinis viri, quatuor millia gregariorum militum cecidêre. Neque hoc quidem silentio prætereundum; adduxisse Eduardum unum aliquem ex dicto Carmelitarum Ordine Fr. Robertum Barton nobilem Anglum, rhetorem ac poëtam laureatum, ut quam de Scotis jam animo concepisset ipse victoriam carmine consecraret: húncq; à Scotis captum, jussu Roberti eorum Regis, argumento in contrarium mutato, Scotorum victoriam carmine posteritati prodidisse; barbaro quidem illo, sed illi sæculo haud quaquàm contemnendo. Bello perfecto Robertus habitis trium ordinum comitiis, Rex confirmatus est, & regnum in ejus progenie stabilitũ. Angliam autem Scotiæ conterminam devastans,

[i] Io. Major. lib. 5. cap. 2. Boëth lib. 14. Lesla. lib. 7.

Scoti ingenti clade Anglos conterunt.

[k] Thom. de la Moor. in Vit. Eduar. II.

[l] Vualsingh. in Eduar. II. Polydor. lib. 18.

Barton Poeta scripturus victoriam Anglorum scripsit Scotorum.

[m] *Valsingh. ibid.*

tributariam sibi fecit. Adeóque Scoti formidini [m] Anglis fuêre, ut à facie duorũ vel trium fugerent Angli centum. Ingressi item in Hiberniam, magnas ibi strages ediderunt, coronato in Regem Eduardo Brusio fratre Roberti. De cujus belli fine dicetur posteà.

XIV.
[n] *Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæc. 14. cap. 9.*
INCESTUS COMITIS ANGLI.

Quo eodem tempore [n] in eâdem Angliâ Waltero Archiepiscopo Cantuariẽsi & reliquis Episcopis cum Ioanne Varrenio Surreiæ & Suthsexiæ Comite negotium intercessit. Qui cùm matrimonio conjunctam habens Isabellam Regis neptem, nullâ nihilominùs aut Regis, aut sacramenti, vel dignitatis & æstimationis suæ habitâ ratione, Mathildem Nesfordiam, cui etiam maritus Simon Drinius superstes erat uxorem sibi turpiter asciviſſet: à Roberto Archiepiscopo Vvalteri decessore ex Synodi quam coëgerat auctoritate eam abjicere jussus, facturum se juraverat. Sed cùm non solùm non fecisset, verùm etiam nunc ab Vvaltero flagitaret rescindi matrimonium Isabellæ ob necessitudinem sanguinis quæ inter eos intercedebat: Vvalterus ex Synodo Episcoporum respondit minimè id licere, quandoquidem super ejusmodi sanguinis impedimento dispensatum à Romano Pontifice fuisset: hortatúsque est ad pœnitentiam tam formidine justitiæ divinæ, quàm nominis sui consideratione, quod pessimè eâ de causâ apud homines ubique audiebat: alioquin haud se officio defuturum, ad eum ad obedientiam compellendum.

XV.
CONCIL. RAVEN. PRO DISCIPLINA.
[o] *Extat. in Tom. Conc.*
[p] *Ibid.*

Ravennæ Archiepiscopus Rainaldus hoc eodem anno *Concilium* [o] provinciale celebravit *Argente* oppido, pro reformatione rituum ac morum, ac de auctoritate superiorum, & defensione atque recuperatione rerum Ecclesiasticarum. Qui diligenter munus suum exequens, jam ante triennium, ut vidimus, aliud celebraverat, ac rursùm post triennium aliud Bononiæ celebrasse reperitur [p], & multa salubriter statuisse.

XVI.
GRÆCI VINCUNT TURCOS.
[q] *Greg. lib. 7.*

In Thracia Philes quidam Palæologus cognatus Andronici Imp. rei quidem militaris parùm gnarus, sed pietate & liberalitate insignis, quasi divino nutu petito ab Imperatore modico exercitu, Turcos victoria ante biennium obtenta ferocientes egregiè superavit, ac Græcorum consternatos præcedentibus cladibus animos erigere cœpit: sicuti pluribus narrat Nicephorus [q] Gregoras.

IESV CHRISTI Annus 1315.

SED. VAC. Ann. 2.

IMP. ROM. VAC. Ann. 2.

ANDRONICI Ann. 33.

I.
BELLUM PRO IMPERIO.
[a] *Alb. Argent. & Trith. in Chron. Cuspin. in Cæs.*

ANno Christi millesimo trecẽtesimo decimo-quinto, Indictione decimatertiâ, lugente Ecclesiâ Catholica viduitatẽ suâ, Imperiũ velutì in funeribus antiquis fieri cõsueverat, sanguinem spargebat, incipientibus [a] inter se digladiari Ludovico & Friderico anti-Cæsaribus: prævalente tamen initio Friderico ob potentiâ & divitias familię suæ; ipsi quoq; Ludovico adversante proprio fratre Rudolpho: quem & propterea Ludovicus expulit.

II.
BELLUM ETRUSCUM.

Sed longè acriùs dimicatum in Etruriâ inter Guelfos & Gibellinos; cùm Huguitio Pisarum & Lucæ dominus, post captam direptámque Lucam nihil intentatum relinquens quo hostibus incommodaret, attritis illis per varias incursiones, etiam majore vi Montem-Catinum oppidum à Florentinis detentum durâ obsidione cinxisset. Contra quem evocatus à Florentinis Philippus Princeps Tarentinus frater Roberti Regis Siciliæ, (quem ægrè Robertus dimisit, quod nôsset cerebrosum & parùm bello fortunatum; nec tamen nominatim postulatum denegare potuit) cum auxiliis aliarum civitatum; & ex alterâ parte coactis ab Huguitione Gibellinorum viribus: demùm cùm ob quasdam novitates Lucensium ipse recedere sine pugnâ cupiens castra movisset, paratus tamen si impediretur fortunã prælij tentare; clamantésque Guelfi ipsum fugere, nullo ferè ordine ac plerique sine armis eum insequi cœpissent: (& fortè incidit ut detineretur eâ die Philippus febre quâ laborabat quartanâ:) ubi Huguitio vidit absque pugna nequaquàm abire licere, versis repentè signis Guelfos ferociter invadens, post aliquantã pugnã Germani vi equitatûs hostes prostravit, quorũ cæsus fortissimus quisque aut vulneratus.

HUGUITIONIS VICTORIA DE GUELFIS.

Ceciderunt Florẽtinorum sociorúmque equitum peditúmque ad duo millia tam ferro in certamine, quàm paludum suffocatione in fugâ; & cum iis Petrus alter Roberti Regis frater, qui primò missus à Rege fuerat ad Florentiam regendam, & Carolus Philippi filius: capti ad mille quingentos. Nec fuit Huguitioni incruenta victoria, occiso Francisco ejus filio, aliisq; è suorum præcipuis. Ita rem contigisse die vigesimo nono Augusti narrant historici Florentini[b]; necnon Pistoriensis: paulò aliter, & cum majori Gibellinorum gloriâ Corius[c], hanc cladẽ ferè Cannensi æquiparans. Quâ in superbiâ elatus supra modum Huguitio, post deditione acceptum Montem-Catinum, jam non dominum sed tyrannum Pisis per se ipsum, & Lucæ per Nerium alterum filium suum agens; cùm ad sedandas turbas Lucæ in filium excitatas Pisis movisset, privatus à Pisanis dominio, & à Lucensibus exclusus, tamquã fortunæ ludo jactatus, unâ atque eâdem die utriusque civitatis imperium amisit [d] mense Aprili anni consequentis; & pax facta est inter Pisanos & Florentinos. Dominus autem civitatis Lucensis factus est Castrucius Castracanis de Interminellis nobilis Lucensis, quem Huguitio in custodiâ detinebat ut eum morti traderet: & plurima bellica facinora patravit ut imperium suum dilataret; de quo sæpè inferiùs.

[b] *Vill. lib. 9 cap. 69 & 70. Aret. lib 5. Ant. tit. 21. cap. 3. §. 6.*
[c] *Cor. Hist. Mediol. par. 2.*
DECIDIT À PROSPERIS.
[d] *Vil. cap. 76. & 80. Aret. ibid. Cor. par. 2. Histor. an. 1316.*

III.
[e] *An. 1313 IX.*
[f] *Bellefor. lib. 4. cap. 53.*
INFELIX REGIS FRANC. EXPEDITIO IN FLANDROS.

Bellum quoque Ludovicus Rex Francorum adversus Robertum Comitem Flandriæ gesturus occasione superiùs [e] dictâ; confestim à suâ inauguratione (quam factam esse Remis die sancti Ioannis Baptistæ vigesimo quarto Iunij Villanius ait; Continuator Nangij die Inventionis sancti Stephani tertiâ Augusti; alij [f] rectiùs Dominicâ infra octavas Assumptionis Beatissimæ Virginis:) ingentem exercitum Curtracum duxit. Sed quod mirabile visum, & tanquam prodigium à multis habitum, mense Augusti quo expeditionem suscepit, pluviæ tam frequentes & abundantes fuêre,

ut è regione per se uliginosâ & paluſtri equitatus maturiùs quàm deliberatum fuerat, deducendus fuerit, ne commeatûs inopiâ periret, & exercitus vinceretur. Quare Septembri menſe Ludovicus re infecta ad ſua ſe recepit; non ſine aliqua apud omnes ignominiâ, & magnâ impedimentorum parte amiſsâ. Quid verò poſtmodùm in hoſtes molitus fuerit, dicetur ſuis locis.

IV. [g] Contin. Gall. Nang. CONCIL. SENONENSE IN CAUSA EPISCOPI CATALAUNENSIS. [h] Robert. in Gall. Christ.

Quo eodem anno menſe Octobri[g] factum eſt *Concilium Senonibus*, cui etiam interfuit Archiepiſcopus Remenſis cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, multique alij Prælati, in causâ Petri de Latiniaco ſeu Latilliaco Epiſcopi Catalaunenſis, (qui in ſerie[h] Epiſcoporum illius civitatis, ex tumulo ejus in Eccleſiâ cathedrali poſito, dicitur fuiſſe Cancellarius Franciæ (accuſati de morte Philippi Regis, ac deceſſoris ſui Epiſcopi. Qui cùm propterea in carcerem detruſus fuiſſet & bonis ſpoliatus; ante omnia ſecundùm placita canonum petiit à Patribus in integrum reſtitui. Idque ei non difficilè conceſſum eſt, eò quòd paulò antè quatuor mulieres veneficæ captæ convictæque de morte prædicto deceſſori Petri per venenum illatâ, combuſtæ fuiſſe Pariſiis, ac proptereà ipſe ab eo crimine immunis eſſe cenſeretur.

V. LOLHARDI HÆRESES. [i] Trith. in Chron. Hirsaug. hoc an.

Hoc eodem tempore vigebat in Auſtriâ & circumvicinis regionibus impia hæreſis auctore LOLHARDO quodam WALTERO, multa continens ex inferno erupta capita; quæ Trithemius[i] recenſet, nomen tamen auctoris tacens: Videlicèt Miſſam, Baptiſmum, & Extremam unctionem, nihil prodeſſe; Luciferũ cum aliquibus dęmonibus injuſtè cęlo pulſos fuiſſe, foréque aliquando reſtituendos; Michaëlem autem ceteróſque Angelos æternis cruciatibus deputandos: Beatiſſimam Mariam poſt partum non manſiſſe virginem: Dominicum corpus in ſacramento eſſe Deum fictitium: Matrimonium eſſe juratum meretricium: Deum neſcire, aut certè non punire mala quæ ſub terrâ fierent; unde & coibant promiſcuè in locis ſubterraneis: Pœnitentiæ ſacramenti adminiſtrationem laicis committebant, acceptâ (ut aiebant) poteſtate ligandi atque ſolvendi ab Eliâ & Enoch: Eccleſiæ Prælatos & ſtatuta contemnebant: Romanam Eccleſiam non Chriſti, ſed infidelium eſſe dicebant; carnes quovis tempore edebant: dies feſtos non obſervabant: merita & interceſſiones Sanctorum irridebant: perjurium non eſſe peccatum, & alia plura ejuſmodi profitebantur tantâ pertinaciâ, ut cujuſlibet eſſent ætatis & ſexûs mallent mori quàm converti. Ceterùm Lolhardum hâc ætate vixiſſe, ex Hocſemio[k] qui etiam tum vivebat, omninò certum redditur: confirmantque Trithemius, Sanderus, & Genebrardus; crematúmque Coloniæ anno milleſimo treceteſimo vigeſimo ſecundo; quicquid Prateolus germen Wiclefi eum eſſe velit, ac proinde longè recentiorem.

[k] Hocsem. de Gest. Pontiff. Leodiens. cap. 31.

VI. HORRENDA FAMES.

Quibus, aliiſque ejuſmodi hæreſibus & impietatibus infecto Orbe, ſed & bellicis ubique graſſationibus impeditâ agrorum culturâ, ſeminibúſq; inſolitâ aquarum abundantiâ corruptis, tam horrendam famem partes præcipuè ſeptemtrionales Germaniæ, Poloniæ, Angliæ, Daniæ, finitimáſque invaſiſſe præſenti & ſequentibus annis, ſingularum penè gentium auctores tradunt; ut parentes à propriis liberis, & hi ab illis, ac paſſim omnes à cadaveribus immundiſſimíſque cibis non abſtinuerint. Quâ occaſione renovata eſſe antiqua divina miracula multiplicationis frugum erga liberales; corruptionis verò, necnon converſionis in lapides, in avaros; nonnulli earum gentium auctores exemplis docent[l]. Secuta autem, ut ferè conſuevit, peſtilentia, ita univerſam penè Europam depaſta eſt, ut tertia pars hominum eâ abſumpta putetur. Præſignatas autem has clades eſſe volunt à Comete horribili, qui ſub finem anni præcedentis apparuit[m], curſum ſuum faciens circa polum, comámque longam in diverſas partes variando extendens, duránſque per duos menſes. Quem & alius paulò pòſt ſecutus eſt, ſed priori minor. Aliáque hujuſmodi ſigna frequentia fuiſſe his temporibus, apud auctores reperire eſt: eâque cùm ad emendationem hominum emiſſa exiſtimari poſſent, potiùs eos ex inſitâ peccati radice in obdurationem induxiſſe viſa eſſe.

[l] Io. à Leid. Chron. Belg. lib. 27. c. 11. Krantz. 9. Metrop. 2.

[m] Contin. Pol. Bern. Guid. in Chron. Vill. l. 9. c. 64. & 78. PLURIMA SIGNA IN CÆLO.

VII. FRANC. MAYRONIUS MAIORUM SORBONICARUM AUCTOR.

Pariſiis *Franciſcus Mayronius* Ordinis Minorum animoſum illum Actum in Scholâ Sorbonicà introduxit, quo æſtate per ſingulas ferias ſextas ab horâ quintâ matutinâ ad ſeptimam veſpertinam, ſine præſide, ſine ſocio, ſine prandio & paſtu, ſine ullâ emigratione, in eâdem perpetuâ corporis ſede & animi contentione, per quatuordecim horas continuas, omnibus & ſingulis opponentibus reſpondetur; præcipuè verò baccalaureis primi & ſecundi ordinis; qui ſunt minimùm ſexaginta. Facinus inexpertis formidabile; at cujus causâ nemo hactenùs in valetudinis diſcrimen venerit, plures meliùs habuerint. Rem narrat Genebrardus[n]; qui Mayronium à pago Mayronenſi diœceſis Ebredunenſis fuiſſe ait: cùm tamen in quadam epiſtolâ Ioannis XXII.[o] cognominetur *de Digna*, quæ civitas eſt ſub Archiepiſcopatu Ebredunenſi in Delphinatu; ſed in Parlamẽto & Gubernatu Provinciæ. Sunt qui Scotum faciant, longè à vero aberrantes: fortè inde decepti, quòd diſcipulum fuiſſe Scoti Subtilis cõſtet. Dictus eſt autẽ ab antiquis[p] *Doctor illuminatus*. Cujus ſcripta recenſent Trithemius & Bellarminus. Quòd verò in dubium revocare viſus[q] aliquando ſit theſaurum ſatiſfactionum Chriſti ſupereffluentium, & apud Eccleſiam reconditarũ; cùm ingenuè ſcripſerit paratum ſe fuiſſe judicio Eccleſiæ acquieſcere, ſi aliter ſaperet; non eſt quod inde vocari poſſit in crimen. Non magis quàm quòd fuiſſe noſcitur ejus opinionis, ut Sanguis Chriſti in triduo Paſſionis quo ſeparatus fuit à corpore, non fuerit adoradus cultu latriæ, quoniam hypoſtaticam Verbi unionem amiſiſſet; cùm nondum ea quæſtio fuiſſet tum deciſa, aut videatur etiamnum abſolutè. Quâ de re facta fuit prolixa diſputatio inter Minores & Prędicatores coram Pio PP. II.[r] ut tunc videbitur.

[n] Genebr. in Chronol.
[o] Reg. Vatic. n. 790. & ap. Vading. Annal. Min. tom. 3. ann. 1323.
[p] Lang. in Chron. Citizē. an. 1320.
[q] Ap. Possevin. in Appar.
[r] Infr. an. 1462. XII.

VIII. IOANNES GLYCYS PATRIARCHA.

Conſtantinopoli Patriarcha *Niphon*, ob multiplicis ſacrilegij & avaritiæ crimen, & quæſtus eo faſtigio indignos, à ſede ejectus eſt, quam per quatuor fermè annos conſpurcaverat veriùs quàm poſſederat. Et interjecto

CŌSTANT. NON MONACHVS.

uno anno, in ejus locum suffectus est *Ioannes* ejus nominis Patriarcha XII. cognomento *Glycys* ex Logothetâ Dromi, & uxorato: cujus uxor statim monasticum habitum induit. Quem etiam cùm ipse de more induere deberet, obstitit Imperator, quòd cùm magnis articulorũ doloribus affligeretur, de sententiâ medicorum carnibus ei vescendum esset contra monachorum institutum. Fuit autem Atticismi studiosissimus: cujus propterea consuetudine ad expoliandam linguam, quæ jam in barbariẽ ferè desciverat, usum se testatur Nicephorus [a] Gregoras historicus sæpè à nobis de rebus Græcis nominatus, tum annum agens ætatis vigesimum primum. Quando & floruisse tradit *Theodorum Metochitem* Logothetam generalem, ac summæ apud Imperatorem auctoritatis, virũ doctrinâ & eruditione ac memoriæ præstantiâ admodum insignẽ: eo tamẽ reprehensum, quòd veterum oratorum stylo neglecto, proprio genio delectatus aures pungeret, velut spinæ digitos carpentium rosas.

[a] Nic.Greg. lib.7.

THEODORUS METOCHITES.

IESV CHRISTI Annus 1316.
SED. VAC. Ann. 3.
VAC. IMP. ROM. Ann. 3.
ANDRONICI Annus 34.

I. LVDOV. REX FRĀC. CVRAT ELIGI PONTIFICEM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo decimosexto, Indictione decimaquarta, postquàm multis literis ac legationib⁹ Ludovicus Rex Francorum apud Cardinales per varia loca dispersos egisset, ut simul cōvenirent ad successorem Clementi V. sufficiendum, illíque nihilominùs in suâ pertinaciâ perseverarent: demùm fratrem suum Philippum Comitem Pictaviensem Lugdunum misit. Qui specie negotiorum regni, aliorúmq; privatorum, singulos seorsùm in eam civitatẽ acciens; (pactis tamen præviis ne clauderentur, & ut de Lugduno liberè recedere quando libitum esset valerent) ubi advenerunt invitos reluctantésq; in conclavi apud Fratres Prædicatores præparato cōclusit, in vigiliâ Apostolorũ Petri & Pauli, omnes numero viginti tres, quot erant tunc in vivis; missis adhibitis inde non recessuros antequam de Pontifice convenissent. Dissidentes tamen adhuc per quadraginta dies, demùm Neapoleone Ursino Archidiacono auctores, facto cōpromisso de illo recipiendo quem *Iacobus de Ossa* Episcopus Cardinalis Portuensis nominâsset: is ejusdem Neapoleonis suasu se ipsum nominavit. Factum cōprobantibus Cardinalibus, veritis ne quem alium minùs sibi gratum haberent, Pontifex renunciatus est septimo Idus Augusti; postquàm Sedes vacâsset annos duos menses tres, dies septemdecim. Ibidémque Nonis Septembris (ut quidam [a] habent, quæ erat dies Dominica) vel ut alij [b], sexto Idus festo Nativitatis Beatissimæ Virginis, coronationis insignia suscepit in Ecclesiâ cathedrali: assumpto nomine IOANNIS, ejus nũcupationis à nonnullis XX. ab aliis XXI. sed *Vicesimi secundi* vulgò dicti, & in omnibus actis & monumentis illius temporis ita nominati. Fuit autem patriâ Cadurcensis in Aquitaniâ, familiâ de Ossâ, vel Deusâ, sive Deissâ, parte Arnoldo sutore veteramentario. Quo cùm in adolescentiâ egregiam suam indolem Petro Ferrerio Archiepiscopo Arelatensi, Caroli Claudi Siciliæ Regis & provinciæ Comitis Cancellario probâsset, ejúsque cura & ope præstantem operam doctrinæ studiis navâsset, creatúsque fuisset Episcopus Forijuliensis in eâdem Provinciâ; mortuo Archiepiscopo factus est ejus loco à Roberto Caroli filio Cancellarius: (sunt & qui Franciæ Cancellarium fuisse velint; sed longè à vero) ac deinde à Clemente Papâ I. Avenionensis Episcopus, ac posteà Cardinalis Episcopus Portuensis: parvus quidem corpore, sed magnus animo, majórque tum septuagenario cùm Pontificatum adeptus est. Quæ omnia ex diversis antiquis ac probatis auctoribus [c] tunc viventibus collegimus.

FACTO CŌPROMISSO IOANNES XXII. ELIGITVR.

[a] Bern.Guid. de Pontiff.
[b] Vill.lib.9. cap.79.

[c] Villan. & Bern. ibid. Contin.Pol. & Nang.in Chron.

II. VTRÙM SEIPSVM ELEGERIT.

Sed quod ad compromissum, & Ioannis suî ipsius electionẽ pertinet; solum ex iisdem antiquis auctoribus Villanium id scripsisse invenimus; quod alij nec ignorare potuissent, nec tacere debuissent. Antoninus [d] enim à quo posteriores acceperunt, à Villanio noscitur desumpsisse, ut pleraque alia; & recentior est, quàm ut ei de re centum & quinquaginta ampliùs annis ante sua tempora gestâ alia fides adhibeatur quàm suo auctori Villanio. Cujus quamvis magni juris merito cōsueverimus facere auctoritatem; quòd tamen sciamus multa conficta fuisse in odium Pōtificum Gallorum Avenione sedentium, quæ Itali facili credulitate acceperunt; de rei veritate dubitare compellit tam aliorum silentium, quàm præcipuè quòd ea nunquam objecta fuisse Ioanni reperitur à Ludovico Bavaro, vel ab iis qui pro illo adversus Ioannem amarissimè scripserũt; quæ sanè non videtur nullius momenti esse potuisse ad arguendam Ioannis ambitionem: quantumvis sciamus usu receptum in ejusmodi electionibus, ut quis se ipsum eligere possit.

[d] Ant. tit. 21.cap.4. §.1.

III. ALIVD COMMENTVM DE RE CVM NEAPOLEONE CARD. GESTA.

Quibus etiam rationibus omninò rejicimus quod à Ciacconio pariter absque auctore assertum reperimus; cùm Neapoleoni Cardinali Ioannes, dum de ipsius electione ageret, jurejurãdo sese adstrinxisset nunquã se equum vel mulam conscensurum quin Romam accederet; nihilominus post coronationem de Romanâ peregrinatione ab eodem Neapoleone sollicitatum, sive Romanorum totiúsque Italiæ factionibus deterritũ, sive Galliæ amore, vel etiam metu ne Rex abitum deturbaret; publicis literis edixisse Avenione se moraturum, ut scirent omnes quò pergendum foret ad res cum eo tractandas: ut autem sacramento suo satisfecisse videretur, Lugduno Avenionẽ navigio petiisse, (cum sit utraque civitas ad ripam fluvij Rhodani sita) neq; unquam posteà equum aut mulam conscẽdisse: Neapoleonem verò, quòd se delusum vidisset, nunquam posteà Ioannem allocutum esse, neque ejus exequiis interesse; quamvis ad ejus animum deliniẽdum Ioannes duos Cardinales ex ejus familiâ, Ioannem Caietanum Ursinum & Fratrem Matthæum Ursinum diversis promotionibus creaverit. Quid enim quòd nihil horum umquam à malevolis & schismaticis adversus Ioannem objectum reperitur, cùm multò leviora inquirere & objectare non cessaverint

ſaverint? Certè ſaltem die coronationis publicè de more in equo proceſſiſſe, regentibus frenum equi Carolo Marchiæ Comite Regis fratre & Ludovico Ebroicenſi patruo, hiſtorici Franci [c] diſertè ſcribunt. Pervenit porrò Avenionem hoc ipſo anno ad principium menſis Octobris.

[c] *Contin. Nang.*

IV. LUDOVICI REG. FRANC. OBITUS.

Cùm verò fuiſſent incluſi Cardinales, ut diximus, Lugduni; Philippus Ludovici Regis frater auditâ Regis morte repentinâ;) quæ contigit ad Saltum Vicennarum prope Pariſios Nonis Iunij, & ut creditum eſt ex veneno, poſtquàm regnâſſet ab obitu patris annum unum menſes ſex diéſque totidem, vixiſſet annos fermè viginti ſeptem:) relicto Lugduni ad cuſtodiam Conclavis Comite Foreſij, citiſſimè Pariſios rediit. Et cùm Ludovicus reliquiſſet tantùm Ioannam filiam ex priori conjuge, & Clementiam uxorem gravidam; habito procerum conventu, de eorum ſententiâ tamquam è maſculis ſucceſſioni proximus, regnorum Franciæ & Navarræ procurationem ſuſcepit donec Clementia pareret; & ſi maſculum, ederet etiam uſque ad annum ejus decimum octavum regnum adminiſtraret. Ex eâ porrò quartanâ laborante nato decimoquarto die Novembris *Ioanne*, vero & legitimo Rege; eodémque intra paucos dies ſublato, (ſeptem numerant plures, quidam viginti) ac pompâ regiâ ad ſepulcra majorum apud S. Dionyſium delato: prædictus *Philippus* ejus patruus regium nomen ſumpſit: Quintus illius nuncupationis, & cognomento *Longus* à proceritate corporis; annum agens ætatis vigeſimum quintum: ac de more Remis inauguratus eſt in Epiphaniâ proximi anni; portis tamen urbis clauſis, & præſidio appoſito, nequid turbarum ab Odone Duce Burgundiæ excitaretur.

IOANNES I. NASCITUR REX, CITÓQUE MORITUR.

PHILIPPUS LONGUS REGNAT.

V.

Qui quòd patruus eſſet Ioannæ Hutini filiæ intercedebat coronationi Philippi, objiciens filiam parenti jure naturali ac civili ſuccedere ac meritò anteferri patruo debere. Cùm verò econtrà Philippus inveteratam conſuetudinem moréṁque regni, feminas ab honore regio repellentem, opponeret juri Romanorum: ne bellum ex eâ contentione oriretur, convenit ut ordines regni Lutetiam vocarentur. Qui circa feſtum diem Purificationis convenientes, præſente Petro Arablaio regni Cancellario, ac nuper creato à Ioanne Papâ Cardinale Presbytero tituli S. Suſannæ, laudatâ Philippi inauguratione, ei uti legitimo Regi fidem ſuam & obſequium obligavêre. Pronunciatúmque ab Ordinibus eſt, feminas more Francorum regno excludi. Nec id quidem lege Salicâ tunc recens in gratiam Philippi inventâ, ut nonnulli ſcripſerunt; ſed ab ipsâ regni inſtitutione [f] introductâ, & frequenter ac quotieſcumque caſus accidit obſervatâ. Quare etiam Odo abſque ulteriori contentione acquievit auctoritati Ordinum. Cui tamen ut fieret ſatis, datus eſt ei à Rege Burgundiæ Comitatus, & filia Regis in matrimonium. Quod tamen non eadem lex vigeret in regno Navarræ, non potuit Ioanna ejus jure privari, cùm filia eſſet primogeniti. Niſi quòd Philippus prætextu adulterij matris ejus, quod dubium reddebat partum, illud quoque ſibi retinuit, donec poſt Philippi ac fratris ejus obitum, ad Ioannam rediit [g]. Quæ porrò hactenùs diximus narrantur pluribus ab hiſtoricis [h] Francorum.

DECRETUM ORDINUM REGNI CONFIRMANS LEGEM SALICAM.

[f] *Vid. Bellefor. to. 1. lib. 1. cap. 2.*

[g] *Infr. an. 1328. XXII.*

[h] *Contin. Nang. Æmil. Bellefor. Maſſon. &c.*

VI. IOANNES PONT. NEGAT CONFIRMATIONEM LUDOVICI BAVARI.

Statim autem ut Ludovicus Bavarus electus Romanorum Rex creationem Ioannis Papæ audivit, miſit oratores ſuos qui ejus aſſenſum poſcerent. Quem tamen ille negavit, eò quòd Ludovicus præter admiſſum in Fridericum coelectum ſcelus, multa præſumpſiſſet agere & concedere quæ etiam Imperatoris legitimè inſtituti excederent poteſtatem. Ita ex Blondo [i] Italo Germani Nauclerus [k] & Krantzius [l]. Nec ſanè videtur Ioannes tam facilè debuiſſe confirmare electionem Ludovici, quamvis etiam fuiſſet re ipsâ legitima; cùm illam Fridericus competitor vitioſam, ſuam autem legitimam conteſtaretur; quin priùs causâ utriuſque cognitâ, ſententiam uti verus & legitimus totius controverſiæ judex in favorem potioris electionis tuliſſet.

[i] *Blond. 2. dec. 9.* [k] *Naucl. gene. 44.* [l] *Krantz. 9. Saxon. 8.*

VII.

Ex Poloniâ [m] miſſi ſunt quoque legati ad Pontificem; tum contra Cruciferos, qui præter illa quæ ſuperiùs de eorum impietatibus diximus, totâ Pomeraniâ injuſtè ab iis occupatâ poſſeſſiones ac prædia Eccleſiarum invaſerant, & decimas denegabant, anathematáque in ipſos propterea ab Epiſcopis promulgata contemnebant ſpecie provocationis ad Summum Pontificem: tum ut Wladiſlao Loctico jam in Regem accepto diadema & nomen regium impetrarent; exiſtimantes id ſibi inauſpicatò Premiſlaum [n] injuſſu Pontificis ſumpſiſſe. Quam legationem cùm reſciſſent Cruciferi, miſerunt & ipſi qui ejus conatibus obſiſterent: & muneribus apud Ioannem Boemiæ Regem, qui titulum etiam Poloniæ ſibi vendicabat, egerunt ut & ipſe pro jure ſuo ſummâ ope apud Pontificem intercederet. Quod ipſe ita præſtitit, ut toto fermè quadriennio nihil impetrari potuerit. Quid verò demùm factum ſit, dicetur ſuo loco.

[m] *Michov. lib. 4. cap. 9. Cromer. lib. 11.*

DE REBUS POLONICIS.

[n] *Supr. an. 1295. XIII.*

VIII.

Patavij [o] in Italiâ, cùm *Petrus Aponius* vir medicinæ peritiſſimus, ac propter ejus artis in conciliandis opinionibus peritiam *Conciliatoris* cognomen adeptus, fuiſſet hæreſeos ac necromantiæ delatus, (ut etiam Trithemius [p] ſed dubitanter refert) & pendente judicio mortuus, apud baſilicam S. Antonij ſepultus; offenſis eâ re omnibus zelo fidei ardentibus, Inquiſitores judicium proſecuti, ex propriis Petri lucubrationibus impietatis convictum condemnârunt, & cadaver igni adjudicârunt: ſed eo intereà furtim ſublato, inanis illius ſtatua publicè combuſta eſt. Præter multa quæ ſcripſerat, effinxerat ultra quadringentas imagines diverſarum rerum artium & operationum ſitas ſub duodecim ſignis cæleſtibus, & ſub ſeptem planetis, & duodecim menſibus, depingendas in palatio Patavino, ad judicandum ex variâ genethliacorum arte naſcentium naturam per gradus & numeros. Cui haud abſimilis *Ioanninus* [q] *Sanguinaccius*, doctrinâ & experientiâ medendi adeò excellens, ut nec inſpectâ urinâ, nec exploratis brachiorum arteriis, ex ſolo aſpectu vultûs, & genus & tempus & paroxyſmum morborum divinaret: qui accuſatus itidem hæreſeos ac magiæ, cùm ſe purgare ſufficienter non valeret, in Melitam inſulam perpetuo relegatus eſt.

[o] *Scardeon. hiſt. Patav. lib. 2. claſſ. 9.* [p] *Trithem. de Script. Eccleſ.*

PETRUS APONIUS MEDICUS NECROMANT.

[q] *Ibid. claſſ. 8.*

IDEMQUE IOAN. SANGUINACCIUS.

IX.

In Hiſpaniâ [r] mortuo Roccaberto Tarraconenſi Præſule, Collegij ſuffragiis, ut tunc in

[r] *Marian. lib. 15. cap. 15.*

FILIUS REGIS ARAG. ELECTUS ARCHIEPISCOP. NON ADMITTITUR A PONT.

more erat, Ioannes Aragonij Regis filius substitutus est. Ejus tamen electionem ut Ioannes Pontifex ratam haberet, impetrari non potuit, sive simoniaci ambitûs vitium obstaret, sive minoris ætatis. Nondum enim solvendarum legum ad Principum gratiam usus adeò percrebuerat; necdum Principes ad ejusmodi repulsas Pontificum indignatione moveri consueverant. Semenus igitur, sive Simon Lucia Episcopus Cæsaraugustanus Tarraconem translatus est; & Petrus Luna in Semeni locum suffectus Cæsaraugustæ; Petrique Abbatia Montaragonis prædicto Ioanni Regis filio collata: qui & quadriennio pòst Archiepiscopus Toletanus consecratus est.

IESU CHRISTI Annus 1317.
IOANNIS XXII. An. I.
VAC. IMP. ROM. An. 4.
ANDRONICI Annus 35.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo decimoseptimo, Indictione decimaquintâ, cùm plurimi Italiæ proceres Gibellinæ factionis Vicarios se Imperij indigitarent; sive illum titulum ab Henrico Septimo obtinuissent, sive etiam à Ludovico Bavaro qui se pro Imperatore gerebat, seu denique à se ipso accepissent; putà Matthæus Vicecomes Mediolani, Canis Scaliger Veronæ, Passerinus Bonoposus sive Bonacossus Mantuæ, alij aliis locis, eóque prætextu Guelfos à parte Ecclesiæ Romanæ stantes totis viribus persequi non cessarent, quò imperia sua ac dominia dilatarent: audiens hæc Ioannes Pontifex Avenione, ac perspiciens sic jura Sedis Apostolicæ auctoritatémque imminui ac violari; constitutionem [a] gravissimam edidit pridie Calendas Aprilis quâ declarans vacante Imperio ejus jurisdictionem, regimen & dispositionem tam jure quàm consuetudine ad summum Pontificem devolvi, omninò prohibuit, nequis quâcumque dignitate ecclesiasticâ aut sæculari, etiámque Patriarchali aut regiâ fulgens, ejusmodi Vicarij, seu cujusvis alterius officij Imperij nomen, absque Sedis Apostolicæ auctoritate quamdiù Imperium vacaret retinere aut usurpare præsumeret, neve aliquis eis obediret: sub pœnâ excommunicationis in personas, & interdicti in terras. Eadémque constituit [b] pro civitatibus ac terris Ecclesiæ Romanæ subjectis, nequis earum dominium usurpare præsumeret. Quibus tamen constitutionibus parùm illum adversus obstinatos in malo profecisse, intelligitur tam ex variis processibus [c] contra rebelles Ecclesiæ & Imperij factis, quàm ex historiis Italis turbas & pugnas civitatum Lombardiæ & Etruriæ recensentibus. Inter quas hoc ipso anno Ferraria abjecto jugo Ecclesiæ Romanæ, & exciso præsidio Roberti Regis Siciliæ, Marchionibus Estensibus sese submisit. Ne tamen absque ullo legitimo regimine Italia fluctuaret, idem Pontifex confirmans constitutionem Clementis decessoris sui super his editam, Robertum Siciliæ Regem, Imperij Vicarium in Italiâ (Genuâ exceptâ) constituit [d] donec Imperator inaugu-

CONSTITUTIO PONTIF. ADVERSUS VICARIOS IMPERII IN ITALIA.

[a] Extravag. commun. cap. si fratrum ne sede vac.

[b] Reg. Ioan. Coll. Fux. Tolos.

[c] Ext. eod. cod.

[d] 7. Cal. Aug. an. I. d. cod. Fux.

raretur. Ludovico verò Bavaro & Friderico Austrio Imperij competitoribus certam diem condixit [e] ad producenda jura sua coram Sede Apostolicâ.

[e] Ep. 137. an. I.

II. Quo item anno idem Ioannes Constitutiones Clementinas [f] promulgavit, & Scholis ad legendum & observandum proposuit. Ac Ludovicum olim Episcopum Tolosanum in Sanctorum numerum, ut in ejus obitu diximus, retulit. Aliáque publicâ editâ constitutione [g] ipsum Episcopatum Tolosanum, adeò latum atque diffusum populísque frequentem, ut difficile nimis esset ab uno Episcopo, uti dicebat, administrari; adeóque locupletem, ut pluribus sufficienter sustentandis satis superque esset; ab omni jurisdictione metropolis Narbonensis cui suberat eximens, in quinque diœceses divisit: Ipsam videlicèt [h] TOLOSANAM, quam in Archiepiscopalem seu metropolitanam erexit, constitutis ei suis propriis & certis terminis: (cui primum Archiepiscopum dedit [i] *Ioannem de Convenis* fratrem Comitis Convenarum, translatum eò ex Sede Magalonensi: quem & posteà creavit Cardinalem; Episcopus verò Tolosanus nomine Gaillardus, de Pressaco filius sororis Clementis Quinti, inde ejectus quòd magnam partem redituum inutilibus expensis oppigneràsset, sine Episcopatu remansit. Cui cùm postmodùm Regensem Pontifex conferret, noluit is acceptare:) *Montis-Albani*, pridem Cadurcensis diœcesis, cui adjicienda esset quædam pars Tolosanæ; *S. Papuli, Rivorum*, & *Lumberiorum*, quæ priùs erant dictæ diœcesis Tolosanæ; suis quasque limitibus distinguendas, & reditibus dotandas. Hasque sic erectas subjecit eidem metropoli Tolosanæ: additâ etiam civitate Appamiarum, quæ jam olim, ut vidimus, ab eâdem Tolosanâ per Bonifacium Octavum avulsa metropoli Narbonensi contributa fuerat: demúmque *Vauro* & *Mirapico*, à se pariter in civitates erectis, ut septem essent suffraganeæ metropolis Tolosanæ quarum prima antiquitate & amplitudine civitas Appamiarum. Quòd verò hujusmodi divisiones & erectiones non adeò acceptæ omnibus essent, habuit paulò pòst idem Pontifex graviores pœnas promulgare [k] in eos qui illis quocumque modo contradicerent. Quemadmodum etiam diversis temporibus multas alias diœceses tam in Galliâ quàm aliis regnis & provinciis divisisse reperitur, quò faciliùs curari possent; & quædam dubia super iis mota sustulit [l]. Inter quas anno proximo Cæsaraugustanam Aragoniæ erexit in metropolitanam; assignatis quinque aliis civitatibus ex undecim, quæ anteà unà cum ipsâ Tarraconensi provinciæ contribuebantur. Utque augeretur cultus divinus, constituit pariter pluribus oppidis collegiales Ecclesias canonicorum sæcularium. Et Ordinem quoque Grandimontensem reformans, cùm domus præcipua per Priorem regeretur, Abbatem constituit. Quæ omnia fusè tractant, præcitati Bernardus & Amalricus.

[f] Vid. supr. an. 1311. XIV.

CLEMENTINARUM PROMULGATIO.

[g] Extravag. com. cap. Salvator noster, de praebend. & dignit.

TOLOSANA ECCLESIA FIT METROPOLITANA; ET EX ILLA PLURES ALIÆ DIOECESES.

[h] Diplomata omnia de his confecta ext. in Reg. Ioan. Vatic. & Fuxen. referúntque etiam Guill. de Cruc. in Hist. Episcop. Cadurcens.

[i] Bernard. Guid. & Amalr. Auger. in Ioan. XXII.

[k] Cap. nuper certis ibid. de prab.

MULTAS ALIAS ECCLESIAS DIVIDIT ET ERIGIT.

[l] Extravag. ad Apostolatus, de concess. prabend.

III. Qui & insuper anno præsenti indulsit [m] ut quod repetitis anteà legationibus, supremâque Aragonij Regis contentione quæsitum fuerat, ex bonis quæ Templarij in Valentino tractu obtinere soliti erant, noua Militia constitueretur, quæ quidem sub nomine *S. Ma-*

[m] Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 15. cap. 16.

riæ

Institutio Ord. Militaris Montesiæ in Regno Valent.

Et Christi in Lusitania.

riæ & S. Georgij Ordinis Calatravæ jam olim instituto contributa, & Cistercienſium regulam legéſque ſervare juſſa, proprium tamen accepit Magiſtrum: præcipuáque ſedes Montesiæ conſtituta;unde & factum Militiæ nomen. Veſtis ei candida,cum rubrâ Cruce ſimplici planáque. Cenſus tenuis,ſed virtus bellica adverſus Mauros qui Valētina littora infeſta reddebant,ceteris non inferior.Paritérque poſt biennium in Luſitaniâ, eodem Pontifice concedente,alia nova Militia conſtituta fuit, cui à Christo nomen eſt, ad reſiſtendum iiſdem Mauris & Saracenis:eo regno nobiliſſima,Cruce rubrâ,lineâ candidâ interſecante diſtincta. Cui pariter Templariorum bona ejuſdem regni attributa fuēre: ſedes principalis Caſtrum Matinum Silvenſis in Algarbiis diœceſis; unde poſteà Tomarium migrârunt. Bona nihilominùs Templariorum, etiam in iis provinciis, factâ certâ compoſitione, conceſſa poſt hæc fuiſſe Hoſpitalariis, Boſius [n] in eorum Hiſtoriâ docet.Ubi & grave deſcribit ſchiſma in eâ Religione excitatū hoc anno,ex mutatione morum,& vitâ ſolutâ Magiſtri Fulconis de Villareto;contra quem novus electus eſt Magiſter Mauritius de Pagnaco: ſed utroque à Papâ Ioanne Avenionem evocato, extinctum eſt ſchiſma morte Mauritij, & renunciatione ſpontaneâ Fulconis,atque novâ electione Elionis de Villanovâ Prioris S. Ægidij.

[n] *Boſ. to. 2. lib. 1.*

IV.

Sortilegi exagitantur.

Hoc item anno idem Pontifex inquiſitionem contra quoſdam qui in necem ipſius & Cardinalium, potiones venenatas, & imagines,aliáque maleficia paraverant, commiſit [o]. Eoſdémque poſteà damnavit editâ conſtitutione [p],quâ omnes qui imagines; annulos vel ſpecula, aut phialas, aliaſve res quaſcumque ad dæmones inibi per magiam alligandos fabricarent, & reſponſa ab iis peterent, & pro implendis pravis ſuis deſideriis auxilia poſtularent; (cujuſmodi ſcelera tunc per mundum ſolito ampliùs, ſcriptis etiā libellis & characteribus de earumdem rerum praxi, convaluiſſe dolet) excommunicationi ſubjecit, & per ſuos quoq; judices aliis pœnis plecti voluit. Cujuſmodi cōſtitutio cùm ſine adjectione temporis referatur; putamus editā ſtatim circa annum Domini milleſimum trecenteſimum vigeſimum tertium;quippe quòd reperimus in ContinuatoreNangij Gallico,eo anno quemdam monachum monaſterij Morinij diœceſis Senonenſis prope Stampas, voluiſſe renovare damnatam olim hæreſim magicam dictam *Artem notoriam*, cum animo imponendi ei aliud nomen; quæ per varias figuras & characteres certóſque ſuperſtitioſos conſpectus, & nomina monſtroſa,promittebat aſſecutionem quarūmcumque rerum concupitarum, ſive in divitiis,ſive in deliciis,vel honoribus; quæ vir impudens aſſerebat ſibi à Beatiſſimâ Virgine tradita fuiſſe: eâque ſuggeſtione multos decepiſſe, quamvis nullus umquam aliquem fructum inde conſecutus eſſet: Damnatum autem ejus librū Pariſiis,& in ignem conjectum. Fuiſſe denique hujus perditionis hominum, omníſque generis ſortilegij inventores,atque factores plures ubique his temporibus, apud auctores facillimum ſit reperire; quorum etiam exempla non pauca retulimus.

[o] *Ep. 81. an. 1.*
[p] *Ext. Bullar. tom. 1. Ioan. XXII. conſt. 13.*

V.

Episcopi Cadurcen. ſupplicium ob conjurationem in Pontificem.

Eorum verò in numero extitiſſe Hugonem Geraldi Epiſcopum Cadurcenſem, conjuratione factâ in ipſummet Pontificem; Bernardus Guidonis, Amalricus Augerij, & Continuator Poloni tradunt; confirmantque Rebdorffius,& Platina.Cujus Præcipuā apud Regem Philippum Pulchrum & Clementē Pontificem gratiam, ac commendandam aliquo tempore Epiſcopatûs adminiſtrationem deſcribēs Guillelmus Crucius in Hiſtoriâ Epiſcoporū Cadurcenſium; ſubdit lapſum ejuſdē in pravos mores, & omnis impietatis barathrum,unde meruit à Ioanne Pontifice condemnari.Qui eum ſacerdotali ordine & pontificali dignitate depoſitum ac degradatū per Berengarium Fredole Cardinalem Epiſcopum Tuſculanum,(patriâ Narbonenſem, quem vidimus unum fuiſſe ex cōpilatoribus libri ſexti Decretalium ſub Bonifacio VIII.)curiæ ſæculari tradi juſſit; cujus judicio publicè tractum,& aliquâ parte corporis cute nudatū,ac demùm combuſtum fuiſſe volunt, cùm tamen in ſententiâ depoſitionis ac perpetui carceris à Pontifice latâ,quæ inſerta eſt Iuri [q] Canonico, quâ recenſentur multi variíq; ejus exceſſus nulla fiat mentio conjurationis in Pontificem; niſi fortè comprehendatur generali additione plurium aliorū ejus nefandorum exceſſuum. Pertinétque forſitan ad eamdem conjurationem, aliud ejuſdem Pontificis edictum [r] hoc itidem anno contra necromanticos & divinatores promulgatum.

[q] *Extravag. com. cap. 1. divinis de pœn.*
[r] *Ep. 134.*

VI.

Agit Pont. contra quoſdam Minoritas segreges.

Habuit inſuper hoc eodem anno idem Pontifex contra nonnullos cervicoſos Minoritas agere;qui ſpecie ſtrictioris [s] obſervantiæ, & cultûs paupertatis,à ceteris ſegregati, & ſequiorem habitum ſibi formabant, & quicquam ad victum in granariis & cellariis quâcumque neceſſitate reſervari poſſe, pertinaciter negabant; interpretationes Regulæ S. Franciſci à Nicolao [t] III.& Clemente [u] V. factas aut rejicientes, aut in pravum ſenſum detorquentes. Quorum Ioannes cæcâ ſcrupuloſitate(ut loquitur)ac veluti irreligioſâ ſuperſtitione motus,gravi editâ conſtitutione [x] Idibus Aprilis,declaravit tam vilitatem habitûs, quàm rerum ad victum neceſſariarū reſervationem, relinquendam arbitrio ſuperiorum; nec fore aliquo modo tranſgreſſores Regulæ, qui in horum determinatione obſequerentur ſuperioribus: hortans eos, & ſub pœnâ excōmunicationis præcipiens, præſtare eis obedientiam; quam paupertati præferendam eſſe docet.Quod verò aliam conſtitutionem [y] ejuſdem Pontificis hoc eodem anno contra Fratricellos & Bizochos promulgatam, nonnulli in eoſdem Minoritas latam interpretantur; abnuunt omninò iidem Minoritæ: & de ejuſmodi ſectariis dictum ſatis à nobis aliàs: de prædictis autem Minoritis, aliíſque iis ſimilibus, dicendum rurſùm non ſemel inferiùs.

[s] *Vid. ſupr. 1302. XVI.*
[t] *Cap. exiit. qui ſeminat. de verb. ſig. in 6.*
[u] *Cap. exivi de paradiſo. eod. tit. in Clementin.*
[x] *Cap. quorumdam. extravag. de verb. ſig.*
[y] *Cap. ſancta Rom. de relig. domib.*

VII.

Res Siculæ huius temporis.

Hoc eodem anno cùm exiſſent triennales induciæ Regum Siciliæ & Trinacriæ,Robertus immiſſo in Siciliā exercitu,Friderico nullibi ad pugnam comparere auſo,totam ita terrâ maríque devaſtavit,ut hæc clades præteritas omnes ſubCarolis avo & patre illatas lōgè exceſſerit. Creditúmque fuit,ſi id ipſum proximo anno continuâſſet, obtenturū fore univerſam inſulam.Sed Ioannis Pontificiis man-

dato

dato renovatis in quinquennium (sive triennium, ut quidam habent) induciis, Fridericus Rhegium & cetera oppida quæ in Brutiis occupaverat ejus internunciis in custodiam dedit, donec à Pontifice decerneretur cui potiori jure convenirent; facilem se ad hæc Friderico exhibẽte, ut tantis domesticis cladibus liberaretur: facilémque se Roberto, tum ut attendere liberiùs posset rebus Genuensibus, de quibus dicetur anno proximo; tum verò ut prædicta oppida regni sui recuperaret, quæ paulò pòst Pontifex ei possidenda restituit, conquerente Friderico non eo se animo custodienda ei tradidisse. At Pótifex se causâ cognitâ, cùm id sui juris arbitriíque esset, rem justo domino restituisse defendit; nec fas fuisse, sequestrum se ac judicem, urbes de quibus ambigebatur diutiùs quàm fides postularet possidere, aut in suammetipsius rem litem vertere. Ita Manuscriptus codex Columnensis Bibliothecæ Vaticanæ. Villanius [z], Leonardus, Antoninus, Summontius, & alij.

[z] Vill. lib. 9. cap. 82. Leon. lib. 5. Ant. tit. 21. cap. 4. Summont. lib. 3.

VIII. PONTIFEX CURAT RES ANGLIÆ.

Cùm item audîsset Ioannes Pontifex turbas Anglicanas, sive belli Scotici occasione, sive ob procerum alienationem à Rege; duos Cardinales eò legavit, Gaucelinum fratris sui filium, (Iosselinum nónulli, vel etiam Iosseranum vocant; alicubi etiam corruptiùs Anselmum nominatũ Presbyterum tituli SS. Marcellini & Petri, & Lucam de Flisco Genuensem Diaconum S. Mariæ in Viâ-latâ; tum ad prædictas turbas cóponendas, tunc ut [a] à Rege pro regnis Angliæ & Hiberniæ olim Innocentio Tertio Pontifice vivente Sedi Apostolicæ obligatis, juramentum ligij homagij imprimis, deinde censum, & Denarium S. Petri exigerent: eumdémque Regem ad sacram militiam excitarent. Accidit autem, ut cùm etiam Legati Scotiam versus iter agerent, in Northumbriâ spoliati fuerint à prædonibus, qui totam illam regionem magno numero incursabant. In quos gravem sententiã excommunicationis Legati vibrârunt; quam Pontifex solemni cæremoniâ approbavit [b]: fuítque eorum dux posteà captus, & collo suspensus. Controversias quoque Thomæ Comitis Lancastriæ, ceterorúmque dissidentium, utcumque Legati cum Rege composuerunt.

[a] Ep. 60. 112. 239. an. 1.

[b] Ep. 93.

IX. ET SCOTIÆ.

Sed quod tangit Scotiam; ei providere Pótifex quantâ posset moderatione percupiens, cùm Regem Angliæ literis [c] monuit patienter ferre si Robertus Brusius Regem se Scotiæ nominaret tantisper donec de universo negotio decerneretur: tum ipsi Roberto [d] constitutionem Clemẽtinam misit, quæ nihil novi juris ex titulo regio aliquibus fortè à Summis Pontificibus, vel à quibuscumque aliis adscripto accedere declarabat, & ne malè interim eum haberet, si ipse suis ad eum literis nomen Regis non adscriberet, hortatus est: quem scilicèt non Regem, sed pro Rege Scotiæ se gerentem, vel etiam regni Scotiæ gubernatorem nominabat. Cùm autem Legati in Scotiam ire pergerent, antequàm eò pervenirent, Robertus qui è re suâ fore non judicabat id temporis habere pacẽ cum Anglo; obviam misit qui Cardinales ingressu Scotiæ prohiberet. Qui eâ injuriâ affecti, Scotis interdixere sacris, ac re infecta recessere. Ita enim rem gestam Angli [e] scribunt. Unde & fortè prodierit constitutio [f] Ioannis Pontificis contra eos qui Legatos aut Nuncios Apostolicæ Sedis admittere recusarent, nisi ab eis petiti fuissent, vel de illorum beneplacito trãsmissi.

[c] Ep. 94.

[d] Ep. 104. & 125.

LEGATI PROHIBENTUR INGREDI SCOTIAM.

[e] Vualsingh. & Polyd. in Eduar. II.

[f] Cap. super gentes. extravag. com. de consuetud.

X. QUOMODÒ ACTUM CUM SCOTIS FUERIT.

At Scoti [g] admissos legatos, & coram Rege in concilio procerum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium auditos volunt: frustrà tamen, quòd nihil de suis juribus Scoti diminui paterentur. Nihil verò de sacrorum interdictione: quin potiùs oratores à Roberto sequẽti anno missos ad Pontificẽ, qui eum à Scotis per Anglos alienatũ reconciliarent, id perfacilè impetrâsse. Quod tamen gratis dictũ esse, nõ solùm ex scriptotibus Anglis intelligitur, qui id quidem ab eis petitum, sed omninò à Pontifice denegatum asserunt: sed præcipuè ex Regesto [h] Ioannis Pontificis, quo continentur processus de his confecti, & promulgati decimoquarto Calendas Decemb. anno Pontificatûs quarto, nempè Christi 1320. quibus narrantur quæcumque in his gesta fuissent à prædictis Cardinalibus, & cum ipsis: Videlicèt cùm accessissẽt ad fines Scotiæ, prohibitos primò fuisse ingressu; sed post eorum instantiam demùm ad Robertum deductos, respósum ab eo accepisse nolle se paci aut induciis cum Anglo acquiescere, nec de iis cum ipsis Cardinalibus tractare, nisi nuncuparetur à Pontifice Rex Scotiæ: His auditis Cardinales Londinum repetiisse; ac nihilominùs inducias à Pontifice stabilitas publicâsse, & per quemdam Fratrem Minorem in Scotiã misisse; qui à satellitibus Roberti rebus omnibus spoliatus remissus fuerit: cúmque nihilominùs significâsset post hæc Robertus Cardinalibus cupere se pacem, iíque ad eum literas rescripsissent, haud permissum fuisse nuncium Scotiam intrare: quinimmò Robertum, in contemptum Pontificis & Cardinalium, oppidum Bervicũ aliáque Angliæ invasisse ac diripuisse: eáque propter excommunicatum cum omnibus sequacibus & adhærentibus declaratum fuisse, & regnum interdicto suppositum. Quæ cùm à Roberto & Prælatis regni contemnerentur, tum demùm Pontificem utrisque diem dixisse, compariturìs Avenione Calendis Maij subsequentibus; Roberto quidem per se ipsum, vel legitimos procuratores; pro Prælatis verò, quatuor ex ipsis, præcipuis Roberti fautoribus, Willelmo sãcti Andreæ, altero Willelmo Duncheldensi, Henrico Arbodensi, & Davide Moraviensi Episcopis. Hæc ibi, omni certitudine constantia.

[g] Boeth. lib. 14.

[h] Reg. Col. leg. Fux. Tolos. par. 4. meminerùntque ex Vatic. Bzov. & Vuading. an. 1319.

XI. SCOTORUM BELLICA.

Quæ etiam ex eo fulciuntur, quòd post dictos tractatus, renovatas fuisse majori furore Scotorum in Angliam incursiones ac devastationes, utriusque gentis auctores tradunt; recẽsentes præcipuè munitissimi oppidi Bervici ab Anglis detenti per Scotos occupationem, atque Eduardi Regis ad illud recuperandum inutilem expeditionem, infaustásq; Anglorum clades ac cædes: quarum unâ Episcopus Caledoniorum Scotus grandem illorum stragẽ edidit; aliâ Archiepiscopus Eboracensis Anglus, dum fortiter & ipse agere cum suo Clero & aliâ imbelli collectâ manu presumeret, pluribus suorum amissis vix ipse cum paucis fugâ evasit. Illud tamen sinistri in Hiberniâ Scotis accidit, quòd cùm Eduardus Brusius Roberti frater à nonnullis post victoriam

i Supr.an. 1314. XIII.

Bannachbornensem [i] evocatus, Rex insulæ renunciatus fuisset; ubi fermè per quadriennium vario marte cum Anglis & insulanis eis faventibus dimicavit, demùm prælio victus occubuit. Et fuisse causam sive prætextum rebellionis Hibernorum in Regem Angliæ, quòd non servaretur forma sub quâ fuisset olim concessa Hibernia Regibus Angliæ à Sede Apostolicâ; sed contra eam populi Hiberniæ multis afflictionibus & gravaminibus opprimerentur, constat ex litteris [k] quas de eorum querelis apud Legatos prædictos factis, ac pro hujusmodi excessuum emendatione, Ioannes Pontifex ad Eduardum Regem scripsit.

k Reg.Vat. & ex eo Bullar.tom. 1. Ioan. XXII. const. 4.

XII. CONCIL. SILVANECTENSE CONTRA USURPATORES BONORUM ECCLES.

Hoc item anno mense Martij apud *Sylvanectum* in Galliâ celebrata est *Synodus* provincialis sub Roberto de Courtenai Archiepiscopo Remensi; cui interfuêre aut per se aut per procuratores undecim Episcopi suffraganei; occasione usurpationum factarum à nonnullis proceribus de bonis Ecclesiarum. Fuêreque in eâ excommunicati omnes quicumque illa invasissent, aut detinerent: & ubicumque id perpetratum esset, jussum est cessari ab officiis divinis, & sacramentorum administratione, quousque facta esset restitutio. Pro cujusmodi injuriis & violentis oppressionibus Ecclesiæ illatis, frequentes agendi fuerunt conventus Episcoporum: ac plerumque incassùm, propter obstinatam raptorum malitiam nummos saluti præferentium.

IESU CHRISTI Annus 1318.
IOANNIS XXII. Ann. 2.
VACAT. IMP. ROM. Ann. 5.
ANDRONICI Annus 36.

I. AGIT. PONT. CONTRA MINORITAS REBELLES.

ANNO Christi millesimo trecentesimo decimooctavo, Indictione primâ, fuit Ioanni Pontifici agendum rursùs contra errores illos & errantes Minoritas, de quibus anno superiori, aut alios simili fuligine infectos, qui a corpore Religionis discissi, specie strictioris observantiæ omnem observantiam abjecerant ac Regulæ interpretationes ab anterioribus Pontificibus, & præcipuè Nicolao III. (non IV. ut vulgò erroneè scribitur, sicuti aliàs monuimus) & Clemente V. editas respuentes, tunc sapere stolidè sibi videbantur cùm supra modum insiperent: adeò ut etiam cùm in insulam Siciliam, pronam semper ad quodlibet perpetrandum facinus provinciam, secessissent, Generalem sibi quemdam Henricum de Cevâ dicti Ordinis refugam & apostatam fugitivum præficere, ac Provinciales, Guardianos, cæterósque ministros, necnon prædicatores & confessores instituere, brevémque ac strictum & squalidum planéque ridiculum habitum sibi formare non essent veriti; ac demùm temerariâ audaciâ de schismate in hæresim sese præcipitantes, impias blasphemias evomerent: quibus imprimis duas fingebant Ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam, deliciis affluentem, sceleribus maculatam, cui Romanus Præsul, aliíque inferiores Prælati dominarentur; aliam spiritualem, frugalitate mundam, paupertate succinctam, virtute decoram, in quâ ipsi soli eorúmque sectatores continerentur. Deinde asserebant, sacerdotes aliósque Ecclesiæ ministros, sic jurisdictionis & ordinis auctoritate desertos esse, ut nec sententias ferre, nec sacramenta conficere, nec populum docere valerent; sed apud ipsos solos, sicut spiritualis vitæ sanctitatem, sic & auctoritatem perseverare: Nullo pacto aut eventu jurandum esse: Sacerdotes quoslibet quibuslibet peccatis infectos non posse conficere vel conferre sacramenta: Evangelium Christi in ipsos solos esse completum, quod hactenùs fuerat obtectum immò prorsùs extinctum: Multaque alia pariter garriebant contra sacramentum matrimonij, & de cursu temporum, ac fine sæculi & adventu Antichristi.

EORUM PLURIMI ERRORES.

II. RESCRIBIT PONT. CONTRA ILLOS.

a Extravag. gloriosam ecclesiam. & tom. 1. Bullar. Io. XXII. const. 3 De cujus sensu & intellectu disputat uberius Vvading. Annal. Min. tom. 3. hoc an. in defensionem suæ Relig.

Contra hujusmodi igitur homines agens Ioannes, decimo Calendas Februarij præclaram edidit constitutionem [a] quâ prædicta omnia pleniùs narrans, errores quoque egregiè confutavit: quos, præterquàm quòd ab antiquis hæreticis mutuari noscuntur, constat communes quoque fuisse ceteræ colluvioni multiplicium hæreticorum, quos vidimus per hæc tempora sub diversis nuncupationibus sanctam Ecclesiæ doctrinam labefactare variis artibus studuisse. Hos autem cùm idem Pontifex Friderico Trinacriæ seu insulæ Siciliæ Regi jam anteà mandâsset ex insulâ pelli & extirpari, ísque operam suam in eo navâsset; cùm nihilominùs adhuc vel in latebris delitescerent, vel per loca Infidelium discurrerent; eosdem prædictâ suâ constitutione Pontifex omninò damnans velut apostatas, excommunicatos, schismaticos, & perversorum dogmatum assertores, ubique perquiri, capi, & punire præcepit. E' quibus etiam fuêre hoc ipso anno quatuor Massiliæ combusti; damnati priùs de hæresi ab Inquisitore fidei religione Minoritâ: quia dicebant Regulam S. Francisci eamdem esse cum Evangelio, ac propterea non posse Pontificem super eâ dispensare, maximéque in iis quæ præceptivè vel inhibitivè in eâ præscribuntur: nec potuisse Pontificem concedere Fratribus cellaria aut granaria; & viventes secundùm hujus concessionis indulgentiam mortaliter peccare.

QUATUOR MASSILIÆ COMBUSTI.

III. MATTHÆI VICECOMITIS ERRORES DAMNANTUR UNA CUM IPSO.

Non deerant tamen inter magnates qui ejusmodi errores fovere existimarentur; ij videlicèt quibus parùm religio curæ, multùm potestas & auctoritas Ecclesiæ Romanæ odio erat. Quorum potissimus Matthæus sive Maffeus Vicecomes, Mediolanensium seu dominus seu tyrannus: qui præter publicum contemptum monitionum Pontificiarum, tam ipsi quàm ceteris aliarum civitatum violentis detentoribus etiam sub anathemate factarum de pace conservandâ, obedientiâ Ecclesiæ reddendâ, titulis Vicariorum Imperij deponendis; accusatus de hæresi, aliísque gravibus criminibus, Pontificis animum ad ea comprimenda commovit. Accusabatur enim, de Resurrectione mortuorum, aliísque plurimis fidei Catholicæ articulis malè sentire; Manfredam & Guillelmam turpissimas hæreticas fovisse; dæmones invocare; Inquisitionis officium impedire; Ecclesias & monasteria suppilare; Antistites, sacerdotes, ac religiosos vexare; virgines Deo dicatas violare; excom-

municatio

[b] *Citationes & sententias in Matthæū ac filios ejus & asseclas, habet Reg. Ioan. colleg. Fux. Tolos. & ex Vatic. Bzov. an. 1322. quibus errores eorum ac scelera sigillatim describūtur.*

municationem in eum ab Archiepiscopo latam spernere; denique nihil præterea pensi habere, quàm ut se contumacem in Ecclesiam toti orbi publicaret, ac per fas nefásque imperium sibi Lombardiæ, adeóque universæ Italiæ compararet. Ob quæ Pontifex eumdem sæpiùs monitum, atque citatum, omniáque ludibrio habentem, unà cum ejus filiis eorumdem criminum reis, diro anathemate solemni ritu damnavit [b].

IV. EIVS CONATVS CONTRA PONTIFICEM.

Qui his ad id tantùm motus ut ceteros aliarum urbium dominos conciliaret sibi, tum ne victi religione arma Romana sequerentur, tum ut arma secum & vires contra Pontificem associarent; ejus rei causâ Passerinum Mantuanum, Canem Veronensem, & alios ejusmodi principes viros convocans, eos ad negligendas Pontificis iras, & communia arma adversùs ejus conatus paranda concitavit: creato Cane fœderis impij duce. Hæc fusè Corius: narrare pergens qui progressus horum armorum fuerint, tum à Cane in quasdā urbes Lombardię, (nec tamen ad satisfactionem Matthęi) tum ipsum Matthæi contra Genuenses, quorum civitatem per Marcum filium suum virum impigrum, ope Auriarum & Spinularum exulum Gibellinorum, magnis viribus obsedit capiendam haud dubium, nisi obsessi Guelfi (quorum duces Flisci & Grimaldi) civitatem Ioanni Papæ & Roberto Siciliæ Regi in decennium certis conditionibus dedentes, Roberti aduentu & fortitudine liberati fuissent. Qui & rursùm contra Fridericum Trinacriæ Regem gloriæ Roberti æmulum; suppetias Gibellinis euntem, Andronico quoque Græcorum Imperatore pecunias iisdem contra Ecclesiam Romanam subministrante; ejusdem Roberti auxiliorum virtute penitùs liberi ab obsidione remanserunt: quæ ferè per continuum quinquennium terrâ marique tantâ contentione tótque variis eventibus agitata est, ut tradat Villanius [c] qui cuncta diligenter descripsit [d] tunc à sapientibus creditum esse, non olim majora apud Trojam gesta fuisse; acceptasque clades, & amissas facultates, opulentissimum regnum exinanire potuisse: neq; id mirum esse, quippe quòd eá ætate populus Genuensis omnium populorum tam Saracenorum quàm Christiani nominis opulentissimus & potentissimus esset. Tractat etiam eadem Auctor Pistoriensis, qui tum pariter vivebat. Meminítque Petrarcha, dum posteà ad Genuenses scribens [e] in memoriam revocare jubet tempus illud, quādo felicitatis comites, luxus, livor, & superbia civitatem beatam & victorem populum pervasêre; & quod externis manibus factum foret in tàntas impulêre miserias, ut deserta inculta & fœda civitatis facies, & littorium illud decus pro ædium magnificentiâ in totidem speluncas latronum versum, horrorē atque metum prætereuntibus incuteret, quando & Robertus Rex; qui ad præsidium ejus, ab exulibus auxilio Mediolanensium obsessæ accesserat, anno propè integro est inclusus; quotidiéque quod pro monstro monstratum est, & numquam aliàs auditum, non solùm terrâ simul & pelago, sed aëre etiam & sub terram uno tempore pugnatum est. Hæc ille; extremis verbis cuniculos intelligēs sub terram actos, quibus acerrimè pluribus diebus pugnatum est. Sed de his omnibus pleniùs Rerum Genuensium scriptores.

GENVA LIBERATVR PER ROBERTVM REG.

[c] *Vill. lib. 9. cap. 116.*
[d] *Cap. 25. & seqq.*

STATVS GENVENSIVM EO TEMPORE.

[e] *Ap. Blond. 2. dec. 9.*

V. CIVITATES STATûS ECCL. ROM. REBELLANT.

Cùm autem prædictorum refractariorum exemplo, etiam civitates ac provinciæ patrimonij Ecclesiæ Romanæ calcaneum in eam variis modis erigere, Rectores & Capitaneos à Sede Apostolicâ constitutos necando, alióśque sibi quos vellent præficiendo, aliáque facinorosa perpetrando pręsumerent; grauissima quoque in eas edicta [f] Pontifex promulgavit, quibus etiam magis statum miserum Italiæ & Statûs Ecclesiastici perspicias: provenientem illum quidem magnâ parte ex malitiâ temporum, sed maximâ ex absentiâ Sedis Apostolicæ. Qui & in Atestinos, sive Estenses civitatis Ferrariæ occupatores, quòd moniti eam restituere detrectarent, processu in die Cœnæ Domini publicato [g] anathema strinxit, ac civitatem sacris privavit.

[f] *Extravag. Io. XXII. Ecclesiæ Rom. de major. & obed. & extravag. dierum crescente. de pœn. 8. Ep. 149. an. 2.*

VI. IOANNES CVRAT ORIENTALIA.

Multáque alia per orbem præstitit, tam pro rebus Ecclesiæ ac fidei, quàm etiam pro conciliandâ pace inter Principes dissidentes: ac speciatim Reges [h] Cypri & Armeniæ, qui in inducias convenerunt. Misítque ad eumdem Regem Armenię [i] petitam ab eo formulam Fidei; cùm licèt essent Armeni religione Christiani, multis tamen erroribus priscarum hæresum infecti essent, de quibus nos aliàs [k]. In quibus ad fidem Orthodoxam reducendis utilissimè laboravit hoc tempore quidam *Bonaventura* [l] cognomento *Parvus* patriâ Bononiensis Ordinis Prædicatorum, eo fine à Sede Apostolica in Armeniam cum potestate Archiepiscopali missus: qui doctrinâ & pietate præstans innumeros convertit, templa quamplurima ædificavit, cœnobia Prædicatorum erexit, ac demùm hoc ipso anno die Assumptionis Beatissimæ Virginis plenus bonis operibus ibidem piè in Domino obdormivit, vivens & mortuus miraculis clarus. A quo tempore provincia illa quam ipse potissimùm excoluit, ducibus Fratribus Prædicatoribus in fide ac religione Catholicâ hactenùs perseverans, id etiam ipsos præcipiente diligenter observavit, ut ipsius Catholicus (sic enim Primatem [m] vocant) confirmationem electionis suæ à Romano Pontifice deposcere solicitus, solitúsque fuerit.

[h] *Ep. 1028. 1137. 1187.*
[i] *Ep. 211.*
[k] *Vid. supr. an. 1219. & adde Prateo. verb. Armeni. Geufra. Aula Turc. par. 1. cap. de Armen.*
[l] *Bzov. hoc an. ex Leādr. & Mich. Pio.*

ARMENIA CVLTA IN FIDE A DOMINICANIS.

[m] *Vid. supr. an. 1219. VI.*

VII.

Hoc anno scribunt Scoti [n] missam esse à Roberto Brusio ipsorum Rege duplicem legationem in Gallias; alteram ad Pontificem Avenionem, de quâ aliâ occasione dictum superiori anno: ad Regem Francorum alteram pro renovando veteri fœdere: quæ ex sententia rem confecit: Sed ad antiquas fœderis leges id additum esse, si alterutrius Regis soboles deficeret, nec regni certus constaret heres, tum per primores id regni arbitros discuteretur, & non solùm quemquam non declaratum Regem regnum occupare non permitteret, sed summâ vi si esset opus præsentia etiam sua prohiberet; declaratum verò non minùs defenderet, quàm non declarato obsistendum esset: hæcque jurejurando confirmata, à Pontifice quoque probari curasse. Et erat utrimque causa cur hæc adderentur; tum ob gravem contentionem quæ contigerat in Scotia post decessum Alexandri Tertij sine liberis, quæ regnum in ultimum ferè exterminium deduxit; tum etiam ex periculo divisionis, quod nuper

[n] *Boët. lib. 14.*

FOEDVS INTER FRANCOS ET SCOTOS NOVIS CONDITIONIBVS RENOVATVM.

in Galliâ acciderat post obitum Ludovici Hutini. Tacent autem ista historici Gallici. De mutuo verò utriusque regni auxilio præstari ex fœdere consueto, apponere haud abs re fuerit Magni viri Michaëlis Hospitalij regni Franciæ Cancellarij carmen [o], in nuptiis Francisci Delphini & Mariæ Scotorum Reginæ compositum:

Cùm bellum gererent nostris in finibus Angli,
Desertam illorum patriam simul agmine facto
Scoti incursabant; metus hic sua protinus illos
Respicere, & nostris cogebat cedere terris.
Quin etiam tellus his tam fœcunda virorum,
Tamque ardens animus, bellique incensus amore,
Vt cùm alius premeret vicinũ exercitus hostem,
Suppetias alius nobis laturus, eodem
Tempore cærulei transmitteret æquora ponti.
Pro quo Rex Scotus frater sociúsque vocari
Regibus à Francis meruit, stipántque frequentes
Semper adhuc Scoti, Francorum corpora Regum.

[o] *Epist. lib. 4.*

IESV CHRISTI Annus 1319.
IOANNIS XXII. Ann. 3.
VAC. IMP. ROM. Ann. 6.
ANDRONICI Annus 37.

I. BERTRANDI DE PODIETTO LEGATIO IN LOMBARDIAM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo decimonono Indictione secundâ, Ioannes Pont. inter alia plurima quę gessit & constituit, *Bertrandum de Podietto*, sive Pogietto, Cadurcensem Presbyterum Cardinalem tituli S. Marcelli, posteàque Episcopum Ostiensem, nepotem suum, (non filium, ut quidam [a] perperàm ex malevolorum calumniâ habent) virum prudentem ac strenuum, in Lombardiã Legatum Apostolicum destinavit; qui res cõtra Matthæum Vicecomitem alióque Gibellinos civitatum tyrannos, & Ludovici Bavari asseclas, Ecclesiæque contumaces, sive armis prosequeretur, sive tractatibus componeret. Eidémque inter cetera injunxit [b], ut Isnardum ex Ordine Prædicatorum Patriarcham Antiochenum & Ecclesiæ Papiensis administratorem, Avenione publicè damnatum [c], quòd multa impia & sacrilega apud Papiam egisset, sed & Pontifici maledixisset, summámque plenitudinem potestatis in universam Ecclesiam penes illum esse negâsset, ac denique Avenione contra jusjurandum datum aufugiens in Italiam Vicecomites in Pontificem animaret; in suam potestatem quocumque modo redigeret pro meritis castigandum. Quid verò prætereà Legatus in Italiâ præstiterit, videbitur suis locis.

[a] *Vill. lib. 21. cap. 6. in fi. Onuphr. de Cardinal.*
[b] *Ep. 145. & 196. Bern. Guid. in Ioan. XXII. & vid. infr. an. 1225. VII.*
[c] *Ext. ejus condemnatio & depositio in Reg. Ioan. colleg. Fux. par. 5. cõst. 3.*

II. LIBRI THALMUDICI PROHIBENTUR.

Hæreticos quoque Waldenses per id temporis in Galliis, aliísque provinciis repullulantes, jussit Ioannes errorum convictos Principibus tradi puniendos. Et libros Thalmudicos Iudæorum ubique conquiri & comburi, Iudæósque illorum blasphemias [d] & deliria spargentes coërceri, prædecessorum suorum editas de his constitutiones innovans, districtè mandavit.

[d] *Collegit eas, & confutavit auctor. Fortal. Fid. lib. 3. refertque breviùs Sixt. Sen. lib. 2. Bibl. S. ex quib. descripsit Bzov. hoc an.*

III. DE REBUS DANICIS

Regis Daniæ oratoribus auditis, suppliciter petentis absolvi ab interdicto per Bonifacium [e] VIII. ob captos & in carcerem detrusos quosdam Episcopos injecto; potestatem aliquibus earum partium Episcopis id præstandi fecit [f]. Ab eo quoq; Regno nummum S. Petro devotum accepit [g]. Ejusque Episcopis interdixit [h], ne in præjudicium Archiepiscopi Lundensis Regem suum inaugurare auderent. Quorum nihil apud auctores illius gentis; qui interdictum longè ante hæc tempora sublatum esse volunt [i]: Hoc autem anno defunctum esse Ericum Regem, (ut ex ejus epitaphio probatur; cùm alioqui nonnulli [k] post biennium ejus obitum ponant) quem *Pium* cognomine indigitant, & inter Reges quos tum Dania aliquamdiù habuerat optimum: Magísque ac magis id comprobâsse fratrem ejus *Christophorum*: quem cùm Ericus omninò prohibuisset se defuncto in Regem assumi, (nullos enim Ericus liberos post se reliquit, cùm tamen quatuordecim utriusque sexûs ex conjuge suscepisset) quòd sciret eum regno & proceribus inutilem ac noxium futurum; is nihilominùs Erico defuncto, in regnum acceptus, ingentibus illud detrimentis affecit, semel iterúmque & ipse eo pulsus.

[e] *Supr. an. 1295. X.*
[f] *Ep. 1404.*
[g] *Ep. 131.*
[h] *Ep. 589.*
[i] *Pontant. Rer. Dan. lib. 7. an. 1302.*
[k] *Krantz. 7. Dan. 27.*

IV. PUER TRIMULUS FACIUS TRIŨ REGNORŨ SEPTEMTRIONALIUM REX.

Quo etiam tempore, ut Ioannes [l] Magnus ponit, pulso in perpetuum regno Sueonum Birgero (de quo aliàs [m]) ob recentia veteribus addita scelera, quibus inter cetera duos fratres suos simulata reconciliatione proditoriè interceptos in teterrimo carcere mori coëgit; occisóque pariter in paternorum facinorum ultionem Magno ejusdem Birgeri filio: *Magnus* alius Erici Birgeri fratris filius adhuc trimulus, operâ Matthæi Chetelmundi creati regni gubernatoris, electus est in Regem. Eodémque tempore Norvegianorum legati qui aderant, ipsum post Haquinum maternum avum Norvegiæ Regem declarârunt. Idque ipsum à Gotlandensibus præstitum est. Sicque Magnus trium regnorum Rex potentissimus constitutus est, priúsquàm illa intolerabilia onera quæ boni Reges sustinent, cogitare potuisset. Quare etiam post obitum prudentissimi Matthiæ regni gubernatoris, paulatim desiit esse virtute & probitate magnus: de quo dicetur posteà.

[l] *Io. Mag. Hist. Suec. lib. 21. in pr. quæ paulò aliter refert. Krantz. Suec. lib. 5. cap. 26. & seqq.*
[m] *An. 1304. XIII.*

V. CONCORDIA INTER REGEM FRANC. ET COM. FLANDR.

Hoc eodem anno Pontifex per Legatum Gaucelinum Cardinalem Presbyterum tituli SS. Marcellini & Petri nepotem suum, quem ante biennium in Angliam & Scotiam legatum vidimus; controversias Flandriæ inter Philippum Regem & Robertum Comitem componere sategit. Sed obstinatione Roberti, nec pactas inducias servare volentis, bellatum esset, nî proprij ipsius subditi metu censurarum à Legato ostentarum renuissent eum sequi; quos propterea Robertus malè mulctavit. Demùm tamen in id ventum est Legati industriâ, ut anno sequenti res Parisiis compositæ fuerint; præstito à Flandris juramento in verba Regis, & solutâ in mulctam & expensas eo bello factas certâ pecuniarum summâ, concessísque oppidis cis Lisam fluvium de quibus controvertebatur; ex aliâ verò parte datâ à Rege veniâ præteritorum omnium, & collocatâ in matrimonium Ludovico Comiti Nivernensi Roberti ex filio item Ludovico dicto, nepoti ac futuro successori, Margaritâ filiâ ipsius Philippi Regis. Quæ ut gesta fuerint, narrãt Chronica & Annales Francorum & Flandrorum, nonnihil tamen di-

versè; sed in rerum summâ, hoc est pace initâ concordes: cujus etiam conditiones breviter recenset sincerus ejus temporis scriptor Villanius [n]; eo tantùm emendandus, quòd ex nominis filij ac nepotis Roberti communione, cùm vterque diceretur Ludovicus, filiam Regis collocatam putavit filio, quam certum est datam nepoti.

[n] Vill. lib. 9. cap. 121.

VI. Hic quoque annus duabus [o] maximè rebus insignis extitit in Hispaniâ; nimirùm Ioannis & Petri Castellæ Procuratorum [p] gravi casu, & Iacobi Aragonij Principis abdicatione. Quod ad priorem; cùm inter eos convenisset ut in Maurorum fines irruerent ambo, & post quædam leviora divisim gesta, collatis copiis equitum novem millium, peditum numerosæ multitudinis, in conspectum urbis Granatæ, quæ caput ac præcipua sedes erat imperij Hispanici Maurorũ, vanâ magis ambitione laudis quàm spe illâ potiundi, penetrare visum esset: contigit ut biduo ibi haud ullo moræ pretio transacto, die tertio iisdem castra retrò moventibus, Mauri urbe egressi quinque equitum millia & incondita peditum multitudo, duce Ozminio strenuo duce, neque spe victoriæ, neque pugnandi proposito, sed ut locorum notitiâ novissimos carperent; in eos tamen ardentissimo sole vexatos (erat enim postera dies festi sancti Ioannis Baptistæ) omnibus partibus invaserint: & dum certaretur magnâ vi, ac Petrus suos ad pugnam concitaret, laboris, molestiæ & æstûs magnitudine interclusâ repentè animâ exanimis conciderit, nullo accepto vulnere: idémque Ioanni acciderit, nisi quòd alienatâ mente ad noctem spirare visus est. Exercitus noctis beneficio in loca tuta secessit; Mauri direptis impedimentis ad sua recesserunt, & victoriâ feroces aliquot oppida Christianis eripuerunt. Rem longinquam multò aliter describit Villanius [q], & ex eo Antoninus [r], cladem Christianorum tribuentes proditioni quorumdam Baronum Hispanorum, pecuniâ à Saracenis corruptorum. Nisi fortè id verius esse quis diceret quod ipsi narrant, rémque Hispanos dissimulare. Legimus tamen apud Continuatorem Chronici Nangij auctorem temporis; quemdam militem Saracenum qui rei gestæ interfuerat, retulisse Regi Granatæ, Deum Christianorum offensum sese tunc ostendisse tam Christianis quàm Saracenis; quia cùm tot essent Christiani ut de Saracenis possent facilè triumphare, non tamen permiserit Deus: cúmque etiam Saraceni Christianos fugientes quasi inermes pueros occidere potuissent, tenuerit tamen eos Deus ne facerent.

[o] Marian. lib. 15. c. 17. Surit. in Indic.
[p] Supr. an. 1312. X.

MAGNA CLADES HISPANORUM A MAURIS.

[q] Vill. lib. 9. cap. 117.
[r] Ant. tit. 21. c. 4 §. 8.

VII. Posterior casus abdicationis Iacobi Aragonij contigit Tarracone publico in conventu Decembris die vigesimo tertio. Ubi idem *Iacobus* Iacobi Aragonij Regis filius natu major, cùm in procuratione regni duriùs ac severiùs Rempublicam administrâsset, ac paucis antè diebus sponsalia cum Eleonorâ Ferdinandi nuperi Castellæ Regis sorore contraxisset; non præceptis solùm patris, sed precibus contumaciter resistens, séque voti reum esse ne Rempublicam gereret regnúmque administraret, aut uxorem adjungeret contendens; coram omni Præsulum ac procerum conventu, hæreditariâ regni successione ultrò cessit, & ordines regni jusjurandi sanctione ac vinculo, quo illi ut primigenio regnorum heredi devincti erant, solvit. Eodémque temporis momento Ierosolymitanæ societatis vestem (Calatravæ alij dicunt) induit, quam tamen post aliquot menses Montesiæ militiâ mutavit, ejúsque instituto reliquo vitæ tempore inservivit. Uxor Eleonora intacta ad suos in Castellam missa est. Sícque vidit hæc ætas tres regios adolescentes hereditariis regnis abjectis religioni nomen dedisse: S. videlicèt Ludovicum Caroli Siciliæ Regis filium; Iacobum Iacobi Balearici, & hunc Iacobum Aragonium: Sed duo priores ex instituto S. Francisci se perpetuò acerbæ atque austeræ vitæ addixêre: hic posterior voluptatibus subditò se profundens, ignaviæ atque desidiæ plenus in turpissimâ inertiâ delituit: unde & constitit, non colendæ pietatis studio, sed ut liberiorem vitam ageret se abdicâsse. Eo porrò sic amoto, hereditatis jus Alfonso fratri ætate proximo quæsitum est: fuítque is eodem conventu tam à ceteris fratribus quàm à proceribus, uti futurus patre vitâ functo Rex manûs osculo de more agnitus. Quo prætereà conventu optimo consilio decretum [s] est, uti dominatus atque imperium, jura, vectigalia regia regnorum Aragoniensis & Valentini ac Barcinonensis Comitatus, ita inter se cohærerent communi regno, ut dissolvi sejungíve nullo pacto possent.

IACOBUS ARAGON. REGNI HEREDITATEM MUTAT VOTO RELIGIONIS

[s] Surit. ibid.

VIII. Major aliâ parte Hispaniæ doloris occasio, cùm in Lusitaniâ [t] inter Dionysium Regem patrem & Alfonsum filium ita capitali odio dissideretur, ut armis & castris dimicarent. Regnandi ambitio juvenem agebat præcipitem, etsi causas alias ostendebat; nimirùm Alfonsum-Sanctium furto genitum plus apud senem patrem posse quàm pateretur æquitas; ex ejus arbitrio pendere omnia; quinimmò eo auctore ipsius Alfonsi abdicandi consilia agitata esse. Unde proceribus in partes scissis, Conimbrica Portúsque ab Alphonso occupatæ sunt; exulésque, latrones, omnésque perditæ vitæ homines sese ipsi adjunxêre: Dionysij patris patientiâ singulari, si arte posset filius ab eâ mente deduci; à quâ nec Reginæ Castellę ipsius socrûs, nec Regis Aragonij avunculi suasiones eum demovere potuerunt: donec tandem assiduâ operâ sanctæ matris ejus Elisabethæ (ut narratur in ejus Vitâ) res composita est.

[t] Marian. lib. 15. c. 16.

IN LUSITANIA CERTATUR INTER REGEM AC FILIUM.

IX. Hoc eodem anno ponit Villanius [u], Regem Bugiæ in Africâ, cùm priùs fuisset Rex Tunetis, sed pulsus à quodam alio gentili suo, iterùm recuperâsse Tunetem ope Arabum: hunc autem recèns ejectum oblatâ Friderico Regi Trinacriæ magnâ vi auri, auxilia ab eo accepisse, quibus Tunetem valdè arctavit: sed rursùm illum alium missâ Friderico majori summâ, ejus copias à se removisse, & in possessione Tunetis permansisse. Facilem sanè artem emungendi pecunias à barbaris, quæ posteà forent usui adversus Pontificios! Ceterùm pulsum illum tertio pôst anno mense Aprili vicissim restitutum fuisse ab Arabibus & Christianis; (quòd enim natus esset matre

[u] Vill. lib. 9. cap. 124.

DISSIDIA REGUM AFRICANORUM.

Chri

Christianâ, libenter utebatur Christianis) iterumque Iunio sequenti ejectum ab aliis Arabibus; & Februario sequenti anni millesimi trecentesimi vigesimi tertij restitutum, (quasi pueriliter hi Principes decursiones palæstricas exercerent) idem Villanius [x] posteà narrat: quas Maurorum mutuas digladiationes pluribus tractatas videre est apud Garivaium [y] auctorem Hispanicum.

x Id.c.149. 154.188.
y Garivai. lib.39.

X.
z Onuphr. in Chron.
a Paul. Morig.& Silv. Maurol. in Hist.Relig.
MONTIS OLIVETI CONGREGATIO, INSTITVITVR.

Hoc item anno Congregatio [z] MONTIS OLIVETI originem sumpsit Senis in tantâ Bellorum trepidatione, à [a] *Bernardo Ptolomæi* nobili Senense: qui ex egregio Legum professore, ob lumen oculorum amissum, & sibi per invocationem Beatissimæ Virginis restitutum, ex voto relictis omnibus ut soli divino cultui vacaret; unà cum allectis sibi duobus sociis æquè nobilibus Senensibus, Ambrosio Picolomineo, & Patricio Patricio, montem quindecim milliariis Senis distantem, cui ab Oliveto nomen, secedens, vitam eremiticam asperámque colere cœpit. Multísque postmodùm aggregatis, cùm rei apud Pontificem novarum superstitionum facti eum Avenionem adiissent; non solùm non damnatum est eorum institutum, verùm ècontra approbatum, ipsíque ad Guidonem pium Episcopum Aretinum, in cujus diœcesi erat locus, remissi ut ab eo Regulam & habitum decentem reciperent: qui ex revelatione Beatissimæ Virginis Regulam sancti Benedicti & habitum album assignavit. Ipse verò Bernardus post quamplurima edita summæ pietatis opera, propagato jam multis locis instituto, demùm obiit Senis anno millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, ex sævissimâ illâ pestilentiâ, de quâ agetur ibi, dum monachis suis infectis inserviens, eâ percussus est.

XI.
b Pamphil. an.1319.
EREMITARVM OFFICIA IN CVRIA ROM.

Hoc item anno traditur in Chronicis [b] Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Ioannem Pontificem illi Ordini tria in Romanâ curiâ officia, quæ conjunxerat, concessisse; videlicèt munus custodiendi Sacrarij Pontificij, Bibliothecæ Pontificiæ, & Confessionis Pontificis pro tempore existentis audiendæ: primúmque iis officiis præfectum fuisse Ioannem Lemovicem Theologum, qui ea exercuit sub eodem Ioanne, ejúsque successoribus Benedicto XII. & Clemente VI.

XII.
IMMENSA VIS FRIGORIS.
c Cor. par.3. Rip.mon. Hist.Eccles. Mediol.lib. 8.

Hâc denique hieme observant varij auctores, intentissimam fuisse frigoris vim. Et quidem in Lombardiâ [c] Padum gelu duratis aquis (quòd valdè rarum illi flumini) totos onustis plaustris incessus præbuisse: mendicos homines, quà quisque constiterat, repertos exanimatos; obriguisse multos ante foculum, aut sub lodice; & quia panes ipsi statim à furno lapidescebant, inter mandendi conatum plerósque efflasse animam: denique non paucos in colloquio, sive actione aliquâ, vitâ repente destitutos, oculos ora manúsque in quo prærigu erant habitu & motu tenuisse.

IESV CHRISTI Annus 1320.
IOANNIS XXII. An. 4.
VAC. IMP. ROM. An. 7.
ANDRONICI Annus 38.

I.
DISSENSIONES ITALIÆ.

ANNO Christi millesimo trecentesimo vigesimo, Indictione tertiâ, cùm esset universa penè Italia bellis intestinis Guelforum & Gibellinorum perturbatissima, ambitione præcipuè Matthæi Vicecomitis Mediolani dominantis, Genuæ inhiantis, & totius Lombardiæ adeóq; Italiæ imperium ambientis; (ex quo enim infelici Friderici Secundi auspicio Italia in duas factiones abiit, jam inde civitates populíque tabifico diversarum partium veneno imbuti in tantum odij evecti sunt, ut ex confesso haberetur hostis quisquis non suæ factionis esset, quæreretúrque in vi inferendâ non causa sed occasio: quanquam in eo Guelforum causa minùs turpis judicanda, quòd semper in Ecclesiæ partibus fuerit, tueretúrque antiquam libertatem; Gibellini contrà novorum dominatuum acerrimi assertores essent:) & Ludovicus Bavarus tam prædicto Matthæo quàm ceteris Gibellinis, sicuti ex aliâ parte Fridericus Austriacus Guelfis; animos adderent, suppetiásque promitterent mitteréntque; ac pariter Robertus & Fridericus Reges Sicali suis quique auxilio essent: armorúmque spiritualium Ioannis Pontificis inutile iis componendis ob rebellium contumaciam subsidium appareret: Idem Pontifex temporalia etiam adsciscere coactus, Philippum Valesium, filium Caroli cujus sæpè superiùs facta est mentio, & patruelem Philippi Regis, (non Carolum ipsius filium; ut malè habet Blondus) in Italiam adversus Matthæum immisit.

II.
PHILIPPVS VALESIVS DELVDITVR IN LOMBARDIA.

Qui adveniens Astam cum electâ manu nobilitatis Gallicæ assumpto solùm equitatu Bertrandi Cardinalis Legati quem vidimus à Pontifice missum; dolo Berardi Marcolij castrorum magistri, pecuniâ Matthæi corrupti, non expectatis majoribus copiis quæ à Pontifice, Roberto Rege, Florentinis, Bononiensibus, aliísque fœderatis Guelfis mittebantur, cum quibus rem facilè conficere potuisset; cum solis mille & quingentis equitibus specie subveniendi Vercellis, mense Augusti Mortariam usque progressus est Vercellas inter & Novariam, ubi erat exercitus filiorum Matthæi trium millium equitum parte maximâ Germanorum, & peditum copiosæ multitudinis. Quod Philippus animadvertens, neque absque summo periculo prælium committi posse; simul & Galeatij primogeniti Matthæi compositis verbis delinitus, quibus se à patre ipsius balteo militari donatum, totámque Vicecomitum domum Franco Regi obsequentem, paratámque super omnibus controversiis judicio ejus stare profitebatur, ac propterea nolle se quamvis longè viribus potentiore cum ipso congredi, rogarétq; ne & ipse familiam suam perditam vellet: conventione factâ in Galliam rediit, excusans apud Regem & patrem moram copiarum & pecuniarum sibi

à Pontifice & Roberto Rege promissarum. Sed quæcumque fuerit causa, hic ejus ignominiosus recessus valdè animos virésque Gibellinorum & Vicariorum Imperij auxit, & Pontificiorum ac Guelforum depressit. Rem porrò ita gestam esse, Villanius [a] tradit. Paulò aliter Corius [b] addens etiam Galeatium in gratiam Philippi inducias Vercellensibus, de quibus tum agebatur, concessisse; eam tamen urbem paulò pòst intercepisse.

[a] Vill. lib. 9. cap. 108. & seqq.
[b] Cor. par. 3.

III. IOANNES PONT. SIBI PRIMOS FRUCTUS BENEF. VACANTIUM RESERVAT.

Ioannes autem Pontifex his dolens, nec tamen animum despondens, percusso intimiori fœdere cum Philippo Francorum & Roberto Siciliæ Rege, in sumptus bellicos beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium primos fructus sibi & Apostolicæ Sedi in tres annos reservavit: & nihilominùs in rebelles & refractarios anathemata & interdicta renovavit. Speciatímque Fridericum Trinacriæ Regem, quòd reversus ab expeditione Genuensi, pecuniæ egestate ad sacros [c] proventus manus injecisset, & inducias ab ipso Pontifice inter eum & Robertum pactas [d] infregisset, execratus est, totique regno sacris interdixit.

[c] Fazel. 2. dec. 9. cap. 3.
[d] Vill. lib. 9 cap. 133.

IV. PASTORELLORUM PESSIMA FACTIO.

Cúmque intereà non cessaret de Terræ Sanctæ expeditione tractare, & omnia negligenter à Regibus, ad res tantummodò proprias, & sacras pecunias eo prætextu corradendas intentis agerentur, pastores [e] & bubulci, aliíque ejusmodi rustici, *Pastorellos* sese indigitantes, suasoribus duobus ecclesiasticis, altero monacho Benedictino ejecto, altero sæculari ecclesiâ sua pulso, quasi per eos solos deliberatum esset divino numini, sanctam civitatem Ierosolymam ab Infidelium manibus vendicare; ingenti numero apud Parisios primùm in unum coëuntes, móxque latrociniis & direptionibus omnia quácumque transirent devastantes & Iudæos acerrimè persequentes, tamquam ad hoc solùm exiissent; in Aquitaniam & Occitaniam impunè delati, ibi à Præfectis regiis, & ab incolis grege facto fugati ac dissipati sunt, necatis quamplurimis, multísque reste extinctis. Quale quid tempore S. Ludovici Regis contigisse vidimus suo loco [f]. Ceterùm non tantùm ex Gallia, verùm etiam ex Anglia [g] aliísque partibus viros feminásque ad hanc agrestium colluviem undique confluxisse, auctores memorant.

[e] Bern. Guid. & Amalr. Auger. in Ioan. XXII. Cont. Nang. & Pol. in Chron. Memor. Hist. Cont. Bel. sacr. lib. 5. cap. 16. Bellefor. lib. 4. cap. 55.
[f] An. 1252. VI.
[g] Walsingh in Eduar. II. an. 1319.

V. IUDÆOS PERSEQUUNTUR.

Quod verò Iudæos spectat ab ijsdem insectatos; observat auctor Memorialis Historiarum, cùm iidem Pastorelli magnum eorum numerum in partibus Aquitaniæ in turri quâdam obsiderent, videntes Iudæos se non posse evadere, eligentésque se ipsos perimere quàm ab iis cædi, injunxisse uni de suis ceteris fortiori omnes jugulare: qui ferè quingentos occidit, aliquibus tantùm pueris servatis. Cùm verò descendens de turre facinus Pastorellis nunciâsset, petens cum pueris baptizari; illos exprobratâ ejus in suos crudelitate, membratim concidisse, pueros autem baptizâsse. Sed de Iudæis extat in Regesto [h] Ioannis Pontificis epistola sive cōstitutio hoc anno data pro tuitione illorum ab insolentiis insectantium; cùm ut ait, reservati sint quasi per miraculum in testimonium Christianæ fidei. Aliáque [i] data pariter hoc anno decimo Calendas Augusti ad Iudices & Rectores terrarum Ecclesiæ Romanæ, ne Iudæi qui converterentur ad fidem molestiam paterentur in bonis; cùm nequaquàm esset rationi consentaneum, ut deterioris essent conditionis post baptismum quàm antè. Quomodò verò pulsi sint è regno Francorum dicetur anno sequenti.

[h] Ep. 952.

QUOS TUETUR PONTIFEX.

[i] Extravag. com. dignum arbitrantes. de Iuda.

VI.

Hoc eodem anno in Poloniâ, acceptis literis legatorum quos ad Pontificem contra Cruciferos & pro titulo regio missos vidimus [k] quibus significabatur, cognitionem causę Cruciferorum Archiepiscopo Gnesnensi, aliísque duobus Prælatis delegatam esse: de regio verò nomine, cùm apertè Pōtifex Wladislao regnū decernere nollet, ne Ioannem Boëmiæ Regem & Philippum Regem Francorum affinem ejus offenderet; secretò tamen legatis significâsse haud se impedire quominùs Poloni jure suo uterentur: His inquam acceptis, confestim Comitiis Cracoviæ indictis, Archiepiscopus Gnesnēsis Poloniæ Primas *Wladislaum* [l] unà cum uxore *Heduigi* in basilicâ Cracoviensi die Dominicâ SS. Fabiani & Sebastiani 20. Ianuarij, ritu solemni diadematibus regiis coronavit. Atque ex eo tempore jus coronandi Reges, atque ipsa regni insignia, Gnesnâ Cracoviam propter amplitudinem & splendorem urbis translata sunt. Cognitâ quoque legitimè à delegatis Iudicibus Cruciferorum causâ, dānati sunt Pomeraniam Regi reddere, ac centum quinquaginta millia marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus; aliáq; triginta millia in litem expensa numerare: cúmque non parerent rei judicatæ, anathemate perculsi sunt, ita ut nusquam iis præsentibus sacra fieri liceret. Silesia [m] verò civilibus atq; adeò parricidialibus Ducum suorum bellis exagitata, ad extremum partim venditione, partim vi aut statu in potestatem Ioannis Boëmorum Regis venit: factáque est deinceps provincia regni Boëmiæ, magno Reipublicæ Polonicæ detrimento; sed Silesiæ bono, quæ multis beneficiis & immunitatibus à Ioanne donata est.

[k] An. 1316. VII.
[l] Michov. lib. 4. cap. 9. Crom. lib. 11.

WLADISLAUS CORONATUR REX POLONIÆ.

[m] Id. & Annal. Siles.

VII.

In Hispania [n] Ioannes [o] Regis Aragonij filius ad Archiepiscopi Toletani dignitatem evectus, Ilerdæ sacratus est. Cui mox cum Aragoniis Archiepiscopis Tarraconensi & Cęsaraugustano, qui consecrationis cęremoniæ astiterant, de dignitate contentio fuit, quòd is in eorum provinciis Crucem præferre, veluti potestatis insigne, aliísque Hispaniarum Primatis muneribus fungi contenderet, illi negarent. Eóque processum est, ut eumdem illi ecclesiasticâ censurâ execrati sint, & populis quà commearet sacris interdixerint: Quinimmò dum Cæsaraugustæ Rex Aragonius pater Ioannis conventus regni haberet, in eumdem Ioannem quòd nihilominùs Crucem præferret, Archiepiscopus Cæsaraugustanus excommunicationem singulari confidentiâ promulgaverit, & sacrorum justitium indixerit. Quam Res insignem ignominiâ sibi filióque impositam interpretatus, ad Ioannem Papam literas dedit acres & minaces. Ad quas prudentissimè respondens [p] Pontifex pridie Idus Novembris hujus anni ipsius Pontificatûs quinti, primùm utrosque excusauit, quòd zelo ducti Ecclesiarum suarum jura tuendi, prædicta præstiterint: deinde Regi insinuavit, quæ sui Archiepiscopi fecissent, magis ad ipsius regni honorem vergere, ac propterea iram suam re-

[n] Sur. in Indic. Mar. lib. 5. cap. 1.
[o] Vid. supr. an. 1316. in fi.

CONTROVERSIA DE PRIMATU HISPANIÆ.

[p] Ext. ep. ap. Surit.

mittere debere: denique controversiæ cognitionem ac decisionem sibi reservans, Toletanum intereà Archiepiscopum à censuris ad cautelam absolvit, prohibens nihilominùs ne lite pendente Crucem in aliorum provinciis præferret.

VIII.

[q] Vualsingh. in Eduar. II. Harpsfeld. sæc. 14. cap. 28.

IMPOSTOR ANGLUS PLECTITUR.

In Angliâ [q] nebulo quidam pauper juvenis cui nomen Ioanni Poidrasio, coriarij cujusdam Exoniensis filius, Eduardi defuncti Regis se filium jactans; Eduardum verò nunc regnantem supposititium natúmque quodam aurigâ; cùm nullâ suasione ab illâ assertione abduci pateretur, captus tractúsque & suspensus est. Quo demùm tempore ingenuè fassus est, se domi suæ habuisse dæmonem sub felis figurâ, à quo tam insigniter fuisset illusus, ut ex eius promissione certò expectaret Angliæ regnum; atque ob eam causam se ante triennium omne corporis animæque suæ obsequium dæmoni devovisse.

IX.

TURBÆ FLANDRICÆ IN FAMILIA COMITIS.

In Flandriâ Ludovicus Comes Nivernensis, cujus filio datam vidimus à Philippo Rege filiam in uxorem, calumniosè accusatus apud patrem Robertum Comitem Flandriæ de veneno ei parato; ejus jussu in carcerem conjectus, & instigatore proprio fratre Roberto natu minore capite damnatus, præfecti arcis in quâ servabatur prudenti cunctatione servatus est. Adeò verò furor Robertum impulerat, ut etiam Ludovici confessarium per exquisita tormenta in ejus accusationem inducere tentaverit. A quo tamen nihil nisi quod ad innocentiam Ludovici facere expiscatus, tandem è custodiâ Ludovicum emisit, priùs tamen juramento adactum numquam se vivente patre in Flandriam venturum, (ut sic videlicèt patre mortuo Robertus frater ejus Comitatum occuparet) neque pœnas de accusatoribus sumpturum. Qui ad Regem se recipiens, paulò pòst mœrore oppressus Lutetiæ diem obiit. Ita Annales [r] Flandriæ: quorum scriptor Meyerus perpetuus Francorum & nimiùm quàm putidus calumniator, cuncta prædicti Ludovici infortunia Francis Regibus imputat. Hoc sanè ultimum sincerus ejus temporis auctor Italus Villanius [s], quem etiam aliquando in Flandriam peregrinatum esse ipsemet testatur; ita describit, ut eam veneni accusationé accidisse velit post multas dissensiones in Flandriâ excitatas occasione Roberti junioris, quem pater provehere conabatur in præjudicium Ludovici majoris: prævalente tamen parte Ludovici, & eorum qui pacem cum Francis custoditam volebant, tunc adornatam esse à Roberto calumniam veneni in patrem, captúmque à proprio fratre jussu patris Ludovicum, & majores turbas ac divisiones pugnásque ortas, donec res composita est, & Ludovicus ad Regem iit.

[r] Roya hoc & seq. an. Meyer. lib. 11.

[s] Vill. lib. 9. cap. 122.

X.

[t] Reg. Ioan. ep. 55.

IOANNIS PP. VARIA GESTA.

Quod autem veneficia spectat; est inter epistolas Ioannis Pontificis hoc anno scriptas, una [t] ad Margaritam Comitem Fuxensem, quâ gratias ei agit de quodam cornu serpentino ad modum manubrij cultellini effigiato, ad veneni insidias detergendas ab eâ ad se misso. Cúmque ab Episcopo Majoricensi munus insigne, Sacra Biblia octo voluminibus elegantissimè descripta, atque glossis illustrata accepisset; ei itidem gratias summas egit [u]. *Thomámque* olim Episcopum Erefordiensem in Angliâ in Sanctorum numerum retulit [x]; de quo nos aliàs. Factâ quoque in Quatuor temporibus Adventûs [y] tertiâ creatione Cardinalium septem, iis adscripsit Pilum-Fortem de Rapistagno (non de Capistrano, ut habet Onuphrius) de sancto Georgio diœcesis Albiensis, qui fuerat primò secundus Episcopus nostræ civitatis Appamiarum, deinde translatus ad Rivensem; ubi item secundum egit Episcopum, cùm primus ibi sedisset Ioannes de Texenderiâ Cadurcensis Minorita, translatus illuc ex Ecclesiâ Lodovensi.

[u] Ep. 62.

[x] Ep. 1003. Bullar. to. 1. Ioan. XXII. const. 7.

[y] Bern. Guid. in Ioan. XXII.

XI.

ÆQUUM IUDICIUM SENATÛS PARIS.

Quo eodem anno (ut habet Continuator Nangij Gallicus, & post eum Gillius) accidit Parisiis, ut cùm urbis Præpositus nomine Henricus Capperellus natione Picardus, in carcere detineret quemdam hominem divitem, ob commissa scelera morte damnatum, & corruptus muneribus eum liberum dimittens, ejus loco alium pauperem & innocentem suspendio necâsset; re detectâ, fuerit ipsemet decreto Senatûs Parisiorum eodem furcæ supplicio punitus.

XII.

GERASIMUS PATRIAR. CŌSTANTINOPOL.

Constantinopoli Ioannes Glycys Patriarcha, cùm morbo afflictatus minùs vacare posset officio suo, & vulgi conviciis afficeretur; elegit spontè secedere ad tranquilliorem vitam in monasterium Cyriotissæ, postquàm thronum tenuisset quatuor annis. Cui suffectus est ab Imperatore *Gerasimus* monachus monasterij Manganij, simplici vir ingenio, & præ senio surdaster, literarúmque Græcarum omninò expers. Tales enim ab Imperatoribus eligi consuevisse, ut dicto audientes eis essent tamquam mancipia, Nicephorus [z] Gregoras de Gerasimo agens tradit: quem & Phranzes [a] ait fuisse moribus nauci atque inutilem.

[z] Nic. Greg. lib. 8.

[a] Phranz. lib. 1. cap. 9.

IESU CHRISTI Annus 1321.

IOANNIS XXII. An. 5.

VAC. IMP. ROM. An. 8.

ANDRONICI Annus 39.

I.

DISSIDIŪ IMPERII.

ANNO Christi millesimo trecentesimo vigesimo-primo, Indictione quartâ, bicipite Imperij aquilâ duobus per Germaniã assertis Regibus involitante, pergentibúsque sibi invicem adversari Friderico & Ludovico, ac neutrius hactenùs electionis confirmatione vel infirmatione à Ioanne Pōtifice apertè declaratâ; (tametsi Fridericus obsequentiorem sese præbens, Guelfísque Italicis qui à Pontifice stabant nonnihil opis afferens, proniorem etiam Pontificem erga se habere videretur; quàm Ludovicus, qui palàm Gibellinos in suâ adversus Ecclesiam rebellione fovere, & pro Imperatore sese in omnibus gerere cōtra Pontificis prohibitionem non verebatur:) res quoq; Italiæ iisdem confusionibus & divisionibus perseverabant; dum præcipuè execrati Vicecomites & artibus & armis tractatus & conatus Bertrandi Legati, atque Raimundi Cardonæ nobilis Catalani, quem Pontifex & Robertus Rex ducem armorum constituerat, irritos redderent. Quæ pluribus prosequútur Villanius [a], Corius, & alij: continentúrque

[a] Vill. lib. 9. Cor. par. 3.

in processibus contra Vicecomites, de quibus anno sequenti, Quando & Fridericus Rex Trinacriæ invidiâ [b] anathematis in ipsum (ut vidimus) à Pontifice injecti, & interdicti in Siciliam, & in ejus contemptum; útque magis acerbitatem & pertinaciam animi sui patefaceret; Petrum primogenitum suum, convenientibus Panormi insulæ proceribus (Antistites [c] enim interdicti causâ non interfuêre) consortem regni ascivit, ac diademate insignivit.

[b] *Vill. lib. 9. cap. 133. Anton. tit. 21. cap. 4. §. 10. Fazel. 2. dec. 9. cap. 3.*

[c] *Surit. in Indic.*

II. Ioannis de Poliaco opinio de confessione damnatur a Pont.

Quo eodem anno Pontifex examinatâ *Ioannis a Poliaco* Theologi Parisiensis doctrinâ de sacramento Pœnitentiæ & confessione auriculari, quâ asserebat primò, eos qui confessi peccata sua fuissent Religiosis, teneri eadem peccata iterùm confiteri proprio Parocho; deinde, stante decreto Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio III. *omnis [d] utriusque sexûs*, Romanum Pontificem non posse facere quin Fideles tenerentur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, hoc est parocho, confiteri; quinimmò nec Deum posse hoc facere, quòd implicaret contradictionem, denique, Papam non posse dare potestatem generalem audiendi confessiones, immò nec Deum, quin confessus teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, hoc est parocho: His, inquam, articulis diligenter examinatis, & super iis adito ipso Ioanne de Poliaco; idem Pontifex, postquàm eos ipsemet Ioannes contrariis rationibus convictus revocâsset, tamquàm falsos & erroneos auctoritate Apostolicâ damnavit; declarans eos qui Religiosis facultatem habentibus semel confessi fuissent, non magis teneri eadem peccata confiteri iterùm, quàm si ea aliàs confessi fuissent proprio sacerdoti juxta Concilium Generale: edito de his generali decreto [e] octavo Calendas Augusti: jussóque prædicto Ioanne hanc doctrinam publicè Parisiis docere & prædicare, ac præteritam revocare. Tradunt [f] tamen, non ausum esse hunc Doctorem asserere has confessiones nullius esse valoris; sed si absque licentiâ parochi fierent, non liberare ab obligatione annuæ confessionis parocho iterùm & integrè faciendæ. Agunt porrò de Poliaco, qui [g] & de hæresibus.

[d] *Extr. de Pœnit. & remiss.*

[e] *Cap. vas electionis extravag. com. de haeret.*

[f] *Vid. de hac quæst. Suar. 10. de Pœnit. disp. 26. sect. 2.*

[g] *Lutzemburg. & Prateol. verb.* Io. de Pol. *Sander. hær. 164. Gaultier. sæc. 14. cap. 8.*

III. Pontif. curat res fidei apud Orientales.

Hoc item anno idem Pontifex de progressibus Fratrum Minorum & Prædicatorum in Fidei Christianæ prædicatione inter Tartaros, Æthiopas, Armenos, Saracenos, & alias Oriẽtis nationes, certior factus; alios rursùm similes operarios dirigens, imprimis Georgium Regem Georgianorum, ac Proceres & populos Tartarorum, ad unitatem Romanæ Ecclesiæ redire admonuit; iisdem transmissis literis de unitate Ecclesiæ & Primatu Petri, quas priùs Innocentius Quartus ad Bulgaros per alios Minoritas scripserat. Mussayd quoque Tartarorum Imperatori scribens, laudavit de benignitate in alios Fratres & Christianos exhibita, & ad perseverantiã hortatus est. Alios item Reges, Episcopos, monachos, populos earumdem partium commonuit, excitavit, & ad fidem instruxit: ut videre est in literis ad singulos scriptis, quas ex codice Vaticano desumptas Waddinghus Minorita Annalibus suis intexuit. Apud quem & narrationem legas martyrij quatuor Minoritarum hoc eodem anno quinto Idus Aprilis in urbe Thanâ in partibus Indiæ, cùm à Taurisio Persarum iter suscepissent versùs Cathay quorum etiam meminit S. Antoninus [h]. Quo item anno idem Pontifex populis Armenorum quemdam ex Ordine Prædicatorum Episcopum præposuit [i]. Et Kiioviæ in confinibus Ruthenorum & Tartarorum Episcopum restituit; cùm propter schisma Græcanicum, pastorem & clerum Catholicum, quin & populum ferè habere desiissent, hoc autem tempore operâ Fratrum Prædicatorum ad fidem reverti cœpissent.

[h] *Ant. tit. 24. cap. 9. §. 15.*

[i] *Bzov. hoc anno.*

IV. Turbæ Anglicæ occasione Spenseriorum.

Laborabat quoque Anglia hoc tempore, non solùm gravi externo morbo cladium ab Scotis illatarum, verùm etiam longè gravissimo internarum dissensionum ob totius fermè regni odium in Hugones Spenserios patrẽ & filium, qui Rege regnóque ad libitum abutebantur. Et fuerat Hugo junior post Petri Gaverstonis necẽ (ut narrat Thomas de Moor in Vitâ Regis Eduardi, cujus intimus fuit) Prælatorum & quorumdam procerum consensu datus ejus loco Regi camerarius, eò libentiùs quòd eum Regi exosum cognosceret. At verò cùm esset corpore formosissimus, additâ prudẽtiâ & obsequio, haud multò pòst ita Regis animum sibi conciliavit, ut vel plus apud ipsum quàm Petrus posset. Cujus pater senex magnæ probitatis miles, concilio providus, armis strenuus, & ipse continuò potẽtissimus factus est; ac præ nimio in filiũ amore, ejus fastum intolerabilem, ambitionem impotentem, cupiditatem insatiabilem, vitam flagitiosissimam, quâ se Regémque perdebat, fovit in suî & filij & Regis regníque perniciem. Hæc enim cùm proceres angerent, quòd se præ illis nihil esse viderent, nec Regem ab inordinato ejusmodi affectu revocare ullis artibus possent, quas varias excogitârunt; demùm post lõgas inter se consultationes armis agẽdum rati, Regem coëgerunt Hugonum exilio assentiri. Cùm verò proceres aliò arma divertissent, Rex iisdẽ Hugonibus confestim revocatis, exercitúq; in proceres parato ductóque eos inopinatè ferè adortus fugavit, multis peremptis, reliquis captis: è quibus Thomas Comes Lancastrensis consanguineus Regis capite truncatus est, (quem summæ innocentiæ virum extitisse, atque etiam post mortem miraculis claruisse volunt [k]) ceteri magno numero tracti atque suspẽsi, aut aliis suppliciis affecti factâ eâ pugnâ mense Martij præsentis anni, cùm proceres arma sumpsissent præcedenti. Inde verò cùm immensis copiis Rex Scotiam petens, regione omnibus rebus ad victum necessariis vacuâ repertâ, (quippe Scoti omnib9 secum asportatis, aut consumptis, ad interiora regni abscesserant) inopiâ commeatûs coactus est ad sua regredi, magnâ parte exercitûs inediâ consumptâ: quando & vix ipse intra ipsã Angliã manus insequentium Scotorum fugâ evasit, thesauro ac supellectili direptioni relictis. Quæ cuncta supradicta prolixè narrant scriptores Angli [l]; & quæ Scotiam tangunt, etiam Scoti [m]. Meminítq; item Villanius [n], necnon Hocsemius [o] tunc pariter vivens; qui & mirum ingenium Regis Eduardi suspicit, dicens eum maximè delectatum esse in cooperiendis manu propriâ domibus & casis stra-

[k] *Contin. Nang. Polyd. lib. 38. Harpsfeld. sæc. 14. cap. 2. in fi.*

[l] *Th. de la Moor. & Valsingh. in Vit. Eduar. Polyd. & Harpsfeld. ubi suprà*

[m] *Io. Major. lib. 5. cap. 5. Boët. lib. 14.*

[n] *Vill. lib. 9. cap. 137. 179. 206.*

[o] *Hocsem. de Gest. Episc. Leodien. lib. 2. cap. 10.*

minibus, & texendis canistris vimineis. Addunt prædicti alij auctores, lassis tandem continuo bello Regibus, inducias factas esse anno proximo in tredecim subsequentes; petente (ut Walsinghamus ait) Roberto, & Eduardo libentissimè annuente: quas tamen ex iis quæ post dicentur constat, aut non tot annorum extitisse, aut malè servatas esse.

V.

p Bern. Guidon. Amalr. Auger. Memor. Histor. Contin. Nang. & Pol. in Chrō. Gaguin. Histor. Franc. lib. 7. Æmil. & Masson. in Phil. Longo. Meyer. lib. 11. Genebr. in Chronol. Bellefor. lib. 4. cap. 55. &c.

LEPROSI DE INFECTIS AQVIS PVNIVNTVR.

Hoc eodem anno leprosi [p] in Galliâ & ad Rhenum detecti infecisse aquas puteorum ac fontium sacculis pulvere venenato aut alio toxico plenis, ut homines mortem vel lepram consequerentur, aut aliàs morbidi fierent, sícque leprosorum numerus augeretur, & sani deficerent; (& quod mirabile est, dicebantur jam inter se divisisse locorum, & castrorum dominia, imponētes sibi nomina Principum, Comitum & Baronum, si res pro voto successisset) edicto regio toto regno capti sunt, ac de confessis suppliciū igne sumptum; reliqui jussi sub pœnâ mortis nosocomiis suis sese continere, neque extrà divagari. Cúmque Iudæi auctores sceleris ab iis prædicarentur, capti ijdem pariter, multíque à plebe nullâ expectatâ judicij formâ cremati, omnes regno ejecti sunt qui sub Philippo Pulchro, ut vidimus, pulsi & spoliati ac sub Ludovico Hutino restituti; (Et dicebantur, ut pristinum exitium ulciscerentur, insupérque à Regibus Satrapísque Saracenorum ac Turcorum ingenti pecuniâ & magnis promissionibus corrupti, hoc scelus in universum Christianum orbem incepisse:) jam [pp] quartò & ultimò exacti sunt, nunquam ampliùs reversuri, saltem auctoritate publicâ. Quod autem in persecutione à Pastorellis in Iudæos concitatâ in Aquitaniâ factum vidimus anno superiori; idem nunc apud Vitriacum Campaniæ oppidum contigisse memorant. (Loci namque & numeri diversitas, aliæque circumstantiæ rem eamdem esse non videntur pati.) Nempè cùm unâ eâdemque custodiâ quadraginta Iudæi positi essent, eosdem, ne ludibriis plebis arbitrióque magistratûs exponerentur, duos ex toto numero delegisse qui ceteris mortem inferrent, seniorem alterum, alterum juniorem; superstitum altero ab altero item occiso; juniorem, qui reliquus fuit, acceptis ceterorum omnium pecuniis è turri evadere volentem, fune sibi confecto breviori in terrâ cecidisse, captúmque furcâ interiisse, ceterorum cadaveribus igni crematis. Rem totam ceteris diligentiùs Continuator Chronici Guillelmi de Nangiaco narrat. Et quod ad venenatas potiones Iudæorum spectat, tradit (quod horribile auditu dictúque est) sceleratissimam progeniem sacratissimum Christi corpus in pulverem redactum iis immiscuisse. Quod etiam confirmat auctor Memorialis Historiarum; præcipuámque toxici compositionem constitisse ait sanguine humano, & urinâ ac tribus herbis quas non exprimit.

pp Vid. infr. an. 1395. in fi.

IVDÆI GALLIA IN PERPETVVM PELLVNTVR.

TOXICI IVDAICI COMPOSITIO.

VI.

q Ext. to. Rer. Boëm. r Æn. Silv. Boëm. cap. 36.

MIRABILIS STRVCTVRA MONASTERII.

De quibus item agens auctor Chronicæ [q] *Aulæ Regiæ* (monasterij Boemiæ sic dicti, singularis excellentiæ; in cujus ambitûs [r] lateribus Vetus Novúmque Testamentum, ab initio Genesis usque ad finem Apocalypsis, literis majusculis in tabulis scriptum continebatur, notis quò altiùs irent paulatim crescentibus, itaut à summo usque deorsùm facilis lectio præberetur: quod decus Hussitarum rabies posteà delevit) testatur se hoc eodem anno plurimas Rheni & Galliæ partes pertransîsse & omnia leprosorum habitacula igne concremata conspexisse; ac plures puteos & fontes humo repletos & clausuris superiùs copertos, ne inficerentur à leprosis & Iudæis. Subdítque epistolam quam se descripsisse, ait in monasterio Morimundensi Lingonensis diœcesis, tamquam à Ioanne Papâ de hâc rē publicatam: quam confictam fuisse in derisum Iudæorum nihil dubitamus.

VII.

s Villan. li. 9. cap. 135. Trithem. de Script. Ecclef. Rubeus Hist. Raven. lib. 6. t An. 1301. IV.

DANTIS ALIGERII OBITVS.

u Anton. tit. 21. cap. 5. §. 2. x Petrar. Rer. memor. lib. 2. cap. 4. y Bartol. in l. 1. De inquir. reis. z Anthropol. lib. 1.

Hoc pariter anno mense Iulio [s] mortuus est Ravennæ *Dantes Alegerius* exul Florentinus, de quo suprà [t]: quem egregias animi dotes ac scientiæ laudem & præclara scripta, tum aliis erroribus maculasse observavit sanctus Antoninus [u]; tum eo maximè, quo tertiâ parte tractatûs sui de Monarchiâ conatus est deprimere auctoritatem Romani Pontificis supra Imperatores seu Reges Romanorum in temporalibus, quem idem Antoninus pluribus confutat. Eum Petrarcha [x] vocat virum vulgari eloquio clarissimum; sed moribus parùm per contumaciam. Mortuus est autem anno ætatis quinquagesimo sexto; & honesto sepulcro ibidem Ravennæ donatus: post mortem tamen hæresis ob prædictum errorem notatus, cùm aliorum tùm Bartoli [y] præclarissimi ejus temporis Iurisconsulti sententiâ; sicuti etiam Volaterranus [z] observavit.

VIII.

DISSIDIŪ INTER ANDRONICOS IMP. AVVM ET NEPOTEM.

Constantinopoli hoc item anno magna orta est dissensio inter Andronicum Imperatorem avum & Andronicum nepotem, cùm videlicèt mortuo Michaële, de quo aliquoties superiùs, filio Andronici senioris & patre junioris, (quē mœrore necati per errorem junioris filij sui Manuelis Despotæ ab Andronici senioris filij satellitibus obiisse volunt) idem junior Andronicus dissolutiorem vitam ducens, cùm Imperij cupidine impatientissimè ferret longiorem vitam senioris, simul irâ & invidiâ æstuaret quòd idem senior in Michaëlem Catharum nothum Constantini Despotæ filij item sui, elegantissimum ac prudentissimum adolescentem, transtulisse videretur ardentissimum amorem quo priùs ipsum Andronicum juniorem prosequebatur: primùm quidem eumdem Catharum in ordinem reduci curavit: deinde verò ejusdem ipsius paulò pòst restituti arte, seu potiùs malitiâ quâ de utroque Imperatore vindictā sumere, sibíque, aut Imperium aut partem ejus vēdicare cogitabat; facta cum præcipuis Proceribus conspiratione in avum, specie motuum Turcorum & Scytharum copias colligere cœpit. Cúmque horum quidem consiliorum ignarus senior, nihilominùs magnum quid mali sibi & Imperio timens ex portéto quod nocte primi Quadragesimæ sabbati, cùm postridie Imperatorum & Patriarcharū memoria in ecclesiâ proclamanda esset, acciderat, (ut scilicèt equus in aulâ Imperiali ad parietē artificiosè pictus, cui insidebat imago S. Gregorij martyris, semel iterúmq; clarum hinnitum daret, quod idem olim contigerat cùm Balduinus Imp. Constantinopoli pellendus fuisset:) his, inquam, motus Imperator, & quòd nepotem severè licèt objugatum cerneret sua monita negligere, & solitæ morum le-

IMAGO PICTA EQVI HINNIT.

vitati insistere, decrevisset eum vespere diei Paschatis, qui hoc anno incidit in decimumnonum Aprilis, in carcerem conjicere, idque secretò Gerasimo Patriarchæ aperuisset: re juniori à Patriarchâ detectâ, idem junior nocte ejus diei clam unà cum omnibus conjuratis, arreptâ fugâ Adrianopolim, ubi castra suorum erant, abiit.

IX. CONCORDIA INTER AVŨ ET NEPOTEM.

Quod ibi senior Imperator ante solis ortum cognovisset, eodem die (nempè vigesimo Aprilis) Episcopis qui erãt in urbe accersitis, proscribi jussit tam nepotem quàm ejus conscios & delato per urben sacrosancto Evangelio singulos cives in verba Imperatoris jurare. Iuniore autem promulgatâ per Thraciam libertate, ingentem exercitum Constantinopolim ducente; missis ad eum à seniore de civibus diffidente nunciis, tandem ita inter eos convenit, ut senior Constantinopolim & partem Macedoniæ, junior reliquam Thraciam & Macedoniam obtineret; cum ferè in eas angustias Imperium Europæum Græcorum redactum esset, ut has dumtaxat provincias, neque eas integras, cum aliquot insulis possideret, ceteris cum pleràque Asiâ à diversis barbaris aut extraneis Principibus occupatis. Quando & Turci animadverso afflicto & turpi Imperij statu, instructis classibus easdẽ provincias incursare, insulásque expilare cœperunt. Quę omnia quomodò se habuerint, prolixè admodùm narrat Nicephorus[a] Gregoras, qui ea præ oculis habebat, natus tunc (ut ipse ait) annos viginti septem, & in familiaritatem seniores Andronici, operâ Theodori Metochitæ Generalis Logothetæ (hoc est Cancellarij Imperij) eloquẽtiæ ergô & astronomiæ peritiâ introductus; quâ etiã fretus, quæsivit postea apud eũdem Imperatorem correctionem temporis celebrationis Paschatis, quod perturbatum apud eos erat, promovere: licèt frustrà, ne majores turbæ inde orirẽtur. Sed quæ fuerant inter avum & nepotem, eorúmve occasiône tã ab ipsismet quàm à suis amicis, cogitata, deliberata, gesta, profusissimè prosequitur, qui magna eorum pars fuit *Ioannes Cantacuzenus* [b] illustri prosapiâ ortus, Magnus Imperij Domesticus, & Andronici Iunioris amicorum & consiliorum princeps, & rerum moderator, in Historiâ quã de iis suísq; rebus luculentissimè cõscripsit: sed ita eas tractans, ut quamvis veritatẽ & narrationis sinceritatem continuè pręedicare non cesset, apertissimè tamen nepotis amicissimi sui causam adversus avum agendam ac propugnandam suscepisse demonstret; ac propterea non semel longè à Gregorâ, quem & nimiæ in avum propensionis insimulat, abeat.

[a] Nic. Greg lib. 8.
NICEPHORI GREGORÆ ÆTAS ET PERITIA.

[b] Cantacuz. lib. 1.
IOANNIS CANTACUZENI HISTORIA.

X.
[c] Vill. lib. 6. cap. 132.
[d] Sup. an. 1318. IV.
ANDRONICUS POENAS DAT OPIS PRÆSTITÆ CÕTRA SEDEM APOSTOL.
[e] Cantacuz. lib. 1. cap. 19.

Sic igitur (ut piè observavit Villanius[c]) qui ad Sedem Apostolicam deprimendam auxilia Gibellinis subministrare[d] præsumpserat Andronicus avus, divinâ providentiâ depressus ipse ad nihilum ferè redactus est, & Imperij Græcorum excidium acceleravit. Quid verò rursùm secutum sit inter ipsum & nepotem, dicetur suis locis. Hoc autem anno, ipsâq; nocte Paschatis quâ Andronicus nepos urbem deseruit, Patriarcham Gerasimũ morte sublatum esse, tradit idem Cantacuzenus[e]: ac fortè in pœnam intemperãtiæ linguæ, quã secretum Imperatoris detexit. De cujus successore dicetur anno sequenti. Michaëlem autem Catharũ quem diximus, inter hæc professionem fidei Catholicæ ad Ioannem Pontificem misisse, eique obedientiam tamquam supremo omnium pastori spopondisse; alibi[f] reperimus. quod tunc fortè præstiterit quando in odio erat Imperatorum, cùm vexatio det intellectum. Eâ tamen de re nihil Græci.

[f] Ap. Ciaccon. in Ioan. XXII.

IESU CHRISTI Annus 1322.
IOAN. XXII. Ann. 6.
IMP. ROM. VAC. Ann. 9.
ANDRONICI Ann. 40.

I. PHILIPPI LONGI REGIS FRANC. OBITUS.

ANNO Christi millesimo trecẽtesimo vigesimo-secundo Indictionis quintæ ineunte, nempè die tertio Ianuarij (ut plerique habent) sive sexto ut quidam, *Philippus* Longus Rex Francorũ, cùm copias ad sacram expeditionem quam voverat pararet, diuturno febris quartanæ, ac deinde dysenteriæ morbo, qui numquam potuit ullâ medicorum arte curari decessit apud Longum-Campum prope Parisios: corpúsque ejus delatum est postridie Epiphaniæ ad S. Dionysium in sepulcra Majorum, cor Parisiis in Ecclesiâ Minorum conditum, viscera in Prædicatorum. Post enim S. Ludovici mortem (ut scribit Gaguinus[a]) qui ab ipsis Mendicantium Fratrum Ordinibus literas didicerat, cõsuetudinem fecerant Prædicatores atque Minores, cùm integra Regum cadavera habere non possent, intestinorum sibi partes ad sepulturam vendicare. Prætergressus est annos regni quinque, vitæ triginta unum. Quem Villanius[b] sceleris purum, & multâ præditum lenitate prædicat. Nostri tamen extorsionis in populũ accusant, & habuisse tunc in animo quintã partem exigere omnium bonorum subditorum suorum; ni Principes ac proceres tã Ecclesiastici quàm sæculares obstitissent. Quod tamen ab Hocsemio[c] illius temporis scriptore, tribuitur Philippo Pulchro patri hujus Longi. Atenim hoc vitio laborâsse tam patrem quàm singulos filios tradunt Francorũ historici. Adeò ut nonnulli[d] existimaverint, inde divino judicio factũ, ut nulla proles mascula relicta ex iis fuerit, quæ regnũ teneret quod ipsi expilassent. Hoc tamen in Philippo isto excusant nonnulli, ex eo quòd proposuisset in toto regno ęqualia constituere pondera, unicámque mensuram omnium rerum vendibilium tam aridarum & liquidarum quàm quæ longitudine & latitudine constant, omnésque pariter monetas ad unicam redigere, ad tollendas fraudes & perplexitates, quæ ex earum diversitate passim orirentur: quod non sine immodicis sumptibus fieri poterat; quoniam necesse erat Principibus & Baronibus ad talia jus habentibus de damno satisfacere. Híncque etiam putamus eos huic Regis conatui obstitisse.

[a] Gaguin. lib. 7. in fi.

[b] Vill. lib. 9. cap. 130.

[c] Hocsem. de Gest. Episc. Leodien. lib. 2. cap. 3.

[d] Contin. Nang. Bellefor. lib. 4. cap. 56.

II. GERAR. GUECTÆ QUÆSTORIS PUNITIO.
[e] Masson. in Car. Pulch. ex Contin. Nang.

Luunt etiam plerumque Principes peccata ministrorum; & quæstorum quanta sit ut plurimùm rapacitas nemo ignorat. Probavítque hoc ipso tempore Geradus[e] Guecta gazæ regiæ custos prædicto Philippo Longo Rege, apud Claromontem Arvernorum humili

loco natus, & calliditate atque industriâ suâ ad tantùm honorem provectus, qui sub Carolo Philippi successore convictus duodecies centena librarum millia surripuisse, captus & equuleo tortus, ex dolore in morbum incidit; & mortuus est in publico carcere. Concesserat [f] quoque idem Regi Philippo Pontifex decimas beneficiorum totâ Galliâ ad Bellum sacrum: sed eâ verborum conceptione, exceptionéque, si è re pietatéque fore Episcopis visum esset. Cúmque Rex habito Episcoporum conuentu de his retulisset, responsum accepit, si contra barbaros bellum moveretur, tunc nec Episcopos comitatui defuturos nec æs parcè collaturos, modò intestinis bellis abstineretur.

f Contin. Bel. Sacr. lib. 5. cap. 16.

III. CAROLVS PVLCHER REGNAT.

Longo igitur absque virili prole superstite defuncto, *Carolus* Comes Marchiæ ipsius frater, nullo jam intercedente regnum capessivit; hujus nominis Quartus, cognomine verò *Pulcher*, formâ, liberalitate; animi magnitudine patri fratribúsque par. Unctúsque & inauguratus est de more Remis mense Februarij: de cujus die variant auctores, nonam aliquibus, aliis undecimam, quibusdam etiam vigesimam primam assignantibus. Cujus cùm uxor Blanca filia Odonis Ducis Burgundiæ adulterij accusata & reclusa, ut vidimus, fuisset; regnum adeptus Ioannem Pontificem rogavit ut causâ cognitâ matrimonium dissolveretur. Delegataque à Pontifice causa Parisiorum & Bellovacorum Episcopis & Gothofredo Plessæo Notario Apostolico; eorum relatione matrimonium diremptum est, non quidem ex capite adulterij, sed cognationis spiritualis, quòd Mathildis Blancæ mater Carolum suscepisset è fonte baptismatis, nec ad contrahendum matrimonium quæsita fuisset hujus impedimenti dispensatio. Eo igitur auctoritate [g] Pontificiâ soluto, Rex Mariam Henrici nuper Imp. filiam, Ioannis Boëmiæ Regis sororem, duxit anno sequenti: eâque post annum mortuâ accepit nova dispensatione Ioannam filiam Ludovici Comitis Ebroicensis patrui sui. Ad quarum alterarum nuptiarum solemnia ferunt [h] adductam fuisse à Guillelmo Bono Hollandiæ Comite insitata corporis mole feminam natione Selandam, præ quâ proceri etiam viri pusiones videbantur: tanto etiam virium robore, ut bina dolia cereali potu referta, ambabus utrimque manibus portaret, quæ singula quadringenta pondo Italica appendebant; trabémque cui tollendæ impares octo viri fuerant, quò vellet transferret.

g Ep. 806. Contin. Nang. &c.

h Iun. Batav. cap 2.

FEMINA STATVRA ET VIRIBVS GIGANTEIS.

IV. BELLVM CVM ANGLO IN AQVITANIA.

Cùm verò Regis coronationi nec interfuisset, nec aliquem suî loco misisset Eduardus Rex Angliæ, quia erat ratione Ducatûs Aquitaniæ clientelaris & Par Franciæ; misit Rex ad eum unum è suis Notariis, qui diem diceret ad faciendum homagium pro eadem Aquitania, & aliis terris quas possideret in regno jure cliẽtelæ. Sed cùm rogatus Notarius à ministris Angli ne eum conveniret, facto nihilominùs ab ipso publico renunciationis suæ instrumento; Rex Carolus ob contumaciam, & quòd insuper intercessissent interim in Vasconia, ob cujusdam castri factam à Domino de Montepesato constructionem in solo de quo dubitabatur utrùm Regis esset an Angli, contentiones & pugnę; nec de iis satisfacere curaret Anglus, quãtumvis homagij moram per fratrem suum Edmundum (Aimarum quidam vocant) apud Regem excusasset: demùm rebus ad bellum apertum perductis; missus à Rege Carolus Valesius ipsius patruus in Aquitaniam totam sibi subjecit, exceptis Burdegala, Bajona, & S. Severo: & cum ipso Edmundo à fratre cum exercitu immisso, & in oppido Regulæ in arctissimam obsidionem redacto, sic composuit, ut in Angliam rediret ad suadendam fratri satisfactionem, (quam & ipsemet Edmundus Carolo Regi promiserat antequàm peteret Aquitaniam) accepta ab eo fide de reditu nisi rem conficeret. Quæ uti se habuerint, narrant pluribus historici Franci [i] & Angli [k] sed in quibusdam nonnihil diversè, ut fit in excusationibus partium. Ea verò hoc anno cœpta, duos etiam sequentes tenuerunt. Et quid pòst successerit, dicetur suo loco.

i Contin. Nang. Gaguin. lib. 8. B. Ilesor. lib. 4. cap. 57.

k Vvalsingh. in Eduar. II.

V.

Hoc eodem anno cernens Ioannes Pontifex duritiem & contumaciam Matthęi Vicecomitis ac filiorum ejus, aliorúmque Gibellinorum tam in continuanda obsidione Genuæ quæ adhuc perseverabat, quàm in oppugnandis & expugnandis ubique Ecclesiæ fidelibus, sed nec arma spiritualia quibus hactenùs impetiti fuerant, aliquid apud impios & salutis suæ incuriosos proficere; nec potentiam Bertrandi Legati & Raymundi Cardonij præfecti parem esse eorum viribus: utrumque adhuc gladium ipsi à Domino ad correctionem & vindictam malorum traditum, alterum per seipsum, per alios alterum experturus; imprimis voluit processus damnationis Matthæi ac filiorum asseclarúmque confici, ac per Italiam promulgari, delegatis ad hoc Aycardo ex Ordine Minorum Archiepiscopo Mediolanensi, & Inquisitoribus illius provinciæ. Quod ipsi, servatis diligenter omnibus solemniis, præstiterunt [m] Valentiæ diœcesis Papiensis, ubi Legatus morabatur, die decimo-quarto mensis Martij: quibus omnes illorum accusationes continentur, simúlque sententia in eos tamquam hæreticos, schismaticos, & multorum aliorum criminum reos, fertur excommunicationis, privationis omnium bonorum, depositionis ab omni officio & dignitate tam ecclesiastica quàm sęculari, inhabilitatis ad alias & expositionis personarum.) Deinde per Robertum Regem cum Friderico Austrio Romanorum Rege electo egit de mittendo exercitu in Lombardiam ad eosdem contumacissimos perduelles comprimendos, cùm promissione confirmationis electionis ejus. Quod libenter audiens Fridericus Henricum fratrem suum eò misit.

l Supr. an. 1318. IV.

AGIT. PONTIF. CONTRA VICECOMITES MEDIOLAN.

m Rec. Bzov. hoc an. ex cod. Vatic. num. 3936. & 3937. Extantque processus ejusmodi cõtra Matt. diversis tempor. confecti in Reg. Ioan. Colleg. Fux. Tolos.

VI. DESERTIO CAVSÆ ECCLES. PER FRIDER. AVSTR. EIVSQVE FRATR.

Qui cùm Brixiam civitatem Guelfam pervenisset decimâ Aprilis cum bis mille equitibus cruce signatis, (publicavit enim in hostes Pontifex eamdẽ amplissimam peccatorum veniam, quæ contra Infideles arma ferẽtibus impertiri solebat:) & ex aliâ parte Raymundus mille & quingentos equites cum magnâ peditum similiter crucesignatorum multitudine in armis haberet, necnon fœderatæ civitates Etruriæ alias copias iis uniendas pararent, adeò ut omninò actum non solùm de Vicecomitibus, sed etiam de universâ factione Gibellinorum videretur: Matthæus Vicecomes ad solitas artes

recurrens, hic palàm per duodecim ex præcipuis civibus Mediolanensibus cum Legato de concordiâ & submissione suâ erga Sedem Apostolicam tractare simulans ;) quorum tractatus, etsi cādidè ab iis susceptus, culpâ tamen Vicecomitum irritus extitit : (illinc secreto ad Fridericum in Germaniam mittens, monuit perperam eum in his agere, cùm qui Imperium ambiret, amicos Imperij invaderet; nihil enim se suósque amicos quàm pro juribus & dignitate Imperij agere; quos si Fridericus extirparet, non sibi aut Imperio, sed Romano Pontifici Italiam subjecturus esset. Addidit & munera amplissima: quibus excæcatus Fridericus Henrico fratri scripsit, ut aliquâ occasione quæsitâ Italiam desereret, & in Germaniam reverteretur. Henricus autem, acceptâ pariter & ipse à Gibellinis magnâ pecuniæ summâ, contestatus apud Brixianos nequaquàm se cōtra hostes progressurū priùs quàm illi civitatis suæ dominium ipsi traderent; iisque negantibus posse se id agere, eo quòd vacante Imperio illud Roberto Regi tradidissent: hâc arreptâ sine morâ occasione Henricus indignationem simulans, desertis Guelfis Veronam se contulit ad Canem Scaligerum Gibellinorum ducem; acceptísque rursùm ab eo muneribus, in Germaniam rediit sub finem mensis Maij, proditâ turpiter causâ Ecclesiæ & partis Guelfæ. Ita namque Villanius [n] rem narrat: paulò diversè Corius [o], sed in idipsum recidens.

[n] Vil. lib. 9. c. 143. 144. [o] Cor. par. 3.

VII. MATTH. VICECOMITIS MORS.

Accidit verò paucis pòst diebus, ut inveteratus idem malorum Matthæus, post tantum evitatum corporis & fortunarum periculum, incurrerit animæ, ad tribunal divinum vocatus qui judicium Ecclesiæ contumacissimè contempserat. Cùm enim post abscessum Henrici cessisset Galeatio primogenito suo omni rerum administratione, totúsque visitandis templis incumbens, die quodam advocato in templum maximum clero populóque Mediolanensi, positis humi genibus ad majus altare Symbolum Apostolorum elata quantum poterat voce recitasset; ac deinde cōversus ad multitudinem stupentem novitate rei, eadem vocis contentione dixisset hanc esse suam fidem quam semper servasset, falsáque esse quæ sibi in contrarium imputabantur; inde velut alienata mente citato equo Modoëtiam sese proripuit ad visitandum templum S. Ioannis Baptistæ. Ibíque infirmatus, relatúsque ad quoddam monasterium Mediolano proximū, mortuus est die vigesimanona Iunij, (ut Villanius [p] ait, cùm triduo antè nonnulli habeant) tractus videlicèt ab ostiario cæli ad reddendam rationem villicationis suæ. Mors à filiis diebus 14. celata est, donec provisis quæ tempus monebat, fama diutiùs falli non potuit. Corpus clàm tumulo illatum, metu ne, sicut decretum fuerat [q], insepultum projiceretur. Mortuúmque majorem nonagenario Villanius, Corius anno ætatis dumtaxat 72. scribit. Post cujus obitum pulsus Mediolano Galeatius à conjuratis in Vicecomites, paulò pòst restitutus est: varióque marte pugnatum in Lombardia inter Pontificios & Gibellinos; quod fusè Corius prosequitur; breviùs Villanius, similia quoque earundem partium in Etruria ac vicinis provinciis certamina turbásque describens.

[p] Vill. cap. 155.

[q] Vid. inf. an. 1353. XV.

VIII. DIRA MORS COMITIS MONTISFELTRI.

In quibus memorabile quod contigit in civitate Urbini Friderico Comiti Montisfeltri. Qui [r] cùm infensissimum semper se Ecclesiæ hostem demonstrâsset; & Urbinatibus tributum aliquod injungens in subsidium Gibellinorum, subdito populi motu, licèt eatenùs Gibellini, castro se includere coactus fuisset, ubi vidit evadere se non posse, ut ad misericordiam populum inclinaret, restem collo gestans seminudúsque exiens rogare cœpit, ne crudeliori morte quàm abscissione capitis necaretur, néve illuderetur. At populus furore concitus necatum, uncóque tractum & multipliciter illusum in sterquilinium projecit, eò quòd mortuus esset in excommunicatione: occisísque pariter tribus ejus filiis, divino planè judicio exterminatum est pessimum genus de terrâ.

[r] Vill. cap. 140. Ant. tit. 21. c. 4. §. 11.

IX. FRIDERICUS ILLUDIT PONTIFICI.

Meminêre item iidem auctores [s] nunciorum à Friderico in Lombardiam missorum mense Augusto; ad aliquas inducias inter partes cōciliandas. Cùm videlicèt irato Pontifice ob turpem recessum Henrici fratris ejus, misit ipse oratores ad Pontificē ad excusandas excusationes in peccatis, promittens effecturum se ut depositis odiis partes in concordiam venirent. Et tamen in iis ipsis induciis nuncios ejus fraudulenter egisse in damnum Ecclesiæ, Villanius & Antoninus narrāt. Ex quibus sanè intelligas, non immeritò Fridericum divinam ultionem, nec illam diù dilatam sensisse, cùm à Ludovico competitore, etsi injusto Ecclesiæ persecutore, prælio victus & captus est unà cum eodem suo fratre Henrico.

[s] Vill. c. 163. Ant. §. 13. Cor par. 3.

X. FRIDER. PRÆLIO SUPERATUR, ET CAPITUR A LUDOVICO COMPETITORE IMPERII.

Id enim hoc ipso anno contigisse, idem Villanius [t], cui multùm fidimus, asserit: consentiúntque ex Germanis ejusdem temporis scriptores, Continuator Sceronis, Henricus Rebdorffius [u], auctores Chronicorum Salisburgensis [x] & Aulæ [y] Regiæ; Aventinus item; & proximè præteriti sæculi diligentissimi temporum persecutores, Onuphrius [z], Surita [a], & alij: quantumvis Albertus Argentinensis in suo Chronico, & qui ab eo acceperunt [b], sequenti anno ponant. Initum est autem prælium (ut plures asserunt) quarto Calendas Octobris in vigiliâ S. Michaëlis, juxta oppidum Muldorffium Bavariæ inferioris quam Fridericus invaserat; & ab ortu solis usque ad occasum decem vel duodecim cōtinuis horis variâ inclinatione & repetitis certaminibus acerrimè gestum. Aderant Ludovico inter alios Principes, Ioannes Rex Boëmiæ & Balduinus ejus frater Archiepiscopus Treverensis: Fridericus ardore pugnæ inexpectato alio fratre Leopoldo, qui cum magnis copiis ex Sueviâ & Rheno propè aderat, solo equitatu suo, & Hungarorum qui suppetias venerant ad quatuor millia, pugnam iniit; in armis regiis insignis apparens; Ludovico sub fictis ne dignosceretur latitante. Eáque pugnâ post multos manu propriâ, ut erat robustissimus & strenuissimus, occisos, tandem câptus est unà cum fratre Henrico & multis proceribus; plerísque aliis cæsis, Henricus à Rege Boëmiæ abductus, paulò pòst liber factus est, datis in redemptionem nonnullis castris & magnâ pecuniâ; nec diù supervixit. Fridericus à Ludovico custodiâ ferè trien-

[t] Vill. cap. 174.

[u] Rebdorff. in Annal. [x] Tom. 6 Antiq. Lect. Canis. [y] Tom. Rer. Boëm. [z] Onuphr. in Chron. [a] Surit. Indic. lib. 2. [b] Mut. lib. 24. Naucl. gener. 45. Trithem. in Chron. Hirsaug. &c.

nio detentus, tandem & ipse dimissus est certis conditionibus, ut dicetur suo loco: pro cujus interim liberatione multa Leopoldus frater precibus apud Pontificem Regémque Galliæ, & armis in Ludovicum præstitit: Quem & arte magicâ per quemdam dæmonem formam scholaris accipientem, Fridericum è carcere educere tentâsse, sed Fridericum noluisse dæmoni sibi id suadenti consentire: idem Argentinensis & Trithemius [c] narrant.

[c] *Trith. in utroque Chron.*

XI. [d] *Vill. cap. 175.* Carolus Rex Hungariæ Rasciam subjugat.

Quo eodem mense Septembri [d] prænominatus Carolus Hungariæ Rex cum viginti ampliùs equitum millibus Rasciam Illyrici provinciam ingressus, Regem ejus sibi obsequentem reddidit: magno Venetorum metu ne Iaderam usque penetraret. Sed auditâ suorum clades in prælio Bavarico, rediit ad propria. Eodémque mense Robertus [e] Rex, prædicti Caroli patruus, dum Avenione negotia Ecclesiæ ac Reipublicæ apud Pontificem prosequeretur, discrimen vitæ incurrit à quorumdam suorum conjuratione, corruptorum à tyrannis Lombardiæ & Gibellinis; existimantibus si ille de medio auferretur, res suas facilem sortituras successum.

[e] *Id. cap. 172.* Roberti Reg. periculum.

XII. [f] *Marian. lib. 15. cap. 17.* Mittitur Legatus in Hispan. ad res componendas.

In Castellam misso [f] à Ioanne Pontifice Guillelmo Episcopo Cardinale Sabino, si ejus diligentiâ Pontificiâ auctoritate malis quæ universam provinciam occupabant finis imponeretur; eo auctore Palentiam Regni conventus indicti sunt; sed Reginæ aviæ morte impediti. Et quòd ejus obitu regni calamitates augerentur, è re visum ut Rex ipse Alfonsus, etsi quintumdecimum tantummodò attingeret annum, rerum administrationem capesseret: unde novæ turbæ & invidiæ inter Principes & proceres ortæ, quis apud Regem gratiâ magis valeret. Adeò ut etiam Ioannes filius Regis Aragonij Toletanus Archiepiscopus dejectus paulò pòst fuerit præfecturâ Scrinij regij, quo magistratu proxima secundùm Regem potestas continebatur, & ab antiquo penes Toletanos Præsules fuerat. Qui non ferens ignominiam, Regis patris interventu impetravit ut Toletanum Præsulatum Tarraconensi mutaret; Alexandrini etiam Patriarcatûs honorificum gradum à Pontifice adeptus. Quem ex magna devotione ad Ordinem Minorum, detulisse habitum eorum occultatum, sanctus Antoninus [g] scribit. Laudatúrque valdè ab aliis [h] de insigni morum sanctitudine, summáque sacrorum librorum literaturâ.

[g] *Ant. tit. 24. cap. 9. §. 15.*
[h] *Surit. Ind. lib. 3. an. 1334.*

XIII. [i] *In. Tom. Concil. ubi locus Vallemoletum vocatur.* Concil. Vallisolet. de disciplina. [k] *Ibid.*

Legatus autem Guillelmus, Episcopis universâ ditione *Vallisoletum* diœcesis Palentinæ convocatis, *Concilium* celebravit quarto Nonas Augusti: quo [i] multæ leges salutares pro optimo regimine diœceseôn, parochiarum, ac monasteriorum, & reformatione morum promulgatæ sunt. Ac postremò purgatio vulgaris reprobata, quâ Hispani passim utebantur. Extántque [k] insuper supradicti Ioannis Toletani Præsuli Constitutiones, post biennium in confirmationem Vallisoletanarum in *Synodo Toletana* publicatæ: in quibus inter alia presbyteri aliquid pro Missarum celebratione exigere prohibentur; & quater minimùm per annum Missam celebrare jubentur; atque Ecclesiasticis obsequiis parta bona dare, legaréve filiis quamvis justis, nefas declaratur. Fuit autem prædictus Legatus nomine *Guillelmus Petri de Godivo* patriâ Bajonensis in Novempopulaniâ, (non Tolosanæ diœcesis, ut Onuphrius & Ciacconus habent) Ordinis Prædicatorum, ob insignem eruditionem (quamquam alioqui modicæ, & quodammodò deformis staturæ,) creatus à Clemente quinto Cardinalis Presbyter tituli S. Cæciliæ, posteà à Ioanne XXII. Episcopus Sabinus; & ab eodem legatus in Hispaniam, diù ibi mansit, & multa salubriter instituit; ac præsertim contra concubinarios ecclesiasticos, quorum erat ingens numerus: ut habetur in Vitâ Benedicti à Bosqueto editâ, ubi & alia recensentur egregia opera in utilitatem sui Ordinis ab eodem Guillelmo præstita. Et inter alia quæ doctè scripsit, insigne volumen edidit, quo jura omnia, concessiones, & privilegia Romanæ Ecclesiæ collata, & ab eâ aliis concessa complexus est. Vixit autem usque ad annum millesimum trecentesimum trigesimum sextum, quo mortuum est Avenione; corpúsque delatum Tolosam ad conventum sui Ordinis; non Montempessulanum, ut scripsit Antoninus Senensis.

De Guillelmo Legato.

XIV. Rescribit Pontif. contra depravatores monetæ, et alchimistas. [l] *Cap. prodiens. extrav. de crim. falsi.* [m] *Cap. spondent. extrav. com. eod. tit.* [n] *lib. 9. cap. 264.*

Hoc itidem anno Ioannes Pontifex quinto Nonas Iunij constitutionem [l] edidit contra falsificantes & depravantes tam bonitate quàm pondere, alijsque quibusvis modis, monetam Caroli Francorum Regis, & aliorum locorum circumvicinorum: quos excommunicationi subjecit Sedi Apostolicæ reservatæ. Quò etiam pertinet alia ejusdem constitutio [m] contra alchimistas spondentes divitias quas non habent; eâque falsâ arte utentes pariter ad falsam monetam cudendam: quos infames declarat, alijsque pœnis supponit. Ceterùm ipsummet nihilominùs Regem pecuniæ inopiâ ad bellum Aquitanicum, de quo nuper, argentei nummi bonitatem Philippi patris exemplo imminuisse; & mensarios extraneos coëgisse multâ pecuniâ suam expulsionem redimere; Villanius [n] narrat.

XV. Agitatur quæstio Minoritarum de proprio.

Longè major fuit Ioanni conflictatio cum Fratribus Minoribus de quorum Regulæ interpretatione jam sæpè ei agendum fuisse vidimus. Quod enim nonnulli ex iis qui sectam Fratricellorum seu Beguardorum amplectebantur in vulgus spargerent, Christum Dominum cum suis Apostolis nihil proprium in communi aut particulari possedisse, sed vitam omninò pauperem absque ullo prorsùs peculio duxisse: idque Narbonæ ab uno eorum Archiepiscopus & Inquisitor Dominicanus audîssent, & post causæ cognitionem in eum uti hæreticum agere decrevissent: Berengarius quidam Perpinianensis Lector in Narbonensi Minoritarum cœnobio, suscepto patrocinio Beguardi, asseruit dogma illud tantùm abesse ab hæresis suspicione, ut etiam inter Catholicæ fidei articulos numerari deberet; maximè cùm decretalis Nicolai Papæ III. *Exiit* [o] *qui seminat* id affirmaret. Huic palinodiam cùm Inquisitor indiceret, is ad Sedem Apostolicam provocans Avenionem petiit, & rem totam Pontifici exposuit. Qui ne temerè quicquam in re maximi momenti statueret, omnibus Academiis & doctissimis viris ubique terrarum ad disceptandum proposuit, Utrùm pertinaciter asserere

[o] *de verb. sig. in 6.*

Christum

Christum & Apostolos non habuisse aliquid in speciali neque in communi, foret hæreticum censendum. Ac ne obstaret prædicta decretalis *Exiit*, prohibens omnem Regulæ Minorum interpretationem; eam tamdiù suspendit [p] quamdiù de hâc novâ quæstione deliberatum esset.

[p] *Cap. quia non numquam. extrav. de verb. sig.*

XVI. Determinatio ipsorum in Capit. Gener.

Quare cùm opportunè ad festum Pentecostes celebrandum esset Perusij Capitulum generale eorumdem Fratrum Minorum sub eorum Ministro generali Michaële de Cesenâ; tractatâ in eo controversiâ, declaratum ab eis fuit, inhærere se decreto Ecclesiæ Romanæ per Nicolaum Papam III. prædicto cap. *exiit* promulgato, quo determinavit Christum & Apostolos nihil jure proprietatis & dominij seu juris proprij, neque in speciali neque in communi habuisse: eáque propter abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali quàm in communi propter Deum, meritoriam esse & sanctam; quippe quam Christus & Apostoli viam perfectionis ostendentes, verbo docuerint, & exemplo firmârint. Idque duplicibus literis [q] publicè datis pridie Nonas Iunij & Idibus Iunij hujus anni, universo orbi significârunt: & id ipsum reliqui omnes Magistri Theologiæ ejusdem Ordinis Parisiis, in Angliâ, & ubique locorum approbârunt & confirmârunt divulgatis scriptis; addentes insuper, paupertatem Fratrum Minorum majoris esse perfectionis quàm aliorum mendicantium, propter abdicatum dominium, nec nisi solum nudum usum eis exemplo Christi reservatum.

[q] *Reg. Vvadding. Annal. Minor. to. 3. hoc an.*

XVII. Quam Pontif. reprobat.

Quæ cùm Ioannes Papa intellexisset, imprimis quod ad quæstionem de Christi & Apostolorum paupertate, post accuratissimum ejus examen, decretum [r] edidit pridie Idus Novembris; quo dogma propositum definiens, pronunciavit assertionem ejusmodi pertinacem, eò quòd Scripturæ sacræ contraria esset, erroneam fore censendam, & hæreticam: necnon & illam, quâ quis pertinaciter affirmare auderet, Christum & Apostolos in iis quæ ipsos habuisse sacra Scriptura testatur, nequaquàm jus ipsis utendi seu consumendi, aut ea vendendi, seu donandi, vel ex ipsis alia acquirendi fuisse. Quod verò ad paupertatem Minorum; alio prolixiori decreto [s] dato sexto Idus Decembris constituit, quod Nicolaus per decretalem *exiit*, abrogato dominio rerum quæ dabantur Minoribus, simplicem tantummodò earum usum facti eis reliquerat, dominio ac proprietate Ecclesiæ Romanæ ejusque Pontifici reservato; nequaquàm intelligi de rebus quæ usu consumuntur, sed sicut earum usum ita & dominium ad eos pertinere, cùm non possit in eis dominium ab usu facti separari: prohibens de cetero nequid à Minorum procuratoribus nomine aut titulo Ecclesię Romanę quæri, aut provocari, vel sollicitari deberet. Quibus constitutionibus graviter offensi Minores, tum quòd non secundùm suam sententiam Pontifex judicâsset; tum etiam quòd posteriori non parùm eos momordisset, cùm ostendisset eos reipsâ minimè observare quæ per decretalem Nicolai significari contendebant; sed litibus & contentionibus tam in judicio quàm extrà pro acquisitione & conservatione bonorum, quorum proprietatem Ecclesiæ Romanæ esse profitebantur, nimirùm quàm solliciti essent, etiam multos indebitè vexando, & Prælatis atque Rectoribus sese injurios exhibendo: His de causis nonnulli ex præcipuis eorum discessionem fecêre, & ad castra hostium transfugêre; quæ pluribus dicêtur suis locis. Quæ verò hactenùs diximus, præter recensitas constitutiones Ioannis, quæ extant; continentur etiam ejus epistolis, & in codice manuscripto [t] Bibliothecæ Vaticanæ Gestorum Ioannis XXII. contra Fratricellos. Agitque de iisdem accuratè sanctus Antoninus [u] pro defensione doctrinæ Ioannis Pontificis. Quæ porrò videtur antinomia inter decreta ejusdem Ioannis & Nicolai de paupertate Christi & Apostolorum, sunt Theologi [x] qui eam solvant, & pro instituto declarent; vel etiam quæ à Ioanne contra Minores eorúmque paupertatem duriùs pronunciata fuêre, diluant nos iis indicatis historica prosequamur.

[r] *Cap. cùm inter. extravag. de verb. sig. Quod tamen magis ad annum seq. Ioannes VIII. pertinere dignoscitur; quamvis in edit. Iur. Canon. ponatur sub præs. 7. sed non multùm hoc ad rem ipsam.*

[s] *Cap. ad conditorem. ib.*

[t] *Ex quo descrips. Bzov. hoc an.*

[u] *Ant. Chrō. tit. 21. cap. 5. & tit. 24. cap. 9. § 15. & Sum. par. 4. tit. 12. cap. 4.*

[x] *Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. Coquæ. in Antimorna. to. 2. in antid. cont. oppos. 57. Nitel. Franciscan. cont. Bzov. an. 1322. Vvadding. to. 3. hoc an. & seq.*

XVIII. Esaias imperitus et facinorosus fit Patriar. Constantinop.

Hoc eodem anno in demortui superiori anno Gerasimi Patriarchæ Constantinopolitani locum suffectus ponitur ab Imperatore *Esaias* monachus cœnobij Montis Atho in Macedoniâ, septuagenario major, & (ut describit Gregoras [y]) conjungendarum penè literarum imperitus, quíque ob crimina & prava facinora nullum in sacris gradum adipisci potuerat. Ut non mirum, si tot ac tantis ęrumnis siverit Deus Andronicum seniorem atteri, qui talibus ostentis Patriarchalem Sedem deturpabat: haud sanè & alioqui dignioribus nobilitari meritam, postquam sese à consortio sponsæ Christi, quæ sola sine maculâ & rugâ est, perfidâ malitiâ segregavit. Sed & tulit justè hujus promotionis pœnam Andronicus, cùm ejusdem ipsius Esaiæ operâ Imperio deturbatus est, ut videbimus suo loco. Qui interim hoc ipso tempore novis ejus nepotis molitionibus in magnas angustias redactus, cùm aperto psalterio, dubitationum suarum aliquam explicationem ex oblato fortuitò primo versu quærens, incidisset in illum Psalmi 67. *Dum dissociat cælestis Regis, nive conspergentur in Selmon:* intelligens omnia quæ in his fierent à Deo decreta esse, rursùm cum nepote absque mora concordiam iniit. Quæ pluribus prosequitur Gregoras. Totam verò renovati belli culpam Cantacuzenus in avum rejicit, excusato in omnibus nepote, quem innocentissimum more suo prædicat. Quod si quibus facundiâ suâ persuaserit, sanè non nobis; qui probè novimus eum invasorem invasoris causam agere, amicum amici; ambitiosum ambitiosi. Ceterùm his eorum discordiis debilitato Imperio, cùm Orientalia negligerentur, pleræque urbes provinciæ Bithyniæ sunt à Turcis subactæ; ac Prusa fame domita, quam Othomanus eorum Rex constituit imperij sui sedem.

[y] *Greg. lib. 8.*

Cantacuzeni dubia fides.

XIX. Armeniæ clades a Saracenis.

Hoc idem anno [z] mense Aprili Soldanus Saracenorum cum triginta millibus equitum Armeniam Minorem, quam Christiani adhuc tenebant, incursans, universam destruxit, exceptis quibusdam munitionibus montanis; & infinitam multitudinem Christianorum quà occidit, quà in captivitatem abduxit. Cujus cladis causam fuisse ferunt [a] discordiam & divisionem Procerum regni, inde ortam quòd

[z] *Villan. lib. 9. cap. 148.*

[a] *Vill. ib. Anton. tit. 21. cap. 5. in pr. Contin. Bel. Sacr. lib. 5. cap. 16.*

cùm mortuus fuisset Lievo sive Leo Rex ille, cui Haithonum-Ioannem, cùm religiosum suscepit habitum regnū reliquisse vidimus [b]; vidua illius, quæ filia erat Philippi Principis Tarentini, quāvis duos filios parvulos haberet, cupiens tamen in virum accipere alium defuncti viri sui patruum æquè Leoné dictū, eum in regnum evexerit; & reclamātibus proceribus, atque negantibus id matrimonium ritè fieri posse, deberéque priùs veniam à Romano Pontifice peti; responderit procax mulier, peccatum priùs perpetrandum esse quàm petatur venia. Inde igitur excitatâ in eam indignatione, cùm eâ opportunitate freti Saraceni Armeniam invasissent, eam in se divisam facilè occupārūt; cùm esset prætereà Leo bellicis rebus haud exercitus, sed totus luxui deditus. Succurrere porrò tentâsset rebus Armenicis Ioannem Pontificem, tam adversus hostes excitando Tartaros, quàm ad fidei propagationem instruendo Religiosos, ex ejus epistolis hoc anno scriptis intelligitur.

[b] *An. 1294. VII. VIII.*

Reginæ Armen. procacitas.

Iesu Christi Annus 1323.

Ioan. XXII. Ann. 7.

Vac. Imp. Rom. Ann. 10.

Andronici Ann. 41.

I. Status Lombardiæ eius temporis.

Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo-tertio, Indictione sextâ, cùm post obitum Matthæi Vicecomitis tyranni Mediolani res satis prosperè in Italiâ pro Pōtifice & parte Guelfâ procederent, nonnullis civitatibus se Bertrando Legato dedentibus; & Vicecomites sibi & Mediolano timentes, Ludovici Bavari jam post debellatum Fridericum Austrium tumidiores spiritus ducentis, opem implorâssent: misit ille tres Comites in Lombardiam, qui mense Aprili prædictum Legatum Placentiæ agentem pacificè convenientes, rogārunt ne vexaret dominum & civitatem Mediolanensem, quoniam pertinebant ad Imperium. Quibus Legatus respōdit, cùm foret Imperium legitimum, nequaquàm prætendere Ecclesiam ea quæ illius essent sibi retinere, sed ei conservare: mirari tamen se, quòd vellet Ludovicus ipsorum Comitum domin⁹ patrocinium suscipere hæreticorum; petiitque ut quod verbis postulabant, scripto proferret sigillis suis firmato. At illi considerantes, si scripto appareret Ludovicum patrocinari Ecclesiæ rebellibus, incursurum ipsum indignationem ejus, negārunt se de his mandatū accepisse ab eo, sed à semetipsis dixisse. Narrat hæc Villanius [a]: pergens describere cladem illatam eodem mense Aprili, Marco Vicecomiti [b] à ducibus Pontificiis; indéque secutam mense Iunio obsidionem [c] civitatis Mediolanensis, & post quinquaginta dies solutionem [d] obsidionis ob suppetias tam à Ludovico quàm à tyrannis civitatum Lombardiæ immissas, necnon recessum Guelforum indigenarum, & morbos reliquum exercitum invadentes: aliáque gesta bellica, cladésque hinc inde acceptas tam apud Modoëtiam, quò se Raimundus Cardonius & Henricus Flander duces exercitûs Pontificij & Roberti Regis receperant, quàm in reliquâ Lombardiâ; atque etiam in Etruriâ, ubi Castrucius Castracanis potentissimus Lucæ tyrannus & Guido Tarlatus Episcopus Aretinus mirè Florentinos aliósq; Guelfos exercebant. Ex quo Antoninus [e] descripsit. Quæ & Corius [f]; sed animo perquàm in suos Vicecomites propēso.

[a] *Vill. lib. 9. cap. 195.*
[b] *Ibid. c. 196.*
[c] *Ibid. c. 211.*
[d] *Ibid. cap. 212.*
[e] *An. tit. 21. c. 5. §. 6. ap.*
[f] *Gor. par. 5.*

II. Processus contra Ludovicum Bavarum.

Tradunt [g] pariter, Ioannem Pontificé octavo Idus Octobris Monitorium misisse ad Ludovicum Bavatum, ac processum cōtra ipsum confectum publicâsse. Quo [h] quidem Pontifex, quòd Ludovicus absque ullâ dubiæ suæ & in discordiâ factæ electionis approbatione Sedis Apostolicæ, cujus est electiones examinare, & vel admittere, vel rejicere, nec interim electi se Reges, sed tantùm electos in Reges dicere & nuncupare debeant; ipse nihilominùs non tātùm Romanorum Regis nomen usurpâsset, verùm etiam administrationé Imperij tam in Germaniâ quàm Italiâ suscepisset, cùm manifestâ Ecclesiæ Romanæ injuriâ, ad quam vacationis Imperij tempore ejus regimen pertinere dignosceretur: Galeatio quoque Vicecomiti, ejúsque fratribus, quamvis de hæresi legitimè dānatis, & aliis Ecclesiæ rebellibus, favorem & patrocinium præstitisset; aliáque multa in Reipublicæ Christianæ perniciem & damnum plurimorum peregisset: eum sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ monuit, & auctoritate Apostolica injunxit, intra trium mensium spatium à defensione prædictorum abstinere, & ab omni regni & Imperij administratione cessare; non ampliùs eam resumpturum, nisi post approbationé ejus personæ à Sede Apostolica factam; prohibens insuper omnibus cujuscumq; conditionis aut dignitatis tam ecclesiasticę quàm sæcularis, sub pœna quoad ecclesiasticos suspensionis ab Ordinibus & beneficiis, quoad sæculares verò excommunicationis in personas & interdicti in terras, ac privationis privilegiorum quorumcumq; & feudorum quæ ab Ecclesia & Imperio obtinerent, eidem Ludovico in præmissis seu aliis regimen Imperij tangentibus, obedientiam, auxilium, vel favorem præstare. Húncque processum ubique promulgandum misit Pontifex ad universos Archiepiscopos & Episcopos Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, & aliorum regnorum Christianorum.

[g] *Vil. c. 227. Ant. §. 8.*
[h] *Ext. in Chron. Aula reg. Rer. Boëm. & ap. Bzov. hoc an.*

III. Ludovic. provocat a Pont.

Adversus quæ Ludovicum tradunt iidem & alij auctores [i], habito suorum consilio appellasse ad ipsummet Papam malè informatum benè informandum, & ad Concilium generale quando esset Romæ in Sede Petri; misisséque oratores ad se excusandū, cùm promissione se non fore contrarium Ecclesiæ. Extat [k] ipsum exemplar provocationis factæ (ut ponitur) die Dominicâ decimaquintâ Calēdas Ianuarij anno præsenti millesimo trecētesimo vigesimo-tertio. Qua quidem Ludovicus, post narratas accusationes Pontificis sibi impactas; videlicèt quòd titulū regium sibi illicitè usurpasset; administrationi Imperij in Romanæ Ecclesiæ injuriam sese immiscuisset; hęreticorum & Ecclesiæ rebellium defensionem suscepisset: easdem diluere studens, ac se ritè electum & coronatum regnum administrare etiam absque Ecclesiæ approbatione potuisse, & quinam illi hæretici vel rebelles Ecclesiæ essent

[i] *Villan. & Ant. ibid. Naucler. gener. 45. &c.*
[k] *Rec. Heruart. cont. Bzov.*

ignorâsse se declarans; demùm obtulit, se coram Cardinalibus non suspectis, aut in Concilio generali, vel aliàs ubi opportunum foret, legitimè probaturum, ipsum Ioannem esse defensorem atque fautorem hæreticæ pravitatis, ejus quæ à confessione retrahit pœnitentes, & potestatem sæcularem suffocat: ac propterea se uti propugnatorem & custodem Fidei Catholicæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocatum, & sacri Imperij Regem, à gravaminibus iniquis injustè illatis & comminatis, & à processibus dicti Ioannis manifestè iniquis & injuriosis contra se factis, sanctam Sedem Apostolicam nomine suo & omnium adhærere volentium appellare, ac petere ad prædicta discutienda Concilium generale quantocyùs ad locum communem & aptum congregari.

IV. Intereà verò pergens Pontifex providere reliquis necessitatibus Ecclesiæ, Genuensium inclytæ civitatis miseratus, postquàm soluta tandem est quinquennalis obsidio illius civitatis, accersitis utriusque partis Guelforum & Gibellinorum oratoribus [l], amantissimâ oratione eos in mutuam concordiam reducere tentavit. Sed animis inter se execrabili odio efferatis, non solùm ij sanctis Pontificis monitis nequaquàm mitigati sunt; verùm etiam quasi non satis domesticis cladibus satiarentur, eas in Orientem quoque, & in longè dissitas terras quæ à Genuésibus incolebantur extenderunt, missis à patre Guelfa decem triremibus ad Gibellinorum res & Græcorum qui ab iis stabant vexandas. Quas tamen piraticã exercuisse, & amicos juxta atq; inimicos spoliando totum illud mare incursasse tradunt [m]: quousq; ditissima prædia onustæ Sinopem appellentes, à Tarabi Turca illius domino, cum quo societatem inierant, proditoriè interceptæ, tres tantùm manus ejus evaserunt, occisis quadraginta ex præcipuis civibus Genuensibus, & mille quingentis ex aliis, ut impleretur in eis quod apud Isaïam [n] legitur; *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? cùm consummaveris prædationem, & tu ipse prædaberis.* Has autem prædationes silentio tegunt auctores Genuenses; cladem tamen triremium agnoscentes.

[l] Foliet. Hist. Gen. lib. 6.

GENUENSIUM INFAUSTÆ INCURSIONES.

[m] Vill. c. 217. Ant. cap. 6. §. 9.

[n] Isa. 33.

V. Ioannes verò Pontifex de Fidei quoque Catholicæ propagatione sollicitus, ad Regem Serviæ [o] ad unitatem Ecclesiæ Romanæ reducendum nuncios destinavit; eíque formulam tam Fidei Orthodoxæ ac Sacramentorum Ecclesiæ ex qua ille profiteri deberet, quàm juramenti quo se unà cum populo sanctè adstringeret, præscripsit. Imperatori Tartarorũ [p], quòd apud se Christianos benignè haberet, gratias egit; útque illos in cliételam suam reciperet, hortatus est. De mysteriis [q] Sanctissimæ Trinitatis, & aliis Fidei Catholicæ articulis, symboli instar doctrinam Ruthenis & Orientalibus, maximè in Imperio Tartarorum degentibus Episcopis, ad promulgandum docendúmque perscripsit. Ac Fratri Aymerico [r] Minoritæ Episcopo Paphensi in Cypro, commisit pacem inter Henricum Regem Cypri & Elionum Magistrum Hospitalariorum; necnon inter eumdem Henricum & Leonem Armeniæ; rursúmque inter eumdem & Ianuenses, simul cum Petro Patriarcha Ierosolymitano, procurare.

IOAN. PONT. CURAT FIDEM APUD EXTEROS.

[o] Ep. 263. 264.
[p] Ep. 87.
[q] Ep. 530.
[r] Ap. Vvadding. hoc An.

VI. Constitutiones quoque decessorum Pontificum contra [s] ferētes arma vel alia prohibita Saracenis, renovavit [t]. Haud enim in tantis aliis curis bellum Saracenicum animo exciderat. Ferunt [u] namque tractatum hoc tempore esse de fœdere inter ipsum Ioannem Pontificem, Carolum Francorum Regem, & Rempublicam Venetam sanciendo ad adjuvandam Syriam, & evertendos Turcorum conatus; qui non contenti tot provincias terrestribus præliis sibi in Asiâ subjecisse, etiam maris imperium occupare decreverant, classéque comparatâ quicquid pelagi latè patet supra Cretam, Cyprum, & Rhodum ita infestum reddiderant, ut eorum incursionibus nihil tutum navigantes haberent. Conventúmque volunt inter eos, ut viginti equitum millia, peditum quinquaginta, communibus expensis armarētur Venetíque classem centum navigiorum armis virísque instructam conflarent: Gallis autem cessantibus, Legatum Apostolicum & Petrum Zenum Venetum sociis armis, illum terrestres, hunc maritimas copias ingétes collegisse, & in Asiam transduxisse; quibus multa feliciter egerint, intérque alia Smyrnam ceperint; sed Turcorum insidiis interceptos Legatum & Zenum dum sacris in quodã sacello interessent, & ab iis confessos gloriosam mortem obiisse. Ita Petrus Iustinianus in Historiâ Venetâ, post Cõtinuatorem Belli Sacri; sed rem paulò amplificãs, & sub Carolo Frãcorum Rege constituens, quam ille rectiùs sub Philippo Valesio Caroli successore: uterque rebus & temporibus satis perturbatis. Cùm tamen fœdus illud, expeditionémque nunc tractari cœptam esse, cogant asserere literæ Ioãnis Papæ: in cujus Regesto hujus anni reperiuntur scriptæ ad Guillelmum Archiepiscopum Viennensem Legatum ad eam expeditionem constitutum, quomodò se in eo officio gerere deberet: (pro Archiepiscopo Viennensi, Sanutus [x] habet Guillelmũ Episcopum Mimatensem Comitem Gabalitanum, procuratorem Passagij: & aliæ ad Carolum Regem hortatoriæ ad bellum sacrum; aliæque Crucis prædicationis contra Saracenos. Sub finem autem vitæ Ioannis, & communibus copiis Pontificis, Regis, & Venetorum, magnam cladem illatam esse Turcis, intelligimus ex Villanio [y], qui dum res gererentur in Annales suos diligenter referebat. Denique præsenti tempore negotium Terræ Sanctæ sollicitè tractatum fuisse, intelligimus etiam ex variis epistolis tunc scriptis à Marino Sanuto [z] Veneto ad Ioannem Pontificem, Andronicum Imp. Constantinopolitanum, Leonem Armeniæ Regem, plurimósque Cardinales, Antistites, Principes, aliósque viros potentes, ab anno Domini 1324. usque 1329. cùm id ipse sommo nisu & indefatigabili sollicitudine prosequeretur. Sed occupationem Smyrnæ, ac necem Patriarchæ, longè posteà accidisse, ex eodem Villanio, aliísque constat: de quâ dicetur suo loco [a].

[s] Cap. ita quorundam cap. ad liberandam. ext. de Iud.
[t] Ep. 506.
[u] Sabell. 2. dec. 1. Cont. Bel. Sacr. lib. 5. cap. 16. Petr. Iustin. Hist. Venet. lib. 4.

FOEDUS INITUR CONTRA TURCOS.

[x] San. ep. 4.
[y] Vill. lib. 11. cap. 18.
[z] Ext. to. 1. Gestor. Dei per Franc.
[a] An. 1344. II.

VII. Hoc item anno (ut idem Villanius [b] habet, & scriptores Hispani [c]) Alfonsus Aragoniæ Princeps magno exercitu in insulam Sardiniam, Bonifacij VIII. concessione Regi Aragonio attributam, quam Pisani solo armorum jure, injuriáq; Romanæ Ecclesiæ in cujus cliételâ

[b] Vill. lib. 9. cap. 210. 237. 251.
[c] Surit. Ind. lib. 2. Marian. lib. 15. cap. 18.

SARDINIA OCCUPATUR AB ARAGONIIS.

telâ ab antiquo fuerat, possidebant, mense Iunij transmisso; quâ spontaneâ deditione, quâ obsidionibus & præliis, intra unius anni spatium totam ferè in potestatem recepit: amissâ tamen parte maximâ ducum & militum, non tam ferro hostium, quàm ferâ cæli inclementiâ, quâ etiam ipse Alfonsus gravi morbo periclitatus est. Quomodò verò icto cum Pisanis fœdere in patriam redierit, dicetur anno sequenti.

VIII. [d] Contin. Nang. Gaguin. lib. 8. Æmil. lib. 8. Bellefor. lib. 5. cap. 56. Masson. in Carol. Pulchr. IORDANI DE INSULA SUPPLICIUM.

Præsenti verò Iordanus[d] quidam cognomine de Insulâ, summo genere in Aquitaniâ natus, qui filiam fratris Ioannis Papæ (non matrem ipsius Pontificis, ut imprudenter nonnulli scripsêre.) uxorem habebat, cùm multa flagitia ac scelera perpetrâsset, quæ semel in gratiam tanti affinis condonata fuerant; de integro furens, Regis mandato in aulam venit magno comitatu, etsi malè sibi conscius, propter affinitatem tamen & summos deprecatores securus sibi visus. Sed Marchione Amptoniæ ex agnatis Clementis V. capitalem actionem ei parante, in carcerem raptus, convictúsque stuprâsse virgines, perpetrâsse homicidia, & quod nocentissimum ei apud judices fuit, apparitorem regium clava liliatâ insigni officij ornatum, diem illi dicenté, propriâ ipsius clavâ crudeliter mactâsse: demùm judicio Senatûs Parisiensis, nec contradicente Pontifice, tractus, & in publicâ furcâ strágulatus est à carnifice, ut unius pœna ceteris nobilibus exemplo esset. Est in Regesto Innocentij[e] Papæ III. memoria nobilium virorũ Ph. & Iord. de insulâ, qui centum & ampliùs antehàc annis cum Lando Collis-de-medio dissidebant de quâdam portione castri de Prun: unde qui topographiam illarum partium callent distinguere possint (quod quæri à nullis video) inter multiplices familias cognominis de Insulâ; cùm non dubitemus hunc infelicem extitisse ex illis Innocentianis.

[e] Ann. 15. edit. Bosq. ep. 96.

IX. [f] Vill. c. 184. Annal. Flãd. & Franc. IUDICIUM DE COMITATU FLÃDRIÆ. [g] An. 1319. V. & 1320. IX.

Alio verò judicio ad principium[f] hujus ipsius anni Parisiis à Rege de consilio Parium dato, in controversiâ ortâ post obitum Roberti Flãdriæ Comitis inter Robertum ipsius filium & Ludovicum nepotem, (filium videlicèt alterius Ludovici majoris natu Roberti senioris, de quo suprà[g] uter legitimus Flandriæ Comes esset; cùm patruus se anteferendum prædicaret, eò quòd pater Ludovici diem obiisset ante Robertum patrem: post multiplicem disceptationem pronunciatum est, Ludovicum nepotem successurum avo, tam jure repræsentationis, quàm ex conventionibus pacis cum eodem avo ac populis Flandriæ non ita pridem factæ. Quod Regis judicium iidem populi Flandriæ libentissimè approbârunt. Qui tamen eumdem paulo pòst, factâ rebellione à Brugensibus in seditiones promptissimis, ob nescio quæ ipsis damnosa Comitis facilitate concessa, ceterisque populis ferè omnibus in partes suas allectis, armis persecuti sunt, & captum custodiæ tradiderunt; donec Regis auctoritate, & Gandensium fidelitate, ac censuris Pontificiis exagitati, coacti sunt[h] illum dimittere.

[h] Ibi. Annal. & Vill. cap. 232. 309. 330.

X. S. ELEAZARI OBITUS. [hh] Ap Sur. & Vvadingh. Annal. Minor. tom. 3. an. 1323.

Hoc eodem anno *S. Eleazarus* sive Elzearius de Sabrano Comes Ariani è Provinciâ Phocæensi, mortuus est Parisiis vigesimo septimo Septembris, ut in ejus Vitâ[hh] dicitur; cùm alij post biennium, rursúmque alij post quadriennium id contigisse velint. Qui ab ipso ortu à matre Laudunâ Albæ piissimâ feminâ (ac propterea Bonâ Comitissâ vulgò nuncupatâ) Deo oblatus, & ab ipsâ infantiâ ei vacans, acceptâ in adolescentiâ uxore Delphinâ nobilissimâ virgine, perpetuam cum illâ de communi consensu virginitatem coluit, licèt eodem thoro continuò utens: & unà cum illâ hortatu[i] B. Philippi de Aqueriis cognati Delphinæ, Ordinis Franciscani, magnæ sanctitudinis viri, institutum Tertij Ordinis S. Francisci complexus est, miris virtutibus clarens, divinis visionibus illuminatus, miraculis illustris Carolo Claudo Siciliæ Regi, ejusque filio Roberto summè charus, pro hujus gravissimis negotiis Parisios accedens, ibi diem obiit anno ætatis vigesimo octavo. Cuius mors eâdem horâ Delphinæ conjugi in Provinciâ existenti divinitùs revelata fuit: corpus ad sepulturam delatum ad Ecclesiam Fratrum Minorum civitatis Aptensis. Extat ejus Vita inter alias Sanctorum[k]; meminítque cum præconio S. Antonius[l]. Cúmque procedente tempore multa fierent ad ejus sepulchrum miracula, postulârunt Archiepiscopi Aquensis & Arelatensis unà cum suffraganeis Episcopis à Clemente Papâ VI. ut eum albo Sãctorum inscriberet: qui de more inquisitionem vitæ & miraculorum commisit[m] Episcopis Uticensi & Carpentoratensi, quæ diligenter peracta extat in Bibliotheca[n] Vaticana. Eumdémque postmodùm Urbanus V. anno 1369. die 15. Aprilis Romæ Sanctorum Confessorum catalogo adscripsit[o]: Cùm & jam anteà[p] inquisitionem vitæ & miraculorum Delphinæ conjugis Eleazari quibusdam Prælatis injunxisset.

[i] Hist. Eccles. Arelat. Petri Saxij.

[k] Ap. Sur. 27. Sept. & in cod. Vatic. 4018. ap. Bzov. an. 1351. & Vvadding. an. 1316. 1319 1323. [l] Ant. tit. 24. c. 9. §. 15. [m] Ap. eo[illegible]d. Bzov. & Vvaddingh. n. 1351. [n] d. cod. 4018. [o] Vit. Vrb. V. ed. Bosq. [p] Bzov. & Vvaddingh. an. 1363.

IESV CHRISTI Annus 1324.
IOANNIS XXII. Ann. 8.
VAC. IMP. ROM. Ann. 11.
ANDRONICI Annus 42.

I. LUDOVICUS BAVARUS MITTIT LEGATOS AD PONT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo vigesimoquarto, Indictione septimâ ineunte, nempè quarto Nonas Ianuarij, Avenione se Ioanni Pontifici exhibuerunt missi à Ludovico Bavaro tres nũcij, Albertus magnus Præceptor Hospitalis per Germaniam, Gruesturp si Eversturp Archidiaconus Herbipolensis, & Henricus canonicus Pragẽsis; specie scicitandi an verè ab eo processisset monitorium illud; seu processus contra Ludovicum promulgatus mense Octobris anni præteriti, & si ita esse comperissent, ad petendum terminũ competẽtem, intra quem cum suis Principibus ac proceribus consilium inire posset quid super eo respondendum esset: his videlicet prorogationibus eludere quærens quæ à Pontifice in eum gerebantur. Qui nihilominùs ut omnem ei conquerendi occasionem tolleret, duos adhuc menses à septimo Idus ejusdem mensis Ianuarij computandos concessit, non quidem ad respondendum, sed ad resipiscendum, & obtemperandum iis quæ in monitorio continebantur; iisque

exactis publicaturũ se pœnas ejus excessibus debitas. Quam dilationem nuncij cum gratiarum actione acceptârunt. Prædicta verò Avenione gesta, Ioannes publicis literis universis per orbem Prælatis significavit [a].

[a] Ext. in Reg. Ioan. an. 8. unde Bzov. exscripsit hoc an.

II. UT SE PONTIFEX IN EUM GESSERIT.

Ut autem ea nonnisi illusoriè facta, sicuti diximus, existimare debeamus, cõpellit quòd non solùm post hæc Ludovicus à præteritis non abstinuit, sed neque apud Pontificem aliquid ampliùs promovere curavit. Quare cùm potuisset Pontifex pœnas in eum publicare, uti comminatus fuerat; eligens tamen adhuc mansuetudinis redundantiâ cum illo agere; ipsum quidem in excommunicationis sententiam incidisse, evitandum ab omnibus præter casus exceptos, declaravit; verùm quoad reliquas pœnas, spatium adhuc trium aliorum mensium à decimo Calendas Aprilis computandum indulsit, intra quod abstineret à titulo Regis Romanorũ, & ab omni administratione ejusmodi Regni & Imperij, necnõ à patrocinio Vicecomitũ hæreticorum, Estẽsiũmque Ferrariam occupantium, atque aliorum rebellium Ecclesiæ Romanæ: ipséque per se ipsum, vel per idoneos procuratores sisteret se coram Pontifice ad respondendũ super excessibus à se commissis; sub pœnâ privationis omnis juris quod sibi ex suâ electione quoquomodo cõpetere posset, incurrẽdâ ipso facto. Prælatos quoque & ecclesiasticos omnes qui contra monitionem mensis Octobris anni præteriti fecissent, declaravit pœnam suspensionis ab Officio & beneficio eâ latam incurrisse; & quicunque adhuc perseverarent, excommunicationem & privationem beneficiorum ac dignitatum ipso facto incursuros. Ac pariter sæculares qui imposterum inobedientes forent, iisdem pœnis excommunicationis, interdicti, ac privationis eâdem monitione expressis subjecit ipso facto: non obstantibus quibuslibet juramentis fidelitatis, societatis, confœderationis, cõventionis, & aliis, à quibus eos dispensavit & relaxavit. Hæcque publicis suis literis [b] dicto decimo Calendas Aprilis universis per orbẽ Prælatis significavit, & per eos ubique promulganda mandavit.

[b] Ext. ibid.

III. SENTENTIA PONTIFICIS IN EIUS CONDEMNATIONEM.

Perseverante verò nihilominùs Ludovico in suâ animi obfirmatione, & neque abstinente, neque se sistente, aut aliquid significante; prolatâ demùm in eum sententiâ [c], Pontifex quinto Idus Iulij ipsum declaravit contumacem & omni jure regni & Imperij, si quod sibi ex sua electione cõpetere potuisset, privatum: reservatis aliis pœnis in eum infligẽdis, si deinceps se regni vel Imperij administrationi immiscere, vel supradictos hæreticos, & rebelles fovere præsumeret. Ipsi insuper diẽ dicẽs in Calẽdas Octobris, sententiã super aliis pœnis audituro. Omnibus Imperij subditis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, ei quocumq; modo obedire, aut opem vel favorem præstare, Imperatorémq; dicere vel nominare, gravissimis pœnis prohibens. Eámque sententiam Avenione publicatam, alibi etiã ubique per Germaniam, Italiã, aliáq; regna, promulgandam Prælatis direxit. Et scribit Nauclerus [d] ex Hermanno illius tẽporis auctore, prædictos Pontificis in Ludovicum processus à quibusdam strictissimè servatos, à multis invalidos reputatos fuisse. Ex Electoribus autem Moguntinus & Coloniensis, nihil sævitiam Ludovici veriti, eos ex præscripto vulgârunt. Treverensi verò & Boëmo illis sibi & reliquis Electoribus injuriam irrogari conquerentibus, quasi Pontifex illorum abolitâ auctoritate omnimodam constituendi seu designandi Imperatoris potestatem in se transferret; hunc iis scrupulum Pontifex per literas publicas & privatas exemit; quæ pariter habentur cum superioribus in Regesto Ioannis hujus anni. Quod verò Trithemius [e] aliam quoque affert causam damnationis Ludovici: nimirùm quòd ut dominium suum amplificaret, uxorem cujusdam viri potentis, quæ cum eodem viro suo totis undecim annis convixerat, abstulerit, causatus impedimentum consanguinitatis inter ipsos, & filio suo copulaverit, nec monitus & citatus à Pontifice emendare aut respondere curaverit: hoc quidem non præsenti anno, sed longè posteà contigit, ut suo [f] loco dicetur.

[c] Ibid.

[d] Naucler. gener. 45.

[e] Trith. in Chron. Hirsaug.

[f] Infr. an. 1340. V.

IV. LUDOVICUS IN EŨ PUBLICIS SCRIPTIS DEBACCHATUR.

Percussus porrò prædictâ sententiâ Ludovicus, cũ sibi aliquos pseudo-doctores mercede & favore cõduxisset; hoc ipso anno [g] ex sensu *Ioannis Ianduni* Perusini, & *Marsilij de Menãdrino* Patavini, doctrinæ magis curiosæ quàm solidæ hominum, necnon hæreticorum, (de quorum scriptis paulò pòst dicetur) virulento calamo conceptam Epistolam [h] vulgavit: quâ Ioannem uti injustũ innocentium persecutorem, claviũ subversorem, canonũ violatorem, discordiarũ seminatorem, Imperij destructorem, legũ prævaricatorem, doctrinæ orthodoxæ de paupertate Christi & Apostolorũ convulsorem, Sacramẽtorum profanatorem, Terræ Sanctæ desertorem, Ecclesiæ temeratorem, denique incorrigibilem & hæreticum notorium, impetiit, & nefando auſu universo orbi declaravit. Alióq; scripto [i] protestatus de nullitate processuum & judiciorũ contra se prolatorum, iterùm ad futurum Concilium provocavit, & ad verum & legitimum futurum Summũ Pontificem, Sedémque Apostolicam, & (ut addidit) ad alium vel alios ad quem vel ad quos fuerit appellandum: publicata hac appelatione mense Octobris præsentis anni millesimi trecentesimi vigesimi quarti.

[g] Rebdorff. in Annal. Vll. lib. 6. cap. 265. & 275.

[h] Avent. lib. 7. Bzov. hoc an.

[i] Cod. Vatic. n. 4008. & inde Bzov. hoc an. Ibid. itemque alij auctores.

V. IOANNES SE PURGAT AB HÆRESI SIBI IMPACTA.

Quæ quidem Ioannes contra se dicta, tamquam frivola & nullius momenti contẽnens, id solum quod se de hæresi ob edictũ de paupertate Christi insimulari vidit, haud dissimulandum ratus; ad demonstrandam æquitatem Constitutionum *ad conditorem*, & *cùm inter*, à se eâ de re editarum, aliam prolixioren [k] *quia quorumdam* condidit quarto Idus Novembris ejusdem præsentis anni: quâ præmissi gravibus responsionibus ad singulas detractorum objectiones, insertâque ampla de clavibus scientiæ & potestatis disputatione; demùm contradicentes constitutioni *cùm inter* de Christi & Apostolorum paupertate, tanquam hæreticos, alterâ verò *ad conditorem* de quæstione Minorem impugnantes, tanquam contumaces, & rebelles Romanæ Ecclesiæ, ab omnibus haberi jussit. De cujusmodi ipsius decreto anxiè disputantes Fratres minores [l], ab eo se tueri conantur. Ex pervicacioribus tamen nonnullos tunc in Aragoniâ captos, & impœnitentes combustos esse, Eymericus [m] tradit; plurimos variis orbis terrarum locis,

[k] Extravag. de verb. sig.

[l] Vide præ ceteris Vvadding. tom. 3. hoc an.

PERVICACES MINORES PUNIUNTUR.

[m] Eymer. Director. Inquis. par. 2. q. 11.

S. Anto

[n] Ant.tit.21. cap.5.§.1.

S. Antoninus [n], cùm (ut ait) schisma in Ecclesiâ suscitantes, ponentésque os suum in cælum, auderent effutire Ioannem Papam esse hæreticum, quia tenentes illas opiniones hæreticos declaravit. Háncque eorum malitiam etiam ad sua tempora (centum nimirùm & viginti ampliùs posthinc annis) perdurâsse tradit; non dubitantium asserere, omnes Prælatos & Summos Pontifices qui vixissent eatenùs post Ioannem, fuisse hæreticos, quia approbâssent sententiam ejus; & qui eos sequerentur non posse salvari. Ex quibus tamen (inquit) nullum unquam visum est miraculum, nisi cinis eorum combustionis; cùm è contrario post hæresim illam inchoatam multi & multæ fidem & obedientiam Romanorum Pontificum tenentes claruerint miraculis non paucis: Demùm tamen sub Eugenio IV. & Nicolao V. Italiam eâ peste purgatam esse, aliis igni deputatis, aliis in Græciam fugientibus.

VI. EORUM ERRORES.

[o] Eymer. q.15.

[p] Vid. etiam sup an.1297. 1318.1321. 1323.

Ceterùm eorum errores in unum colligens prædictus Eymericus, quinquaginta quinque articulis eos comprehendit [o]: qui ferè huc referuntur [p]; ut voluerint Christum & Apostolos nihil habuisse in proprio vel in communi; nec Apostolos potuisse habere sine diminutione perfectionis Evangelicæ: Regulam B. Francisci esse illam veram, quam Christus servavit in hoc mundo, & Apostolis servandam tradidit; esséque idem cum Evangelio, & qui ei contradicunt contradicere Evangelio: adeóque nec Papam, nec alium quemcumque posse aliquid in eâ immutare; & cùm id fecerit Ioannes, ideò hæreticum esse, & quicumque ei cõsentiunt; ac propterea omnem jurisdictionem amisisse: Papam non posse facere ut aliquis Fr. Minor transeat ad alium Ordinem ubi sint divitiæ in communi, quia hoc esset descendere ab altiori gradu: quippe status Minorũ est totius Ecclesiæ perfectissimus, ad quem nec status Episcoporum pertingat: Minores illos qui pro defensione istius assertionis puniti sunt, esse æquè martyres ac Sanctos Laurentium vel Vincentium: idémque censendum de Beguinis, seu Fratribus de Pœnitentiâ, vel de Tertio Ordine S. Francisci, qui propter eandem opinionem passi sunt: Papam non posse dispensare in voto virginitatis seu castitatis, etiam simplici & nõ solemni, quamvis totum genus hominum deficeret: Beguinos non teneri jurare coram Prælatis aut Inquisitoribus, nisi solùm de Fide Doctrinam Petri Ioannis olim Fratris Minoris fuisse ipsi à Deo revelatam; esséque magis necessariam Ecclesiæ Dei aliis omnibus scripturis quorumcumque Doctorum & sanctorũ, exceptis sacris; & qui ei contradicunt hæreticos esse: Omnes Ordines destructum iri in persecutione Antichristi, excepto sancti Frãcisci: Papam esse mysticum Antichristum, majoris Antichristi præcursorem; ipsúmq; majorem Antichristum jam natum esse, & finiturum suum cursum anno millesimo trecentesimo trigesimo quinto, ac post ejus mortẽ mundum conversum iri ab observatoribus perfectis Regulæ sancti Francisci, & in maximâ puritate perseveraturum centũ annis: post quos incipiente rursùs corrũpi, venturum Christum ad Iudicium. Hæc illi, præter ingentia probra, & nefarias calumnias quibus Ioannem Pontificem impetebant.

VII. MARSILII DE PADU. ET IANDUNI SCRIPTA PRO BAVARO.

[q] Prateol. & Gaulter. de hæres.

Hos igitur errores secuti prædicti pseudodoctores, multa mala & scãdala in Ecclesiam Dei invexerunt; quorum & pœnas posteà luerunt, ut videbitur suis locis. Intereà verò *Marsilius de Padua* (quem immaniter errant qui circa annum millesimum centesimum decimum septimũ errores suos disseminâsse scribunt [q],) hoc ipso anno librum edidit ad Ludovicum, de jurisdictione Imperiali & Pontificiâ, titulo *Defensor pacis*. Cujus, ac socij impietatis supradicti *Ioannis Ianduni*, (qui & ipse alium ejusdem farinæ tractatum ediderat *de Potestate Ecclesiastica*) errores recensens, ac fusè & doctè refutans Ioannes Pontifex in sententiâ excommunicationis [r] contra eos latâ, ait asseruisse: Primò, Christum Dominum quando solvit tributum Cæsari, necessitate fecisse & ex debito, propterea quòd etiam res ejus temporales Imperatori subessent: unde & inferebãt res Ecclesiæ temporales esse Imperatori subjectas, eâsque ipsum posse recipere ut suas. Secundò, Christum ascendentem in cælum, nullum visibile caput Ecclesiæ reliquisse; nec aliquem Vicarium suum constituisse, nec Petrum plus auctoritatis habuisse quàm quemlibet ceterorum Apostolorum. Tertiò, Ad Imperatorem spectare Papam instituere & destituere, ac punire; quippe Pilatum crucifixisse Christum tanquam sibi subjectum. (addit Prateolus, adjecisse Marsilium, ejus Imperatorem succedere posse Pontifici, & Ecclesiam administrare Sede vacãte.) Quartò, omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive sacerdos simplex, ex institutione Christi æqualis esse auctoritatis & jurisdictionis: quòd autem unus plus alio habeat, hoc esse ab Imperatore, qui sicut concedit alicui, sic potest etiam revocare. Quintò, totam Ecclesiam simul junctam nullum hominem quantumcumq; delinquentem punire posse punitione coactivâ, nisi concedat hoc Imperator. Hi fuere præcipui errores prædictorum nebulonum, abutentium sive facilitate sive ambitione Ludovici ad succutiendam Ecclesiam in propriam ejus suíque ipsorum perniciem. Quos etiam doctè refellit *Alexander de S. Elpidio* ex Priori Generali Augustinianorum Archiepiscopus Ravennas, humanis & divinis literis apprimè imbutus, opere [s] hoc ipso anno conscripto *De Iurisdictione Imperij, auctoritate Summi Pontificis*. Necnon *Pelagius* [t] *Alvarus* Hispanus Ordinis Minorum & Episcopus Silvensis in opere insigni quod sub eodem Ioanne Pontifice edidit *de Planctu Ecclesiæ*: Ockamo [u] pariter pro eodem Pontifice scriptis adversatus & dictis. Quibus & addimus *Petri de Palude* sive Paludani Ordinis Prædicatorum insignis Theologi tractatum eodem circiter tempore super his quæstionibus exaratum, qui & prostat; *de Causa immediata Ecclesiasticæ potestatis*, quem in sex capita divisit: 1. De potestate Petri. 2. De potestate Apostolorum. 3. De potestate Discipulorum. 4. De potestate Papæ. 5. De potestate Episcoporũ. 6. De potestate Curatorũ. Eadémq; rursũ subdivisit in plures Cõclusiones: hásq; in varios articulos, cũ responsionib. ad cõtraria objecta. Addẽs demùm in fine,

[r] Rec. Bzov. an.1327. Adde Alvar. de Planct. Eccl. lib 1. c.68. Alber. Pigh. lib. 5. Hierar. Eccl.

IOAN. PP. CONFUTAT EA.

[s] Edit. Lugd. an.1498. Vid. Possev. Appar. sacr. tom.1.

[t] Alvar. d. cap.68.

[u] Trithem. de Script. Eccl. in Alvar.

ea dicta se velle nihil temerè asserendo, sed dando peccatoribus materiam cogitandi, & ut per Sedem Apostolicam in illis quæ dubia essent veritas declararetur, aut declarata aliàs confirmaretur. Quomodò verò Marsilius & Iandunus fuerint à Pontifice damnati, dicetur suo loco [x].

[x] Infr. an. 1327.V.

VIII. DAMNANTUR ETIAM TYRANNI ITALIÆ.

Nec ipse tantùm Pontifex in Ludovicum & hereticos censuris & condemnationibus agebat; verùm etiam ejus nomine alij Prælati alibi: ac speciatim Bertrandus Italiæ Legatus contra Passerinum tyrannum Mantuæ, & Castrucium Lucæ, contemptores clavium, fautores hæreticorum, & Ecclesiæ persecutores: ceteris quoque aliarum civitatum tyrannis, (præter Vicecomites Mediolani, de quibus sæpè superiùs) putà Scaligeris Veronæ, Estensibus Ferrariæ, Hugone Episcopo Aretino, cum reliquis Gibellinis Ecclesiæ rebellibus, paribus sententiis ab eodem Pontifice, ejúsve mandato ab aliis Prælatis, & (ac præcipuè Aimerico Ravennate, & Aicardo Mediolanensi Archiepiscopis) atque Inquisitoribus legitimè damnatis: quorum præter acta Pontificia, meminerunt Villanius, Corius, & alij Rerum Italicarum scriptores.

IX. BELLICA LOMBARDIÆ.

Quod verò arma spectat; inter alia plurima quæ alternāte belli fortunâ per Italiam gesta sunt; apud Modoëtiam, ubi exercitus Pontificius veluti obsidebatur à Vicecomitibus, Raimundus Cardonius dux ejus ultimâ die Februarij, unà cum Henrico Flandro egressus ad occupandum oppidum & pontem Vaprij, ambo à Galeatio & Marco Vicecomitibus cum majoribus copiis accurrentibus prælio victi captique sunt. Sed Henrico à Germanis Vicecomitum mox in libertatem asserto, Raimundus quoq; mense Novembri fugâ evasit è carcere quo detinebatur Mediolani. Ac die 28. Martij sequentis Henricus vicem reddens, eruptione factâ hostium instrumenta bellica arsit, eósque obsidionem solvere coëgit. Rursúmque variante suas vices bello, alij occursationibus & vicerunt victi & qui victi fuerant victores extiterunt; ac demùm Modoëtia in manus hostium venit. Quæ diligenter tractat Villanius [y]. Sed lōgè diversè Corius [z], suis Vicecomitibus, ut jam monuimus, addictissimus, cladem Vapriensem mirum in modum exaggerans, ait factam à longè minoribus copiis Vicecomitum quàm essent Pontificiæ: Præsignatámque fuisse à quâdam pugnâ aëreâ ingentis multitudinis vulturum; qui in duo agmina inæqualia divisi concurrentes inter se rostris & unguibus, dirissimo certamine unius horæ rem confecerunt, victoriâ penes minorem aciem remanente; partéque alterâ ita dissipatâ, ut vultures terni quaternive non ampliùs hâc illâcque dispergerentur. Haud tamen tanta Vapriensis clades, ut in manus hostium Modoëtia tunc venerit: nec nisi post renovatam posteà, & per totos octo menses continuatam obsidionem pervenerit. Quinimmò tradit idem auctor, Henricum Flandrum, cùm post eam cladem, suámque redemptionem, eodem se per devia reciperet, duos itineris duces incognitos habuisse, traditos sibi à sancto Domini Præcursore Ecclesiæ & oppidi Modoëtiensis tutelari, cum promissione suæ protectionis: Cùm verò post durissimam secundam obsidionem oppidum fame capiendum jamjam esset, déque eo funditùs delendo consilia Galeatinus agitaret; apparuisse ei per quietem semel iterúmq; prædictum sanctum Præcursorem, perniciem nisi ab eo consilio desisteret minitantem: Denique & Ecclesiæ ipsius thesaurum alio miraculo salvum constitisse, cùm securitatis causâ delatus Avenionem, à furibus surreptus fuisset, qui pœnas impietatis luerunt.

[y] Vill. lib. 9. c. 239. 243. 250. 259. 271. 278.
[z] Cor. Hist. Mediol. par. 3.

X. TRACTATUR ILLUSORIE A VICECOM. PAX CUM PONTIFICE.

Quod verò Raimundi Cardonij evasionem attinet, eam volente atque sollicitante Galeatio contigisse idem auctor tradit. Nempè cùm maximoperè cuperet Galeatius Pontifici reconciliari, nec magnum ex redemptione Raimundi pretium expectaret; cum eo per fidissimos sibi homines secretò egisset, ut liber factus fidus esset conciliandæ pacis internuncius: sícque laxatis ultrò custodiis datum esse captivo fugiendi locum. Qui primò Modoëtiam ad exercitum, inde Placentiam ad Legatum, denique Avenionem ad Pontificem perveniens, communicatis cum Pontifice conditionibus pacis à Galeatio propositis,) nimirùm ut Mediolanum & Cremonam haberet ipse tanquam Ecclesiæ Vicarius, & ad bella quæ intra Lombardiæ fines à Pontifice generentur quingentos equites aleret;) Pontificem valdè his acceptandis conditionibus acclivem reperisse: Sed quòd de pace nihil ab eo transigi posset inconsulto Roberto Siciliæ Rege, qui fuerat in parte belli, ísque conditionibus hoc adderet, ut Galeatius pari secum animo foret hostis Ludovico Bavaro: eâ re turbatam esse pacem; asserente Galeatio hanc fore ultimam suam perniciem, si fidem Ludovico datam infringeret. Hæc Corius. Ex quorum fine liquidò perspicias, quæ Galeatius de pace proposuit, simulamenta fuisse ad decipiendum Pontificem, cùm nollet à Ludovico abstrahi qui Pontificem totis nisibus persequebatur.

XI. CONCORDIA DE INSULA SARDINIÆ.

Hoc anno & mense Iunij reliquiæ Belli Sardoï ad cōcordiæ [a] pactionem inter Alfonsum Principem Aragonium & Pisanos deductæ sunt: ita ut Calaris primariæ ejus insulæ urbis arce à Pisanis sub tributo retentâ cum territorio & oppidis contributis, reliqua Aragoniis cederent. Causa maturandæ pacis Alfonso fuit, quòd audîsset Petrum ipsius fratrem qui in Aragoniâ cum patre erat, in spem venisse, si Alfonso aliquid humanitùs in tantâ cæli Sardoï gravitate, ut erat facile, contigisset, regni hæreditatem exclusâ fraternâ prole, recenti Castellæ exemplo in expulsione Cerdarum, sui juris futuram. Quare Alfonsus in patriam reversus, apud patrem egit ut filios suos in regni successione Petro præferret; re anno proximo publicis comitiis peractâ, quāquam renuente tunc Petro in fratris filij verba jurare. Sic legum instituta, si umquam alibi, certè in Hispaniâ quoad regnorum successiones variata sæpissimè fuêre. In reditu item Alfonsi in Aragoniam, rem egregiam ab ejus patre gestam ferunt [b]: Nimirùm cùm Pater filio ovanti occurreret, & Sardorum mastrucâ indutum videret, fuisse aversatum, quoad paludatum se patri obtulisset; túmque honorificè excepisse, quòd victoris non devictæ gentis vestitu esset ornatus. Quod verò ad

[a] Vill. c. 260. Surit. Indic. lib. 2. Marian. lib. 15. cap. 18.
[b] Surit. lib. 2.

pacem

pacem cum Pisanis attinet, haud illa diutina fuit, renovato sive culpâ Pisanorum; ut Aragonij volunt, sive Aragoniorum, ut Villanius [c] anno sequenti bello: quo rursùm victi Pisani, totâ insulâ Regi Aragonio cesserunt; Rex autem proventus omnes remisit, quos Pisani exegissent ab eo tempore quo fuerat ei concessa insula à Bonifacio VIII.

[c] Vill. lib. 9. cap. 308. 327.

IESU CHRISTI Annus 1325.

IOANNIS XXII. Ann. 9.

VACAT. IMP. ROM. Ann. 12.

ANDRONICI Annus 43.

I. EXPEDITIO SICULA ROBERTI REGIS

ANNO Christi millesimo trecentesimo vigesimo quinto, Indictione octavâ, mense Ianuarij, audiens Fridericus Rex Trinacriæ Robertum Siciliæ Regem ejúsque filium Carolo Ducem Calabriæ magnos belli apparatus ad transmittendum in insulam Neapoli facere; sibi rebúsque suis valdè timens, ad artes Siculas conversus, per quosdam Italos & Turcos tentavit eosdem de medio auferre & ignem navibus inferre. Sed detecti proditores captíque, meritas luerunt pœnas. Rem narrat Villanius [a]. Subdítque de prosperâ navali expeditione eodem mense à Ioanne Roberti fratre Peloponesi Principe in Græciâ factâ: déque prædicti Caroli [b] in Siciliam cum potenti classe transmissione mense Maij, tentatâque frustrà Panormo, & devastatâ maxima parte insulæ nullo obice. Quâ de re agens Fazellus [c] ait Robertum Regem, ubi animadvertit obsidionem Panormi in longum protrahi, veritum ne filio (quem ipse malè Ludovicum nuncupat) & classi sinistri aliquid accideret, per literas solvere stationes, Siciliámque inde populari & incendi jussisse: Ducémque patris jussa, licèt ægrè, exequentem, obsidionem solvisse, & Siciliam ferro flammáque excurrisse. Summontius [d] tamen ex antiquo Chronico Neapolitano scribit maximum factum esse prælium cum Siculis, quo plurimi eorum cęsi sunt, multi proceres captivi abducti, fugiente Friderico ad insulam Liparam. Ceterùm duobus sequentibus annis easdem incursiones & vastationes Robertus per alios suos duces prosecutus est eodem successu; cùm animo firmatum haberet singulis annis circa messis tempora Siculorum agros flammis exurere, ut ejusmodi cladibus attriti, ultrò ad deditionem compellerentur: quousque adventus Ludovici Bavari Romam, de regni sui conservatione cogitare satis habuit.

[a] Vill. lib. 9. cap. 281.
[b] Cap. 297.
[c] Fazel. 2. dec. 9. cap. 3.
[d] Sum. lib. 3. cap. 3.

II. CLADES GUELFORUM IN ITALIA.

Agit prætereà Villanius de variis præliis, insidiis, interceptionibus, tractatibus, per Italiam diverso eventu inter Guelfos & Gibellinos agitatis. Ac præcipuè de funestâ suorum Florentinorũ clade acceptâ Septembri mense à Castrucio Castracane tyranno Lucæ, quâ Raimundus Cardonius parùm faustus eorum dux, de quo sæpè superiùs, unâ cum filio in potestatem hostium venit, & civitas Florentina ad extremam penè desolationem redacta est: ut fusè etiam describit Auctor Pistoriensis, res gestas Castrucij diligenter prosecutus. Id ipsum pariter penè contigit civitati Bononiæ à Passerino tyranno Mantuæ. Adeò ut quamvis non ita pòst Bononienses cum eo concordiam inierint [e] ob civiles tamen dissensiones [f] compulsi fuerint civitatem suam in manus Bertrandi Legati tradere. Quemadmodùm & Florentini desperatione rerum adducti, ut tuti essent à continuis Castrucij, & importunissimis incursionibus & infestationibus, coacti sunt sese Caroli Ducis Calabriæ Filij Roberti Regis potestati, suámque civitatem & universum dominium, amplis conditionibus committere [g].

[e] Vill. cap. 336.
[f] Id. lib. 10. cap. 8.
[g] Id. lib. 9. cap 329.

III. PAX INTER REGES FRANC. ET ANGL.

Intereà tractata est seriò pax inter Reges Francorum & Angliæ, quæ per diversos modos ac missos, etiamque per literas Pontificias quæsita fuerat; ac per Reginam Isabellam sororem Franci uxorem Angli, quæ in Galliam odia & insidias Spenseriorum cautè devitans trajecit, ita demùm conclusa, ut Rex Eduardus filio suo primogenito pariter Eduardo dicto tredecim dumtaxat annorum adolescentulo cedere Ducatu Aquitaniæ & Comitatu Pontivi, quos in regno Franciæ possidebat; ísque Regi Carolo avunculo suo homagium de iis præstaret. Quod eodem mense Septembris adimpletum est, Eduardo filio in Galliam ad id appulso. Post quæ peracta, cùm scripsisset Rex Anglus uxori ut quantocyùs filium in Angliam reduceret, ipsáque moras traheret; (sive ne malè, ut priùs, haberetur à Spenseriis regiarum voluntatum directoribus sive, ut quidam habent, occasione Rogeri de Mortuo mari è Galliâ oriundi, quem in deliciis habere dicebatur; qui nuper è Turri Londinensi mirificè elapsus in Galliam profugerat:) Rex Eduardus maniis agitatus tam illam quàm filium, & qui cum iis erant, omnes publico edicto proscripsit, portubus omnibus custodes apposuit nequis eorum in insulam appelleret, ac prædictis uxori & filio mortem machinatus est. Quare Regina, cùm non potuisset subsidia bellica à fratre impetrare, ne violaretur fœdus cum ejus viro nuper factum; ut securius rebus suis provideret, Pontivum Comitatum dotalitium se recipiens, imprimis de matrimonio filij sui cum Philippâ filiâ Guillelmi Comitis Hannoniæ & Hollandiæ tractavit, quò posset ejus potentiâ & pecuniâ ad res Anglicanas uti: (Erat autem mater Philippæ, nomine Ioanna, filia Caroli Valesij patrui Isabellæ, ac proinde novi sponsi tertio consanguinitatis gradu inter se conjuncti super quo habuerunt à Pontifice dispensari. Ac Philippæ soror natu maxima nomine Margarita nupta erat Ludovico Bavaro Imperatorem se nuncupati.) Deinde collectis copiis, receptísque multis qui ex Angliâ ad eam conveniebant, anno sequenti in Angliam transfretavit; ut tunc dicetur. Hæc autem jam dicta pluribus prosequuntur historici Angli [h] & Franci [i] secùs in nonnullis Frossartes [k] Hannonius, quem consulat qui cupit.

REX ANGL. PROCRIBIT UXOREM ET FILIUM.

[h] Th. de la Moor. & Voalsingh. in Eduar. II. Harpsfeld. sæc. 14. cap. 2.
[i] Contin. Nang. Gaguin. lib. 8. Bellefor. lib. 2. cap. 57. 58.
[k] Froßard. lib. 1 cap. 5.

IV. CAROLI VALESII OBITUS.

In eádem Galliâ mortuus est ex apoplexiâ hoc anno mense Decembris Carolus Valesius Regis patruus, (de cujus rebus gestis sæpè superiùs) de forma, liberalitate, excelsique animi fortitudine, ab historicis illius temporis satis commendatus. Qui persuasus hunc morbum sibi immissum in vindictam necis [l] En-

[l] Supr. an. 1314. IX.

POENITENTIAM AGIT DE SVPPLICIO ENGERRANI MARINII.

geram Marinij injustè à se procuratæ, nihil omisit quo se pœnitudine ejùs criminis duci publicè testaretur. Nam cùm jam anteà ejus cadaver, quod in publicâ furcâ pendebat, propinquis restitui curâsset ad sepulturam, eíque justa ipse suis impensis magnificè summâque religione persolvisset, modò ægritudine pressus, cùm eleemosynas pauperibus distribuendas indixisset, jussit peti ab eis ut preces pro animâ Engerrani, suâque ipsius Comitis valetudine funderent, nomen etiam Engerrani suo præponens: & moriens jussit ut ferales præcones cùm de more funus Comitis indicerent, pariter hortarentur ut etiam pro Engerrano preces funderent [m]. Egregium in tanto Principe pœnitentiæ, ac penè ignominiosæ traductionis suî ipsius exemplum. Sepultus est Parisiis in ecclesiâ Fratrum Prædicatorum cor apud Minores. Dicitúrque de illo, fuisse filium Regis, fratrem Regis, & patrem Regis Francorum, quibus singulis nomen Philippus; patruum quoque trium Regum, nec tamen Regem. Fuit enim filius Philippi Audacis, frater Philippi Pulchri, pater Philippi Valesij: patruus verò Ludovici Hutini, Philippi Longi, & Caroli Pulchri. Nec tamen pervenit ad regnum: quia mortuus est sub Carolo nepote, cui suffectus est Philippus Valesius ipsius filius. Eumdémque à Ioanne & Matthæo Villaniis nominatum reperimus *Carolum sine terrâ*, sic vulgò dictum asserentibus.

[m] *Contin. Nang. Æmil. lib. 8. Bellefor. lib. 4. cap. 58.*

V.
CONCORDIA INTER LVDOV. ET FRIDER. COMPETITORES IMPERII.

Eodem anno tentatis inter competitores Imperij Ludovicum Bavarum & Fridericum Austrium qui in custodiâ Bavari erat, diversis concordiæ tractatibus; iísque semper à Leopoldo Friderici fratre, qui multùm Ludovicum armis inquietabat, dissolutis eò quòd nollet consentire ut Fridericus, quod ambiebat Ludovicus, jure suo cederet: demùm tamen operâ cujusdam Prioris Carthusiensis ita inter illos conventum est, ut Ludovicus transiret in Italiam, & cum eo Leopoldus titulo Vicarij generalis, & Fridericus Germaniam regeret. Hísque conditionibus inter ipsos firmatis, Fridericus liber dimissus est. Ita Villanius [n]. Profértque Cuspinianus in suâ Austriâ diplomata quædam Germanicè scripta, quibus constat Fridericum etiam regium nomen retinere permissum. Quæ quamvis impugnent alij [o]; nihilominùs Hocsemius [p] etiam qui tum vivebat & scribebat, in Gestis Episcoporum Leodiensium disertè ait, pacificatos fuisse ad invicem ita quòd ambo se mutuò Reges nominarent. Ac disertissimè auctor Chronicæ [q] Aulæ Regiæ, qui æquè tum vivebat & propè erat, ait Ludovicum fatigatum frequentibus processibus & sententiis Pontificis contra se actis, & quotidianis armorum certaminibus, pecuniæque indigum, cœpisse cum paucis de liberatione Friderici tractare; ac propterea die festo S. Georgij ad Fridericum accessisse, & cunctis admirantibus liberum dimisisse nullis de concordiâ literis publicatis; ambósque se deinceps Reges nominâsse, & magnâ concordia vixisse; statuto etiam matrimonio inter filium Ludovici & filiam Friderici, qui tertio consanguinitatis gradu se contingebat: & inter Ottonem fratrem Friderici & sororem Henrici Ducis Bavariæ Inferioris. Id tamen de Regis appellatione, ad nudum titulum referendum putamus; cùm inter conditiones liberationis Friderici Albertus Argentinensis & Rebdorffius tunc pariter viventes, alijque [r] pòst secuti ponant, ut Fridericus omni jure Imperij regnique cederet, & tantummodò administrationem Germaniæ per absentiam Ludovici, absque tamen ullis regiis insignibus, gereret. Ceterùm Electores, tam Pontificis, quàm Regis Galliarum, cui vana facta fuerat spes Imperij, exhortationibus admoniti, ejusmodi pacta rejecerunt; asserentes utrumque ab electione decidisse, quòd neutri liceret vota sibi ab Electoribus collata in alterum transferre absque novâ electione; præterquàm quòd Ludovicus omninò incapax Imperij esset, ex sententia Ecclesiæ. Quare & Pontifex prædicta pacta conventa mox rescidit; & Fridericum ac Leopoldum ab illicito juramento de iis præstito immunes declaravit: támque Fridericus se Regem Romanorum nuncupare, quàm Leopoldus Ludovicum infestare perseveravit. A cujus tamen molestiis Ludovicus paulò pòst liberatus est per ipsius mortem; quam veneno acceleratam volunt.

[n] *Vill. lib. 9. cap. 294. & 315.*
[o] *Heruart. contr. Bzov.*
[p] *Hocsem. de Gest. Pont. Leodien. lib. 2. cap. 10.*
[q] *To. Rer. Boem. cap. 15.*
[r] *Naucler. gener. 45. &c.*

IMPROBATVR EA CONCORDIA A PONT. ET AB ELECTORIBVS IMPERII.

VI.
POSTILLÆ PETRI-IOANNIS MINOR. DAMNANTVR.

Hoc item anno Ioannes [s] Pontifex sextò Idus Februarij primo sabbato Ieiunij Quadragesimalis, *Postillas* quasdam *Petri-Ioannis de Serignano* Ordinis Minorum professoris, de quo superiùs [t] in Evangelium Matthæi, Epistolas Canonicas, & Apocalypsim, ex quibus fomentum non modicum sumebant Sectarij qui se *Pauperes de Tertio Ordine Sancti Francisci* appellabant; damnavit & igni adjudicavit, quòd refertæ essent hæresibus & blasphemiis; quarum viginti duo capita Eymericus in suo Directorio [u] collegit, quæ ad hæc in summa referuntur, ut voluerit impius Fraterculus, Babylonicam meretricem intelligi Ecclesiam Romanam: Mysticum Antichristum esse Romanum Pontificem: Beatum Franciscum esse Angelum illum, qui dicitur in Apocalypsi habuisse signum Dei vivi; ejúsque Regulam esse verè & propriè illam Evangelicam quam Christus in semetipso servavit, & Apostolis imposuit: Perfectum statum Ecclesiæ cœpisse à tempore ejusdem B. Francisci; nec ita prosperatum iri illum in Ecclesiâ Latinorum, sicut in Græcis, & Saracenis, & Tartaris, & ultimò in Iudæis: Magis appropriatè competere Doctoribus illius Statûs, esse spirituales explicatores sapientię Christianę, quàm Apostolis: Christum & Apostolos non habuisse aliqua propria nec in communi nec in particulari; nec in rebus quibus utebantur habuisse nisi simplicem usum facti.

[s] *Chron. Viennen. Bern Guid. in Ioan. XXII.*
[t] *An. 1278. 1297. 1311. ubi vide quæ pro defensione hujus Petri à suis afferuntur.*
[u] *Director. Inquis. par. 2. 4. 9.*

VII.
IOAN. PONT. PROHIBET RELIGIOSIS PEREGRINATIONES ABSQVE LICENTIA.

Quòd verò jam satis ista confutata fuissent multis constitutionibus; nec tamen eadem vel alia pejora dogmata apud Infideles disseminarentur, idem Pontifex hoc ipso anno sexto Idus Maij editum [x] promulgavit, quo omnes cuiuscumque Ordinis Religiosos anathemate damnavit, quicumque sine literis patentibus suorum Superiorum ad partes ultramarinas se transferre præsumerent. Mandans insuper Superioribus, ne eam facultatem aliis quàm viris literatis, providis & expertis concederent: Et Prælatis, ut quoscumque absque ea reperirēt, severè castigarent. Cùm autem in partibus Orientalibus, aliisq; Gentilium Saracenorum

[x] *Cap. ad nostrum. extravag. com. de regular.*

&

& Schiſmaticorum ſtrenuam operam multi Religioſi navarent: & prædicatores anno ſuperiori Ioanni Pontifici ſupplices fuiſſent, ut in unum aliquod corpus reducerentur, cui Prælatum præficeret, à quo faciliùs dirigerentur: approbato à Pontifice hoc ſalutari conſilio, per alias literas Generali Ordinis poteſtatem fecit Vicarium ſuper eos inſtituendi. Unde hoc anno originem traxiſſe dicitur [y] in eo Ordine *Societas peregrinantium inter gentes*. Opportunúmque idem Pontifex cenſens, ſi *Fr. Iſnardus*, quem olim gradu Patriarchali Antiochenæ Eccleſiæ motum & cenſuris damnatum vidimus [z] jam pœnitens & Sedi Apoſtolicæ ſupplex in Syriam reverteretur; eumdem non ſolùm ſacerdotali officio, verùm etiam dignitati Patriarchali reſtituere, datis literis Calendis Auguſti. Quamquam non primùm hoc tempore hujuſmodi ſacræ Societates cœpiſſe dici poſſint: ſed ab eo [a] quo ſub Innocentio IV. Prædicatores & Minores miſſi ſunt ad peragrandas terras Ruthenorum, Vvalachorum, Tartarorum, Saracenorum, Paganorum, Burgarorum, & aliarum Orientis Aquiloníſque nationum non credentium aut Schiſmaticarum. Quæ Societates tunc cœptæ, ſub Ioanne modò, ac deinceps ſub Vrbano V. Gregorio XI. Vrbano VI. Bonifacio IX. magnum incrementum acceperunt, ſub nuncupatione *Societatum inter Gentes*, vel *propter Chriſtum*; terras illas auctoritate Apoſtolicâ peragrando, conſtituto Præſide Miniſtri Generalis Vicario, qui eorum greſſus & geſta dirigeret, ac cenſuris coërceret; habentéſque in ſuis cœnobiis & congregationibus Archiepiſcopos & Epiſcopos eorumdem Ordinum, magnis per Sedem Apoſtolicam ornatos facultatibus ad opus Dei & Fidei exequendum.

SOCIETATES INTER GENTES.

[y] *Bzov. hoc an.*
[z] *Supr. an. 1319. I.*
[a] *Vvadingh. to. 4. an. 1399. Supr. an. 1253. III.*

VIII. IOANNIS SOLLICITUDO DE FIDEI PURITATE.

Ioannes autem Pontifex ad omnia vigilans ne occaſione lectionis peregrinarum linguarum peregrina dogmata inducerentur, Cardinali [b] Legato apud Regem Galliarum agenti commiſit, ut in Magiſtrorum Pariſienſium Græcam, Arabicam, Chaldaicam, & Hebraicam linguas publicè profitentium, ſtudia, diligentiùs inquireret. Et quòd pulſi ex variis Europæ partibus hæretici, confluerent ad Principatum Boſnenſem in finibus Dalmatiæ, ut illic liberiùs venena ſua incautis populis propinarent; ſcripſit [c] idem Pontifex ad Stephanum & Eliſabetham illius regionis Principes, & ad Carolum Hungariæ Regem, cui ea regio ſuberat, ut mala hæc auferre curarent; omnémque ferrent operam Religioſis Minoribus, quibus fidei negotium ibi commiſerat. Idémque contra Tartaros in Hungariâ, & contra Lituanos in Poloniâ Crucem prædicari fecit [d].

[b] *Ep. 49. an. 9.*
[c] *Ab. Vvading. hoc an. & 1326.*
[d] *Ep. 12. & 1513.*

IX. AFFINITAS CUM LITUANIS UTILIS POLONIS.

Quo tempore Vvladiſlaus Locticus Poloniæ Rex, tentans ſi quos ferro non poſſet, eoſdem Lituanos gentem paganam ferámque affinitate manſuefaceret; miſſis ad Gediminum eorum Ducem legatis, filiam ejus Caſimiro filio ſuo uxorem petiit, & obtinuit. Cúmque Lituania aurum & argentum non haberet, pretioſiorem omni auro dotem accepit cunctorũ Polonici generis captivorum liberationem. Quibus ingenti numero omnis conditionis ſexûs atque ætatis comitata nova ſponſa, magno applauſu Cracoviæ excepta eſt: religionémque Chriſtianam à Nankero Epiſcopo edocta, & ſacro lavacro in vigiliâ Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli initiata, Annæ nomen accepit, & ritu ſolemni Caſimiro ſextumdecimum annum agenti nupſit. Et ex eo tempore Polonia ſuperioribus bellis & populationibus barbarorum magna ex parte vaſtata, & inculta, populoſior & cultior eſſe cœpit, dimiſſis ac deductis quoquo verſùm agricolis qui ex captivitate redierant. Rem narrant ejus gentis hiſtorici [e]. Cùm ex aliâ parte juriũ Sedis Apoſtolicæ haud immemor Ioannes Pontifex Denarium quem S. Petri vocant à Polonis [f] poſtulavit: ſed ob Sileſiæ ad Boëmos quam diximus defectionem, non niſi unicum ærcúmque recepit, cùm anteà tres oboli & cribrum avenæ in ſingulas familias quotannis pendi ſolerent. Eumdémque denarium ex Regnis Scotiæ Suetiæ & Norvegiæ hoc ipſo anno requiſivit [g] quemadmodùm & cenſum à Roberto [h] Rege Siciliæ, & à Dionyſio [i] Luſitaniæ.

[e] *Michov. lib. 4. cap. 9. Cromer. lib. 11.*
[f] *Ep. 160. & Bzov. Pol. hoc an.*
[g] *Ep. 332. n. 9.*
[h] *Ep. 55.*
[i] *Ep. 170.*

X. DIONYSII REGIS LUSIT. OBITUS.

Qui quidem *Dionyſius*, poſtquàm perpetuâ ferè inter Principes hujus ævi felicitate regnâſſet annos penè quadraginta ſex, à ſuis impensè de morum ſuavitate, virtutum cultu, regni curà, literarum ſtudio, laudatus, mortuus eſt ſub finem [k] hujus anni, vel principum [l] ſequentis: ſucceſſorémque accepit *Alfonſum* filium natu majorem, ejus nominis Quartum & à morum auſteritate cognomine *Ferocem*: cum quo patri extrema ætate implacabile odium fuiſſe vidimus [ll] *Elizabetha* Dionyſij conjux poſt ejus obitũ domicilio prope monaſterium Clariſſarum Conimbricæ à ſe conſtructum ſibi conſtituto, & xenodochio pauperibus prope domicilium erecto; veſte quoque Clariſſarum utens velut una illarum vixit ſub tertio Ordine S. Franciſci; & viro undecim annis ſupervixit, uſque ad annum Chriſti 1336. 4. Non. Iulij: morum innocentiâ, virtutum exercitio, & miraculorum claritate digna habita, quæ trecentis pòſt minùs undecim annis, nempè 1625. 25. Maij ab Vrbano Papâ VIII. ſolemni ritu in Sanctarum numerum referretur.

[k] *Marian. lib. 15. cap. 18.*
[l] *Duard. de geneal. Reg. Portug.*
[ll] *An. 1319. VII.*

S. ELISABETHA EIUS CONIUX HABITUM TERTII ORD. S. FRANC. ASSUMIT.

XI. CÆDES BURCHARDI ARCHIEP. MAGDEBURG. A PROPRIIS CIVIBUS.

Quo item anno (ut notat auctor tunc vivens Chronicæ Aulæ Regiæ) contigit immaniſſima cædes, ſeu martyrium *Burchardi* Archiepiſcopi Magdeburgenſis, à propriis civibus; qui (ut ait rem prolixè narrans Krantzius [m]) teſtimonium inde habuerunt ſempiternum belluinæ feritatis ſuæ: Cùm videlicèt ortis inter Archiepiſcopum & civitatem de quibuſdam juribus contentionibus, captus à civibus Archiepiſcopus in domo ſuâ, diróque carceri mancipatus, poſtquàm diù ibi ſecretò detentus fuit, ab iiſdem larvatis noctu & ludibundè confoſſus eſt clavis, & crudeliſſimè peremptus vir præclariſſimus, & ſingularis induſtriæ ac religionis, atque à Pontifice fortiter contra Bavarum ſtans. Cujus necis auctores utroque gladio per ſucceſſorem & omnes in circuitu Principes perculſi ſunt.

[m] *Krantz. 8. Vvandal. 13. & 14. & 9. Metrop. 4.*

XII. ANDRONICUS IUNIOR CORONATUR IMPERATOR.

Conſtantinopoli redintegratâ inter Imperatores avum & nepotem concordiâ, juniorem ſenior ritu ſolemni Imperatorem ungi & coronari voluit, (quem ritum Cantacuzenus [n] qui aderat accuratiſſimè deſcripſit:) rem ſacram operante Eſaiâ Patriarchâ quarto Nonas Februarij Indictione octavâ; ipſo

[n] *Cantacuz. lib. 1. cap. 41.*

verò

verò juniore Imperatore vigesimum septimum ætatis annum [o] agente. Cui & avus, quòd cælebs esset defunctâ priori uxore absque liberis, aliam quæsivit Beatricem (Ioannam quibusdam dictam) filiam Amedei Quarti Sabaudiæ Comitis; quam ipsi ad principium [p] anni sequentis Constantinopolim delatam, Annam vocârunt.

[o] Ibid. cap. 40.

[p] Ibid. cap. 42. Greg. lib. 8.

IESU CHRISTI Annus 1326.
IOANNIS XXII. Ann. 10.
VACAT. IMP. ROM. Ann. 13.
ANDRONICI Annus 44.

I. ROMANI VOCANT AD SE PONTIFICEM ET BAVARUM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo vigesimosexto, Indictione nonâ, cùm Romæ à populo ejectis ferè cunctis nobilibus, constituti essent quinquaginta duo viri, quaterni videlicèt ex singulis Regionibus Urbis, qui rerum curam gererent unà cum præfecto sibi Sciarrâ Columnâ; missæ [a] sunt ab iis legationes, tum ad Ioannem Papam, ut ad Urbem majorum exemplo cum Curiâ accederet, alioquin consulturos se rebus suis prout expedire judicaverint; (hoc est admissuros Ludovicum Bavarum qui se Regem Romanorum dicebat) tum etiam ad eumdem Ludovicum, ut eum pariter in Italiam & Urbem invitarent. Et hic quidem brevî se affuturum promisit. Ioannes autem respondit, libentissimè se eorum desiderio satisfacturum, quandocumque foret debitis circumstantiis communitum; videlicèt habilitatis téporis, securitatis itineris, & quietis loci ad quem vocabatur: quibus omnibus deficientibus, excusari se satis ab eorum petitionis effectu. Qui & alioqui per ætatem octoginta & ampliùs annorum longo conficiendo itineri minùs idoneus, Iacobo Sabello & Stephano Columnæ imperium Consulare Urbis tradidit; animos Romanorum hortationibus ad concordiam inter se, & repulsionem Ludovici hæretici & persecutoris Ecclesiæ excitavit: ac Legatum-à-latere cum plenariâ in temporalibus & spiritualibus tam in Urbe quàm per Etruriam, Campaniam, & Sardiniam potestate, misit [b] Ioannem Cajetanum Ursinum Romanum tituli S. Theodori Diaconum Cardinalem; relictâ semper Cardinali Bertrando Lombardiæ legatione:) Regémque Robertum iterùm declaravit [c]. Vicarium Imperij per Italiam Imperio vacante. Et ad omnes ad pietatem ac preces pro Ecclesiæ necessitatibus fundendas excitandos, Vicario Urbis mandavit [d] ut ad pulsationem campanæ in quolibet noctis crepusculo juberet Beatissimam Virginem recitatâ salutatione Angelicâ venerari, concessâ decem dierum indulgentiâ.

[a] Villan. lib. 10. cap. 20. Chron. ms. Bibl. Vatic. num. 3972. Naucler. gener. 45. Bzov. hoc an.

EXCUSATIONES PONTIFICIS.

[b] Villan. lib. 9. cap. 349.

[c] Id. cap. 347. in fi.

[d] Ep. 2. an. 10.

II.

Cùm autem mense Iulio Florentiam advenissent Legatus, & Carolus Dux Calabriæ, (cui & Senenses [e] suæ civitatis dominium in quinquennium tradiderunt) conterriti [f] tantâ potentiâ Castrucius Lucæ tyrannus & Guido Episcopus Aretinus, ad artes conversi finxerunt velle se ad concordiam devenire; donec re ex alia parte cum Gibellinis Lombardiæ communicata, tempus fallacibus suis tractatibus traducendo, rebus suis securiùs providerunt. Quo factum est, ut Carolus in aliquem contemptum inciderit, quòd nequaquàm ita se strenuum derepentè præbere visus sit, ut magnitudo nominis copiarúmque quas adduxerat poscebat: Et Legatus ubi se delusum vidit, ad finem mensis Augusti ibidem Florentiæ [g] publicè ritúque solemni Castrucium, uti hæreticorum & schismaticorum fautorem, Ecclesiæ persecutorem, multorúmque aliorum criminum reum, anathemate damnaverit, dignitatéque omni privatum, & cuilibet offendere volenti expositum declaraverit: pari anathemate damnans omnes qui ei consilio vel auxilio adessent: ipsúmque Hugonem Episcopum Aretinum, ob rebellionem contra Ecclesiam Romanam, ejusque bonorum occupationem, eadem excommunicatione & gradûs depositione percellens. Qui nihilominùs haud destitêre à suis perversitatibus; quinimmò his injuriis irritatiores, ut sibi magis prospicerent, egerunt unà cum tyrannis Lombardiæ, (ubi etiam non malè res cedebant Legato Bertrando) ut quantocyùs Ludovicus Bavarus in Italiam evocaretur: de quo dicetur anno sequenti.

[e] Vill. cap. 352.
[f] Id. d. c. 349. & lib. 10. cap. 1.

CASTRUCIUS EXCOMMUNICATUR CUM SUIS.
[g] Id. lib. 10. cap. 3.

III. TURBÆ ANGLICÆ A REGINA.

Intereà verò longè turbulentiorem sese hic Annus in Angliâ exhibuit. Cùm Regina unà cum filio, & Edmundo fratre Regis, ac copiis quibus præerat Ioannes Comitis Hannoniæ frater, mense Septembri transfretans, ubi in Angliam appulit, omnes fermè proceres Prælatósque ac populos sibi obsequentes habuit; eò proniùs quòd vanis rumoribus disseminatum esset Romanum Pontificem omnes à fide quàm Regi debebant exolvisse, & anathemate perculisse eos qui contra uxorem & filium arma ferrent. Rex verò sic desertus, post publicatam in rebelles omnes (exceptis uxore, filio, ac fratre) damnationis mortísque sententiam, Lódino aufugit Walliam versùs. Et quia malè præcipuè audiebat ex eo quòd in uxoré & filium (uti anno superiori diximus) malas cogitationes suscepisset; hanc notam omni studio eluere conatus, curavit [h] Walterum Archiepiscopum Cantuariensem literas ad ceteros Episcopos scribere, quibus significaret, atque certis argumentis demonstraret ea omnia vana & commentitia esse; eóque maximè quòd econtrà Rex per universam Angliam denunciasset, ut ad quemcumque portum uxor & filius appulissent, omni honore & officio exciperentur. Ex alterâ verò parte Regina edicto & ipsa publico significans, neminem his motibus peti præter Hugones Spenserios patrem & filium, ac Robertum de Baldock Cancellarium, Regis corruptores Regníque pestes, eorúmque fautores; Regem insequens, Hugonem seniorem Comitem Wintonensem apud Bristolium ubi Rex eum ad custodiam loci reliquerat, in potestate habuit qui furente populo armatus ut erat per longum spatium caudis equorum tractus, tandémque patibulo affixus, infami perduellium supplicio atrocissimè dilaniatus est. Post quæ apud Herefordiam consistente Reginâ; (cujus urbis Episcopus Adamus; quòd olim pessimè habitus fuisset à Rege ob impositum ei perduellionis crimen, totum Reginæ negotium verbo & opere plus ferè ceteris omnibus provehebat:) Rex post multas quæsitas latebras mense Novembri

[h] Harpsf. Id. Hist. Ecc. Anglic. sæc. 4. cap. 2.

SPENSERIORUM ALIORÚMQUE DIRA SUPPLICIA.

in manus persequentium incidit, unà cum juniore Hugone Comite Glocestriæ, & Baldocko Cancellario, aliísque paucis ejus comitibus. Ipsóque Rege custodiæ Henrici Comitis Lancastriæ fratris Thomæ de quo aliàs, commisso; Hugo ad Reginam ductus, tractus & publico patibulo strangulatus est, caput conto ad pontem Londinensem erectum; membra per diversa regni loca ad exemplum & ignominiam suspensa; viscera in ignem conjecta. Quidam alij simili supplicio affecti. Baldockus, quod sacerdos [i] esset, supplicium quidem ceterorum vitavit, attamen post multa opprobria Londinum deductus; atque à furente populo per vim raptus & in carcerem trusus, ibi pòst mœrore obiit. Cùm tamen Vvalterum Stapletonium, non solùm non sacerdotium, sed nec dignitas Episcopalis Ecclesiæ Exoniensis quâ erat ornatus, minimè potuerit defendere à furore ejusdem populi Londinensis, (quam civitatem Rex ejus fidei crediderat) quin eum miserè tractum obtruncarint, capútque ad ludibrium circumtulerint: virum de literis benè meritum. Cujus necem vindicaturi Antistites Angli, frequenti Synodo post biennium habitâ, diris omnes execrati sunt eos qui necem ei intulissent.

REGIS CAPTIVITAS.

i Harpsfeld. cap. 16.

EPISCOPUS OBTRUNCATUR.

IV. REX DEPONITUR, ET FILIUS SUBROGATUR.

Ceterùm ut tragœdiam uno actu absolvamus, qui in sequentem annum continuatus est; cùm post prædicta Regina concessisset Londinum primariam Angliæ civitatem, tam in eâ quàm ubivis alibi, ob tyrannidem Hugonum è medio sublatam, splendidissimè accepta est: convocatísque ibidem in aulâ Vvestmonasterij regni comitiis ad festum Epiphaniæ anni proximi, communi decreto placuit Eduardum patrem regno deponi, atque Eduardum filiū primogenitum in ejus locum suffici: confirmante hęc publicâ concione Vvaltero Archiepiscopo Cantuariensi Anglię Primate, quamvis in maximâ semper fuisset gratiâ apud Eduardum patrem. Quòd verò ad ejulationes Isabellæ Reginæ, sive veras, sive fictas, de exauctoratione mariti, filius commotus negaret se regnū suscepturū nisi accederet consensus paternus; electi sunt ex omni ordine qui decreta comitiorum patri renunciarent, hortarentúrque spontè filio cedere, reservato ipsi honore congruo & impensâ honestâ: ni faceret, statutum esse cunctis, unum aliquem quem sors ferret etiam extra cognitionem Regem sibi eligere. Qui auditis legatis, ingenti lamento denunciationi parens, respondit scire se suis multis peccatis in has ærumnas incidisse, agere verò gratias quòd filium habere Regem cuperent; jámquesese & regno & ipsius administratione abdicare. Quapropter ad finem mensis Ianuarij *Eduardus* ejus nominis post Angliæ adeptionem Tertius Rex proclamatus est, annum agens decimumquartum: Calendis Februarij balteum militare à Comite Lancastriæ consanguineò suo accepit: & die Purificationis unctus & coronatus est à prædicto Vvaltero Cantuariensi Archiepiscopo. Senior verò Eduardus, eò quòd paulò pòst agitarentur secreta à multis consilia de illo liberando, custodiis atque custodibus sæpè mutatis, demùm ut omnis novarum turbarum occasio tolleretur; à custodibus necatus est mense Septembri ejusdem anni, ætatis ipsius quadragesimo quarto, regni vigesimo; immissâ (ut volunt) fistulâ corneâ in podicem, ac per eam, ne qua exteriora corporis aut patentia contingerentur, ferro candente in penitiora intestina. Corpus nulla pompâ funebri sepultum est Glocestriæ in monasterio Ordinis S. Benedicti. Totam verò rem gestam narrant pluribus Villanius [k] Thomas de la Moor Walsinghamus, Polydorus, Ioannes Major, Harpsfeldius, & alij: sed suis quique affectibus ducti, & Reginæ ceterorúmque in his animum diversè interpretantes: haud tamen obscurè eam infamantes de turpi consuetudine (quam & alias insinuavimus) cum Rogero de Mortuomari; qui auctoritate quâ omnia poterat apud eam, præcipuus prædictorum omnium auctor & incentor fuerit.

EDVARDUS III. REX PROCLAMATUR.

REX SENIOR FOEDA MISERAQUE MORTE TOLLITUR.

k Vill. lib. 10. cap. 7. Thom. in ejus Vitâ Vvalsingh. in Eduar. II. & Hypodigm. Polyd. lib. 18. Io. Mai. de reb. Scot. lib. 5. Harpsfeld. sæc. 14. cap. 2.

V.

In Flandriâ pariter indocibilibus seditiosorum [l] ingeniis quiescere nescientibus, Ioannes Pontifex anathema in eos omnes pronunciavit [m] per quos concordia cum Rege Francorum composita aliquo modo irritaretur. Fuit præter alios Iacobus [n] quidam Peyt præfectus plebeiorum Brugensium, crudelissimè in quosque pacis & quietis studiosos sæviens, quòd, ut prætexebat, magis nobilitatem quàm plebem diligerent. Morituro cuique lictorem sanguine aut affinitate junctum perquirebat; sic fratrem à fratre, cognatum à cognato, socerum à genero, cogens interfici, aut recusantem tendere cervicem percussori. Sacerdotes adeò execrabatur, ut optaret unicum esse toto orbe, eúmque in aëre suspensum: & quos Ecclesiæ ministros potuit, spoliavit, expulit aut etiam occidit; omnes ut jactabat, in nihilum redacturus, nisi tandem à Furnensibus serò licèt fuisset occisus. Corpus apud Bergenses sepultum; brevi pòst jussu Engerrani Morinorum Episcopi refossum, ac flammis concrematum, quòd impius hæreticus fuisset, hominque omnium scelerum ac vitiorum ulcerosissimus. Successorem tamen sibi similem tam crudelis impiúsque homo invenit, qui eam per biennium continuavit tyrannidem. Simúlque Brugenses mortem tam detestabilis tyranni sævissimi in probatissimos quosque ulti sunt: quosque à Philippo Valesio Caroli Regis successore in ordinem redacti sunt, ut dicetur suo loco [o].

l V. d. sup. an. 1325. IX.
m Ep. 1569.

n Meyer. lib. 12.

IACOBI PEYT FLANDRI SUMMA CRUDELITAS.

o An. 1328. XVIII.

VI.

In vicinâ Hannoniâ insigne miraculum hoc ipso anno contigisse, narratur à multis [p]. Fuisse nempè Iudæum, qui fidem simulans de sacro fonte levatus fuerit à Guillelmo Comite: cùm autem aliquando solus ecclesiam cujusdam monasterij intrâsset, conspectâ sacrâ Imagine Beatissimæ Virginis, hastâ seu gladio faciem confixisse: erumpente mox copioso sanguine, ipsum latenter abiisse: re autem indicio sanguinis detectâ (qui servatus multis ægritudinibus medicina fuit) cùm sceleris auctor ignoraretur, Beatissimam Virginem cuidam fabro ferrario adversa valetudine lectulo decumbenti in somnis apparentem, Iudæo prodito, ut accusaret hortatam esse; & si inficiaretur, ad singulare certamen provocaret; daturam enim se ei victoriam. Experrectum sanitate receptâ fabrum, accusâsse Iudæum; deficientibus testimoniis provocâsse, pugnâsse, atque superâsse: Iudæum reatum confessum laqueo vitam finîsse; & ut quidam volunt, pedibus sursùm appensis canibus devorandum objectum esse.

p Beiga in Chron. & ex eo Io. à Leid. lib. 27. cap. 22. Trithem. in Chron. Hirsaug. Rer. Batav. lib. 8.

MIRACULUM DE IMAG. VIRGINIS ICTA A IUDÆO.

VII. [q] Ap. Io. à Leid. lib. 27. cap. 34. Guill. Hedaa Hist. Eccl. Traject. in Ioan. III.

HOLLANDIÆ COMITIS SEVERUM IUSTITIÆ EXEMPLUM.

Legimus item [q] ejusdem Guillelmi Hannoniæ & Hollandiæ Comitis cognomento Boni egregium justitiæ, licèt rigidioris exemplum; non hoc quidem anno editum, sed tamen hîc à nobis occasione superioris memorari visum ne posteà suo loco nobis aliud agentibus elaberetur. Habebat quidam rusticus vaccam pulcherrimam, cujus lacte familiam uberrimè alebat: quam Iudex loci concupiscens, cum nullo pretio obtinere posset, seu vi seu fraude arripuit, aliâ ejus loco traditâ. Rusticus Comité adiens rem exposuit: Comes Iudicem accivit, & rem fasso vaccam restituere, & pro damno centum aureos eidem persolvere præcepit. Facto sic satis pauperi; at mihi, inquit, jam satis fieri volo, & quia fuisti pauperum oppressor & raptor, offendens me & Iustitiam, hoc crimen capite piabis. Et tradito mox gladio spiculatori, caput amputari jussit; cadaver ad locum ubi deliquerat deferri, & cunctis aliis Iudicibus ad funus invitatis sepeliri. Fuit Princeps laudatissimus pace & bello: qui ex uxore suâ Ioannâ filiâ Caroli Comitis Valesij genuit inter alios liberos Margaritam conjugem Ludovici Bavari, & Philippam Eduardi Tertij Regis Angliæ. Ipsáque ejus conjunx post viri obitum mundo renuncians, habitum religionis suscepit in monasterio Fontanellorum Cisterciensis Ordinis; de quâ posteà.

VIII. [r] Michov. lib. 4. cap. 9. Cromer. lib. 11.

INSIGNE PUDICITIÆ FACINUS MONIALIS POLONÆ.

Polonis hoc anno [r] ob non restitutam sibi Pomeraniam, Marchiam Brandeburgensem devastantibus; crudeliùs se gessêre Lituani pagani, & Russi schismatici qui auxilio ipsis venerant, impuberibus & senibus cæsis, ecclesiis & monasteriis passim direptis & incensis, matronis & virginibus contumeliosè constupratis. Inter quæ memoratur forte ac præclarum sanctimonialis cujusdam facinus: quæ capta à Lituano quopiam, cùm ad stuprum traheretur, rogavit ne sibi vim faceret, mercedis loco promisso quodam pharmaco, quo ejus corpus vulnerari nullo umquam ferro posset: & ut experimentum in se faceret, cervicem præbuit; quam credulus ille, sed delusus, gladio amputavit, admirans cariorem ei pudicitiam quàm vitam fuisse. Imitata sic egregia virgo antiquam illam *Euphrasiam*, [s] quæ simili arte martyrium in persecutione Diocletiani cum virginitate conjunxit.

[s] Niceph. Callist. lib. 7. cap. 13.

IX. CANONICIS ET EREMITIS S. AUGUST. COMMUNE TEMPLUM PAPIÆ.

Eodem anno Ioannes Pontifex, præter illa quæ superiùs diximus, Bertrando Legato Æmiliæ, ut in eos qui pertinaciter assererent, non esse peccatum mittere Saracenis alia, quæ in decretis Concilij expressa non essent, severè animadverteret, præcepit. Ac Monachis [t] S. Petri in cælo-aureo Papiensibus, in quorum ecclesiâ constabat esse corpus S. Augustini Ecclesiæ Doctoris; ut Fratres Ordinis Eremitarum ejusdem Sancti secum ibidem manere permitterent, mandavit; quod par esset ab eis etiam custodiri corpus sui fundatoris. Ac præcessisse visionem ejusdem Sancti id spondentis tradunt qui de eis egerunt [u].

[t] Pamphil. in Chron. Eremit. August. [u] Il. ibid. & Iordan. lib. 1. Vit. Fratr. cap. 8.

X. CONCIL. S. RUFI.

Eodémque anno, die 18. Iunij celebratum est in monasterio S. Rufi prope Avenionem, Concilium trium provinciarum, Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis; Archiepiscopis Galberto, Iacobo, & Bertrando, cum suis suffraganeis, & procuratoribus singulorum Capitulorum Ecclesiarum eorumdem: de morum reformatione, disciplinâ stabiliendâ, abusibus tollendis immunitate ecclesiasticâ conservandâ, & modo agendi cum regularibus. De quibus quamplurima sunt statuta condita; ferè eadem cum aliis quæ undecimo [x] pòst anno, ibidem, & ab earumdem provinciarum antistibus promulgata fuêre.

[x] Vid. infr. an. 1337. IX.

IESU CHRISTI Annus 1327.
IOANNIS XXII. Ann. 11.
VACAT. IMP. ROM. Ann. 14.
ANDRONICI Annus 45.

I. LUDOV. BAVARUS INGREDITUR ITALIAM

ANNO Christi millesimo treecentesimo vigesimoseptimo. Indictione decimâ, Ludovicus Bavarus vocatus (ut diximus) in Italiâ à Gibellinis, Tridentum primò in cõfiniis Germaniæ & Italię mense Februarij venit. Ad quẽ mox accessere omnes tyranni Italię, capita Gibellinorum aut per se aut per legatos, etiámq; Fridericus Rex Trinacrię per suos. Conventum est, ut Ludovicus Italiam ingrederetur; & ubi Mediolanum accessisset, darentur ei centum quinquaginta millia florenorum aureorum. Venerat enim Tridentum parvo & contemptibili comitatu, ac planè indignus. Sed pro magnis divitiis, splendidóque apparatu, habuit quicquid inter Episcopos aliósque Prelatos, & inter Religiosos Minores, Predicatores, Augustinianos, aliósque Ordines totâ ferè Christianitate fuit rebellium, apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, excommunicatorum, & ob multiplicia singulorum flagitia exauctoratorum, ceterísque eminentiorem Magistrum Teutonicorum, anathemate percussum ob ereptam nec restitutam Polonis Pomeraniam, atque ideò furiis in Ioannem Pontificem agitatum. Quorum consortio beatum se existimans aut ut benigniùs cum illo agamus, eorum consilio dementatus, in viâ peccatorum stetit, & in cathedrâ pestilentiæ sedit, tam petulante & immani audaciâ, ut ausus sit denunciare Ioannem Papam hæreticum, & indignum Pontificatu, cùm ob alia, tum maximè ob sententiam de paupertate Christi latam: quem & faceтuli homines Presbyterum - Ioannem vocabant. Digni certè magis commiseratione quàm indignatione; qui ridiculis istis ludis malitiosæ suæ fatuitati satisfacere damno & pernicie miseri Principis quærebant. His itaque sibi visis præclarè gestis, Bavarus die decimatertiâ Martij Tridento exiens, montano itinere Comum Insubrum urbem, indéque Mediolanum pervenit. Narrat prædicta Villanius [a] accuratissimus æquè ac sincerissimus ejus temporis auctor. Cui si parem singulis seculis, singulísque nationibus nancisci concessum fuisset, non tot reperirentur mendacia, fictiones, adulationes, hallucinationes, perturbati affectus, malignæ accusationes, frivolæ excusationes, & alia infinita id genus vitia, quibus carere debet historia, quibúsque nihilominùs ferè apud omnes scatet. Etiamsi non negemus aliqua etiam ejusmodi de rebus extraneis apud Villanium reperiri, quæ ipse aliorum relatione deceptus suis scriptis nimiâ facilitate inseruit.

[a] Vill. lib. 10. cap. 17.

LAUS IO. VILLANII HISTORICI FLORENTINI.

II. Criminationes mutuæ fratrum Vicecomitum.

Accusaverat jamdiù apud Bavarum, dum adhuc in Germaniâ erat, Marcus Vicecomes Galeatium fratrem suum majorem natu Mediolani tyrannum; de secreto cum Ioanne Pontifice inito fœdere, quo ei Mediolanum dedere spopondisset: invidiâ videlicèt quòd cùm esset idem Marcus inter omnes fratres strenuus manu, ac per superiora bella egregiam operam tam patri Matthæo quàm ipsi posteà Galeatio navâsset; haud tamen, ut conquerebatur, justa præmia acciperet, longeque à dominatu Mediolani, cui participare concupiscebat, removeretur. Habebátque socium querelarum, sicuti & expeditionem, Ludrisium patruelem suum. Et scripserat Bavarus ad utrumque fratrem, ut mutuæ concordiæ fideique erga se memores esse vellent: fore se quam primùm in Italia, & digna singulis præmia persoluturum. Ut autem Tridentum venit, perseveravit Marcus in suis accusationibus. Comum verò ad eum accedens ingenti pompâ ipse Galeatius, excusare habuit accusationem illam, aliásque ei etiam tum coram Bavaro ab iisdem Marco & Ludrisio improperatas; iidémque vicissim recriminationes Galeatij. Cum quibus omnibus benevolè agens Bavarus, totius rei cognitionem Mediolanum remisit: quò ipse unà cum conjuge pervenit decimatertia die Maij, magnificentissimè receptus à Galeatio. Ista pluribus Corius[b], in laudes Bavari profusus.

[b] Cor. Hist. Mediol. par. 3.

III. Coronam ferream accipit Ludovicus ab Episcopis execratis.

[c] Vill. lib. 10. cap. 19. Mut. Chron. Germ. lib. 24.

Post quæ Bavarus die Pentecostes [c] coronatus est corona ferrea in basilica Ambrosiana (quod Modoëtiæ debuisse fieri, aliàs diximus) à Guidone Petramalâ pseudoëpiscopo Aretino, quem vidimus anathemate damnatum & dignitate depositum, & à Paschale Brixiano pariter excommunicato & deposito. Aycardum enim Archiepiscopum Mediolalensem Ordinis Minorum, (non Prædicatorum, ut quidam faciunt) quod Pótifici ut par erat adhæreret extorrem fecerant Vicecomites: nec potuit reperiri qui ea solemnia erga execratum & exauctoratum obire vellet, præter ei similes execratos, & exauctoratos. Posteà verò prosequente Marco cum aliis querelas suas in Galeatium; ut res faciliùs procederet, cùm Bavarus Stephanum fratrum Vicecomitum minimum in familiâ accivisset, & pincernam constituisset; prout composita res erat, epulante ipso quodam die publicè, potioné quam Stephanus ei oblaturus pro officio erat, medicavêre furtim qui negotij sibi id sumpserat præsentissimo veneno: adeò ut cùm poculum præberet, jussus prægustare, confestim vertigine captus ciderit, paulóque pòst animam reddiderit. Quare Ludovicus Galeatium, ejúsque fratres Ioannem & Luchinum, filiúmque Azonē, ceu participes auctorésve sceleris captos, Modoëtiam amandavit in arcis carcere custodiédos, quem non ita pridem Galeatius fabricaverat furni nomine à depressa testudine: & prædictum fuerat, eum illi primum omnium inclusum iri. Sic justam divinitùs mercedem ipse referens evocati adversus Ecclesiam impij Principis; quam minatus est aliquando Dominus dum ait ultionem sumpturum se de inimicis suis per inimicos suos. Galeatio autem dejecto, Ludovicus ad imaginem antiquæ libertatis, vigintiquatuor viros

Vicecomites conjiciuntur in carcerem falsis accusationibus.

deputavit regimini civitatis Mediolanensis sub Comite Monfortio Germano, quem Vicarium suum in eâ constituit cum valido presidio Germanorum. Ita rem gestam narrant scriptores Mediolanenses [d].

[d] Cor. ibid. Ripamont. lib. 9.

IV. Fictæ causæ in Galeatium.

At Villanius nullâ fectâ mentione veneni, ait conjectum Galeatium fuisse sexto Iulij in carcerem, ob proterviam in Ludovicum exertam, & dilatam solutionem pecuniarum promissarum. Itaque etiam Auctor Pistoriensis. Bossius verò, ob nefandam civium in Galeatium invidiam, quâ priùs oppressus est quàm quod animo conceperat exequi posset; nempè adulterinum Imperatorem, stipendiariúmque suum omnibus viribus & subsidiis nudare. Addit autem Villanius; cùm ex atroci illo in Vicecomites facto ingratissimus apud omnes Bavarus audiret, cunctique per Italiam Gibellini sibi propterea ab eo timerent; convocatis illis duodecimo Augusti apud Urceos Brixiani agri oppidum, facinus excusâsse ostēsione literarum Galeatij, sive veræ illæ seu falsæ essent, ad Legatum Apostolicum contra ipsum Bavarum scripturam: Eodem conventu in contemptum Ecclesiæ tres pseudoëpiscopos creâsse, Cremonæ, Comi, & Tifernæ. Et post accepta eò usque à Mediolanensibus ceterisque Gibellinis ducenta millia florenorum aureorum quibus maximè indigebat: superato Apennino in Etruriam îsse: Pisas civitatem sibi amicam, sed tamen eum admittere, vel ejus avaritiæ, vel improbitatis Castrucij Castracanis Lucæ domini formidine detrectantem, sexto Septembris obsidione cinxisse: derelictúmque à Guidone Episcopo Aretino, de quo nuper, ob contentionem cum Castrucio habitam, (cujus angore in morbum incidens, mortuus est pœnitens & juratâ Pontifici obedientiâ) eam opera Castrucij cepisse octavo Octobris, & post exacta à civibus centum & sexaginta millia florenorum aureorum; Lucam petiisse tertio Novembris; & undecimo Castrucium creasse Ducem Lucæ Pistorij, & Volaterrarum, acceptis ab eo quinquaginta millibus florenorum aureorum: Indéque reversum Pisas, ac rursùm ab iis magna vi auri exacta; multùm sollicitatum à Romanis adventum accelerare priusquàm Robertus Rex Siciliæ Urbem occuparet; decimoquinto Decembris iter Romam versùs instituisse, ac per multiplicia Hiberni temporis incommoda, Viterbium pervenisse die secunda Ianuarij. Ita accuratè Villanius [e].

Emungit civitates Gibellinas.

[e] Vill. c. 31. & sex seqq. & 49.

V. Petita Ioan. Pont. per nuncios coronam Imperialem.

Ne autem aliquid de rebus ad coronam Imperij suscipiendam peragi solitis omittere videretur; cùm moris esset Pontificem ad eam tradendam interpellare, eodem ipso tempore quo tam nefanda in Ioannem Pontificem palam omnibus committebat, Mediolano oratores ad eum misisse dicitur [f] Avenionem, rogatum ut more majorum Imperialia insignia sibi benignè conferret: Iisque ignominiosè à Pontifice rejectis, quinimmò eodem ipso peremptoriè citato Avenionem, & statutis Ecclesiæ se subjicere jusso; nihilominùs alios rursùm id ipsum rogaturos direxisse eodem successu. Denique tradit Villanius [g] Pontificem hoc anno die vigesimo Octobris ultimam in Bavarum sententiam excommunica-

[f] Cuspin. de Cæsar. Trith. in utroque Chron.
[g] Vill. c. 37.

VLTIMA IN EUM EXCOMMUNICATIONIS ET DEPOSITIONIS SENTENTIA.

tionis & depositionis, velut in persecutorem Ecclesiæ & fautorem hæreticorum, publicâsse: Etiámque jam antè, nempè die sancti Ioannis Baptistæ vigesimo quarto Iunij, Cardinalem Vrsinum Legatum Etruriæ publicâsse Florentiæ novos processus à Pontifice missos contra Bavarum, uti hæreticum & persecutorem Ecclesiæ. Additque Rebdorffius in suis Annalibus, eodem tempore misisse in Germaniam, Priorem Tolosanum Hospitalariorum ad Electores Imperij ut alium Regem eligerent: & cùm Archiepiscopi Moguntinus Coloniensis ad id procedere vellent, Treverensem ac Regem Boëmiæ obstitisse. Reperiuntúrque in Regesto Pontificis literæ [h] hujus anni, quibus diem electioni præscriptum, propter nonnulla Septem virorum impedimenta ad sex menses prorogavit. Quantumvis sint [i] qui hæc in annos superiores referant; ac Priorem ex eo procerum comitio revertentem, à Basileensibus Bavari fautoribus in fluvium Rhenum præcipitem actum esse. Denique & *Marsilium de Padua*, & *Ioannem Iandunum* ex præcipuis seductoribus Bavari, damnatos esse hoc anno à Ioanne Pontifice unà cum ipsorum erroribus, (quos aliâ occasione superiùs [k] recensuimus) constat ex die appositâ sententiæ contra eos promulgatæ; nempè decimâ Calendas Novembris anno Pontificatûs duodecimo, qui incipit septimo Idus Augusti.

[h] *Ep. 167. an. 11.*

[i] *Bzov. an. 1325.*

MARSILII ET IANDUNI CONDEMNATIO.

[k] *An. 1324. VII.*

VI.

[l] *Vill. c. 12.*

ROBERTI REGIS ADVERSUS LUDOVICUM PROVIDENTIA.

Rex verò Robertus [l] nihil omittens necessariæ sollicitudinis, ex unâ parte classe de more annuo immisit in Siciliam ad eam devastandam, pari prioribus incursionibus successu; ostiáque Tiberina navibus Genuensibus occupavit: ex alterâ per fratrem suum Ioannem Achaïæ Principem omnes aditus regni sui munivit; eumdémque Romam versùs in subsidium Vrsinorum aliorúmq; Pontificiorum misit ad arcendum Ludovicum Vrbis aditu. Qui à Romanis repulsam passus, irritatis de direptione civitatis Ostiæ à Genuensibus factâ; cùm nihilominùs unà cum Legato qui advenit, nocte vigesimi-septimi Septembris civitatem Leoninam ingressus esset; (pars est Vrbis [ll] Romæ trans Tiberim, quam hodie Burgum vocant) coacti sunt acceptâ magnâ clade eam deserere, eò quòd nemo Romanorum qui favorem spoponderant sese illis obtulit metu adversæ multitudinis, quæ ad sonum campanæ Capitolinæ contra Legatum & Principem armata advolavit. Cùm verò timerent Romani ne iterum invaderentur; Ludovicum frequentibus nunciis, & ingentibus pollicitationibus adventum maturare impensiùs institerunt. Qui quòd non minori ferretur de Roberto Rege, à quo Gibellini tot mala passi essent, vindictâ sumendi, quàm insignia Imperij Romæ adipiscendi cupidine: Carolus Dux Calabriæ, qui Florentiæ eatenùs constiterat, & tam civitatem à vi Bavari & Castrucij incolumem servaverat, quàm etiam nonnulla munitissima loca Castrucio abstulerat; (quamvis non tanto ardore bellum gessisset, quanto Florentini desiderâssent, pro immensitate factarum impensarum, quas novemdecim mensibus novies centena millia florenorum aureorum excessisse compertum est.) ad tutandum regnum cum bonâ gratiâ Florentinorum discessit ad finem Decembris; relicto ad custodiam illius urbis Philippo Sanguineto Calabro cum mille equitibus.

[ll] *Vid. Epit. an. 848. I. & 852. I.*

VII.

[m] *Vill. c. 41.*

CECCI ASCULANI ASTROLOGI SUPPLICIUM ET ERRORES.

Priùs tamen quàm ipse abiret, nempè decimosexto [m] Septembris, ibidem Florētiæ quidam Ceccus (Franciscus scilicèt) Asculanus, qui fuerat astrologus prædicti Ducis, & multa prædixerat quæ obvenerant; judicio Inquisitoris fidei dānatus de hæresi & pravo exercitio astrologiæ judiciariæ igne combustus est Bononiæ tractatum ediderat in sphæram: quo inter alias blasphemias docebat, in superioribus orbibus spiritus malignos generari, qui per incantationes sub certis constellationibus constringi poterant ad res admirabiles faciendas. Et stellarum influxionibus necessitatem absolutam tribuebat; adeò ut Christum diceret in mundum venisse conformante se voluntate divinâ cum necessitate astrorum; ex quâ pariter & pauper nasci, & desidiosam vitam cum suis discipulis agere, & turpem mortem obire necesse habuerit: contra verò Antichristrum ex positurâ astrorū in ejus nativitate futurâ, fore necessariò divitem, potentem, ac splendidum. Addebat multa alia vana & blasphema. Dicebatur tamen post damnatum librum suum Bononiæ, ab iis destitisse; sed Ducis Cancellarius Episcopus Aversanus ex ordine Minorum, indignum existimans ejusmodi hominem, qui & præterea valdè licentiosam vitam ducebat, in Comitatu Ducis existere, eum comprehendi & puniri curavit: Accedente, ut ferebatur, invidiâ in eum Dini [n] Garbiensis, insignis philosophi ac medici Florentini, qui decimoquinto die post supplicium Cecci diem suum obiit.

[n] *Vill. c. 42.*

VIII.

REX ANGLIÆ SCOTIAM INVADIT SUO DAMNO.

Quo eodem anno, postquàm junior Eduardus abjecto patre Rex Angliæ, sicuti vidim[us], creatus est; ut regnum aliquo operæpretio auspicaretur, copias quas tam ex Angliâ quàm ex partibus ultramarinis validas habebat, in Scoto duxit fines Angliæ devastantes. Sed irrito conatu, ex socordiâ magis Anglorum quàm Scotorum fortitudine; cùm nec ad manus ventum sit, nequaquàm ausis Scotis aperto marte congredi cum Anglis numero longè superioribus. Parùm tamen abfuit quin nocte quadam Rex ipse in suo tentorio interceptus fuerit à Iacobo Douglassio Scotorū duce viro strenuissimo, qui eum ducētis solis equitibus eò usque latenter penetrans etiam quosdam ex ejus ministris occidit: & multitudine excitatâ ferro sibi viam ad reditum aperiens incolumis cum suis ad unum omnibus in locum tutum se recepit. Rem narrant earum gentium scriptores [o], necnon Frossartes [p] valdè prolixè. Facta autem post hæc pax est inter eos; quam Angli turpem vocant: qua videlicèt Scotia declarata est immunis ab omni jure quod Angli sibi in eam usurpaverant: fines ejus constituti Northūbria ab Oriente, Cumbria ab Occidente: Robertus pro damnis quæ Angliæ intulerat, triginta marcarum millia præsenti pecuniâ pēdere damnatus: & in vinculum concordiæ, Ioanna soror Eduardi Davidi filio Roberti Regis Scotiæ desponsa.

[o] *Vvalsingh. in Eduar. II. in fi. & in Hypodigm. hoc an. Ioan. Major. lib. 5. c. 7. Bœth. lib. 14. Lesl. lib. 7.*

[p] *Frossart. lib. 1. c. 19.*

SCOTIA LIBERA DECLARATA AB ANGLORUM CLIENTELA.

IX.

IACOBI REG. ARAGONIÆ OBITUS.

Hoc eodem anno quarto Nonas Novembris Barcinone mortuus est *Iacobus* Rex Aragoniæ, cùm sextum & sexagesimum ageret ætatis annum, regni trigesimumsextum; & in

cœnobio Sanctarum Crucium sepultus: Princeps æquitatis & religionis laude insignis. In cujus locum successit filius *Alfonsus* ejus nominis Quartus, quem vidimus Sardiniam expugnâsse; annum ætatis agens vigesimum octavum.

X. S. Rochi transitus. q *Baron. in Martyrol. Sur. de SS. 16. Aug.*

Obiit pariter hoc item anno q *Sanctus Rochus*: qui parte Ioanne, matre Liberâ; urbis Montispessulani, sive Mompellerij provinciæ Narbonensis dominis natus, & cruce rubrâ insignitus in lucem editus; illis duodennis orbatus, pecuniam ac mobilia omnia in Pauperes distribuit, Principatum patruo commendavit: & vili veste peregrini habitu in Italiam contendens, variis locis peste infectis saucios solo signo Crucis sanitati restituit. Româ quoq; ab eâdem lue liberatâ, Placentiæ cùm multis pariter cruce impressâ sanatis, nonnullos manibus contrectaret, sævissimo ulcere sinistrâ coxâ percussus, & febre insuper ardentissimâ adustus, eos dolores ingenti patientiâ sustinuit. E' xenodochio in proximam silvam se conferens, à canibus venaticis cujusdam Gothardi qui ei eleemosynam denegaverat, frusta panis aliquamdiù accepit: eâque re à Gothardo animadversâ, ipsemet socium se Sancto adjungens, ad summam perfectionem ab ejus disciplinâ evasit. Mompelleriũ revertens, cùm omnibus incognitus pro exploratore comprehensus fuisset, toto quinquennio squalorem & pædorem carceris invictâ patientiâ toleravit. Precatus moriés ut dignaretur Deus quoscumque peste correptos sanare, susceptis piissimè sacramentis obdormivit in Domino: ejúsque nomine ac progenie in tabellâ à patruo repertis, maximo honore sepultus, & confestim multis miraculis nitescere cœpit; tutissimum divinâ misericordiâ refugium peste & epidimiâ laborátibus. Quod & Patres Concilij Constátiensis anno millesimo quadringentesimo decimoquarto publicis sub ejus invocatione initis supplicationibus ejúsq; imagine solemni pompâ per urbem delatâ, senserunt. Ex quo satis visus ab Ecclesiâ approbatus, & ut loquuntur canonizatus, ubique locorum ejus venerandæ imagines, altaria, sacella, templa erecta, ac festus dies impensus. Ac nuper ab Urbano VIII. concessum, ut in omnibus Ecclesiis & sacellis eidem sacris, Officium recitetur & Missa. Corpus Venetias anno millesimo quadringentesimo octogesimo quinto (ut volunt) furtim translatum, summâ ibi veneratione colitur.

Iesu Christi Annus 1328.
Ioannis XXII. Ann. 12.
Vac. Imp. Rom. Ann. 15.
Andronici Annus 46.

I. Ludovicus Urbem ingreditur.

Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo-octavo, Indictione undecimâ, ortâ inter Romanos, ac præcipuè Quinquaginta duos electos discordiâ super admissione Ludovici Bavari; quem evocaverant, nonnullis eam cupientibus, aliis detrectantibus; vicit aliorum sententia ut certis pactionibus reciperetur: Missíque sunt ad eum Viterbium qui de iis tractarent. Cùm interim Sciarra Columnius & Iacobus Sabellus duces populi, unà cum Theobaldo sancti Eustachij; qui populum in partes Ludovici traxerát, & potentiores Pontificis & Roberti Regis amicos expulerant; corrupti recèns pecunia Castrucij Castracanis qui Ludovicum comitabatur, & in quo tum uno illius opes spésque sitæ erant, secretò eum hortati sunt ut posthabitis missorum tractatibus, quàm primùm ad Vrbem accederet. Qui illis obaudiens, retentis obsidum loco prædictis missis, cum quatuor millibus equitum Romam ingressus est die 7. Ianuarij exceptus gratanter à suis; sed reliquis adeò exosus, ut Vrbe excedere maluerint quàm cum eo communicare; & maximè Clerus, qui quòd Vrbs interdicto supposita à Ioanne Papâ ipsiúsque Legato Ioanne Cardinale Vrsino fuisset; ac prætereà tam ipse Ludovicus excommunicatus esset, quàm secum plurimos adduxisset Prælatos & clericos ac religiosos apostatas excommunicatos & depositos nullis minis induci potuit ut officia divina celebraret. Adeò ut & sanctum Christi Sudarium à canonico ejus custode absconditum fuerit, ne visu eorum contaminaretur; & totâ Vrbe justitium rei sacræ fuerit, nisi quam profani illi profanabant.

II. Et coronatur.

Delecto verò à Quinquaginta duobus viris ad eum coronandum, prædicto Sciarrâ, (Stephanum tamen Columnium Sciarræ genitorem huic rei electum alij tradunt; alíique, fuisse ad hoc opus coronationis quatuor nobilissimos cives electos; prædictum scilicèt Sciarram Columnium, Vrsum Vrsinum, Buchium Processum, & Petrum Montenigrum) die Dominico 17. Ianuarij, quantâ potuit in illa excommunicatorum colluvie fieri celebritate, idem Ludovicus, unà cum conjuge, à duobus pseudoëpiscopis ob sua demerita excommunicatis & depositis, Iacobo Castellano, hoc est Venetiarum, nepote Nicolai Cardinalis Pratensis, & Ellerensi in Corsicâ Ordinis S. Augustini, execratus est potiùs quàm consecratus in basilicâ S. Petri; & à prædicto Columnio coronatus. Móxque ut omnes sibi conciliaret, tria decreta promulgavit, de fide Catholicâ, de clericis honorandis, ac de viduis & pupillis defendendis. Cùm verò jam anteà creatus fuisset à populo Senator Vrbis & Dux populi in annum, eam tunc dignitatem in Castrucium transtulit. Et præmium coronationis Columnio contulit, ut gentilitio familiæ insigni, quod est Columna, corona superponeretur: quod & retinuerunt hactenùs posteri, quasi præclarum fuerit impiè fecisse: sed eluerunt deinceps præclari facinoribus pro Ecclesiâ & Republicâ Christianâ patratis hanc culpam.

Vnde familiæ Columniensi corona in insignibus.

III.

Cùm autem interim Philippus Sanguinettus relictus à Carolo Duce Calabriæ, ut vidimus, Florentiæ, urbem Pistorium nocte diei vigesimi octavi Ianuarij magnâ fortitudine & gloriâ intercepisset: Castrucius hæc audiens, confestim acceptâ à Ludovico abeundi veniâ, Pisas improvisò accessit, eásque suas fecit, & subsidiis oneravit: ac Pistorium posteà magnâ Florentinorum culpâ simul & damno, obsidione recuperavit ad principium Augusti. Ludovicus autem pecuniarum egentissimus,

LUDOVICUS EXIGIT AB OMNIBUS PECUNIAS.

sicuti ingratum se in Vicecomites qui eum Mediolanum introduxerant exhibuerat, ita & nunc eumdem se in alios præbens, & à domino civitatis Viterbij, qui ipsum benevolè exceperat, quòd pecuniosum esse sciret, de inclinatione in Regem Robertum accusato, crudelibus tormentis triginta millia florenorum auri extorsit; & à dilectis suis Romanis parem summam exegit; atque ut cibaria Germani sine pretio caperent permisit; (unde & magna aliquando seditio cædésque eorum à populo facta est) & à proceribus Romanis, ipsóque Castrucio, quibus coronam debebat; enixissimè rogatus Galeatium Vicecomitem carcere emittere, vix exorari potuit, & morositate suâ non parùm deprecatores, sicut & alios rapacitate offendit. Qui quidem Galeatius sic ægrè dimissus ad Castrucium sibi amicissimum priùs veniens quàm ad Ludovicū, mortuus est in obsidione Pistorij miser & extorris, qui tot alios longissimè se meliores miseros fecerat & extorres; ad sepulturam illatus Lucam, quamvis in excommunicatione [a] mortuus. Quem secutus est ipse Castrucius tertio Septembris in magno cursu prosperitatis suæ, natus tantummodò septem & quadraginta annos; sacramentis quidem susceptis, sed impœnitens persecutionis Ecclesiæ & rebellionis in Pontificem, in quibus se nihil deliquisse existimavit. De utroq; Castrucio scilicèt & Galeatio, est testimonium apud Sanutum [b] Venetum; cùm his temporibus promovere apud omnes satagens negotium Recuperationis Terræ Sanctæ, & quantùm ei obstiterint istorum factiones quibus Tusciam & Lombardiam commoverint ostendens; vocat eos duas formicas de pulvere emersas, quæ mirabiliter elevatæ de nihilo universas regiones corroserunt.

GALEATII ET CASTRUCII MORS.

[a] Vid.inf. an. 1353. XV.

[b] San. ep.3. ad Ingram Archiep. Capuan.

IV. LUDOVICUS IUDICIUM AGIT CONTRA IOANNEM PONTIF.

Intereà verò longè majora moliens Ludovicus, imprimis decimo quarto Aprilis legem sanxit contra hæreticos qui malè de Deo aut Imperatore sentirent; exponens eos fautorésque eorum judicio cujuscumque judicis etiam non rogati. Sic videlicèt specie pietatis (quam potius ludum mimicum dixerit qui aliquid sensûs in capite habuerit) viam præparans ad nefas secuturum. Quo quidem Ludovicus ad diem decimum octavum ejusdem mensis Aprilis, Imperatorio cultu sedens in throno majestatis suæ supra gradus Ecclesiæ sancti Petri; indicto silentio, fecit primò per Fratrem Nicolaū Fabrianensem Ordinis Eremitarum sancti Augustini, fugitivum è carcere cui fuerat à Generali suo in perpetuum damnatus, trinâ vociferatione percontari, (erat etenim voce Stentoreâ) num aliquis esset qui vellet suscipere defensionem Presbyteri Iacobi Cadurcensis qui se Papam Ioannem XXII. dicebat? Cúmque nullus respondisset, Abbas quidam ex Germaniâ (Fuldensem fuisse volunt [c]) concionem habens; post multa in laudem ac zelum Ludovici, & infamiam ac dedecus Ioannis Pontificis deblaterata, sententiam ex scripto valdè prolixam legit: quâ significabatur, ipsum Ludovicum rogatum à Syndicis & procuratoribus Cleri ac Populi Romani, in prædictum Iacobum Cadurcensem, Ecclesiæ cujus se Episcopum dicebat desertorem, & Romanorum persecutorem, pro auctoritate suâ agere; ac de legitimo Pontifice Ecclesiæ Romanæ providere velle, exemplo Othonis olim Imperatoris: cúmque diligenti inquisitione super ejus facinoribus factâ, reperisset illum, præter desertionem Sedis Romanæ, Pecuniarum acervos per decimationes iniqua specie Belli sacri extorsisse; quas non in Saracenos, sed adversùs Christi fideles & Romani Imperij studiosos, additâ etiam Crucis prædicatione, & thesaurorum Spiritualium largitione, impenderet: Auxilia à Rege Francorum, aliísque Principibus, Regi Armeniorum magnis gemitibus ea poscenti, in Romanos aliósque Imperij cultores deflexisse: Beneficiorum Ecclesiasticorum distributionem sibi contra jus reservare; eáque indignis, etiámque simoniacè conferre: Potentiâ & consilio novi Ioab Principis militiæ, & Abiathar Sacerdotis, (scilicet Roberti Regis, & Ursini Cardinalis Legati) schismata pestifera & pravas hæreses in Ecclesiâ Dei suscitâsse: Cardinales, aliósque Prælatos adeò gravi jugo premere, ut ne mutire auderent: Doctrinam Christi & Apostolorum de dominio temporali Imperatorum subvertere; utramque potestatem sæcularem & spiritualem confundere; atque Imperatoris confirmationem aut reprobationem, sibi temerè attribuere: denique de paupertate Christi & Apostolorum contra sensum Catholicum definiendo, inter notorios hæreticos sese constituisse; adeóque se ipsum Pontificatu privum fecisse: Propter hæc dictum Ludovicum sententiam depositionis in eundem Iacobum pronunciare, omníque beneficio atque Ecclesiastici ordinis ac sæcularis, auctoritatis prærogativâ spoliatum declarare, & sæculari cuilibet judici puniendum objicere: conscios ac complices omnes fautorésque, sive Reges aut Principes essent, seu alterius cujuscumque conditionis homines, privatione dignitatis, publicatione bonorum, & capitis pœnâ damnare: Pontificémque Maximum se brevî Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ tanto culmine dignum daturum. Quorum magis summam quàm verba ipsa stylo suo virulentissimo, ut solet, confecit impudentissimus Aventinus [d], & in Annales suos Boicos transtulit.

[c] Ciaccon. in Ioann. XXII.

QUÆNAM EI OBIECERIT.

SENTENTIAM DEPOSITIONIS IN EŪ PRONUNCIAT.

[d] Avent. lib.7.

V. EGREGIŪ FACINUS IACOBI COLUMNII CONTRA BAVARUM.

Ad hæc verò furialia ausa cùm probi quiq; primorésque Romanorum obstupescerent, inventus est unus qui zelo plusquàm Phineefico exardescens, facinus sempiternâ memoriâ lōgè dignissimum obiit, quod Villanius [e] narrat: *Iacobus* nempè filius Stephani Columniensis adhuc adolescens: qui tacitè Romam ingressus, quarto die post prædictam infernalem sententiam pronunciatam, nempè vigesimo secundo Aprilis, ibidem in publicâ plateâ basilicæ sancti Marcelli, magnâ populi frequentiâ, Ludovico ad sancti Petri existente; sententiam à Ioanne Pontifice contra eundem Ludovicum latam, quam nemo hactènùs in Urbe promulgare ausus fuerat, integrâ perlegit: atque insuper imposturas Ludovici sententiâ contentas, ac præcipuè de syndicatu Cleri Romani contra Ioannem, apertè retexit & confutavit: Ioannem verum atque legitimum Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ Pontificem esse demonstravit; Ludovicū autem non Imperatorem, sed excommunicatum; pa-

[e] Vill.lib.10. cap.71.

riterque

ritérque Senatores Romæ, & Quinquaginta-duos electos, ceterósque omnes qui ei adhæsissent hereticos esse & excommunicatos asseruit: hæcque omnia non tantùm se verbis, verùm etiam exerto gladio cuicumque contrà sentienti probaturum. Post quæ, sententiam Ioannis à se perlectâ foribus prædictæ basilicæ manibus suis confixit: & conscenso equo unà cum quatuor comitibus abiit Præneste ad domum paternam; celeritate equitandi manus effugiens armatorum, quos summâ diligentiâ Ludovicus ad eum comprehendendum immisit. Eumdem verò Ioannes Pontifex, ubi rem audivit, ad se Avenionem accitum, valdéque commendatum, Episcopum creavit Lombariensem provinciæ Tolosanæ, secundum ab ejus Ecclesiæ per eumdem Ioannem Pontificem factâ initio Pontificatûs erectione; ídque ante legitimam ætatem, solâ virtutis admiratione facillimè dispensante; ut ait *Petrarcha* egregiâ post illius præmaturum obitum scriptâ ad fratrem ejus Ioannem Columnam Cardinalem consolatoriâ epistolâ [f]; quâ claras ejus laudes tractat, séque eum ad illam Ecclesiam comitatum esse, & canonicum in eâ creatum demonstrat; extántque ad eumdem ipsum Iacobum aliquot ejusdem Petrarchæ familiares epistolæ seriis jocis, atque eruditis leporibus conditæ: aliæque rursùm ad alios [ff] de eodem; quibus constat, cùm ab Ecclesiâ Lombariensi ad Patriarchatum Aquileiensem summo nobilium ac totius populi consensu ac studio peteretur; juvenem ab omni ambitione remotissimum, fidis suis ipsique Petrarchæ jurâsse, ascendisse jam altiùs quàm vellet, neque umquam ampliùs ascensurum: nec ita multò post tamen (subdit Petrarcha) ad cælestem dignitatem Christo vocante conscendit.

[f] *Petrar. 4. Famil. epist. 6.*

PETRARCHA CANONICUS LOMBARIENSIS.

[ff] *Id. 15. Rer. Senil. 1. & 4.*

VI.

LUDOVICUS CONSTITUIT LEGES DE FUTURIS PONTIFF.

Ceterùm sequenti ab hoc insigni facinore die, nempè vigesimotertio Aprilis, Ludovicus unà cum Populo Romano quasdam leges de futuris Pontificibus sanx[illegible]: nempè non alibi sessuros quàm Romæ; neque inde ultra tres menses singulis annis abfu[illegible] bidui iter se elongaturo[illegible] pe[illegible] populi Romani: absentes, tertiò vocatos, si non redirent, Pontificatu exciderent, aliúmque sufficere fas esset. A[illegible]m die duodecimâ Maij festo Ascensionis Dominicæ, ex legislatore plastes fastus, [illegible]um à se fictum protulit, & in cathedrâ p[illegible]ilentiæ constituit ut à cunctis adoraretur: C[illegible]m videlicèt comparens ipse Imperatorio o[illegible]natu ad gradus basilicæ sancti Petri cum su[illegible] sequacibus, ad pedes suos subsidente qu[illegible]am *Fr. Petro Rainalutio de Corba[r]io* siue Corbariâ oppido diœcesis Reatinæ Ordinis Minorum; qui olim legitimo conjugio ligatus; palàm reclamante uxore dictâ Ioanna Matthæi de Corbario, religionis habitum susceperat, & sanctitatis opinione vixerat; donec à Fr. Ioanne Ministro in Provinciâ Romanâ pro variis suis demeritis excommunicatus, & ad pœnam perpetui carceris condemnatus fuisset; ut disertè habetur in sententiâ contra illum, & alios præcipuos ejusdem Ordinis apostatas, à Gerardo Generale & Capitulo Ordinis latâ (ut dicetur) anno sequenti: Post concionem à suprà nominato Nicolao Fabrianensi apostatâ Eremitano de præsenti actione habitam; (quâ & Ludovicum per Angelum, Ioannem per Herodem designavit) per ritè depositum Episcopum Venetum interrogare circumfusam plebem fecit, utrùm Papam vellet prædictum Fr. Petrum? Cùmque plebs rerum novarum cupida, haud difficulter, confusis tamen vocibus, annuisset: surgens Bavarus eumdem Petrum Pontificem declaravit, indito nomine *Nicolai Quinti*; anulúmque digito imposuit, manto induit, in solio ad dextram suam collocavit, ac demùm in basilicam S. Petri introduxit, ut abominationem desolationis in templo collocaret. Qui & mox à supradicto Iacobo Castellano & aliis schismaticis & exauctoratis Episcopis consecratus, seu potiùs exsecratus est. Nihil aliud in hoc patrādo scelere (ut loquitur Blondus) quærente Ludovico, quàm ut Ioannis Pontificis auctoritate comminutâ, liberiùs ipse rem Italicam perturbaret.

PONTIFICEM CONSTITUIT MINORITAM EXCOMMUNICATUM, SUB NOMINE NICOLAI.

VII.

Triduo pòst, nempè 15. Maij, prædicta bellua septē sibi alia capita ut illa Apocalypsis [g] assumpsit; septē videlicet creans Pseudo cardinales similes sibi; nimirùm prædictos Venetum, Fabrianensem, & Fuldensem: Abbatem item S. Ambrosij Mediolanensis, olim ob crimen hæresis exauctoratum; Episcopum Mutinensem, & duos populares Romanos schismaticos & Ecclesiæ rebelles; nominatis etiam quibusdam aliis Romanis, qui renuerunt hoc vituperio cōmaculari. Ceteros autem Ludovicus Imperatoriâ auctoritate confirmavit. Et sacro Pentecostes die, postquam ipse Corbarij capiti pileum rubrum imposuit, voluit vicissim ab eo iterùm coronari, & in Imperio confirmari: sic scurriliter inter sese habentes, magnâ tum majoris partis Romanorum, ceterorúmq; qui aderant Italicorum, tum ipsorummet Germanorum irrisione simul atque indignatione & detestatione. Cōstituit nihilominùs Corbarius Legatos variis provinciis, & Rectores civitatum Ecclesiæ Romanæ vectigalium: Episcopos item creavit suî cōsimiles: Et sexto Calēdas Iunij adversùs Ioannē Pontificem decretum promulgavit, ne ampliùs Pontifex, sed Iacobus de Cadurco à quoquā nominaretur; eos qui secùs fecissent, quíve assumptionem suam illegitimam dicere auderent, anathemate notans; & inter hæreticos numerans. Multos, qui iib[illegible] ex Clero adhærere renuebant, beneficiis & dignitatibus exuit: Et quamvis Ioannem hæreticum censuisset ob negatam paupertatem Christi & Apostolorum; quā ipse cum suis Pseudominoritis jactabat; ipse nihilominùs & familiæ pompâ, & pretiosis ornamentis, & lauto victu excellere quæsivit ne contemptui esset. Quando & prędicta Ioāna ejus uxor (ut Bernardus [h] Guidonis habet) ipsum repetiit in judicio coram Episcopo Reatino, oblato libello; & pro illâ fuit ab eodem Episcopo lata sentētia publicè servato juris ordine, penultimâ die mensis Novembris hujus ipsius anni; sicuti ex transumpto sententiæ à se viso narrat Bernardus.

[g] *Apocal. 12. 13. 17.*

CORBARIUS CREAT CARDINALES.

IOANNEM PONT. CONDEMNAT.

[h] *Bern. in Ioan. XXII.*

VIII.

Ludovicus autem postquàm ita præclarè Ecclesiæ providit, quæ item erant temporalitatis Imperij curare satagens, imprimis confirmatâ solemniter sententiâ ab Henrico VII. Imperatore contra Robertum Siciliæ Regem, Florentinos, ac reliquos Guelfos & Pontifi-

BAVARUS ADVERSUS ROBERTUM RE-

GEM MOVET NULLO EFFECTU.

cios latâ, & à Sede Apostolicâ (ut vidimus) irritâ factâ; dein adversus eundem Robertum movens, magis ut oppidula quædam Romæ vicina expilaret, cùm omnium rerū egentissimus esset, quàm spe aliquid proficiendi; (amiserat enim prędictis suis ridiculamentis occasionem rem benè agendi; cùm omnes consentiant, si ab initio exercitum rectâ duxisset in Robertum, facilè eum imparatum oppressurum fuisse: sed quem Deus odit, sensu etiam privat:) seditiones passus exercitûs ob prędam oppidi Cisternæ, (olim Trium-tabernarum) coactus est retrò cedere. Et postquàm vidit se delusum à Friderico Trinacriæ & Gibellinis Italiæ, qui promiserant ad certum tempus jam elapsum cū copiis & pecuniis affore; & invisum se Romanis cerneret: ceterorum omnium consiliorum inops, decrevit in Etruriam, & Lombardiam, indéq; in Germaniam regredi. Fugientis autem ferè in modum, unà cum suo Corbario ejúsque infami curiâ, Româ die 4. Augusti abeunte, populus jam totus in alium mutatus, diris & maledictis incessit, hæreticos & excommunicatos vocans, mortémque illis, vitam Ecclesiæ ac Ioanni Pontifici conclamans; lapidibúsq; etiam multos ex eorum comitatu impetens, & aliquos occidens. Noctu autem insequente Bertholdus Ursinus Legati nepos ingressus est Urbem cum manu validâ; manè verò Stephanus Columna: fuerúntque ambo creati Senatores Romæ Octavo item Augusti adveniens ipse Legatus, cuncta reformavit; processus, edicta & acta Bavari & Corbarij publico comitio rescidit, & igne combussit. Tantúsque fuit ardor omnium in perfidam gentem, ut etiā pueri cadavera Germanorum aliorúmque Ludovici asseclarum effoderent, & uncis in Tiberim traherent. Denique furenti plebi vix se Sarra Columnius, Iacobus Sabellus, ac ceteri proceres qui Ludovicum introduxerant fugâ eripuêre; bonis tamen eorum direptis, ac domibus dirutis. Post quæ demùm die 25. Augusti missi à Roberto Rege octingenti equites & longè major peditum numerus, Urbem planè securam; & Pontifici Ioanni ac Roberto Regi in omnibus obsequentem reddiderunt.

ROMAM DESERIT, QUÆ IN FIDE IOANNIS CONFIRMATUR.

IX. TEMPUS INUTILITER CONTERIT.

At Ludovicus Viterbium, indéque Tudertum iit, quàcumq; transiret tamquam in terrâ hostili omnia ferro & igne vastans, & multa loca quà vi quà proditione in vanum tentans, nonnulla etiam ad direptionem occupans Florentiam cogitās cum auxiliis Castrucij adhuc viventis aliorúmq; Gibellinorum, Cornetū vocatus est à Petro filio Friderici Regis Trinacriæ, qui eò appulerat cum octoginta quatuor triremibus. Cum quo valdè questus quòd nō præscripto tempore advenisset, nec promissas pecunias detulisset, rursùm Pisas revocatus ob mortem Castrucij; Petrum eò pariter cum classe appulsum, post lōga & inutilia habita de invasione regni Roberti cōsilia, re omni infecta à se dimisit; qui in reditu universam ferè classem vi tempestatis amisit. Ludovicus autem reliquum tēpus præsentis anni totámque hiemem insumpsit apud Pisas & Lucā in ordinandis rebus illarum civitatum, modò in favorem filiorum Castrucij, modò in aliorū à quibus copiosiores pecunias acciperet, prædictas civitates omninò depauperans: Quando & magna pars equitatûs Germanici eum deseruit ob defectum stipendiorum. Qui nihilominùs ut inter has rerum suarum confusiones majestuosam suam auctoritatē ostentaret, die decimatertiâ Decembris Pisis convocatis Gibellinis, post orationem seu potiùs invectionem contra Ioannem Papam per Michaëlem de Cesenâ olim Ministrum Generalem Minorum factam; eâdem mimicâ potestate sententiam privationis in eum pronunciavit, quâ Romæ id ipsum præstiterat, ubi ea sententia tantùm non in oculis ejus igne combusta fuerat. Et erit justo Dei judicio, sicuti videbitur, ut ibidem Pisis idolum ab eo fabricatum pariter corruerit.

IN IOANNEM ITERÙM SENTENTIAM PRONUNCIAT.

X.

Atque hactenùs de heroicis gestis hujus anni Ludovici. Cui sanè longè utilius atque honorificentius fuisset, inter suos Germanos vanè gloriari, & formidādum se etiam Italis minacibus suis jactantiis eminùs reddere; quàm penè nudum in modum prædonis advenire ad expilandam & excutiendam Italiam; nullo suo fructu, ingenti aliorum ruinâ; hostibus minimùm nocuum, amicis nocentissimum, nullâ in utrosque fide; nullo operæpretio aut belli aut pacis; nisi quòd in suî derisum & cōtemptum tam apud exteros quàm proprios suos, concepit dolorē & peperit iniquitatem. Quæ verò sunt ejus reliqua dicentur annis sequentibus. Hæc autem quæ diximus tractantur diligentissimè à Villanio [i] qui ob oculos habuit; cultore eximio veritatis. Firmātúrque, & in nonnullis illustrantur, quoad res Castrucij & Pistoriensium, ab Auctore sæpè citato illius civitatis; quoad reliqua à Rebdorffio [k], Leonardo, Antonino, Blondo, Platinâ, Nauclero, Avētino, Onuphrio, & aliis quamplurimis; præter manuscripta Vaticana quæ vidimus, aut ab aliis citantur. Nec omittimus rem laude dignam Friderici Regis Trinacriæ, quam Fazellus [l] narrat: nempè cùm Ludovicus idolum suum Corbarium adorandum proponeret, Fridericum ab Ioanne Pontifice tametsi Roberti Regis studiosissimo sibíque infensissimo nequaquàm voluisse separari; sed Ludovico rescripsisse, se cum eo in temporalibus & nō in spiritualibus fœdus iniisse. Quod boni si præstitit (neque enim facilè fides adhibenda Fazello, alìísque Siculis scriptoribus in rebus suorum Regum:) admonitionibus debuit Alfonsi Regis Aragoniæ ipsius nepotis: quem Surita [m] longè melioris notæ auctor tradit misisse Priorem Prædicatorum Barcinonensium ad Fridericum patruum, ut à fœdere quod cum Ludovico Ecclesiæ hoste icerat averteret: Verùm nihil eo commotum Fridericum etiam Isabellam filiam suam Stephano Ludovici minori filio in matrimonium collocâsse.

[i] *Vill. lib. 10. cap. 55. usque 115.*

[k] *Rebdorff. in Annal. Leon. lib. 5. Ant. [t.] 21. c6. Blond. 2 dec. 9. Platin. in Ioan. XXII. Naucl. gen. 45. Avent. [li]b. 7. Onuphr. de Pont. Rom.*

[l] *Fazel. 2. dec. 9.*

FRIDER. REX TRINACRIÆ NOLUIT CORBARIUM AGNOSCERE.

[m] *Sur. Ind. lib. 2.*

XI.

Minùs verò omittendum; Ioannem Pontificem quamprimùm audivit schisma corvinum, cùm orationes & sacrificia præsentissimum in omnibus calamitatibus remedium esse sciret; ad hos motus sedandos certas preces universis Christianis indixisse [n] duodecimo Calēdas Iulij, ac præsertim in Missis ad Deum effundendas, ut vel dignaretur corda hæreticorum, schismaticorum, aliorúmque rebellium ad Ecclesiæ unitatem ac devotionem inclinare; vel si pertinaces intenderent persistere,

PRECES PUBLICÆ INDICTÆ A IOAN. PONT.

[n] *Const. discipulorum Christ. extravag. com. de celebr. Miss.*

re, ipsorum superbiam elidere & malitiam cõterere: concessâ cunctis Fidelibus hæc exequentibus, viginti dierum indulgentiâ. Cùm jam ipso anni exordio, ad Ludovici in Urbem accessum, Cardinalis Ursinus Legatus publicas supplicationes pro iisdem Ecclesiæ necessitatibus tam Clero quàm populo præscripsisset [o], cum erogatione Indulgentiarum. Et exaudisse Deum supplicum preces, satis intelligitur ex iis quæ diximus de mortibus Galeatij & Castrucij atrocissimorum Ecclesiæ hostiũ; de seditionibus & secessionibus exercitûs hostilis; turpi fugâ Ludovici; naufragio classis Fridericianæ. Quando & mortuus quoque est præcipuus scelerum incentor Marsilius [p] Patavinus: itémque Passarinus [q] tyrannus Mantuæ occisus à Ludovico Gonzagâ cive Mantuano, qui dominatum civitatis usurpavit: aliæque variis locis illatæ sunt clades Gibellinis, sive à Pontificiis, sive propriis inter se proditionibus; vindicante se divino numine de inimicis suis per inimicos suos.

o Vill. cap. 54.

p Id. cap. 104.
q Id. cap. 101.

XII. MICHAEL DE CESENA FUGIT A PONTIFICE.

Quod autem *Michaëlem de Cesenâ* superiùs contra Ioannem Pontificem declamantē memoravimus; cùm pòst Capitulum Perusinum, de quo aliàs [r], & sententiam Pontificis de illius decreto super Christi paupertate, non cessaret ille adversus [s] Pontificem obloqui; vocatus ab eo Avenionem anno superiori [t] tacitâ vocationis causâ, etiamsi ad dictam diem adductis morbi excusationibus nõ adfuisset; adfuit tamen posteà, & humanè exceptus est. Cùm verò non desisteret consilia & favores schismaticis continuò præbere, meruissétque propterea severiùs tractari, & ne elaberetur carcere includi; Pontifex tamen benignè cum illo agens; satis habuit sub excommunicationis, & ab officio Ministerij generalis depositionis pœnâ ipso facto incurrẽdâ inhibere, ne antequàm ejus causa examinata fuisset Avenione recederet. Verùm ille ubi primùm intellexit Petrum de Corbario evectum fuisse in solium pestilẽtiæ; arreptâ clàm fugâ unà cum aliis duobus iniquitatis sociis, *Bona-gratiâ* Bergomense Cõverso Ordinis, (qui olim procurator constitutus ad defendendum decretũ Capituli Perusini, procaciter ausus fuerat à sententiâ Pontificis de eo latâ appellationem interponere) & *Guillelmo Ockamo* Anglo, qui pariter Avenione sub jurejurando de non recedendo detinebatur: trireme à Bavarianis missâ ad eum pervenerunt. Pontifex autē fugâ eorum cognitâ, postquàm iterùm vocati per Cardinalem Portuensem ad eos missum, contumeliosis verbis negarent se comparituros, quinimmò ab ejus gravaminibus, & irrationabili, ut vocabant, persecutione appellarent; eosdem excommunicatos, & Michaëlem ab omni officio & gradu depositũ declaravit. Rem enim sic gestam esse, prolixè narrat ipse Pontifex in processu contra eos facto, & sententiâ [u] anno sequenti in eumdem Michaëlem repetitâ: commissâ [x] interim dum alius Generalis crearetur, Fr. Bertrando de Turre Cardinali Episcopo Tusculano ejusdem Ordinis Minorum, (non Bertrando de Podietto tunc Episcopo Ostiensi Legato Lombardiæ, ut quidam putârunt: is enim nimis occupatus erat rebus bellicis Italiæ: cui tamen non negamus, quod illi objiciunt, commissum fuisse à Pontifice assistere ipsius vice ejusdem Ordinis Capitulo Bononiæ intra suæ Legationis terminos hoc ipso tempore celebrando:) administratione totius Ordinis titulo Vicarij. Qui omnes constitutiones quas idem Michaël in provinciis Ordinis fecerat penitùs abolevit; & ad alium ei sufficiendum, Capitulum generale indixit anno proximo Parisiis celebrandum: de quo ibi dicetur.

r Supr. an. 1322. XVI.
s Vid. Pegn. comment. in Eymer. Director. par. 2. q. 15.
t Vvadding. an. 1327.

u Descrips. Bzov. an. 1329. ex cod. Vat. 4008. & Vvaddingh. tom. 1. hoc. an.
x Anton. tit. 24. cap. 9. §. 15.

XIII. MULTA MOLITUR APUD BAVARUM CONTRA PONT.

Michaël autem in horum vindictam, auctor fuit Bavaro sententiam in Ioannem Pontificē iterùm promulgandi Pisis; ipséq; in eumdem concionem habuit quam diximus: quâ iterùm à Ioanne appellans, non timuit impius inter alia commenta eum hæresis accusare, ac præcipuè ob cõstitutiones de paupertate Christi & Apostolorum ab eo promulgatas. Et ut sua insania pluribus esset nota, libellos [y] cõtra eas quaquaversùm dispersit, & portis Ecclesiarũ aliísque locis publicis affigi impudentissimâ temeritate curavit, prout continetur in confutatione [z] ipsius impiorum dogmatum ab eodem Pontifice decimosexto Calendas Decembris anni proximi publicatâ. In cujus rei confirmationem legimus apud Continuatorem Nangij qui hæc videbat, hoc anno affixas Parisiis fuisse clàm & noctu quasdã literas apertas in valvis Ecclesiarum Beatę Marię & Prędicatorum atque Minorum, ex parte Bavari & Antipapæ atque Michaëlis nuper Generalis Minorum: quibus continebantur multa nefanda contra Ioannem Papam; hæreticum illum, & ab Ecclesiâ præcisum denunciantes, & maximè ob paupertatem Evangelicam impugnatam: quâ etiam de causâ Concilium generale per dictum Antipapam & Bavarum Mediolani celebrandum indicebant: Alias quoque literas clausas Episcopo Parisiensi & Universitati directas fuisse: quæ quoniam eis suspectæ visæ sunt, habitâ deliberatione eas ipsos ut erant clausæ Ioanni Pontifici remisisse, expectantes quid super his agendum foret: de quo dicetur anno sequenti.

y Ext. ap. Goldast. to. 3. Monarch.
z Hab. Ap. Bzov. an. 1329.

XIV. IOANNES PONT. COGITAT ORDINEM MINOR. EXTINGUERE.

Denique prædictus Michaël Generalem Minorum agere pergens, tot nefaria tam in ipso Ordine quàm extra præstitit, ut in ejus odium & illorum qui ei adhærebant, cùm etiã pejora ab eis timerentur, cogitâsse aliquando dicatur Ioannes, totum Ordinem recenti exemplo Templariorum extinguere. Sed ut scripsit S. Antoninus [a], consideratâ ex alterâ parte plurimorum proborum innocentiâ, & quorumdam Principum ac procerum eâdem tempestate ei Ordini adscriptorũ vitæ sanctimoniâ; necnon duorum Cardinalium ejusdem Ordinis, (prædicti videlicèt Bertrandi de Turre Cadurcensis, & Vitalis de Furno Vasatensis Cardinalis Episcopi Albani) ferventissimo zelo; Robertique Siciliæ Regis, necnon Francorum, Castellæ, Aragoniæ, Cypri, Majoricarum Regum, aliorúmque Principum Catholicorum, assiduis & instantibus pro Ordinis conservatione precibus & solicitationibus motus, divino instinctu ad pristinum Ordinis amorem est reductus. Sub finem autem hujus anni, videlicèt in Quatuor Temporibus Adventûs [b], idem Pontifex sententiam excommunicationis & depositionis in Ludovicum Bavarum renovavit.

a Anton. d. §. 15.

b Vill. lib. 10. cap. 25.

XV.

Quod verò ad *Ockamum*, quē cum Michaë-

le aufugisse diximus, pertinet; tradunt [c] eum excommunicatum dixisse Ludovico excommunicato, *O Imperator tu me gladio defende à Papa injuriis; & ego te verbis ac scriptis defendam.* Fortis sanè bellator! sed ex illorũ numero, quos ait Tertullianus hanc magis gloriam captare si stantibus ruinam, quàm si jacentibus sublevationem operentur. Neq; enim omnino recipimus quorumdã excusationem, asserentium Ockamum non tam scripsisse contra Pontificatum, quàm contra personam Ioannis Pontificis. Cùm disertè idem Antonius [d] asserat, eum ita errorẽ Dantis subjicientis Pontificatum Imperio, prosecutum esse, ut quasi ad nihilum deduceret potestatẽ Papæ & Prælatorum in dominio temporali: Ideóque multos viros doctissimos tunc libros edidisse de potestate Ecclesiæ seu Papæ. Quod certè non fuisset necesse, si Ockamus contra solum Ioannem hominem invectus fuisset. Deniq; extãt [e] prolixissima ejus scripta tam pro defensione Ludovici, quàm Michaëlis de Cesenâ, & contra Ioannem Pontificem: quibus abundè pateat, etiam doctrinam Catholicam de auctoritate Ecclesiæ & Pontificum non parùm læsisse: indéque haud mirandum sit, si tot ac tantis præconiis tam ipse quàm eadẽ ejus scripta ab hæreticis edantur & evehantur. Qui demùm damnatus anathemate à Pontifice, damnatus æquè fuit à Scholâ Parisiensi, ejúsque impia scripta igne combusta. Fuisse autem constat virum ceteroqui doctissimum & subtilem: discipulum Scoti, sed acerrimum impugnatorem dictorum ac scriptorum ejus. Fuit enim caput *Nominalium*, & doctrinæ illorum propugnator. De cujus obitu dicetur suo loco.

[c] Trithem. in Chron. Hirsaug. an. 1324. & de script. Eccles.

DE GUIL. OCKAMO.

[d] Ant. cap. 5. §. 2. in fi.

[e] Ap. Goldast. tom. 3. Monarch. & alibi.

XVI. PHILIPP. DE MAJORICIS NOVUM TENTAT INSTITUTUM FRANCISCANORUM, NEC AUDITUR.

Quasi autem non satis esset turbarum in hoc exagitatissimo Ordine: hoc eodem tẽpore *Philippus de Majoricis*, peregrino doctus spiritu, adhibitis sibi quibusdã suæ cogitationis sociis, statuit novum adinvenire genus Instituti Franciscani, quo S. Francisci Regula ad nudũ ipsius literæ sensũ, absq; ullis declarationib⁹, & separatim ab Ordinis unitate & obedientiâ, observaretur, eleemosynis tantummodò & labore manuum victitando, & quacumque vellent discurrendo absque ullo cujuscumque obice aut cõtradictione. Idque sibi ac suis permitti à Pontifice petiit, oblatâ supplicatione, quam ex Regesto Pontificio præsentis anni Wadinghus [f] recitat. Cujus initio cùm se Thesaurarium B. Martini Turonensis indigitet, illum se esse ostendit, quem Chronicon Nangij Gallicum memorat anno millesimo trecentesimo trigesimo, Philippum filium Regis Majoricarum, consobrinum Regis Francorum, valdè potentem divitiis mundanis, & multis pinguissimis beneficiis Ecclesiasticis in Galliâ fruentem; omnibus pro Christi amore dimissis, peregrinationẽ per orbem suscepisse eleemosynis vivendo, adeò ut nihil à quoquam, neq; etiam à propinquis suis, accipere voluerit nisi nomine eleemosynæ. Quare putamus factum, ut cùm Philippus repulsam hoc anno passus fuisset à Pontifice de vanâ cursorij sui instituti cogitatione, peregrinationem illam susceperit. Quem spiritu superbiæ ac præsumptionis magis ductum quàm sinceri zeli aut Christianæ pietatis, non solùm inde intelligitur quòd nulli vellet subesse Superiori, neque etiam Episcopis; verùm etiam quòd in fine supplicationis ferociter addidisset, Sicut à Spiritu Sancto erat via perfectionis Christianæ quam postulabat, sic à spiritu maligno fore denegationem ejus, non dubitaturos fidei Catholicæ vitam & genera eximentes: eáque propter si denegaretur, audituros tamen cęlos & terram. Quod autem verbis minatus est, opere complêsse, intelligitur ex epistolâ [g] Benedicti Papę XII. successoris Ioannis ad Robertum Regem Siciliæ, cùm ab eo rogatus audire preces Philippi pro eodem ipsius proposito, quod adhuc animo volvebat, rescriptâ anno Christi 1340. Quâ post nonnullas alias enumeratas causas, ob quas nequaquam deberet Philippi petitio exaudiri; putà quòd ea jam sub Ioanne in Cardinalium Consistorio proposita, maturo habito ejus examine fuisset penitùs denegata; & quòd multis modis incommodaret Religioni Minorum, dissensiones generaret, & subversioni etiam aliorum Ordinũ ejusmod exemplo ansam præberet; de Philippo speciatim addit, longè minùs ei hæc concedi posse, quòd is sectæ Beguinorum per Sedem Apostolicam reprobatæ, in quâ diversi sunt reperti hæretici manifesti, promotorẽ se ac defensorem, rectorem & cõservatorem exhibuisset; & tam contra Ioannem Papã quàm Sedem Apostolicã multa enormia & hæretica publicè asseruisset, ac prædicâsset: ex quibus & aliis se rebellem Sedi prædictæ, ac de labe pravitatis hæreticę suspectũ vehementer reddidisset, vel respersum; nec ullum pœnitentiæ, aut recõciliationis Ecclesiæ signum ostenderet. Ita Benedictus. Quis verò fuerit Philippi exitus, nondum reperimus.

EIUS DISCURSATIONES.

[f] Tom. 3 Annal. Minor. hoc an.

[g] Rec. ex cod. Vatic. Vvadding. an. 1340.

XVII. CURAT IOANNES PROPAGATIONEM FIDEI.

Ut verò ad Ioannem redeamus; idem hoc ipso anno (ut ex ejus Regesto constat) Fratribus S. Pauli primi Eremitæ Regulam S. Augustini præscripsit. Marforianum Iacobitarum, ad fidem Catholicam hortatus est, Ecclesiæque Taurisiensi Fr. Guillelmum Ligium Ordinis Prædicatorum Episcoporum præfecit: aliósque ejusdem Ordinis & Minorum ad Imperium Elgigadday, & terras Chorasam, Turgustan, & Indestan, ad regna Persidis, Indiarum, & Armeniæ direxit.

XVIII. CAROLI DUCIS CALABR. OBITUS.

[h] Villan. lib. 10. cap. 3. Summont. lib. 3.

Neapoli Campaniæ mortuus est [h] 5. Idus Novembris ex febre *Carolus* Dux Calabriæ, filius Roberti Regis & Florentiæ dominus, ætatis anno trigesimo primo; ingenti patris & totius regni dolore, tùm ob virtutes ejus, tum quòd unicus patri existens nullam reliquisset prolem masculam, sed tantùm feminam. Unde pater dolentissimus futuras Regni clades præsagiens, ad proceres, *Cecidit*, inquit, *corona capitis mei, væ mihi, væ vobis.* Laudatur magnoperè ab amore & cultu Iustitiæ. Unde in ejus sepulcro marmore sculpta est effigies manu gladium tenens, pedes humeris suppositos lupi & agni simul pacificè bibentium in vase aquæ. Cujus quidem obitæ ab eo virtutis dum Vicarium Neapoli ageret, duo singularia narrantur [i] exempla; alterum de equo senio confecto, alterum de feminâ prostitutâ. Cùm enim campanam ante fores palatij appendisset, quam fas esset cuicumque justitiam poscenti pulsare, ad ejus tinnitum ceteris omnibus relictis accurrere ipso solito; accidit aliquando ut equus Marci Capetij

[i] Summont. ibid.

EGREGIA IUSTITIÆ EIUS EXEMPLA.

equitis à domino ſuo ob ſenium dimiſſus, cùm per urbem quærendi pabuli causâ oberraret, caſu ad funem campanæ ſeſe affricans ſonum ejus elicuerit. Quiſnam pulsâſſet inquirens Carolus, ut audivit equum eſſe Caperij: hunc confeſtim accerſens, cur equum dimiſiſſet interrogavit: reſpondentéque illo, equum quidem olim generoſum optimúmque fuiſſe, eóque ſe feliciter multo tempore bellis uſum, ſed nunc prorsùs inutilem nec pabulum merentem abjeciſſe: Carolus Capetium merendo multa acquiſiviſſe ſciens, decrevit equum, cujus operâ præmia meruiſſet, ab eo alendum uſque ad mortem, ni mallet gratiâ ſuâ excidere. Altero, cùm quædam puella nobilem aliquem virginitatis ſibi per vim ereptæ apud Carolum accusâſſet: vocato nobili, reſpondentéque voluntariè illam conſenſiſſe, ſéque abundè illi ſatisfeciſſe; juſſit nihilominùs Carolus additamenti loco centum florenos dotis nomine puellæ illicò numerari. Quibus acceptis cùm abiret puella, ad ejus explorandam honeſtatem injunxit tacitè nobili Carolus, ut eam inſequens vi pecuniam auferre ſimularet. Fecit ille: at ea de nummis quàm de pudicitiâ ſollicitior, reluctando fortiter ab ejus ſe manibus ſubducens ad Carolum queribunda rediit. Cujus Carolus petulantiam increpans, exprobravit ſi tantum ſtudij in pudicitiâ quàm tum in pecuniâ conſervandâ poſuiſſet, nequaquàm illam amiſſuram fuiſſe. Sed jam ſatis de rebus Italicis hujus anni.

XIX. [h] *Contin. Nang. & alij.*

CAROLI PULCHRI FRANC. REGIS OBITUS.

In Galliâ ad principium ejuſdem, nempè ipſis Calendis [h] Februariis *Carolus* Francorum Rex ex morbo deceſſit ad ſaltum Vicennarum anno regni ſeptimo per menſem inchoato, ætatis trigeſimo quarto: cujus corpus ſolemni pompâ delatum eſt ad S. Dionyſij in mauſoleum Regum; cor in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Lutetiæ conditum; viſcera in monaſterio Malidunis (de Maubuiſſon.) Laudat illum valdè Carolus Quartus Imperator in Vitâ ſuâ, quam ipſemet ad filium ſcripſit: cùm miſſus à patre ſuo Ioanne Rege Boëmiæ adhuc puerulus ad educationem in ejus Curiam manſit ibi uſque ad ejus obitum; noménque Caroli ab eo accepit in ſacramento Confirmationis, cùm in baptiſmate dictus fuiſſet Wenceſlaus: paritérque uxorem ab eodem accepit Margaritam, dictam Blancam, filiam Caroli Valeſij patrui ejuſdem Caroli Regis, & ſororem Philippi Valeſij qui Carolo ſucceſſit in regno. Ait igitur, Carolum minimò avarum pecuniæ fuiſſe, Curiámque ejus reſplenduiſſe ſenum principum tam ſæcularium quàm ſpiritualium congregatione, quorum conſilio utebatur. Quæ in præcipuis ſummorum Principum laudibus computari ſolent.

AC VIRTUTES.

XX. Cùm autem nullos reliquiſſet liberos, ſed gravidam uxorem; ac ſi filium pareret, conſtituiſſet ei teſtamento tutorem, patruelem ſuum prædictum Philippum Valeſium, filium Caroli Valeſij fratris Philippi Pulchri, de quo ſæpè ſuperiùs: dum Regina uterum ferret, ob regni procurationem controverſia exorta eſt inter prædictum Valeſium & Eduardum Angliæ Regem Philippi Pulchri ex filiâ nepotem. Ad quam dirimendam cùm vocati Pares, ceteríque regni proceres, Lutetiam conveniſſent, vix de ea diſceptare cœperant, cùm Regina pervigiliis Paſchalibus filiam enixa eſt. Sícque conſtitit periiſſe omninò genus Philippi Pulchri quoad mares & regni ſucceſſionem, quamvis amplum, & ex quo magna ſoboles ſperari poterat; cùm tres ejus filij qui ſucceſſiuè regnarunt, omnes duxerint uxores & ex iis non ſolùm filias quæ ſuperſtites eis fuerunt, verùm etiam filios maſculos ſuſceperint, qui ad hoc tantùm naſci viſi ſunt ut confeſtim morerentur: in pœnam (ut multis creditum eſt) perſecutionis paternæ in Bonifacium Papam; & in confirmationem prophetiæ Epiſcopi Maurianenſis de illius progenie, quam ſuo loco recenſuimus [i]. De quibus agens Villanius [k] pius ac ſincerus ſcriptor, memorãdum documentum inde elicit, diligenter cavendum eſſe ne offendatur Vicarius Chriſti, aut ejus Eccleſia jure vel injuriâ; quia quantumvis ejus paſtores propriis culpis indigni ſint eo gradu, offenſa tamen iis facta omnipotenti Deo fiat. Nec immeritò Petrarcha [l] nobilis ejus temporis ſcriptor de Pulchri filiis agens, ait eos tam immaturâ morte raptos fuiſſe, ut omnium non tam vita videatur fuiſſe quàm ſomnium.

EXTINCTIO SOBOLIS MASCULÆ FILIORUM PHILIPPI PULCHRI.

[i] *An.* 1303. *XIV.*
[k] *Villan. lib.* 10. *cap.* 61.

[l] *Petrar. lib.* 2. *de otio Religioſor.*

XXI. Ubi igitur Regina filiam enixa eſt, Francorũ inſtituto regni expertem, (cui Blancæ nomen inditum;) major inter Valeſium & Anglum quæſtio emerſit, utri regnum deberetur. Et concedebat quidem Anglus (ut apparet ex literis ejus, imminente bello ad Benedictum Pontificem Ioannis ſucceſſorem ſcriptis, quæ apud Walſinghamum [m] leguntur) feminas Francici regni capaces non eſſe: (& alioqui ſucceſſiſſent ſuo ordine filiæ, quas ſinguli Reges, Hutinus, Longus, & nuper defunctus Carolus reliquerunt; liberíque ex aliquibus earum nati:) ſed quæſtionis erat, an ipſe mas exiſtens, jure matris quæ ſoror erat prædicti noviſſimi regis, ac propterea cognatione propior, ſucceſſurus eſſet; an potiùs Valeſius ejuſdem Regis patruelis, agnatione gentilitióque jure proximus. Pares Franciæ re maturè conſideratâ, poſt multam ſapientum conſultationem, propoſitâ regni conſuetudine, qua feminæ excluduntur, Valeſium Anglo anteferendum cenſuerunt [n] eò quòd Francorum conſuetudine & moribus, quoties femina ſucceſſione excluditur, filij quoque ejus repelluntur: aliter (ut aiunt) acceſſorium eſſet principalius principali. Et feodalibus conſtitutionibus proles ex femina deſcendens vel procedens, ad ſucceſſionem feudorum aſpirare non poteſt. Quare omiſſis Legibus XII. Tab. aliiſque civilibus, & exemplis ſucceſſionis Regum Lacedæmoniorum, aliorúmque jurium & auctoritatum quæ in hanc rem citantur; necnon quæ ab Anglis pro Rege ſuo proponebantur; cùm tota quæſtio verteretur de jure & conſuetudine Galliæ, non de juribus aut moribus aliarum gentium, quæ pro voluntate & arbitrio diverſa ſunt; rem neceſſariâ & irrefragabili argumẽtatione concludẽs Baldus [o] doctiſſimus illius ætatis Iuriſconſultus Peruſinus, Si filia (inquit) Regis Francorum non ſuccedit in regno, ex rationabili conſuetudine Francorum, filius ejus Rex Angliæ nullum jus prætendere potuit; quia in cauſato non poteſt eſſe plus virtutis quàm procedit ab influenti potentiâ cauſæ: Et ſi malè ſucceſſit Regibus

CONTENTIO DE REGNI SUCCESSIONE INTER PHILIPP. VALES. ET EDUARD. ANGLUM.

[m] *Vualſing. in Eduard. III. ſub an.* 1336.

[n] *Contin. Nang. Æmil. lib.* 8. *Gaguin. lib.* 8. *Bellefor. lib.* 5. *cap.* 1. *Maſſon. lib.* 4. *in pr. & alij.*

CAUSA ADIUDICATUR PHILIPPO.

[o] *Bald. in l. Conſulari. D. de Senator.*

Francorum

Francorum, (in multis videlicèt præliis, quæ bello ex hac contentione ſuſcepto pugnata fuêre, & provinciarum amiſſionibus) fortè fuit propter aliam cauſam quæ erat in mente divinâ, non propter illam quæ eſt clara pro Rege Francorum.

XXII. PHILIPP. VALESIUS REGNUM. ADIPISCITUR.

Igitur *Philippus* Valeſius Rex declaratus eſt anno ætatis ſuæ trigeſimo ſexto, ingenti totius Galliæ lætitiâ & quanta non alius multis ſæculis celebritate, uti Franciæ majeſtatis vindex, & alieni imperij propulſator. Et tam ex hac ipſius hereditaria electione, quam quòd tres Reges deceſſores abſque prole maſculâ & intra tredecim annos mortui eſſent, cognomen adeptus eſt *Benè Fortunati*. Remis inauguratus eſt Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, ejus nominis Sextus: Valeſius dictus à Valeſia provincia Galliæ, quæ fuerat Carolo ipſius patri attributa. Cujus poſteri ducentis ſexaginta annis & regnum & Valeſiorum cognomen retinuerunt, uſque ad mortem Henrici ejus nominis Tertij ſine liberis extincti anno Domini 1589. Cui legitimo jure ſucceſſit inclyta ſtirps *Borbonia*, & ipſa à ſancto Ludovico originem trahens: orto eo cognomine à Ludovico Clarimontis & Marchiæ Comite, qui anno proximo [p] primus Borboniæ provinciæ Dux renunciatus eſt. Regnum autem Navarræ à Carolo Pulchro poſſeſſum Rex Philippus à Navarræis rogatus, Ioannæ reſtituit [q] filiæ Ludovici Hutini, quæ nupſerat Philippo Eburoyicum Comiti è regio ſanguine, tamquam jure ei debitum; etiamſi Philippus Longus & Carolus Valeſius aliis prætextibus eam removiſſent. Quare quantumvis etiam Eduardus Anglus regnum iſtud matri ſuæ deberi contenderet, eò quòd filia eſſet Ioannæ Reginæ Navarræ, ac proinde uno gradu propinquior Ioannâ filiâ Hutini quæ erat tantùm neptis, cùm Lex Salica in regno Navarræ locum non haberet: nihilominùs cùm Navarræi celebratis regni conventibus, uno conſenſu decreviſſent illud deberi Ioannæ Eburovicum Comitiſſæ, annuente Philippo Rege juſtis eorum poſtulatis, (quem tamen Villanius [r] ait eâ lege annuiſſe, ut regnum impoſterùm & in perpetuum clientelare eſſet Coronæ Franciæ) fuit eadem unà cum Philippo viro ſuo coronata Pampelone primariâ regni civitate, tertio Nonas Martij anni proximi.

p *Gaguin. Æmil. Tl. Bellefor.*

REGNUM NAVAR. RESTITUIT LEGITIMÆ HEREDI.

q *Villan. lib. 10. cap. 88. Cont. Nang. in Chron. Bellefor. lib. 4. cap. ult. & lib. 5. cap. 1.*
r *Vill. d. cap. 88.*

XXIII. PHILIPP. REX INVADIT FLANDR. IN AUXILIUM COMITIS.

Intereà Valeſius à Comite Flandriæ in ipſis inaugurationis ſuæ ſolemniis rogatus ſibi adeſſe adverſus ſubditos rebelles, qui eum carcere, & obſidione, aliiſque injuriis variè exagitaverant: primùm legatos miſit, ut Comitem priſtinæ dignitati reſtituerent; deinde protervè reſpondentes, ſe neque Regi neque Comiti obſequuturos: poſt devotiſſimè viſitata de more, ac venerata ſacra martyrum Dionyſij ac ſociorum Corpora, atque Auriflammam conſuetis ritibus ab Abbate acceptam; ingenti exercitu duodecim millium equitum peditum innumerabilis multitudinis appetit. Illis Caſſellum uſque obviam procedentibus, & in edito colle idoneum caſtris locum deligentibus, gallo gallinaceo è telâ pictâ formato ſublimè locato, cum dicterio, tunc Regem repertum (ita enim per deriſum vocabant quaſi extra ſortem acceptus fuiſſet) Caſſellum occupaturum cùm gallus ille cantaret: Rex ad radices conſedit. Cùm levibus præliis per aliquot dies certatum eſſet, Flandri per quemdam exploratorem callidum & Gallicè ſcientem ad caſtra Francorum ſpecie vendendorum piſcium itantem, edocti illos propter æſtum (erat enim menſis Auguſti) totâ ferè die inermes recubare; ut prætereà eos aliâ arte incautos interciperent, provocatione publicâ diem pugnæ ad feſtum S. Bartholomæi vigeſimum quartum Auguſti indixerunt. Eam verò à Francis alacriter exceptam, iidem biduo anticipantes; circa meridiem ſubito impetu, curſúque, imparatos & inermes in caſtris invadentes, ceteríſque dimiſſis rectà ad tentorium Regis proditore duce penetrantes: tantùm eum non ceperunt, quibuſdam ex circumſtantibus; priuſquàm armari & in equo ſedere potuiſſet occiſis. Et niſi parte aliâ caſtrorum Comites Hannoniæ, Barri, & Namurci qui cum Rege venerant, armati accurrentes primum illum hoſtium impetum ſuſtinuiſſent quoad reliqui arma caperent, magna clades accepta fuiſſet à Francis. Ubi verò arma ceperunt, facilè Flandros, curſu rapido è colle, pondere armorum, & meridiano æſtu debilitatos, in fugam vertêre magnâ ipſorum ſtrage. Duodecim enim millia in campo cecidiſſe, Villanius [s] tradit, hæc ita ut diximus diligentiùs narrans, quam quilibet Belgici ſcriptores: quorum tamen nonnulli [t] quadraginta millia cæſorum numerant; quidam [u] etiam quadraginta ſex. Quos Continuator Chronici Guillelmi de Nangiaco, rem geſtam accuratiùs deſcribens, ex literis Regis ſcriptis ad Abbatem S. Dionyſij poſt victoriam, quas ſe vidiſſe aſſerit, tradit fuiſſe numeratos in loco pugnæ undecim millia quingentos quadraginta ſeptem; præter illos qui per diverticula fugientes perempti ſunt: omnéſque ſimul fuiſſe viginti millia minùs ducentis: cùm ex Francis vix decem & ſeptem quà nobiles quà ignobiles occiſi fuerint. A cujus ſupputatione non abhorret Gaguinus. Sícque domitâ Flandrorum audaciâ, & Caſſellum abſque galli picti cantu captum & funditùs deſtructum eſt; ac brevi univerſa provincia Regi ſupremo domino, & Comiti ſe ſubmiſit: ac recedente Rege, Comes variis ſuppliciis rebellionis auctores alióſque ferociores grandi numero vel de medio ſuſtulit, vel à patriâ ejecit; arcéſque ac turres urbium rebellium disjecit. Rex [x] verò gratias de victoriâ acturus, primò ad S. Dionyſium conceſſit, repoſitâque ibi Auriflammâ, ad ecclesiam Beatiſſimæ Virginis Pariſienſis accedens armatus & equo inſidens eam intravit; obtulitque eidem equum & arma quibus in prælio uſus fuerat. Extátque adhuc ibidem in proano ſive navi eccleſiæ ejus effigies lapidea equeſtris & armata id repræſentans, quam qui Philippo Pulchro poſt reditum à victoriâ Flandricâ Montis-populeti tribuunt; à pluribus, necnon ab ipſis ejuſdem Eccleſiæ antiquis monumentis refelluntur. Sicut & qui ad eccleſiam Carnotenſem referunt; ad quam tamen non abnuimus potuiſſe Regem ex voto in prælij diſcrimine facto (quod alij [y] tradunt) peregrinari.

FLANDROS MAGNA CLADE AFFICIT.

s *Vill. cap. 89.*
t *Io. à Leid. lib. 27. cap. 26.*
u *Rener. Snous Rer. Batav. lib. 8.*

x *Ægid. de Roya in Annal. hoc an.*

y *Contin. Nang. Ægid. ibid.*

XXIV.

Ad principium quoque regni Philippi Valeſij referunt ſcriptores [z] Gallici, *Petri Remij* Quæſtoris Regis Caroli nuper defuncti caſum.

z *Contin. Nang. Bellefor. lib. 5. cap. 1. in fi. Maſſon. lib. 4.*

Petri Remii Quæst. Regii supplic.

sum. Qui post Regis obitum conjectus in carcerem, quòd nihil motus exemplis Marinij & Guectæ decessorum suorum, de quibus suprà, peculatum exercuisset; cùm fortè publicam furcam in colle extrà urbem recèns exædificari curâsset, (videlicèt Montemfalconem; cujus extructionem quidam perperàm Engerrano Marinio tribuunt) in eâ ipse à carnifice omnium primus strangulatus est die vigesimo-quinto Aprilis; palàm confessus proditionis crimen, cujus nemo illum accusârat. Hoc autem peculatus crimen ex illis est, quæ semper & ubique damnabuntur, ac nihilominùs retinebuntur, nullo metu supplicij, quod plerumque eluditur, quamvis nonnumquàm infelicioribus & minùs reis inferatur.

XXV. Concil. Londin. in Angl.

In Angliâ Simon Archiepiscopus Cantuariensis, nuper ex canonico Cicestrensi suffectus in locum Walteri demortui, *Concilium* Episcoporum celebravit *Londini* post festum Purificationis Beatissimæ Virginis. Quo inter alia statutum est, ut diebus Parasceves & Cõmemorationis animarum cessaretur ab omni opere servili; & festum Conceptionis Beatissimæ Virginis solenniter celebraretur. Anathemáq; promulgatum in omnes qui Walterum Stapletonium Exoniensem Episcopum interfecissent [a] seu opem vel assensum in ejus necem præbuissent. Ceterùm hanc Synodum, quam sub prædicto Simone ponit Walsinghamus, Polydorus perturbator magis quàm cõpositor Historiæ Anglicanæ, à Ioanne Stretfordio habitam scribit; cúmque immediatè successisse Vualtero, ab ecclesiâ Vintoniensi translatum Cantuariam: nullâ factâ mentione Simonis, quem constat Sedem post Vualterum tenuisse sex ferè annis, eíque demùm suffectum esse prædictum Ioannem sub finem anni millesimi trecentesimi trigesimi tertij.

[a] Supr. an. 1316. III. in fi.

XXVI. Concil. Mogunt.

Matthiam quoque Archiepiscopum Moguntinum hoc anno Prælatorum *Synodum* convocâsse, Trithemius [b] scribit, multáque ad Ecclesiasticam utilitatem necessaria constituisse; ac postmodùm quarto Idus Septembris ex hâc vitâ migrâsse; virum integerrimæ conversationis, ex Ordine sancti Benedicti ad eam dignitatem evectum. De cujus castitate referunt [c] dum quâdam vice eo ignorante à camerariis suis pulcherrima quædam virgo in cubiculum fuisset intromissa; ut eis sanitati, consilio, ut aiebant, medicorum, continentiam ei obesse affirmantium consulerent; virginem quidem intactam à se blandè dimisisse, sed camerariis, ne talem rem ampliùs tentarent sub interminatione præcepisse. In ejus porrò demortui locum suffectus est à Ioanne Pontifice contra voluntatem Capituli Moguntini, Henricus de Vvimberg; quem nihilominùs inferiùs visuri sumus acerrimum æquè ac ingratissimum ejusdem Ioannis successorúmque Pontificum adversarium.

[b] Trithem. in Chron. Hirsaug.

[c] Serar. de Reb. Mogunt. lib. 4. ex Vvion.

XXVII.

In Hispaniâ à Rege Alfonso Castellæ terrâ maríque feliciter res gesta [d] est contra Mauros. Osorio amicorum principi ab eodem Rege Hispali datum, ut Trastamaræ, Lemoscij, atque Sarriæ Comes esset: novo exemplo, cùm nulli anteà in Castellæ regno Comites fuissent. Gestáque res rudi cæremoniâ, Hispaniâ adhuc literaturæ experte, morísq; omnis ignarâ. Tribus offis in vini poculo oblatis, cùm inter se Rex Comésque tertiò invitâssent uter prior sumeret, Rex offam unam sumpsit, Comes alteram Iúsque caldariæ in castris, in bello vexilli propriis insignibus distincti datum. Atque in eam sententiam confectis tabulis & recitatis, consecutus est adstantium clamor fausta novo Comiti ominantium. Is instituendi Comites ritus fuit. Sed collatus is honor Osorio, exitio quoque fuit. Quippe motâ à nonnullis in Regem seditione, quasi Osorij arbitrio omnia committeret; cùm eum aulâ amandare coactus esset, tantus insolenti homini dolor inustus est, ut à Rege planè defecerit: quem paulò pòst Ramirus Gusmanius simulata à Rege fugâ in amicitiam insinuatus, incautum obtruncavit. Ejus ingentes thesauri à Rege occupati, ipséque lege perduellionis damnatus, Rege ipso sententiam pronunciante. Et assueverat jam antè idem Rex hujusmodi indecoris fraudibus in intercipiendis quos de medio sublatos volebat: unde & illi *Vindicis* cognomen factum. Cùm & anno præterito [e] Ioannem Cantabriæ Principem sibi propinquum, propter suspicionem alicujus novitatis, specie belli Maurici, spéque regiæ sororis ipsi jungendæ, aliísque artibus ad se vocatum, convivióque splendidè acceptum, ipso Omnium Sanctorum festo die, inter epulas fœdissimè obtruncari jussit.

[d] Marian. lib. 15. cap. 20. Roder. Sant. par. 4. cap. 11.

Primus Comes creatus in Castella rustico valde ritu.

Alfonsus Rex Castellæ fraudibus ad intercipiendos homines utitur.

[e] Marian. cap. 19.

XXVIII. Andronicus junior avum deturbat ab Imperio.

In Thraciâ hoc tandem anno *Andronicus* junior Imp. Constantinopolitanus, post multas simulationes ac perendinationes, impatientiâ victus longioris Imperij Andronici avi, omninò decrevit eum illo deturbare: præcipuo impulsore, aut saltem auxiliatore Ioanne Cantacuzeno Magno Domestico: quem tertium hoc bellum inter avum & nepotem describentem [f] videas æstuare in alienis causis indagandis ejus renovationis, nec invenire quæ aliis quàm perduellium fautoribus persuadendo sint. Sanè Phranzes [g] & ipse Græcus rotundè ait, nepotem uti latronem & tyrannum ejecisse avum: quod & alij æquè tradunt, & apertè res ipsa clamat. Ut rem contraham, capta est à nepote noctu per proditionem Constantinopolis mense Maij hujus Indictionis undecimæ. Quibus verò artibus id præstitum sit, quámque perfidiosè in iis se Esaias Patriarcha in avum gesserit; (à quo & propterea antequàm abdicaretur meruit in quoddam monasterium urbis recludi;) aliáque ad hæc pertinentia, verbosè admodùm Nicephorus [h] Gregoras, verbosiùs Cantacuzenus; & ut fuerunt contrariarum partium, secundùm proprium affectum in nonnullis diversè narrant. Ceterùm nepos rerum potitus, avum ad sacram Imaginem Beatiss. Virg. metu necis prostratum inventum, humanè habuit; collegam etiam Imperij retenturus, nisi à Niphone olim à Patriarchatu dejecto, & ab aliis avi osoribus eâ deliberatione demotus fuisset. Imperij tamen insignia ferre sivit, sed ita ut numquam è palatio pedem efferret. Cui & petulanter insultans Esaias, dignitati à Iuniore restitutus, Episcopos quoque & Sacerdotes qui in ejus fidelitate permanserant, variis pœnis affecit, populúmq; interdicto ligavit; quousque demum ab eodem Iuniore Imp. compulsus est veniá impertire. Senior verò Imp. paulò pòst corrupto ex acerbitate doloris corporis habitu

[f] Cantacuz. lib. 1. cap. 43. & seqq.

[g] Phranz. lib. 1. cap. 10.

[h] Greg. lib. 9.

habitu, utriuſque oculi viſum amiſit, factus ludibrio ipſiſmet ejus cuſtodibus & famulis: narrante quidem ita Gregorâ, ſed pleráque tacente Cantacuzeno, quòd in dedecus eſſent Iunioris. Quid verò poſt inde utrique acciderit, dicetur ſuis locis.

XXIX. Othomani primi Regis Turc. obitus.

Hoc denique anno mortuus eſt Pruſæ Bithyniæ Oſmanes, ſive *Othomanus*, Rex primus Turcorum, anno videlicèt regni vigeſimo-octavo, ætatis ſexageſimo-nono, ſepultúſque ibidem Pruſæ; ubi Sultanorum ſepultura diutiſſimè etiam pòſt captam Conſtantinopolim permanſit. Cujus filius *Orchanes*, ſive Urchanes, è tribus quos ſuperſtites reliquit natu minimus, cùm ſe patris ducibus & familiaribus inſinuâſſet, audita ejus morte callidè ſe ad montem Olympum Myſiæ ſubducens, dum fratres de ſucceſſione inter ſe armis contenderent, valida collecta militum manu, ſingulorum caſtra ſeorſim invaſit, & utroque interempto regnum ſolus obtinuit. Ita Chalcondyles [i] addens tamen Turcos non eo modo ſentire de his fratribus, verùm iſta eveniſſe ſub Oguziorum ducibus. Sanè non ita ſentire Turcos, docet Leunclavius in ſuâ Hiſtoriâ Muſulmanâ: ſed duos tantùm reliquiſſe Oſmanem filios, Urchanem & Aladinem ſive Alim: húncque ſeniori fratri Urchani partem quam vellet offerenti, libentiſſimè & ſpontè ceſſiſſe omni jure Imperij, & vitam privatam ſibi elegiſſe. Priſcis enim Turcorum moribus fratres ſolitos ſe mutua benevolentia complecti, & honore proſequi; uſque ad Bajazetis Orchanis ex filio nepotis imperium, qui primus fraterno manus ſanguine polluit. Ceterùm Orchanes ubi regni adminiſtrationem ſuſcepit, univerſam Lydiam ac circumvicinas Aſiæ regiones, quà vi quà fraude imperio ſuo adjecit: plurimáque Græcorum oppida in deditionem accepit, eo tempore quo illi inter ſeſe in Europâ diſſenſionibus agitabantur. Cùm autem Nicæam quoque Bithyniæ metropolim obſidione cinxiſſet, Iunior Andronicus trajecto freto ſuppetias urbi ferre conatus, victus & vulneratus Conſtantinopolim rediit, & Nicæa Orchani dedita eſt, poſteáque Nicomedia, aliæque multæ urbes tum vi tum deditione illius factæ ſunt. Quæ tam à Nicephoro [k] quàm Chalcondyle & Phranze [l] tractata, fuſiùs ex Turcorum Hiſtoriis (ſed permixtis multis inanibus fabulis) Leunclavius [m] narrat. Quod verò Chalcondyles regnâſſe Orchanem viginti duobus tantummodò annis ſcribit, accipiendum exiſtimamus uſque ad tempus quo Suleimanes ejus filius primùm in Europam tranſmiſit: cùm alioqui tam ex Cantacuzeno Orchanis ſocero intelligatur, eum longè diutiùs vixiſſe; quàm diſertè Leunclavius doceat, eum ſupervixiſſe etiam duobus menſibus prædicto filio ſuo Suleimani; regnâſſéque ab obitu patris ſui Oſmanis annis triginta duobus, & tandem deceſſiſſe anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quinquageſimo-nono, ætatis ſuæ octogeſimo. De quo interim non ſemel inferiùs agendum.

Orchanes filius ſuccedit.

i Chalcondyl. Hiſtor. Turc. lib. 1.

k Nic. Greg. d. l. 9.

l Phranz. lib. 1. cap. 11.

m Leuncla. Hiſt. Muſulm. lib. 4.

Ieſu Chriſti Annus 1329.
Ioannis XXII. Ann. 13.
Vacat. Imp. Rom. Ann. 16.
Andronici Annus 47.

I.

Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo vigeſimo-nono, Indictione duodecimâ, die [a] tertio Ianuarij, advectus Piſas Petrus de Corbario pſeudopontifex Ludovici Bavari, obvios habuit tam ipſum quàm clerum & populum ſolemni proceſſione. Die octavo ſermonem habuit, & Indulgentias conceſſit omnibus qui Ioannem Papam averſarentur. Die vigeſimo-nono Ioannem Vicecomitem canonicum Eccleſiæ Mediolanenſis, filiúmque Matthæi ac fratrem Galeatij olim illius civitatis tyrannorum, Piſis præſentem ejuſdem Bavari commendatione pſeudo-Cardinalem, & ſuum in Lombardiâ Legatum creavit. Et Bavarus Azoni, prædicti Galeatij filio Vicariatum Imperij ſive dominium dictæ civitatis Mediolanenſis contulit pretio centum viginti quinque millium florenorum aureorum, certis terminis ſolvendorum; ac præcipuè in ſtipendia illorum Germanorum quos vidimus ab eo ſeceſſiſſe, quibus Marcum Vicecomitem ducem conſtituit, ſeu veriùs obſidem promiſſæ pecuniæ dedit. Ita enim Villanius [b] habet: cùm Corius [c] ſexaginta tantùm millia promiſſa dicat. Tantumdémque Ioannem dediſſe pro ſuo Cardinalatu, Ripamontius [d] ſcribit: uſo opportunè egentiſſimo Bavaro ejus pravâ ambitione ad hoc aurum emungendum.

a Villan. lib. 10. cap. 116.

Corbario Idolo ſuo utitur Bavarus ad res ſuas.

b Vill. cap. 119.

c Cor. par. 3.

d Hiſt. Eccl. Mediol. lib. 9.

II.

Decimo-nono Februatij prædictus Corbarius, præſente Bavaro, publico conventu Ioannem Pontif. Robertum Siciliæ Regem, Florentinos omnéſque eorum ſequaces anathemate damnavit. Legitúrque in Magno Chronico Belgico ex Petro chronographo, factam tunc fuiſſe ab impiis illis imaginem Ioannis PP. de ſtraminibus, indutámque Pontificalibus publ:cè degradatam, ac poſteà crematam. Quando & mirabiliter accidit, ut tantà ſubitò tempeſtas grandinis, imbris ac procellarum cælitùs ceciderit, quanta numquam aliàs. Cúmque eâ re territi Piſani ſceleratum comitium adire horrerent; miſiſſétque Bavarus Mareſcallum ſuum per urbem qui eos ire compelleret; is ex intemperie aëris acerbo frigore correptus, cùm veſperi balneum aquæ vitæ ad refocillanda membra ſibi parari juſſiſſet, admoto caſu igne, vivus ibi arſit. Quod certo indicio fuit (ut ait hæc narrans Villanius [e]) proceſſus à Corbario & Bavaro factos, inviſos fuiſſe divinæ majeſtati.

Corbarius Ioannis Pontif. imaginem comburit.

Vindicta divina in eos.

e Vill. cap. 123.

III.

Poſt quæ Bavarus, expilatis rurſùm Piſanis & Lucenſibus, menſe Aprili relicto Piſis Corbario, poſitíſque Vicariis & præſidiis iiſdem civitatibus, abiit in Lombardiam. Ubi excluſus Modoëtiâ & Mediolano ab Azone Matthæi Vicecomitis filio paternarum injuriarum memore; jam omnium ferè contemptu laborans, utrâque civitatem fruſtrà obſedit; & reliquam anni partem inutili fere exercitio, præterquàm excurſionum prędatoriarum, in Lombardiâ tranſegit. Cùm interim magnâ ejus ignominia factum eſt, ut non ſolùm Piſani

Bavarus undique excluditur.

men

mense Iunij, ope Bonifacij Comitis Novelli de Doneratico nobilis Pisani, & Marci Vicecomitis, Vicarium ejus præsidiúmque expulerint, Corbariúmque missum fecerint: verùm etiam in oculis suis Mediolanenses, eorúmque dominus Azo, quæsitâ Ioannis Pontificis gratiâ veniam præteritorum postulaverint, impetrarintq; Septembri mense; seq; Ecclesiæ subjicientes expiati sint, & sacra longo postliminio civitati restituta: Ioãnésq, Azonis patruus abdicatâ ultrò falsa Cardinalatûs Corbariani dignitate, veram à Ioãne accepit Episcopatûs Novariensis; (non etiam Cardinalatûs, ut perperàm Ripamontius scripsit:) quem posteà permutavit cùm Fr. Aicardo ex Ordine Fratrum Dominicanorũ Archiepiscopo Mediolanensi, qui propter Vicecomitum contumaciã nunquam potuerat Mediolani sedere. Cùm verò præterea Legatus Etruriæ Viterbiũ, totúmque Patrimonium quod vocant, & universam Marchiam ad subjectionem Ecclesiæ Romanę reduxisset; itémq; Legatus Lombardiæ aliquot urbes Gibellinorũ occupâsset, & quosdam tractatus Bavari dissipâsset: Florentinique res suas valdè provexissent; (excepto quòd Lucam malo consilio è manibus elabi siverint:) His, inquam, & aliis ejusmodi, vehementissimè conturbatus Bavarus, seq; copias & pecunias deficere cernens; demùm mense Decembri Tridentum petens occasione colloquij cum nonnullis Principibus Germanis, & tyrannis Lombardiæ; accepto ibi nuncio de morte Friderici Pulchri ipsius competitoris, hâc arreptâ speciosâ occasione, ignominiâ & confusione onustus (ut Blondus loquitur) rediit continuò in Germaniam, ingenti omnium tam Gibellinorum quàm Guelforum lætitiâ, cùm æquè omnibus rapinis suis gravis & odiosus factus esset. Narrant hæc pluribus Villanius[f], & Corius[g]; hic solis ferè Mediolanensibus rebus intendens, ille reliquas omnes eadem ferè diligentiâ tractans quâ Florentinas quas potissimùm suscepit. De quibus etiam Leonardus[h] Aretinus, & alij.

Redit in Germaniam.

[f] *Vill. c. 126. 130. &c. usque ad 150.*
[g] *Cor. par. 3.*
[h] *Leon. lib. 6*

IV. *Friderici Austrii obitus.*

Quod verò diximus de morte Friderici Austrij; tradunt nonnulli eum decessisse mense Septembri hujus anni: sed certiùs Chronicon Aulæ Regiæ, Cuspinianus & Onuphrius, ejus obitum differunt ad Idus Ianuarias anni proximi, postquàm regnâsset in suâ parte annis quindecim ac ferè tribus mensibus. Invenimus autem alicubi[i], obiisse ex veneno, (Cuspinianus habet, ex poculo amatorio) quia vermes sive pediculi innumerabiles ex ipsius cute erumpebant. Cujus uxor Isabella[k] Regis Aragonum soror, calamitosâ viri sorte jactata, in miserabili luctu & inaudito squalore quoad vir custodiâ detentus fuit permanens, oculorum etiam lumina amisit.

[i] *Contin. Ster. in fi.*
[k] *Surit. Indic. lib. 2.*

V. *Aliquorum in Italia tyrannorum mortes.*

Mortui[l] sunt quoq; hoc eodem anno in eâdem Italiâ, ex præcipuis Ecclesiæ adversariis Cani Scaliger potentissimus simul & ferocissimus Veronæ, Patavij, & multarum aliarum civitatum tyrannus, ex morbo post captum obsidione Tarvisium mense Iulij. Et Septembri Marcus omnium Vicecomitũ fortissimus, præcipuus instigator adventûs Bavari in Italiã, qui à fratribus & nepote Azone suffocatus est Mediolani, quòd res novas moliretur; cùm tamen priùs Florentiæ adjurato schismate obedientiam Ioanni Pontifici & Ecclesiæ jurâsset. Cani sine legitimis liberis mortuo, rejectis spuriis, successit Mastinus nepos. Quales ingenio & humanitate fuisse putamus, qui hujusmodi nominibus vocitari delectarentur; Est enim *Mastinus* Italis, Gallis, atque etiam Hispanis, canis pastoralis seu villaticus. Sic dictus à voce Hebraïca, idé significãte. Siquidem quod legitur in Scripturâ[m] *mingens ad parietem* (quod communiori interpretatione de cane intelligitur) est in Hebræo *Masthin*. Fuéreque hæc nomina familiæ Scaligerorum peculiaria; ut vel inde discerent mordaces & crudeles esse. Scimus tamen Iovium adulari solentissimum, nomen illud Canis non de illo animali latrãte intelligendũ censere, sed quòd linguâ Vvindorum, unde Principes Veronẽses oriundos scribit, Cahan idem sit quod linguâ Sevianâ Cral, id est Rex aut princeps. Quod ut consisteret pro Cane, sed quid fiet de Mastino? Nugæ sunt istæ. Ipsimet enim Scaligeri iis nominibus significârunt se de animali latrante intelligere. Unde & in insignibus Scalã gerebant, & Canes utrimq; Scalæ innitẽtes; ut ipsemet Iosephus Scaliger, qui ab antiquis illis Scaligeris originẽ ducere jactat, scribens[n] ad Ianum Douzam testatur; dum invehitur in sincerissimũ auctorem Villanium, quòd scripserit auctorem generis Scaligerorum fuisse fabrum scalarium; idque aliis quoque persuaserit, qui pariter id ipsum scripserunt: putà Sansonino in Familiis Italiæ, atque aliis. Sed hæc ludicra parùm ad nos: Schoppius sit qui examinet; nos solidiora tractemus.

[l] *Vill. c. 136. & 141. Cor. ibid.*

Scaligeri Canes et Mastini dici in deliciis habuerunt.

[m] *1. Reg. 25. &c.*
[n] *Scal. p. 1. lib. 1.*

VI. *Michael de Cesena damnatur à Pontif. et suis, aliísque omnibus.*

Intereà Ioannes Pontifex ex speculâ Ecclesiæ oculos quaquaversùm circumferens; cùm animadverteret, præter cetera mala, per falsos Religiosos multos errores contra fidem & Apostolicã Sedem disseminari; Inquisitoribus commisit ut eos comprehenderent, & in eos animadverterent. Inter quos cùm Michaël de Cesenâ antesignanus cerneretur, qui neq; lenitate quâ illũ Pontifex Avenione susceperat, neq; correctione quâ refugam officio deposuerat, (quæ superiùs vidimus) aliquid moveretur quin pro Generali adhuc se gerẽs, ac Bavaro & Corbario inhærẽs, schismata plura in Ordine & Ecclesiâ verbis & scriptis seminaret: novam sentẽtiam[nn] in eum duodecimo Cal. Maij promulgavit, quâ uti fautorem hæreticorum, manifestum hæreticum, hęresiarchã & schismaticum condemnavit; privatúmq; omnibus officiis, dignitatibus, & honoribus quibuscumque, ac privilegio nudatum Ecclesiastico declaravit: & fautores ac receptatores gravissimis pœnis subjecit. In quem etiã cùm Bertrandus de Turre Cardinalis Episcopus Tusculanus, constitutus (ut itẽ vidimus) Vicarius Ordinis, parem sententiam protulisset: Insuper Gerardus Odonis de provinciâ Aquitaniæ, creatus in Capitulo generali Parisiis in festo Pentecostes eodem Bertrãdo præsidente celebrato: Minister Generalis; de consilio & consensu unanimi Provincialium, Ministrorũ & ceterorũ Definitorum Capituli, ad tollendas[o] omnes cavillationes sophisticas, tam eũdem Michaëlem, quàm Petrum de Corbariâ, Bonagratiam Bergomensem, Guillelmũ Ockamum Anglum, & Franciscum de Esculo ejusdẽ Ordinis, & alios eorum asseclas: publi-

[nn] *Re Bzovius hoc an. ex cod. Vat. 4008.*
[o] *Ant. tit. 24. cap. 9 § 15. & 16.*

p Rec. Bzov. ex eod. cod.

cā ſententiā p in excōmunicationis privationiſque pœnas, tamquam manifeſtos & notorios apoſtatas incurriſſe pronunciavit. De quibus habet etiam Continuator Nangij, Dominicā ſecundā Iunij Epiſcopum Pariſienſem indutum Pontificalibus in atrio Eccleſiæ B. Mariæ, aſſiſtentibus ei aliis quibuſdam Epiſcopis, convocatiſque Clero & populo, multos proceſſus factos contra Antipapam, Bavarum, Michaëlem de Ceſenâ, & ipſorum conſcios ac complices promulgâſſe; atque in eos tamquam hæreticos & ab Eccleſiâ præciſos auctoritate Apoſtolicâ excommunicationis ſententiam fulminâſſe; literâſque per eos Pariſiis directas q in ignem ibi accenſum projeciſſe: Confeſtímque Fr. Henricum de Becaons Provincialem Minorum ſurrexiſſe, & ex parte generalis eorum Capituli, quod tunc ibidem Pariſiis celebrabatur, proceſſus & excommunicationes contra prædictos Fratres Minores latas palàm & publicè approbâſſe, juſtáſque eſſe pronunciâſſe. Fuítque r in prædicto Capitulo omninò terminata controverſia de paupertate Chriſti, & explicata quæſtionis difficultas, reductâ ad concordiam decretali Nicolai III. cum decretalibus Ioannis. Eáque ratione factum eſt, ut diuturna ceſſaverit tempeſtas, & reſtituta fuerit Ordini tranquillitas.

q Supr. an. 1328. XIII.

r Vvadding. hoc an.

REDDITA PAX ORDINI MINORUM QUOAD QUÆST. DE PAUPERT.

VII. RURSÙM DAMNATUR MICHAEL.

Cùm autem nec ſic deſiſteret pertinaciſſimus Michaël in Ioannem Pontificem debacchari, tréſque ejus Conſtitutiones de paupertate Chriſti promulgatas libellis s impugnare: licèt ejus impugnationes adeò propter manifeſtam invaliditatem confutatione indignæ cenſerentur; ne tamen aliquorum ſimplicium corda poſſent ullâ parte inficere, iis duxit Pōtifex ſingillatim reſpondendum t; hominémq; reprobum denuò damnandum 16. Cal. Decembris. Quam nihilominùs Okam rurſùm examinationi ſuæ ſubjicere non omiſit, opere Nonaginta dierum à ſe edito u. Fr. autem Iacobus Fornerius creatus non ita pridem à Ioanne Cardinalis, qui & ipſi poſteà in Pontificatu ſucceſſit, zelo honoris Sedis Apoſtolicæ eaſdem objectiones ſub nomine Beguinorum & Fratricellorum propoſitas ſcripto refellit, iis argumentis & rationibus quas ſuo Directorio x inſeruit Eymericus.

s Ext. tom. 3. Monarch. Goldaſti.
t Ext. reſponſ. d. cod. Vatic.

u Ext. inter eius opera; & d. to. 3. Goldaſt.

x Direct. Inquiſ. par. 2. q. 15. 16. 17.

VIII. CORBARIUS PŒNITENS VENIAM À PONT. IMPLORAT.

Non ita obſtinatus Corbarius. Quippe qui confeſtim poſt diſceſſum Bavari, tanquam ſi libertatem cōſecutus eſſet, impietatem exhorruit; & ex confinibus Lucaniæ ubi latitabat apud ſupradictum Comitem Bonifacium, ſpōte ſcribens ad Ioannem Pontificem culpam agnovit, veniam petiit, & paratum ſe tam Piſis quàm ubivis terrarum arbitrio ejuſdē publicè palinodiam canere aſſeruit: ut conſtat ex iiſdem ipſius literis, inſertis epiſtolæ y Ioannis eâ de re anno ſequēti, ut videbimus, ad omnes fideles ſcriptæ. Quod tamē paulò aliter narrans Bernardus Guidonis in Ioanne XXII. ait, poſt abſceſſum Bavari, Corbariū à Piſanis miſſum factum, ſe prædicto Comiti Bonifacio ſecretò concredidiſſe. Et ab eo primùm in quodam ſuo caſtro maritimo triginta quinq; milliaribus Piſis diſtante occultè per tres circiter menſes ſervatū, deinde cùm dubitaret rem detectā, Piſas occultiſſimè reductū in domo ſuâ cuſtoditū fuiſſe. Quouſq; demùm negotio paulatim detecto, per Epiſcopū Lucenſem actum eſt cum Bonifacio, ægrè rem fatente, ut acquieſceret Corbariū dedere, ſcribens ad Pontificem ſe eum mandato ipſius reſtituturum. Túncque Pontificem miſſo ad hoc nuncio, commiſiſſe Archiepiſcopo Piſano & prædicto Lucenſi Epiſcopo ut Corbarium reciperent; & ſi articulos in literis Apoſtolicis expreſſos abjurare vellet, ipſum abſolverent.

y Ext. in cod. Vatic. ex quo deſcripſ.
z Bzov. an. 1330.

IX. CULPAM DETESTATUS ABSOLVITUR.

Hoc autem Corbarius incunctanter adimplens, (ut ex ipſius abjuratione habetur) coram miſſo à Pontifice Raimundo Stephani Cameræ Pontificiæ clerico Apoſtolico Nuncio, necnon coram Simone Archiepiſcopo Piſano & Guillelmo Lucēſi Epiſcopo ſpecialiter à Pontifice delegatis, atq; præſentibus quamplurimis aliis Prælatis, Religioſis, nobilibus, omníſq; cōditionis hominibus, ſpontè & cum ingēti cordis amaritudine errores agnovit & deteſtatus eſt, juramentúmq; præſtitit de ſtando & parendo mandatis Apoſtolicis. Quibus præmiſſis beneficiū abſolutionis à prædictis delegatis accepit; & abjurationis ſuæ ſchedā ad Pontificem miſit; ad eum idem ipſe anno proximo, ut videbimus, acceſſit, & confeſſionem & abjurationem repetiit, quâ hæc quæ Piſis geſta diximus fuſiùs deſcribūtur. Meminit & Villani a: aítque Piſanos etiam coram eodem Nuncio omnem obedientiam Eccleſiæ jurantes, præter abſolutionem à præteritis offenſis, multis quoque donis & gratiis muneratos eſſe à Summo Pontifice ob turpe ſchiſma eorum operâ extinctum.

a Vill. lib. 10. cap. 146. & 164.

X. ROBERTI REGIS SCOTIÆ OBITUS, ET LAUDES.

Hoc eodem anno idem Pontifex Roberto Scotorum Regi, ut tam ipſe quàm ſucceſſores ejus, ab Epiſc. S. Andreæ, vel Glaſcuenſi, eorúmque ſucceſſoribus, ſacra unctionē & regiam diademā recipere poſſent, cōceſſit b. Eodémq; Roberto, menſe Novembri ex lepra, quæ extremâ illum ætate corripuit, extincto; idem Pōtifex *Davidem* ejus filium & in regno ſucceſſorem, ad benè illud regēdum hortatus eſt c. Fuit Robertus vir apud omnes gētes ſuâ ætate clariſſimus: qui utrámque expertus fortunam, amiſſum regnum, perditis amicis, occiſis propinquis, præcipuis Scotiæ proceribus adverſantibus, minimâ ſpe ex potentiſſimorum manibus eripuit, ac Scotorum libertati reſtituit. Quibus inter alia monita moriēs auctor fuit, ne unquam cum Anglis conſtitutâ acie, aut totis viribus dimicarent, ſed levibus tantùm præliis aut laceſſerēt, aut ab effuſâ populatione prohiberēt; & ne unquam diuturnas cum eis inducias agerēt: homines enim in otio degentes enervari, & Anglos omnem pacem quæ in ipſorum utilitatē non cederet facilè violare: denique ne oppida ſua mœnibus cingerēt, ſed virtute ſuâ illa munire parati eſſent. Cor verò ſuum Ieroſolymam in templo Sepulchri Domini ſepeliendum deferri mandavit, quòd ſibi ſēper in votis fuiſſet eò proficiſci ad expugnādos Chriſti hoſtes: eíq; deferēdo electus eſt Iacobꝰ Douglaſſius vir bello clariſſimus. Roberti verò filius & ſucceſſor *David*, puer adhuc erat octavum ætatis annū nondum emenſus. Datáque eſt procuratio regni, dū is adoleſceret, Thomæ Ranulpho præſtantiſſimo duci, qui quatuor jam annis cūcta egregiè adminiſtraverat Roberto valetudinario: ut hæc pluribus proſequuntur Ioannes

b Reg. Vatic. ep. 2106.
c Ep. 135. in. 14.

TRIA SINGULARIA MONITA AB EO SCOTIS DATA.

Major

d Frossard. lib. 1. c. 21. Buchan. lib. 8. ad fi.

Major, Boëthius, & alij [d]. Douglassius autem cùm in itinere audîsset de bello quod gerebatur in Hispaniâ adversùs Saracenos; ut erat magni animi & virtutis vir, velut suppleturus desiderium defuncti sui Regis, eò properans, occisus fuit in prælio: sive id contigerit in itu, ut plures, sive in reditu, ut nonnulli habent, ab itinere Ierosolymitano.

XI. Disputatio de iurisdictione inter ministr. regios et Episc. Franc.

In Galliâ hoc eodem anno Philippus Valesius Rex Declarationem dedit pro Clero sui Regni, Rege Christianissimo planè dignam. Quærebātur Prętores regij omnē jurisdictionem ad Episcopos trāsire, multóq; plures causas sæcularium à Iudicibus Ecclesiasticis dijudicari quàm à regiis; & quicumq; quâcumque de re Ecclesiasticorum decretis non staret, cōtinuò sacris arceri. Contrà verò Episcopi injuriam sibi à Prætoribus regiis in multis fieri prędicabāt. Cognitus Rex de hâc contētione, Lutetiam eos convocavit. *Petrus Cunerius*, sive *de Cuneriis*, Advocatus regius, seu ut alij vocant Procurator generalis in Senatu Parisiensi, vel ut Acta[e] nūcupant, miles & Consiliarius regius, (& potuit utrumq; fuisse; cùm multis exemplis cōstet, iis etiam temporibus consuevisse nobiles juri dicundo foróque vacare: detúrq; pręterea præcipuis regiis ministris forēsibus titulus militis sive equitis:) Prætorum causam egit pro tollendâ jurisdictione Ecclesiasticâ, productis in Prælatos atq; disputatis quamplurimis articulis, quorum quamvis aliqui nonnullos continerent Ecclesiasticorum tribunalium abusus, plures tamen priscas Ecclesiæ cōsuetudines ac libertates suffodiebāt.

e Ext. in Bibl. Patr.

Petrus de Cuneriis Advocatus regius.

Adversus quem Electus Senonensis, & *Petrus Bertrandi* Episcopus Eduēsis sive Augustodunensis, nomine ceterorum Antistitum qui aderant magno numero, causam Ecclesiæ defendendam susceperunt. Extant[f] Acta Disputationis; quorum initio videtur unus idémq; cōstitui Electus Senonensis & Episcopus Eduensis. Sed sanè non ita est: nam qui res gestas consideraverit, primam quidem responsionem ad objectiones Cunerij, fuisse Electi Senonensis reperiet: ceteras verò, omninò Eduensis: nisi quòd rursùm ad finem Electus orationem resumpsit ad Regem. Quis autē iste Electus fuerit, dubitatum reperimus. Et Claudius Robertus[g] in accuratissimâ suâ Galliâ Christianâ putavit, fuisse Guillelmū de Brociâ Archiepiscopum Bituricensem, electum hoc ipso anno Senonensē. Quod vix admittendū putaverit qui iisdem Actis in serie Antistitum ibi præsentiū, quæ ponitur ipso initio, disertè recensitos legerit, primò Bituricensē, & post aliquot alios intermixtos Senonensē: & in fine Actorum, ad supplicationē Regi pro Prælatis oblatā à Senonensi, Bituricensem respōsionem Regis eidem ipsi Senonensi ceterisq; Prelatis retulisse: de quâ mox idē Senonensis gratias egit Regi. Deniq; hunc Electū Senonensem fuisse *Petrum Rogerij*, (quem idem Robertus in serie Archiepiscoporum Rotomagensium ait translatum fuisse anno proximo 1330. ab Ecclesiâ Senonēsi ad Rotomagensem, quíque fuit posteà Clemens VI. Pontifex Maximus) disertissimè reperimus in optimis Chronicis manuscriptis, quæ nobis Parisiis exhibuit vir multæ antiquitatis Duchesnius; ut nullus ampliùs de eâ re dubitationi locus relinqui possit.

f Ibid.

Episcopi defensores.

g Rob. Bitur. Archiep. 77.

XII. Episcoporum oratio.

Hi ergo generosissimi athletæ in suis Defēsionibus Reges Francorum fando devocârunt de cœlo Carolum Magnum, Ludovicū Pium, Ludovicum Sanctum; eorúmque opem maximâ contentione implorarunt, ut qui in vitâ armis texissēt Ecclesias, liberalitate cumulâssent, nunc divinitatis participes desertas esse nollent. Enumeraverunt deinde quot Reges Ducésq; Ecclesiasticæ authoritatis violatores fœdum exitum habuerint; quot ejus propugnatores gloriâ, imperio, prolis fœcunditate, diuturnitatéq; domestici imperij, fructum amplissimum perceperint. Adiunxerunt Regum majestatem, juráq; Ecclesiæ sanctissimis moribus numinéque sanciri; ac utramq; rem imposterùm eâdem dignitate continuandam, quâ hactenùs servata sanctéque culta fuisset. Non posse Ecclesiam labefactari, quin Christus ipse sponsus ejus vilipendatur, quin sacrum ejus verbum abjiciatur, quin omnia instituta sancta conculcentur. Denique tantâ gravitate & eloquentiâ Cunerium ejúsque articulos refellerunt, ut Rex ipse nefandum ratus terræ cœlum subjici, ac temporalia spiritualibus anteferri, causam concluserit, & *Iura Ecclesiarū aucta se potiùs quàm imminuta velle* pronunciaverit: monitis tamen Antistitibus officialium & ministrorum Ecclesiæ excessus & abusus corrigere, itáque se in his agere ut occasiones tollerentur querelarum. Narrantur hæc ab Æmilio [h], Gaguino, Tilio, Belleforestio, Gaulterio & aliis. Extántq; (ut diximus) in Bibliothecâ Patrum Actus & Disputatio tunc coram Rege ejusque Consiliariis habita: unà cum alio egregio tractatu ejusdem Petri Bertrandi, de origine & usu Iurisdictionum, sive de spirituali & temporali potestate, tunc quoque conscripto.

Iudicium Regis.

h Æmil. lib. 8. Gaguin. lib. item 8. Til. in Chron. Bellefor. lib. 5. cap. 4. & in Addit. ad Nicol. Gil. Gaulter. Chronol. sæc. 14.

XIII. Duo notanda in hac disputatione.

Súntque duo speciatim inter alia in his observanda. Primū; ita Prælatos ad hanc disputationem descendisse, ut nihilominùs sæpiùs cōtestati sunt, nō se id agere ut se alicui eâ de re subjicerent judicio, vel ordinationi, aut ut jus aliquod cuicumque inde acquireretur, sed solum ad Regis & ei astantium conscientiam informandam, præstandumq; consilium super re propositâ, ac cuncta in antiquâ observatione continenda: paratos tamen, si qui fortè in ejusmodi observationum praxim aliqui abusus ministrorum ecclesiasticorum culpâ irrepsissent, eos tollere, & ad debitum usum revocare. Alterum; cùm post orationes ac disputationes utrimq; diversis diebus & locis ampliatum esset, ultimò terminatam rem esse ipso die festo S. Thomæ Cantuar. qui pro defensione Iurium Ecclesiæ gladiis impiorum occubuit, ut ipsa canit in ejus Officio Ecclesia.

XIV. Petri de Cuneriis præmium oppugnationis Ecclesiæ.

Ut autem quid inde consequuti sint, tam qui accusavit, quàm qui defendit, & qui judicium protulit cūctis innotescat; imprimis *Petrus de Cuneriis* mercedem contradictionis suæ tulit perpetuam infamiam, qua etiamnum perstringitur tam nomen quàm simulacrum; cùm sit plerisque Gallis in usu, ut quem argutulū aut sciolum insipidúmq; significare volunt, *Magistrum Petrum de Cuneriis* vocitent: extētque ad unā ex pilis obnitētibus sive anterioribus majoris Ecclesiæ Beatiss. Virg. Parisiis extra ingressū chori parte meridionali in obscuro angulo subter repræsētatione orci sive inferorū,

signum quoddam parvum sive simulacrum è lapide informe & simum, (seu fuerit illud, ut quidam volunt, ipsi erectum; seu ut magis putamus, arbitrio opificum cæmetariorum aliàs sculptum, quòd in angulo sit, quem cuneum vocant, aptatum fuerit prædicto Cunerio:) quod solent obrij quique vel stylis pungere, vel fumo cereorum inficere, vel saltē ludibrio lędere, & advenis indicare. Ecōtrà verò *Petrus Bertrandi* præcipuus Iuriū Ecclesiæ defensor, cùm multis aliis tam in Senatu Parisiensi, sanctiori Regum Consilio, & administratione Cācellariatûs Reginæ Ioānæ, quàm in regimine Ecclesiarū primò Nivernensis, deinde Augustodunensis sive Eduensis, præclarè gestis; tū egregiis scriptis [l], & prædicto pro Ecclesiâ Catholicâ operępretio; deniq; pluribus sacris constructionibus & piis fundationibus inclytus ubiq; redditus, nunquam sinè benedictione & honore memoratur. Qui & demùm dignitatē Cardinalatûs adeptus est titulo Presbyteri S. Clemētis: quamvis nihil de eo Onuphrius, qui nō paucos alios prætermisisse noscitur. Nam quem ille Petrum Bertrādi habet Cardinalem creatum à Clemente Papâ VI. nepos hujus fuit, (filius sororis ejus, cujus & cognomen accepit, licèt familiâ esset Columbariâ: (nec creatus anno 1350. ut idē Onuphrius ponit, sed ut disertè habet Vita Clemētis, aliáque Chronica quæ vidimus, anno 1344. ex Episcopo Atrebatensi; cùm adhuc in Collegio superesset hic alter Petrus Bertrandi senior ejus avunculus. Qui etiā uterq; subscriptus reperitur [ii] uno eodémq; privilegio, dato à Clemente Pontifice sanctimonialibus S. Francisci diœcesis Eliensis anno 1348. alter, nempè senior, titt. S. Clementis, junior titt. S. Susannæ. Extántque denique effigies utriusque lapideę ad fores collegij Augustodunensis, sive Cardinalis Bertrandi dicti, quod senior fundavit in Universitate Parisiensi, unà cum inscriptionibus testibus Cardinalatûs utriusq;. De Iuniore verò erit etiam inferiùs alia dicendi occasio. Quòd verò etiam *Petro Rogerij* tunc electo Senonensi prædictæ defensionis partem magnam deberi viderimus; jam & amplissimam habemus ejus mercedem, quâ Summi Pontificatûs apicem posteà obtinuit.

AC PETRI BERTRĀDI DEFENSIONIS EIUSDEM.

[l] *Nomencl. Cardinal. Gaulter. in Chronol. Frizon. Gal. Purpur. lib. 3.*

[ii] *Ap. Friz. ibid.*

PETRI ITEM ROGERII.

XV.

AC REGIS IPSIUS.

Et quod denique ipsum *Philippum* Regem attinet; præter *Catholici* titulum, quem ei propterea Episcopi indidêre; in Additionibus Aufrerij [k] Iurisconsulti ad Veterem Stylum Curiæ Parisiensis traditur, eum, quòd malevolis Ecclesiæ perturbatorum fallaciis & cavillationibus obviando dixisset, Non modò non auferre Ecclesiis sua jura, sed ea ampliare sibi in animo esse; aliis quoque suffragantibus meritis *Benefortunatum* primùm, deinde *Felicem*, postremò *optimum Christicolam* vocatum esse. In cujus etiam laudem, & rei gestæ monumentum sempiternum, erecta est ei in foribus Ecclesiæ Senonensis effigies armata & equestris, cum duobus his versibus elegantiæ illius ævi:

Regnantis veri cupiens ego cultor haberi,
Iuro rem Cleri, libertatemque tueri.

Sed magna hæc in personâ Philippi, parva tamen fuerint præ cæteris quæ à decessoribus accepta ipse præclaris suis gestis cumulavit: putà *Christianissimi* perpetuo cognomine quod ab antiquo præcellentissimi fortissimæ gētis Reges peculiare atq; hæreditarium sibi hactenùs fecerunt, unanimi consensu Pontificum, Conciliorū, Principum aliorum, nationúmq; ceterarum omnium; atque Scriptorum: præter *Primogeniti Ecclesiæ, Defensoris Fidei & Ecclesiæ*, atque etiam *Catholicissimi* titulos iisdem, ob præclaram Religionis curam, & præcipuum Ecclesiæ & Pontificum defendendorum studium, ab iisdem ipsis Pontificibus Romanis & Conciliis tributos, quos alij [l] collegerunt, & luculenter probârunt.

[k] *Aufrer. par. 4. prim. 2.*

[l] *Vide inter cæteros Sammarthan. fratres Hist. Franc. lib. 1. cap. 3.*

XVI.

CONCIL. COMPENDIENSE.

Quo eodem anno celebratum est à *Guillelmo* de Triâ Archiepiscopo Remensi & Cardinale, avunculo Philippi Regis, *Concilium* provinciale apud *Compendium* mense Septembri, cum suis suffraganeis; contra impedientes jurisdictionem & libertatem Ecclesiasticam. Cujus Acta inserta habentur Synodalibus Remensis Ecclesiæ ab eodem Guillelmo Archiepiscopo digestis.

XVII.

EDUARDUS REX ANGLIÆ HOMAGIŪ PRÆSTAT PHILIPPO REGI FRANC.

Hoc eodem anno, cùm ceteri clientes & beneficiarij Regni, fidei suæ professionem prædicto Regi Philippo fecissent, idem legatos in Angliam misit qui Eduardum quoque Regem officij admonerent pro terris quas in Franciâ possidebat. Quibus Isabella Eduardi mater, filia Philippi Pulchri, imperiosa mulier respondisse dicitur [m], Eduardum patre Rege natum Comitis filio fidem suam minimè obligaturum. At Eduardus prudentiori consilio procerum Angliæ transmittens in Galliam, Ambianum iit ad Philippum Regem, cum quo tunc erant Reges, Navarræ, Boëmiæ, & Majoricæ: & magna benevolentiâ atque honorificentiâ susceptus, homagium fecit de more pro Ducatu Aquitanię & Comitatu Pōtivi; ut breviter Walsinghamus [n] Anglus, prolixè narrat Frossardus [o] Hannonius, qui & literas publicas eâ de re ab Eduardo posteà Londini datas verbatim recitat: præter Gallos [p] auctores qui eadem tractant.

[m] *Masson. in Philipp. Vales.*

[n] *Vvalsingh. in Hypodig.*

[o] *Frossard. lib. 1. c. 25.*

[p] *Contin. Nang. Gaguin. Til. Bellefor. & alij.*

XVIII.

Ioannes autem Rex Boëmiæ, idémque Poloniæ se Regem nuncupans, à Magistro Cruciferorum Prussiæ adversùs Polonos in auxiliū evocatus; cum grandi exercitu in Prussiam cōcedens, tum multa alia loca fœdè vastavit, tum civitatem Wladislaviam, cujus tum erat Episcopus *Matthias* quidam nobili genere ortus, qui duodecimus unius materni partûs filius, reliquis mox ut nati erant mortuis, solus superstes remanserat. Masoviâ quoq; provinciâ, deditione Ducis in Ioānis potestatem redactâ; Cruciferi, ne injustè Pomeraniâ, Wladislao Regi Poloniæ ut vidimus adjudicatam, cujus occasione bellum susceptum fuerat, usurpare dicerentur; perfecerunt precibus atque pretio apud eundem Ioannem Regem, ut sibi quasi justus Polonorum Rex sempiterno jure donaret. Hísque peractis, ingruente hieme, reduxit Ioannes exercitum; & tamquam de subactis, & ad religionem adactis barbaris triumphavit: quod Cromerus [q] Polonus hæc narrans, stultâ vanitate ab eo factum scribit. Cùm econtrà Dubravius [r] Boëmius expeditionem hanc dicat eum suscepisse propugnādæ religionis causâ adversùs Lituanos Paganos. Nihil tamen contra eos gestum ponit: nisi quòd post regiones Poloniæ quas diximus populatas, in Lituaniam ducens, horri-

MATTHIAS EPISC. DUODECIMUS FILIUS UNIUS PARTÛS.

EXPEDITIO IOANNIS REG. BOËM. IN POLON. QUALIS.

[q] *Crom. lib. 11. Michov. lib. 4. c. 10.*

[r] *Dubrav. lib. 20.*

ditate

ditate regionis ac gentis conspectâ, confestim recessit, jussis tantùm per viam incendi quibusdam pagis, dolore amissi alterius oculi ex gravi & nebuloso aëre: quæ fuit pœna culpæ, quam ex rebus contra fas eâ expeditione gestis contraxit. Ceterùm cùm anno sequenti Vvladislaus Rex par Cruciferis grassationibus ac cædibus retulisset; induciæ in annum pactæ sunt: ut pluribus narrant iidem auctores Poloni.

XIX. IOAN. PP. SOLICITUS DE CONVERSIONE LITUANOR.

Quod autem præterea Lituaniam spectat; cùm visi fuissent per hæc tempora multi ejus proceres spem dare conversionis si Romani Pontificis illis accederet auctoritas; ac propterea Fridericus Rigensis Archiepiscopus à Ioanne Papâ postulâsset ut aliquẽ Episcopum & Abbatem mitteret: nihil cunctatus Pontifex id præstitit. Verùm Gedimino, sive Gedeone eorum Principe in duritie animi perstantes, res tunc effectu caruit; qui posteà in tempore, ut videbimus, advenit. Narrat verò ista Albertus Krantzius [f] in suâ Vvandaliâ. Ubi etiam prolixè describit, hoc tempore detectos in Vvandaliâ peculiariter sic dictâ provinciâ, (complectitur enim ille sub universali nomine *Vvandaliæ*, Boëmos, Polonos, Russos, aliósque earum partium populos, tametsi non hoc omnibus probetur:) Iudæos tremendum Christi Sacramentum variis locis contumeliosissimè, pro solemni & obstinatissimâ gentis perfidiâ, nec tamen sine prodigiorum ac miraculorum interventione, tractâsse, atque inde gravissimis suppliciis deletos esse.

[f] Krantz. 8 Vvandal. 9.

IUDÆOR. SCELUS IN SACRAM EUCHAR.

XX.

PETRUS DE PALUDE CREATUR PATR. IEROSOL.

Hoc eodem anno [t] *Frater Petrus de Palude* Ordinis Prædicatorum, vir magnæ doctrinæ & famæ, ac multorum scriptorum parens, Avenione ordinatus est à Ioanne Pontifice Patriarcha Ierosolymitanus. Et circa principium Iulij, unà cum nunciis Regis Cypri, qui venerant ad ducendam in Cyprum filiam Ludovici Comitis Claromontensis, sponsam primogeniti filij prædicti Regis, jussu Philippi Francorum Regis navigavit tum ad visitandum Sepulchrum Dominicum, tum ad agendum cum Soldano de Christianorum Orientalium pace, & recuperatione Terræ Sanctæ. De cujus reditu dicetur post biennium. Fuisse autem suffectum Patriarcham in locum [u] *Petri de Casâ* Lemovicensis, Ordinis Carmelitani Prioris Generalis & Episcopi Vasionensis ac Patriarchæ Ierosolymitani; intelligitur ex Trithemio [x], dum hunc Petrum ponit obiisse anno millesimo trecentesimo trigesimo, Indictione decimatertiâ, unde & satiùs fortè fuerit, Paludani electionem in sequentem annum referre.

[t] Contin. Nang.

[u] Ant. Sen. in Chron. Prædic. ait Fr. Raymũdum ex Magistro sacri Palatij factum esse Patriarcham Ierosolymitanum; sed tempus mihi incertum, utrùm præfuerit hunc Casam, & sederit post Episcopum Ruthen. de quo suprà an. 1310. X. vel secutus sit Paludanum.

[x] Trith. de Script. Eccl.

XXI. MITTUNTUR RELIGIOSI AD REGIONES ORIENT.

Misit etiam Pontifex plures ex Prædicatoribus & Minoribus in Persidem aliásque Orientis regiones: quos proinde commendavit Imperatori Trapesundarum, Regibus Russiæ, Georgianorum, & Choraticæ, aliísque per quorum dominia transeundum foret, scriptis ad eos literis quæ extant [y]. Deindéque alias submisit ad Archiepiscopum sancti Thadæi, & Christianos Imperij Persici: necnon ad Elchigadan Imperatorem Tartarorum, Corassan, Turquestan, & Indestan: denique & ad Imperatorem Æthiopum: quæ omnes pariter extant in Regesto ipsius Ioannis Pontificis.

[y] In Reg Ioan. unde eas descripsi. Vvaddingh. hoc an.

XXII. ANDRON. IUNIOR IMP. SANATUR OPE SANCTOR.

In Thraciâ Andronicus Iunior Græcorum Imperator in gravissimum morbum incidens, cùm momento moriturus videretur, haustu & suffusione aquæ è sacro fonte Dei-genitricis convaluit. Qui & paulò antè difficili vulnere pede in bello contra Turcos in Bithyniâ accepto, invocatione sancti Demetrij martyris, cujus erat celebris apud Græcos memoria, protinùs sanitatem receperat: ut pluribus narrant Nicephorus [z] Gregoras & Ioannes Cantacuzenus [a]. Nec mirandum, hujusmodi beneficia homini à fide Ecclesiæ Catholicæ alieno divinitùs collata esse: cùm historiarum monumentis proditum sit, ingentia alia sæpè erga Ethnicos, Iudæos, & hæreticos, à viris sanctis patrata esse, quippe quæ fiant, non in confirmationem errorum, neque per res extraneorum à fide; sed vel in commendationem dogmatum Ecclesiæ, quale fuit hîc Invocatio Sanctorum; aut rerum sacrarum, ut fuit Fons templi Beatissimæ Virginis; vel ab eis qui dum viverent veræ Ecclesiæ membra erant, putà hîc à Beatissimâ Virgine, & sancto Demetrio martyre. Ceterùm illud etiam boni prædictâ ægritudine Andronicus in mente habuit, ut & monachi habitum pœnitentiæ causâ sibi imponi petierit, & omnes quos carcere inclusos detinebat libertati restitui jusserit. At ejus ministri, unà cum Esaiâ Patriarchâ, in Seniorem Imperatorem pessimè affecti; ne fortè mortuo Iuniore in regnum restitueretur, quamvis jam luminibus orbatus, optione ei datâ de subeundâ morte, aut horrido carcere, vel habitu monachali induendo; cùm hoc ultimum, quamvis invitissimè selegisset, accepto nomine Antonij monachi; etiam jurare coëgerunt se Imperium numquam quæsiturum, & oblatum repudiaturum, neque ullum sobornaturum, quod à Gregorâ assertum, à Cantacuzeno [b] aliis coloribus oblinitur; ad id præcipuè animum applicante, ut vaniloquio suo amorem incredibilem in se Iunioris Imperatoris, & oblati sibi ab eo Imperij denegationem persuadeat; si id credere fas sit de homine, quem videbimus illud per summum nefas posteà assumpsisse. Cùm & præterea isthæc omnia ita (ausim dicere) aniliter tractet, ut miremur esse qui ejus narrationes, quòd ipse eas ut verissimas venditare non desinat, & ipsi easdem omni veritate constantes asserere non dubitent: qui sanè si quantâ elegantiâ tantâ sinceritate res descripsisset, inter præcipuos historiographos recensendus meritò veniret.

[z] Greg. lib. 9.
[a] Cantacuz. lib. 2. cap. 17.

[b] Cantacuz. cat. 16. & 18.

XXIII.

Hoc quoque anno refert auctor Chronicæ [c] Aulæ-Regiæ, epistolam cujusdam Magistri Ioannis Davidis Toletani ceterorúmque ejus loci magistrorum, scriptam Toleti anni Christi millesimo trecentesimo vigesimo-secundo, quâ significârant publico programmate, hoc præsenti anno millesimo trecentesimo vigesimo nono, mense Septembri, Sole existente in Librâ, conventuros simul omnes planetas, secuturásque eclipses Solis & Lunæ; atque inde mox orituras horrendas ventorum procellas, portentosas maris excrescentias, terræmotus universales, urbium eversiones, prælia magna,

[c] Cap. 22. Tom. Rer. Boëm.

INANIS PRÆDICTIO HISPANORUM ASTROLOGORUM.

annonæ caritatem, excidium penè omnium viventium: & asserentes in hoc convenisse omnes philosophos, àstronomos Hispaniæ, Græciæ, Arabiæ, & Hebræos. Quam quidem epistolam satius nos ducimus commentum credere alicujus festivi hominis otiosi, (ut sunt fœcunda hujusmodi fabulosis fictionibus ea ingenia) quà ut seriò tantas inanitates, quantas ea prætereà continet, Hispanis impingere velimus. Quare & ex eventibus observat idem auctor, totam fuisse mendacissimam; cùm iste annus quietus fuerit & temperatus, ac valdè fructibus abundans.

IESU CHRISTI Annus 1330.
IOANNIS XXII. An. 14.
VAC. IMP. ROM. An. 17.
ANDRONICI Annus 48.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo trigesimo, Indictione decimatertiâ, cùm Ludovicus Bavarus post suum ab Italiâ reditû non cessaret Principes Germaniæ in Ioannem Pontificem concitare, & ad liberationem Corbarij excitare, quem audierat ad Ioannem mittendum; id tantùm præseferens[a] habere in animo ut Ecclesia Pontificem haberet, cui cordi esset animarum salus; atque Imperium pace frueretur, quòd posset ipse sacram expeditionem in Orientem suscipere: Atque inter hæc Guillelmus Comes Hannoniæ socer Bavari, voti solvendi causâ adversus Mauros Granatenses, cum octingentis armatis equitibus peregrinationem suscepisset, & priùs in viâ benedictionem Ioannis Pontificis accepturus Avenionem versùs iter direxisset: Hoc audiens Pontifex, tantâ suspicione correptus est, ne fortè ad ipsum inquietandum adveniret; ut accitis Senescallo Provinciæ ac nobilitate illarum partium, familiam etiam suam & Cardinalium armaverit; mandârítque Guillelmo sub pœnâ excommunicationis ne Provinciam ullâ parte attingeret; absolvens eum à voto concepto, modò in patriam rediret, qui dicto obediens confestim regressus est. Id enim eâ occasione, hócque anno ac mense Aprili gestum esse, Villanius[b] narrat; qui facilè scire potuit, cùm fratrem & amicos haberet in Curiâ, à quibus fieret de singulis rebus certior: cùm Scriptores Belgici[c] qui longè pòst vixerunt, ponant Guillelmum anno millesimo trecentesimo vigesimo septimo à genero in societatem armorum in Italiam invitatum, priùs decrevisse Pontificem invisere ad tractandam concordiam inter ipsum & generum.

[a] Mut. Chron. Germ. lib. 24. Reg. Ioan. hoc an.

VANUS METUS IOANNIS PONT. A COMITE HANNONIÆ.

[b] Vill. lib. 10 cap. 157.
[c] Beka in Chron. Traject. Io. à Leid. lib. 27 cap. 24.

II. Ineunte verò mense Iulij (ut idem Villanius[d] habet) Philippus Francorum Rex Massiliam religionis causâ peregrinatus exiguo comitatu ad corpus sancti Ludovici olim Tolosatis Episcopi consanguinei sui; post fusas ibi preces, Ioannem Pontificem Avenione convenit: & cum eo remotis arbitris collocutus de sacro Bello, déque rebus Italicis, ut posteà cognitum est, die octavo discessit. Cui Pontifex[e] fructuum ecclesiasticorum regni decimas ad id bellum concessit (quæ fortè potissima fuit causa suscipiendæ ejusmodi peregrinationis: ut fuit plerisque eorum temporum Principibus, subsidium Terræ Sanctæ speciosissimus prætextus involandi in bona Ecclesiastica: (reservatis sibi ceteris Christiani orbis tam ad sacram illam expeditionem, quàm ad defensionem Ecclesiæ ab insultibus schismaticorum. Meminit porrò ejusdem regiæ peregrinationis etiam Continuator Nangij hoc ipso anno.

[d] Vill. cap. 162.

PHILIP. REX FRANC. PEREGRINATUR AD CORPUS S. LUDOVICI, ET AD PONT.

[e] Naucler. gener. 45.

III. Cùm autem inter hæc Ioannes Rex Boëmiæ per literas & legatos Pontifici significâsset, se unà cum patruo suo Balduino Archiepiscopo Treverensi, ac de consensu Othonis Austriæ Ducis tractatus aliquos habuisse cum Ludovico Bavaro, pro illius cum Ecclesiâ & Pontifice reconciliatione; quos iidem Principes utiles & honorificos esse existimarent: iis examinatis, idem Pontifex ad Ioannem Regem pridie Calendas Augusti rescribens[f], planè ostendit quàm ij essent dolosi & cavillatorij. Erant autem; quòd promitteret depositurum se suum antipapam; recessurum à suâ appellatione; revocaturum omnia quæ fecisset contra Ioannem Pontificem & Romanam Ecclesiam, & recogniturum se excessisse, ac sententias excommunicationis ipsum ligâsse: dummodò in honore & statu suo remaneret, hoc est in Regno & Imperio. Ad quos respondens Pontifex, laudatâ primùm rectâ prædictorum Principum intentione ac mente, deinde Bavari ingressum ad regnum, & progressum, excessúsque in eis commissos expendens, & ad oblatos ab ipso articulos conferens, quàm nihil iis satisfactionis erga Deum, Pontificem, & Ecclesiam pro tot enormibus facinoribus offerret docuit: cùm & alioqui nec potuisset ipse antipapam creare, nec si verus esset Papa posset deponere; fuerítque ejus appellatio nulla & invalida, facta videlicèt ab illius sententiâ qui non habet superiorem: nec sufficeret quæ de facto fecisset de facto revocare, nisi etiam mulctam penderet de tot gravissimis offensis: & quamvis non recognosceret se excommunicatum, haud tamen minùs esse. Quod denique ita hæc offerret, ut omninò in Regno & Imperio honoréque suo permaneret; satis ostendere impœnitentem ipsum esse, ac proinde omni absolutione indignum, quæ nonnisi pœnitenti conceditur. Offerre tamen se prædictorum Principû intuitu, & pro salute ipsius Ludovici, si ad gremium Ecclesiæ redire vellet sicùt deberet, paratum se esse ipsum recipere, eíque talem & tantam impertiri gratiam, quæ iisdem Principibus meritò satis futura esset. Hæc prolixiùs Pontifex contra simulationes Bavari.

TRACTATUS QUIDAM ELUSORIUS LUDOV. BAVARI, QUEM PONTIFEX REIECIT.

[f] Reg. Ioan. ep. 4. an. 14. ecstatque integram epist. Bzov. hoc an.

IV. Cui longè acceptior spontanea (non coacta, ut nonnullis visum; qui præ ignoratione rerum tunc in hoc negotio gestarum, multa etiam alia in earum narratione peccârunt) confessio & pœnitentia Corbarij. Qui quidem Pisis Avenionem mari terrâque securè atque honestè delatus; (quem Avenionem pervenisse in vigiliâ B. Dominici, ponitur apud Bernardum Guidonis, sed rectiùs apud Villanium[g], ut ex Ioannis Pont. Epistolâ de

CORBARIUS AVENIONEM DUCITUR.

[g] Vill. lib. 10. cap. 164.

quâ

quâ paulò pòst intelligitur, in Vigiliâ Beati Bartholomæi more Romano, nempè vigesimo quarto Augusti:) postridie coram omnibus Cardinalibus & prælatis, ceterísque Ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus in publico Consistorio, prostratus ad pedes Pontificis restem collo gestans, ex schedâ à se conscriptâ errores suos spontè confessus est ac detestatus; subjiciens se judicio Pontificis & Ecclesiæ cum imploratione veniæ & restitutionis ad communionem Ecclesiæ. Extántque [h] Acta posteà confecta octavo Idus Septembris, quibus continetur prolixa eadem confessio ac palinodia: quâ quidem imprimis immanissimum se ac sceleratissimum omnium peccatorum ob nefandissima à se commissa scelera agnoscens, narratis quæ jam antè Pisis coram delegatis à Pontifice præstitisset, quæ recitavimus anno superiori; rem ab initio resumens ait, cùm seductor schismaticus & hæreticus manifestus Ludovicus de Bavariâ ad Urbem Romam imbutus diabolico spiritu pervenisset, ac Minister Fratrum Minorum Romanæ provinciæ atque Ioannes Cardinalis Legatus, pro majori observatione interdicti cui tunc per summum Pontificem Urbs erat supposita, ejusdem Ludovici adventu percepto, ipsi Petro de Corbario, aliísque Fratribus ibi commorantibus, sub virtute obedientię & excommunicationis pœnis publicè injunxissent ut omnes exirent; ipsum tamen Petrum, licèt omnes ferè ceteri Fratres obedîssent, in eâdem Urbe præsente dicto hæretico pessimo Ludovico, & assistentibus plurimis aliis hæreticis & schismaticis condemnatis per Summum Pontificem, pertinaciter remanere præsumpsisse. Deinde cùm idem perfidus Ludovicus datus in reprobum sensum, se fecisset in Imperatorem à ceteris perfidis Romanis coronari, & contra Ioannem Pontificem diabolicam & iniquissimam depositionis sententiam promulgâsset; ipsúmque Petrum ad quorumdam infidorum principalium Romanorum clericorum & laïcorum instantiam, in Papam, immò veriùs antipapam damnatum & pestiferum elegisset: eumdem Petrum seductum ejus & multorum tam clericorum quàm laïcorum ejus sequacium perniciosis instantiis, falsò & erroneè asserentium Imperatorem posse deponere Papam, & loco depositi alium ordinare; suâ superbissimâ electione, more Luciferi, ambitionéque damnabili, hujusmodi nefandæ electioni consensum temerarium, omníque pœnâ dignissimum, non erubuisse adhibere; ac subsequenter consecrari; immò execrari ab hæretico & schismatico Iacobo dudum Castellanensi Episcopo excommunicato & deposito; & coronari à dicto hæretico Ludovico permisisse: licèt ad eum etiamsi verus fuisset Imperator; ipséque Petrus verus Papa, (sicut reverâ non erant, sed potiùs hæretici & schismatici) nequaquàm talis coronatio pertineret.

[h] *Ext. in Vit. Ioan. XXII. edit. Bosq. & ap. Masson. ex cod. Eccl. Vien. qui idem ferè est: & ex Massono ap. Ciacon. de Vit. Pontiff. & Bzov. ac Vvadding. hoc an.*

EJUS PALINODIA, ET DETESTATIO BAVARI.

V. PRAVORUM SUORUM GESTORUM ENUMERATIO.

Subdit postinde (sempérque cum execratione personarum ac rerum de quibus agit, suíque ipsius accusatione ac detestatione) se Cardinales, & omnes officiarios quos verus Papa habere est solitus, ordinâsse; bullámque, seu sigillum fieri fecisse, atque eo usum esse: Processûs & depositionis sententiam à Ludovico contra Summum Pontificem fulminatam, ut pravam opinionem Michaëlis de Cesenâ de paupertate Christi & Apostolorum fortiùs stabiliret, ex certâ scientiâ & de plenitudine potestatis confirmâsse; atque etiam de novo id ipsum per suam propriam sententiam promulgâsse: Literas suas ad diversos Reges & Principes, dictantibus iisdem Ludovico & Michaële contra Ioannem Pontificem destinâsse: tum in Urbe, quàm pluribus aliis civitatibus & locis per summum Pontificem interdictis tam clericos sæculares quàm regulares divina celebrare compulisse: Tallias tam in Urbe quàm alibi imposuisse, ac pro illis Ecclesias calicibus, ornamentis, aliísque rebus spoliâsse: Nonnullos fideles Prelatos, & alios Ecclesiasticos dignitatibus & beneficiis privâsse, eáque hæreticis vel schismaticis etiam cum pravitate simoniacâ contulisse; atque illis tam per se quàm per alios munus consecrationis impendisse. Contra Fratres Minores non parentes Michaëli tamquam Generali Ministro, & contra servantes interdicta per Summum Pontificem vel legatos seu officiales ejus promulgata, utroque spirituali videlicet & temporali gladio procedere non expavisse: Indulgentias & Dispensationes Sedi Apostolicæ reservatas concessisse: Nonnullos qui pro Pontificibus se gerebant, commisisse ut sacros Ordines celebrarent: De Patrimonio beati Petri, ad tempus vel in perpetuum nonnullis locis disposuisse: Aliáque plura contra Deum, Sanctámque Ecclesiam & Ioannem Pontificem verum & unicum Christi Vicarium peccâsse: Eáque omnia & singula confiteri se ac pronunciare nulla esse & inania, séque malè, temerè & iniquè ea perpetrâsse, & asseruisse. Credere denique & tenere fidem illam, quam Sancta Romana Ecclesia & Ioannes verus ejus Pontifex teneret, prædicaret, & doceret: ac specialiter hæreticum reputare, ad Imperatorem pertinere deponere vel instituere Pontificem; itémque Christum & ejus Apostolos non habuisse, quæ eos habuisse Scriptura sacra testatur, in materiâ proprij & communis, juris ac dominij in rebus temporalibus; juxta ea quæ continerentur in constitutionibus ea de re ab ipso Ioanne Pontifice promulgatis, quas jam ipse approbaret ac reciperet in omnibus & per omnia, & contraria quæcumque reputaret hæretica & falsa: Hísque ad sancta Dei Evangelia corporaliter ac mentaliter à se tacta fideliter & toto corde juratis; petere suppliciter veniam & absolutionem, ac reincorporationem unitati Ecclesiæ: paratum omnem pœnam, seu pœnitentiam sibi pro præmissis imponendam, cum omni obedientiâ sustinere & adimplere: ac de omnibus ad æternam rei memoriam pro salute suâ & publicâ; petere se unum & plura quotquot expediret fieri publica instrumenta.

FIDES EJUS AC VENIÆ PETITIO.

VI. RECIPITUR A PONTIFICE, ET HONESTE HABETUR.

Hâc Petri de Corbario publicâ confessione auditâ & acceptâ, Ioannes Pontifex misericordiâ in eum motus; confirmatâ imprimis absolutione & reincorporatione ejus à delegatis quos diximus Pisis factâ; insuper aucto-

ritate Apostolicâ ipsum ad gratiam suam & Ecclesiæ recepit, atque ab omnibus excessibus & censuris absolutum communioni Ecclesiæ restituit: ut patet ex epistolâ ejusdem Ioannis encyclicâ, de quâ paulò pòst agetur. Eumdémque etiam cum lacrymis amplexum & osculatum esse, Continuator Chronici Nangiaci, & Villanius [i] scribunt. Memorandúmque quod in Annalibus suis Rebdorffius observat; postquàm Petrus eamdem confessionem & abjurationem iterùm coram omni populo fecisset, quamdam aquilam supervenisse, & supra palatium Ioannis Papæ consedisse. Quasi videlicèt voluerit Deus, insuetæ ibi alitis signo Ioannis Pontificatū confirmare. Ceterùm ne Petri occasione rursùm Ecclesia turbaretur, si liberè permitteretur evagari, eum Pontifex Avenione retinendum censuit, datis ei in palatio libris, sociis, omnibúsque rebus ad vitam honestè traducendam necessariis; hâc unicâ cautelâ adhibitâ, ne quispiam Pontifice inscio ipsum alloqueretur: tractatus (inquiunt prædicti auctores Vitæ Ioannis & Chronici Viennensis, qui tum vivebant) ut familiaris, sed custoditus ut hostis. Quem Villanius ait tribus annis & uno mense ita vixisse; posteáque mortuum honorificè sepultum esse in simplici habitu Religiosi in ecclesiâ Fratrum Minorum.

[i] Vill. l. 10. c. 164

VII. TEMPUS HISTORIÆ BERNARDI GUIDONIS.

Produxit autem huc usque *Bernardus Guidonis* sæpè à nobis citatus suum Chronicon de Pontificibus Romanis; quod dicavit ipsi Ioanni Papæ. Quinimmò & auctor Magni Chronici Belgici disertè asserit, eum scriptis suis de Vitis Pontificum, Imperatorum, & Regum Francorum pervenisse tantùm usque ad annum millesimum trecentesimum vigesimum primum, qualem etiam codicem nos nacti sumus in Bibliothecâ Patrum Dominicanorum urbis Tolosæ; quo dicatur opus Berengario Magistro Ordinis Prędicatorum: sed posteà continuatum ipsemet Pōtifici obtulit. Sanè quæcumque vidimus ejus manuscripta, (quæ variis Bibliothecis continentur) nulla hunc annum excedunt: quicquid sint plurimi qui quæ sequuntur, ejusdem nomine obtrudant. Denique non potuisse ulteriùs progredi, manifestissime apparet ex tempore mortis ejus, quod in Vitâ ejusdem, quam vidimus appositam in principio tomi secundi Sanctoralis ejus, (hoc est Vitarum Sanctorum ab eo collectarum, quod extat quinque præ grandibus voluminibus in dictâ Bibliotheca Fratrū Prædicatorum Tolosæ) disertè signatur anno Domini millesimo trecētesimo trigesimo primo, ætatis septuagesimo, nocte subsequenti festum sancti Thomæ martyris, ab Ordinis Prædicatorum ingressus anno quinquagesimo secundo, ab Episcopatûs Lodovēsis, adeptione octavo: cùm patriâ Lemovicensis, scientia, pietate, & prudentiâ clarus, & diversis officiis ac dignitatibus sui Ordinis egregiè functus, Inquisitionis etiam munus Tolosæ, & Procuratoris Ordinis in Curia Rom. octodecim propemodùm annis exercuisset; interímque in legationibus Italiæ & Galliæ, pro componendis variis dissidiis ab Apostolica Sede susceptis, laudabiliter se gessisset: & factus primò à Ioanne Pontifice Episcopus Tudensis in Castella, & inde paulò pòst Lutevam provinciæ Narbonensis, (vulgò Lodevam dictam) translatus fuisset, quem denique vivum ac mortuum claruisse miraculis, scribit idem auctor ejus Vitæ, qui novit. Sed de eo hactenus.

EJUS VITÆ BREVIARIUM.

VIII. LITERÆ IOANNIS PP. PUBLICÆ DE PALINODIA CORBARII.

Ut autem prædicta Petri de Corbario confessio & palinodia omnibus ubique innotesceret, simúlque os obturaretur Ludovico Bavaro, Michaëli de Cesenâ, aliísque eorum asseclis, Ioannem Pontificem calumniantibus de vi ac metu Petro illatis; idem Pontifex, ut scirent omnes quid eâ in re, quâque libertate gestum esset, encyclicâ epistolâ [k] octavo Idus Septembris scriptâ, cunctis imprimis admonitis gratias agere Deo de Petri resipiscentiâ, deinde literas subdidit ab eo ad ipsum Ioannem è loco ignoto antequàm Pisas deduceretur scriptas de factâ jam à se spontaneâ desertione partis Ludovicianæ, & firmo proposito publicæ abjurationis faciendæ, ac vitæ emendandæ. Hísque adjunxit novam ejusdem Petri abjurationis formam; quâ præfatus se in illâ die vigesimi sexti Augusti, fatigatum ex labore, debilitatum in vigore, angustiatum in dolore, confusum ex rubore, confractum ex timore, impeditum ex clamore, extinctum in devotione, mortuum in amore, minimè potuisse omnia exprimere sicut decebat; nec ipsum Pontificem & Cardinales, propter dicta impedimenta & tumultum assistentium benè intelligere: ideò resumptis pòst ex benignitate quâ ipsumPontifex suscepisset viribus, restituto vigore, lenito dolore, remoto rubore, corroborato timore, clamoris sui raucitate sanatâ, devotione inflammatâ, amore vivificato; cum pacificæ & benignæ securitatis confidentiâ, decrevisset eadem latiùs in privato Consistorio coram eodem Pontifice & Cardinalibus, aliísque testibus & clericis Cameræ Apostolicæ, publicis tabellionibus, proponere, confiteri, publicare, & legere in scriptis, ut certiùs paterent universis. Insertâque postinde abjurationis formula, cujus superiùs summarium recensuimus, addidit Pontifex quomodò Petrum absolverit, & Ecclesiæ restituerit.

[k] Reg. Ioan. Ep. 78. an. 14. unde Bzov. descripsit hoc an.

NOVA CORBARII ABJURATIO.

IX. IOANNES EXCUSAT ABUSUM SE VOCE CONSECRATIONIS IN FACTO LUDOVICI.

Quòd verò idem Pontifex in epistola ad Regem Boëmiæ, de qua suprà, scripsisset Ludovicum Bavarum à Corbario cōsecratum fuisset; ac multi inde ludicrâ subtilitate argumentarentur, Ioannem Pontificium Corbarij agnovisse, quòd Imperatoris consecratio ad solum Romanum Pontificem pertineret; ac proinde & Bavarum legitimum esse Imperatorem, quòd à Pontifice consecrationem accepisset; rursùm Ioannes sapientibus & insipientibus debitorem se agnoscens, aliis literis quæ ejus Regesto continentur, necesse habuit explicare, *Consecrationis* vocem per errorem irrepsisse in prædictam epistolam; cùm non consecratus, sed execratus Bavarus fuisset à Corbario. Et adversùs quoscumque diplomata Pontificia vitiantes, vel vitiatis scienter utentes, pœnas gravissimas decrevit. Atque modò hactenus de rebus Corbarij.

X. ALIA PALINODIA MARTINI PRESBYT.

Cujus confessioni & pœnitentiæ aliam adnectimus cujusdam ejus asseclæ, minoris quidem momenti quoad Ecclesiam, sed tamen paris necessitatis quoad salutem animæ

ejus qui eam fecit: nempè Martini Presbyteri & Rectoris Ecclesiæ Sanctorum Sergij & Bacchi Urbis Romæ: qui quòd Missas celebrâsset contra interdictum; & Bavarum ac Corbarium honorâsset, licèt propter metum, haud alioqui participando eorum erroribus; jussu tamen G. de Valle Camerarij Ecclesiæ Romanæ, hoc ipso anno die decima-tertiâ Aprilis ibidem Romæ in quatuor Patriarchalibus Ecclesiis inter Missarum solemnia altâ voce coram populo reatum suum confiteri habuit antequam absolutionem obtineret: uti reperimus in Collectione [l] Archiepiscopi Auxitani, de quâ aliàs.

[l] Ext. in Bibl. colleg. Fux. Tolos. ubi eam vidimus.

XI. IOAN. MULTA FACIT PRO FIDEI PROPAGATIONE.

Ceterum Ioannes Pontifex ad propagationem quoque fidei Christianæ intentus, multa hoc eodem anno præstitit eò spectantia, quorum notitiam ex ejus Epistolis habemus. Siquidem Imperatori Tartarorum symbolum ac formulam Catholicæ doctrinæ transmisit. Armeniorum Episcopum apud Scythas fidei semina dispergentem, ut in Romanæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinâ & unitate perseveraret, hortatus est. Marsorianum Iacobitarum, ut unà cum suo populo ad unionem fidei Romanę reverteretur, invitavit. Habitantibus in montibus Alborsinorum Christianis, instructorem & instructionem fidei dixerit. (Progenies esse dicuntur gentis Chaldæorum, & Nestoriani esse subdique Patriarchæ Babylonis cujus auctoritas in Indiam quoque se extendebat. Iacobitæ autem Antiocheno Patriarchæ obediunt, sedem in Mesopotamiâ habenti, & magis Eutychiani sunt. De quorum hæresibus dictū est aliàs. Fratribus item Prædicatoribus & Minoribus, tam apud illos quàm alios infideles & Schismaticos pro fide orthodoxâ laborantibus privilegia amplissima & Indulgentias plurimas concessit; multos recensens populos vel Ethnicismo, vel Græcismo, aliisve antiquis hæresibus, superadditisque erroribus infectos. De quorum plerisque actum à nobis superiùs variis locis: éstque specialis eorum descriptio apud auctores illorum temporum qui Terram Sanctam peragrârunt [m] putà Surianorum, Iacobitarum, Nestorianorum, Maronitarum, Armeniorum, Georgianorum, Nubianorum, Biduinorum, & aliorum ejusmodi. E'quibus multos ad fidem Catholicam per prædictos Fratres reductos esse non dubitamus. Idémque insuper Pontifex Reginam Aragoniæ contra maleficia remedium postulantem, ad Deum, qui potens est opera diaboli dissolvere, confugere admonuit. Inquisitoribus hęreticæ pravitatis, ut contra magos, sortilegos, & aliarum prohibitarum artium professores animadverterent præcepit. Multáque alia in utilitatem Ecclesiæ, fidei propagationem, morum correctionem concordiam Principum ac populorum præstitit, quæ pariter continentur in ejus Regesto Epistolarum. Quemadmodum apud Continuatorem Chronici Nangiaci habetur, hoc eodem anno primâ die Novembris toto regno Franciæ unâ horâ de mandato ejusdem Pontificis captos esse omnes Fratres *Hospitalis de Alto-passu*, cum omnibus eorum bonis; eò quòd literis & Indulgentiis Apostolicæ Sedis abuterentur, plura & ampliora iis contineri mentientes, quàm concessa essent: ideóque diversis carceribus Episcoporum inclusos fuisse.

[m] Epit. Bel. sacri. to. 6. Antiq. Lect. Canis. Borchard. Descript. Ter. Sanct. par. 2. cap. 11 & alij.

MENTIENTES INDULGENTIAS CASTIGAT.

XII. REX HUNGARIÆ MAGNUM SUBIT VITÆ PERICULUM A PRODITORE.

Intereà in Hungariâ Rex Carolus, cùm pacis optatæ tranquillitate gauderet, regnúmque suum pietate & justitiâ prudenter administraret; insigni cujusdam Feliciani scelere ingens vitæ periculum unà cum conjuge & liberis obiit. Erat hic Felicianus genere nobilis: qui à Matthæo Trinchino Palatino opibus & dignitate auctus, ita se in Regis amicitiam insinuaverat, ut ei securo ingressu fores regiæ absque obice paterent. Gravissima verò vitia præ liberali quâdam audaciâ contegens, demùm eò prorupit facinorosissimæ temeritatis ut Regem prolemque de medio tollere cogitaverit, eo fine ut perturbatis rebus omnia pro libidine suâ disponeret. Itaque decimoquinto Calendas Maij Rege unà cum uxore ac filiis in suburbio Wissegradi domi suæ prandente, ingressus sub officij specie, evaginato ex improviso gladio acutissimo Regem adortus, frustratus ictum dexteram dumtaxat levi vulnere læsit: móxque in Reginam pientissimam feminam conversus, dexteræ quatuor digitos abscidit, quibus & profusè eleemosynas pauperibus erogare, & dies noctésque sacras vestes ecclesiis contexere, atque parare consueverat. Cúmque & continuò pueros aggrederetur, interponentes se pædagogi, propriis corporibus commissos sibi laudabili fide protexêre, pueris intereà diffugientibus. His autem ferè in momento peractis, vicedapifer Reginæ collum Feliciani pugione transfodit; ac corporis stipatores accurrentes humi prostratum membratim dissecuerunt. Caput Budam, manus & pedes aliorsùm missi, truncus canibus projectus. Filius ejus unicus cum famulo equinis caudis distracti, frusta canibus exposita. Filia, quæ in aulâ educabatur, succisis labiis naribúsque, & octo digitis amputatis, per plateas & compita circumducta, clamare coacta est, *Qui Regi infidelis est, per omnia percipiat talionem*. Filia altera capite mulctata. Universum denique genus variis suppliciis sublatum, aut affectum. Narrant hæc illius gentis auctores, Thurosius [n] & Bonfinius [o]. Sed quod iste addit, Regem ex auspicato Ierosolymam petiisse, ut ad Salvatoris Sepulchrum grates pro incolumitate in atrocissimo casu donatâ exsolveret; tacet alius: & putamus inane esse, cùm non adeò tunc facilis tanto Principi illiusmodi peregrinatio foret; eúmque eodem ipso anno mense Septembri & sequentibus expeditioni in Walachiam (pars illa est antiquæ Daciæ) occupatum fuisse, eodem Thurosio teste constet. Sed non rarò Bonfinio sic hallucinari libuit, in iis præsertim quæ in laudem eorum quorum gesta describenda suscepit facere existimavit.

[n] Thuros. Chron. cap. 96.
[o] Bonfin. 2. dec. 9.

XIII. INFAUSTA EIUS EXPEDITIO IN WALACHIAM.

Ceterùm, quòd hæc Caroli Regis in Vualachiam expeditio magis ex superbiâ quàm ex ratione suscepta fuerit, ideò & infaustissimam ei esse permisit Deus. Erat Bazaradus Vuayvoda sive Princeps illius regionis cliens Hungariæ, sempérque fidem servârat, censúmque persolverat. Nihilominùs Rex Carolus, ut quibusdam proceribus suis gratificaretur, eum principatu pellere decrevit. Ducto exercitu, & hostiliter regionem ingressus, cùm rogatus à Vuayvoda ab incœpto

desistere, etiam cum oblatione expensarum, & concessione unius urbis à Rege captæ; monitúsque si vlteriùs progrederetur, non benè ei cessurum: Rex hæc aspernatus ubi in penitiora exercitum duxit, inter montium & silvarum ignotas angustias & horrores omnium rerum penuriâ oppressus, pacem demùm cum Wayvodâ inire coactus, tutum reditum pepigit. Verùm cùm pedem referre cœpisset, à fidifragis hostibus viâ arctissima ex improviso circumventus, lapidibus, telis, inediâ, amisso universo exercitu, vix ipse cum paucissimis, mutatóque habitu, salvus evasit: edoctus imposterùm, non temerè hostem quiescentem provocare; neque ex plurimis victoriis, quas hactenùs de hostibus reportaverat, nimiùm superbire.

XIV. [p] Villan. lib. 10. cap. 165. Marian. lib. 15. cap. 21. Rex Castellæ Mauros vincit.

Feliciùs in Hispaniis [p] Alfonsus Rex Castellæ mense Augusti Mauros debellavit, obsidionem Thebæ validissimi oppidi solvere molientes: quod mox deditionem fecit, aliáque nonnulla similiter. Gestis his eò majori Alfonsi laude, quòd neque Rex Aragonius, neque Lusitanus, auxilia ut conventum fuerat, communicâssent; Lusitanis equitibus qui initio advenerant jam in patriam reversis; Aragonio Sardiniæ rebellantis motus à Genuensibus concitatos excusante: quos Aragonij, Genuensésque historici prosequuntur.

XV. [q] Walsingh. in Hypodigm. & in Eduar. III. Turbæ Anglicæ.

In Angliâ novitatum hoc tempore fœcundâ; Episcopus Londinensis crimine [q] conspirationis de restituendo in regnum Eduardo seniore, quem adhuc superstitem esse Frater quidam Prædicator cœnobij Londinensis ab evocato per magiam dæmone didicisse ferebatur, arcessitus, Ecclesiasticâ dignitate tutus utcumque redditus est. Edmundus verò Comes Cantij ejusdem Regis frater, patruúsque regnantis hoc tempore Eduardi, eádem de causâ in crimen vocatus, publicè decollatus est, procurante Reginâ Isabellâ matre junioris Regis, & Rogero de Mortuomari, cujus nutu cuncta gerebantur in Angliâ. Sed tulerunt brevî ambo pœnas suæ temeritatis: cùm Regis jussu Rogerus noctu in cubiculo Reginæ captus, & de variis criminibus accusatus, tractus & publicâ furcâ suspensus fuit: admirandâque rerum mundanarum volubilitate caput resectum pilo affixum Londini prope caput Hugonis Spenserij, quod ipse ibi locari [r] fecerat. Regina verò à rerum administratione remota, ad vitam privatam redacta est, solis mille libris in singulos annos ad ejus victum assignatis. Meminit horum Villanius [s] necnon Continuator [t] Nangiaci: tractantúrque pleniùs apud Walsinghamum [u].

[r] Supr. an. 1326. III. [s] Vill. lib. 10. cap. 153. [t] Cont. Näg. an. 1329. 1330. [u] Walsi. in Eduar. III.

XVI. Progressus inexpectati Ioan. Regis Boem. in Lombardia.

Mense Octobri Ioanne Rege Boëmiæ in Carinthiam accedente ad Henricum Ducem, cujus unica filia desponsata fuerat Ioanni filio suo minori, indéque Tridentum petente; (hanc enim occasionem fuisse ipsius itineris, scribit alter ejus filius major natu Carolus posteà Imperator in Vita sua, & auctor Boëmus Chronicæ Aulæ Regiæ) dum moram ibi traheret, Brixienses obsessi tunc à Mastino Scaligero, (ut Corius narrat) missis ad eum legatis ultrò se ei dediderunt, rogantes ut civitatem suam de manu hostium liberaret. Acceptâ ille conditione, Mastino mandavit ne Brixiam ulteriùs vexaret, quæ jam sui juris esset. Eóque confestim obsidionem solvente, Ioannes cum modico equitatu Brixiam se contulit: & paulò pòst Bergomates [x] vicinos seditione domestica laborantes, alterius partis deditione suscepit; ac per amicos patris sui Henrici Imp. cujus adhuc vigebat in Italia memoria, vires extendit. Quem & Azo dominus Mediolani visitans muneribus etiam donavit. Quos verò inde progressus fecerit, dicetur anno sequenti: cùm hæc ei prosperitas nihil tale cogitanti evenerit.

[x] Vill. cap. 170.

Iesu Christi Annus 1331.
Ioan. XXII. Ann. 15.
Vac. Imp. Rom. Ann. 18.
Andronici Ann. 49.

I. Ioannes PP. rursùm agit contra Michael. de Cesena et Socios.

Anno Christi millesimo trecentesimo, trigesimo-primo, Indictione decimaquartâ, Ioannes Pontifex considerans Michaëlem de Cesena, de cujus protervia & contumacia sæpè superiùs, quamvis frequentissimè monitum & damnatum, adhuc nihilominùs inflexibili obstinatione desipere, & unà cum Ockamo & Bonagratiâ superiùs descriptis, necnon Henrico de Thalheim sive Thahalem (Chalhem etiam nonnulli appellant) dicti Ordinis, qui Ludovici Bavari Cancellarium diutiùs egerat, (unde & verisimile sit, perversa pleraque à Bavaro, postquàm ejusmodi homines suscepit gesta, ex hujus præcipuè Thalhemij adinventione & malitia processisse) per Germaniam hæreses publicè prædicare; Bavarum ac Principes ei adhærentes commovere; Fratres Ordinis in Capitulo generali apud Perpinianum celebrando solicitare; & eos qui Generali suo legitimo obedientes essent, per captiones & incarcerationes personarum, ac spoliationes librorum aliarúmque rerum ad usum sibi assignatarum dirè vexare: rursùm prædictum Michaëlem damnans, ceteris sub gravissimis pœnis interdixit ne cum eo communicarent, aut ei obedirent; eisdémque denuò peremptoriè diem dixit ad sistendum se Avenione ad festum Ascensionis Domini: publicato hoc processu [a] pridie Nonas Ianuarij; eóque ad Gerardum Odonis Ministrum Generalem Ordinis misso quarto Idus ejusdem mensis, ut in domibus Ordinis publicari curaret.

[a] Ext. in cod. Vatic. 4008. unde Bzov. descripsit an. 1330.

II. Iidem damnantur in Capitulo generali Perpinian.

Quod quidem non solùm ipse præstitit; verùm etiam in prædicto Capitulo Generali celebrato hoc anno Perpiniani, eosdē Michaëlem de Cesena Ordinis olim Generalem, Henricū de Thalheim in superiori Alemania Provincialem olim, tunc autem iniquitatis nefandæ ministrum, Franciscum de Esculo & Guillelmum Ockam presbyteros, & Bonagratiam de Bergamo Conversum, seu potiùs ex rei proprietate perversum, (uti singulos indigitat) operarios subdolos, ministros satanæ, ad ipsius perficienda desideria laborantes; confirmata sententia adversus eos in Capitulo Parisiensi ante biennium lata, rursùm tam ob contumaciā, quàm ob hæreses ab eis disseminatas, & sævitiam in Fratres exertam condēnavit [b] privans

[b] Rec. sent. Bzov. hoc an. ex eod. cod.

eos

eos privilegiis & gratiis Ordinis, ac perpetuo carceri adjudicans: mandánsq; omnibus Superioribus Ordinis, ut singulis hebdomadis eos pro talibus denunciarent; si fortè hâc ignominiâ ad contritionem & confessionem impellerentur. Enumerans autem hæreses ab eorum doctrinâ deductas, has fuisse ait; Imperatorem posse Papam deponere, & depositum declarare: Clerum & Populum Urbis Romę posse Papam deponere, & depositum declarare: Quod adversùs Ioannem Pontificem eâdem Urbe à perditionis filiis attentatū esset, legitimè ac de jure factum esse: Constitutiones per eumdem Pontificem canonicè intrantem, de consilio sacri Collegij Cardinalium editas, esse hęreticas: Obedire illi, esse animam damnare, & se hæreticum confiteri. Quæ sanè si reapse à Michaële effutita sunt, & non calore iracundię; aut à Gerardo, ut sese magis in gratiam Pontificis insinuaret (ut quidam putarunt) severâ Michaëlis verborū interpretatione objecta, nulla est pœna, nullum supplicium, quod impar ei fuerit. Cujus etiā Apologiam contra Pontificem scriptam diligenter examinās idem Gerardus; post suprâdictam diffinitionem Generalis Capituli Perpinianensis, acerrimè refellit [c] cùm inter alia homo impudentissimus exemplo Pauli Apostoli, qui in faciē restitit Petro; & Cleri Romani, qui à nonnullis Romanis Pontificibus recessit; necnon prętextu timoris, qui in virum constantē cadere posset, & diverticulo appellationis, quo judicium Pontificis effugere quęsierat; causam suam defendere ac purgare voluisset. Quarum argumentationum ac tergiversationum vanitatem plenissimè explicans Gerardus, & in ipsummet Michaëlem validissimè retorquens; ostendit etiam quàm turpiter tam ipse quàm alij pseudofratres Ordinis ipsi inhærentes, contra tria Religionis vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ peccarent: hortans demùm ad resipiscentiam & pœnitentiam, cum pollicitatione misericordiæ. Quem nihilominùs Gerardum nonnulla in Regulam sancti Francisci prædicto Capitulo Perpinianensi molitum esse, quasi inde favorem Ioannis Pontificis aucuparetur, sed ab eo repulsum esse, alij [d] tradunt.

[c] Ap. Bzov. ubi supr.

[d] Vadding. an. 1331.

III. Plurimæ civitates Italiæ se Ioanni Regi Boem. sponte dedunt.

In Italiâ rebus prosperè Ioanni Boëmiæ Regi succedentibus, post acceptas (ut vidimus anno superiori) Brixiam & Bergomum, plures aliæ Lombardiæ civitates ultrò sese ei dediderunt, Crema, Cremona, Papia, Vercellæ, Novaria, Parma, Reggium, Mutina, & alia minora oppida. Cúmque in Etruria Luca obsideretur à Florentinis, ac Lucenses legatione missa sese ei pariter dedidissent; misit is primò legatos Florentiam, qui benignè postularent obsidionem dissolvi: cúmque id negatum esset, expeditionem misit, cujus causa obsidio, jam alioqui culpa ducum valdè perturbata, soluta est, & Luca in potestatem Regis venit. Ad cujus etiam auxilium accessit cum novis copiis Carolus filius sexdecim tunc annos natus: qui Papiæ festum Paschatis celebrans antequàm patrem Parmæ existentem adiret, clandestini veneni sibi ab Azone Mediolanensi per hominem quemdam mutuum simulantem in cibis parati periculum divinitùs effugit, mortuis ex eo aliquibus ex suis qui maturiùs comederant.

IV. Suspicione de eo orta fit civitatum foedus contra illum.

Habito verò intereà colloquio inter Regem & Bertrandum Legatum Apostolicum Bononiæ agentem, secutis mox conviviis, auctæque amicitiæ signis; motæ sunt hominum mentes, & in suspicionem adductæ, Regem consensu Pontificis hæc omnia agere, quò totam Lombardiam & Etruriam in potestatem suam redigeret. Quare tametsi excusaverit Pontifex per literas, se inscio Regem Italiam petiisse: nihilominùs Robertus Rex Siciliæ qui paternam inimicitiam adversus Ioannem Boëmum exercebat; Florentini ob ereptam recèns è faucibus Lucam, & memoriam antiquæ ab Henrico patre Ioannis obsidionis, eidem infensissimi; Principes Mediolani, Veronæ, Mantuæ, Ferrariæ, Legati veteres hostes, contra penè naturam rerum, nullo Guelforum aut Gibellinorum discrimine junctis animis: fidam firmámque societatem contra eosdem Ioannem Regem & Bertrandum Legatum sanxerunt: in spem quoque erecti, posse Robertum concitare in Boëmos tam Carolum Regem Hungariæ nepotem suum, quàm Wladislaum Poloniæ Regem, jam satis adversùs eos ob grassationes quas superiùs diximus animatum nec difficulter iis accessurum Ludovicum Bavarum, ob tot interceptas à Boëmo urbes Imperij Italici. Factúmque est, tam harum rerum metu, quàm aliis de causis, ut Boemus relicto in Italia Carolo filio sub cura Ludovici fratris Comitis Sabaudiæ, redierit in Boëmiam ad sua defendenda à machinationibus Bavari, Australium, & Hungarorum, quas describit qui videbat auctor Boëmus Chronicæ Aulæ Regiæ. Quibus dissipatis, in Galliam properans, (non enim nisi post res patrias dispositas eò accessisse, ex prædicto auctore intelligitur; cùm sint qui ex Italia primò in Galliam concessisse scripserint) novam ibi contraxit affinitatem, data filia sua Iuditha in uxorem Ioāni primogenito Philippi Francorum Regis: cùm jam anteà Carolus Ioannis Regis filius duxisset Blancam ejusdem Philippi sororem. De quâ Iuditha rem narrat singularem prædictus auctor, fuisse eam primò adhuc teneram filio Regis Poloniæ desponsam, deinde Marchionis Minensis unigenito, posteà Comitis Barensis nato, rursùm Ludovici Bavari primogenito, inde Ottoni Duci Austriæ consanguineo; ac demùm traditam Ioanni Philippi filio. Cetera verò de Ioanne Rege narrata pluribus tractant idem ipse Carolus ejus filius in Vita sua, Villanius [e] & Leonardus [f] in Historia Florentinorum, Blondus [g] in Italica, Corius [h] in Mediolanensi, Dubravius [i] in Boëmica; sed iste more suo valdè perturbato ordine, & gloriosa rerum patriarum jactatione. Observant verò Albertus [k] Argentinensis & Nauclerus [l] Ioannem specie pacificandæ Italiæ in eam ingress m, dum Papæ & Bavaro complacere cuperet, ambobus displicere cœpisse.

Novam affinitatem contrahit cum Rege Franc.

[e] Vill. lib. 10. cap. 173. 175. 180. 183. 197. 205.

[f] Leon. lib. 6.

[g] Blond. 2. dec. 9.

[h] Cor. par. 3.

[i] Dubrav. lib. 21.

[k] Argentin. in Chron.

[l] Naucler. gener. 45.

V.

Nihil autem Poloni aut Hungari de illarum gentium hoc tempore in Boëmiam grassatione: sed Poloni [m] tātùm de rebellione Vincentij Palatini Posnaniensis, ob ademptam illi à Rege Vladislao præfecturam majoris Poloniæ, & Cazimiro ipsius Regis filio datam: & deplorandâ Poloniæ, nullo rerum personarúmque sacrarum aut profanarum discrimine, va-

[m] Michov. lib. 4. cap. 11. & 12. Cromer. l. 11.

statione

POLONI CRUCIFEROS CONTERUNT.

ſtatione ejuſdem Vincentij operâ à Cruciferis crudeliſſimis hoſtibus factâ. Donec idem Vincentius à Rege ſecretò retractus, in prælio contra Cruciferos à Rege longè minoribus copiis inito, adversùs ipſos converſus, magna victoriæ pars fuit: quâ ceciderunt, ut quidam habent, quadraginta, vel ut qui minùs viginti hoſtium millia; quingentis, ſive etiam ut nonnulli ſcripsêre, triginta tantùm hominibus ex Polonis deſideratis: ſuffragante eis, ut creditum eſt, B. Staniſlao olim Cracovienſi Epiſcopo & martyre, cujus Reliquiarum tranſlationi dies pugnæ, nempè vigeſimus ſeptimus Septembris, apud Polonos ſacratus eſt.

VI. LUD. BAVARUS MITTIT AD IOAN. PP.

Quo item anno menſe Octobri circa feſtum Undecim millium Virginum, Ludovicum Bavarum nuncios miſiſſe ad Ioannem Pontificem, Arnoldum de Mumebach Canonicum Eccleſiæ Eiſtetenſis, & Magiſtrum Udalricum de Auguſtâ familiares & ſecretarios ſuos, ad tractandam cum eo concordiam, ad quam ſe Pontifex acclivem demonſtrâſſet; intelligitur ex binis literis eâ de re ab ipſo Ludovico ſcriptis [n]. Quibus tamen nihil actum fuiſſe, eventus oſtendit.

[n] Rec. Hervuar. cont. Bzov. ex archiv. Bavar.

VII. PHIL. REX FRANC. EXPETIT MAURICAM EXPEDITIONEM.

Ad principium hujus anni (ut Surita [o] ponit) Philippus Rex Francorum animum ad bellum inimicis Chriſtianæ religionis inferendum applicans, Regem Aragoniæ per legatos de bello Mauris Granatenſibus inferendo commonuit, pollicitus tam ſuas quàm Regum ac Principum amicorum ſuorum vires. A quo reſponſum eſt, Caſtellæ Regem, in cujus terminis Granata erat: non ſiturum externos Reges ſua bella gerere; & ab ingreſſu ſuarum ditionum omnes qui ſe invito arma in Granatenſes inferrent, armis propulſaturum, quòd pactas cum Granatenſi inducias haberet. Hæc nihilominùs obtendens Philippus, cùm regnum ſuum viſitans cum nobili comitatu, etiam Avenionem ad ſummum Pontificem venire deliberâſſet; propoſito anathemate Pontifex, qui armatos Principes longè à ſe vellet, ne veniret interdixit, ſed cauſas tantùm itineris ſcripto exponeret. Hujuſmodi enim epiſtolam citatam reperimus [p] quam initio valdè mirati ſumus eò quòd primâ fronte difficile creditu videatur, Pontificem natione Gallum & in Galliis agentem, ita ſe gerere abſque urgentiſſimâ neceſſitate cum Rege Galliæ voluiſſe, quem & aliàs amantiſſimè excepiſſe vidimus, & à quo exacerbato poſſet extrema quæque vereri. Nec tamen fidem ei derogemus, facit Villanius [q] ſincerus auctor; cùm ſive ex certâ aliquorum relatione, ſeu fortè ex ſolis vulgi aut invidorum rumoribus, ſcribit Regem vocatis ad finem præſentis anni Lutetiam Ordinibus Regni, expoſuiſſe ſibi eſſe in animo ſacram militiam in Orientem profiteri, ac propterea ab Eccleſiaſticis & plebeiis auxiliarem pecuniam petiiſſe, nobilibus imponendo ut arma & equos ad eam expeditionem pararent. Dimiſſóque Comitio, legatos ad Pontificem miſiſſe qui rem ſignificarent, & multa eâ de cauſâ poſtularent atque inter illa ut decimæ totius Chriſtiani Orbis in ſexennium, triennio tamen ſolvendæ, ſibi concederentur; & in ſuo regno collationes ac permutationes beneficiorum Eccleſiaſticorum: itémque ut filius ſuus Arelatenſis & Viennenſis ditionis Rex pronunciaretur, Carolo verò fratri Italiæ dominatus aſſignaretur. Quæ cùm intolerabilia Pontifici & Cardinalibus viſa fuiſſent, ipſos certis capitibus omiſſis reſpondiſſe, deceſſores ejus ab annis quadraginta decimas regni ad ſacrum bellum obtinuiſſe, & bellis adversùs Chriſtianos conſumpſiſſe: ſuſciperet autem ſeriò ſacram expeditionem, & ſub profectionem nullum auxilij ſpiritualis & temporalis genus defuturum: hujuſmodíque reſponſum valdè Regi diſplicuiſſe. Ita Villanius, cùm ſint [r] nihilominùs qui hujuſmodi petitiones factas à Rege fuiſſe ſub Benedicto iſtius Ioannis ſucceſſore, nec exauditas, ſcribunt. Verùm haud adeò mirum videri debebit, ſi ſub utroque Pontifice [s] rem tam exquiſitam à famelicis concupitam dixerimus. Obſervat namque etiam Continuator Nangij, ſarcinam hanc intolerabilem his temporibus ſuffocâſſe miſerabiliter Eccleſiam Gallicanam; & incaleſcente ſemper avaritiâ formidandum fuiſſe ne tandem ad nihilum redigeretur. Quod & ferè poſtinde contigiſſe videmus. Si autem veras dixerimus ſupradictas poſtulationes regias; profectò ex iis opinari datur, feciſſe eas Regem ut ex earum denegatione, quam non poterat dubitare factum iri, excuſaretur ab expeditione cui ſe obligâſſe vidimus. Cùm nihilominùs credere liceat, eum verè & ex animo illam cogitâſſe; motum præcipuè relatione Petri de Palude Patriarchæ Ieroſolymitani: quem idem Continuator hoc eodem anno reverſum ait à ſuâ peregrinatione [t] Syriacâ; retuliſſeque obſtinationem Soldani, quâ Regis voluntas & Baronum commota valdè fuerit ad transfretandum. De quo dicetur pleniùs poſt biennium.

INGENTIA PETIT A IOANNE PONT. NEC IMPETRAT.

[o] Surit. lib. 2.

[p] Ap. Bzov. hoc an.

[q] Vill. lib. 10. c. 198.

[r] Alb. Argentin. in Chron.

[s] Vid. infr. an. 1336. VI.

[t] Vid. ſupr. an. 1329. XIX.

VIII. ROBERTUS COMES ARTES. REGIS PERNICIEM AC REGNI MACHINATUR.

Hoc verò anno alienavit à ſe idem Rex (ſive ſequenti, ut alij ponunt; quippè tenuit hæc cauſa biennium integrum & ampliùs:) Robertum Atrebatenſem è regio ſanguine, Comitem Bellomontanum ſororium ſuum; cujus ita rebus Philippi regnóque vehementiſſimè poſteà incommodavit. Qui nepos exiſtens ſenioris Roberti Comitis Atrebatenſis, de quo ſæpè ſuperiùs, ex filio ejus Philippo mortuo ante patrem, cùm diſceptationem de eodem Comitatu Atrebatenſi, jam olim à Philippo Pulchro collato Mathildi prædicti ſenioris filiæ uxori Odonis Burgundiæ Ducis, tametſi reclamante Roberto juniore) & poſteà à Senatu Pariſienſi eidem Mathildi confirmato ex conſuetudine Arteſienſi, quâ repræſentatio locum non habebat in lineâ directâ, præmortuo parente; repetere, Rege ne rem utcumque adjudicatam retractaret admonente, editis novis tabulis quas priùs latuiſſe dicebat, voluiſſet; detectâque fraude, quâ quædam nobilis femina Betunienſis aliarum quarumdam veterum tabularum ceram in has novas artificioſè tranſtulerat, damnata illa eſſet ut igni cremaretur: (objecto tamen prætereà crimine, quòd vetitis artibus fatidicam & veneficam ageret:) non ferens ignominiam Robertus, in Regem iratus, *Ego* (inquit) *Valeſium evexi*, (Ac ſanè inter ceteros qui pro eo ad regnum evehendo acerrimè diſceptaſſent, Robertus ab hiſtoricis nominatur, ejúſque nomine elegans ea de re oratio ad Anglos

habita

habita recitatur ab Æmilio) ego deprimam Unde à Rege exagitatus, cùm sæpiùs ei juridicè dies dictus fuisset, nec umquam sc stitisset, ac propterea publicè ac solemni Baronum judicio exilio damnatus esset: post diversa mutata loca, in Angliam se transtulit, ejúsque Regem in Philippum commovit, ut videbitur suo loco. Describunt autem ista accuratè Continuator Chronici Guillelmi de Nangiaco, & Hocsemius [u] tunc viventes, atque alij [x] post illos.

[u] Hocsem. de Episc. Leodiens. lib. 2. c. 17.
[x] Æmil. lib. 8. Bellefor. lib. 5. cap. 5. Masson. in Phil Vales.

IX. Eduardus Baliolus Regnum Scotiæ occupat.

Intereà verò in Angliâ, eíque confini Scotiâ, nova turbamenta exorta multo tempore totam Insulam exagitârunt. Siquidem *Eduardus* [y] *Baliolus* filius Ioannis, quem vidimus Scotiæ Regem ab Eduardo II. Anglo factum & defectum, cùm in Galliâ nihil Scotiam cogitâs avitâ suâ Balioli in Normanniâ ditiunculâ contentus ageret; à quodam Tuinâ nobili Scoto ob commissa flagitia exule, importunè sollicitatus; ad recuperandum regnum, cujus jam puer Rex esset, animum adjiciens, in Angliam primò appulit, & collectis ibi copiis ac ducibus, (Rege nec apertè consentiente, eò quòd soror ejus nupta esset Davidi legitimo Scotiæ Regi; nec tamen vetante, quòd percuperet Scotiam intestinis motibus agitari, quò faciliùs posset eam sibi posteà acquirere) in Scotiam navigavit mense Augusti: atque ex improviso exscensionem faciens, accurrentes Scotos fugavit; ac rursùm cum maximo exercitu sese illi opponentes, & propter hostium paucitatem contemptim ac neglectim rem agentes, ingenti nocturnâ clade prostravit, cæsis nobilium tribus millibus, plebeiis sine numero. Indéque multâ ad eum factâ accessione procerum urbiúmque, Sconam profectus, locum coronationi Regum destinatum, Rex post alterum annum proclamatus est. David autem consilio suorum in Galliam concessit cum sponsâ, suâ sorore Angli; ubi à Philippo Rege benignè exceptus est, atque ad meliorem fortunam servatus.

[y] Vualsingh. in Eduar. II. & Hypodigm. Polydor. lib. 19. Boëth. lib. 15.

X.

Constantinopoli hoc eodem anno, (ut ex serie narrationis Cantacuzeni [z] intelligi datur, qui rem ante obitum Andronici Senioris, quem sequentis principio contigisse certum est, ponit: aut fortè sequenti post decessum ejusdem Andronici, ut magis Nicephorus [a] Gregoras voluisse videtur:) Esaiâ Patriarchâ defuncto, suffectus est *Ioannes* Imperatorij collegij sacerdos. Quin etenim id multis annis ante Iunioris Andronici obitum contigerit, nullum est dubium penes eosdem auctores, qui præsentes erant: quamvis Onuphrius in suo Chronico Ecclesiastico Esaiæ Patriarchatum extédat usque ad annum Domini 1341. quo idem Iunior Andronicus decessit. Gregoras autem ait, eumdem Iuniorem Andronicum in Macedoniam abiturum, ut eam è defectione ad Syrgianem & Triballos contineret, successorem Esaiæ delegisse Ioannem hominem sibi carum, ejúsque fidei conjugem suam ac liberos commendasse, siqua sinistri sibi eà expeditione contingeret. Quomodò verò, quòd uxoratus esset, & cum uxore cohabitaret, (posteriorem namque Græcorum presbyteros uxores quas ante sacros ordines habebant retinere posse, non tamen post susceptos ordines accipere, aliàs vidimus, & satis constat) restiterint omnes Episcopi Andronico Ioannem Patriarcham facere volenti; (cùm enim ad Episcopatum non eveherent, nisi aut cælibes, aut qui uxoribus renunciassent; insuper hunc ad Patriarchatum evectum non volebant, quòd turpe censerent uno momento à thoro ad thronum transferre; quamquam non esset hoc apud eos novum [b]:) narrat exactè idem Cantacuzenus [c]; qui agens tunc Magnum Domesticum, & Imperium pro arbitrio administrans, arte perfecit apud eosdem Episcopos quod non potuerat suasionibus Imperator: cùm videlicèt multis sollicitationibus suasis semel ut Ioannes relictâ conjuge ad ecclesiam Thessalonicensem promoveretur; deinde argumentatus, si capax unius Ecclesiæ esset, esse & alterius, evicit tandem ut etiam Patriarcha fieret. Qui apud Apros Thraciæ oppidum obscuris natalibus ortus, Patriarcha fuit ejus nominis Decimus tertius. E Latinis verò tunc eum titulum obtinebat *Gottius de Ariminis*: quem nonnulli [d] patriâ Tolosanum, alij Ariminensem ex nobili familiâ de Battagliis fuisse volunt; quémque Benedictus Papâ abhinc triennio Cardinalem creâsse reperitur.

[z] Cantacuz. lib. 2. c. 21.
[a] Greg. lib. 10.

Ioannes Patriarcha Constantinop.

A thoro ad thronum evehitur.

[b] Supr. an. 1515. in fi.
[c] Cantacuz. d. c. 21.
[d] Ciaccon. in Bened. XII. & Addit. ibid.

XI.

Hoc eodem anno tamquam rem miram memorat Villanius [e], natos esse mense Iulij Florentiæ duos leunculos ex leone & leænâ qui nutriebantur in eá civitate, ac crevisse & diù vixisse. Et quamvis physici [f] scribant, leones informes & in modum molæ carnis nasci, nec ante duos menses incedere; hos tamen & rectè formatos natos esse, ac statim gradientes ubera matris quæsîsse ac suxisse: sicuti ipsemet Villanius cum plerisque aliis civibus propriis oculis vidit. Narrat verò posteà [g] quomodò & ex istis alij nati fuerint eodem modo. Idque ipsum de aliis testatur ejus frater Matthæus [h]. Sed non in hoc solùm illusit Aristoteles credulitati hominum: cui tamen in aliquo refragari, crimen existimatur ab iis qui illum veluti Deum & naturæ parentem colunt.

[e] Vill. lib. 10. cap. 187.

De leonibus contra Aristotelem.

[f] Aristot. de animal. lib. 6. c. 31. Plin. 8. c. 16.
[g] Vill. lib. 11. cap. 66.
[h] Matth. Vill. lib. 3. cap. 90.

XII. Ludicrum Fratrum Minorum.

Cùm his temporibus nonnullæ civitates Germaniæ observarent interdictum à Pontifice contra sectatores Ludovici Bavari promulgatum, plures verò minimè servarent; reperimus inter Helvetios Tigurum octodecim annis officio divino caruisse: sacerdotésque & clericos partim ejectos, partim spontè urbem deseruisse: solósque Franciscanos per unam portam egressos, per alteram rediisse in urbem: egregio planè modo obediendi Sedi Apostolicæ, quæ ipsos exire & locum deserere præceperat.

Iesu Christi Annus 1332.
Ioannis XXII. Ann. 16.
Vacat. Imp. Rom. Ann. 19.
Andron. Iun. Annus 1.

I.

Andronici Sen. Imper. Constant. obitus.

Anno Christi millesimo trecentesimo trigesimo-secundo, Indictione decimaquintâ, anno Mundi sex-millesimo octingentesimo quadragesimo, ut numerant Nicephorus[a] Gregoras & Ioannes[b] Cantacuzenus computo Græcanico, nocte diei duodecimæ Februarij *Andronicus* Senior Græcorum Imperator jam anteà & cæcus & monachus (ut vidimus) factus, prænunciis multis ostentis, mortuus est repentino obitu ex esu conchyliorum, & potu aquæ frigidæ. Cui cùm propter intempestam noctem sacra mysteria suscipiendi facultas non esset, cum lacrymis & genuflexionibus sacram Dei-genitricis Imaginem quam in sinu gestabat, loco divinorum misteriorum in os inseruit: signis illis quidem pietatis ac pœnitentiæ, sed ad animæ salutem inutilibus, quòd non in communione Ecclesiæ Catholicæ fierent, extra quam nulla est salus. Mortuus est autem tot diebus post eclipsim Solis, quæ facta est trigesimâ Novembris anni præteriti, quot ipse annis vixit, nempè septuaginta quatuor, anno quinquagesimo[c] postquam Imperium susceperat. Ita Nicephorus ei familiarissimus; cùm tamen Cantacuzenus nonnisi septuaginta duo annos ejus vitæ tribuat.

[a] Greg. lib. 10. c. 1. ad fi.
[b] Cantacuz. lib. 2. c. 28.
[c] Vid. sup. an. 1283. VIII. & 1328. XXIX.

II.

Andronici alterius comment. contra Iudæos.

Sub ejus Imperio circa annum Christi 1327. quidam alius *Andronicus* ex Imperatoriâ olim Comnenorum familiâ, non contemnendum commentarium edidit in formam Dialogi contra Iudæos: quem à Ioanne Levineio Latinum factum inseruit Petrus Stevartius collectioni suæ variorum scriptorum.

III.

Andronicus Iunior Imperat.

Andronico Imperatore sicut diximus mortuo, solus imperavit, qui jam eum dominatione spoliaverat, ejus ex filio nepos *Andronicus* itidè nomine & cognomine Palæologus, annum agens ætatis circiter trigesimum sextum Qui 18. Iunij auctus est filio, cui nomen impositum est Ioanni, quique successit ei Imperio. Invadens autem inde ex improviso Bulgaros seu Mœsos, cum quibus anteà concertationes ei fuerant; turpiter fugatus est ab illis, ac merâ Alexandri eorum Regis illius miserentis gratiâ ad sua redire permissus. Quæ pluribus prosequitur Nicephorus. Cantacuzenus[d], etsi fugam non potuit inficiari, tantâ tamen rerum suarum & Imperatoris jactantiâ id agit, ut veluti Martes cum hostium stupore se gessisse velit. Ut est tota ferè ejus Historia, heroicarum fabularum rhapsodia; quas adeò confidéter narrare non veretur, ut diceres eũ fungis & bardis scribere. Quam verò Turcorum ad oras Constantinopolitanas incursionem refert Villanius[e] accidisse præsẽtis anni mensibus Maij & Iunij; quâ (ut ait) numero quadraginta millium cum ducentis octoginta navibus ipsammet Constantinopolim facilè capturi fuissent, nisi intercessisset auxilium Genuensium ac Venetorum: devastâsse tamen plures insulas Archipelagi, seu Ægei maris, ac decem millia Græcorum captivorũ abduxisse, & Negropontũ sive Eubœam tributariam sibi fecisse: Hanc, inquam incursionem memorans quoque Cantacuzenus[f], longè minorem facit, & Turcos (quos semper vocat Persas) terrore Imperatoris adversus eos procedentis sese domum recepisse scribit, subdens & de eorumdem Turcorum suppetiis ab eodem Imperatore postulatis & acceptis ad Phocæam & Mitylenem à Genuensibus repetendas; & fœdere cũ iisdem adversus alios Christianos ab imperio deficientes contracto; deque aliis gestis, in quibus plus insit prudentiæ mundanæ quàm religionis divinæ. Meminit quoque eorumdem bellorum Gregoras[g], sed perturbato, ut videtur ordine; cùm sit parũ in plerisque sollicitus de rerum ac temporum serie; quæ sanè lumen est Historiæ, absque quo in tenebris necesse sit ambulare. Prædictarum autem Turcicarum incursionum nuncius in intimam Europam delatus, fecit ut bellum adversus eos Pontificis studio acceleraretur: de quo dicetur posteà[h].

Eius fuga à Bulgaris.

Fœdus cum Turcis.

[d] Cantacuz. lib. 2. c. 27.
[e] Vill. lib. 10. c. 104.
[f] Cantacuz. cap. 28. & seqq.
[g] Greg. lib. 11.
[h] Infr. an. 1334. I.

IV.

Barlaami Græci disputationum initium.

Nunc cum eodem Gregorâ[i] de *Barlaamo* monacho agendum: qui, ut ait, Imperio ab avo Andronico ad nepotem translato, (nempè vel post obitum avi, vel potiùs post ejus exauctorationem ante biennium à nepote factam, à quo tempore avus nihil habuit dignitatis, præter inanem umbram præteritæ vitæ, in cæcitate & monachatu, extremâ propemodùm egestate victitans:) ex Italiâ (Calabriâ scilicèt, ex quâ oriundus erat) Constantinopolim veniens, literis Græcis & Latinorum dogmatibus eruditus, propitium Imperatorem nactus Ecclesiam Constantinopolitanam cœpit ignorantiæ arguere, concilians sibi eo modo populi auram: qui tamen non multò pòst invidiosè & insidiosè hæc agere detectus, à plerisque condemnatus est. Ita Gregoras; qui & addit, se contra eum composuisse Dialogum, inscriptum Florentium, sive De Sapientiâ. Nempè Gregoras erroribus Græcorum addictus, Barlaamum doctrinâ Romanæ Ecclesiæ instructum exagitare gestivit: cujus tamen partes in aliis disputationibus, quæ posteà Constantinopoli agitatæ sunt, sectatus noscitur, uti dicetur suis locis.

[i] Greg. lib. 11. cap. pen.

V.

Eius scripta pro Ecclesia Rom.

Barlaamus autem (tunc quidem monachus tantùm Græcus S. Basilij, posteà Abbas monasterij S. Salvatoris Constantinopoli, ac demùm Episcopus Hieracensis in Calabriâ) quoniam videbat Græcos ignoratione mali quo laborabant vehementiùs peccare, illud eis primùm aperire cupiebat, si per eorum docilitatem licuisset. Quâ de re cùm aliquãdo doctam Alexio Calocheto scripsisset epistolã[k], quâ multis auctoritatibus & rationib⁹ ostẽde at Græcos Romanæ Ecclesiæ non obedientes, esse non tantùm schismaticos, verùm etiam hæreticos; (scilicèt ut illi gravitate peccati cognitâ, tantò citiùs ad communionem & obedientiam Ecclesiæ Romanæ redire festinarent:) deinde binis aliis ad amicos suos in Græciâ constitutos scriptis literis[l], quanti Primatus & unio Ecclesiæ Romanæ existimanda essent, diffusè docuit: Prioribus quidem disputans, quæcumque veram doctrinam verámque Ecclesiam & unionem Catholicam constituere

[k] Ext. tom. 6. Antiq. Lect. Canis. & ap. Bzov. an. 1330. ex cod. Vatic. 4068.
[l] Ibid. to. 5. & cod. Vat.

possunt

possunt, in Ecclesiâ Romanâ reperiri; contraria verò quæcumque in societatibus ab eâ divisis vigere; neque ullam umquam causam Romanam Ecclesiam dedisse, propter quam Orientales rationabiliter ab eâ separari debuissent: cùm econtrà ex eâ divisione factũ esset ut illæ ab invicem distractissimæ viverent, adeò ut ex quinque Patriarchis, (Bulgariensi connumerato) & insuper Triballensi Archiepiscopo, nullus horum sex, vel de jure vel de facto talis esset, ut reliqui quinque ipsum ut suum caput habere vellet, quinimmò nec quicumque sub quolibet eorum essent, ita devotè se haberent ad eum, ut metu non corporalis damni, sed animæ perditionis ejus mandata vellent implere: cùm & Pontificatus cujuslibet penderet à Principibus regionum in quibus siti erant; putà Bulgariensis & Triballensis à suis propriis; Anthiochenus à Rege Armeniæ, Ierosolymitanus & Alexandrinus à Sultano Ægypti, Constantinopolitanus ab Imperatore: nullum enim horum, Pontificatum reciperenon probante & decernente suo sæculari Principe. Iis omnibus longè aliter se habentibus in Ecclesiâ Romanâ. Posterioribus autem literis, multis aliis argumentis & auctoritatibus demonstrans, Ecclesiam Ronam divinitùs institutam esse Matrem Ecclesiæ Catholicæ; Spiritúmque Sanctum verè procedere à Patre Filióque. Hæc Barlaamus prædictis literis. Præter quas sunt aliæ [ll] alio tempore scriptæ; quibus respondens quamplurimis dubiis ad se à Demetrio Thessalonicensi viro apud Græcos non postremo, super processione Spiritûs Sancti à Filio missis; aliis rursùm argumentis & auctoritatibus ex sacrâ Scripturâ & Sanctis Patribus tam Latinis quàm Græcis petitis, tam disertè & eruditè quàm prolixè processionem illam demonstravit, ejúsq; oppositam opinionem validè confutavit: ac Primatum in Romanæ Ecclesiæ pariter probans, nutantem Demetrium ad ejus obedientiam invitavit. Rursúmque alio scripto [m] ad prædictum Calochetum exarato, sexdecim argumentis ex Scripturâ petitis, eamdem doctrinam de Spiritu Sancto solidissimè probavit, & qui eam non crederent hæreticos esse conclusit. Cujus etiam extat [n] compendiosa tractatio Ethica secundùm doctrinam Stoïcorum, ex eorum scriptis collecta. Et hæc modò satis de illo: de quo rursùm inferiùs agendum erit.

ll Ibid.

m Ibid.

n Ibid.

VI. Societas Italorum contra Ioan. Boëm. Regem.

In Italiâ civitates quæ primæ sese Ioanni Boëmiæ Regi dediderant, primæ etiam ejus jugum excusserunt; occupatis Brixiâ & Bergomo à Mastino Scaligero. Sícque inter Principes fœderis, de quo dictum est anno præcedenti, conventum est, ut communibus viribus rem agentes adversus Ludovicum Bavarum, Ioannem Boëmum, & quicumque eis inhærerent, Azo Mediolanensis Cremonam haberet, Scaliger Veronensis Parmam, Gonzaga Mantuanus Rhegium, Estensis Ferrariensis Mutinam, Florentini Lucam. Haud tamen æquè facile fuit hæc adimplere ac proponere. Debellatíque fuère fœderati apud S. Felicem diœcesis Mutinensis à Carolo Ioannis Regis filio. Quæ uti se habuerint; narrant ipse Carolus in Vitâ suâ, Petrus auctor Chronicæ [o] Aulæ regiæ, Villanius [p], Auhor Pistoriensis Leonardus, Corius, Dubravius, & alij; simul & occupationem urbis Papiæ ab Azone, & alia quædam eò pertinentia recensentes.

o Chron. Aul. Reg. cap. 32.
p Vill. lib. 10. cap. 205. & 211. Ioan. lib. 6. Cor. par. 3. Dubrav. lib. 21.

VII. Ioã. Boëm. agit cum Pont. pro Bavaro, sed incassùm.

Cùm interim Rex ipse Ioannes Pontifice Avenionem adito, præter cetera quæ cum illo de reb' suis tractavit, etiam pro Ludovici Bavari reconciliatione laboravit; nec tamen rem ad umbilicum perducere potuit. Quòd autem non parva spes esset id demùm executum iri, inde putamus accidisse quod Rebdorffius scribit in Annalibus, Bavarum hoc anno solemnes legatos misisse ad Ioannem Pontificem Comites Halsensem & Ottingensem, petentem gratiam Ecclesiæ, ac pro eo supplicâsse Ottonem & Albertum Duces Austriæ: sed nihilominùs parùm profecisse. Quòd enim hæc Ludovicus non alio fine quærere putaretur, quàm ut regnũ & imperium obtineret; non potuit ei Pontifex acquiescere, ob easdem rationes quas jam aliàs exposuisse vidimus [q] prædicto Ioanni Boëmiæ Regi similia pro eodem Ludovico postulanti. Rescriptis tamen literis [r] propositum ejus laudavit, & ad meliora hortatus est. Cùm autem istius legationis prætextu vulgatum esset per Germaniam, ipsum jam à Pontifice receptum fuisse; missâ Pontifex ad Episcopum Hildesemensem epistolâ scrupulum omnem eximens, falsum esse rumorem significavit: atque insuper Iacobum olim Episcopum Castellanum, sive Venetiarum, horum mendaciorum auctorem, omni honore & dignitate exutum censuris Ecclesiæ ferit.

q Supr. an. 1330. VI.
r Ap. Bzov. an. 1333.

VIII. Militia Bandæ in Hispania.

In Hispaniâ [s] urbe Victoriæ nova Militia à Rege Alfonso Castellæ inventa est *Bandæ* nomine: quæ tænia est, quam novi milites rubro colore quatuor latam digitos à dextro humero sub sinistro brachio corpori circumducebant. Ad quem Ordinem ingenui tantùm, & qui decem minimùm annis in castris auláque versati essent allici debebant, majoribus tamen nobilium filiis exclusis: Réxque ipse ejus Magister institutus. Qui longo tempore in magno pretio habitus, consequentium Regum ignaviâ in desuetudinem abiit, ut ne vestigium quidem extet.

s Marian. lib. 16. c. 2.

IX. Philippi dicti Imp. Const. obitus.

Quo item anno die vigesimosexto Decembris decessit [t] Neapoli *Philippus* frater Roberti Regis Princeps Tarentinus, & titulo Imperator Constantinopolitanus, uti superiùs dictum est: sepultúsque est funere Imperiali. Cujus filius Robertus natus ex posteriori ejus conjuge Catharinâ filiâ Caroli Valesij, successit ei tam in principatu Tarentino, quàm in juribus & titulo Imperatoris Constantinopolitani.

t Summont. lib. 3.

X. Propagatio fidei per Fratres Minores.

In Armeniam hoc eodem anno [u] non parva manus Fratrum Minorum penetravit. Inter quos præcipuum fuisse ferunt Vitalem (quem alij Gonzalum dicunt) Sauratum, virum doctissimum, qui concionibus & pluribus libris in illam linguam conversis multùm profecit. Eodémque fermè tempore Paschalis inter Medos, & Gentiles inter Persas versati repperiuntur [x]: uterque postmodùm martyrio coronatus, & miraculis clarus. Et Paschalis quidem extat Epistola de variis tentationibus & crudelissimis tormentis quæ passus est ab iis. De Gentili verò fertur, cùm non valens edi-

u Hier. Plat. lib. 2. de bon. stat. Relig. c. 30. Vvadding. hoc an.
x Vvadding. an. 1340. & 1342.

ſcere linguam Arabicam cujus illic uſus erat, decreviſſet in Italiam regredi; in ipsâ viâ occurriſſe illi adoleſcentulum, qui redire eum juſſit, quoniam Deus illius ſermonis notitiam ei concederet: quam ab eâ die perfectè adeptus eſt.

IESU CHRISTI Annus 1333.
IOANNIS XXII. Ann. 17.
VAC. IMP. ROM. Ann. 20.
ANDRONICI IUN. Ann. 2.

I. ANNO Chriſti milleſimo trecenteſimo trigeſimo-tertio, Indictione primâ, (ut Villanius [a], Rebdorffius, Continuator Nangij, & alij, tempus ſignant) Ioannes Pontifex quod jam anteà côceperat de viſione beatificâ animarum, publicè cœpit tractare. Quòd enim non pauci ex antiquis Patribus tã Græcis quàm Latinis, Iuſtinus, Irenæus, Origenes, Theodoretus, Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Prudentius, & alij [b] tenuiſſe videbantur, animas à corpore ſeparatas, & ab omni peccati maculâ vel in hâc vel in alterâ vitâ ritè purgatas, beatâ viſione divinæ eſſentiæ ante extremũ Iudicij diem haud perfectè frui, ſed ſuorum reſurrectionem corporum expectare ut ſimul cum ipſis perfectam beatitudinem aſſequerentur: ad hanc quoque opinionem, nondum omninò ab Eccleſiâ reprobatam, viſus Ioannes propendere concione eâ de re habita corã S.R.E. Cardinalibus aliiſq; Prælatis Avenione exiſtentibus; (quâ pariter diſputabat, animarum damnatorum pœnas imperfectas eſſe ante diem poſtremi Iudicij, ac poſt illud longè atrociores fore:) multos in ſe concitavit adverſarios, tam ex iiſdem Cardinalibus & Prælatis, quàm ex aliis ubique S. Theologiæ Doctoribus, omniúmque Ordinum Religioſis; è quibus nonnullorum Dominicanorum [c] etiam uſque ad pœnas zelus enituit; Minoribus pluribus cum Gerardo ipſorum Generali adhærentibus Pontifici; eâ ut putamus de causâ, ne cùm totus Ordo ob ſententiam de paupertate Chriſti & Apoſtolorum vehementer ab illo exagitatus fuiſſet, in hac etiam propoſitione nondum deciſâ ei temerè adverſari viderentur. Quare & reperitur prædictus Generalis Gerardus eam Pariſiis prædicâſſe. Sed quòd ab omnibus Doctoribus cęteríſque Religioſis reprehenſus fuerit; necnon ab ipſo Rege [d] (poſt rem per Doctores diligentiſſimè examinatam) contrarium docere juſſus, ni vellet uti hæreticus comburi, quòd ſuum regnum nullam hæreſim retineret: neceſſe habuit Gerardus profiteri publicè, ſe id diſputationis tantùm ergô protuliſſe, crederéque quod ſancta Eccleſia conſueviſſet eâ de re tenere & prædicare. Scripsítque pariter Rex literas ad Pontificem dehortatorias; modeſtè ſignificans non decere Romanum Pontificem quæſtiones ſuſpectas movere, ſed motas ab aliis judicare atque decidere. Cùm tamen Pontifex non ſuam ſententiam aſſertivè ingeſſiſſet, ſed poſt quæſtionem à ſe propoſitam juſſiſſet omnibus Cardinalibus, Prælatis, & Doctoribus, quid de eâ cenſerent diligenter inquirere, & ad ſe referre. Quòd verò Rex inſinuâſſet, à pluribus ſubmurmuratum fuiſſe, Pontificem miſiſſe Gerardum Pariſios ad eam ſpargendam & fovendam opinionem; calumniam hanc deterſit Ioannes literis ad Regem ſcriptis [e]: ex quibus pariter refellantur & alij auctores qui idipſum falsò aſſerere auſi ſunt.

IOANNES PONT. ſuã PRÆDICAT SENTENTIAM DE ANIMABUS DEFUNCTORUM.

EIA PLERISQUE CONTRADICITUR.

REX FRÃC. MONET PÕTIFICEM AB EA DESISTERE.

II. Habemus porrò præ manibus ipſammet ſententiam Doctorum Pariſienſium, Regi eam requirenti oblatam; quâ imprimis teſtati Ioannem ſuam non aſſerendo, ſed ſolummodò recitando protuliſſe; deinde ſentiunt, à tempore mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti omnes animas fidelium nihil habentes purgabile, vel quæ pœnis purgatorij ſunt purgatæ, ad viſionem nudam & claram, beatificam, intuitivam, & immediatam divinæ eſſentiæ: & benedictiſſimæ Trinitatis, quam Apoſtolus nominat faciei ad faciem, aſſumi; ipsáque deitate beatâ perfectè frui: eámque viſionem reſumptis corporibus minimè evacuatam fore alia ſuccedente, ſed ipſammet in eis perpetuò remanſuram. Cui deliberationi ſubſcripſerunt inter ceteros tam ſæculares quàm plurimorum Ordinum regulares, Petrus de Palude Patriarcha Ieroſolymitanus Ordinis Prædicatorum, Petrus Rogerij Archiepiſcopus Rotomagenſis Ordinis Benedictinorum, Guillelmus Bernardi Cancellarius Pariſiẽſis, Nicolaus de Lirâ Ordinis Minorum, Petrus de Casâ Prior Generalis Fratrum Carmelitanorum, Petrus de Verberiâ Ordinis Vallis Scholarium, Nicolaus de Alexandriâ Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, &c. qui & ſigillis ſuis eam firmârunt ſecundâ die Ianuarij præſentis anni milleſimi trecenteſimi trigeſimi tertij; cùm pluribus anteà congregationibus rem diſcuſſiſſent. Unde intelligas, quæſtionem jam propoſitam fuiſſe à Pontifice anno præcedenti; ſed qui eam in hunc annum rejiciunt, accipere de hâc ſententiæ Doctorum Pariſienſium publicatione, & literarum regiarum ad Pontificem tranſmiſſione, quæ præcipui in totâ re momenti fuerunt.

SENTENTIA DOCTORŨ PARIS. DE EA.

III. Ceterùm non propterea dicendum fuiſſe Ioannem Pontificem hæreticum, (ſicuti Fraticelli ab eo damnati improperabant) manifeſtè apparet, tum quòd non eâ aſſertivè ſed diſputativè protuliſſe, ut magis veritas innoteſceret, tam ipſe poſteà in ſuæ ſententiæ explicatione, quàm ejus ſucceſſor Benedictus in quæſtionis deciſione (de quibus dicetur ſuis locis) teſtatus ſit, tum quòd ſi quid contra fidem diſputatum fuiſſet, omninò revocaverit, conteſtatus nunquam ſe habuiſſe in animo aliquid tenere quod eſſet fidei Catholicæ contrarium: aut apertè etiam ejus adverſarius Ockamus [f] fatetur. Sicuti ergo S. Cyprianum ab hæreſi excuſamus cùm hæreticos rebaptizandos cenſuit, quia nondum id in aliquo concilio Generali reprobatum fuerat: ita & Ioannem, quòd illa opinio à nullo hactenùs Pontifice aut Concilio rejecta fuiſſet; prout fuit poſteà ab eodem Benedicto XII. & in Synodo Florentinâ inter Armeniorum errores. Cùm receptum [g] ſit, eos qui ſententiam ſuam quamvis falſam atque perverſam nullâ pertinaci animoſitate defendũt, corrigi

IOANNES EXCUSATUR AB HÆRESI.

[a] Vill. lib. 10. cap. 230. Rebdorff. & Contin. in Annal.
[b] Vid. Sext. Sen. Bibl. lib 6. annot. 345.
[c] Vid. Bzov. an. 1331. & Nitel. Franciſcan. cont. Bzov.
[d] Rem plurib. deſcrib. Bellefor. lib 5. cap. 6.
[e] Rec. Vvadding. hoc an. & Frizon. in Gall. Purpur. in Ioann. XXII.
[f] Ockam. Dial. 1. par. 2. c. 9. & 10.
[g] Vid. 24. q. 3. c. dixit Apoſtolus & ibi not.

parati

parati cùm veritatem invenerint, nequaquàm esse inter hæreticos deputandos. Quòd autem Calvinus [h] dupliciter mentitur, Ioannem asseruisse animas esse mortales, unáq; cum corporibus usque ad resurrectionem interire, & neminem Cardinalium huic se tantæ insaniæ opposuisse: hoc utique dignum est Calvino perfrictæ frontis impostore: cùm quoad primum, nedum, Ioannes, sed nemo umquã Christianorum asseruerit animas esse mortales. Neque de eo quæstio erat; sed tãtùm utrùm Sanctorũ animæ, quę sub altari delitescere dicuntur in Apocalypsi [i], usque ad extremum Iudicij diem certo in loco contineantur, ubi Humanitatis Christi præsentiâ gaudẽtes suorum corporum resurrectionem expectant. Quam quidem sententiam noluit Calvinus in Ioãne damnare; quoniam ipse eam mordicùs tenet [k]: ac propterea maluit aliam impietatem in eum comminisci, quàm insontem declarare. Quòd verò secundum Calvini mendacium attinet; Benedictus Ioannis successor in decisione contrariæ sententiæ asserit se id agere de consilio omnium Cardinalium. Et qui tunc vivebat Villanius [l], & hæc optimè sciebat, disertè scribit, propositionem Ioannis majori parti Cardinalium valdè displicuisse, eíque illos repugnâsse, quod & alij æquè testantur.

h Calvin. 4. Instit. 28.

CALVINI MENDACIA DE IOANNE.

i Apocal. 6.

k Calvin. 3. Inst. 20. Vide Bellarm. de Pontif. lib. 4. & de Sanct. beatit. lib. 1.

l Vill. d. c. 130.

IV. PROVIDENTIA DIVINA ERGA SEDEM APOST.

Consideranda verò in his admirabilis Dei erga Sedem Apostolicam providentia, aliàs quoque non semel similibus occasionibus ostensa [m]: cùm passus non est Ioannem Pontificem eum errorem pertinaciter tenere, aut de eo aliquod decretum condere, sed potiùs morte ejus (quæ contigit anno sequenti) ejusdem Sedis honorem stabilivit, & Pontificem ei substituit qui contrariam rectámque sententiam declaravit. Cùm & alioqui pleræque antiquorum Patrum, quibus Ioannes nitebatur, sententiæ non tales sint ut non possint etiam Catholicè exponi.

m Vid. in Epist. Baron. Indic. verb. Rom. Eccles.

V. IOAN. REX BOEM. DESERIT ITALIAM.

In Italiam Ioannes Rex Boëmiæ reversus: mobilia Italorum studia ac conspirationes pertæsus, nullo operæpretio rediit unà cum filio Carolo in Germaniam: oblatam tunc fortè deducendi exercitûs occasionem haud invitè suscipiens, pro ferendo auxilio Guiguoni seu Guidoni Delphino juniori Allobrogum amico suo bellum cum Amedeo Sabaudiæ Comite de finibus gerenti. A quo tamen labore levatus est occubitu ejusdem Delphini, qui contigit ex vulnere in oppugnatione cujusdam oppidi accepto. Quod in somnis significatum Carolo Ioannis filio, idem ipse Carolus in Vitâ suâ refert, & ex regiis tabulis Æneas Silvius [n]: Cùm videlicèt oblatâ Carolo specie iuvenis formâ præstantis, editiorem in locum rapti, detractâque veste exuti; interrogans ipse cur & quisnam tam egregiâ indole adolescẽs tam fœdè atrociterque haberetur; responsum accepit Delphinum aliena cubilia attrectare solitum, meritas pœnas numini dare. Quod somnium à filio patri narratum, cùm tunc quidem elusisset pater; bidui tamen viam progressus, certum nuncium accepit obitûs Delphini: ipséque posteà Carolus in agro Parmensi ubi visionem habuerat, ædem Beatissimæ Virginis in rei monumentum struxit, & vectigalibus locupletavit.

n Æn. in Boëm. cap. 33 & ex eo Æmil. lib. 8 & alij.

CAROLI EIUS FILII SOMNIUM DE DELPHINO VIEN.

VI. BERTR. LEGATUS ITALIAM DESERIT.

Quo eodem tempore Bertrandus Legatus magnam cladem à fœderatis accepit apud Ferrariam, quam obsederat: rebellârúntque nonnullæ aliæ civitates quas obtinebat: ac denique odio existens Bononiensibus apud quos agebat, ob immodica ut causabantur in eos imperia; mense Martio anni sequentis populari tumultu obsessus in arce quã ibi construxerat, ereptus fuit neci à Florentinis in auxilium ejus accurrentibus; quamvis & in eum non leviter commoti essent ob ejus unionem cum Ioanne Boëmo, ac propterea apud Ferrariam contra eum cum ceteris fœderatis stetissent. Qui honorificè ab eis Florentiæ exceptus, inde Avenionem se recepit ad Pontificem avunculum suum aliquot mensibus antequàm is decederet, rebus Ecclesiæ in Lombardiâ affectis ferè ac prostratis relictis, decimoquinto circiter anno postquàm illuc à Pontifice missus fuerat. Hæc pluribus Carolus [o], Villanius [p], Auctor Pistoriensis, Aretinus, Antoninus, Corius, Sigonius, & alij. Quàm verò turpiter æquè ac sæviter Legatum Bononienses, necnon alios Prælatos, ipsúmque Bononiensem Episcopum qui præstò ei erat, habuerint, narrantur alibi [q].

o Car. in Vit. suâ.
p Vill. lib. 10 cap. 218. & seqq. & lib. 11. cap. 6. Aretin. lib. 6. Ant. tit. 21. cap. 6 § 13. 14. Cor. par. 3. Sigon. de Episc. Bon. lib. 3.
q Cod. Colũn. ex Reg. Bened. XII. & inde ap. Bzov. an. 1340.

VII. ROBERTUS REX IOANNAM NEPTEM UXOREM DAT ANDREÆ HUNGARO.

Aliâ parte Italiæ Robertus Rex Siciliæ, cum jam senesceret, nec prolem masculam reliquam haberet; quamvis potuisset ex regiâ progenie, quæ satis ampla erat, virum eligere cui Ioannam primogenitam Caroli Duci Calabriæ unici filij sui jam defuncti in matrimonium conjungeret cum spe successionis regni: quòd tamen angore quodam conscientiæ agitaretur [r] de occupato regno, quod legitimè ad Carobertum (Carolum dictum) Hungariæ Regem [s] filium Caroli Martelli fratris sui primogeniti pertinere putaretur; ut saltem ejus progeniei restitueretur, decrevit Ioannam uxorem dare Andreæ (Andreassum Itali vocant) secundogenito prædicti Caroberti. Réque Caroberto significatâ, confestim idem iter ex Hungariâ cum filio Andreâ arripiens, Neapolim venit, & amantissimè à patruo exceptus est. Habitâque dispensatione Pontificia, die vigesimo sexto Septembris contractum est matrimonium inter eumdem Andream tunc tantùm septennem & Ioannam quinquennem. Cúmque Robertus deliberâsset sæculo renunciare, ut in habitu Minoritano contemplationi vacaret; rogatus tamen à Proceribus ob teneram sponsorum ætatem, regnum administrare perrexit, & Andream apud se retentum (Caroberto in Hungariam redeunte) Ducem Calabriæ creavit futurum regni heredem. Rem narrant Villanius [t], & auctores Hungarici [u].

r Bald. in l. si vivâ matre. C. de bon. mater.
s Vid. supr. an. 1309. III.

t Vill. lib. 10. cap. 226.
u Turos. cap. 97. Bonfin. 2. dec. 9.

VIII. FLORENTIÆ INGENS CLADES AB AQUARUM INUNDATIONE.

Florentiæ verò & circumpositâ regione ad initium Novembris, ex continuato quatuor diebus totidémque noctibus densissimo imbre, tanta vis aquarũ ex inundantibus æquoris instar fluviis succrevit; ut partem murorũ urbis prostraverit, indéque per urbem quasi captam & expugnatam discurrens cunctam occupaverit: nec priùs increscere destitit, quàm aliâ quoque parte subversis muris exitum sibi fecit. Periêre multi mortales: domorum verò bonorúmque inæstimabilis fuit ruina: hâc clade non tantùm Florentiam, verùm etiam Pisanam ac Senensem civitates,

aliáque omnia loca Etruriæ & Romandiolæ, ubicumque essent fluvij aut fossæ, pari fermè modo devastante. Rem diligentissimè descripsit Villanius [x]; disputatúmque fuisse ait, utrùm hæc inundatio accidisset ex cursu naturali ac conjunctione planetarum, an verò ex judicio divino ob peccata hominum. Ipséque post diffusè relatas astrologorum rationes, semper & ubique pius accedens Theologis ac religiosis viris, quamvis non rejiciat causas naturales, omninò tamen vult, & quamplurimis præteritorum temporum exéplis confirmat, contigisse id potiùs nutu divino in pœnam scelerum, quæ gravissima fuisse fatetur, & ad peccatores ad pœnitentiam revocandos. Eò maximè quòd, ut asserit, eâ nocte quâ diluvium cœpit, unus quidam sanctus eremita cœnobij Vallumbrosiani orationi intentus, dæmonum phalangem specie terribilium equitum atrorum prætereuntem vidit, & interrogato uno per adjurationem quid hoc esset, accepit illos ad submergendam Florentiam, si Deus permitteret, propter civium flagitia properare. Quemadmodùm & Rex Robertus Florentinorum amicus, egregiâ ac prolixâ ad eos scriptâ epistolâ consolatoriâ Latino idiomate, quam idem Villanius in Italicum traductam recitat, eorum vitiis & iniquitatibus hanc plagam attribuit, sed in bonum & utilitatem eorum à misericordissimâ manu & providentiâ Dei immissam. Ceterùm fuisse his temporibus aliis quoque regionibus multas insolitas aquarum inundationes cum maximo hominum bonorúmque detrimento, apud diversos legimus.

x Vil. lib. 11. cap. 1. 2. 3.

UNDE EA PROCESSERIT.

IX. In Hispaniâ [y] Abomelicus Albohaceni potentissimi Marrocij in Africâ Regis filius, in auxilium missus Mahomedis Granatensis cum septem millibus equitum, trajecto freto Gibraltarium oppidum Calpi monti suppositum (Heracleam nonnullis dictam) Februario mense obsidione cinxit, & summâ vi oppugnavit: ac rege Alfonso in componendis ulterioris Castellæ motibus occupato, mense Iunio in deditionem accepit, præfecti culpâ qui facilè poterat suppetias Regis opperiri. Fuítque ob amissum illud oppidum major in universâ Hispaniâ luctus, quòd eâ olim parte exitium illi à Mauris illatum recordarentur. Alfonsus spe ductus, priusquàm à Mauris muniretur, recuperari posse, ad eam accedens; rei frumentariæ inopiâ, hostibúsque certamen detrectantibus, coactus est recedere, pactis cum illis induciis quadriennibus. Ferúntque tantam fuisse apud hostes captivorum multitudinem, ut singula capita aureo nummo vænirent, gravi Christiani nominis dedecore. Quòd verò Granatæ Rex cum Alfonso Castellæ, mutuæ benevolentiæ argumento eidem mensæ accubuisset; nonnulli ex Mauris hominem detestati quasi Christianorum convictu se, gentem, religionémque fœdâsset, illum obtruncârunt, cui Iusephus ejus frater cognomento Bulhagixus suffectus est, & cum eo induciæ quadriennes rursùs pactæ. Cùm intereà Catalani & Genuenses summâ contentione quasi de maris imperio decertarent, gravissimis inter sese cladibus atterentes, (quas prosequuntur utriusque nationis scriptores) ingenti expeditionis Orientalis nocumento.

y Mar. in. lib. 16. cap. 2. Villan. lib. 11. cap. 223.

MAURI GIBRALTARIUM OCCUPANT.

GRANATÆ REX OBTRUNCATUR A SUIS OB CONVICTU CUM CASTELLANO.

X. Quam ut Rex Francorum Philippus promovere videretur, quod jam anteà diximus tentâsse, rursùm egit cum Pontifice ut eam denuò indiceret [z], ipso Philippo duce ejus generali constituto, concessâq; ei ad id operis decimâ sexennali beneficiorum totius regni, & legatis indistinctis. Quâ occasione idem Rex unà cum Ioanne Boëmiæ & Philippo Navarræ, qui tunc cum eo Parisiis agebant; necnon Petrus de Palude Patriarcha Ierosolymitanus, aliique quamplurimi Prælati, Principes, & magnates, Crucem susceperunt ultimâ die Septembris præsentis anni, de manu Petri Rogerij tunc Archiepiscopi Rotomagensis, posteà Clementis Papæ VI. ad hoc auctoritate Apostolicâ delegati. Sive id anno sequenti contigerit, ut scribit Matthæus [a] Villanius Ioannis frater, qui se tum Avenione fuisse ait, præsentémque adstitisse cùm prædictus Archiepiscopus missus à Philippo ad Pontificem, post elegantem orationem in publico Consistorio, de sacrâ expeditione habitam, juravit in animam Regis ipsum mése Augusti anni sequentis, quem numerat millesimum trecentesimum trigesimum quintum, ultramarinum iter sumpturum: eóque motos Pontificem & Cardinales; sub eâ conditione non solùm decimas, sed & quæcumque alia postulavit concessisse. Cui potiùs credimus oculato testi, quàm Frossardo [b] ex aliquo vulgi sermone narranti, Regem ipsummet unà cum ceteris prædictis Regibus Avenionem petiisse, & Crucem ibidem ad prædicationem Pontificis sumpsisse. Addit verò Frossardus, Regem confestim ingentem terrâ marique immensis sumptibus expeditionem parâsse, solicitatis ad eam cunctis ubique Christianis Principibus ac Rebuspublicis.

PHILIP. REX FRANC. EXPEDITIONEM PARAT ORIENTALEM.

z Chron. Franc. Bellefor. lib. 5.

a Matth. Vill. lib. 7. cap. 2. in fi.

b Froff. lib. 1. cap. 28.

XI. Eduardus Rex Angliæ, post audita quæ gesta fuissent in Scotiâ ab Eduardo [c] Baliolo, eò ipse etiá cum magno exercitu properavit; & ne sibi crimini daretur si bellum tentaret, cœpit prædicare nullum esse fœdus inter se & Scotos, quoniam quòd se in minori ætate constituto factum fuisset, illegitimum esset. Qui ut Bervicum pervenit, situm oppidum munitissimum in confiniis utriusque regni, sed Scoticæ ditionis; illud obsidione cinxit. Cùm verò regni gubernatores validas etiam copias collegissent ut Bervico succurrerent, post levia certamina alternis damnis inita, demùm decimoquarto Calendas Augusti ingenti clade Scoti prostrati sunt: quâ volunt Angli [d] cecidisse minimùm triginta quinque eorum millia; consentítque Villanius [e] hæc memorans: Scoti [f] quatuordecim tantùm, sed nobiles penè omnes. Et quod mirabilius est, tradunt iidem Angli, ex suis non cecidisse nisi equitem unum & decem vel duodecim pedites. Secundùm autem hanc cladem præfecti præsidij Bervici desperantes de salute regni, (neque enim erat unde alij duces aliáque auxilia comparari possent) deditionem fecerunt. Quâ obsidione illud memorabile contigisse ferunt [g], ut cùm Alexáder Setonius urbis custos post fortissimam trium

c Supr. an. 1331. IX.

SCOTI CONTERUNTUR AB ANGLIS.

d Vvalsingh. in Eduar. III. & in Hypodigm.
e Vill. lib. 10. cap. 224.
f Boëth. lib. 15.

g Boëth. ib. Buchan. lib. 9.

mensium

mensium propugnationem, continuo labore & omnium rerum penuriâ fatigatus, ita cum Anglis convenisset ut si intra statutum tempus urbi suppetiæ non ferrentur; eam Anglis traderet; obsidémque Thomam filium natu maximum dedisset: cùm interim comparato ad suppetias Scotorum exercitu, Angli diem deditioni assignatum prævenientes, minati essent nî urbs confestim dederetur, animadversuros se tam in Thomam obsidem, quàm in ejus fratrem bello captum, & ad flectendum patris matrísque animum patibulum erexissent: contendente primùm patre diem nondum venisse, ac nihilominùs ad patibuli spectaculum nonnihil moto, cordata mater urbem & patriæ libertatem vitæ filiorum anteponens, marito dum filij ad patibulum levarentur animosè suggesserit, Iuvenes adhuc se esse, & alios heredes superesse, horum mortem potiùs tolerandam, quàm maculam familiæ Setoniæ, patriæ subversionem inferre. Suspensi igitur laqueo sunt filij, & nihilominùs post cladem exercitûs urbs tradita. Quâ sibi retentâ Eduardus Rex Anglus reliquam Scotiam reliquit Baliolo cum multis Angliæ nobilibus, & Londinum rediit. Cui nihilo seciùs ob tumultuantes perpetuò Scotos, jugum Anglorum detrectantes, iterùm atque iterùm adversùs eos redeundum fuit; ut pluribus earum gentium historici narrant.

XII. Hoc eodem anno [h] ad sextum Idus Martij *Vuladislaus* Locticus Rex Polonorum decrepitâ ætate decessit, ritè sacris mysteriis procuratus: fertúrque ejus corpus pluribus post mortem diebus insepultum dum solemnes exequiæ parabantur permanens, nihil putredinis aut tetri odoris contraxisse. Regnavit ab eo tempore quo diademate cinctus est, annis tredecim & paulò ampliùs: Princeps multis virtutibus præditus, gloriâque militari præstans. Suffectus est ei filius *Cazimirus* [i], & vigesimo quinto Aprilis unctus ac coronatus unà cum Annâ conjuge: postquàm Heduigis relicta Vuladislai, matérque Casimiri, exorata à filio, Annæ coronationi, quam se superstite fieri debere negabat, cessit; atque ut injectum scrupulum prorsùs demeret, Sandeciam antiquam ad cœnobium sanctimonialium Regulæ S. Francisci secedens, idem institutum professa piè reliquum vitæ duxit.

[h] Mich. lib. 4. cap. 12. Chron. lib. 11. in fi.

WLADISLAI REG. POL. OBITUS.

[i] Mich. cap. 17. Crom. lib. 12. in pr.

XIII. Quo etiam anno [k] mortuus est in Carthusiâ *Iancelinus* Decimus Ordinis Prior generalis. De quo fertur, quòd cùm monachus quidam sanctissimæ vitæ ac perfectissimæ obedientiæ post obitum tam insignibus & frequentibus cœpisset clarere miraculis, ut ex circumpositis regionibus populi Carthusiam ad ejus tumulum quotidie confluerent, sanitatem ex quibuslibet morbis recipiendi causâ: eorúmque tandem strepitu & malis multorum moribus valdè inquietarétur monachi, officiúmque divinum nimiùm quàm perturbaretur: ingenti fiduciâ Iancelinus ad tumulum sancti viri accedens, in virtute sanctæ obedientiæ, quam vivus servaverat, præceperit, ut nullum ampliùs operaretur miraculum: Tantámque vim verborum ejus fuisse, ut ille quasi jussa pavescens, ab ulteriori miraculorum ostensione cessaverit.

[k] Dorland. Chron. Carthus. lib. 4 cap. 15. & not. ibid.

SANCTUS DEFUNCTUS OBEDIENTIAM PRÆSTAT SUPERIORI VIVENTI.

XIV. Mortuo quoque sub hoc tempus Apostolico viro *Ioanne* [l] *de Monte-Corvino* Archiepiscopo Cambaliensi Tartarorum ex Ordine Minorum, quem plusquàm triginta millia Saracenorum ad finem convertisse tradunt; substituit illi hoc anno Ioannes Pontifex Nicolaum ejusdem Ordinis, de virtute, prudentiâ, & doctrinâ multipliciter commendatum; datis ei in obsequium & auxilium viginti aliis Fratribus sacerdotibus, & sex laïcis: iisdémque per literas [m] commendatis Imperatori Tartarorum Christianis benevolo licèt Infideli, ac reliquis ejus gentis Regibus ac populis; necnon Leoni Regi Christiano & Iacobo Catholico sive Patriarchæ Armeniorum.

[l] Supr. an. 1307. III.

DE ECCLESIA TARTAR.

[m] Reg. Ioan & inde ap. Vuadingh. hoc an.

IESU CHRISTI Annus 1334.
IOANNIS XXII. An. 18.
VAC. IMP. ROM. An. 21.
ANDRON. IUN. Ann. 3.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo, trigesimo quarto, Indictione secundâ, in Italiâ continuârunt [a] feliciter fœderatorum bella. In Scotiâ insurrexerunt [b] in Baliolum populi, eò quòd in verba Regis Angli jurâsset; ut necesse Anglo fuerit iterùm expeditionem eò ducere, quâ maximam regni partem devastavit. Triremes à Pontifice, Francorum Rege, & Venetis ad Græciam à barbaris defendendam missæ [c], Turcos non procul à Constantinopoli magnâ clade debellârunt; quâ quinque illorum millia occisa, naves ducentæ quinquaginta incensæ, ora maritima vastata, plurimíque in servitutem abducti fuêre.

QUÆDAM BELLICA GESTA.

[a] Vill. lib. 11. cap. 5. & seqq.
[b] Vualsingh. & Polyd.
[c] Vill. cap. 18. Vid. supr. an. 1323. VI. & 1332. III. in fi.

II. Ad finem autem anni, nempè tertio Nonas Decembris, Ioannes Pontifex pridie quàm moreretur, ne qua sinistra opinio de integrâ ejus fide circa quæstionem de visione animarum post ejus obitum remaneret; constitutionem [d] edidit, de quâ anno superiori: quâ dissertè declaravit, credere se animas purgatas separatas à corporibus esse in paradiso, & cùm Christo in consortio Angelorum congregatas videre clarè Deum & divinam essentiam facie ad faciem. Siqua verò aliter tam circa eamdem quæstionem, quàm alias quascumque materias Fidem Catholicam, sacram Scripturam, aut bonos mores concernentes, disputando vel inquirendo dixisset aut scripsisset; ea nolle esse dicta vel scripta, sed revocare expressè, nec nisi in quantum essent consona Fidei Catholicæ & determinationi Ecclesiæ approbare; omniáque submittere Ecclesiæ ac successorum suorum determinationi. Idémque die sequenti, videlicèt pridie Nonas Decembris, profluvio ventris exitiali captus, susceptis devotè Ecclesiæ Sacramentis, orans & psallens animam reddidit in palatio Avenionensi, nonagenario major; postquàm sedisset annos octodecim menses quatuor minùs tres dies: sepultúsque est in ecclesiâ cathedrali Beatæ Mariæ de Donis magnâ funeris pompâ; unde posteà translatus est à suis Cadurcum patriam suam. Cùm verò scribat Villanius [e], totum ejus

IOAN. PP. CONSTITUTIO DE STATU ANIMARUM POST TRANSITUM.

[d] Rec. Vill. cap. 19. Bzov. hoc an. Vvadding. an. super.

MORITUR.

[e] Vill. d. c. 19.

corpus ex profluvio ventris subitò resolutum esse; quamvis id ad debilitatem extremi senij referri possit, fortè tamen additum fuerit sortilegium; cùm in litteris [f] Benedicti ejus successoris inveniatur, delatos post hæc fuisse quosdam necromantas, qui imagines cereas in Ioannis perniciem effinxerant, & ad ignem torruerant: quos Benedictus ignibus exurendos addixit.

[f] Ep. 343. an. 3.

III. THESAURUS EIUS.

Reliquisse dicitur in ærario tantam vim auri, quantam nullus ante eum Pontifex. Aitque idem Villanius [g], pecuniam causam fuisse octodecim millionum florenorum auri, valorem gemmarum ac vasorum ecclesiasticorum sacræque supellectilis septem millionum, in universum viginti quinque millionum & ampliùs. Sed hanc summam valdè alij imminuunt. Quibus & nos libenter adhæremus; cùm nullibi reperiatur quid de eâ factum fuerit. Quamcumque autem reliquit, eam præcipuè coacervaverat ex reservationibus fructuum primi anni omnium Ecclesiarum vacantium, & frequentibus collationibus, mutationibus, & translationibus beneficiorum ecclesiasticorum, in opus, ut affirmabat, Terræ Sanctæ quod promovere percupiebat, & contra ceteros hostes Ecclesiæ. Cùm & alioqui esset ipse in mensâ & statu atque omni vitâ modestus ac frugalis. Reservationes autem prædictas Ecclesiarum irritas [h] imposterùm fecit, ut non haberent locum post suum obitum. Traditúrque [i] etiam Tribunal duodecim Capellanorum Papæ, quos Rotæ Auditores vocant, instituisse, ad quos ex omnibus Orbis Christiani regionibus provocatio esset.

[g] Vill. cap. 20.

[h] Id. d. cap. 19. in fi.

[i] Polydor. de rer. invent. lib. 6. cap. 12. Ciaccon. in Ioan. XXII.

IV. FUIT LITERARUM STUDIOSUS.

Fuit autem bonarum literarum per quàm studiosus; & in tantâ negotiorum mole quotidie eis operam dabat, lectioni librorum inhians. Cùm verò à legendo & senium & curarum varietas retardaret, gratissimus erat illi quisquis defloratos libros brevi compendio perstringeret, & in tabulas redigeret, in quibus omne quod ex libris quæreretur facile esset invenire. Coluit & alios viros doctos, in quibus *Augustinum Triumphum* Anconitanum Ordinis Eremitarum S. Augustini, virum religiosissimum atque doctissimum, SS. Thomæ & Bonaventuræ quondam unà cum Ægidio de Columnâ auditorem; quòd adversus hostes Ecclesiæ egregium volumen de potestate Ecclesiasticâ jam senex scripsisset [k], magno in pretio habuit. Academiámque Cadurci in patriâ suâ instituit; unde multi præclari viri posteà prodierunt. Quòd autẽ Iuris Ecclesiastici acerrimum defensorem sese præbuerit, multa propterea tulit: acuítque plurimorum in se calamos. In quibus & Franciscus Petrarcha Florentinus, egregius quidem Philosophus, Rhetor, & Theologus sed temporum suorum censor mordacissimus. Legimus [l] item, Ioannem aliquando interrogatum, quid foret à veritate remotius, respondisse, *Vulgi sententiam: quia quicquid laudat, vituperio dignum est, quicquid cogitat, vanum; quicquid loquitur, falsum; quicquid improbat, bonum; quicquid extollit, infame est.* Ac denique de eodem produnt aliqui [ll], collegisse eum de libris decessorum suorum, ex Ordine sancti Benedicti fuisse Summos Pontifices viginti

AUGUST. TRIUMPHUS.

[k] Scripsit & alia quæ extant: recensentúrque à Trithemio, Pamphil. Possevino, & aliis.

[l] Ap. Naucl. gener. 45.

[ll] Magn. Chron. Belg. Lang. in Chron. Citizen.

quatuor; Cardinales centum octoginta tres; Archiepiscopos 1484. Episcopos 1502. Abbates insignes 15070. Sanctos canonizatos 5555. Alibi tamen reperimus tamquam ex Concilio Constantiensi & inscriptione literis aureis appositâ monasterio sancti Petri, totidem quidem Pontifices, sed Cardinales 193. Episcopos 3057. Abbates 15074. Sanctos canonizatos 3004. Sed omnium numerum, prætterquam Pontificũ multùm auget Vvernerus [m], quas discrepantias discutiendas relinquimus Patribus Ordinis, & si quam certiorem horum notitiam habeant, promendam.

NUMERUS PRÆLATORUM ET SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

[m] In Fascic. temp.

V. IMMENSUS ARDOR TEMPORIS.

Ejusdem Pontificis ultimo anno tantus traditur [n] Avenione & finitimis locis cæli fervor invaluisse, tanta imbrium penuria, ut ferè omnis umbilico tenùs nuda plebs lymphatico more discurrens, altis atque miserabilibus verbis atque verberibus mali finem, pluviam atque aëris temperiem precaretur; ac penè omnium omnis sexûs atque ætatis vultus, colla, & manus, cutim quasi squamas quasdam more serpentum exuerent; ut siquis rarus ardoribus illis inviolatus obsisteret, non tam carneus quàm ferreus putaretur.

[n] Petrar. 9. Rer. Senil. 2.

VI.

Post Ioannis obitum celebratis ex Gregorij Papæ X. instituto novem diebus ipsius exequiis, Cardinales qui aderant numero viginti quatuor, à Senescallo Regis Roberti, (ut Villanius [o] describit) hoc est præfecto Provinciæ, cœnobio Dominicanorum inclusi, mox in duas partes de more scissi sunt; quarum majoris princeps erat Talairandus frater Comitis Petracoricẽsis tituli sancti Petri ad Vincula Cardinalis Archipresbyter; minoris Ioannes de Columnâ Romanus Diaconus tituli sãcti Angeli. Delatus est itaque primùm Pontificatus *Ioanni Raimundi* fratri Comitis Convenarum, creato olim ex primo Archiepiscopo Tolosano, Episcopo Cardinali Portuensi, viro prudenti & pio, eâ conditione ut Romam non iret. Sed eo recusante, & contra Ecclesiam id Pactum esse dicente, séq; potiùs Cardinalatum dimissurum, quàm tali lege Papatum acceptaret: proposito ab utrâque parte quasi perfunctoriè omniũ Cardinalium infimo Fr. *Iacobo Fornerio sive de Furno*, aliàs etiam cognomento *Novelli* monacho Cisterciensi, ideóque Cardinale *Albo* sive *Blanco* vulgò nuncupato, is confestim veluti divinitùs ab omnibus receptus est: mirantibus posteà universis; ipsóque objiciente *eos asinum elegisse*, sive quòd præ humilitate se tantæ dignitati imparem sentiret, sive quòd numquam civilia atque aulica negotia tractâsset: cùm alioqui vir apprimè doctus, piúsque esset, quamvis humili loco natus patre Guillelmo molitore in oppido Savarduni ditionis Fuxensis ad fluvium Aurigeram, ac diœcesis nunc Rivensis tunc Appamiarum. Militavit autẽ primò inter monachos Cistercienses (non Carmelitanos; quorum nonnullos valdè mirati sumus voluisse eum sibi contra rem comppertissimã asserere) in monasterio Bolbonensi diœcesis Mirapicensis proximo Savarduno: & post adeptũ Parisiis Magisteriatum Theologiæ factus Abbas Fontis-frigidi ejusdem Ordinis diœcesis Narbonensis; creatus inde est Episcopus Appamiarũ & post erectionẽ diœcesis Mirapicensis eò trãslatus: ac

[o] Vill. lib. 11 cap. 21.

IO. RAIMUNDI GENEROSA RECUSATIO PONTIFICATÛS.

IAC. FORNERIUS ELIGITUR.

ac virtutibus sibi aditum ad purpuram aperiens, ultimâ creatione Ioannis XXII. factus Presbyter Cardinalis S. Priscæ, demùm Pontifex renunciatus est decimo tertio Calendas Ianuarij in vigiliâ S. Thomæ Apostoli; & coronatus die Dominicâ ipsis Calendis Ianuarij anni proximi, (Non enim dies Dominicâ, quâ id contigisse certum est, eo anno incidit in tertium Nonas Ianuarij quo die Onuphrius ejus coronationem ponit: neque item in vigesimum Decembris præsentis anni, quo auctor Vitæ Benedicti à Bosqueto editæ eam collocat, electionem tribuens diei decimosexto ejusdem mensis) sumpto nomine BENEDICTI ejus nuncupationis vulgò [p] Duodecimi dicti. Cujus futuram electionem præmonstratam in somnis fuisse cuidam Episcopo, Argentinensis in Chronico ait: eúmque corporis compositione ita à decessore suo discrepâsse, ut fuerit ipse corpore maximus, facie sanguineus, & voce sonorus; cùm Ioannes ejus decessor fuisset pallidus, ac staturâ & voce pusillus. Tradit item Villanius [q] eum distribuisse Cardinalibus in sumptus electionis centena millia florenorum aureorum. Alij [r] etiam ad restaurandas Urbis Romæ basilicas quinquaginta millia misisse. Potuit & longè ampliori largitate erga plurimos uti, si tam locupletem thesaurum invenit quàm reconditum à Ioanne ferunt.

NOMEN ACCEPIT BENEDICTI XII.

[p] Vid. supr. an. 1303. XVII.

[q] Vill. d. cap. 21. in fi.

[r] Naucler. gen. 45.

XI. DE VENTURINO BERGOMATE.

[s] Vill. cap. 23.

Quo pariter tempore (ut idem auctor [s] describit) Religiosus quidam Ordinis S. Dominici patria Bergomas nomine *Venturinus*, ætatis tunc triginta quinque annorum, cùm innumerabilem hominum multitudinem ad pœnitentiam concionibus suis efficacibus magis quàm eloquentibus induxisset; eos habitu religiosorum peregrinantium, peculiari veste colore ac notis propriis à communi distinctâ indutos ad festa Nativitatis Christi Romam turmatim duxit, sese flagellis singulis locis cędentes, & Pœnitentiam, misericordiam, pacémque conclamantes; qui ubique magnâ charitate & singulari amore excepti sunt. Avenionem anno sequenti ad Benedictum Papam profectus ad impetrandas peregrinis suis Indulgentias; sive ex invidiâ, sive ex nimia ejus præsidentia, apud Pontificem de varis erroribus accusatus, quamvis eos legitimè purgaverit, nihilominùs ei Pontifex (& maximè quòd diceretur asserere non esse verum Papam qui non Romæ resideret, ne populos magis commoveret, reditu in Italiam, concionibus & confessionibus interdixit, & in quemdam locum montanum relegavit. Ita de illo Villanius: cujus nihilominùs vitam religiosam & sanctam conversationem, ac sacras per varias Græciæ & Orientis provincias pro conversione gentium circumcursationes, miraculáque edita, diffusiùs alij [t] prosequuntur.

[t] Leand. lib. 5. de Vir. illustr. Ord. Prædic. & ex eo. Bzov. hoc an. & 1346.

XII. STEPHANI MINORIS MARTYRIUM.

[u] Vvadding. to. 3. hoc an.

In Ordine Minorum [u] enituit hoc eodem anno martyrium Fr. *Stephani de Hungaria*, in civitate Saray Imperij Tartarorum: qui cùm suasu satanico fidem solemni pompâ abjurâsset accepto Saracenismo, mox facti pœnitens egregia facta CHRISTI confessione, post plurima tormenta divinitùs superata, præclarum subiit gladiis, hastis, & lapidibus martyrium. Aliísque locis alij tam hoc quàm proximis annis inter eosdem Infideles & Saracenos eumdem agonem sustinuerunt.

IESU CHRISTI Annus 1335.

BENEDICTI XII. Ann. 1.

VAC. IMP. ROM. Ann. 22.

ANDRON. IUN. Ann. 4.

I. BENED. PP. QUOMODÒ IN BAVARUM SE GESSERIT.

[a] Blond. 2. dec. 10. Platin. in Bened. XII. Sabell. 9 En. 8.

[b] Krantz. 9. metrop. 1.

[c] Cusp. in Cæsar.

[d] Albert. Argent. in Chron. Naucler. gener. 45. Mut. Chron. lib. 24.

ANNO Christi millesimo trecentesimo, trigesimo-quinto, Indictione tertiâ, Benedictus Papa statim post suam coronationem nihil duxit antiquius quàm promulgatas à Ioanne in Ludovicum Bavarum cęsuras, ut in usurpatorem Imperij repetere ac confirmare; quemadmodùm scribunt auctores Itali [a] & cum iis Germani Krantzius [b] & Cuspinianus [c]. Ex ceteris autem Germanis nonnulli aiunt [d] Benedictum priùs misisse ad Ludovicum legatos, quibus invitaret eum ad unionem Ecclesiæ. Alij, misisse primò Ludovicum suos ad Pontificem: Hunc autem spem eis fecisse reconciliationis, non tamen concessisse: obstantibus Regibus Philippo Franciæ, Roberto Siciliæ & Ioanne Boëmiæ, atque Cardinalibus. Qui profectò auctores ita de his agunt, ut Papam velint, quasi captivus detineretur, vix ausum loqui de Ludovico, quamvis in eum propensior esset: quem nihilominùs tradit Platina tantæ constantiæ, fuisse, ut dimoveri à recto vel vi vel precario; vel pollicitationibus nunquam posset. De quibus item agens Surita [e] ait; cùm Fridericus Trinacriæ Rex post obitum Ioannis Pontificis, de sententia Episcoporum ac virorum doctrinâ & religione præstantium regni Siciliæ, decrevisset tolli interdictum quo Ioannes Siciliam implicuerat, eò quòd is moriturus execrationes omnes atque interdicta à se promulgata rescidisset: nihilominùs Benedictum execrationes atque interdicta in Bavarum, & ejus fautores & assectatores, uti in Catholicæ Ecclesiæ hostes redintegrasse. Confirmátque Fazellus, [f] Benedictum non minùs quàm antecessores, Friderici causam abhorruisse, quantumvis eum ante initum Pontificatum suî studiosum Fridericus cognouisset. Ut verum sit, creditum fuisse à plerísque, Benedictum haud voluisse obaudire precibus Bavari. Sed verius (ut putamus) quod Continuator Bernardi Guidonis observat; Benedictum existimantem errorem Bavaricum (ut loquitur) emendandum, palliasse. Quod explicatiùs narrans alius auctor Vitæ Benedicti à Bosqueto editus ex Bibliotheca Fuxensi Tolosana, qui idem habetur in Bibliothecis regiâ & Victorinâ Parisiensibus; ait, Benedictum sui Pontificatûs initio misisse nuncios suos ad Ludovicum rebellem & inobedientem Romanæ Ecclesiæ, occupatorémque Imperij, qui ipsum monerent & hortarentur ab attentatis desistere, & ad Ecclesiæ obedientiam humiliter redire: cùm crederet & speraret tali modo plus erga eum proficere, quàm si continuaret processus contra eum inchoatos per Ioannem XXII. Nec tamen quicquam profecisse, quòd Ludovicus induratus etiam pertinax permanserit: Haud tamen aliter Papam persecutum esse, sicuti nec Papam ipsum; sed sic in tali-quali quiete suo tempore remansisse. Ita ille: qualia & multi alij eorum temporum

[e] Surit. Indic. lib. 3.

[f] Fazel. 2. dec. 9. cap. 3.

chronographi Galli, quorum scripta manuscripta vidimus, æquè testantur: minimè abhorrentia ab iis quæ de his scribunt auctores Germanici. E' quibus tamen sunt nonnulli, qui adeò absurda alia immiscent, ut de veris quæ scribunt dubitare faciant. Equidem nullus dubitaverim Benedictum tranquillitatis Ecclesiæ cupidissimum, aut gravatè absolutionem Ludovico impertiturum fuisse, si omninò per ejus adversarios licuisset, à quibus majores & periculosiores turbas verebatur; ut posteà videbitur. Cùm nihilominùs semper eum pro excommunicato habuisse, eidémque obediri prohibuisse, ex item dicendis manifestè appareat.

II. PLURA BENEDICTI GESTA HUIUS ANNI.

Interim verò Benedictus eodem ipso Pontificatûs sui initio, Fratricellos, quos dum esset Cardinalis scriptis [g] exagitaverat, anathemate [h] percussit. Omnes quoque gratias de beneficiis Ecclesiasticis à suis antecessoribus quibuscumque personis factas, quibus nondum jus pacificâ possessione acquisitum fuisset, revocavit. Et primus Regestum Supplicationum signatarum induxit ad multas removendas fraudes quæ fiebant. Utque beneficia vacantia viris conferrentur idoneis qui præesse & prodesse valerent, suæ dispositioni reservavit [i] omnia quæcumque & cujuscumque dignitatis vel nuncupationis in curiâ vel extra curiam bidui itinere vacarent. Id potissimùm (ut scribit Oldradus insignis ejus temporis Iurisconsultus) in beneficiis Ecclesiasticis conferendis cavens, ne indignis darentur; sæpè dicens nolle se lutum exornare. Unde & contigisse dicitur in Vitâ ejus, ut multa beneficia diù sub ipso vacaverint, quòd satius & securius esse diceret illa vacare quàm indignis conferri. Bonos enim (inquit Platina) diligebat, & vicissim malos aperto odio habebat. Agnatos autem & consanguineos ignotos sibi fingebat, asserens Pontificem Romanum consanguineos non habere. Cúmque multi urgerent ut eos promoveret, tradit Albertus Argentinẽsis subintulisse illud Davidicum [k] carmen, quod pro insigni argumento gerebat, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Solúmq; ex omnibus, sororis fratrísve filius Archiepiscopum Arelatensem creasse reperitur: idque etiam instantia quorundam Cardinalium, quamvis alioqui satis dignum: Nullum verò Cardinalem. Semel enim in toto Pontificatu sex creavit, non de sua stirpe, sed undequaque ad tantam dignitatem vocatos egregios viros (Falluntur enim quicumque scribunt, fuisse unum ex illis propinquum Benedicti: quod omnes antiquos ipsúmque diligentissimũ Onuphrium penitùs latuit.) De laïcis verò (inquit idem auctor Vitæ ejus) nullũ exaltavit; immò nec voluit eos statum suum immutare. Cúmque unicam neptem quam habebat multi magnates in uxorem peterent, dare recusavit, dicens in vulgari suo, non decere talem equum hanc habere sellam: tradiditque illam filio cujusdam mercatoris Tolosæ, cum dote mercatoris statui congruâ. Habétque demùm prædictus assertus Bernardus Guidonis, vidisse se hunc mercatorem Tolosanum, Avenionem cum uxore nepte Benedicti profectum, ad colloquium quidem admissos, & indulgenter habitos, ceterùm nihil nisi sumptus itineris obtinuisse; dicente Pontifice, se ut Iacobum illos agnoscere, at Papam consanguineos & affines non habere. Qui etiam ut modum afferret avaritiæ Prælatorum tam sæcularium quàm regularium, in procurationum exactionibus tempore visitationis, illas editâ constitutione [l] singillatim taxavit.

QUANTA CAUTIONE IN BENEFICIIS CONFERENDIS UTERETUR.

CUM SUIS CONSANGUINEIS QUOMODÒ SE HABUERIT.

[g] Ext. in Direct. Eymer. par. 2. q. 17. & ap. Bzov. hoc an. Examinat. aut in Nicela Franciscan. ad hunc an. 135.
[h] Ep. 410. an. 1.
[i] Cap. ad regimen. extravag. com. de preb. & dignit.
[k] Psalm. 18.
[l] Cap. vas electionis, extrav. com. de censib.

III. EIUS DE REBUS TEMPORALIBUS ECCLES. ROM. CURA.

Nec tamen propterea minùs temporalia Romanæ Ecclesiæ curans, cùm Romam accedere per temporum injuriam non posset,) quod quidem non solùm cupivisse, verùm etiam adimpleturum fuisse, si Bononienses ipsum cum debitâ obedientiâ suscipere voluissent, scribit idem auctor) misso [m] Bertrando Ebredunensi Archiepiscopo, (quam posteà Cardinalem creavit) Senatui populóque Romano persuasit, ut Senatoriam dignitatem, quamdiù regio Roberti Vicarium Ecclesiæ Romanæ agentis nomine gesserant, suis tandem & Ecclesiæ auspiciis administrarent [n]. Vicariúmque suum in spiritualibus Ioannem Episcopum Anagninum præfecit: & basilicam sancti Petri in Vaticano ferè collapsam impensâ quinquaginta millium aureorum restauravit. Eidem Roberto Siciliæ Regi, ut coram Bertrando Nuncio & Ioanne Archiepiscopo Neapolitano ligium homagium & juramentum fidelitatis præstaret, injunxit [o] (quod is etiam præstitit:) útque idem Nuncius Fridericum Trinacriæ Regem ad fidelitatem Ecclesiæ Romanæ revocaret admonuit. Ac regnum Sardiniæ & Corsicæ Alfonso Regi Aragonum eodem jure fiduciario [p] confirmavit.

[m] Blond. 2. dec. 10. Platin. in Bened. XII.
[n] Vid. infr. an. 1338. IX.
[o] Reg. Benedict. ep. 25. Cod. Colum. Bibl. Vatic.
[p] Eod. cod. Col. Surit. Indic. lib. 3.

IV. DE HÆRESIBUS EXTIRPANDIS SOLLICITUDO.

Animúmque adiiciens [q] ad expurgandum in areâ Ecclesiæ triticum, & evellenda hæreseos zizania; inter cetera, Ioannem Boëmiæ Regem & Episcopum Olomucensem adversùs nonnullos qui ex Germaniâ & circumpositis regionibus eò penetraverant excitavit. Et Eduardum Anglum monuit adesse Episcopo Ossyriensi in Hiberniâ, in extirpatione hæreticorum, quorum nonnulli impiissimè asserebant Christum fuisse hominem peccatorem, & justè crucifixum pro suis delictis; alij dæmonibus sacrificantes dicebant, Sacramentum Corporis Christi non esse adorandum nec colendum; nec item decretis Apostolicis esse obediendum, Paritérque adversus Dulcinistas reviviscentes, & Fratricellos per universam Italiam sese diffundentes rescripsit.

[q] Vvadding. hoc an.

V. BELLICA ITALIÆ.

Interim cùm nec Pontificem præsentem nec Imperatorem Italia haberet. Vicecomites Mediolani domini, Scaligeri Veronæ, Estenses Ferrariæ, Gonzagæ Mantuæ, fimbrias suas dilatantes, multas civitates Lombardiæ, quæ anteà vel liberæ vivebant, vel nomine Ecclesiæ aut Imperij detinebantur, sibi quique usurpârunt [r]. Etiámque Scaligeri Lucam in Etruriâ, quam Florentinis ex pactis fœderis dare tenebantur, sibi magna fraude retinuerunt [s]. In quâ eâdem Etruriâ Guelfi & Gibellini contentiones suas continuantes [t] mutuò sese desolabant. Genuâ Gibellini Guelfos præfectúmque Regis Roberti expulerunt [u]. Ac Roberti classis multa Siciliæ damna intulit [x]. Memorátque Villanius [y] decima-quintâ Maij partem montis Falteroni in eâdem Etruriâ tremore terræ divulsam concidisse in villam quatuor milliaribus distantem, eámque cum omnibus domibus, personis, bestiis, &

[r] Villan. lib. 11. cap. 30. & seqq. Auctor. Pistor. Cor. par. 3.
[s] Vill. cap. 40. & 44.
[t] Vill. cap. 25. & seqq. Leonard. lib. 6. Anton. tit. 21. cap. 7.
[u] Vill. cap. 24. Fogliet. lib. 6. ad fi.
[x] Vill. cap. 29. Fazell. 2. dec. 9. cap. 3.
[y] Vill. cap. 26.

arboribus

arboribus absorbuisse; copiosam aquam turbidissimam visceribus terræ diù retentam effudisse, infinitamque serpentium & anguium copiam ejecisse, in quibus, duo inventi fuere quaternis pedibus instar canum.

VI. In Polonia [a] verò tanta vis Locustarum pervagata est, ut volantes Solis aspectum hominibus adimerent; humi verò stratæ equorum ungulas superarent: quæ depastæ maturescentes segetes angustiorem annonam fecere. Quam eamdem pestem subsequentibus annis magnam partem Europæ depastam esse, testantur diversarum gentium scriptores [a]. Inter quos describens eas specialiùs Carolus Boëmus in Vitâ suâ, ait habuisse senas alas, scriptas quasi denigratis literis, & in spissitudine fuisse quasi nivem condensatam. Quarum aliquando cùm explorare voluisset exercitum, invenisse in longitudine habere septem milliaria Germanica, sed latitudinis finem invenire non potuisse. Thurosius verò Hūgariæ chronophraphus observat, eas omnia virentia in arboribus segetibúsque ac graminibus absumpsisse, præter folia vinearum quæ intacta reliquêre, quod etiam post Thurosium adnotavit Bonfinius [b]. Quæ demùm per æstatem à ciconiis, vulturibus: corvis, & monedulis absumptæ, deinde nive omnes obrutæ sunt quod quarto demùm anno in Germaniâ contigisse, Ayentinus [c] earum pariter castrametationes describens ait; alij etiam tardiùs aliis locis consedisse, seu sæpiùs rediisse testantur. In Historiâ verò Bononiæ [d] legimus, eas jam anno millesimo trecentesimo decimo-quarto eam regionem obnubilâsse, & quicquid viridis super terram esset consumpsisse, nullam usquam aliquam domum intrâsse donec jussis ab Episcopo omnibus curionibus processionaliter campos circuire ac benedicere die festo S. Lucæ Evangelistæ decimo-octavo Octobris, omnes ad unam in flumen sese præcipitârunt, ac suffocatæ sunt.

Locustarum ingens infestatio.

[a] Michov. lib. 4. cap. 22. Cromer. lib. 12.

[a] Cor. Hist. Mediol. par. 3. an. 1339. Rebdorff. in Annal. German. eod. an. Thuros. Chron. Hūg. par. 2. cap. 98. an. 1340. & seqq.

[b] Bonfin. Hist. Hungar. 2. dec. 9.

[c] Avent lib. 7.

[d] Cherub. Girardat. lib. 18. in fi.

VII. Mense Novembri præsentis anni Ioanne Rege Boëmiæ & Casimiro Poloniæ, (nō Wladislao, ut ponit Dubravius, qui jam obierat) unà cum delegatis Ordinis Cruciferorum, ad Carolum Hungariæ Regem apud Wissegradum convenientibus pro dirimendâ controversiâ inter Polonos & Cruciferos multo jam tempore vertente, cujus causâ tot gesta essent bella quæ superiùs meminimus; cujúsque arbitri, à Poloni Carolus, à Cruciferis Ioannes delecti fuissent: pax facta est, sed (ut queruntur Poloni [c]) iniquior Casimiro, quòd Ioãnes Rex homo callidus atque disertus satagens pro Cruciferis Carolum in suam sententiam adduxisset, advocati magis quàm arbitri functus officio. Cùm verò & pactis sic conditionibus Cruciferi difficultates quærerent, recurrendum fuit ad Pontificem: A quo missi Iudices rem totam de novo examinantes, pro Polonis longè favorabiliùs pronunciarunt: quantumvis Cruciferi, ut speciem aliquam neque arbitrorum decreto neque Iudicum decisioni parendi haberent, perfecissent apud Bavarum, ut toti Ordini gravissima pœna interdiceret, ne cujusquam præcepto quicquam de iis terris quas ab Imperio habebant cuiquam concederent, néve apud ullos judices de iis disceptarent præter assensum suum. Qui cùm his prætextibus judicata non facerent, anathematε à Iudicibus auctoritate Apostolicâ damnati sunt; & sacris interdictum omnibus locis quæ in ditione eorum essent, & ad quæ quispiam eorum pervenisset. Quod demùm anno millesimo trecentesimo trigesimo nono actum est, cùm eò usque res variis tergiversationibus dilata fuisset. Prosequuntur autem ista pluribus iidem auctores Poloni; & quæ Hungari & Boëmi contraria habent, purgare nituntur; cum tamen illi adstipulatorem habeant Carolum Ioannis filium posteà Imperatorem, qui rei gestæ interfuit, ut ipse narrat in Vitâ suâ. Quantâ verò magnificentiâ Carolus Hungariæ prædicto hujus anni conventu Reges Boëmiæ & Poloniæ exceperit, tractaverítque, quámque pretiosis muneribus donaverit; cumulatè narrant ejus Vitæ scriptores [f].

De controversia inter Polonos et Cruciferos vertente.

[c] Michov. lib. 4. cap. 17. Cromer. lib. 12.

[f] Thuros. ap. 97. Bonf. d. l. 9.

VIII. Quo eodem anno, ut ex serie rerum apud Nicephorum Gregoram [g] constat, duo Episcopi à Romano Pontifice (Ioanne, ut puto; sub finem vitæ monito fortè à Barlaamo [h] monacho de iis quæ vidisset Constantinopoli) cò advenerunt, ut de pace & concordiâ Ecclesiarum disputarent. Quod cùm populus valdè gratum haberet, urgerétque Patriarcham ad disputationem; diffidens ipse sibi, suísque Episcopis maximam partem indoctissimis prædictum Nicephorum Gregoram linguis exercitatum, licèt laicum, opponere cogitavit. Verùm eo longâ oratione ac prætextibus speciosis disputationem dissuadente, res effectu caruit, quod ipsemet pluribus prosequitur.

Græci cum Latinis disputare fugiunt.

[g] Greg. lib. 10.

[h] Supr. an. 1332. IV.

Iesu Christi Annus 1336.

Benedicti XII. An. 2.

Vac. Imp. Rom. An. 23.

Andron. Iun. Ann. 5.

I. Anno Christi millesimo trecentesimo, trigesimo-sexto, Indictione quarta, Benedictus Pontifex postquàm priorem [a] antecessoris sui opinionem de visione animarum, cujus absolutam determinationem is successoribus suis dereliquerat, diligentissimè unà cum Cardinalibus: Episcopis; & sacræ Theologiæ Doctoribus, Avenione examinâsset; commentariolúmque [b] à se ipso pro perfectâ visione conscriptum, & ab omnibus approbatum, unà cum Ioannis postrema [c] professione, pro illius purgatione à calumniis Fraticellorum, publicasset: quid denùm de re tota, nondum ab ecclesia decisa, sentiendum esset definiens, constitutionem [d] edidit quarto Calendas Februarij: qua declaravit, animas Sanctorum omnium qui ante Christi passionem decesserunt, necnon Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & aliorum Fidelium post baptismum defunctorum, in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum vel post mortem suam purgaverint; itémque animas puerorum baptizatorum ante usum liberi arbitrij decedentium; mox post mortem suam, aut purgationem prædictam, etiam ante corporum suorum resumptionem & Iudicium generale, à tempore Christi in cælum ascensionis

Benedicti P. constitutio de visione animarum.

[a] Supr. an. 1333. I.

[b] Ac. Bzov. in 1335.

[c] An. 1334. I I.

[d] Ext. in Bibl. Vatic. & inde Bullar. to. 1. Bened. XII. const. 4. & ap. Alfons. à Castr. lib. 3. cont. hæret. verb. Beatitudo, hac & meminerúntque Villan. lib. 11. cap. 47. Rebdorf. in Annal. & alij ejus tēp. auctores.

fuisse,

fuisse, esse, & fore in paradiso cum Christo Sanctorum Angelorum consortio aggregatas videntes immediatè divinam essentiam sese clarè & apertè eis manifestantem: pariterque animas decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendere, ibique pœnis infernalibus cruciari: Ac nihilominùs in die Iudicij omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparituros, reddituros de factis propriis rationem ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum: Hanc porrò definitionem ab omnibus Fidelibus ita esse tenendam, ut quicumque deinceps contrarium scienter & pertinaciter tenere, docere, aut defendere verbo vel scripto præsumeret, contra eum velut contra hæreticum processum iri. Ita Benedictus pro defensione famæ Ioannis decessoris, ac determinatione dogmatis ab eo propositi: quod posteà firmiùs stabilitum est in Conciliis Oecumenicis Florentino [e] & Tridentino [f].

[e] Concil. Flor. sess. ult.
[f] Concil. Trid. sess. 25.

II. PROSECUTIO CAUSÆ LUDOVICI BAVARI.

Quod autem causam Ludovici Bavari, anno præterito per ejus legatos delibatam spectat; cùm [g] illi perspectâ Pontificis & multorum Cardinalium proclivi in ejus absolutionem mente, accepissent qualiter & sub quâ formâ redire, ac sub quibus articulis absolutionem petere deberent: iterùm reversi mandatum & agendi auctoritatem seu procurationem ab eo detulerunt [h] datam Ulmæ quinto die Martij hujus anni. Quâ Ludovicis seniori & juniori Comitibus Oetingensibus; Fratri Henrico de Siphingen commendatori Ordinis Teutonicorum; Eberardo de Thummovv Archidiacono, Marchardo de Randeck canonico, & Udalrico de Augustâ protonotario, legatis ac procuratoribus suis, amplissimam in solidum facultatem dedit, suo nomine ubicumque & quomodocumque Pontifici placuisset; Revocandi, & nulla atque irrita pronunciandi omnia quæcumque à se titulo Imperiali contra Ioannem Papam, & contra Ecclesiæ determinationes dicta & facta essent; Promittendi ac jurandi, revocaturum se omnes processus ac pœnas promulgatas ab Henrico olim Imp. contra Robertum Regem Siciliæ, ejúsque fratres ac terras, necnon contra Florentinos aliósque suos adversarios: Revocandi omnes processus & sententias, atque alia quæcumque vel Romæ vel alibi à se vel ab aliis ipsius nomine sub Imperiali titulo facta fuissent; ac speciatim donationes terrarum Ecclesiæ; eáque omnia nulla & irrita declarandi: Concedendi Pontifici liberam potestatem remittendi omnibus civitatibus ac locis personísque partium Italiæ, omnes injurias atque inobedientias ab iis à quinquaginta annis contra Imperium ac Reges Romanorum seu eorum ministros factas, omnésque processus & sententias contra eos latas tollendi & annullandi, eosdémque in integrum restituendi, vel aliàs de iis disponendi: Promittendi ac jurandi non occupaturum se aut recepturum Romam, aut provincias, terras, locáve quæcumque Ecclesiæ Romanæ tam intra Italiam quàm extra ubilibet, nec item Siciliam, Sardiniam, Corsicam, vel alia quæcumque ipsius feuda; nec vassallos & subditos, aut officiales & ministros, per se vel alios inquietaturum; quinimmò tam res quàm personas defensurum: & siquid contrà vel à se vel ab Henrico olim factum fuisset, id omne revocandi & irritum declarandi: itémque si in aliquo posthàc vel à se vel à suis contraventum in his foret, subjiciendi ipsos pœnis à Pontifice pro libito imponendis: Non ingressurum se Urbem Romam ad coronam accipiendam, nisi assignatâ sibi die, eâdémque exiturum, & ad sua se recepturum, omni legitimo impedimento cessante: Intrusos in Ecclesias Regni Romani & Imperij, si Pontifici placeret, expulsurum se; & qui forent à Pontifice provisi, introducturum: Prædicta omnia se post suam approbationem & consecrationem, confirmaturum per publica instrumenta; effecturúmque quantum in se esset, ut Principes & Prælati Alemaniæ jurarent, ac literis suis se obligarent, si ipse Ludovicus aliquod præmissorum non servaret, se in eum insurrecturos: ac propterea potestatem se facere, ut eo casu liberarentur & absolverentur ab omni fidelitate quâ ei adstricti essent: Promittendi tractaturum se Robertum Siciliæ Regem sicut consanguineum & affinem præcipuum, & in Tusciâ in terris Imperij creaturum illum Vicarium, ac confœderationem cum eo facturum ad beneplacitum Pontificis. Hæc diffusè Ludovicus in mandato suo procuratorio.

[g] Alb. Argentin. in Chron.
[h] Rec. Bzov. ex cod. vatic. Extátque etiam in Collect. Archiep. Auxit.

EIUS OBLATA PROFESSIO.

III. ITEMQUE ALIA.

Sed quòd non ea talia viderentur, ut satis per illa fieret iis quæ in favorem hæreticorum & schismaticorum ab eo patrata fuissent, quæque speciatim hæresim tangerent; hæc, & alia nonnulla diligentiùs agnoscere monitus à Pontifice; prædictis legatis cum meliori spe rerum suarum receptis, alios rursùm Nurembergâ vigesimo octavo Octobris hujus ipsius anni misit, videlicèt Guillelmum Comitem Iuliacensem affinem suum, & Robertum Comitem Palatinum ac Ducem Bavariæ patruum suum, (Rebdorffius fratris filium dicit) cum mandato [i] Recognoscendi & confitendi se operam dedisse ut Petrus de Corbario fieret antipapa, & Ioannes Papatu privatus denunciaretur: & nihilominùs excusandi, se nequaquàm propterea credidisse Petrum esse Papam; verùm id fecisse ut vicem Ioanni redderet, qui alium in Imperatorem eligi procurabat; & quoniam qui id promovebant, asserebant hoc populo Romano licere & Imperatori; ignorante se contrariam Ecclesiæ determinationem: credere autem se in his malè & perversè fecisse, atque ideò actus omnes illos reprobare: Confitendi se favisse Vicecomitibus Mediolani, & eorum complicibus damnatis de hæresi, aut de favore hæresis: ac nihilominùs excusandi numquam se eorum errores scivisse; nec in animo habuisse iis favere in aliquâ hæresi contra Fidem, sed ipsis favisse ut eorum operâ civitate Mediolani & Lombardiâ quietiùs potiretur: Confitendi se tenuisse Fratres Minores rebelles Ecclesiæ, Michaëlem de Cesenâ, Franciscum de Marchiâ, Guillelmum Ockamum, Bonagratiam, Henricum de Thahalem, & aliquos eorum sequaces, & consensisse appellationibus eorum contra Ioannem Pontificem: paritérque tenuisse Marsilium de Paduâ & Ioannem de Ianduno per Ecclesiam damnatos; ac nihilominùs

[i] Rec. Bzov. ex cod. Vatic. Agitúrque de eod. in Collect. Archiepisc. Auxit. ubi tamen patruus ic vocatur Henricus.

minùs excusandi se illos tenuisse, quòd diceretur multùm versati in Theologiâ & Iuribus Imperij; séque publicè contestatum esse, minimè illis consentire in iis quæ essent contra Fidem vel Ecclesiæ determinationem, sed solùm in iis quæ temporalem jurisdictionē spectarent; neque eos tenuisse nisi ut possent respondere oppositionibus quæ fiebant contra ipsum Ludovicū, & jura Imperij scriptis suis defensare: credere autem se malè fecisse eos retinendo; & damnare atque anathematizare articulos ab ipsis propositos, quos Ioannes Pontifex & Ecclesia Romana damnâsset: Confitendi, in appellatione quam fecisset contra Ioannem Pontificem multa contineri hæretica, & per Ecclesiam damnata atque blasphema: ac nihilominùs excusandi, quòd Notarius qui eam dictavit, videlicèt Ulricus Groildonis in morte confessus est, se illam malitiosè, & in odium ipsius Ludovici à quo se existimabat in aliquo læsum, de consilio aliquorum volentium talem discordiam inter Ioannem & Ludovicum seminare, quam nunquam valeret aliquis reparare, fieri procurâsse: séque dolere de falsis ibi positis: Confitendi, se multis locis impedîsse ne interdicta servarentur, & multos Ecclesiasticos tam sæculares quàm regulares inde gravari permisisse: multos intrusisse diversis Ecclesiis, & provisos per Ecclesiam impedîsse: cum excommunicatis communicâsse in divinis: assumpsisse titulum Imperialem & unctionem Romæ perversè & à potestatem non habente: faterique se in his omnibus malè fecisse; renunciaréque omninò ejusmodi titulo Romæ recepto. Promittendi, facturum se in propriâ personâ plenam prædictorum omnium excessuum confessionem, petiturúmque humiliter veniam, ac susceptorum pœnitentiam; sicuti modò per dictos suos procuratores peteret: Supplicandi pro absolutione, assumptione & in integrum restitutione, cum facultate jurandi in animam suam de parendo mandatis Ecclesiæ super omnibus prædictis: Promittendi & jurandi, similia se nunquam facturum, hæreticos extirpaturum; nomine satisfactionis & pœnitentiæ mare contra infideles transmissurum, ibíque moraturum quamdiù Pontifici placeret; ac secundùm ordinationem Pontificis ecclesias & monasteria ædificaturum; & peregrinationes atq; eleemosynas facturum, aliásque quascúmque pœnitentias sibi imponendas adimpleturum: præter executionem aliarum promissionum, quas præcedentes legati suo ipsius nomine obtulissent.

IV. QUÆ NON FUERUNT RECEPTÆ. [k] *Vill. lib. 11. cap. 54. Alb. Argentin. in Chron. &c.*

Nihil tamen adhuc actum; quoniam, ut ex illius temporis Scriptoribus [k], ipsóque Regesto Benedicti intelligitur, dum hæc Ludovicus apud Pontificem ageret; ex aliâ parte unà cum Rege Angliæ & Belgarum Principibus bellum moliretur contra Regem Galliæ, quo turbanda foret Respublica Christiana, & sacra expeditio deserenda: paritérque in Germaniâ Ioannes Rex Boëmiæ unà cum Hungaro & Polono contra eundem Ludovicum colligati dicerentur tractare de alio in Imperium evehendo: omnésq; prædicti Principes, ac pleriq; Cardinales ab iis solicitati, atque etiam minis impulsi, obstarent ne Ludovicus à Pontifice, quantumvis in eum valde proclivi, assumeretur. Quòd autem nihilominùs Benedictus habuerit semper Ludovicum pro excommunicato, videbitur etiam inferiùs [l] ex literis ejus ad Eduardum & Leodienses.

[l] *An. 1338. IX.*

V. INITIUM BELLI INTER REGES FRÃC. ET ANGL. [m] *Vill. lib. 11. c. 54. Vualsingh. in Eduard. III. Froffard. lib. 1. cap. 29. Contin. Nang. &c.* [n] *An. 1331. VIII.*

Hoc namque anno initium cœpisse Bellum illud funestissimum inter Reges Philippum Galliæ & Eduardum Angliæ, quod Galliam penè perdidit, nec tamen Angliæ profuit; auctores [m] volunt: incentore præcipuo Roberto Atrebatēsi Philippi sororio, qui ex causâ superiùs [n] expressâ in Angliam secedens, donatúsq; ab Eduardo Comitatu Richenondiæ, nunquam cessavit Eduardum hortari ut bellum Philippo moveret. Causas verò belli has potissimùm Reges prætexuerunt: Anglus quidem quòd Francus Davidem Scotiæ Regem hostem Angli apud se detineret, & pecuniis ac copiis juvaret: itémq; quòd Ducatûs Aquitaniæ partem illam quam superioribus bellis Carolus Valesius Philippi Regis pater occupaverat, & Carolus Pulcher Philippi decessor restituere pollicitus fuerat, Philippus reddere renueret: ac deniq; quòd regnum ipsum Franciæ Eduardus ad se legitimè pertinere vel ex sententia Philippi contra prædictū Atrebatensem pronuntiatâ argumentaretur; qua videlicèt ei Mathildis Roberti senioris filia in successione Comitatûs Atrebatensis antelata fuisset. Cōtrà verò de Anglo querebatur Francus, quòd prædictum Robertum contra se coleret juvarétq;. Ac de parte Aquitaniæ Respondebat, eam propter rebellionem Eduardi patris justo bello captam reddi non debere. De Regno verò, illud sibi judicio Parium & Frãciæ nobilitatis consensu delatum: ipsúmquemet Eduardum fidelitatem ipsi postinde jurâsse, ut non jam absque fidifragij crimine resilire posset. Cùm autem ex his omnia ad bellum prona essent, nec legationibus hinc inde missis via ad concordiam reperiretur, quinimmò magis animi irritarentur; Eduardus auxilia sibi contra potentissimum adversarium conquirens, imprimis Ludovicum Bavarum à Franco satis alienatum ob impedimentum absolutioni suæ illatum, sibíque affinitate conjunctum; quòd ambo duas sorores filias Comitis Hannoniæ (ex Ioannâ tamen sorore ipsius Philippi Regis) uxores haberet, in belli societatem pertraxit, ingentis promissione pecuniæ certis terminis persolvendæ: Philippus autem nec illis cedere volens, ut ei bello liberiùs intendere posset animum à sacrâ militiâ quam magno nisu parabat, ac se prosequuturum promulgaverat, avertere coactus est; haud tamen parvâ maculâ nominis sui apud plerasque Christianas gentes. Quomodò verò omni operâ incendium istud Pontifex restinguere conatus sit, dicetur posteà. Hæc modò satis de causis belli; quo nullum umquam Gallia nec ferè totus orbis cruentius, atrocius, diuturniúsque exercuit.

CAUSÆ PRÆTENTIÆ EIUS BELLI.

VI. CESSAT EXPEDITIO ORIENTALIS. [o] *Vit. Bened. edit. Bosq.*

Cujus occasione cùm vires totius fermè Christiani orbis atque arma alterutri parti Francorum vel Anglorum sese adjungerent; inde consenescentibus sacri belli consiliis factum brevì est, ut præter Cyprum rerum Asianarum Christianis nihil superfuerit. Scribítque Auctor Vitæ [o] Benedicti Papæ; cùm Phi-

p Supr. an. 1333. X.

QUID REGI CUM PONTIF. DE REGNI DECIMIS.

lippus Rex sub Ioanne XXII. promisisset p sacram illam expeditionem exequi, ac proptereà decimas regni sui ab eo, licèt ægrè, obtinuisset; Benedictum cernentem expeditionem evanescere, revocâsse hanc decimarum cōcessionem: Regémq; eâ de causâ unà cùm Ioanne Duce Normániæ primogenito suo accessisse Avenionē ad Pontificem; Sed superveniente bello Aquitanico inter prædictos Reges, Philippum ab expeditione penitùs destitisse, ne Regnum suū expositū relinqueret occupationi Angli; sicq; etiam revocationem decimarum permansisse in suo robore. Quando etiam putamus accidisse quod eâdem Vitâ q narratur, dixisse Pontificem Regi antequàm quicquam peteret, se quidem tando affectu erga Regē deferri, ut si haberet duas animas, unam libenter pro ipso expositurus esset: sed non habere nisi unam, quam unicè diligebat, cupiebátque conservare: Quare suas petitiones sic Rex limitaret, ut nihil eis contineretur quod Deum offenderet & animam læderet, quia in hujusmodi rebus nequaquàm ipsum exauditurus foret: Hócque licèt Regi primâ facie durum visum fuisset, tamen re bene pensatâ gratum habuisse, quoniam sciebat Pontificem rectissimæ in omnibus intentionis esse.

q Ibid. & cod. S. Victor. Paris. P. 8.

VII. Quòd verò occasione sparsæ per Orientem famæ expeditionis regiæ Christiani ibi existētes gravissimas oppressiones diráque tormēta à Saracenis sustinuissent, quasi ipsi eam promovissent; narrat r Matthæus Villanius, quemdam venerandum senem monachum Italum nomine Andream de Antiochiâ, zelo simul & dolore hujusmodi injuriarum motū Avenionem petentem, eo omninò tempore advenisse quo Rex ibi erat: ipsúmque adeuntem, si quidem expeditionem sincero animo suscipere intenderet, precatum esse illi auxilium à Deo, victoriam, & cuncta prospera; sin verò doloso animo eam publicâsset, unde tanta mala Christianis accidissent, & ingens scandalum Ecclesia pateretur, imprecatum iram Dei & indignationem super ipsum, ejúsque domum, successores, & regnum: His Regem turbatum voluisse eum secum abducere; sed respondisse monachum, si iter in Orientem assumeret, libentissimè se iturum: sed quoniam iret Rex in Occidentem, nolle eum comitari, sed ad pœnitentiam peccatorum suorum peragendam repetere terram, quam Rex Deo promisisset eripere è manibus canum Saracenorum. Quāta porrò mala & regi ipsi, & successoribus ejus, universóque regno; post hæc contigerēt; nemo est qui nesciat, videbitúrque inferiùs. An verò hæc suscitata fuerint à Deo in pœnam simulationis regiæ, cùm certum sit planè legitimam causam habuisse defensionis regni sui ab injustâ invasione Angli, quis consilia Dei ac judicia inscrutabilia penetraverit?

r Matth. Vill. li. 7. c. 3.

MONACHI CUJUSDAM MINÆ IN REGEM OB DESERTAM EXPEDIT. ORIENT.

VIII. Cœptum item hoc anno in Italiâ aliud bellum inter rempublicam Venetam, & Scaligeros Mastinum & Albertum fratres, qui brevî in tantam potentiam creverant, ut multis occupatis civitatibus, imperium Italiæ jam sibi s animo fingerent, terrori non minùs quàm odio ob insolentissimam eorum arrogantiam (vili t cæteroqui prosapiâ nō ita pridem orti) facti cunctis Italiæ Principibus ac Rebuspublicis. Tradit u enim Ioannes Villanius, colligere eos solitos ex vectigalibus locorum sibi subditorum singulis annis septingenta millia florenorum aureorum: quot nullus Rex Christianorum haberet, excepto Rege Franciæ. Denique tantæ eos fuisse potentiæ constat, ut etiam ipsi Veneti, nonnisi eorum injuriis ad viscera ferè suæ urbis irritati, & fœdere Florentinorum ac Principum Lombardiæ ipsiúsque Regis Boëmio roborati, hoc bellum suscipere in animum induxerint. Quibus verò initiis cœptum, quibúsque progressibus, stragibus, strategematibus, ferè per triennium gestum; quámque Scaligeri ignominiosam tandem pacem, amissis Paduâ, Brixiâ, Tarvisio, Bergomo, Belluno, aliisque civitatibus & castris, (quas victores inter se partiti sunt) subire coacti fuerint; diffusè narrant earum gentium historici x.

BELLUM INTER VENETOS ET SCALIGEROS.

s Io. Vill. lib. 11. c. 76.
t Id. c. 94. Vid. supr. an. 1329. V.
u Id. c. 45.

x Vill. lib. 11. Carol. IV. in Vitâ suâ, Blond. 2. dec. 10. Sabell. 9. En. 8. & 2. dec. 2. Cor. par. 3. Petr. Iustin. Hist. Venet. lib. 4.

IX. *Alfonsus* y Rex Aragoniæ diuturnâ valetudine conflictatus, mortuus est Barcinone nono Calendas Februarij; postquàm regnâsset ab obitu patris annos octo ac ferè tres menses: cui ob moderationem animi cognomen *Benigni* factum. Successit filius *Petrus* ejus nominis Quartus: & Dominicâ die quæ Resurrectionis Domini festum subsecuta est, Cæsaraugustæ coronatus fuit *Cæremoniosus* cognomento dictus, quòd in cæremoniis regiæ dignitatis servandis curiosus quàm maximè fuerit. *Criminosus* potiùs dicendus ac Sævus, qui z tam singulari immanitate ac sui sanguinis crudelitate præditus extitit, ut summa ipsius ingenij vis veheménsque natura visa fuerit, tamquam fallaces herbæ, desperatos fructus attulisse. De quibus dicetur inferiùs.

y Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 16. c. 4.

ALFONSI REGIS ARAGON. OBITUS.

z Hieron. Blanc. de reb. Arag.

X. Quo etiam anno diem objisse *S. Elisabetham* Reginam Portugalliæ jam aliàs a diximus. Et *B. Mauritius* regio Hungariæ genere ortus, S. Dominici institutum unà cum conjuge sectatus, miraculísque clarus, Iaurini decessit mense Martij.

SANCTORŪ QUORUMDAM OBITUS.

a An. 1325. X.

XI. Hócque insuper anno notat Nauclerus b, Sultanum Babyloniæ commisisse custodiam Sepulchri Dominici in civitate Ierusalem Fratribus Minoribus; qui illam susceperint de consensu Papæ.

SEPULCRŪ DOMIN. COMMITTITUR FRAT. MINOR.

b Nauc. gen. 45. ad fi. Vid. infr. an. 1343. V.

IESU CHRISTI Annus 1337.

BENEDICTI XII. Ann. 3.

VAC. IMP. ROM. Ann. 24.

ANDRON. IUN. Ann. 6.

I. ANNO Christi millesimo trecētesimo trigesimo-septimo, Indictione quintâ, ad principium mēsis Iunij Cometes apparuit ortum habens à Septemtrionalibus horizontis partibus quasi in regione Tauri, qui per quatuor menses post occasum Solis rutilans, versúsque meridiem paulatim tendens, ibi finem accepit. Ac nondum eo extincto, alius apparuit in regione Cancri, duravítque per duos menses. Ita Villanius a. Priorem verò exactiùs descripsit Nicephorus b Gregoras sibi in hâc arte & scientiâ valdè complacens: & barbatum potiùs quàm crinitum, gladiíque formâ fuisse ait; apparuisséque cùm sol prope-

COMETES DUPLEX.

a Vill. lib. 11. cap. 67.
b Greg. lib. 11.

modum ad solstitiũ ęstivum pervenisset. Continuator Nangij circa festum S. Ioannis Baptistæ, & in signo Geminorum ortum esse ratione eclipsis Solis quę fuit tertiâ die Martij pręcedentis per Martem & Saturnum, qui tunc aspiciebant eam eclipsin, & tunc incipiebant retrogradi. Meminerunt & alij eorumdẽ cometarum: necnon & aliorum, quos circa eadem tempora variis locis visos tradunt, atque subsequẽtium bellorum aliarúmq; per orbem cladium prænuncios extitisse. Atenim de Cometarum causis & effectibus qui scire cupierit, ex nostris Albertũ [c] habet, & ex eo Antoninum [d], qui abundè satisfaciant; præter Gentiles Philosophos. Nobísque firmiter standum admonitioni divinæ [e], à Signis cœli non esse metuendum, quæ timent gentes: cùm certum sit nullam nobis adversitatem nocituram, si nulla nobis dominetur iniquitas.

[c] *Albert. in lib. de meteor.*
[d] *Ant. tit. 22. c. 15.*
[e] *Ierem. 10.*

II. Quo eodem mense Iunij die vigesimo quarto (ut Villanius [f] habet; cui magis credendum, quàm Fazello anno superiori duodecimo Calendas Iulij ponenti) mortuus est *Fridericus* Rex Trinacriæ ex morbo, annumagens ætatis sexagesimum quintum, suscepti regni quadragesimum secundum. Post cujus obitum solus regnavit, quem regni consortem fecisse vidimus, *Petrus* ejus primogenitus. Quẽ quidem Villanius ait fuisse veluti mente captum: Ideóque turbatam fuisse Siciliam quorumdam procerum rebellionibus: qui nihilominùs pœnas paulò pòst luerunt suæ temerariæ præcipitationis: quamvis Rex Robertus eâ occasione anno proximo classem in Siciliam miserit, quæ tamen parvo operæpretio Neapolim rediit. Ceterùm nihil Fazellus de Petri mentis infirmitate, reliqua verò minutatim tractat. Eleonora Regina Friderici conjux, Roberti Regis soror, post mortem viri, Clarissarum habitum assumpsit, & piè aliquot annis in eo vixit.

[f] *Vill. c. 70.*

FRIDERICI TRINACRIÆ REGIS OBITUS.

III. Interim Benedictus Pontifex Ordinum reformationi, & disciplinæ Ecclesiastcæ attendens; multas [g] eâ de re fecit constitutiones, ac præcipuè de reformatione Ordinis S. Benedicti, & suorum Cisterciensium, necnon Canonicorum Regularium S. Augustini: quæ extant [h] diversis annis ejus Pontificatûs datæ valdè prolixæ. Quæ verò circa Prædicatores & Minores statuit, haud adeò proficua iis Ordinibus extitisse ipsi scribunt [i]. Verùm de Mendicantibus alia statuturum fuisse, si vixisset, traditur. Quorum interim Fratres, limina Curiæ sine justâ causâ terentes, recedere jussisse reperitur. Ac speciatim ita Dominicanos [k] restrinxisse, ut non promiscuè conciones ad populum haberent, aut confessiones per vicos urbium & compita exciperent, sicuti assueverant dum mendicando victum quærerent; (ita namque rem accipiendam putamus, quam crudè alij referunt) ac ne imposterùm nisi paucos quibus alendis reditus certi uniuscujusque monasterij satis essent, ad religionem admitterent.

BENED. PP. REFORMATIONI ORDINUM INCUMBIT.

[g] *Rebdorff. in Annal. Vita Bened. à Bos. edit.*
[h] *Bullar. to. 1. Bened. XII. const. 3. 5. 6.*
[i] *Leand. & Vvadding.*
[k] *Mich. Pius lib. 2. de vir. Illustr. Ord. Prædic. & ex eo Bzov. hoc an.*

IV. Bononienses Italos imperio Ecclesiæ Romanæ excusso, dominum sibi, aut potiùs tyrannum Thadæum Pepulum constituentes, & de injuriâ factâ Sedis Apostolicę Legato Bertrando [l] satisfacere renuentes; idem Pontifex anathemate [m] percussit, & civitatem interdicto supposuit. Confirmavítque sententiam excommunicationis à Nankero Episcopo Wratislaviensi in Silesiâ, in Regem Ioannem Boëmiæ præsentem & audientem, magno animo latam ob denegatam sæpiùs petitam restitutionem cujusdam castri Ecclesiæ suæ ab eo usurpati, qui etiã quòd adversarios pateretur Wratislavienses, sacris pariter urbi & diœcesi interdixit: eáque propter sede suâ ejectus est, bonáque expilata. Quam rem fortiter gestam Michovius [n] cum Nankeri præconio, Cureus [o] hęreticus cum probro describit. Pręter quę Benedictus per nuncios in Hispaniam missos studuit dissidia quædam tollere; quæ supervenerant inter Reges Castellæ, Aragoniæ, & Lusitaniæ quæ eorum historici [p] prosequuntur, non magni momenti, aut difficilis compositionis.

QUÆDAM ALIA EIUS GESTA.

[l] *Supr. an. 1333. VI.*
[m] *Ep. 20. an. 3. Vill. lib. 11. c. 69.*
[n] *Michov. lib 4. c. 22.*
[o] *Cur. in Annal. Siles.*
[p] *Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 16. cap. 5.*

V. Cùm autem jam cœpisset bellum Regum Franciæ & Angliæ, & in Aquitaniâ Franci Vasconiam, Angli Xantones populationibus invasissent convenientes [q] Coloniæ unà cum Ludovico Bavaro plerique Principes Belgij, fœdus contra Philippum percusserunt: absente licèt Eduardo, quẽ negotia insulæ suæ detinuerunt, sed per suos nuncios proximum suum adventum, & stipendia militum spondente. Solus fermè Comes Flandriæ à Philippo domino suo constanter stetit: subditi verò ejus Anglo studuerunt, tum respectu commercij lanarum ac pannorum Anglicorum, unde magnum eis commodum adveniebat; tum maximè hortationibus permoti [r] Iacobi Artevelli, qui ex cervisiæ decoctore, propter innatam facundiam, audacémque animum, minutæ plebis princeps factus, Anglicáque pecuniâ corruptus, auctor eis fuit Eduardo inhærendi. Quando & Ludovicus Bavarus bellum Philippo denunciavit, vocans [s] eum dumtaxat Philippum Valesium.

[q] *Vill. c. 71.*

LUDOV. BAVAR. ANGLO JUNGITUR CONTRA REGEM GALLIÆ.

[r] *Vill. c. 82. Froissard. lib. 1. c. 30. Æmil. lib. 8.*
[s] *Albert. Argentin. in Chron. Nauler. gen. 45.*

VI. Benedictus autem Pontifex, ut quantum posset his principiis obstaret, duos Cardinales legavit, Petrum Gomecij tituli S. Praxedis Presbyterum natione Hispanum, & Bertrandum de Montefaventio S. Mariæ in Aquiro Diaconum Gallum: qui post conventum Philippum Parisiis in Angliam transfretantes ad finem Novembris, re infectâ redierunt ad Pontificem. Ita Villanius [t]. Cui potiùs credimus, quàm Polydoro [u] res Anglicas assẽtatoriè magis quàm historicè describere cõsueto; dũ ait Legatos primùm Eduardum convenisse, indéque Philippum unà cum Archiepiscopo Cantuariensi & Episcopo Dunelmensi missis ab Eduardo; nihilq; agi potuisse, quòd Philippus palàm proclamaret non se acceptururũ, sed daturũ cõditiones pacis. Nam ipse Vualsinghamus Anglus, quamvis dicat Eduardum multùm se humiliâsse erga Philippũ ut posset terras suas Aquitaniæ recuperare; de Cardinalibus tamen legatis sub anni sequentis initio agẽs, scribit; cùm in quodam sermone ad Clerum habito visi essent plus favere Regi Franciæ quàm Regi Angliæ, continuò surrexisse Archiepiscopum Cantuariensem; & prædicâsse publicè assertiones Cardinaliũ fore frivolas atque vanas. Quinimmò auctor Vitæ Benedicti Papæ, qui eodem tẽpore vivebat & scribebat, disertè asserit, prædictos Cardinales honorificè quidem à Philippo Rege fuisse

BENED. LEGATOS MITTIT PRO CONCORDIA, QUI NIHIL OBTINENT.

[t] *Vill. d. c. 71.*
[u] *Polyd. lib. 19.*

exceptos & habitos: regnum autem Angliæ adire per Eduardum Regem nullatenùs esse permissos; sed eum misisse suos nuncios trans mare qui cum eis tractarent: ac demùm post multa agitata variis locis & terminis, re infectâ Cardinales rediisse ad Pontificem.

VII. *Uterque Rex per nefas pecunias exquirit.*

Ceterùm quòd in Philippo Villanius (nec immeritò) damnat, ad impensas belli, præter nummi probitatis imminutionem, etiam mandâsse comprehendi tota Galliâ Italos mercatores & mensarios, quos imperatâ singulis grandi pecunia redimi oportuerit; in hoc quoque præcellere gestiens Eduardus, nec in profana tantùm, verùm etiam in sacra manus rapaces injicere, propter instans bellum (ut scribit Walsinghamus) confiscari fecit bona Longobardorum, & Cluniacensium monachorum ac Cistercienfium per totum regnum; præter concessas sibi decimas Ecclesiæ Anglicanæ per tres annos.

VIII. *[x] Vill. c. 68. Foglist. lib. 6. in fin.* *Prælia quædam Itala.*

Hoc item anno [x] semina quædam jacta sunt novorum dissidiorum inter Venetos & Genuenses: cùm decem Genuenses triremes Ionio mari obvias habentes totidem Venetas; ab iis certamen inire coactæ, irâ ardentibus ob duas Venetas majoris formæ, quæ magni pretij mercibus onustæ ex Flandriâ veniebāt superiori anno à Guelfis navibus captas, classem Venetorum profligarunt, ac majorem navium partem ceperunt. Nec tamen propterea ausi sunt Veneti tam citò apertum bellum Genuensibus indicere, cùm ob potentiam Genuensium, tum ob bellum quod ipsi totis viribus cum Scaligeris gerebant. In alio verò prælio terrestri hoc pariter anno [y] mẽse Februarij inter Luchinum & Ludrisium Vicecomites prope Mediolanum gesto, (quo nihil variùs aut incertius; ut aiunt [z] à multo tempore Italia vidit) cõspectus fuisse dicitur in medio ardore repetiti ultimò certaminis S. Ambrosius illius civitatis patronus, equo insidens, flagellóque hostilem partem Ludrisij insequens. In cujus rei memoriam erecta est ibi Ecclesia in honorem ejusdem Sancti de Victoriâ dicta.

[y] Cor. par. 3 Boss. in Chro. ceraque Auctor. Pistor. dum an. 1339. *[z] Vill. c. 96.*

IX. *Concil. S. Rufi.*

Ad finem hujus anni, nempè die tertiâ Decembris celebratum reperitur, Põtifice in urbe existente ejúsque auctoritate in monasterio S. Ruffi Ordinis S. Augustini prope Avenionem *Concilium* trium provinciarum, Arelatensis, Ebredunensis, & Aquensis, Archiepiscopis Gasberto, Bertrando, & Armando cum suis suffraganeis, & procuratoribus singulorum Capitulorum dictarũ trium provinciarum: cujus exemplar habetur in archivis Ecclesiæ Arelatensis. Continet autem 74. capita seu statuta ad reformationem morum & disciplinæ, abusus tollendos, ac jura bona & immunitatem Ecclesiarum conservanda: eadẽ ferè cum aliis alterius ibidem habiti Concilij, cujus meminimus suo loco [a]. Inter abusus ille notandus, quo cap. 10. statuitur; cùm cẽsura Ecclesiastica sit eo moderamine à viris ecclesiasticis exercenda, ut officium debitum non cognoscatur ad noxam & scandalum tẽdere, quod ad medelam & remedium est inductum, & in excommunicationis sententiæ aggravatione contra contumaces, ad peregrinas & perniciosas adinventiones, recurrere sit tam inutile quàm dánosum: deinceps nullus ecclesiasticam jurisdictionẽ exercens contra excommunicatos ab ipso, quantocumque tempore excommunicationis sentẽtiam sustinuerint animo indurato, procederet ad jaciendum lapides in domum excommunicati, vel faciendo venire capellanum indutum veste sacerdotali, vel aliter ad domum excommunicati, vel portando libitinam seu feretrum, vel alia similia quæ à jure non reperiũtur expressa: sed à jure provisis remediis uteretur, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ. Sicuti & capite sequenti, qui in opprobrium & contemptum promulgatoris sententiæ excommunicationis, & ipsius sententiæ, presbyteri vel prælati confingentes officium, mysteriúmq; excommunicationis in excommunicatores seu denũciatores simulare præsumentes, accensos palearum fasciculos, aut candelas sebaceas, seu carbones aut titiones ardentes in sartaginibus aut conchis vel similibus vituperabiliter extinguerent: excommunicationi subjecti sunt, & loca ubi ea fierent interdicto. Ad finem verò de Iudæis statutum est, ut in superiori veste deferrent signum rotæ in pectore: prohibitúmque Christianis, ne medicis aut chirurgis Iudæis uterentur in suis morbis, nisi gravis necessitas ingrueret, & medici aut chirurgi Christiani periti haberi non possent.

[a] Supr. an. 1326. X.

X. *Viri religiosi et docti.*

Vixit hoc tempore *Ludolphus* natione Saxo, ex Dominicano factus post triginta illius instituti annos Carthusianus in monasterio Argentinensi. Itémque *Simon de Cassia* (quod est Hernicorum in Italiâ oppidum) Ordinis Eremitarum sancti Augustini. Quorum uterque, præter alia quæ edidit [b] opera, Vitam CHRISTI præclare descripsit. *Petrus Aureolus* Ordinis minorum: quem Antoninus [c] ait, ita scripsisse in librum sententiarum, ut quia manus ejus contra omnes qui jam anteà scripserant, etiam manus omnium contra eum fuerint: assumptus tamen ad Archiepiscopatum Aquensem. *Guido* Carmelitanus natione Catalanus, illius Ordinis Generalis, ac posteà Majoricensis Episcopus, qui scripsit egregium volumen de omnibus Hæresibus: & alij plurimi tam eorumdem quàm ceterorum Ordinum Theologi egregij & Philosophi, quos recensent Trithemius & Bellarminus: præter illos quorum nos sparsim mentionem habemus pro temporum & rerum occasione, & quos qui de singulis Ordinibus scripserunt recensent.

[b] Trithem. & Bellarm. de Script. Eccl. *[c] Ant. tit. 24. cap. 8. §. 2.*

XI. *[d] Supr. an. 1332. IV. & 1335. in fi.* *Barlaami et Palamæ Græcorum disputatio de Lumine Thaborico.*

Eodémque tempore Barlaamus monachus, de quo suprà [d], multis disputationibus Constantinopoli exagitatus & exagitās; imprimis monachorum Hisychastarum seu Quiescentium montis Atho errorem vehementissimè insectatus est, quo perversè asserebant Lumen illud quod in mõte Thabor Apostoli aspexerant in Transfiguratione Domini, fuisse Lucem increatam, hoc est ipsam divinam essentiam: eámque sese, cùm in oratione incaluissent, oculis corporeis cernere & contemplari. Quâ de causâ cùm eos Massalianismi accusaret; probéque & Catholicè argumentaretur, si Lumen illud corporeis oculis visum est, increatum non esse, quandoquidem quicquid oculis corporeis videri potest creatum esse necesse est: indéque graves turbæ concitatæ fuissent: Suscepit eorumdem monachorum

dogma

dogmatísque defensionem *Gregorius* quidam *Palamas* unus ex illis, genere Asiaticus, & in aulâ Imperatoris educatus, ceterísque scientia eminentior, ac posteà Archiepiscopus Thessalonicensis; cujus aliàs [d] facta est à nobis mentio: cum quo & verbo & scriptis multo tempore colluctandum fuit Barlaamo: Synodíque inde Constantinopoli habitæ, quibus dogma Palamæ ab ignorátissimis Episcopis comprobatum est: sicuti referunt qui viderunt & audierunt, Nicephorus [e] Gregoras & Ioannes [f] Cantacuzenus; ille quidem dogma Palamæ palàm damnans, hic verò ipsum Palamam magnis præconiis extollens, utpotè ejusdem cum eo perfidiæ sectator: quem & Græci posteriores ut sanctum colunt: eóque titulo insignitur in quodam ejus commentario qui reperitur in Bibliothecâ Patrum; planè præter meritum, cùm & hæreticus fuerit & schismaticus; uti etiam observatum est in posterioribus editionibus. Quæ verò de prædictâ quæstione scripta fuerint ultrò citróque, tum ab iisdem Barlaamo & Gregorâ, atque insuper ab Acindyno monacho contra partem Palamicam, tum ab ipso Palamâ, & Philotheo Patriarcha, pro Lumine Thaborio: quàm multiplices Synodi eâ de re celebratæ, quæ Græcorum argumentationes, quæ denique Catholicæ Ecclesiæ sententia; & an Barlaamus sententiæ Palamæ umquam assenserit seu verè seu fictè, vel etiam Græcorum errori de Spiritûs Sancti à Patre solo processione; (uti Cantacuzenus significat) fusè disputat Iacobus Pontanus in Notis [g] ad Cantacuzenum: quibus etiam eumdem Barlaamum vindicat ab accusationibus quorumdam Catholicorum [h] minùs hujus historiæ tractatæque controversiæ gnarorum. Sed de his rursùm inferiùs.

d An. 1274. XVI.

e Greg. lib. 11. cap. pen. f Cantacuz. lib. 2. cap. 39. 40.

ADVERSA SCRIPTA DE EO LUMINE.

g Pont. Not. in Cantacuz. lib. 2. cap. 40. & vide infr. an. 1350. XX.
h Prateol. de hæres. Staplet. lib. 2. de magnit. Rom. Eccl.

IESU CHRISTI Annus 1338.
BENEDICTI XII. An. 4.
VAC. IMP. ROM. An. 25.
ANDRON. IUN. Ann. 7.

I. GERMANI ANTISTIT. AGUNT APUD PONTIF. PRO BAVARO.

ANNO Christi millesimo trecentesimo, trigesimo-octavo, Indictione sextâ, Hénricus Moguntinus Archiepiscopus unà cum provinciæ suæ alíisque nonnullis Antistitibus Spiræ congregatis in præsentiâ Ludovici Bavari occasione incommodorum suorum, & Ecclesiarum ad quas electi vel nominati essent, ob divisionem ejusdem Bavari ab Ecclesiâ Romanâ simul & ejus hortationibus inducti; legationem ad Pontificem miserunt Avenionem die vigesimoseptimo Martij per Ulricum Episcopum Curiensem & Gerlacum Comitem Nassovium, cum literis [a] quibus humiliter petierunt Ludovicum ab eo recipi. Cùm vero accepisset etiam Pontifex à legatis Ludovici habere ipsum quædam secretiora consilia ipsi communicanda; misit [b] Pontifex Arnaldum Verdalanum ut secretum illud ab eo audiret. Quem cùm Bavarus diutiùs apud se inutiliter detinuisset, benignitati Pontificis non parvum obicem opposuit.

a Rec. Bzov. ex cod. Vatic.

b Ibid.

II. LUDOVICI BAVARI

Quare cùm legati Antistitum negotio infecto in Germaniam rediissent, Ludovicus inde vehementiùs commotus, convocatis Francofordiam Electoribus Imperij, de eorum aliorúmque Germaniæ principum seu voluntario seu coacto consensu, constitutionem edidit [c] octavo Augusti hujus ipsius anni: quâ post multa jacta contra auctoritatem Sedis Apostolicæ ejúsque Pontificum amari animi verba, definivit, Electum in Imperatorem sive Regem ab Electoribus vel majori parte eorum, statim ex solâ electione esse Regem verum & Imperatorem Romanorum, & administrandi jura Imperij plenariam habere potestatem; nec Papæ sive Sedis Apostolicæ aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate vel consensu indigere. Et omnes quicumque contra hanc definitionem dicere aliquid vel agere præsumerent, eos feudis Imperij & omnibus immunitatibus ac privilegiis privatos, læsæque majestatis reos declaravit. Habet nihilominùs Krantzius [d] statutum esse, electum in Regem debere insinuari Pontifici, quòd esset Princeps Catholicus, justus, Imperio dignus, peteretúrque coronatio: quæ si negaretur absque manifestâ causâ, sumeretur consecratio à quovis alio Catholico Antistite. Deinde ordinatum esse, Imperatorem præstaturum Pontifici & Ecclesiæ defensionis, devotionis, & humilitatis, non autem fidelitatis, homagij, aut subjectionis juramentum.

CONSTITUTIO DE ELECTIONE REGIS ROM.

c Ext. ap. ... de Rosat. Iurecons. in l. bene à Zenone. 3. C. de quadr. præscript. & ap. Hier. Balb. Ep. ... cons. lib. de coron. ad Car. V. & int. add. ad Rebdorff. & ap. ... Bzov. necnon ap. Bzov. hoc an. Quam turpiter interpolavit & corrupit de more Avent. lib. 7.
d Krantz. 9. Saxon. 15.

III. ELECTORES IMPERII DE IISDEM AD PONTIF. SCRIBUNT.

Hæc autem præcessisse dicitur, Electorum Imperij nomine (Ioanne Boëmo excepto, qui apertè jam contra Ludovicum agebat; cùm sint nihilominùs qui & ipsum adstitisse prædicto Francofordiensi conventui perperàm scribant: addentes pariter & Eduardum Angliæ Regem, ut decreta faciant augustiora.) Epistola [e] decimoquinto Iulij hujus ejusdem anni (viginti quatuor videlicèt tantummodò diebus ante prædictum conventum Francofordiensem) ad Benedictum Pontificem quâ multum questi de processibus & sententiis à Ioanne XXII. in prædictum Ludovicum ac fautores ejus & adhærentes, contra Deum & iustitiam ac Iuris ordinem (ut loquuntur) fulminatis; id ipsum de auctoritate electi à majori parte Electorum, absque quòd necessaria sit ulla Sedis Apostolicæ approbatio aut consensus, statuerant: & nisi Benedictus ea omnia revocaret, palàm minabantur se unà cum aliis Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus Alamanniæ quæsituros contra eadem & inventuros remedia opportuna. Quinimmò & iniisse eosdem Electores atque alios Principes confœderationem iisdem temporibus, de juribus suis & Imperij contra quemcumque nemine prorsùs excepto tuendis, testantur Argentinensis & Rebdorffius; extátque [f] hactenùs ipsius formula. Quando & idem ipse Ludovicus eodem conventu Francofordiensi, se esse probè Catholicum, per [g] publicam recitationem orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, & Symboli Apostolorum, contestatus; eodem die octavo Augusti, de consilio sibi adhærentium, decretum [h] promulgans contra eosdem processus Ioannis Pontificis atque oppositiones contra ipsum Ludovicum eis contentas confutare nisus; cunctis Principibus ac Prælatis, universísque Christianis significatum voluit, denunciare se ac decernere processus ejusmodi nullius esse

e Ext. in Append. ad Rebdorff. & inde ap. Bzov. hoc an. corruptior ap. Avent. lib. 7.
f Rec. Heruart. cont. Bzov. pag. 151.
g Append. ad Lambert. Schafnaburg.

VARIA DECRETA LUDOVICI PRO SUA CAUSA.

h Rec. apud Nauclergener. 45 & in Append. ad Rebdorff. necnon ap. Mut. lib. 24. In cujus excusationem & defensionem multa affert Heruart. contra Bzov.

[i] Rebdorf. in Annal.

[k] Cor. Hist. Mediol. par. 3.

roboris ac momenti. Addidit [i] denique aliud edictum, ut nullus litteras Sedis Apostolicæ reciperet vel exequeretur sine licentiâ diœcesanorum. Ac demùm (siquis Corio [k], ceteris omnibus tacentibus, credendum existimet) mense Novembri alterum Papam creavit sub nomine Summi Patriarchæ.

IV. Magnae inde turbae in Germania.

[l] Alb. Argent. in Chron. Fabri Hist. Suevor. lib. 1. cap. 14. Naucler. gen. 45. Krantz. 9. Sax. 15. Mut. lib. 24. Avent. lib. 7. Cuspin. de Cæs. &c.

Ex his porrò magnas turbas concitatas esse per universam Germaniam, plerisq; tam Prælatis quàm Principibus pro Ludovico adversus Ecclesiam insurgentibus; auctores [l] tradunt: Prælatos numero paucos, plurimos verò alios ecclesiasticos tam sæculares quam regulares qui mádata Pontificia contra isthæc promulgata publicare, aut interdicta servare vellent pulsos, ejectos, variis pœnis ac suppliciis exagitatos esse: fautores Ludovici ubique secundùm statuta conventûs Francofordiensis pro ejus auctoritate contra Sedem Apostolicam prædicâsse, populos commovisse, seditiones excitâsse.

V. Bercioldi Episcop. Argentin. virtus et constantia.

Quo tempore enituit insigniter virtus *Bertoldi* Episcopi Argentinensis ex Ordine Teutonicorum: quem nec Ludovicus, nec Henricus Moguntinus qui Ludovico inhærebat, ullis precibus, muneribus, vel minis inducere quiverunt ad recognoscendum sua regalia à prædicto Ludovico; quinimmò nec armis, quæ fuerunt etiam ei tractanda adversus eorum invasiones, à quibus se fortiter defendit: donec tandem post sæpè invocatum frustrà Benedicti Pôtificis auxilium, destitutus insuper à suis Argentinensibus; de consilio & impulsu omnium suorum Spiram ad Ludovicũ accedés, homagium ei fecit, & regalium suorum investituram ab eo accepit: cum hâc tamen contestatione, quòd hoc coactè non volũtariè faceret, nec minùs proptereà domino suo Papæ vellet in omnibus obedire: In his cunctis adeò solerter se gerens, ut tam Ludovicus quàm Pôtifex hunc modum agendi approbaverint. Mortuo nihilominùs Benedicto, suscepit Berctoldus ab ejus successore Clemente præteritorũ omniũ absolutionem; præstito etiam juramento se non ampliùs Ludovico adhæsurum donec Ecclesiæ reconciliatus foret. Quæ fusè tractantur ab Alberto Argentinensi Chronici auctore, in commentario quem de Vitâ & rebus gestis ejusdem Berctoldi, cujus fuit familiaris, conscripsit.

VI. Ludovici et Regis Angl. congressus contra Regem Gall.

[m] Vill. lib. 11. cap. 84.

[n] Froiss. lib. 1. cap. 33. 35.

Rex Angl. creatur Vicarius Imperii.

Cùm verò inter hæc Eduardus Rex Angliæ cum classe navium trecentarum, & magnis equitum ac sagittariorum copiis, multáq; pecuniâ & lanâ in Belgium transmittés, Antuerpiá appulisset vigesimo secundo Iulij: fœdere cum Principibus ac populis Belgij firmato, Ludovicum convenit apud Confluentiam in diœcesi Treverensi,) ut Rebdorffius ponit; consentiúntque alij quidam auctores Germani, Franci, Angli, Belgæque, Ludovicum & Eduardum sibi ipsos mutuò in Germaniâ occurrisse, licèt de loco non omnes adeò conveniant: cùm Villanius [m] velit, Eduardum cum legatis tantummodò Ludovici in Comitatu Lossensi rem egisse: expressiùs Froissardus [n], per Marchionem Iuliacensem ceterorum nomine negotium cum Ludovico confectũ esse Francofurti, relatum Anglo apud Lossas: qui verò Eduardum interfuisse conventui Francofordiensi à Ludovico celebrato scribũt, nugas agunt) & ab eo totius Imperij Vicarius (exceptâ tamen, ut Itali [o] habent, Italiâ) renunciatus est; quò faciliùs eo titulo Belgij Principes sibi obsequentes haberet; ipsíque hanc rationem (jussionem nimirùm Imperatoris) obtendere possent suæ recessionis à Rege Galliæ, cui alioqui plerique eorum fidei debito obnoxij erant.

[o] Vill. & Cor.

VII. Expeditio eius inutilis in Galliam.

Cùm autem eâ spe Eduardus mense Septembri ducto Cameracum, urbem Imperij, tunc à Rege Philippo firmo præsidio tentam exercitu, in quo erant cum Eduardo Rege Ludovicus Marchio Brandeburgensis Ludovici Bavari filius, Ioannes Dux Brabantiæ, Guillelmus Comes Hannoniæ, Rainaldus Gueldriæ, Guillelmus Iuliacensis, & alij Principes ac Proceres, equitũ ampliùs quatuordecim, peditum sexaginta millia, urbem de faciédâ sibi uti Imperij Vicario deditione frustrà interpellasset: post nonum obsidionis diem nulla re memorabili gestâ discedens inde, paulò ulteriùs in Glliam penetravit. Auditâ verò Regis Philippi appropinquatione cum validissimo exercitu, in quo eminebant post eum Philippus Navarræ propinquus ejus, & Ioánes Boëmiæ affinis, Davídque adolescentulus Scotiæ Reges, Britanniæ & Lotharingiæ Duces, Comes Sabaudiæ, Delphinus Viennensis, aliíq; tam regij quàm exteri Principes ac Proceres, equitum viginti quinque millia, peditum triplo major numerus, retrò cedens castra metatus est ad ripam fluminis Isaræ. Ad quam ex alterâ parte sua item ponente Philippo, cùm præliũ expectaretur; nihilominùs illud Philippo, tam continuis Roberti Regis Siciliæ per literas ac nuncios monitionibus ne regnum suum fortunæ belli committeret spe victoriæ parùm aut nihil profuturæ, (Et addunt nonnulli, Robertum mathematicis artibus compertum habuisse, fore ut Philippus Rex ab Eduardo cladem acciperet, quantã Franci ad eam diem numquã accepissent: quod aliquot pòst annis contigisse videbimus,) quàm etiam ex dubitatione fidei quorumdã è suis proceribus; salubri, quamvis nõ adeò à multis laudato consilio, detrectante; utrimque exercitus retrò abière, bello in aliud tẽpus rejecto, Eduardus verò, Iacobi Artevelli ac reliquorum Flandrorum consilio, (ut sic eorum rebellio in Comitem suum, qui partes Philippi sequebatur, ínque ipsum Regem cujus fiduciarij erant, prætextu aliquo velaretur; pœnásque eluderent quibus obnoxij erant, si à Rege deficerent, excommunicationi subjacendi, noxámque ingentis auri luendi:) cœpit Franciæ Regis titulum atque insignia unà cum Anglicis sibi arrogare: & subsequente Februario in Angliam transmisit, relictâ Anterpiæ conjuge suâ in certitudinem proximi sui reditus. Ita rem narrat Villanius [p], cujus sępiùs fidem & diligentiam meritò laudamus. necnon Æmilius [q], qui quamvis res Francorũ describendas susceperit, id tamen satis liberè præstitisse, & gratiæ suspicioné devitare studuisse dignoscitur: Hocsemius [r] Froissardus [s] & Meyerus [t] nonnihil diversè, sed patriâ Belgæ, & in suos acclives, sicuti Franci & Angli, à quibus abstinemus. Haud tamen omittimus dicere, Carolum posteà Imperatoré in Vitâ sua narrare, se quoq; in auxilium Regis Fran-

Anglus suscipit titulum Regis Franc.

[p] Vill. d. c. 84. 85. 86. 108.

[q] Æmil. lib. 8.

[r] Hocsem. de gest. Episc. Leodiens. lib. 2. cap. 24. & 25.

[s] Froiss. lib. 1 cap. 39. & seqq.

[t] Meyer. lib. 17.

ciæ adversus Anglum processisse: cúmq; acies paratæ utrimque essent in metis Hannoniæ, Regem Angliæ secessisse & recessisse, dimittendo campum Regi Franciæ, qui eum per integrum diem expectaverat. Id denique discriminis in quibusdam ex prædictis auctoribus reperitur, quòd nonnulla quæ præsenti anno gesta aliqui volunt, alij in sequentem referunt. Ceterùm quamvis recedentibus Regibus, haud tamen cessatum est à mutuis in confinia excursionibus: quarum unâ Comites Sarisberiensis & Suffortiensis Angli, Francorum insidiis intercepti, Parisios ad Regem perducti sunt.

VIII. PORTENTA IN ARBORIBUS.

Addunt verò iidem Angli; quantumvis hoc anno hiems longè solito asperior in Angliâ fuisset, nihilominùs in multis locis salices mense Ianuario, quo maximum gelu erat, flores protulisse rosis persimiles; sambucos, fructus cerasis sine nucleis simillimos. Quod multorum torsit ingenia, dum quid hoc tam insuetum portenderet inutili labore expiscari conarentur.

IX. BENED. PP. REGI ANGL. ARGUIT DE SUSCEPTO VICARIATU IMPERII.

Quamprimùm autem Benedictus Pontifex audivit Eduardum suscepisse Vicariatum Imperij à Ludovico, eumdémque exercere adversus quosdam Prælatos & alios Ecclesiasticos in præjudicium Ecclesiæ cœpisse; ipsum per literas[u] redarguit, & quàm graviter in eo peccaret, cùm nec Bavarus Imperator esset, & jure excommunicatus fuisset, nec posset quis ei absq; simili pœnâ adhærere, pluribus docuit, & ut ei renunciaret monuit; ac nî faceret, processurum se contra ipsum significavit. In quam eamdem sententiam etiam ad Capitulum Leodiense scripsisse, testatur Hocsemius[x] unus tūc de Capitulo, qui epistolam recitat, quâ Benedictus post narratas damnationis sententias in Ludovicum Bavarum, & illos qui ei adhæreret, aut eum pro Rege Romanorum aut Imperatore agnoscerent, prolatas; significat se audisse Eduardum Angliæ Regem prætextu ejusmodi Vicariatûs Imperij cogere Prælatos, & in eis Adolphum Leodiensem, fidelitatem Ludovico jurare, quapropter hortatur eos assistere eidem suo Præiato viriliter & fideliter adversus invasionem & contagionem pestiferam dictorum Ludovici & Eduardi. Ex quibus utrisque literis tam ad Regem quàm prædictum Capitulum scriptis manifestè appareat, quàm turpiter hallucinetur auctores illi, qui scripserunt Benedictum favisse Ludovico. Cùm autem post hæc audîsset Benedictus recessisse exercitus absque certamine, gratiis Deo redditis eumdem Eduardum rursùm hortatus[y] est ad pacem cum Rege Franciæ ineundam; offerens se ipsum tanti momenti negotio interponere, quandoquidem per Cardinales priùs ad eam rem legatos nihil agi potuisset. Cui respondens[z] Eduardus, spem aliquam fecit viam pacis amplectendi; cùm amarissimas anteà in Regem Philippum imminente bello, de injuriis ab eo receptis, déque prætenso suo in regnum Franciæ jure, scripsisset ad eumdem Pontificem literas; quæ extant apud Walsinghamum, quásq; idem Eduardus Antuerpiâ ad Collegium Cardinalium legendas misit.

u *Rec. Vvalsingh. in Eduard. III. & Bzov. an. 1339.*
x *Hocsem. lib. 2. cap. 24. to. 2. Gest. Episc. Leodiens.*

HORTATUR EUM AD PACEM.

y *Ext. litt. ap. Vvalsingh. ibid.*
z *Ibid.*

X.

Hoc eodem anno, tertiò Siciliam sacris interdictam Surita[a] memorat. Causam tamen non ponit: sed verisimile est factum esse, tum quòd absque auctoritate Apostolicâ Siculi sacra à Ioanne Pontifice sublata resumpsissent; tum ob refractarium eorum in eamdem Sedem animum. Siquidem scribit Fazellus[b], (quamquam, ut apparet, non loco suo; quod sæpè ei contigit:) Benedictum Papam Gocium de Ariminis Cardinalem S. Priscæ olim Patriarcham Constantinopolitanum, & Raterium Episcopum Vasionensem (ita enim vocandi sunt) Legatos in Siciliam misisse ad res inter Robertum & Petrum Reges componendas: sed Legatos cum tribus triremibus portum Messanæ ingressos, à Messanensibus missilibus & machinis repulsos esse: eósque irâ percitos, diplomate Pontificio ad littus relicto, Siciliam omnem diris execrâsse. Alij autem[c] ex melioribus monumentis, prædictos Legatos Rhegij subsistentes processu ad diem septimum Aprilis anni sequentis contra Petrum & Ioannem filios defuncti Friderici instituto, eos & complices ac fautores diris percussisse, honoribus omnibus & dignitatibus exuisse, sacra omnia universæ Insulæ abstulisse, donec illa Roberto ejus legitimo Regi restitueretur.

a *Sur. Indic. lib. 3.*

SICILIA SACRIS INTERDICITUR.

b *Faz. 2. dec. 9.*
c *Bzov. ex Regest. Bened.*

XI. IUDÆI PUNIUNTUR OB SCELUS IN EUCHARISTIAM ADMISSUM.

Cùm in Germaniâ oppido Pulkâ diœcesis Pataviensis, Iudæi de more sceleratissimo in sacratissimam Hostiam bacchati, stillante illâ ex ictibus gladij sanguinem detecti fuissent, multíque ab Austriæ Duce in carcerem conjecti: is Benedictum Pontificem super iis consulens, responsum[d] accepit, Iudæos ut meritis pœnis, si non converterentur, puniret, sacram verò Eucharistiam debito cultu veneraretur. Hâcque occasione putamus accidisse quod reperimus in Vitâ Benedicti Papæ editâ à Bosqueto, necnon in Continuatione Chronici Martiniani ab Auctore Canonico Ecclesiæ Viennensis in Austriâ, quæ extenditur usque ad obitum Gregorij XI. Cujus copiam nobis fecit diligentissimus Duchesnius. Nimirùm surrexisse quemdã in superioribus partibus Alemanniæ, qui se Regẽ *Armleder* nominabat. Qui adunatâ multitudine rusticorum Iudæos quoscumq; reperire poterat trucidabat. Sed demùm quòd etiã in Christianos sævire cœpisset, per Ludovicum Bavarum occidi jussum esse; sícque totum illum cœtum dissipatum esse. Cujus etiam Armlederi Iudæorum persecutoris mentionem reperimus in Annalibus Treverorum Kyriandri, sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo.

d *Ap. Bzov. ex Reg. Bened.*

XII. LEGATIONES TARTAR. ET ARMEN. AD PONT.

Tartarorum Imperatorum, & Principum Alanorum receptis nunciis, quibus illi fœdus cum Pontifice petebant, ceteri summi Tartarorum Imperatoris (erant enim plures inter Tartaros Imperatores, quibus unus præcellebat) benevolentiam in se ac ceteros Christianos prædicabant; rescripsit[e] ad singulos Pontifex, Tartaris amicitiam cum desiderio conversionis offerens, Alanis Christianitatis amplificandæ curam commendans: missis ad omnes Fratribus Minoribus qui rem Christianam promoverent, cum amplissimis facultatibus. Venientem[f] autem ex Armeniâ nomine Leonis Regis Minasium religiosum Armenium, de rebus Fidei & auxiliis contra Saracenos acturum, quòd nullas litteras attulisset,

e *Reg. Bened. & inde ap. Vvadding. to. 3. hoc an.*
f *Reg. Benedi.*

neque quo missum se à Rege doceret aliquid haberet, remisit cum literis ad eumdem Regem, hunc defectum testantibus. Cúmque sub idem ferè temporis Nerses in Majori Armeniâ parētibus Orthodoxis natus, & à Clero Catholico in Archiepiscopū Manasguerdensem electus, atque à Patriarchâ schismatico Armeniorum, quem Catholicum vocabāt, cōsecratus; audiens se non ritè nec forma debitâ consecratum, ad Benedictum Pontificem accessisset: Pontifex Petro Cardinali Praenestino ut illum iterùm, sub hâc tamen conditione, *Si non es consecratus, ego te consecro*, initiaret, commisit. Eumdémque Armeniis Episcopis dignitate Archiepiscopali praefecit.

Iesv Christi Annus 1339.
Benedicti XII. Ann. 5.
Vac. Imp. Rom. Ann. 26.
Andronici Iun. Ann. 8.

I. [a] Vill. lib. 11. cap. 98. Marian. lib. 16. cap. 6. Mauri caeduntur in Hispania.

Anno Christi millesimo trecētesimo trigesimo-nono, Indictione septimâ, mense Iunij, Abomelicus [a] filius Regis Marrocij ex Africâ Hispaniam trajiciens cum quinque equitum millibus, junctus reliquis Granatae Mauris, post leves quasdam pugnas, & tentatas urbium expugnationes; ad Arcobricam à Gonsalvo Martinio Magistro Ordinis Alcantarae, exiguâ manu contra ingentem hostium multitudinem negligenter rebus suis providentem ex improviso pugnāte, prostratus est, caesis decem eorum millibus: in quibus Abomelicus ipse pedibus fugiens, ut in repentinâ trepidatione, pro gregario milite obtruncatus. Cujus casu ingens luctus Africam occupavit, & patrem maximè, qui eò ardentius ad ultionem ingentes delectus totâ ditione habuit, quos anno sequenti, ut videbitur, in Hispaniam transmisit. Praedictus verò Magister[b] Alcantarae proximo vere multis criminibus appetitus, veris an falsis, ignis supplicio poenas luit. Cùm verò aerario augendo Alfonsus Castellae Rex, praeter voluntatem Summi Pontificis, & universo clero repugnante, fructus beneficiorum occupâsset; hominem Pontifex sacrilegij arguit [c], útque ablata restitueret monuit, post restitutionem dumtaxat subsidia habiturus.

[b] Marian. cap. 7.

[c] Reg. Vat. an. 5.

II. [d] Sur. Indic. lib. 3. Rex Arag. ad Pont.

Eodem hoc anno [d] Petrus Rex Aragoniae, unâ cum Iacobo Balearico propinquo suo & affine, Avenionem ad Pontificem contēndit; & jura regni Sardiniae & Corsicae sacramento recepit atque sanxit. Quòd verò in reliquis à se postulatis benignè sibi à Pontifice non esset factum, eodem die regressus est. Erat porrò in postulatis, ut confirmaretur subjectio ipsi facta à Balearico de regno & ditionibus suis, quam potiùs extortam quàm concessam Balearicus querebatur.

III. Ioan. Boem. Rex fit caecus.

Quo eodem anno (ut opinor) contigit, quod prae ceteris scribit Carolus posteà Imperator in Vitâ suâ, cùm ipse procederet ad Regem Hispaniae auxilium contra Regem Granatae, patrem suum Ioannem Boëmiae Regem, quem jam unum oculū perdidisse vidimus in expeditione pro Militibus Prussis cōtra Lituanos susceptâ anno 1329. quīq; altero etiam infirmari coeperat; proficiscentē secreto Montempessulanum ad medicos, si posset curari, penitùs excaecatum esse. Quod à Iudęo quodam medico ei contigisse [e] constat: ac nihilominùs multa postmodùm bella eum gessisse, pugnas iniisse, & alia omnia perinde egisse ac si optimè vidisset. Et lepidum est quod idem Carolus ipsius filius posteà subjungit; cùm idem Ioannes procedens post haec cum exercitu adversus Casimirum Regem Poloniae, Cracoviam obsedisset; Casimirum mandâsse ei, ut ad evitanda multorum pericula secum ipse solus in hypocausto clauderetur, & qui vinceret de victo ad libitum disponeret: Ioannem ei renunciâsse, ut priùs ipse se excaecari faceret, túmque libentissimè paribus armis suscepturum se duellum.

[e] Dubrav. Hist. Boëm. lib. 21.

IV. Diploma de donat. Constantini.

Hoc item anno Ioannes de Amelio Archidiaconus Forojuliensis, & Camerae Apostolicae clericus, de mandato Benedicti Pontificis visitās privilegia & scripturas Romanae Ecclesiae quae servabātur in ejus thesauro reposito Assisij in Umbriâ; inter alia reperit quoddam diploma nomine Othonis Tertij Imp. infirmans Donationem Constantini Magni factam eidem Ecclesiae Romanae, quod idem Ioannes describendum curavit praesenti anno, Indictione septimâ, Benedicti XII. Pontificatûs quinto, die vigesimâ Martij. Verùm quia hujus diplomatis i[m]posturam detexit & confutavit jam olim Eminentissimus Cardinalis Baronius [f], & nos in ejus Epitome [g], ubi & de ipsâ Donatione satis disputatum; ne semel diligenter actum, iterùm inutiliter tractemus, supersedemus de his ampliùs hîc agere.

[f] Annal. Tom. 12. an. 1191.
[g] Epit. Bar. an. 324. XXVI. & adde Gretser. ibi. notat.

V. Genuensis Respubl. facta popularis.

Mense Septembris facto Saonae in Liguriâ tumultu populari, nautae atq; opifices dominatum urbis, Praetore ac Magistratibus urbis dejectis invasêre; ac regimē rerū penes duos populares cives esse voluêre, vicenis nautis totidémque artificibus adjunctis. Eodémque morbo tamquam contagione Genuam penetrante, haud minoribus moribus plebs adversus Capitaneos urbis rectores cōsurrexerit, & Simonem quemdā Buccanigrā è popularium principibus D[u]cem creavit ad exēplum Reipublicae Venetae, nonnullis civibus è popularium item corpore illi ad consilium additis. Sícque urbis imperium à nobilibus ad populum translatum est; pulsísque Guelfis, tota Respublica G[h]ibellinis cessit. Et ad memoriam novae institutae Reipublicae perpetuò retinendam, lege sancitum est, diem nonam Calendas Octobris quo id contigit, éstque festū S. Theclae, celebrandum vexillo aureo ab ipso praetorio ad ejus Sanctae titulo sacram aedem delato: quod consequerentur omnium opificum praefecti singuli singula vexilla suorum cujusque opificiorum corporis deferentes. Quomodò verò res tota gesta fuerit: quámque strenuè primus iste Dux in administratione Reipublicae tam adversus insidas nobilium, & insolentias popularium, quàm etiam in exteros hostes, quamdiù praefuit se gesserit, quidve postinde secutum fuerit inter factiones nobilium populariúmque: fusè describunt illius civitatis historici [h]: meminerúntque alij [i] ipsíque etiam Graeci [k].

[h] Nebiens. lib. 4. Fogliet. lib. 7.
[i] Vill. lib. 11. cap. 101. & lib. 12. cap. 39.
[k] Nic. Greg. lib. 11.

VI.

Robertus Rex Siciliae ad finem Septembris

[l] Vill. cap. 103. & 107.

Aſtam amiſit [l] urbem Pedemontij magno rerum ſuarum iis partibus & factionis Guelfæ detrimento. Aliâ verò parte Liparitanam inſulam adeptus eſt, devictis hoſtibus Siculis, eorúmque ducibus captis. Quorum unus exiſtens Rolandus frater ſpurius Petri Regis, cùm ejus redemptio à Petro negligeretur, redemptus eſt à quâdam locuplete feminâ Meſſanenſi nomine Camiolâ Turringâ bis mille auri unciis, pactis primùm cum eo per procuratores nuptiis. Cùm verò Meſſanam reverſus deſponſationem abnegaret, utpotè ſanguine regio ortus humilem deſpiciens; mulier eum ad tribunal convicit. Coactus igitur in publico conventu totius urbis nuptias cum eâ celebraturus advenit. At illa ubi honori ſatisfecit, commemoratis ſuis in eum meritis, illiúſque in ſe ingratitudine, palàm ſe nuptiis tam ignavi hominis renunciare dixit, atque pro nuptiis Deo ſeſe dicavit.

MESSANENSIS FEMINÆ EGREGIUM FACINUS.

VII. DE REGNO ET REBUS DANICIS.

In regno Daniæ, ex Senatûs decreto regiâ dignitate Chriſtophoro Regi abrogatâ, quòd impotenter ſatis imperâſſet, in ejus locum ſuffectus eſt *Magnus* Suetiæ, Gothiæ & Norvegiæ Rex. Qui cùm clerum ac populum Scaniæ à tyrannide nonnullorum eos opprimentium armis & pecuniis liberâſſet, terram illam poſtulavit ſibi ac poſteris ſuis Apoſtolicâ auctoritate confirmari, aliáſq; pariter è manibus tyrannorum vindicare, ſuóque regno adjungere, quod erat Romanæ Eccleſię vectigale. Sed noluit Benedictus Pôtifex, quòd diceret non eſſe conſuetudinis Sedis Apoſtolicę quicquam alicui parte non citata detrahere. Quę cùm ex Regeſto Epiſtolarum Benedicti referantur [m] ignorata tamen fuêre hiſtoricis illarum partium Krantzio & Magno. Quamvis enim tradat Krantzius [n] Chriſtophorum Daniæ Regem fuiſſe regno pulſum à Comitibus Holſatiæ; ſuffectum tamen ponit Waldemarum Erci Ducis Slevvicenſis filium; non Magnum Suecum: quinimmò & Chriſtophorum rebus compoſitis paulò pôſt reſtitutum eſſe. Ioannes [o] verò Magnus, cùm Magni regnum agnoſcat, nihil tamen & ipſe de Dania ei collata. De Scania tamen refert, fuiſſe illam à graviſſima ſervitute Teutonicorum & Holſatorum ingenti pecuniâ redemptam opera Hemmingi Archiepiſcopi Upſalenſis: eáque de causâ eamdem de conſenſu Chriſtophori Regis Daniæ, qui aliàs eam regno ſuo attribui debere prætendebat, unitam in perpetuum Suetiæ regno, facto per Epiſcopos publico & ſolemni eâ de re inſtrumento anno Domini 1343. Res autem Chriſtophori diligentiùs proſequutus recens Danicarum Rerum ſcriptor [p] duplicem Chriſtophori abdicationem refert; priorem quâ ei Waldemarus ſuffectus eſt: poſteriorem (cùm priùs ei Vualdemarus ceſſiſſet) quâ Magnus vocatus Scaniam tantummodò pretio obtinuerit, (haud tamen conſentiente Chriſtophoro, ſicut Ioannes Magnus ſcribit) non autem regnum: ſed Chriſtophoro defuncto anno 1333. poſt ſeptennij interregnum ſuffectum ei eſſe *Vualdemarum* majorem natu ejus filium illius nominis Regem Tertium, qui in Germaniâ diutiùs veluti profugus conſtiterat apud Marchionem Brandeburgenſem, qui ſororem ejus uxorem habebat.

[m] Ep. 10. Cal. Febr. an. 5. in V.t. Aquil. Succ. & ap. Bzov. hoc an.
[n] Krantz. Dan. lib. 7. & Suec. lib. 5.
[o] Io. Magn. Hiſt. Sueon. lib. 21.
[p] Pontan. lib. 7.

VIII.

Ex Oriente ad eumdem Pontificem Barlaamus monachus & Abbas S. Salvatoris Conſtantinopoli, de quo ſæpè ſuperiùs, unà cum nobili Stephano Dandulo Venetiis oriundo Avenionem veniens ex parte Andronici Imp. modos propoſuit quibus concordia inter Eccleſias Latinam & Græcam iniri poſſet: videlicèt ſi quatuor præcipuè civitates imperij quas Turci occupaverant, ope Latinorum Turcis eriperentur, & Græcis reſtituerentur: & ſi Concilium Generale à Pontifice indiceretur, ad quod vocatis quatuor Patriarchis Orientis aut de communi eorum conſenſu miſſis viris doctis & unionis cupidis, rursùm diſputatio de proceſſione Spiritûs Sancti agitaretur, ſic enim fore ut tam reliqui Orientis Epiſcopi, quàm univerſi populi decretis Synodi facilè acquieſcerent: qui Lugdunenſi tempore Michaëlis Palæologi celebratæ reſtiterant, eò quòd qui ex Græcis ei interfuiſſent, non à Patriarchis ſed tantùm ab ipſo Michaële delegati fuiſſent. Quibus reſpondit Pontifex, non ex re eſſe tot Conciliis & Collationibus deciſam de ipſorum etiam Græcorum ſententiâ quæſtionem, Epheſino Primo, Toletano, Lugdunenſi, aliiſque, iterùm retractare aut in dubium revocare: Non tamen contradicere ſe, quin Imperator Patriarchas alióſque Metropolitanos convocaret, & cum illis ageret ut aliquos in Occidentem mitterent qui de omnibus inſtituerentur: Acceptâ verò à Græcis unione, tum curaturum Pontificem ut Principes Occidentis totis ſuis viribus Imperio Græcorum adversùs Turcos alióſque hoſtes ſuccurrerent Solemne namque fuit Græcis; quotieſcumque neceſſitate aliqua urgerentur; unionis nomen Latinis optatiſſimum inculcare, eáque ſpecie auxilia ab iis mendicare; móxque ad odia ſua in Latinos & errores priſtinos recidere. Quòd verò præterea Barlaamus nullum ſe de iis quæ proponebat mandatum à Patriarchis aliiſque Epiſcopis, necnon ab Imperatore aut Principibus habere, ſed tantùm ſecretò ſe ab Imperatore ad ea tacitè proponenda miſſum profiteretur: remiſſus ad eum eſt, res cum illo & Patriarchâ accuratiùs tractatus. Vt de his omnibus conſtat tam ex literis Benedicti Pontificis eâ de re ad Philippum Galliæ & Robertum Siciliæ Reges ſcriptis, quàm ex Actis rerum ab eodem Barlaamo cum Pontifice & Collegio Cardinalium geſtarum, quæ hactenùs extant [q] à Græcorum hiſtoricis penitùs ignorata, aut ſilentio contecta.

ANDRON. IMP. GRÆC. CONDITIONES PROPONIT UNIONIS MINÙS CONGRUAS.

[q] In Reg. Bened. unde Bzov. deſcripſ. hoc an.

IESU CHRISTI Annus 1340.
BENEDICTI XII. Ann. 6.
VAC. IMP. ROM. Ann. 27.
ANDRON. IUN. Ann. 9.

I.

ANNO Chriſti milleſimo trecenteſimo, quadrageſimo, Indictione octavâ, Benedictus Papa (ut habet auctor aſſertus Bernardus Guidonis, ſeu potiùs ejus Continuator) infirmari cœpit tibiarum morbo, ita ut cùm non poſſet loco ſolito celebrare conſiſtoria, coactus ſit rogatu Cardinalium illa habere in cubiculo ſuo ſedens in lecto more Pontificum

Nihil

BENEDICTI PP. GESTA DE REB. ITALIÆ.

[a] Reg. Vatic. ep. 6.

Nihil tamen propterea remittens oneris sui, hoc eodem anno [a] Bononienses; post aliquot annorum contumaciam per nuncios suos culpam deprecantes,& satisfactionem præteritorum,ac censum,omnémque subjectionem imposterùm offerentes; censuris quibus irretiti fuerant solvit. Multásque aliàs civitates Lombardiæ, Piceni, aliárumque Italiæ provinciarum,communionem Ecclesiæ Romanæ postulantes, & Oratoria in honorem S. Benedicti construere, eleemosynásque perpetuò largiri spondentes,tam isto quàm proximo anno suscepit. Quando & veritus [b] ne vacante Imperio Italia ab aliquo externo hoste invaderetur, Luchinum Vicecomitem, Ioannémque ejus fratrem Archiepiscopum,Mediolani aliarúmque urbium quas possidebant Vicarios instituit, sub censu annuo decem millium nummorum auri. Eamdem quoque potestatem Mastino & Alberto Scaligeris, Veronæ & Vicetiæ, sub censu quinque millium: Guillelmo Gonzagæ,Mantuæ & Regij; Albertino Carrariæ,Patavij; Opizoni Estensi,Ferrariæ, Mutinæ,& Argentæ,suo jure (ut dicebat)tribuit quamdiù Imperium vacaret,ac sibi placeret,eò quòd vacante Imperio, omnis ejus potestas in Pontificem recideret, IESU-CHRISTI supremi Regis unicum in terris Vicarium: Estensi verò etiam vectigali imposito,ut quotannis decem millia nummûm auri Ecclesiæ Romanæ cujus peculiaris dominij Ferraria erat,persolveret.

[b] Platin. in Bened. XII. Vill. lib. 11. cap. 100. Bzov. ex lib Privil. Eccl. Rom.

VICARIOS IMPERII CONSTITUIT.

III. PSEUDO-APOSTOLUS NEAPOLI DETEGITUR.

III. Cùm verò Neapoli in Campaniâ aliquis Armeniorum, quem Fratrem Apostolum salurabant,neque ritu Catholico baptizatus,neque in unitate Romanæ Ecclesiæ existens, Nicopolitanum tamen Archiepiscopum ageret, & munia Pontificia exerceret;eum ut Archiepiscopus Neapolitanus caperet,& sub fidâ custodiâ Avenionem mitteret,Benedictus Pontifex præcepit.

IV. ET IMPURORUM SECTA MEDIOLANI.

[c] Cor. par. 3. Ripam. lib. 9.

[d] Supr. an. 1300.

IV. Quo eodem anno mense Martij detecta [c] fuit pariter perfida simulatio cujusdam adolescentulæ Cremonensis agri, obscuro quidem loco natæ,sed formâ, totóque corporis habitu & gratiâ morum ac venustate, etiam ad nobilissimarum invidiam ornatæ. Quæ ad imitationem sceleratæ quondam Guillelmæ [d] externo cultu,jejuniisque & austeritatibus, sanctimoniæ exemplo cunctis palàm existens; secreto sacrilegio cujusdam impurissimi sacerdotis flagitiosam vitam agebat. Quousque sumptâ audaciâ in publicum prodeundi, compositi ad omnem imaginem severitatis, vitæ sanctioris auctores videri voluerunt; concionantésque passim fecêre asseclarum ad decem millia: qui turpem privatim vitam ducentes, in hominum conspectu verberabant sese,ac semi-nudi incedebant. Latè pervagati, demúmque Mediolani detecti, Archiepiscopi monitu auctores sectæ ab Episcopo Cremonensi comprehensi sunt, & igni damnati, qui tamen Principum Gonzagarum precibus erepti pœnæ memorantur.

V.

[e] Carol. IV. Imp. in Vit. suâ. Albert. Argentin. & Trith. in Chron. Du- brav. l. 21. Krantz. 9. Saxon. 16. Cuspin. in Ludov. Bavar. Mut. lib. 24. &c.

V. Hoc item anno (ut Corius habet, Rebdorffius tamen sub sequenti ponit, rem verò etiam plures alij [e] quamvis non iisdem annis referunt) factum est divortium inter Ioannem filium minorem Ioannis Boëmiæ Regis & Margaritam filiam Henrici Ducis Carinthiæ,de quorum matrimonio dictum est aliàs. Cùm videlicèt postquàm annos quatuor inter se pueri & alios septem puberes in matrimonio permansissent nulla interim suscepta prole: causata procax mulier apud Ludovicum Bavarum impotentiam viri, facilem eum advenit ad se matrimonio jungendam cum filio ipsius item Ludovico dicto (quem & Ottonem nuncupatum volunt) Marchione Brandeburgensi, jam viduo à primâ conjuge Danorum Regis filiâ: quantumvis retinente consanguineam suam nondum divortio separatam, nec tertij gradûs dispensationem adeptam,contra sanctiones ecclesiasticas uxorem traducere. Vicit tamen paterna jussio, cupidine maximè amplissimæ dotis Margaritæ: sícq; illa deserto viro juncta est prædicto Ludovico. Ex quibus magnum ortum est bellum inter partes,& Ludovicus pater rem quæsivit componere: oblatis pro sublatâ conjuge & Comitatu Tirolensi occupato,aliis terris & magnâ pecuniæ vi. Cúmque prædictis auditis Benedictus Pontifex rem in pristinum statum rèstitui jussisset,tum ob calumniam in Ioannẽ Boëmum,(quem certum erat filium ex concubina suscepisse)tum præcipuè quòd divortium absque ullo judicio ecclesiastico, ac nuptiæ cum Ludovico sine dispensatione consanguinitatis factę fuissent; atque obedire recusantes tam patrem filiúmque quam petulantem feminam anathemate damnasset: id de more flocci-faciens Bavarus,ut contumaciam abundantiùs augeret, Pontificiam sibi auctoritatem arrogans, tam divortij sententiam, quàm consanguinitatis dispensationem literis publicis promulgavit; quæ adtextæ habentur Annalibus Rebdorffij. Quod enim Aventinus per Episcopum Fruxinensem sive Frisingensem, esse factam separationem ait; id ita accipiendum esse nos docet Rebdorffius [f] qui tum vivebat, ut hic Episcopus Frisingensis nomine Paulus, auctoritate Innocentij Papæ Sexti anno 1359. (totis videlicèt duodecim annis post obitum Ludovici Bavari) absolverit hæredes ipsius Ludovici, & terras eorum, à vinculo excommunicationis & interdicti quibus eò usque ligati fuerant; & ipsum Ludovicum Marchionem atque uxorem pariter absolutos ab illicita cohabitatione prædictâ,de novo matrimonialiter auctoritate Sedis Apostolicæ copulaverit. Quantumvis sive ex eodem, sive alio manuscripto diplomate ejusdem Innocentij VI. Heruartus contendat, etiam antequàm Ludovicus & Margarita inter se jungerentur matrimonio, fuisse ipsam judicio Ecclesiæ separatam à Ioãne,quod pleró sque auctores penitùs latuit. Nisi quod narrat Mutitus [g] fuisse Margaritam feminam inexhaustæ libidinis, & audacem, ac confictis mendaciis accusâsse maritum suum Ioannem apud nescio quos Episcopos,quorum & pecuniæ opera consecuta sit Apostolicas Romani Pontificis bullas, quibus concessum ei fuit, ut per divortium posset cui vellet nubere, abnegata prima matrimonij fide,quare nupsisse Marchioni Brandeburgensi:& ab eo posteà tractatam ut merita erat,exosámque; neque Marchionem ullum genuisse ex eâ heredem,cùm nihilominùs Trithemius in Chronico Ducum Bavaræ ponat Ludovicum ex hac Tirolensi suscepisse fi-

TURPE DIVORTIUM PROCURATUR A BAVARO IN SUUM COMMODUM.

PONTIFICIAM AUCTORITATEM SIBI ARROGAT.

[f] Rebdorff. in Annal. an. 1359.

[g] Mut. Chron. Germ. lib. 24.

HISTORIA IMPUDICISSIMÆ FEMINÆ.

lium nomine Meinardum: idque ipsum confirmet Felix Fabri in Historiâ Suevicâ: hùncq; ambo asserunt mortuum esse absque liberis. Quinimmò qui tunc vixit auctor Italicus Philippus Villanius Florentinus, dum in Additamentis suis ad Historiam Matthæi patris sui has ipsas nuptias cum infamiâ Ludovici patris & impudicissimæ feminæ, recenset, scribit eam longo pòst tempore ob turpem consuetudinem cum nobili quodam viri sui aulico, eumdem virum suum veneno necâsse: ac subinde filium quem ex eo susceperat, quòd signum aliquod offensionis ex nece paterna dedisset, fuisse pariter ab impiâ matre veneno sublatum: ac tandem & ipsammet Comitatu Tirolis exutam ac monasterio inclusam, ubi miserè sive naturali seu violentâ morte periit. Turpiorem etiam historiam de inexplebili libidine turpissimæ hujus & moribus & ore feminæ (nam ab oris & faciei deformitate *Maultasch* est cognominata) narrat idem Felix Fabri Dominicanus Ulmensis in prædicta Historiâ suâ Suevicâ: sed parcimus oculis & auribus lectorum tam nefanda meritò detestaturorum.

VI. INIQUITAS BAVARI IN ALIO MATRIMONIO.

Assuevisse porrò hujusmodi violentis matrimoniis Bavarum in favorem liberorum suorum, docet etiam Carolus posteà Imperator ejus nominis. Quartus prædicti Ioannis Boëmi frater: dum in Vitâ suâ scribit, cùm Henricus Dux Bavariæ, qui ipsius Caroli sororem uxorem duxerat, mortuus fuisset relicto unico filio puero decem annorum; ipsum Ludovicum Bavarum, pulsâ filiâ Rudolphi æquè ducis Bavariæ & Comitis Palatini filij fratris sui, quæ prædicto puero fuerat promissa & jurata, dedisse eidem filiam suam quæ nondum loqui per ætatem poterat, dicendo velle se pro eâ promittere donec ipsamet loqui per se posset: sed illam Deo permittente mutam factam esse. De prædicto verò Marchionatu Brandeburgensi non lateat mira rerum conversio ac revolutio, quam Krantzius [h] observavit, videlicèt ut cùm non multos ante annos novem & decem numerarentur hujus tituli & familiæ Marchiones, omnes intra paucos annos interierint; ac post obitum ultimi Waldemari terra reciderit, velut feudum, in jus Imperij: de quâ Ludovicus Bavarus prædictum filium suum investivit, qui illo principatu exaturatus, post mortem patris, quòd in Bavaria mallet agere, Romulo fratri illum permisit: hócque paulò pòst mortuo, pervenit ad quemdam Ottonem, qui illum Carolo Quarto Imperatori vendidit vili pretio.

[h] *Krantz. 8. Vvandal. 3. & 9. Saxon. 34.*

XIX. MARCHIONES BRANDEBURG. BREVÎ PEREUNT.

VII. EDUARDI REG. ANGL. NOVA EXPEDITIO ADVERSÙS REGEM FRANC.

Hoc eodem anno Eduardus Rex Angliæ in Belgium rediens adversùs Philippum Francorum Regem cum ducentis viginti navibus & maxima parte Anglicæ nobilitatis, & sagittariorum aliorúmque militum ingenti multitudine; apud Clusas oppidum classem Philippi ducentarum navium Gallicarum ac triginta triremium Genuensium, quæ portum occupaverat ut Anglorum exscensionem impediret, acerrimo certamine devicit: quod in vigiliâ sancti Ioannis Baptistæ cœptum; in sequentem festum diem protractum est; pugnantibus pro Anglo etiam ventis & æstu maris; ipsâque nocte: cùm videlicèt ob virtutem pugnantium neutris totâ die fortunâ victoriam spondente, obortâ nocte æstus Oceani ventúsque validus Anglicas naves vehementiùs in Gallicas ad litoris angustias conclusas concitavit. Occisi dicuntur è Francis ad decem millia, totidémque capti; naves ferè omnes aut submersæ, aut in potestatem hostium datæ. Ex Anglis quatuor millia duntaxat cecidère, sed nobilitate præstantiores: ipsiúsque Eduardi femur, (ut nonnulli observant) jaculo trajectum. Qui peractâ post hæc in gratiarum actionem de partâ victoriâ pedestri peregrinatione [i] ad ecclesiam Beatæ Mariæ Ardemburgensem; inde Gandavum accedens, & junctus fœderatis, exercitum octo millium equitum, octoginta peditum Tornacum duxit, urbem munitam ac potentem à Francis detentam: eámque obsidione cinctam cùm intra paucos dies rei frumentariæ inopiâ deditione obtinere speraret, adveniens Rex Francorum cum decem millibus equitum, peditum ingentibus copiis, cum nec pugnæ daretur copia, nec commeatùs in urbem introducendi via aperiretur: ad artes conversus, Ducem Brabantiæ ex hostibus unum cui nihilominùs parùm placebat Tornacum in potestatem Angli venire, pecuniâ insuper corruptum impulit pacem aut inducias Anglo suadere; eóque detrectante, unà cum suis castra deserere. Cujus auxilio desertus Anglus, ac prætereà pecuniæ inopiâ laborans, Annales inducias usque ad festum sancti Ioannis Baptistæ anni proximi pactus est, tractatum pacis Pontifici remittens. Ita de his Villanius [k] quo fideliorem testem quem producamus non habemus, cùm adversarum partium scriptores semper aliquid fermenti immiscere consueverint; quod rerum gestarum narrationem corrumpat. Ipsas tamen Induciarum literas publicas, conditiones earum continentes, quibus etiam Scoti comprehenduntur, à Ioanne Boëmiæ Rege, ac Ioanne Duce Brabantiæ, aliísque ex utraque parte electis ad eas stabiliendas promulgatas die vigesimo Septembris præsentis anni, sincerè descriptas habet Continuator Chronici Nangiaci tunc vivens: & ex eo Gillius [l] & Belleforestus [m].

[i] *Froissar. l. 1. cap. 51.*

[k] *Vill. lib. 11. cap. 109. & seqq.*

[l] *Gilli. in Annal. Franc.*
[m] *Bellefor. lib. 5. cap. 9.*

VIII.

Habent porrò etiam Angli [n] & Belgæ [o] præter quædam alia eo tempore inita vario marte variísque locis certamina: nonnulla alia scitu digna, quæ & Franci habent: videlicèt ante prædictum adventum Eduardi in Belgium, Benedictum Papam Flandriæ sacris interdixisse, eo quod Flandri tam suo Comiti quàm supremo domino Regi Francorum rebelles essent: indéque magna commotione facta eligentibus Flandris externos sacerdotes conducere quàm Pontifici obtemperare: Regem quoque Angliæ, ut eos contineret, jactasse missurum se sacerdotes, qui vel invitis omnibus Gallorum Episcopis officia prosequerentur: magnámque persecutionem excitatam esse in eos qui interdictum servabant: postquàm autem advenisset Eduardus, literas ipsum provocationis ad singulare certamen, vel centenorum militum, aut universi utrimque exercitùs, Philippo Valesio (ut duntaxat vocabat, tacita Regis appellatione) misisse; ac Philippum rescribentem, post exprobratam factam fidem quâ se Eduardus ipsi

[n] *Vvalsingh. in Eduard. III.*
[o] *Ægid. de Royâ in Annal. Meyer. lib. 12.*

SINGULARIA QUÆDAM DE HOC BELLO.

Philippo uti homo ligius domino suo obstrinxerat, ad provocationem respondisse non se bellum gerere hostium arbitratu, séque illum cùm tempus foret regno suo pulsurum: (Quam utramque epistolam recitat Gallicè, uti scriptę fuêre, Nicolaus Gillius [p] Philippeam integram in Latinum versam Walsinghamus, unà cum summario Eduardicæ: (Tornacum urbem non tam militari potentia obsessorum, quàm virtute Dei genitricis, sub cujus protectione erat, palàm super murum apparentis, defensam fuisse: Inducias sollicitudine Ioannæ Valesiæ sororis Philippi Regis, socrûsque Eduardi, quæ post obitum viri sui Guillelmi Boni Comitis Hannoniæ sanctimonialis habitum in monasterio Fontanellensi susceperat, sed ad impediendam tantam Christiani sanguinis effusionem, & concordiam inter affines stabiliendam, septa monasterij ingenti charitate egressa est, præcipuè factas esse: ea inter alias conditione ut Flandria interdicto solveretur. Hæc illi pluribus, Æmiliusque. Ceterùm inducias posteà protractas inter Reges videbimus: sollicito valdè de pace inter eos concilianda Romano Pontifice. Qui etiam hoc ipso anno supplicationes publicas universo populo Christiano pro illa flagitanda indixisse reperitur [q].

[p] Gill. in Annal. Franc.

[q] Reg. Bened. ep. 273. an. 6.

IX. Eduardus quæstores suos mulctat.

Reversus autem Eduardus in Angliam, ærarij sui præfectos, quòd pecunias in castra tempestivè deferendas non curassent, ac propterea per eos stetisset quominùs Tornacum cepisset: officio turpiter movit, ac mulctavit, alios in eorum locum substituendo. Ac præcipuè Ioannem Archiepiscopum Cantuariensem in crimen ejus rei vocatum graviter exagitavit. Qui animo constanti innocentiam suam defendens, insupérque Clerum Anglicanum ab exactionibus laïcorum protegens, ac libertates patrias propugnans: multas iis de rebus tam ad ipsum Regem ejusque ministros quàm ad Coëpiscopos literas dedit, quæ apud Walsinghamum describuntur: unà cum prolixioribus à Rege contra ipsum ad Episcopum Londinensem scriptis. Sed videtur postea Regi reconciliatus, cùm vix ejus summa industria Rex carere posset.

X. Genuensis cujusdam navigatio in Orientem.

Hoc item anno [r] Simon quidam à Quarto Genuensis in Orientem cum aliquot triremibus navigans, Turcos in Ponto Euxino res Christianorum divexantes magna strage fudit. Idémque apud Caffam Tauricæ Chersonesi urbem, Theodosiam olim dictam, Genuensium emporium, perveniens, Prælatis in Tartarorum regionibus degentibus literas [s] à Benedicto Pontifice missas detulit; quibus eos hortabatur Fidem Catholicam ex formula in illis præscripta Gentilibus illis annunciare: neque interim illius alterius ab Alexandro Quarto transmissæ olim Soldano Persarum oblivisci.

[r] Villan. lib. 11. cap. 116. Bizar. Hist. Gen. lib. 6. Follet. lib. 7.

[s] Ext. in Reg. Bened. ep. 152.

XI. Nobilissima Hispanorum victoria de Mauris.

Sed longè celebrior factus Hispanis annus ex victoria ad Tariffam urbem ad fretum Gaditanum sitam (Carteiam antiquis dictã, Græcis Tartessum) ab iis de Mauris parta. Cùm videlicèt Albohacenus (quem Abenamarin quidam dicunt) Rex Marrocij necem filij sui Abomelici [t] ulturus, immensas copias equitum septuaginta millium, peditum quadringentorum, in Hispaniam transmittens: (quinque mensibus freto trajiciendo consumptis) ad eamdem Tariffam quam unà cum Aben-Hamet Iusepho Rege Granatensi obsidione cinxerat, juxtáque Salsum fluuium, ab Alfonso Castellæ Rege, adjutore Alfonso Lusitaniæ (addit Æmilius Ludovicum Navarræ cum auxiliis Francorum & Navarrorum) exercitum millium quatuordecim equitum, viginti quinque peditum contra tantam multitudinem ducentibus; comitantibus Ægidio Toletano Præsule aliísque Episcopis: vexillum Crucis Iugo natione Gallo Romani Pontificis jussu præferente; militibus cunctis rubrâ Cruce distinctis, & sacrâ confessione & Eucharistiâ ritè procuratis, ac delictorum indulgentiâ à Pontifice munitis: maximo præclarissimóque & ad sempiterna sæcula memorabili prælio, superatus fugatúsque est: occisis ducentis Maurorum millibus, (inter quos duo Albohaceni filij) præter ingentem captivorum numerum, in quibus Abohamarus alius ejusdem filius, ac Fatima præcipua uxor; è Christianis (quod vix fidem faciat) viginti viris desideratis non ampliùs. Præda tanta fuit, ut valor in Hispaniâ monetæ imminutus sit, pretium mercium creverit. Ex quâ Avenionem ad Pontificem equi centum cum totidem Mauris eos freno ducentibus, gladij parmæque è corio totidem, quatuor & viginti Maurica signa missa, unà cum equo vexillóque Alfonsi Regis quibus in prælio usus erat. Partâ victoriâ (ut ex monumentis Fastorum Toletanorum, quibus adscripta est anniversariis sacris celebranda, Mariana [u] observat die Lunæ tertio Calendas Novembris; cùm alioqui de die varient scriptores; & Villanius [x] ejus temporis auctor Calendis Novembris assignet; Surita [y] quarto Calendas Decembris: quidam etiam pridie Calendas in Vigiliâ Omnium Sanctorum. Quibus fabulosa quædam, ut putamus, adjecit Auctor Pistoriensis, parùm accuratus & circa tempora & circa res gestas. Albohacenus eâdem nocte in Africam trajecit, Abderrhamanum alium filium veritus, (plures namque ex pluribus uxoribus de more gentis susceperat) quem pro se vicarium reliquerat, ne ad cladis acceptæ nuncium regnum invaderet.

[t] Sup. an. 1339. 1.

[u] Mar. lib. 16. cap. 7. & 8.

[x] Vill. lib. 11. cap. 119.

[y] Ind. lib. 3.

XII. Propagatio fidei inter Barbaros.

Per id temporis floruerunt [z] in Oriente duo viri insignes ex Ordine Prædicatorum: *Philippus* patre Glareacas Rege in Indiis natus, & *Thaclavarcth* nepos ex sorore Monarchæ Abyssinorum quem Presbyterum-Ioannem vocant. Qui miraculis insignes martyrio coronati sunt ab impiis Regibus, quorum impuritatem zelo Christiano coarguebant: ipsis Regibus post martyrum necem fulminibus cælitùs extinctis. Cùm autem Usbech Tartarorum Imperator viros duos nobiles Catholicæ fidei professores, unà cum Fratre Eliâ Hungaro Minoritâ, Principi Tymbech Imperatoris primogenito familiari, ad Sedem Apostolicam misisset: honorificè eos recipiens Pontifex, in Tartariam redituris literas [a] dedit ad eosdem Imperatorem & Principem, necnon ad Imperatricem Taydolam, gratias agens de exhibitâ in Christianos benevolentiâ, & perfectam eorum conversionem desiderans. Ex quibus & aliis ad Archiepiscopos, Episcopos, aliósque Antistites, & Ecclesiasticos ac

[z] Mech. Piur lib. 2. de vir. illustr. Ord. Prædic.

[a] Rec. Vvading. ex Reg. Vatic.

fideles Christianos in partibus illis constitutos scriptis, planè intelligitur quàm latè fides CHRISTI in Oriente inter infideles & Saracenos propagata esset. Quo etiam eodem anno Gerardus Generalis Minoritarum Stephanum Principem Bosnensem, unà cum ejus subditis ad fidem Catholicam è schismate reduxit, & hæreticos Manichæos inde pelli curavit hortatu Benedicti Pontificis, & operâ Caroli Regis Hungariæ.

XIII. [b] Ioann. à Leid. Chron. Bel. lib. 28. c. 4. Sur. 6. Ianuar. & alij. B. GERTRUDIS RECIPIT STIGMATA CHRISTI.

Apud Batavos [b] oppido Delfensi virgo *Gertrudis* de Oësten inter sanctimoniales vitam sanctissimam agens, hoc anno digna facta est præ amore in crucem Domini, ut quinque Stigmata Christi in corpore suo reciperet, ex quibus fluxit pluribus diebus sanguis septies in die per singulas septem Horas canonicas. Sed ob frequentiam visitantium, ac ne fortè in vanam suî complacentiam inde incideret, orans ut tollerentur, cessavit quidem sanguis, non tamen vulnera quæ toto vitæ suæ tempore tulit. Magnas molestias à spiritu nequam passa est, quem illa irridere consueverat; spiritu Prophetiæ multa prædixit, miraculis claruit: Demúmque piè obiit anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo.

IESV CHRISTI Annus 1341.
BENEDICTI XII. An. 7.
VAC. IMP. ROM. An. 28.
IOAN. PALÆOL. V. Ann. I.

I. LUDOV. BAVARUS FOEDUS INIT CUM REGE FRÂCORUM. [a] Rebdorff. in Annal. Albert. Argent. in chron. Naucl. gener. 45. Mut. lib. 24. Til. in Tractatib.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo primo, Indictione nonâ, Ludovicus Bavarus contractâ [a] uxoris interventu, quæ filia erat Ioannæ sororis Philippi Regis, cum eodem Philippo amicitiâ, sive quòd pecuniæ ab Eduardo Anglo promissæ præscripto termino non numerarentur; (sicuti tradunt in conventis fuisse, ut si promissa pecunia aliquo termino deficeret, fœdus nullum esset:) sive etiam quòd non deceret Imperatorem, qualem se ipse habebat, ab ullo stipendium accipere: (nam & inter causas depositionis Adolphi hanc eamdem vidimus, quòd stipendiarium se Regis Angliæ constituisset) seu denique quòd speraret se posse faciliùs Philippi auxilio Pontifici & Ecclesiæ reconciliari: occasione modò sumptâ, quòd

ABROGAT VICARIATUM IMPERII EDUARDO ANGLO COLLATUM.

Eduardus inducias cum Philippo, se inscio, cum quo fœdus adversus Philippum inierat, anno superiori apud Tornacum pepigisset; Vicariatum Imperij quem eidem Eduardo contulerat abrogavit; séque nihilominùs mediatorem pro pace inter eos conciliandâ obtulit, scriptis ad ipsum literis quas recitat Vualsinghamus. Quibus modestè respondens Eduardus, inducias excusavit ex necessitate; concordiam Ludovici cum Philippo exprobravit; Vicariatum Imperij præproperè revocari contendit.

II.

Protractas nihilominùs subinde esse inter Reges inducias Pontificis operâ, ac Cardinalium ab eo legatorum diligentiâ, in quatuor abhinc annos, intra quos de jure utriusque à Sede Apostolicâ cognoscendum esset, idem Vualsinghamus, necnon Continuator Nangij aliíque docent. Recitatque idem auctor conditiones, sub quibus illæ conclusæ atque stabilitæ fuerũt mense Ianuarij anni proximi in Minori Britanniâ: cùm illò navigâsset Eduardus post Ioannis Ducis obitum, in auxilium alterius Ioannis Comitis Monfortij fratris tertiò geniti prædicti Ioannis Ducis, ortíque lineâ maternâ ex sanguine Regum Angliæ, Ducatum prætendentis contra Ioannem ipsius neptem, filiam Guidonis alterius ipsorum fratris secundò geniti præmortui, ejusque virum Carolum Comitem Blesensem filium sororis Regis Philippi, cui judicio Senatûs Parisiensis ac Parium Franciæ post litem contestatam adjudicatus fuerat. De quorum juribus & bellis atrocibus inde secutis, ac per viginti duos fermè annos fortiter utrimque & tam ab ipsis competitoribus quàm eorum conjugibus, alternantibúsque cladibus gestis (quibus & infaustus ille Robertus Atrebatensis, auctor ac præcipuus promotor discordiarum inter Francos & Anglos, fautórque partis Mõfortianæ, ad principium anni 1343. sagittâ percussus interiit, illamentatus à suis, ab Anglis verò honorificè sepultus: prolixè illius ac posteriorum temporum Scriptores [b]. Quibus etiam induciis comprehensus fuit David Rex Scotiæ; qui post extortum per suos vi regnum de manibus Anglorum, in patriam è Galliâ revocatus, nonnullis cladibus Anglos affecerat [c].

DISCEPTATIO DE DUCATU BRITAN. MINOR. [b] Contin. Nang. in Chron. Vill. lib. 11. c. ult. Froissar. lib. 1. c. 65. & seqq. & usque 100. Vualsingham Eduard. III. Gaguin. lib 8 Polyd. lib 19. Æmil. lib. 9. Bellef. lib. 5. c. 10. & 11. Argent. Hist. Brit. lib. 6.

[c] Froiss. lib 1. c. 56. 75. & seqq. Boëth. lib. 15.

III. SEVERA JUSTITIA BENED. PP. DE CAPTORIBUS CUJUSDAM NOBILIS. [d] Vit. Bened. edit. Bosq. plenius tu ms. nomine Bern. Guid.

Traditur autem in Vitâ Benedicti [d], (quod omninò ignorâsse necesse est historicos Anglos, haud dubium, si rescivissent, improperaturos) contigisse Avenione sub finem Pontificatûs ejus quodam die Veneris summo mane à quibusdam ministris Philippi Francorum Regis capi in lecto suo nobilem Nicolinum dictum Cardinalem, de genere quondam Innocentij IV. à Rege Angliæ tunc redeunté: & ultra Rhodanum ad Philippi ditionem abduci, faventibus aliquibus officialibus Pontificis, ac speciatim Ioanne quondam Iurisperito Tolosano qui Marescalatûs Curiæ officium exercebat: Eáque de re graviter commotum Pontificem, confestim sententias fulminâsse terribiles contra Nicolini captores & detentores, & nuncios ad Regem misisse: tantámq; diligentiam in his adhibuisse, ut intra paucos dies Nicolinus fuerit Avenionem reductus Regis Philippi jussu, quo penitùs inscio hæc patrata fuerant. Quicumque verò è Pontificiis reperti sunt hujus delicti conscij, omnes fuisse de mandato Pontificis duris carceribus mancipatos & nonnullos in fenestris hospitij Nicolini suspensos: Cúmque idem fieri de Marescallo mandâsset, eum veneno per suos recepto in carcere periisse quem nihilominùs Pontifex de carcere mitratum eductum in thecâ ligneâ fecerit ad locum publici patibuli appendi ad terrorem aliorum.

IV. FRANC. PETRARCHA DONATUR LAUREA.

Romæ *Franciscus Petrarcha* Florentinus, sæpè superiùs nominatus, vir pro tẽpore eloquentissimus, & qui Italiam à barbarie vindicavit, nec minùs pietate ac philosophiæ institutis cõspicuus; anno ætatis suæ trigesimo septimo, auctoritate Roberti Regis Siciliæ, qui nõ solùm viros doctos in pretio habebat, verùm etiam plerosque Rex ipse doctrinâ ante-

cedebat, Coronâ Laureâ (quæ olim clarorum Cæsarum, & sacrorum vatum singulare & præcipuum votum existens, hoc tempore vel spernebatur, vel nesciebatur) donatus fuit in Capitolio, insignis Poëticæ & Historicæ artis præmio; ab Urso Comite Anguillariæ Urbis Senatore (absente altero ejus collegâ Iordano Ursino) magnâ Romanorũ procerum civiúmque atq; etiam exterorum frequentiâ. De cujus Laureâ extant inter ejus opera[e], aliquot ad amicos epistolæ, ipsúmq; Comitis Ursi diploma, quo cùm res peracta dicatur ipso die Paschatis solemnitatis, in diem tamen & annũ in fine appositum errorem irrepsisse cõstat, cùm notatur quintus Iduum 1343. quandoquidem eo anno Pascha non in 5. Idus Aprilis, sed in Idus ipsas incidit. Sicuti & in unam ex epistolis Petrarchæ pariter irrepsit, cùm id factum dicitur Idibus Aprilis anno 1341. quo Pascha non Idibus sed 6. Iduum contigit, ut omninò id gestum fuerit 6. Idus Aprilis præsentis anni 1341. Fuit autem tanta Petrarchæ fama per orbem, ut non solùm Romanis Pontificibus, Regibúsque ac Principibus, omníque magnatum & doctorum hominum conditioni acceptissimus atque charissimus extiterit; verùm etiam, sicuti ad T. Livium olim venisse quosdam nobiles de extremis Hispaniæ Galliarúmque finibus ad eum visendum & audiendum, S. Hieronymus se legisse testatur; ita & multos ad ipsum Petrarcham de variis regionibus accessisse, nullo alio negotio tractos quàm ut eum viderent & cum eo colloquerentur, idem ipse perquàm modestè de seipso ad quemdam amicum[f] scribit. De quo non semel rursùm inferiùs.

[e] Petrar. l. 6. 3. in pr.

[f] Petrarc. 15. Rer. Senil. 7.

V. NANKERI EPISC. MORS DIVINIIÙS PUNITUR.

Hoc item anno Nankerus Episcopus Wratislaviensis, de quo suprà[ff], vir religiosissimus & abstinentissimæ vitæ, veneno, ut creditum est, procurato à Rege Boëmiæ, extinctus, in cœlos migravit. Cui suffectus Predislaus, cum eodem Rege de injuriis Ecclesię Wratislaviẽsi ab eo illatis, Pótifice Maximo arbitro anno sequenti transegit. Et Wratislaviensem Senatum nudis pedibus & capitibus, discinctúmque & palliis depositis ad se venientem & satisfacientem, deprecante Carolo prædicti Regis filio, in gratiam recepit, & interdictum sustulit. Ac nihilominùs dignâ plagâ indignâ prædicti Nankeri Episcopi expulsionem, necnon Ioannis[g] Svenckefeldij Inquisitoris Ordinis Prædicatorum à sicariis jussu quorumdam ex eodem Senatu hæresi infectorum patratam necem subsecutâ; eadem Vuratislavia tota arsit, viso angelo contra civitatem exertum gestare gladium, & carbones in eam injicere; ut Michovius[h] & Cromerus narrant. Qui etiam turpem vitam Casimiri Regis Poloniæ describunt; dum rejectâ uxore Adleidâ, quòd deformior esset, totũ se libidinibus dedit: quæ sic animum ejus emollierunt, ut paternorum præceptorum, dignitatísque suæ oblitus, iniquas pacis cõditiones à Cruciferis acceperit; cæterà non ignavus bello Princeps.

[ff] An. 1337. IV.

[g] De hoc plura Bzov. ex archiv. cœnob. Cracoviens.

[h] Michov. lib. 4. c. 23. Crom. lib. 12.

VI. LEGATI À REGE ARMEN. AD PONT.

Quo eodem anno[i] Benedictus Papa Fratrem Danielem Ordinis Minorum, & Thorosium Michaëlis nobilem Leonis Regis Armeniæ nuncios audivit, subsidia bellica adversus Saracenos, à quibus Christiani vehementissimè opprimebantur, postulantes. Quibus Pontifex gravissimos errores in fide & doctrinâ Ecclesiæ exprobrans, ob quos divinam in se vindictam attrahebant, excusavit se non posse eis subsidia submittere quamdiù iis detinerentur: ubi verò eos emendassent, promptissimum se fore ad suppetias ferẽdas; missurúmque interim Doctores Theologos, qui eos instruerent; modò Rex Concilium Prælatorum indiceret, in quo quicquid ad extirpationem hæresum necessarium illis præscripsisset adimplerent. In quem sensum scripsit tam Regi, quàm Catholico (ut vocabant) eorum Patriarchæ, ac reliquis earum partium Episcopis. Quínam verò essent errores Armeniorum, dictum est aliàs[k]. Ad quos penitùs, si fieri posset, eliminandos, Clemens VI. qui anno sequenti Benedicto successit, Pontificatûs quinto Legatos cum plenâ potestate misit[l] Antonium Episcopum Gaëtanum & Ioannem Electum Coronensem.

[i] Bzov. & Vuading. ex Reg. Bened. XII.

[k] Vid. Epit. Bar. in Ind. verb. Armen. & supr. an. 1219. VII. Adde Baron. an. 963. Gaulier. sæc. 7. c. 7.

[l] Vuading. an. 1346.

VII. CONVENTUS CONSTANTINOPOL. DE DISPUTAT. BARLAAMI ET PALAMÆ.

Habito *Constantinopoli Conventu* Episcoporum ac Senatorum procerúmque in templo S. Sophiæ, præsente ingenti populi multitudine, atque ipso Imperatore Andronico unà cum Ioanne Patriarchâ præsidente; de controversiis quæ inter Barlaamum & Palamam monachos agitabantur, quas superiùs[m] retulimus; nihil tamen tanto apparatu dignum peractum est: cùm Imperator ea quæ ad Theologiæ tractationem pertinerent, agitari non permittens, ne Palamas reus impietatis convinceretur; de adulterinis tantùm precibus de quibus etiam impetebatur, agi voluit: habitáque postmodùm ab ipsomet Imperatore oratione, tam Patriarchæ satis ad fidem & Catholicam Communionem proclivi, quàm ceteris Presulibus ademptâ libertate quæ vellent agendi, necessitatem imposuit in suam sententiam eundi. Quod gravissimè ferens Barlaamus, & judicium valdè claudicâsse clamitans; Imperatore brevì defuncto, relictis ejusmodi schismaticis in Italiam rediit, Latinorum instituta in quibus erat educatus, liberè professurus. Ita Nicephorus Gregoras: quæ pauló aliter (quoad gesta in Synodo) Ioannes Cantacuzenus[n] narrat, sequiori in Barlaamum animo.

[m] An. 1337. X.

[n] Cantacuz. lib. 2. c. ult.

VIII. ANDRONICI IMP. OBITUS.

Imperator autem in Hodigium monasterium, corpore admodùm malè affecto tum è cócione illâ, tum è morbo splenis quo à multo tempore valdè affictabantur, reversus, largiúsque quàm decebat cœnatus; postridie in somnum stupori penè similem incidit, ex quo sexto pòst die, nempè decimoquinto Iunij Indictionis nonæ extinctus est, anno ab Orbe condito (ut ipsi numerabant) 6849. annum agens ætatis circiter quadragesimũ quintum, Imperij à patris expulsione decimum tertium, ab obitu nonum. In cujus laudem idem Nicephorus Gregoras funebrem orationem habuit: & post descriptos ejus laxatiores mores, interituri Græcorum Imperij indices, finem Historiæ suæ imposuit. Quem idem Cantacuzenus[o], immensum licèt ab eo laudatus[p], valdè exagitâsse reperitur, tamquam mendaciorum manifestum in multis quæ de prædicto Andronico Iuniore, ipsóque Cantacuzeno Imperij sub eo moderatore, scripsit; cùm ipse Gregoras addictissimus sẽper fuisset Seniori

[o] Id. lib. 4. cap. 24.

[p] Fragm. lib. 11. à Petav. edit.

Imperatori. Nisi potiùs dixerimus, Gregoram quidem vera de illis retulisse; at Cantacuzenum tam sua quàm amici delicta excusare aut dissimulare conatum esse. Sed de Gregorâ rursum inferiùs [q] occasione prædictarum turbarum Palamicarum. De Andronici verò moribus agens quoque Phranzes[r], observat inter cetera eum venationi fuisse addictissimum, eáque de causâ aluisse canes ampliùs mille quadringentos, aves sive accipitres supra mille.

q Infr. an. 1350. XXI.
r Phranz. lib. 1. c. 12.

IX. CANTACUZENO ADMINISTRATIO IMPERII DEFERTUR.

Post ejus verò obitum, cùm filios duos reliquisset Ioannem & Manuelem adhuc impuberes; eorum curam & Imperij administrationem idem ipse Ioannes Cantacuzenus Magnus Domesticus, de patris voluntate, & consensu matris Annæ Sabaudæ Andronici relictæ; suscepit, quoad puer Ioannes, qui tantùm novennis erat idoneus adolesceret: annuente pariter Ioanne Patriarchâ, qui alioqui tutelam pueri sibi potiùs deberi contendebat. Factâ autem in Cantacuzenum conjuratione, operâ Apocauci sacri Cubiculi Præfecti, qui ex infimâ conditione ad magnam potentiam ejusdem Cantacuzeni favore pervenerat; hoc prætextu Cantacuzenus, quasi saluti suæ & Imperij securitati consulturus, quod per varios cuniculos & multiplices artes moliebatur, palàm demùm perfecit, (invitus licèt videri volens) ut habitu & tiarâ Imperatoriâ per se ipsum susceptâ, Augustum se apud Didymotichum oppidum Thraciæ ad Hebrum flumen situm acclamare fecerit; necdum Ioanne puero coronato. Unde & meruit à Ioanne Patriarchâ excommunicari publicè unà cum omnibus suis sequacibus. Fuére igitur duo uno tempore *Ioannes* Augusti; alter *Paleologus* legitimus heres, ejus nominis Quintus; (quem Calo-Ioannem nominârunt) alter *Cantacuzenus* Imperij invasor, ejusdem appellationis Sextus. Hincque ortum inter partes civile bellum, quod quinque circiter annorum spatio caducum Imperium vehementer concussit. De cujus exitu dicetur suo loco. Res verò eo gestas, prolixè narrat idem ipse Cantacuzenus in historiâ à se post suam abdicationem conscriptâ, in suas ubique laudes effusissimus.

IMPERIUM USURPAT, ET INDE EXCOMMUNICATUR.

DUO IOANNES IMP. GRÆCI.

X. BASILIUS TRAPEZŪTINUS VENENO TOLLITUR AB UXORE.

Præerat imperante Andronico, regno Trapezuntino (quod & ipsum posteà Imperij titulum habuit, de cujus initiis dictū est aliàs[s]) *Basilius* [t] Alexi Comneni filius, Ioannis nepos, Alexij pronepos, alterius Alexij atnepos, quem post occupatam à Latinis Constantinopolim vidimus Trapezunte sedes suas fixisse. Qui quidē Basilius paternâ successione multis certaminibus cōfirmatâ, cùm uxorem duxisset Eudociam, sive Irenem dictam, notham Andronici Imperatoris; quòd ei aliam Irenem pellicem præferre ausus esset, paulò pòst extinctus est veneno ut creditum, ei ab Eudociâ propinato. Quæ liberis carens principatum tenuit; infamata tamen adulterij cum Trepezuntiorum Domestico, quod fuit dignitatis nomen. Unde cùm magna orta esset contra illam seditio, Alexius prædicti Basilij (ut putatur [u]) ex pellice filius, adscitus est in regnum; & cum prædicto Ioanne Cantacuzeno affinitatem junxit filiâ ejus uxore ductâ. De cujus successoribus dicetur suis locis.

s An. 1204. XI.
t Nic. Greg. lib. 11.
u Reinecc. in Append. ad Haython. cap. 13.

XI. BENEDICTI PP. DECRETŪ DE SEDIBUS PATRIARCH.

Quod ad Patriarchales Sedes Orientis; edidit de illis decimo Calendas Ianuarij præsentis anni ipsius Pontificatûs septimi constitutionem Benedictus [x] Pontifex, quâ decrevit ne posthàc illarum Patriachæ, (Latini scilicèt) quandiù Sedes occuparentur à schismaticis vel infidelibus, per electionem Canonicorum absque Sed. Apostolicę notitiâ fierent; quandoquidem accidisset ut mortuo Petro Constantinopolitano, per unicum canonicum successor fuisset ei electus, reliquis canonicis in remotis agentibus.

x Ex Reg. Bened. refert Bzov.

XII. VIS CONTRITIONIS IN MULIERE PECCATRICE.

Narrat idem qui suprà Cantacuzenus [y], (dum occasione assumpti apud Didymotichum Imperij, Episcopi ejus loci virtutes & pietatem atque vaticinandi facultatem commendare suscepit) contigisse ibidem, cùm vir quidam suspectam habens uxorem adulterij, (nec falsò) pernegantem cogeret candentis ferri probationem subire; mulierem sibi timentem recurrisse ad Episcopum, & culpam fassam, ac cum magno gemitu pœnitentem, post digna monita jussam ab eo esse intrepidè probationem inire: fecisse, & ferrum candentissimum illæsam omninò pertractâsse, eóque virum suspicione liberâsse. Tanta fuit virtus pœnitentiæ, ut innocentiam exæquaverit, vel etiam superaverit! (Huic enim Christianæ virtuti malim miraculum adscribere, quàm cum Cantacuzeno Episcopi hæretici atque schismatici fucatę atq; inutili ad salutem pietati.) Ceterùm ejusmodi purgatio, quamvis reperiatur aliquoties effectu confirmata, sacris tamen canonibus [z] interdicta est, prout etiam aliàs diximus; quòd & superstitionem inducere, & Deum tentare videretur.

y Cantacuz. lib. 3. c. 27.
z c. consuluisti. c. Mennā. 2. q. 5. & c. dilecti. extr. de purgat. vulg. Vid. S. Th. 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. Delr. Disq. magic. lib. 4. cap. 4. q. 4. sect. 3.

IESU CHRISTI Annus 1342.
CLEMENTIS VI. Ann. 1.
VAC. IMP. ROM. Ann. 29.
IO. PALÆOL. V. Ann. 2.

I. BENEDICTI PP. OBITUS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, Indictione decimâ, die 25. mensis Aprilis, *Benedictus* laudatissimus Pontifex, postquàm sedisset annos septem menses quatuor dies sex, Avenione in palatio Apostolico, quod ipse magnâ ex parte exædificaverat; ex quâdam veteri tibiarum infirmitate, cujus fluxum imperiti medici impedire serò conati sunt, diem extremum obiit; ingenti bonorum omnium dolore, quòd beneficus in omnes, pacis studiosus, disciplinæ tenax, doctorum virorum amator, (inter quos præcipuè coluisse dicitur *Gregorium Ariminensem*, & *Thomam Argentinensem* insignes Theologos Ordinis Eremitarum S. Augustini) multísque aliis virtutibus egregiè præditus esset. Sepultus est autem in cathedrali Ecclesiâ B. Mariæ de donis: ubi & miraculis coruscâsse dicitur ab auctore Vitę ejus, quam Bosquetus vulgavit, necnon in recentiori quam descripsit Chrysostomus [a] Henriquez. Ex quibus, & tot aliis omnium gentium auctorum de ejus pietate & virtutum cultu præconiis, facilè eluas sycophantiosas ac fœdas quorumdam nebulonum calumnias; quæ

CLARUIT MIRACULIS.

a Henriq. in Fascic. SS. Ord. Cisterc.

etiam ab aliis [b] detectæ, novâ confutatione non indigent. Qui verò eum hoc anno mense Majo Mediolanum concessisse ut res Vicecomitum firmaret scripsère [c]; nugari eis volupe fuit. De eodem autem alicubi [d] legimus, sanxisse illum ut nomina *Guelfi* & *Gibellini* anathema essent, neque ab aliquo usurparentur, quia discordiarum incitamenta essent: adeò fuit, quod diximus, pacis studiosus! Reperimúsque insuper habuisse ipsum inter alias sententias familiares istas: *Talis esto filius, quales natos habere cupis.* Et, *Malus mortem, bonus vitam formidat.* Item, *Quæ scis legendo, serva; quæ nescis, legendo disce, &c.*

[b] Ciqua. in Artimorna. tom 2. contr. progress. 58. [c] Cor. par. 3. Ripam. lib. 9. [d] Supplem. Schafnaburg ad an. 1334.

EJUS SENTENTIÆ.

II. PETRUS ROGERI ELIGITUR IN PONTIFICEM.

Celebratis de more novemdialibus Cardinales conclave ingressi die 7. Maij (quæ fuit 12. vacationis Sedis) 14. uno consensu successorem ejus renunciarunt Fratrem *Petrum Rogeri*; patriâ Lemovicensem ex vico Roseo (unde & familiæ Rosarum insignia) territorij castri Malimontis, patre Guillelmo (non Rogerio, ut nonnulli volunt; cùm fuerit hoc potiùs cognomen) matréque item Guillelmâ familiâ Monstriâ, professione monachum S. Benedicti: cujus Religionis habitum cùm sumpsisset in Abbatiá Casæ Dei diœcesis Claromontensis in Arvernis; post peracta Parisiis studia Philosophiæ & Theologiæ cum omnium admiratione, sub Ioanne XXII. factus fuerat primò Prior S. Basilij Nemausensis, inde Abbas Fiscanensis in in Normanniâ, posteà Episcopus Atrebatensis, (non Arelatensis, ut quidam ponunt) Regique scrinij & sigilli præfectus rursùm Senonensis Archiepiscopus, indéque Rothomagensis, ac demùm à Benedicto XII. creatus anno 1337. Cardinalis Presbyter tituli Sanctorum Nerei & Achillei. Quem Franciscus Petrarcha [e] tunc vivens *literatissimum Pontificem* appellat: eumdémque tam potentis & invictæ memoriæ extitisse ait, ut quicquid vel semel legisset, oblivisci etiam si cuperet non posset: Et quod mirabilius esset, hanc tantam memoriam magno quondam captis ictu, cujus ingens supremo vertice cicatrix remanserat, ei provenisse. Fuisse porrò ei prędictũ olim à diversis Pontificatum tradunt. Atque imprimis à quodam Stephano Aldebrando modicarum facultatum Presbytero; cùm Petrus [f] adhuc monachus rediens Parisiis ad suum monasterium Casæ-Dei, ac spoliatus in viâ à latronibus nudúsque relictus, ab eodem Sthephano veste & necessariis donatus interrogâsset, Ecquando acceptum beneficium referre ego potero? responsum ab eo accepit, *Tunc cùm eris Papa.* Cujus rei memor, ubi Pontifex factus est, Aldebrandum evocatum primò Cubicularium Pontificium, deinde Archiepiscopum Tolosanum creavit. Itémque cùm existens non ita pridem Carolus posteà Imperator ejus nominis Quartus Avenione, (ut ipsemet in Vitâ suâ scribit) confabulánsque cum eodem Petro Cardinale, quicum fuerat ei familiaritas in Curiá Regis Franciæ, dicente eodem Petro ipsi Carolo, Tu eris aliquando Rex Romanorum; respondit confestim Carolus, *Tu eris antè Papa.* Quod utrumque suo tempore adimpletum est. Sic igitur electus Petrus, assumpto nomine CLEMENTIS VI. coronatus est in Ecclesia Prædicatorum decimo-nono Maij ipso die Pentecostes: adstantibus & servientibus (ut scribit qui asseritur Bernardus Guidonis) Ioanne primogenito Philippi Francorum Regis, Iacobo Duce Borbonensi, Philippo Duce Burgundiæ, Humberto Delphino Viennensi, aliísque plurimis dynastis. Quem liberalem se in omnes, comem & perhumanum exhibuisse, Platina scribit: adeò ut idem assertus Bernardus testetur familiare ipsi fuisse Cæsarianum illud verbum, Non decere quempiam de præsentiâ Principis non contentum abire. Adeóque quantò Benedictus ejus decessor ob morum asperitatem aulicis invisus fuerat, tantò Clemens gratus ob innatam clementiâm & humanitatem.

[e] Petr. lib. 8. Rer. famil. & lib. 2. Rer. memor. cap. 1.

INSIGNIS EJUS MEMORIA.

[f] Misson. in Clem. VI.

NOMEN ASSUMIT CLEMENTIS.

III. ROMANORUM AD EUM LEGATIO.

Postquàm autem per litteras Encyclicas, de more omnium Pontificum, cunctos Principes & Antistites assumptionis suæ admonuisset, universorúmque Fidelium preces pro impetrandâ sibi à Deo rectâ Ecclesiæ administratione implorâsset: miserunt imprimis Romani [g] legatos ad eum, qui & de officiis ac dignitatibus urbanis quædam reformari peterent, & accessum in Urbem suaderent, Iubileique celebrationis reductionem ad annum quinquagesimum deposcerent. Quâ de re extat etiam egregium Francisci Petrarcæ [h], nomine Urbis & Ecclesiæ Romanæ ad eumdem carmen, cùm fuisset unà cum aliis missus Avenionem; ut ipsemet ad Urbanum V. testatur. Ad quæ Pontifex de officiis quidem satisfaciens, accessum quoque in Urbem percupere se, verùm nondum præstare posse, respondit: reductionem autem Iubilei concessit, ut dicetur initio anni sequentis, quo ejus illâ de re constitutio promulgata est; nempè sexto Calendas Februarij Pontificatûs sui anno primo. Quam perperàm plurimi huic præsenti anno millesimo trecentesimo quadragesimosecundo assignârunt; cùm nonnisi Nonis Maij creatus sit Pontifex; ac proinde mensis Ianuarij anni primi illius Pontificatûs omninò ad sequentem Christi annum pertineat.

[g] Contin. Bern. Guid.

[h] Petrar. lib. 2. Epist. carm. script.

IV.

Haud porrò ei integrum hoc tempore fuisse Romam petere, satis vel inde intelligitur, quòd Ludovicus Bavarus occasione occupandi Comitatum Tirolensem Margaritæ [i] quam filio suo Ludovico locaverat, Italiæ appropinquans, in eam quoque se descensurum prædicabat. Qui etiam ut par referret Pontifici, quem vidimus [k] Vicarios in nonnullis civitatibus Italiæ Imperialibus constituisse, multos & ipse [l] in ditionis Ecclesiasticæ urbibus Vicarios constituit aut confirmavit. Ad cujus conatus infringendos, misit [m] Clemens Legatos suos in Italiam Fratrem Guillelmum Curti titt. SS. Quatuor Coronatorum, & Aimericum de Castrolucij titt. SS. Silvestri & Martini Presbyteros Cardinales, qui Principes Italiæ adversùs eum fœdere devincirent. Ac præterea ut processus Sede Apostolica in eumdem olim promulgatos rursùm evulgarent, omnibus ubique Antistitibus datis literis pridie Nonarum Augusti injunxit. Eidémque inhærentes pari pœna percellens, inter

[i] Supr. an. 1340. V.

[k] Ibid. II.

[l] Blond. 2. dec. 10. Platin. in Clem. VI.

[m] Regest. Clem. VI. an. 1.

QUÆDAM HUJUS ANNI CLEMENTIS GESTA.

alios Henrico Archiepiscopo Moguntino, censuras adversus Bavarum publicare detrectanti diem dixit decimum sextum Calendas Novembris.

V.

Interque multa alia quæ idem Pontifex in beneficium Ecclesiæ præstitit [n], ad tertium Calendas Iunij Ioannem-Davidem Armenum ex monacho Archiepiscopum suffecit defuncto Martino Edessenorum Archiepiscopo. Quarto Calendas Iulij, Petro Lusiniano Hugonis Regis filio, ut *Elias* (familiâ [o] de Nabunal, patriâ Petragoricensis, professione Minorita, dignitate Nicosiensis Archiepiscopus, id temporis ad Patriarchatum etiam Ierosolymitanum evectus, móxque à Clemente Cardinalis sancti Vitalis factus) potestatem ei faceret in matrimonium assumendi Ecchivam Rupini Monfortij filiam, gradu sanguinis ei conjunctam, indulsit. Et *Gerardum* Ministrum Generalem Minorum ad Patriarchatum Antiochenum, & administrationem Ecclesiæ Cataneensis in Siciliâ evexit. Comitantibus divinissimam Eucharistiam, cùm ad ægros deferretur, decem dierum indulgentiam concessit.

[n] *Ibid. & inde ap. Bzov.*
[o] *Friz. in Gal. Purpur. sub. Clem. VI.*

VI.

Hoc eodem anno decimo septimo Calendas Augusti *Carolus* [p] Hungariæ multorúmque aliorum regnorum Rex, de quo sæpè superiùs, (quem qui priùs Hungari invitè receperant, posteà satis laudare nequiverunt ob multas virtutes Christiano Principe dignas, quibus inter orbis Principes pace belloque maximè enituit,) diem suum obiit in Castro Vvissegradensi, anno pacificæ suæ receptionis trigesimo secundo, major quinquagenario: delatúsque est ad sepulturam Regum Hungariæ in civitatem Albam-regalem: cujus pompam funeris descripsêre Ioannes Thurosius & Antonius Bonfinius Rerum Hungaricarum scriptores. Successit ei *Ludovicus* major filius, annum tantummodò decimum septimum agens, jam etiam anteà designatus successor Polonici regni à Casimiro Rege ipsius avunculo, quòd liberis careret, consentientibus regni Antistitibus atque proceribus. Qui quidem ex voto & pietate ac devotione parentis in sanctum Ludovicum Minoritam Episcopum Tolosanum patruum suum, susceptus (ut putatur) cum subsecutis fratribus, iis qui præcesserant citò sublatis, magnitudine animi, religione, aliísque virtutibus parenti haud impar extitit. Qui & primis regni sui annis rebelles quosdam populus armis aggressus, ad debitum obsequium reduxit; Casimiro Polono suppetias contra Ioannem Boëmiæ Regem tulit; Tartaros Transilvaniam invadentes repulit; Croatas domuit: solis Venetis ejus aciem retundentibus, cùm eos ad obsidionem Iaderæ civitatis Dalmatiæ, quæ ab iis ad Hungaros, ut sæpè aliàs, defecerat, cum ingenti exercitu adortus, magnâ acceptâ clade re infectâ recessit, quod contigisse ponitur anno 3146. De cujus ceteris rebus gestis inferiùs sæpè agendum.

[p] *Thuros. Chron. Hungar. par. 2. cap. 99. Bonfin. 1. dec. 9. ad fi.*

CAROLI REGIS HUNGARIÆ OBITUS.

LUDOVICUS EIUS FILIUS EGREGIUS PRINCEPS SUCCEDIT.

VII.

Mortuus item est hoc eodem anno *Petrus* Trinacriæ, hoc est insulæ Siciliæ Regem agês, sexto Idus Augusti, ut Fazellus [q] habet, seu ut Surita quintodecimo Calendas Septembris in oppido Calataxibettâ; sepultúsque Panormi, postquàm regnum tenuisset ab obitu patris ultra quinquennium: cùm paulò antè Mylas Siciliæ urbem ab exercitu Roberti Regis obsessam frustrà liberare conatus fuisset; quæ mox post ejus obitum Roberto se dedidit. Rem pluribus describit Villanius [r]; breviter Surita; cùm Fazellus Mylas vivo Petro captas, & ab eodem ipso recuperatas, more suo evagatus narrat: quas nonnisi post quadriennium in potestatem filij Petri rediisse, idem Villanius [s] docet. Suffectus est autem Petro Ludovicus filius quinquennis; coronatus & unctus Panormi à Ioanne Tolono ex instituto Minorum Andrevillensi in Peloponneso Episcopo Catalano; quòd Panormitanus aliíque Siculi Antistites, ob interdictum Romani Pontificis quo universa Sicilia tenebatur, id muneris exercere recusarent. Intereà verò cùm Ludovici ætas imperij molem non sufferret, Ioannes Dux Randatij ejus patruus, & Petri Regis testamento & Procerum consensu vicario nomine regnum administrandum cepit. Quo paulò pòst in ægritudinem incidente. Paliciorum familiæ Messanæ potentissimæ factione, prædicti Ioannis Ducis hostium implacabilium, ipsa urbs Messana ad rebellionem concitata est: sed convalescente Duce ad pristinum obsequium reducta, quod pluribus auctores describunt [t]; è quibus Villanius reductionem urbis lentitudini Roberti Regis in mittendis auxiliis, seu avaritiæ adscribit: qui si promptè & validè suis succurrisset, & Messanam & totam Insulam facilè obtinuisset.

PETRI REGIS TRINACRIÆ OBITUS

[q] *Fazel. 2. dec. 9. cap. 4. in fi.*
[r] *Vill. lib. 11. cap. 127.*
[s] *Id. lib. 12. cap. 68.*
[t] *Vill. lib. 12. cap. 13. Fazel. Ibid.*

VIII.

Quo eodem anno narrant plerique Chronographi, tantam fuisse æstate aquarum inundationem ferè per totum orbem, tam à pluviis ortam, quàm undecumque, etiamque in cacuminibus montium scaturientem, ut in multis civitatibus navigiis eundum esset, aliis in muros navibus scanderetur, pontes & turres infinitæ corruerint.

INGENTES AQUARUM INUNDATIONES.

IESV CHRISTI Annus 1343.

CLEMENTIS VI. Ann. 2.

VAC. IMP. ROM. Ann. 30.

IOAN. PALÆOL. V. An. 3.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecimâ, die vigesimo septimo Ianuarij, sive sexto Calendas Februarij ut diximus anno superiori [a], Clemens Pontifex tum rogatus à Romanis, tum considerans propter vitæ hominum brevitatem paucos ad annum centesimum pervenire, quo Bonifacius sacrû Iubileum constituerat, cupiénsq; quamplurimos hujus Indulgentiæ fieri participes, ut Fidelium augeretur devotio; fides splenderet, spes vigeret, charitas vehementiùs incalesceret, (ut ipse loquitur Constitutione [b] eâ de re editâ) ad exemplum Iubilei Mosaïci, ad annum quinquagesimum, quo numero tam in Veteri quàm Novo Testaméto multa mysteria comprehenduntur, fiebántque in Synagogâ debitorum relaxationes, reducendum

[a] *An. super. III.*
[b] *Cap. unigenitus, extravag. com. de pœnit. & remiss.*

CLEMENS PONT. IUBILEUM AD ANNUM L. REDUCIT.

indixit. Qua de re valdè Clementem commendatum fuisse ab universis Christianis, Villanius [c] scribit. Ad id verò permotum etiam ipsum fuisse quadam visione ei noctu apparente, traditur aliis literis Indictionis ejusdem Iubilei, quas recitat Albericus à Rosate [d] egregius Iurisconsultus tunc vivens, qui Romam ad hanc Iubilei indulgentiam unà cùm uxore & tribus filiis peregrinatum se esse tradit. Verùm quòd eas literas haud fuisse authenticas; sed magis fictitias, nec usu servatas, tam ipse Albericus, quàm etiam sanctus Antoninus [e] scribant; ideò de iis ulteriùs agere prætermittimus.

[c] *Vill. lib. 12. cap. 10.*
[d] *Alber. in Diction. Iur. verb.* Iubil.
[e] *Ant. in Sum par. 1. tit 10. cap. 3. §. 6.*

II. AGIT IN LUDOVICUM BAVARUM.

Post quæ idem Pontifex pridie Iduum Aprilis, in Ludovicum Bavarum contumacem invectus, publicè coram ingenti populi multitudine omnes Ioannis XXII. processus & censuras in eum latas confirmavit atq; renovavit, omníq; honore & dignitate privatum declaravit: ac Treverensi Archiepiscopo ceterísq; Electoribus mandavit, ut se ad alium Imperatorem designandũ disponerent. Henricum autem Archiepiscopum Moguntinum impensùm ei faventem anathemate damnavit, rursúmq; ad dicendam causam diem illi dixit; eò magis noxæ reo, quod fuerat [f] ab Apostolicâ Sede plenâ auctoritate contra Cleri Moguntini intercessionem in eam Sedem introductus. Ludovicus [g] autem, hinc cupiens reconciliari, missis ad hoc legatis tam ad Pontificem, quàm etiam ad Philippum Francorum Regem qui opem suam aliàs ei spoponderat; (à quo tamen ipsum in his derelictum fuisse, quinimmò & in gratiâ ipsius Pontificem hæc in Ludovicum egisse, auctores Germani queruntur) illinc à schismaticis seductus, cùm nec Imperij titulum in Pontificis arbitrio (quod præscribebat Pontifex) deponere, nec jam ferè illum retinere posset; inops consilij, impos animi, variè fluctuavit: quousque alius demùm in ejus locum suffectus est; de quo, aliísque intereà rebus ad ejus causam spectantibus, dicetur inferiùs pro ratione temporum.

[f] *Trithem. in Chron. an. 1328.*
[g] *Argentin. in Chron. Naucler. gener. 45. Mut. lib. 24 & alij.*

III. MICHAEL CESEN. MORITUR POENITENS.

Hoc verò interim anno Michaël Cesenas, ejus pervicaciæ olim ardentissimus incentor, jam tandem pœnitens decessisse dicitur [h]. Ad cujus pœnitentiæ exemplum resipiscens quoque Franciscus Esculanus, cujus doctrinâ & auctoritate Michaël fuerat seductus, Avenionem accedens anno [i] proximè consequenti, errati sui veniam poposcit; obtinuítque post retractationem his verbis factam, quam Clemens Pontifex communem esse voluit etiam ceteris Michaëlis sectatoribus, qui à censuris absolvi vellent. *Ego Frater Franciscus de Esculo Ordinis Minorum, recognoscens veram Catholicam & Apostolicam fidem, fateor me illam fidem firmiter credere & tenere, quam sacrosancta Romana Ecclesia, quæ mater est omnium Fidelium & magistra, tenuit & docuit, tenet & docet, & quam sanctissimus in Christo Pater Dominus Clemens Papa VI. cum sacro Cardinalium Collegio tenet & docet. Et præcipuè credo & teneo, cùm etiam Scriptura sacra in plerisque locis hoc asserat, Redemptorem nostrum & Dominum nostrum Iesum Christum ejúsque Apostolos nonnulla habuisse; & quòd asserere pertinaciter, quòd Christùs & Apostoli nihil habuerint in proprio vel communi, est erroneum & hæreticum: & quòd Christus & ejus Apostoli habuerunt in rebus quibus usi sunt, jus utendi, & faciendi ea quæ Scriptura sacra testatur eos fecisse; & quòd usus non possit esse justus absque omni jure utendi; & quod in præmissis fel. record. Ioannes Papa XXII. rectè & Catholicè definierit in constitutione suâ quæ incipit*, Cùm inter nonnullos, *quam reputo Catholicam; & contrarium tenere post decretalem, & ejus publicationem, pertinaciter, ore & corde profiteor, prout ipse in dictâ suâ constitutione declaravit, erroneum & hæreticum fore. Et doleo, & me pœnitet, quòd umquam aliquid scripserim, dixerim, vel fecerim contra ipsam; & specialiter verbis excessivis, quæ credens zelare pro Ordine meo adversus præfatum Dominum Ioannem scripsi, dixi, vel feci: & peto veniam, gratiam & misericordiam de præmissis. Et confiteor dictum Dominum Ioannem toto tempore quo regimini Vniversalis Ecclesiæ præfuit, verum & Catholicum Papam fuisse; & ipsum Catholicè, & ut verum & fidelem Christianum vixisse & obiisse. Et hanc meæ fidei brevem confessionem & annotationem juro; & suppono correctioni, & emendationi ac suppletioni ejusdem sanctissimi Patris, & Domini nostri Papæ Clementis VI.* Hæc ita anno sequenti.

[h] *Vuadding. hoc an.*
[i] *Id. an. 1344.*

FORMULA RETRACTATIONIS SCHISMATICORUM.

IV. ROBERTI REGIS NEAPOL. OBITUS.

Ad principium verò præsentis, nempè decimonono Ianuarij, (ut Villanius habet: [k] variãt enim errantes quidam) supremum diem obiit Neapoli *Robertus* Rex Siciliæ, de quo sępè superiùs; postquam regnâsset ab obitu patris annos triginta tres menses octo dies quindecim vixisset sexaginta quatuor; non octoginta, ut corruptè apud eumdem auctorẽ legitur. Qui verò non adverterunt eum annos numerare (quod jam monuimus) ab Incarnatione Domini, Roberti obitum collocant anno præcedenti, quoniã ipse anno 1342. tribuit. Fuisse porrò Robertum prudentiâ & sapientiâ mirabilem, (adeò ut Baldus celebris ejus temporis Iurisconsultus sapientiâ Regi Salomoni comparaverit) justum, benignum, religiosum, philosophicis etiam ac Theologicis facultatibus instructum, armis item bellóque insignem, & maximis rebus gestis memorabilem; omnes consentiunt, nisi quòd eum vitio peculiari senectutis, sub finem vitæ avaritiæ fuisse deditum, idem Villanius tradit. Extat de illo carmen funebre Petrarchæ [l]; & præter literas ad eum scriptas, plura alia de ejus virtutibus elogia [m]. Inter quæ illud insigne, quòd cùm aliquando audîsset Regem Francorum indignè ferre filium suum primogenitum studiis incumbere; generoso spiritu infremens, & toto corpore cohorrescens, in hanc vocem proruperit: *Sic sunt judicia, & studia hominum, ac voluntates variæ. At ego juro dulciores, & multò chariores mihi literas esse quàm regnum: & si alterutro carendum sit, æquanimiùs me diademate quàm literis cariturum.* De ejus verò doctrinâ ait, fuisse *sacrarum Scripturarum peritissimum, philosophiæ charissimum alumnum, oratorem egregium, incredibilem physicum: poëticam autem non nisi summatim attigisse*

[k] *Vill. lib. 12. cap. 9.*

EIUS EGREGIÆ LAUDES.

[l] *Petr. lib. 2. epist. carm. script.*
[m] *Id. Rer. memor. lib. 1. cap. 1. & 2. lib. 3. cap. 3. & alibi frequenter.*

gisse; *cujus* (inquit Petrarcha) *ut sæpè dicentem audivi*, *in senectute pœnituit*. Sepultus est ibidem Neapoli magnâ pompâ, & ingenti omnium dolore, in Ecclesia monasterij S. Claræ à se constructi; & in habitu S. Francisci, quem octiduo [n] ante obitum, omissâ professione in manibus Ministri Terræ Laboris, in infirmitate decumbens sumpserat.

[n] *Vvadding. hoc an.*

V. FRATRIBUS MINORIBUS COMMITTITUR CUSTODIA SEPULCHRI DOMINICI.

Cùm enim ei Ordini fuisset unà cum Sanciâ conjuge addictissimus, eorum quoque fuit opus, ut magnis sumptibus & multis laboribus à Soldano Ægypti & Syriæ, sub cujus dominio Palestina erat & sancta civitas Ierusalem, obtinuerint ut Fratres Minores commorari possent intra Ecclesiam S. Sepulchri Dominici; & in sacro monte Sion eisdem extruxerint monasterium pro convictu duodecim Fratrum, quibus obsequio trium ministrorum prædicti Reges omnia abundè suppeditabant. Id enim disertè testatur diploma Clementis Pontificis datum undecimo Calendas Decembris anno superiori. Cujus est etiam aliud eâdem de re ad Generalem & Ministrum Terræ Laboris. Ex quibus ij refellantur, qui hæc sub Clemente Quinto facta scripsêre. Quo verò tempore id obtentum à Soldano fuerit, non exprimitur iis diplomatibus, sed tantùm id jam diù factum traditur. Ut fortè referri debeat ad tempus, quo vidimus [o] Nauclerum asseruisse custodiam Sepulchri Dominici à Soldano fuisse Franciscanis commissam. De quo disputant alij [p].

[o] *An. 1336. in fi.*
[p] *Vvadding. ibid.*

VI. IOANNA ROBERTI NEPTIS REGNAT.

Quòd autem Robertus nullos liberos reliquerit, post ejus obitum ex supremâ ipsius voluntate, jam olim, ut vidimus, declaratâ *Ioanna* ipsius ex filio Carolo neptis, quindecim annos nata, proclamata est Regina, unà cum *Andrea*; sive Andreasso ab Italis vocato, ejus sponso Hungaro; quamvis hunc solo titulo Ducis Calabriæ insigniri debere Robertus statuisset. Quibus etiam ob minorem regno administrando ætatem, præcipuos proceres gubernatores constituerat ad beneplacitum Ecclesiæ Romanæ, cujus regnum beneficiarium erat. Sed quæ mox rerum mutatio facta fuerit, quámque diversa regni facies sub Hungaris cuncta ad se trahentibus; ac potissimùm Fratre Roberto præceptore seu curatore Andreæ, instituti S. Pauli primi Eremitæ, homine sub lacero habitu insolentissimâ arrogantiam ferente; Summótius [q] narrat, eò verò elegãtiùs Petrarcha [r] qui vidit, quò prolixiùs in hoc mõstrũ cucullati hominis invectus est, qui quicquid divini aut humani juris esset pollueret.

CONFUSIO REGNI.

[q] *Summont. lib. 3. cap. 4.*
[r] *Petrar. 5. ep. famil. 3. ad Ioan. Card. Columm.*

VII.

Qui etiam cùm ut auctoritatem suam tueretur, scripsisset ad Ludovicum Hungariæ Regem Andreæ fratrem, ut Neapolim accederet uxorem ducturus Mariam alteram Roberti Regis filiam; hoc præsentiens Carolus Durratij Dux filius Principis Achaiæ olim fratris Roberti Regis, Mariã sibi quamvis reluctante ejus matre conjunxit; obtentâ tamen priùs (ut Villanius ait) dispensatione à Pontifice quò posset regno succedere si fortè Ioanna moreretur. Et sunt qui tradunt [s], cavisse Robertum testamento suo, ut hæc Maria soror Ioannæ nuberet prædicto Ludovico Regi, aut uni ex filiis Ioannis Ducis Normanniæ filij Philippi Valesij Francorum Regis. Pontifex autem cùm ob teneram Andreæ & Ioannæ ætatem, tum ob ceteras turbas quæ regnum occupàrunt, confirmationem eorum & inaugurationem distulit; jusso interim Aimerico Cardinale, de quo suprà [t] regni curam gerere. Quod cùm Ioannæ consiliarij ægrè ferẽtes, induxissent eam oratores ad Pontificem mittere, petituros ne sibi coadjutorem daret; respondit nihilominùs Clemẽs, se id & posse & debere facere velléque omninò ita fieri: prout patet ex ejus hâc de re datis [u] literis hoc eodem anno 1343. Pontificatûs 2. die vigesimâ Octobris. Sicuti nec cùm interim Elisabetha [x] Polona relicta Caroli Regis Hungariæ, mater Andreę, femina pientissima, Neapolim accessisset ad filium nurúmque visitandos, indéque Romam devotionis ergô peregrinata fuisset; potuit nihilominùs per nuncios à Clemente coronationem filij impetrare: quæ re infectâ in Hungariam rediit anno sequenti. Quo demùm ad finem mensis Augusti jubente Pontifice Ioanna ab eodem Aimerico coronata est Regina Siciliæ & Ierusalem, Dux Apuliæ, Princeps Salerni, Capuæ, Provinciæ, & Forcalquerij, & Comes Pedemontis obtentâ à Sede Apostolicâ investiturâ regni certis conditionibus, post homagium præstitum, & juratam fidelitatem: ut patet ex literis [y] Pontificiis, & archivo Neapolitano [z]: sed tamen remanente adhuc Andreâ cum solo titulo Ducis Calabriæ, & viri Reginæ.

[s] *Sammarth. Hist. Franc. lib. 19. cap. 1.*

PONTIFEX SUSCIPIT EIUS CURAM.

[t] *An. super. IV.*
[u] *In Collect. Archiep. Auxit.*
[x] *Thuros. par. 3. cap. 4. Bonfin. 2. dec. 10.*

IOANNA CORONATUR.

[y] *Reg. Clem. VI. an. 3. 6. Non. Iul.*
[z] *Ap. Summont. lib. 3. cap. 4.*

VIII. SANCTIA ROBERTI VIDUA RELIGIONEM INGREDITUR.

Intereà verò Sanctia Aragonia relicta Roberti Regis, filia olim Regis Baleariũ, magnæ sanctitudinis femina, tædio affecta confusionum regni, quod adeò compositũ sub viro viderat, post actum viduitatis debitæ annum (ut in ejus epitaphio [a] dicitur) transitoria cum ęternis commutans, bonis suis omnibus in alimoniam pauperum distributis, monasterium S. Crucis, opus manuum suarum (præter quod etiam multa alia tam Fratribus quàm Sororibus extruxit) ingressa, vitam in eo beatam duxit secundùm Regulam B. Francisci, accepto nomine Claræ; & tandem vitæ suæ terminum religiosè consummavit, post decem & octo menses ab ingressu religionis.

[a] *Ap. Summont. ibid. & Vvadding. an. 1344.*

IX.

Prædictas verò turbas & confusiones florentissimi anteà regni visa est prænunciare (ut Villanius [b] scribit) sævissima ac repentina tẽpestas; quæ quãquam torũ mare Tyrrhenum & Adriaticum dirè commovit demissa à Vulturno vento, præcipuè tamen plagam Neapolitanam, ipsámque urbem subvertere voluisse visa est: unde & Neapolitanam Petrarcha [c] vocat, qui adfuit capellanum (ut Summontius [d] ait) agens Reginæ Ioannæ, & egregiè ac prolixè eã descripsit. Prævenisse porrò ait instantis mali famam; religioso quodam Episcopo astrorúmq; curioso vicinâ quâdam insulâ, aliquot ante diebus periculum nunciante: sed ut ferè numquã conjecturis ad verum penetrant, non maritimũ, sed terrestrem motum prædixisse, ruituràmque Neapolim ad 7. Calend. Decembris hujus anni 1343. Hunc usque adeò magnis cuncta terroribus implêsse, ut maxima pars populi peccatorum pœnitentiæ intenta omne aliud negotij genus relinqueret, multis econtrà vanos metus irridentibus: Veniente nocte, quam lux suspecta sequebatur, trepidulam feminarum turbam periculi potiùs quàm pudoris memorem, per vicos

[b] *Vill. lib. 12. cap. 26.*
[c] *Petrar. 5. epist. famil. 5. ad Ioan. Card. Col.*
[d] *Sum. ex archiv. Neapol.*

DIRISSIMA ET HORRIBILIS TEMPESTAS NEAPOLI.

plateásque discurrere, atque ad ubera pressis infantibus, supplicem & lacrymosam templorum liminibus obversari. Sub mediam noctē repentè horribili fragore tremere ædificia, religiosos ad ecclesias confugientes, reliquósque omnes altâ voce magnísque ululatibus Dei misericordiā implorare cœpisse cùm jamjam affuturū finem & ruitura circum omnia crederent ab imbre, ventis, fulminibus, cæli fragore, terræ tremore, mugitu pelagi: In portu fœdum ac triste naufragium; sparsos æquore miseros unda saxis impactos, & ceu totidem tenera ova disjectos: totum elisis refertum cadaveribus littus: non cœruleum, aut quod in magnis tempestatibus solet nigrum, sed canum horrifico spumarū candore fretū: Reginam ipsam Ioannam nudam pedes, & incultam comas, & cum ea femineum ingens agmen Reginæ Virginis templa visitasse orantes veniam rebus extremis: Omnis generis naves quæ in portum confugerant consumptas esse cum nautis & vectoribus, ne una quidem unóve salvo; præter unam oneratam latronibus, quibus justum supplicium remissum erat ut in expeditionem Siculam mitterentur: qui quadringenti numero, & viribus pollentes, pertinaciùs obstiterunt usq; ad proximæ noctis partem; quando & ipsi victi, dum desertis armis naufragium expectarent, præter spem & cæli vultus serenari & fessi maris ira lentescere cœpit: Itaque cunctis pereuntibus, pessimos omnium evasisse, sive quia servat multos fortuna nocentes, ut Lucanus ait, sive quia Diis aliter visum est, ut Virgilius, sive ut intelligi detur, illos inter mortis pericula tutiores esse quibus vilior vita est. Ita rem concludit Petrarcha. Damna verò ædium, & tabernarum, ac mercium, omnísq; generis bonorum, quāta fuerint, Villanius etiā colligit: Itémq; & Peræ apud Constantinopolim, cetérisque locis maritimis contigisse tradit. Verùm & locis quoq; mediterraneis fluvios vehementissimè hoc eodem ac superiori anno exundâsse, & ingentia mala intulisse, apud alios auctores reperimus: adeò ut in civitate Coloniensi navibus ad muros scanderetur.

X. VENETIÆ AB ALIA CÆLITIÙS SERVATÆ [e] Sabel. 2. dec. 2. ad fi. [f] Petr. Iust. Hist. Ven. lib. 4.

Ad prædictā verò maris tempestatem pertinere putamus, quę de subitâ aquarum in urbe Venetiarum excrescentiâ Sabellicus [e] habet, & ex eo Petrus [f] Iustinianus; quamvis eam ille triduo ante Martias Calendas ponat; sub Ducatu tamen Bartholomæi Gradonici, qui præsenti anno desiit: cùm alioqui hi auctores in designādis temporibus minùs accurati videantur. Inundâsse autem dicunt hanc nocturnam tempestatem penè totam civitatem: sed divinâ ope supremum ejus excidium discussum esse, piscatore sene miraculum divulgante. Eum enim cùm tempestatem instare vidisset, cymbam semifractam ad ripam S. Marci in tutum appulisse: tum omnia fluctu, imbre, ventóque miscentibus, ad illum tres viros venisse, qui eum rogare cœperunt veluti urgentissimi negotij causâ, ut ad S. Nicolai ædem, quæ est in littore quāprimùm eos vellet trajicere: negante piscatore magnitudine tēpestatis deterrito, tum eo quasi per se ituros confestim in cymbam conscendisse, unáque piscatorē, qui quamvis invitus remigem se iis præbuit: inoffenso cursu per asperos maris fluctus ad ædem pervenisse: Indéque ad portûs fauces conversos, navem cacodæmonum plenam piscatori ostendisse, qui tantam tempestatem ciebant: ac statim divino imperio nave in profundum demersâ, subitam tranquillitatem ortam esse Rei novitate piscatorem attonitum, naulum nihilominùs petiisse: ei unum ex tribus dixisse, iret ad Principem & Patres, à quibus mercedem cumulatissimam habiturus esset; nunciarétque ipsorum operâ civitatem eâ nocte infernali diluvio liberatam: & ut fidem faceret, anulum tradidisse; séque S. Marcum Evangelistam esse urbis parentem & protectorem, reliquos duos SS. Nicolaum & Georgium, quorum sacræ ædes propè erant: iísque dictis ex illius oculis evanuisse: Re à piscatore ut jussum fuerat relatâ, cælitibus circa templa gratias actas, ac piscatori stipendium ex ærario decretum: Creditum autem fuisse, tempestatem hanc venisse ob cujusdam Ludimagistri immane scelus, qui dæmonum se potestati permittens, seipsum domi laqueo suspenderat.

XI. ANDREÆ DANDULI PRINCIPATUS VENET.

Successit hoc ipso anno Gradonico in administratione Reipublicæ Venetæ *Andreas Dandulus*, vir singulari doctrinâ, qui Venetorum gesta eleganti stylo cōscripsit: comísque ad hæc atque naturâ adeò affabilis, ut *Comisini* cognomē traxerit. Unde eum tota civitas admirata, florenti adhuc ætate ad sublimia honorum fastigia evexit; & quod majus est, sextum ac trigesimum tantummodò vitæ annum agenti Principatum detulit, qui nōnisi senioribus conferri consuevit. Extant inter Varias Petrarchæ epistolas, aliquot ad eum, & vicissim ab eo scriptæ invicem: quem & post mortem ejus vocat alibi bonū virum atque integrum, doctum & facundū, & circumspectum & affabilem, & mitem; belli tamen studio ardentiorē, quàm naturæ ac suis moribus conveniret. Meminerúntq; ejusdem cum honore Blondus, Sabellicus Bernardus & Petrus Iustiniani, aliíque. Sub principium verò ejus administrationis Ægyptiaca navigatio à Venetis instituta dicitur; impetrato à Sultano Babyloniæ tuto in Ægyptū navigationis cursu commerciorū causâ; & à Pontifice Romano obtentâ licentiâ illam exercendi, cùm esset alioqui Ecclesię cōstitutionibus omninò prohibita. Sicuti & biennio pòst, Syriæ navigatio pari Pontificis indulgentiâ instituta fuit. Et ab eo tempore ex Oriente in Italiam Veneti aromata, sericum, gemmas, uniones deferre cœperunt, cùm maximo publicarum privatarúmque rerum lucro & incremento.

XII. REIP. FLORENTINÆ MISER EO TEMP. STATUS.

In Etruriâ Florentini valdè premebantur dominatione *Gualteri Brennæ* origine Galli, quem nudo jam titulo Athenarū Ducem vocabāt. Cùm enim illi ad Lucanæ civitatis occupationem à multo tempore totis cogitationibus & viribus ferrentur; & post varia ac multiplicia ad id consequendum cōsilia, fœdera, pacta, bella, tandem obsidentibus illam Pisanis, qui non minùs eam avebant, à Mastino Scaligero ejus detentore magno pretio emissent; nihilominùs ob magnam cladem ignorantiâ Ducum à Pisanis acceptam, in tantam desperationem rerum suarum, simul & vindictæ cupidinem delati sunt, ut ipsummet Ludovicum Bavarum, qui tum Tridenti

erat,

erat, hostem licèt suum olim infensissimum, in auxilium evocârint. Re verò per ejus ignaviam infectâ, cùm intereà Lucam Pisani deditione recepissent; résque valdè conturbatæ Florentiæ essent, cives redeuntem tunc fortè ex Galliâ prædictum Athenarum Ducem, qui jam aliàs cum ipsis militaverat, veluti cælitùs missum, dominum urbis ineunte Iunio anni præteriti creârant in annum, paulóque pòst infimæ plebis ac potentiorum quorumdam res perditas cupientium favore, ad vitam sine ullâ exceptione. Qui tamen mox tanta superbiâ, auaritiâ, sævitiâ principatum, seu potiùs tyrannidem exercere cœpit; ut pluribus in eum conjurationibus factis, demùm auctore Angelo Acciaiolo civitatis Episcopo, insurgente universo populo, in arce obsessus, vix deditione factâ ineunte Augusto præsentis anni, sequestre eodem Episcopo vitam servaverit: qui post renunciatam dominationem abire permissus, in Apuliam se recepit. Indéque in Galliam abiens, querelas gravissimas apud Regem contra Florentinos posuit, adeò ut eum impulerit legatos Florentiam mittere satisfieri Gualtero postulatum: cúmque Florentini per suos oratores excusarent, atque satisfacere abnuerent, obtinuerit demùm à Rege clarigationem in bona & personas omnium Florentinorum qui per Galliam forent; unde ingens eis damnum accidit. Rem memoratu dignam, tam in populorum quàm principum admonitionem & documentum; belláque quæ diximus cum Pisanis à Florentinis gesta: atque urbis Florentiæ post Gualteri expulsionem reformationem; contentionésque inter populum & nobilitatem, valdè prolixè narrant Ioannes Villanius [g] ejus civis, qui videbat; necnon Auctor Pistoriensis qui propè erat; itémque qui pòst vixerunt Leonardus [h] Aretinus, S. Antoninus [i] & alij: tyrannidem verò Gualteri etiam *Ioannes* [k] *Bocacius* Certaldensis; qui tum pariter vivebat insignis orator, poëta, philosophus, & astronomus. A quâ tamen excusatur à nonnullis; nisi quòd severiorem se in aliquibus exhibuisse volunt, virum alioqui prudentem & magnanimum: quem & posteà Ioannes Francorum Rex Conestabulum creavit.

GUALT. BRENNA EAM PREMIT.

g Vill. lib. 11. cap. 129. usque ad fi. & lib. 12. cap. 1. usque 24. itémque cap. 33. 35. 56.
h Leon. lib. 6.
i Ant. tit. 21. cap. 7. & 8.
k Bocac. lib. 9. de casib. vir. illustr. cap. 24.

XIII. MAGNA SOCIETAS LOMBARDIÆ.

Prædictus verò Pistoriensis observat prætereà; cùm post factam pacem inter Florentinos & Pisanos, equites Germani utriusque partis stipendiarij accepta missione ducem sibi elegissent quemdam Garnerium; & assumpto sibi nomine *Magnæ Societatis*, Lombardiam, & Romandiolam miserè vastassent; accepto demùm magno auri pondere in sua se recepisse: Garnerium autem inter suas deprædationes, quò majori terrori populis esset; supra vestem suam ante pectus hujusmodi titulum apposuisse, *Dux Garnerius dominus Magnæ Societatis, inimicus Dei, pietatis & misericordiæ*. Sed huic auctori non tutè soli creditur de rebus extra patriam gestis: quem non pauca ex auditu tantummodò vulgi operi suo adtexuisse animadvertimus.

XIV. ANGLI QUERUNTUR DE VEXATIONIB. CURIÆ ROM. CIRCA BENEFICIA.

Hoc item anno dolentes Angli quòd sæpè Pontifices non solùm primos fructus beneficiorum ecclesiasticorum vacantium sibi decernerent, verùm etiam beneficia ipsa majora & minora monasteria, Episcopatus, vel exteris, vel iis qui à suis semper functionibus abessent donarent; necnon pensiones in Cardinalium usum super iisdem beneficiis constituerent: ex Comitiis [l] regni literas ad Clementem Pontificem miserunt, quibus rogârunt à præmissis imposterùm desistere, quòd ea in magnum detrimentum Anglicanæ Ecclesiæ vergerent. In eámque sententiam Rex Eduardus scribens [m] Pontificem enixè rogavit his malis mederi, eò maximè quòd iis jus patronatûs quod tam ipse Rex quàm alij nobiles in ipsa beneficia haberent, penitùs tolleretur. Et præcesserat recens provisio facta duobus Presbyteris Cardinalibus nuper ab eo creatis, Ademaro tituli sanctæ Anastasiæ, & Gerardo tituli S. Sabinæ, utrique Lemovicensi, de beneficiis in Anglia vacantibus aut vacaturis, usque ad certam summam pro eorum sustentatione constituendam. Ad quæ procuranda cùm Cardinales procuratores suos in Angliam misissent; ministri & officiales regij eos primùm in vincula conjectos, deinde è regno cum ignominia ejecerant. Qua de re valdè quæstus est Pontifex apud Regem Eduardum literis datis quinto Calendas Septembris, quas recitat Walsinghamus, unà cum prædictis regiis.

l Bzov. ex cod. Vatic. de Reb. Anglic.
m Rec. ep. Walsingh. in Eduar. III.

XV.

Quo eodem anno Petrus Aragoniæ Rex qui cùm Baleares insulas sui juris esse aliàs disputâsset [n] réque cum Iacobo earum Rege tunc adhuc puero per nuptiarum fœdera composita multo tempore quievisset; jam deserto sacro Maurico bello, summa iniquitate ac perfidia, diráque dominandi cupidine in transversum actus, eumdem Iacobum propinquum & affinem suum, incautum nihílque minùs cogitantem, multis confictis criminibus, parricidiali bello impetiit. A quo hec precibus & legationibus Pontificiis, nec aliorum propinquorum officiis dimoveri valens, transmisso mari utramque insulam occupavit. Bellúmque post hæc in ditionem ejusdem Iacobi Ruscinonem transferens, ita pacem promisit, si de summa rerum liberum de se déque universo statu statuendi jus Iacobus permitteret. Cùm autem is anno proximo permisisset, veniámque præteritorum ad pedes supplex petiisset, ac fallacibus verbis obtinuisset; nihilominùs majori perfidia, eum infami judicio omni honore & dignitate regia spoliavit, annuo vectigali constituto unde vitam sustentaret. Qui his in desperationem actus, ad Philippum Regem Francorum recurrens, in renovandi belli sumptus jus omne principatûs civitatis Montispessulanæ, quod Episcopis Magalonensibus olim subtractum, ad Reges Aragonios pervenerat; & quasdam alias terras quas possidebat in regno Franciæ, pretio centum vel centum & viginti millium aureorum vendidit: postremóque (ut quidam addunt) Perpinianum unà cum Comitatu Ruscinonensi eidem oppigneravit: (ex quo, regno & avitis ditionibus atque fortunis eversus, *Clarentij* nomen sortitus est apud Hispanos:) bellóque repetito antiquas ditiones magnis conatibus invadens, nihil tamen aliud quàm vitæ exitium peperit, quinque pòst annis, nempè anno 1349. in majori Baleari acie ab Aragoniis victus cæsúsque. Filij tum ipsius tum Ferdinandi fratris paulò ante belli tempus defuncti, alieni criminis & ipsi, si quod tamen

n Marian. lib. 15. cap. 18. in fi.

REX ARAG. PROPINQUUM SUUM SUMMA INIQUITATE SPOLIAT.

ALIA SÆVA EIUS FACINORA.

crimen fuit, ab immiti Rege pœnas luerunt, capti, profugi, egeni, sine lare familiari vagantes. Nec in his quiescens pravo & inquieto Rex ingenio, bella ex bellis serendo quibus imperium amplificaret, etiam in proprium fratrem germanum Iacobum iram vertit, ac demùm veneno sustulit; & intestinos in Aragoniâ & Catalaniâ motus excitavit, alio ipsius fratre Ferdinando acriter ipsi adversante. Quæ cuncta pluribus prosequuntur, & crudelem acerbitatem Petri vehementer damnant ipsimet Hispanicarum rerum scriptores [o] Surita, Mariana, alij. Sed similium facinorum frequentia in iis Regibus, & hunc excusare apud iniquos poterit, si innatâ familiæ fraude & ambitione fimbrias suas dilatare quæsierit.

[o] *Surit. Indic. lib. 3. Mariam. lib. 6. cap. 12. & 13. Hier. Blanc. de Reb. Arag. Marth V. ll. lib. 1. cap. 30.*

XVI.

Qui nec à sacris manus abstinens, eodem tempore falsis quorumdam suggestionibus Episcopum Gerundensem & Canonicos regno ejecit. Quos cùm exsaturatâ irâ revocasset supplex Pontifici fuit, ut Bernardo Cardinali tituli S. Cyriaci in Thermis Legato quem Pontifex in Hispaniam ad mitigandum ejus furorem miserat, facultatem daret ipsum absolvendi. Quod indulgentissimus Pontifex annuit scriptis literis quarto Idus Aprilis, quæ ipsius Regesto continentur. Mensèque Augusti sub ejusdem Regis ditione Cerveræ Ilergitani agri Provinciæ Tarraconensis oppido infante [p] gemino capite quatuor cruribus nato; cùm prodigium, unde perniciem rebus portendi superstitiosi homines sibi persuasêre, infantis morte averruncari placuisset; miser vivus sepultus est. Sed quòd parentibus consciis id scelus commissum fuit, in eos uti in parricidas more majorum animadversum est.

MONSTROSUS INFANS VIVUS SEPELITUR.

[p] *Surit. ibid. Marian. cap. 11.*

XVII.

Eodem anno inter cetera quæ Clemens Papa de rebus Ecclesiasticis egisse reperitur [q] Henricum Patriarcham Constãtinopolitanum Latinum Sedis Apostolicæ Legatum Constantinopolim misit ad procurandam unionem, quã Ioanna Augusta è domo Sabaudâ toto nisu promovebat. Guidonis Regis Armeniæ oratores suppetias contra Saracenos postulantes benignè recepit, & ad Regem Francorum remisit. Ianibech. Imp. Tartarorum, gratiis habitis ob favores Christianis præstitos, ampliùs rogavit ut ab iisdem protegendis non desisteret. Ut festum S. Martialis, sicut de uno Apostolorum, solemni ritu in provinciâ Aquitaniæ celebraretur: potestatem fecit. In festivitate sacrosanctæ Eucharistiæ & octo diebus sequentibus, iis qui divinis officiis interessent, indulgentias complures largitus est. Magnum Sueciæ Regem, quòd Egilum Episcopum Arosiensem propter falsificationem sigilli regij persequeretur, atque de eâ re literas Pontificias quasi is factum laudâsset, comminisceretur, reprehendit. Sed & bellica pro fide curans, adversùs Turcos Thraciam & Insulas adjacentes incursantes Cruce prædicari [r] jussâ init ipse fœdus cum Rege Cypri ac Venetis. Vocatósq; etiam in societatem milites Rhodios seu Hospitalarios, admonuit [s] priùs crimina ipsius injusta eluere, quibus accusabantur, nec solùm ab exteris, verùm etiam à nonnullis suorum, neglectâ defensione aut propagatione religionis Christianæ, luxui tantùm & lasciviæ indulgere: adeò ut non deessent, qui partem bonorum illis detrahendam, & novam Religionem militarem ex iis erigendam decernerent. Cùm igitur & ipsi sex triremes armâssent, paratáque esset valida classis, præfecit ei Pontifex supradictum Henricum Patriarcham cum titulo Legati à latere, & amplis facultatibus etiam spiritualibus. Quid verò ab iis præstitum fuerit, dicetur anno sequenti.

[q] *Reg. Clem. an. 2. & inde ap. Bzov. & Vuadding.*

QUÆDAM PONTIFICIS GESTA PRO UTILITATE ECCLESIÆ.

[r] *Trithem. in Chron. Hirsaug.*

[s] *Bos. Hist. Hospital. 10. 2. lib. 2.*

XVIII.

Cùm autem & Calo-Ioannes junior Imperator Græcorum unà cum prædicta ipsius matre Ioanna (Annam Græci vocant) ad eumdem Clementem nuncios misissent auxilia adversùs eosdem barbaros postulatum; eâ occasione benè usus Pontifex, præter subsidia quæ diximus, etiam eosdem Principes, necnon Ioannem Patriarcham Grecum, aliósque Prælatos Principes populósque, hortatus est ad unionem Ecclesiæ: Promittens quoque, si id fieret, auxilia adversùs Cantacuzenum Imperij invasorem. Quæ cùm pateant ex literis Papæ Clementis, quæ extant in ejus Regesto, meminit prætereà ipse Cantacuzenus [t] literarum ab Apocauco Magno Duce subdolè ad eumdem Clementem Papam Annæ Augustæ nomine scriptarum; quibus significaret, se, quamvis Græcorum Imperatori nupta simulare coacta fuisset, cogeretúrque ejus fidem ac religionem, dogmata tamen Romanæ Ecclesiæ colere ac venerari; voluisséq; statim à viri sui obitu populos Imperij ad ejusdem Ecclesiæ Romanæ fidem & unionem reducere, sed bellis urgentibus impeditam fuisse: rogaréque ut contra hostes eam pro viribus adjuvaret, quibus subversis Romanę Ecclesiæ ritus & doctrinâ publicæ professura esset: Clementem Pontificem his maximoperè lætatum, Imperatricem de constanti voluntate laudâsse, inque eâ confirmâsse & quantum in se esset opem laturum promisisse: Literas porrò Augustæ nomine Apocaucum fraudulenter ad Papam finxisse, ut Clementis accepto responso, si minùs Augusta quæ ipse adversùs Cantacuzenum moliretur probaret, per utrasque prædictas literas publicè ad populum lectas, eumdem populum adversùs eam uti ritûs Latini fautricem, & adversùs ejus liberos concitaret. Cetera posteà.

IOANNÆ AUG. AD CLEM. PP. LITERÆ.

[t] *Cantacuz. lib. 3. cap. 87.*

IESV CHRISTI Annus 1344.
CLEMENTIS VI. Ann. 3.
VAC. IMP. ROM. Ann. 13.
IOAN. PALÆOL. V. An. 4.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, Indictione duodecimâ, cùm missi à Ludovico Bavaro legati ad Clementem Pontificem & Philippum Francorum Regem (quod anno superiori innuimus) pro absolutione quibuscumque demùm conditionibus impetrandâ. Humbertus Delphinus, ipsius Ludovici avunculus, Augustensis, & Bambergensis Ecclesiarum Præpositi, & Ulricus ipsius Cancellarius; duras has conditiones à se ejus nomine approbatas retulissent; ut scilicèt confiteretur omnes hæreses & errores de quibus accusabatur; resignaret Imperium, non resumendum nisi ex gratiâ Pontificis; séque ac filios suos, bona, & universum statum suum in manus & voluntatem Pontificis reponeret;

CONDITIONES ABSOLUTIONIS LUDOVICO BAVARO A PONT. PROPOSITÆ.

aliáque

aliáque multa de statu Imperij insolita faceret: iis acceptis Ludovicus, & ad Electores, ceterósque Imperij principes ac civitates transmissis; cùm intellexisset ferè omnes vehementi inde indignatione commotos, Conventum Francofordiæ habuit mense Septembri. Quo cùm ipse præseferret paratum se esse Pontifici obtemperare, si ipsis ita videretur; de plerorumque consilio decretum est, prędictas conditiones nequaquàm acceptandas esse, utpotè in perniciem & destructionem Imperij, & contra juramentum tam ab ipsis quàm à Ludovico Imperio præstitum, conceptas: mittendósque ad Pontificem & collegium Cardinalium legatos, rogatum ut ab iis desisterent: Si verò nollent, alium conventum celebratum iri in Rentz super Rhenum diœcesis Treverensis, ad deliberandum cum ipso Ludovico quid porrò agendum, & qualiter hujusmodi conatibus resistendum esset. Missi legati rem Pontifici retulêre. Cúmque pariter intellexisset Pontifex, nullum eos secum tractandi mandatum habere, sed tantùm quid statutum fuisset referendi; prædicta omnia in suî derisum & contumeliam, à prioribus legatis qui conditiones acceptârant, quàm à Ludovico qui liberam ei facultatem omnia promittendi tradiderat, ac novissimè à Conventu Francofordiano, gesta esse accipiens: jam animo factus in Ludovicum exulceratior, & de justa sacræ majestatis ultione seriò cogitans, Regem Francorum hortatus est auxilium Ecclesiæ ferre: atque cum Ioanne Rege Boëmiæ ejúsque filio Carolo, qui læsi fuerant à Ludovico in raptu Comitissæ Tirolis, cúmque Archiepiscopo Treverensi Ioannis fratre, de Bavaro penitùs ab Imperio exturbando majori solicitudine tractare cœpit. Quâ de re dicetur posteà. Prædicta autem sic gesta narrantur ab Alberto [a] Argentinensi, Nauclero & Mutio auctoribus Germanis, in Ludovici excusationem propensissimis. Interim verò Pontifex processus contra eumdem Ludovicum ab Ioanne XXII. factos iterum ubique publicari præcepit [b].

Quid de iis actum a Ludovico et Electoribus.

[a] *Argent. in Chron. Naucler. gener. 45. Mut. lib. 24.*
[b] *Reg. Clem. ep. 24. an. 3.*

II. *Smyrna capitur a Christianis.*

Quo etiam anno classis Pontificia ac sociorum, quam superiori memoravimus, maritimam Asiæ oram legens, oppressis multis barbarorum navigiis in Ioniam appulsa, Smyrnam totius olim Asię celebratissimam civitatem subita oppugnatione occupavit, cæsis ad internecionem incolis, & amplissimis spoliis adeptis. Aderant Pontificius Legatus Patriarcha Constantinopolitanus Latinus; pro Venetis Petrus Zenus, pro Genuensibus Martinus Zachariæ duces. Contra quos ingentem mox exercitum Sultanus ducens, civitatem adortus, cùm ob egregiam loci munitionem, tum ob fortissimam obsessorum propugnationem, aliquot menses irritâ operâ trivisset, simulato receptu in palantes ex eruptione Christianos insperato impetu prorumpens, multos occidit; & inter eos Patriarcham, Zenúmque, & Martinum, ac Marescalcum Regis Cypri, cùm Patriarcha rei sacræ impendens operam numquam adduci potuisset ut eam desereret. Haud tamen barbari Smyrnam occupare potuerunt quæ in Christianorum potestate multos annos permansit. Rem porrò gestam ceteris illius temporis prolixius narrat Villanius [c] & necem Patriarchæ ac sociorum in festo S. Antonij decimo-septimo Ianuarij anni sequentis accidisse tradit, cùm præsenti capta fuisset Smyrna, & à Soldano obsessa. Qui & necem subdit Regis Armeniæ, illatam ei à suis Baronibus, quòd cùm uxorem haberet filiam Principis Tarentini, magis delectaretur consuetudine Latinorum quàm Armenorum. Occupationis autem Smyrnæ meminit etiam Cantacuzenus [d] prædicti Sultani amicissimus, quem Amurium vocat, & potentissimum Persarum Satrapam fuisse ait; Persas vocans Turcos, ut totâ semper historiâ. Villanius autem prædictum Sultanum vocat Marbascianum, corrupto, ut putamus, vocabulo. Est porrò mentio hujus expeditionis etiam in Epistolis Clementis Papæ [e]; cùm accepto ab Andreâ Dandulo Venetorum Duce nuncio occupationis Smyrnæ, post gratias Deo actas, Senatum rogavit ut prędictum Petrum Zenum triremium ipsorum præfectum adhuc militare juberent, cùm ejus cladem nondum intellexisset, seu tardiùs ea acciderit quàm à Villanio ponitur, ut etiam Cantacuzenus significare videtur. Quos autem prætereà progressus circa Insulas & oras maris Mediterranei tam Veneti quàm Genuenses seorsùm egerint his iisdem temporibus narrant illorum auctores, meminítq; idem Cantacuzenus. Ex quibus novæ ortæ inter eos discordiæ, de quibus posteà. Et ut observat etiam Continuator [f] Belli sacri de hâc ipsâ expeditione agens, quicquid per centum integros & ampliùs annos ad restituendas res Syriæ intentatum administratúmque fuit strenuè, id omnes Venetorum Genuensiúmque discordiâ evanuit deperiítque.

[c] *Vill. lib. 12. cap. 38.*
[d] *Cantacuz. lib. 3. cap. 68. & 95.*
[e] *Regest. Clem. Non. Inn. & prid. Id. Aug. an. seq.*
[f] *Cont. Bel. sacr. lib. 5. cap. 19.*

III. *Algezira capitur ab Alfonso Rege Castel.*

In Hispaniâ cùm Alfonsus Rex Castellæ Algeziram prope Tariffam ad fretum Gaditanum nobilissimam urbem, ac firmissimum Mauricij Imperij propugnaculum, terrâ maríque obsidere cœpisset tertio Nonas Augusti anni 1342. minoribus copiis quàm quæ intra urbem erant, auxiliis deinde pecuniarum à Clemente Pontifice & Philippo Francorum Rege ac subinde validâ manu Gallorum, Anglorum, ac Navarrorum adjutus; (*Philippo* ipso Rege Navarræ ad castra concedente ubi morbo correptus, ad sua recedens obiit Cæsariani mense Septembri anni Superioris 1343. successore relicto *Carolo* filio, de quo sæpiùs agendum inferiùs:) post multos labores, ac varias difficultates, repulsósque frequenter Mauros, qui tam ex Africâ quàm Granatâ suppetias ferre conati sunt; tandem deficiente omninò annonâ, hoc præsenti anno septimo Calendas Aprilis deditione accepit, Mauris incolumibus cum rebus suis abire permissis, pactísque cum eorum Regibus decennalibus induciis. Rem gestam ptolixiùs narrat Mariana [g] breviùs & nonnihil secùs Villanius [h]. Sequenti deditionis die Rex Alfonsus in urbem solemni supplicatione ingressus, proximâ luce templo maximo Mahometanæ superstitionis sordibus expiato, S. Mariæ Palmæ nomen indidit, quòd Dominicus Palmarum dies esset: in quo ingenti omnium lætitiâ & gratulatione sacra ritu Christiano peracta sunt: illúdque Pontifex post grates Deo de tantâ victoriâ actas, in cathedralem ecclesiam erexit, dato diplomate decimoquarto Calendarum Augusti.

Philippi Regis Navar. obitus.

[g] *Mar. lib. 16. cap. 10. & 11.*
[h] *Vill. lib. 12. cap. 30.*

IV.

Hoc autem prætereà bello duo memoranda

[i] Mar. ibid. cap. 9

VECTIGAL ALCAVALÆ HISPANICUM.

accidisse idem Mariana scribit. Unum [i] quòd ad sumptus ejus primò institutum est in Hispaniâ vectigal Alcavala dictum, re & voce à Mauris hostibus mutuatâ, vigesimæ rerum venalium, definito tamen tempore dum Algeziræ obsidio duceretur: unde Hispanicæ immunitatis opprimēdæ initium factum sit, quod posteà bello civili inter Petrum & Henricum fratres auctum [k] est in decimam rerum venalium nullo tempore designato. Alterum memorandum est, quòd [l] eodem bello Algezirico obsessi Mauri dicuntur ferreos globos cum igne & fragore pulvereque tormentario ejaculati esse. Quod si verum sit, Bombardarum inventio antiquior dicenda fuerit quàm putatur; aut *Bertholdus Schvvaris* sive Niger, monachus qui tormentarium pulverem invenisse dicitur antè vixisse: quem nihilominùs non nisi circa annum Domini 1355. vel etiam ut plures ponunt 1380. tartareum suum inventum produxisse in Germaniâ tradunt: qui si rebus sacris, & suæ religionis cultui tam operam dedisset quàm alienæ scientiæ, non hanc pestem in orbem invexisset. Cujus inventor, sive is fuerit seu fortè alius, dignus existimatur, qui ut Perillus taurum æneum, ita ipse tormenti à se inventi vim in corpore suo experiri debuisset. Ejus namque usus cùm Mauris fuerit priùs cognitus, eumdémque post biennium usurpâsse Anglos contra Francos prælio Cresciacensi, visuri simus auctoritate Villanij qui tum vivebat, dicendus magis videtur Bertholdus aliorum inventum auxisse ac perfectius reddidisse, sicuti facile est inventis addere, ac primò Germaniæ communicâsse. Ut omittamus quæ de vetustissimo bombardarum usu apud Sinas testantur qui de iis scripserunt. Ut facilè credi possit (quod etiam Iovius [ll] opinatus est) hujus artis exemplum per Scythas, Tartaros & Moscos ad nos pervenisse. Dicta autem est *Bombarda* à voce Græcâ βόμβος quæ sonum significat. Tormenta Latiniores vocant ab antiquâ vocabuli in bellis significatione, quæ verè tormenta sint ad exitium hominum adinventa. Quod inventum cùm plerique omnes uno ore ut tartaricum damnent, unicum reperimus Mutium, qui in suo Chronico [m] Germanico in eos invehi non dubitaverit, qui illud ut perniciosum abjicere ausi sint; absque quo scilicèt foret, nemo à prædonibus tutus incedere valeret; qui ex arcibus ad montes positis itinerantibus insidiantes, haud possent idē absque hoc invento, quo ejusmodi arces facilè disjiciuntur, ejici; nec proinde urbes tam potentes & opulentæ essent; quæ mercaturam exercere nequirent. Præclara sulphurei ac tormentarij cerebri argumentatio, quam cuilibet expendendam, seu potiùs irridendam relinquimus.

[k] Id. lib. 17. cap. 8
[l] Id. d. c. 11.

DE BOMBARDARUM INVENTORE.

[ll] Iov. hist. lib. 14.
[m] Mut. lib. 28.

V. **SALIS VECTIGAL INTRODUCITUR.**

V. Quod verò tangit vectigalia à Marianâ memorata; eodem quoque fermè tempore Philippus Rex Francorum, cum plurimùm pecuniæ absumeretur bello Anglico, in ejus usum novum vectigal instituit [n] ex Sale, lege cavens ut imposterùm nulli privato sal emere à quoquam liceret præterquàm à fisco; horreáque publicanis suis certa attribuit quę res Gallicæ plebis animos non parum ab eo alienavit, quòd sal pluris vendi cœperit quàm consuevisset. Existimatum autem est ingeniosum istud inventum; quo nemo liber esset à tributo: abiitque posteà in exemplum ad ceteros ubique Principes, ob ingens ex hoc, ut ita dixerim, necessario singulis elemento emergens emolumentum. Quod tamen haud recentis inventi fuisse, sed antiquissimis etiam Romanis usurpatum, constat ex Plinio [o] & Livio [p] cùm ille scribit Ancum Martium quartum Romanorum Regem Salinas instituisse: iste, Livio Censori inditum esse cognomen Salinatori, quòd vectigal novum ex annonâ salariâ statuisset ut jam de aliis taceam, cùm non sit instituti hæc tractare. Tantùm monemus, hinc Philippum Regem ab Eduardo Anglo haud illepidè vocari solitum auctorem Salicæ legis, & mercatorem salis; quemadmodùm econtrà ipse Eduardum Lanæ mercatorem appellabat, qui cùm nihil lucri in patriâ suâ faceret, alienos populaturus agros advolaret, & Lanæ commercio Belgas sibi obstrictos teneret.

[n] Contin. Nang. an 1343. Gaguin. lib. 8.
[o] Plin. lib. 31. cap. 7.
[p] Liv. 3. dec. 9.

VI. Olysipone [q] in Lusitaniâ, terra horrendo fragore movit, magnâ mortalium trepidatione, ædificiis concussis, templi maximo fornice collapso. Et fuisse dicitur culpa Regis; cui emendandæ hanc fortè divina justitia monitionem inferre voluerit, quippe qui multa bona Ecclesiæ Portugallensis & jura Petri Episcopi per injuriam occupâsset; de quorum restitutione reperitur à Clemente Pontifice commonitus epistolâ prid. Id. August. ad eum scriptâ.

[q] Marian. lib. 12. cap. 11. ad fi.

TERRÆMOTUS IN LUSITANIA.

VII. Hoc item anno Clementem Pontificem in Consistorio publico Ludovicum de Hispaniâ, unum de Oratoribus sive legatis Regis Francorum, Principem creâsse *Fortunatarum Insularum*, sumpto themate *Faciam Principem super gentem magnam*; Walsinghamus [r] Anglus scribit. Quâ de re Petrarcha, qui tum Avenione rei gestæ interfuit, ait [s] Clementem Fortunatis insulis, ad quas jam anteà Genuensium armata classis penetraverat, Principem dedisse Hispanorum & Gallorum Regum mixto sanguine generosum. (Erat namque prædictus Ludovicus Comes Claromontis, filius Alfonsi Cerdæ cognomento Exheredis, de quo suprà [t]) eóque die quo coronâ ac sceptro per urbem spectandus incederet, repentè tantum cælo imbrem affluxisse, ipsúmque ita domum madidum rediisse, ut omen esset incubuisse illi verè pluvialis & aquosæ patriæ principatum. Concessit autem illas ei Pontifex Regis nomine eâ lege, ut barbaris gentibus Christianæ religionis lumen inferendum curaret, eásque jure beneficiario ac sub annuo censu ab Ecclesiâ Romanâ in feudum possideret. [u] Observántque nonnulli, suspicaces Anglos hæc adversùs se fieri autumantes, eò quòd ipsorum Insula una esset ex fortunatissimis totius mundi; sibi inde cavere statuisse, ignoratione statûs harum Insularum. Iacent autem illæ egressis Gaditani freti fauces ad lævam in mari Atlantico numero septem, ab occasu ad ortum ordine porrectæ. Quæ maxima est *Canaria* vocatur à multitudine [x] canum ingentis magnitudinis: & ab illâ ceteris eadem appellatio facta. Solum frugibus & pecori bonum: advectorum autem cuniculorum multitudo tanta, ut exitio vineis & segetibus sit, advexisséque pœniteat. In eâ verò cui Ferrariæ nomen, nulla terrâ aqua præter eam quæ ex arboris foliis liqui-

FORTUNATARUM INSULARUM REX A CLEM. PONTIF. CONSTITUITUR.

[r] Walsi. g in Eduard. III. & alij.
[s] Petrar. de Vit. Solit. lib. 2. sect. 6. cap. 3.
[t] An. 1304. XII.
[u] Reg. Clem. an. 3. ep. 9.
[x] Plin. lib. 6. cap. 32.

tur.

tur. Et tradit idem qui suprà Petrarcha, gentem illam præ cunctis fermè mortalibus solitudine gaudere, moribus tamen incultam, adeòque nō absimilem belluis; ut naturæ magis instinctu quàm electione sic agētem, non tam solitariè vivere, quàm in solitudinibus errare, seu cum feris, seu cum gregibus suis dicas: Denique multa de illis Insulis scribi & ferri, propter quæ non plenè Fortunatarum cognomini terrarum fortuna conveniat. Et Walsinghamus, earum incolas nec fuisse tunc Christianos, nec de sectâ Mahometi. Quando verò, & per quos, subjugatæ fuerint, ac fidem susceperint, dicetur suis loci. Ludovicus autem prædictus, quem dehinc Fortunæ Principem nominarunt, quamvis classem comparaverit, nunquam tamen trajecit; ab eâ expeditione retractus funestâ clade ad Cresciacum ab Anglis post biennium Philippo Francorum Regi illatâ, cui Ludovicus maximè acceptus & charus erat. Ex quo per filium ejus Ioannem propagata dicitur illustris familia Cerdarum in Castellâ. Fuisse porrò & alias Insulas utroque mari tam Oceano quàm Mediterraneo eodem nomine Fortunatarum à diversis auctoribus insignitas, docet Ortelius in Thesauro suo Geographico.

VIII. PRAGA BOËMIÆ ERIGITUR IN ARCHIEPISCOPATUM.

Inter alia insuper quæ à Clemente Pontifice hoc ipso anno ipsius Pontificatûs tertio gesta vel statuta dicūtur; ponitur à Rebdorffio [y], & à Michovio [z] erectio Ecclesiæ Pragensis in Boëmiâ in Archiepiscopalem, cùm anteà subesset metropoli Moguntinæ. Idque Michovius ait Ioannem Boëmiæ Regem à Clemente Pontifice obtinuisse interventu Philippi Francorum Regis; & Arnestum tunc Episcopum Archiepiscopali & pallij honore insignitum esse. Attributum item est ei ut deinceps jus haberet coronandi Reges Boëmiæ, cùm priùs id Moguntini esset. Et ut puto rem juvit, quòd Archiepiscopus Moguntinus partes Ludovici Bavari impensiùs foveret. Sunt porrò qui hæc tribuant Carolo Ioannis filio: sed plures & antiquiores Ioanni ipsi, quod ita poterit conciliari, ut vivente quidem Ioanne id factum fuerit, sed Carolo procurante, qui nihil unquam omisit, quo Pragam, universamque Boëmiam, tam in spiritualibus quàm temporalibus illustrare posset. Præstitit insuper Clemens hoc eodem anno ut Aurei Numeri correctionem [a] curaverit: & Iudæis signum [b] quo à Christianis distinguerentur assignaverit, quod jam olim in concilio Oecumenico Lateranensi [c] sub Innocentio III. statutum, atque etiam anteà pluribus locis observatum vidimus.

[y] Rebdorff. in Annal. [z] Michov. lib.4 c.23. in fin.

[a] Ep. 305. an.3. [b] Ep.881. [c] Conc. Lat. sub Innoc. III. cap.68.

IX. PUER QUIDAM A' LUPIS EDUCATUS.

Reperimus quoque in Additionibus monachi Erffordiensis ad Lambertum Schafnaburgensem, hoc anno quendam puerum in partibus Hassiæ in Germaniâ esse deprehēsum, qui, sicut ipse retulit, cùm trium esset annorum à lupis captus & in silvam delatus, ab iisdem ita educatus est ut ex quâcumque prædâ lupi semper meliorem partem ipsi traderent; tempore verò frigoris foliis arborum aliisq; herbis veluti lectum ei adornantes, eúmque circundantes à frigore defenderent. Manibus verò & pedibus repere, ac secum currere docentes, velocitatem eorum saltúsq; æquabat. Qui demùm ab hominibus captus, lignis alligatus erectus incedere humano more edoctus est: ac nihilominùs sæpiùs dicebat, si licuisset, multò cariùs se cum lupis conversaturum quàm cum hominibus.

IESU CHRISTI Annus 1345.
CLEMENTIS VI. Ann. 4.
VAC. IMP. ROM. An. 32.
IOAN. PALÆOL. V. Ann. 5.

I. CLEMENTIS PONT. VARIA GESTA.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, Indictione decimatertiâ, Clemens [a] Pontifex (ut aliàs singulis ferè annis) diras Ecclesiasticas in Ludovicum Bavarum mense Aprili denuò promulgavit. Bertrandum titt. S. Marci Presbyterum Cardinalem Ebredunensem, Apostolicæ Sedis in Italiâ Lagatum instituit, qui populos in officio contineret, ac refractarios ad obedientiam revocaret. Et ne diutiùs Imperium legitimo Imperatore destitueretur, Electores admonuit in unum quantocyùs convenire ad aliquem diligendum, qui probitate, religione, atque justitiâ emineret.

[a] Re Clem.

II. FLORENTINORUM DECRETUM CONTRA CLERICOS.

Quo eodem anno mensibus Aprilis & Maij (ut Villanius [b] ponit) Priores populi Florentini qui Rempublicam administrabant omnes ex minutis artificibus electi, duas leges tulerunt, quibus apertè patet fuisse tunc civitatem in arbitrio multitudinis imperitæ. Unam (inquit Leonardus [c] Aretinus de his agens) in clericos iniquam, per quam omnibus eorum privilegiis derogabatur; alteram in cives ingratam, per quam dona ac munera hactenùs quibuscumq; meritis à populo tradita in irritum vocabātur. Quales verò fuerint prædictæ leges, pleniùs describit Villanius. Et priori contra clericos latæ, dedisse causam ait nonnullos potētes clericos, qui ecclesiasticâ immunitate abuterentur in sæculares impotentes. Ac proptereà inter alia dictæ legis capitula decretū fuisse, ut quicumq; clericus reus alicujus criminis in laicum esset, deberet tam in personâ quā bonis puniri à magistratu sæculari: Et ut si quis clericus vel laicus impetraret à Sūmo Pontifice vel Legatis Apostolicis literas delegationis alterius judicis, non solum à nullo magistratu admitterentur; verùm etiam parentes ac propinqui impetrantium pœnis corporum & bonorum cogerentur operari ut impetrantes ejusmodi privilegio renunciarent. Accessisse his mense Martij anni proximi, ut cùm Petrus Aquilanus ex Ordine Minorum Inquisitor Fidei apud Florentinos, homo superbus ac pecuniosus, occasione creditæ sibi facultatis à Petro Gemesij Cardinale Hispano, quasdam pecuniarum summas ibidem Florentiæ sibi debitas exigendi, quemdam ex debitoribus è palatio publico fide Priorum prodeuntem à suis & Inquisitionis apparitoribus comprehendi jussisset; excitato tumultu, capti apparitores jussu Priorum, quòd majestatem suam læsam dicerent, manibus truncati fuerint, & exilio decennali proscripti: Secedentem Senas Inquisitorem excommunicationem in Priores, interdictum in urbem protulisse, nisi intra sex dies debitorē à suis apparatori-

[b] Vill. lib.12. c.42. & 43. [c] Leon. Aret. hist. Flor. lib.7.

INQUISITIONIS VIOLATIO.

bus captum, & à populo ereptum restituerent: Facta à Prioribus appellatione ad Papam, missos esse oratores qui eos excusarent, & Petrum multorum criminum accusarent: Atque intereà alia decrevisse Priores in diminutionem auctoritatis sacri officij Inquisitionis, ad modum Perusinorum, Regis Hispaniæ, & multorũ aliorum Principum ac Communitatum. Ex aliâ verò parte instigatione prædicti Inquisitoris qui Avenionem abiit, & Petri Cardinalis ipsius fautoris, diem fuisse dictam apud Sedem Apostolicam Episcopo Florentino (erat is Angelus Aciaiolus, patriâ Florentinus, professione Dominicanus; quem Villanius ejus concivis nimiæ in his remissionis animi accusat; sui Instituti scriptores [d] excusant, ac morum ejus & vitæ sanctitudinem prædicant, (atque aliis Prælatis qui interdictum non servâssent; necnon Prioribus ceterísque magistratibus prædictarum turbarum auctoribus seu complicibus: missósque rursùm alios ad Pontificem oratores ad hæc reparanda. Ita Villanius. Quorum malorum quæ ad multos annos perdurârunt, fortè prænuncia fuêre prodigia illa, quæ his iisdem temporibus ibidem Florentiæ accidisse, idem auctor describit [e].

[d] Leand. de vir. ill. Ord. Præd. lib. 3. Bzov. an. 1346.

[e] Vill. lib. 12. cap. 55

III. Clemens Pont. Andream Ioannæ Neapol. virum Regem declarat.

Quod cetera attinet; cùm anno præcedenti (ut antè [f] declaravimus) Ioannæ Roberti Regis Siciliæ ex filio nepti Clemens Pōtifex per Legatos administrationem regni concessisset; & Ludovicus Hungariæ Rex pro Andreâ fratre suo prædictæ Ioannæ viro, qui solo Ducis Calabriæ titulo ex Roberti ordinatione insigniebatur, apud eumdem Pontificem interpellare non cessaret, ut eum non tantùm thori sed & sceptri consortem esse juberet; nec verò ut Ioannæ maritum, sed ut hæredem Caroli Martelli, ad quem regnum prærogativâ natalium pertinuerat, coronaret: Et contrà Carolus Duratij (olim Dyrrachij) Dux Ioannæ patruelis, cùm ceterorum consanguineorũ Principum, tum præcipuè Philippæ Catanensis consiliis incitatus, ut regnare ipse posset, Andreæ adolescenti negotium apud Sedem Apostolicâ faceret: Ac demùm nihilominùs Pontifex, post diligenter discussam à Cardinalibus quibus rem commiserat causam, eidem Andreæ regnũ decrevisset, & Guillelmum Episcopum Carnotensem ad eum ritè inungendum & inaugurãdum Neapolim ire jussisset: Cùm, inquam, hæc præcessissent, contigit decimo-quinto Cal. Octobris præsentis anni Andream Aversæ (Atellæ olim dictæ) infelici exitu vitam terminare. Quippe quem nocte concubiâ Ioannæ conjacentem, à conjuratis evocatum ut Neapolim quantocyùs properaret ad quemdam motum subitò exortum; statim atque thalamo exivit conjurati correptum laqueo ad aulæ podium prospectum ad hortum habens appenderunt, & pedum attractione strangulârunt; atque in subjectum hortum ejecerunt, cogitantibus per noctis obscurum sepelire, rémque aliquâ ratione occultare. Quando ad casum dejecti cadaveris excita quædam cubicularia gente Pannonia, conclamánsque, conjuratos in fugam ex timore conjecit. Ioanna porrò ut crimen occisi mariti à se amoliretur, Neapolim summo mane revertens post ejulatus muliebres universis Regni proceribus coram, ac per literas imprimis Clementi Pontifici & Ludovico Hungariæ Regi, deinde reliquis Principibus Christianis innocentiam suam persuadere contendit. Corpus Andreæ Neapolim delatum, in Ecclesiâ majori honorificè sepultum est.

[f] An. 1343. VII

Andreas noctu strangulatur.

IV. Cujus culpa id patratum.

Rem gestam diligentiùs descripsit Villanius [g] tunc Florentiæ vivens, & in Ioannam omnem culpam derivans, sed, ut ait, ex relatione cujusdam Hungari factâ ipsius Villanij fratri; ac proinde suspectâ, tanquam Ioannæ inimici. Cujusmodi est etiam testimonium Collenutij, hominis alioqui satis maligni, & ut in plurimis apparet historię quam tractandam suscepit valdè ignari. Sanè ut recentiores [h] omittam, qui Ioannam sceleris innocentem faciunt; ex iis qui tum vivebant & propè aderant Petrarcha [i] & Bocacius [k] libertate eloquij insignes, non Ioannæ, sed Principibus ac proceribus regni crimen impingunt; inde in eum conspirantibus (ut expressiùs Bocacius narrat) quòd jam præcognitam in se regij juvenis severitatem, meritam quoque fortè nequitiarum suarum indignationem timerent si semel regni habenas suscepisset. (Quod & ipsum asseritur in Vitâ Clementis Pontificis à Bosqueto editâ.) Execrabile facinus primò civitatem, inde regnum omne in turbationem atque clamorem in parricidas excivisse: cúmque impetu primo juvenes quidam Calabri olim cubicularij Andreæ truci supplicio morti traditi essent, actum esse ut Hugoni Comiti Avellino consensu omnium procerum committeretur tanti sceleris conscios perquirere, & compertos pro arbitrio judicare. Idque impigrè ipsum præstitisse, nonnullos proceres, illustrésque feminas diris suppliciis excarnificando; ac præcipuè cujus casûs causâ ad hanc narrationem Bocacius devenit, Philippam Cathinensem, è pannorum lotrice ad Reginæ propemodùm fastigium evectam, ejúsque progeniem. Sunt porrò qui dicant Ioannam in contemptum viri devenisse, tum ob subbarbaros mores Hungariæ, tum ob ignaviam, & quòd usu Veneris libidini ejus non sufficeret adolescens tunc annorum unde viginti. Prægnans tamen ex eo remanens, mense Decembri subsequente puerum peperit; quem de nomine patris ejusdem Andreæ, Carobertum vocavit.

[g] Vill. lib. 12. cap. 50.

[h] Cõstant. de reb. Neapol. Costa in Suplem. ad Collenut.

[i] Petrar. 6. epist. famil. 5. ad Barbat. Sulmon.

[k] Bocac. 9. de casib. vir. ill. 26.

V. Clemens PP. rebus regni providet.

Ne verò Andreâ interfecto Regnum Siciliæ per Ioannæ impotentiam, & intestina dissidia quæ mox eruperunt, aliquo modo periclitaretur; Clemens Pontifex Aimericum Cardinalem, de quo superiùs, Vicarium in temporalibus ibi esse voluit; quoad constaret an Ioanna Regina nocẽs innocénsve parricidij esset; injungens etiam eidẽ ut in reos inquireret: cùm ubi primùm Andreæ necem audisset, publico Patrum consensu, vehementiùs indolens, seséque in culpam [l] vocans quòd tamdiù distulisset regnum ei decernere, anathema in parricidas, auctores, administros, & quoscumque cõscios strinxisset, dignitatibus & honoribus privâsset, bona publicâsset, Comitem Novellum Balziũ rei inquisitioni præfecisset; nihil omninò prætermittens quod tanti sceleris indagationi & animadversioni, etiámque in Principes ipsamméque Reginam si crimini affines detegerentur, faceret: alios etiam sub-

[l] Vill. ibid.

inde

inde destinans, qui administrationi regni intenderent: ut de his constat ex pluribus ab eodem Pontifice scriptis ad diversos literis quæ extant in ejus Regesto: necnon ex Villanio [m], & aliis. Quid verò postmodùm secutum sit, decitur suis locis.

[m] Id. cap. 51. Summont. lib. 3.

VI. BELLUM RENOVATUR INTER FRANCOS ET ANGLOS.

Intereà recrudescente bello inter Francos & Anglos, (utrisq; invicem conquerentibus de violatione induciarũ) Eduardus Rex Angliæ missis in Vasconiam ducentis navibus cum egregiis copiis, (quæ debellatis aliquot certaminibus Francis, multa oppida occupârunt) ipse cum filio Eduardo ac totidem navibus Sclusas in Flandriã applicuit mense Iulij, spe impetrandi à Flandris ut filiũ suum in Comitem ac dominum acciperent, tractatu eâ de re habito cũ Iacobo Artevello factiosissimo illo [n] patriæ suæ subversore. Qui cùm id Gandavensibus persuadere conaretur, tumultu in eum concitato occisus est unà cum fratre & nepote, ac multis aliis ex amicis & fautoribus suis, corpúsque ejus insepultum feris absumendum expositum. Rex verò Eduardus iratum plenus ad sua se recepit, quẽ reliqui Flãdri placare studuerunt his rationibus, quòd gens Flãdrica de exheredando Comite (quamvis Regi Francorum deditissimo, ac propterea Anglorum hoste) nihil possent audire: nihil enim ipsis antiquum esse vetustissimo Principum suorum stẽmate: Comitem autem se nequaquàm recepturos, nisi Eduardo tanquam Francorũ vero Regi faceret homagium. Quod tamen Comes semper recusavit, dictitans non priùs id se facturum, quàm regni Franciæ Eduardus esset possessor, Clemens autem Pontifex ut Reges conciliaret, posthæc duos Cardinales misit, Annibaldũ de Ceccano Episcopum Tusculanum patriâ Romanum, & Stephanum Alberti Lemovicensem tituli SS. Ioanis & Pauli Presbyterum: irritâ tamen operâ, quòd Pontifex partes Philippi Francorum Regis cupidiùs amplecti Anglis videretur. De his Villanius [o], & Frossardus [p], Annales Belgici [q], & historici [r] Franci atque Angli. Ceterùm videns Pontifex nihil se legationibus & hortationibus proficere, divinam opem impetrandam censens, datis literis Idibus Novembris omnes Prælatos Ecclesiarum (exemplo [s] Benedicti XII. decessoris sui) ad publicas preces pro impetrandâ à Deo inter Christianos Principes concordiâ hortatus est: quarum formulam Rubens [t] habet.

[n] Supr. an. 1337. V. 1338. VII.

[o] Vill. lib. 12. c. 46. & 60.
[p] Froiss. lib. 1. c. 116.
[q] Ægid. de Roya, Meyerus lib. 12. & alij.
[r] Æmil. lib. 9. B ll. lib. 5. c. 12. Vval singh. in Eduard. III.
[s] Supr. an. 1340. VIII. in fin.
[t] Rub. Hist. Raven. lib. 6.

VII. NOVA CLASSIS IN ORIÉTEM ADVERSUS TURCOS.

Res etiam Orientales respiciens; post cæsos quos diximus anno superiori ad Smyrnam Patriarcham & duces Christianorum, promulgatâ rursũ sacrâ in Turcos expeditione, exercitui terrestri pręfecit [u] id magnâ instãtiâ postulantem Imbertũ sive Humbertum Delphinum Viennensem; quem propriis manibus Cruce signavit, eidemque S. R. E. vexillum contulit apud Villamnovam prope Avenionem 7. Calend. Iulij, Bertrandus verò Baucius Princeps Cortedonius classis maritimæ in locum cęsi Martini Zacharię suffectus est: Conradus Piccamilius Genuensis triremibus Cypriis præfectus, & Fr. Petrus Arnaldus de Parietibus Hospitalariis: Legationis munere Episcopo Bononiensi delato, & interim Archiep. Candiensi sive Cretensi curâ rei benè gerendæ cum titulo Prolegati commissâ.

[u] Reg. Clem VI. lib. 12. c. 38. ad fin. Vit. Clem VI. Bzov. Hist. Hospit. to. 1. lib. 2.

VIII. DELPHINUS VIENN. DITIONEM SUAM REGI FRANC. CONFERT.

Ceterùm nihil ferè hâc expeditione memorabile gestum, præter incensionem navium Turcicarum. Quare Delphinum, qui [x] jam anno 1343. 9. Cal. Maij, quòd nec liberos nec liberorum spem haberet, (amissâ uxore, atque unico filio) & alioqui ob mitius ingenium minùs aptus rebus bellicis, haud adeò resistẽdo esset Comiti Sabaudiæ quocũ ei bellum erat: pertæsus imperij, ditionem suam, jam antea Romano Pontifici oppigneratam, Philippo Valesio Francorũ Regi affini suo, consentientibus subditis ut potentem Principem haberent, sub quo tutiùs viverent, (& legimus alicubi [y], cùm in comitiis trium Statuum Delphinatûs deliberante de his Humberto, clerus suffragia sua deferret ad Papam, nobilitas ad Regem, populus ad Comitẽ Sabaudiæ; Ioannem de Chisiaco Episcopum Gratianopolitanum virum magni nominis & consilij, Humbertum, qui alioqui propensior esset ad Pontificem inclinâsse ad Regem: atque inde Regem tam ipsum Ioannẽ quàm ejus successores Episcopos Gratianopolitanos constituisse perennes præsides Statuum sive Comitiorum provinciæ: (vendiderat vili pretio quadraginta millium aureorum, & annuâ pensione dum viveret decem millium florenorum, ac retentione certorum castrorum ad vitam, & conservatione privilegiorum subditorum: eáque insuper conditione ut Regis filius, aut nepotum aliquis cui Rex eam provinciam attribuisset, *Delphini* titulum atq; insignia retineret, háncque pactionem iterùm anno 1344. confirmaverat: Demùm post reditum ab expeditione Orientali, eamdem anno 1349. ultimò confirmavit, & dominatione se penitùs abdicavit. Factúsque est primus post eum Delphinus, *Carolus* prædicti Regis Philippi ex Ioanne filio nepos. Ipséque Humbertus regularem vitam professus, Prædicatorum Ordinem Lugduni ingressus est: ac posteà Rege procurante creatus à Pontifice Patriarcha Alexandrinus, (non Aquileiensis, ut Massonus Matthæum Villanium asserere ait, qui tamẽ id non dicit: nec item Antiochenus, ut Rebdorffius) & Archiepiscopatûs Remẽsis perpetuus administrator; & sive honoris causâ, seu fortè ne imposterum posset à pręmissis resilire, nocte Natalis Domini ad omnes sacros ordines promotus: nempè (ut apud Rebdorffium [z] distinctiùs legimus) in primâ Missâ galli cantûs ad subdiaconatũ, in secundâ, Missâ ortûs diei ad diaconatum, in summâ, Missâ ad presbyteratum, qui & eodem die Missam celebravit, & post octo dies fuit ab eodem Pontifice Episcopus consecratus. Decessit autem apud Claromontem in Alverniâ 22. mensis Maij anno 1355. corpúsque delatum est Parisios ad ecclesiam Dominicanorum; ubi & fuerat aliquando Prior, prout constat ex epitaphio ibi ad ejus sepulchrum apposito.

[x] Chron. antiq. ms. Til. in Chron. Masso. Annal. lib. 4. Pl n us Bel. fofor. lib. 5. ap. 15.
[y] Ap. Severt. in Chronol. Lugdun.

FIT DOMINICANUS, ET PATRIARCHA ALEXANDRINUS.

[z] Rebdorff. in Annal. an. 1351.

IX. MIRACULUM DE EUCHARISTIA.

In Annalibus Belgicis [a] ingens reperimus contigisse miraculum feriâ tertiâ ante diem Palmarũ in oppido Amstelredamo, de sacratissimâ Eucharistiâ: quam cùm infirmus quidam diù post sumptionem unà cum alio cibo evomuisset, ac mulier quæ infirmi curam gerebat receptum in vase vomitum in copiosum ignem cõjecisset; eedem Eucharistia postridie reperta est in medio igne qui totâ nocte ar-

[a] Io. à Leid. lib. 28. c. 10.

ferat, æquè integra & alba ac fuerat in manibus Sacerdotis. Ad quam secuta sunt plura alia miracula.

X. COMITIS MONTISFORTIS MORS.

In Armoricâ vitâ excessit *Ioannes* Comes Montisfortis, quem de Ducatu Minoris Britanniæ cum Carolo Blesensi contendisse vidimus. Cui in obitu dæmones apparuisse, tantámque corvorum turbam ejus ædibus insedisse quantam esse in totâ Galliâ nemo existimâsset, nonnulli tradunt [a]. Fuisse namque hominem multis vitiis & criminibus irretitũ, ac præsertim gravissimum pauperum oppressorem; ac propterea adventâsse dæmones ad animam ejus intercipiendam. Quod tamen fabulæ loco alij [b] habent. Et constat fuisse corpus ejus sepultum in ecclesiâ Dominicanorum.

[a] *Gaguin. lib. 8. Massa. in Chron.*

[b] *Bellefor. lib. 5. c. 12.*

XI. IO. CANTACUZ. CORONATUR A PATRIARCHA IEROSOL.

Quod res Imperij Constantinopolitani spectat; hoc eodem anno (ut colligimus ex Cantacuzeno [c]; qui alioqui annos rarò distinguit) duodecimo Calendas Iunias idem Cantacuzenus, quem vidimus in Imperio occupando occupatissimum, cùm jam maximam partem obtinuisset; qui olim Didymotichi propriis manibus tiaram Imperatoriam sibi imposuerat, modò Adrianopoli existens, cùm adesset Lazarus Patriarcha Ierosolymitanus unà cum pluribus aliis Episcopis, voluit ab eodem Patriarcha solemni Imperatorum ritu coronari. Ipséque mox, ut mos tenebat, Irenem conjugem suam coronavit. Habitóque cum Episcopis tractatu contra Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum acerbissimum ipsius Adversarium, eum excommunicari curavit, noménque ejus è sacris omnibus expungi, facto decreto nequis de cetero illũ pro Patriarcha agnosceret. Qui & posteà intra ipsam urbem Constantinopolim, paulò antequàm illam Cantacuzenus ingrederetur, pravorum dogmatum insimulatus, (quippe qui veritatem amplexus in dogmate de quo suprà [d], & Palamam apertè damnaverat, ac pro Barlaamo & Gregorio Acindyno sententiam dixerat) à pseudosynodo schismaticorum Episcoporum in palatio congregata, cui præfuit Anna Augusta unà cum filio Calo-Ioanne adolescentulo, hoc scilicèt superarat miseræ ac periturę Græciæ, ut fœminæ ac pueri, tantùm non in gynæceis, præsiderent Synodis Episcoporum, ac quæstiones fidei decernerent) damnatus est ac throno depositus: prout narrat idem Cantacuzenus [e].

[c] *Cantacuz. lib. 3. c. 92.*

IOANNES PATRIARC. CONSTANTINOP. ABDICATUR OB DEFENSIONEM FIDEI CATHOL.

[d] *An. 1337. X.*

[e] *Cantacuz lib. 3. c. 98. & 99.*

XII. CANTAC. FILIAM SUAM COLLOCAT TURCORŨ REGI.

Qui & per idem fermè tempus unam ex filiabus suis nomine Theodoram Orchani Turcorum Regi uxorem se dedisse scribit [f]; cæremonias recitans, quas in nuptiis filiarum Imperatorum servari consuevisse tradit: quas vix ab alio quocumque auctore descriptas reperias. Ex hujusmodi autem nuptiis satis intelligas, quantæ esset religionis prædictus Cantacuzenus, qui filiam suam impio Turco Mahometanæ infidelitatis propagatori sævissimo collocare nõ dubitaverit. Et, si superis placet, excusat se, ab Amurio alio Turcorum Satrapa persuasum fuisse, in nullum se crimen hac affinitate incursurum. Egregium facinus, & homine dignum Imperij pupilli sui usurpatore; qui vanissimis suis loquacitatibus nihil aliud tota Historia à se cõscripta quæsîsse videtur, quàm ut absolutissimum sese numeris omnibus omnis pietatis, religionis, prudentiæ, sapientiæ, scientiæ, fortitudinis, omniúmque aliarum virtutum exemplar proponeret. Ceterùm de hac affinitate, sicuti nec de multis aliis rebus Orchanis, quas idem Cantacuzenus variis locis refert, quæque ab aliis auctoribus Græcis confirmantur; nihil habet Historia Musulmana à Leunclavio compilata. Ex Phranza [g] autem observes, ex his civilibus motibus factum esse, ut tum primum Turci in Europa, adeóque in ipsa Thracia firmas sedes constituerint; cùm anteà per excursiones tantùm eam attigissent. Quæ omnia posthabuit mirificus iste Cantacuzenus præ effrenata imperandi libidine: miratíque sæpissimè sumus, impiissimum hujusmodi veteratorem invenire potuisse viros religiosos, qui ejus facinora excusarent, aut etiam laudarent.

[f] *Id. cap. 95.*

[g] *Phranz. lib. 1. c. 15.*

IESU CHRISTI Annus 1346.
CLEMENTIS VI. Ann. 5.
CAROLI IV. Annus 1.
IO. PALÆOL. V. Ann. 6.

I. CLEMENS PONT. LUDOVICUM BAVARUM DEPONIT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, Indictione decima quartâ, die Cœnæ Domini, Clemens Pontifex Ludovicum Bavarum pro imperatore se gerentem, sæpè damnatum, nunquam se plenè Ecclesiæ subjicientem, omnes prolatas eatenùs sententias innovando & confirmando, ultimò diro anathemate feriit, omni dignitate privavit, ac fidelitatis sacramento omnes qui se ei adstrinxerant absolvit. Indéque per legatos & literas Electores Imperij monuit, ut tandem aliquando alium in ejus locum eligerent: quod nisi intra præscriptum tempus egissent, se ac Sedem Apostolicam, à qua jus eligendi ad ipsos pervenerat, provisuram. Henricum item Archiepiscopum Moguntinum, jam & ipsum anteà excommunicatione perculsum, omninò deposuit; & in ejus locum Gerlacum Nassovium suffecit, nepotem quondam Adolphi Romanorum Regis, adolescentem viginti circiter annorum.

II. PRO CAROLO BOËMO ELIGENDO SATAGIT.

Cùm autem adessent tunc in Curia Ioannes Boëmiæ Rex, ejusque filius Carolus Marchio Moraviæ, à Pontifice evocati; de eodem Carolo in Imperatorem evehendo tractatum est. Eóque promittente, si eligeretur, rescissurum se omnia ab Henrico avo Imperatore contra Robertum Siciliæ Regem, Florentinos ac Romanos decreta; omnes discordias inter Imperium & Regem Galliarum vertentes arbitrio Põtificis permissurum; necnon auxilia ipsi Põtifici & Ecclesiæ adversus Ludovicum allaturum; omnia à quibuscumque Imperatoribus olim Ecclesiæ Romanæ ac Sedi Apostolicæ donata & concessa confirmaturum, processus contra quoscumq; à Ludovico factos irritaturum; dominia Sedis Apostolicæ intra & extra Italiam non invasurum, sed defensurum, & recuperaturum; atque libertatem Ecclesiasticam integrè servaturum; Urbem Romam ante diem præfixum ad diadema recipiendum non intraturum; ac denique omnia illa facturum & præstaturum quæ

recèns electi Romanorum Reges Apostolicæ Sedi facere & præstare tenentur; dato iis de rebus diplomate Avenione die vigesimo-secundo Aprilis; patréque ejus Ioanne tam jurejurãdo quàm datis literis pariter spondente: His fretus Pontifex eundem Carolum Principibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, civitatibúsque Imperij commendavit: necnon Aconensi Episcopo, ut Balduinum Archiepiscopum Treverensem, ipsi verò Balduino ut reliquos Coëlectores ab omnibus censuris per communicationem cum Ludovico incursis absolveret, commisit.

III. CAROLUS IV. ELIGITUR IN REGEM ROM.

Quare convenientibus in Villâ Rentz diœcesis Treverensis quæ supra Confluentiam ad Rhenum sita est, unà cum prædicto Archiepiscopo Balduino, Walramo Coloniensi, & suprà nominato Gerlaco Moguntino, Rudolpho Duce Saxoniæ, & Ioanne Rege Boëmiæ, ab his quinque Electoribus Imperium diù vacâsse decernentibus, prædictus *Carolus*, annum emensus trigesimum, (natus videlicèt, ut ipse in Vitâ suâ testatur, pridie Idus Maij anno 1316.) multâ prudentiâ & variarum linguarum peritiâ ornatus, (quamvis non adeò excelsi animi, ut in multis apparuit) electus est in Regem Romanorum ejus nominis Quartum circa festum B. Margaritæ mense Iulij: (de certâ die variant auctores:) reliquis duobus Electoribus vel adesse nolétibus, vel fortè non vocatis quòd adhærerent Ludovico. Constant porrò isthæc ex multis, his de rebus scriptis à Clemente Pontifice ad diversos literis, quas servat ejus Regestum: necnon ex auctore Vitæ Clementis, Villanio[a], Argentinensi, Rebdorffio, Nauclero, Trithemio, Mutio, & aliis. Quorum etiam nonnulli tradunt, tum electionem Caroli factam esse procurante Philippo Francorum Rege ipsius affine; tum ex electoribus Coloniensem & Saxonem magnâ pecuniâ inductos fuisse ad Carolum nominandum. Quo tempore Guillelmum Ockamum virulentissimè scripsisse tam cōtra Pontificem quàm contra Carolum, narrat longè illo virulentior falsarius Aventinus.

[a] Vill. lib. 12. cap. 59. Rebdorff. in Annal. Argent. in Chron. Naucl. gen. 45. Trith. in Chron. Hirsaug. & Sponheim. Mut. lib. 24.

IV.

Statim verò atque electus est Carolus, legatos Avenionem misit ad Clementem Pontificem, qui ex formulâ præscriptâ nomine ejus sacramenta præstarent, & jura omnia Ecclesiastica confirmarent, & quantum opus foret innovarent. Quæ illi ultimâ Iulij Avenione præstiterunt[b]. Clemens autem Isembardum Protonotarium Apostolicū ad Carolum misit, qui ab ejus ore & manu eorum omnium confirmationem & assertionem acciperet. Ac post hæc peracta idem Carolus alios procuratores ultimâ die Septembris ad Sedem Apostolicā ire jussit, qui ejus nomine eadem omnia quæ coram Isembardo pollicitus fuerat, confirmarent & signarent. Quæ cùm ipsi præstitissent, tunc demùm Clemens octavo Idus Novembris Pontificatûs anno quinto, (nempè præsenti) decretum[c] confirmationis electionis Caroli dedit: quo post breviter narratam Ludovici Bavari condemnationem, ait se attendentem quòd S. Romana mater Ecclesia per longa tempora suo careret speciali advocato & legitimo defensore, in grande Catholicæ Fidei, & ejusdem atque aliarum Ecclesiarum Reique publicæ præjudicium; Principes tam Ecclesiasticos quàm sæculares, ad quos jus eligendi Regem Romanorum in Imperatorem postmodùm promovēdum pertinebat, Apostolicâ auctoritate monuisse, & districtiùs injunxisse, ut ad electionem personæ idoneæ convenirent invicem: alioquin Apostolicam Sedem, à quâ jus & potestatem hujusmodi ad eos pervenisse constaret, super hoc de opportuno remedio provisuram: Præfatos verò Principes, eos videlicèt, qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, convenientes in unum, post diligentem deliberationem, prædictum Carolum unanimiter & concorditer elegisse: Ipsum autem illam per nuncios suos & procuratores Ernestum Archiepiscopum Pragensem, aliósque in dignitate ecclesiasticâ constitutos, pérque Ademarum de Pictavis militem, ipsi Clementi significâsse; & suam erga Romanam Ecclesiam filialem reverentiam exponendo, inter alia supplicâsse sibi per manus ipsius Pontificis inunctionem & consecrationem impendi, & imperiale diadema imponi: Cúmque tam iidem nuncij & procuratores, quàm alij cùm sæculares tum Ecclesiastici post eos ab eodem Carolo æquè missi, hæc sæpiùs peterent, offeréntque super animam ejus præstare debitè ipsi Pontifici & Ecclesiæ Romanæ fidelitatis & cujuslibet alterius generis juramentum: Se habita de prædictâ concordi & unanimi electione plena certitudine; ac de Caroli fide probitate, & conditionibus omnibus quæ requiruntur in illo qui est electus ad Imperialis culminis apicem, diligenti inquisitione factâ; Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritus Sancti, & Beatæ ac gloriosæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, Beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, exaltationem & honorem Ecclesiæ bonum ac promotionem Imperij, & prosperum statum mundi; de fratrum suorum S. R.E. Cardinalium consilio, ipsum Carolum in specialem suum & Ecclesiæ filiū suscipere; eundémque denominare, denunciare, declarare & assumere in Regem Romanorum promovendum in Imperatorem: ejusque personam approbando, sufficientem & habilem declarare ad suscipiendam Imperialis Celsitudinis dignitatem, ac inunctionem, benedictionem, consecrationem, & coronationem Imperialis diadematis ipsi per manus suas opportuno loco & tempore impendendam: Supplendo quoq; ex certa scientia & de Apostolicæ Sedis plenitudine potestatis, omnē defectum, siquis aut ratione formæ, aut ipsius Caroli vel Electorum personarum, seu ex quavis alia ratione sive causa in eadem electione intervenisset quovis modo: Præcipiendóq; omnibus fidelibus & vassallis Regni & Imperij prædictorum, ut eidem Carolo tanquam Regi Romanorum in Imperatorem promovendo parerent efficaciter & intenderent.

[b] Ext. Acta in Reg. Clement. VI.

[c] Ex Reg. Clem. rec. Bzov. hoc an.

CLEMENS CONFIRMAT EIUS ELECTIONEM.

V. CORONATUR BONNÆ.

Post quæ cùm voluisset Carolus Aquisgranū proficisci, ut ibi de more diadema regium obtineret; haud potuit; eò quòd Aquenses Ludovico adhærerent. Quare Bonnam divertit, & ibi ab Archiepiscopo Coloniensi Regni insignia accepit die S. Catharinæ vigesimoquinto Novembris, ut Villanius[d], Rebdorffius, & Argentinensis habent. Quorum etiam

[d] Vill. lib. 12. cap. 77. Rebdorff. in Annal. Argent. in Chron.

aliorúmque auctorum testimonio constat, maximam partẽ Principum sæcularium atque civitatum Germaniæ, haud propterea destitisse partes Ludovici sectari, contempto Carolo: quem etiã per derisionem, Imperatorem[e] sacerdotum appellare consueverant. Unde & factum est, ut ejus Imperium pleriq; Scriptores nonnisi ab obitu Ludovici auspicentur: quod tamen nos, judicium Sedis Apostolicæ secuti, à præsenti anno numerare maluimus. Ipse verò rursùm anno sequenti quinto Calendas Maij Tridenti existens, in manibus Gerardi de Magnaco Archidiaconi de Barthesio in ecclesia Constantiensi Normániæ Cappellani Papæ, & ab eo ad ipsum Carolum ad id missi, sacramentum præstitit à Regibus Romanorum ante & post inaugurationem præstari consuetum, de cõfirmatione privilegiorum & donorum, conservatione jurium ac bonorum, defensione ac protectione Ecclesiæ Romanæ, annullatione omnium processuum & attentatorum contra illam vel ejus fideles factorum, executione mandatorũ, ceterísque omnibus quæ vidimus eum ante electionem promisisse; ac pluribus aliis quæ continentur in valdè prolixo instrumento, seu literis ea de re ad prædictum Clementem Pontificem scriptis, quæ habẽtur in ejusdem Pont. Regesto[f].

[e] *Vill. cap. 59. & 105. Masson. & Ciaccon. in Clem. VI.*

[f] *Vnde descripf. Bzov. & rec. an. 1347.*

VI. ANGLORUM IN NORMANNIAM IRRUPTIO.

Post electionem verò, antequàm à Papa confirmaretur, & Bonnæ primam coronam acciperet, accidit intereà luctuosissima clades Cresciacensis in Picardia provincia Galliæ, cui ipse interfuit unà cum patre Ioanne in auxilium Philippi Regis. Cùm enim Eduardus Rex Angliæ animo in Philippũ infensissimo cum numerosissima classe (quam nonnulli[g] sexcentarum, plures[h] etiam ampliùs mille navium fuisse volunt) & ingẽtibus copiis mense Iulij in Normanniã transmisisset, sibi illã recuperaturus ut Regum Angliæ hereditariam, præter jus prætentum ad universum regnum; magnámq; illius partem certando, expugnando, cædendo, capiendo, vastando, diripiendo, incendendo, excurrisset; (rejectis etiam Pontificiis legatis duobus Cardinalibus missis ut de pace agerent, Annibaldo de Ceccano Episcopo Tusculano, & Stephano Alberti Presbytero tituli SS. Ioannis & Pauli) & ab occupatione præcipuæ urbis Rotomagi, diligentiâ Philippi Regis in occursum ejus accurrentis frustratus, adverso fluvio Sequana Pisciacum usque non lõgè à Parisiis pari vastationis fœditate pervenisset; indéque insequente eum quaquaversùm Philippo, per Bellovacorum fines in Pontivensem Comitatum contenderet, Flandrorum copias triginta millium armatorum sibi juncturus: tandem Cresciacum attigit ejusdem Comitatûs vicum non procul Abbavillâ, suis de via languentibus & fame penè enectis, cùm octo continuos dies modico pane & gelida, pomísque obviarum arborum vixissent.

[g] *Vill. lib. 12. cap. 62.* [h] *Gaguin. lib. 8. Æmil. lib. 9. Meyer. lib. 12.*

VII. CLADIS FRANCORUM AB ANGLIS APUD CRESCIACUM.

Cùm igitur jam cò ventum esset, ut aut fame emori, aut vincere hostem oporteret, nullo fugę loco relicto; castra in vicino colle admodùm idoneo firmóque locans, carris circumquaq; muniit ut impetum Francici equitatûs sustinere posset: Et die Sabbati 7. Cal. Sept. cũctis suis sacrificio Missæ interesse jussis, ipse cum plurimis sacra confessione & sacrosancti Corporis Dominici participatione, pius Rex adversùs prælij sortem sese munivit. Qua die Philippus exercitum ejus magno impetu aggressus, post atrocissimã pugnã quæ à vespera usque ad secundam noctis horã protracta est, fractus & fugatus Ambianum se recepit. Rem funestissimam describunt accuratiùs Ioannes Villanius[i] & Cõtinuator Nangij tunc viventes; Frossardus[k] iis temporibus proximus; ac post eos Æmilius[l], (sed paulò diversè) Massonus[m], & Belleforestius[n]. Attigerúntq; & alij omnium penè gentium historici: ac speciatim Genuenses[o] ob cladis participationem, de qua mox dicetur. Valdè tamẽ errat Villanius, cùm scribit fuisse cum Rege Philippo quinque alios Reges, videlicet Boëmiæ, Romanorum, Navarræ, Scotiæ, & Majoricarũ. Sicuti enim de duobus prioribus omnes consentiunt, ita de tribus posterioribus omninò tacent: nisi quòd nónulli Majoricensem ponunt. Qui tamen & ipsi vel inde erroris arguuntur, quòd illum ibi necatum fuisse tradant; quem historici Hispanici quibus id probè notum, docẽt; & fuisse hoc tempore occupatissimum rebus suis cõtra Aragonij injurias[p], & usque ad annum Domini 1349. superstitẽ extitisse, quo[q] demùm occubuit prælio in Majori Baleari: sicuti & Matthæus[r] Villanius prædicti Ioannis frater æquè testatur. Quod verò Regem Navarræ attinet; cùm ex Gallicis Annalibus constet fuisse tunc ipsum vix annorum quatuordecim, non est ut eum præliis intrudamus viventem adhuc sub matris regimine; (cujus erat proprietarium regnum) defuncto patre, ut vidimus[s], in bello Maurico.

[i] *Vill. lib. 12. cap. 62. usq; 67. Contin. Nang. in Chron.* [k] *Froff. lib. 1. cap. 122. & seqq.* [l] *Æmil. lib. 9.* [m] *Masson. in Philipp. VI.* [n] *Bellefor. lib. 5. cap. 13.* [o] *Nebiens. lib. 4.*

[p] *Vid. supr. an. 1343. XV.* [q] *Surit. Ind. lib. 3. Marian. lib. 16. cap. 13.* [r] *Matth. Vill. lib. 1. cap. 30.* [s] *An. 1344. III.*

VIII. REX SCOTIÆ CAPITUR AB ANGLIS.

Rex autem Scotiæ David, tantum abest ut prælio Cresciacensi interfuerit, ut contrà disertè scribat Walfinghamus[t] Anglus, ipsum existimantem omnes Anglos militiæ idoneos unà cum Eduardo transmisisse in Gallias, nec remansisse nisi clericos & pastores, ignarúmque victoriæ ab Eduardo apud Cresciacum obtentæ, ingressum esse Angliam cum exercitu, (sive, ut Scoti habent, id egerit à Philippo Rege excitatus ad avertendum Eduardum ab obsidione Calesij; cùm ex alterâ parte multa & magna ei offerret Eduardus si à bello temperaret:) atque infelici pugnâ ab Archiepiscopo Eboracensi, in cujus potissimùm fide & tutelâ regiones illæ relictæ fuerant, & à quibusdam Comitibus devictum ad urbem Dunelmam, & captum fuisse in vigiliâ S. Lucæ Evangelistæ decimaseptimâ Octobris, & in custodiâ positum: ubi ad decem ampliùs annos egit, quam luctuosissimam Scotis cladem Scoti[u] ipsi lamento lugubri describunt; etiamsi illam in annum 1348. referant, contra Frossardi & aliorum antiquiorum fidem. Nam & ipse Villanius, quamvis velit Davidem interfuisse prælio Cresciacensi, ejus tamen capturam decimo-sexto Octobris hujus ipsius anni ponit[x]; eáque ratione seipsum destruit. Et quandoquidem in his sumus, referunt Ioannes[y] Major & Hector[z] Boëthius Rerum Scoticarum scriptores, accidisse hanc cladem Davidi, quòd terras Ecclesiæ Dunelmensis, contrà quàm per visum monitus fuisset, destruxisset: nihil enim feliciter succedere posse terras Ecclesiæ destruenti. Porrò in pugnâ duarum sagittarum ferra in ejus cor-

[t] *Vualfingh. in Eduar. III.*

[u] *Boëth. lib. 15.*

[x] *Vill. cap. 75.* [y] *Io. Major Hist. Britan. lib. 5. c. 19.* [z] *Boëth. d. l. 15.*

pore mansisse: atque uno arte extracto, alterum tibiæ infixum nullâ arte extrahi potuisse; nisi quòd post S. Ninianum in Scotiâ visitatum, sua sponte ferrum divinitùs egressum est, visâ tibiâ manifestè aperiri, ac telo prosilire.

IX. SINGULARIA DE CLADE CRESCIACENSI.

Ut autem singularia quædam alia pugnæ Cresciacēsis tractemus, imprimis legimus habuisse Philippum Regem duodecim millia equitum, ampliùs quinquaginta peditum; Eduardum quatuor dumtaxat equitū, sagittariorum triginta. Sub initium pugnæ sinistras aves, corvos aliásque carnivoras in aëre visas, & multū imbrem è cælo defluxisse: Ioannémque[a] Boëmię Regem audito de corvis supra Francorum exercitum volitantibus, interpretatum esse de futurâ eorum clade. Ex imbre verò chordas ac nervos ballistarū Genuensium, qui magno numero aderant sub ducibus Antonio Auriâ & Carolo Grimaldo, humore perfusas & emollitas nulli penè usui fuisse: Et quòd primi carros Anglorum invadere deberent, ab illorum verò sagittarū grandine pedem referrent, à Francis equitibus duce Carolo Alenconio Regis fratre, uti proditores protritos & penè omnes occisos esse: Indéque cœptam inter Francos confusionem auctam valdè fuisse è bombardis, quibus Angli candentes ferreas glandes horrifico sono emittentes equos terruêre sessorésque, magnamq; occisionis cladem intulêre. Quæ longè major fuit, cùm erumpētes Angli disjectis carris, in turbatos Frācorum ordines, vel sese, ut Curtracēsi[b] prælio, in faucibus & angustiis locorum urgentes atque opprimentes, irruerunt, & undique invadentes post multam noctem de campo deturbârunt.

[a] Vualsingh. in Eduar. III.

[b] Supr. an. 1302. V.

X. REX PHILIPPUS QUOMODÒ SE GESSERIT.

Rex Philippus fortissimè pugnans, multósque propria manu prosternens ac perimens, in magno capitis periculo versatus est; duobus[c] vulneribus acceptis, uno in gutture, altero in femore. Qui cùm, Archiepiscopo Remensi, Episcopo Ambianensi, & quibusdam viris nobilibus sexaginta[d] ad summum comitantibus, (sunt enim qui quinque tantùm memorant, sed nobiliores recensentes) Ambianum versùs se recipiens ad quamdam arcem Broiam dictam in itinere provectâ nocte accessisset, percontāte præfecto quisnam tali horâ introduci postularet, *Fortuna* (inquit) *Franciæ*. Et pauculâ ibi factâ morâ diluculò Ambianum pervenit, expectaturus ibi quid porrò hostis attentaret. Ioannes verò Rex Boëmiæ occisus in prælio est. Qui (ut ait tractans de cæcitate Petrarcha[e]) duorū sine medio Romanorum Principum, alterius filius, alterius pater; oculis semper infirmus multos ad extremum annos cæcus; dum pugnâ illâ omnium asperrimâ inclinare fortunam suæ partis intelligeret, duces suos clarâ voce compellans, Dirigite me, inquit, ocyùs in eam partem ubi Rex hostium est; atque omne robur exercitûs sui. Quod cùm mœsti ac trepidi fecissent, ille equo stimulis adacto, eò se præcipitem dedit, quò spectare alij cæcúmq; oculis prosequi vix audebant. Ubi cum fortissimâ hostium acie non fortiter modò, sed horrificè pugnans fuit, ipsis mirantibus & laudantibus qui vincebant. Et quid oro gloriæ viri fortis obfuit visu caruisse, nisi ut quem

[c] Vual. ibid.
[d] Vill. cap. 86.

[e] Petrar. de remed. utr. fort. lib. 2. dial. 96.

IOANNIS REGIS BOEM. CÆCI PUGNA ET CÆDES.

virtus & natura mirabilem fecerant, stupendum cæcitas faceret? Ita Petrarcha. Regnavit autem annis triginta quinque. Et dies obitûs (quæ fuit S. Ruffi) apud Boëmos atra atque innominabilis[f] habita, quæ duos Reges bellicosissimos (hunc videlicèt, & Othocarum[g] à Rudolpho Romanorum Rege occisum) hostili gladio abstulisset.

[f] Æn. Silv. in Hist. Boëm.
[g] Supr. an. 1278. XII.

XI. CAROL. ROM. REX VULNERATUR.

Ioannis filius & in regno successor Carolus Romanorū Rex tribus vulneribus in prælio acceptis ad Riscampum monasterium profugit. Cecidêre verò Carolus Comes Alenconij Philippi Francorum Regis frater, Ludovicus Flandriæ Comes, Ludovicus Blesensis, aliique Comites, nobilissimíque proceres tam Franci, quàm etiam è Germanis Boëmum secutis, necnon Grimaldus & Auria Ligurum duces: præter illos qui postero die per nebulosum cælum magno numero ad Gallica quæ hostes erexerant signa confluentes mactati sunt: & Rudolphum Lotharingiæ Ducem; qui suppetias veniens Regi Philippo, & quid noctu Francis accidisset ignarus, manè cum suis auxiliaribus copiis in castra accedēs, peremptus est ab Anglis. Denique cæsi fuêre in universum equitum peditúmque viginti millia, (ut Villanius ait) vel ut alij triginta. Rex victor cadavera cæsorum sepeliri curavit: interfuisséque dicitur in pullâ veste inferiis Ioannis Regis; ejúsque cadaver ad Carolum filium remisisse, testatus non viribus suorum, sed solius Dei beneficio tot Reges ab impari exercitu devictos. Illud verò Carolus Lucemburgam avitam ditionem ad sepulturam misit in cœnobium Minoritarum regiâ pompâ. Hallucinatur verò turpiter Corius[h], cùm Regem Anglię in prælio occisum fuisse, & cadaver ejus nullibi potuisse reperiri scribit. Egregium verò quod post Frossardū Æmilius observat; cùm in prælio Comes Carolus Philippi Regis frater suis turmis Eduardum filiū Regis Angli adhuc adolescentulum, quem pater primæ aciei cum ducibus fortissimis præfecerat, vehementer premeret; ac propterea Angli proceres qui eum circumstabant ad patrem misissent, qui ejus verbis auxilium opémque imploraret; sciscitatum patrem, ecquod mortiferum vulnus accepisset filius, aut stratus jaceret? cùm utrumque negaret nuncius, sed periculum esse ne clades ignominiáve acciperetur: Redi ergo, dixisse, & renuncia, omnia auxilia illi in fide virtutéque ducum sita qui illi adsunt; fortunámque hujus diei in eo collocatam: hócque responsum magis illos ac magis ad virtutem acuisse.

CÆSORŪ CONDITIO ET NUMERUS.

[h] Cor. Hist. Mediol. par. 3.

REGIS ANGLI MAGNANIMITAS.

XII. CALESIUM OBSIDETUR ET CAPITUR.

Tantâ partâ victoriâ Rex Eduardus Monsteriolo, Bononiâ, & aliis aliquot maritimis oppidis frustrà tentatis; Calesium sive Caletum, unde est brevissimus è Galliâ in Britanniā trajectus, omni ratione sibi expugnandum censuit, ut quoties vellet, in Galliam transmittere, & armorum officinam ibi instituere posset: Obsessum igitur terrâ marique, egregiâ incolarum fide & fortitudine annum ferè hostem detinuit: donec qui ferro vinci non potuerūt, nec à Rege Philippo, omnia quamquam terra marique magnis nisibus tentante, (etiamque usq; ad eductionem è templo S. Dionysij sacri vexilli Auriflammæ, quod nonnisi difficillimis regni temporibus consuetum erat) libe-

rari; ad extremum dirissimâ fame domiti, deditionem fecêre pridie Nonas Augusti anni consequentis. Quos Eduardus omnibus rebus spoliatos, nudósque, restibus ad colla ligatis, rogatu matris & uxoris, duorúmq; Cardinalium qui continuò pacem aut inducias inter Reges tractabant, incolumes abire permisit, cùm anteà illos infami laqueo uti prædones (piraticam enim in Anglos & Flandros aliosq; eo mari navigantes exercere consueverāt) punire decrevisset. Ita namque rem narrat Villanius [i]. Explicatiùs Æmilius & Meyerus post Frossardum [k] minatum quidem Regem cunctos perdere, sed flexum procerum suorum precibus sex solos ex primoribus oppidi ad supplicium postulâsse. Eáq; in re illud perenni memoriâ dignum contigisse; ut cùm in publico oppidanorū conventu consuleretur qui forent sex illi producendi, ceteris pavore cōterritis & ingenti ejulatu communem sortem deplorantibus, Eustathius à S. Petro totius oppidi facilè princeps sese primum pro miserâ multitudine obtulerit; ac subinde piâ æmulatione quinque alij optimates ei consanguinitate aut necessitudine conjunctiores: qui laqueos collo, claves oppidi manu gestantes in amictu interiori capita pedésque nudi Regi oblati, & ab eo inflexibiliter plecti jussi, demùm tamen Philippæ conjugis uterū gestantis & partui proximæ ad pedes ejus se cum lacrymis projicientis precibus liberi dimissi sunt. Deniq; res eâ obsidione utrimque gestas tam iidem quàm alij superiùs citati auctores diffusè, etsi nonnihil diversè, narrāt, simul & clades alias iisdem tēporibus in Aquitaniâ, & minori Britanniâ, ac Belgio, Francis illatas: ita videbantur tunc omnia ubique in eorum perniciem cónspirâsse. Cùm tamē haud adeò sibi hæc gratis concessa Angli jactare potuerint; quorum hoc biēnali bello quinquaginta millia aut ferro aut morbo periisse, idem auctor [l] asserit: ac piè monet, neminem debere in hoc mūdo de prosperitatibus & victoriis gloriari, quòd ut plurimùm damnosæ sint obtinētibus. Quare Calesio capto libenter Eduardus aurem præbuit Cardinalibus inducias suadētibus; quæ in annum pactæ sunt, & consecutis aliquot annis repetitæ: haud tamen omninò incruētæ ab aliquibus dolosis machinationibus, quas describunt auctores. Calesiani verò lares focósque in summâ miseriâ relinquere coacti, (Anglis in eorum locum suffectis, qui oppidum deinceps ducentis ac decem circiter annis tenuerunt) in alia varia oppida distributi sunt à Rege Philippo; & honestioribus datum, ut ante alios toto regno ad honores & dignitates promoverentur.

Tantarum verò Francicarum cladium causas nonnulli curiosiùs inquirentes, (ut omittamus quòd Cresciacensis culpam multi [m] in Philippū Regem referunt; quippe ardore pugnæ, spreto procerum præfectorúmque consilio, cùm militem diuturno itinere defessum haberet, nullâ quiete datâ in hostem incurrit) sunt qui [n] juri Angli ad regnum tribuant. Sed quam id injustè, jam aliàs vidimus [o] cùm de eâ cōtroversiâ primùm agi cœptum est. (Unde, ut hoc obiter narremus, ipso præsenti anno post pugnam Cresciacensem, cùm quidam [p] Simon Poilletus Compendij civis Parisiis asserere non veritus esset potiore jure Eduardum quàm Philippum de regno contendere, manus pedésq; truncatus ad patibulum unco tractus est in pœnā stolidę temeritatis.) Alij id assignant injustæ retētioni Sedis Apostolicæ in Galliis, quasi scilicèt vi cogerentur Pōtifices Avenione morari; quæ civitas neq; erat ditionis regiæ, neque ipsi cùm seriò abire voluerūt prohibiti à Regibus fuêre. Propiùs rem tangere viderētur [q], qui toties exactas ab ecclesiasticis decimas ad sacras expeditiones, in usus profanos & bella in Christianos, quātumvis alioqui justa, insumptas queruntur. Ac ne extraneos quæramus, habemus domesticum ejusdem temporis auctoré, Continuatorem Chronici Guillelmi de Nangiaco; qui post narratam Cresciacensem cladem, agens de miseriis & ærumnis quibus tūc Gallia opprimebatur, ait stilo suo barbaro, viguisse tallias multas,) hoc est vectigalia, sive tributa & capitationes) gabellas salis, & impositiones pecuniosas super mercimonia: scissos ac superscissos florenos propter novas monetas subinde factas: levatas à Rege decimas ecclesiarum de voluntate Papæ, infinitas pecunias per diversas cautelas extortas cum maximo populorum gemitu: Fieret autem nihilominùs, ut quantò plures nummi per tales modos extorquebantur, tantò magis Rex incommodum pateretur, & nulla prosperitas, immò omnia infortunia in regno sequerentur: officiales ditari, Principem fortunis nudari: pecuniam militibus & nobilibus ut regnum defensarent contribui, sed omnia ad usus inutiles ludorum & aleas aliósque indecentes jocos contumaciter exponi. Ita ille.

Gaguinus autem lasciviam atque superbiam incusat, quotidiana gentis mala: fuisse namq; per id tempus per Franciam vestimentorum nimiam deformitatem, ita ut joculatoriam vitam agere Franci à vestibus judicarentur. Quā etiam occasione exprobrans idem Continuator mollitiem & enervatos Francorū mores, expressiùs de vestibus ait, temporibus illis cœpisse, ac specialiter nobiles & eorum sequaces, civésque & qui eis serviebant, seipsos in vestibus & habitu deformare: gestantes vestimēta ita curta & brevia, quòd quasi nates eorum & pudenda apparerent; & barbas longas nutrientes: húncque modū derisionem in communi plebe non modicam generâsse: atq; ex tunc fuisse tales magis aptos ad fugiendum coram inimicis, ut eventus pluries comprobavit. Quæ quidem hujus auctoris observatio in memoriam revocat quòd Nicephorus Gregoras in fine suæ Historiæ inter signa interituri Græcorum Imperij enumerat novitatem vestium, quibus Græci sub Andronico Iuniore pro cujusque libito contra antiquum institutum uti cœperant. Estq; pariter gravissima de ejusmodi vestiū & totius cultûs corporis perversis & curiosis horum temporum novitatibus, querela auctoris Chronicæ [r] Aulæ Regiæ. Quas etiam Florentiæ, & per Italiam, severissimis legibus, ac præcipuè in immoderatissimo mulierum ornatu, coërcitas fuisse, Villanius [s] & alij testantur. Sed hæc semper in omni benè constitutâ Republicâ diligenter cauta, vix pauco tēpore in ullâ servari potuêre. Itaque iis ad Principes & Magistratus remissis; ac

Marginalia:

EGREGIŪ FACINUS PRIMORUM CALETENSIUM.

XIII. UNDE TOT FRANCORUM CLADES.

MISER TUNC GALLIÆ STATUS.

XIV. DEFORMITAS ET CIVIUM VESTIUM.

i Vill. cap. 95.
k Froff. lib. 1. cap. 146.
l Vill. d. c. 95.
m Gaguin. lib. 8. & alij.
n Ap. Vill. cap. 66. ad fin. Meyer. lib. 12. ad fi.
o An. 1328. XXI.
p Gaguin. & Meyer. ibid.
q Vill. ibid.
r Th. Rer. Boem. cap. 23.
s Vill. lib. 12. cap. 154. Rub. Hist. Raven. lib. 6. an. 1331. & alij.

ac nihilominùs nullâ expectatâ & præcipuè apud nostrates emendatione, quorum est præ ceteris omnibus gentibus summa in his luxuria, & inconstantissima varietas ac vanitas, cum non parvo facultatum suarum detrimento: jam reliqua præsentis anni ad rem nostram pertinentia prosequamur.

XV. [t] Rebdorf. in Annal. & Avent. lib. 7.

Cancellarii Ludovici infausta mors.

Mortuus est hoc anno [t] Ulricus, sive Udalricus Hangenohr Augustâ Rhætorum ortus, protonotarius sive Cancellarius Ludovici Bavari. Cui cùm ex muneris officio tam legationibus quàm scriptionibus adversùs Pontifices adstitisset; iisque rationis metas excessisse sibi ipse visus esset, (vocat eum Trithemius [u] hominem temerarium & superbum, cleri & religionis æmulum, Ecclesiasticæque dignitatis & libertatis maximum osorem & adversarium) ac propterea non immeritò dubitaret, si in loco sacro sepeliretur, extumulatum iri: testamento cavit, ne in templo, aut cœmeterio, aut cœnobio, verùm extra in loco aliquo honesto sepeliretur, ne jussu Pontificio ignominiam effossionis pateretur. Adeò solicitiorem se exhibuit cadaveris sui post mortem, quàm animæ in vita! Eum tamen Augustanus Episcopus in templo magnificè condidit, inimicus Clementis, & ab eo diris devotus.

[u] Trithem. in Chron. an. 1333.

XVI. Genuensium expeditio in Orientem.

Hoc item anno feliciorem expeditionem Genuenses duce Simone Vignosio in Orientem duxerunt, quam Gallicæ interfuisse vidimus. Siquidem Simon cum classe viginti novem triremium (ut Nebiensis [x] & Folieta habent; cùm Villanius [y] quadraginta ponat, quòd totidem immò & plures debuissent parari à civibus) ad Chium insulam maris Ægei, quę sola mastichē proferre à nonnullis dicitur) id tamen negante Æneâ [z] Silvio, qui Silphium quod in Libyâ apud Cyrenenses gignebatur, masticen esse interpretatur: & Iosepho Barbaro Veneto in suo Itinerario [a] Persico, ubi ait celebratissimum esse in Perside promontorium Sio dictū, alio nomine Seghex, hoc est mastichen, quòd in eo nascatur, sítque iis locis plurimus ejus usus: denique antiquissimo Plinio [b] qui multis aliis locis reperiri scribit; quamquam Chiam candidam laudatissimam esse dicat. Est autem mastiche, resina sive lacryma lentisci (& commerciis imprimis opportuna erat, ac propterea tam à Genuensibus quàm à Venetis; opulentissimis totius maris mediterranei populis ardenti desiderio concupiscebatur, cum metu immensi imminentis damni si ea in alterius ex iis duobus populis manum venisset, (quam & prætereà Genuenses à Græco Cæsare sibi aliàs donatam asserebant) occupandam navigans; nihil moratus suasiones Humberti Delphini, quem (ut vidimus) à Clemente Pontifice missum adversùs Turcos, apud Eubœam insulam offendit cum aliâ classe sex & viginti triremium, majore ex parte Venetarum, ceterarum verò militiæ Hospitalariorum, cui idem Pontifex eam insulam ad tres annos ab Imperatore Græcorum ad expeditionis commoditatem obtinuerat: (quod Simon interpretabatur commentum Venetorum, ut cùm Delfinus insulam accepisset, eâ illicò Venetis esset cessurus:) Simon cursum prosecutus Chium tenuit, & post aliquas cum insulanis pugnas totam deditione accepit: eodémque successu utramque Phocæam, quæ urbes sunt in continenti

[x] Neb. Annal. Gen. lib. 4. Fol. lib. 7.
[y] Vill. lib. 12. cap. 69.
[z] Æn. Silv. de Asiâ Minor. cap. 79. in fi.
[a] Ext. tom. Rer. Pers.

Mastiche ubi reperiatur.

[b] Plin lib. 12. cap. 17.

Chius insula occupatur à Genuensibus.

Asiæ littore è regione insulæ Chij, obtinuit: Mitylenémque opulentam & proximam insulam pariter cogitans, seditione nauticorum longiorem militiam detrectantium ab incœpto prohibitus est: ac rebus optimè in locis captis constitutis, Genuam repetiit magna sui nominis & patriæ famâ. Cujus & illud summæ justitiæ exemplum refertur, quòd cùm Chio potitus ingressum in prædia civium suis edicto interdixisset, ejúsque filius adolescens per lasciviam prædium cujusdam Chiensis ingressus nonnullos racemos uvæ abstulisset, ad se adductum, nequicquàm ipsismet Chiensibus pœnam deprecantibus, racemis ad majorem ignominiam collo suspensis, fustuario totâ urbe circumductum verberari jussit. Qui & prætereà, cùm in bello per regionem circumferendo aliquos innoxios injustè læsos necesse esset; ad expiandam labem, siqua animo insedisset, quingentos aureos nummos in nuptias pauperum puellarum Chiensium moriens legavit. Quæ narrant historici Genuenses, Nebiensis, [c] Folieta, Bizarus.

Simonis Vignosii insigne iustitiæ exemplum.

[c] Neb. & Fol. ubi suprà Bizar. lib. 6.

XVII.

Quod verò de Hospitalariis meminimus; edidit hoc eodem tempore egregium facinus unus eorum in insulâ Rhodo quam possidebant, relatum in eorum Annalibus [d]. Excubabat ibi Draco ingens in quodam specu, equi modici magnitudine, capite serpentino, auribus mularibus, squamvis durissimis, ore latissimo, dentibus acutissimis, oculis igneis quaternis pedibus crocodilinis, unguibus falcatis, caudâ lacertinâ, binis parvulis alis quarū motu currēs celerrimi equi velocitatem æquabat, halitu pestifero aërem inficiens, pecora hominésq; devorans horrendis sibilis cunctos terrefaciens: adeò ut Magister Ordinis, cùm nullum videretur ejus extinguendi remedium, prohibere habuerit militibus sub pœnâ privationis habitûs, ceteris incolis graviori, nequis illàc transiret. Fuit nihilominùs militum unus nomine Deodatus Gosonis linguæ Provinciæ, qui memorabili commento rem perfecit. Simulacro draconis, utut erat, clàm facto, equum generosum duósque acerrimos molossos paulatim assuefecit non solùm cominùs ad eum accedere, verùm etiam cùm nonnullis instrumentis sese moveret, & velut in eos irrumperet, aggredi & invadere. Tunc ipse ferro totus armatus, & divino auxilio quod devotè imploravit fretus, belluam ad cavernam suam agressus; cùm post comminutam à se incassùm ad ejus durissimum armum hastam, unus molossorum testiculos ejus apprehendisset, miles equo exscendens gladium sub faucibus immisit, ingentíque animo tamdiù movit & intendit, donec draco toto emisso sanguine cadens, militem etiam sub se semianimem ex lassitudine & putore prostravit. Accurrentes famuli qui à longè stabant, exarmatum efficacibus remediis refocillârunt. Magistrum Ordinis adiens, quamquam ingenti gaudio eum affecerit, continens se tamen ipse, ut disciplinæ rigorem servaret, in pœnam violatæ prohibitionis, carceri mancipavit, Ordineque deposuit: post paucos verò dies restituit, cùm summis fortitudinis ejus ac magnitudinis animi præconiis. Tantúmque hinc ille nominis gratiæque apud suam Religionem adeptus est, ut post obitum dicti Magistri (qui erat

[d] Ap. Boiss. lib. 3.

Draconis immensi confossio mirabilis à milite Hospitalario.

Elion

Elion de Villanovâ, de toto Ordine optimè meritus) fuerit idem Deodatus in ejus locum suffectus; hoc scilicèt eodem anno, cùm aliquot antè draconem confecisset: rexitque prudenter Ordinem septem annis; in cujus defuncti monumento hæc verba posita fuêre, *Draconis extinctor*. Addunt insuper qui hæc describunt, repertum fuisse in capite draconis lapidem versicolorem magnitudine olivæ qui præsens remedium contra singula venena præbebat, & cuicumque liquori immergeretur eum infervefaciebat.

XVIII. Eodem anno [e] Clemens Pontifex inter alia quæ præstitit in utilitatem Ecclesiæ, missis in Armeniam Nunciis pro extirpatione errorum qui ibi vigebant, Regem etiam ad fidem Ecclesiæ Romanæ servandâ, & Christianis contra Turcos pugnantibus auxilia præstâda hortatus est. Regem Rasciæ à B. Venturino Bergomate Ordinis Prædicatorum, de quo [f] suprà, ad unionem Ecclesiæ Romanæ inclinatum, literis monuit id quantociùs unà cum suis exequi. Contra Episcopum Seleuciensem, qui in quibusdam in Evangelium S. Ioannis cōmētariis in linguam Armenā translatis, asseruerat nec Christum nec Apostolos in communi aut in speciali aliqua habuisse, anathema tulit. Doctores Scholæ Parisiensis, ne vanis argutiis & inutilibus quæstionibus ac periculosis captionibus tractandis intenderent, sed solidam Catholicam veritatem ex sensu Patrum interpretarentur, admonuit. In quoscumque occupatores bonorum Ecclesiæ Romanæ gravissimam constitutionem [g] promulgavit.

QUÆDAM CLEMENTIS PP. GESTA HUIUS ANNI.

[e] Reg. Clem. & inde ap. Bzov. & Vvadding. hoc an.

[f] An. 1334. VI.

[g] Ext. tom. 1. Bullar. Clem. VI. const. 3.

XIX. Hoc item anno ingens annonæ caritas ob defectum grani ex continuis imbribus qui circa sementem omnia diluerant, (creatis illis, ut asserebant astrologi, ex conjunctione planetarum Saturni, Iovis & Martis in signo Aquarij factâ anno superiori mense Martij; de quâ, ejúsque multis aliis significationibus, diffusè Villanius [h]) attonitam tenuit totam penè Italiam & Galliam. Quâ valdè eluxisse Florentinorum erga pauperes tam suæ civitatis, quàm ruris & omnium undique ad eam longis agminibus adventantium virorum mulierúmque ac puerorum, humanitatem laudabili præconio describunt eorum historici; cùm non modò non rejectus est quisquam advenarum peregrinorúmque, sed etiam liberalitate gratuita tam Reipublicæ quàm singulorum ditiorum civium per tantam penuriam sustentatus; solicitâ civitate, ex Africâ, Sardiniâ, Siciliâ, aliísque locis, asportari suis sumptibus terrâ maríque vim magnam annonæ. Additum etiam in favorem tenuiorum contra creditorum acerbitatem, ne quis nisi certâ formâ pro ære alieno conveniri posset. Et accedentibus ad inopiam (ut plerumque fit) morbis, pari misericordia succursum est ægris.

[h] Vill. lib. 12. cap. 40.

FLORENTINORUM IN MAGNA ANNONÆ CARITATE INSIGNIS CHARITAS.

[i] Vill. cap. 72 & 82. Leonar. lib. 7. Anton. tit. 21. cap. 8. §. 3.

XX. Eodémque anno die vigesimâ secundâ Februarij, (ut Corius [k] habet) per universum ferè orbem terra horribili concussu tremuit cum magno ædificiorum damno. Sed putamus eum tam in anno quàm in die errasse: quandoquidem generalem illum terræ motum anno Domini 1348. diéque 25. Ianuarij contigisse, auctoritate scriptorum illius temporis tunc apertè demonstraturi simus. Ad quem pariter annum revocandum censemus quod alibi [l] legimus anno 1345. in die Conversionis S. Pauli (vigesimâ quintâ videlicèt mensis Ianuarij) tantum extitisse terræmotum in Alemanniâ, ut civitas una, pagi quindecim, castella triginta corruerint, & ex duobus montibus unus factus sit. Nisi dixerimus fuisse quoque tunc alium terræmotum multis orbis partibus; cùm & Cantacuzenus [m] Imp. disertè scribat, biennio antequàm ipse Byzantium caperet, (nempè, ut ex sequentibus apparebit, dicto anno 1345.) horribili terræ motu oppidi Choræ mœnia, & templum Sophiæ Byzantij cum pluribus aliis ædificiis corruisse.

[k] Cor. par. 3

INGENTES PER ORBEM TERRÆMOTUS.

[l] Ap. Christ. Massæ. in Chron.

[m] Cantac. lib. 3. cap. 76. & lib. 4. cap. 4.

IESU CHRISTI Annus 1347.

CLEMENTIS VI. Ann. 6.

CAROLI IV. Ann. 2.

IOAN. PALÆOL. V. An. 7.

IO. CANTACUZ. VI. An. 1.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo-septimo, Indictione decimaquintâ, sexto Idus Februarij (ita enim tempus designat Cantacuzenus [a] à quo hujus anni res gestas auspicamur (idem Cantacuzenus rem toto ferè sexennio maximoperè concupitam, totísque nisibus conquisitam, tandem adeptus est; ut scilicet intra urbem Constantinopolim perfosso muro à suis fautoribus receptus, Imperio Græcorum plenè potitus sit, redactis in suam potestatem Annâ Augustâ & Ioanne ejus filio quindenni. Qui tamen omnem humanitatem præseferens, non solùm benignè cum iis egit, verùm etiam eidem Ioanni filiam suam Helenam in conjugem dedit, & secum nomine tenùs imperare voluit; his videlicèt conditionibus, ut junior seniori priores deferret in omnibus, ac propter ætatem nondum firmatam decem annos administratione cederet, iísque exactis æquali auctoritate cum eo imperaret. Ioannem verò Patriarcham, jam anteà fidei ergô (ut vidimus) à pseudosynodo exauctoratum, rursúmque ab ipso Cantacuzeno ad causam coram ipso in alio schismaticorum Episcoporum conventu dicendam invitatum, & ire recusantem, throno ejecit, & Didymotichum relegavit: (post annos sedis, ut ex ingressu patet, tredecim:) ubi brevì mutationis impatiens in morbum incidit, & mentis motum; quibus consumptus paulò pòst decessit: uti narrat idem Cantacuzenus [b] ejus adversarius infensissimus. Quem etiam alicubi [c] perstringit, quòd habitu se augustiorem fecerit, & in subscriptionibus colore cæruleo sit usus; ac calyptram, seu tegmen capitis, quod anteà Patriarchæ non monachi album ferre consueverant, auro & Christi ac Deiparæ sanctíque Ioannis Baptistæ iconibus illustraverit.

[a] Cantacuz. lib. 3. cap. 100. in fi.

IO. CANTACUZENUS IMPERIUM OCCUPAT.

IOANNEM PATRIAR. DETURBAT.

[b] Id. lib. 4. cap. 3.

[c] Id. lib. 3. cap. 36.

II. Suffectus porrò in locum ejus est *Isidorus* monachus, morum ac literarum existimatione inter suos clarus: quē Onuphrius in suo Chronico prętermisit, qui non videtur notitiam habuisse Historię Cantacuzeni, quâ hęc tractantur. Ejus verò electionis invidiâ ducti Episcopi, qui multa adversa Cantacuzeni causa sustinuerant, ac proptereà spe quiq; Patriarchatum

ISIDORUS PATRIARCHA.

devora

devoraverant; in vindictam ejusmodi injuriæ sibi illatæ, inter sectatores Gregorij Acindyni[d] nomina dederunt, quamvis eâ de causâ paulò ante sententiam depositionis in Ioannem tulissent: unde non parvæ posteà turbæ excitatæ sunt. Intereà verò idem Isidorus brevî post suam inaugurationem in ambonem ascendens, quò clariùs à cunctis audiretur, anathema in Cantacuzenum à Ioanne prolatum rescidit. Et ab eodem Cantacuzenus, quamvis jam coronatus Adrianopoli à Lazaro Patriarchâ Ierosolymitano, tamen nequid minùs à ceteris legitimis Imperatoribus habere videretur, voluit iterùm Constantinopoli solemni ritu coronari pridie Idus Maij, præsentibus Annâ Augustâ & Ioanne adolescente Imp. Móxque & ipse Irenen conjugem pro consuetudine coronavit: Filiósq; suos & cognatos honoribus & dignitatibus auxit. Quæ omnia pleniùs narrat[e] ipsemet in Historiâ rerum suarum, seu veriùs dixeris Præconio laudum. Ad quod etiam augendum duas inseruit epistolas, à Bartholomæo quodam, quem Delphinus ad Annam Aug. legaverat, (canonicum Ecclesiæ Romanæ fuisse volunt[f] & mandata à Clemente Pontifice ad eamdem Augustam filiúmque ejus Ioannem accepisse) iisdem Pontifici & Delphino de laudibus ipsius Cantacuzeni putidâ adulatione conscriptas: quas equidem non dubito vel ipsummet confinxisse, vel Bartholomæo per quemdam Græculum ipsius asseclam dictari fecisse, cùm & stylo & futilitate prorsùs ab homine Latino & modesto abhorreant. Iis tamen id factum vult, ut Marchio è Lombardia (nempè Monferratensis (Imperatoris Andronici Senioris ex filio Theodoro nepos, qui præ ceteris Imperium sibi deberi contendebat, (cujus etiam pater Theodorus cum Andronico Iuniore de eodem litigaverat) ab expeditione quam ad Imperium sibi vindicandum susceperat absterreretur; virtutem scilicèt Cantacuzeni reveritus, & rei militaris peritiam veritus. Ita ille Trasonicus Cæsar, de quo modò hactenùs, conventuri eum sæpe aliàs pro ratione temporum rerúmque gestarum.

CANTACUZ. ITERÙM CORONATUR.

EIUS VANITAS.

[d] *Supr. an. 1345. XI.*

[e] *Id. lib. 4. cap. 1. & seqq.*

[f] *Ap. Bzov. an. 1343.*

III. NICOLAUS GABRINUS TYRANNIDEM URBIS ROMÆ OBTINET.

Iam ab usurpatore Imperij Græcani ad Romani adumbratorem transeuntes, historiam adnectimus non minùs miram quàm diram audacissimi nebulonis, qui Populi Romani volubilitate abusus sanguinem effudit, quo demum & ipse suffocatus est. Fuit is *Nicolaus* quidam *Gabrinus* patriâ Romanus, Rentij sive Laurentij popinarij (molitorem tamen aliqui volunt) & Magdalenę lotricis filius: qui à pueritiâ studiis litterarum innutritus, eloquentiæ imprimis operam dedit, & ex historiæ cognitione atque monumentorum antiquorum indagatione nomen sibi faciens, creatus est scriba publicus. Ad Clementem Pontificem Avenionem missus rogatum ut Sedem Romam reducere vellet, cùm non nisi verba retulisset, convocato in Capitoliû populo, ut erat persuadendi potens, multa de Urbis deplorando statu, & oppressâ à proceribus plebe præfatus, injecta gratissimâ libertatis mẽtione, & pristinę auctoritatis recuperatione, pèr varias artes id tandem effecit, ut communibus votis Tribunus plebis acclamatus in Capitolio fuerit 20. Maij ipsâ die Pentecostes, summáque in Urbe potestas ei collata. Quâ fretus Senatores auctoritate Pontificiâ creari solitos ejecit; nonnullos procerum Romanorum tyrannidem exercentes, & raptoribus patrocinantes, sententiæ capitali addixit; quosdam ex Ursinis, Columnensibus, & aliis ex præcipuâ nobilitate relegavit; ceteris metu ejus severitatis, atq; impetûs vulgi ei addictissimi, vel ei adhærentibus, vel Urbe excedentibus. Multæ Italiæ civitates, ipsíque Principes, ariolantes eo auctore Rempublicam Romanã pristinam dignitatem recuperaturam: certatim ejus amicitiâ ambierunt, & per legatos ad fausta cœpta hortati sunt, pollicentes auxilia, & annulos aureos firmæ concordiæ tesseras mittentes. Adeò ut & Ludovicus Rex Hungariæ qui hoc ipso anno (ut videbimus) ad ulciscendam Andreæ fratris mortem Italiam petiit, ipsáque Regina Ioanna Siciliæ ejus amicitiam expetierint. Quemadmodum & ipse omnes ad fœdus percutiendum invitabat, vexilla mittẽs variis picturis & emblematis distincta: adfore namque jam tempus quo Italiam Imperio Romano reflorescentem aspicerent, si modò Urbium Reginam armis & consiliis adjuvarent; asserens etiam, se isthæc tanta non solùm Romani Pontificis voluntate & auctoritate, verùm etiam pro ejus asserenda in Vrbe contra tyranos dominatione, necnon pro disciplinæ ac morum restitutione patrare.

IV. INSIGNES EIUS FATUITATES.

Cùm autem Calendis Augusti in Lateranensi basilicâ Constantini Magni labro lavari, posteáque solemni pompâ miles fieri ad altare S. Petri à Syndico Populi Romani ad hoc creato & duobus equitibus auratis ambiisset; septem item coronis redimiri, tam in honorem septem donorum Spiritûs Sancti, quàm etiam ad alia mysteria denotãda voluit: primâ scilicet quernâ, quòd cives à morte servâsset; secunda hederaceâ, quòd religionem amaret, (pro quâ tamen alicubi[g] paleaceam reperimus:) tertiâ myrteâ, quòd officia & scientiam observaret, quarta laurea, quòd avaritiam odisset; quinta oleaginea, quòd cum humilitate superbiam superasset; sexta argentea, septima aurea, unà cum sceptro, ad significandam spiritualem coronationem: addito insuper pomo aureo, ad cultum justitię & libertatem populi. Húncque titulum sibi indidit, *Candidatus Spiritûs Sancti miles, Nicolaus severus & clemens, liberator Vrbis, zelator Italiæ, amator Orbis, Tribunus Augustus*; & paludamento posthæc purpureo, vel candidis auro intextis vestibus oblongis cum sceptro Cruce ornato incessit. Post quæ, cùm mense Novembri advenientes in Vrbem adversùs eum noctu aliquot ex prædictis Proceribus armatos armis ipse magna cæde repulisset prostravissétque; triumphum inde agens, & filium suum Laurentium de Victoria nominans, in tantam demùm superbiam & fastum vanissimus homo elatus est, ut etiam Ludovico Bavaro se pro Imperatore gerenti, & Carolo nuper electo, necnon Imperij Electoribus, tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis diem dixerit ad festum Pentecostes anni subsequentis, rationem corã ipso in ecclesia Lateranensi reddituris de suis juribus: alioquin processurum se adversus eorum contumaciam. Decernens interim, declarans, & pronuncians, Romanam Vrbem caput Orbis, & fundamentum totius fidei Christianæ: ac omnes & singulas civitates Italiæ liberas esse, earúmque populos & cives facere

[g] *Ap. auctor. rer. Pistoriens.*

se;

se declarare, & pronunciare cives esse Romanos, & Romana libertate gaudere: Romanumque Imperium, jurisdictionem, & monarchiam ad ipsam almam Urbem ac ejus populum pertinere; cui omnes Imperatores, Reges ac Principes subesse deberent ac respondere: & quicumque seu Prælati seu Reges ac Principes his adversarentur, coram se sistere ad diem prædictam judicium subituros jussit: salvâ tamen in omnibus auctoritate & jurisdictione sanctæ matris Ecclesiæ, Domini Papæ & sacri Collegij.

V.

Pergente autem nebulone in suis tam sævis quàm ridiculis fatuitatibus, & perditos homines (quod dolés ei exprobrat Petrarcha [h] cùm principio tam illum quàm Romanos ad rem fortiter pro libertate agendam prolixioribus literis hortatus esset (ad eas exercendas sibi alliciente magis quàm probis favente: ne malum ultrà serperet; Clemens Pontifex, cum initio ejus conatibus favisset, sed perfectâ ejus truculentâ nequitiâ per Legatos suos ei contradixerat, demùm & ipsum Carolum Romanorum Regem ad malum illud maturè exscindendum excitavit. Atque intereà cùm idem Nicolaus Comitem Palatinum Altamuræ Apulum ad sua subsellia uti populi oppressorem ac deprædatorem evocâsset, pœnas facinorum luiturum, ac venire recusantem exilio multâsset: ille cum modico equitatu à Præfecto Patrimonij jussu Legati Apostolici accepto, in Urbem noctu veniens ad diem decimamquintam Decembris, eam adeò Columnensium auxilio cómovit, ut in Capitolium penetrans tyrannum à suis desertum aufugere coëgerit; septem non ampliùs menses potestate gavisum. Qui mutato habitu primùm secretò in molem Adriani, inde ad Ludovicum Hungariæ Regem profugit: posteàque inter Eremitas montis Moronis multo tempore pœnitentis habitu latitans, tandem in manus Caroli Romanorum Regis, sive spontè (sunt enim qui eum nullâ persecutione, sed proprio motu domesticis etiam omninò insciis, mutato habitu ad Caroli curiam in Boëmiam incognitum scrutandi causâ profectum, ibíque agnitum scribant) sive alio casu incidens; & ad Clementem Pontificem, sive item à Carolo missus, sive ipsiusmet voluntario accessu delatus Avenionem; servatus ibi est usque ad Innocentij Sexti tempora, quibus reliqua ejus tractabuntur. Quæ verò hactenùs de illo dicta sunt, ex variis auctoribus [k] qui prolixiùs de eodem egerunt excerpsimus: certiora etiam forsan dicturi, si Vitam ejus habere contigisset, quam dicunt [l] editam fuisse patrio illius temporis sermone in Italiâ. Ex quâ cùm asseratur [m] fuisse eum Romæ in potestatem anno Iubilei 1350. quando Ludovicus Rex Hungariæ ad consequendam indulgentiam eò accessit; si verum hoc esse velimus, non septem solùm menses hâc priori vice in potestate fuisse dicendus fuerit, verùm etiam triennium integrum; aut tardiùs eam incœpisse, quàm à prædictis auctoribus ponitur. Extat porrò inter opera Petrarchæ [n] ejusdem Nicolai nomine epistola satis prolixa ad Guidonem Cardinalem Boloniensem, dum captivus detineretur Pragæ, valdè queribunda de injuriis sibi sine causâ factis; ac deprecatoria pro liberatione, & ut examinatus in Pragensi Ecclesiâ, ibique Ierosolymitanâ militiâ honestatus, (ut ait) surdus, tacitus semper & mutus, humiliatus semper in Domino peregrinaretur. Quomodò verò Tribunatum Romanum denuò susceperit, dicetur suo loco.

[h] Petrar. 7. de reb. famil. 7.
[i] Ext. tom. 1. ejus oper. ad fi. & tom. 2. lib. Epist. sine tit. ep. 2. 3. 4.

PELLITUR ROMA, ET AVENIONE IN CUSTODIA DETINETUR.

[k] Ms. Vatic. ap. Bzov. hoc an. Hocsem. de Gest. Episc. Leod. lib. 2 cap. 35. ms. Putean. num. 242. & aliis mss. Io. Vill. lib. 12. cap. 89. & 104. Argentin. in Chron. Blōd. 2. dec 10. Cor. par 3. Naucl. gen. 45. Mut. lib 24. & aliis plurimis.
[l] Addit. ad Ciaccon. in Clem VI.
[m] Victorel. do Iubil. par. 2.
[n] In fi. tom. 2. oper. Petrar.

VI. LUDOVICI BAVARI OBITUS.

Hoc item anno quinto Idus Octobris *Ludovicus* Bavarus qui se pro Imperatore gerebat, diem suum obiit; veneno, ut multis creditum, potatus à Ioannâ Ducissâ Austriæ, quam Monachio Bavariæ transeuntem convivio exceperat. (Putavit Trithemius, hanc fuisse illam Maultaschiam [o] Tirolensem; sed contradicunt ceteri.) Quippe qui sumpto cum eâ hilariter cibo, statim puncturis juxta cor tentari cœpit. Dubitánsque de veneno, vomitu frustrà tentato, sperans agitatione corporis illud quicquid esset dissolvere, ut consueverat, venatum iit: ubi cùm vehementiùs aprum insequeretur, subitâ apoplexiâ correptus lapsu equi obtritus interiit; anno ab ejus qualicumque electione trigesimo tertio penè expleto, vitæ sexagesimo tertio, (ut Aventinus habet [p]:) toto penè potestatis tempore extra Ecclesiæ communionem exacto ingenti animæ ipsius periculo. Quem quidem impœnitentem obiisse, Villanius [q] tunc vivens disertè scribit. Idque ipsum videtur significare Rebdorffius in suis Annalibus; cùm ait eum ob pauperum & cleri atque ecclesiarum ac monasteriorum tyrannicam oppressionem, divinâ plagâ miserrimè expirâsse, non absolutum à sententiis excommunicationis Ecclesiæ. Quidam tamen alij signa aliqua pœnitentiæ in obitu dedisse volunt: cùm plerique rem intactam reliquerint, utrùm pœnituerit vel non. Illud omninò certum est, absolutum non fuisse ab Ecclesiâ Romanâ ceterarum omnium magistrâ, à quâ repetitis frequentissimè dirissimis sententiis ligatus fuerat & damnatus. Si tamen ex animo procuravit absolutionem, quā sæpenumero petiisse reperitur, ac verè & non subdolè paratus fuit satisfacere Ecclesiæ; spes [r] fuerit profuisse ei orationes Fidelium, quod faxit pius & misericors Dominus. Sepultus est autē à suis regali pompâ Monachij in Ecclesia parrochiali Beatissimæ Virginis. Ex quâ etiam duodecimo pòst anno voluit eū extrahere Paulus Episcopus Frisingensis, quòd nondū absolutus fuisset, nisi prohibuissent heredes, ut disertè asserit Rebdorffius [s] qui tunc in Germaniâ vivebat. Unde recentiorem Aventinum Bavarum rideas, sæpissimè aliàs putidè mentiri solitum, cùm scribit etiam miraculis & visis divinitùs editis probatam fuisse Ludovici salutem; ejúsque cultellos, mappas, ceteram hujusmodi supellectilem servatam, & ut sacram veneratione cultam à monachis, virginibúsque sanctis. Si enim adeò probata fuisset ejus salus non equidem fuisset extumulandum ejus cadaver in execrationem, sed elevandum ad venerationem. Ceterùm *Contumacem* quoque fuisse eum cognomine dictum legitur apud Wernerum in Fasciculo Temporum. Denique observat Serarius [t] cùm moris in Ecclesiâ Moguntina fuisset, ut propter tantam illorum temporum difficultatem, amicta stolâ Crux in summi templi medio poneretur, & coram eâ quotidie à Clero caneretur *Media vita*, & psalmus *Deus laudem*

[o] Supr. an. 1340. V.
[p] Avent. lib. 7.
[q] Villan. lib. 12. cap. 105.

QUO STATU MORTUUS SIT.

[r] Hac tract. ubertim Heruart. cont. Bzov. ad an. 1347.
[s] Rebdorff. in Annal. an. 1359.
[t] Ser. Rer. Mogunt. lib. 5.

meam,

meam, sublato Ludovico fuisse illam solemniter sublatam, cantantibus omnibus *Te Deum laudamus*.

VII. MULTI SUBINDE ELECTI IMPP. CŌTRA CAROLUM, NULLUS SUBSTITIT.

Eo verò defuncto Henricus exauctoratus Archiepiscopus Moguntinus, unà cum Ludovico Marchione Brandeburgensi filio prædicti Bavari, Ruperto Comite Palatino Rheni, & Erico Duce Saxoniæ, qui jus eligendi sibi potiùs deberi quàm Rudolpho qui Carolum Boëmum elegerat, contēdebat; in unum conveniētes, improbatâ electione Caroli, *Eduardum* Regē Angliæ successorem Ludovici nominârunt, odio Philippi Francorum Regis, in cujus gratam Pōtifex Carolum promovisset. Quam electionem gratam habens Eduardus, per suos tamē proceres ab eâ acceptâdâ avocatus est. Quare iidem Electores cōvenientes in principio mēsis Iunij anni proximi in Kans Bavariæ, *Fridericum* Marchionem Misnensem, abnepotem Friderici quōdam Imperatoris ex filiâ ejus, prędictiq; Bavari generū, vocârunt: Eóq; acceptâ à Carolo pecunia, renuente: iidē mense Febr. in festo Purificat. anni 1349. (habent quidam mensem Ianu. etiámq; nonnulli annum insequentem) Francofordiæ *Guntherum* elegerunt Comitem de Schvvartenburg Thuringiæ. Qui dignitatem acceptans, contractis copiis per tres dies & sex hebdomadas de more ad Francofordiam castrametatus est: cùm esset illius urbis antiquum privilegium Regem in discordiâ electum qui competitorem pateretur, non priùs in urbem admittere, quàm totidē diebus & hebdomadibus castra ibi tenuisset, adversarium præstolans, ut qui superior evasisset is demùm reciperetur. Quo elapso tempore, minimè comparente Carolo; receptus est à Francofordiensibus Guntherus. Sed paulò post hausto veneno, sibi à proprio medico propinato infirmatus, pactis opera quorundam Principum conclusis, accepta pecuniâ à Carolo, jure regni cessit; ac mense Iunio sequenti obiit ibidem Francofordiæ: cujus funus ipse Carolus præsentiâ suâ honestavit. Suspicio fuit nōnullorum, subornatum medicum Guntheri à Carolo ad venenum ei propinandum. Sed si id fuisset, ut quid Carolus ei jam ex veneno infirmo, ac propediem morituro, magnam pecuniæ summam numerâsset; atque, ut volunt, duo prætereà oppida Thuringiæ contulisset pro cessione juris?

VIII. CAROLUS AB OMNIBUS RECIPITUR.

Sic igitur tandem solus regnavit *Carolus*, receptus ab omnibus Principibus & civitatibus; cum quibus variè concordavit. Et iterùm omnium consensu & gratulatione circa finem mensis Iulij ab Episcopo Coloniēsi coronatus est, unà cum uxore Anna filia Comitis Palatini; quam nuper, priori defuncta, duxerat. Sed & data à Clemente Pontifice facultate Archiepiscopo Pragensi & Episcopo Banbergensi, absolvendi omnes qui ratione Ludovici Bavari in censuras ecclesiasticas incidissent: multis, ac præcipuè laicis, haud facilè conditiones præscriptas admittentibus; quibus inter cetera jubebâtur qui absolvi vellent, priùs jurare, Se credere quòd non spectaret ad Imperatorem, Papam deponere, & alium creare, & oppositum esse hæreticum; nullique deinceps se velle obedire ut Imperatori, nisi priùs foret per Ecclesiā approbatus: Demùm tamen absolutis omnibus (etiámque nonnullis absque ejusmodi juramento) sacra ubiq; restituta sunt, & pax ingenti omnium gaudio longissimo postliminio reddita.

OMNES ABSOLVŪTUR A CĒSURIS.

Henricus tamen exauctoratus Moguntinus turbarum auctor & incentor, morte dein ùm subitaneâ atq; improvisâ in pervigilio Natalis Domini sublatus, pœnas dedit cùm aliorū flagitiorum, tum imprimis contemptûs auctoritatis Pontificiæ. Diutiùs successores ac hæredes Ludovici Ludovicus Marchio Brandeburgensis, & Stephanus Boij, aliíque censuras sustinentes; ad ultimum & ipsi operâ Rudolphi Austriæ Ducis, certis conditionibus ab Innocentio Clementis successore reconciliati sunt. Quæ quidem in plures annos diducta, & à pluribus auctoribus [u], quamvis nonnihil in aliquibus diversè, tractata, nos in unum contrahere voluimus, ne longiùs lectores expectatione reconciliationis & concordiæ protraheremus, quibus tot lustris odiosis inimicitiarum & dissensionum narrationibus molesti fuimus: haud tamen propterea, siquæ posteà de his notatu digna ad rem Ecclesiasticam (quam præcipuè tractamus) pertinentia occurrerint, ea omissuri.

[u] *Vill. lib. 12. c. 105. Rebdorf. in Annal. Albert. Argen. in. in Chron. Nauc. gen. 45. & 46. Trith. in utroq; Chro. Krantz. Sax. & Metrop. lib. 9. Mut. Lang. Cuspin. &c.*

IX. GUIL. OCKAMUS MORITUR. POENITENS.

Mortuum item esse hoc anno ibidem Monachij *Guillelmum Ockamum*, quem vidimus ex præcipuis extitisse Minoritis, qui Ludovicum contra Ioannem Pontificem animârunt, & ab eo damnati fuerunt; pleriq; tradunt. Sed eum adhuc anno 1049. superstitem fuisse, ex monumentis Vaticanis Waddinghus contendit. Qui si in humilitate religionis quam profitebatur studiis attendisset tantummodò Philosophicis & Theologicis quibus apprimè imbutus erat, & non in Christum Domini perfrictâ fronte verbis & scriptis insanire maluisset, longè major reipsâ fuisset quàm per speciem videri quæsivit. Pœnitentem autem obiisse, anathemate solutum, Trithemius [x] aliqua ejus opera recensens scribit: ex quo & alij desumpserunt: docétque expressiùs idem Vvaddinghus [y] ex Clementis epistolâ ad Generalem Ordinis; quâ Pontifex ait, se ejus supplicationem suscepisse, facultatem petentis Guillelmum & alios Minoritas qui Michaëli de Cesena & Ludovico de Bavariâ adhæserant, Ecclesiæ uti postulabant reconciliandi: Eámque concedens, eandem quam diximus formulam præscribit, sub quâ recipi deberent: videlicèt quòd crederent non spectare ad Imperatorem deponere Papam, & alium eligere, sed hoc hæreticum reputarent: & jurarent stare & parere mandatis Ecclesiæ & Papæ; nec erroribus & hæresibus ac rebellionibus Ludovici quondam de Bavariâ & Michaëlis de Cesena adhærere, &c.

[x] *Trith. de Scrip. Eccl.*

[y] *Vvadingh. Annal. Minor. tom. 3. hoc an.*

X. ARTICULI ERRONEI DAMNATI PARISIIS.

Hoc eodem anno damnatos reperimus [z] Parisiis per Episcopum & Magistros in Theologiâ, plurimos articulos propositos à quodā *Ioanne de Mercuriâ* Ordinis Cisterciensis, de voluntate ac volitione Christi; de peccatis, eorúmque causâ, aliísq; casibus; quorum aliqui habiti sunt erronei; alij suspecti; aut malè sonantes in fide, ut fuit semper & in omnibus valdè solicita hæc Regina Universitatum & Academiarum, nequid vel minimi erroris aut suspicionis in aliqua scientiarum facultate, ac præcipuè Theologicâ, in receptam semel sanam doctrinam latenter irreperet.

[z] *Bibl. Patr. tom. 4.*

XI.

[a] *Io. Vill. lib. 12. cap. 98.*

IOANNA REGINA NEAPOL. ALIUM VIRUM ACCIPIT.

Hoc item anno (ut Ioannes Villanius[a] habet; cùm Summontius præcedenti factum velit) Ioanna Regina Siciliæ, quò aculeis carnis mederetur, & virû haberet cujus operâ regnum à quibuslibet hostibus, & maximè à Ludovico Hungariæ Rege fratre Andreæ prioris ipsius Ioannæ viri, qui præmissis minacibus literis in procinctu erat expeditionis Italiæ ad vindictâ de fratris nece sumendam; tutari posset: de suorum consilio, die 20. Aug. nupsit Ludovico filio secundo-genito Philippi Principis Tarentini fratris Roberti Regis Ioannæ avi; præhabitâ dispensatione à Clemente Pontifice super impedimentis hujusmodi matrimonij; non tamen ut Rex vocaretur, sed tantùm Dux Calabriæ, & Gubernator regni. Quod quidem operâ Card. Petragoricensis avunculi Ludovici factum fuisse; vulgatúmq; etiam vivente Andreâ ipsum Ludovicum sese turpiter cum Ioannâ immiscuisse, & utriusque machinatione Andream sublatam esse, idem Ioannes Villanius amarè de Ioannâ scribens ait. Cùm tamen qui post eû scripsit Matthæus[b] ipsius frater, per Imperatricem Ludovici matrem (gaudebat enim inani titulo Imperij Constantinopolitani, ut aliàs vidimus) & Nicolaum Acciaiolum Florentinum ejusdem educatorem, hujusmodi matrimonium tractatum dicat; & Ludovicû tam adulterij quàm necis Andreæ insontem insinuet. Cùm verò interim post auditum apparatum bellicum Regis Hungariæ, jam pars regni, multis[c] ad eum transeuntibus, ab ejus præmissis copiis occupata esset, ipséquemet propè adesset cum potenti exercitu: ejus viribus imparem se Ioanna sentiens, & quem armis vincere diffidebat fugâ vitare decernens, ad principium anni[d] sequentis cum tribus solis triremibus è Provinciâ accitis navigare eò deliberavit; Pontifici, ut dicebat, suâ innocentiâ de objectis criminibus probatura. De cujus itinere, & successu, dicetur ibi.

[b] *Matth. Vil. lib. 1. cap. 9. ad fin.*

[c] *Io. Vill. c. 74. 88. 102.*

[d] *Id. c. 110. Summ. lib. 3. cap. 4.*

XII.

TRANSIGIT CUM REGE TRINACRIÆ.

[e] *Fazel. Rer. Sicul. 2. dec. 2. Surit. Indic. lib. 3. an. 1347.*

Antè verò quàm Neapoli recederet, cùm etiam à Ludovico Rege Trinacriæ, (Siciliæ nempe Insulæ) sibi timeret, quem sciebat à Rege Hungariæ sollicitatum fuisse de ineundo secum fœdere: pacem cum eo his conditionibus[e] pepigit pridie 9. Novembris hujus ipsius anni; ut Siciliæ regnum, sub jam aliàs stabilito titulo Trinacriæ, perpetuò apud Ludovicum esset: isq; annuum censum trium millium unciarum auri, quem Ioanna Romano Pontifici pendere consueverat, ejus nomine pendere teneretur. Ut idem, si regnum Neapolitanum ab hostibus quandoque invaderetur, classem triremium quindecim cum soluto ad tres menses milite subsidio mitteret, unà cum 100. & 50. gravis armaturæ equitum auxilio: Ut novê millia unciarum, debitorum Ecclesiæ tributorum ratione, persolveret: Ioanna verò jure Siciliæ & adjacentium Insularum in perpetuum cederet; & ab Apostolicâ Sede impetraret, dirarû & execrationû noxas & sacra interdicta tolli. Quæ cum præter scietiam Sedis Apostolicæ pacta fuissent, nec satis per eas côditiones juribus Ecclesiæ Romanæ cautû videretur; easdem conditiones Clemens[f] Pontifex ad examen revocatas, ita de utriusque partis consensu comprobavit, ut & de directo utriusque regni cis & ultra pharum dominio, & de administratione spirituali utrobique, eidem Ecclesiæ plenè satisfactum esset.

[f] *Reg. Clem. VI. & inde Bzov. an. seqq.*

XIII.

LUDOV. REX HUNGARIÆ ITALIAM PETIT.

[g] *Io. Villan. cap. 58.*

Quod verò Regem Hungariæ attinet; cùm jam ipse anno præterito tam propriâ sponte, quàm multorum literis sollicitatus, Neapolim cogitans, fœdus cum Ludovico Bavaro auxilia ei offerente pepigisset; ac propterea missos[g] ab ipso ad Pont. legatos pro obtinendo ab eo Siciliæ regno tanquam jure hereditario sibi debito, Pontifex ad concessum publicum, ob arma socialia cum Bavaro excommunicato juncta, admittere recusâsset: inde Ludovicus irarum plenus, post præmissam, ut diximus, copiarum partem, ipse 3. Novembris sumpto ab Hungariâ itinere Veronam pervenit die 2. Decemb. & ubique à Principibus & civitatibus honorificentissimè receptus; apud Fullinium quoque Umbriæ urbem visitatus à Bertrando tituli S. Marci Presbytero Cardinale Legato Apostolico, & Terrarû ac provinciarum Romanæ Ecclesiæ in Italiâ Vicario generali, monitus fuit nô nimis sævire in fideles Ecclesiæ Romanæ, & innocentes, neque sibi quicquam in regno Apostolicæ Sedi subdito absque Pontificis & Collegij Cardinalium assensu attribuere; nisi vellet in excommunicationem incurrere. Cui respondens Rex, nihil ad Sedem Apostolicam pertinere dixit de vindictâ suâ: regnum suum esse justâ avi successione: cúmq; ejus possessionem adeptus foret, tunc se Ecclesiæ ex debito responsurum: injustam excommunicationem parùm se curare, quippe Deus Papâ superior causæ suæ justitiam apprimè sciret. Sic enim rem inter eos actam esse narrat Villanius[h] ex relatione oratorum à Florentinis ad Regem salutandum missorum, qui tum erant Fullinij. Cui & de rebus hâc expeditione gestis multò majorem fidem adhibemus, quàm Bonfinio longè pôst scribenti, vel aliis quibuscumque secùs de iis agentibus. Addit[i] verò, Regem post hæc in regnum ingressum, festum Natalis Domini celebrâsse Sulmonæ: pervenisse Beneventum die 11. Ianuarij anni sequentis, & 17. Aversam ubi necatus fuerat frater ejus Andreas: toto eo itinere vix ense evaginato; sed concurrentibus ad eum undique proceribus populísque, deserto Ludovico Tarentino Ioannæ Reginæ viro, qui copias aliquas ad resistendum collegerat. Quid autem Aversæ, ac deinde Neapoli Rex egerit, dicetur anno sequenti pro ratione temporis.

Quâ cum Legato Apostol. egerit.

[h] *Vill. c. 106.*

[i] *Id. cap. 110.*

XIV.

MIRACULUM DE EUCHARISTIA.

Præsenti verò magnum contigit edi miraculum apud Cracoviam in Poloniâ circa augustissimum Corporis CHRISTI sacramentum. Cùm enim in Octavis illius solemnitatis scelerati quidam homines ferculum quo exponi solet ad adorationem populi, existimantes aureû esse furto unà cum ipsâ Eucharistiâ abstulissent; & æreum comperientes, in cœnosâ paludem impiè abjecissent: mox locus crebris ignibus & luminaribus dies noctésque collustrari cœpit. Quod cùm ad Episcopum perlatum esset, neq; tamen causa pateret: post indictum triduanum jejunium, Episcopus eò cum solêni pôpa cleri profectus, repertam sacratissimâ Eucharistiâ ingenti cum veneratione eò unde sublata fuerat retulit: & loco ubi reperta est Rex Casimirus augustum templum titulo Corporis Christi ædificavit. Quam rem narrant ejus gentis historici[k]. Pariterque

[k] *Michov. lib. 4. c. 24. Crom. lib. 12.*

docent, sublatum esse hoc eodem anno in Comitiis Vislicienfibus morem barbarum jurisjurandi conceptis verbis dandi; in quo siquis verbo lapsus esset, atque adeò titubâsset, causâ quamvis justâ cadebat.

Iesu Christi Annus 1348.
Clementis VI. An. 7.
Caroli IV. Annus 3.
Io. Palæol. V. Ann. 8.
Io. Cantacuz. VI. Ann. 2.

I. *Ludov. Rex Hungar. diram vindictam sumit de nece Andreæ fratris sui.*

Anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, Indictione prima, Ludovicus Rex Hungariæ Aversam die 17. Ianuarij delatus, postquàm à Principibus sanguinis regij ceterisque regni proceribus visitatus, eos humaniter excepisset, & ad osculum atque epulum admisisset; cùm 6. post die, nempè 23. Ianuarij, Neapolim petiturus in equum armatus ascendisset, jusso Carolo Duce Dyrrachino se in aulam ducere in quâ frater suus Andreas enectus fuerat; excusante illo nescire se locum, Ludovicus vindictam animo volvens, ex equo descendit, & in dictam aulam conscendens unà cum eodem Carolo, ibi exprobratâ ei asperè proditione in Andream, quâ tum operâ Cardinalis Petragoriensis avunculi sui (Erat is Talairandus, non ut Summontius vocat, Ægidius, ex Cardinale Presbytero S. Petri ad Vincula creatus à Clemente Papâ Episcopus Albanus) effecisset ne regiam coronam à Summo Pontifice obtineret, tum in ejus mortem consensisset, quò faciliùs ad regnum ipsemet perveniret ductâ in uxorem Mariâ sorore minore Ioannæ Reginæ; ac denique Ludovico Tarentino, qui Ioannam adulteram (ut vocabat) fraudulenter ac sacrilegè duxisset, adversùs ipsum Ludovicum Regem arma sumenti adhæsisset: propter hæc moriendum ei esse dixit eodem loco quo Andreæ necem procurâsset. Excusantem hoc crimen, epistolio ab eo scripto convicit; & vitam nequicquàm deprecantem, denegatóque tempore peccata sacerdoti confitendi, quòd Andream sine confessione morti tradidisset; jugulari in momento imperavit, atque ex eodem podio in hortum præcipitari quo projectus fuerit Andreas, insepultúmque relinqui: (quem tamen posteà Neapolim ad sepulturam inferri permisit.) móxque fratres Caroli Ludovicum & Robertum, necnon alterum Robertum Imperatorem Constantinopolitanum dictum (titulo scilicèt matris suæ Catharinæ, de quâ aliàs) Principémque Tarentinum fratrem majorem Ludovici viri Ioannæ, fratrémque ejus minorem Philippum, in custodiam dedit, & in Hungariam deportavit; sive ut necis Andreanæ cóscios, quòd in reos non satis animadvertissent, sive ad rerum suarum securitatem: creditus omninò, si æquè Ludovicum & Ioannam tenuisset, neci omnes unà cum Carolo traditurum fuisse.

II. *Quid Neapoli egerit.*

Neapolim inde petens, cunctos pavore replevit, cùm horribili ante se prælato atri coloris vexillo, in quo Regis laqueo enecti lurida effigies prostrabat, cataphractus ingrediens, etiam honores ab Electis urbis & civibus oblatos furibúdè despexit. Magistratus postèa mutavit, regnum peragravit, præsidia Hungarica urbibus & munitionibus imposuit: (fuêre tamen non pauca, quæ in fide Ioannæ permanserunt:) ac demùm nulli regni fidens, cunctis penè invisus, post quatuor moræ menses, paratâ secretò in portu Barletano Apuliæ triremi, 24. Maij fugienti similis cum paucis abiit in Dalmatiam, & inde terrestri itinere in Hungariam: præmisso jam anteà unà cum Principibus regiis supractis, Caroberto puerulo filio Andreæ (qui paulò pòst in Hungariâ trimulus obiit) relictóque Neapoli Gilfortio Lupo nobili Germano, & Conrado ejus fratre regni administratore. Quæ omnia sic gesta pluribus narrant illius temporis auctores Itali Ioannes [a] & Matthæus Villanij fratres in suis Historiis universalibus; & ex eis aliísque Rerum Neapolitanarum Scriptoribus, Summontius [b]: necnon Hocsemius [c] Belga tunc vivens ex certâ rerum relatione Avenione missâ, quæ Hungari valde jejunè tractant: in eóque etiam ab Italis dissentiunt, quòd non Conradum regni administratorem, sed Stephanum Vaivodam Transilvaniæ volunt, eíque cuncta, quæ Itali Conrado, tribuunt. Causam verò nonnulli inquirentes tam repentinæ & improvisæ Regis abitionis, quæ omnes in admirationem adduxit; non alias repererunt quàm pestilentiæ metum, quę jam per Italiam sævissimè grassabatur, & diffidentiam de regni proceribus, quorum animos variis modis à se abalienaverat: Quare & factum esse, ut iidem proceres sibi jam visi erepti de manibus barbarorum, continuò Ioannam Reginam ejusque virum Ludovicum de reditu sollicitârint. Sed antequàm de illo agamus, videndum quid eis post recessum è regno acciderit; deinde de prædictâ pestilentiâ dicturi.

[a] *Io. Vill. lib. 12. cap. 111. Matth. lib. 1. c. 10. & seqq.* [b] *Sum. lib. 3. cap. 4.* [c] *Hocsem. de Gest. Pont. Leodiens. lib. 2. c. 35.*

III. *Ioannæ Reginæ adventus in Provinciam.*

Cùm igitur Ioanna (ut anno superiori dictum est) audito Regis Hungariæ accessu, ad diem decimum quintum Ianuarij præsentis anni Neapoli in Provinciam solvisset; & à Comite Avellino ac quibusdam proceribus Provincialibus, in honestâ custodiâ per mensem detenta, (ut quidem Ioannes [d] Villanius habet) obtentu impediendæ permutationis Comitatûs Provinciæ, quam ipsa dicebatur habere in animo in gratiam Regis Franciæ, cujus filius primogenitus Ioannes tum apud Pontificem Avenione erat: demùm post Ioannis Avenione recessum & ipsa dimissa, eamdem urbem (ad quam jam & ejus vir Ludovicus Tarentinus, adveniente Neapolim Hungaro conjugis vestigia secutus, appulerat) die 15. Martij solemni pompâ, universis obviantibus Cardinalibus, sub umbella ingressa est: & à Clemente Papa benignè excepta, atque publico Consistorio audita, tantâ facundiâ, præsentibus etiam in civitate oratoribus Regis Hungariæ, causam suam peroravit, ut omnibus ritè perpensis insons existimata fuerit necis viri sui Andreæ. Quare & Papa ejusdem matrimonium cum Ludovico confirmavit, & pòst deinùm titulum regium eidem Ludovico attribuit. Ita Villanij [e] & Summontius.

[d] *Vill. c. 114.*

Insons declaratur necis viri sui. [e] *Io. Vill. lib. 12. cap. 114. Matth. c. 18. Sum. d. c. 4. Vid. infra an. 1351. 1.*

IV. AVENIONEM VENDIDIT ROM. ECCLESIÆ.

Quando eadem Regina Ioanna invitata ad reditum (ut vidimus) à proceribus regni, deficiente pecunia vendidit Clementi Pontifici & Ecclesiæ Romanæ civitatem suam Avenionensem cum omnibus ejus juribus, pretio octoginta millium florenorum auri de Florētia; contractum approbante Ludovico ipsius viro, tum adhuc titulum Comitis Provinciæ gerente. Cujus extat instrumentum [f] publicum confectum ibidem Avenione die nona mensis Iunij præsentis anni 1348. Ex quo omnes auctores refellas, qui vel alio pretio minori aut majori rem transactam, vel etiam dono Ioannæ ad Ecclesiam pervenisse scripserunt. Sunt enim etiam non pauci, qui venditionem simulatam esse velint, ac verè donatam fuisse urbem ut Ioanna Clementem sibi conciliaret; alij, revera factam esse venditionem, sed pretij dissolutionem permutatam esse in pecuniam feudi, quam Ioanna pridem coronata pro regno debebat. Sanè auctor Vitæ Clementis à Bosqueto editæ, aliáque antiqua Chronica quæ vidimus, omninò volunt magno pretio emptam esse, emptionémque à Carolo Rom. Rege, quòd teneretur in feudum ab Imperio, approbatam & confirmatam fuisse, cum renunciatione omni juri feudo ac recognitioni quæ in eam Imperio competere poterat. Qua de re extat ejusdem aureum diploma [g] datum Gorlitzij Calendis Novembris hujus ipsius anni; quo quicquid juris in eandem urbem titulo Imperij habere poterat, Sedi Apostolicæ & Romano Pontifici lubens cessit. Pecuniâ igitur sive hâc, sive aliâ instructis decem triremibus Genuensibus Ludovicus & Ioanna Neapolim redierunt, à proceribus regni humaniùs atq; honorificentiùs suscepti, quàm multis videbatur decere: paulatímque magnā partem regni quà vi quà amore recuperârunt. Opponente tamen sese Conrado Lupo cum suis Hungaricis & Germanicis copiis, acceptæ sunt utrimque clades, multæque civitates regni atque provinciæ hostiliter direptæ; donec ad quasdam pacis aut induciarum conventiones deventum est, operâ Annibaldi de Ceccano Cardinalis Episcopi Tusculani Legati Apostolici. Quæ uti gesta sint, videre est apud auctores Italos [h] superiùs recensitos: quibus Hungari haud in omnibus consentiunt. Quid porrò inde secutum fuerit, dicetur posteà.

[f] Ex Archiv. Rom. rec. Bzov. hoc an. éstque etiam in Collect. Archiep. Aux. t. Colleg. Fux. Tolos.

[g] Ibid.

[h] Matth. c. 20. 35. & seqq. Summont. d. c. 4.

V. SÆVISSIMA OMNIŪ TOTO ORBE PESTILENTIA.

Sæviebat interim ubivis locorum gravissima pestilentia; cujus vim nullus cujuscumque regionis aut civitatis scriptor tacere potuit, cū nulla propemodum fuerit toto terrarum orbe domus aut familia quæ non eam cumulatè senserit; vix (ut perhibent) tertiâ mortalium parte superstite remanente; quinimmo & plerisque locis non plus decimâ vel etiam vigesimâ relictâ: denique non paucis provinciis sine habitatoribus penitùs remanentibus; ut omnes unà Deus ruinâ populos prostraturus, sicuti olim cataclysmo universali, videretur. Descripsit eam, ejusque diversos contrariósq; effectus, variáque symptomata, elegantissimè Cantacuzenus [i] tunc Imperium Græcum regens, occasione sublati eâ lue Andronici filij sui junioris: & ex iis manifestè apparuisse ait, non ex causis naturalibus morbum prodiisse, sed divinitùs immissam castigationem fuisse.

[i] Cantacuz. lib. 4. c. 8.

VI. UNDE ILLA PRODIERIT.

Cujus ejusdem initia Villanij [k] fratres tractantes, aiunt ab astrologis fuisse eam quidem malignorum siderum concursui tributam; verùm cùm idem ille concursus aliis quoque temporibus accidisset, nec tamen idem effectus secutus fuisset, divinę potiùs justitię rem totam assignandam, cùm possit etiam Deus ut supremus rerum omnium dominus, quandocumque voluerit stellarum cursum à se ordinatum justo suo judicio accommodare. Ortam porrò esse (ut ex relatione suorum civium, aliorúnque fide dignorum qui partes Orientales & Asiaticas frequentabant, se accepisse tradunt) in Asiâ superiore & regno Cathay, seu Indoschythiâ, anno 1346. ex teterrimo odore cujusdam ignei vaporis, qui sive è cælo labens, sive è terrâ erumpens, horribili ac terrificâ mole adeò sese per circuitum extendit, ut quindecim ferè dierum itinere cuncta obvia consumpserit, animalia, domos, arbores, lapides. Aliáque parte turpissimas quasdam bestiolas pedibus & caudis refertas, necnon & vermes, aut anguiculos immensâ multitudine ex aëre in terram decidisse, quorum corruptio & fœtor totam infecerit regionem. Hinc igitur natam pestilentiam proxima loca invasisse; aliásque subinde urbes ac provincias appetendo cumulatis funeribus exinanîsse. Et primò quidem universam Asiam depastam esse; posteà Ægyptum, regionésque ad Pontum Euxinum sitas, Græciam omnem, cunctásque quà magnas quà parvas Ægæi, Mediterranei & Hadriatici maris insulas & oras tam Europæas quàm Africanas: mox totam infecisse Italiam, & transîsse in continentem Galliarum, Hispaniarum, & Africæ; ac sensim & pedetentim in regiones maris Oceani Europæ & Africæ, Majorem Britanniam, Hiberniam, aliásque Occidentis Insulas & terras: demùm oppressisse Germaniam, Hungariam, Poloniam, Daniam, Wandaliam, aliásque Septemtrionales plagas. Durare solitam in locis quos invaderet (ut ex multis relationibus & experimentis fuit scitum) quinque mensibus continuis, & non solùm per contactum, aut halitum, verùm etiam per solum visum infecisse: & cùm multi consortio omni vitando ad loca solitaria, purique aëris cōfugerent, nec sic quidem evitare potuisse, quin eos ibi lues conficeret, divinâ agente vindictâ ob desertam ægrorum curam; cùm frequenti experimento probatum fuerit, eos qui ritè præparati ad mortem ægris subvenire non dubitabant, aut omninò morbum, aut saltem mortem evasisse. Ita Villanij fratres Florentini. Quâ in civitate ad sexagena hominum millia sublata fuisse, S. Antoninus [l] Archiepiscopus Florentinus, centena Boccatius (agrum quoque Florentinum fortè comprehendens) Decameronis initio scribit. E quorum numero fuit prædictus *Ioannes Villanius* magnæ apud suos auctoritatis, & plurimæ nobis in hâc historiarum tractatione opis atque utilitatis: qui hoc ipso anno in communi suæ civitatis clade migravit ad Dominū. Dignus meo judicio omni laude, cùm ob pietatem quam in suis scriptis ubiq; lucere videmus; tum ob animi candorē in rerum narratione, quamvis haud fortè in omnibus omninò inculpabilis: cujus sit me-

[k] Io. Vill. lib. 12. cap. 83. Matth. lib. 1. c. 1. & 2.

Ejus VEHEMENTIA.

[l] Ant. tit. 21. c. 8. § 3.

IO. VILLANIUS EA ABRIPITUR.

moria

moria in benedictione sempiternâ. Superfuit autem ei haud dissimilis frater *Matthæus* Villanius; qui ejusdem exemplo res sui temporis tam patrias & Italas, quàm etiam exteras quas rescire potuit, memoriæ mandavit; orsus ab hoc anno millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, & à descriptione prædictæ pestilentiæ.

VII. DE EA RURSUM.

De quâ ne singulorum auctorum testimoniis referendis tempus frustrà teramus, satis fuerit de plerorumq; sensu atque consensu cum Petrarchâ [m], qui rem præ oculis habuit, & more suo eleganter descripsit, asserere, eam mundum universum gentibus spoliâsse, ac ferè sine habitatore reliquisse: vacuas domos, derelictas urbes, squalida rura, arva cadaveribus angusta, horrendam vastámq; toto orbe solitudinem attulisse. Atque cum Marianâ [n] res Hispanicas prosequente, ita assuetudinem mali mortalium animos efferâsse, ut exhaustis lacrymis insepulta stratáque corpora jacerent, cùm infecti tabo aut neglecti morerentur, aut assidentes curantésq; eadem vis morbi invaderet. Ceterùm non uno omnes anno de hâc lue egerunt: sed Itali ferè præsenti, quo maximè Italiam vexavit; Septemtrionales sequēti, quo eos depasta est; quidam etiā aliis, secundùm tempora quibus ad singulas provincias quas singuli descripserunt pervenit, vel atrociùs feriit. Deniq; & Nauclerus [o] scribit, in Italiâ aliquando tēpore pestis causâ jus redditū non esse. Ubi eam triennio perdurâsse pleriq; habent. Et curiosè Continuator Nangij observat; postquàm hæc plaga cessavit, pueros qui nascebantur cùm ad tempus dentium venirent, nonnisi viginti vel viginti duos communiter habuisse, cùm anteà homines de communi cursu triginta duos haberent.

[m] Petrar. lib. 8. Rer. famil. ep. 7. ad Socrat.

[n] Mar. lib. 16. cap. 13.

[o] Naucler. gener. 44.

VIII. CLEM. PP. SOLICITUDO.

De Clemente porrò Pontifice scribunt Villanij [p], ceterique omnes, eum in tantâ calamitate quæ suarum partium erant adimplendo, omnibus pœnitentibus & cōfessis, necnon sacerdotibus qui eis sacramēta administrarent, & succurrerent, remissionem omnium peccatorū à culpâ & pœnâ generali decreto indulsisse: eóq; factum esse, ut plerique multâ cordis contritione, & patientiâ roborati; malum æquanimiter tolerarent, & animam piè Deo redderent; multa bona ecclesiis aliísque sacris locis relinquentes, cùm proprios heredes ante se mori viderent. Sed & magna tunc fuisse ejusdē Pontificis Christianæ pietatis opera erga eos qui Avenione, ubi is agebat, tabe illâ infecti erant, narrant qui de eo scripserunt [q]: eos nempè foveri suis sumptibus, ac ne insepulti jacerēt piè à servis publicis propositâ justissimâ mercede sepeliri curâsse in agro quem ipse emerat; quòd cœmeteria ordinaria non sufficerent: ubi & templum in honorem Beatissimæ Virginis construi jussit, annuísque redditibus donavit, ut beneficij illius memoria ad posteros quoque pervenire posset.

[p] Io. Vill. cap. 83. Matth. cap. 4.

[q] Masson. in Clem. VI. ex antiq. Chronicis quæ vidimus.

IX.

Habent etiam Felix [r] Fabri & Nauclerus [s], solatio fuisse huic tanto luctui, quòd pueri innocentes morituri plerique & jubilando & gaudendo laudes Dei dicerent: peccatores, priusquàm sentirent vim pestilentiæ totis animis pœnituisse, adeò ut etiam ultrò mortem expeterent. Sed & ex ipsis Ethnicis & Infidelibus, cùm primùm lues apud eos grassari cœpisset, multos existimātes hoc ipsis ob infidelitatem immitti, ad Christianos transire deliberâsse; cùm autem eamdem Christianos quoque invadere animadverterunt, à salutari proposito resiliisse; scribit idem qui suprà Ioannes Villanius: confirmátq; Thomas Walsinghamus [t]. Et econtrà Matthæus Villanius, contigisse inter Christianos, ut post cessationem pestilentiæ qui superstites remansêre, cùm se ditiores ex hereditatibus propinquorum defunctorum viderunt; ac si defatigata esset manus Dei, ipsíq; impostcrum invulnerabiles & immortales futuri essēt, sese otio & deliciis ac libidinibus & omnis generis dissolutionibus dediderint. Nangij verò Continuator dolens pariter vehementer quòd per istam plagam non fuerit mundus in melius commutatus, ait postinde homines eò magis avaros & cupidos extitisse, quò plura bona possiderent, seséque per lites & rixas conturbâsse. Sicuti & S. Antoninus [u] observat, tunc quoque cœpisse religiones mendicantium quæ florebant in Ecclesiâ Dei, relaxari & tepescere, tum deficiētibus in eis ex morbo plurimis patribus & notabilibus viris qui eas doctrinâ & exēplis sustentabant; tum ex causâ tot ac talium infirmitatū relaxato rigore in cibo & aliis: Cessante autē peste, rigorem illum non voluisse reparari, ex tepiditate supervenīetium tam præsidentium quàm subditorum. Ita nimirùm sunt mortales naturâ proni ad malum, ut qui ex flagellis meliores & ferventiores fieri debuissent, econtrà nequiores & segniores evaserint. Denique & contra omnium expectationem, cùm abundantia omnium bonorum esset, cunctas tamen merces & mercedes in immensum crevisse, charitatem ubique refrixisse, iniquitatem abundâsse, lites & quæstiones infinitas emersisse, bella atrociora suscitata esse, gravioráque orta scandala; frequens est tam prædictorum quàm aliorum ejus temporis scriptorum querela. Inter quos Petrarcha [x], vacuum hominum, sed criminum plenum fuisse orbem, atq; ad paucos totam scelerum descendisse hereditatem: nec mirandum, si quò pauciores, & pejores essent homines; quippe necesse esse hoc mentium virus, & hanc rabiem, & hunc luxum, & hanc sartaginem vitiorum perpetuis ignibus superjectam, cui nil demitur, sed in dies aliquid additur, eò fervere funestiùs quò fervet angustiùs.

[r] Fel. Fabr. Hist. Suevic. lib. I. cap. 4.

[s] Naucl. gen. 45.

[t] Walsingh. in Eduar. III. hoc an.

HOMINES INDE PEIORES.

[u] Ant. tit. 21. cap. 8. §. 3.

[x] Petr. 3. de Reb. Senil. I. ad Bocat.

X. TERRÆMOTUS INGENTES.

Cùm nihilominùs non hac dumtaxat clade commonefactos voluerit Deus mortales, sed etiam aliâ non minùs terribili, quin etiam in momento longè periculosiore: Terræmotu nempè, qui præcipuè Italiam Germaniámque concussit, & hoc præcipuè anno in die Conversionis sancti Pauli Apostoli vigesimo quinto Ianuarij, vim suam exeruit. Descripsit eum præ ceteris suprà dictus Ioannes [y] Villanius, finem cum eo imponens & Historiæ suæ & vitæ: necnon Matthæus frater ejus, sed minùs accuratè alio tempore ponens, ad quod Ioannes qui idem narrat non potuit pervenire: nisi fortè non uno die terra ubique tremuerit; aut verò tremor iisdem locis repetitus fuerit: cùm nihilominùs plerique alij [y] & hunc ipsum annum & prædictam Pauli diem cōsignent. De quo agens qui sensit Petrarcha [z], ait tam in occasu quàm

[y] Io. Vill. lib. 12. in fi. Matth. lib. I. cap. 45. & 46.

[y] Vid. supr. an. 1346 ult. & Cor. par. 3. Sabell. 9. En. 8. & 2. Dec. 3. Petr. Iustin. Hist. Ven. lib. 4. Rebdorff. in Annal. Aven. lib. 7. &c.

[z] Ep. ad Socrat.

in oriente,& tam sub boreâ quàm sub austro, multis in locis Alpes radicibus motas esse: Italiæ,simul ac Germaniæ magnâ partem tremuisse: novissimè cùm jam lassatam mortem, placatámque Dei iram sperarent pauculi qui erepti publico naufragio videbantur, Romam ipsam insolito tremore concussam esse, tam graviter,ut ab eâdem Urbe conditâ tale nihil ibi acciderit, collapsis multis ædificiis publicis,turribus, tẽplis; dejectis & ex eo multorũ animis, quòd (ut Plinius ait) numquam Roma tremuit, quæ caput est mundi,ut non futuri alicujus eventûs prænuncium id fuerit. Quare & addit, secuta mox esse mala, quæ nec meminisse sine lacrymis quis posset,neque numerare sufficeret, (pestilentiam præcipuè, ut putamus, signans, quæ veluti hoc terræmotu excitata tum maximè grassari cœpit.) Observátque pariter Villanius, præsagium hoc esse consuevisse venturæ divinæ iræ: ut non abs re inseruerit illud CHRISTUS Dominus inter signa postremi Iudicij, quamvis alioqui naturalium rerũ perscrutatores, tremores hos terræ ex causis naturalibus procedere non dubitent; sive à ventorum turbinibus,qui in subterraneis cavernis conditi, ex abyssi visceribus erumpere tentant:sive,ut alij volunt, ex quorumdam vi siderum:seu denique ex aërio improportionabili condensóque vapore: uti philosophantur Sabellicus & Iustinianus dum Veneticũ describunt ejusdem temporis motum, quo ædificia multa tam publica quàm privata, & tam sacra quàm profana ingentem traxêre ruinam: attonitâ in magnâ omnium trepidatione civitate ad continuum quindecim circiter dierum tremorem; quo factum sit, ut nulla ferè prægnans mulier fuerit, quæ tanti motûs agitatione perterrita abortum non fecerit. Quanta verò extiterit ruina aliarum quarumdam Italiæ regionum; necnon Germaniæ, ubi urbes absorptæ, pagi subversi, montes commoti atque subruti,plurima hominum millia extincta sunt; ex iisdem Villanio, Rebdorffio, Aventino, aliísque intelligi potest.

XI. [a] Trith. in Chron. Hirsaug. an. 1349. ALIÆ CLADES.

Nec tamen hîc finis cladium.Siquidem scribit Trithemius[a],eodem prætereà tempore in Germaniâ sanguinis profluvio ingentem hominum multitudinem inaudito genere cruciatûs absumptam fuisse: Necnon sacri Ignis (ut vocant morbi genus) adustionem tantâ immanitate sævîsse, ut quemcumque invasisset mox carnem usque ad ossa penitùs consumeret: Denique tantis calamitatibus atque periculis exundâsse hæc tempora, ut excepto generali Diluvio pejora scripserit nemo.Quomodò verò attributa Iudæis in Germaniâ supradictæ pestilentiæ disseminatio, gravissimam iis perniciem intulerit, dicetur anno sequenti, quo illam auctores referunt ubi item agendum de novâ Flagellantium sectâ, quæ occasione ejusdem pestis in mundum errabunda prodiit.

XII. ALIA GLIRIUM IN GERM.

Diœcesim quoque Osnaburgensem in Germaniâ, glirium ingens copia in ultionem avaritiæ Episcopi vehementer afflixit.Cùm enim ducentis octoginta antè annis (nempè millesimo sexagesimo octavo) Benno illius Ecclesiæ Episcopus certam eleemosynam statuisset perpetuis temporibus per Episcopatum propter glires qui ejus agros depascere consueverant agendam;& quamdiù illa erogata est, numquam glires visi fuissent: spretâ jam illâ atque dimissâ Gotfrido Episcopo, confestim glires immenso numero prodierunt, & Gotfridus miserabiliter vitam finivit.Sícque cognitum est,quia facit[b] Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.Rem ex alio auctore narrat Serarius[c] in Historiâ Moguntinâ: putátque inde ortam fabulam à pluribus recentioribus scriptoribus memoratam, de Hattone Archiepiscopo Moguntino, ob combustam in horreo suo multitudinem pauperum, in magnâ penuriâ eleemosynam ab eo petentium, à muribus in mediis aquis comeso & consumpto: cujus fabulæ inanitatem ipse prolixè demonstrat, confutátque.

[b] Psal. 139.
[c] Ser. lib. 4.

XIII. [d] Crus. Annal. Suevic. par. 3. lib. 5. cap. 1. VINDICTA DIVINA IN CONTEMPTORES EUCHARISTIÆ.

Aliam item hoc eodem anno quidam scriptor[d],post narrationem superioris terræ motûs, addit ex quodam manuscripto cladem in contemptores divinissimæ Eucharistiæ: cujus narrationi major ideò fides habenda, quòd auctor hostis Eucharistiæ fuerit. Ait igitur; die quodam juxta Friburgum,die serenissimo, choreas ducentibus quibusdam petulanter cum facibus & candelis, cùm præterire sacerdotem contigisset Sacramentum deferentem, præsultorem ceteros monuisse ut desisterent saltare; sed feminam unam ex saltatricibus obstitisse, dicendo patrem suum habere multas tales campanulas in collis pecorum suorum: Pergentibus igitur illis tripudiare, momento scissâ nube tantam decidisse aquæ abundantiam ut perdiderit homines, domos, & bona quæque illius vallis; nec ampliùs visos esse,nisi mortuos aliquot infantes in cunis quæ arboribus inhæserant.Sed jam sat de cladibus: pergendum ad cetera.

XIV. NICOLAI DE ULTRICUR. ERRORES DAMNATI. [e] Bibl. Patr. tom. 4.

Parisiis hoc eodem anno vigilantiâ Doctorum Universitatis *Nicolaus de Vltricuriâ* publicè revocavit sexaginta articulos de rebus philosophicis & Theologicis à se propositos, qui primùm à Sede Apostolicâ damnati fuerant; eósque falsos & hæreticos agnovit: & libelli atque epistolæ quibus ij continebantur igni traditæ fuerunt. Extant[e] iidem unà cum aliis, ab eâdem Universitate diversis annis hujus sæculi damnatis; quibus videre liceat quàm difficile fuerit aliquid erronei à quoquam prodire, quod non confestim præfocatum sit.

XV. BELLUM CIVILE SICULUM.

In Insulâ Siciliæ mortuo ex pestilentiâ Ioanne Regis pueri patruo & regni administratore viro prudẽtissimo,magnæ turbæ concitatæ sunt inter Blascum Alagonã Regi bailum (ut vocant) seu educatorem aut gubernatorem datum,& Palicios olim regno extorres, quos Regina mater Regis revocavit. Indéque divisâ inter partes Siciliâ, & ut fit in dissensionibus civilibus utrâque parte à Rege stare venditante,cùm initio major Paliciis faveret,magna facta est cædes Catalanorum & Aragonensium Blasco adærentium: & continuato ad aliquot annos internecino bello, alternantibus cladibus & victoriis, adeò deturpata & depauperata est pulcherrima & ditissima bonitate soli insula, ut tota in aliam mutata jam non agnosceretur à suis, nec sufficeret alendis suî depastoribus. Rem prolixè descri-

psit Fazellus [f]: tractâtque cùm dolore Matthæus [g] Villanius: nec omisit Surita [h], dum etiam bella in Sardinia inter Aragonios, & insulanos sese ab eorum dominatione eximere tentantes, hoc ipso tempore gesta, & maximè civilia Aragoniæ, inter Regem, & Unionem pro patriis libertatibus sese Regi unà cum Ferdinando ipsius fratre opponentem, prosequitur. Cujus demùm is finis extitit, ut cōventu Cæsaraugustę facto Octobri mense hujus ipsius anni, privilegia à Regibus olim ad populi sedandas commotiones concessa, jam ob alias populorum impressiones (ut plerumque fit) amitterentur: firmiùs tamen stabilitâ præfecturâ *Iustitiæ Aragonum*, quæ communis libertatis causâ ad reprimendas potentiorum injurias, & temperandam Regum potentiam introducta priscis tēporibus fuerat, ad instar ferè Ephororum Spartanorum, & Tribunorum plebis Romanorum. Mansit nihilominùs adhuc Ferdinandus in suâ adversus fratrem Regem offensione: quam idem Surita prosequitur. Quæ pariter tractans Hieronymus [i] Blancas observat; cùm Rex ardenti studio curaret ut omnia quæque haberi possent sive publica sive privata monumenta, in quibus fortè aliqua dictorum antiquorum privilegiorum exempla reperirentur, penitùs interirent; eâ occasione plurimas periisse priscæ Aragonicæ vetustatis tabulas, hàncque jacturam multam attulisse in antiquis ipsorum rebus obscuritatem, & in scriptorum Iudiciis infirmitatem.

SEDITIONES ARAGONICÆ.

IUSTITIA ARAGONUM.

[f] Fazel. 2. dec. 9. cap. 5.
[g] Matth. Vill. lib. 1. cap. 31. & lib. 2. cap. 61.
[h] Surit. Indic. lib. 3.
[i] Hier. Blanc. de Reb. Arag.

XVI. DE WALDEMARO REGE DANIÆ.

Inter illa quæ in Regesto Clementis Pont. reperiuntur hoc anno ab eo facta aut decreta, legimus ipsum absolvisse à sententiâ anathematis Waldemarum Daniæ Regem, quòd se inscio Sepulchrum Domini visitasset. Meminimus ejusdē superiùs [k]: Est enim hic Waldemarus ejus nominis Daniæ Regum Tertius, Christophori filius. Quem quidem ex Krantzio [l] in Historiâ ejus gentis constat, cùm paternum regnum adeptus fuisset ope Ludovici Marchionis Brandeburgensis filij Ludovici Bavari, qui sororem ipsius Waldemari uxorē habebat; Lituanicâ expeditione incassùm susceptâ, longam iniisse peregrinationem in Terram Sanctam, & apud Dominicum Sepulchrum ab Erico Duce Saxoniæ quem secum assumpserat creatum esse militem: Cùm autem in regnum reversus suspectā haberet fidem suorum conspirantium cum Wandalicis civitatibus maritimis, denuò enavigato mari, cum ingēti thesauro peregrinationem iniisse. Avenionémque appulsum, exceptum honorificè à Pontifice fuisse, & Quadragesimæ Dominicâ quartâ Lætare honoratum de more Rosâ aureâ benedictâ: Demúmque post plures annos pertæsū longævæ peregrinationis, in regnum redire contendisse; ac non diù pòst in pace quievisse anno 1375. post mortem patris per annos quadraginta duos variè jactatum. De quo item legimus in brevi Historiâ Danicâ [m] incerti auctoris, fuisse quidem illum virum strenuum; & qui regnum receperat vastatum ac velut in solitudinem redactum, florētissimum reliquisse; verùm insatibilis avaritiæ, ac infamis perfidiæ, & sævæ crudelitatis, denique tam præcipitis iracundiæ, ut etiā fidem facilè relicturus fuisset, nisi obstitisset religiosus quidam pudor: adeò ut aliquando Romano Pontifici, ob tyrannidem ejus ac perfidiam excommunicationem & interdictum minanti, in hæc verba rescripserit: *Valdemarus Rex, &c. Romano Pontifici salutem. Naturam habemus à Deo, regnum ab incolis, divitias à parentibus, fidem verò à tuis prædecessoribus; quam, si nobis non faves, remittimus per præsentes. Vale.* Quam irreverentem impietatem recentior Danicarum Rerum scriptor [n], qui diligentiùs gesta Waldemari prosecutus est, haud & ipse erga Romanos Pontifices proclivior, verisimiliter conjicit, eum jam olim concepisse, cùm in aulâ Ludovici Bavari à teneris educatus, illius etiam in Sedem Romanam odium animo imbibisset. Ejus porrò fuit filia Margarita nupta Haquino Regi Norvagiæ, triúmque regnorum postmodùm Regina, de quâ suo tempore pluribus.

[k] Supr. an. 1339. VII.
[l] Krantz. 7. Dan. 33. &c.
[m] Edit. Lindenbruch. in

EIUS IMPIETAS IN DEUM ET IRREVERENTIA IN PONTIFICEM.

[n] Pontan. Rer. Dan. lib. 8. an. 1370.

XVII. LABORATUR IN CONVERSIONE CUMANORUM.

Hoc item anno idem Clemens Pontifex Prioribus Fratrum Prædicatorū & Ministris Minorum Provinciæ Hungariæ injunxit, viros doctrinâ & morum integritate præstantes delegare ad prædicandam fidem Cumanis, & aliis Infidelibus intra fines regni Hungarię constitutis. Quòd ex voto successisse, sive hâc Clementis missione; sive alia, ex Thuvrosio [o] antiquo Chronographo Hungaro intelligitur; dum ait, Ludovicum Regem apud Sedē Apostolicam instituisse pro conversione gentis Cumanorum ritui Tartarico involutæ: eíque genti in fide Christianâ eruditæ, Fratres de Ordine Minorū auctoritate Sedis Apostolicæ curam animarum, jura Pontificalia, & Sacramenta ecclesiastica administrâsse, & de die in diem in fide confortâsse. Partam etiam à classe Unionis adversus Turcos (ut vidimus) missâ, de iisdem Turcis victoriam, quâ centum & octodecim eorum navigia submersa, aut capta, disjectáque fuère; idem Pontifex datis 16. Cal. Sept. ad Archiepiscopum Smyrnensem, & Barnabam de Parmâ capitaneum Comitatûs Smyrnensis literis gratulatus est; hortatúsque ad perseverantiam, & ne ullâ ratione castrum Smyrnense (quod Turcæ postulabant) everti paterentur.

[o] Thuros. lib. 3. cap. 45.

XVIII. ISRAELIS SUECI OBITUS.

Mortuus est hoc anno *Israël* summo apud Sueones genere natus, & magnæ vir pietatis ac sanctitudinis, frater *S. Birgittæ*; in cujus Revelationibus [p] fit ejus mentio. Qui in bello contra schismaticos Moscovitas à Magno Sueonū Rege suscepto, percupiens vitam pro Christi nomine profundere, cùm castra in conspectu essent ægritudine correptus, susceptis summâ veneratione Ecclesiæ sacramentis beatam Deo animam reddidit. Monuerat Magnum Regem ex revelatione divinâ prædicta Birgitta tunc in Suetiâ venerabili nomine clarescens, bellum Moscovitis non inferre, nisi Priùs à suo exercitu eos milites amovisset, qui sibi rapinas tantùm, incendia, direptiones, aliúmque quemcumque finem quàm publicā Christianæ plebis pacem proposuisse viderētur. Quam ille monitionem posthabens, cùm primò bonam Moscoviæ partem subjugâsset, delusus posteà à Moscovitis ingentia auri & argenti pondera horum sitientissimo pollicentibus; vix eorum, cum innumerâ suorum Tartarorúmque & Lituanorum, non auro &

[p] Revel. lib. 6. cap. 95. & lib. 8. cap. 29.

argēto, sed ferro mortifero munitorum, multitudine advenientium, manus evasit: prout narrat Ioannes [q] Magnus in Historiâ Sueonum: Eâdem operâ prosequens, quomodò idem Rex Magnus à probis adolescentiæ initiis in turpissimam vitam delapsus, & Hemmingi Archiepiscopi Upsalensis, aliorúmque optimatū sanctis monitionibus deterior factus, regni administratione pulsus fuerit; traditâ illâ ipsius filiis Erico & Haquino, quos ex Blancâ conjuge ex regio Francorum sanguine acceptâ susceperat: eadémque post Ericum veneno sublatum recuperatâ auxilio Waldemari Danorum Regis, cùm in perniciem regni conjurâsse videretur, ab altero filio Haquino, Pōtificum ac procerum suasione in custodiam traditus, rursúmque liber abire permissus, & in sceleribus perseverans, honore regio depositus extiterit. Quâ de re dicetur pleniùs suo loco. Fuisse autem jam hoc tempore Romæ prædictam S. Birgittam, venisséq; hoc anno ad eam occasione sancti Iubilei Catharinam ipsius filiam, ex ejus Vitâ intelligitur. De utrâque verò agetur opportuniori loco inferiùs.

q Io. Magn. lib. 21. cap. 3. & seqq.

MAGNI REGIS SUEC. PRAVI MORES ET VARIÆ STATUS MUTATIONES.

XIX. IO. ANDREÆ IURISCONSULTI OBITUS.

Mortuus item ponitur hoc eodem anno, die septimo Iulij, Bononiæ ex peste *Ioannes Andreæ* Iurisconsultus præstantissimus, qui Glossas scripsit super Decretales, Clementinas, & alia multa: dictus vulgò *Tuba Iuris Canonici*; Trithemio [r] *fons Canonum, & dubiorum cautissimus interpres*. Bononiensis à plerisque patriâ fuisse dicitur. Sed si Volaterrano[s] credimus, natus fuit patre Andreâ presbytero & matre concubinâ apud Mugellum agri Florentini oppidum: qui juris scientiâ virtutibúsque aliis natalium pudorem contexerit, ac Bononiæ jus Pontificium per quadraginta quinque annos summa gloria professus sit. Tantâ alioqui, ut ait, vitæ abstinentiâ, ut annos viginti pelle tectus ursinâ citra lecti delicias noctibus cubitaret, frequentibus jejuniis suppliciisque invigilans.

r Trith. de Script. Eccles. s Volat. anthropol. lib. 21.

IESU CHRISTI Annus 1349.
CLEMENTIS VI. Ann. 8.
CAROLI IV. Annus. 4.
IOAN. PALÆOL. V. An. 9.
IO. CANTACUZ. VI. Ann. 3.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, Iudæi [a] in Germania, Belgio, Polonia, aliisq; regionibus Borealibus, necnon multis Occidētalibus, in generali illâ pestilentiâ de quâ anno superiori, accusati vulgò eam infectis veneno fontibus aëreque induxisse; exquisitis suppliciis nullo neque sexûs neque ætatis discrimine affecti, & facultatibus spoliati sunt. Et ait Nauclerus, crematos fuisse à mari usque in Alemanniam; præter Avenionem, ubi ipsos Papa præservavit. Quòd enim sæviùs in eos ubique ageretur quàm de jure, noluit eos Papa ibi vexari ubi nulla videbatur eorum culpa. Extátque[b] ejus epistola sive cōstitutio, ne injuria innocentes Iudæi afficerentur. Prævaluit tamen ferè ubique plebis furor: adeò ut & viri nobiles & potentes ac magistratus qui eos defendere voluerunt, periculum vitæ incurrerint. Aiúntque auctores, multos Iudæorum, cùm viderent evadere se non posse, necatis priùs liberis & uxoribus, seipsos cum domibus suis & synagogis igne supposito incendisse: Durâsse porrò hanc in eos persecutionem biennio; quo infinita eorum multitudo variis tormentorum & suppliciorum generibus sublata est: Multos autem baptizatos fuisse, sed magis timore pœnæ, quàm Dei amore; qui & posteà resilierint: indéque nova excitata in baptizatos indignatione, eosdem ipsos proscriptos fuisse & pulsos.

a Felix. Fabri Hist. Suevic. lib. 1. Argentin. in Chron. Naucler. gen 45. Trithem. in Chron. Hirsaug. & Sponheim. Magn. Chron. Belg. Mut. lib. 25. Meyer. lib. 13. Crom. lib. 12. &c.

IUDÆORUM GRANDIS CLADES.

b Reg. Clem. & inde ap. Bzo. an. 1348.

II.

Sicut autem miseri isti, si nōn omninò justè ex parte hominum, justissimè ulciscente divinâ vindictâ obstinatissimam eorum perfidiā, pœnas tulerunt sævientis pestilentiæ: ita speciei ejus amoliendæ & averruncandæ, surrexit [c] hoc ipso anno & in sequente propagata est, nova quædam secta FLAGELLATORUM sive *Flagellantium* dicta, vel etiam *Cruciferorum*, quòd & præeuntibus Crucibus procederent, & Cruces singuli manu gestarent, Crucibúsque rubris insignirētur in vestibus, caputiis & capillis à fronte & à tergo. Qui ex Hungaria ortum ducentes, brevi per totā Germaniam Superiorem & Inferiorem, Poloniam, Galliam, Angliam, aliásque regiones turmatim sese diffuderunt, viri pariter ac mulieres nudis umbilico tenùs corporibus; bis palàm de die, sed ferè histrionicè, semel clàm de nocte, nodosis & aculeatis funiculis ad sanguinem usq; flagellantes sese & invicem, divinámque clementiam miserabilibus vocibus suâ quiq; linguâ implorantes, seséque in terram in modum crucifixi prosternētes; epistolâ quâdā divinitùs missâ ad hæc se invitatos jactantes. Habebant singulæ turmę unum principem & duos magistros, quorum mandatis parebant. Nemo inter illos admittebatur, nisi de consensu uxoris, & nisi priùs peccata sua confessus inimicis suis injurias omnes remisisset: Nec item cui non suppeterent facultates ad victum, ne cogerentur mēdicare: Nihil namque petere fas erat, oblata spontè sumentes: & invitati ad mensam accedebant, nusquam tamen bis eodem loco cibum sumentes, aut morantes ultra diem unū, vel noctem. In Belgio se illis sociarunt sectæ *Lollardorum*, *Cellanorum*, & *Begardorum*, simul & quædam monachæ quas *Lutas* appellabant: quinimmò & perditissimi quique, fugitivi, decoctores, adulteri, seditiosi, homicidæ, latrones, omnium denique criminum rei. Adeóque soli suæ fidebant insaniæ, ut sacra quæque, & Evangelium, ipsúmque divinissimum Corporis Christi sacramentū posthabentes, assererent sanguinem ipsorum sic per flagellationem tractum misceri cum sanguine Christi: & siquis eam flagellationem per dies triginta tres continuâsset, omne crimen esse purgatum, omnem illi culpā & pœnam esse remissam. Quibus non solū aliquos sacerdotes tam sæculares quàm regulares, verùm etiam Episcopos sese adjunxisse tradunt. Donec tandem animadversis sectæ erroribus & superstitionibus, pœnis coërcita & extin-

c Contin. Nang. in Chron. Rebdorff. in Annal. Argentin. in Chron. Naucler. gener. 45. Trithem. in Chron. Hirsaug. Krantz. 8. Vvandal. 29. Magn. Chron. Belg. Vvalsing. in Eduar. III. Meyer. lib. 13. Cromer. lib. 12. &c.

FLAGELLANTIUM NOVA IMPIA SECTA.

[a] Clem.VI. const. num. 105. ap. Bzov. hoc an. Contin. Nang. Argent. Naucl. ubi supra, & alij.

cta est tam à Prælatis quàm Principibus, postquàm toto biennio vel etiam ampliùs vagabunda magnam Europæ partem percurrisset. Clemensque Pontifex constitutionem [d] adversùs eam edidit, quâ omninò prohibuit cunctis Christi Fidelibus, ne de cetero publicis ejusmodi flagellationibus uterentur.

III. EIUS ERRORES MULTIPLICES.

[e] Gers. to. 1. Oper. ubi quadam dubia reperias, qua tibi solvet Grets. lib. 2. de Discipl. c. 5. & seqq.

Contra hanc eamdem sectam scripsit post hæc Ioannes Gerson [e] Cancellarius Parisiensis; asserens insuper, istos Flagellantes non curâsse de sacramentis Confessionis vel Pœnitentiæ; potiorem ad delenda peccata hanc flagellationem jactantes, quinimmò eam martyrio æquantes, vel etiam præferentes, quòd ipsi ultro proprium sanguinem funderent, cùm id martyres ab aliis pati cogerentur. Unde & plures alij orti errores, quorum capita quinquaginta Lutzemburgius recenset; omnia ferè ad hæc reducenda, ut Baptismum aquæ jam cessâsse dicerent, mutatúmque esse in baptismum sanguinis, quo solo homines Christiani sint ac salútem adipiscantur: Ab eorum adventu Evangelium desiisse; sacramentorum ac sacramentalium vim & efficacitatem evanuisse; nihilque ea esse ac nullius virtutis: Auctoritatem ac potestatem Romani Pontificis, aliorúmque Episcoporum ac sacerdotum extinctam esse, & qui ea munera exercerent Antichristos esse: Quòd verò ipsi Flagellantes & sacramenta perciperent, & sacerdotes venerarentur, & Imagines ac festa colerent, aliaque ejusmodi cùm reliquis Christianis observarent, solùm id præstare ne ab hominibus notarentur, ac postmodùm de his pœnitentiam flagellationibus agere: licitam namque esse simulationem; ac satius esse pejerare quàm se & sectam prodere; quæ tamen originem sumpsisset ex quibusdam literis, quas Angeli Romæ super altari sancti Petri deposuissent. Hæc ipsi & alia ejusmodi: sive illa hoc tantùm tempore ab iis excogitata, ut plures, sive jam olim sub Gregorio X. [f] producta, ut idem Lutzemburgius & Prateolus volunt, dixerimus. Sunt enim qui utrumque tempus cùm de Flagellantibus agunt confundant. Cùm tamen, etiamsi non negemus & nomen & rem convenire, ut verò credamus fuisse eosdem, longa temporum intercapedo, & illorum jam tum extincta memoria, vetare videatur. Salutis autem hominis perturbator diabolus, in eorum perniciem semper intentus, ex simili propemodum occasione per utrosque diversis temporibus idem efficere conatus est; parùm pensi habens, utrùm ad seducendas animas nova cudat, aut antiqua renovet. Sicuti & horum dogmatibus nonnulla antiquiorum hæreticorum somnia reduxisse videmus; & recentioribus species deliriorum objecisse. At de iis modò satis, aliàs rursùm [ff] eos conventuri.

[f] Vid. supr. an. 1274. XVII.

[ff] Infr. an. 1414. XIV.

IV. PROMULGATIO IUBILEI IN AN. SEQ.

Utilius longè certiúsque ad mala publica avertenda, Deúmque placandum, remedium sacri Iubilei: quod Clemens Pontifex jam initio sui Pontificatûs, ut vidimus, à centesimo ad quinquagesimum annum reductum, hoc anno in sequentis initium promulgavit, datis publicis literis ad omnes Prælatos quarto Idus Aprilis, assignatisque tribus Ecclesiis, videlicèt sancti Petri in Vaticano, S. Pauli viâ Ostiensi, & S. Ioannis in Laterano, quas qui verè pœnitentes & contriti visitarent, Romani quidem triginta diebus continuis, ceteri Itali quindecim, ultra montani verò decem, vel quinque, aut etiam paucioribus secundùm distantiam locorum, plenissimam remissionem omnium peccatorum tam à pœnâ quàm à culpa consequerentur: destinatis ad prædicta disponenda & dirigendâ duobus Cardinalibus, videlicèt *Annibaldo de Ceccano* Episcopo Tusculano patriâ Henrico, duplici legatione Gallicâ ad pacem inter Reges Francorum & Anglorum conciliandam jam olim functo, túncque legatione Neapolitanâ ad res ejus regni componendas fungente; & Guidone Comitis Bononiensis supra mare filio, indéque dicto *de Bononiâ* (non quòd Episcopus Bononiensis fuerit, ut putavit Onuphrius, cùm nondum eo tempore Bononia Galliæ Episcopatus esset) Presbytero tituli S. Cæciliæ, posteà Episcopo Portuensi; necnon, ut habet Matthæus [g] Villanius de his agens, *Pontio de Perroto* Occitano Episcopo Urbevetano Vicario Pontificis in Urbe Roma, viro, inquit honesto, & magnæ auctoritatis; cui æquè ac Legatis data fuit à Pontifice plena potestas dispensandi super tempore visitationis ecclesiarum.

[g] Matth. Vill. lib. 1. cap. 29.

V.

Intereà dissidentibus in Germania de regno Romanorum Carolo Boëmiæ Rege & Gunthero Schuartzemburgio, demùm eâ concordiâ inter eos initâ, (hoc potiùs anno, ut plures [gg] volunt, quàm sequenti ut nonnulli [h]) quam jam aliàs [i] declaravimus, Carolus regnum quietè adeptus est. Cui cùm adversatus præcipuè fuisset Ludovicus (qui & Otto dictus) Marchio Brandeburgensis filius Ludovici Bavari pro Imperatore se olim gerentis; eumdem ei postmodùm reconciliatum, auctorem quoque præcipuum extitisse Gunthero renunciationis sui juris in favorem Caroli; ex Nauclero & Trithemio habemus. Narrátque Dubravius [k] cùm anteà prædictus Ludovicus non cessaret turbare Germaniam contra Carolum, hunc ei excitâsse æmulum, qui se Waldemarum Marchionem, (in cujus fine liberis defuncti locum suffectum à patre fuisse prædictum Ludovicum vidimus) cujus nomen apud Brandeburgenses valdè gratiosum erat, diceret; rumorémque de morte sua sparsum, non solùm peregrinatione suâ longinquâ, sed ætate formâque & staturâ, quibus haud dissimilis Waldemaro fuit, refelleret: Denique à Brandeburgensibus non alium quàm legitimum Vualdemarum creditum, tantùm profecisse, ut arma in eum exerenda Ludovico fuerint: ac protegente eum Carolo, cùm in conspectu exercitûs essent, copiosus utrimque sanguis effusus fuisset, nisi Carolus suæ conscientiæ metuens ne ipse reus apud Deum ejus sanguinis efficeretur, duces Ludovici subornasset qui eum à prælio deterrerent, quasi miseratione permoti futuræ tot utrimque nobilium in tanto utriusque exercitûs apparatu cædis ob unius latrunculi impudentem audaciam, quem alia paulò pòst ventura eo digna pœna maneret.

[gg] Trithem. Onuphr. &c.
[h] Naucler. gen. 46.
[i] Supr. an. 1347. VIII.

[k] Dubrav. Hist. Boëm. lib. 22.

WALDEMARUS FICTITIUS MARCHIO BRANDEBURG.

VI.

De quâ imposturâ agentes pariter Rebdorffius, Krantzius [l] & alij, aiunt adulterinum hunc Vualdemarum virum fuisse rusticâ plebe, natum, officio molitorem, nomine Mullerum

[l] Krantz. 9. Metrop. 35. & 8. Vvandal. 23. & 32.

lerum Meinekennum, multósque in credulitatem adduxisse; nonnullos, etsi nôssent falsarium esse hominem, delectâsse tamen quòd labor & perplexitas crearetur Ludovico: Evanuisse tandem falsarium, & post multa mala inde exsuscitata conquievisse eam tempestatem. Post hæc verò reconciliato (ut diximus) Ludovico cum Carolo, ait Nauclerus Carolum juvisse illum contra occupatores Marchiæ, quos pœnâ exilij mulctavit: ac vicissim Marchionem Lanceam, Clavos, partem Crucis, & alia Insignia Imperialia, quæ à patre habuerat, Carolo tradidisse, qui ea in Boëmiam asportavit. Quæ distinctiùs explicans Dubravius, prædicta Insignia Imperialia fuisse ait, Gladium Caroli Magni, Lanceam Christi, dexteram portionem S. Crucis cum uno Clavo, & Mappâ quâ ultima mensa Domini strata fuit: quæ ubi Carolus accepit, sine ullâ cunctatione investivisse Ludovicū Marchionatu. Eadem Imperialia Insignia enumerat Krantzius [m]. Sed Rebdorffius, qui ea se vidisse ait in solemnitate baptismi Wenceslai filij Caroli anno 1361. prædictis addit Coronam Caroli Magni, quâ coronatus est Romæ in Imperatorem; Gladium Mauritij martyris; partem Brachij S. Annæ matris Beatissimæ Virginis; Dentem Ioannis Baptistæ; portionem Chordæ quâ Christus fuit ligatus ad columnam; Spongiam quâ fuit in Cruce potatus; & alias plures Reliquias Sanctorum, quas non exprimit. Ceterùm Lanceam illam, non eam fuisse quâ Christi latus apertum est, quæque Romæ asservatur, sed aliam ex aliquâ parte Clavorum Christi confectam; jam aliàs monuimus [n] ubi de pluribus ejusmodi sacris Lanceis egimus.

INSIGNIA IMPERIALIA QUÆ FUERINT APUD GERMANOS.

[m] Id. 8. Vvand. 33.

[n] Epit. Baron. an. 929. II.

VII.

Hoc eodem anno (ut auctores Poloni [o] habent) Rex eorum Casimirus Russiam cum numeroso exercitu ingressus, eam sibi subjecit. Et quò sibi quietior esset ejus possessio, quoniam Hungarorum Reges eam ad se pertinere antiquo jure contendebant, cum Ludovico Hungariæ Rege transegit, eumdémque certum sibi successorem in regno Polonorum denuò designavit, (quod jam aliàs factum vidimus [p]) si ipse sine liberis masculis decederet. Reversus autem à Russicâ expeditione, & secundis rebus laudibúsque hominum insolescens, totum se consuetis libidinibus dedidit, greges côcubinarum diversis locis quasi turpitudinis officinas sibi locans. Et cùm à Pontificibus ac proceribus suis moneretur, non modò non resipuit, sed etiam illos malè habuit. Deniq; cùm his ad Clementem Papam delatis, moneri eum severè suo nomine Clemens jussisset, Martinū quemdam presbyterum & vicarium Ecclesiæ Cracoviensis, qui solus id facere ausus est, in profluentem fluminis Vistulæ demergi jussit. Quare à Bozentâ Episcopo Cracoviensi diris devotus est: confirmantéque divinâ justitiâ sententiam Episcopi, non solùm pestis acerba Poloniam miserè depasta est; (quæ quamquam, ut vidimus universum orbem invaserit, haud tamen novum aut inusitatum pro principum peccatis subjectos populos plecti; & tunc velut ex compacto ultrices pœnas sese manifestare, cùm patrata scelera eas meruisse dignoscuntur:) (verùm etiam Lituani ob ereptam sibi Russiam irritati, quâvis gravi bello à Prussis Cruciferis auxilio Francorum & Anglorum premerentur, nihilominùs crebris excursionibus Poloniam fœdè absque ullo obice devastantes; brevi etiam Russiam universam recuperarunt.

[o] Michov. lib. 4. cap. 19 & 25. Crom. lib. 12.

[p] An. 1342. VI.

LUDOVICI REG. POLON. PRAVI MORES.

VIII.

Quod res Orientales Græcorum attinet; hoc ferè tempore accidit quod narrat Cantacuzenus [q] eorum agens Imperatorem misisse ipsummet ad Clementem Pontificem legationem, qua imprimis dilueret crimen sibi apud eum impactum de sumpto à barbaris Infidelibus auxilio adversùs Christianos belli tempore; id enim se, non quòd eorum communionem amplecteretur, sed necessitate cogente ad justam suî defensionem fecisse: Deinde hortaretur tam eumdem Pontificem quàm Italiæ & Occidentis Principes, ad expeditionem in Asiā contra barbaros Crucis inimicos suscipiendam, cui ipsemet cum copiis suis interesse vellet. Sic turpiter Pontifici & Christianis omnibus Occidentalibus illudere conatus perfidus pupilli sui ditionis invasor: qui Turcorum affinitatem (ut superiùs [r] vidimus) in perniciem Imperij Orientalis reíque Christianæ ambivit. Ut frustrà sint qui Genuensibus crimen objiciunt primæ evectionis Turcorum in Thraciam; quod nec Chalcondyles, nec Leunclaviana Turcorum Historia, nec Cantacuzenus ipse (iis licèt infensissimus) impingunt: sed ex ipsomet Cantacuzeno [s] satis intelligitur, eam pestē nemini alij quàm ipsi soli præcipuè tribuendam. Cùm & prætereà Turcorum per Genuenses, transmissio adeò decātata, longè posthàc, aliâque occasione, sub Amurate secundo Orchanis abnepote contigisse noscatur; (de quâ suo [t] loco:) & ex ipsomet Cantacuzeno certissimè constet, eum cum ipso Orchane affinitatem fœdúsque iniisse, eâq; occasione commodiùs Turcos in Thraciam venisse, ac multas urbes occupâsse [u]. Quòd si fortè & Genuenses his manus navésque adjutrices adhibuerunt, non minori & ipsi scelere sese impiârunt: quibus sanè, unà cum Venetis, maximam Saracenorum & Turcorū dilatationis, & Christianę religionis in Oriente abolitionis, causam adscribendam esse, nostrorum Annalium continua series perspicuè legentibus manifestat.

[q] Cantacuz. lib. 4. cap. 9.

CANTACUZENI DOLUS ET PRODITIO IMPERII.

[r] An. 1345. ult.

[s] Cantacuz. lib. 3. cap. 95. 96. lib. 4. cap. 4. &c.

[t] Infr. an. 1444. XI.

[u] Cantac. l. 4. cap. 38.

IX.

Quod autem primum omnium in Europam transitum Turcorum attinet; eum jam temporibus dissensionum Andronicorum avi & nepotis contigisse, Chalcondyles scribit. In Historiâ verò Turcorum [x] Leunclavianâ traditur, Soleimanem Orchanis filium, cujusdam Græci hominis ductu ex littore Asiatico, qua Hellespontus arctissimus est, in Cherronesum Thraciæ ratibus trajecisse, nonnulla castra occupasse; stertentibúsque ad hæc Græcis, aut inter se digladiantibus, etiam Callipolim nobile ad fretum Hellesponticum oppidum in suam potestatem redegisse, quod ipsi ad suum annum Mahometanum 758. qui respondet Christiano 1357. referunt. In quibus admiranda vehementissimè Græcorum socordia, quam ex cujusdam Græci narratione idem Leunclavius [y] refert: ut cùm Turci primò Chiridocastron occupassent, nuncio Constantinopolim delato, ludentes Græci in re minimè ludicra, per jocum dicerent, stabulum porcorum esse captum, quòd Græcis chiridia dicantur porci: cùm Callipolis occupatio audita esset, non nisi

TURCORUM PRIMA IN EUROPAM TRANSMISSIO.

[x] Leunclav. lib. 4. & Pandect. num. 14. & 89.

[y] Leunclav. d. c. 24.

GRÆCORUM LUSUS IN OPPIDORUM SUORUM AMISSIONE.

amphoram

amphoram vini; quippe est callion parvus calix quo libabant: sic damnorum acceptorum gravitatem verbis elevantes, qui de Turcis ejiciendis magis cogitare debuissent, antequàm profundiores radices in Græcia egissent. Sic olim Gallienus [z] Imp. Valeriani filius, cùm ei nunciatum esset Ægyptum descivisse, Quid, inquit, sine lino Ægyptio esse non possumus? Cùm autem vastatam Asiam & elementorum concursionibus & Scytharum incursionibus comperisset, Quid, inquit, sine aphronitris esse non possumus? Perditâ Galliâ arrisisse ac dixisse perhibetur, Non sine trabeatis sagis tuta Respublica est? Sic denique de omnibus partibus mundi cùm eas amitteret, quasi detrimentis vilium ministeriorum videretur affici, jocabatur. Cujus imitatione & Græci hoc tempore argutuli videri voluêre, stipites potiùs quàm homines sese exhibentes.

[z] Trebell. in Gallien. cap. 6.

X. CLEMENTIS PONT. LEGATI AD CANTACUZ.

De Legatis porrò suis ad Clementem missis agere pergens Cantacuzenus, ait iis cum honore susceptis, Clementem remisisse cum ipsis Constantinopolim duos Episcopos; alterum ex Ordine Minorum nomine Guillelmum, alterum Hugonem de Spert (ut habet interpres Cantacuzeni, qui in literis Pontificiis Gaspertus vocatur) ex Ordine Prædicatorum; (quorum priorem Chisamensem, posteriorem Cenetensem Episcopos fuisse, intelligi datur ex ijsdem literis Clementis Papæ; de quibus infrà:) viros doctrinâ & virtute præstantes: per quos significavit acceptas sibi fuisse ejus excusationes, expeditionem Orientalem se diligenter curaturum, gratiásque agere de propenso ejus ad illam animo: quòd si præterea Ecclesiæ unionem procurare vellet, non tantum apud homines, verùm & maximè apud Deum summam gratiam initurum. Rescripsisse porrò Cantacuzenum, sibi vehementissimè in optatis esse unionem; verùm cùm res esset gravissimi momenti, satius esse illam in Synodo Oecumenicâ tam Orientalium quàm Occidentalium Episcoporum, in loco aliquo maritimo, ad quem tam ipse Pontifex quàm Imperator commodè convenire possent celebranda, disceptari ac deliberari Pontificem hæc sibi valdè probari significâsse; daturúmque se tanti boni executioni operam cùm primùm pacem inter dissidentes aliquos Principes conciliâsset: Dum verò ista per literas & nuncios ultrò citróque agitarentur, intereà Clementem diem suum obiisse, & curam de Synodo in nihilum recidisse. Hæc pluribus Cantacuzenus; nihil in iis oblitus laudum suarum, quarum inani sonitu totam Historiam suam complevit. Quæ verò habet de tractatâ inter ipsum & Pontificem unione Ecclesiæ, & celebratione Synodi, confirmationem accipiunt à Regesto ejusdem Pontificis; in quo plures [a] reperiuntur literæ ab eo de his rebus tam ad eumdem Cantacuzenum, quàm ad Palæologum Imp. necnon ad Patriarcham Constantinopolitanum Græcorum, aliósque nonnullos eorum proceres scriptæ. De obitu verò Clementis dicetur suo loco.

[a] Reg. Clem. agúntque de iisd. Bzov. & Vadding. hoc an. & seqq.

IESV CHRISTI Annus 1350.
CLEMENTIS VI. Ann. 9.
CAROLI IV. Ann. 5.
IOAN. PALÆOL. V. An. 10.
IO. CANTACUZ. VI. An. 4.

I. IUBIL. CELEBRATUR ROMÆ INGENTI FREQUENTIA.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo, Indictione tertia, ipso anni exordio, cœpto tamen more Romanæ Ecclesiæ à præcedente Natali Domini, inchoata est celebratio Iubilei anno superiori promulgati; tanta populorum pressurâ potiùs quã frequentiâ (ut Petrarcha qui interfuit asserit) ut nihil obfuisse pestem, quæ mundum hominibus exinanîsse videbatur, & adhuc solito major multis locis continuabat, appareret. Habétq; Rebdorffius qui æquè interfuit, quo die primùm ostensum fuit Sudarium Domini seu Velum quo Imago Vultûs Dominici per Veronicam est excepta, se præsente multos fuisse præ nimiâ adstantium pressurâ suffocatos. Sed nemo Matthæo [a] Villanio cive Florentino, qui tunc pariter vixit & scripsit, diligentiùs tam labores exposuerit mortalium Romam undique, atque adeò è remotissimis Christianitatis provinciis adventantium: quam alacritatem, modestiam, ac religionem, quibus tam in itinere quàm in Urbe ad thesaurum Indulgentiarum consequendum ferebantur: nec non ordinem in Urbe in eis excipiendis, itémque in visitandis Ecclesiis, & dispensandis atq; imminuendis à Legatis & Vicario urbis, in gratiam peregrinorum, pro ratione longinquitatis locorum, aut incommoditatis rerum, diebus ad easdem visitandas præscriptis, observatum: viarum quoque à latronibus pericula, & remedia ad eos cohibendos allata: ac denique Romanorum rapacitatem, in extorquendis potiùs quàm exigendis à miseris peregrinatoribus pecuniis, & augendis commeatûs hospitiorum ac rerum venalium pretiis, fraudibúsque in iis commissis. Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Sed quis miretur? cùm non ad aliud quæsîssent Romani abbreviari tempus Iubilei, quàm ad aliquomodò compensandam hujusmodi lucro Curiæ Pontificiæ absentiam?

[a] Matth. Vill. lib. 1. cap. 56.

ROMANORUM RAPACITAS.

II. NUMERUS PEREGRINORUM TOTO ANNO.

Quod verò numerum peregrinatorũ spectat; ait idem Matthæus, impossibile quidem eum inire, verumtamen communi æstimatione creditum, à die Nativitatis Christi usque ad Resurrectionem (quæ incidit eo anno in diem 28. Martij) fuisse perpetuò Romæ à decies usque ad duodecies centena hominum extraneorum millia: ad festa Ascensionis & Pentecostes ultra octies centena millia: per æstatem pauciores fuisse ob ferventissimum æstum, & collectionis frugum impedimenta; non tamen ita ut non fuerint quotidie Romæ ducenta peregrinantium millia; Iter visitationis trium quas diximus ecclesiarum S. Petri, S. Pauli, & S. Ioannis Lateranensis fuisse undecim milliarium: Sudarium Domini Veronicanum ostendi consuevisse singulis Dominicis ac festis solemnibus; adeò confertâ plerumque multitudine, ut sæpiùs contigerit plures

præfocari:

præfocari: Ad finem anni æqualem ferè fuisse concursum qui initio, sed magis honestiorum atque magnatum utriusque sexûs, quòd tunc faciliùs dispensaretur super tempore, nequis usque ad diem ultimum expers Indulgentiæ foret. Ita de his Villanius. Meyerus [b] autem ait, ex tanto peregrinorum numero vix decimum quemque domum revertisse, partim pestilentiâ, partim longinqui itineris labore absumptos. Addit verò deinde Villanius [c] Annibaldum Ceccanum Cardinalem Legatum, eò quòd imminueret tempus visitationis Ecclesiarum contra effrenatam civium Romanorum avaritiam quâ peregrinos expilabant, fuisse ab iis aliquando sagittis appetitum, ejúsque familiam probris & ictibus ac vulneribus affectam: cúmque propterea indignabundus abiret in Campaniam patriam suam, in itinere veneno potatum fuisse vnà cum pluribus è familiâ suâ. Quam rem fusiùs alij ex manuscripto codice Vaticano referunt; & venenum ex vino à quodam alio Cardinale oblato haustum tradunt, quo & nepos Annibaldi & ferè omnes ejus familiares qui ex eo bibissent extincti sint. Relatum autem corpus ejus in Urbem, sepultum esse in basilicâ Vaticanâ. Sed his de Iubileo dictis, jam ad alia convertenda est oratio.

[b] Meyer. lib. 13.

[c] Matth. Vill. cap. 88.

III. ARCHIEPISCOPUS MEDIOL. OCCUPAT BONONIAM.

Atque imprimis cùm nihil difficilius esse videatur quàm obicem ambitioni semel conceptæ ponere; & facillimè ad res injustas impellitur ut quisque est altissimo animo & gloriæ cupido: Ioannes Archiepiscopus Mediolani, post Luchini Vicecomitis fratris obitum, solus unà cum principatu Ecclesiastico sæcularem etiam obtinens; nec anni sacri reverentiâ, nec pestis terrore abstinere potuit, quin urbem Bononiam (quæ cùm juris esset Ecclesiæ Romanæ atque aliquot antè annis ab eâ descivisset ad tyrannidem familiæ Peppulorum in eâ potentis, in procinctu erat veniendi in potestatem Astorgij Durfortij Clementis Pontificis consanguinei, qui Flaminiam sive Romandiolam nomine ejusdem Ecclesiæ regebat) sibi ab iisdem Peppulis, eam diutiùs conservare diffidentibus, pretio venditam, suo adjunxerit dominatui, magno ceterarum Italiæ civitatum tyrannorúmque dolore, quibus ea Archiepiscopi potentia erat formidolosa: misitque ad ejus dominatum suo nomine suscipiendum Bernabovem nepotem suum, (Bernabonem, vel etiam Barnabam nonnullis dictum) qui rem impigrè gessit, & à prædicti Astorgij eam recuperare tentantis conatibus egregiè defendit. Quod totum facinus, multis proditionibus hinc inde gestum ceteris prolixiùs descripsit idem Matthæus [d] Villanius, nō sine gravi reprehensione superbæ incuriæ Astorgij, qui totam ferè Romandiolam magna sua culpa amisit. Et judicia Dei super patriæ suæ proditores posteà expendens, miserum exitum describit [e] Peppulorum: quibus ne satisfaceret Ioannes Archiepiscopus, impegit eis novæ proditionis crimen, & quâ morte quâ perpetuo carcere damnavit, publicatis eorum bonis. Sic olim Philippus proditionem amare quidem se aiebat, sed qui proditionem fecissent odio se maximo habere. Pereant de terra; quibus nil turpius Sol videt.

[d] Vill. lib. 1. cap. 8. usque 70.

[e] Id. l. 2. c. 3.

PRODITORUM PRÆMIA.

IV.

Cùm verò Bononiæ occupationem Clemens Pontifex graviter ferens, tam Archiepiscopo quàm ejus nepotibus, necnon & Peppulis, ceterísque eorum eâ re adjutoribus, diem Avenione dixisset, nec illi se stitissent, aut factum excusâssent: edicto ad duodecimum Calendas Decembris primò Avenione, deinde alibi locorū publicato anathema in illos pronunciavit. Posteà verò legatum in Italiam misit Episcopum Ferrariensem patriâ Florentinum, qui principes & civitates Etruriæ & Lombardiæ in fœdus cum Ecclesiâ colligaret ad comprimendam Archiepiscopi potentiam, quorum tamen conatus, tam Perusinorum tergiversatione, quàm Mastini Scaligeri tyranni Veronæ morte inter hæc obitâ, effectu caruit. Archiepiscopus autem ad omnia ingenti sollicitudine intentus, sagaci opera cunctos Italiæ Gibellinos in sui amicitiam pellexit: magnâ spe dilatandi per totam Italiam imperij, si & Florentiam in suam potestatem redigere posset; quod & fraude & vi tentavit posteà magno suo dedecore. Quæ omnia pluribus tractant Villanius [f] Aretinus, S. Antoninus, Blondus, Corius, & alij de his agentes.

ARCHIEP. EXCOMMUNICATUR CUM SOCIIS.

[f] Vill. lib. 1. cap. 77. & seqq. lib. 2. c. 4. & seqq. Ant. lib. 7. Ant. tit. 21. cap. 8. Blond. 2. dec. 10. Cor. par. 3.

V. COMMENTUM DE QUODAM LUDICRO ARCHIEPISCOPI.

Habétque Corius rem ludicram sub anni sequentis initium; de vadatione à Pontifice constitutâ Ioanni Archiepiscopo. Nempè cùm ob Bononiæ occupationem Pontifex civitati Mediolanensi interdixisset sacris, misisse quoque Legatum qui significaret Archiepiscopo, ut non solùm Bononiam restitueret Ecclesiæ, verùm etiam dominij sui aut spiritualia tantùm aut temporalia administraret: Archiepiscopum suscepto magnâ animi demissione legato, promisisse sequenti Dominicâ daturum se in Ecclesiâ majori responsum conveniens: Eâ die post celebratam præcipuo apparatu Missam, sacrificali ut erat ornatu, evaginatum gladium dexterâ, Crucem sinistrâ sumentem, coram omni multitudine dixisse Legato, Hæc est (Crucem ostentando) spirituale meum: volóque gladium esse temporale pro defensione totius mei imperij: Eâ re Pontifici significatâ, vehementi irâ commotum continuò citâsse Archiepiscopum Avenionem: húncque præstò se futurum pollicentem, præmisisse Secretarium suum, qui quotcumque eâ urbe hospitia & domos reperire posset, conduceret ad sex menses, & omnia necessaria pararet alendis duodecim millibus equitum & sex millibus peditum: Cúmque jam nullum reperiretur hospitium excipiendis extraneis, qui negotiorum causâ Avenionem accedere consueverant; de his monitum Pontificem accersisse, Secretarium, percontatúmque quantum jam impendisset, audito sumptu quadraginta millium florenorum auri, confestim eos ei numerari jussisse, & domino suo significare ut eo itinere supersederet. Quod quidem ut nullus dubito merum esse commentum; ita facilem credulitatem mirari non desino auctorum illorum qui ea ut vera admittere non dubitaverint; quin etiam in singulatem laudem & præconiū magnanimitatis Archiepiscopi obtrudere. Quę demùm siquis contendere voluerit verè gesta esse, & ei proculdubiò petulans audacia insolentissimi Archiepiscopi damnanda venerit: quam & eò detestabiliorem esse vel in solius Bononiæ occupatione constat, quò ea familia majora beneficia, quæ aliàs recensuimus, à

Sede

Sede Apostolicâ accepisse dignoscebatur. Quid verò missis post hæc ab utraque parte legatis Avenionem ad Clementem, decretum super his ab eo fuerit, dicetur altero anno quo id contigit; cùm interim non cessâsset Archiepiscopus tam Florentinis quàm eorum sociis insidiari & incommodare.

VI. LUDOVICUS REX HUNG. ITERÙM PETIT NEAPOLIM.

Hoc eodem anno Ludovicus Hungariæ Rex à Conrado Lupo & aliis quos in Apuliâ reliquerat, ob rerum suarum discrimen iterùm eò vocatus; & priùs cum exercitu appulsus quàm profectus putaretur, universum fermè regnum quà vi quà deditione obtinuit: bis tamen periculo vitæ incurso, cùm primò in obsidione oppidi Canusij inter primos per admotas scalas subiens, lapidibus deturbatus ac penè contritus est: posteà Aversam sibi adversam mense Maio aggressus, in ejus oppugnatione inter conferta tela se ingerens, pedē retulit sagittæ vulnere confossū. Eâ tamen acceptâ, cū copias suas valdè imminutas prospiceret, jámque ultum satis superque necem fraternam, satias eum cepisset longinqui belli amórq; patriæ sollicitaret; aures facilè præbens Guidoni de Boloniâ Cardinali Legato Apostolico de concordiâ eum sollicitanti, ita cum Ludovico & Ioannâ transegit, ut factis induciis usque ad mensem Aprilis anni sequētis, Reges utrimq; regno excederent interim dum causa Ioānæ de nece Andreæ viri sui diligētiùs à Sede Apostolicâ dijudicaretur: quæ si criminis cōvinceretur, omni jure regni excideret, quod Hungaro conferretur: sin autem innocens probaretur, omnia Hungarus quæ in eo possideret ei liberè restitueret, quietéque eo potiri fineret, acceptis dumtaxat nomine sumptuum trecentis millibus florenorum aureorū. Quibus sic transactis, abiit Hungarus Romam ad consequendum sacrum Iubileum, ibiq; magnificè habitus, post visitatas devotè ecclesias, egregiáq; dona eis collata, reversus est in Hungariam. Ita hæc narrat Matthæus [g] Villanius, qui propè fuit dum gererentur: quæ etiam auctoritatem accipiunt à nonnullis epistolis Clementis Papæ, quæ ejus Regesto continentur: confirmantúrque in multis ab Scriptoribus [h] Rerum Hungaricarum; quas Bonfinius eloquēter magis quàm verè tractare sæpiùs comperitur. Nec ipsum solum, sed & plerosque ceteros qui res exteras rogati descripserunt, eodem vitio laborare nōn difficile sit dignoscere: quasi nihil aliud pensi habuerint quàm pretium operæ verborum phaleris, & personarum aut gestorum commendatione compensare. Quapropter & in eo hâc narratione Bonfinium hallucinari, dum Tribunum Urbis Nicolaum tunc Urbem rexisse, & Ludovico Hungariæ Regi singulari antiquæ Reipublicæ apparatu obviam occurrisse scribit, existimamus; quàm illos alios auctores, quos vidimus asserere Nicolaum post 7. menses usurpatæ tyrannidis pulsum, nec nisi sub Innocentio Clementis successore in Italiam reversum.

ROMAM PEREGRINATUR AD IUBILEUM.

[g] Vill. lib. 1. cap. 89. 91. & seqq.

[h] Thuros. par. 3. c. 16. Bonfin. 2. dec. 10.

[i] An. 1347. V.

VII. ALFONSI REGIS CASTEL. OBITUS.

Hoc eodem anno [k] die 26. Martij mortuus est ex pestilentiâ *Alfonsus* Rex Castellæ in obsidione munitissimæ urbis Heracleæ in freto Gaditano, quam Mauri ipso regnante ceperant. Creditus est, si vita longior contigisset, (decessit enim anno ætatis 38.) Maurorum reliquias excisurus in Hispaniâ. Magnis Principibus cōparandus rerum gestarum magnitudine, nisi incontinentia reliquarum virtutum gloriā contaminâsset. *Vindicis* titulum justitiæ amor apud populū conciliavit: quem tamen magis sævitiam non rarò sapuisse volunt. Ut non adeò mirum, si filius ejus his à pueritia moribus imbutus, apertè in crudelitatem declinaverit. Ejus obitu obsidione soluta, corpus Hispalim relatum est, & in Regum sacello conditum; Cordubam posteà deferendum, uti moriens testamento caverat.

[k] Matt. Vill. lib. 1. c. 61. Marian. lib. 16. cap. 15. & 16.

PETRI CRUDELIS SUCCESSIO.

Successit in regno *Petrus* ejus filius ex justa uxore Maria Lusitaniâ, annos quindecim natus ac septē menses. Cui cùm non parvæ inessent corporis & animi dotes, & magnarum virtutum semina; non minora tamen naturæ vitia conspiciebantur, majori ætate robur acceptura: putà contemptus hominum, dicta contumeliosa, superbæ aures, aditus difficilis; aucta illa ex pravâ institutione Alfonsi Alburquerquij, cui pueri mores conformandi cura fuerat à patre data: quibus insequenti tempore accesserunt avaritia, libidinis licentia, & efferata morum sævitia, à qua etiam *Crudelis* nomen jure meritóque ei inditum. Quæ & patrem ejus Alfonsum prævidisse, & cùm moreretur proceribus suis significâsse, ægerrimè se ferre quòd talem eis dominum relinqueret; scribit suâ Rerum Hispanicarum Historiâ Rodericus [l] Sanctius Episcopus Palentinus.

[l] Rod. Sanct. par. 4. c. 14.

VIII. REGNUM À CRUDELITATE INCHOAT.

Inter ipsa initia, Eleonoram Gusmaniam patris pellicem, & multorum liberorum matrem, genere, formâ, opibus, ingenio (ut aiunt) præstantem, interficiendam mandavit; (præcipuâ tamen hujus facinoris invidiâ penes matrem ejus stāte, quæ diuturnū dolorem ex viri pellicatu æmulę cæde ulcisci voluisse visa est:) & Garsiam Lassum regni Cancellarium, adem ptâ defensione, intra ipsum regium palatium necari jussit. De ceteris agetur suis locis. Cùm verò Alfonsus pater moriens bona Rhodianorum sive Ierosolymitanorum Militū quæ occupaverat, & vel fisco regio addicta, vel aulicis distributa, nec monitis nec cēsuris Pontificiis induci potuerat ut restitueret; jam omninò reddi testamento jussisset, (tum videlicèt cùm non amplius iis frui daretur; quasi filius æquiorem se gerere deberet quàm ipse fuerat) nec tamen filius de his cogitaret: opus habuit idem Clemens Pontifex tam illum quàm Mariam Reginam ejus matrem admonere [m]; ne detentione dictorum bonorum mortui Regis animam suásq; conscientias gravarent: ceteroquin sibi decretum sedere, in omnes eorum detentores censuras ecclesiasticas distringere.

[m] Reg. Clem. & ap. Bzov. hoc an.

IX. ABROGATIO ÆRÆ HISPANICÆ.

Antequàm autem Hispaniam deseramus, observatione dignum ducimus cum Suritâ [n]; ad finem hujus anni, nempè decimum septimum Calendas Ianuarij, Petrum Aragoniæ Regem Perpiniani existētem decretum interposuisse, quo imposterùm tabularum literarúmque publicarum monumenta, non Æræ, quod Hispaniarum provinciis ex Gothorum regno in hæc sæcula usurpatū fuerat, aut Incarnationis Domini (ut in Galliis, ac nōnullis Italiæ regionibus) annorum ratione atque intervallo obsignarentur; sed Nativitatis Domini, more Romanæ Ecclesiæ. Quod deinde in-

[n] Sur. Indic. l. 3.

[o] Mar. lib. 17. cap. 10. [p] Id. lib. 18. cap 6. [q] Id. lib. 20. cap. 7.

Valentinis comitiis factum anno 1358. Mariana [o] scribit: in Segobiensibus [p] Castellæ 1383. in Lusitaniâ [q] 1415. Galliis ad multa adhuc tempora antiquum suum usum obtinentibus. Cujusmodi varias ac discrepantes annorum series qui non in historiarum lectione aut scriptione adverterit, in inextricabiles temporum difficultates incidere necesse fuerit: quod utinam non nobis aliquando acciderit, qui frequentissimè alios in his errâsse reperimus, & monuimus.

X. PHILIPPI VALESII FRANC. REGIS OBITUS.

[r] Matt. Vill. lib. 1. c. 32. & 76. Masson. in Philip. VI. Bellef. lib. 5. cap. 15.

Mortuus item est hoc anno die 22. Augusti *Philippus* Rex Francorum. Qui cùm grassante pestilentiâ uxorem anno præcedenti amisisset Ioannem Burgundam; paulóque pòst duxisset Blancam sororem Caroli Regis Navarræ, virginem octodecim circiter annorum formâ & gratiâ nulli illius temporis cedentem: vix anno elapso, ex nimio, ut [r] putatur, usu formosissimæ uxoris debilitatis viribus, excessit è vitâ apud Nogentum-regis anno ætatis 57. regni 23. corpúsque sepultum cum majoribus apud S. Dionysium, corde ad monasterium Carthusianorum Burgi-fontani delato, visceribus in Ecclesiâ Dominicanorum Parisiis positis. Erat procerâ corporis staturâ, membris omnibus decenter compositus, ingenio ad imperium nato, dignissimus omni laudum genere; eo solùm reprehensus quòd crebrâ mutatione monetæ indigenas & extraneos mercatores fortunis everterit, imposuerítq; nova Frãcis vectigalia; præter decimarum Ecclesiasticarum exactiones, sibi à Pontificibus specie Orientalis expeditionis concessarum. Verùm non hæc fuisse volunt vitia avaritiæ aut prodigentiæ quibus minimè inficeretur, (qui inter cetera pia opera, insignitus reperitur largitione eleemosynarum in pauperes, & sacrorum ædificiorum constructione) sed excusari rerum necessitate sustinendis tamdiù sumptibus bellicis pro defensione regni. Cùm nihilominùs vix unquàm excusari valeat quod ex Regesto Clementis [s] Pontificis habemus, ipsum in custodiam dedisse Petrum Bertrandi S. Clementis, aliósque nonnullos Cardinales & eorum familiares, eò quòd restitissent regiis quibusdam decretis contra Ecclesiæ auctoritatem & immunitatem factis. Quâ de causâ missi ad Regem à Clemente Pastor Minorita Archiepiscopus Ebredunensis, & Guillelmus Episcopus Carnotensis, ægrè decretorum revocationem & Cardinalium relaxationem obtinuerunt, operâ & interventione Ioannæ Reginæ. In regni porrò defensione ita sa gessit tot funestissimis atque perpessu difficillimis cladibus, ut nunquam animum desponderit, nunquam ad pacta se aut regno indigna cum hostibus ineunda descenderit. Quinimmò fortunam tamdiù adversam passus, arte & prudentiâ adeò sub finem profecit, ut regnum suum nobili Delphinatûs & Montispessulani cõparatione exigui æris prætio, ut vidimus, amplificaverit, sentientibus etiamnum posteris hujusmodi acquisitionis fructum, qui clades tunc regno illatas ne per somnium quidem recordantur. Fuisse denique eidem à conservatis auctísque Ecclesiæ juribus inditum à Prælatis Gallis nomen *veri Catholici*, præter hereditarium *Christianissimi*, suo loco diximus. Cujus obitum cùm ponit Walsinghamus Anglus anno 1355. longè fallitur: vúltque fallere, cùm mordaci more suo Romanum Pontificem & Regem Francorum carpit, quasi per eos steterit quominùs concordia inter Eduardum Anglum & ipsum Philippum facta, confirmaretur, ut conventum fuerat, à Sede Apostolicâ. Adeò sibi ipsis nocere noscuntur istiusmodi homines intemperato illo motu quo feruntur in rebus patriis, ut & omnem amittant venustatem dissertationum suarum, & difficilè iis credatur etiam cùm vera scribunt.

Ejus VIRTUTES ET VITIA.

[s] Reg. Clem. VI. an. 6. lib. Secret. ep. 171. & 228. Vvading. tom 3. an. 1339.

XI. IOANNES II. REGNAT.

[t] Vid. supr. an. 1316. IV.

[u] Petrarc. 1. Rer. memor. 2. in fin.

[x] Ap. Trith. de script. Eccles.

Successit Philippo in regno filius ejus natu maximus majórque quadragenario, *Ioannes* Dux Normaniæ, Regum ejus nominis Secundus [t], quem omnes consentiunt fuisse excelso generosóque animo, minimèque omnium simulatorem. Cui & *Boni* cognomen suos tribuisse, Annales referunt. Nec verò neglexisse studia literarum, ex Petrarchâ [u] literatorum ejus temporis principe intelligitur, cujus & suasu Berchorius Pictaviensis Ordinis S. Benedicti, insignis ejusdem temporis Theologus & Pholosophus, auctor Repertorij, Titum Livium in Gallicam linguam convertisse reperitur [x]. Unctus & coronatus Remis de more die 26. Septembris, unà cum uxore Ioannâ Comite Bononiæ viduâ Philippi Ducis Burgundiæ; (quam non ita pridem duxerat, præmortuâ Bonâ priori conjuge, filiâ Ioannis Regis Boëmiæ ac sorore Caroli Romanorũ Regis ex quâ numerosam prolem susceperat:) regnum & ipse non secùs ac Petrus Castellæ à sævitiâ orsus est, cùm Rudolphum [y] Augi Comitem Magistrum Equitum, sive Conestabulum, recèns ex longâ captivitate Anglicanâ (fuerat enim quatuor antè annis in Eduardi incursione Normannica captus apud Cadomum) Parisios reversum, & tam proditionis obtentu, quàm quòd cùm esset Comes Guinensis prope Caletum, patriæ & libertatis desiderio pactus cum Anglo fuerat, numeraturum se ei aureorũ 80000. aut si id prestare non posset, Comitatûs Guinensis possessione ei cessurum: in vincula conjici, & triduò pòst in ipso carcere summo mane obtrũcari mandavit. Tradit autem Polydorus [z], post mortem Philippi, Clementis Pontificis rogatu, inducias inter Ioannem ejus filium & Eduardum Angliæ Regem in biennium factas esse: quas tamen Philippo adhuc superstite pactas in triennium, quidam alij [a] scribunt, sed tunc pactæ, potuerint renovari in principio regni Ioannis.

[y] Matt. Vill. lib. 2 cap. 50 Froff. lib. 1 c. 153. Gagu. & Æmil. lib. 9. Masso. in Ioan. Reg.

REGNUM ORDITUR À SÆVITIA.

[z] Polyd. lib. 19. Æmil. lib. 9. [a] Gill. in Annal. Bellefor. lib. 5. cap. 15.

XII. ORDINIS CARTERII INSTITUTIO IN ANGL.

Harum induciarum tempore, hócque ipso anno, (ut idẽ Polydorus indicat, & Mireus in suo Chronico asserit, cùm plerique aut tempus taceant, aut prævertant, vel etiam protendãt) idem Rex Eduardus *Garterij*, sive Periscelidis Ordinem instituit. Cujus insigne, palliũ cæruleum, & periscelis sive crurale ligamẽ ad crus sinistrũ infra genu, cũ hâc Gallicâ inscriptione *Honny soit-il qui mal y pense*: hoc est, confundatur qui malũ in hoc cogitat, quippe tũc idioma Gallicum in usu ibi esset. Voluntq; id inde ortũ, quòd cùm aliquando ligamen Comitissæ Sarisburiæ, quam Eduardus amabat, decidisset: ídque Rex è terra sustulisset, ridentibus qui aderãt aulicis, verba illa Rex protulerit, breviq; futurũ dixerit ut beatos se existimarent qui ejusmodi periscelidem deferre

possent. Sunt tamen, qui hoc in strictæ concordiæ symbolum, alij etiam ad alia mystica significanda institutum velint; prudentes, ut videtur, leviculæ & fortè turpiculæ originis: cùm nihilominùs haud difficile fuerit res magnas ex pravis & contēptibilibus initiis productas demonstrare: & sint etiam qui ejusdem Ordinis originem ad Richardum Primum referant dum in expeditione Syriaca esset, jámque ab Eduardo tantummodò restitutum. Patronum habent, qui & totius regni, S. Georgium: in cujus honorem erectum est ab eodem Rege insigne templum apud Vvindesorum castrum regium, cum celebri sacerdotum collegio, luculentis possessionibus & redditibus dotato. Quâ de re, ceterísque ad eum Ordinem pertinentibus, qui hodiéque eximio in pretio est, plura ejus gentis scriptores [b].

[b] Polyd. lib. 19. Harpsfel. sæc. 14. c. 14. Et adde Menen. de Milit. equestr.

XIII. CAROLUS IMP. PERICLITATUR DE VITA A PHILTRO UXORIS.

Hoc item anno ponit Rebdorffius Carolum Rom. Regem periculum vitæ adiisse, totóque integro anno paralysi vexatum, manibus pedibúsque impotentem fuisse, ex veneno (ut ferebatur) ei à fratre porrecto. At verò Matthæus [c] Villanius id ei periculi ab ejus uxore (Erat illa Anna, sive Agnes, filia Rudolphi Iunioris Palatini Rheni, quam non ita pridem duxerat) obvenisse tradit. Nimirùm juvenculam feminam, ut virum ab aliarum amore avulsum, totum sibi attraheret, esculentum quid ei porrexisse, quo fortè aliquid venenati immixtum esset; è quo ille depilatus ad extrema ferè devenit: Cúmq; ex suspicione duos è suis morte damnâsset, Reginam, ut insontes neci subduceret, re viro detectâ, siqua culpa esset; suam esse nō illorum asseruisse; quæ non malo animo: sed ut eum in suî amorem ferventiorem redderet, philtrum ei propinâsset: Carolum consideratâ femineâ levitate, & uxoris candidâ simplicitate, tam ei quàm ceteris ignovisse; votóque sese adstrinxisse, si periculum evaderet, parsurum se omnibus quicumque ipsum offendissent.

[c] Matth. Vill. lib. 1. cap. 34.

XIV. PRÆLIUM INTER ANGLOS ET HISPANOS.

Quo pariter anno, (ut narrat Vualsinghamus [d]) commissum est bellum navale inter Anglos & Hispanos quarto Calendas Septēbris die Decollationis S. Ioannis Baptistæ, Eduardo ipsomet Rege classem suam ducente, in suorum ultionem, qui anno superiori vina & alias merces ex Aquitaniâ in Angliam deferētes spoliati & trucidati ab Hispanis fuerāt. Et post atrocissimam pugnam cessit victoria Anglis, captis viginti sex magnis Hispanorum navibus, & reliquis submersis vel in fugā versis eligentibus Hispanis miserabiliter perire, quàm se Anglis dedere. Ita ille. Cùm nihilominùs Meyerus [e] Belga rem breviùs narrans, dicat Anglos classem mercatorum Hispanorum ac Flandrorum intercipere nitentes, magnis utrimque acceptis damnis, cedere tamen coactos esse. Et in hâc penitùs contrariâ prædictorum auctorum assertione, cùm singuli suos vicisse velint,) adeò fallax est studium partium!) quæ verior sit difficile foret discernere; nisi nos Matthæus [f] Villanius utroq; antiquior, tuncq; in Italiâ vivens & rem describens, cujus nihil intererat quis vicisset aut victus esset, omninò certos redderet victos fuisse magnâ clade Hispanos, Regémque Angliæ plenam reportâsse victoriam.

[d] Vuals. in Eduar. III. & Hypodig.

[e] Meyer. lib. 13.

[f] Matt. Villan. lib. 1. cap. ult.

XV.

Quo verò die inter eos pugnatum est, eodem ipso Veneti ac Genuenses ad Carystum Eubœæ insulæ oppidum decertârunt, tanto vincentium Venetorum applausu; ut is dies solemnis religiosúsq; exinde in hoc usq; tempus habeatur. Quod sanè mirari non desinimus, cùm ipsorummet [g] narratione id non aliter acciderit, quàm quòd triginta quinque ipsorum triremes ad bellum armatæ, in portu prædicti oppidi quatuordecim Genuensium mercibus onustas offendentes, novem illarum nullo ferè certamine ceperunt, quatuor salvis evadētibus. Quid enim adeò hâc in re insigne, aut tantâ memoriâ dignum? Fuisset sanè, si quatuordecim illę Genuenses mercatoriæ triginta quinque Venetas armatas oppressissent. Sed benè est, quòd etiam de minimis religiosissimi Veneti grates Deo ac Sanctis ejus persolvendas arbitrantur. Et ut nihilominùs fortitudini eorum magis consulamus, testes antiquiores producimus, qui non triginta quinque triremes eis hoc prælio tribuant, sed quatuordecim dumtaxat: videlicèt Cantacuzenum tunc Imperium Constantinopolitanum obtinentem, & quæ vidit scribentem; ac Matthæum Villanium nobilem civem Florentinum, quæ eodem tempore certâ relatione audivit literis mandantem. Ille [h] namque quatuordecim Venetorum triremes noctu Galatam sive Peram in cōspectu Constantinopolis sitam & à Genuensibus detentam improviso adventu invasisse scribit, quod prædicti auctores Veneti factum aiunt ab universâ classe Venetorum statim post prædictam victoriam spe occupādæ Peræ à quâ tamen repulsi sunt. Cùm autem (ut verum fateamur) videatur hæc Peræ aggressio à Cantacuzeno magis referri ad bellum sequentis anni; (confundit sæpè res & tempora, quippe qui longè posteà historiam suam composuerit) Villanium [i] tamen omninò habemus disertè asserentem, hoc præsenti anno quatuordecim triremes Venetas ad Tanaim navigantes incidisse in undecim Genuenses Caffam euntes; ad post longum ac cruentum certamen novem Genuensium cepisse, duabus solis evadentibus.

ALIUD INTER VENETOS ET GENUENSES, QUO VICERUNT VENETI.

[g] Sabell. 2. dec. 4. Petr. Iustin. lib. 4.

[h] Cantacuz. lib. 4. c. 25.

[i] Vill. lib. 1. cap. 85.

XVI. MÓXQUE ALIUD QUO VICTI SUNT.

Nec tamen diù lætitiâ victoriæ gaudere datum esse Venetis, tam ipsi fatentur, quàm Genuenses [k] describunt: siquidem quatuor illæ Genuēses triremes quæ è portu Carystio evaserant, cum sex aliis quas Genuenses in Chio habebant conjunctæ in Chalcidem navigantes, ubi major pars captivorum in custodiam posita fuerat, (reliquis in Cretam missis) eam urbem ex improviso adortæ ceperūt, captivos liberârunt, turbámque aliam ingentem abduxerunt. Ita ipsi: tametsi Villanius duas quas vult cladem effugisse, non ex Chio, sed à Perâ subsidiarias assumpsisse velit, & cum illis in Candiam navigâsse, ubi repositi fuerāt captivi Genuenses, eósque unà cum omnibus mercibus & navibus recuperâsse, ac Genuam remisisse magnâ rei gestæ laude. Rem scilicèt scripto mandavit ubi auditu accepit. Fallitur tamen cùm Chalcidem putavit esse Candiam: nam quòd urbem esse Nigroponti significat, apertè Chalcidem intelligere debuit; quæ est præcipua urbs insulæ Eubœæ maris Ægei; cui simúlque insulæ ipsi unum Nigroponti nomen tributum est à neotericis.

[k] Foliet. lib. 7.

XVII.

Fuit autem hoc tertij belli inter eos populos

UNDE ORTUM HOC NOVUM INTER EOS BELLUM.

initium; ortum illud præcipuè ex antiquâ imperij maritimi æmulatione, quæ licèt quietem nonnunquam ab armis & injuriâ per pacis fœdera faceret, nunquam tamen animos tot veteribus odiorum causis sauciatos conjungere poterat. Quare ex levibus occasionibus sæpè recrudescens, hoc tempore occasione mercatoriæ negotiationis in Ponto Euxino excitatum traditur [l]: cùm ex studio quæstus, quo nihil potentius ad disjungendos omnium penè hominum animos, ac potissimùm eorum qui mercaturam exercent, cum

Impiger [m] extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

ad jurgia, rixas, manus ventum est. Tantùmque profecerunt, ut non solùm sese invicem penè ad exterminium dilacerârint, verùm etiã qui ultimum olim Terræ Sanctæ ejusmodi suis egregiis facinoribus excidium acceleraverant, jam etiam impedimento fuerint ne Christiani Principes fœdere contra Turcos uniti ullos alicujus momenti progressus facere possent, facilémque Turcis viam in Europam aperuerint. Quid porrò secutum sit, dicetur inferiùs suis locis. Cùm intereà egisse Clementem Pontificem cum Duce ac Senatu Veneto, Cyprio Rege, & Militibus Rhodiis sive Hospitalariis, de rebus ad fœdus & unionem spectantibus, ex ejus hujus anni epistolis [n] habeamus.

[l] Cantacuz. lib. 4. cap. 26. Vil. cap. 83.

[m] Horat. 3. ep. 1.

[n] Reg. Clem. & ap. Bzov. Hist. Hospit. to. 2. lib. 2.

XVIII. TURPIS DOLUS GENUENSIUM.

Fœdum verò omninò est, quod de Duce & Senatu Genuensi narrat idem Matthæus; armâsse duodecim triremes, & missas Neapolim dolosè obtulisse Ioannæ Reginæ in auxilium contra Hungaros, à quibus tum valdè premebatur, dummodò cederet illis oppido Vintimillio in mari Ligustico, quod erat Comitatûs Provinciæ; alioquin adhæsuros se Hungaris adversus eam: Cùm verò oppidum Ioanna necessitate coacta Genuensibus consignari mandâsset, eo habito illos elusâ Reginâ classem aliò divertisse, ô facinus impium, & meritò detestandum dignum vel solum quod vulgatum ubique epitheton auctoribus impegerit, *Hominum sine fide.*

XIX.

Cùm autem scribat Cantacuzenus [o], quo tempore Veneti Peram oppugnare contenderunt, eodem tractâsse ipsum quædam negotia ecclesiastica Constantinopoli: quamvis non admodùm præsenti anno ea gesta fuerint, ponemus tamen ne fortè posteà remotiori adscribere compelleremur. Primùm igitur ait [p], mortuo Isidoro Patriarchâ Constantinopolitano, se in locum ejus suffecisse *Callistum* monachum cœnobij Iberorum apud montem Atho; contradicentibus nequicquàm plerisque Episcopis, quos demùm ad consensum impulerit. Sed quòd ad sedem Isidori attinet, omninò existimamus errâsse Pontanum interpretem Cantacuzeni, cùm lacunam textûs Græci numeri annorum ejus implere volens, Decem posuit: quandoquidem ex ipso Cantacuzeno [q] vix quadriennium ei possit tribui. Nec minùs dixerimus errâsse Onuphrium, cùm Callisti sedem ponit tantùm sub anno 1360. qui Historiam Cantacuzeni ex quâ ista habentur nescivit. Sed ad rem.

[o] Cantacuz. d. c. 25.

[p] Id. cap. 16.

CALLISTUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOL.

[q] Supr. an. 1347. II.

XX.

Addit Cantacuzenus [r], se confusionem horribilem & turbas in Ecclesia excitatas ob secessionem sectatorum Barlaami & Acindyni à communione ceterorum intuentem, permisisse Callisto Patriarchæ, aliisque Episcopis & monachorum primariis contraria sentientibus, Synodum congregari ad examinanda dogmata & pacem conciliandam: vocato ad eam imprimis Gregorio Palamâ Archiepiscopo Thessalonicense. Coactâ igitur Synodo in palatio in Blachernis, præsente ipso Cantacuzeno, & nobilissimis quibusque proceribus, & in controversiarum quæstione inter Palamam & Acindynianos (quorum antesignani erant metropolitæ Ephesi & Gani, Nicephorúsque Gregoras, & Dexius) diebus quatuor consumptis; decretum esse, prædictos Ephesi & Gani Antistites ordine movendos, Barlaamum verò & Acindynum jam vitâ functos à corpore Ecclesiæ resecandos: qui ad Ecclesiæ doctrinam reverterentur, sine ullâ præteritorum exprobratione suscipiendos: qui verò usque in fine in obstinatione permanerent, iisdem pœnis quibus Barlaamus & Acindynus mulctandos: Hísque decretis subscripsisse primò ipsum Cantacuzenum Imp. deinde Ioannem Palæologum juniorem Aug. posteà Callistum Patriarcham cum Episcopis. Ita ille. Dicuntúrque [s] extare integra Acta hujus pseudosynodi in Bibliothecâ Augustanâ.

[r] Id. cap. 23.

PSEUDOSYNODUS CONSTANTINOPOL. IN CAUSA BARLAAMI ET PALAMÆ.

[s] Iac. Pontan. in Cantacuz. lib. 2. cap. 40.

XXI.

Addit rursùm Cantacuzenus, prohibitum post hæc fuisse omnibus quicquam ampliùs de his aut scribere aut disputare: & cùm nihilominùs multi quiescere non possent, hos carceribus inclusos fuisse. Intérque eos potissimùm Gregorã [t] scriptis suis ad diversos exaratis, tam contra Ecclesiam Constantinopolitanam insanîsse, ut falsorum dogmatũ approbatricem; quàm contra ipsum Cantacuzenum Imperatorem, quem uti ejusdem pravitatis, necnõ ambitûs & Imperij usurpationis reum laceravit: ac denique monachos montis Atho, non solùm Massalianismi, sed etiam multorum aliorum errorum, crapulæque & vinolentiæ incusâsse. Hæc verbosè, ut assolet, Cãtacuzenus, vehementissimè in Gregoram commotus, & se ab ejus accusationibus quibuscumque potest modis defendens. Vt verè dixerit Propheta [u] *Tange montes, & fumigabunt:* cùm qui moderatissimum se ubique demonstrare voluit, hîc ubi se in re universo orbi patentissimâ, usurpatione scilicet Imperij, quam ipse diluere omni conatu semper conatus est, ad vivum tactum persensit; totus extra se raptus, miserum Gregoram nullis non mendacij, seditionis, impudentiæ, calumniæ criminibus exagitavit: exprobrãs etiam quòd & aliàs ipse de dogmate controverso contrà sensisset: (de quo dictum est suo loco:) ac denique adeo ipsum in monasterio Christi dicto in solitudine vitam ducentẽ constringi imperans, ut nemini aditus ad eum daretur, nec ipse ad aliquem literas dare permitteretur. Adversus quẽ etiã, ejusque libros contra prædictam pseudosynodũ scriptos numero decem pro defensione Barlaami & Acindyni, Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus qui prædicto Callisto successit, tres liberos scripsit de lumine Thaborio, de quo primũ orta fuerat controversia: aliósq; duodecim de Distinctione essentiæ & operationis divinæ; cùm eò processisset Græcorũ inscitia, ut dicerent operationẽ Dei esse quid à substantiâ Dei diversum; sicut splẽdor

[t] Cantacuz. cap. 24.

NICEPH. GREG. AGIT PRO DEFENSIONE VERITATIS.

[u] Psal. 143.

ET IDEÒ EXAGITATUR À CANTACUZENO.

ADVERSA DE IIS SCRIPTA.

&

& lux Solis diversum quid est à substantiâ solis, & calor ignis à substantia ignis, licèt nec splendor à sole nec calor ab igne separetur: non animadvertentes aliud esse substantiam Dei, & aliud operationem, non re, sed solâ ratione. Eadem enim res simplicissima quatenùs per se existit, substantia est; quatenùs vim agendi habet, potentia est; quatenùs productrix effectûs, operatio & energia est, & hæc omnia simul est, propter infinitatem & immensitatem essentiæ. Sed hæc relinquimus Theologis. Adversariorum autem argumenta copiosè, & quoad materias tunc cōtroversas orthodoxè confutaverat iam anteà prædictus Gregorius Acindynus libris duobus; qui unà cum prædictis omnibus, simúlque Relatione totius hujus dissidij à Davide quodam monacho conscripta, extare dicuntur[x] in Bibliothecis Bavarica & Augustana. De tota verò controversia jā satis dictū superiùs variis locis[y].

[x] Id. Pont. in dec. 40.
[y] An. 1332. 1337. 1341. 1345. &c.

XXII. De subscriptionibus Imperatorum Græcorum in Synodis.

Quod autem rursùm ad prædictam Pseudosynodum spectat; (quæ sexta fuit super his controversiis) vides præsumpsisse Cantacuzenum primū subscribere ejus Actis etiam ante Patriarcham, contra omnem antiquorum consuetudinē. Quamvis enim in Octavâ Oecumenicâ subscripserit etiam Basilius[z] Imp. non tamen sustinuit subscribere nisi post omnes legatos cunctarū Sedium Patriarchalium; præfatus quoque se debuisse subscribere post omnes Episcopos ut olim fecerant Constantinus in Nicænâ, Theodosius in Constantinopolitanâ primâ, Martianus in Chalcedonēsi; subscripsisse tamē se post omnes Patriarchas, quia tali eum honore Episcopi afficere voluissent. Et in Sextâ (quæ tertia fuit Constantinopolitana) Constantinus Pogonatus Imp. nōnisi postremus post omnes Episcopos subscripsit. Sed adulatione Patriarcharum sese Imperatoribus ignaviter in sacris subjicientium factum demùm est, ut primi subscribere voluerint. Quemadmodùm & Andronico Iuniori in Constantinopolitanâ vidimus, & in Florētinâ Oecumenicâ Ioanni Palæologo qui interfuit datum esse videbimus post Summū Pontificem subscribere ante omnes alios. Sed his modò dimissis, pergamus ad alia.

[z] Epit. Baror. an. 869. IX.

XXIII. Sangenesii Patriar. Aquil. cædes, et miracula.

Hoc eodem anno, octavo Idus Iunij, (ut habetur ex Archivo[a] Ecclesiæ Utinensis Fori-Iulij ubi Patriarcha Sedem tenebat, & Matthæo[b] Villanio, atque Rebdorffio[c],) Bertrandus Sangenesius Cadurcensis Gallus Patriarcha Aquileiēsis, summæ vir doctrinæ, religionis & pietatis, olim auditor Rotæ Romanæ, cùm à Concilio Patavino, quod Guido Cardinalis Legatus hoc anno coēgerat, ad Ecclesiam reverteretur, insidiis quorumdam potentum, quos pro defensione jurium Ecclesiæ suæ exagitaverat, circumventus, occisus est cum omnibus qui eum comitabātur. Corpus Utinum relatum, in ecclesiâ majore sub pedibus celebrantium, uti ipse vivens mādaverat, sepultum est; & multis miraculis claruit. In cujus locum suffectus à Summo Pontifice Nicolaus de Lucemburgo (ut Onuphrius[d] vocat, quem Corius[e] Albertum) filius illegitimus Ioannis quondam Regis Boēmiæ, cùm & ipsi ab iisdem qui Bertrādum occiderant venenum paratum fuisset, armis eos acriter persecutus, multorum castella diruit, nonnullos capite punivit, alios laqueo sustulit; & sic quietem ac securitatem provinciæ, sibi perfectam obedientiā ab omnibus cōciliavit. Meminit horum Patriarcharum Onuphrius in Chronico Ecclesiastico: sed lapsus in tempore sedis, cùm Bertrādum ponit factum esse Patriarcham anno Domini 1330. qui in dicto Archivo ponitur anno 1333. & sublatum anno 1347. quod tam à dicto Archivo quàm à Villanio factum dicitur præsenti anno 1350.

[a] Ap. Bzov. hoc an.
[b] Matth. Vill. lib. 1. cap. 87.
[c] Rebdorff. in Annal.
[d] Onuphr. in Chron. Eccles.
[e] Cor. par. 3. an. 1353.

XXIV. Miraculum in Conceptione Virginis Deiparæ.

Quo eodem anno monachus quidam Cracoviæ in Poloniâ Paulus nomine, (ut referunt ex Henrico de Hassiâ Carthusiano illius propè temporis scriptore ecclesiastico, Magnum Chronicon Belgicum, Langius[f], Meyerus[g], & alij,) cùm ausus esset in sacrâ ad populum concione dicere Deiparam Virginem conceptam fuisse in peccato originali, subitò cecidit & expiravit sermone nondum finito; eáq; res aliis multis de eâdem materiâ disputantibus grandem incussit timorem. Quod miraculum mirabamur non retulisse in suos Annales neotericum scriptorem Polonum, in lectione prædictorum auctorum versatissimum, qui quamplurima longè minoris momenti inserere consuevit; cùm recordati sumus non esse hoc ex palato suo suæq; familiæ. Nos sanè pro assertione immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, ejúsque propugnatione, paratissimi essemus toties vitam profundere, si fieri posset, quoties contingeret eam in dubium revocari. Idque ex toto animo scribimus & profitemur, in ipsissimâ ejus festivitate anno Redemptionis millesimo sexcentesimo trigesimo secundo.

[f] Lang. in Chron. Citiz.
[g] Meyer. lib. 13.

Iesu Christi Annus 1351.
Clementis VI. Ann. 10.
Caroli IV. Annus. 6.
Ioan. Palæol. V. An. 11.
Io. Cantacuz. VI. Ann. 5.

I. Ioanna Regina declaratur innocens de nece viri sui.

Anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, Indictione quartâ, cùm remissâ (ut vidimus anno superiori) ex pacto causâ Ioannæ Reginæ ad judicium Sedis Apostolicæ, ægrè inveniretur modus asserendæ ejus innocentiæ, nec tamen justum videretur famam ejus diutiùs in dubium relinquere; demùm admissa est ejus excusatio de maleficio seu fascinatione, cujus vi fragilis ejus natura coacta fuisset minùs amare virum quàm deceret, indéq; alij conspirare in eū ausi essent: productísq; pluribus ejus rei testibus, declarata est à benevolis Iudicibus innocens eorū omniū quæ ex ejusmodi fascinatione secuta essent. Quare cùm his satisfactū esset oratoribus Regis Hungariæ, opperientibus Avenione ejusmodi judicij exitum tunc Pontifex indulsit ut Ioanna & Ludovicus Tarentinus ejus maritus in Reges inungerentur: ita tamen ut si Ioanna sine liberis præmoreretur, Ludovicus statim jure regni cederet, quod ad Mariam Ioannæ sororem ejusque liberos devolveretur. Interímque Ludovicus Rex Hungariæ omni juri ejusdem regni renunciaret, &

quæcumque in eo possidebat Ecclesiæ Rom. feudi dominæ restitueret: commisso ad prædicta exequenda Willelmo Archiep. Bracarensi Sedis Apostolicæ Legato, vel ejus defectu Petro Archiepisc. Beneventano. Quæ quidem non solũ ita facta sunt; (postquàm tamẽ Rex Hungariæ præter omnem expectationem immorigerum se in aliquibus ostẽdisset, quousque à Pontifice monitus omninò cessit:) verùm etiam idem Rex liberali munificẽtiâ trecenta illa aureorũ millia, quæ sibi ob sumptus bellicos solvi stipulatus fuerat, penitùs remisit; non se ambitionis aut avaritiæ gratiâ bellum suscepisse asserens, sed solùm ad ulciscendam necem fraternam, quam ad libitũ & satietatem ultus esset, iisq; de rebus valdè commendatus fuit ab omnibus. Post quæ Ludovicus & Ioanna solemni pompâ & ingenti applausu iuncti & coronati sunt Neapoli die 27. Maij, quæ fuit Pentecostes, anni sequentis; & paulatim universi regni possessionem obtinuerunt; aliquibus nihilominùs inter eos simultatibus intercedentibus, quas Pontifex dissolvere habuit. Ac denique Principes eorum consanguinei, quos in Hungariâ deportatos vidimus, paulò diutiùs retenti, libertati demùm sunt à Rege restituti. Narrat isthæc diffusè Matthæus [a] Villanius, & ex eo Summótius [b], breviùs Ioannes Thurosius [c], & post eum Bonfinius [d]: quæ etiam auctoritatem accipiunt, sive confirmantur à literis plurimis Clementis Pontificis circa hæc scriptis, quæ continentur ejus Regesto.

Ludovici Reg. Hungar. munificentia.

[a] Matth. lib. 2. cap. 24 41. 65. 77. & lib. 3. cap. 8. 19. 40. 45.
[b] Sum. lib. 3.
[c] Thuros. Chron. Hũg. lib. 3. cap. 24.
[d] Bonfin. 2. dec. 10.

II. Ex quibus item habemus [e], inter alia quæ hoc ipso anno ab eodẽ Clemente statuta sunt, id esse, quòd cùm audîsset invaluisse in Galliis superstitionem, ut sub nomine S. Antonij porci nutrirentur, eam omninò prohibuit.

[e] Reg. Clem. ep. 112. ap. Bzov. hoc an.

III. *Redintegratur bellum inter Francos et Anglos.*

Hoc eodem anno, cùm adhuc induciæ essent inter Reges Francorum & Angliæ, contigit, Anglos Guinas munitissimum oppidũ non procul à Caleto sitũ occupare; sive corrupto pecuniâ præfecto, ut Galli [f] & Belgæ [g] scribũt; sive, ut Angli [h], arte cujusdam Angli ibi captivi, qui viâ ostensâ suis, eos noctu introduxit; sive etiam utroq; modo, ut Matthæus [i] Villanius describit: qui & addit, præfectum oppidi cùm in Galliam revertit quadratim dissectum esse. Cùm verò de violatis induciis Rex Francorũ apud Pontificẽ, cujus auctoritate pactæ fuerant, expostularet; Eduardus tum se eo defendit, quòd de rerum emptione nihil induciarũ religione esset exceptum; exemplo Philippi Regis, qui paulò antè Caletum sinistro licèt eventu emere voluerat; tum verò quòd ex pacto [ii] cum Guinensi Comite pro ejus liberatione inito oppidũ illud omninò pertineret ad ipsum Regem Angliæ, quem eo defraudare Ioannes Rex anno superiori per necem Comitis quæsierat. Quæ dum agerentur, ne interim res ulteriùs progrederetur, aut discordiæ majores erumperent, legavit Clemens ad utrumque Regem Idib. Iunij Legatos Ægidium Alvari tituli S. Clementis Hispanum, & Nicolaũ Capocium tituli S. Vitalis Romanum Presbyteros Cardinales. Sed re infectâ, misit [k] Rex Ioannes aliquas copias ad Guinas obsidẽdas: quæ ab Anglis noctu & secretò Caletum appulsis, improviso impetu fugatæ sunt: ruptísque induciis renovatum est ubique bellum inter Reges; de quo posteà.

[f] Æmil. & Gaguin. lib. 9. Masson. in Ioan.
[g] Meyer. lib. 13.
[h] Ap. Polydor. lib. 19.
[i] Matt. lib. 2. cap. 49. 50.
[ii] Vid. an. super. XI.
[k] Vill. lib. 3 cap. 23.

IV. Intereà hoc ipso anno menséque Octobri (ut post Frossardum [l] plures ponunt; seu ut alij sequẽtis initio, die Epiphaniæ 6. Ianuarij: quæ ita conciliari possunt, ut hoc anno institutio facta fuerit, sequenti prima celebratio,) idem Ioannes Rex, æmulatione fortè Eduardi, (à quo Gartherij Ordinem anno superiori institutum esse à multis assertũ vidimus; cùm alioqui plerique Galli hunc Ioannis præcessisse velint: Frossardus [m] autem Anglum 1344. Francum præsenti 1351. collocat:) novum & ipse constituit *Stellæ*, sive olim ab Hugone [n] Capeto, & Roberto ejus filio institutum, & pòst desuetum, restituit) in memoriam illius sideris quod Magos ab Oriente ad Christum recèns natum adorandum perduxit. Dictique sunt *Sodales B. Virginis de nobili domo S. Audoëni*; eò quòd in eâ domo regiâ, duobus circiter passuũ millibus à Lutetiâ distante, creati primò fuerint, eáq; sedes primaria Ordinis constituta. Debuerunt signũ Stellæ torqui seu collari aureo appensum, necnõ vestis conspicuo loco phrygio opere adtextum ferre, cum hoc symbolo *Monstrant Regibus astra viam.* Factum tamen est multitudine gregariorum, qui bellorum occasione in Ordinem recepti sunt, ut brevî is vilescere cœperit: adeò ut Carolus Quintus Ioannis filius (sive [o] Carolus Septimus Quinti nepos) eo deposito perpetuò ferendum tribuerit Excubiarum præfecto, ejúsque satellitibus; qui & hactenùs utuntur.

[l] Froiss. lib. 1. cap. 153. Til. in Chron. Meyer. lib. 13. Bellefor. lib. 5. cap. 16.

Ordinis Stellæ institutio in Gallia.

[m] Froissard. lib. 1. cap. 101. & 153.
[n] Brul. Antiq. Paris. lib. 1. cap. de S. Capel.
[o] Ibid. lib. 4. cap. de pago S. Audoën.

V. *Decreta Anglicana de beneficiis Eccles.*

In Angliâ item hoc eodem anno, qui fuit Eduardi Regis vigesimus quintus, cum questi sępè Angli de pressuris, quas eorũ Ecclesia patiebatur à Romanis Pontificibus in collatione beneficiorũ exteris personis, iisdémq; absentibus & minùs idoneis, ínq; reservatione fructuũ & exactione sumptuum Legatorũ quos in Angliam Pontifices mittebant, jam viderẽt parùm se suis iis de rebus oblatis supplicationibus profecisse: hoc, inquam, anno re solicitiùs in Parlamento, seu Comitiis regni tractatâ [p], & amaro nimis animo deliberatâ, cautum est ut perpetuis vinculis aut exilio mulctaretur quicumq; aliquod ecclesiasticũ beneficiũ in Angliâ ex Põtificis donatione consequeretur, aut hujusmodi literas in Angliâ deferret. Itémq; nisi Episcopi, cœnobia, aut reliqui ex Clero, ad quos patronatus beneficij aut dignitatis per Papam collatorũ spectaret, intra quatuor menses vacationis designarent quos vellent curam eorum suscipere, totum illud designãdi jus ad Regẽ devolveretur. Et siquis Episcopatũ acceptare recusaret, nisi ex donatione Pontificis; possessionibus Episcopatûs privaretur, nisi gratia Regis interveniret. Datáq; est insuper facultas Regi, ea beneficia cõferendi, quibus extranei in ditione hostiũ suorum cõmorantes fruerentur. Et constituti, qui ad portus maritimos excubarẽt, diligẽter excussuri siquis diplomata ejusmodi, aut alias quascumq; literas à Romanâ Curiâ deferret. Rescissæ quoq; donationes pecuniarũ à Summo Põtifice quibusdam Cardinalibus ex provinciis Cantuariensi & Eboracensi factæ. Ac denique prohibitum, ne Legatorũ aut nunciorum Papę, qui pacis conciliandæ gratiâ in Angliam irent, sumptus per clerum reficerentur.

[p] Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæcul. 14. cap. 5.

Et

Et hæc quidem tunc ibi decreta. Ad quæ Regē impulsum ait Nauclerus [q], ex eo quòd cùm Rex Francorū duodecim Cardinales anno superiori à Clemente Pontifice creari procurâsset, (Fuit inter eos *Pontius de Villamuro* Ordinis S. Augustini, Episcopus Ecclesiæ nostræ Appamiarū; ut disertè nominatur in Vitâ Clementis & aliis antiquis Chronicis: ex quibus Onuphrium, & qui eum secuti sunt corrigas, dum Arnaldum vocant) ipse Rex Angliæ de unici quē postulaverat promotione exaudiri non potuisset. Sicut igitur illa magis ex animi perturbatione, quàm ex rectâ judicij ratione condita visa sunt, ita & parùm observata fuisse, idem auctor [r] qui narravit scribit. Eò videlicèt (ut ex codice Vaticano [s] res Anglicanas continente intelligitur) quòd Cardinales Legati qui aderant his contradixissēt multàque pro Romani Pontificis in omnes Orbis Ecclesias auctoritate apud Regem disseruissent. Cùm verò etiam eousque progressa esset Regiorum ministrorū audacia, ut Sacerdotibus & aliis ex clero, dum divinis rebus in templis & cœmeteriis operam darēt, & sacrosanctam Eucharistiam ad ægrotos deferrent, per rescripta regia manus injicerent, & ad regia tribunalia traherent: huic quoque injuriæ intercedentibus Legatis, & Simone Cantuariensi Archiepiscopo libertatis Ecclesiæ diligente assertore, ex prædictorum Comitiorum auctoritate occursum est.

q Naucler. gen. 46.

r Harpsfeld. ibid.

s Ap. Bzov. hoc ann.

VI. BELLUM INTER MATREM FILIUMQUE HOLLANDOS.

Hoc item anno gestum est acerrimum bellum inter matrē & filium; Margaritam nempè relictam Ludovici Bavari qui se pro Imperatore dū viveret gessit, & Guillelmum cognomento Phreneticum ejus filium, hâc occasione. Erat Margarita filia Guillelmi Hanoniæ & Hollandiæ Comitis cognomēto Boni, uxórque postrema prædicti Ludovici Bavari. Mortuo Bono successit filius Guillelmus ejus nominis quartus, egregius Princeps, & bellis contra Infideles in Hispaniâ & Prussiâ gestis præclarus; dignúsque habitus, quem Electores Imperij in locum Bavari excommunicati sufficere offerrent, si annuere voluisset. Cùm verò bello cōtra Frisios vicinos suos susceptο occisus fuisset anno Domini 134[5]. nullis relictis liberis; Bavarus Imperatorē agens, ditiones ejus ob defectū hæredis Imperio addictas pronuncians, prædictam Margaritam conjugem suam, sororémq; Guillellmi natu maximā iisdē donavit. Quæ cùm tam ejusmodi donatione, quam jure hereditatis earum possessionem adepta esset vivente adhuc Bavaro viro suo; cupiens inde Bavariam repetere, decrevit illas filio suo natu maximo prædicto Guillelmo Phrenetico quem Bavaro enixa fuerat, eâ cōditione cōmendare, uti decies millia scutatorū Franciæ quotānis matri persolveret, alioqui cedere Hollandiâ teneretur. Vix dum autem exacto anno tantillâ summâ graviori visâ Guillelmo filio, dimissâ Hollandiâ secessit in Bavariam; Margarita verò ejus mater defuncto jam viro suo Hollandiā recepit. Ortis intereà in Hollandia āno 1350. ex re ludicrâ factionibus *Houc & Cabeljau*, hoc est Hamatorum & Asellorum, (est enim Houc eorum linguâ hamus, sive uncus ferreus quo capiuntur pisces; Cabeljau asellus, genus piscis marini alios devorans, quod hamo vel unco capi solet) quibus tota miserè turbata ac pessumdata est ea provincia; Aselli Guillelmum evocârūt sponsione Comitatûs; Hamati cum matre egerunt, ut filium à cœpto desistere juberet. Renuente illo, & suam esse Hollandiam ex dono ipsius matris suæ asserente; indixit ei mater bellum: præsentique anno tam suis viribus quā sororis suæ Philippæ Reginæ Angliæ auxiliis suffulta, cum eo viriliter cōflixit ad Walachriam Zelandiæ insulam, victrixq; evasit. Sed mox refecto exercitu filius matrē provocās, navali prælio supra Mosam fluvium acerrimâ diúque dubiâ pugnâ, cui mater ipsamet filiúsq; ingentibus animis interfuerunt, debellavit, tantâ sanguinis utrimq; effusione, ut per tres subsequentes dies aquæ Mosæ in fluxu & refluxu sanguineum colorem retinerent. Factum est prælium quartâ die Iulij hujus ipsius anni. E quo fugiens mater, in Angliā se ad sororem mœstissima recepit. Re dehinc utcumque pacificatâ, Hannoniam mater in vita (quam ad quinquennium propagavit) obtinuit, Hollandiam cum ceteris hereditariis provinciis filius, cui & post matris obitū Hānonia obvenit. Is tamen biennio pòst, nempè Christi 1358, in phrenesim incidens, (cōscientiæ, ut par est credere, angore, facinorúmque cruciatu, quibus non solùm genitricem suam, verùm etiam Ecclesiam Trajectensem matrem suam spiritualem dirè vexavit; aliáque non pauca impia & iniqua perpetravit) positus est Hagæ in firmâ sed honestâ custodiâ; eâque usque ad obitum detentus per annos undeviginti; constituto interim ejus ditionis rectore & administratore Alberto Bavariæ Duce ipsius fratre: qui & post ejus obitum universam illius ditionem obtinuit. Narrāt porrò isthæc diffusè Ioannes à Leidis [t], & Renerus Snous in suis Historiis Belgicis, ac Suffridus Petri in Appendice ad Bekam.

PRÆLIA INTER IPSOS FACTA.

t Io. à Leid. lib. 29. 30. 31. Snous lib. 9.

VII. POLONI LITVANOS VINCUNT.

In Poloniâ Casimirus Rex cladibus & detrimentis à Lituanis illatis excitus tandem, comparatis magnis copiis unà cum Ludovico Hungariæ Rege eos aggressus levi prælio devicit, duce eorum Keistuto (ut Dlugossus & Michovius [u] habent) seu ut Cromerus [x] Lubarto, capto. Qui cùm religionem Christianā suscepturum se esse unà cū ceteris fratribus dejeraret, nō ita multò pòst è captivitate evadens, (sive dimissus à Rege, seu custodias frustratus) denuò Russiam invasit. Quam tamen, veluti ad regnū Hungariæ pertinentē, à Ludovico Rege recuperatā, & missis eò Episcopis ad fidem & pietatem formatā, scriptores [y] Hungarici tradunt. Accidit verò in his res non ingrata relatu. Nimirùm ut cùm Petrus quidam Psonca Polonus adjutorem se Lituanis ad vastandam patriam præbens, clàm excursiones eorum dirigeret, & Polonorum consilia ipsis proderet; atque aliquando in interiorem Poloniam excurrere destinantibus, vadum Vistulæ fluminis infixis in alveo prælongis stipitibus notâsset: intereà piscatores ad eum locum naviculis advecti, & quod erat suspicati, evulsos stipites non longè in profundiori & verticoso flumine infixerint: cúmque nocte intempestâ Lituani secundùm signa trajicere inciperent, non pauci altitudine fluminis & verticibus absorpti perierint. Quod vbi duces animadvertere,

u Michov. lib. 4. cap. 19.

x Cromer. lib. 12.

y Thurof & Bonfin.

dolum ſubeſſe rati, Petrum qui tunc cum illis erat, uti proditorem in ripâ capite plexerunt: majoréſque inſidias veriti receſſerunt.

VIII. TARTARI PODOLIAM VASTANT.

[z] Matth. Vil. lib. 2. cap. 71.

CASIMIRUS REX RESIPISCIT.

Cùm autem Tartari quoque per id tempus ab Olgerdo (ſeniore fratre ſupradicti Keiſtuti, patréque magni illius Iagellonis qui poſteà factus eſt Rex Poloniæ) evocati Podoliam regno Poloniæ tunc ſubjectam depopulati eſſent: (meminit, ut puto, hujus Tartaricæ populationis Matthæus [z] Villanius; & ferociſſimam fuiſſe teſtatur, ob immenſam Tartarorum multitudinem, quâ armis ſe vincentes vicerunt, & nihilominùs ob defectum annonæ receſſerunt:) His tot tantíſque calamitatibus admonitus demùm Caſimirus, admiſſa in nece ſacerdotis Martini, & in Bozētæ Epiſcopi, quinimmò & ipſius Clementis Pontificis contemptu ſcelera lacrymis & auſteritate vitâ expiare decernens; miſſo ad eumdem Clementem anno ſequenti Alberico Cancellario Dobrinenſi, abſolutionem obtinuit; necnon & decimam decimarum Eccleſiaſticarum totius regni in quatuor annos adverſus Lituanos & Tartaros; omnéſque conditiones pœnitentiæ injunctas devotè peregit; reſtitutis quæ uſurpaverat Eccleſiarum bonis ac juribus, compluribus ſacris ædibus conſtructis, multíſque aliis ac præclaris operibus, etiámque pro agrorum culturâ, & recto Iudiciorum ordine, editis. Quæ omnia pluribus tractant iidem qui ſuprà auctores ejus gentis.

IX.

[a] Krantz. 8. Vvandal. 13.

MIRACULUM DE FERRO CANDENTI.

Mirum hac eadem tempeſtate apud Wirtemburgum in Germania contigiſſe Krantzius [a] memorat: nimirùm ut cùm incendium ædium furtim procuratum impoſitum fuiſſet innocenti, illéque purgatione vulgari igniti ferri illęſis manibus diù tenti crimen eluiſſet; ferrum ex oculis mirantium omnium evaneſcens, poſt ferè annum caſu inventum ſub arenâ adhuc igneſcens dexteram inventoris adusſerit: indéque ſuſpicione in eum motâ de crimine prædicti incendij, ad quæſtionem adhibitus criménque confeſſus, rotæ ſupplicio interemptus fuerit.

X.

[b] Matth. lib. 2. cap. 47.

DE STATU URBIS ROMÆ.

De Urbe Româ habet Matthæus [b] Villanius; cùm locupletatis Romanis à concurſu populorum anni præteriti ad Indulgētiam Iubilei, potētiores cœpiſſent perditos & nefarios homines apud ſe recipere, à quibus neces, furta, latrocinia, aliáq; dira mala patrarērur in totius regionis perniciem; factum fuiſſe Senatorem Iordanū de Monte familiâ Urſinum: Sed cùm parùm placeret Romanis, motâ ei quæſtione ipſummet ſe abdicâſſe magiſtratu: Eo viſo Pontium Perottum Epiſcopum Urbevetanum Vicarium Papæ in Capitolium ſe recepiſſe, ad res adminiſtrandas interim dum alius Senator ab Eccleſiâ deſignaretur: Sed Iacobum Sabellum ex parte Columnenſium eum inde vi armatâ expuliſſe: Cúmque ſic Urbs abſque ullo regimine miſerè æſtuaret inter prædones & nefarios; poſtridie Natalis Domini in Feſto S. Stephani protomartyris congregatos cōfratres cujuſdam Sodalitatis B tiſſimæ Virginis in Eccleſia S. Mariæ Majo inter ſe cōqueſtos de infelici Urbis ſtatu, cōſilium iniiſſe de eligendo aliquo populi Rectore; ac ſine mora conveniſſe in Ioannem Cerronem ex antiqua plebeia familia Romana, homine mætate provectum & bonæ famæ: Iiſſe confeſtim in domum ejus, in Capitolium duxiſſe, & convocato campanæ ſonitu populo nobilibus nihil contrà mutire auſis Rectorem declarâſſe, & à Vicario Pontificis confirmari, prævio fidelitatis ſacramento, curâſſe; factis his omnibus unico illius diei mane ante prandium. Ita Villanius, quod quamvis apud nullum alium repererimus, haud tamen proptereà fides ei deroganda, utpotè tunc viventi, nec longè ab Urbe ſcribēti, & ultrà mentiri neſcienti. Nec mirum in tot crebris Urbanis mutationibus, ſi non cunctas ſinguli auctores retulerint. Hūc autem intra annum abdicaſſe magiſtratum ob Romanorum inconſtantiam, idem Villanius [c] deinde narrat.

[c] Id lib. 3. cap. 33.

XI.

[d] Id. cap. 48.

EPISTOLA NOMINE SATANÆ SCRIPTA.

Refert item idem auctor [d] ſubſequenter, eodem hoc anno cùm procederetur à Summo Pontifice & Cardinalibus contra Ioannem Archiepiſcopū Mediolanenſem occupatorem civitatis Bononienſis, fuiſſe ab uno ex Cardinalibus dimiſſam clàculùm in Cōſiſtorio epiſtolam quamdam, tāquam ex parte Principis Tenebrarum directam Clementi Pont. ejúſque Cardinalibus; quâ ſingulorum crimina recenſens, multùm eos inde commendabat, hortabatúrq; ad perſeverantiam quò poſſent ſuo regno plenè frui; hoc uno eos carpens, quòd non ſicut vivebant, ita & docerent, monénſque ut idem tam doctrina quàm vita ſaperent. Addítq; exemplaria hujus epiſtolæ fuiſſe tūc per orbem Chriſtianum ſparſa: creditúmque opus extitiſſe prædicti Archiepiſcopi; quò manifeſtatis Principū Eccleſiæ vitiis faciliùs ſua ipſius tolerarentur. Meminit ejuſdem epiſtolæ Argentinenſis in Chronico; ejúſque auctorem diligēter perquiſitum minimè potuiſſe reperiri. Hæcq; eſt epiſtola illa, quam tantoperè decantant hæretici, & in Catalogum ſuorum Teſtium Veritatis, unà cum nonnullis ejuſmodi putidiſſimis diabolicis ſcriptis trāſtulerunt ſingularibus præconiis. Ridicula capita; adeóq; excæcata, & excerebrata, ut abſque ullo judicio & rerū conſideratione etiam dæmones in auxilium impietatū ſuarum contra Eccleſiam advocent? Sic & Lutherus doctrinam ſuam à diabolo ſe didiciſſe ſcripſit; ſic Zuinglius ſuam ab atro ſpiritu. Sed tales habeant ſibi magiſtros & coadjutores: nos ſanè non illos iis invidemus, qui firmi ſtamus apud Petram Eccleſiæ, adverſus quam portæ inferi non prævalebunt, cùm ſit à Domino conſtituta columna & firmamentum veritatis. Ceterùm quo auctore, egregio tunc Satanæ adminiſtro, hæc epiſtola fabricata fuerit, ex Villanio habes; nempè Archiepiſcopo prædicto, Eccleſiæ ac Pontificis hoſte acerrimo: ut non ſit adeò Collectori Catalogi laborandum in eo indagando; nec vanè & fatuè ex eo quòd fuerit aliquando Pariſiis impreſſa, ſuſpicari eam veluti publico Pariſienſis Scholæ conſenſu editam.

XII.

[e] Id. cap. 53.

PRÆFECTI DAMASCI SCELUS IN CHRISTIANOS.

Habet inſuper Villanius [e], (nec admodùm ſcimus utrùm præſenti anno, aut ſequenti ponendum, cùm videatur aliquando perturbare tempora: quocumque ſanè acciderit, minimè prætermittendum exiſtimavimus:) præfectum Damaſci Saracenum, ut magnam aliquam pecuniæ ſummam à Chriſtianis eam urbem incolentibus hauriret; ſecretò ignem noctu

injici

injici in eam jussisse, ingenti secuto damno, criminis accusatis Christianis, ditiores suppliciis subjecisse, qui vi tormentorum adnuerunt, & magno pretio vitam redemerunt: ceteris data optione, aut fidem negandi, aut crucem subeundi, solos ex ingenti numero viginti duos repertos esse qui Crucem eligerent: ad quam appensi triduo vivi perstiterunt, non tam afflicti tormentis, quàm mœsti de turpi defectione carorum suorum; quos etiam tyrannus toto eo tempore martyrum constantiam suis hortationibus & lacrymis tentare cogebat. Auditâ porrò à Soldano malitiâ, præfecti, valdè tanto scelere commotum, eum in duas partes medium dissecari mandasse.

Ingens ibi defectio Christianorum.

XIII.

Lazari Patriarchæ Ierosol. variæ agitationes.

Fuisse namque hunc Sultanum Ægypti & Syriæ, virum moderatam & recti amantem, constat ex Cantacuzeno [f] dum agit de legatione à se circa hoc idem tempus ad eum missâ pro Lazaro Patriarcha Ierosolymitano, ceterisque Christianis sub ejus imperio constitutis. Quippe cùm (ut narrat) prædictus *Lazarus* superstite adhuc Andronico Imperatore Constantinopolitano electus à coëpiscopis Patriarcha sanctæ civitatis, Byzantium petiisset ab Imperatore confirmandus: (Non legimus fuisse priscis temporibus quando Imperatores dominabantur Palæstinæ, consuetudinem ut electi Ierosolymitani confirmationem ab iis peterent: sed putamus, postquàm sub jugum Saracenorum reducti sunt, hoc observare cœpisse, ut quemadmodùm Constantinopolitani ab iis confirmabantur, aut etiam creabantur, ita & ipsi hoc voluerint ad demonstrandam parilitatem fidei & communionis,) accessisse quoque Gerasimum quemdam monachum, ad eum accusandum de nonnullis quæ illum eo gradu indignum redderent. Re nondum judicatâ, decessisse Andronicum: motóq; bello contra Cantacuzenum, Lazarum quoque, quòd ejus partes foveret, fuisse à Ioanne Patriarchâ Constantinopolitano condemnatum, suffecto in ejus locum prædicto *Gerasimo*: Cùm verò post hæc quæsîsset Lazarus Cantacuzenum adire, ut id faciliùs exequeretur primò Galatam divertisse: (Peram jam tunc dictam, urbem è regione Constantinopolis, sinu intermedio, Cornu Byzantiorum antiquis appellatam, eóque tempore à Genuensibus occupatam) Inde à Ioanne Patriarchâ repetitum, optione ei à Genuensibus datâ, ut aut cum ipsis in fide communicaret, aut dederetur, hoc elegisse: reductúmque Constantinopolim, benè habitum à Ioanne ob rejectam Latinorum communionem: Convenisse posteà Cantacuzenum, & toto belli tempore apud eum mansisse: à quo & primò eumdem Cantacuzenum coronâ usurpati Imperij redimitum vidimus [g].

[f] *Cantacuz. lib. 4. cap. 14.*

[g] *Supr. an. 1345. XI.*

XIV.

Multa patitur pro fide, sed non in fide.

Pro hujusmodi igitur homine in sedem suam recipiendo, (quod absque consensu Sultani Palæstinam occupantis fieri non poterat) ipsummet Lazarum unà cum Manuele Sergopulo Byzantino Cantacuzenus ad Sultanum mittens, ab ejus humanitate quæcumque petiit obtinuit: atque inter cetera, ut pulso Gerasimo Lazarus reponeretur, nulláque vel ei vel ceteris Christianis tam indigenis quàm advenis & peregrinis ad adorationem accedentibus, sacrisve locis per Palæstinam molestia fieret: prout continetur epistolâ ab eodem Sultano ad Cantacuzenum reddita; quam iste Historiæ suæ inseruit, quòd plena sit laudum ejus, quarum videtur fuisse supra omnes mortales appetentissimus. Subdit verò, Gerasimum sic throno ejectum rursùm ad Sultanum euntem ad procurandam Lazari depositionem, tertio itineris die mortem obiisse: sícque Lazarum quietè egisse quamdiù Sultanus ille superfuit: Eo porrò mortuo alium successisse; quin Sichun quidam archisatrapa plurimùm apud illum valens in Christianos commovit, utpote eis infensissimus; præterquàm Iacobitis hæreticis, quibus ideò parcebat, quod gens quædam ejus sectæ Nilum accolens posset fluvium aliò derivare, unde toti Ægypto & Syriæ gravissimum damnum immineret: Ceteris igitur Christianis hunc Sichuntem perniciem quærendo, plurimos exquisitis tormentis è medio sustulisse, non paucos ad fidei desertionem pellexisse: Tunc etiam Lazarum comprehensum, cùm nec blanditiis, nec plagis ad defectionem induci potuisset; tertio carceri inclusum esse, posteà gladio plectendum: Sed interim Sichunte de medio sublato, Lazarum operâ cujusdam Episcopi Iacobitæ in libertatem & Ecclesiam esse restitutum; Sultano jam non ampliùs Christianos morte aut tormentis damnante, sed tantùm infamiâ notante, civilibus eos functionibus excludendo, & servorum instar certi coloris vestimentum gestare jubendo vnde pro Christianis agnoscerentur. Hæc pluribus ante & post hæc tempora annis gesta in unum coacervans, Cantacuzenus, Lazarum pro magno Confessore, seu Martyre habuit. Cui respondebit Cyprianus verus Christi & Confessor & Martyr, maculam schismatis (quâ affectus erat Lazarus æquè ac Cantacuzenus, præter hæreses quibus infecti erant) nec sanguine ablui, nec passione purgari. Ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non fore illam fidei coronam, nec religiosæ virtutis exitum gloriosum, sed desperationis interitum. Occidi tales posse, coronari non posse.

XV.

Clemens Pontif. curat salutem Armenorum.

Eodem tempore cùm recepisset Clemens Pontifex à Constantino Minoris Armeniæ Rege, sibi ab eodem Sultano metuente, nuncios pro auxilio adversùs ejus potentiam; audiénsque Clemens Armenos multiplicibus in fide erroribus esse infectos, ante omnia ad eos instruendos misisset Antonium Episcopum Caietanum Ordinis Minorum, & Ioannem electum Coronensem posteà Archiepiscopum Pisanum, cum formulâ Fidei Orthodoxæ, quam Catholicus Armenorum (sic dictus maximus eorum Pontifex, ob latissimam ejus, ut aliàs diximus, in multas ac magnas provincias jurisdictionem) universúsque populus profiteri deberent: functísque illis suâ legatione, & Antonio in reditu è vivis sublato, Ioannes responsiones prædicti Catholici & Ecclesiæ Armeniæ ad quinquaginta tres articulos ipsis à prædictis legatis exhibitos retulisset; quæ diligenter examinatæ visæ sunt in pluribus dubiæ, vel obscuræ & imperfectæ, aut etiam erroneæ: Ad omnem tollendam eorum fidei suspicionem, Clemens Interrogationes alias super claro & sincero tam earumdem Responsionum intellectu, quàm sinceræ fidei Catholicæ expositione, prolixâ satis epistolâ

scriptâ

ſcriptâ decimotertio Calendas Octobris anno Pontificatûs decimo, ad Fr. Conſolatorem (ut eſt titulus) Dictum Catholicon Armenorum, propoſuit: atque imprimis de obedientiâ Romanæ Eccleſiæ ceterarum omnium magiſtræ à Domino conſtitutæ, ejúſque Pontifici ut vero Chriſti Vicario & Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, à cunctis ubique fidelibus Chriſtianis præſtandâ; déque ejuſdem auctoritatis in ceteris omnibus Eccleſiis dirigendis & diſponendis, doctrinâ exponendâ, ac dubiis fidei dicendis: De proceſſione Spiritûs Sancti à Patre Filióque, coæternitate, coæqualitate, ac conſubſtantialitate: De Chriſti unâ perſonâ in duabus perfectis & integris naturis divinâ & humanâ, ejuſdémque unione hypoſtaticâ: De peccato originali; De Purgatorio; De viſione divinâ; De formâ & efficacitate Baptiſmi. De ſacramento & vinculo Matrimonij; De ſuffragiis pro defunctis, De Iejuniis, De Tranſubſtantiatione & formâ conſecrationis; De ſingulis ceteris Sacramentis, & Ritibus in eis obſervandis: De Feſtivitatibus Sanctorum, & Calendario Romanæ Eccleſię &c. Recenſénſque inſuper plures errores, quos quidam *Varten* hæreſiarcha, quem Armeni pro ſpeciali Doctore habuerant, circa prædicta & alia nonnulla dogmata diſſeminaverat; eoſdem cum auctore damnavit, & damnari ab Armenis mandavit. Ac denique conqueſtus negligentiam prædict. Catholici, ejúſque deceſſorum, reliquorumque Armenorum in obſervandis ſanis inſtructionibus ad eos ſæpè directis, quinimmò & injuriam quâ illas cum deriſu & contemptu abjicere conſueviſſent, hortatus eſt ad rectam fidem toto animo amplectendam cum ſponſione non ſolum nihil detrahendi dignitati ipſius Catholici, (quod ipſe videbatur timere) verùm etiam tam ipſum quàm ejus Eccleſiam amplioribus privilegiis & honoribus augendi. Eodémque ſenſu pariter ſcribens ad Conſtantinum Regem; ultimò ſi ad prædicta ritè exequenda adniteretur, non ſolùm gratiis ſpiritualibus, ſed & temporalibus ſubſidiis ſe illi adfuturum pollicitus eſt, jamq; de pecuniis Cameræ Apoſtolicæ ſex millia florenorum in regno Cypri ipſi exhiberi mandavit. Scribens pariter de iiſdem ad Guillelmum Patriarcham Ieroſolymitanum, & Philippum Archiepiſcopum Nicoſienſem, atque Odonem Paphenſem pecuniarum Apoſtolicæ Cameræ in iis partibus collectorem ut de prædictis omnibus conſtat ex Regeſto [h] Clementis, ubi ſingula ejuſmodi acta & epiſtolæ habentur.

Varten hæreſiarcha in Armenia.

[h] *Reg. Clem. an. 9. & 10. atque inde ap. Bzov. an. 1350. & 1351. & Wadding. to. 4. hoc an.*

XVI. COMETES PRODIGIOSUS.

Ad finem hujus anni pertinet Cometa, quem Matthæus [i] Villanius menſe Decembri apparuiſſe ait; & multa mala portendiſſe in homines, & damna in fructus terræ, ventos horribiles, aliáſque calamitates quas enumerat. In Magno Chronico Belgico dicitur apparuiſſe ſub ipſo Septemtrione: eóque extincto cæleſtem trabem priori ardente parte per cælum labi viſam eſſe: Flammam item poſt Solis occaſum inter Zephirum & Auſtrum latiſſimè excreſcentem terribile oſtentâſſe incendium, tandémque murmure magno per cælum ruiſſe. At hanc flammæ apparitionem plerique ad annum ſequentem referunt. Et fuêre his temporibus hæc cæleſtia ſigna frequentiſſima, ad admonitionem quidem hominum immiſſa, ſed quibus tamen nihil homines moverentur.

[i] *Matth. Vill. lib. 2. cap. 40. & lib. 3. cap. 14.*

IESV CHRISTI Annus 1352.
CLEMENTIS VI. Ann. 11.
CAROLI IV. Ann. 7.
IOAN. PALÆOL. V. An. 12.
IO. CANTACUZ. VI. An. 6.

ANNO Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quintâ, Clemens Pontifex acceptis legationibus tam à Florentinis, eorúmq; ſociis Senenſibus & Peruſinis, contra Ioannem Archiepiſcopum Mediolanenſem, quàm ab eodem Ioanne ad ſuî excuſationem: (de quorum diſſidiis dictum eſt ſuprà:) re diligenter diſcuſsâ, & pernicioſiorum tumultuum imminentiſſimis periculis conſideratis, tria fœderatis propoſuit; ſocietatem Romanæ Eccleſiæ, tranſitum in Italiam Caroli Romanorum Regis in ipſorum defenſionem; pacem cum Archiepiſcopo: horum triū quod vellent legati eligerent, ſeſe eorum voluntati obſecundaturum. Cúmque legati ad arbitrium ejus totum retuliſſent, is mitiorem partem ſibi placere dicens, pacem ſuaſit, daturúmque ſe operam ut ea probabilis haberetur. Sícque facultatem nactus, abſque civitatum fœderatarum querelâ hoſtem ſibi conciliandi; haud multò pòſt, nempè die Dominica ſexta Maij præſentis anni, publicè in auditorio coram omni multitudine cenſuras in Archiepiſcopum latas remiſit, illumque ad gratiam recepit; conceſſo ei in duodecim annos Bononiæ vicariatu, ſive gubernatione, ſub cenſu annuo duodecim millium florenorum; eóque termino elapſo, civitatem reſtitutum iri Sedi Apoſtolicæ, atque interim Archiepiſcopum numeraturum alia centum millia florenorum, pro expenſis eo bello factis à Comite Romandiolæ ejuſdem Sedis Vicario. Ad pacem autem maturiùs tractandam, induciæ ad annum indictæ. Quæ ut executioni mandata fuerint, deſcripta reperimus in Collectione privilegiorum, inſtrumentorum, aliarumque ſcripturarum Romanam Eccleſiam tangentium, factâ juſſu Urbani Papæ V. ab Arnaldo Archiepiſcopo Auxitano Eccleſiæ Romanæ Camerario qua plurima inſtrumenta continentur de reali primùm reſtitutione civitatis Bononiæ, aliarumque civitatum ac locorum Romandiolæ ad dictam Eccleſiam pertinentium, per prædictum Archiepiſcopum Mediolanenſem occupatorem, facta Nunciis Apoſtolicis menſibus Septembri ac ſequentibus hujus ipſius anni: ac deinde de ejuſdem civitatis Bononienſis ejúſque diſtrictus regimine & vicariatu eidem Archiepiſcopo ac nepotibus ejus, ſub prædicto annuo cenſu duodecim millium florenorum, ac ſervitio trecentorum equitum, conceſſo ac tradito die tertia Decembris, poſt fidelitatis juramentum à Matthæo Vicecomite nepote Archiepiſcopi, ejuſque nomine præſtitum. I.

Pax initur cum Ioanne Archiepiſcopo Mediol.

Cùm

II. FLORENTINORUM DE EA OFFENSIO.

Cùm autem in prædicto Clementis Pontificis facto multa legatos Florētinorum ac fœderatorum offenderent; maximéque omnium, pacis negotium dilatum, & vicinum sibi pergravem atque infestum datum: ea propter ad Carolum Regem spem suam convertentes, cum eo egerunt certis conditionibus satis ipsis onerosis, ac civitatum libertati detrimentosis, ut in Italiam transiret contra Mediolanenses. Sed in his quoque delusæ civitates ob Caroli impotentiam, demùm cum Archiepiscopo concordârunt anno sequenti iis conditionibus quas recenset Aretinus [a] & ex eo Antoninus [b] prolixiùs verò totam rem gestam narrat Matthæus [c] Villanius; non parùm indignatus contra Clementem & Cardinales, eò quòd, ut ait, pretio Archiepiscopi, & precibus Regis Francorum, aliorúmque potentum, à recto abeuntes, quamquam gravissimam injuriam ab Archiepiscopo in occupatione Bononiæ aliísque negotiis passi, in ejus nihilominùs favorem omnes conversi fuerint. Sed condonandum afflictis, si nonnumquam affectibus suis nimirùm indulgentes, etiam de recto & justo conqueri contingat. Dicit alicubi eorum civis Guicciardinus [d] quem Itali divinum historicum vocant, Sapientis esse Principis, in difficilibus molestísque consiliis eam partem pro facili atque optabili ducere, quæ aut necessaria sit, aut quæ difficultatis minùs ac periculi habere videatur. Sicuti hîc fecisse Clementem constat.

[a] Aret. Hist. Flor lib. 7.
[b] Ant. tit. 21. cap. 8. §. 10. & 11.
[c] Matth. Vill. lib. 2. cap. 52. & multis conseq. & lib. 3 cap. 2. & seqq.
[d] Guicciard. lib. 2.

III.

Sed dum hîc pro bono Italiæ de pace agitur auctoritate Summi Pontificis; spretis alibi ejus paternis monitionibus, quæruntur modi exacerbandi belli non solùm in detrimentum ejusdem Italiæ, verùm etiam in destructionem totius Christianitatis in Oriente. Cùm videlicèt irritatis magis ac magis Venetorum ac Genuensium animis ex præteritis [e] certaminibus in mutuam vindictam; sentientes Veneti sibi rem esse cum ferocissimo populo, nec cladibus nec victoriis quiescere sciente, cuíque vix tunc ipsi aut viribus aut fortunâ pares sibi videbantur: non ignorātes acerrimos ei hostes esse Imperatorem Constantinopolitanum & Regem Aragoniæ; illum ob frequentes ex proximitate oppidi Peræ à Genuensibus possessi, exoriētes inter eos dissensiones, de quibus sæpè Cantacuzenus queritur; hunc ob cruentum variúmque quod in Sardiniâ inter sese occasione dominij à multis anni gerebant bellum, cujus alternantes casus scriptores eorum referunt: Iidem Veneti utrumque Principem de fœdere sollicitantes, facilè quod petebant obtinuerunt. Tantísque societatibus aucti, majore conatu bellum capessentes, creato præfecto Nicolao Pisano, validam classem armarunt: cui apud Siciliam juncto Pontio Sanctapacio (ut Surita vocat, quem alij de Santâ Paulâ) ductore Catalanæ, simul navigârunt in Græciam. Cùm intereà Genuenses ad res suas tutandas, & maris imperium retinendum, ingentem & ipsi classem comparantes, ei Paganum Auriam præfecerunt, virum navalis artis peritissimum; qui pariter Græciam versùs vela fecit. Et his quidem jam tempore autumno anni superioris paratis (quæ tractant prædictarum gentium auctores [f] ceterísque diligentiùs Matthæus [g] Villanius) nihil tamen magni

[e] Supr. an. 1350. XV. XVI.

BELLUM INTER VENETOS ET GENUENSES.

[f] Cantacuz lib. 4. cap. 26. & 28. Petr. Iustin. lib. 4. Foliet. lib. 7. Surit. lib. 3.
[g] Matth. lib. 2. cap. 25. & seqq.

toto illo, sequentique hieme gestum nonnulli tradunt: cùm nihilominùs plures consentiant, initio Genuenses, antequàm classes hostiles junctæ fuissent, viginti (ut Villanius habet) triremes Venetorum in fugam egisse Chalcidem, ipsámque urbem oppugnâsse, sed obsidionem solvere coactos fuisse ob adventum classium hostilium. Meminítque Cantacuzenus aliquod urbium Græcarum posthęc ab iis captarum & direptarum, dum ipse Peram obsideret terrâ marique: ubi se multa mirabilia fecisse jactat, nec tamen hilum profecisse, quòd ignaviter desertus fuerit à præfecto classis qui eò advenerat ante obsidionem Eubœæ sive Chalcidis. Villanius autem quæ apud Chalcidem gesta ceteri narrant, ipse de more in Candiâ ponit, errore nominis, cujus jam aliàs eum arguimus.

IV.

Addit [h] verò (quod alij tacent) eosdem Genuenses ab obsidione sive Candiæ sive Chalcidis, quò ejus solutio minùs pudoris haberet, Thessalonicam petiisse specie restituendæ in Imperium Constantinopolitanum Annæ (sic enim Græci appellare maluerunt, quàm Latini Ioannam nuncupatam fuisse asserunt; quæ, ut diximus, filia erat Comitis Sabaudiæ) Augustæ, ejúsque filij Ioannis Palæologi; qui Cantacuzeni manus, Imperium suo arbitrio moderantis fugientes Thessalonicam sese receperant, & Genuensium, quos Cantacuzeno infensos esse sciebant, auxilium imploraverant: sed matrem filiúmque femineâ & juvenili levitate, (seu magis prudenti consideratione) consilium mutâsse, dubitantes se manibus incognitorum hominum committere. Ita namque Villanius, cùm ipse Cantacuzenus solitus indesinenter sua etiam praviora consilia sanis prætextibus velare, & hîc ad excusandas excusationes in peccatis, juniorem Imp. Thessalonicam à se ad ejusdem securitatem ductum scribat [i] quòd ei insidiæ struerentur, qui nihilominùs fateri cogitur, ejus ibi moram ægrè tulisse matrem; indéque & filium occasionem sumpsisse arma in ipsum Cantacuzenum movendi.

[h] Matth. lib. 2. cap. 28. & 34.

IOAN. IUNIOR IMP. GRÆC. UNA CUM MATRE FUGIT AB INSIDUS CANTACUZENI.

[i] Cantacuz. lib. 4. cap. 16. & 27.

V. HOSTIUM ADVERSÆ CLASSES.

His igitur, aliísque levibus gestis præcedentibus, tandem hoc anno mense Februario adversæ classes inter Chalcedonem & Constantinopolim concurrerunt; Genuensium videlicet sexaginta quatuor triremium; fœderatorum septuaginta quinque, nempè sexaginta septem Venetarum & Catalanarum, & octó Græcarum, præter multa alia navigia armata: uti ceteris distinctiùs numerum exprimit Villanius [k] quamquam Blondus [l] Sabellicus, & Corius Venetas quadraginta, Catalanas triginta fuisse scribunt. Quibus etiam de triginta Catalanis sive Aragonésibus subscribit Surita. At Græcarum numerum, qui hæc verbosissimè pariter ac futilissimè suo more descripsit Cantacuzenus, numquam ausus est exprimere: prævidens si fecisset; risui expositurum sese, dum tam paucis triremibus tanta præstitisse credi sibi voluisset, quanta suis scriptis asserere non erubuit. Ut tamen liberaliùs cū ipso agamus, non tantùm octo, ut Villanius habet, ejus triremes fuisse, sed novem Surita asserit; Corius profusissimè quatuordecim. Nam quod quadraginta habet Blondus, & ex eo Sabellicus, nec ipsi Græci eis crederent tantarum

[k] Vil. l. cap. 59.
[l] Blond. 2. dec. 10. Sabell. 9 En. 8 & 2. dec. 3. Cor. par. 3.

tunc

INGENS PUGNA, ET GENUENSIUM VICTORIA.

tunc fuisse virium ipsorum Imperium. Concurrentibus igitur classibus ad Bosphorum Idibus Februarij (ut plures volunt: cùm sint qui nono Martij assignent) jam die in vesperum inclinato, mariq; ex validissimo austro sævissimâ tempestate vehementissimè intumescente; hæc omnia vincente incredibili partium odio, animorúmque obstinatione, acerrimè pugnatum est, non quidem ordine, ut fieri solet tempore cōmodo, sed ut quæque naves in tot ac tantis asperitatibus sese invicem adoriri aut prehendere poterant. Horridiorem pugnam opaca nox reddidit, quâ ferè tota certatum est. Donec adveniens dies fœdam rei faciem aperuit; mare sanguine rubens, atque armis, navium fragmentis, humanis corporibus, membrísque miserrimè detruncatis constratum: victoriâ quidem dubiâ si fœderati loco constitissent; sed recessu illorum ad loca tutiora, certâ relictâ Genuēsibus, quamquam & numero navium, & venti adversitate inferioribus. Auctores Genuenses, triginta naves Venetas, decem & octo Catalanas captas, ac nonnullas depressas, quatuórque millia hostium cæsa tradunt. Veneti nec hominum nec navium numerum exprimunt, non paucos verò è suorum nobilitate cæsos concedunt. Sed quod utrique, aliique non pauci, Pontium classis Cataloniæ præfectum certamine occisum volunt; errorem esse constat tam ex Cantacuzeno, quàm Suritâ, qui eum posteà ex morbo obiisse Constantinopoli scribunt. Ceterùm Villanius [m] cui uti à partium affectu alieno magis de numero credendum putamus, ait captas fuisse Venetas triremes quatuordecim, Catalanas decem, duas Græcas; præter submersas, quarum numerum non exprimit: occisos ex hostibus circiter bis mille, captos 1800. Amisisse verò Genuenses tredecim triremes, quæ ad littus detrusæ ab hostibus incensæ sunt, séxque alias in altum aufugisse: tantum verò fuisse etiam mortuorum hominum damnum, ut non admodùm licuerit de victoria lætari; quinimmò eam [n] cum dolore & mœstitiâ acceptam fuisse Genuæ. Quod & Genuenses concedunt, septingentis eorum, ut aiunt, cæsis, & in eis non exiguo civium numero nobilitate & honoribus præstantium: hujúsque damni majorem propè Genuæ fuisse, quàm partæ victoriæ sensum, adeò ut illa nullis consuetis lætitiæ significationibus celebrata fuerit.

[m] Vill. cap. 60.

[n] Id. cap 75.

VI. GRÆCI QUOMODÒ IN EA SE HABUERINT.

Quod autem Græcos spectat; citati superiùs auctores uno ore asserunt, eos è pugnâ vix tentatâ fortunâ turpiter abscessisse Constātinopolim. Et tamen Cantacuzenus [o] adeò magnificè sua tractat, ut siquis ei credere voluerit, tot inventurus sit Martes quot Græcos; victoriam eos præstantissimam retulisse, fugatos victósque turpiter Genuenses ingenti clade, octo & viginti triremes amisisse, & quominùs omnes ad unum perimerentur noctem intervenientem prohibuisse: Catalanos quidem pugnacissimè se egisse, sed tamen imperitiâ locorum ad brevia quæ circa Constantinopolim erant impingentes, confractos magnam partem fuisse, elapsos in manus Galatæorum incidisse: ex eorum Venetorúmque triremibus sedecim absumptas esse: Imperatoriarum nullam desideratam: (sanè: fugisse enim ab ipso initio, ceteri omnes, ut diximus, tradunt; quamvis Villanius earum pudori consulens, duas velit captas in prælio.) Tam illustrē porrò admirabilemque victoriam timiditatem & ignaviam Nicolai Pisani præfecti Venetorum corrupisse; qui in summa rerum securitate sibi timens, neque ab ipso Imperatore, neque à Pontio Catalanorum duce instantissimis atque importunissimis precibus & suasionibus induci umquam potuerit, homo omni socordia socordior, ad hostes rursùm invadēdos: Et voluisse quidē ipsum Cantacuzenum cum solis Græcis & Catalanis rem agere; sed Pontium excusâsse, prohibitum sibi à suo Rege quicquam absque Nicolai consensu aggredi: adeò verò indignè tulisse quos talibus trophæis ab eo privaretur, ut præ dolore in morbum incidens diem Constantinopoli obierit. Hæc & alia ejusmodi permulta inanissima sua narratione Cantacuzenus; nemini parcens, sed omnes quà unâ re quà aliâ accusans; præter se ac suos, quorum rei militaris peritiam, fortitudinémque, atque in rebus gerendis prudentiam non sufficit enarrare. Ceterùm mirati sumus, Suritam quoque satis alioqui inter Hispanos moderatum chronographum, in eamdem vanitatem incurrisse; ut scripserit, cùm prædicto prælio diù atque supra humanas vires pugnatum esset, tantâ virtute Catalanos Venetósque enisos esse, ut superiores evaderent; hostium, præter eas naves quæ vis tempestatis in littus incitatæ depressæ fuēre, viginti tribus interceptis: ex Catalana classe duas tantùm captas, duodecim tempestate depulsas in littus, militibus nautísque salvis evadentibus.

[o] Cantac. lib. 4. cap. 30. 31.

VII. GENUENSES EO PRÆLIO FUISSE VICTORES.

Sed dimissis tandem hujusmodi hominum vaniloquentiis, ut rem absolvam, Veneti ipsi, quorum maximè intererat, fatentur [p] se eo prælio victos fuisse, quamquam haud incruentam victoriam hostibus relinquentes. Et in rei confirmationem Francisci Petrarchæ testimonium afferunt; quo scribens tunc ad Genuenses pacem cum Venetis suasurus; *Vicistis,* (inquit) *quiescite, nequis vos vestrorum morum putet oblitos. Vestrorum hostium cruoribus spumantem Bosphorum vidimus, quando ad vesperam violentissimo spirante austro inter Constantinopolim & Chalcedonem trium validissimarum classium in vos est factus incursus; vobis verò contra hostes, contra ventum, contra mare pugnantibus, &c.* Postmodúmque Platina [q] fœderatos numero navium & copia militum superiores, aggressos esse Genuenses loco Genuensibus iniquos, vento adversante: Græcísque in fugam versis, Venetos & Catalanos magna ex parte cæsos esse. Denique ipsemet Cantacuzenus ita totam rem concludere compulsus est, ut dicat [r] ita timidè & ignavè ducem Venetum illo tempore pugnâsse, ut quasi volens atque vltrò post pericula superata victoriam hostibus prodiderit. Quamquam non negemus, ex alia ejusdem Petrarchæ [s] ad Andream Dandulum Ducem Venetiarum post victoriam à Venetis anno sequenti de Genuensibus partam, quâ pacem pariter suadere conatus est, detur intelligi, Venetos tunc absque controversia victores, ut est, inquit, mens hominum indomita vincendi præcupida, ægrè fateri potuisse se hoc prælio victos esse. Et scribunt Veneti qui cladem suorum absque difficultate agnoscunt, Pisanum

[p] Sabell. 9. En. 8 & 2. dec. 3. Pet. Iustin. lib 4. & adde Blond. 2. dec. 10.

[q] Platin. in Innoc. VI.

[r] Cantacuz. d. c. 31. ad fi.

[s] Petr. Var. 2.

post conflictum in Cretam cum Venetâ & Catalanâ classe concessisse: ibique triremibus aliquot per otium resarcitis, cum iisdem in hostem redeuntem, ad pugnam rursùm provocasse; sed Genuenses congressu evitato ab insesso loco discedere ausos non esse. Quod tamen nec alij tradunt, parúmque convenire videtur cum iis quæ habent iidem Cantacuzenus [t] & Villanius, de conatu Genuensium cum auxilio Turcorum ad obsidendam Constantinopolim quo pressus Cantacuzenus, desertúmque se videns palámque proditum (ut scribit) à sociis, pacem cum Genuensibus dominis maris composuit die sextâ Maij.

[t] Cantacuz. d.c.31. Vill. cap.74. & 75.

VIII. Clemens solicitus de pace conciliandâ.

Quando item Clemens Pontifex (ut Surita habet) Venetorum & Genuensium paci consulturus, Aragoniæ Regem summoperè ad compositionem ineundam hortatus est: interponentibus etiam se in eam pacificationé Carolo Romanorum & Ioanne Francorum Regibus. Sed Aragonio expostulante ut Genuenses insulâ Corsicâ excederent, & quæ in Sardiniâ eorum armis expugnata fuerant redderentur; haud consentientibus Genuensibus, res infecta permansit, & novi utrimque apparatus ad bellum prosequendum fieri cœperunt: misso etiam à Rege Venetias Raymundo Lullio legato de instruendâ classe adversùs Genuenses communes hostes. De cujus successu dicetur anno sequenti. Intereà verò præsenti nuncij prædicti Aragoniæ Regis ex Ilerdensi comitio Nonis Iunij celebrato ad Pontificem missi, censum ex eo regno atq; ex Sardinia detulerunt. Ipseque Pontifex ejusdem Regis & procerum promptitudinem, quòd salvam in spiritualibus in eodem regno jurisdictionem esse voluissent & non tantùm administros, verùm etiam collectores Pontificios admisissent, ac censuum nomine se Ecclesiæ Romanæ obnoxios esse, Gerundæ ad vigesimum quartum Septembris anno superiori professi fuissent, laudavit. Quæ quidem tacent auctores Hispani; sed referunt [u] ex Archivo Romano alij.

Rex Arag. censum solvit Sedi Apostol.

[u] Bzov. hoc an.

IX. Quæstio de Sanguine Christi triduo Passionis.

Fuisse porrò etiam tunc Barchinone quosdam, qui assererent *Sanguinem Christi* in passione effusum triduo illo non fuisse conjunctum divinitati, ac proinde nec adorandum cultu latriæ; hósque à F. Nicolao Roselli Inquisitore ex Ordine Prædicatorum scriptis confutatos, & à Clemente Pontifice hæresis damnatos; sunt qui scribant ex Eymerico [x] addántque ex Silvestro [y] renovata sub Pio Secundo controversiâ, eum confirmâsse Clementis sententiam. Verùm sic rem processisse alij [z] contendunt; ut cùm hoc tempore quidam Fr. Franciscus Baiuli Conventûs Barchinonensis Ordinis Minorum Guardianus, publicè prædicâsset Sanguinem Christi in triduo passionis separatum fuisse à Verbo divino; ex hoc condemnatus fuerit à prædicto Roselli Dominicano Inquisitore Aragoniæ, obtentu literarum Ioannis titt. S. Sabinæ Presbyteri Cardinalis de Morlandino Lemovicensis, promoti non ita pridem ad eam dignitatem à Clemente ipsius avunculo ex Generali Ordinis Prædicatorum; quibus asserebat, vivæ vocis oraculo se habuisse à Pontifice ut res diligenter examinaretur, & ad palinodiam cogerentur qui ita prædicâssent: Quibus solis Ioannis literis innixus Roselli severè contra Bajuli egerit, & ut revocaret quæ dixerat effecerit. Non autem ab ipso Clemente damnatam fuisse opinionem Francisci: processúmque à Roselli factum haud adeò notum extitisse usq; ad tempora Pij II. sub quo renovatâ quæstione, examinatus fuerit; neque quicquam solidius produci potuerit ad illum roborandum quàm prædicta Cardinalis epistola. Quare quæstione indecisâ à Pio relictâ, interim idem per constitutionem [a] publicam sub pœnâ excommunicationis prohibuit, ne sententia de separatione divinitatis à Sanguine Christi triduo passionis, pro hæreticâ aut erroneâ à quoquam prædicaretur, vel de eâ disputaretur cum improperio hæresis aut peccati in alterutram partem, donec quid de eâ tenendum esset Sedes Apostolica definiret. Cui nos libenter obtemperantes, à quæstionis etiam discussione temperamus; quousque ad tempora Pij (si Deus dederit) pervenientes, quibus ea potissimùm tractata est, rursùm de illâ agemus [b].

[x] Director. Inquis. p.2. q.10.
[y] Silvest. in Rosâ aur.
[z] Nitel. Frâciscan. cont. Bzov. Vvaddingh. Annal. Min. tom.4. an.1351.

[a] Ext. in Reg. Clem. & Bullar. tom.1. Pij II. const.11.

b Vid. infr. an. 1462. XII.

X. Minorum quorumdam inconsiderata devotio.

De alio verò quodam Fratre Gentili de Spoleto ejusdem Ordinis Minorum, tradit S. Antoninus [c] eum hoc anno unà cum nonnullis aliis secum quâdam fatuitate seductis, specie Regulam S. Francisci servandi ad literam sine glossis, Ordinem magno schismate dividere molitum esse, aliquáque loca à Clemente Papâ obtinuisse, atque habitus sibi mensurâ & figurâ difformes fecisse: Cùm verò & apostatas, & alios minùs idoneos reciperent, demùm Gentili custodiæ tradito, revocatum esse per Innocentium Clementis successorem privilegium ei concessum.

[c] Anton. tit. 24. cap.9. § 18.

XI. Prodigia in cælo et in terra.

Hoc eodem anno die duodecimâ Octobris feriâ sextâ post solis occasum (ut Matthæus [d] Villanius describit) apparuit ingens vapor igneus inter Zephirũ & Austrum, tantæ molis, ut si in terram cecidisset operturus fuisset totam Italiam; tantæque claritatis, ut cælum & terram mirabiliter illuminaret; vibránsq; interdum veluti faces, quæ videbantur cadere in terram: pertransisse autem tantâ velocitate ut eâdem horâ universis Italis, & Foro-Iuliensibus, Dalmatis, Pannonibus, aliísque longinquioribus populis visus sit per sua transire, ingenti omnium terrore; quòd quamvis putaretur esse in cælo Martis appareret tamen singulis veluti attacturus summitates turrium & arborum: Ubi pertrãsiit cùm esset sudum absque ullâ nubium maculâ, auditum fuisse tremebundum tonitru tanquam terræmotûs; ac demùm post hujusmodi sonum aërem tranquillum & serenum permansisse. Deinde die undecimâ Decembris Romæ insuetam turbinum & tonitruorum tempestatem vehementissimè turbâsse aërem; cecidisse in turrim Basilicæ S. Petri fulmen, quo tota ferè corruit; omnésque campanas disjecisse, atque ita liquâsse ac si in ardenti fornace fusę fuissent. Die posteà vigesimâ quintâ necnon ultimâ ejusdem mensis, in aliquibus Italiæ partibus terram horribilibus motibus tremuisse, cum grandi ædificiorum dejectione, & multorum hominum millium oppressione. Reliquo anni tẽpore impetuosissimos austrorum turbines, & immanes aquarum inundationes, atque insuetæ magnitudinis grandinum imbres, ita fructus terræ corrupisse & contudisse, ut ingens secuta sit per Italiam an-

[d] Math. Vill. lib.3. cap 37.48. 53. & seqq.

nonæ caritas; cujus causâ & Caietani ditiores suæ civitatis, & Romani Bertoldum Ursinum suum Senatorem occiderent. Habet item rem miram de quodam juvene familiæ Vbertinæ Florentinæ: cui cùm uti rebelli caput præcisum fuisset, dum corpus intra feretrum duceretur ad sepulturam, ita sese in itinere commovere & agitare cœperit, ut assium commissuras disjunxerit, & tantùm non è collo bajulorum dejecerit.

XII. [e] Id. cap. 23. in fin. IOANNES REX FRÁC. AD VITANDAS INSIDIAS SATELLITES ARMATOS SIBI ASSUMIT.

Observat [e] denique, hoc eodem tempore Ioannem Regem Francorum, post expulsos ab obsidione Guinensi suos, detexisse insidias vitæ suæ à quibusdam proceribus Gallis impulsu Regis Angliæ paratas; eosq; captos securi percuti jussisse. Atque inde satellites circa se armatos habere cœpisse, & extra regiam diu ac noctu peditum & equitum numeros; rem decessoribus insuetam, & invisam subditis.

XIII. [f] Lang. in Chron. C tiz. TURPIS MORS CUJUSDAM EPISCOPI.

Eodémque anno accidisse dicitur [f] in Germaniâ, ut cùm Ioannes Episcopus Nuemburgensis in die S. Ioannis Evágelistæ ob honorem sui nominis cóplures feminas nobiles & speciosas invitâsset; chorizans inter duas medius quas ipse manibus tenebat, repentè cadens miserabili morte expiraverit, magno dignitatis suæ probro atque dedecore.

XIV. CLEMENTIS PONT. OBITUS. [g] Vill. c. 43.

Meliori obitu sublatus est Avenione Papa *Clemens*, 8. Idus Decemb. prænunciato (ut Villanius [g] habet) à cometâ nigro, & ruinâ sacræ turris basilicæ S. Petri. Obiit autem (ut ait) ex febre continuâ sex dierum: postquam videlicèt sedisset annis decem, mensibus septé minùs duobus diebus. In magno tamen Chronico Belgico ex Petro Chronographo dicitur mortuus ex apostemate in dorso, cùm familiares sui ivissent pransum, solo cubiculario secum relicto, erumpente apostemate, & cor illius submergéte. Quod cùm nullus alius quem viderimus confirmet, existimamus magis dictum in ejus improperium, quòd accusatus fuerit de femineis deliciis, quàm ex vero. Licèt auté non in omnibus perfectus magnis tamé rebus gestis præclarus omninò fuit Pontifex: existimatior tamen futurus, nisi præterea agnatis locupletádis, & honoribus tam sæcularibus quã Ecclesiasticis, nec raro ultra meritum & citra condignã ætatem augendis (nam Petrum Rogerij nepotem suum ex fratre, qui posteà fuit Papa Gregorius XI. vix annum 17. egressum, Cardinalem creâsse, pro immoderatæ licentiæ facinore tunc habitum fuit; quem tamen Perusium protinùs, ut Baldum celeberrimum illius temporis Iurisconsultum audiret, ablegavit:) Pompæque domûs suæ, suprà quàm Pontificem decuisse credebatur, intentus extitisset. Cùm tamen non ita in eo exorbitaverit, ut non renuerit unam ex neptibus suis petitam à Ludovico Trinacriæ Rege in uxorem concedere, excusans eam tanto imparem esse fastigio atque connubio: uti ex ejus Epistolarum Regesto [h] intelligitur. Denique dum his elogiis ornat eum auctor appendicis ad Bernardum Guidonis, ut vocet eum, *Clementiæ speculum, charitatis hospitem, misericordiæ patrem, pietatis alumnum, liberalitatis ministrum, justitiæ pugilem, æquitatis athletam, concordiæ satorem, pacis amatorem, modestiæ normam, religionis exemplar, amicitiæ fomitem, spei anchoram, fidei bassim, complacentiæ morem, eloquentiæ florem, honorem generis, & patriæ decus*; ut non dubitamus exaggerâsse eum laudes, qualis tamen Clemens moribus publicè videri voluerit, apprimè demonstrat.

Ejus STUDIUM ERGA SUOS.

[h] Ap. Bzov. an. 1352.

XV.

Rigorem quoque constitutionis Gregorij Papæ X. de iis quæ observari deberét in conclavi circa victum, apparatum, & famulitium Cardinalium, mitigâsse, tradit auctor Vitæ ejus: reperitúrque ejus eâ de re constitutio in Actis Consilij Constantiensis [i]. Cùm autem, ut diximus initio ejus Pontificatûs, literatissimus esset ac memorabilis memoriæ, tamen & quòd occupatissimus esset, compendiorum fuisse avidissimum, Petrarcha [k] tradit: eámque ob causam *Bartholomæo Vrbinati* Eremitæ Augustiniani Ordinis, Augustini Triumphi discipulo, qui ex sancti Augustini sententiis & dictis volumen ingens Milleloquium vocatum, per alphabeti literas collegerat, pontificatum patriæ suæ ultrò dedisse; jusso ut quod de Augustino fecerat, id de Ambrosio faceret sicuti & fecit.

[i] Conc. Constant. Sess. 41. & Bullar. tom. 1. Clem. VI. const. 5. [k] Petr. 8. de reb. famil. 6.

MILLELOQUIUM S. AUGUSTINI.

XVI. COMMUNIO REGIIS FRANC.

Denique idem Pontifex ponderatis ingentibus Coronæ Franciæ in Sedem Apostolicam meritis, Christianissimis Regibus potestatem fecit, sub utrâque specie, quandocumque id optarent, communicandi. Quâ tamen potestate rarò ipsi, nisi die inaugurationis suæ & in viatico mortis utuntur [l].

[l] Vid. Henriq. lib. de Euchar. c. 44. §. 7. & glos. tit. 2. 10.

XVII. DE CORPORE CLEMENTIS. [m] Masson. in Clem. VI.

Depositum fuit Clementis corpus Avenione in ecclesiâ cathedrali B. Mariæ de Donis: translatum verò posteà (ut vivens caverat) ad monasterium suum antiquum Casæ-Dei in Arvernis, valdè à se auctum & locupletatum, comitantibus quinque Cardinalibus, videlicèt fratre, tribus nepotibus, & uno consanguineo: prout habetur in Vitâ Innocentij ejus successoris, quod ducentis decem pòst annis, ab hæreticis Calvinianis extumulatum & flammis traditum scribitur [m].

XVIII. [n] Vill. lib. 3. cap. 44.

Post ejus obitum, cùm audîssent Cardinales (ut narrat Villanius [n]) Ioannem Francorum Regem Avenionem accelerare ut Pontificem sibi amicum eligi procuraret; (qualem omninò Clementem Philippus pater ejus in omnibus expertus fuerat) quantumvis omnes propemodùm ei addictissimi essent, ob reverentiam tamen libertatis Ecclesiasticæ anteverterre festinârunt: & die octavodecimo ejusdem mensis Decembris uno consensu elegerunt in Summum Pontificem *Stephanum Alberti*, & ipsum patriâ Lemovicensem è loco de Monte qui primò causarum patronus, atque inde Iudex-major Tolosæ, factus pòst clericus Episcopatum Noviodunensem, ac subinde Claromontensem demúmque Cameracensem adeptus fuerat; atque à Clemente Sexto primùm Cardinalis Presbyter titt. SS. Ioannis & Pauli, posteà Episcopus Ostiensis & Major pœnitétiarius creatus. Demùm jam grádævus Pontifex renunciatus nomen accepit INNOCENTII ejus nominis pariter VI. unà cum signo sive symbolo, *Fac* [o] *mecum Domine signum in bonum*; coronatus die vigesimâ tertiâ, sive ut alij habent trigesimâ ejusdem mensis. Quem omnes de vitæ magis integritate & disciplinæ zelo laudant quàm de literarum scientiâ; etiamsi nec mediocriter imbutus his esset, ac præcipuè doctrinâ legum & canonum. De

STEPH. ALBERTI ELIGITUR IN PONTIF.

INNOC. VI. NOMEN ACCEPIT.

[o] Psal. 85.

cujus

cujus rebus gestis dicetur annis sequentibus. Præsenti verò cõfestim post suam coronationem, nempè pridie Calendas Ianuarij, scripsisse pro consuetudine reperitur ad omnes ubique Principes, & Antistites de suâ electione, preces eorum ad Deum implorans.

XIX. Io. Birellii, Carthus. fama et virtus.

Haud porrò omittendum, quod legimus apud Dorlandum in antiquo Chronico Carthusiensi memoriâ dignum: nimirùm mortuo Clemente, cùm ageretur de successore ei sufficiendo, majorem Cardinalium partem decrevisse eligere *Ioannẽ Birellium* Generalem illius Ordinis, religione & sanctimoniâ insignem, famâq; celeberrimum: Sed Cardinalem Petragoricensem, scientem hûc Patrem summæ æquitatis & justitiæ hominem esse, omninò id dissuasisse, eò quòd si Pontifex fieret, Cardinales ambitionem & mundi fastum diligẽtes, ad statum revocaturus esset antiquum, & pulchri ipsorum equi post paucos dies ad carros, plaustra, & aratra reducendi forent: His territos Cardinales, suis honoribus metuentes Innocentium creasse. Qui cùm posteà Generalem hunc ad dignitatem Cardinalatûs evehere voluisset, illũ suâ humilitate sublimẽ, & intùs quàm foris crescere appetentẽ, nullatenùs acquievisse: Pontificem autem, sicut & alios multos Principes, ejus monitis valdè profecisse. Ipsum post mortem miraculis claruisse. Cúmq; ejus obitũ Cardinalis Petragoricensis audîsset, pœnitentiâ ductum ingemuisse quòd talem Pastorem habere Cardinales cõtempsissent, séq; ejus culpæ reum maximè agnovisse. Vnde etiam existimamus provenisse, quòd multa Carthusianis contulerit, & Carthusiam Vallis-claræ in Petragoriis fundaverit.

Iesv Christi Annus 1353.
Innocentii VI. Ann. 1.
Caroli IV. Annus 8.
Io. Palæol. V. Ann. 13.
Io. Cantacuz. VI. Ann. 7.

I. Innoc. PP. Curiâ reformat. [a] *Platin. Masson. Ciacon. in Innoc. VI. Naucler. gener. 46. Bzov. ex Reg. Innoc. art. 1.*

Anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimotertio, Indictione sextâ, Innocentius Papa ipso sui Pontificatûs initio nihil antiquius habuit, quàm [a] ut aulę Romanę vitia & dedecora, quę plurima sub decessoris sui facilitate irrepserant, abigeret. Frugalitatem sibi familiarem ceteris quoque indixit; Cardinalibus etiã acriter objurgatis de laxiori vitâ: eos qui voluptatibus indulgebãt stercora curiæ appellabat; suã & omniũ Ecclesiasticorum vitam ceteris exẽplo esse debere dictitans, ad imitationem Christi, cujus tota vitâ ad institutionẽ humani generis respiciebat. Omnes curam animarum gerentes ad Ecclesias suas sub anathematis pœnâ ire jussit: quippe oves à propriis pastoribus, non à mercenariis pascendas esse. Beneficiorum reservationes à Clemente factas suspendit primùm, deinde omninò sustulit: ac nisi probis & doctis sacerdotibus beneficia ecclesiastica cõferre decrevit. Ac ne Auditores Palatij Apostolici, quos Rotæ vocãt, in quæstionibus cognoscẽdis per largitiones depravarẽtur, menstrua salaria eis constituit: famelicos dicens non facilè ab alieno cibo abstinere, si esset quovis modo edendi facultas oblata. Denique ut mores hominum per id temporis valde corruptos ad integritatis Christianæ formam reduceret, contra homicidas, lusores, impostores, meretrices, hæreticos, & id genus flagitiosos homines, multa saluberrimè constituit.

II. Cardin. Albornotius mittitur Legatus in Italiam.

Qui autem in victu proprio & domestico frugalis admodùm fuit, in repetendis tamen quæ à tyrannis in Italiâ de bonis Ecclesię Romanæ superioribus temporibus occupata fuerãt, largissimum sese præbuit; misso ad exequendum *Ægidio Alvari* Albornotio Conchensi Hispano, ex Archiepiscopo Toletano, creato à Clemente VI. virtutum, sanguinis, (erat enim prognatus ex antiquâ Regum Legionensium & Aragonensium prosapiâ) doctrinæ, morum; peritiæque etiam rei militaris ergô, Cardinale Presbytero titt. S. Clementis, facto posteà ab Innocentio Episcopo Sabino. Qui literis [b] Legationis suæ datis pridie Calẽdis Iunij munitus; (quibus Pontifex attendens, ut ait, ipsum potentem opere & sermone, in magnis expertũ & arduis, probitate ac fidelitate probatum, à gratiarũ domino scientiæ magnitudine, industriæ claritate, maturitate consilij, morum elegantiâ, & aliis grandium virtutum titulis insignitum esse; eundem in omnibus & singulis provinciis, civitatibus & terris, Ecclesiæ Romanæ temporaliter mediatè vel immediatè subjectis, Vicarium, & Reformatorem, ac pacis conservatorem generalem, cum plenissimâ potestate exercitus colligendi, occupatores bonorum Ecclesiæ coërcendi, & alia quæcumque necessaria vel utilia prædictæ Ecclesiæ faciendi, &c. constituit) cùm in Italiam perveniens, ut scribit Auctor Vitæ Innocentij à Bosqueto editæ, non invenisset in omnibus terris & dominiis dictæ Ecclesiæ, loca ubi posset caput suũ tutè reclinare, nisi in Patrimonij provinciâ Montemflasconem, & in Ducatu Spoletano Montemfalcũ: brevî tamen ita fimbrias suas dilatavit, ut intra quinquennium quà vi armorum, quà metu, quà suasionum efficacitate, cuncta amissa recuperaverit: Initio facto ab Vrbe Româ quæ per continuas dissensiones nobilium ac popularium miserè discerpta, sublatis de medio tyrãnicis suis Tribunis, auctoritati se Legati subjecit [c]: quò securior viveret cùm ab aliis infortuniis, tum ab incursibus Ioãnis de Vico qui se Præfectum Vrbis appellabat, ac Viterbium, Vrbem-veterem, multásque alias Ecclesiæ civitates & munitiones in Tusciâ occupaverat, quem Legatus anno sequenti intra Vrbem-veterem obsessum, coëgit, [d] sese cum omnibus quæ possidebat ipsi dedere.

[b] *Ext. in Reg. Vatic. & Bull. tom. 1. Innoc. VI. const. 1.*

Recuperat omnia Eccl. Rom. perdita.

[c] *Matt. Vill. lib. 3. c. 91.*

[d] *id lib. 4. c. 9. & 10.*

III. Franc. Baroncelli Tribunatus Romanus.

Acciderat item ad principium hujus ipsius anni ibid. Romæ, novarum rerum ad stuporem omni tempore cupidæ, ut cùm populus donariis & pecuniâ multarum gentium quæ ad Indulgentiam anni quinquagesimi concurrerant impinguatus, viros nobiles non ferret; à quibus se tyrannicè tractari quereretur, indéque pugnæ non rarò inter eos fierent horum motuum occasione, *Franciscus* quidam *Beroncellus*, mediocris, si non infimæ fortunæ homo, notarius Senatoris, audax & manu promptus; imitatione Nicolai Rentij, de quo

[e] An.1347. III.

ſuprà [e], captato populi favore, pulſis Senatoriâ dignitate Ioanne Urſino & Petro Columnêſi, Tribunatum cum his titulis uſurpaverit, *Franciſcus Baroncellus Dei gratia almæ Vrbis Tribunus ſecundus ac Romanus Conſul.* Qui pro inſigni ſumẽs globum cœleſtẽ ramo oleagineo circumdatum, tæniiſque candidis & rubicundis diſtinctum, atque S.P.Q.R. nomine inſcriptum; non adeò malè rem initio gerens mox in ſuperbiam elatus, Innocentium Pontificem literis contumelioſis inceſſit: Italiæ Principes, præſertim Gibellinos, ad ſocietatẽ armorum invitavit: Carolum Regem Romanorum quamprimùm ad Vrbem venire, & Imperatoriam dignitatem vel invito Pontifice à volente Senatu Populóque Romano ſuſcipere hortatus eſt. Deinde totus rapinis ac cædibus intentus, cùm & genus omne libidinum filiis ſuis permitteret, pleroſque à ſe abalienavit. A quorum uno ſemel aliquot vulneribus deformatus, crudeliſſimam de ſuſpectis vindictam ſumpſit. Atrocioráque patrâſſet, niſi Innocentius re auditâ prædictum Nicolaum Rentij ad comprimendam hominis audaciam immittere decreviſſet. Quo Romani accepto, innatâ volubilitate in Baroncellum irruentes, eum peremerunt. Cujus res in tyrannide geſtas narrat Bzovius ex Codice Vaticano: memineruntque Matthæus Villanius [f], Platina, Volaterranus, & alij.

[f] Matt.lib.3. c.78. Plat. in Innoc.VI. Volat.lib.22.

IV. NICOL. GABRINUS TRIBUNATUM ITERÙM RECIPIT.

Nicolaus igitur, cùm fuiſſet hactenùs Avenione carcere detentus; (non enim graviori pœna mulctandũ cenſuerunt Pontifices, quòd nihil cõtra Eccleſiam attentâſſe reperiretur, etamſi tyrannidis damnatus fuiſſet à delegatis Iudicibus) adeóque ſe in gratiam Innocentij Pontificis quà facundiâ, quà fiduciâ ſuâ inſinuâſſet, ut eum Pontifex unà cum prædicto Ægidio Legato Italiam repetere, & Vrbis regimen iterùm recipere juſſiſſet: (quamvis ſint quidã, qui eum fractis carceribus abiiſſe ſcripſerint) Romæ à popularib⁹ incredibili plauſu & magnificentiſſimo triumpho exceptus, Tribunitiam iterùm poteſtatem obtinuit; cùm pro concione, ſeptem ſe annis, quemadmodum olim Nabuchodonoſor, vitam omnium calamitoſiſſimam duxiſſe, & tandem Dei benignitate ad ſolium, ex quo libertas populi Romani & ſalus penderet, reducem, velle publicæ omnium utilitati intendere, dixiſſet. Verùm lõgè ab illo primo mutatus, cùm totum ſe gulæ & intemperiei daret; crudeliorem ſe in omnes etiámque palàm inſontes proderet; vectigalia intolerãda populo Romano imponeret: laborante populo annonæ caritate, nec illo providere curante aut valente, commoto populo à nobilibus, 8. Iduum Octob. anni ſequentis idem invaſus in Capitolio, & fugam ementito habitu quærens, inter duos leones marmoreos ubi plurimum ſanguinem crudelis effuderat, innumeris vulneribus confoſſus interiit; atque inde ad furcas laqueo tractus ac pedibus appenſus, duos integros dies ſpectaculo fuit, tandémque exuſtus, cineribus in profluentem conjectis. In cujus cubiculo ſpeculum chalybæum repertum volũt, charactéribus & figuris necromãticis inſignitum, quo malum genium conſtitutum haberet: & cùm à Carolo Rege detineretur, mentitum ſe fuiſſe nepotem Henrici VII. Imperatoris; (avi

NECATUR A' ROMANIS.

prædicti Caroli) ex quodam ejus ſpurio.

V. QUALIS FUERIT.

Hícque tandem finis fuit hominis, qui (ut Petrarcha ad eundem Carolum ſcribens dicebat) non Romanorum Rex, non Conſul, non Patritius, & vix benè cognitus Romanus civis, nullis ſuorum titulis, nullis majorum imaginibus, deniq; nullis ad id temporis virtutibus ſuis clarus, vindicem tamen ſe Romanæ libertatis aſſerebat. Ad quem etiam extat ejuſdem Petrarchæ (præter alia quæ diximus [g] de primo Nicolai Tribunatu) oratio ſive epiſtola [h] ſine titulo ſui nominis, dum Nicolaus captivus detineretur Avenione: quâ diluens crimina ei objecta, Romanos vehemẽter hortabatur ejus protectionem ſuſcipere, & libertatem procurare. Cujus denique vitam & exitum breviter alibi [i] deſcribens, virum dicit fuiſſe animoſi potiùs & magni quàm conſtantis incœpti; qui adverſo tempore ſe patronum Romanæ Reipublicæ profiteri auſus, ipſe ſibi Tribuni nomen aſſumpſerat: dehinc variante fortunâ Vrbe depulſus, Romaníque primùm Principis, poſteà Pontificis, lapſus in carcerem; utrobique benè habitus atque honeſtè, tandem lævâ alite emiſſus, gladiiſque hoſtium non occiſus tantummodò, ſed diſcerptus, moriens carcerem ſuſpiravit. Ita ille.

[g] Supr. an. 1347. V. [h] Epiſt. ſine tit. 4.

[i] Id. de rem. utr. fort. lib. 2. dial. 89.

VI.

Finem verò Nicolai diligentiùs deſcripſit, præter auctores aliàs [k] citatos, Matthæus [l] Villan. qui propè videbat. Hócq; boni ab illo in ſuâ tyrannide patratum ait, (ſi tamen zelo juſtitiæ, & non ingrato & avaro animo feciſſet) quòd paulò ante *Fratrem Morialem* de medio ſuſtulit. Qui miles exiſtẽs Ordinis Hoſpitalariorũ S. Ioannis natione Provincialis, dúxque belli ſtrenuiſſimus, cùm à Rege Hungariæ in regnum Siciliæ ductus, ibíq; relictus cum validâ ſuorum Provincialium manu, poſt convẽtiones inter eundem Regem & Siculum tranſactas, à Siculo abire regno coactus fuiſſet: & prædæ ac rapinis aſſuetus, decreviſſet equites peditéſque omnes, qui ex diverſis regionibus in Italiam variorum bellorum occaſione perducti, jam ſine ſtipendio certo per varias provincias operam ſuam diverſis locabant, in unam colligere Societatem, cujus ipſe Morialis ducatum gereret: hócq; ita proſperè ei ceſſiſſet, ut non ſolùm exteri Provinciales, Burgundiones, Germani, aliíque, verùm etiã ex ipſis Italis multi nobiles cupediâ prædæ ſeſe ei adjunxiſſent; jámque in ſpeciem quamdam benè ordinatæ Reipublicæ conſtitutis quæſtoribus, aliíſque magiſtratibus, & conſilio publico ſecretóque, rem ſervatâ inter ſe æquitate agentes, magnam Italiæ partem aut expilâſſent, aut vectigalem ſibi feciſſent: Cùm poſt hæc Romam parvo comitatu Morialis acceſſiſſet, mercedem petiturus latæ jam antè opis Eccleſię contra ejus hoſtes, nihil ſibi à Tribuno cui auxilio fuerat timẽs; nihilominùs ab eodem de conſpiratione in ſe factâ per calumniam accuſatus, de publicis verò latrociniis, hominum injuſtis cædibus, oppidorum iniquis oppugnationibus apertè convictus; ejuſdem Tribuni juſſu capite truncatus eſt; ejúſque fratres, quorum ſpeciatim operâ & pecuniâ Tribunus uſus fuerat magnâ ingrati ejus animi labe in vincula conjecti. Narrat hæc omnia ſatis diffusè Matthæus [m] Villanius; ſuppliciúmque Morialis contigiſſe

[k] d. an. 1347. [l] Matt. lib. 4. c. 23. & 26.

INITIUM MAGNÆ SOCIETATIS ITALICÆ.

[m] Matt. lib. 1. c. 94. lib. 2. c. 38. lib. 3. c. 40. 81. 89. 107. 109. lib. 4. c. 14. 15. 16.

ait mense Augusti anni proximi. Nec tamen propterea *Magna* illa *Societas*, (sic enim sese indigitavit) quamvis capite diminuta, periit; quin alia sibi subinde velut hydra assumens, multis post hæc annis, quinimmò & lustris substiterit, novísque in dies incrementis augescens, non solùm Italiam, verùm etiam Galliam, aliáque regna ingentibus damnis affecerit; ut videbitur inferiùs suis locis.

VII. TURBÆ SICULÆ.

In Siciliâ hoc anno, quam præteritis perturbatissimam vidimus à factionibus Paliciorum & Catalanorũ, minori Regis ætate abutentium, cùm Matthæus Paliciorum caput Regem possidens adeò intolerabili arrogantiâ rem ageret, ut etiam suos proximos in se concitasset: demùm ob insidias cuidã pro pace ab adversa parte Messanam ad Regem misso structas, Messanensibus, quibus & aliàs summo odio erat ob gravissimas pecuniarũ exactiones, ad clamores prædicti pacis nuncij confestim excitis viris promiscuè ac feminis Matthæi necem conclamantibus, cùm is clàm unà cum uxore & liberis in Regis palatiũ se recipiens se in tuto esse putaret; accurrens nihilominùs plebs concitata, & januas sibi aperiri parato igne postulans, Rege eam demulcere nequicquàm conato, quinimmò & ipsomet Rege per posticũ periculo se eripere coacto; inventum in latibulo subterraneo Matthæũ, unà cum uxore & liberis interfecit, ac subinde trajectis fune tibiis, equísque in diversa raptantibus per urbem distraxit. Uxoris verò cadaver adeò ignominiosè affectum est, ut non modò barbaris, sed etiã tigribus horrori esse potuerit. Matthæi capite & brachio postridie Catanam ad Blascum Catalanorum principem laudis spe delatis, exhorruit Blascus ad spectaculum, & lacrymis ac gemitu casum inimici prosecutus honorifico funere ea membra tumulari jussit: cùm intereà Messanenses occisorum corpora injecto igne extra urbis mœnia concremassent. Quæ gesta esse duodecimo Calendas Augusti, Fazellus [n] prolixè rem narrans scribit: Matthæus [o] verò Villanius ipso mense Augusti. Ceterùm quòd Rex Matthæi mortem, ac præcipuè ejus conjugis, quæ Regis & consanguinea fuerat & nutrix, ægerrimè ferens, in Comites Claromontanos Matthæi ex sorore nepotes, qui invidiæ livore ab ejus amicitiâ recesserant, facinoris culpam rejiceret; illi sibi timentes universam fermè Siciliam rursùm subverterunt, magnámque ejus partem ad se traxerunt, non parùm negotij Regi facessentes in reliquæ conservatione usque ad ejus obitum: hæc omnia fusè prosequente Fazello.

[n] Fazel. 2. dec. 9.
[o] Vill. lib. 3. cap. 77.

VIII. CLASSES ADVERSÆ VENETORUM ET GENUENSIUM.

Ejúsdem mensis Augusti die vigesimâ nonâ (vigesimam septimam quidam habent) pugnatum esse acriter inter Venetos & Catalanos simul junctos, & Genuenses, in sinu Calaritano Sardoi maris; narrat distinctè, præter illarum gentium auctores, Matthæus [p] Villanius tunc Florentiæ scribens. Ait igitur, Genuenses icto fœdere cum Rege Hũgariæ contra Venetos, quos Hungarus terrâ in Dalmatiâ, Genuenses mari invasuri forent; etsi Hungarus per Carolum Rom. Regem ad instantiam Venetorum retractus à Genuensium fœdere fuisset; iidémque Veneti cum Rege Aragoniæ belli societatem renovâssent; nihilominùs Genuenses victoriæ Bosphoranæ anni superioris memoriâ feroces, classem in hostes immisisse sexaginta triremium, cui ducem imposuerunt Antonium Grimaldum; existente hostium classe septuaginta triremium, videlicèt viginti Venetarum, & quinquaginta Catalanarum, cum tribus magnis navibus castellatis. Sed quod navium numerum spectat, historicus [q] Aragonicus, suas fuisse quadraginta quinque actuariarum, quatuor lemborum, & quinque onerariarum, ductore Bernardo Caprerâ; Venetorum viginti actuariarum, duce Nicolao Pisano; Genuensium quinquaginta actuariarum, & quinque onerariarum, scribit. Auctores verò quidam Veneti, classem Genuensem tribus & quadraginta longis navibus, Hispanicã viginti, & cetheis tribus constitisse aiunt; cùm alij viginti Venetas, quadraginta Catalanas numerent. Denique Genuenses, suis sexaginta fœderatis octoginta, nimirùm Venetis quadraginta quinque, Catalanis triginta quinque tribuunt. Et utut de singulis fuerit, sanè omnium consensu fœderatorum classis major Genuẽsi exstitit. Quinimmò & Villanius habet, cùm non omnes sexaginta Genuensium satis essent instructæ ad pugnam, octo vacuatis, earúmque armamento per ceteras distributo, solas quinquaginta quas in hostes ductas fuisse.

[p] Id. cap. 68. & 79.
[q] Surit. Indic. lib. 3.

IX. GENUENSIUM GRANDIS CLADES.

Concurrentibus igitur ingenti utrimque animo, Genuensibus quidẽ ad partum decus conservandum, fœderatis ad acceptam ignominiam delendam; (quod ita constitutum habuerunt, ut naves antennis & catenis inter se junxerint, quò omni sublatâ spe fugæ, aut moriendi aut vincendi necessitatem sibi imponerent:) post acerrimum certamen necesse fuit minores vires majoribus cedere: quas etiam fœderati non solùm virtute, sed etiam astu bellico adjuverunt. Et Aragonius triginta tres Genuensium naves captas, octies mille homines occisos, ter mille ducentos captos scribit. Venetus triginta duas triremes captas, (totidémque Cantacuzenus [r], dum & ipse horum meminit) quas cum omnibus nautis ac bellatoribus Veneti Hispaníque implacabili odio mediis fluctibus merserint. Genuensis unam & quadraginta triremes partim depressas partim captas; eâque numquam majorem plagã Genuenses accepisse. Villanius triginta triremes amissas, ampliùs ter mille & quingentos captivos, mortuos bis mille. Sic lubet singulis suo modo in calamitatem Genuensium ludere. Sed quod alij tacent, memorat Villanius, fœderatos non tam suâ virtute vicisse, quàm vilitate Grimaldi Ducis Genuensium; qui ad insultum navium castellatarum, eductis novemdecim triremibus, fingens aliquod stratagema bellicum turpi fugâ cum iis Genuã petierit, ceteris hostium occisioni derelictis. Subdit [s], cùm post hæc sperarent Catalani universam Sardiniam quæ Regi suo rebellaverat sibi subjicere, econtrà factum esse, ut post capta aliquot oppida, opponente sese illis viriliter Iudice Arborensi, qui dominatum Insulæ ambiebat, non solùm eadem castella ab iis defecerint, verùm etiam quæcumque priùs ibi possidebant ad Iudicem transierint; solâ exceptâ arce Calaritanâ cum aliis paucis.

[r] Cantacuz. lib. 4. cap. 42.
[s] Vill. cap. 80.

X. [t] Id. cap. 86. GENUENSES SUBDUNT SE ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

Turpius verò omninò quod habet idem auctor [t] ceterique omnes cum dolore pudoréque referunt; eò stupidæ abjectionis ob unam cladem, quamvis gravissimam, non tamen internecinam, Genuenses præpotentem populum, ac in armis bellicosum, rerúmque gestarum gloriâ terrâ maríque clarissimum decidisse, (accedentibus tamen etiam intestinis odiis & discordiis civilibus, & annonaria difficultate, ac pecuniæ inopia,) ut cùm ipsi per se prudentiâ suâ & potentiâ stare aut resurgere desperarent; ad pudendum illud remedium recurrerint, submittendi sese totúmque suum imperium Ioanni Archiepiscopo Mediolanensi potentissimo Lombardiæ tyranno, dominum sibi eum (deposito proprio Duce Valente, ceterísque magistratibus) ad vitam ejus adsciscentes qui confestim suo nomine Marchionem Palavicinum Præfectum eò misit cum valido præsidio equitum peditúmque ac rerum necessariarum subventione. Quas sanè calamitates non passi essent, si non elegissent evanescere in suis cogitationibus, quàm audientes sese præbere paternis Pontificis hortationibus pacem cum Venetis & Aragoniis suadentis. Quomodò verò his auditis Veneti cum ceteris Lombardiæ tyrannis fœdus inierint contra potentiam Archiepiscopi, tanto augmento jam omnibus formidabiliorem, & Carolum Romanorum Regem in auxilium evocare deliberaverint; ipséque licentiam eundi ad coronationem à Pontifice postulaverit, habuerítque; narrat idem Villanius [u]. Missum enim ad id fuisse Avenionem Theodoricum Episcopum Mindensem, alibi reperimus. De Caroli verò itinere dicetur anno sequenti.

[u] Id. cap. 94. & 103.

XI. [x] Reg. Innoc. an. 1. INNOC. PP. HÆRETICOS EXAGITAT.

Ut verò ad Innocentium Pontificem redeamus; inter cetera quæ hoc anno pro utilitate Ecclesiæ gessisse reperitur [x], cùm accepisset multitudinem hæreticorum è montanis Ebredunensibus, ubi diutiùs latebras foverant, metu pœnæ temporalis in Calabriam aufugisse, ibíque fidem Catholicorum tentare: scribens ad Ludovicum Siciliæ citra pharum Regem, hos compescere monuit, & inquisitori hæreticæ pravitatis adesse: cui etiã hæc diligenter curare præcepit. Quod ipsum anno præcedenti Clemens in ipsa provincia Ebredunensi fieri præceperat, scriptis ad Guillelmum Electum Ebredunensem, & Petrum de Montibus Ordinis Minorum Inquisitorem, necnon ad omnes Prælatos & Rectores locorum literis [y]. Cúmque itidem Innocentius intellexisset, Robertum Imperatorem Constantinopolitanum nominatum, & Philippum Tarentinum, ejusdem Regis Ludovici fratres unà cum aliis regiis Principibus, à carceralibus angustiis quas sine causâ diutiùs in Hũgariâ passi essent, liberos brevì redituros; mittens ad Regem, Primum Archiepiscopum Brũdusinum, rogavit ut benignè eos reciperet: ipsúmque pariter Robertum monuit, pacificè in regno agere, & concordiam tueri. Verebatur enim, ne quòd Robertus major frater esset, diffiteretur subdi Regi. Cujus etiam rei signum quoddam hoc ipso anno dedisse reperitur [z]: cùm instituto à Rege in festo Pentecostes sexaginta Equitum ordine quem *Nodi* vocavit, eò quòd in pectore Nodum ferrent ex serico, vel etiam ut cuique libitum erat ex argento, vel auro, aut lapidibus pretiosis confectum; abesset tunc Robertus, sed pòst advenienti Nodum Rex ex prægrandibus margaritis misisset: recusavit ille accipere, dicens ferre se in corde nodum fraterni amoris: quod valdè ingratum Regi fuit.

[y] Reg. Clem. ap. Vvadding. tom. 4.

[z] Ap. Villan. lib. 3. cap. 83.

ORDO EQUESTRIS NODI.

XII. MARIA SOROR IOANNÆ REG. ILLUDITUR.

Gratius fortè quod à Mariâ Reginæ sorore, viduâ Caroli Dyrrachij Ducis, quem vidimus à Rege Hungariæ peremptum, factum legimus hoc ipso anno in violatorem pudicitiæ suæ. Quam cùm eo tempore quo Rex Hungariæ bellum gerebat in Reginam Ioannam, Hugo Baucius Avellini Comes apud Neapolim in Castro Ovi proditoriè captam, filio suo Roberto invitam & reluctantem per vim despondisset, & conjugij nomine ab eo constuprari fecisset; ac triremibus quas habebat impositam in Provinciam ducere deliberâsset: in itinere tamen Caietam appellens, Regis Ludovici Ioãnæ viri arte interceptus, ab eodem uti proditor & regij sanguinis commaculator interfectus fuisset, Mariâ in libertatem assertâ, ejus verò constupratore in vincula conjecto: Cùm hæc inquam præcessissent, quæ narrat distinctè Matthæus [a] Villanius; jam rebus in regno quietis, cùm eadem Maria nec se cõjugatam nec planè viduam agnosceret, dirum facinus [b] aggressa: (consciis tamen Rege & Reginâ) quatuor satellitibus comitata in locum ubi Robertus cõstuprator suus servabatur prorupit; & exprobratâ ei vituperatione & infamiâ sibi & sanguini regio illatâ, in præsentiâ suâ gladiis cõfodi jussit. Quæ post biennium, iisdem consentientibus Rege & Reginâ, nupsit [c] Philippo Tarentino Regis fratri, quamvis & consanguinitatis & affinitatis gradibus prohibitis conjuncto, absque ulla dispensatione. Ad quam obtinendam cùm Philippus Avenionem iisset, non nisi post diuturnas preces, ad eluendam regiæ domûs maculam, impetrare potuit.

[a] Vill. lib. 5. cap. 95.

[b] Id. lib. 3. cap. 70.

[c] Id. lib. 5. cap. 7.

XIII. [d] Reg. Innoc. VI. an. 1. INNOC. PP. AGIT PRO PACE INTER REGES FRANC. ET ANGL.

Egit insuper idem Pontifex [d] cum Ioanne Francorum Rege & Eduardo Angliæ de pace & concordiâ inter eos conciliandâ misso ad hæc Guidone de Boloniâ Cardinale Episcopo Portuensi: Eduardum speciatim monens, ne de partis victoriis intumesceret, ne Deus faciem suam ab eo averteret: facilémque se præberet ad liberationem Caroli Ducis Britãniæ quem in vinculis detinebat, quò posset ille pacem inter Reges tractare. Scribénsque de iisdem ad Henricum Ducem Lãncastriæ consanguineum Regis, cum quo Guido egerat, hortatus est id operari sollicitè: sciturum pro certo (inquit) quòd licèt ipse Pontifex de regno Franciæ traxisset originẽ, & cùm ex hoc tum ex aliis causis ad Frãciæ regnũ specialẽ haberet dilectionis affectum; in hujusmodi tamen pacis negotio sic omni affectione particulari sepositâ intendere se communem utilitatem prosequi, ut paternâ & æqualem ad utramque partem claris & evidentibus operum fructibus affectionem esset in ipso Henricus cogniturus.

[e] Ibid. REGEM FRANC.

Ioanni quoque Regi per alias literas [e] significavit, se petitionem ejus super conferendis canonicatibus tam cathedralium quàm aliarum Ecclesiarum regni, personis per Regem

nomi

Monet de collatione præbendarum.

nominandis, cùm reservatione præbendarum iisdem personis nomine Regis conferendarũ; non duxisse admittendam eâ formâ quâ exhibita fuit: hócque se credere Regem eò æquanimiùs laturum, quò importabile quodammodò onus in similibus gratiis hactenùs impositum eisdem ecclesiis, adjectionem ulterioris oneris non admitteret, quinimmò compassionis affectum erga ipsas ecclesias exigeret. Quibus tamen haud putamus voluisse Pontificem revocare, quæ decessores ejus agnoverunt competere ex antiquâ consuetudine Regibus, jura regaliorum ac patronatûs circa beneficia vacantia interim dum certæ Ecclesiæ cathedrales viduatę sunt pastoribus; quamvis non parùm sit de iis nonnumquam ab aliquibus disputatum.

XV. Vicecomitibus Mediolanensibus Sepultura conceditur.

Est & alia ejus epistola ad Bertrandum Cardinalem Episcopum Sabinum, & Guillelmum tituli S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem; (quem posteriorem hinc videas perperam apud Onuphrium & Ciacconium mortuum poni anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto sub Clemēte Sexto) quâ narrans quomodò Ioannes Archiepiscopus Mediolanensis & Luchinus ejus frater preces obtulissent Benedicto Papæ XII. primùm deinde Clementi VI. pro absolutione Matthæi quondam Vicecomitis ipsorum parentis, necnon Galeatij ceterorúmque ejus filiorum, ac sequacium ipsorum, ad effectum obtinendi illi ecclesiasticam sepulturam, quâ privati fuerant ob excommunicationes in eos latas ab Aicardo tunc Archiepiscopo Mediolanensi, & Inquisitoribus Fidei; quas iidem Ioannes & Luchinus injustò & præcipitanter latas, eosdémque ante obitum signa pœnitentiæ & veræ religionis dedisse dicerent: & quomodò prædicti Pontifices rei inquisitionem commisissent quibusdam delegatis; eâq; indecisâ relictâ, idem Ioannes Archiepiscopus eamdem supplicationem modò ipsi Innocentio offerret: Iam ipse re maturè examinatâ, sententias in prædictos latas ad hoc tantùm rescindere se & irritas facere significavit, ut iis non obstantibus prædictorum corpora ecclesiasticâ sepultura donarentur; iisdem validis in reliquis permanentibus: commisitque prædictis Cardinalibus, ut vocatis vocandis, & omnibus ritè perpensis, facerent judicij complementum.

XVI. De oblationibus Basilicæ S. Petri Rom.

Scribens quoque Pontio Urbevetano Episcopo, Papæ in spiritualibus in Urbe Vicario, & Stephano Castrensi, de oblationibus quæ fieri consueverât à Christi Fidelibus in altari basilicæ Principis Apostolorum; conquestus est, quòd cùm ex asse dodrans ad Romanum Pontificem, triens tantùm ad Capitulum illius Ecclesiæ, ex consuetudine hactenùs observatâ pertineret; nihilominùs anno Iubilei quinquagesimo, canonici cunctas oblationes quatuor primorum mensium recepissent; & quæ sequentibus mensibus oblata fuissent, cùm ponerentur in scriniis & arcis separatis, iidem canonici ea violēter auferre, & inter se dividere præsumpsissent: Cùm verò hæc Clemens VI. tunc sedens audîsset, & mandâsset ipsi Urbevetano Episcopo ut de ejusmodi excessibus cognosceret, pecuniásque direptas censurarum inflictione restitui curaret; non solùm id canonicos facere recusâsse obtentu cujusdam privilegij valdè dubij, verùm etiam in eos qui rem arguere tentâssent manus violentas injecisse. Mandavit igitur prædictis Episcopis Innocentius, Capitulum & canonicos ad dictarum oblationum restitutionem compellere; & si contumaces forent, Pontifici referre, qui re perpensâ quid agendum esset deliberaret. Quid verò secutum sit, non reperimus.

XVII.

Cùm autem Orientales Christiani à Turcis bello pressi subsidia ab Innocentio peterent; eos ut Pontifex juvaret [f], tertiam partem decimæ ex omnibus fructibus Ecclesiarum Galliæ, Germaniæ, Boemiæ, Græciæ, & aliarum provinciarum, præfectis Ecclesiarum imposuit Calendis Decembris. Magistróque Rhodianæ militiæ speciatim injuxit, ut Smyrnensibus in maximo discrimine inter Turcos versantibus, pro virili succurreret. Et Cantacuzenum Imperij Constantinopolitani occupatorem, (quem jam tandem legitimus Imp. Ioannes Palæologus ejus gener ætate & experientiâ prudētior factus in ordinem redigere conabatur: quod ipsemet Cantacuzenus [g] semper suî similis in confictâ suæ justitię & innocentiæ commendatione, inanibus rerum ac verborum oblinimentis prolixè describit:) ut Innocentium à ferendâ Palæologo ope averteret, unitatem Ecclesiæ Catholicæ amplecti se velle, ad eámque populos adducere, per literas & nuncios simulantem: (fuisse enim perpetuam hanc Græcorum artem, cùm ab hostibus premerentur, vel aliud quid sinistrum timerent, ad opem implorandam, unionem Latinis optatissimam præseferre; jam sæpiùs vidimus. Et quid aliud quàm simulare potuit Cantacuzenus, qui adeò importunum se totâ suâ Historiâ doctrinæ Romanæ Ecclesiæ & morum Latinorum insimulatorem ostendit?) hortatus est id maturare, & ad optatę consummationis exitum perducere. Missum enim etiam ad Carolum Romanorum Regem ab Imperatore Constantinopolitano quemdam Archiepiscopm cũ donis, qui animum Caroli ad expeditionē in Turcos suscipiendam accenderet, scripsisséque eum de hoc ad Innocentium, hortatúmque ut pacem inter Principes Christianos componeret; narrat Mutius [h] in suo Chronico Germanico; meminítque Nauclerus [i].

Cantacuz. unionis desiderium simulat.

[f] Reg. Innoc. VI. an. 1. & ap. Bzov. hoc an.

[g] Cantacuz. lib. 4. cap. 32. & seqq.

[h] Mut. lib. 26.

[i] Naucler. gener. 46.

XVIII. Curat Pontifex alia Orientalia.

Quòd item Philadelphienses nuncios suos ad Clementem Innocentij decessorem misissent, auxilia adversus Turcos imploraturos, cum oblatione urbis ipsius, rerúmque suarum omnium in subjectionem temporalem Ecclesiæ Romanæ; & antequàm his respōdere posset Clemens è vivis excessisset: jam Innocentius interrogatis nũciis utrùm super spiritualium negotio, videlicet abjuratione schismatis & errorum quibus irretiti tenebantur, necnon recognitione Primatûs Ecclesiæ Romanę potestatem haberent; negantibúsque illis: rescripsit Philadelphiensibus, necessarium esse priùs hæc terminari, ac deinde se in auxilio temporali minimè eis defuturum; datis literis decimoquarto Calēdas Februarij anni proximi. Ac de Armenis quoque sollicitus, Narseti Archiepiscopo Manasguerdensi, Sedi Apostolicæ apud eos Legato, ut illis populis arti-

[k] Supr. an. 1351.

culos fidei Catholicæ à Clemente [k] propositos exponeret, eosdémque ad professionem eorum induceret, injunxit.

XIX. PETRI REG. CASTELLÆ TURPE COMMERCIUM CUM PADILLIA.

In Hispaniâ Petrus Rex Castellæ domi totus lasciviæ, foris sævitiæ deditus, Mariæ Padilliæ eximiâ pulchritudine captus, (propriis Mariæ propinquis turpitudinis conciliatoribus) cũ eâ stupri consuetudinẽ habere cœpit, Blancæ Borboniæ sponsæ (filiæ Petri Ducis Borbonij) immemor. Cùm quâ nihilominùs Vallisoleti nuptias, sed penè coactus à matre & Alburquerquio, celebravit modico apparatu, infaustum fore conjugium plerisq; ominantibus. Nec falsò: siquidem Rex confestim novam nuptam fastidiens, ad pellicem revertit. Cúmq; nihilominùs maternis hortationibus, & summâ procerum contentione, ad Blancam rediisset; non ultra biduũ apud eam substitit, in amorem Padilliæ effusus, (licèt haud majori formæ pulchritudine) tantâ impudicitiæ impatientiâ vesaniâque, ut injectam sortilegiis amentiã fama vulgaverit. Ita Mariana [l]. Attamen in Vitâ Innocentij [m] Papæ ab auctore ejus temporis conscriptâ, & in Historiâ Hispanicâ Roderici [n] Sanctij traditur, Regem ab initio Blancã tenerrimè dilexisse, quòd venustate corporis & morum elegantiâ excelleret, adeò ut Padilliam contemptui haberet: Hanc verò id dolentem ad quendam Iudæum magũ recurrisse, valdè & ipsum adversùs Reginam commotum ex eo quòd videns illa Iudæos apud Regem prævalere, ageret ut pellerentur regno. Factúmq; esse hujus magi præstigiis, ut zona quædam aurea, gemmis & pretiosis lapillis affabrè ornata, quàm Rex à Blãcâ sibi donatam gestare sæpè consueverat, ita pravis carminibus medicata fuerit, ut cùm Rex aliquãdo eã præcingeretur, tam ipsi quàm ceteris intuentibus horribilis draconis speciem retulerit. Indéq; territum Regem adò exosam habuisse conjugem, ut non ampliùs videre voluerit; totum se & Republicã Padilliæ propinquis tradens; rejecto etiã Alburquerquio, aliisq; omnibus qui Reginę innocentiam tuerẽtur, graviq; in eos tam sæculares quàm prælatos excitatâ persecutione. Agit etiam de his Villanius [o]: minimè tamen audiendus, cùm ait Blancam semel à Rege dimissam, clàm regno excessisse ad patrẽ, deinde reductã, receptamque timore belli Francici; repudiatâ Padilliâ, atque in majus probrum recisis ei vestibus usque ad latera, de more quo scorta affici consueverãt in Hispania. Hæc enim ceteri omnes tacent; & reditũ Regis ad Blancam, interpretatus est ille contigisse post reversionem Blancæ ex Gallia. Sed in his non immoramur.

[l] Mar. lib. 16. cap. 17. & 18.
[m] Vit. Innoc. edit. Bosq.
[n] Roder. par. 4. cap. 14.

PRÆSTIGIÆ IUDÆI CONTRA REGINAM.

[o] Vil. lib. 4. cap. 18.

XX. EXEMPLUM SÆVITIÆ PETRI.

[p] Mar. ubi supr.

De sævitia autem Regis deinceps acturi, hoc tantùm ejus præsenti anno exẽplum [p] referemus, quòd Alfonsum Coronelium virum præcipuæ inter Bæticæ regulos auctoritatis, quia in morbo quo Rex decubuerat gravissimo salute à medicis desperata, cùm de successore à proceribus pro more colloquia agitarentur, ipse Ioanni Laræ regio sanguine prognato regnum destinaverat; persecutus, captum apud Aquilariam oppidũ quod Regis munere habebat, majestatis lege sustulit. De quo memorandum, quòd cùm ei sacris operam dãti hostes intra munitionem irrupisse nunciatum esset, non destiterit tamẽ priusquàm divinâ hostiâ sacrificatum esset, mortem adesse certus nullâ spe veniæ. Cui & filia fuisse narratur Maria nomine, castitate insignis: quæ nupta Ioanni Cerdæ, cùm mariti profugi absentiam non ferret, ardentes aliquãdo libidinis stimulos extinctura, adacto sibi per muliebria titione vitã posuerit. Quid autẽ circa hæc præstiterit Innocentius Papa, ut Regem ad viam salutis reduceret, dicetur posteà. Interim verò ex ejus Epistolarũ Regesto intelligitur, eumdem Regem misso ad ipsum Pontificem Ordonio Garsiâ familiari, contendisse ab eo, ne Ægidium Carilium Cardinalem olim Archiepiscopũ Toletanum, sineret abesse Avenione, & ab Italica legatione revocaret negotiorum regiorum causâ: (sive id ageret quò faciliùs vindictam sumere de frequentibus objurgationibus, quibus ab eo per literas castigabatur; sive opem ab eo & patrocinium apud Sedem Apostolicam de criminibus quibus non dubitabat se accusatũ iri, expectaret. Innocentium porrò sese excusâsse, quod Ægidij revocatio non nisi magno Ecclesiæ damno simulque probro fieri posset: promisisse tamen Petri negotia se cordi habiturum, sive illa Ordonius, sive quivis alius orator proponeret.

XXI. [q] Vill. lib. 3. cap. 74.

SIGNUM CÆLESTE.

[r] Trith. in Chron. Hirsaug.

Hoc eodem anno die undecimâ mensis Augusti (ut Villanius [q] ponit) post solis occasum visa est micans cœlestis flãma, longum post se trahens cinerei coloris vaporem, qui in speciem draconis aliquandiù duravit. Describit pleniùs is auctor id signum à se visum: meminítque Trithemius [r], necnon alij, & quidam nonnihil diversè. Secutam verò esse magnam siccitatem ait. In vita vero Innocentij Papæ ponitur eclipsis Solis decimoseptimo Decẽbris, (sunt qui ponant in principio Martij) quæ duravit per duas horas: quàm demum secuta sit tanta hiemis asperitas, ut magni fluvij per plures dies fuerint congelati: & successivè tanta aquarum inundatio, ut pontes & turres plurimas subverterit.

IESV CHRISTI Annus 1354.
INNOCENTII VI. An. 2.
CAROLI IV. Annus 9.
IOAN. PALÆOL. V. An. 14.
IO. CANTACUZ. VI. Ann. 8.

I.

[a] Reg. Innoc. & ex eo Bzov. & Vvadding. hoc an.

STATUS ECCLESIÆ RASCIÆ.

ANNO Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima Innocentius Pontifex mense Ianuarij rescribens [a] ad Stephanum Rasciæ Regem, à quo nuncios & literas acceperat, qualis esset tunc illius Ecclesiæ status aperit: Scripsisse videlicet Regem, nonnullos Ecclesiæ & Fidei Catholicæ ac Romanæ hostes in suo regno nefando ausu quosdam Ecclesiarum & monasteriorum Prelatos ritè institutos deposuisse, & aliis Fidelibus in eodem regno commorantibus multas injurias & contumelias irrogasse, atque etiam nonnullos ad reiteranda baptismi & confirmationis sacramenta per eos ritè suscepta invitos coëgisse: Regem, uti veræ fidei cultorem, his acceptis, sub gravissimis pœnis præcepisse Prelatos suis se-

dibus restitui, nemini Latinorum aut aliorum Catholicæ Romanæ Ecclesię Fidelium tam ecclesiasticorum quàm laïcorum aliquid injuriæ inferri, vel ad iterationem sacramentorum induci: Petiisséque à Pontifice aliquos viros probos & eruditos mitti, qui Bartholomæi Episcopi Traguriensis dudum in partibus illis Apostolicæ Sedis nuncij inchoatis optimè operibus prosecutionis adjicerent studium: Itémque ab Ecclesiâ Romanâ contra Turcos ipsum Regem Capitaneum ordinari, quò ejusdem Ecclesiæ spirituali adjutus auxilio, & directus consilio, in virtute Altissimi Christianos de faucibus eorum eruere valeret. De quibus laudans eum Pontifex, & fausta omnia illi deprecans; quod ad viros prædicto ministerio aptos attineret, scribit destinare se eumdem Bartholomæum Traguriensem Episcopum Ordinis Minorum, qui opus feliciter promoverat, unà cum adjuncto ei socio Petro Pactensi Episcopo magistro in Theologiâ & egregiis moribus ornato: (Hunc patriâ Condomensem in Aquitaniâ fuisse volunt, & ex Ordine Carmelitarum, dictum Petrum Thomam, creatúmque posteà Archiepiscopum Cretensem, ac demùm Patriarcham Constantinopolitanum: si tamen is fuerit, cujus extat vita in Menologio Carmelitarum; & martyrium subiisse ponitur apud Alexandriam Ægypti; tam vivus quàm mortuus insignibus decoratus miraculis, numerátque eumdem Trithemius inter Scriptores Ecclesiasticos:) séque non solùm in Capitaneatûs officio, sed etiam in quibuscumque aliis licitis & honestis, vota Regis prosecuturum. Quo eodem modo scripsit pariter ad Helenam Reginam, ad Orosium Regis filium, & ad Regni Principes.

II. ERRORES IBI VIGENTES.

Ad prædictos verò Traguriensem & Pactensem Episcopos scribens de erroribus & abusibus qui illic vigerent extirpandis, inter alios recenset, Spiritum Sanctum à Patre solo procedere; Eucharistiam in azymo confectam non esse corpus Christi; Formam baptismi & confirmationis Ecclesiæ Romanæ falsam esse; Archiepiscopos & Episcopos partium illarum sacros Ordines contra sacrorum canonum instituta conferre: atque super gradibus matrimoniorum prohibitis dispensare: & quamplures religiosos mendicantium Ordinum commissum sibi ab Apostolicâ Sede Legationis officium mentientes, nonnulla illicita temerè attentare. Denique Ioannichum Patriarcham Serviæ aliis literis de prædictis omnibus certiorem faciens, monuit dictos Episcopos à Sede Apostolicâ ad Serviæ, Rasciæ, & Albaniæ regna & terras prædicto Regi Stephano subjectas missos, dignè suscipere & in rebus agendis præstò eis esse.

III. REGIS SIMULATIONES.

Verùm hæc omnia non nisi illusoriè (ut sæpè aliàs) ab eo Rege tractata constat, ut hoc titulo bellum vitaret sibi imminens à Ludovico Rege Hungariæ, qui regnum illud coronæ Hungaricę esse dicebat. Dicitúrque [b] idem Ludovicus Rex postulâsse à Summo Pontifice literis Zagabriæ datis 4. Iunij anno 1356. ut regnum illud liceret sibi armis repetere, factâ sponsione de subjiciendo illo Sedis Apostolicæ obedientiæ, Ecclesiámque ejus extincto schismate Romanæ unire: Duxisse autem exercitum in Rasciam, Regémq; cepisse; sed postquàm ex formulâ ab Innocentio præscriptâ professionē emisisset, atque obsequium Regi Hungarię jurâsset, liberum remissum esse ad suum regnum. Quem nihilominùs rursùm rebellâsse, & Ludovicum expeditionem in eum duxisse anno 1359. Villanius [c] narrat. Et frequenter contra eum agi necesse fuisse, Thurosius [d] docet.

[b] Ap. Bzov. an. 1356.

[c] Vill. lib. 9. cap. 22. & 32.

[d] Thuros. par. 3. cap. 38.

IV. ABDALA REX AFRIC. DESIDERIUM FIDEI CHRIST. PRÆSEFERT.

Cùm verò recepisset etiam idem Pōtifex literas à Petro Rege Castellæ, quibus significârat Abdalam Regem Montium-clarorum, (dicuntur esse Atlas major in Africâ) cùm jam pridē cum Alfonso ipsius Petri parente egisset de suâ ab Ethnicismo ad fidem Christi conversione; suspenso ex morte Alfonsi negotio, jam idipsū apud Petrum prosequi, misso etiā obside proprio filio unà cum aliis magnatibus, ut de sincero ipsius animo minimè dubitari posset: ac propterea peteret Petrus, ut huic laudando proposito assistens Pontifex, Crucem per regna Hispanica prædicari faceret, vexillúmque Romanę Ecclesię Crucis & Clavium imaginibus insignitum, ante se in prędicti negotij prosecutione deferri concederet: Ad hæc rescribens Pontifex 12. Cal. Aprilis, laudavit quidem vehementer Petrum de ardenti ipsius zelo in rebus fidei promovendis; verùm ante omnia monuit, nequid præposterè in his agatur, hujusmodi negotij qualitatem, circumstantias, & conditiones distinctè sibi declarari, quò meliùs ac faciliùs ad facilem exitum perduci possit. Scribénsque pariter ad ipsummet Abdalam à quo etiam literas acceperat, hortatus est ad perseverantiam boni propositi. Et putamus hunc fuisse unum aliquem ex illis Regibus Mauritaniæ, quos his temporibus inter se, parentes, liberos, propinquos, digladiatos esse, testantur historiæ Hispanicæ, tractátq; specia-tim Matthæus [e] Villanius: qui ut ab æmulis tutus esset, aut contra illos prævaleret, opem quæsierit Regis Castellæ, datâ spe conversionis ad fidem Punicâ fide, quarum rerum meminit etiam Mariana [f] sed admodùm parcè.

[e] Matth. Vill. lib. 1. cap. 15. 51. 52

[f] Mar. lib. 16. cap. 15. & 17

V. PETRI REGIS CASTEL. FICTIONES.

Quod verò ad Petrum attinet; putavit ille his pietatis velaminibus Pōtificis oculos à suorum scelerum consideratione subducere. Eóque magis quòd simulatâ Mariæ Padilliæ pœnitentiâ ab Innocentio expetiisset, ut quòd ea maculam commissæ culpæ desideraret abluere pœnitentiæ lacrimis, concederetur ei construere monasterium Ordinis S. Claræ, in quo ipsa cum deputandis in eo Virginibus sacris, vitæ residuum in Dei servitium consummare proponeret. Ad quem rescribens [g] Pontifex octavo Idus Aprilis, lætitiam grandem significans de bonis hujusmodi propositis, plurimis rationibus & exemplis hortatus est ad detestandæ vitæ mutationem, ad amorem Blancæ legitimæ conjugis, & ad magnatum ac nobilium regni sui dilectionem, misso ad hæc ei vivâ voce pleniùs insinuanda, Bertrando Episcopo Senecensi Apostolicæ Sedis Nuncio. Cui etiam literas consolatorias ad eamdem Reginam Blancam dedit 8. Id. Maij.

[g] Reg. Innoc. VI.

VI. EIUS TURPITUDINES.

Cùm verò intereà Rex novo flagitio priora scelera cumulans, in Ioannam Castriam Diegho Haro pręcipuæ nobilitatis marito defuncto viduam formâ præstantissimam effrenatæ libidinis oculis injectis; quòd ejus pudicitiam expugnare non posset, conjugem publicis nuptiis duxisset: (cœlibem eum, eò quòd Blancæ

nuptias

nuptias semper ex animo aversatus esset, Episcopis Abulensi & Salmanticensi, furenti Regi repugnare non ausis, ex prolatis testibus, qui deesse non poterant, pronunciantibus) & copiâ fastidium ut anteà faciente, paucis apud eam diebus moratus, (sunt qui unâ tantùm nocte dicant) ad priorem pellicem rediisse: His acceptis Pontifex, gravissimis verbis & rationibus crimen ei exprobravit: Nuncióque Bertrando quarto Calendas Maij potestatem fecit tam in eum quàm in complices omnes eíque in his faventes inquisitionem & judicium instituere; Episcopis; qui nuptias approbaverant diem ad Sedem Apostolicam dicere; omniáque facere, quæ ad emendandum Regem etiam per censuras ecclesiasticas necessaria existimaret. Omnibúsque Principibus & Prælatis regni, Nuncio ope, & consilio in his adesse mandavit.

VII. NOVA EIUS CRUDELITATIS EXEMPLA.

Nec minùs Rex sęvitiæ intentus, hoc eodem anno Ioannem Nunnium Calatrauæ Magistrum blandis literis ab Aragoniâ evocatũ, eò quòd Regis ad Blancam conjugem revocandi cõsilij particeps fuisset, in custodiâ obtruncari jussit: substituto in ejus locum Diegho Padilliâ, nullo comitiorum ordine. Alburquerquium olim educatorem suum, qui in Lusitaniam, unde ei origo avo Rege Dionysio, confugerat, sibi dedi petiit; nec obtinens in oppida quæ multa & valida ipsius nomine tenebantur in Castellâ impetum fecit: eumdémque noxio medicamine, quod Paulus medicus Romanus magnis pollicitis corruptus ægro diluerat, de medio auferri curauit: cùm jam ipse unà cum regiis fratribus, ac plerisque Principibus proceribúsque, multísque urbibus, cernentibus apud Regem neque jus neq; æquitatem valere, raptimque ac perversè omnia administrari, cõjuratione factâ, ipsâ etiam Reginâ matre tacitè favente, de opprimendis regiis conatibus deliberâsset. Quando & Rex in Friderici fratris sui locum, qui Magistrum S. Iacobi agebat substituendum curavit Ioanñe Padilliam Mariæ suæ fratrem, & quidem cõnubio illigatum, cõtra Ordinis instituta, & superiorum temporum exempla, hincque initium susceptum, ut conjuges iidem & Magistri essent. Coëuntes autem in unum locum conjurati circa Tordesillam oppidum ubi Rex erat, armis agere decreverunt, nisi justissimis postulatis annueret; quę erant, ut ab stupri fœditate recederet; Blãcam regio thoro restitueret; Padilliã pellicem regni finibus arceret; ejus propinquos à Republicâ amoveret. Nequaquàm auditi, rem in aliud tempus locúmq; retulerunt, quo quinquaginta ex utrâq; parte equitibus paribus armis convenientibus, præsente ipsomet Rege, cùm res brevî statui non posset, quaterni sunt delecti qui de pacis conditionibus disceptarẽt. Sed mox variis Regis tergiversationibus intellecto nihil eum pro sano facturum, qui eodem tempore ad amicam iverat: tunc Regina mater apertè cõjuratis adhæsit, Tauro oppido eis tradito. Quo nuncio perculsus Rex, totiúsque regni defectionẽ veritus, Ioanne Hinestrosâ Padilliæ avunculo, qui pravæ cũ eâ consuetudinis cõciliator fuerat, & Samuele Iudæo ærarij præfecto caro imprimis, comitantibus matrem adiens, in ejus se potestatem futurum dixit. Quare mox præcipuis aulæ ministris mutatis, Rex captivi instar aliquamdiù tentus est Tauri: donec venationis occasione, & nonnullis proceribus ejus calamitate magnísque pollicitis æquioribus factis, Segobiam sese proripuit in fine præsentis anni. Quæ sic gesta prolixiùs narrat Mariana [h] cetera posteà.

[h] *Mar. lib. 16. cap. 18. & 20.*

VIII.

Hoc eodem anno Petrus Rex Aragoniæ (ut habent idem auctor [i] & Surita [k]) expeditione susceptâ, in Sardiniâ, de cujus statu dictum est anno superiori, exercitum eò duxit magnis rebus cõficiendis parem, habitis etiam è Germaniâ, Angliâ, Vasconiâ, auxiliis; quibus & Veneti in Sardiniâ juncti. Mense Iunio Alguerium oppidum, quod Genuenses propugnabant, obsidione cinctum est. Sed exercitu ob aëris insalubritatem morbis oppresso, ipsóq; Rege graviter decũbente, & Mariano Iudice Arborensi nihil non contrà agente; ventum est ad pactiones satis Regi ignominiosas; Alguerio tamẽ urbe deditâ mense Novembri. Post quæ decem ferè mensibus in Sardinia consumptis in rebus utcumque componendis, demùm ob variam Mariani fidem iis deteriori ferè statu relictis, Rex majori conatu quàm operæpretio, rediit in Hispaniã Septembri mense anni sequentis. Meminit horum etiam Villanius [l]: Sed occasionẽ deditionis Alguerij tribuens astutiæ Regis: qui accepto à Venetis velocissimo ac secreto nuncio de suâ ipsorum classe ad insulam Sapientiæ à Genuensibus captâ, ut Rex scilicèt suam in tuto poneret, ne à victrice Genuensi opprimeretur; in contrarium vocem publicè emiserit de clade Genuensium: indéque Alguerienses & Arborenses consternatos oppidum tradidisse; Regem verò de rei exitu certum, faciliorem se præbuisse ad multa adversariis concedenda, quæ aliàs denegâsset.

[i] *Id. cap. 19.* [k] *Sur. Ind. lib. 3.*

REGIS. ARAGON. INANIS IN SARDINIAM EXPEDITIO.

[l] *Villan. lib. 4. cap. 21.*

IX. CLADES VENETORUM A GENUENSIBUS.

Quod autem dictam cladem Venetam attinet, accepta est illa principio Novembris ad Sapientiam Peloponneso adjacentem insulam, quam Oenusas fuisse volunt, aliis ad Methonã collocantibus. Cùm videlicèt, ut tradunt utriusque populi historiæ [m] armatis utrimq; classibus, Genuensibus pecuniis & aliquot navibus Archiepiscopi Mediolanensis, cui se submiserant, adjutis) eísque ducibus iisdem impositis, quorum virtute utrique populi annis prȩteritis adversarios debellâssent; videlicèt Nicolao Pisano Venetæ, Pagano Auriâ Genuensi postquàm Auria absente Veneto sinum Hadriaticum ingressus haud exiguis detrimentis Venetam ditionem affecisset, magnâ ipsiusmet urbis trepidatione; abiens in Orientem cum sex & triginta triremibus, inventam apud dictam insulam in statione classem Venetam triginta quinque triremium ac viginti duorum aliorum navigiorum (variant tamen auctores, ut fieri assolet, in omnium numero) improvisò intercepit, totámque (unâ excepta trireme quę elapsa est) sine ullo certamine, aut illo modico in potestatem suam redegit, unà cum ipso ejus præfecto Pisano, & hominum quinque millibus & quadringentis: prænunciata, ut volunt, hac clade, corvorũ immensa multitudine, quæ supra classẽ Venetã pridie horrisono crocitamine adversis agminibus conflictans, labentes cruoris guttas in triremes dejecit. Ex illa porrò clade adeò perculsa fuisse dicitur urbs Venetiarum, ut actum de imperio Veneto crederetur, si victores Genuẽses mari libero & apertos ad

[m] *Sabel. 2. dec. 2. Petr. Iustin. lib. 4. Nebiens. lib. 4. Foliet. lib. 7. Adde Petrarch. Var. ep. 18.*

urbem

urbem consternatam adnavigâssent; cùm nullæ, ei superessent maritimæ vires, nullæ copiæ paratæ quę illos à faucibus portûs arcere possent. At verò Auria, sive non ita uti victoriâ sciens uti vincere, sive animi moderatione, aut denique divina providentiâ Venetis favente, tantâ victoriâ contentus, Genuam rediit; ingentibus plausibus, ut par erat, à tota civitate obviam effusâ triumphantium more exceptus. Victoriæ verò memoriam dono aulæi aurei ad ædem S. Matthæi Apostoli quotannis pridie Nonas Novembris celebrandam decretum est. Ipsíque Pagano honoris causâ domus de publico parata est, cùm tanta virtus ad eum diem in ipsa urbe suâ tecto caruisset: cui & mortuo, privatis pecuniis deficientibus, de publico fuit funus peragendum. Rem autem ad Sapientiam gestam descripsit ubertim, ac ceteris diligentiùs Villanius [n] culpam amissæ classis in Pisani imprudentiam rejiciens, hominis alioqui prudentia ac bellicis artibus multisque victoriis mari partis clarissimi.

[n] Vill. lib. 4. cap. 32.

X. ARCHIEPISCOPI MEDIOL. MORS REPENTINA.

Antequàm verò hæc perficerentur, perierat jam Archiepiscopus Mediolanensis, cujus auspiciis res suas gerebant Genuenses. Qui in prosperrimo cursu rerum suarum, quo universam Italiam sibi subjicere sperabat, non minùs per orbem formidatus quàm celebratus; modico anthrace ei in fronte enato, cùm jussisset præcidi, in momento corruens expiravit die 5. Octobris, nullâ de animâ aut bonis disponendi facultate; ut Villanius [o] scribit: quamvis Corius [p] Vicecomitum studiosissimus velit eum jam à mense Augusti infirmatum, herede magni sui imperij instituisse Matthæum, Barnabovem, & Galeatium, fratris sui Stephani filios, & susceptis devotissimè divinis sacramentis piè in Domino obdormîsse.

[o] Id. cap. 25.
[p] Cor. par. 3.

XI. CAROLUS CÆS. ITALIAM PETIT.

Quo tempore Carolus Romanorum Rex adversùs eum à fœderatis Lombardiæ; ut vidimus evocatus, viribus tamen suis diffidens, prudenter elegit cum parvo comitatu, magis ut pacem conciliaret, quàm ut armis rem ageret, accedere. Ad principium itaque; Novemb. Lombardiam ingressus, Mantuæ consedit; & post tractatam in vanum pacem inter novos dominos Mediolani & prædictos fœderatos, rebus suis ipse providens, inducias usque ad mensem Maij procuravit, quarum beneficio posset ipse redimiri corona ferreâ, quam in suâ potestate Vicecomites habebant, & pòst Romam adire. Sicque certis pactis cum iis parùm pro dignitate Imperiali conventis, eisdem se committens; celebrato Christi Natali Mantuæ, Mediolanum accessit, honoratus quidem per speciem à fratribus, sed reipsâ velut captivus ab iis detentus. Quousque ad principium anni sequentis ductus Modoëtiam, die sacro Epiphaniæ coronam ferream accepit: (ut quidem Villanius [q] habet; cùm Rebdorffius, Bossius, Corius, aliíque plurimi eam in ipsa urbe Mediolanensi ad altare S. Ambrosij sumpsisse à Roberto Vicecomite Ioânis successore scribant:) & acceptâ quâdam pecunia pro confirmatione Vicariatûs Imperij fratribus in terris quas possidebant, profectionem suam urgens, ut in libertatem se quantocyùs assereret, magnis itineribus Pisas petiit, rogatus jam anteà à Pisanis. Quæ uti se habuerint, prolixè narrat idẽ Villanius [r] diligentissimus rerum sui temporis scriptor: meminerúntque alij Scripsisse porrò Pontificem Ægidio Legato, ut ei cum copiis Ecclesiasticis præstò esset, constat ex ipsius literis quæ in Regesto habentur. Cui & sẽper gratificari in rebus justis & honestis desiderans, ad ejus petitionem aliàs concessit [s] ut per Germaniam & Boëmiam (quidam ponunt etiã per universum Christianum orbem) festum Lanceæ & Clavorum Domini solemne esset feria sexta post Hebdomadam Paschæ, & ut ceteras sacras Reliquias [t] Imperiales statis diebus venerantes, Indulgentias designatas consequerentur. Fuisse namque reperitur Carolus valdè sollicitus de Reliquiis undecumque congerendis, & pretiosè adornandis; quas in ecclesiis & monasteriis Pragensibus præcipuo cultu venerandas collocavit.

[q] Vill. cap. 39.
[r] Ibid. & cap. 27. 29. 35 38.
[s] Reg. Innoc. VI. Vit. ejus edit. à Bosq. Magn. Chrõ. Belg. Trith. an. 1360.
[t] Vid. sup. an. 1349. VI.

XII. BALDUINI EPISC. TREVER. OBITUS, ET LAUDES.

Mortuus est Calendis Februarij hujus ipsius anni (mensem Ianuarium habent aliqui; alij etiam 12. Cal. Martij) *Balduinus* magnus ejusdem Caroli patruus (frater videlicèt Henrici VII. olim Imperatoris) Archiepiscopus Treverensis, de quo aliquoties actum, plenus dierum: quippe cujus pater obiisse reperitur anno 1288. Fuit is electus Archiepiscopus anno Christi 1307. ætatis 23. cum dispensatione Pontificiâ; rexítque optimè eam Ecclesiam ampliùs quadraginta sex annis: cui etiam ob virtuté quâ pollebat, & industriam in rerum administratione, aliæ sunt à Summis Pontificibus diversis temporibus commendatæ; ita ut reperiatur, præter suam Treverorum, habuisse administrationem Moguntinæ, Wormatiensis & Spirensis. De quo & legimus alicubi [u] adeò fuisse severum justitiæ observatorem, ut proprium fratrem, ob suam uxorem necatam spe melioris habendæ, ceperit, & rotali supplicio occiderit. Quod de aliquo fratre naturali & illegitimo intelligendum putamus, si verè res contigerit; cujus nullam apud melioris notæ auctores memoriam reperimus; nec quidem in breviario vitæ ipsius, quod extat in Annalibus Treverensibus Kyriandri, collectum ex tribus libris de eâ per singulos annos conscriptis ab auctore illius temporis.

[u] In Magn. Chron. Belg. ex Chron. Trever.

XIII. CAROLI CERDÆ CONNESTABILIS FRANC. CÆDES PER CAR. REGEM. NAVAR.

Ad principium item hujus anni, nempè 6. Ianuarij, Carolus Hispanus Magister equitum sive Connestabilis regni Franciæ, conjuratione Caroli Regis Navarræ ad Aquilã Normanniæ oppidum in lectulo, nihil tale à quoquam timẽs, nocturna vi submissis percussoribus occisus est. Quod omninò notandum fuit, ob ingentes & diuturnas turbas quæ inde in grandem regni perniciem secutæ sunt. Erat Carolus ille Hispanus, filius Alfonsi Cerdæ, nepos Ferdinandi primogeniti Alfonsi X. Castellæ Regis, qui Blancam filiam S. Ludovici Regis Francorum uxorem duxerat, fraterque junior Ludovici Principis Fortunæ, de quibus omnibus dictum est super ùs. Nati ambo fratres in Gallia ex Mathilde Comitissâ Clarimontis regij sanguinis feminâ, & cum Ioanne Rege ab infantiâ educati. Hícque præcipuè Carolus, præter corporis decus, humanitate multísque virtutibus præstabat. Itaque, & quòd insuper magnanimus & bellicosus esset, Rex illum unicè diligebat. Cúmque tam Comitatum Engolismensem, quem Navarrus jure paterno suum esse contendebat, eidem Carolo Hispano dedisset; quàm etiam Magistri

Equitum

Equitum dignitatem, supremæ in bello secundùm regiam auctoritatis, eidem contulisset, denique nullius magis consilio quàm illius uteretur: hæc tanta ejus apud Regem gratia multos ei inimicos, ut solet in aulis magnorum Principum, peperit. In quibus præcipuus Rex Navarræ ferocissimi ingenij juvenis, generq; Regis; qui tum ex invidia atrocium scelerum parente tum ex possessione Comitatûs Engolismensis, væsanum furorem suum in illum convertens, inopinantem, ut diximus, oppressit ope Haricuriarum procerum Normannorum. Factum enim id hoc esse anno, ex Matthæo [x] Villanio tunc vivente, & Frossardo [y] eidem tempori proximo, intelligitur, dum ponunt anno 1353. cùm ex eorum computo, (quo Galli annum inchoabant à Paschate, Florentini ab Annuntiatione (mensis Ianuarij anni 1353. cadat in 1354. æræ Romanæ & nostræ. Testantur id etiam plerique alij Franci: quibus tutiùs creditur in rebus suis, quàm exteris [z] anno sequenti collocantibus.

[x] Vill. lib. 3. cap. 95.
[y] Froiss. lib. 1 cap 154.
[z] Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 16. cap. 20.

XIV. Navarri audacia, condemnatio, et venia.

Ceterùm hoc audito nuncio turbatus Rex, quatriduo neminem ad colloquium admisit; nunc dolore amissi carissimi, nunc irâ violatæ majestatis regiæ in præcipui ejus ministri cæde, animum ejus prementc. Demùm in Carolũ Navarrum absentem & armatum arte utendum ratus, eum ad se vocavit; adesséque recusanti, nisi accepto obside proprio Regis filio Ludovico Andium Comite, etiam huic ejus audaci postulationi contra jus fásque consensit. Adveniens igitur Navarrus Lutetiam, causam dixit; & cùm insidias sibi ab Hispano paratas causaretur, nec probaret, constitutum est ob hanc cædem eum perduellionis teneri. Respectus tamen dati obsidis cruentas impræsentiâ pœnas sumi prohibuit. Ac nihilominùs ut judicij species aliqua foret, Iacobus Ducis Borbonij frater novus Magister Equitum manum injecit, ducíque in quoddam cubiculum jussit. Quando re ex composito fieri visâ, duabus Reginis intromissis, Ioannâ Navarri amitâ, quæ Caroli Pulchri uxor fuerat, & Blanca ejusdem Navarri sorore ipsius Ioãnis novercâ, (quibus & tertiam nonnulli addunt Ioannam Ioannis filiam, uxorémque Navarri) ad pedes Regis prostratis; adhæc ipso Navarro & Rege & genero & consanguineo ut ignosceretur sibi supplicante; denique & Guidone Cardinale Boloniensi Legato, quem Pontifex miserat pro pace inter Regem & Anglos conciliandâ, atque his præsens aderat, id ipsum rogante; Ioannes veniam dedit: his tamen conditionibus (inquit Nangij Continuator) ut Navarrus cappellas & cappellanias multas fundaret, in quibus multi sacerdotes pro animâ defuncti celebrarent. Quàm verò se hujus gratiæ ingratissimum sese præstiterit Navarrus, videbitur posteà in rebus gravissimis.

XV. Innoc. Pont. de pace inter Reges Franc. et Angl. solicitus.

Cùm interim Innocentius Pontifex non mediocriter anxius de Regum Francorum & Angliæ discordiâ, adeò rebus Christianorum perniciosâ, quam non potuisset per suos Legatos sedare, sperans, si in præsẽtia suâ de iis tractaretur, faciliùs ad concordiam ventum iri, procuravit ejus rei gratiâ idoneos homines ad se mitti. Advenienribus igitur ex Galliâ Avenionem Iacobo Borbonio, ex Angliâ Henrico Lancastriæ Ducibus, utroque sui Regis consanguineo; post multas disceptationes, nullo alteri cedente, nihil concludi potuit; & pro pace in induciis quæsitâ, certam acerrimi belli expectationem unusquisque domum retulit. Cujus rei meminerunt ex antiquis Villanius [a] Walsinghamus [b] auctor Vitæ [c] Innocẽtij, præter recentiores. De bello verò dicetur posteà.

[a] Vill. lib. 4. cap. 36.
[b] Walsingh. in Eduard. III.
[c] Vit. Innoc. edit. Bosq.

XVI. Franc. Ordelaffus citatur Avenionem.

Interim pergente in Italia Ægidio Cardinale Legato civitates Romanæ Ecclesiæ rebelles in potestatem suam redigere: (erat ei in more primò censuris agere, & ubi hæ nihil operarẽtur tunc arma inferret: cùm præ ceteris tyrannis earum occupatoribus obstinatissimum se Franciscus de Ordelaffis Foroliviensis præberet: contra hunc nominatim, ceteris sub verborum universitate comprehensis, Innocentius Papa edicta Ioannis XXII. Benedicti XII. & Clementis VI. olim in hunc veteratorem Ecclesiæ perduellem nequicquàm promulgata, pridie Idus Martij renovavit, diem illi de novo dicens ad sistendum semetipsum Avenione vigesimâ die mensis Iunij proximè tunc futuri, de fide responsurum ob contemptas diù excommunicationes in ipsum latas, & sententiam desuper auditurum de quo posteà pleniùs.

XVII. Ioanna Regina magnam partem Siciliæ occupat.

In Siciliâ occasione immensarum quæ miseram Insulam pessumdabant turbarum, mirè factum est; ut cùm post occupatam illam ab Aragoniis, Reges Neapolitani potentissimi, potissimúmque Robertus, quo nemo suo tempore prudentior, aut potentior, aut ditior, aut suis subditis gratior extitit, validissimis sæpè copiis tentâsset eam recuperare, & vix aliquando oppidulum aliquod intercipere potuisset: modò regni titulum gerentes magis quàm regnantes Ludovicus & Ioanna, inopes & consilio & facultatibus, & armis & navigiis, omni denique penè re imparati, suísque adeò despecti ut ne contentionibus quæ inter proceres vertebant sedandis satis essent: favore Claromontanorum, qui insulam submoverant in Regem & Catalanorum factionem, atque aliquâ frumenti subventione, quo insulani maximè indigebant, misso illuc Nicolao Acciaiolo nobili Florẽtino regni Senescalo, olim Ludovici Regis educatore, viro prudente & experto, cum solis centum equitibus & quadringintis peditibus, ac sex triremibus; & Panormum regiam urbem, & Syracusas, & Trepanum, & Mylas, aliásque civitates, oppida & castra usque ad centum duodecim obtinuerint: totam Insulam facilè occupaturi, si majorum copiarum facultas suppetisset: redacto ex alia parte in eas angustias illius Rege, ut nec tantillas arcere potuerit. Contigisse autem isthæc mense Aprili præsentis anni; Villanius [d] ait: quæ confusè; ut pleraque, Fazellus [e] attigit.

[d] Vill. lib. 4. cap. 2. & 3.
[e] Fazell. 2. dec. 9. cap. 5.

XVIII. Duo Minores combusti Avenione.

Hoc eodem anno (ut præ ceteris [f] disertiùs describit Rebdorffius [g]) duo Fratres Minores, sacerdos alter, alter conversus, capti apud Montem pessulanum quòd contra definitionem Ioannis XXII. de proprio & paupertate Christi & Apostolorum disputarent; Avenionem ducti, jussúque Pontificis examinati, confessionem suam quodam libello multos circa prædicta articulos continente legerunt; publicè affirmantes prædictum Ioannem Papam omnésque ejus successores, ipsúmquemet Innocentium nunc sedentem, contrarium docentes

[f] Vit. Innoc. Walsingh. in Eduard. III. &c.
[g] Rebdorff. in Annal.

centes fuisse & esse hæreticos. Quapropter sacerdos degradatus, conversus habitu Ordinis exutus, traditi sunt curiæ sæculari, & infra Octavam Pentecostes igne cremati: quemadmodùm & fuisse dicebantur plurimi alij ejusdem opinionis in Vasconia & Italia, quos isti ut martyres prædicabant. Ita Rebdorffius. De hujusmodi autem hominibus à reliquo Minorum corpore per schisma avulsis abundè dictum superiùs. Nam quòd sunt [h] qui hos combustos de numero Fratricellorum aut Beguinorum, habitum mentitos Minorum, fuisse conjiciunt; ut non negemus eosdem errores utrisque tribui posse, sanè tamen non solùm Rebdorffius, cujus auctoritatem illi infirmare contendunt, verùm etiam Auctor Gallus ejusdem temporis, qui Vitam conscripsit Innocentij, & Walsinghamus Anglus, absque ullâ hæsitatione Minores fuisse asserunt.

[h] *Nitel. Franciscan.*

XIX. VARIA PER ORBEM PRODIGIA.

Multa prodigiosa ac portentosa hòc anno variis locis cõtigisse, observant diversi auctores. Primâ die [i] Martij ingentẽ flammam igneam visam currere ab Occidente ad Orientem; cum accessu immensæ siccitatis. Eâdem die terra horribiliter tremente [k] in Thraciâ, omnes propemodùm urbes maritimas eversas ac mœnia prostrata cum gravissimâ etiam hominum clade ab improvisa ejusmodi ruina; subsecutâque Turcorum incursione, & ejusmodi urbium occupatione. Florentię [l] natum infantem, cetera rectè formatum, sed facie plana cum tribus parvulis foraminibus loco oris & oculorum, vixisséq; aliquot diebus. Felem [m] domesticum alterius infantis trimestris caput in cunis rosisse, oculos deglutîsse, & ad cerebrum usque penetrâsse. In Cypro [n] Siciliâ, Mauritaniâ, mense Maio innumeram locustarum gryllorúmq; insuetæ magnitudinis atq; incertæ originis multitudinem apparuisse, qui segetes, vineta, nemora, hortos, omnia denique virentia consumpserint: ex quorum mortuorum putore sæva pestis orta sit. Apud Montempessulanum [o] mense Septembri cecidisse grandinem enormis magnitudinis, cum immenso damno fructuum terræ, hominúmque ac bestiarum: Secutámque solis eclipsim, cum magno frigore. Biturigibus [p] orto terribili incendio, vix tota civitate remansisse domum integram, præter majorem ecclesiam: animadversúmque mirabiliter, validissimum tunc flantem ventum in eam partem dirigere impetum suum quâ majus erat incendium; eâque consumptâ mutari in aliam; idque quater actum esse, ac si humanâ industriâ fieret, ut nihil illæsum remaneret. Sic plena malorum erant omnia: bellis, fame, pestilentiâ, incendiis, terræmotibus, frugúmque calamitatibus, mundus ubique premebatur; nec mores tamen longè depravatissimos emendabat, sed in dies augebat fœdam vitiorum colluviem.

[i] *Vill. lib. 3. cap. 104.* [k] *Id. cap. 105. Cantacuz. lib. 4. cap. 38.* [l] *Id. cap. 110.* [m] *Id. cap. 37.* [n] *Id. d. l. 4. cap. 6. Faz. 2. dec. 9.* [o] *Id. cap. 24. Vit. Innoc. VI.* [p] *Vit. Innoc. VI.*

XX. DE TERRÆMOTU THRACIÆ.

Quod autem de terræmotu Thraciæ diximus, duo nobis ex illo notanda veniunt. Unũ, quod à Calcondyle [q] observatur, cùm Suleimanes Turcorum Rex audîsset Triballos & Mysios contra se venire, obtulisse Græcis, si numerarentur sibi sexaginta millia drachmarũ velle se restituere quæcumque in Thraciâ cepisset oppida, & relictâ Europâ reversurum in Asiam: Græcos hanc conditionem promptissimis animis accepisse: sed cùm maximus terræmotus interim accidisset, oppidorúmque muri procidissent, Turcos plurima occupâsse, nec ampliùs de abitu cogitâsse. (Aliquid tamen tractatum de iisdem restituendis fuisse, Cantacuzenus narrat, sed vano demùm effectu.) Alterum, quòd cùm prædictum terræmotum hoc anno contigisse indubitatâ Cantacuzeni fide constet, jam inde habemus tempus, quo idem ipse Imperij Constantinopolitani usurpator, videns se à legitimo ejus domino Ioanne Palæologo vehementer urgeri; scelus sceleri addens, etiam *Matthæum* filium suum æquè Imperatorem proclamari & coronari curaverit. Eo namque tempore terræmotum contigisse, ipse hæc prolixè narrans [r] & de more gestorum suorum justitiam prædicans, scribit. Memorans etiam quomodò Callistus Patriarcha, quod noluerit consensum præstare electioni & coronationi Matthæi, abdicatus fuerit, *Philotheo* Heracleæ Episcopo in ejus thronum suffecto, qui Matthæum coronavit.

[q] *Chalcond. lib. 1.*

MATTÆUS CANTACUZ. NOVUS INCUBATOR IMPERII GRÆCI.

[r] *Cantacuz. lib. 4. cap. 37. 38.*

IESU CHRISTI Annus 1355.

INNOCENTII VI. Ann. 3.

CAROLI IV. Ann. 10.

IOAN. PALÆOL. V. An. 15.

I. CAROLI ROM. REGIS ITER ROMAM VERSÙ.

ANNO Christi millesimo trecẽtesimo quinquagesimo quinto Indictione octava, Carolus Romanorum Rex, postquàm, ut diximus anno superiori, corona ferrea redimitus fuisset die Epiphaniæ sexta Ianuarij, (hanc enim pro regno Lombardiæ, sicuti argenteam Aquisgrani pro regno Germaniæ, & auream Romæ pro Imperio, electis in Imperatores imponi consuevisse notum est; quicquid sit de juribus & possessione eorumdem regnorum:) Pisas appulsus, mora aliqua ibi facta componendis tam ejus civitatis quàm aliarum Tusciæ divisionibus, & recipiendis earumdem obsequij & subjectionis professionibus, etiámq; Florentiæ ceterarum potissimæ; (certis tamen pactis, quæ pretio centum millium florenorum auri redemerũt) Senas inde, ac post paucos dies ibi trãsactos magnis itineribus Romam contendit; pervenítque feria quinta in Cœna Domini hebdomadis Sanctæ, simulato habitu intrans specie peregrini unà cum aliquot è suis proceribus: & diebus sanctis parasceves & Sabbati præcipuas Urbis ecclesias pedes visitavit, ita ut à nemine dignosceretur quis eorum esset Rex. Die verò Resurrectionis, quæ fuit quinta Aprilis, Imperiali pompâ è castris in Urbẽ procedens, solemni ritu summâque omnium lætitiâ exceptus est; & ad Principis Apostolorum basilicam deductus, inter Missarum solemnia solito apparatu unctus & coronatus, unà cum suâ conjuge Anna, à Petro Bertrandi Cardinale Episcopo Ostiensi. Indéque solemniter equitans ad S. Ioannem Lateranensem, post prandium Urbem egressus apud S. Laurentium noctem transegit. Quæ omnia quomodò gesta fuerint prolixè narrat præ aliis Villanius [a] qui propè videbat. Observátque, interfuisse huic Caroli inaugurationi quinque millia equitum Germanorum & Boëmorum, & plus quàm decem millia Italorum; nec ta-

VISITAT SIMULATO HABITU ECCLESIAS: CORONATUR IN IMPERATOREM.

[a] *Vill lib. 4. cap. 39. 44. & multis seqq. 81. & seqq. 76. 90. 93 & lib. 5. cap 2. Adde Frizon. Gall. Purp. lib. 3. in Petr. Bert. Iun. Card. ubi quædam specialia leguntur ex Itiner. MS. capellani Cardinalis qui interfuit.*

men aliquid discordiæ aut tumultûs sive inter eos, sive cum Romanis, ut aliàs fieri consueverat, intercessisse: adeò is prudenter & provide sese cum omnibus gerebat!

II. Eadem die recedit ab Urbe.

Verum huic rei multùm contulit subitus ejus ab Urbe recessus, cujus anteà juramẽtũ præstiterat, nec infringere, sicuti nec in ingressu, nec ullâ aliâ re voluit. Quippe inter illa, quibus pro susceptione coronæ promissis, & sacramento firmatis, (de conservatione videlicèt privilegiorum & concessionum Romanæ Ecclesiæ, cùm jam anteà ab ipsomet, tum etiam olim à decessoribus Imperatoribus factarum, déq; defensione bonorum ejusdem, abolitione decretorum ac processuum omnium ab aliquibus eorum de rebus & causis quibuscumque contra ejusdẽ Ecclesiæ subditos, ac Sedis Apostolicę auctoritatem, quomodocumq; peractorum; & aliis ejusmodi rebus, quarum longa series continetur in formâ Iuramenti [b] ab ipso Carolo præstiti tã antè quàm post inaugurationem) sese obstrinxerat, hoc disertè cavebatur, quòd ante diem coronationis assignatam non ingrederetur Romam, eâdémque ingressûs die legitimo cessante impedimento, coronã acciperet; eâdémque recederet, & nulla mora in terris Ecclesiæ factâ, continuatis itineribus ad terras Imperij sese reciperet: ad vitandas videlicèt occasiones rixarum cum Ecclesiæ subditis; & pruriginem occupandi aliquid ditionis ejus, aut quicquam aliud contra Sedem Apostolicam agendi, (sicut à plerisq, aliis actum fuerat) quæ inextricabilia inter Ecclesiam & Imperium dissidia, cum universali Christianitatis detrimento, generare possent: Sicuti etiam agnovit Krantzius [c]. Quas tamen rationes nõ valens concoquere Petrarcha, solitâ calami libertate libro secundo [d] de Vitâ Solitaria graviter queritur, Cęsarem hunc veluti rapto diademate in Germaniam abiisse, patriis latebris & nomine contentum Imperij; cujus extrema membra complecteretur, caput sperneret, nullóque fugientem persequentem sponsæ sacros amplexus, & pulchræ faciem horrere Italiæ. Excusare quidem Cæsarem, se Ecclesiæ juràsse ne ampliùs quàm unum diem Romæ ageret: sed ô (inquit) infamem diem! ô pudendum fœdus! ô superi! en jusjurandum, en religio, en pietas! Romanus Pontifex ita Romam suam deseruit, ut eam nolit ab alio frequentari, & de hoc cum Romano Imperatore paciscatur. Ita ille, & alibi similia. Sed excusandus in homine liberrimæ linguæ impotens amor Urbis Romæ & Italiæ, prę quo nihil pensi habuit; etiam alioqui parùm Pontificibus æquus, ob desertam ab iis præcipuam ipsorum sedem.

De quo Petrarcha vehementer queritur.

[b] Rec. Bzov. ex libr. Privileg. Rom. Eccl. & archiv. Pont. f.

[c] Krantz. 8. Vvandal. 36.

[d] Petrar. lib. 2. de Vit. Solit. sect. 4. cap. 3.

III. Cardinales ad inaugurationem Caroli delegati.

Præfecerat autem Innocentius Pontifex celebritati peragẽdæ *Petrum Bertrandi* juniorem cujus aliàs mentionem egimus, Cardinalem Episcopum Ostiensem; collegã addito Ægidio Presbytero tituli S. Clementis Apostolicæ Sedis in Italia Legato: cum hoc tamen ut si alter ei rei vacare non posset, alter solus exequeretur. Qua de re extant [e] literæ Pontificiæ datæ prid. Calend. Februarij; unà cum forma receptionis & inaugurationis Imperatoris, quam observare deberent; & juramenti quod priùs ille præstare haberet. Narrátque Villanius [f] cùm de eligendis ad id operis Cardinalibus apud Summum Pontificem ageretur, trésque de consuetudine mittendi forent, de prædicto quidem Petro nullum dubium occurrisse, quoniam ad eum ratione sui tituli Ostiensis inauguratio Imperatoris pertinebat debebátque propriis expensis iter peragere. Cum verò cetera duo loca adimplere magno ambitu exquisîssent Cardinales Petracoricensis & Boloniensis nobiliori ceteris prosapiâ; concessisse quidem eis Pontificem & Collegium Cardinalium legationem, sed recusàsse expensas de ærario Sedis Apostolicæ, sicuti aliàs moris erat assignare: ideóq; ipsos consideratâ inopiâ Caroli, qui non erat eis satisfaciẽdo, à cœpto destitisse cum opprobrio ambitionis & avaritiæ: quod ne augeret Pontifex, noluisse alios mittere; sed rem commisisse Ægidio jam in Italia legatione Apostolica fungenti. Qui tamen & ipse negotium integrum Petro dimisit; cujus solius ministerio peractum esse certum est, quicquid plerique post Blondum ambos interfuisse scribant. Rebdorffius sanè qui tum vivebat, & Trithemius unicum Episcopum Ostiensem agnoscunt. Ægidio nimirùm interim occupatissimo domandis Ecclesiæ rebellibus, à quibus nec poterat diù aut longè separari, adjutus etiam hoc tempore à copiis Caroli Imperatoris, uti ex eodem Villanio [g] intelligitur: adeò ut mense Maij Comitem Malatestam rebellium potentissimum, qui Marchiam & Romandiolam occupabat, ad spontaneam deditionem compulerit.

[e] Ubi supr. in b.

[f] Vill. lib. 3. cap. 103. & lib. 4. cap. 71.

[g] Id. lib. 4. cap. 67. lib. 5. cap. 15 18. 23. 46.

IV. Carolus Imp. contemptui est Italis.

Imperator verò Romã egressus, Senas se contulit; habitóque ibi colloquio de rebus Ecclesiæ & Imperij cum Ægidio Legato, tráditóque illius civitatis dominio Patriarchæ Aquileiensi fratri suo naturali, Pisas repetiit. Ubi mox ingentibus pulsatus commotionibus popularibus, & nobilium factionibus, non sine gravissimo periculo vitæ suæ, tum ab igne in ejus ædes immisso, tum ab armis furentis populi qui multos ex Germanis occidit: nec Patriarcha ipsius fratre urbaniùs Senis habito, quas vix salvus deserere coactus est: (tanta est illorum populorum mobilitas, & ad res novas proclivitas! tantáque naturæ morúmque Italorum atque Germanorum dissimilitudo!) fugiens potiùs quàm secedens ad munitissimum castrum Petramsanctam districtûs Pisani, (quo loco oblata fuit Imperatrici infans femina septennis toto corpore etiámque facie lanata ovis instar, quam ipsa ob casûs raritatem in Germaniam abduxit:) post aliquot dies, undecima Iunij inde abiens in Lombardiam, cùm ad ditionem Vicecomitum Mediolanensium pervenisset, prohibitus est in aliquam urbem aut oppidum intrare: præterquàm Cremonam, ubi postquàm duarum horarum spatio ad portam urbis oppertus esset magistratûs de eo deliberantis decretum, singularis beneficij dono permissus est cum paucis & sine armis unà die hospitari. Quare indignabundus ab illis abiens, in Germaniam sese proripuit; reipsa expertus, neq; vi aut armis, quibus ejus decessores Italos ad suî obsequium pertrahare conati sunt; neq; benevolentia atque humanitate, qua ipse eosdem, etiámque cum dignitatis abjectione, in suî amorem pellicere cogitavit: posse eorum animos erga Germanos mansuefieri. Hæc autem quæ diximus plerique auctores tangunt

tantum

tantùm,non tractant;præ pudore forsitan rerum gestarum ; sed diligentissimè prosecutus est Villanius [h],qui nobis instar omnium meritò esse debet cum alioqui Corius[i] suorum Vicecomitum studiosissimus,velit Carolũ etiam in reditu fuisse ab iis totâ ipsorum ditione liberalissimè habitum : résque toto itinere gestas parùm notas habuisse videatur Dubravius [k];confusus magis quàm accuratus , Rerum Boëmicarum scriptor.

[h] *Id. lib.5. c.14.15.20. 29.usque 41. 53.54.*
[i] *Cor.par.3.*
[k] *Dubrav. lib.22.*

V. IO. CANTACUZ. DETURBATUR IMPERIO GRÆCORUM.

Quo tempore ad coronam adipiscendam properabat Carolus legitimè electus Romanorum Imperator, eodem Græcorum Imperij infidus incubator eo turpiter dejectus est Ioãnes videlicet Cãtacuzenus, de quo sæpissimè superiùs : qui post ambitiosissimè occupatũ regnũ Ioannis Palæologi,cujus pupillarem ætatem moriens Andronicus pater fidei ejus commendaverat,quémq; hactenùs secum veluti Imperij umbrã nomine tenùs regnare permiserat:hoc demùm anno,post præteritorum dissidia,in ordinem redactus est.Id enim mense Ianu.præsentis anni factum esse,disertè scribit prædictus Villanius , (annum tamen 1354.signans,quòd ut sæpè monuimus,annos consuesceret ab Annunciatione inchoare) qui tum vivens, dum nuncia rerum gestarum perferebantur scriptis mandabat : ac propterea magis ei credimus,quàm Onuphrio post biennium id recensenti.Ipse namq; Cantacuzenus in suâ Historiâ tẽpus non assignat;quod nunquam voluisset evenisse.Ceterùm & Genuenses [l] historici hoc itidem anno ponunt , qui scire potuêre ex monumentis suæ Reipublicæ:quandoquidem Palæologus in hoc operæpretio vsus est potissimùm industriâ & facultatib⁹ Francisci Catalusij civis Genuẽsis:cujus& promeritũ Imp.egregiè remuneratus est, datâ illi in matrimoniũ sorore suâ,& clarissimâ Ægei maris insulâ Lesbo (quæ & Mitylene à præcipuâ insulæ civitate dicta) tam ipsi quàm successoribus ejus fiduciariâ. Denique est diploma (de quo paulò pòst) ab ipso Ioanne Palæologo post abdicationem Cantacuzeni ad Innocentium Papam missum, quod datum ponitur die 15.Decẽbris anno Mundi(ut ipsi computabant) 6864. Christi verò 1355. Ceterùm abdicationem Cantacuzeni non coactam , ut alij scribunt , sed spontaneam & à multò tempore deliberatam , ipse persuadere conatur [m]; mirè se in his motibus describendis in omnes partes versans,ut æquitatem & justitiam semper ab ipso stetisse persuadeat; sed ita , ut tergiversationes & technas ac simulationes ejus facillimum sit cuivis dignoscere.Sive igitur sponte sive(ut ipse etiam in vulgus sparsum fatetur)coactè,monastico habitu suscepto,pro Ioanne *Ioasaph* nuncupari voluit : ejúsque conjux Irene monachæ pariter habitum induens *Eugeniam* se nominavit, & ibidem Constantinopoli Marthæ monasterium ingressa est ; sicuti ille Manganense , ex quo posteà in Batopediense montis Atho se contulit. Callistus autem Patriarcha,qui fuerat ab illo ejectus,fugiente Philotheo à facie Palæologi,sedi suæ restitutus est.

[l] *Nubiens. lib.4.Foliet. lib.7.*

[m] *Cantacuz. lib.4.c.15.& 39.ac seqq.*

[F]IT MONACHUS.

[V]I. M[A]TTH. FILIUS EJU[S] AGI-TATUR, CEDÍTQUE IMPERIO.

Matthæus autem filius Cantacuzeni,Imperatorẽ se quoq; indigitans,à Palæologo confestim armis appetitus,& in arctum redactus: post aliquam transactam inter eos conventionem, revocatâ mox dissensione , cùm Turcorum auxilia evocâsset ; in quâdam fugâ apud Philippos in Palude latitãs,& canibus venatoriis quæsitus, captúsque, à Principe Triballorũ venditus est auri pretio Palæologo,& ab eo, (abnuente acquiescere suis omnibus, qui eum excæcari suadebãt,nequid deinceps turbarum ciere posset) humaniter tractatus, utpotè frater uxoris suæ,inde in Lesbum deportatus est : paulóque pòst , instante patre ejus Cãtacuzeno monacho liberatus,& in amplissimo conventu Imperatorum & Patriarcharum Constantinopolitani & Ierosolymitani, aliorúmque Episcoporum,totiúsque Senatûs, omni jure Imperij ejúsque insignibus cedens, proximos Imperij honores obtinuit,ita ut & filios ejus, Andronico primogenito excepto, præcederet.Quæ quidẽ licèt non omnia præsenti anno gesta esse constet,quinimmò & ultra biennium producta esse non dubitemus; sunt tamen à nobis sub unum obtutum hìc proposita,ne fortè incertiori loco exhibẽtes, magis à vero, cum nonnullis aliis qui distinctiùs de his agere præsumpserunt , aberraremus.Quomodò verò ea se habuerint, lõgiori narratione prosequitur idem Cãtacuzenus [n], de rebus suis,filiorúmq;magnificè semper loqui gestiens.Quem nihilominùs etiam in monachatu cum filio conspirâsse in Imperatorẽ, & præstò filio in bello fuisse,pro certo habitũ,Villanius [o] narrat:quod ipse,siquidem verũ fuerit,& dissimulat studio pacis cõponendæ;haud tamen abnuẽs,quin uxor ipsius Eugenia monacha ejusmodi proditionis insimulata fuerit.Sed de illis modò satis.Lõgiùs autẽ Cantacuzenũ vitã in monachatu produxisse,videbitur inferiùs [p]. Quem etiam auctorem esse commentariorum contra Mahometanos & Iudæos, qui nomine Cantacuzeni extant, constans est omnium sententia.Fertúrque insuper , in quinque priores libros Aristotelis Ethicorum paraphrasim,& alia quædam quæ enumerantur in Bibliothecâ Gesneri & Apparatu Possevini,conscripsisse.Qui si tam purus fuisset ab ambitione,quàm literarum scientiâ & civili prudentiâ præditus , major omninò fuisset quàm etiam videri appetiit. Extant & prædicti Matthæi ipsius filij commentarij in Cantica Canticorum, non ita pridem Romæ editi:recensentúrque alij in Sapientiam Salomonis,ac Monita quædam salutaria.Hæc nimirùm Deus utrique otia fecit,quibus laudabiliùs nomina sua posteritatis consecrarent, quàm impetrandi cupidine.

[n] *Id. lib.4. cap.42. usque 50.*

[o] *Vill.lib.4. cap.46.*

[p] *An.1375.I.*

UTRIUSQUE PATRIS ET FILII SCRIPTA.

VII. DE NIC. CABASILA ET DEMETRIO CYDONIO.

Quo etiam tempore vixisse *Nicolaum Cabasilam & Demetrium Cydonium* viros doctos,ex eodem Ioanne [q] Cantacuzeno constat;eósque se habuisse olim socios in proposito amplectendi vitam monasticam tradit,ac propterea præcipuum amicitiæ & familiaritatis locum apud ipsum obtinuisse.Fuit autem posteà Cabasilas factus Archiepiscopus Thessalonicensis : cujus extant plura scripta [r], sed fuligine schismatis Græcanici perfusa.Adversus quem idem ipse Demetrius Græcè Latinéque doctus scripsisse dicitur[s] pro S.Thomâ Aquinate,quem Cabasilas priùs impetierat : cujus & aliqua opera in Grẽcum sermonẽ vertit;sicuti & S. Augustini , & alia, quem & Volaterranus [t] & alij uti virum doctum æquè ac san-

[q] *Cant.lib.4. 16.& aliis.*

[r] *Vide Bellarm. de Script.Eccl. & Possevin. in Appar.*
[s] *Gesner. in Biblioth.*
[t] *Volat. lib. 13.anthrop.*

DE NILO THESSALON.

ctum laudant. Sunt autem qui prædictum Nicolaum confundant cum *Nilo* itidem dicto Archiepiscopo Thessalonicensi, qui hâc eâdẽ ætate vixit. Qui sive fuerit idem, sive alius, & sive ante sive post Nicolaum eam sedẽ occupaverit, (de quo video controverti, nec tamen admodùm refert:) scripsisse reperitur duos tractatulos contra primatum Romani Pontificis, quos hæretici[u] exosculantur: quasi verò aliud à Græcis ex quo ab Ecclesiâ Catholicâ recesserunt, quàm fidifragia, mẽdacia, schismata, & hæreses expectare liceat. Et tamẽ talis ille quid de hoc senserit tandẽ in fine posterioris tractatûs declarãs, ita breviter cõcludit; quamdiù Papa ordinem servaverit, & veritati adhæserit à primario & sũmo principatu non esse removendum; sed ut caput Ecclesiæ & summum Pontificem ac Petri successorem agnoscendum, omnésq; ei obedire debere. An his subscribent nostri hæretici? Cur verò illum ab ordine & veritate recedere, Nilus existimaverit, priori tractatu significãs, nõ aliã ait esse dissidij Ecclesiæ Romanæ & Græcæ causam, quàm quòd Papa controversiarum cognitionem ac judicium ad Oecumenicam Synodum deferre detrectet, sed ipse solus judex sedere velit. Quod quàm vanum sit, satis ex iis quæ sæpè de his dicta sũt superiùs intelligere licet; quibus abundè liquet rem frequẽter & Synodis & collationibus ac disputationibus agitatam & decisam extitisse. Sed quod prudentissimè recusârũt aliquoties Pontifices id fuit, ut non quandocũq; liberet cervicosis aut acutulis Græculis totus orbis fatigandus esset Synodorũ Oecumenicarum convocationibus ad sæpissimè deliberata & stabilita iterũ in dubium & discussionem revocanda. Ceterũ ejusdem Nili blasphemias de processione Spiritûs S. aliásque, explosit posteà Synodus Oecumenica Florẽtina, sicut videbitur suo loco.

[u] *Catal. Test. verit. & Goldast. to. 1 Monarc. & aliis.*

VIII.

IO. PALÆOLOGI IMPER. GRÆC. LITTERÆ AD INNOCENT. PP.

Nunc his omissis, quod nuper innuimus de diplomate [x] Ioannis Palæologi Imp. ad Innocentium Pontificem; nactus ille liberam Imperij administrationem, cùm hinc agendum adhuc illi esset adversùs Matthæum, illinc à Turcis premeretur; Põtificis opem implorans, jurejurando promisit, ac literis aureâ bullâ munitis firmavit, si postulata auxilia impetraret, observaturum se omnia adamussim quæ Paulo Archiepiscopo Smyrnensi Apost. Sedis Nuncio, & Nicolao magno Hæteriarchæ Imperij, (nomen est officij [y] seu dignitatis, quasi dicas sociorũ principẽ, qui exteros reciperet) quos ad Innocentiũ legavit, spõpõderat: nẽpè fore se fidelem & obedientẽ ipsi Innocentio ejúsq; successoribus Pontificibus Romanis; ac pro viribus effecturum, ut omnes sui Imperij clerici laïciq; cujuscumq; conditionis aut status eâdem fidelitatem & obedientiam præstarent. Quod ut faciliùs fieri posse, expedire ut Pontifex eosdem Archiepiscopũ & Hæteriarcham remitteret Constantinopolim cum tribus triremibus: túncq; daturum se Archiepiscopo filium suum Manuelem Despotã ducendum ad Pontificem in unâ earumdem triremium, ceteris duabus relictis ad defensionẽ Imperij: Postquã verò Põtifex habuisset apud se filium Imperatoris, mittere debere quingentos equites & mille pedites cum navigiis ad bellum aptis: Iis usurum Imperatorem ad sex menses adversùs Turcos & Græcos hostes suos: Atque intereà Archiepiscopum collaturum beneficia & dignitates ecclesiasticas personis sufficientibus Græcis, quæ ad unionem & obedientiam Ecclesiæ spontè redirent: Ubi verò intra sex illos menses nollent Græci spontè ad obedientiã Ecclesiæ accedere, tunc coacturum se ipsos. Daturum se item palatiũ intra urbem Summo Pontifici in habitationẽ Nunciorum ejús; & ecclesiam ad celebranda officia divina ritu proprio: necnon tria collegia in quibus literæ Latinæ edocerẽtur, compellerentúrque filij procerum Græcorum eas addiscere. Quæ singula si non observaret, indignum semet ab hâc ipsâ horâ declarare Imperio, ídque transferre ad prædictum filium suum; quem omninò traderet ac subjiceret jure adoptionis, aut alio quocumque meliori, patriæ potestati Pontificis; facultatem eidem tribuens, petendi & accipiendi Imperium prædicto filio, déque illo ad libitum disponendi. Si verò ipse cũcta observâsset, Pontificem majora auxilia præstaturum contra Infideles; redditurúmque sibi filiũ suum. Hæc ibi pleniùs: quæ tanta putamus magis ex necessitate, & fide Græcâ, (ut frequenter alios fecisse vidimus, cùm ad extrema redacti essent) quam ex pietate, & adimplendi animo, proposita fuisse. Quid verò ad hæc responderit Innocentius, dicetur anno sequenti.

[x] *Ext. in archiv. Sed. Apost. & inde ap. Bzov. hoc an.*

[y] *Codin. de Offic. Constantinop.*

INGENTIA EJUS PROMISSA.

IX.

MAR. FALERIUS DUX VENETOR. REMPUB. ABOLERE TENTAT.

Hoc eodem anno res Veneta in extremum propè discrimen venit à proprio ipsorũ Duce Marino Falerio. Qui cùm anno superiori in locum demortui Danduli creatus Dux fuisset, dum absens apud Pontificem legationis officio fungeretur, vir opibus affluens, ætate provectus, multísque aliis legationibus & præturis summâ cum laude gestis insignis, ac denique maximæ apud omnes existimationis: cùm jam novem menses Rempublicam administrâsset, infelici exitu infaustum suum ipsius in urbem ingressum comprobavit, quippe quem ferant sub obscuram noctem Venetias appellentem, per geminas columnas ubi reis capitale irrogatur supplicium; ex Clodiensi cymbâ in terram desiliisse. Hic igitur talis minimè contentus clavum tenere suæ Reipublicæ, nisi eam submergeret; regnandi ambitione tractus, & odio in patritios illos quorũ consilio res agebantur, quòd eos liberiori fidentiâ votis suis contradicere animadverteret: re secretò cum aliquibus è populo, quos nobilitati infestos esse sciebat, communicatâ, conjurationẽ cum iis iniit ut statuto die coactâ facinorosorum hominũ colluvie nobilitas omnis trucidaretur, ipséq; dominus salutaretur, & officia atque magistratus plebeiis contribuerentur. Quî verò res detecta fuerit, variant nonnihil auctores qui hæc diffusiùs narrant[z]. Illud tamen omnium consensu certum est, pridie illius diei sive noctis quæ cædi destinata erat unum è consciis rem cuidã patritio aperuisse; eáq; cum aliis communicatâ, interceptos sine morâ esse conjuratorũ principes, & confestim suspendio necatos: ipsúmque Ducem Falerium (cujus animi vilitati in ipso penè executionis puncto titubãtis Villanius tribuit, quòd res deliberatum finem consecuta non fuerit; sepositâ videlicèt divini numinis providentiâ, quâ Reipublicæ status

[z] *Vill. lib. 5. c. 13. Sabel. 2. dec. 3. Petr. Iustin. lib. 4.*

eviden

CAPITE PUNITUR.

evidentissimè servatus est incolumis:) summo mane super marmore à Palatij scalâ, ducalibus exutum insignibus capitali supplicio affectũ: cadaver parvâ cymba elatum ad Gemellorum ædem vili funere conditum; ejusq; nomen & imaginem è situ & ordine Principum ablatã: multos alios variis suppliciorum generibus sublatos. Denique & conjurationis indicem perpetuo exilio damnatum esse, idem Villanius tradit. Quod sanè iniquissimum videretur; nisi excusarent auctores Veneti, factum id postquàm homo inquieti ingenij parvî pensâ amplissimâ beneficij remuneratione, non cessaret patres ingratitudinis accusare, eorúmque famæ palàm & ubique detrahere. Supplicium autem Marini contigisse 14. Calendas Maij hujus anni 1355. apud Petrarcham[a] tunc Mediolani existentem, recénsque rem gestam narrantem reperimus: cùm Sabellicus longè pòst scribens diem decimumquartum Aprilis designet.

[a] Petrar. Var. Epist. 18. ad Guid. Sep.

X. PAX INTER VENETOS ET GENUENSES.

Creato Duce in Martini locum Ioanne Gradonico, pax facta est cum Genuensibus, post quinquennale bellum ferè utrique populo internecinum, nemini proficuum, Reipublicæ Christianæ perniciosissimũ. Urserat eam valdè Innocétius Pontifex; & cum Carolo Imp. dum in Italiâ agebat, egerat ut eam promoveret; sicuti & cum Vicecomitibus Mediolanẽsibus; quos æquè sese ei interposuisse, & pariter cum Venetis concordâsse constat. Ex eâ captivos utriusque populi mutuò restitutos esse, brevi narratione tradunt eorum auctores[b]; nec quicquam ampliùs de illâ. At verò Matthæus[c] Villanius, qui res præ oculis habebat, víxq; falli poterat, fallere autem sciens horrebat; imprimis ait, non sine admiratione Venetos, quamquam non recenti exemplo, pacem hanc tractâsse exeũte mense Maio, inscio Aragoniæ Rege, cum quo fœdus juratum habebant adversùs Genuenses: solúmq; convenisse, posse illum intra quatuor mẽses huic paci si vellet comprehendi; sin minùs, res sibi esset cum Genuensibus absque Venetis: Deinde spopondisse Venetos, se non toto triennio in Tanam navigaturos ad mercaturam, (quam fuisse præcipuam belli causam vidimus) sed tantùm Caffam: Et in mulctam, ac pro recuperatione suorum civium captivorum, cõstitutis terminis soluturos Genuensibus ducenta millia florenorum auri: Ad hæc autem parùm eis honesta descendisse, veritos ne Genuenses, à quibus non ita pridem malè habiti fuerant ad portum Sapientiæ, societatem quoque inirent cum Rege Hungariæ, qui Dalmatiã armis à Venetis repetere parabat: Cæterùm Regem[d] Aragoniæ recusâsse pacem habere cum Genuensibus, ideóq; ingẽtia damna illata esse oræ Catalanicæ ab eorum triremibus in reditu ex Africâ; ubi Philippus[e] Auria earum ductor fraudulenter interceperat Tripolim Mauritaniæ, possessam tunc tyrannicè à quodam[f] fabri filio, qui eam proditoriè occupaverat in divisione ac dilaceratione Regni Tunetis, post necatum à propriis filiis Regem; eamdémq; direptam vendiderat[g] cuidam alij Saraceno: parùm tamẽ fructuosâ raptoribus hâc prædâ, quamvis immensâ, quòd ferè omnes qui eam participâssent, brevî in summam egestatem redacti fuerint.

[b] Petr. Iust. lib. 4. Foliet. lib. 7.
[c] Vill. lib. 5. cap. 45.
[d] Id. cap. 70.
[e] Ibid. cap. 47. & seqq.
[f] Ib. cap. 11.
[g] Id. cap. 60.

XI. MATTH. VICECOMES NECATUR A FRATRIBUS.

Quod Vicecomites Mediolanenses attinet; cùm tres fratres aliquanto tẽpore magnâ cõcordiâ inter se vixissent, honore sese invicem prosequẽtes, quò faciliùs ditionem amplissimam sibi ab Archiepiscopo relictam conservarent: contigit hoc anno, (ut Villanius[h] ponit, cùm Corius[i] in sequentem referat) Matthæum maximo natum, sive ob suspicionem fratribus indiscreto quodam colloquio injectam de cupiditate imperandi absque sociis, ut apud Corium legitur; seu potiùs, ut Villanius habet, ob probrosissimum ipsius vivendi modum, quo civitatem Mediolani in periculũ rebellionis inducebat: à propriis fratribus veneno de medio auferri, vel etiam suffocari; sublatum, inquit, ut canem, absque confessione. Pudendum omninò quod de ejus intemperatissimâ luxuriâ iidem tradunt; cum grege nudarum feminarum choreas ducere solitum, & ob fessas atque enervatas ex libidinis intemperie vires, inter concubinas cubitantem, instillare muliebribus locis unguenta peregrina, quibus intermortuæ Veneris segnitiem suscitaret.

[h] Id. lib. 5. cap. 81.
[i] Cor. par. 3.

XII. LUDOV. REGIS TRINACR. OBITUS.

Hoc eodem anno mense Novembris, ut Villanius[k] habet, sive ut Fazellus[l], decimo sexto Octobris, *Ludovicus* Rex Trinacriæ, hoc est, insulæ Siciliæ, in medio funestissimarum turbarum regni sui, mortuus est anno ætatis suæ dumtaxat decimoseptimo. Cui successit *Fridericus* frater, tredecim annos natus; quem vecordem & penè amentem fuisse Surita ait; cognomine tamen leniori *Simplex* à suis dictus: Euphemiâ sorore maturioris ætatis regni Vicariâ constitutâ. Haud tamẽ potuit Fridericus insignia regni suscipere, nisi post initã cum Ioannâ Reginâ Siciliæ cis Pharum concordiam octo fermè abhinc annis, obsistentibus interim Claromontanis, qui Panormo, ubi celebritas fieri consueverat, potiebantur.

[k] Id. lib. 5. cap. 87
[l] Faz. 2. dec. 9. cap. 5. in fi. & 6. in pr.

XIII. SOCIETAS LANDIANA GRASSATUR PER ITALIAM.

Quo etiam tempore fluctuabat Siculum regnum, sive Neapolitanum, quibusdam motibus tam dissentientium inter se nonnullorum procerũ, quàm præcipuè hostilibus depopulationibus Societatis Lãdaniæ: quę post supplicium Fratris Morialis[m], ductore Comite Conrado Lãdo Germano per Italiam circumcursando divagata, quà stipendia apud aliquẽ Principem tyrãnúmve merens, quà pecunias à populis ne terras eorũ popularetur exigens, vel etiam oppida castelláque intercipiens ac diripiens, regnum ingressa, toto hoc anno & magnâ parte sequentis, illud undiquaque miserè devastavit; Rege magis de choreis, ludis & oblectamẽtis solicito, quàm de armis cõtra Societatem induendis: eam nihilominùs demũ magnâ vi auri regno abire faciens. Narrat hæc pluribus, dolétque plurimùm Villanius[n]. Súntq; literæ Innocentij Papæ, quibus & Regem adversùs eamdem Societatem animavit, & Florentinos aliósque Etruriæ populos ei in his opem ferre admonuit; ipsósque fœdus inter se ad illam à se elongandã iniisse, idem auctor testatur. Erat namq; etiam potentissimis formidini, quòd in maximâ rerũ Italicarum cõfusione, Principúmq; ac tyrannorum dirissimâ inter se divisione, in quamcumq; se partem verteret, ea facilè præponderare videretur, cùm ad quatuor fermè millia equitum, peditésque mille armatos haberet: necnon &

[m] Sup. an. 1353. VI.
[n] Vill. multis cap. lib. 4. 5. 6.

populis ingenti ruinæ, quòd prętereà ganeonum & prostibulorum ampliùs sex millia secum traherent.

XIV. Angli Galliam pessumdant.

Cùm etiam ventum esset ad arma inter Reges Ioannem Francorum & Eduardum Angliæ; Eduardus donato Eduardo primogenito suo Principi Walliæ Ducatu Aquitanię, illò misit eum cum validis copiis: quas strenuus juvenis Tolosam versùs & Carcassonam ducens, totas eas regiones igne & cęde vastavit, quæ à multo tempore hostilia non senserant. Penetrare quoque Avenionem usq; decernens, vetitus est à Pontifice; & ab insequente Francorum exercitu prohibitus dilatare prædationes suas. Nullâ tamen factâ alicujus momenti pugnà, ad sua se recepit spoliis onustus. Quemadmodùm & frater ejus Dux Lancastriæ missus in Britanniam Armoricam, prædas & ipse magnas egit. Ipsemétq; pater Eduardus in Galliam transmittens, prędabundus Hedinum & ad S. Audomarum usque processit: audito verò apparatu Regis Ioannis, Caletum se maturè, ne reditus sibi interciperetur, retraxit: recusatóque oblato sibi à Ioãne Rege certamine aut singulari aut exercituum, in Angliam rediit. Quæ sic gesta narrant Villanius[o], Auctor Vitæ[p] Innocentij Papæ, & Frossardus[q], illorum temporum auctores, quibus potiorem fidē habemus, quàm Walsinghamo[r] Anglo, licèt & ipsi tunc viventi, sed res Anglorum semper in dedecus Francorum exaugenti.

[o] Vill. lib. 5. cap. 84. & seqq.
[p] Vit. Innoc. edit. Bis.
[q] Froff. lib. 1. cap. 154.
[r] Vvalsigh. in Eduar. III.

XV. Continuatio crudelitatum Petri Reg. Castel.

In Hispaniam legavit Pontifex Guillelmum Iudicis, S. Mariæ in Cosmedin Diaconũ Cardinalem, Clementis Sexti sororis filium, ad Blancam Reginam Petro viro suo conciliandam, & tumultus adversùs Regem excitatos componendos. A quo tamen nihil impetrari potuit, rebus nimis exulceratis. Quinimmò hoc eodem anno Petro Barroso Episcopo Saguntino eximiâ juris cognitione insigni, quoniam Blancæ favere visus est, manus injectæ[s] sunt; ac Regina ipsa, mutatis sæpè custodiis fessa, Saguntiam in novam custodiam amandata. Cúmque Toletum introducti Regis fratres, ejus repentino adventu fugâ sibi consuluissent, irâ Regis in cives versâ, multos supplicio addixit. In quo numero aurificis filius octodecim annos natus, pro patre octogenario supplicio sese ultrò offerens. Rege pro veniâ, quam eximia pietas omnium judicio merebatur, quámque haud dubiè à quovis alio quantumvis ferocissimo, præterquàm à Petro Crudeli, etiam nolens accepisset, permutationem cốcedente, illud libenti animo subiit, fœdum exhibens populo spectaculum. Obsessâque urbe Tauro, ubi Regina mater, Regísque fratres, & robur conjuratorum erat, ac post diuturnam obsidionẽ proditione captâ, (Henrico fratre sese priùs periculo eripiente, & Friderico acceptâ incolumitatis fide ad Regem egresso) aliquot primarij viri in ipsis Reginæ matris oculis, ad tetrum etiam spectaculum exanimatæ decidentísque, obtruncati sunt ineunte anno sequenti.

[s] Marian. lib. 16. cap. 21.

XVI. Rex Arag.

[t] Vit. Innoc. Surit. Ind. lib. 3.

Natali[t] Domini Petrus Rex Aragoniæ adfuit Avenione, conveniendi Pontificis causâ eò profectus; fecítque ei homagium de regno Sardiniæ. De Corsicæ verò jure controverso inter eumdem Regem, Genuensésque, & Vicecomites Mediolanenses, quod magnoperè Pontifex (cujus, & Ecclesiæ Romanæ potestatis ac supremæ ditionis ea quoque insula erat) se cupere ostendebat, conveniri non potuit. Pontifex aliquâ in re prædicto Regi gratificaturus, dispensavit cum Constantiâ ejus filiâ, quæ Friderico Trinacriæ, hoc est insulæ Siciliæ Regi consanguinitate propinquo nuptura erat: contentionémq; omnem, quæ de eâdem Siciliâ cum Ecclesiâ Romanâ vertebatur, commisit Boloniensi, Prænestino, & Magalonensi Cardinalibus. Ita de his Surita. De Regis verò ad Curiam adventu agens pariter auctor cujusdam Chronici satis accurati, quod habetur in Bibliothecâ[u] Parisina fratrum Puteanorum, sic eum depingit, ut fuerit brevissimæ staturæ, ac deformis admodùm: venisse autem ad componendum cum Ecclesiâ super regno Sardiniæ, quod tenebat ab eâ.

Convenit Pontif. pro regno Sardiniæ.

[u] Cod. not. num. 242.

XVII. Io. Tauleri obitus.

Hoc item anno à nonnullis ponitur obitus *Ioannis Tauleri* Ordinis S. Dominici, Theologi Coloniensis, concionatoris mirabilis: cujus extant Sermones, & alij tractatus, unctionem divini Spiritùs referentes: prædixítque hæreses cốtra sacramenta & dogmata Ecclesiæ Catholicæ brevì ab Wickleffo orituras. Contra cujus obtrectatores[x] apologiam scripsit Ludovicus Blosius, recentior ejusdem Spiritùs Sancti devotissimus discipulus. Tauleri tamen obitum ponunt alij anno 1361. 16. Calendas Iunij, ex inscriptione lapidis qui Argentorati jacet in Collegio Academiæ ante lectorium publicum.

[x] Vid. Possevin. Appar. to. 1. ubi scripta Tauleri enumerantur, quæ & patent.

XVIII. Itemque Bartoli.

Mortuus item ponitur à Palmerio[y] & Trithemio[z] *Bartolus de Saxoferrato* Iurisconsultus celeberrimus, omnium superiorum temporum facilè princeps; idémque in mathematicis atque etiam Hebraïcis benè versatus: sepultus apud Minores Perusii, ut ipse caverat testamento; porphyretico lapide sepulchro superposito. Annos ætatis plerique ei tribuunt sex & quinquaginta: Iovius[a] tantùm quadraginta sex: Volaterranus[b] quinquaginta. Sanè si natus est (ut volunt)[c] anno 1309. mortuúsque præsẽti 1355. non nisi quadraginta sex vixisse oportuit: aut si vixit ampliùs, vel priùs nasci debuit, vel tardiùs mori. Denique Lancelotus in ejus Vitâ eum natum esse scribit anno Christi 1313. denatum anno ætatis 46. ac testamentum condidisse anno 1356. triennio antequàm moreretur: quâ ratione ejus obitus omninò referendus erit in annum Christi 1359. Præceptores habuit *Cynum* & *Iacobum de Butrigariis*: insignem auditorem *Baldum de Vbaldis*. Quibus etiam temporibus floruerunt præclarissimi alij Iurisconsulti, *Ioannes Andreæ*, *Albericus de Rosate*, *Paulus de Perusio*, & alij plures quà paulò antiquiores quà recentiores.

[y] Palmer. in chron.
[z] Trith. de Script. Eccl.
[a] Iov. in Elog.
[b] Volat. anthropol. lib. 21.
[c] Mant. Patav. & Fichard. in Vit. Iurisc.

XIX. Vvipertus adolescens una nocte canescit.

Per id tempus quo mortuus est Bartolus, ponit Krantzius[d] præfectum fuisse Ecclesiæ Racesburgensi inferioris Saxoniæ sub metropoli Bremensi, Episcopum *Vvipertum*; quem magnâ virtutis indole adhuc juvenculũ fratres elegerunt. Qui cùm pro ætatis dispensatione ad Romanum Pontificem accessisset, & Pontifex ejus adolescentiam contemneret; unâ nocte ita incanuisse dicitur, ut non esse is putaretur. Cognitum verò eumdem esse,

[d] Krantz. 9. metrop. 47.

jussit Pontifex consecrari, quem adeo evidenti signo Deus à se comprobâsset electum. Reversúsque ad Ecclesiam, optimè illam gubernavit.

XX. Infans monstrosus. [e] Matth. Villan. lib. 4. cap. 60.

Prope Florentiam [e] cuidam tonsori natus est infans monstrosissimus, vultum habens vitulinum, oculos bovinos, & brachiorum loco duos ungues bufonis, corpus & naturam humanam absque coxendicibus, quarum loco exibant duos unges, sive falculæ recurvæ: vixítque aliquot horis.

XXI. [f] Sigon. lib. 3. de Episcop. Bonon. Blasphemi punitio divina.

Bononiæ [f] in Italiâ (quæ hoc tempore sub discordi adeóque duriori tyrannide Vicecomitum gemebat) homo quidam ludens ante Imaginem Deiparæ Virginis, cùm amissâ pecuniâ efferatus incesto ore numen ejus venerabile lacerâsset, extemplo membris captus procubuit, paulóque pòst expiravit. Quâ re cognitâ quindecim juvenes, gravi suæ adhibitæ sæpè in S. Virginem procacitatis pœnitentiâ ducti, repentè monasticum habitum induerunt.

Iesu Christi Annus 1356.
Innocentii VI. Ann. 4.
Caroli IV. Ann. 11.
Ioannis V. Ann. 16.

I. Carolinæ Bullæ de Imperio et Elector. promulgatio.

Anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nonâ, quarto Idus Ianuarij, Carolus Imp. Nurimbergæ sedens in sede majestatis suæ Imperialibus indutus ornamentis, in solemni conventu omnium Electorum, aliorúmque Principum ac procerum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, civitatúmque Imperij; maturâ deliberatione prævià, de Imperialis potestatis plenitudine famosam illam promulgavit auream *Bullam Carolinam*, quæ ubique patet, hactenúsque observatur, de formâ electionis Regis Romanorum: plurima alia capita continentem, de convocatione & conductu Electorum ad eam faciendam, déque eorumdé ordine in sessionibus, incessu, & conviviis Imperialibus; de officiis, congregationibus, successione, præeminentiis, immunitatibus, juribus; necnon de ceteris qui feuda ab Imperio tenent: ac de quarumdam abusionum civitatum, provocationum, litium, & exactionum injustarum prohibitione, quorum tamen nonnulla compacta noscuntur ex aliis cõstitutionibus promulgatis in alio conventu Metensi celebrato in fine hujus ipsius anni. Notandúmque vel maximè ultimum caput prædictæ Bullæ; quo statuit Imperator ut filij Principum Electorum instituantur in linguis, ac præcipuè illis quarum usus ad tractanda cum exteris negotia magis necessarius esset: putà Latinâ, Italicâ & Gallicâ, atque etiam Sclavicâ quæ quamplurimis populis Septemtrionalibus communis est: quibus & ipse Carolus Imp. egregiè excultus erat.

II. Innoc. PP. rescribit ad Imp. Constantinopol. [a] Reg. Inn. & inde ap. Bzov. & Vvadding.

De Imperio Romano ad Græci negotia transeuntibus, occurrit nobis hoc anno Innocentij Pontificis responsio [a], duodecimo Calendas Augusti facta ad literas, quas superiori acceperat à Ioanne Palæologo Imp. per Paulum Archiepiscopum Smyrnensem, & Nicolaum Sigerum, Megatheriarchos & Apocrisiarios ejus: quà magnoperè eum laudavit de bono proposito, & excitavit ad consummationem tanti operis: Tunc etenim alacriùs ipsi adfuturam Ecclesiam sanctam Catholicam spiritualibus auxiliis, & Principes Christianos subsidia præstaturos adversus infideles & rebelles. Ad quod etiam promovendum, misit ad eundem Imp. cum his literis Petrum Pactensem à legatione Rassensi reversum, & Guillelmum Sisopolitanum Episcopos; cum mandatis, ut eum inducerent ad eamdem Fidei confessionem, quam scriptis ad Pontificem miserat, publicè coram omnibus præsente Patriarchâ in basilicâ Sophianâ, vel aliâ insigni, ore profitendam. Id verò ubi præstitisset; scribebat Pontifex Hugoni Regi Cyprio. Ludovico Regi Hungariæ, Ioanni Gradonico Duci Venetiarum, Senatui ac populo Genuensi, Francisco Cataluzio domino insulæ Mitylenes, ac Magistro Rhodiensi, rogans ut eumdem Imp. contra hostes armis, viris, & pecuniis juvarent. Quando & ad Callistum Patriarcham Constantinopolitanum scribens hortatus est pariter, tam Imperatori quàm universo clero & populis curæ suæ commissis auctorem sese præbere unionis conficiendæ.

III. De regno Scotiæ controverso. b Vvalsingh. in Eduard. III. [c] Boëth. lib. 15. [d] Io. Major. lib. 5. cap. 20.

Hoc eodem anno mense Ianuarij Eduardus Rex Angliæ in expeditione Scoticâ Bervicum recepit, quod Scoti interceperant. Et Eduardus Baliolus se Regem Scotiæ dictitans, (de cujus juribus dictum aliàs) regnum & coronam transtulit in eumdem Regem Angliæ. Narrat hæc Walsinghamus [b] hoc anno: quæ Boëthius [c] superiori ponit. Ait autem Ioannes [d] Major, Baliolum jus suum in Scotiam Anglo dedisse, quòd nollent eum Scoti in Regem recipere, sed quoties se introducere conaretur totiens eum rejicerent: Ipsam autem donationem duabus de causis nullius fuisse momenti; tum videlicet quòd Baliolus nullum jus in regno haberet, vivente legitimo Rege Davide, licèt in Angliâ captivo; tum etiam quia non est in potestate Regis, quantumvis veri & legitimi, jus regni sui ad suum arbitrium aliis tradere. Accidisse verò in eâdem Scoticâ Anglorum excursione idem Boëthius narrat, ut apud Hundintonium postridie festi Purificationis Beatissimæ Virginis, dum in profanâ direptione cujusdam Ecclesiæ Anglus quidam ornamenta sacræ Imaginis ejusdem Virginis à se detracta ovanter ostentaret, comminuto per Crucem quæ è sublimi in caput ejus concidit cerebro, pœnas sacrilegij pependerit.

Sacrilegi poena.

IV. [e] Harpsfeld. Hist. Eccl. Angl. sæc. 14. cap. 10. Clerus Anglic. tuetur se ab exactionib. regiis.

Cùm autem celebrante *Simone* [e] Islepio Cantuariensi Archiepiscopo Synodum *Londini*, postulasset idem Rex Eduardus à Clero Anglicano decimas sexennes; rogavit per literas Simon Regem, nequid Clerum conferre cogeret, donasse namq; jam illum decimam, restituendarum immunitatum conditione adscriptâ, quæ tamen effectum non sortita fuisset: ad hæc premi Clerum solutionibus procurationum, quas nunc Pontificis exigebant: sacerdotiorum redditus ita imminutos, ut vix dimidiato valerent. Résque demum

ita exiit, ut unicam Clerus decimam solveret.

V. CLERUS GALLIC. PREMITUR A' REGE.

Longè cariùs res constitit Ioanni Francorum Regi; cùm non solùm postulationibus agens, verùm etiam vim inferens, sibimet ipsi primò, deinde populo suo irreparabile infortunium peperit. Prȩter enim improperia nonnullorum [f] de intolerabilibus oneribus, quibus subditos gravâsse in subsidia belli Anglici dicitur; (quorum etiam occasione tumultus [g] apud Atrebates exciti, & cædes factæ; intercedente præcipuè Navarræ Rege, tum ne subsidia ab Ordinibus regni decernerentur, tum ne decreta colligerētur:) extat scripta ad eum tertio Nonas Septembris hujus anni epistola Innocentij Papæ, satis alioqui in ejus commoda propensi; qua paternè simul & severè eum objurgavit, quòd præter alia plura insolita gravamina, quibus ecclesiæ & personæ ecclesiasticȩ premerentur indifferenter sicut & laïci; jam occasione cujusdam concessionis improvidè factæ à quibusdam paucis Prælatis, sine consensu aliorum, & licentia Sedis Apostolicæ; (cujusmodi illicitæ auctoritatis usurpationis dāna senserunt frequenter & posteri; dum qui aulis & gratiosorum atq; potentum favoribus student magis quàm ecclesiarum ipsis commissarum protectioni ac defensioni, pro modica coctione [h] rufa & pauculo lentis edulio, vendunt primogenita sua & fratrum suorum (tantus exerceretur à ministris regiis in exactione hujusmodi indebiti subsidij rigor, ut eos qui id non solverent, sive ob impotentiam, sive propter conscientiam, bonis omnibus spoliarent, & tot aliis pressuris affligerent, ut vitȩ necessariis destituti ecclesias & beneficia relinquere compellerentur: fierétque inde ut eorum voces quæ in laudibus Dei exerceri solitæ erant, querelis & clamoribus occuparentur. Quæ mala emendare & omninò auferre monuit, si vellet Deum suis ipsius votis benignè adesse. Non audivit quidem ille ut emendaret; sed exaudivit Deus, ut castigaret, prout jam videbitur.

[f] *Vill. lib. 6. cap. 18. & lib. 7. cap. 4. in fi.*
[g] *Æmil. lib. 9. Meyer. lib. 13. Bellefor. lib. 5. cap. 58.*
[h] *Gen. 25.*

VI. REX IOANNES NAVARRUM ETC. CAPIT.

Creaverat antehàc Rex Carolum Delphinum filium suum primogenitum, Ducē Normanniæ. Qui cùm [i] Rotomagi epulum daret proceribus gentis, cui interat Rex Navarræ unà cum Comite Haricuriæ, aliísque conscìis necis Caroli Hispani Magistri Equitum; superveniens improvisò Rex armatus, (præmonito filio ne ad subitum casum turbaretur) sive in prædictæ necis vindictam, sive quòd Navarrus veniæ olim sibi datæ immemor, tum in aliis plerisque adversaretur Regi, tum secreta cum Anglis consilia habere diceretur in perniciem regni; tam ipsum quàm ceteros conscios è mensæ luxu abstractos, illum quidem custodiæ tradidit, (quâ sæpè mutatâ, & Parisiis constabilitâ, variis mortis terroribus, aliísque gravibus incommodis valdè afflictatus est) Haricuriam verò cum aliquot aliis evestigiò capite plecti jussit, cadavera patibulis suspendi, capita lanceis affigi. Erat Navarro frater Philippus, & Haricuriæ patruus Gothofredus, quo auctore Eduardus Rex Angliæ Normanniam invaserat. A' quibus rursùm Angli in Normanniam acciti, multam vastationem intulêre: quos tamen brevì Rex coërcuit. Certáque erat hâc parte victoria; nisi aliâ Eduardus Princeps Walliæ ad abducendum inde Regem Burdegalâ movens, & Pictonum Biturigúmque agros depopulans, Regem relictis in Normanniâ copiis quantæ satis essent, in se convertisset: qui sic voti compos factus, in Vasconiam regredi cœpit.

[i] *Contin. Nang. in Chron. Villan. lib. 6. & 7. Æmil. lib. 9. Masson. in Ioan. Bellefor. lib. 5. cap 18. 19.*

VII. IOANNES REX ANGLOS PERSEQUITUR.

Assecutus eum Rex non procul ab urbe Pictavio, propè consedit; cùm interim Princeps longè viribus impar, (tradunt enim non ampliùs octo hominum millia habuisse, aut ad summum duodecim Anglorum, Aquitanorúmque quà equitum quà peditum; cùm in castris regiis non pauciores toto eo numero equites essent, præter copiosum peditatum:) memor pugnæ Cresciacensis, cujus penè puer primam aciem duxerat, castra naturâ loci & rusticanis fossis atque sepibus munita delegisset, ut impetum equitatûs Francici arte superaret. Facile tamen erat factu insessis omnibus viis quà commeatus in castra ejus importari posset, ad inopiam & spontaneam deditionem absq; ullo sanguine redigere: nisi etiam hâc vice voluisset Deus cæcam Francorū insolentiam, cumulatissimas pacis conditiones à Principe oblatas de reddendis captis nuper totâ Galliâ oppidis captivísque, & damno illato resarciendo, superbè recusantium contundere. Aderat enim Cardinalis Talairandus Petragoricensis Episcopus Albanensis Innocentij Papæ Legatus, instantissimè quærens pugnam dirimere; effecissétque, nisi mali consultores Episcopus Catalaunensis Par Franciæ, & Eustachius Ribomontius, ejus conatus apud Regem irritos fecissent; nullam aliam conditionem admittere suadentes, nisi ut Princeps cum suis sese traderet victum & captivum Regis voluntati: cùm & alioqui illata tot provinciis vastitas Regem ad præliū accenderet, ne tam facilè imposterùm Angli excursiones facere in ditionem regiam præsumerent. Quâpropter re infectâ in urbem Pictavium legatus secessit, cum quo etiam interfuisse rei gestæ Nicolaum de Capucio presbyterum Cardinalem S. Vitalis, & ipsum Pontificis Legatum, quidam ponunt.

VIII. CAPITUR AB IIS PRÆLIO PICTAVIENSI.

Hæc autem quæ diximus, ordinémque pugnæ tunc inter eos initæ, ad omne ævum memorabilis, (quæ facta est die Lunæ 19. Septembris præsentis anni) & culpas in eâ Francorum, descripsêre multi [k] quà fusiùs quà breviùs: omnes uno consensu Regi hanc laudem tribuentes, quòd tantam in prælio præstiterit virtutem, ut majorem nullus miles aut imperator posset. Quem & Frossardus [l] ait, haud dubiè victoriâ potitum fuisse, si vel quarta pars suorum fortiter illi adhæsissent. Ceteris tribus filiis adolescentibus, unà cum Duce Aurelianensi Regis fratre è prælio subtractis, *Philippus* filius natus minimus, cùm vix decimum sextum ætatis annum attigisset, à patre tegendo divelli non potuit, donec vulneratus jussu patris se dedidit. (unde & cognomen *Imperterriti* [ll] sortitus est.) In ipsum verò Regem nullus Anglorum manus impunè injectȩ gloriam tulit, qui demùm in potestatem equitis Atrebatis incidit, (seu fuerit is Flander, ut alij habent; vel etiam Vasco, ut Villanius.) Quando & majus vitȩ ejus periculum extitit, prehensantibus eum huc illúcque qui eum si-

[k] *Cont. Nang. Vit. Innoc. VI. Frossar. lib. 1. c. 156. & seqq. Villan. lib. 7. cap. 7. usque 20. Vualsingh. in Eduar. III. Polydor. lib. 19. Æmil. lib. 9. Gil. in Ann. Franc. Bouchet. An. Aquit. par. 4. cap. 4. Bellefor. lib. 5. cap. 19. Meyer. lib. 13. Masson. in Ioan. & alij.*
[l] *Fross. cap. 162.*
[ll] *Vid. infr. an. 1357. V.*

bi captivum volebant: donec ab accurrentibus Anglorum Vasconúmque proceribus venerabundè adoratus, & ab occurente Principe ingenti submissione receptus est, atque exquisitissimâ comitate cultus: indéque pacato agmine Burdegalam ductus, & transacta hieme in Angliam transvectus, ut dicetur suo loco. Capti sunt cum Rege, præter Philippum ejus filium, Iacobus Borbonius, Guillelmus de Meloduno Archiepiscopus Senonensis, Comitésque aliquot, procerésque plurimi, ac nobilium copiosa multitudo, præter ingenté ignobilium numerum. Occisi omninò quinq; sexve mille quorum nobilissimi Petrus Dux Borbonius, Gualterus Dux Athenarum dictus, idémque Magister equitum, (quem à quodam Florentino stante à partibus Anglorum occisum esse in vindictam tyrannidis olim in Florentinos exercitæ, scribit Bocatius [m]) Robertus Dyrrachinus filius Ioannis fratris Roberti Regis Siciliæ ac nepos ex matre prædicti Cardinalis Petragoricensis, Ioannes Claromontanus Marescallus, unà cum Reginaldo Episcopo Catalaunensi & Eustachio Ribomontio pugnæ incentoribus, aliísque ad octingentos vel ampliùs equestris dignitatis.

[m] Bocat. de casib. vir. illustr. lib. 9. cap. 24.

IX.

Agens, de his Petrarcha qui tum vivebat, inter alia meminit [n] de Carbunculo Regis Ioannis; dicens, sicuti non olim Polycrati Samiorum tyranno Sardonix suus pretiosissimus, ne morsu volucrum sensus in cruce marcesceret, sic non modò Ioanni Galliarum Regi, ne acie victus in hostium manus perveniret, suum valuisse præstare Carbunculum pretij infiniti, quem die illâ digito gestabat. Aliis verò locis [o] omninò stupet, quòd inopinabili casu, & apud avos & proavos inaudito, ac posteris vix credibili, hujus temporis Regum maximus, eumdémq; quod ad se unum attineret invictissimum hominum, à multò impari hoste victus fuerit, & in carcerem ductus. Sed sunt hæc judicia Dei, peccata hominum vindicantis, & proterviam superborum dejicientis; cui in parvo est in multis vel in paucis vincere. Quòd tamen quos castigat non desinat amare, singularem ab omni ævo habere visus regni illius Christianissimi tutelam, quamvis illud permiserit non solùm his atteri cladibus, verùm & aliis posthàc maximis; dedit tamen identidem resurgere, quòd sanè magis ex insitâ levitate animi quàm ex prava malignitate Francos peccare solitos noverit. Ceterùm ne capto Rege majus aliquod detrimentum regnum caperet, convocatis actutùm trium Ordinum delegatis, visum propter teneram Delphini ceterorúmque filiorum Regis ætatem, curam committere aliquot viris, æquali numero ex singulis Ordinibus delectis. Missæq; copiæ adversùs Gothofredum Haricuriam ultimæ Normanniæ fines vastantem; eum interemerunt, pœnas luentem de evocatis in Galliam Anglis. Atenim rebus ardenter cœptis elanguentibus, apparuit citò, multitudinem Rege parentéque orbam omnibus seditionum licentiæque procellis agitari, de quibus agetur pro ratione temporis.

[n] Petr. de rem. utr. for. lib. 1. dial. 37.

[o] Id. lib. 2. de Vit. solit. sec. 4. cap. 2. lib. 10. Rer. Senil. ep. 2. ad Guid. Sept.

Qualis ordo positus in regno Rege captivo.

X. Innoc. PP. sollicitus de eius liberatione.

Auditâ verò Regis captivitate, Innocentius Pontifex de eo liberando sollicitus, imprimis Androinum Abbatem Cluniacensem octavo Idus Octobris, deinde Cardinalem Petragoricensem ad Carolum Imperatorem destinavit, qui unà cum Carolo Delphino ipsius Imperatoris nepote apud eum ageret de Regis redemptione, & pace inter duo illa regna conditionibus æquis stabiliendâ. Convenientibus [p] quoque Anglis unà cum iis in urbe Metensi, ubi Carolus solemnem Curiam Principum Imperij celebravit ad festum Nativitatis Domini; nihil tamen agi potuit. Egit utiliùs ibi Carolus in promulgandis nonnullis legibus in utilitatem Imperij; quæ attextæ habentur in corpore Aureæ Bullæ [q] de quâ in principio hujus anni.

[p] Vill. lib. 7. cap. 46. Vit. Innoc. Rebdorff. in Annal.

[q] Bull. Aur. cap. 24. 25. 26 Supr. hoc eod. an. I.

XI. Regis Hungari inutilis expeditio contra Venetos.

Quod autem Regi Francorum cum Principe Walliæ, quid simile accidit hoc eodem anno Ludovico Hungariæ Regi cum Republicâ Veneta; ut dicuntur Hungari cum Francis naturâ & moribus plurimùm convenire; præterquàm quòd erat prædictus Ludovicus è regio Francorum sanguine per stirpem Regum Siciliæ prognatus. Cum igitur Rex Ludovicus & jam aliàs tentâsset Dalmatiam à Venetis possessam armis repetere, tamquam ad imperium Hungaricum pertinentem; & per legatos sæpiùs interpellâsset Venetos eam sibi restituere, frustráque hactenus omnia fuissent: hoc demùm anno ingenti collecto exercitu ampliùs quadraginta millium equitum, repulsâ Venetorum legatione pacem pecuniâ redimere quærentium, Tarvisium præclaram ditionis Venetæ munitissimámque urbem obsidione cinxit mense Iulij. Expertus verò strenuam præsidiariorum defensionem, cùm spe illius vi potiundæ decideret, fame ad deditionem compellere statuit. Redeuntésque Venetorum legatos, pacem longè amplioribus conditionibus, quibus & parte Dalmatiæ cedere, reliquámq; sub censu à Rege tenere, & sumptus belli pecuniâ refundere offerebant, postulaturos, iterum vacuos remisit, nisi totâ sibi provinciâ omninò cederent. At re non diù dilatâ accidit eum datæ repulsæ pœnitere; cùm insolentibus Hungarorum incursionibus in terras sibi amicas, è quibus annonæ copia in castra deferebatur, deterritis populis ultrà eam administrare; & Germanis qui Regi fideliter militabant, ab iisdem protervis Hungaris atrocibus injuriis affectis; res eò redacta est, ut tam rerum penuria quàm dissensione exercitûs, motus Rex fuerit subito impetu & improviso (ut erat natura & ingenio præcipiti) obsidionem solvere, & ad finem mensis Augusti in Hungariam sese magna omnium admiratione recipere: relictis tamen in quibusdam agri Tarvisini oppidis, validis præsidiis quæ hostes infestarent: sicuti & egregiè præstiterunt, acceptis paulò pòst aliis suppetiis à Rege missis. Narrant hæc diffusè Villanius [r] & Bonfinius [s] breviter Thurosius [t]. Quibus parcunt in multis historici Veneti [u]. Et quamvis non abnuant pacem à suis quæsitam; (quâ de re est etiam ipsorum ad Regem oratio inter opera Petrarchæ, non tamen ipsius Petrarchæ:) volunt nihilominùs bellum extingui potuisse, si annuum equi albi censum publico nomine oratores Regi se daturos polliciti fuissent, quod ne fieret Senatusconsulto cautum erat. Quod si verum sit, magnanimos sanè illos qui Dalmatia spoliari, quam sub tributo levissimo retinere maluerint! Et generosum Ludovicum, qui non commodum

[r] Vill. lib. 6. cap. 36. 50. & seqq. 63. 65 & seqq. lib. 7. cap. 18. 29.

[s] Bonfin. 2. dec. 10.

[t] Thurof. par. 3. cap. 26 27.

[u] Sabell. 2. dec. 4. Pet. Iustin. lib. 4.

dum, sed honorem, non tributum, sed jus regni quæsierit! Cæterùm dum adhuc esset Rex Ludovicus apud Tarvisium, literas accepisse à Summo Pontifice & Collegio Cardinalium quibus eum declarabant Vexilliferum Sanctæ Ecclesiæ adversus Infideles, & à Carolo Imperatore creatum fuisse Vicarium Imperij ad bellum Venetum; sive hæc ipse sibi procurâsset, sive spontaneo illorum in ipsum affectu advenissent) tradit idem Villanius [x].

[x] Vill lib.6. ca 60

XII. VENETA CLADES EX FAVORE HÆRETICOR.

Haud porrò abs re erit, si dixerimus adversa quæ sibi contigerunt Venetos in sese concitâsse, ob favorem exhibitum quibusdam hæreticis, de quo reprehensi inveniuntur per literas [y] Innocentij Papæ datas Calendis Maij anni præsentis ad Ioannem Gradonicum eorum Ducē: cùm videlicèt contigisset, ministros ejus ita se Inquisitori pravitatis hæreticę qui nonnullos à Iudaïsmo Christianos rursùm ad perfidiam relapsos in carcerem conjecerat, opposuisse ut etiam familiares Inquisitoris, quæsito quodam prætextu frivolo, captos quæstionibus tormentorum subjecissent. Ut non sit mirandum si permiserit Deus vindex Fidei Orthodoxę, ejus violatores sive directos sive indirectos pœnis subjici temporalibus, qui spiritualium contemptores videri non curabant. Et tamen non destitit pius pater Innocentius Venetorum cladibus commotus, Episcopum Firmanum à Sede Apostolica Nuncium destinare, qui Ludovicum Regem à bello iis inferendo avertere conaretur, & pacem æquis conditionibus componere. Qui tamen operam in hoc lusit, quoniam Rex Hungariæ nullis umquam suasionibus aut precibus Venetorum induci potuit ad pacem eis concedendam: donec multis & diversis partibus eos potentissimè aggressus, captâ quoque Iaderâ, cujus causâ tot fuerāt antideà inter Hungaros & Venetos bella, compulit eos tandem totâ Dalmatia & Illyrico cedere, & alia quæcumque voluit promittere: sicuti fusè narrat Villanius [z]. Consentítque auctor Venetus [a] capta Iadera, nescio quid minante Veneto fortunâ imperio, desperatis rebus coactos esse Venetos pacem magis necessariam quàm speciosam accipere, Dalmatiæque titulum deponere, quo supra ferè trecentos annos usi fuissent. Quinimmò & addit Villanius, Venetis tot bellicis cladibus fatigatis, Senatum decrevisse nequis ampliùs de bello sermonem ingereret, sed omnes navigationi & mercaturæ operam darent: his demùm post biennium peractis. Habet nihilominùs Bonfinius, sævitiam acrem exercuisse Venetos in civitates illas quæ ad Hungarum defecerant, contra conditiones cum eo pactas quando, eas illis restituit.

[y] Reg Innoc. & inde ap. Bzov. hoc an.

AMITTUNT DALMATIAM.

[z] Vill. lib.7. cap.82. lib. 8. cap.19. 30.

[a] Petr. Iust. lib.4.

XIII. TURBÆ ITALICÆ.

Rebus quoque per ceteras Italiæ partes mirum in modum confusis, hinc Vicecomitibus Mediolanensibus alios Lombardiæ Principes tyrannósque lacessentibus, ab iisque in ipsos fœdere junctis pariter lacessitis; illinc populis in Etruriâ inter se contendentibus; passim magna Societate Comitis Landi quocumque se verteret promiscuè regiones omnes populante; Siculis citra & ultra Pharum seditionibus & defectionibus sese invicem consumentibus: tristi ubique regnante erynni, terra cruore madente, campestribus incendiis lucentibus, civitatibus & oppidis perfidiosis proditionibus & furialibus cædibus ludentibus; nullâ uspiam fide vigēte, nulla pietatis scintilla micante: (quæ præ ceteris Villanius [b] qui videbat describit:) intereà rebellibus Ecclesiæ domandis, & ad officium reducendis, totus intentus magnanimus & prudentissimus Apostolicæ Sedis Legatus Cardinalis Ægidius, tam armis strenuus quàm pacis artib⁹ inclytus, cùm jam penè omnia deperdita recuperâsset, exceptis quę ab Ordelaffo Foroliviensi & Manfrediis Faventinis adhuc occupabantur: jam illos obstinatissimâ contumaciâ refractarios sentiēs promulgare fecit contra illos sententiam ab Innocentio Pontifice ultimò latam mense Decembri præterito; quâ eosdem, quòd sæpiùs moniti sistere se coram Pontifice, nec ipsi per se, nec verò per procuratores adesse curassent; perinde ac hæreticos damnavit, & Crucem contra eos prædicari decrevit, eodem Indulgentiarum & gratiarum pręmio quod pro Terrâ Sanctâ militantibus concedi moris erat. Sícque collectâ validâ Crucesignatorum manu, prȩter illas copias quas stipendio Ecclesię ducebat, adeò profecit ut etiam Manfredios se ipsi cum omnibus quę possidebant permittero coëgerit [c] solo reliquo Ordelaffo, qui quo plus viribus debilitabatur, eò magis animo obdurescebat [d] in quem Ægidius conatus suos omnes tetendit. Tradunt [e] autem adeò pervicacis naturæ, & impiæ nequitiæ fuisse, ut quando ad sonitum campanę diris devovebatur, etiam ipse alias campanas pulsaret, & in Summum Pontificem atq; Cardinales ex aliqua materia effictos, ac fœno infarctos anathema pronunciaret; necnon clerum ad sacra contra vetitum obeunda per vim compelleret, ac renuentes aut furcis suspenderet, aut vivos excoriaret. Et siquos ex Crucesignatis militibus comprehendisset, eorum plantas pedum ferro ignito in formam Crucis effigiato adureret; procaciter dicens, signum è panno patere tineis, ferro autem impressum perennare: aliósque longè crudelioribus suppliciis afficeret, cum hujusmodi irrisione, meliùs cum illis agi si contriti in ea dispositione morerentur, quàm si dimissi periculum incurrerent relabendi in peccata. Quomodo vero demum in manus Legati coactus fuerit sese tradere, dicetur suo loco.

[b] Vill. lib.6. & 7.

ÆGIDII LEGATI FORTIA GESTA.

[c] Id. lib.7. cap.34.

[d] Ibid. cap. 38.

[e] Cod. Vat. & ex eo Bzov. an. 1354.

PROTERVIA ORDELAFFI.

XIV. BERNABOVIS VICECOM. IMPIA SCELERA.

Sceleratior, quo potentior, Barnabas (seu illum Bernabonem, aut magis Bernabovem cum pluribus dicas) Vicecomes alter è tyrannis Mediolanensibus, quem superiùs vidimus manus impiâsse fraterno sanguine. Qui (ut Villanius [f] habet) cùm rescîsset sacerdotem quemdam jussu Pontificis sacram militiam adversùs Ordelaffum Mediolani indicere; eumdem comprehendi, & crati ferreæ dolij oblongi instar fabrefactæ, manubrium habenti ad circumagendum, veluti fit torrendæ veru carni, includi jussit, & ad ignem circumactu crudelissimè torreri; in turpissimum opprobrium non solùm sacri sacerdotij, verùm etiam Apostolicæ Sedis, cujus mandata martyr ille exequebatur. Scelúsque sceleri addens, Episcopum Parmensem, qui sacerdoti in his faverat, Episcopatu exuit, & fructus ejus alteri assignavit. Ac denique Crucis prædicationi sese opponens, suppetias Ordelaffo misit quibus Legato obniteretur.

[f] Vill. lib.6. cap.28.

XV.

Quantumvis autem tyrannorum hujusmodi

FOEDUS CONTRA TYRANN. ITALIÆ.

odio & metu multi undique adversùs eos rebellarent, & cum his ceteri pariter contra eosdem in fœdus coïrent; quâ tamen ij erant potentiâ & opum affluentiâ, non solùm animosè omnibus obsistebant, sed etiam spontè eos aggrediebantur. Factúmque est hoc eodem anno [g] ut cùm à Lombardiæ fœderatis evocatus in auxilium Comes Landus magnæ Societatis ductor ad eos accessisset, Marquardus quoque sive Marcoaldus dictus Episcopus Augustanus rei militaris peritissimus, (hâc enim laude magis hoc tempore commendabantur plerique Germaniæ Superioris & inferioris, aliarúmque Borealium partium Antistites, quàm litteris aut aliis pacis artibus, vel Ecclesiarum suarum aut animarum curâ: quos assiduè in armis esse contra Principes & Magnates bonorum Ecclesiasticorum usurpatores & invasores necesse videbatur) quem Carolus Imp. Pisis Vicarium suum reliquerat, sese eisdem adjunxerit, suopte primùm nomine, deinde Imperatoriâ auctoritate. Cujus Vicariatûs titulo cùm Vicecomitibus diem coram se dixisset, responsuris de suis nefariis facinoribus, quibus & sanctam Ecclesiam & sacrum Imperium deturparent, respondissentq; illi contumeliosissimè & minacissimè, fœdâ Vicarij & præsumpti Vicariatûs traductione:) recitat scriptas utrimq; literas hæc narrans Villanius [h]) procedens ille cum exercitu Mediolanum versùs, ingentem vastationem ditioni Vicecomitum intulit, nemine contrà exire auso. Donec validioribus copiis tacitè collectis à Vicecomitibus, earum ductor ex eâdê familiâ vir strenuus & bellis exercitatus, incautos & nimiùm sibi cõfidêtes, necnon magnâ parte equitatûs aliis expeditionibus occupata diminutos, dum Papiam sese reciperent, jámque pars potior exercitûs flumê Ticinum trajecisset, reliquâ adortus, in quâ erant Vicarius, Landus, aliíque præcipui duces; die 13. Novembris, post longam & atrocem pugnam debellavit; coacto tandem minori numero quadruplo majori cedere. Captíque sunt ijdem Vicarius, Landus, & plures alij. Verùm Landus incidens in manus Teutonicorum Vicecomitibus militantium, celatus est ab eis, & liber abire permissus: Vicarius ductus est Mediolanum. Nec tamen cessârunt fœderati, potissimúmque Marchio Monferratensis, acre bellum in Vicecomites renovare: impio Bernabove in horrendis interim crudelitatibus [i] Mediolani deliciante.

[g] Id. d. l. 6. cap. 76.

[h] Id. lib. 7. cap. 23. & seqq.

CLADES FOEDERATORUM.

[i] Id. cap. 48. & lib. 9. cap. 50.

XVI. GENUENSES RECUPERANT LIBERTATEM.

Biduo post dictam pugnam Genuenses, rerum suarum commoditate antiquum libertatis animum recipientes, cùm nihil de eâ audîssent, quinimmò existimarent res fœderatorum ita se habere cum Vicecomitibus, ut tutò ipsi se ab eorum dominatione, quam olim spontè in adversitate subierant, retrahere possent; 15. die Novembris seditione factâ, (instigatione, ut creditum est, Simonis Buccanigræ primi illius Reipublicæ Ducis, pristinæ dignitati restitui aventis) Vicarium Vicecomitum expulerunt, eumdémque Simonem ad Ducatum revocârunt. Ita namque breviter Villanius [k]. Quæ prolixiùs prosecutus historicus Genuensis [l] ait hoc contigisse ex eo quòd Vicecomites modum conventorum excedere aggressi essent, nonnulla postulantes quibus jus & fides pactorum perfringebantur. Rem autem gestam esse calliditate & vafritie simul & vi armatâ Simonis: cui cùm res adversa favorem populi potiùs auxisset quàm minuisset, facile ei fuerit persuadere quæ vellet: Restitutum autem dignitati, omnes ex corpore nobilitatis, à quorum opibus sibi timendum esset, exilio multâsse, reliquos qui in urbe remanebant exarmâsse, omnem nobilitatem à publicis muneribus rejecisse; nec minùs se adversùs exteros hostes communivisse. Cujus sic repetitus principatus septimum annum attigit: quo demùm post magna in patriam suam promerita, veneno extinctus est, & uti observat dolétque Villanius [m] vili funere elatus: vir proculdubiò excelsi animi & consilij, sed magnæ quàm bonæ famæ cupidior.

[k] Id. lib. 7. cap. 40.

[l] Foliet. lib. 7.

[m] Vill. lib. 11. cap. 42.

XVII. DE REBUS ET TURBIS SICULIS.

Ad finem anni Ludovicus & Ioanna Reges Neapolitani, in Siciliam à suis fautoribus Claromontanis evocati, & à Messanêsibus publicâ legatione acciti, eò transmiserunt; & in vigilia Nativitatis Domini regio honore faustísque populi acclamationibus excepti sunt, & summa potestatis initia susceperunt: maximam jam insulæ partem possidentes, reliquámque parvo negotio adepturi, si quid plus virium aut navæ ac providæ industriæ suppetiisset. Quibus deficientibus, longè fuit facilius in tantâ populorum volubilitate parta amittere, quàm reliqua acquirere. Fecit tamen summa Artalis Alagonæ virtus in tantâ partis adversæ debilitate, ut diutiùs bellum traheretur; sed, ut plerumque fit in bellis civilibus, rapinis, proditionibus, circumventionibus, interceptionibus, velitationibus; ac præcipuè postquàm iidem Ludovicus & Ioanna, pulso turpiter eorum exercitu ab obsidione Catanæ, quæ fermè sola ex alicujus nominis insulæ urbibus in partibus Friderici numerabatur, Neapolim rediêre anno sequenti ad novos tumultus illius regni sedandos: donec tandem amissis omnibus quę acquisierant, ad novam concordiam veniendum fuit; de quâ dicetur suo loco. Hæc autem pluribus tractantur à Villanio [n] & Fazello [o] necnon Suritâ [p] Mariana [q] & aliis. Quorum etiam testimonio constat, adeò hoc tempore in arctum redactas fuisse res Friderici, ut desperatione recuperandi aut stabiliendi regni, Leonoræ sorori suæ Reginæ Aragoniæ, Siciliæ regnum unà cum ditionibus Athenarum & Neopatriæ (quarum hic Fridericus primus ex Siciliæ Regibus titulum usurpaverat, & posteris Regibus tradidit) donaverit, publicis ea de re confectis tabulis, quę in Aragoniam missæ sunt, ut sic Rex Petrus ad vires & suppetias conferendas invitaretur. Sed irrito conatu; quòd idem Petrus tunc gravi bello, multísque ex eo difficultatibus, in propria patria distineretur.

[n] Id. lib. 9. 8. 9.

[o] Faz. 2. dec. 9.

[p] Sur. Ind. lib. 3.

[q] Mar. lib. 17.

XVIII. BELLI INITIUM INTER REGES CASTEL. ET ARAG.

Hoc etenim anno atrox inter illum & Petrũ Castellæ Regem ortum est bellum, utriq; penè exitiabile, tenuioribus licèt multò causis quã illud Siculum, quo de dominatione regnóque agebatur. Sed sic res se habet, ut quantò potentiores sunt Principes, tantò levioribus moveantur. Et erat alioqui Rex uterque ardenti ingenio, omnis insolentiæ impatiens, morum asperitate haud dissimili, quamquam Castellæ ferocior ob juniorem ætatem, à quo & propterea belli factum est exordium. Querebantur jam anteà invicem, Castellanus quidem,

dem, Castellæ perfugis tutum in Aragoniâ asylum esse; milites Aragonios Ordinum S. Iacobi & Calatravæ suis Magistris in Castellâ existentibus non obtemperare; rem frumentariam fame ingravescente in Bæticâ impeditam ab Aragoniis triremibus: Aragonius autem, fratribus suis rebellibus in Castellâ receptum esse, auxiliúmque rebus Aragoniis turbandis, & arcibus occupandis. Sed quod bilem recèns Castellano movit, & abrumpendæ qualiscumque pacis ansam præbuit, hoc fuit, quòd cùm is conscensâ apud Hispalim triremi, ad Bætis ostium ludicrâ exercitatione in tunnorum capturâ, quæ ibi maxima esse consuevit, oblectaretur; fortè aliquot triremes quæ Ioannis Francorum Regis (nondum tunc ab Anglis capti) stipendiis in Catalaniâ armatæ, ductore Francisco Periliosio in Veneticum Oceani littus navigabant, freti Gaditani faucibus egressæ, duas onerarias naves mercibus onustas, quæ ad S. Luciferi portum in anchoris erant, in ipsis Regis oculis diripuerunt: neque missi à Rege internuncij ut merces restituerentur ullus respectus à Francisco habitus, Genuensium hostium eas esse excusante. Hoc ludibrio exardescens Rex continuò Ægidium Velasquium aulæ regiæ prætorem ad Regem Aragoniæ legavit, cùm superiores injurias commemoraturum, tum res modò captas repetiturum, ducémque temerarium postulaturū ad supplicium illatæ ignominiæ. Respondit Aragonius, se Castellæ Regi satisfacturum perfugis regni finibus prohibitis & cùm primùm Periliosius rediisset, eum se castigaturum: militum Iacobitarum & Calatravensium negotium non sui juris esse, sed Summi Pontificis. His tamen æquis responsis nihilo factus mitior Velasquius, ut habebat in mandatis, bellum denunciavit. Hincque ventum ad arma, & Catalani Aragonésque mercatores, quorū magnus erat numerus in ditione Castellani, ubique capti, bonis eorum publicatis. Magni mox utrimque delectus habiti, conquisita auxilia, solicitati proceres populíque adversarum partium, intercepta vel expugnata confinia oppida, denique hostilia quæque facta; uti pleniùs videre est apud earum gentium auctores [r]: meminítque Villanius [s]: & quid porrò secutum sit, dicetur inferiùs suis locis.

[r] *Surit. Indic. lib. 3 Marian. lib. 17. cap. 1.*
[s] *Vill lib. 6. cap. 83*

XIX. PETRUS REX CASTEL. BONA ECCLESIASTICARUM ABSENTIUM OCCUPAT.

Ante verò quàm isthæc gererêtur, cùm idem Petrus Rex Castellæ (ut aliàs vidimus) Ægidio Cardinali Hispano Sedis Apostolicæ in Italiâ Legato infensus esset, eò quòd existimaret ejus operâ Pontificem adeò curâsse reconciliationem Blancæ Reginæ; primò Alvarum Garsiæ, Ferdinandúmq; Gomesij, germanos Cardinales persecutus, deinde asperiori lege in ejusdem odium lata, ut omnium ecclesiasticarum personarum, etiámq; S.R.E. Cardinalium, beneficia ecclesiastica in suo regno habentium, quę tamē in eis non resideret, fructus sub manu regia ponerentur, omnia bona & redditus dicti Ægidij occupasset: fuit à Sūmo Pontifice duplicibus literis [t] datis octavo Idus Martias & decimo Calendas Aprilis, iis de rebus graviter commonitus, quarum præcipuè posterioribus considerandum Pontifex proposuit, Cardinales ad regendum Universalis Ecclesiæ firmamentum indefessâ cum ipso Pontifice operatione laborare, ac propterea debere veluti residentes in ecclesiis & beneficiis suis reputari: necnon qui Pōtificis ac Cardinalium obsequiis immorarentur, absentiam suam ab ecclesiis in quibus beneficiati essent, in necessariâ præstatione favorum in occurrentibus frequenter casibus compensare, demúmque hortatus est à prædictis attentatis resilire, résque in pristinum statum sine morosâ dilatione reponere; misso ad hoc ad eum Guttero Gomecij Cantore Ecclesiæ Compostellanæ Regis familiari.

[t] *Reg. Innoc. & inde ap. Bzov. hoc an.*

XX. IO. DE RUPESCISSA HARIOLATIONES.

Hoc eodem anno (ut disertè ponit Continuator Chronici Nangiaci ejus tēporis scriptor; innuítque Auctor Vitę Innocentij Papę; cùm sint qui aliis annis collocēt) quidam frater Ordinis Minorum Gallus ex Conventu Aureliaci diœcesis S. Flori in Alvernia, nomine *Ioannes de Rupescissa*, sive proprio idiomate *de Roquetaillade*, vanè jactans se habere Spiritum prophetię, qui potiùs pythonicus & mendax in pluribus quæ ariolabatur detectus est, jussu Pontificis fuit carceri mancipatus Avenione, eóque detentus toto tempore Innocētij. Qui tamē, sicuti & jam antè sub Clemente Innocentij decessore cœperat, ita nec cessavit adhuc sub Urbano Innocētij successore deliria sua venditare de futuris, quorum non poterant tunc eventus cōprobari: quamvis non paucis quę cōtigerunt; veri prophetę nomen apud multos obtinuerit. Multa namque prædicebat de duobus Antichristis, de desolatione terrarum, & generali conculcatione Cleri, de Summis Pontificibus futuris, de venturo Angelo Christi Vicario qui cuncta reformaturus sit, & Iudæos ac Infideles omnes conversurus; duraturúmque orbem in pace ferè mille annis: pluráque alia tum de ceteris, tum de statu Galliæ, & duratione bellorum ejus. Scripsítque de his multos libros: quorum duos se vidisse testatur idem Continuator; unum titulo *Ostensor*, alterum *Vade mecum in tribulatione*, quem scilicèt scripsit in carcere. Vignerius sectarius putat, hunc eumdem esse, quem Henricus de Herfordia natione Saxo ex Ordine Prædicatorum, in Chronico quod ad ista tempora produxit, vocat *Haibalum*. Quod & facilè nos concesserimus, ex eo quòd Herfordiensis non aliter meminerit Ioannis de Rupescisâ; & ceteri plerique ejus temporis auctores Ioannem referant, nullùs autem prætereà Haibalum. Ut putemus fuisse ei deridiculum *Haibali* cognomen impactum, ob vaniloquas garrulitates; à voce *Hableur*, quam Franci ex Hispanica suam fecerūt pro blaterone, seu nugatore, qualem iste vanus somniator agere didicerat. Quod autem sunt nonnulli recentiores, qui ob hæresim in vincula cōjectum dixerunt; non ita antiquiores, qui nonnisi ob prophetias de Antichristo proximè venturo, & alia minùs Pontificibus Principibúsque grata, quòd ob eorum ambitionem, avaritiam, superbiam, mala quæ prænunciabat obventura diceret, captum volunt. Ceterùm ait Trithemius [u], fuisse eum in divinis Scripturis admodùm studiosum & eruditum ac sæcularis philosophiæ non ignarum. Quod verò subdit, fuisse in carcerem à ministris sui Ordinis conjectum, intelligi potest, ut jusserit Pontifex, ipsi executi fuerint. Denique

DICTUS HAIBALUS.

[u] *Trith. de Script. Eccles.*

nique quòd nonnemo hunc confundit cum Episcopo Parisiensi & Cardinale ejusdem nominis: grandis est hallucinatio; cùm iste nec monachus fuerit, & longè pòst vixerit, mortuus anno 1437. ut habent Indices Archiepiscoporum Ecclesiæ Vesontinæ, quam ipse quoque ultimò rexit.

XXI. Graves terræmotus multis locis. [x] Vill. lib. 7. cap. 84. [y] Marian. lib. 16. c. 21.

Hoc eodem anno mense Septembri terram ingentibus motibus tremuisse in Hispaniâ variis locis, ac præcipuè Hispali & Cordubæ, cum immenso ædificiorum & personarum damno, Villanius [x] scribit: meminerúntque scriptores Hispanici [y]. Sed longè acerbior clades ex alio terræ motu, qui contigit in superiori Germaniâ die S. Lucæ Evangelistæ 18. Octobris & multis sequentibus; quo tota ferè civitas Basileæ corruit, & quamplurima castra in terram prostrata sunt. Cladem porrò Basiliensem præ ceteris exactè describit Felix Fabri [z] in Historiâ Suevorum; & ignem ex monasterio quodam subverso erupisse ait, qui per totam urbem quasi insaniens discurrit, & magnâ parte quæ motui supererat incensâ, per unam portam civitatis exivit & disparuit. Subdit egregiũ factum Alberti Ducis Austriæ; quòd cùm anteà infenso valdè animo contra Basileenses esset ob jura quædam inter eos controversa, ideóque civitatem obsidere cogitaret; nihilominùs auditâ ejus clade; non solùm noluerit desolatis insultare, verùm etiam auxilium præstiterit ad urbem reparandam; tunc se cum eis armis acturum, si expediret, dicens cùm æqualis sibi fortunæ forent. Ceterùm prædictum Terræmotum iteratis motibus magnam partem anni sequentis in aliis civitatibus Rhenanis sævîsse, auctores tradunt: ita ut etiam dehiscente terrâ plerisq; locis, eruperit copiosa aqua alba fervens & fœtens, quæ turres & muros validos disjecit, & morbos protulit. Percutiente quidem Deo multis flagellis mortales, ad pœnitentiam scelerum; sed ipsis ad ictus & plagas obdurescentibus.

[z] Fel. Fabr. lib. 1. c. 14.

Basil. urbis clades ex terræmotu.

Iesu Christi Annus 1357.
Innocentii VI. Ann. 5.
Caroli IV. Ann. 12.
Ioannis V. Ann. 17.

I. Ioan. Rex Franc. captivus ducitur in Angliam. [a] Vill. lib. 7. cap. 57.

Anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimoseptimo, Indictione decimâ, cùm vellet Princeps Walliæ Ioannem Francorũ Regem captivum suum in Angliam ad patrem traducere, narrat Villanius [a] obstitisse Vascones quibus sese ipse crediderat, nolentes eum è Galliis abduci. Quare arte opus fuisse; & finxisse Anglos, ut pax commodiùs fieret, quam se vehementer optare simulabãt, necesse esse ut ambo Reges mutuò congrederentur, ipsíque per semetipsos eam componerent. Abductus igitur cum Philippo filio & ceteris magnatibus captivis, pervenit in Angliam mense Maij; honorificentissimè quidem exceptus, sed quasi in triumphũ circumactus. Trajicientibus quoque mox Cardinalibus Petragoricensi & S. Vitalis, seriò ex parte Pontificis de pace tractaturis; cùm de eâ nihil concludi posset, induciæ in bienniũ factæ sunt, ut interim veteres discordiæ novis pactionibus extinguerẽtur. Quod tamen fieri minimè potuit; tum quia medio tempore Lutetia, regni Franciæ caput factionibus civiũ adeò laboravit, Stephano Marcello præposito Mercatorum (ita vocant præfectum populi & civilis comitij) seditionis auctore, ut etiam ad pedes Caroli Delphini tres proceres ejus fidissimi cõsiliarij occisi fuerint, fueritq; eidem ipsi, ne à factiosis interimeretur, bicolor ex rubro & cæruleo capitiũ insigne Parisiẽsium partium induendum: (non enim pileis ea ætas aut galeris, sed parvis dumtaxat capitiis utebatur,) tum etiam quòd liberatus è carcere invito Delphino Carolus Rex Navarræ, continuò res magis turbaverit; adeò ut Delphino, quòd in urbe tuto esse non liceret, exeundum fuerit. Et alioqui iis exceptionibus factæ fuerant induciæ, ut liceret Anglo opem ferre Navarro, & in Britanniâ Armoricâ contra partes Blesensis, quas Rex fovebat pugnare.

Delphini periculũ à Parisiẽsibus.

II.

Cùm autem eo præsumptionis etiam venisset Navarrus, ut cõcione publicâ Lutetiæ habitâ dixisset se legibus propiorem esse coronę nonnullis, qui jure controverso armis de regno decertarent; Anglus in se id dictum accipiẽs (ac sanè si feminis fuisset successionis locus, meliori jure erat Ioanna Navarri mater filia Ludovici Hutini, quàm Isabella mater Angli soror prædicti Ludovici) non magna auxilia illi misit, contentus bellum protrahere, quousque veluti lentâ tabe peresi omnes, leges accipere cogerẽtur quas ipse dare voluisset. Volebat autem, ut præter immensam auri summam, possessionémque absolutam absque ullâ obsequij aut beneficij clientelâ, ditionum ac terrarum quas suas in Galliis esse contẽdebat, esset quoque Britannia Armorica Regum Angliæ beneficiaria, adeò ut Eduardus se hoc tractatu *Regem Francorum*, Ioannem vero *Regem Francum* tantummodo nominaret; velut & ipsum quoque regnum beneficiarium Anglorum esse vellet. Quæ licèt à Ioanne desiderio libertatis approbata fuissent, ad concilium tamen Ordinum Franciæ delata, omnes indignatione moverunt. Revocato igitur Delphino Parisios, necatus est à civibus Marcellus, & de aliis seditiosioribus supplicium per Delphinum regni Regentem sumptum. Non tamen quin perturbatissima permãserint omnia per universum regnum; tam Navarro factionibus & incursionibus illum pessumdante, (redintegratâ tamen nonnunquam cum Delphino concordiâ) & populis, seu potiùs rusticis immenso numero sub duce à se creato, cui nomen *Iacobo bono homini*, seu proprium, seu derisoriè impositum, ubique grassantibus, & nobilitatem omnem dirissimè persequentibus; quàm Anglo sub obtentu pacis bellum suggerente, foventéque: tantâ ubique confusione, ut nec jura nec leges ullæ servarentur: nihil nisi crudelis ubique vigeret grassatio, cædes, rapinæ, latrocinia, carceres, & alię hujusmodi pestes; præter ingentem annonæ caritatem solo Numine Franciam regnúmque tegente.

Regis Angliæ præsumptio.

III. [b] Cont. Nang. in Chron. Vill. lib. 7. & 8. 9. Froiss. lib. 1. c. 173. usque 202. Gaguin. lib. 9. Æmil. item lib. 9. Meyer. lib. 13. Masson. lib. 4. Gil. in Annal. Franc. Til. in Tr. ff. Bell. f. lib. 5. c. 21. & seqq.

Quæ mala per biennium integrum ita grassantia, accuratè descripserunt Continuator [b] Nangij; Villanius, Froissardus, Gaguinus,

Æmilius, Meyerus, Massonus, Gillius, Tilius, Belleforestius, & alij. Quid porrò secutum sit, dicemus suis locis. Hic tamen non omittentes, quod alicubi [bb] legimus, hoc anno in vigilia Asſûptionis B. Virginis obtulisse cives Parisinos B. Mariæ cereum rotæ circumflexũ tantæ longitudinis quantæ esset altissima turris civitatis, ut die noctúque arderet pro liberatione Regis. Nec item illud ex Frossardo [c]; cùm supradictus Marcellus obsidionem urbis Lutetiæ timeret à Delphino, fossis ac muris quibus hactenùs caruerat illam muniisse, annóque uno à trecentis dumtaxat operis rem tantam confectam esse. Quod & uti rem miram prædicat ipse; & vix crediderit qui urbis amplitudinem noverit, nisi accipiamus de regione quâdam aut suburbio civitatis, ut verius existimamus, & intelligi potest ex iis qui tractant de Antiquitatibus Parisiensibus.

[bb] Christi Massæ. Chron. lib. 18.

[c] Frossard. cap. 183.

IV. REGIS ANGLIÆ VANITATIS OSTENTATIO.

Ceterùm quòd præter Regem Francorum, haberet etiam Anglus Regem Scotorũ à multis jam annis captivum; superbiæ spiritu ductus, dum unà cum Legatis Apostolicis de libertate utriusque Regis tractaret, & utramque velle simularet: antequàm illa concluderetur, ad ostentandam potentiã & felicitatem suam, tanquam ad festivam ejus celebritatem, solemnia Ludorum Tabulæ Rotundæ, (promulgatis priùs illis, cum omnium ac singulorum ad eadem invitatu, per publicam etiam in aliis regnis indictionem) ingenti magnificentiâ cõcelebravit die festo S. Georgij 23. Aprilis. Cujus pompæ causam & ordinem accuratiùs descripsit Villan.[d] sed anno sequenti collocans; quam Walsinghamus [e], parciùs tamen de illa agens, præsenti ponit. Cùm verò hæc (ut idem Villanius indicat) fictè agerentur ab Anglo, & ex nimiâ vanitate; factum est inquit, secundùm Sapientis [f] dictum, ut Extrema gaudij occupaverit luctus, cùm paulò pòst vidit filios suos morte sublatos. Amisit verò priùs matrem Isabellam, quæ huic festivitati interfuit; sed (ut habet Walsinghamus) obiit mense Novembri; femina ad summam Galliarum calamitatem nata & nupta. Quo eodem tempore David Rex Scotiæ ex decennali fermè captivitate liber abire permissus est; pactâ redemptione centum millium marcharum, ut idem Vualsinghamus ait, seu ut numerat Frossardus [g] quingentorum millium nobilium, vel ut Ioannes Major [h] ducentorum millium, intra decennium solvendorum, datis intereà obsidibus, & quòd quantum posset ageret cum Scotis ut esset deinceps Scotiæ regnum subjectum Angliæ ratione feudi & inaugurationis: quod tamen nũquam impetrari potuit. In partem autem redẽptionis suæ Scotus impetravit à Pontifice decimam fructuum Ecclesiæ Scotiæ in triẽnium.

[d] Vil. lib. 8. cap. 36. 44. & 47.

[e] Vualsing. in Eduar. III.

[f] Proverb. 14.

[g] Froff. lib. 1 cap. 174.

[h] Io. Mai. lib. 5. c. 21.

V. PHILIPPI FILII REGIS FRANC. GENEROSITAS.

Ceterùm sive prædicto Angliæ festo contigerit, sive alio cõvivio hoc eodem anno facto; dum recumbentibus Regibus Anglus quidam nobilis iis ministrans quodam obsequio Regem suum Franco prætulisset, injuriam non ferẽs Philippus filius Ioannis Francorum Regis, quamvis & ipse cum patre captivus, colaphum impegit illi Anglo, & *Túne* inquit *ministrabis prior Regi Angliæ, ubi simul accumbit Rex Galliæ, quamvis captivus?* Cúmque minister cęsus ferro se ulcisci pararet prohibuit Rex Eduardus; & collaudato Philippo, titulum ei Animosi, seu (ut ipse Ioannes pater ejus indigitavit in donatione Latino idiomate ei facta Ducatûs Burgundiæ) *Imperterriti & Impavidi* contulit. Id enim magis sonat vox Gallica *Hardy*, quâ illum Anglus insignivit, quàm *Audacem*, quo cognomine ab auctoribus qui Latinè scripserunt exhinc nuncupatus reperitur, cùm Audacia magis temeritatem sapiat, quàm magnitudinem animi. Ac putamus omninò Regem Anglũ dicendo ipsi Philippo idiomate Gallico, *Vous estes Philippes le Hardy*, respectum habuisse ad Philippum Regem Francorum filium S. Ludovici, cui cognomen factum fuerat *le Hardy*, ut quemadmodũ is esset ejusdem nominis, ita & esset cognominis: quàm quòd illud ei è re tunc natâ noviter imposuerit. Hanc tamen historiam apud nullum Meyero [i] antiquiorem reperimus: quãvis aliàs prædicti Philippi cognominis causas haud adeò dissimiles Oliverius [ii] Marchanus non majori fide retulisse reperiatur. Et scimus alias quoque ab aliis ferri: ac præcipuè audaciæ in fratrem majorem exhibitæ in convivio coronationis Caroli Sexti: de quâ dicetur suo loco; cujus cùm nec Meyerus nec Oliverius meminerint, dici fortè potest confudisse eos pervertisséque rem gestam. Sed de his satis.

[i] Meyer. lib. 13.

[ii] Oliver. Introduct. cap. 3.

VI. SOCIETAS MILITUM PRÆDATORUM IN GALLIA.

Accidit item in Gallia, prædictâ rerum confusione; ad exemplũ Magnæ Societatis Fratris Morialis & Comitis Lãdi quæ Italiã depascebatur, erupisse in Provinciã Galliæ, quę Regi Siciliæ suberat, aliã quamdam Societatem militum diversarum nationum rapto viventium: cujus ducem se præbuit quidam *Arnaldus de Servola* Vasco, vulgo *Archipresbyter de Verniis* nominatus: qui collectâ valida manu ejusmodi nefariorum hominum, ingentia damna intulit iis regionibus, bona diripiẽdo, homines interficiẽdo, ditiores captivando, loca, castra, oppida vi occupando: nisi quòd grandi inde formidine capto Pontifice Avenione, totâque curiâ, eò quòd licèt ibi tum esset Philippus de Tarento frater Ludovici Regis Siciliæ, non esset tamẽ cum solis suis copiis, quas exiguas colligere potuit, lõgè numerosiori Societati, quæ trium millium armatorum equitũ extitit, resistendo: per Archipresbyterũ monitus fuit Pontifex, nihil sibi timere nec terris suis: qui nihilominùs nõ destitit Avenionem adversus ejusmodi prædonum insultus & grassationes munire. Sæviítque hæc pestis iis locis ferè per sesquiannum: donec unanimi populorũ consensu facto decreto sub gravissimis pœnis, ut qui grana & pecora sua servare intra munitiones non possent, ea omnino consumerẽt & perderent ne Societati usui esse possent; post non multum temporis fame & inediâ aliísque incommodis contrita, plurimis extinctis dissipata est. Narrantur verò ista partim breviúsq; ab auctore Vitæ Innocẽtij Papæ, partim prolixiúsque à Villanio [k]: qui prædictum ducem vocat *Archipresbyterum Petragoricensem*, eique socium fuisse Amelium de Baucio inimicum Regis Ludovici & Philippi ejus fratris: rem tacitâ suggestione Cardinalis Petragoricensis promotã fuisse in odium ejusdem Regis, qui male habuerat Duces Dyrrachinos prædicti Cardinalis nepotes: demùm Societati sese adjunxisse

[k] Vill. lib. 7. c. 87. & 96. lib. 8. cap. 8. 54. 96.

junxisse Comitem Avellinum,& quinque nepotes Clementis Papæ VI.ideóque cùm jussisset Pontifex omnes aulicos in armis esse, vix eos temperâsse quin impetû facerent in Cardinales nepotes Clementis;quos publicè harum turbarum insimularent. Malè autem periisse hunc Archipresbyterum sub Urbano V.Pontifice,cùm eousq; circumcursans etiam si non tanto comitatu in suis rapinis perseverâsset, Auctor Vitæ Urbani scribit, quem Frossardus [l] vocat Arnaldum de Carnolâ,Archipresbyterum dictum, cùm tamen uxoratus esset, ac nobili matrimonio potens,quem & magno apparatu sæpè Regi Franciæ fortiter militâsse,ex eodem auctore constat.

[l] Froß. lib.1. cap.177.

VII. REGES HISPANI MAUROS IN ALTERUTRUM VOCANT.

Haud ferè Galliâ pacatior Hispania.In quâ Reges Castellæ & Aragoniæ non solùm totis viribus propriis;verùm etiam advêtitiis Gallorum ex Aquitaniâ,ac demùm(quòd turpissimum fuit,nec tamen insolitum,in Christianis Principibus) Maurorum Saracenorum alterutrimque in auxilium evocatorum,rem bellicam egerunt. De quo Pontifex Innocentius gravissimis literis expostulavit:tantâ esse lædendi sibi invicem cupiditatem,ut certam pestem,unde olim minori causâ exitium extitisset, allicere atq; attrahere in Hispaniam non dubitarêt.At salutaribus[ll] monitis aures Principum obturatæ; adeò illos vindictæ ardor agebat præcipites! Cúmque sub principium annis Legatus Pontificis Guillelmus le Iuge S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis nepos ex sorore ipsius Pontificis,in Hispaniâ adveniens,inducias in menses quindecim certis côditionibus pactus fuisset,brevì illis Castellani frustrationibus violatis, ipsum Legatus juxta earum conditiones anathemate percussit, regnum sacrorum interdicto subjecit; omnibúsq;exteris Principibus ac proceribus prohibuit ei ullo modo opitulari;qui alioqui tum propriâ potentiâ,tum auxiliariorum subsidiis lôgè Aragonio prævalebat.Deficiebant tamen multi ab eo,etiámque sanguine proximiores,& metu crudelitatis ejus, & indignatione libidinum.A' quibus nec valens in tantis motibus temperare,Alfonsæ Corneliç (sororis Mariæ,de cujus insignis castitatis studio facta est superiùs mētio) côjugis Alvari Gusmanij amoribus ita indulsit,ut præ illâ Padillia contemptui esset,quamvis brevi gratiâ.

[ll] Surit. Ind. lib.3. Mariana lib.17. cap.1.

VIII. PETRUS REX CASTEL. CRUDELITATES SUAS PROSEQUITUR AUGETQUE.

Crudelitatis verò exempla hoc anno præcipua fuêre;primò in fratrem suum Fridericum, cùm post Iumilliam oppidum vi detractum Aragoniis,inde revertentem,& navatæ operę laudem expectantem,in oculis suis obtruncari jussit,ob suspicionem de consiliis ad Aragoniū deficiendi,cum Henrico fratre Transtamaræ Comite qui Aragonio militabat communicatis.Quam eamdem pœnam alius frater Tellius præoccupatâ fugâ evasit. Deinde in Ioannem fratrem Regis Aragoniæ,qui à multo tempore profugus apud eum fuerat: quem sive eâdē defectionis suspicione, sive ob importuniùs petitum ab eo Viscaię principatum sibi pacto debitum, à suis satellitibus necari præcepit; seu etiam,ut quidam habent, propriis manibus confodit,corpore è fenestrâ,in subjectam plateam præcipitato, ac deinde in fluenta projecto,prohibito sepeliri. Eodémq; impetu Eleonoram Reginam Aragoniæ amitam suam, dictíque Ioannis matrem, necnon Isabellam ejusdem Ioannis uxorē,in castrum Xericium paulò pòst morituras contrusit.Secutáq; est fœda aliorum nobiliū carnificina.

IX. ARAGONIUS CASTELLANUM AD CERTAMEN PROVOCAT.

Demùm cùm Reges de violatis induciis sese invicem accusarent; Aragonius, quoniam undecumque extaret culpa,innoxio multitudinis sanguine eam expiari iniquum esse diceret, ad certamen Castellanum provocans, eam legem obtulit, ut vigeni, seu quinquageni centenive dimicarent, & eo uno armorum judicio finis controversiæ daretur. Sed hanc provocationem ludibrio ac despectui habuit Castellanus,longè viribus major;quibus rem agere vario Marte perrexit. Hæc autem quæ diximus biennio gesta pluribus describuntur ab earum gentium historicis: necnon à Villanio [m] Italo, qui vehementissimè invehitur in sævitiam Regis Castellæ; ejus etiam alia quædam exempla proferens, quæ apud Hispanos non legimus. Sed quis omnia enumerare valeat?

[m] Vil. lib.7. .60.& lib.8. c.81.& 82.

X. ALFONSI REG. LUSIT. OBITUS.

Præsentis anni mense Maij [n] *Alfonsus* Lusitaniæ Rex Olysipponne decessit,anno ætatis 67. regni 32. Cui successit *Petrus* filius annos natus 37. sævitiâ [o] & ipse atque stupris infamis.

[n] Marian. d. c.1 Duard. de geneal. Reg. Portug.
[o] Vid. infr. an. 1367. VII.

XI. CASIMIRI REG. POLON. IMPURITATES.

Quo etiam vitio non parùm infamatus [p] Casimirus Rex Poloniæ, Boëmam quamdam nobilem formâ præstantem, quam in urbe Pragâ per desponsationem Abbatis Thinicensis pontificalibus induti,(quem illa Episcopū Cracoviensem existimabat) in suos amplexus transire pellexerat, & ardenti amore dilexit, capite calvam & scabiosam repertam repudiavit: ac Iudaici generis feminam in concubinam ascivit,ex quâ plures liberos utriusque sexûs suscepit. Cùm nihilominùs uxorem legitimam haberet, quam hoc eodem anno duxit Heduigim formâ & moribus spectatam, Ducis Glogoviensis filiam:mortuâ paulò antè Adelaidâ alterâ conjuge, quam plurimis annis veluti captivam detêtam,pater ejus domum reduxerat, ubi decessit; pro quâ, dum detineretur, fuit sæpiùs Sedes Apostolica, licèt frustrà ob duritiem Casimiri,interpellanda. Sicuti verò Cazimirum ex aliis delictis divinitùs castigatum superiùs vidimus, ita & ex his impuritatibus fortè manaverit clades illa, quam paulò pòst hæc à Vualachis accepisse,auctores Polonici tradunt.

[p] Michov. lib.4. c.25. Cromer. lib. 12. in fi.

XII. ÆGIDIUS LEGATUS REVOCATUR EX ITALIA.

In Italiâ cùm Ægidius [q] Legatus universa Ecclesiæ Romanæ recuperâsset,exceptis quibusdam civitatibus ab Ordelaffo detentis;revocatus ille à suâ legatione per Innocentium Pontificem,sive proprio ipsius motu, sive Ægidij rogatu; misso in ejus locum Androino de Rocâ sive de Rupe Burgundo, Abbate Cluniacensi:nihilominùs quòd jam Ægidius parata haberet omnia ad Ordelaffum impetēdum, tam à ducibus terrarum Ecclesiæ quàm ab ipso Androino rogatus ad Septembris exitū in Italiâ subsistere; (venerat enim Androinus mense Aprili)remāsit non gravatè. Móxque manum operi admovens, Cesenam adortus munitissimam tunc urbem, post varias & graves pugnas(propugnante illam plusquam virili robore Ciā Ordelaffi uxore) in potestatem suam redegit:Societatem Landinam contra se à Bernabove tyranno Mediolanensi in

[q] Matth. Vill. lib.7. .56.& seqq.

auxilium Ordelaffi immissam, tam censuris in eam promulgatis, quàm datâ pecuniâ in Lombardiam remisit. Captisque insuper aliis Ordelaffi oppidis, demùm mense Augusti Forilivium præcipuâ rebellionis rebellisque sedem, quam ipsemet Ordelaffus defendendam susceperat, obsidione cinxit: commissáque Androino reliqui belli curâ Avenionem repetiit, magnis rebus gestis ad immortalitatem memoriæ gloriosissimus. Ubi tanto honore dicitur [r] exceptus, ut appropinquanti ipsemet Innocentius Pontifex cum universo collegio Cardinalium ad duo passuum millia obviam processerit: deinde in palatio locuplete oratione cũ pro suggestu magnificè laudaverit, & Ecclesiæ patrem magno omnium assensu appellaverit, jusseritque omnium rerum Italicarum curam cum summâ potestate habere.

[r] Ap. Ciacc. de Pontif. in Ægid. Garz.

INGENS EI HONOR HABITUS A PONTIF.

XIII. Intereà Androinus [s] post continuatam aliquanto tempore obsidionem, necesse habuit ob fortem Ordelaffi defensionem, & supervenientem hiemem, eam solvere quousque illam adveniente vere renovavit: sed iterùm vano effectu, quòd Ordelaffus magnam Societatem in urbem introduxerit. Deniq; quòd Androino minùs ad res bellicas idoneo, res Ecclesiæ rursùm dilabi inciperent; de his certior factus Pontifex, denuò Ægidium cum ampliori potestate in Italiam remisit; qui eò pervenit sub finem anni sequentis. De cujus post inde rebus gestis, dicetur suis locis.

[s] Vill. lib. 8.

ITERÙM REMITTITUR IN ITALIAM.

XIV. Quo etiam auctore [t] cognovimus, fuisse hoc tempore Papiæ Fratrem quemdam *Iacobum Bussolarium* Ordinis Eremitarum S. Augustini; qui vitam præseferens sanctam & religiosam, tam auctoritate Comitis Monferratẽsis Vicecomitum hostis, quàm sermonis sui potentiâ, cives ita sibi prædicationibus suis cõciliavit, seu veriùs captivavit, ut eos pro libitu movens urbem à tyrannico jugo Vicecomitum aliorúmque magnatum, & ab obsidione quâ ab hostibus premebatur liberaverit, & copias eorum prostraverit: donec post immensa damna illata & accepta invicem à prædictis Vicecomitibus, & aliis Lombardiæ Principibus qui fœdus contra eos sanciverãt, factâ anno 1359. inter eos pace, exposita est Papia Vicecomitũ prædæ: eâque post longam obsidionem Galeatio dedita, Iacobus quoque in ejus potestatem venit; & principio in honore habitus, ac posteà Mediolanũ abductus, demùm Vercellas ad conventum sui Ordinis in perpetuam custodiam amandatus est. De quo agens Corius, sævæ tyrannidis eum accusat. Bossus [u] autem ait, eum à Generali ejus Ordinis vocatum, vinctúmque Vercellis in ferreâ cavea sub arctâ victûs pœnitentiâ detinuisse, ignorantibus cunctis quònam gentium perductus foret, documento Religiosis futurum, ne se adeò sæcularibus negotiis immisceant.

[t] Id. lib. 6. c. 35. lib. 8. c. 2. & seqq. lib. 9. c. 35. 55.

IACOBI BUSSOLARII CASUS.

[u] Boss. in Chron. Mediol.

XV. Quo etiam tempore causa ventilata est Avenione *Ricardi Armachani*, de cõtroversiâ quæ illi fuit cum Fratribus Mendicantibus: quam licèt quidam in alios annos referant, rectè tamen præsenti collocare Trithemium [x], cõstat ex ejusdem promulgatæ propositionis inscriptione: quæ sic habetur in codice [y] manuscripto Bibliothecæ Victoriensis Parisiis quo illa continetur, & ex quo nuper data est in lucem: *Propositio Richardi Archiepiscopi Ardmacani, Primatis Hiberniæ, facta in Consistorio Avenione coram Papa Innocentio VI. & Cardinalibus ac Prælatis, super materia mendicitatis ac privilegiorum, contra Fratres de Ordinibus Mendicantium quibuscumque, die 8. mensis Novembris anno* 1357. Ad quas quæstiones cognoscendas delegati fuére à Pontifice quatuor Cardinales, videlicèt Guillelmus Episcopus Tusculanus, Petrus S. Martini in montibus, Helias S. Stephani in Cœlio monte, & Franciscus S. Marci Presbyteri Cardinales; ut ex eodem Armacani tractatu sub nomine *Defensorij curatorum* edito constat; necnon ex adtextâ Defensione accusationum Mendicantium, ac libellis tam Pontifici, quàm Cardinalibus ab eo delegatis oblatis, aliísque adjunctis actis publicis.

RICHARDUS ARMACANUS AGIT CONTRA MENDICANTES.

[x] Trit. de Script. Eccl.

[y] Cod. P. 10. fol. 254.

XVI. Hic igitur Richardus Fitzrafius, seu filius Radulphi (ut narrat Harpsfeldius [z] in Historiâ Ecclesiasticâ Anglicanâ) homo Hibernus, primò Academiæ Oxoniensis in Angliâ Cancellarius, deinde Archidiaconus Lichefeldensis, ac demùm Armacanus in patriâ suâ Archiepiscopus & totius Insulæ Primas, Theologúsque doctissimus; antiquam litem contra Fratres mendicato viventes renovans; postquàm illam in Angliâ agitâsset acriter, recurrentibus Fratribus ad Sedem Apostolicam, vocatus Avenionem ab Innocentio Pontifice, eamdémque acriùs apud eum & delegatos Cardinales urgens; in mediis suis dimicationibus è vita excessit [a] in montibus Hannoniæ mense Decembri anni millesimi trecentesimi quinquagesimi noni, vel sequenti: cùm minùs sibi propitios sentiens Pontificẽ & Cardinales, illuc recessisset transmissurus in Angliam. Tendebat porrò eò, (sicuti etiam habet auctor Vitæ Innocentij) ut vel omninò Fratres illi extirparentur; vel saltem in multis corrigerentur, in quibus falcem in messem alienam extenderet ultrà quàm eis à Iure permitteretur, circa illa quæ pertinent ad Ecclesias parochiales earúmque Rectores. De quibus putamus item intellexisse Continuatorem Nangij, cùm sub anno millesimo trecentesimo quinquasimo primo ait, insurrexisse in Curiâ Romanâ aliquos Cardinales & multos alios Prælatos cum magnâ multitudine Curatorum contra Religiosos mendicantes; petentes à Pontifice eos omninò aboleri, vel saltem prohiberi à prædicationibus, confessionibus, & sepulturis: sed Pontificem susceptâ eorum defensione, ostendisse eorum in Ecclesiâ utilitatem, & magis ex invidiâ hæc in illos agitari, quàm ex zelo pietatis, sícque cessâsse persecutionem. Adeò quippe non sunt vetera Mendicãtium privilegia per Innocentium abolita, ut contrà luculentiùs fuerint confirmata, imposito adversariis silentio; sicuti & dolẽs refert Walsinghamus [b]. Richardi autem assertiones impugnâsse intèr alios, Rogerum [c] Conerœium Franciscanum, Ioannem Heidelhamium Carmelitam, Galfridum Hardebeium Augustinianum, & Emgelbertum Dominicanum Anglos, idem Harpsfeldius scribit: nec tamen omnem inter Academias & Fratres controversiam sublatam esse in Angliâ. Nam septennio pòst ambas partes coram amplissimis totius regni comitiis mutuas querelas deprompsisse: sed utrimque

[z] Harpsfeld. sæc. 14. c. 28.

[a] Vvadding. Annal. Min. to. 4. hoc an.

[b] Vvals. in Eduard. III. an. 1358. & 1360.

[c] Hujus commentarium edid. Golaist. tom. 3. Monarch. post Defens. Armac.

compro

compromissum esse in Regem: qui decrevit, ut in exercitiis scholasticis, aliisque in rebus mutuam pacem amplecterentur; & ne minores octodecim annis in societatem suam reciperent. De aliis autem Richardi scriptis agens Bellarminus[d], quæ sibi in ijs vitanda visa sint indicat. Fuisseque aliū ejus errorem quidam[e] observant, quòd inferiores sacerdotes absente Episcopo altaria consecrare, oleum & Chrisma benedicere, Ordines conferre, & alia munia Episcopalia obire possent. Haud tamen illum pravo animo ad prædicta delatum esse, sed quòd disciplinam Ecclesiæ iis læsam esse existimaret; inde evidenter colligi posse videtur, quòd idem Harpsfeldius aliorum testimonio asserat, voluisse Deum ejus vitæ candorem post obitum editis ad tumulum ejus in Hiberniâ, quò relata sunt ossa, miraculis illustrare. Et scribat Vuaddinghus Hibernus, Sancti nomē in Hiberniâ obtinuisse: ac Bonifaciū Papam IX. diploma dedisse, quo miracula quæ ab eo ferebantur patrata examinari jussit. Quibus intelligas, eum nec inter hæreticos recensendum esse, cùm nunquam ab Ecclesiâ recesserit, cui omnia sua scripta submisit; & meliori omnino dignum nomine esse, quàm passim ab hæresum descriptoribus, & Scholasticis Doctoribus audit.

d Bellarm. de Script. Eccles. e Gaulter. in Chronol. sæc. 14. ex Prateol. & Castr.

CLARUIT POST MORTEM MIRACULIS.

XVII. INQUISITIO VITÆ AC MIRACULORUM LEOPOLDI AUSTRII COMMITTITUR À PONT.

Hoc item anno Innocentius Papa ad postulationē Rudolphi senioris Ducis Austriæ, inquisitionem vitæ ac miraculorum *Leopoldi* olim Marchionis ejusdem Austriæ, *Pij* cognomento dicti, qui post administratum quadraginta annis summâ pietate & integritate Marchionatum, (longè enim pòst titulum Ducatûs adepta est Austria) decesserat anno millesimo centesimo trigesimo sexto, & multis miraculis ad ejus corpus editis clarere dicebatur; commisit Archiepiscopo Pragensi, Episcopo Olomucensi, & Abbati S. Crucis Pataviensis diœcesis; quò posteà ritè ad canonizationem à Rudolpho petitam procedi posset: datis eâ de re literis pridie Calendas Ianuarij anno sexto, nempè ultimâ die præsentis. Cujus tamen canonizatio in multum tempus dilata est: de quâ dicetur suo loco[f].

f Infr. an. 1485. I.

IESU CHRISTI Annus 1358.
INNOCENTII VI. Ann. 6.
CAROLI IV. Annus 13.
IOANNIS V. Ann. 18.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, Indictione undecimâ, eò pauciora gesta referemus, quò pleraque hujus anni sub narrationibus superioris non incommodè comprehendi contigerit. Et fuerunt alioqui hæc tempora adeò bellicis tumultibus ubique perturbata, ut vix licuerit alicubi rebus Ecclesiasticis animum applicare; nisi fortè ad illas ab injuriis principum sæcularium defendendas. Quâ in re insudâsse Innocentius Pontifex reperitur monitionibus & comminationibus ad diversos missis, & intentatis; sed parvo, aut nullo fructu, quòd plerique fronte perfrictâ ad hæc obduruissent.

II. IMMUNITAS ECCLES. TURPITER VIOLATUR IN ANGLIA.

Luculentum eâ de re exemplum subministrat nobis hoc anno Anglia, in causâ Thomę Lilei Dominicani Episcopi Eliensis: qui cùm jam anno superiori variorum criminum reus factus, (suóne merito, an potiùs suggestione cujusdam feminæ, quâcum erat illi propter Ecclesiæ suæ causas lis & contentio) & ad causam dicendam coram regio tribunali vocatus, atque in carcerem abreptus; nequicquàm intercedente Islepio Archiepiscopo Cantuariensi, capitalis causæ contra Episcopum cognitionem ad regios Iudices minimè pertinere; ipsóq; Thoma frustrà clamitante ad Ecclesiæ judicium remitti: ab iisdem regiis Iudicibus mulctatus fuisset magnâ pecuniæ summâ: ipséque è carceribus dimissus, ad Romanum Pontificem contra Regis Angliæ voluntatem, de injuriis acceptis conquesturus se contulisset: mandâssétque Pontifex omnia acta coram Iudicibus cōfecta ad se transmitti; & nisi parerent, anathema iis denunciari: excusantibúsq; se variis subterfugiis nonnullis, unus ceteris audentior nuncium ad se missum in carcerem conjecisset: His auditis Pontifex, eos qui hæc negotia Thomæ struxerant, anathemate percussit, mandavítque Lincolniensi Episcopo, & aliis quibusdam Prælatis, ut siqui ex iis obiissent, eorum cadavera è sacris cœmeteriis eruta in locū profanum projicerentur; quod cùm factum esset, Rex vehementer in prædictum Episcopum & alios Prælatos commotus, eos infestare cœpit. Eóque res processit, ut cùm post hæc missi quidam ab Eliensi cum literis Apostolicis, eas armati Episcopo Roffensi qui erat Regis à thesauris tradidissent, & mox se proripuissent; comprehensi tamen eorum nonnulli, in crucem sublati sint. Quæ sic gesta narrant Vvalsinghamus[a] & Harpsfeldius[b].

a Vvals. in Eduar. III. b Harpsfeld. sæc. 14. cap. 29.

III. SOCIETATIS LANDINÆ GRANDIS CLADES À RUSTICIS.

Hoc item anno eligens Deus infirma mundi ut confunderet fortia, ingentem cladem inferri voluit à rusticis montanis, & mulieribus, Magnæ Societati Comitis Landi; quæ universæ Italiæ tantum terrorem incutere consueverat, ut præcipua ferè Rerum publicarum principúmque cura in eo versaretur ut se ab eâ tutarentur, pro minimo ducentes pacem immensis pecuniarum summis redimere. Cùm igitur per Appenninum transituri, angulum agri Florentini attigissent, & injurias quasdam accolis montanis intulissent; hi ut se ab iis vindicarent, cùm pars exercitûs quæ præcedebat tutò fauces pertransîsset, reliquam in quâ erat ipse Comes Landus undique aggressi in saltibus difficillimis & asperrimis, profundísque & arctis convallium viis, in quibus nec virtus armorum proderat, nec ullus erat equorum usus, ita eos in unum conglobatos & nec ultrà progredi nec retrò cedere occupatis viis valentes, lapidibus & cōtis & ballistis miserabiliter oppresserūt, ut quāplurimis occisis, reliquísque per quęque confragosa equis armísque abjectis sese demittentibus, (quos nihilominùs montani viri feminæque instar imbris undiq; confluentes aut peremerunt, aut spoliârunt) Comes ipse Landus graviter vulneratus coactus fuerit sese in manus eorumdem montanorum tradere ingentia pollicitus præmia si vita servaretur: quod & illi contigit. Sicque hâc exercitûs

parte omninò deletâ, cetera quæ primò incesserat facillimè eamdem sortem nacta fuisset, nisi quorumdam civium Florentinorum operâ, quos velut obsides secum habebat, incolumis permissa fuisset abire in Romandiolam: ubi à Lando reparari vires, novis quotidie accedentibus copiis, cœpêre, irritatissimo in Florentinos animo, quasi eorum dolo clades accepta fuisset, quam suopte ingenio accolæ montani ob injurias acceptas intulerant. Rem lectu modò jucundiorem quàm fuit tunc Societati toleratu, quæ contigit mense Iulio hujus anni, prolixè narrat Matthæus [c] Villanius, breviùs Aretinus [d], uterque Florentinus. Qui eodem narrationis modo pergunt describere grandes conatus Societatis contra eosdem Florentinos anno sequenti impensos, & invictum horum animum, quo cuncta priùs perferre statuerunt, (frustrà eos amicis civitatibus, aliisque privatis, ipsóque etiam magnanimo Ægidio Legato Apostolico, ad concordiam pecuniâ à Societate redimendam, quod ipsi elegerant magis quàm certaminis aleam subire, adhortantibus) quàm Societatis minis jactationibúsque concedere. Unde & contigerit, ut paratis impigrè magnis copiis tam suorum quàm auxiliariorum duce electo Pandulpho Malatestâ rei militaris peritissimo, ita se animosè Societati, quæ in agrum Florentinum ingenti multitudine penetraverat, opposuerint; ut post trimestre spatium cernens demùm illa nihil se adversus eos proficere posse, quinimmò & valdè sibi timens à prudenti Malatestæ consilio ductúque; numquam ad manus venire ausa, noctu per silentium abiens, sese in Lombardiam per amica sibi loca receperit: Eâque ex re nomen ac fama populi Florentini mirum in modum apud cunctos accreverit.

[c] *Vill. lib. 8. cap. 72. usque 79.*
[d] *Aret. lib. 8. & ap. S. Anton. tit. 21. cap. 9. § 4.*

FLORENTINI ANIMOSÈ RESISTUNT SOCIETATI.

IV. Quo eodem anno [e] Fr. *Nicolaus de Monte Corvi*, cum duobus sociis Franciscanis apud Cayrum Ægypti, in præmium reducti ad fidem Christi cujusdam Thomæ Hungari, qui ad Mammeluchos apostataverat, martyrium unà cum ipso adepti sunt à Sultano quarto Aprilis, in duas partes secti, & in frusta concisi, atque in ignem conjecti: quorum reliquias Christiani qui in Cayro erant collegerunt eò avidiùs, quò supra eorum corpora dum dissecarentur & cremarentur ingens fulgor effulgere visus est. Cujusmodi martyria frequentissima fuêre his temporibus, tam Franciscanis, quàm Dominicanis, aliorúmque Ordinum professoribus, cùm ad prædicandum barbaris Evangelium mitterentur.

[e] *Vadding. tom. 4.*

MARTYRES IN ÆGYPTO.

V. Mortuo hoc eodem anno mense Septembri seniore Duce Austriæ, (ut idem Villanius [f] narrat) rumor fuit Carolum Imp. filio ejus Rudolpho novo Duci unam ex filiabus suis in uxorem dedisse: ac cupientem eum altiùs evehere, simúlque extinctis Lombardiæ tyrannis atque civitatum Etruriæ factionibus, regnum constituere, sub cujus legitimâ ac naturali auctoritate populi suaviùs gubernarentur; prædictum Ducem generum suum Regem Lombardiæ pronunciâsse. Quo in Italiâ audito, magna facta est omnium commotio; cœptúmque de ineundis ad hanc impugnandam novitatem fœderibus agi. Ita Villanius multo tempore creditum fuisse ait; demùm tamen vanum fuisse rumorem detectum; jactatum illum in vulgus à Duce Austriæ, quò faciliùs interciperet Patriarcham Aquileiensem, qui post obitum Ducis Senioris in manus suas receperat redditus quosdam Patriarchatûs ab illo occupatos. Cùm autem novus Dux & Patriarcha ita inter se convenissent ut res ad arbitrium Caroli Imp. remitteretur, inter eundem Patriarcham detentum fuisse Viennæ ab Austrio quousque iisdem redditibus renunciaret: Patriarcham autem suis omninò præcepisse, nequid penitùs, quicquid demùm sibi fieri contingeret, Duci concederent. Erat autem Patriarcha ille ex familiâ Turrianâ Mediolanensi, olim Vicecomitum æmulâ, nomine Ludovicus: quem cùm Viennæ detentum fuisse anno 1362. Villanius ponat, eodémque sedere desiisse Onuphrius [g] adnotet; inde colligi posse videtur, fuisse eum ab Austrio adeò malè habitum, ut brevî mori contigerit.

[f] *Vill. lib. 8. cap. 98.*

DUX AUSTRIÆ MALE HABET PATRIARCHAM AQUIL.

[g] *Onuphr. in Chron.*

VI. Narrat item hoc eodem anno Rebdorffius, mense Iulio Regem Livoniæ misisse fratrem suum ad prædictum Carolum Imp. Norimbergam, significatum velle se paganismo derelicto Christianum fieri & baptizari: eâque de re Carolum in Livoniam legâsse Archiepiscopum Pragensem, & Magistrum Teutonicorum in Germaniam. Cúmque Rex ille promisisset Wratislaviam ire ad suscipiendum baptismum, Imperatorem eò quoque accessisse solemni apparatu: at Regem rescripsisse nolle se baptizari, nisi terræ sibi ac decessoribus suis per Imperatores & Fratres Teutonicos Prussiæ ereptæ restituerentur; sicq; rem infectam permansisse; deludentibus scilicet de more principibus illis Christianos, ut interim aliquod laxamentum ab eorum incursibus obtinerent.

REGIS LIVONIÆ LUDUS.

IESU CHRISTI Annus 1359. INNOCENTII VI. Ann. 7. CAROLI IV. Annus 14. IOANNIS V. Ann. 19.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, Indictione duodecimâ Carolus Imp. habito in civitate Moguntinâ colloquio (ut scribit Nauclerus [a]) cum Archiepiscopis Moguntino, Treverensi, & Coloniensi, ac Principibus sæcularibus, de legatione Episcopi Cavalicensis, quem Pontifex miserat pro subsidio Cameræ), hoc est pro collectione decimarum in subsidium Sedis Apostolicæ & belli contra Turcos) cum amplâ facultate dispensandi cũ clericis super beneficiis minùs canonicè obtentis: expostulavit cum Legato de eo quòd solicitus esset de exigendis pecuniis, nec hilũ curaret de reformãdo clero. Et occasione acceptâ captivitatis pretiosi Cunonis Comitiis Falckensteinij canonici Ecclesiæ Moguntinensis ibi præsentis, Gerlaco Archiepiscopo Moguntino graviter atque severè præcepit clerũ suum reformare in vestibus, capillis, & vitæ usu: quod si non fecissent, mandaret fructus beneficiorum ipsorũ fisco Imperatoris addici, quos ipse ad Papæ

[a] *Naucler. gener. 46.*

CAROLUS IMP. SOLICITUS DE REFORMATIONE CLERI.

arbitrium

arbitrium in honestos usus conversurus esset. Hæc Nauclerus. Quod porrò secutum sit, non habet. Reperimus autē alibi, imprimis quod ad prædictum Cunonem attinet [b], tantum apud eum valuisse Caroli Imper. admonitionem, ut Archiepiscopus posteà Treverensis, Administratórque Coloniensis magnâ cum prudentiæ laude fuerit, adeóque & ad ipsum posteà Moguntinum postulatus. Quod cetera verò spectat, ex epistolâ Innocentij [c] Pontificis ad ipsum Carolum Imp. duodecimo Calendas Maij per Guillelmum Decanum Wissegradensem ipsius Caroli oratorem scriptâ, intelligimus; præter hæc eumdem Imperatorē ad Prælatos Germaniæ literas destinâsse, continentes comminationes sequestrationis proventuum Ecclesiasticorum faciēdæ per sæculares Principes, ad correctionem Clericorum. Quâ in re sicut eum laudavit Pōtifex de zelo quem haberet ad puritatem & sanctitudinem ministrorum Ecclesiæ; ita etiam hortatus est, ut qui esse deberet præcipuus defensor libertatis Ecclesiasticæ, ab hujusmodi per sæculares sequestrationis comminatione abstineret; & siquid jam attentatum fuisset, in pristinum statum reponere curaret; satísque haberet Prælatos solicitare, & inducere ad castigandos clericos sui officij transgressores: séque id etiam diligenter apud eosdem Prælatos curaturum. Quod etiam continuò præstitit, scribens Archiepiscopis omnibus Germaniæ, ut in suis provinciis clericos à præscriptâ vivēdi formâ aberrantes corrigerent ac punirent. Sicuti & ipse Imperator pro libertate Ecclesiasticâ contra temporales potestates rescripsisse hoc eodem anno tertio Idus Octobris Pragæ reperitur [d]; quicquid contra Ecclesiasticos factum esset irritans, & quicumque eos indignè vexarent, infames declarans, & omni honore privans.

b Serar. Rer. Mogunt. lib. 5.

c Reg. Innoc. ex quo descrips. Bzov. hoc an.

d Ext. ejus const. tom. Reg. Germ. Lindembrog. mem nitque Magn. Chron. Belg. sub Car. IV. & alij.

II. PETIT REVOCARI ALIQUAS CONSTITUT.

Cùm autem post hæc idem Imp. apud eumdem Pontificem causatus binas Clementis Quinti constitutiones, quarum altera incipit *Rom.* [e] *Principes*, altera [f] *Pastoralis*, de quibus dictum est suis locis; Henrici VII. Imp. avi sui, cujus causâ latæ fuerant, & aliorum antecedentium Imperatorum memoriam offuscare; semel atque iterùm rogavit eas revocare, missis ad hoc Archiepiscopo Pragensi & Episcopo Argentinensi. Quod Innocentius, re cum collegio Cardinalium communicata, non esse sibi integrum facere excusavit; eò quòd fuissent illæ magnæ consilij deliberatione decretæ, & in Synodo Generali Viennensi maturè consideratæ, ceterísque sanctionibus Apostolicis in corpore Iuris Canonici adjunctæ.

e Clem. tit. de jurejur.
f Ibid. tit. de sent. & re judic.

III. BERTOLDI HÆRESES.

Eodémque tempore (ut Nauclerus & Mutius ponunt) *Regnardus* quidam *Bertoldus de Robach*, qui jam anteà Herbipoli quosdam articulos impios à se propositos abjurare coactus fuerat: dum eosdem iterùm Spiræ asserere præsumeret, uti relapsus traditus est curiæ sæculari, flammis exurēdus. Erant autē ejus hæreses; Christum in Cruce sic fuisse à Patre derelictum, ut præ nimio dolore dubitaverit de salute animæ suæ; maledixerítque B. Mariæ Virgini, necnon terræ quæ suscepit sanguinem suum. Item, Hominem in hâc vitâ tantum proficere posse, ut nec orare nec jejunare necesse habeat: Laïcum illuminatum adeò posse proficere prædicando & docendo, ut magis ei sit credendum quàm Evangelio aut sacris Doctoribus: (sive, ut Mutius habet, cum majore fructu posse alios docere, quàm Evangelium aut sacrarum literarum doctores.) Hominem devotum in perceptione cibi communis posse percipere tantam gratiam, quantam in perceptione sanctissimæ Eucharistiæ.

IV. MARTINI ITEM GONSALVI.

Erat item his diebus [g] in Hispaniâ *Martinus* quidam *Gonsalvus*, sive Gundisalvus Conchensis, multa fatua asserens: putà, quòd ipse esset germanus S. Michaëlis: quòd pro ipso servaret Deus locum desertum Luciferi: quòd ipse esset prima veritas & scala cæli: quòd singulis diebus scanderet cælum, & oscularetur illud: quòd advenientem Antichristum ad singulare certamen provocaturus esset, & Cruce Christi diademate spineo ornatâ prostraturus. Quem Toletanus Archiepiscopus ignibus damnavit. Stolidior verò *Nicolaus Calaber*: qui asserebat eumdem Gundisalvum esse Dei filium in cælis ab æterno natum, quamquam in terris videretur patrem & matrem habuisse: Eumdémque numquam moriturum: Spiritum Sanctum futuris temporibus in carne assumptâ nasciturum; & ad prædicationem Gundisalvi universum mundum novam fidem crediturum: In extremo die Iudicij omnes ad Inferi supplicia damnatos, Gundisalvi precibus salutem consecuturos: In homine tria esse, Animam, quam formaverit Deus Pater; Corpus, quod plasmaverit Filius; Spiritum, quem S. Spiritus insufflaverit: Dæmones invocandos esse; & alia ejusmodi delira: quem Eymericus Aragoniæ Inquisitor, igne pariter comburendum Magistratui sæculari addixit. Nec sanior, quamquam in fine prudentior, *Bartholomæus* [h] *Ianovezius* Majoricanus; qui constituebat tempus adventûs Antichristi, diem Pentecostes anni proximi millesimi trecentesimi sexagesimi, quo cessarent omnia Ecclesiæ Sacramenta, & Sacrificium incruentum: Christianos adultos, qui Antichristi charactere semel inusti forent, numquam ampliùs ad fidem Christi redire posse: Iudæos autem, Saracenos, aliósque Infideles, licèt ab eodem Antichristo seductos, eo tamen extincto ad Christum conversum iri. Quos item errores idem Eymericus damnans, librum eos continentem publicè cremari jussit; Bartholomæum verò pœnitentem Ecclesiæ gremio restituit.

g Eymer. Director. par. 2. q. 11. Franc. Diag. in Hist. provinc. Arag. Ord. Prædic. lib. 1. cap. 24.

ET NICOLAI CALABRI.

h Prateol. de Hæres.

ATQUE IANOVEZII.

V. GUIDO DE BOLONIA CARD. IN HISPANIÂ MITTITUR PRO PACE INTER REGES.

Erat præterea his temporibus Hispania perturbatissima à sævitiâ Petri Regis Castellæ, & bello quod illi cum altero Petro Rege Aragoniæ incumbebat. Ad quod sedandum missus [i] ab Innocentio Pōtifice Guido Cardinalis Episcopus Portuensis, Boloniēsis dictus, regióque Francorum sanguine ortus, (quippe frater Comitis Boloniensis, creatus olim Cardinalis à Clemente VI. ex Archiepiscopo Lugdunensi:) multísque legationibus pro Sede Apostolicâ per universam ferè Europam obitis insignis; quamvis diligentissimè operam suam apud utrumq; Regem pro conficiendâ pace, vel saltem induciis paciscendis, impenderit, nihil tamen ab obstinatissimis impetrare potuit. Continuatáque arma terrâ maríque, & ferè cùm majori Aragoniorum, ut potè de-

i Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 17. cap. 2.

biliorum, clade: præterquàm in pugnâ Araviana ad radices Cauni montis Septēbri mēse initâ; quâ Henricus & Tellius fratres Regis Castellæ naturales Aragonio militantes, unà cum aliis ducibus Aragoniis, Castellanos fuderunt, cæsis primariis ferè omnibus unà cum duce copiarum Hinestrosâ, vel captis. Quod tantùm Regi Castellæ mœrorem injecit, ut [k] tamquam in doloris levamentum, duos alios fratres suos naturales Ioannem decem & octo, & Petrum quatuordecim annos natos, interficiendos curârit, nullâ innocentis ætatis misericordiâ: cùm jam ante dictam pugnam prædictos Henricum & Tellium, die dictâ quamvis absentes perduellionis lege damnâsset: & Eleonoram Reginam amitam suam Regis Aragoniæ uxorem, Ioannámque Tellij conjugem, quas in custodiâ habebat, mori compulisset, violatis omnibus humanitatis & pietatis religionísque legibus. Unde & contigit multos alios viros nobiles ad Aragonios animos adjicere, ex ejusmodi exitiis cogitantes nullius salutem in Castella tutam esse. Narrat hæc pluribus Mariana.

[k] Mar. cap. 3.

PETRI HORRENDÆ CRUDELITATES.

VI.

PETRVS ARAG. FIT MINORITA.

Quarum miseriarum, mundíq; ipsius pertæsus alius *Petrus* Aragonius, filius Iacobi II. Regis Aragoniæ, & Blancæ Caroli II. Regis Siciliæ filiæ, sororísque S. Ludovici Episcopi Tolosani Ordinis Minorum, Comes Ripacurtiæ, & patruus prædicti Petri Aragoniæ Regis; mortuâ conjuge Ioannâ sorore Comitis Fuxensis, filiísque ex eâ susceptis bona sua ac ditiones partitus; Ordinis Minorum habitum induit [l], ac multis annis in eo Ordine piè & laudabiliter vixit.

[l] Surit. Annal. Arag. lib. 9. cap. 18. Blanc. in comment. rer. Aragon. Vvadding. Annal. Minor. to. 4. an. 1358.

VII.

CAROLUS ALENC. FIT DOMINICANUS.

In Galliâ verò turbarum quæ illic vigebant pertæsus pariter *Carolus* Comes Alenconius regij sanguinis Princeps, habitum S. Dominici suscepit. Quâ de re questa ejus mater apud Innocentium Pontificem, ex eo quòd inde Comitatus ejus periclitaretur; commisit [m] Pontifex 10. Calendas Iulij Ioanni Marchioni Montisferrati, quatenùs ab eodem Comite curaret sui propositi seriem diligentiùs indagare: & si illum inveniret secundùm Evangelica consilia mundum constanti perseverātiâ relinquere voluisse, eum in proposito cōfirmaret: sin autem juvenilem levitatem hoc ei persuasisse, ac deinde vel complexionis debilitatem, vel ignotam sibi priùs religionis asperitatem, perseverantiam interdicere; dum liceret ante statutū à jure professionis terminum, moneret sibi ac suis consulere. Perseverâsse verò Comitem constat; fuisséque posteà, non tam propter generis nobilitatem, quàm morum præstantiam, creatum Archiepiscopum Lugdunensem, eámque Ecclesiam dignè administrâsse per decennium.

[m] Reg. Innoc. & inde ap. Bzov. hoc an.

VIII.

Quod autem rem Galliæ publicam spectat; cùm ad spem concordiæ inter Reges Francorum & Angliæ tractatæ commotio regni cōnihil trāquillari cœpisset, & Carolus Rex Navarræ operâ Cardinalis Petragoricensis ab Innocentio Pontifice missi, in quamdā pacis speciem cum Delphino convenisset: (quod Regis Angliæ assensu factum, credidit Villanius [n] de his agens, quò per Navarrum singula Delphini & Francorum consilia sibi paterent:) idem Rex Angliæ Eduardus, postquam suis ludificationibus concordiæ se cupidum ostēdisset, ac nihilominùs conditiones ejusmodi proposuisset, quas certò scire posset nequaquàm à Francis accipiendas fore: jam quasi debito officio functus, iram resumens, & ad subjiciendum sibi armis regnum, quod arte non valebat, animum applicans; majori quàm umquam apparatu Caletum trajecit mēse Octobri, unà cum Eduardo primogenito suo, aliísque filiis, ac ferè universâ nobilitate, totam Frāciam deglutiturus. Ait enim Frossardus [o], vix ullum virum militiæ aptum à viginti ad sexaginta annos in Angliâ remansisse, præter illos qui ad custodiam regni dimissi sunt. Et Villanius, habuisse in castris centū millia bellatorum: (tam ex suis videlicèt, quàm ex auxiliariis Germanis & Belgis:) Walsinghamus, trajecisse cum undecies cētenis navibus. Qui tamen spe suâ dejectus, numquam minùs rerum præstitit; exsufflante divino numine vana ejus consilia, solis suis viribus innixa. Qui tamquam coronam regni accepturus, imprimis Remorum civitatem, ubi Reges ungi & inaugurari consueverunt, aggressus, nec trimestri obsidione obtinere valēs; tentatis post hæc frustrà Catalauno, Tricassibus, aliísque pluribus oppidis, quæ fortibus præsidiis Delphinus munierat; multísque incommodis ex brumalibus tempestatibus affectus, cùm quasi & ipsi tempori insultare sibi placens ferâ hieme expeditionem suscepisset: post aditâ Burgundiam, & acceptam ab ejus Duce magnam vim auri ne eam diriperet; primariam regni civitatem invadendam existimans, Lutetiam circa festum Paschātis anni sequentis accessit, in quâ erat Delphinus cum exercitu: sperans si eâ potiretur, facilè totum se regnum in suâ potestatem redacturum; præsertim cùm Navarrum haberet secretò sibi faventem. Verùm & hâc spe frustratus, civitate nequicquàm tētatâ, cùm nec ullus ad pugnam exiret; (longè namque aliâ ratione bellum gerere quàm pater atque avus fecissent, Delphinus deliberans, nihil fortunæ committendum existimabat:) vastatis tantùm agris Anglus Britanniam Celticam victo quàm victori similior petebat. Quando Delphinus periculo defunctus, legatos ad eum misit de pace tam illi gratâ in his rerum difficultatibus, quàm Francis necessariâ: de cujus conclusione dicetur anno sequēti, quo facta est. Hæc autē quæ diximus, præter recentiores Gallos [p], pleniùs tractant è veteribus Frossardus [q] & Villanius [r]: narrans etiam iste, quomodò interim dum Anglus occupatus esset in Galliâ, Normanni classe paratâ excensione factâ in Angliam, vastitatem quantam potuerunt fecerint, multas naves abstulerint; & commotis in eos insulanis, incolumes ad sua se receperint. Quod etiam tradit Walsinghamus; prædictam Regis sui expeditionem multò leviori pede transcurrens, quàm solet alias feliciores.

[n] Vill. lib. 9. cap. 41. & 53.

EDUARDUS REX

ANGL. RURSÙM IMPETIT GALLIAM NULLO OPERÆ-PRETIO.

[o] Froff. lib. 1. cap. 206.

[p] Gaguin. & Æmil. lib. 9. Bellefor. lib. 5.

[q] Froff. lib. 1. cap. 206. & seqq.

[r] Vill. ubi supr. & cap. 67. & seqq. 82. & seqq.

IX.

ORDELAFFUS CAPITUR.

In Italiâ hoc demùm anno mēnséque Iulij Frācíscus Ordelaffus obstinatissimus ille Forilivij tyrannus, de quo sæpè superiùs, ad extrema per Ægidium Legatum Apostolicum redactus, in liberam ejus potestatem se dedidit. A quo Faventiam deductus, ac publicè coram omnibus errores, hæreses, & facinora in Romanam Ecclesiam admissa cōfessus, omni honore, dignitate & officio privatus est,

Peractâ

Peractâ verò injunctâ pœnitentiâ, censuris Ecclesiasticis exsolutus est, concessis,ei duobus oppidis,quæ sub auctoritate Ecclesiæ teneret:sicuti pluribus scribit Villanius [s].

s Vill.lib.9. cap.36.

X. POLONORUM CLADES.

Non ita felix adversùs Walachos Rex Poloniæ Cazimirus. Cùm enim contendentibus de principatu Walachiæ(Daciæ antiquæ portionem esse volunt,cujus & pars Moldavia dicta) duobus fratribus, senior à juniore pulsus Cazimirum adiisset opis causâ, misit Cazimirus exercitum:qui post læta principia, silvam superatus densam & impeditam,quam tacitè hostes insederant;& quâ Poloni iter facturi erant arbores succiderant itaut truncis aliquantùm hærerent; cùm eam indaginem ingressus est, coortis ex insidiis Vualachis, & extremas arbores succisas vi impellentibus itaut aliæ in alias caderent & dejicerent; hâc grandi ruinâ sic obrutus est exercitus,ut qui obtriti & extincti non sunt,debilitatis & collisis membris in hostium potestatem venerint,paucis de extremo agmine salvis evadentibus. Rem describunt auctores [t] Poloni. Cui haud absimilem cladem ab iisdem Vualachis illatam Carolo Hungariæ Regi in arctissimâ quâdam viâ,vidimus [u] triginta fermè antehàc annis.

t Michov. lib.4. cap. 20. Crom. lib.12.
u Supr. an. 1330. XIII.

XI. FULMEN MIRABILE.

Mirabile fulmen cecidisse hoc anno die Paschatis vigesimo primo Aprilis in majorem Ecclesiam urbis Senarum,dum Missæ sacrificium celebraretur,narrat Villanius [x] percussisse nempè Angelum qui erat in culmine ecclesiæ,eúmque longè abjecisse,absque tamen læsione:inde sacellum penetrans,ornamenta arsisse,& tabulatum altaris majoris : sacerdotem , qui jam Corpus Domini consecraverat,necdum tamen sumpserat , repentino pavore penè exanimem corruisse,quinque aliis qui altari inserviebant percussis & recisis:sacram Hostiam,& Crucem altaris,numquam potuisse reperiri. Habet insuper multos feminarum monstrosos partus visos esse Florentiæ ejúsque territorio,ortos ex pavore intemperiei cæli.

x Vill.lib.9. cap.21. & 25.

XII. ORCHANIS TURCORUM REGIS INTERITUS.

Hoc item anno mortuum esse *Orchanem*, Turcorum Regem post Suleimanem primogenitum suum,diximus aliàs [y] & omninò asseri posse videtur ex collatione variorum historiæ locorum. Et Orchanes quidem morte naturali anno ætatis octogesimo extinctus dicitur:Suleimanes verò lapsu ex equo , cùm in venatione incitatus ad cursum equus, pedem alterum in scrobem immittens unà cum sessore corruisset. Successit Orchani superstes filius alter *Murates* sive *Amurates* dictus , cognomine Gasis, hoc est heros. Qui post domitos quosdam è suis rebelles,aut aliàs ditionis suæ fines incursâtes Christianos aggressus contra induciarum pacta,Didymothicum fraude cepit,urbem Thraciæ nobilem , ab Imperatoribus frequentari solitam; ac paulò pòst tam vi quàm dolo Hadrianopolim civitatem longè amplissimam, quam & regni sui sedem constituit,iisdémque modis plures alias,quas recenset Leunclavius [z] in Historiâ Turcorum. In cujus narrationibus ex ipsis Turcorum scriptis acceptis, non semel mirari nobis contigit(siquidem eis fidem habendam duxerimus ; quas non rarò fabulis refertas non quidem in Turcorum progressibus,de quibus nullum est dubium , verùm in modis rerum gestarum,deprehendere licet)tam Turcorum sagacitatem ac promptitudinem animi in circumveniendis & invadendis Græcis,quàm Græcorum stupiditatem atque pusillanimitatem in defendendo se ab eorum insidiis & aggressionibus. Ut manifestè appareat, manum fuisse Dei vindicantis se de inimicis suis schismaticis atque hæreticis per inimicos suos Turcos Infideles. Occupationem autem Hadrianopolis ponit anno 1362. Ejúsq; pudore ductos Servios Christianos, (Zirfos à Turcis vocatos ait Leunclavius;suntq;Mœsiæ Superioris accolæ) simul & timore vicinitatis Turcorum,collecto magno exercitu eam Turcis eripere constituisse;sed nocturno impetu à Turcis astu magis(quem maximè in bellis adhibebant) quam virtute fugatos fuisse anno 1366. At de Muratis initiis jam satis:quæ tamen Chalcondyles [a] magis tribuit Suleimani ipsius fratri,ex semel concepto errore de ejusdem Suleimanis inchoato regno post obitum dūtaxat patris. Fuisse porrò ejusdem Amuratis *Ianissarorum* sive *Genitzarorum* institutum,idē Leunclavius asserit;*novos homines*,seu *novos milites* Turcico idiomate interpretās [b] qui Latinis *tyrones*: Cùm tamen Chalcondyles ad ipsius avum Othomanum , sive Osmanem primum Imperij Turcorum auctorem referat;aliam etiam denominationem eis tribuens: videlicèt à Ianuâ sive portâ,quòd sic à Turcis aula Sultani vocetur: minimè advertens, portam iis *Capi* dici, non Ianuam : ac propterea non posse à Ianuâ voce Latinâ Ianissarorum Turcicum vocabulum derivari. Quæ verò à Vigenerio in Illustrationibus ad Chalcondylem adducuntur aliæ hujus vocis derivationes, remotiores videntur quàm ut admitti debeant. Ait verò Leunclavius, Ianissarorum institutum ex eo contigisse, quod persuaso Murate à quodam ipsorum Legis perito,quintam partem mancipiorum quæ Turci caperent debitam esse Sultano;hic posteà agricolis tradi consuescerent discendæ linguæ & laboribus assuescendi gratiâ,atq;inde ad Portam Sultani remissi militiæ adscribi. Postquam autem Othomani Imperium Græcorum obtinuerunt,& Orientis maximam partem subjugârunt,fuêre Ianissari bipartitò divisi;in Constantinopolitanos,seu Aulæ Othomanicæ milites;& Damascenos, quòd præcipuæ sint ibi ipsorum militiæ sedes : ita tamen ut majoris sint Constantinopolitani auctoritatis quamvis pedites,quàm Damasceni qui sunt equites. Sed de his alij pleniùs. De ceteris verò Turcorum progressibus dicetur suis locis, quantùm ad res nostras pertinuerit.

y Supr. an. 1328 in fi.

AMURATIS SUCCESSIO.

z Leunclav. Annal. Turc. lib.5.

a Chalcond. lib.1.

b Leunclav. Pandect. 35.

GENITZARORUM INSTITUTIO.

IESU CHRISTI Annus 1360.
INNOCENTII VI. An. 8.
CAROLI IV. Ann. 15.
IOANNIS V. Ann. 20.

I. EDUARDUS REX ANGLIÆ PUNITUR DIVINITÙS DE POPULATIONIBUS SUIS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo, Indictione decimatertiâ, Eduardus Rex Angliæ,tum defessus nihil agendo in Galliâ præter arsiones & vastationes inutiles; tum maxime territus clade cælesti in ejus exercitum immissâ in agro Carnutensi:cùm videlicet ad ejus agri populationem repentina coorta tempestas horrendo fulmineo fragore inusitatæ magnitudinis grandinem in homines & equos intorquens , plura eorum millia

contrivit;

contrivit; adeóq; Regem constravit; ut ad Beatiss. Virg. Carnutum præsidiis ædem, quæ in edito posita à longè conspicitur, versus, atque in terram prostratus, veniam incendiorum & sanguinis effusi poposcerit, æquámque pacem terræ hominibúsque daturum se voto concepto promiserit:) libenter consensit de pace agi; id omni nisu procurante Androino de Rocâ sive de Rupe Abbate Cluniacensi à Papâ ad hoc misso. Convenientibúsque ex utrâque parte delegatis ad Britiniacum vicum non longè ab urbe Carnuto, die 8. Maij in has demùm conditiones concordârunt; ut Anglus Aquitaniam certis finibus terminatam haberet eo jure quo quæ optimo, ejúsque summo imperio Rex Francorum intra præscriptam diem cederet; necnon Caleto, Guinis, Pontivo, aliísque nonnullis locis: Anglus verò exueret se jure, si quod illi in coronam Franciæ, vel in quascumque regni provincias aut portiones non expressas in cessione Anglo factâ extitisset. Solverétque prætereà certis terminis Rex Francus Anglo tres milliones auri, hoc est tricies centena nummorum aureorum millia: darentúrque obsides duo filij fratérque Regis, cum aliis Principibus ac proceribus designatis. Hæc in summâ fuêre conventa, & utrimque à Regibus, eorumque filiis, Principibúsque ac proceribus, necnon à Rege Nauarræ, solemni jurejurando postmodùm confirmata, iis articulis & modis quos distinctiùs pleniúsq; præ ceteris referunt antiquitate insigniores Villanius [a], Continuator Nangij, Frossardus, & Walsinghamus; præter recentiores [b] qui diligentiùs ista examinant. Misśique confestim nuncij ad Innocentium Pontif. pro pactis Apostolicâ auctoritate firmandis, peractis die 24. Octobr. hujus ipsius anni. Post quæ Rex Ioannes transactis in captivitate annis 4. & 3 ς. diebus, in regnum suum rediens, (solutis priùs de summâ pro redemptione debitâ sexcentis aureorum millibus) primò Boloniam petiit, supplicaturus ad Deiparæ Virginis memoriam, inde ad S. Dionysium, Parisiorum & coronæ Franciæ patronum, gratias pariter acturus de suâ liberatione: ubi & Regem Navarrę in gratiam accepit. Ac demùm 13. Decembris ingressus Lutetiam solemni pompa & ingenti omnium lætitiâ, donatus est à civitate mille marchis vasorum argenteorum. Ad quem etiam gratulationis ergò missum se ab Italiæ Principibus Petrarcha [c] scribit.

PACEM INIT CUM FRANCIS.

[a] Vill. lib. 9. cap. 98. & 105. Contin. Nang. in Chron. Gall. Froff. lib. 1. cap. 212. Vvalf. in Eduar. III. [b] Gill. in Annal. Fr. Til. in Tract. Belle-for. lib. 5. cap. 28. Not. in Froff. lib. 1. annot. 85. & 86.

IOANNES REX FR. REDIT IN REGNUM.

[c] Petrar. 16. Rer. Senil. 2. ad Bocat.

II. FILIAM LOCAT IOANNI VICECOMITI, MAGNO DIGNITATIS SUÆ IMPROPERIO.

Quòd verò non solùm ærarium, verùm etiam exhausti essent populi, ut difficile foret prædictam auri summam Regi Angliæ uti conventũ fuerat, pendi; scirétque Ioannes Rex Vicecomites Mediolanenses pecuniosissimos esse, atque honoris cupidissimos; consensit filiam suam Isabellam in matrimonium dari Ioanni Galeatij Vicecomitis filio undecim tantummodò annos nato, assignato ei dotis nomine exili Comitatu Virtutum qui in Belgica secundâ situs est, & acceptis ab eo sexcentis millibus florenorum auri, quibus Anglo satisfaceret. Quod cùm omnes memorent, Villanius [d] gravissimè dolet, nobilissimum regnum Franciæ in tantam vtilitatem hoc tempore redactũ fuisse, ut non solùm contemptibili præ illo Angliæ Regi fasces subdere cogeretur, verùm etiam propriam carnem (ut loquitur) liceri, venditâ filiâ vilibus præ tantâ majestate tyrannis: hócq; esse certissimum & admirabile speculum infelicitatis Statuum mundanorum: Nuptias autem celebratas fuisse summâ pompâ, invitatis ad eas per Vicecomites, de tantâ affinitate supra modum gloriantes, universis Italiæ proceribus.

[d] Vill. cap. 103.

III. REX ANGL. AQUITANIA CEDIT FILIO.

Cùm autem civitates quas dari placuerat, Anglo subesse abnuerent, ægrè pervicit Rex Ioannes ut tẽpori cederetur. Ipséq; post hæc Eduardus Aquitaniâ cessit filio suo Eduardo sub debito cliẽtelaris officij: qui nomine Principatûs eam accipiẽs, eò pauló post navigavit unà cum uxore & totâ familiâ, ac quietè eamdem aliquanto tempore possedit; quousque novis supervenientibus casibus iterum ad arma ventũ est, ut dicetur suis locis. Intereà ubi res cõpositæ fuissent, uterque Rex Androino præcipuo pacis cõciliatori se magnoperè devinctum sentiens, accepti beneficij gratiam redditurus postulavit à Pontifice eum inter purpuratos referri. Præstitítque id Pontifex anno proximo, cùm [e] 17. Sept. feriâ 6. Quatuor Temporum factâ ordinatione octo Cardinalium, eumdem Androinum inter ceteros allegit titulo S. Marcelli.

[e] Vit. Innoc.

IV.

Hoc anno postulantibus [f] Ioannâ Ducissâ Normanniæ & Bonâ Comitissâ Sabaudiæ, sororibus Blancæ Reginæ Castellæ, Innocentius Pontifex Guidonem Cardinalem Portuẽsem adhuc in Hispaniâ morantem literis mense Martio scriptis monuit, Petro Regi suadere Blancam in gratiam recipere, paritérque proceribus æquiorem se præbere, & cum Rege Aragoniæ pacem inire. Sed incassùm omnia. Quinimmò Petrus [g] monitionibus crudelior factus, multos proceres de medio sustulit, quorum nonnullis sola monendi libertas exitio fuit. Interque alios Guterrio Ferdinando Toleto Regis supellectili præfecto, viro nobilissimo & integerrimo. Petrus quoque Osorius à Calatravæ Magistro convivio exceptus, inter prandendum per submissos à Rege satellites obtruncatus est. Similiq; supplicio Maldonatus Archidiaconus Burgis affectus, quòd ab Henrico Regis fratre literas accepisset. Vir quidam sanctus Regem periculi quod sibi ab eodem fratre suo iráque numinis imminebat, ex divinâ revelatione monens, igni combustus est. Vascus Toletanus Archiepiscopus solum exilio vertere coactus est, tam severo atque præcipiti jussu, ut & togam mutandi, & partem aliquam domesticæ supellectilis efferendi facultas sublata sit; nullâ aliâ culpâ quã quòd Guterrij fratris nece indignè tulisse videbatur. Denique Samuel Iudæus ærarij præfectus, olímque acceptissimus, in vincula conjectus est, ac post tormenta neci datus: ejúsque bona in fiscum relata, in quibus quadraginta aureorum millia inventa, præter immensam supellectilis vestísque pretiosæ copiam.

[f] Reg. Innoc. & inde ap. Bzov. hoc an.

[g] Marian. lib. 17. cap. 4.

PETRI REGIS CASTELLÆ NOVÆ CRUDELITATES.

V. DE REBUS LOMBARDIÆ.

Ægidius intereà Sedis Apostolicæ in Italiâ Legatus, cum Ioanne Aulegio civitatis Bononiensis detentore (qui à Bernabove tyranno Mediolanẽsi arctè obsessus, eam defendere desperabat) cõcordans, eam pro Ecclesiâ Romanâ, ad quam legitimè pertinebat, recepit, datâ in cõpensationem Aulegio Firmo Piceni agri urbe, unà cum titulo Marchionis. Eamdem nihilominùs non cessavit idem Bernabos iterum

obsidione cingere, contemptis Pontificiis monitionibus & censuris, præreptam sibi tantam civitatem impatientissimè ferens. Quam tamen Ægidius tam viribus ejusdem Romanæ Ecclesiæ, quàm Regis Hungariæ, & Principum Lombardiæ, egregiè licèt ægrè & difficulter, à continuis & importunis potentissimi tyranni aggressionibus, incursionibus, & insidiis conservavit; affecto illo haud paucis parvísque cladibus hoc & sequentibus annis à Principibus in eum fœdere junctis. Quæ omnia ut gesta fuerint; describit prolixè Villan.[h] qui meliùs ceteris scire potuit, utpotè tunc vivens & res proximè videns: nisi quòd & sunt alij [i] qui literas ipsas Pontificias in condemnationem Bernabovis quoad Bononiam spectat scriptas recitant. Observat porrò idem Villanius [k] post illas promulgatas, Galeatium Bernabovis fratrem, sive sponte suâ quòd nollet contra Ecclesiam fratri adhærere, sive ne hoc pacto turbaretur affinitas quam contracturus erat cum Rege Francorum, sive etiam fortè de consensu & consilio Bernabovis, oratores suos misisse ad Pontificem & Cardinales, contestatum se nullatenùs fratri in his consentire, rogatúmque propterea ut eximeretur sententiæ damnationis contra utrumque prolatæ; ejúsque excusationem ita admissam fuisse, ut sententia quoad ipsum suspenderetur. Econtrà verò Bernabovem quò posset bello Bononiensi sufficere, æstimatione facta omnium bonorum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium ditionis suæ secundùm eam trimestri spatio collegisse ab Ecclesiasticis ampliùs trecenta triginta millia florenorum aureorum; à sæcularibus, præter alia tributaria subsidia ordinaria, trecenta septuaginta millia.

[h] *Vill. lib. 9. cap. 65. 73. & seqq. 90. & seqq. & lib. 10. & 11. multis capp.*
[i] *Rub. Hist. Ravenn. lib. 6. Bzov. hoc an. ex Reg. Innoc.*
[k] *Vill. lib. 9. cap. 92.*

VI. DE ROMANIS SENATORIBUS.

Cùm autem Urbs Roma frequentibus quateretur commotionum fluctibus ex Senatorum mutatione; & nec in plebeiorum nec in nobilium electione plebs admodùm mobilis acquiesceret; ut has divisiones Pontifex tolleret, jam anno superiori Ægidio Legato commiserat, ut Senatorem deinceps alienigenam imponeret. Quod ipse executioni mandans, primum externorum constituit Raimundum de gente Ptolomeâ Senensem. Eum aliis semestri magistratu secutis, perosi deinde Romani agrestiores mores Thomæ Spoletini Senatoris, tumultu facto aliam regiminis per septem Reipublicæ Reformatores formam constituerunt. Quos tantisper demulgere volens Innocentius Senatorem eis præfecit (sublatis prædictis Reformatoribus) *Hugonem* Lusinianum Regem Cypri, qui in Occidentem venerat auxilia à Christianis Principibus adversus Turcos expetitum. Haud tamen diuturna fuit et hæc dignitas, morte paulò pòst sublato. Cui in regno successit *Petrus* filius natu maximus, qui corpus patris in Cyprum ad sepulturam deferri curavit. Erratque auctor Historiæ Cypri, quamvis ex horum familiâ oriundus, in eo quòd scripsit Hugonem obiisse in Cypro, & Petrum extitisse Senatorem Romæ. Fuisse autem Petrum generosissimum Principem & bello strenuissimum, cùm auctores testantur, tum ex iis constabit quæ infrà de eo dicenda ve-

HUGONIS REGIS CYPRI OBITUS.

nient. Ceterùm defuncto Hugone, ad Romanos in officio continendos Pótifex Bonjoannem Episcopum Firmanum Rectorem destinavit, & Honoratum Comitem Fundanum eos armis compescere admonuit. Ut de his constat ex literis [l] Pontificiis, & Blondo [m]. Villanius [n] autem habet, hoc ipso anno à Rectoribus ejusdem populi Romani captos fuisse Cajetanum pattuum Comitis Fundani, & Matthæum de Turre, famosos prædonum receptatores, unà cum multis eorum sequacibus, & sine morâ omnes furcis appensos, eorúmque domos dirutas.

[l] *Reg. Innoc. & Bzov. hoc anno.*
[m] *Blond. 2. dec. 10.*
[n] *Vill. cap. 87.*

VII. SOCIETATES PLURIMÆ PRÆDATORUM.

Ex turbis autem Italicis, Gallicis, & Hispanicis, id præterea mali ortum est, quòd cùm plerique milites stipendiis Principum assueti, bellis confectis otiari nescirent, vel aliàs prædatoriam artem compendiosiorem sibi divitiis congerendis, quàm agrorum culturam aut opificiorum exercitium existimarent, seu denique capitalium criminum rei meritas pœnas effugere quærerent; delectis sibi ducibus, aut aliis turpe ejusmodi vitæ genus excolentibus sese allegentes; plurimas novas Societates ad instar Landinæ Germanitalicæ, & Gallicæ Archipresbyteri Petragoricensis, de quibus dictum est superiùs, erexerunt ex Francis, Germanis, Anglis, Hispanis, Italis, Hungaris, Burgundionibus, Provincialibus, Vasconibus, & aliis nationibus, sub variis nominibus, aut ductorum earum, putà *Ioannis de Au utis* Angli, *Petiti Mesquini* (hoc est parvi mendici) Arverni, *Anichini Bongardi*, *Alberti & Artimanni*, aliorúmque Germanorum; aut colorum, vel signorum quæ deferrent, veluti *Albæ*, *Capelli*, sive pilei, *Stellæ*; vel confictorum ex diversis cognominum, putà *Bonorum hominum*; & *Ta devenientium*: aut denique nationum ex quibus collectæ erant, cùm alioqui pleræque ex congerie & colluvie omnium nationum promiscuè compositę essent, & communi atque universali nomine *Malandrinorum* à vulgo censerentur. Quę quidem à parvis initiis adeò creverunt, ut & ipsi Summo Pontifici, ut se urbémque Avenionem tutaretur, Crux adversus eas promulganda fuerit, Petro Bertrandi Cardinale Ostiensi duce Crucesignatorum constituto, ac demùm pax pecuniâ redimenda: & Rex Francorum exercitum in easdem colligere habuerit, qui turpiter ab iis cæsus est ingenti clade, & nonnullorum Principum regij sanguinis aliorúmque magnatum interitu: præter immensas rapinas, expilationes, vastationes, incendia, cædes, urbium & oppidorum occupationes, quibus vel ipsæ per se solæ, vel à diversis Principibus pretio conductæ, Galliarum & Italiæ populos gravissimè per multos annos afflixerunt: uti speciatim videre est apud Villanium [o] earum progressus diligentiùs prosequentem. De quibus pariter abundè agit Continuator Nangij tunc in Galliâ vivens, & Frossardus [p] Hannonius Gallicè scribens; memineruntque alij [q] plurimi.

[o] *Vill. lib. 9. 10. 11.*
[p] *Frossi. lib. 1. cap. 2. 4. 215.*
[q] *Auctor. Vit. Innoc. & Urb. V. Vualsingh. in Eduar. III. Bellefor. lib. 5 &c.*

VIII. MUSICA AMPLIATUR.

Observatum quoque reperimus ex Chronico Francofortensi, hoc anno Musicam ampliatam esse: novos enim cantores surrexisse, & componistas ac figuristas cœpisse alios modos assuere.

IESV CHRISTI Annus 1361.
INNOCENTII VI. An. 9.
CAROLI IV. Ann. 16.
IOANNIS V. Ann. 21.

I. PESTILENTIA UBIQUE RECRUDESCIT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo-primo, Indictione decimaquartâ, pestilentia illa sævissima de quâ egimus anno 1348. quæ ita pluribus locis cessaverat, ut tamen aliis semper vigeret; adeò recrudescere cœpit ab anno superiori, ut quasi irâ concitatâ quòd tot ubique demetentibus mortales bellis, aliísque flagellis & pœnis eosdem afficientibus, generatio tamen prava atque perversa ad pœnitentiam non moveretur, omnes delere deliberâsse visa sit. De quâ egregiè, ut solet, Petrarcha [a] tunc vivens, & ad Bocatium scribens, ait annum illum 1348. lugendi principium fuisse; ex quo numquam cessârit hæc insolita & inaudita à sæculis malivis, huc, illuc, dexterâ lævâque dimicatoris more promptissimè feriens. Itaque toto sæpiùs orbe transcurso, cum nulla maneret pars immunis, quasdam bis, térque repetiisse, nonnullas anniversariâ tabe pessum dedisse. Mediolanum usque ad invidiam hactenùs horum nesciam laborum, & cæli salubritate ac clementiâ, & populi frequentiâ gloriantem, sexagesimum primum annum & vacuam fecisse & squalidam. Ita ille. Atque hoc quidem anno civitatem Mediolanensem eo morbo gravissimè afflictam fuisse, testatur etiam Corius in ejus Historiâ. Cùm nihilominùs & reliquas quoque partes Italiæ, Galliarúmque necnon Angliam, Illyricum & Dalmatiam, quinimmò & Syriam atque Ægyptum, aliásque regiones Orientales, hoc eodem & proximis annis, sicuti & præcedenti Belgium & Poloniam, aliásque Boreales eâdem lue sævissimè conflictatas esse; uberiùs describit qui res suo tempore toto orbe gestas narrandas suscepit Matthæus [b] Villanius: meminerúntque & alij [c] singularum nationum auctores. Observárque idem Villanius [d] mortuos ex eâ fuisse Avenione novem Cardinales, (octo tantùm habent alij) septuaginta alios Prælatos, & populum innumerabilem.

[a] Petrar. Rer. Senil. lib. 3. ep. 1.

[b] Vill. lib. 9. c. 107. lib. 10. c. 38. 46. 64. 103. lib. 11. cap. 57.
[c] Vit. Innoc. Meyer. lib. 13. Cromer. lib. 12. &c.
[d] Vill. d. c. 46.

II.

Sublatum quoque eodem tempore Delphinum Venetiarum Ducem, Villanius [e] scribit: quem post adversam diù valetudinem toleratam, captum luminibus vitæ tędio mortem libenter tulisse, Iustinianus [f] auctor Venetus tradit. Subrogatúmque ei esse Laurentium Celsum absentem in Adriatici sinûs præfectura, ob victoriæ nescio cujus ab eo de hostibus reportatæ incertam falsámque famam: nullo modo alioqui eam dignitatem adepturum, cùm esset tantummodò ætatis quadraginta sex annorum. Vivebat adhuc pater ejus: qui cùm indecorum existimans patrem nudo capite filium adire, ab salutationis officio publicè abstineret, (civilis quippe disciplinæ adeò ignarus, ut non intelligeret id officij non filio pręstari, sed majestati publicę: quod Fabium Romanum optimè scivisse, tritum est,) prudenti consilio Celsus princeps Crucem parvam auream Ducali infulæ in frontispicio apposuit, ut si quando pater filium in eo fastigio publicè nudo capite adiret, non sibi, sed Crucis signo honorem ille exhibere videretur.

[e] Id. d. cap. 64. in fi.

[f] Petr. Iust. lib. 4.

UNDE DUCALI INFULÆ VENET. CRUX APPOSITA.

III. PETRUS REX CASTELL. BLANCAM CONIUGEM VENENO PERIMIT.

In Hispaniâ Petrus Castellæ Rex Crudelis, postquàm Guidonis Cardinalis Legati operâ, pax aliqua inter eum & Regem Aragoniæ cōstituta fuisset; ac propterea Henrico & fratribus in Galliam concedentibus, majoris inde belli suspicione Crudelis angeretur: iram in Blancam Reginam quasi tantorum bellorum causam continuò vertens, venenum ei à medico in custodiâ quâ detinebatur propinari jussit: nihil motus præmonitione divinitùs ei factâ, cùm venanti pastor occurrens vultu vestéque horridus, capillo barbâque squalidus, extrema quæque comminaretur, nî mutatâ mente Blancæ calamitate moveretur qui pastor in vincula conjectus, paulóque pòst emissus, numquam comparuit; unde opinio hominum magis confirmata, cum aliquo afflatu divino futura prædixisse. Sic igitur detestando facinore periit, puella insons, regio sanguine nobilissima, lectissimâ formâ, sanctissimis moribus, quinto & vigesimo ætatis anno: cui primus nuptiarum dies funeris instar fuit, relictæ, inclusæ deductæ, ubi nihil præter calamitatem esset, auxilio suorum longinquo. Ei verò addita Isabella Laræ filia, conjuxque Ioannis Aragonij, quam pariter veneno Rex sustulit. Sícque innocentium sanguine Castella redundabat, nullius in tuto salute. Mœrorem tamen publicum aliquâ ex parte mitigavit Mariæ Padilliæ pellicis obitus; qui contigit mense Iulio: cujus funus per urbes & oppida magnificè quasi justæ Reginæ celebratum filij regio cultu, & in spem paterni regni educati. Quinimmò & Rex anno sequenti in conventibus regni illam legitimis nuptiis junctam sibi à primis annis fuisse affirmavit, & testibus suî similibus confirmavit: eóque Blancæ nuptias irritas extitisse, sed ob diversa procerum studia eatenùs dissimulatum fuisse. Alfonsóque filio ex Padilliâ suscepto immaturâ morte sublato gravissimo patris luctu, regni heredes filias fore sancivit. Quæ omnia pleniùs tractat Mariana [g] renovatum etiam adversùs Aragonios bellum describens: Carolo Rege Navarræ æquè turbulento, Castellano fœdere juncto, eâ scilicèt quæsitâ causâ (cùm nulla justa esset,) quòd non sibi Aragonius propinquo & necessario adversùs Regem Francorum opitulatus esset.

SUSCEPTOS EX PELLICE LIBEROS SUCCESSORES IN REGNO DECLARAT.

[g] Mar. lib. 17. cap. 4. 5. & 6.

IV. BELLO MAURICO INCUMBIT.

Ceterùm quòd Maurici belli metus, sanciendæ inter prædictos Reges concordiæ potissimam causam prębuisset; eâ, ut diximus, utcumque compositâ, (non enim diuturna fuit) Castellanus dicto Maurico bello incubuit, suscepto patrocinio Lagi Granatensis Regis, amici & fœderati, qui suorum conspiratione regno pulsus fuerat, occupante regnum Mahomete quodam à cæsarie barbâque cognomento Rufo. In hunc igitur commoto Rege Castellæ, cùm ob prædicta, tum quòd ad Aragonium propensior esset, atque alios Mauros ex Africa ad Hispaniam repetendam invitaret; factoq; ad aliquod tépus bello alternante fortuna, tandem Rufus, & quòd nimiùm ab hoste fatigaretur, & quia magnam suorum partem Lago profugo favere animadvertebat: metu regni amittendi Regem Castellæ adire instituit,

REGEM EORUM CONTRA DATAM FIDEM OBTRUNCAT.

tuit, fide priùs incolumitatis impetratâ. Adveniens porrò anno sequenti cum pretiosissimâ supellectili Hispalim, & vultu verbísque fallacibus comiter exceptus; cùm apud S. Iacobi Magistrum cœnaret, vincula ei injecta sunt, & thesauri direpti: paucísque pòst diebus in purpurâ asino impositus, & in campum deductus, propriâ Regis Crudelis manu peremptus est. Caput interfecti ad Lagum æmulum missum, qui continuò Regnum recepit. Ita Mariana: quæ prolixiùs tractat Villanius [h]; sed in quibusdam paulò secùs; in sævitiæ tamen Castellani abominatione planè conveniens.

[h] Vill. lib. 9. cap. 89. lib. 10. cap. 72. 79. 88. 89. 97. 98.

V. PETRI REGIS CYPRI FELIX EXPEDITIO IN TURCOS.

Hoc eodem anno (ut idem Villanius [i] ponit) Petrus Rex Cypri cum cętum velis & auxilio Hospitalariorum contra Turcos navigans, Sataliam urbem (olim Attaliam in Pamphyliâ) tribus muris cinctam subito impetu cepit, & præsidio munivit. Inde Candalorum (antiquis Sidam in eâdem provinciâ) navigans, ejus regulum spontè sibi obsequentem & tributarium reddidit.

[i] Id. lib. 10 cap. 62. 63.

VI. BASILICA LATERANEN. FORTUITO IGNE COMBURITUR.

Arsit item hoc anno mense Augusti basilica Lateranensis miro fortuito casu: cùm scilicèt plumbo contecta existens, dum quidā cæmentarius tectum reficeret, ignéque opus haberet ad plumbaturas concinnandas, fortè aliquid ignis subter cadens eo non advertente, trabi affixum eam incendit, ac ferè mométo irremediabiliter totam Ecclesiam: quam sub Cleméte V. similiter exustam ab eo reparatam vidimus. Memorantur & alibi [k] plurima alia gravissima urbium incédia, tam à cælo delapsa, quàm fortuitò in terrâ orta. Cujusmodi cùm die 9. Febr. videretur esse Florentiæ [l], repertus est cælestis esse vapor admodum ignitus imméŝæ magnitudinis. Eodémque [m] mense, die verò 18. magnus ignis ac si totus aër arderet visus est in Germaniâ. Mense [n] Maio in Burgundiâ pluit sanguine. Boloniæ apparuit in aëre Crux sanguinea. Vulpes è silvis egressę vivos aliquot homines devorârunt: & æstivo tempore in Galliâ & Angliâ locis desertis visa duo castella, è quibus duo exercitus egrediebantur, signis militaribus alter ornatus, alter nigro habitu; & congressi ad pugnam, nigri primùm victi sunt, sed reparato certamine vicerunt; reversis utrísque ad sua castella, omnia disparuerunt.

[k] Vill. ibid. Meyer. lib. x. Crom. lib. 12.

PRODIGIA MULTA.

[l] Vill. cap. 31. [m] Canon. Vien. in Contin. Martin. Chron. Burdegal. ms. [n] Vualsing. in Eduar. III.

VII. WENCESLAI FILII CAROLI IMP. IMPURA PRÆSAGIA.

Ponemus inter portenta, quòd natus hoc anno Carolo Imperatori *Vvenceslaus* filius primogenitus, dum [o] baptizaretur Nurimbergæ aquam baptismi lotio aspersit: sicuti & posteà dum nondum bimulus coronatus est Rex Boëmiæ, aram in quâ coronabatur alvi fimo conspurcavit quæ præsagia fuere contaminationis sacrorum fontium & altarium, quæ sub hoc Rege posteà (ut videbitur) in Boëmiâ facta est ab hæreticis. Intereà verò eo nato misit [p] Carolus votum Beatissimæ Virgini Aquisgranum, pueri pondus marchas auri sexdecim.

[o] Dubrav. lib. 23.

[p] Rebdorff. in Annal.

VIII. LONGISSIMUS CARDINALATUS.

Hoc denique anno [q] obiit *Franciscus* de filiis Ursi tit. S. Marci Presbyter Cardinalis, Florentinus vulgò dictus, Avenione 4. Sept. postquàm longissimè omnium Cardinalium eam dignitatem exercuisset 66. annis, ad quam promotus fuerat à Bonifacio VIII. an. Dom. 1295. Sepultus est autem in Ecclesiâ Cælestinorum, quorum monasterium ipse fundavit.

[q] Nom ncl. Cardin. in Epitaph. & Ciaccon. de Pontiff. in Clem. VI.

IESU CHRISTI Annus 1362.

INNOCENTII VI. An. 10.

CAROLI IV. Annus 17.

IOANNIS V. Annus 22.

I. VARIA HUIUS TEMPORIS PORTENTA.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, Indictione decima-quintâ, mense Martio (undecimam ejus diem signant quidam) apparuit summo mane Cometes inter Orientem & Meridiem in signo Piscis cum longâ caudâ coloris cinerei. Et die octavâ Aprilis cùm sudum esset, Florentiæ visum est fulgur mirè coruscans; moxque auditum horribile tonitru cum stupore omnium; remanente nihilominùs aëre puro & claro. Ita Villanius [a], qui vidit. Sed de Comete alius [b] ejusdem temporis scriptor ait, visum fuisse in Provinciâ inter Orientem & Aquilonem ante ortum diei, comas suas versùs aquilonem extendentem. Polonus [c], apparuisse in fine Aquarij prope Venerem, caudam in Piscibus versùs Orientem in locum Mercurij retorquentem: duráséque ad quinque hebdomadas. Sic paulò diversè describitur à diversis, secundùm climata quibus visus est, aut captum eorum qui descripserunt, vel ex aliorum relatu perceperunt. Sed & notatur [d] Eclipsis Solis hoc eodem anno tanta, quanta post viventium memoriam nunquam visa. Fuerúntq; [e] immoderatissimæ tempestates, & venti vehementissimi, cum ingenti hominum & ædificiorum damno atque jacturâ. Tot erant continua his temporibus bella, tot pestilentiæ, tot fames, tot aliæ populorum clades, regionúmq; desolationes; ut quid his & aliis ejusmodi frequentibus signis atque portentis voluerit Deus significare, non habeamus dicere; cùm nihil novi supervenerit quod non immediatè præcessisset, aut etiam tum gereretur, præter Innocentij Summi Pontificis obitum; ad quem, utpotè capitis Ecclesiæ militantis, & Christi per universum terrarum orbem spiritualis Vicarij fortè omnia conturbari debuerint, sicuti & turbata sunt in excessu Christi Domini. Dicetur de eo paulò pòst.

[a] Vil. lib. 10. cap. 93. [b] Canon. Vien. & Chron. Burdegal. ms. [c] Mich. lib. 4. cap. 27.

[d] Platin. in Innoc. VI. in fin. [e] Vualsingh. in Eduard. III. Meyer. lib. 13.

II. DE STATU URBIS ROMÆ.

Anteà verò pauca quædam vivente eo in Italiâ hoc eodem anno facta expedituri, imprimis de Urbe Româ ex Villanio [f] habemus; cùm denuò regimen ejus recidisset in manus nobilissimæ plebis; Rempublicam administrante quodam *Lælio Bonadotâ* sutore, multos nobiles cives expulsos fuisse: hisque arma parantibus, populū ad se redeuntem liberam Urbis ac Reipublicæ administrationem Romano Pontifici, ut legitimo domino, tradendam censuisse: eâ tamen lege ne Ægidius Cardinalis Legatus aliquā in eos potestatem haberet; quippe quem integrum ac severum experti essent. Cujus & extant [g] libri sex Constitutionum, quas pro statu Urbico & Piceno reformando, inque officio continendo sanxit: quas easdem posteà Sixtus [h] Quartus dato diplomate approbavit, & observari jussit.

[f] Vill. lib. 11. cap. 25.

[g] Cod. Vat. num. 3939. & Bzov. an. 1353. [h] Bullar. tom. 1. Sixt. IV. const. 15.

III. LUDOV. REGIS

Nocte [i] verò præcedente diem Ascensionis (qui incidit in 26. Maij) mortuus est Neapoli anno ætatis 42. *Ludovicus* Rex ex morbo: cùm paulò antè, ac si mortem præsagìsset, in pœni-

[i] Vill. lib. 10. cap. 100.

Neapol. obitus.

tentiam transactę minùs integrè vitæ, spontaneam peregrinationem ad sacra Apostolorum, Andreæ, Bartholomæi, & Matthæi corpora, quæ Melphi, Beneventi, & Salerni quiescere constans erat antiquorum traditio, suscepisset, atque devotè adimplesset. Cujus vitia, inertiam, & ineptam ad regnum administrandum indolē, pluribus Villanius describit, qui optimè nôsse potuit. Nullos reliquit liberos, quòd duæ filiolæ ex Ioannâ Reginâ susceptæ obierint in fasciis; ut Summontius habet. Quare mox tractatum de dando Ioannæ tertio viro ex quo prolem suscipere posset, cùm esset tum triginta sex tantummodò annorum; de quo dicetur anno sequenti. Est ad illam eggregia Innocentij Papæ epistola, de morte Ludovici viri consolatoria. Qui etiam, ne quid per ejus viduitatem regnum mali pateretur, misit eò Guillelmum Grimoardi Abbatem Massiliensem: cùm præcipuè timeretur à Friderico Trinacriæ Rege, qui paulatim universam propemodúm Siciliæ insulam recupaverat.

IV. Innoc. PP. obitus.

Innocentij autem Papæ transitus contigit pridie Idus Septembris Avenione; cùm esset senio jam confectus, & laboribus animi & corporis fractus inter tot & tantos gravissimorū negotiorum turbines, quos vidimus ejus Pontificatûs tempore per omnes propemodùm Orbis Christiani regiones concitatos; præter morbos quibus afflictatus est, ac dolores arthriticos quos sub finem vitę violentos sensit. Sedit à die electionis annos novem, menses octo, dies viginti sex: sepultúsque primò est in Ecclesiâ majori B. Mariæ de Donis; indéque post coronationem successoris translatus (pręsente[k] Ioanne Rege Francorum) in die S. Cæciliæ 22. Novembris, ad monasterium Carthusianorum, à se apud Villamnovam ultra flumen Rhodani erectum, & amplis proventibus dotatum, quod Vallem Benedictionis nominavit. Laudatur ab omnibus de Pontificatu optimè & sincerissimè, quantum licuit in tantâ temporum corruptione administrato. Videtur tamen nonnihil carni & sanguini tribuisse, cùm plures ex suis ad dignitates Ecclesiasticas promoverit, quamvis ut plurimùm idoneos & laudabiles; in sæculares sibi proximos parcior, etiamsi nec dimiserit vacuos: sicuti narrat Auctor Vitæ ipsius.

k Canon. Vien. & Chron. Burdeg. ms.

V. Petrarcha vocatus a Pont. ad secretariatum, excusat.

Crediderat is olim Petrarcham, lucidum ejus temporis inter doctos sidus, magicis artibus deditum esse, sic ante Pontificatum à quodam persuasus. Sed mortuo delatore, reperiens falsum fuisse crimen Petrarchæ objectum, donis ac precibus rogavit, ut sibi ab epistolis esse vellet. Is tamen excusare maluit senectutem, & fixum propositum vitæ privatæ, quàm ad luctam, ad honorem, ad laborem, ferè cunctis optata mortalibus, sibi verò haud convenientia accedere, ut de his ipsemet[l] ad Talairandum Albanensem Episcopum Cardinalem, per quem à Pontifice vocabatur, rescripsit; petens per ipsum excusari apud Pontificem, ne quod modestiæ erat, insolentiæ tribueretur. Qui & eodem tempore hinc ab Imperatore, illinc à Rege Francorum, certatim se evocatum esse multis promissis atque muneribus, Simonidi[m] amico suo scribens refert: omnibúsque se vocantibus excusationes objecisse, ac præ aliis senectutem, veram illam quidem (erat hoc tempore 58. annorum, cùm alibi[n] natum se dicat anno Christi 1304.) sed fando auctam; quippe qui ad placidos labores sat adhuc esset validus, ad invisos decrepitus. Fuit namque vir liberrimi ingenij, & subjectionis coactæ impatiens; ceterùm tam viris doctis piísque ac religiosis, quàm & Principibus atque magnatibus, doctrinæ pręstantiâ, morum facilitate, pietatísque cultu acceptissimus, ipséque omnibus ad quæque honesta obsequentissimus. Quòd verò nec invidis ac malevolis caruerit; sive eorum accusationibus & suspicionibus motus, seu ingenij libertate, vel etiam ex certâ multorum Curialium depravationis notitiâ, multoties in aulam Pontificiam invectus reperiatur, avaritię, superbiæ, ambitionis, luxuriæ, & aliorum ejusmodi vitiorum infamans: hæc avidissimè hæretici in lucrū suum ineptè detorquere consueverunt; cùm nihil apud eum reperire valeant, quo doctrinam Romanæ Ecclesiæ, aut Sedem Apostolicam, & ordines, status, & dignitates Ecclesiæ Catholicæ insectatus fuerit: quæ econtrà suspexit semper & veneratus est, Archidiaconus ipse Parmensis, & Ecclesiæ Patavinæ canonicus existens.

l Petrar. l. Senil. 3.

m Id. l. Senil. 1.

n Id. 8. Senil. 1.

VI. Cardinales agunt de eligendo Pontif.

Ingressi Cardinales viginti conclave, confestim de more solemni dissentire ab invicem cœperunt: sed permittente divino numine, ut alius extra ordinem eligeretur. Narrat quidem Matthæus[o] Villanius, (quod tamen nuspiam alibi legimus; certi nihilominùs haud fuisse ab eo confictum, nisi fortè auditus deceptus fuerit:) facto scrutinio die vigesimo octavo Septembris, concurrisse quindecim vota in Cardinalem monachum nigrum patriâ Lemovicem, hominem ætate provectum, & totum vitæ spirituali deditum. Ita enim describit; sed nomen non exprimit. Verùm quòd etiam Episcopū fuisse dicat, nec inter Cardinales Episcopos hujus temporis ullus reperiatur monachus; non est quem intelligere possimus Cardinalem monachum nigrum (hoc est Benedictinum) Lemovicem, quàm *Hugonem Rogeri Monstrium* fratrem Clementis VI. & ab eo creatum Cardinalem mense Septembris anno 1342. ex Episcopo Tutelensi; vel *Guillelmum de Agrifolio* consanguineum ejusdem Pontificis, & ab eo creatum anno 1350. Cardinalem ex Archiepiscopo Cæsaraugustano. E quibus tamen nos potiùs Hugonem acceperimus intellectum à Villanio. Qui addit, Cardinalem illum audito scrutinio, quo sine controversiâ creabatur Papa, cùm votorum numerus duas tertias partes Cardinalium excederet; priusquàm denunciaretur, humiliter renunciâsse electioni. Inde Cardinalem Tolosanum (nempè *Raimundum*, seu ut nonnulli vocant Renaldum *de Canilhaco* Episcopum Prænestinum, ex Archiepiscopo Tolosano creatum Cardinalem ab eodem Clemente) sortitum esse undecim vota: alium quendam decem, alúmque octo. Atque hinc magnam discordiam inter Cardinales intercessisse, cùm alij Lemovicem eligi vellent, alij contradicerent.

o Vill. lib. 11. cap. 26.

VII. Guil. Grimoardi eligitur absens.

Quousque tandem, sicut Domino placuit, à quo est omne bonum, cùm inter se concordes esse non possent ut unum ex suo corpore eligerent; die[p] vigesimo octavo mensis Octobris consenserunt in *Guillelmum*, Grimoardi mili-

p Vit. Urb. V. edit. Bosq.

tis, hoc est viri nobilis, ex Amphilisiâ Monferranâ nobili item ac religiosissimâ feminâ filium, castro Grisaco paternæ ditionis in Gabalitanâ Mimatensi diœcesi: qui olim suscepto habitu monastico S. Benedicti, & Magister in Theologiâ & Decretis factus, multis annis publicè legerat apud Montempessulanum & Avenionem: deinde Abbas S. Germani Antissiodorensis creatus indéque ad monasterium S. Victoris Massiliensis translatus; cùm esset tunc absens, (missus videlicèt, ut superiùs diximus, ad Ioannam Reginam pro negotiis regni Siciliæ) sed Cardinalibus optimè notus prudentiâ, doctrinâ, pietate, rerum agendarum industriâ, aliarúmq; virtutum meritis; eorumdem omnium suffragiis renunciatus est Pontifex, annos habens ætatis sexaginta, ut plures habēt; seu, ut dicitur in processibus [q] Vitæ ejus, factis post mortem pro ejusdem canonizatione, quinquaginta tres: vir (inquit Platina) singularis virtutis, ingentis animi, innocentissimæque vitæ.

Onuphr. in Chron. & de Pontiff. Rom. Masson. in Vrb. V.

[q] Ap. Masson. ibid.

VIII.

Ejus tamen electionem Cardinales occultam esse voluerunt donec ipse adesset, tum ne fortè ab Italis detineretur, tum quòd dubitarent utrùm electioni suæ consensum præbiturus esset. Itaque ad ipsum absentem scripserunt, ut quàm ocyssimè rediret. Qui cùm ab illius temporis optimæ notæ auctoribus [r] reversùs scribatur Avenionem in vigiliâ Omnium Sanctorum; & octavo Idûs Novembris consecrationem simul & coronationem accepisse, omnes consentiant: nullum relinquitur dubium, quin aut fuerit (jam in reditûs itinere cùm nuncium creationis accepit, aut citiùs creatus quàm ceteri auctores habent: quandoquidem impossibile est humanis viribus triduo tātum itineris itu & reditu conficere. Quare cùm prædicti optimæ notę Chronographi scribant eum appulisse Massiliam die vigesimo octavo Octobris; omninò asserendum videtur, quod ceteri eodem die electionem factam ponunt, intelligi debere de cōsensu electionis suæ eo die à Guillelmo Massiliâ ad Cardinales misso, ut iidem auctores habent; quem facilè Cardinales eodem ipso die Avenione recipere potuerunt: tunc enim verè dici potuit electus cùm ejus manifestata est electio. Grandis autem error in Chronologiam Genebrardi irrepsit, cùm dicitur Sedes Innocentij vacâsse annum unum & menses quinque. Sumpsit autem Guillelmus nomen *Vrbani* ejus nominis Quinti; quòd Urbanos antecessores Pontifices sanctos diceret, & ad imitationem eorum vivere, Ecclesiámque administrare desideraret. Consensitque electioni suæ, non solùm ne videretur divinæ voluntati adeò evidenter indicatæ reluctari: (unde & cùm Pontifex salutatus est, dixisse fertur illud Davidicum [f], *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*: cetera adeò modestus, ut quod prædicti auctores temporis observant, noluerit, ut moris erat Pontificum, post coronationem suam equitare per urbē, licèt omnia parata fuissent, ad fastum vitandum,) verùm etiam desiderio reducendæ Sedis in Urbem: quod ita animo infixum habebat, ut scribat Villanius, cùm Florentiæ nuncium accepisset de obitu Innocentij, dixisse, si videret Pontificem cui curæ esset Romam venire ad veram sedem suam, & tyrannos Italiæ opprimere, gratissimum sibi fore alterâ die mori.

[r] Canon. Vien. & Chron. Burdegal. ms.

NOMEN ACCIPIT VRBANI V.

[f] Psal. 117.

IX.

De cujus divinitùs factâ electione ad eumdem ipsum scribens Petrarcha [t] longiorem epistolam, inter alia ait, Deum solum & neminem mortalium ipsum elegisse, linguis licèt illorum usum, quas ad aliud dispositas ad suum verterit obsequium, quòdque ipse volebat per nolentes fecerit. Cardinales namque alto loco assuetos omnes, ad summum singulos aspirare, quo vixisset qui alium quàm se unum dignum censeret: sed quoniam nominare alios esset necesse, quemque se cogitantem, alium nominare, vicissim ab aliis nominandum. Itaque neque se quemquam nominare posse, neque alium velle, nisi ex eodem numero unde tanti beneficij vicem speraret. Quando ergo illi his moribus præditi, quamvis vitâ conspicuum, literis excellentem, humilis Abbatem cœnobij, tantæ rei idoneū judicâssent, & quem ex alto despicerent supra se cernere, seu quo ministro usi essent dominum habere consensissent: numquam eos tale aliquid spontè pati, ne dicam facere potuisse, nisi Deus qui ipsum Urbanum non alium volebat, iisdem Cardinalibus scrutinia versantibus sic clanculùm ejus nomen inseruisset, ut cùm id sonuisset dolor & timor malos, gaudium & spes bonos, admiratio ac stupor omnes arriperet. Hæc & alia plura ad Vrbanum Petrarcha; testans etiam fuisse illum utriusque Juris peritissimū, alterius autem & conditorem & interpretem unicum: virum vitâ conspicuum, hominum innocentissimum, qui nulli unquā malefecerit, aut optaverit quidem: Christi [u], cui in spiritu serviebat, Petri cui in officio successerat, Ecclesiæ cui præsidebat, Sedis Apostolicæ cui insidebat, ad extremum totius Christianitatis amatorem: & multa id genus in laudem tanti Pontificis.

[t] Petrar. lib. 7. Senil.

ILLIUS LAUDES EX PETRARCHA.

[u] Id. 9. Senil. 1.

X.

Quod verò ad ritus electionum Pontificum pertinet, haud putamus omittendum quod observatum reperimus in vitâ ejusdem Vrbani, de Androino de Rocâ Cardinale. Nempè cùm gravissimis Reipublicæ Christianæ ac Sedis Apostolicę negotiis alibi occupatus, à tempore suæ creationis per Innocentium in ejus absentiâ factæ, non accessisset Avenioné nisi quando Innocentius in extremis erat, ac proptereà nondum accepisset titulum, aut in consistorio sedem; nihilominùs de communi consensu Cardinalium admissum fuisse unà cum aliis in conclave; judicantibus illi, solam assumptionem seu promotionem ad Cardinalatum tribuere vocem in electione Pōtificis: idque expressè denotari ritu illo, quo noviter promoto per Papam clauditur os quousque titulum acceperit, quando illud ei aperitur ut imposterùm vocem liberam in omnibus habeat: non autem claudi nisi quod priùs apertum est, ac proinde cùm non clausum fuisset os Androino à Pontifice, utique illud ei apertum & liberum remansisse. Argutè. Verùm cùm reperiantur contraria de his decreta, agetur rursùm eâ de re sub [x] Eugenio IV.

NOMINATIO SOLA SUFFICIT CARDINALIBUS AD VOTA DANDA.

[x] Infr. an. 1431. XVI.

XI.

Subditur item eâdem Vrbani Vitâ, ipsum paulò post suam coronationem, Guillelmum Bragose Gallum S. Gregorij in Velabro, sive in Velo aureo Diaconum Cardinalem ac Majorem Pœnitentiarium, satis grandævum, in

POENITENTIARIÆ OFFICIUM PRESBY-

TERUM DESIDERAT.

ANGLICUS FRATER URBANI.

presbyterum ordinâsse assignato ei titulo S. Laurentij in Lucinâ; eò quòd Officium Pœnitentiariæ quod gerebat presbyterum magis quàm diaconum requireret. Ad Ecclesiam insuper Avenionensem, quæ diù pastore caruerat, eò quòd per duos decessores Pontifices pro suis & Ecclesię necessitatibus retenta fuisset, promovisse Anglicum (sive Angelicum) Grimoardi Canonicum regularem fratrem suum, virum probitate morum & regulari observantiâ insignem: quem & posteà creavit Cardinalem. Onuphrius tamen & Diacconicus eum non fratrem Urbani, sed fratris filium faciunt: verùm cùm & iidem quos superiùs laudavimus auctores etiam fratrē dicant, æquius existimamus antiquioribus, iisdémque popularibus credere: cùm & Walsinghamus [y] Anglus disertè pariter fratrem appellet. Cujus & nomine fortè idem delusus, ridiculè scripsit Urbanum fuisse patriâ Anglicum.

y Vualsingh. in Eduar. III. an. 1363.

XII. CURIAM PURGAT.

z Petrar. ep. ad Vrb. Masson. in Vrb. V. Bzov. an. 1366.

Postquàm autem idem Pontifex secundùm receptam consuetudimem Carolum Imp. Regésque ac Principes, Prælatos, Clerum ac populum Christianū literis privatis & publicis suæ assumptionis admonuisset, confestim manum operi admovens, Antistites [z] Ecclesiarum Avenione existentes ad sedes proprias reverti jussit; & ut uno, aut paucis, pro dignitate virtutis ac sciētiæ, beneficiis Ecclesiasticis contenti essent edixit. Cultum corporis externum & vestium honestatem ad antiquum morem revocare cupiens, nimiam horum licentiam severis edictis compescuit: cùm & ipsemet in Pontificatu semper vestes monasticas sub Pontificiis gestaverit, neque unquam duritiem lecti, aut parsimoniam victûs regularis dimiserit; ut disertè traditur in processu facto post ejus obitum pro ejus canonizatione. Pessimam consuetudinem, quâ scelesti homines gravissimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium domos fugere soliti supplicio eximebantur, primus sustulit, indecorum putans refugium azylúmque justitiæ ejusmodi reis prodesse.

XIII. AGIT CONTRA BERNABOVEM MEDIOLAN.

Ad eum salutandum cùm Ioannes Francorum Rex Avenionē accessisset mense Novembri; eodémque tēpore advenissent etiam oratores Bernabovis tyranni Mediolanensis, pacem amplis conditionibus petentes; respōdissétque graviter Pontifex, paratum se illam ei concedere, postquàm Bernabos terras Ecclesiæ Romanæ iniquè occupatas restituisset, & à pravis suis facinoribus desistens per veram pœnitentiam obsequentem se Ecclesiæ præbuisset: tunc recurrentibus ad Regem oratoribus ut mediatorem in his ageret, idem & ipse responsum à Pontifice accepit. Unde, & quòd eumdem in aliis quoque postulatis Rex minùs secundum invenisset, sub adverso animo recessit in Provinciam. Quando Pontifex gravissimos processus hæresis & schismatis in Bernabovem formans, quibus inter alia eum incusabat quòd se Deū in ditione suâ esse jactaret; publicavit eos Avenione quarto Calēdas Decembris, tempus ei concedens ad se excusandum, totum mensem Februarij: eosdémque in Italiam ad divulgandum misit: quos fuisse publicè promulgatos Florentiæ die Dominicâ vigesimâ nonâ Ianuarij proximi, Villanius [a] prædicta narrans testatur. Vidimus & nos in Urbani Regesto easdem literas ad universos Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos per Italiam constitutos exaratas; quibus processus ab Innocentio decessore suo contra Bernabovem factos renovavit; quòd fautor esset hæreticorum manifestus; favisset Ordelaffo damnato ab Ecclesiâ; Roberto Archiepiscopo Mediolanensi insultans, genua ante se flectere verbis contumeliosis compulisset, dicens se esse Papam & Imperatorem, quinimmò nec Deum facere posse in terris suis nisi quod ipse vellet; ipsúmque Archiepiscopum post multa ignominiosa opprobria in quodam cubiculo inclusisset: mandata sua sub pœnâ excommunicationis promulgaret, quemdam familiarē suum nomine Geraldum Papam nominando: alia facinorosissima in prædictum Innocentium Papam, Ecclesiámque Romanam, ac ejus Legatos, Inquisitores, ministros, aliósq; item Episcopos, clericos & monachos perpetrâsset; multos tormentis exagitâsset, atque etiam ultimo supplicio affecisset: bona Ecclesiastica rapuisset, beneficia contulisset, & alia ejusmodi commisisset.

a Vill. lib. 11. cap. 31.

XIV. DISSIDIUM COMITUM FUX. ET ARMAN.

Scribens item ad Petrum Episcopum Cameracensem Apostolicæ Sedis Nuncium, præcepit diligenter agere pro componendâ pace inter Ioannem Armaniaci & Petrum Raimundi Convenarum Comites & Arnaldum Amanium dominum Alebreti ex parte unâ, & Gastonem Fuxi Comitem ex alterâ, gravissimè inter se dissentientes; & nisi pax stabiliri posset, saltem inducias pacisceretur. Sed frustrà hæc fuere apud irritatissimos eorum animos. Vnde & factum [b] est inter eos prælium atrocissimum die 5. Decembris apud Insulam prope Tolosam, quo ex utrâque parte cæsa sunt tria equitum millia; victore Fuxensi, captóque Armaniaco cum ceteris proceribus ei adhærentibus.

b Vill. c. 36. Vit. Vrb. V.

XV. REGIS ANGLIÆ IUBILEUS.

Hoc eodem anno (ut signat Vualsinghamus) Eduardus Rex Angliæ, cùm in die S. Britij explêsset annum ætatis suæ quinquagesimum; in memoriam Iubilei Iudæorum liberalem se exhibere volēs, reis majestatis offensas indulsit, vinctos liberè abire permisit, exules revocavit. Vnde Polydorus (qui hanc celebritatem ab Eduardo factam ponit anno præcedenti, currente non absoluto quinquagesimo ejus ætatis) originem duxisse putavit, ut deinceps Angliæ Reges tot pauperes in Cœna Domini vestirent, quot eo tempore annos ætatis haberent. Quod tamen non admodùm convenire cum Iubileo videtur. Statuit insuper in Comitiis Vuestmonasteriensibus ad petitionem populi, ut causarum actiones, placita, & alia ad lites & judicia pertinentia, non ampliùs Gallicè, ut hactenùs factum fuerat, sed patriâ Anglorum linguâ tractarentur, quò ab omnibus intelligi possent.

XVI.

c Michov. lib. 4. cap. 20. & 60. Cromer. lib. 12.

CASIMIRI REG. POLON. PIETAS.

Edidit & Cazimirus [c] Rex Poloniæ inter multa dedecora quibus sese deturpare non dubitabat, egregiæ pietatis exemplum; cùm exortâ fame validâ, frumentum quod in diversis horreis copiosum ex superiorum annorum ubertate habebat, externis quidem, ac ditioribus suis justo pretio vendi jussit; plebi verò egenæ partim commutatione rerum, partim operarum locatione distribui: quâ arte complures arces & oppida muris, vallis, atque fos-

et industria.

sis munita sunt; piscinæ, aggeres, alvei, & aquæductus multis locis facti. Missis quoque ad Urbanum Papam oratoribus, impetravit ut in Russiâ apud Leopolim Cathedra Metropolitica, Cracoviæ verò nova Academia institueretur: æmulatione, vel exemplo Caroli Imperatoris, qui jam antè id Pragæ fecerat. Datúsque est primus Archiepiscopus Ecclesiæ Leopoliẽsi Christinus vir nobilis, ab Archiepiscopo Gnesnensi præsente Cazimiro Rege consecratus. Quæ tamen nonnisi anno secundo Pontificatûs Urbani, Christíque 1364. perfecta esse constat.

XVII. [d] Onuphr. in Chron. Eccles. De Patriarcharum Constantinop. successione. [e] An. 1347. II. 1350. XVIII. [f] An. 1354. in fi. 1355. V. in fin.

Hoc item anno ponit Onuphrius [d] *Philothei* Patriarchæ Constantinopolitani ingressum, post Callistum, quem biennio tantùm sedisse vult. Verùm nescîsse eum quæ de horũ temporum Patriarchis Cantacuzenus habet, jam superiùs [c] observavimus: & ex iis asserere posse videmur, ab ingressu Callisti ad præsentem annum intercessisse minimùm undecim annos. Vidimúsque[f] pariter fuisse jam antehàc Philotheum intrusũ à Cantacuzeno in Sedem Patriarchalem loco Callisti quem deposuerat; potientéque rerum Palæologo Philotheum ejectum esse restituto Callisto. Hoc verò tandem anno (si tamen omninò id eo factum dixerimus) defuncto Callisto in legatione, quam hortatu Palæologi Imp. susceperat ad Cralænam Triballorum Reginam, pro pace inter ipsos conciliandâ, & jungendis viribus adversùs Turcos Thraciam Græcósque simul ac Triballos infestantes: reductus in thronum est prædictus *Philotheus* olim monachus montis Atho, & posteà factus Heracleæ in Thraciâ Episcopus; vir utique apud suos probatissimus, quippe schismati addictissimus, & phantastici illius Luminis Thaborij propugnator acerrimus. De cujus eâ de re scriptis dictum satis superiùs. Quædam verò alia meliora recensentur in Bibliothecis Patrum. Titulum autem Patriarchæ Constantinopolitani habuisse hoc tempore ex Latinis *Guillelmum Pusterlium* Mediolanensem Archiepiscopum, Onuphrius ponit.

Iesu Christi Annus 1363.
Vrbani V. Ann. 1.
Caroli IV. Ann. 18.
Ioannis V. Ann. 23.

I. Urb. PP. diram sententiam profert in Bernabovem Mediolan.

Anno Christi millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, Indictione primâ ineunte mense Martij, Urbanus Pontifex exacto termino, quem Bernabovi tyranno Mediolanensi præscripserat ad sistendum se Avenioni; processurus ad sententiam condemnationis in eum promulgandam, cùm accepisset adesse ejus procuratores, ipséquemet Bernabos diceretur esse cum ipsis, substitit ad quartum usque diem ejusdem mensis. Quo cùm denuò citari eum fecisset, ac per palatium & prætorium perquiri, (nequid in re tantâ omissum solemnium formularum conqueri posset) nec uspiam compareret; facto consistorio publico, & percensitis ejus hæresibus, perfidiâ, impiis facinoribus, promulgari jussit sententiam in eum latam: quâ illum hæreticum & infidelem atque schismaticum & ab Ecclesiâ anathematizatum pronunciavit; & ab omni honore, dignitate, privilegiis, & jurisdictione, cum omni ejus progenie, privatum declaravit; subditos à juramento fidelitatis absolvit; uxorémque ejus uti Christianam à vinculo matrimonij cum hæretico & infidele liberavit: iisdem pœnis subjiciendo omnes & quoscumque fautores, auxiliatores, & consultores: ac denique Indulgentiam plenariam concedẽdo iis qui contra eum Cruce signarentur. Pronunciatâque sententiâ erigens se in pedes, móxque in genua procumbens, manibus junctis & elevatis, Christi cujus Vicarius esset, & SS. Apostolorum quorum successor, totiúsque Curiæ cælestis auxilium invocans, altâ voce rogavit, ut sic Bernabos in cælo ligaretur quemadmodùm ipso eum in terrâ ligâsset. Itâ rem gestam narrat Matthæus[a] Villanius. Et rex eâ valdè commotum fuisse ait Regem Francorum, qui Avenionem redierat ad intercedendum pro Bernabove: necnon & quosdam Cardinales, ejusdem apud Sedem Apostolicam protectores, & occultos mercenarios. Ausúmque nihilominùs Bernabovem ad medium sequentis Aprilis (Maij habet Corius) exercitum ducere in agrum Mutinensem adversùs Ecclesiam & confœderatos: qui penè deletus est, captis quamplurimis magni nominis viris, & inter eos Ambrosio Bernabovis notho. Quâ clade nonnihil ad concordiam inflexus Bernabos, cùm arbitrum & disceptatorem controversiarum Carolum Imp. popòscisset: móxque datæ fidei immemor, bellum restituisset; delusus Imp. omnibus eum Vicarij titulis atque Imperatoriis beneficiis & privilegiis Pragæ exuit; néve quis Imperij observans illi opem ferret interdixit. Quomodò verò pax facta fuerit, dicetur anno sequenti.

[a] Vill. lib. 11. cap. 41. 44.

II. Tres Reges Avenione suscipiunt Crucem adversus Turcos. [b] Id. cap. 14. [c] Fros. lib. 1. cap. 217.

Quod autem Regem Francorum tunc Avenione fuisse Villanius ait; meminerunt & plerique alij hujus ipsius itineris ad visitandum Pontificem suscepti. Inter quos Auctor vitæ Urbani Papæ scribit, adfuisse etiam cum Ioanne Rege, Petrum Cypri, (cujus pariter meminit Villanius[b], necnon Frossardus[c], & alij) & quem plerique omnes tacent, Regem Daciæ: per Daciam intelligens Daniam, frequente recentiorum auctorum errore, qui utramque confundunt, cùm sint longè diversæ, ut aliàs etiam monuimus. Aitque idem auctor, hos tres Reges sese mutuò adstrinxisse ad transfretandum contra Turcos intra biennium, & Crucem cum multis aliis proceribus ab ipso Pontifice sumpsisse: (quod ipso die Parasceves gestum, alij [d] habent) principe expeditionis constituto eodem Ioanne Rege, id oneris in se suscipiente: dato ei Legato à latere Talairando Cardinale Episcopo Albanense Petragoricensi dicto. Dani tamen Regis (nempè Waldemari Tertij, de quo aliàs dictum) profectionem istam ad Romanum Pontificem, Rerum Danicarum recentior scriptor [e] nonnisi anno 1369. collocat: eámque non tam religionis ergô, ut Rex præseferebat, susceptam, quàm ob vim quæ illi undiquaque à Danis ipsis Holsatísque, necnon à Rege Sueciæ urbibúsque Vvandalicis inferebatur, ob graves injurias ab ipso iis illatas. Verùm cùm ex Meyero

[d] Froß. ibid. Chron. Burdegal. ms. Canon. Vien. Contin. Nang. Vvalfingh. in Ed. car. III. [e] Pontan. lib. 8.

Regis Daniæ peregrinatio unde suscepta.

agnoscat idem scriptor, fuisse hoc eodem anno menséque Iulio Gandavi Flandriæ Reges Daniæ & Cypri; & apud historicos Polonos[f] legere possit, adfuisse hos eosdem Reges tempore Carnisprivij Cracoviæ: ex his facilè intelliget, & quâ de causâ Waldemarus extra regnum hoc anno abierit, & quomodò eodem prædictis omnibus locis unà cum Rege Cypri interesse potuerit.

[f] Michov. lib. 4. cap. 20. Cromer. lib. 12.

III. Congressus Caroli Imp. et quatuor Regum Cracoviæ in Polon.

Etenim cùm ante hæc præcessissent quædam rixæ inter Carolum Imp. & Ludovicum Hungariæ Regem qui gener Caroli fuerat, levibus quibusdam injuriis, ut fit inter vicinos, excitatæ; sed convicio Caroli, qui coram nunciis Ludovici dixerat ejus matrē parùm pudicam, sic auctæ fuissent ut bellū utrimq; magnis viribus appararetur; universâ Germaniâ Carolo, Poloniæ & Daniæ Regibus Ludovico patrocinantibus; hísque auditis Urbanus Pontifex ad concordiam inter eos conciliandam, Ioannem quempiam ex Ordine Minorum virum prudentem & eloquentem misisset: Hujus industriâ & diligenti negotiatione factum est, ut non solùm Carolus satisfacturum se de convicio promiserit; verùm etiam novam affinitatem contrahere consenserit, ducendo in quartam uxorem (tertiâ ex quâ Wenceslaum filium susceperat, paulò antè defunctâ) Elisabetham Cazimiri Regis neptem, filiam Boguslai Ducis Stolpensis Pomeraniæ, Regis Daniæ propinqui, & Ludovici consobrinam; ex quâ ei posteà natus Sigismundus filius, suo tempore futurus Imperator. Nuptiis Cracoviæ ad Carnisprivium indictis, convenerunt cum Cazimiro Ludovicus Hungariæ, Sigismundus Daniæ: (ita enim vocant historici Poloni hæc uberius tractantes, quem Dani Waldemarum, de quo nuper dictum) & Petrus Cypri Reges (quorum postremus mari & adverso Istro in Walachiam, & inde terrestri itinere per Russiam advectus fuerat) præter Duces, aliósque Principes, ac proceres plurimos. Qui omnes advenienti postmodùm Carolo cum splendido comitatu, ad unum milliarium obviam ierunt. Celebratæque sunt nuptiæ diebus Carnisprivij apparatu sumptuosissimo, omnia cunctis largissimè Cazimiro suppeditante, & donis sumptuosis Imperatorem Regésque ac ceteros pro singulorum dignitate & conditione cohonestante. Ac fuisse prædicta conventa auctoritate Apostolicâ promota per Petrū Corsinum Episcopum Florentinum, ab Urbano Pontifice ad id missum; ex ejusdem Pontificis ad dictum Petrum gratulatoriis de re benè gestâ scriptis anno sequenti literis intelligitur.

IV. Consulis Cracoviensis hilaris liberalitas.

Quo item congressu illud honestæ ac magnificæ hilaritatis contigit; ut cùm apparatus omnnes sollicitudine & providentiâ fierent Vierzinek sive Verinci Germani Cōsulis Cracoviensis, quem Cazimirus propter singularem industriam atque dexteritatem in rebus agendis thesauro suo præfecerat: is insuper cùm esset ditissimus, non habens satis nuptias illas regio nomine & impendio quàm splendidissimè curare; suâ quoque magnificentiâ Poloniæ splendorem addere volens, Imperatori, Regibus, Ducibus, Principibúsque ac proceribus, domi suæ convivium magnifico apparatu dederit: quo, impetratâ licentiâ accubitus Regibus ad libitum dispensandi, Cazimirum Poloniæ primum, secundum Carolum Romanorum, tertium Hungariæ, quartum Cypri, ultimum Daniæ Reges collocavit: ratione redditâ, quòd nulli magis quàm domino suo Cazmiro pro immensis ejus in se beneficiis amplissimum honorem tribuere obligaretur. Post exquisitissimum convivium ampla unicuique munera conferens, quæ Cazimiro dedit talia fuêre, ut plusquàm centum millibus florenorum æstimarentur.

V. Regis Cypri diligentia in solicitandis auxiliis contra Turcos.

Post hæc verò fœdere perpetuo inter Reges icto, & missis inter se ultrò citróque amplissimis muneribus, ad sua quique sese receperunt; Dano tamen Rege Cyprium ad Pontificem comitante, ubi cum Franco Cruce signatos vidimus: unde & posteà Flandriam, ut diximus, petierunt. Siquidem scribit idem auctor Vitæ Urbani; decretum Avenione fuisse, ut interim dum Rex Francorum necessaria ad expeditionem pararet, Petrus Cyprius regna alia regionésque Occidentales peragraret animandis ad eandem expeditionem Principibus Rebúsque publicis. Quod sanè impigrè eum præstitisse, non solùm ex prædictis auctoribus, verùm etiam ex Italis, Frācis, Germanis, Hispanis, Anglis intelligitur; apud quos ejus ad eas partes adventûs præsenti & sequenti anno memoria luculenta reperitur. Causas autem decretæ sacræ ejusmodi expeditionis fuisse volunt, tum pietatem ad subveniendum Christianis furori Turcorum magnos progressus quotidie facientium expositis; quorum causam acturus venerat Rex Cypri, & Palæologus Græcorum Imperator per oratores suos urgere non cessabat: tum ut omnis Gallia & Italia cōgerie militum, qui sub diversarum Societatum nuncupatione regiones illas (ut jam diximus) miserè pessumdabant, liberarentur, ductis illis in communes Christianæ religionis hostes.

VI. De successione Regum Sueciæ.

[g] Io. Magn. lib. 21

Hoc eodem anno in Sueciâ[g], rejecto omninò Magno Rege, de quo aliàs, ob intolerabilem tyrannidem & perditissimos atque incorrigibiles mores quibus despectâ fide Christianâ, & Catholicæ Ecclesiæ auctoritate, regnum abominandis criminibus perditum ibat: præteritóque pariter Haquino ejus filio, quia paternis sceleribus plus quàm patriæ faverat: electus est receptúsque in Regem *Albertus* Dux Magnopolensis in Germaniâ, ejusdem Magni ex sorore nepos. Unde posteà nova orta inter eos bella: donec mortuis in Norvagiâ Magno & Haquino, & ipse Albertus eorum metu liberatus in tyrannum mutatus est; secutúmque domesticum & atrox bellum inter eum & regni nobilitatem. Quod posteà vertens Albertus in *Margaritam* Waldemari Regis Daniæ filiam, ac prædicti Haquini viduam, regnorum Daniæ & Norvagiæ heredem, quæ etiam Sueticum jure defuncti mariti ambiebat, ingentis animi singularísque prudentiæ feminam; prælio atrocissimo cum eâ inito, captus est anno 1388. & toto septennio in custodiâ detentus. Quo elapso libertati restitutus, Suecos à præstitis sibi sacramentis absolvit; & Margarita in Reginam accepta est anno Domini (ut Ioannes Magnus habet, hæc omnia prolixè narrans) 1395. fuítque hoc pacto Margarita Regina Daniæ, Norvagiæ, Gothiæ & Sueciæ. Prosequitur eadem fusè, sed in aliquibus nonnihil diversè Krantzius[h]: observans etiam, ex illo die

Margarita multorum Regnorum Regina.

[h] Krantz. 5. Suec. 30. & seqq.

usque

usque ad sua tempora penè semper ea regna permansisse conjuncta, licèt Suecia aliquoties se tentaverit sejungere, quod & demùm omninò fecit. Sed de his videnda etiam Historia Regum Daniæ incerti auctoris, edita à Lindenbrukio; ac prolixior Pontani [i].

[i] Pont. Rer. Danic. lib. 8. & 9.

VII. ARCHIEPISCOPI LINCOPENSES.

Præerat hoc tempore Ecclesiæ Upsalensi, quæ metropolis erat Sueciæ, *Petrus* Ostrogothus, olim ex Regni Cancellario Episcopus Lincopensis: qui literis & moribus insignis eam Ecclesiam mirificè illustravit; & multis calumniis atq; divexationibus impiorum fortissimè toleratis, magnísque laboribus pro gloriâ Dei & patriæ salute perfunctus, obdormivit in Domino 18. Octobris anno 1366. Cui successit *Birgerus* divinis humanísque literis apprimè excultus; qui & Historiam Ecclesiasticam conscripsit, & plura Concilia pro restituendâ disciplinâ, aliísque necessitatibus celebravit. Agit verò pluribus de utroque Ioannes Magnus in suâ [k] Metropoli; ac de Petro Vastovius in Vite Aquiloniâ.

[k] Io. Magn. Metrop. lib. 4.

VIII. IOANNA REG. NEAPOL. NOVUM VIRUM ACCIPIT.

Hoc eodem anno Ioanna Regina Siciliæ, ne diutiùs absque viro esset cum detrimento regni, posthabito Philippo Turonum Duce filio Ioannis Francorum Regis, quem ei Pontifex [l] suasione Regis proposuerat; de consilio suorum virum accepit *Iacobum* Aragonium filium Regis illius Majoricarum, quem aliàs [m] vidimus à Rege Aragoniæ regno pulsum, & prælio occisum: cùm & detetus diù hic ejus filius custodiâ durissimâ in arce Barcinonensi, ubi ferreâ caveâ noctu includebatur; adulterinis clavibus claustra refringens, excubiis necatis, & arcis præfecto jugulato, è vinculis evasisset Calendis Maij anni superioris; adeò opportunè, ut non libertatem tantummodo consequeretur, sed è summâ inopiâ ad opulentum regnum capessendum excitatus videretur. Electus igitur in novum Reginæ maritum, Neapolim accessit, nuptiásque celebravit: commendatione etiam Pontificis munitus; certis tamen pactis, inter quæ ne titulum Regis Siciliæ citra voluntaté Sedis Apostolicę sibi assumeret: quem Regina titulo Ducis Calabriæ insignivit. Errat autem Summontius [n], cùm ait illum, postquàm tres menses Neapoli egisset, audito bello quod ipsius pater gerebat contra Regem Aragoniæ, abiisse in auxilium patris. Iam enim pater ejus ante quatuordecim annos, ut vidimus, necatus prælio fuerat. Sed Iacobus iste odio quo ferebatur in Regem Aragoniæ ob patrem regno pulsum & necatum, ipsúmquemet diro carcere tandiù detentum; ut quam posset vindictam de eo sumeret, adhæsit Petro Castellæ Regi, qui sævissimo bello Aragonium persequebatur. Quod Summontius, résque Hispanicas horum temporum, ignorâsse videtur.

[l] Reg. Urb. ex quo Bzo. an. 1362. Villan. lib. 11. cap. 32.
[m] Supr. an. 1343. XV.
[n] Summont. in Hist. Neapol.

IX. DE BELLO HISPANICO.

Eo autem bello cùm semper longè superior Castellanus haberetur & propriis viribus, & externis auxiliis Regum Navarræ, Angliæ, & Lusitaniæ, sicque pervia omnia Castellano essent, ac pedetentim res Aragonij delaberentur; incipiente hâc Castellani felicitate invidiam ac metum ceteris parere, de pace iterùm tractari cœpit, interventu Ludovici fratris Regis Navarræ qui in Castellani comitatu aderat, & Abbatis Fiscampésis Nuncij Apostolici eáque per quorumdam conjugiorum affinitatem firmata est: arcanis tamen conventis, ut Ferdinandus Aragonij, & Henricus Castellani fratres tamquam dissidiorum in utroque regno præcipui auctores, qui ambo apud Aragonium erant, de medio tollerentur. Quod paulò pôst Ferdinando contigit; obtruncato eo immitis fratris jussu in convivio, ad quod ab eo vocatus fuerat. Henricus vitæ discrimé inscius evasit, cóstantiâ præfecti arcis Uncastellanæ, tantum Principem per fidem colloquij ab Aragonio & Navarro Regibus eò vocatum perimi se passurum negantis. Sícque dupliciter felix Henricus extitit, tú his evitatis insidiis; tum nece Ferdinandi, quem gravissimum æmulum patiebatur in spe regni Castellani, cujus legitimus heres à plerísque ęstimabatur. Quare & fraude Henrici eum necatum, nonnulli crediderunt. Hæc autem omnia pluribus Surita [o] & Mariana: qui bellum continuò à Castellano instauratum describere pergunt.

TURPIS INTER CRUDELES REGES CONCORDIA.

[o] Sur. Indic. lib. 3. Mar. lib. 17. cap. 6.

X. LOCUSTARUM CLADES.

Rursùm hoc anno & sequenti Locustas ex Dalmatiâ in varias Italiæ partes incredibili multitudine à vento delatas esse, adeò ut per aliquot milliaria Solem obscurarent, & quicquid herbidum aut frondosum erat, sicut aliàs fecisse vidimus, consumpsisse, auctores [p] scribunt. Inter quos eas curiosiùs describens Matthæus Villanius, ait fuisse longitudinis digiti humani, cruribus oblongis & rubentibus, alis magnis, tergo inumbrato viridi lucido. Ab earum mortuarú esu pisces & quæcumque animalia terrestria, ipsásque etiam gallinas abstinuisse. Addidit alius [q], gallinas quæ eas degustassent ova venenata peperisse: similitérque carnes porcinas prohibitas fuisse propter esú locustarum. Maxima pars Favonij flatu in mare dejecta, submersáque ad littus rejecta, putorem pestiferum excitavit.

[p] Vill. lib. 11. cap. 60. Corpar. 3. Bizar. Hist. Gen. lib. 7. & alij.
[q] Chronol. Burdegal. ms.

XI. MATTHÆI VILLANII OBITUS EX PESTE.

Post quæ narrata idem *Matthæus* finem scribendi, simul & vivendi fecit: sublatus eodem morbi genere, quo & fratrem ejus Ioannem decessisse vidimus: nimirùm pestilentiâ, quæ hoc tempore in Etruria, sicuti & pluribus aliis regionibus grassabatur; die duodecimâ Iulij: quemadmodùm testatur filius ejus *Philippus*, qui Historiam prosecutus est aliquot capitulis usque ad finem belli inter Florentinos & Pisanos anno superiori renovati, quod hoc etiam anno obstinatioribus animis quàm rerum gestarum splendore, cum utriusque populi & damno & dedecore continuatum est; conductis utrimque variis Societatibus militum prędatorum, de quibus dictum est superiùs. Donec anno sequenti post gravem pugnam, quâ Florentini victores extiterút, ventum est operâ Nunciorum Urbani Papæ ad pacem, longè Florentinis honorificam & utilem; quæ fuit etiam auctoritate Apostolicâ confirmata, uti fusè describit prædictus Philippus; & post eum Aretinus [r], & ex isto Antoninus [s].

[r] Aret. Hist. Flor. lib. 8.
[s] Anton. tit. 21. cap. 9. & 10.

XII. FRIGUS INTENSISSIMUM.

Mense Decembri hujus anni cœpisse intoleranda frigora, & ubique ferè per tres menses durâsse, multi scriptores memorant. E quibus is qui Vitam Urbani Papæ conscripsit, observat fluvium Rhodani, qui rapidissimus esse noscitur, adeò gelu constrictum fuisse, ut etiam plaustra onusta transitum desuper haberent solidum & securum.

IESV CHRISTI Annus 1364.
VRBANI V. Annus. 2.
CAROLI IV. Ann. 19.
IOANNIS V. Ann. 24.

I. IOANNES REX FRANC. TRAICIT IN ANGLIAM.

ANNO Christi millesimo trecétesimo sexagesimo quarto, Indictione secunda, Ioannes Rex Franc. antequàm in Christianæ Religionis hostes, sicuti voverat, moveret, ad principium anni in Angliam trajecit ad visendos obsides, quos pro debitâ redemptionis pecuniâ Regi Angliæ dederat, & de eorum liberatione tractandum; Carolo filiô & proceribus regni, ac fidelissimis ministris frustrà monentibus ne se ultrò periculis objiceret. Legimus apud Philippum[a] Villanium, causam itûs fuisse, quòd filius ejus Ioannes Dux Bituri gum, quem unà cum aliis obsidem reliquerat, frustratis custodibus turpiter aufugisset, nec redire vellet; ac propterea sese Regem ejus loco in custodiam tradere constituisse; magnâ (ut ait) ejus apud omnes laude. Sed fuga non Ioannis Biturigum fuit, sed Ludovici Andium Ducis: (erant enim ambo inter obsides:) ad quam excusandam, tractandúmque de liberatione ceterorum obsidum, Regem in Angliam transmisisse, plerique volût. Qui verò scribunt rediisse Regẽ ex obligatione quâ se Anglo obstrinxerat, omninò refelluntur ex articulis ipsius liberationis, quibus apertè cõstat fuisse eam puram & simplicem. Sicuti & pravo affectu laborâsse non dubitamus, qui eum commenti sunt trajecisse, ut cupidine cujusdam feminæ Anglicæ, aut lusûs causâ. Nec omninò alius[b] audiendus, qui fabulosè scripsit, eum odio suorum ipsum ignaviæ insimulantium voluntarium exilium elegisse. Veræ igitur itûs sui causæ fuerunt, cùm amor in suos charos quos ibi obsides habebat, tum securitas pacis cum Anglo, nequid in suâ absentiâ moveretur, & studium provehendi negotium Terræ Sanctæ, unà cum Rege Cypri, qui & ipse eodem tempore transmisit in insulam. Fuisséque pariter unà cum eis Regem Scotiæ Londini, Walsinghamus habet.

[a] Philip. Vill. lib. 11 cap. 76.

[b] Boëth. Hist. Scot. lib. 15.

II. MORITUR IBI.

Ceterùm cùm Rex paulò post ejus in Angliam adventum in morbum incidisset, diem obiit Londini quinto Idus Aprilis, ut plures habẽt; anno regni decimoquarto, ætatis quinquagesimo sexto. Cujus exequias & funebres inferias regiâ magnificentiâ Anglus in diversis ecclesiis regni sui celebrari curavit. Observátque Auctor[c] Gallus tunc vivens, (quod Regi suo honorificum tacent Angli) illis exequiis Regem Angliæ obtulisse equos multos armis (hoc est typo scutario) Franciæ insignitos, & quatuor mille faces (tortitia) duodecim pedum altitudinis, & totidem cereos ponderis sex librarum. Corpus item in Galliam cum honore remisit, quod tertio Nonas Maij solemni pompâ delatum est ad majorem Ecclesiam Parisiensem Beatiss. Virginis, Iudicibus Senatûs Parisiensis de more sarcophagum bajulantibus, ut disertè observat idem Philippus[d]: postridie verò celebratâ Missâ, eâdem pompâ ad ecclesiam S. Dionysij & sepulchra Regum apportatum, funus comitantibus filiis ejus unà cum Rege Cypri qui aderat.

[c] Contin. Nang.

[d] Phil. Vill. cap. 91.

III. IUDÆI COGUNTUR SIGNUM DEFERRE.

Sub finem regni, de Iudæis (quos Carolus ipsius ob regni necessitates, dum pater captivus detineretur, in regnũ revocaverat) edixit, ut omnes signum bicolor panni rubri & candidi ad vestes loco aperto & conspicuo assutum deferrent, quo à Christianis facilè discerni possent. Quod & posteà idem Carolus Rex factus confirmâsse reperitur anno 1372. ut sunt de his eorumdem Regum constitutiones[e] in tabulario regio.

[e] Ap. Til. in Tract. int. Franc. & Angl.

IV. CAROLUS V. SUCCEDIT IN REGNO.

Quatuor autem Ioannes moriens reliquit filios; prædictum Carolum Delphinum Ducem Normanniæ, Ludovicum Andium & Cenomanorum Comitem, Ioannem Biturigum Ducem, & Philippum Turonum. Quorum natu maximus *Carolus* successit ei in regnum ejus nominis Quintus; annum agens circiter trigesimum: *Sapiénsque* cognomine dictus eò quòd præter prudentiam civilem, bella quoque contra Anglos aliósque hostes cunctando magis quàm præcipitando per fratres ac præfectos gerens, non solùm regnum conservavit, sed etiam restituit; quod avus patérque ad ultimum penè exterminium inconsiderantiis suis deduxerant. Inauguratus est Remis unà cum Ioannâ Borboniâ conjuge: eodem mense Maio die decimanonâ in festo sãctissimæ Trinitatis, more institutóque majorum; præsente eodem Rege Cypri, Vvenceslao Duce Brabantiæ fratre Caroli Imp. aliísque Principibus, & duodecim regni Paribus sua quæque munia magnâ celebritate peragentibus: quæ describit Meyerus[f].

[f] Meyer. lib. 13.

V. PHILIPPUS INTREPIDUS DUX BURGUNDIÆ.

Simulac autem regno potitus est, donationem Ducatûs Burgundiæ, unà cum titulo & dignitate primi Paris Franciæ sæcularis, factâ Philippo minimo fratri à Ioanne patre, (ad quem Ducatus ex successione alterius Philippi ultimi ejus Ducis sine prole defuncti, sive ut genere propinquiorem, quemadmodùm nonnulli volunt, sive jure Salico, ut alij, seu denique utroque jure, devenerat: reluctante tamen Carolo Rege Navarræ, qui propinquiorẽ se asserens, novos inde motus concitavit, licèt suo damno, ut de his videre est in Continuatore[g] Nangij, Philippo Villanio, Belleforestio, Marianâ, & aliis) diplomate suo confirmavit: retentâ tamen supremitate dominij, & recepto Ducatu Turonum quem priùs Philippus à patre receperat: prout eodem diplomate continetur, quod integrum Massonus[h] Annalibus suis inseruit. Hícque est *Philippus*, quem superiùs vidimus adeptum esse ex magnitudine animi cognomen *Audacis*, seu potiùs *Intrepidi* & Impavidi dicendi: qui & posteà ducendo in uxorem, Margaritam filiam unicam Ludovici Comitis Flandriæ, maximæ partis Belgij factus est dominus.

[g] Contin. Näg. hoc an. Villan. cap. 92. Bellefor. lib. 5. cap. 29. 30. 31. Mar. lib. 17. cap. 6.

[h] Masson. lib. 4. in Car. V.

VI. CAROLI BLESENSIS CÆDES, ET MIRACULA.

Memorabilis quoque hic annus[i] cæde *Caroli* Blesensis, à Ioanne Monfortio genero Eduardi Anglorũ Regis (filio videlicèt alterius Ioannis, quem vidimus de Britanniæ Armoricæ possessione contendere cœpisse, qui jam mortuus erat) prælio ad Darienem interempti 3. Calend. Octobris. Cujus morte cessavit bellũ, quod viginti duobus ferbuerat annis, universâ Armoricâ sese Monfortio dedente, & controversiâ Rege Carolo inter eumdẽ Ioannem & viduã ac liberos Caroli cõponente: ita

[i] Froissard. lib. 1. cap. 227. Contin. Näg. Vvalsingh. Mey. Bellef. cap. 31. & 32. Argentra. lib. 6. cap. 45. & lib. 7. c. 2.

tamen ut Armorica beneficiaria esset regni. Quòd verò Carolus tantæ virtutis & vitæ sanctitudinis esset, ut miraculis tam vivus quàm mortuus claruerit; actum est apud Urbanum Pontificem de ejus inter cælites relatione. Ita ut rem tunc partitus esse videatur felici commutatione cum Monfortio; ut sibi cælum sumens, terram ei relinqueret.

VII. VRBANUS PP. AGIT CONTRA PRÆDONES.

Cùm autem plena esset per id temporis Gallia prædonibus, qui sub diversarũ Societatum nominibus, ut jam suprà diximus suo ipsi ductu, nunc pauci, nunc multi, excursiones passim prædásque faciebant, cum infinito reipublicæ & privatæ damno; contra illos qui in Occitaniâ erant Urbanus Papa processus & censuras fulminans, eósque persequentibus Indulgentias concedens, brevi effecit ut aut interempti aut ejecti fuerint: prout testatur Auctor ipsius Vitæ. Ex literis tamen Petrarchæ [k] ad ipsummet Pontificem scriptis intelligitur, ab impiâ prædonũ manu Pontificem diù circumsessum, suam ac Romanæ aulæ libertatem multo auro stipendij specie redimere coactũ esse. Id ipsum præstante itidem Carolo Rege; cùm ut ejusmodi lue regnum purgaretur, opportuna sese occasio obtulisset derivãdi eam in Hispaniam in auxilia Henrici fratris Petri Castellę Regis: qui fraternis opibus & imperio spe invasis, hoc anno facto novo fœdere cum Petro Aragonio & Carolo Navarro, (namque & iste innatâ animi levitate, deserto Castellano, cum Aragonio societatem inierat: certantes tamen invicem, ut Surita ait, fraude & avaritiâ quis quẽ superaret:) regnum Petri cum iisdem partitus est, de alieno munificus. Scribit autem Frossardus[l], in exercitu qui ex Galliâ Hispaniam petiit ad triginta hominum millia extitisse, tam ex colluvie Germanorum, Anglorum, Armoricorum, Vasconum, aliarúmque gentium, conflatâ spe lucri, prædæque aviditate, quâ solâ ducebantur; quàm ex aliis Francis: cùm multi nobilissimi fortissimíq; viri ultrò se ad id bellum conficiendum obtulissent, auspiciis Ioannis Borbonij, quem Blancæ sororis interfectæ dolor in Regem Crudelem stimulabat: cuíque Rex Carolus, quòd adhuc junior esset, *Bertrandum Guesklinum* (Ita enim dictus, quem quidam Cleskinum, sive Clakinum nominant) Armoricum præstantissimũ bello ducem dedit, cujus consilio rem administraret: qui tamen Ioannes, quâ causâ incertum, Hispaniam non adiit. Quid autem ab iis copiis præstitum fuerit, dicetur altero pòst anno, non enim nisi ad finem sequentis attigerunt Hispaniam: tantæ fuit operæ eos ex Galliâ retrahere! quorum numerũ augens immensum Vualsinghamus, ait ascendisse ad sexaginta circiter millia bellatorum.

k *Petr. lib. 7. Senil.*

MITTUNTUR IN HISPANIAM.

l *Froff. lib. 1. cap. 230.*

BERTRANDUS GUESKLINUS.

VIII. REGIS ARAGONII IMPIÆ CRUDELITATES.

Interim verò Aragonius, qui immitis in fratrem, uti vidimus, esse cœperat, hoc anno impium exhibens sese in filij educatorem Bernardum Cabreram, innocentem, & de Aragoniæ regno ipsóque Rege optimè meritum, ac rei bellicæ expertissimum, sine quo nihil umquam magni Rex opere aut consilio aggredi ausus fuerat; publico supplicio affecit; eâ solâ de causâ odio habitum, quòd præsetulisset displicere sibi prædicta Regis sui cõsilia, quibus Castellæ vires irritabantur Aragoniis superiores; ac proinde proditionis accusatum: quem Navarrus, cùm ad eum veluti fidissimum subsidium perfugisset, ex infami pacto in manus Aragonij tradidit. Videtur tamen aliquid judicij divini in ejus supplicio intercessisse, quòd indictâ causâ damnatus est, qui olim auctor fuerat ut duo viri primarij indictâ pariter causâ capitis pœnas pependissent. Quod porrò in hoc facinore atrocius turpiúsque fuit, voluit idem Rex filium suum, quem Cabrera sanctissimis moribus informaverat, necdum pubertatis annos attingentem, nutricij sui damnationi & supplicio præsidere. Quasi sicut armis Castellanus Aragoniúsque, sic & sævitiâ alter alterum superare contenderet.

IX. PETRI REGIS CASTELLÆ PIUS ACTUS.

Fuit tamen qui semper aliàs impius, hoc anno valdè pius Castellanus, cùm in quâdam expeditione navali à supremo vitæ periculo ex sævissimâ tempestate servatus, voti reus vicinum Beatiss. Virginis templum reliquis indumentis detractis in lineâ tunicâ adiit, resti etiam collum implicitus. Aragonius verò parùm abfuit quin hoc ipso anno ab Urbano Pontifice diris execratus fuerit; quoniam quantumvis Urbanus summâ in eum benignitate, etiámque in concessione decimarum ecclesiasticarum, usus fuisset, nihilominùs necessitates regni sui prætexens, in fructus omnes sacros Cardinalium, & absentium ecclesiasticorum, manus injecerat. Eâ namque de re cùm Pontifex ad Collegium Cardinalium retulisset, censuerunt Regem imprecationum & interdictorum pœnis coërcendum, & Sardiniæ regno mulctandum. Quod tamẽ suspendens paulùm Pontifex, Regi significari curavit, nisi intra duos menses prædicta revocaret, & ablata restitueret, fore ipsũ ex tunc à communione Ecclesiæ extorrem, regnúmque interdicto suppositum: misso de his rescripto [m] 3. Idus Martias anno Pontificatûs 2. Factúmque est, ut Petri, patrui Regis, quem aliquot antè annis jam ætate provectũ Ordini Minorum sese addixisse vidimus, legatione utcumque re excusatâ, à Pontifice ampliùs pronunciatum sit, ac judiciũ imposterùm dilatum.

PETRUS ARAG. ARGUITUR À PONTIF.

m *In Collect. Archiepis. Auxit.*

X. PACTA CUM BERNABOVE MEDIOL. CONVENTA.

In Italiâ dilabentibus rebus Bernabovis, tam fœderatorum adversùs eum armis, quàm Urbani Pontificis diris, de quibus suprà, actum est tandem Caroli Imp. Caroli Francorum Regis, Petri Cypri, aliorúmque Principum suasionibus, ut & ipse ab obstinatissimâ suâ feritate recederet, & Pontifex ad eum suscipiendum inclinaret. Missóque ad id operis Androino non ita pridem creato tituli S. Marcelli Presbytero Cardinale, ita res terminata est mense Februarij, ut Bernabos cederet omni jure Bononiæ, castra occupata restitueret, Guelfam partem suæ ditionis non opprimeret, fœderatorum terras non invaderet: Urbanus autem anathemate illum & interdicto ditionem exolveret, & ratione castellorum recèns extructorum quingenta aureorum millia intra octo annos dependeret; atque interim Bononia & castra restituta in manibus & custodiâ Androini; non Ægidij prioris Legati permanerent. Conventis mox executioni mandatis, non tamen pax diuturna fuit; eò quòd Bernabos multa Guelforum castra hoc ipso anno disjecerit, specie quasi incommoda essent ac bellorum semina, re odio partis quæ Ecclesiæ adjecta erat. Tractant porrò hæc Philippus [n] Villanius, Bernardinus, Corius, Hieronymus Rubeus: & confirmantur literis [o] Pontificiis.

n *Vill. lib. 11. cap. 64. Cor. par. 3. Rube. lib 6.*
o *Ap. Bzov. ex Reg. Urb.*

Mortuus

XI. DE REB. NEAPOLITANIS.

Mortuus [p] est hoc eodem anno die decimoseptimo Septembris Neapoli *Robertus* Princeps Tarenti dictus Imp. Constantinopolitanus, de quo superiùs; post reditum ab expeditione Græcanicâ, quâ Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum, & alias Ionij maris Insulas occupavit: nec non Leucadem, quam & in titulum sumpserat, ut diceretur Dux Leucadiensis, sicuti & Princeps Tarentinus & Imp. Constantinopolitanus. Moriens sine liberis successorem reliquit in omnibus suis juribus & titulis *Philippum* fratrem, virum Mariæ sororis Ioannæ Reginæ. Qui cùm insuper bona quædam regni, quæ frater ejus Robertus usurpaverat, & censuris compulsus Urbano Pontifici dimittere promiserat, pariter occupare gestiret; tum Ioannæ Reginæ edixit Vrbanus ne ejusmodi bona alienari permitteret, tum Philippo ne inconcessa desideraret, quę nec Joanna absque Sedis Apostolicæ auctoritate concedere posset. Sicuti & anno præcedenti confirmaverat constitutionem Clementis Sexti, quâ alienationes quascumque & donationes bonorum ejusdem regni à Regibus ipsius factas, insciâ eâdem Apostolicâ Sede supremâ regni dominâ, abrogaverat & irritas declaraverat. Excitatis autem hinc nonnullis motibus, jussus ab Vrbano Ægidius Legatus eò accedere, illos composuit, & quâ erat dexteritate regnum optimè stabilivit, ut de his constat ex Regesto [q] Epistolarum Vrbani Pontificis. Extântque hactenùs ejusdem Constitutiones quas tunc pro statu regni condidit.

[p] Summont. lib. 3.

[q] An. 1363. 64. 65.

XII. CRETÆ REBELLIO, ET REDUCTIO.

Hoc eodem anno Creta; vulgò Candia dicta, notissima mediterranei maris insula, quæ præcedenti, occasione cujusdam tributi recèns impositi, Reipublicæ Venetæ (Venetis ipsis insulam accolentibus, præcipuis auctoribus & instigatoribus) rebellaverat tantâ perduellium animositate, ut etiam Genuensibus sese dare, priusquàm ad Venetos redire, nisi Genuenses amicitiam Venetorum tantæ insulæ acquisitioni prætulissent, per legatos quæsîssent; & ad captandum Græcorum benevolentiam & favorem vulgi, Catholico ritu in cæremoniis Ecclesiasticis prorsùs abolito, Græcanicum ab omnibus servari decrevissent; atque Latinos omnes Veneti nominis studiosos in diversis insulæ locis interficiendos curâssent: misso Venetiis valido exercitu, post fusos levi prælio hostes, ad antiquum Reipublicæ obsequium retracta est, sumpto de rebellionis auctoribus condigno supplicio. Cujus rei nuncio Venetias allato ad principium Iunij, post gratias Deo actas, ludi publici magnificentissimo apparatu celebrati sunt: quos egregiè, ut solet, descripsit qui vidit Petrarcha [r] tunc ibidem Venetiis existens, epistolâ ad Petrum Bononiensem; quam etiam prolixæ de totâ hac re Creticâ narrationi insertu dignam judicavit Petrus [s] Iustinianus in suâ Venetorum Historiâ. Quâ & aliam paulò pòst subsecutam eorumdem Cretensium defectionem, ejúsque præproperam vi armorum oppressionem, describere pergit: & utramque eleganter etiam Sabellicus [t] ante illum.

[r] Petrar. 4. Rer. Senil. 2.

[s] Petr. Iustin. lib. 4. & 5.

[t] Sabell. 2. dec. 4.

IESU CHRISTI Annus 1365.
VRBANI V. Ann. 3.
CAROLI IV. Ann. 20.
IOANNIS V. Ann. 25.

I. LEGATIO A' PONT. AD IMP. CONSTANTINOPOL. PRO UNIONE ET AUXILIIS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertiâ Urbanus Pontifex *Paulum* (Petrum alij vocant) Archiepiscopum Cretensem & Patriarcham Constantinopolitanum Latini ritûs, in Thraciam legavit ad suadendam Ioanni Imp. unionem cum Ecclesiâ Romanâ, & Crucem contra Turcos & Saracenos prædicandam; concessâ ei amplissimâ Legati Sedis Apostolicæ auctoritate. Scribénsque ad eumdem Ioannem Imp. decimo-quarto [a] Calendas Maij, exprobratâ honestè ejus in schismate obfirmatione, haud tamen se desistere ait ab exquirendis remediis quibus ejus Imperium, quod totum penè jam à Turcis destructum & occupatum erat, ipsáque inclyta civitas Constantinopolitana, ab eorum incursionibus & invasione liberari posset: Et quoniam generalis transfretatio Occidentis non poterat modò fieri, certam unionem gentium armigerarum se procurâsse operâ Magistri & Conventûs Hospitalariorum; Marchionis Monferratensis, & Ducis ac civitatis Ianuensis; quæ confestim post compositam aliquam discordiam quæ intercesserat inter Petrum Regem Cypri & dictos Ianuenses, ad effectum perducenda esset. Ita ibi. Quæ verò fuerit hæc discordia Cypri cum Genuensibus, nullibi prætereà reperimus. Nisi fortè inde evenerit quòd (ut referunt auctores [b] Genuenses) cum Rex ante biennium Genuâ appellens magnificè acceptus, ad epulum rogatus fuisset à quodam amico suo Genuensi Cypri negotiante; eodem epulo Simon Buccanigra Dux Genuensis, numquam à Regis latere honoris causâ discedere solitus, veneno potatus fuisset, ac paulò pòst mortuus, exortis inde non paucis tumultibus. Vnionem verò illam cujus Vrbanus meminit, gentium armigerarum, putamus potissimùm fuisse Societates militares quæ per Galliam ingenti numero vagabantur: sed quæ ad opus Orientale destinatę, ad proximius bellum Hispanicum fuere, ut vidimus, deductæ.

[a] Reg. Vrb. & inde Bzov. hoc an.

[b] Nebiens. lib. 4. Foliet. lib. 7.

II. SOCIETAS LATRONUM DEBELLATUR.

Iisse tamen hoc eodem anno ex Galliâ in Sabaudiam, aliam ejusmodi latronum colluviem, Anglorum maximè, ad centum hominum millia, sunt qui scribant [c], numerum ut putamus longè augentes. Insurrexisse verò pręcipuè in nobiles: quorum unum assaverunt vivum in conspectu uxoris & liberorum, eósque de carne ejus comedere compulerunt, deinde & jugulârunt. Alium ligantes ad palum, uxorem & filias constuprârunt coram eo, posteáque simul occiderunt. Quod verò iidem auctores tradunt, hos debellatos fuisse à Carolo Rege Navarræ, hallucinatio est; cùm nequaquàm fuerit is hoc tempore iis locis, sed in regno suo satis occupatus rebus suis agendis, & per fas nefásque augendis inter discordias vicinorum suorum Regum Castellæ & Aragoniæ. Fuit igitur hic Carolus Imp. quem Argentinensis [d] ait armâsse hoc ipso anno contra

[c] Christi. Massæ. in Chron. lib. 18. Meyer. lib. 13. &c.

[d] Argentin. in Chron.

tra hujusmodi Societatem quæ penetraverat in Alsatiam. Sicuti & ceteri auctores [e], pulsos hos latrones & magnâ parte deletos scribunt à Principibus Germaniæ. Describitque eorum excursiones exactiùs Trithemius. In duce tamen hujus Societatis variant auctores; dum aliqui Archipresbyterum Petragoricensem nominant, (de quo aliàs dictum) alij quemdam Iacobum Bonhomme, quem & pelle vivum spoliatum volunt. Potuerunt ambo simul adesse: nam & ejusmodi Iacobum jam vidimus superiùs.

[e] Vit. Vrb. V. Naucler. &c.

III. URBAN. CAUSAM AGIT PRINCIPUM ORIENT.

Aliis [f] quoque literis idem Pontifex eumdem Imp. Constantinopolitanum interpellavit pro Ioanne Lascari: qui cùm Mariam Cantacuzenam Imperatoris neptem sibi despondisset, ab Imperatore nuptias celebrare prohibebatur; ac propterea venerat Avenionem ad implorandum Vrbani auxilium, abjurato priùs schismate Græcanico in manibus Petri Patriarchæ Latini: cui Pontifex Lascaris causam diligentissimè provehendam commendavit. Cúmque etiam Ioannes Lusinianus Petri Regis Cypri consanguineus Armeniæ regnum jure hereditario sibi deberi contenderet; scripsit pro illo Vrbanus tertio Nonas Aprilis Prælatis & proceribus Armeniæ; admonens insuper, ut erroribus Nestorianorum & aliorum rejectis, puritatem Catholicæ fidei profiterentur.

[f] Reg. Vrb. & ap. Bzov.

IV. PETRUS REX CYPRI CAPIT ALEXANDRIAM.

Petrus autem prædictus Rex Cypri, emortuo unà cum Ioanne Francorum Rege negotio transmissionis Orientalis; ne ampliùs tempus sollicitandis ceteris Principibus incassùm tereret, acceptâ à singulis eorum grandi pecuniâ, collectísq; ex eâ non parvis auxiliis, Francorum præcipuè & Hispanorum, Cyprum rediens; atque inde cum validâ classe, generoso consilio in Ægyptum navigans, viribus etiam Hospitalariorum adjutus, Alexandriam cepit: magnum opus & memorabile, (inquit Petrarcha [g] ad Bocatium scribens,) nostræque religionis in immensum amplificandæ fundamentum ingens, si quantum ad capiendam, tantum ad servandam urbem animi fuisset, quem sibi certe non defuisse fama est, nisi quòd comitatus ejus ex transalpinis maximè gentibus collectus, (erat cùm hæc scribebat Petrarcha Venetiis) melioribus semper ad principia rerum quàm ad exitus, illum in medio præclarissimi operis deserentes, ut qui pium Regem non pietate sed cupidine sequerentur, collectis spoliis abière, piique voti impotem avari voti compotes fecère. Ita quidem ille semper in omnibus fervens. Sed Auctor Vitæ Vrbani, civitatem captam narrans die undecimâ mensis Octobris (Augustum tamen habent nonnulli) præsentis anni; addit Petrum Regem prudenter considerantem se non posse diù eam tenere, ob copiarum suarum tenuitatem viribus hostium penitùs imparem, quas innumerâ multitudine adversus ipsum congerebant, eam deserere decrevisse, atque direptam igni cremâsse. Quod & confirmat auctor Continuationis [h] Belli sacri. Multóque explicatiùs Walsinghamus [i], Petrum non cepisse nisi tertiam partem urbis, reliquam retinentibus hostibus, quæ fluvio sive brachio maris dividebatur: & Petrum quam cepit post quatuor vel quinque dies deseruisse, quòd eam custodire non valeret, omnibus tamen à maximo ad minimum ex ejus direptione ditatis, cùm interim non cessaret Vrbanus [k] Pontifex in ejus auxilium, & sacri Belli societatem, Reges ac Principes Résque publicas Occidentales assiduè atque instantissimè sollicitare. Carolum verò Imp. (ceterorum plurimis utcumque promittentibus) numquam ad eam expeditionem suscipiendam induci potuisse, Dubravius [l] scribit; quòd diceret illam susceptu quàm confectu faciliorem esse; & longè difficiliùs parta tueri quàm quærere: præteritorum temporum exemplo, cùm post multa secunda prælia facta, captásque plurimas urbes, quę tamen nonnisi multo Christianorum sanguine, immensísque viribus & opibus fieri poterant, citò nihilominùs aut potentioribus hostium copiis, aut ipsorum Christianorum divisionibus, aut morbis, aliísve infortuniis omnia amissa fuère; majori etiam detrimento Christianorum Orientalium, quos Occidentales adjutum ibant, cùm de proximo non essent qui eos protegerent.

[g] Petrar. 8 Senil. 8.

[h] Cont. Bel. sacr. lib. 5. cap. 17.

[i] Vuals. in Eduar. III. & Hypodig.

[k] Bos. Hist. Hospital. to. 2. lib. 3.

[l] Dubrav. lib. 22.

CAROL. IMP. EXPEDITIONES ORIENT. NON PROBAT.

V. CAROL. IMP. PETIT AVENIONEM

Venisse autem ipsum Carolum Imp. hoc anno mense Maij Avenionem ad Vrbanum Pontificé, idem Auctor Vitæ Vrbani narrat: quamvis hoc ejus iter Corius in annum sequentem referat; Krantzius [m] in præcedentem. Et quidem ille Auctor simpliciter tradit, fuisse Imperatorem valdè honorificè receptum; & die sancto Pentecostes celebrante solemniter Pontifice, adstitisse eum habitu & insignibus Imperialibus: iisse posteà Arelatem, cujus regnum ad ipsum spectabat; ibíque se fecisse in Regem coronari per Archiepiscopum illius civitatis: (qui erat tunc Guillelmuns de Gardiâ, Patriarcha factus Ierosolymitanus, & posteà Cardinalis) tandémque post multa habita inter ipsum & Pontificem colloquia de rebus Ecclesiæ & Imperij, rediisse ad propria. At verò Corius [n] rem distinctiùs explicans, ait intervenisse quoque nonnullos ex magnatibus Lombardiæ, & oratores ceterorum; habitáque fuisse consilia de bello inferendo Bernabovi sub Caroli Imperatoris auspiciis, qui ad hoc venturus esset in Italiam, concessâ ei in sumptus decimâ fructuum Ecclesiasticorum in Germaniâ & Boëmiâ: promisisse quoque ei Pontificem subrogationem filij in Imperium, ipsúmque, Carolum in Regem Arelatis coronâsse; cui olim regno suberat Provincia, Mediolanum, Pedemontium, & magna pars Lombardiæ quam nunc Vicecomites occupabant: Et ad omnia firmiùs stabilienda, Pontificem quoque venturum in Italiam. Hæc de illo conventu Corius, suis Vicecomitibus ultra modum addictus: quos etiam adversùs hæc, munimenta quæsisse ait; atque interim Genuensibus bellum intulisse: Societatem quoque Anglorum per Italiam prædantium conduxisse, constituto ejus duce Ambrosio notho suo; & alia ejusmodi machinatos esse; quæ item alij auctores memorant. Ceterùm quòd coronatio Caroli de regno Arelatensi, apud auctorem libri de Cæremoniis [o] Ecclesiæ Romanæ anno millesimo trecétesimo sexagesimo primo contigisse ponitur; manifestus est error: cùm ipsemet dicat factum id fuisse cùm

[m] Krantz. 9. Saxon. 33.

CORONATUR REX ARELAT.

[n] Cor. par. 3.

[o] Carethon. lib. 1. sect. 5.

venisset

venisset Carolus ad Urbanum Quintum, & Urbanus nonnisi ad finem anni millesimi trecentesimi sexagesimi secundi Pontificatum adeptus fuerit.

VI. VRB. PP. PROSPICIT DECORI ECCLESIASTICOR.

Ceteris quoque rebus ac personis Ecclesiasticis prospiciens Urbanus, cùm plurimos ex clero cerneret deviare à rectitudine morum, atque idcircò contemptui haberi fæcularibus, & à Principibus indignè tractari; omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis totius Orbis Christiani edixit, Concilia provincialia & diœcesana celeriter celebrare, ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam, & dignitatem ac libertatem Ordinis Ecclesiastici vindicandam. Eâq; de re omnibus Prælatis, anathemate proposito injunxit ad Ecclesias sibi creditas abire, & in curam pastoralem invigilare. Senescallo Provinciæ, ut Iudæi Arelatenses in loco à Christianis separato habitarent, signum quo à reliquis discernerentur publicitùs deferrent, cœmeteriúmque discretum haberent, præscripsit. Nequis item Prælatus aliúsve ex clero Edmundum Regis Angliæ filium cum Margaritâ herede Flandriæ & multarum aliarum ditionum Belgij, auderet matrimonio conjungere, interdixit tertio Calendas Novembris. Erat enim impedimentum [p] cognationis tertij & quarti gradûs; quod noluit Vrbanus solvere, pronior ipse ut Margarita copularetur Philippo Burgundiæ Duci fratri minimo Caroli Francorum Regis. Desponderat quidem illam pater Edmundo, sed reclamante pertinacissimè aviâ, quæ tota Francorum erat: quæ & tandem evicit ut rescissâ desponsatione Anglicâ, Burgundica admitteretur. Mansissétque alioqui læsa insigniter suprema regia majestas; absque cujus consensu nefas esset liberos Principum clientelarium matrimonia contrahere; uti etiam vidimus [q] in pari casu sub Philippo Pulchro magnâ Flādriæ clade. Quòd verò Vrbanus quam Anglo dispensationem cognationis negavit, Burgundo concessit, qui & ipse non minùs indigebat; nihil is inde culpandus venit, (ut argumentatur Auctor ejus Vitæ) cùm hoc non à justitiâ sed ex merâ gratiâ penderet; prudentérque præterea consideraret, novorum bellorum hanc affinitatem Anglicam seminatricem fore, ob vicinitatem & potentiam provinciarum quæ in dotem Margaritæ venturæ erant; quæ si in manus hostium Francici nominis incidissent, continuas regno & insanabiles inquietudines atque molestias peperissent. Et nimirùm (ut ait scriptor [r] Annalium Flandriæ) dignus erat Burgundus qui tam splendidum inveniret matrimonium, qui tam fortiter támque fideliter summis in periculis suo adstitisset parenti. Non tamen celebratum est nisi post tres abhinc annos, ob difficultates quas idem scriptor recenset.

[p] Til. de Reg. Franc.

FAVET MATRIMONIO PHILIPPI BURGUNDI CUM MARGARITA FLANDR.

[q] An. 1294. XIII.

[r] Meyer. an. 1368.

VII.

FLAGITIA CARNALIA CUIUSDAM HOLLANDI.

Ponit sub hoc anno Ioannes [s] à Leidis in suo Chronico Belgico, exemplum lascivissimæ turpitudinis merito supplicio affectæ: fuisse nempè in oppidó Gorichem Hollandiæ prædivitem quemdam oppidanum nomine Henricum, (Snous [t] tamen Ioannem Cannemacherum vocat) qui compluribus viduis & virginibus formosis seductis, matrimonia clandestina cum iis seorsùm contraxisse, pacto ne intra annum publicarent, detectus per multarum graviditatem; cùm ad forum ecclesiasticum vocatus ire contemneret, ab Ottone domino Arkeliensi quæsitum ad supplicium tam fœdi sceleris, ad ecclesiam confugisse; sed quòd non minùs malitiosè quàm insolenter egisset contra ecclesiastica decreta, inde abstractum capite plexisse. Cujus item Ottonis narrantūr ab iisdem auctoribus plura alia egregia facinora.

[s] Io. à Leid. lib. 31. cap. 12.

[t] Snous Rer. Batav. lib. 9. cap. 21.

IESU CHRISTI Annus 1366.
VRBANI V. Ann. 4.
CAROLI IV. Ann. 21.
IOANNIS V. Ann. 26.

I. VRBAN. PONTIF. CURAT UNIONEM ECCLES. GRÆCÆ.

ANNO Christi millesimo trecētesimo sexagesimo sexto, Indictione quartâ, sollicitus Urbanus Pontifex de rebus spiritualibus & temporalibus Imperij Constantinopolitani, cùm literas & nuncios accepisset à Calo-Ioanne Imperatore, quibus de more solenni, cùm valdè in arctum redactus esset à Turcis, suppetias postulando conversionem pollicebatur ad fidem & unionem Ecclesiæ Romanæ; rescribens [a] ad eum octavo Calendas Februarij significavit Ludovicum Hungariæ Regem terrestri itinere cum valido exercitu contra eosdem Turcos pergere; & mari Petrum Regem Cypri cum quorumdam Latinorum auxilio victorias suas prosequi paratum; ac denique Amedeum Sabaudiæ Comitem ipsius Ioannis Imp. consanguineum, multo nobilium comitatu stipatum ad easdem partes iter assumere, per quem has ei literas scribebat. Deinde hortatus est, ut quemadmodùm ex his evidenter agnoscere posset quanto fervore tam ipse Pontifex quàm prædicti Principes in ejus subsidiū ferrentur; ita & ipse cum populo suo sincerè ad cor rediens, non ampliùs fictionibus rem ageret, sed negotium salutis animarum diligenter curans, ad ejus Ecclesiæ obsequium redire festinaret, à quo se ejus decessores abstrahendo florentissimum Græcorum Imperium in miserrimum hunc statum redegissent: alioquin habiturum se illum ac ceteros Græcos velut ethnicos & publicanos, nec ullum eis auxilium deinceps præstaturum.

[a] Reg. Vrb. V. & ap. Bzov. hoc an.

II.

IMP. CONSTANTINOPOL. ADIT REGEM HUNGAR.

Quid autem perfecerit Rex Hungariæ, & utrùm in Græciam umquam penetraverit, non legimus; cùm inter multiplices ejus expeditiones quæ ab scriptoribus rerum Hungaricarum recensentur, hæc omninò taceatur. At enim ex aliis ejusdem Pontificis ad eumdem Imperatorē datis posteà literis [b] Calendis Iulij cognovimus, ipsummet Ioannem Imper. adiisse Ludovicum Regem in civitate Budensi; & cum juramento promisisse, tam se quàm filios suos Manuelem & Michaëlem Ecclesiæ Romanæ unitatem amplexuros, eáque omnia adimpleturos quæ super eorum reconciliatione Pontifex injuncturus esset: ídque Imperatorem per Georgium Magnichartem Cancellarium suum, & Ludouicum per Stephanum Episcopum Nitriensem Vrbano significâsse. Quâ de re vehementer exultans Pontifex, Imperatorem instantiùs hortatus est rem continuò exequi: atque ut sciret quæ esset fides Ec-

[b] Ibid.

clesiæ

clesiæ Romanæ, eam illi singillatim per articulos exposuit, unà cum ejus primatu super universam Ecclesiam Catholicam: additâ quoque formulâ Iuramenti professionis fidei & abjurationis schismatis, quâ olim Michaël Palæologus in simili reconciliatione præstiterat, quámque ipse Ioannes cum filiis suis & clero populóque Grecorum præstare deberet. Ac demùm ad hæc omnia dilucidiùs explicanda, & ad optatum effectum perducenda, misit unà cum prædicto Magnicharte, Guillelmum Noëleti Cantorem Ecclesiæ Bajocensis & sacri Palatij causarum auditorem, ac Rodulphum Castellanum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Doctorem Theologum, per quos etiam Ludovicum Hungariæ Regem de his omnibus certiorem reddidit; hortans eum ad bellum sacrum, & ad unionem Græcorum promovendam.

III.

[c] Ant. tit. 24. c. 9 §. 20.
[d] Ext. in Chron. Minor.

BULGARIÆ CONVERSIO.

Quod quidem ipsum egregiè præstitisse, ex S. Antonino [c], & literis [d] Marci de Viterbio Ministri Generalis Ordinis Minorum hoc anno scriptis intelligitur: nempè in Bulgariâ occupatâ vi armorum à Ludovico Rege, per solos octo Fratres Minores petitione ejusdem Regis ex Bosnensi Vicariâ eò missos, intra quinquaginta dies ultra ducenta millia hominum baptismum suscepisse; necdum tamen tertiam partem illius populi conversam esse, sed brevì conversum iri, si ad tantam messem plures mitterentur Fratres, quos ad numerum duorum millium Rex postulavit, quorum nemini opus defuturum esset. Confirmantúrque eadem ex Chronicis [e] Hungarorum: ubi legimus Ludovicum sibi regnum Bulgariæ subjecisse, capto etiam ejus Principe Strachmero qui se Imperatoré Bulgariæ nominabat, & in Hungariam transmisso, quem cùm aliquo tempore sub decenti custodiâ detinuisset, regno restituerit sub certis pactis & obsequiis coronæ Hungaricæ præstandis; quæ ipse fideliter quamdiù vixit observavit.

[e] Thuros. par. 3. cap. 33.

IV.

DE REB. ÆGYPTI.

Quod autem spectat Amedei Sabaudi expeditioné, cujus Urbanus in suis ad Calo-Ioannem literis meminit; legitur in vitâ ejusdem Pontificis; eum Callipolim Thraciæ Chersonesi urbem à Turcis multo tempore occupatã cepisse, & eidem Ioanni Græcorum Imperatori consanguineo suo restituisse, quam tamen illum citò iterùm amisisse, ex Turcorum Historiis intelligitur. De Petro verò Cyprio habemus ex Epistolis ejusdem Urbani, cùm post vastatâ anno superiori Alexandriam Ægypti, Tripolim quoque & alia non ignobilia oppida Saracenis eripuisse; metúmque adeò vehementem iis incussisse, ut Venetias nuncios miserint pro distrahẽdis illis à ceterorum fœdere. Narrâtque Surita [f], cùm Caçinus Abuhalmalius Zahabenus Ægypti Sultanus occasione incursionis Petri in oras Ægypti, & direptionis partis Alexandriȩ, Christianos omnes in Asiâ & Ægypto negotiantes commorátésque comprehendi imperâsset; Regem Aragoniæ nunciis ad eum missis, Catalanos omnes & Aragonios dimitti obtinuisse. Sed & S. Barbaræ corpus, quod in templo quodam Ægypti religiosè asservabatur, Sultanum in Aragoniam asportari permisisse: verùm arte Christianorum qui Ægypti solitudines incolebant, & Sanctæ reliquias colere ac favorem deprecari consueverant, eas occultatas esse ne inde avehèrentur.

[f] Sur. Ind. lib. 3.

V.

URB. PP. ROMAM ADIRE PARAT.

Cùm autem jam ab initio Pontificatûs Urbanus summum desiderium præseferens petendi Italiam, misso Romam Iacobo Muto Episcopo Marsicano ad quasdam difficultates componendas, dedisset etiam in mandatis suum in Urbem adventum significare, si modò Romani hoc deposcerent: eóque Romani [g] accensi suos ad Pontificem nuncios destinâssent, rogatum ut iter maturaret: nec tamen tunc Pontifex illud aggredi ob rerum Gallicarum difficultates valuisset: hoc verò anno à Petro [h] Aragonio Minoritâ ex revelatione divinâ ad rem exequendam incitatus: denique & acriùs à Petrarchâ [i], prolixâ valdè, sed planè egregiâ epistolâ libello simili, Venetiis tertio Calendas Iulij ipso festo SS. Apostolorum Petri & Pauli liberiori stylo scriptâ, increpitus, quòd Avenionem Romæ præferret, omníque rationum ac suasionum genere monitus ad suam propriam sedem redire: His demùm flexus Vrbanus, tum Petrarcham remissis ad eum literis copiosè admodùm laudavit, ut ipsemet [k] testatur ad Brunum; (quinimmò & ad se venire invitavit [l], excusantem morbos & senectutem:) tunc manum operi seriò admovens, scripsit Venetorum & Genuensium Ducibus cupere se eorum triremibus Romam navigare: & præmisit qui Palatium Vaticanum, ceteráque necessaria præpararent: Ægidióque Legato præscripsit arcem quam is Viterbij extruxerat, omnibus necessariis in suum adventum instruere, quòd per æstivos calores ibi subsistere deliberaret. Et ut quantum fieri posset omnia in Italiâ benè ordinata veniens reperiret, multa alia eidem Ægidio, aliísque nonnullis curanda injunxit. De cujus in Italiam adventu dicetur anno sequenti quo contigit.

[g] Vit. Vrb. V. an. 1364.
[h] Gobell. Pers. in Cosmodr. at. 6. cap. 73. Vvaddingh. Ann. Min. tom. 4. an. 1366.
[i] Petrar. Senil. lit. 7.
[k] Id. 13. Senil. 13.
[l] Id. 11. Senil. 15. & 16.

VI.

EXPEDITIO HISPANICA.

In Hispaniam interim, ad sedandas turbas Regum Castellæ & Aragoniæ, Guillelmum Cicestrensem Episcopum cum amplissimâ potestate legavit. Sed commotior erat tempestas, quàm ut hoc oleo tranquillari posset. Siquidem appulsis copiis Gallicis, de quibus suprà, in auxilium Henrici Trastamaræ Comitis fratris naturalis Petri Castellæ Regis; idem Henricus Calagurri urbe deditione acceptâ, hortatu Guesklini ceterorúmque principum ac procerum qui ei adstabant, regium nomen suscepit, vexillis explicatis; (quâ ceremoniâ gentis instituto regia potestas nomenque deferri consueverat;) ejúsque nomine per urbis plateas populi & militũ concursu ingeminato, paulò pòst Burgos vocatus, regni coronam ibi accepit. Toleti deinde exceptus, reliqua ferè omnia prona habuit. Petrus autem rebus omnibus desperatis ad Regem Lusitanum primùm confugiens, & ab eo non admissus, in Galæciam tamen abire permissus, inde mari unà cum liberis ac thesaurorum parte Baionam abiit Aquitaniæ urbem, quȩ Angli Regis imperio obtinebatur: priùs tamen, ne & ipsa fuga sceleris pura esset, interfectis Suero Archiepiscopo Compostellano, & Petro Decano Toletano. Ita enim rem narrat Mariana [m]; cùm nihilominùs in Vitâ Vrbani Pontificis scriptum reperiatur, prædictum Archiepiscopum, ob dissensionem cum suis beneficiariis

PETRUS REX CASTEL. FUGIT IN AQUITANIAM.

[m] Mar. lib. 17.

clientibus de juribus Ecclesiæ suæ, fuisse per eos crudeliter interfectum cum aliquibus ministris suis. Ceterùm in his timultibus Carolus Rex Navarræ, eo irritatus quòd sua in Galliâ ab Rege Carolo intercepta amisisset, rursùs cum Petro profugo vires fortunásque jungere decernens, fœdus cum eo iniit & cum Eduardo Vvalliæ & Aquitaniæ Principe: (Richardum perperam hunc vocat Mariana; sicuti & Navarrum æquè Vvalsinghamus Richardum:) móxque, ut erat volubilissimi ingenij, ne, quoniam inter illos & Gallos Aragoniósque constitutus erat, utrisque prædæ esset, ad Henricum deficiens societatem cum eo iniit. Quæ ut sese habuerint, distinctiùs narrant scriptores [n] Hispanici, reliqua in sequentes annos referentes: Meminítque auctor Vitæ Urbani Pontificis, necnon alij.

[n] Marian. lib.17.c.7.8.9. Sur. Indic. lib.3.hoc an.

VII. CAROLUS REX VESTIUM CORRUPTIONEM AUFERT.

Intereà verò Rex Francorum Carolus abusus etiam minimos regni sui prudenter auferre satagens, (ut describit Continuator Nangij) quòd his bellicis confusionibus viri nobiles & ferè alij omnes ita vestitûs formam vitiaverant [o], ut vestes strictissimas & usque ad nates præcinctas deportarent; & quod turpius erat, in calceis rostra longissima parte anteriori in modum unius cornu, aliqui in obliquum ut gryphi retrò: (quæ rostra Gallicè Poulenas nominabant:) idem Rex Sapiens hæc ampliùs deferri, & artificibus sub pœnâ addictâ operari aut vendere, publicè per præcones prohibuit. Exemplo Urbani Papæ, qui jam omnes ejusmodi aliásque vestimentorum dissolutiones tam virorum quàm feminarum interdixerat. Sícque (inquit idem auctor) brevì mutatus est habitus. Utinam & mores!

[o] V d. sup. an. 1346. XIV.

IESU CHRISTI Annus 1367.
VRBANI V. Ann. 5.
CAROLI IV. Ann. 22.
IOANNIS V. Ann. 27.

I. VRB. PP. ITALIAM PETIT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, Indictione quintâ, Urbanus Papa Italiam petiturus, die ultima mensis Aprilis Avenione recessit, & Massiliam primò applicuit ibi mare ingressurus; non tamen sine ingenti multorum Cardinalium totiúsque ferè Curiæ dolore; immò & conviciis, ut Petrarcha [a] exaggerat scribens ad Brunum, non quasi ad Christianitatis unicam ac summam arcem Urbem Romam, sed quasi Ctesiphontem, aut Memphim Seracenorum in carceres traheretur. Quinque tamen Cardinales remansisse Avenione, sed nullâ eis relictâ auctoritate à Pontifice, tradit auctor Continuationis Gallicæ Guillelmi de Nangiaco. Massiliæ verò unum ipse creavit quarto Idus Maij, titt. S. Stephani in Cælio Monte: videlicèt *Guillelmum de Agrifolio* Decretorum Doctorem, suum & Sedis Apostolicæ Notarium; nepotem alterius Guillelmi senioris Cardinalis Presbyteri titt. S. Mariæ trans-Tiberim tunc adhuc vivêtis, & paulò pòst ab Vrbano creati Episcopi Sabini, cujus olim ipse Vrbanus socius & familiaris fuerat: virum utique multis

[a] Petrarc. 9. Senil. 2.

GUIL. DE AGRIF. CARDINALEM CREAT.

egregiis animi & corporis dotibus ornatum, sed qui nihilominùs admirationem quamplurimis peperit, (ut ait scriptor Vitæ Vrbani, qui res ejus toto itinere gestas distinctè & ubertim describit) quòd eâ ætate quâ nondum 28. annum attigerat, eum ad amplissimam dignitatem promovisset. At hoc sanè iidem posterioribus temporibus mirari desiissent, quibus penè infantes tantùm non in cunis ad sacrum Orbis Christiani Consistorium allegi consuetudo invaluit. Addit idem auctor, Vrbanum die 20. Maij Massiliâ solvisse magno apparatu triremium aliarúmque navium, quas honorificè providerant Ioanna Regina Siciliæ, Veneti, Genuenses, & Pisani; diéque quartâ sequenti prosperè applicuisse Genuam. Vbi honorificentissimè receptus, diem Ascensionis celebravit, ídque (ut habet Historia Hospitalariorum [b]) in Ecclesiâ ejus Ordinis, cùm apud eos hospitari voluisset; ductus etiam mari prætoriâ eorumdem navi, à Magistro Raimundo Berengario ipsi amicissimo. Posterâ die iter resumens, (ut prosequitur auctor Vitæ ipsius) die 4. Iunij Cornetum appulit: ubi obvium habuit Ægidium Cardinalem Legatum, unà cum Prælatis & Proceribus terrarum Ecclesiæ; & Pentecosten ibidem celebravit: recepítque legationem Romanorum cum clavibus castri Sancti Angeli. Die nonâ mensis pervenit Viterbium; atque ibi visitatus fuit à maximâ parte Prælatorum, magnatum & communitatum Italiæ. Sed paucis pòst diebus tumultu excitato in aulicos à populo, necesse fuit etiam Cardinalibus Gallicis vitando periculo ad palatium Pontificis confugere. Donec post triduum redeuntes ad cor Viterbienses, veniámque deprecantes, tumultûs auctores suspendio extinxerunt, & omnia civitatis arma ad palatium detulerunt.

[b] Bos. to.2. lib.3.

II. ÆGIDII ALVARI INSIGNIS CARD. HISP. OBITUS.

Die vigesimâ quartâ Augusti ibidem Viterbij diem obiit prædictus *Ægidius Alvarus* Cardinalis Episcopus Sabinensis Legatus Apostolicus; vir nunquam sine laude nominandus, domi militiæque clarissimus, ac de Romanâ Ecclesiâ, siquis unquam aliàs, in vindicandis bonis ejus optimè meritus; de cujus gestis heroicis sæpè actum superiùs: quem & prætereà literarum scientiâ, & ecclesiastico decore excelluisse constat. Atque inter alia quâplurima opera pia fundavit Bononiæ, dotavítque collegium pro 24. pauperibus scholasticis patriæ suæ Hispanicæ. Ferunt, cùm apud Viterbium Pôtifex suggestione quorundam Cardinalium rationem administratæ Legationis & vectigalium collectorum ab eo petiisset; ipsum claves urbium, arciúmque à se recuperatarum vix capiête curru pro ratione obtulisse: ejusque animi magnitudinem constantiámque Pontificem admiratum, laudato illo dixisse rem Ecclesiasticam haud magno impendio receptam fuisse, ejúsque parcitati gratias habendas. Ejus obitum molestissimè tulit Pontifex: quem qui alio quàm præsenti anno collocârunt, errare certum est. Corpus, uti jusserat, Assisium delatum in ecclesiam sancti Francisci: quousque rebus in Hispaniâ pacatis, Toletum [c], ut testamento caverat, ad templum S. Ildephonsi, haud communi pompâ, ac parvo nihilominùs impendio translatum est: cùm videlicèt Pontifice hoc

[c] Marian. lib.17.c.10. in fin. Ciaccon. de Pontif.

ejus meritis tribuente, ut quicumque feretrum quantocumque spatio humeris bajularent, eamdem peccatorum veniam consequerentur, quæ anno Iubilei visitantibus basilicam Vaticanam Apostolorum Petri & Pauli concedi consueverat; toto itinere obvij populi catervatim sese ad id officij effudêre: quod & ipse Rex Castellæ Henricus ejúsque Principes præstitisse traduntur. Ita namque auctores Hispani: cùm tamen Bergomensis [d] scribat, non corpus delatum fuisse in Hispaniam, sed cor tantummodò.

[d] Bergom. lib. 13.

III. PATRIARCHA CONSTANTINOP. VENIT AD URBANUM.

Eodem Urbano adhuc Viterbij agente, narrat idem Vitæ ejus scriptor, venisse ad eum Amedeum Comitem Sabaudiæ, unà cum Patriarchâ Constantinopolitano Græco, & quibusdam aliis viris insignibus missis ab Imperatore Ioanne Palæologo: qui ejus nomine sponderent unionem cum Ecclesiâ Romanâ, séque ipsum brevì ad id exequendum ad Pontificem accessurum. Quod & posteà, ut dicetur, præstitit. Intereà verò Pontifex post calores æstivos Viterbio abscedens, Romam pervenit die decimasextâ mensis Octobris; ingenti omnium gratulatione exceptus: factâque ad Confessionem B. Petri oratione, fuit more solito in Sede Pontificali collocatus; & ad Palatium Pontificium Ecclesiæ contiguum, jussu anteà suo reparatum, divertit. Die verò ultimâ ejusdem mensis, quę fuit Dominica in Vigiliâ Omnium Sanctorum, solemniter celebravit in altari S. Petri; in quo à tempore Bonifacij VIII. nemo celebraverat, quòd solis Pontificibus id datum esset. Remittens autem ex Urbe nuncios Imperatoris Græcorum, imprimis ad Ioannam Reginam Siciliæ scripsit [e] octavo Idus Novembris, rogans ut quoniam Ioannes Palæologus Gręcorum Imperator, necnon Prælati, Clerus, Calogeri, (ita archimandritas & monachos nominabant à καλὸς & γέρων, quæ voces bonum senem significant, quamvis Caietus [f] velit esse vocem Turcicam, à radice Chalach, & significare mortificatum;) nobiles & populi Græciæ cupientes ad obedientiam & unitatem S. R. E. remeare, octo nuncios solemnes statuum diversorum, (miserant enim singuli seorsùm suos; nempè Patriarchæ, reliqui Prælati, Archimandritæ, Proceres Imperij, & cives Constantinopolitani) unà cum Paulo (Petrum alij vocant) Patriarchâ Constantinopolitano (Latini utique ritûs: qui enim Græcos regebat, Philotheus erat; de quo superiùs, & paulò infrà) & Amedeo Comite Sabaudiæ, ad Sedem Apostolicam destinâssent, ipséq; Imp. pollicitus esset venturum se proximo mense Maij, aut saltem primogenitum suum missurum: propter hoc Regina provideret nequid damni aut impedimenti per ipsius regnum iisdem inferretur. Commendans insuper eidem speciatim prædictum Paulum Patriarcham ex ejus regno, ut ait, oriundum, (ex quo intelligas, malè cum isto confundi Petrum Condomensem Aquitanum, de quo egimus [g] antehàc) cui nuper ipse Pontifex ejus exigentibus grandibus meritis Ecclesiam Patracensem commisisset: Scripsítque in eumdem sensum Philippo Tarentino dicto Imperatori Constantinopolitano, Marco Duci Venetiarum, & Gabrieli Genuensium, mutatis tamen mutandis.

[e] Reg. Vrb. V. & ap. Bzov.

[f] Caiet. in Addit. ad Genebr. Chron. lib. 4. in Nicol. V.

[g] Supr. an. 1354. 1.

IV. URBANI LITERÆ AD PATRIAR. ORIENT.

Patriarchis quoque Orientis eodem die rescribens sub hâc epigraphe, *Prudentibus viris Philotheo Constantinopolitanam, Niphoni Alexandrinam, & Lazaro Ierosolymitanam Patriarchales Ecclesias more Græcorum regentibus, gratiam in præsenti per quam obtineant gloriam in futurum:* laudavit eorum propositum de uniendâ Ecclesiâ, hortatúsque est ad rem maturandam, & invitavit ad iter unà cum eorum Imperatore & viris literatis ad Sedem Apostolicã capessendum. Refertque Scriptor Cæremoniarum [h] S. R. E. Urbanum Pontificem tres particulas Ceræ benedictæ, *Agnos-Dei* communiter dictos, eidem Palæologo Imperatori ut ingens donum misisse; cum rudioribus versibus, quibus eorum vis & efficacitas exprimitur in fulguribus depellendis, peccatis frangendis, tentationibus dæmonum superandis, prægnantibus partubúsque servandis, periculis ignis & aquarum vitandis, quorum tamen usum longè antiquiorem fuisse, jam aliàs [i] vidimus.

[h] Cærem. lib. 1. tit. 7.

[i] Epit. Bar. an. 58. XXX. & vid. Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Vrb. V.

V. PETRARCHÆ LITERÆ AD PONTIF.

Urbano verò ubi Romam pervenit, literis Petrarcha [k] gratulatus productam in suas sedes Ecclesiam: miris laudibus eum hâc de re extulit: monuítque sanandæ illi diligenter intendere quæ diù ægra jacuisset; mores corrigere, avaritiam frenare, ambitionem pellere, sobrietatem restituere, libidinem sistere, torporem urgere, superbiam compescere; denique eam in antiquos mores reducere, quàm in sedes pristinas reduxisset. Qui sanè multum laborâsse reperitur [l] in pacificandâ Italiâ à turbis publicis & privatis; missis ad hoc in diversas partes Cardinalibus Legatis: à solo maledico Corio in gratiam & defensionem suorum Vicecomitum, tyrannidis & seditionis infamatus, quòd unà cum Imperatore Carolo ac Principibus Italiæ consilia iniisset de tollendâ eorumdem Vicecomitum flagitiosâ & intolerandâ dominatione atque ambitione, quin interim nihil non egerunt ut eam firmarent, & rebus Pontificis ac fœderatorum incommodarent: non paucis tamen & ipsi cladibus affecti; atque inter ceteras à Ioannâ Reginâ, quæ eorum exercitum ad Aquilam profligans, etiam Ambrosium Bernabovis filium ejus ductorem cepit, & diù in custodiâ detinuit.

[k] Petr. 9. Senil. 1.

[l] Vit. Vrb. Bzov. ex Reg. Vat.

VI. IESUATORUM ORDO CONFIRMATUR A PONTIFICE.

Cetera quoque curans pro munere suo Pontifex, hoc eodem anno [m] Ordinem IESUATORUM, sic dictorum quòd nomen IESU frequenter haberent, in ore, Senis à *Ioanne Columbino* nobili viro aliquot antè annis inchoatum,) qui ex uxorato de consensu conjugis segregatam vitam agens, quamplurimos aspera vita & fervidis sermonibus in tantâ temporum corruptione ad pœnitentiam induxit, & non paucos sibi socios susceptæ Regulæ allegit) ipsomet Pontificem apud Cornetum cum sexaginta sociis adeunte, & Viterbium usque comitante; post diligentem instituti ejus vitæque examinationem, confirmavit, dedítque [n] ut albâ tunicâ uterentur, tegumento capitis albo cum laciniâ quadratâ à cervice ad humeros dejectâ datúmque inde ut canusinum pallium tunicæ superjectum ferrent. Dicti sunt *Fratres Iesuati S. Hieronymi*, profitentes Regulam S. Augustini. Et cùm ab eorum institutione sacris non initiarentur, permissi sunt tamen posteà: súntque de iis in Bullario multæ constitutiones Pontificum.

[m] Onuphr. in Chron. Eccles. Paul. Morig. de Orig. Relig. Maurol. in Mari Ocea. lib. 3. Vit. Io. Columb.
[n] Bergom. lib. 14. Sabel. 9 En. 9.

VII. PETRI REG. LUSIT. OBITUS.

In Hispaniâ ad principium hujus anni, nimirùm die decima-octavâ, Ianuarij, *Petrus* Rex Lusitaniæ anno ætatis quadragesimo septimo, regni decimo, nondum expletis, diem obiit: quem Mariana [o] æquitatis laude præstantissimum, scelerum vindicem acerrimum, in omnes beneficentissimum fuisse ait: Cùm nihilominùs Duardus Nonius in Regum Portugalliæ Genealogiâ asserat, propter ingenitum naturę rigorem, & quòd in puniendo crudelitatem magis quàm justitiam exerceret, *Crudelis* nomen adeptum esse: quinimmò & indictâ causâ sententias plerúmque tulisse: nullo discrimine inter profanos homines, sacerdotes, monachos, aut Pontifices: sacris initiatos de sui judicij incompetentiâ excipientes, suspēdio aut gladio affecisse, ad Christum suum competentem judicem eòs se remittere dictitantem: Tres itaque uno tempore *Petros Crudeles* regnasse in Hispania; hunc in Portugalliâ, alterum in Castellâ, tertium in Aragoniâ: (præter Carolum Navarræ nihil ferè ceteris eo nomine debentem:) ut non ita casu facti, sed pacto convenisse omnes viderentur ad injurias subditis inferendas: Quòd tamen Lusitanus haud in aliquem, nisi in eos quos pro criminosis habebat sævitiam exerceret; benignúmque aliis & liberalem sese exhiberet, multis Iustitiariū magis quàm Crudelem dictum esse. Cujus & illa digna vox fertur; Indignū regio nomine Principem videri, quo die nemini beneficium contulisset. Successorem habuit *Ferdinandum* filium, qui post Petri Crudelis Castellæ Regis necem de regno cum Henrico contendere volens, & se & suos innumerabilibus exposuit laboribus; de quibus posteà. Cùm autem ab initio Eleonoræ Menesiæ amoribus indulgeret, Laurentio Acunio viro detractæ; hunc tanti rivalis metu in Castellam profugum, consuevisse in pileo argentea cornua gestare, regiæ intemperantiæ suæque ignominiæ argumentum insigne, scribit Mariana [p].

CUNCTI REGES HISPANI EJUS TEMPORIS CRUDELES.

[o] Mar. lib. 17. cap. 9.

[p] Id. ibid.

VIII. PETRUS VICTOR DE HOSTIBUS RESTITUITUR IN REGNUM.

Qui de rebus Castellanis agere pergens, prælium narrat ab Henrico novo Rege (frustrà dissuadētibus multis justis rationibus, legatis Regis Francorum, & Bertrando Guesklino) initum contra Petrum expulsum: qui cum longè numerosioribus copiis, & flore militiæ Anglicanæ & Aquitanicæ, unà cum Eduardo Principe Vualliæ, & Iacobo Baleari Ioannæ Siciliæ Reginæ viro, ac suppetiis Caroli Regis Navarræ, (qui intereà captivus detinebatur ab Olivario Mannio Guesklini socio, spontè, ut creditum est, interceptus in venatione, quò neutris favendo, apud utrosque aditus ad gratiam relinqueretur) in regnum redierat, quo prælio, apud Anagarum pugnato tertio Nonas Aprilis, Henrici exercitus penitùs excisus fuit; cœptâ fugâ vilitate Tellij fratris ejus: ipsóque Henrico post rem fortissimè gestâ itidem fuga elapso, nec priùs consistente quàm in Galliam pervenisset; Regi Aragonio diffisus, jam in partes Petri pacis desiderio proniori: captis Guesklino, Sanctio Henrici fratre, & aliis proceribus Hispanis: quorum nonnulli peractâ pugnâ à Petro perempti sunt; servatis aliis intuitu Principis Vualliæ, exprobrantis sævitiæ continuationem, cujus causâ regnum amiserat. Haud tamen propterea destitit multos in civitatibus quæ Henrico faverant interficere, magna totius regni invidia. Hæc pluribus Mariana [q]: quæ etiam tractat Surita [r]; & Vualsinghamus [s] Anglicâ æmulatione fermentat, Belleforestius [t] Gallicâ crisi temperat: totum verò bellum, hánceque pugnam omnium diffusissimè Froissardus [u] describit, qui se tunc in Aquitania fuisse ait.

[q] Mar. lib. 17. cap. 10. & seqq.

[r] Sur. Ind. lib. 3.

[s] Vualsingh. in Eduar. III.

[t] Bellef. lib. 5. c. 34.

[u] Froiss. lib. 1. c. 230. usque 242.

IX. EXCOMMUNICATUR A PONT. OB GRAVES EXCESSUS IN ECCLESIASTICOS.

Cùm autem etiam D. Bernardi Magister vir sacratus prædicto prælio Henrici partes secutus, captúsque, lege perduellionis capite plexus fuisset: missus ab Urbano Pōtifice Archidiaconus, qui Petrū Regem ejus cædis reum, & quoniam Episcopos Calagurritanum Lucensémque loco moverat, sacrificiis interdictū & diris devotum renunciaret; is à sævo Principe periculum veritus, ad Hispalim Regi ex urbe fortè egresso biremi adverso flumine vectus occurrit: rogánsque num de Orientis rebus cognoscere cuperet nova & admiranda, quæ ipse recens inde adveniens renunciaturus esset; accedenti eo studio ad ripam Regi, Pontificias literas legit, & communione Ecclesiæ privatum denunciavit, mox se in fugam secundo flumine remorum pulsu concitans. Quibus furore Rex percitus, stolidâ audaciâ districto gladio in medias undas adacto equo insiliens, fugientem secutus est, donec equus natando fessus in mediis vorticibus deficere cœpit. Periculóque vix Rex ereptus accursu cymbæ, contenta voce minatus est excussurum se Pontificis jugum, atque ut idem facerent Reges Aragonius & Navarræ auctorem futurum, ac prætereà bello vindicaturum injuriam. Ad quod classem instrui & magnos delectus haberi cùm mandasset continuò; veritus Pontifex impotens hominis ingeniū, misso Anglico Cardinale S. Petri, inductóque prioti decreto, rem composuit certis conditionibus, juribus Sedis Apostolicæ satis damnosis. Sed tanti fuit Regis væcordiam studio publicæ tranquillitatis sanare. Ita Mariana. Verùm quod ait de misso Anglico Cardinale (quem & ipse nepotem Vrbani facit; cùm fratrem fuisse superiùs probaverimus) tūc adhuc Cardinale S. Petri; si res ita gesta fuit, oportuit omninò totum hoc negotium Magistri D. Bernardi, & quæ inde secuta sunt, contigisse antehàc aliqua alia occasione cujusdam sævitiæ Petri excessûs. Nam quamvis Petrus hoc anno victoriam obtinuerit de Henrico, non tamen res ita habebat dispositas, ut continuò posset exercitum contra Pontificem colligere. Nec, quod majus est, habebat Pontifex adeò sibi ab eo timere, cùm jam esset in Italia. Nec denique potuit hoc tempore Anglicus Cardinalis S. Petri in Hispaniam accedere; cùm ex scriptore Vitæ Vrbani, aliísque auctoribus certissimè constet, fuisse ipsum cum fratre suo Pontifice in Italia, factúmque Episcopum Albanensem, & Vicarium generalem terrarum Ecclesiæ Romanæ, assignata sibi habitatione Bononiæ.

X. HENRICUS ITERÙM REDIT IN HISPANIAM.

Ceterùm Henricus magno animo, & incredibili celeritate, ope Caroli Frācorum Regis, ejúsque fratris Ludovici Andium Ducis qui Occitaniam regebat, reparato exercitu; & recepto Guesklino & captivis Principibus, qui magna pecuniæ redēptione libertati restituti

fuerant: Septembri mense in Aragoniam primùm, deinde in Castellæ fines pervenit. Ad Iberi ripam CRUCIS figurâ in arenâ factâ, se nisi victorem è provinciâ unquam discessurum juravit in genua procumbens, Crucémque deosculatus. Favit quòd Princeps Vualliæ, spe Viscaiæ obtinendæ quam Petrus promiserat, & pecuniæ recipiendæ quam mutuam dederat, & quam in stipendia sui exercitûs pepigerat, depulsus, in Aquitaniam iratus redierat. Quare cunctis ad Henricum deficientibus, Burgis propensâ civium voluntate ob come ejus ingenium, & odio simul ac timore ferociæ Petri acceptus, Iacobum Balearem Ioannæ Reginæ Siciliæ virum, à partibus Petri stantem cepit; indéque Toletum obsidione cinxit: Petro interim vocato in auxilium Granatensi Rege Mauro, sua curare nequicquàm satagente. Unde in desperationem actus, quod unum reliquum erat, rem in casum dare, prælióque experiri constituit. De quo dicetur altero pòst anno, cùm totus proximus in his aliísque ejusmodi gestis insumptus fuerit. Narrat porrò ista quæ diximus prolixiùs Mariana [x]. Meminítque Surita [y]: speciatim etiam recensens Regum Aragoniæ, Navarræ, & Lusitaniæ, Principísque Vualliæ consilia, quibus haud aliter ac si regni Castellæ hæreditariam auctionem constituerent, illúdque dare alterutri fratrum aut adimere possent, Petro auxilia mittere deliberárunt, pactione urbium quas unusquisque sibi commodiores spe & opinione attribuerat: Cùm & nihilominùs eodem ipso tempore seorsim sua Henrico fœdera, præcipiti cupiditate imperij dilatandi sancirent.

[x] *Mar. ibid.*
[y] *Sur. d. l. 3.*

XI.

Mirum est, atque singulis populis diligenter ponderandum, quod hoc anno Polonici [z] auctores referunt; ob Bythoniensem parochum, & concionatorem, ab oppidanis furibundè submersos, venas argenti & plumbi olim ibi fœcundissimas subitò ac penitus evanuisse. Quos insuper Episcopus Cracoviensis interdicto subjecit, & omni honore privavit; damnavítque nequi ex posteritate eorum deinceps sacris initiarentur, aut ulla sacerdotia obtinerent. Ab interdicto tamen & cæteris pœnis, post biennium demùm apud Apostolicam Sedem permagno se redemerunt.

[z] *Michov. lib. 4. c. 28. Crom. lib. 12.*
MIRA POENA SACRILEGORUM.

XII.

Annalium Flandriæ scriptor [a] memoriæ prodidit, mense Decembri per noctem S. Nicasij tantam eâ regione inhorruisse tempestatem à vento toro, ut dies mundi novissimus adesse videretur; percellentem passim turres, molas, arces: tantúmque æstum maris [u] concitâsse, ut proxima quæque maris absorberet; naves tot eâ nocte periisse, ut vix numerus damníque æstimatio iniri posset: denique post homines natos talem ventum sensisse neminem. Ortam ad hæc pestilentiam, magnum extinxisse in Belgio mortalium numerum.

[a] *Meyer. lib. 13.*
INGENS TEMPESTAS IN BELGIO.

IESU CHRISTI Annus 1368.

VRBANI V. Ann. 6.

CAROLI IV. Ann. 23.

IOANNIS V. Ann. 28.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, Indictione sextâ, Calendis [a] Martij, Vrbanus Pontifex procedês ex palatio Vaticano S. Petri ad Ecclesiam Lateranensem, sequenti die Missâ in loco dicto Sancta Sanctorum celebratâ, Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli sub eo altari reperta, diúque ignota, adstanti populo ex ambone ostendit; & quòd minùs honestis thecis inclusa essent, pretiosiores fieri curavit, ponderis singulas [b] 1070. marcarum argenti puri, pretij [c] verò cum aliis ornamentis & insertis gemmis ampliùs triginta millium florenorum auri: eásque in basilicâ Lateranensi supra altare majus in tabernaculo marmoreo ad hoc affabrè facto, adstante Clero Populóque Romano recondidit. Et nequis easdem, vel alias sacras Reliquias dolo malo contrectaret, alióve trãsferret, gravissimis pœnis prohibuit, non minùs etiam liberalis in aliis Sanctorum Reliquiis exornandis, & ecclesiis collapsis restaurandis. Quâ de re haud ingratum quod alicubi legimus [d], cùm Abbas Ecclesiæ S. Pauli magnam vim auri obtulisset ut ad Cardinalatum promoveretur; Pontificem accepisse aurum, & ex eo reparâsse ecclesiam S. Pauli, relicto Abbate in pristino statu.

[a] *Vit. Vrb. V.*
VRB. PP. CAPITA APOSTOL. ORNAT.
[b] *Ex archiv. S. Victor. Marsil. ap. Masson. post. Vit. Vrb. V.*
[c] *Vit. Vrb.*
[d] *Magn. Chron. Belg. ex Petro Chronogr.*

II.

Ejusdem mensis Martij [e] die 17. Ioanna Regina Siciliæ Romam ad Pontificem venit; obviam ei occurrentibus Cardinalibus omnibus & proceribus Romanis, necnon Petro Rege Cypri, qui paucis antè diebus & ipse Romam appulerat: Pontifex autem ad gradus basilicæ S. Petri eandem excepit. Biduóque pòst, Dominicâ Lætare quarta Quadragesimæ *Rosam auream* à se de more solemni benedictam, eidem Reginæ adstanti obtulit; præferens eam Regi quæ more solito cum Cardinalibus & aliis nobilibus per Vrbem equitavit. Itidémque in festo Paschatis, benedictũ inter sacrificãdum *Ensem auratum* (quem alioqui, unà cum *Pileo* sive Galero ornato margaritis, in nocte Nativitatis Domini benedici consuevisse, traditur in Cæremoniali [f] Romanæ Ecclesiæ, ubi & ritus ejus describuntur:) eidem Reginæ adsidenti donavit; ipsa verò Petro Regi: qui eo accinctus Nicolaum Spinellum Iuvenatium Reginæ Cancellarium baltheo militari ornavit.

[e] *Vit. Vrb. Cod. Vatic. & Bzov. hoc an.*
IOANNA REG. SICIL. VRBEM CÕVENIT, ET DONATUR ROSA ET ENSE.
[f] *Caerem. lib. 1. tit. 7. c. 7. & lib. 2. c. 11. & 15. Adde Victorel. in Addit. ad Ciaccon.*

III.

Observat quoque Continuator Nangij tunc vivens, ipso die Paschæ (nempè 9. Aprilis) visum esse cometam; qui jam apparuerat per plures dies in hebdomadâ sanctâ, quasi inter partem occidentalem & septemtrionalem; projiciens caudam suam comatam versùs partes orientales, aliquãdo declinando ad septẽtrionem; radios autem emittens sursùm, cum cuspide rubrâ instar turris altissimæ valdè inflammatæ. Meminit etiam Vualsingamus; & apparuisse ait mẽse Martio, radiósq; suos versùs Franciam porrexisse. Fuerit fortè prænuncius renovati belli inter Francos & Anglos:

COMETÆ APPARITIO.

g Froiss. lib. 1. c. 244. Vualsingh. in Eduard. III. Meyer. lib. 13. Polydor. lib. 19. Bellef. lib. 5. c. 35.

NOVÆ OCCASIONES BELLI INTER FRANC. ET ANGL.

Quippe hoc ipso anno g exitiales illæ, quæ ad multos in futurum annos recenti fœdere oppressæ videbantur, dimicationes, ex novis causis rursùs erupêre. Quarum culpam cùm Angli in Francos, Franci in Anglos regerant; ita verè rem contigisse reperimus, ut cùm exhausto Hispanicâ expeditione ærario suo Eduardus Vualliæ & Aquitaniæ Princeps tributum insolitum & gravissimum Aquitanis indixisset; illi arreptâ libentissimis animis hâc occasione deficiendi ab Anglis, quorum imperij jam eos tædebat, cùm nonnisi invitissimi illud subiissent; Carolum Regem Francorum, uti superiorem dominum appellârunt; rem prosequentibus potissimùm Comitibus Petragoricensi, Armeniaco, Convenarum, Albreti, & aliis Vasconiæ proceribus: ac civitate Cadurcorum defectionis initium in Aquitaniâ faciente; sicuti in Franciâ aliis occasionibus Comitatûs Pontivensis oppidis: quæ & plurima alia utrobique mox secuta sunt desiderio Franci Regis. De quibus dicetur sequentibus annis.

IV.

h Vit. Vrb. V.

Interea verò Urbanus Pontifex ad vitãdos h immodicos urbis calores ad oppidũ Montisfalisci puri aëris divertens; loco delectatus palatium ibi construxit, seu reparavit: Sedémque Episcopalem ibidem constituit, eximens oppidum à subjectione Episcopi Balneoregensis Mortuus ibidem est die 26. Iulij *Nicolaus Capocius* Romanus Cardinalis Episcopus Tusculanus, insignis vir literaturæ, justitiæ cultor eximius, & pauperum ac egenorum quorumcumque sustentator munificus: cujus corpus delatum Romam in Ecclesiam S. Mariæ Majoris, miraculis ibi coruscavit.

NICOL. CAPOCII CARD. PIUS OBITUS.

Eodémque loco Urbanus contentionem, quæ inter Fratres Prædicatores & Cistercienses supervenerat de corpore S. Thomæ Aquinatis, quod in monasterio Fossænovæ Ordinis Cisterciensis (ut suo loco i vidimus) conditum, non ita pridem fuerat pio furto sublatum, decidens, concessit illud Eliæ Raimundi Tolosano Ordinis Prædicatorum Generali Magistro, Tolosam ad monasterium Ordinis deferendum: scriptis etiam literis k ad Archiepiscopum & Academiam Tolosanam, quibus Sancti gloriam extollẽs, doctrinam etiam confirmavit, & tanquam veridicam & Catholicam amplectendam præcepit. Rem tangit Auctor Vitæ Urbani; fusiùs verò describit S. Antoninus l, & alij post eum. Ibidẽ quoq; Urbanus m Suarinensem Episcopum à Strachimiro, Georgio, ac Balzâ fratribus, Bosnæ Zupanis, sive regulis, à schismate Græcorum ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ transeuntibus, ad se missum excepit, rescriptísque gratulatoriis literis, hortatus est ad perseverantiam. Paritérque sive eodem loco, sive Romæ, Marausum n Nestorianorum in Mosal (quæ est Seleucia Parthorum) designatum Patriarcham, ad se venientem audivit, & in fide Catholicâ ritè instructum sacris initiavit, & ad suos remisit. Sentiunt enim suum Patriarcham nonnisi à quatuor Metropolitanis initiari posse; aut si numerus hic desit, à solo Romano Pontifice. Die autem vigesimâ secundâ Septembris feriâ sextâ Quatuor Temporum (ut habet Vita Urbani idem eâdem urbe Montisfalisci nonnullos Cardinales creavit: in quibus fuêre

i An. 1274. II.

CORPUS S. THOMÆ AQUIN. TOLOSAM TRANSLATUM.

k Reg. Vrb. & inde Bzo. an. 1370. loco non suo ut plerumque solet.

l Ant. tit. 21. cap. 10.

m Regest. Vrb.

n Ap. Genebr. ex Iacob. Navarcho in Epist. Asiat.

PATRIARCHA NESTORIAN. VENIT AD URBANUM.

Philippus Cabassole Avenionensis, Episcopus Cavallicensis & Patriarcha Ierosolymitanus, & (quem ponit Onuphrius, tacitum ab auctore Vitæ Vrbani) *Arnaldus Bernardi* de Montemajori Patriarcha Alexandrinus: Patriarchæ utique ambo ritûs Latini, vidimus etenim anno superiori Græcis tunc præsedisse in iis Ecclesiis Lazarum & Niphonem. Ad prædictum autem Philippum extant plures familiares & seniles epistolæ Petrarchæ: qui & eidem librum de Vitâ Solitariâ dicavit; patronum literarum vocans, aliísque præclaris elogiis ornans.

V.

CAROLUS IMP. CONVENIT PÕTIFICEM.

o Vit. Vrb. V.

p Reg. Bzov. hoc an.

Ex Monte-falisco rediturus Vrbanus Romam, Viterbium progressus est: ubi eum Carolus Imp. convenit o mense Octobri. Qui ab eo invitatus in Italiam cum exercitu adversus occupatores terrarum Ecclesię & Imperij, imprimis antequàm Germaniam desereret, per Gerardum Neuburgẽsem Episcopum adventum suum Põtifici significavit; & solitum diploma p Imperiale de juribus & terris omnibus Ecclesiæ intactis conservandis, defendendísque, & vindicandis, ad tollendam omnem adventûs sui in armis suspicionem transmisit. Deinde verò in Lombardiam ingressus, post diversa contra Vicecomites consilia agitata, & conatus exertos, cùm parùm se proficere cerneret, ad tractatum pacis devenit; quem & posteà Põtifex comprobavit, ut pluribus prosequitur Corius, minùs tamen in Põtificem & Imperatorem æquus quàm decet Catholicum & prudentem virum. Postquàm autem Imperator apud Viterbium cum Pontifice de rebus tunc vergentibus tractâsset, præcedens eum Romam, in introitu q Vrbis stratoris vicem ei pedes exibuit, frenum equi tenens usque ad basilicam S. Petri. In quâ posteà idem Põtifex in festo Omnium Sanctorum cõjugem Imperatoris, inunctam priùs de more ab Episcopo Cardinale Ostiensi, ad altare S. Petri coronavit. Post quę Imperator Vrbe recedens aliquot menses in Etruriâ egit: Senísque à concitato pro tuendâ libertate populo penè oppressus est multis suorum amissis: ac demùm corrogatâ à diversis civitatibus pecuniâ non modicâ, atque etiam à Florentinis ne eos bello vexaret, nullo alio magno operæpretio in Italia facto, despectus potiùs quàm formidatus in Boëmiâ rediit mense Junij anni sequẽtis. Pontifex autem mense Decembri præsentis anni cõstitutionem r edidit pro immunitate Ecclesiastica; qua laïcas potestates ministros Ecclesiæ relegare aut proscribere propria temeritate non verentes, cujuscumque essent præeminentiæ, dignitatis, vel conditionis, excommunicationi & interdicto subjecit.

q Vit. Vrb. Cor. Ciacc.

r Reg. Bzov. ex Reg. Vrb.

VI.

CONCIL. VAURENSE.

s Ext. acta ap. Car. de Monchal. Archiep. Tolos. Agitque de eodẽ Catel. in Hist. Occit. lib. 2. cap. 10.

Hoc eodem anno mense Iunij Indictione 6. & Pontificatûs Vrbani anno 6. celebratum reperitur s apud *Vaurum Concilium* trium provinciarum, Narbonensis Tolosanæ, & Auxitanæ, præsidentibus *Petro* Archiepisc. Narbonensi, *Gaffredo* Tolosano, & *Arnaldi* Auxitani vices gerente Philippo Abbate Soricini, ac præsentibus Episcopis suffraganeis per se aut per vicarios, quod & ideò *generale* nuncupatur; congregatúmque dicitur auctoritate Apostolicâ ad prospiciendum subditorum saluti, & extirpatis vitiis virtutes inserendas, languida sananda, sana servanda. Ad quæ

etiam

etiam tendunt canones ibi sanciti. Singulíque prætereà Patres qui ei interfuerunt, indulgentias 40. dierum concesserunt omnibus illis qui manus adjutrices porrigerent ad reparationem ecclesiæ nuper erectæ, & ornamenta necessaria.

IESV CHRISTI Annus 1369.
VRBANI V. Ann. 7.
CAROLI IV. Annus 24.
IOANNIS V. An. 29.

I. PETRI CRUDELIS REG. CÆDES A PROPRIO FRATRE NOTHO.

ANNO Christi millesimo trecentesimo sexagesimo nono, Indictione septimâ, inter memorabilia quæ acciderunt, primo loco sese offert *Petri* Crudelis Castellæ Regis funestum exitium. Qui ad Montielem Oretanorum oppidum prælio ab Henrico fratre naturali, auxilio Guesklini & Francorum superatus pridie Idus Martij, (fugæ initio à Mauris, quorum armis utebatur, facto) sese Montiele includens, cùm subitò obsessus, nec diù subsistere paratus fugæ consilium caperet; nocturnâ fugâ comprehensus à Francis excubitoribus, & ab illo cui se dediderat, quem Guesklinum ipsum fuisse nonnulli Hispani; ducem alium nomine Blæsum Villanium, tam Frossardus [a] tunc vivens, quàm Acta [b] ipsa Vitæ Guesklini tradunt) Henrico exhibitus; cùm in ipso occursu sese mutuis conviciis impetiissent, móxque exertis gladiis, brachiísque inter se eluctantibus, uterque prostratus esset ad terram; Henricus substratus facilè à Petro confossus fuisset, ni volutum Francus Petro superposuisset: qui tum multis vulneribus Petrum confodit, die vigesimo tertio ejusdem mensis Martij, anno ejus ætatis trigesimo quarto mense septimo, regni decimonono. Cujus corpus vilibus exequiis sepultum, longè pòst Madritum nobiliori funere delatum est. Húncque demùm exitum à proprio fratre solâ suâ culpâ consecutus est sævissimus tyrannus, qui suis sceleribus ultimum penè exitium Hispaniæ attulerat: gravi documento posteris (inquit Mariana) ne adeò potentiæ suæ fidant, ut tutas suas improbitates existiment & à vindictâ divinâ, & ab æternâ hominum execratione. Auctor verò Vitæ Urbani Papæ ait, per ejus necem hereditatem Isaac ad Ismaëlem esse perductam; idque utrùm justè vel injustè, ejus esse judicare cujus judicia abyssus multa. Ex quo, notho licèt, processit deinceps successio Regum Hispaniæ.

[a] *Frossa. lib. 1. cap. 245.* [b] *Vit. Gues K. cap. 41.*

II. HENRICUS NOTHUS SUCCEDIT:

Petro namque sublato pleraque omnia mox ad *Henricum* inclinârunt; non solùm quòd victor, verùm etiam quòd mitis esset ingenij ac morum suavissimorum; atque in brevi quamvis statura, flavi candidíque oris majestas eluceret. Quæ naturæ bona conferendis insuper muneribus augens, factum inde illi inter Castellæ Reges *Munifici* cognomen. Inter externos tamen Principes ortum est de Castellę possessione certamê, quis potior jure esset. Obscuros enim Henrici natales cuncti accusabât, imperio ineptos. Atque imprimis Lusitanus se palàm etiam Castellæ Regem tulit, & publicis tabulis adscripsit, utpotè Sanctij olim ejus ditionis Regis absque controversiâ pronepos.

OBNITENTE TAMEN LUSITANO,

Et Aragonius præteritarum ex Castellâ injuriarum occasione nonnulla oppida occupavit. Hísque accedens ferocis inquietique ingenij Rex Navarræ Carolus, fœdere cum Aragonio inito Henricum invadere proposuit. Rex quoque Granatensis Maurus Algeziram cepit, solóque æquavit, quòd multarum cladium genti olim causa extitisset. Post quæ etiam Ioãnes Dux Lancastriæ Principis Walliæ frater Constantiâ Petri occisi filia in matrimonium accepta, cum dote spei recuperandi aliquando regni, inanem quoque Regis Castellæ titulum suo tempore sumpsit, & vim aliquam inferre tentavit. Nec ab ejusdem spe regni abiit Edmundus alius ejusdem frater Cantabrigiæ Comes Isabellam natu minorem filiam uxorem habens.

ET VIRIS FILIARUM PETRI.

Externis igitur hujusmodi difficultatibus pressus Henricus, dum domesticæ concordiæ constituendæ intentus erat; utcumque eas composuit; pactis cum Mauro induciis, & fugatâ Lusitani classe; Aragonio interim de bello Sardiniæ solicito; & Anglis nimiùm quàm in novis motibus Gallicis occupatis; Navarróq; in Galliam abeunte belli spectatore futuro, atque in eam sine rerum suarum discrimine partê inclinaturo unde major spes ostenderetur. Bertrando Guesklino pacta ob rem præclarè & compendiose gestam grandis pecunia numeranda erat, eam instantiùs postulanti. Quippe qui in Sardiniam trajicere constituebat, Aragoniis rebus præsidium; quæ in magno periculo erant à potentiâ Mariani Arboreæ reguli, non obscurè ad totius Insulę imperium aspirantis, & propemodùm obtinentis. Et erat Guesklino privato homini honorificum valdè, magnis pollicitis ab Aragonio ad id bellum invitari; quasi is belli & pacis eâ tempestate arbiter esset, regnáque dare & auferre pro voluntate posset. Iacobus Balearis Rex Neapolitanus, olim (ut vidimus) ab Henrico captus, Guesklino deditus est pro septuaginta aureorum millibus, (quod libertatis pretium Ioanna Regina conjux pollicita, virum à Guesklino recepit, Aragonio Rege invito, & contrà licente) reliquúmque auri pondus repræsentatum: cùm & jam anteà Ducem eum Molinæ & Conestabulum Castellæ constituisset. Prædicta autem præsenti & sequenti anno ita ut diximus gesta pluribus prosequitur Mariana [c] attigítque Surita [d] præter Gallos [e] qui eadem tractant; præcipuéque Argentræus [f] Brito, Guesklini Britonis res præclarè gestas diffusissimè describens.

HENRICUS REBUS SUIS UTILITER PROVIDET.

[c] *Mar. lib. 17. cap. 13. 14. 15.* [d] *Sur. Ind. lib. 3.* [e] *Acta Vitæ Gu sKl. Frossar. Bellefor.* [f] *Argentr. lib. 5. 6. 7. 8. 9.*

III. DISCEPTATUR DE IURE AQUITANIÆ INTER FRANC. ET ANGL.

Quod motus Gallicos attinet; hoc eodem anno Rex Carolus magno trium Regni Ordinum conventu Parisiis mense Maij circa dié Ascensionis celebrato in Parlamento; post iterùm auditas Procerum Aquitanorum expostulationes, eorumdémque appellationem diligentissimè examinatam; póstque expensas æquâ lance ex unâ parte rationes & jura Anglorum, & ex alterâ exceptiones atque responsiones Francorum, (Recitant eas verbatim, ut tunc fuerunt scriptæ, historici [g] Franci) quibus demonstrabatur nequaquàm Regem Francum cessisse aliquando jure supremitatis in terras Anglo concessas, sed suspendisse dumtaxat ad tempus in rebus & causis ordinariis pro bono pacis, cùm nulla contigisset interim gravis

[g] *Bellefor. lib. 5. cap. 37. & in Addit. ad Nic. Gill. Add. Til. in Tractat. int. Franc. & Angl.*

cauſa aut ſubditorum querela quæ illud exercere compuliſſet,ut modò factum eſſet: nec verò,etiamſi jus illud ad Anglum aliquando devolvendum cautum fuiſſet, poſſe ullo modo Anglum id contendere,niſi poſtquàm ſatisfeciſſet omnibus articulis tractatûs Britinniacēſis;accidiſſet autem hæc appellatio antequam id factum eſſet: His,inquam,maturâ deliberatione ponderatis, decretum eſt Regi haud integrum eſſe populorum patrocinium deſerere. Cúmque primò miſſi fuiſſent ad Eduardum Principem duo viri qui diem ei dicerent de exceſſibus rationem reddituro, miles alter, alter Iudex ſive accenſus; iiſdémque ille ferociter reſpondiſſet,ſtaturum ſeſe galeatum cum ſexaginta millibus armatorum; ac nuncios falsâ quâdam accuſatione in vincula conjeciſſet:eapropter,& quòd tam contra appellantes quàm contra alios Regis ſubitos hoſtilia exercuiſſet;judicatum eſt,eum ab omni jure cujuſcumque dominij decidiſſe, & quæcumque ipſius in Galliâ fuiſſent,Regi ſupremo domino legitimè acquiſita & addicta eſſe. Rex autem Anglus conventu pariter ſuorum apud Weſtmonaſterium ad finem ejuſdem menſis Maij habito,titulum Regis Francorum quem poſt fœdus Britinniacenſe depoſuerat, iterùm reſumpſit,jus ſuum totis viribus proſecuturus.

IUDICATUR CONTRA ANGLUM.

IV. BELLUM INDE ORTUM.

Cùm igitur jam ſeriò res agenda eſſet, Rex Carolus Guesklinum fulmen illud belli ex Hiſpaniâ,& Sardicæ expeditionis propoſito revocavit,Magiſtrúmque militum creavit; quem & anteà ob res præclarè pro regno geſtas,Comitatu Longavillæ in Normanniâ donaverat quo duce, Anglorum in Galliam trajicientium, & cum auxiliis Germanorum atque Belgarum multas incendiorum & direptionum clades inferentium,conatus repreſſi ſunt: res præclarè tam ab ipſo, quàm à fratribus Regis varios exercitus quocumque neceſſe erat circumducentibus,geſtæ:hoſtes nunc ferro, nunc arte, multis locis victi, urbes captæ aut deditione acceptæ,& quæ ſuperiori tempore erat amiſſa Gallicæ genti gloria bellica reſtituta eſt:manifeſtóque apparuit,Anglos,poſtquàm deſerti ſunt à Francis, deſiiſſe quoque magna agere; qui non tam propriis,quàm ipſorummet Francorum viribus, conſueviſſent Francos conterere, cùm nobiliſſimas & bellicoſiſſimas in Galliis provincias obtinerent, ex quibus ſuos plerumque conficiebant exercitus: ſicuti & bellis poſteà ſub Carolo Sexto geſtis evidentiſſimè videre fuit:& omni ævo conſtitit,Galliam non niſi à ſe ipsâ vinci poſſe.Denique ut rem contraham, poſt plurimas actas diverſis locis varióque Marte pugnas eò res redacta eſt, ut fermè intra triennium tota Aquitania, necnon Britannia Armorica,(cujus Dux Ioannes contra ſacramentum Regi præſtitum, Anglis favere conſtituerat)reliquęque provinciæ ab Anglis anteà poſſeſſæ,pauciſſimis locis exceptis, in poteſtatem Regis redactæ fuerint; rebus Anglorum tum maximè dilapſis, poſtquàm Eduardus Princeps Vvallię,cujus potiſſimùm virtute & auctoritate ſubſiſtebant,æger corpore ex infirmitatibus jam anteà contractis,& animo ex tot rebus adverſis;capta pro extremo ſuo facinore,potenti Lemovicum urbe,quæ ad Francos defecerat,eâque ſolo ęquata,& necatis cunctis penè incolis;in Angliam ſeſe recepit ad finem anni ſequentis, & poſt aliquot annorum lãguorem, obiit ante patrem fratribus ejus,aliíſque ducibus haud pari fortitudine aut felicitate rem agere ſcientibus. Nec in his prætereundus Navarrus; qui cùm ad novas ex his motibus ſpes in Normanniam acceſſiſſet, indéque ad Eduardum Regem in Angliam tranſmiſiſſet; quòd nollet ejus inconſtantiæ fidere Anglus, niſi urbes quas in Franciâ poſſidebat in manus ejus concrederet, elegit Navarrus, metu eas omninò amittendi ſive ab Anglo ſive à Rege Carolo, ſeſe denuò eidem Regi Carolo domino ſuo certis conditionibus ſubdere;Rege Sapiente ferox ejus & inquietum ingenium lenire ſtudente,ne in tantis rerum diſcriminibus novas & ipſe turbas cieret. Narrant hæc omnia fusè auctores [h] Galli & Angli:Tractantúrque etiam ab antiquioribus ſcriptoribus Vitarum Vrbani & Gregorij Pontificum,aliíſque; quæ verò pòſt ſecuta ſunt,dicentur inferiùs pro ratione temporis.

ANGLI SUA AMITTUNT.

[h] *Froſſard. lib.1.cap. 246. uſque 320. Til. in Tractat. Bellefor.li. 5.cap.35. uſque 40. Vvalſingh. in Eduar. III.Polyd. lib.19.*

V. PETRI REG. CYPRI NEX A FRATRIBUS.

Interea hoc eodem anno [i] Calendis Septembris *Petrus* Rex Cypri, cujus virtute ac fortitudine res Chriſtianorum Orientalium aliquam ſpem acceperant melioris fortunæ,de quo ſæpè ſuperiùs, propriorum fratrum machinatione proditoriè interemptus eſt, *Petrino* (ut vocârũt) filio puero relicto.Cauſam necis, & ut facta fuerit, prolixiùs narrat Stephanus Luſinianus in Regni Cypri Hiſtoriâ.Quid verò in coronatione Petrini regni Ieroſolymitani(quòd enim Reges Cypri etiam ſe Ieroſolymitanos nuncuparent, coronam Cypri Nicoſiæ, Ieroſolymitanam Famagoſtæ ſuſcipere conſueverant)ingentis momenti acciderit,dicetur poſt triennium [ii] quo tempore necem quoque Petri multi ponunt, occaſione ſcandali tunc facti quod præcipuè narrandum ſuſceperunt.

[i] *Vit.Vrb. V.Surit. Indic.lib.3. &c.*

[ii] *Infr.an. 1372.VIII.*

VI. IOANNES IMPER. GRÆC. CONVENIT PONTIFICEM, ET PROFITETUR FIDEM ROM. ECCLES.

Cùm autem res Turcorum incredibili augeri ſucceſſu animadverteret Ioannes Palæologus Imp.Græcorum,ſuáſque in dies minui; ad imploranda auxilia in Italiam navigavit.Aitq; ſcriptor Vitæ Vrbani,ſuſceptum eum à Pontifice fuiſſe honorificè, tractatúmque paulò minùs ac fuiſſet Imperator Romanorum: Reductum quoque eſſe ad Romanæ Eccleſiæ fidem & unitatem, juráſſéque perpetuam obedientiam:confectis ſuper his literis Græcè & Latinè, aureâ bullâ ſigillatis,quas Pontifici tradidit:multíſque gratiis & favoribus à Pontifice acceptis,ad propria lætum remeâſſe.Sed extant [k] ipſæmet literæ,ſive Acta Græcè & Latinè exarata totam rem geſtam diſertè exprimentia,quibus Ioannes Imp.declarans ſe Spiritûs ſancti lumine illuſtratum,volentem animæ ſuæ ſaluti providere,ſpontè veniſſe Romã ut Vrbanum Papam & ſedem Apoſtolicam viſitaret; profiteretúrque Fidem Catholicam, quam ſacroſancta Romana & Vniverſalis Eccleſia profitetur, teneret & doceret; circa cujus obſervãtiam ejuſdem Papæ ac ſucceſſorum ejus mandatis plenariè & efficaciter pariturus eſſet:coram Guillelmo Epiſcopo Oſtiẽſi, Bernardo baſilicæ XII. Apoſtolorum, ac Franciſco tituli S.Sabinæ Presbyteris,& Rainaldo S.Adriani Diacono Cardinalibus,commiſſariis à Papâ deputatis, necnon coram ejuſdem Sedis Notariis,aliiſq; teſtibus,profeſ-

[k] *In archiv. Eccleſ.Rom. unde exſcripſit integras Bzov.hoc an.& ſeqq.*

ſus

sus est singillatim omnes articulos Fidei Catholicæ de sanctissimâ Trinitate, ejúsque singulis personis; de processione Spiritûs Sancti ex Patre Filióque; de Purgatorio, & animarum post hanc vitam vario statu; de Sacramentis; de Primatu & auctoritate Romanæ Ecclesiæ ejúsque Pontificis super universam Ecclesiam Catholicam, & omnes Episcopos atq; Patriarchas, appellationibúsq; ab eis undique ad Sedem Apostolicam. Háncque fidem se recognoscere, amplecti, & in perpetuum servare velle juravit super sancta Dei Evangelia; anno ab Incarnatione Domini 1369. Indictione septimâ die decimo octavo Octobris: Paulo Patriarchâ Constantinopolitano Latini ritûs, Nicolao Aurenopolitano Episcopo, & Fr. Antonio de Athenis Ordinis Minorum, interpretum munere ob utriusque linguæ peritiam fungentibus: præsentibúsque prætereà Nicolao tituli S. Mariæ in Viâ-latâ Diacono Cardinale, Arnaldo Archiepiscopo Auxitano, Francisco Catalusio domino Insulæ Metelini; Michaële Strongillo milite, Philippo Cathaudelio Domicello Constantinopolitano, & aliis quamplurimis. Iísque ritè peractis, receptus est Ioannes Imp. à supradictis Cardinalibus Commissariis ad osculum pacis, & gremio S. Romanæ Ecclesiæ aggregatus.

VII. Quod cùm Urbanus Pontifex accepisset, qui interim Viterbij agebat, confestim Romam properavit. Eíq; venienti Palæologus obviam factus, post deosculatos de more pedes, frenum etiam equi pedes ipse usq; ad gradus basilicæ Vaticanæ tenuit, & stratoris ministerium descendenti ex equo exhibuit: ac deinde intra basilicam ad altare S. Petri iterùm professus est Fidem Catholicam. Post quæ tractans privatim de auxiliis habendis, obtinuit à Pontifice facultatem agendi cum Ioanne Haucuto Anglo, (Anglum enim, præter ceteros, continuè vocat in suis epistolis Gregorius XI. unde refellas eos [l] qui Vasconem, & ex familiâ Clementis V. ex similitudine cognominis ejus de Agustis fuisse volunt. Quem & Matthæus Villanius, allusione vocis Acus, sartorem putavit: Walsinghamus Anglus *Ioannem Hawkwode* patria rectâque appellatione nuncupat; ex quâ tam Itali quàm Galli Haucut, sive Agut, vel de Acutis, quidam etiam remotiùs Augustinum fecerunt;) duce, seu veriùs latrone hoc tempore famosissimo, eodémque nihilominùs rei militaris peritissimo, adeóque Italis æstimato, ut quæcumque is prosperè gessisset, & hostes & socij pro documentis, & militaris disciplinæ præceptis habuerint: posteà etiam Senatus Florentinus [m] propter insignia merita equestri statuâ & tumuli honore fortissimum virum ornaverit qui à multis annis per Italiam discurrens cum valido equitatu Albæ Societatis; & quà Bernabovi, quà adversariis ejus adeóque Summo Pontifici, venalem suam operam plurimo licitantibus locans; ingentes clades intulerat acceperátque; captus etiam aliquando à Legato Pontificio, dimissúsque: (ut hæc præcipuè videre est apud auctores Italos, Blondum, Villanium, Platinam, & alios) jam quòd Sedis Apostolicæ plurima castra & urbes violasset; quinimmò & nuper concitatione Bernabovis, Perusinis jugum Apostolicæ Sedis injuriosè excutientibus, contra Pontificem eos

D. IOAN. HAUCUTO PRÆDONE ANGLO.

[l] Verner. Bibl. to. 3. an. 1395.

[m] Boninsegn. Flor. hist. lib. 4. Iov. in Elog. ill. vir.

& censuris & armis ad obsequium reducere conantem, inhærens; eumdem Pontificem apud Montem-faliscum propè obsederat, sagittas etiam in cubiculm ejus intorquens: Cum hoc igitur, à Pontifice ob præmissa anathemate damnato, ut agere Palæologus posset & de expeditione Orientali pacisci, concessit Pontifex: (quod tamen effectu caruit, detrectante Haucuto Italiæ prædam Turcorum ictibus commutare:) eumdémque Palæologum Venetis ac Genuensibus commendavit. Ioannámque Reginam & Philippum Tarentinum dictum Imp. Constantinopolitanum, ejus ad sua reditum benignè fovere monuit. Qui tamē non nisi anno sequenti abiit: cùm reperiatur [n] aliud ejus diploma de professionis suæ confirmatione, datum Romæ die 20. Januarij anno Domini 1370. Indictione octavâ, Pontificatus Vrbani anno octavo Tempore verò quo Romæ mansit, frequenter etiam non invitatum ad prandium Pontificis venisse, & summâ animi delectatione conversatum cum eo esse, traditur in processu pro Vrbani canonizatione posteà facto.

[n] Ubi supra in I.

VIII. Ejus porrò in Italiam iter memorans Chalcondyles [o] tacet quidem ejus Romam adventum; verùm alia quędam habet ceteris intacta; quæ nequaquàm videntur silentio prætereunda, quamvis tempus non signet; ut est satis in his incuriosus, ac propterea non raro incautos in errorem inducat. Ait igitur, Ioannem Venetias auxilia oraturum adeuntem, non alia accepisse quàm mutuam pecuniam à fœneratoribus. Indéq; abeuntem ad Regem Galliæ invento regno bellis & seditionibus pleno, Venetias rediisse ut patriam repeteret; sed à creditoribus detentum, misisse Byzantium ad Andronicum filium, cui regni administrationem interim dum abesset commiserat, ut pecunias ad sui liberationem erogaret: at illum regnandi libidine excusâsse impossibilitatem eas cogendi) & submittendi. Emmanuelem autem filium juniorem, auditâ patris necessitate, omnem diligentiam adhibuisse ei subveniendi: allatáque quam potuit pecuniâ, etiam sese patris loco obsidem obtulisse: Indéq; Ioannem, ut par erat in Andronicum iratum, studia sua in Emmanuelem convertisse; ortámque contentionem esse de regno inter patrem filiúmque Andronicum. Sed de hâc posteà: reliqua verò, quorum nemo prætereà meminit, ferè fabulis adnumerârim, quarum haud expers hic auctor.

[o] Chalcond. lib. 1.

CHALCONDYLIS NARRATIO DE IOANNIS IMP. ITINERE.

IX. Hoc eodem anno quidam Frater Ordinis Minorum, cui nomen *Dionysio Soulechat*, nonnullas Propositiones [p] erroneas atque hæreticas, à se antehàc assertas de rerum abdicatione, charitate, & amoris perfectione, & à Theologis Parisiensibus damnatas; ac per provocationem dicti Dionysij ad Sedem Apostolicam, Avenionem delatas, ibíque rursùm damnatas anno 1365. nunc denuò Parisiis in solemnibus Disputationibus die Iovis post Quasimodo in Ecclesiâ Prædicatorum, de mandato Ioannis de Dormano Cardinalis Belvacensis tit. SS. IV. Coronatorum, ad hoc per Sedem Apostolicam delegati, publicè revocavit & abjuravit:

DIONYS. SOULECHAI PROPOSITIONES ERRONEÆ DAMNATÆ.

[p] Ext. Bibl. Patr. to. 4.

X. Bruxellæ [q] in Brabantiâ impij & increduli Iudæi, emptam à quodam avaro & profano cujusdam sacelli custode sacratissimam Corporis

[q] Meyer. lib. 13. alij Annal. Berg.

Christi

IUDÆORUM SCELUS PUNITUM.

Christi Eucharistiam pugionibus & gladiis transfigentes, detecti sunt indicio copiosi sanguinis ex vulneribus effluentis; & plurimi eorum sceleris convicti, jussu Wenceslai Ducis forcipibus igneis dilacerati, & vivi fuere concremati.

XI. [r] Magn. Chron. Belg.

COLONIA AGRIPP. MULCTATUR OB VIOLATAM IMMUN. ECCLES.

Coloniæ [r] Agrippinæ dissidio inter Rectores civitatis & Clerum orto ratione immunitatis Ecclesiasticæ, quam Rectores tributis suis violare præsumebant; urbs jussu Urbani Pontificis interdicto supposita est. Cúmque hoc remedio malitia Rectorum curari non posset, universi Ecclesiastici urbem penitùs deseruerunt. Donec post sesquiannum eorum absentiæ, dicti Rectores tam pudore ignominiæ civitatis, quàm experientiâ detrimenti quod ex Cleri absentiâ patiebatur, ad cor reversi, abrogatis quæ in Clerum statuerant, & damnis singulorum reparatis, eos in urbem revocârunt.

IESU CHRISTI Ann. 1370.
VRBANI V. Ann. 8.
CAROLI IV. Ann. 25.
IOANNIS V. An. 30.

I. VRB. PP. MULTA GESTA PRO FIDE ET OPT. STATU RER. ECCLES.

[a] Reg. Vrb. & inde ap. Bzov. & Vvadding. hoc an.

ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo, Indictione octavâ, inter quamplurima quę Papa Urbanus [a] ante discessum ex Italiâ, obitúmque, prudenter egit decrevítque; F. Guillelmum Pratensem Ordinis Minorum provinciæ Tusciæ, ad latissimum Cathai regnum Tartaris subjectum, creatum priùs Cambaliensem Archiepiscopum, ad prędicationem Evangelij misit, unà cum aliis sociis duodecim; quibus & subinde alios sexaginta ejusdem Ordinis Fratres adjunxit. Datísque literis septimo Calendas Aprilis Romæ ad Magnum Chaamum, aliósque Principes Orientis & Septentrionis, & populum Tartarorum, eos illis commendans hortatus est etiam ad fidem Christi amplectendam. Sicuti & Ladislaum Walachiæ Vaivodam sexto Idus Aprilis aliis literis ad schisma deserendum invitavit. Et universos Prælatos Græcorum, ac Clerum, exemplo ipsorum Imperatoris, qui schisma abjuraverat, pariter ad unitatem cum Romanâ Ecclesiâ hortatus est. Calendis Augusti apud Montemfaliscum formulam præscripsit professionis Fidei, quam qui ex schismate ad unitatem & obedientiam Ecclesiæ redire cuperent, profiteri deberent: eamdem nimirùm ipsam, quam ab Imperatore Palæologo juratam vidimus anno præcedenti. Ibidémque undecimo Calendas Septembris Antonium Milevitanum Episcopum, ad instruendos schismaticos Georgianos destinavit, datâ potestate alios Fratres Minores ad idipsum operis secum ducendi. Et decimo-quinto Calendas Iulij Venetos, Genuenses, & infantem Cypri Regem, in fœdere adversùs Turcos perseverare monuit. Sexto verò Idus Aprilis Ludovico Regi & Elisabethæ Reginæ Hungariæ, ac Tuarco Bano seu gubernatori Bosnæ, ne filiam cujusdam Gregorij olim Ducis Dalmatiæ apud Tuarcum enutritam, vel Regi Rasciæ schismatico, vel alicui Turcorum, absque scitu Sedis Apostolicæ, vel alicui Principi Catholico absque voluntate parentum nuptui collocarent, mandavit. Posteáque undecimo Calendas Augusti, ne Fridericus detentor Trinacriæ cum Bernabove Mediolanensium tyranno affinitatem per natorum matrimonia quæ designabantur contraheret, sed hæc tractatio, quæ Romanæ Ecclesiæ, Reginæq; Ioannæ, & regno universo Siciliæ perniciosa esset, impediretur, Ioanni Claromontio qui id significaverat, Reginæque, & Principibus regiis præscripsit. Iacobum Archiepiscopum Hydruntinum, Visitatorem Apostolicum monasteriorum Ordinis S. Basilij in eodem regno Siciliæ constituit. Et monasterium Cassinense; in quo religio Benedictinorum suum quasi sumpsit exordium, de Episcopali dignitate quâ à Ioanne XXII. fuerat decoratum, ad Abbatialem ut priùs reductum, amotis monachis liberiorem vitam agentibus, observantioribus replevit; dato Abbate ex Congregatione Camaldulensium ejusdem Regulæ, viro ei muneri restituendæque disciplinæ aptissimo.

II.

[b] Supr. an. 1319. IX.

Congregationem quoque MONTIS OLIVETI, & Ordinem S. BIRGITTÆ virorum & mulierum, confirmâsse hoc eodem anno, Onuphrius ponit in Chronico. Sed Olivetanum institutum sub Ioanne XXII. compositum & approbatum vidimus [b] quem nunc Urbanus V. quamplurimis monasteriis auctum, confirmatum voluit. Birgittanus autem, *S. Salvatoris* nuncupatus, ab eadem sanctâ muliere paulò antè institutus fuerat; haud tamen ipsum professa, quæ numquam habitum religionis tulit. Quæ [c] quidem Sueca genere, & nobilissimâ regiâ stirpe prognata, etiámque antequàm nasceretur miraculis decorata, atque in infantiâ tota pietati dedita, cælestibúsque visionibus illustrata; cùm à piis parentibus Ulphoni Neritiæ Principi optimæ indolis adolescenti matrimonio juncta esset, post susceptos castè octo liberos, quatuor mares totidémque feminas, continentiam cum eo servavit: eóque post peractam simul sacram peregrinationem ad S. Iacobum in Compostellâ, aliáque Sanctorum monumenta, in sancto proposito Ordinis Cisterciensis devotè defuncto; sui juris omninò effecta, sancti Spiritus posteà monitu Romam, inde Ierosolymam ad visitanda sacra loca perrexit; honorificè ubique excepta, & spiritu prophetiæ revelationibúsque divinis, (quæ & scriptis mandatæ extant prægrandi volumine) præter sanctissimum, idémque asperrimum vitæ genus, celeberrima, atque omnium penè ejus temporis scriptorum stylo celebrata. Instituit autem in patriâ novum monasticum Ordinem tam feminarum quàm etiam virorum, (quos tamen Abbatissæ Ordinis æquè ac feminas subjectos esse voluit) Regulam [d] præscribens ex ore CHRISTI dictantis acceptam. Quæ tamen cum Basilij & Augustini Regulis multa habere communia intelligitur. Voluítque omnes utriusque sexus leucophæatos esse, cum cruce rubrâ super chlamyde. Fuit autem is Ordo valdè dilatatus, ac præcipuè in partibus Septemtrionalibus: ubi superveniente Lutheranâ hæresi, maxima pars monasteriorum ab ejus sectatoribus occupata fuit.

[c] Ext. ejus Vit. ap. Sur. to. 4. & in lib. Revel. S. Birg. & in Bull. canoniz.

S. BIRGITTÆ ORDO.

[d] Ext. in Revel. post lib. 8.

III.

Legimus item in Historiâ Ecclesiasticâ An-

[e] Harpsfeld. sæc. 14. cap. 5.

Reluctantur Angli Pontifici de beneficiis et pensionibus.

gliæ [e] cùm & ipse Urbanus Pontifex solitis odiosísque decessorum suorum reservationibus, provisionibus, & translationibus Episcopatuum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum, in Angliâ uteretur; tam priora contra hujusmodi donationes Parlamenti Anglici decreta renovata fuisse, quàm etiam alia recèns addita: Sed nullam rem magis Regem procerésque solicitos tenuisse, quàm quòd audierant Pontificem decrevisse Regem Romam evocare, ob fidem & pensionem non præstitam, ad quam se & successores suos Ioannes Rex Angliæ maximis, si cessatum esset, pœnis adjectis adstrinxerat. De quâ re cùm Eliensis Episcopus Regis Cancellarius in maximis regni comitiis retulisset, summo omnium consensu responsum esse, à sponsione illa Ioannis, quæ privatim profecta esset, Regem liberum & solutum: & si quid in eâ re Pontifex tentaret, omnibus viribus reniti velle, & se opponere: quinimmò & mandâsse Regem, ne Denarij S. Petri, quos vocant, Romano Pontifici solverentur.

IV. Vrb. PP. Galliam repetere decernit invitis prophetiis.

Ceterùm Vrbanus rebus Italicis Vrbicísque probè quantum potis fuit dispositis, & Anglico Cardinale Episcopo Albanensi germano suo, ac Petro de Stagno monacho Benedictino, recèns à se apud Montem-Faliscum ex Archiepiscopo Bituricensi creato tituli S. Mariæ trans Tiberim Presbytero, Legatis in Italiâ designatis: Avenionem redire decrevit, tum Cardinalibus urgentibus, tum specie componendi Francorum & Anglorum dissidia, statuens per seipsum Reges convenire ut corda eorum ad concordiam inclinaret. Ferunt [f] Fr. Petrum Aragonium, de quo suprà [g] ex revelatione divinâ ei jam tum cùm Italiam peteret, prænunciâsse, si Avenionem reverteretur, futurum esse Iosiam incipientem & non perficientem; ac paraturum locum schismati paulò post venturo, in quo innumerabilia animarum millia perirent. Itémque S. Birgittam, hoc tempore in Italiâ existentem, cùm audîsset Pontificem decrevisse omninò Galliam repetere, ex revelatione Beatissimæ Virginis ei per Fr. Alfonsum Confessarium suum renunciâsse, abitum ipsius contra Dei voluntatem esse, & si perficeret statim moriturum. Abiit nihilominùs ille, urgentissimam publicarum Christianitatis necessitatum curam incertis ejusmodi Revelationum assertionibus anteponens; quamvis scribat Petrarcha [h] ad Brunum, eum morti proximum Deum hominésque testatum esse, quòd Italiam deseruerit, non suam culpam, sed eorum fore qui tam turpis reditûs invententur auctores. De cujus reditu multas ibi ingeminat idem auctor querelas: éstque elegans ejusdem apologia [i] adversùs cujusdam anonymi Galli in ipsum ob suasum Romam abitum invectivam. Denique Vrbanus die 5. Septembris Corneto solvens (instructissimâ sibi classe à Regibus Francorum & Aragoniæ Reginâque Siciliæ & Provincialibus paratâ) Massiliam applicuit die decimo-sexto ejusdem mensis, & vigesimo-quarto Avenionem.

[f] Gobel. Per. Cosmodro. æt. 6. cap. 73.

[g] An. 1366. V.

[h] Petrar. 13. Senil. 13.

[i] Id. to. 3. apol. ad Vgution.

V. Vrb. moritur Avenione.

Vbi dum pararet se ad ea propter quæ venerat; ut fides revelationibus adstrueretur, infirmitate correptus, post Ecclesiæ sacramenta piè suscepta, lectulum suum ante aram Petri Apostoli ferri jubens, contestatúsque se tenere & credere firmiter quicquid sancta Catholica & Apostolica tenet & docet Ecclesia, neque umquam se scienter ab ejus determinationibus deviâsse; januis patentibus, vestibus suis monasticis indutus, (quas sicuti numquam aliàs, ita neque in ægritudine dimittere voluit) signúmque Crucis manu tenens, quamplurimis finem ejus aspicientibus, tranquillam & felicem animam emisit die 19. Decembris; postquàm sedisset annos octo & duos ferè menses, vixisset unum & sexaginta. Laudatissimus omnium ore Pontifex: cujus prǽter illa quæ superiùs memoravimus, extant plurima alia præclara tam publica quàm privata gesta; necnon excellens & planè Ecclesiasticus atque monasticus vivendi ejus modus, justitiæ zelus, flagitiosorum execratio, morum Curiæ reformatio, fundationes Collegiorum & monasteriorum, ædificia sacra, profusæ eleemosynæ in pauperes, parcitas in suos consanguineos, & alia ejusmodi, tam in Vita ejus ab auctore illius tẽporis conscripta; quàm in Articulis, quos tum monachi Massilienses [k] S. Victoris, tum Petrus [l] Olmarij Canonicus Aquensis Procurator Caroli Francorum & Ludovici Siciliæ Regum aliorúmque Principum atque Prælatorum, obtulerunt Clementi VII. qui Gregorio legitimo Vrbani successori suffectus est in schismate, ut iis motus eum albo Sanctorum Ecclesiæ Catholicæ inscriberet, cùm multis fuisset ingẽtibúsque post obitum à Deo miraculis illustratus, quæ magno numero eodem Vitæ ejus processu recensentur: meminítque eorum Petrarcha [m]. Sepultus autem est in ecclesia cathedrali B. Mariæ de Donis Avenione: atque inde, ut jusserat, translatus Massiliam ad prædictum cœnobium S. Victoris, & honorifico monumento conditus; cùm tamen ipse more pauperum monachorum sepeliri mandasset. Ceterùm hunc primum ex Pontificibus tiaram triplicis coronamenti gestâsse, sicuti Bonifacium VIII. [n] duplicis, cùm superiorum Pontificum unici essent; observatum reperimus à Nicolao Alemanno in Dissertatione de Lateranensibus parietinis, tam ex vetustis imaginibus, quàm ex Sugerio Abbate, dicente fuisse anteà instar galeæ circulo aureo concinnatam, quod augmentum non ad pompam aut fastum, sed ad mysterium fecisse Vrbanum, cogit nos credere ejus sanctitudo vitæ.

[k] Ext. ap. Masson. in Vrb. V.

[l] Ap. Bzov. hoc an. ex cod. Vatic. not. 4026.

Claret miraculis.

[m] Petrar. d. cap. 13.

[n] Supr. an. 1302. VII.

Primus tiaram triplicis coronamenti gestavit.

VI. Datur ei successor Petrus Rogerii.

Factis de more sacris novemdialibus Cardinales quarto Calendas Ianuarij ibidem Avenione ubi Vrbanus decesserat, conclave ingressi; die mox sequenti Vrbano successorem dederunt *Petrum Rogerij Monstrium* de Malmonte Lemovicensem Comitem Belfortij in Valle, oppidi sic dicti in regione Andegavorum, Diaconum Cardinalem S. Mariæ Novæ Clementis VI. ex fratre Guillelmo Comite Belfortio nepotem: uti disertè asserunt Continuator Gallicus Nangij, & auctor Vitæ Gregorij ejus temporis scriptores, necnon Onuphrius, & alij: quibus magis credendum existimamus, quàm Massono dicenti natum esse ex sorore Clementis. Quem & eo deceptum novimus, quòd comitia de Petri electione celebrata Massiliæ, creatúmque esse nono Calendas Ianuarij scribit. Cùm à patruo creatus fuisset Cardinalis vix expleto anno ætatis suæ 17.

datus in disciplinam Baldo præstantissimo Iurisconsulto tunc Perusij publicè profitenti, adeò profecit ut idem Baldus ejus auctoritate in confirmandis rebus dubiis plerúmque uteretur. Theologicis quoque facultatibus, sacrarũ constitutionum peritiâ, & omni doctrinarum genere excultissimus, modestiâ insuper, morúmque suavitate, & singulari humanitate præditus, tantam sibi omnium conciliavit gratiam, ut absque ulla mora aut discordia renunciatus fuerit uno omnium Cardinalium consensu Pontifex; solo ipso diù renitente, & onus aversante: cui demùm, ne videretur divinæ voluntati resistere, humeros supposuit nondum quadragenarius, statura autem parvus, & debilis atque imbecillæ valetudinis. Qui die quarta mensis Ianuarij subsequentis presbyter ordinatus, postridie consecratus & coronatus est; ut disertè ponit auctor ejus Vitæ: quæ dies erat Dominica, vigilia Epiphaniæ; cùm nihilominùs aliqui recentiores ipsam diem Epiphaniæ ejus coronationi assignent. Suscepit autem nomen GREGORII ejus nuncupationis Undecimi. Adfuítque ejus coronationi Ludovicus Andium Dux frater Regis Caroli, & Occitaniæ præfectus; qui pedes freno duxit equum Pontificis per urbem de more equitantis.

GREGORII XI. NOMEN ACCIPIT.

VII. Hoc eodem anno [n] die septima Maij mortuus est *David* Rex Scotiæ Edimburgi, anno ætatis quadragesimo septimo, regni penè trigesimo nono quem perhibent multis virtutibus, atque imprimis justitia & clementiâ illustrem extitisse, & cui in bonis malísque rebus exercito semper magis fortuna quàm industria defuisse videatur. Succeßit in regnum *Robertus Stuartus* ipsius sororis filius: nequicquàm Guillelmo Douglassio regnum sibi deberi ex propinquitate Ballioli & Cuminiorum contendente. Quare resistente ei nobilitate, juri prætento, quod reipsâ nullum erat, renunciavit; datáque est filia Regis in uxorem filio ejus. Sícque intravit regnum in familiam *Stuartorum*, mansítque in eâ usque ad unionem utriusque regni Anglorum & Scotorum factam nostris diebus in eâdem familiâ Stuartorum: de cujus ortu & progressu agunt ejus gentis auctores.

[n] Io. Major. lib. 5. cap. 14. Boëth. lib. 15. Leslæ. lib. 7.

DAVIDIS REGIS SCOTORUM OBITUS.

STUARTORUM FAMILIA REGNUM ADIPISCITUR.

VIII. Eodémque anno Nonis Decembris mortuus est *Cazimirus* Poloniæ Rex; cùm in venatione cupidiùs cervum persequens, labente equo vehementer homo sexagenarius & carnosus conquassatus, recuperatam arte medicorum sanitatem intemperantiori victu corrupisset. Solus inter Polonorum Principes *Magni* cognomen apud suos adeptus; non tam fortitudine bellicâ, (quamquam nec istâ caruit) quàm operibus magnificis, & plurimarum arcium & oppidorum munitione, atque templorum, domorum hospitalium, aliorúmq; locorum sacrorum constructione & dotatione; & quòd omnium summorum pariter & infimorum hominum erga se benevolentiam, iisdem quibus collegerat virtutibus, hoc est justitiâ, facilitate, humanitate, ad extremum retinuit: domesticâ tamen vitâ impurior, in cibo potúque intemperans, & in libidines projectus: quæ omnia pluribus describunt illius gentis [o] auctores; meminimúsque nos suis locis. Post ejus mortem *Ludovicus* Rex Hungariæ ejus sororis filius, quem, ut etiam aliàs vidimus, Cazimirus prole masculâ carens successorem sibi de magnatum consensu designaverat, ad suscipiendum regnum evocatus; post aliquam cunctationem in Poloniam advenit, & Cracoviæ coronatus est decimo-septimo die Novembris anni proximi. Haud tamen ita gratus genti, non solùm quòd dissimilis esset Cazimiro, & adiri non posset absque interprete, verùm etiam quòd res Polonicas parvî facere videretur, & donationibus superfluis regnum detereret. Qui & veritus ne aliquam filiæ Cazimiri novandarum rerum occasionem Polonis darent, ablegavit eas in Hungariam, atque ex illegitimo conjugio natas, ac proinde exheredes pronunciari curavit. Quod iidem auctores [p] dolenter, & cum exprobratione ingrati Ludovici animi referunt; Hungari aut intacta prætereunt, aut levi manu tangunt. Post hæc autem Ludovicus in Hungariam rediens, Poloniam aliis administrandam reliquit; quæ inde non parva aut pauca mala sensit.

CAZIMIRUS REX POLONIÆ MORITUR.

SUCCEDIT LUDOVICUS REX HUNGARIÆ.

[o] Michov. lib. 4. cap 21. Cromer. lib. 12. in fi.

[p] Michov. cap. 29. Cromer. lib. 13.

IESV CHRISTI Ann. 1371.
GREGORII XI. Ann. 1.
CAROLI IV. Ann. 26.
IOANNIS V. An. 31.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo primo, Indictione nonâ, Gregorius Pontifex post suam consecrationem animum ad pacificandum Orbem applicans, imprimis designatos ab Vrbano decessore suo Legatos ad Reges Francorum & Angliæ pro concordia inter eos ineunda, Simoné de Langham Anglum titt. S. Sixti, & Ioannem de Dormanis Gallum titt. SS. IV. Coronatorum Presbyteros Cardinales ire jussit, scriptis ad Reges literis pridie Idus Ianuarij. Qui tamen nihil profecerunt, (inquit auctor Vitę Gregorij) tum quia inimicitiæ inter Reges nimis induratæ erant, tum etiam quòd ipsi Cardinales videbantur potiùs partiales esse quàm tractatores cùm prior Angliæ, posterior Franciæ Cancellarij & Regum familiares olim extitissent. Quo eodem tempore, ait Walsinghamus Eduardum Angliæ Regem in Comitiis Westmonasteriensibus postulâsse à Clero & populo subsidium quinquaginta millium marcarum argenti, & obtinuisse cum gravissimo Cleri pauperúmque sacerdotum detrimento: noxiâ (ut posteà idem observat (rebus suis pecuniâ. Qui etiam in odium Ecclesiæ, Episcopos & clericos ab administratione munerum regiorum amovit.

GREG. PP. DE PACE INTER FRANC. ET ANGL. SOLICITUS.

II. Gregorius verò res Italicas tam contra Bernabovem, quàm alios Ecclesiæ hostes vigilantissimè curans; Vrbicis etiam, necnon Siculis violentos motus patientibus, missis Legatis & Nunciis, scriptísq; ad Principes & alios multiplicibus literis [a] quà hortatoriis quà comminatoriis, providere sategit. Idémque dissidiis Regum Hispaniarum [b] sedandis, præter Nuncios jam antè ab Vrbano destinatos, legavit Bertrandum Cardinalem Convenarum: qui eò appellens ad finem præsentis anni, principio

ITEMQUE INTER ITALOS ET HISP.

[a] Reg. Greg. XI.
[b] Marian. l. b. 17. cap. 6. & 17. Surit. Indic. lib. 3.

pio subsequentis inducias pepigit, omnium interim controversiarum arbitrio à Regibus Pontifici permisso, quod tamen variis Henrici Castellæ Regis tergiversationibus, verentis in novo suo necdum satis stabilito principatu, ne Pontifex in aliorum potiùs Regum partes propenderet, effectu caruit. Ejus nihilominùs auctoritate factum est in regni sui conventibus Tauri fine hujus anni celebratis, probum & utile religione Christianæ decretum, ut Iudæi & Mauri; quorum erat numerosa multitudo Christianis confusa, insigni notâ distincti essent. Misit verò item Pontifex Ioannem Episcopum Sarlatensem, qui de dissensionibus Comitum Fuxi & Armaniaci, à multo tempore armis inter se contendentium, cognosceret, & ad se referret.

III. Propositiones erroneæ circa Euchar. in Arag.

Erant eodem tempore in Aragoniâ nonnulli Religiosi aliquas Propositiones publicè prędicantes, quæ à Fr. Nicolao Eymerico Ordinis Prędicatorum & in iis partibus Inquisitore Fidei, delatæ sunt ad Romanum Pontificem: quibus videlicèt asserebant, Si hostia consecrata cadat vel projiciatur in cloacam, lutum, aut alium turpem locum, vel etiam si à mure corrodatur, aut à bruto sumatur, speciebus remanentibus, sub eis desinere esse Corpus Christi, & redire substantiam panis: Et si à justo vel à peccatore sumatur, dum species dentibus teritur, Christum ad cælum rapi, & in ventrem hominis non trajici. Has autem Pontifex ob metum scandalorum, prædicari ampliùs omninò prohibuit sub pœnâ excommunicationis; præcipuum earum propagatorem recensens *Ioannem de Latone* Gerundensem Ordinis Fratrum Minorum. Extántque [c] eâ de re literæ Pontificis auctoritate à Petro S. Eustachij & Guillelmo S. Angeli Diaconis Cardinalibus scriptæ 8. Augusti ad Archiepiscopos Tarraconensem & Cæsaraugustanum, eorúmque suffraganeos, in quorum Ecclesiis prædictæ propositiones prædicatę fuerant. Quæ quidem, uti præsenti tempore penitùs rejiciendæ censeri debent; ita ante Gregorium, de quo agimus, à magnis viris [d] haud adeò improbabiles visæ fuerant, quas Gregorius non ut hæreticas, aut omninò damnandas judicavit, sed tantùm vetuit palàm aut publicè prædicari; videlicèt propter periculum scandali, de tanto mysterio irreverentis tractationis.

[c] *In Direct. Inquis. Eymer. par. 1. & ibi Pegna Commẽt. 15. & ap. Bzov. & Vuadd. hoc an.*

[d] *Vid. Vvadding. hoc an.*

IV. Miraculum de Cruce.

In [e] Poloniâ, cùm auditâ morte Cazimiri Regis, de quâ anno superiori, Lituani Gentiles perpetui Polonorum & efferatissimi hostes, excursione in Poloniam factâ, inter alia monasterium Calvimontanum diripuissent, indéque inter aliam prædam portionem Crucis Christi auro inclusam abducerent: ubi ad fines Poloniæ patriam repetendo pervenerunt, mirabiliter accidit ut plaustrum quo Crux cum ceterâ pretiosiori prædâ vehebatur, repentè substiterit, & nullâ vi moveri potuerit. Quâ re obstupefacti Lituanorum duces, remissâ in locum suum Cruce, liberè ad sua se receperunt.

[e] *Michov. lib. 4. cap. 29. Cromer. lib. 13.*

Iesu Christi Annus 1372.
Gregorii XI. An. 2.
Caroli IV. Annus 27.
Ioannis V. Annus. 32.

I. Greg. PP. agit contra Vicecom. Mediol. et censuris et armis.

Anno Christi millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, Indictione decimâ, perseverantibus Bernabove & Galeatio fratribus Vicecomitibus Mediolanensium tyrannis in suâ adversùs Pontificem & Ecclesiam Romanam malitiâ; Gregorius Pontifex processus juridicos (inquit Auctor Vitæ ejus) contra ipsos fecit; inter alia prohibens ne qui Principes aut magnates fœdere matrimoniorũ cum ipsis eorúmve liberis contraherent, decernénsque irritum quicquid in contrarium præsumeretur. Cui rei concordant literæ ejusdem Regesto contentæ, scriptæque quinto Idus Octobris anni superioris ad Fridericum Trinacriæ Regem, ne oblatam sibi à Bernabove unam filiarum suarum acciperet. Aliæque præsenti anno pridie Idus Iunij ad Regem & Reginam Aragoniæ, ne propositam filio suo ejusdem Bernabovis aut Galeatij filiam acceptando, sese subjectis anathemati hostibus Ecclesiæ commiscerent. Quòd verò (ut idem auctor pergit) processus istiusmodi non eos plenè à suis malitiis cohiberent; idem Gregorius manu armatâ contra ipsos procedere decernens, magnis collectis copiis tam de terris suis, quàm de regno Franciæ & confinibus ejus, præfecit eis ducem Amedeum Sabaudiæ Comitem; qui multa Vicecomitibus damna intulit. Sed hæc pleniùs habentur tam ex aliis auctoribus, quàm præcipuè ex literis Pontificis ad Carolum Imper. Ludovicum Hungariæ Regem, alióśque Principes Germaniæ & Italiæ, Résque publicas, pro ferendis Ecclesiæ adversùs Vicecomites suppetiis, réque fortiter prudenterque gerendâ scriptis, quæ eodem ipsius Regesto continentur. Et in codice M S. Sermonum Ioannis de Cardalhaco Archiepiscopi Tolosani & Patriarchæ Alexandrini, legitur oratio ab eo facta ad eumdem Imp. adversùs prædictum Bernabovem, cum missus ad hoc à Pontifice fuisset in Germaniam: necnon ad pacem inter eumdem Imp. & Regem Hungariæ & Duces Austriæ & Bavariæ conciliandam: quod & feliciter præstitisse, intelligitur ex oratione ejusdem ad Pontificem habitâ post reditum ab eâ legatione. Quando etiam idem Carolus Imper. diplomate [a] dato Pragæ 4. Nonas Augusti hujus ipsius anni, plenissimam contulit potestatem Gregorio Pontifici de terris, possessionibus, & quibuscumque rebus eorumdem Vicecomitum, eorúmque sequacium & adhærentium, quas ab Imperio quocumque titulo tenerent aut usurparent, in Vicariatum Imperiali nomine aliis concedendis úsque ad decennium. Fuerúntque [b] iidem tum à prædicto Comite Sabaudiæ, tum à Petro tituli S. Mariæ trans Tiberim Presbytero Cardinale Legato Italiæ, unà cum Ioanne Aucuto Anglicanæ Societatis duce strenuissimo, qui beneficiis Pontificis illectus deserto Bernabove sese Legato adjunxerat, ac Principibus &

[a] *Cod. Eccl. Bardegal.*

[b] *Cor. par. 3.*

civitatibus Italiæ fœderatis; non paucis aut levibus cladibus affecti. Vnde pacem aut inducias cupere fingentes ad distrahendos ab invicem fœderatos, detectâ eorum malitiâ, iterùm sunt armis appetiti, gravissimo ipsorum damno.

II. PACEM PROCURAT INTER REGES HISPAN.

Dissentientibus etiam inter se Hispaniarum Regibus, ac præcipuè Henrico Castellæ & Ferdinando Lusitaniæ armis rem agentibus, misit [c] Gregorius Pont. Guidonem Cardinalem Boloniensem, (olim eâdem Hispanicâ legatione sub Innocentio VI. prudentissimè functum) qui eos ad concordiam reduceret; quod & ipse magno labore tandem feliciter perfecit anno sequenti: Carolúmque Navarrum pariter cum iisdem conciliavit, fœderibus nuptiarum, à quo nihilominùs posteà in acceptæ gratiæ remunerationem veneno (ut fama fuit) extinctus est: de quo habuit [d] Carolus apud Pontificem se purgare. Qui etiam quâ erat animi pravitate, & perverso in Regem Francorum odio, Francus licèt ipse & Regis gener, & sacramento ei obstrictissimus, hoc eodem tempore detectus est quosdam corrupisse [e] ut Regem veneno perimerent. Nec his contentus, ceteros Principes adversùs eum solicitandos suscepit in favorem Anglorum. Tentatâ quoque Henrici Castellani fide; etiam postquàm is ob memoriam accepti à Francis in adipiscendo regno beneficij, præsenti anno validam classem suppetias misisset Francis Rupellam urbem Santonum firmissimam ab Anglis detentam, obsidentibus, quæ juncta Gallicæ classi, sex & triginta naves Anglicas prælio vicit, cepítque unà cum earum præfecto Comite Pembrochio [f], juvene Sanctis & Ecclesiis injurio: victoriâ divinitùs partâ, & cum primis eâ ætate celebratâ, quâ res Anglorum valdè concisæ sunt, ipsáque Rupella in potestatem Francorum venit; cùm Rex Eduardus numerosissimâ classe ad solvendam obsidionem navigare deliberans, ventorum adversitate coactus fuisset in Angliâ remanere. Cujusmodi, aliósque subsequentes Anglorum inanes conatus, ac tristes casus, dolentiùs refert Walsingamus; qui secundos magnâ semper exultatione, & insultatione narrare consueverat. Fusiùs verò tractat Frossardus [g]: addens etiam, Eduardum Regem his adversis valdè perplexum, de Carolo Francorum Rege dixisse, *neminem unquam Regem minùs arma induisse, nec tamen ullum unquam plus negotij sibi facessisse.*

PERVERSISSIMA NATURA CAROLI REGIS NAVARR.

ANGLORŪ CLADES À FRANCIS.

c Vit. Greg. XI. Marian. lib. 17. cap. 17.

d Ap. Bzov an. 1374.

e Æmil. lib. 9. Marian. lib. 17. cap. 18.

f Frossard. lib. 1. cap. 302. & seqq. Vualsing. in Eduard. III.

g Froff. cap. 310. & seqq.

III. DONA À GREG. PP. REGI FRANC. MISSA.

Intereà nihil curæ remittens Gregorius de conciliandis per Legatos suos iisdem Francorum & Angliæ Regibus; ut Francum jam ob rerum suarum prosperitatem difficiliorem redditum, ad concordiam magis inclinaret, Pateram argenteam, & alia nonnulla à Constantino Magno olim Ecclesiæ donata, illi misit. Ipséque vicissim Carolus, vel gratum se de hoc munere exhibens, vel in gratiarum actionem de beneficiis à Deo receptis, aut fortè voti reus, dona Romam misit Ecclesiis Lateranensi S. Ioannis, Vaticanæ S. Petri, Viæ Ostiensis S. Pauli, sanctæ Mariæ Majoris, & sanctæ Agnetis, ut de his constat ex ipsius Gregorij [h] Regesto.

h Et inde ap. Bzov. an. præs. & seqq.

IV. ibid.

Eundem verò cùm aliis literis idem Pontifex monuisse reperiatur [i], minimè ægrè ferre, si omnes regni ejus Prælatos curam animarum habentes, aulâ regiâ excedere, & ad Ecclesias suas ire cogeret; quandoquidem & ipse ab aulâ Pontificiâ unumquemque excedere jussisset; opportunè hîc inserere inducit memoriam visionis [k] sanctæ Birgittæ factæ Romæ confestim post electionem ejusdem Gregorij, & hoc anno repetitæ; cujus causâ ei iterùm atque iterùm per diversos significari curavit, velle omninò Deum, ut Romam intra certum tempus designatum sese transferret; alioquin sciret, terras omnes Ecclesiæ distractum & dilaceratum iri per tyrannos & hostes ejus, quod quidem posteà, sive ex hâc comminatione indignationis divinæ, sive alio occulto Dei judicio, contigisse videbitur; Gregorio abitum protelante ex rationabilibus, quinimmò & necessariis causis, quæ eum (semotâ revelationis divinæ certitudine, de quâ dubitari poterat) longiori tempore in Galliis detinuerunt. Quanti verò ponderis, postquàm in Italiam abiit, fuerint demùm apud ipsum hujusmodi sanctæ feminæ revelationes atque denunciationes, videbitur in ejus obitu.

k Gobell. Person. Cosmodrom. at. 6. cap. 73.

VISIONES S. BIRGITTÆ PRO ABITU GREGORII IN VRBEM.

V. GREG. PP. ECCLESIAM LATERAN. PRIMAM OMNIUM PRONUNCIAT.

Qui interim ad demonstrandum suum in Urbem ac præcipuam Sedem affectum, constitutione [l] hoc eodem anno ipsius Pontificatûs secundo factâ super dubio de præeminentiâ Ecclesiæ Lateranensis, declaravit ac definivit, eam præcipuam esse Sedem Romani Pontificis, inter omnes alias Urbis & Orbis Ecclesias ac Basilicas; etiámque super ipsam Basilicam Principis Apostolorum supremum locum tenere, atque super omnes & singulas alias prioritatis, dignitatis & præeminentiæ honore lætari.

l Ext. Bullar. tom. 1. Greg. XI. const. 1.

VI. COMPONIT DISSIDIA REGNORUM SICILIÆ.

Idémque toto animo Principes omnes pacatos reddere adnitens, diuturnas dissensiones & continua bella inter Reges Siciliæ & Trinacriæ, post varios tractatus eâ de re habitos, ita demùm ex mutuo eorum consensu composuit [m], ut Fridericus Rex Trinacriæ, & Ioanna Regina Siciliæ nuncuparentur: sed Fridericus ejusque successores regnum suum à Ioannâ, ejúsque liberis, posterísque eorum legitimis acceptum ferrent sub homagij obligatione, & tributo annuo trium millium unciarum auri, sive quindecim millium florenorum auri, Neapoli pendendo, (quod Ioanna ex Insulæ Siciliæ jure pendere Ecclesiæ Romanæ tenebatur:) & auxiliis decem triremium ac centum gravis armaturæ equitum, si hostes regnum Neapolitanum invaderent. Addito etiam à Pontifice, præter alias conditiones in concessione regni Siciliæ olim appositas, ut eorumdem Regum Siciliæ & Trinacriæ uterque Romano Pontifici ligium homagium præstaret, & ab eo regna se habere cognosceret: atque ut Maria Friderici filia, aliæque suis temporibus feminæ Trinacriæ Regum filiæ, deficiente masculâ sobole, in regnum succederent: (non tamen parùm de hâc postremâ indulgentiâ succensente Petro Aragoniæ Rege, quod eam in præjudicium jurium suorum concessam conquereretur:) & Ecclesiis atque Ecclesiasticis regni Trinacriæ in omnibus per Fridericum satisfieret; eisdémque ac posteris tam ab eo quàm successoribus ejus, quoad immunitates, privilegia,

m Vit. Greg. XI. Fazel. 2. Dec. 9. cap. 6. in fi. Surit. Indici lib. 3.

&

& causarum disceptationes, atque ad Sedem Apostolicam apellationes, cautum esset. De quibus omnibus extat [n] Instrumentum publicum valdè prolixum Ioannæ Reginæ, continens Gregorij Pontificis literas declaratorias ad Ioannem de Revellone Episcopum Sarlatensem Ordinis Minorum, huic perficiendo negotio ab ipso præfectum, datas sexto Calendas Septembris, & Calendis Octobris præsentis annis: necnon procuratorium, ut vocat, Friderici, pacta conventa, unà cum additionibus & mutationibus Pontificis, approbantis & acceptantis, die secundâ Martij anni proximi; ipsiúsque Reginæ pariter comprobantis, & ratum habentis, die ultimâ ejusdem mensis Martij. Quæ omnia ut arctiori nexu firmarentur, Antonia Baucia Ioannæ consobrina Friderico data est in uxorem. Prædictúsque Ioannes Episcopus Sarlatensis (non, ut malè quidam habent, Archiepiscopus Salernitanus) in Siciliam transmittens, nuptias regias consecravit; juramentum fidelitatis à Friderico recepit: atque interdicta dirásque quibus tot lustris ea insula fuerat involuta, sustulit ingenti Siculorum gratulatione: ipséque post hæc Fridericus, sedatis jam intestinis seditionibus, Panormi unà cum uxore regiâ coronâ insignitus est.

n Rec. Bzov. an. seq. ex archiv. Rom. Et add. Baron. Epit. 1097. XXXII. & seq.

VII. CURAT AUXILIA PRO REGIB. ARMENIÆ.

Orientalia quoque curans Pontifex, Philippum Tarentinum Ioannæ Reginæ consanguineum, Imperatorísque Constantinopolitani titulo insignitum, per literas [o] monuit, Mariæ Armenorum Reginæ nepti suæ, quæ per nuncios subsidia adversùs Turcos postulaverat succurrere. Idque ipsum officij apud Ludovicum Hungariæ Regem, Duces Venetorum & Ianuensium, Ioannem Principem Antiochenum Gubernatorem seu administratorem Cypri, & Raymundum Berengarij Magistrum Hospitalariorum, pro eâdem Mariâ exibuit. Cujus etiam rei causâ reperitur [p] Petrus Aragoniæ Rex legatos misisse ad Babyloniæ Sultanum, pro ejusdem Mariæ Reginæ, quæ Siculis Regibus maximis propinquitatis vinculis juncta erat, ac Regis & liberorum, qui omnes in ocupatione Armeniæ per Sultanum capti fuerant, & Ierosolymis asservabantur, liberatione. Quod efficaciùs à Carolo Francorum, & Ioanne Castellæ Rege posteà præstitum, alij [q] habent: & Leonem Regem (uxore in custodiâ amissâ) liberatum esse, atque in Galliam Gastellamque delatum, de quo etiam posteà.

o Ap. Bzov. & Vvadding. ex Reg. Greg.

p Ap. Surit. Indic. lib. 3. an. 1377.

q Bellefor. lib. 5. cap. 47 Marian. lib. 18. cap. 5.

VIII. ALIAQ. CONTRA INFIDELES.

Ut verò etiam longè majora auxilia Christianis periclitantibus afferrentur; idem Gregorius [r] tam eosdem quos diximus Principes, quàm etiam Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem, Fridericum Trinacriæ Regem, multósque alios Græciæ & Insularum Ægei maris, necnon Episcopos & Prælatos Græciæ transmarinarúmque partium hortatus est, ad Calendas Octobris anni insequentis apud Thebas veteres præstò esse ad fœdus contra hostes Christianorum stabiliendum. Ipséque in sumptus belli ut pecunias in promptu haberet, in Poloniam, Hungariam, Daniam, Hispanias, Boëmiam, Germaniam, aliáque Septemtrionalia & Occidentalia regna Collectores destinavit, qui emolumenta Sedis Apostolicæ conquirerent. Quæ tamen ad iteratas Palæologi per Ioannem Lascarim suasiones, eodem insequenti anno irrito fermè conatu tentata fuere: cùm ob languentes Christianorum Orientalium animos viresque; tum etiam ob exortas hoc ipso anno inter Genuenses & Cyprios, subindéque & Venetos, gravissimas discordias, occasione coronationis [s] Ierosolymitanæ Petri sive Petrini dicti Regis Cypri: in cujus solemnitate apud Famagostam de more celebratâ, postpositus Bajulus Genuensis in sessione Veneto, dum vindictam quæreret, totâ insulâ Genuenses cæsi sunt, quâ de causâ missa anno sequenti Genuâ classis instructissima, totâ insulâ pervagatâ Famagostam nobilem civitatatem cepit; quæ circiter annos centum in potestate Genuensium permansit. Narrant hæc pluribus historici [t] earum gentium. De bello verò cum Venetis renovato dicetur posteà.

r Ap. Bzov. & Vvadding. ex Reg. Greg.

s Vid. supr. an. 1369. V.

t Lusin. in Hist. Cypr. Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 18. Bizar. & Foliet. in Hist. Genuens.

IX.

Prædictâ autem, ut putamus, occasione missus à Petro Rege Cypri ad Gregorium Pont. *Philippus de Maseriis* miles Picardiæ, & regni Cypri Cancellarius, attulit officium Præsentationis B. Virginis Mariæ; Quod integrum cum cantu visitur in Codice [u] Victorino, unà cum ejus eâ de re Epistolâ ad Christianos Occidentales. Quâ narrans, temporibus antiquis per universum Orientem festum B. Mariæ Virginis, quando in tertio ætatis suę anno fuit in templo à parentibus suis præsentata, die Novembris celebrari solitum, sed in Occidente aut incognitum, aut obliteratum; fuisse ab ipso, hoc eodem anno, Gregorio Pontifici Avenione insinuatum; ejusque Officium integrum notis musicis concinnatum, prout in Oriente, ac speciatim in Cypro celebrabatur, oblatum: Pontificem illud lætanter acceptum, examinandum commisisse nonnullis Cardinalibus & Episcopis atque Doctoribus: ac post maturam deliberationem concessisse, ut prædicta solemnitas Præsentationis Beatæ Mariæ deinceps fieret publicè in Ecclesiis, quæ & tunc primò celebrata est grandi splendore & magnificentiâ ibidem Avenione in Ecclesiâ Fratrum Minorum die Dominicâ 21. Novembris anno 1372. Indictione 10. Pontificatûs Gregorij PP. XI. anno secundo; ut disertè tempus ibi consignatur. Subduntur verò eodem Cod. Victor. binæ literæ Caroli Regis Francorum V. alteræ ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ de Meluduno Senonensis diœcesis: alteræ ad magistrum & scholares Domûs Scholarium de Campaniâ Parisiis in monte S. Genovefæ fundatæ; hoc est Collegij Navarrici: datæ utræque apud Meledunum die 20. Nov. an. 1374. Quibus Rex significans quæ super his facta fuissent Avenione instantiâ prædicti Philip. de Maseriis, & quæ pariter apud ipsum Regé idem Philippus de eâdem solemnitate disseruisset; ait se vehememéti gaudio ea suscepisse, & illud Officium in suâ capellâ solemniter celebrari fecisse, atque ut idem fieret per universum regnum statuisse ad gloriam Beatiss. Virginis; cùm nihil sit post Deum utilius memoriâ matris ejus. Præter quas epistolas non dubitamus quin eodem modo Rex ad ceteras Ecclesias & Antistites regni sui scripserit; quandoquidem citat Molanus in Addit. ad Usuardum epistolam eâdem de re scri-

u Cod. S. Victor. Paris. I. 12. fol. 2.

INSTITUTIO FESTI PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ

ptam à Rege ad Nicolaum Antissiodorensem Episcopum. Antiquissimam autem fuisse hanc solemnitatem apud Græcos, præter memoriam ejus relatam in ipsorum Menologium, intelligitur ex constitutione Emmanuelis Imper. quam recitat Theod. Balsamon in Nomocanone [x] Photij; & ex sermonibus S. Germani Episcopi Constantinopolitani & Georgij Nicomediensis, quos Latinè redditos habet Surius [y]. Quæ quidem semel approbata à Sede Apostolicâ, & in Christianissimâ Galliâ recepta, subinde propagata est in universam Ecclesiam Catholicam; à quâ celebratur singulis annis.

[x] Balf. tit. 7. cap. 1.
[y] Sur. 21. Nov.

X. MONITA AD DIVERSOS.

Cùm per hoc ipsum tempus Lasko [z] Dux Moldaviæ à schismate ad fidem Catholicam revertisset, uxore nihilominùs in antiquis erroribus perseverante; gratulatus ei Pontifex, monuit cavere sibi ne ab illâ denuò seduceretur, cùm promptum foret mulieribus conjugum saluti periculum creare. Sicuti & Archiepiscopum Magdeburgensem redarguit, quòd Samuelis cujusdam Iudæi commercio adeò familiariter usus fuisset, ut etiam oppida illi regenda committeret, & Christianorum judiciis præesse, ab iísque per vim & metum pecunias extorquere permisisset.

[z] Reg. Greg ubi suprà.

XI. GREG. AGIT CONTRA HÆRETICOS.

Nec minùs de hæresum extirpatione sollicitus, contra Begardos & Beguinas in Germaniâ repullulantes, Carolum Imp. & Principes ac Prælatos Germaniæ animavit. Et Legato Sedis Apostolicæ, Prælatísque Siciliæ injunxit, eorum audaciam cohibere, qui Fratricellorum, Dulcinorum, aliorúmque hæreticorum qui pœnitentium specimen in vitâ dederant, reliquias colebant, eósque pro sanctis venerabantur. Speciatímque *Arnaldum* [a] *Montanerium* Ordinem Fratrum Minorum olim professum, & de nonnullis erroribus in diœcesi Vrgelitanâ sparsis inquisitum, ac palinodiam cantare à Nicolao Rosselli Inquisitore damnatum; sed in partibus Aquilonaribus, ad quas confugerat, eosdem profitentem, ac propterea ab Eymerico Rosselli successore denuò citatum; intercipi, vinctúmque ad Sedem Apostolicam transmitti præcepit. Errores autem quorum damnatus fuit, recenset idem Eymericus: quòd assereret, Christum & Apostolos nihil habuisse proprium vel commune: Nullum posse damnari qui deferat habitum Beati Francisci: Beatum Franciscum semel in anno descendere ad purgatorium, & extrahere inde in paradisum animas illorum qui fuerunt sui Ordinis: Ordinem S. Francisci duraturum in perpetuum. De quorum quidem articulorum primo satis dictum sub Ioanne XXII. quando ea controversia maximè viguit. Reliquos non solùm ab hæresi, verùm etiam ab omni errore, sensu quo debent acceptos, vindicare contra Eymericum ejúsque socios nituntur auctor [b] Nitelæ Franciscanæ, & Waddinghus [c] in Annalibus Minorum; inter quos fit ista disceptatio.

[a] Eymer. Director. Inquis. par. 2. q. 11.

ARNALDI MONTANERII ERRORES.

[b] Nitel. cont Bzov. hoc an.
[c] Vvadding. tom. 4. an. 1371.

XII. DE SCRIPTIS RAYMUNDI LULLI.

Gravior illa, quam quidam Annalium scriptor [d] hoc item anno proponit de Erroribus *Raymundi Lulli*, occasione literarum à Gregorio Pontifice Nonis Iunij ad Archiepiscopum Tarraconensem scriptarum pro examinandis ejusdem Lulli libris, quos idem qui suprà Eymericus Inquisitor errores quamplurimos in fide continere asserebat. Verùm quoniam de eo, ejusque vitâ & doctrinâ, satis quantum ad rem attinere putavimus, superiùs [e] disseruimus; quòd scriptorum ejus condemnationem spectat, & utrùm reverâ facta fuerit umquam auctoritate Gregorij Papæ XI. sicut adversarij Lulli contendunt; an verò supposita ab adversariis, ut ejusdem defensores multis actis publicis, aliísque rationibus & argumentis demonstrare nituntur; cùm re sæpiùs posteà retractatâ, etiámque sub Gregorio XIII. & Sixto V. multa semper allata utrimque fuerint quæ rem dubiam fecerint, & adhuc sit lis sub judice: ne nos eam diffinire videri velimus, satius fuerit lectorem ad eos remittere qui recentiùs hæc tractârunt [f], quàm diutiùs his inutiliter immorari.

[d] Bzov. hoc an.
[e] An. 1260. VIII.
[f] Vid. Vasq. in 1. par. S. Th. tom. 2. disp. 133. cap. 4. Bzov. an. 1312. & 1372. Dermic. in Nitel. Francisc. ad an. 1272. Vvadding. Annal. Minor. to. 3. an. 1315. & qui ab iis citantur.

XIII. DE RAYMUNDO NEOPHYTO, EIÚSQUE ERRORIBUS.

Illud tamen non omittimus, deceptum fuisse prædictum Annalistam, sæpè aliàs decipere solitum aut decipi, cùm hîc eidem Raymundo Lullo alios errores tribuit, qui fuerunt Raymundi Neophyti, alius omninò à Lullo: ut tam ex ipso Lulli adversario Eymerico [g], quem citat, intelligi datur, quàm disertiùs ex ejus commentatore Pegnâ; qui ex Regesto Literarum prædicti Gregorij XI. docet, huic nomen fuisse *Raymundo de Terragâ*, dicto *Neophyto* quòd conversus fuisset ex Iudaismo ad fidem Christi: quamvis autem etiam Ordinem Prædicatorum subiisset, nihilominùs antiquos errores retinuisse; de quibus inquiri, eumdémque tunc in Aragoniâ eos docentem puniri, Gregorius mandavit, quæ nequaquàm Lullo convenire possunt, mortuo sexaginta propemodùm antè annis. Fuiséque istius Neophyti librum De Dæmonum invocatione, qui vulgò tribuitur Lullo, disertè Eymericus tradit, recensens singillatim hæreses & errores tam illo quàm aliis ejusdem Neophyti libris contentos: quibus inter alia plura garriebat, Dæmonibus adorationem latriæ certo respectu competere; Deum in suppliciis negare ore, modò corde adoretur, meritorium esse; Omnem peccantem mortaliter, esse propriissimè hæreticum; Tantum placere Deo mala quàm bona; Nullum legis præceptum posse in hâc vitâ adimpleri; Sectam Mahometi esse æquè Catholicam atque Fidem Christi; Christum, & Apostolos, omnésque Beatos esse schismaticos, & perfectiùs esse schismaticum existere quàm Catholicum. Quæ coram Petro Flandrino Sancti Eustachij & Guillelmo Nolleti Sancti Angeli Diaconis Cardinalibus à Doctoribus examinata fuêre auctoritate Gregorij Pontificis damnata, & libri ea continentes ignè cremati, per Archiepiscopum Tarraconensem & ipsum Eymericum inquisitorem.

[g] Eymer. Director. par. 2. q. 20. & 27. & ib. Pegn.

XIV. TURLUPINORUM SECTA DAMNATUR.

Quo etiam præsenti [h] anno exurgens nova alia secta in Galliis & Allobrogibus, TURLUPINORUM deridiculo scommate dicta, alióque nomine *Sodalitas paupertatis*, æquè damnata est; & à Pontifice injunctum Amedeo Comiti Sabaudiæ, ejus sectatores persequi, & Inquisitoribus assistere. Præter Begardorum errores quos sectabantur, insuper docebant [i], Nihil pudere quemquam debere eorum quæ à naturâ accepimus: (quo persuasi, pudenda sine tegumento ostentabant, ac turpiter bestiarum more coïbant propalàm) &, Voce non

[h] Contin. Gall. Nangij & alij.
[i] Prateol. de Hæres. verb. Turelup. ex Gersone: Gaguin. lib 9. Meyer. lib 13. Sander. hær. 168. ex Lutzemburg. Bellefor. lib. 5. cap. 40. Gaulter. sæc. 14. & alij.

esse

esse orandum, sed solo corde, eâque spiritûs libertate quæ divinis legibus subjecta non sit. Fuítque secta ob turpitudinem protinùs extincta; pluribus ejus sectatoribus igne combustis cùm alibi tum etiam Parisiis.

IESV CHRISTI Ann. 1373.
GREGORII XI. Ann. 3.
CAROLI IV. Ann. 28.
IOANNIS V. An. 33.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, Indictione undecimâ, Gregorius Papa de reformatione Ecclesiasticorum sollicitus, per literas [a] circulares omnes ubique Episcopos ac prælatos monuit, ut eâ de re Concilia Provincialia & Diœcesana celebrarent; corruptos mores corrigerent, & quantum depravatissimo sæculo fieri posset disciplinam Ecclesiasticam restituerent: Paritérque pro libertate Ecclesiasticâ & juribus Ecclesiarum, quæ passim conculcabantur, sese strenuè adversùs eorum violatores opponerent. Præeunte ipsomet eis exemplo, dum Regem Aragoniæ immunitatem Ecclesiasticam opprimentem redarguit: Et Regi Angliæ, nonnulla contra jura Ecclesiæ & Romanæ Sedis auctoritatem postulanti æquè restitit. Cùm enim misisset [b] Rex Eduardus de Parlamenti sui decreto nuncios, quibus peteret cessari deinceps à reservationibus & dispositionibus beneficiorum Angliæ, & ut liberè relinquerentur de veteri more Clericis electiones Episcoporũ, & confirmationes Metropolitanis: distulit Pontifex absolutum de his dare responsum; sed remittens nuncios in Angliam, aliqua proposuit, de quibus à Rege & proceribus sibi anteà satisfieri petiit, túncque demùm se suam sententiam declaraturum. Ac nihilominùs vacantibus interim nonnullis ex præcipuis Angliæ Ecclesiis, alios eis Antistites Gregorius auctoritate suâ præfecit; qui & admissi fuêre. Concordatum tamen est post biennium in conventu utriusque partis legatorum apud Brugas Flandriæ habito, ut deinceps Pontifex à Prædictis reservationibus abstineret: nullâ tamen factâ tunc deliberatione de electionibus. Factúmque tandem, ut provisiones Pontificiæ ejusmodi beneficiorum sensim ab Angliâ prorsus exclusæ sint, propter legum adversùs eos qui iis uterentur severitatem. Quamvis haud propterea res commodiorem exitum habuerint: quippe regiâ auctoritate pedetentim omnia ad se trahente, inani relicto collegiis electionis nomine, designatio Prælatorum penes Reges fuerit, confirmatio ad Romanos Pontifices transierit. Ita de his eorum auctores [c].

Margin: [a] Reg. Greg. & inde ap. Bzov. — GREG. AGIT. PRO IMMUNITATE ECCLESIÆ. — [b] Vvalsing. in Eduard. III. — QUOMODO CUM ANGLIS TRANSACTUM DE COLLATIONE BENEFICIORUM. — [c] Vvalsingh. ibid. Polyd. lib. 19. Harpsfeld. sæc. 14. cap. 5.

II. Reformationi quoque monachorum intentus [d] Gregorius, cùm Basiliani in Siciliâ à Regulâ suâ deviarent, inventum apud Cryptam-ferratam in agro Tusculano exemplar incorruptum ejusmodi Regulæ, ceteris per Siciliam monasteriis communicari præcepit, ad cujus præscriptum mores suos disciplinam monachi conformarent. Atque ad visitandos, pristinísque institutis reddendos Religiosos Franciscanos utriusque sexûs, in Hispanias quosdam ejusdem Ordinis superiores destinavit. Hócque ipso anno mense Octobri confirmavit sacrum Ordinem EREMITARUM S. HIERONYMI, à nonnullis eximiæ sanctitatis viris Italis non procul à Toleto in Hispaniâ institutum; assignatâ eis Regulâ S. Augustini, & habitu nativis lanarum coloribus, extrà veneto, intùs candido. Primum ei Ordini monasterium Sancti Bartholomæi de Lupianâ, qui vicus est diœcesis Toletanæ; ubi sedes est Generalis Ordinis. Deinde Regum Principúmque munificentiâ multa alia constructa atque fundata. Quorum omnium amplissimum atque locupletissimum, *Sancti Laurentij*, à Philippo Secundo potentissimo Hispaniarum & Indiarum Rege prope pagum Escurialem sumptuosissimè ædificatum, & insigni Bibliothecâ, pretiosissimis vestibus, picturis exquisitissimis, aliísque nobilissimis omnis generis ornamentis, præter ingentem selectissimarum sacrarum Reliquiarum copiam, cumulatissimè decoratum.

Margin: MONACHORUM REFORMATIONI INTENDIT. — [d] Marian. lib. 17. cap. 18. Maurol. de relig. lib. 3. Cujus tamen Ordinis institutionem Onuphr. in Chrõ. Eccles. sub. Vrb. V. collocavit. an. 1365. — ORDINIS EREMITARUM S. HIERONYMI INSTITUTIO.

III. Hoc eodem tempore [e] novis motibus agitari cœpit Polonia ab Wladislao cognomine Albo: qui Filius existens Cazimiri, nepotis Vvladislai Loctici olim Poloniæ Regis, cùm sub Cazimiro nupero Rege, ob quædam domestica fastidia, & levitate magis animi quàm fervore devotionis, monachus factus apud Divionem in Burgundiâ in monasterio Sancti Benigni quatuordecim propemodùm annos commoratus esset; à proceribus quibusdam Polonis pertæsis Hungarici imperij, in spem regni evocatus, quòd nemo eo propinquior Vvladislao & Cazimiro Regibus agnatus viveret; ut erat præceps & instabilis, è monasterio egressus, post dispensationis à votis & diaconatu quem susceperat semel iterúmque à Pontifice repulsam, arma in Polonia movens; multis per aliquot annos illatis toleratísque malis, demùm rebus cum Ludovico Rege compositis, Divionem rediit, ibíque resumpto monachi habitu, vitam finivit Argentinæ anno 1388. sepultus tamen Divione; uti habetur in ejus epitaphio sepulchro apposito: ubi & dicitur, fuisse eum à Pontifice ritè dispensatum pro successione regni Poloniæ, contra quod auctores patrij scripserunt.

Margin: [e] Michov. lib. 4. cap. 30. Cromer. lib. 13. — TURBÆ POLONICÆ À PRINCIPE MONACHO.

IV. Principio hujus anni, nempè octavo Januarij ex hâc labili vitâ, quam uno & septuaginta annis duxit, ad cælestem perennémque migravit, insignis pietate, sanctitate, & miraculis *B. Andreas* gente Corsinus, patriâ Florentinus, Ordine Carmelitanus, dignitate Episcopus Fesulanus in Tusciâ: cujus extant [f] præclaræ Vitæ Acta: & prolixa atque egregia de propositâ ejus canonizatione ad Paulum Papam V. relatio; quâ formam videre est quæ in ejusmodi processibus observari consuevit, adeò sanè accuratè confectam, ut omni tollendo sit dubitationis scrupulo, cùm auditur aliquis à Summo Pontifice ejusmodi probationibus in numerum Sanctorum relatus.

Margin: B. ANDREÆ CORSINI OBITUS. — [f] In Menol. Carmel. & ap. Bzov. hoc an. ex Sur. Lipom. Cod. Vatic. &c.

V. Eodem item anno, decimo Calendas Augusti, obiit Romæ celebris illa *S Birgitta* Sueca, de quâ superius; cùm peregrinatione Iero-

Margin: S. BIRGITTÆ SUECÆ OBITUS.

ſolymitanâ in morbum incidens, per annum integrum cum eo conflictata, demùm ubi in Urbem rediit, invaleſcente morbo, à CHRISTO in cælum evocata eſt anno ætatis ſeptuageſimo expleto. Cujus corpus in Eccleſiâ Sancti Laurentij in Paliſpernâ Collis Viminalis ſepultum, anno proximo multorum miraculorum coruſcatione delatum eſt in Sueciam ad monaſterium Vvaſthenæ à ſe conditum; per Catharinam ejus filiam, ac peregrinationum ſociam, unam ex octo liberis quos diximus viro ſuo peperiſſe, qui omnes [g] ſancti fuerunt. Ipſa verò *Catharina* virgo mente & corpore, ac nihilominùs vidua (quippe quæ nuptui tradita prænobili viro Eghardo, ſponſum ad nuncupandum Deo catiſtatis votum adduxit) habitum monaſticum Ordinis à ſanctâ matre inſtituti ſuſcipiens, facta eſt poſtmodùm ejuſdem monaſterij Abbatiſſa, idque aliquot annis ſanctiſſimè adminiſtravit; reverſa nihilominùs interim in Italiam hortatu Regis Suecorum, ad impetrandam à ſummo Pontifice matris ſuæ Birgittæ canonizationem, ob ingentia quibus ejus ſacræ Reliquiæ illuſtrabantur miracula: quæ tamen nequaquàm tunc potuit fieri ob ſchiſma in Eccleſiâ Romanâ exortum; facta eſt autem poſt Catharinæ obitum (qui contigit in monaſterio Vvaſthenêſi undecimo Calendas Aprilis anno Domini 1381. relata [h] & ipſa deinde in Sanctarum catalogum) à Bonifacio Nono Pontificatûs anno ſecundo, qui fuit Domini 1391. Quod autem pingitur Birgitta plerumque habitu monachæ, non tam indicium eſt facti quàm voti: quippe certum eſt, neque induiſſe illius Ordinis veſtes quem ipſa inſtituit, nec cujuſquam alterius; ſed quamvis vili habitu, communi tamen uſam eſſe quòd monaſticus minùs conveniens videretur peregrinationibus, quas divino monitu adimplere compulſa fuit. Ceterùm floruit etiam eodem tempore filia cujuſdam Principis Tartarorum: quæ captiva Neapolim delata ad Ioannam Reginam, data ab illâ eſt prædictæ Catharinæ; à quâ ad monaſterium Vvaſthenenſe deducta, ſub ejus diſciplinâ multiplici claruit virtutum ornamento; ejúſque defunctæ anima viſa eſt quaſi ſtella luciſſima ad cælum aſcendere.

[g] *Volater. Anthrop. l. lib. 22. Eorũ vita refert. à Vaſtovio in Vite Aquil.*

DE S. CATHARINA EJUS FILIA.

Cujus & Vita ext. in fi. Revel. S. Birgit. & ap. Sur. 22. Mart. & S. Anton. tit. 24. cap. 11.
[h] *Add.t. ad Vſuard. 24. Mart.*

IESV CHRISTI Annus 1374.
GREGORII XI. Ann. 4.
CAROLI IV. Ann. 29.
IOANNIS V. Ann. 34.

I. GREG. PP. CURAT SALUTEM GRÆCORUM.

ANNO Chriſti milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione duodecimâ Gregorius [a] Pontifex decimo quarto Calendas Aprilis ſcribens ad Gasbertum Cenetenſem Epiſcopum, qui à multo tempore res fidei partium Orientalium curaverat, monuit referre quid de unione Græcorum à Palæologo eorum Imperatore non ita pridem Urbano Papæ promiſsâ Romæ [b] actum eſſet, quidve Græci reſpondiſſent, & opportunum facto eſſet. Et ad eadem diligentiùs promovenda, octavo Calendas Auguſti nuncios ad eumdem Imperatorem Palæologum cum literis miſit nonnullos Fratres Ordinum Prædicatorum & Minorum ac S. Ioannis Ieroſolymitani, ad tractandum cum eo de Græcorum ſpirituali & temporali ſalute; videlicèt de unione cum Eccleſiâ Romanâ & auxiliis contra Turcos præſtandis. Pro ſalute quoque Armenorum procurandâ Ioannem Tarviſienſem Epiſcopum cum quibuſdam aliis Epiſcopis ac Fratribus Prædicatoribus ire juſſit. Cúmque magna pars Vvlachonum ejurato ſchiſmate ad fidem Catholicam revertiſſet, nec proprium Epiſcopum haberent qui curam ipſorum gereret, commiſit Archiepiſcopis Strigonienſi & Colocenſi, unà cum Rege Hungariæ Ludovico, quid expediret in his fieri decernere. Petentéque eodem Rege per oratores ſuos ab eodem Pontifice ſibi regnum Siciliæ poſt mortem Ioannæ Reginæ, vti legitimo heredi attribui; poſt varias cum oratoribus diſceptationes, ſcripſit Pontifex Ioannæ octavo Calendas Octobris, jurium ſuorum ſummam ad ſe mittere, quibus poſtulata Hungari refelleret.

[a] *Reg. Greg. & inde ap. Bzov. & Vvadding. hoc an.*
[b] *Supr. an. 1369. VI.*

II. MILITZIUS PRAGENSIS VIAM PARAT HUSSO.

Erat hoc tempore in Boëmiâ *Mallæſius* quidam canonicus Pragenſis; qui ſub ſpecie ſanctitatis multos errores publicè evulgans, jam ſectam feciſſe videbatur. Eum ut hæreticum impeti, & ſectatores contumaces puniri, Gregorius Archiepiſcopo Pragenſi ejúſque ſuffraganeis præſcripſit: Carolúmque Imp. hortatus eſt illis & inquiſitoribus præſtò eſſe, datis eâ de re literis [c] quarto Idus Februarij. *Militzium* hûc vocat hæreticus Illyricus in ſuo Catalogo, ex Iacobo Miſnenſi æquè phantaſtico novatore Ioanníſque Huſſi ſocio; atque inter anteceſſores ſui Lutheri collocat, eò quòd jam tum Antichriſtum veniſſe nunciaret; aſſerétque in Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, ceteríſque Eccleſiaſticis nullam eſſe veritatem, ſed ſe ſolũ cum ſibi adhærẽtibus viam ſalutis docere: Tribui autem ei quoſdam alios articulos, quos ſuſpicio ſit ab adverſariis affictos. Ita namque iſtiuſmodi blaterones, quotieſcumque turpitudinem ſuorum teſtium aliter eludere non poſſunt, excuſare eos conſueverunt. Ceterùm cùm etiam hoc eodem tempore in Germaniâ per manus hominum volitaret pernicioſus quidam liber titulo *Speculum Saxonum*, hæreſibus ac deliriis ſcatens; eum idem Pontifex flammis addixit, & Germaniæ Archiepiſcopos ejus damnationem promulgare, Carolúmque Imp. opem ferre monuit literis Idibus Octobris ſcriptis. Eodémque tempore prodiens alius ſomniator, tractatum compoſuit titulo *Somnium Viridarij* de auctoritate regiâ & ſacerdotali; cujus tamen auctor incertus, cùm diverſis affictus reperiatur. Quiſquis autem fuerit, ſomniavit & ipſe ſomnia ſua: quibus inducens Clericum & Militem interlocutores, illum auctoritatem Pontificiã extollentem, hunc deprimentem; poſt multa demùm utrimque prolata, rem indeciſam relinquit. Numeratur tamen à Novatoribus inter adverſarios Pontificum Romanorũ. Quaſi verò defuerint umquam, aut verò defuturi ſint, qui ejus auctoritatem impugnent. Annon dixit Spiritus Sanctus per os & calamum Sancti Pauli [d], oportere hæreſes eſſe? Et annon hoc probatiſſimum ſignum veritatis Eccleſiæ Romanæ, cùm omnes hæreſes &

[c] *Reg. Greg. & ap. Bzov.*

SPECULUM SAXONUM LIBER HÆRETICUS.

SOMNIUM VIRIDARII.

[d] *1. Cor. 11.*

ſchiſmata

schismata adversùs eam insurgere videmus,& tamen semper subsistere: quandoquidem dixit *Christus* ipse Dominus[e], portas inferi non prævalituras adversùs Ecclesiam suam? Denique Goldastus hæreticus, qui Somnium illud ultimò edidit[f], post relata nonnullorum judicia qui illud Pontifici contrarium asseruerunt, fateri compulsus est haud se id animadvertere potuisse; quippe auctorem ita rem tractâsse, non ut quæstionem decideret, sed ut quæ putabat in utramque partem afferri posse produceret, liberum relinquens judicium lectori. Sed de his quisquiliis jam satis.

e Matth. 16.

f Goldast. to. 1. Monarch.

III. Greg. PP. Romanam profectionem publicat.

Inter hæc autem Gregorius Pontifex Carolo Imperatori, Regibúsque Hungariæ, Siciliæ,& Trinacriæ,cunctísque Germaniæ & Italiæ Principibus atque Prælatis significans se in animo habere Romam proficisci; præmisit in Italiam Guillelmum Noëlleti titt.S. Angeli Diaconum Cardinalem; qui post varios tractatus cum Vicecomitibus habitos, pacem aliquam cum iis fecit. Quæ (sicut ait auctor Vitæ Gregorij) licèt à principio reputata fuerit utilis, tamen effectus subsequens ipsam multimodis demonstravit esse damnosam; quoniam eâ durante iidem fœdus inierunt cum Florentinis, aliísque civitatibus Tusciæ adversùs Ecclesiam Romanam. Sed de hoc anno sequenti. Luctuosissimam tamen fuisse pacem illam subditis Bernabovis, Corius (ipsius licèt & totius Vicecomitum familiæ amantissimus, ac defensor importunus) demonstrat; dum ait Bernabovem furorem suum convertisse in miseros subditos, qui apros aliásve feras silvestres à quatuor retrò annis cepissent contra prohibitionem à se factam, quòd ipse eâ venatione maximoperè delectaretur: centum eorum post gravissima tormenta erutis oculis furcis appendisse: longè plures fugâ elapsos proscripsisse & facultatibus omnibus exuisse; qui verò satisfaciendo non essent, condemnationibus in eos publicatis, eorum domus igne cremâsse: qui detecti essent vel semel ferinas cujuscumque generis carnes degustâsse, eos crudelissimè mulctâsse; Et quod omnem feritatem superavit, duos Fratres Minores, qui ausi essent illum de horrendis ejusmodi extorsionibus monere, igni damnâsse tamquam hæreticos: Ad ejusmodi venationem quinque canum millia habuisse, quos inter subditos alendos distribuebat. Eos bis in mense repræsentandos fuisse; & qui extenuatos repræsentâssent,aut incrassatos,magnâ pecuniæ summâ; si morerentur, omnium bonorum amissione punîsse.En delicias feræ belluę! cujus etiam aliarum immanitatum superiùs meminimus: digna prorsùs, quam clamoribus & armis omnes undique persequerentur.

Bernabovis Mediolanen. horrendæ crudelitates.

IV.

Hoc eodem anno [g] mense Augusti Iacobus Balearicus Ioannæ Reginæ Siciliæ maritus, cum numerosis validísque copiis in Galliâ collectis in Ruscinonensem agrum spe aviti patrimonij recuperandi intrans, magnum incussit timorem Regi Aragoniæ, tantis viribus sustinendis impari & imparato. Vicit tamen (inquit Mariana) ejus gentis fortuna. Et Iacobus post damna aliquot illata, tentatásque incassùm variis partibus ulteriores in Aragoniam irruptiones, principio anni sequentis ex morbo interiit; sepultúsque est in urbe Soriâ in finibus Aragoniæ & Navarræ in templo sancti Francisci. Cujus aliud mortis genus aut tempus qui commenti sunt, longè decepti noscuntur. Ejus soror Isabella Marchionis Montisferrati conjux, quæ fratrem in eam expeditionem secuta erat, paterna jura in regnum Balearicum, ceteráque ejus ditiones, Ludovico Andegavensium Duci, Caroli Francorum Regis fratri; cujus præcipuè auxiliis Iacobus expeditionem susceperat, detulit: qui bellum confestim Aragonio indixit, sed non intulit. Paulò vero pòst Ioanna Regina Siciliæ quartum virum sumpsit, Othonem Brunsvicensem ex Principibus Germaniæ & stirpe Imperiali, qui Pontifici adversùs Vicecomites militabat; non tam divitiis, quas valdè modicas aut nullas habebat, quàm generis nobilitate, virtutum meritis, & formæ præstantiâ clarum: non tamen Regis titulo ei attributo, sed tantùm Ducis Tarenti; (qui principatus, mortuo Philippo dicto Imperatore Constantinopolitano, ad eam reciderat per rebellionem Francisci Baucij heredis Philippi:) ne videretur spem demere Carolo Duci Dyrrachino consobrino suo successionis in regnum, qui nihilominùs invidiâ hujus matrimonij concepto in Reginam odio, necem etiam ei demùm intulit; ut videbitur suo loco.

g Vit. Greg. XI. Surit. Ind. lib. 3. Marian. lib. 17. cap. 18.

Iacobi Regis Neapol. obitus.

Ioanna quartum virum sumit.

V.

Hoc anno tanta fuisse dicitur[h] Rheni, Mosæ, & aliorum fluviorum circa Belgium inundatio, ut in diversis provinciis villas & civitates postraverit, insulas absorbuerit, & Coloniæ muros civitatis transcenderit. Quando Leodij illud memorabile accidisse narratur[i], ut cùm ad quamdam Imaginem Sancti Andreæ in cryptâ monasterij Sancti Iacobi existentem prohibitus inundatione esset accessus ad accendendam de more lucernam; nihilominùs virtute Sancti continuis quinque diebus absque olei infusione lumen solito longè clariùs resplenduerit. Maximè quoque laboratum esse peste inguinariâ, & annonæ penuriâ, in Italiâ, Galliâ, Angliâ, quibusdam regionibus Septemtrionalibus, alij auctores tradunt. Sed longè periculosior illa, quam diligentiùs Belgæ[k], apud quos maximè viguit, descripsêre: cùm scilicèt maniacâ passione, quam Sancti Ioannis choream appellant, quamplurimi homines utriusque sexûs & omnis ætatis correpti, seminudi, sertáque in capitibus gestantes, in plateis & Ecclesiis & domibus, more chorizantium continenter saltabant, cantabántque haud secùs ac furiis agitati, nomina dæmonum inaudita carminibus suis usurpantes; & tandem quasi amentes cadebant in terram, rursúmque surgentes usque ad defectionem saltabant, tantâ inde torsione vexati, ut medij crepare viderentur, nisi firmissimis ligaturis stringerentur. Multíque eos respicientes, eâdem passione statim corripiebantur. Quòd autem compertum fuit, eos à dæmone hæc pati; orationibus Exorcistarum, & recitatione Evangelij Sancti Ioannis, vel aliorum quibus Christus obsessos à dæmonibus curâsse legitur, nec non Symboli Apostolorum, sanati sunt. Creditúmque est hæc illis accidisse ex eo quòd à pueritiâ legem Dei non docerentur: quippe in tanto numero paucissimi clerici,

h Radulph. to. 3. Gestor. Leodiens. Io. à Leid. lib. 31. cap. 24. Trithem. in Chron. Sponheim.

i Radulph. in Vit. Ioan. cap. 8.

Miraculum ad Imaginem S. Andreæ.

k Radul. ib. cap. 9. Io. à Leid. cap. 26 Gobel. in Cosmodr. Meyer. lib. 13. Trith. in Chron. Sponh. &c.

Saltantium gravissimus morbus.

vel divites visi sunt, sed tantùm pauperes & rudiores, quorum cura negligebatur. Cùm & aliàs non defuerint in his multorum deceptiones, qui vel ad pecunias ex eleemosynis corrodendas, vel ad libidines suas explendas morbum fingerent.

VI. Subdit huic narrationi Ioannes [l] à Leideis relationem cujusdam Doctoris Theologi, missam Ierosolymis ad alium Doctorem in Belgium hoc ipso anno; quâ asseruit se interfuisse in valle Iosaphat cùm detectum fuit quoddam monumentum sub terrâ, continens cadaver miræ proceritatis integrum cum barbâ prolixâ & capillis promissis, & tabulâ literis Hebraicis scriptum habente, *Ego Seth tertiogenitus filius Adæ, credo in Iesum Christum Filium Dei, & in Mariam Virginem matrem ejus de lumbis meis venturos.* Cujus rei fides sit penes auctorem: ejus enim mentionem apud nullum alium antiquum reperire contigit.

[l] Io. à Leid. d. c. 26.

CADAVER SETHI PATRIARCHÆ REPERTUM

VII. Hujus item anni fine obiit [m] magnus ille *Franciscus Petrarcha* sæpissimè nobis memoratus, anno ætatis suæ septuagesimo: vir in literis humanioribus & philosophicis omnium sui temporis longè doctissimus, ut ejus opera ostendunt; quem & in Græcis præceptore usum aliquando esse Barlaamo monacho Calabro, de quo multus nobis sermo superiùs, sed illum mortem sibi & honestis principiis citò invidisse; profitetur ipsemet epistolâ ad Hugonem [n] Severinum, & libro de suî ipsius ignorantiâ. Iudicij libertate, & commonitionum seu reprehensionum asperitate, nonnumquam morosiorem se exhibuit. Cùm verò aliquando lusisset elegantissimis versibus Italicis amores suos erga *Lauram*, seu veros illos, seu confictos ut haberet materiam exercendæ Musæ; posteà pœnitentiâ ductus, & solitariam vitam amplexus, multa opera gravia atque utilia scripsit, ac tandem piè sanctéque obiit in solitudine agri Patavini; Arquati in Collibus Euganeis sepultus: cùm natus in parentis exilio [o], fuisset aliquando à suis Florentinis honorificentissimâ revocatione in civitatẽ invitatus; quam tamen non adiit. Fuit autem Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patavinus, & aliquando etiam, ut vidimus, Lombariensis. Exstititque ei amicissimus *Ioannes Bocacius* de Certaldo æquè Florentinus, & philosophiæ bonarúmque literarum peritissimus; ad quem plurimæ extant [p] ejusdem Petrarchæ familiares seniléfque epistolæ, quique & ipse multa egregiè scripsit; multáque nihilominùs jocis & vanitatibus plena: & tamquam non ferens amici abitum, secutus est eum anni sequentis exitu, ætatis anno sexagesimo secundo.

[m] Trithem. & Bellarm. de Script. Eccles. Cor. par. 3. &c.

PETRARCHÆ OBITUS

[n] Petrar. II. Senil. 9.

[o] Supr. an. 1301. IV.

[p] Petrar. Var. 4. 5. 6.

VIII. Concurrentibus autem ad funus Petrarchæ Episcopo & Principe cum Academiâ & totâ ferè civitate Patavinâ, funebrem orationem luculentissimam in ejus laudem habuit *Bonaventura Peraginus* [q] Patavinus, vir doctissimus Ordinis Eremitarum sancti Augustini, ejúsque paulò pôst Prior Generalis creatus; atque inde ab Urbano VI. primus ex eo Ordine ac civitate Patavinâ ad dignitatem Cardinalatûs assumptus; ac denique uti martyr celebratus, ob necem pro defensione jurium Ecclesiæ à tyranno Patavino susceptam, qui & ipse Petrarchæ fuerat arctissimâ familiaritate, & literarum studiorúmque similitudine conjunctus. Sicuti & frater ejus uterinus nomine *Bonsemblantes*, vir acutissimi ingenij, ejusdémque Ordinis professor, ab eodem Petrarchâ multùm laudatus reperitur. Eodémque tempore illustravit pariter eumdem Ordinem *Ludovicus Marsilius* Florentinus, omnibus tam sacris quàm profanis literis imbutus: cui civitas Florentina ob magna beneficia ab eo accepta, sepulchrum publico sumptu faciendum statuit.

[q] Pamp. in Chron. Eremit. S. August.

VIRI ILLUSTRES AUGUSTINIANI.

IESU CHRISTI Annus 1375.
GREGORII XI. Ann. 5.
CAROLI IV. Ann. 30.
IOANNIS V. Annus 35.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, Indictione decimatertiâ mense Ianuarij, Gregorius Pontifex per Ioannem Episcopum Taurisiensem certior redditus de confessione, quam publicè Constantinopoli Ioannes Cantacuzenus olim Imperator pôst monachus Basilianus, in quâdam disputatione cum nonnullis Fratribus Ordinis Prædicatorum, quos in Armeniam Pontifex anno superiori destinaverat, ab eodem Cantacuzeno & quibusdam aliis Græcis tam Prælatis quàm aliis habitâ edidisset; asserens se credere & tenere Sanctam Romanam Ecclesiam super omnes Orbis Ecclesias habere primatum, & ad hoc defendendum, si expediret, morti expositurum corpus suum: scriptis ad eum literis [a] quinto Calendas Februarij gratulatus est ejusmodi divinitùs infusam cordi ejus confessionem; & pro eâ quâ pollebat apud Græcos auctoritate hortatus ceteros quoque ad eamdem allicere, quò optatissima Ecclesiæ unio ejus operâ tandem fieri posset: atque ad hæc commodiùs tractanda invitavit eum Romam, quò se propediem venturum significavit: Et interim, quia nonnullos tam Ecclesiasticos quàm sæculares, cùm Latinos, tum Græcos ad Ecclesiam Romanam conversos, malè Constantinopoli haberi, atque in personis & bonis lædi audierat, rogavit suis illos præsidiis confovere. Scribénsque pariter eâ de re ad Emmanuelem Imperatorem filium juniorem Ioannis Palæologi, (Andronicus enim senior filius, ob animi duritiem in patrem, administratione pulsus erat) bona restitui, proscriptos revocari, omnésque ab injuriis defendi rogavit. Admonens pariter, ne Turcis nimiùm fideret, quibuscum Ioannes pater ejus inducias fecisset; quarum opportunitate ij non parvâ multitudine Constantinopolim intrare, & multa enormia patrare dicerentur. Eo enim loco tunc res Græcorum fuisse intelligitur ex Chalcondyle [b], ut cùm Turci pleraque omnia jam occupâssent, Ioannes quoque Imper. coactus fuerit cum eorum Rege Amurate pacisci; sed ita, ut tam ipse quàm ejus filij vectigales & stipendiarij Amuratis essent, ipsúmque comitari cogerentur in expeditionibus quas contra alios suscipere vellet. Idque ipsum ab omnibus aliis earum partium Principibus

IO. CANTACUZENUS AGNOSCIT PRIMATUM PONT. ROM.

[a] Reg. Greg. XI. & inde ap. Bzov. & Vvadding. hoc an.

IMPP. GRÆCI VECTIGALES ET STIPENDIARII TURCORUM.

[b] Chalcond. lib. 1.

pibus Christianis quos bello impetebat, exegisse postquam illos debellâsset, aut aliàs cum eis concordâsset; tam idem auctor, quàm Leunclavius ex Historiis Turcorum narrat.

II. Macarius Patriar. Constantinopol.

Hoc porrò eodem anno, post obitum *Philothei* Patriarchæ Græci Constantinopolitani, evectum in thronum esse *Macarium* monachum, Onuphrius ponit, sedisséque duobus annis, mensibus septem, & sex diebus. Ex Latinis eam dignitatem tunc obtinente *Iacobo de Vis*, sive de Itro dicto, Campano Gallo, & Archiepiscopo Hydruntino; quem posteà Clemens Septimus in Schismate Cardinalem creavit.

III. Florentini insurgunt in Sedem Apostolicam

[c] Supr. an. 1372. IV.
[d] Aretin. lib. 8. Pogg. lib. 2. Anton. tit. 22. cap. 1. Cor. par. 3. &c.

In Italiâ secundùm S. Birgittæ prædictionem [c] ingens fieri cœpit urbium Romanæ Ecclesiæ subditarum secessio, incentoribus Florentinis: qui [d] obtentu superbæ dominationis Legatorum Pontificiorum,& quòd in singulis civitatibus arces construerent,quibus viderentur hoc tantùm agere ut libertatem Italiæ opprimerent; sed & subditos gravissimis subsidiis & extorsionibus vexarēt; necnon ipsi speciatim Florentini,ob inducias à Pontifice cum Vicecomitibus Florentinorum hostibus pactas & patrocinium quorumdam nobilium ac populorum adversùs ipsos à Legatis susceptum, denegatámque in magnâ annonæ penuriâ frumenti facultatem; ac denique ob ostentatam Haucuti Angli nomine Ecclesiæ militantis in agrum Florentinum incursionem: His, inquam,sive ut ipsi asserebant,veris,sive,ut posteà Pontifex excusavit, quæsitis causis,Florentini suæ libertati timere præseferentes;nullam aut Legatis, aut Pontifici, hujusmodi injuriarum querelam facientes, cui potuisset facillimè satisfieri: quinimmò & contemptis paternis admonitionibus, quas ad primos hujusmodi rumores Pontifex eis per literas & nuncios impertierat;sed tacitè ad vindictam exurgentes: vel potiùs, ut apparuit,per ambitionem & vanam gloriam, quâ non solùm supra Etruriæ, verùm etiam supra omnes Italiæ populos ac civitates sese efferebant, ineunte mense Iunij conspirationes & tractatus suos publicè manifestantes, facinus aggressi sunt omni temeritate,impietate,& malignitate compositum: Quo

Eorum detestanda scelera.

quidem imprimis Octo viris sceleratis, quos octo sanctos appellabant, ad rapiendum bona Ecclesiastica deputatis, gravissimis tributis & vectigalibus Ecclesiasticos, etiámque Episcopos & Cardinales onerantes, bonaque publicantes,aut fisco addicentes, personásque vituperiis & cōtumeliis,aliísque atrocioribus injuriis afficientes: de his rursùm benignè à Pōtifice redarguti,& ad cor redire moniti,etiam cum excusatione & amolitione illarum criminationum quas malevoli in ipsum Pontificem ejúsque & Sedis Apostolicæ ministros iniquè & contra fas congesserant: non solùm non audientes se his monitis præbuerunt, verùm scelera sceleribus addendo,in dedecus & contemptum Ecclesiæ Catholicæ, Sedis Apostolicæ, & Christianæ Religionis, Officio Inquisitionis turpiter violato,vel potiùs sublato, & carcere ejus destructo, constitutiones in favorem hæreticorum condiderunt: Nicolaum quemdam monachum & sacerdotem currui impositum forcipibus ignitis per urbem laniantes, carnésque avulsas canibus projicentes vivum adhuc sepelîerunt: alium Ordinis Humiliatorum Theologum, ad retegendam cujusdam furis sacramentalem confessionem per tormenta adegerunt: Episcopum Narniensem Apostolicæ Sedis Nuncium captum teterrimo carcere aliquandiù detinuerunt: & quod summum malitiæ fuit, civitates omnes ditionis Ecclesiæ Romanæ pacificè tunc à Legatis & nunciis possessas, ad rebellionem palàm & publicè sollicitantes, edixerunt, quæcumque ab eâdem Ecclesiâ deficere vellent, eo ipso censerentur Florentinæ fœdere conjunctæ;quæ verò renuerent, hostium loco haberentur, armísque impeterentur: duóque vexilla erigentes, alterum Communitatis Florentinorum, alterum rubrum cum inscriptione literis argenteis & cubitalibus vocabuli Libertas; utrumque quaquaversum ad singulas civitates & oppida direxerunt, cum copiis armatis in defectionis auxilium aut tutamentum: creatis ad opus bellicum aliis Octo viris, quorū consilio & auctoritate cuncta gererentur. Adeóque profecerunt, ut omnes penè urbes & loca ditionis Apostolicæ, unà cum Perusio, Bononiâ, Viterbio, Anconâ aliísque totâ Italiâ brevissimo tempore Libertatis titulo ab eâ defecerint; arces & munitiones disjecerint,aut aliis tradiderint;rectores & gubernatores aut interfecerint, aut turpiter ejecerint; etiam cum vitæ periculo Cardinalium Legatorum, Episcoporum Nunciorum, aliorúmque Prælatorum, quos probrosè habitos spoliârunt & expulerunt:tentatâ etiam ipsâ Româ; quæ solâ spe proximi adventûs Pontificis in fide permansit. Ac præter fœdus cum Vicecomitibus, Florentinorum alioqui infensissimis hostibus, ad augendas vires suas contra Ecclesiam initum, apud Carolum quoque Imperatorem, Ludovicum Hungariæ & Poloniæ Regem, aliósque Principes, eumdem Pontificem ejúsque ministros calumniis & imposturis infamârunt;quas Pontifex contrariis literis eluere habuit. Quid verò porrò secutum sit, dicetur anno sequenti. Hactenùs autem dicta, quæ quidem contra Florentinos sunt, narrantur pleniùs in literis [e] à Gregorio Pontifice tam ad eosdem ipsos quàm alios scriptis, ac præcipuè in sententiâ damnationis adversùs illos anno sequenti,ut dicetur, promulgatâ;necnon à Scriptore Vitæ ejusdem Gregorij; quæ verò de se Florentini credi voluerunt, ab Aretino, aliísque eorum scriptoribus. E quibus tamen S. Antoninum eximimus;qui quamvis eadem ex Aretino recitet, haud tamen ejus styli proterviam, aut Florentinorum insolentem audaciam probat:quin potiùs apertè damnat, quòd oblatam à Pontifice pacem non acceptârint, quos etiam haud impunè tulisse scribit, quoniam etsi multùm attriverint statum Ecclesiæ, ipsi tamen consumpserint tres milliones, sive tricies centena millia florenorum auri; excommunicati & interdicti fuerint; & Vicecomites ita exaltati, ut posteà oppresserint nimis Florentinos; ortæque sint Florentiæ gravissimæ intestinæ seditiones, & multi nobiles cives capite puniti, bella civilia orta, & dominatus urbis ad vilissimam plebem reciderit.

[e] Ext. in Reg. & inde ap. Bzov. in Annal.

IV.

[f] Contin. Gall. Nang. Vvadding. hoc an.

Hoc eodem anno [f] indicto Pontificis auctoritate atque hortatu conventu Brugis in Flan-

Tractatur Brugis de pace inter Reges Franc. et Angl. nec perficitur.

tia pro concordiâ inter Reges Francorum & Angliæ tractandâ; quos ad bellum Turcis inferendum in auxilium Græcorum, liberos à mutuis dissensionibus cupiebat: interfuerunt missi à Pontifice Pileus Archiepiscopus Ravennas & Guillelmus Episcopus Carpentoratensis; à Rege Francorum frater ejus Dux Andegavensis; ab Anglo filius ejus Dux Lancastriæ, cum aliquot utrimque Episcopis, & multâ nobilitate. Eo tamen nihi inter illos de pace convenit, cùm Angli sibi summum Aquitaniæ imperium omninò assertum vellet, Franci omninò detrectarent concedere; maximè cùm jam illam universam possiderent, exceptis dumtaxat Burdegalâ & Baionâ. Et memorabile, quod ex antiquis Actis refert Tilius [g], obtulisse Carolum Regem per suos legatos Eduardo pacis desiderio, mille & quater centum urbes cum ter mille castris in Aquitaniâ, (in urbibus tamen vicos omnes muratos, in castris campestres nobilium domos, ut putamus, comprehendendo) dummodò supremitas Carolo remaneret, & Caletum restitueretur cum reliquis oppidis ab Anglo occupatis in Picardiâ. Cùm autem nihil agi potuisset ob Eduardi obstinatum animum, induciæ tantùm in annum sunt constitutæ. Iisque exactis, fuêre eædem (continuato ferè in biennium conventu Brugensi absque alio effectu) in alterum annum productæ. Quæ narrans Walsinghamus, valdè queritur de Duce Lancastriæ, & aliis Anglis, quòd jocis & conviviis tantummodò intendêtes deludi se à Francis passi sint.

[g] *Til. in Tractat. int. Fr. & Angl.*

V. Greg. PP. agit contra Waldenses hæreticos in Allobrogibus existentes.

Quo eodem tempore cùm adeò succrevisset hæreticorum numerus & audacia in provinciis Delphinatûs, Sabaudiæ, & Provinciæ Phocæensis, ut palàm contra Inquisitores rebellarent; (erant ij ex reliquis Waldensium; qui iis partibus in convallibus nidificaverant) quòd id ex Prælatorum negligentiâ procedere Pontifex existimaret, scripsit [h] ad eos vehementes literas; necnon ad provinciarum Rectores, ipsúmque Regem Franciæ Carolum, aliósque earum ditionum Principes: misítque Antonium Massæ Episcopum, qui unà cum Fratribus Ordinis Minorum hæreticæ pravitatis in illis partibus Inquisitoribus, in expurgandis, eorumdem Principum auxilio & favore, illis provinciis adlaboraret. Quod etiam utiliter præstitum esse, constat ex aliis ejusdem Pontificis literis [i] anno sequêti scriptis.

[h] *Ex Reg. Greg. refert. Vvadding. hoc an.*
[i] *Ap. eund. an. seqq.*

VI.

Intereà verò Carolus Rex Sapiens, habito Parisiis [k] vigesimo primo Maij magno Principum, Prælatorum, ac procerum conventu, sedénsque in Senatu sive Parlamento, legem tulit de filiis Regum; ut mortuo patre maximus natu continuò succederet, haberetúrque pro vero & legitimo Rege quâcumque minori ætate foret; (quod & semper servatum fuerat:) ingressus autem decimumquartum ætatis annum extra tutelam esset, homagia & juramenta fidelitatis reciperet, résque per se administraret; minimè ad hoc expectato, ut plerumque olim, anno vigesimo: ne videlicèt diuturniore tutelâ res novæ orirentur.

[k] *Contin. Gall. Nang. Æmil. lib. 9. Bellefor. lib. 5. cap. 45. editáque est ipsa lex Latinè scripta in Hist. monast. S.Dionys. lib. 3. cap. 22. & alibi.*

Lex de maioritate Regum Franciæ.

VII. Cretenses Græci compescuntur.

Cùm verò Græci Cretenses schismatici, mortuo Macario ipsorum Episcopo non alium accepissent à Patriarchâ Constantinopolitano, ac propterea extra Insulam pro sacris ordinibus suscipiendis contra legem olim sancitam exirent, unde schisma nutriretur: postulavit [l] Gregorius ab Andreâ Contareno Reipublicæ Venetorum Duce, cui Creta suberat, ut prædictam legem observari præciperet, ne ullus Græcus ad schismaticum Episcopum egredi permitteretur.

[l] *Reg. Greg. & inde ap. Bzov.*

VIII.

In fine anni Quatuor Temporibus Decembris idem Pontifex novem Cardinales creavit: (ut habet auctor Vitæ ejus, singulorum nomina recensens: quibus Onuphrius & Giacconus decimum addunt, Ioannem de Flisco Genuensem, Episcopum Vercellensem) omnes Presbyteros, præter *Petrum de Lunâ* patriâ Aragonium genere nobilissimum, utriusque Iuris Doctorem peritissimum, & præpositum Valentinum, qui creatus fuit Diaconus tituli S. Mariæ in Cosmedin; & fuit posteà Papa schismaticus, de quo sæpiùs agendum inferiùs. Nunc illud tantùm dicemus, reperisse nos in quodam ejus ævi manuscripto codice Ecclesię Burdegalensis; Gregorium cùm eum assumeret in Diaconum, dixisse ei, *Caveas ne tua Luna patiatur eclipsin*, cunctis adstantibus audientibus & notantibus: quippe qui præter Lunæ cognomen, insigne gerebat quadrantis Lunæ. Audierat enim (inquit auctor) multiplicia esse diversoria & semitas animi dicti Petri, sophismatibus verbísque fallacibus imbuti. Quæ si vera forent, non videretur Gregorius culpâ vacare, quòd talem à se agnitum hominem in tantam dignitatem evexerit. Sanè fuisse eum ardenti & ambitioso ingenio, quæ pòst præstitit plus satis probant. Ex quibus putamus motum magis prædictum auctorem ad ea de illo comminiscenda, quàm ut talis tunc appareret quando creatus fuit: cùm præcipuè Niemus [m], nemini parcere sciens, qui eum se novisse profitetur cùm apud Montempessulanum Ius canonicum publicè magnâ laude interpretaretur, testetur Gregorium creâsse eum Cardinalem, eò quòd tunc plerisque omnibus ob peritiam & virtutem charus esset. Sed quantùm posteà fuerit mutatus ab illo, videbitur suis locis inferiùs.

Petrus de Luna fit Cardinalis.

[m] *Niem. de Schism. lib. 2. cap. 33.*

IX. Creatio Cardinalium quo modo fieret.

Quod verò rursùm ad prædictam Cardinalium creationem, & formam eo tempore in ejusmodi solemnitatibus servari solitam spectat; observat idem qui suprà auctor Vitæ Gregorij, eam non fuisse factam more consueto die Veneris, quia illâ die fuit festum S. Thomæ Apostoli, quo non debuit fieri Consistorium: sed die Iovis; & publicatam die Sabbati sequenti cùm tamen moris esset publicationem fieri die immediatè sequenti creationem. Sed antiquato posteà hoc more, invaluit alius facilior, ut uno eodémque actu creentur & publicentur.

Iesv Christi Annus 1376.
Gregorii XI. An. 6.
Caroli IV. Annus 31.
Ioannis V. Annus. 36.

I. Greg. PP. agit contra Florentinos.

Anno Christi millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, Indictione decimaquartâ, Gregorius Pontifex justè commotus in Florentinos de enormibus illorum in Sedem Apostolicam & Religionem Catholicam

ausis,

ausis,& contemptis atque rejectis paternis ipsius commonitionibus; adhuc tamen patienter cum iisdem agere deliberans, quò tempus daret resipiscendi; die tertiâ Februarij rursùm eos publicis literis monuit à cœptis abstinere, statuta contra libertatem Ecclesiasticam facta revocare & abolere, ac personis lęsis pisque locis satisfacere; eos nihilominùs qui magistratum aliquem vel ministerium à mense Iunij anni præteriti, quo suas conspirationes & tractatus palàm ediderant, exercuissent, personaliter, populum verò & communitatem per idoneum procuratorem peremptoriè citans coram se ad diem ultimam mensis Martij, audituros sententiam pœnarum contra talia committentes tam à jure inflictarum, quàm in processibus adversùs eos formatos contentarum. Iísque ad diem dictam non comparentibus, sententiam [a] damnationis in eos promulgavit duodecimo Calendas Maij; quâ illos contumaces declarans, in prædictos magistratus & ministros singulos excommunicationis, in populum verò ac civitatem & universam Florentinorum ditionem, interdicti pœnam statuit: omnes præterea & singulos omni penitùs quarumcumque rerum commercio emptionis, venditionis, donationis, conversationis, & cujuscumque alterius, necnon omnibus privilegiis & immunitatibus realibus & personalibus, studio literarum, juribus, & jurisdictione privans: subditos omnes à juramento & obligatione fidelitatis absolvens; bona mobilia & immobilia ubicumque locorum forent, occupare volentibus concedens, ac personas ipsas in servitutem exponens: prædictos magistratus & ministros perpetuò infames, extorres, intestabiles, & hereditatum ac successionum incapaces declarans: eorúmque filios ac nepotes per rectam lineam descendentes, quibuscumque officiis & beneficiis ecclesiasticis, ac dignitatibus omnísque generis muneribus sęcularibus exuens, & ad alia quęcumque obtinenda, necnon ad Ordines, & quoscúque actus legitimos, inhabiles pronuncians; pœnásque in eorum fautores statuens. Inhibénsque insuper universis Principibus, Prælatis, & Rectoribus civitatum & locorum, ne aliquos eorum apud se manere nisi uti servos permitterent, sed protinùs expellerent, sub pœnâ interdicti in loca quibus aliter retenti forent quàm ut veri servi. Quibus pœnis cùm ubique mulctarentur, de Angliâ speciatim tradit Walsinghamus, Florentinos in eâ repertos sese Regi in servitutem [b] cum bonis suis tradidisse. Plurimósque alios (ut erant mercaturæ causâ per varia regna dispersi) tam Avenione quàm aliis partibus ingenti ipsorum damno compulsos fuisse ad propria redire; tradit auctor Vitæ Gregorij, compendiosè prædictam ejus constitutionem recensens. Quem & prætereà alios processus contra ceteros qui Sedi Apostolicæ rebellaverant, secundùm uniuscujusque demerita fecisse scribit.

[a] Rec. Bzov. ex archiv. Vatic.

DIRAM IN EOS SENTENTIAM PRONUNCIAT.

[b] Vid. infr. an 1381. IX.

II.

[c] Antonin. tit. 23. cap. 14 §. 16.

S. CATHARINA SENENSIS MITTITUR AB EIS AD PONTIF.

His arctati Florentini (ut refert eorum póstea Archiepiscopus S. Antoninus [c], ex Actis Vitæ S. Catharinæ Senensis) coacti sunt pacem à Pontifice quærere: & quàm ei gratiorem ob eximiam vitæ sanctitatem existimârunt, eamdem Catharinam rogârunt ad ejus placandum animum accedere Avenionem; missurósque se continuò suos oratores, cum plenâ potestate assentiendi omnibus quæ ab ipsâ cum Pontifice conventa fuissent. Ivit igitur *Catharina*; & Pontificem adeò facilem ad concordiam invenit, ut ipsiusmet Catharinæ arbitrio concordiæ tractationem permiserit; monitæ duntaxat honorem Ecclesiæ commendatum habere. Quâ de re ipsa certiores per literas reddens Florentinos, acriùs inde objurgavit quòd audîsset eos interim tributum imposuisse clericis, & injuriosos iis esse. Quippe filij Belial (ut loquitur Antoninus) Octo illi Rectores constituti rerum Florentinarum ad bellum Pontifici & Ecclesiæ inferendum, pleni omni dolo, id tantùm toto nisu collimantes ut Ecclesia omni dominio temporali spoliaretur, ne posset posteà de eis ultionem sumere; missionem oratorum longiùs produxerunt; & qui demùm missi sunt, nihil eorum quæ promissa fuissent præstiterunt. Recitat quippe Aretinus [d], & ex eo alij, orationem à se de veterum more oratorum, vel etiam quorumdam historicorum, compositam ad sensum eorum quæ dicta voluit ab oratoribus Florentinis, vel dici potuisse existimavit, aliámque suo pariter ingenio fabricatam Poggius [e] itidem Florentinus: qualem videlicèt à Donato Barbadorio uno ex dictis oratoribus ad Pontificem missis in publico auditorio maximo concursu cujuscunque generis hominum habitam aiunt; totam illam audaciâ & contumaciâ plenissimam, & tam in ipsum Pontificem quàm præcipuè in ejus præfectos & legatos injuriosissimam; quos sævissimæ tyrannidis, inhumanæ crudelitatis, intolerabilium rapinarum, inhonestissimarum cupiditatum & libidinum accusans; omnium Italiæ malorum, & defectionis civitatum culpam in ipsos derivare in excusationem Florentinorum conatus est. Sed benè habet, quòd idem Aretinus responsionem subjungit Pontificis: quam si ipsemet qualem voluit confinxit, ejusmodi tamen illa est, ut vel ex eâ satis supérque intelligi possit, non tam Pontificis aut ejus præfectorum culpam, quàm ipsorum Florentinorum, sese rebus quæ nihil ad ipsos pertinerent immiscentium, cordáque populorum contra omne jus fásque adversùs Ecclesiam, quam venerari præseferebant, suasionibus ac pollicitationibus suis ad defectionem concitantium, & armis compellentium, nequitiam, omnium illorum malorum causam extitisse. Adversùs quos sunt etiam amarissimæ prædictæ B. Catharinæ in suis epistolis querelæ, quòd contrà quàm concordatum fuerat, modos pacis obtulissent Pontifici, qui magis rem exasperarent.

[d] Aret. lib. 8. & ap. Anton. tit. 22. cap. 1. §. 2. & 3.

[e] Pogg. lib. 2.

PROTERVA ORATIÓ FLORENTINORUM AD PONTIF.

III.

GREG. IMMITTIT EXERCITU IN ILLOS.

Cùm igitur nec modis prædictis saxea eorum corda Gregorius emollire potuisset, quinimmò se ab eis ludificari videret; ne Ecclesiæ causam omninò deseruisse videretur, & quò ruentem ejus statum repararet, sex millia equitum, quatuor peditum ex Britanniâ Armoricâ alı́isque provinciis Gallicis collectorum in Italiam destinavit, unà cum Roberto SS. XII. Apostolorum Presbytero Cardinale, Gebennensi dicto quòd frater esset Comitis Gebennensis; qui nihilominùs habito frustrà pro recuperatione Bononiæ tractatu secreto, parùm etiam in reliquis profecit; quousque ipsemet Gregorius Pontifex in Italiam advenit. Ad

quod

quod iter jam satis ipse spontè delatus, tum verò S. Birgittæ (ut vidimus) olim, & recèns S. Catharinæ urgentissimis hortationibus impulsus, ac denique per suos Legatos & Nuncios, aliósque sibi in Italiâ fideles, sæpiùs monitus omnia protinùs in integrum restitutum iri si Romam accederet: decrevit omninò, ne quâ in re Ecclesiæ deesset, id exequi. Non parùm etiam ad id motus, ut volunt [f], responso cujusdam Episcopi; quem cùm increpâsset quòd Ecclesiam suam desereret, retorquens ille in Gregorium, quare & ipse suam Romanam non adiret, interrogaverit. Extant porrò complures prædictæ Catharinæ ad eum elegantissimæ epistolæ ejusdem argumenti; ut spretis tam Cardinalium quàm aliorum iter dissuadentium consiliis; & nescio cujus epistolâ, qui profectionem quidem illam bonam & sanctam fore scribebat, sed à veneno cavendum, quod Itali præsens jam atque paratum habere nunciarentur; Sedem Petri Apostoli lætus & securus adiret, pacémque subditis suis etsi rebellibus concederet: promissâ enim impunitate, statim redituros ad obsequium.

[f] Blond. Platin. Naucl. & alij.

IV. D. CATHARINA SENENSI.

Fuit porrò hæc CATHARINA, soror de Pœnitentiâ, seu de Tertio Ordine S. Dominici; Senis Etruriæ honestis & probis parentibus patre pannorum tinctore nata, quæ in ipsâ infantiâ cælestibus visionibus illustrari incipiens, procedente ætate in pietatis & virtutum omnium cultu adeò profecit, ut frequentissimè à CHRISTO Domino visitari, & miraculorum, revelationum, extasium, prophetiæ, aliîsque supernaturalibus donis, quinimmò & impressione quinque Christi Stigmatum insigniri meruit; (licèt non ita exteriùs apparentibus [ff] ut S. Francisci, cui soli id hactenùs concessum esse volunt ejus Ordinis professores, de quo aliàs.) Quam & non solùm huic Pontifici Gregorio, verùm etiam ejus successori Urbano acceptissimam fuisse, & in negotiis Ecclesiasticis valdè utilem; divinóque afflatu nonnulla (præter disertissimas epistolas) scripsisse constat. Sed de illâ plura hîc disserere superfluum fuerit; cùm sit ejus prodigiosa & planè cælestis Vita, non solùm à viris fide dignissimis [g] sincerissimè descripta; verùm etiam manibus piorum omnium adeò trita, ut non sit qui eam ignoret. De cujus obitu dicetur suo [h] loco.

[ff] Vid. infr. an. 1483. VIII. & supr. 1340. XIII.

[g] S. Anton. tit. 23. cap. 14. ex Raim. ipsius confess. & ap. Sur. 29. April.

[h] Infr. an. 1380. VI.

V. WENCESLAUS FILIUS CAROLI IMP. ELIGITUR IN REGEM ROMANORUM.

Antequàm verò Gregorius Avenione recederet, rogatus à Carolo Imp. permisit filium ejus primogenitum Wenceslaum, jam olim dumtaxat sesquiennem in consortium regni Boëmiæ allectum, etiam in regem Romanorum, Imperij futurum successorem, annum tantummodò decimumquintum ætatis agentem, ab Electoribus evehi; dummodò ante omnia, exemplo Henrici VII. ipsius proavi, & Caroli patris, ex formulâ præscriptâ juraret, se bona Ecclesiæ Romanæ non occupaturum, libertatem Ecclesiasticam non violaturum & conservaturum; in administrationem Regni & Imperij ante solemnem inaugurationem, à Pontifice vel ejus licentiâ ab alio factam, sese non intromissurum, quinimmò nec ipsos Regis aut Imperatoris titulos sine Sedis Apostolicæ consensu suscepturum; scriptis eâ de re literis ad eosdem Carolum, Wenceslaum, & Principes Imperij ad principium mensis Maij. Iis verò coram Nunciis Apostolicis ad id missis in Germaniam, juramento firmatis, factus est ab Imperatore & Electoribus duplex eâ de re conventus; primùm quidem die Pentecostes (quæ incidit in Calendas Iunij) apud Rens super Rhenum diœcesis Treverensis, pro deliberatione personæ idoneæ; deinde verò decimâ die ejusdem Iunij Francofurti pro ipsâ ejusdem *Wenceslai* electione. Cujus confestim confirmationem, Regísque Romanorum nuncupationem, ac suo tempore & loco consecrationem atque coronationem, tam ipse Carolus Imperator quàm Wenceslaus, singulíque ceteri seorsim Electores, ex formulâ Bullæ aureæ Carolinæ, missis ad Pontificem legatis expetierunt [i]: datâ etiam eisdem facultate ab Wenceslao electo, debitæ Pontifici & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum præstandi. Quæ & sequenti anno oportuit ab eodem Wenceslao repeti missis Romam oratoribus decimo Calendas Octobris; cùm præsenti Pontifex, ob juniorem Wenceslai ætatem id tantùm Avenione concessisset, ut ab Archiepiscopo Coloniensi regio diademate Aquisgrani de more coronaretur; reliqua Romæ præstaturus. Ubi dum ea pararentur, (ut ait auctor Vitæ Gregorij) superveniente morte Pontificis infecta permansêre, nec umquam posteà Imperij coronam Wenceslaus recepit; quicquid in contrarium blateret maledicus & mendax Corius, occasionem inde captans in Pontificem invehendi. Idque dumtaxat post Gregorij obitum præstitit ei apud Fundos Clemens electus in schismate adversùs Urbanum VI. ex mente ipsius Gregorij, (uti asseruit) ut ejusdem Wenceslai electionem confirmans, Regem Romanorum, habilémque ad suscipiendam opportuno loco & tempore Imperialis dignitatis consecrationem & coronationem, declaraverit. Quod tamen putamus magis factum petitione Amedei Comitis Sabaudiæ, qui princeps erat legationis Wenceslainæ, & Clementi necessitudine conjunctus; quàm ipsius Wenceslai, aut patris ejus consensu: quandoquidem constat eos ab Urbano stetisse contra Clementem; idque (ut ait auctor Vitæ Clementis) eò quòd Urbanus electionem Wenceslai etiam non requisitus confirmâsset. De quo pleniùs altero ab hoc anno.

[i] Ext. litt. ap. Bzov. ex archiv. Pontif.

VI. QUAM TURPIS ELECTIO WENCESLAI.

Ceterùm electionem Wenceslai Carolum ipsius patrem immenso auri pretio ab Electoribus redemisse, (quorum profectò major in his culpa, quàm patris indulgentis) promissis eorum unicuique centum millibus aureorum, haud alioqui tum adolescentulo vix quindecim annorum, tum distorto corpore, & animo pravis moribus imbuto, ignavo, ventríque, deliciis ac vino dedito, suffragia sua daturis; auctores [k] tradunt; & quod solvendo ad diem non esset, publica Imperij vectigalia oppidáque ac jura, titulo pignoris eis concessisse: hìncque Imperium ad nihilum ferè redactum esse, nec posthàc caput attollere potuisse; cùm Principes omnia sibi retinerent, atque Imperatorem jurejurando adigerent ne pignora revocaret. Deplumata est Aquila, (inquit Krantzius [l]) ut in reliquum ceteris sit animantibus contemptui: quid enim potest

[k] Æn. Silv. Boëm. cap. 33. Krantz. 8. Wandal. 44. Dubrav. lib. 22. Naucler. gener. 46. Cuspin. in Cæsar.

[l] Krantz. 10. Saxon. 3.

sine

sine pennis? At replumuit illa posteà, pennis undiq; susceptis, quibus & volatus aliquando ausa est sublimiores quã pro modo corporis.

VII. Greg. PP. Italiam petit.

Cùm igitur Pontifex ad iter Italicum penitùs animum obfirmâsset, quamvis contra consilium & deliberationem totius Collegij Cardinalium, & omnium amicorum suorum, (ut auctor Vitæ ejus scribit: quibus & alij [m] dehortationem addunt Regis Francorum, per fratrem suum Ducem Andegavorum, sed æquè irrito conatu factam:) decimatertiâ die Septembris Avenione recessit cum Cardinalibus; sex exceptis qui ibi remanserunt: & Massiliæ mare ingressus, cum unâ & viginti triremibus Italiam versùs navigavit: ac continuis sævissimisque procellis & tempestatibus, cum frequenti naufragij & mortis periculo agitatus, variisque locis diutiùs detentus, vix ad diem S. Lucæ decimumoctavum Octobris potuit Genuæ portum tenere. Ibique aliquot dies moratus, rursúmque fœdioribus furentium ventorum turbinibus, quibus & nonnulli naufragium pertulêre, ipséque vix liber evasit, conquassatus, Cornetum in Tusciâ applicuit die 5. Decembris: ubi quievit usque ad 13. Ianuarij sequentis. Extat [n] Itinerarium ejus, à *Petro Amelio* Augustiniano Alectensi Galliæ Narbonensis, Episcopo Senogalliæ urbis Italię ad mare Hadriaticũ, qui interfuit, diligenter sciteque per singulos dies perscriptum, quo cuncta minutissimè perstringuntur. Interfuit etiam *Theodoricus à Niem* Historiæ scriptor: qui de eodem itinere agens [o], eo Gregorium multa sustinuisse pericula maritima tradit. Eúmque mirè laudans de doctrinâ, prudentiâ, liberalitate, affabilitate, aliisque virtutibus; valdè etiam, nec quidem immeritò, extollit, quòd licèt à patre quem adhuc habebat, & à duobus fratribus, ac quibusdam nepotibus dissuaderetur Italiam petere, minimè tamen potuerit, nec item per gravissimas hostilitates Italiæ, ab eo proposito retrahi. De cujus Romam adventu dicetur anno sequenti, quo contigisse noscitur; quantumvis sint qui præsenti collocent.

[m] Froissard. lib. 2. c. 12.

[n] Ap. Masson. in Greg. XI. & inde ap. Bzov. in Addit. ad Ciaccon.

[o] Niem. in Nemor. Vnion. tract. 6. cap. 39.

VIII. Archiepiscopi Gnesnensis confessio in morte.

In Poloniâ *Iaroslaus* [p] Archiepiscopus Gnesnensis, post Ecclesiam suam valdè ornatam & amplificatam, centum annorum senio confectus, & oculis captus, ingenuâ confessione vitam deseruisse dicitur: morientem quippe mandâsse, ut cadaver suum non ostio, sed pertuso pariete in basilicam sepeliendum inferretur, quòd non ritè neque ordine Archiepiscopum se factum diceret.

[p] Michov. lib. 4. c. 34. Crom. lib. 13.

IESV CHRISTI Annus 1377.
GREGORII XI. Ann. 7.
CAROLI IV. Ann. 32.
IOANNIS V. Ann. 37.

I. Greg. PP. Romam appellit.

ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, Indictione decima-quintâ, Gregorius Pontifex die 13. Ianuarij Corneto marinum iter (non terrestre, ut quidam ponunt) resumens Romam versùs, tranquillo mari delatus Ostiam, inde per fauces Tiberis die decimaseptimâ ejusdẽ mensis pervenit ad Urbem: & à S. Paulo ad S. Petrum equitans, tanto Romanorum applausu & lætitiâ atque honorificentiâ exceptus est, ut auctor ejus Itinerarij qui videbat scribat, omnis generis, sexûs, ætatis, conditionis homines veluti amentes præ gaudio visos esse; neque unquam se existimasse, tantam gloriam in hoc sæculo oculis corporeis cerni posse. Retulit igitur Sedem Pontificiam Gregorius Romam, proprium & verum suum locum, 70. annis (ut plurique numerant) postquàm in Galliam translata fuisset. Sed qui ad amussim tempus numerare voluerit; ab obitu Benedicti XI. postremi Pontificis in Italiâ ante translationem sedentis, qui contigit sextâ Iulij anni millesimi trecentesimi quarti, usque ad prædictam decimam septimam Ianuarij, quâ Gregorius Romam intravit, habebit annos septuaginta duos menses sex & dies decem: ab electione Clementis V. qui Sedem transtulit, quæ facta est die quintâ Iunij anni millesimi trecentesimi quinti, septuaginta unum annos menses septem dies undecim: ab ejus coronatione, ad quam Cardinales ex Italiâ accivit, & contigit undecimo Novembris ejusdem anni millesimi trecentesimi quinti, unum & septuaginta annos menses duos dies quinque: à constitutione verò Sedis Avenione, quæ ab eodem Clemente facta est ad principium anni 1309. cùm eò usque vaga fuisset per varia Galliæ loca, annos 68. Sícque cessavit Pontificum ab Urbe & Italiâ exilium, ut plerique vocârunt. Quod si videre licuisset Petrarchæ non ita pridem defuncto, quas victoriæ laudes non decantâsset; qui tam epistolis suis Benedictum XII. Clementem VI. & Urbanum V. ad id præstandum urgere, quàm apud ceteros fermè omnes, ad quos scribere contigit de hujus restitutionis dilatione, querelas ingeminare non cessavit? De hoc tamen exilio notandum quod observavit Ægidius [a] Cardinalis Viterbiensis: *Si Vrbis* (inquit) *& Romanarum Ecclesiarum ruinam inspicias, hoc exilij tempus noctem dixeris: si mores sanctitatémque Pontificum, diem appellandum existimabis.*

Quamdiu Sedes steterit in Gallia.

[a] Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Greg. XI.

II. Greg. illuditur à Romanis et Florentinis.

Ceterùm auctor Vitæ Gregorij ait, Romanos etsi tãtâ eum põpâ & exultatione exceperint, paucissima tamen eorũ quæ promisissent præstitisse: ac presertim circa regimen Urbis; quod licèt in ejus adventu Banderesij deposuissent, (ita vocabant præfectos regionum Urbis, à banderiis, sive vexillis, quibus inter se dignoscebantur; sibique reipublicæ administrationem usurpaverant:) illicò tamen resumpserunt: nec potuisse Pontificem sine scãdalo eorum resistere voluntati: Et quod externa spectaret, non solùm non aliquos ex iis viris aut locis qui rebellaverant, sicuti mox futurum Pontifici suggestum fuerat; ad ejus obsequium rediisse; ut contrà nonnulli ex iis qui eò usque sese continuerant, ad ejus adventum apertè defecerint. Quod etiam confirmatur ab Aretino [b], narrante quomodò pacis studiosus Pontifex accitis Florentinorum oratoribus, iisdémque ad osculum pacis & sacrorum participationem admissis, nihil tamen apud obstinatissimã gentẽ nec per se proficere potuerit, nec per sanctam Catharinam [c], aliósve Religiosos ad eos placandos directos; quin

[b] Aret. lib. 8. & ap. Ant. tit. 22. cap. 2. §. 5. & 6.

[c] Ant. tit. 23. c. 14. §. 16.

FLORENTINORUM PERVICACIA.

ad pejora ruentes, contemptâ Pontificis auctoritate, interdicti observationem, quod illuc usque servatum fuerat, sustulerint, & per urbem agrúmque palàm & publicè in templis sacerdotes celebrare compulerint; necnon congregationes eorum qui in diversis Religiosorum domibus ad divinam misericordiam implorandam conveniebant, uti machinationum suspectas omninò prohibuerint: eò ferociores redditi, quòd etiam Ioannem Haucut Anglum, perpetuò perfidum & venalem, qui stipendia Ecclesiæ merebat, post ipsius Pontificis adventum pecuniâ corruptum, in partes suas traxissent; per quem & reliquas Ecclesiæ terras incursionibus & latrociniis infestârunt, ad majorem Pontificis dedecus & contumeliam.

III. GREG. PETIT ANAGNIAM.

De quibus & ipsemet Pontifex vehementer cõqueritur in plurimis epistolis, quas hoc ultimo ipsius Pontificatûs anno ad diversos scripsit tam Româ, quàm Anagniâ. Ad hanc enim montanam Hernicorum sive Campaniæ civitatem puri aëris, ad vitandos urbanos animorum & calorum æstus, mense Iunij se contulit æstatem ibi transacturus. Cujus iter descripsit etiam idem qui superiori anno memoratus est Amelius Episcopus Senogalliensis. Apud quem etiam speciatim observes ritum illum deferẽdi ante Pontificẽ in longinquioribus itineribus sacratissimam Eucharistiam; dum ait, primo mane Iunij antelucanũ Corpus Christi omnibus viam patefecisse; & ingresso itinere illud secutam esse turbam; orto jam Sole Pontificem viam arripuisse. Ex quibus eos refellas, qui hujus ritûs auctorem faciunt Benedictum Lunensem, qui pòst Sedem occupavit. De ritu autem ipso tractatum edidit amicus olim noster Angelus Rocca Episcopus Tagastensis & Sacrista Pontificum; qui cunctis patet.

MOS DEFERENDI EUCHARISTIAM ANTE PONTIFICEM.

IV. GREG. QUERITUR DE FLORENTINIS AD PRINCIPES.

Gregorius autem, ut ipse suis epistolis queritur, multiplicibus angustiis undique pressus, furore hostium, perfidiâ militum, inopiâ pecuniarum, aliarúmque rerum necessariarum penuriâ; imprimis ad Imperatorem, Regem Francorum, & alios Reges ac Principes, querelas ingeminavit adversus Florentinos, quòd quamvis pro pace cum illis habendâ ad cõditiones tam ipsi Pontifici quàm Ecclesiæ ignominiosas descendere voluisset; nihilominùs ipsi adeò absurda & iniqua peterent, ut planè appareret eos nisi simulatè pacem quæsîsse; quantumvis Principibus persuadere studuissent per ipsum Pontificem stare quominùs ea perficeretur: cùm intereà nihil omitterent injuriarum & damnorum, quæ ab eis in detrimentum non solùm bonorum Ecclesię, verùm etiam Fidei Catholicæ & libertatis Ecclesiasticæ excogitari possent: tenerẽtq; ac protegerent quemdam hæreticum notorium perversa dogmata & errores manifestos palàm & publicè in suâ ipsorum civitate docentem, & Apocalypsim S. Ioannis, aliâsq; divinas scripturas linguâ vulgari & falsis interpretationibus exponentem. Hæc ille disertè ad Carolum Francorum Regem Anagniæ Calend. Septembr. & ad Carolum Imp. Romæ 4. Decembris, & ad Ludovicum Regem Hungariæ itidem Romæ 8. Decembris. Quis verò fuerit hæreticus ille pseudopropheta, non exprimit ille quidem: sed putamus intellexisse, quem Antoninus[d] hoc ipso tempore Florẽtiæ multa prędixisse scribit, nomine *Thormasuccium*, Nucerino agro in Umbriâ ortũ, habitúmq; Tertij Ordinis B. Francisci gerentem, virum magnæ abstinentiæ, ac mundi & sui contemptorem; qui etiam prophetiam scripserit rithmis vulgaribus, quâ satis apertè prophetavit excidia plurimarum civitatum Italiæ, quæ impleta fuêre diversis temporibus, quem & multis aliis miraculis clarum, nihilominùs nonnunquam accusatum, quinimmo & in jus vocatum tanquam magum, & malo spiritu agitatum, carcerémque & verbera passum tradunt: cujus sinistram famam Gregorius novus in Italiâ audierit, rem examinare nequiverit. Mortuúsq; dicitur hoc ipso anno paucis diebus postquàm illa de eo Gregorius scripsisset: videlicèt 17. Calendas Octobris, ut ponunt qui ejus res gestas dilucidiùs explicant[e], vitámque describunt.

[d] *Ant. tit. 22. cap. 1. § 6.*

DE THORMASUCCIO NUCERINO.

[e] *Vvadding. Annal. Min. to. 4. hoc an.*

V. IOAN. VVICKLEFFUS HÆRESIARCHA INNOTESCIT.

Antequàm verò Gregorius Româ Anagniam peteret, certior redditus de hæresibus quas in Angliâ IOANNES VVICKLEFFUS disseminabat; diploma[f] scripsit 11. Calendas Iunij ad Cancellarium & Universitatem Studij Oxoniensis; quo eos severè increpavit, quòd ejus pestiferos errores paterentur in Angliâ radices agere, in gravissimum animarum detrimentum, & Fidei Catholicæ opprobrium, ipsorúmque desidiæ ignominiam: præcipiens ut Ioannem captum in manus Archiepiscopi Cantuariensis & Episcopi Londinensis, aut alterius eorum traderent. Eádémque die triplices dedit ad eosdem Archiepiscopum & Episcopum literas: quarum unis mandavit secretè inquirere de assertionibus Wikleffi; & si tales esse comperissent, quales ad Sedem Apostolicam delatæ fuissent, eum sub fidâ custodiâ detineret in vinculis, donec aliud mandatum ab ipso Pontifice acciperent. Alteris; si fortè Ioannem capere non possent, eum per edictũ in studio Oxoniæ & aliis locis publicis proponendum peremptoriè moneri & citari curarent, sese intra tres menses coram Pontifice sistere. Tertiis denique; ut Regem Eduardum, ejusque filios, ac proceres, & magistratus, monerent extirpationi eorumdem errorum, qui non solùm fidem Catholicam, verùm etiam omnem destruerent ecclesiasticam & civilem politiam, diligenter attendere. In eumdémque sensum scripsit pariter ad ipsum Regem: cùm ante hæc eidem[g] Vvickleffo silentium impositum fuisset ab eisdem Archiepiscopo & Episcopo; sed ille nihilominùs favore Ioannis Ducis Lancastrię filij Regis, & Henrici Perceij Mareschalli regni, qui ei adversùs eosdem Prælatos adfuerunt, & omni conatu opitulati sunt, rursùm majori audaciâ hæreses suas spargere non dubitaret. De quibus, ut diximus, certior redditus Gregorius Pontifex, tum prædictas literas scripsit: tum etiam novemdecim articulos remisit ex Vvickleffi propositionibus depromptos; quos, uti ex doctrinâ antiquiorum hæreticorum, ac speciatim Marsilij de Paduâ & Ioannis de Ganduno, jam olim à Ioanne XXII. damnatorum, excerptos, ipse quoque erroneos & abjiciendos declaravit.

[f] *Rec. Vvalsingh. in Richard. II. unà cum omnib. seqq.*

[g] *Id. in Eduard. III. Harpsfeld. in Hist. Vvickleff. c. 5.*

VI. Erat[h] *Vvickleffus* natione Anglus; magister

[h] *Iid. & Polydor. lib. 19. in fin.*

QUALIS FUERIT, ET QUALITER INVALUERIT.

in Theologiâ, rectorq; Ecclesiæ de Luttlevvorth Lincolniensis diœcesis: qui ingenio acri & acuto, sed nimis vehementi, laudísque & honoris appetenti præditus, cùm decreto Pontificis à præfectura Collegij Cãtuariensis Oxonij, quod contra præscriptum Archiepiscopi præter jus fásque invaserat, dejectus olim fuisset; deindéque desiderati Episcopatûs Vvigorniensis repulsam tulisset: odio gravi in Romanum Pontificem Ecclesiámque ac Clerum universum delatus, eò faciliorem sibi viam ad hæreses adversùs eos componendas persuadendásque stravit, quò jam fuissent Rex procerésque Angli, ut vidimus, ob beneficiorum collationes, & pecuniarum exactiones, à Romano Pontifice subalienati. Quare & præcipuè ad ejus principatum subvertendum, & Regis civiliúmque magistratuum auctoritatem amplificandam, suas assertiones direxit. Quibus accessit Regis jam senis inaccuratior Reipublicæ cura; & prædictorum Ioannis Lancastriæ Ducis ejus filij, qui post obitum Eduardi primogeniti omnia suá auctoritate administrabat, atque Henrici Perceij Mareschalli regni, aliorúmque procerum, in eumdem Vvikleffum magna propensio; necnon minor ætas Richardi qui Eduardo Regi successit, mósque Grogorij Pontificis, quæ intereà supervenit; ac dirissimum illud Schisma quod post Gregorij obitum Ecclesiam in partes distraxit. Quæ omnia impigrè Wikleffus in perversi sui propositi commodum convertens, non solùm Angliam, sed & universam penè Europam tam per se quàm per discipulos suos fœdissimè contaminavit.

VII. DE EJUS ERRORIBUS.

Ejus Historiam proprio commentario complexus *Nicolaus Harpsfeldius* Archidiaconus Cantuariensis, post Ecclesiasticam Anglicanam; ait nonnullos scriptores Catholicos ex ejus voluminibus supra ducentos, alios supra trecentos errores collegisse: *Thomam* autem *Vvaldensem* Ordinis Carmelitani, qui ceteris diligentiùs ejus scripta tam Latina quàm materna linguâ exarata examinavit, & accuratissimis commentariis confutavit, octingentos reperisse: quorum venena idem Harpsfeldius aperuit, & ordine digessit, atque ex antiquis ferè hæresibus collectos ostendit. Præcipuos eorum quos initio evomuit, Vvalsinghamus refert; necnon Gregorius Papa, ut diximus. Et Concilium Generale Constantiense, ut tunc videbitur, quamplurimos item enumeravit, ac cum auctore damnavit. Universitates autem Pragensis & Parisiensis quadraginta quinque peculiariter damnârunt: qui etiam recensiti sunt eodem Concilio, & unà cum aliis ducentis & sexaginta priùs ab Universitate Oxoniẽsi æquè damnatis, aliísque quamplurimis rursùm diligenter examinatis, Synodali sententiâ anathematizavit. Neque enim Vvikleffus omnes simul & semel, sed pedetentim, prout occasio vel malitia tulit, evomuit. Quos autem Vvalsinghamus primò protulit, hi fuêre: Eucharistiam in altari post sacramentum non esse verum Corpus Christi, sed ejus figuram: Ecclesiam Romanam non esse caput omnium Ecclesiarum, plusquàm aliam quamcumque: Papam Rom. non habere majorem auctoritatem, quàm quilibet alius sacerdos: Dominos temporales posse legitimè, immò debere sub pœnâ damnationis, bona temporalia ab Ecclesiâ delinquente auferre: Evangelium sufficere ad dirigendum quemlibet Christianum; omnésque Regulas Ordinum Religiosorum non plus perfectionis addere, quàm addit albedo parieti: Nullum Prælatum Ecclesiæ debere carceres habere ad puniendum delinquentes, sed omnibus liberum esse debere facere quæ sibi placeant. Hísque alios postmodùm addidit, quos item refert Vvalsinghamus; de quibus dicetur suis locis. Qui verò à Gregorio Pontifice damnati sunt, omnes contra potestatem & auctoritatem Ecclesiæ tam in divinis quàm humanis, ejúsque temporalia tendunt.

VIII. Ejus causa segniter agitur in Anglia.

Receptis porrò quas diximus literis Pontificiis paucis diebus ante Natale Dominicum, cùm Oxoniensis Academię rectores, quâ erant aut timiditate aut corruptelâ, diù suspensi hæsissent utrùm ad se directas deberent cum honore recipere, vel cum dedecore rejicere; (quod ingenti dolore, & in eos invectione idem Vvalsinghamus narrat) Archiepiscopus quoque Cantuariensis & Episcopus Londinensis, quibus causæ cognitio demãdata erat, quamvis initio professi essent se etiam capitis periculo rem fortiter gesturos; ad unius tamẽ gregarij militis è familiâ principissæ prohibitionem ne præsumerent aliquid contra Vvicleffum pronunciare; & accedente alio terrore à civibus Londinensibus, qui jam frequentes impia hæresiarchæ dogmata amplexabantur; adeò consternati sunt animo, ut rem imperfectam dimiserint: & eâ quidem qualicumque excusatione, quòd in interpretatione articulorum à Gregorio missorum, & in ceteris etiam ita se Vvikleffus gereret, ut speciosè quodam verborum fuco videretur cum rectâ Ecclesiæ doctrinâ sentire; additâ etiam contestatione, si quâ in re forsan per ignorantiam lapsus esset, id se judicio Ecclesiæ submittere. Quâ tamen in re veteratoriè ipsum egisse, & interpretationum ipsius futilitas, & dogmatũ perversitas in deterius quotidie prolabẽtium (qualia recèns ab eo addita in eumdem pravum sensum quo priora, idem Vvalsinghamus recitat) satis ostenderunt, & subsequentibus temporibus demonstrabitur. Ut verò tam ipse quàm ejus socij faciliùs incautos deciperẽt strictioris atq; perfectioris vitæ specie, ij nudis pedibus & vilibus vestibus talaribus incedere consueverant: Vocabantúrq; à vulgo *Lollardi*: quorum scilicet antiquiorum hæreticorum [i] vitæ genus, & in multis dogmata sectabãtur. Scripserunt autem adversùs eos eorúmque hæreses, quamplurimi ejusdem nationis viri doctissimi, omnium Ordinum Religiosorum, quos Harpsfeldius nominatim recenset: sed omnium copiosissimè & accuratissimè, quem jam superiùs nominavimus, *Thomas Valdenus* sive Vvaldensis Ordinis Carmelitani: cujus extant prolixi commentarij titulo *Doctrinalis Fidei* (scripsit namque & plura alia) Martino PP. V. dicati: tantâ diligentiâ & arte compositi, ut inde posteà tanquam ex fonte, plerique omnes qui contra novas hæreses scripserunt, hauserint.

i *Supr. an.* 1315. *V.*

THOM. VVALDENSIS SCRIPTA CONTRA VVICKLEFFUM.

IX. CAROLUS IMP.

Intereà cùm jam hæc pestis Vvickleffi mare transîsset, & in Germaniam penetrâsset, (seu fortè id fuerit ex perpetuâ dominorum tempo-

RESCRIBIT PRO ECCLESIÆ IURIBUS.

ralium prurigine Ecclesiam deprimendi) indéque nonnulli principes & magistratus statuissent, nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferenda; nullum clericum in sacris constitutum, ad agendum & testificandum in civilibus atq; etiam in piis causis admittendum; excommunicatos & publicè denunciatos laïcos à civili foro minimè repellendos: sed & bona clericorum occuparent aut devastarent, oblationes Fidelium restringerent, subsidia ab Ecclesiasticis extorquerēt, pia legata usurparent, immunitatem locorum sacrorum violarent: hæc ut emendaret Carolus Imp. Constitutionem[i] hoc eodem anno edidit quinto Calendas Iulij, quâ prædicta omnia, & quælibet inde secuta irrita declarans, sub gravibus pœnis præcepit eadem revocare, nec ampliùs aut personis aut bonis ecclesiasticis in aliquo incommodare.

i Rec. Bzov. hoc an.

X.

ALII ERRORES IN ANGLIA VIGENTES.

k Ap. Harpsfeld. Hist. Vuicklef. cap. 16.

Reperimus[k] insuper, hoc eodem tempore alios varios errores Oxoniæ in Angliâ grassatos esse; quorum utrùm Vvickleffus fuerit auctor non satis constat etiamsi in liquido sit nonnullis eorum fuisse eum implicitum. Ac fuêre illorum hi præcipui: Quemlibet viatorem tam adultum quàm non adultum, Saracenum, Iudæum, Paganum, habiturum claram visionem Dei ante mortem suam; eâque visione manente, habiturum electionem liberam convertendi se ad Deum, vel divertendi se ab eo; & si tunc elegerit converti ad Deum, salvatum iri; sin autem, damnatum: Quoslibet adultos & discretos sine actu vel habitu fidei Christi in se, de lege communi salvari posse: De parvulis in utero materno, vel sine baptismo, seu denique post baptismum decedentibus, esse à quolibet Catholico dubitandum, utrùm damnentur vel salventur: Non esse possibile de lege communi, aliquem pro solo originali peccato damnari: Gratiam qualis communiter ponitur, nullam esse: Possibile esse de puris naturalibus mereri vitam æternam: Nullum posse esse malum, solùm quia prohibitum; sed prohiberi, quia malum, ut de pomo vetito primo parenti: Patrem in divinis esse finitum, itémque Filium, solúmque Spiritum esse infinitum: Solum Patrem efficere, solum Filium formare, solum Spiritum Sanctum finire quamlibet creaturam: Deum non posse aliquid annihilare; nec aliquem immediatè punire, cùm non sit tortor: Nullum posse peccare appropriatè contra Patrem in divinis, eò quòd nullus potest peccare ex impotentiâ, nisi peccet ex ignorantiâ vel malitiâ: Quàm necessariò homo est animal, tam necessariò esse mortalem: Christum, & B. Mariam, omnésque Sanctos, adhuc veraciter esse mortales: B. Virginem esse adhuc peccabilem, & damnabilem pro peccato: sicuti & sunt omnes beati, tā Angelici quàm homines, excepto Christo: Et econtrà omnes damnatos, ipsósque dæmones reparabiles & beatificabiles: Deum de potentiâ suâ absolutâ non posse facere creaturam rationabilem impeccabilem: Beatos esse mortales & immortales. Qui omnes errores damnati dicuntur à Simone Langhamo Archiepiscopo Cantuariensi & Cardinale, rescripto quodam, in quo explicavit qui prorsùs rejiciendi essent, quíque & in quem sensum, aut rejiciendi aut tolerandi.

XI.

QUÆ FUERINT IN HIS PARTES REGIS ANGL.

l Harpsfeld. Hist. Eccles. Anglic. sæc. 14. cap. 4.

m Vvalsing. in Eduard. III. ad fin.

Quod Regem Angliæ spectat; sanè si nihil ei cum Vvickleffi erroribus commune fuit; si non vel simulando vel dissimulando, ut quidam[l] ponunt, provexit; quòd tamen orientis tantæ pestis fauces (quod facile fuit) non suffocârit, ingenti culpæ illi tribuendum venit. Qui etiam in ceteris multis rebus veterē laudem valdè commaculans, in eo potissimùm vir annosus & infirmæ valetudinis peccavit, quòd præter ceteras mulieres, Aliciam quamdam Peresiam[m] procacissimam feminam in deliciis habuit: quæ eum usq; eò dementavit; ut cum nullis suorū rationibus aut suasionibus induci posset eam à se elongare, per amplissima totius regni comitia coactus fuerit abjicere, unà cum Ioanne Lecestriæ, sive ut communiori nuncupatione indigitatur, Lancastriæ Duce ipsius Regis filio, aliísque nonnullis, qui pravis suis consiliis (Rege prę mentis infirmitate minùs ad administrationē idoneo) Regnum pessumdabant. Sed vix tribus elapsis mensibus tam Lancastrio quàm Aliciâ revocatis, Regi paulò pòst infirmitate correpto adstitit semper Alicia, ea continuè suggerēs quę ad carnis & externa solatia allicerent, & prohibens de iis quæ animæ salutē spectabant cum eo agi. Donec cernens petulantissima meretrix eum animam agere, anulis ejus digitis detractis abscessit, (quæ post Regis obitum, sub ejus successore proscripta est, facultatibus ejus omnibus fisco adjudicatis.) Rex autem absq; exomologesi, aliorúmq; Sacramentorū perceptione moriens, hoc solum habuit solatij à quodā sacerdote qui unus ei assidebat, ut acceptâ ab eo in manus Crucifixi Imagine, eam sæpiùs deosculatus, lacrymis etiā pœnitētiæ signa ediderit. Mortui cadaver apud Vvestmonasterium conditum est. Vixit annos 65. regnavit 50. & & ampliùs aliquot menses: obiit die vigesimâ primâ Iulij, ut Vvalsinghamus habet; sive, ut Frossardus, biduo pòst in vigiliâ sancti Ioannis Baptistæ. Ingentis gloriæ Princeps; quam præclaris belli pacisque facinoribus partam, suimet Angli queruntur posterioribus vitæ annis denigrâsse. Et summè notandum monet Vvalsinghamus, quòd sicut in ejus primordiis cuncta prospera eum illustrem reddiderunt, ita eodem ad occasum declinante peccatis exigentibus paulatim illa felicia decreverint, & infortunia multa infausta succreverint, quæ minuerunt famam ejus.

REX EDUARDUS MORITUR SATIS INFELICITER.

XII.

SUCCEDIT RICHARDUS II. NEPOS EX FILIO PRÆDEFUNCTO.

Successit ei in regnum, non aliquis filiorum, qui tres supererant justæ ætatis, Ioannes Lancastriensis, Edmundus Cantabrigiēsis, & Thomas Glocestrensis Duces; sed primogeniti jam demortui (nempè Eduardi Principis Vvalliæ) filius undennis *Richardus* ejus nominis Rex Secundus, dictus *de Burdegalâ* quòd in eâ civitate Aquitaniæ natus esset; quem jam anteà post patris obitum avus suum in regno successorem declaraverat: qui die decimasextâ Iulij apud Vvestmonasterium unctus & coronatus est ritu solemni, quem accuratè descripsit idem Vvalsinghamus in ejus Vitâ. Ex quibus videas legē illam apud Anglos invaluisse, ut nepotes in rectâ lineâ patruis præferrētur, nullâ de his motâ à patruis ejus quæstione, nedum querelâ aut murmure. Quod tamen instantibus avi precibus à patruis datum, legitur

[n] *Io. à Leid. lib. 31. c. 32.*

in Chronico Belgico [n] Ioannis à Leidis. Verùm alio capite admirationi fuisse quampluri-mis Richardi successionem, narrat Continuator Gallicus Nangij qui tunc vivebat: ex eo nempè quòd ejus mater Ioanna, cùm olim nupsisset Comiti Sarisberiensi, postquàm sex annis cum eo fuisset separata ab eo ob spōsalia jam anteà contracta, secutâ etiam carnali copulâ, cum nobili milite Thomâ de Hollandiâ, matrimonium cum dicto Thomâ celebrâsset susceptis pluribus ex eo liberis: eo verò mortuo ducta ad Eduardo Vualliæ Principe, superstite adhuc Comite Sarisberiensi, Richardum hunc Regem ab eo suscepisset. Poterat aliquod dubium ex his emergere; sed non adeò difficilis solutionis probatis Doctoribus. Nos rem narramus uti accidit, (quam etiam confirmat Vualsinghamus [o]) disputationes aliis relinquimus.

[o] *Vvalsing. in Eduar. III. an. 1361.*

XIII. RESUMITUR BELLŪ INTER FRANCOS ET ANGL.

Ceterùm morte Regis Eduardi evanuit tractatus de concordiâ inter Francos & Anglos ineundâ, qui etiam hoc anno Brugis & apud Bononiam tentatus fuerat; Francis parùm id jam curantibus quòd superiores ubiq; essent, haberétque Rex eorum quinque exercitus optimè instructos ad expugnandos quoscumque hostes. Quare & post exitum induciarum redintegratum est bellum terrâ maríque; sed plerumque Anglorum damno; quos proptereà oportuit ad id sustinendum, gravissimis subsidiis clerum populúmque premere. Quando etiam Rex Navarræ à Francis in Normanniâ, à Castellanis in proprio regno invasus, ingentes clades accepit [p]; ejúsque atroces conatus & tetra infidi hominis facinora extremâ penè calamitate compensata sunt. Pontifex autem singulis ferè epistolis ad Regem Francorum Anagniâ & Româ scriptis, quæ sunt multiplices, non cessavit eum hortari ad pacem cum Rege Angliæ: quia, ut ait, ipsâ firmiter stabilitâ, omnes aliæ dissensiones Christianorum protinùs sopirentur, & possent fieri ingentia bona ad salutem animarum, & exaltationem Fidei Catholicæ. Maximè cùm etiam illis diebus Turci & Infideles Saraceni incursionem fecissent in oram Narbonensem, & multos captivos abduxissent; atque in littore Italico prope Caietam visi fuissent, cùm olim Christiani eos in propriis eorum terris aggredi consuevissent. Id enim disertè meminit Epistolâ ad Regem scriptâ ibidem Anagniæ decimo-septimo Septembris.

[p] *Bellef. lib. 5. c. 42. Marian. lib. 18. cap. 1.*

GREGORIUS PP. HORTATUR REGEM FRANC. AD PACEM CUM ANGLIS.

XIV.

Cùm verò Angli proceres (ut Æmilius [q] loquitur) universum terrarum orbem circummittendis legationibus sibi consociare studerent, & à Francis avertere, etiam in Germaniâ cum Carolo Augusto & Vvenceslao filio de Francorum injuriâ expostulantes, Regem Francorum impulerunt, ut eò & ipse suos oratores mitteret, qui Anglorum in Francos probra jacta refellerent. Conventu Principum Germanorum dato, & auditis utriusque partis legatis, (quorum orationes atque rationes luculentissimè idem Æmilius recitat) Cæsares pater filiúsque professi sunt se in Franciam profecturos, daturósque operam ut res componerentur. Sive porrò ex istâ causâ, sive ut quidam habet, ex desiderio quo Carolus Imp. tenebatur rursùm ante obitum carissimam sibi Franciam invisendi, in qua olim apud Reges tenerè educatus & variis affinitatibus devinctus fuerat, quibus & Carolo Francorum Regi avunculus erat; sive, ut verosimilius est, ex utraque hac causâ, (quibus & tertia additur in Historia hujus ipsius itineris Gallicè tūc scripta à Continuatore Nangij qui vidit, & non ita pridem typis edita: nēpè peregrinatio votiva ad S. Maurum prope Lutetiam) Imperator unà cum filio Vvenceslao Romanorum Rege electo iter Lutetiā versùs suscepit. Nam quod Gregorius Pontifex literis ad Petrum Episcopum Magalonensem Thesaurariū suum de ejus itinere scriptis, vereri se ait ne velit cum Rege Francorum super spoliatione temporalitatum Universitatis Ecclesiæ tractare; timor fuit ex quibusdam Regis verbis, ut ait, conceptus; qui tamen inanis extitit.

[q] *Æmil. lib. 9.*

EA OCCASIONE CAROLUS IMP. UNA CUM FILIO GALLIAM PETIT.

XV.

Per Brabantiam igitur Carolus, quam frater ejus Vvenceslaus obtinebat, Cameracum veniens, ibi Natale Dominicum celebravit. Qua in re observat idem auctor, qui singula minutim scribit; cùm Imperator decrevisset festum Natalis in oppido S. Quintini regni Franciæ celebrare; substitisse tamen Cameraci, quæ erat civitas Imperij, sic persuasum ab iis quos Rex obviam ei ad ipsum ad confinia regni excipiendum miserat, quoniam cùm moris esset, Imperatorem nocte Natalis septimam officij matutinalis Lectionē in habitu & insignibus Imperialibus recitare, nequaquàm id licuisset ei intra regnum Franciæ nihil imperij debens exercere. Celebrato autem Natali Cameraci ingressum in regnum, summo ubiq; honore & magnificentissimo apparatu exceptum esse: nisi quòd ad urbium introitus non pulsabantur campanæ, nec deferebatur umbella, nec alia id genus fiebant quæ solis Regibus Francorū in suo regno deferri consueverant: & qui orationes ad eum habebant, semper gratulabantur de ejus accessu ad urbem Regis; séque id honoris ei deferre jussu Regis contestabātur; nequid omninò in regnum juris sibi his actibus vindicare posset. De adventu autem ejus Lutetiam, qui contigit sub initium anni proximi, aliísque ibi rebus gestis, dicetur ibi.

NON PERMISSUS EST QUICQUAM MORUM IMPERII IN GALLIA AGERE.

XVI.

Revertentes intereà ad Pontificem, quem reliquimus Anagniæ rebus muneris sui incūbentem; idem ibi hoc eodem anno ad principium Septembris (ut scribit auctor Vitæ ejus) ob devotionem quam singulariter habebat ad Passionem CHRISTI, & B. Virgnem MARIAM, statuit ut fieret Officium integrum de Inventione & Exaltatione S. CRUCIS; cùm anteà permixtum esset quorumdam aliorum Sanctorum Lectionibus: Et ut Nativitas Virginis celebraretur cum vigiliâ & jejunio, ac Missâ propriâ vigiliæ. Rediturus autem Romam, scripsit die 4. Octobris Petro de Stagno Cardinali Episcopo Ostiensi copiarum Pontificiarū præfecto, ut eas longè amoveret ab ingressu terrarum Populi Romani, ne (inquit) idem populus mores suos solitos exercendo, à quibus vix aut nunquam resilire valerent, irritaretur, & per consequens scandala multa nascerentur; maximè quòd ipse Pontifex necessariò Romæ hibernare haberet, aliò commodè declinare non valens.

GREG. PP. INSTITUIT OFFICIUM S. CRUCIS, ET VIGILIÆ NATIVITATIS VIRGINIS.

XVII.

Romam igitur mense Novembri reversus, Franciscum de Vico, qui se præfectum Urbis

nuncapabat, & Viterbium aliáque plura loca Ecclesiæ occupabat, sese ei subdentem in gratiam recepit. Cùm verò etiã accidisset ut quæ pro defensione Status Ecclesiastici parâsset arma adversùs Florentinorum obstinationem, vana permanerent, tam propter defectionem quam vidimus Aucuti Angli; quàm ob turpem proditionem Britonum quos ejusdem Pontificis stipendiis pariter vidimus in Italiam ductos, qui in ipso invasionis procinctu omninò recusantes ditionem Florentinorum, quorum pecuniâ corrupti fuerant, ingredi, ab exercitu Pontificio recesserant: his angustiis presso Gregorio, & quòd etiam ex alterâ parte populum Florentinum dirarum & execrationum Pontificiarum, necnon diuturni belli & immensarum expensarum jam satietas & fastidium cepisset, atque adeò pacem appeteret, factum est ut oblatam sponte à Bernabove Mediolanensi, infensissimo alioqui Ecclesiæ hoste, (sive callidè obtulerit ad decipiendum Pontificem, sive seriò ad ejus promerendam gratiam) opem de cõcordiâ inter eos tractandâ, utraque pars gratam habuerit. De quibus omnibus plurimæ extant epistolæ ipsius Gregorij ad diversos Principes scriptæ; necnon ad ipsum Bernabovem, Haucutúmq; & alios quorum intererat. Et quæ sunt speciatim Florentinorum, uberiùs tractant Aretinus [r], & Corius [s]; sed in suorum semper exaltationem, & Pontificis depressionem. Iis verò perficiendis indictus est Serazanæ in Etruriâ conventus cui Bernabos interfuit, unà cum missis à Pontifice Ioanne Cardinale Ambianensi, & Archiepiscopo Narbonensi; necnon oratoribus Florentinorum; & quatuor viris insignibus à Rege Francorum, duobus à Reginâ Ioannâ, aliísque à ceteris utrimque fœderatis Principibus & civitatibus delegatis. De cujus exitu dicetur anno sequenti.

TRACTATUR DE CONCORDIA CUM FLORENTINIS.

[r] Aret. lib. 8 & ap. Ant. tit. 22. cap. 1. §. 7.
[s] Cor. par. 3

XVIII. GREG. NON VULT ECCLESIAS GALLIÆ ONERARI.

Gregorij verò interim modestia in eo quoque maximè enituit, quòd quamvis esset obæratus, & valdè urgeretur à creditoribus, ingentésque expensæ faciẽdæ essent in sumptus bellicos; necnon pecuniis indigeret ad redemptionem Rogerij germani sui & Ioannis nepotis, quos Angli detinebant;) ut sunt de his ejus necessitatibus & anxietatibus quamplurimę ipsius ad diversos epistolæ) nihilominùs cùm Petrus Episcopus Magalonensis Thesaurarius ejus Avenione relictus, ut ei subveniret voluisset aliquod subsidium bonis Ecclesiasticorum in Galliâ imponere; id omninò prohibuerit, literis ad eum Anagniæ ultimâ Iulij, aliísque eodem die ad Guillelmum Archiepiscopum Rotomagensem Sedis Apostolicæ Nuncium scriptis: declarans non solùm novas impositiones nolle se fieri, verùm nec procurationes, quicquid contingere ei posset, atque etiamsi omnia ruere deberent, exigi velle; nisi quæ Pręlati ratione sui servitij, vel qui de novo providerentur de beneficiis, ratione vacantiarum deberent Cameræ Apostolicæ.

XIX. DETESTATUR SCELUS QUODDAM IN ARAGONIA PATRATUM.

Ceteris quoque rebus prospiciens, datis ibidem Anagniæ die 12. Septembris literis ad Radulphum Episcopum Ilerdensem in Hispaniâ Tarraconensi, valdè exaggeravit quædam in Ecclesiâ Tarraconensi facta; qualia, ut ait, non esset auditum per quemvis Christianum Principem, vel alium etiam tyrannum quantumcumque dirum persecutorem Ecclesiæ, contra libertatem Ecclesiasticam attentata fuisse: Quæ si vera essent, nec per Regem vindicarentur, eum minùs Catholicum & justum Principem meritò posse audiri: Summéque mirandum esse, quomodo Regni Prælati ista possent sub conniventiâ pertransire, quæ etiam universis Christicolis haberi possent quodammodò monstrosa. Hortabatur denique, ut quâ esset apud Regem) Aragoniæ scilicèt) auctoritate, curaret ea reparari, si vera esse contingeret. Quænam autem fuerint hæc adeò detestanda, nec ipse exprimit, nec alibi reperimus, tacentibus Hispanis aut ad celandam ignominiam, aut fortè quòd vana fuerit relatio Gregorio facta.

XX. RECUSAT ECCLESIAM PARIS. A SUBJECTIONE SENONENSIS EXIMERE.

Octavâ diu Octobris ad Regem Francorum scribens, excusavit haud se posse instanti Regis petitioni; ut Ecclesia Parisiensis à subjectione eximeretur Senonensis, & usus Pallij Episcopo Parisiensi concederetur, satisfacere, tum quòd Ecclesia Senonensis esset valdè antiqua & nobilis, fuissétque olim sedes præcipua regni, sicuti jam esset Lutetia, ipsiúsque patruus Clemens Papa VI. fuisset olim ejus Archiepiscopus, ipséque Gregorius exercuisset in ea unam ex præcipuis dignitatibus: tum etiam quòd Archiepiscopus non superabundaret divitiis, & Ecclesia Parisiensis esset adhuc modicè dotata. Intuitu tamen regiæ serenitatis, & ob eminentiâ urbis Parisiensis quæ erat caput totius regni, atque nobilitatem excellentissimi Studij, concedere se Episcopo Parisiensi in perpetuum, ut ad reverẽtiam Dei & gloriosissimæ ipsius Matris, posset uti Pallio in formâ solitâ. Quâ tamen concessionem parùm curâsse videntur Episcopi Parisienses; quousque demùm anno Domini 1622. ea Ecclesia, tã petitione Regis Ludovici Iusti, quàm negligenti Cleri Senonensis jurium suorum defensione, subtracta est Senonensi, atque in Archiepiscopalem à Gregorio Papa XV. erecta; primo ejus Archiepiscopo *Francisco Gõdio.*

XXI. DE PHILIPPO ALENCONIO PATRIAR. IEROSOLYM.

[t] Sammarth. Geneal. Reg. Franc. lib. 13. cap. 1.

Aliâ ad eumdem Regem scripta Romæ 12. Decembris gratulatur de recepto in gratiam Patriarcha Ierosolymitano ipsius Regis consanguineo, cui iratus fuerat. (Cujus iræ causa extiterat, quòd [t] cùm Rex ab eodem Patriarcha Archiepiscopo Rotomagensi, petiisset cõferri quoddam beneficium Ecclesiasticum cuidam clerico, ísque ob clerici incapacitatem recusâsset; Rege propterea manus in ejùs Ecclesiæ bona temporalia injiciente, ipse interdicto usus esset.) Sed quod rogaverat Rex, ut Pontifex Patriarcham Aquileiensem ad Cardinalatum promoveret, & ipsum Ierosolymitanum Aquileiam transferret; respondet se tunc non esse propensum ad creandos Cardinales; neque etiam Aquileiensem ad eam dignitatem evehere, cùm propter ejus ætatem, tum ob alias causas. Addens, quòd quamvis quatuor Præcipuis Patriarchis ultramarinis, qui sunt sine populo Christiano; & tantùm titulares cum nullo aut minimo emolumento, decessores Pontifices consuevissent ad sustinendam Patriarchalem dignitatem concedere aliquam ecclesiam in commendam; (intelligit de Patriarchis ritûs Latini, quos titulo tenùs ad conservandã Ecclesiæ Catholicæ dignitatem, Romani Pontifices eligere ac penes

se

se habere consueverunt:) haud tamen se id facturum cum dicto Patriarchâ, opulentarum divitiarum existente, & inter Christianos constituto. Denique certum esse prædictum Patriarcham Aquileiensem habere copiosum populum & admodùm diversæ conditionis, maximámque temporalitatem, & potentibus dynastis atque aliis tyrannis circumdati; ac proinde verosimile nullo modo esse, quòd ab alio Patriarchâ quàm inde oriundo, potentéque, & qui continuè ibi resideret, jura illius Ecclesiæ possent debitè sustineri & defendi. Ita ille. Fuit nihilominùs prædictus Patriarcha Ierosolymitanus factus posteà Aquileiensis. Est enim ipse *Philippus* ille Alenconius regij sanguinis Princeps, (frater minor Caroli Alenconij, quem vidimus [u] habitum Dominicanorum induisse) quem anno sequenti Onuphrius [x] ponit Patriarcham Aquileiensem: & distinctiùs Ciaconius [y] creato illi ab Urbano VI. Cardinali commendatum quoque fuisse Patriarchatum Aquileiensem in locum Marquardi demortui: indéque nobilitatem Patriarchatûs commotam, quod tantum sacerdotium ita turpiter Cardinalibus manciparetur, armis coërcendam fuisse. Patriarcha autem Ierosolymitanus post Philippum fuisse reperitur *Guillelmus*; quem pariter Urbanus Cardinalem creavit. Eíque suffectus reperitur *Bertrandus* de Canhaco Lemovix, factus posteà à Clemente VII. Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ, Sed jam ad alia.

[u] Supr. an. 1359. VII.
[x] Onuphr. in Chron. Eccl.
[y] Ciac. in Vrb. VI. Vid. infr. an. 1378. XXII.

XXII. FRIDERICI REG. TRINACR. OBITUS.

Mensis Iulij die 27. mortuus est Messanæ in Siciliâ *Fridericus* Rex, anno regni vigesimo secundo, ætatis trigesimo quinto, relictâ regni herede Mariâ filiâ unicâ. Quod cùm Petrus [z] Aragoniæ Rex intellexisset, suos oratores ad Gregorium Pontificem misit, rogatum ut sibi hereditario Regis Friderici majoris patrui jure debitum regnum vindicare liceret, sed renuit Pontifex, eâ legitimâ excusatione quòd Petrus Rex proavus Regis nullo tempore ab Ecclesiâ ad regnum fuisset ascitus; & vetustarum donationum ab Ecclesiâ factarum lege feminæ etiam ad hereditarium regnum vocarentur, uti Reginæ Constantiæ Friderici Imp. Secundi parenti obvenerat. Ita Surita. Sed hoc ampliùs habet epistola Gregorij ad Ioannam Reginam scripta die 29. Octobris; respondisse ipsum nunciis regis, mirari se quòd idem Rex neptem suam sic pro libito moliretur exheredare; & maximè cùm ad ipsum Pontificem & Romanam Ecclesiam omninò spectaret successionis cognitio & superioritas dicti regni: In cujus occupatione si de facto ageret, se perinde redderet omni jure, siquod sibi competere poterat, eo ipso privandum. Monet denique Reginam, ut sibi caveat ab eodem Rege Aragoniæ tam citra pharum, quàm in civitatibus & locis quæ in ipsâ insulâ tenebat.

[z] Sur. Ind. lib. 3.

XXIII. TURBÆ CIVILES IMPERII GRÆC.

Quo anno Gregorius Pontifex Romam venit, (videlicèt præsenti) Ioannem Imperatorem Græcorum à proprio filio Andronico regno pulsum ope Genuensium, à Venetis restitutum fuisse, ponit Blondus [a] & qui eum secuti sunt: De quorum dissidiis jam actum superiùs [b]. Hinc autem ortum esse inter eosdem Venetos & Genuenses gravissimum bellum, eorum auctores tradunt; eò videlicèt quòd cùm Andronicus in munus prestitæ sibi operæ Tenedum insulam Asiaticam in Hellesponto Genuensibus dono dedisset, commerciis eorum imprimis opportunam; Veneti eamdem permissu Ioannis præoccupârint. Unde, & ex facili veteris æmulationis odiíque accensione arma utrisque parantibus, & externis auxiliis sese communientibus, Bellum Clodianum (ut vocârunt) aggressi sunt, quartum numero eorum quæ inter se gesserunt; sed quod superiora omnia magnitudine suâ transcendisse videatur; nullo anteà majore consiliorum apparatu suscepto, aut majore animorum certamine gesto, aut fortunæ variatione, crebrísque utriusque populi funeribus insigniori, uti ex illius ab auctoribus [c] propriis diffusâ descriptione videre est. Ex quâ nos inferiùs aliqua referemus.

[a] Blond. 2. dec. 10.
[b] Supr. an. 1369. VIII.

REPARATIO BELLI INTER VEN. ET GEN.

[c] Sabel. 2. dec. 5. Iustin. Hist. Ven. lib. 5. Nebiens. Hist. Gen. lib. 4. Foliet. lib. 8.

XXIV. INUNDATIO GRANDIS IN BELGIO.

Hoc eodem anno decimasextâ Novembris in Flandria accedens æstus Oceani, ventorum tempestate mirum in modum auctus, horrendam intulit calamitatem, absorptis septemdecim & eo ampliùs pagis, extincto omni genere animantium. Imputatum avaritiæ eorum qui Consules aquarum nominantur: qui in exigendo vectigali ad muniendos aggeres & claustra marina satis strenui, pecuniam in privata commoda vertentes rem publicam negligebant. Cujusmodi sceleris usus viget semper in omnibus regnis ac Rebuspubl. pari detestatione & toleratione.

IESU CHRISTI Annus 1378.
GREGORII XI. Ann. 8.
URBANI VI. Ann. 1.
CAROLI IV. Ann. 33.
IOANNIS V. Annus 38.

I. CONVENTUS SERAZAN. PRO CONCORDIA.

ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, Indictione primâ, mense Martij celebratus est Serazanæ conventus ille pro concordia inter Pontificem & Florentinos stabiliendâ indictus, cujus meminimus anno superiori. Non enim ante id temporis habitum esse, tum disertè docet Boninsegnius [a] historicus Florentinus qui tum vivebat, dum convenisse ait duodecimo Martij: tum intelligitur ex literis ab eodem Pontifice ad Petrum Episcopum Magalonensem thesaurarium, & ad Archiepiscopum Rotomagensem Nuncium Sedis Apostolicæ duodecimo Ianuarij scriptis; quibus mandat sedulò agere apud Carolum Imperatorem, quem audierat Parisios adventare, & Carolum Francorum Regem, ut ipsi Pontifici & Ecclesiæ succurrerent, nec sinerent eam (ut loquitur vehementi amaritudine animi) per istos sceleratissimos sodomitas, usurarios, & hæreticos manifestos, qui rapinis & favoribus impinguati nec Deum timerent nec homines reverentur, quinimmò fidem orthodoxam extinguere, & omne divinum naturale supprimere molirentur: (his satis innuens quos voluerit significare: sed quos ipse tacuit, nec nos nominare præsumimus:) tum denique ex aliis decimoseptimo Februarij ad ipsum Regem Carolum datis; quibus se valdè cupere declarat ut ejus

[a] Bonins. lib. 4.

nuncij properè adveniant ad dictum conventum, quòd parùm fideret Bernabovi. Ceterùm cùm jam res inter partes composita videretur, superveniens mors Gregorij eam disturbavit, & singuli ad sua mœsti reverterunt.

II. GREGORII PP. XI. OBITUS.

Hoc enim eodem anno; vigesimo septimo ejusdem Martij, circa secundam noctis horam idem *Gregorius* Pontifex intolerabili vesicæ dolore mortuus est Romæ, susceptis magnâ devotione consuetis Ecclesiæ sacramentis; postquàm sedisset annos septem menses tres minùs duobus diebus; vixisset sex & circiter quadraginta annos. Sepultúsque est in Ecclesia sanctæ Mariæ Novæ, cujus olim diaconiæ titulo insignitus fuerat. Laudatissimus omnium virtutum genere cunctis quarumlibet gentium scriptoribus: cui & Florentini, etsi parùm amici, solemnes inferias dixerunt. Nec solùm Roma, sed & universus orbis ut parentem luxit; túncque maximè cùm sensit calamitatem, in quam eo sublato ob discordiam Cardinalium incidit. Quam & prænunciare visa est conflagratio Pontificij palatij Avenionensis, quod eodem ipsius obitûs die fortuitum incendium admodùm deformavit. Refert porrò de eodem Gregorio Ioannes Gerson [b] & ex eo Nauclerus [c] ipsum in extremis positum, habentem in manibus sacrum CHRISTI corpus, protestatum esse coram omnibus, ut caverent ab omnibus, sive viris sive feminis, sub specie religionis loquentes visiones sui capitis; quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, quod re ipsa post ejus obitum secutum est omnium calamitosissimum. Iis autem verbis suasiones Petri Aragonij, & Birgittæ, ac Catharinæ Senensis de quibus suprà, intelligere voluisse existimatur. At verò suaserunt illi, quod etiam absque ullis cælestibus visionibus cordati quique suasissent. Sed si non quæ promiserant potuerunt statim effectum suum consequi, quis in secreta dispositionis & providentiæ divinæ penetraverit? Sanè quidem & Bononia [d] præclara Italiæ civitas jam in ejus obsequium redierat: (Ubi etiam in ædibus Peppulorum tunc exulantium, Collegium exemplo Ægidiani, de quo suprà, instituit; quod Gregorianum vocatum magnis vectigalibus ad alendos quinquaginta scholares instruxit:) & compositio dissidij Florentinorum, quod caput erat fónsque ceterorum omnium, jam inter partes stabilita, nisi mors Gregorij intervenisset, facilè pacem & tranquillitatem Italiæ peperisset. Ut non ex reductione Pontificatûs in suam veram sedem, schisma quod secutum est processisse dici possit: sed magis ex Gallorum ingluvie, sibi solis contra jus fásque eum retinere cupientibus; & ex Romanorum justo quidem, sed intemperantiùs procurato desiderio: ac denique ex intempestivâ Urbani Sexti asperitate ac ferocitate. Visúsque est ipse Deus omninò voluisse ut Sedes in Italiâ remaneret, tamquam in proprio commodioríque omnibus loco: quandoquidem cùm seriò cogitaret Gregorius de reditu in Galliam (ut ex literis Bonifacij Noni suo [e] tempore referendis disertè intelligitur) eum ad se vocavit antequàm id exequi posset: præmium nihilominùs ei impertiturus & optimè administratæ in Galliâ Ecclesiæ, & ad dilectam sibi, ac delectam ab initio Romam reductæ. Ubi cùm jam illam constituerimus, est ut aliquantulùm quiescere sinamus, priusquàm graviores ejus motus, quibus universus terrarum orbis concussus est, repræsentemus.

DOLET AURES PRÆBUISSE REVELATIONIBUS A NONNULLIS ASSERTIS.

[b] Gers. lib. de exam. doctr. par 2. consid. 3. in fin.
[c] Naucler. gener. 46.
[d] Sigon. de Episc. Bonon. lib. 3. an. 1377.
[e] Infr. an. 1391. l.

III. CAROLUS IMP. LUTETIAM APPELLIT.

Hoc igitur anno Carolus Imp. Cameraco Lutetiam lecticâ regiâ quòd graviter podagra laboraret progrediens, cùm ad oppidum S. Dionysij appulisset, unà cum filio Wenceslao Rom. Rege; equos habuerunt à Rege missos, insignibus quidem illos phaleris ornatos, sed nigros: (ut rem describit Continuator [f] Nangij qui videbat; ex quo alios redarguas qui secùs descripserunt) ita de industriâ decernente Rege, quoniam is color ex diametro oppositus est albo; consuevissent autem Imperatores, cùm civitatem aliquam Imperij solemniter ingrederentur, equis albis vehi; & nollet eum Rex aliquid in suo regno præstare, quo vel leve signum jurisdictionis aut dominationis ederetur. Econtrà verò Regem ait obviam ei extra civitatem factum, equo albo insedisse insignibus Franciæ phalerato. Cúmque mutuò occurissent, porrectâ sibi invicem manu absque exscensu ex equis, quòd Imperator ob pedum dolorem vix equum ferret; Regem quidem dextrâ voluisse cedere Imperatori, at Imperatorem diù recusantem filio præcepisse ut lævam Regis tegeret, sícque Regem medium inter eos incessisse, & Lutetiam ingressos esse die 4. Ianuarij. Ad convivia Regia sedisse semper primum in mensâ aliquem Episcopum aut Archiepiscopum: & solemnissimo, quod contigit die Epiphaniæ, primo loco sedisse Archiepiscopum Remensem, deinde Imperatorem, posteà Regem, subinde Wenceslaum Rom. Regem, tanto relicto spatio inter utrumque Regem, quantum erat inter Imperatorem & Regem Francorum: Longè verò inferiùs eâdem mensâ accubuisse tres Episcopos, Bambergensem, Parisiensem & Belvacensem. Aliâ sedisse Carolum Delphinum filium Regis primogenitum, cum Principibus & proceribus Germanis: aliisque ceteros pro cujusque conditione. Voluisse Imperatorem, ut filius suus Regi juraret omne obsequium toto tempore vitæ suæ contra alios quoscumque: tantumdémque filios regios ipsi præstitisse. Prætereà Imperatorem multis & splendidissimus muneribus à Rege, Regina, & Delphino donatum fuisse: necnon Wenceslaum filium ejus, & universos proceres ac nobiles qui eum comitabantur. Ipsúmque vicissim Imperatorem, antequàm abiret, DELPHINO dedisse triplices tabulas aureo sigillo munitas: quarum unis eum Vicarium suum & Imperij constituit ad vitam in Delphinatu ejúsque pertinentiis quibuscumque: alteris itidem Vicarium in Regno Arelatensi: tertiis denique dispensavit cum eo super defectu ætatis quoad effectum prædictorum Vicariatuum. Ita breviter auctor.

[f] In Chron.

QUOMODO RECEPTUS ET HABITUS IN REGNO.

IV. At vidimus nos easdem literas Imperatoris integras in codice [g] MS. insignis Bibliothecæ S. Victoris, datas Parisiis anno 1378. Indict. 1. 7. Id. Ianuar. quarum primis Carolum primogenitum Caroli Francorum Regis nepotis sui suum & Imperij Rom. verum & legitimum constituit & creavit Locum-tenentem & Vicarium generalem per totum Delphinatum

[g] Cod. P. 13. fol. 7. 8. & 11.

DELPHINUM CONSTITUIT VICARIÛ.

IMPERII IN DELPHINATU ET REGNO ARELATENSI.

Viennensem, ejúsque limites, terminos & pertinentias, unà cum omni plenissimâ administratione & gladij potestate, mero, mixto & absoluto imperio, per ipsum vel alios liberè exercendo; salvâ semper in omnibus sacrosanctâ Ecclesiasticâ libertate. Alteris eumdem Carolum per totum Regnum Arelatense tam in Galliâ, & Comitatibus Provinciæ, & Burgundiæ, quàm terræ Pedemontium, & ubivis alibi per omnes terras, dependentias, terminos & limites antiquos ejusdem Regni (excepto dumtaxat Comitatu Sabaudiæ, ejúsque pertinentiis) Locum-tenentem & Vicarium generalem ad vitam ejus constituit, cum absoluto imperio & jurisdictione plenissimâ. (quæ quomodò intelligenda sint explicant alij [d].) Tertiis supplet omnem defectum junioris ætatis ejusdem Caroli Principis quoad effectum prædictorum Vicariatuum, quippe qui eo tempore vix attigerat annum ætatis decimum. Post quæ Imperator Parisiis abscedens iter ad sua resumpsit die 16. ejusdem mensis Ianuarij. Et qui historiam conscripsit [e] Archiepiscoporum Arelatensium, observat, post collatam Carolo Regis filio hanc Vicariam in Regno Arelat. potestatem, nullam ampliùs Regum Arelatensium memoriam reperiri in archivis Arelatensibus, eorúmque regnum sepulto hoc Carolo Imper. consepultum esse. Ceterùm de pace inter Reges Francorum & Angliæ, cujus causa Carolus Imp. hoc iter suscepisse videri voluerat, nihil peractum est: quinimmò auditis in publico consessu rationibus ac juribus Franci, Imperatorem omnem ei opem & auxilium spopondisse, traditur ab eodem Continuatore.

[d] Vid. Bellefor. lib. 5. cap. 43.

[e] Pet. Sax. in Guillel. 97. Archiep.

V.

CONATUS ROMANORUM PRO ELECTIONE PONTIF. ITALICI.

His præmissis, quæ principio anni gesta fuêre, ut jam ad successorem Gregorio XI. Pontifici, quem vidimus [f] 27. Martij decessisse Romæ, quærendum progrediamur; cùm adhuc eo vivente, sed tamen in gravi infirmitate constituto, Banderesij, sive perfecti regionarij Urbis, habito inter se, & cum aliis civibus atque exteris Italis consilio, de modo retinendi Sedem Apostolicam in Italia, si contingeret ipsum mori; in id convenissent, ut omni arte & nisu curarent successorem eligi natione Romanum, aut saltem Italicum: impellentibus etiam ad hoc eos quibusdam ex præcipuis Curiæ Prælatis, per eosdem ad ejusmodi conventus & consilia vocatis, (intérque illos Bartholomæo Archiepiscopo Barensi) seséque eligi magnis solicitationibus quærentibus: iidem Banderesij mortuo Gregorio, Cardinales sive seorsùm singulos, sive omnes simul congregatos subinde convenientes; ad electionem Romani vel Italici primùm hortari cœperunt, deinde terrorem à populo iniicere, nî ita fieret in eos insurrecturo; petentes de suâ ipsorum mente, priusquàm ingrederentur conclave certiores reddi. Ad quæ Cardinalibus, non hæc extra conclave tractari debere respondentibus, ibi verò absque ullâ personarum aut nationum acceptione deliberaturos se quod Ecclesię ac Reipublicæ Christianæ utilius existimarent; si autem vis aliqua inferretur: aut graviores minæ intentarentur, fore electionem irritam: ceteri rem pressiùs urgentes, tum eadem continuè ingeminarunt; tum ne Cardinales Româ excedere possent, dispositis custodiis ad omnes portas, portus, pontes, & aditus Vrbis, nobiles etiam Romanos, ne Cardinalibus opitularentur, Vrbe expulerunt, & montanos efferos atque effrenatos homines eorum loco introduxerunt; qui diù noctúque Vrbem armati concursantes, comminationibus Cardinales, opprobriis eorum domesticos & familiares incessere non desinebant. Custodes etiam conclavis infimi generis & suspectæ fidei homines statuerunt; rejectis iis nobilibus, quibus id ex officio competebat. Et cùm illud ingressuri essent Cardinales, plebs unà cum prædictis montanis & agrestibus concurrens, tumultuosâ & horribili voce Romanum aut saltem Italicum Papam se velle conclamans, etiam cum illis ingressa est conclave, & magnam partem palatij occupavit, cetera illud undique circumdante. Demùm & Banderesij cum multa civium turba irrumpentes, Cardinalibúsque in unum congregatis cum majori audacia pristinam cantilenam canentes omninò significârunt, nisi populi Romani petitioni in electione alicujus Romani vel salem Italici satisfieret, eum irremediabiliter impetum in eos facturum; ac propterea securitati suæ prospicerent. Cardinales verò promittentes, ut olim, se quæ è re Ecclesiæ forent facturos, contestati palàm sunt, si per vim ac metum libertas electionis tolleretur, eum qui sic electus foret haud verum Pontificem futurum, sed intrusum. Abeuntibus Banderesiis, & conclavis foribus vix tandem clausis, nihilominùs qui reliquam palatij partem occupaverant, circum & subtus locum conclavis tota nocte vociferantes Romanum aut Italicum; contísque & lanceis contignationes ac parietes concutientes, ignémque ac necem ingentibus clamoribus minitantes, insomnem noctem Cardinalibus induxerunt.

[f] Supr. an. 1378. II.

MINÆ INTENTANTUR CARDINALIBUS.

VI.

REM ATROCITER URGET POPULUS.

Mane facto cùm Missas audirent, populo palatij horridioribus clamoribus tonante, cetérisq; ad sonum majorum campanarum contigui templi S. Petri, & Capitolij, concitatiùs, ut solet cum ad arma conclamatur, pulsatarum, ingenti furore concurrentibus; vehementi compulsu Cardinales coëgerunt, fenestras conclavis, quibus ad Vrbem patebat prospectus, aperire: & aliquos ex eis evocantes, tribus Ordinum Prioribus accedentibus intimarunt, nisi illicò & absque ulla mora Romanum eligerent vel Italicum, omnes in frusta concisum iri. Quod cùm hi ceteris Cardinalibus renunciassent, remisísque populo pollicerentur habiturum eum postridie mane Papam Romanum vel Italicum, interimque hortarentur sese quosque ad sua recipere; negantibus illis abituros se quin quæ postularent reâpse obtinuissent, ac proinde ferocioribus clamoribus locum implentibus, & portam conclavis vehementiùs quatientibus: tunc demùm Cardinales mortem jam sibi imminere cernentes, ut instantem vitarent, omninò decreverunt populo satisfacere, Vltramontanis tamen, qui duas partes totius Collegij complebant, palàm contestantibus ad hanc præcisè impositam conditionem se timore mortis concedere, numquam aliàs facturos si libero & securo loco res ageretur. Quinimmò nec datâ sibi de meritis aut vitæ ratione alicujus eligendi, maturiùs deliberandi facultate; ut aliquod demùm tempus ad id consequerentur,

oculos

BARTHOLOM. BARENSIS IN EA TREPIDATIONE RENUNCIATUR.

oculos subitò & ex abrupto in *Bartholomæum* Archiepiscopum Barensem patriâ Neapolitanum conjecerunt, eâ crudelitate, quòd si eam dignitatem ipsorum Cardinalium indemnitatis intuitu acceptaret, brevi tamen, quam coactam ac proinde nullam esse non ignoraret, qui quæ fiebant præ oculis haberet, interfuissetque consiliis Romanorum de his habitis, ac præ ceteris Curiæ Prælatis juris & canonum peritiâ excelleret, dimissurus esset. Sicque eum electum, urgentibus denuò Romanis coronârunt: Ita rem gestam describit, licèt prolixiori narratione, auctor Gallus Vitæ Gregorij XI. qui se tunc Romæ præsentem extitisse, & quę extra conclave fiebant propriis oculis vidisse, quæ verò intra illud gesta sunt à pluribus Cardinalibus qui interant auribus percepisse testatur. Quæ verò præterea tam circa electionem, quàm coronationē & acceptationem Bartholomæi contigerunt, intacta relinquit; quæ pleniùs alij referunt. Fuêre namque post schisma conflatum quamplurimi tractatus pro utriusque partis defensione editi, disputationes factæ, scriptæ epistolæ, acta publica confecta, ex quibus si non omninò rei gestæ veritas, aut certitudo juris electorum indubitanter asseri possit, saltem propiùs ad utremque accedatur.

VII.

ff Cod. MS. S. Victor. Paris. not. P. 9. fol. 196. & cod. P. 20. fol. 162.

ASSERTIONES CARDINALIUM DE RE GESTA.

Sed quæ ceteris uberiùs rem describunt, extant ff Attestationes duodecim Cardinalium, postquàm Anagniam locum securum concesserunt, præmisso jurejurando factæ coram Petro de Croso, ex monacho Benedictino Archiepiscopo Arelatensi, S.R.E. Camerario ac Iudice ordinario, & ab iisdem subscriptæ die secundâ Augusti hujus ipsius anni 1378. quibus prædicta omnia de conciliis post obitum Gregorij à magistratibus Urbis initis pro cogēdis Cardinalibus ad electionem alicujus Romani vel saltem Italici; quorum uni interfuerit etiam Bartholomæus Barensis commendans se Banderesiis; de custodia Vrbis, ne Cardinales Vrbe egrederentur ad liberam electionem alibi celebrandam; de contestationibus magistratuum apud Cardinales de periculo ipsis imminente à populo nisi satisfieret; & Cardinalium responsione, non fore verum Papam qui inter istiusmodi terrores & minas nominaretur; de nobilium expulsione, rusticorum introductione, plebis coacervatione, palatij occupatione & circumsessione, Banderesiorum insolenti irruptione, populi tumultuosâ intra palatium conclamatione, & parietum ac contignationum concussu, campanarum pulsatione, populi concursu cum armis & minis mortis; ceteraque superiùs narrata confirmantes, eadémque uberiùs & distinctiùs explicantes; addunt insuper, cùm in conclavi essent sexdecim Cardinales, quorum duodecim erant Vltramontani & quatuor tantùm Itali, omnes Vltramontanos excedentes duas partes antequàm ingrederentur conclave, & pòst usque ad populi impressionem; continuè in ea deliberatione pro bono Ecclesiæ hæsisse, ut aliquis de collegio, non externus; & Vltramontanus non Italus eligeretur: paritérque Italos in eo proposito fuisse ut unus de collegio, Italus tamen si commodè fieri posset eligeretur. Cùm autem periculo mortis compellerentur Italum nominare, contestantibus Vltramontanis id se ad vitandum periculum facturos quod aliàs facturi non essent; quosdam etiam ex Italis asseruisse, si fortè ipsi eligerētur haud se admissuros electionem, quæ per notoriam impressionem & mortis intentationem fieret. Nominato autem ex abrupto Bartholomæo Barensi, utpotè sibi notissimo, nonnullos ex Cardinalibus dixisse eligere se ipsum, animo quidem ut esset verus Papa, sed tamen ex terrore mortis: Romanum unum contestatum esse, nemini se daturum suffragium, nisi priùs cessaret impressio, & ipse libertati suæ redderetur: Tres Vltramontanos protestatos nullam fore electionem: Aliquos etiam eâ conditione Bartholomæum elegisse, ut tamen cùmprimùm ad locum tutum accedere possent, eum liberè iterùm eligerent. Post hæc Cardinales ante publicationem electionis nonnullos Prælatos in palatium advocâsse, atque inter eos Bartholomæum. Cúmque intereà cessâsset aliquantùm populi tumultus, & plures ex Cardinalibus in sacello Palatij, tribus Ordinum Prioribus absentibus & insciis, cœpissent ad novam electionem Bartholomæi procedere; antequàm rem confecissent, populum renovatis majori impetu clamoribus in conclave quatuor partibus perfractum cum armis perrupisse: & Cardinalibus in intimum sacrarium aufugientibus, illud etiam securibus confregisse, & Cardinales metu cōsternatos circumdedisse, ac solitis clamoribus contudisse. Donec unus ex eis, quò tam suæ quàm sodalium vitę consuleret, dixit populo electum esse Cardinalem S. Petri, (qui Romanus erat, nomine Frācišcus Thebaldescus, Archipresbyter S. Petri) sed nolle electioni consentire; inducerent ergo illum, & à tumultu quiescerent. Dum autem ij sic illusi invitum & reluctantem in sede collocarent uti Papam veneraturi, ceteros Cardinales è palatio sensim sese subduxisse, quà latenter in domos proprias, quà in arcem S. Angeli, quà extra Urbem dissimulato habitu: Electione verò Bartholomæi intellectâ, & à Romanis approbatâ; cùm is interim in habitatione Papali intra palatium substitisset, postridie Cardinales qui in arce & domibus suis erant ad se per magistratus populi accersîsse; & renuentes, quinimmò hortantes ut ipse in liberiorem locum extra Vrbem concederet ubi de ejus electione ritè agi posset; (quod ipse omninò detrectavit: objecto majoris scandali periculo, adeò frequenter & importunè per Banderesios & alios magistratus Vrbanos ursisse, ut quamvis qui in arce erant ceteris qui è domibus suis ad Bartholomæum jam accesserant, schedulam misissent propriis manibus subscriptam, quâ facultatem eis impertiebant eum etiam suo nomine in throno Pontificali collocandi; voluerit nihilominùs omninò ut & ipsimet sese sisterent. Idque eos tandem pejora veritos, quæ Bartholomæus minabatur præstitisse; & unà cum reliquis eum more consueto in thronum sublimâsse. Hoc verò à ceteris qui extra Vrbem erant audito, & ipsos, timentes suis domesticis & bonis in Vrbe relictis, rediisse, & simul cum aliis Bartholomæum corōnâsse. Atque ab eo tempore omnes ei honorem & obsequium uti vero & legitimo Pontifici exhiberi solitum, exterius in cunctis publicis & privatis actionibus exhibuisse; eâ ta-

BARTHOLOMÆUS CORONATUR.

men interiùs mente, ut nihil inde novi juris ei acquireretur, quàm quod esset ipsius electionis jure quæsitum. Cùm autem non auderent electionem ejus in Vrbe impugnare, Cardinales Vltramontanos quàm primùm potuerunt variis prætextibus Anagniam se recepisse ad deliberandum de iis quæ porrò agenda forent. Hæc Cardinales in suis assertionibus, coram Petro Camerario juridicè factis, quibus similia quicumque contra partem Bartholomæi scripserunt aut disputarunt. Reperimúsque insuper in quodam Tractatu [g] Simonis Cramaudi Patriarchæ Ierosolymitani posteà conscripto, quemdam Pontium Veraldi, qui fuerat socius & amicus Bartholomæi, ipsi Simoni sub juramento asseruisse, cùm essent simul in basilicâ S. Petri quando Cardinales ingrederentur conclave, & fieret tumultus popularium armatorum, Bartholomæum dixisse ipsi Pontio; Vides quales modi servantur; Verè quicumque erit electus in isto tumultu, non erit Papa; nec ego vellem sic ei obedire, nec debent hoc facere quicumque boni Catholici.

[g] Cod. S. Victor. P. 10. fol. 277.

VIII. RELATIO S. ANTONINI.

[h] Ant. tit. 21. cap. 2.

De eadem quoque electione Bartholomæi agens S. Antoninus [h] ex antiquioribus Chronicis; & tumultus populares æquè agnoscens, ait Cardinales sibi ab ipso initio pavere incipientes, antequàm conclave ingrederentur, commisisse Cardinali cuidam Lemovicensi, ceteris Vltramontanis sagaciori, modum quærere Romanos placandi: hunc re cum Bartholomæo Barensi, quem amicum habebat, & astutum agnoscebat, communicatâ, ab eo consilium accepisse, unum nomine tantùm, alium re & facto eligendum, quem posteà sublato periculo nominarent: Cardinales itaque conclave ingressos, post aliquot dies cùm ipsummet Bartholomæum eligendum decernerent ad id tantùm ut Romanorum furorem vitarent, alium posteà tutiori loco creaturi; aliquem ex Cardinalibus, (nempè Vrsinum) qui Pontificatum adipisci sperabat, curâsse populo significari Vltramontanum electum esse: Hócque audito populum furibundè conclave fregisse, & cum minis ac terroribus in Cardinales irruisse: Ubi verò intellexit Bartholomæum Italicum electum esse, conquievisse. Quæ quidem Antoninus accepisse noscitur ex Historiâ Petri Boninsegnij [i] civis Florentini tunc viventis. Ex quâ, necnon ex Baldo [k] insigni Iurisconsulto Perusino, & Frossardo [l] Belgâ tunc pariter vivente, & æquè Bartholomæi Pontificatus assertore, nedum vim illatam Collegio, quinimmò & sagittis atque lapidibus confectum negotium intelligitur. Et ut uno verbo dicam, vix ullus fuit usquam vel illius temporis vel posterioris, cujuscumque nationis aut linguæ auctor, qui id inficias jerit; quamquam non æquè omnes eamdem vim agnoverint, aut metum.

[i] Boninsegn. lib. 4.
[k] Bald. in tit. 34. Si quis aliq. test. lib. 6. Cod.
[l] Froiss. lib. 2. cap. 12.

IX. RELATIONES FAUTORUM BARTHOLOMÆI.

[m] Gobelin. Cosmodrom. æt. 6. cap 74.
[n] Krantz. 10. Metrop. 11.
[o] Cod. MS. P. 9. fo. 170.

Apud Gobelinum [m] tamen & Krantzium [n] Alfonsus quidam ejus temporis monachus in tractatu quem de hoc Schismate edidit, contra plerorumque omnium testimonium, clamores populi non fuisse urgentium, sed precatium asserit. Et in uno codice S. Victoris reperitur [o] *Factum* (ut fert titulus) *Magistri Iacobi de Senâ* missum Vniversitati Parisiensi hoc ipso anno, tertio Iulij, in favorem causæ Bartholomæi: quo vim omnem tacens, post narratam honestam magistratuum Romanorum postulationem de eligendo Romano vel saltem Italico, ait Cardinales ante ingressum conclavis discordes fuisse, tam Gallos inter se, nempè Lemovicenses, qui plures erant numero, cum aliis, (& hoc ipsorum dissidium agnoscunt pariter ceteri omnes auctores) quàm etiam cum Italis. Cùm enim omninò sexdecim essent, & ex eis quatuor tantùm Itali, Gallos non Lemovicenses convenisse cum Italis, ut potiùs Italus eligeretur quàm Lemovicensis; (tædebat enim eos longioris Lemovicensium Pontificatûs, cùm Clemens VI. Innocentius VI. & Gregorius XI. ex eâdem omnes provinciâ fuissent, addunt etiam plerique Urbanum V. sed is Gabalitanus fuit, non Lemovicensis:) Lemovicenses autem statuisse, si non possent Lemovicensem, Italum eligere extra Collegium; nempè præcisè Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, familiarem olim Cardinalis Pampilonensis qui erat Lemovicensis, & pro Gallo ab iis habitum, tum quòd multo tempore conversatus fuisset Avenione, tum etiam quòd esset ex regno Neapolitano quod erat in manibus Gallorum. In conclavi post tractatus particulares seorsùm habitos, cùm numeratis votis Cardinalis de Agrifolio Lemovicensis à Barensi stans, cernens ultra duas partes in eum concurrere, procedere vellet ad ejusdem nominationem, Ursinum Romanum, ut eam impediret, sperans ipse eligi, proposuisse, expedire ad eludendum populum qui clamabat velle se habere Papam Romanum, ut vocaretur aliquis Frater Minor, & imponerentur ei cappa & mitra, & ipsi alibi alium eligerent: Sed reliquos Cardinales Lemovicenses respondisse, nolle se facere populum idolatram, nec damnare animas suas: atque illicè in Barensem concordâsse sufficientem numerum Cardinalium. Quòd verò timerent, si publicaretur electio antequàm Barensis in palatium venisset, aliquid ei sinistri à Romanis obventurum in itinere, eò quòd non esset Romanus; advocâsse eum in palatium, & cum illo, nequa de ejus electione suspicio esset, nonnullos alios Prælatos, tamquam ad ardua quædam negotia. Qui cùm advenissent, haud tamen in conclave introducti, iterùm Cardinales libero consensu Barensem nominâsse in Papam. Cùm verò interim populus vidisset portam conclavis apertam ad exportanda vasa argentea Cardinalium in locum securum ne diriperentur, portam unam aperuisse ne Cardinales exirent antequàm facta esset publicatio Papæ: Tunc Cardinales Vltramontanos sibi timentes quòd non elegissent Romanum, induxisse Cardinalem S. Petri qui Romanus erat, Papam fingere: & dum populus ei attenderet, ceteros omnes r cessisse à palatio, sex castro S. Angeli sese includentibus, tribus extra Vrbem abeuntibus, ceteris quinque in domibus suis sese continentibus; solo remanente in palatio Cardinale S. Petri: qui post ceterorum abscessum declaravit populo se non esse Papam, sed Barensem: ídque gratum habentes magistratus Vrbis, obedientiam ei exhibuisse: Ipsum tamen recusâsse accipere; donec accedentes ad eum Cardinales tam qui intra Vrbem quàm qui in castro erant, eumdem

denuò libere & unanimiter elegerunt: quorum precibus is tandem devictus cum timore & tremore consenserit. Ita Senensis ille; vim quidem eludens, sed nihilominùs satis eam indicans. Hisque similia Catharina ipsa sancta illa Senensis pluribus epistolis pro legitimâ Barensis electione ad diversos tunc scriptis: aliique omnes quicumque pro Barensi tractatus aut defensiones ediderunt.

X. THEODORICI A NIEM ASSERTIO.

Theodoricus autem à Niem, qui se tunc præstò fuisse Bartholomæo scribit, (auctor ceteroqui ab Ecclesiâ damnatus in Historiâ, quam de hoc schismate asperiori in Ecclesiam Romanam ejúsque Pontifices animo conscripsit) vim quidem agnoscens, eam tamen totam inde processisse significat, quòd cùm audîsset populus Barensem electum esse Papam, crediderit fuisse Ioannem quemdam de Bare patriâ Lemovicensem cubicularium Gregorij XI. hominem superbum & lascivum, ac proptereà non tantùm Romanis, verùm etiam cunctis ferè curialibus exosum. Denique quisque pro suo affectu aut commodo de his disputâsse noscitur. Sed frustrà: cùm non in eo cardo causæ de schismate subsecuto positus umquam fuisse videatur, utrùm vis illata fuerit; sed utrùm talis extiterit, quæ viris constantibus justum metum incutere potuerit; & utrùm, si ejusmodi electio Barensis fuit ab initio in aliquo vitiosa, ex post factis convaluerit. De quibus innumeri penè tractatus ex utrâque parte editi sunt, quà negantes quà asserentes; quorum nonnulli typis editi, plures manuscripti [p] conservantur. Intérque editos maximè elucet Baldi Iurisconsultorum illius temporis facilè principis sententia [q] quâ etsi vim metúmque in creatione Urbani apertissimè agnoscit, multis tamen rationibus & argumentis, tam ex iis quæ tunc geri contigit, quàm ex subsequentibus, omninò censet Vrbanum verum fuisse Pontificem.

[p] *Vidimus plures in Bibl. S. Victor. Paris. & Fuxen. Tolos. In Vatic. verò extant. 32. volum. de hoc schism. in quib. omnia congesta reperiuntur quæ pro utraque parte acta vel scripta fuêre.*

[q] *Bald. d. tit. Siquis aliquem, & tract. de Schism.*

XI.

Vt igitur de jure eos contendere sinamus; quod factum attinet, his de modo electionis necessariò præmissis, ad successorem Gregorij XI. accedentes; cùm essent tunc in Ecclesiâ viginti tres omninò Cardinales; sex Avenione remanserant quando Gregorius Italiam petiit; unus alius à legatione Serazanianâ, de quâ superiùs, nondum redierat; reliqui sexdecim, quorum quatuor Itali, unus Hispanus, undecim Galli erant, conclave ingressi sunt septimâ die Aprilis. Quo tempore horrificum fulmen in illud cecidisse, & duo illorum cubicula disjecisse, narrat qui tunc vivebat Continuator Gallicus Chronici Nangij, tacitis tamen Cardinalium nominibus: quos nihilominùs seu verè seu fictè expressos reperimus in quodam codice antiquo Ecclesiæ Burdegalensis, in quo Pontificum, Imperatorum & Regum gesta usque ad annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium breviter describuntur. Ait enim, horâ electionis Vrbani apparuisse quamdam nigram nubeculam sereno aëre super conclave, & subitò spargi cœpisse, & tonitruum ac fulmen inde prodiens percussisse lecticas (hoc est cubiculâ) Roberti Gebennensis & Petri de Lunâ, qui fuerunt posteà creati in schismate; necnon arma seu claves armorum Ecclesiæ in juncturâ earum, & arma (hoc est insignia) Papæ Gregorij tunc defecti; in præsagium futuri Schismatis.

FULMEN INCIDIT IN CONCLAVE.

Electus autem fuit die octavâ prædictus *Bartholomæus Butillus* [r]. Neapoli in loco qui vulgò *Infernus* dicebatur, familiâ *Prignanâ*, patre Pisano, matre Neapolitanâ (ut plures volunt; sive ut Antoninus [s] avo Pisano, patre Neapolitano) utrisque nobilibus [t] ortus; Iuris utriusque Doctor, diúque Avenione versatus, & primò Acheruntinus, mox Barensis Archiepiscopus à Gregorio factus, & post ejus in Italiam accessum Cancellariæ Apostolicæ in Italiâ Regens pro Petro Cardinale Pampilonensi Vicecancellario qui Avenione remanserat, & in cujus contubernio ipse diù coaluerat. Idémque sic electus, & die sequenti publicatus, sumpto nomine URBANI Sexti; & symbolo sive signo, ad rem valdè apposito, *Exurge* [u] *Domine judica causam meam*: decimooctavo Aprilis in die Paschæ, omnibus iisdem Cardinalibus præsentibus, & comprobantibus, publicè coronatus est; jam sexagenarius [x] exiguâ staturâ, crassus corpore, coloréque fusco: ut describit eum Niemus: qui & præclaras in eo virtutes ante Pontificatum eluxisse tradit, amorem justitiæ & castitatis, odium simoniæ & munerum, benevolentiam erga bonos doctósque viros; diligentiam in rebus agendis, pietatem & modestiam. Sed plerásque has virtutes Pontifex factus, visus est aut numquam habuisse, aut uno veluti momento amisisse; tunc cùm magnoperè illis indigebat. At de his posteà.

[r] *Onuphr. de Pont. Summont. Hist. Neapol. lib. 3. & alij.*

BARTHOLOMÆI ORIGO.

[s] *Ant. tit. 22. cap. 2.*

[t] *Vid. Addit. Victor. ad Ciacc.*

NOMEN ACCIPIT VRBANI VI.

[u] *Psal. 73.*

[x] *Niem. lib. 1. cap. 1.*

XII. CARDINALES EUM COMPROBANT, SED METU.

Intereà iidem Cardinales postridie coronationis Urbani, nempè die decimanonâ Aprilis, literis ad Cardinales Avenione existentes scriptis [y] electionem Urbani eis intimantes, liberam & concordem fuisse significârunt, nec debere credi iis qui aliter narrarent aut scriberent. Satis quidem innuentes famam rei gestæ dispersam ubique, sed nolle se, aut non audere (ut posteà excusârunt) eam explicare. Nam & habet Henricus [z] de Hassiâ Dialogo de hoc Schismate tunc composito, unum eorum secretò Regi Francorum scripsisse; ne literis ab ipsis quamdiù Romæ essent datis ullam fidem adhiberet; quia metu constricti scriberent, & facerent omnia pro libito electi & populi, ut vitæ suæ consulerent. Quod etiam testatur Continuator Chronici Nangij: Scripsisse item palàm ad omnes Principes & alios, cùm approbatione electionis Urbani: nec potuisse aliter, timore ne literæ in manus Romanorum vel Italorum, vigiles in id oculos intendentium, inciderent, omnésque de vitâ periclitarentur. Quare & rediens Cardinalis Ambianensis de suâ prædictâ legatione Serazanianâ, die vigesimâ quintâ Aprilis publico consistorio reverentiam & obedientiam eidem Vrbano exhibuit. Ac ceteri omnes quamdiù Romæ manserunt, omnia eidem consueta præstiterunt obsequia; atque ita se cum eo tam in gratiis pro se ipsis aliísque petendis, quàm denique in omnibus & publicis & privatis actionibus, veluti cum vero & legitimo Pontifice gesserunt: quantumvis id posteà ipsi (ut diximus) excusârint metu evidentis periculi, siquid secùs egissent, aut etiam Româ abscedere tentâssent.

[y] *Ext. in cod. Victor. P. 10. fol. 175. & in Va c.*

[z] *Eod. cod. fol. 142.*

XIII.

Habent tamen alij, non hanc præcipuè extitisse causam ipsorum ab Vrbano secessionis,

URBANI ASPERITAS PRÆCIPUA SCHISMATIS CAUSA.

nis; sed magis intempestivam ejus in ipsos successionem, quâ etiam Italos Cardinales terruit: dum publicâ concione ab ipsâ statim coronatione mores omnium acerrimè redarguens, pompam & superfluas epulas, domesticorúmque copiam rescindere jussit, interminatus animadversurum severissimè se in simoniacos, & eos omnes qui munera acciperent, & gratiarum nundinationem exercerent, aut turpi lucro intenderent. Quæ sanè sicut pia & salutaria esse nemo contradixerit, ita præcipitâter nimis prolata existimata sũt in exacerbatos jam animos; quos magis delinire oportuit, quosque in Sede firmatus disciplinam faciliùs restitueret. Adeò [a] ut rigidus, asper, inexorabilis in eos videri appetens; & contrà nihil Romanis, veluti in remunerationem officij sibi in eorũdem Cardinalium exagitatione præstitit denegare sciens; additísque insuper increpationibus, seu accusationibus in nonnullos eorum de clandestinis cum hostibus Ecclesiæ consiliis; & comminationibus ob non redditam subitò arcem S. Angeli ab eo, cui in custodiã tradita fuerat sub Gregorio; aliísque ejusmodi abalienationis causis frequenter occurrentibus, ita se in his omnibus gereret, ut penè videretur consultò & datâ operâ Cardinales ad rebellionem incitare, & occasionem schismati præbere.

[a] Niem. c. 6. & 7. Anton. tit. 22. cap. 2. Ciaccon. in Clem. VII.

XIV. CARDINALES SECESSIONEM FACIUNT.

Quod ipsi seriò meditati, conjuratione clàm in eum factâ, omnes Ultramontani specie vitandi æstûs Romani Gallis maximè adversi, Anagniam, ubi jam cum Gregorio præteritam æstatem transegerant, & ubi magnam partem cibariorum habere causabantur, permittente aut non prohibente Urbano, non quidem omnes simul, sed singulatim diversis diebus & temporibus abierunt ad finem mensis Iunij: Urbano ipso Tiburcum quatuor Italicis considente; prout moris erat Urbem tempore æstivo deserere clementioris auræ captandæ gratiâ. Cum quo nihilominùs iidem Cardinales Vltramontani tractare per literas & nuncios, uti cum vero & legitimo Pontifice non cessârunt, quousque res suas ita disposuissent, ut deliberata absq; periculo exequi possent. Antequàm verò rem palàm facerent, decimoquinto Iulij miserũt Anagniã ad Regẽ Francorum, Nicolaum de S. Saturnino Magistrum Palatij & Theologum; (Erat hic Ordinis Prędicatorum, natione Arvernus, quem posteà Clemens VII. Cardinalem creâsse reperitur) cum literis [b] etiam ad Rectorem & Doctores Vniversitatis Parisiensis, quibus eum pro arduissimis negotiis, fidem Catholicam & statum sanctæ Romanæ & Vniversalis Ecclesiæ spectantibus, ad Regem missum significabant, eumdémque benignè audire & fidem ei adhibere rogabant. Quidam verò Marcellus de Inghen Doctor Parisiensis, (Putamus eum esse, quem Trithemius [c] Marsilium vocat, & natione Anglum, vel Germanum fuisse ait; primúmque Heidelbergensis gymnasij in Bavariâ plantatorem, vocatum eò ex Academiâ Parisiensi,) & ab Academiâ antehàc missus ad Vrbanum, (ut ex ipsius literis [d] intelligitur) Tibure, ubi cum Vrbano erat, scribens ad eosdem Rectorem & Doctores vigesimo-septimo ejusdem mensis Iulij, refert Cardinales tredecim qui Anagniæ erant, accersitis Britonibus & aliis armigeris in sui custodiam, citari fecisse quatuor Cardin. Italos qui cum Vrbano erant: Reginámque Siciliæ misisse Vrbano ducentas lanceas, & multos pedites ad ejus defensionem. Denique quàm turbatæ res essent indicare volens, ait se libenter toto biennio carnium esu abstenturum, modo ei daretur Parisiis esse; quòd gravissima tunc pericula omnes exteri eâ religione obirent. Quâ de re item alibi [e] legimus, quosdam Cardinales Anagniam petentes multa damna & pericula necémque famulorum pertulisse; plurésque alios homines eo itinere occisos, mutilatos, & spoliatos fuisse.

[b] Codd. Vatic. & Victor. P. 10. fol. 177.

[c] Trith. de Script. Eccl.

[d] d. cod. P. 10.

[e] Ibid. fol. 167.

XV. CARDINALES AGUNT EX FORMA JURIS.

Vt verò res ordine judiciario, ritéque atque legitimè fieri viderentur, non solùm quod superiùs dictum est, duodecim illi Cardinales Vltramontani qui interfuerant conclavi & creationi Vrbani, (quamvis enim tredecim essent Anagniæ, unus tamen eorum, nempè Ambianensis absens tunc erat, nec nisi post creationem Vrbani, ut vidimus, Romam accessit, erántque omnes illi natione Galli, præter Petrum de Lunâ Aragoniũ) coram supradicto Petro de Croso Archiepiscopo Arelatensi S.R.E. Camerario ac Iudice Ordinario, qui cum multis aliis Prælatis unà cum Cardinalibus Anagniæ erat, pro tribunali sedente, sese sistẽtes, pro testimonio dixerunt, & juramẽto ac subscriptione firmârunt, quęcũque post obitum Gregorij Romæ pro electione successoris, & in nominatione Archiepiscopi Barensis actitata esse, jam superiùs ex eorumdem attestationibus retulimus: Verùm etiam iidem Cardinales semel iterúmq; per aliquos religiosos & prælatos, ac tertiò per Cardinales ab Vrbano (ut mox dicetur) ad se missos honestè monuerunt Vrbanum, ut qui optimè nôsset se non esse legitimum Pontificem eam dignitatem deponeret, & non pateretur gravissimum schisma in Ecclesiâ oriri. Sicuti & ipse ter ad eos, oratores suos nobiles quosdã, necnon tres Cardinales Florentinum, Mediolanensem, & Vrsinum misit, ut ad obsequium & concordiam redirent. Cúmque frustrà omnia fierent, iidémque tres Cardinales ad ipsum reversi de instante schismate monuissent & tamen ille flocci id facere videretur: (ut ex ipsorummet trium Cardinalium postea scriptâ ad Principes epistolâ [f] intelligitur:) demùm Anagnienses, eosdem tres, unàque Vrsinum, qui cum Vrbano Tibure erant, citârunt ut secum convenirent ad novum legitimum Pontificem vacante Sede eligendum. Quinimmò & idem Petrus Camerarius ipsimet Vrbano diem dixit, (nominans eum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem in Papatu intrusum) ut jus suum tueretur, & processus contra ipsum habitos audiret. Hisq; præmissis, die nonâ Augusti iidem tredecim Cardinales ibidem Anagniæ congregati, facientésque (ut dicebant) ultra duas partes omnium Cardinalium in Vrbe existentium tempore obitûs Gregorij Papæ XI. sententiam in eumdem Barensem, unà cum literis [g] circularibus ad universos Christi Fideles, publicè promulgârunt. Quibus, post narrata breviter quæ ab iis attestata fuisse vidimus de vi sibi illatâ, & Barensis (ut loquebantur) intrusione, propter quæ non Papa & Apostolicus, ut se no-

[f] Rec. Bzov. hoc an. ex cod. Vatic.

SENTENTIAM FERUNT IN VRBANUM.

[g] Eod. cod. P. 10. fol. 175. & in cod. Fux. fol. 265. & in Vatic.

minabat, sed juxta sanctorum Patrum doctrinam & jus commune, apostaticus, & anathematizatus, Antichristus, & totius Christianitatis illusor & destructor meritò nominandus esset: significant se non valentes præmissa salvis conscientiis ampliùs sub dissimulatione transire, maximè cùm diù expectatus, & ex charitate admonitus ad cor redire non curaret, ipsum anathematicum, & intrusum nullâ præcedente electione canonicâ, declarare & denunciare, hortantes omnes & exorantes, ut nollent ei ullatenùs adhærere, aut ejus dictis & mandatis obedire. Quo etiam tenore (nonnullis pro qualitate personarum mutatis) scripserunt pariter ad omnes Orbis Christiani Principes: necnon ad ipsummet [h] Barensem intrusum: Datis omnibus iis literis Anagniæ; quem locum se elegisse dicunt ob probitatem & fidelitatem cōstantissimam magnifici viri Honorati Gaytani Comitis Fundorum, & Campaniæ ac Maritimæ Rectoris, tanquam magis securum & idoneum ad præmissa peragenda. Contra quis tamen literas, *Fundamentis Schismatis* appellatas Correptorium (ut inscripsit) scribens posteà Ioannes de Montescono [i] Theologus Ordinis Prædicatorum; contendit aliqua in eis fuisse falsa, alia suppressa vera, aliqua inserta æquivoca & dubia, alia contradictoria, aliqua erronea. Iis nihilominùs tunc ex ambone à Iacobo Patriarchâ Constantinopolitano & Archiepiscopatûs Hydruntini administratore coram innumerà Prælatorum, procerum, aliorúmque omnis generis hominum multitudine recitatis; habuit idem Iacobus orationem elegantem in ejusdem sententiæ rerúmque gestarum confirmationem.

[h] *Hanc ad Vrb. epist. quæ ibid. ext. rec. etiam Vualsingh. in Richard. II.*

[i] *Ext. d. cod. Fux. Vid. infr. an. 1387. VII.*

XXI. FUNDOS SE RECIPIUNT.

Urbanus autem rem jam in manifestum schisma tendere videns, tres Cardinales Italos, Florentinum, Mediolanēsem, & Vrsinum, qui à Camerario citati ipsum Vrbanum deseruerant, licèt nondum se ceteris junxissent, (solo S. Petri apud Vrbanum remanente; qui etiam paulò pòst obiit) ad se revocavit. Ad quos etiam extat gravissima B. Catharinæ Senensis epistola pro reditu; vehementissimâ invectivâ objiciēs abscessionem ab eo, quem ipsimet verum Pontificem, uti reverâ erat, toto orbe proclamaverāt. Cùm & ex aliâ parte non desisteret ipsum quoque Vrbanum hortari ad mansuetudinem, & ne cederet naturali animi impetui: ut sunt aliquot ejus ad ipsum eo argumento epistolæ. Cunctātibus nihilominùs Cardinalibus ad Vrbanum redire, ipse Vrbem repetiit cū præsidio militari Reginæ Ioannæ. Cardinales autem Anagnienses sub prædicti Honorati Comitis & Britonum tutelâ, Fundos urbem regni Neapolitani non procul à mediterraneo mari viâ Appiâ sitam, annuente Ioannâ Reginâ accesserūt. (Quippe quæ cùm priùs Vrbano toto animo favisset, & non solùm copias armatas, ut vidimus, verùm etiam, ut Niemus scribit, pecunias, & cibaria, aliáque necessaria abundè subministrâsset; cognito tamen, ut Summontius narrat, eum intentione suos faciliùs evehendi, tractâsse jam Carolo Dyrrachij Duce Reginæ patruele in regnum intrudendo; aversa ab eo est. Sicuti & ejus virum Ottonem, quantumvis & ipse multis humilibúsque obsequiis Vrbanum demereri studuisset, idem Vrbanus inurbanitate & ferociā suâ, ut Niemus tradit, ab se alienavit.) Ibíque post multa habitā consilia cum oratoribus Reginæ, aliísque proceribus, de ratione vitandi schismatis; demùm cùm novum Pontificem omninò creare constitutum fuit, scriptis ad tres prædictos Cardinales qui Suessæ morabātur literis, rogârunt ad electionem accedere, singulis seorsùm Pontificatum, si rem secretam haberent, polliciti. Quibus eâ spe inductis, aut aliàs jam suâ sponte ab Vrbano animo abalienatis, Fundos accedētibus; (Falluntur enim, aut fallere volunt, qui septem vel octo tantùm Cardinales electioni huic interfuisse scripserunt: quantumvis ex prædictâ trium Cardinaliū ad Principes epistolâ intelligatur, eos Roberti electioni non tam vota sua contulisse, quàm non contradixisse, habitâ tamen ab ipsis pro canonicâ,) creatus est nòn aliquis eorum; sed quem tum propriis meritis, tum prosapię nobilitate, quâ maximos Principes contingebat, ei muneri aptissimum censuerunt, *Robertus* ex Comitibus Gebennēsibus frater Petri tunc Comitis; qui primò Sedis Apostolicæ Notarius, pòst Morinensis indéque Cameracensis Episcopus factus, à Gregorio XI. creatus fuerat Presbyter Cardinalis tituli SS. XII. Apostolorum, & ab eodem Legatus cum exercitu missus in Italiam: agens cùm Pontifex renunciatus est ætatis annum 36. staturâ mediocri, & uno pede nonnihil claudicans, ceterùm facundiâ & magnitudine animi insignis. Qui 21. die Septembris renunciatus, assumpto nomine CLEMENTIS, ultimâ die Octobris, quæ erat Dominica, coronatus est solemni ritu ante ecclesiam majorem Fundanam; præsente Othone Brunsvicense viro Ioannæ Reginæ, aliísque plurimis proceribus: cùm priùs Petrus Camerarius tiarū Pontificalē, seu quod vocant regnum, quo Pontifices coronari consueverunt, unà cum aliis ornamentis ad Cameram Apostolicam spectantibus, secum Anagniam asportâsset, nec ab Vrbano monitus restituere voluisset. Háncque Clementis electionem iidem Cardinales mox literis [k] suis publicis promulgârunt, repetentes omnia quę hactenùs tam Romæ quàm Anagniæ circa hæc gesta fuissent.

CREANT IN SCHISMATE ROBERTUM GEBENNENSEM.

QUI NOMEN CLEMENTIS ACCIPIT.

[k] *Ext. in cod. Vatic. & in Fux. fol. 266.*

XVII. SCHISMA TETERRIMUM ET DIUTURNISSIMŪ.

Sícque factum est in Ecclesiâ SCHISMA, omnium quæ umquam fuerunt sine controversiâ teterrimum & perniciosissimum; quod quinquaginta fermè annis inexplicabili Ec- Ecclesiæ & Christianitatis damno perduravit. Et quod mirabilius est, fuit jus partium adeò dubium & incertum, ut præter Principes, (quod observat sanctus Antoninus [l]) peritissimos quoque Theologos & Iurisconsultos habuerit utraque pars sive obedientia, necnon religiosissimos viros, & quod majus est etiam miraculis fulgentes, qui suam partem sanctam, adversam profanam assererent; nec potuerit umquam sic illa quæstio decidi, quin semper remaneret apud plurimos dubia, quod etiam ex ipsismet Actis Consiliorum generalium Pisani & Constantiensis apertè intelligi datur. Fuisse tamen videtur Ecclesiæ Catholicæ sensus, (quod ceterorum omnium rationibus & disputationibus, necnon incertis visionibus, & pro-

[l] *Ant. tit. 22. cap. 2.*

phetiis, atque miraculis, quæ circa hæc contigisse dicuntur, præponderare debet) VRBANUM, ejúsque successores Italiam colentes extitisse veros ac legitimos Pontifices. Quod verò magis patri Clementis incommodavit, quódque omnes ejus adversarij, imprimísque Catharina Senensis suis ad diversos Reges ac Principes, aliósque præcipuæ conditionis viros epistolis tunc scriptis, tamquam validissimum adversùs ejus intrusionem telum contorserunt; fuit quòd tam ipse Clemens quàm ceteri Cardinales ejus fautores, suis literis & gestis per aliquot mensium spatium universo orbi persuasum voluissent Urbanum ritè electum esse; & ex eorum sententiâ omnes ubique populi sic opinati fuissent.

XVIII. Urbanus conatur ad se allicere Academiã Parisiensem.

Cùm autem post electionem Clementis (ita namque semper vocabimus ex sensu eorum qui ei in dubio adhæserunt) uterque Pontifex legatos suos ad universos Principes & provincias, & Academias, atque Ecclesias insigniores destinâsset ad omnes & singulos in suas partes alliciendos; sciens Urbanus quanti momenti esset Academiam & Universitatem Parisiensem propitiam habere à qua nuncium ab ipso ejus Pontificatûs initio accepisse vidimus; epistolam [m] scripsit ad eam hoc eodem anno Pontificatûs primo undecimo Calend. Decembr. quâ hortatus est Schismati se opponere viriliter: quippe quæ (inquit) *inter immò super ceteras Studiorum Universitates in quibus scientiarum gemma resplendet, Parisiensis velut quoddam sidus irradiaret. Ex ipsa namque ceu ex purissimo fonte semper sanos veró̂sque dogmatum rivulos profluxisse, qui per immensos alveos pronius discurrentes falsarum opinionum limum abstersérunt. Hujus fontis claritatem, nullam unquam quantumlibet impetuosam vim pluviæ turbidasse. Ipsis itaque ejus Magistris & Doctoribus congaudere se, & sanctam Romanam Ecclesiam gratulari, cui talia ligna fructus producentia secus decursus aquarum in tam ingenuo viridario summus parens rerum plantaverit.* Quidni (ut subdit) gauderet, quando intra felicia castra Parisiensis studij doctissimos & magnanimos veritatis & Orthodoxæ fidei pugiles intueretur; qui victricibus spiculis hæreticorum & schismaticorum hostium præcordia penetrarent? Ut nec illud præteriret, quòd audîsset ipsos adversùs eorumdem hæreticorum & schismaticorum subdolam assertionem, contra ipsum Urbanum impudicè loquentium, nonnullos causas veras ac saluberrimas in ipsius, immò Catholicæ fidei favorem, & veritatis defensionem, sententias publicè tenuisse, & contra quoscumque contrarium sentientes defensâsse. Hæc ille, & alia plura. Ex quibus intelligas (quod & alij testantur) favisse initio Academiam Parisiensem causæ Urbani. Quæ tamen post solemnem eâ de re factam jussu Regis apud Saltum Vicenarum decimosexto Novembris præsentis anni (instante Cardinale Lemovicensi, & rerum gestarum seriem magno jurejurando confirmante, ut describit Continuator Nangij) Prælatorum Theologorúmque consultationem, quâ pro Clemente judicatum est ei utcumque adhæsit; haud tamen unquam

Universitas Paris. adhæret Clementi.

[m] Cod. Vict. Flor. P. 9. fol. 187.

cessans pro extinctione Schismatis omnem operam impendere, ut videbitur suis locis: Rege interim, variis ad alios Principes legationibus eos ad partes Clementis attrahere satagente.

XIX. Principum in his divisio.

Factúmque demùm est quà citiùs quà paulò tardiùs, post rationes partium diligenter examinatas, vel etiam pro affectu Principum, aut rerum commoditate; ut regna Galliæ, Hispaniarum, (Lusitano excepto, qui in satis lõgâ ceterorum titubatione, ac demùm ad Clementem accessione, semper constans in obedientiâ Urbani perstitit) Scotiæ, Siciliæ, Cypri atque alij nónulli minores Principes, necnon Rhodus Clementi adhæserint, Italia & Germania penè totæ, Anglia, Hungaria, ac ceteræ ferè nationes & gentes in fide & obediẽtiâ Urbani, quem semel agnoverant, necnon successorũ ejus permanserint: variantibus tamen nonnunquam aliquibus (ut sibi liberum existimabant in re cõtroversâ) per temporum rerúmque mutationibus; nonnullísque etiam in neutralitate ut vocabant perseverantibus, donec Cõcilio generali res tota decideretur.

XX. Pontificum mutuæ diræ.

Pontifices autem ipsi sibi invicem insidiantes, & mutuis dirarum & anathematum fulminibus jam inter sese quàm sequaces ferientes; necnon & armis ferreis, etiámque cum prædicatione Crucis velut in Infideles, persequentes; quod prætereà auctoritatem spectabat, quod unus ligabat, alter solvebat, quod unus concedebat, alter rescindebat: fiebant ex utraque parte processus, privationes, execrationes; sequebantúrque lites, rapinæ, cædes, cum ingenti scandalo, ruinâ & subsannatione: præter aliorum morum corruptiones, depressiones bonorum, exaltationes reproborum, rerum sacrarum turpia commercia, contemptum legum, disciplinæ abolitionem, hæresum atq; errorum succretionem, & omnis denique fidei, pietatis, ac religionis extinctionem: de quibus sunt frequentissimæ auctorum illius & subsequentium temporum atque gravissimæ querimoniæ, & lugubres lamentationes. Sed de præcipuis toto Schismate rebus utrimque gestis, dicemus suis locis, pro ratione temporis: Satius tamen ducentes hæc mala levi manu tangere, quàm fortiùs refricando exulcerare.

Horrenda rerũ confusio et depravatio.

XXI.

Cùm autem post abscessum trium Cardin. Italorũ, & obitũ Cardinalis S. Petri qui solus apud Vrbanũ remanserat, idẽ Vrbanus non ab iis solùm, verùm etiam à plerisq; Prælatis ministris seu Officialibus Curiæ desertus, ibidẽ Romæ penè solus desideret; agnoscẽs tandem intempestivam suam severitatem, paucos illos Curiales qui reliqui erãt benignè habere cœpit, ac variis honoribus augere. Amplúmque sibi Collegium constituere decernẽs, 14. Cal. Octob. XXIX. Cardinales creavit, ex diversis nationibus, sed præcipuè Romanos ac Neapolitanos. Tot enim creâsse disertè habet auctor Vitæ Clementis, & quidam alij ejus temporis auctores: numerátque totidem Ciacconius: quantumlibet Niemus tunc ibi præsens nonnisi 26. agnoscat: sicuti nec Onuphrius, tres reliquos in aliam posteriorem creationem remittens. In tanto verò numero nonnullus [n] ait multas, fuisse fallaces herbas, quarũ fructus non apparuit; id est multos parum

Urbanus creat XXIX. Cardinales.

[n] Masson. in Vrb. VI.

dignos parúmque idoneos. Verùm nec defuisse plures valdè idoneos, apprimè videre est ex illorum catalogo apud eumdem Ciacconium, referentem etiam breviarium rerum ab unoquoque gestarum. Ad quod etiam hortata Urbanum reperitur suis epistolis S. Catharina Senensis; ad Ecclesiam nempè Romanam ut hortum optimis & suavissimis floribus, ita sāctissimis Cardinalibus muniendam, qui forent veluti columnæ firmissimæ quibus inniteretur. Fuit in iis *Philippus Alenconius* de quo suprà[o], Regis Francorum consanguineus; sive eum Urbanus promoverit; quò sic Regem demereretur, seu nondū Philippus Regi plenè reconciliatus, Romam confugerit ad Urbanum, cui sciebat Regem adversari. Factus est autem primò Presbyter Cardinalis titt. Callisti S. Mariæ trans-Tiberim, & Legatus Patrimonij cū summâ auctoritate: deinde Episcopus Sabinēsis, & Patriarcha Aquileiensis. Secedēs verò post hęc ab Urbano ob ejus austeritatem, depositus ab eo est: (sive ut nonnulli habent, quòd Aquileienses ei obedire detrectantes & armis & censuris nimis acriter persequeretur, & monitus ab Vrbano non desisteret:) ac post ejus obitū à Bonifacio IX. restitutus, & Episcopus Ostiensis factus, demū obiit Romę anno 1397. magnâ sanctitatis opinione; sepultus in ecclesiâ S. Mariæ trans Tiberim.

o An. 1377.

XX. PHILIPPUS ALENCONIUS FIT CARDINALIS.

XXII. CLEMENS ALIOS QUOQUE CREAT.

Clemens quoque quamvis tot haberet secum antiquos Cardinales, quoniam tamen ex iis aliquos ad diversa regna pro illis sibi cōciliandis legavit, novos sex creavit, in Quatuor Temporibus Decembris, Fūdis: ubi aliquam diù moratus est, bellum cruentum per suos Britones, & Vascones, nobilésque Romanos qui ab eo stabant, Urbano Vrbíque inferens, cum non parvo ex utrâque parte rerum hominúmque damno; sed tandem majore Clementinorum, qui demùm compulsi sunt cedere auxiliis aliunde Vrbano collatis.

XXIII. VVENCESLAUS CŌFIRMATUR REX ROM.

Inter cetera verò quæ præterea hoc anno ab iis gesta fuêre; Vrbanus quidem jam ante Schisma conflatum, postquàm tamen Cardinales Anagniam secessissent, nempè 26. die Iulij, (ut diserte traditur in epistolâ Marcelli de Inghen ad universitatem Parisiensem, cujus suprà meminimus) quatuor tantùm secum habēs Cardinales Italos, publicè in Consistorio cōfirmavit electionem Wenceslai filij Caroli Imperatoris in Regem Romanorum, de quâ dictum alias[p], & ipsum denunciavit futurum Imp. quamvis ex parte ejus nulli advenissent legati. Quemadmodùm & prædictus auctor Vitæ Clementis æquè testatur factum id ab Vrbano ultrò, & omissis solēnitatibus servari consuetis, ut Carolum ejúsque filium in partes suas alliceret. Ex manuscriptis tamen Vaticanis refertur ab aliis[q], missam fuisse eâ de re ad Vrbanum illustrem legationem. Denique & Clementem id ipsum præstitisse mense Octobris Fundis, vidimus item superiùs[r], sive id spontè egerit eodem fine alliciendi ad se Imperatores; sive ab aliquo rogatus ex parte Vvenceslai, quò in Pontificatûs dubietate utrimque ei prospectum esset.

p An. 1376. V. ad fi.

q Bzov. hoc ann.

r d. num. V.

XXIV. CAROL. IV. IMP. OBITUS.

Mortuo autem hoc eodem anno, 3. Cal. Decemb. in vigiliâ S. Andreę (ut omnes antiquiores ponunt; cùm sint ex recentioribus qui alios menses diésq; hujus ipsius anni notent) dicto *Carolo* Imp. apud Pragam Boëmiæ, anno ætatis suæ 63. regni Romanorum 32. mense quinto, Imperij vigesimo quarto non solido; solus regnavit idem *Vvenceslaus* ejus filius; præclaris quidem monitis à sapientissimo & religiosissimo, ac de Imperio suâque Boëmiâ summè merito patre instructus; sed gulâ, inertiâ, atque desidiâ, omníque depravatione ac fœditate turpificati animi indignum planè tantâ dignitate se præbens: à quâ propterea, ne sub tali stipite Imperium corrueret, & regnum Boëmiæ, adeóque universa Germania penitùs ab hæresi absorberetur, dejici tandem (ut videbimus) meruit, nunquam acceptâ coronâ Imperij. Reliquit Carolus alios duos filios minores, Sigismundum Marchionem Brandeburgensem, qui & posteà Rex Hungariæ, ac demùm Imperator fuit; & Ioannem natu minimum, cui partem in Lusatiâ assignavit. Caroli verò relicta Elisabetha confestim à morte viri habitum induit Tertij Ordinis Minoritarum; in quo reliquum vitæ magnâ pietate & sanctitudine exegit. Dicitúrque[s] Carolus legem tulisse de viduis Reginis, ut sicui alij aut Regi aut Principi, oblitæ decoris & majestatis Augustalis nuberent; præter dotem, exilio insuper mulctarentur.

VVENCESLAI SUCCESSIO.

s Dubrav. Hist. Boëm. lib. 22. ad fi.

LEX DE VIDUIS IMPERATORUM.

XXV. VRBANUS ASPERE AGIT CONTRA REGĒ ARAG.

Vrbanus autem à Rege item Aragoniæ Petro rogatus[t] regnum Siculum hereditariâ Friderici majoris patrui substitutione sibi debitum, & sentētiâ Gregorij[u] denegatum, adjudicare, non solùm non annuit, verùm etiā Regē Sardiniæ regno ab Ecclesiâ fuisse multatum dixit, séq; operam daturum uti ea res palam denunciaretur: Sin autem Siciliæ regnum invaderet, etiam se illum regno Aragoniæ eversurū, multaturúmq;. Nam & oculos adjecisse Vrbanum, ut Maria Siciliæ insulæ heres Francisco Prignano fratris filio despōderetur; Niemus & alij testificātur. Ejus porrò comminationibus parùm commotus Rex, & in Sardiniā trajicere, & Siculis rebus accurrere jactavit. Qui nihilominùs quoad res Siculas, destitisse reperitur à conatu. Ipsáque Maria pluribus expetita Principibus, & inter Alagonarū ac Claromontiorū diffidia (quæ iterùm renovata per plurimos annos insulam miserè dilacerârunt) variè agitata, demùm nupsit Martino Exericæ Comiti, filio alterius Martini Ducis Momblanei secundogeniti prædicti Regis Aragoniæ: uti habent illorum populorum historici[x]. In eo tamen laudandus idem Rex Petrus, quòd etsi repulsam & minas ab Vrbano passus, haud tamen continuò Clemēti adversùs eum adhæserit, quinnimmò edicta[y] à Clemente in eum contumeliosa promulgare in ditione vetuerit; Pontificiis reditibus quousque judicio Ecclesię controversia finem acciperet, sequestro cōmissis. Quod idem Henricus Rex Castellæ pręstitit, quantumvis à Regē Francorum per legatos Clementi adhærere sollicitaretur. Mentitur enim de more Meyerus[z], cùm ait Henricum initio Clementi favisse in gratiam Regis Francorum, sed posteà resiliisse: quem anno sequenti visuri sumus decessisse antequàm in alterutram partem inclinâsset. Quomodò verò Ioannes filius ejus in his se habuerit, dicetur suo loco.

t Surit. Ind. lib. 3.

u Supr. an. 1377. XXI.

x Sur. ibid. Fazel. 2 dec. 9. cap. 7.

y Marian. lib. 18. c. 2.

z Meyer. lib. 13.

XXVI.

Narrat autem Niemus[a] indignum planè & plus

a Niem. lib. 1. c. 15. & 16.

INDIGNUM FACINUS CLEMENTIS.

plusquàm barbarum facinus Clementis: (si tamen verè gestum fuit) cùm VVenceslaus Romanorum & Ludovicus Hungariæ Reges rogatu Urbani satagentes concordiam in Ecclesiâ ponere, legatos suos misissent ad Clementem ac Cardinales ei adhærentes dum adhuc Fundis essent, petentes ut abdicato schismate ad obedientiam Urbani redirent, quem universæ Christianitati nuper ut verum Pontificem exhibuissent: Clemēs legatos pessimè exceperit, eorúmque nonnullos clericos existentes veluti latrones equuleo torserit, & diutiùs captivos detinuerit: cóque magis dicto Reges in parte Urbani cōfirmatos fuisse.

XXVII. ANGLI INTIME INHÆRENT URBANO.

In quâ etiam militantes Angli, tum zelo justitiæ, ut credere par est, tum fortè etiam invidiâ Francorum sibi odiosissimorum, quos videbant Clementi favere; literas Cardinalium contra Urbanum ad se missas magno dedecore suscipiētes, conviciosissimas & aculeatissimas rescripserunt, promulgarúntque, quas describit Vvalsinghamus [b] in Richardo II. Eas enim ne confictas existimemus, (quas alioqui ut meritas non negemus, habere tamē parū decoris Ecclesiastici nemo abnuerit) facit quòd easdem invenerimus (mutatis tamen non paucis verbis) apud auctorem illius temporis Radulphum [c] de Rivo Decanum Tongrensem in Vitâ Ioannis de Arckel Episcopi Leodiensis, ubi historiam Schismatis in favorem Urbani explicat. Habet nihilominùs idem Vvalsinghamus nōnulla apertè frivola de modo successionis Cardinaliū, ut delectatur ipse ejusmodi inanitatibus. Qui verò Historiam Ecclesiasticam ejusdem regni scripsit Harpsfeldius [d], ait summis regni comitiis Urbanum comprobatum fuisse; cautúmque ut Cardinalium, & aliorum quorumcumque Anglorum sacerdotia & dignitates quæ ad Clementem desciscerent, ad Regis usum devolverentur: útque ij qui diploma aliquod Pontificium ab alio Romano Pōtifice quàm Urbano impetrarent, instar Regis & regni hostiū haberentur.

[b] Vvalsing. an. 1378.

[c] Radul. tom. 3. Gest. Pont. Leodiens.

[d] Harpsfeld. sæc. 14. c. 8.

XXVIII. IMPIUM SACRILEGIUM CŌMITTITUR LONDINI.

[e] Vvalsing. ibid. Harpsf. cap. 15.

Habent item iidem auctores [e] tetrum facinus hoc ipso anno apud Londinum in ecclesiâ cœnobij VVestmonasteriensis, jussu Ducis Lecestriæ sive Lancastriȩ patrui Regis, per satellites regios cōmissum in nobilem quemdam; qui Ducis metu ad illam ecclesiā confugiens: inter medios monachos dum Missa celebraretur gladiis impiorum confossus est. Quâ de re commoti Episcopi, excommunicationem publicârunt in auctores fautorésque tam impij facinoris, exceptis Rege, matréque ejus, & Duce. Quæ postcà ita composita fuêre, ut confirmatis privilegiis Ecclesiæ ac prædicti cœnobij, Rex læsis satisfecerit; prout narrant iidem sequenti anno: inclytam etiam ac meritissimam laudem celebrantes miri silentij, atque eximiæ fidelitatis in dominos suos, nobilis cujusdam Hispani captivi, cujus incogniti occasione hæc commotio contigerat.

XXIX. PUER PERFECTÈ LOQUENS ANTE XL. DIEM.

Hoc eodem anno Trajecti in Belgio natus legitur puer, qui ante quadragesimum diem nativitatis perfectè loqui cœpit. Qua re stupefacti parentes, cùm presbyterum advocâssent, qui exorcismis eum adjuraret; puer nihil respondens, sed horribili tantummodò vultu sacerdotem contuens, eum terruit: vixítque usque ad decimum-tertium ætatis annum.

XXX. NILUS PATRIARCHA CONSTANTINOP.

Eodémq; annô post obitum Macarij Patriarchæ Constantinopolitani ponit Onuphrius in Chronico. *Nilum* item monachum, qui sederit annis viginti, alium omninò ab illo Nilo Archiepiscopo Thessalonicensi, de cujus scriptis dictum aliàs [f].

[f] Supr. an. 1355. VII.

IESV CHRISTI Annus 1379.
VRBANI VI. An. 2.
VVENCESLAI Annus I.
IOANNIS V. Annus. 39.

I. CLEMENS RECIPIT SE AVENIONEM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo-nono, Indictione secundâ, Clemens amissis copiis quas in Urbanum Pontificem & Romanos immiserat, Neapolim mense Maij petens, à Ioannâ Reginâ venerabundè uti Papa susceptus; seditionem moventibus Neapolitanus in favorem Urbani civis sui, coactus est inde recedere, ac perspiciens sibi non esse tutum in Italiâ diutiùs morari, mari Massiliam tenuit die decimâ Iunij, unà cum suis Cardinalibus: duobus exceptis Iacobo de Viis, sive de Itro Campano Gallo ex Patriarchâ Constantinopolitano Latini ritûs & Archiepiscopatûs Hydruntini administratore, (in cujus locum creavit Clemens Patriarcham *Fr. Guillelmum* [a] Ordinis Minorum ex Episcopo Vrbinate) & Fr. Leonardo de Griffono Campano Italo, ex Generale Minorum, creatis nuper ab eodem Clemente Fundis Cardinalibus: quos tam pro suorum negotiorum prosecutione, quàm fautorum Clementis consolatione illic permansisse, traditur in Vitâ Clementis: & inde Avenionem petiit, summo gaudio tam à Cardinalibus qui abscedente Gregorio XI. ibi remanserant, quàm ab incolis exceptus.

[a] Vvadding. to. 4. hoc an.

II. URBANUS REGEM HŪGARIÆ CONCITAT ADVERSUS IOANNAM REG.

[b] Niem. lib. 1. c. 21. Collenut. lib. 5. cum addit. Summont. lib. 3.

Vrbanus [b] autem rebus prosperis recreatus, quod ab initio conceperat animo de Ioannæ Reginæ abdicatione, (quò faciliùs, ut volunt, quam concupiscebat nepotis sui exaltationem consequeretur) solicitiùs urgens eo jam speciosissimo prætextu quòd Clementis electioni & admissioni apertè favisset: pace Florentinis, alisque civitatibus quas illi ab obediētiâ Romanæ Ecclesiæ averterant, datâ, Ludovicum Hungariæ Regem per legatos & literas hortatus est, ut dimissam necis Andreæ ipsius fratris in Ioannam vindictam resumēs, Carolum Dyrrachinum Gravinæ Comitem regij illius sanguinis Principem, apud ipsum militantem cum copiis transmitteret; cui ipse Vrbanus regnum, (quod & alioqui ad ipsos pertineret, cùm soli superessent masculi ex numerosissimâ Caroli Claudi Siciliæ Regis progenie) abdicatâ Ioannâ collaturus esset. Ad quem etiam extat B. Catharinæ Senensis epistola, pro defensione Vrbani contra Antichristum (ut vocabat Clementem) & unam feminam: nempè Reginam Ioannam. Aliaque ad ipsum Carolum, tum hortatoria ad virtutum cultum tam in se quàm in familiâ, tum maximè ad accelerandum adventum, cum pollicitatione prosperi successus. Sic enim putamus divinam Sapientiam usam esse calamo Catharinæ in rem suæ Ecclesiæ; cujus

EIQUE CATHARINA SEN. COOPERATUR.

esset per orbem acceptissimum nomen, & veneranda apud omnes, sanctissimæ vitæ, & divinarum revelationum ac gratiarum fama, cùm & alioqui probè nosset potiorem Orbis Christiani partem stare à partibus Urbani, quem verè à Deo electum fuisse nihil dubitabat. Cujus & nonnullæ sunt aliæ ad ipsam Ioannem Reginam epistolæ, objurgatoriæ de recessu ab obedientiâ Urbani; & hortatoriæ ad resipiscentiam priusquàm ab eo excommunicaretur, & regno privata declararetur.

III. LUDOVICI REG. HUNGAR. CONATUS CONTRA IOANNAM NEAPOL.

Accepit libenter oblatam conditionem Ludovicus Hungarus; eâ maximè de causâ quòd cùm senio confectus esset, nullámque haberet prolem masculam, sed tantùm duas filias, quarum alteram Hungariæ, Poloniæ alteram Reginam destinaverat, vereretur ne si in suo obitu Carolus ille Dirrachinus adesset. Rex eligeretur in filiarum exclusionem. Quare confestim post receptam Urbani legationem, eidem Carolo, tunc in agro Tarvisino adversùs Venetos ejus nomine pro fœderatis Genuensibus bellum gerenti, mandavit ad opus se accingere. Qui nihilominùs considerans quot insignibus beneficiis Ioannæ devinctus esset, quæ illum à pueritiâ propè ut filium educaverat, honoribus auxerat, & datâ ei in matrimonium Margaritâ nepte suâ, eâdémque ipsius Caroli patruele, in certam spem successionis regni erexerat: quantumvis ipsius Caroli pater non semel Reginæ, ac viro ejus Ludovico Tarentino rebellâsset: (Nam qui hunc Carolum aut filium Ludovici Hungari, aut fratris ejus Andreæ aut denique Caroli Ducis Dyrrachij filij faciunt, oppidò falluntur: fuit namque filius Ludovici Comitis Gravinæ, fratris prædicti Ludovici Dyrrachimi, geniti ex Ioanne octavo filio Caroli Claudi, fratre Roberti avi Ioannæ Reginæ,) & adhuc tam eamdem ipsius conjugem Margaritam, quàm liberos ex eo susceptos apud se habebat & fovebat: initio hujusmodi suasionibus minùs consentire visus est. Qui tamen posteà solemni ambitiosorũ perfidiâ, quâ sibi fas esse volunt regnandi causâ jus violare, non solùm consensit; verùm etiam ingratissimis ac nefandissimis modis in ipsum Pontificem Urbanum verum Christi Vicarium adeo agnitum, habentem dominium directum in Regnum Siculum, qui eum advocârat, ac pecuniâ, militum copiis, & commeatu adjuvârat ad expellendam Regno Ioannam sceleribus infectam, & Schismatis Ecclesiastici protectricem; etiam in Ludovici Regis, cujus patrocinio & vitam & fortunam debebat, progeniem malitiam suam exercuit; pœnas tandem & ipse scelerum suorum meritissimè luiturus: prout de singulis videbitur inferiùs suis quibusque locis.

IV. [e] An. 1377. XXII. BELLUM SÆVISS. INTER VENETOS ET GENVENSES.

Quod autem diximus, fuisse tunc Carolum occupatum bello contra Venetos pro Genuensibus; egimus jam superiùs [e] de causâ ejus belli inter hos populos. Ad quod totis viribus in ultimum exterminium adversę partis terra marísque gerendum, cùm ab utroque populo auxilia vocata fuissent: hoc & duobus insequentibus annis ita gestum est, ut nulli unquam anni aut bellicosiores iis populis fuerint, aut majoribus ac crebrioribus utrinque cladibus funeribúsque horridiores. Uti videre est apud eorum auctores [d], quamquam nonnihil, diversos pro affectu partium. Præsenti sanè anno pòst alias gravissimas Venetorum clades, & occupationem urbis Clodiæ viginti quinque millibus passuum Venetis distantis, & ad instar Venetæ ferè aquis cinctæ, è cujus fortunâ totius Reipublicæ Venetæ status pendere videbatur, adeò in arctum redacta est civitas ipsa Venetiarum, ut pacem ab exercitûs Genuensium duce per æqua per iniqua postulare compulsi fuerint. Eo verò insolentissimè iis insultante, & non pacis conditiones, sed perniciem proponente, quâ omnia illis adimeret præter hujus usurâ lucis, quam ipsam quoque ut à se precariam habere faterentur, volebat: his postulatis ab ultimâ desperatione in generosum furorem versi Veneti; depositâ omni pacis cogitatione, (quam etiam Vrbanus Pontifex nequicquàm per legatos tentavit) & novâ armatâ classe, novísque accitis auxiliis, adeò strenuè rem gesserunt; ut recentibus licèt rursùm attriti cladibus, & vix urbem ipsam sui Imperij caput servare idonei, demùm tamen receptas injurias egregiè ulti sint, recuperatâ etiam immenso labore anno sequenti Clodiâ, donec fatigatissimo utroque populo pax inita est, de quâ dicetur altero pòst anno. Hócque primùm bello visas in Italiâ bombardas tradunt, (de quarum inventione dictum est aliàs [e]) earúmque usu Venetos plurimùm Genuensibus iis carentibus incommodâsse.

[d] Petr. Iust. Hist. Ven. lib. 5. Sabell. 2. dec. 5. & 6. Blond. 2. dec. 10. Nebiens. Hist. Gen. lib. 4. Foliet. li. 8. & alios.

[e] Supr. an. 1344. IV.

V. HENRICI REGIS CASTEL. OBITUS.

Mortuus interim hoc anno est tertio Calendas Iunij *Henricus* nothus Castellæ Rex, nervorum dolore: quem dubia fama vulgavit venenatis ocreis à proditore Mauro illatum. Vixit annos sex & quadraginta, menses quinque regnavit: ex quo primùm regium insigne desumpsit, annis tredecim, duobus mensibus: vir adversis æquè ac prosperis insignis; clarissimúmque exemplum, obscuritatem natalium virtuti non officere: quam tamen in eo libidinis intemperantia fœdavit; quasi qui fœdè ortus fœdè æquè vivere deberet. Affuit morienti Ioannes Episcopus Saguntinus: per quem ad Ioannem filium & successorem absentem præclara misit mandata; ut Deum præ oculis & Ecclesiæ incolumitatem haberet, in Pontificum dissidio non temerè in alterutram partem inclinaret; Gallicam amicitiam omnibus officiis tueretur, unde tantum præsidiis rebus asperis extitisset: captivos omnes Christiani nominis libertati redderet; Qui sibi adversus Petrum Crudelem adhæsissent, eis data beneficia conservaret, sed ita fidei eorum inniteretur, ut perfidiam vereretur: qui Petro, eis res communes tutò crederet, constanti hominibus ingenio, offensam officio compensaturis: qui verò neutri adhæsissent, in officio contineret jurisdictione ac legum curâ; nullam verò regni partẽ eis committeret, privata commoda publicæ saluti potiora habituris. Vestis Ordinis Dominicani morienti, defunctóque inducta sic volenti ob S. Dominici sui gentilis memoriam: cùm & Regibus solẽne esset, ex eo Ordine sacerdotes deligere quibus peccata confiterentur. Successit Henrico idem *Ioannes* filius, annos natus unum & viginti, menses tres; præstanti indole, (ut eum sui ornant) sedatis

MONITA FILIO DATA.

IOANNES SUCCEDIT.

mori

moribus, atque ad omnem pietatis partem composito animo, exiguâ corporis staturâ, sed oris præcipuâ dignitate. Tradunt [f], stirpe maternâ descendisse à Ferdinando Cerdâ filio primogenito Alfonsi Sapientis Regis Castellæ, & viro Blancæ filiæ S. Ludovici Francorum Regis: cujus successionis occasione tot commotam vidimus Hispaniam turbinibus. Sicque aliquo modo visum est regnum legitimis heredibus restitutum.

[f] Garivai. Hist. Hisp. lib. 15. c. 20.

VI. SCOTI ANGLIAM INCURSANT.

In Angliâ borealis cùm sævissima pestilentia universam regionem penè desolâsset, Scoti nihilominùs perpetui Anglorũ hostes in eam irrumpentes, præter fœdas superviventium cædes, ingentem abduxerunt prædam. Quam eorum inhumanam sævitiam valdè exaggerat Vvalsinghamus [g]. Et ludicrum quid de iis refert: (seu verè contigerit, seu id ipse confinxerit, ut est in his mirus, cùm de Anglorum inimicis agitur:) nempè cùm antequàm hosticum ingrederentur, sciscitati essent à quibusdam Anglis, cur potiùs eos quàm Scotos aut alios vicinos ejusmodi morbus invasisset, iiq; simpliciter respondissent, consuevisse omnia adversa contingere, vel in ultionem facinorum impiorum, vel in exercitium justorum, vel denique ex aliis occultis divinis judiciis; cũcta autem ex speciali Dei gratiâ provenire. Scotos existimâsse immunes se fore ab eâ contagione, si hujusmodi oratione sese quotidie præmunîssent, *Deus & S. Kyntegernus, S. Romanus, & S. Andreas servent nos hodie à divinâ gratia, & fœda morte qua Angli moriuntur.* Quod pharmacum nec tunc ipsis quicquam profecisse putamus. Et anno sequenti ipsosmet Scotos eâdem clade dirissimè affectos fuisse, ex eorum historico Boëtio [h] intelligimus; dum agens de irruptione Comitis Douglasij in Angliam, ait eum oppido quodam nundinarum tempore direpto, unà cum maximâ prædâ pestilentiam quoque in Scotiam retulisse, quæ duobus deinceps annis quantâ nunquam anteâ clade eam affecit. Decertabant enim hoc tempore inter se Scoti & Angli acerrimè, sed frequentiori Scotorum victoriâ; adeò ut coacti fuerint Angli inducias postulare: Occupati ij magis terrâ maríque in Normanniâ, & Aquitaniâ, aliisque Galliarum partibus, pro viribus incursandis, (quamquam majori suo incommodo quàm fructu) cùm odio nationis, & veteris dissidij prosecutione; tum in auxilium inquietissimi Caroli Regis Navarræ, qui hinc à Rege Francorum, illinc à Castellano invasus, in arctissimas angustias redactus, aditâ Angliâ suppetias imploravit: tum denique in favorem Ducis Britanniæ, qui ditione pulsus ob consilia cum Anglo in perniciem Franciæ inita, restitui gestivit. Quæ uti gesta singulis locis fuerint, prolixè Frossardus [i] tunc vivens, illarúmque gentium auctores describunt.

[g] Vvalsingh. Richar. I I.

AMULETŨ CONTRA PESTEM.

[h] Boëth. lib. 16.

[i] Frossard. tom. 2.

VII. IMPII DUCIS ANGLI JUSTA VINDICTA DIVINA.

Quódque speciatim res sacras attinet, apud Vvalsinghamum intuenda, & cum horrore consideranda divina vindicta in Ioannem Arundelium Anglum; qui delectus ducendis in Britanniam Armoricam auxiliaribus copiis dum propitiam ventis navigationem in ipsâ Angliâ præstolaretur, ad quoddam vicinum sanctimonialium monasteriũ hospitandi causa cum suis accedens, excusante præfectâ, & ad pedes ejus prostratâ, periculum virginum suæ curæ commissarum, aliarúmque plurium honestarum feminarum, quæ illic vel educationis vel pietatis ergò morabantur, ab ejus commilitonibus imminens, cum lacrymis objiciente; cùm nihilominùs impius in monasterium irruens, & cubicula virginum feminarúmque occupâsset, ac per vim turpiter cum iis se commiscuisset, & pòst abiens plures secum abduxisset; quin & calicem sacratum, dum sacerdos celebrare pararet, ex altari abstulisset: maledictis & imprecationibus à sacerdote impetitus, confestim ubi mare ingressus est, horribili coorta cœlo maríque tempestate, post factam rerum omnium jacturam ipsarúmque feminarum in fluctus ejectionem, ad scopulos illisus, miserrimè cum scelerum sociis periit.

VIII.

Quo eodem anno ortum bellum Flandricum septem annorum: quod tamen (inquit Meyerus [k], illud accuratiùs describens) bellum dici nõ debet, sed discordia civilis, seditio domestica, gentis insania, pestis Reipublicæ, & numinis flagellum, propter nimiam morum corruptionem irati. Incredibilem enim fuisse vanitatem & abusum vestium, non modò per opulentas civitates, verùm etiam per vicos, per pagos, villásque rusticanorum hominum. Iuramenta, perjuria, & blasphemias; adulteria, jurgia, odia, simultates, rixas, cædes, rapinas, furta, latrocinia; ludos aleatorios, scortationes, commessationes; avaritiam, pauperum oppressionem, vim, raptum, ebrietatem, taliáque alia tam multiplicia ubique locorum regnâsse, ut à nemine satis valerent enarrari. Ad hæc Sacerdotium, unde bona manerent exempla, suis vitiis laborâsse. Nobiles, bonos probósque paucos numero; reliquos autem fastuosos, vanos, superbos, prodigos, rapaces, immites, venereos, scortationibus & adulteriis Principis exemplo deditos. Ita omni labefacto ordine, regnâsse ubique satanam. Et quamquam subinde fames, bellum, pestilentia, incendia, maríque diluvia irruerent, parvam tamen mortalium resipiscentiam fuisse. Primam autem malorum occasionem Ludovicum Comitem ipsum habuisse auctorem: qui valdè in sua dignitate magnificus & sumptuosus, deliciisque & voluptatibus mirum in modum addictus existens, cùm in sumptus simulacri equestris certaminis quod publicè indixerat, grandem pecuniam à subditis, petiisset, qui sæpiùs aliam contulissent; recusantibus Gandavensibus, qui primas tenere solerent in collationibus concedendis, quicquam ad hæc ludicra solvere; indéque ortis diversis & adversis factionibus, ac civitatum divisionibus, natum esse gravissimum bellum: quòd licèt aliquas habuerit inducias, renovatis tamen frequenter dissidiis, pugnis, præliis, direptionibus, quamdiù vixit Ludovicus, viguit, & aliquanto etiam pòst tempore. Quod item breviùs descripsit Meyero antiquior Ægidius de Royâ in suis Annalibus Belgicis; fusiùs recentior Heuterus in Vita Philippi Audacis; sed cunctis copiosiùs Frossardus [l], qui tum vivebat: attigerúntque multi alij.

[k] Meyer. lib. 13.

FOEDA FLÃDRIÆ FACIES.

BELLUM CIVILE FLANDRICUM.

[l] Frossard. to. 2. cap. 37. & seqq.

IESV CHRISTI Annus 1380.
VRBANI VI. Ann. 3.
VVENCESLAI Ann. 2.
IOANNIS V. Ann. 40.

I. VRBANI SENTĒTIA ABDICATIONIS IN IOANNAM REGINĀ.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo, Indictione tertiâ Urbanus Pont. certior redditus de futuro adventu Caroli Dyrrachini, quem ad invasionem regni Siciliæ sollicitaverat, ut omnem ei dubitationem tolleret, simúlque viam faciliorem & apertiorem sterneret, Reginam Ioannam, ob exhibitū Clementi adversario suo obsequium & favorem, velut schismaticam, perduellem, hæreticam, & læsæ majestatis ream damnavit regnóque Siciliæ Ecclesiæ Romanæ beneficiario privatam declaravit, aliáque ejus bona publicavit, subditos ab obsequio illius liberos pronunciavit. Adversùs cujus conatus, & ingruentem inde tempestatem, cùm alia auxilia deficerent, ipsa ex Galliâ, unde originem trahebat præsidia advocare constituens; (cùm liberos non haberet, nec ob ætatem ampliùs spes esset habendi, quamquam virum haberet Ottonem Brunsvicensem) Ludovicum Ducem Andegavensem, fratrem Caroli Sapientis Francorum Regis, in filium hæredémque adoptavit tam regni, quàm ceterarū omnium ditionum quas in Galliis & Italiâ possidebat: donato ei interim Calabriæ Ducatu, uti heredibus regni fieri consueverat: confectis eâ de re literis ad arcem Neapolitanam Ovi 3. Calendas Iulij. Nugantur enim qui cum nugacissimo Collenutio hæc Avenione gesta, Reginámque eò cum Clemente quando Italiam deseruit, navigâsse volunt. Præstitit tamen ista eodem suadente Clemente, cùm in gratiam Ludovici, qui pro Rege Galliam Narbonensem regebat, cum quo ei intima erat necessitudo; tum quò partes suas in Italiâ firmaret, & Vrbani attereret: unde ejusmodi adoptionem pro auctoritate supremi dominij regni confirmavit Avenione undecimo Calendas Augusti. Hincque jus prodiit secundæ stirpis Andegavensium in regnum Neapolitanum; quo diù multúmque res Christiana conflictata est.

IOANNA LUDOVICUM ANDEGAVENSEM ADOPTAT ET HEREDEM CONSTITUIT.

II. CAROLUS V. REX FRANC. MORITUR EX VENENO.

At quod huic negotio valdè incommodavit [a], obitus fuit prædicti *Caroli* Sapientis Francorum Regis: qui contigit die 16. Sept. anno ejus ætatis 42. regni 17. non solidis; ex vi veneni olim ei (ut vidimus) pervicaci nequitiâ Caroli Navarræi sororis sui propinati, quod paulatim eum consumpsit. Laudatur de cultu Religionis, Iustitiæ, & Liberalitatis. Restituítque multis locis studia Literarum: cùm habuisset in adolescentiâ præceptorem *Nicolaum Oresmium* Doctorem Parisiensem, & ex Decano Rotomagensi factum ab ipso Episcopum Lexoviensem, magnæ eruditionis & fervidi zeli virum: (cujus recensentur tractatus [b] *de mutatione monetæ*; & contra [c] Astrologiam judiciariam, aliíque) sub quo adeò profecit, ut in Inscriptione monumenti sui, quod visitur apud S. Dionysium, vocetur non solùm *Sapiēs*, verùm & *Eloquens*. Cujus etiam hortatu idem Orsemius dicitur in linguam Gallicam transtulisse aliquot libros Aristotelis & Ciceronis: Et Rodolphus Præleus advocatus Parisiensis libros Augustini de Civitate Dei: alius etiam nonnullus (quem plerique Oresmium ipsum fuisse volunt [d]) totam sacram Scripturam, ob corruptissimas traditiones quibus eam Vualdenses hæretici vitiabant. Testatúrque auctor Somnij Viridarij, de quo suprà, (quem item nonnulli eumdem Oresmium esse volunt, alij alios, prout licuit singulis somniare) Carolum non tantùm amasse literas, sed etiam procurâsse ut Caroli filij sui tenera ætas liberalibus disciplinis imbueretur. Denique scribit Frossardus, habuisse commilites Legum, quorum cōsilio plures victorias se reportâsse aiebat, quàm per milites armorum. Corpus ejus sepultum est in monumento majorum apud S. Dionysium: Cor delatum ad Ecclesiam Rotomagensē, eò quòd primò gessisset titulū Ducis Normāniæ. Viscera ad monasterium Malidumi in sepulchrum matris suæ Bonæ Lucēburgensis sororis Caroli IV. Imp. Et quamvis toto regni sui tēpore multos magnósq; aluisset exercitus, multa construxisset aut restaurâsset tam sacra quàm profana ædificia, liberali manu egenis subvenisset, eccles. ornamentis & dotationibus instruxisset: nihilominùs reliquit in ærario duodevicies centum millia nūmûm aureorū: (quē & *Divitem* cognomento semper Monstreletus [e] nuncupat) jussítque moriens populum gravioribus tributis levari.

Ejus INCLYTÆ LAUDES.

[a] Contin. Nang. Gall. qui desinit hoc an. Froiss. tom. 2. c. 56. & 58. Æmil. & Gag. lib. 9. Belles. lib. 5. c. 45. & 46. & a. ij.

[b] In Bibl. Patr.

[c] Possevin. Appar. to. 2.

[d] Til. in Chron.

[e] Monstrel. lib. 1.

III. CAROLUS VI. REGNAT.

Successit in regnum filius natu major *Carolus* ejus nominis VI. sed ætate minor quàm ut illud per se administrare valeret, quippe qui nondum 12. annum complêsset. Quare cùm aliqua dissensio super ejus coronatione, (ob patris legem de filiis Regum, quam aliàs [f] recensuimus) educatione, & regni administratione, inter patruos ejus intercessisset; demum ne turbæ publicæ inde orirentur, ex sententiâ Prælatorum Procerúmque ac ceterorum optimatum decretum est, ut Rex quamprimùm Remos duceretur inaugurādus; Dux Andegavensis patruorum natu maximus Regni procurationem. Philippus minimus Dux Burgundiæ, & Dux Borbonius Regis avunculus, coram illius educationis ac fratris ejus Ludovici Ducis Aurelianensis haberent. Ioanni autē Duci Bituricensi fratrum medio, ne omninò prætermissus videretur, Aquitaniæ & Occitaniæ administratio cōmissa: quem ferunt mitioris ingenij virum extitisse, fovisséque ingenia, & crimen cupiditatis quo infamabatur, liberalitate ac magnificentiâ aut diluisse, aut minuisse. Post hæc Rex ductus Remos, inauguratus est ingenti pompâ ab Archiepiscopo Richardo Pico, Dominicâ infra Octavas Omnium Sanctorum, 4. Novembris; non ipso festo primâ die mensis, ut quidam habent.

[f] Supr. an. 1375. VI.

ORDO IN REGNO POSITUS MINORI EJUS ÆTATE.

IV. PHILIPPI BURGUNDI AUDAX FACINUS.

Quibus solemniis cùm moris esset ad prandium regium sedere Pares Franciæ eâdem mensâ cum Rege; lis inter prædictos ejus patruos Andegavensem & Burgundum orta dicitur de loco honoratiori obtendente Andegavensi ætatem majorem, & quòd regni esset rector; Burgundo sui Pariatûs præcellentiam, quâ uti primus sæcularium ceteros omnes antecedere deberet in publicis ceremoniis ac præcipuè Regis coronatione, quâ maximè Pares dignitatum suarum munia exercerent: Dictâ

per Regem ex procerum consilio pro Burgũdo sententiâ cùm nihilominus Andegavensis latus Regis propiùs occupâsset, Burgundum violenter se medium inter eos ingessisse: indéque ei *Audacis* nomen inditum. Nec sanè immeritò, si verè res ita cõtigerit; (sunt enim qui dubitent) & sequiori quidẽ illius vocis acceptione, quâ scilicèt vitium magis temeritatis, quàm decus magnitudinis animi significatur. Verùm illud ei cognomen honestioribus aliis de causis, longéq; antehàc tributum, jam aliàs vidimus. Reverso Lutetiam Rege cùm ob novas pecuniarum petitiones plebs cõmoveretur; (quãvis enim initio Rex extraordinarias omnes, uti jussum à patre fuerat, relaxâsset; nihilominùs quòd Andegavẽsis thesaurum à Sapiẽte relictum per vim à quæstorum præfecto abstulisset, servarétque ad res Neapolitanas quas animo versabat; non erat unde aliunde regni necessitatibus provideri posset:) nec blandis Regentis verbis quiesceret; interim dum ad graviora se parat in Iudæos, qui ad tempus ob publica commoda permissi fuerant in Galliam redire, iram suám convertens, foribus domorum effractis, opes eorum prædata est. Nec his contenta, quæ odio superstitionis pervicacis excusari aliquo modo poterát; in mensarios quoque publicanósque impetu facto, aurum argentúmque diripuit libros rationum nominúmque discerpsit: ut vix comminatione Regis à nece eorũ cohiberi potuerit. Quid porrò secutũ fuerit, videbitur posteà.

Cõmotio plebis ob tributa.

V. Miser status Galliæ sub Carolo. VI.

Dictus fuit Rex iste cognomento *Bene-amatus*, ob propensissimam in eum populorum benevolentiam: ex ejus comitate & humanitate: cùm tamen regnum ejus quo diuturnius (nempè quadraginta duorum annorum) eò lugubrius fuerit; ob morbum sonticũ, quo ab anno regni 12. penè continuè afflictatus fuit: unde orta internecina dissidia familiarum Aurelianensis & Burgundæ, Anglorum invasiones, Principum rebelliones, odia domestica domûs regiæ, universi regni expilationes, aliæque ejusmodi miserrimæ calamitates; quibus regnum Christianissimum ad nihilum ferè redactum, solâ divinâ clementiâ, & singulari ac perenni protectione, ab ultimo excidio servatum est. De qùibus omnibus dicetur suis locis quantum sat erit ad institutum: tum antiquis Scriptoribus Frossardo, Monstreleto, & aliis; tum maximè ex Historiâ Latinâ manuscriptâ prædicti Caroli Regis, à monacho S. Dionysij tunc vivente conscriptâ; quam habuimus ex locupletissimâ Parisiensi Bibliothecâ Thuanâ fratrum Puteanorum, bono rei literariæ ac publicæ natorum, dignique patris dignorum filiorum: necnon ex aliâ Gallicè editâ de Rebus ab eodẽ Carolo & sub ejus regno gestis fideli auctore *Ioanne Iuvenale de Vrsinis* Archiepiscopo Remensi, ex illustri familiâ Romanâ Vrsinorum oriundo, qui multa eorum quæ literis mandavit, oculis vidit ipse, ac reliqua à patre ejusdem nominis accepit, qui rebus interfuit in dignitate constitutus: ex ipso autem pleraque hausisse noscuntur Æmilius & Gaguinus, Gallica in Latinum convertentes.

Scriptores rerũ sub eo gestarum.

VI. Bertr. Guesklini obitus.

Duobus ferè mensibus antequàm Carolus V. diem obiret, victoriosissimus ille æquè ac fortissimus bellorum ductor *Bertrandus Guesklinus* Franciæ Connestabilis anno ætatis circiter 66. ex morbo in obsidione oppidi Castrinovi tractûs Gabalitani, ab Anglis & prædonibus occupati, ex hâc vitâ migravit 13. Iulij, eâdem die quâ obsessi deditionem fecerunt. Claves oppidi honoris ergò, & signum victoriæ, super ejus feretrum appositæ fuêre. Corpus jussu Regis, ob insignes res gestas, & egregiam in Regem fidem cum apparatu delatum Parisios: indéque solemni pompâ, cohonestantibus Principibus funus ad S. Dionysium deductum, & in eodem sacello quo Rex Sapiens sibi monumentum erexerat collocatum; ubi adhuc visitur ejus effigies ad pedes ejusdem Regis. Memorabile, quòd cùm plures essent alij insignes bello duces, & honorum non parùm cupidi, nemo tamen ausus sit huic dignitati sese offerre; quinimmò & inventi sint, qui oblatam sibi à Rege recusaverint; eá ratione quòd quantacumque ipsi facinora edituri forent, longè inferiora futura essent Bertrãdi meritis. Electus porrò est à Rege *Oliverius Clissonius* & ipse Brito, & magnis rebus gestis clarissimus: cujus tamen electionem funestissimam fuisse regno, videbitur posteà. Initio autem regni Caroli VI. quo magistratum iniit, præstitit unà cum aliis Armoricæ proceribus, ut Ioannes Monfortius illius provinciæ Dux, novo fidelitatis jurejurando se Regi devinciens, reconciliatus ei fuerit, deserto Anglorum fœdere, & dimissis ad sua qui suppetias ei venerant.

Oliverius Clissonius Cõnestabilis Frãc.

VII. S. Catharinæ Senensis obitus.

Mortua item est hoc anno prædicatissima illa *Catharina Senensis*, de quâ sæpè superiùs; postquàm multis elegantissimis epistolis, atque efficacissimis hortationibus, tàm absentes Reges ac Principes, aliósque optimates, atque civitates, quàm præsentes, totis viribus conata fuisset ad Pontificis Vrbani obedientiam allicere, aut in eâ firmare: & aliis quampluribus, quæ in earum edito grandi volumine cõtinentur, omnis generis, conditionis, & sexûs homines ad pietatem, religionem, & vitam Christianâ fide dignam excitasset. Obiit Romæ die 29. April. ætatis suæ anno plus minùs 33. miracula in vitâ & post mortem clarissima: quam posteà Pius Papa II. anno 1461. in numerum Sanctarum Virginum retulit. Ejus verò vitam prolixiùs descripsit Raimundus de Capuâ confessarius ejus, & Ordinis Prædicatorum quondam Generalis: quam contraxit suo more Vitarum Sanctorum interpolator ferè magis quàm descriptor Surius [g]: jámque olim S. Antoninus [h] breviorem fecerat. Quo eodem anno [i] die 8. Septembr. natus est in eâdem civitate Senensi, seu Massæ oppido ejusdem ditionis, ut plures volunt, *S. Bernardinus* Ordinis S. Francisci reformator, nobilibus parentibus Tollo Dino & Nerâ, & Corbeiæ in Picardiâ *B. Coleta* virgo reformatrix Clarissarum, patre Roberto, matre Margaritâ: de quibus dicetur suis temporibus.

[g] *Sur. 29. April.*
[h] *Ant. tit. 23. c. 14.*
[i] *Vvaadng. Annal. Min. to. 4.*

VIII.

Hócque item anno [k] institutus est in agro Vrbinate Ordo Fratrum *Eremitarum S. Hieronymi*, *à B. Petro Gãbacurta* nobili Pisano; qui captus à prædonibus divino afflante spiritu eos hortationibus suis à vitâ pravâ in bonam frugem convertit, & monasterium construxit: ex quo postinde multa alia fundata sunt per Italiam. Cùm verò primò nullis adstrin-

[k] *Onuphr. in Chron. Maurol. de Ord. Relig.*

Ordinis Erem. S. Hieron. institutio.

gerentur votis, sed liberum cuique esset Congregationem deserere, victum sibi intereà manuum labore conquirentes, & egenorum necessitatibus intendentes; posteà sub Pio V. cœperunt & votis solemnibus alligari, & literis operā dare, ac prædicationi Verbi Dei vacare.

IESV CHRISTI Annus 1381.
VRBANI VI. An. 4.
VVENCESLAI Annus 3.
IOANNIS V. Annus 41.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo-primo, Indictione quartâ, sicuti omnes partes Europæ per factiones occupatæ fuêre pro Schismate Ecclesiæ, ita & intestinis populorum adversùs Principes, & Principum ac Rerum publicarum inter se motibus fatigatæ.

[a] *Iuvenal. Vrsin. in Hist. Carol. V. Æmil. lib. 9. Bellef. lib. 6. c. 47. &c.*

II. LEGATIONES AD REGEM FRANC. PRO VRBANO.

Et quod Schisma tangit, imprimis narrant antiqui Francorum Annales [a], venisse hoc anno sub unum idémque tempus Lutetiam ad novum Regem Carolum ex diversissimis regionibus à Castellæ & Hūgariæ Regibus oratores, rogatum ut Clemente dejecto adhæreret Vrbano; alioquin se Francico fœderi renunciaturos, quòd nefas esset pios Reges cum schismatis studiosis aut fœdus jūgere, aut junctum servare: Responsum utrisq; in commune esse, Regem Sapientem hujus parentem, de regni sui Prælatorum & Theologorum sententiâ, rebus diligenter examinatis, sanctiora Clemētis jura habuisse: eâque de causâ filium ejus vestigiis insistere decrevisse, nisi quòd paratus esset unionem Ecclesiæ totis viribus, & quibusvis legitimis modis procurare: Privatim autem Castellani oratoribus exprobratum esse, quòd cùm beneficio Francorum regnaret, sua tamen consilia à Franeis separaret: Hungaris dictum, vetustum fœdus inter Francos Hungarósque intercedere, non utilitatis causâ, tanto terrarum intervallo diremptos, sed cognationis nobilitatísque gratiâ: ac proptereà minimè Regi in animo esse illud temerè violare, verumtamen nec propter illud vim suæ conscientiæ inferre. Quarum quidem legationum etsi nihil apud auctores Hispanos aut Hungaros, aliósve reperimus, haud tamen proptereà minùs eas agnovetimus: suasione Vrbani, ut putamus, missas, tum ut hâc arte prædictos Reges sibi devinctos teneret, ne Franci auctoritate, cui alter originis, alter regni debito obstrictus erat, Clementi adhęrere absque opprobrio possent quem à Franco abjici postulassent: vel ut novum Regem adolescentulum, & Rectorem regni Ducem Andegavensem, Clementis, spe regij nominis ab eo promissi, studiosissimum, timore externorum bellorum ab ejus protectione, & Neapolitanâ expeditione averteret. Sed de Hungaris posteà; quos apertè Vrbano favisse vidimus, tum quòd eum ab initio pro vero ac legitimo Pontifice habuissent, tum posteà regni Neapolitani promissione allectos.

III. REX CASTELLÆ ADHÆRET CLEMENTI.

Quod Hispanos attinet, certum est Ioannem Castellæ Regem à patre moriente monitum ne facilè in alterutrius partes inclinaret, hoc anno à Petro de Lunâ Cardinale Aragonio in Hispanias à Clemente misso persuasum fuisse obedientiam ei præstare. Quod cùm plerique gratiæ Regis Francorum datum magis velint quàm æquitati; ut non negemus potuisse Ioannem illius consideratione procliviùs in id dilabi, nec ullatenùs dubitemus justiorem omninò fuisse causam Vrbani: ut tamen existimemus, solâ Regis Francorum gratiâ, aut animi levitate Ioannem id egisse, vetant prorsùs antiqua rei gestæ monumenta. Præter enim codices Vaticanos de quibus suprà, extant in Bibliothecâ Collegij Fuxensis Tolosæ, duo prægrandes codices membranacei manuscripti quos habuimus præ manibus; continētes relationes nunciorum à Rege Castellæ Avenionem & Romam missorum pro veritatis indagatione: unà cum auditionibus & depositionibus juridicis Cardinalium, plurimorúmque Prælatorum, Doctorum, & Ecclesiasticorum tam sæcularium quàm regularium in dignitate constitutorum, nonnullorúmque nobilium, qui omnes præsentes Romæ erant quando Vrbanus electus est, pro utráque parte ab iis examinatorum: Et cum epistolis à Cardinalibus ad Principes tam pro Vrbani electione, quàm contra eam scriptis: Itémque solemnibus Disputationibus tam verbo quā scripto factis inter missos ad eumdem Regem ab utráque parte legatos; videlicèt Petrum Cardinalem de Lunâ Diaconum S.Mariæ in Cosmedin, & Fr. Angelum Episcopum Pisauriensem à Clemente, Gutterium Cardinalem Hisp. Presbyterum tituli S.Crucis in Ierusalem, & Franciscum Episc. Faventinum ab Vrbano; aliósque Doctores utrimque additos: Necnon tractatu Ioannis de Liniano Vtr. Iuris Doctoris Bononiēsis pro Vrbano; atque ejusdem confutatione per Abbatem S.Vedasti Doctorem Parisiensem: sententiâ item Baldi celeberrimi Iurisconsulti Perusini pro eodem Vrbano valdè prolixâ, (aliâ tamen omninò ab eâ quæ extat [b] ex commentariis Codicis) datâ Romæ anno 1380. penultimo August. Indictione 3. aliisque nonnullis eidem Regi utrimque oblatis: Ac denique Epistolis privatis tam Catharinæ Senensis, quàm aliorum de his consultorum. Quibus omnibus diligentissimè à Prælatis & Doctoribus Hispanis, ac Consiliariis regiis, in unum ad hoc collectis, perpensis & discussis; uno consensu Regi suggesserunt, Vrbanum esse intrusum, & Clementem verum ac legitimum Pontificem cui obediendū esset. Quibus is persuasus, id publicis suis literis, datis Salmanticæ 14. Calendas Iunij præsentis anni 1381. per universam suam ditionem servari edixit. Factúmque est ut etiam prædictus Guterrius [c] Cardinalis; abdicatâ dignitate quam ab Vrbano acceperat, Clementi adhæserit: à quo in gratiam Regis Ioannis, ad eamdem Cardinalatùs dignitatem de novo assumptus fuit. Et hæc quidem operatus in Castellâ Petrus de Lunâ; in Aragoniâ tamen patriâ suâ inanis hactenùs ejus opera fuit, Regis ac procerum animis incertis adhuc suspensísque remanentibus.

[b] *Ap. Bzov. ex comment. ad Tit. Siquis aliq. 34. lib. 6. cod.*

[c] *Vit. Clem. à Bosq. edit.*

IV. Fuit porrò in eâdē Aragoniâ hoc ipso anno [d] mense Ianuario in Cæsaraugustano conventu altercatum de summo procerum ceterorū-

[d] *Surit. Indic. lib. 3.*

que

que qui homines subdititios habebant, in eos imperio, quod eò extendi contendebant, ut etiam in caput & fortunas eorum supremo jure ad libitum uti possent. Dictúmque demùm est, ut quod in his, etsi nec communi gentium nec legitimo jure præscriptum erat, publicâve aut privatâ lege aut privilegio irrogatum; iidem nobiles frequenti usu & diuturnâ observatione possedissent, etiam in posterùm obtinerent: adeò ut non solùm subditis, verùm etiam nec Regibus ipsis, ejus actionis judicium constituere adversùs impotentem nobilium dominatum permissum esset: & major ea vis, ejúsque pœna, non humano, sed divino judicio ad extremum punienda reservaretur. Diceres non inter Christianos rem actam: quid enim inhumanius in ultimâ barbarie reperiri detur?

CRUDELE IUDICIUM CONVÉTUS ARAGONICI.

V. TURBÆ SCHOLÆ PARIS. OB RAPINAS CLEMENTINORUM.

In Galliâ verò, quàvis publicè Clemens pro Pontifice haberetur, nihilominùs non parùm in eum à viris Ecclesiasticis conclamatum est, eò quòd cùm plurimos suæ factionis haberet Cardinales, eorũ sumptibus propè sola Gallia proposita esset: adeò ut quæq; pinguiora beneficia Ecclesiastica, non solùm dum vacabát sibi conferri procurarent, verùm etiam expectationum ac reservationum muneribus obstricta tenerét; nullo respectũ virorum literatorum, aut aliorum benè meritorum, qui spe privabantur aliqua unquam consequẽdi: cùm & præterea multę pecunię ab Ecclesiis exigerétur nomine decimarum, & reliquiarum debitorum Cameræ Apostolicæ, vacantiarũque sacerdotiorum, & aliarum ejusmodi artium: his omnibus suffragante regni Rectore Andegavensi, tam studio Clementis, quàm quòd prædâ participare diceretur, qui ab omnibus summæ avaritiæ insimulatur, egebátque insuper magno thesauro ad expeditioné Neapolitanâ. Quare cùm his de causis tam magistri quàm scholastici, omniúmq; liberalium disciplinarum studiosi, turmatim Academiam desererent, alique aliò dilaberentur, communi ceterorum consilio *Io.* quidam *Rossius*, sive Ronceus, Doctor Theologus (Gessoriacum Æmilius vocat, à patriâ, ut puto; quem Iuvenalis, ex quo hæc Æmilius desumpsisse videtur, ex oppido Abbatis villæ fuisse scribit; Gaguinus generali provinciæ nomine Picardum:) Regem adiens, liberiori oratione de prædictis vexationibus cõquestus, rogavit iis remedium conferre. Quâ de re vehementer offensus Andegavensis, nocte proximâ Ioannem ex musæo vi per satellites raptum in custodiam arctissimam conjecit. Re auditâ, universa Schola adfuit de injuriâ quiritãs: donec post multas perẽdinationes Ioannes redditus est; eâ conditione ut omnes Clementi obedirent. Sed Ioannes libertati restitutus, confestim ad Urbanum se contulit. Urbano autem literas inde benevolas & hortatorias ad Academiam scribente, cùm eas Rector Academiæ in publico consessu legisset, eum quoque Andegavensis eo prętextu quòd non priùs Regi, ipsique Regenti obtulisset, comprehendi jussit. Qui re cognitâ, periculum fugâ vitavit; eâque de causâ plures Romam sese receperunt, vel ad alia loca migrârunt. Clemens autem ad captandam eò magis Regentis gratiá, novam ei decimam beneficiorum Ecclesiasticorũ cõcessit; quæ per laicos indignis planè extorsionibus collecta est, adeò ut pro decimâ pluribus locis ultra totum proventum exigeretur; nequicquàm Sacerdotibus, oppositionibus & appellationibus sua tueri conantibus. Quæ sic gesta describit Iuvenalis [e]; & ex eo alij.

IOANNIS ROSSEI ORATIO DE IIS AD REGEM, ET QUID INDÈ SUCCESSERIT.

CLEMENS IN ANDEGAV. LIBERALIS.

[e] Iuven. in Reb. gest. Car. VI. Æmil. & Gaguin. lib. 9. Bellefor. lib. 5. c. 48. & alij

VI. MISERA CONDITIO CLEMĒTIS EX RELATIONE NICOLAI DE CLEMANGIIS.

De quibus, ac simul de miserâ Clementis conditione, quâ Principibus sese subjicere necesse habebat ut eos in suâ obedientiâ contineret, agens pariter *Nicolaus de Clemangiis* insignis Doctor Theologus Domûs Navarræ Parisiensis, patriâ Catalaunensis, Archidiaconus Bajocensis, liberiori tractatu quem composuit, *De corrupto Ecclesiæ statu* [f]: dolet vehementissimè, quòd ita Clemens se servum servorum Gallicis Principibus adjecisset; ut eas ferret etiam ab aulicis quotidie injurias & contumelias, quas vix deceret in vilissimum mancipium dici: quippe qui cedere cogeretur furori, tempori flagitantium importunitati, fingere, dissimulare, largiter promittere, diem ex die ducere; his beneficia dare, illis verba: Omnibus quos aut ars assentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, summoperè placere studuisse, eósque beneficiis promereri, quo talium patrocinio dominorum gratiam & favorem assequeretur, &c. Sícque omnem clerum, sęcularium, magistratuum dispositioni ita subjecisse, ut Papa magis quilibet eorum quàm ipse Papa putaretur. Fructus sunt isti schismatum; quos non minùs acerbiores apud Urbanum fuisse idem auctor innuit, & ex aliis auctoribus intelligitur.

[f] Clemang. cap. 27.

VII. [g] Frossard. vol. 2 Iuven. in Hist. Car. VI. Æmil. lib. 9. &c.

SEDITIONES POPULORUM OB RAPACITATES MINISTRORUM REGIORUM.

Nec minores confusiones civiles ac perturbationes regni, tam ex infirmâ ætate Regis, quâ rapacitas Andegavensis, aliorúmque procerum invidiæ, & ærarij ac sanguinis populi hirudines, totum penè regnum subverterunt, quã populorum commotione exemplo Flandrorum, quos vidimus in Comitem suum eodem prętextu insurrexisse. Unde ingenti Parisiis ortâ seditione, factionéque *Malleatorum*, (ut vocabant, à malleis plumbeis, quibus exactores, redemptorésque quoscumque conficiebant) nemo etiam bonus à malo aut metu securus extitit, catenis per vias vicósque prætẽtis, carceribus regiis & Episcopalibus invasis, reísque emissis; denique nec ecclesiis immunibus, quin ad ipsa altaria cædes pestilentissimi sacrilegij cõmitterent. Quorum exemplo plebs Rotomagẽsis commota præter alia scelera, cædes, expilationes, eò etiam insolentissimæ audaciæ prorupit, ut quemdam mercatorem, nomine ab obesitate Crassum, Regem per derisum salutantes; atque invitum sellæ curuli per urbem circumferentes, compulerint pro potestate proposito edicto vectigalia abrogare, ac subsidiorum nomen tollere. Donec effervescente furore, ac Rege de utrâq; civitate severam vindictam sumere parante, optimatium interventu ac supplicationibus, noxiosiorum supplicio, & aliorũ mulctâ pecuniariâ res sedata est, ac ceteræ civitates quę tumultuari cœperãt in officio sese cõtinuerunt. Visæque sunt hæ commotiones prodigiis portendi; quibus non procul à S. Dionysio natum est ex vaccâ monstrum belluinum tres oculos & duas linguas habens: & supra civitatem Parisiorum per summam cœli serenitatem ignis visus æthere circumferri.

VIII.

[h] *Iuven. ibid.*

HUGONIS AUBRIOTI DĀNATIO PER EPISCOP. PARIS.

Inter illos autem quos diximus fuisse per plebem è carceribus Episcopalibus emissos, fuit [h] *Hugo Anbriotus* præfectus Parisiensis natione Burgundus, potens & dives qui accusatus, & cōvictus turpissimæ libidinis, etiamque cum feminis Iudæis, odij in ecclesiasticos, contemptus sacratissimæ Eucharistiæ, & sacramenti confessionis ac pœnitentiæ, multarúmq; aliarum hæresum, damnatus igni; precibus tamen Principum, quibus charus erat, mitigatâ pœnâ, post sententiam publicè in eum veluti Iudaismi sectatorem, & sacramentorum ac clavium Ecclesiæ contemptorem, per Episcopum Parisiensem Pontificalibus indutum pronunciatam; perpetuo carceri adjudicatus fuerat, pane tantùm & aquâ nutriendus. Qui tumultibus popularibus quos diximus à plebe eductus ut dux ejus esset, cùm munus acceptare simulasset, noctu aufugiens incolumis evasit.

IX.

SEDITIONES ANGLICÆ.

[i] *Vualsingh. in Richar. II.*

Cæterùm eâdem seditionum peste Angliam invadente, parùm abfuit quin eâ penitùs absumeretur, Rege adhuc adolescentulo, & patruis absentibus: cùm unus eorum Ioannes Dux Lecestriæ sive Lācastriæ occupatus [i] esset in partibus borealibus in pace cum Scotis eas infestantibus componendâ; (magno utique ipsius bono, cùm is præcipuè ad necem à seditiosis quæreretur) alter Edmundus Cantabrigiæ in Hispaniâ, bello prorege Lusitano, suísque propriis [k] ac fratris Lancastrensis juribus gerendo nullo operæpretio distineretur: tertius Thomas Dux Buchingamiæ, sive Glocestriæ, nuper ab inutili expeditione [l] Armoricâ vix reversus in Walliâ Anglicâ domi suæ quiesceret. Rege igitur Londini agente cum fratribus suis uterinis, aliísque nonnullis proceribus, factâ repentè plebium ubique contra nobiles & optimates conspiratio & coitio, regnum planè plenéque evertisset, nisi divina providētia citiùs earum conatus compressisset. Mali originem nonnulli [m] in solam gravissimi tributi indictam exactionem referunt: at plures [n] & antiquiores aliam prætereà ac potissimam insinuant: Nempè fuisse tunc in Angliâ (sicuti & erat, éstque hactenus pluribus aliis regionibus) hominum quoddam genus, (nativos, & bondos vocat Walsinghamus) qui licèt non propriè inter servos computarentur, proximè tamen accederent: quippe qui ad rusticam dominorum suorum tam sæcularium quàm ecclesiasticorum operam subeundam, terras arandas, segetes metendas, colligendas, deportandas, ligna cædenda, & alia id genus ministeria, nullo præmio, nullâque stipe, astringebantur, eandémque conditionem in liberos ac successores trāsmittebant: hoc ferè ab antiquis servis differentes, quòd illi semper & in omnibus servi, & in arbitrio dominorum essent; hi præter illud quod diximus operum ejusmodi debitum, cetera ipsi & liberi eorum sui per omnia juris existerent: quales sunt Iure civili [o] coloni adscriptitij: Hujusmodi igitur hominum cùm esset ingens in Angliâ multitudo, factum esse (præcipuo incētore seditioso quodam sacerdote Ioanne Baleo, qui propterea fuerat sæpiùs ab Archiepiscopo Cantuariensi increpitus, & carceri inclusus, ut ij sese in plenam libertatē tam à servilibus ministeriis quàm tributorum pensionibus, qualem natura ex æquo omnibus indulsisset, asserere decernentes, armati & inermes per universum ferè regnum coëuntes, ducibus eodem Baleo, & Waltero Tilero laterum coctilium, seu concinnandorum tectorum artifice homine audacissimo, ac tertio Ioanne quodam Stravio, ingentia atq; infinita mala & scelera adversùs nobiles & ecclesiasticos, magistratus, ac regios & Iustitiæ ministros, necnon ecclesias & monasteria perpetrârint, cædibus, expilationibus, eversionibus, incendiis, sacrilegiis blasphemiis, libidinibus, actorum publicorum excisionibus, omnibus denique efferatorum immanitate hominum excessibus.

[k] *Vid. sup. an. 1369. II. Marian. lib. 18. cap. 5.*
[l] *Froissard. vol. 2. c. 59. & seqq.*
[m] *Polydor. lib. 20.*
[n] *Froiss. c. 5. 74. Vualf. in Richard. II. Harpsfeld. sæc. 14. c. 6.*

SERVITUTIS GENUS IN ANGLIA.

[o] *Cod. de agric. & cens. lib. 11. tit. 47.*

X.

IMMENSA EORUM SCELERA.

Qui etiam Londinum ad sexaginta millia euntes, eò proterviæ processerunt, ut arcem regiam ingressi postridie festi Corporis Christi 14. Iunij, matrem Regis ad oscula provocaverint, cubile conculcaverint: *Simonem Subdurium* Archiepiscopum Cantuariensem regni Primatem & Cancellarium, magnæ auctoritatis, prudentiæ, & pietatis virū, à Missæ celebratione paratissimo ad martyrium animo sese illis habitu Pontificali constanter objicientem, simul & salutaribus monitis ad cor reducere satagentem, gladio carnificis de medio sustulerint, cadaver insepultum abjecerint: ad cujus posteà monumentum multa fieri cœperunt miracula. Sublatus etiam Magister militum Hospitalariorum præfectus ærarij; & quidam religiosus Carmelita Regis confessarius. Denique ipse Rex à perfidiis semel atque iterùm ad colloquium campestre vocatus, & adire non sine vitæ periculo compulsus; quò eos mitigaret, quæcumque postulârunt concessit, ac præcipuè liberationem à dominorum suorum jugo, datis eâ de re diplomatibus publicis. Donec in quodam ejusmodi colloquio ferociens nimiâ impudentiâ coram Rege dux eorum Tilerus, occisus est à Majore Londinense ejus proterviam non ferente: eóque inopinato casu perculsi sequaces, facilè persuasi sunt ad sua quique se recipere; earumque exemplo & ceteri qui paria scelera per reliquas regni provincias cōmittebant: quas Rex postmodùm peragratis, variis suppliciis noxiores affecit. Inter quos *Ioannes* ille *Baleus* Wickleffi hæresiarchæ discipulus, horúmque motuum tuba, & omnis dominationis obsequij, & ordinis hostis; (qui præterea speciatim asserebat, Decimas non dandas, nisi qui reciperet tenuiori esset fortunâ & pauperior dante; immò nisi is cui daretur inculpatioris esset vitæ quàm qui daret: ac neminem ex illegitimo contubernio natum ad æternam salutem pervenire posse:) in ejusmodi perversorum dogmatum, & sceleratarum seditionum pœnam, tractus, suspensus, exenteratus, & in quatuor partes dissectus est, (recepto in Angliâ proditorum ac læsæ majestatis reorum supplicio) illæque quatuor in civitatibus loco sublimi suffixæ. Ioannes autem Stravius, præcipuus post Tilerum prædictæ coitionis ductor, cum ad supplicium duceretur, cōfessus est, scelestam colluviem Regis colloquium postulâsse, animo proceres & nobiles qui latus illius stiparent trucidandi, ac Regem capiendi, ut ejus auctoritate res suas constabilirent: sed cùm eas firmiter

SIMONIS ARCHIEPISCOPI MARTYRIUM.

IO. BALEI HÆRESES, ET SUPPLICIUM.

CONSILIA IMPIA SCELESTÆ LUVIEI.

miter constitutas vidissent, tùm non solùm eumdem, verùm etiam omnes totius regni principes viros, necnon Episcopos, sacerdotes, & omnis conditionis clericos qui bonis & possessionibus affluerent, neci tradendi; religiosis mendicantibus curam Ecclesiarum credendi regulas ex sese per singulas povincias & novas leges constituendi.

XI. Corruptissimus Angliæ omnium ordinum status.

Vnde autem processerint tanta mala disputans Walsinghamus, (qui rem totam longè copiosiùs describit) ait multos opinatos esse, hæc per provincias longè dissitas iisdem penè diebus, nempè infra Octavas Corporis Christi, præcipuè contigisse ob remissam curam Episcoporum de re quâ fides & stabilimentum Christianæ Religionis consistit; cùm negligentiùs agerent in purgandâ Angliâ ab abominandâ hæresi Vvickleffianâ, quæ doctrinam de Sacramento Eucharistiæ adeò impudenter impugnabat, ut assereret impurissimus hæresiarcha, potiùs venerandum esse bufonem, vel quodlibet animatum, quàm Eucharistiam, quòd multò præstantior sit res animata, quàm quæ caret animâ: Alios prædictam populorum commotionem tribuisse infedelitati & morum depravationi procerum; cùm essent inter eos qui assererent nullum Deum esse, nihil esse sacramentum altaris, nullam post mortem resurrectionem; animas hominum sicut & jumentorum interire: alij tyranni in subditos infidi in pares, incesti, aliorum conjugiorum insidiatores, Ecclesiæ destructores essent; Vulgus quoque bono pacis abutens, potationibus, ebrietatibus, contentionibus, fraudibus, perjuriis, libidinibus, præter fidei corruptionem totum se daret. Quare & fuit eo tempore vir equestris ordinis *Ioannes Govverus* qui prædictam omnem seditionem versibus Latinis, nec omninò inelegantibus describens; depinxit quasi per simulachrum nocturnum visum sibi objectum, quo cernere putabat populum stupendâ metamorphosi in belluinas omnis generis formas, ut olim Vlyssis socios per Circem, transformatum; ideòque propter depravatos Cleri & populi mores, hanc pestem Angliæ incubuisse.

XII.

Carolus Dyrrachinus coronatur ab Vrbano Rex Siciliæ.

Aliud pestis genus invexit in Italiam Carolus Dyrrachinus, quem superiùs [p] diximus ab Vrbano evocatũ: qui cum magnis copiis Hũgaricis adveniẽs, Romę receptus ab eo est honorificè, creatus primò Senator Vrbis, deinde Rex Sicilię & Ierusalem iisdem conditionibus & obligationibus, quibus Carolus I. à Clemẽte IV. Quod nonulli ad finem anni præcedentis, accuratiores ad principium pręsentis factũ tradunt. Dicendus III. ejus nominis Regum Siciliæ; cognomento dictus *Parvus* à brevi staturâ; & De *Pace*, ab eâ quàm molitus est sãcire inter Venetos & Genuenses, cùm bellum illud deserturus esset ad expeditionem Neapolitanam suscipiendam; ceterùm laudatus à plerisq; fortitudinis animi, peritiæ artis bellicæ, atque etiam studij literarum: ita curaverat Regina Ioanna eum optimè educari. Habet porrò Niemus [q], qui cum Romæ præsens erat, antequàm Carolus coronaretur ab Vrbano, invitum coactum fuisse spondere ipsius nepoti Francisco Prægnano cognomento Butillo, homini effeminato & inutili, Ducatus Capuanum & Amalphitanum, ac multos nobiles Comitatus in regno. Atque ut ejus indigentiæ Vrbanus subveniret, proprietates & jura Ecclesiarum ac monasteriorum Vrbis distraxisse; calices, cruces & imagines Sanctorum aureas & argenteas conflâsse aut vendidisse, ad cõgerendas inde pecunias in stipendia ac sumptus exercitûs Caroli. Qui Neapolim versùs sumẽs iter à cunctis fermè proceribus ac populis, inter quos educatus fuerat, gratanter receptus, ipsam Neapolim favore populi ad ipsum concurrentis intravit die 16. Julij; Reginámque Ioannam in castro novo obsedit: die 25. Othonem ejus maritum, cum exercitu in ejus liberationem venientem, prælio fudit, & animosiùs sese in discrimen projicientem captivum abduxit; ac sequenti die Reginam in deditionem accepit: quam aliquot diebus honoratè habitam, deinde in arcem civitatis Muri provinciæ Lucaniæ relegavit, & Othonẽ ejus virum in arcẽ Altamurę Apuliæ; sorores propriæ uxoris suæ Margaritæ diversis carceribus Neapoli inclusit, in quibus vitã finierunt. Ita namque rem gestam describunt plerique, ceterísque diligentiùs Summontius [r]: cùm sint nihilominùs qui Othonem proditoriè absque certamine captum scribant. Quid porrò cum eo ac Reginâ actum fuerit dicetur suis locis.

XIII. Cardinales et alii Clementini crudeliter habiti Neapoli.

Inter alios verò qui tunc cum iis in potestatem Caroli pervenerunt, duo fuêre Cardinales partis Clementinæ, quos vidimus Neapoli relictos quando Clemens inde recessit in Galliam, Iacobus de Itro sive de Viss Gallus, & Leonardus de Giffono Salernitanus; quos Gentilis de Sangro patriâ Neapolitanus Diaconus Cardinalis S. Hadriani, quem Vrbanus Legatum suum adjunxerat Carolo Parvo, valdè crudeliter [t] afflixit, unà cum pluribus Archiepiscopis, Episcopis aliísque Prælatis & Ecclesiasticis qui reginæ adhæserant; quos miserè torsit, spoliavit, horridæ custodiæ tradidit, nullâ habitâ ratione dignitatis, ætatis, scientiæ, aut virtutis, quibus ut nihil deesset calamitatis, alios Vrbanus substituit ex iis qui Carolo in occupandâ Neapoli faverant; adeò ut nemo esset tam miser & iners clericus Neapolitanus, qui non Episcopatum adipisceretur si modo vellet: Prædicti verò Cardinales ab eodem Gentili Legato publicè in Ecclesiâ S. Claræ præsente Carolo pileos suos Cardinalitios in ignem conjicere coacti sunt Clementémq; ejurare, & Vrbanum verum Pontificem profiteri. Idq; ipsum eodem tempore Episcopus Theatinus, & Abbas Massellus ejusdem factionis, præstare combustis pariter dignitatum suarum insignibus coacti fuêre. Omnes deniq; iidem ducis carceribus longo tempore detenti, demùm excardinales libertati redditi, Avenionem petentes suam dignitatem à Clemente receperunt. Ita enim Ciacconius [u] ex libro Regni Siciliæ, ut ait; cùm tamen auctor Vitæ Clementis, & antiquum Chronicon manuscriptum Bibliothecæ [x] Victorinæ, afferant prædictum Iacobum de Itro, post multa dira in carcere, tolerata, quòd nollet Vrbanum agnoscere, demùm miserè mortuum ibi esse; necnon multos alios ex supradictis Antistitibus depositis. Ceterùm tortor eorum Gentilis ditioribus posteà tormentis ab eodem ipso Vrbano, in cujus favorem hæc præstabat, periit; ut videbitur suo loco.

[p] *An.* 1379. *II.*

[q] *Niem. l. de Schism.* 21. *in fi.*

[r] *Summont. Hist. Neapol. lib.* 3. *ad fin.*

[s] *Niem. cap.* 23. *Naucler. gener.* 47. *Krantz.* 10. *metrop.* 15.

[t] *Niem. cap.* 26. *Ciaccon. in Vrb. VI.*

[u] *Ciac. in Clem. VII.*

[x] *Cod. P.* 8.

XIV. PAX INTER VENETOS ET GENUENSES COMPONITUR.

Elanguescentibus intereà Venetorum & Genuensium, ab aliquot annis internecino odio inter sese terrâ marique æquo iniquóque marte decertantium animis; fecit tædium laborum ac satietas malorum & continentium cladium, ut interventu Aymonis, sive Amedei Ducis Sabaudiæ, qui per legatos suos utrumque populum, simul Regem Hungaricum, & alios Principes qui huic bello sese immiscuerant, ad pacem hortatus fuerat: tandem ejus arbitrio ita post longas controversias mense Augusti in has præcipuè conditiones inter eosdem populos (aliæ enim fuerunt ceterorum Principum: inter quas sunt [y] qui ponant, perpulisse Ludovicum Hungariæ Regem Venetos mutare sigilli inscriptionem, quâ se dominos maris jactitarent: alij [z] vectigal & tributum, eis imposuisse:) composita sit; ut res mobiles mutuò captas retinerent; captivos cum fide dimitterent: Veneti arcem Tenedi, cujus causâ bellum ortum fuerat, demolirentur, ejúsque insulæ possessione excederent, neutríque populo liceret eam habere: ad Tanaímq; fluvium mercatoria commercia utrique prohibita, nec ea res, ut sæpè contigerat, causa armorum esset. Quæ conventa iidem integrè observârunt. Rem autem describunt illorum auctores [a]. E quibus est [b] qui observet, eo die quo pax sancita est, natum Venetiis infantem quaternis brachiis cruribúsque, vixiséque quoad fuit ex baptismi fonte lavatus. Alius [c], pace firmata, dissimiles statim casus utrumque populum excepisse. Quippe qui cùm hactenùs eâdem fuissent imperij magnitudine rerum gestarum claritate, virorum pace bellóque eximiorum præstantiâ, regendæ Reipublicæ formâ: posthìc Veneti bellũ cum finitimis Principibus gerentes, subactis eorum civitatibus fines Imperij propagaverint: Genuenses econtrà rebus eorum in deteriùs labentibus, è pristinâ fortunâ exciderint, libertatéque amissâ, aliena imperia subierint. Quod Genuensium divisionibus tribuendum: quibus [d] perpetuò in more fuit, ut pax quâ nullum cæleste donum majus homines habent, perniciosior iis semper fuerit, quàm bellum teterrima hominum pestis. Quare compressa belli periculis domestica dissidia, civitate eo metu solutâ, ingentibus confestim motibus eruperunt; quæ descripsêre illorum historici.

y Krantz. 9. Vuandal. 7.
z Bonfin. 2. dec. 10.
a Sabell. 9. En. 9. & 2 dec. 7. Petr. Iustin. Hist. Ven. lib. 6. Nebiens. Hist. Gen. lib. 4. Foliet. lib. 8.
b Sabell. ibid
c Iustin. ibid.
d Foliet. ibid.

XV. AUDAX FACINUS CUJUSDAM GENUENSIS.

De rebus externis habent (sed anno præcedenti) satis memorabile audaciæ facinus unius privati civis, cui nomen Megolo Lercario qui cùm ætatem ageret in aulâ Imperatoris Trapezuntini, & ob morum comitatem & ingenij suavitatem tam eidem Imperatori quàm aulicorum primoribus acceptissimus esset; accidit ut cùm aliquando latrunculis luderet cum adolescente, qui ætatis flore obscœnum ministerium Imperatori præbere dicebatur, altercationes inter eos ortæ, ab eo cæsus colapho fuerit. Quàm injuriam non valens tum ulscisci, nec ab Imperatore postulatam satisfactionem adipisci; iracũdiæ suæ aculeos in ipsummet Imperatorem vertens, Genuam reversus, ac duabus triremibus propinquorum & amicorum auxilio ad usus bellicos instructis, ad littora Trapezuntij navigans; assiduis mari & terrâ excursionibus infesta adeò fecit, captos omnes naribus atque auribus truncans, ut coëgerit tandem Imperatorem in manus ejus adolescentem illum sibi charum tradere. Cui non supplicium, sed cruciatus deprecanti; An nescis, inquit, viros fortes in feminas sævire numquam solitos? hoc perplexo responso non tam lachrymas quàm famam adolescentis perstrigens. Illóque illæso dimisso, nunciari Imperatori jussit, sibi quidem de privatâ injuriâ abundè satisfactum: haud tamen se priùs abiturum, quàm patriæ suæ decori & Genuensi nomini esset consultum, ædificato Trapezunte ab Imperatore nationi Genuensi peramplo diversorio, ac juribus eximiis donato, quòd & factum est.

XVI. BELLUM RUSSORŨ ET TARTAR.

Ponit quoque hoc anno Krantzius [e] maximum inter Russos & Tartaros prælium; ut solent ambæ nationes magnis agminibus non stantes pugnare, sed in currẽtes jaculari & ferire, móxque retrocedere, quo ducenta hominum millia conciderint, Russis victoribus, qui tamen haud diù lætari permissi victoriâ, insequentibus, cum Lituanorum suppetiis, Tartaris in reditu magnam cladem acceperint, amissâ quam abduxerant prædâ. Rem paulò aliter nonnilli [f] referunt, ut solet fieri de rebus longinquis.

e Krantz. 9. Vuandal. 7.
f Vid. Vigner. in Bibl. Hist.

IESV CHRISTI Ann. 1382.
VRBANI VI. Annus. 5.
VVENCESLAI Annus. 4.
IOANNIS V. An. 42.

I. URB. PP. SEDITIONEM ROMANORUM CÕPESCIT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo secundo, Indictione 5. memorat Walsighamus [a] Romanos seditionem aliquam in Urbanum Pontificem & ejus Cardinales movisse; adeò ut Cardinalibus latebræ quærendæ fuerint; Urbanum autem Cruce manibus acceptâ, fidenter sese concitatæ multitudini objicientem, eam facilè constantiâ suâ placâsse, & ad veniam petendam flexisse. Causam seditionis auctor non tãgit, quam Krantzius [b] ex tractatu cujusdã Alfonsi monachi de rebus Urbani, quibus se interfuisse profitetur, (& nihilhominùs multa eis absona & inepta immiscet) extitisse ait ex eo quòd aliquid Urbanus Romanis denegaret quod ipsi petebant: Urbanum autem audito eorum cum armis ad palatium adventu, sedisse infulatum ad ingressum atrij, & vultu truculento adeò terruisse irruentes, ut pacati reversi sint ad sua. Quod etiam apud Gobellinum [c] legitur.

a Vvals. in Rich. II.
b Krãtz. 10. Metrop. 14.
c Cosmodr. æt. 6. cap. 76.

II. IOANNA REGINA NEAPOL. NECATUR.

Non sic Carolus Dyrrachinus, Rex Siciliæ ab eodem Urbano (ut vidimus) creatus. Sed in feritate suâ scelestissimè persistens, accepto à Rege Hungariæ mandato de Ioannæ Reginæ nece, quam contra fidem datam captivam detinebat in arce civitatis Muri; omnium hominum ingratissimus immisit satellites, qui eam (ut Niemus [d] ait) dum quâdam die in capellâ flexis genibus oraret, crudeliter laqueo strangulârunt; seu potiùs ut alij, injecto ori pulvillo suffocârunt. Idque die 22. Maij contigisse legitur in ejus epitaphio [e]: quo pariter notatur annus 1382. & Indictio 5. ut inde refellantur quicumque alio tempore id contigisse ponunt quemadmodùm & qui scripse-

d Niem. lib. 1. cap. 25.
e Ap. Summont. lib. 3. ad fi.

runt

runt eam suspendio necatam eodem loco, quo Andreas primus ejus maritus de medio sublatus fuerat, à diligentioribus historicis refelluntur. E quibus Summontius Neapolitanus eam vindicans à calumniis mortis ejusdem Andreæ, & impudicitiæ quâ infamata reperitur à plerisque auctoribus; concludit nequaquàm ipsam inde culpam incurrisse, aut pœnam meruisse; sed quòd Schisma Ecclesiæ fovisset magno universi Christiani orbis scandalo. Visum nihilominùs cælum ejusmodi luctuosam aimadversionem ulcisci; cùm velut in vindictam, sævissimam immisit in civitatem Neapolitanam pestilentiam, quâ sublati sunt viginti septem mortalium millia. Denique laudatur Ioanna ab ipsis etiam ejus criminatoribus, prudentiæ, liberalitatis, ac magnitudinis animi: & à Baldo & Angelo fratribus, insignibus ejus temporis Iuriconsultis, valdè extollitur; miréque à Bocacio, de egregiis ejus animi & corporis dotibus, & magnâ in adversis constantiâ. Vixit autem annos quinquaginta sex, regnavit triginta novem; aut uno minùs, ut quidam volunt.

Vindicatur a mendaciis in eam confictis.

III.

Ad levandum [f] autem mœrorem publicum necis ejus, Carolus varios Neapoli ludos & certamina exhibẽs, instituit etiam novum Ordinem militarem Equitum Navalium, sive *de Nave* dictorum, è nave pictâ mediis in fluctibus, quam pro insigni gestare chlamyde tenebantur; veluti ad imitationem Argonautarum: cujus ipse princeps esse voluit, electo in protectorem Ordinis S. Nicolao Episcopo Mirensi, erectóque in ejus memoriam templo.

[f] *Summont. lib. 4. ad pr.*

Ordo de Nave instituitur a Carolo.

IV.

Intereà Ludovicus Dux Andegavensis, quem vidimus ab eâdem Ioanna Reginâ in filium & heredem adoptatum, paratis quæ ad ejus auxilium necessaria erant, Avenionem accedens à Clemente regni Siciliæ insignia accepit tertio Calendas Junij octavo die à nece Ioannæ. Indéque provinciales ipsius imperium detrectantes armis domuit, & sibi uti Ioannæ heredi obsequentes reddidit. Memorabiléque valdè, quòd cives [ff] Arelatenses in receptione Ludovici adstrinxerunt eum jurare pro se & successoribus, numquam se facturos pacem sive concordiam aliquam cum illo nefandissimo proditore Dyrrachino, immò ipsum & suos imposterùm persecuturos pro viribus. Italiam igitur Ludovicus petens, unà cum Amedeo Comite Sabaudiæ, & ingentibus copiis; (triginta millium equitum fuisse quidam volunt, incerto peditum numero) post superatas magno labore Alpes, ulteriùs progrediens, relictâ viâ Romanâ, per Marsos Regni fines ingressus, quamquam multis molestiis & damnis affectus ab Alberico Barbiano Comitis Cunij oppidi Romandiolæ, strenuo bellatore qui Carolo militabat, (quem ab Anglis & Germanis, quos vidimus Italiam armis incursâsse, eruditum, Italos arma tractare insuetos, sed per equites externos rem gerere consuetos, ingenio suo bella gerere, & ab exteris sese tueri, docuisse tradunt:) Aquilam cepit; & concurrentibus ad eum multis regni proceribus, plura alia Apulię & Calabrię loca occupavit: Carolo interim munitis plerisque civitatibus, id præcipuè satagente ut omnis Ludovico commeatus intercluderetur; ratus quò majoribus copiis venisset, eò citiùs ad inopiam omnium rerum deventurum. Sicuti & contigit, magnâ parte exercitûs tam hostium insidiantium & latera obsidentium armis, quàm penuriâ, & insolito calore æstivo, aut frigore hiberno sumptâ. Habétque Niemus [g], quemdam magum (quem se Romæ vidisse ait) à Carolo in ipso Ludovici in regnum introitu ad eum suis incantationibus ludificandum immissum esse: sed cognitum, jussu Ludovici vivum igne crematum. De quo pariter agens Iuvenalis [h], ait habuisse hunc impostorem lanceolam, cujus ferrum tali veneno infectum esset, ut si vel vestem alicujus tangeret, quinimmò si quis fixè oculos in illud conjiceret, is continuò inficeretur & interiret: Missum autem fuisse à Carolo ad Ludovicum fecialis habitu, specie provocationis ad pugnam: audito autem ejus supplicio, Carolum vehementer indoluisse. Meminit & Frossardus [i], sed ut solet multis admixtis nugis. Horum tamen nihil auctores Neapolitani, sive pudore, sive rei ignoratione.

Ludovic. Andegavensis a Clemente creatur Rex Siciliæ eamque invadit.

[ff] *Saxius in Hist. Archiep. Arel. in Francisco 99. Archiep.*

Ejus exercitus dissipatur.

[g] *Niem. lib. 1. cap. 24.*

Magum ad ipsum perimendum missum occidit.

[h] *Iuven. in Hist. Carol. VI*

[i] *Froff. vol. 2. cap. 89.*

V.

Quâ arte usus item repertitur hoc eodem tempore [k] iis sceleribus assuetus alius Carolus Rex Navarræ, quem Francorum historiæ tradunt Anglum quemdam pecuniâ corruptum immisisse qui veneno tolleret Duces Biturigum & Burgundiæ patruos & tutores Caroli Francorum Regis eò quòd per eos stare crederet quominùs filius suus è custodiâ quâ detinebatur, liberaretur; quinimmò & in ipsummet Regem idem attentâsse, nonnulli [l] habent, quod eò faciliùs est creditu, quò vidimus eum id in patrem ejus Carolum Sapientem cum effectu præstitisse. Ceterùm hic Anglus in ipso conatu detectus, meritas luit meditati sceleris pœnas. Carolus autem, sive ante sive post hæc tẽtata, id ipsum sceleris in propriæ sororis virum Gastonem Fuxi Comitem, per proprium ipsius filium, nepotémque suum machinari non [m] dubitavit; hâc occasione. Ceperat Comes bello dominum Albreti, & fidejussorem redemptionis habuit Navarrum. Cùm solutio differretur, irascens Comes uxori, antè etiam non benè convenienti, nec pellicis potentiam ferenti, misit eam ad fratrem pro sollicitandâ solutione. Carolus autem illâ diutiùs apud se detentâ, facilem excogitans expungendi nominis viam, filio Comitis qui ad matrem venerat, adolescentulo simplici & ingenuo persuasit pulverem accipere, quo cibum patris aspergeret, ad conciliandam (ut aiebat) ejus in matrem benevolentiam. Reversus filius, & cùm rem exequi in animo haberet deprehensus, factâ in cane pulveris probatione, cùm per repentinam ejus mortem venenatus apparuisset; parùm abfuit quin eodem momento pater filium etiamsi unicum, propriis manibus interficeret. Qui in carcerem trusus, paulò pòst periit, sive publico supplicio, ut quidam habent; seu potiùs inediâ voluntaria, accedente casu à patre, qui cùm os ejus quòd occlusum tenebat cultello quo ungues secabat aperire voluit, imprudenter gingivam secuit. Hique fuêre fructus pietatis Navarri.

Carolus Rex Navar. Regem Franc. eiúsque patruos veneno tollere conatur.

[k] *Iuven. & Monach. Dionys. an. 1385. Til. in Tractat. an. 1384. Bellefor. lib. 5. cap. 47. ad fi. an. 1381.*

[l] *Til. ibid.*

Itemque Fuxi Comitem sororium suum.

[m] *Frossard. vol. 3. cap. 8. Elias Appam. Hist. Fux. lib. 2 Bellefor. lib. 5. cap. 50.*

VI.

Non minor doloris causa Carolo Dyrrachino (si ferus homo animũ capacem habuisset amicitiæ) mors *Ludovici* Regis Hungariæ, cui præsentem fortunam debebat: quæ contigit die undecimâ aut decimâ tertiâ Septembris, cùm ętate annos quinquaginta sex, regno

Ludovici Hungariæ Regis obitus.

LUCTUOSISSIMUS.

quadraginta explêsset: tanto sui desiderio relicto, ut præ ceteris hunc Regibus Hungaria deploràsse videatur. Quod & inde facilè considerari potest, quòd anno tres pullâ veste incesserit, totidémque annis luctum regionatim celebraverit, nullo interim admisso joco, aut festivitatis genere. Eumdem auctor Polonus [n] valdè laudat de prudentiâ, animi moderatione, fortitudine, justitiâ, literarum cultu, pietate atq; religione, quem & ait Cumanos populos ab idolorum cultu ad fidem Christianã adduxisse: Judæos, quòd nec minis nec præmiis propositis reducere posset, omnes proscripsisse. Masculâ prole carens, duas reliquit filias: majorem Mariam, Sigismundo Marchioni Brandeburgensi filio Caroli IV. Imp. superstitibus adhuc parentibus desponsatam: minorem Adjugam, sive Hedvigen, pactam Guillelmo Ducis Austriæ, quæ posteà coronata est Regina Poloniæ. Erat enim (ut vidimus) Ludovicus Rex utriusque regni. Maria autem in Hungaricum sublimata est, tanto paternæ memoriæ merito, ut non Regina, sed Rex salutata fuerit, & donec virum duxit in cunctis diplomatibus ita rescripta. Quod non intelligens Krantzius [o], secus ac debuit interpretatus est. Erat enim adhuc impubes. Caverat autem pater, ut consummatis nuptiis Sigismundum regni consortem pariter admitteret, interim permansit rerum administratio in manibus matris ejus Elisabethæ, feminæ quidem cordatæ; sed quæ suggestione cujusdam Nicolai Garæ, quem Ludovicus ob rem benè gestam ad Palatinatûs dignitatem, quæ præcipua eo regno erat, evexerat, paulatim in reliquos Hungariæ proceres odia & suspiciones concipiens; ipsa quoque ab illis odio haberi cœpta est, ac fastidiri femineum sceptrum. Indéque factis clandestinis coitionibus, pars magna procerum decrevit Carolum Parvum ex Apuliâ evocare ad regnum Hungariæ capessendum; misso eâ de re ad eum Episcopo Zagabriensi, præcipuo negotij architecto. Cùm interim Sigismundus confestim ut audivit obitum Ludovici, in Poloniam, cujus jam fuerat Rex designatus, accedens; ob dura quædam responsa proceribus data, & contemptum Polonorum præ Boëmis, repulsam à plerisque passus est, de alio sibi Rege eligendo cogitantibus, Sed de rerum successu in utroque illo regno, dicetur posteà suis locis.

[n] Cromer. lib. 13. in fi.

MARIA EJUS FILIA SUCCEDIT, NON REGINÆ SED REGIS NOMINE.

[o] Krantz. 10. Saxon. 8.

TURBÆ IN HUNGARIA.

VII. CRACOVIENSIS EPISCOPI PUDENDA MORS.

Antequàm verò modo Poloniam deseramus, ne vitia Prælatorum contegere velle videamur, haud tacenda videtur pudenda mors Zavissæ Episcopi Cracoviensis: quem Michovius [p] & Cromerus aiunt, profanis negotiis & voluptatibus magis quàm divinis rebus addictum cùm pridie Idus Januarij in quodam prædio suo acervum ad constuprandam rusticanam virginem scalâ ascenderet, lapsum de scalâ extinctum esse, (variâ tamen, vt habent, famâ, an potiùs repentino vehementi morbo perierit.) Cùm autem funus ejus pompâ militari à propinquis elatum esset, (erat enim nobili prosapiâ) sequenti nocte in Ecclesiâ Cracoviensi, ubi sepultus est, exauditos esse strepitus & hinnitus equorum discursantium, dæmonúmque voces clamantium linguâ vulgari, *Poiedsmi nahops*; hoc est, Equitemus meretricatum. Hoc autem ferè usu venire in eâdem Ecclesiâ, non modò ut post funera clarorum hominum terriculamenta aliqua existant; verùm etiam ut principum, Episcoporum, atque etiam prælatorum & canonicorum propinquæ mortes signis quibusdam prænuncientur.

[p] Michov. lib. 4. cap. 35. Cromer. lib. 31. ad fin.

VIII.

[q] Psal. 4.

ALIA ITEM ARCHIEPISCOPI MAGDEBURG.

Et quoniam juxta propheticum [q] sermonem abyssus abyssum invocat, pudendæ huic morti aliam superaddimus propudiosiorem Ludovici Archiepiscopi Magdeburgensis: (sub nomine Bambergensis quidam historiam referunt, quòd fuerit is primò hujus civitatis Episcopus:) qui cùm jam vergens in senium, juvenum tamen levitates exerceret, atque stemmatum altitudine elatus, erat enim frater Marchionis Misnensis) plus sæculi vanitatibus quàm divino cultui studeret; vocatis de more diebus larvalibus Carnisprivij virginum ac matronarum choreis, dum unà & ipse circulationibus & cantiunculis indulgeret, subito clamore & tumultu super levi incendio, quod facilè restingui potuisset, exorto, perterritus ipse primus omnium cum eâ quam manu tenebat fugam iniens, à subsequentium pressurâ & pondere confractis scalarum gradibus oppressus periit. Rem narrant plures [r]; ponúntque nonnulli præsenti, alij præcedenti, quidam etiam sequenti anno.

[r] Chron. Slavic. edit. Lindenbrog. Krantz. 10. Metrop. 23. Lang. in Chro. Zitiz. Serar. Rer. Mogunt. lib. 5.

IX.

BELLUM FLANDRICUM.

Cùm turbæ Flandricæ, de quibus supra, quę Philippi Audacis, Comitis generi operâ compositæ fuerant, novis occasionibus recruduissent, duce [s] factiosorum (quos Albatos vocabant à caputiis ejus coloris, quibus voluerunt à ceteris discriminari) creato Philipo Artevello, illius Iacobi Artevelli filio, quem vidimus olim Anglorũ in Belgio propugnatorem & patronum: in arctum Comes redactus, & acceptâ apud Brugas immensâ clade à longè impari hostium numero, neci vix fideli arte cujusdã paupérculæ vetulæ ereptus; auxilium à Carolo Rege uti supremo domino imploravit, qui erat alioqui longè Anglis addictior. Rex autem in gratiâ Audacis patrui sui opem se laturum pollicitus; visitatis de more sacris Reliquiis SS. Martyrum Dionysij & sociorum ejus, acceptâque ab Abbate summâ veneratione Auriflammâ, (quam Petro Villario seniori, præfecto domûs regiæ, primę nobilitatis & insignis fortitudinis viro defendendam tradidit) exercitum sexaginta millium hominum in Flandriam duxit. Cui post quædam leviora certamina, Artevellus copias nihilo inferiores opposuit ad Montem-aureum Rosebecam inter & Curtracum. Ordinatis ad pugnam utrimque aciebus, concursum est magno animo quinto Calendas Decembris. Et Flandri densato agmine, ac penè inter se colligati (ne rumpi possent) in aciem quâ Rex ipse pugnabat irrumpentes, cùm primo impetu eam loco movissent; dum se victores rati acriùs instarent, à reliquis Francorum aciebus dexterâ lævâque circumfusi ita in arctum & angustum coacti sunt, aliis alios prementibus, ut quod victoriam conferre junctim pugnando existimaverant, cladem perniciémque intulerit; dum nec tela expedire nec pugnare valentes, alij dextrâ Francorum, alij concursatione suorum oppressi, cõculcatíque occubuerunt. Cecidère è Flandris ad quadraginta millia quà in prælio quà in fugâ; è Francis tres tantùm

[s] De his fusè Froissard. vol. 2. Monach. S. Dionys. Iuven. in Car. VI. Meyer. lib. 13. Gaguin. lib. 9. Heuter. in Phil. Audac. Belefor. lib. 5. cap. 52. & alij.

EGREGIA REGIS VICTORIA DE FLANDRIS AD ROSEBECAM.

& quadraginta homines, inter quos fuêre aliqui nobiles. Artevellus quęsitus, & inter mortuos repertus, sive ut quidam habent graviter saucius ad Regem deductus cùm ejus vulnera Rex curari juberet, id aspernatus quòd se civibus pro libertate cæsis haud superesse velle prædicaret, decessit, & infelici arbori suspensus est. Hæcque egregia fuêre initia armorum Regis, tunc nondum emensi annum ætatis decimumquartum, sed naturâ bellorum avidi, & patruorum aliorúmque plurimorũ Principum & magnatum, atque imprimis Oliverij Clissonij Magistri equitum præsentiâ & fortitudine, ac militari scientiâ, spei pleni, & Victoriæ appetentis. Præceperat autem suis Artevellus, si fortuna belli, ac virtus eorum ferret, Regem impetere; ab ejus tamen nece cavere, quòd puer existens nesciret quid ageret; nemini verò ceterorum, cujuscunque dignitatis esset, parcere: Rege captivo, finem periculorum suorum fore. Sed vane hujusmodi consilia in caput ejus divinitùs reciderunt.

X. Prodigia ad eam visa.

Cujus etiam cladem multis intercedentibus prodigiis significatam fuisse tradunt. Inter quæ, cornicum greges supra Flandros ab obsidione Aldenardæ adversùs Francos abeuntes convolitâsse: nocte pugnam præcedente auditos ab iisdem Flandris monte proximo stridores armorum, & voces instar virorum præliantium: in pugnæ procinctu cùm caligo densa lucem obscuraret, longinquúmque prospectum adimeret, ubi Villarius Auriflammam explicare cœpit, miram serenitatem redditam esse supra aciem Francorum visam albam columbam volitantem, acquievisse supra quoddam eorum signum militare. Sed quod de Auriflammâ Frossardus [t] habet, incidisse ante pugnam disputationem de eâ explicandâ, ideò quòd ad eam diem numquam fuerat explicata contra Christianos, vicisse porrò eorum sẽtentiam qui explicandam in Flandros censebant: propterà quòd essent ij fautores Urbani, quem Franci pro Schismatico Pontifice habebãt: id quidem nec à ceteris [u] admittitur, quòd sacrum hoc signum non solum in infideles aut hæreticos delatum à Regibus constet, verùm etiam adversùs alios quoscumque hostes, quotiescumque ageretur de aliquâ gravioris momenti expeditione: Et si verum foret, causæ Urbani non parùm officeret, cùm ejus tunc in Vrbani fautores explicationem miraculo probatam fuisse, idem ipse Frossardus, qui ab Vrbano stabat, testetur.

[t] *Froiss. tom. 2. cap. 125.*

Auriflammæ usus in omnibus gravioribus expeditionibus.

[u] *Vid. Bellefor. lib. 5. cap. 52. & Tract. De Sign. Gall.*

XI. Curtraci desolatio.

Post victoriam Rex Curtracum petens, eam urbem expilari incendíque sive jussit sive permisit, ob recordationem Curtracensis cladis octoginta antè annis à Francis sub Philippo Pulchro acceptæ, quâ magna pars Gallicæ nobilitatis perierat unà cum Atrebatensi Comite; cujus adhuc exuviæ, & aurata nobilium calcaria in templo visenda in Francorũ ignominiam à Curtracensibus servabantur. Reversísque ad fidem Regis & Flandriæ Comitis rebellibus oppidis, (uno excepto Gandavo, quòd licèt valdè prædictâ victoriâ attritum, adhuc tamen in armis perstitit) Rex hiemis rigore coactus exercitum reduxit. Et post redditas ad templum S. Dionysij meritas Deo gratias, restitutámque Auriflammam, Lutetiam pervenit principio anni proximi; iratus valdè Parisiensibus ob renovatas gravissimas seditiones, & quòd post eas semel compositas cõsilia sua cum rebellibus Flandris communicâssent. Quare portis refractis urbem ingressus, quamplurimos ultimo supplicio affecit, alios gravi pecuniarum solutione mulctavit, catenas urbis revulsit, arma abstulit, populares Magistratus extinxit. Et quod omnium luctuosissimum existimatum fuit, *Ioannes Maresius* regius advocatus, vir facundiâ clarus, qui Philippo Valesio, Ioanni, & Sapienti Regibus in primis charus ob multa & præclara in ipso & regnum merita fuerat; quique toto conatu prædictis plebis seditionibus sese opposuerat; captus nihilominùs & ipse inter reos, securi percussus est, insons quidem penitùs, sed patruis Regis Biturigum & Burgundiæ Ducibus invisus, eò quòd iis Reipublicè causâ piè restitisset. Qui cùm ad supplicium duceretur cunctis dolentibus intrepidus ipse psalmum Davidicum [x] *Indica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta*, altè recitabat: ceterùm nihil in Regem prolocutus, sed tantùm questus quòd sic ejus imbecillâ & flexibili ætate qui res administrabant abuterentur, fortiter jugulum carnifici præbuit: qui ejus cadaver piè humavit; quod 24. pòst anno defossum è loco profano, in ecclesiâ S. Catharinæ ab agnatis sepultum est, ubi hactenùs visitur ejus monumentum. Qui quidem etiamsi in his aliísque ejusmodi non parùm commendatione dignus extiterit; eo tamen nonnullis vindictam divinam in se concitâsse visus est, quòd quotiescumque occurrerent causæ Ecclesiarum, libentiùs earum jura & immunitates impugnare consuevisset. Ceterùm iisdem pœnis quibus Parisienses, etiam subjecti fuêre Rotomagenses, Aurelianenses & alij populi paris seditionis rei.

Ioannis Maresii indignus casus.

[x] *Psal. 42.*

XII. Vvickleffi propositiones ad Parlamentum Anglicum transmissæ.

Alia nobis hoc anno Historia Anglica suppeditat, quæ hîc inseramus. Ac primùm narrat Walsinghamus, cùm circa festum S. Ioannis ante portam Latinam (quod celebratur sextâ Maij) ad Parlamentum convocati fuissent cuncti proceres & majores regni, pessimum illum hæresiarcham Wickleffum scripsisse ad eos aliquas propositiones ad tutelam regni necessarias: videlicèt, Quod nulli Sedi aut Prælato obediretur, nisi quantùm Scriptura jubet in obedientiam Christi: Nec Curiæ Romanæ, nec Avenionicæ, aut alicui exteræ mitteretur regni pecunia, nisi debita ostenderetur ex Scripturâ: Nec Cardinalis, nec quivis alius perciperet fructus Ecclesiarum Angliæ, nisi vel resideret, vel occuparetur in causis regni à proceribus approbatis: Regni communitates non onerarentur subsidiis insuetis, antequàm omnia bona Ecclesiasticorum defecissent: & quicumque eorum in contemptum Dei incidisset, ejus bona fisco addicerentur: Rex nullum Episcopum aut curatum manciparet ministerio suo sæculari, &c.

XIII. Alia ejus impia placita.

Vt autem periculosiùs traheret auditores, publicâsse & alias conclusiones dictu & auditu horrendas: nempè, substantiam panis manere post consecrationem; & substantiam panis post consecrationem esse corpus Christi: Deum de potentiâ suâ absolutâ non posse facere quòd in sacramento altaris sint accidẽtia sine subjecto: Deum debere obedire diabolo:

Papam plus teneri Imperatori quàm è converso: Monachos Sancti Benedicti nolentes victum opere manuũ quærere, non solùm apostatas esse à suo Ordine, verùm etiam à discipulatu Christi: Nullum esse Episcopum, prælatum, aut dominum, dum est in peccato mortali: Si ordines fratrum essent in Christo fundati, non egere confirmatione Papæ: Ubi leges humanæ non fundantur in Scripturâ, subditos non teneri obedire. Habuisse quoque suos emissarios, per quos hæc, & alia plura nefanda publicè prædicari faceret, tam circa contemptum excommunicationum, ac præcipuè earum quæ promulgabantur adversùs eos qui talia prædicarent, aut prædicationes audirent; quàm contra bona temporalia Ecclesiarum, & mendicitatem religiosorum: necnon de nullitate sacramentorum collatorum à malis sacerdotibus & Episcopis; déque decimis iis omninò denegandis; & alia plura enormiora. Quib⁹ excitatus Vuillelmus Courteneius Archiepiscopus Cantuariensis, suffectus in locum Simonis anno præcedenti à seditiosis necati collecta Episcoporum & Doctorum Synodo, cùm prædictas, tum alias pestilentissimi hæresiarchæ assertiones damnavit; quæ singillatim recensentur ab eodem Vualsinghamo [y]. Qui & addit, animatos per eumdẽ Vuickleffum Londinenses, aliqua perpetrâsse contra auctoritatem Prælatorum circa quorumdam reorum punitionem. Harpsfeldius [z] autem habet, ad hæc tempora Richardum Regem potestatem Episcopis tribuisse, suspectos de hæresi carceri includendi: præcepisséque, libros Vuickleffi ac sectatorũ ejus inquiri, & ad Episcopos deferri. Inter sectatores verò fuisse Cancellarium Academiæ Oxoniensis, & alios nobiles Doctores; quorum nonnulli palinodiam cantaverint, in alios severè actum fuerit.

DAMNANTUR AB ARCHIEPISCOPO CANTUAR.

[y] *Vualſ. in Richar. II.*
[z] *Harpſf. Id. Hiſt. Vuiclef. cap. 5.*

XIV. IMPOSTORIS ANGLI POENA.

Habet item Vualsinghamus, eodem tempore nebulonem quemdam, physicum & astrologum profitentem, per eamdem civitatem Londinensem proclamâsse ne quisquam in vigiliâ Dominicæ Ascensionis (quæ incidit eo anno in decimamquartam Maij) cubiculo suo exiret, quin priùs recitâsset quinquies orationem Dominicam, & comedendo solvisset jejunium, propter nebulam pestilentem quæ illo die superventura foret; omnésque repentinâ morte perituros qui secùs agerent. Cùm autem sequenti die impostura patuisset, nebulonem illum equo impositum verso ad caudam vultu, quam loco freni manibus tenere coactus est, alligatísque ad collum duabus ollis cum cote, circumductum per urbem fuisse. Denique eodem mense Maij die vigesimâ primâ in eâdem Angliâ ingenti tremore terram concussam esse; magno mortalium terrore, quòd id perraro eâ insulâ contingeret. Secutum item esse alium post triduum, sed longè leviorem. Ioannes verò Leidensis [a] tradit, eâdem vigesima primâ Maij etiam in inferiori Germaniâ terræmotum satis mirabilem pluribus locis contigisse; quo videlicèt domuum contiguarum alteræ moverentur, alteris immotis permanentibus.

TERRÆMOTUS.

[a] *Io. à Leid. Chron. Belg. lib. 31. cap. 34.*

IESV CHRISTI Ann. 1383.
VRBANI VI. Annus 6.
VVENCESLAI Annus 5.
IOANNIS V. An. 43.

I. URB. PP. NEAPOLIM PETIT INFAUSTO CONSILIO.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo tertio, Indictione 6. principio mensis Maij Urbanus Pontifex ad vitandum periculum pestilentiæ grassantis in urbe, Tibur petijt. Et deliberans Neapolim adire, cùm ut turbatum bello Ludoviciano regnum stabiliret, tum ut promissos à Carolo Parvo in suâ regni inauguratione nepoti suo Francisco Pregnano sive Butyllo principatus, quorum traditionem Carolus differebat, vindicaret: iter eò sumsit, quamvis & à nonnullis è suis Cardinalibus dissuaderetur, (quos prætereà hostium loco habuit; & quòd sequi distulissent rebelles reputans, etiam dignitate deponere cogitavit) & multi prælati è regno scriberent ne accederet; ac deniq; ipse Carolus, sibi fore ejus adventum ingratum non dissimulanter ostenderet. Processit nihilominùs; & post aliquas in itinere moras Aversâ pervenit ad principium Octobris. Cujus appropinquationem cum audîsset Carolus, qui tũc longè dissitis locis occupatus erat adversùs Ludovicũ Andegavensem, advolãs in occursum, obvius ei factus est extra Aversam, & stratoris munus ei de more exhibuit. Vrbẽ ingressum cùm vellet Carolus in arcem amplam & hospitio longè cõmodiorem deducere, abnuit ille ne fortè non liberũ ei foret inde egredi, sed ad ædes Episc. divertit. Rebus sequenti die quietè procedentibus, nocte proximâ misit Carolus qui in arcem invitarent, & renuentem traherent. Perductus invitus, & perducentes frustrà excõmunicans, detentus est ibi quinque diebus, cunctis extrà ignorantibus quid cum ipso ageretur. Ibi coactus revocare conditiones, quibus regnũ Carolo concesserat; post hæc Neapolim concedens, à Carolo qui præcesserat superbè magis quàm honorificè susceptus est, quippè throno eminentiore ante portam civitatis sibi erecto, coronâ aliisq; insignibus regiis ornatus inter medios proceres considens, non priùs se movit quàm ad locum Pontifex pervenisset: túncque se erigens, pedes osculatus est, ac Pontifex ex equo frontẽ ejus. Nullo autem alio ei honore à Neapolitanis (prohibente Rege) exhibito ab eodem tantùm deductus est per frenum equi: & cùm vellet ad ædes Archiepiscopales divertere, haud permissus est à Carolo, sed in castellum novum deductus, ibi sub fideli custodiâ multis diebus detentus fuit; haud tamen prohibitis qui vellent ad eum visitationis aut negotiorum causâ accedere: demúmque intercessione Cardinalium ac nonnullorum procerum, initâ inter eos cõcordiâ, Rex publicè veniam de præteritis à Pontifice petiit, promissa Butyllo adimplere pollicitus est, ac Pontificem in ædes Archiepiscopales migrare, & à populo Neapolitano solitis honoribus recipi ac coli permisit, quinimmò & cùm idem Butyllus inter hæc quamdam nobilem monialem professam violenter rapuisset, ac constuprâsset magno totius civitatis scandalo, Réxque contra

MALE HABETUR A CAROLO DYRRACH.

eum

cum capitalem sententiam tulisset; in gratiam tamen Pontificis noxam remisit. Quæ omnia sicuti diximus gesta esse, intelligitur tam ex Niemo [a], qui interfuisse ait; quàm ex alio auctore qui æquè vidisse testatur, ex quo Krantzius [b] hausit: necnon ex Summontio [c], (qui tamen gesta Caroli cum Pontifice leniter interpretatur) & aliis, quorum nonnulli Pontificem, quidam Regem excusant. Walsighamus dubius in quem culpam derivet, ait Urbanum invitis & delusis Romanis, à quibus sibi diffidebat, specie purioris hauriendi aëris Vrbem deserentem, fugisse potiùs quàm accessisse Neapolim: eóque audito, Romanos misso nuncio minatos esse, nì protinùs reverteretur, evecturos se aliquem ex Cardinalibus qui remanserant, in Pontificem; Vrbanum nihilominùs natalis soli dulcedinem dubiæ eorum fidei præponentem, promisso brevi reditu Neapolim petiisse: Ortóque inter eum & Carolum Regem dissidio, cùm illud Regina composuisset certis utrimque conditionibus; Vrbano post abscessum Caroli, Luceriam abeundo ea infringente, Reginam prohibuisse ne cibaria ei deferrentur, & omnem commeatum interclusisse. Sed huic auctori cùm de rebus longinquis agit fabulis assueto, & alioqui Pontificum osori, haud facilè fides adhibenda. Quid verò de patriis habeat jam videamus.

a Niem. 1. de Schism. 28. usque 34.
b Krant. 10. metrop. 17.
c Summont. lib. 4. cap. 1.

II. Vrbanus Regem Angliæ solicitat contra Francum.

Hortatus jam olim fuerat Vrbanus Richardum Angliæ Regem, ut pro ejus in se observantiâ vellet sibi contra adversarios opitulari, ac præcipuè contra Carolum Francorum Regem, & quò id faciliùs præstaret, decimas ei sacras concesserat. Anno verò nuper elapso literas ad Henricum Spenserium Episcopum Nordvvicensem, virum nobilem, ac juvenem magnorum spirituum & manu promptum, dederat cum facultate edicta contra Papam schismaticum, ejúsque sectatores & fautores promulgandi, eorúmque bona publicandi; atque omnes adversùs eos per Crucis prædicationem animandi earumdem indulgentiarum ac gratiarum promissione; quæ concedi consueverant transeuntibus in Terræ Sanctæ subsidium. Præsenti autem anno tempore Quadragesimæ coactis Londini comitiis procerũ ac majorum Angliæ, cùm proposita fuisset causa eiusmodi potestatis Episcopo commissa, post multam inter eos altercationem, demùm conclusum est pro voto Episcopi Cruce signati; quintámque decimam pro eâ sacrâ expeditione illi numerari. Factúmque brevi, ut quindecim millia peditum; duo equitum convenerint, præter multam ministrorum Ecclesiæ turbam: qui omnes naves ingressi, Caletum appulerunt sub finem Aprilis. Consultatione ibi habitâ ubi loci bellum inchoaretur, cùm veterani duces ex iussione Regis Angli censerent movendum esse in Francos, quos Clementinos esse certò constaret; evicit tamen Episcopus auctoritate legationis Apostolicæ quâ pollebat; & suasione Gandensium hostium implacabilium Ludovici Flandriæ Comitis, ut primùm Flandri impeterentur, quantumvis Urbanistæ: eo quidem specioso prætextu, quòd totâ ferè Flandria in potestate Regis Francorum esset; attamen ratione vindictæ addit, quòd Flandriæ Comes (qui alioqui totus Urbanista erat, & Roganti Regi Carolo ut Clementi secum adhæreret, constanter responderat, fide humanâ se Regi obligari, religione animi soli numini esse addictum) mercatores Anglos totâ Flandriâ turpiter expulisset: aliàque avaritiæ, quòd maritima Flandriæ ora nullum damnum à bello sensisset, ac propterea ditari omnes ibi possent.

Angli pro eo crucesignantur contra Clementinos: ac nihilominus invadunt Urbanistas.

Quare haud mirum, si post capta & direpta aliqua ab exercitu Crucesignatorum oppida maritima debilia quæ nihil minùs quam invasionem Anglorum expectabant; victósque ad Dunkercam die 25. Maij quâ celebratur festum S. Urbani prælio Flandros, qui gregario & rustico peditatu sese Anglis opponere ausi essent: obsessâ Ypri, eâque civium ac præsidiariorum forti propugnatione (sed præcipuè Beatissimæ Virginis, quæ visibiliter apparuisse dicitur) defensâ; adveniente Rege Francorum cum valido exercitu, Angli secedere coacti sint: dicente Hugone Caverleo expertissimo exercitûs duce, numquàm ullum ducem, numquam ullum exercitum tanto cum dedecore in Galliam trajecisse: Episcopum enim priùs volare voluisse quàm alas haberet. Quæ omnia fusè tractantur à Frossardo [d], Iuvenale [e], Polydoro [f], Meyero [g], & aliis; avaritiam, imprudentiam, & vanitatem Episcopi arguentibus atq; damnantibus: Uno excepto Walsinghamo, [h], qui heroëm prædicat & extollit, non solùm in dedecus Francorum, quorum fuit idem Walsinghamus juratissimus hostis (cùm tamen certum sit, nì dux Britanniæ qui cum Rege erat, Episcopum ejúsque copias artibus suis è manibus Francorum eruisset, neminem nisi precariò in Angliam reversurum fuisse:) verùm etiam in accusationem ducum Anglorum qui Episcopum comitabantur, & Ducis Lancastriæ patrui sui Regis; ac denique in derisum ipsiusmet sui Regis Richardi, quem ut juvenem nihil traducit, arguítque non tantùm quòd auxilia Episcopo in arcto posito non miserit, sed etiam reversum malè habuerit.

Infaustus belli finis.

d Froß. vol. 2. cap. 132. & seqq.
e Iuven. in Hist. Car. VI.
f Polyd. lib. 20.
g Meyer. lib. 13.
h Vvals. in Richar. II.

III. Meyeri commentum de nece Comitis Flandriæ.

Quod verò his addit Meyerus; post breves inducias inter Reges & cum Flandris rebellibus pactas, Ludovicum Comitem Flandriæ (cujus erga subditos duritia, causam proclivibus ad rebellionẽ in ipsum insurgendi præbuerat) ad principium anni proximi necatum fuisse à Duce Biturige patruo Francorum Regis; cùm (ut ait) ortâ inter ipsos contentione de fide & homagio Comitatus Bononiæ quem Biturix possidebat, Biturix pugionem Ludovico in pectus projecit, cóque ex vulnere tertio pòst die Ludovicus obiit: adducit quidem ipse in testimonium; manuscriptum quoddam Chronicon Gallicum: sed quis credat, si verum hoc esset, Ducem Burgundię cognomine Audacem; qui nullas quantumvis levissimas injurias; vel etiam suspiciones, pati umquam à quocumque scivit; cùm hanc duplici de causâ, & quòd gener Ludovici esset, & quòd in ejus hereditatem; adeóque in jus dicti Comitatûs Bononiæ succederet; ulcisci debuisse videatur, nihilominùs tam publicam & atrocem dissimulare potuisse? Quare & quòd nemo antiquior hujus rei meminerit, ut commentum sive Chronici sive Meyeri rejicimus: ac præsertim quòd qui tum vivebat Frossardus, Belga & ipse, ac nescius

i Froſſ. vol. 2. cap. 148.

k Io. à Leid. lib. 31. cap. 35.

occultare noxas hominum, nihil de prædictâ causâ mortis Comitis; ſed tantùm ait [i], eum poſt receſſum Francorum & Anglorum, morbo correptum apud S. Audomarum obiiſſe: cujus etiam deſcribit funeris pompâ adeò accuratè ac ſi adſtitiſſet. Feſtivior etiam Ioannes [k] Leidenſis, Meyero paulò antiquior; dum ait hanc rixam contigiſſe inter prædictum Comitem & Ludovicum Ducem Aurelianenſem fratrem Caroli Regis; atque hunc præcepiſſe, Comitem comprimi inter lectum & parietem adeò ſtrictè ut obierit intra triduum: hincque ortum diſſidium inter domos Aurelianenſem & Burgundam. Acumina hiſtoricorum! Ceterùm quamquam mortuo Comite, bellum tamen poſt induciarum exitum continuatum eſt à Philippo Audace contra rebelles Flandros: qui necdum ferociam deponere noverant, Anglis in Auxilium evocatis: donec altero pòſt anno novâ à Francorum Rege ductâ in eos expeditione, pax optatiſſimá inita eſt; uti dicetur ſuo loco.

IV. MORTUO PETRINO IACOBUS FIT REX CYPRI.

l Nebienſ. lib. 4. Foliet. lib. 9.
m Steph. Luſin. in Hiſt. Cypr.

Mortuo ad finem anni præcedentis *Petrino* Rege Cypri, *Iacobus* ejus patruus qui Genuæ captivus detinebatur ab eo tempore quo Genuenſes Famaguſtam occupârant in ſucceſſorem à Cypriis expetitus, à Genuenſibus libertati reſtitutus eſt, ac ludorum ſpectaculo honoratus, & cum claſſe decem triremium in regnum remiſſus; fœdere antè icto, quo Famaguſtæ poſſeſſio, cum certâ inſuper penſione annuâ Genuẽſibus à Rege pendendâ, rata fiebat. Narrant iſta Hiſtoriæ Genuenſes [l], Confirmantúrque à Cypriâ [m]: quamvis ſint aliæ quæ hunc Iacobum tyrannicè regnum uſurpâſſe ſcribant, quibus cùm obluctetur Stephanus Luſinianus, haud tamẽ negare poteſt quin is perfidè fratrem ſuum Regem Petrum hujus Petrini patrem necaverit, quòd alij facilè regnandi causâ factum interpretati ſunt. Addit autem idem Stephanus, Iacobum in Cyprum appulſum, ſumpſiſſe coronam regni Nicoſiæ; quódque ei non liberum eſſet Ieroſolymitanam de more accipere Famaguſtæ, (ceſſerat enim Genuenſibus ejus dominio) ſumpſiſſe pariter eam Nicoſiæ: Itémq; poſt obitum Leonis Regis Armeniæ propinqui ſui, coronatum ibidem eſſe Regẽ Armeniæ. At utrumque titulo tenùs; cùm jam non ſolùm univerſa Syria, verùm etiam Armenia in poteſtatem incidiſſet Infidelium. Quem verò vidimus prædictum Leonem liberatũ [n] à captivitate Sultani interceſſione Regum Francorum, Caſtellæ, & Aragonię, conſtat [o] hoc tempore perveniſſe in Italiam ad Urbanum Pontificem, rogatum auxilium ad regnum recuperandum: & ab eo benignè exceptũ, remiſſum eſſe ad Principes Chriſtianos, monitum ut eos in concordiam reducere conaretur. Quâ in re quid præſtiterit, dicetur ſuis locis. Veniſſe autem anno proximo ad Regem Francorum, & ab eo accepiſſe unde non ſolùm vitam ſuſtentare, ſed & ſtatum regium tenere poſſet, tradunt Francorum hiſtoriæ. Idque ipſum Hiſpani à Rege Caſtellæ pręſtitum ſcribunt. Froſſardus [p] autem multa de rebus Infidelium ex Armenij relationibus ſuæ Hiſtoriæ immiſcet, & perplexè involvit.

n Supr. an. 1372. VII.

o Contin. Bel. ſacr. lib. 5. cap. 10.

p Froſſ. vol. 3. cap. 22. & 23.

V. FERDINANDI REGIS LUSIT. OBITUS.

q Marian. lib. 18. cap. 6. & 7. Garivai. lib. 34. cap. 38. & ſeqq.

In Luſitaniâ *Ferdinandus* [q] Rex diuturnâ valetudine oppreſſus, Oliſippone deceſſit decimotertio Calendas Novembris, ætatis anno quadrageſimo tertio, regni decimo-ſeptimo, rerum civilium magis quàm belli peritus, & intẽperantiâ ac domeſticâ diſcordiâ notatus. Ejus obitu internecina inter Luſitaniam & Caſtellam bella extiterunt, ex eo quòd Ioannes Caſtellæ Rex ob ductam Beatticem unicam Ferdinandi prolem, regnum ſibi deberi contenderet; Luſitani verò non ferentes Caſtellanis ſubjici, Regem ex ſuâ gente exoptarent. Erant enim duo fratres Ferdinando, quorum utrique nomen Ioanni: ſed alter ex iuſtis nuptiis, qui cùm ſuperſtite fratre in Caſtellam profugiſſet, occaſione tempeſtatum quas in Luſitaniâ impurâ Ferdinandi pellex potiùs quàm uxor excitaverat in eos qui conjugium ſuum non probabant; jam à Caſtellæ Rege cuſtodiæ traditus eſt, ne regnandi cupidine turbas in Luſitaniâ moveret: alter ex concubinâ, Aviſij militaris Ordinis Magiſter, morum elegantiâ, liberalitate & Comitate, populo æquè ac proceribus carus, qui in Luſitaniâ tunc liber exiſtens, cùm principio ſuorum voluntatibus nondum conciliatis, Regi Caſtellæ viſus eſſet faviſſe ac propterea idem Rex; inſupérq; Reginæ ſocrûs ſuæ favore magnam Luſitaniæ partem occupâſſet paulò pòſt tamen, ex inſito gentis in Caſtellanos odio, converſis in Aviſij Magiſtrum plerorúmq; animis pollicens quidem ipſe (ut erat callidus, altâque diſſimulatione) ſuam operam, nullúmque laborem aut periculum pro communi ſalute recuſaturum; voluit nihilominùs Ioanni fratri legitimo regnum deferri; ejúſque imaginem in vexillis præferri ferro vincti, quo majorem in populo commiſerationem excitaret: ipſe interim pro Rege cuncta adminiſtrans. Donec ob immiſſam veluti divinitùs in auxilium Luſitanorum, ſævam peſtilentiam in exercitum Regis Caſtellę, Oliſipponem totius regni metropolim, quæ ab eo maximè averſa erat, obſidentis, eo recedere coacto, idem Ioannes Aviſij Magiſter Rex Luſitaniæ altero ab hoc anno creatus eſt, ut tunc dicetur. Cùm interim conſideranda veniat ſumma Oliſipponenſium in Caſtellanos invidia; quâ etiam in proprium ſuum ipſorum Epiſcopum Martinum, quòd in Caſtellâ natus eſſet, & populum à ſeditione compeſcere ſtuderet, inſurgentes, fugientem ad turrim Eccleſiæ, præcipitem inde egerint, & fune tractum per civitatem, etiam ſepulturâ Eccleſiaſticâ privarint.

TURBÆ ORTÆ OB SUCCESSIONEM.

INTENSUM ODIUM LUSITANORUM IN CASTELLANOS.

VI.

r Surit. Indic. lib. 3.

POSTULATA REGIS ARAGON. AB URBANO PP.

Rebus quoque ſuis intentus Petrus Rex Aragoniæ, ex diſſidio Pontificum ac Schiſmate Eccleſiæ quæſtum facere cogitans [r], cùm neutri hactenùs apertè adhæſiſſet, miſſis ad Urbanum nunciis, regnum Siciliæ ſibi iiſdem conditionibus attribui, quibus ab Urbano IV. delatum fuerat Carolo Primo; tributum regni Sardiniæ ob ingentes impenſas in ejus propugnatione contra frequentes populorũ rebelliones factas, ſibi condonari; decimas Eccleſiaſticas in decennium in ſumptus bellicos concedi; & plura alia dignitatis ſupremíque Pontificij juris poſtulavit, quibus palam fecit, haud ſe adhuc, quamvis penè decrepitum, appetitus facultate privatum eſſe. Nec verò cauſam Eccleſiæ penitùs deſeruiſſe videretur, dedit etiam in mandatis nunciis ſuis, ut naturam; rationémque juris, & rei geſtæ à competitoribus Pontificatûs perſcrutarentur.

VII. [f] Serar. Reg. Mogunt. lib. 4. in Adolph. I.

SANGUIS EX LÆSIS SACRIS IMAGINIBUS.

Hoc eodem anno [f] apud Moguntiam in Germaniâ, homo quidam sceleratus, cùm ludendo pecuniam perdidisset, furorem vertens in res sacras, ingressus in quamdam Ecclesiam, Imaginis Crucifixi caput gladio à cervice resecuit, & sanctissimæ Virginis Ioannísque Apostoli signis Cruci adstantibus cæsim punctímque ictus inflixit: móxque ex vulneribus copiosus sanguis effluere cœpit. Ad quod miraculum sceleratus attonitus, pedem inde efferre non valens, à supervenientibus captus, igne combustus est vivus. Imagines vulneribus & cruore insignes ad posteritatem servatæ, unà cum effuso sanguine; ad quem ingentia postinde edita sunt miracula. Quale & propemodùm miraculum narratur [t] ex archivijs Buburgi oppidi, de milite Britone Gallo, qui in suprà dictâ Caroli exercitûs in Belgium excursione Imaginem Deiparæ, quam auream existimaverat, bracteis tantùm quibusdam incrustatam cùm reperisset, pugione confodit: quæ inde sanguine madere visa est: sacrilegus autem in humum deorsùm furibundus cadens medius crepuit. Reperiuntúrque & alia ejusmodi frequentia apud singulas nationes miracula; quæ in unum collecta videre est, præcipuè in Chronico Miraculorum SS. Deiparæ, Benedicti Gononi monachi Cælestini.

[t] Ap. Bzov. hoc an.

IESV CHRISTI Annus 1384.
VRBANI VI. Ann. 7.
VVENCESLAI Ann. 6.
EMMANUELIS II. Ann. 1.

I. [a] Summont. lib. 4. cap. 1.

URB. PP. NEAPOLI CRUCEM PUBLICAT CONTRA LUDOVICŪ ANDEGAVENSEM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo quarto, Indictione 7. ipsis Calendis [a] Ianuarij Vrbanus Pontifex celebratâ solemniter Missâ in basilicâ Neapolitanâ, præsente Rege Carolo, sententiam condemnationis pronunciavit in Ludovicum Andegavensem, (qui interim dum distinebatur Carolus cum ipso Pontifice, non parvos progressus faciebat in Apuliâ) & crucem in eumdem publicavit; Carolum summum sacrarum copiarum Vexilliferum atque præfectum constituens; consecrato prius vexillo, imagine S. Petri Apostoli & Clavium Ecclesiæ insignito quod Rex toto Missæ tempore manu propriâ tenuit. Profecto verò Rege ad principium Aprilis adversùs Ludovicum, ipse mense Maij Luceriam, sive Nuceriam, civitatem unius diei itinere Neapoli distantem, fertili & amœnâ plagâ locatam, quam Rex nepoti ejus Butillo concesserat, sese recepit; non tam æstûs Neapolitani vitandi causâ, quàm fugiendi insolentes agendi modos Reginæ Margaritæ conjugis Caroli; quæ præter liberiorem vivendi rationem, etiam acerbis edictis prohibebat nequid salis, carnis, aut edulij, vel etiam candelarũ, præterquàm in regiis cellis & horreis, emi aut vendi tam Neapoli quàm vicinis provinciis posset. Unde rebus in pejus ruentibus, cùm etiam contigisset ut aliquot diebus familiares Pontificis Luceriæ existentis, neque pretio, neque precibus necessaria vitæ obtinere possint; indéque facile intellectu esset hæc in contemptum & odium ipsius Pontificis fieri timentes Cardinales & familiares, nequid sibi locis intutis constitutis (solus enim Pontifex cum paucis è suis intra arcem agebat) à Reginæ satellitibus, vel ab agrestibus incolis inferretur; maluerunt Neapolim redire, spe tutioris in tantâ urbe mansionis. Qui tamen paucis pòst diebus, revocante eos Urbano, Nuceriam reversi sunt: excepto Cardinale Reatino, qui jam antè Pontifici suspectus ob gratiam quâ apud regem Carolum valebat, ac propterea ab eo depositus; non solùm redire noluit, verùm etiam res novas apertè moliri cœpit. Hæc pluribus Niemus [b], qui se omnibus interfuisse profitetur, & Pontifici in revocandis Cardinalibus inservisse.

CARD. REATINUS RES NOVAS CONTRA URBANUM MOLITUR.

[b] Niem. lib. 1. cap. 36. usque 40.

II.

Quis autem omninò fuerit Cardinalis iste *Reatinus*, incertum reddunt auctores ejus temporis, antiquissimus Niemus cum sæpè eâ nuncupatione memorans, semel [c] per *Abbatem Montis Cassini* designat. Et clarè Walsinghamus [d] tunc etiam vivens *Abbatem montis Cassini quondam Cardinalem Reatinensem.* Unde apertè intelligamus, fuisse eum monachum Benedictinum. Vocatur apud Ciacconium *Petrus de Tartaris* natione Romanus, ex Abbate Cassinensi factus Cardinalis à Gregorio XI. secundâ creatione: cujus tamen non solùm Onufrius nusquam meminit; sed nec auctor Vitæ Gregorij tunc vivens, creationis illius Cardinales nominatim recensens, cujus item cùm Gobelinus [e] Persona meminit, nonnisi *Petrum Tartarum Abbatem Montis Cassini* nominat. Disertè tamen catalogus Abbatum Cassinensium à Ciacconio citatus, ejusdem Petri de Tartaris Abbatis Cardinalatum & ab eo depositionem per Urbanũ, ac restitutionem per Bonifacium ejus successorem agnoscit. Et Vvalsinghamus [f] eum ante schismatis ortum fuisse Cardinalem, ex ipsiusmet verbis demonstrat. Quibus sic stantibus, quid faciemus iisdem Onuphrio & Ciacconio, qui Reatinum illum Urbani adversarium volunt fuisse *Bartholomæum Mezavaccam* patriâ Bononiensem; ex Episcopo Reatino creatum ab Urbano Cardinalem Presbyterum tituli S. Marcelli; depositúmque ab eo, & à successore restitutum? Nodum solvant curiosiores; quem fortè nos in scripto quærimus.

[c] Id. cap. 54.

[d] Vvals. an. 1385.

[e] Cosmodrom. æt. 6. cap. 78.

[f] Vvals. an. 1383.

III.

DE REBUS INTER LUDOVICUM ET CAROLUM GESTIS.

Intereà verò Carolus adversùs Ludovicum cum exercitu Crucesignatorum progressus in Apuliam, cùm ab ejus potentiâ, licèt per mortem magnæ partis ejus exercitûs valdè imminutâ, sibi timeret; eamdem inducens artẽ, quâ vidimus [g] olim Petrum Aragonium invasorem insulæ Siciliæ delusisse Carolum Primum; singulare certamen obtulit Ludovico; sed eo sic deluso, cùm etiam prælium inter exercitus obtulisset, sic pariter eumdem decipiens, demùm consilio Ottonis Brunsvicensis viri quondam Ioannæ Reginæ, quem ad hoc è carcere evocavit, bellum differre decrevit; & in hujus salutaris consilij præmium eumdem Ottonem libertate donavit. Ita enim rem processisse, ex Summontio [h] diligenti rerum Neapolitanarum scriptore intelligitur. Nam quod Collenutius [i] factum esse prælium scribit inter Ludovicum & Comitem Albericum, eóque quinque vulnera Ludovicum accepisse, quibus diem obierit; hoc inter frequentissima mendacia, quorum à suis ipsis

[g] Subr. an. 1281. VII.

[h] Summont. lib. 4. cap. 1.

[i] Collenut. lib. 5.

Italis

Italis damnari consuevit, rejicitur. Pergit autem Summontius, Ludovicum, ubi animadvertit frustrà sibi expectandum certamen, Barium sese recepisse: cúmque Biselia oppidum, quòd malè tractaretur à præsidio Caroli, deditionem facere velle significâsset, accurrentem eò Ludovicum, in suis ab ejusdem oppidi direptione retrahendis adeò laborâsse, ut morbo contracto ibidem decesserit die decimâ Octobris huius ipsius anni. Diem tamen vigesimam primam Septembris ejus obitui tam idem Collenutius, quàm antiquior Iuvenalis & alij assignant. Idque in annum sequentem Galli historici referunt; cùm de præsenti Itali consentiant. Potu verò fontis venenati periisse, Niemus[k] publicâ famâ sparsum scribit: cùm nihilominùs plurium sit sententia, eum dolore delusionis sibi à Carolo factæ, & rerum necessariarum penuriæ, diem obiisse anno ætatis quadragesimo sexto. Quo audito Carolus triginta dies atratus incessit, & funus ei fieri curavit. Corpus autem Andegavim relatum est: copiæ superstites dissipatæ, & plerique tam duces quàm milites propè singuli in Galliam, nec pauci mendicando revertêre: haud tamen propterea desinentibus nonnullis regni proceribus, juribus ejus adversùs Carolum patrocinari. Reliquit autem duos pueros, Ludovicum & Carolum; quorum major patri successit in regno, juribus, & hereditate Ioannæ Reginæ: de quo plura aliàs.

LUDOVICUS MORITUR.

[k] Niem. cap. 35.

IV.

Mortuus quoque eodem potu fontis traditur ab eodem auctore Amedeus Sabaudiæ Comes, qui Ludovicum eâ expeditione comitatus fuerat: magnæ virtutis & consilij Princeps, *Viridis* cognomine à suis dictus ob coloris in vestitu voluptatem; & ob floridas corporis animíque vires, quibus multa fortiter etiam in Græciâ contra Turcos, & pro Imperio Constantinopolitano gessisse reperitur, quem & primum auctorem militaris sodalitij, sive *Ordinis Annunciationis* Angelicæ esse volunt: in honorem Beatissimæ Virginis & quindecim mysteriorum ejus; atque in memoriam egregiæ operæ ab ipsius avo apud Rhodum contra Turcos gestæ, ob quam volunt & Crucis insignia & symbolum F E R T accepisse: quod & hic Comes Viridis torqui seu collari inseri voluit, intermixtis nodis quos amoris vocant. Unde & ad res turpes nonnullos hæc referri ausos esse, videre est apud Andream Favinum[l] in Theatro honoris in descriptione hujus Ordinis: quos apprimè refellit auctor commentarij, pro excusatione Pontificatûs Felicis Sabaudi conscripti titulo Amedei Pacifici; ac veram ejus originem aperit, quam diximus quindecim mysteriorum quæ in Beatissimâ Virgine veneramur: unde & totidem sacræ hujus Militiæ Sodales esse voluit, totidémque instituit monachos Carthusienses in arce Petræ-castri, ubi sedem ejusdem Militiæ constituit.

ORDINIS ANNUNCIATIONIS INSTITUTIO.

[l] Favin. lib. 8.

V.

COMITIS VIRIDIS RES IN ORIENTE GESTÆ.

Quod autem meminimus de hujus Amedei rebus in Oriente gestis; tradunt eum, cùm audisset Ioannem Imperatorem Constantinopolitanum propinquum suum à Bulgariæ Despotâ per amicitiæ speciem comprehensum in vincula conjectum esse; ad eum liberandum classem instruxisse, in Thracian primò exscendisse, Turcos ad Callipolim magnis cladibus attrivisse, ipsámque illam urbe obsidione cepisse: inde in Bulgariam navigantem, captis aliquot oppidis, Despotam compulisse Imperatorem dimittere: à quo deinde summo honore Constantinopoli habitus, hortatúsque eum ad obedientiam Pontifici Romano præstandam, in Italiam ad unionem prosequendam redierit. Rem ex antiquis gentis Sabaudiæ monumentis eleganter copioséque Lambertus Vanderburchius in suâ Principum Sabaudiæ Historiâ descripsit, quam ut non omninò negaverimus veram, dubitamus tamen aliquid fabulosi, aut non adeò certi immixtum esse: quod aliis expendendum reliquimus, qui in rerum Græcanicarum, vel Turcicarum, aut aliarum gentium evolvendis historiis, diligentiores ad hæc fulcienda fuerint.

VI.

CAROLI ARROGANTIA IN URBANUM.

Ut verò jam ad Regem Siciliæ Carolum redeamus; liberatus is periculo Ludovici, & morbo quem prædictâ suâ expeditione contraxerat; cùm mense Novembri Neapolim rediisset unà cum exercitu non virtute victore, sed ostentatione felici; tumidior hoc successu factus, & incentivis Cardinalis Reatini irritatus, arma in inermem convertere decrevit, eò iniquiora, quò in patrem suum spiritualem, & in dominum temporalem, auctorémque regiæ suæ dignitatis sumpta. Quippe contemnens Urbanum Pontificem (ut par erat, & tantâ locorum proximitate facillimum) visitare; misit[m] ad eum oratores sciscitatum cur Neapoli discessisset; rogatúmque ut quantocyùs reverteretur, quod multa essent magni momenti quæ cum ipso conferret. Cujus arrogantiâ commotus Pontifex, qui jam anteà exulcerato in eum animo erat, respondit, consuevisse Reges ac Principes Christianos ad pedes Pontificum ire, non hos ad illos; si autem se amicum habere vellet, tot gravia vectigalia & insolita tributa, quibus regnum Romanæ Ecclesiæ fiduciarium opprimebat, abrogaret. Ferocior his factus Carolus (ut dicuntur parvi corpore iracundiores esse) renunciari jussit, non solùm non abrogaturum se aut imminuturum vectigalia, verùm etiam graviora propriâ auctoritate additurum; regnum quippe suum esse jure uxoris & armorum. Quod & reâpse præstitit; specie quidem solvendorum stipendiorum exercitûs contra Andegavensem armati; re tamen veriori in iter, quòd jam animo conceperat in Hungariam ad regnum illud capessendum, ad quod vocatum à magnâ parte procerum vidimus. Ex quibus in apertum diffidium ventum est inter Pontificem iracundum & vindictæ cupidum, ac Regem ingratum & vanâ gloriâ captum. De quo dicetur anno sequenti.

[m] Summont. dec.

VII.

CONSPIRATIO IN REGEM ANGLIÆ DETEGITUR.

In Angliâ pariter initia apparuerunt hoc anno conspirationis in Regem, quibus demùm deturbatus est regno. Qui verò eam detegere primus ausus est quidam religiosus Carmelita natione Hibernus, contra Ducem Lancastriæ patruum Regis, quasi derepentè Regem oppressurus esset, regnúmque occupaturus; Rege tam ad credendum, quàm ad patrui excusationes admittendas facili, cùm datus esset in custodiam Carmelita Ioanni Hollando fratri uterino Regis, donec ejus in

Ducem

Ducem criminatio examinaretur: miser ab eodem Ioanne qui Duci favebat, & ab alio milite noctu truculentissimo tormento sublatus est; quo extremum unum funis ad collum, alterum ad genitalia nectentes suspenderunt à terrâ, & superimposito ventri ingentis ponderis lapide, non uno, sed multis cruciatibus, gutture, verêdis, intestinis, & dorso extinxerũt: postridie verò corpus exanime per urbem trahi, uti de proditione convicti, ad omnem tollendam suspicionem injustæ ei mortis illatæ, curârunt. Fuítque fama, cratem sutam, quâ corpus ejus tractum est reviruisse, floruisse, ac folia produxisse; ac quemdam cæcum lumen ad eam recepisse. Ita Walsighamus [n]. Refértque insuper Polydorus [o] singulare certamen duorum militum, sese mutuò de conspiratione in Regem accusantium; quorum alter victus crimen confessus fuerit. Queruntur autem scriptores, Regem paulatim excussis patruis & aliis qui constituti erant ad infirmam illius ætatem maturo consilio regendam; totum se dedisse illis qui nihil quàm indolem ejus satis bonam ad vitia detrahere quærebãt, thesauris inaniter exhaustis, populis duris exactionibus pressis, gratiis Regis carè distractis, publicis judiciis vænum expositis, totâ regni œconomiâ valdè labefactatâ. Ut non sit mirum si turbæ successerint, de quibus dicetur suis postea locis.

HORRENDUM SUPPLICIŨ DETECTORIS.

[n] Vuals. in Rich. II.
[o] Polyd. lib. 20.

VIII.

MIRACULA QUÆDAM.

[p] Vt a sing. ib.d.

Intereà verò in eâdem [p] Angliâ illustre miraculum editum est in festo S. Osvvini Regis & martyris, vigesimâ Augusti: quò cùm duo nautæ ad resarciendam navem quoddam lignum dolare satagerent, ob violationem festi, erumpere visus est ex singulis ictibus, in quãcumque partem ab obstinatis lignum verteretur, copiosus sanguis. Eodémq; anno in Vvandal à [q], quâdam ecclesiâ in cineres redactâ, sacerdos postmodùm divinitùs monitus ad eam accedere, invenit in eâ altare cum duobus cereis ex utroque latere, sindone mundâ in medio, & super eam tribus sacris hostiis, quæ in unam coaluisse videbantur, eámque cruentam. Promulgato miraculo, cœpit eò fieri ex plerisque nationibus concursus, & miracula ingentia conspici.

[q] Krantz. 9. Vvand. 12.

IX.

BORBONII DUCIS EXPEDITIO CONTRA INFIDELES.

Legimus in Historiâ Gallicâ Iuvenalis Ursini de Rebus gestis sub Carolo Sexto; sub hoc tempus Ludovicum Ducem Borbonium Regis avunculum, benè usum induciis quæ inter Francos & Anglos ictæ fuerant, ne nihil agendo torpesceret, transiisse in Africam contra Saracenos, ductis secum aliquot proceribus Gallis, intérque eos Haricurio & Trimolio, cum aliis octingentis nobilibus, & multis exterarum nationum strenuis viris; ibique parvo tempore multa damna infidelibus intulisse: At ex rerum penuriâ, & insuetati aëris incommodis coactum fuisse in patriam redire. Tradunt alij [r], statuisse eum olim expeditionem in Terram Sanctam ducere: sed curatione Regis, & turbis regni, ac Flandricis bellis detentum, minimè quod animo conceperat opere complere potuisse. Ioannes autem Dux Bituricensis Regis patruus, auditâ coitione vilium hominum, per diversas regni provincias, ingentes crudelitates, tam in laicos quàm ecclesiasticos nobiles & plebeios exercentium, gravissimáque mala tam locis profanis quàm sacris inferentium, præcipuo duce quodam Petro Bruerio; ductis in eos copiis militaribus, dissipavit, suspendio affectis ducibus eorum: ut pluribus narrat idem Iuvenalis. Et codex alter manuscriptus Latinus ejusdem Historiæ Carolinæ ait, hos rusticos ob inconditos mores dictos fuisse *Turchinos*: cujus vocis notio mihi non liquet, nec magni detrimenti est ignorare.

[r] Bellefor. lib. 5. cap. 55.

ET DUCIS BITURIC. CONTRA PRÆDONES.

X.

AMURATIS REGIS TURCORŨ PROGRESSUS IN AMPLIFICANDO IMPERIO.

Iidémque pariter habent, Amuratem Turcorum Regem hoc tempore præsetulisse, libentiùs se imperium Constantinopolitanum & Christianos invadere, quòd in somnis vidisset Apollinem sibi coronam auream gemmis ornatam offerre, cujus splêndor versùs occidentem tenderet, & adoraretur à Crucesignatis. Erat quippe hoc tempore Amurates, per socordiam & discordiam Græcorum, a[illegible]orúmque Orientalium Europæor[illegible], am[illegible]ficando Imperio Turcorum inten[illegible]ssimus omnia vastans, omnes subjugans, & [illegible]ibi ut [illegible]vos servire compellens; adeò ut & ipsum Ioannem Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum, nedum minores Principes, quocumque ipse exercitũ duceret, sequi cogeret. Quo tempore cùm accidisset, quosdam è suis Asiæ præfectis conjuratione factâ in eum rebellantes totum ejus Imperium valdè conturbare; eò confestim advolans cum validis copiis Turcorum & Christianorum, eos qui prælium conserere ausi sunt magna strage fudit, ceteros in deditionem & obsequium recepit: ut breviter Chalcondyles [s], prolixè Leunclavius [t] ex historiis Turcorum narrat. Hísque addit Chalcond. (tacente omninò Leunclavio) cùm eâ expeditione occupatus esset Amurates, Sauzeñ filium ejus natu maximum, à patre in Europâ ad parta tuenda relictum, conspirâsse in patrem; & re cum Andronico majore filio Ioannis Imperatoris Græcorum, cui æquè pater cum Amurate in Asiam pergens Imperij sui curam crediderat, communicatâ; ambos constituisse à patre c[illegible]que s[illegible] deficere, regnúmque tenere, in[illegible]ter se [illegible]m ju[illegible]rando societate de iis[illegible]stibus & amicis habendis, & sponsione mutui auxilij. His autem auditis ab Amurate, cùm Ioannem Imperatorem accusaret consilij conscientiæque facinoris; negante illo, pœnam utrumque in filios excæcationis constituisse; ac reâpse intulisse, postquàm reversi in Europam eos in potestatem suam redegerunt: insupérque Amuratem coëgisse parentes eorum qui cum filio defecerant, propriis manibus eos jugulare, accusãtes trucidâsse uti rebellionis cõscios. Post hæc cùm etiam Emmanuel junior Andronici frater in Amuratem apud Thessalonicam conspirâsset; nec esset obsistendo irrumpenti contra se Amuratis duci; voluisse ad patrem Cõstantinopolim confugere; patre verò non auso præ metu Amuratis eum recipere, consilium iniisse ipsummet Amuratem convenienti atque anteacta deprecandi: obtentâque veniâ ad patrem Constantinopolim rediisse, & Amurati valdè charum fuisse. Hæc pluribus Chalcõdyles quorũ, ut diximus, nihil in Historiis Turcorũ apud Leunclavium qui nullibi meminit hujus Sauzis filij Amuratis. Meminit tamen Georgius Phranzes [u]; Chalcondylæ æqualis, vel paulò antiquior: ita tamen ut quem

[s] Chalcond. lib. 1.
[t] Hist. Musulm. lib. 5.

CONIURATIONES CONTRA SE FACTAS COMPESCIT.

[u] Phranz. lib. 1. cap. 15 & 16.

Chalcon

Chalcondyles Sauzen ipse Mosen nominet; & capite truncatum à patre, quem alter excæcatum tantummodò dixit. Denique quod narrationem rebellionis Emmanuelis spectat, eam non post Androcinianam, sed antè Phranzes collocat.

XI. RATIO TEMPORIS.

Quo verò prorsùs anno hæc contigerint, haud nobis certò liquet; cùm narrationes suas mirâ Chalcondyles confusione involvat, desintque apud Phranzem numeri. Ex Leunclavio tamen post biennium magis accidisse dicenda forent; cùm prædictam Amuratis expeditionem Asiaticam collocet anno Christi 1387. Quòd sic Pavinianæ in Chronico Ecclesiastico computationi, quam ex Antonio Augustino diligentissimo auctore hausisse noscitur, fides adhibenda fuerit, ponenti initium Imperij Emmanuelis præsenti anno 1384. cùm narrent Chalcondyles[x] & Phranzes, post obitum Amuratis (quem Leunclavius contigisse ponit anno 1390.) Andronicum excæcatum à patre infusione aceti fervidi, oculis meliusculè se habentibus adiisse Bajazetem Amuratis filium & successorem, ab eóque vires accepisse, quibus patre fratréque ejectis ipse regnum Græcorum obtineret sub annuo tributo Bajazeti pendendo: hísque acceptis Constantinopolim occupâsse, ac patrem fratrémque triennio in angusto carcere detinuisse: eósque inde elusis custodibus elapsos, eodem Bajazete adito, sese turpiter regnúmque ejus arbitrio subjicientes, majori tributi pensitatione, & militarium copiarum obligatione, obtinuisse Emmanueli regnum, (patre videlicèt ob ætatem, quietiorem magis quam lugubriorem vitam eligente) Andronico, qui minùs gratus Græcis erat, apud Bajazetem remanente: Si, inquam, ita hæc se habuerint, (ut quidem de re gestâ credimus, & plerique post Chalcondylem referunt, nullâ tamen diligentiori temporum indagatione) profectò quæ dicta sunt de rebus Andronici, longè antè contigisse dicenda essent: sicuti & sunt qui Amuratem pluribus annis antè obiisse velint, quàm Historiæ Turcorum Leunclavianæ referant. Sed cùm & eorumdem diversæ sint sententiæ, & jam cœperimus Regem Turcorum annos ex Leunclavio numerare, qui ceteris diligentiùs eorum historiam tractâsse perhibetur, si & annos Emmanuelis ad Prædictam Antonij Augustini & Onuphrij chronologiam aptaverimus, dicendum erit, Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem præsenti anno 1384. ipsius Imperij ab obitu patris quadragesimo tertio, ab expulsione Cantacuzeni soceri vigesimo septimo, Imperio cessisse filio suo minori *Emmanueli*, sive (ut malunt per aphæresim dicere) *Manueli* ejus nominis Secundo: qui illud variis tribulationibus & peregrinationibus tenuit triginta quatuor, ut Onuphrius, vel triginta quinque ut Leunclavius volunt, usque ad annum Christi 1418. aut subsequentem. Quibus si vellemus comprehendi triennium supradictum Andronici, (sicuti nonnullis placuisse reperimus, qui illud hoc anno inchoant) tunc initium Manuelis in annum 1387. rejiciendum foret: quo etiam collocat Onuphrius in Chronologiâ Imperatorum, non ut patris, sed ut fratris Andronici successorem. Sed de his plus satis: quæ non adeò necessaria videntur, eò quòd vix reperias annos rerum quas tractamus chronologiâ annorum Imperij Manuelis consignari. De cujus certiori exitu dicetur suo loco.

[x] Chalcond. lib. 2. Phrãz. cap. 18.

IOANNE IMP. CEDENTE EMMANUEL FIT IMPER. GRÆG.

XII. GERARDUS MAGNUS INSTITUIT FRATRES VITÆ CÕMUNIS.

Hoc anno mortuus est ex pestilentiâ Davẽtriæ ad Isalam fluvium Germaniæ Inferioris *Gerardus Magnus*; qui Parisijs inter doctissimos habitus, relictâ Sorbonâ Daventriã rediens patriam suam, Fratres illic instituit *Vitæ communis* dictos, qui scholas tenerent, & non tantùm literas, sed mores quoque ac benè vivendi modum docerent; viventes in communi, sine proprio, sine mendicitate. Contra quos actum esse in Concilio Constantiensi, dicetur suo loco. Scripsit Gerardus aliqua opuscula quæ Trithemius recenset: meminerúntque ejusdem plurimi, cùm laude pietatis & doctrinæ ejúsque vitam scripsit, qui inter eosdem fratres aliquamdiù vixit insignis ille pietate vir THOMAS À KEMPIS, hoc anno quartum vitæ agens. Fuerêque inter eósdem Fratres plurimi alij æquè pietate & doctrinâ illustres, quorum pariter res gestas idem Thomas ad posteros transmisit: præter ceteros qui deinde non minori eruditione & scriptis eãdem Congregationem (quæ & *Vvindesimensis* à loco ubi primum monasterium cõstruxerunt dicta est) illustrârunt; de quibus alij [y].

THOMÆ A' KEMPIS ÆTAS.

[y] Vid. Pennot. Hist. Trip. cler. canon. lib. 2. cap. 63. 64. 65.

XIII. VVICKLEFFI INTERITUS.

Longè aliâ morte interijt hoc eodem anno infaustum illud organum diaboli, (ut vocat Vvalsinghamus[z]) hæreticorum idolum, hypocritarum speculum, &c. *Ioannes Vvichleffus.* Quamvis enim ponatur ejus obitus ab eodem auctore sub anno 1385. ac post eum à plerisque aliis; (sunt enim qui etiam in annum 1387. referant, sed pauci: potiúsque credendum Vvalsinghamo & Anglo & tunc viventi, qui res, ut ait, cùm enunciabantur scriptis mandabat:) tamen quòd annos ipsum non à Calendis Ianuarij ut nos, sed à Natali Domini ordiri consuescere sit notum; contigerítque mors Vvickleffi ultimâ Decembris, propterea certum est, ex sensu Vvalsinghami pertinere eam ad finem hujus anni, quantumvis ab eo collocetur ad principium sequentis. Igitur perfidus apostata cùm die S. Thomæ Cantuariensis; quæ celebratur vigesimâ nonâ Decembris, in eum Sanctum blasphemias prædicare disposuisset; repentinâ paralysi perculsus, ore distorto, linguâ immobili, capite tremulo, in desperatione periit die ultimâ Decembris, quâ celebratur festum S. Silvestri Papæ. Sicque voluit Deus horum Sanctorum injurias vindicare: cùm scelestus mendacij fabricator Thomam quasi imminutæ & læsæ majestatis reum perageret, ac Silvestrum immanis sceleris accusaret, quòd Ecclesias à Constantino Imp. possessionibus ditari passus esset. Obiisse autem putatur apud parochiam Luttlervvorthij diœcesis Lincolnienis cujus fuerat rector, ibiq; humatus; quousque post triginta annos jussu Concilij Constantiensis exhumatus est combustúsque, ac cineres in fluvium projecti, ut pluribus tunc dicetur. De ejus hæresibus satis dictum superiùs: dicetúrque non semel inferiùs, cùm non illæ unà cum ipso interierint, sed per discipulos longè latéque propagatæ fuerint: quarum plerasque, simul & mores tam ejus quàm discipulorum, recenset ac describit Harpsfeldius proprio commentario de

[z] Vvals. in Rich. & Hypodigm.

Histo

Historiâ Wickleffianâ; cujus jam aliàs facta est mentio, cùm primùm de pestifero homine sese agendi occasio obtulit.

Iesv Christi Annus 1385.
Vrbani VI. An. 8.
Vvenceslai Annus 7.
Emmanuelis II. An. 2.

I. De reb. Urbani in regno Neapol.

Anno Christi millesimo trecentesimo octogesimo-quinto, Indictione octavâ, res Urbani Pontificis ad extremum penè exitium adductæ sunt; culpâne suâ, an aliorum quos ipse severissimè ultus est. Diximus Cardinalem Reatinum ei adversantem Neapoli, Carolum Regem in eum concitâsse. Verùm ne his contentus, ceteros Cardinales, quin & universos Christianos, ab ejus obsequio dimovere moliens, quæstiunculas disseminare cœpit, ac secretò Cardinalibus apud Pontificem Luceriæ agentibus insinuare; num si Papa negligentior esset, aut adeò inniteretur suo sensui, ut inde periclitaretur universa Ecclesia, aut pro solo libito voluntatis spreto Cardinalium consilio omnia ageret, idoneos curatores ei addicere liceret, ex quorum sententiâ negotia Ecclesiæ administranda forent: posséque & debere fieri, nonnullorum Theologorum & Iurisconsultorum comprobatione suadebat. Addebantur crimina hæresis in fide, perfidiæ in Carolum Regem & Romanos, avaritiæ, ambitionis, & alia ejusmodi, quibus ut indignus Pontificatu aut in ordinem redigendus esset, aut de medio tollendus: factâ etiam in ejus vitam atroci conjuratione. Hæc igitur cùm sollicitè cautéque agerentur, iis cognitis Thomas Ursinus de Manupello Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominicâ, qui apud Pontificem Luceriæ agebat, sive timens ne & ipse in suspicionem conjurationis incideret, sive sceleris horrore ductus, cuncta secretò Pontifici significavit. Qui mox irâ incensus, celebrato de more consistorio; atque in eo narratis quæ acceperat; insupérque ostensâ epistolâ à Cardinale de Sangro ad quatuor alios qui relictâ Luceriâ Neapolim se receperant, occultis notis, quas Siffras vocant, conscriptâ; gravitérque in eorum perfidiam invectus, tam eumdem gentilem de Sangro Neapolitanum, Diaconum Cardinalem S. Hadriani, quàm alios quinque noxiores existimatos, videlicèt Ioannem Corsiensem tituli S. Sabinæ Presbyterum, Fr. Bartholomæum de Cucurno Ligurum Genuensem Ordinis Minorum Presbyterum tituli S. Laurentij in Damaso; Fr. Ludovicum Donatum patricium & primum Cardinalem Venetum, ejusdem Ordinis Minorum, ac Presbyterum tituli S. Marci; Fr. Adamum Herfordiensem Anglum Benedictinum, Presbyterum tituli S. Cæciliæ; & Marinum de Iudice Amalphitanum Presbyterum tituli S. Pudentianæ, Tarentinum ab Archiepiscopatu dictum; (septimum etiam nonnulli addunt, & in ipso variant: at plures sex tantùm meminerunt) detinuit, & ferreis compedibus adstrictos diris atque angustissimis carceribus separatim addixit: addito etiam Petro Episcopo Aquilano, qni omnes dirissimè pluries torti, equuleis suspensi, aliísque suppliciis variè affecti, seu vi tormentorum, seu ex conscientiâ facinoris, crimen fassi; detenti sunt iisdem ergastulis, & fame, siti, frigore, æstu, vermibus, & pædore afflicti per septem solidos menses, usque ad mensem Augusti, quo illos secum Urbanus Luceriâ sese eripiens, ut paulò pòst dicetur, abduxit, cùm capti fuissent ad principium Ianuarij.

Conjuratio Cardinalium in eum detegitur.

Sex Cardin. carceri mancipat, torquet, et dire affligit.

II. Quæ ut contigerint, diligenter memoriæ mandavit qui omnibus interfuit, & unus ex reorum examinatoribus extitit, sæpè nobis citatus citandúsque Theodoricus Niemus[a]: qui licèt videatur in Pontifices nimiumquàm aculeatus, (unde, & aliis quoq; culpis in scribendo commissis, rejecta sunt ejus scripta inter prohibita:) potuêre tamen eorum mores in his dissidiis & turbis schismaticis facilè de recto decidere, opera modum excedere: cùm & de isto Urbano VI. plerique omnes, etiámque probi scriptores consentiant, fuisse nimis severum, ut de ceteris ejus affectibus quos iidem produnt, modò taceam. Cùm nihilominùs Gobelinus[b] rem prædictam non parùm secùs in excusationem & laudem Pontificis, à cujus partibus stabat, descripserit, & ipse tunc ibi ut asserit adstans. Vt planè intelligi detur, quanta cautione procedendum sit in expendendis scriptorum affectibus & propensionibus. Nec abs re sit, quod qui Gobelini Cosmodromium edidit observavit; ex diverso ejusmodi duorum istorum auctorum erga Vrbanum animo factum esse, ut quamvis ambo, Niemius scilicèt & Gobelinus, ex diœcesi Paderbornensi originem traxerint, atque uno eodémque tempore in aulâ Pontificiâ vixerint, officiáque publica administraverint, neuter tamen usquam alterius mentionem fecerit.

[a] Niem. lib. 1 cap. 42. usque 53.

[b] Cosmodr. æt. 6. c. 78.

Diversi Niemi et Gobelini affectus in historia describenda.

Vid. Inf. an. 1386. X.

III. In prædictorum verò & aliorũ defunctorum locum Vrbanus alios Cardinales cooptaturus, sequenti die post Epiphaniam, (ut disertè Niemus[c] habet; confirmátque Onuphrius, dum septimum Idus Ianu. signat: ex quibus Ciacconium, & qui eum secuti sunt, arguas, dum notant decimumtertium Decembris anni præteriti:) idem Vrbanus septemdecim Cardinales nominans, sex imprimis nobilissimos Antistites Germanos, videlicèt Adolphũ Moguntinum, (non ut Onuphrius habet, Ludovicum de Misnâ, qui jam antè quatuor annos obierat) Fridericum Coloniensem, Cunonem Trevirensem Archiepiscopos, Arnoldum Leodiensem & Wenceslaum Wratislaviensem Episcopos, ac Petrum de Rosemberg nobili genere presbyterum Boëmum, egit ibidem Luceriæ: qui tamen omnes (ut Niemus ait, & alij consentiunt; ac speciatim de tribus Electoribus Gobelinus[d], de aliis tacens) unanimiter post longam deliberationem inter se habitam, omni ambitione semotâ, hujusmodi honorem acceptare noluerunt, licèt unicuique eorum Vrbanus Ecclesiarũ suarum administrationem etiam non petentibus conservâsset. Promovit etiam alios eâdẽ creatione præstantes viros. Additíque plures Neapolitani, de quibus parũ honorificè idem auctor loquitur: Sed fuerint fortè aliqui ante Car-

[c] Niem. c. 43.

Sex Antistites Germani recusant Cardinalatum ab Vrbano.

[d] Cosmodr. cap. 84.

dinalatum minùs digni,& concesserit aliquid Urbanus gentilibus suis,quorum ope his cum Carolo rixis egeret; sanè post adeptam dignitatem valdè utiles Reipublicæ fuisse, ex eorum elogiis apud Ciacconium constat, quòd autem eis timeret à Carolo plerosque eorum nonnisi postquàm Genuam pervenit,publicare ausus est.

IV. URB. REGEM REGINAMQUE EXCOMMUNICAT AC REGNO PRIVAT.

Post captos autem & tortos sex illos alios, proximâ die Dominicâ ejusdem Ianuarij ibidem Luceriæ convocans ad concionem omnem Clerum ac populum; longo ad eos sermone habito de conjuratione in se designatâ, & vinctorum confessione; quâ præcipuus ejus architectus detectus fuisset Reatinus,conscij Rex Carolus ejúsque uxor Margarita, quos ipse ad tantam dignitatem evexisset; erectâ cruce, & accensis candelis, eosdem Regem, Reginam, & Reatinum, séxque illos Cardinales,necnon Robertum hoc est Clementem) Antipapam,ejúsque pseudocardinales; complices, consiliarios, adjutores, fautores,conniventes, ac communicantes, excommunicavit, Regem Reginámque regno deposuit, Cardinales & alios dignitatibus exuit;urbem Neapolitanam interdicto subierit; ac demùm in eorumdem execrationem, candelas extinxit,& in terram projecit. Quæ pluribus narrat Walsinghamus [e]: brevius Krantzius [f],ex Gobelino,ut puto,ex cujus Cosmodromio in suam Metropolim plurima invexisse noscitur, quamvis eum nec semel nominaverit. Addítque Niemus [g] omnes prælatos & clericos,qui Neapoli partes Urbani fovere detecti essent, carceribus includi,tormentis vexari,nonnullósque in mare præcipitari jussos esse à Carolo. Qui verò Neapoli interdictum servare, nec jubenti Regi in re divinâ faciendâ obtemperare voluerunt, pessimè habiti sunt [h]; nec tamen vix inventi qui Regi acquieverint, præter Religiosos.

e Walsf. in Rich. II.
f Krantz. 10. Metrop. 18.
g Niem. c. 49. in fin.
h Gobel. & Krantz. ibid.

V. CAROLUS URBANUM OBSIDET.

Sic igitur rebus inter Pontificem iracundum & Regem ingratum procedentibus, cùm ante latam in Regem excommunicationis ac privationis sententiam, (ut iidem habent: & Blondus [i],)præmisisset Pontifex de more citationem,Rex ut ei faciliùs,sicut dicebat, responderet, collecto exercitu Luceriam obsidione cinxit: ducem tamen ei præficiens excardinalem Reatinum, quem suum Cancellarium creavit.Ac primò in quodam castro captus Butillus Urbani nepos, apud Neapolim in custodiâ positus est.Luceria quoque capta, direpta, & incensa: præter eminentiorem arcem:in quâ erat Pontifex gravi penuriâ pressus,qui interim armis usus Pontificiis,ter singulis diebus ex fenestrâ arcis cũ tintinnabulo,& candelis accensis maledicebat exercitui Caroli. Unde commoti Neapolitani cives; Carolum de pace ineundâ sollicitârunt: eóque annuente,res tamen effectu caruit,adversariorũ improbitate sperãtium Urbanum brevi in manus suas perventurum; quem deponere aliúmq; in ejus loco sufficere constituerant. Sed providens ipse rebus suis, rogatis clàm Genuensibus decem ad se mittere triremes quæ ipsum educerent: interim ope Raimundi de Baucio de Ursinis filio Comitis Nolani, & Thomæ Sanseverinatis, egregiorum ducum partis Andegavensis,invitis hostibus è Luceriâ ereptus die 7.Iulij, non sine magno labore & periculo deductus est terrestri ac difficili itinere, unà cum suis Cardinalibus tam liberis quàm captivis,primò Beneventum, deinde Minorbium civitatem Apuliæ: demúmque inter Barletum & Tranum à triremibus exceptus,multa littora Siciliæ Italiæque legens,tandem pervenit Genuam die 23. Septembris; ibíque usque ad finem anni sequentis permansit,detentis semper magna curâ diro carcere Cardinalibus captivis:uno excepto Adamo Anglo; qui in gratiam Regis Angliæ, & quòd nihil aliud peccâsset quàm quòd Pontificem dixisset intolerabili esse fastu,seu,ut quidam habent,quòd sciens conjurationem non detexisset,satísque jam pœnarũ expendisset suæ taciturnitatis;dimissus est sub custodiâ cujusdam clerici Cameræ Apostolicæ Galli,depositus tamen à Cardinalatu, quẽ post obitum Urbani restituit ei Bonifacius ejus successor:vir utique pietate, doctrinâ & scriptis clarus; ac propterea à Gregorio XI. jam olim Cardinalis creatus,uti Angli volũt; quamvis Onuphrius & Ciacconius ab Vrbano factum ponant. Quid porrò de ceteris factum fuerit dicetur anno sequenti. Hæc autem tractant Niemus [k],Gobelinus,Vvalsinghamus, Krantzius, Summontius, & alij. De Episcopo verò Aquilano memorat Niemus [l]; cùm in itinere è Luceriâ ad triremes parvo & invalido equo insideret,& fractus adhuc tormentis quæ passus fuerat, haud ita velociter ut necesse erat, equitare valeret; jussu Pontificis existimantis occasionem,ipsum evadendi hâc arte quærere,trucidatum ipsâ viâ fuisse, & insepultum relictum. Cujus tamen inhumanissimæ crudelitatis prædicti ceteri auctores non meminerunt.

i Blond. 2. dec. 10.

URBANUS CONFUGIT GENUAM.

k Niem. c. 50. 53. usque 57. Gobel. Cosmodr. c. 78. 79. 80. Vvalsf. in Rich. II. Krantz. 10. Metrop. 18. Summont. lib. 4. cap. 1.
l Niem. c. 56.

VI. CAROLUS IN HUNGARIAM ABIRE DELIBERAT.

Carolus autem jam ab eo liber, & à metu partis Andegavensis tutus ob minorem ætatem Ludovici Iunioris,ac debiles vires procerum ei in regno faventium; oblatum sibi (ut vidimus) regnum Hungaricum accepturus, ad iter se accinxit: credulus magis,præ dirâ per fas nefásque regnandi libidine, falsis & iniquis rebellium Hungarorum suasionibus, quibus Episcopus Zagabriẽsis ceterorum nomine illuserat ei; (Hungariam nempè magis ejus esse ob cognationem generis,quàm quod in Italia possideret: hoc enim Pontificiæ obnoxium ditioni,quòd precariò tantùm haberi possit:item insidiosum & fallax,solâ novitate ac Principum strage gaudens:Pontifices propriæ potiùs quàm alienæ semper utilitati studere:varia esse Italorum studia, multiplices artes quas præcavere nemo unquam etiam sapientissimus potuerit, denique præ sapientiâ viribúsque ejus, & Hungarorum ope, utrumque retenturum)quàm fidelibus ac variis conjugis suis rationibus, quibus eum à sententiâ dimovere cum lacrymis conata est; (gravem scilicèt semper fuisse Hũgariam malorum officinam, tot intestinis illam dolis simultatibúsq; completam esse,ut donec mutuis externísq; cædibus ad internecionem pervenerit, nullum unquam ocij vestigium in eâ videre sit: ex alieno semper incommodo ac Regum mutatione sibi quæstum facere: non regnum nunc illos ipsi, sed exitium deferre:Habendã etiam filiarum Ludovici nuperi Regis,de ipso

adeò

adeò benè meriti rationem, ac præsertim Mariæ, cui unà cum Sigismundi Boëmi conjugio Hungariam testamento legavit: si quid in virginem innocentem pro alienâ libidine moliturus esset, gravissimas pœnas expensurum, ac sibi liberisq; suis exitium allaturum:) regni Siculi rebus compositis, relictóque in solatium afflictissimæ conjugis Ladislao filio, quem secum ducere, & sceptro Hungarico donare statuerat; ad 4. Septembris conscensâ in civitate Barletæ navi, octavo die Signiam Dalmatiæ, indéque terrestri itinere Zagabriã accessit: ubi ab Episcopo & nonnullis proceribus honorificè susceptus, aliquam moram ibi facere statuit, ut de ejus adventu omnes certiores fierent, & ad eum excipiendum ab evocatoribus animarentur.

VII. RENUNCIATUR REX HUNGARIÆ.

Non latuerant interim Reginas matrem filiámque ejus molitiones: sed rebus dissimulatis. Sigismũdi cum Mariâ pactas olim à parentibus nuptias accelerantes, non parùm ejus consilia interturbârunt; eò quòd rumorem sparsisset non se ad Mariã regno exturbãdam, sed ad componendas regni discordias, eámq; filio suo Ladislao copulãdam accessisse. Cùm autem post nuptias Sigismundus, ad declinãdas proditorum insidias, cùm non esset bello adversùs Carolum sustinendo, in Boëmiam se recepisset: Reginæ quoque arte utendum ratæ adversùs satis apertos Caroli dolos, eundem pacificè venire profitentem honorificè susceperũt: donec magnâ nobilitatis ac plebis parte ab eo pollicitationibus, largitionibus, impunitate scelerum, immunitate civitatum, remissione vectigalium, stipendiis ingentibus propositis, (ut solemne est factiosis) ad se allectâ, conniventibus etiam ac præ metu consentientibus Reginis; idem Carolus Rex publicè renunciatus est, atque ab Archiepiscopo Strigoniensi (cujus id munus est) inauguratus ultimâ die Decembris præsentis anni, quæ fuit Dominicâ. Bináque mira tunc accidisse dicuntur: alterum, ut Caroli coronatio, quæ priùs omnibus exoptata fuerat, mox ut peracta est odiosa adeò esse cœperit, miserãtibus plerisq; abdicationem Mariæ, ut si ducem habuissent, Carolum intra ipsum tẽplum crucidaturi fuissent. Alterum: quòd cùm præferri mos esset novo Regi è templo prodeunti, S. Stephani regis vexillum, id ad postes templi sensim illisum in varias partes laceratũ conciderit. Accessítque paulò pòst tertium, ut superveniens innumera corvorum multitudo regiis tectis insederit, nullâque vi repelli potuerit, quin & quandoq; turmatim fenestras impeterent, ac veluti strangulati crocitantes congrederentur inter se infesti. Narrantur hæc omnia prolixè ab auctoribus Hũgaricis Thvvrosio [m] & Bonfinio; & ex Neapolitanis à Sũmontio [n]. Quid porrò secutum sit, dicetur anno sequenti.

[m] Thuros. in Carol. Parvo, c. 2. usque 7. Bonfin. 3. dec. 1.
[n] Summont. lib 4. c. 1.

VIII. DE MARIA HUNGARA PROMISSA DUCI AURELIAN.

Sed quod matrimonium Mariæ attinet; duo sunt ejus tẽporis auctores, qui rem longè aliter describant; Niemus videlicèt, & Frossardus. Scribit quippe Niemus [o], Elisabetham Reginam pulso vi ab Hungariâ Sigismundo, ejus sponsam Mariam auferre, ac Duci Aurelianẽsi fratri Regis Francorum tradere quæsîsse, eáq; de causâ nobilem legationem in Gallias destinâsse; quam qui obibant, se Mediolani illàc transeuntes vidisse testatur: irritâ tamen fuisse, eò quòd Dux Mediolanensis (nempè Ioannes Galeatius, de quo posteà) jam tractâsset de filiâ suâ tradendâ Aurelianensi Froff. [p] autem ulteriùs progressus, puellam (quam ipse Margaritam vocat) non solum prædicto fratri Regis (nempè Ludovico duci Turonensi posteà Aurelianensi) promissam, verùm etiam per procuratores nuptam fuisse, planè asserit, sed dum Ludovicus iter pararet in Hungariam, vi raptam esse à Sigismundo. Ex quibus sanè intelligi datur, fuisse omninò de his tractatum. Et putamus, cùm persensisset Regina Elisabetha cõsilia Hungarorum cum Carolo Parvo, ad se filiámque exturbandam; nec esset Sigismundus, cui pater Mariam desponderat, ætate ac viribus ei resistẽdo; protectionem quæsîsse à potentissimo Francorum Rege: cùm verò interim nũciaretur promptior quàm sperabatur Caroli adventus; ne Mariam is filio suo auferret, festinâsse nuptias cum priori spõso Sigismundo; háncq; festinationem acceptam fuisse ab exteris pro raptu, sic etiam fortè disseminantibus Carolinis Hungariæ ad Reginas infamãdas. Ceterùm nihil de his auctores Hungarici, eò quòd, ut putamus, hæc clam fautoribus Caroli tractarentur. Sed utcumq; de his sit, illud quidem omninò certũ est, fuisse olim Ludovico Hungariæ Regi parẽti Mariæ, aliã filiam eâ majorem nomine Catharinam [q], quæ in pueritiâ obiit: fuisséq; eam pactam uxorem prædicto Ludovico Caroli VI. fratri tũc Duci Turonẽsi, anno 1374. superstite adhuc utriusq; parẽte Carolo V. Francorũ & prędicto Ludovico Hũgarię Rege: sicuti cõstat ex instrumentis publicis tunc de iis confectis, quæ Tilius [r] recẽset: quãvis nec de his ulla apud auctores Hũgaricos memoria. Sed de his plus satis.

[o] Niem. cap. 58.
[p] Froff. vol. 2. cap. 162. 167.
[q] Thuros. in Ludov. c. 51.
[r] Til. Invent. de Reg. Frãc.

IX. BELLA ANGLIÆ ET FLANDRIÆ RENOVANTUR.

Turbatis etiam aliis regnis per bella & seditiones; ubi induciæ inter Frãcos, Anglos, Scotos, & Flandros exierũt, omnia rursùm turbari cœpêre. Rex Carolus naturâ avidus belli, Angliæ invadendæ ingenti desiderio tenebatur, eámque in rem, classem maximam immẽsis sumptibus parari jussit, trepidantibus ad nuncium Anglis. Et quò alios aliâ quoq; parte molestaret, misit in Scotiam ad Robertum amicum Regem, Ioannem Viennensem præfectum maris cum validâ manu Francorum, qui minùs gratè acceptus à Scotis, post quasdam deprædationes in Angliâ factas, & nonnullas captas munitiones, adveniente cum ingenti exercitu Rege Angliæ in Scotiã, eâmq; devastante, atque post ipsius reditum ad sua, ortâ dissensione inter Francos & Scotos, cùm nec esset Scotia externo militi diù alendo; rediit idem præfectus ad Regem Carolum, non parùm Scotis offensus, quòd illiberaliter cum Francis egissent: quamvis nec minorem ipse meritus offensam à nonnullis dicatur, ex eo quòd militiæ suæ gloriã adulterio cum quãdam Scotiæ Regis propinquâ maculârit, quã tamen de re nihil apud auctores Scotos legas, aliis quibusdã frivolis excusationibus inurbanitatem suam contegere satagentes. Renovato verò etiam in Flãdria bello, coactus fuit Rex transmissionẽ Anglicam differre, ut ei attenderet; donec post aliquas hinc inde illatas clades, cedentibus tandem Gandavensibus, pax iis data est à Philippo Audace eorum Comite mense Decemb. uti hæc omnia fusè tra-

f Froiss.vol.2. Iuvenal. in Car.VI.Vual. in Rich. II. Meyer.lib.14.

ctant prædictarum gentium historici [f].

X.

t Marian lib. 18.cap.9.
u An. 1383. V.

In Hispaniâ [t] creato magno omnium Lusitanorum consensu & gaudio Castellanorum odio, 5. Aprilis Lusitaniæ Rege *Ioanne* Magistro Avisij, de quo suprà [u]; re inter eas nationes pro ejus regni successione, præsentibus ipsis Regibus de eâ contendentibus, ad prælium deductâ, vicêre Lusitani, quáquam longè pauciores; sed pro libertate decertātes, magnâ hostium ac procerum cæde, (inter quos etiam nonnulli Galli) Regísq; fuga, ipso pervigilio Assumptæ in cœlum Virginis matris, ad vicum Aliubarrotā Lusitaniæ; memorabili pugnâ, quâ Ioannes Lusitanus regium nomen sibi & posteris stabile fecit: cujúsq; memoriā gens Lusitana deinceps anniversariis sacris instaurare consuevit, cum præconio virtutis Lusitanæ, & probro ignaviæ Castellanæ, ac ludicris dicteriis: suam cladem Castellanis nō virtuti hostium, sed suorum præcipiti temeritati, lassis & inediâ debilibus corporibus inclinatâ jam die pugnantium, acceptā ferentibus: vim etiam numinis persuadētibus aliis, ex eo quòd Ioannes Rex Castellæ anno præcedenti in stipendiū militum Guadalupei tēpli Beatissimæ Virginis eâ tempestate celeberrimi thesauros, quos inde movere religio erat, conflâsset. Post quæ Lusitani urgere victoriā destinantes, cùm alioqui non essent hostibus pares potentiâ & viribus, legatione missâ in Angliam, Lancastriæ ducem ad belli societatem invitârunt; victoriæ præmio Castellæ regno futuro, quod ipse etiam sibi dote conjugis deberi contendebat: & interim aliquas incursiones in hosticum fecerunt. E Castellâ cōtrà missi in Galliam, ubi præsidium certissimum rebus asperis fore judicabant, legati facilè impetrârunt mitti ad se Ludovicū Borbonium Regis avunculum cum copiis quantum bello conficiendo satis essent. Quid autem inter illos gestum sit annis sequentib. quæ certamina facta, quibus miseriis Angli ibi affecti, qui tractatus habiti; donec nuptiis filij Regis Castellæ & Catharinæ unicæ Ducis Lancastriæ filiæ, ac certæ pensionis annuæ sponsione, pax inter eos firmata est; breviùs, sed ut solet satis pro sufficienti rerum cognitione Mariana [x], prolixiùs Walsingh. [y], prolixissimè Froissard. [z] describit; malè tamen hic Regem Portugalliæ Dionysium vocans, deceptus nomine Davisij cujus Magister fuerat. Duxit autem idem Rex in uxorem Philippam privignam ejusdem Lancastriæ Ducis, etiam nondum voti religione exolutus.

IOANNES NOTHUS CREATUR REX LUSITANIÆ.

LUSITANORUM DE CASTELLANIS VICTORIA PRÆDICATISSIMA.

x Mar. lib. 18.c.10. & 12.
y Vualf. in Rich. II.
z Froiss.vol.3.

XI.

a Vualsingh. ibid.

WILLELMI COURTENEI ARCHIEP. CANTUAR. CONSTANTIA PRO DEFENSIONE CLERI.

Interim verò hoc anno in Angliâ [a] circa festum S. Martini mense Novembris celebratis regni comitiis Londini, cùm laici certā pecuniam Regi suo concederent, eâ conditione ut clerus aliam elargiretur: restitit obnixè Willelmus Archiepiscopus Cantuariensis, asserens Ecclesiam liberam esse, nec posse per laïcos ullâ censitione taxari. Unde magnâ factâ populi commotione, auxiliantibus non paucis ex proceribus, tollenda esse clericis omnia temporalia; negavit omninò Rex, quinimmò testatus est velle se Ecclesiam Anglicanam eodem statu tueri quo erat quando regnum suscepit, vel etiam meliori. Quapropter re ab Archiepiscopo cum reliquo clero communicatâ, spontè oblata est ab eis Regi decima: quam is adeò gratam habuit, ut palàm assereret, acceptiorem sibi hanc spontaneam esse, quàm invitam quadruplicem. Inciderat hoc eodem anno idem Archiepiscopus in adeò gravem Regis offensionem, ob leves quidem (ut Walsinghamus ait) occasiones, sed ut verisimile [b] est vel ob similem ejus intercessionem alteri cuidam ejusmodi exactioni, cùm frequentissimę indicerentur obtentu bellorum Francici & Scotici, quæ tamen in alios inutiles usus non raro convertebantur; vel ob liberiorem Regi factam de sequiori regni administratione admonitionem: ut Rex eum possessionibus spoliare voluerit, ní Cancellarius regni obstitisset, qui propterea indignationem Regis vix evasit: coactúsque est Archiepiscopus clàm & properè secedere: ita tamen ut non ita multò pòst veterem Regis benevolentiam recuperaverit. Magno namque eum atque excelso fuisse animo in suæ Ecclesiæ, totiúsq; Anglicanę libertate ac privilegiis tuendis, necnon in fide Catholicâ & disciplinâ Ecclesiasticâ contra violatores conservandâ; tám ex his, quàm ex iis quæ illum superiùs egisse vidimus contra Vvickleffum, & multò plus ex aliis quæ de ipso laudabiliter referūtur ab scriptorib9 Anglicanis, intelligi datur.

b Harpsf. sæc. 14.cap.11.

XII.

CAROLUS REX FRAN. EXTORSIONES CLEMENTINAS REPRIMIT.

Sumpsit etiam causam Cleri Rex Carolus in Galliâ adversùs importunas & immoderatas Clementis Pontificis Avenionensis, ejúsque famelicorum Cardinalium, quibus satiandis sola ferè Galliâ objecta erat, exactiones. Quippe, ut Iuvenalis ait, cùm misisset Clemens Abbatem S. Nicasij Remensis, ut de omnibus beneficiis ecclesiasticis mediam proventuum partem exigeret; ísque mandatum acerbè exequens, etiam in sacerdotia quorumdam Academiæ Parisiensis scholasticorum manus injiceret: factâ inde apud Regem expostulatione ab Academiâ, putà ipsius & Ecclesiæ protectorem ac defensorem; post multam consultationem edixit [c] Rex, ne aurum vel argentum extra regnum exportaretur; sed & fructus sacerdotiorum sub manu regiâ custodirentur, quorum pars tertia victui sacerdotum, altera oneribus exolvendis, tertia ecclesiarum atque ædificiorum instaurationi impenderetur. Missúsque Avenionem Arnaldus de Corbiâ Senatûs Parisiensis princeps, qui rem Clementi exponeret, eúmque ab ulteriori Cleri Gallicani vexatione dimoveret: quod Clemens promisit.

c Ext. ipsum ejus edictum dat. Paris. 6 Octob. in Stylo Cur.

XIII.

BERNABOVIS MEDIOLANENSIS FUNESTUS FINIS A PROPRIO NEPOTE.

Hoc eodem anno, memorabili rerum humanarum vicissitudine, Bernabos sævissimus ille Mediolanensium tyrānus sæpè his Annalibus memoratus, meritas tandem pœnas luit sacrilegiorum, fraudum, ac scelerum in omne genus hominum impunè hactenùs commissorum, in laqueum cadens quem alteri tetenderat. Erat illi nepos ex fratre Ioannes Galeatius Comes Virtutum, de quo etiam superiùs; qui in amplam ditionem paternam succedens, æmulum habuit patruum, cupidine eam filiis suis quos plures habebat per nepotis extinctionem dividendi; quamvis & ipse Galeatius gener ejus esset, ductâ secundis nuptiis per dispensationem Apostolicam unâ ex filiabus ejus, post obitum prioris Franciscæ: vir multis animi & corporis dotibus ornatus, eloquentiâ clarus, & ingenio callidus. Qui à

par

patrui dolis sibi cauturus, artem arte deludere statuens, ignavam formidinem finxit, & templa frequentans, cibis cavens, custodiam corporis augens, conceptæ religionis ac demissi paventísque animi signa præbuit: adeóque in his contemptum (sicuti optabat) venit, ut nihil virile vel ab astuto patruo sene cogitare putaretur, & patrueles dictitarent aliquo eum optimo sacerdotio quàm tanto imperio digniorem videri. Itaque cum paucis fidissimis communicato consilio, Ticino, ubi morabatur, Varesium oppidũ ad ecclesiam Beatissimæ Virginis miraculis insignem peregrinari simulans, die 6. Maij cùm apud Mediolanum primò duos ex filiis Bernabovis, deinde ipsummet patruum extra portam civitatis obvium habuisset; dato signo, ab armatis equitibus quos secum ducebat tam patruum quàm patrueles inermes comprehendi fecit, & in quamdam arcem in custodiam amandavit, ipséque eodem momento civitatem absque ullo obice ingressus, datis plebi opportuno astu in prædam domibus Bernabovis oppulentissimâ suppellectili refertis, absque alio certamine illa potitus est; necnon & arce; (in quâ reperta sunt argenti elaborati ac pretiosæ gazæ sex plaustra, auri signati septingenta millia florenorum) paucísque pòst diebus ceterâ universâ Bernabovis ditione, dispersis per varia loca ceteris ejusdem Bernabovis filiis. Ipse verò Ioannes scriptis ad omnes Principes literis facinus excusavit, ex insidiis sibi à patruo structis, inauditâ tyrannide in subditos, Ecclesiarum expilationibus, & injuriis in res ac personas sacras. Demúmque infelix Bernabos septimo carceris mense, veneno faseolis indito, animam exhalavit anno ætatis 66. in sinu amatissimæ concubinæ; pœnitens tamen, & cum lacrymis veniam præteritorum criminum postulans: ut testatur Corius [d], totam hanc historiam præ ceteris uberiùs, unà cum aliquot prodigiis, quibus hæc calamitas pronunciata fuit, describens: addens & progressus Ioannis in vicinis principibus & civitatibus invadendis & occupandis, formidandum [e] se toti Italiæ præbendo: & maximè cum altero abhinc anno Veronam & Vicentiam obtinuit, ejectis cum ignominiâ Scaligeris, qui tanto fastu illum Statum tandiù tenuerant. Ex quorum progenie processisse Iulium & Iosephum inter doctos ultimi sæculi non postremos, potuisse ullis persuaderi, miratus est orbis cùm imposturam detexit.

[d] Cor. Hist. Mediol. par. 3.

[e] Vide etiam Ant. tit. 22. c.2. § 16. & seqq. ex Are. & alij.

Iesu Christi Annus 1386.
Vrbani VI. An. 9.
Vvenceslai Annus 8.
Emmanuelis II. An. 3.

I. Caroli Dyrrachini proditoria mors.

Anno Christi millesimo trecentesimo octogesimo-sexto, Indictione nonâ, Carolus Parvus injustus duorum regnorum detentor, Hũgarici & Siculi, præmium tulit suarum fraudum in legitimas earum Reginas, & rebellionis in Summum Pontificem. Cùm enim à mœstissimis Hungariæ, non jam Reginis, sed penè ancillis cogitaretur de modo recuperandi dignitatem; opem suam ad tantum opus offerente fidissimo illis Nicolao Garo Palatino, cujus odio Carolum accitum vidimus: factum est ejus arte, ut simulatis ab Elisabethâ Reginâ matre magni momenti literis quas Carolus communicaret, rogatus ad partem regiæ quam ipsa inhabitabat accedere, præsente etiam Nicolao, dum medius inter eos omnis expers suspicionis sederet; fuerit à Blasio quodam Forgacho ingentium virium & audaciæ homine validissimo ictu capite percussus, regia diligenter à Nicolao contra Carolinorum insultus firmata: Et Carolus semimortuus in carcere positus, admoto plagæ pharmaco venenato, & obstructis faucibus interiit. Corpus in claustro S. Andreę sine pompâ reconditum, paulò pòst effossum multos annos intumulatum sibi spectarores allexit, eò quòd ipse Pontificio anathemate mulctatus obiisset. Contigisse autem ejus vulnus die 6. Februarij, Rosarum dictâ, ex historicis Hũgaricis [a] intelligitur. Sed quod anno superiori tribuunt, non recipitur ab Italis [b], qui præsenti collocant, variantes tamen de die & mense. Obiítque anno ætatis 41. regni Siculi quarto expleto. De cujus interitu & inhumatione etiam Antoninus [c] agens, ait justè Deum retribuisse ei secundùm opera ejus, qui & matrem propriam (nempè Reginam Ioannam, quæ ipsi loco matris fuerat) interire fecerat, & Ecclesiam persecutus fuerat. *Et* [d] *nunc Reges intelligite; erudimini qui judicatis terram.*) Quod verò Collenutius scribit, ensem quo Carolus occisus est, sanguine cruentum missum esse ad Urbanum Pontificem, qui ejus visu delectatus est; cùm apud nullum alium melioris notæ auctorem reperiatur, rejicimus ut vanum ab homine plurimis ejusmodi vanis scripta sua infarcire solito quod sanè numquam omisisset Niemus, si fieri contigisset. Ceterùm reliquit Carolus binos liberos Ladislaum & Ioannam minori ætate.

[a] Thurof. in Car. Parv. c.8. Bonfin.3. dec.1.
[b] Cor. par.3. Collen. lib.5. Summont. lib.4.
[c] Ant. tit. 22. c.1. §.15.
[d] Psal. 2.

II. Ladislaus Caroli filius proclamatur Rex Neapol.

Morte ejus Neapolim delatâ eo ipso tempore, quo spectante ejus conjuge Margaritâ unà cum liberis, publici ludi & ludicra certamina fiebãt in oblectamentum coronationis ipsius Caroli in Regem Hungariæ; gaudio in luctum verso, nihilominùs proclamatus est Rex *Ladislaus* ejus filius paulò major decenni, die vigesimo-quinto Febr. qui plerisque Francis *Lancelotus* dicitur, Thomas autem Sanseverinas caput partis Andegavensis, unà cum ceteris ejusdem fautoribus, atque Ottone Brunsvicensi Ioannæ olim Reginæ viro, simul *Ludovicum* filium Ludovici in Apuliâ morti Regem & Clementem Papam acclamantes, Margarita Ladislai matre haud talibus motibus assuetâ Caietam sese unà cum liberis recipiente; tam Neapolim, quàm universum penè regnum in suam potestatem redegerunt: Vrbano Pontifice licèt à Margaritâ summississimè & instantissimè, atque etiam libero ad eum remisso Burillo ipsius nepote, qui hactenùs in custodiâ detentus fuerat, in auxilium sollicitato, nondùm ira in Carolum depositâ, tardiùs ei sucurrere satagente. A quo demùm Raimundus Vrsinus cum copiis missus; nullo alio operæpretio, quàm ut ob tarditatẽ suppetiarum amissæ Neapolis invidiam

Et a contraria factione Ludovic. Andegavensis.

sustinuerit. Donec cunctis prosperè pro Ludovicianis hactenùs procedentibus, res turbari cœperunt, ubi adveniente à Ludovico & Clemente Monjoiâ ejusdem Clementis nepote ad rerum titulo & auctoritate proregis administrationem; eo se contemptos rati Sanseverinas, qui titulum Proregis antè susceperat, & Brunsvicensis, cui nihilominùs is primas concedere præseferebat; quisque ad sua se recepit, & de partis adversæ patrocinio cogitare cœpit. Hęc præsenti anno gesta, fusè prosequitur ex antiquioribus Rerum Neapolitanarum auctoribus Summontius [e]: meminítque Niemus [f], sed duritiem Urbani in Margaritam carpens. De iis verò quæ porrò secuta sunt, dicetur suis locis.

[e] Summont. lib.4.c.2.
[f] Niem.lib.1. c.63.64.

III.
REGINARUM HUNGAR. MISERABILIS CASUS.

Intereà in Hungariâ, cùm per necem Caroli Reginis in pristinis auctoritatem restitutis omnia ubique tuta putarentur; decernentes Reginæ unà cum suo Nicolao Garo inferiores regni partes invisere, aulicâ tantùm turbâ absque ullâ militum custodiâ comitatæ: contigit die festo S. Iacobi (1. Maij, puto ut ex sequentibus apparebit, non 25. Iunij, ut alij indicârunt) ut iter agentes in medio campo in manus inciderint Ioannis Horvati Croatiæ præfecti, à quo nihil mali suspicabantur. Qui tamen cùm Caroli partes olim potissimum sectatus esset, hâc arreptâ facili ulciscendi ejus mortem occasione, armatâ manu in catervam inermem irruens, illam nullo negotio dissipavit; solos constantissimè ac validissimè currum Reginarum contegentes Garum, Forgachúmque Caroli percussorem, in earum oculis confodit: abductas crinibus Reginas, & nequicquàm misericordiam lacrymabundas implorantes, matrem quidem Elisabetham obstructo ore in flumen demersit, filiam Mariam magis nutu divino quàm barbari pietate à morte & turpitudine servatam, arctissimo carceri inclusit: infelicibus virginibus ac ceterâ mulierum turbâ pro militari libidine incestatis, direptis, & promiscuè contemeratis. Nihil isto casu miserabilius: quem graphicè descripsit Bonfinius [g] post Thurosium ex quo affatim datur & Principum considerare miseriam, & divini judicij adorare æquitatem, nihil sceleris impunitum relinquentis.

[g] Bonfin.3. dec. 1. Thur. in Sigism. cap.1.

IV.

Quod & eximiè in hoc ipso Horvato confestim apparuit. Cùm enim certior factus Sigismundus vir Mariæ de Caroli morte, vocatus à Reginis in regnum; copias comparâsset, quibus turbas quascumque compescere posset; interimque casus prædictus contigisset; auditóque ejus Budam adventu, timere sibi incipiens Horvatus, Mariam Reginam de rerum omnium oblivione adjuratam liberam remisisset: statim ubi ipsâ ingenti omnium exultatione reversâ, *Sigismundus* pari procerum populorúmque consensu in Regem coronatus & consecratus est in festo Pentecostes præsentis anni; (annum tunc tantùm 20. agens, sed probitate morum, magnitudine animi, & aspectus majestate decorus, ac lõgè sapientissimo parenti Carolo IV. Imperatori, quàm fratri Wencesiao perditæ vitæ Regi, similior:) susceptâ in Horvatum expeditione, post diversas ab eo quæsitas latebras, & arreptas fugas, in insidias concidentem

SIGISMUNDUS CORONATUR REX HUNGARIÆ.

unà cum ceteris prioris rebellionis & hujus sceleris auctoribus & consciis præcipuis; eumdem condigno supplicio affecit: quo scilicèt revinctis ad palum manibus; per vicos, & compita curru circumvectus, candentibúsque frustillatim forcipibus passim discerptus est, postremóque tractus & quadripartitò dissectus, frustis corporis singulis portis ad deterrendam facinorosorum audaciam impositis. Ceteri captivi capite mulctati; præter Zagabriensem Antistitem, qui ob sacrosanctam dignitatem supplicio vitæ immunis, publicatis bonis Episcopatu abdicatus est: aliique nonnulli rebelles compressi, & in pristinum regni obsequium compulsi, uti hæc pluribus prosequuntur iidem auctores.

HORVATI REGINARUM VIOLATORI SUPPLICIUM.

V.
LITUANIÆ AD FIDEM CONVERSIO.

Aliâ parte hoc eodem tempore, occasione Heduigis sororis prædictæ Mariæ Hungaricæ magna facta est accessio Christianæ Religioni & regno Poloniæ. Cùm enim post obitum Ludovici earum parentis Regis utriusque regni, multæ quæstiones ac turbæ exortæ fuissent in Poloniâ de successione; & ad sopiendas rogata Elisabetha Regina filiam Heduigim misisset ad regnum capessendum, quod ei pater destinaverat, habito post ejus coronationem tractatu de marito ei adjungendo; posthabito Guillelmo filio Leopoldi Austriæ Ducis, quem ipsa in oculis & animo habebat, quòd ei adhuc puero promissa à patre puella cum eo coaluisset (parùm tamen placebat Polonis, cùm propter tenuiorem inter multos fratres, tum ob loginquiorem ejus fortunam quàm ut opem Polonis in rebus dubiis afferre posset:) Igelloni proximæ Lituaniæ Duci, offerenti Christianam Religionem unà cum totâ ditione amplecti, eandémq; regno Polonico in perpetuum unire, ac duceta millia florenorum Austrio pacta nisi convento cum eo matrimonio staretur persolvere, denique thesauros suos omnes in Poloniam comportare; satis quidem invitam, sed tamen religionis ac Reipublicæ consideratione procerum suasionibus cedentem, conjugio copulârunt; annuente etiam Elisabethâ matre tunc adhuc superstite. Adveniens igitur Cracoviam *Iagello* 12. Februarij præsentis anni, altera pòst die abjuratis erroribus plurium deorum, & cultu Ignis & Fulminis; viperarum item atque serpentium, quos domi alebant quasi lares familiares; lucorúmq; & eximiarum arborũ superstitione; necnon sacrificij humani, cùm è bellis revertentes unum aliquem de captivis eximium victimæ loco igne cremabant: his, inquam, erroribus, ceterísque omnibus superstitionibus ante omnia abjuratis, idem Iagello 14. Februarij, à Bozentâ Archiepiscopo Gnesnensi & Ioanne Episcopo Cracoviensi sacrum baptismum suscepit, unà cum fratribus & proceribus atque universo comitatu; mutatóque nomine *Vuladislaus* est appellatus: & mox matrimonium cum Reginâ solemni ritu contraxit; ac demùm quarto pòst die unctus ab Archiepiscopo diadema regium suscepit. Posteà unà cum conjuge Lituaniam petens, maximam operam impendit in populis ad fidem convertendis: Episcopatum Vilnæ, quæ metropolis est Lituanię, aliísque civitatibus parœcias constituit & dotavit: ne Russis & Catholicis matrimonia inter se contrahere

IAGELLO DUCIT UXOREM HEREDEM POLONIÆ.

liceret, lege vetuit: bona ecclesiastica omni onere, pensione, & jurisdictione Principis & sæcularium quorumvis libera declaravit: Episcopum Posnaniensem ad Urbanum Pontificem allegavit, eique se dicto audientem fore solemni Regum Christianorum more promisit. Deniq; in omnibus tam religiosis quàm civilibus actibus, necnon in motibus seditiosis compescendis, bellisque gerendis, ita se gessit, ut non solùm non pœnituerit Polonos eum in Regẽ cooptâsse, verùm etiam de eo ejúsque successione semper magnopere gloriati sint. Quomodò autem hæc omnia geri contigerit, prolixè narrant Rerum Polonicarum scriptores, Michovius [h] & Cromerus: reliqua autem ad rem pertinentia suis locis adtexentur.

[h] Michov. lib. 4. cap. 32. usque. 39. Cromer. lib. 14. & 15.

VI. [i] Froß. vol. 3. Iuven. in Car. VI. Vvalß. in Rich. II. & in Hypodig. Polyd. lib. 20. Bellef. lib. 5. cap. 57.

Rex verò Francorum Carolus [i] quod antè constituerat in Angliam transmittere, exequi intendens; rem tandem suspendit in gratiam Regis Armeniæ, quem vidimus in Galliam appulisse. Qui Principes Christianos adversùs Infideles arma sua cõvertere persuasurus, cum bonâ Regis veniâ in Angliã transfretavit. Ubi honorificè receptus, & donis cumulatus, obtinuit colloquium de pace fieri apud Boloniã: quo tamen nihil conclusum est, ob tenacitatem partium in suis asserendis juribus. Quapropter repetitâ transmittendi in Angliam deliberatione, cùm Rex ad hoc circiter mille ducentas naves, etiámque urbem ligneam cum turribus, quæ usui foret in Angliæ appulsu, parâsset, ipséque jam Clusam, sive Slusam Flandriæ ad mare transeundum cum immensis copiis, pervenisset: factum est nihilominùs importunâ & affectatâ absentiâ & cunctatione Ioannis Ducis Biturigum ejus patrui, (cujus erat apud ipsum ac proceres magna auctoritas) valdè periculosum existimantis Regem cum omnibus regni viribus, fortunæ, alienóque orbi committi; ut re ab eo impendentem usque hiemem consultò dilatâ, classis exercitúsque dimissi sint, bellíque consilia deposita: adversâ tamen apud plerosque omnes ipsius famâ, quo propriorum respectu commodorum non antequam bellum tanto sumptu ipsomet consentiente appararetur, quid seriò sentiret exprompsisset: nec unquam adeò opportuna sese obtulisset occasio Angliam impetendi; quæ tum ob motus civiles in eâ vigentes ex inconcinnis Regis moribus & imperitiâ regnãdi, tum etiam propter absentiam Ducis Lancastriæ, qui cum validâ Anglorum manu in Lusitaniam navigaverat contra Regem Castellæ; poterat de facili subjugari. Unde & suprà quàm aliàs umquam trepidatum in eâ fuisse ab apparatu Francorum, ita ut magis de fugâ aut deditione, quàm de defensione cogitaretur; ingenuè fatetur Walsinghamus, insolentissimus alioqui ullum in Anglis suis timorem à Francis, aliísve ullis gentibus admittere. Quare & plurimos proceres, qui magnâ alacritate & ingẽtibus sumptibus convenerant, præ dolore & indignatione Rege insalutato secessisse, historiæ tradunt. Et meritissimè Francis illudit Vvalsinghamus, quòd ingenti conatu rem moliti; quâ Angliam sibi submissuros jactarent, inconsideratissimè eam deseruissent, etiámque cum amissione magnæ partis classis, quæ in Anglorum manus & prædâ incidit. Quare sicuti initio frequen-

GRANDIS FRANCORUM APPARATUS ADVERSUS ANGLIAM IN FUMUM ABIT.

tes [k] indictæ fuerant per regnum Angliæ supplicationes, ut avertere Deus dignaretur periculum à patriâ; sic post classis & exercitûs dissipationem aliæ decretæ pro gratiarum actione de tanti discriminis averruncatione: faustáque omnia Biturigi optata, quòd veluti ab inferis illos reduxisset.

[k] Meyer. lib. 14.

VII. [l] Surit. Indic. lib. 3. REGIS ARAGONII QUINQUAGENARIUM SUBSIDIUM.

Petrus [l] Rex Aragonius celebratâ majori solito pompâ solemnitate Paschali, quòd quinquagesimus ejus regni annus conversus esset; eam etiam ob causam, quod nefando quidem erat auditu, ab Episcopis & ecclesiastico ordine, in suæ quinquagenariæ lætitiæ sacra celebranda, pecuniarum subsidia appetiit; universéq, à regnorũ incolis ea collatio indicta est. Cùm verò posteà edixisset, nequis ipsius filio primogenito Ioãni procuratione regni privato pareret; Ioannes anxius exploratis in se patris novercæq; odiis, adversùs regiam potestatem, juris implorans auxilium, supremum Iustitiæ Aragonum Magistratum appellavit: qui pro consuetudine de vi interdicens rem distinuit: tantâ illo tempore magistratûs illius auctoritate, ut ejus interdictis oppositis, nihil regij imperij, aut summæ potestatis esset reliqui, quoad magistratus suam de interdicti jure sententiam pronunciâsset. A quâ potestate decidit adeò is deinceps magistratus, ut vix umbram aliquam ejus retinuerit.

VIII. DUX AUSTRIÆ AB HELVETIIS PRÆLIO VINCITUR, ET OCCIDITUR.

Quo eodem anno Leopoldus Austriæ Dux, cùm Helvetiis ad pristinã obedientiam à quâ desciverãt reducendis copiosum exercitũ, allectis aliis Principibus & magnâ nobilitate, cõparâsset; Sempachium oppidum non procul à Lucernâ oppugnaturus, die 9. Iulij obvios habuit 1600. ex Lucernatibus, Utiis, Suitiis, & Undervaldiis, qui in præsidium urbis, properabant omnes pedites. Ad quos delendos Dux & omnis nobilitas ex equis descẽdentes, (viso enim hoste locum illi idoneum quo ab equitatu tuti essent occupaverãt) post multos eorum primo impetu occisos, mox æstu & armorum pondere fatigati equos repetere studentes, illis haud repertis quos famuli lõgiùs abduxerãt, ab Helvetiis acriùs impetiti, miserãdâ clade omnes ferè perierunt, cæsis ad duo millia nobiliũ; & inter eos Duce ipso Leopoldo, à quodam vilissimo strumoso, cui cùm in terram cecidisset sub gravi pondere armorum, nomen suum aperuerat quò vitam redimeret. Magnâ divinæ abyssi consideratione, ut à tali propudio homuncionis periret *Militiæ decus*; ut ei cognomẽ fuisse, vel etiam *Gloria auratorum equitũ*, Cuspinianus [m] scribit. Accidisseque id ei nonnulli suspicati sunt, ex eo quòd Leopoldus partes Clementis Avenionensis contra Pontificem Urbanum foveret. Ejus porrò interfectorem posteà victores horrendo supplicio dilaceratum peremerunt. Cladis autem næniam lugubri cantu cecinit Felix [n] Faber in suâ Historiâ Suevic.; sed longè à vero illã anno 1372. & 9. Iunij assignãs, quã ceteri [o] plerique præsenti anno & Iulio mensi: præter Cuspinianũ, qui post biennium. Quâ quidem res Helvetiorum vehementer crevere; multique nobiles ab iis è medio suî expulsi sunt: haud tamen omittentibus Austriis cõtinuis eos aggressionibus inquietare. Nec diù cunctatus prædicti Leopoldi filius ejusdem nominis, sed cognomine *Ambitiosus* sive *Superbus*, patrem

[m] Cuspin. in Austr.

[n] Fab. lib. 1. cap. 15. [o] Vid. Crus. Annal. Suevic. lib. 5. par. 3. c. 35.

ulturus ingentes copias coëgit: qui nihilominùs & ipse victus est ab Helvetiis, quàvis non occisus. De patris autē nece aliam omninò famam per orbem sparsam esse, cogunt nos credere auctores illius temporis Boninsegnius [p] Italus, & Walsinghamus [q] Anglus; dum habent eum à populis suis captum & occisum fuisse, eò quòd indebitis vectigalibus eos gravaret. Quod tamen inde processisse putamus, quia fuerant Helvetij olim Austriorum subditi, & ob duriora gravamina jugum ipsorū excussissent. Nam & prædictus Faber suas inde lamētationes exauget, quòd occisus sit à subditis. Krantzius [r] autem contra ceterorum assertiones, scribit apparuisse primū tria Helvetiorum millia contra exercitum Leopoldi, cœptâque pugnâ pedem referentes eum traxisse in insidias triginta millium suorū, à quibus Austrij cæsi sint. Additque, cruenti hujus prælij memoriam insignibus suis Austriæ Duces præferri credi, cùm candidum clypei campum sanguineo colore in transversum fusa planities fuscet; vindictam meditatos tantæ cladis, quam necdum peregerunt.

[p] Boninsegn. lib. 4. & ap. Ant. tit. 22. c. 2. §. 15.
[q] Vvalsingh. in Rich. II.
[r] Krantz. 9. Vvandal. 19.

IX.

Residēs interim Genuæ Papa Urbanus, cùm ab amicis Cardinalium captivorum tam veneno quàm nocturnis armis non semel tentatus fuisset; (ut quidem Gobelinus [s], & ex eo Krantz. [t] scribit;) demùm ab iis se expedire deliberās, rejectis omniū qui pro eis interpellarēt precibus, insigni aut sævitiæ aut justitiæ exemplo, quinque eorum (sexto enim Adamo Anglo parsum esse jam diximus) vel saccis insutos in mari demersit, vel in carcere strāgulatos stabulo equorum repletâ fossâ calce infodit, vel ut mitius quid cum iis actum fuerit, securi eos mactari jussit: quos tres miserandi eorum finis modos, ex variâ sparsâ famâ Niemus [u] tunc à curiâ absens recitat: cùm Gobelinus de jugulatione & infossione stabulariâ sit testis; Blondus [x], & plerique post eum, immersionis; nonnulli simplicis cædis, haud indicato genere. Cum iis verò, quatuor alios insignes Prælatos necatos esse, ac pariter stabulo infossos, Boninsegnius [y] Florētinus tunc vivēs memorat. Duo verò ex ceteris Cardinalibus, sive, ut quidam habent, suspecti de intentato Pontifici veneno, sive, ut alij, rigidū & austerum ejus ingenium pertæsi, dimisso illo Genuæ, ad Clementem accesserunt Avenionem; videlicèt Pileus ex Comitibus Pratæ Concordiensis Presbyter tituli S. Praxedis, Ravennas ab Archiepiscopatu dictus, ac legatione Germanicâ & Anglicâ pro Urbano olim eximiè functus; & Galeotus Tarlatus de Petrâ-malâ Aretinus Diaconus S. Georgij in Velabro, qui pariter Urbano semper comes fidus extiterat: qui novos titulos à Clemente acceperunt, Pileus S. Priscæ, Galeotus S. Agathæ. Pileus autem priusquàm Italiâ cederet, Pileum Cardinalitium quem ab Urbano acceperat, Papiæ in foro publico, spectante Ioanne Galeatio Comite Virtutum & Mediolanensium domino concremavit. Sed mortuo Urbano, rursùm derelicto Clemente, (cujus interim causam vehementer in Italiâ contra Urbanū armis & tractatibus promovere sategit) ad Bonifac. Urbani successorem remeans, & ab eo Cardinalis Episcopus Tusculanus renunciatus; dictus [z] deinceps est per derisum *Cardinalis trium Pileorum*, sive, *Capellorum*, Galeotus autem usque ad obitum in partibus Pontificum Avenionensium perstitit, quem literis politioribus egregiè instructum fuisse, apparet ex binis literis Nicolai de Clemāgiis ac de levi cujusdam dicto, quòd extra Italiam ad eum scriptis de studio eloquētiæ & poësis, non essent oratores & poëtæ: necnon ex aliis de ejusdem morte ex morbo calculi, ad Guntherum Regis Secretarium exaratis.

[s] Cosmodro. æt. 6. c. 81.
[t] Kranz. 10. Metrop. 20.
URBANUS PP. CARDINALES ET PRÆLATOS NECAT.
[u] Niem. c. 6c.
[x] Blond. 2. dec. 10. Plat. in Vrb. VI. Naucl. gen. 47. &c.
[y] Boninsegn. d. l. 4.
[z] Vit. Clem. VII. Niem. cap. 61.
CARDINALIS TRIUM CAPELLORUM.

X.

Refert item Gobelinus, ad principium Martij præsētis anni venisse ad Urbanum ex Galliâ Genuam, barbarum quemdam eremiticam profitentem, visione divinâ ut ferebat monitum, qui Urbanum verbis Dei interpellaret Pontificatum cedere Clementi, alioqui sensurum eum divinam ultionem: Gemmam insignem annulo gestantem, cùm argueretur hoc non esse eremiticum, respondisse jussum se fuisse à Clemēte illam perferre. Demùm quæstioni subjectum, ac diabolica esse figmenta fassum, cùm illum Urbanus igni adjudicaret, rogatu prælatorum Gallorum qui aderant permissum esse abire, quòd notus in regno & pro magno haberetur. Quâ de re cùm nulla alibi mentio reperiatur, (præterquàm apud Krantzium [a], qui ex illo accepisse noscitur) sicuti nec de multis aliis quæ idem auctor recitat; apertè intelligitur, factum esse ut quemadmodum Niemus totus ferè est in carpendis inurbanis Vrbani facinoribus, ita & hic voluerit Vrbanum ab omni prorsùs labe purum describere, & multa protrudere quæ ad ejus laudem pietatis essent, ac singularem divinæ protectionis curam demonstrarent, vel usque ad frequentium miraculorum editionem. Sed stet in omnibus suo loco veritas; nec ullis nostris, aut aliorum sinistris judiciis labefactetur. Sicuti & in eo quod idem auctor ait, Ioannem Galeatium commotum fuisse in Vrbanum, quòd negâsset ipsi Regis titulū, quem in Lombardiâ ab eo petierat. Nihil enim quicquā de eo alibi. Et qui de donis à Ioanne collatis Vrbano meminit Niemus [b], putavit fuisse ad obtinendam absolutionem ab injectione manuum & veneni præbitione in patruum suum & socerum Bernabovem.

FATUI CUJUSDAM EREMITÆ AD VRBANUM LEGATIO.
[a] Krantz. ibid. c. 19.
GOBELINI ET NIEMI DIVERSI FINES IN REBUS SCHISMATIS DESCRIBENDIS.
Vid. supr. an. 1385. II.
[b] Niem. cap. 57.

XI.

Ceterùm Vrbanus postquàm ampliùs anno Genuæ fuisset, cùm parùm [c] inter ipsum & Antoniottum Adornium civitatis Ducem conveniret, sive [d] quòd non debita reverentia ei exhiberetur à Genuensibus; inde solvens maritimo itinere Lucam petiit ad finem præsentis anni; ubi novem menses desedit: prout Niemus & alij habent. Ibique [e] nocte Natalis Domini divinis peractis, illius civitatis Magistratum ense & pileo gemmis auróque exornato, ac de more benedictione consecrato, donavit. Tradit quoque Gobelinus, fuisse eo tempore Genuæ (ubi & ipse erat, ordinatúsque est sacerdos) hominem, qui licèt absque manibus & pedibus natus, & ferè usque ad cubitos mutilus esset, lagunculas tamen & doliola perfectè conficeret. Quem cùm Vrbanus jussisset artem coram se exercere, & commiseratus obtulisset præbendam in domo hospitali, respondisse, quòd uxorem haberet & liberos, malle se de laboribus brachiorum suorum quàm de eleemosynis vivere. Non ita alius, quē longè post

[c] Foliet. Hist. Gen. lib. 9.
[d] Gobel. d. cap. 81.
VRBANUS LUCAM CŌCEDIT.
[e] Masson in Vrb. VI. in fi.
HOMO MUTILIS BRACHIIS PERFECTEM LABORANS.

se

[f] Par. lib. 23. c. 6.

se Lutetiæ vidisse Ambrosius Paræus [f] scribit: qui brachiis penitus orbatus, humeri trunco & capite collóque vibrato securim in palum oppositum tam certo & valido ictu quàm manu quivis alius ejaculabatur: aurigæ flagellum tantâ vi distringebat, ut ære validius percusso resonaret: ceterùm pedibus edens, bibens, chartis lusoriis & talis colludens, qui tandem latro & sicarius deprehensus, ex furcâ strangulatus est ac rotæ affixus; cui naturâ brachia manúsque tradere noluerat, ne furta & cædes patraret.

XII. CONGREGATIONIS FESULANÆ INSTITUTIO.

Hoc eodem anno ortum habuisse dicitur *Congregatio Fesulana* Fratrum Mendicantium S. Hieronymi, à *B. Carolo* filio Antonij Comitis Montisgranelli, sacerdote diœcesis Sarcenatensis vitam eremiticam unà cum nonnullis ejus sociis ducente in montibus antiquæ civitatis Fesulanæ in Etruriâ, quæ posteà confirmata est ab Innocentio [g] VII. (sub quo eam collocat Onuphrius, & alij post eum, anno millesimo quadringentesimo quinto, vel sexto.) Gregorio XII. Eugenio IV. aliísque Romanis Pontificibus regulâ sub S. Augustini, ac veste leucophæâ.

[g] Vid. const. 3. Greg. XII. Bullar. to. 1.

XIII.

[h] Hist. MS. Car. VI.

[i] Ibid. & ap. Iuvenal.

DIVINA MIRACULA CIRCA EUCHARISTIAM.

Ætate hujus anni [h] visi sunt prope Laudunum in Frãciâ corvi ignitos carbones rostris deferre super domos rusticas, quarum nonnullæ combustæ sunt. Sed sanctius ac planè divinum miraculum[i], quod in quodam pago ad fluvium Matronæ contigit mense Septembri; cùm cadens cælitùs ignitum fulmen in ecclesiam, & in sacrario vasa sacra comburens, ipsum etiam vasculum in quo Corpus Christi repositum erat consumpsit, sacratissimâ Hostiâ illæsâ penitùs remanente. Necnon quod narrat Aventinus [k] eo tempore contigisse quo Iagello Christianismum suscepit; (qui fuit præsens annus) ut cùm tres milites Bavari templum ad ripam Danubij intrantes, sacrario vi effracto, sacra, hostiámque (thecam auream rati) sacrilegis manibus suffurati, terrâ condidissent, atque holosericam crumenulam, quâ victimâ servari solita, septem assibus scorto diobolari vendidissent; sacrilegij pœnas mox eodem die pependerint; uno furiis acto miserè in castris quiritando extincto, altero dum aquatum equitaret aquis obruto, tertio ferro cæso.

[k] Aven. Annal. Boior. lib. 7.

XIV. DUELLUM CARROUGETI ET GRISEI.

Eodémque præsenti anno factum est duellum memorandum Parisiis auctoritate publicâ. Erant duo nobiles Normanni aulæ Comitis Alenconij Principis regij sanguinis, quorum alteri nomen Ioanni Garrougeto, alteri Iacobo Griseo, arctissimâ amicitiâ juncti. Absente è domo suâ Ioanne, ejus uxor femina egregiâ formâ constuprata ab aliquo sub specie Grisei, redeunte viro crimen impegit Griseo, innocenti tamen. Eo itaque pernegante, & accusatione ad Regem, & ab eo ad Senatũ Parisiensem delatâ, cùm ceteræ omnes probationes deficerent, perstante nihilominùs feminâ in accusatione Grisei, decreta est rei decisio per duellum inter Ioannem læsum & Griseum reum. Factâ pugnâ die S. Thomæ mense Decembri, in conspectu Regis ac Principum atque infinitæ multitudinis quæ ad ejus famam accesserat; contigit post longum ac dubium certamen, Griseum succumbere ac vinci. Prostratus, monitúsque à Ioanne, constantissimè & cum execratione pernegavit. Quare occisus ab eo est, & ex lege duelli patibulo per carnificem affixus. Sicq; repentina credulitas (inquit rem narrans Monachus S. Dion. in Historiâ manuscriptâ Caroli VI.) injustissimũ duellum excitavit, quod postmodũ cunctis innotuit, cùm scelestus adulter alterius cujusdam criminis noxius morte damnatus, etiam prędictũ adulterium manifestavit. Mulier culpam animo revolvens, post viri obitum reclusa effecta voto se perpetuæ continentiæ obligavit. Ita ille. Cui etiam suffragatur in Grisei innocentiâ Iuvenalis Vrsinus: cùm tamen rem diffusiùs narrans Froissardus [l], eum verè scelus commisisse existimaverit.

[l] Fro. vol. 3. cap. 45.

IESV CHRISTI Annus 1387.
VRBANI VI. An. 10.
VVENCESLAI Annus 9.
EMMANUELIS II. An. 4.

I. CAROLI REG. NAVAR. TETRA MORS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo-septimo, Indictione decimâ, ipsius Calendis Ianuarij, *Carolus* Rex Navarræ vire & cognomine *Malus*, de cujus animi ac vitę perversitate, sceleribúsq; perpetratis sæpiùs actum superiùs, mortem obiit Pompelone. De modo cùm varient auctores, horrendum tamen plerique agnoscunt: sivè intemperantia libidinis viribus exhaustis, ut reficeretur, æneâ pila excalfactoriis aquis & medicamentis refertâ, ut consueverat, strato linteísque illatâ, è scintillâ inde saliente tam lintei inflammati fuerint, quàm ipse ita affectus ut 15. pòst die miserrimè obierit: (Quæ est relatio Froissardi [a]; quam se ab ipsis Pompelonensibus accepisse, dum apud Comitem Fuxi prædicti Regis sororium ageret, asserit.) Sive ut habent Annales [b] Francici, ad calefaciendos gelidos artus nocte insitus linteis aquâ ardente, quam vitæ vocant, perfusis; admovente improvidè eo qui insuerat candelam accensam ad filum ex ac exurendum flammâ protinùs linteos corripiente, ita ambustus sit ut intra triduum magnis tormentis & ululatibus expirarit: Seu deniq; ut Hispani [c], lepræ contagione laborans, cum sulphureis balneis & fomẽtis medicorum jussu curaretur, lecti cortinis fortè incensis, linteísq; quibus corpus erat involutum avidè concipientibus flammam, semiustulatus horrẽdo vitæ exitu biduo pòst decesserit. Quæ vulgò homines justam divinã vindictam interpretati sunt, ut qui tantas flãmas in Galliâ patriâ suâ concitaverat, flammis ipse periret: præter alia plurima impiè ac crudeliter gesta, necnon inexplebilem avaritiam, & immensam libidinem. Inter tot vitia tamen id boni habuit, quòd honorem detulit Ordini Ecclesiastico. Extaráque dicuntur [d] Pompelone aliísque locis, pia mutati animi monumenta, cùm veluti numine irato piacula quærenda existimaret. Quinimmò & quietè ex morbo naturali mortuum esse, sunt etiam qui tradant; auctoritate literarum Episcopi Aquensis, qui ejus fuerat præcipuus Consiliarius, ad sororem ejus scriptarum, quas se perlegisse testatur supradictus auctor manuscriptus Rerum sub

[a] Fross. Vol. 3. cap. 100.
[b] Iuuen. in Car. VI. Æmil. lib. 9. Gill. in Car. VI. Bellef. lib. 5. c. 57. Sammart. lib. 14. c. 3. & alij.
[c] Garivai. lib. 77. cap. 6. Marian. lib. 18. cap. 11.

[d] Marian. cap. 6.

Carolo VI. gestarum: quibus tradebatur, Regem per frequentem peccatorum sacramentalem confessionem, & sumptionem Eucharistiæ cum magnâ cordis contritione, & fidei Catholicæ professione, tandem sine labore & dolore ex hac vitâ transisse. Vixit 55. annos, ac ferè tres menses: regnavit ab obitu matris, cujus erat proprietarium regnum, annos 37. ac ferè tres menses; à patris obitu annos quadraginta tres; menses ampliùs tres. Successit ei filius ejusdem nominis *Carolus* eorum Regum tertius illius nuncupationis, ætate viginti quinque annorũ: sed morum integritate, facilitate ingenij, liberalitate, aliísque naturæ fortunæque bonis ita instructus, ut nemo eâ ætate instructior; eóque patri dissimillimus. Unde & nomen ei factum *Nobilis*: & à suis sapientiâ & prudentiâ Salomoni æquiparatus. Qui quidem confestim ac regni habenas suscepit, in procerum conventu Clementem verum Pontificem declaravit: quod pater Regis Aragonij exemplo eatenùs suspenderat.

CAROLI III. REGIS NAVAR. SUCCESSIO.

II. Quarto post Navarri obitum die [e], nempè Nonis Ianuarij, decessit quoque Barcinone *Petrus* Rex Aragoniæ, annos natus septuaginta quinque, regni quinquagesimo primo, expleto minùs aliquot diebus: ardenti vir ingenio, ambitione maximâ, ut ex iis quæ de illo superiùs retulimus, compertum habetur: literarum autem literatorúmque cultor; & Astrologiæ impensè deditus, atque vanissimo metalla per chalchymiam transmutandi studio. Creditus autem fuit ultricibus furiis agitatus obiisse: quoniam cùm superiore anno in jura Ecclesiæ Tarraconensis invasisset, sacerdotésque divexâsset, atque ecclesiasticâ ditione evertisset; iísque nullo alio juris præsidio vim regiam coërcere valentes, implorato S. Theclæ tutelaris numine, Regem ante divinum tribunal ad diem sexagesimum citâssent: is præstitutâ die, manu percutiẽtis Sãctæ ore stimulato, mortuus sit, ereptis tamen priùs restitui jussis. Successit ei *Ioannes* ejus primigenius, de quo anno superiore: qui eo uno facinore patrem imitari visus est, quòd patre in extremis existente, necdum tamen mortuo, & ipse præterea Ioannes gravissimè ægrotans, suî ulsciscendi causâ supplicium de novercâ, cujus intimum & inveteratum odium senserat, sumere festinavit. Quæ cùm Rege animam agente mediâ docte metu privigni aufugisset, retracta à Martino Ioannis fratre, reâque facta de veneficio in eumdem Ioannem, tormentorum cruciatibus subjecta est: crudelésque inde quæstiones in propinquos clientésque Reginæ habitæ, & graves sententiæ latæ. Regina tamen conservata, levi assignato vectigali unde vitam sustentaret. Paulóque pòst ex mandato patris, quem aliàs vidimus sollicitum fuisse de inquirendis potioribus juribus competitorum Pontificatûs, agitatâ in Episcoporum & procerum conventu Schismatis causâ, Rex Petri Lunæ Cardinalis Aragonij partis Clementinæ diligentiâ & auctoritate, edixit potiora esse ejusdem Clementis jura, ut jam universa Hispaniâ, Lusitaniâ exceptâ, ejus factioni inhæreret. Fuit Ioannes miti ingenio, ab armis abhorrens; deliciarum autem, cantuum, & saltationum adeò studiosus, ut tradant eum haud secùs ac de suis rebus maximis legationem solemnem ad Regem Francorum misisse, vt vernaculæ linguæ celebres poëtæ in Hispaniam ex Narbonensis provinciæ scholis traducerentur, & studia poëtices, quam *gaiam scientiam* (hoc est lætam & hilarem) vocabant, instituerentur. Denique totum desidiæ atque inertiæ deditum, non modò patris, sed ceterorum Regum omnium longè dissimilem, comessationibus & voluptatibus affluentem, uxorio arbitrio se & gubernacula regni & rempublicam tradidisse.

[e] Marian. d. c. 11 Surit. Ind. lib. 3.

PETRI REGIS ARAGONIÆ MORS INFELIX.

IOANNIS SUCCESSIO.

IOANNES CLEMENTIS PONTIFICATUM AGNOSCIT.

EJUS DESES VITA.

III. B. PETRI DE LUCEMBURGO CARDIN. CLEMENTINI OBITUS.

III. Longè meliori exitu obiit Avenione hoc eodem anno die 5. Iulij *Petrus de Lucemburgo*, filius Guidonis, frater Valeriani Comitum S. Pauli; regio & Imperatorio stemmate clarus, sed doctrinâ, virtute, & pietate insignior, adolescens annorum duodeviginti. Qui penè puer ætate sed vir sensu, canonicus Parisiensis indéque Carnotensis Archidiaconus factus; anno 15. ob morum præstantiam & vitæ sanctitudinem, primò Metensis Episcopus designatus, paulóque pòst Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro à Clemente creatus; brevi ex vitę austeritate in morbum incidens, totis sex mensibus eo detentus gaudens migravit in cœlum. Ad cujus sepulchrum (quod in communi cœmeterio pauperum habere voluit) infinita mox fieri cœpêre miracula, atque inter alia quadraginta duorum suscitatio mortuorum: quibus valdè exaltata est pars Clementis, cùm viderent homines tanta divinitùs testimonia sanctitatis viri, qui eum ut verum Pontificem coluerat. Quare & fuit ab eodem Clemente erectum ad ejus monumentum cœnobium Cælestinorum. Petitáque jam tunc ab eo per Regem Francorum; posteáque à Concilio Basileensi per Ducem Burgundiæ, ejus canonizatio. Sed fortè non obtenta, eò quòd Cardinalatum à Clemente dubio Pontifice accepisset, & in ejus obedientiâ decessisset. Cujus tamen sacras Reliquias demùm Clemens verè Septimus [f] anno 1527. honorificè elevari, ipsúmque pro Beato coli concessit: (non tamen eum Cardinalem, ne Clementis in eo creando legitimam auctoritatem probare videretur, appellans, sed Reverendum in Christo patrem,) eumdémque civitas Avenionensis patronum agnoscit, celebrans quotannis in ejus honorem diem 5. Iulij: quantumvis ejus obitum secundâ perperàm nonnulli ponant. Testatur Frossardus [g], se famâ ejus miraculorum illectum, ad ejus monumentum peregrinatum esse, eáque in dies multiplicata esse. De quo plura videre est apud auctorem Vitæ Clementis, Molanum in Natali Sanctorum Belgij, aliósque, quos citant, & ex iis multa colligunt qui Auctaria ad Ciacconium apposuêre.

CLARET MIRACULIS.

[f] Vid. in fr. an. 1438. XI.

[g] Froff vol. 3. cap. 110.

IV. CLEMENS PROPONIT CELEBRATIONEM CONCIL. PRO EXTINCTIONE SCHISMATIS.

Perspiciens autem Clemens res suas tam per accessionem regnorum Aragoniæ & Navarrę, quàm ex prosperis quibusdã in Italiâ fautorũ ejus successibus, necnõ ex inhumanis Urbani moribus, valdè augeri: ut magis ceterorũ animos ostensione desiderij extinctionis Schismatis sibi cõciliaret, misit legatos per provincias; quibus peteret Concilium convocari ad rem dijudicandam; paratum se asserens cedere, si ita videretur Ecclesiæ, absque cujus ju-

dicio non posset salvâ conscientiâ vocationi renunciare: offerénsque, si ipse à Concilio confirmaretur, Urbanum se primæ notæ Cardinalem facturum. Quâ re multorum corda sibi devinxisse, Mutius [h] narrat. Meminítque pariter Antonius [i] missorum à Clemente Florentiam oratorum, qui postularent Florentinos operam dare celebrationi Cōcilij; eâ conditione, ut si Vrbanus causâ caderet, esset Cardinalis Clementis; si verò Clemens, foret in patestateUrbani de se ad libitum disponendi. Sicuti & Niemus, [k], venisse Lucam ad Urbanum nuncios à quibusdam magnis Principibus & Prælatis Germaniæ, qui eum inducerēt ad unionem Ecclesiæ procurandam unà cum Clemente, offerentes locum, sumptus, & alia ad rem conficiendam necessaria: sed proficere nihil potuisse, quòd diceret Vrbanus, non expedire in dubiū revocari quin ipse verus esset Papa. Quem Lucâ Perusiū accessisse circa festum S. Michaëlis tradit. Antequàm verò Lucâ abiret, ait Antonius [l] eum Crucem promulgâsse contra Othonem Brunsvicensem & Thomam Sanseverinatem qui Neapolim occupaverant; parùm tamen vel nihil profecisse, quia nullus assumpsit arma contra prędictos. In recessu verò suo frenum equi fractum esse, & mitram de capite cecidisse: ídque in malū omen quosdam interpretatos esse. Habent verò tam iidem auctores quàm alij, plura de ejus cum Florentinis aliísque civitatibus dissidiis, déq; recentibus suspicionibus & indignationibus in quosdā è suis Cardinalibus, & alios.

[h] Mut. Chro. Germ. lib. 26.
[i] Ant. tit. 22. cap. 2. §. 14.
[k] Niem. cap. 66.
[l] Ant. ibid. § 13.

V. De rebus Gallicis cum Angl.

Hoc item anno jacta sunt semina novarum in Galliâ calamitatum; quibus paulatim aliis atque aliis accedentibus subinde casibus, ad extremum penè demùm desolationis deducta est, nisi numen divinum assuetá misericordiæ manu sustinuisset illam ab ultimo casu. Dissipato, ut vidimus; Ducis Bituricensis culpâ, ingenti illo apparatu bellico, quem Rex Carolus ad invadendam Angliam cōfecerat: nihilominùs ad aliquam satisfactionem multæ nobilitatis Francicæ, quæ impatientissimè dimissionem copiarum tulerat, decretum est, ut Clissonius Connestabilis & Viennensis Admiralius collectis novis viribus in Angliam transmitterent, opportuno utique tempore, cùm magnis quateretur ea insula motibus ob dissidia inter Regem & patruos aliósque plerosque proceres orta, occasione quorumdam hominū longè minoris generis, meriti, atque æstimationis, (erant ij potissimùm Alexander Nevilius Archiepiscopus Eboracēsis, Robertus de Veer, quem Rex ad dignitatem Ducis Hiberniæ evexerat; Michaël Atte Pole Cancellarius factus; & Robertus Trivilianus summæ Iustitiæ pręfectus) quos Rex dignitatibus potius oneratos quàm ornatos adeò in oculis & deliciis habebat, ut ceteris quibuscumque rejectis, eorum tantummodò nutu cuncta administraret, seu magis pessumdaret, cùm immensarum pecuniarum, quas continuò à subditis extorquebat, profusione in eos supra modum ditandos, aut alios vanos usus: & qui de his, aut aliis regni necessitatibus admonere illum, tā Ecclesiastici quàm sæculares auderēt, eos variis modis vexaret & affligeret. Quibus cùm in odium penè omnium incurrisset, hoc anno patrui ejus (absente tamen adhuc in expeditione Hispanicâ omnium natu maximo Duce Lancastriæ) arma sumpsêre ad exturbandos prædictos ejus ministros: irritati vel maximè eo recenti scelere ejusdem Hiberniæ Ducis, quòd ductam olim singulari Regis favore in uxorem Eduardi III. (hujus Richardi Regis avi) ex filiâ neptem impudenter repudiâsset, ut alteram duceret exteram, nec genere nec formâ ullâ parte cum eâ comparandā, quæ in obsequio Annæ Reginæ sororis Wenceslai Imp. quam Rex ante aliquot annos cōjugem acceperat, in Angliam venerat; hanc indignitatem cum ceteris dissimulante Rege, quinimmò & Ducem majori affectu fovente. Ceterùm cùm collegissent patrui procerésque firmiores copias quā ut posset Rex illas dissipare, & quas Hiberniæ Dux contra illos duxerat dissipatæ fuissent; (ipso fugâ cum quibusdam aliis elapso) promissione à Rege patruis factâ, se iis omnibus quæ proximis regni comitiis tam proceribus quàm populo visa forent statutum, periculum evitavit. Iis verò comitiis anno sequenti celebratis, minis creationis alterius Regis, invitissimè coactus est arbitrio eorum plurimos exponere; qui vel morte affecti; vel carceribus inclusi, vel pulsi fuêre. Quæ pluribus narrant Vualsinghamus [m] & Polydorus; sed fusissimè Frossardus [n].

Turbæ Anglicæ ex mala regni administratione.

Patrui Regis in ipsum insurgunt.

[m] Vuals. in Rich. II. Polyd. lib. 20.
[n] Froß. vol. 3.

VI. Clissonius Connestabilis proditoriè capitur a Duce Briton.

His igitur sic stantibus, cùm Clissonius Frāciæ Connestabilis naves paraturus in Britanniam Armoricam patriam suam abiisset; essétque in eum tacita Ducis Britanniæ malevolentia, ob redemptos per eum à carcere Anglico filios Caroli Blesēsis acie olim cæsi in cōtentione illius Ducatûs, traditámque majori filiam suam in uxorem, hácque ratione quasi æmulos Ducatûs sibi objectos; atque insuper, ut multis creditum, ad expeditionem ejus deturbandam in gratiam Anglorum, quibus fuerat Dux olim fœderatus, erátque adhuc secretò favens: post solemne convivium ei à Duce exhibitum in urbe Vaneticâ magnâ hilaritate celebratum, specie invisendi magnificentissimas ædes quas ibi Dux inchoaverat, in quamdam turrim ab eo deductus, à paratis ibi armatis comprehensus vinctúsque est. Iussus custos turris eum noctu in aquas præcipitare, prudenter tantæ rei exitum considerans, eam distulit donec deferbuisset ira Ducis. Qui interim perpendens quanta mala sibi inde à Rege imminerent, accito custode cùm audisset mandatum executioni datum, ægerrimè id ferens, & custodi insultavit de facili ejus obsequio, & in mœsta lamenta erupit, donec à custode certior redditus de cunctatione suâ, etiam aures præbuit suadentibus proceribus Clissonium dimittere; recepto tamen priùs ab eo magno auri pondere, & aliquot ipsius castris. Questo de his Clissonio apud Regem; cùm Rex propterea impeditam etiam hâc vice hujusmodi arte Anglicanam expeditionem molestè ferens, injuriam vindicare deliberaret; factum est nihilominùs operâ patruorum; minùs in Clissonium propensorum, ut accedens anno sequenti Dux ad regem, in gratiam receptus sit, restitutis Clissonio pecuniis & castris. Haud tamen gliscens in gravi causâ tumultus, quamvis videretur oppressus, ita sedari potuit, quin odiorū semina altas radices in partiū animis egerint, quæ rursùm in

teracissimas malorum segetes creverunt; vix ullis remediorum falcibus resecandas. Narrat autem hæc Iuvenalis [o], & prolixissimè more suo Froissardus [p], uterque tunc vivens; ac post eos Æmilius [q], Belleforestius [r]; & alij.

[o] *Iuven. in Car. VI.* [p] *Froiss. c. 63. & seqq.* [q] *Æmil. lib. 10. in pr.* [r] *Bellefor. lib. 5. c. 58.*

VII. IOANNIS DE MONTESONO DOMINICANI PROPOSITIONES CONTRA CONCEPTIONEM IMMAC. B. VIRG. [s] *An. 1378. XV.*

Hoc idē anno alia gravis orta est dissensio inter Universitatem Parisiensem & Ordinem Prædicatorum, occasione quarundam propositionum *Ioannis de Montesono* ejusdem Ordinis Doctoris, cujus aliâ occasione facta est superiùs mentio; qui ceterā multis laudum titulis exornādus, in eo maximè odiosū sese præbuit, quòd habito cōsilio cum ceteris sui Ordinis Magistris, quâdā suâ lectione magistrali multas positiones Theologicas de Beatiss. Virginis Cōceptione in peccato originali, protulit contra communē Vniversitatis opinionem; quinimmò & adeò contra honestatem Christianam, ut etiam prolata de quibuscumq; mulieribus abominabilia censenda forent. Quas cùm jussus à Magistris Vniversitatis retractare renuisset; causâ ad Episcopum Parisiēsem delatâ, (erat is Petrus de Ordeomonte) Ioannes clàm recedēs Avenionem se transtulit, spe reperiēdi ibi multos ex suis qui ejus propositiones propugnarent. Interim verò Episcopus iis diligenter examinatis, solemni factâ supplicatione easdem publicè damnavit. Provocās autem ab ejus sententiâ Ioannes ad Sedem Apostolicam universum Ordinem habuit defensorem. Sed missis ab Universitate Avenionē Petro de Aliaco, Ægidio de Cāpis, & Ioanne de Novavillâ Ordinis S. Bernardi, in sacrâ paginâ Magistris, & Petro de Allainvillâ Ordinis S. Benedicti Doctore in Iure Canonico; confirmata est censura Parisiensis; & Ioānes jussus a Clemēte Parisios redire, & Universitatis correctioni se submittere. Quod cum promisisset, nihilominùs noctè sequēti in Aragoniam unde oriundus erat aufugit, maximam in universum suum Ordinem invidiam relinquens. Extant inter opera manuscripta Petri de Alliaco in Regio Collegio Navarræ, quæ ab eo tunc proposita & disputata fuēre ex parte Vniversitatis: quibus cōstat non tantùm de Conceptione Virginis prædictum Ioannē egisse, verùm etiam de incarnatione verbi, (quam aiebant [t] non potuisse fieri, si virgo maculam originalē non contraxisset) & ex utràq; quæstione accusatum & damnatum esse. Haud tamen propterea cessantibus ceteris Dominicanis eadem asserere; tum à corpore Vniversitatis abscissus est eorum Ordo, interdictaq; ei omnis prædicandi & confessiones audiendi facultas; tum implorato in eum regio auxilio aspera in personas excitata est ubique persecutio, multi in custodiam traditi; quicumque in publicum prodirent, contumeliis & subsannationibus à vulgo excepti; eleemosynæ iis denegatæ. Nec potuit commotio sedari, donec illi Regis auctoritate inducti fuēre propositiones suas publicè revocare, & festum Conceptionis Beatiss. Virginis celebrare. Hæc potissimùm curante *Ferrico Cassenello* Episcopo Antisiodorensi, viro doctissimo & eloquentissimo. Interque eos qui palinodiam canere cōpulsi sunt, fuit Guillelmus de Valone ex eodem Ordine Episcopus Ebroicensis Regis confessarius; qui & propterea tanquam infamis pulsus est: statuitque Rex nunquam deinceps ex eo Ordine confessarium eligere. Rem enim ita præsenti ac sequenti anno se habuisse, dilucidè narrat Monachus cœnobij S. Dionysij auctor Historiæ manuscriptæ Rerum sub Carolo VI. gestarum. Meminitque Gaguinus [u] in suâ Historiâ Franciæ, aliique. Nec verò nisi longo pòst tempore potuit Ordo Vniversitatis corpori restitui: cujus scissuram adhuc post annū 25. luxit Ioannes Gersonius [x] insignis ejus Cancellarius. Persecutionem verò prædictam deflevit intimiùs auctor Vitæ Clementis, tunc vivens, & ejusdem Ordinis ut apparet professor. Cui tamen, quòd videretur rem in gratiam sui Ordinis dissimulare, addidit alius qui præsens Parisiis erat, rei gestæ appendicem in Universitatis defensionem.

DAMNATUR, ET FUGIT IN PATRIAM ARAGON.

[t] *Meyer. lib. 14. an. 1388.*

DOMINICANORUM ORDO MULTA INDE PATITUR.

[u] *Gaguin. lib. 9.* [x] *Gerson. par. 1. ep. ad Stud. Colleg. Nav.*

VIII. IIDEM DOMINICANI DICTI INDE HUETI.

Addítque Iuvenalis in suâ Historiâ, pleniúsque prædictus auctor manuscriptus, fuisse eodem tempore quemdam alium ejusdem Ordinis professorem Rotomagi, qui publicâ concione sententiam Montesoni sustinens, eam evidenter se probaturum spopondit; & nisi præstaret, velle se vocari *Huetum*; (quod nomen idem auctor ait vulgò dari consuevisse dæmoni cùm passiones aëreæ ultra modum sæviebant:) ac conditione cum risu acceptâ à populo, cùm non potuisset satisfacere; tam ibi qua ubivis res audita est, Dominicanos nuncupari cœpisse *Huetos*: compositósque in ejus opprobrium versus ad id nominis allusorios, quos recitat. Putatúrque à nonnullis, hâc occasione institutum fuisse ibidem Rotomagi annuum præmium versuum seu poëmatum, quæ fieri consueverunt in honorem Conceptionis Beatissimæ Virginis.

IX. NOVÆ VVICKLEFFISTARUM IN ANGLIA COMMOTIONES.

In Angliâ (ut recitat Walsinghamus) cùm quidam alius Doctor Ordinis Carmelitarum nomine *Vualterus Disse*, qui dudùm existens confessarius Ducis Lācastriæ, ab eo in Hispaniam proficiscente in patriâ relictus fuerat ad distrahenda quædam privilegia Duci indulta ab Urbano Pont. quibus pecunias colligeret ad sumptus bellicos; inter alia grandi pretio Papæ capellanos crearet secundum formam Romanæ Curiæ: cōcessâ eâdem facultate cuidam fratri Ordinis Aug. dicto *Petro Pareshull*, hic inde putans se omni libertate donatum, dimisso habitu cæpit adhærere Wickleffistis, iisdem Lollardis dictis, & eorum hortatu publicâ habitâ Londini prædicatione multa nefanda vitia suo Ordini adscribere. Accurrentibus Augustinianis, indéque gravi commotione & persecutione adversus eos à Lollardis excitatâ; interruptâ nihilominùs prædicti Petri prædicatione, idem ipse scriptum valvis majoris Ecclesiæ S. Pauli affixit, quo eosdem Augustinianos homicidij, sodomiæ, proditionis, plurimorúmq; aliorum scelerum infamabat. Quæ avidè arripientes quidā ex præcipuâ nobilitate, qui eâdem fuligine tincti erāt, (quos & *Capuciatos* vocabant, quòd in conspectu sacro-sanctæ Eucharistiæ capita non detegerent, sed capuciati permanerent) sacras Imagines è suis sacellis deturbare cœperunt. Quorum tamen unus sacerdos, cùm ad mortem usq; perditissimè Lollardis adhæsisset, in vitæ exitu ex animo pœnitens petito sæpiùs presbytero ad exomologesim peccatorū, cùm obstātibus hæreticis habere non posset, factâ palàm fidei Catholicæ confessione cum hære-

EORUM PRESBYTERI ALIOS ORDINABANT.

sis detestatione, spiritum exhalavit. Addit autem postea idem auctor, crescente in dies secta, eò audaciæ progressos esse, ut eorum presbyteri more Pontificum alios crearent presbyteros, asserentes tantum inesse unicuique sacerdoti auctoritatis quantum ipsimet Pontifici Romano; ideóque presbyteros sic ordinatos celebrasse Missas, & Sacramenta administrasse, aliáque divina tractasse: tacentibus ad hæc Episcopis, nec ullo existente qui vel baculo vel voce lupos à gregibus abigeret: uno excepto Norvvicensi, qui diœcesim suam intactam servavit ab eorum morsibus, pœnâ ignis & capitis in sectarios publicatâ. Habet denique & aliqua miracula, quæ in confirmationem fidei Catholicæ, & aliàs in reformationem deplorati status regni facta fuere.

IESV CHRISTI Ann. 1388.
VRBANI VI. Annus 11.
VVENCESLAI Annus 10.
EMMANUELIS II. Ann. 5.

I. NOVÆ TURBÆ NEAPOLITANÆ.

ANNO Christi millesimo trecentesimo octogesimo octavo, Indictione undecimâ, Otto Brunsvicensis, quem vidimus invidiâ Monioiæ Proregis Neapolitani partis Ludovicianæ, in contrariam Ladislaianam inclinasse; spe ducendæ in conjugem Margaritæ Ladislai matris, fortunam tentare decernens, collectis quibusdam copiis militaribus Neapolim, cujus unam ex arcibus per proditionem ejus custodis in potestate habebat, aggressus est mense Ianuario: sed à Monioiâ repulsus, Tarentum se recepit principatû suum. Cúmque ex aliâ parte Monioia ob receptæ ejusdem arcis custodiam cuidam Gallo commissam, Neapolitanorum animos offendisset: (quæ Summontius [a] narrat:) ex his, aliísque regni divisionibus, in spem erectus Urbanus Pontif. ejus obtinendi, Perusio relicto, iter eò versùs sumpsit mense Augusti cum satis amplo equitatu. Nam quod bonus Frossardus [b] habet de ejus obsidione Perusij per Monioiam factâ, & tractatu Conradi Comitis Germani de eo tradedo pretio viginti millium florenorum, quos neque Monioia, neque ipse Clemens nec ejus Cardinales repræsentare potuerint: hoc ex iis levitatibus esse putamus, quas facilis ejus credulitas sibi imponi sivit, aut ex rumoribus vulgi accepit, cum nihil ejusmodi apud ullum alium repererimus; nec sit verisimile ad tantam rem tam modicam summam præberi non potuisse: quamquam non negemus haud parum negotij fuisse Urbani parti hoc tempore à Clementinis in Italiâ facessitum. Obsidio verò Perusina, siquis ita velit nuncupare, referenda fortè fuerit ad Bonifaciû Urbani successorem, quem in eâ civitate aliquando multum periculi incurrisse, ex Antonino [c] intelligitur.

[a] Summont. Hist. Neap. lib. 4. cap 2.

VRB. PP. EÒ PROPERAT.

[b] Froff. vol. 3. cap. 24.

[c] Ant. tit. 22. cap. 3. §. 1.

II. IMPEDITUR EJUS ITER.

Ceterùm egressus Perusio Urbanus, cùm vix decimo milliario abesset, cespitante mulo cui insidebat corruens in terram, variis corporis partibus læsus, vehiculo Tibur delatus est: Ad quod oppidum obvios habens Romanorum legatos, accessum ad Vrbem obnixè suadentes; parùm tamen iis fidens, ultrà processit usque Ferentinum Campaniæ oppidum: desertus interim à stipendiariis, (qui priùs à Florentinis conducti fuerant) eò quòd pecuniis destitueretur, quibus eos apud se retineret. Quare Romam coactus redire, eò pervenit ad principium Octobris, parùm gratè jam receptus à Romanis. Ita enim de hoc ejus itinere Niemus [d]. Habet tamen Gobelinus [e] Vrbani impensè studiosus, quemdam eremitam visione admonitum hortatum eum esse Romam petere: dubióque illo quid facturus esset, apparuisse S. Petrum in sublimi ad eam partem quæ Romam ducebat: vidisséque cum eo plurimos è suis, sed illum jussisse ne vivente se cuiquam revelarent: eâ porrò visione confirmatum Romam accessisse, & insigni honore receptum esse. Walsinghamus Anglus, in rebus exteris semper ingeniosus, ait, cùm Vrbanus latenter vellet Neapolim se transferre, obvios habuisse Romanos armatos, qui eum vi Romam ducerent, si sponte ire recusaret: sed cùm reperissent eum validioribus copiis comitatum, simulasse adventum obsequiosum ad eum quocumque vellet deducendum: rejecto verò ab Vrbano eorum obsequio, monuisse illos Abbatem Montis-Cassini; (Cardinalem, nempè illum Reatinum, de quo suprà, hostem Vrbani infensissimum) qui illico collectâ manu militari transitus occupavit: Vrbanum verò nimio patriæ desiderio obtulisse Abbati restitutionem ademptæ ipsi dignitatis Cardinalitiæ: sed respondisse illum minimè egere se hujusmodi restitutione, quippe qui eam dignitatem accepisset à vero & indubitato Papa Gregorio ante schismatis ortum; de ipso autem Vrbano dubitaretur an legitimus esset vivente ejus adversario Clemente: rediret autem Romam, quòd incommodum nimis esset iis qui obedientiam ei præstabant in partibus remotis eum quærere: sícque vellet nollet Romam rediisse.

[d] Niem. lib. 1. cap 69.
[e] Gobel. Cosmodr. at. 6. cap. 81. & ex eo Krantz. 10. metrop. 20.

ROMAM REDIT.

III. BONONIENSIUM VOLUBILITAS IN SCHISMATE.

Quod eodem tempore cùm esset illi cum Bononiensibus dissidium, quòd jugum Ecclesiæ Romanæ detrectarent; qui hactenùs ei obedierant, populari volubilitate, ad Clementem desciverant; ut Francorum historiæ [f] tradunt, misisséque Academiam nuncios Avenionem pro beneficiis & privilegiis suis. Quod tamen vel nescivit, vel tacere voluit Sigonius [g] in Episcopis Bononiensibus de his agens. Florentini [h] verò quamvis Bononienses contra Vrbanum solicitâssent, sed & à Francorum Rege rogati fuissent Vrbanum deserere; quod ad fidem tamen se in obedientiâ ejus laudabiliter perseveraturos responderunt usque ad determinationem Concilij generalis, quemadmodum & Bononienses non ita post ad Bonifacium Pontificem sunt reversi.

[f] Iuven. & Monach. Dionys. in Car. VI.
[g] Sigon. lib. 3.
[h] Anton. tit. 22. cap. 1. §. 14.

IV. REX FRANC. A QUODAM EREMITA MONETUR TRIBUTA RELAXARE.

In Galliâ venit ad Regem Carolum quidam eremita, vir austeræ religionis, Crucem rubram brachio dextro gerens. Qui ab aulicis sæpè prohibitus Regem affari, perseveranter tamen agens introductus est: missum se divinitùs dixit ad eum commonendum de vectigalibus tributisque tollendis, alioqui brevî irâ Dei in se experturû, & filios quos susciperet non fore vivaces. Quibus Rex commotus, cùm obsequi deliberaret, à patruis Biturige & Burgundo, eremitam delirij insimulantibus, ab eâ cogitatione demotus est, qui sanè paucis post

annis, sive hinc sive aliunde manum Dei gravem sensit, ut dicetur suo loco: & quod liberos spectat, ex quinque masculis quos suscepit, vix unum superstitem reliquit, ceteris penè infantibus & absque prole defunctis. Accidítque intereà hoc eodem anno, ut cum Willelmus Dux Gueldriæ, cui bellum erat cum Ducissâ Branbantinâ, etiam ausus fuisset, Anglorum suasione illud indicere Regi; & ad ejus contundendam audaciam Rex exercitum adversùs eum duxisset; obtentâ Gueldro pace per patrem ejus Ducem Iuliacensem, & Archiepiscopum Coloniensem, Rex in reditu festo Omnium Sanctorum Remis celebrato, justæ jam ætatis existens ad regnum per se administrandum, cùm primum ac vigesimum annum propè attingeret, prædictos suos patruos honestè & cum gratiarum actione præstiti hactenùs officij, à se dimiserit: quorum Biturix ad provinciam Occitaniæ suo regimini commissam, Burgundus in ditionem suam se recepit; populo universo hanc eorum dimissionem magno favore accipiente, eò quòd essent illi ob proprium commodum auctores præcipui vectigalium & exactionum, Rex autem liberalis & munificus, omnibúsque animi & corporis dotibus insigniter decoratus. Tradunt autem, adeò patruos hoc ægrè tulisse, ut in suspicionem venerint occisi veneno Cardinalis Laudunensis, (Petri videlicèt Aiscelini de Monteacuto monachi Benedictini, olim Episcopi Laudunensis) qui primus in consilio Regis sententiam dixerat de assumendâ per Regem administratione rerum, uti hæc narrant, præter prolixissimum Frossardum, Iuvenalis, auctor Vitæ Clementis, & Francorum Annales.

REX DIMISSIS PATRUIS REGNI ADMINISTRATIONEM IN SE RECIPIT.

V. MATRIMONIA REGIS EJUSQUE FRATRIS REGNO INFAUSTA.

Quo eodem tempore Ludovicus frater Regis Dux Turonensis posteàque Aurelianensis, uxorem duxit Valentinam Ioannis-Galeatij Comitis Virtutum & Mediolani domini filiam; cum dote quadringentorum millium florenorum auri, dominij civitatis Astensis, & eximio mundo muliebri, quem Corius sigillatim recenset, & maximâ parte fuisse ex Galliâ ab ejus matre Ludovici amitâ Mediolanum allatum apparet. Habitam verò priùs dispensationem à Clemente cui Gallia parebat, super secundo gradu consanguinitatis quo se contingebant; necnon ab Urbano, cui Ioannes-Galeatius favebat; ex iisdem Vitæ Clementis auctore & Corio intelligitur. Fuisse autem tam istud Valentinæ matrimonium, quàm illud Isabellæ Bavaræ filiæ Stephani Ducis, filij Ludovici olim Imp. quam aliquot jam annis Rex duxerat insignis formæ virginem, valdè Galliæ infaustum, videbitur posteà suis locis.

VI. [i] Froiss. vol.3. cap. 137. DUX GUELDR. CAPTUS A PRÆDONIB.

Hîc verò consideratione dignum existimamus, quòd Frossardus [i] narrat de prædicto Duce Gueldriæ; ut qui eò audaciæ processisset ut ex æquo agere præsumpsisset cum potentissimo Francorum Rege, qui non paucos sub se Principes habebat longè illo potentiores; cùm post pacem obtentam, ne nihil ageret magni vir animi, in Prussiam peregrinari decrevisset; incidens in itinere in prædonum insidias, captus; spoliatus, & arctæ custodiæ traditus fuerit ab eorum duce: Liberatus autem à Magistro Prussiæ, adeò nihilominùs nobilis extiterit animi, ut ad captorem suum, cui fidem obstrinxerat, redierit cum eo concordaturus, dato jurejurando numquam se de eo vindictam quæsiturum. Meminit etiam ejusdem rei Krantzius [k]; sed Ducem prælio captum narrans, non prædonum insidiis.

[k] Krantz. 9. Vvandal. 23.

VII. [l] Iuven. & Monach. Dionys. in Car. VI. THOMÆ APULI DELIRIA.

Hoc eodem anno [l] Parisiis quidam *Thomas* natione Apulus, carceribus Episcopi diù detentus, qui se à Spiritu Sancto missum ad confundendos errores & virtutes exaltandas firmiter asserebat, damnatus est: libérque ab eo scriptus, quo Statum Ecclesiastici ordinis turpiter diffamabat, Beatiss. Dei-genitricem vilipendebat, omnes Sanctos hereticos affirmabat Mundum non ampliùs à Deo Patre, vel Filio, sed à Spiritu Sancto gubernandum aiebat; & quòd ejus lex amoris sit, non indigere mortales sacramentis; igne publicè combustus circa festum Apostolorum Simonis & Iudæ ad finem Octobris. Ipse verò Thomas, quòd à medicis non sani capitis fuit judicatus, suppliciū mortis devitans, carceri perpetuo addictus est.

VIII. CONCIL. PALENTINUM IN HISPAN.

In Hispaniâ Petrus de Lunâ Legatum agens Clementis Pontificis Avenionensis, habito *Palentiæ* quarto Nonas Octobris *Concilio* nonnullorum Episcoporum in præsentiâ Ioannis Regis, aliquas constitutiones edidit, quas per universum regnum servari jussit: quæ extant in Tomis Conciliorum, de officio ordinariorum, conversatione, habitu & tonsurâ clericorum, rebus Ecclesiæ non alienandis, Iudæorum & Saracenorum habitatione, feriis per Infideles colendis; & adulteriis.

IESU CHRISTI Annus 1389.
URBANI VI. Ann. 12.
VVENCESLAI Ann. 11.
EMMANUELIS II. An. 6.

I. URB. PP. INSTITUIT FESTUM VISITATIONIS. [a] Luc. 1.

Anno Christi millesimo trecentesimo octogesimo nono, Indictione duodecimâ, Urbanus Papa Romæ quietè agens plura constituit ad vitæ exitum laude digna, quàm toto ferè laboriosa & inquieto anteacto Pontificatu per Italiam discurrens egisset. Ac primò festum *Visitationis* Beatiss. Virginis, quando scilicèt visitavit[a] Elisabetham matrem S. Ioannis Baptistæ, ad exaltationem fidei Catholicæ, in perpetuum celebrari in Ecclesiâ annis singulis 6. Nonas Iulij sub ritu duplici, & cum vigiliâ, jejunio, & octavâ, additis indulgentiis pro illis qui officiis sacris ejusdẽ celebritatis interessent; statuisse 6. Idus Aprilis ipsius Pontificatûs anno 11. (exeunte videlicèt, ut ex ipsius ingressu intelligitur:) disertè testatur Bonif. IX. ejus successor constituisse [b] pro ejusdem festi confirmatione editâ; cùm, ut ait, superveniente Urbani obitu literæ Apostolicæ non fuissent ab illo eâ de re confectæ. Meminerunt ejusdem institutionis plures alij illius temporis auctores: atque imprimis Gobelinus [c], qui Urbano adstabat; asserens eam decretam esse, quò B. Virgo Ecclesiæ unionem reformaret, & reformatam conservaret: præter recentiores qui de eâdem scripsêre. Inter quos & Baronius in Notis ad Martyrologium [d] meminit cujusdam codicis Vaticani, continentis tractatum Ioannis Pragensis contra Adalbertum

[b] Bullar. to. 1. Bonif. IX. const. 1.

[c] Cosmodr. æt. 6. cap. 81.

[d] Martyrol. Iul. 2.

ejus

ejus solemnitatis impugnatorem: quo cum plura eruditè disserantur, texuntur quoque nonnulla divina miracula, ac certæ revelationes, quibus Deus prædictam sacratissimam solemnitatem manifestissimè comprobavit.

II. IUBILEUM AD XXXIII. ANNUM REDUCIT.

Addidit mox Urbanus aliud statutum de reductione Iubilei ad annum trigesimum tertium. Quippe qui (ut pòst testatus est Paulus Secundus constitutione [e] de Iubileo; præter supradicti Bonifacij & aliorum Pótificum de hâc Urbani reductione testimonia, quæ alij [f] collegerunt in unum) providè considerans ætatem hominum plus solito in dies labi pauciores, ac desiderans quàplurimos Indulgentiæ primùm à Bonifacio VIII. centenis annis, ac deinde à Clemente VI. quinquagenis attributæ, participes fieri; ut populorum augeretur devotio, fides splenderet, & charitas ampliùs incalesceret; quinquagesimum annum ad trigesimum tertium reducens, indulsit universis Fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, ac deinceps servato termino triginta trium annorum, basilicas Apostolorum Petri & Pauli, Lateranensem S. Ioannis, & S. Mariæ Majoris de Vrbe visitarent; eamdem peccatorum suorum remissionem & veniam plenissimam, quæ priùs centesimis, ac posteà quinquagesimis indulta fuerat. Meminerúntque ejusdé reductionis Vrbanianæ ad dictum numerum annorum vitæ Christi, scriptores illius temporis, Niemus [g], Gobelinus [h], auctor Compilationis [i] Chronologicæ, Walsinghamus [k], Boninsegnius [l], præter multos recentiores; cùm nihilominùs plures mediæ ætatis qui de Vrbano egerunt id latuerit, aut referre piguerit. Irrepsit tamen error apud Niemum, cùm dicitur indictum fuisse Iubileú celebrandum anno millesimo trecentesimo octogesimo octavo. Non enim potuit esse ipsius Niemi: quippe qui cum Vrbano versans, apprimè scivit quid & quando statuerit. Cúmque ait id factum ultimo anno Vrbani, eúmque antequàm inchoaretur Iubileus diem suum obiisse; sanè non potuit alio anno quàm præsenti id constituere, quod parùm animadvertentes nonnulli recentiores, in eum errorem de anno millesimo trecentesimo octogesimo octavo impegerunt, sicuti & alij in alios diversarum computationum; qui omnes ad prædictam certissimam revocandi sunt. Quemadmodùm & qui scripserunt, Gregorium XI. auctorem fuisse prædictæ reductionis, vel ita intelligendi sunt, ut habuerit ipse in animo id præstare in gratiam Romanorum, sed morte præventum minimè potuisse; quod posteà Vrbanus ejus successor adimplevit: vel id dixerunt ex eo quòd idem Gregorius (ut refert Paulus Secundus constitutione supradictâ) addiderit ceteris Ecclesiis à Clemente VI. ad Indulgentiam consequendam assignatis, Ecclesiam S. Mariæ Majoris, quæ pariter subsequentibus Iubileis visitanda foret.

III. CAUSÆ ILLIUS REDUCTIONIS.

Ceterùm de his agens Gobelinus quem diximus, duo speciatim observavit. Alterum, fuisse ad prædictam reductionem commotum Vrbanum numero annorum vitæ CHRISTI, per cujus mortem thesaurus Ecclesiæ, unde indulgentiæ peccatorum omnes emanant, cumulatus est, cùm ejus vita 33. ann. curriculo compleatur. Alterum, instituisset id Vrbanum tertio Idus Aprilis, in annum sequentem millesimum trecentesimum nonagesimum. Verùm quod ait, eodem etiam die institutum esse supradictum festum Visitationis, quod tamen vidimus à Bonifacio assertum sexto Idus Aprilis; debuit in diem irrepsisse error: qui tamen in parvo est; & potuit uno die institutio fieri, & alio promulgari. Boninsegnius verò, & ex eo Antoninus scribit, Vrbanum ob gravem controversiam quæ fuit ei hoc eodem anno cum Romanis occasione electi ab ipso in Senatorem cujusdam, quem Romani suum inimicum reputabant, adeò ut populus arma corripuerit, ut eum placaret, ac benevolum sibi redderet, indixisse Iubileum in annum sequentem: videlicet ut spe futuri lucri ex adventu peregrinorum quiesceret, quæ potuit reductionis causa cum aliis concurrere; sicuti & vidimus Clementem VI. Romanorum rogatu (haud dubiè commodis suis magis quàm animarum exterorum saluti consulentium) annum centesimum justis aliis de causis ad quinquagesimum reduxisse. Nec audiendus Corius, cùm scribit ductum fuisse ad hoc Vrbanum suæ potiùs quàm utilitatis Religionis Christianæ respectu: quamvis id ipsum etiam innuat Niemus, cuncta Pontificum dicta & gesta in sequiorem semper sensum interpretari intentus.

IV. ALIA DECRETA IN HONOREM SACRÆ EUCHAR.

Eodem insuper tempore constituisse Vrbanum, ut nonobstante interdicto Ecclesiastico in festo Corporis Christi apertis janueis divina celebrari possent; testatur idem Gobelinus. Addítque, sic completum esse quod de festo Corporis Christi ceteris adjungendo, Doctor Ioannes Andreæ ante annos octoginta prædixerat in Clementinâ, *Si dominum*, verb. *revelatum*. Itémque, huic gratiæ Vrbanum adiecisse, ut quicumque Corpus Dominicum cùm ad infirmos deferretur, confessi & contriti comitarentur, centum dies Indulgentiarum consequerentur. Quod etiam testatum habetur apud auctorem Burdegalensem Vitarum Summorum Pontificum. Constatque insuper, eumdem Vrbanum jam olim declarationem fecisse super Clementinam, *dudum* de sepult. propter varias Doctorum opiniones: necnon de coërcendo religiosorum quorumcumque Ordinum prædicandi, & confessiones sæcularium audiendi, abusu: quam verbatim recitant Gobelinus [m], & Krantzius, datam Neapoli undecimo Calendas Decembris anno Pontificatûs septimo.

DEQUE ALIIS REB. AD OECONOMIAM ECCLESIÆ SPECTANTIBUS.

V. MORITUR ROMÆ.

Mortuus est autem Romæ hoc eodem anno tertio Idus Octobris, (ut habet ejus epitaphium apud Summontium; cùm tamen in codice Burdegalensi, de quo nuper, & ex illo aut aliis apud Onuphrium, mortuus dicatur ipsis Idibus; à quibusdam etiam decimosexto Calendas Novembris) postquàm Sedem infeliciter (ut Platina loquitur) tenuisset annis undecim, mensibus sex, diebus sex vel novem: vixisset annos septuaginta duos: ex veneno, (ut creditum fuisse Niemus [n] scribit, qui ejus obitui interfuit: consentítque Boninsegnius, qui non longè abfuit: à quo sibi cavere monitum fuisse olim à S. Catharinâ Senensi, alij scribunt. Sepultúsque est in Basilicâ S. Petri; paucis admodùm ejus mortem deflentibus,

[e] Paul. II. const. 7. in Bullar.
[f] Victorel. de Iubil. par. 2.
[g] Niem. cap. 68.
[h] Gobel. d. c. 81. & ap. Krantz. 10. metrop. 21. & in Magn. Chron. Belg.
[i] To. un. Histor. Rer. Germ.
[k] Vvalsf. in Rich. II. & Hypodigm.
[l] Boninsegn. lib. 4. & ap. Anton. tit. 22. cap. 2. §. 14.
[m] Gobel. ib. Krantz. cap 21.
[n] Niem. cap. 69.

plurimis defuncto exultantibus Qui tamen, si mitior & tranquillior, minusque suorum amantior fuisset, inter laudatissimos numerari potuisset studio castitatis & justitiæ, odio simoniæ & luxûs, vitæque austeritate, ac fermè continuâ corporis per jejunia & cilicia maceratione. Mortuus tamen apud Onuphrium [o] traditur nullo recepto Ecclesiæ sacramento: fortè veneno ex inspirato suffocatus: quantumvis Niemus velit continuos dies viginti octo ægrotâsse. Addit autem de misero Butillo ipsius nepote; eum de vitâ patrui desperantem ire voluisse ad Marchiam Anconitanam, in quâ habebat quædam castra: sed dolo quorumdam interceptum prope Perusium, dicta castra pro suâ redemptione tradere coactum esse & creato jam Bonifacio Urbani successore, ad Urbem pauperem rediisse; cúmque ab omnibus despiceretur, secessisse ad Raymundum Baucium in Apuliam. Unde sexto pòst anno [p], unà cùm matre, liberis, totâque familiâ, Venetias navigans, navi tēpestate absorptâ periit: extinctáq; est universa posteritas Urbani.

[o] Onuphr. de Rom. Pontiff.

EIUS FAMILIÆ INFELIX EXTINCTIO.

[p] Niem. lib. 2. cap. 31.

VI. BONIFACII IX. SUCCESSIO.

Mortuo Urbano, finitísque ejus exequiis, Cardinales qui Romæ erant numero quatuordecim, post aliquas inter partes contentiones, cùm primo scrutinio sex Poncellum Vrsinum Romanum tituli S. Clementis Archipresbyterum, ac totidem Angelum Aeciaiolum Florentinum Presbyterum tituli S. Laurentij in Damaso virum laudatissimum, postulâssent; nec alter alteri cedere vellet: instauratis comitiis, suadente maximè Francisco Carbono Neapolitano tituli S. Susannæ Majori Pœnitentiario monacho Cisterciensi, convenerunt omnes in *Petrum*, seu Perinum *Thomacellum*, nobili familiâ quamquam paupere Neapoli ortum, tunc existentem Presbyterum Cardinalem tituli S. Anastasiæ: quem ferunt [q] ex clerico paupere ac solivago, decimoquinto ex quo Romam venerat die Cardinalem fuisse creatum; scribendi quidem & canendi peritum, sed præceptis Grammatices solummodò imbutum, omnísque gravioris disciplinæ ignarum; staturâ autem ac facie decorum. Qui quarto Nonas Novembris electus in Pontificem, tertio Idus festo S. Martini consecratus ac coronatus est, sub nomine BONIFACII ejus nuncupationis Noni: natus anno circiter quadraginta quinque; ut post Niemum [r] (qui se scribam, seu literarum Apostolicarum abbreviatorem vocat) Onuphrius [s] scribit: cùm Boninsegnius [t] triginta quatuor tantummodò, Platina etiam nonnisi circiter triginta tribuat: aiens tamen ita ipsum vixisse in tam floridâ ætate & tantâ peccandi licentiâ, ut nulla ei libido, nulla voluptas impingi vel obiici posset; ac juventutem cum ipsâ senectute cōmutâsse videretur: fuisse verò etiam tanti animi consiliíque, ut primus Pontificum, Populi Romani vim omnem in se transtulerit.

[q] Niem. 2. de Schism. 6. & 39. in fin. & inde Ciacco. in Vrb. VI. in Thomacel. Cardin.

[r] Id. d. c. 6.
[s] Onuphr. Addit. ad Platin.
[t] Boninf. lib. 4 & ap. Anton. tit. 22. cap. 3. in pr.

QUALIS FUERIT.

VII. CORRUPTIO CURIÆ.

Infamatum nihilominùs valdè fuisse ejus Pontificatum labe simoniæ in distractione beneficiorum Ecclesiasticorum, & nundinatione Indulgentiarum; ex iisdem Niemo, Gobelino, Boninsegnio, Antonino, & aliis nimium quàm intelligitur. Id tamen non initio Bonifacium palàm ausum, observavit Niemus [u], sed postquàm mortui fuêre nonnulli Cardinales Vrbaniani, qui hoc vitium vehementer detestabantur exemplo ipsius Vrbani; quem & tradit idem Niemus [x] valdè pœnituisse Bonifacium creâsse Cardinalem, ubi sub finem vitæ cognovit eum leprâ simoniæ infectum; & si supervixisset, depositurum eum fuisse. Sanè tot tantáque sunt quæ de isto Pontifice hic auctor habet, ut si vera forēt, vix mereretur inter bonos Pontifices numerari; quamvis haud proptereà minùs dicendus esset legitimus auctoritate & fidei veritate, quæ non sunt alligatæ probitati morum. Magísque omninò existimo, Niemum aliquâ de re offensum fuisse Bonifacio, aliísque Pontificibus quos iidem obtrectationibus & maledicentiis impetit, (quod sæpè majoris etiam nominis viris contigit) quàm ut vera cuncta esse credamus. Sed de his, aliísque ad Bonifacium ceterósque pertinentibus, inferiùs suis locis. Vbi verò ejus electionis nuncium Avenionem pervenit, Clementem in eum ac sequaces, vicisśimque Bonifacium in Clementem, processus confecisse, & sententias damnationis protulisse narrat auctor Vitæ Clementis, & confirmant alij. Cùm nihilominùs haud omiserit Bonifacius [y], confestim post suam electionem Principes omnes ac Prælatos literis encyclicis de eâ pro consuetudine admonere; & tam illos qui Vrbano adhæserant confirmare, quàm ceteros ad unionem Ecclesiæ hortari.

[u] Niem. cap. 7.

[x] Id. d. c. 39. in fin.

[y] Bzov. hoc an. ex Reg. Vatic.

VIII. CAROLUS REX FRANC. CLEMENTEM INVISIT AVENIONE.

Erat tunc Avenione Carolus Rex Francorum; qui sæpiùs à Clemente rogatus eum invisere, hoc anno quo à bellis vacabat, (compositis scilicèt inter ipsum & Anglos, eorúmque utrimque fœderatos, induciis [z] triennalibus: quibus tamen consentire vix induci potuerunt Scoti à Francis; eò quòd memorabili ad Otterburnū Northumbriæ victoriâ, quam mense Augusti anni præcedentis ingenti Scotorum gloriâ partam describunt lætantissimè eorum historici [a] post Froissardum [b], nec Angli tacent; elatiores facti, totam sibi Angliam subjugare facillimum existimarent:) post solemnissimum Reginæ Isabellæ ejus conjugis factum in urbem Parisiorum die vigesimo Iunij ingressum; cujus pompam supra omnem imitationem eximiam accuratè descripsit Froissardus [c]; & singularem Regis dexteritatem in hastilibus certaminibus, quorum præmium judicio omnium absque ullâ adulatione tulit, enarrat: Avenionem peregrinatus est unà cum fratre ac patruis, multóque alio principum ac procerum comitatu; à Clemente ejúsque Cardinalibus honorificentissimè receptus. Celebranti solemniter sacrum Clementi Calendis Novembris, aquam lavandis manibus affudit. Ipséque Clemens [d] *Ludovicum* Iuniorem Ducem Andegavensem, patruelem Regis, filiúmque Ludovici senioris, quēm vidimus diem obiisse in prosecutione regni Siculi, inter Missarum solemnia Regem Siciliæ & Ierusalem coronavit, ac fidei sacramentum ab eo recepit, (qui inde in Aragoniam proficiscens, uxorem duxit Iolantem illius Regis filiam.) Regi autem Carolo nonnullorum Espiscopatuum sibi anteà reservatorum provisiones, & tam eidem quàm ceteris Principibus, cunctísque eorum familiaribus, ut in suâ eos amicitiâ contineret, per gratias & expectativas, pinguiora quæque regni beneficia ecclesiastica addixit, omnísque gene-

[z] Froiss. vol. 3. cap. 142. Vvals in Rich. III. Iuven. in Car. VI.
[a] Io. Maior. lib. 6. cap. 3. Boët. lib. 16. Buchan. lib. 9.
[b] Froiss. cap. 12. & seqq.
[c] Id. vol. 4. cap. 2.

[d] Vit. Clem. Iuven. &c.

LUDOV. IUNIOR ANDEGAVENSIS CORONATUR REX NEAPOL. À CLEMENTE.

ris dispensationes concessit; ingenti ceterorum omnium hæc audientium scandalo, & magnis proborum sacerdotum ac studentium querelis.

IX. REX CAROLUS TOLOSAM ADIT.

Recedens autem inde Rex die quarto Novembris; & visitatis in itinere civitatibus Occitaniæ, atque receptis populorum querimoniis cōtra rapacitatem Ducis Biturigis patrui sui illius provinciæ proregis, eóq; propterea abdicato, Tolosam pervenit ad finem anni. Et habito cū Fuxi Comite ingentis existimationis Principe, congressu, (sive ipse Rex ad eum Mazerias oppidum Fuxi sex leucis Tolosâ distans, eò quòd jam Comes ætate provectus esset, accesserit; & ab eo, magnifico ac quæsitâ rusticitate gratissimo apparatu, exceptus fuerit, ut Iuvenalis narrat: seu potiùs, ut Frossardus [e], Comes Tolosam ad Regem, à quo amantissimè atque honorificè habitus est: seu denique, ut alij [f], postquàm primò Comes Regem Tolosæ convenit, Rex eum Mazerijs inviserit:) post receptum ab eo fidelitatis juramentum pro eodem suo Comitatu, Lutetiam rediit. Comes [g] autem altero anno in ditione suâ Benearnensi Calendis Augusti tempore calidissimo rediens à venatione, cui addictissimus fuerat, dum ad prandium aqua frigidissima manibus ejus affunderetur, superante algore calorem decrepitæ ejus ætatis septuaginta duorum annorum, deficientibus viribus continuò in terram decidens paulò pòst expiravit: magnus pro conditione Princeps, nec parùm ipsis etiam Regibus Angliæ, Aragoniæ, ac Navarræ, nedum minoribus Principibus ditionibus suis proximis formidatus; & ob corporis præstantiam, quâ ceteros omnes sui temporis excedebat, *Phœbus* nuncupatus: cujus prudentiam, fortitudinem, liberalitatem, ceterásque virtutes Frossardus [h], qui apud eum aliquamdiù versatus est, laudare & prædicare non sufficit: In iram tamen præceps, (ut vidimus) proprium suum & unicum filium peremit; Vicecomitem Castriboni qui ei successit profundo carcere diù detinuit, & vix ab ejus nece temperavit; ac Ioannem Episcopum Appamiensem propinquum suum de juribus Ecclesiæ suæ cum eo contendentem adeò exagitavit, ut quamdiù ipse vixit exulare coëgerit apud Clementem Avenione.

DE GASTONE PHOEBO COMITE FUXI.

[e] Froß. vol. 4. cap. 8.
[f] Vid. Bellefor. lib. 5. cap. 6.
[g] Froß. cap. 27. & 29.
[h] Id. vol. 3. & 4.

X. IMPOSTURA CUJUSDAM GRÆCULI MENTIENTIS SE PATRIARCHAM CONSTANTINOP.

Quo eodem anno referunt Iuvenalis, & Monachus Dionysianus in historiâ Rerum sub prædicto Carolo Rege gestarum, quemdam hominem Græcum nomine *Paulum Tigrinum*, sive, *Tagusium*, cupientem ditari de muneribus Latinorum ficto titulo Patriarchæ Constantinopolitani, primò in Cyprum navigâsse; atque ibi Regi nondum coronato unctione more Græco collatâ, triginta millia aureorum corrasisse; multa beneficia diversis ad se concurrentibus contulisse, dignitates Ecclesiasticas atque etiam Episcopatus de novo creâsse: Inde Romam accedentem, Romanorum astutiâ detectum, jussu Urbani adhuc in vivis agentis carceri mancipatum esse, amissis pecuniis quas multas habebat: Post Urbani obitum, à Bonifacio dimissum, ad Comitem Sabaudiæ se contulisse, quem sciebat verò Patriarchæ sanguine conjunctum; & longâ productâ genealogiâ sese insinuantem, aliquamdiù honorificè detentum, pecunias, equos, & familiam accepisse quò honestius Clementem Avenionem conveniret: Apud eum multa mētientem de Urbani in se asperitate, eò quòd Clementis se fautorem detexisset; muneribus ab eo & Cardinalibus cumulatum Lutetiam ad Regem pervenisse, magnam præseferentem pietatem, ac propterea lautè diù habitum, continuè per interpretem loquendo: Ad monasterium sancti Dionysij cùm accessisset, effusis in tantum Martyrem è Græciâ oriundum laudibus, cùm nullatenùs dubitare se diceret quin verè corpus ejus ibi quiesceret, habere tamen in Græciâ corrigiam seu zonam ejus, multósque libros propriâ ipsius manu scriptos, significâsse; quæ transmissurus esset, si ex religiosis quidam secum in Græciam venirent: Destinatis ad hoc duobus religiosis, impostorem à Rege ditatum, cùm patriam repetere simulans mare attigisset, corruptis auro nautis intempestæ noctis silentio clàm aufugisse: ac simplices religiosos cùm Romam usque perrexissent, de fraudibus ejus atque imposturis certiores redditos ad sua mœstos recessisse.

IESV CHRISTI Annus 1390.
BONIFACII IX. Ann. 1.
VVENCESLAI Ann. 12.
EMMANUELIS II. Ann. 7.

I. IUBILEUS ROMÆ CELEBRATUR.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo, Indictione decima-tertiâ, cœpto à Natali Domini Iubileo, de quo dictum anno præterito, factus est concursus magnus Romam, ac præcipuè è regionibus quæ Bonifacio adhærebant; ut Niemus [a] narrat: quantumvis scribat sanctus Antoninus [b] ex Boninsegnio, non habitam fuisse hanc Indulgentiam in tantâ devotione fidelium, sicut fuerat centenaria & quinquagenaria, ac propterea modicum fuisse populorum ad Urbem concursum. Cùm verò difficile esset Principes eò peregrinari; (quamvis non defuerint qui accesserint) petentibus nonnullis sibi eas indulgentias in ditionibus suis concedi, indulsit Pontifex: ut de concessione Regibus Angliæ & Lusitaniæ, eorúmque conjugibus factâ sub principium hujus ipsius anni, Ducibúsque Bavariæ post absolutum Romæ Iubileum: extant certa apud Victorellum [c] amicum nostrum, qui elegantem librum idiomate Italico de celebratione Iubileorum conscripsit, testimonia ex literis ipsius Bonifacij à se visis: aliáque de pari concessione indultâ posteà aliis Principibus ac populis, ex diversis auctoribus quos allegat. Quibus & alios addere poterat ex Magno Chronico Belgico [d]: nisi quòd ait non magno habitas fuisse hujusmodi Indulgentias, eò quòd non concederentur nisi iis, qui manus adjutrices porrigerent: essentque collectores à Pontifice, qui tertiam partem oblationum reciperent.

MITTITUR IN ALIAS PROVINCIAS.

[a] Niem. lib. 1. cap. 68.
[b] Ant. tit. 22. cap. 2. §. 14.
[c] Victorel. de Iubil. par. 2.
[d] Magn. Chron. Belg. in Bonif. IX.

II. ABUSUS.

Sed quod ad hoc attinet; scribens pariter idem Niemus, misisse Bonifacium ad diversa

EIUS IN ALIIS REGNIS.

regna qui indulgentiam promulgarent, & iis qui ad Urbem accedere non possent, in alia pœnitentiæ ac pietatis opera accessum commutarent: addit tamen, quòd multi eorum hâc facultate turpiter abusi essent in quæstum proprium, peccata confitentibus sine pœnitentiâ relaxando, & super quibuscumque irregularitatibus interventu pecuniæ dispensando; aliquos à Bonifacio carceribus intrusos esse, alios malâ morte plexos; nonnullos graviorum suppliciorum metu sibi ipsis mortem intulisse; quosdam in frusta à plebe concisos; denique alios erroribus hæresis involutos miserè periisse: Ex collectis verò Romæ eleemosynis, ecclesias Urbis quarum plerque penè corruerant fuisse restauratas. Nec omninò audiendus maledicus Corius, cùm ait concessum fuisse Iubileum anno proximo urbi Mediolanensi in gratiam Ioannis-Galeatij, eâdem formâ quâ fuerat Romæ celebratus; hoc est, ut absolverentur omnes à quibuscumque peccatis etiamsi nec contriti nec confessi essent. Non enim eò perturbationis doctrinæ Christianæ, aut dissolutionis disciplinæ, schisma proruerat, ut crederetur esse quis capax indulgentiæ, quâ remittitur pœna peccati, nisi priùs per contritionem, aut saltem per attritionem ac confessionem sacramentalem culpam diluisset: quæ est communis ac recepta ab omni ævo doctrina Ecclesiæ ac Theologiæ. Quinimmò scribit Vualsinghamus, Adami Cardinalis Anglici, (de quo suprà) dignitati pristinæ restituti suasione, Bonifacium declarâsse Indulgentias plenarias in extremis tantùm valere eas obtinentibus; hoc est in confessione quæ mortem immediatè præcedit; adeò ut licet multoties propter diversa pericula confiterentur peccata, non tamen Indulgentiæ usque ad extremum articulum ullum sortirentur effectum. Quæ tamen utrùm de Indulgentiis Iubileorum, an verò tantùm de iis quæ privatim nonnullis concedi consueverunt, intelligi debeant; Theologis discutiendum relinquimus. Illud non omittimus, non solùm iis qui Romanas basilicas hoc anno visitarent concessam fuisse ab Urbano Indulgentiam; verùm etiam certiorem [e] factum de cœlestibus flammis sexto Idus Septembris supra ædem Lauretanam spectari solitis, (de quibus aliàs) illam ipso natali Virginis die visentibus, eamdem cumulatissimam delictorum omnium indulgentiam impertiisse: cujus occasione complures eorum qui Romam, etiam inde Lauretum peregrinati sint.

[e] *Tursell. Hist. Lauret. lib. 1. cap. 21*

III. BONIFACIUS PON. LADISLAUM DECLARAT REGEM NEAPOL.

Nec minùs cetera curans Bonifacius, cum mox post suam electionem oratores accepisset à Marguaritâ Reginâ Siciliæ ejúsque filio Ladislao Cajetæ commorantibus, fidem & obedientiam ei deferentes, rogantésque & à diris quibus ab ejus decessore Vrbano execrati fuerant absolvi, & ad regnum quo depositi fuerant restitui: misit ad illos Angelum Acciajolum Cardinalem Florentinum mense Maij, qui *Ladislaum* in Regem Siciliæ & Ierusalem coronavit, unà cum ejus conjuge Constantiâ (filiâ Manfredi Claramontij Comitis Moticæ, viri potentissimi, qui in turbis Siculis penè auctoritate regiâ magnam insulæ partem occupabat: quam non ita pridem Ladislaus matris imperio duxerat, ob ingentem pecuniarum, gemmarum, vasorum, omnísque pretiosæ suppellectilis dotem:) iisdémque conditionibus investivit, quibus Carolum patrem ejus Vrbanus adstrinxerat. Cùm ex aliâ parte sollicitatus à Neapolitanis Ludovicus Secundus, quem eorumdem æquè regnorum coronam anno præcedenti vidimus à Clemente Avenione accepisse, ad regnum accedere, quod penè totum ejus auspiciis gerebatur; validâ classe & multâ nobilitate Neapolim navigans, eò pervenit mense Augusti: ibíque magnâ pompâ receptus, paulò pòst urbis arces quæ adhuc à Ladislao steterant, in potestatem suam redegit: sícque velut jam debellato, tranquilliùs aliquandiù actum est in regno, cùm ob Ladislai virium debilitatem, tum ob mitius Ludovici ingenium, uti hæc narrantur à Summontio [f], Antonino [g], & aliis: Ottone interim viro Ioannæ Reginæ Tarenti Principe quietè & ipso in ditione suâ agente; qui tertio abhinc anno ex hâc vitâ decessisse ponitur ab eodem Summontio.

LUDOVICUS II. ANDEGAVENSIS NEAPOLIM APPELLIT.

[f] *Summont. lib. 4. cap. 2.*
[g] *Ant. tit. 22. cap. 3.*

IV. FLORENTINI OPEM REGIS FRANC. IMPLORANT ADVERSÙS GALEATIUM MEDIOLAN.

Cùm verò jam antehàc Florentini, ut se à Ioannis-Galeatij Mediolanensis, qui imperij Lombardiæ & Etruriæ totiúsque Italiæ ambitione Principibus ac civitatibus controversias & jurgia, quæsitis per varias artes occasionibus, intentare non cessabat, potentiâ tuerentur, erectis in urbe Franciæ vexillis, ad Carolum Regem protectionis & auxilij causâ recurrissent; Rex autem ne gratis eis adesset, duo postulâsset, alterum ut Florentini Clementem pro vero Pontifice agnoscerent; alterum ut donum aliquod annuum censûs nomine Regi darent, quo appareret protegendi tutandíque jus Regi incumbere: hócque utrumque magno animo Florentini negâssent, quoniam alterum vacillationem fidei, alterum diminutionem libertatis contineret: Hæc igitur cùm præcessissent; (quæ pluribus narrat Aretinus [h], & ex illo Antoninus [i]) & alioqui pervicisset apud Regem (ut habent Francorum [k] Annales) Dux Turonensis frater ejus, genérque Ioannis-Galeatij, in soceri gratiam, ne Florentinorum preces audirentur: (unde & verisimile est, Regem, ut aliquam excusationem haberet denegandæ protectionis, duo illa à Florentinis postulâsse, quę sciebat ipsos non admissuros:) Hoc demùm anno, indictum per literas à Galeatio iisdem Florentinis bellum, cœptum est medio quasi vere; duravítque ferè annis duodecim, intercedente tamen nonnumquam pace, sed ita infidâ ut vix ab armis discederetur, ac resumeretur confestim bellum, quod quidem dicitur tantis opibus tantâque contentione animorum utrimque gestum, ut proculdubiò bellorum omnium quæ iidem umquam gesserunt, maximum fuerit existimandum: quo non solùm suis certaverint armis, sed etiam sociorum Italorum, necnon excitorum è Galliâ & Germaniâ auxiliorum; donec per mortem Galeatij parta est Florentinis requies. Quæ uti se habuerint, fusè narrant ex parte Florentinorum Boninsegnius [l], Aretinus, Poggius, & Antoninus; ex parte Mediolanensis, Corius

[h] *Aret. Hist. Florent. lib. 9.*
[i] *Anton. tit. 22. cap. 2. §. 18. & 19. & cap. 3. §. 4.*
[k] *Iuven. in Car. VI. Æmil. lib. 9.*

BELLUM ATROX INTER DOMINUM MEDIOLANI ET FLORENTINOS.

[l] *Boninf. lib. 4. Aret. lib. 10. 11. 12. Pogg. lib. 3. Ant. d. c. 3.*

[m] Cor. par. 3. [n] Blond. 2. dec. 10.

rius [m], quippe in suos appertè proniores. De quibus etiam Blondus [n], & alij ex eo, aut post eum: quos commodo suo qui hæc voluerit consulat, dum nos ad alia vertimur, haud tamen suis locis omissuri quæ ex prædicto bello ad res Ecclesiasticas pertinuerint, aut aliàs notatu digniora visa fuerint.

V. GENUENSES IMPLORANT AUXILIUM REGIS FRANC. CONTRA AFROS.

[o] Æmil lib. 9. ad fin.

Hoc eodem anno alia Italiæ regio Liguria in sanctiorem causam cogitationes Francorum vertit; sacríque belli mentio renovata est, occasione Afrorum oram Italiæ insulásque Inferi maris classe assiduè urentium. Quos cùm Genuenses, in quorum præcipuè damnum illorum incursiones recidebant, comprimere suarum virium non esse intelligerent; legatis ad Regem Francorum missis, longâ & luculentâ oratione (quam recitat Æmilius [o]) Francorum laudibus refertâ illum ad eam expeditionem ipsius majorum exemplo hortati sunt. Nec difficile fuit Regi Christianissimo defensionem Christianitatis contra fidei hostes persuadere. Frater Regis eam provinciam deposcebat, ardens in adolescentiâ cupiditate gloriæ. At patrui veterano duce opus esse adversus vafram, & fraude potiùs quàm virtute nitentem gentem prædicantes, auctores fuère ut Dux Borbonius Regis avunculus, quem jam aliàs sponte in Africam trajecisse vidimus, quíque modò Imperatorem se sacro huic bello offerebat, exercitui præficeretur. In eam militiam ingens multitudo procerum certatim nomina dederunt: transeuntéque æmulatione in Angliam, cùm induciæ essent inter eas nationes, non pauci è juventute proceres cum validâ sagittariorum manu in Franciam transmittentes, vires animósque consociavère. Nec defuerunt Veneti in causâ communi: eâ tamen inter omnes conventione, ut nullâ sive de domesticis dissidiis, sive de schismatis divisione memoriâ, de solo hoste Saraceno aut tollendo, aut saltem compescendo cogitaretur. Superatis itaque terrestri itinere Alpibus Genuam appellentes, paratâ classe conscensâ, Africam incolumes tenuerunt die vigesimo secundo Iulij festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ: & excensione ad littora Tunetana, obnitentibus nequicquàm barbaris factâ, cùm Regem Tunetis (nobilissimæ posteriori ætate Africæ propriè urbis) qui parte suarum copiarum ad præsidium urbis relictâ, majorem in castris apprimè munitis continebat, ad justum certamen attrahere non possent, multiplicibus autem ludificationibus (ut est mos gentis) & levibus insultibus, simulatis fugis, fictis aggressionibus, ab iis non parùm fatigarentur; omnem vim belli in urbem vertentes, eam adeò constrinxerunt, ut Regem coëgerint ad has conditiones pacis inclinare, ut Afri finibus suis se continerent, abstinerent orâ maritimâ Italiæ Galliæque, ac insulis Africæ Europæque interjectis; captivi Christiani redderentur; decem millia aureorum illicò numerarentur. Hísque factis, exercitus Genuam revectus est; Francíque & Angli, sanctâ & felici expeditione quàm bello gloriosiores, ad sua quique cum laude & gratulatione rediêre. Rem ita gestam pluribus narrant historici Genuenses [p], ac ferè ex Æmilio: sed anno præterito collocantes, quam Frossardus [q] & Iuvenalis [r] tunc viventes & scribentes, ipséque Æmilius [s], & alij præsenti: sicuti & Angli.

EXPEDITIO AFRICANA DUCIS BORBONII.

[p] Nebiens. lib. 4. Foliet. lib. 9.

[q] Froff. vol. 4. cap. 13. [r] Iuven. in Car. VI. [s] Æmil. lib. 9. in fin.

VI. ALIA EXPEDITIO COMITIS DERBIENSIS IN PRUSSIAM.

Nam quod Walsinghamus habet de itinere Henrici Comitis Derbiensis filij Ducis Lancastriæ hoc anno in Prussiam suscepto; ad hanc etiam expeditionem pertinere, intelligitur ex iisdem Frossardo & Iuvenale, necnon Polydoro; qui nominatim aiunt illum Comitem unà cum aliis in Africam transmisisse. Quem nihilominùs hoc eodem tempore unà cum permagnâ Anglorum, Francorum, Teutonúmque voluntariorum manu in Prussiam piè contra barbaros militiæ opinione venisse; & in Lituaniam contra Regem Poloniæ Vvladislaum, Vitoudi ejus patruelis restituendi specie, reverâ ut Lituaniam sibi Livonienses ac Prussienses Cruciferi subjugarent, unà cum Magistro iisse; exercitum Regis prælio vicisse, atque dirutis & crematis aliquot arcibus & oppidis, ab arcis Vilnensis quam Skirgello Regis frater tutabatur obsidione, post longam, sed irritam oppugnationem recessisse; (quæ significare voluit Vvalsinghamus narratione suâ corruptissimâ:) docet nos Cromerus [t] in suâ Historiâ Polonicâ: quæ etiam tractat Krantzius [u] in Vvandalicâ. Ad quod item pertinet, quod post recessum Christianorum ab Africâ Frossardus [x] (qui contra ceterorum omnium assertionem, vult hunc recessum omninò propudiosum fuisse, & absque ullâ cum hostibus pactione præcipitatum ob suspicionem de malâ fide Genuensium: Cùm nihilominùs consentiat ceteris Ioannes Orevilla [y] eques, qui Gallico sermone id bellum descripsit:) ait multos eorum in Cyprum & Rhodum navigâsse ad peregrinationem Ierosolymitanam, aliósque aliò iter cepisse; etiamsi nullam habeat disertam Prussiæ aut Lituaniæ mentionem. De prædictæ verò expeditionis Africanæ susceptione & successu ceteris consentiens Heroldus in Continuatione [z] Belli Sacri, addit illam uni Regi Armeniæ, qui adhuc in Galliâ agebat, lugubrem fuisse, eò quòd speraverat exercitum ex Africâ in Syriam processurum. Hícque Belli sacri finem statuit; eo quòd de recuperandâ Syriâ Europæis post hæc nulla cura fuerit; satísque habuerint, omisâ Asiâ res suas tutari, & à Turcis quomodocumque defendere: cùm nihilominùs frequentes etiam posthàc factos esse diversis temporibus ad hoc conatus, visuri simus inferiùs suis locis.

[t] Crom. lib. 15. [u] Krantz. 9. Vvandal. 15. & 16. [x] Froff. cap. 23.

[y] Ap. Masson. in Car. VI.

[z] Con in. Bell. sacr. lib. 5. cap. 20.

VII. BELLUM TRIBALLICUM CUM TURCIS.

Quod quidem hoc anno minimè contingere potuit Zirfis, (ut vocat Leunclavius) seu Triballis, ut Chalcondyles, hoc est Mœsiæ Superioris incolis, (quam & Serviam dictam volunt; sicuti & inferiorem, Bulgariam: cùm nihilominùs in his aliísque ejusmodi regionibus distinguendis non parva sit auctorum discrepantia, & cosmographorum dubitatio.) Quorum Rex Lazarus, sive Eleazarus, cùm antehàc sæpiùs in Turcos armatus, non solùm nihil profecisset, verùm etiam coactus demùm fuisset pacem redimere pactione annui tributi pecuniarij, & suppeditationis cujusdam numeri armatorum: posteà ob malè habitos ab Amurate Turcorum Rege ipsius Lazari milites, quos ex pactione ad ejus exercitû miserat, ab eo deficiens, junctis

sibi Regibus Bozinensi, Bulgaro, aliisque regulis, quinimmò & ex Walachiâ, Hungariâ, Boëmiâ, Italiâ, ceterisque Christianorum regionibus, confluentibus ad eum multis copiis auxilij ferendi causâ contra communem hostem; exercitum dicitur comparâsse quingentorum millium armatorum. Adversùs quem jam tertiò in Europam ex Asiâ transiens Amurates cum duobus filijs suis Bajazete & Iacupe, ac Principibus sibi subditis, inter quos & nonnulli Christani erant, collectis copiis quales nullæ eatenùs in Europâ visæ numero aut præstantiâ fuissent: atrocissimo prælio in campis Cosovanis Triballorum die quartâ Iunij commisso, Christianos ingenti cæde fudit; (occiso etiam, ut plures asseruêre, Lazaro,) non tamen absque magnâ suorum strage: quâ & ipsemet periit, sive dum hostes insequeretur à quodam Triballo propiùs ad eum proditoriè accedente, sive dum post victoriam cadavera cæsorum inspiceret à quodam semimortuo sicâ confossus: uti ex Turcorum commentarijs refert Leunclavius [a], totum hoc bellum longâ & importunâ narratione describens, non paucis de more admixtis Turcorum de rebus suis fabulis. Rem brevi absolvens Chalcondyles [b], victoriámque Amuratis ac Lazari necem agnoscens, mortem Amurati ex Turcorum assertione illatam ait à pedite Triballo, qui eum se insequentem jaculo transfixerit; ex Græcorum verò, à quodam transfugam simulante. (Unde & morem profectum volunt, ut cùm deducendi sunt legati & alij exteri ad Turcorum Imperatores, cubicularij brachia eorum utrimque teneant.) Corpus delatum est ad majorum sepulchra Prusam Bithyniæ; viscera in eodem Cosovano campo regiè defossa. Regnâsse quinquaginta septem annis Chalcondyles ait, patenti errore, cùm Phranzes [c] tres tantùm & triginta tribuat; & Leunclavius [d] unum tantummodò & triginta parenti superfuisse ostendat: natum cùm regnare cœpit triginta septem annis, vixisse in universum sexaginta octo. Fortunatissimus bello pacéque Princeps, & Mahometanæ impietatis propagator intensissimus; reique militaris adeò peritus, ut Europâ & Asiâ contra Christianos aut suos rebelles triginta septem bellis confectis, nullo victus succubuerit. Otij impatientissimus, cùm à bellis vacaret, venationi & aucupio etiam senex indulgebat; ad quæ aluisse dicitur quadraginta millia canum, & falconum ingentem numerum. In subditos æquus & comis, in peccantes tamen severus: at promissorum servantissimus. Superstitioni suæ addictissimus, multa templa & monasteria suis religiosis extruxit, & largas eleemosynas pauperibus erogavit. Denique omninò dignus, si sanctiori religione vixisset, quem Christiani Principes imitarentur. Sed ita nati sumus, ut talem aliquando inter nos invenire, non solùm non speretur, sed nec ferè desideretur.

INGENS PRÆLIUM QUO UTERQUE REX MORITUR.

[a] Hist. Musulm. lib. 5.

[b] Chalcond. lib. 1. in fi.

[c] Phranz. lib. 1. cap. 28.

[d] Leunclav. d. l. 5. & in Pandect. num. 47.

AMURATES EO PRÆLIO VICTOR, ET NECATUS, QUALIS MORIBUS ET VITA FUERIT.

VIII.

BAJAZETES SUCCEDIT, FRATREMQUE OCCIDIT.

Antequàm verò mors ejus innotesceret, confestim proceres *Bajazetem* majorem ejus filium Regem salutârunt; & advocatum tamquam à patre Iacupem minorem, laqueo suffocârunt, ne molestiam aliquando fratri facesseret. Unde mos ille barbarus deinceps in eo Imperio plerumque viguit, ut præter unum omnes defuncti Principis filij neci tradantur. Bajazeti cognomen fuit *Gilderun*, quod significationem fulminis habet; quippe qui vehementioris fuerit ingenij ac præcipitis iracundiæ: ceterùm crudelis, perversus, infidus, avarus dolosus. Qui mox prædabundus universam peragrans Triballorum & Bulgarorum regionem, Christianósque astutiis ac fraudibus deludens, & contra datam fidem perimens, aliquot nobilia oppida sequentibus duobus annis cepit; intérque illa Nicopolim plenâ pace; tantâ Christianorum socordiâ & ignaviâ, ut pudor sit legere, nedum referre. Donec in Asiam ad suos pariter infestandos, aut ad obsequium reducendos (sicuti & fecit) transmittere deliberans, quò certiores Christianos Europæos de serio suo pacis studio redderet, uxorem duxit filiam Lazari Triballorum Regis; filij videlicèt ejus qui prælio Cosovano interiit; quem Christianæ historiæ Stephanum vocant, Turci verò de patris nomine Lazarum, quòd eo Serviæ & Triballorum Principes omnes indigitare consueverint. Hæc autem plenius Leunclavius [e], & Chalcondyles [f]: quæ verò secuta sunt dicentur porrò suis locis.

[e] Leunclav. lib. 6.

[f] Chalcond. lib. 2.

IX.

TAMERLANIS INITIA.

Interim verò ad ejus contundendam superbiam paravit Deus alium ejus æmulum, quamvis & ipsum Christianæ religionis hostem, & ejusdem cum ipso superstitionis Mahometanæ sectatorem, ut sic per inimicos suos vindictam sumeret de inimicis suis. Fuit is quem Latini *Tamerlanem* vocant, quidam etiam Tamberlanem; Græci *Temirem*, Turci etiam vel simpliciter *Temir* vel *Temir Chaam*; quod regiæ dignitatis est nomen; aut etiam *Temir Lanc*, quod claudum significat; ipséque claudicaret, sive ut quidam volunt, lapsu è muro quem privatus adhuc & inops ad furtũ committendum conscenderat, seu veriùs ex vulnere inter pugnandum accepto; Tartari denique *Temir Cuthlu*, hoc est fortunatum gladium, propter successus rerum prosperrimos. Fuisse natione Scytham, sive Tartarum, patre pecuario in Sogdianis montibus natum, quam & ipse artem initio exercuerit, vulgò ferunt; ceterùm callido ingenio, elato, atque supra æquum & conditionem ambitioso, viribúsque corporis & agilitate præstantem, cùm saltandi & sagittandi ludis Scythis familiaribus, ceteris pastoribus emineret, ab iis Regem per ludum creatum, in sua verba eos jurare compulisse; abjectâque mox vilissimâ pecuariâ, & collectâ tam ex sodalibus quàm ex perditis ac facinorosis hominibus non contemnendâ armatorum manu, primò Sogdianam incursionibus & latrociniis infestare cœpisse, prædam inter commilitones magnâ æquitate dividendo: deinde in Persidem ducentem, missum adversum se à Rege Persarum strenuum ducem cum mille equitibus, sibi non pugna sed arte & verborum delinitu comitem adjunxisse: majoraque audentem, prædicti Regis fratri de imperio cum eo contendenti suppetias ferendo, necato Rege in solio eum collocâsse, & in præmium tanti beneficij ab eo cunctis Persicis copiis præfectum esse: quarum paulò pòst ope novum ipsum Regem apud

PROGRESSUS:

Tauri

Taurisium Persidis regiam, unà cum liberis omníque cognatione regiâ, obtruncaverit, regnúmque ipse sibi asseruerit, factus jam cunctis formidabilis: Dein Parthicam petiisse regionem, quò Saracenorum incursiones ac latrocinia comprimeret; pérque diversa gentium terrarúmque cum immensis copiis absque ullâ cessatione indefessè volitantem, omniáque sibi subdentem, prosternentem ac proterentem, eò demùm potentiæ pervenisse, ut nulla gens vel natio fuerit inter Imaum, Rubrum, Caspium, & Oceanum mare, quin ejus domita vel oppressa signis teneretur: In obsidendis vel oppugnandis urbibus hunc modum servâsse; ut primo die candidum tentorium in castris figi juberet, quo certò sciret se statim dedentes clemētiæ locum esse inventuros, secundo coccineum, quo ceteris incolumibus majores tantùm cunctationis pœnas daturos; tertio deniq; nigrum, quo ad unum omnes viri, feminæ, pueri, lactentes innumaniter gladio & flammâ se perituros intelligerent, ídque immitissimè atque irremediabiliter etiam in se spontè tunc dedentes servâsse; adeò ut cunctas Scythicas & Tartaricas immanitates superaverit. Qui etiam aliquando cuidam Italo apud eum gratiâ & auctoritate pollenti, ac blandè percontanti quid tantâ in victos supplicitérque veniam postulantes sævitiâ milites grassari pateretur; contortis in illum oculis ignem spirantibus, ut erat truci aspectu & obductâ fronte, *Quid me hominem existimas?* ait, *Scito me Dei iram & flagellum esse, ac depravati sæculi funestam cladem*: illumque cōtinuò à se penitùs abegit, pro magno habentem evasisse incolumem. In castigandis autem latrociniis ac militum licentiâ severissimus, id faciebat ut non minùs quàm ad emporia celebratissima merces omnis generis ad ejus castra deveherentur. Hæc de illo pluribus Petrus Perondinus proprio cōmentario de ejus Vitâ; Laonicus Chalcondyles [g] in Rebus Turcicis; Petrus Bizarus [h] in Persicis; Ioannes Heroldus [i] in Continuatione Belli Sacri: præter Turcorum Annales, & plurimos alios auctores, qui de eodem pro rerum gestarum quas describendas susceperunt opportunitate egêre; nonnihil tamen singuli, ut fit, diversè: in eo verò omnes convenientes, quòd sicut omnium hominum crudelissimus, ita & turpissimus ac salacissimus fuerit.

Et crudelitas.

Iram et flagellum Dei se nominat.

[g] Chalcond. lib. 3.
[h] Bizar. lib. 9.
[i] Herold. lib. 6.

X. NOBILIUS TAMERLANIS GENUS DESCRIBITUR.

Sed quod ejus natales attinet; sunt alij, qui ex ejusdem Vitâ per quemdam Alhacenū Arabem, qui ei in omnibus suis bellis adfuit, referunt eum regio Tartarorum sanguine ortum, fuisse ex se principem Samarcandæ; gloriæque adipiscendę generoso desiderio tanta suscepisse ac præstitisse; Moschos, Sinas, Parthos, Persas, Ægyptios, aliósq; populos subegisse & in auxilium Christianorum adversùs Bajazetem Turcorum Imperatorem processisse; ceterùm corpore elegantem, moribus præstantem, virtutibus præditum, scientiísque excultum, ac præcipuè castitate, humanitate, & æquitate insignem extitisse. Quæ quantum abhorreant à Græcorum & Latinorum assertione, nemo non videt. Scribit tamen etiam Bizarus, à nonnullis in literas relatum esse, eum filium fuisse Magni Chaami Tartarorum. Itémque Michovius [k] filium existimavit Bathi Tartarorum Principis qui Poloniam destruxit. Sed minùs, ut apparet, consideratè; cùm vastatio illa contigerit (ut vidimus ex ipsomet Michovio) anno Christi 1241, ipséque Bathi eodem fermè tempore extinctus fuerit: quo si natus fuisset Temir, quem saltem ad annum Christi 1402. omnes pervenisse concedunt; debuisset tempore obitûs attigisse ætatis centesimum & sexagesimum. De ejus autem natalium vilitate nihil item Phranzes [l] & Spáduginus [m] Græci, cùm de illo agunt. Ac deniq; Manuel Imp. petens abeo (ut pòst videbitur) auxilium contra Bajazetem, ejus nobilitatem opponit vitæ pecuariæ antecessorū Bajazetis. Ceterùm incidimus in Relationem Itineris nunciorum Henrici Regis Castellæ ad Temirem posteà missorum, cujus meminit Mariana [n], inseruitque eam Pineda Franciscanus Monarchiæ [o] suæ Ecclesiasticæ linguâ Hispanicâ cōscriptę, quâ traditur fuisse quidem Temirem (cui is auctor *Tamurbeco* verum nomen fuisse ait, quod interpretatur *Dominum ferri*) nobili prosapiâ Tartarorum Sacatajorum, qui ad Samarcandam sedes suas olim fixerant: latrociniis autem pedetentim pervenisse ad tantam potentiam, quam & ipse ac ceteri describunt; initio imperij facto ab occupatione Samarcandæ in Sogdianis: pro insignibus sumpsisse tria OOO. ut significaret fore se dominum trium partium orbis terrarum: fuisséq; crudelissimum ac ferocissimū, & octo uxores ductas habuisse. Stet porrò rei sua veritas. Nec minus Temir, si vili genere extitit, opus ad quod elegit eum Deus peregit, quàm si regio, quinimmò & longè convenientiùs admirabili divinæ providētiæ, quæ plerúmque infima mundi eligit ut fortia cōfundat. Sed de his plura posteà. Hoc autem præsenti anno 1390. Temirem Babylone (quâ triennio antè capta Sultanum Achmetem virum crudelissimum, astrologiæ tamen, sed inutilis sibi scientiæ peritum deturbaverat, qui ad Bajazetem recurrit, eum adversùs Temirem excitaturus:) movisse in regionem Destensem Tartaricam, ac cum Thecmico Chane prælio conflixisse, victoriáque potitum, ferro & igne regionem illam omnem depopulatum esse; traditur in Annalibus [p] Turcorum.

[k] Michov. lib. 1. de Sarmat. Asian. cap. 8.

[l] Phranz. l. 1. cap. 21. & 22.
[m] Spandug. de orig. Impp. Turc.
[n] Mar. lib. 19. cap. 11.
[o] Pined. lib. 23. cap. 7. Vid. i... an. 1402. XXI.
[p] Ap. Leunclav. lib. 7. & Annal. Beckan. edit. ejusd. Leunclav.

XI. RHODII AUXILIA PETUNT A CLEMENTE.

Quo eodem tempore timentes sibi à tantis Turcorum & Tartarorum potentiis Christiani Orientales; imprimis Rhodij [q] milites missis ad Clementem Pontificem Avenionensem, cui obediebant, necnon ad Reges & Principes oratoribus, auxilia postulârunt, atq; imprimis Smyrnæ urbi valdè inter medios hostes periclitanti. In cujus subventionem Clemens datis ad omnes Christianos literis plenariâ peccatorum remissionem & indulgentiam proposuit omnibus & singulis subsidiū pecuniarum ad hoc conferentibus. Ac præpterea Magistro Hospitalariorum sive Rhodiorum injunxit, ut conquirendis domesticis præsidiis auxilísque, comitia sui Ordinis Avenione indiceret, in quibus omnes in commune conferrent: quæ necessaria ad defensionem Smyrnæ forent.

[q] B. J. in Hist. Hospital. Bzov. hoc an.

XII.

Eodem anno celebratis [r] Caracæ in Castellâ regni comitiis, Ioannes Rex, quò Lusitani Castellanorū jugum libentiùs subirent quā de re vidimus inter eos decertatum) obtulit regno cedere in favorem filij: nec tamen auditus est, dicentibus proceribus, pessimū exem-

[r] Marian. lib. 18. cap. 13.

plum

plum fore Regem idoneâ maximè ætate Reipublicæ curam abdicare, tradereque puero curis publicis impari. Quod verò res Ecclesiasticas attinet; duo alia non parvi momenti iisdem comitiis tractata fuêre. Alterû de sacerdotiis, quæ dari externis hominibus usu receptum erat, unde magna incommoda insurgebant; templorum cultus negligebatur sacerdotum absentiâ; literarum studia deserebantur nullo virtuti præmio, (quæ eadem mala etiam in Galliâ & Angliâ his temporibus maximè viguisse, ex jam dictis & pòst dicendis intelligitur; facileque est credere etiam ubique locum habuisse.) Constitutúmque est, ut Clemens Pontifex de eâ re appellaretur. Alterum de patronatu Ecclesiarum; quem priorum temporum perturbatione Castellæ Vlterioris proceres ita usurpaverant, ut occupatis decimis ac proventibus earum, sacerdotes instituere exiguo stipendio, dareque & auferré ad arbitrium præsumerent, quâ de re cùm in conventu relatum esset, nihil tamen agi potuit ob regulorum intercessionem, morem per multas ætates continuatum, majorum merita, & veterum Pontificum veniam excusantium, quos ampliùs urgeri haud visum Regi, alioqui ad libertatem ecclesiarum propenso, ne novâ offensione eorum animi irritarentur. Fuerat enim subditis paulò antè potestas concessa, à proceribus ad regios judices provocandi, quod ægerrimè tulerant.

VITIA DE SACERDOTIIS EXTERNORUM, ET PATRONATIBUS.

XIII. IOANNIS REG. CASTEL. REPENTINA MORS.

Cùm autem post hæc idem Rex *Ioannes* Complutum concedens, septimo Idus Octobris ad quoddam spectaculum equitum Africanorum exîsset, atque ut se oblectaret, ostentaretque peritiam, equum quo insigni vehebatur in vervacto, calcaribus incitâsset; loci inæqualitate sulcisque offendente equo, concusso corpore ad terram præcipitatus, momento temporis extinctus est, ætatis anno trigesimo tertio, regni undecimo mense quarto. Ita namque Hispani [f]: cùm tamen id Regi in leporis insecutione qui fortè prosiliit contigisse, alij [t] scripserint. Sed in parvo fuerit hæc discrepantia. Major illa quam unus [u] habet, cùm narrat Ioannem Regem tædio affectum de continuis cujusdâ eremitæ Andreæ nomine viri sanctæ vitæ sollicitationibus de tranquillitate Ecclesiæ schismate divisæ procurandâ, tandem illum carcere mancipari jussisse: Ejus liberationem cùm nonnulli postularent, Regem ita annuisse, si is juraret numquam se ampliùs eâ de re verba habiturum: Rogatum igitur ad Regem juraturum accedere, respondisse sublatam jam illi potestatem ipsum liberandi & audiendi. Verúmque fuisse comprobatû verbum, cùm auditum est Regem lapsu equi collum fregisse. Attamen eremiticam istam sollicitationem magis ad Regem Francorum refert alius [x] auctor, cùm venisse Parisios quemdam specie eremitæ, sæpiusque quæsîsse Regem alloqui de re schismatis, sed semper prohibitum re infectâ ablegatû esse scribit: quod jam superiùs retulimus [y]. Potuit igitur quod uni accidit, alteri imputari; vel etiam utrique Regi eadem res contigisse: cujus fides sit apud auctores. Ceterùm haud omninò omittendum, quod Rodericus Sanctius [z] in Ioannis morte diligenter observandum censuit; eam ei contigisse in pœnam violatæ diei Dominicæ, quæ tunc erat; quâ Deus non solùm ab omni opere cessari voluit, verùm etiam à venationibus & vanis joculationibus. Successit ei major ejus filius *Henricus* ætatis annorum undecim, corpore imbecillo, unde & factum ei cognomen *Valetudinarij*: cui vidimus desponsam Catharinam filiam Ducis Lancastriæ ex Constantiâ filiâ Petri Crudelis, quæ novem circiter annis Henrico ætate anteibat. Ei verò decreti sunt ad regni administrationem donec adolesceret, ex tribus regni ordinibus procuratores certo numero: inter quos orto mox dissidio, occasione maximè Archiepiscopi Toletani unius ex illis, parem non sustinêtis; periclitatum est regnum & à moribus civilibus, & à Lusitanis res suas interim promovere satagentibus: donec post tertium annum res exteræ cum Lusitanis per inducias compositæ, internæ per legatum Pontificium in integrum restitutæ fuêre, quæ omnia pluribus prosequitur Mariana [a]; diceturque rursùm de nonnullis inferiùs.

[f] Garivai. lib. 15. cap. 27. Marian. lib. 18. cap. 13.
[t] Iuven. & Mon. Dionys. in Car. VI.
[u] Mon. Dionys. ibid.
[x] Iuven. ibid.
[y] An. 1388. IV.
[z] Sant. Hist. Hisp. par. 4. cap. 22.

HENRICUS FILIUS EI SUCCEDIT.

[a] Mar. cap. 15. & seqq.

XIV.

Quo item anno [b] ad decimumquartum Calendas Maij mortuus est *Robertus* Rex Scotorum, postquàm regnum tenuisset annos decem & novem, vixisset septuaginta quatuor: vir optimus, pacisque artibus cuilibet bonorum Regum facilè comparandus; justitiæ, religionisque cultor eximius, pauperum protector, vitiorum severus vindex, doctorum virorum amator. Bella verò magis per legatos, quàm per seipsum gessit, sive ob ætatem, seu fortè ob minorem peritiam: ita tamen iis fortunatus, ut nullâ ferè adversâ fortunâ pugnatû sub eo sit. Successit *Ioannes* filius natu maximus: cui de Ordinum sententiâ mutatû est nomen, ut *Robertus* appellaretur ejus nominis Tertius; sive ob duorum Robertorum qui nuper regnum tenuerant, pace & bello virtutem & felicitatem; seu fortè propter duorum exterorum Regum, alterius Franci, alterius Angli, quibus nomen Ioannis fuerat, calamitatem; quasi virtutes hominum aut res prosperæ à nominibus penderent, cùm nec sanè mutatio hæc Robertum magis extulerit: quem ferunt magis vitiis caruisse, quàm virtutibus excelluisse, & meliorem virum quàm Regem extitisse: qui equi percussu claudus, ceterâ tamen formâ corporis & compositione nulli æqualium cessit. Ad labores tamen militares minùs idoneus; quietisque magis cupidus, regio nomine ferè contentus, rerum administrationem minori fratri, Roberto & ipsi dicto, permisit, cui illam jam anteà pater detulerat.

[b] Io. Major. lib. 6. cap. 6. Boeth. lib. 16. Buchan. lib. 9. ad fi. & 10. in pr.

ROBERTI REGIS SCOTORUM OBITUS. SUCCEDIT FILIUS IOANNES, MUTATO NOMINE IN ROBERTUM.

XV.

Legimus apud unum ex auctoribus Francis [c] ejus temporis, hoc eodem anno quosdam veneficos variis regni locis detectos esse fontes & puteos inficere ope mendicorum ostiatim victum quæritantium, veneno ex ungulis & carne hominum suspensorum, sanguine bufonum, & nonnullis aliis immunditiis confecto. Cujus compositionis habiti sint religiosi Dominicani suspecti, eò quòd qui de ejusmodi scelere puniti sunt, quamvis negarent scire se veneficos, faterentur tamen gestâsse desuper vestem longam & nigram, subter albam. Tanto quippe odio erant adhuc vulgo boni hi Patres, ob disputationem de Conceptione Beatissimæ Virginis de quâ suprà, ut etiam innocentibus nefanda scelera affingerentur.

[c] Mon. Dionys. ms. in Reb. sub. Car. VI. gestis.

DOMINICANI SUSPECTI DE VENENO.

XVI. [a] Ap. Crus. Annal. Suevic. par. 3. lib. 6. cap. 3. IUDÆUS PETIT SUPPLICIO AFFICI.

Lepidius, nec tamen luctûs expers, quod alibi [d] reperimus; Constantiæ in Germaniâ Iudæum quemdam ad Consulem urbis accessisse, supplicitérque ad genua accidentem se igne deleri orâsse, quòd iudaismo abnegato se baptizandum præbuisset Christo: cúmque obsecrando instaret, petitionis suæ compotem factum esse.

XVII. INSULARŪ BOREAL. DETECTIO. [e] Ap. Pontan. in descript. Dan. & Ramus. to. 2. Navigas.

Novi Orbis partem Borealem, quæ maximè versùs Europam, Groënlandiam, Islandiam, & Frislandiam Insulas jam olim detectas extenditur, & *Estotilandia* nominatur, à quibusdam Frislandiæ piscatoribus, tempestate ad ejus littora appulsis, olim lustratâ; circa hunc annum à Nicolao & Marco Zenis nobilibus Venetis, auspicis Zichini Frislandiæ Regis denuò recognitam esse, scribit Ortelius: extántque [e] eorumdem nobilium Venetorum de ejusmodi suis navigationibus relationes.

IESV CHRISTI Annus 1391.
BONIFACII IX. Ann. 2.
VVENCESLAI Annus 13.
EMMANUELIS II. An. 8.

I. BONIFACII PP. EPISTOLA DE SCHISMATE.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo primo, Indictione decimaquartâ, Calendis Martij data reperitur epistola encyclica à Bonifacio Romano Pontifice ad universos Christi Fideles, Romæ anno ipsius Pontificatûs secundo, in detestationem Schismatis, manifestationem divinæ providentiæ in defendendâ Ecclesiâ Romanâ, & exhortationem ad obedientiam Pontifici in Sede Apostolicâ ejusdem Ecclesiæ sedenti ab omnibus præstandam: quam vidimus in codice [a] manuscripto insigni Bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, quo plurima alia continentur Schismatis hujus temporis monumenta. Quâ quidem præcipuè in Regnum Francorum commotus, cujus potissimè patrocinio sciebat Clementem æmulum suum consistere; inter alia velut indignans memorat, Sedem Apostolicam detentam in Galliis septuaginta quinque annis, detentionem hujusmodi atque aliena crimina ad ripas Rhodani in tristitiâ flevisse, priusquàm velut Israëliticus populus de Ægypto ad locum sanctuarij principalem, ac principij sedem & alveum propriū divinâ dispositione reduceretur: Hancque reductionem ex eâdem dispositione procedere, illud tunc temporis Hispaniæ decus, Petrum infantem Aragoniæ virum regiæ stirpis religiosum grandedævum & vitæ probabilis per se ipsum, & Birgittam de Suetia piæ memoriæ per confessoré suum Priorem Ecclesiæ Lincopensis, Ioanni Franciæ & Eduardo Angliæ Regibus tempore Clementis Papæ Sexti nunciâsse; admonitione subjunctâ ex parte Altissimi, ut quilibet ipsorum eamdem reductionem promoveret, alioquin contra facienti prosperitatem omninò absuturam: prout despicientem Franciæ in bello captum, obedientem Angliæ victoria potitū cernere licuit. Sic etiam Urbanum V. cùm è Româ contra prædictam dispositionem ei ab eâdem Birgittâ per Comitem Nolanum significatam; Avenionem redire præsumeret, antè completum inter ab humanis exemptum esse. Et ipsum Gregorium XI. disponentem de regressu ad Gallias, misso per eum ad Hispanias pro galeis habēdis, ante ipsarum adventum in Sede propriâ Romæ perpetuò quiescere compulsum esse. Ceterùm Domum Franciæ, quæ aliàs principalis murus defensionis fidei soleret esse, in hoc horrendo schismate principaliter non peccâsse, sed falsis deceptam literis, quasi Urbanus VI. voluisset ei auferre regnum Arelatense, & spe monarchiæ orbis ac perpetuitatis decimarum à schismatico Papâ ei ostentatâ, in Schismatis defensioné conversam esse. Pro quâ delendâ maculâ, tam se preces Deo offerre, quàm alios hortari ut idem faciant. Hæc iis literis Bonifacius satis artificiosè: quibus non pauca nos docet, quæ absque iis foret ignoraremus, cùm nullibi alibi exarata legerimus; ea verò ipse vel ex certioribus monumentis hausit, vel auditu ab aliis percepit: quæ non est animus ad examen revocare, ne videamur Pontifici insultare. Illud omninò dicimus; quamvis haud dubium convenientius ac decentius fuisset numquam Sedem in Galliam traduxisse; si tamen Urbis Romæ & Italiæ commoda dempseris, non adeò æquè pœnitere debuisse reliquum Christianum orbem de Pontificibus qui Avenione sederunt, si cum aliis conferantur. Itemque, numquam per Reges stetisse quin schisma tolleretur, si priùs sublatum fuisset dubium de juribus partium; de quibus controversum vidimus non solùm inter Reges ac principes; verùm etiam inter Academias florentissimas, inter Antistites religiosissimos, inter Sanctos virtutibus & miraculis illustrissimos. Eo verò dubio sublato, quo zelo & ardore unionem & reformationem Ecclesiæ exemplo majorum suorum Regum Christianissimorum Rex persecutus fuerit: novit universus Orbis, & videbitur inferiùs.

CONTRA REGEM FRANC.

[a] Cod. P. 9. fol. 41.

II. [b] Froiss. vol. 4. cap. 24. VARII TERRORES BONIFACIO OBIECTI.

Interim autem existimamus, motum fuisse Bonifacium ad prædictam epistolam promulgandam, ex eo quòd (ut ex Froissardo [b] intelligitur) sparsus rumor esset de expeditione quam Rex decrevisset in Italiam. Forsitan etiam metu armorum Comitis Armeniacensis: qui à Frorentinis in auxilium contra Ioannem-Galeatium evocatus, in ipso fermè ingressu, solitâ Francorum inconsiderantiâ & præcipiti fiduciâ in obsidione urbis Alexandrinæ interemptus est, dissipato exercitu; quæ prosequuntur scriptores utriusque nationis. Itémque ex alio de industriâ fortè simulato terrore, quem Walsinghamus [c] Anglus indicat; cùm narrat, facto in Comitiis Anglicanis hoc anno decreto, ut omnes Angli beneficia Ecclesiastica obtinentes qui Romæ essent, redire in Angliam haberent circa festum sancti Nicolai, sub pœnâ amissionis eorum; & qui nondum obtinerent, etiam nihilominus redirent sub pœnâ noxæ: hoc audito Bonifacium misisse Abbatem quemdam, ad causas hujus decreti explorandas, quo lædebatur libertas Ecclesiastica; quam ita Pontifex tueri vellet, ut tamen nihil intenderet minuere auctoritatis regiæ in rebus licitis & rationi congruis: seriò de cetero præcipiens ut statuta contra eamdem libertatem condita revocarentur,

[c] Vvalsi. in Rich. II.

REGEM ANGLIÆ CONTRA REGEM FRANC. CONCITAT.

alioqui haud se rem dissimulare posse: Significare quoque se Regi, Robertum Antipapam ac Regem Francorum pacta invicem iniisse de investiendo Duce Turoniæ Regis fratre de omnibus terris Ecclesiæ quæ in Italiâ erant,& alium quemdam coronare Regem Tusciæ & Lombardiæ, ac Ducem Andegaviæ confirmare in regno Siciliæ: proptereaque rogare, ut Rex Angliæ defensionem fidei & Ecclesiæ suscipere vellet, & ad idem Imperatorem per legatos hortari: nec ullam concordiam cum Francis iniret, nisi per eam cautum esset securitati Ecclesiæ & Italiæ: si enim Rex Francorum occuparet Italiam, etiam Angliam facilè usurpaturum. His autem ad Comitia relatis, quamquam Rex ac patruus ejus Dux Lancastriæ viderentur Pontifici deferre; tamen qui comitiis intererant nullo modo consentire voluisse, ut liceret Romipetis impunè sibi acquirere ibi beneficia sicut priùs: ne tamen viderentur nullum honorem Papæ aut Regi deferre,hoc tolerare decrevisse usque ad proxima comitia.

III. BONIF. QUÆDAM SALUTARIA GESTA. [d] Bullar. to. 1. Bonif. IX. const. 4.

Hoc item anno sexto Calendas Iunij idem Pontifex Constitutiones Friderici II.& Caroli IV. Imperatorum pro immunitate, libertate & jurisdictione Ecclesiarum, editâ sanctione [d] confirmavit; tam fortè prædicti Anglorum decreti occasione, quàm petitione quorumdam Germaniæ Antistitum, ad quos sanctio inscribitur. Idémque Nonis Octobris ejúsdem anni S. Birgittam Suecam in Sanctarum numerum retulit. Et Studium generale in civitate Ferrariæ Status Ecclesiastici erexit. (quod plurimùm debet *Bartholomæo Saliceto* Iurisconsulto hoc tempore florentissimo, qui professioni Iuris primus in eo felix auspicium dedisse traditur.) Pacémque inter Dominum Mediolani & Florentinos, eorúmque socios, per legatos suos procuravit: quæ Genuæ ad finem hujus anni tractata, conclusa fuit sequenti Ianuario, iis modis & conditionibus quas referunt scriptores Itali: sed quæ tamen non diù duraverit, ut ex iisdem intelligitur.

BARTHOLOM. SALICETUS I. Ctus.

IV. [e] Surit. Indic. lib. 3. MARIA TRINACRIÆ REGINA NUBIT MARTINO EXER. COMITI.

Alterâ verò parte Clemens [e] Avenione sedens indulsit ut *Maria* regni Trinacriæ sive insulæ Siciliæ heres nuberet Martino Exericæ Comiti, Regis Aragoniæ, ex fratre Martino Duce Momblanci nepoti; quòd Gregorij XI. decreto cautum esset, si fortè contingeret feminam, necdum nuptam in regno Trinacriæ Romanæ Ecclesiæ vectigali succedere,eâ nonnisi Summi Pontificis consensu, viro Catholico,ad regni propugnationem idoneo, & Ecclesiæ Romanæ non suspecto, aut Ioannæ Reginæ & ejus successoribus inimico, nuberet; alioqui liberum esset Pontifici regnum alij conferre. Venientes in Siciliam, paucos invenerunt qui eos reciperent, quòd præcipui proceres qui universam penè insulam inter se partiti fuerant, fœdera iniissent de repellendis omni conatu Aragoniis; seu privato commodo retinendæ dominationis, seu populo Ecclesiæ ac Bonifacij Pontif. à quo stabant. Excensione tamen à Martinis patre & filio factâ, brevî magnam insulæ partem in suam potestatem redegerunt: sed prævalentibus rursum adversariis, rebúsque propemodùm desperatis, demùm tamen tota insula rursùs Aragonij imperij jugû subire coacta est: productis ad multos annos his turbis,ex frequentibus seditionibus, defectionibus, proditionibus; (ut in gente infidâ,mobili, pronâque ad quodlibet facinus perpetrandum: sicuti patriam suam Falcandus [f] depinxit in Historiâ de Calamitatibus Siciliæ, quæ ab ejus ævo immensum creverunt:) quas pro instituto tangit potiùs quàm describit Surita in Indice, confundit magis quàm explicat Fazellus [g] in Historiâ, perturbatis de more rebus & temporibus.

[f] Ext. tom. Rer. Sicul.

[g] Fazel. 2. dec. 9.

V. IUDÆI VARIIS REGNIS EXAGITANTUR.

Nonis Augusti festo B. Mariæ ad Nives Barcinone in Cataloniâ Iudæorum synagoga à Christiano populo direpta est. Eóque ipso die, quasi signo dato, in celeberrimis Hispaniæ urbibus & oppidis id ipsum præstitum,& ingens eorum multitudo occisa. Complures Christianitatem datis nominibus simularunt potiùs quàm professi sunt. Quod hoc anno gestum Surita [h] ponit;sequenti Mariana [i], hujus fine rem cœptam dicens in Castellâ, turbæ concitatore Archidiacono Astigitano per plateas concionabundo apud vulgus, spe prædæ magis quàm sincero religionis amore; vímq; mali ex intervallo in alias Hispaniæ regiones diffusâ.Quo etiam præsenti anno in Germaniâ Wenceslaum Romanorum Regem civitatibus Imperij mandâsse reperitur [k], ut Iudæi omnes fœnore remisso nobilibus literas & pignora redderent, quò nobiles ære alieno excusso sibi liberiùs inservire possent. Item, ut civitatibus remitteretur dimidium eorum quæ Iudæis deberent. Eodémque tempore Pragenses populari tumultu excitati, atque in furorem acti, Iudæorum domus invasêre, bona diripuêre, domus incendêre, atque intra duas horas non sexui non ætati parcentes infelicem gentem gladio cæcidêre: servatis compluribus infantibus misericordiâ bonorum civium, qui baptismi gratiam acceperunt. Rem breviùs narrant Æneas [l] Silvius,& Dubravius [m]: diligentiùs Krantzius [n]; contigisséque ex insolentiâ puerorum Iudæorum, qui sacerdotem sacram Eucharistiam ad quemdam infirmum deferentem luto lapidibúsque insectati fuissent; nullâ tunc sub ignavissimo Rege Vvenceslao curâ justitiæ, raróque pietatis cultu, ob gliscentes jam perfidæ Vvickleffistarum hæresis abominationes.

[h] Sur. d. l. 3.
[i] Mar. lib. 18. cap. 15.

[k] Ap. Crus. Annal. Suevic. par. 3. lib. 6. cap. 3.

[l] Æn. Hist. Bohem. cap. 34.
[m] Dubrav. lib. 23.
[n] Krantz. 9. Vvandal. 23.

VI. MINORITÆ cujusdam impostura et poena.

Hoc eodem anno quidam sacerdos ex Ordine Fr. Minorum, nomine *Iacobus de Juliaco*, qui confictis literis Apostolicis Episcopum Lavarensem profitebatur; postquam per decem annos in Treverensi, Moguntinensi, & Argentinensi diœcesibus sacros Ordines, ceteráque munia Episcopalia celebrare & exercere præsumpsisset, & Trajectum accedens id ipsum ibi aliquot annis præstitisset: demùm detectâ fallaciâ, publicè ordinibus exauctoratus, & ut loquuntur degradatus est à septem Episcopis; & impœnitens magistratui sæculari, cum solitâ canonicâ obsecratione de non infligendâ pœnâ sanguinis relictus, damnatus nihilominùs est aquæ ferventi: ad quam cùm in amplâ cortinâ seu lebete sederet,secum mitiùs agi rogans decollatus est. Qui autem ordinati fuerant, multi ad sæculum redeuntes uxorem duxerunt, reliqui ab aliis veris Episcopis reordinati sunt. Quam rem narrat plu-

[o] Io. à Leid. lib. 31. c. 43.

ribus Ioannes [o] à Leidis in suo Chronico Belgico: breviùs, & sub anno sequenti, Guillelmus Heda in Historiâ Episcoporum Ultrajectensium. De quâ miramur nihil Wadinghum in suis accuratissimis Annalibus Minorum egisse; fortè parcentem sodalis turpitudini.

IESV CHRISTI Annus 1392.
BONIFACII IX. Ann. 3.
VVENCESLAI Ann. 14.
EMMANUELIS II. Ann. 9.

I. BONIF. PP. VAGARI COGITUR PER ITALIAM.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquintâ, Bonifacius Pontifex Romæ à Banderesiis seu Regionum Urbis præfectis, adeò despectui habitus, ut varias ab iis persecutiones pati cogeretur, nec ferè haberet quò recurreret ob tumultuosissimum totius ferè Italiæ ac singularum civitatum statum; Perusium[a] civium incitatu se contulit. Ubi rursùs factionibus civium, & exulum quibus beneficium contulerat reductionis in urbem, in graviora pericula incurrens, anno sequenti Assisium confugit; indéque Spoletum, Romam non multò pòst profecturus.

[a] Anton. tit. 22. c. 3. §. 1. Niem 2. de Schism. 15.

II.

Hócque eodem anno cùm rumor sparsus fuisset Martinum Momblanci Ducem, patrémque alterius Martini insulæ Siciliæ Regis, turpiter abuti viduâ Manfredi Claromontij soceri Ladislai Apuliæ Regis, qui non ita pridem diem suum obierat: hanc occasionem arripiens Margarita Ladislai mater, rem turpiorem aggressa ingratissima femina, impiis atq; iniquis facinoribus assueta, dedecus convertit in innocentissimam Reginam Constantiam, cujus amplissimæ, dotis ope ab ultimâ miseriâ tam ipsa quàm filius ejus Ladislaus servati fuerant. Quare indignum prætexens, Regem eam habere uxorem, cujus mater illicitis amoribus indulgeret; filio adolescentulo persuasit repudium ei nunciare, sicuti & fecit publicè 1. Dominicâ mensis Iulij præsentis anni, habito tamen priùs consensu Bonifacij Pont. qui rebus turbatissimis ac adversissimis, nihil poterat denegare qui ei quocumque modo auxilio esse possent. Estque verisimile obtentam fuisse causam divortij, minorem contrahentium ætatem: quamvis nullam auctores referant, quàm Ladislai levitatem, & matris ejus vilissimum animum ac turpem avaritiam dotem novam cogitantis. Quare damnatam fuisse ubiq; istiusmodi nefariam ingratitudinem & impiam immanitatem, omnes tradunt, maximè quòd eò usque illa processerit, ut infelici puellæ duæ tantùm ancillulæ & una anicula concessæ sint in ministerium in quâdam ædiculâ ad id paratâ, & in modum eleemosynæ victus ei dari solitus, è tantis quas dotis nomine detulerat opibus, quam ignominiam illa constantiori animo quàm nomine sustinens, post tertium dimissionis annum à Ladislao, cùm misericordiâ moto, tum metu ne quis Princeps filiam ei suam hoc statu collocare vellet, tradita fuit in matrimonium Andreæ Capuano filio Comitis Altevillæ cum dote triginta millium ducatorum. Quæ cùm à marito abduceretur,

TURPE FACINUS MARGARIT. REG. NEAPOL.

magno animo publicè coram omnibus aulicis ei acclamavit, felicissimum ipsum esse totius regni militem, quandoquidem concubinam haberet uxorem legitimam domini sui, ut hæc diligenter prosequitur accuratissimus Summontius [b]. Sed ad alia.

[b] Summont. lib. 4. c. 2.

III. NOVÆ TURBÆ IN GALL. EX LÆSO CONNESTABILI A CRAONE BRIT.

Plura nobis suppeditat Gallia, bonorum & malorum feracissima. Vidimus suprà dissidium Ducis Britanniæ Armoricæ & Oliverij Clissonij Franciæ Connestabilis. Id quamvis sopitum visum fuisset, mansit tamen alia mente Ducis indignatio in Clissonium, aucta expulsione Petri Craonis propinqui sui è comitatu regio, in quo plurimùm potuerat tam apud ipsum Regem, quàm præcipuè apud ejus fratrem, (qui hoc anno è Turonensi creatus est Dux Aurelianensis) quam Petrus invidiæ Clissonij falsò adscribebat; cùm eam sibi ipsi curâsset detegendo uxori Aurelianensis amores viri arcanos, unde illa non leviter indignata fuerat. Vindictam igitur Crao in Clissonium meditatus, secreto Lutetiam ingressus, eum noctu ex aulâ domum redeuntem inermem & nihil suspicantem cum armatis adortus, multis vulneribus inflictis pro mortuo reliquit, séque ad Ducem Armoricum ex fugâ recepit. Sanato Clissonio, dedere Craonem Dux jussus cùm non pareret, (excusans nihilominùs, se neque auctore neq; conscio facinus factum) Rex vindicare injuriam magno nisu avens, delectu habito in Cenomanos Armoricæ finitimos abiit: inde verò æstuosissimo die ineuntis Augusti sub meridiem majori ipse æstuans vindictæ ardore profectus, vix ad alterum ab urbe lapidem pervenerat, cùm penitùs convulsâ mente, furoreq; correptus, stricto repentè gladio quasi inter hostes esset quatuor comitum occidit, complures prostravit, omnes persequebatur, ut vix frater ejus Dux Aurelianensis gladium ejus effugere potuerit: quoad lassitudine confectus, prehensus est, ac Cenomanos suaviter reportatus, nihil sentiens, neminem noscens, ac velut mortuus. Quo statu per biduum detentus, Clero populóque interim publicè privatímque preces pro eo cótinuas ad Deum fundentibus, paulatim resipiscere ac convalescere cœpit: & accedente insigni arte cujusdam medici Laudunensis, demùm integram sanitatem recuperare visus est: nunquam tamen ita, quin ex intervallis mente periclitaretur vacillarétque, ac corporis infirmitate subinde languesceret. Vnde infinita acerbissimáque mala universo regno extiterunt, Rege curis gravioribus inepto, rerum procurationem multis uno tempore ambientibus, quæ his initiis fratri ejus, quòd per ætatem adeò gravem rerum molem legibus ferre prohiberetur, denegata, patruis demandata est avaris & superbis, qui regnum factionibus suis, odiis, & favoribus pessum dederunt; ac primum omnium Clissonium Connestabilem, & alios qui Regi propiùs adstabant expulerunt, & officiis deposuerunt: Britanno interim cum suo Craone ob tantum evitatum periculum exultante. Contra quem nihilominùs Clissonius atrox adeò bellum intulit, ut demùm coëgerit pacem amplis conditionibus petere. Regis verò casum pluribus descripserunt Monachus[c] S. Dionysij, Iuvenalis [d], Frossardus [e], Æmilius [f], Gaguinus [g]; multiq, alij breviùs attigerunt. Quem

REGIS CAROLI GRAVIS CASUS IN ITINERE ADVERSÙS DUCEM BRIT.

[c] Hist. ms. Car. VI.
[d] Iuven. in Car. VI.
[e] Froiss. vol. 4. c. 43 & seqq.
[f] Æmil. lib. 10.
[g] Gag. lib. 9.

& prænunciatum fuisse volubili spontaneo motu Sigilli Beatiss. Virg. quod inter pretiosa ornamenta Ecclesiæ S. Iuliani Cenomanensis asservabatur, & cùm gravis aliqua clades in regno imminebat, ita moveri consueverat; speciatim narrat idem Monachus.

IV. CAUSA CASÛS REGIJ.

Causam autem casûs regij homines pro suo quique sensu, aut judicij abusu pensantes, physici quidem infirmitati assignârunt, quâ paulò antè, etiam usque ad delirium & inconditos gestus, ex iracundiâ & tædio repugnantium expeditioni suæ patruorum, & moras trahentium, laboraverat, residuo adhuc languore & humore melancholico, accedentéque immenso calore quo debile inediâ cerebrum affectum est. Addunt alij, cùm sic tristis & cogitatione defixus per silvam quâ iter erat procederet, subitò quemdam insolitâ specie eremitam, sive homo fuerit sive spectrum, sese ei vili ac sordido habitu obtulisse, prehensóque equi freno acclamâsse, *Quo Rex miser ruis: proderis, & in potestatem hostis traderis*: ad ejúsque conspectum Regem conterritum, mente penitùs motum esse jam ante læsâ. Maximè cùm momento alius casus quasi ex compacto accesserit; ut subsequentibus duobus ephebis regiis, quorum alter galeam, alter lanceam ferebat, tágente fortè lanceâ galeam; hoc acuto tinnitu Rex sibi visus inter medios hostes esse, gladiũ repentè strinxerit. Qui verò causas supernaturales quæsierunt, fuêre qui suspicionem fœdam sparserint de fascinationibus & maleficiis ei per [h] Valentinam fratris conjugem factis, consilio patris ejus Ioannis-Galeatij domini Mediolani. Patrui verò ultionem divinã esse dicebant, quòd Rex ipsorum neglectis consiliis, magis fraternis, & Clissonij, aliorúmq; iniquis suasionibus obsequens, hoc bellum leviori de causâ suscepisset. Pontifices, Bonifacius quidem flagellum Dei esse, ideò quòd sæpiùs admonitus ut Antipapam desereret, audire noluisset: Clemens autem, eò quòd eversionem promisisset Bonifacij, & arma aliò divertisset. Alij denique, vel in tributa ac vectigalia graviora, vel in desertionem rerum Orientalium, vel in alias vanas & imaginarias causas pœnam referentes; ludebant singuli in ejus calamitatem: digni fortè omnes graviori, si vellet semper Deus ex æquo in peccata hominum animadvertere, qui sapientiâ suâ providentissimâ cuncta suaviter disponit pro tempore, loco, & personis. Cur verò nõ & Dei benignitati tribuerimus, [i] qui quos diligit corripit, & quasi pater in filio complacet sibi? Ceterùm cum quamprimum usum sensuum recepit, veniam de iis quæ furens commiserat humiliter à singulis petiisse, conscientiam confessione purgâsse, inter Missarum solemnia Corpus Domini devotissimè suscepisse, de Beatiss. Virg. & S. Dionysij visitandis ecclesiis votum emisisse, idque postmodum adimplesse factâ peregrinatione Carnotum & S. Dionysium, idem Monachus Dionysianus narrat.

[h] *Vid. infr. an. 1593. II.*

[i] *Proverb. 3.*

V. CALUMNIA IN BONIFACIUM.

Nec planè audiendos censemus eos, qui ceterorum mentes ad suas metiendo, Bonifacio imponere, tamquam præclarum elogium, & dignam Apostolicæ Sedis Præsule laudem, non sunt veriti, cum audito Regis casu vehementer exultâsse. Nam perterquam quòd hoc planè dedeceret bonum patrem, qui filiorum errata, culpâ potiùs alienâ quàm suâ deviorum, eâ potissimùm ætate & conditione, dolere quidem, sed tamen excusare magis habeat, & pro eorum reductione preces ad Deum fundere, quàm mala imprecari, aut de illis lætari: convinci etiam illi mendacij posse videntur ex iis quæ inter eosdem Pontificem & Regem hoc eodem anno laudatissimè gesta referuntur ab eodem Iuvenale Archiepiscopo Remensi, pleniúsque à Monachos. Dionysij, utroque tunc vivente, ac rem sincerè describente. Nempè cùm divisionem Ecclesiæ multi dolerent, inter alios qui ei mederi curârunt fuisse Carthusiæ Astensis in Lombardiâ Priorem nomine Petrum insigni pietate virum: qui cujusdam Cardinalis consilio Bonifacium adiens literas ab eo impetravit ad Regem; quibus commemorans quòd Rex (ut habet epistola, quam etiam integram vidimus ex alio codice, datam 4. Non. April. Pont. an. 3.) ex eâ non solùm vetustissimâ atque nobilissimâ, sed etiam Christianissimâ & virtuosâ progenie duceret originem, de quâ multi venerandi, memorabiles, & inclyti Reges ac Principes prodiissent, ut etiam eorum aliqui fluctuantem Ecclesiam & Rempublicam fide, integritate, industriâ, indefessis laboribus, magnísque sumptibus, gravibus periculis foverint, defensârint, & ad portum salutis & tranquillam duxerint stationem: ac vice versâ cum fuit opus, nonnulli ex ipsius progenitoribus, etiámque recenti memoriâ, ab eâdem Ecclesiâ præcipuos honores & optima commoda reportâssent: atque eam ob rem inter Ecclesiam piam matrem & progenitores ipsos præclarissimos filios connexio indissolubiliter viguisset, ut etiam Ecclesiâ absq; illis & illi absq; Ecclesiâ, si recenserentur Annales, numquam vel rarò magnificum qui tentâssent. Post hæc prædictis ipsis verbis commemorata, enixissimè rogavit ut Ecclesiæ unioni attenderet, spondens nihil se omissurum quo id optatum finem consequi posset. Quò verò maturiùs res tractaretur, prædicto Priori Comitem dedit Bartholomæum de Ravennâ Carthusiæ insulæ Gorgonæ Priorem. Qui Avenionem primò accedentes, à Clemente ingratè excepti, atque detenti fuere: donec re Parisiis cognitâ, Rex Universitatis postulatu Clementem monuit eos dimittere: & Lutetiam venientes circa festum Natalis Domini, gratioséque habiti, responsum ore tenùs receperunt (neque enim Rex litteras rescribendas putavit, ne filialem rescriptionem profitens, videretur subitò à Clemente desciscere) se monita à Bonifacio missa æquo animo suscepisse; omnésque vires regias promptas fore ad unionem Ecclesiæ promovendam. Et ad hoc in Italiâ persuadendum, prædictis duobus Prioribus duos alios ejusdem Ordinis adjunxit, nempè Divionensem & Parisiensem. Fiérique ibidem Parisiis cœperunt eo fine supplicationes & processiones. Quando & Clemens persuasurus se pariter unionem percupere, etiam Officium peculiare Missæ composuit, magnas indulgentias concedens iis qui illud celebrarent. Quod tamen fictè ab eo fieri creditum est: maximè cùm Missus ab eo venit Lutetiam quidam Magister Ioannes Goulam Ordinis Carmelitarum, qui largitione Indulgentiarum viâ unionis dissuaderet, & omnes in Bonifaciũ

TRACTATUR INTER BONIF. ET REGEM DE UNIONE ECCLES.

SUMMA UNIO INTER ECCLESIAM ROM. ET REGES FRANC.

concitaret : qui magno odio habitus eſt Lutetiæ. Ita Monachus Dionyſianus : quæ leviùs attigit Iuvenalis ; uterque tamen ſub præſenti anno rem collocans.

VI. PRIMA GERMANIÆ ACADEM.

Quo etiam Scholam *Erfordienſem* in Turingiâ fundatam eſſe, Bonifacio Papâ privilegium donante, Theologicâ ibi permiſsâ facultate, Krantzius [k] ſcribit admirãs Germaniam tamdiù ſine publicis egiſſe literarum gymnaſiis: Franciam quidem à memoriâ Caroli I. eo genere claruiſſe : Italiam non longè pòſt Bononiæ & quibuſdam aliis locis publicè docere cœpiſſe : Boëmiam non diù ante hoc tempus ſub Carolo IV. Imp. & Rege ſuo, Pragæ publicum meruiſſe literarum gymnaſium : Germaniam omnium ad cultum noviſſimam provinciam, nunc primùm cœpiſſe publica excolere palladia. Ita ille; ex quibus dicendi forent errare illi quicumque antehàc Scholas publicas in Germaniâ conſtitutas voluerint ; aut Krantzius Germaniæ terminos ſtrictiùs concluſiſſe. Iacobus certè Middendorpius in commentario ſuo de Academiis; [l] Colonienſem civitatem, cùm ab antiquo habuiſſet gymnaſium, etiam publicam omnium doctrinarum Academiam qualis Lutetiæ extabat, honorúmque ſcholaſticorum gradus conferendi licentiam adeptam eſſe ſcribit anno 1388. 11. Calend. Iulij ab Urbano VI. & ex ipſius reſcripto confirmat. Ut taceam de Viennenſi Auſtriæ; quam vult à Friderico II. Imp. ex Romanâ & Lutetianâ inſtitutam, ſed à Pio tantùm II. ducentis circiter pòſt annis confirmatam, & privilegiis auctam.

[k] *Krantz. 10. Saxon. 15.*

[l] *Middend. rp. lib. 5.*

IESV CHRISTI Annus 1393.
BONIFACII IX. Ann. 4.
VVENCESLAI Ann. 15.
EMMANUELIS II. Ann. 10.

I. GRAVISSIMUM REGI PERICULUM AB IGNE.

ANNO Chriſti milleſimo trecenteſimo nonageſimotertio, Indictione 1. cùm poſt Caroli Francorum Regis morbum, ex medicorum placito, qui utebantur ejus intimâ familiaritate, ad illum oblectandum aut novos ludos adinvenire ſatagerent, aut qualiacumque læta excogitanti obſecundarent : contigit 5. Cal. Febr. (ut habet Froſſard. [a], ſive pridie, ut Monachus [b] Dionyſianus qui ceteris diſtinctiùs uberiúſque rem narrant) in nuptiis cujuſdam viri nobilis, & virginis quæ in obſequio Reginæ erat, nocturnos fieri ludos in regio palatio Regi priori caſu longè periculoſiores. Fuêre ſex Iuvenes, in quibus Rex ipſe qui veſtes ſibi lineas conficientes, eáſque ad nudam cutem pice agglutinantes, multo lino depexo & in villos confecto ita coopeͬruerũt, ut formam hominum ſilveſtrium hiſpidorum referrent. Ad hunc modum perſonati in aulam cœtúmque principum virorum ac matronarum incogniti ingreſſi, fune invicem ad certum ſpatium ligati, præter Regem qui choream ducens manu funem tenebat; feſcennino carmine, geſtibus deformibus, & lupino ululatu corpora in orbem agitare, tripudiaréque cœperunt, quando à fratre Regis Duce Aurelianenſi, pari eorum temeritati inconſiderantiâ facem propiùs admovente ut aliquem eorum internoſceret, ſcintillâ inopinatò in unius villoſam veſtem incidente, momento omnium ita accenſæ ſunt, ut horribilibus veríſque nec jam fictis clamoribus atq; ululatibus cœnaculum complentes, jocos in lamenta converterint. Solus Rex fune ſubitò derelicto, à quâdã nobili feminâ ludos ſpectante (ſunt qui velint fuiſſe uxorem Biturigis) ampliſſimâ quá indutâ erat chlamyde involutus, ceterorum cruciamenta evaſit, extinctâ flammâ antequàm ad vivũ perveniſſet. Duo ex ceteris, quorum unus infauſtæ fuerat auctor ſcurrilitatis, illicò extincti ſunt: alij duo ad hoſpitia relati biduo pòſt expirârunt: quintus ſe in vas quo eluebantur cyathi, & reſidua potionum excipiebantur, quod propè aderat, conjiciens, vitam in cruciatu ſervavit. Aurelianenſis errorem imprudentiámque excuſans, crimine ſe liberavit, ac veluti in culpæ expiationem ſacellum magnificentiſſimum in eccleſiâ Cæleſtinorum Pariſiis conſtruxit, & optimè dotavit ad Miſſas ibi quotidie celebrandas; quamvis non deſint, qui eum conſultò id egiſſe, quo Rege ſublato ipſe regnaret, ſcripſerint [c] : ſic, ut puto, rebus poſteà à factione Burgundâ in odium Aurelianenſis confictis. Rex [d] autem, poſt viſitatum in gratiarũ actionem de vitato periculo ſacellum Martyrum ad radices montis de eorum nomine Monmartre dicti, & Pariſiis eccleſiam Beatiſſimæ Virginis, (ſolo ipſo Rege ob corporis debilitatem equo inſidente, fratre verò, patruis, ac proceribus nudis pedibus incedentibus) ad S. Dionyſium voti exolvendi causâ peregrinatus, corpori S. Martyris decentiùs habendo capſam fieri juſſit laminis aureis opertam, datis ad hoc ducentis quinquaginta duobus auri puri marchis, & mille libris Pariſienſibus ad capitellum æneum deauratum ſuperimponendum.

[a] *Froſſ. vol. 4. cap. 52.*

[b] *Cod. mſ. in Car. VI.*

[c] *Vvalſingh. in Rich. II. & alij.*

[d] *Iuven. in Car. VI.*

II. REX ITERÙM INCIDIT IN MORBUM MENTIS.

Cùm verò pòſt hæc per ejus patruos Duces Biturigem & Burgundum, cum patruis Regis Angliæ Ducibus Lancaſtrenſi & Glocestrẽſi, de utriuſque Regis voluntate, tractatus pacis haberentur quodam loco Bononiam inter & Caletum; ac præ ſtudio pacis acceſſiſſet Rex ipſe quo propior eſſet rebus diffiniendis, ad oppidum Abbatis-villæ : dum inter difficultates conventionum prorogatæ fuiſſent induciæ in quadriennium, Rex in priſtinum mentis morbum recidit ad medium Iunij; & Lutetiam reportatus, eo detentus eſt uſque ad ſequentis anni Ianuarium, ingenti Reipublicæ detrimento. Quæ prolixè deſcribit Froſſardus [e], brevius Iuvenalis [f] & Monachus Dionyſianus. Sed hi ampliùs habent; quòd cùm Rex neminem ferè extra familiares agnoſceret, nullo verò prorſùs modo conjugem aut liberos, quinimmò nec ſeipſum, aſſerens ſe non Regem eſſe, ſed Georgium vocari, & non lilia, ſed leonem gladio transforatum pro inſigni geſtare; ac nihilominùs Valentinæ uxoris fratris ſui aſpectu recrearetur adeò ut quotidie eam viſitaret, vocans eam dilectiſſimam ſororem : id ſequiori [g] judicio multi interpretantes, Valentinæ maleficiis tribuerint & faſcinationibus, quarum frequentem uſum eſſe dicerẽt in Lombardiâ ejus patriâ : non quidem ut Regem occideret, ſed ut ſibi ac marito benevolentiorem redderet : Unde & tandem habuerit eam vir ejus à Rege elongare, & aliò amandare; nihil tamen inde Rege ſaniore: Cùm autem præſen-

[e] *Froſſ. c. 56. & 57.*

[f] *Hoc an. & 1395.*

[g] *Vid. infr. an. 1398. V.*

tis anni morbo jam mortuus esset medicus ille qui Regem primo curaverat, nec ullo aliorũ remedio sublevaretur, deniq; nec causa aut radix infirmitatis cognosci posset: qui ei adstabant parùm curantes utrùm licitis vel illicitis modis incolumitatem consequeretur; quemdam præstigiatorem nomine *Arnaldum Guillermi* ex Aquitaniâ accersisse, qui eum se per sola quædam verba sanaturum jactabat. Fuisse hunc deformem aspectu, staturâ indecorum, loquelâ agrestem, permodicæ literaturæ, simplici habitu solitariè viventem, & jejuniis ac vigiliis corpus affligentem: (non tamen ex pietatis cultu, sed quòd ars quam usurpabat talem victûs modum requireret:) librum habentem, quem Sinagorad vocabat, & primo parenti Adamo, postquàm centum annis Abelem filium luxisset, per Angelum divinitùs ad ejus consolationem traditum asserebat: cujus exemplar quicumque habiturus esset, dominari valeret astris & elementis: fassum nihilominùs, fortioribus Regem illaqueatum esse sortibus, quàm ut eas posset ipse suis artibus dissolvere, demùm impostorem agnitum, meritas luisse suarum fallaciarum pœnas: Antistites autem sanctiora usurpantes remedia, supplicationibus & processionibus ubique divinam opem promereri curâsse, sese populósque ad vitæ emendationem excitantes. Donec exaudiens Deus supplicum preces, Regem plenæ sospitati restituit mense Ianuarij sequentis anni: qui mox ad gratias Deo agendas ex voto Ecclesiam B. Michaëlis Archangeli in maris periculo dictam, atque in finibus Normanniæ & Britanniæ sitam visitavit. Hæc illi; sed distinctiùs ac pleniùs Iuvenale Monachus.

PRÆSTIGIATORIS FICTIONES ET SUPPLICIUM.

III. PUELLA MORTUA SUSCITATUR AD RECIPIENDUM BAPTISMUM. [h] *Vid. inf. an. 1428. IV.*

Habet item uterque, contigisse itidem hoc anno Parisiis, ut cùm mulier quædam puellulam ex furtivo coïtu partam, & suffocatam à se, in sterquilinio abscondisset; detecta infantula olfactu canis venatici, & à piâ quâdam feminâ ad proximam ecclesiam S. Martini altaréque Beatissimæ Virginis firmâ spe suscitationis ad baptismum [h] suscipiendum delata; post ferventes ejus ac circumstantium preces vitæ restituta sit; & suscepto baptismo sub nomine Mariæ post tres horas occubuerit.

IV. NOVA BONIFACIJ AD REGEM LEGATIO.

Intereà Bonifacius Romanus Pontifex (ut narrat Monachus) auditis quæ Priores Carthusienses anni superioris retulissent à Rege, Perusio 12. Calendas Julij ad eumdem Regem iterùm scribens, dolebat se nihil ex iis intelligere potuisse, nisi quòd Rex ac regnum ejus ambagibus Roberti de Gebennâ (nempè Clementis Avenione residentis) detinerētur involuti: repeténsque legitimam electionem Urbani, & schismaticam Roberti, hortabatur ad hunc abdicandum: & si cuperet, missurum se qui pleniùs ei singula explicarent. Sed his literis ægrotante Rege acceptis Duces Biturigum & Burgundiæ, qui regnum administrabant, haud respondendum existimârunt; eò quòd illis Bonifacius nonnisi adversarij abdicationem postulabat, relictis aliis unionis viis de quibus jam agi cœptum erat, & quæ anno sequenti distinctiùs tractabuntur. De quâ forte Bonifacij legatione loquitur Frossardus [i], cùm ait, Bonifacium ejúsque Cardinales, audito Regis infortunio, habuisse quidem illud tamquam immissum à Deo ob patrocinium

[i] *Frosſ. c. 52.*

Antipapæ Avenionensis; verumtamen consilium iniisse mittendi ad eum tacitè & sine ullâ pompâ quemdam Franciscanum virum prudentem, qui eum in viam rectam reducere conaretur, eò quòd (ut ait) haberent illum ut supremum Regem totius Christianitatis, per quem plus quàm per ullum alium sancta Ecclesia deberet illuminari. Cùm etiam venisset jam anteà missus ad Regem à Clemente Petrus de Lunâ Cardinalis Aragoniæ, qui tam eum, quàm patruos, Academiámque Parisiensem à viis unionis persequendis averteret, desiderium pacis ita præseferens, ut tamen de justitiâ suæ partis nihil dubitari vellet.

V. LEONIS REGIS ARMEN. OBITUS. [k] *Iuven. & Monach. Dionys. in Car. VI.*

Dominicâ [k] primâ Adventus *Leo* Rex Armeniæ, quem vidimus in Galliâ venisse, diē obiit Parisiis, ritè ac Catholicè susceptis Ecclesiæ sacramentis: sepultúsque est honorifico funere in Ecclesiâ Cælestinorum, mirantibus Parisiensibus efferri eum in albis more patrio. Dicunt eum multas divitias secum detulisse, ac præterea multa dona à Regibus quos inviserat accepisse: Omnia autem in quatuor partes ita in fine divisisse, ut unam haberet quidam ipsius nothus, alteram pauperes & mendicantes, tertiam familiares & domestici, quartam præfecti ac præcipui ministri domûs suæ.

VI. [l] *Id. auctores & Gill. in Car. VI.* IUDÆI EXAGITANTUR IN GALLIA.

In eàdem quoque Galliâ hoc anno [l] (quod vidimus præteritis, aliis regnis factitatum) Iudæi exagitati sunt, quòd accusarentur, in detestationem Christianæ Religionis quemdam conversum ad fidem clam noctu interfecisse. Quare nonnulli eorum per urbis Lutetię compita diversis diebus virgis usq; ad sanguinem cæsi, ut vitæ servarentur, octodecim millia scutorum in fiscum retulerunt, quæ ad pontem qui parvus appellatur extruendum impensa sunt. Ceteris regno abire jussis, multi baptismum suscipere elegerunt, parte bonorum mulctati ob exuberantes præteriti temporis usuras. Calamitosum genus hominum, plerúmque ubi paululùm abundare credebantur, mox tanquam Christianæ religioni injurij, fortunis & vitâ exui passim per singula regna consueverant; quamquam non negandum, fuisse eorum pervicaciam insolentissimæ audaciæ.

VII. VVICKLEFI HÆRESIS INNOTESCIT IN GERMANIA.

Augustæ Vindelicorum in Germaniâ hæreticis prava dogmata disseminantibus, quibus inter alia negabant purgatorium; indulgentias dicebant ob nummos corradendos vendi; aquam benedictam, & cœmeteriorum consecrationem, confessionem auricularem, confirmationem, extremam unctionem nihili faciebant, &c. accersitus ex Bābergâ quidam presb. nomine Henricus post illos concionibus suis vehementissimè exagitatos, obtentâ à Senatu urbis potestate, inquisitione de iis habitâ, quamplurimos igni adjudicavit; iis qui resipiscebant flavam Crucem ante pectus & post tergum assuens, quam totum annum gestare deberent. Ita res narratur in Annalibus [m] Suevicis ab auctore hæretico Martino Crusio; qui ait fuisse hos Vvickleffistas, seu *Hussitas*, germina Vualdensium. Cœperat enim hæc pestis ex Angliâ in Germaniam delata, provincias inficere, ac præcipuè Boëmiam; cùm Vvenceslaus Germaniæ & Boemiæ Rex, longè parenti Carolo IV. egregio Imperatori absimilis, totus deliciis ac voluptatibus deditus, vinique quàm regni curiosior, lupanarium frequentator

[m] *Crus. par. 3. lib. 6. c. 4.*

tor, omnium vitiorum sectator, ac supra modum crudelis; rejectis omnium rerum curis, pestem illam ubique grassari permisit: introductam primò à viro quodam nobili Boëmo ex domo quam *putridi piscis* vocabant; (quid sani ex hâc corruptione expectari debuit aut potuit;) qui apud Oxoniam Angliæ civitatem literis studens, cùm Wickleffi libros offendisset, magnoperè illis oblectatus, exemplaria secum in Boëmiam attulit; & quod erat familiæ suæ cognomen, putridum piscem, id est fœtidum virus in cives suos sparsit, communicavítque præcipuè Scholæ Pragensis magistris Boëmicis. Inter quos eminens *Ioannes*, obscuro loco natus, & ex villâ *Huss* (quæ vox anserem significat) cognomentum mutuatus, linguâ potens, & mundioris vitæ opinione clarus, avidè errores illos arripuit, & publicare cœpit. Quâ de re diffusiùs posteà: hæc autem modò ex Æneâ [n] Silvio, occasione hæreticorum Augustanorum.

ET MAXIME IN BOËMIA.

[n] *Æn. Hist. Boëm. c.35.*

VIII.

Sed quod Wenceslaum spectat; horrenda sunt quæ de ejus spurcitiis, sævitiis, luxuriis, comessationibus, ebrietatibus, auctores referũt, ac præcipuè Dubravius [o] Olomucẽsis Episcopus insignis rerũ Boëmicarũ scriptor: apud quem, aliósque, malumus ea legi, quam ut rursùm charta ista eorum recitatione conspurcetur. Satísque sit enarrare, eum propterea in tantum suorum odium simul & contemptum incurrisse, ut captus ab eis Pragæ, in carcerem publicum, in quem supplicio afficiendi passim conjiciebátur, detrusus sit, & menses ibi quatuor in fœtore & squalore miseris modis habitus: donec Senatu exorato, ut exire permitteretur ad sordes in balneo eluẽdas, inde frustratis custodibus operâ balneatricis nudæ ipse nudus lintre amne trajecto, in quamdam suã arcẽ confugit. Cùm verò non vitam mutaret, iterùm captus de consensu Sigismundi fratris ejus Regis Hũgariæ, & variis mutatis carceribus extra regnum in latebras turris cujusdam Viennensis Austriæ abstrusus, inde quoque piscatoris arte evasit; & Pragam habitu medici reversus regnum recuperavit. Qui pariter semel iterúmque tentatus auferri veneno, superavit semper beneficio vomitûs. Hæc pluribus Dubravius. Quomodò verò tandem fuerit Imperio depositus, dicetur suo loco, cùm prædictis carceribus minimè potuerimus certos suos annos cõsignare. Ferunt [p] tamen, quando sobrius erat à vino, optimæ fuisse conversationis modestum & discretum; cum oratoribus aliorum Principum honestè ac prudenter egisse, linguam Latinam apprimè calluisse, aliaque decora præstitisse.

[o] *Dubrav. lib.23.*

WENCESLAUS ROM. REX OB VITAM DEPRAVATISS. SÆPIÙS CONIICITUR IN CARCEREM.

[p] *Edmund. ab. Magn. Chron. Belg.*

IX.

Hoc eodem anno vigentibus adhuc motibus regni Castellæ, de quibus supra [q], captus est ab adversariis Archiepiscopus Toletanus, unà cũ Uxamensi Episcopo & Fusselensi Abbate. Quã de causâ, Sentiei ubi capti sunt, Palentiã, atque Salmanticâ sacris interdictis, aliquantò pòst dimissi sunt. Anathematis autem religione Rex ex eo facto devinctus, ejus procurandæ potestas Dominico Albiensi Episcopo ac Legato Pontificio facta est à Clemente literis Avenione 4. Calendas Iunij scriptis, quas verbatim recitat Mariana [r]: quibus excusans teneram Regis ætatem, culpam in ejus consiliarios rejicit, ac propterea se mitiùs in eum agere deliberâsse ait. Qui in sacrario templi maximi Burgensis in genua procumbens, atque humillimo corporis habitu veniam precatus, sacramentóque suscepto se imposterùm legibus sacris obtemperaturum, satisfacturúmque læsis, anathemate exolutus est 4. Nonas Iulij. Idémque ineunte Augusto, ad causas discordiarum inter regni procuratores tollendas, ipsemet rerum administrationem desumpsit [s], quatuordecim annos natus (quæ ætas patris ejus testamento legitima erat) duobus tantùm mensibus minùs: sed id specimen sui dederat, ut prudentis Principis in eo indolem esse appareret.

[q] *An. 1390. XIII.*

REGIS CASTEL. CULPA ET POENITENTIA.

[r] *Mar. lib. 17. cap. 18.*

[s] *Id. lib. 19. cap. 1.*

X.

Intereà Bajazetes Turcorum Rex imperium suum indies per Græciam vicinásq; regiones dilatans, (quod Chalcondyles [t] & Leunclavius [u] prosequuntur) cùm etiam Bulgariâ, & Vvalachiâ devastatis, Hungariam invadere in animo haberet; intercepto exploratore, quem Emmanuel Imp. Constantinopolitanus ad Sigismundum Hungariæ Regem mittebat, cum litteris quibus eum certiorem reddebat de Bajazetis decretâ expeditione: iram in ipsum Imperatorem convertens; Constantinopolim primùm aggredi statuit; eámque subitâ obsidione terrâ marique strinxit. Sed auditâ quam Sigismundus ad Nicopolim cum ingenti exercitu apposuisset; (urbem duplicem in finibus Bulgariæ & Walachiæ interfluente Danubio, quam olim Bajazetes occupaverat, jámque minorem quæ versùs Vvalachiam erat Sigismundus receperat) relictâ Constantinopoli eò properans, acri conflictu Hungaros contrivit, ac penè internecione delevit, residuis in captivitatem abductis, Rege cum nonnullis proceribus vix fugâ elapso. Ita enim rẽ hoc anno gestam, Leunclavius ex Turcorum historiis refert. Confirmántque Annales Beckani ab eodem editi: quibus tamen dicitur hęc clades nocturnâ & inopinata impressione à Turcis illata; Christianis videlicèt negligẽtiâ solitâ aut stertentibus, aut nugas agẽtibus. Cùm nihilominùs rerum Hungaricarũ [x] scriptores, hoc tempore Sigismundum velint Vvalachos rebellantes impetiisse, & tam illos quàm Turcos in auxiliũ ab eis evocatos magnâ cæde prostrâsse, Nicopolim cepisse, ac relicto ibi valido præsidio, & pacatâ provinciâ, victorem exercitum in Hungariam reduxisse. Quibus sanè omninò crederemus, (maximè cùm prædicti Annales Leunclaviani & Beckani nullam aliam cladem Christianorum apud Nicopolim, quàm modò narratam agnoscant; ac proptereà constet eam intellexisse quam Christianorum historiæ anno 1396. collocant, de quâ suo loco:) nisi sæpè citatus ejus temporis auctor Ioannes Iuvenalis Ursinus Archiepiscopus Remensis disertè asserens, hoc ipso anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio Regem Hungariæ per literas significâsse Carolo Frãcorum Regi victoriam à Turcis de se partam, ac modum & formam prælij inter ipsos habiti, auxiliũ & suppetias enixè postulãdo, nos penè compelleret aliam cladem ab Hungaro acceptã agnoscere, præter illam luctuosissimam Nicopolitanam, quam idẽ ipse Iuvenalis cum ceteris auctoribus sub eodẽm anno 1396. describit. Victoriam autem ab Hungaris cum Francorum au-

[t] *Chalcond. lib.2.*

[u] *Leunclav. lib.6.*

BAJAZETIS DE CHRISTIANIS VICTORIÆ.

[x] *Thurocz. in Sigism. c.6. Bonfin. 3. dec.2.*

SIGISMUNDI REG. HUNGARIÆ RES CONTRA TURCOS GESTÆ.

y Vualsingh. in Rich. II. Gill. in Car. VI.& alij.

xilio partam ponit anno 1395. cui etiam alij y magnas Turcorum clades assignant. Ceterùm pergit Leunclavius, Bajazetem post prædicta reversum esse anno sequenti ad obsidionem urbis Constantinopolitanæ; sed Imperatoris flexum precibus pacem ei his legibus concessisse, ut in urbe vicus unus Turcorum habitationi assignaretur, quibus prętor Turcicus jus diceret, cum facultate extruendi mechitam; ac prætereà decem aurorum millia quotannis tributi nomine penderentur: Idque adimpletum esse; donec capto Bajazete à Tamerlane, Turci urbe pulsi sunt, & meschita diruta. Prosequitur inde quæ prætereà Bajazetes in Asiâ fecerit contra regulos Asiæ, quamvis suæ ipsius religionis sectatores, dum omnia sibi subjicere per fas ac nefas quæreret: quousque adveniente Tamerlane omissis ceteris sibi ipse cavere debuit. Græci z de iisdem agentes, obsidionem Constantinopolitanam decennalem faciunt, cœptam post cladem Nicopolitanam, solutam ad Tamerlanis adventum; nullâ mentione admissorum in urbem Turcorum, aut gravis illius tributi, sed tantùm sanciti fœderis.

z Chalcond. lib. 2. Phranz. lib. 1.

OBSIDIO DECENNALIS CONSTANTINOPOLIS.

XI. Hoc eodem anno in quodam vico diœcesis Treverensis natum ferunt a infantem, cujus pars inferior hominis præ se formam & dispositionem ferret, superior bufonis teterrimi, ita ut intuentes horrore afficerentur: ídque multos peccatis genitricis attribuisse.

a Tritgem. in Chron. Sponheim.

MONSTRŨ HORRENDUM.

IESV CHRISTI Annus 1394.

BONIF. IX. Ann. 5.

VVENCESLAI Ann. 16.

EMMANVELIS II. An. 11.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, Indictione secúdâ, Bonifacius Papa Romæ existens grande periculum incurrit; cùm ut narrat Antoninus a, mense Maij in eum Banderesij (hoc est, præfecti regionum Urbis) unà cum populo insurgentes ex quibusdá discordiis ortis inter eos, adeò contra eum succensuêre, ut tantùm non occiderint. Ita tamen (quod hoc eodem anno ponit Blondus b) ut basilicæ Principis Apostolorum canonicos alienationé facere enormem recusantes à Banderesiis expetitam, & propterea in Pontificis cubiculo latitantes, per vim refractis valvis eduxerint. His verò obviatum esse à Ladislao Apuliæ Rege, addit Antoninus, quippe qui tunc Romæ existens ad quasdam à Pontifice gratias impetrandas, armis correptis eum defendit ab ejusmodi injuriis, ac concordiam inter eos confirmavit. At verò Summontius c accessum Ladislai Romam, nonnisi ad finem mensis Octobris ponit; susceptum ipsum ad tractádum cum Pontifice de ratione belli contra Ludovicũ, quod jam felici aliquo successu inchoaverat, prosequendi: fuisséque à Pontifice pecuniarum auxiliis adjutum. Sed de tempore magis credimus Antonino; cùm etiam ponat Summontius hæc contigisse longè antequàm Clemens Avenione decessisset, quem constat obiisse hujus ipsius anni Septembri mése. Invenimus

BONIF. PP. PERICULUM A ROMANIS.

a Ant. tit. 22. cap. 3. §. 2.

b Blond. 2. dec. 10.

c Summont. lib. 4. c. 2.

autem in Suppleméto Costi ad libitum quintum Collenutij, motum etiam fuisse Ladislaum ad visitandum Bonifacium, ut impetraret ab eo dispensationem contrahendæ affinitatis per matrimonium cum Bajazete Turcorum Rege, de quâ per nuncios fuerat ab eo sollicitatus. Cujus rei certius reperitur testimonium in Historiâ Hungaricâ d; ubi dicitur, Stephanum quemdam Waivodam odio Sigismundi Regis clàm cum Bajazete Turcorum Rege post cladem Nicopolitanam egisse de filiæ ejus nuptiis cum Ladislao, eâ conditione ut generum ad ejiciendum regno Sigismundum opibus & copiis adjuvaret: eóque rem adduxisse, ut sub hâc spe affinitatis oblatæ, Bajazetes nonnullas Turcorum legiones in partes Hungaricas immiserit; qui primus fuerit Turcorum in Pannoniam Inferiorem ingressus, quo Sirmiensem agrum miserè vastârunt. Ex quibus etiam intelligi datur, cùm hæc nonnisi post cladem Nicopolitanam tractata fuerint, quæ tantùm post biennium contigit, non potuisse Ladislaum hoc itinere de iis cum Pontifice agere, sed alio, aut per internuncios. Ceterùm hâc affinitate effectu carente, duxit post hæc Ladislaus ejusdem Pontificis hortatu Mariam sororem Ioannis Regis Cypri, præstantis formæ & egregiorum morum feminam.

LADISLAUS REX PETIT AFFINITATEM BAJAZETIS TURCI.

d Thuros. in Sigism. c. 11. Bonfin. 3. dec. 2.

II. Antequàm verò Clemens diem obiret, Universitas Parisiensis zelo ducta extinguendi Schismatis, cùm apud Regem impensiùs eâ de re institisset, demùm obtentâ facultate viam indagádi quâ unio fieri posset, post supplicationes publicas, maturámque deliberationem, tres commodiores statutę sũt: népè Cessionis, & renunciationis plenarię utriusque contendentis; (quam & faciliorem existimabant) vel Compromissionis mutuæ in aliquos deligendos; vel Determinationis Concilij generalis. Decreto facto ut hæ viæ in formâ Epistolæ Regi offerrentur; ejus componendæ onus impositum est *Nicolao de Clamengiis* sive Clemangiis patriâ Catalaunẽsi, tũc adhuc Theologię baccalaureo in regio Collegio Navarrę, posteà Præcentore, ac demùm Archidacono Bajocensi, eloquentiâ præstantissimo, de quo sæpè inferiùs futura est mentio. Frustrà igitur contrà obnitente totis viribus, ac minas gravissimas intentante, Petro de Lunâ Cardinale Clementino, quem ad hoc præcipuè, sed aliis prætextibus Parisios missum constabat; necnon Duce Biturícẽsi majori Regis patruo; quem Clemẽs pluribus donis ac beneficiis totum suum fecerat: favore minoris patrui Ducis Burgundiæ, impetratâ à Rege, satis ad id suâpte sponte proclivi, audientiâ; ultimâ die Iunij Vias prædictas coràm proposuerunt & explicârunt; atque Epistolam de iis confectam satis prolixam, seu libellum aut suasionem dixeris, eidem obtulerunt hoc titulo: *Christianissimo ac Religionis orthodoxæ zelantissimo Principi Carolo Dei gratia Regi Francorum illustrissimo, devota suæ Celsitudinis filia Vniversitas Study Parisiensis devotæ & filialis obedientiæ sinceritatem* (Solent enim ab antiquo Reges Francorum Universitatem Parisiensem *Filiam suam primogenitam* nuncupare.) (Fine autem: *Data in nostra generali congregatione apud S. Bernardum ut moris est in arduis, celebrata*

TRES UNIONIS ECCLESIÆ VIÆ AB UNIVERSITATE PARIS. PROPOSITÆ.

EPISTOLA NIC. CLAMENGII, UNIVERSITATIS NOMINE AD REGEM.

unanimi facultatum singularum & nationum consensu, 8. Idus Iunij, vigilia videlicèt Pentecostes; quo die Spiritus Sanctus Discipulorum mentibus in unum congregatorum illapsus est, & charitate concordes suæ inundantis gratiæ perfusione replevit: quam & nostro tam concordi conventui ea hora adstitisse pia & verisimili conjectura credimus. Recitat illam verbatim, hæc tractans Monachus Dionysianus in Historia rerũ sub Carolo VI. gestarum: quam & reperimus in quibusdam aliis codicibus manuscriptis Bibliothecarum [e] Navarræ & Victorinæ: eamdémque Regem in Gallicum verti jussisse, tradit Iuvenalis hæc eadem breviùs tangens: & latuisse oportet eos qui ceteras Clamengij epistolas in publicum ediderunt. Nam quæ primo loco inter illas scripta ad Regem ponitur omninò alia est, breviórque, atque ab ipso Clamengio privatim scripta; ut ex utriusque collatione intelligitur.

[e] *Bibl. Navar. oper. Nic. de Clameng. Victor. cod. P. 9.*

III. SERIES EPISTOLÆ.

Quæ enim Vniversitatis nomine scripta est, post laudatum summoperè Regem, qui ei injunxisset Vias inquirere extinguendi tam diri Schismatis jam à 16. annis Ecclesiam pessumdantis; supradictas tres Vias proponit, earúmque modum & rationem abundè exponit, & objectiones quæ contra illas fieri possent luculenter diluit. Declarans prætereà, si alter dissidentium, aut uterque vias illas inire obstinatiùs refugeret, nec aliam idoneam offerret; eum veluti schismaticum pertinacem, & quod ad id consequens esset hæreticum, nec gregis Christi pastorem, sed direptorem potiùs ac tyrannum judicandum; ita ut ejus deinceps nec jussis esset obediendum, nec ulla ei regiminis administratio, immò nec patrimonium Ecclesiæ quo uteretur relinquendum: ipsúmque ab ovili IESU Christi non ut ovem au pastorem, sed ut lupum infestissimum penitus abigendum, pœnisque acerbissimis schismaticorum plectendum; nec in terra viventium, sed cum Dathan & Abiron nequissimis schismaticis portionem ejus habendam: quippe qui gregis pastorem se dictitans, non ad debitam ipsius adunationem, sed magis ad perpetuam quod in se esset dissipationem dispersionémque tenderet, lupique potiùs quàm pastoris partes exequeretur.

IV. APOSTROPHE AD REGEM.

Ad Regem posteà oratione conversâ, hortabatur huic negotio totis animi viribus, sicuti cœperat, incumbere. Meminissétque ipsum solum Principem, CHRISTIANISSIMI nomen non otiosè tenere, sed quòd in omnibus semper Ecclesiæ angustiis majores ejus præsidium ante alios tulissent: Nollet privilegium tam nobile, titulum tam magnificum amittere: non sineret hunc honorem sibi à quocumque auferri, aut alterum in isto ante se venire: Defenderet jus suum, defenderet nomen, defenderet decus: Moveret ipsum omnium Catholicorum & fratrum in Christo suorum expectatio, quæ tota in re istâ de ipsius personâ penderet: Omnes enim tum Principes Catholicos, tum ceteros, ejus in hoc negotio manum præstolari, tanquam illius cui jure, consuetudine, potentiâ, ceterísque adminiculis magis istud debitum esset: Moveret rei ipsius præclara & percelebris ac perpetua laus per quam ejus memoria sempiterna versatura foret in ore hominum: Immò & illud maximè moveret, quòd tam egregia gloria facti usque in diem istum quo puerilem ætatem exuisset, ad decus & famam ejus divinitùs quodammodò servata esse videretur, ne debitus ei honos aliò transiret.

VI. PETRI NAVICULÆ PERICULUM.

Enumerabat deinde pari eloquentiæ vi, præsentis Schismatis incõmoda, turpem Ecclesię faciem, sacra conculcata, vitia pullulantia, scelera impunita, mala permissa; dum non auderent contendentes disciplinæ nervũ tendere, ne suos sequaces à se alienarent. Denique postquàm satis diù cum Petri naviculâ fluctibus & sævissimis procellis agitatâ, vela sua laborando laxâsset, portum demùm petẽs; ut is liberior tutiórq; patesceret, quiescentem Dominum excitabat, instantiùs obsecrans ut quassatam penè undis ratem suam, nec jam sine ipsius ope obniti valentem, tandem aliquando servaret, ventis & mari imperans, ut positis turbinibus sævire jam ulteriùs desisterent; quò per placata æquora, & dulces immissas auras, unà cum ea pacis littus tamdiù desideratum quam proximè teneretur.

VI. EFFECTUM IMPEDIT PETRUS DE LUNA.

At verò (ut addunt Monachus & Iuvenalis) quamvis Rex, & qui aderant frater, patrui & cognati ejus, aliíque Principes ac Prælati, (in quibus eminebat *Simon Cramaudus*, doctrinâ & eloquẽtiâ clarus, patriâ Lemovicensis ex vico Cramaudo, Patriarcha Alexandrinus, quem Ierosolymitanum malè quidam, Petrúmque alij vocant; & administrator Ecclesiæ Carcassonẽsis, ac subinde aliarum [f]; posteà etiam Remensis, ac demùm Cardinalis sub Ioanne XXIII. factus autẽ Pathiarcha à Clemente post obitum Ioannis de Cardaillaco Archiepiscopi Tolosani anno 1390. defuncti quem eâ dignitate ornatum fuisse, docent Memoriæ Occitaniæ Catelli) prædicta læto vultu audîssent; factum est tamen arte Petri de Lunâ, Ducis Bituricensis, aliorúmque adulatorum, ut cùm ad certum diem qui rei gerendæ ab Vniversitate præfecti fuerant advenissent responsum accepturi, Cancellarius regni nomine Regis interdixerit ne ampliùs eâ de re ageretur, ac ne litteræ aliundè scriptæ de his, nisi priùs oblatæ Regi reciperentur. Qui nihilominùs Cancellario liberè significârũt, statuisse Vniversitatem cessationem à lectionibus, prædicationibus, alisq, omnibus Studiorum actibus, donec justis eorum petitionibus satisfieret. Quod verò pertinet ad prohibitionem accipiendarum literarum; putamus multas undiq; ad Vniversitatem hortatorias scribi consuevisse; unde ipsa satis per se ad opus accensa magis inflãmaretur. Reperimus enim in Codicibus [g] Victorino & Navarræo, epistolam Academiæ Coloniensis ad Parisiẽsem scriptam quintâ Iulij præsentis anni, gratulatoriam de zelo hactenùs ostenso, & hortatoriam ad opus viriliter prosequendum. Aliámque Petri Alenconij [h] Cardinalis Romæ cum Bonifacio existentis; datam 8. die ejusdem mensis; quâ eandem Vniversitatem valdè commendat de ipsius constantiâ, & ut apud Regem instare non cesset obnixè rogat. Quinimmò & à Ioanne Rege Aragoniæ, 20. Augusti Barcinone exaratam, quâ rogat Vniversitatem, quæ esset ipsius mens & consilium super unione per literas aperire; paratum enim se pro defensione fidei & unione populi

LITERÆ UNDIQUE AD VNIVERS. PARIS.

[f] *Vid. Gall. Christ. in Archiep. Remens. 71. & in Episc. Pictav. 78.*

[g] *Cod. Victor. P. 9. fol. 24. Navar. sine num.*

[h] *Vid. suprà an. 1378. XXI.*

Christiani, non solùm regna sua, & terras facultatésque omnes, sed & personam pro tanto negotio exponere. Quibus intelligas quantæ esset apud omnes nationes Universitas Parisiensis æstimationis & auctoritatis.

VII. UNIVERSITAS SCRIBIT, DE IISDEM AD CLEMENTEM.

Quæ quidem eandem supplicationem quam Regi obtulit, etiam ad Clementem Avenionem per nuncios mittens, scripsit [i] quoque, enixè hortans ad aliquam propositarum Regi Viarum unionis amplectendam. Expostulánsque graviter, quòd sibi in his silentium à Rege imponi petitum fuisset per virum ecclesiasticum; (Petrum nempe de Lunâ;) tamquam atrox facinus valdè exaggerat, quòd super religionis & fidei materiâ, super Ecclesiæ dissipatione damnabilique jacturâ, Doctoribus Ecclesiæ & lucernis ardentibus silentium imponi quæsierit, quod si quis verbis dumtaxat pertinaciter dicere, hæreticus censeri deberet. Denique per omnia sacra, pérque honorem Dei, animæque propriæ ipsius salutē hortatur & obtestatur, ut ad concordiam, quæ in manu ejus sita esset, intenderet. Satis jam cessatum esse; satis jam tepitum: animos iam ad hujus rei aggessum excitandos, nisi Schisma perpetuū in Ecclesiâ Christi permittere proponeret; cùm jam eò ventum esset, & in tantum errorem res processisset, ut plerique passim & publicè non vererentur dicere, haud omninò curandum esse quot Papæ essent, & non solùm duo aut tres, sed decem aut ampliùs; immò singulis regnis singulos præfici posse, nullâ sibi invicem potestatis aut jurisdictionis auctoritate prælatos.

[i] *Fuêre istæ literæ, aliæq; ejusdem Univers. nomine scriptæ ad diversos, de quibus infrà, dictatæ à Nic. de Clameng. reperiuntúrque in cod. Navar. MS. o-p r e ejus:n: c- non in cod. Victor. P. 9.*

VIII. VRGET INTENSIÙS.

His lectis literis Clemens supra modum excandescens, contemptis Vniversitatis nunciis & responso denegato, hoc solùm dixisse fertur [ii], Literas esse malas & venenosas. Quod cùm audîsset Universitas, rescribens [k] continuò liberiùs ad eum, sperare se ait, siquidem falsa foret relatio prædictorum ejus verborum, ipsum id demonstraturum gratâ aliquâ responsione pro pace Ecclesiæ voluntariâ; sin vera, supra modum mirari se ac dolere quòd tam indignum facinus patrio excidisset ore. Pergénsque magnâ verborum libertate declarare, in quærendâ Ecclesiæ pace nullum posse esse veneni crimen; illum venenosum fore dicendum ait, qui errori schismaticę perfidiæ hæresis suspicionem cumularet, Doctoribus Ecclesiæ perpetuum machinatus imponere silentium, nec quicquam de hoc ad eos pertinere, ore sacrilego ausus enunciare fuisset. Ceterùm rogat, siquid forsan asperiùs, vel indigestum Vniversitas locuta esset, ignoscere vellet, quòd non ex odio malignóve conceptu, sed ex zelo vehementi Ecclesiæ scripsisset. Accidit verò ut antequàm hæc epistola ad Clementem perveniret: diem ipse obiret.

[ii] *Ibid. & ap. Monach. Dionys.*
[k] *dd. Cod. Victor. & Navar.*

IX. CLEMENTIS OBITUS.

Cùm enim priori unà cū privatis ad se scriptis Vniversitatis literis, acceptâ, Cardinales qui cùm Clemēte erant seorsùm inter se congregati, (ut pergunt Monachus & Iuvenalis) petitionem Vniversitatis de unâ ex Viis propositis assumendâ æquam judicâssent; majori iracundiâ & anxietate correptus *Clemens*, levi superveniente infirmitate, paucis pòst diebus, nempè decimosexto Calendas Octobris apoplexiâ percussus diem obiit ibidem Avenione: sepultúsque est in Ecclesiâ cathedrali B. Mariæ de Donis: sicuti etiam testatur auctor Vitæ ejus; confirmans & ipse quæ dicta sunt de accuratâ & sincerâ Vniversitatis diligentiâ in prædictis apud Regem & Clemente prosequendis, & Clementis inde perplexitatibus, atq; obitu. Excusans tamen, quòd longo tempore occupatus Clemēs in defensione sui & Status Avenionensis & Ecclesiastici à vexationibus & invasionibus Raymundi Rogerij de Tureniâ, nepotis ex fratre Gregorij XI. pronepotis Clementis VI. (à quo fuerat ea familia exaltata; in detrimētum Ecclesiæ, ut auctor scitè philosophatur, rectâ lance pensans quàm indecorum simul & damnosum sit, viros Ecclesiasticos, & maximè Pontifices suos propinquos & consanguineos de bonis Ecclesiæ ditare, ac sublimare;) qui bellum Clementi ob quædam prætēta privata jura apertum inferens, licèt secundo gradu affinitatis ei conjunctus esset, ac verum Papam eum profiteretur; universam illam regionem, totámque Provinciam, ac finitimos tractus devastabat: minimè potuerit Clemens attendere extinctioni Schismatis, rei familiaris penuriâ, cùm nihilominùs Iuvenalis scribat, fuisse eum valdè divitem ac potentem tam supellectili quàm pecuniâ: & expressiùs Monachus, reliquisse trecenta millia aureorum, quæ cesserunt Cameræ Papali in usum successoris. Virtutes autem ejus & culpas (pręter illas quæ in ejus electione significatæ sūt) prosequitur in obitu idem ejus Vitæ auctor, partísq; studiosissimus sectator. In eóque defecisse penitùs ait prolem masculam antiquissimæ domûs Gebennensis: cùm mortuo ante triennium Petro Comite fratre unico absque liberis, Clemens tam jure propinquitatis, quàm ex substitutione paternâ, Comitatum adeptus fuisset: post cujus obitum suscepit eum Imbertus de Villariis nepos ejus ex sorore. Vixit annos quinquaginta duos, Sedem suam tenuit sexdecim.

X. LABORATUR APUD CARDIN. AVENIONENSES NE SUCCESSOREM CLEMENTI ELIGANT.

Auditâ ejus morte, Rex [l] de suorum consilio cōfestim ad ejus Cardinales scripsit semel iterúmque, rogans electionem successoris differre, donec ipse speciales nuncios mitteret ad tractandum de modo unionis. Paritérque Vniversitas datis ad eosdem, literis [m] multis eos præconiis ad pacem Ecclesiæ animans, obsecravit ne ad novum eligendum Pontificem maturarent, quousque cognitum esset de adversarij (nempè Bonifacij) ad concordiam Ecclesiæ voluntate, essétque undique tentatum quonam modo obtineri pax posset: id enim longè faciliùs commodiúsq; sede vacāte fieri posse quàm aliàs unquam imposterum. Quemadmodùm & Rex Aragoniæ ad eosdem Cardinales scribens, graviter monuit, hortatúsque est sollicitè inquirere, atq; inter se deliberare de modis & viis quibus schisma extingui & pax Ecclesiæ restui valeret. Quales putamus & alios quoq; Principes cujusq; partis exarâsse. Vidimus namque etiam epistolam Archiepiscoporum Moguntini & Coloniēsis ac Ducis Bavariæ ad Regem Carolum, pariter hortatoriam ad curandum ne successor daretur Clementi. Denique & aliam ipsiusmet Bonifacij Pontificis ad eundem Regem tertij Idus Octobris, quâ obnixè rogabat

[l] *Monach. & Iuven.*
[m] *Ext. in præd. codd. Victor. & Navar. unà cum seqq.*

id ipsum satagere, & Ecclesiæ Romanæ majorum suorum exemplo acceptabili hoc tempore succurrere. Quem scribentem pariter ad Cardinales Avenionenses, & ad Universitatem Parisiensem, misisse ad hæc insignem legationem Patriarchæ Gradensis, Caroli Bracij Comitis Campaniæ ipsius Bonifacij consanguinei, & Thomæ Spinelli de Neapoli militis & Legum Doctoris; constat ex aliâ epistolâ ab Urbe Româ scriptâ ad Universitatem 22. Octobris à Philippo Cardinale Alenconio.

XI. SEDI IJ ELECTIONEM PRÆCIPITANT.

At nihilominùs Cardinales numero unus & viginti tunc Avenione præsentes (aberant enim nonnulli ex iisdem Clementinis) decimo die à Clementis obitu, nempè vigesimo sexto Septembris, conclave ingressi, die vigesimâ octavâ elegerunt suprà dictum *Petrum de Luna* Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, qui paulò ante Clementis obitum è Lutetiâ Avenionem reverterat. Ait Monachus Dionysianus, electionem illos præcipitâsse, ne Regis nuncij qui in itinere erant eam impedirent. Iuvenalis autem prætexuisse eos necessitatem unius in suo corpore capitis, ad resistendum insultibus Raymundi Turenij, qui velut obsessos tenebat eos Avenione, suscepto in eos & Clementem aliósque bello prætextu recuperationis bonorum patrui sui. (De quo lepidum est quod vulgò dici solitum refert idem auctor; nimirùm bellâsse illum contra Papam sine Româ; contra Regem sine coronâ, (nempè Ludovicum Regem Siciliæ) contra Principem sine terrâ; videlicèt Arausicanum, cujus omnis ditio occupata erat.) Denique Frossardus [n] ait, eâ lege Cardinales ad electionem Petri processisse, si ea grata foret Regi Franciæ, neque aliter valituram: miseram dolens conditionem eorumdem Cardinalium, quòd eò vilitatis culpâ suâ decidissent, ut eorum se voluntati subdere non dubitarent, à quibus rogari debuissent.

[n] Froß. vol. 4. cap. 38.

XII. PRÆSEFERENTES STUDIUM UNIONIS AUGENT SCHISMA.

Iidem verò, antequàm ad electionem procederent, ne schismatis fautores viderentur, confectâ jurisjurãdi formâ, quæ à pluribus descriptâ habetur [o], omnes & singuli eâ se obstrinxerunt, laboraturos se fideliter & diligenter, quatenùs ad eos pertineret, in tollẽdo schismate, daturósq; ei qui foret electus auxilium, consilium, & favorem, ad unionẽ Ecclesiæ faciendam; & quicumque eligeretur observaturum sine excusatione, vel dilatione etiam usque ad cessionem inclusivè, si Cardinalibus qui tunc forent, vel majori parti eorum, pro bono pacis & Ecclesiæ videretur expedire. Hoc igitur jurejurando præstito, electus est, ut diximus (*Petrus de Luna*, nobilissimâ familiâ Aragoniæ, Iuris cognitione excellẽs, ac propterea à Gregorio XI. in numerum Cardinalium (ut suo loco vidimus [p]) cooptatus: qui posteà multis obitis legationibus pro nupero Clemente, benevolentiam fermè omnium sibi conciliaverat innatâ comitate, & naturali ingenij dexteritate. Electúsque, iterùm jurejurãdo ad prædicta firmiùs se obstrinxit: labiis tamen magis quàm animo, ut ex post factis apparuit. Unde & *Benedicti* nomen quod in consecratione, & coronatione 5. Id. Octobr. factâ suscepit, in maledictionem ei tandem versum est. Scriptis tamen ad Principes literis [q], persuadere conatus est invitissimũ se coactum fuisse unanimi omnium Cardinalium de se judicio acquiescere; ardens schismatis sopiendi desiderium præseferens. Adeò ut cùm mox Vniversitas [r] Parisiensis nuncios cum literis [s] ad eum in hoc bono proposito confirmandum destinâsset; asseruerit tam paratum se esse ad quamcumque viam ab iis propositam, etiámq; cessionis amplectendam, quàm facilè cappam suam deponeret, quam tunc fortè deponebat ad sumendum prandium. Idque ipsum professus est Petro de Alliaco insigni Theologiæ Doctori, Universitatis Cancellario, regióque eleemosynario, quem Rex ad eum salutandũ misit. Qualia & sæpè antè protulisse, dolum simulando quòd Clemens lentiorem se in extinguendo schismate exhiberet, ac prædicãdo, si sibi contingeret ei succedere, totis viribus operam se ei rei daturum; ac propterea fuisse à Cardinalibus ejus simulationibus deceptis extemplò & unanimi consensu electum; traditur eodem codice [t] Victorino: & confirmat Niemus [u]: qui eum se novisse etiam antequàm crearetur Cardinalis, testatur; fuisséq; brevis staturæ ac gracilis, hominem ingeniosum, & ad inveniendum res novas valdè subtilem. Scripsit porrò hoc ipso ejus initio elegantem ad eum epistolam [x] Nicolaus de Clamengiis, de quo anno præcedẽti, exhortatoriam ad schismatis extirpationem, & pastoralem vigilantiã: quæ quòd liberior visa fuisset iis ad quos eam Benedicto offerendam miserat, & in aliquibus correctione digna, habuit eandem posteà elegantiori apologiâ [y] contueri. Sed de Benedicto modò hactenùs: cetera sequentibus annis, quibus materiam affatim præbebit de ipso agendi.

[o] Monach. Dionys. in Car. VI. Surit. Indic. lib. 3. Mar. lib. 19. c. 5.

PETRUS DE LUNA ELIGITUR.

[p] An. 1375. VIII.

BENEDICTI XIII. NOMEN ACCIPIT.

[q] Ext. in cod. Vict. P. 9. fol. 36. & p. Surit. Indic. lib. 3.

[r] Monach. Dionys. & Iuvenal. in Car. VI.

[s] Ext. d. cod. P. 9 fol. 30. & in Nav. oper. Clam.

[t] Cod. Vict. fol. 306.

[u] Niem. 2. de Schism. 33. vid supr. an. 1375. VIII. in fin.

[x] Nic. de Clameng. ep. 2. inter impress.

[y] Id. ep. 3.

XIII. TEMERITAS MAGISTRI ALCANTARÆ GRAVITER PUNITA.

Insigne est quod in Hispaniâ contigisse narratur [z]. Fuisse nimirùm Ioannem quemdam Sagum, virum sanctum vulgò creditum quòd diù secretam ab hominum cõventu vitam in montibus egisset: qui veluti instinctu nominis Martino Bardubæ natione Lusitano, sed Alcantaræ in regno Castellæ Magistro, præcipitis viro ingenij persuaserit, ut cum Mauris Granatinis de Christianæ religionis veritate præstantiaque armis decertaret. Misisse hunc Granatam, qui Regem Maurorum, quocum erat tunc fœdus Castellano, ad singulare certamen provocaret; si id recusaret, majori numero dimicarent, duplicato Maurorum: Ejus legatis conviciis affectis, Magistrum collectâ trecentorum equitum quinque millium peditum manu, cùm nec ab amicis, nec à Rege ipso à suo proposito deduci potuisset, die Dominico sexto Calendas Maij in hosticum penetrâsse; verùm à Rege Mauro improvisò adveniente cum exercitu quinque millium equitum, peditum centum & viginti, momento temporis, egregiè licèt cum suis equitibus pugnantem oppressum esse; cui impulsor ille monticola pollicitus fuerat, nullum Christianorum prælio occubitum iri. Barbudæ verò calamitate, atque Henrici Castellæ Regis excusatione, Mauri mitigati fuere ne in Christianorum fines incurrerent; alioqui parati armis illatam injuriam, violatúmque fœdus vindicare.

[z] Marian. lib. 19 c. 3.

XIV. REX ANG. IMPIAT FUNUS UXORIS.

In Angliâ mortuâ Reginâ Annâ sorore Vvẽceslai Regis Romanorum, cùm funeris ejus celebraretur officium in ecclesiâ Vvestmonasteriensi, Rex illud sanguine Comitis Arundeliæ (quem satis aliunde invisum habebat) fune-

stius

[a] *Vualſ. in Rich. II.& Hypodigm.*

ſtius reddidit; eo ut Walſinghamus [a] ſcribit prætextu, quòd cùm Comes non interfuiſſet proceſſioni & elationi corporis Reginæ, ac ceteris tardiùs acceſſiſſet, nihilominùs omnium primus veniam peteret recedendi negotiorum quorumdam causâ.

XV. [b] *Ext. tom. Rer. Germ. Lindembrog* NAVIUM VIRTUS. [c] *Krantz. ſ. Suec. 34.*

In Chronico Slavico [b] incerti auctoris rem ſingularem reperimus; ut ſeptem naves in mari glacie ita conſtrictæ ut moveri nullo modo poſſent, viriliter & ingenioſè ſe defenderint ad multa tempora contra grandem exercitum Danorum, quouſque glacies reſolveretur. Krantzius [c] octo fuiſſe naves ait, rémque egregiam diligentiùs deſcribit.

IESV CHRISTI Annus 1395.
BONIF. IX. Ann. 6.
VVENCESLAI Ann. 17.
EMMANVELIS II. An. 12.

I. VIA CESSIONIS DECRETA IN CONVENTU PARIS.

ANNO Chriſti milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, Indictione tertiâ, ad principium menſis Februarij convocati Pariſios à Rege Antiſtites ac præcipui Doctores regni ad tractandum de viâ Unionis, ad quam ſe promptiſſimum fore Benedictus aſſeruerat; præſide Synodi *Simone Cramando* Patriarchâ Alexandrino, omnibus diligenter penſatis, ex plurium ſententiâ decretum eſt Viam Ceſſionis commodiorem & compendioſiorem eſſe; neque aliam exquirendam aut ſequendam: In modo autem executionis ejus ſic procedendum eſſe, ut primùm per ipſum Benedictum ac Regem ſignificaretur Principibus obedientiæ ſuæ; deinde per ſolum Regem Principibus partis adverſæ, qui fortè hanc ſignificationem non libenter accepturi forent à Benedicto: Poſtquàm autem illi Bonifacio cui obediebant viam unionis perſuaſiſſent; tractaretur de modo futuræ electionis, quæ vel à compromiſſariis ab utráque parte electis, vel à Cardinalibus utriuſque partis in conclavi ſecundùm formam conſuetam fieret. Ita rem narrat Monachus Dionyſianus; de his ſic agens ac ſi præſens omnibus fuiſſet.

II. BENEDICTUS INCIPIT AMBAGIBUS AGERE. [a] *Ext. ejus epiſt. in cod. Vict. P. 9. fol. 38. d. ta 3. Non. Febr. praeſ. an.*

Cùm autem petiiſſet anteà Rex à Benedicto authenticum ſcripti jurisjurandi, quod diximus ab eo ceteríſque Cardinalibus antequàm procederetur ad electionem ſucceſſoris Clementis præſtitum, cujus aliquod exemplum viderat, quò ſecuriùs in conſultatione Antiſtitum res agi poſſet: reſpondiſſétque Benedictus [a] exemplum illud quod circumferebatur confictum eſſe: Fuiſſe quidem per ipſum ac Cardinales ante & poſt ingreſſum egreſſúmque conclavis multa condita, multáque prolocuta, & aliqua ſcriptis commiſſa; ſed quæ pro utilitate negotij non expediret divulgari: ea tamen ſe illis quos Rex ad ſe miſſurus eſſet communicaturum, omniáque ſecretiora panditurum; rogans ut tales eſſent quibus poſſet ea liberè aperire: Hinc perſpecto ipſum ambagibus agere, ac propterea auctoritate opus eſſe ad eum in rectum deducendum; decrevit Rex

INSIGNIS AD EUM LEGATIO A REGE PRO UNIONE.

fratrem ac patruos, Duces Aurelianenſem, Biturigem, & Burgundum, unà cum aliquot inſignibus Prælatis, & Doctoribus, ac nobilibus ad eum mittere; flagitatum ut memor jurisjurandi, frequentiúmque promiſſionum, pacem Eccleſiæ redderet. Qui Avenionem pervenientes vigeſimo ſecundo Maij, & à Benedicto honorificè excepti, ſequentibus diebus de rebus ob quas venerant tractantes, vix obtinere potuerunt ut ſibi autographum jurisjurandi exhiberetur: eóque demùm producto, & apographo confecto, (quod tamen ſecretum teneri Benedictus petiit) viſi ſibi ſunt fortiori ratione petendæ ceſſionis quæ illo promittebatur fulciri. Quæ quomodò ſe habuerint per ſingulos propemodùm dies referunt ſæpè nominati Monachus Latinè, & Iuvenalis Gallicè, res ſub Carolo VI. geſtas accuratè deſcribentes.

III. [b] *Cod. Vict. fol. 54.* AD QUAM IPSE MULTIPLICITER TERGIVERSATUR.

Præter quæ reperimus inſuper in prædicto Codice [b] Victorino, quo pleráque omnia cum Benedicto & circa eum tractata continentur, triplicem reſpóſionem à Benedicto ſubinde factam diverſis diebus legatis regiis, cùm ij ceſſionẽ urgentes, ab eâ diſcedere nunquã perſuaderi poſſent, nec ei perſuadere ut ei acquieſceret: quarum hæc fuit ſumma, ut rejectâ penitùs viâ ceſſionis, (quòd illa ut aiebat, nec à Iure ſtatuta eſſet, nec à Patribus unquã in uſum inducta, quinimmò aliquádo repulſa; poſſétq; nõ ſolùm in Dei offenſam, damnũ Eccleſiæ, exempli perniciem, cõtemptum clavium, ac libertatis Eccleſiaſticæ læſionem, ſed etiam in ſcãdalum Prælatorum, & aliorum Catholicorum Principũ ac populorũ qui parti ſuæ adhærerent, ignominiã redundare:) ambo contendentes cum ſuis collegiis alio loco ſub fidâ protectione Regis Francorũ ſimul convenirent, & ibi inter ſe rationes quærerẽt unionis, cùm ante omnia conſenſus partium eſſet requirẽdus: Quòd ſi per hanc viã non poſſent concordare, tunc eligerentur utrimq; viri probi, qui ſingulorum juribus atq; rationibus auditis & ponderatis, decernerent quis eorum deberet remanere Pontifex, eorúmq; decreto ſe omninò acquieturum: Si verò nec ſic tolleretur ſchiſma, aliam ſe viam tunc ibidem propoſiturum, aut ab aliis propoſitam accepturum, quæ foret rationi conſentanea & honeſta: cùm alioqui nullatenùs dubitaret quin ipſe verus eſſet Pontifex; nec poſſet ab ullo, præterquàm à ſolo Deo cujus eſſet vicarius, ad aliquid cogi: nec denique ita obſtringeretur juramento præſtito, ut ejus vi teneretur ſe abdicare.

IV. CARDINALES APPROBANT VIAM CESSIONIS. [c] *Cod. Vict. P. 10. fol. 339.* [d] *Ext. ejus formula in cod. P. 9. fol. 53.*

Obfirmato in his ejus animo, & nonniſi verba dante, legatis regiis privatim rogantibus Cardinales, quæ eſſet eorum de his ſententia aperire; omnes in unum cum iis collecti, viam Ceſſionis omninò approbàrunt, inſtrumento eâ de re cõfecto, quod extat in alio codice manuſcripto [c] S. Victoris. Tribus ad ſummum exceptis, (ſunt enim qui unicum, alij qui duos abfuiſſe velint) qui ægritudinem excusàrunt; eò quòd intimiùs Benedicto adhærentes, deferre inſuper arctiùs voluerunt inhibitioni [d] ab eo omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ factæ, ne ſententiam ſuam de viâ ceſſionis in ſcriptis traderent prædictis legatis, aut ſubſcriberent cedulæ ſeu inſtrumento ſuper hoc confecto: quamvis haud proptereà deſtiterint eamdem ceſſionis viam publicè coram ipſo Benedicto profiteri. Quo etiam tempore quidam Frater Dominicanus

nomine *Ioannis Hatonis* nonnulla proposuit erronea, & injuriosa contra Regem & Universitatem Parisiensem, quorum causâ conjectus fuit in carcerem: excusantibus ceteris Dominicanis Avenionensibus, ea illum ipsis omninò insciis, jámque improbantibus, effutiisse. Testatur id enim Iuvenalis. Ac in eumdem posteà, Universitatem læsæ suæ ac legatorum regiæque existimationis mulctam prosecutam esse, traditur in codice Victorino.

V. [e] d. Cod. P. 9. fol. 49. & 60. RATIONES UNIVERSITATIS PRO CESSIONE.

Quo etiam continetur epistola [e] satis prolixa ejusdem Universitatis per suos speciales nuncios cum regiis missos, ad Benedictum scripta, (quam & encyclicam esse voluerunt ad universos Christi fideles (super eâdem materiâ sedandi Schismatis per viam cessionis utriusque contendentis; hanc ceteris omnibus faciliorem & compendiosiorem, multis rationibus & argumentis demonstrare conatæ: sumptis illis ex quadruplici radice, videlicèt Viæ ipsius, Causæ, Contendentium, & Ecclesiæ. Ex parte Viæ, quadruplici item ratione; nimirùm ob facilitatem, securitatem, perfectionem, & honorem utriusque obedientiæ. Ex parte Causæ, quadruplici pariter fundamento; hoc est ex Schismatis diuturnitate, ex vehementi colore rationum utriusque partis, ex earumdem partium in rebus gestis inextricabili contrarietate, atque ex difficultate judicum & præsidentiæ. Ex parte Contendentium, ex sempiternâ gloriæ mercede ob insigne hoc charitatis opus, quod etiam fortè martyrium superaret, atque etiam ex honore & nomine sempiterno quod apud homines & posteritatem adepturi essent: & contrà ex damnatione æternâ, de quâ periclitarentur si obstinatè remedium unionis fugerent, & Ecclesiam Dei lacerare pergerent; atque opprobrio, quod apud homines & futura sæcula incursuri essent. Denique ex miserandâ & lugubri Ecclesiæ desolatione, & assiduâ ejus prædictæ viæ postulatione. Ceterùm nec prædictam Universitatis epistolam redditam fuisse Benedicto, nec ejus nuncios potuisse unquam obtinere audientiam in consistorio publico, quamquam rogantibus Principibus & Cardinalibus, ex iisdem monumentis constat.

VI. UNIVERSITAS PARIS. APPELLATIONE SE MUNIT ADVERSUS BENEDICTUM. [f] d. Cod. P. 10. fol. 306. [g] Psal. 71.

Quibus mota Universitas, ut se ab ejus minacibus iris tueretur, appellare ab eo decernẽs; procuratorem misit Ioannem de Croanâ Presbyterum Laudunensem magistrum in artibus, qui appellationem ei denunciaret. Cujus rei Acta reperimus in codice [f] Victorino, unà cum ipsâ Appellatione: quâ post accuratam rerum hactenùs gestarum narrationem, atque iteratam propositarum viarum discussionem, asserens procurator prædictus ex modis procedẽdi Benedicti manifestè intellgi eum nolle unionem Ecclesiæ, quin potiùs cum adversario colludere in perniciem Christianitatis; adeò ut posset verti in proverbium, quòd non oritura[g] foret abundantia pacis donec auferretur luna: idcircò nomine Rectoris ac decanorum Theologiæ, Decretorum, ac Medicinæ facultatum, necnon nationum in facultate artium, ac singulorum, &c. itémque pro adhærentibus vel adhæsuris, ob læsiones per sanctissimum patrẽ Benedictum ejusque commissos jam acceptas, & quas possent imposterùm accipere, & ne illi contra dictam Universitatem, singulósque, ad actuum beneficiorúmque privationem, seu personarum quarumcumq; inhabilitationem, citationem, excommunicationem, &c. procederent, &c. coram tabellionibus publicis, testibúsque, &c. à prædicto Domino Benedicto, prætensísque commissis & committendis, &c. ad proximum futurum unicum verum orthodoxum & universalem Papam, ejúsque sanctam Sedem Apostolicam, seu ad illum vel illos qui de hujus causâ appellationis de jure cognoscere possent; provocavit & appellavit, atque ab iisdem tabellionibus petiit primò secundò tertiò, ac instanter instantiùs instantissimè apostolos, &c.

VII. [h] d. C. d. fol. 316. ALTERCATIONES INTER BENED. ET UNIVERSIT.

Quibus auditis Benedictus iracundior factus constitutionem [h] mox publicavit: quâ conquestus de audaciâ prædicti procuratoris, ejúsque rebellibus ausibus in detractionem dignitatis & plenitudinis Apostolicæ potestatis, &c. auctoritate Apostolicâ declaravit non licuisse seu licere à Romano Pontifice appellare, seu provocare; provocationem hujusmodi à jure prohibitam & damnatam esse, ac nullius roboris existere: & contra temerarium appellantem, ejúsque appellationi adhærentes, se pro eorum culpâ seu proterviâ processurum. Dat. Avenione tertio Calendas Iunij Pontificatûs anno secundo, nempè sequenti. Ad quæ rursùm Vniversitas; numquam se rebellesse contra Romanam Ecclesiam, sed semper honorâsse ac viriliter defensâsse: quinimmò nec ipsum Benedictum reprobare voluisse, aut aliquid de facto attentare: quamquam pro sedando pestifero schismate ipsum canonicè monuerit & moneri curaverit ad cedendum in casu dumtaxat quo suus cederet adversarius: Repertos esse inter Summos Pontifices plusquàm octodecim, qui ritè electi & approbati, posteà[d] reprobi effecti à suâ Sede rejecti fuerint, miserabiliter finierint, atque inter alios Benedictos V. VI. & IX. Appellationem ab isto necessariam fuisse tam aliis justis de causis, quàm præcipuè pro subventione Ecclesiæ miserabiliter deploratæ: Vbi agitur de Schismate & suspicione hæresis etiam Summos Pontifices tam vivos quàm defunctos majorem habuisse Iudicem; vivos, Concilium generale; defunctos, successorem futurum: Haud potuisse Benedictum, à quo appellatum est, de appellatione judicare, &c. Ideóque procuratorem persitare in Appellatione, &c.

VIII. PRÆCLARA ENCOMIA DOMUS FRANCIÆ ET UNIVERSITATIS PARIS. [i] Ibid. fol. 310.

In supradicto verò Appellationis Instrumento, dum agitur de providentiâ Dei continuâ in suscitandis subinde propugnatoribus Ecclesiæ contra schisma, dicitur[i] his ultimis temporibus suscitâsse Vniversitatem Parisiensem, matrem omnium scientiarum, fontem totius sapientiæ, lumen inexhaustum Ecclesiæ verum, quod numquam appropinquavit occasui, numquam pertulit eclipsim; speculum fidei tersum & politum, convexum, non concavum, non angulosum, nullis offuscatum nebulis, nullis contagiis maculatum: Serenissimum Regem Francorum, solem Iustitiæ; illustres Duces cetérósque Principes Domûs Franciæ, stellas fixas in luce orthodoxæ Religionis, clarissimo resplendentes fulgore: Hanc nempè Domum numquam hæreticâsse, numquam

schisma.

schismaticasse, nunquam ab Ecclesiâ recessisse, nunquam à fide deviâsse, nunquam intrusiis favisse, nunquam hæreticos sustentâsse, nunquam fovisse schismaticos, sed dumtaxat veros Summos Pontifices:; nec opitulâte Deo facturam, sed in fidei soliditate permansuram firmè radicatam; quoniam ipsam ab originis suæ primordij fundavit sincera fides, auxit devotio, stabilivit justitia, sapientia prætulit, magnificentia decoravit, earúmque virtutum radiis tantò potius ab antiquis temporibus emicuit, quantò in capite & in membris fulsit religio Christiana: Proinde non mirum si exurgant ut dissipentur unitatis inimici, &c.

IX. VIA CESSIONIS PLURIBUS, NON TAMEN OMNIBUS PROBATA.

Fuisse porrò sententiam Universitatis de viâ Cessionis examinatam ab aliis item Universitatibus & Academiis, & quà approbatam quà improbatam; satis intelligitur ex multiplicibus ejusdem ad alias, & aliarum ad eam, necnô ejusdem ac diversorum Regum & Principum ultrò citróq; de eâdem ceterísq; unionis Viis, hoc & sequentibus annis scriptis epistolis, aliísque ubique compositis tractatibus, qui eodem atque aliis ejusdem Bibliothecæ [k] manuscriptis passim continentur: nec dubito plures in Vaticanâ & alibi reperiri, præter typis excusos. In quibus est etiam Epistola Studij [l] Oxoniensis in Angliâ ad Richardum Regem scripta 10. Martij hujus ipsius anni: quâ prædictam viam cessionis à Parisiensibus propositam de mandato ejusdem sui Regis examinans, satis longâ disputatione reprobat, & argumentis pro illâ adductis respondet: Concilij generalis viam potiùs eligendam censens, tanquam dignitate & auctoritate ceteris præstantem quibuscumque. Quam tamen ejus sententiam confutavit rursùm G. Præpositus Tornacensis Doctor Parisiensis; vel explicavit, tribus eâ de re, ac de propositis Viis, tractatibus [m] cōpositis in defensionem sentētiæ Universitatis Parisiensis. Nec in suæ Oxoniensis opinatione perstitit diù Rex Angliæ: sed cùm Rex Carolus post legatorum suorum reditum, nihil delinitus oblatâ spontè à Benedicto decimâ de sacerdotibus in annum cogendâ, decrevisset ad ceteros Christianos Reges ac Principes pro eâdem cessionis viâ nuncios mittere, (quod & præstitit anno præsenti & sequenti:) & qui cum Patriachâ Alexandrino & Archiepiscopo Viennensi in Angliam transmisit *Petrus Regis* Abbas montis S. Michaëlis in Normanniâ, re coram eodem Rege disputatâ[n], & confutatis viis discussionis juris utriusque contendentis, & Consilij, ac Compromissi, illâque Cessionis tam iis quàm ceteris omnibus præponendam esse pluribus argumentis, auctoritatibus, & rationibus firmâsset; ad eámque omninò teneri Benedictum, tam earumdem vi rationum & argumentorum, quàm ex vi juramenti præstiti in conclavi; ita ut non posset ab eâ ullo pacto resilire, aut alias quascumque prætexere, his demonstrationibus, simul & auctoritate Francorum Regis, cum quo novum nuptiarum fœdus Anglus tractabat; factum est ut etiam idem Rex Angliæ viam Cessionis admiserit. Quod & alij quoque nonnulli fecerunt, aliis alias magis probantibus; quibusdam etiam omnes rejicientibus, qui vel Bonifacium deserere, vel Benedicto non adhærere, cujus decessori obedientes sese præstitissent, turpe existimare præseferebant. Inter quos, Reges [o] Hispaniarum, (Lusitano excepto, qui semper in fide perstitit Pontificis Romæ sedentis) sive secretis nunciis ac muneribus, ut quidam habent, aversi ne Franci impulsionibus obaudirent; sive sponte propriâ ne eum modò Pontificem abnegarent, cujus olim suasionibus ejus decessori contra Romanum adhæserant; seu denique quòd Hispani ipsi pro Hispano contendere gloriosum ducerent: Benedictum omninò tueri decreverint, spe etiam fortè habendi & ipsos suâ vice apud se umbram qualemcumque Sedis Apostolicæ. Quid tamen post hæc de his contigerit, dicetur suis locis.

[k] Codd. P. 9. P. 10. P. 11. P. 12. P. 13.

[l] d. cod. P. 9. fol. 285.

[m] d. cod. P. 10.

[n] Ext. Disp. d. cod. P. 9. fol. 336. meminitque Iuven. in Car. VI.

[o] Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 19. cap. 5.

X. SOMNIUM DE CAUSA DIUTURNITATIS SCHISMATIS.

Veram autem diuturnitatis schismatis caussam inquirens eodem tempore *Honoratus* quidam *Bonetus* de Salono Decretorum Doctor ex Ordine S. Augustini, somnium non adeò somniculosè somniavit, & scripto [p] tradidit: quo repræsentans se ei Ecclesia pulcherrimâ facie, sed lacerâ veste, ostendit palatium quoddam in quo residebant omnes majores Principes Christiani. Ad quos singillatim somniator accedens, & de Schismatis pravitate, atque Ecclesiæ unione procurandâ verba cum iis habens; ex interrogationibus & responsionibus ultrò citróque factis elicuit, immanitatem tyrannorum ac discordiam Principum, cum Opinione magnorum clericorum, esse veram caussam durationis Schismatis. Cui non absimilis *Ioannes de Varennis* Prior S. Læti diœcesis Remensis, & in ejus montis abditis vitam solitariam agens, qui olim curiam Avenionensem diù frequentaverat in familiâ B. Petri Cardinalis Lucenburgensis; cujúsque morum præstantiam ac vitæ sanctitudinem valdè prędicat Frossardus [q]: cùm ad Benedictum scribens [r] de ipsius electione contra requisitionem Regis Francorum; ostendit hoc modo non sublatum, sed continuatum iri Schisma, quoniam eâdem ratione Bonifacio defuncto ejus Cardinales successorem pariter ei electuri forent. Hortatur proinde inclinare ad viam cessionis. Pariterque ad Cardinales scribens, monuit graviter avaritiam fugere, & vanitates mundi, ac superbiam vitæ.

[p] Ext. d. cod. P. 9. fol. 269.

[q] Froiss. vol. 4. cap 58.

[r] d. cod. P. 9. fol. 295.

XI. IOANNIS REGIS ARAGONIÆ REPENTINA MORS.

Intereà verò decimo quarto Calend. Iunij *Ioannes* [s] Rex Aragoniæ cùm pomeridianâ lustratione agrorum in quodam nemore venationi operam daret, portentosæ magnitudinis lupâ excitatâ, cùm eam insequeretur cohorrescere incipiens, equo deturbatus de repentè obiit; ex gravi immoderatóque cibo (ut credibilius est) obstupefactâ violento exercitio mente; cùm desidiæ atque ignaviæ totus deditus, nonnisi convivia, cantus, saltationes, & alia ejusmodi otij ac luxûs & luxuriæ oblectamenta curare soleret. Vixit annos quadraginta quatuor, regnavit novem, superadditis utrique numero mensibus ferè 5. Cúmque nullam reliquisset virilem prolem, successor ei contra jus datus frater ipsius *Martinus* Momblanci Dux, qui tunc in Siciliâ occupatus erat asserendo regno filio suo itidem Martino dicto, quod vidimus factionibus perturbatissimum: repulso legitimo prætento hærede *Matthæo* Comite Fuxense, qui nomine uxoris filiæ Ioannis defuncti regnum sibi deberi, ex receptâ, ab antiquo in universâ Hispaniâ consuetudine,

[s] Surit. Indic. lib. 3. Marian. lib. 19. c. 5. & 6.

MARTINUS FRATER EI SUCCEDIT.

ut filiæ succederent, contendebat; & adversùs Ioannis testamentum, Petri ejus patris voluntatem proferebat, qui supremis suis sanxisset Ioannis filias ad regni successionem vocari, si masculâ prole destitueretur. Qui & propterea arrepto Regis nomine, & collectis copiis, in Aragoniā ingressus est. Verùm post aliquas excursiones ac direptiones, populis ab eo aversis, nullo majori operæpretio, quinimmò amissâ magnâ parte exercitûs ad sua se recipere coactus est. Martinus autē nonnisi post biennium in regnum rediit, compositis priùs rebus Siculis, atque in itinere Sardicis; visitatóque Avenione Benedicto Pontifice suo, à quo Rosâ aureâ benedictâ donatus est, & supremo Sardiniæ & Corsicæ dominatu.

XII. ERECTIO DUCATÛS.

Hoc eodem anno *Ioannes-Galeatius* Mediolanensis Comes Virtutum; grandi pecuniâ (centum quinquaginta millia florenorum soluta fuisse Niemus [c] scribit) obtinuit à Wenceslao Romanorum Rege dignitatem *Ducatûs*, ut imposterùm nominaretur & esset *Dux Mediolani*: cujus insignia ab oratoribus ejusdem Regis quinto Septembris ingenti solemnitate accepit; quam describit pleniùs Corius [u]; unà cum privilegiis ei concessis. Quòd autem id Wenceslaus insciis Electoribus pręstiterit, inde crimen ei impactum ad depositionem, ut pòst videbitur.

[c] Niem. lib. 2. cap. 25.

[u] Cor. Hist. Mediolan. par. 3.

XIII. VVICKLEFFISTARUM IN ANGL. SCELERA.

In Angliâ [x] Lollardi; hoc est Wickleffistæ, unà cum suis fautoribus, in omnem malitiam efferati, Londini fixerunt publicæ in valvis ecclesiarum S. Pauli & Vvestmonasterij abominabiles Cleri accusationes, & hactenùs inauditas conclusiones in destructionem personarum Ecclesiasticarum, & sacramentorum Ecclesiæ, ac monachorum. Quibus de rebus certior factus Rex, qui in Hiberniam cum exercitu transmiserat ad cohibendos Hibernorum motus, rediens confestim in Angliam quosdam proceres Lollardorum fautores compescuit; & supplicia cum juramento comminatus si in his persisterent, quiescere ac delitescere compulit. Quando & fortè contigit (nisi & priùs, cujus rei non certum tempus reperimus) quod Harpsfeldius [y] narrat, Petrum quemdam Payn natione Anglum ex antesignanis discipulis Vvickleffi, profugisse in Boëmiam; ac mirum in modum hæresim dilatâsse, quâ jam antè putridus ille piscis, de quo suprà [z], Boëmos infecerat.

[x] Vvalsingh. in Eduar. II.

[y] Harpsfeld. Hist. Vvic-kleff. c. 14.

[z] An. 1393. VII.

XIV. PRODIGIA VARIIS LOCIS.

Visa item sunt hoc anno varia diversis locis prodigia. In Galliâ Imago [a] Crucifixi cum stigmatibus sanguinolentis apparuit per mediam ferè horam super turrim ecclesiæ cathedralis Laudunensis, cernentibus Episcopo, Clero, ac populo manifestè. In Valentino [b] Hispaniæ agro, & confiniis, terra horrendo fragore movit, magnâ ædificiorum sacrorum ac profanorum strage, & aliquibus locis desedit; duo fontes putiscentes cinerei coloris profluxêre: cælestes faces visæ sunt; mirique terrores sereno injecti. In diœcesi Magalonensi [c] Galliæ Narbonensis apparuit in aëre Stella ingens insoliti splendoris, quam nonnunquam aliæ parvæ circumdantes quasi motu continuo pluries invaserunt: cúmque per mediam horam instar mutui conflictûs nunc aggrediendo nunc retrocedendo res acta esset subitò audito clamore cœlesti, comparuit homo igneus insidens equo æneo, qui lanceâ flammas emittente stellam visus est configere. Itémque in Aquitaniâ nocte intempestâ equitantium acies in cœlo apparentes cum fragore armorum. Quæ tamen ultima Gallica, cùm à multis existimata sint prænuncia cladis Nicopolitanæ acceptæ anno sequenti fine mensis Septembris potiùs ad eum annum, quo nonnulli collocant, pertinere videntur; quàm ad præsentem quo alij. Quo etiam in partibus Borealibus cecidisse dicitur [d] circa Assumptionem B. Virginis grando, humanæ faciei præseferentis imaginem, discreto sexu viri & mulieris, itaut barbari virorum, feminarum crispantibus involuta peplis imago in grandine cerneretur.

[a] Vvalsingh. ibid.

[b] Surit. lib. 3. Mar. d. c. 6.

[c] Iuven. hoc an. Monach. Dionys. seq.

[d] Krantz. 9. Vvandal. 32.

XV. QUALIS ESSET MORBUS CAROLI REGIS FRANC.

Fine anni Rex Carolus [e] rursùm in morbum sonticum alienationis mētis incidit; cùm priùs in Reginald. Freron qui dispositionis ejus curam susceperat, tantum odium concepisset, ut è civitate Parisiensi pelli jussisset. Non autem ejusmodi erat morbus etiam cum eo detinebatur, quin aliquas haberet vicissitudines horarum & temporum, & in consilio existens, aut legatos extraneos recipiens, satis modestè ad cuncta responderet, subitò autem mutabatur; fremens quoque & exclamās ac si undiq; aculeis ferreis pungeretur, se ab hostibus impeti asserens. Cùm autem essent multi alij in Galliâ tam nobiles quàm ignobiles, qui simili morbo laborabāt, vulgus maleficiis & sortilegiis adscribebat: regium autem (ut jam antè diximus) Duci Mediolanensi patri Valentinæ conjugis fratris Regis, quam unicam Rex libentissimè videbat. Nullum autem potuit unquam utilius remedium ejus morbo excogitari, quàm precum ac supplicationum publicarum, privatarúmque; quæ continuò magnâ devotione à clero populóque ubique fiebant, quibus erat acceptissimus. Quarum virtute ab hoc morbi accessu liberatus est ad principium Februarij proximi.

[e] Iuven. & Mon. Dion.

XVI. IUDÆI ULTIMÒ GALLIA TOTA PELLUNTUR.

Hoc eodem anno Iudæos totâ Galliâ quarto & ultimo pulsos, refert Genebrardus ex ipsorū Calend. Quod tamen longè antehàc factum, ex aliis monumentis superius [f] vidimus.

[f] Supr. an. 1321. V.

IESU CHRISTI Annus 1396.
BONIFACII IX. Ann. 7.
VVENCESLAI Ann. 18.
EMMANUELIS II. An. 13.

I. SIGISM. REX HUNGARIÆ OPEM FRĀC. IMPLORAT ADVERSUS TURCOS.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, indictione quartâ, cùm Sigismundus Rex Hungariæ sibi timens ab invasione Turcorum, qui finitimas Bulgariam & Vvalachiam, quæ olim regno Hungariæ attributæ fuerant, occupaverant, & ad defensionem sese accingens suppetias Francorum Regis per legatos expetiisset: his Rex cōmotus, iísque *uti Rex Franciæ* (inquit hæc narrans Froissardus [a]) *& caput omnium Regum Christianorum totius Orbis*, providere in animo habens; ad tantum opus spontè sese offerentem Ioannem Comitem Nivernensem patruelem suum, filium primogenitum Philippi Burgundiæ Ducis, Iuvenem viginti quin-

[a] Froiss. to. 4. cap. 57.

que annorum, misit unà cum peritissimis ducibus, Philippo Artesiensi regni Connestabili, Ioanne Maingrio Boussicaldo Marescallo, Ioanne de Viennâ Admiralio, aliisque pluribus ex primâ nobilitate proceribus, & electâ militum manu. Qui cum per Germaniam in Hungariam pervenissent, copiosissimo ex diversis gentibus collecto Sigismundi exercitui, quem centum millium armatorū fuisse volunt, juncti, adeò suo adventu ejus animum fiduciamque auxerunt, ut aliquando in agmine dixisse ferant, iis hastis quæ in Turcos ferrentur, non modò eos non formidandos, sed & cœlum ipsum si rueret sustinere posse.

II. PUGNA NICOPOLITANA QUA GALLI DELETI FUERE.

Transito Danubio, cùm adhuc Bajazetes Rex Turcorum in remotis esset, post minora quædam capta oppida cæsis ad internecionem qui in iis erant Turcis, etiámque nonnullis Francorum incursionibus multis hostium millibus occisione deletis; ubi ad obsidionem nobilis urbis Nicopolis Bulgariæ ventum est, accedente cum ducentis suorum millibus Bajazete, de universali prælio agendum fuit. Placebat Sigismundo ut Hungari pugnarum Turcicarum periti primâ in acie consisterent, quò & ipsi Hungari Frācorum eos intuentium pudore animosiùs certarent, recentésque viribus Franci labore pugnæ fractos Turcos faciliùs contererent. Nec displicebat consilium prudentioribus Francis, sed pars major (invidiâ Connestabilis in procerem Coussiacum id suadentem, magnæ prudentiæ & experientiæ virum, qui paulò ante Turcos privato certamine grandi glade affecerat:) id sibi ignominiosum clamitans, ardore pugnæ quam tot emēsis terrarum spatiis quæsierant, concitatis equis, priusquàm universæ Hungarorum copiæ è castris exîssent, in hostem cum multis aliarum gentium voluntariis, consuetâ ferociâ irruentes, pugnârunt quidem egregiè longè majori quàm pro suo numero hostium strage; nec dubia victoria erat, si integri subvenissent Hungari: Verùm cùm Franci ad adventum recentis aciei Turcorum, quorum grandine sagittarum equi eorum confodiebantur, in pedes desilientes, pugnam cataphracti redintegrarent; eorum equis sessoribus vacuis in castra Hungarorum revertentibus, illa adeò terrore completa sunt, quasi jam deleti essent Franci, ut turpi arreptâ fugâ illos inultos hostibus mactandos dereliquerint: qui subsidij illorum spe ad necem usque dimicantes, demùm undique ab immenso hostium numero circumsepti, plerique omnes ipso prælio cæsi sunt; trecentis circiter captis, qui & ipsi mox in præsentiâ Bajazetis perempti fuêre, tam in vindictam interemptorum priùs à Francis in occupatione cujusdam oppidi post sedatam pugnam Turcorum, quàm ut animum aliis adimerent similes expeditiones suscipiendi. Octo ex proceribus exceptis, quos Frossardus enumerat, sive pluribus, ut alij volunt; quorum tamen magna pars antequàm in Galliam pervenirent ex carceris incommodis ac molestiâ animi perierunt: in ipso verò carcere Connestabilis & Coussiacus. Inter servatos autem præcipuus fuit, qui & expeditionis dux erat, Comes Nivernensis: quem nihilominùs sunt qui velint eo tantùm servatum, quòd ab aliquo physiognomo Turco apertum fuerit Ba-

PRÆDICTIO DE COMITE NIVERNENSI.

jazeti, ejus operâ causâq; plus sanguinis Christiani profusum iri, quàm ullis posset Turcorum cædibus. Quòd sanè minimè frustra dictum, (si quidem tunc dictum, & non potiùs ex post factis confictum (nimiumquàm eventa probârunt. Tradunt autem, ne res absque miraculis transierit) cùm inter alios captivos Coussiacus nudus ad tyrannum duceretur, injectam ei divinâ ope chlamydem, ne tantus vir tāto ludibrio esset. Itémque corpora Christianorum prælio occisorum insepulta relicta ut à feris devorarentur, omninò intacta & incorrupta longo tempore permansisse: Turcis id abominationi tribuentibus, quâ canes eos attingere horrerent: Christianis justitiæ causæ, ac defensioni sanctissimæ Religionis; quàm etsi polluissent totâ expeditione sacrilegiis, lusibus, libidinibus, omnibúsque vitiorum generibus, probabile tamen est pugnam civisse pietatis ergò, proprióque sanguine scelera eluisse. Captivi Prusam Bythiniæ regiam Turcorum Asiaticam abducti; posteà ducentis aureorum millibus numeratis dimissi sunt. Cæsi autem dicuntur prælio aut effusâ Hungarorum fugâ, cui acriter institere Turci, ad viginti millia Christianorum, Turcorum sexaginta millia. Pugnatúmq; est die vigesimaoctavâ Septembris pridie S. Michaëlis feriâ quintâ; (ut certiores habent qui characteres præsentem annum denotant, quo Pascha incidit in secundam Aprilis; non præcedentem, cui nonnulli assignârunt.

III. QUI PUGNAM DESCRIPSERINT.

Hanc autem adeò decantatam Nicopolitanam pugnam pleríq; omnes historici & chronographi memorant, & ut fit nonnihil in quibusdam diversè. Descriptam autem fuisse à quodam Ioanne Schiltbergero Monachio Bavarię oriundo, apud Aventinum [b] legitur: qui illum adhuc puerum ait ob elegantiam formæ à Bajazetis filio servatum eâ clade, & in aulâ Turcorum educatum, victo Bajazete à Tamerlane, arma victoris secutum esse; eóque mortuo in Patriam tandem postliminio reversum, Alberto Duci Bavariæ à cubiculo fuisse, & tam istud prælium quàm alia à se in Asiâ visa & gesta literarum memoriæ mandâsse. Ejus verò lucubratio Germanicâ patriâ linguâ scripta cùm minùs nota sit; rem gestâ familiariori Gallico idiomate descripsêre Frossardus [c], & Iuvenalis [d] tunc viventes: deinde Latinè Thurosius [e] & Bonifacius [f] rerum Hungaricarum scriptores, ac Turcorum Annales [g], quos rem ante triennium perperam collocâsse vidimus: Græcè deniq; Chalcondyles [h] & Phranzes [i]; quorum iste, unà cum Frossardo & Annalibus Hospitalariorum [k] sive Rhodiorum Italicè scriptis, vult Magistrum eorumdem Hospitalariorum Philibertum de Nailaco interfuisse quoque expeditioni, atque unà cum Rege Sigismundo fugâ Istrū seu Danubium trajecisse.

b *Avent. lib. 7.*

c *Fross. c. 67. & seqq. 79. & seqq.*
d *Iuven. in Car. VI.*
e *Thuros. in Sigism c. 8.*
f *Bonfin. 3. dec. 2.*
g *Ap. Leunclav. lib. 6.*
h *Chalcond. lib. 2.*
i *Phranz. lib. 1. c. 19.*
k *Bos. tom. 2. lib. 4.*

IV. SIGISMUNDI FUGA E PRÆLIO.

Sigismundus enim, qui cœli ruinam paulò antè non verebatur, ne quidem ense districto in manus & ipse hostium pervenisset, nisi ex effuso cursu cimbam Danubio transmisisset, qui ob rem malè gestam reformidato Hungarorum impetu, (quibus jam satis post mortem Mariæ conjugis, quæ ei spontè jus suum regiū cesserat, invisus erat, cum aliis de causis, tum ob turpiorem vitam, & quòd plurimos præstantes nobiles qui defuncto Carolo parvo

fave

favérant, proditione captos publico gladio sustulisset:) primò Constantinopolim, inde Rhodum, & Ægeum Ioniúmque pelagus emensus, in Dalmatiam & Croatiam venit: ac demùm post duodeviginti mensium absentiam, amicorum ope in Hungariam rediit, non paucis tamen interim secretò agentibus apud Ladislaum Caroli filium ut ad regnum Hungariæ accipiendum acceleraret: sicuti & posteà, ut videbitur suo loco, conatus est. Cur autem post tantam victoriam Bajazetes à suscepta Hungariæ invasione abstinuerit admirans Chalcondyles, tribuit peropportuno podagræ morbo, quo correptus ad sua se recepit: alij cœptæ jam olim obsidioni Constantiopolitanæ, quam in decennium missis singulis annis exercitibus continuavit; necnon aliis Asiaticis ac Græcanicis occupationibus ac bellis, quibus detentus est usque ad adventum Tamerlanis.

V. [l] Froiss. c.72. 73. 84. GALEATIUS MEDIOLAN. IN SUSPICIONEM VOCATUS PRODITÆ REI CHRISTIANÆ.

Observat autem Froissardus [l]; antequàm Comes Nivernensis cum suo comitatu profectionem iniisset, Ioannem-Galeatium Ducem Mediolanensem specie mittendi ad Bajazetem cum quo amicitiam cōtraxerat, accipitres, falcones, æsalones, aliásque ejusmodi aves aucupatorias quas in deliciis habebat, venationi & aucupio summoperè deditus; indicâsse etiam expeditionem Francorum, singulorúmque Principum ac procerum nomina designâsse, ac de modo eorum pugnandi, artéque ad eos expugnandos adhibendâ commonuisse: Ad hoc autem motum fuisse Galeatium ex invidia ejectæ ab aulâ regiâ Valētinæ ipsius filiæ conjugis Ducis Aurelianensis, ob suspicionem [m] fascinati Regis suis maleficiis; adeò ut non solùm in odium & diffamationem publicam, verùm etiam in discrimé vitæ incurrerit à populo de Regis incolumitate sollicitissimo. Quam Froissardi assertionem, boni presbyteri & ad credulitatem facillimi, ceteris negligentibus, unus eâdem simplicitate in suam Historiam retulit Ægidius [n] de Roiâ Abbas Ordinis Cisterciensis: Aliâ longè mente iracundus Meyerus [o] & ipse sacerdos, in odium Ducis Aurelianensis, cetera adeò pervicax inimicus nominis Gallici, Regúmque; ut etiam hæc tractans, quasi multum ad rem faceret, non erubuerit asserere [p], vix se legisse umquam Capeticam Regum Francorum progeniem Ecclesiæ quicquam profuisse: quamquam, inquit, Ludovicus is qui cœlum meruit conatus sit, vir quidem ille bonus & sanctus, sed bello infelix. Magnam gratiam habere ei debet sanctus ille Rex, quòd vel per contemptum bono verbo ab illo honestatus fuerit. Sed sinamus fatuum suas fatuari fatuitates: seu illas ipse verè sic scripserit, seu is [pp] qui post ejus obitum Historiam ipsius promulgavit ejusmodi ineptiis eam consperserit, aut veriùs conspurcaverit.

[m] Supr. an. 1393. II.

[n] Ægid. Annal. Belg. an. 1395.
[o] Meyer. lib. 14. an. 1397.
[p] Id. an. 1395.
MEYERI VIRUS IN FRANCOS.

[pp] Vid. infr. an. 1419. VIII.

VI. Quod rem attinet: quantumvis certum sit Valētinam fascinationis regiæ suspectā fuisse, id testantibus omnibus historicis qui de rebus Francorum scripsêre; meram tamen calumniam hanc fuisse in innocentissimam feminam, asserunt præter alios sæpiùs recensiti Ioannes Iuvenalis Archiepiscopus Remensis & Monachus Dionysianus tunc viventes, accuratissimi rerum suorum temporum descriptores. Putamúsque hæc primùm à malo nomine, quo à multis sæculis apud exteras nationes audierunt Itali ac præcipuè Lombardi, de veneficiorum ac fascinationum frequenti usu; provenisse: auctámque inde infamiæ notam in Valentinam, ejúsque parentem, à factiosis partis Burgundicæ hostibus implacabilibus Aurelianensis: eo addito argumento, quòd per hæc tempora tractatum fuit in Gallia de bello Galeatio in favorem Florentinorum inferendo: à quo valdè formidatum fuisse, etiam Corius [q] fatetur; adeò alioqui in suorum Vicecomitum commendationem effusus; ut multa plerúmque insulsa, & contra rerum gestarum veritatem turbato animo proferre dignoscatur. Ut autem Genuenses domesticis dissensionibus ad extremum penè reducti, ab ejusdem inquietissimi Galeatij continuis insidiis tuti essent; coacti sunt sese Regi Francorum hoc ipso anno dedere, eúmque in verum dominum accipere, iis conditionibus quas referunt eorum historici [r], receptis à Rege vicariis & gubernatoribus, qui ejus nomine rem publicam administrarent, cùm tamen non propterea ita cessaverint in civitate discordiæ & pugnæ inter factiones Guelforum & Gibellinorum, ut non fuerit adhuc diu in eis conciliandis laborandum.

[q] Cor. par. 4. GENUA DOMINUM ACCIPIT REGEM FRANC.

[r] Nebiens. lib. 4. Foliet. lib. 9.

VII. [s] Vv. s. in Rich. II.

Hoc eodem anno Bonifacius Papa scripsit [s] Richardo Regi Angliæ, rogās ut assisteret Prelatis Ecclesiæ contra Lollardos sive Vvicklefistas, & quos ipsi declarassent hæreticos condemnaret. Quo tempore electus Thomas Arundelius ex Cancellario regni Archiepiscopus Cantuariensis; *Synodum Londini* contra eosdem celebravit; quâ 18. articulos ex Vvickleffi Trialogo desumptos de Eucharistiâ ceterísque sacramentis, déque Sacerdotum ac Prælatorum auctoritate & bonis tēporalibus, &c. condemnavit: eosdémque ipsius jussu prolixè confutavit *Vvillelmus* [t] *Vvodefordus* Minorita; quem Thomas Vvaldensis [u] patrem suum & magistrum vocat. Quo item fortè tempore seu alio sub eodem Thomâ Archiepiscopo, contigit miraculum, quod ab eodem Vvaldensi qui interfuit narratur. Mimirùm ut cùm in cathedrali Ecclesiâ S. Pauli Londini prædictus Arundelius Archiepiscopus unà cum aliis Episcopis ac proceribus Ioāni cuidam sartori deprehenso in hæresi interrogationes proponeret de fide Eucharistiæ, nec ille ullâ ratione ab hæresi reduci posset; quinimmò jussus venerari sacratissimam Hostiam, dixisset blasphemus araneam digniorem veneratione esse: statim de summo templi vertice descendens ingens aspectúque horribilis aranea ad os blasphemi directo filo pervenerit, víxque multorū manibus prohiberi potuerit ne dum loqueretur in os ejus intraret. Qui denique cùm nihil his moveretur, paulò post igne combustus est; aliis mirum in modū in fide Catholicâ confirmatis. Narrat eandem historiam Harpsfeldius [x]: alia itidem subdens miracula, in confirmationem doctrinæ Catholicæ de Eucharistiâ contra eosdem Vvickleffistas divinitùs patrata. Contra quos etiam necnō pro eorum conversione, multa alia idem Arūdelius Archiepiscopus egisse reperitur, ut etiam pòst videbitur.

SYNODUS LONDINI CONTRA VVICKLEFFISTAS.
[t] Ext. in Fascic. rer. expetend. & alibi excusus.
[u] Vvald. to. 2. cap. 50.

MIRACULUM PRO CONFIRMATIONE DOCTRINÆ DE EUCHAR.

[x] Harpsf. in Hist. Vvickleff. cap. 18. ex Vvalden. & Reg. Arundel.

VIII. CONGRESSUS

Eodem anno ad finem Octobris factus est solemnis congressus Caroli Francorum Regis & Richardi Angliæ: inter Ardram & Cale-

REGUM CAROLI FRANC. ET RICH. ANGL.

tum: quo per novum nuptiarum fœdus, Caroli filiâ Isabellâ septenni Richardo terdenni uxore in manum traditâ, confirmatæ sunt induciæ in triginta annos post exitum quadriennij ante biennium pacti; cùm de pacis articulis non potuisset omninò inter partes convenire. Res nobilissimo congressu gestas, muneráque invicem data, prolixè descripserunt Frossardus [y] & Iuvenalis; breviúsque Vualsinghamus [z]. Quo præterea inter Reges conventum est, viam Cessionis pro extinctione Schismatis Ecclesiæ prosequendam esse: mittendósque communiter ad utrumque contendentem legatos, ut ei consentirent: pariterque ad Vvenceslaum Romanorum Regem, ut & ipse eamdem acceptaret, & contendentibus suaderet. Sed contendentibus rem ludificationibus agentibus, neutro cedere volente, Vvenceslaus Regibus consensit, de quo dicetur posteà.

[y] Frost. vol. 4 c. 64. & 178 Iuven. in Car. VI.
[z] Vvals. in Rich. II. & Hypodigm.

IX.

Hoc anno [a] in Sueciâ, Margarita illa trium regnorum, Danici, Suetici, & Norvagici Regina, filia Vualdemari Regis Daniæ cognométo quibusdam dicti Reprobi, de quâ aliàs [b]; femina Suecorum sententiâ crudelissima, & prorsùs inferno digna; Danorum autem, valdè religiosa & prudens, sanè adeò potentiâ, fortunâ, victoriis, divitiis gloriosa, ut plurimos præstantissimos Principes non solùm videatur æquâsse, verùm etiam longè superâsse: (quam & Clero amabilem semper sese præstitisse, etiam ipsi Sueci fatentur:) cùm unicum quem à viro Haquino Sueco filium Olavum nomine Daniæ Regem susceperat, immaturâ morte à multis annis amisisset, (quem se quemdam Prutenum posteà fingentem, ipsa captum igni addixit) & posteritatis spe destituta esset; vocatum ad se *Ericum* nepotem Pomeraniæ Ducem, curavit in Regem ac successorem suum eligi, annos tantùm quatuordecim natum: qui ab invitis susceptus, coronatus est die 22. Iulij ab Henrico Archiepiscopo Upsalensi: & post obitum Margaritæ (qui contigit anno 1412.) regnorum administrationem suscepit, ut dicetur suo loco. Interim verò post ejus coronationem; in consessu Senatorum ac procerum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium trium regnorum, decretum est unanimi omnium consensu, ut eadem tria regna uno sub Rege in perpetuum essent; nec fas esset Rege defuncto alium assumere eligeréve, nisi communibus trium suffragiis: singulis tamen suæ leges ac consuetudines servarentur. Additúmque, ut in electione Regum alternis vicibus Dani Suecíque primum suffragij jus haberent: unde & orta postmodùm inter eos dissidia videbimus; & quamdiù hæc fœderatio duraverit, suo loco dicemus.

[a] Hist. Reg. Dan. edit. Lindenbrog. in 4. Ioan. Magn. Hist. Suet. lib. 21. cap. 22. & lib. 22. c. 1. Krantz. Vuandal. lib. 9. & Suet. lib. 5. Pontan. rer. Dan. lib. 9.
[b] Supr. an. 1363. VI.

ERICUS REX DANIÆ SUECIÆ ET NORVAGIÆ.

UNIO TRIUM ILLORUM REGNOR.

X.

Referunt hoc anno Scotiæ [c] historiæ pugnam atrocem in suâ patriâ factam. Erant in montanis silvestribus duæ tribus, quæ à multo tempore graves inimicitias insigni crudelitate exercebant, agros invicem suos hostili sæpè modo deprędantes. Cùm nullâ ratione possent in concordiam adduci, quin altera alteri subjiceretur; egerunt cum iis nonnulli Comites ad eos aut pacandos aut delendos à Rege missi, ut ex utrâque tribu tricenienfibus tantùm armati in campum procederent; qui victi forent, impunitatem præteritorum, victores auctoritatem Regísque gratiam consequerentur. Cùm placuisset utrísque conditio, die certamini dictâ mora pugnæ paululùm facta est, quòd ex alteris unus metu latuisset, nec reperiretur qui in absentis locum succederet, nec ex adversâ factione quisquam eximi se numero pugnatorum pateretur: tandem sellularius quidam opifex, ad quem res nihil prorsùs attinebat, ne spectatores qui infinito numero convenerant frustrati recederent, obtulit se mercede semiaurei locum absentis impleturum. Ita rursùs æquato numero, certamen factum est atrocissimum: quo inter ceteros mercenarius ille suffectitius adeò strenuè se gessit, ut ejus maximè operâ victoria parti cui se ille addixerat cesserit. Superfuerunt enim certamini ex eâ præter ipsum alij decem, sed omnes graviter saucij: ex altera verò unicus superfuit omninò intactus; qui numero superstitum adversariorum territus, in propinquum flumen se proripiens in adversam ripam evasit. Hâcque ratione ferocissimo quoque cæso, multitudo sine ducibus relicta in multos post id annos à tumultuando repressa, ad agriculturam rediit.

[c] Boet. lib. 16. Lesl. lib. 7. Buchan. lib. 10.

ATROX CERTAMEN IN SCOTIA.

XI.

Hoc item anno floruisse ponitur [d] *Bartholomæus Columna* nobilis Romanus, & in monasterio S. Mariæ Frigidionariæ, seu *Frisonariæ* non procul à Lucâ urbe Tusciæ canonicam disciplinam Regulæ S. Augustini primùm restituisse: quæ totam posteà Italiam pervagata est titulo *Congregationis Lateranensis*, à Basilicâ Lateranensi Romanâ; ubi restituti per Eugenium IV. canonici regulares eam rexerunt usque ad tempora Sixti Papæ IV. qui eorum loco posuit canonicos sæculares. Sunt tamen qui [e] ordinis canonici Lateranensis congregationis Frisonariæ restitutionem tribuant anno 1401. ac *Leoni de Carate* Mediolanensi, & *Thadæo de Bonasno* canonicis regularibus cœnobij S. Petri in Cœlo aureo Papiensis, missis Frigdionariam à prædicto Bartholomæo. Cujus Congregationis canonicos omnes per varias diœceses dispersos, unum corpus efficere Martinus [f] V. statuit, ejúsque constitutiones innovavit, ac privilegiis auxit.

[d] Phil. Novar. lib. 3. Mira. Orig. Monast. lib. 1. cap. 2.

CONGREGATIONIS LATERAN. FRISONARIÆ INSTITUTIO.

[e] Volater. lib. 21. Bergom. lib. 14. Onuphr. in Chron. Eccl. Vid. Pennot. Hist. Trip. lib. 3. c. 8. & 21. ac. seqq.
[f] Bullar. to. 1. Mart. V. const. 7.

IESU CHRISTI Annus 1397.
BONIFACII IX. Ann. 8.
VVENCESLAI Ann. 19.
EMMANUELIS II. An. 14.

I.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indictione quintâ, Carolo Francorum Rege solitâ infirmitate correpto, singulísque remedia conquirentibus quibus sanitatem recuperaret; accersiti sunt [a] ab oris Aquitaniæ duo impostores, apostatæ Ordinis Eremitarum S. Augustini, quorum uni nomen Petro, alteri Lanceloto; qui jactabant se medicinæ & magiæ arte excellere, & sive Regis infirmitas naturalis esset, sive ut asserebant ex maleficiis procederet, eum sanitati restituturos. Qui postquàm multo tempore homines deluserunt, quinimmò & aliquot incisionibus Regem in extremum vitæ periculum adduxerunt, demùm detecti plura furta,

DUO IMPOSTORES AUGUSTINIANI PLECTUNTUR.

[a] Iuven. & Monach. Dionys. in Car. VI. & alij, nonnullique præs. an. alij seq.

adulteria

adulteria, aliáque scelera committere; tormentis subjecti imposturam fassi sunt, ac proptereà exuti publicè sacerdotio, & capite plexi, membris dissectis, & ad primarias portas affixis. Fuère qui & hæc Duci Aurelianensi Regis fratri impegerint, quasi is Regem maleficiis fascinatum detineret. Alij qui in Ducem Burgundiæ derivârint, ex invidiâ in Aurelianensem; quòd curâsset igne comburi quemdam Ioannem Barensem necromantem ac dæmonum invocatorem; Burgundo familiarem. Sícque ludebatur in Christianissimo regno; miseri ac miserabilis Regis impensis.

II. MISER STATUS REGNI FRANCORUM.

Quare cum esset depravatissimus ejus status, Ecclesiâ diuturno schismate admodum debilitatâ; Rege continuo fermè morbo laborante; patruis rapacitati magis quàm regimini intentis, dissidiísque ac vindictis rempublicam pessumdantibus; nobilitate ad omnem impietatem, blasphemiam, libidinem, luxum delapsâ; populis hinc extorsionibus attritis, illinc impunè omnibus scelerum ac vitiorum generibus infectis; extremo ferè ubique Religionis ac Iustitiæ contemptu; adeò ut quod ajebat olim de populo Iudæorum Propheta [b]; à plantâ pedis usque ad verticem non esset in iis sanitas, vigeréntque omnia illa mala quæ eo loco prosequitur; quæque iisdem temporibus Nicolaus de Clamengiis acerrimè insectatus est duobus tractatibus, altero *De corrupto Ecclesiæ statu*, altero *De lapsu & reparatione Iustitiæ*; quibus ut non dubitamus eum excedere exaggerationibus modum, ita omnino credimus plurimum habere veritatis: His igitur motus Rex Carolus, tam suaptè naturâ (ut idem etiam Clamengius agnoscit) clementissimus & optimus, quàm morbi continuitate commonitus: ad placandam Dei iram, & conscientiarum consolationem, severissimas sanctiones edidit pro corrigendis ac puniendis ejusmodi vitiis; quibus inter alia prohibitæ sunt blasphemiæ & juramenta sub pœnâ cauterij, & amissionis bonorum, ut Monachus Dionysianus habet. Verùm (ut addit Iuvenalis) quòd eæ pœnæ non exercerentur in potentiores, continuò & alij ad priora vitia reciderunt. Observat verò etiam idem Monachus, tunc quoque sancitum esse, ut quicumque pro quocumque scelere condemnaretur ad mortem, concederetur ei facultas confessionis sacramentalis, sicuti & in ceteris regnis quod hactenùs fuerat denegatum.

[b] *Isa.* 1.

SEVERÆ SED INUTILES SANCTIONES PRO EJUS EMENDATIONE EDITÆ.

III. AGITUR DE CESSIONE PONTIFICUM, IPSIS CONATUS PRINCIPUM ELUDENTIBUS.

Ceterùm quantumvis Rex infirmaretur, missi nihilominùs fuère ejus nomine Regísque Anglorum nuncij ad utrumque de Papatu contendentem: qui quasi ex condicto rem gravem esse respondêtes, se cum suis tractaturos, Regibúsque responsum reddituros dixerunt. Sollicitaverat etiam Rex Carolus Castellæ & Aragoniæ Reges. Verùm abito Salmanticæ [c] in Castellæ regno conventu Episcoporũ, aliorúmque eruditionis opinione præstantium virorum, cui etiam interfuère legati Regis Aragoniæ; quamvis Rex Castellæ adversus Benedictum satis propensum se gereret, novari tamen nihil placuit; sed tantùm ut contendentes rescissis ab utrâque parte decretis quæ in alteros promulgârant, loco communi consensu designando convenirent, ubi inter se tractarent de unione. Quod tamen miramur à tot viris prudentibus & eruditis, si ex animo pacem desiderarent, decerni potuisse; cùm ècontrà nulla videatur commodior via excogitari potuisse ad Schisma perennandum; quandoquidem facilè creditu esset, haud umquam contendentes inter se spontè concordaturos: sicuti & probavit exitus, irritis legationibus quæ ab ipsis etiam Hispaniarum Regibus ad hæc missæ fuère. Nam & scribit Antoninus [d], (anno tamen præcedenti collocans) venisse ad Bonifacium missos à Regibus Franciæ, Angliæ, Hispaniæ, Navarræ, Aragonum oratores, qui hortarentur, ad removendum Schisma, renunciare omni juri quod prætenderet in Papatu, cùm & Benedictus paratus esset ad idem faciendum: Bonifacium autem respondisse, se esse verum & indubitatum Pontificem, & nullum alium, ac proptereà nullâ viâ intendere se renunciare. Pariterque Niemus scribit [e], celebratum esse hoc ipso anno Bonifacij 8. mense Aprili, magnum conventum Principum Francofordiæ, ad quem etiam Universitas Parisiensis & multi Reges ac Principes suos nuncios destinârunt: indeque missos ab iisdem Principibus ad Bonifacium oratores, & cum iis nuncios Regis Angliæ, ita delusos esse ab eo, ut nihil certi super materiâ cessionis pro quâ directi fuerant responderit: hócque potissimè ex eo contigisse, quoniam Vvenceslaus Rex Romanorum & Boëmiæ rogatus per Principes in favorem Catholicæ fidei Francofordiam accedere, neglexisset, quantumvis venire promisisset.

[c] *Marian. lib.* 19. *cap.* 8. *Surit. Indic. lib.* 3.

[d] *Ant. tit.* 22. *cap.* 3. §. 2.

[e] *Niem. lib.* 2. *cap.* 33.

IV. REX ANGLIÆ SÆVITER AGIT IN PROPINQUOS ET SUBDITOS.

At inter hæc in Angliâ cùm Thomas Dux Glocestriæ Regis patruus graviori in nomen Gallicum odio, fœdus nuper cum Francis initum, cui nonnisi coactus consenserat, dirumpi toto nisu averet; nec posset continere se quin Regem ignaviæ passim accusaret, Londinensésque adversus eum animaret; ac denique eum regno privandum diceret, includendúmq; cuidam loco ubi cum uxore suâ Francâ reliquum vitæ transigeret: his motus Rex, consilio cum familiaribus communicato, Thomam arte captum, Caletum navi abduci jussit; ubi pauló pòst suffocatus est. Eodémque tempore Richardus Comes Arundeliæ ejusdem criminis reus factus, gladio vitam finivit; alij nonnulli carceribus & relegationibus affecti. In quibus Thomas Arundelius Archiepiscopus Cantuariensis prædicti Comitis frater magnæ virtutis & prudentiæ vir: (qui extra patriam abire jussus, à quibusdam dicitur Romam se contulisse, ibíque benevolum nactum Bonifacium Pontificem, haud tamen ejus commendatione valuisse à Rege in gratiam recipi: aliis tamen asserentibus, haud quaquam ipsum licèt condemnatum regno excessisse:) & Henricus Herfordiæ Dux, patruelis Regis filius Ioãnis Ducis Lancastriæ; qui exilio decenali damnatus, ad Carolum Francorum Regem se recepit; à quo benignè exceptus est, cognitâ causâ exilij, quæ non adeò æqua esse judicabatur. Post quæ impotentiùs se in omnibus atque intemperantiùs idem Rex Angliæ gerens, multáque contra majorum & patriæ instituta factitans, ac multiplicibus extorsionibus subditos comprimens, cunctis terrori & horrori factus regni & vitæ finem sibi paravit: de quo dicetur post biennium: jam verò dicta ubertim nar-

[f] Froff. c. 86. 90. usq; 95. Vvalf. in R. char. II. & Hypodigm. Polyd. lib. 20. Harpsf. sæc. 14. c. 30. & sæc. 15. c. 9.

rant Froffardus [f], Walsinghamus, Polydorus, Harpsfeldius.

V. MANUEL. IMP. GRÆCOR. SUPPETIAS PETIT A REGE FRANC.

Circa medium Octobris hujus anni venit ad Regem Carolum missus ab Emmanuele Græcorum Imperatore avunculus ejus Theodorus Palæologus Cantacuzenus, cum literis scriptis Græcè & Latinè Constantinopoli primâ die Iulij; quibus auxilium postulabat contra Turcos Constantinopolim infestantes, quibus non erat resistendo. Et quamvis accepta fuisset nuper magna illa clades Nicopolitana, promisit tamen Rex suppetias Manueli, quibus se ducem obtulit frater Regis Dux Aurelianensis; remisśique sunt legati cum muneribus. Narrant hæc Monachus & Iuvenalis: cùm tamen nihil de hâc legatione apud Græcos invenerimus: nisi quòd hoc tempore missum ait Chalchondyles Ioannem Andronici filium Manuelis nepotem in Italiam specie petendi auxilij à Genuensibus, quibus occultè fide Græcâ mandaverat ut eum captivum detinerent: sicuti & fecerunt multo tempore. Theodorum autem nullum reperimus hoc tempore illius familiæ, præter fratrem Manuelis Despotam Peloponnesi.

VI. EMMAN. CHRYSOLORAS GRÆCAS LITERAS IN ITALIA DOCET.

Ceterùm unà cum istâ legatione putamus venisse in Italiam, ibique resedisse ingenti rei literariæ bono *Emmanuelem Chrysoloram*, ex illustri familiâ Constantinopoli oriundum; potiùs quàm posteà cum Emmanuele ipso Imperatore: cùm plerique omnes ejus adventum hoc vel sequenti anno constituant, non autem nisi post triennium Imperator venerit. Is verò mox incipiens docere literas Græcas, quæ per annos penè septingentos temporum iniquitate in Italiâ conticuerant, Venetiis primùm, & mox Florentiæ, Romæque, ac demùm Ticini; Italorum ingenia adeò excitavit, ut non solùm eam linguam feliciter susceperint: verùm eam Latinam, quæ multam barbariem à longo tempore contraxerat, in antiquum nitorem restituerint. In quorum primis recencendus *Guarinus Veronensis*, qui auctor fuit unius ex Scholis quæ ad utramque linguam addiscendam institutæ fuêre. Sicuti sunt Victorinus, Philelphus, Calepinus, Aretinus, & alij quamplurimi utriusque linguæ facundiâ clari. Réque in Galliam, Angliam, Germaniam delatâ, propagata mirificè sunt studia literarum; quæ, ut fert sors humana, hodie ferè in Italiâ unde processerant frigent, nullo aut minimo earum præmio. Illo verò tempore [g] vixit etiam alius *Manuel Caleca* itidem Græcus, vírque doctus, qui scripsit libros quatuor contra errores Græcorum pro Latinis. Quibus etiam testatur [h] se ob defensionem Ecclesiæ Romanæ persecutionem passum esse à Græcis. Vertit eos libros in Latinū jussu Martini V. Papæ Ambrosius Camaldulensis: edidítq; posteà Græce & Latinè Petrus Stevvartius, Notásque non inutiles addidit, & hunc auctorem alia quoque scripsisse docet.

STUDIA LINGUARUM RESTITUUNTUR.

[g] Bellar. de Script. Eccl. MANUEL CALEC. [h] Calec. lib. 4. cap. 8.

VII. VARIÆ RES BELLICÆ. [i] Aret. lib. 11. Ant. tit. 22. c. 3 §. 27. [k] Summont. lib. 4. c. 2.

In eâdem Italiâ exercitus Galeatij Ducis Mediolanensis, (cujus manus contra omnes, tantò imperandi cupidine, ut præ illâ nihil pensi justum vel injustum haberet) Mantuam ingenti conatu aquâ terrâque obsidens, magnâ cæde fusus est [i] à Carolo Malatestâ egregio fœderatarum adversùs eum copiarum ductore. Neapoli Ludovicus [k] Rex quieti magis ac deliciis intentus, quàm Ladislai competitoris sui felicibus initiis comprimendis; delusus insuper à proceribus regni, ob mite ejus ingenium rebus suis diffidentibus, perniciem sibi paulatim accersivit; de quâ posteà Lituaniæ [l] Dux Vitoudus Vuladislai Poloniæ Regis patruelis, qui Christianus factus nomen Alexandri accepit, expeditione in Tartaros ductâ ultra Tanaim, plura millia eorum cum uxoribus, parvulis, & pecoribus cepit: quorum mediam partem ad Regem Poloniæ Vuladislaum misit, qui fide Christi susceptâ unus populus cum Polonis effecti sunt: reliquam in Lathuaniâ collocavit, quæ in sectâ Mahometis perseveravit. Quâ victoriâ, vel etiam alterâ, haud contentus Vitoudus, cùm & rursùm Tartaros anno sequenti invadere voluisset, (dehortante nequicquàm Vuladislao Rege) magnâ clade ab iis affectus est, exercitu penè ad internecionem deleto, ipso vix fugâ cum paucis elapso; ingenti tamen priùs hostium factâ cæde, quorum improvisa multitudine oppressum est.

[l] Michov. lib. 4. c. 41. Cromer. lib. 15. Krätz. 9. Vvand. 31.

VIII. [m] Marian lib. 9. cap. 8. Vvadingh. in Annal. Minor. DUORUM MINORUM MARTYRIUM A MAURIS.

In Hispaniâ duo [m] Sodales Franciscani, *Ioannes à Cetinâ & Petrus de Duennas*, fidei Christianæ inter Mauros Granatenses propagandæ studio incensi, Granatam adeuntes, conciones in magnâ populi frequentiâ habere aggressi sunt: moniti à magistratu & summo illorum sacerdote ut desisterent, adduci non potuerunt, ac ne verberibus quidem effecti. Adveniente eorum Rege Mahomade, qui absens principio erat, variè tentati, post dira verbera, ab ipsomet Rege mense Aprilis capite truncati sunt. Corpora tracta, & injuriis affecta, à Christianis occultè collecta sunt, & in Cataloniam translata ad ecclesiam cathedralem Vicensem.

IESU CHRISTI Ann. 1398.
BONIF. IX. Ann. 9.
VVENCESLAI Annus 20.
EMMANUELIS II. Ann. 15.

I. BONIF. PP. SATAGIT IMPEDIRE CONGRESSUM IMPERATORIS ET REGIS FRANC.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, Indictione sextâ, cùm Bonifacius Romanus Pontifex audisset Wenceslaum Romanorum Regem, sive desiderio videndi Regis Francorum, ut quidam habent, seu potiùs, ut alij, ejus invitatu ad tractandum communibus votis de ratione extinguendi Schismatis, quam vidimus anno præcedenti in conventu Germanico Francofordiensi ventilatam; decrevisse in Galliam proficisci: literas ad eum scripsit [a], quibus questus quòd ad instantiam Regis Francorum, qui solus Antipapam defendisset, unà cum illo ad locum inter ipsos stabilitum convenire promisisset, atque ab ipso Bonifacio petiisset ut & ipse duos ex suis Cardinalibus cum plenâ potestate eò mittere dignaretur, cum spe fore ut talis via eo conventu reperiretur, quâ schisma aboleri posset: postquàm multis rationibus conatus est ostendere quàm inconveniens res hæc esset, demùm rogavit ac monuit, ut aut conventum istiusmodi honesto aliquo prætextu detrectaret, aut tantisper sal-

[a] Ext. in Cod. S. Victoris Parif. P. 9. fol. 57.

tam

tem differri curaret, quò ipse Bonifacius suos ad Vvenceslaum nuncios mitteret, per quos apertè cogniturus esset mentem ipsius, quam ei sine dubio placituram speraret. Hæc ille: quid verò responderit Vvenceslaus, non invenimus. Certum est autem, eum nihilominùs cum Rege Carolo convenisse Remis mense Martij in Quadragesimâ: quamquam (ut describit Frossardus [b]) specie pangendi matrimonij inter filium Marchionis Brandeburgensis fratris Vvenceslai cum filiâ Ducis Aurelianensis fratris Caroli. Quàm autem magnifico apparatu exceptus fuerit Vvenceslaus; & convivio regio, quo unà in mensâ sederunt, primus Patriarcha Ierosolymitanus, (Ita nonnulli nominant Simonem Cramaudum; cùm reverâ fuerit Alexandrinus, ut etiam plerique vocant, & nos diximus superiùs [c]) inde Vvenceslaus, tertius Rex Francorum, quartus Rex Navarræ, nec plures; ad alteras autem sedebant ceteri Germaniæ Prælati ac proceres, ministrantibus Francis; stupendâ liberalitate donatus vasis aureis & argenteis, aliáque supellectili ad ducenta florenorum millia æstimatâ; præter collata ceteris pro singulorum conditione eximia munera, & impensas omnes totius commorationis, quas Rex inæstimabili pretio luit: accuratè descripsit idem auctor; meminerúntque Iuvenalis & Monachus Dionysianus, aliique.

VVENCESLAUS IMP. CONVENIT REGEM REMIS.

b Froſſ. vol.4. cap.91.

c An. 1394. VI.

INGENS REGIS LIBERALITAS ERGA IMPERATOREM.

II. BONIFACIUS ILLUDIT REGIBUS.

Quod verò spectat res ibi gestas de causâ Schismatis; ait idem Frossardus, de communi utriusque Regis consilio missum esse Petrum de Alliaco Episcopum Cameracensem Romam ad Bonifacium, rogatum ut acquiesceret cessioni Pontificatûs, & novæ alterius electioni; ita tamen ut si ipsius creatio legitima censeretur, confirmaretur in Sede; sin minùs, abstineret: & qui ex duobus contendentibus huic Regum decreto contradiceret, deponeretur, ac subtraheretur ei omnis obedientia: Bonifacium [d] autem ambiguè & dissimulanter respondisse; postquàm Benedictus abdicâsset, tunc se quoque Regibus satisfacturum: hócque à Rege Carolo audito, convocato [e] Parisiis concilio Prælatorum Procerúmque atque Universitatis, decretum eo fuisse, mittendos Avenionem prædictum Petrum de Alliaco & Bussicaudum Marescallum; illum ut verbis suaderet Benedicto abdicationem, istum ut negantem armis cogeret: cùm verò Benedictus absolutè negâsset abdicaturum se dignitatem ad quam fuisset legitimè evectus; Bussicaudum cinctâ obsidione Avenione, eam paulò pòst de consensu civium ingressum esse; nec ita pòst Benedictum intra palatium munitissimum sese continentem coëgisse polliceri, nunquam se illo exiturum quin pax reddita esset Ecclesiæ; eâque de re tam cives quàm Cardinales sponsores sese ac fidejussores constituisse, ac propterea custodias adhibuisse. Addit [f] & de missis à Rege legatis in Angliam pro subtractione obedientiæ Bonifacij, & constitutione neutralitatis; ejúsque denegatione à Clero Anglicano, quamquam Richardus Rex eum suaderet in gratiam Regis Francorum.

d Id. c.96.

e Id. c.97.98.

BENEDICTUS OBSIDETUR AVENIONE.

f Id. cap.99.

III. REX ARAGON. CONATUR EI SUCCURRERE.

g d.c.98.

Hæc quidem ille pluribus suo modo: sed quæ aliquam explicationem mereantur. Nam quod imprimis habet [g] de auxilio per Benedictum cum obsideretur petito à Rege Aragoniæ, nec tamen obtento; imprimis reperimus in codice [h] Victorino binas literas ejusdem Regis Aragoniæ scriptas Cæsaraugustæ sexto Decembris hujus anni; alteras ad Cardinales, alteras ad cives Avenionenses: quibus valdè conqueritur tam de obsidione Benedicti, quàm de nonnullis Aragonensibus à plebe necatis. Deinde scribit Surita [i], paratam quoque fuisse ab eodem Rege validam classem subsidio Benedicti; sed cùm in Rhodani ostium projiceretur, adeò flumen exarefactum reperisse; ut actuariæ naves summâ hieme transmittere non possent, itaque magnis tempestatibus hibernâ navigatione ad magnitudinem frigorum milites & nautas conflictatos esse, ut magna eorum pars fœdè perierit.

h Cod. P.3. fol.330.

i Surit. Indic. lib.3.

IV. DE CAUSA SUBTRACTIONIS AB OBEDIENTIA BENEDICTI.

Quod verò factum subtractionis, atque neutralitatis, quod paucis prædicti auctores expediunt, attinet; quia res est majoris momenti, ut eam diligentiùs tractemus; ante omnia scribunt Monachus Dionysianus & Iuvenalis; Benedictum ubi audivit Regem Francorum per legatos suos, Reges & Principes ad viam cessionis reducere conari; destinâsse ad eum hoc anno Cardinalem Pampilonensem (nomine Martinum Salvam tituli S. Laurentij in Lucinâ Presbyterum, doctissimis studiis & artibus præditum) totum ipsi addictum, ut Regem ab incœptis averteret. At Regem ubi hoc rescivit, mandâsse ne accederet: eáque de causâ Benedictum indignatum, amaras & querulosas literas ad eum rescripsisse die nono Iunij. Tractantibus autem inter hæc Parisiis Prælatis ac procuratoribus Vniversitatum regni, unà cum Principibus ac proceribus in unum congregatis, de fine aliquo his negotiis imponendo; de plurium consensu (nequicquàm repugnante Episcopo Matisconensi à Benedicto misso) decretum fuisse, nisi Benedictus viam cessionis reciperet quam initio jurejurando promiserat, non modò beneficiorum regni collationem, verùm etiam omnem obedientiam ei subtrahendam. Idque regio nomine publicè declaratum esse à Cancellario. Additúmque; interim Ecclesiam Gallicanam suis antiquis Libertatibus fruituram: cessaturásque omnes expectativas & reservationes beneficiorum ecclesiasticorum; eorúmque collationes, ac confirmationes electorum, factum iri ab Ordinariis, vel datum in commendam donec aliàs canonicè provideretur. Ita breviter iidem auctores. Ex quibus intelligas, cujusmodi existimatæ tunc essent *Libertates* quibus frui deberet Ecclesia Gallicana: non quidem ut liberum ei esset agere suo libitu, aut à jure communi in aliquo discedere, vel debitam ab omni ævo Sedi Apostolicæ ac Romanis Pontificibus legitimè intrantibus obedientiam denegare: sed tantùm ut à pecuniarum subventione, ac servitiorum, decimarum, annatarum, reservationum, expectativarum, aliorúmque ejusmodi onerum paulatim diversis occasionibus ac necessitatibus introductorum, immunis esset; quousque de legitimo Pontifice constaret; cui jus esset & auctoritas ea postulandi.

LIBERTATES ECCLESIÆ GALLICANÆ.

V.

Ceterùm extant [k] ipsa acta integra prædicti sive conventûs aut consultationis, sive Concilij ut vocant: quod *tertium* ordine ponunt

k Cod. Vict. P.10. fol.31.

Tractatur illa celebri conventu Parisiis.

super prosecutione unionis Ecclesiæ, priora namquo duo intelligunt, quæ præcesserant annis 1394. & 1395. ubi de iis diximus. Cui quidem, cœpto die 22. Maij præsentis anni, interfuerūt (Rege ob morbum absente) patrui & frater Regis, nimirum Duces Ioannes Bituricensis, Philippus Burgundus, & Ludovicus Aurelianensis; Carolus Rex Navarræ, Ludovicus Borbonij Dux Regis avunculus, Arnaldus de Corbiâ Cancellarius Regni, aliíque Principes ac proceres Consilij Regis: Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, unà cum Archiepiscopis Lugdunensi, Senonensi, aliisque sex; Episcopi Parisiensis, Belvacensis, aliíque triginta; (ait tamen Frossardus [l], Regem noluisse Archiepiscopos Remensem, Rotomagensem, Senonensem, Episcopos, Parisiensem, Belvacensem, Altissiodorensem, cum aliis interesse Concilio, eò quòd nimis addicti essent parti Avenionensi ob accepta à Clemente beneficia;) quamplurimi Abbates, prælati minores, & Capitulorum procuratores: Rectór Universitatis Parisiensis unà cum procuratoribus singularum facultatum ejus; procuratores Universitatum Aurelianensis, Andegavensis, Magalonensis, & Tolosanæ; Magistri & Doctores sacræ paginæ & utriusque Iuris magno numero, Congregati omnes Parisiis auctoritate Regis, ad discutiendum an pro executione viç Cessionis facienda esset subtractio particularis obedientiæ, idest pecuniarum, subsidiorum & provisionum Episcopatuum aliorúmque beneficiorum per Papam conferri solitorum, an verò totalis. Quod ut maturiùs, ac servatis juris formulis discuteretur; electi sunt ex una parte sex viri præstantes qui partem negantem, hoc est neutram obedientiam subtrahendam esse, pro viribus propugnarent: (electíque sunt omnes Benedicto addictissimi ac familiarissimi, Archiepiscopus Turonensis, Episcopi Aniciensis & S. Pontij, Abbas S. Saturnini aliíque duo Doctores Tolosani) totidémque ex alterâ, qui totalem subtractionem assererent; videlicèt Patriarcha Alexandrinus, Episcopus Atrebatensis, Abbas S. Michaëlis, ac tres Doctores Parisienses.

[l] Frossard. cap. 97.

VI. Decernitur totalis subtractio.

Post quorum disputationes, perpensis quæ ab iisdem hinc inde dicta, proposita, confutata, diluta, explicata fuêre; examinatísque trecentorum qui vota sua dederunt sententiis, cùm præter Universitates (quarum singulæ pro unicâ tantùm sententiâ numeratæ sunt) inventi essent ducenti quadraginta septem, qui totalem subtractionem continuò faciendam esse censerent; circiter viginti, qui decernendam quidem subtractionem vellent, at differendam executionem quousque rursùm Benedictus moneretur: circiter sexdecim, qui Benedictum rursùm monitum per Clerum Gallicanum vellent, ac posteà totam ejus obedientiam congregari ad deliberandum quid porrò agendum esset: ceteri singulares opiniones proposuissent, nihil ferè concludentes: Demùm re ad Regem delatâ, ejus auctoritate per Cancellarium publicè denunciatâ die 27. Iulij, decreta fuit totalis subtractio sine morâ facienda. Cui etiam legatus [m] Regis Castellæ qui aderat assentiens palàm affirmavit suum quoque Regem ejusdem esse sententiæ, quicquid per literas ejus nomine suppositas aliqui contrarium suadere voluissent. Promulgatæ eâ de re literæ [n]: quibus diffusè narrata sunt quæ hactenùs à Rege & Clero Gallicano gesta essent tam erga contendentes de Pontificatu, quàm erga Reges ac Principes: additæque rationes & confirmationes viæ Cessionis, præ multis aliis quæ propositæ fuissent. Fuerêque pariter publicati varij tractatus de eâdem materiâ pro alterutrius partis rationibus ac juribus, quorum nonnulli continentur iisdem codicibus Victorinis. Atque imprimis unus [o] supradicti Patriarchæ Alexandrini eximij Decretorum Doctoris, quo disputans, num Reges & regna obedientiarum Benedicti & Bonifacij, ipsis nolentibus renunciare Papatui, possent obedientiam eis canonicè subtrahere, seu penitùs denegare: postquàm partem negativam multis rationibus & allegationibus sustinuit; deinde affirmativam prolixè probavit, confutatis rationibus, argumentis & textibus in contrarium adduci consuetis: simul & abundè demonstrans, solâ viâ cessionis utriusque, aut abdicationis, posse remedium schismati afferri, ceterásque omnes longè difficiliores & minùs aptas esse. Inter præcipuos porrò oppugnatores subtractionis fuisse Nicolaum de Clamengiis, de quo suprà, constat ex ipsius eâ de re scriptis [p] literis ad ipsum Benedictum, & Regem Carolum, quod nì excusent incommoda quæ ex illâ oritura existimare poterat, mirum videri posse in homine qui tantum olim odium Schismatis præsetulisset: maximè cùm & in Benedicto benigniùs palpando, & in subtractionis suasoribus ac Cardinalibus ei adhærentibus acriùs exagitandis, sibi complacere videatur. Sed fuerat jam fortè ministerio Benedicti, aut re ipsâ, aut sponsione adstrictus; cui fuisse ab epistolis noscitur, quod tamen munus ultrò oblatum se invitissimum suscepisse, persuasum voluit [q] amicis. Nemo autem amariùs se subtractioni opposuit quàm Universitas Tolosana, quæ tota erat Benedicti, soláque ex omnibus ab eo stetit: de cujus hâc in re audentiâ, & turpi condemnatione dicetur posteà [r].

[m] Cod. P. 9. fol. 323.

[n] Ext. cod. P. 13. fol. 84. & 159.

[o] Cod. P. 10. fol. 83. & 277.

Simonis Cramaudi commentarius pro subtractione.

[p] Clameng. ep. 13. & 17.

Nicol. de Clamengiis favet Benedicto.

[q] Id. ep. 14.

[r] An. 1402. VI.

VII. Cardinales Avenionenses amplectuntur subtractionem.

Quod verò Cardinales Avenionenses attinet; cùm percepissent decretum subtractionis, iidem consilio inter se habito literas [s] Regi scripserunt mense Septembri, adeò comprobare se illam, ut & ipsi numero duodeviginti existentes, & sacrum collegium constituentes, à Benedicto recesserint. Quippe qui (ut narrat Monachus Dionysianus, & attingit Iuvenalis) post deliberatam subtractionem, cùm frustrà tentati in Benedicti obsequio permanere, accepissent eum Aragonenses copias adversus ipsos & ad suam securitatem evocare; Villam-novam citra Rhodanum oppidum Regis Francorum sese receperunt. Ipséque Benedictus (quod diximus) coactus est in palatio sese abdere; ubi aliquot annis veluti obsessus detentus est. De quibus agens Surita [t], (mitior factus in Schisma, postquàm ejus fautor fuit natione Aragonius, cujas & ipse fuit) ait decem & novem Cardinales, quos & nominat, à Benedicto secessisse; quinque alios obedientia permansisse: Cùm autem ad eum circumcessum misisset mense Novembri Rex Aragoniæ oratores, qui ei concordiam suaderent ipsum ægrè eò recidisse, ut causam suam

[s] Ext. cod. P. 9. fol. 349.

[t] Sur. Indic. lib. 3.

potestati Regum qui eum secuti fuerant, Franci præsertimatque Aragonij committere promitteret hoc accepto responso oratores, uti in mandatis habebant, Lutetiam profectos esse; ac re in consilio Regis tractatâ, in eam pactionem deventum esse, ut [tt] si Benedictus promitteret adversario cedente, vel mortuo, vel ægroto renunciare; & ad conventum seu congregationem, quæ fieret pro unione Ecclesiæ ire, interímque à palatio, vel alio loco ubi ejus mansio expediens videretur, sine consensu Regum non recedere: Regem curaturum ut Cardinales ac cives Avenionenses à quâcumque viâ facti in ipsum Benedictum cessarent; illúmque unà cum centum personis quæ cum eo erant sine armis, in protectionem suam suscepturum, atque præsidio idoneo ejus securitati, rebúsque ad vitam necessariis provisurum: haud tamen propterea intendente Rege à conclusione denegationis obedientiæ in aliquo recedere, sed illam firmiter observare; adeò ut qui ejus nomine ad Benedictum accessuri forent, Papalem ei obedientiam nequaquàm exhiberent: Hísque ægerrimè à Benedicto oratoribus regiis ad principium mensis Aprilis anni proximi promissis, permansisse eum in palatio ab omni vi & injuriâ securum, sed adhibitâ foris custodiâ, ne arbitrio suo recedere posset. Cujus etiam nomine recitatur in Trilogo Gersonij [u] epistola ad Regem valdè pathetica ad eum ad misericordiam inflectendum. Obedientiæ verò à Rege Henrico Castellæ ac Clero ipsius eidem Benedicto subtractæ, Acta extant apud Gil. Gonçales de Avilâ in Antiquitatibus [x] civitatis Salmanticæ.

[tt] *Rec. verbatim decretum regium Suriti ibid. an. seq.* DECRETUM REGIUM DE BENEDICTO.

[u] *Gers. oper. tom. 1.*
[x] *Antiq. Salam. lib. 3. cap. 14.*

VIII. VVENCESLAUS RESILIT A PROMISSIS.

Rex verò Germaniæ ac Romanorum Vvenceslaus, postquàm reversus ad sua certiorem Bonifacium reddidisset de his quæ Remis tractata fuerant; sive ab illo dissuasus, sive consuetâ socordiâ; vel fortè pœnitentiâ promissæ rei ductus; monitus à Rege Carolo de iis quæ contra Benedictum gesta fuissent, atque ut idem ipse cum Bonifacio, sicuti deliberatum inter ipsos fuerat, præstaret: rescriptis ad eum literis [y] die decimasextâ Octobris excusavit haud se potuisse hactenùs aliquid certi de his statuere, tum quòd nondum responsum accepisset à Bonifacio: tum etiam quòd necesse haberet priùs de iis conferre cum Regibus Hungariæ & Poloniæ, aliísque Principibus Imperij; esséntque ijdem Reges adeò necessitatibus suorum regnorum occupati ut non possent tam citò adesse Vvratislaviæ, ubi conventum celebrandum indixerat: cùm primùm autem convenissent, confestim se Regi quæ communi consilio decreta forent per nuncios suos significaturum.

[y] *Ex Cod. Vatic. ver. Bzov. hoc an.*

IX. [z] *Onuphr. in Chron. Eccl.* PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

Ponitur [z] hoc anno *Antonius IV.* monachus Patriarcha Constantinopolitanus Græcus, in locum Nili defuncti post annos sedis viginti. Cujus tempore inter Latinos eam dignitatem tenuit *Angelus Corarius*, posteà Romanus Pontifex Gregorius Duodecimus.

IESV CHRISTI Annus 1399.
BONIF. IX. Ann. 10.
VVENCESLAI Ann. 21.
EMMANUELIS II. Ann. 16.

I. BONIFACIUS PP. ANNATAS BENEFICIORUM INSTITUIT.

ANNO Christi millesimo trecentesimo nonagesimo nono, Indictione septimâ, decimo Pontificatûs Bonifacij, multa ipse præstitisse reperitur in suum ac sedis suæ commodum & augmentum; Imprimis enim scribit Niemus [a], primos fructus unius anni omnium Ecclesiarum cathedralium & Abbatiarum vacantium suæ cameræ reservâsse; itaut cuicumque in Archiepiscopum vel Episcopum aut Abbatem promoveri vellet, ante omnia cogeretur solvere primos fructus Ecclesiæ vel monasterij cui præfici peteret. *Annatas* vocârunt, & imitatione institutionis veteris [b] Testamenti, quâ primitiæ & decimæ fructuum, agnoscendo supremo Dei conditoris collatorísque in omnes res humanas dominio atque arbitrio, sacro Ordini debebantur, & decima [c] illius decimæ summo Sacerdoti; in usus ac necessitates summi Christianorum Pontificis, & supremæ potestatis agnitionem constitutas volunt. Non tamen ut quod obiiciunt maligni, solvantur tanquam acceptorum beneficiorum pretium, sed veluti pensio in sustentationem Pontificis, & Cardinalium aliorúmque ministrorum pro utilitate Ecclesiæ Universalis laborantium: quâ consideratione omnes pedetentim nationes hoc oneris subierunt. Hos autem primos fructus æstimatos à Bonifacio fuisse ad triplum pensionis, quæ libro Cameræ Apostolicæ pro communi servitio solvenda continebatur, idem auctor ait. Ex quibus possis intelligere quanta esset earum pensionum taxatio, cùm velint plerique hanc Bonifacianam fuisse dimidiæ partis redditiuum primi anni: omnésque ejus obedientiæ clericos eam admisisse, præter Anglos, qui nonnisi pro Episcopatibus concesśere. In quo sanè si res jure ac ratione agenda sit, leviùs omninò fuerit onus, semel in vitâ fructus unius anni Pontifici pendere, quàm ut sub Lege fiebat, singulis annis decimam. Tam de his autem, quæ necessitatis specie inventa fuissent, quàm de aliis quamplurimis tunc usu receptis turpibus exigendarum pecuniarum modis, acerrimè idem Niemus invehitur: multa tamen excusans privatâ rapacitate aulicorum, & avarissimâ cupiditate matris ac fratrum Bonifacij, qui eo inscio multa ejusmodi nefanda perpetrabant. In quibus etiam aliísque propinquis ditandis, & ad dignitates & honores evehendis, non parùm idem ipse solicitus fuisse reperitur: quamvis & aliâ parte habuerit affatim ubi eas pecunias pro utilitate Ecclesiæ impenderet; putà in recuperando patrimonio Ecclesiæ Romanæ in exercitibus pro ejus defensione sustentandis, in ædificiis sacris & munitionibus construendis, quæ diligenter curâsse constat.

[a] *Niem. l. 2. de Schism. 7.*
[b] *Ext. 22. & 23.*
[c] *Num. 18.*

QUANTI ÆSTIMARENTUR PRIMI FRUCTUS.

II. ANNATARUM INVENTUM.

Nec verò fuisse novum Bonifacij inventum Annatarum, sed planè antiquum nonnulli observârunt: etiámque ante Ioannem XXII. cui vulgò id tribuitur: dum Hostien-

ANTIQUIUS. [d] Hostiens. in c. inter. cætera de off. ordin.

sem [d], qui sexaginta circiter anteà annis vixit, referunt scribentem de Annatis sæpè reclamatum fuisse: & Zarabellam, in Concilio Viennensi sub Clemente V. statutum fuisse, ut sublatis annatis vigesima pars vectigalium sacerdotalium quotannis Romano Pontifici penderetur. *Annalia & Vacantias* vocat aliàs Ioannes [e] XXII. Legimúsque speciatim quemdam tractatum [f] circa tempus Concilij Constantiensis compositum contra hujusmodi beneficiorum vacantias: quo postquàm auctor narravit fecisse hunc Ioannem constitutionem *cum nonnullæ*, quæ extat inter Extravagantes [g], & supponit aliam priorem à se item factam pro reservatione fructuum primi anni beneficiorum ecclesiasticorum vacantium ad triennium in aliquibus orbis partibus pro necessitatibus Romanæ Ecclesiæ; Archiepiscopales tamen Episcopales, & Abbatiales regulares dignitates ab hoc eximendo: addit fecisse item eum duas alias constitutiones, *per Apostolica*, & *exempta*, ad declarationem prædictæ *cum nonnullæ*. Qualiter verò ultra prædictum triennium, hoc deinceps protensum sit, ait ignorari; nisi (inquit) ex quâdam quasi violentiâ recipientis, cui non fuit facultas resistendi; cùm alioqui nulla extaret alicujus Pontificis eâ de re constitutio. Esse quidem aliam ejusdem Ioannis, per quam reservavit beneficia vacātia in curiâ ad vitam suam; quam extendit Benedictus [h] XII. & nonnulli alij successores: sed semper fuisse ad vitas præsidentium, & non ultrà. Ita is auctor: quem miramur non tetigisse constitutionem hanc Bonifacij: quamvis effectum ejus non omittat, dum subdit constitutiones temporales factas esse postmodùm perpetuas; locales, universales; particulares certorum beneficiorum, extensivas ad Archiepiscopales, Episcopales, & Abbatiales dignitates, quæ fuerant specialiter ab eo onere exēptæ. Circa verò modum exactionis vacantiarum observat, ante tempora Schismatis non fuisse consuetudinis, solutionem præ manu, aut obligationis tabulas exigere, sed aditâ possessione æstimationem sive taxam colligi multis & prolixis terminis; remissâ etiam frequenter ejus parte, vel etiam universâ taxâ propter inopiam aut alias considerationes: adeò ut in obitu Gregorij XI. deberentur plusquam quadringēta millia, licèt tot habuisset bella & expensas: post Schisma verò, ante bullarum traditionem solvendam fuisse magnam partem taxæ, ad de reliquâ tradendas obligationes, cū tot gravissimis censuris ut pauci essent qui non inciderent in eas: deinde invalescente onere, totum fuisse tradendum præ manu: ac postremò deventum esse in profundum malorum, ut ne dum taxa fieret ad libitum, sed aliquando duplicaretur, triplicaretur, decuplaretur ad modum licitationis. Ita ille auctor, quæ est etiam luctuosissima expostulatio Niemi necnon illius quæ apud Clamengium tractatu de Annatis non solvendis nomine Nationis Gallicanæ in eas vehementiùs & copiosiùs invectus est. Utrùm omninò ex vero, dubitari posset; nisi perpetuæ omnium eorum temporum scriptorum querelæ rem si non omninò certam, saltem admodùm probabilem redderent. Quid enim non mali toleratum existimaverimus in Schismate? Denique vidimus in quodam alio codice [i] Victorino aliam constitutionem Ioānis XXIII. datam Romæ Calendis Aprilis Pontificatûs anno 3. (nempè Christi 1412. de Annatarum seu fructuum primi anni ex beneficiis tam regularibus quàm sæcularibus, necnon communium & minutorum servitiorum tam ad Apostolicam Cameram quàm ad Collegium Cardinalium ac familiares & officiales ipsius Pontificis & eorumdem Cardinalium, vigore statutorum Apostolicorum, sive de approbatâ & observatâ consuetudine provenire debentium, ratione & formâ solutionis. De quorum successoribus dicetur etiam posteà: déque re ipsâ, tempore Concilij Basileensis, quo hæc contentiosiùs tractata fuêre: nunc reliqua historiæ prosequamur.

[e] Extravag. suscepti de election. [f] Ext. cod. Victor. P. 10. fol. 361. [g] Extravag. com. lib. 3. tit. de preb. nd. & dignit.

QUALITER PAULATIM PROCESSERINT.

[h] d. lib. 3. c. ad regimen.

[i] Cod. P. 8. fol. 93.

III. [k] Blon. 1. dec. 10. Pla. in Bonif. IX.

ROMANI BONIFACIUM REVOCANT IN URBEM.

Cùm appropinquaret [k] tempus Iubilei anni cētesimi ex priori institutione Bonifacij VIII. sive quinquagesimi ex reductione Clementis VI. abessétque ab Urbe Bonifacius hic Nonus Assisij agēs ob turbas & rebelliones Perusinorum: verentes Romani ne per ejus abstinētiam minùs solemniter celebraretur magno ipsorum incommodo, qui ex peregrinorum adventu ingentem consuetum quæstum præstolabantur: missis ad eum oratoribus enixè postulārunt ut in Urbem se reciperet. Qui etsi id magnoperè cuperet, dissimulans tamen astutè, facturum se quod petebant negavit, eò quòd modò in Urbe Pontifices contemptui haberētur, dum nollent Rom. sicut priùs constitutum & observatū fuerat, recipere Senatores ex nobilitate externâ; & Cameræ conservatores viros plerumque parùm idoneos, & quorum licentiâ omnia Banderesiis licerent, suoptè ingenio eligerent. Tum Romani, ut rem gratā Pontifici facerent, & Banderesios sustulerunt, & Malatestam Pandulphi filium Pisauriēsem, virum doctrinâ & multâ virtute conspicuum, à Bonifacio acceperunt; quin etiam pecunias ei ad iter dederunt. Vrbem ingressus, plenario sensim dominio est potitus, munitis mole Hadriani, (castro S. Angeli dictâ) Capitolio, & pontibus; adeò ut dicatur primus extitisse, qui vim omnem Populi Rom. in Pont. transtulerit.

BONIFACIUS DOMINIUM URBIS ADIPISCITUR.

IV. VTRÙM INDIXERIT IUBILEUM.

[l] Victor. de Iubil. par. 2. in Bonif. IX.

Vtrùm verò indixerit Iubileum in annum sequentem, cùm nemo ex antiquioribus affirmet; testetúrque Victorellus [l] se diligenter quæsîsse in Regesto Bonifacij, nec tamen ullam prædicti Iubilei memoriam reperire potuisse: omninò crediderim minimè indixisse: quâ enim ratione, cùm jam sub ipso celebratus fuisset anno millesimo trecentesimo nonagesimo; ac proinde approbatus quem Vrbanus VI. ipsius decessor anno præcedenti reduxerat ad trigesimū tertium annum, nec nisi decem anni ab eo decurrissent. Quòd tamen nullum sit dubium, advenisse Romam anno proximo millesimo quadringentesimo ex cunctis Orbis Christiani partibus magnam hominum multitudinem tanquam ad Iubileum: inde contigisse putamus, ut multi asseruerint indictum fuisse ab hoc Bonifacio; cùm nihilominùs fuerit tantùm non prohibitus; sed relictus antiquissimæ populorum devotioni visitandi annis centesimis Apostolorum Liminā, cujus occasione vidimus institutum fuisse Iubileum à Bonifacio VIII. Quod & debuit huic Nono non parùm gratum esse, vel eâ de causâ, ut sic videretur universus orbis ejus Pontificatum

appro

approbare, quem ceteroqui magna ejus pars in dubium revocabat. Denique diceret aliquis subtilior, in annum millesimum quadringentesimum concurrisse omnes præcedentes Iubileorum institutiones; nempè Bonifacianam centum annorum, Clementinam quinquaginta, (ut facilè patet) & Urbanicam triginta trium, quæ reducta ad tempus vitæ Christi, facto initio à primâ Iubilei institutione jam tertium perfectè complectebatur terminum ejus. At de ejus indictione modò satis; de celebratione anno sequenti.

V. Nova Albatorum devotio in Italia.

Præcessit autem præsenti immensa hominum congeries, magnâ devotionis specie Italiam circumcursantium, & à colore vestis *Albatorum* dictorum, quod genus videtur fuisse antiquorum Flagellantium [ll], sæpè novo zeli prætextu exurgentium, totiésque superstitionis eorum, vel etiam impiorum facinorum damnatione evanescentium. De quibus agens qui tum apud Bonifacium agebat Theodoricus Niemus [m], ait aliquos seductores de Scotiæ partibus in Italiam venientes, cruces lateritias subtiliter per infusum sanguinem in conspectum populorum exprimentes etiam olei liquore intùs madefactas æstivo tempore sudare fecisse: finxisse unum ipsorum esse Eliam Prophetam, mundúmque brevi terræmotu periturum: totam penè Italiam, Romámque ipsam & Campaniam pervagantes, populos mirabiliter decepisse; ita ut non solùm laïci utriusque sexûs & omnis ætatis, verùm etiam clerici & presbyteri, adeóque nonnulli Cardinales, saccis se se albis camisiis induentes, nováque carmina in modum litaniæ cantantes, processionaliter irent per civitates per tredecim continuos dies antequàm domum redirent: cubâsse nocte in ecclesiis & monasteriis ac cœmeteriis, indistinctè viros cum feminis, juvenes cum virginibus, absque ullâ pravâ suspicione: Donec uno comprehenso pseudoprophetâ, & flagitium tormentis detegente, is flammis combustus est, ceteríque complices clanculùm abierunt. Ita de his Niemus. De quibus etiam intelligendus Walsinghamus [n] tunc in Angliâ vivens, cùm sub hoc eodem anno ait, Romæ Imagines Crucifixi & B. Virginis humorem sanguineum sudasse: ac nobiles Italiæ cum plebe novâ devotione tactos, indutos pannis lineis cum crucibus insertis, ferentésque alias manibus, processionaliter prævio vexillo & Imagine Crucifixi circuisse stationes Romæ die noctúque, & nudatis corporibus usque ad umbilicum, flagellâsse sese cum piis cantibus Latinis ac vulgaribus: fuisséque turmas distinctas decem, viginti, & quadraginta millium hominum, quæ sibi invicem succedebant; non autem dormîsse in lectis tempore peregrinationis suæ, nec carnes aut lacticinia comedisse, diebusque sabbati jejunâsse.

[ll] Vid. supr. an. 1260. XII. 1349. II.
[m] Niem. 2. de Schism. 26.
[n] Vvalf. in Henr. IV.

VI. Describitur distinctius.

Plura verò de iisdem S. Antoninus [o], qui propriis oculis se vidisse testatur: & habitum distinctiùs describens, ait fuisse vestes lineas albas, ad pedes usque protensas, cum caputiis ad modum capparum religiosorum, quibus facies velabant, ad oculos tantum foraminibus ad videndum relictis; cum Cruce rubrâ ad humerum. Incredibili autem devotionis ardore longis agminibus processionaliter binos pergentes, pacémque & misericordiam supplici clamore sæpè postulantes, laudes & hymnos Latino & vulgari sermone decantâsse, ac præcipuè sequentiam *Stabat mater dolorosa*, &c. Peregrinationem illorum ordinariam fuisse novem vel decem dierum, jejunantibus qui poterant, & aliquibus in pane & aquâ. Neminem pèr id tempus dolo fallere tentâsse, neminem advenarum oppressum: tacitas cum publicis hostibus inducias extitisse, innumeras paces inter privatos factas, aliáque omnis generis bona exercitia: quocumq; pervenissent eorum agmina, mirâ hospitalitate excipi consuevisse; eorúmq; locorum incolas simili exemplo moveri ad alia loca: atque ita singillatim plerasq; Italiæ provincias peragratas ab iis esse: fuisséque hanc quamdam divinitùs immissam hominibus præparationem ad mortem eis propinquam, quam anno sequenti ex gravissimâ peste subierunt. Durâsse porrò hunc motum tres circiter menses: quem nonnulli in Hispaniâ ortum, alij in Scotiâ, vel Angliâ, aut Galliâ dicerent; ex apparitione Beatissimæ Virginis factâ cuidam rustico, significantis Filium suum contra mundum propter scelera ejus valdè commotum: Undecumque autem id processisset, negari non posse haud obscurum Dei opus fuisse. Ita Antoninus. De quibus item agens Platina [p], refert se à patre suo qui hominem viderat audivisse, ex Alpibus descendisse in Italiam presbyterum quemdam cum magnâ hominum multitudine; qui albo indutus panno tantam modestiam vultu ac verbis præseferret ut ab omnibus sanctus haberetur: Crucifixum gestâsse, quem lacrymari ob hominum peccata dictabat: Post peragratas diversas provincias, quibus non plebem modò, sed & principes & Episcopos in sententiam suam facilè pertraxit, substitisse Viterbij labore itineris fessum, Romam inde ad visenda loca sancta venturum: Sed Bonifacium Pontificem fraudem subesse veritum, quòd diceret hominem superstitiosum Pontificatum adjuvante illâ multitudine appetere, milites aliquot præmisisse, qui hominem comprehensum ad se perducerent: perductúmque, sive seductorem detectum, sive innocentem, sed seductionis infamatum, abolendo rumori quo hominem per invidiam captum affirmabant, igne cremâsse. Habétque Sigonius [q], prodiisse sacerdotem hujus religionis auctorem ex Galliâ Narbonensi, cúmque superatis Alpibus adeò singulas civitates obvias consternasse, ut qui similes vestes abnuerent, tanquam divini numinis hostes ab humanâ congressione propulsarentur: Episcopósque ipsos ducere consuevisse populos suos sub vexillis ad alias subinde civitates; donec ipsa religio Viterbij constitit. Denique Bergomensis [r] & Krantzius [s] referunt, Imaginem Crucifixi, quam sacerdos ille ante se deferri faciebat, apud Lucenses maximâ veneratione servari. Corius [t] autem queritur, homines mox in vitia relapsos, pejores evasisse quàm fuissent priùs.

[o] Ant. tit. 22. cap. 3. §. 32. Aret. lib. 12. Boninf. lib. 4.
[p] Platin. in Bonif. IX.
[q] Sigon. de Episcop. Bonon. lib. 3. an. 1399.
[r] Bergom. lib. 14. hoc an.
[s] Krantz. 10. Metrop. 46.
[t] Cor. par. 4.

VII. Imploratur auxi-

De Bonifacio autem habet item Walsinghamus [u], venisse ab eo in Angliam Episcopum Chalcedonensem, cum literis commonitoriis de collatione facienda in subsidium Imperatoris Constantinopolitani; cum plenariæ remissionis concessione contritis & confessis

[u] Vvalf. in Richar. II.

qui

LIUM IMPERATORI CONSTANTINOP.

qui de suo conferrent, & censurarum inflictione in eos qui ejusmodi collationes impedirent: quoniam quamvis esset is schismaticus pro Christi tamen fide infestabatur ab Infidelibus. Petitásque pariter fuisse suppetias à Rege Francorum, ac missum ab eo hoc eodem anno Marescallum Busficaudum Constantinopolim cum validâ manu: & licèt non congressus fuerit prælio cum Turcis, tamen eorum invasiones repressisse; tradunt nonnullæ Francorum Historiæ [x]. Rhodij verò milites sive Hospitalarij (ut eorum Annales habent) Cariam incursantes, castellum munitissimum nomine S. Petri in eâ construxerunt adversùs Barbarorum incursus; quòd sæpè ac diù magno fuit usui Christianis. Refértque Æneas [y] Silvius, excubare solitos canes ingentes noctu extra ejus muros; qui Christianos odore à Turcis distinguere gnari, eis adventantibus blandirentur, Turcos latratu proderent, & morsibus insectarentur. Et addunt Annales rem aliquando contigisse miram; ut cùm quidam Christianus Turcos fugiens in quamdam cisternam siccam sese demisisset, nec valeret inde sese posteà educere, unus ex his canibus eo detecto partem sui panis quotidie ei detulerit: donec is qui curam canum agebat hunc macrescere animadvertens, eum insecutus rem vidit, & Christianum eduxit; cane postinde admiratione cunctis habito.

[x] Monach. Dionys. & Iuven. in Car. VI.

[y] Æn. Silv. de Asia min. c. 88. in fi.

MIRANDA DE CANIBUS CASTRI S. PETRI.

VIII. ODIUM REBELLIONIS.

Grande in Angliâ commissum hoc anno facinus; quòd paucis expediemus, tædio, quinimmò odio rebellionum in legitimos Principes; quas precamur à Deo imposterùm averti, earúmque machinatores converti: nequid severiùs in eos dicamus, quos omni severitati dignos censemus, pestes regnorum, publicarum rerum subversores, populorum destructores, hostes denique Dei & hominum. Non tamen quòd propterea Regum ac Principum delicta comprobare, vel etiam excusare velimus: sed quòd alia quæque remedia potiùs conquirenda, ac mala toleranda asseramus, quàm ad hæc extrema veniendum. Vidimus [z] suprà Richardum Angliæ Regem, inter alia levis animi & rerum suarum parùm providi gesta, etiam patruelem suum Henricum filium Ioannis Ducis Lancastriæ exilio mulctâsse. Is apud Regem Francorum agens, cùm audisset post patris sui obitum, qui contigit ad principium Februarij, non solùm Regem non curare de ipso in regnum restituendo, verùm etiam paterna bona suis familiaribus distribuere: & absente Rege in expeditione Hibernicâ, cujus prætextu magnas pecuniarum extorsiones fecisse accusabatur) à civibus Londinēsibus hostibus Regis & ad seditiones promptissimis, per Thomam Arundelium Archiepiscopum Cantuariensem solicitatus in Angliam redire cum promissione regni ei deferendi: ubi advenit mense Augusti, tam ab iisdem Londinensibus, quàm à ceteris populis, magnâque parte nobilitatis uti regni liberator exceptus; collecto potenti exercitu adversùs Regem in finibus regni Hiberniam versus existentem progressus est: eumdémque à plerisque suorum derelictum, in castro quodam in deditionem ignavissimam accepit, & ad Turrim Londinensem captivum perduxit. Ubi acceptâ ab eo ignaviori regni deditione, quò vitam servaret, quam solent alij pro rerum longe minoris pretij adoptione profundere: lataque propterea per regni comitia in eum sententiâ depositionis, tamquam muneri tanto imparem & ineptum: regnum sibi vendicavit, séque decimotertio Octobris in festo S. Eduardi inungi curavit: ac denique specie cujusdam in se conjurationis à nonnullis proceribus factæ pro liberatione Richardi, qui perpetuo carceri damnatus fuerat infortunatissimum Principem de medio sustulit; postquàm regnâsset annos viginti duos, vixisset triginta tres: Uti rem gestam fusissimè narrat Frossardus [a], in eâ terminans Historiam suam (in cujus locum succedet paris prolixitatis auctor *Engerranus Monstreletus* Belga & ipse nobili prosapiâ ortus) & vitiis quidē Richardi non parcens, sed tamen nefandissimum scelus in eum perpetratum jure merito detestans: quod nec ipse Vualsinghamus [b], quamvis in excusationibus in peccatis industriam suam impendens, satis diluere valuit: Polydorus [c] apertè damnavit; & quod ille, ceteríque Henrici fautores, Richardum voluntariâ inediâ periisse divulgârunt, admittere recusavit, quem malleis contusum describit qui pariter tunc vivebat Ioannes à Leidis in Chronico Belgico [d]: pluribus & ipse rem prosecutus, unà cum crudeli Henrici sævitiâ in Richardi fautores. Francos enim Historicos tacemus, qui hujusmodi perfidias non abominari non potuerunt. Quod verò Scoti habent de fugâ Richardi muliebri habitu in Scotiam, ubi posteà agnitus, & honore cultus fuerit usque ad obitum, fabula putatur, à Scotis adversùs Anglos conficta.

[z] An. 1391. IV.

HENRICUS LANCASTRENSIS REGNUM ANGLIÆ OCCUPAT.

REGEM DE MEDIO AUFERT.

[a] Frossa. vol. 4 cap. 100. & seqq.

[b] Vualf. in Rich. II. Henr. IV. & Hypodigm.

[c] Polyd. lib. 20. 21.

[d] Io. à Leid. lib. 31. c. 58.

IX. DE AMPULLA CÆLESTI ANGLORUM.

Formulas autem depositionis Richardi, & resignationis regni, iidem Vualsinghamus & Polydorus recitant: cæremonias inaugurationis Henrici plenius Frossardus. Qui cùm nihil meminerit de Ampullâ illâ cœlestis unguenti, quam Vualsinghamus fabulatur à Beatissimâ Virgine traditam olim ad Regum Angliæ unctionem B. Thomæ Martyri & Archiepiscopo Cantuariensi; & cùm diutissimè latuisset, inventam revelatione divinâ, & servatam ad unctionem hujus Henrici: ex hoc Frossardi silentio, & quod videantur Polydorus & Harpsfeldius [e], qui Vualsinghamū perlegerunt istam ejus observationem tacendo, ut nullam contempsisse, alioqui minimè prætereundam; conjici daretur commentum fuisse Vualsinghami ad pleniorem & augustiorem regni Henrici confirmationem, & ut nihil eâ etiam re Anglo cedere Francis persuaderet: Nisi id vulgò tunc jactatum fuisse ab Anglis, docerent nos Iuvenalis & Monachus Dionysianus: quinimmò & iste testimonium ejus rei ab ipsomet B. Thomæ scripto relictum, quale Angli proferebant, recitet: quod valdè miramur ab Vualsinghamo fuisse omissum. Credant eis, quibus libuerit: nos cum prædicto auctore nec assentiremus nec dissentiremus; nisi quod difficile nobis persuaderi patimur; reservatum fuisse speciatim divinum hoc munus ad consecrationem iniqui regni usurpatoris, (qualem ipsimet auctores Angli agnoscunt) tot aliis anteà præteritis post datum munus legitimis Regibus. Haud tamen tantâ elatione intumescimus, cum fidentissimæ censuræ quo-

[e] Harpsfeld. sæc. 14. c. 7. & sæc. 15. cap. 9.

MEYERI TEMERITAS.

dam

f Meyer. Annal. Flandr. lib. 14. hoc an.

dam curione, [f] tanquam afflatu divino pronunciare præsumamus, Thomam Cantuariensem Pontificem hominem impostorem, phialam hanc cælo datam mentitum esse; quemadmodum de ampullâ olim confictum esset apud Gallos. Macte sacerdos tali supercilio! sed quot & quantis fœdis eiusmodi ac luridis maculis opus tuum deturpâsti! Ut rem absolvam, non propterea si oleo illo cælesti unctus est Henricus, majus habuit jus ad regnum; nec si communi, minùs, nisi alia obstiterint.

X. QUALE IUS HENRICI AD REGNUM ANGLIÆ.

Quod verò plerique prædictorum auctorum tradunt, Henricum sibi regnum triplici jure vendicâsse, belli, cessionis, & hereditatis, sive successionis ab Edmundo Duce Lancastriæ filio Henrici Tertij natu majore: ne tempus inutili labore teramus; quanta sit duorum priorum jurium hâc inter Richardum & Henricum quæstione futilitas, nemo æqui amator non videt. Nec tertij vanitas ullum apud historiæ Anglicæ lectores inventura locum erit; ex quibus demonstravimus [g] olim, fuisse Edmundum non majorem, sed multis annis minorem Henrici filium. Quare & ait Polydorus hanc Henrici rationem paucis placuisse. Quod autē Frossardus habet Henricum exprobrâsse Richardo, communem fuisse in Angliâ famam, matrem eius genuisse eum ex quodam clerico, sive canonico; cùm nihil ejusmodi alibi Richardo objectum invenerimus; ut commentum rejicimus. Utrùm verò eâdem facilitate rejiciendum fuerit, quod de ejusdem ipsius Henrici patre asseruerunt alij [h], non fuisse eum filium Eduardi III. Regis, sed ignobilis cujusdam mulieris, quē Regina Eduardi uxor, cùm recèns natum infātem casu in lecto oppressisset, ejus loco supposuisset: hócque Reginam morti proximam cuidam Episcopo aperuisse, cum mādato ut si aliquando videret regni successionem ad eum aliquo modo pervenire, rem in publicum efferret, ne successio contaminaretur: hæc inquam sic asserta, quamvis parùm fidei apud nos habeant, utrùm tamen vim aliquam habere debuerint, examinandum relinquimus iis quorum res agitur. Sanè quidem si hoc capite non debuit Henricus à successione regni repelli; alio tamen repellit illum penitùs cum aliis auctoribus Anglicis Polydorus, cùm ait [i], solemni Principum conventu apud Westmonasterium à Richardo Rege celebrato, ne aliquando ambigeretur cui Richardi hereditas, si sine liberis è vitâ excederet, venire deberet; Edmundum Mortimerium Marchiæ Walliæ Comitem successorem regni renunciatum fuisse, ex eo quòd in matrimonio haberet Philippam filiam unicam Leonelli Ducis quondā Clarentiæ, filij tertiogeniti Eduardi Tertij, qui Ioannem Lancastrium patrem Henrici ætate antecedebat: & fratres ejus natu maximi, Eduardus princeps pater Richardi, & Guillelmus qui admodùm puer mortuus est, extra eumdem Richardum nullam aliam reliquissent prolem. Quibus sic stantibus, proculdubiò constat nullo hereditatis jure regnum ad Henricum pertinuisse, cùm viveret [k] eo tempore Rogerius prædictorum Edmundi & Philippæ filius Comes Marchiæ. Sed ut idem auctor addit, quemadmodùm usu sæpè venit, vis jus vicit, neque Rogerius ausus est id temporis Henrici potentiæ se opponere; eâ tamen posteà

g Supr. an. 1272. VII.

h Vid. Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæc. 14. c. 20.

i Polyd. lib. 20.

k Id. lib. 21. in pr.

quæstione diris motibus inter utriusq; successores, ut videbitur, agitatâ. Scriptúmque reperimus apud alium auctorem [l], ad hunc Henricum, cùm primùm coronatus esset, anachoretam quemdam barbatum virum, divinóque spiritu afflatum venisse, ac monuisse ut ad verū heredem regnum transferret: quod nî fecisset, ipsum cum Lancastriæ familiâ unde oriundus erat diris plagis concussum iri: Henricum verò metuentem ne in vulgus credulum ac mobile ea prolata rebellionem aliquam concitarent, è medio virum extemplo sustulisse.

l Boëth. Hist. Scot. lib. 16.

DIVINA AD EUM MONITIO DE INIUSTA REGNI OCCUPATIONE.

XI. VARII IN EUM MOTUS.

Qui præterea multis conjurationibus & insidiis per singulos penè annos appetitus est, tam à proceribus invidiâ ipsius dominationis, quàm a populis pœnitentiâ suæ in Richardum rebellionis; quem etiam superstitem esse, ac pro eo restituendo pugnare, sæpiùs finxerunt: quæ tamen in auctorum semper capita redundârunt. Multum itidē ei ipsius regni initiis factum à Francis periculum: cùm non solùm pro injuriâ Regis genero, ipsíque adeò ejus filiæ Richardi conjugi aliis quoque modis iniquè illatâ, verùm etiam pro ejusdem filiæ, ac dotis & supellectilis ornatúsque in Angliam delati, secundùm pacta conventa recuperatione, quam Angli variis prætextibus remorabātur; parùm abfuit quin factæ olim inter utrumque regnum induciæ rumperentur, detrectante Francorum Rege Henricum Regem agnoscere: ac Duce Aurelianensi fratre Regis patruóque virginis bellum eidem per literas & feciales indicente. Quæ tamen aliquo modo composita fuere; quoúsque remissâ post biennium puellâ, (quæ posteà nupsit Carolo filio Ducis Aurelianensis patrueli suo, cum dispensatione impedimenti sanguinis) novæ emerserunt dissidiorum occasiones. Hæc porrò jam dicta diligentiùs explicat Tilius in commentario Tractatuum inter Francos & Anglos factorum; necnon Iuvenalis, Monstreletus, Walsinghamus, Polydorus, & alij utriusque gentis historici: in quibus tamen proprij affectus, ut semper aliàs, cavendi.

XII. m Harpsfeld. sæc. 15 cap. 9. SYNODUS CANTUARIENSIS PRO DISCIPLINA, ET LEVAMENTO CLERI.

Cùm verò celebraretur hoc anno [m] Synodus provinciæ Cantuariensis, ad eam prædictus novus Rex Henricus duos Comites misit ad preces pro ipsius & regni salute postulandas: cùm pollicitatione haud se pecunias à Clero petiturum, nisi summâ Reipúblicæ necessitate. (A quibus tamen posteà exigendis numquam cessatum est, sive propter eam necessitatis causam, sive propter Regis avaritiā.) Eadem & in Comitiis regni promisit. Quibus Regem Thomas Archiepiscopus obtestatus est, ut provisiones abrogaret, per quas, doctis & piis viris in Academiis inopiâ pressis, opima beneficia indoctis & ambitiosis accrescebant. Questúsq; insuper in Synodo est Clerus, quòd valdè premeretur tum à ministris regiis, tum à Rom. Pontifice, cujus quidam quæstor ad Synodum venerat. Postulatum quoque, ut dies S. Georgio Martyri sacer, celebris & festus per totam Angliam ageretur: útque cautio diligentior haberetur, ne bona pauperum hospitiorum temerè atque inconsultè in pauperum fraudem profunderentur; itémque ne Episcopi causas sacerdotiorum & matrimoniorum, nisi doctis & peritis juris crederent: ac ne ij qui in adulterium, aut aliud grave pec-

catum publicè notum reciderent; pecuniariâ sed corporeâ pœnâ coërcerentur.

XIII. IUDÆORUM SCELUS IN SACRAM EUCHAR.

Hoc eodem anno in urbe Posnaniâ majoris Poloniæ perfidi Iudæi consuetâ pervicacissimę genti malitiâ scelus intentârunt, quale jam sæpè aliàs patrâsse vidimus, nec ferè umquam sine miraculo à divinâ læsâ majestate. Extat eâ de re elegans ac prolixus tractatus Thomæ Treteri Poloni, in publicū editus anno 1609. quem paulò pòst (fortè ne solitarius vagans periret; an facili arte conficiendis ingentibus magnâ celeritate voluminibus) in suos Annales integrum transtulit quidam neotericus historiarum tractator [n]. Summa est; mulierem quamdam inopem, à Iudæorum Rabbinis largitionibus seductam, die Assumptionis Beatiss. Virg. occultantem sese intra ecclesiam FF. Dominicanorum, postquàm peractis officiis recessissent cuncti, ad tabernaculum quo divinissimum sacramentum asservabatur, accedentem, semel iterúmque ostiolum vi reserare conatam, totiénsque in terram corruentem; tertiò idem aggressam, & ad majorem Dei gloriam scelus peragere permissam, tres hostias minores extraxisse, & linteolo repositas, ubi exire licuit ad Iudæos detulisse. Illos eas in quoddam subterraneum cellarium latas crebris pugionum ac cultrorum ictibus confodisse; ex quibus copiosus sanguis exiliens facies eorum, locíque parietes & pavimentum indelebili cruore resperserit; remanentibus semper speciebus eâdem formâ & candore, quamtumvis & igne & aquâ eas perdere pertentaverint. Cùm res detegi cœpit, detulisse illas extra civitatem in locum paludosum, & factâ foveâ in eam projecisse luto obruentes; nihil motos aliquot sanationum miraculis, quæ in hâc earum per ipsos deportatione contigerunt: Sequenti Dominicâ cùm primò puer bubulci qui pascendorum civitatis jumentorum curam habebat, deinde bubulcus ipse, jumentis fortè ad locum perductis, vidissent Hostias in aëre volitantes fulgentissimo splendore, & jumenta ad earum conspectum in genua procumbere, obstupefactum bubulcum rem Magistratui urbis denunciâsse; húncque post denegatam primò fidem nuncio, móxque novo miraculo præstitam, ad Episcopum detulisse: qui unà cùm clero processionaliter ad locum accedens, hostias reverenter accepit, & ad Ecclesiam parochialem ingenti populi lætitiâ detulit: Sanctâ contentione ortâ, quo loco imposterùm servari deberent, Episcopo pro Ecclesiâ cathedrali ceterarum matre agente, Magistratu pro parochiali quòd in fundo civitatis repertæ fuissent; Dominicanis pro suâ ex quâ furto ablatæ essent, venerabiles Hostias ad locum Inventionis rediisse: ubi mox summâ diligentiâ loco purgato sacellum pro tempore extructum est: & concurrentibus undique ad famam rei gestæ ac miraculorum populis, Wladislaus Iagello Rex Poloniæ insignem Ecclesiam posteà exædificavit, unà cum monasterio, in quo Fratres Ordinis S. Mariæ Carmelitarum collocavit: Iudæos verò sceleris auctores & conscios impœnitentes, mulierculam dolentem, uno eodémque rogo vivos combustos esse: hoc addito novo tormenti genere, ut robustis canibus ad pedes eorum catenis ferreis alligatis, cùm ignis ardorem hi sentirent, membra illorum crudelissimis morsibus dum deficerent dilaniarentur. Hæc diffusè auctor. Subduntúrque infinita propemodùm miracula sanationis, omnis generis morborum, necnon liberationis à dæmonibus, ac variis periculis ignium, aquarum, mortium diversarū, aliísque tam animæ quàm corporis, denique & suscitationis à mortuis; ad sacras illas Hostias hactenùs fieri consueta.

[n] Bzov. to. 15. hoc an.

INGENTIA INDE MIRACULA.

HOSTIÆ SACRÆ ASSERVATÆ POSNANIÆ.

XIV.

Putavit auctor, Wladislaum quoque Regem votum ad illas pro conjugis suæ Heduigis, quæ hoc eodem anno ex partu in gravissimam infirmitatem incidit, incolumitate nuncupâsse. Sed minimè advertit, eam jam defunctam esse antequàm casus hic Hostiarum contigisset: quippe quem tam ipse, ut diximus quàm accuratus auctor Historię Polonicę Michovius,[o] eumdem brevissimè memorans, ad Assumptionem Beatissimæ Virginis collocent, quæ celebratur decimoquinto Augusti; obitum autem *Heduigis* idem Michovius [p] & alij constituant die duodecimâ Iulij hujus ipsius anni, quam & tantæ virtutis ac vitæ sanctitudinis, tanteq; in Deum pietatis, ac misericordiæ in pauperes fuisse volunt [q], ut & miraculis post obitum illustrata fuerit. Cujus item præcipuè opus fuit, institutio, seu instauratio Universitatis Studij Cracoviensis. Quo etiam anno mortua pariter in Poloniâ ponitur *B. Dorothea* vidua Prutena, ingentis austeritatis vitæ & pietatis femina, visionibus divinis ac dono prophetiæ clara; cujus extant [r] Res gestæ. Post obitum autem Heduigis, cùm nullâ prole extante Rex Wladislaus ejectionem metuens, ad regressum in Lituaniam spectaret; Prælati & Barones aliam regni heredem Annam Comitis Ciliæ filiam (cujus etiam sororem nomine Barbaram Sigismundus Rex Hungariæ post defunctam Mariam Heduigis sororem despósaverat) superesse docuerunt; quâ posteà ductâ, (licèt ægrè, eò quòd parùm præstantis formæ esset) regnum retinuit magno ejus bono.

[o] *Michov. lib. 4. cap. 49.*

[p] *Id. cap. 41. Ludov. Dec. de Reb. Polon. lib. 2.*

B. HEDUIGIS REGINÆ POLON. OBITUS.

[q] *Cromer. lib. 15. in fin.*

ITEMQUE B. DOROTHEÆ PRUTENÆ.

[r] *Ap. Bzov. hoc an.*

XV.

Mortuus item hoc anno dicitur [s] Gerundæ in patriâ suâ Fr. *Nicolaus Eymericus* Inquisitor generalis regni Aragoniæ, de quo sæpè superius: cùm tamen sint [t] qui ex vetusto epitaphio ejus sepulchro inciso putaverint jam obiisse anno 1393. Ejus extat inter alia opera, egregium *Directorium Inquisitorum* adversùs hæreticos & hæredes; quod Franciscus Pegna commentariis illustravit. Traditúrque in alio opere *De tribus personis in Deo* catpsisse errorem parochorum urbis Valentinæ; qui quando Sacramentum Eucharistiæ infirmis vel aliis porrigerent, interrogabant: *Credis quòd hæc sacra Eucharistia quam præ manibus habeo, est Pater, Filius & Spiritus sanctus?* ac respondentibus illis? *Ita credo*, tunc demùm porrigebant.

[s] *Bzov. ex Diago.*

NICOLAI EYMERICI OBITUS.

[t] *Pegna in pr. Direct. Eymer.*

ERROR IN PORRECTIONE SACRÆ EUCHARISTIÆ.

XVI.

Visa hoc anno in Lombardiâ [u] signa prodigiosa in Sole. In Galliâ [x] fluvij extra modum excreverunt: secutáque est ingens hominum mortalitas ex pestilentiâ, quæ ferè triennio regnum vexavit; grassans etiam per ceteras partes Europæ, ut nationum auctores queruntur. Ac mense Novembri transacto, Cometa octo noctibus visus est, dirigens caudam versùs partes occiduas: qui secundùm astrologos funera Regum, vel dominiorum mutationes significabat. Quæ hoc anno cœpta, sequenti

[u] *Cor. par. 4.*

[x] *Monach. Dionys. & Iuven. in Car. VI.*

PRODIGIA VARIA.

ti grandia incrementa cepêre, nullâ orbis parte his publicis malis intactâ. In partibus autem Borealibus [y] tam asperam fuisse hiemem memoriæ proditum est, ut è Pomeraniâ reliquoque Germaniæ vicinæ littore rectà in Daniam pedibus per glaciem mare transmitteretur. Et narrat Krantzius [z], eâ opportunitate usos Fratres Teutonicos, Massagetas oppugnâsse; iter præbentibus lacubus, & paludibus, ceterisque eorum receptaculis glacie duratis: Albertum quoque Holsatiæ Comitem in Phrisiam Eidorensem moventem, gladio & igne sævîsse, populúmq; illum coëgisse pecuniâ totius terræ vastitatem redimere. Quæ si vera sint, mirabuntur qui notitiam earum regionum habent.

y Hist. Dan. & alij.

z Krantz. 10. Saxon. 18.

XVII. Quando & refrigescente in Ordinibus religiosis charitate, in Augustiniano [a] nonnulli disciplinæ studiosi, cœperunt non solùm ubi opus fuit Ordinem Eremitarum instaurare, verùm etiam probis ac doctis viris augere: unde emersit hoc anno apud Neapolim, operâ & diligentiâ *Simonis Cremonensis*, Congregatio *Carbonarias* dicta, (à familiâ ejus nominis, ut vult Summontius [b],) sive *S. Ioannis de Neapoli*; quam Ecclesiam idem auctor ait constructam fuisse à Ladislao Rege.

a Pamphil. in Chron.

CONGREG. CARBONARIÆ INSTITUTIO.

b Summont. lib. 4 cap. 2.

IESV CHRISTI Ann. 1400.
BONIF. IX. Ann. 11.
VVENCESLAI Annus 22.
EMMANUELIS II. Ann. 17.

I. ANNO Christi millesimo quadringentesimo, Indictione octavâ celebratum est Romæ Iubileum, de quo dictum est anno præcedenti; magis (ut putamus, & diximus) ex spontaneo populorum ad consequendas priorum Indulgentias concursu, quàm ex novâ Bonifacij Pontificis indictione, etiamsi illam nōnulli posteriores auctores agnoverint. Sanè Niemus [a] qui tunc Romæ Bonifacio adstitit, de his agens, speciatim ait Gallos asserentes nunc annum Iubileum secundùm antiquam institutionem Ecclesiæ Romanæ existere, ad Urbem catervatim causâ devotionis utriusque homines sexûs penè per totum annum advenisse; quorum multi erant nobiles & egregiæ personæ, & larga offertoria ad Ecclesias attulerunt. Quâ in re non leviter transeunda innata pietas nationis Gallicæ, (cuius etiam penè testimonio institutionem factam esse Iubilei Christiani à Bonifacio IX. suo loco vidimus) ut præ illâ nihili pendens edictum regium, quo Iuvenalis ait jā anno superiori, propter regni pauperiem ac penuriam pecuniarum, & ne videretur Bonifacius pro legitimo Pōtifice agnosci, prohibitum fuisse nequis Romam peteret; nihilominùs (ut etiam addit) ingens multitudo eò perrexerit. De concursu porrò cetero quoque populorum, testimonia sunt singulorum auctorum. Quem tamen longè minorem fuisse, quàm centenario Bonifaciano, aut quinquagenario Clementino, facile sit intelligere ex impedimentis diri Schismatis Ecclesiæ, & grassantis tam ubique ferè per orbem, tum in Italiâ ipsâq; Româ sævissimâ pestilentiæ lue: adeò ut scribat Boninsegnius [b] qui propè erat, singulis diebus abreptos eâ fuisse in Urbe sexcentos & octingentos homines: addántq; alij, magnam partem eorum qui Romam peregrinati sunt, pestilentiâ oppressos reditum perdidisse. Quibus aliud malum ex Niemo addas; nimirùm stipendiariorum Bonifacij (ut nulla [c] est plerumq; fides pietásque viris qui castra sequuntur) rapinas & turpitudines, quibus in districtu Romanorum & propè Urbem rebus suis peregrinos spoliabant ac malè tractabant, necnon mulieres speciosas rapiebant & abducebant. A quibus malis & periculis immunes esse potuêre multi exteri, quibus gratiam Bonifacius indulsit eosdem thesauros in suis regionibus adipiscendi. Putà Dani; quibus recens Borealium regnorum descriptor [d], Indulgentiarum licèt hostis ipse, ait concessisse eas Bonifacium, si die Ostensionis Reliquiarum (nempè Iulij undecimâ) cathedralem S. Laurentij Ecclesiam Lundæ frequentarent. Itémque Pragenses; dum petitione Wenceslai Regis concessit Bonifacius, (quod scribit Dubravius [e]) ut Iubileus ad Romanum modum consecraretur Pragæ: quem Rex magnâ religione celebravit, & mirâ hominum multitudine: nihil interim non ibi agentibus Wickleffi discipulis, pro extenuando Indulgentiarum valore & efficacitate, de quorum ibi initiis dictum est suprà; de progressibus dicetur suis locis posteà.

IUBILEI CELEBRATIO ROMÆ.

a Niem. de Schism. 28.

GALLOR. PIETAS.

b Boninsf. lib. 4.

c Lucan. lib. 12.

IUBILEUS CONCEDITUR EXTERIS.

d Pontan. Rer. Dan. lib. 9.

e Dubrav. lib. 23.

II. Quorum comprimendis conatibus si tam attendisset prædictus Vvenceslaus, quàm gulæ, luxuriæ, sævitiæ; & siquando à socordiâ & sopore evigilās aliquam Reipublicæ curam suscipere voluisset; aut variis olim carceribus edoctus, Principúmve hortationibus persuasus, perditissimam vitam in melius reformâsset: haud in dedecus & opprobrium incidisset, quod hoc ipso anno subire coactus est ex abdicatione dignitatis Cæsareæ, quam immenso pretio turpiter adeptus, vilissimo animo turpiùs amisit. Cùm enim tractâssent iam antehàc Electores de alio ad Imperium ejus loco efferendo; rémq; sæpiùs spe morum ejus emendationis, & timore novi in Imperio schismatis, distulissent: demùm malis in dies crescentibus; postquàm nihil se vel admonitionibus, vel denuntiationibus aut minis proficere perspexerunt; ne penitùs Imperium corrueret, re cum Bonifacio Pontifice communicata, ejúsque assensione habitâ, hoc anno convenientibus in unum apud castrum Lonstein ad Rhenū diœcesis Treverensis, Ioanne Moguntino, Friderico Coloniensi, Vvernero Treverensi Archiepiscopis, ac Ruperto Comite Palatino Rheni Ducéque Bavariæ, Electoribus Imperij, unâ cum aliquot aliis Principibus ac civitatum oratoribus; absentibus Duce Saxoniæ & Marchione Brandeburgico, item electoribus, qui vocati noluerunt adesse; ipsóque Vvenceslao rogato, nec tamen aut per se aut per procuratores comparente: de communi prædictorum omnium consensu, sententiam in eum exauctorationis & privationis regni Romanorum & Imperij, (ad quod electus fuerat ante quatuor & viginti annos) protulit cunctorum nomine Moguntinus; quæ extat [f] data anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo, Indictione octavâ, feriâ sexta, die vigesimâ Augusti, Pontificatûs Bonifacij Novi

VENCESLAUS DEPONITUR IMPERIO.

f Tom. Rer. Germ. Urstisii & ap. Bzov. hoc an.

anno undecimo. Quæ omnia videas præsenti anno quadrare, contra illos qui aliis aut annis aut mensibus rem gestam collocant. Causæ verò depositionis exprimuntur, indecentes ac detestabiles eius in imperando mores; necessitatum Ecclesiæ & imperij neglectus, ejusdem Imperij membrorum aliquot mutilatio, atque imprimis ditionis Mediolanensis & Lombardiæ contra ius fásque acceptâ pecuniâ facta; membranarum purarum, suo tamen sigillo munitarum, amicis facta venditio, in quibus liceret quicquid illi vellent in detrimentum publicum & privatum conscribere; omnium scelerum & iniuriarum impunitas; denique sacrorum Antistitum ac sacerdotum, aliorúmque honoratorum hominum, tam propriâ quàm sociorum impietatis manu neces, submersiones, cremationes, truculenter peractæ. Addit speciatim alias causas Trithemius [g], sed quæ sub prædictis contineantur. Meminerúntque Nauclerus [h], Krantzius [i], Hartmannus, [k] & alij plurimi.

CAVSÆ DEPOSITIONIS.

g Trith. in Chron. Sponheim.
h Naucler. gener. 47.
i Krantz. 10. Vvand. 1.
k Hartm. in Annal.

III. FRIDER. IV. EI SUBROGATVR.

Post depositionem promulgatam tractantes Electores de substitutione digni alicuius Principis in locum Vvenceslai, convenêre in *Fridericum* Ducem Brunsvicensem, egregium Principem, ac rei militaris peritissimum, Imperatorem eius nominis Quartum. (Hunc enim multi [l] agnoscunt Vvenceslao subrogatum; cùm plures, quòd designatus tantùm fuerit, prætereant.) eóque cùm è comitio rediret, nefariè occiso ab Vvaldekiano Comite; (quâ de re culpatus Archiepiscopus Monguntinus, [m] purgare se habuit:) coëuntes iterùm Electores, quidam Iodocum Moraviæ Marchionē Vvenceslai patruelem, alij Rupertū sive Robertum superiùs nominatum Bavariæ Ducem & Comitem Palatinum vnum ex Electoribus elegerunt. Mansítque hic *Rupertus* Rex, nepos existens pronepósve ex fratre Ludovici Bavari olim Imperatoris dicti, cognomento *Parvus*, vir belli pacísq; artibus clarus; siue in numero votorum prævaluerit, ut ferè consentiunt auctores; sive ut nonnulli habent, obtinuerit tantùm post Iodoci obitum, qui brevî contigit. Fuítq; anno proximo die Epiphaniæ sextâ Ianuarij Coloniæ coronatus ab Archiepiscopo, quòd Aquisgranensis civitas, ubi coronari ex more debuerat, eum Regem nollet; sed à Vvenceslao staret, unà cum non paucis aliis tam civitatibus quàm Principibus, qui ei constanter diù adhæserunt, quantumvis adeò eidem Ruperto studuerit Bonifacius Pontifex ut etiam aliquantò pòst, multùm contrà nitentibus Electoribus Archiepiscopis, exigendarum à Germanico Clero decimarum potestatem ei concesserit; prout inter alios à Serario narratur in Rebus Moguntiacis [n], Testatúrque Niemus [o], adfuisse se in Consistorio quando Bonifacius electionem ejus confirmavit, promisítque favores ei Apostolicos impendere. Quare etiam ex Edmundo [p], qui cum Vvenceslao, ac fratre ejus Sigismundo Hungariæ Rege familiariter versatus est, intelligitur, eundem Sigismundum auditâ fratris privatione, per literas conquestum esse Cardinalibus Bonifacij; quòd Vvenceslaus non vocatus, non convictus, & sine causæ cognitione privatus esset; quódque Bonifacius die noctéque nihil aliud cogitare videretur, nisi ut modum inveniret eijciendi pariter ipsum Sigismundum à regno Hungariæ, ut traderet Ladislao Regi Neapolitano: tametsi uterque frater semper adhæsisset tam Urbano Sexto quàm ipsi Bonifacio; licèt per multos Reges ac Principes fuissent sæpiùs adversùs eos sollicitati. Denique scribit Vvasseburgius in antiquitatibus Galliæ Belgicæ, Gallos Rupertum pro Rege non habuisse, sed Vvenceslaum ut priùs; ideóque fœdus Ruperti neglectum ab iis esse. Et in Annalibus Agrippinensium proditur, Rupertum sexto demùm anno Aquisgrani pro Rege susceptum esse, quòd interim illa civitas exemplo Geldriæ Ducis in fide Vvenceslai permaneret.

l Annal. Saxon. Suffrid. in Pontiff. Leodiens. cap. 3. Onuphr. in Chr. Serar. Rer. Mogunt. lib. 5 &c.
m Serar. ibid. Krantz. 11. Metrop. 2.

EIDEM OCCISO SUBSTITUITUR RUPERTUS BAVARUS.

n Ser. d. l. 5.
o Niem. c. 14

p In Magn. Chron. Belg. in Vvencesl.

IV. VVENCESLAUS PARÙM SOLLICITVS DE SUA DEPOSITIONE.

At verò ipsum Vvenceslaum parùm depositionem suam curâsse, plures aiunt [q]: Cúmque intellexisset Iodocum patruelem suum ab unâ parte Electorum nominatū fuisse sibi successorem, ipso Iodoco inscio; eidem ad se in penitiores ædes evocato dixisse, etsi satis sciret non esse dignitatis suæ quòd Electores fecissent, solatio tamen esse quòd familiam non egressi ipsum elegissent: Ad hæc territo Iodoco, & in genua procidenti, ac rei ignorantiam excusanti, ponere metum iussisse; haud enim Imperium invitè se deponere, neque si retinere cuperet, jura sanguinis in eo violaturum: susciperet Imperium, séque ac suis uteretur, sibi suam satis esse Boëmiam: Iodocum autem sex tantùm posteà mensibus vixisse, ac in Moraviâ regio funere sepultum esse. At verò Iodoci electionem nonnisi post Ruperti obitum contigisse, rectiùs alij: de quâ rursùm eo loco. Vvenceslaus autem vitam pristinam in suo Boëmiæ regno agere perrexit; ingenti Principatûs dedecore, ac religionis, literarum, & civilis statûs detrimento, vt videbitur pleniùs. Adeò quidem regni Ruperti confirmationem floccifaciens, vt cùm inter civitates Imperij Norembergenses, pertinaciùs detrectarent ei obedire nisi annuente Vvenceslao, & ut ipsos Vvenceslaus (quòd grauiùs urgerentur à Ruperto) absolveret obtulissent aureorum viginti millia; is contempto auro absolverit: jussos tantùm optimi vini aliquot plaustra sibi mittere. Sed de illo iterùm inferiùs.

q Æn. Silv. de dict. & fact. Alfonsi Reg. lib. 3. & ex eo Naucl. gener. 47. Krantz. 9. Vvand. 31. Mutius lib. 26. Cusp. de Cæsar.

r Krantz. 10. Vvandal. 1.

V. EMMAN. IMPER. GRÆC. APPELLIT IN GALL. IRRITO ITINERE.

Ab Imperatore Latino transeuntes ad Græcum, seu veriùs ab umbrâ Imperij ad umbram hoc eodem anno (vt scribunt Monachus Dionysianus & Iuvenalis, diligentissimi rerum hujus temporis quæ præcipuè Galliam tangunt tractatores) tertiâ die Iunij Emmanuel Græcorum Constantinopolitanus Imperator Lutetiam appulit, magnificentiâ tantæ majestatis culmine dignâ exceptus; in regni quidem finibus ab aliquot proceribus qui comitarentur, & à ministris regiis qui curam haberent expensarum; longè extra civitatem à patruis Regis; ad portas ejus ab ipso Rege tunc benè valente, oblato ei equo generosissimo & ornatissimo albo; non ut patrem eius Carolum Sapientem cum Carolo IV. Imperatore Romano fecisse vidimus, nigro; quòd nulla subesset occasio verendi ab Imperatore Græcorum actus Imperatorios in regno Franciæ. Venit ad postulandas suppetias in Turcos: eâque de re transmisit etiam in Angliam [s], Sed turbæ Anglicæ ex usurpatione regni, ac discordiæ Gallicæ inter Regis propinquos, cum

s Vvalsingh. in Henr. IV.

frequenti Regis morbo, miserum Principem à fructuosiori itineris successu privârunt, quàm ut lautissimè semper impensis regiis habitus fuerit per biennium quo moratus est Lutetiæ: ubi ejus sacerdotes suo ritu rem divinam Græcè fecerunt cum magnâ Gallorum admiratione. Meminerunt ejus itineris etiam Græci [t] auctores: ac primò Venetias appulisse: indéque ad Ducem Mediolanensem accessisse, à quo munera & amplum comitatum in Galliam acceperit: cùm verò ob morbum Regis parùm apud ejus Principes proficeret, post diutinam expectationem ad sua se per Germaniam & Hungariam recepisse; cùm interim urbis Constantinopolitanæ custodiam adversùs Bajazetis Turci oppugnationem Ioanni nepoti suo ex fratre commisisset; quæ à multis annis obsessa, adeò jam erat in arctum redacta, ut nisi succurrisset Deus per adventum Tamerlanis contra Bajazetem, casura protinùs fuisset in potestatem ejus.

[t] Chalcond. lib. 2. Phraz. lib. 1. cap. 20.

VI. Ladisl. regnum Neapol. adipiscitur.

Hoc eodem anno Ludovicus Andegavensis Rex Neapolitanus proditus à Sanseverinatibus, regnum deserere coactus est: non tamen sine pusilli animi notâ, cùm etiam post deditam à civibus Ladislao Neapolim major pars regni ab eo staret; quod post ejus in Provinciam abscessum, totum in potestatem Ladislai pervenit, patrocinante ei Bonifacio Pontifice. Quæ uti se habuerint, quantâque sævitiâ & fraude, etiam contra datam fidem, Ladislaus in multos proceres qui Ludovici partes foverant, eósque ipsos Sanseverinates usus sit, describit accuratè Summontius [u]. Ludovicus autem Avenionem contendens, Benedictum adhuc in palatio velut obsessum invisit, & jurisjurandi sacramento Neapolitani regni sese ei uti Ecclesiæ Romanæ subdititius obstrinxit.

[u] Summont. lib. 4. cap. 2.

Iesu Christi Annus 1401.
Bonifacii IX. Ann. 12.
Ruperti Ann. 1.
Emmanuelis II. An. 18.

I. Rupert. Roman. Rex invitatur in Ital.

Anno Christi millesimo quadringentesimo primo, Indictione nonâ, Rupertus Bavarus post acceptam (ut vidimus anno superiori) Coloniæ regni Romanorum coronam, invitatus Romam à Bonifacio Pontifice ad Imperialem sumendam, copias collegit, quas in Italiam duceret ad res Ecclesiæ & Imperij componendas: hortantibus etiam maximè Florentinis adversùs formidabilem non solùm Etruriæ, verùm etiam universæ Italiæ, Ioannis Galeatij Ducis Mediolanensis potentiam; & ducenta millia florenorum in sumptus bellicos pollicentibus. Quibus allectus Rupertus, satis alioqui in Galeatium animatus, quòd veneno se ab eo petitum, medico subornato, publicè profiteretur: imprimis per fecialem bellum ei indixit, nî omnes civitates & loca Romano Imperio subjecta quæ in Italiâ occupabat restitueret. Cui Galeatius respondens, se illa omnia jure à Wenceslao legitimo Imperatore possidere, eadémque adversùs ipsum Rupertum Imperij invasorem defensurum; omnia bello gerendo & ab Italiâ prohibendo magnâ solicitudine paravit. Quæ & eò commodiùs præstitit, quò Ruperti in Italiam adventus tardior fuit quàm credebatur: quippe qui per extremum autumni tantùm Tridentum venerit. Inde Brixiensem agrum, qui Galeatio parebat, ingressus, obvium habens exercitum Galeatij; post levia aliqua prælia, quibus semper Itali prævaluerunt, agitatione equorum & armorum præstantiâ Germanis longè superiores, adeóque contemptui eos habentes, ut auderent pauci multos Germanos invadere; prostratos suorum animos cernens Tridentum reduxit. Redeuntibus inde in Germaniam cum maximâ copiarum parte Archiepiscopo Coloniensi & Duce Austriæ, Rupertus pudore substitit; & procerum Italorum qui circa illum erant hortatu, quò famæ suæ consuleret, Patavium accessit. Ibi cum Florentinorum oratoribus altercatus de pecuniarum sibi ab iis promissarum solutione; eâdémque altercatione Venetiis (quam urbem visendi causâ, & illam si posset sibi conciliandi petiit) redintegratâ; post acceptam demùm pecuniam Patavium rediens, cùm neque Bonifacium Pontificem, neque Venetos in favorem auxiliúmque suum palàm trahere posset, nec Florentinorum tantæ vires essent ut sufficerent ad Galeatium evertendum: differre cœptum suum in aliud tempus constituens, magnis itineribus Germaniam inglorius repetiit mense Aprilis anni subsequentis, uti pluribus hæc narrant Aretinus [a] & Antoninus Florentini, Corius [b] Mediolanensis, Nauclerus [c] & Mutius Germani; præter illos qui paucioribus eadem tangunt.

[a] Aret. lib. 12. Anton. tit. 22. cap. 3. §. 35. & seqq.
[b] Cor. par. 4.
[c] Naucl. gen. 47. Mut. lib. 26.

II. Corii mendacia.

Suorum autem dominorum turpis palpator idem Corius, inter imposturas quibus opus suum, sive in laudem illorum, sive in criminationem adversariorum, inspergere consuevit; ait, hoc eodem anno Sigismundum Hungariæ Regem fratrem Wenceslai ex imperatoris, à regni proceribus captum, custodiæque traditum fuisse, Ruperti novi Imp. & Florentinorũ suasu. Custodiæ quidem traditum esse Sigismundũ testantur auctores: ut verò Ruperti ac Florentinorum suasu factum fuerit, nemo penitùs præter impostorem Corium dixit: qui quòd Rupertum ac Florentinos adversatos esse suo Galeatio vidit, non satis habuit victorias ejus efferre, nisi & adversarios vinculorum instar calumniis constrictos ante currum triumphalem captivos duceret.

III. Hungarorum commotio in Sigismundum Regem.

Rem autẽ Sigismundi ita se habuisse auctores [d] Hungarici tradunt: ut cùm nonnulli proceres Sigismundi imperiũ pertæsi, jam aliquot antehàc annis Ladislaum Siciliæ Regem clanculùm sollicitare non cessâssent adventum in Hungariam maturare, ad regnum ei (ut dicebant) & ut Caroli Parvi filio, & ut Mariæ Reginæ legitimo heredi debitum suscipiendum; Ladislaus autem & patris miserabili fato absterritus, & varia Hungarorum ingenia suspecta habens, instantibus eorum suasionibus aures præbere cunctaretur: demùm, pactione per internuncios initâ, ut quidquid per eosdem proceres conjurationis auctores Ladislai nomine ageretur, id ipse ratum haberet: inde paulatim tot fuerint ex nobilitate & populo, eo-

[d] Thuros. in Sigism. cap. 9. & seqq. Bonfin. 3. dec. 2.

rumdem factiosorum sollicitationibus à Sigismundi Regis fide seducti, tam prætextu cædis nobilium illorum quos vidimus ab eo ultimo supplicio affectos, & cladis Nicopolitanæ, quàm lasciviæ in feminas post Mariæ conjugis obitum: ut ad postremum hoc anno die festo sancti Vitalis qui celebratur 28. Aprilis, magna procerum cohors officij specie Regem adeuntes, mox objectis ei quæ voluerunt facinoribus, déque re publicâ malè gestâ arguentes, manus ei injecerint, & vix à nece abstinentes vinctum custodiendum tradiderint duobus filiis Nicolai illius Garæ fautoris acerrimi Mariæ olim Reginæ, quos ei infestissimos esse ob cædem patri suo ejus occasione illatam intelligebant. His peractis, subitò proceres Ladislaum Regem proclamantes, ejus signa per omnes regni oras circumtulêre; miseréque confestim Neapolim qui Ladislaum repente in Hungariam trajicere impellerent. Paruit is ocyùs; & tamquam ad pacatum regnum accessurus, Iaderam primò Dalmatiæ urbem Hungarici regni pervenit: patréque consultiùs rem agere deliberans, ibi consedit dum quid rerum porrò in Hungariâ ageretur intelligeret; quandoquidem arx Budensis, ceteráque penè præsidiaria loca, & superiores regni partes in fide Sigismundi persisterent. Cum interim Gararum mater misericordiâ mota gemituum Sigismundi, filiis persuasit eum liberum dimittere: qui è vinculis emissus in Boëmiam evasit. Quo nuncio consternatis factiosis, Sigismundi verò amicis eum revocandum proclamantibus, armis inter eos certatum est; donec revertens cum magno exercitu Sigismundus, diffugientibus hostibus regnum recuperavit. Ladislaus autem spe sua frustratus, Neapolim regressus est; priùs tamen, ut aiunt, in compensationem sumptuum expeditionis venditâ Venetis Jaderâ, quam illi urbem maximè expetebant, pretio centum millium florenorum auri. Quod etiam in posteriora tempora nonnulli referunt, quasi interim Ladislaus eam tenuerit. Quæ tamen viderentur refelli posse ex literis quas dicitur idem Ladislaus, antequàm inde absćederet, ad Sigismundum scripsisse; invitum se in Dalmatiam venisse, cunctatúmque donec rei exitum conspicaretur: gentem dolosam & inconstantem esse, cui nihil antiquius quàm Reges in certamen committere: Excusatum ergo se haberet; & spontè cedentem, se officiosum amicum & affinem studiosissimum agnosceret; Nihil autem gratius sibi umquam facere posse, quàm si ab his qui Regum novitate lætarentur, eas pœnas exigeret, quas de ipso Sigismundo sumere conati essent. Quomodò enim hæc scripsisset Ladislaus, si unam ex præcipuis totius regni urbibus, cujus defendendæ aut recuperandæ occasione tot gesta fuissent antè cruenta bella, unà cum toto, ut volunt, agro atque insulis quæ ad ejus fines attinerent, occupatam adhuc retineret, aut jam distraxisset? maximè cùm rescribens Sigismundus, nihil de his questus, promiserit tantùm se eum imposterum pro fratre habiturum. Vtut verò ista se habuerint, sanè quòd monuit Ladislaus Sigismundum pœna de sontibus capere; præstitit id quidem ille cumulatè; sed non adeò properè; clementiam initio præferens, ac rerum oblivionem, ne extremâ inimici desperatione correpti aliquid obstinatiùs molirentur.

EUM IN CUSTODIAM TRADUNT.

LIBERATUR, ET REGNO RESTITUITUR

QUID IPSI CUM LADISL. O.

IV.

Cæterùm cùm ex præfatis auctoribus hæc præsenti anno quo Sigismundus captus est, cœpta intelligantur; Ladislaum tamen non nisi post biennium in Dalmatiam navigasse, docet Summontius [e] satis accuratus rerum Neapolitanarum scriptor. Confirmatúrque à Niemo [f], dum scribit (quod Hungarici auctores omninò tacent) Bonifacium anno Pontificatûs sui 14. (qui fuit Christi 1403.) coronari fecisse Ladislaum in Regem Hungariæ in civitate Iaderâ per Cardinalem Florentinum: eíque omnem censum, quo ratione regni Siculi Ecclesiæ Rom. tenebatur, quique existimabatur ascendere ad summam octingentorum millium florenorum auri, spontè remisisse, ac prætereà decimam triennalem in eodem Siciliæ regno ei concessisse: Ladislaum tamen modicū in Hungariâ sibi aut Ecclesiæ profecisse, sed infecto negotio ad regnum Siciliæ revertisse, audito Sigismundi in Hungariam reditu: Satius quippe duxisse pace gaudere, quàm dubiam belli sortem experiri: Sigismundum autem, audito quod Bonifacius in se molitus esset, de ipso ejúsque Cardinalibus per famosas in universum orbem epistolas vehementer conquestum esse atque exinde in regno Hungariæ gravissimas clades hominum, bonorum, locorúmque profanorum & Ecclesiasticorum, subsecutas esse: Sigismundum cathedrales Ecclesias & monasteria, cunctáq; alia beneficia ecclesiastica in Hungaria contulisse quibus voluit: hócq; lucratum esse Bonifacium ex Ladislai ad regnum Hungaricū exaltatione. Vnde & post hæc tam eundem Sigismundum, quàm Vvenceslaum Boëmiæ Regem, in cujus depressionem æquè Bonifacius Rupertum in Regem Romanorum sublimaverat, abdicatâ Bonifacij obedietiâ, Benedicto ejus adversario adhæsisse, etiā Edmundus [g] utriq; eidem Principi familiaris testatur.

[e] Sum. cap. 2 lib. 4.
[f] Niem. lib. 2. cap. 17. & 18.

BONIF. PP. LADISLAO FAVET, NEC TAMEN PROFICIT.

SIGISM. ET VVENCES. ADHÆRENT BENEDICTO AVENIONENSI.

[g] In Magn. Chron. Belg.

V.

Hoc eodem anno [h] in Comitiis Londinensibus Angliæ post Epiphaniam celebratis, quibus Thomas Arundelius Archiepiscopus Cantuariensis cū aliis Antistitibus de more interfuit, conditum est statutum contra Lolardos, sive Vvickleffistas hæreticos; ut ubicumq; deprehenderentur prava sua dogmata profiteri, aut damnatos libros retinere, caperentur, & diœcesano traderentur: ac si obstinati persisterent, judicibus sæcularibus committerentur comburendi; cùm priùs non licuisset absque rescripto regio. Cujus vi legis captus quidam Presbyter, publicè combustus est.

[h] Vualsingh. in Henr. IV. Harpsfeld. Hist. Vvickleff. cap 17

STATUTŪ CONTRA VVICKLEFFISTAS IN ANGLIA.

VI.

In insulâ Siciliæ cùm Fridericus, ut Fazellus [i] vocat, sive Petrus, ut Surita [k], unicus Martini & Mariæ Regum filius, annos natus tantummodò septem, spectantibus parentibus hastiludio se exerceret, æratâ cuspide transfixus statim occubuit. Ejusque infelicis casûs mœrore, Maria ejus mater paulò pòst Catanæ obiit octavo Calendas Iunij. Martinus verò & uxoris testamento, & jure sanguinis, & patris Aragoniæ Regis concessione, insulæ regnum retinuit: atque anno proximo duxit Blancam Caroli Navarræ Regis filiam.

[i] Fazel. 2. dec 9. cap. 7. ad fi.
[k] Surit. Ind. lib. 3. hoc an.

CASUS FILII REGIS INSULÆ SICILIÆ.

VII.

Hoc eodem anno Temir sive Tamerlanes Scytharum seu Tartarorum Rex, de quo suprà, ab aliquot regulis Asiaticis, quos Bajazetes Rex Turcorum ditionibus suis, Mahome-

DISSIDII INTER BAIAZETEM TUR-

tis

Cum et Tamerlanem Scytham initia.

tis licèt & ipsos superstitionis sectatores, per injuriam expulerat, rogatus ipsos restituere; invitus hoc audiens, eò quòd Bajazetem magnâ æstimatione susciperet ob præclaram ab eo in debellandis Christianis cōmunibus hostibus impensam operam; eorum tamen misertus, ante omnia legationem ad Bajazetem mittere decrevit: quâ injustum videri significans homines ejusdem gentis & religionis ita afflictari, hortatus est suam cuique ditionem reddere, si se amicum sibi vellet: simúlque in signū amicitiæ vestem misit, ut moris est Regum Asiaticorum, munus Bajazeti, vocans etiam per literas filium suum charissimum. Quæ in suî contemptum facta accipiens Bajazetes, renunciare jussit, se & genere & opibus præstantiorem Temire, non indigere ejus vestibus ac muneribus; Leng-temur tantummodò, hoc est Temirem claudum (erat enim ut vidimus claudus) per contumeliam appellans: ceterùm si vir esset, ad præliandum accederet.

Variæ invicem insultationes et minæ.

Verùm non unam tantùm, sed plures legationes, atque minarum jactationes, & certaminum intentationes intercessisse, auctores volunt: Ac Temirem postremâ omninò jussisse, ut expulsis regulis Bajazetes ditiones restitueret: tantum dare buryri, quantum ferrent duo millia camelorum: his adderet duo millia tentoriorum pileatorum, qualia pastoribus per Asiam usui esse consueverant: per universum Bajazetis imperium Temires Rex pronunciaretur: paritérque numismate Temiris imagine signato recepto, Bajazeticum abrogaretur: unus ex filiis Bajazetis militaret in januis Temiris: Si hæc faceret, habiturum se Bajazetem amicum; si verò recusaret, ut hostem persecuturum. Hísque Bajazetem vehementi irâ concitatum respondisse, veniret utique de summâ rerū prælio dimicaturus, alioquin se eum pro marito meretricis habiturum, ac pro viro qui uxorem ter repudiatam, atque ab aliis pollutam denuò assumpsisset: (sive, priùs Temirem tertiò repudiatâ suam conjugem recepturum, quàm bellum Bajazeti inferre auderet:) sicuti & si manum ipse cum Temire non consereret, sua conjux ab ipso discederet, eámque deinceps ab aliis constupratam rursùm assumeret: quæ maxima erant apud Turcos opprobriorum & ignominiarum genera. Quare & ferunt, uxorem Temiris feminam valdè temperatam, cùm hactenùs, nequid hostile in Bajazetem attentaret, blanditiis retinuisset; his tamen contumeliis commotam, Temirem ultrò ad earum vindictam concitâsse.

VIII. Tamerlanes Sebastiam delet.

Antequàm autem in eum duceret, Sebastiam Cappadociæ celeberrimam atque amplissimam urbem, Turcorum quondam sedem regiam aggressus, eam egregiè sese defendentem per subterraneos cuniculos cepit; quicquid humani generis in eâ fuit, ad numerum duodecim myriadum ascendens, trucidavit aut ferro, aut igne, aut pedibus equorum; (quod erat ei in usu & deliciis circa pueros & feminas) urbem pulcherrimam solo æquavit; tantâ strage tantóq; excidio, ut omnes dicantur superâsse calamitates, quibus ullæ umquam civitates affectæ sint. Nec parcens quidem leprosis, quorum magna erat illic multitudo; quos omnes interfici imperavit: sicuti & ubicumque invenisset consueverat, haud fas esse dicens ut viverent, & alios mortales inficerent. Denique Orthobulem Bajazetis filium amantissimum, strenuúmque quem pater in Europâ agens ad Asiam regendam reliquerat in eâdem urbe captum, aliquot diebus circunduxit, ac paulò pòst interfici jussit. Quibus auditis Bajazetes, incredibili dolore affectus, cùm relictâ Europâ in Asiam transiret, videns fortè pastorem fistulâ canentem, mœrorem suum indicans, præmisso gemitu, Quàm beatus es, inquit, qui nec Sebastiam urbem, nec Orthobulem filium amittere potuisti: sive, ut alij ponunt, Cane cantilenam, cujus argumentum sit, Neque Sebastiam amittas, nec filium Orthobulem. Quæ hactenùs breviter recensita, collecta sunt ex prolixioribus narrationibus Chalcondylis [1], Heroldi, Leunclavij, Bizari; quamvis non omnia singuli referant. Gestâque esse præsenti anno, idem Leunclavius ex ipsis Turcorum monumentis docet: quantumvis sint tam Græci quàm Latini qui cladem Bajazeticam, quæ hanc Sebastenam omnium consensu secuta est, aliis retrò annis collocent; quam nos certissimis testimoniis non nisi sequenti contigisse demonstrabimus.

[1] Chalcond. lib. 2. & 3. Herold. Contin. Bel. sacr. lib. 6. Leuncl. Hist. Turc. lib. 7. Bizar. de Reb. Pers. lib. 9.

IX. Relatio dubia de vocato Temire ab Emmanuele Imp.

Mirati autem primò, hæc quæ modò recitavimus intacta omninò esse Perondino, qui Vitam Tamerlanis describendam suscepit; mirari desivimus ubi animadvertimus ipsum soli Theodoro Spandugino nobili Græco Constantinopolitano inhæsisse, qui tractatus aliquos sub Clemente Septimo edidit de rebus Turcorum, multis erroribus historicis, etiámque in iis q. æ Græcos tangunt refertos; quibus & alij post eum sua scripta resperserunt. Hic igitur Spanduginus nulla facta mentione regulorum Asiaticorum qui ad Tamerlanem recurrerant, nec reliquorum quæ diximus; vice versâ alia refert; (& ex eo Perondinus) quæ omnes illi quos diximus, necnon Phranzes, aliq; ignorarunt: videlicet Emmanuelem Imperatorem Græcorum, obsessa per Bajazetem Constantinopoli, audita famâ Tamerlanis, ad eum in Parthiam misisse rogatum suppetias oblatúmque, si ferret, urbem ejus imperio subjecturum: longè quippe honestius esse clarissimam urbem æquissimo ac nobilissimo Imperatori subiici, quàm immanissimo & iniquissimo tyranno qui genus à pecuariis traxisset: Tamerlanem his excitatum expeditionem adversus Bajazetem suscepisse: Cúmque eo devicto Emmanuel ad Tamerlanem misisset, qui congratularentur de victoriâ, & suam, urbísque, ac totius Imperij Græcorum subjectionem offerrent; Tamerlanem benignè respondisse, nolle se præclarissimam urbem, illustrium stemmate familiarum insignem, in servitutem suam redigi, pro cujus libertate ipse contra ejus violatores arma cepisset. Ita Spanduginus. Quæ magis videri possint ab eo prolata, ut exemplo Tamerlanis Scythæ, & à religione Christianâ alieni, Principes Christianos (quod moliebatur) adversus Turcos incitaret; eò fortiori argumento, quòd cùm Scythæ solo humanitatis intuitu id præstitissent, Christiani id ampliùs fidei causâ exequi deberent; quàm quòd reverâ negotium ita gestum fuerit.

X. Aliæ Temiris vastationes.

Ceterùm post Sebastiæ devastationem, idem Tamerlanes, sive Temir, Damascum & Alepū contendit adversus Sultanum Ægyptium;

qui intellecto Temiris progressu exercitum in Syriam sibi subditam duxerat ad eam tutandam. Sed à Temire prælio victus, Ægyptum fugâ repetiit: Temir autem prædictas urbes, aliásque Syriæ plurimas in suam potestatem redegit, ac consuetâ crudelitate habuit, diruítque. Accidit autem apud Hamusam, antiquis Emisam dictam, ut cùm monumenta quædam sepulchralia conspiciens, quorúmnam essent interrogâsset; audito sociorum esse ac discipulorum prophetæ Mahometis, in honorem eorum misertus Hamusensium eos incolumes dimiserit, direptis tamen eorum facultatibus. Econtrà verò apud Damascum sepulchrum inquiri jubens Iezidis, hæresiarchæ apud Mahometanos habiti, qui Mahometis è filiâ nepotes occidisse traderetur, ac prophetæ familiam multis aliis affecisse contumeliis; eo reperto, cadaveris ossa, reliquiásque ceteras erui præcepit, & igne comburi, vacuúmque monumentum stercoribus humanis oppleri: cùm priùs Iezideum se fingens, omnes ejusdem sectæ munerum promissione allectos: in capacissimâ meschitâ inclusos ad duodecim millia flammis absumpsisset. Fuerêque qui existimârint, hujus Iezidis sepulchrum præcipuâ præbuisse causam, cur gravissimè in ceteros quoque Damascenos sævierit. His autem gestis in Persidem reversus, exercitum in hibernis constituit. Hæc Leunclavius [m] ex historiis Turcorum; post Sebastenam cladem collocans, quę quidem antecessisse, alij etiam victoriam de Bajazete, quæ nonnisi anno proximo contigit, subsecuta esse volunt: ita plerique res confundunt; necesséque est fieri, ubi non per annos digeruntur, & in iis digerendis non adhibetur judicium rationis. Tradunt verò etiam quidam alij [n], voluisse Temirem Ierosolymam quoque expugnare; sed bruchis & muscis exercitum ejus infestantibus, tamquam divinitùs admonitum ab eâ temperare, recessisse.

IEZIDIS HÆRESIARCHÆ MAHOMETANORUM CADAVER COMBURIT.

[m] Leunclav. lib. 7.

[n] Krant. 10 Vvand. 5. & alij.

IESU CHRISTI Annus 1402. BONIFACII IX. Ann. 13. RUPERTI Ann. 2. EMMANUELIS II. Ann. 19.

I. COMETÆ APPARITIO.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo secundo, Indictione decimâ, mense Ianuario, quindecim dierum spatio grandis Cometa apparuit à Septentrione velut descendendo Occidentem tendens, & sursùm crines suos extendens: ut eum descripsêre Monachus Dionysianus [a] & Iuvenalis. Niemus [b] & Corius ad principium Quadragesimæ collocant, ac durâsse per 40. dies usque ad Pascha, quod celebratum hoc anno est 26. Martij. Denique Walsinghamus [c] mense Ianuario. Quæ omnia satis sibi cohærent respectu durationis, & locorum quibus plùs aut minùs Cometa visus est: quibus etiam tribuenda paucula differentia, quæ in ejus descriptione apud eosdem auctores reperitur. Præsignasse autem Monachus ait peritorum astrologorum judicio, multiplicationes hæreticorum & schismaticorum. Reliqui mortes Principum, effusionem humani sanguinis, mutationes statuum, discordias, & seditiones populorum. Quæ quidem omnia ita frequentia fuêre his temporibus, ut si ad ea continuè prænuncianda necessarij fuissent cometæ, vix aër tot producendis ardentibus exhalationibus suffecisset. Habuisse tamen hunc suos ipso anno peculiares effectus, ex mox dicendis apparebit.

[a] Monach. & Iuven. in Car. VI.
[b] Niem. 2. de Schism. 29. Cor. par. 4.
[c] Vvalsingh. in Henr. IV.

II. VVICKLEFFISTARUM IN ANGL. NOVÆ BLASPHEMIÆ.

Ac primum quod hæreses attinet; narrat hoc eodem anno Walsinghamus Lollardos, (hoc est Vvickleffistas) cùm non auderent palàm sua venena spargere, metu pœnarum anno superiori in eos promulgatarum, occultè has execrabiles conclusiones docuisse; detegente illos Cliffordio milite, qui aliàs inter præcipuos sectæ fautores connumeratus, postèa pœnitens eam deseruerat: Videlicèr, Sacramenta Ecclesiæ non esse nisi signa mortua nullius valoris in formâ quâ conferuntur ab Ecclesiâ: Virginitatem & presbyteratum non esse status approbatos à Deo, sed conjugium: eáque propter quicumque vellent salvari, debere conjugari, vel saltem esse in eâ voluntate; aliàs esse homicidas, & destruere sanctum semen unde consurgeret secunda Trinitas; atque impedire numerum salvandorum, ac pariter damnandorum: Ad legitimum conjugium sufficere, voluntatem viri & feminæ, absque scitu Ecclesiæ: Ecclesiam nihil aliud esse quàm synagogam satanæ: Sacramentum Altaris non esse nisi buccellam panis mortui, & turrem sive pinnaculum Antichristi: Puerum recèns natum non baptizandum per manus presbyterorum, quia est secunda Trinitas non contaminata peccato: Nullum diem, nec quidem Dominicum, sanctiorem esse aliis, sed in omnibus licitum esse operari: Nullum esse purgatorium: nec pœnitentiam de peccatis agendam, sed satis esse abstinere ab illis, & fidem habere. Has enim modò illorum hæreses recenset Walsinghamus, qui multiplices sæpè aliàs. Quid? quòd etiam *Ioannes* [d] quidam *Seignour* unus ex hujus sectæ discipulis affirmavit debere nos observare sabbatum, ut Iudæos in veteri lege, & abstinere à carne porcinâ? Fuit & *Ioannes Beket*, qui asseruit nec Regi, nec Episcopo, qui peccato mortali impliciti essent, ullâ ratione obediendum: nullum in fornicatione seu stupro peccatum subesse. Sed tot fuêre venenosæ hujus hydræ capita, ut quod jam aliàs diximus, innumerabilia visa sint iis qui aliquando numerari posse existimaverant.

ALIÆ RURSÙM BLASPHEMIÆ.

[d] Harpsf. Id Hist. Vvicleff. cap. 16

III. CONIURATIONES IN REGEM ANGLIÆ PUNITÆ.

Quod cetera attinet; narrat idem Vvalsinghamus, nonnullos presbyteros, plurésque Fratres Minores, occasione exitiosarum conjurationum in Regem Henricum deprehensarum, tractos & suspensos esse: tempestatésque ac procellas ingentes in eumdem concitatas fuisse à dæmonibus, quarum ejusdem Ordinis Fratres insimulati fuerint: Alios quoque proditores, ac rebelles captos & punitos: Denique Scotos Angliam invadere ausos, ingenti clade affectos fuisse, captis præcipuis eorum proceribus.

IV. FINIS TRAGI-

[e] Boeth. lib. 16. Buchan. lib. 10.

Sed quod Scotos spectat; haud leviter transeundum quod eorum auctores [e] hoc eodem tempore contigisse tradunt de Davide filio Roberti Regis. Qui cùm vitam libidinosissimam ducens, nullisque ullorum monitis resipiscens, traditus à patre fuisset fratri suo regni

gubernatori

CUS FILII REGIS SCOTIÆ.

gubernatori, ut apud se retineret donec defervescente lasciviâ ad meliorem frugem rediret: lætus mandato gubernator, qui jam diù occasionem stirpis fraternæ delendæ expetebat; adolescentem duro carceri in arce quâdam inclusit fame moriturum; quem feminæ duæ, virgo altera, (filiam custodis arcis fuisse quidam volunt) altera nutrix rustica, misericordiâ ductæ, sustentare satagentes; virgo quidem panem avenaceum tenuiter extentum (ut in Scotia fieri solet) sub lineo velo quod capiti injiciebat, quoties adeundi hortos carceri proximos erat copia, per tenuem rimulam immittebat; nutrix lac è mamillis expressum, per canalem in os immulgebat: quæ deprehensæ, mortis supplicio pœnas misericordiæ dederunt, miserque adolescens hoc modo in paucos dies morte potiùs protractâ, quàm vitâ prorogatâ, postquàm victûs inopiâ etiam sua mẽbra laceràsset, non simplici morte defunctus est: quæ diù patrem celata est, nemine tam tristem nuncium rei quam cuncti sciebant, ad eum valetudine penè continuâ confectum perferre auso. Sepultus autem adolescens in templo, miraculis aliquot annis claruit. Verùm ubi Jacobus ejus frater, patrísque in regno successor, mortem ejus ulcisci aggressus est miracula exinde cessârunt: quasi quæ ad testandam ejus in morte innocentiam fiebant, noluerint immisceri vindictæ humanæ ex alio principio orienti.

V. CONTROVERTITUR DE SUBTRACTIONE FACTA BENEDICTO.

Sed ut jam ab hæresi Anglicanâ, cujus occasione in Scotiam divertimus, ad res Schismatis Ecclesiæ tractandas procedamus; discordiâ hoc anno renovatâ de subtractione obedientiæ factâ Petro de Lunâ Benedicto nuncupato: Rege Aragoniæ palàm pro illo laborante: Castellano de re sollicito, eò quòd Benedicto repudiato, Bonifacio non recepto, nullus esset Pontifex à quo sacra peterentur: in Gallia Aurelianensi [f] Duce Regis fratre ab eodem Benedicto apertè stante, ac pariter profitente satius fuisse Benedictum tolerare quàm sine Pontifice vivere: scribente quoque Episcopo S. Pontij [g] contra obsessionem palatij Avenionensis, quâ Benedictus veluti in carcere detinebatur inclusus; iniquam omninò eam censente, quátumcumque subtractio ei facta fuisset. (Ad quam tamen Epistolam respondens [h] Cardinalis S. Angeli, Petrus Serra natione Hispanus, negavit Benedictum dici posse carcere detentum; quoniam suâ voluntate manebat in palatio, nec inde recedere volebat, cùm posset, atque etiam fuisset pluries rogatus. Neque obstare quòd certi cancelli facti essent in civitate; quippe qui facti essent non ad eum inclusum detinendum, sed ad repellendos insultus eorum qui in palatio cum ipso erant.)

[f] Monach. Dionys. & Iuven. in Car. VI.
[g] Iuven. ibid.
[h] Ext. cod. Victor. P. 10. fol. 358.

VNIVERSITAS PARIS. ILLAM ACRITER TUETUR.

Cùm igitur de his sic ultrò citróque controverteretur, Vniversitas Parisiensis priora decreta sustinens, publicè prædicavit, quicumque assererent subtractionem injustè factam, fautores esse ac propagatores Schismatis.

VI. [i] Clameng. ep. 17.

Quod ab illa cùm adversùs alios dictum putamus, tum contra longam epistolam [i] Nicolai de Clamengiis, hoc ipso tempore pro eodem Benedicto ad Regem Carolum, egregiâ quidem, sed satis in adversarios aculeatâ facundiâ scriptam: ac præcipuè contra Vniversitatem Tolosanam; quæ cùm Subtractionis tempore (ut vidimus) acriter se illi solæ è Gallicis

TOLOSANA OPPUGNAT

opposuisset; hoc item anno, eodem obtentu quem Clamengius pro fundamento orationis suæ posuit, nempè quòd licèt subtractio facta fuisset, nihilominùs pax non esset reddita Ecclesiæ; tractatum edidit satis prolixum de ejus vitio & invaliditate, déque obedientiâ Benedicto restituendâ; quem pariter titulo Epistolæ Regi Carolo obtulit, per Guigonem Flandrin nuncium suum ad hoc missum. Vidimus illam in Codice [k] manuscripto Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis; ac mirati sumus petulantissimum ausum ejus, quo non dubitavit eamdem Subtractionem, tantâ licèt solemnitate tantâque accuratione factam, uti leoninam, cruentam, fallacem, perfidam, prævaricatricem, perniciosissimam, rabidam, viperinam, monstruosam, schismatis & hæresis genitivam; à patre mendacij procuratam; legis divinæ abrogativam; & aliis ejusmodi injuriosissimis epithetis perstringere: Regémque ipsum ejus auctorem, infamem; ipsius procuratores, crudeles, perniciosos, schismaticos, malitiosos, ignorantes, ignominiosos, furibundos, viperarum progeniem; hæreticos, parricidas, & aliis pluribus infamantibus nominibus appellare: ipsúmque Concilium, quo ea decreta fuerat, conventiculum & conciliabulum nominare. Præclarum scilicèt opus tam celebris Academiæ; quo gloriari possit adeò generosâ propugnatione sceleratissimi Schismatis, atque forti defensione infamis Antipontificis; à quo & privilegia sua acceperit, in occupationem, aut remunerationem tanti operæ pretij. Quod sanè nollemus ei accidisse: adeóque tunc aures & oculos omnium offendit, ut non solùm contra eam Epistolam, simúlque restitutionem obedientiæ promulgati mox fuerint varij tractatus: (quorum duo satis accurati habentur in dicto [l] codice; unus Guillelmi Præpositi Tornacensis ad Ducem Burgundiæ; alter auctoris innominati ad Regem ipsum: præter benevolam, ac nihilominùs acrem responsionem Vniversitatis Parisiensis, quæ inserta legitur in Trilogo [m] Gersonij:) verùm etiam posteà anno 1406. die 17. Iulij alia occasione Parlamentum Parisiense Senatusconsulto celebri (quod itidem eodem codice [n] recitatur) uti Regis, regiæque prosapiæ, Consilij Regij, necnon Cleri regni & Parisiensis Vniversitatis injuriosam & diffamatoriam, ac proinde detestandam, damnavit; atque Parisiis in curia Parlamenti, & in ipsa Tolosa ac super pontem Avenionensem, publicè ac frustratim lacerari decrevit: fieríque præceptum ad sonum tubæ in omnibus præposituris & judicaturis (ut loquitur) regni, quòd quicumque cujuscumque conditionis transcriptum prædictæ epistolæ habuisset, illud intra trium mensium spatium sub gravibus pœnis ad idem Parlamentum afferret, seu mitteret, reservatâ Procuratori generali, Vniversitati Parisiensi, & consanguineis Regis, prosecutione contra ejusdem Epistolæ compositores.

GRANDI SUÎ IGNOMINIA.

[k] d. cod. P. 10. fol. 189.
[l] Ibid. fol. 103.
[m] Gers. oper. tom. I.
[n] d. cod. P. 10. fol. 178.

VII. AGITUR DE VIA CONCILII.

Est tamen eodem codice [o] Epistola Episcopi Aniciensis, scripta eodem tempore: quâ testatur, in hujusmodi difficultatibus Cardinales apud Silvanectum & cum eis Patriarcham Alexandrinum, aliósque paucos prælatos nomine cæterorum omnium, ut dicebant, in præ-

[o] Ibid. fol. 305.

sentiâ

sentiâ Ducum Bituricensis & Burgundiæ patruorum, atque Borbonij avunculi Regis, omniúmque ferè majorum regni, excepto Duce Aurelianensi fratre Regis; considerantes Subtractionem nihil hactenùs profecisse, deliberâsse viam Concilij generalis Obedientiæ Benedicti ineundam: consentientibus omnibus, præter Aurelianensem, qui hoc audito noluit consentire, nec item dissentire; sed mansit suspensus, cùm alioqui faveret restitutioni obedientiæ. Cúmque controverteretur de modo convocationis Concilij, de loco & tempore celebrationis, de personis quæ ei interesse deberent, & aliis circunstantiis; à parte Benedicti ante omnia petitum esse ut ipse in plenissimam libertatem reduceretur, & obedientia ei restitueretur. Súntque ad eamdem Epistolam apostillæ, (ut vocant) sive additiones aut notæ Cardinalis Pampilonensis, qui præ cæteris semper fidelis fuit Benedicto; quibus multas adversariorum circa eamdem materiam propositiones confutat, & quæ pro Benedicti honore facienda esse judicaret explicat. Denique subduntur nonnullæ admonitiones ad viam ejusmodi Concilij: quibus post præmissa mala gravia quæ erant in Ecclesia Dei, & alia graviora quæ subsecutura in dies forent, proponuntur bona ex dicto Concilio proventura; ac diluuntur incommoda, quæ oritura nonnulli suspicabantur.

VIII. p Ibid. fol. 198. MULTIPLICES RATIONES, CONTRA BENEDICTUM EIÚSQUE OBEDIENTIAM.

At contra restitutionem obedientiæ continentur ibidem p plurimæ rationes in unum collectæ, quibus contenditur nequaquàm eam esse faciendam. Quarum quæ ad historiam rerum gestarum pertinent, has excerpsimus, partim jam superiùs suis locis recensitas, partim hactenùs intactas, ac nihilominus cognitione dignas. Videlicèt; Quòd ipse Benedictus viam Cessionis commendâsset Parisiis antequàm Papa crearetur, & Avenione sub Clemente, ita ut fingeret sese in Aragoniam patriam suã recipere, quia Clemens recusabat illam viam; Quòd post obitum Clementis eamdem viam approbâsset, ac syngrapho de ea re à Cardinalibus confecto subscripsisset: eâq; intentione in Pontificem electus à Cardinalibus, qui aliàs non elegissent, tam in ipsa suî inthronizatione quàm sæpè posteà, id ipsum protestatus esset: Quòd nihilominùs Ducibus ad eum à Carolo Rege missis eamdem viam offerentibus, etiámque Cardinalibus eam comprobantibus, & pro ea supplicantibus, ipse penitùs rejecisset: nec magis audire Reges Castellæ & Aragoniæ pro eadem rogantes voluisset: Quòd cùm per Cardinales videntes ejus duritiem, supplicatum fuisset, ut saltem offerret viam conventionis cum adversario, aut congregaret Concilium Obedientiæ suæ; utrumque denegâsset: Quòd pluries & publicè dixisset, etiãsi universa Christianitas concluderet cessionem, non tamen eam acceptaturum etiamsi deberet comburi: Quòd Rege Romanorum per suos nuntios eamdem ei proponente, respondisset illis, quòd si acceptaret illam, etiam cedente adversario, peccaret mortaliter: ídque ipsum sæpè aliàs asseruisset: Quòd etiam prætereà dixisset, si nimis urgeretur, Ecclesiam tali statu se positurum quò post mortem suam reparari non posset: Quòd propterea minas Cardinalibus intentâsset: & Magistrum Palatij, quòd die Parasceves in concione viam Cessionis commendâsset, carcere per biennium detinuisset: Quòd legatos Franciæ, Castellæ & Angliæ Romam euntes pro eadem causa ad adversarium, callidè inanibus verbis duxisset, donec eundem adversarium monuisset de responsione dandâ: quæ omninò fuit similis illi quam dederat Benedictus; manifesto collusionis judicio: Prout etiam miserat adversarius ad ipsum, quemdam Thomam de Spina; quem Benedictus clàm audivit, & muneribus donatum remisit: Rursúmque Benedictus Italum quemdam nomine Bartolinum occultè ad adversarium direxit: & is denuò ad Benedictum, Philippum Brancatium nobilem Neapolitanum. Demúmq; ita inter illos convenit, ut invicem utriusque nuncij reverentiam Papalem utrique exhiberent: quam etiam Episcopus Tirasonensis à Benedicto missus ad adversarium, ei exhibuit: Quòd cùm anno 1398. mense Martij consensisset, tres pro parte sua, & tres pro parte Cardinalium eligi ad discutiendam viam à se propositam, præcisè exclusâ viâ Cessionis: videns confutationem suæ, noluisset ampliùs de iis inquiri: (Erat autem via ejus, via Justitiæ; ut scilicet examinaretur veritas apud quem contendentium jus prævaleret: quæ erat via longissima, & multis anfractibus plena; in qua jam per viginti annos laboratum incassùm fuerat, ob contendentium ambitionem:) Quòd cùm existente Benedicto in Aragonia tempore Clementis ejus decessoris, Magister Nicolaus Eymerici Ordinis Prædicatorum Inquisitor processus confecisset contra Fratrem quemdam Vincentium ejusdem Ordinis, communiter tenebatur convictus q de hæresi, (dixerat enim Iudam habuisse veram pœnitentiam salutarem) idémque Vincentius confugisset ad Benedictum tunc Cardinalem; fuisset ab eo receptus, & factus confessarius suus; & Papa electus mandâsset comburi processus illos: Quòd cum propter ejusmodi circunductiones & gesta, eodem anno 1398. per regna Franciæ & Castellæ facta esset subtractio, ipsique Cardinales ab ejus communione recessissent; mandâsset congregari populum Avenionensem, ac per dictum Vincentium tria proponi; videlicèt reprobationem mutuæ cessionis pro unione Ecclesiæ, justificationẽ viæ suæ erroneæ, & quòd propter quemcumque casum, etiamsi frustatim deberet incidi, numquam acceptaret viam cessionis. Quòd munîsset turrim super ponte Avenionensem, & portam claudi fecisset, ne pateret aditus ex parte regni Franciæ; pontem lignum comburi fecisset, & ex palatio lapides & ignem projecisset, quibus multi essent interfecti, domus combustæ, ac speciatim Ecclesia cathedralis B. Mariæ, cujus rei causâ vi capienda fuisset turris ab Avenionensibus, & palatium restringendum: Quòd prætereà per latrones militares Comitatum Venaissini expilare fecisset, & homines gladio necare: Quòd ad ejus obstinationem declarandam satis esset comæ suæ & barbæ promissio, à sanctis Patribus in diversis Conciliis prohibita, quam ipse à tempore subtractionis nutrivit: Quòd prædictis nonobstãtibus perjuriis, dilationibus, falláciis, &c. nihilominùs celebraret, non dijudicans Corpus Domini, Ecclesiam scandalisans,

q Debuit calumniosè de hæresi Vincentius accusari; quem mirâ semper pietate ac religione præfulsisse, videbimus inferiùs. Fuisséque Nicolaũ Eymerici ardentiorem in Officio Inquisitionis exercendo, adeò ut sæpè ultra modum excesserit, vidimus aliquoties superiùs & ex ejus scriptis aliisque diversorum assertionibus constat. *Vide infrà an. 1403. VII. VIII.*

sans, & de hæresi suspectum se multipliciter exhibens. Quòd igitur ex prædictis, Schismatis fautor, perjurus, protervus, defensor hæreticæ pravitatis, pertinax induratus appareret, inde concludit auctor, minimè censeri obedientiam ei restituendam. Quam nihilominùs ei per fas nefásve restitutam videbimus anno sequenti; procurante maximè in Galliâ Duce Aurelianensi Regis fratre.

IX. Odium inter Duces Aurelianensem et Burgundun ob regni administrationem.

Inter quem intereà & Burgundum patruum, renovatum est odium ex æmulatione de regni administratione ob continuam ferè Regis infirmitatem jam pridem ortum, & aliquoties amicorum & propinquorum operâ consopitum; jam verò acriùs resumptum ex eo quòd cùm absente patruo Aurelianensis obtinuisset à Rege, ut quoties Rex ob morbum negotiis intendere non posset, (reincidebat enim identidem, ut vix dilucida tantùm aliquot dierum intervalla haberet) solus fratrer totius regni administrationem gereret: ísque mox tam universo populo quàm Clero gravem pecuniarum exactionem imposuisset, quam de consilio patruorum Regis decretam esse asserebat; illísque hoc publicè negantibus, Rex sanitate recuperatâ, ac re cum præcipuis & secretioribus suis consiliariis, absentibus Ducibus, communicatâ, de eorum sententiâ abrogatâ fratri auctoritate, eò quòd nimis præceps minúsque prudens in rebus gerendis censeretur, eam in patruum Ducem Burgundiæ transtulerit, unde apertæ inter utrumque Ducem patruum & nepotem exarserunt invidiæ & dissidia, quibus tota penè Gallia conflagravit, ut videbitur posteà.

X. qq *Meyer. lib. 13. an. 1374.* Prætor Flandriæ ad octavum diem citatus à reo moritur.

In Flandriâ qq ejusdem Burgundi ditione, Alexander quidam ipsius consiliarius magnúsque prætor Flandriæ, cùm à quodam reo capite plecti à se jusso, & injuriam quiritante, citatus intra dies octo ante conspectum Dei; octavo die, post lusum pilæ, inter confabulandum diceret, esse quidem se ab illo reo eo die citatum, sed tamen adhuc incolumem esse: vix hæc locutus est, cùm in gravissimum incidit morbum; & mortuus est priusquam idem ille octavus dies elaberetur, ingenti omnium stupore.

XI. Io. Galeatius Dux Mediolan. Bononiam capit.

In Italiâ verò crescente in dies Ioannis Galeatij Ducis Mediolanensis potentiâ, cum is Bononiam omni nisu obtinere conaretur; (cujus dominationem biennio antè Ioannes Bentivolus ejus civis, magnúsque in sua Republicâ vir, ac summæ apud multitudinem gratiæ, susceperat) post recessum Ruperti Romanorum Regis, de quo suprà, successu rerum elatus fortem exercitum ad ejus obsidionem immisit. A quo Florentinis, qui in auxilium Bononiensium accurrerant, grandi prælio magnâque cæde victis, etiam Bononia capta est, occiso Bentivolo ab insurgentibus in se contrariæ factionis hominibus. Quibus rebus in desperationem penè redacti Florentini, respirare cœpêre cùm animadverterunt hostes minimè cum exercitu contra suam civitatem properare: quòd si fecissent, irremediabile periculum civitas incurrisset, ut ingenuè, fatentur cives ejus Aretinus [r], (qui Historiæ suæ hîc terminum posuit) Poggius [s], & Antoninus [t], in harum rerum descriptione: nullatenùs agnoscentes arctissimam obsidionem, quâ Corius [u] ait post cladem Bononiensem pressam fuisse Florentiam ab exercitu Galeatino.

[r] *Aret. li. 12.*
[s] *Pogg. lib. 4.*
[t] *Ant. tit. 22. cap. 3. §. 39. & seqq.*
[u] *Cor. par. 4.*

XII. Moritur cùm regium titulum sibi arrogare vellet.

A quo quidem, ejúsque omni timore liberari eos contigit morte ipsius Galeatij: quem ex pestilente febre tertiâ die Septembris, anno ætatis quinquagesimo quinto, de medio sublatum esse tradunt; cùm post Bononiam occupatam, Florentiâ brevi speratâ, diadema ac cetera omnia regia insignia parata haberet ad regni Italiæ coronam & titulum suscipiendum, nisi divina providentia inanes ejus cogitatus elusisset. Magnus ceteroqui vir, atque egregiis animi & corporis dotibus ornatus; non mediocriter literatus, & in Historiis apprimè versatus, eloquentiâ clarus, & in agendis astutus & sagax: laboris tamen impatiens, in adversis timidus, in prosperis audacissimus: adeò autem ambitione devictus ut Dei timore postposito, proditionibus non parceret ac veneficiis, ut omnibus dominaretur per tyrannidem. Elatus est magnificentissimo funere, quod descripsit Corius: addito epitaphio centum & unius versuum haud pro tempore inelegantium, res ejus gestas encomiasticè continentium. Corpus sepultum in domo Carthusiæ, quam in territorio Ticinensi magnificè construxit, addictis in alimenta religiosorum, & officium divinum, amplissimis latifundiis, aliísque reditibus, quorum invidiâ non semel postea facta est molestia religiosis. Qui & templum magnificentissimum Mediolani in honorem Deiparæ Virginis solido è marmore candidissimo ædificavit. Successores reliquit duos filios Ioannem Mariam, & Philippum-Mariâ: quorum prior titulum Ducatus habuit cum pleráque ditione; alteri multæ civitates traditæ. Sed quòd junioris essent ætatis, ortis confestim multis dissensionibus in ipsâ civitate Mediolanensi, pleræq; etiam aliæ civitates detrectare imperium cœperunt; & quà ad pristinos domines reciderunt, (& inter ceteras, Bononia, Perusia, Assisium ad Ecclesiæ Romanæ subjectionem) quà ab aliis occupatæ sunt, putà Verona & Patavium à Venetis, Pisæ à Florentinis, aliæ ab aliis: renovatis etiam Guelforum & Gibellinorum factionibus; atque ingentibus ubique patratis crudelitatibus, proditionibus, nequitiis, cædibus, direptionibus, ceterísque ejusmodi omnis generis malis sceleribúsque: quæ pluribus iidem qui suprà, alíique [x] auctores prosequuntur.

Imperium ejus dissecatur.

[x] *Blond. Platin. Sabell. &c.*

XIII. Bussicaldus Marescallus Rempubl. Genuensem optimè adminisirat.

Genuensibus quoque tumultuosissimis hominibus, Rempublicam suam furiosis dissidiis suis & stolidissimis factionibus pessumdare, pro nihilo, quinimmò pro merito ducentibus; cùm olim coacti sese Regi Francorum dedere, ejus etiam præfectos insolentissimè habuissent: rebus demùm ad extremum perductis, nullo legum freno, nullóque magistratuum metu dissolutam peccandi licentiam cohibere valente; affuit tandem necessarium remedium rigidæ severitatis Ioannis Lemingrij cognomento Bussicaldi, Franciæ Marescalli, vicarij à Rege missi, ac legati in Italiâ creati: qui multis egregiis virtutibus commendatus, compluribúsque rebus bello paceque gestis clarus, ingenio ferox, corpore procerus, aspectu ipso malis terribilis; res prostratas aliquorum suppliciis, & coitionum cœtuúmque interdictionibus, atque armorum

ademptio

ademptiones, erexit, ruentésque ab interitu stitit. Adeò his sese gratum bonis civibus exhibens, ut missis ad Regem oratoribus, enixis precibus impetrârint, ne umquam Genuâ revocaretur. Fuit enim (ut ipsimet Genuenses [y] tradunt) omnibus virtutibus quæ in claro & celso viro esse possunt verè admirabilis: ab omni flagitiorum genere, omnibúsque libidinum illecebris longè remotus: religionis divinique cultûs diligentissimus observator: accedentibus ad hæc justitiæ studio, animi magnitudine, regiâ liberalitate, intrepido ad terrores animo, celeritate in negotiis suscepțis conficiendis: summâ denique humanitate, morúmque suavitate, quibus laudibus id assecutus est, ut omnis generis hominum voluntates teneret, cùm boni eximias ejus virtutes amarent, mali vererentur. Cujus tamen severitatem fuisse demùm civitati odiosam constat; ut fuit semper is populus supra quoscumque alios mutationibus & seditionibus obnoxius.

[y] Nebiens. lib. 5. Foliet. lib. 9.

EGREGIÆ EJUS VIRTUTES.

XIV. COPIARUM TAMERLANIS ET BAIAZETIS NUMERUS.

Major hoc eodem anno tumultus in Oriente inter Christianorum hostes, Temirem sive Tamerlanem Scytham, & Bajazetem Gilderunem Turcum; potentissimum utrumq; simul & bellicosissimum Regem Mahometanæ superstitionis: de quorum dissidiis jam satis anno superiori. Convenerunt in Phrygiâ ad urbem Ancyram; habens Tamerlanes (ut Chalcondyles [z] asserit) octingenta millia equitum peditúmque, Bajazetes centum tantùm & viginti: seu, ut Phranzes [a], Tamerlanes octingenta & viginti, Bajazetes centum quinquaginta: vel ut Heroldus [b], Tamerlanes octingenta Bajazetes tercenta: aut ut Bizarus [c] & Perondinus, Tamerlanes decies centena millia, nempè quadringenta equitum, sexcenta peditum; Bajazetes dimidium, videlicèt tercenta equitum, ducenta peditum: seu denique, ut Leunclavius [d] ex ipsis Turcorum monumentis, (haud quidem expresso copiarum numero, sed tantum immensum fuisse declarans) Bajazetis exercitu haud Tamerlanico numero inferiore. Variant de eodem numero etiam alij, qui vel iisdem cum prædictis auctoribus temporibus, vel antè aut pòst de his scripsêre; aut prudentiùs, ne errare contingeret, minimè exprimunt.

[z] Chalcond. lib. 3.
[a] Phranz. lib. 1. cap. 29.
[b] Cont. Bel. sacr. lib. 6 cap. 3.
[c] Bizar. in Reb. Pers. lib. 9. Perond. in Vit. Tamerlan.
[d] Leuncla. lib. 7.

XV. INGENS INTER IPSOS PRÆLIUM.

Quantulcumque igitur fuerit, concurrerunt acies ingentibus, utrimq; animis die quodam Veneris, feriâ sextâ illis sacrâ, ad Tauri montis eam partem cui Stellæ nomen est, pugnâ olim Pompeij & Mithridatis nobilem, ad cujus radices vasta planities subjacet, campis undique ad conferendas manus latè patentibus. Pugnæ initium fecit è Tartaris Sachrucus filius Tamerlanis cum nobilitate Persicâ, è Turcis Europæi milites; (inter quos erant multa Christianorum millia, ac præcipuè Triballorum, qui ex pacto castra Bajazetis sequi tenebantur:) qui pòst longam & acrem pugnam Persas pedem referre coëgerunt. Cùm verò ardore pugnæ ad castra hostium progrederentur, veritus Bajazetes ne si longiùs abirent, ipse ab hostibus circumduceretur, duces semel iterúmq; atque etiam conviciis ad priorem locum reverti jussit; ægrè obaudientes, veritos quod mox contigit: Nempè ut instante continuò à tergo Tamerlane cum universis copiis, Europæi citatissimis passibus in castra sese recipere habuerint: quod Asiaticus miles fugam esse ratus, confestim & ipse abjectis armis fugam arripuerit; cesseritque victoria Tamerlani. Ita enim rem gestam prædicti auctores describunt: Leunclavio excepto; qui ex fabulis Turcicis, res suas venditantibus, aut excusantibus, ait in ipso exercituum concursu maximam partem Asiaticorum, qui subditi erant regulorum illorum, quos à Bajazete pulsos ad Tamerlanem recurrisse vidimus, relicto Bajazete transitionem ad Tamerlanem fecisse: ídq; ipsum præstitisse gentem quamdam Tartaricam, quæ Bajazeti militabat: cúmque nihilominùs Christiani animosissimè pugnâssent, & tandem animadvertentes nihil se pugnando proficere, eò quòd soli in acie superessent; & ipsos pedem retulisse: videntésque Vesires res Bajazetis in summo discrimine versari, ac Mustapham unum ex ejus filiis occisum, sumpto secum Suleimane alio filio, ex acie profugisse: rursúmque alium item filium Mahometem cum proceribus Amasianis celeri fugâ se subduxisse: relicto solo cum suis Genissariis Bajazete; qui fugientes retinere cupiens, longiùs abreptus à Genissariis, captus ab hostibus fuerit: qui si cum eis permansisset, (quorum acies decem millium erat) numquam in manus hostium venisset; sed defensus ab eis fuisset usque ad noctem, quâ facilè salutem sibi fugâ quæsîsset. Ita Turcorum historiæ. Ex quibus etiam idem alibi Leunclavius [e] narrat milites Bajazetis quo tempore contra Tamerlanem pugnandum erat, ex acie discessisse ob non soluta eis stipendia, cùm avarissimus esset. Quod & Chalcondyles confirmat.

BAIAZETES CAPITUR.

[e] Leunclav. Lib. 6.

XVI. QUOMODO ID CONTIGERIT.

Sed capturam Bajazetis idem Chalcondyles ac ceteri post eum ita narrant; ut ubi se à fortunâ destitutum animadverterit, equâ conscensâ ut velocissimâ, cùm fortè venisset ad flumē, & chiragrâ ac podagrâ tunc gravissimè laborans equam intolerandâ siti extimulatam non potuisset à potu inhibere, nec fugæ socij adessent; eâ ut bibit de pernicitate multùm remittente, ab insequentibus hostibus captus fuerit. Verùm cum & hoc ipsum non videatur carere fabulositate, siquis circumstantias omnes consideraverit, majorem sibi apud nos fidem conciliant, qui Bajazetem inter dimicandum in manus hostium pervenisse scripsêre. Cujus etiam filios omnes captos fuisse, unà cum uxore carissimâ filiâ Lazari Triballorum Principis, ac cunctis penè ducibus ac proceribus Turcis; iidem auctores contra Turcorum assertiones tradunt: nihil tamen iis damni illatum esse, nisi quòd spoliati sunt, sícque liberi abire permissi, quippe antequàm pugna iniretur per præconem Tamerlanes edixerat, ut nemo Turcorum vinculis manciparetur, aut aliquâ afficeretur contumeliâ: cùm econtrà Bajazetes neminem Tartarorum in deditionem accipere, sed omnes obtruncare jussisset. Pugnabat enim magis Tamerlanes gloriæ vanitate, Bajazetes iracundiâ vindictæ. Et cecidisse prælio ducenta Tartarorum, Turcorum centum quadraginta millia, plerique tradunt: nonnullis ducenta tantummodò ex utrâque parte, quibusdam plus minúsve ponentibus. Fuisséque illud hoc anno gestum, (quamvis Græci, & ex illis Latini multi, quinto sextó-

RATIO TEMPORIS.

ve antè ponant) indubitatum redditur tam ex Annalibus Turcorum apud Leunclavium; quàm ex auctoribus illius ipsius temporis; Niemo [f], qui ait contigisse anno decimotertio Pontificatûs Bonifacij Papæ in æstate: Iuvenale qui anno Christi millesimo quadringentesimo secundo collocat: Monacho Dionysiano; qui eodem itidem anno scribit, ad Manuelem Imperatorem Constantinopolitanum adhuc Parisiis commorantem, circa festum omnium Sanctorum nuncium advenisse expugnati à Tartaris Bajazetis. Quibus & consentit Mariana [g], ex Hispanis qui interfuerunt: & Corius [h], ex nuncio ipsiusmet Tamerlanis Mediolanum adveniente: auctoresque Genuenses [i], ex rebus tunc Peræ quam obtinebant gestis: ac denique alij quicumque exactioris diligentiæ scriptores.

f Niem. 2. de Schism. 29.

g Mar. lib. 19. cap. 11.
h Cor. par. 4.
i Nebiens. lib. 5. Foliet. l. 9.

XVII. QUOMODO TAMERLANES BAIAZETEM HABUERIT.

Ceterùm Tamerlanem honorificè Bajazetem captivum ad se perductum excepisse, pluriésque cum illo amicabiliter ac familiariter tractâsse, intermixtis tamen aliquando jurgiis Turci tradunt; Græci, & qui eos sequuntur, exprobrationes tantùm & opprobrationes recensent. Inter quas ponunt, misisse aliquando Tamerlanem Bajazeti accipitres & canes; ac reliquum venationis apparatum, ut qui venatori magis quàm duci bellico comparandus esset: (aiunt enim habuisse septem millia virorum qui accipitres curarent, & canes sex mille aluisse) Bajazetem autem in faciem Tamerlani convitium regessisse, ipsi quidem uti Scythæ, & latrociniis à juventute exercito, parùm convenire cum nobili venationis studio: se autem à Regibus oriundum, ac regiis exercitiis à pueritiâ institutum, haud ista studia dedecere. Quod verò vehementiùs animum Bajazetis ussit fuit, quòd uxorem eius quam diximus ardentissimè ab eo amatam, dum unà ambo cibum caperent, Tamerlanes adduci, ac primùm mensæ assidere, deinde potum infundere jussierit. Unde penè in desperationem actus Bajazetes, verbis contumeliosis Tamerlanem excipiens, objecit eum non solùm Regum liberos atque uxores, qui naturâ ei domini essent, probris afficere, verùm etiam proprium suum ipsius genus paternum maternúmque, quandoquidem vulgi fecem, ex quâ natus esset, servire deceret magis quàm regnare: Tamerlane ad hæc ridente, & Bajazetis iras subsannante.

XVIII. BAIAZETES CAVEÆ AD LUDIBRIUM INCLUDITUR.

Postquàm autem his variísque aliis modis Tamerlanes Bajazeti ad arrogantiam ejus conterendam illusisset; quod ultimum fuit, cùm interrogâsset eum quid de se facturus fuisset si in manus ejus incidisset; respondissétque solitâ ferocitate Bajazetes, conclusurum se eum fuisse caveâ ferreâ, ac secum per omnes regiones suas circumvecturum: hoc Tamerlanes audito, caveam è ferro fieri jussit instar sellæ cancellis undique ferreis cinctam, quibus videri ex omni parte poterat; eique Bajazetem catenis aureis vinctum inclusit, per omnia itinera præ se inter duos equos agens & ad ostentationem circumducens, atque scabelli loco utens eo quoties equum inscenderet aut ex eo exscenderet: (sicuti olim Valeriano Imperatore usus fuerat Sapores Persarum Rex:) ac denique projectis frustulis, cùm cibum careret, ut canem pascens. Tradúntque, Tamerlanem testatum esse, non ita se illum ut Regem nobilitate ac rebus gestis clarum tractare, sed uti hominem improbum ac nefarium, fratrísque interfectorem punire. Qui post hæc regulis illis Asiaticis, qui eum adversùs Bajazetem commoverant, ditiones unicuique suas restituens, alia etiam oppida contulit. Cúmque cerneret neminem de Bajazetis liberatione solicitum esse (quòd plerisque ob crudelitatem & avaritiam invisus esset: adeóque magis timerent eum liberari, quàm cuperent: etiamsi narret Chalcondyles, quosdam ejus proceres per cuniculos eum è loco ubi asservabatur surripere, sed irrito conatu tentâsse:) simulque audisset Indorum Regem potentissimum ditiones suas incursâsse; retrocedere statuit, secúmque Bajazetem ducere. Qui inde mœrore confectus, cùm libertatem sperâsset, mortem in viâ obivit; sive ex morbo, ut nonnulli, sive ut plures volunt, capite pluribus ictibus ferreis caveæ clathris perfracto: memorando humanæ fortunæ ludibrio; vt qui innumeris victoriis clarus universum orbem animo invaserat, unius horæ adversitate feræ instar inclusus desperatione perierit. Quod aliquot post captivitatem mensibus, (octo scribit Phranzes) anno proximo contigisse, Leunclavius refert, regni ejus decimoquarto, non vigesimoquinto, ut Chalcondyles, aut etiam vigesimosexto, ut Phranzes habet. Cujus Corpus concessione Tamerlanis delatum [k] est ad majorum sepulchra Prusam Bithyniæ.

MORITUR.

k Leunclav. lib. 9.

XIX. EIUS FILIJ DE IMPERIO DECERTANT.

Post ejus obitum, quatuor ejus filij Isa Begus, Emir Suleiman, Musa Zelebis, Sultan Mahometes, (ut Leunclavius ex Annalibus Turcorum numerat & nominat, cùm aliter apud Chalcondylem, & quosdam Latinos habeatur: quod expendant quibus id cordi erit) de successione inter se animosissimè decertantes, totos ferè duodecim annos in eo Imperio iam satis per Tamerlanem devastato, sibi quique per cædes fraternas asserendo, multis tam in Asiâ quàm Europâ gravissimis gestis invicem bellis, factíque prœliis insumpserunt, ingenti provinciarum clade, ac penè excidio. Cùm tamen odio Christianæ religionis haud intereà desierint qui diuturniori prævaluerunt tempore, magnas clades variis locis Christianis inferre: quas & sensisse Sigismundum Hungariæ Regem, pacis artibus quàm bellicis clariorem, auctores tradunt. Tandem verò quatuor illorum fratrum minimus *Mahometes*, qui vilissimis artibus, ut incognitus lateret, sese aliquamdiù exercuisse, dum alij inter se digladiabantur, à Chalcondyle dicitur; demùm sese exerens, solus heres imperij paterni remansit, (à nonnullis Latinis Celebinus, sive etiam Calepinus dictus; ab aliis tamen hoc nomine Zelebi ejus fratri tributo) anno ætatis ejus circiter vigesimo octavo, Christi 1415. qui propterea in Turcorum historiis (explosis trium natu maiorum fratrum surreptitiis imperiis) successor Bajazetis constituitur; & eo quem diximus anno (posthabitâ duodecim illorum annorum anarchiâ) ejus initium collocatur. Res autem inter illos toto eo tempore gestas, posteáque à Mahomete contra alios qui à paterno fœdere vel imperio recesserant, quos ad obsequium reduxit,

MAHOMETES REGNAT.

quousque octavo regni sui anno obiit; qui scire cupierit, eumdem Leunclavium habet, qui ex ipsorum annalibus totis quinque [l] libris descripsit; & Chalcondylem [m] Græcum, qui breviùs quidem, sed tamen quantum sat esset, si tam distinctè res tractare quàm solet confundere, didicisset, easdem annotavit: præter illos qui ex iis exscripserunt. In his porrò illud lucri habuit Christiana religio, quòd unus fratrum quem Chalcondyles *Iesum*, Phranzes [n] *Iosephum*, nominat, ad Græcos se recipiens, CHRISTO nomen dedit, dictus in baptismo *Demetrius*; cui frater Mahometes liberalissimè res vitæ necessarias providit; ipséque aliquot pòst annis ad superos migravit. Ignotus tamen hic Leunclavio: nisi fortè Casimes Zelebis sit, quem ille admodùm puerum extitisse quando pater obiit, ac posteà obsidem datum à fratre suo Emire Suleimane Imperatori Græcorum ait [o], collocans extra numerum quatuor illorum.

l Leunclav. lib. 8. 9. 10. 11. 12.
m Chalcond. lib. 4.

UNUS FRATRUM FIT CHRISTIANUS.

n Phranz. lib. 1. cap. 21. & 30. & ibi Pontan. in Not.
o Leunclav. lib. 8. in pr. lib. 10. in pr. Vid. infr. an. 1451. VI.

XX. TAMERLANES IN PATRIAM SE RECIPIT.

Tamerlanes autem, pòst alias decursas ac devastatas torrentis instar provincias, adversus Indorum Regem progressus, prælio eum vicit, nec ita pòst cum ipso pacem redintegravit. Deinde Samarcandam civitatem suam reversus (quam olim Marcandam in Sogdianiâ dictam, non quidem ipse primùm condidit, vt nonnulli scripsêre; sed quòd in eâ natus esset, spoliis aliarum gentium exornatam, elegantissimam splendidissimamque reddidit: quæ nunc ruinis deformis jacet unà cum multis antiquitatis vestigiis:) in eâ in pace mortuus est; cùm regnâsset ut Leunclavius [p] habet quadraginta annis: sive ut apud alios reperimus viginti septem. Sed quo potissimùm anno obierit, neque Leunclavius exprimit; nec nos Perondino [q] aliisve idem sentientibus credimus, dum hunc ipsum annum 1402. signant minúsque Heroldo [r], dum 1430. Magis autem inhæremus assertioni nunciorum Henrici Regis Castellæ, de quibus mox agetur, qui tunc Samarcandæ præsentes fuisse profitentur, cùm is valdè jam senex obiit mense Novembri anni Domini 1404. Quinimmò si quæ anno superiori de Damasco & aliis civitatibus captis, ac provinciis devastatis, ex Annalibus Turcorum retulimus, ad posteriora à clade Bajazeticâ tempora differenda forent ut plurimis placuit; iis conficiendis multum plus temporis videretur impendendum, ac proinde seriùs ejus obitus collocandus; nisi facile fuerit huic rapidissimo torrenti tot provincias momento abripere.

p Id. lib. 7. in fi.

MORITUR, ET QUANDO.

q In Vit. Tamerlan. cap. vlt.
r Contin. Bell. sacr. lib. 6. cap. 4. ad fi.

XXI. SMYRNA DELETA A TAMERLANE.

Sive porrò ante, sive pòst; præter illa quorum speciatim meminimus, certum est, Smyrnam urbem, quam à Christianis vidimus olim captam, ac per multos labores defensam, validissimum Christianorum contra Turcorum impetus propugnaculum, ab Hospitalariis militibus tunc possessam, fuisse à Tamerlane solo æquatam. Et causam speciatim Niemus [s] narrat; quòd qui urbem regebat miles Catalanus noluisset seu fastu seu aliâ ratione vexillum Tamerlanis erigere. Hoc enim tantùm vanè quæsisse Tamerlanem à Christianis, colligitur etiam ex Historiâ Genuensium [t]; ubi legimus, Genuenses Peræ urbis, quæ è regione Constantinopolis sita est, incolas, postulante Tamerlane homine implacabilis iracundiæ, ejus signa erexisse. Háudque adeò fuisse Christianis infensum, (ut omittamus quæ de gestis cum ipso à Manuele Græcorum Imperatore relata sunt superiùs) intelligitur etiam ex Itinerario [u] nunciorum quos diximus Henrici Regis Castellæ: qui [x] cum adversâ plerumque valetudine oppressus, non esset magnis rebus foris gerendis; ad dilatandam nihilominùs & nominis sui & regni famam, ad finitimos longinquósque Principes tam Christianos quàm barbaros, frequentes legationes mittens, quæ apud quamque gentem præcipua essent virésque ac mores, sciscitari non desistebat. Ad Orientis igitur provincias Pelagius Sotomajor & Fernandus Palasuelus ab eo legati, cùm prælio inter Tamerlanem & Bajazetem commisso interfuissent; (ut prædicto commentario traditur) post victoriam honestè habiti à Tamerlane, remissi sunt in Hispaniam, novo ab ipso ex suâ gente oratore adjuncto, qui Henrici Regis amicitiam expeteret, ac victoriarum suarum præconia promulgaret. Cum quo denuò Fr. Alfonsus Paëz Dominicanus Theologus, & Rodericus Gõsalvus ac Gometius Salazarius missi cum muneribus, post longum iter, cœptum vigesimo primo Maij anni proximi 1403. mortuo in viâ Gometio, reliqui duo pervenerunt tandem Samarcandam ad principium Septembris 1404. & ad præsentiam Tamerlanis admissi fuerunt die 8. ejusdem mensis: à quo benignè excepti, & ad diversa convivia vocati sunt; donec ad principium Novembris infirmitate correptus Tamerlanes circa diem decimamoctavam decessit: & nuncij interim dimissi, post multos labores pervenerunt ad suum Regem die 24. Martij anni 1406. eorumque unus nempè Gonsalvus totum iter per singulos dies conscripsit, & quæ in eo notabilia occurrerunt memoriæ mandavit: in quibus tamen non pauca fabulosa esse opinamur.

s Niem. 2. de Schism. 30.
t Foliet. lib. 9. hoc an. in fi.

u Vid. supr. an. 1390. X.
x Marian. lib. 19. cap. 11.

RELATIO NUNCIORUM REGIS CASTEL. DE REBUS TAMERLANIS.

XXII. TAMERLANIS LEGATI IN GALL. ET C.

Habet item Monachus [y] Dionysianus, venisse ad Carolum Francorum Regem, quemdam Episcopum Orientis Ordinis Fratrum Prædicatorum, missum à Tamerlane cum literis; quibus narrans quomodò super omnes Occidentales Reges famam Regis Francorum audivisset, ideò significavit percupere se aliqua speciatim scire de magnificentiâ Statûs ejus ac mulierum regni; & quomodò ipse magnam partem Orientis occupâsset, & Bajazetē præcipuum Christianorum hostem captivum detineret: ultimo amicabiliter rogans, ut more decessorum mercatores terræ suæ per regnum Francorum commeare cum mercibus peregrinis & communibus benignè pateretur. Denique & Corius [z] testatur, venisse eumdem, sive alium Archiepiscopum Ordinis Prædicatorum à Tamerlane ad Venetos, Genuenses & Ducem Mediolanensem. Ex quo etiam fortè Niemus [a] percepit quæ de filiabus Tamerlanis magiæ peritis scribit. Necnon quæ de ejus corporis imagine alibi [b] refert, visâ à se apud Episcopum Catholicum, qui cum Tamerlane priusquàm duodecim annos vitam traxerat: in quâ videbatur dexterâ manu se baculo sustentare, ac sinistro pede magis elevato dextero incedere: (quod ipse paralysim sinistri lateris corporis interpretatur; non simplicem claudicationem, ut alij,) necnon pi-

y Mon. Dionys. in Car. VI. an. 1403.
z Cor. par. 4. hoc an.
a Niem. d. c. 30.
b Id. 3. de Schism. 42.

EFFIGIES EIUS.

leum

leum altum gestare in capite sine caputio, cum magno lapide pretioso in summitate pilei: cinctúsque super longas vestes, cum perâ & zonâ pendente, barbâ protensâ, pendentibus ex illâ pluribus pretiosis lapidibus. Ita ille: quæ descriptio valdè poterat ornare Perondini vitam.

XXIII. [c] Chalcond. Herold. &c. — ALIÆ EIUS COGITATIONES VANÆ.

Aiunt alij [c], eum in animo habuisse, post devictum Bajazetem in Europam trajicere, & ad Columnas usque Herculis penetrare, atque inde in Africam transmittere, eâque edomitâ per Ægyptum Samarcandam se recipere: sed Indorum excursione avocatum fuisse à proposito: quos à Deo protectos esse, ne ab eo, sicut alij populi, perderentur, Niemus existimavit quia multi eorum cum ipsorum Rege erant boni Christiani in fide Catholicâ radicati. Fuit autem in omnibus (ut putatur) omnium ætatum maximis quibuscumque ducibus atque imperatoribus, rerum gestarum magnitudine, simul & felicitate, (cùm nullâ umquam expeditione, nullo certamine, nullâ rei gerendæ susceptione, adversam fortunam sensisse reperiatur) non solùm comparandus, verùm etiam longè præferendus, (semotis vitiis quibus deturpabatur) si parem suorum gestorum præconem invenisset; uti Perondinus ipse Vitam ejus concludit; quam describendam susceptam satis jejunè tractavit, penuriâ magis monumentorum, quàm copiæ verborum & elegantiæ sermonis.

XXIV. IMPERIUM EIUS BREVÎ DISSOLUTUM SUB FILIIS.

Reliquit duos filios, neque indole neque fortunâ eâdem. Sachrucus tamen natu major æquitatis studiosus fuisse dicitur, & fœderibus cum vicinis junctis pacificè aliquot annos regnâsse; Pajangurémque minorem fratrem à Iosepho quodam Armeniâ exturbatum restituisse. Eo verò mortuo, dissidiis inter eumdem ipsius fratrem ac nepotes ortis, amplissimi regni opes dissipatæ brevì fuere, aut prioribus regnorum domitorum dominis sua recuperantibus, aut aliis usurpantibus, aut denique divisionibus domesticis: quæ videre est apud Chalcondylem [d], Heroldum [e], & alios. Ex quibus hoc unum monemus; in præcipuis Tamerlanis dominationis occupatoribus *Vssan-Cassanum* fuisse, Assembecci, quem alij Scenderem dicunt, nepotem, filium verò alterius Cassani, qui à Bajazete Armeniâ pulsus ad Tamerlanem recurrerat. Hic enim post parentis obitum partem Armeniæ obtinens, indéque paulatim potentiam suam dilatans, etiam Persidem occupavit, prælio occiso Tzokie Tamerlanis pronepote; demúmque acerrimum bellum cum Mahomete Imperiorum Constantinopolitani & Trapezuntini domitore gessit; ut erit fortè suo tempore dicendi locus, & videre interim est apud auctores qui de rebus Turcicis & Persicis egerunt.

[d] Chalcond. lib. 3. ad fi. [e] Cotin. B. l sacr. lib. 6. cap. 5. — USSAN-CASSANUS.

XXV. MANUEL IMPER. GRÆC. REDIT IN PATRIAM.

Auditâ autem à Manuele Græcorum Imperatore Parisiis agente (ut diximus) Bajazetis clade & captivitate, confestim in Græciam redire satagens, donis regiis muneratus abiit; cui item, præter impensas biennalis moræ, etiam impostetùm annuatim quatuordecim millia scutorum ex æarario, ut testatur Monachus Dionysianus, Rex assignavit donec ad uberiorem fortunam perveniret. Genuensiúmque [f] triremibus Constantinopolim delatus est, poterat sanè eò tempore res Christiana in Oriente & Græciâ restitui, fractâ Turcorum potentiâ, Ægyptiis à clade Tamerlanicâ attritis, Syriâ omni præsidio destitutâ si Principes Occidentales ad eam rem animum adjecissent. Sed Ecclesiâ Schismate, regni domesticis publicísque dissidiis divisis, quis præcepisset? quis obtemperâsset? Magis irritant animos visa, quàm audita; movéntque propinqua quàm longinqua. Manuel [g] autem parùm per se potens, in turbis prædictis fratrum Osmanidarum aliquid agere conatus, id plurimùm præstitit, ut eorum benevolentioribus receptum in urbe Constantinopolitanâ exhibuerit, & naves ad mare transmittendum subministraverit; inito demùm firmiori fœdere cū victore Mahomete quo fretus in Peloponnesum navigans, Isthmum muro circumcinxit contra hostium invasiones. Sed non id nisi longo pòst tempore: nempè ut notat Phranzes [h] Protovestiarius paulò antiquior Chalcondyle, anno mundi ex Græcorum computo 6923. qui respondet Christi 1415.

[f] Foliet. lib. 9. an. 1403. — [g] Chalcond. lib. 4. Leunclav. lib. 9. 10. 11. — [h] Franz. lib. 1. cap. 38.

IESU CHRISTI Ann. 1403.
BONIF. IX. Ann. 14.
RUPERTI Annus 3.
EMMANUELIS II. Ann. 20.

I. BENEDICTUS EVADIT AVENIONE.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo, tertio, Indictione undecima, Petrus de Lunâ dictus à suis Benedictus, cùm jam ferè quinquennium ita inclusus in palatio Avenionensi teneretur, ut nemo permitteretur ad eum accedere, vel palatium intrare, nisi priùs investigaretur quid ferret aut vellet; demùm die 12. Martij inde clàm eductus, primùm ad Castrum-reginaldi ductus est 4. inde lapide. Quod Aragonij [a], Iacobi Pratensis regni Aragoniæ Connestabuli ac sociorum legatorum, nullâ factâ mentione alicujus Franci; Franci [b], Roberti Braquemontij nobilis Normanni ac sociorum ejus, nullâ commemoratione Aragoniorum, arte factum tradunt. Voluissemus eos conciliare; ut utrique manus adjutrices heroïco facinori communi consilio admovissent; sed quoniam singuli sibi solis aut rei decus aut dedecus habere volunt; habeant per nos absque ullâ invidiâ; quamquam difficile creditu videri potest, quatuor solos Aragonios id in urbe Gallicâ absque aliquorum Gallorum scitu & consensu præstare potuisse. Dicitur autem cum tribus dumtaxat familiaribus exîsse; nihílque secum abstulisse præter Corpus Domini in pyxide, & literas quasdam Regis Francorum, quibus testabatur numquam se consensisse subtractioni ab ejus obedientiâ. Qui mox barbâ tonsâ, quam toto illo quinquennio nutrierat, literas de suâ evasione ad Regem, Principes, & Universitatem Parisiensem scripsit, promittens per se non staturum quin quod spoponderat adimpleret. Ad eum confestim Ludovicus Provinciæ Comes, Siciliæ Rex nuncupatus, accurrit. Petierunt etiam Cardinales, qui ab eo secesserant, in gratiam recipi; necnon & cives Avenionenses: quod post aliquam repulsam præstitit. Rex [c] Castellæ quarto Calendas Maj ex

[a] Surit. Ind. lib. 3. — [b] Iuven. & Man. Dion. in Car. VI. — RESTITUITUR EI OBEDIENTIA. [c] Marian. lib. 19. c. 11.

Conventûs Vallisoletani sententiâ eidem se subjecit. Idemque in Galliâ à Rege factum, rem præcipuè urgente ipsius fratre Duce Aurelianensi, qui totus Benedicti erat: non tamen continuò, nec prompto omnium consensu. Cùm enim consuetum [d] esset tempore Paschali Cereo benedicto tabellam affigere, cui anni creationis Pontificis & coronationis Regis adscripti essent; hócque anno in quibusdam Ecclesiis civitatis Parisiensis nomen Benedicti adscriptum fuisset; fuit illud ex omnibus per publicos apparitores abreptum. Donec post auditam legationem duorum Cardinalium à Benedicto missorum, videlicèt Guidonis de Malesicco Episcopi Prænestini, qui Pictaviensis dicebatur, & Amedei de Marchionibus Sallutiarum Diaconi S. Mariæ Novæ; ad finem mensis Maij restituta fuit ei obedientia, his inter alias conditionibus [e]; Quòd scripto declararet se acceptare viam Cessionis tribus casibus, videlicèt adversario cedente, decedente, vel ejecto: Omnes injuriæ occasione subtractionis, ultrò citróque factæ remitterentur: Benedictus intra unum annum convocaret Concilium universale suæ obedientiæ, quo tractaretur de prosecutione unionis, de Ecclesiæ libertatibus, de subsidiis & oneribus impositis à Pontificibus Ecclesiæ Gallicanæ; & quicquid in eo statutum esset observaretur ab ipso.

[d] Iuven in Car. VI.

[e] Ext. in cod. S. Victor. P. 10. aguntque de iisd. Mon. Dionys. & Iuven. in Car. VI.

II. SED BREVÎ INTERRUMPITVR IN GALLIA.

Breve tamen fuit hujusmodi obsequium Benedicto præstitum. Siquidem cùm incidisset quæstio de confirmatione electionum, consecrationum, collationum, quæ tempore subtractionis ab Ordinariis factæ fuerant; perseveránsque idem in suâ ferocitate, eam omninò recusaret; nec missis eâ de re ad illum semel iterúmque oratoribus aliquid obtineri posset. (Fuit inter eos missus ab Universitate Parisiẽsi *Ioannes*, insignis ille ejus Theologus & Cancellarius, qui proprio familiæ cognomine *Charlierus*, à pago agri Remensis, ubi natus est honestis & piis parentibus, *Gersonius* dictus est; cujus extat [f] luculenta de his ad Benedictum oratio Massiliæ habita 9. Novembris:) quinimmò nec ipse ei addictissimus Aurelianensis ultimò ad eum legatus, quamvis amantissimè ab eo exceptus, eum movere valuisset: demùm re in deliberatione positâ, decretũ fuit Regem possessores defensurum, nec permissurum diplomata Pontificia suscipi; neque item aliquid à Benedicto exigi pro beneficiorum vacantiis, aut alio quocumque prætextu publicatis eâ de re literis regiis die 29. Decembris præsentis anni: ut disertè habet Iuvenalis. Cùm nihilominùs non cessaret Universitas Parisiensis ejus animum ad pacem & benignitatem hortari, misso ad hoc unà cum eodem Duce prædicto Gersonio: cujus pariter extat [g] sermo tunc ad eum habitus Tarascone in Circumcisione Domini anni proximi; ac de eâdem re literæ ad eumdem Ducem, & ad Petrum de Alliaco ipsius Gersonij olim magistrũ Episcopúmq; tunc Cameracensem. In Hispaniâ verò datum Benedicto est, ut [h] Ecclesiam Toletanam, quæ jam quadriennio injuriâ temporum vacua erat, Petro Lunæ fratris filio cõmitteret. Quod verò ad laudem Benedicti non parùm facit, est quod narrat eâdem suâ oratione Massiliæ habitâ Gersonius fuisse quemdam non infimæ fortunæ, qui ultrò ipsimet confessus esset voluisse se eum semel atque iterùm interficere: Benedictum autem sereno vultu ac blandis verbis præconcepti flagitij veniam indulsisse; benevolentiámque eidem, etiam jurejurando, quò omninò securum redderet, pollicitum esse. Quâ de re eum, ut meritus erat multis præconiis Gersonius effert.

IOANNES GERSONIUS AD EUM MITTITUR.

[f] Gerson. oper. tom. I.

[g] Ibid.

[h] Mar. d.c. II.

III. PRÆSTIGIATORES CREMANTUR PARISIIS.

Intereà contigit [i] ibidem Parisiis, ut cùm quidam presbyter nomine *Ivo Gilemmus*, unà cum alio clerico, quodam serario seu fabro ferrario, & nobili feminâ, invocationibus dæmonum vacantes, jactarent curaturos se Regem à morbo sontico quo ferè continuè affligebatur; tantóque agerentur omnes desiderio incolumitatis ejus, ut nullum remedium quantumcumque illicitum aspernarentur; adeóque permissum iis esset suis invocationibus uti: petitis sibi præberi duodecim hominibus catenis ferreis vinctis, eos septo incluserunt monitos nihil timere. Cùm verò frustrà sua illis ars esset, interrogati causam, responderunt signum esse Crucis, quo se in septi ingressu singuli munierant. Fraudem clericus urbis præposito fassus, tam ipse quàm ceteri publicè igne cremati sunt.

[i] Iuven. Ibid.

IV. PERICULA REGIS ANGLIÆ A SUIS.

Ita autem erant prona cuncta ad arma & dissidia, ut quamvis non apertum esset bellum inter regna Franciæ & Angliæ, tamen utrique populi sese ad invicem incursionibus maritimis, atque etiam exscensionibus gravissimè infestare non cessarent, nunc victores, nunc victi, hodie spoliati, perendie spoliis ditati; ut utrorumque historiis intelligitur. Laborantéque continuè Angliâ rebellionibus in Henricum usurpatorem regni, agendum ei hoc anno [k] fuit adversus Percios proceres, viros strenuissimos, & rebus egregiè gestis claros: quos acerrimo ac difficillimo prælio devicit: magno defunctus vitæ periculo, cùm Perciorum junior ac socius Duglassius Comes Scotus, viri utique fortissimi, in unum Regem animos oculósque intentos habentes, haud dubiè eum confecissent, nisi vel se subtraxisset, vt fatentur Angli, vel etiam ne dignosceretur, plures paludamentis regiis ornatos prælio interesse curâsset; quod asserunt Scoti [l], narrantes Duglassium, cùm unum eorum, rursúmque alterum, ac deinde tertium prostrâsset, quarto insuper viso, mirari se exclamâsse unde tot Reges venire possent. Captus multis vulneribus saucius, Regis benevolentiâ ob insignem virtutem servatus est. Nec tamen proptereà desierunt conspirationes in eumdem Regem, fingentibus adversariis in Richardum vivere, & cùm clàm è carcere evasisset, primò in Hispaniam, indéque in Scotiam concessisse. Quod & adeò Scotis persuasum extitit, ut dicant eum ibi depositâ omni ambitione totum se Deo & piis operibus dedisse, & in castello Sterlingensi decessisse, ubi ejus sepulchrum in cœnobio Prædicatorum viseretur perneganttibus tamen Anglis, & fabulam confictam fuisse à quodam Serlone olim cubiculario Richardi, qui pœnas imposturæ supplicio proditorum luit, asserentibus.

[k] Vualsingh. in Henr. IV. & Hypodig.

[l] Boeth. lib. 16. Buchan. lib. 10.

V. NOVUM BELLUM INTER

Inter Venetos quoque ac Genuenses ex antiquâ æmulatione gestum est prælium maritimum, cùm pax esset inter utrumque populum; cujus disturbationis culpam alter in alterum

conji

GENVENSES ET VENETOS.

conjicit. Obsidebat novus Rex Cypri Ioãnes, (quem nonnulli Ianum modo Gallico vocantes, putârunt ita dictum ab urbe Ianuâ; sive Genuâ, in quâ natus & educatus est quo tempore pater ejus Iacobus ibi captivus detinebatur, ut vidimus [m] aliàs.) Famagustan ejusdem insulæ civitatem, quam Genuenses à multo tempore obtinebant. Ad solvendam obsidionem missus cum classe urbis Genuensis gubernator regius Bussicaldus, facilè Regem à cœpto revocavit, ac nullas conditiones recusanti pacem dedit. Inde Candelorum Ciliciæ petens, navibus ibi repertis incensis, dominum oppidi supplicem in amicitiam recepit. Ac deinde in Syriam cursum tenens, Berytum diripuit; quod ne idem Alexandriæ faceret, adversis ventis prohibitus est. Quare classem multis partim mortuis, partim ægrotis imbecillam, Genuam reducere deliberans, cùm Peloponnesum præterveheret, à Venetorum classe contra pacis fœdera invasus, tribus amissis triremibus, cum reliquis Genuam appulit. Ita simpliciter scriptores Genuenses [n]. Veneti [o] rem mirum in modum extollentes, Bussicaldum non aliâ de causâ navigationem illam suscepisse volunt, quàm ut Venetis noceret; eorum naves fortè in portu Berytensi repertas diripuisse; eâque de causâ à Venetâ classe ad Peloponnesum in certamen adductum, ferocissimo prælio victum esse, Genuensibus turpiter cedentibus, tribus longis navibus demersis, ac totidem captis. Quem & insuper apud Regem Francorum violationis pacis accusâsse, intelligitur ex literis [p] post hæc ad eos ab ipso Bussicaldo scriptis, quibus & mendacij eos insimulavit, & culpam in eos regessit, certamen etiam in veritatis probationem offerens, qui nihilominùs haud obstitit, quin Genuenses pacem cum Venetis redintegrarent.

[m] Supr. an. 1383. IV.

[n] Nebiens. lib. 4. Foliet. lib. 9.

[o] Sabell. 2. dec. 8. Iustin. lib. 6.

[p] Rec. Foliet. d. l. 9.

VI. RHODIORUM CUM SULTANO CONVENTIO.

Quo item anno Milites Hospitalarij, Rhodiani tunc dicti, res suas non parùm firmârunt in Oriente: cùm, ut narratur in eorum Annalibus [q], Magister eorum Philibertus Nailacus cum Saladino Ægyptio, ipsorum continuis incursionibus fesso pepigit, ut Ierosolymis & apud Ramam posset domos hospitales construere, Consules Christianis præficere, peregrinos liberè ducere ac reducere: loca Rhodianis erepta in Syriâ & Ægypto restituerentur: ius commercij Christianis ubique liberum esset: Rhodianis liberum foret à pactis discedere, quotiescumque Romanus Pontifex sacrum bellum in hostes Fidei indiceret idémque Saladino ius esset, quandocumque Turcorum Princeps in Christianos universim arma moveret.

[q] Bos. tom. 2. lib. 4.

VII. VINCENTII FERRERII LABORES PRO FIDE ET MORIBUS.

Fortunatior hâc tempestate in animarum ad creatorem suum conversione *Vincentius* Ordinis Prædicatorum divinus prædicator, patriâ Valentinus in Hispaniâ, familiâ nobili Ferreriorum, sive Ferrariorum: qui varias regiones Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, verbum Dei evangelizando peragrans, & sermonem miraculis confirmans, impossibile dictu est quot peccatorum, hæreticorum, Iudæorum, Mahometanorum myriades ad rectam frugem, fidem Catholicam, ac religionem Christianam converterit; quot variis corporis morbis oppressos integræ sanitati restituerit. Eò faciliùs hæc operatus, quò doctrinâ excellens, vitâ purissimus; conversatione prudens, donóque prophetiæ illustris, gratus omnibus fiebat, eosdémque in officio continebat. Hoc denique cunctis Evangelicis prædicatoribus à temporibus Apostolorum præstans, quòd patrio ac vulgari sermone Catalanico concionans, intelligeretur ab externis nationibus illum ignorantibus; audireturque non solùm à loco proximis, verùm etiam à remotissimis, à doctis & indoctis, à nobilibus & plebeiis; & quantumcumque prolixè sermocinaretur, nemo tædio afficeretur, ut hæc disertè traduntur à S. Antonino [r] in ejus Vitâ; quam compendiosè conscripsit ex prolixiori Petri Rausani [s] Panormitani. Estque de eâdem re, déque ceteris virtutibus eiusdem Vincentij, epistola Nicolai de Clamengiis [t] Benedicti scribæ, qui Vincentium ipsum concionantem audivit cùm Benedictus esset Genuæ.

[r] Ant. tit. 23. cap. 8.

[s] Ext. ap. Sur. 5. April. & adde Baron. in [illegible] ad Martyr.

[t] Clameng. ep. 113.

VIII. QUO MODO FAVERIT BENEDICTO AVENIONENSI.

Cùm autem talis tantúsque esset, favit [u] nihilominùs eidem Benedicto Pontifici Avenionensi: à quo Legatum ante Pontificatum in Hispaniâ agente assumptus in confessorem, ab eodem Pontifice facto Magister sacri Palatij constitutus est. Quod tamen nihil sanctissimi viri merita obumbrare vel minuere potuisse, ait idem Antoninus: quoniam, ut inquit, est quidem articulus fidei, credere, sicut una est sancta Ecclesia Catholica, ita & unicum ejus esse pastorem: sed non est articulus, credere istum vel illum esse, quando plures se tales nuncupant, & multi eis adhærent, résque ipsa obscura est, nec sufficienter declarata quippe licèt plures disputationes & opuscula fuerint edita, numquam tamen ita decisa quæstio est quin remanserit apud multos dubia. Ac propterea Spiritu sancto inspirante ad unionem faciendam sumpto demùm fuit via cessionis, cùm non sufficeret via disceptationis. Et quia Benedictus obstinatus permansit ad non cedendum, privatus fuit omni iure si quod habuisset in Papatu. Et tunc B. Vincentius, qui priùs prædicaverat pro obedientiâ ejus, prædicavit contra eum ut hæreticum & schismaticum. Ita Antoninus [x]. Vincentius autem totum se Apostolico muneri prædicandi verbi Dei mancipans, hoc præsenti anno reperitur fuisse Genevæ in Allobrogibus. Unde scribens [y] ad G. Ioannem de Pedonatis Generalem Magistrum Ordinis decimoseptimo die Decembris; (debuit hic esse partis Benedictinæ; cùm non recenseatur ab eodem Antonino in descriptione [z] Generalium. Adeò namque omnia perturbata erant, ut quemadmodùm Ecclesia in suo visibili capite; sic & Ordines laborarent schismate, singularum Obedientiarum provinciis suum habentibus Generalem.) multas enumerat regiones, Waldensium & Gazarorum hæresibus infestas, tam Longobardiæ quàm Allobrogum, quarum magnam partem suis prædicationibus ad fidem convertisset. Inter alia verò enormia quæ in Allobrogibus invenisse ait, recenset quòd in castro Corporis Christi consuescerent celebrare festum S. *Orientis*, (nempè Solis) institutis in ejus honorem sodalitatibus, seu ut vocat Confratriis: pariterque in diœcesi Lausanensi communiter & manifestè, ac præcipuè à rusticis, adoraretur Sol sicut Deus. Quibus patet

[u] Vid. sup. an. 1402. VIII.

[x] Ant. d. c. § 4. Add. eund. tit. 22. cap. 2. [illegible] 4. [illegible] 14. Gerson. tract. de mod. se hab. in Schis. Bellar. 4. de Rom. Pont. 14. Greg. de Val. in S. Th. to. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. § 38. & 39.

[y] Rec. Bzov. hoc an. ex Diag. lib. 2. cap. 58.

[z] Ant. tit. 23. cap. 12.

SOL ADORATUS A VVALDENSIBUS.

eos Manichæos extitisse: quippe Vualdenses quos plura à Manichæis mutuatos fuisse vidimus.

IX. Hæretici puniuntur in Vuandalia.

Cùm per Vuandalicas quoque urbes diffunderentur venena sacrilegarum hæresum, Sundis [a] repertus est presbyter, qui pertinaciter errores noxios tueretur: convictus autem, nec resipiscens pœnas dedit per ignem. Rostochij mulier simili pertinaciâ, cùm jam staret supplicio proxima ad ignem, filio ejus fratre Ordinis Cisterciensis monente cum lacrymis ne se temporali & æterno traderet incendio; indignabunda torvis oculis, Abi, inquit, deterrime mortalium, nunquam hoc utero portatus es, numquam his lactatus mamillis, pro vero suppositus es adulterinus: sícque igni injecta concremata est Lubicæ [b] Vuillelmus quidam, homo candida veste indutus, abstinentiæ & austeritatis signa vultu præferens, prodens se posteà ad feminas quibus de suâ sanctitate persuasisse videbatur, pudicitiam earum variis modis pertentavit. Quo ad viros perducto illi hominem ad Inquisitorem pertraxêre. Is convictum carceri condemnavit: conversionísque promissionem facientem, cùm acceptâ de more in vestem cruce, eamdem paulò pòst abrupisset, pedibúsque conculcâsset; curiæ sæculari tradidit, à quâ est igne concrematus. Cujus socium Bernardum quemdam in Wismariâ idem inquisitor compertum eâdem pertinaciâ similia delirare, æquè damnatum curiæ exposuit comburendum.

[a] Krantz. 10. Vuandal. 9.

[b] Ibid. cap. 8.

X. Cetorum captura.

Mense Novembri in mari Belgico [c] magnâ orta ventorum tempestate, (fuisse eum mensem iis partibus ceterorum procellosissimum atque inundationibus nocentissimum, edisserit Meyerus in descriptione maximæ omnium, quæ anno subsequenti contigit, cum immenso rerum, locorum atque hominum damno, æstûs maris exundationis:) octo ceti Ostendam appulerunt, destitutíque maris profunditate capti sunt: quorum singulorum longitudo septuaginta ampliùs erat pedum (habent plures septuaginta quatuor, ac nihilominùs minutos existimatos esse) venter duodecim capiebat viros operarios; scalísque ascendendi erant ut exossarentur. Eodémque anno [d] simili tempestate ejecta mulier marina ad oppidum Edamum Hollandiæ: quæ nuda & muta capta, & mundata à sordibus marinis vestita est indumentis muliebribus, didicítque vesci cibo communi; ad aquam tamen semper redire cupiens, nî custodita fuisset. Inde translata Harlemum, nere etiam didicit, diúque supervixit, semper muta. Mortuáque sepulta est in cœmeterio Christianorum, quòd honorem exhiberet Sanctæ Cruci. Utrum hæc fuerit de Nereidibus veterum, discutiant alij. De eiusmodi verò aut monstris aut hominibus marinis sæpiùs visis, extant etiam his Annalibus alia exempla; habéntque plura alij [e].

Mulier marina.

[c] Meyer. lib. 14. & alij.

[d] Ibid. & Io. à Leid. lib. 31. cap. 63.

[e] Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. Plin. lib. 9. cap. 5. lib. 34. c. 11. & ali. &c.

IESU CHRISTI Ann. 1404.
BONIF. IX. Ann. 15.
RUPERTI Annus 4.
EMMANUELIS II. Ann. 21.

I. Sigismundus Rex Hungariæ pro Vicario Imperii se gerit.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo, quarto, Indictione duodecimâ, die 16. Aprilis, ut Meyerus [a] scribit, datæ sunt literæ à Sigismundo Hungariæ Rege, & Imperij (ut sese indigitabat) Vicario & regni Boëmiæ administratore, ad Philippum Audacem Burgundiæ Ducem & Flandriæ Comitē, Regis Francorum patruum; per nuncios Nicolaum Episcopum Watziensem, Hermannum Comitē Cilij, & Nicolaum de Garâ regni Hūgariæ Palatinum: quibus inter alia significabat certas quasdam pactiones inter se & fratrem suum Vvenceslaum Romanorum & Boëmiæ Regem esse factas: se cum Ostoyâ Rege Bosnæ pacem ac fœdus icisse: Stephanum Ducem Rassiæ ipsi Sigismundo se subjecisse, & contra Turcos magnâ potentiâ profectum victorias aliquot reportâsse: Constantinopolitanum Imperatorem ac Vvayvodam Vvalachiæ contra eosdē Turcos pulchra facinora gerere, séque illis magna misisse auxilia. Hæc ibi: quorum nihil apud Hungaricæ historiæ scriptores; sed nec ferè apud alios. Nisi quod de pactionibus cū Vvēceslao initis, apud Corium anno 1402. legimus eumdem Sigismundum mense Martij literas dedisse ad Galeatium Ducem Mediolanēsem; quibus significabat, inter se ac fratrē Vvenceslaum ita de consensu plurium Germaniæ procerum transactum fuisse, ut Sigismundus administrationem haberet Imperij, nomen ac titulum Vvenceslaus retineret. Et apud Græcos Chalcondylem & Phranzen, quædam ab Emmanuele Græcorum Imperatore feliciter gesta; sed tamen magis ferè pro Turcis contra Turcos in ipsorum dissidiis, quod superiùs attigimus, quàm omninò pro defensione aut propagatione religionis Christianæ atque Imperij.

[a] Meyer. Annal. Flan. lib. 14.

II. Philippi Ducis Burgundiæ obitus in publico diversorio.

Utrùm verò hi nuncij Sigismundi *Philippum* Burgundum superstitem repererint, dubitamus; quoniam is 10. die à datis literis, nempè 26. Aprilis diem obiit (ut idem auctor Meyerus ponit) Apud Hallàs oppidum Hannoniæ in hospitio Cervi, anno ætatis septuagesimo. In cuius obitu duo præcipuè notanda visa sunt. Alterum, quòd tantus Princeps in publicâ tabernâ diversoriâ mori habuerit. Alterum, quòd adeò obæratus decesserit, ut ejus uxor Margarita tot provinciarum domina, propter magnitudinem æris alieni, renunciaverit omnibus bonis mobilibus defuncti viri sui, zonâ, crumenâ, & clavibus solemni regionis more coram tabellione positis super ejus sepulchrum: quo facto creditoribus præterquàm in supellectilem ius non erat, sistebatúrque usurarum cursus. Laudatur de fortitudine, æquitate, ac prudentiâ, & fide in Regem. Nam & quod dicitur de ære alieno & modicitate mobilium, innuere videtur haud fuisse eum ex illis sanguisugis regni, quæ ejus tempore illud exsuxerunt: cùm & alioqui constet fuisse ei sustinenda immensa impensarum onera, &

vel uni Ioannis filij è manu Turcorum liberationi numeranda fuisse ducenta aureorum millia. Successorem & Ducatûs Burgundiæ heredem (præter ditiones Belgicas) reliquit eumdem *Ioannem* filium natu maximum, quem diximus à Turcis servatum in clade Nicopolitanâ in spem excidij Christianorum; natum tempore obitûs patris annos unum & triginta. Cui quod *Intrepidi* cognomentum fecerunt; id potiùs Philippo ipsius patri cōgruisse, huic verò *Audacis*; (quippe ut aliàs diximus Intrepiditas magis virtutem, Audacia vitium sapit) ex iis quæ de patre dicta sunt suprà, & quæ de filio dicentur infrà, facile est intelligere: necnon ex utriusque Elogio, quod videre est ad finem Vitarum illorum ab Heutero conscriptarum; quo breviter tam animorum affectiones & corporum qualitates, quàm virtutes & vitia describuntur. Hujus autem Ioannis filia Margarita hoc ipso anno fine Augusti ducta est in uxorem à Ludovico Delphino Duce Aquitaniæ filio natu maximo Caroli Regis, impubes ab impubere; præhabitâ dispensatione super consanguinitate.

III. INSOLENTIA FAMULORUM SAVOSIJ GRAVITER VINDICATA.

Cùm Universitas Parisiensis decimoquarto Iulij pro extinctione Schismatis Ecclesiæ & incolumitate Regis, supplicationem & processionem publicam faceret ad Ecclesiam S. Catharinæ vallis Scholarium; & insolentissimus quidam famulus Caroli Savosij viri apud Regem & Ducem Aurelianēsem potentis, equum inter scholasticos qui primi incedebāt incitās aliquos eorum in terram prostrâsset, atque ex sequentibus vnus eum percussisset: furens ea re Carolus, cujus domus propè erat, ministros suos in eos immisit: qui ferocissimè emissis sagittis plurimos intra ipsam Ecclesiam dum sacrum celebraretur vulnerârunt, sacras vestes eorum qui altari inserviebant, necnon & aliquas venerandas Imagines transfixerunt. Quâ de re questâ Vniversitate apud Regem, decretū est, Savosium unam cappellaniam cētum librarum annuarum fundaturum loco ab Vniversitate assignando: palatium ejus, quod amplissimum erat, funditùs diruendum, & in monumentum sceleris aream permansurum: pro expensis ab Vniversitate in causæ prosecutione factis mille libras soluturum, totidémque pro vulneratorum curatione: denique eos qui scelus perpetrâssent per regnū inquiri, & ad pœnam repræsentari curaturum, quorum tres reducti, nudi per civitatis compita virgis cæsi sunt usq; ad sanguinem, & in exilium ad triennium relegati. Rem narrant Monachus Dionysianus, & Iuvenalis. Observátque iste, Savosio non fuisse irrogatam pœnam infamię ignominiosam, eò quòd clericus esset non conjugatus. At Monstreletus [b] etiam ipsum in exilium actum esse tradit, sed paulò pòst in gratiam receptum. Gilliúsque [c] isse illum Avenionem ad Benedictum ad absolutionem obtinendam: armâsséque quatuor triremes, quas adversus Saracenos duxerit; & non parvas adeptū opes revertisse in Galliam, & pacem impetrâsse.

[b] Monstrel. lib. 1. c. 13.
[c] Gill. in Car. VI.

IV.

In Angliâ [d] Rex Henricus indictis Comitiis ad emungendas pecunias quibus indigebat, tacitè curavit à singulorum locorum communibus tales mitti laicos, qui ignari omninò essent jurium ac consuetudinum regni. Vnde factum est, ut propositis Regis ac regni necessitatibus, laïci expeditissimum modum habendi magni æris censuerint esse expoliationem Ecclesię ab omnibus bonis temporalibus: se enim pro Rege ac regno non solùm sua expendisse, verùm etiam propriam vitam continuè periculis exponere, interim dum clerici domi otiosè desiderent. Vnde ingenti ortâ inter clerum & laicos altercatione, quâ Cleri causam vehementiùs impugnabat Ioannes quidam Cheyne equestris ordinis, qui olim diaconus in Ecclesiâ ordinatus nullâ habitâ dispensatione ad sæculum redierat: eum graviter qui in Clero ceteris eminebat Thomas Arundelius Archiepiscopus Cantuariensis increpans, ostendit Clerum non modò multò abundantiùs pecuniam in usus Regis & regni conferre quàm solerent laici, sed & maximam per clientes suos, quos ad bellum mitterent, manum militum suppeditare: denique pugnare & Clerum precibus & sacrificiis apud Deum pro victoriis ei obtinendis. Cúmque cerneret prædictum Ioannem & vultu ac voce preces Cleri parvi facere: video, inquit, quò regni fortuna vergat, si preces quibus Deus placatur contemptui habeantur. Conversúsque ad Regem in genua submissus, rogavit ne pateretur tantam regno & sibi ignominiam inuri; ac reminisceretur quid & aliàs sæpè, & conceptis verbis in regni initiatione sanctissimo jurejurando promisisset: denique si homines isti desiderio suo potirentur, nihil tamen inde Regem locupletiorem futurum: quemadmodum factum esset eâdem speciosâ juvandæ Reipublicæ specie, in eversione cœnobiorum quæ Galli & Normanni in Angliâ possidebant, quorum fructus non ad Reipublicæ, sed ambitiosorum hominum utilitatem conversi fuissent. Postinde ad laicos conversus, priùs se caput suum expositurum gladio contestatus est, quàm Ecclesia destitueretur minimo jure suo. Sícque elusa est adversariorum expectatio; pronunciante Rege velle se Ecclesiam eodem statu conservare quo invenerat, aut etiam in meliorem erigere.

[d] Vvalſ. in Henr. IV. & Hypodigm. Harpsfeld. in Hist. Eccles. Angl. sac. 15. cap 9.

REX ANGL. QUÆRIT EXPILARE CLERUM SED RESISTIT ARCHIEPISCOPUS CANTUAR.

V.

NUNCIJ BENEDICTI AD BONIFACIUM PRO UNIONE.

Intereà missi à Benedicto Pontifice Avenionensi Massiliæ existente, ad Bonifacium Romanum, (petito priùs ab eo consensu, acceptisque tam ab illo quàm a populo Romano liberi commeatûs literis) unitatis Ecclesiæ causâ Petrus Rabanus Episcopus S. Pontij Tomeriensis Petrus Zagarriga Ecclesiæ Ilerdensis electus, cum nonnullis aliis, ubi Romam advenerunt, 10. Calendas Octobris ad eum admissi, (coacti tamen honorem ipsi, sicuti vero Pontifici exhibere) rogârunt in præsentiâ Cardinalium ipsius partis ut ambo simul Pontifices aliquo loco commodo convenirent de unione tractaturi, ad quam Benedictus paratissimus esset. Pro responso verò remissi in aliū diem, eò quòd ægrotaret Bonifacius calculi dolore vehementi; festo S. Michaëlis iterùm accedentes, haud satis grato accepto responso, quo asserebat Bonifacius se verum esse Pontificem, ac Benedictum spurium; ingratiora & ipsi verba reddentibus, quibus (ut Niemus ait) simoniam Bonifacij arguebant: inde commotior factus *Bonifacius*, febre ad doloremcalculi accedente, expiravit Cal. Octobr. sepultúsque est in basilicâ S. Petri Vaticanâ. Nuncios autem Benedicti præfectus arcis S. An-

BONIFACIUS MORITUR.

geli consanguineus Bonifacij, eidem arci contra fidem com.. eatûs inclusit, nec nisi solutis quinque millibus florenorum auri dimisit. Qui dehortantes Cardinales à novi Pontificis electione, donec Benedictum commonefacerent, cum spe fore ut eis satis ab illo in his fieret: non auditi sunt, quòd existimarent Cardinales hæc ab iis subdolè proponi. Ita namque rem narrat Niemus [e], qui aderat: confirmatque Surita [f] ex literis Benedicti ac VVenceslaum Boëmiæ Regem: ac referunt Galli Monachus Dionysianus & Iuvenalis; nunciorúmque insuper captivitatem indicant prætextam fuisse à præfecto arcis, quòd causam præbuissent repentino Bonifacij obitui. Sed aliter rem se habuisse, scripsit posteà Innocentius Bonifacij successor ad Vniversitatem Parisiensem; ut dicetur commodiùs eo loco [ff].

e Niem. de Schism. 23. 24.
f Sur. Indic. lib. 3.
ff An. 1405. III.

VI.

Fuisse porrò Bonifacium aliis quoque morbis continuè ferè vexatum, idem Niemus [g] tradit. Et quod ejus honori ac vitæ puritati valdè facit, refert S. Antoninus [h] à multis vulgatum esse cùm eidem decumbenti secundùm medicinam carnalem assereretur, posse ipsum eo calculo liberari si rem cum feminâ haberet, auditu horruisse, atque pudicè mori elegisse quàm impudicè vivere. Quâ sanè unâ re multas potuit alias vitæ maculas eluere. Qui quidem (si quorumdam accusationes de nimia pecuniarum congerendarum aviditate excipias, quas superiùs necessitate rerum uti potuimus excusavimus. Et disertè scribit auctor Chronici Ecclesiæ Burdegalensis aliàs à nobis citatus, qui hoc tempore Romæ erat, audivisse se à fide digno qui obitui Bonifacij interfuit, vix unum florenum auri apud eum repertum fuisse. Nam quod Niemus de ejus rapacitatibus habet, nemo sanus non videt id ab ulceroso stomacho egeri, (morum integritate; ac virtutum cultu, cum probis, constantibus, & utilibus Reipublicæ Pontificibus adnumerandus plurimorum judicio censetur. Sedit annos quindecim, minùs 34. dies; vixit 60. cujus obitum horrendæ [i] tempestates, venti validi, grandines, tonitrua, & coruscationes, quæ in V be paulò antè contigerunt; necnon ruina podij ab ipso ad benedictiones Pontificias constructi, & pinnaculi arcis S. Angeli, præsignâsse visa sunt.

g Niem. c. 14.
h Ant. tit. 22. cap. 3. §. 3.
QUALIS FUERIT.
i Niem. cap. 31.

VII.
ELIGITUR EI SUCCESSOR COSMAS MELIORATUS.

Erant omninò duodecim Cardinales ejus obedientiæ tunc viventes: quorum quatuor absentibus ab Vrbe, ceteri octo conclave ingressi, ante omnia hoc sese juramento astrinxerunt, ut quisquis ipsorum Pontifex renunciaretur, liberè Pontificatu abdicaret, quoties alterius Obedientiæ Papa idem faceret, Schismatis tollendi causâ. Ac licèt Rex Francorum Carolus confestim ut audisset Bonifacij obitum, cursorem ad eos misisset cum literis, quibus rogabat differre successoris electionem, donec honorabilem à se mittendam ad eos pro rerum accommodatione legationem accepissent; nihilominùs fuit priùs omnium votis electus (postquam sedes vacâsset quindecim diebus) *Cosmatus Melioratus* Sulmonensis Valvensis diœcesis in Aprutio: qui mediocri familia Meliorata ortus, & utriusque Iuris Doctor factus, ab Vrbano Sexto Clericus Cameræ Apostolicæ, & collector redituum ejusdem Cameræ in Angliâ creatus fuerat; atque inde Archiepiscopus Ravennas in locum Pilei Cardinalis depositi, postéaque Episcopus Bononiensis: ubi non acceptus, à Bonifacio initio sui Pontificatûs Cardinalis tituli sanctæ Crucis in Ierusalem, ac subinde Camerarius Sedis Apostolicæ creatus fuit; Legatúsque pro pace inter dissidentes Principes & Respublicas Italiæ componendâ constitutus; ac demùm in locum ejusdem Bonifacij Pontifex renunciatus 16. Calendas Novembris, & quarto Nonas suæ coronationis insignia suscepit; assumpto sibi nomine INNOCENTIJ ejus nuncupationis VII. Ita de his Onuphrius [k], ex Niemo [l], Gobelino [m], & aliis antiquis monumentis. Addítque fuisse Innocentium cunctis maximi & optimi Pontificis dotibus ornatum: vitæ integritate, egregiis moribus, humanitate, doctrinâ, pietate, & liberalitate præstantissimum; Ecclesiasticæ libertatis & ditionis assertorem unicum. Quem dènique ut valdè laudemus, satis fuerit dicère, laudari ipsum maximè ab eodem Niemo, uti mitem, probum, benignum, castum, non superbum, non avarum aut cupidum, simoniæ osorem, & expertæ in rebus agendis industriæ. Sunt eadem aliorum ejus temporis gravissimorum scriptorum testimonia: quamvis nonnihil carpatur, quòd suos properè divitiis augere sategerit: (nempè ut familiam Melioratam melioraret) malo utique naturali, à quo vix unquam immunis quis potens reperiatur omnium hominum qui sunt, quíque fuerunt, quíque futuri sunt. Fuit [n] autem Innocentius justâ staturâ, corpore rectè composito, ætate quando electus est sexaginta quinque annorum.

ACCIPIT NOMEN INNOCENTIJ VII.
k Onuphr. de Pontif. Rom. & in Addit. ad Platin.
l Niem. 2. de Schism. 34. & 39.
m Cosmodr. æt. 6. c. 88.
VIRTUTES EJUS.
n Niem ibid. c. 41. & in Nemor. Vnio. tract. 6 c. 39.

VIII.
DISSIDIA ROMANORUM DE VRBIS REGIMINE.

Cùm autem audito Bonifacij decessu, Ladislaus Siciliæ Rex quam citissimè cum magnis copiis accessisset ad Vrbem, intendens operam dare ut ad Sedem Petri eligeretur sibi benevolus & amicus; & appellens reperisset jam Innocentium electum: honestissimam salutandi congratulandíque causam accessûs sui prætexuit, copiásque se in favorem Ecclesiæ duxisse, quò ad electionem faciendam liberiores forent Cardinales. Erat autem reverâ augendi regni cupiditas, cùm jam Apuliæ regno sub manu ejus redacto, in id potentiæ crevisset ut planè formidabilis haberetur. Callidè tamen in his progrediens, primò clàm Romanos adversùs Pontificem commovit, existimans Pontificem illorum petulantiam non ferentem ex Vrbe migraturum, & Romanos inde ad se conversum iri. Deinde simulans favere Pontifici, constituit se quasi mediatorem ad concordiam inter eos perficiédam; hâc factâ conventione, ut gubernatio Vrbis in temporalibus penes populum resideret, in manu videlicèt 10. virorum per eos vocandorum; illa autem pars quæ dicebatur Leonina, scilicèt circa S. Petrum, Pontifici remaneret cum castro S. Angeli: Senatórque Vrbis de voluntate Pont. & consensu populi assumeretur. Quæ tamen pacta parùm permanserunt: Réxque obtentâ à Pont. in triennium Campaniâ, reversus est Neapolim. Ita ferè Antoninus [o]. Sed quæ essent inter Innocentium & Romanos dissidia dilucidiùs exprimens Niemus [p], ait Gibellinos Vrbis, quorum duces erant Columnenses, Sabellij, & quidam alij proceres, quæ-

o Ant. tit. 22. c. 4. in pr.
p Niem. cap. 34. & 35.

sisse recuperare statum libertatis, qualem habuerant Banderenses antequàm Bonifacio traderetur regimen Urbis: sed obstitisse Guelfos, ducibus Vrsinis aliisque potentibus civibus, satius esse asserentibus per Ecclesiam quam per cives regi: variásque inde pugnas inter partes factas esse, aliáque scelera probráque hostilia perpetrata: donec evocatus per Gibellinos Ladislaus, res utcumque composuit; sed parùm utiliter pro Ecclesiâ, cùm jam tunc dominium Vrbis sibi vendicare cuperet: denique & ipsa ab eo conventa modico tempore durâsse ob protervіam septẽ virorum qui ex parte Gibellinâ electi sunt ad regimen Vrbis. Quæ verò secuta sunt, dicentur anno proximo, quo item agetur de iis quæ in causâ Schismatis acta sũt inter eundem Innocentium & Benedictum.

IX. — ECCLESIA S. GEORGIJ IN ALGA ERIGITUR IN COLLEGIALEM.

Intereà hoc eodem anno, ipsóque initio Pontificatûs Innocentij, cùm nondum coronatus esset, nempè 3. Calend. Novembris, Angelus Episcopus Kissamensis auctoritate sibi à Bonifacio Papâ Idib. Martij hujus ipsius anni traditâ, monasterium & Ecclesiam *S. Georgij in Alga* Castellanensis diœcesis apud urbem Venetiarum Ordinis S. Augustini penè desertam, in Collegiatam canonicorum secularium simul conviventium erexit; instituto ibi Priore, & aliquo numero sacerdotum, diaconorum & subdiaconorum. Inter quos Sacerdotes fuerunt Antonius Corarius, nepos Gregorij Papæ XII. successoris Innocentij, & posteà Cardinalis; ac Gabriel Condelmerius posteà Pont. Eugenius IV. atque inter Diaconos B. Laurentius Iustinianus posteà primus Patriarcha Venetiarum. Vt de his constat ex Confirmatione [q] hujus erectionis, & statutorum ab Episcopo Kissamensi pro eâ conditorum, factâ post biennium à prædicto Gregorio XII. Hos Canonicos Pius V. posteà ad religiosa vota nuncupanda induxit, & præcedere voluit omnes alios Regulares: utuntúrque [r] veste cæruleâ, unde & Cælestini quoque dicti.

[q] *Bullar. to. 2. Greg. XII. const. 1.*

[r] *Bull. tom. 3. Clem. VIII. const. 90.*

IESV CHRISTI Annus 1405.
INNOCENTII VII. Ann. 1.
RUPERTI Ann. 5.
EMMANUELIS II. An. 22.

I. — INNOCENTIUS PP. EXAGITATUR À ROMANIS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo quinto, Indictione decimatertiâ, Innocentius Papa valdè agitatus est à Romanis. Cùm enim sedata visa fuisset prima commotio arte Ladislai Regis, ut præcedenti anno vidimus, concitata, qui regimini Vrbis deputati fuerant, clandestinis sollicitationibus ejusdem Ladislai absentis quidem, sed maximoperè cupientis Vrbe potiri; & impulsu Ioannis Columnij, qui cum manu armatâ non longè ab Vrbe agebat, fingens partes Benedicti Pontificis Avenionensis fovere; continuis ac subinde novis & iniquis postulationibus Innocentium molestantes, adeò eum exagitârunt, pacificum & mitem virum, ut postquàm in omnibus complacere eis studuit, coactus sit iracundè improperare; Concessi vobis omnia quæ potui: quid ampliùs dare possum, nisi hanc chlamydem (sive pallium) vultis? & in suam custodiam aliquod armatorum millia conducere. Quin etiam ut animos eorum emolliret, mense Iunij 11. creavit Cardinales, quorum fuêre quinque Romani, etiámque unus ex familiâ Columnensi, qui posteà fuit Martinus Papa V. Cùm verò nec hujusmodi beneficiis aliquid proficeret apud perversum illud genus hominum; contigit 5. die mensis Augusti, ut cùm ad eum prædicti regentes cum aliis paucis accessissent specie concordiæ ineundæ; cùm res ad eorum libitum non successisset, in recessu capti à Ludovico Meliorato Pontificis nepote juvene audace & temerario, undecim eorum fuerint, (ceteris fugâ dilapsis) & crudeliter interfecti, absque ullo discrimine nocentium vel innocentium, cùm esset ex iis qui molestissimè ferebant quæ adversùs Pontificem gerebantur. Qui ut hæc rescivit, quorum penitùs inscius & innocentissimus erat, miro dolore tactus, simul & anxius de gravissimâ populi Romani commotione ob prædictam suorum necem; è vestigiò Vrbem deserens cum festinatione primò Sutrium, inde Viterbium aufugit, palatium Apostolicum, résque suas, ac curialium, Romanorum expilationi exponens: (quo tempore multa monumenta Sedis Apostolicæ, libri, regesta & epistolæ perierunt:) qui non rebus contenti; etiam non paucos ex iisdem curialibus peremerunt, atque alios (inter quos fuêre Patriarcha Gradensis, & quidam Episcopi) carceribus incluserunt, & aliàs pessimè habuerũt. Ipse verò Pontifex unà cum Cardinalibus & paucis familiaribus in fervore Solis & æstûs iter accelerans, vix præ siti vitam servavit, multis eam non ferentibus extinctis. Post cujus abscessum Ioannes Columnius palatium occupans (à cujus aliquot dierum incolatu, ironicè à populo Ioannes Papa XXIII. vocabatur) Ladislaum continuò accersivit, promittens Vrbis ei dominium tradere. A quo missus cum exercitu Comes Trojanus, & plurimis contradicentibus Romanis admissus à Columnio, brevi pòst insurgente in eos populo, omnia potiùs pati parato quàm Ladislao subesse, tam iidem quàm alij eorum fautores Vrbem deserere coacti sunt: abrogatísque rectoribus nuper institutis, tres tantùm constituti sunt ad Vrbem regendam, quos *Bonos viros* nuncupârunt, qui consultiùs & mitiùs res agere cœperunt; cùm jam deferbuisset civium ira in Pontificem, postquàm exploratum habuissent fuisse eum innocentem cædis ab ejus nepote factæ, & vehementer ei proptereà succensuisse. Quomodò verò eum in Vrbem revocaverint, dicetur anno proximo. Hæc autem quæ modò recensuimus, describit pleniùs Niemus [a], qui videbat Romæ tunc existens: breviùs Antoninus [b]; in eo ab illo discrepans, quòd scribat Ladislaum ipsum Regem etiam hâc vice ad Vrbem accessisse; paventémque furorem populi recessisse cum suis, apposito tamen præsidio in castro S. Angeli.

FUGIT VITERBIUM. — MITESCUNT ROMANI.

[a] *Niem. l. 2. de Schism.*

[b] *Ant. tit. 22. c. 4. §. 1.*

II. — INNOC. INDICIT

Dum autem Innocentius adhuc Romæ esset, sexto Calendas Iulij constitutionem [c] edidit de approbatione Regulæ Fratrum & Sororum Tertij Ordinis, sive de Pœnitentiâ S. Dominici. Quem & Concilium generale pro unione Ecclesiæ celebrare Romæ decrevisse,

[c] *Bull. to. 1. Innoc. VII. const. 1.*

CONCIL. GENER. PRO UNIONE ECCLESIÆ.

se, atque etiam literis publicis indixisse; ex Gobelino ejus temporis historico refert auctor Magni Chronici Belgici; alibíque pariter assertum reperimus: at seditionibus Urbicis, & proximè secutâ morte, non potuit quod decreverat adimplere.

III.

EPISTOLA INNOCENTIJ AD UNIVERSIT. PARIS. DE NUNCIIS BENEDICTI.

Quòd verò Schisma Ecclesiæ spectat; cùm accepisset Innocentius ex binis ad ipsum scriptis ab Universitate Parisiensi literis; quæ nuncij Benedicti retulerant [d] de iis quæ Romæ tractâssent, ac de suâ ipsorum captivitate: rescribens ad eam 13. Calendas Martij, imprimis Schisma detestans, & se ad illud extinguendum paratissimum profitens, posteà de nunciis ait, eos nullam aliam viam extinctionis ejus obtulisse, quàm conventionis duorum contendentium: cúmque morbis gravatus Bonifacius obiisset; & Cardinales ejus ab iisdem nunciis sciscitantes num mandatum haberent ad cedendum ex parte Benedicti: quoniam inter ipsos omninò decretum fuerat, si id habuissent, non procedere ad liam electionem quousque super extinctione Schismatis provisum foret; audissent à nunciis se mandatum ejusmodi non habere: ipsos, ne Ecclesia Dei diutiùs pastore careret, processisse ad electionem, quâ ipse Innocentius creatus fuisset. Quòd verò de suâ captivitate nuncij quererentur, eam proculdubiò ipsismet imputandam esse, qui nolentes in Urbe manere, ubi omnis securitas præbebatur, maluissent abscedere; ínque ejus manus incidissent, è quibus nec Cardinales nec ipsemet Innocentius potuisset eos eruere in motibus Vrbanis qui mox eruperunt. Hæc Innocentius ad Vniversitatem. Eadémque nono Calendas Maij ad Ducem Bituricensem patruum Regis, cùm is etiam Romam misisset ad rei gestæ veritatem inquirendam. Testantur enim ista sæpè recensiti & recensendi, Monachus Dionysianus & Iuvenalis in Rebus gestis sub Carolo Sexto.

[d] *Supr. an. 1404. V.*

IV.

BENEDICTUS APPELLIT GENUAM.

Benedictus autem præseferens studium unionis, mense Maij Genuam navigavit, quæ se ejus obedientiæ subdiderat, non tam (ut narrant Genuenses [e]) à Busficaldo qui Regis nomine eam regebat inducta; quàm venerabilis ipsorum Archieniscopi Pilei Marini, morum sanctitate ac singulari pietate illustris, auctoritate & sententiâ commota; quæ sacro ordine sæpè convocato, de Theologorum consilio re diù ac multùm disputatâ, Benedictum ut verum Pontificem colendum decreverat. Exceptus auté ibi omni regij apparatus splendore, omníque effusæ lætitiæ significatione; cùm paucam privatam familiam, sed magnam armatorum copiam secum adduxisset, iique in dies augerentur; timentes sibi inde Genuenses, (ut Franci [f] scribunt) specie lustrationis seu recensionis copiarum, eas foras educentes civitate deinceps excluserunt, metum apud Pontificem non parùm eâ de re commotum causantes de conjugum ac filiarum pudicitiâ, ne eâ de causâ rixæ & contentiones in civitate orirentur. Intereà verò, ut non ad nihilum accessisse in Italiam videretur, petitis ab Innocentio Viterbij agente liberi commeatus sive salvi conductus literis pro nonnullis quos ad ipsum missurus esset ad tractandum de unione; cùm eas Innocentius, fraudulenter eas peti existimans, denegâsset: occasione inde arreptâ Benedictus glorians se unionis studiosissimum, adversarium refractarium se invenisse, literas quoquo versùm adversùs illum direxit: quas aliis contrariis Innocétius refellere contendit; revocans etiam in dubium, num qui verus & legitimus esset Pontifex, agere deberet de unione cum intruso, quâ de re eum malè apud plurimos audisse, Niemus [g] hæc narrans ait; & utrumque arguit, sic variis ludificationibus ac mutuis accusationibus inter se certâsse ne cedere cogerentur. Benedictus auté Genuâ propter pestem excedere coactus, post aliquas moras variis locis ductas, Niceam Provinciæ reversus est. Tradit verò etiam auctor Burdegalensis, de quo suprà, ad eumdem Innocentium dum esset Viterbij venisse oratores Regis Francorum pro unione, retulisséque bona verba, sed nullum effectum.

[e] *Foliet. lib. 9.*

[f] *Monach. & Iuven.*

ALTERCANTUR CONTENDENTES INTER SE.

[g] *Niem. cap. 38.*

V.

CONSILIA DE VIIS UNIONIS.

Cùm autem circa hæc, sicuti ab initio Schismatis ac deinceps, ita modò consilia à viris doctis quærerentur de ratione ac faciliori viâ illius extinguendi: duo inter alios eruditissimi Legum doctores, Franciscus de Zarabellis [h] Patavinus & Petrus de Ancarano [i] Bononiensis suas sententias ediderunt hoc ipso tempore; quibus propositæ sunt ab utroque sex modi, seu viæ, à Theologis & utriusque Iuris peritis excogitatæ, quibus posset Schisma tolli; non tamen eodem ordine, sed quæ ad idem ferè reciderent. Ab Ancarano quidem, 1. Iurium utriusque contendentis diligens & matura discussio: 2. Concilij generalis convocatio: 3. Compromissum in paucos, vel multos; 4. Inspiratio, hoc est, ut ambo contendentes cum suis Cardinalibus occurrerent in amplexum reciprocum, & vel novum omnes eligerent, vel alterum confirmarent; altérque ex eis renuncians posset cum Apostolo gloriari, & dicere, cùm liber essem ex omnibus me servum feci, &c. 5. Vtriusque spontanea cessio, & per utrumque Cardinalium cœtum nova electio: 6. Ad cedendum utriusque compulsio. Quibus omnibus discussis, & difficultatibus singularum expensis, spontaneam cessionem cunctis præferendam censet: Ita ut si nollent eam eligere, ad eam compellerentur à Principibus; & Prælati ab eis ordinati ab eorum obedientiâ se subtrahere tenerentur. Zabarellæ primus modus fuit pariter Iuris utriusque discussio, cujus judex esset Concilium, per Cardinales vel Imperatorem evocandum. Secundus, Commissio ab utroque contendente data aliquibus à se electis, discutiendi de eodem jure: quorum sententiæ omninò stare deberent. 3. Commissio ab iisdem data aliquibus tamquam compromissariis, de jure tantùm vel de facto tantùm, vel de jure & facto. 4. Vtriusque cessio, ut eligeretur iterùm alter eorum, vel alius tertius per vota Cardinalium utriusque collegij: húncque motum esse omnium promptissimum ad sedandum Schisma. 5. Compulsio utriusque ad cedendum, facienda per Concilium. 6. Vt uterque cum suo Collegio decerneret, quòd se moriente, vel cedente, non possent Cardinales alium eligere; sed tenerentur vel adhærere superstiti, vel expectare donec etiam ille cederet, vel decederet; (collegio defuncti interim suam obedientiam administrante in his

[h] *Zabar Cõsil. 150. Rec. etiam Bzov. an. 1404. sed longè prolixius editum est post opera Niem. cum additione de octavo modo, nempè subtractionis utriq; facienda. Estque hic tractatus positus inter libros prohibitos donec corrigatur.*

[i] *Ext Cod. S. Victor. P. 9. fol. 1. & ap. Niem. in Niem. Vnion. tract. 4. c. 9. Sed scriptum an. 1407. 15. Novembr. cum prad. cod. ponatur. 1405. mens. April. Fortè nunc compositum, fuit post biennium oblatum.*

quæ non possent commodè reservari in tempus successoris:) & tunc utrumque collegium conveniret ad novam electionem. Denique appendicem addidit; quâ etiam per sortes quæstionem inter contendentes dirimi posse censuit. Scripserunt de iisdem & plures alij, cùm nulla magis quæstio toto Schismatis tempore agitaretur à viris prudentibus. Quænam autem ex his omnibus via acceptâ demùm fuerit, videbitur successu temporis.

VI. *Franci et Angli hostilia inter se exercent.*

Laborabant interim Francia & Anglia vehementissimè, sicut præcedentibus annis, ita & præsenti ac subsequentibus, dissensionibus intestinis, & incursationibus externis: cùm Angli per omnes Galliarum partes maritimas piraticam exercentes, & Franci ac Belgæ nihil eis parcentes, totum mare cunctásque terrarum oras in quas frequentes excensiones faciebant intutissimas redderent: nec cessaretur à terrestribus, ac præcipuè in Aquitaniâ, oppidorum interceptionibus, quamvis non esset apertum inter regna bellum. Quod autem intestina dissidia Francorum attinet; recruduerunt illa quam maximè inter Ducem Aurelianensem Regis fratrem, & Ioannem Burgundiæ; cùm post Philippi patrui obitum Aurelianensis cuncta ad se trahens, & unà cum Reginâ multa innovans, ac regnum insolitis gravissimísque subsidiis onerans atque dilapidās, pessimè apud omnes audiret; conatus etiam Ludovicum Delphinum Regis primogenitum adhuc puerum extra aulam educere, ut ejus auctoritate de regno ad libitum disponeret: (Rege ferè semper morbo suo vexato, ac penè bruti instar vitam ducente, pediculis ac spurco vermium genere miserè absumpto, cùm non permitteret se vestibus exui, nisi vi à pluribus alienâ specie personatis detineretur quousque mundæ ei vestes induerentur: qui & aliquando frustum ferri sibi clàm ad nudum latus applicuisse detectus est, quo caro periculosè putruerat.) Burgundus contrà populi commoda, ac justitiæ zelum præseferens, plebis auram ac reliquorum Principum & procerum favorem adeptus est; necnon ipsius Regis cùm sanæ mentis erat, qui præ innatâ bonitate malum odio habebat: adeò autem his propinquorum dissidiis contemptui habebatur, ut cùm ejus nomine expilaretur regnum, tamen & ipse ac liberi ejus rebus necessariis plerumque indigerent; ut testatur qui hæc præ oculis habebat ac lugebat Iuvenalis. Cùm autem Burgundus abductum jam Delphinum, cujus socer erat, in viâ ductoribus extortū Parisios reduxisset; irritatioribus inde animis, delectus militum utrimq; facti sunt magnâ totius regionis populatione: quousq; Rex sanitate aliquãtum recuperatâ, pacē indixit, & dimissis omnibus militaribus copiis restituta est quies; sed ad breve tempus, ut pòst videbitur. Hæc autem narrant ex antiquis Monachus Dionysianus, Iuvenalis & alius auctor [k] anonymus, qui linguâ Gallicâ Chronicō satis accuratum scripsit rerum Gallicanarum sui temporis, ab anno 1402. usque 1458. quem Gaguinus penè transcripsit. Eadémque diffusiùs descripsit Monstreletus [l].

Dissidiū Ducum Aurelianensis et Burgundi patruelium.

[k] Ext. post. Hist. Iuven.

[l] Monstrel. lib. 1. c. 25.

VII. In Angliâ [m] annuis adversus Henricum regni occupatorem recurrentibus armis, præsenti anno Richardus Scropus Archiepiscopus Eboracensis, vir generis claritate, & egregiâ literarum ac pietatis accessione illustris, animo in illum, sive ob necem fratris sui Guillelmi Comitis Vviltoniæ & Richardi olim Regis Thesaurarij, Henrici jussu perempti, sive alias ob causas valdè exulcerato, gravissimam cum Thomâ Moubraio Notinganiæ Comite Marescallo & quibusdam aliis proceribus commotionem excitavit; his tum in concionibus propositis, tum scriptis præ templorum foribus palàm affixis causis; quòd cùm fuisset Hēricus Regis Richardi, Procerum, atq; adeò patris sui Ioannis Lancastrij consensu ad decennium extra Angliam relegatus; ipse decreto illo violato, Rege in Hiberniâ absente, Angliam ingressus esset; atque ut proniorem erga se populum redderet, palàm jurejurando sese obstrinxisset nihil se duri aut contra debitum in Regem moliturum, curaturúmq; tantùm ut à decimis & vectigalibus abstineretur: Hæc tamen paulò pòst turpiter rescindendo, Regem in carcerem compegisset, regniq; cessionem vi extorsisset, atque legitimo & proximiori herede exturbato, sese in regium solium sceleratè ingessisset, & Richardo Regi vitam sceleratiùs inediâ ademisset: multorum deinde procerum sanguinem innocentem effudisset; intérque illos Thomæ Percij, cujus & sepulchrum apud omnes sacrosanctum violâsset; sepulti corpus exhumando, capútq; ac reliqua membra sacrilegè resecando. Nec solùm in laicos, verùm etiam in sacerdotes & monachos indignis cædibus sævîsset; atque in ipsum populum, cujus favore sublimatus fuerat immanioribus quàm quisquam aliàs exactionibus grassatus esset; nec constaret quibus usibus pecuniæ cederent, cùm & milites stipendiis se fraudatos quererentur. Hæc & alia ejusmodi Archiepiscopus, quem etiam tradunt priùs de iisdem monuisse Henricum tam coram vivâ voce, quàm absentem per literas, útq; se emendaret hortatum: ubi verò frustrà se agere vidisset, tunc demū vi rem agere unà cum aliis proceribus decrevisse, collectis magnis copiis. Proditus autē à Comite Vvestmerlandiæ illius regionis præfecto, qui se viribus inferiorem cernens finxit velle ei adhærere; & ab eo fraudulenter captus unà cum prædicto Comite Marescallo, capite damnatus (sententiam in eum ferentibus ex Henrici Regis rescripto duobus equitibus; cùm Ioannes Gasconus summus capitalium causarū præses ferre recusâsset; eò quòd nefas esset laicis capitalem cognitionem de Ecclesiasticis sumere: nec valuisset Archiepiscopus Cantuariensis obtinere ut ejus causa ad Summum Pontificem deferretur:) ad locum supplicij ignominiosè ductus est macerrimo carbonarij equo absque ephippio, facie ad caudam versâ. Cujus innocentiam & optimam mentem manifestavit Deus per miracula, quæ tam in loco quo decollatus quàm quo sepultus est edi voluit: cœpto proptereà mox ad ejus sepulchrū tanquam martyris frequēti populi concursu, donec à ministris regiis prohibitus est. Haud tamen memoriā ejus Rex obliterare potuit, quin perpetuò viguerit in desiderio hominū. Deniq; sunt qui tradant, eo ipso die quo is cæsus est, Regē in leprā incidisse à quâ nunquā per totam posteà vitam potuerit ullâ se medicorum ope explicare. Cùm & prætereà scribāt, caput Thomæ Marescalli fi-

[m] Vvalsing. in Henr. IV. & Hypodig. Harpsfeld.

sec. 15. cap. 28.

Archiepiscopus Eboracēn. insurgit in Regem Angliæ.

Proditur, et Capite damnatur.

Claret Miraculis.

xum

xum in stipite longo tempore ad urbis mœnia, inde postmodùm Regis permissu ad sepulchrum corporis elatum, adeò fuisse vividum & sanum repertum ac si vivens fuisset. Pontifex autem Innocentius, Archiepiscopi nece auditâ, anathemate ejus authores devovit; mandavítque Cantuariensi illud publicare. Quod ne fieret Rex intercessit: excusans apud Pontificē haud se aliter potuisse res suas in tuto collocare. Cúmque etiam misisset militarem ejus tunicam, dictum usurpando malignorum fratrum innocentis Iosephi [n] ad patrem Iacobum, ut videret an esset tunica filij sui: respondit Pont. quamvis esset filij sui tunica, (quam re nonnunquam ita postulante, posset sine graviori notâ induere) satis se scire ab immiti ferâ discerptum esse. Sed cùm paulò pòst Innocentius in fata concessisset, schismáque Ecclesiam obrueret, obruta simul est omnis dirarum illarum executio, utrùm autem sicut apud homines, ita apud Deum, scivit Rex in judicio obitus. Intereà verò hoc ipso anno grandem jacturam rerum suarum passus traditur in improsperâ expeditione Vvallicâ, ex repentinis aquarum innundationibus; quibus & thesaurum maximum & coronas suas amisit.

AUCTORES CÆDIS ANATHEMATE DEVOTI AB INNOC. PP.

[n] *Gen.* 37.

VIII.

[o] *Lips. c.* 13. & 22.

MIRACULA AD DIVAM HALLENSEM.

Et quoniam in miraculis sumus, narrat Iustus Lipsius, nuperi sæculi avíque nostri ornamentum præclarum eruditionis, ac scientiæ literarum, in Historiâ [o] Divæ Hallensis quam pari pietate in honorem Beatissimæ Virginis conscripsit; (est Halla oppidum Hannoniæ tertio à Bruxellâ milliario: in cujus templo Imago est bipedalis è ligno puro, antiquitate & immunitate veneranda, atque ob crebra mira quæ ibi fiunt frequenti populorum undique concursu celebratissima:) hoc eodem anno duo accidisse miranda: Alterum, tredecim hominum præsentissimo naufragio ad ejus invocationem ereptorum: alterum, cujusdam peregrini falsò de furti participatione accusati, ac propterea suspendio injustè damnati, ab ipsâ cruce & laqueo, quo per horam pependit, incolumis educti, quæ malumus apud ipsummet Lipsium legi ut simul & cetera cum fructu ac fruge legantur, quàm fusiùs hic ea explicare: orantes tantum cum ipso, clementem cœli & paradisi Reginam ut sicut hunc innocentem laqueo mortis exuit, sic nos nocentes, & vitiis illigatos, absolvere, & ad beata regna perducere dignetur.

IX.

[p] *Sigon. de Episc. Bonon. lib.* 3.

ALIÚDQUE BONONIÆ.

Quæ quidem aliâ etiam parte hoc eodem anno (ut Sigonius [p] refert) novo miraculo manifestam iram adversùs numinis sui contemptores, misericordiam erga veneratores ostendit: dum Bononiæ in Italiâ quidam miles, qui amisâ lusu pecuniâ dolens vesanæ iræ impetu raptus ferrum in Imaginem ejus cum verbis contumeliosissimis strinxisset, ac sanctum Puerum in gremio considentem percussisset; subitò quasi nervis exectis debilitatus procubuit: cùm verò propterea ad supplicium raperetur, imploratâ cum lacrymis & ejulatu ejusdem Matris misericordiæ ope, factóque voto de præstandâ ipsi quadriennali operâ, repentè sanitatem recuperavit: & à Prætore dimissus sacram illam Imaginem in basilicam S. Petronij traduxit, atque unà cum uxore ac liberis per quadriennium cilicio tectus, promissum obsequium præbuit. Quæ in hunc usque diem Imago propterea religione eximiâ colitur, ac Pacis Domina nuncupatur.

IESV CHRISTI Annus 1406.

INNOC. VII. Ann. 2.

RUPERTI Ann. 6.

EMMANUELIS II. Ann. 23.

I.

INNOC. PP. REVOCATUR IN VRBEM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexto, Indictione decimâquartâ, Romani pœnitentiâ ducti injuriarum Innocentio Pontifici illatarum, oratoribus ad eum missis claves Vrbis ac dominium integrum eidem obtulerunt, veniam deprecantes, ejúsque ad Vrbem reditum. Qui post principium Quadragesimæ eò revertens, miro applausu & honore exceptus est [a]. Nec tamen adhuc res quietæ; quoniam è castro S. Angeli, quod à Ladislao Rege detinebatur, hostiles actus exercebantur, metuebantúrque ab aliis copiis regiis.

[a] *Niem. lib.* 2. *cap.* 39. *Aretin. in Epist. Anton. tit.* 22. *cap.* 4. §. 1.

II.

LADISLAUM EXCOMMUNICAT.

Quare & considerans præterea Innocentius, quanta mala & damna tam Sedi Apostolicæ quàm aliis Ecclesiis ac locis, nec non in regnô Siculo, Ladislaus intulisset atque inferre pergeret & bonis & personis Ecclesiasticis regularibus ac sæcularibus, grassationibus: oppressionibus, exactionibus; nec item procerIbus regnis parcens, etiámque illis quorum ope & opibus, regnum obtinuerat, quin eos carceribus, exiliis, spoliationibus tyrannicè vexaret, nec paucos vitâ privâsset: spe omni depositâ illius emendationis, mense Iunij publico Cardinalium, Magistratuum, Prælatorum, Senatus populíque Romani, & aliorum Consistorio, propositis in eum diversorum criminum articulis sexdecim, atque imprimis perjurij, proditionis, & conspirationis contra ipsum Pontificem, anathemate illum percussit, atque à regno & terris quas à Romanâ Ecclesiâ tenebat privatum, pœnísque ac censuris ab Urbano VI. olim contra Carolum patrem ejus ac posteros latis irretitum declaravit; Columnios aliósque ejus fautores ac ministros violatæ pacis Vrbicæ, & aliorum facinorum participes, eisdem pœnis & censuris subjecit: rémque gestam publicis ad Imperatorem, Reges ac Principes Christianos scriptis literis promulgavit. Quibus rebus perculsus Ladislaus, misso evestigiò ad Pontificem oratore, & obtentis aliquot dierum induciis, mitti ad se Paulum Vrsinum, qui fidelem Pontifici semper præstiterat operam, unà cum Ludovico Meliorato nepote Pontificis ad res componendas impetrans; iis ab ipso supra modum honoratis, & muneribus oneratis, simulatam aliquam concordiam confecit; jusso etiam castro S. Angeli Pontifici restitui. Narrant hæc Niemus [b], & Aretinus: quorum nihil legas apud Collenutium & Summontium rerum Neapolitanarum scriptores. Additque Niemus, Innocentium, quòd agnosceret ingratissimum in se Ladislai animum, decrevisse renovare processus in eum, sed morte præventum non potuisse. De cujus obitu dicetur,

[b] *Niem. cap.* 41. *Aret. in Epist.*

post

postquàm res Benedicti Lunensis quæ præcesserunt breviter tractaverimus.

III. Agitur de novo in Gallia contra Benedictum Lunensem.

Post reditum suum ab Italiâ, cùm apud plerosque, & maximè apud Francos malè audiret de collusionibus cum adversario habitis; misit idem ad Regem Francorum unum ex suis Cardinalibus Antonium de Chalanto Sabaudiensem Diaconum tituli S. Mariæ in Viâ latâ, ut eum ac regnum in obsequio suo contineret. Urgente contrà Vniversitate Parisiensi, réque ad consilium deductâ; decimo septimo Maij Ioannes Parvus egregius Doctor Theologus causam Vniversitatis agens, rationibus Cardinalis confutatis, subtractionem obedientiæ Benedicto fieri petiit. Reprobatáque epistolâ Vniversitatis Tolosanæ, quæ illam damnaverat, atque à Parlamento, cui ejus cognitionem Rex demandavit, lacerari jussa: (ut jam aliâ occasione dictum est superiùs [c]) demùm renovata est via Cessionis; & statuta subtractio quoad pecuniarum subventionem, ac decimarum, servitiorum, procurationum, annatarum, reservationum, expectativarum, gratiarum, aliarúmque quarumcumque exactionum à Pontificibus introductarum, & à Benedicto acerbè exactarum, solutionem; eadémque edicto regio [d] primùm declarata decimo octavo Februarij; (anni utique subsequentis, ad quod tempus res variis disputationibus protracta est, quamvis enim edictum datum ponatur anno 1406. quoniam tamen annum tunc Galli à Paschate inchoare consueverant, mensis Februarij anni 1406. noscitur ad Iulianum quo nos utimur 1407. pertinere) ac deinde Senatûs Parisiensis decreto [e] confirmata. Subtractio verò ab obedientiâ remissa est tractanda in Concilio Antistitum ac Doctorum ad sancti Martini celebrando.

c An. 1402. VI.

d Rec. Bochel. in Decret. Eccles. Gall. lib. 4. tit. 21. c. 4.

e Ext. ibid. c. 5. & inter oper. Nic. de Clameng. & in Fascic. rer. expetend.

IV. Decernitur subtractio obedientiæ Benedicto.

Quo tempore convenientibus Parisiis sexaginta quatuor Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus quàplurimis, missis Vniversitatum, aliísque Doctoribus innumeris; cùm non parva inter eos orta fuisset de re altercatio, multis pro Benedicto, pluribus contra eum agentibus: demùm electis ex utráque parte duodecim Doctoribus in Theologiâ & Decretis, quorum alteri partes Benedicti impugnarent, alteri propugnarent: (propugnantium præcipui fuêre Amelius de Brolio Archiepiscopus Turonensis, & Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis: impugnantium Simon de Gramaudo Patriarcha Alexandrinus, ac Petrus Regis Abbas Montis S. Michaëlis in Normannia; de quibus omnibus jam suprà) postquàm tam ab his quàm aliis utriusque partis Doctoribus diversis diebus peroratum esset in præsentiâ Regis, Ducum, ac Principũ Concilij regij & Senatûs Parlamentarij; multáque dissertata fuissent de auctoritate Ecclesiæ, Pontificum, Ac Regũ: (fuit unus partis Benedictinæ Guillelmus Fillastrus Decanus Remensis, qui nimio ardore in Regis & Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem invectus, eáque de re valdè reprehensus, veniam submississimè petiit: erat namque & ipse Archiepiscopus Remensis Guido de Royâ Benedicto addictissimus; adeò ut recusans hujusmodi contra eum factis conventibus interesse, etiam appellationem [f] interposuerit: (ultimo perorante Ioanne-Iuvenale Ursino causarum regiarum patrono in Senatu Parisiensi, magnæ virtutis, pietatis & doctrinæ viro: (patre alterius Ioannis Iuvenalis, auctoris Historiæ Caroli VI. singulis ferè annis à nobis citatæ) post collecta omnium vota, utilius visum fuit Concilium generale celebrari ad reformandam Ecclesiam tam in capite quàm in membris; & interim subtractionem non solùm pecuniarum & consuetarum annatarum, verùm etiam totius obedientiæ fieri Benedicto, Ecclesiámque Gallicanam frui antiquis Libertatibus; sicuti jam fuerat in priori [g] subtractione statutum. Quæ ad annum proximum producta pluribus narrat idem Iuvenalis Historiæ auctor: & diligentiùs) ut consuevit in his) Monachus Dionysianus; nisi quòd ejus Opus manuscriptum hâc parte deficere reperimus aliquot foliis. Actáque ipsa integra continentur alio codice MS. Victorino [h]. Et ex omnibus intelligitur, licèt decreta esset, ut diximus, subtractio, haud tamen fuisse eam continuò denunciatam Benedicto. Quâ de re dicetur anno proximo.

f Monstrel. lib. 1. cap. 46.

g Supr. an. 1398. IV. &c.

h Cod. P. 13. fol. 90. 112. 114. &c.

V. Innocentij PP. obitus.

Intereà verò contigit *Innocentium* Romæ mori octavo Idus Novembris ex apoplexiâ, ferè septuagenarium; cùm sedisset annos duos dies viginti duos: sepultúsque est in basilicâ S. Petri. Cujus sede vacante, Cardinales ejus qui in Vrbe erant (ut narrat [i] Leonardus Aretinus, tam prædicti Innocentij quàm Gregorij ejus successoris scriba; cujus Epistolis summâ, ut videtur fide continentur pleræque res utriusque gestæ) deliberare inter se cœperunt, supersederentne electione, an alium in demortui locum crearent: dubitationem faciente quòd Galli sanctâ provisione, & à cunctis fidelibus meritò commendandâ, Pontificem suum strictis promissionibus adegerant sese abdicaturum esse, sive Cardinales partis adversæ mortuo Pontifice supersederent electione, sive Pontifex ipse item se abdicaret, quò utriusque collegio in unum conveniente, unica indubitati Pontificis sequeretur assumptio: aliâ verò parte, cùm in supersedendo & seditionum in Vrbe metus, & longior temporis dilatio, & frustratio adversarij, & hujusmodi multa timerentur, & in eligendo voluntas ejus qui assumptus esset formidabilis videretur: His omnibus diligenter expensis, vicit tandem eorum sententia, qui eligendum quidem Pontificem suadebant, sed validissimè obligandum, quò adversario se abdicare volente, ipse quoque Pontificatum dimitteret. Eâ mente conclave ingressi Cardinales numero quatuordecim decimoquarto Calendas Decembris, singuli solemniter Deo voverunt, ac jurejurando super sancta Dei Evangelia sanxerunt, si sibi contingeret ad Pontificatum assumi, adversario Pontifici statim scripturum, invitaturúmque ad se invicem abdicandos; procuraturum insuper bonâ fide, sine ullâ fraude, omni viâ & modo unitatem; & quò omnes Reges Principésque testes haberet obligationis suæ, promissionem & votum & jusjurãdum quod ipse præstitisset iis per suas literas primo quoque tempore significaturum. Ea cùm in libellũ redegissent, & chirographis suis firmâssent, agitare deinceps de electione incipientes, nec tam virum quærentes peritia rerum gerendarum, quàm fide & integritate idoneum; tandem in *Angelum Corarium* natione Venetũ;

i Aretin. ep. ad Franc. Princ. Corton.

Conditiones electionis successoris.

Angelus Corarius Venetus

ELIGITUR. mentem consensúmque omnes verterunt, virum priscâ severitate & sanctimonia reverendum. Ita Aretinus. Quæ eadem contractiùs habet Niemus [k], qui æquè aderat, & Instrumẽtum ipsum de hac re à quatuordecim Cardinalibus confectum hoc anno Domini 1406. Indictione decima quarta die Martis festo S. Clementis 23. Novembris, bis recitat; nempè libro 3. [l] de Schismate, & Nemoris Unionis tractatu [m] primo; infensissimus ceteroqui ejusdem Angeli Corarij hostis, (quem *Gregorium* in Pontificatu dictum, ipse continuè *Errorium* nominat) sive ob non servata ab illo quæ adeò solemniter Deo voverat, unde magna orta sunt scandala; sive ob aliquam injuriam, vel fortè etiam petitæ alicujus gratiæ repulsam ab eodem acceptam. Quo eodem Instrumento (quod pariter Surita [n] suo Indici verbatim inseruit) vovetur item, haud eum qui electus foret, creaturum ullos Cardinales pendente tractatu unionis, (qui tamen arctatur ad quindecim menses à die electionis Pontificis) nisi fortè causa coæquandi numerum sui Collegij cum numero alterius.

k Niem. 3. de Schism. 3.
l Ibid. cap. 3.
m Cap. 1.
n Sur. lib. 3.

VI. Erat prædictus *Angelus Corarius* genere patricio Venetiis ortus; idémque ex eximio sacræ Theologiæ Magistro Episcopus factus Castellanus Venetiarũ, & à Bonifacio IX. evectus in titulum Patriarchæ Constatinopolitani cum Chalcidensis in insula Eubœa Ecclesiæ commendatione, ab Innocentio ejus amantissimo creatus fuerat Presbyter Cardinalis tituli S. Marci: qui ultimâ die Novembris Pontifex electus, septuagenario major, (dicunt aliqui octogenarium jam tunc fuisse) nomen assumpsit GREGORIJ Duodecimi: & Nonis Decembris (ut Onuphrius habet; de quo paulò pòst) suæ coronationis insignia suscepit ad S. Petrum: vir utique à plerisque de doctrina, religione, pietate, ac morum probitate apprimè laudatus; nisi in tergiversationibus derelinquendi Pontificatûs ac collusionibus cum adversario contra præstitum juramentum, harum virtutum famam commaculâsset. Statim nihilominùs post suam electionem renovans [o] votum ac juramentum prædictum, (cui actioni se interfuisse non solùm Niemus scribit, verùm etiam auctor Burdegalensis aliquando à nobis citatus) magnam spem omnibus fecit restitutionis pacis Ecclesiæ: ita de unione loquens (inquiunt Aretinus & Niemus [p]) ut si cetera deessent, cimbulâ navigare, aut pedibus & baculo sese iturum ad eam conficiendam asseveraret. Habuisséque eum initio hanc mentem, facile est credere sed imperij dulcedine semel degustatâ, & suorum promovendorum affectu, fuisse posteà in transversum actum. Interim verò sicuti juraverat, scripsit festinanter, etiam antequàm coronaretur, ad Benedictum Lunensem, per quemdam Conversum Ordinis Prædicatorum, hoc titulo, *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum*; exhortans ad unionem, & offerens cessionem dum & is cedere vellet, & Cardinales ejus concordare cum suis ad electionem unius; promitténsque abstinere pendente unionis tractatu à creatione novorum Cardinalium, modò & Benedictus abstineret: (quæ erant conditiones appositæ voto ac juramento præstito:) missurúmque se brevî oratores, qui cum eo de loco ad hæc inter ipsos tractanda idoneo agerent. Recitat bis [q] has literas Niemus; habétque insuper Surita, quæ cùm disertè datæ dicantur ante coronationis solemnia, (ac propterea bullam sine impressione nominis iis appensam esse) diéque duodecimâ ab ipsius assumptione, undecimâ verò Decembris; (quâ etiam notatur, quam ad Vniversitatem Parisiensem scriptam recitat Monstreletus [r]) cùm vix potuerit tot diversis locis error irrepsisse in numerum, est ut inde corrigas quod Onuphrius & Ciacconius habent de die Nonarum; seu quinto mensis coronationis Gregorij. Scripsit pariter eodem sensu ad Cardinales Benedicti hoc titulo; *Gregorius*, &c. *universis qui in hoc miserabili schismate, P. de Luna qui se Benedictum nominat, tanquam Cardinales adhærent, pacis & unionis consolationem*: necnon ad omnes [s] Reges ac Principes, & Respublicas, ac præcipuos Prælatos & Proceres; atque Vniversitates, narrans ea quæ facta essent, eadémque promittens, & in certam unionis spem erigens, & ad eam peragendam concurrere cohortans: commendatus propterea ab omnibus in immensum. Scripseréque insuper eâdem sententiâ Cardinales Gregoriani tam ad Benedictum quàm ejus Cardinales. Quid verò inde gestum sit, dicetur anno proximo.

GREGORIJ XII. NOMEN ACCIPIT.

o Niem 3. de Schism 2. Ant. tit. 22 cap. 5. in pr. Sur. d. l. 3.
p Id. cap. 6.

SCRIBIT PRO UNIONE AD BENEDICTUM ET ALIOS.

q Id. 3. de Schism. 4. & Nem. Union. tract. 1. c. 2.
r Monstrel. lib. 1. c. 33.
s Niem. lib. 3. cap. 6. & tr. 1. cap. 3. Bzov. hoc an.

VII. LEODIENSIS ECCLESIÆ GRAVE SCHISMA.

Intereà sanguiniori, licèt non tanti momenti, schismate divisa est insignis Ecclesia Leodiensis. Administrabat eam à pluribus annis Ioannes de Bavariâ filius Alberti Comitis Hannoniæ & Hollandiæ, nepos Ludovici Bavari olim pro Imperatore habiti, cùm anno 1403. agente ipso ætatis trigesimum, factiosi quidam Leodienses, ab effreni linguæ petulantiâ, quâ Magistratibus obluctari consueverant, dicti *Haidrotij* (quasi odio habentes Ius, à verbis Gallicis *Hair droict*) eumdem Ioannem adorti, urgere cœperunt, ut aut sacris initiaretur & Episcopus consecraretur, aut Episcopatu cederet. Respondente illo, nihil hoc ad ipsos pertinere; esse Pontificem, cujus dispensatione muniebatur, cuíque rationem reddere deberet, & contrà Haidrotiis nullius ponderis esse ejusmodi dispensationem clamitantibus; quippe à Pontifice, cui & Leodiensis Ecclesia & civitas, ipséque Ioannes obedientiam subtraxissent: (nempè Bonifacio tunc Romæ sedente; cui cùm olim adhæsissent, posteà Francorum exemplo Benedictum respuentium, neutralitati consenserant:) re in apertum dissidium versâ, & paulò pòst aliquo modo compositâ; cùm creato Pontifice Innocentio, Ioannes per nuncios suppliciter postulâsset se ac diœcesim in gratiam ab eo recipi, atque obtinuisset: tunc non solùm Haidrotij, sed universa fermè civitas indignata quòd id sine suo consensu quæsîsset, præsenti demùm anno eò vesaniæ processêre, ut alium Episcopum elegerint Theodoricum quemdam Pervisium; & ad Benedictum Lunensem recurrentes, ejus confirmationem ab illo impetrârint: facto perniciosissimo schismate, quo & Clerus à populo, & clerus inter se distractus est, bella gesta, oppida & castra capta, cædes factæ, damna illata,

ingentia scelera patrata. Donec à Ioanne vocatis in auxilium Willelmo fratre suo, Ioanne Duce Burgundiæ, aliisque propinquis atque amicis, factum est gravissimum prælium anno 1408. die Dominicâ vigesimâ tertiâ Septembris; quo ceciderunt circiter triginta millia Leodiensium, unà cum Theodorico pseudoepiscopo, ac patre ejus totius factionis duce in Ioannem ingratissimo: secutáque sunt supplicia multorum rebellium, mulctæque pecuniariæ; & plenum civitatis obsequium. Quæ omnia fusè describuntur in Gestis Pontificum [t] Leodiensium & inde in Magno Chronico Belgico; fusiúsque apud Monstreletum [u]: meminerúntque alij rerum Belgicarum scriptores. Apud quos etiam legas, quomodò post aliquos annos idem Ioannes Episcopus, mortuo fratre ejus relictâ unicâ filiâ, Hollandiæ ac reliquarum ejus ditionis provinciarum administrationem susceperit; & abdicato Episcopatu uxorem duxerit propinquam & commatrem dispensatione Pontificiâ, ac non multò pòst perierit ex veneno. Sed ad alia.

[t] *Gest. Pont. Leod. to. 3. in Ioan. de Bavar. cap. 4. & seqq.*
[u] *Monstrel. lib. 1. cap. 47.*

VIII.

Vidimus suprà [x] Robertum Scotiæ Regem insigni fratris sui scelere Davidem filium primogenitum amisisse. Is propterea de minore Iacobo solicitior; ut ei à patruo caveret, deliberavit [y] in Galliam mittere ad Carolum Regem amicum ac socium, apud quem tutò & honestè educaretur; uti non ita pridem factum fuerat de Davide Brussio Rege adolescentulo: datis tamen etiam ad Henricum Regem Angliæ literis, ut si fortè Iacobus eò diverteret, eum commendatum haberet, cùm essent tunc inter eos Reges induciæ. Verùm cùm is emensus aliquantum spatij Oceani, jactationis insuetus ut è nauseâ marinâ se paulatim recrearet, ad littus Anglicanum se exponi jussisset; retentus ab Anglis, & ad Regem perductus, nullo respectu ætatis innoxiæ quatuordecim circiter annorum, aut amicæ paternæ commendationis, contráque fidem induciarum captivus detentus est totos octodecim annos: hoc tamen ab Anglo Rege adeptus, quòd literis & honestis corporis exercitiis, omníque bonarum disciplinarum eruditione, ejus curâ & liberalitate apprimè imbutus fuerit. Cujus pater *Robertus* auditâ captivitate, ex ingenti mœrore aucto quo ferè continuè affligebatur morbo, tertium post diem vitâ excessit. Calendis Aprilis præsentis anni, regni ejus decimi-sexti de cujus tam animi quàm corporis conditionibus dictum est in ejus ad regnum ingressu [z]. Successorem reliquit prædictum filium *Iacobum* ejus nominis Primum. Interim verò regni administratio Roberto ejus patruo per omnes Ordines confirmata est; viro utique tanto onere digno, si cæcam imperandi cupidinem demas, bello forti, consilio prudenti, liberalitate præstanti; ut Scoti referunt.

[x] *An. 1402. IV.*
[y] *Boëth. lib. 16. Io. Major. lib. 6. Buchan. lib. 10. Lesl. lib. 7.*

FRAUS REGIS ANG. IN SCOTUM.

ROBERTI REGIS SCOTIÆ OBITUS.

[z] *An. 1390. XIV.*

IX.

HENRICI REGIS CASTEL. OBITVS.

Quo item anno [a], sed fine ejus, nempe octavo Calendas Ianuarij, *Henricus* Rex Castellæ Toleti mortem oppetiit anno ætatis vigesimo septimo, regni decimo septimo, cœpto per tres ferè menses: sepultúsque est in veste Franciscanâ. Cujus perpetuâ ferè gravíque valetudine factum est, ut pauca de rebus ejus gestis reperiantur, Republicâ nullis aut levibus tempestatibus jactatâ. Fuit autem ejus egregia vox, Populi se execrationes ampliùs quàm hostium arma formidare: Ac præclarius magnitudinis animi atque consilij facinus in proceres regni administros, & pecuniarum publicarum profusores, cùm ipse interim rebus etiam necessariis egeret; quos vitæ ægrè servatos asperè compulit absorpta evomere. Quod si & ceteri quique Reges ac Principes imitarentur, & obsequentiores haud dubiè eos haberent, & tum populorum indemnitati, tum regiis vectigalibus longè cautius esset, magno reipublicæ commodo, & ipsorum nominis gloriâ.

[a] *Marin. lib. 19. cap. 14. & antè c. 6.*

X.

Henrico mortuo [b], unico relicto filio Ioanne duorum & viginti tantummodò mensium; cùm à proceribus, grave reputantibus expectare dum ad justam ætatem pervenire, ob pericula præterita minorum ætatum, Ferdinando defuncti Regis fratri suaderetur regnum sibi accipere, exemplo decessorum aliquot Regum, qui legitimis pulsis heredibus regnum specie patriæ utilitatis acceperant; uti factum fuerat adversùs Blancæ Galliæ Reginæ liberos, & Cerdas ejusdem pronepotes, necnon contra filias Petri Crudelis: rejectis à Ferdinando eorum suasionibus, cùm nihilominùs rursùm consessu publico urgeretur, indignantis habitu contentâque voce, non alium Regem futurum dixit quàm fratris sui filium. Quâ sanè magnanimâ voce, priorum usurpatorum injustitiam damnans, totius Orbis imperio dignissimum sese ostendit: gloriâ eò majore quòd variis anteà criminibus apud fratrem appetitus fuisset, qui tamen sub vitæ finem ejus probitate perspectâ odium benevolentiâ mutârat. Quomodò verò factus fuerit Rex Aragoniæ dicetur suo loco. Igitur infans *Ioannes* Rex proclamatus est ejus nominis in Castellâ Secundus. Regina ejus mater ac patruus Ferdinandus ex testamento patris regni procuratores declarati.

[b] *Ibid. c. 15. Vall. in Vit. Ferdin. lib. 1.*

IOANNES EIUS FILIUS BIMULUS REX DECLARATVR BENEFICIO PATRUI.

XI.

DE PAVLO BURGENSI EX IUDÆO FACTO CHRISTIANO.

Quo etiam eodem testamento, ejusdem infantis literis & regiis moribus informandi magister institutus [c] est *Paulus à Sanctâ Mariâ* Carthaginensis Episcopus, cognomento *Burgensis* à patriâ unde ortum habuit, & ubi postremò Episcopum egit, professione anteà Iudæus, copiis, nobilitate, doctrinæ laude in eâ gente facilè princeps qui ex lectione scriptorum S. Thomæ Aquinatis Christianus factus, religionem quam suscepit egregiis scriptis illustravit. Cui & demùm maximi momenti munus cancellariatûs, sive scrinij regij præfectura commissa est, perspectæ fidei argumento, quod rarum in eâ gente est. Nam & ejus ipsius illa vox fuisse dicitur; Ex gente Iudaïcâ prognatis nullam Reipublicæ partem committendam videri, simulare mentirique natis, neque bello bonis neque pace. Tres filios reliquit ex unis nuptiis in Iudaïsmo susceptos: Alfonsum, qui patri in Episcopatu Burgensi successit, cujúsque extat Anacephalæosis Regum Hispaniæ; Gonsalvum Placentinum Episcopum: & Alvarum-Garsiam familiæ propagatorem, cujus extant commentaria de rebus Ioanne hoc Rege gestis.

[c] *Mar. Ibid. & cap. 8. Trithem. de Script. Eccl.*

IUDÆIS NIHIL FIDENDUM.

XII.

Ponitur hoc anno ab Onuphrio [d] *Callistus* Secundus ex monacho Patriarcha Constantinopolitanus, qui sederit annos tredecim.

[d] *Onuph. in Chron. Eccl.*

IESU CHRISTI Annus 1407.

GREGORII XII. Ann. I.

RUPERTI Ann. 7.

EMMANUELIS II. Ann. 24.

I. BENEDICTI LUNENSIS AD GREGOR. PP. LITERÆ.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo septimo, Indictione decima quintâ, Benedictus Lunensis receptis Massiliæ literis Gregorij PP. de quibus anno superiori, rescribens ad eum 2. Cal. Febr. (ut tunc scribebant, hoc est pridie) iisdémque fermè verbis, quidem Gregorius ad eum, salutationis loco utẽs, *Benedictus Episcopus servus servorum Dei Angelo dicto Corario, quem nonnulli sibi in hoc pernicioso schismate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum:* gratulatus est de bonâ ejus ad extinctionem Schismatis mente: hortatúsque ad effectum, ad quem ipse paratissimus esset, tam per cessionem, quàm alium quemcumque modum: expectaturúmq; intereà oratores Gregorij, quos ad se mittendos scripserat pro disponendo loco conventûs inter ipsos agendi; hortans quàmaximè ad rem celerrimè perficiendam. Quas literas verbatim bis refert diversis locis Niemus [a]: habentúrque item inter opera Clamengij; qui fortè illas dictavit, cùm esset Benedicto à secretis. Addit verò etiam Niemus responsionem Cardinalium Benedictinorum ad eas quas ad ipsos Gregorius scripserat: cui hanc apposuerunt epigraphen, *Miseratione divinâ Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales Angelo Corario, quem in hoc miserabili schismatis nonnullæ gentes Gregorium nominant, spiritum cogitandi quæ sunt pacis & unitatis, & illa promptius exequendi, vestri, ut putamus, boni & devoti propositi, in quo Deus sua benigna clementia vos coadunet & confirmet, atque in illo usque ad concupitum finem tam optati & gloriosi operis perseverare concedat.* Reliqua eodem sensu sunt, quo Benedictina. Sicuti & quæ iidem Benedictini Cardinales ad Gregorianos rescripserunt hoc titulo [b]; *Miseratione divina Episcopi, presbyteri & diaconi sacro-sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, universis & singulis pro Cardinalibus. Angeli Corarij, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Gregorium nominant, se gerentibus: spiritum cogitandi quæ sunt pacis & unitatis, & illa protinùs exequendi.* data die ult. Ianvarij.

LITERÆ CARDIN. BENEDICTI AD GREGOR.

a Niem. 3. de Schism. 5. & Nem. Vnion. tract. c. 1. 4. & 5.

b d. tr. 1. c. 6

II. REGIS GALLIÆ LITERÆ PRO UNIONE.

Rex verò Francorum, quem totis viribus & ingentibus expensis vidimus hanc unionem quæsivisse, statim ut audivit piam mentem utriusque contendentis eorúmque Cardinaliũ, ut tantò vehementius negotium perurgeret, de consilio celeberrimi conventûs Parisini; de quo diximus anno superiori, literis publicis (quas Niemus [c] recitat) datis Parisiis 18. Febr. universos Christi fideles certiores reddere voluit, decrevisse se mittere confestim solemnes suos & Ecclesiæ regni sui nuncios ad eumdem utrumque contendentem; qui imprimis ambos collaudarent magnificè, quòd in viam cessionis à se tanto ardore procuratam descenderent: deinde exhortarentur & obtestarentur, ut ad evitandum difficultates itineris, pericula personarum, querelas litium, tractus præparationum, occasiones aliarum viarum extinguendi schismatis tractandarum, & alia pleraque ejusmodi discrimina, vellent absentes cedere uterque in loco suo, aut in manus suorum collegiorum, aut per literas exhibitas, aut procuratores constitutos: quas preces si admitterent, confestim ambo collegia in unum locum convenirent ad unici Pontificis electionem celebrandam. Si verò recusarent nisi in conventione personali cedere; hoc eorum propositum nullatenùs se impediturum, sed potiùs adiuturum: Ceterum nuncios Benedictum, ad quem primò accessuri essent, omni precum instantiâ rogaturos, ut omnibus semotis ambagibus infra dies decem scripto promitteret prædictam se viam cessionis, cunctis aliis postpositis, executurum; & infra decem alios dies de circumstantiis ejusdem viæ executionem respicientibus oratoribus satisfaceret: quod nî faceret, ab eo se veluti à schismatico & ab Ecclesiâ præciso recessurum: eâque de re eosdem nuncios cum ejus Cardinalibus, vel iis renitentibus cum alterâ parte tractaturos.

c Ibid. cap. 7. & ap. Bochel. in Decr. Eccl. Gall. lib. 4. tit. 22. c. 3.

III. GREGOR. NUNCII AD BENEDICT.

Gregorius quoque memor votorum & juramentorum sæpiùs conceptorum, nuncios, ut promiserat; ad eumdem Benedictum misit Idibus Martij [d], Antonium suum ex fratre nepotem, quem ex Methonensi Episcopum creavit Bononiensem; Guillinum Episcopum Tudertinum thesaurarium suum natione Normanum; & Antonium de Butrio Bononiensem insignem utriusque Iuris Doctorem; pro determinando loco, tempore & conditionibus congressûs inter partes faciendi quamvis dicat auctor Burdegalensis qui tum Romæ aderat, haud gratos fuisse hos nuncios Cardinalibus, quoniam eos suspectos habebant. Iis porrò honorificè à Benedicto Massiliæ susceptis; post longas disceptationes demùm concordatum est, ambos cum suis collegiis conventuros Saonæ in orâ Liguriæ ad festum S. Michaëlis fine Septembris, vel si tunc non esset Gregorio copia navium ad illuc navigandum, res differretur ad festum Omnium SS. Additæ multæ conditiones de numero comitantium, & armatorum quos singuli ducerent, de divisione domorum ad habitandum, de securitate urbis Saonæ ac locorum vicinorum, déque aliis ejusmodi, quæ viginti tribus capitibus contenta recitat Niemus [e], quorum fine additur, quòd si conditiones securitatis urbis Saonensis non possent adimpleri, tunc Benedictus teneretur acceptare unum de locis sibi à Gregorio oblatis. Quæ audientes Genuenses in quorum potestate Saona erat, ipsíque Saonenses, confestim Gregorium adeuntes, & suas civitates, & naves, & cuncta alia necessaria obtulerunt, omnémque securitatem etiam cum obsidibus spoponderunt. Ipse verò iis ægrè consentiens, eo admodùm verisimili prætextu, quòd utraque civitas sub dominio tunc esset Francorum Regis, & in obedientiâ Benedicti, hominis dolosi & versipellis: ne tamen videretur omninò unionem fugere, consensit ad loca vicina interim accedere, cominùs de his tractaturus. Ad rem agendam vehementer etiam literis regiis impulsus, quas post pacta Missiliæ conventa cunctis spe unionis exhilaratis, Rex ad ipsũ & ejus Cardinales

d Niem. 3. de Schism. 13. 14. & Nem. tract. 1. c. 9. 10.

CONVENTA INTER CONTENDENTES PRO MUTUO CONCURSU.

e Id tract. 1. cap. 10.

scrip

LITERÆ REGIS FRANC. AD GREGOR. ET CARDIN.

scripsit; quæ referuntur à Monacho Dionysiano, cum hâc ad Gregorium inscriptione, *Carolus &c. sancti propositi & ferventi charitate illuminato viro Angelo dicto Corario, quem nonnullæ gentes in hoc deflendo Schismate Gregorium XII. appellant, amico nostro charissimo, Salutem, & quæ sunt Ecclesiæ pacis, ut honorificentissimè cœpistis, in omnibus operari.* Ad ejus verò Cardinales: *Carolus &c. Collegio se pro Cardinalibus Romæ gerentibus amicis nostris charissimis salutem, & fructum percipere unionis exhibitum.*

IV. LEGATIO REGIS ET ECCL. GALL. AD BENED.

Missi verò ab eodem Rege & Ecclesiâ Gallicanâ legati, quos ad utrumque contendentem Rex mittendos promulgaverat, nonnulli insignes Antistites & Doctores, (in quibus Amelius de Brolio Archiepiscopus Tyronensis, Petrus de Savosio Episcopus Belvacensis, Philippus de Villetâ Abbas S. Dionysij, & alij principes legationis Simone de Cramaudo Patriarchâ Alexandrino:) cùm, sicut fuerat constitutũ primùm adiissent Benedictum Massiliæ commorantem, & omni suasione tentâssent ab eo scriptum cessionis quam sæpè promiserat obtinere; nec umquã valuissent, sed tantùm per ipsum non statutum quin unio fieret: non tamen visum fuit, intimandam ei esse subtractionem, quamvis id in mandatis haberẽt, ne eo prætextu penitùs abrũperetur tractatus unionis Saonæ ineundus, & alia plura mala & scãdala orirentur. Ita namq; rem gestam narrant Monachus Dionys. & Iuven. Monstreletus[f] autem scribit, nuncios subtractionem Benedicto indicâsse: ipsúmq; variis prætextibus responsum differendo, clam nunciis & Cardinalibus constitutionem fecisse, quâ sub magnis pœnis subtractionem fieri prohiberet; eámque Lutetiam ad Regem & Universitatem misisse. Vidimus illam in codice[g] quodam MS. S. Victoris, datam Massiliæ 14. Cal. Iunij, quâ narrans se omnes vias unionis diligenter cõquisîsse, adeò ut etiam cessionem obtulerit Gregorio, & inter ipsos concordatum fuerit de loco mutui conventûs; conquerens nihilominùs quosdam iniquitatis filios quibusdam fraudibus & fucatis coloribus conari eum impedire, se sub quodam unionis simulatę zelo ab ipsius obediẽtiâ subtrahendo, ac varias appellationes interponendo: ea propter zelo fidei & cõpassione animarum, illorum audaciæ tamquam publicæ pesti occurrens, in omnes & singulos qui Ecclesiæ unionem in executione concordatorum cum dicto Gregorio turbaturi, & ab ipso Benedicto, seu à successoribus suis Romanis Pontificibus canonicè intrantibus appellaturi, vel ab eorum se obedientiâ subtracturi forent, etiamsi Cardinalitiâ, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, Regali, ut aliâ quâcumque Ecclesiasticâ vel mundanâ præfulgerent dignitate, excommunicationis sententiam promulgavit: & si per viginti dies indurato animo eam sustinerent, gravissimis aliis pœnis tam spiritualibus quàm temporalibus subjecit.

f Monstrel. lib. 1. cap. 33.

g Cod. S. Vict. P. 13. fol. 95.

BENED. CONSTITUTIO CONTRA SUBTRACTIONEM.

V.

Patriarcha verò cum parte collegarum Romam ad Gregorium pergens, (reliquis ad Regem redeuntibus) cùm ad principium Iulij eò appulisset, honorificè susceptus, Gregorium tamen à conventu Saonensi alienum reperit; tum quòd diceret adeò se pauperem esse, ut non haberet quo itineri & expensis in illo congressu faciendis sufficeret, nec adeò fidere posse loco Saonæ alieni imperij & obedientiæ; tum etiam quòd non videretur hanc rem aggredi ritè posse absque scitu Obedientiæ suæ. Adeò ut ab his difficultatibus nequaquàm valuerint prædicti legati, nec item Benedictini qui æquè adfuerunt, ullis rationibus, cautionibus, aut conditionibus illum retrahere, quin fixus in mutatione loci perstiterit: ut tam iidem Monachus & Iuvenalis, quàm Niemus tradunt. Acciderúntque hæc optatissimè Benedicto, solito subterfugia quærere: qui quò magis intellexit Gregorium loci mutationem urgere, eò pertinaciùs ille priori standum asserere cœpit; ut fuerit plurimorum suspicio, clàm ita hæc pacta inter ipsos fuisse, ut hujusmodi ludificationibus tempus protraheretur, atque ipsi interim Pontificatum retinerent, cùm alter in alterum culpam derivaret.

GREG. TERGIVERSATUR.

VI. GREGORII PERICULUM À LADISLAO SICULO.

Fuit tamen aliud, quod diutiùs Gregorium detinuit in Urbe; nempè metus à Ladislao Siciliæ Rege: qui ardore vehementi cupiens Urbem occupare, mense Iunij cum exercitu appropinquans, Romanos exules Columnenses & alios suæ factionis proceres immisit: qui Urbem noctu proditoriè ingressi, & capere Gregorium poterant, nisi protinùs se in castrum S. Angeli recepisset; & Cardinales, nisi plerique omnes fugâ sibi consuluissent, uno tantùm aut altero Gregorium in castrum secuto. Donec à Paulo de Ursinis egregio copiatum Pontificiarum ductore hostes magnâ cæde pulsi sunt, ac præcipui eorum duces capti, eorúmque nonnulli capite plexi; & Ladislaus cum pudore ad sua reverti coactus. Quæ nihilominùs Gregorij ipsius conniventiâ, vel etiam tacitâ suggestione attentata fuisse à Ladislao, multi crediderunt, eo fine ut si Ladislaus obtineret, mentio omnis unitatis obrueretur: aliis tamen id minimè de Gregorio existimantibus, sed de propinquis ejus non dubitantibus, qui nihil non agebant quo cœptos tractatus interrumperent, & Gregorij cessionem impedirent. Ut de his constat ex Epistolis Aretini, & Historiâ Niemi[h]: quorum iste acerbè nimis rem Gregorio impingit; ille rectam ejus naturam excusat pravâ suorum ambitione, qui formidines inanes illi incutiebant. Egressus nihilominùs est tandem Urbe die 9. Augusti: & primò Viterbium, atque inde post aliquot dierum moram, Senas pervenit ad principium Septembris; mansítque ibi usque ad finem anni. Ex alterâ veò parte Benedictus 24. ejusdem mensis Saonam pervenit unà cum suis Cardinalibus, ad primum conventûs terminum festi S. Michaëlis.

h Niem. 3. de Schism. 18.

VII.

i Id. cap. 21. & Nem. tract. 4. cap. 2.

GREGORIUS RELUCTATUR.

Gregorius autem moras nectens, Cardinalibus suis obtulit[i] Papatui ibidem Senis cedere, dummodò sibi remanerent ad vitam Patriarchatus Constantinopolitanus quem priùs gesserat, aliáque nonnulla beneficia Ecclesiastica in ditione Venetâ, necnon Ecclesia Eboracensis vel Oxoniensis in Angliâ, quæ tunc vacare dicebantur: darentúrque tribus suis nepotibus Marco, Francisco, & Paulo, eorúmque heredibus ac successoribus aliquæ terræ Ecclesiæ Romanæ. Quibus cùm annuissent Cardinales, nihilominùs aliis adinventis excusationibus res effectu caruit. Sicuti & cùm propositum fuisset pluribus Iuris Doctoribus,

num teneretur Gregorius vi suorum juramentorum, & pactorum Massiliensium, Saonam accedere; & ipso sive verâ sive falsâ excusatione detrectante, Cardinales ejus ad idem obligarentur, atque unionem procurare: quamvis celeberrimi Doctores Paulus à Castro, Antonius de Butrio, & Matthæus de Matasselanis, (quorum extant [k] eâ de re consilia) aliique plurimi aulæ Romanæ, inter quos & ipse [l] Niemus, omnes assertivè respondissent; quinimmò & teneri Cardinales, si aliter fieri non posset, Concilium ad id celebrare, & alium Pontificem eligere: permansit tamen Gregorius, instigatione suorum propinquorum & familiarium in suâ deliberatione non eundi Saonam: confirmatus etiam in eâ quorumdam Principum [m] suasionibus: cùm nihilominùs contrarium ei suaderetur à Cardinalibus [n], aliisque Principibus ac civitatibus. Quare & ipso die posterioris termini conventûs Saonæ faciendi, nempè festo Omnium SS. per Verbi Dei præcones publicè ibidem Senis ad populum se excusari curavit cur non iret, quamplurimis rationibus propositis, (quas recitat Niemus [o]) quæ omnes ad violationem conditionum, defectum securitatis, & insidias sibi undequaque tensas referuntur: adeò quidem ut non posset eo statu Papatui cedere ut inde sequeretur unio, quin peccaret mortaliter, & animam suam pœnis infernalibus cruciandam perpetuò condemnaret, propter animarum pericula atque etiam grandia corporum dispendia, quæ inde verisimiliter consequi possent: Cùm nihilominùs habitis interim diversis cum Benedicto per internuncios tractatibus, magis ac magis suspicionem collusionis mundo generâsset. Ne tamen penitùs existimaretur unionem deseruisse, propiùs accedens, principio sequentis anni Lucam se transtulit: sicuti & Benedictus ad Portum-Veneris: ubi quid egerint dicetur ibi.

[k] Inter ipsorum opera: recitatque etiam Bzov. hoc an.
[l] Niem. de Sch. cap. 17. Nem. tract. 3.
[m] Anton. 22. cap. 5. §. 4.
[n] Niem. Nem. tract. 6. cap. 31.
[o] Ibid. tract. 4. cap. 7. & 3. de Schism. 23.

VIII. IOANNES DUX BURGUNDIÆ TURBAS CIET.

Præsenti interim anno, immani scelere Gallia in barathrum cõfusionis & perditionis incidit, auctore Ioanne Burgundiæ Duce: quem longè compendiosius fuisset (seposito inscrutabili divinæ providentiæ cõsilio) obiisse pro fide martyrium in clade Nicopolitanâ [p], quam ad tantam Galliarum perniciem servatum esse. Vidimus suprà simultates quæ intercesserant inter patrem ejus Philippum & Ludovicum Ducem Aurelianensem Regis fratrẽ, cùm aliis quibusdam de causis, tum maximè de regni administratione in Regis morbo. Sed ille, quamvis nomine Audax, tamen prudentior, & regni Regisque ac generis amator, patienter res tulit; quas magis ab effervescentis juventutis ardore, quàm ab odio aut malitiâ nepotis procedere intelligeret. At verò Ioannes ejus filius longè à patre degenerans, simultatem in capitale odium vertens, & ex audace audacissimus factus, postquàm vidit haud se posse Aurelianensis patruelis sui auctoritatem, quâ ut frater Regis prævalebat, subvertere; cæcâ & nefandâ invidiâ eum de medio tollere decrevit. Et ut cautiùs rem gereret, impius in fraudis participationem, quantùm in se fuit, ipsum CHRISTUM Dominum advocans, jurato inter se amicitiæ fœdere, in signum integræ cum patruele reconciliationis, die Dominicâ 20. Novembris unà cum ipso, in præsentiâ Ducis Bituricensis patrui utriusque aliorúmq; procerum, in sacrificio Missæ sacratissimum Corpus Domini nostri Iesu Christi percepit. Sequenti verò die Martis 22. Novembris, horâ noctis tertiâ, (sive Mercurij 23. ut alij ponunt, diem sequentem ab initio præcedentis noctis occipientes) per 18. sicarios (quorum præcipuus Rauletus quidam Octonvillæus Normannus, qui per Aurelianensem fuerat à quodam publico munere depositus, quòd non fideliter illud exerceret) interimi curavit: cùm miser è palatio Reginæ tunc ex puerperio decumbentis, proditoriè tanquam à Rege per unum è cubiculariis regiis sceleris conscium evocatus, dum mulo ad Regem inermis veheretur unà cũ paucis è suis æquè inermibus, unico præeunte funali; invasus à sicariis, dextrâque amputatâ dejectus in terram, gladiis confossus est sparso cerebro: uno ex suis ejus protegendi causâ sese supra corpus sternente æquè interempto. Delato postridie corpore ad Cælestinorum monasteriũ, in quo ille insigne sacellum condiderat, interfuit funeri cum aliis propinquis & ipse Burgundus tamquam innocens vultúque mœsto in veste lugubri. Sed cùm de sceleris inquisitione agi cœptum est inter Principes coram ipso; expallescens, indéque in suspicionem criminis adductus, crimen patruis suis Ducibus Bituricensi & Andegavensi fassus est: confestímque ne detineretur, conscensis equis mirâ pernicitate in Flandriam aufugit, jure materno suam. Quid porrò inde factum sit, dicetur anno proximo. Hæc autem sic peracta narrant plerique auctores [q], ac diligentiùs Anonymus, Charterius, & Monstreletus, ex quibus Gaguinus contraxit.

[p] Supr. an. 1396. II.

EIUS PERFIDISSIMŨ SCELUS

IN DUCEM AURELIAN.

DUX AURELIAN. PRODITORIÈ OCCIDITUR.

[q] Mon. Dionys. & Iuven. in Car. VI. Monstrel. lib. 1. cap. 36. Anonym. post Iuven. Charter. in Car. VII. Gaguin. lib. 9. Meyer. lib. 15. &c.

IX. PRÆPOSITI PARIS. GRAVIS MULTA OB DUOS SCHOLASTICOS SUSPENSOS.

Ante verò quàm hæc gererentur, contigisse tradunt ibidem Parisiis mense Octobris, ut Prępositus urbis nomine Guillelmus Tignonvillius vir nobilis, duos scholasticos clericos, ob quædam latrocinia & cædem factam præproperè suspendio necaverit, ne si segniùs res ageretur, impuniti remanerent, quos Episcopus Parisiẽsis & Universitas ad judices Ecclesiasticos remitti postulaturi essent. Quare Episcopus primò excommunicationem in eum promulgavit. Deinde Universitas (cujus erat tum maxima auctoritas) Regem adiens significavit, ex quo non posset suis libertatibus Parisiis gaudere, necesse habere alias sedes quęrere; noluisse verò abire absque ejus licentiâ, ne ingrata videretur de receptis sæpè gratiis & beneficiis. Rex autẽ negans velle se filiæ suæ charissimæ privilegia minui, sed magis augeri cupere; jussit scholasticos è patibulo deponi, & comitantibus ministris Justitiæ ad propylæum seu porticum Ecclesiæ majoris Beatissimæ Virginis deferri, atque Episcopo & Rectori restitui. Quod cùm factum fuisset, fuère cadavera solemni funere ad S. Maturinum delata, Rege ad magnificentiorem elationem centum aureos pro Præposito donante. Cùm autem & Præpositum officio deponendum, & omni alio indignum Rex statuisset; victus tamen precibus nobilium, transtulit eum in curiam rationum regiarum, præsidem ibi constituens: sed eâ conditione, ut certâ quâdam die teneretur à Rectore & Magistris Universitatis humiliter postulare veniam, in

quantum

quantum poterat eos offendisse. Sunt plures qui tradunt damnatum etiam fuisse Præpositum, per semetipsum cadavera è patibulo deponere, & osculum ori affigere, ac restitutis illis Ecclesiæ (ducente currum lictore, lineum supparum sacerdotis instar amicto) flexis genibus veniam de flagitio postulare, atque duas capellanias pro animabus scholasticorum fundare. Sed nihil tale Iuvenalis & Monachus, cùm rem narrant: neque item Monstreletus [r]; aut denique ipsorum epitaphium, quòd hactenùs extat ad eorum, sepulchrum, rem gestam complectens, nominaque scholasticorum exprimens, nempè Leodegarium de Moussel Normannum, & Olivarium Burgesium Britonem. Tradit tantùm Monachus, id ab Universitate petitum fuisse; sed nihil præter quod diximus, decretum à Rege, aut factum; cùm nihilominùs Alanus Charterius [f] Regis Secretarius, & osculum Præpositi agnoscat, & supparum lictoris.

[r] Monstrel. lib. 1. cap. 13.

[f] Charter. in Car. VII. an. 1408.

X. Asperrima hiems.

Addunt asperrimam fuisse in Galliâ hiemem à mense Novembri usque ad principium Februarij, ingenti damno hominum animaliúmque; ac gelu adeò concretum, ut flumina oneratos currus facilè ferrent. In liquatione verò glaciei, seu regelatione, inæstimabile fuisse pontium, domorum, aliorúmque omnis generis bonorum damnum: ita ut cùm nihil ejusmodi ab hominum memoriâ contigisset, annus iste Algoris nominatus fuerit. Idem porrò contigisse in Angliâ, & aliis regionibus, earum auctores memorant. Genuæ [t] verò sub finem mensis Octobris tanta vis imbris dejecta est, ut magnam partem murorum urbis disjecerit, ac subterraneorum specuum & cloacarum fabricas corruperit ac prostraverit. Eodémque penè tempore contigit Venetiis [u] medio æstatis fervore sæviente noto, procellæ terribilis impetu ingentem civitati terrorem incuti, ex vento, pluviâ, grandine, æstu maris, & fulminibus. Auxerúntque metum monstruosæ rerum formæ à plerisque visæ, fœdique ululatus mediâ tempestate formidabiliter auditi. Post duos circiter menses Venetias allatum, Tanaim Scythiæ emporium Tartaros expugnâsse, magnámque Venetorum cædem qui ibi negotiabantur edidisse; creditúmque, cladem istam eo die quo tempestas tanta Venetiis fuit, apud Tanaim acceptam.

[t] Nebiens. lib. 5. Foliet. lib. 9.

Aliæ urbium clades.

[u] Iustin. lib. 6.

XI. Phrenetici dirum facinus.

Luctuosam aliam, sed privatam, cujusdam fabri lignarij cladem narrat Krantzius [x] in suâ Wandaliâ: Nempè cùm in urbe Wismariâ is per intervalla miserabili phrenesi vexaretur, correptum hoc anno furore ubi stabat in solito labore, securi prehensâ domum repetiisse, liberos duos per medium secuisse: tertium cùm simili furiâ esset consumpturus, matrem jam prægnantem cum ejulatu virum à tergo comprehendisse: illum in eam vertentem ictum, stravisse uno impetu duos: Ita cruentum laboris socios quo reliquerat loco adiisse: rogatum verò quid ita cruentus videretur, horrore verbi in se reversum, recordatum esse quid fecisset: domóque illicò repetitâ, cùm vidisset parvulos & matrem confectos, territum suo facto, cultrum proprio suo defixisse in pectore. Superat ea tragedia Medeæ fabellas.

[x] Krant. 10. Vvand. 10.

Iesu Christi Annus 1408.
Gregorii XII. Ann. 2.
Ruperti Ann. 8.
Emmanuelis II. Ann. 25.

I. Dolorem de nece fratris Rex Fr. concoquere coactus.

Anno Christi millesimo quadringentesimo octavo, Indictione primâ quamvis Rex Francorum Carolus necem fraternam impatientissimè ferret; intuitu tamen consanguinitatis & affinitatis, quibus ipsum Burgundus illius auctor attingebat, cùm esset suus patruelis, idémque filiam suam despondisset Delphino Regis natu maximo: sed & veritus ne sceleri scelus adjungens, tuendi se gratiâ Anglorum societatem expeteret; aut alia ipsemet, cùm valdè potens esset ex ditionibus paternis maternísque, & propinquitatibus atque affinitatibus magnorum Principum inde contractis, intráque ipsum regnum gratiam sibi populi Parisiensis aliorúmque speciosis studiis reformationis regni & exonerationis gravium subsidiorum conciliâsset; moliretur: Idem Rex penè necessitate coactus iram suam cohibere, per ducem Biturigem communem utriusque patruum eum acciens, felicis rei exitûs spem dedit. Factúmque est, ut eodem Parisios ad purgandum crimen adveniente: sed manu armatâ, nequid sinistri pateretur:) die octavâ Martij coram Delphino, Rege Siciliæ, Cardinale Barensi, Ducibus Biturigum, Britanniæ, Lotharingiæ, aliísque de regio sanguine Principibus, plurimísque proceribus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, atque Universitate, (Rege solito morbo affecto) Doctor quidam Theologus, Ioannes Parvus [a] sive Parvi dictus, natione Normannus, (quem nonnulli Franciscanum faciunt, cùm disertè Iuvenalis & alij sæcularem fuisse testentur) homo quidem doctus & eloquens, magníque in Universitate nominis, sed ventosus, venalis, assentationibúsque serviens; parricidiũ perfrictâ fronte defendendum suscepit, miseri defuncti manes crudeliùs insectatus, quàm fuerat corpus à sicariis: Aurelianensem scilicèt regnum affectâsse; magos adhibuisse, & multorum generum incantationes ac sortilegia, ad Regem de medio tollendum, itémque ad feminas in suam libidinem inclinandas: tentâsse apud Benedictum Lunensem, Regem è solio deturbari ob mentis impotentiam, séque in ejus locum constitui; fœdus item ad hoc cum Rege Angliæ pepigisse; aliísque atque aliis modis Regis vitæ totiúsque stirpis regiæ insidiatum esse: gravia concepisse & accepisse vectigalia, quibus se adversus Regem exaltaret: alia denique ejusmodi plurima tyrannica perpetrâsse: Quare non solùm non pœnâ Burgundum, quòd eum occidisset, dignum esse, sed contrà gratiâ, honore, divitiis, aliísque præmiis cumulandum, tamquam tyrannidis depulsorem, & tyranni peremptorem: Octo Veritatibus (ut vocabat) probare satagens, fas esse ac meritoriũ cuilibet homini privato propriâ auctoritate tyrannum ejusmodi opprimere: nec potuisse Burgundum absque gravissimo peccato id facinoris non perpetrare. Hæc ille Theologiæ

[a] Vid. supr. an 1406. III.

Ioan. Parvus Doctor laudat parricidium Burgundi.

infamator suis venenosis effatis, quæ Respublicas perditum eunt. Quid verò de iis senserint Doctores Universitatis Parisiensis, nec non Patres Concilij Constantiensis, videbitur suis locis[b]. Rex autem sanitati interim restitutus, Burgundo armato, & minanti, ac gratiâ Parisiensium pollenti, scelus condonavit, traditis inde tabulis, quas suâ manu sigillóque roboravit; cùm affirmaret Burgundus, pro solâ salute Regis & regni se illud perfecisse: cunctis ad hæc mussantibus præ timore ab ejus potentiâ. Rem autem ipsam breviter describunt Monachus Dionysianus, & Iuvenalis; sed Monstreletus [c] ipsam etiam integram ac valdè prolixam orationem Parvi recitat. De quo posteà habet, obiisse eum Hedini ditionis Burgundi anno 1411. cùm eò se recepisset metu Aurelianensium fratrum, qui eum hæresis condemnari quærebant.

[b] Infr. an. 1414. I. 1415. XLVI. & seqq.

REX ILLUD REMITTERE COGITUR.

[c] Monstrel. lib. 1. cap. 38. & 39.

II. VIDUA AURELIANENSIS VINDICTAM POSTULAT.

Interim, ut iidem auctores subdunt, cùm abiisset Burgundus in Flandriã, contigit mense Septembri Valentinam viduam Aurelianensis unà cum ejus filio Parisios advenire ac de viri nece quæstionem haberi lacrymis & querulâ voce postulare. Quare die Martis undecimâ ejus mensis, coram Delphino, ac Ducibus Biturigum, Britanniæ, Borbonij, aliísque Principibus, Prælatis, Proceribus, & Vniversitate, (quæ tantæ erat tum auctoritatis, ut omnibus alicujus momẽti negotiis interesset) cùm primò Abbas Serisij (ut Iuvenalis vocat, quem S. Fiacrij Ordinis Benedictini Monstreletus) prolixâ oratione, quam verbatim idem Mõstreletus recitat[cc], multis rationibus ostendisset teneri Regem in scelus istud animadvertere, & accusationes in Aurelianensem à Burgundo injectas luculenter confutâsset: ac deinde tam ab advocato viduæ, quàm à regio parlamentari multa alia præclara in eamdem rem diserta fuissent, & in noxæ luitionem ingentia à Burgundo fieri postulata: Demùm jussu Delphini ac Principum responsum est viduæ à Cancellario Delphini; displicere cunctis necem Aurelianensis, cujus innocentiam agnoscebant: de jure verò contra Burgundum faciendo bona verba data. Sed Principes regij sanguinis, cùm animadvertissent Delphinum in Burgundum socerum suum inclinare, decreverunt omnes inter se, Burgundum uti publicum regni hostem persequi, posthabitâ indulgentiâ ei à Rege concessâ. Vbi verò audierunt victoriam apud Leodium eodem penè tempore ab ipso & collegis partam, cujus suprà [d] meminimus; territi omnes ab ejus proximo adventu cum victore exercitu, Regem Turonos abduxerunt; Burgundus autem fine anni Parisios pervenit. Factóque demùm, interventu Comitis Hannoniæ, congressu omnium Carnoti mense Martio anni sequentis, (mortuâ jam ex mœrore Valentinâ viduâ Aurelianensis) cùm numquam abduci Burgundus posset ut malè se egisse fateretur; ne res in deterius abiret, accepta est hujusmodi cui consensit satisfactio; ut profiteretur apud Regem ægrè se ferre quòd Rex indignationem cepisset de nece fratris sui, supplicarétque eam deponere, quippe quòd ipse Burgundus promptissimus semper foret ad ejus mandata exequenda: Deinde Ducem Aurelianensem ejusque fratres pupillos pariter rogaret eamdem indignationem deponere, & ut posthàc amici invicem essent. Sícque supplicantibus Reginâ, Delphino, Regibus Siciliæ & Navarræ, ac Duce Bituricensi, tam Rex delictum remitteret, quàm juberet Duci Aurelianensi ejúsque fratribus parcere Burgundo. Quibus ex condicto peractis, (uti præ ceteris narrat Monstreletus[e]) pax facta est ingenti adstantium ceterorúmque lætitiâ, eadémque jurejurando, & matrimoniorum fœderibus confirmata: sed quòd coacta, eò & infida; ut pòst videbitur.

[cc] Id. cap. 44. & 45.

REPULSAM PATITUR.

[d] An. 1406. VII.

PAX INITUR CUM BURGUNDO.

[e] Id. cap. 48. & 49.

III. MARIA REGIS FILIA FIT MONACHA.

Quàm longè felicior *Maria* Regis filia: quę cùm in infantiâ ex voto matris addicta fuisset monasterio Pissiacensi Dominicanarum & aliquóties à parentibus solicitata matrimonium contrahere, responderet semper sponsum se elegisse CHRISTUM; si quem illustriorem aut meliorem parentes haberent quem darent, non recusaturam accipere: demùm hoc præsenti anno die sanctissimæ Trinitatis [f] sacro velamine consecrata est, præsentibus iisdem parentibus suis Carolo & Isabellâ.

[f] Monach. Dionys. in Car. VI.

IV. EPISTOLA REGIS DE FACIENDA SUBTRACTIONE UTRIQUE CONTENDENTI.

Ut verò jam pedem ab his retrahentes, ad Ecclesiæ Schisma accedamus; ipso hujus anni principio Rex idem Carolus, cùm Gregorium & Benedictum de Pontificatu contendentes suis collusionibus mundo illudere perspectum haberet; cernerétque obedientiam quam Benedicto exhibebat, ob præcipuam suam ipsius in Orbe Christiano auctoritatem, fomitem magis discordiæ quàm pacis præstare: ne amplius id fieret, duodecimo Ianuarij egregiam epistolam parænetica ad universos Christi fideles publicavit; quam Niemus [g] & Gerson recitant: quâ breviter narratis quæ hactenùs eâ in causâ egisset, universos Principes & Antistites, omnémque populum Christianum hortatus est, obedientiam utrique contendenti subtrahere; ut sic decideret vel invitus unus aut alter, immò uterque ab occupatâ Sede Petri: Séque unà cum Ecclesiâ regni sui, decrevisse talem amplecti Neutralitatem in festo Ascensionis proximè venturo, nisi interim fieret unio: processurum nihilominùs ulteriùs cum aliis Principibus & Catholicis omnibus, donec evulso schismate pax plantaretur: & ad idem præstandum cunctos hortatus est.

[g] Niem. Nem. V-nion. tract. 6. cap. 1. Gers. oper. tom. 1.

V. COLLUSIONES INTER ILLOS.

[h] Niem. lib. 3. Schism. Nem. tract. 4. cap. 2.

Quibus fortè moti contendentes, seu quòd jam anno superiori deliberâsset propiùs invicem accedere, sive ad speciem unionis, sive ad effectum; ad finem Ianuarij Gregorius [h] Lucam accessit, cùm jam ad principium Benedictus Portum-Veneris appulisset. Ut verò nihil non agi videretur, misit inde Benedictus ad Gregorium nũcios Archiepiscopos Rotomagensem & Taraconensem pro loco intermedio aut proximiori constituendo, quo in unum convenire possent: Sed, ut ait auctor Burdegalensis qui aderat cum Gregorio, quamvis existimaretur Rotomagensis bono zelo prosequi negotium unionis; (erat is nomine Ioannes, ut ex literis Gregorij constat; fuisséque fratrem naturalem Comitis Armaniaci, Decretorúmque doctorem insignem, idem Burdegalẽsis ait: Ut illum scias distinguere ab alio Ioanne cognomento de Rupe-scissâ, quem hoc eodem tẽpore inter Archiepiscopos Rotomagenses collocatum reperire est in Galliâ Christianâ: cùm & alia discriminent; putà

quòd

quòd hunc Armaniacensem idem Benedictus Cardinalem creaverit, Rupescissanum longè posteà Martinus V.) Tarraconensis tamen nomine Petrus, & alij Catalani & Aragonenses legationis socij fictè dicebatur procedere, tractantes secretò cum Gregorio ad rem protelandam: adeò ut nunquam potuerit Gregorius à suis Cardinalibus aut Principum oratoribus flecti ut ulteriùs progrederetur. Extant apud Niemum[i] & Clamengium, literæ tunc utrimque scriptæ in suî cujusque excusationem, & alterius accusationem; quæ palàm ad id fabricatæ apparent ut fucum facerent, & gentibus illuderent, metum utrimque de industriâ fingentes. Sicuti & quæ subsecutæ sunt consultationes[k] & tractatus inter utriusque nuncios de locis Pisarum à Gregorio & Liburni à Benedicto, aliisve eligendis, & securitatibus assumendis; ita agitatæ, ut fieri solet inter advocatos aut procuratores, de causâ aliquâ coram judice litigantes.

[i] *Id. lib. 3. c.26 & 27. tr.6.cap.2. & 3.*

[k] *Id.c.28. & Nem.tr.4. c.4. & tr.6. cap.5. & 6.*

VI. GREG. CREAT NOVOS CARDINALES.

Addidit præterea Gregorius, ut contrà quàm juraverat, & contra Cardinalium intercessionem[l], die nonâ mensis Maij quatuor novos Cardinales creaverit ibidem Lucæ: videlicèt duos ex suis nepotibus, *Antonium Corarium* ex fratre, Episcopum Bononiensem & Patriarcham Constantinopolitanum, atque Ecclesiæ Romanæ Camerarium, insignis pietatis virum, quíque dicitur[m] Historiam rerum suâ ætate gestarum conscripsisse: & *Gabrielem Candelmerium* ex sorore, electum Senensem, Thesaurarium Apostolicum, posteà Eugenium Papam IV. ambos olim canonicos Congregationis S. Georgij in Algâ Venetiarum *Iacobinum* Vtinensem Protonotarium; & Fr. *Ioannem Dominici* Florentinum Ordinis Prædicatorum Archiepiscopum Ragusinum: quem vehementissimè insectatur Niemus, tanquam præcipuum Vnionis diremptorem & Gregorij perversorem; confutans[n] etiam ejus pro Gregorij causâ tractatus editos: adeóque graviter eum infamare conatus, ut etiam epistolam finxerit, aut ab alio fictam retulerit[o], nomine Satanæ ad eum scriptam; quâ ei gratias agebat quòd suis malis operibus, nefandissimis mendaciis, ac iniquissimis prędicationibus satageret abominabile Schisma in Ecclesiâ Christi sagaciter confovere. Cùm tamen apud S. Antoninum[p] & alios, idem Ioannes Dominici ut vir probus, pius, verbóque & opere potés prædicetur, atque etiam post mortem miraculis claruisse dicatur: cujus Vitam scripsit Ioannes Caroli Florentinus ejusdem Ordinis professor: de quo etiam erit nobis aliàs agendi occasio. Non fuêre autem hi Cardinales recepti usque ad Concilium Constantiense, quando Gregorius ipse Pontificatu abdicavit: cùm & nemo veterum Cardinalium voluerit horum creationi assistere, quamquam à Gregorio rogati; quorum loco ad eam sibi in Consistorio considere fecit quosdam alios Episcopos & Causarum Palatij Auditores.

[l] *Id.c.24. & 31. & Nem. tr.6.c.11.*

[m] *Ap. Nom. Card. in Greg.XII.*

NIEMI CALUMNIÆ IN IOANNEM DOMINICI.

[n] *Niem.tr.4. c.5. 8. 9. & tr.5.c.1.*

[o] *Id. tract.6. cap.29.*

[p] *Ant.tit.22. cap.5. §.1. Leand. lib.3. Trith. de Script.Eccles. Ant.& Sixt. Sen.Ciaccon. &c.*

VII.

Ex prædictâ verò de creatione Cardinalium rixâ, (quam gravissimam fuisse inter Pontificem & Cardinales, Leonardus Aretinus qui aderat in suis epistolis descripsit (ortâ apertâ simultate, cùm & nulla ampliùs spes de unione superesset, Cardinales de Gregorio deserendo tractare incipientes[q]; (sive ad ante novorum Cardinalium creationem, ut Niemus, sive pòst, ut Leonardus habet, contigerit) & ex prohibitione ipsis ab eo sub gravissimis pœnis etiámque privationis Cardinalatûs, factâ ne absque ejus licentiâ vel Lucâ abirent, vel inter se convenirent, aut cum alterius partis, vel Regis Francorum & Vniversitatis Parisiensis oratoribus tractatus haberent: eorum aucto timore ne vi detinerentur, primus recessit undecimâ Maij Ioannes Ægidij natione Normanus (non Germanus, ut eum facit Onuphrius,) Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani, Leodiensis à præpositura ejus Ecclesiæ quam olim gesserat dictus, vir eximiæ probitatis & industriæ: qui Pisas sese celeriter recipiens, vix inter eundum manus effugit Pauli nepotis Gregorij, qui manu armatâ eum insecutus est; ejúsque domum expilavit, ac familiares torsit. Postridie verò aliorum plerique, favore Rectoris Lucensis & Florentinorum, collectis sarcinis, Leodiensem Pisas secuti sunt. Remansêre namque adhuc penes Gregorium quatuor ex antiquis: quorum unus fuit Franciscus Hugucionius patriâ Vrbinas, sed ab Archiepiscopatu dictus Burdegalensis, Presbyter Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum; eximius utriusque Iuris Doctor, ac variis legationibus pro parte Vrbanicâ insigniter functus; in cujus familiâ erat auctor quem citamus nomine Burdegalensis, qui hæc de illo speciatim scribit: æquè ac Niemus[r]: addúntque, cum nihil posset proficere apud Gregorium pro unione, & ipsum paulò pòst Pisas ad collegas abiisse; quos interim Gregorius tam minis abdicationis, quàm feliciorum rerum promissionibus revocare conatus fuerat.

[q] *Niem.3.de Schism.32. & Nem.tr.6. c.11. Aret.in Epist.*

CARDINALES GREGORIUM DESERENTES SECEDUNT PISAS.

[r] *Id.tract.6. cap.33.*

VIII. APPELLANT AB EO.

E contrà verò ipsi jam à metu liberi, adversus ejus comminationes & processus quos posset in ipsos publicare, appellationem interposuerunt; quam recitat Niemus[s], datam ibidem Pisis præsenti anno Domini 1408. Indictione primâ die Dominicâ decimatertiâ Maij Pontificatûs Gregorij XII. anno secundo. Qua post recensitas summâ in Gregorium reverentiâ, & legitimæ obedientiæ summissione, prohibitiones suprà dictas ipsis ab eo factas, earúmque injustitiam demonstratam; necnon justas suę successionis, ob immeritissimum evidénsque periculum mortis aut carceris, causas enarratas: demùm declarârunt, se in quantum eis liceret (ut loquebatur) & poterant, provocare, & appellare, primùm ab eodem Gregorio Pontifice irrationabiliter & secundùm non rectam rationem decernente, ad ipsummet secundùm rectam rationem & meliùs informatum: deinde ab eodem uti Vicario ad CHRISTUM Dominum, qui judicaturus est mortuos & sæculum per ignem: itémque ad Concilium generale, à quo & in quo solerent gesta etiam Summorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni, & judicari: ac demùm ad Papam & Pontificem futurum, cujus esset gesta inordinata sui decessoris in melius reformâre. Ita illi: qui & præterea literas[t] circulares ad Principes & Antistites scripserunt de rebus hactenus gestis, & causis ipsorum secessionis; hortantes ad causam Ecclesiæ adjuvandam. Non autem propterea ipsos contra Gregorium conspirâsse, aut ab ejus obedientiâ

[s] *Id. tract.6. cap.10.*

[t] *Ibid.c.11.*

dientiâ recedere in animo habuisse, si reverà unionem facere vellet juxta vota & juramenta sua; declaravit etiam idem Cardinalis Leodiensis epistolâ[u] ad ipsum Theodoricum Niemum Lucæ remanentem; à quo de his literas acceperat; significans quatenùs Papæ sit obediendum. Prædictam autem appellationem iidem Cardinales [x] Gregorio in consistorio suorum Cardinalium insinuari fecerunt: qui excandescens respondit, haud se illi uti frivolæ delaturum. Antonius verò ipsius nepos Ecclesiæ Romanæ Camerarius & ordinarius Iudex, omnes [y] generatim Curiales qui Pisas abierant, (Cardinales etiam comprehendens) beneficiis & officiis privavit, qui valdè ludicram appellationem interposuerunt, quam diversis locis publicis Lucæ affigi fecerunt in contumeliam Gregorij ejusque novorum Cardinalium, ut refert idem Niemus. Qui inter hæc (ut ipse ait [z]) apud Gregorium perseverans, ridebat illos qui in his turbis neutri parti adhærere audebant metu perdendi beneficia Ecclesiastica quæ possidebant: ipse inter illos timidos liber & audax, quia non habebat aliquem titulum Ecclesiasticum. Ita enim ipse. Ex qubus refellas eos, qui ut auctoritatem concilient iis quæ ipse hoc Schismate liberiùs contra Pontifices debacchatus est, scripserunt fuisse eum hoc tempore Episcopum Verdensem, translatúmque inde Cameracum: quæ ipse ne quidem per somnium umquam cogitavit.

u Ext. ap. Niemum. Nem. Vnion. tract. 6. c. 20. & 21.
x Id. 3. de Schism. 32.
y Ibid. & Nem. tr. 6. c. 18. 19. 41.
z Id. tr. 6. cap. 24

NIEMUS NON FUIT EPISCOPUS. Vid. infr. an. 1310. III.

IX. LADISLAUS CONVENIT GREGORIUM.

Quod verò multùm obfuit proposito contendentium congressui inter Pisas & Liburnum, valdéque profuit illorum simulationibus, Ladislai fuit Siciliæ Regis præpropera, & ut apparet perturbatoria sollicitudo interveniendi Pisis cùm ibi esset Gregorius, quòd, ut aiebat, vellet scire quomodò succedente unione posset de suo statu esse securus. Extat[a] enim eâ de re epistola ejus ad Florentinos, sub quorum potestate tunc Pisæ erant. Meritò namque sibi ab eo cavere videbatur Benedictus, tanquam ab hoste: neque eidem omninò fidere Gregorius, tanquam à recenti occuparore Urbis Romæ, (quamquam & hoc ipse de consensu Gregorij suscepisse crederetur; quem & Vicarium Imperij ac Romanum Senatorem creâsset.) Quippe qui cùm aliàs, ut vidimus, opponente se illi Paulo Vrsino Romano strenuo Pontificio duce, frustrà armis tentâsset ope Columnensium & Sabellorum pedem Romæ figere, nunc eodem Paulo ipsi sine bello patrocinante, (ut ex Niemo [b] & Antonino [c] intelligitur) non, ut Summontius habet, post multas pugnas, dominiũ Vrbis adeptus est; ingressus eam die vigesima quintâ Aprilis; receptúsque veluti Rex Romanorum & Imperator (sicuti & eum proclamaverunt) sub umbellâ à Baronibus Romanis, & à populo cum ramis palmarum & ludis publicis. Qui exulibus restitutis, magistratibus mutatis, & aliis supremitatis actibus ibi exercitis; captisq; item Tudere, Perusio, atque aliis plerisque civitatibus & castris Ecclesiæ: Elatior inde factus, sub magna pœnâ omnibus tabellionibus atque notariis Vrbis aliisque suarum ditionum injunxit [d] hunc titulum inscribere, *Regnante serenissimo & invictissimo domino nostro, domino Ladislao, inclyto Dei gratiâ Hungariæ, Ierusalem & Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Romæ, Serviæ, Saliciæ, Ledomiriæ, Comaniæ, Bulgariæ Rege præclarissimo, necnon Provinciæ & Forcalquerij & Pedemontium Comite, regnorum ejus anno vigesimo secundo feliciter, Amen.* Quibus videas insignem hominis vanitatem in longâ serie inanium titulorum regnorum, quorum eatenùs ne pedem quidem terræ possederat, præterquàm occupatæ olim injustè Siciliæ citra Pharum, & nunc Romæ: cujus nihilominùs fumo etiam plerique posterorum Regum Hungariæ & Siciliæ delectati hactenùs reperiuntur.

a Ap. Niem. 3. de Schism. 29. & Nem. tract. 6. c. 9.
b Id. 3. de Sch. 24 & 28. & Nem. tract. 4. c. 2. & tr. 6. c. 27.
c Ant. tit. 22. cap. 5. §. 5.

OCCUPAT ROMAM.

d Niem. d. l. 3 cap. 34. & tr. 4. cap. 3.

X. EJUS FASTUS CARPITUR.

Apprimè rectissimè de his Niemus, (& utinam eâdem ubique æquitate rem egisset) post facta initia Ladislai, quem ferè ex nihilo Ecclesia extulerat, inter alia in ejus fastum prolata, sententiam usurpat Scripturæ [e], *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus, &c.* Accusátque eum dem imprudentiæ, quòd beneficiarius cliens existens Ecclesiæ & Imperij, ita longos & insuetos sibi titulos tribueret, contra moré aliorum Regum ætate & potentiâ eum antecedentium: quia (inquit) in inscriptionibus est verborum paucitas adhibenda: Et quoad Regum vitam atque famam, gloriam & claritatem, requiri ut non verbis sed factis prosperent; cùm fama Regis vel Principis ex gloriâ & honore oriatur: Nec tamen in famâ esse ponendam felicitatem, quia innititur magis exterioribus signis, quàm interiori bonitate: Qui autem gloriatur, secundùm Apostolum, in Domino gloriari debere: Nec credere se Regem beatum, si sit in gloriâ apud homines, sed si apud Deum, &c. Ceterùm iste Ladislaus, quòd (ut idem auctor ait) tyrannidem in Romanos exerceret, Vrbémque undique muniret, ac si eã jure hæreditario perpetuò possessurus esset: inde odio haberi cœptus; cùm & pretereà Paulum Vrsinum (de cujus magnâ in Vrbe potentiâ, & astutiâ in eâ conservandâ agit idem [f]) offendisset in præferendo ipsi ad dignitatem Senatoris Vrbis ipsius Ladislai vice gerendam quodam Aprutino; nec hujus in Romanos rigidiorem severitatem Paulus ferre posset: postquàm idem Ladislaus Neapolim revertisset ad finem Iulij, excitatis ad arma Romanis à Paulo, majori facilitate Vrbem amisit quàm acquisierat; Senatore in carcerem truso, reliquis Ladislai ducibus pugnâ superatis, cunctis militibus aut occisis aut fugatis: uti rem describit Summontius [g]; in eo tamen peccans quòd anno præterito totam tribuit, quæ absq; dubio partim ad præsentem pertinet, partímque etiam ad sequentem, ut ibi dicetur. In quem insuper Niemus [h] Rupertum Romanorum Regem animare, uti in usurpatorem sui juris, literis conatus est.

e Iob. 15.
f Niem. 3. de Schism. 41.

ROMAM AMITTIT.

g Summon. lib. 4. c. 2.
h Niem. Nem. tr. 6.

XI.

Intereà cùm Rex Francorum Carolus per duos viros nobiles ac literas Benedicto in Portu-Veneris existenti speciatim significâsset, quod vidimus literis publicis promulgâsse, nisi unio ad diem Ascensionis Dominicæ facta esset, (quæ hoc anno incidebat in vigesimum quartum Maij) se cum regno suo Neutralitatem amplexurum: his commotus Benedictus, rescribens [i] decimoquarto Calendas Maij, de hoc conquestus, & quòd cùm nihil non ageret quo unionem promoveret, nihilominùs

i Ext. ejus epist. cod. S. Victor. P. 13. fol. 66. Adde Monstrel. vol. 1. c. 41.

essent

BENEDICTI MINÆ AD REGEM FRANC.

essent qui eum calumniarentur quasi per ipsum staret quominùs ea fieret; hortatus est Regem & obsecravit ab eo proposito desistere: ac nisi faceret; significavit ultra pœnas & sententias à jure prolatas & homine, etiam alias per quamdam suam constitutionem dudùm à se editam (illam videlicèt de quâ egimus anno [k] præcedenti) promulgatas, Regem incursurum. Mittens autem has literas per suos cursores; dedit pariter eisdem alias, quibus sub anathemate prohibebat subtractionem promulgare: dans eis in mandatis, ut eas post alias porrigerent; ac velociter se subtraherent. Quod cùm ipsi præstitissent; habitâ super his multâ consultatione in Consilio Regis & Senatu Parisiensi, (præsente Rege, Principibus, Antistibus, atque Universitate; perorantéque eximio Doctore Theologo Ioanne cognomento Curtacoxâ, sive Brevis-coxę, natione Normanno, & Benedictum non modò obstinatum schismaticum, verùm etiam perturbatorem pacis & unitatis Ecclesiæ, in regiam majestatem injurium, &c. conclamante) decretum est eas literas iniquas & injustas esse; lacerandas & igne cremandas. Quod & incunctanter præstitum est. Duóque alij homines Benedicti Parisiis reperti, (sive iidem fuerint qui literas detulêre) capti sunt, & publicâ ignominiâ mitrati è papyro in tunicis lineis cum insignibus Benedicti inversis circunducti. Qui verò hæc improbare visi sunt aliqui Antistites, aliíque Ecclesiastici, & Benedicto favere, in carcerem conjecti, ac nonnulli ignominiosis pœnis affecti. Denique publicata [l] est postridie diei Ascens. 25. Maij, Neutralitas amborum contendentium: Ac Bussicaldo Gubernatori Genuæ mandatum, ut si fieri commodè posset Benedictum comprehenderet, ac solicitè custodiret ne abire aliò posset. Qui hæc intelligens, repentinâ & inexpectatâ fugâ è Portu-Veneris ad Illiberitanum Cataloniæ in finibus Galliæ Narbonensis juxta Pyrenæos portum appulit, Ligusticâ ora & Gallicâ provinciâ exclusus. Ita Monachus Dionysianus, Iuvenalis, & alij. Ceterùm prædictas anathematis literas Nicolaum de Clamengiis tunc Benedicti Secretarium composuisse, aut certè illas scivisse, vehemens fuit Parisiis suspicio, ac propterea ingens in eum conclamatio: ut constat ex multiplicibus ab eo ad Vniversitatem, aliósque conscriptis excusatoriis literis [m], quibus accusationes diluit, & Deo teste innocentem se prædicat; cùm tamen non destiterit [n] Benedicti obtrectatores arguere.

[k] *An.* 1407. *IV.*

EJUS LITERÆ PUBLICO DECRETO LACERATÆ ET CREMATÆ.

[l] *Ext. cod. Victor. P.* 9. *fol.* 12. & *P.* 13. *fol.* 96. & 171.

FUGIT IN HISPANIAM.

[m] *Clameng. ep.* 42. *usque* 47.
[n] *Id. ep.* 55.

XII.

Antequàm verò Benedictus abiret, mense Iunij epistolam [o] ad Gregorium scripsit; quâ significavit, etiamsi cogeretur in tutiorem locum sese recipere, fore tamen se paratum ad unionem perficiendam. Sicuti & mox Gregorius [p] aliam excusatoriam publicavit ejusdem mensis die vigesimâ. Cùm verò plerique Benedicti Cardinales, (tractatu priùs secreto [q] cum Gregorianis habito) cum pariter deseruissent, ut simul omnes jungerentur; eos ipse (prout suos fecerat [r] Gregorius) dignitatibus exuit: & Concilium Perpiniani ad Calendas Novembris indixit: Quemadmodùm & Gregorius [s] ad festum Pentecostes anni proximi in provinciâ Aquileiensi aut Exarchatu Ravennati, loco speciali posteà declarando, uti præter Niemum, aliósque posteriores; narrat etiam ejusdem temporis scriptor, prædictarúmque omnium rerum descriptor Gobelinus Persona in suo Cosmodromio [t]. Ceterùm post hæc Gregorius Senas abiens, multa [u] incommoda eo itinere passus, prodigiísque in Cruce quæ ante ipsum deferebatur, & mulâ quâ divinum Sacramentum de more gestabatur factis, atque apparitione cometæ territus; sed & insidiis Cardinalis S. Eustachij Legati Bononiæ, & Malatestanorum procerum Marchiæ interturbatus; demùm Senas pervenit. Ibíque precariò, & certis conditionibus agere permissus; quo tutiorem partem suam faceret, novem novos Cardinales creavit mense Septembri, (qui tamen non magis quàm quatuor priùs creati, pro Cardinalibus habiti fuêre usque ad abdicationem Gregorij.) Sicuti & Benedictus eodem mense Perpiniani quinque, ut Surita habet; cùm duodecim Niemus [x] & Onuphrius numerent. Senis autem Gregorius Ariminum petiit, ibíque hiemavit: cùm, ut ait Monachus Dionysianus, ingressus Vrbis Romæ ei denegaretur, eò quòd patrimonium Ecclesiæ Ladislao Regi in pecuniariam annuam pensionem tradere convenisset.

[o] *Ext. ap. Niem.* 3. *de Sch.* 35. & *Nem. tr.* 6. *cap.* 25. & *ap. Clam.*
[p] *Ibid. tr.* 6. *cap.* 23.

UTERQUE PONT. CONCILIŨ INDICIT.

[q] *Ant. tit.* 22. *cap.* 5. §. 2. *Surit. Ind. lib.* 3. *Niem.* & c.
[r] *Niem. tr.* 6. *cap.* 18.
[s] *Id.* 3. *de Schism.* 36. & *Nem. tr.* 6. *cap.* 42.
[t] *Cosmodr. æt.* 6. *cap.* 89.
[u] *Niem. tr.* 6. *cap.* 43.
[x] *Id.* 3. *de Sch.* 45.

XIII.

CARDINALIUM GREGORIANORUM DECLARATIO.

Quæ dum à contendentibus fierent, interim Gregoriani Cardinales Liburni in Etruriâ existentes, primâ die Iulij epistolam [y] ad Universos Christi Fideles publicârunt: quâ expositis causis cur à Gregorio secessissent, hortati sunt omnes pariter ab ejus obedientiâ recedere, & ipsis Cardinalibus ad unionem Ecclesiæ perficiendam auxiliari. Moti etiam ad hoc, ut par est credere, literis [z] Regis Francorum & Universitatis Parisiensis, confestim post Neutralitatem declaratam ad ipsos scriptis die vigesimâ secundâ Maij; cohortatoriis ad opus diligenter agendum; & ut ad illud adimplendum, unà cum Cardinalibus alterius partis convenirent, sub certâ spe fore ut sic tandem finis Schismati imponeretur. Quarum literarum regiarum hic erat titulus, *Carolus &c. egregiarum Circumspectionum viris & amicis nostris carissimis, pro Cardinalibus se in Roma gerentibus Salutem; & miserandæ lacrymantique matri omnium Ecclesiæ condolere.* Universitatis autem; *Reverendissimis Patribus se pro cœtu Cardinalium Romæ gerentibus, salutem*; cum hujusmodi subscriptione, *Vester Rector & Vniversitas Studij Parisiensis.* Quæ & conclusiones [a] addidit, à se contra Benedictum factas occasione supradictæ bullæ excommunicationis in Galliam missæ; quibus eum schismaticum, hæreticum perturbatorem pacis esse declaravit, nec Benedictum, aut Papam, aut Cardinalem, aut nomine cujuscumque dignitatis nuncupandum: ejus prætentam bullam nullam esse, iniquam, seditiosam, turbativam pacis, & offensivam regiæ Majestatis: contráque fautores ejus procedendum esse, sicut contra ipsum.

[y] *Ext. ap. Niem. Nem. tr.* 6. *cap.* 13.
[z] *Ibid. cap.* 14. & 15. & *ap. Clameng.* & *Bochel. Decr. Eccl. Gallican. lib.* 4. *tit.* 22. *c.* 4. & *Frizon. in Gall. Purpur. Append. ad lib.* 3.

LITERÆ REGIS ET VNIVERSITATIS AD ILLOS.

[a] *Ext. ibid. ap.* 17. & *ap. Clam.* & *Frizon. ibid.*

XIV.

Quibus factum demùm est, ut post multas alias consultationes, (ac speciatim Studij Bononiensis [b], & Florentini [c], ac Francisci [d] de Zabarellis) utriusque partis Cardinales in unum congregati, literis publicis datis decimo quarto Iulij Concilium indixerint [e], celebrandum Pisis ad festum Annunciationis Bea-

[b] *Iuu. cap.* 6.
[c] *Anton. tit.* 22. *cap.* 5. § 2.
[d] *Vid. supr. an.* 1409. *I.*
[e] *Niem.* 3. *de Schism. cap.* 38.

CONCILIUM INDICITUR PISIS AB UTRIUSQUE PARTIS CARDINALIBUS.

tissimæ Virginis vigesimum quintum Martij anni proximi: invitatis ad illud omnibus Prælatis, ad providendum Ecclesiæ necessitatibus: nec non Regibus ac Principibus rogatis, ut secum starent usque ad consummationem negotij. Deliberatúmque insuper, ut ambo contendentes pariter monerentur adesse, animo decretis Synodi se submittendi: si verò renuerent, nihilominùs Concilium celebraretur, & quod foret Ecclesiæ utile deliberaret. Quarum literarum epigraphe hæc erat [f]: *Miseratione divinâ Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales nunc in loco Liburni Pisanæ diœcœsis commorantes; unà cum Collegio Reverendissimorum in Christo Patrum in parte aliâ Cardinalium nominatorum, pro nobis, & aliis Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hâc parte, Venerabili Patri* &c. vel *Serenissimo Regi* &c. *Salutem, & promptum habere affectum ad pacem & Ecclesiæ unitatem procurandam*, præsentibus tunc ibi oratoribus Regis Francorum Simone Patriarchâ Alexandrino administratore perpetuo Ecclesiæ Carcassonensis, Petro Episcopo Meldensi, cum nonnullis Doctoribus. Ad Gregorium verò Senis non longè à Pisis agentem missi [g] sunt duo Cardinales ex ejus obedientiâ, ad eum monendum ut per se vel per legitimos procuratores indictæ Synodo suo tempore ac modo supradicto interesse vellet, qui cùm non permissi fuissent ad eum accedere, rem apud majorem Ecclesiam Senensem, & aliis publicis locis, coram tabellionibus & testibus promulgârunt.

[f] *Rec. Mon. Dionys. hoc an.*

[g] *Niem. d. cap. 38.*

GREGORIUS MONETUR EI INTERESSE.

XV. ITEMQUE BENEDICTUS.

Ad Benedictum autem in remotis agentem Cardinales ipsius obedientiæ literas dederunt Liburni die decimaquartâ Iulij hoc titulo: *Sanctissimo Domino nostro Benedicto Decimotertio miseratione divinâ Summo Pontifici, Deo humiles & devoti oratores Episcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. Eccesiæ Cardinales nunc in Liburno Pisanæ diœcesis existentes, pro nobis & aliis Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hâc parte, cum supplici & devota recommendatione, utriusque hominis sospitatem.* Eadem autem explicantes, quæ Gregorio significata fuerant; post narratas causas secessionis, nihil se in hujusmodi indictione Concilij, aut vocationis contendentium de pontificatu indiscretè aut inconsultè agere docebant: sed cùm post secessionem Gregorianorum, quatuor ex ipsis Benedictinis de expressâ ipsius Benedicti voluntate cum totidem Gregorianis Liburni convenissent; omnes demùm utriusque partis communi consensu, & maturâ habitâ cum multis alijs Prælatis, virísque literatis ac piis deliberatione, judicâsse necessarium extinguendo Schismati Ecclesiam Vniversalem congregari, quod non posset in Schismate ab alterutro contendentium efficaciter fieri: quoniam (præter neutrales, qui neutri contendentium obedientiam præstabant) nec Gregoriani vellent Benedictinæ convocationi interesse, nec Benedictini Gregorianæ. Si verò uterque Concilium ex suâ tantummodò obedientia locis dissitis colligeret, non fore illa Concilia generalia, sed particularia. Rogabant deinde ut per seipsum interesse dignaretur, aut saltem per procuratores potestatem habentes ejus nomine cessionem faciendi; sicuti & postulatum erat à Gregorio, qui demùm si acquiescere recusarent, Synodum processuram in negotio unionis secundùm quod dictaret Spiritus Sanctus, & jurata promissa utriusque eorum.

XVI. LEGATI A CARDINALIBUS MITTUNTUR AD PRINCIPES.

Post hæc utriusque partis Cardinales de communi consensu præstantes viros ad Principes per omnes provincias legârunt, qui eos de cunctis instruerent, ab obedientiâ contendentium obstinatorum averterent, & Synodo favere rogarent. Ad Reges verò Galliæ & Angliæ, utpotè majoris auctoritatis & considerationis legatus fuit Cardinalis Burdegalensis; qui facilè in Anglia [h] exemplo Galliæ quæ voluit impetravit. Estque Gersonij [i] egregia oratio ad oratores Anglorum Pisas ad Concilium euntes, nomine Vniversitatis Parisiensis cùm illàc transirent habita: quâ eorum zelo congratulatus, nonnullis considerationibus necessitatem ostendit celebrandi Concilij ad pacem Ecclesiæ obtinendam sub uno capite ministeriali, & quanta sit in his hoc rerum statu Ecclesiæ in Concilio congregatæ auctoritas demonstrat. Missus autem in Germaniam ad Regem Romanorum ceterósque Principes Ecclesiasticos & sæculares Cardinalis Barensis, quid ibi egerit dicetur commodiùs anno sequenti. Sicuti de ceterorum nunciorum successu tunc apparebit, cùm recensendi fuerint qui Pisas ad Concilium accesserunt.

[h] *Auctor. Burdegal. Vvalsingh. in Henr. IV.*
[i] *Gers. oper. to. 1.*

XVII. IN GALLIA SECTATORES BENEDICTI PRIVANTUR BENEFICIIS.

Interim verò Francorum Rex, ex deliberatione Concilij seu congregationis Prælatorum Ecclesiæ Gallicanæ jussu ejus Parisiis magno numero congregatorum decimotertio Octobris, præside Simone Alexandrino Patriarchâ, & secundùm conclusiones jam anteà, ut vidimus, decretas; declarationem [k] publicavit privationis à beneficiis & dignitatibus regni sui, contra quoscumque fautores, participes, & defensores Petri de Lunâ, (Benedicti qui suprà) veluti hæretici & schismatici, ab Ecclesiâ universali præcisi. Aliâ verò Declaratione [l] diei vigesimi ejusdem mensis Octobris, nominatim expressi fuêre, Ioannes Archiepiscopus Auxitanus, Petrus Episcopus S. Pontij, Ioannes olim Cabilonensis Episcopus posteà Mimatensis, Abbas S. Saturni Tolosatis dictus Condomiensis, Bertrandus de Maumont nuper Vaurensis dictus Biterrensis, Guigo Flandrini lator & in parte compositor damnati libelli sub nomine Epistolæ Tolosanæ oblati; Cardinales quondam Auxitanus, de Flisco, de Chalento, Generales Prædicatorum & Minorum: qui omnes denunciati sunt privati beneficiis Ecclesiasticis quæ in Galliâ possidebant. Statutique Articuli [m] communes super provisionibus beneficiorum pendente neutralitate. Ac denique Statuta seu Monita, vel ut vocant, Advisamenta [n], super regimine Ecclesiæ Gallicanæ ejusdem Neutralitatis tempore, deliberata quinto Novembris, de Absolutionibus, Dispensationibus, Ministratione Iustitiæ, Appellationibus, Modo providendi in beneficiis tam majoribus quàm minoribus & distributionis

[k] *Ext. cod. Victor. P. 9. fol. 11.*
[l] *Ibid. fol. 12.*
[m] *Ibid. fol. 14.*
[n] *Ibid. fol. 354. & ap. Monach. Dionys. hoc an. & Bochell. Decr. Eccl. Gall. lib. 4. tit. 22. cap. 2.*

STATUTA SERVANDA DURANTE NEUTRALITATE.

nis eorumdem: ita ut absolutiones & dispensationes aliæque Ecclesiasticæ causæ; secundùm earum naturam aut gravitatem; vel ad Pœnitentiarios Sedis Apostolicæ; vel ad Superiores Ordinum & ad Episcopos diœcesanos, vel ad Concilia provincialia referrentur: beneficiorum verò collatio per collatores ordinarios fieret, Episcopatuum per Concilia provincialia.

XVIII. CONCIL. PERPINIANENSE BENEDICTI.

Benedictus autem *Concilium* quod indixérat *Perpiniani* Calendis Novembris inchoavit, sacrum ipso celebrante, orationem verò habente Alfonso Exeâ Patriarchâ Constantinopolitano Ecclesiæ Hispalensis administratore: & ob Prælatorum raritatem, prorogatum est in decimum septimum Calendas Decembris. Interímque ut majori plurium Patriarcharum splendore Conventus illustraretur, secundo Idus Novembris Ecclesiæ Astensis administratorem Patriarcham Antiochenum, Franciscum Simenium Minoritam doctrinâ & scriptis celebrem Ierosolymitanum creavit: præter quos adfuit etiam Alexandrinus, partis Benedictinæ; cùm & haberet Gregoriana eosdem Patriarchas titulares. Interfuêre conventui plerique Prælati regnorum Castellæ, Aragoniæ, & Navarræ, ac nonnulli Provinciæ & Sabaudiæ, omnes circiter centum & viginti. Actum est octo sessionibus: quibus post exposita singillatim quæ benedictus summis laboribus & periculis ab ipso assumptionis suæ initio in procurandâ Ecclesiæ pace (ut aiebat) gessisset, quæque inter ipsum & Gregorium tractata & conventa fuissent, atque impedimenta eis allata: cùm Patres consuluisset, quid è Republicâ Christianâ esse censerent, ne in progressione rerum ad reliquias Ecclesiæ lacerandas pravis consiliis converteretur: summâ dissensione distractis in diversas partes eorum sententiis, quibusdam censentibus. Benedictum per legatos continuò Pontificatui renunciare debere, aliis tempus ducentibus, & maximè contraria asserentibus: eâ opinionum discrepantiâ factum est, ut Perpiniano penè omnes discesserint: & octodecim in sententia permanentibus, tandem Sessione Calendis Februarij anni sequentis habitâ, Patriarcha Constantinopolitanus eorum responsum Benedicto obtulit: quo profitentes imprimis se illum fidelem Christianum atque Catholicum, ac verum Christi Vicarium credere; nihilominùs consuluerunt ac supplicârunt ut dignaretur propter Deum & bonum Christianitatis prosequi efficaciter unionem Ecclesiæ per viam renunciationis, omnibus aliis viis præponendam: Ut oblationem per ipsum factam adversario de renunciatione in casu similis renunciationis vel mortis ejus, extenderet ad casum dejectionis ejusdem: Ut dignos nuncios mitteret cum plenariâ facultate concordandi, firmandi & obligandi omnia necessaria ad præmissa, etiam usque ad renunciationem inclusivè: Vt tales provisiones adhiberet, quòd si ipse ante unionem decederet, non posset post ejus obitum schisma continuari: ac denique si qui vellent unioni obstacula apponere, eos pœnis deterreret. Hæc illi utiliter ac prudenter: quæ à Benedicto benignè suscepta fuêre; ac de ejus acceptatione factum instrumentum publi-

Ejus DELIBERATIO.

cum, manu ipsius Benedicti omniúmque aliorum subscriptum. Ita enim rem gestam Niemus [o] habet; integrum recitans prædictum consultationis Benedictinæ responsum: ex quo etiam relatum est in Acta Conciliorum [p]: & Surita [q] sive inde, sive aliunde, petitiones Patrum, ceteris relictis, Indicibus suis inseruit. Additque hanc Benedicti pollicitationem posteà in Pisano primùm, deinde in Constantiensi Concilio, in durissimum ejus os jure meritò fuisse retortam.

[o] Niem. 3. de Schism. 37.
[p] Concil. to. 3. par. alt.
[q] Sur. Ind. lib. 3.

XIX. CONGR. S. SALVATORIS SILVÆLACUS.

Hoc eodem anno Gregorius Lucæ existens, Nonis Aprilis confirmavit Ordinem, seu Congregationem Canonicorum Regularium *S. Salvatoris Silvæ-lacus* prope Senas institutum à *Stephano* Senensi Ordinis Eremitarum S. Augustini; qui mutato habitu auctoritate Pontificis canonicus regularis effectus est. Sic autem dicta est hæc Congregatio ab Ecclesiâ S. Salvatoris dicatâ in silvâ ilicum ad lacum civitati Senensi vicinum. Quæ posteà à vulgo *Scopetinorum* dicta est, ab unione Ecclesiæ S. Donati de Scopeto Florentiæ sitæ, quam Martinus V. prædictæ S. Salvatoris univit. Præfinivit eis habitum Gregorius, ut sub albo scapulari rochetum, superiùs autem cappam grisei coloris lanæ mordentis instar capparum Conversorum Carthusiensium gestent. Regulam item definivit, & privilegiis ornavit: ut videre est in ejus constitutione [r] de hâc re editâ; sed pleniùs in aliâ Iulij Secundi: De ipso verò Ordine pluribus agunt Maurolicus in Mari Oceano omnium Religionum, & Pennotus in suâ Historiâ [s] Tripartitâ. Quem qui ponunt sub Gregorio XI. apertè decepti sunt similitudine nominis.

QUÆ ET DICTA SCOPETINORUM.

[r] To. 1. Concil. in Greg. XII. const. 2. & 30.
[s] Pennot. lib. 2. cap. 51. & 99.

XX. REFORMATIO MONASTERIORUM BENEDICTINORUM.

Idémque Pontifex ibidem Lucæ Idibus Maij aliam constitutionem edidit de reformatione monasteriorum Ordinis S. Benedicti in terrâ Frisiæ, quibus depravatissimam vitam tam monachi quàm moniales ducebant. Recitat illam Niemus [t]: fortè ut vitia Religiosorum pandat, magis quàm ut res à Gregorio probè gestas narret; cujus in omnibus vitam & mores carpere non desinit: natus potiùs ulceribus fricandis quàm liniendis. Quare & subdit descriptionem pravæ conversationis Prælatorum & Cleri regni Norvegiæ, & Hiberniæ, ac partium vicinarum; necnon Italiæ, & ministrorum Cameræ Apostolicæ. Quàvis enim nec approbanda sint vitia, nec excusanda; attẽdendus tamen animus quo illa deteguntur, ut illa quidẽ semper vitentur, is vel laudetur vel damnetur.

[t] Niem. Nem. l. 6. c. 34.

XXI. CONGR. CASSINENSIS INSTITUTIO.

Sic etiam ad finem hujus ipsius anni (sequenti tamen quidam ponunt) idem Gregorius Pontifex Arimini agens Abbatem monasterij S. Iustinæ Patavienfis constituit *Ludovicum Barbum* Patricium Venetum, tunc præfecturam agentem Congregationis Canonicorum S. Georgij in Alga. Qui divinitùs ad reformationem dicti monasterij S. Iustinæ electus, dissolutam disciplinam tantâ felicitate restituit, ut collapsum penè Ordinem S. Benedicti in Italiâ ad antiquum Religionis decus reduxerit. Vnde exorta est celebris Congregatio Monachorum *S. Iustinæ*; aliàs *Cassinensis* dicta, à Monte Cassino ubi maximè viget. De quâ agunt plurimi [u].

[u] Cavac. lib. 4. & 5. hist. cœnob. S. Iustin. Maurol. in Mar. Ocean. Relig. lib. 1. Mira. in Orig. Benedict. &c.

XXII. HUSSITA-

Longè his contraria perfida secta HUSSITARUM, quæ his diebus maximè invale-

rum Hæresis propalatio. [x] Supr. an. 1393. VII & 1395. XIII.

scere cœpit. Vidimus jam olim [x] damnatas Wickleffi hæreses ex Angliâ penetrâsse in Boëmiam. Infecerunt eæ potissimum eos qui Teutonicorum odio in scholâ seu Universitate Pragensi tenebantur. Inter quos *Ioannes* emicuit obscuro loco natus, ex villâ *Huss*, quæ vox anserem significat, cognomentum mutuatus Hussi,(sive Hussinetz,vel etiam Huskæ, ut à nonnullis, sed præcipuè Boëmis, nuncupatus reperitur) sacerdotio fungens. Qui cùm esset ingenio peracri, & linguâ disertâ,Teutonicos vexare magistros cœpit, sperans eo modo eos Scholam deserturos, qui & literarum peritiâ,& vitæ honestate,morúmque gravitate primatum in eâ tenebant.Priusquàm tamen id obtineret, Magistri ejusdem Scholæ,qui sciebant multos jam Vickleffi articulos damnatos fuisse in Angliâ, Romæ, & Parisiis; proposuerunt & ipsi quadraginta quinque ex ejusdem scriptis erutos,publicè examinandos;eósque uno omnium consensu, etiámque ipsius Ioannis versipellis per solemne decretum condamnârunt hoc ipso anno. Súntque iidem ipsi qui posteà in Concilio Constantiensi [y] enumerati & damnati sunt : pertinentes ad negationem transubstantiationis in sacramento altaris, quod solam figuram corporis Christi esse asserebat : ad destructionem potestatis & auctoritatis Ecclesiæ tam in divinis quàm humanis, necnon Ordinum mendicantium aliorúmque religiosorum, bonorum Ecclesiasticorum & dotationum Ecclesiarum, ac decimarum, indulgentiarum, Universitatum ac studiorum & graduationum. Asserentes insuper nullum esse dominum ciuilem, nullum prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali : Ecclesiam Romanam esse synagogam Satanæ : ac denique quod omnem impietatem supergreditur, Deum debere obedire diabolo.

Vvickleffi hæreses damnantur ab Academia Pragensi. [y] Concil. Constant. Sess. 8.

XXIII. Ioannis Hussi perversa consilia.

Post quæ Ioannes non ampliùs audens apertè ejusmodi articulos prædicare, in occultis tamen colloquiis non destitit multos iis inficere. Et majora meditatus, ad exturbandos Teutonicos, quos sciebat conatibus suis restituros; suis persuasit, à Rege Vvenceslao, ignavo, & nihil recti cogitante aut curante, petere ut schola Pragensis ritu Parisiensis, à quâ ortum duxerat, deinceps gubernaretur: ut scilicèt cùm quatuor essent nationes in eâ, sola Boëmica ceteris tribus æquipararetur; ita ut in omnibus suffragiis,electionibus,examinationibus, emolumentis, & honoribus tantum posset ac reciperet, quantum tres aliæ simul junctæ; cùm ab ipsâ Universitatis institutione ita servatum fuisset, ut extranei tres voces, Boëmi unicam quartam haberent, ob paucitatem eorum qui tunc studiis operam navabant. Quo factum est, ut cæteræ nationes his consentire detrectantes, quòd essent contra primæva Universitatis statuta atque privilegia, (etiamsi in diplomate institutionis additum fuisset, ut mos Gymnasij Parisiensis Pragæ item servaretur) armis invasæ aliquoties fuerint: Ac demùm omnes uno consensu pluribus millibus Pragam deserentes Lipsiam Misniæ civitatem commigrârint anno proximo millesimo quadringentesimonono,ibíque florentissimam Academiam constituerint : multis nihilominùs ad Erphordiensem in Turingiâ paucis

Academia Pragensis deseritur ab exteris.

Lipsiensis Academiæ institutio.

antè annis institutam migrare eligentibus.Sícque (inquit Krantzius [z]) plausêre sibi Boëmi, quòd soli in suo regno permanerent : gavisi sunt Germani, quòd à consortio nequam hominum separati, secum agerent in tranquillitate.

[z] Krantz.11. metrop.8.

XXIV. Huss palam virus suum evomit.

Iis verò ejectis Huss audentior factus, linguâ potens, & mundioris vitæ opinione clarus, venenum quod jampridem conceperat, palàm evomere cœpit, & Vvickleffum extollere, ejúsque scripta in linguam vulgarem transferre : adhærentibus ei præcipuè clericis ære alieno gravatis; sceleribus ac seditionibus insignibus; nonnullísque doctrinâ præstantibus, qui in majorum beneficiorum adeptione aliis minùs dignis postpositi invidiâ tabescebant. Sicque in omnes sacerdotes (ipso nihilominùs Ioanne Huss sacerdote existente) latrare cœperunt,& ab Ecclesiâ Catholicâ recedentes, impia Vvaldensium & Vvickleffistarum dogmata disseminare,cœperunt contra Romani Pontificis auctoritatem, quem reliquis Episcopis, quinimmò & Presbyteris parem faciebant; contráque hierarchiam Ecclesiæ, Ordinem universum Ecclesiasticum & monasticum,bona illorum, ritus omnes Sacramentorum & Ecclesiæ,sacramenta ipsa & sacramentalia, templa ac cœmeteria, eorúmque ornatus, vota, purgatorium, preces pro defunctis, cultum & suffragia Sanctorum, jejunia, festa, horas canonicas, aliáque plurima quæ vidimus à prædictis hæreticis suis temporibus asserta. Inter quæ valdè acceptum fuit illud, quòd liberam cuique Verbi Dei prædicationem Huss concessit; quò non solùm docti, sed & ignari, ipsæque mulieres (quod inter Hussitas factum est) auctoritatem sibi prædicandi sumerent. De quibus certior factus Subinco cognomine Lepus Archiepiscopus Pragensis, claris parentibus ortus, & animo ac consilio illustris, qui tunc aberat; confestim ut orienti calamitati obviam iret, Pragam accurrens, jussis ad se ferri librorum Vvickleffi exemplaribus quotquot reperiri possent, supra ducenta volumina, pulcherrimè conscripta, & bullis aureis tegumentísque pretiosis ornata, publicè concremari jussit. Ioannique prædicationem interdixit, adjectis minis, si priores in populum errores vulgare auderet. Qui Pragâ excedens in villam originis suæ, non cessavit Subinconem maledictis incessere, & cantilenis proscindere; quas habuit Rex Vvenceslaus edicto publico prohibere. Fuêre autem ei præcipui impietatis socij *Hieronymus de Praga* ab origine dictus, liberalium artium Magister acutus & disertus, qui eamdem in scholis quam Ioannes in templis palmam ab auditoribus obtinebat; & *Iacobellus* Misensis (non Misnensis,ut vulgò vocatur: éstque Misa urbs Boëmiæ) literarum doctrinâ & morum præstantiâ juxtà clarus, auctorque schismatis de utrâque specie : de quibus, simúlque de Hussitis plura inferiùs. Hæc autem quæ diximus pluribus tractantur ab Æneâ Silvio [a] posteà Papa Pio Secundo, & Ioanne Dubravio [b] Episcopo Olmucensi in Historiâ Boëmica;ac copiosiùs à Ioanne Cochlæo [c] Theologiæ Magistro & Canonico Vvratislaviensi, qui ex variis

Archiepiscopus Pragensis comburit libros Vvickleffi.

[a] Æn. Hist. Boëm. c.35. & ep. 130. [b] Dubrav. lib.23. [c] Cochlæ. lib.1.

&

& antiquis monumentis Historiam Hussitarum libris duodecim collegit.

XXV. MIRACULUM IN SANGUINE CHRISTI EUCHARISTICO.

Occurrit Deus insigni miraculo hoc eodem anno Utriquistis, ex Hussitis paulò pòst exortis, qui negârunt sub alterâ specie Sacramenti Eucharistici contineri totum Christum, ac propterea sub utrâque omnibus promiscuè debere exhiberi asseruerunt: volens ut quemadmodùm frequentissimis miraculis apparuerat, in specie panis seu corporis integrum Christum cum corpore & sanguine verè contineri, (quorum quam plurima his Annalibus retulimus) ita etiam in specie vini sive sanguinis. Cùm videlicèt Waldurnæ [d] diœcesis Wirtzeburgensis, quodam sacerdote Missam celebrante in Ecclesiâ S. Georgij, calice consecrato casu in sacrum corporale everso, sanguis effusus imagines expressit, in medio quidem, Crucifixi; ad latera verò Veronicarum plurium, hoc est icuncularum quæ sacrum Christi caput spinis redimitum ostendunt. Territus sacerdos, ut rem tegeret, corporale in altare lapide uno amoto condidit; ut tractu temporis putredine interiret. Sed cùm ad vitæ extremum longo pòst tempore pervenisset, nec mori posset; factum confessus, locum designavit quo corporale abscondisset, & mortem obiit. Inventis omnibus sanis & integris, eorumdem famam novis miraculis ita Deus auxit, ut etiam res accuratissimè inquisita & explorata ad Summmum Pontificem relata fuerit, Eugeniúsque IV. annò millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto pridie Calendas Aprilis ad locum ubi tantum miraculum factum est convenientiùs ornandum, omnium beneficentiam diplomate invitandam censuerit.

[d] Serar. Rer. Mogunt. lib. 5. Aliud verò miraculum de vino visibiliter mutato in Sanguinem, habes supr. an. 1198. XXIX.

IESU CHRISTI Ann. 1409.
GREGORII XII. Ann. 3.
ALEXANDRI V. An. 1.
RUPERTI Annus 9.
EMMANUELIS II. Ann. 26.

I. CARD. BARENSIS LEGATIO IN GERMANIAM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo, nono, Indictione secundâ, Landulphus Maramaurus patriâ Neapolitanus Cardinalis Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Barensis dictus ab Archiepiscopatu ad quem electus antè fuerat; (unde & sunt qui confundant cum Ludovico Cardinale Barensi è regio Francorum sanguine partis Benedictinæ, qui eâ desertâ adhæsit ceteris Cardinalibus qui à Gregorio discesserunt) rerum gerendarum dexteritate insignis, & multis sub variis Pontificibus legationibus prudenter obitis clarus; à Cardinalibus utriusque obedientiæ qui Pisas secesserant, in Germaniam legatus ad Principes & antistites ad Synodum Pisanam invitandos: ubique honorificè susceptus, circa festum Epiphaniæ Francofordiam venit; ubi erant Rupertus Rex Romanorum, Archiepiscopi Moguntinensis & Coloniensis, ac multi alij Antistites & principes necnon Regum Francorum & Angliæ aliorúmque Principum ac civitatum oratores, in unum congregati ad tractandum de unione Ecclesiæ, occasione literarum publicarum à Cardinalibus de suâ secessione, & ad Synodum invitatione scriptarum. Ad quem conventum accedens etiam Antonius Cardinalis & Camerarius nepósque Gregorij; licèt parùm ceteris acceptus quòd venire sciretur ad turbandam unionem, à Ruperto tamen supra modum honoratus, ejus auctoritate causam Gregorij publicè egit, multùm in Cardinales Pisanos invectus. Illud verò demùm ibi conclusum est, Rupertum & prædictos Archiepiscopos missuros suos in Italiam nuncios ad unionem solicitandam. Ita namque de his Niemus [a], & Gobelinus [b] Persona.

[a] Niem. 3. de Schism. 39.
[b] Gobel. in Cosmodrom. & ap. Magn. Chron. Belg.

II. NECESSITAS CELEBRANDI CONCILII ABSQUE AUCTORITATE PONTIFICIS.

Adveniente verò termino Synodi Pisis celebrandæ, nempè festo Annunciationis Beatissimæ Virginis vigesimo quinto Martij, quamvis à multis objiceretur non posse celebrari Concilium Universale absque auctoritate Pontificis; nihilominùs tum quòd nullus esset certus Pontifex, & impossibile esset ab altero eorum qui de Pótificatu contendebant ejusmodi Concilium celebrari; (sicuti demonstratum est anno superiori:) tum etiam quòd Sede vacante, qualis censebatur in duorum incertorum dubio, Cardinalium esset certum Pontificem eligere; nec denique de fide ageretur, sed de Schismate tollendo, quod percupere uterque contendens, etiam cum dubiæ dignitatis abdicatione, significaverat, & voto ac juramento præstare promiserat: His igitur justis rationibus moti utriusque obedientiæ Cardinales, assentiente maximâ parte Antistitum Ecclesiæ Catholicæ, faventibúsque præcipuis Orbis Christianis Regibus ac Principibus: cœperunt *Concilium* celebrare Pisis eâdem die 25. Martij. Cui quot numero interfuerint Cardinales, variant auctores; dum quidam cunctos recensent, qui ab utroque contendente abscesserant numero viginti sex; alij eos qui verè adfuerunt sive initio, sive posteà paulatim accedentes numero viginti duo. Namque ipso exordio primâque Sessione fuisse tantummodò quindecim, videlicèt septem Benedictinos, & octo ex Gregorianis; disertè tradit Monachus [c] Dionysianus manuscriptus, qui acta per singulos dies descripsit usque ad sententiam diffinitivam Concilij, in multis ampliora editis [d], & quibusdam circumstantiis nonnihil diversa, sed in rerum substantiâ planè eadem. De ceteris autẽ Antistitibus, aliisque ingressum ad Synodum habentibus, consentiunt ferè plerique auctores, venisse in universum toto tempore Synodi, tres Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, Ierosolymitanum; Archiepiscopos & Episcopos centum octoginta; Abbates circiter trecentos; (quod tamen intelligendum est aut per se, aut per procuratores) Doctores Theologos ducentos octoginta duos: licèt initio, ut fit, pauciores fuerint, quos quidem Dei nutu & Spiritûs sancti inspiratione ad Synodum celebrandam motos fuisse, Gerson tunc Academiæ Parisiensis cancellarius scripsit in libello An Papa exauctorari possit, consideratione vigesimâ. Præter quæ extant & alia breviora Acta ab Abbate S. Maxentij qui interfuit, scripta ad Episcopum Pictaviensem de rebus per singulos

CONCIL. PISANUM CELEBRATUR.

[c] Mon. in Car. VI.
[d] Paris. an. 1612. & inde in poster. edit. Binian. & ap. Bzov. hoc an.

NUMERUS PATRUM.

dies gestis usque ad diem vigesimum quartum Maij; similia illis quæ monachus habet, sed contractiora: quæ recitat Monstreletus [e], & ex iis constat, fuisse tunc Pisis cùm ea scripta sunt, in universum Patres mitratos centum & quadraginta, atque in iis Cardinales undeviginti, advenire tamen undique alios quotidie; præter quamplurimorum nuncios: necnon oratores Regum Franciæ, Angliæ, Ierusalem, Siciliæ, Cypri, & Poloniæ, ac multorum aliorum Principum.

e *Monstrel. lib.1. cap.51.*

III. I. SESSIO.

PRIMA igitur SESSIONE dictâ die habitâ in Ecclesiâ cathedrali Pisanâ, post publicam processionem ac supplicationem, sedentibus in eminentiori solio quindecim Cardinalibus, & aliis sedibus ceteris Antistitibus, capitulorúmque & conventuum procuratoribus, aliísque Doctoribus, ac nunciis Regum Francorum, Angliæ, Siciliæ, & Alemanniæ, necnon plurimorum aliorum Principum & Magnatum, de quibus posteà: omnium tunc viventium antiquissimus Cardinalis *Guido de Malesicco*, partis quidem Benedictinæ, sed jam olim ex Episcopo Pictaviensi creatus ante Schisma à Gregorio XI. avunculo suo Cardinalis S. Crucis in Ierusalem, & posteà à Clemente, cui adhæsit, Prænestinus Episcopus, dictus semper Cardinalis Pictaviensis; vir doctrinâ, prudentia, & virtute clarissimus; Missam de Spiritu sancto celebravit: & quidam Doctor orationem habuit de causâ convocationis Concilij; hortatúsque est omnes ad unionem Ecclesiæ: preces item & litaniæ dictæ: nihílque præterea eâ Sessione actum. Ita Monachus: cùm in Actis editis, dicatur Petrus Cardinalis de Thureio partis item Benedictinæ (patriâ autem Narbonensis, ex Episcopo Malleacensi creatus à Clemente VII. Presbyter Cardinalis S. Susannæ) Missam celebrâsse, & Cardinalis Mediolanensis partis Gregorianæ sermonem habuisse.

IV. II. SESSIO.

CONTENDENTES CITANTUR IURIDICÈ.

Secundâ Sessione die sequenti habitâ, Cardinalis partis Gregorianæ, (nempè dictus Mediolanensis, ut Monachus habet) Missam celebravit; precésque & litaniæ dictæ sunt (quæ pariter in reliquis Sessionibus de more ceterorum Conciliorum observata fuêre, antequàm procederetur ad negotia tractanda.) Deinde Officiales Concilij electi, unúsque advocatus ad accusandos ambos contendentes. Qui suggestum ascendens, pertinaciâ amborum exagitatâ, Benedictum Benefictum, Gregorium Errorium pluries nominans, conclusit, si publicè evocati non comparerent, haberentur pro contumacibus. Túncque unus ex promotoribus Concilij instanter postulavit, ut quod Advocatus requisierat Concilium approbaret. Atque inde duo Cardinales cum uno Archiepiscopo & uno Episcopo, advocato quoque, & notariis, ad valvas Ecclesiæ procedentes, cùm tam prædictos contendentes, quàm quatuor Cardinales, qui soli ex tunc existentibus cùm ceteris secessionem fecerũt, apud eos permanserant, (videlicèt de Flisco, Auxitanum, & de Chalento partis Benedictinæ, & Tudertinum Gregorianæ) altâ voce evocâssent, & à populo ibi adstante quæsissent, num scirent aliquem ex eorum familiaribus in civitate existere; ad suas sedes reversi retulerunt neminem eorum reperiri. Cùm verò propterea accusatores peterent eos declarari contumaces; nihilominùs de Patrum benignitate res dilata est ad sequentem diem vigesimam septimam. Quâ rursùm id ipsum repetitum: résque ad penultimam diem mensis relata. Eâque demùm cùm nemo comparuisset, declarati sunt contumaces; lectâ ex scripto sententiâ per Cardin. Prænestinum, dictum Pictaviensem, eâdémque ad valvas Ecclesiæ affixâ. Quæ quidem omnia quatuor Sessionibus (ut posuimus) peracta fuisse, Monachus habet; acta verò edita tribus tantummodò; quoniam quæ Monachus habet secundâ gesta de electionibus Officialium, déque primâ evocatione contendentium, illi ipsâ primâ Sessione factum ponunt, quod tamen non videtur consentaneum, ut tantâ præcipitatione tanta res ageretur; cùm in negotiis multò minoris momenti quæ pluribus consessibus agitari debent, mos sit primò, post consuetas solemnitates, de rebus post tractandis tantummodò conferre. Ceterùm contumaciâ publicatâ, sequens Sessio (sive fuerit illa quarta; sive quinta: ad quam vitandam confusionem non ampliùs in singulis per numeros distinguendis immorandum censemus; sed tantùm rebus suis quibusque diebus ordine recensendis, donec cessârit confusionis periculum:) indicta est in diem decimumquintum Aprilis: quæ fuit Lunæ feria secunda post Dominicam in Albis.

DECLARANTUR CONTUMACES.

V. LEGATIO RUPERTI CÆS. AD CONCIL.

Quâ adveniente, appulso jam Landulpho Cardinale Barensi, quem vidimus conventui Francofordiensi adstitisse, præsentibúsque nonaginta Archiepiscopis & Episcopis, nonnullísque Abbatibus, Doctoribus, Clericis, & Notariis, qui non interfuerant prioribus congregationibus; post solemnia celebrata, introducti sunt quidam Archiepiscopus, duo Episcopi, & totidem clerici, qui se nuncios dicebant *Ducis Ruperti de Bavariâ, quem Regem Romanorum nominabant*: (Ita Monachus: Acta verò Mexentiana disertè *Regem Romanorum* vocant: edita in Tomis Conciliorum *Rupertum de Bavaria sanctæ sedis Imperatoriæ Electorem*; qualis videlicèt erat ante Wenceslai abdicationem, quam hæc Synodus minimè approbavit: hos autem Ruperti nuncios, fuisse Archiepiscopum Rigensem, Episcopum Wormaciensem, & electum Verdensem, Niemus [f] scribit, ac per Rupertum primùm ad Gregorium missos, indéque Pisas venisse ad causam Gregorij agẽdam:) qui tamen cum aliis non sederunt, sed per quemdam alium Episcopum proposuerunt viginti duas quæstiones ambiguitatibus plenas: quarum præcipuæ fuerunt, Utrùm Cardinales potestatem haberent se subtrahendi ab obedientiâ sui Pontificis; Pontificem evocandi, Concilium generale convocandi; Duo collegia se mutuò habilitandi ad celebrandum Concilium: concludentes demùm, Concilium debere differri in aliud tempus, & in aliũ locum transferri, ad quem Gregorius paratus erat accedere, & adimplere quæ juraverat, dum & adversarius idem præstaret. Quibus nunciis cùm præscriptum à Synodo fuisset, ut scripto traderent quæ ore proposuissent, ostenderéntque mandatum quod à Ruperto haberent; cùm id ægrè admodùm præstitissent, remissi ad alium diem prò responso audiendo, incipientes inter se altercari, clarè demonstrârunt

f *Niem. 3. de Schism. 39.*

runt non se venisse nisi ad unionem impediendam;& non expectato responso clanculò abierunt. Ita Monachus, & Acta Maxentiana: quæ eadem breviùs referunt edita. Niemus autem ampliùs habet, eos antequàm elaberentur, Ruperti nomine appellâsse, innuentes, convocationem Concilij generalis spectare ad Regem Romanorum, vel saltem de ejus auctoritate convocari debere: ac propterea tam ipsum Rupertum quàm ejus nuncios risui expositos fuisse, & quasi fatuos ac juris ignaros existimatos, ob gravia incommoda quæ secutura fuissent ex eorum propositionibus.

VI. GREGOR. CONATUR SYNODUM DISSOLVERE, NEC VALET.

Addunt iidem Monachus & Abbas, (quod tacent Acta edita (eâdem hebdomadâ venisse Pisas dominum civitatis Arimini, (Carolum scilicèt Malatestam) in quâ tunc Gregorius morabatur; qui pariter Cardinalibus persuadere conatus est, ut Concilium differretur, & in alium locum transferretur. Sed ad eum audiendum lectos quatuor doctissimos Cardinales, ex utrâque parte binos, nempè ex Benedictinâ Albanensem (Nicolaum Brancatium Neapolitanum) & de Thureio, ex Gregorianâ Aquileiensem (Antonium Cajetanum Romanum)& Mediolanensem suprà dictum, multis rationibus ostendisse id nullâ ratione fieri posse: eumdémque re infectâ rediisse ad sua. Itémque Dominicâ die vigesimâ primâ Aprilis coram omnibus Synodi Patribus in Ecclesiâ S. Martini Missam celebrâsse Archiepiscopum Tolosanum: (videlicèt Vitalem de Castromauro: qui legitimè electus, ejectúsque [g] nihilominùs à Benedicto Lunensi, ad Concilium recurrerat; confirmatúsque posteà fuit ab Alexandro Papâ:) & inter Missæ solemnia quemdam Fratrem Minorem Episcopum Diniensem sermonem habuisse de Mercenariis fugientibus: ac luculentissimè ostendisse tales esse contendentes, atque ideò pellendos; & propositiones nunciorum Ruperti discussas egregiè refellisse.

[g] Catel. in Hist. Occita.

VII. PETITUR CONTENDENTIUM DEPOSITIO.

Aprilis vigesimâ quartâ die (ut tam habent cetera acta, quàm Monachus, sed iste longè diffusiùs) convenientibus omnibus in Ecclesiâ cathedrali, Advocatus Concilij suggestum ascendens, spatio trium horarum totum processum divisionis Ecclesiæ, rerúmque ab ipso principio ad illud usque tempus gestarum ex scripto recitavit. Deinde lecti sunt libelli supplices promotorum Concil j quibus petebat, à Concilio approbari unionem duorum collegiorum, convocationem Concilij per eos in urbe Pisarum factam, citationes duorum contendentium, ac contumaciæ eorum declarationem;& ut his omnibus ritè confirmatis, iidem contumaces privarentur dignitate Papatûs, eorúmque fautores omnibus dignitatibus, officiis & beneficiis;& si quid contra hujusmodi privationem attentarent, possent per Iudices sæculares puniri: omnésque Reges ac Principes, ceteríque cuncti cujuscumq; statûs homines ab eorum obedientiâ absolverentur: committerentúrque quidam viri probi & literati ad recipiendas quæstiones & inquisitiones cótra eosdem contendentes producendas, pro majori cautione, quamvis essent omnia satis per se notoria. Quo etiam tempore (ut Monachus addit) Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Universitatis Parisiensis, Ducúmque Brabantiæ & Hollandiæ, & Ecclesiæ ac civitatis Leodiensis nuncij Pisas ingressi sunt:& subsequenter legati Angliæ,& Archiepiscoporum Moguntinensis & Coloniensis.

VIII.

Aliâ verò Sessione, ultimâ die Aprilis celebratâ, (quâ Episcopus Lexoviensis Missam cantavit) Episcopus Salisberiensis in Angliâ qui nuper advenerat, cathedram ascendens increpatis contendentibus hortatus est ex parte Regis sui & Cleri, Cardinales & Concilium diligenter opus unionis agere. Nihílque ampliùs actum eâ die. Fuisse autem hunc Episcopum nomine Robertum Alun, (postea Cardinalem sub Ioanne XXIII.) missúmque unà cum aliis viris gravibus à Clero Anglicano, Walsinghamus [h] narrat: Additque, præmisisse Regem Angliæ oratores suos ad Gregorium Papam & Cardinales cum literis; quibus Papam quidem, horrore immensarum stragium populi Christiani per universum orbem occasione schismatis editarum, nupérque apud Leodium [i], cùm unico Prælio ad triginta hominum millia ceciderunt ratione divisionis inter duos de Episcopatu contendentes, quorum unus ab uno Pontifice, alter ab altero constitutus fuerat; ei proposito, horrabatur, honorem potiùs Apostolicæ Sedis relinquere, quàm hujusmodi detestanda dissimulanter tolerare: exemplo veræ matris, quæ coram Rege Salomone contendens, cessionem potiùs elegit quàm filij sectionem. Cardinales autem precabatur, si Gregorius cederet Papatui, ejus honesto statui sufficienter providere. Ceterùm tradunt Acta Monachi, sequenti die à prædictâ Sessione Concilij (nempè Calendis Maij) Cardinalem Burdegalensem reversum esse Pisas à suâ legatione Gallicâ & Anglicâ: Atque alterâ sequenti advenisse pariter Cardinalem Hispaniæ; nempè Petrum Frias Presbyterum tituli S. Praxedis partis Benedictinæ.

[h] Vualf. in Henr. IV. & odigm.

NUNCII REGIS ANGL. AD GREGOR. ET SYNODUM.

[i] Supr. an. 1406. VII.

IX. DELIGUNTUR PATRES AD EXAMINANDOS TESTES CONTRA CONTENDENTES.

Die quartâ Maij (Maxentianus secundâ dicit) in Concilij Sessione Missam celebrante Episcopo Ebroicensi, Guillelmo de Canteriis dicto) Anglorum nuncij sederunt ad latus sinistrum, Patriarcha verò Alexandrinus & Episcopi Meldensis (Petrus Fresnel, posteà Noviomensis) & Constantiensis in Normanniâ (Ægidius de Campis confessarius Regis Caroli, posteà Cardinalis) nuncij Regis Francorum, Atq; Episcopus Vapincensis nuncius Regis Siciliæ (videlicèt Ludovici Andegavensis) ad latus dexterum post Cambellanum seu Camerarium Romæ. Peractísque Missæ aliísque consuetis solemnibus, cùm Prælati ornamenta sumpsissent,& Patriarcha post primũ Cardinalem Episcopum sedisset, sicuti statutum fuerat; (Ita disertè atque distinctè prædicta omnia exequuntur Acta manuscripta Monachi, quorum nihil in editis, quidam excellens Doctor Bononiẽsis Petrus de Ancharano suggestum ascendens, quæstionibus factis ab oratoribus Ruperti de Bavariâ, quas superiùs vidimus, respondens enucleatè, ostendit præterea contendentes fuisse sufficienter evocatos & posse jam Synodum contra eos procedere. Constituti deinde sunt ad examinandos testes producendos, Cardinales Laudensis (Angelus Presbyter Cardinalis tituli S. Prudentianæ) & S. Angeli pro utroque collegio; pro regno Franciæ Episcopus Lexoviensis & tres Do-

ctores; pro regno Angliæ unus Doctor; pro Provinciâ unus; & pro Alemanniâ duo. Habet item speciatim Monachus, huic Sessioni non interfuisse nuncios Archiepiscoporum Moguntinensis & Coloniensis, ob discordiam inter eos motam de prærogativâ Sedis. Acta verò edita, lectos fuisse aliquos qui Ladislaum Regem adirent ad mitigandum eum, sed quæ ejus fuerit causa iræ, non exprimunt: quam putamus fuisse ratione Gregorij, cujus tunc totus erat.

X. Sequentia distinctiùs narrans ex Actis Monachus, (quorum pleraque tacent edita, solemnium tantum Sessionum Ecclesiæ Cathedralis gesta & decreta summatim recensere solita) ait octavâ die Maij in Ecclesiâ S. Michaëlis, cujus apparitionis festum celebrabatur, Patriarcham Alexandrinum Missam celebrâsse: posteáque sermonem habuisse, quo rationes Bavarorum destruxit. Interfuisséque nuncios Moguntinenses & Colonienses, intermixtim (sicut statutum fuerat) considentes, ita tamen ut primus esset Coloniensis. Eâdem die post prandium in Ecclesiâ S. Martini Cardinalem Prænestinum dixisse, fratres suos Cardinales nihil in prosecutione Unionis agere velle sine deliberatione Concilij; & quòd non omnes ejusmodi deliberationibus interesse possent, satius esse aliquos ad id eligi, qui deliberata posteà ceteris referrent. Statutúmque est de quâlibet provinciâ Archiepiscopum, si adesset, vel Episcopum, aut Doctorem, interventurum. Post quæ Cardinalis Albanus nuncios Benedicti Lunensis brevi affore nuncians, tractandum proposuit de modo receptionis eorum. Ac deliberatione in diem sequentem remissâ, cùm eâ Patriarcha Alexandrinus indiscussum relinqueret qualis honor iis exhibendus esset qui nondum obedientiam Benedicto subtraxissent, nec tamen negaret honestè eos habendos esse absque molestiâ & injuriis: Episcopus Salisberiensis Anglus mirari se dixit quòd aliqui subtraxissent, alij non: necesséque esse ut in Concilio omnes unius essent voluntatis, & subtractio communis omnibus, nullúmque honorem esse iis nunciis exhibendum. Cujus sententiæ accessit etiam Patriarcha, necnon Episcopus Cracoviensis (Petrus [k] Vissus dictus) nuncius Regis Poloniæ, Moguntinus & Coloniensis nuncij, & alij. Decimáque die Maij in generali totius Concilij Sessione, petitâ Patrum sententiâ de communi subtractione, cùm omnes approbarent; exceptis, ut habent Acta edita, duobus Episcopis, uno Anglico, & altero Alemano) decretum ejusmodi consensionis pronunciavit Concilij nomine Patriarcha Alexandrinus; qui ad hoc è sede suâ, quam inter duos antiquiores Cardinales habebat, pulpitum ascendit. Et die decimatertiâ Cardinalis Prænestinus nomine omnium Cardinalium eidem subtractioni adhæsit. Subtractio verò in scriptum relata, decimaseptimâ die comprobata fuit, non solùm ratione Synodi, verùm etiam cunctorum CHRISTUM fidelium: revocatæque & & irritæ declaratæ sententiæ omnes per contendentes contra subtrahentes latæ; & ut ad ulteriora circa testium auditionem, & processuum confectionem, lecti ad hæc à Synodo absque morâ procederent. Ac demùm die vigesimâ secundâ ejusdem mensis Maij eadem subtractio, cum ceteris decretis prædictæ diei decimæseptimæ, de consensu totius Synodi publicè lecta est per eumdem Patriarcham, quod scriptum verbatim recitatur tam in actis Monachi, quàm editis.

MODUS RES AGENDI.

SUBTRACTIO FIT AB OMNIBUS UTRIQUE CONTENDENTI.

k Cromer. lib. 16.

Post quæ variis aliis diebus & sessionibus; factis publicè relationibus de testium auditionibus super singulis articulis contra contendentes propositis: repetitísque citationibus & evocationibus ad valvas Ecclesiæ per quosdam Cardinales & alios Prælatos; ac datis terminis competentibus: cùm etiam ad corroborandam Concilij auctoritatem; Doctor quidam magni nominis Scholæ Parisiensis nomine Petrus Plaout vigesimâ nonâ Maij concione in Synodo habita Ecclesiam exaltando, asseruisset eam esse supra Papam, tam ex parte materiæ, scilicèt animarum, quàm ex parte formæ, quæ est Spiritus sanctus, quàm etiam ex parte causæ efficientis, quæ est ipse Christus, ac denique ex parte finis, quæ est ipse Deus in Ecclesiâ triumphante; & hanc esse opinionem Universitatis Parisiensis aliarúmque Gallicanarum: ídque ipsum de Bononiensi, multísque Doctoribus idem sentientibus, Episcopus quidam Italicus confirmâsset: (quæ exactè referunt Acta edita:) Ultimò, quintâ die mensis Iunij, solemni *Sessione* (cui Monachus ait interfuisse octies viginti Archiepiscopos, Episcopos, & abbates mitris ornatos, sexies viginti Magistros in Theologiâ, trecentos Doctores in Iure civili & canonico; præter nuncios Regum & Principum: inter quos expectabantur nuncij Regum Hungariæ & Boëmiæ, ac Magistri Hospitalariorum) post Missam, aliáque solemnia, per Patriarcham Alexandrinum, adstantibus sibi à dextris & sinistris Patriarchis Antiocheno & Ierosolymitano, valvis Ecclesiæ patentibus, præsentéque multitudine quantam Ecclesia capere poterat, lecta è suggestu est sententia diffinitiva contra utrumque contendentem Petrum de Lunâ Benedictum XIII. & Angelum Corarium Gregorium XII. uti contra notorios ac pertinaces schismaticos & hæreticos, à fide devios, notoriisque enormibus criminibus perjurij & violationis voti irretitos, &c. ob quæ seipsos indignos omni dignitate præbuisse, & ipso facto abjecisse, privâsse, & ab Ecclesiâ præcidisse, sancta Synodus declaravit, ac nihilominùs eosdem privavit, abjecit, ac præcidit: Ecclesiam Romanam vacare ad cautelam decrevit: omnes Reges ac Principes, cunctósque fideles ab eorum obedientiâ absolvit; prohibens nequis alicui eorum auxilium vel favorem præstaret sub pœnâ excommunicationis: quódque si iidem depositi parere contemnerent huic sententiæ, ipsos eorúmque fautores etiam sæculares potestates compescerent. Cunctos insuper processus sententias, privationes, & depositiones, contra quoscumque ab iis factas & latas nullius momenti esse declaravit, & penitùs irritavit; ac promotiones, seu veriùs profanationes Cardinalium ab iis factas, videlicèt per Angelum à die tertiâ Maij, & per Petrum à die decimaquintâ Iunij anni præteriti 1408. esse nullas decrevit. Quæ sententia refertur in Actis editis, & apud Niemum [l]: cùm deinceps

SENTENTIA SYNODI CONTRA CONTENDENTES.

l Niem. 3. de Schism. 44.

nihil de sequentibus synodalibus gestis Monachus habeat; præter electionem Alexandri; de quâ posteà.

XII. SESSIO XVI.

Anteà verò *Sessione decimasexta* (ut numerant Acta edita) celebratâ die decimâ Iunij, ab Archiepiscopo Pisano lecta est quædam schedula, (ut vocant) quâ Cardinales scripto à cunctis præsentibus subsignato promittebant, siquis ipsorum in Summum Pontificem eligeretur, Concilium prorogaturum quousque facta esset reformatio universalis Ecclesiæ tam in capite quàm in membris: & siquis absens eligeretur, non publicaturos electionem donec electus id ipsum observare promisisset. Cui scripto subscripserunt viginti Cardinales tunc præsentes: ac subinde alij quatuor qui posteà venerunt.

SESSIO XVII. DATUR À SYNODO FACULTAS CARDINALIBUS CREANDI PONTIF.

Sessione decimaseptima die decimatertiâ Iunij, Patriarcha Alexandrinus cum Antiocheno & Ierosolymitano, ex pulpito legit schedulam, quâ Concilium facultatem Cardinalibus à diversis contendentibus creatis ad electionem unius Pontificis procedendi concedit: absque præjudicio imposterùm auctoritatis quam suæ vi dignitatis haberent Cardinales in similibus electionibus. Itémque irrita & nullius momenti declaravit esse, quæcumque à Petro de Lunâ quocumque tempore, à Gregorio verò à die tertiâ Maij anni proximè præteriti, facta, dicta, aut decreta, per censuras aut pœnas fuissent contra omnes & singulos unionem Ecclesiæ procurantes aut solicitantes.

XIII. SESSIO XVIII. LEGATI PETRI DE LUNA QUOMODÒ À SYNODÒ RECEPTI FUERINT.

Sessione decimaoctava die decimaquartâ Iunij comparuerunt legati Regis Aragoniæ: qui petentes instrui de Actis in Synodo, responsum acceperunt commissuram Synodum aliquos qui eis in hoc satisfacerent. Quod autem petierunt, etiam audiri nuncios Petri de Lunâ qui æquè advenerant; responsum est, quamvis de jure contra sententiam latam in hæreticum admitti non deberent, tamen ob reverentiam Regis fore qui eos audirent extra Synodum. Qui coram nonnullis Cardinalibus auditi post prandium in Ecclesiâ S. Martini, absque ullo honore excepti, sed & exsibilati cùm Petrum vocarunt Benedictum Papam; demùm declarantes se habere quo impugnarent capitula quædam in Synodo statuta, permissi sunt quæ vellent proponere, modò Synodo vel ejus Actis injurij non essent, alioqui vix eos securos fore. Ad quòd dicentes se deliberaturos, recesserunt in hospitium, & sequenti die clanculò abierunt è Pisis; cùm per urbem conclamaretur in eos tanquam in Iudæos. Fuisse tamen eos viros gravissimos, & præcipuâ dignitate conspicuos, ex Suritâ [m] intelligitur: nempè Archiepiscopum Tarraconensem, Saguntinum, Mimatensem, & Senensem Episcopos; Bonifacium [n] Ferrerium Domnum Carthusiensem, insignis pietatis & peritiæ juris virum, fratrem mirifici illius Vincentij Ferrerij de quo suprà; Priorem Cæsaraugustanum, & Ministrum provinciæ Gallæciæ; sed, ut ait, missos tantùm ut perscrutarentur quibus conditionibus res ad concordiam deduci possent, seu, ut clariùs Mariana [o] refert, simulatione ineundæ concordiæ, re autem ut Patrum conatus cognoscerent, exploratáque renunciarent; cùm parùm spei esset Petrum quicquam voluntate facturum. Nam & tradidit Niemus [p], ipsum aliquot antè diebus quàm sententia Synodi lata fuisset, publicari fecisse in quâdam Ecclesiâ Pisarum citationem contra Cardinales qui à se recesserant, cum minis, nisi intra certum terminum redirent, se adversùs eos processurum.

m Sur. Indic. lib. 3.

n De quo plura infr. an. 1419. XII.

o Mar. lib. 19. c. 18.

p Niem. 3. de Schism. 45.

XIV. SESSIO XIX.

Sessione decimanona die Sabbati 15. Iunij, nihil aliud actum est quàm quòd post cetera solemnia, Missa de Spiritu sancto celebrata est per Archiepiscopum Lugdunensem, (Philippum de Tureio, fratrem Cardinalis) & factus sermo per Episcopum Novariensem, hortatorius ad Cardinales pro optimo eligendo Pontifice. Qui eodem die ad vesperam Conclave ingressi (cujus custodiam demandatam fuisse Philiberto de Nailacco Magistro Hospitalariorum, qui paulò antè Pisas advenerat, eorum Annales [q] tradunt) numero viginti quatuor: die Mercurij vigesima sextâ ejusdem mensis unanimi omnium consensu elegerunt *Petrum Philargi*, (sive Philareti) natione Græcum, patriâ Cretensem; indéque, vulgò *de Candia* dictum, professorem Ordinis Minorum, summúmque Theologum, & commentariis in libros Sententiarum, aliísque nonnullis scriptis illustrem; ex Archiepiscopo Mediolanensi creatum ab Innocentio VII. Cardinalem Presbyterum tituli SS. XII. Apostolorum: ceterùm ignotæ originis, adeò ut nullum umquam propinquum aut affinem noverit: quippe qui in pueritiâ victum mendicando ostiatim quærens, ab uno quodam Minorita Italo in Cretâ commorante piè susceptus, ac literis Latinis instructus, cùm habitum Ordinis ibidem suscepisset, ab eodem in Italiam delatus fuerit. Vnde in Oxomensi Angliæ Scholâ, postéaque in Parisiensi, liberalibus artibus philosophiâ ac Theologiâ apprimè imbutus, in Longobardiam rediens, scribendo ac prædicando clarus adeò evasit, ut Ioannes Galeatius primus Dux Mediolanensis, cognitâ prætereà ejus in rebus agendis prudentiâ, primum ei locum in suis Consiliis tribuerit; & primùm Episcopum Vicetinum, deinde Novariensem, ac demùm Archiepiscopum Mediolanensem creari curaverit: ejus etiam ministerio usus in gravissimis legationibus, ac præcipuè in obtinendâ ab Wenceslao Imperatore Ducali dignitate. Ab Innocentio, ut diximus, ob virtutum & scientiarum merita allectus in Cardinalium collegium, varias etiam legationes tam sub eo quàm sub Gregorio obivit: donec à Gregorio cum ceteris recedens, electus est in Pontificem. Ita de illo Ciacconius [r] ex Niemo [s]: quæ fuit etiam communis plerorumque Scriptorum assertio. Cùm nihilominùs Sigonius [t] ex quodam ejus temporis Chronistâ scribat, eum in vitæ termino declarâsse Bononiensem se esse, licèt de vili progenie; à longo verò insulæ Cretæ incolatu existimatum Cretensem. Alij [u] etiam natum dixerint in Chursinallo vico in montibus diœcesis Novariensis. Examinabit ista dilucidè, & quæstionem decidet doctissimus Fr. Lucas Vvaddinghus Minorita Hibernus, cùm ad eum pervenerit in eruditissimis suis Annalibus Minorum. Hæc nobis modò satis ad res magis indicandas quàm dijudicandas; cùm tamen antiquioribus & pluribus tutius satiúsque censeamus inhærere, quàm recentioribus & singularibus.

q Bos. to 2. l. 6. 4.

PETRUS PHILARGI ELIGITUR PONTIFEX.

r Ciacc. in Innoc. VI.

s Niem. 3. de Schism. 51.

t Sigon. de Episc. Bonon. lib. 3.

u Vid. addit. ad Ciac. in Innoc. VI.

maximè cùm idem Niemus, qui eum apprimè novit, asserat id de se ipsummet in ultimis constitutum testatum esse. Aitque fuisse cùm electus est septuagenarium: à quo multùm exorbitant qui nonagenarium fuisse scripserunt; meritò verò ALEXANDRI (ejus appellationis Quinti) nomine nuncupatum esse volunt, quòd liberalitate & magnitudine animi cum Alexandro Magno, alióque quovis optimo Principe conferri posset, quamquam non potuerit Niemi [x] ungues effugere, damnantis eum nimiæ in gratiis faciendis, & beneficiis conferendis, ac dispensationibus concedendis facilitatis, sine ullo personarum delectu aut discrimine; unde & fuerint multa officia Curiæ deformata, ac potissimùm Supplicationũ ac Literarum Apostolicarum. Nimirùm ipse in his Niemus causam suam agens, quòd esset Apostolicus scriptor hujusmodi Literarum, (non ab Epistolis Pontificum, sive Secretarius, ut multi existimârunt) ac proinde ex liberalitate Alexandri detrimentum aliquod lucri cum sociis & collegiis pateretur.

NOMEN ACCEPIT ALEXANDRI V.

[x] Niem. c. 51. 52. 53.

XV. SESSIO XX. PRO CONFIRMATIONE GESTORUM SYNODI.

Post Alexandri electionem facta est *Vigesima* Concilij *Sessio* primâ die mensis Iulij. Quâ post consueta solemnia; (ut acta habent) Cathedra Papæ fuit altè posita ante magnum altare in medio, & ex opposito ipsius in ultimâ parte Concilij fuerunt positæ tres magnæ & altæ cathedræ pro tribus Patriarchis, qui in iis sederunt. Et posteà de mandato Papæ fuit lectum decretum ipsius electionis; Idémque ipse sermonem habuit de officio pastoris erga gregem, & gregis erga Deum. Deinde promulgata sunt à Cardinale Bononiensi statuta ab eodem Pontifice facta de confirmatione rerum in hâc Synodo Pisanâ catenùs gestarum, & unione utriusque Collegij Cardinalium. Decretúmque ut Dominicâ sequenti, quæ fuit dies 7. Iulij ejus coronationis solemnia fierent. Sicuti & factum [y] est. Ac *Sessione vigesima prima* habitâ 10. Iulij præter alia minora, Alexander revocavit & nullos declaravit omnes & quoslibet processus confectos, & sententias latas toto tempore Schismatis à Pontificibus inter se contendentibus contra quaslibet personas, communitates, collegia, regna, &c. & quoscumque iis quomodolibet comprehensos in quantum necesse esset absolvit, & in integrum restituit.

[y] Niem. c. 51.

SESSIO XXI. IRRITANTUR CENSURÆ A CONTENDENTIBUS LATÆ.

XVI. LUDOVICUS REX RECIPITUR AB ALEXANDRO ET SYNODO.

Cùm verò sequens Sessio indicta fuisset in diem 17. ea prorogata fuit (ut habent Acta) in 27. propter adventum Regis Ludovici. Nimirùm Ducis Andegavensis; quem Siciliæ Regem electum, à Ladislao pulsum olim vidimus. Factâ autem nuper per nuncios suos cum Florentinis, Senensibus, & Legato Bononiensi Balthazare Cossâ Cardinale confœderatione contra Ladislaũ terras Ecclesiæ ac Tusciam devastantem; veniens ex Provinciâ, & tam ab Alexandro quàm à Cardinalibus summo honore receptus, & in Regem Siciliæ contra Ladislaum abdicatum confirmatus, ac Vexillifer Ecclesiæ constitutus; paulò pòst unà cum eodem Cardinale Balthazare, & auxiliaribus copiis Florentinorum totum patrimonium sancti Petri in Tusciâ, multásque alias civitates ad obedientiam Alexandri reduxit: Iidémque Romam versùs euntes, auxilio Pauli Ursini qui Ladislaum deseruerat, castrum S. Angeli in eâdem obedientiâ confirmârunt, ac in circuitu nonnulla castella rebellia ceperunt; ad Pontificem inde redeuntes: prout Niemus [z] narrat & Antoninus [a]. Cùm verò adhuc Urbs in potestate Ladislai remansisset, ob fortem propugnationem Comitis Trojani ejus ducis; fine tamen anni factum est arte & fortitudine prædicti Pauli Ursini, & Malatestæ copiarum Florentinorum ductoris, ut & ipsa victo & fugato Trojano, ab obedientiam Alexandri reducta sit; ut idem Antoninus recenset. Sed ad reliqua Synodi.

[z] Niem. d. cap. 52.
[a] Ant. tit. 22. c. 5. §. 6.

XVII. SESSIO XXII.

Sessione vigesima secunda celebratâ die 27. Iulij, idem Alexander confirmavit omnes quascumque provisiones beneficiorum, & consecrationes; atq; ordinationes sacras factas à cõtendentibus personis huic Synodo adhærentibus, dûm tamen aliàs canonicè factæ essent. Statutúmque est, iterùm generale Concilium fore convocandum triennio pòst, videlicèt anno Dom. 1412. mense Aprili, loco uno antè anno declarãdo. Post quæ tam Pontifex quàm Cardinales liberaliter remiserunt omnia usque ad ejus creationem debita ab Ecclesiis ratione servitiorum: necnon renunciavit in futurum reservationibus bonorum seu spoliorum morientium Prælatorum, & fructuum medij temporis beneficiorum vacantium. Demùm *Vigesima tertia* eâdémque ultimâ *Sessione* factâ die septimâ Augusti, decretum fuit, ut antè Concilij futuri celebrationem fierent Concilia provincialia, & Capitula monachorum: deputarentúrque modò ex parte Pontificis & Concilij nuncij ad Reges & Principes, ad publicanda Concilij Acta. (Quod & diligenter præstitum [b] est, scriptis tam à Synodo quàm ab Alexandro literis encyclicis ad omnes Principes, Prælatos, populos, necnon privatis ad singulos de cunctis rebus gestis, & rationibus earum; & ut Benedicto ac Gregorio rejectis, Alexandro adhærerent, & Synodi decretis.) Concessa omnibus qui Concilio interfuissent, aut ei adhæsuri essent, absolutio plenaria à pœnâ & culpâ semel in vitâ. Ac denique pro reformatione Ecclesiæ tam in capite quàm membris jam cœptâ, sed difficilè nunc perficiendâ ob regressum Prælatorum ac nunciorum, decretum est, continuatum iri illam usque ad proximum jam indictum Concilium generale; hócque ipsum Pisanum prorogatum & continuatum usque ad celebrationem alterius, datâ solùm interim licentiâ Prælatis suas Ecclesias invisendi, posteà ad illum alium locum designandum reversuris pro continuatione Concilij.

CONCIL. ALIUD DECERNITUR IN TERTIUM ANNUM.

[b] Bzov. hoc an.

CONTINUATIO CONCILIJ PISANI USQUE AD CELEBRATIONEM ALTERIUS.

XVIII. DE AUCTORITATE SYNODI PISANÆ.

Hactenùs Acta Synodi Pisanæ. De cujus auctoritate, ac proinde de Pontificatu Alexandri, cum multi dubitaverint, eò quòd absque ullâ Romani Pontificis auctoritate celebratum fuerit; satis sit contra eos dicere, haud aliter potuisse fieri tempore schismatis. Cùm enim non est certus Pontifex, perinde est ac si nullus esset, & sic Ecclesia potestatem habet unum eligendi. Eóque etiam propendere visam esse Ecclesiam, cùm tam eumdem Alexandrum, quàm qui ei ex eâdem dictæ Synodi auctoritate suffectus est Ioannes XXIII. inter legitimos Pontifices agnovit: rejecto non solùm Benedicto Lunensi, sed etiam Gregorio Corario ab eo tempore quo ab hâc Synodo abdi

catus est: alioquin enim nec Concilium Constantiense alicujus fuisset ponderis, quòd auctoritate prædicti Ioannis convocatum est. Ac quamvis initio visum fuerit auctum Schisma, ut pro duobus qui priùs erat, tres postmodùm se pro Pontificibus gesserint; quòd nec Benedictus nec Gregorius decretis Pisanis obtemperare voluerint: nihilominùs longè breviori tempore extinctum est hâc via Schisma, ut pòst apparuit, quàm fieri potuisset cùm duo tantùm contendebant, quorum collusione & obstinatione fiebat ut nulla spes esset unionis ac pacis, sed turbæ in dies augescerent. Denique post Synodum Pisanam, habuit tantùm Benedictus sibi obedientes Reges Hispaniæ; (Lusitano excepto, qui ab ipso initio Schismatis semper Pontificibus in Italiâ sedẽtibus adhæsit) & Scotiæ; ac Comitem Armaniaci; nec nisi pauco tẽpore: Gregorius Ladislaũ Regem & quasdã civitates Italiæ, pauco item tẽpore, ut pòst videbitur: Alexandro favente & obediente toto reliquo Christiano orbe. Etiamsi [c] ejus in Germania obedientiam Rupertus Rex multùm perturbare conatus sit, eò quòd Alexãder suis literis VVenceslaum olim depositum adhuc tamen Regem Romanorum nominâsset; ea de re valdè conquestus apud Principes. Quanto autem applausu ejus electio in Gallia accepta fuerit, Monstreletus [d] narrat. Nec adeò moramur S. Antoninum, qui numquam adduci potuit Synodum Pisanam pro legitimâ agnosceret, aut Gregorij depositionem approbaret. Quippe qui cùm Ioannis Dominici Cardinalis Ragusini (de quo suprà [e]) qui semper Gregorio adhæsit, discipulus fuerit; non potuit ab ejus sententiâ abire, cui & alij nonnulli adhæsêre; quamvis, ut diximus, plures & Synodum & Alexandrum approbaverint, quibusdam nec approbantibus nec reprobantibus. Cùm & alioqui talis esset Gregorius & vitâ moribus, consensu omnium, ut longè indignus hujusmodi infortunio censeretur; quod etiam magnâ constantiâ toleravit.

TRES PONTIFICES EODEM TEMPORE.

[c] *Niem. 3. de Schism. 53.*

[d] *Monstrel. lib. 1. cap. 52.*

[e] *An. 1408. VI.*

XIX.

GREGORIUS SUAM SYNODUM CELEBRAT.

Ceterùm idem Gregorius, quem vidimus Synodum suorum indixisse in provinciâ Aquileiensi ad festum Pentecostes præsentis anni, quò sic eos avertere à Concilio Pisano conaretur; celebravit [f] eam in civitate Austriæ diœcesis Aquileiensis, cum paucis sibi adhærentibus Antistitibus, & procuratoribus nonnullorum absentium, atque Principum sæcularium. Quid verò in eâ gestum sit, non reperimus: nisi quod habet Niemus [g], cum sibi timentem ab insidiis Antonij Patriarchæ Aquileiensis, quem ipse anno præcedenti levi de causâ [h] deposuerat, quíque sollicitissimè quærebat eum ex loco sui Concilij abeuntem intercipere; itémque veritum ne ex Synodi Pisanæ decreto contra se procederetur: schedulam quamdam publicâsse quasi ex dictâ suâ Synodo Austriæ die quintâ Septembris; quâ unionis Ecclesiæ vehementissimum desiderium præseferens, ex veteri cantilenâ declararet paratum se cum effectu renunciare Papatui, & si quando simul & personaliter in eodem loco Petrus de Lunâ & Petrus de Candiâ suis prætentis juribus renunciarent. Et quoad determinationem loci conveniendi in unum; concedere se Ruperto Romanorum, Ladislao Siciliæ, & Sigismundo Hungariæ Regibus concordandi de illo. Quòd si his adversarij consentire nollent, & concedere se plenam facultatem iisdem adversariis de Concilio generali trium obedientiarum convocando, & locum ejus designando; quo se venturum omninò profitebatur, ejúsque decretis staturum, dummodò idipsum ceteri præstarent. Ac prædictis item Regibus plenariam concedere potestatem prædicta exequendi. Ita quidem Gregorius: sed utrùm animo unionis perficiendæ, tum faciebant dubitare præteritæ ejus promissiones, etiam cum juramento, & voto factæ, nec tamen adimpletæ; tum quòd conditiones apponebat penè vel etiam penitùs impossibiles: nempè convocandi in unum tres contendentes, quando quidem nec à duobus id umquam impetrari potuisset; & ut id præstaretur per tres Reges, qui summis odiis sese invicem prosequebantur: quippe Ladislaus ejusque pater Sigismundum ab Hungariâ deturbare quæsîssent; Rupertus depositionis VVenceslai fratris Sigismundi præcipuus auctor extitisset ínque ejus locum subrogatus; idémque Ladislaus imperium Italiæ ambiret contra Rupertum, urbes capiendo quæ erant Imperij: ut hæc omnia vidimus superiùs.

[f] *Niem. 3. de Sch. 36. Anton. tit. 22. cap. 5. §. 3.*

[g] *Niem. c. 45. & 46.*

[h] *Id. Nem. tract. 6. c. 40.*

NOVA PROPONIT SPECIE UNIONIS.

XX.

QUID PORRÒ GREG. ET BENED. EGERINT.

Quò verò Gregorius manus effugeret Patriarchæ, simulato [i] habitu solus equitans cum duobus peditibus iter suscepit; & sic inter medios insidiantes incolumis pertransiit. Ejus verò confessor subsequens apparatu Pontificio cum magno comitatu & stipatorum catervâ, captus & malè habitus fuit Gregorius autem triremibus Ladislai delatus in Aprutium: inde Caietam se recepit, maritimam urbem munitam & amœnam. Ubi cum pauco comitatu aliquandiù mansit: quousque à Ladislao (ut Antoninus [k] habet) iniqua ab eo petente circa beneficiorum Ecclesiasticorum provisionum, nec obtinente; sive aliâ occasione, de quâ posteà [l], dimissus, mari Ariminum rediit. Benedictus [ll] autem post suum pariter Perpiniense Conciliabulum, Pyrenæo transcenso Barcinonem ad Regem Aragoniæ accessit: & 12. Calendas Novembris decem Cardinales qui à se defecerant diris execrationibus devovit; ac contra se & Romanam Ecclesiam conspirantes, sacrilegos, schismaticos, & novorum, ut nominat, sub schismatum fautores, læsæ majestatis, perduellionis, & parricidij convictos latâ sententiâ denunciavit. Posteà rebus etiam regni intendit; donec, ut dicetur, in munitionem Pagniscolæ, seu Peninsulæ regni Valentini ac diœcesis Dertusensis, sese inclusit, Pontificium nomen magnâ semper obstinatione retinens. Alexander autem soluto Concilio Pisano, ob pestem ibi subortam primò Pistorium, inde Bononiam sese recepit, Romam inde petiturus, quò à civibus vocabatur. Cùm interim (ut diximus, & Donatus Bossius [m] & Volaterranus item observant) Apuliæ regnum Ladislao ejus jure dejecto, Ludovico Ludovici Andegavensis filio adjudicâsset.

[i] *Niem. 3. de Schism. 49. & 50. Anton. d. § 3.*

[k] *Ant. §. 2.*

[l] *Infr. an. 1411. I.*

[ll] *Surit. Indic. lib. 3.*

[m] *Boss. in Chron. Volat. lib. 11.*

XXI.

ALEXANDRI CONSTITUTIO DE RELIGIOSIS MENDICANTIBUS.

Cùm autem adhuc Pisis esset, quarto Idus Octobris constitutionem edidit in favorem Ordinum Mendicantium, quam refert Monachus Dionysianus in suis Annalibus; extátque pariter in alio codice manuscripto Victorino [n]: quâ post narrata quæ Bonifacius VIII.

[n] *Cod. S. Victor. P. 10. fol. 347.*

in

in constitutione *super Cathedram*, & Clemens V. de eâdem in Concilio Viennensi statuisset super prædicationibus, & confessionibus, ac sepulturis; quæque posteà Ioannes XXII. de condemnatione articulorum Ioannis de Poliaco promulgâsset: cùm ut ait, nuper Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & B. Mariæ de Carmelo Ordinum querelæ ad se delatæ essent, quòd nonnullæ Ecclesiasticæ personæ atque utriusque sexûs homines, nedum prædictos damnatos per eundem Ioannem Papam, sed etiam quosdam alios prorsùs erroneos articulos non vererentur adstruere; putà confessionem Fratribus factam multis esse dubitabilem & incertam, ac propterea homines teneri dimittere incertum, & solis suis sacerdotibus curam animarum habentibus de quibus nullum est dubium confiteri: Item, quamvis Fratres habeant auctoritatem audiendi confessiones & absolvendi, tamen populum subjectum non habere potestatem accedendi ad eos sine licentiâ proprij sacerdotis: Item, sacerdotem curatum dantem licentiam Mendicantibus audiendi confessiones, magis dispensare cum statuto *omnis utriusque*, quàm Papam Fratribus dantem licentiam juxta formam decretalis *dudum*: Hos omnes articulos, & alios tam veteres quàm recentes, tanquam erroneos, & sacris canonibus contrarios, idem Alexander prædictâ sua constitutione damnavit: & quicumque eos defendere aut asserere præsumerent, hæreticos esse censendos, & excommunicationis sententiam ipso facto incurrere decrevit.

XXII. Universitas Paris. insurgit adversùs illam.

Quæ cùm audîsset Universitas Parisiensis, atque inde valdè commota fuisset in Mendicantes, quòd adeò gravioribus pœnis prohibitiones prædictas fieri curâssent, ac subreptitiè impetrâssent ad supplantandum statum primitùs à CHRISTO institutum de Prælatis & curatis: Fratres Prædicatores (qui non ita pridem restituti fuerant à vexatione quam passi fuerant ob quæstionem de conceptione Beatissimæ Virginis, ut aliàs vidimus) publicè testati sunt, ejusmodi constitutionem ipsis insciis impetratam fuisse, neque eam approbare, satísque sibi esse uti privilegiis concessis ante Pontificatum Alexandri; atque ideò suppliciter exorare matrem Universitatem, ut sicut sibi obtemperabant humiliter, sic eos gratos, & ordinem commendatum haberet. Quorum exemplum Fratres de Monte Carmelo secuti sunt. Ceteris autem nihil remittentibus, Universitate procurante auctoritate regiâ ante eorum domicilia publicâ præconum voce, sub amissione bonorum temporalium prohibitum est curatis & viris Ecclesiasticis, ne quicumq; Minorum aut Augustinianorum sinerentur in Ecclesiis suis prædicare, aut permitterentur confessiones audire, aut absolutionis sacramentum administrare. Ita apud Monachum, & codicem Victorinum: quo etiam continentur [o] propositiones Facultatis Theologicæ Parisiensis contra eamdem constitutionem Alexandrinam. Quam quidem factam fuisse instantiâ Fratrum Minorum, nullum videtur esse dubium, quos abusos esse in multis facilitate & benignitate Alexandri religionis suæ professoris, & non solùm plures Episcopatus; verùm etiam officia curialia nullo modo eorum instituto consentanea percepisse, adeóque de ejus Pontificatu lætatos esse, ut discurrentes catervatim per vicos & plateas, viderentur esse mente capti; Niemus [p] qui videbat scribit. Ceterùm hanc Alexandri constitutionem revocatam fuisse à Ioanne ipsius successore, & ob turbas inde exortas, res omnes, jura & causas de quibus in eâ fit mentio, in eodem statu per omnia remanere jussas quo erant anteà; docet nos ejusdem Ioannis eâ de re facta constitutio Bononiæ quinto Calendas Iulij Pontificatûs ejus anno primo (nempè sequenti) paulò post suam electionem; quam vidimus in quodam codice [q] Bibliothecæ S. Victoris. Quemadmodùm & alias de eorumdem Minorum rebus datas ab eodem Alexandro literas, revocatas & nullius roboris declaratas esse à Concilio generali Constantiensi, constat ex ejus [r] Actis.

[o] Ibid. fol. 346.

[p] Niem. 3. de Sch. 51. & 53.

Revocatur.

[q] Cod. Victor. p. 8. fol. 88.

[r] Concil. Constant. Sess. 19.

XXIII. Alexandri decretum contra Ioan. Huss.

Cùm autem etiam factus apud Apostolicam Sedem reus seditionis & erroris Ioannes Huss Boëmus, de quo anno superiori, coram Pontifice citatus, sistere se contempsisset; mandavit Alexander Stinconi Archiepiscopo Pragensi, Apostolicâ auctoritate prohibere ne prædicationes aut sermones ad populum fierent, nisi in Ecclesiis, aut earum cœmeteriis; nec quis articulo Wickleffi publicè vel occultè proferre auderet: & siquis contrarium faceret, uti hæreticus censeretur, & captivus detineretur, invocato auxilio brachij sæcularis. Adversùs quod Alexandri mandatum multa oblocutus Huss, tanquam esset factis & verbis Christi & Apostolorum contrarium, qui ubique prædicare consueverant; ab eo ad ipsummet Alexandrum meliùs informandum appellavit; ut narrat ipsemet eo quem de Ecclesiâ inscripsit libro; & ex eo Cochlæus in Historiâ [s] Hussitarum. Ubi etiam addit, Stinconem Archiepiscopum animadvertentem Hussi proterviam, nec ullam in Wenceslao Rege, omnia per socordiam negligente, auxilij spem superesse; ad Sigismundum ejus fratrem in Hungariam proficisci decrevisse ad ejus opem implorandam; sed in itinere mortem ex mœrore obiisse, ingenti Ecclesiæ & Reipublicæ damno, ob infames successoris mores; de quo posteà.

Hussi protervia.

[s] Cochlæ. lib. 1.

XXIV. Burgini Fratricelli ficta pietas, et supplicium.

Circa hæc tempora Concilij Pisani ait Nydes [ss] tunc vivens, fuisse in diœcesi Constantiensi Germaniæ Beghardum seu Fratricellum merè sæcularem nomine *Burginum*: qui eremiticam vitam magnâ austeritate ducens, orationíque & contemplationi multùm ut videbatur, incumbens, revelationes etiam à maligno spiritu sub specie angeli lucis habere cœpit. Ex quibus Regulam quamdam & novam religionem cudens, discipulos etiam, velut alter Antonius aut Pachomius esset, sibi adscivit: tam rigidam & austeram vitam unà cū suis servans, ut nisi pertinacia & inobedientia intercessisset, veri & boni Angeli instinctu ductus visus fuisset. Ac per Episcopum Constantiensem examinatus, adeò cæcam & protervam mentem habere repertus est, ut etiamsi Rom. Pontifex, & Dei Ecclesia Regulam quā sibi confecerat condemnâsset, non se sed errare eos omninò existimaret. In quâ pertinaciâ perseverans, per Inquisitorem judicio sæculari

[ss] Nyder 3 Formic. 2.

tradi

traditus, igne combustus est cum suâ Regulâ. Qui sunt fructus præsumentium altiora sapere quàm pro captu.

XXV. MARTINI REG. TRIN. OBITUS.

Hoc anno *Martinus* Trinacriæ, sive insulæ Siciliæ Rex, cùm in Sardiniam progressus ad eam patri Aragoniæ Regi asserendam, post grandem de rebellibus partam victoriam. Calari in morbum incidisset; octavo Calendas Augusti in ipso juventutis flore, cursúque rerum gerendarum, extinctus est, ut fama fuit; ex importunis complexibus puellæ pucherrimæ nondum confirmatâ valetudine. Cùm nullam haberet prolem legitimam, patrem reliquit tabulis testamenti regni Siculi heredem, uxorem Blancam ejusdem procuratricem. Cujus obitu ingens in Aragoniâ luctus factus est, quòd nullum alium pater filium haberet; multáque excêpere de successione in utroque regno certamina, de quibus posteà.

XXVI. GENUA REBELLAT REGI FRANCORUM.

Eodéque anno Bussicaldus Reipublicæ Genuensis pro Rege Francorum gubernator, cùm aliquo tempore acceptissimus Genuensibus fuisset, posteà ob nimiam erga populum dissensionibus & intestinis odiis perversissimam severitatem, invisus factus; & quòd qui omni sordium infamiâ ad eam diem intactus vixerat, Gabrielem Vicecomitem Ioannis Galeatij nothum, specie consiliorum adversus regiarum rerum statum clàm initorum, (re, ut verius creditum est, ne dissolvere cogeretur magnam pecuniæ vim, de quâ pro Florentinis erga eum intercesserat, occasione venditionis Pisarum iis ab eodem Gabriele factæ) capitali supplicio affecisset, in summam invidiam apud multos adductus: cùm hoc anno à Duce Mediolanensi ad eam civitatem factionibus perturbatissimam regendam evocatus fuisset; illam præfecturam adeptus, cùm audîsset interim Genuam rebellâsse, eò mox regressurus Mediolano relicto, eo quoque privatus est, nec Genuam recuperare valuit, quæ interim sese Marchioni Montisferrati dederat. Sicque utrimque delusus, post quosdam irritos conatus in Galliam se recepit. Nec diù pòst Monferratensis à mobilissimo & inconstantissimo populo Genuensi æquè pulsus est. Quæ uti se habuerint describunt ejus gentis historici [t].

t *Nebiens. lib. 5. Foliet. lib. 9.*

XXVII. IO. DE MONTE-ACUTO INIQUUM SUPPLICIUM.

Parisiis factione Ducis Burgundiæ capite plexus est Ioannes de Monte-acuto magnus Magister Domûs Regiæ, ob potentiam pluribus invisus. Qui peculatûs accusatus, & injuriâ magis quàm jure damnatus, magnâ patientiâ supplicium subiit, non parùm à Parisinis desideratus. Fratres habebat Ioannem Archiepiscopum Senonensem, & Gerardum Episcopum Parisiensem: quorum ille capi etiam jussus, arte manus lictorum evasit; iste præ pudore tantæ ignominiæ extra regnum abiit. Ita Monachus [u] Dionysianus & Iuvenalis dolentes vehementer de misero regni statu: Monstreletus [x] tamen Magistrum jure plexum asserit. Verùm ejus cadaver quod ad patibulum appêsum fuerat, post triennium jussu Regis ac Delphini, ob injustum in eum prolatum judicium cum ingenti facium luminari depositum, & capiti quod hastæ loco urbis publico appositum erat junctum, ad Ecclesiam Cælestinorum loci de Marcoussi, quam ipse fundaverat, honorificè delatum & sepultum est. Ejusque filium optimæ indolis juvenem, & morum elegantiâ præstantem, idem Delphinus charissimum habuit, ac penes se tenuit.

u *Mon. Dionys. & Iuven. in Car. VI.*
x *Monstel. lib. 1. c. 57.*

XXVIII. DUELLA PROHIBENTUR IN GALLIA.

y *a. cap. 52.*

Quo eodem anno narrat idem Monstreletus [y], Regem occasione cujusdam duelli inter Francum & Anglum, edicto publico sub pœnâ capitis, prohibuisse, ne quis imposterùm per universum regnum alium ad certamen provocaret abque rationabili causâ; cùm frequentia tunc essent ejusmodi duella, sive ob levissimas causas, sive ad ostentationem fortitudinis. Sed sunt hæc ex iis malis quæ semper vetabuntur, & semper retinebuntur: ipsorummet plerumque Principum prohibentium culpâ, qui quæ vetant facilè remittunt, non minori ferè ipsorum animæ periculo quàm ipsorummet duellantium.

XXIX. MONSTRUM EX FORNICATIONE PRESBYTERI.

z *Ap. Chron. Magn. Belg.*

Hócque denique anno mense Ianuarij natum reperimus [z] monstrum in civitate Paderbornensi, loco pedum habens plures caudas & loco brachiorum plures involutiones & cancellationes, ac duas facies; natum ex fornicatione cujusdam Presbyteri, cum muliere quæ jam alios pueros ex eodem susceperat.

IESU CHRISTI Annus 1410.

IOANNIS XXIII. Ann. 1.

SIGISMUNDI Ann. 1.

EMMANUELIS II. Ann. 27.

I. ALEXANDRI PONT. OBITUS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimo, Indictione tertiâ; mense Maij ex hâc vitâ quasi ex condicto abierunt tres magni Principes, Alexander Pontifex, Rupertus Rex Romanorum, & Martinus Aragoniæ, eodem ordine quo modò nominati sunt, quóque inter se incedebant. Præivit enim qui & ætate & dignitate ceteris anteibat, *Alexander*; cùm magna pro Ecclesiæ felici statu meditatus, in procinctu rerum gerendarum in ægritudinem incidens Bononiæ, Cardinales ad concordiam & pacem, atque ad Ecclesiæ dignitatis tuitionem adhortatus, approbatisque rursùm Concilij Pisani Actis, suis benedicens obdormivit in Domino, die tertiâ Maij, mense Pontificatûs decimo, die octavo, anno ætatis septuagesimo primo: sepultúsque est ibidem Bononiæ in Ecclesiâ Fratrum Minorum, quem venenato clystere sublatum, existimatum esse, Antoninus [a] scripsit: assentitúrque de veneno Monstreletus [b]. Laudant illum plerique auctores, ut diximus; & maximè de liberalitate ac beneficentiâ in pauperes & egenos: adeò ut nihil brevî sibi relinquentem, dicere per jocum consuevisse ferant, *Se devitem Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem fuisse.* Nullum autem creavit novum Cardinalem, sed tantùm quosdam antiquorum titulos mutavit, cùm ob schisma contingeret duos plerumque esse ejusdem Ecclesiæ titulares. Unde observat Onuphrius manâsse in Ecclesiâ Romanâ mutandorum titulorum usum, quod ad eam usque diem inauditum fuerat.

a *Ant. tit. 22. c. 5. §. 3.*
b *Monstrel. lib. 1. cap. 62.*

INTRODUCTIO USUS MUTATIONIS TITULORUM CARDINALIUM.

II. IOANNES XXIII.

Finitis de more exequiis, & Missâ de Spiritu sancto celebratâ, Cardinales septemdecim qui ibidem Bononiæ erant ingressi conclave

ELECTUS Pont.

decimaquartâ die Maij, decimaseptimâ elegerunt in Pontificem *Balthasarem Cossam*, sive Coxam, dictum in Pontificatu IOANNEM XXIII. Patriâ Neapolitanum ex nobili sed mediocri familiâ: præcipuúmque Synodi Pisanæ auctorem, & magnæ apud Alexandrum auctoritatis. Suscepit autem consecrationis & coronationis solemnia die Dominicâ vigesima quintâ ejusdem mensis Maij. Qui olim ex utriusque Iuris Doctore, & Archidiacono Bononiensi, (unde & Cardinalis Bononiensis dicebatur) atque Papæ Protonotario & Cubiculario, creatus à Bonifacio IX. Diaconus Cardinalis sancti Eustachij, & legationi Flaminiæ præfectus, illâ adeò præclarè functûs fuit, ut Bononiam ac plures alias civitates à diversis tyrannis occupatas recuperaverit. Tradunt namque virum fuisse armis quàm religioni aptiorem, in temporalibus magnum, in spiritualibus modicum; seu, ut Leonardus [c] & Antoninus habent, nullum. Quare & observat Gobelinus Persona [d] in suo Cosmodromio, qui cum eo conversatus est, multos ex ejus electione scandalum passos esse. Et auctor Burdegalensis, de quo aliàs, fuisse quidem eum à Cardinalibus Neapolitanis & Gallicis facilè electum; at verò Cardinalem Burdegalensem numquam voluisse consentire, dicentem se potiùs eum in Regem vel Imperatorem electurum: Sed & Cardinales Romanos qui tres erant numero, restitisse ei initio, verùm posteà acquievisse; at Burdegalensem firmum in suâ sententiâ permansisse. Semper autem ad Pontificatum aspirâsse, narrat Platina in ejus Vitâ: adeò ut cùm susceptis Bononiæ Doctoratûs insignibus Romam iter instituens interrogatus esset ab amicis quo proficisceretur, responderit ad Pontificatum. Sunt tamen qui scripserint [e], eum violenter creatum esse, quòd & Legatus Bononiensis (ubi electio fiebat) esset, & armatos milites tum in urbe tum in agris pro statione haberet: vel etiam largitione, distributis Alexandro mortuo muneribus pauperibus Cardinalibus Gregorianis: aut denique ambitu, quòd Ludovicus [f] Rex audito Alexandri obitu, cùm non longè abesset cum navium classe, quemdam oratorem suum ad Cardinales antequàm conclave ingrederentur, miserit pro commendatione ejusdem, quem suum singularem amicum esse dicebat. Denique ipsum semet Pontificem declarâsse, ceteris præ metu contradicere non ausis, Bergomensis [g] narrat. Quorum tamen pleraque vana esse, nihil dubitamus; cùm nec Niemus ejus hostis, & in omnes maledicus, ei aliud objiciat quàm prædictam commendationem Ludovici Regis: nec in criminationibus in eum in Concilio Constantiensi acerbissimè congestis aliud dicatur, quàm generatim, quòd tantùm practicare scivit ut in Romanum Pontificem electus extiterit. Mansit autem toto eo anno Bononiæ, tractans interim cum Ludovico & Florentinis de bello contra Ladislaum Regem, cui erat infensissimus, pro defensione Ecclesiæ gerendo; de quo dicetur anno sequenti.

PARÙM EI MUNERI APTUS.

c Aret. in Epist. Ant. tit. 22. c. 6. in pr.
d Cosmodr. æt. 6. c. 90.

e Plat. Naucler. &c.

QUALIS EJUS INGRESSUS.

f Niem. 3. de Schism. 53.

g Bergom. lib. 14.

III. DE NIEMI SCRIPTIS.

Post ejus autem narratam breviter electionem, idem Niemus opus suum *Schismatis* absolvit: cùm jam ante biennium, alteri *Nemoris Unionis* finem imposuisset. Utilia quidem illa valdè ad rem historicam illius temporis; sed adeò malignitatibus, & maledictis, & malevolentiis referta, ut vel hinc meritissimò inter reprobata scripta unà cum tali eorum auctore connumerata legantur: nec mirum videri debeat si sæpiùs illum invecti simus, dum seligenda fuerunt utilia à noxiis. Habent eum proptereà in oculis hæretici, qui nesciunt nisi prava æstimare: & plenis buccis indigitant Episcopum Verdensem & Cameracensem, ac Romani Imperij Principem; cùm ipse se tantùm clericum Lucensem, & Literarum Apostolicarum abbreviatorem: quod ultimum officium Cancellariæ Apostolicæ, ignoranter iidem Secretarium, sive ministrum ab Epistolis, intimúmque scribam Pontificum interpretatur. Et quod de Episcopatibus colligunt ex Krantzio, qui in suâ Metropoli [h] scribit Bonifacium Pontificē providisse de Ecclesiâ Verdensi cuidam Theodorico de Nim; qui propter nimiam in subditos sævitiam, translatus fuit ad Ecclesiam Cameracēsem: scilicèt si hic Nym idem sit qui Niemus, & factus sit Episcopus aut Verdensis aut Cameracensis à Bonifacio aut alio quovis Pontifice, & curiam Romanam deserens, quam per septem ampliùs lustra secutum se profitetur [i], ad Episcopatum administrandum secessit; nihil ullibi unquam de his meminerit, qui sæpè infirmis titulis abbreviatoris & clerici, etiámque in fine operis Nemoris anno 1408. quadriennio post obitum Bonifacij gloriatur: qui & disertissimè eodem anno alibi [k] asserit, se non timere sua beneficia amittere, cùm nullum haberet titulum Ecclesiasticum. Unde & refellas eosdem hæreticos, cùm quæ idem auctor alio item loco scribit de *Electo Verdensi* misso à Ruperto Rege ad Synodum Pisanam, quòd nomen ejus non exprimat, interpretantur de eodem ipso, qui per modestiam nomen suum reticuerit, minimè animadvertentes, tum ipsum Niemum profiteri se iis omnibus quę Pisis facta sunt ab ipso initio præsentem fuisse, adeò ut non potuerit eodem tempore Episcopatum in Germaniâ administrare, & inde in Italiam mitti: tum ea quæ ipse de illo electo Verdensi refert, apertè contraria esse iis quæ ipsemet de se ipso iisdem locis refert: ac denique minimè convenire homini, qui nullum beneficium aut titulum Ecclesiasticum haberet. Sicuti nec ex Verdensi transferri potuisse Cameracum manifestè inde constat, quòd Petrum de Alliaco hoc eodem tempore eum Episcopatum gessisse nullum sit dubium. At jam plus satis moræ cum istis nugacissimis nugivendis.

QUAS DIGNITATES EXERCUERIT.

h Krantz. 10. Metrop. 42.

i Niem. Nem. tract. 6. c. 39.

k Ibid. c. 24. Vid. supr. an. 1408. VIII. in fi.
l Id. 3. de Schism. 39.

IV. EJUSDEM COMMENTARIUS DE VITA IOANNIS PONT.

Sed ecce cùm putabamus jam manus Niemi evasisse, incidit in nostras alius ejusdem tractatus continens res gestas, seu veriùs opprobria spurcissima prædicti Ioannis Papæ XXIII. In quibus examinandis; vel auctoris in Pontifices animo declarando, aut denique vindicando Ioanne (quem ipse perpetuò Balthasarem tantùm appellat à primo ante Pontificatum nomine) ab ejus importunis & acerbissimis criminationibus, ne ampliùs tempus frustrà teramus; ea tantùm ex eo tractatu excerpemus, quæ ad ejus temporis historiam sincerè exponendam facere videbuntur. Nam quæ fuerunt publicata, aut credita, Ioannes vitia, videbuntur posteà in ejus depositione.

Nar

V. [m] Monstrel. lib. 1. c. 67. & 70. IOANNES PONT. SUBSIDIA EXIGIT A GALLIA.

Narrat autem Monstreletus [m], misisse eum in Galliam Archiepiscopum Pisarum pro decimis & vacantiis beneficiorum Ecclesiasticorum procurationibus, & spoliis sacerdotum defunctorum; quæ jure divino, naturali, canonico, & civili deberi Summo Pontifici & Cameræ Apostolicæ contendebat: sed Universitatem Parisiensem his acriter restitisse, factis eâ de re multis congregationibus, collocutionibus, ac protestationibus, mense Novembri præsentis anni, & Ianuario ac Februario sequentis; etiam cum deliberatione provocationis ad Concilium generale Ecclesiæ, & privationis omnium Magistrorum qui prædictorum subsidiorum solutioni quocumque modo consentirent; ac denique implorationis auxilij ceterarum omnium Vniversitatum, Prælatorúmque, & Ecclesiasticorum: Çùm verò inter hæc scripsisset Pontifex de imminenti periculo novi Schismatis à Florentinis, & Ladislao Rege; (quem Monstreletus, sicut & plerique alij scriptores Franci, Lancelotum vocat) evicisse tandem vt subsidium charitativum concederetur mediæ decimæ. Quæ uti se habuerint, diligenter narrat idem auctor. In quibus nihilominùs observandum, non recusâsse Vniversitatem hoc subsidium, nisi quòd Legatus contendebat illud debitum esse ex vi Leviticæ legis, quâ decimæ decimarum pendebantur Summo Sacerdoti; cui minimè Christianam Ecclesiam obligari Vniversitas opponebat, sicuti non hoc fundamento annatas & alias subventiones nisi aut præstari, (quod nonnulli existimârunt) jam aliàs diximus. Quòd tamen illæ imperiosè nimis & acerbè his Ecclesiæ turbis exigi consuescerent, fuit perpetuò in eas singulis ferè nationibus acriter conclamatum; at plerumque vanè, cùm faciles se Principes ad eas permittendas aut præmiis aut importunis precibus præberent, nec valerent Ecclesiastici eorum jussionibus resistere. In quibus præter hæc, haud sibi defuit Ioannes hic Pontifex, cùm anno sequenti Calendis Aprilis constitutionem [n] edidit de Annatarum seu fructuum primi anni ex beneficiis Ecclesiasticis tam regularibus quàm sæcularibus, nec non communium ac minutorum servitiorum tam ad Apostolicam Cameram, quàm ad collegium Cardinalium ac familiares & officiales Pontificis eorumdémque Cardinalium, vigore statutorum Apostolicorum, sive de approbatâ & observatâ consuetudine provenire debentium, ratione & formâ solutionis. De quibus modò satis; jam ad alia.

[n] Ext. cod. Victor. P. 8. fol. 93.

VI. RUPERTI REGIS ROM. OBITUS.

Hoc item anno *Rupertus* Rex Romanorum obiit in oppido Oppenheim Bavariæ die decima octavâ Maij, ut multis cum Trithemio in Chronico Ducum Bavariæ placet; cùm sint qui ex eodem in Chronico Sponheimensi sibi ipsi contrario, vigesimam primam ponant. Plures tamen ad Calendas Iunij referunt. Inter quos & Gobelinum recensemus in Cosmodromio; dum ait statim post coronationem Ioannis Pontificis (quam vigesimâ quintâ Maij cótigisse ponit, eique se adstitisse) Rupertum defunctum esse. Mortuus est autem anno regni nono mense quinto: sepultus Heidelbergæ, ubi ante regnum Academiam fundaverat, confirmatam ab Vrbano VI. Pontifice. Laudatus à multis de clementiâ in homines & pietate in Deum magis quàm de fortitudine aut rerum gestarum magnitudine; cujus ferè regnum obscurum permansit, præter illa quæ initio infeliciter in Lombardiâ tentâsse vidimus. Adhæsit enim semper bona pars Germaniæ Wenceslao, ejúsq; fratri Sigismundo administratori regni ejus loco constituto. Scribit de eo Nider [o]; cùm aliquando in gravem infirmitatem incidisset, ac sumpto Eucharistiæ sacramento, etiam ob periculum mortis sollicitaretur sacram Olei unctionem recipere, distulisse de die in diem, quòd persuasum haberet non posse eam percipi quin moriendùm continuò esset. Cùm autem à Doctoribus audîsset eam accipi tam in corporis quàm animæ sanitatem; alacriter accepisse, & convaluisse: ac post multos annos feliciter perseverantem in bonis operibus vitâ functum esse.

[o] Nider 4. Formic. 11.

VII. IOANNES PONT. COMMENDAT SIGISMUNDUM IN SUCCESSOREM RUPERTI.

Audito, ejus obitu, confestim Ioannes Pontifex (ut narrat Platina) oratores ad Electores Imperij misit, oratum ut Sigismundum Hungariæ Regem Imperatorem crearent, virum strenuum (ut dicebat) & ad omnia fortiter agenda promptissimum: hâc ratione sibi hominis gratiam aucupans, & ad sui Pontificatûs protectionem præparans. At nihilominùs prælatum ipsi primò fuisse patruelem ejus *Iodocum* Moraviæ Marchionem, cognomine Barbatum à prolixâ quam gestabat barbâ, multi scribunt; cùm quidam eum ante Rupertum creatum dixerint, sicuti monuimus [p] in depositione Vvenceslai. Eum tamen verè post Rupertum, nó antè regnâsse, ut ceteros taceamus, fidem indubiam Niemus facit, tunc vivens ac videns; dum in Vitâ Ioannis Papæ scribit primo anno ejus Pontificatûs mortuum esse Iodocum Marchionem Moraviæ, fratruelem Sigismundi, in Romanorum Regem pauco elapso tempore priùs electum; & ejus loco electum fuisse Sigismundum. Et inter Constitutiones Imperiales [q] reperiatur ejusdem Iodoci, Romanorum Regem sese nuncupantis, constitutio de resistendo regiæ majestati si contra ordinationes Imperij fecerit; quæ data ponitur Francofordiæ anno millesimo quadringentesimo decimo, regni ejus primo. Difficultatem dirimisse videtur Gobelinus [r] Persona, dum refert, schisma fuisse inter Electores, duobúsque absentibus tres ex aliis elegisse Sigismundum, duos, nempè Moguntinum & Coloniensem, restitisse, atque impedîsse ne Sigismundi electio publicaretur: eosdémque posteà elegisse Iodocum: cùm verò is obiisset, consensisse cum ceteris in Sigismundum. Ponitur autem Iodocus ab Onuphrio [s] creatus duodecimo Calendas Octobris, cùm inter regnum à morte Ruperti (cujus obitum Calendis Iunij ponit) fuisset trium mensium dierum decem & novem, regnâsséque sex mensibus. Fuisséque ætate valdè provectum, ac propemodùm nonagenarium, penéque nihili, auctores tradunt: unde & quòd brevì vitam finierit, sed nec ipsâ primâ coronâ argenteâ, quæ Aquisgrani sumi consuevit, fuerit insignitus; haud mirum si à multis non numeretur inter Romanorum Reges aut Imperatores.

[p] Sup. an. 1400. III. IV.

IODOCUS ELIGITUR SED BREVI MORITUR.

[q] Gollast. tom. 3.

[r] Gob. l. Cosmodr. æ. 6. cap. 90.

[s] Onuphr. in Chron.

VIII. SIGISMUNDI.

Quinimmò nullam ejus habitam esse in eorum serie rationem; sed *Sigismundum* regni sui initium numerare consuevisse à prædictâ

REGNI INITIUM UNDE SUMENDUM.

primâ suî per tres, Electores nominatione factâ continuatione cum regno Rupertino, (sicut etiam plerique ponunt) asseri posse videtur ex ipsius Sigismundi diplomatibus; ac speciatim illis quæ pro rebus Concilij Constantiensis scripsit, quibus annus quartus ejus electionis in Regem Romanorum jungitur cum 1413. Domini, quintus cum 1414. & sic deinceps: ac propterea primum collocari debere cum præsenti 1410. Unde nequa fortè major temporum turbatio hinc accidere contingat, constituemus & nos hoc anno electionem Sigismundi; absque præjudicio certioris computationis, si quis eam adinvenerit: cùm non negemus; etiamsi plerique alij eodem pariter modo numerent, non tamen deesse qui magis in annum sequentem electionem Sigismundi referre videantur. Quò etiam pertinet, quòd qui ejus regno Romanorum tribuunt annos tantùm viginti septem, initium sumere intelligendi sint à posteriori ejus electione; qui verò viginti octo, à priori. Estque in his observatione dignum, uno eodémque tempore tres fuisse Pontifices, Benedictum, Gregorium, & Ioannem; ac tres pariter Imperatores Vvenceslaum, Iodocum, & Sigismundum. Hunc autem se ipsum elegisse, Dubravius [t] narrat: (quod apud nullum alium reperimus:) sic videlicèt ut cùm in comitiis Electorum ipse unus eorum tamquam Marchio Brandeburgensis, dignitatis regiæ gratiâ primus sententiam fuisset rogatus, sese nominaverit; se quidem nôsse inquiens, alios non item an æquè cum ipso imperio orbis digni essent; præsertim in tanto rerum motu, quo Italia quoque schismate plurimùm laborabat: miratósque tam liberam vocem ceteros Electores, communi consensu illam approbâsse. Ipsum autem non tam honoris ambitione, quàm Ecclesiæ pacificandæ desiderio, hanc dignitatem assumpsisse, labores pro eâ re suscepti, quos posteà videbimus, apprimè demonstrare videntur. Fuit autem in procero corpore multis animi dotibus præditus, ac multarum linguarum peritiâ cōspicuus; pacis tamen quàm belli artibus longè præstātior, simul & felicior. Quem quidem haud tam citò fuisse coronatum Aquisgrani, (opponente fortè se Vvenceslao ipsius fratre, inter quos fuisse his temporibus aliquas simultates reperimus, sive aliis de causis) constat ex suprà dicto Gobelino [u] Personâ, id disertè asserente: certiúsque ex literis ab eo ad Ioannem Pontificem scriptis [x] in ipso ferè procinctu itineris ad Concilium Constantiense anno 1414. quibus ait, se primum diadema fastigij Imperialis accepisse Aquisgrani, unà cum suâ conjuge Barbarâ, die octavo Novembris in festo SS. IV. Coronatorum illius anni: addens in fine annum quintum suæ electionis unà cum primo coronationis: quam & Monstreletus [y] memorans, accuratè recenset principes omnes ac proceres qui ei interfuerunt.

TRES EODEM TEMPORE PONTIFF. ET IMPP.

t Dubrav. Hist. Boëm. lib. 23.

u Gobel. c. 94.
x Rec. Bzov. an. 1414.

y Monstrel. lib. 1. c. 128.

IX.

z Sur. Indic. lib. 3.
a Mar. lib. 19.

MARTINI REGIS ARAGONIÆ OBITUS.

Ejusdem mensis Maij die penultimâ, ut Surita [z] ponit, sive ultimâ ut Mariana [a] *Martinus* Rex Aragoniæ, qui mortuo filio Rege Siciliæ orbitatem domûs suæ deplorans, procreandæ sobolis spe uxorem duxerat: & fracto valetudine corpore, atque à multâ saginâ gravis libidinis avidus magis quàm potens, exquisitis medicamentis sese excitârat; vitalibus labefactatis, veternóque oppressus, annos unū & quinquaginta natus, diem obiit Barcinone in cœnobio sanctimonialium muris urbis conjuncto, ultimus Aragoniæ Regum ex virili Barcinonensium Comitum prosapiâ, quæ in sexcentesimum annum propagata erat. Ad cujus successionem cùm multi aspirarent, quà proximiores, quà longinquiores; déque juribus cognationis, agnationis, propinquitatis, stirpis, capitum, controverteretur: electis ex tribus præcipuis regni nationibus, Aragoniâ, Cataloniâ, Valentiâ, ternis hominibus qui rem dijudicarent; demùm post auditas singulorum candidatorum rationes, quas sive ipsimet præsentes, sive absentes per oratores exposuerunt; Iudicum sententiam pronunciante, qui unus illorum erat Vincentius Ferrerius Dominicanus Valentinus, (cujus eâ tempestate insignem fuisse opinionem sanctitatis, jam dictum superiùs) præsentéque ipso Petro de Lunâ Benedicto, quem illi populi ut verum Pontificem venerabantur, qui magna consilij suscepti pars fuerat; ceteris omnibus competitoribus exclusis, Rex declaratus est *Ferdinandus* patruus Regis Castellæ, natus Eleonorâ sorore germanâ defuncti Martini Regis; in quem etiam idem Martinus antè obitum non obscurè propendere visus fuerat. Quæ declaratio nonnisi biennio post Martini obitum facta est. Recitátque illam, totámque rem gestam, jura contendentium, ac cetera ad hæc pertinentia, cunctis distinctiùs ac diligentiùs, præter morem, Hieronymus Blanca Cæsaraugustanus in commentariis Rerum Aragonicarum. Eadémque suo modo Valla [b] in Vitâ Ferdinandi: pressiùs & elegantiùs Mariana in Historiâ [c] Hispaniæ.

FERDINANDUS SORORIS FILIUS EI SUCCEDIT.

b Val. lib. 1.
c Mar. lib. 19. & 20.

X.

FERDINANDI VICTORIÆ DE MAURIS.

Priusquàm autem Ferdinandus in Regem assumeretur, præsenti anno ad Antequeræ urbis factam à se obsidionem, Mauros eam solvere conantes ingenti victoriâ prostravit; quâ plures ceciderunt ex hostibus quàm essent in pugnâ Christiani, è quibus non ampliùs centum viginti desiderati sunt: rursúmque aliâ clade ad Archidonam finitimum oppidum affecit, captâ etiam posteà Antequera, olim Syngilliâ dictâ. Quibus Ferdinandus gestis, aliísque præclaris virtutibus, & maximè moderatione illâ quâ vidimus oblatum sibi in præjudicium filioli fratris sui regnum Castellæ recusâsse, dignissimum se præbens pluribus regnis, ad quæ & jura & populorum desideria vocabant; ingenti omnium lætitiâ & plausu Cæsaraugustæ Rex ab omnibus Ordinibus proclamatus est ad finem mensis Iunij anni 1412. Qui & Comitem Urgelitanum, solum ex omnibus regni candidatis obstinatiùs jus suum armis persequentem, in ordinem redegit, & captum perpetuo carceri addixit: Siciliam ab obitu Martini turbatam brevì per suos duces pacavit: Sardiniam penè deperditam, induciis cum hostibus factis continuit; quæ universa posteà sub Aragoniam ditionem revocata est: ut pleniùs ceteris prosequitur Valla in ejus Vitâ; Sicula verò Fazellus [d]. Apud quem & impudens ausum legas Bernardi Capreræ Iustitiarij Siciliæ, (qui summus erat regni magistratus) Blancæ Reginæ viduæ nuptias regnúmque ambiendi; & post multa nefanda ad hoc dicta factáque, ejusdem captivitatem,

ALIA EIUS GESTA PRO REGNI SUI STABILIMENTO.

d Fazel. 2. dec. 9. c. 8.

&

[e] Sur. Hist. lib. 11.

HIEROM. SURITÆ HISTORICI LAUS.

& ridiculas illusiones, ac propudiosas confusiones, quæ & prædicti alij prosequuntur: ac fusiùs Aragonicâ vulgari idiomate Surita[e]: cùm ejus Indices Latini nos hic deseruerint post obitum Martini Regis: vir inter ejus gẽtis scriptores pluribus longè anteponendus, sinceritate, moderatione, diligentiâ, gravitate nemini eorum postponendus: adeò ut (quod mirum apud omnes alias gẽtes videri meritò possit) etiam dicat ei apud regium Hispaniarum Consilium impacta fuerit, (tanta extitit accusatoris sycophantia!) quòd in rebus describendis, Regum etiam vitia gentísque ac soli, ausus sit attingere: defensus egregiè apologiâ Ambrosij Moralis. Quis nescit (inquit alicubi Cicero[f]) primam esse Historiæ legem, nequid falsi dicere audeat; deinde nequid veri non audeat; nequa suspicio gratiæ sit in scribẽdo, nequa simultatis? Caveant igitur & Principes ac ceteri homines à vitiis & incõcinnis facinoribus ac gestis, si nolint ea scribi. Alioquin, ut ait Dominus ipse[g], nihil est opertũ quod non revelabitur, & occultũ quod non scietur. Quinimmò & præcipuum munus Annalium esse existimavit Tacitus[h], ut non solùm virtutes scribantur, sed & vitia, quò pravis dictis factísq; ex posteritate & infamiâ metus sit. Atque inde Basilius Imp. in monitis ad Leonem filium, veterum Historiarum lectionem ei commendat, quòd ex ipsis hausturus esset & bonorum virtutes, & improborum vitia; malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: ut illa fugeret, ne in divinæ justitiæ manus incideret; hæc amplecteretur, ut præmia quæ comitantur potiretur. Qui habet aures audiendi, audiat.

[f] Cicer. lib. 2. de Orat.

IN HISTORIA VITIA NON TACENDA.

[g] Matt. 10.

[h] Tac. Annal. 3.

XI.

PRUSSORUM INJUSTA BELLA.

Hoc eodem anno magnum initum est prælium inter Polonos & Cruciferos Prussienses: qui cum olim ad reducendos illarum partium infideles ad Christianam religionem evocati, post adhibitam aliquanto tempore non malam eâ in re operam, impinguati, incrassati, dilatati, Christianos ipsos antiquos aggredientes armis, dolis, circumventionibus, non ad aliud visi sunt instituti, quàm ad ipsam net Christianam religionem evertendam; non solùm provincias sibi usurpando, verùm etiam Ecclesias & Episcopatus, sacra omnia, quicquid denique divini humaníque fuit attribuendo, ut frequentes sunt scriptorum Septemtrionalium querelæ. Quare cùm sæpissimè iis de causis res illis cum vicinis Polonis fuisset bellis, litibus, tractatibus, tam apud Sedem Apostolicam quàm Imperatores Germanos, ceterósque Principes: recénsque Ulricus Iuningus eorum Magister (Ita enim Cromerus vocat, quem perperam Michovius & Decius Conradum: Conradus enim hujus Vlrici frater eum in Magistratu præcessisse, atq; Ulricum in ejus demortui locum suffectum fuisse anno 1404. intelligitur ex catalogo[i] Magistrorum: ex quo etiam intelligitur, eumdem Ulricum strenuum & bellicosum extitisse, sed regulas ordinis non admodùm observâsse, consanguineósque odio prosecutum esse;) novas inimicitiarum atque belli causas contra Wladislaum sive Ladislaum Iagellonem Poloniæ Regem, ejúsque patruelem Vvitoudum sive Alexandrum dictum Lituaniæ Ducem quærens, eos incessere cœpisset: nec ullis Vvladislai, ad pacem quamvis iniquam pronioris quàm ad justum bellum, oblatis conditionibus ferox ejus cupiditas, tum propriis viribus, tum penè totius Germaniæ cum ipso conspiratione, Regísque Sigismundi Hungariæ favore potens, mitigari potuisset: Demùm extremâ necessitate coactus Vvladislaus exercitum colligere, & adversùs eum progredi; in explicatione majoris vexilli militaris Deum publicè & cum lacrymis obtestatus, invitũ se ad bellum hoc cum Christianis gerendum descendere, maximis & intolerabilibus Cruciferorum injuriis provocatum, quorum insatiabilem cupiditatem & irreligiosam superbiã nullis conditionibus ad pacem flectere potuisset; obsecravit justiori causæ favere, & sanguinẽ Christianorum hominum, quos hoc bellum utrimque absumpturum esset, ab iis qui bello causam dedissent expetere. Cùm verò insuper in ejus & Vitoudi contumeliam, ferocissimus Magister in ipso pugnæ procinctu per caduceatores duos gladios strictos misisset, hortans Regẽ ne tam meticulosè pugnam iniret, & vel his gladiis ipse & Vitoudus adversùs Cruciferos uterentur: ac nequam angustiarum ad explicandos ordines excusationem necterent; néve inter nemora latitarent, spondens concessurum se ipsis plus campestris spatij: (quod & fecit:) Rex placidè caduceatoribus respondit, quamvis armorum satis haberet in exercitu, accipere se tamen in nomine Domini gladios, contumeliæ causâ ab hoste missos, atque ita accipere ut omen victoriæ, quam sibi traditio armorum portendebat. Accepti gladij, & custoditi, in ærario regio postcà collocati sunt; & adhuc esse dicuntur. Post hæc signo pugnæ dato, & militibus patrium pæana, Bagarodzicza dictum, Virginíque matri dicatum, cujus auctorem S. Albertum Archiepiscopum ferunt, alacriter canentibus; cœptum est prælium horrendissimum: quo Lituanis, Russis & Tartaris, quorum magnum numerum Vitoudus adduxerat, in fugam magnâ cæde versis, factum est Polonorum virtute, ut victoria ipsis cesserit, cæsis hostium quinquaginta millibus unà cum ipso Magistro & Commendatoribus ferè omnibus, captis ad quadraginta millia, cùm centum & quadraginta millibus eorum exercitus constitisse dicatur. Pugnatum est ad pagum Grunevaldum ditionis Cruciferorum, die Divisionis Apostolorum decimaquintâ Iulij, quæ inde à Polonis inter festas relata est. Et adfuisse iis non obscurè divinum numen, inde etiam apparuit, quòd è nobilioribus pauci admodùm ceciderint; præterquàm quòd inter alia ostenta conspectus est toto prælio ab utroque exercitu in aëre vir venerandus pontificali habitu, dimicantes Polonos confirmans, hostibus verò terrorem incutiens: qui putatus fuit S. Stanislaus Cracoviensis olim Episcopus & martyr. Nèc omittimus pietatem memorare Regis Vvladislai: qui cùm die pugnæ non factâ re divinâ præter morem castra movisset, erecto ad campum certaminis tentorio ad Missam celebrandam, divinæ rei vacans, quamquam accurrentibus alio super alium nunciis hostes adesse clamantibus; haud tamen avelli ab oratione potuit donec sacra peracta fuissent.

[i] Ap. Guaguin. in Descript. Sarmat. Europ.

PIETAS IAGELLONIS REG. POLONIÆ.

INGENS VICTORIA POLONORUM DE CRUCIFERIS.

XII.

Gratiis Deo post victoriam redditis cessatum aliquot diebus fuit à prosequendâ victoriâ.

Vnde quamvis moto pòst exercitu Prussia ferè omnis in deditionem accepta sit, Marieburgum tamen, præcipua Cruciferorum munitio, quæ facilè inito nullo certamine in tantâ rerum desperatione in manus Polonorum venire potuisset, posteà virtute Commendatoris Henrici Plavenij qui eam custodiebat (quique pòst suffectus est Magister in locum Vlrici cæsi (nec per longam obsidionem obtineri potuit : ac prætereà Polonis æquas pacis conditiones à reliquis Cruciferis oblatas respuentibus, intervenientibúsque nonnullorum fraudibus ac proditionibus ; fortuna Polonorum mutari cœpit, & pleraque capta loca ad Cruciferos redire : multis interim certaminibus inter ipsos confectis. Quorum uno: quod factum est ad Lancicum pagum Coronoviensium monachorum decimâ die Octobris hujus ipsius anni, id memorandum accidit, ut cùm dubiâ pugnâ nemine ex eo loco quo primùm constiterat referente pedem, multis cæsis, defatigatísque ceteris, pugna ex composito utrimque intermissa esset ; ubi aliquantisper respiratum est, alligatáque vulnera fuêre, iterùm eâdem pertinaciâ redintegratum sit prælium, rursúmque post manum utrimque cædem consensu mutuo remissum: donec tertiò obstinatioribus animis inter se concurrentibus, cessit tandem victoria Polonis, occisis octo hostium millibus, pluribus captis. Fuítque hæc victoria insignior existimata superiore Grunevaldensi, tum quòd majore contentione & labore parta fuerit ; tum quòd eâ vires atque animi Cruciferorum ita fracti sint, ut per multos annos posteà nunquam auderent rem universæ dimicationi committere, cũ quibus demùm anno sequenti pax inita, victoribus quàm victus iniquior. Uti hæc omnia latissimè videre est apud Cromerum [k] : quæ contractiùs Michovius [l] habet, ac Decius [m], quibusdam aliis rem paulò in nonnullis diversè narrantibus, & inter ceteros Vvalsinghamo [n] Anglo valdè inconsultè, ut res exteras solet, referente.

MEMORABILE ALIUD INTER EOSDEM CERTAMEN.

[k] *Cromer. lib.16.& 17.*
[l] *Michov. lib.4.c.43. 44. 45.*
[m] *Dec. de Iagell. famil.*
[n] *Vvalf. in Henr. IV. & Hypodigm.*

XII.

VVICKLEFISTARUM IN ANGLIA PERTINACIA ET VANI CONTRA ECCLESIAM CONATUS.

Magis ei credimus, cùm de rebus patriis scribens ait, hoc anno in regni comitiis tempore Quadragesimæ quemdam laïcum arte fabrum, hæresis Vvickleffianæ sectatorem, pertinaciter asserentem non esse Corpus Christi quod sacramentaliter in Ecclesiâ tractatur, sed rem inanimam minoris valoris quàm bufo esset vel aranea, quæ sunt animalia animata ; cùm damnatus ad ignem, moneretur à filio Regis resipiscere, nec audiret, injectum igni, & inter medias flammas mugientem, jussum à principe igne erui, rursúmque monitum, etiam cum promissione veniæ & præmij, cùm induratus persisteret, demùm præcipiente principe combustum esse. Iisdémque comitiis nobiles quosdam eâdem hæresi infectos; quærentes Ecclesiam bonis spoliare, libellum Regi ac proceribus obtulisse, quo dicerent posse Regem ex bonis temporalibus Ecclesiæ quindecim Comites, mille quingentos milites, sex mille ducentos armigeros, & centum xenodochia alere : Sed cùm jussi essent exprimere unde & quomodò tot pecuniæ hauriri possent, in probatione longè defecisse : prohibitósque esse à Rege talia ampliùs comminisci. Sicuti & cùm ausi sunt petere, ne clerici hæresis convicti: traderentur carceribus Episcoporum, sed regiis ac sæcularium procerum; itémque ut antiquaretur statutum de iisdem Vvickleffistis, sive Lollardis, olim factum, ut ubicumque forent deprehensi dogmatizare, caperentur sine brevi regio: repulsam in utroque passos esse.

XIV

CERTAMINA AVIUM.

Hoc eodem anno (ut refert Monachus Dionysianus) mira res accidit in Hannoniâ initio mensis Iulij ; ut ciconiæ cum ardeis & picis, contra corvos, corniculas, & graculos terribile certamen rostris & unguibus committentes, vicerint, magno occumbentium numero utrimque in terram cadente. Quæ pariter memorans Iuvenalis, distinctiùs ait ciconias contra ardeas separatim decertâsse, & picas contra corniculas; passeres etiam invicem, aliásque in ædibus aves domesticas. Putamúsque eadem significare voluisse Æneam [o] Silvium ; dum narrat his temporibus contigisse in agro Leodiensi, ut cùm falco sive in arbore sive in rupe sibi nidum construxisset, & ova fovens pullos avidè expectaret, supervenientes corvi eum loco deturbaverint ovis effractis ac voratis. Postridie in eamdem regionem falconum corvorúmque quasi ex toto orbe infinitas turmas adventare visas esse : quæ peritissimè instructis aciebus, cruentissimum prælium commiserint, unguibus rostrísque acriter decertantes ; donec victi magnâ occisione corvi relicto nido abierunt. Hæc ille: quæ sibi eo loco posteà narrata tradit. Eadem & Gobellinus [p], sive idem ipse Æneas Pius II. in suis commentariis: sed accipitrem, sive falconem, injuriam usurpationis nidi intulisse corvo narrans; cùm tamen res magis convenire videatur corvo, quem tradunt aliarum avium ovis insidiari consuevisse. Ceterùm si verè hæc contigerint, & prænuncia fuerint (ut ipsi putârunt) crudelis certaminis quod in eodem agro Leodiensi ante biennium inter contendentes de Episcopatu Leodiensi contigisse vidimus; non potuêre eadem esse cum iis quæ hoc anno in vicinâ Hannoniâ accidisse, prædicti alij auctores scripsêre. Sed facilè fuit remotioribus rem confundere.

[o] *Æn. Europ. c. 53.*
[p] *Gobell. lib. 6.*

XV.

INGENTIA GALLIÆ MALA EX DISSENSIONE DUCUM BURGUNDIÆ ET AURELIANENSIUM.

Nec sanè defuêre posteà mala, & clades, & prælia, quæ his portentis præsignari potuerint : putà Prussica nuper relata, quæ paucis pòst diebus contigêre; & quæ aliis Orbis Christiani partibus facta recensentur. Ac præcipuè grassationes illæ crudelissimæ, quas renovatæ in Galliis hoc ipso anno inter Duces Burgũdię & Aureliani dissensiones pepererunt: cùm hinc Burgundus sibi omnia attrahens, & Regem ac Delphinũ civitatémq; Parisiẽsem in manibus habens, eorũ auctoritate ad libitum uteretur in perniciem regni, cujus se infensissimũ hostem exhibuit; fœdere cum Anglis facto, quos in auxiliũ accivit, nihil sceleris, perfidiæ, atrocitatis, rapinæ, omittẽs; illinc Principes ejus adversarij (qui præter Aurelianenses fratres, fuêre Duces Biturigũ, Borbonij, Britanniæ, Comites Alenconi, Armaniaci, & alij ferè omnes, exceptis Regis liberis) haud ferè minora patrarẽt; (quos generali nomine Armaniacos appellabant, eò quòd qui à Comite Armaniaco ducti fuerant, ceteris longè arte prædandi excellerent) Anglósque & ipsi sibi conciliarent: hoc tamen gravi inter eos discrimine, quòd etsi paria essent facinora, causa tamen longè dispar.

Quæ

Quæ uti se habuerint, & quæ partium alternationes, quæ vicissitudines, qui tractatus, quæ edicta in utramq; partem promulgata, ceteraq; ejusmodi qui scire cupierit; habet ejus temporis historicos, Iuvenalem, Monachum Dionysianum, Monstreletum, & si quos alios; præter posteriores Gaguinum, Æmilium, Belleforestium, & alios: quorum tamen sunt nonnulli, qui magis ex affectu quàm ex vero res narrant aut saltem interpretantur. Agemus & nos aliquando de iis, ad rerum gestarum generalem quamdam proponendam notitiam, potius quàm ad ejusmodi miseriarum descriptionem.

XVI. VERBORUM INSULTATIONES INVICEM FACTÆ.

Inter plurima verò scripta quæ ab utrâque parte publicè edita fuêre, quà ad causæ excusationem, quà ad justitiæ postulationem, vel etiam hostilem provocationem, quæ ab auctoribus recitantur; fuêre hæc duo epigrammata, sive ab iis verè invicem missa, seu potiùs à quodam ad rem conficta; quæ à plurimis referuntur. Aurelianensis istud:

Te licèt atra palus erebi septemplice muro
Ambiat, aut phlegeton ardens, aut sedibus imis
Inferni lateas caligine nubis opertus:
Aut si bella gerent pro te quicumque valebunt
Ferre manu gladios, validis torquere lacertis
Spicula, vel celeres arcu jactare sagittas:
Te patris ad tumulum cædem, cæsúmque litabo
Ante Iovem stygium, cæsi patris ultor & hæres
Si me fata sinent annos extendere factis.

Burgundi responsum hujusmodi:

Si cecidisse tuum justâ ratione parentem
Ambigis, ut sileam suadent pudor, horror, honestas.
Nam tuus ille pater terris invisus & astris,
Ob scelerum sordes inopinâ morte peremptus
Occubuit: finémque malis nox una diebus
Mitius imposuit quàm jus exposceret & fas.
Hinc mihi bella tamen, cædes, variásque rapinas
Sævus ubique facis. Sed si mihi iusta secundet
Bella Deus, scelerum pœnas in pondere pendes.

EXCOMMUNICANT SE INVICEM.
q *Iuven. an. 1411. Monstrel. l. 1. c. 79*
r *Gill. in Car. VI. & ibi. Bellefor.*

Malus tamen ariolus Burgundus, ut ex ejus demùm fine patuit. Qui interim etiam censuris in adversarios agens, vi [q] cujusdam constitutionis Urbani Papæ V. quâ excommunicationi subjiciebantur omnes quicumque contra Reges coitiones facerent, aut arma gererent; eosdem Aurelianenses, eísque adhærentes, solenni ritu per omnes urbis Parisiorum Ecclesias excommunicatos declarari curavit. Idque ipsum Aurelianenses [r] in urbibus ac ditionibus suis contra Burgundum præstiterunt; tanquam verè ipse esset qui regnum perturbaret, ac in Regem commoveret.

IESU CHRISTI Annus 1411.

IOANNIS XXIII. Ann. 2.

SIGISMUNDI Ann. 2.

EMMANUELIS II. Ann. 28.*

I. IOANNES PAPA ROMAM ACCEDIT.
a *Bzov. ex Diar. ms.*

ANNO Christi millesimo quadringentesimo undecimo Indictione quartâ, Ioannes Papa Romam adiit, jam in ejus obsequium confirmatam pulso Ladislai Regis præsidio: eámque intravit [a] unà cùm Ludovico Andegavensi Siciliæ Rege, & Cardinalium cœtu Sabbato Sancto: & à civibus valdè honorificè exceptus, die Paschæ Missam solemniter celebravit in basilicâ Vaticanâ. Deinde die festo S. Georgij, vigesimo tertio Aprilis, post Missarum solemnia ibidem peracta, vexilla militaria Pontificum, Romanæ Ecclesiæ, Ludovici Regis, Senatûs Populíque Romani, necnon Pauli Ursini Pontificiarum copiarum Ducis, ex solemni formulâ sacravit: & die S. Vitalis vigesimo octavo mensis eisdem Ludovico & Paulo summam rei bellicæ cómisit contra Ladislaum Ecclesiæ hostem, & Angeli Corarij olim Gregorij Duodecimi fautorem; quem Caietæ uti verum Pontificem retinebat, & à cuncto regno venerationem ei exhiberi cogebat: Legatum Apostolicum eis adjungens Petrum Stephanescum Hannibaldum Romanum Diaconum Cardinalem S. Angeli. Cum quibus etiam iit *Iacobus Sfortia* dux jam tunc celeberrimus: qui [b] ex oppido Cotoniolâ Æmiliæ, patre Ioanne Attendulo honestâ familiâ ortus, per omnes gradus militiæ virium robore & animi magnitudine non parvum nomen bellis Italicis adeptus, sub diversis ducibus & Principibus stipendia meruit: *Sfortia* cognomine dictus à violento ingenio quod gerebat. Tandem copiarum & ipse dux factus, operam suam variis Principibus ac Rebuspublicis locavit, mirâ felicitate ejus industria ac rei militaris peritiam comitante. Iam verò à Florentinis quibus militaverat, cum bonâ eorum veniâ ad Pontificem transiens, Ludovico Regi ac Paulo Ursino datus est auxiliator.

LUDOVICUM REGEM IMMITTIT IN LADISLAUM.

b *De eo Paul. Bonbin. in ejus Vitâ; Iovius, Corius & alij.*

SFORTIÆ PRIMORDIA.

II. LADISLAUS MAGNO CERTAMINE FUGATUR.
c *Iuven. Burdegal. Pogg. Aret. Anton. &c.*

Quibus adversus Ladislaum cum exercitu duodecim millium equitum & nonnullo peditatu (ut Sommontius numerat: sunt enim qui minùs habent) procedentibus, qui cum tredecim millibus equitum & quatuor peditum regnum tutabatur; cùm ventum ad manus esset in loco Rupesicrâ dicto in Campania, die decimanonâ Maij, (ut verius est; non vigesimâ sextâ ut quidam habent: sicuti non anno præterito, sed omninò præsenti; ut tam ex rerum gestarum serie, quàm scriptorum ejusdem ipsius temporis [c] auctoritate planè intelligitur,) post asperrimum & longum certamen, fugatus est Ladislaus magnâ suorum strage, & præcipuorum procerum captivitate; quem tradunt Corius, Collenutius, Summontius, & alij, eâ die alios octo præstantes nobiles iisdem secum insignibus ornâsse, tum ut nescirent hostes quis verus Rex esset, quàm ut sui animosiùs singulis locis pugnarent cùm secum Regem esse putarent. Defecit tamen & astutia & fortitudo. Ipséque Rex ad S. Germanum de rebus suis penitùs desperans fugit. Verùm ubi animadvertit hostes ab insecutione victoriæ cessare, animum resumens aditibus regni occupatis, Ludovicum posteà in regnum interiùs penetrare cupientem facilè repulit. Solebat [d] posteà dicere; si hostes eâ die insecuti fuissent victoriam, tam se quàm regnum in eorum potestate futurum: si posterâ die, non se, sed regnum: tertiâ nec se nec regnum quoniam jam adversus vim illorum remedia adhibuisset. Verùm non hanc culpam fuisse Ludovici, rem magnâ contentione urgentis; sed Ursini, volentis utrumque Regem atque Pontificem in dubio & ancipite statu tenere, ne facilè bellum conficeretur, & ipse auctoritate quâ pollebat caderet; ideóque

DICTUM EIUS DE LUDOVICO.
d *Anton. tit. 22. cap. 6. Naucler. gener. 48. Collen. Summont. &c.*

varia subinde impedimenta persequendæ victoriæ quæsîsse, donec tempus rei benè gerendæ elapsum esset; atque inde malè audîsse, & in Pontificis indignationem incurrisse; Poggius [e], & post Iovium Summontius [f] narrat. Quare egregiâ quidem admodùm, plenâque, sed inutili prorsùs victoriâ potitus Ludovicus cùm ad Pontificem Romam revertisset, inde rerum Italicarum curâ ob tantam hominum mobilitatem, ingenuioris ipse simul & quietioris vir animi, depositâ, in Galliam ad sua se recepit. Niemus autem in Rebus gestis Ioannis Papæ culpam elapsi victoriæ fructûs rejicit in prædæ aviditatem, quâ victores retardati sint ab insequendo Ladislao: Fuisse quoque cum Ladislao in conflictu Legatum Gregorij olim Pontificis: Missáque militaria signa Ladislai & Gregorij prælio capta, ad Ioannem Papam in Urbem, primò suspensa in signum victoriæ fuisse in turri basilicæ Principis Apostolorum, quò ab omnibus conspici possent; deinde in solemni actâ in gratiarum actionem publicâ supplicatione, in majorem eorumdem Ladislai & Gregorij contumeliam, tracta fuisse per terram & lutum. Post hæc verò, ut Antoninus [g] refert, fortuna varia fuit, ut modò pax inter Pontificem & Regem, modò bellum vigeret: & ut ex Poggio, Niemo, & aliis pariter intelligitur, consilia secreta, etiámque aliquando ficta in alterius deceptionem, inter ipsos intercesserunt; de quorum effectu & exitu dicetur posteà.

e Pogg. lib. 4
f Summont lib. 4. cap. 2.
LUDOVICUS IN GALL. SE RECIPIT.
g Ant. d. c. 6.

III. Auctor verò Burdegalensis in ejusdem Ioannis Papæ vitæ breviario observat, Bononienses post ejus ab eâ urbe recessum rebellâsse adversus eum eàdem ipsâ die 19. Maij quâ victus est Ladislaus: sícque eodem tempore Pontificem prospera & adversa nuncia accepisse. Rebellionem autem Bononiensem ita contigisse volunt [h]; ut cùm lanij cujusdam famulus nomine Petrus Cossulinus, stricto ense in forum se conferens clamare cœpisset, ut Artes & populus viverent; minutâ plebe se ei adjungente, palatium occupaverit; Henrico Minutulo Episcopo Cardinale Sabino ac Ioannis Pontificis Legato, amissis omnibus fortunis profugiente. Sícque idem Petrus, (quod somnij phantasma videri possit) unáque Iacobus Mongiolinus æquè lanius in palatio agentes, urbem Bononiam supra annum rexerint, atque nonnullos primorum nobilium capite mulctârint, ô rem propudiosam! ô vilia tam inclytæ civitatis corda! ô insanas mentes! quæ maluerint carnificibus laniis capita subjicere tanquam pecudes, quàm Romani Pontificis; quem totus orbis summíque Principes patrem venerantur, legitimíque ipsorum & spiritualis & temporalis domini suave jugum ferre. Quàm ad eorum mores & frequentes mutationes aptè Æneas [i] Silvius posteà Pius II. in suâ Europâ, Bononiam dixit non tam studiorum matrem, quàm seditionum altricem appellari posse; sororem & ipsam civitatis Genuæ, ac solius inconstantiæ constantem. Sed fortè id ausi sint hi lanij exemplo laniorum Parisinorum; qui hoc ipso tempore in favorem Ducis Burgundiæ, quò crudeliores per hujusmodi sanguinarios homines lanienæ ederentur, armati, & ad quæcumque detestanda facinora, etiámque contra Regem & Delphinum animati, in tantum fastum creverant, ut tota civitatis administratio in eorum potestate esset. Sed sicut non diù ibi fatuari permissi sunt; ita nec isti Bononienses nebulones. Quippe cùm populi brutus impetus resedisset, honestiores propriæ calamitatis commoniti, tenuiorem plebem urbe pepulêre, Petro aufugiente, Iacobo occiso.

h Pomp. Viz. Hist. Bonon. lib. 6.
LANIUS OCCUPAT TYRANNIDEM BONONIÆ.
i Æn. Europ. cap. 53.
LANIORUM PARIS. INSOLENTIA.

IV. Interim verò Pontifex, ut non solùm armis, verùm etiam doctorum virorum patrocinio se muniret, quatuordecim novos Cardinales die 6. Iunij creavit, egregios planè viros. Atque inter eos doctrinâ & scriptis illustres illustria sacri collegij lumina, *Petrum de Alliaco* Gallum Compendiensem, nobili familiâ ortum, & ex insigni philosopho ac Theologo Parisiensi, & magno regiæ domûs Navarræ magistro, atque Academiæ Cancellario, magnum Franciæ Eleemosynarium & Episcopum Cameracensem; factum Presbyterum Cardinalem tit. S. Chrysogoni: de quo nonnumquam superiùs ac rursùm inferiùs: Et *Franciscum Zabarellam* Patavinum, Iuris utriusque Doctorem ac philosophum summum, ex Episcopo Florentino (unde & Cardinalis Florentinus dictus) factum Diaconum SS. Cosmæ & Damiani. Reperiuntur in ceterorum numero duo Angli Thomas Armelinus Episcopus Dunelmensis, & Robertus Alum Episcopus Saresberiensis; verùm absque titulo. Cujus rei cùm nullam rationem reddant Onuphrius aut Ciacconius, eorúmve auctifici; indicavit auctor Burdegalensis, cum ait duos illos Anglos recusâsse Cardinalatum: de quibus & nihil apud Vualsinghamum legas, qui ægrè honores patrios omittere consuevit. Godvvinus tamen in suâ collectione Præsulum Angliæ, haud illos hâc dignitate fraudatos voluit, nihil de recusatione habens, vocánsque primum Thomam Langley Cancellarium regni Angliæ, secundum Robertum Halam.

PETRUS DE ALLIACO FIT CARDINALIS.
ITEMQUE FRANC. ZABARELLA.

V. Ceterum Petrum de Alliaco creatum fuisse absentem, licet intelligi ex abjuratione quorumdam pravorum articulorum, factâ coram ipso & Priore Fratrum Prædicatorum conventûs S. Quintini in Picardiâ Inquisitore hæreticæ pravitatis, per *Fr. Guillelmum de Hildernissen*, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo sacerdotem & prædicatorem, hoc ipso præsenti anno 1411. Indictione 4. Pontificatûs Ioannis Papæ XXIII. anno 2. diéque 12. Iunij: quam reperimus in codice MS. Bibliothecæ Collegij Navarrici Parisiensis. Qui quidem Guillelmus unà cum *Ægidio Cantoris* laïco sexagenario, ponitur ibi caput sectæ nuncupatæ *Hominum Intelligentiæ*. Asserebat autem Ægidius se esse Salvatorem hominum, qui per ipsum visuri essent Christum, sicut per Christum Patrem: Diabolum omnésque homines finaliter salvandos fore. Iejunia, pœnitentias, orationes, & ordinationes Ecclesiæ contemnebant: itémque confessionem peccatorum, nisi quòd ad præcavendas vexationes ostendebant se sacerdotibus, & confitebantur tantùm peccata levia, subticendo actus luxuriosos, criminales & graves. Actus carnalis copulæ vocabant delectationes paradisi: exercerique sine peccato, quia est purè naturalis, sicut comedere & bibere. Omnes actus etiámque nefarios referebant ad divinam vo-

SECTA HOMINUM INTELLIGENTIÆ.
ÆGIDII LAÏCI DELIRIA.

lun

luntatem, non tantùm permissivam, sed beneplacitam & efficacem. Tempus veteris Legis fuisse tempus Patris: tempus novæ Legis tempus Filij: & proximum esse tempus Spiritûs Sācti, quod dicebant esse tempus Eliæ, quo reconciliabantur Scripturæ; ut quæ priùs tanquam vera habebantur, jam refutarentur; sicuti & Catholicæ veritates quæ consueverant prædicari de paupertate, continentiâ, obedientiâ, quarum veritatum oppositum esset prædicandum tempore Spiritûs Sancti. Quicquid eis inspirabatur, seu ad intima suggerebatur, æstimabant esse à Spiritu Sancto: unde multa valdè facta dictus Ægidius attentaverat; veluti cùm propter quamdam factam sibi ejusmodi inspirationem, incessit aliquando totus nudus per longam viam portans super caput scutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi. Oderant castitatem & continentiam; asserentes etiam nullam esse virginem, præter unam quam dicebant esse sapientiam. De Purgatorio & Inferno erant quoque contrarij doctrinæ Ecclesiæ. Aliáque ejusmodi plura Ægidius ille delirabat. Præter quæ Guillelmus supradictus sacerdos nonnulla peculiaria habebat, seu distinctiùs explicabat. Veluti, Quod homo agit non cedere sibi ad meritum vel demeritum, nec ad salvationem vel damnationem; sed passionem Christi satisfecisse pro omnibus: Hominem exteriorem non maculare interiorem: Deum esse ubique, in lapide, membris, hominis & in inferno, sicut in sacramento altaris: & ideò quemque habere Deum perfectè antequàm communicet, Resurrectionem non ampliùs fore, quoniam jam esset facta in Christo, ex eo quod sumus membra Christi, & non surrexit caput sine membris: & alia plurima, quæ velut hæretica & erronea, publicè revocavit & abjuravit tam Cameraci quàm Bruxellæ, ubi ea specialiùs disseminata fuerant.

Guillelmi Carmelitæ errores.

VI. Regis Poloniæ munera ad Pontificem, et postulata.

Eodem anno Vvladislaus Rex Polonorum post pacem cum Cruciferis pactam, ad Ioannem Pontificem oratores misit, cum peramplis donis, nempè quatuor patinis, duobus crateribus magnis aureis; tribus vestibus sabellinis, & culcitrâ ab alterâ parte è pantherarum, alterâ ex armelinorum pellibus consutâ: obedientiam suam ipsi delaturos; postulatурósque ut declararet, Regem justè bellum contra Cruciferos suscepisse, & quicquid rerum sacrarum è templis Prussicis per id bellum ablatum esset, rectè in Polonica templa distributum esse; deinde ut ipsi Crucis militiam contra Tartaros concedere. Ac cetera quidem impetrata sunt; extremum ne impetraretur obstitit quòd ejusmodi militia tunc à Pontifice contra Ladislaum promulgabatur. Et obstabant Polonis Sigismundi Regis & Cruciferorum oratores, veriti fortassis ne contra se Rex uteretur eâ militiâ. Hæc Cromerus[k]. Sed quæ de Cruce contra Ladislaum publicatâ dixit, ad sequentem annum pertinent; quo etiam hæc Poloni præsenti anno missi cum Pontifice tractârunt, quamvis sint qui tempora pervertentes eam Crucis publicationem jam anno præterito collocârint.

k Cromer. lib. 17.

IESV CHRISTI Ann. 1412.
IOANNIS XXIII. Ann. 3.
SIGISMUNDI Ann. 3.
EMMANUELIS II. Ann. 29.

I. Crux adversùs Ladislaum publicatur.

Anno Christi millesimo quadringentesimo duodecimo, Indictione quintâ, Ladislaus Rex inquietissimi ingenij princeps, cùm vehementi arderet cupidine potiundæ Urbis, & Pontifici gravissimè iratus esset ob res anni superioris; rursùm statum Ecclesiæ armis & seditionibus infestare cœpit. Pontifex autem non valens se ab eo tueri, quòd jam & Paulo Ursino jure diffideret, & Sfortia prætextu injuriarum ab eodem Ursino acceptarum de Pontifice deserendo, & Ladislao adhærendo tractaret, (quæ ab scriptoribus & tempore & narratione satis confusè referuntur) atque ut Niemus ait, de potentiâ suâ Pontifex diffideret, propter inconstantiam & avaritiam suorum ducum: idem ad extremum remedium recurrens, concilio Cardinalium & Prælatorum habito, Crucem adversùs Ladislaum, tamquam impium schismaticum, injustum regni Siciliæ usurpatorem, & acerbissimum Ecclesiæ hostem, publicavit, & ubique promulgari jussit, iisdem indulgentiis & conditionibus quæ concedi & apponi consueverant pro transmittentibus in Terram Sanctam contra Infideles. Sic enim tempus breviterque rem signat præter alios Monachus Dionysianus accuratissimus illius temporis historicus. Hinc autem sibi timens Ladislaus, ad fraudes semper & ubique intentus, cum Pontifice tractare cœpit de obedientiâ ei præstandâ: Missóque à Pontifice Nicolao Brancatio Cardinale Episcopo Albano, pacem cum eo composuit; sed in speciem magis quàm ex animo, cùm nihil Ladislaus ex fide ageret, qui nullam habebat, quantumvis essent pacis illius conditiones iniquę satis rebus Pontificis; ob immensas pecuniarum summas[a] quibus se ei obstrinxit: parvi hæc ipse pendens præ abrenuntiatione Gregorij, quam Ladislaus promisit; atque etiam servavit, non tam quòd curaret pollicitis stare, quàm quòd nihili religionem aut Pontifices pendens, utrisque in commodum suum abuteretur. Abjectus autem sic ab eo Gregorius, qui hactenùs sub ejus tutelâ Caietæ permanserat, mari Ariminum se recepit ad Carolum Malatestam veterem amicum, illius civitatis dominum; & apud eum usque ad abdicationem tempore Concilij Constantiensis moratus est. Quod præter ceteros narrat Niemus compatiens jam Gregorio in odium Ioannis, quem dum Pontifex esset dilacerare consueverat; sic Pontificiæ magis dignitatis quàm personarum hostis videri volens.

a Vid. Pign. Hist. Atest. lib. 6. & Bzov. hoc an.

Pax initur cum damno Greg.

II.

Contigit autem interim in Boëmiâ, ut cùm in eâ publicarentur indulgentiæ quas diximus plenæ delictorum cōdonationis iis promissæ, à quibus latum auxilium adversùs Ladislaum fuisset, iis motus Ioannes Hus, de quo suprà[b], hæreticus Vvicklefista, qui post obitum Stinconis pij Archiepiscopi, Pragam reversus fuerat sub sordidissimo ejus successore Albico;

b An. 1408. XXII. & seqq. 1409. XXIII.

HUSSITARUM INSECTATIO INDULGENTIARUM.

(quem ex modico Rex Sigismundus ad eam dignitatem evehi curavit, unicum extremæ avaritiæ barathrum; qui claves cellæ vinariæ nulli alteri quàm sibi ipsi credebat, animalia viventia dono accepta mox vendebat, abjectam anum popinæ suæ curatricem habebat, & ab alendis equis quòd noctu etiam vorarent abstinebat) tres ex plebe infimâ suos sectatores immiserit, qui dum pro concione decretum eâ de re Pontificis audirent, palàm voce magnâ clamarent Papam esse Antichristum, qui Crucem contra Christianos decerneret. Qui à Senatu in carcerem rapti, & à furente populo postulati, nihilominùs gladio percussi sunt; non solùm proter hæresim, verùm etiam vi edicti regij, quo Wenceslaus sub capitali pœnâ prohibuerat, nequis cujuscumque conditionis auderet contradicere occultè vel publicè Indulgentiis Papalibus. Eorum nihilominùs sanguinem linteis mundis extergẽtes, quin & lambentes ceteri tam viri quàm feminæ ejusdem sectæ, corpora aureis circumvoluta pannis ad Ecclesiam Bethleem dictam, ubi Huss concionatorem agebat, publicè ac pomposè detulêre, cantantibus ejus sectæ sacerdotibus & scholaribus, *Isti sunt sancti qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt*: ubi fuêre in sacratio reposita, & quasi Martyrum reliquiæ aromatibus condita: mutato etiam loci nomine, ut non tam ad Bethleem, quàm ad Tres Sanctos ab iis vocaretur. Hæc Æneas[c] Silvius, & Ioannes Dubravius[d] in Historiâ Boëmicâ; ac prolixiùs Ioannes Cochlæus[e] in Hussiticâ.

[c] Æn. Boëm. cap. 25.
[d] Dubrav. lib. 23.
[e] Cochlæ. lib. 1.

III. CONCIL. ROMÆ CELEBRATUR A IOANNE.

Ex quo propterea intelligitur, celebrâsse Ioãnem Pontificem ad finem hujus anni ROMÆ *Concilium*. Cujus & meminit Dionysianus Monachus hoc itidem anno; scribens Ioannem ab initio Pontificatûs decrevisse Concilium celebrare, sed hactenùs impeditum fuisse infestationibus Ladislai: Vbi verò divulgatum est ex pace cum eo initâ secura fore itinera, ex Italiæ, Hungariæ, Boëmiæ, Angliæ, Scotiæ, & Alemaniæ partibus quæ Ioanni obediebant, Prælatos illuc tendere decrevisse: delegatósque etiam ex Galliâ atque Vniversitate Parisiensi viros præstantes qui ei interessent. Idque ipsum confirmat Iuvenalis. Eâdémque de re idem ipse Ioannes in Constantiensis indictione ait, Alexandrum decessorem suum, Concilio Pisano approbante, decrevisse iterùm Generale Concilium solemniter convocandum, illúdque ipsum Pisanum usque ad tempus triennij continuandum statuisse: (quod & superiùs suo loco[f] vidimus: (mortuo verò intereà Alexandro, cùm tempus triennij appropinquâsset, ipsum Ioannem Concilium ejusmodi Romæ convocâsse: verùm quia Prælati & ceteri qui Concilio interesse debebant, nequaquàm in tanto numero convenissent, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbantur, illud prorogâsse ad aliud tempus commodius. Ita ille.

[f] An. 1408. X. II.

IV. FABULA CLAMENGIJ DE BUBONE APPARENTE IN CONCILIO.

Mirúmque, si & verum, quod apud Clamengium legitur tractatu de Conciliis generalibus, quem conscriptum esse apparet tempore Constantiensis: nimirùm cùm Ioannes (quem Balthazarem vocat) quorumdam compulsus instantiâ Concilium Romæ convocâsset, paucissimis concurrentibus extraneis, ex aliquibus qui affuerunt Italicis & curialibus sessiones aliquot tenuisse: cúmque antea primam, pro invocatione Sancti Spiritûs solito fuisset de more Missa celebrata, ubi Concilium assedisset, pro Spiritu Sancto qui invocatus fuerat dirum ac feralem bubonem è latebris suis erumpentem, cum illâ suâ horrifica voce continuò advolasse, supérque trabem templi mediam, oculis in Ioannem directo intuitu conjectis adstitisse: ceteris & se mutuò & Ioannem intuentibus ac vix risum continentibus, Ioannem in quem solum ille fixâ acie oculos intenderat, rubore suffusum angustiari atque æstuare cœpisse, ac soluto Concilio surgentem abcessisse: Secutâ alterâ sessione id ipsum contigisse: bubonem nec clamoribus, nec aliis tremefactum molestiis effugere voluisse, donec fustium crebris ictibus in conspectu omnium exanimis decidit. Ita Clamengius; quæ à quodam fideli amico Româ veniente, ac de rei restæ veritate à se adjurato, accepisse testatur: allegátque, ut ostendat multas posse occasiones incidere frustrandorum Conciliorum, sive ex capitis indignitate, ut in hoc factum esse putavit; sive ex majoris partis aggregatorum indispositione ad gratiam Spiritûs Sancti percipiendam. Cujus ipsius sententiæ interpretationem, aut in eo quo claudicat confutationem, ut modò omittamus,) præter anilem fabulæ inanitatem, quæ ceteros penitùs omnes latuit, & quam miramur Clamengium uti certam non puduisse referre tam levi ac futili testimonio acceptam:) illud minimè tacemus; quamvis fuerit hic auctor egregiæ literaturæ, magníque nominis, & magnum præ se tulerit reformationis morum, qui eo tempore in omni hominum conditione depravatissimi erant, pacísque Ecclesiæ ac Principum desiderium; ita tamen Benedicto suo pseudopontifici, cujus secretarium aliquanto tempore egit, addictum perstitisse, ut ei omninò parcens, ceteros Pontifices, & quæcumque ab illis vel pro illis fierent, adversatum adeò esse, ut etiam quæ jure merito carpit, quales sunt morum depravationes, & illicitæ artes videantur sæpiùs non tam ex recto zelo, quàm ex morosis ipsius mentis & animi commotionibus procedere.

CLAMENGIJ MOROSITAS.

V. CONCILIJ DECRETUM CONTRA HUSSITAS.

Sed ut ad Concilium Ioan. redeamus; quantocumq; id demùm numero Patrum constiterit, *Generalis* tamen nomen accepisse, tam ex prædictis intelligitur quàm ex decreto, quod ibi factum contra Wickleffistas & Hussitas Boëmiæ Cochlæus refert, datum die 6. Ianuarij anni proximi 1413. quo à Pontifice, approbante (ut diximus) Concilio generali jussa sunt Wickleffi ejúsque sectatorum scripta per locorum ordinarios diligenter inquiri atque comburi: & memoriæ Wickleffi cultores, infra novem menses, qui pro primo, secundo, ac tertio & peremptorio termino assignati fuêre comparere coram Sede Apostolicâ, allegaturi quicquid vellent, ne ut idem Wickleffus de hæresi condemnarentur. Quod tamen decretum, ut Cochlæus ait; adeò non profuit ad deterrendos Hussitas à semel conceptâ hæresi, ut etiam contumeliosis illud glossis adnotaverint: inter alia Concilium hoc vocantes non Generale, sed Angulare; ubi non Prælati de regnis Orbis, sed pauci monachi & simoniaci

QUOD AB IIS IRRIDETUR.

Urbis fuissent, Legis Dei & veritatis æmuli manifesti. Illudentes pæterea jurisdictionem Papalem, propter schisma triũ inter se contendentium; effecerunt, ut populus eis adhærens nihil curaret de processibus Pontificiis contra eos institutis. Doctos verò qui suæ partis non erant, variis exagitantes quæstionibus, & doctrinæ existimationem, & judicij auctoritatem arrogabant sibi. Quemadmodùm hoc præsenti anno contigit ibidem Pragæ ad principium Martij; cùm idem Hus per instrumentum publicum tria dubia proposuit; 1. Utrùm in Papam credendum esset: 2. Utrùm possibile esset aliquem hominem salvari, qui non confitetur ore mortali sacerdoti: 3. Utrùm aliquis Sanctorum Doctorum sentiret ac diceret, quòd aliqui de Pharaonis populo submersi in mari rubro & ex Sodomitis subversis sint salvati. Móxque ad eadem respondit, ad primum quidem negativè ex Bedâ, qui dicit aliud esse credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Ad secundum assertivè ex B.Thomâ, qui ait deleri etiam peccata per contritionem. Ad tertium item assertivè ex S.Hieronymo, dum scribit eos temporaliter punitos esse ne in æternum punirentur. Ut hæc idem Cochlæus refert, Hussi in iis perversum animum, ac subdolas interpretationes refellens.

Hussi quæstiones.

VI. De Albico autem Archiepiscopo ait; quoniam nihil præterea de ejus gestis, comperit in Actis Boëmorum, suspicari se eum à Capitulo Pragensi repudiatum esse, quòd non fuisset canonicè electus, sed Sigismundi favore indignè promotus. Ne autem Ecclesia illa penitùs acephala videretur, datum ei esse à Sede Apostolicâ administratorem Conradum Episcopum Olomucensem, quem nihilominùs haud multò absimilem fuisse Albico, Dubravius tradit. Initio tamen egregiè contra Hussitas egisse, tam idem scribit; quàm præcipuè Cochlæus ostendit, cùm ait eum à Theologis Pragensibus petiisse exemplũ illius Consilij quod Subinconi præterito Archiepiscopo dederant, de modo horum de fide dissidiorum tollendorum, & pacis redintegrandæ. Quod cùm duodecim articulis constaret, qui toti erant de juramento per singulos Vniversitatis Pragensis Doctores & Magistros præstando de abnegandis quadraginta quinque Vvickleffianis articulis jam olim, ut vidimus, damnatis: de profitendâ doctrinâ Romanæ Ecclesiæ de Sacramentis, clavibus, ritibus, ordinibus Ecclesiasticis, ceterísque observantiis; & in omnibus judicio & sententiæ Sedis Apostolicæ atque ejusdem Ecclesiæ stando: déque severè per ordinarios puniendis omnibus & singulis, qui quomodocumque fuissent detecti aliter sentire, aut prædicare; ac nominatim vetandâ Ioanni Hus prædicandi facultate, quousque absolutionem à Sede Apostolicâ obtinuisset: eos Administrator Regi, & Baronibus regni, ac Senatui Pragensi, uti valdè salutaria proposuit. Contrà quos cùm Hus novem articulos obtulisset de conversandis regni Boëmiæ juribus ac libertatibus, de non infamando ipso Hus hæresis absque causæ cognitione, ac doctrinâ ejus examinanda: Ex his ad plausum populi compositis cùm majora timerentur scandala; Administrator utrisque consiliis ad Episcopum Lytomyslensem virum gravem & expertum transmissis, rogavit ejus sententiam in re tam tam ancipiti. Qui Consilium Universitatis approbans, nonnihil ultrà addidit; Husíique consilium reprobans, ejus fraudes detexit: epistolâ ad Administratorem additâ; quæ cùm data ponatur die 10. Februarij anni Domini 1413, inde apparet hæc quæ modò ex Cochlæo retulimus, (qui singulos supradictos articulos, reliquáque circa eos gesta memorat) peracta esse ad finem præsentis anni, & sequentis initium.

Disputatur Pragæ de rebus Hussi.

VII. Quando & Rex Vvenceslaus, adhibito Baronum consilio, ejecto à civitate Pragensi seditionis fonte eodem Ioanne Hus, qui Sedis Apostolicæ auctoritate omnibus censuris Ecclesiasticis innodatus erat; Doctorum consilia rata habuit, & in modum edicti publicari voluit. Quamvis nec tunc seditiosi quieverint; quinimmò pervicaciùs tumultuantes, non solùm in concionibus clamitare cœperint iniquè Hus ejici, verùm etiam variis libris & scriptis edictum illud, & contenta in eo Doctorum consilia & rationes, contrariis rationibus & argumentis impugnaverint: quæ rursùm Doctores Catholici prolixiùs confutârunt. Innumeræque sunt turbæ ab iisdem hæreticis, viris, feminis, pueris, & conclamationes factæ; eo speciosiori titulo, quo præseferebant Ecclesiasticorum Catholicorum vitam depravatam incessere, eorúmque morum reformationem quærere; neque ob aliud se odio haberi quàm propter prædicationem Evangelicam, per quam arguerentur simoniaci, luxuriosi, avari, qui maximè in Ecclesiâ Romanâ vigerent, & ramos suos diffunderent per universum orbem.

Ejus sectatores eo pulso acriùs tumultuantur.

VIII. Felicior suis prædicationibus in Hispaniâ Vincentius Ferrerius, de quo superiùs, qui [g] in Castellam peregrinatus ad annunciandum Iudæis Evangelium, primùm à Rege obtinuit ne Iudæi inter Fideles conviverent, propter mutui commercij periculum; deinde, ut signum aliquod super vestibus quo dignoscerentur deferrens: qui fuit circulus ad sinistrum humerum super pallio aut amiculo assutus. Salmanticæ in synagogam eorum sabbato ex improviso cum CHRISTI crucifixi Imagine ingressus, cùm ab iis ad rem novam attonitis audiri obtinuisset; loquente illo verba ignita ad illuminationem eorum, subitò cruces albæ super pallia virorum & linteamina feminarum apparuêre. Quo miraculo obstupefacti, sacrum baptismum petierunt omnes, ac susceperunt; & Synagogam in Ecclesiam S.Crucis commutârunt. Hácque forte occasione scripserit *Hieronymus de Sancta Fide* Benedicti Lunensis medicus genere Iudæus, contra Iudæorum perfidiam libellum [h] longè doctissimum; qui scriptus ponitur mense Augusti anno millesimo quadringentesimo duodecimo, Pontificatûs Benedicti decimo octavo. Par verò ferè alia conversio centum viginti duorum Iudæorum; quæ in Castellâ paulò pòst contigit ex signo Crucis niveæ mirâ formâ in cælo apparentis, prædicante quodam religioso Ordinis S. Francisci de mysterio sacræ Eucharistiæ.

[g] *Bzov. ex Ægid. Gonzal. lib. 3. cap. 15.*

Vincentij Ferrerij prædicatione convertuntur Iudæi in Hisp.

Cruces in vestibus eorum apparentes.

[h] *Ext. in Bibl. Patr.*

IX. Hoc item anno contigit Mediolani, ut cùm pòst obitum [i] Ioannis Galeatij Vicecomitis primi Ducis potentissimi, ex discordiis in eo

[i] *Sup. an. 1402. XII.*

Statu

DUX MEDIOL. NECATUR.

Statu exortis adeò opes Vicecomitum fractæ fuissent, ut qui anteà opulentissimam Italiæ partem, nobilissimísque urbibus frequentem, latè patente imperio obtinuissent; finésque Circumpadanæ regionis egressi, Piceno, Æmiliæ, Etruriæ se superfudissent, totique reliquæ Italiæ formidolosi essent: nunc contempti, atque ab omnibus despecti jacerent; ipsáque vix Mediolanensis civitas omnibus belli cladibus afflicta, nomine Ioannis-Mariæ Ducis teneretur, Philippúsque-Maria frater ejus amissâ nuper Papiâ, præter inane nomen Comitis nihil possideret: Idem Ionnes Dux civibus ob efferatissimam crudelitatem, quâ præter alia exquisita supplicia, sontes insontésque ferocissimis molossis quos carne humanâ alebat, lacerandos vivos exponere consueverat, odiosissimus factus; die decimasextâ Maij à conjuratis dirè occisus fuerit. In templum cruentus delatus, cùm non sine ludibrio spectaretur; infimæ sortis meretrix una omnium humanitatis non oblita, ad tegendam vulnerum fœditatem recentium rosarum acervo cooperuit. Succedentibus porrò ex ejus nece gravioribus tumultibus, demùm tamen Ducatum obtinuit prædictus Philippus Ioannis frater; qui vindictam sumpsit de fratris peremptoribus, ac brevi vires resumpsit, & civitates Lombardiæ amissas recuperavit, & incredibili rerum successu paternum principatum amplificavit: uti pluribus narrant Blondus, Corius, & alij.

X. DUX LOTHARINGIÆ DAMNATUR, ET VENIAM OBTINET.

Eodem anno in bellis civilibus Galliæ, cùm Dux Lotharingiæ capitalia aliqua delicta in terris quas jure clientelari possidebat, in Regem dominum suum commisisset; criminis majestatis reus constitutus, damnatúsque in Senatu Parisiensi; (cujus est eâ de re decretum datum Calendis Augusti præsentis anni:) Lutetiam ad Regem veniens, petitam humiliter veniam obtinuit intercessione Ducis Burgundiæ. Rem verò gestam describit Iuvenalis, qui ejus pars magna fuit.

XI. MARGARITÆ REGINÆ AQUILONARIS OBITUS.

Hócque item anno [k] diem obiit *Margarita* illa omnium Aquilonarium regnorum Regina, de quâ aliquoties superiùs; valdè, ut diximus, à Danis laudata, à Suecis infamata. Post cujus obitum, solus *Ericus* Pomeranus ejus nepos, quem vidimus ab illâ adoptatum, eadem tria regna Sueciæ, Norvagiæ, ac Daniæ administravit. Quem pariter historiæ Sueticæ tradunt immanissimum fuisse tyrannum, solutum moribus, promptum ad hæreses & schismata, cleri persecutorem, nobilitatis exterminatorem, populi oppressorem; ut Magnus describit. Ejus verò plurima contra diversos bella, aliásque res gestas, describens item Krantzius [l] in Saxoniâ, Daniâ, Sueciâ, Norvagiâ, haud ejus vitæ & moribus parcens, paulò tamen mitiùs cum eo agere videtur: sicuti & recentior descriptor [m] Rerum Danicarum. Sed de eo plura inferiùs.

[k] Io. Magn. Hist. Suet. lib. 22. c. 1.

[l] Krantz. lib. 10. Sax. 8. Dan. 5. Suec. 6. Norvag.
[m] Pontan. lib. 9.

IESU CHRISTI Ann. 1413.
IOANNIS XXIII. Ann. 4.
SIGISMUNDI Ann. 4.
EMMANUELIS II. Ann. 30.

I. HENRICI REGIS ANGL. OBITUS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimo tertio, Indictione sextâ, die vigesimâ Martij, mortuus est *Henricus* Rex Angliæ ejus nominis Quartus, anno occupati regni decimotertio mense sexto, ut Walsinghamus numerat, quem à multo tempore elephantiaco horribili morbo deformem redditum, Monachus [a] Dionysianus asserit, meminítque Iuvenalis: necnon Wasseburgensis [b]: quod tacent Angli. Tradunt [c] autem; cùm post superatas multas in se conjurationes, omnia tam domi quàm foris placida cerneret; præstantiori militiæ operam deinceps daturum, cogitâsse ad Terram Sanctam transmittere; sed morte præventum exequi non potuisse. Cùm autem ægrotaret in ædibus Abbatis Westmonasterij Londinensis, & cubiculo quod Ierusalem appellabant; ubi nomen cubiculi audivit, cœpisse omnem morbi depellendi spem deponere quòd aliquando ex vaticinio accepisset, Ierusalem sibi fatalem fore. Unde & fortè illum sacri Ierosolymitani itineris cupido incesserat.

[a] Mon. Dion. & Iuven. in Car. VI.
[b] Wasseb. lib. 6.
[c] Polydor. lib. 21. in fin. Harpsf. sac. 15. c. 2. in fi.

II. SUCCEDIT FILIUS HENRICUS V.

Successorem habuit filium natu maximum *Henricum* ejus nominis Quintum; cùm magis regnum deberetur Comiti Marchiæ, ut ex ipsis Anglis vidimus in patris ejus ingressu. Quinimmò observat Monstreletus [d], & fortè ex eo idem Wasseburgensis, eumdem patrem ejus in obitu hortatum eum esse ne regnum susciperet, quod ipse injustè occupâsset. Sed non tam filius credulus; nec adeò delicati fastidij, quin non solùm illud obiverit, verùm etiam auctâ edendo solidioris cibi appetentiâ, Francicum etiam longè infirmiori, vel potiùs nullo prorsùs jure, deglutire quæsierit. Erat verò in patris obitu ætatis viginti sex annorum; literis à pueritiâ excultus; fortitudine militari peritiâque jam tunc præstans, sed posteà præstantissimus: quem Regem factum solutiorem adolescentiæ vitam ita emendâsse tradunt, ut ceteris virtutis & modestiæ exemplo esset. Coronatus est autem quinto Idus Aprilis Dominicâ in Passione Domini: quâ maxima tempestas nivis cecidit, quæ occasionem curiosis præbuit de futuris ejus rebus ariolandi: ac præcipuè Walsinghamo, qui huic ipsi Henrico Hypodigma suum dicavit anno ejus regni sexto.

[d] Monstrel. lib. 1. c. 101.

III. IOAN. OLDCASTELLIJ WVICKLEFFISTÆ AUDACIA PRO HÆRESI.

Narrat autem, hoc tempore Lollardos, sive Wvickleffistas eò impudentissimæ audaciæ processisse, ut schedulas quasdam ad fores Ecclesiarum civitatis Londinensis affigere non dubitaverint, habere se centum millia hominum parata adversùs eos qui ipsorum sectæ adversarentur: auctore præcipuo *Ioanne* quodam *Oldcastellio* de Cobham, rebus bellicis conspicuo, ac propterea Regi charo, sed hæreticâ labe corruptissimo: Habito à Thomâ Archiepiscopo Cantuariensi ibidem Londini conventu ecclesiastico, Ioannem evocatum, cùm nec monitionibus Archiepiscopi, nec horta-

tionibus

tionibus Regis ipsius, qui ad rectam fidem eum revocare conatus est, ab hæresibus quas obstinatissimè propugnabat de cōtemptu clavium Ecclesiæ, sacramentorum altaris & pœnitentiæ, sacrarum peregrinationum; & venerationis S. Crucis & Imaginum Sanctorum; moveretur: demùm post multas perendinationes, sententiâ in eum latâ condemnatum esse hæresis, & judicio sæculari traditum: Cùm autem è turri Londinensi proripuisset se, collectâ clàm ingenti Lollardorum multitudine, Londinum versus accessisse principio anni proximi, Regem inopinatò cum fratribus suis & proceribus oppressurum apud Elthamum prope Londinum, ubi Christi natales dies transegerat; ac deinde totum Clerum, statúmque monachorum sublaturum; denique regnum usurpaturum, suísque distributurum: Sed conjuratione in ipso ferè executionis puncto à nonnullis conſciis detectâ, dissipatam per regios milites multitudinem esse; plures eorum tam sacerdotes quàm laïcos captos & dignis suppliciis affectos: Oldcastellio tamen ita evadente, ut nullibi reperiri potuerit, licèt diligentissimè, & cum magni præmij promissione, conquisitus: donec post bienniumiterùm emergens pœnas luit, ut tunc dicetur. Hæc autem prolixè tractat Vvalsinghamus [e], & ex eo & aliis monumentis Harpsfeldius in Historiâ [f] Vvickleffianâ.

e Vvals. in Henr. V. & Hypodigm.
f Harpsfeld. cap. 15.

IV.
LADISLAUS ROMAM OCCUPAT EX EXPILAT.

In Italiâ fœdifragus Ladislaus nihil intentatum relinquens quo rursùs Urbis Romæ dominium adipisceretur, aliis prætextibus magno collecto exercitu, eam ex improviso, & suorum qui in Urbe erant fautorum auxilio aggressus; fractis mœnibus loco ab hominum habitatione longè distante, eam ingressus est octavo Iunij in Octavâ Ascensionis Domini: Ioanne Pontifice unà cum plerisque Cardinalibus fugam properè arripiente Sutrium versùs; vixque manus insequentium evadente: unde Viterbium, ac deinde Florentiam sese proripuit: factâque ibi aliquot mensium morâ, demùm Bononiam, jam Ecclesiæ restitutam, pervenit duodecimo mensis Novembris. Captus tamen in Urbe est Cardinalis Barensis; plures Prælati alijque Ecclesiastici occisi, omnes bonis exuti; Ecclesiæ expilatæ & in equorum stabula & spurcitiarum prostibula conversæ; mulieres honestæ ac virgines sacræ constupratæ; probi cives aut occisi, aut triremibus addicti, aut pulsi, omnia sacra & profana violata; nihil sceleris intactum relictum. Quæ plures auctores [g] tangunt: Urbis occupationem, & fugam Pontificis, distinctiùs Niemus unus fugientium in ejus Vitâ narrat; patrata scelera lugubriùs Antonius de Chalanto Cardinalis missus à Ioanne Pontifice paulò pòst ad Sigismundum Regem, oratione [h] ad eum habitâ contra Ladislaum: qui interim reliquas urbes & terras Ecclesiæ occupavit, magnâ spe Tusciam integram, ipsámque universam Italiam per fas nefásve in potestatem suam reducendi; nisi Deus eam illi paulò pòst, ut videbitur, præcidisset.

g Ant. Pogg. Burdegal. Mon. Dion. Monstrel Blond. Plat. Collen. Summont. &c.
h Rec. Bzov. hoc an. ex Act. MS. Conc. Const.

V.
IOANNES PONT. AGIT CUM SIGISM. CÆS. DE CELEBRATIONE CONCILII.

Ioannes autem Pontifex de Concilij celebratione, quam Romæ faciendam indixerat, alio commodo loco habendâ sollicitus; cùm audisset Sigismundum in Lombardiam venisse; (non quidem, ut Corius [i] putavit, ad coronam secundam Imperij Mediolani accipiendam, cùm nondum hoc tempore, ut aliàs vidimus, primam Aquisgrani accepisset; nisi fortè ficte id obtenderet: sed potiùs, ut ex Niemo & Platinâ, atque Venetis & Hungaricis Scriptoribus intelligitur, occasione simultatum quas possessionis Dalmatiæ causâ cum Venetis gerebat; quæ hoc eodem anno per quinquennales inducias prolationem acceperunt:) ad eum non minùs de pacificandâ Ecclesiâ sollicitum, post rem literis ac nunciis inter eos agitatam, ut Antoninus [k], ipséque Pontifex literis indictionis Concilij Constantiensis declarat) misit Pontifex duos Cardinales, prædictum Antonium de Chalanto tit. S. Cæciliæ Presbyterum natione Sabaudum, & Franciscum Zabarellam Patavinum Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, unà cum Emmanuele Chrysolorâ nobili Constantinopolitano, ac plenâ potestate conveniendi de loco & tempore celebrationis Concilij. Conventúmque demùm fuit de loco Constantiæ civitatis provinciæ Moguntinæ; (amplæ satis ad recipiendam magnam hominum multitudinem, ac situ quasi in medio nationum quæ ad Concilium accessuræ essent positæ) ac de tempore festi omnium Sanctorum anni proximi 1414. Quâ in re non videtur prætereundum (inquit ex Leonardo Aretino idem Antoninus, & ex hoc Nauclerus) eam aliter quàm Pontifex cogitaverat divino nutu contigisse. Nimirum cùm vellet ipse omninò locum statui, in quò non plùs posset Sigismundus; atque ideò deliberâsset tradere quidem palàm amplissimam Legatis suis facultatem, privatim tamen certa loca iisdem præscribere: proficiscentes hortatum ad munus legationis diligentissimè obeundum, quos sciret prudentiâ & fide ad optima quæque & salutaria deligenda excellere, momento temporis propositum diù cogitatum immutantem, dixisse iisdem, decrevisse se quidem loca quædam indicare à quibus nullo modo discederent, sed in hoc temporis puncto sententiam se mutare, ac ipsorum prudentiæ totum committere: chartulámque in qua loca scripta erat, in eorum conspectu lacerâsse, absque ullâ alicujus loci nominatione: Acceptâ autem à Legatis Constantiâ, urbe transalpinâ & Imperio subjectâ, incredibiliter Pontificem indoluisse, quasi inde penderet ejus ruina.

i Cor. par. 4.
k An. tit. 22. c. 6. §. 2.

RES NOTABILIS DE LOCI ELECTIONE.

VI.
SIGISMUNDI CÆS. LITERÆ DE CELEBRATIONE CONCILII.

Re autem sic inter Sigismundum & Legatos constitutâ, idem Sigismundus literas publicas scripsit [l] è loco Viglud Comanæ diœcesis die penultima Octobris anni 1413. regnique sui Romanorum quarti: quibus narrans quæ cum prædictis Legatis Ioannis Pontificis constituisset universis ad Concilium Constantiam venturis securum commeatum, plenámque libertatem tam in accessu quàm statu & recessu promisit. Aliásque speciales [m] in eumdem sensum direxit posteà Gregorio, hortans ad unionem Ecclesiæ, & securitatem tam ipsi quàm omnibus ejus obedientiæ promittens. Sicuti & Magistratus Constantiensis per acta [n] publica juravit servare certa capitula à Ioanne Pontifice proposita pro eâdem suî ac suorum plenissimâ libertate accedendi, standi, & recedendi, atque exercitio jurisdictionis

l Re. Bzov. hec an.
m Ibid.
n Ibid.

&

& auctoritatis suæ. Idémque Ioannes convento post hæc eodem Sigismundo [o] apud Placentiam, inde cum illo Laudam petiit. Ubi Ioannes publico diplomate [p] dato quinto Idus Decembris anno Pontificatûs quarto, prædictam loci & temporis electionem auctoritate Apostolicâ confirmans, Concilium generale indixit, ad ídque omnes Prælatos, Reges ac Principes invitavit. Quando & Sigismundus ad singulos pariter Reges ac præcipuos alios Principes, nuncios suos dirigens, quibus eos de his certiores redderet, & ad consentiendum hortaretur, ut sciri posset quis ex tribus contendentibus verus esset Pontifex; misit etiam (ut ait Monachus Dionysianus) ad Regem Frãcorum. Qui respondit, se in tollendo Schismate multùm desudâsse, ut notissimum universo orbi erat: creato legitimè Alexandro V. Adhæsisse, ac postmodùm Ioanni: ac nihilominùs votis dilectissimi cognati sui Regis: prædicti assentiendo, permissurum se cuicumque volenti ad Concilium ire.

o Anton. d. §. 1.
p Ext. in Act. Conc. Constant.

IOANNES PONT. CONCILIUM INDICIT CONSTANTIÆ.

VII. Ab urbe Laude Ioannes & Sigismundus unà simul Cremonam ierunt: his conventibus [q] non solùm de Schismate Ecclesiæ tollendo tractantes, verùm etiam de Ladislao conterendo, cùm non aliter Italia incendiis bellorum liberari posset. Ioannes autem relicto Cremonæ Sigismundo Mantuam petiit: ubi paulò longiùs commoratus, exacta hieme Bononiam rediit. Quid verò periculi tunc utrique Cremonæ acciderit, ipsis aliisque insciis, ex publicâ confessione Cabrini sive Gabrini Funduli illius urbis domini, seu tyranni crudelissimi, Iovius de illo agens narrat. Nempè cùm is fraude posteà interceptus ad supplicium Mediolani duceretur, hortantibus eum de more sacerdotibus ut ex disciplinâ Christianâ composito animo vitæ exitum ferret, ac de patratis sceleribus pœniteret; contortis atrocibus oculis, jussisse desinerent ipsi indignè perfidioséque prodito molesti esse: Tantum enim abesse, ut ipsum jure belli factorum pœniteret, ut maximè etiam doleret, quòd Papam simul ac Cæsarem, ad immortalem clarissimi facinoris famam, è suâ turri minimè præcipitâsset: Quippe Ioannem & Sigismundum convivio exceptos, studióque peramœni atque admirabilis prospectûs in summam turris coronam invitatos, incessente atrocem animum diri libidine, in subjectum forum provolvere cogitâsse; nisi solus retinuisset pudor, ne hospitalis mensæ religionem, cui ipse honoris causâ conviva adhibitus eo die fuerat, ingrati animi piaculo fœdâsse videretur.

q Platin. in Ioan. XXIII. & alij.

NEFARIA COGITATIO G... CONTRA PONT. ET CÆS.

VIII. Hoc eodem anno Lituania denuò Poloniæ adscripta est. Et sicut anteà fidem Christianam ex Polonis priùs assumpserat, ita & nunc signa nobilitatis, easdémque prærogativas quibus Polona nobilitas uteretur, parésque magistratus. Hócque præterea Rex pius Ladislaus præsenti item anno præstitit, ut Samagitiam, septentrionalem & gelidam regionem, Lituaniæ, Livoniæ, & Prussiæ conterminam, silvis, collibus, & fluminibus circumseptam, auri, argenti, æris, ferri, vini, eâ tempestate expertem, ritu barbaram, religione magnâ parte paganam, atque præcipuum numen Ignem colentem; ad Christianam fidem quà muneribus quà minis & auctoritate, extinctis sacris ignibus, succisis Lucis, necatisque Serpentibus, aliisque sacrorum Animalibus, magnò studio, magnáque curâ reduxerit; non solùm pij Regis, verùm etiam Doctoris & Apostoli fungens officio. Qui & insuper digno Christianæ demissionis animi exemplo, cùm Petrum Vvissum Episcopum Cracoviensem præcipitanter injuriâ affecisset, in genua procumbens culpam deprecatus est. Describunt hæc Michovius [r] & Cromerus [s]. Samagitas autem misisse post biennium nuncios suos ad Concilium Constantiense, ex Niemo [t] qui aderat intelligitur; aitque fuisse sexaginta circiter viros magnæ staturæ. Meminit verò etiam Æneas [u] Silvius de quodam *Hieronymo Pragensi* sacris literis apprimè erudito; qui oriente apud Boëmos Hussitarum hæresi, fugiens pestiferum virus in Poloniam transivit, & à Rege Ladislao in Lituaniam missus, Vitoldi Ducis favore multos populos ad Christi fidem convertit: eúmque se vidisse Basileæ tradit, audisséque narrantem mira (quæ & refert) de gentium illarum superstitionibus, & prædictarum rerum cultu.

SAMAGITIA AD FIDEM CHRISTI PERDUCITUR A [t] REGE POLONIÆ.

r Michov. lib. 4. c. 45. & 46.
s Cromer. lib. 18.
t Niem. in Ioan. XXIII.
u Æn. Europ. cap. 26.

HYERONYMUS PRAGENSIS MULTOS POPULOS AD FIDEM CONVERTIT.

IESU CHRISTI Annus 1414.

IOANNIS XXIII. Ann. 5.

SIGISMUNDI Ann. 5.

EMMANUELIS II. Ann. 31.

I. ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimo quarto, Indictione septimâ, mense Februarij [a] rationes & articuli per Ioannem Parvum pro defensione necis Ducis Aurelianensis propositi, qui hactenùs ob summam potentiam Burgundiæ Ducis fuerant ab Universitate Parisiensi & Episcopo atque Inquisitore hæreticæ pravitatis in regno Franciæ, absque ullâ censurâ, quamquam plerique censebantur esse contra fidem & doctrinam Ecclesiæ, derelicti: jam eodem Parvo mortuo, ac Rege contra Burgundum procedente severè edictis & armis ob plurima ejus contra Regem, Delphinum, & regnum audacissima molimina atque facinora: à prædictis Episcopo, (cui nomen Gerardo de Monteacuto) & Inquisitore Ioanne Poleti Ordinis Fratrum Prædicatorum, post eorumdem articulorum maturam unà cum Doctoribus Universitatis factam examinationem, (uti quidem ab eo propositi dicebantur, novem numero; agente potissimè adversus Parvum Ioanne Gersonio, celebri Doctore Theologo, & Universitatis Cancellario) declarati sunt erronei in fide & moribus: facto inde decreto die vigesimâ tertiâ Februarij; quod vigesimâ quintâ publicè promulgatum est, ipsíque articuli publicè in atrio Ecclesiæ Parisiensis igne cremati. Quod cùm vergere videretur in opprobrium & dedecus Ducis Burgundiæ, in cujus defensionem eos Ioannes proposuisse dicebatur: ex parte Ducis provocatum est ad Sedem Apostolicam; causáque in Concilio Constantiensi vehementiùs agitata, ut pleniùs dicetur anno sequenti.

a Monac. Dionys. in Car. VI
Monstrel. tom. c. 113. c. 117.

ARTICULI IOANNIS PARVI PRO DUCE BURGUN. DAMNANTUR PARISIIS ET CREMANTUR.

De quibus supr. an. 1408. I.

Quod

II. MODUS ACCIPIENDI AURIFLAMMAM.

Quod autem diximus Regem adversùs Burgundum armis egisse; cùm dicat Monachus Dionysianus ipsum Regem, antequàm ad bellum proficisceretur, isse de more ad S. Dionysium ad sumendam Auriflammam præcipuum Regum Francorum vexillum, jámque nos quale illud esset aliàs [b] descripserimus: modum etiam illud sumendi, quem tam hoc præsenti quàm 1412. anno quo illud ipsum aliâ occasione Rex accepit, idem Monachus descripsit, non absonum visum est hîc adscribere in confirmationem eorum quæ jam tunc de eodem modo diximus, & commendationem pietatis ac religiositatis & rei & Regum. Cùm igitur id accipiendum esset, Rex ab oratorio suo ad cornu altaris B. Martyris Dionysij ac sociorum accedebat juxta Abbatem Missam conventualem in Pontificalibus celebrantem, qui ante secretas collectas ad Regem conversus, & onera ac honores auctoritatis regiæ recensens, Regem monebat ut priscorum more Regum gloriosos Martyres semper devotissimè invocaret pro victoriâ obtinendâ, deinde militem qui vexillum suscipere debebat, laudans de genere, magnanimitate, prudentiâ, & ad tantum munus idoneitate, post Corporis Christi consecrationem usque ad Agnus Dei perveniens, Vexillum ab altari sumptum Regi tenendum offerebat, benedictiones consuetas intelligibiliter proferendo, militémque illum flexis genibus inter Regem & Abbatem jurare faciebat super sacratissimam Eucharistiam, se illud usque ad mortem fideliter custoditurum. Deinde percepto sacramento, & militi pariter tradito, post consummata sacra mysteria; Rex vexillum cum pacis osculo ad collum militis suspendebat, quod miles custodiebat, & in expeditionibus ferebat: donec bello confecto ad eamdem Ecclesiam S. Dionysij accedens, illud super ejus altare devotè reponebat, & Abbas Pontificalibus indutus receptum, in thesauro ornamentorum regiorum reponebat.

[b] Supr. an. 1214. XIV. & seqq.

III. IOAN. PP. SOLICITUS DE VVICKLEFFISTIS BOËMIÆ.

Dum esset Pontifex Bononiæ, quamvis in metu constitutus oppressionis à Ladislao Rege Neapolitano, qui cum magno exercitu terras Ecclesiæ incursabat; nihilominùs quæ erant fidei curans, cùm audîsset Hussitas Boëmos flocci facere quæ ipse de iis in Concilio Romano statuisset; sciréteque parùm vel nihil auxilij ab Vvenceslao Boëmiæ Rege expectari posse: primùm curavit ut Rex Francorum & Universitas Parisiensis scriberent ad Boëmos, ab hæresi Vvicklefficâ piè revcandos. Quod ab iis præstitum esse docet Cochlæus [c] ex prolixâ epistolâ Ioannis Gersonij, Doctoris & Cancellarij ac Decani sacræ Theologicæ facultatis, ad Archiepiscopum Pragensem Sedis Apostolicæ legatum datâ 27. Maij in Vigiliâ Pentecostes: (quâ præsens annus indicatur:) quâ eum inter alia hortabatur ad brachium sæculare contra obstinatos invocandum. Et argumento quoque auctoritatis Regum Catholicorum & Universitatum eos confundens, subdebat mitteret se ad hoc Christianissimi Regis, & præclarissimæ ejus filiæ Universitatis Parisiensis literas patentes. Deinde idem Pontifex, ne videretur omninò Vvenceslaum despicere, scripsit & ad ipsum vehementem & affectuosam (ut idem Cochlæus loquitur) epistolam ibidem Bononiæ tertio Idus Iunij Pontificatûs anno quinto; (nempè præsenti) quâ eum per viscera misericordiæ Dei, & pro conservatione ipsius regij nominis, statûs pariter & honoris; regnorúmque & partium eidem subjectarum felici salutaríque regimine, cohortatus est tam efficaciter interponere & excitare potentiæ suæ vires, ut labes illa Vvickleffica, quæ mentes mortalium inficeret in animarum interitum, extirparetur. Quid autem circa hæc præstitum sit à Rege & doctoribus in Boëmiâ, sive ante has Regis Francorum & Pontificis monitiones, sive posteà, satis pro instituto dictum ex occasione superiùs [d].

[c] Cochlæ. Hist. Hussit. lib. 1.

GERSON SCRIBIT CONTRA ILLOS.

[d] An. 1412. V. VI. VII.

IV. INTRODUCTIO OPINIONIS DE UTRAQUE SPECIE.

Sed major extitit commotio ob novum inventum [e] *Petri Dresensis*, sive Desdrensis (quod oppidum Misniæ est super Albim) ob hæresim à patriâ exulis, qui cum *Iacobello* de quo suprà [f], suggessisset articulum de laicâ communione sacraméti Eucharistiæ sub utraque specie panis & vini, auctoritate Christi Domini, qui apud Ioannem [g] Evangelistam asserit, nisi quis manducaverit carnem filij hominis, & biberit ejus sanguinem, non habiturum vitam in se: his motus Iacobellus, cùm & apud nonnullos Patres antiquos communionem calicis laudatam invenisset; eam publicè prædicare cœpit, ingenti hæreticorum applausu, quòd jam articulum invenissent in Evangelicâ lege fundatum per quem Romanæ Sedis vel ignorantiam, vel nequitiam coarguerent, quòd alteram Eucharistiæ partem, sine quâ non posset haberi vita, plebi adimeret, quæ & propterea vehementissimè adversùs Clerum concitata est, tanquam is per invidiam & contemptum laicis non integrum porrigeret Christum. Contra quorum intemperantiam, ac de Sacraméti sub unaquâque specie integritate, déque usûs calicis diversitate tam antiquioribus quàm recentioribus temporibus, ac difficultatum in his emergentium dissolutione, aliísque ad ea pertinentibus, multi ac prolixi compositi sunt ubique à Catholicis tractatus ac libri; postquàm in Conciliis Constantiensi & Basiliensi uno omnium nationum consensu statutum est, (ut suis locis videbimus, agemúsque de his pleniùs) consuetudinem communicandi laicos sub unâ tantùm specie panis, laudabilem esse; & ab Ecclesiâ sanctísque Patribus optimâ ratione introductam, atque habendam pro lege, quam nemini liceat absque auctoritate Ecclesiæ pro libito immutare. Quibus & addas infinita illa miracula circa sacratissimam Eucharistiam sub specie panis facta, quæ ab auctoribus singulorum temporum, & à nobis frequenter relata fuêre; quibus omninò atque certo certiùs appareat, CHRISTUM totum vivum & vivificum verè ac realiter sub eâ specie contineri.

[e] Æn. Silv. Hist. Boëm. cap. 25. Dubrav. lib. 23. Cochlæ. lib. 1.
[f] An. 1408. XXIV.
[g] Ioann. 6.

LADISLAI TYRANNI MORS RIDENDA.

Aliâ parte hoc anno instabili & importunissimo hoste liberata est Ecclesia Romana, Etruria, totáque Italia: nempè Ladislao regni Siculi occupatore, & Italiæ universísque Imperij manis mentis ambitore. Qui cùm Perusium ad principium Iunij magnis copiis venisset, & non solùm Florentinis, quibus erat infensissimus, verùm etiam ipsi Pontifici Bononiæ tunc agenti, quem toto nisu persequi decreverat, ingentem terrorem incussisset: post factam

cum Florentinis dubiam pacem, in morbum incidens, retrocedere compulsus, Romam primùm, inde navi Neapolim rediit. Fama fuit (ut quidam [h] referunt venenum ei Florentinorum operâ, pudendáque arte traditum; quâ medicus quidam Perusinus, cujus filiâ Rex abutebatur, pecunias sibi promissas filiæ vitæ præferens, ei persuaserit medicamine quodam venenato pudenda linire, quo Regis libidinis delectatio, & in se amor magis concitaretur: indéque & ipsam non ita pòst periisse, & Regem infectum, ægritudine & cœli impatientiâ inde recessisse. Alij verò non aliud venenum, quàm effrenatam Regis cum dictâ puellâ tempore calidissimo mẽsis Iulij libidinem, fuisse volunt. Ac Niemus [hh] nihil de dato veneno, ait tantùm eum vehementibus doloribus toto corpore, præcipuè virilibus igne sacro, justo Dei judicio, gravissimè tortum infeliciter obiisse. Quod quidem contigit Neapoli die 6. Augusti, anno vitæ ejus quadragesimo, regni vigesimo nono, ingenti omnium præterquàm quorumdam suorum, lætitiâ; cùm nemo ab eo nec bello nec pace securus esset; viro ut (vocat Antoninus [i]) ambitiosissimo, & dolo atque infidelitate plenissimo; simul & suspiciosissimo, qui nec suis se ipse crederet. Quem & tradunt in animo habuisse præclaros quosque belli duces è medio tollere, ut faciliùs nullo resistente Italiæ tyrannidem consequeretur: quos & propterea inter se ipsos committebat. Paulum autem Ursinum exosissimum habens, cùm eum primò per Sfortiam ejus æmulum, posteàque per Bracium Perusinum alium fortissimum Ducem clàm auferre quæsîsset, neque res successisset; demùm specie liberalium stipendiorum ad se allectum, frivolâ objectâ suspicione captivum secum abduxit Neapolim; & vel in ipso trãsitu nihil nisi sanguinem sitiens, jussit eum occidi: qui tamen arte Ducis Adriæ servatus est. Fuit autem rei militaris peritissimus, & in expeditionibus vigilantissimus, atque in milites caterósque liberalis, sed ex rapinis injustè plerúmque quæsitis. Nonnihil balbutiens ex veneno [ii] ei in adolescentia propinato; ad quod excutiendum exenteratis mulis calidis intromissus, malitiam veneni evicit, præter illum linguæ defectum. In tantis autem vitiis non omninò pietate caruit; quam erga Beatissimam Virginem, & in quarumdam Ecclesiarum constructione ac restauratione demonstrasse, apud Summontium legas.

[h] Monstrel. lib. 1. cap. 129. Berg. lib. 14. Bonf. 3. dec. 2. Collen. lib. 5. Summont. lib. 4.

[hh] Niem. in Ioan. XXIII.

[i] Ant. tit. 22. cap. 6. §. 1.

[ii] Ant. c. 5. §. 4. Collen. ibid.

VI. IOANNA II. EJUS SOROR SUCCEDIT IN REGNO INFAMIS LIBIDINE.

Cùm autem ex tribus quas habuit conjugibus nullos suscepisset liberos, eo mortuo successit in regnum soror ejus *Ioanna* hujus nominis Secunda, vidua Guillelmi Austrij, annum agens jam 44. sed amore cujusdam Pandolfelli Alopi Neapolitani conspicuâ formâ juvenis à multo tempore infamis, cui etiam dignitatem magni Camerarij, cujus erat administratio patrimonij regij, contulit, quousque ad hanc auferendam notam, virum duxit anno sequenti Iacobum Marchiæ Comitem de regio Franciæ sanguine ex familiâ Borboniâ, præstanti corpore & formâ, qui Neapolim petens, regiéque susceptus, paulò pòst Pandolfellum sustulit; Reginam propemodùm captivam tenuit; Sfortiam Regni Connestabulum carceri inclusit; quosdam in se conspirantes plexit: donec Reginâ in libertatem à populo restitutâ, ipse Iacobus vice versâ in custodiam datus est Sfortia liberatus, Regináque sese cuidam Ioanni Caracciolo substravit ingenti suî infamiâ, & regni turbamento. Quæ sic breviter relata, satis prolixè narrant rerum Neapolitanarum scriptores [k], usque ad creationem Martini Papæ V. sub quo reliqua tractabuntur. Intereà verò audito ubique Ladislai obitu, tam Roma quàm ferè reliquæ urbes libertatem recuperârunt: de quibus etiam dicetur posteà.

[k] Collen. & Summont. ibid.

VII. IOANNES PP. CONSTANTIAM ACCEDIT AD CONCILIUM.

Ladislai autem morte relevatus Ioannes Pontifex, (ut Antoninus [l] habet) cùm nihil jam esset quod illum cogeret ad Sigismundũ Romanorum Regem respicere; quia tamen Concilium solemniter fuerat promulgatum, & locus Constantiæ indictus, tempúsque præfixum 1. dies Novemb. noluit promissis deesse, quamvis multi ei contrarium suaderent, quod ei accidit formidantes & prænunciantes. Itaque Calend. Octobris Bononiâ recedens, per Veronensem Tridentinúmque agrum transmissis Alpibus Constantiam accessit; civitatem Germaniæ provinciæ Moguntinæ ad Rhenum lacúmque amœnissimum sitam eâ parte quâ Helvetios respicit; quæ à Constantio Constantini Magni patre nomen accepisse dicitur; ibíque solemniter acceptus est 28. Octobris quæ erat dies Dominica, festúmque SS. Apostolorum Simonis & Iudæ, cujus ingressũ specialiùs descripsit Nauclerus [m]. Extant verò Acta Synodi in Tomis Conciliorum editionum Surianæ, Binianæ, & Romanæ. Præter quæ meminit Langius [n] cujusdam *Teodorici Vric*, Theologi Augustiniani, (quem fuisse natione Hispanum, Pamphilus [o] scribit) qui Concilio interfuerit, & ad Sigismundum Regem librum scripserit prosâ & metro de Consolatione Ecclesiæ, quo majori ex parte gesta Cõcilij comprehenderit. Cujus ut leviùs defectum feramus, (quamquam typis editum fuisse, idem Pamphilus ait: sed nobis videre non contigit) faciunt quæ de iis tum habet Nauclerus, qui facilè scire potuit non ita pòst vivens, nec longè positus, nec indiligens rerum antiquiorum perscrutator: tum quæ Niemus, qui propriis oculis vidit, tunc Constãtiæ præsens: & quãquam Ioannis Pontificis vehementissimus ac perpetuus insectator, multam tamen lucem rebus tunc gestis conferens: Necnon Gobelinus Persona eodem tempore suum Cosmodromium scribens: & Iacobus Cerretanus in suis Diariis Actorum Concilij. Ac denique vidimus Parisiis duplicia alia Acta manuscripta, licèt non integra: quorum altera ex Bibliothecâ Regis exhibuit nobis vir insignis eruditionis Nic. Rigaltius ejus custos, præclaris suis scriptis doctorum cœtui ubiq; notus: breviora illa quidem, sed quæ tamen non pauca habeant aliis intacta. Alterâ prolixiora ex Bibliothecâ [p] S. Victoris exhibita à R. P. N. Bon, magis re & vitâ bono quàm cognomine; quibus res Concilij valdè illustrentur quorum compilator rerum ordinem aliquando inversum excusat, eò quòd non potuerit omnia simul habere, sed per partes uti ad ipsum ab amicis mittebantur ex Concilio, vel ut posteà ab iis qui interfuerant acce-

[l] Ant. cap. 8. §. 1.

[m] Naucler. gener. 48.

DE ACTIS CONCILIJ.

[n] Lang. in Chron. Citizen.

[o] Chron. Augustin.

[p] Cod. S. Vict. P. 11.

pit: quæ tamen nonnisi ad XVII. Sessionem extenduntur. Ex quibus omnibus, nec non ex Monacho Dionysiano sæpè citato, & aliis scriptis atque monumentis quæ memorabimus, historiam rerum in Concilio gestarum recensuimus, minutiora relinquentes, & fusiora de more contrahentes.

VIII. CONCILIJ PRÆAMBULA.

Die igitur 1. Novembris festo omnium Sanctorum, celebratâ Missâ à Pontifice, inter ejus solemnia facto sermone per quemdam Doctorem, Franciscus Zabarella Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani (Florentinus [q] vulgò dictus de Ecclesiâ quam rexit; Patavinus licèt patriâ) schedulam, ut vocant sive libellum aut codicillum legit, de factâ per eumdem Ioannem Pontificem indictione hujus Concilij, in Continuationem Pisani, pro reformatione status Ecclesiæ; déque illo inchoando die Sabbati sequenti 3. Novembris. Eo verò in diem Lunæ 5. mensis prorogato, tunc post solemnem processionem pro inchoatione Concilij, Missam de Spiritu sancto, & sermonem de materiâ Concilij indicta est Sessio in diem Veneris 16. ejusdem mensis.

[q] Supr. ann. 1411. IV.

IX. PRIMA SESSIO.

Eáque adveniente, celebrata est in Ecclesiâ cathedrali Constantiensi PRIMA Concilij SESSIO. Quâ post Missam per Iordanum Ursinum Romanum Cardinalem Episcopum Albanum dictam; cantatásque litanias, & alias orationes factas; ipsemet Ioannes Pontifex sermonem habuit ad Synodum exhortans omnes ad solerter meditandum quæ ad Ecclesiæ statum & pacem pertinerent. Deinde idem qui suprà Franciscus Cardinalis Florentinus altâ voce legit Indictionem Concilij factam (ut vidimus) Laude 5. Idus Decembris anni Pontificatûs quarti proximè præteriti. Subjecitq; item ex scripto admonitionem Pontificis de perpendendis iis quæ ad pacem Ecclesiæ, & errores Wickleffianos spectarent, déq; modestiâ in Synodo servandâ. Ac ne fortè occasione sessionum turbæ concitarentur, eâdem auctoritate declaravit ex ordine sedendi nullum alicui Ecclesiæ aut personæ præjudicium futurum. Post hæc creati sunt ministri & officiales Synodi: videlicèt quatuor protonotarij qui curam haberent videndi & ordinandi omnia quæcumque in Synodo agerentur; & scribenda forent; ac totidem notarij & scribæ qui prædictis subessent, & in scripta redigerent: (quos quidem singulos ex quatuor præcipuis Nationibus Italicâ, Gallicâ, Germanicâ, & Anglicâ, delectos esse habent Acta edita: quippe sub his quatuor Nationibus universæ aliæ comprehensæ sunt, quousque recedentes Hispani à suo idolo Petro de Lunâ, & ipsi ad Concilium accesserunt, & quintam Nationem confecerunt, ut dicetur suo loco.) Itémque unum Concilij custodem, qui fuit tunc Bertholdus de Ursinis Romanus Comes Suanensis & Palatinus: quatuor scrutatores votorum, Doctores Decretorum quibus scribæ semper deberent adstare: quatuor Iuris Doctores Concilij advocatos, Petrum de Ancharano, Simonem de Perusio, Raphaëlem de Fulgosiis, & Ardecinum de Novariâ: duos Concilij procuratores, seu promotores: ac denique quatuor magistros cæremoniarum. Hísque gestis indicta est futura Sessio in diem Lunæ decimumseptimum Decembris. Uti hæc omnia pluribus describuntur in Actis editis Synodi.

CREATIO MINISTRORUM SYNODI.

X. SIGISMUNDUS CÆSAR VENIT CONSTANTIAM.

Prolata autem est Sessio in eam diem, eò quòd nondum advenisset Sigismundus Romanorum Rex sive Imperator: qui his diebus, hoc est octavo Novembris coronam primam regni Romanorum accepit Aquisgrani; ut diximus aliâ occasione superiùs [r]. Quoniam verò non appulit Constantiam ante festum Nativitatis, aliáque supervenerunt impedimenta, & expectarentur Antistites plures, ac Principes, Regúmque oratores; dilata rursùm est Sessio usque ad mensem Martij anni sequentis. Adeò ut præambula hæc tantùm fuerint, sive præparatio celebrationis Synodi. Sigismundus autem (ut narrat Nauclerus) cùm in vigiliâ Nativitatis appulisset in quoddam oppidum distans Constantiâ milliari Germanico, unà cum uxore suâ, & Reginâ Bosnensi, ac Duce Saxoniæ: noctu nave Constantiam ductus, mox Ecclesiam ingressus est, & ad Missam Pontificalem habitu diaconali legit de more Evangelium. *Exiit edictum à Cæsare Augusto.*

[r] An. 1410. VIII. in fin.

XI. GREGORIJ LEGATUS AD SYNODUM.

De his verò initiis agens Iacobus Cerretanus in suis Diariis [s] manuscriptis, inter alia narrat, die decimaoctavâ Novembris postulanti Cardinali Fratri Ioanni Dominici Gregorij XII. Legato assignatum esse cœnobium S. Augustini Ordinis Eremitarum pro hospitio, cui cùm insignia Gregorij præfixisset, ea nocte insequente dejecta fuisse: Disceptatione eâ de re facta, decretum esse non debere illa poni in loco obedientiæ Ioannis Pontificis. Die verò 28. ejusdem mensis Ioannem Huss qui longè antè advenerat, quòd doctrinam Wickleffi in hospitio disseminaret, nec monitus desistere vellet; ductum esse ad Pontificem, & quodam Palatij cubiculo conclusum, cúmque miles quidam obtruderet salvum-conductum, Pontificem negâsse se dedisse; ac nihilominus inde eductum Huss datum in custodiam esse Episcopo Lausanensi Apostolicæ Cameræ Regenti: commissósque esse ad eum examinandum, quatuor Cardinales, unà cum Generalibus Ordinum Prædicatorum & Minorum, séxque Archiepiscopis & Episcopis viris doctissimis.

[s] Ap. Bzov. hoc an.

IOAN. HUSS TRADITUR IN CUSTODIAM.

XII. QUOMODÒ HUSS CONSTANTIAM ACCESSERIT.

Venerat autem ille Constantiam hortatu Sigismundi Regis ad purgandam & suam & regni Boëmiæ infamiam propter hæresim quam profiteri dicebatur: cui & idem Rex literas commeatûs sive salvi-conductûs dederat die 18. Octobris præsentis anni, quo eum omnibus per quos transiret commendaverat, nequid ei impedimenti fieret. Cùm & jam antè idem Pragæ triplici præscripto publicè libello, Dominicâ pòst festum S. Bartholomæi die 26. Augusti, professus iturum se Constantiam, ad respondendum de doctrinâ suâ rebúsque omnibus de quibus accusabatur, omnes adversarios suos monuisset adesse ibidem ad eum coarguendum; qui si eum de aliquo vel minimo errore in fide convincerent, non recusare se quascumque hæretici pœnas ferre. Tanto fastu támque impudenti arrogantiâ hæc præstans, ut eosdem libellos triplici linguâ, Latinâ, Teutonicâ, & Boëmicâ, ubique disseminâsset. Post quæ magnâ pompâ & multo amicorum comitatu Pra-

gâ exiens in pervigilio S. Galli, (nempè 15. mensis Octobris, triduo ante diem salvi-conductûs Regis Sigismundi, atque adeò multò antequàm eum reciperet: tantâ erat suî rerúmq; suarum fiduciâ!) & toto itinere honorificè ubiq; habitus, Constantiam pervenit Sabbato post festum Omnium Sanctorum die 3. Novembris; & liberè ibi agere permissus est, donec, ut diximus, errores suos & Vvickleffi propalare cœpit. Quando & videns jamdiù sibi infensos à Clero Boëmico adversarios ad accusandum paratos & instructos, cœpit de fugâ circumspicere: quam etiam quæsivit curru rusticano straminibus oppleto: sed interceptus, ac reductus, custodiæ traditus est. Cætera de eodem posteà pro ratione temporis.

XIII. BISUNTINI ARCHIEP. PRÆTENTIO À PONTIFICE.

De ceteris autem rebus Synodi haud omninò inutilis observatio Actorum regiæ Bibliothecæ; prætendisse Archiepiscopum Bisuntinum, quando hoc tempore Constantiam advenit, (erat is Theobaldus de Rubeo monte, septuagesimus sextus numeratur in ordine, Archiepiscoporum Bisuntinorum sive Vesontionensium, ex privilegio Ecclesiæ suæ concesso, Papam in primâ visitatione teneri sibi tribus passibus occurrere: Papam tamen id recusâsse; & causam Placentino & Aquileiensi Cardinalibus commisisse. Quòd quidem putamus eum fecisse, non quòd indignum Pontificiâ majestate censeret trium passuum occursum uni è fratribus suis, sed quòd id Bisuntinus ex necessariâ obligatione & singulari privilegio præ ceteris confratribus sibi debitum contenderet. Quid verò dictum à prædictis Cardinalibus fuerit, Acta non ponunt: fortè re imperfectâ remanente ob supervenientes turbas, de quibus posteà.

XIV. [t] Gobel. Cosmodrom. æt. 6. cap. 91.

FLAGELLANTIUM IMPIA SECTA. [u] Supr. an. 1349. II. III.

Hoc eodem anno narrat [t] Gobelinus Persona, multos hæreticos deprehensos esse in oppido Sangerhusen Misniæ, qui se *Fratres Flagellatores*, seu *Crucis* decebant, ob prælatam Crucem: jactabántque originem ducere ex quibusdam scripturis per Angelos sanctos super altari S. Petri Romæ depositis circa annũ Christi 1348. quo tempore ipsi cœperunt per mundum discurrere. Egimus & nos tunc [u] de illis. Ac nihilominùs in eorumdem confirmationem, & quòd specialia quædam Gobelinus addat, haud omittemus & jam dicta repetere, & addita inserere. Dicebant igitur, Deum ad ipsorum adventum Romanorum Pontificem ceterósque prælatos ne deinceps Christianis præessent sustulisse, & omni auctoritate ligandi atque solvendi, & quicquam consecrandi privâsse; ac propter sacerdotum nequitiam, in adventu Fratrum Crucis sacerdotium Evangelicum sustulisse. Solum baptismum ex omnibus sacramentis substitisse: sed illum non in aquâ, sed mutatum in proprij sanguinis effusionem per flagellationem; sicuti Christus mutavit aquam in vinum rubrum: nec posse aut potuisse ab institutionis eorum tempore quemquam salvari, nisi per ejusmodi baptismum sanguinis, qui cuncta quantumcumque enormia peccata potens est delere: Eliam & Enoch jam apparuisse in mundo, & mortuos esse; Eliam enim combustum esse Erfordiæ ante quadraginta annos; & Enoch fuisse magistrum Conradum Smet, (sive fabrum) qui hujus sectæ primus divulgator in Turingiâ fuerat; Creâsse Deum omnes animas simul in principio, & collocâsse in paradiso cum Primo homine: cúmque fœtus animari debet, tunc animam per Angelum de paradiso sumptam illi infundi; atque eo modo animas Enoch & Eliæ prædictis suis magistris infusas fuisse: Prædictum Conradum sessurum esse Iudicem in novissimo die & non Christum: Post mortem nullum esse purgatorium; Nullum festum celebrandum, nisi diei Dominicæ, & Nativitatis Christi & Assumptionis B. Mariæ; Nullúmque observandum jejunium, nisi feriâ 6. & vigiliâ Nativitatis Christi, & Assumptionis B. Virginis: & cùm Nativitas Christi incidit in feriam sextam, super jejunio illius diei dispensari non posse: Quamvis autem observarent etiam cetera Ecclesiæ festa & jejunia, atque etiam venerarêtur Imagines; (quarum alioqui venerationem asserebant idololatriam) hoc exteriùs facere, ne notarêtur à Christianis: sed agere posteà inter se pœnitentiam per flagellationes. Addit autem prædictus auctor, cùm detecti fuissent istiusmodi hæretici, convictíque; per Inquisitorem igni adjudicatos esse, ac in prædicto oppido combustos. Contra hujusmodi verò Flagellantium sectam scripsit paulò pòst ibidem Constantiæ tractatulum Gersonius [x], & de modis eam suaviter extinguendi: necnon epistolam ad Vincentium Ferrerium insignem illum prædicatorem, qui dicebatur nec illam approbare nec reprobare; quâ hortatus est eam deserere, & ad Concilium accedere.

[x] Vid. sup. an. 1349. XIII.

IESU CHRISTI Annus 1415.
SED. VAC. Ann. 1.
SIGISMUNDI Ann. 6.
EMMANUELIS II. An. 32.

I. ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI INGRESSUS CONSTANTIAM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimoquinto, Indictione octavâ, die 12. Ianuarij (ut habent Acta regiæ Bibliothecæ) Archiepiscopus Moguntinus (Ioannes Nassovius) armatus & heteromallo (velluto) rubro vestitus, cum ducentis armigeris, præcedente vexillo cum ejus insignibus, & ensem latere ferens, ingressus est Constantiam. Cui obviam occurrêre Cardinalis Barensis, Magister Domûs Pontificis, & Comes Bertholdus de Ursinis custos Concilij. Sed de tempore adventûs Prælatorum, Principum, ac nunciorum, aliisque circumstantiis, specialiùs Cerretanus [a] in suis Diariis; nonnihil aliquando à ceteris discrepans, parvo aut nullo damno rerum in Concilio gestarum.

[a] Ap. Bzov. hoc ann.

II. [b] Naucler. gener. 48.

S. BIRGITTÆ CANONIZATIO. [c] Trith. in Chron. Sponheim. [d] Gers. oper. tom. I. [e] An. 1373. V.

Die verò Purificationis B. Mariæ Virg. (ut Nauclerus [b] ponit) ad instantiam oratorum regnorũ Sueciæ, Daciæ, (hoc est Daniæ) & Norvegiæ, Ioannes Papa canonizavit S. Birgittam. Quòd si factum fuerit, (uti etiam Trithemius [c] tradit: extátque inter opera Gersonij [d] tractatus de probatione Spirituum, tunc Constantiæ habitus cùm ageretur de examinatione ejusdem Birgittæ:) confirmatio hæc fuit canonizationis jam olim factæ per Bonifacium IX. ut aliàs [e] diximus; petita jam fortè in Concilio Generali, ob dubiam apud multos Boni-

facij

facij auctoritatem occasione schismatis tunc maximè vigentis. Quâ etiam ratione putamus eamdem iterùm postulatam esse à Martino V. cujus extat[f] eâ de re constitutio data Florentiæ Calendis Iulij anno Christi 1419. postquam deposito isto Ioanne is electus & confirmatus est in Pontificatu: quò nullus ampliùs esset scrupulus, quin Birgitta à vero & indubitato Pontifice fuisset in sanctarum feminarum canonem relata. Ait autem Nauclerus huic solemnitati interfuisse unà cum Ioanne quatuor Patriarchas, Cardinales viginti novem, Archiepiscopos quadraginta septem, Episcopos centum & sexaginta; sæcularium verò Principum, Comitum, Baronum, ac nobilium ingentem multitudinem. Advenisse porrò plurimos post hæc, tam ex ipsis Actis Concilij, quàm ex aliis auctoribus intelligitur: quorum testimonio constat interfuisse Concilio prædictum numerum Cardinalium, & ampliùs trecentos Archiepiscopos & Episcopos, præter quamplurimos Abbates ac Priores, ingentémque aliorum Ecclesiasticorum ac Doctorum numerum, & tantam Principum, procerum, ceterorúmque nobilium copiam, ut aliquando inventa sint uno eodémque tempore Constantiæ ampliùs 30. vel 40. & ut nonnulli habent, sexaginta millia equorum: ex quibus numerum hominum colligere possis: Quamvis quod Cardinales spectat, disertè ex Actis Victorinis intelligatur, quando Ioannes Concilium deseruit, fuisse tantummodò sexdecim Cardinales, nec plures septemdecim unquam legas in ipsis Actis editis, quousque admissi sunt in ceterorum consortium Gregoriani & Benedictini, ut dicetur suis locis: ad quæ tempora reducendus est numerus illorum viginti novem, si fortè umquàm non solùm simul & semel, sed vel successivè repertus ibi fuerit; de quo nobis non constat, cum nullibi in ullis Actis plures viginti recenseantur.

f Ante Revel. S. Birgitt.

Numerus Patrum Concilii.

III. Otho Episcop. Constant.

Ceterùm ne Ecclesiam Constantiensem, ubi Concilium celebratum est, suo honore fraudemus, notandum existimamus fuisse tunc Episcopum[g] Constantiensem *Othonem* ejus nominis tertium, & sexagesimum quintum ordine Episcopum, ex Marchionibus Roëtellensibus & Hachbergensibus; virum eximiè doctum, prudentem ac pium. Cujus tempore contigit, ut absque ullo Schismate tres fuerint simul Episcopi Constantienses: hic videlicèt Otho, ejúsque decessor *Albertus* Blarer, qui ei cesserat retentâ pensione; & *Fridericus* de Zollern, cui Otho resignavit post viginti quatuor annorum administrationem.

g Chron. Constant. tom. Rer. Germ. Pistor.

Tres simul Episcopi Cōstantienses.

IV. Accessus Cardin. Greg. et Bened.

Addit prædictis Nauclerus, feriâ 6. post Purificationem (nempè 8. Februarij) accessisse tres Cardinales de obedientiâ Gregorij: præter Ragusinum, quem diximus; qui ut Legatus missus à Gregorio, confirmavit Concilium ejus auctoritate. Quod Nauclerus ex Antonino[h] sumpsit. At illud de confirmatione posteà. De ceteris autem expressiùs in Actis Victorinis dicitur; post adventum Imperatoris venisse etiam nuncios Angeli Corarij (nempè Gregorij) & Petri de Lunâ, (Benedicti) quorum aliqui erant Cardinales: Dubitatúmque esse, utrùm permitterentur ingredi cum pileo rubro; pro bono verò pacis, cujus causâ venire dicebant, permissos esse:) Non tamen ut propterea admissi fuerint in consortium ceterorū donec facta est Gregorij renūciatio, de quâ suo loco:) Venisse quoque Ludovicum Ducem Bavariæ, obedientem prædicto Angelo: & unà cum ejus nunciis proposuisse coram Imperatore, se viam cessionis ex parte Angeli prosecuturos: Ceteros quoque Prælatos ac Doctores ejusdem partis petiisse ne Ioannes præsideret aut interesset Concilio, & vota omnium essent libera se autem omninò obedientiam decretis Concilij præstaturos: (Hoc enim habuisse in mandatis à Gregorio, videbitur Sessione decimaquartâ:) Nuncios verò Petri de Lunâ nihil aliud obtulisse, nisi ut Sigismūdus Rex aliquo loco conveniret cum ipso & Ferdinando Rege Aragonum, inter quos posset via reperiri unionis. Fuerat namque jam ante Concilij inchoationem, per Regem Aragoniæ; de hoc à Regibus Sigismundo Romanorum & Carolo Francorum per nuncios rogatum, sollicitè Benedictus impulsus consentire cum reliquis duobus contendentibus cessioni quam juraverat: nec tamen aliud à pervicaci ejus animo obtineri potuerat, quàm ut oratores Constantiam ad Sigismundum Regem mitterentur, locū colloquio petituri, ad quem venturi Benedictus & Ferdinandus essent. Estque locus delectus, Nicæa sive Nicia civitas maritima in orâ Liguriæ: posteà tamen mutatus, ut inferiùs videbitur. Quæ cùm satis expressè referant Acta Victorina; eadem nihilominùs expressiora videre licet in amplioribus Diariis Cerretani.

h Ant. tit. 22. cap. 6. §. 2.

Designatur colloquium inter Bened. et Sigism.

V. Sess. II. Concilii qua Ioannes promitit cedere.

Interim verò dum hæc fierent, die secundâ Martij celebrata est *Secunda Sessio* Concilij in Ecclesiâ cathedrali; (ubi etiam aliæ Sessiones generales haberi sunt solitæ: ceteræ autem congregationes, vel in aliis Ecclesiis, vel certis locis quibus singulæ quatuor Nationes, de quibus posteà, cogi consueverant.) Quâ post dictam à Pontifice Missam, lectásque preces ac solemnitates quæ fieri consueverunt in Sessionibus, idem Pontifex sedens in cathedrâ ante altare conversus ad Concilium ibidem congregatum altâ voce legit schedulam, sibi die præcedenti in præsentiâ Regis Romanorum & quatuor congregatarum Nationum per Ioannem Patriarcham Antiochenum natione Gallum, præsidentem tunc nationis Gallicæ, ex parte totius Concilij oblatam, & ab eo acceptatam: quâ professus est, spopondit, promisit, vovit, ac juravit (tot enim diversis verbis rem firmavit: quæ proferens genua flexit versùs altare, ponendo manus ad pectus) Deo, Ecclesiæ, & Concilio, dare pacem Ecclesiæ per viam suæ simplicis cessionis Papatûs, eámque re ipsâ adimplere, si & quando Petrus de Lunâ Benedictus XIII. & Angelus de Corario Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, Papatui quem prætendebant per se vel procuratores suos legitimos simpliciter cederent, atque etiam in quocumque casu cessionis vel decessûs. Eóque facto surgens Rex de cathedrâ suâ, depositâ coronâ, flexísque genibus, & pedem Pontificis osculando, gratias ei egit tam suo quàm Concilij nomine: idque ipsum præstitit ex parte universi Concilij prædictus Patriarcha. Ac demùm fuit confecta ea de re bulla: quam integram referunt Acta Victorina, necnon Monachus Dionysianus, datam secundo Nonas Martij:

pars tantùm minima, ſed præcipua, extat in Actis editis Cócilij. Addunt autem Victorina; poſt gratias Pontifici ſic actas, eumdem Regem, omnéſque aliorum Regum ac Principum oratores, totúmque Concilium promiſiſſe Ioanni, ſi duo alij non ſe humiliarent ad ceſſionem ſicut ipſe fecerat, adſtaturos ſe ipſi perpetuò adversùs illos tam ſpiritualibus favoribus quàm temporalibus auxiliis.

VI. RECEPTIO ORATORUM REGIS FRANC.

Die quintâ Martij (ut habent eădem Acta Victorina) Regis Francorum oratores Conſtantiam ingreſſi ſunt, (nempè, ut Cerretanus numerat, Ludovicus Dux Bavariæ frater Reginæ, Archiepiſcopus Reméſis, Epiſcopi Carcaſſonéſis & Ebroicéſis) occurrentibus eis obviam ceterorũ omnium Regum oratoribus unà cũ Duce alio Bavariæ & Duce Lotharingię, magno Camerario Papæ, plurimíſque Archiepiſcopis & Epiſcopis ad duo millia equorum.

VII. PETITIONES CONCILIJ À IOANNE PONT.

Die verò decimaquintâ (ut eadem Acta referunt) petitum fuit à Papâ: Primò, Ne diſſolveretur Concilium, donec unio perfecta eſſet. Secundò, Ne transferretur aliò. Tertiò, Ne Papa inde abſcederet. Quartò, Ut conſtitueret procuratorem ad renunciandum efficaciter ejus nomine. Quintò, Ut de præmiſſis daret bullas. Sextò, Ne Prælati aut alij ad Concilium vocati recederent, niſi fortè propter infirmitaté aut paupertaté. Ad quæ die ſequenti reſpondens Papa; ad primum annuit. Ad ſecundum, Videri commodius Cócilium transferri ad locum aliquem Niciæ vicinum, ubi debebat fieri colloquium Regis Romanorum cum Benedicto & Aragonio. Ad tertium Utiliùs eſſe ipſum cum Concilio Niciam versùs accedere. Ad quartum, Velle ſe facere id per ſeipſum: id enim honeſtius fore reſpectu rei, perſonæ, Eccleſiæ, & Conciilj. Ad quintum & ſextum nulla ponitur reſponſio, ſed patet ex prædictis. Nec omittendum ex Cerretano, grave in his fuiſſe initio inter quatuor Nationes diſſidium ob modum renunciationis, utrùm deberet fieri per procuratores, (quod Rex Sigiſmundus urgebat) an verò perſonaliter, & utrùm per nationes aut per ſuffragia in Concilio deliberandum eſſet. Cùm autem non eſſet à Pontifice per ſuas reſponſiones ſatisfactum Nationibus; inſtiterunt illæ rurſùm pro ſyngrapho ſeu procuratorio, ne fortè Papa mutaret ſententiam, & ad evitandas colluſiones. Sed & legati Gregorij conteſtati ſunt, dominum ſuum nequaquàm iturum Niciam, ſed potiùs venturum Conſtantiam aut daturum procuratorium ad cedendum. Itémque legati Benedicti, ſe nihil acturos cum Concilio aut Ioanne Papâ; ſed tantùm cùm Imperatore, ad quem ſolum miſſi erant.

VIII. IOANNES CONSTANTIAM DESERIT.

Quibus ſic ſtantibus, dum expectaretur ut Ioannes, ſicuti promiſerat, Nationibus ſatisfaceret, ſubitò auditum eſt eum abiiſſe: qui nocte præcedente diem feſtũ S. Benedicti 21. Martij, re cum Friderico Auſtriæ Duce ſecretò compoſitâ, diſſimulato habitu urbem egreſſus, Schaffuſiam aufugit oppidum prædicti Friderici diœceſis Conſtantienſis ad eũdem fluvium Rheni, quatuor milliaribus Conſtantiâ diſtans. Quâ de re cùm omnes turbarentur, Sigiſmundus congregatis Nationibus metum deponere juſſit: ſe enim protecturum Concilium, & unionem uſque ad mortem procuraturum. (Strenuum planè Principem dignúmq; immortali laude ob perpetuam in adjuvandâ Republicâ voluntatem! abſque quo fuiſſet, nullum eſt dubium quin Conciliũ diſſolutum eſſet, ac Schiſmâ pernicioſioribus conatibus auctum.) Continuò verò Ioannes miſſo Conſtantiam Archiepiſcopo Remenſe Schaffuſiæ reperto, ſignificavit ſe minimè receſſiſſe ne promiſſioné impleret nec odio Imperatoris, aut intentione diſſipandi Conciliũ; ſed ut liberè ac ſecurè poſſet quæ ſpoponderat perficere. Cujus Archiepiſcopi relatio expreſſiùs deſcribitur in Actis editis ſeſſione 4. Vbi qui vocatur Reginaldus de Carneto, dicédus eſt de Carnoto, ſive Carnuto: (de Chartres;) qui poſt Simonem Cramaudum, de quo ſæpè ſuperiùs, creatum biennio antè à Ioanne Cardinalem presbyterum tituli S. Laurentij in Lucinâ Sedem Remenſem obtinuit; (intermedio paucis menſibus Petro Trouſſelli) & agebat in Concilio cum aliis collegis legatum Regis Francorum. Eodémq; tempore inter ceteros Gerſonius Regis Chriſtianiſſimi & Vniverſitatis Pariſienſis legatum Conſtantiæ agés biduo poſt receſſum Ioannis, nempè in vigiliâ Dominicæ palmarum, 23. Maij, ad cófirmandos attonitos Patrum animos, orationem ſive prædicationem habuit; quâ Concilij generalis auctoritatem ſupra Papam, viámque ceſſionis duodecim conſiderationibus tractavit: quæ extat inter ejus opera [h], ita tamen Pontificem Concilio ſubjiciens, ut non abſolutè & formaliter, ſed caſualiter tantùm & in neceſſitatibus Eccleſiæ, de quibus tunc agebatur in dubio de vero Pontifice, id vellet intelligi.

[h] Gerſ. oper. tom. 1.

IX.

Hinc igitur die Martis 26. Martij ut habent eadem Acta Victorina, & Monachus Dionyſianus; cùm edita diem Lunæ 25. magis probare videantur: ſed Gobelinus [i] habet item vigeſimam ſextam, quæ fuit ut ait tertiâ feria poſt Palmas) viſum eſt Concilio *Seſſionem* celebrare ad illud confirmandum, ne diſſolveretur: quæ *Tertia* fuit ordine. Cui tamen non interfuerunt niſi duo Cardinales, Cameracenſis (nempè Petrus de Alliaco (qui Miſſàm celebravit, & Florentinus: (Franciſcus Zabarella:) quia tres ex reliquis fuerant à Concilio miſſi ad Ioannem, qui ejus voluntatem ſcrutarentur: ſeptem ad eumdem ierant, ſpe aut ſpecie reducendi: unus erat infirmus: tres reliqui indecorum reputabant huic Seſſioni aſſiſtere. Ita omninò Acta Victorina de Cardinalibus: ex quibus videas quod ſuperiùs diximus, non fuiſſe tunc Conſtantiæ pluſquàm ſexdecim Cardinales Ioannitas. Quare quod Cerretanus decem & novem numerat tunc Conſtantiæ exiſtentes quando Ioannes abiit, putamus etiam incluſiſſe tres Gregorianos qui aderant, licèt non eſſent de ceterorum gremio. (Interfuéruntq; tantummodò Archiepiſcopi & Epiſc. circiter quinquaginta ſex Abbates viginti quinque, mitrati omnes; ipſéque Imperator coronatus & Auguſtali habitu. Et poſt conſueta ſolemnia idem Cardinalis Florentinus Patres hortatus piè & ſanctè in omnibus ſe gerere, ac quæ ſentirent liberè in Domino abſque perſonarum acceptione proferre; certos articulos ex decreto Synodi ad ejus confirmationem & continuationem publicavit: videlicèt, Sy-

[i] Coſmodr. at. 6. cap. 94.

SESS. III. PRO CONFIRMATIONE SYNODI ABSENTE IOANNE PP.

nodum

nodum fuisse & esse ritè ac justè convocatam, & initiatam in civitate Constantiæ: Per recessum Ioannis Pontificis ceterorúmque Prælatorum aut aliorum quorumcumque, eam non esse dissolutam, sed remanere in suâ integritate & auctoritate: Eam non debere dissolvi, quousque Ecclesia esset reformata in fide & moribus, & capite ac membris: nec in alium locum transferri, nisi ex causâ rationabili, de consilio Synodi deliberanda & concludendâ: Denique ne Prælati & alij qui deberent interesse Synodo, recederent ante illam absolutam, nisi ex causâ rationabili examinandâ & approbandâ per deputatos à Synodo; túncque recedentes tenerentur dimittere potestatem suam aliis remanentibus, sub pœnis juris & aliis à Concilio statuendis. Quæ cuncta approbata sunt à Synodo; factumque eâ de re instrumentum.

X. Unde processerit Ioannis recessus.

Quod autem recessum Ioannis attinet; ex Actis Victorinis intelligitur, jam ferè ab initio fuisse simulationes & turbationes (ut loquuntur) inter illum & Sigismundum occasione cessionis, quæ à Ioanne utpotè unicum pacis remedium, exigebatur. Confirmatúrque disertiùs ab Antonino[k], cùm ait, discordias inter eos oriri cœpisse; quæ alterum alteri suspectum planè inimicúmque reddidêre. Adeò ut Ioannes clàm abire constituerit, veritus ne Papatu cedere cogeretur, qui ad hoc venerat ut Apostolicus permaneret: Adjutum autem, ac planè invitatum esse factione Moguntini Archiepiscopi & Friderici Ducis Austriæ ex Arthesiâ; qui cùm Imperatori adversarentur, crescere ejus auctoritatem ex oppressione Pontificis condolebant. Meminit eorumdem Nauclerus: & discordiam inde ortam scribit, quòd consultatio facta esset sessione publicâ de uno Papâ præficiendo Ecclesiæ, túncque surgentem Archiepiscopum Moguntinum protestatum esse, nisi Ioannes XXIII. eligeretur, numquam se alteri obedientiam præstaturum. Dum autem multa illicò cœpissent objici Ioanni crimina; ipsum pariter Ioannem cœpisse pœnitere promissionis factæ, conquerique se ac suos non esse securos: adeò ut quamquam ab Imperatore omnis ei securitas promitteretur, quin etiam offerretur liber commeatus in quemcumque alium locum palàm eundi; nihilominùs constituerit clàm abire; sicuti & fecit: Cùm autem nec securum se Schaffusiæ putaret ob vicinitatem Constantiæ, abiisse ad oppidum Loffembergum diœcesis Basileensis, duorum dierum itinere Constantiâ distans: indéque Friburgum ejusdem Austrij oppidum; iturum posteà ad Ducem Burgundiæ.

k Ant. tit. 22. cap. 6. §. 2.

XI. Quæ fuerint in his partes Ducis Burgundiæ.

Ex quo ejus proposito eundi ad Ducem Burgundiæ simul ex verbis Antonini suprà relatis de ejus recessu proveniente per Ducem Austriæ ex Arthesiâ, (hoc est Atrebatensi Provinciâ, quæ erat Ducis Burgundiæ:) conjicere quis posset, totam hanc technam opus fuisse Ioannis Ducis Burgundiæ; cujus soror Catharina (ut ex Annalibus Austriç & Flandriç constat) nupta fuerat Leopoldo Superbo Austriæ Duci, hujus Friderici fratri. Ut ita non contentus Burgundus regnũ Franciæ factionibus suis & perversissimis consiliis pessumdare; quæsierit id ipsum de universâ Ecclesiâ machinari, eò quòd audisset agitari debere Constantiæ quæstionem de audacissimâ & damnatâ defensione factâ per Ioannem Parvi, nefandissimi parricidij Ducis Aurelianensis ab eodem Burgundo patrati: adeóque ne damnaretur, & sicuti morbo Caroli Regis abutebatur ad exsatiandas immodicas suas cupiditates, ita Ioannis Pontificis ambitione iniquas & impias suas artes contegeret & excusaret, eum ad se specie ejus defensionis allicere voluerit. Verùm extat in Actis Victorinis ejus epistola ad Synodum, datâ Divione in Burgundiâ 15. Maij præsentis anni: quâ respondens literis ad ipsum à Synodo scriptis post fugam Ioannis, quibus rogatus fuerat ne eum susciperet, & si fortè jam eò pervenisset ipsum remitteret Constantiam ad implenda quæ promiserat, ait Ioannem post suum recessum confestim ad ipsum Ducem misisse suos oratores, per quos significavit se Constantiâ ad hoc tantùm recessisse ut iret Niciam ad renunciandum in propriâ personâ: Ducem autem omnem ei opem obtulisse ad ejusmodi bonum propositum: verũ certiorem jam factum de scandaloso ejus recessu, nihil se acturum quod posset unioni Ecclesiæ nocere, ac deliberationibus Cõcilij, quibus in omnibus adhærere decrevisset. Subdit de prædictâ quæstione Ioan. Parvi: sed de illâ posteà.

XII. Ioannis ad Principes literæ pro sui recessûs excusatione.

Præter hæc autem, plurima alia nobis eadem Acta Victorina de eodem Ioanne exhibent cognitu digna. Atque imprimis epistolam ad Vvladislaum Poloniæ Regem, (secundùm cujus formã putamus ad alios Reges suæ obedientiæ pariter scripsisse,) datam illam confestim post suum recessum, die 23. Martij Schaffusiæ. Quâ quidem narrat quomodò studio procurandæ pacis Ecclesiæ indicto Concilio Constantiæ; viam cessionis ibi obtulisset ac jurâsset; quamvis nullatenùs ad eam adstrictus esset, eò quòd Petrus de Lunâ & Angelus Corarius fuissent à sancto Concilio Pisano damnati & ejecti: Cùm autem existimaret ex tantâ suâ liberalitate favores & auxilia omniũ pro effectu tam generosi operis promereri, qui pro aliorum quiete unicam toto orbe dignitatem non dubitaret dimittere: nonnullos tamen appetitum rationi præponentes, & propria sectantes commoda, non sicut in generalibus Conciliis hactenùs observatum fuisset, per vota voces (seu suffragia) habentium, opiniones colligi permisisse; verùm ut in quatuor nationes, (nempè Italicam, Gallicam, Anglicam, & Germanicam) quæ per quatuor voces totam auctoritatem Concilij repræsentarent, quod numquam auditum fuerat, nequis contra cupita eorum vota repulsam dare valeret, rem sic ad libitum deducere satagisse: & si qui illorum inordinatæ voluntati contradicerent, eos minis & convitiis terrere consuevisse: Quinimmò contra libertatem sacri Concilij machinantes, portas civitatis Constantiæ per diem integrum, ne aliquis Prælatus vel clericus exire posset, claudi fecisse: ac denique contra libertatem & salutem ipsiusmet Pontificis palàm conspirare ausos esse. Se itaque talia intuentem, cùm nulla videretur via salutis, de dictâ civitate incognitum recessisse; & Schaffusiam, quæ erat temporalis dominij Friderici Austriæ Ducis, accessisse, ubi plenâ utebatur libertate.

XIII. CONCILII PUBLICÆ LITERÆ CONTRA IOANNEM.

Contra quæ Concilium suas universales & circulares scribens literas [l] ad omnes Christi fideles, narravit quomodò cùm per Pisanum Concilium Schisma non potuisset tolli, ex ipsius ordinatione fuisset aliud à Ioanne XXIII. Constantiæ indictum: In quo tametsi idem Ioannes solùm confirmationem Concilij Pisani, quod Petrum de Lunâ & Angelum Corarium ejecerat, procuraret, ut sic statum suum unitati Ecclesiæ anteponeret; ipsum nihilominùs Concilium magis ad unitatem intendens, quæ per tres contendentes impediebatur, nec vsquam ab ordinationibus Pisani recedens, viam cessionis omnium trium, uti faciliorem ac securiorem tractâsse, atque ad illam acceptandam Ioannem induxisse: & cùm nihilominùs haud plenè satisfacere videretur, tandem post multa hinc inde habita colloquia, alio meliori modo per Concilium recepto, eum die secundâ Martij cedere promisisse ac jurâsse: His gestis, Sigismundum Regem Romanorum cum oratoribus eorumdem Petri Angeli, ac Regis Aragoniæ tractantem, jurejurando firmâsse se Calendis Iunij Niciam concessurum, ubi prædicti Petrus & Rex Aragoniæ sistere se haberent: Cùm verò de Ioannis promissione adimplendâ Patres solliciti esse cœpissent; résque ferventiùs agi videretur; sive hominum nequitiâ, sive diabolicâ instigatione, ad aliqualem discordiam deventum esse. Quippe cùm ad aures Concilij perlatum esset, quosdam prælatos dissolvendæ Synodi causâ recedere decrevisse, exorâsse se Regem Romanorum ut per custodiam portarum provideret ne quis absque licentiâ exire posset; Regémque per mediam ferè diem exitum denegâsse: (Tradunt Acta regiæ Bibliothecæ, itémque Cerretani Diaria, fuisse Cardinalem S. Angeli Romanum, qui specie recreationis, sed potiùs tentandi causâ an liber pateret exitus, egredi voluerit, nec esse permissum; indéque Papam occasionem cepisse reclamandi:) Id autem molestissimè ferentem Ioannem, quasi libertatis ipsius angustandæ causâ patratum fuisset, eo salvum conductum violari vehementer questum esse: Sed humili Regis excusatione, & defensionis promissione, placatum visum; nihilominùs cùm rogaretur procuratorium cessionis sicut promiserat tradere nec cogitare de discessu, quin priùs omnia quorum causâ Concilium indictum esset perfecta fuissent: (quoniam enim dicebat se cum Imperatore iturum Niciam, & ibi cessionem impleturum, inde non parvam ortam esse suspicionem de dissolutione Concilij, déque futurâ ibidem Niciæ inter contendentes collusione:) ipsum intereà nocturno tempore, habitúque non solùm transformato, verùm etiam prorsùs indecenti recessisse Schaffusiam die 21. Martij. Inde per Archiepiscopum Remensem significâsse, non se ab Imperatore, sed à quibusdam Prælatis timere: Die verò Veneris sancta dum solemnia agerentur, abscessisse inde ad castrum Louffemberg diœcesis Basileensis, ac paucis pòst diebus Friburgum. Post quæ narrata, damnabant ea valdè: non enim potuisse Ioannem alium timorem concepisse, quàm quem omnes qui apud Iudicem se excusant debent meritò formidare. Fecisse tamen eum contra antiquorum Pontificum exempla, qui non fugâ Concilia vulnerare quæsierunt, sed humiliter se eorum sententiis subjecerunt: ut de Symmacho legitur & Sixto, qui de illatis criminibus maluere se in Conciliis purgare, quàm evadere cùm possent. Conaturos se autem totis viribus, Ioannem humillimis obsecrationibus ad reditum inducere cum sufficientissimis securitatibus, ut pax tandem Ecclesiæ redderetur.

[l] Ext. in Act. Vat. aliisque ad Reg. Pol. (quales & alios omnes scriptas putamus) eodē ferè tenore rec. Cerret. in Diar. ap. Bzov. hoc an. dat. 22. April.

XIV. ALIÆ IOANNIS EXCUSATORIÆ LITERÆ.

Quod autem dixerunt de recessu Ioannis à Schaffusiâ; idem ipse Ioannes publicis literis apud Louffemberg scriptis secundo Nonas Aprilis ita excusavit, ut cùm crederet se posse omnia quæ ad pacem forent ex Schaffusiâ exequi; causante tamen humani generis hoste, impedimenta supervenissent talia, quæ eum coëgissent exinde feriâ sextâ majoris hebdomadæ post celebratum officium, ingravescente licèt aëris tempestate quam maximâ, discedere propter metum qui meritò cadere poterat in constantem virum. Et quamvis mors censeatur terribilium omnium ultimum, se tamen non tam illam, nec alia quæ ipsi imminebant gravissima pericula formidâsse, quàm ne ex his occasione captâ Petrus de Lunâ & Angelus Corarius sese retraherent à cessione prætenti eorum juris.

XV. ALIÆ ACCUSATORIÆ IN SIGISMUNDUM CÆS. ET CONCILIUM.

Denique unà cum literis ad Ducem Biturigum Schaffusiâ à Ioanne Parisios scriptis, misit idem quosdam articulos pro sui recessûs purgatione, qui extant eodem codice Victorino, necnon & alio [m] cujusdam Bibliothecæ, lectíque dicuntur Parisiis in publicâ Universitatis congregatione: quibus præter querelas de injuriis ipsi Ioanni multipliciter ab Imperatore illatis, & evidentissimo periculo suæ detentionis, ac violentæ depositionis, alteriúsque subrogationis; jactante etiam Episcopo Sarisberiense Anglo, præsente Imperatore nec cohibente, Imperatorem esse supra Papam & Concilium; aliæ item continentur de perverso Conciliorum ordine. Quippe licèt in Conciliis Generalibus non debeat fieri nationum differentia, sed omnes & singuli sententiam suam publicè aperire, ut unius instructione informentur alij: hoc tamen Constantiæ non fuisse permissum, quinimmò statutum quamlibet Nationem unam tantummodò vocem, sive suffragium habituram; etiam si in Natione Gallicâ essent trecentæ voces notabiles, & in Italicâ totidem: quoniam erant ex duabus illis Nationibus ducenti Prælati personaliter ibidem comparentes, & de Anglicanâ essent tres tantùm Prælati ac ceteri clerici novem numero. Item cùm statutum fuisset futuras quatuor Nationes, videlicèt Italicâ, Gallicam, Germanicam, & Anglicam; illásque habituras quatuor voces, unâ alteri æquiparatâ absque ullâ meriti vel numeri ratione; factam nihilominùs esse unionem duarum, videlicèt Germanicæ & Anglicanæ, quas suæ voluntati Rex Romanorum collegasset. Quòd verò nec sic aliquid propositi sui consequi posset duabus aliis contradicentibus, unum erexisse idolum; nempè Antiochenum Patriarcham, Petri de Lunâ familiarem & discipulum, qui in Portu-Veneris fabricaverat literas illas injuriosas contra Regem Francorum: scilicèt excommunicationis, de quibus aliàs [n]: his

[m] Cod. Vict. P. 9. fol. 364.

[n] Supr. an. 1408. XI.

autem consideres quibus artibus Ioannes benevolentiam captare voluerit Regis regnique Francorum qui sociatis sibi sex deputatis ex Natione Gallicâ è regno ejectis, quamvis non aliam haberent potestatem quàm audiendi & referendi nihilominùs ordinabant, & ordinata per Concilium mutabant pro libito inordinatæ voluntatis. Item cùm in Conciliis Generalibus secundùm statuta canonum jus suffragij non competat nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quorum suffragia requirenda sint in Sessionibus publicis, & non privatis conciliis; nihilominùs quicumque ad ejusmodi consilia fuissent admissi, nullo discrimine clerici vel laici; soluti vel conjugati, graduati vel non, honesti vel abjecti; eorum suffragia, subtractis prælatorum suffragiis, recepta esse usquequaque etiam Prælatis contradicentibus. Item licèt in Concilio generali caput sit principale Christi Vicarius, qui dat esse ipsi Concilio, nihilominùs Regem Romanorum Concilij petiisse præsidentiam, ac te ipsâ diversis vicibus præsumpsisse præsidere. Item licèt in Conciliis suffragia debeant esse libera, nihilominùs multas extitisse cavillationes & subornationes per minas & terrores ab Imperatore procedentes. Hæc & alia plura Ioannes in sui recessûs excusationem, & Concilij ac Sigismundi accusationem.

XVI. Concilij contrariæ literæ pro sua excusatione et Ioannis accusatione.

Contra quem rursùm Synodus scribens ad universos Christi fideles decimoseptimo Aprilis, tangens iterùm quæ gesta essent in Synodo respondit tribus rationibus ab eo sui recessûs publicatis: 1. quòd semel totâ unâ die portæ civitatis clausæ fuissent: 2. quòd deliberationes non per singulorum suffragia, sed per nationes peterentur: 3. quòd propter quasdam insolentes impressiones, non esset animus in cœtibus ad consulendum & deliberandum liber. Ad primam igitur respondit; ante prædicta ipsummet Pontificem edixisse sub anathemate, nequis à Concilio præsumeret absque veniâ abire: cùm autem nihilominùs comprehenderentur multi transgressores, ac proinde timeretur dissolutio Concilij; petente ipsomet Pôtifice ab Imperatore ut huic malo provideret, provisum fuisse ab eo unâ tantùm die, nec integrâ, vt portæ non quidē clauderentur, sed tantùm custodirentur, donec interim efficacior fieret spiritualis provisio: Nec dici posse hæc contra Pontificem machinata, quia nimis facile erat Imperatori ipsum aliis modis comprehendere & detinere. Ad secundam; formam à Synodo majoris causâ ordinis & compendij statutam, comprehendere utrumque modum deliberandi per Nationes, & per singula suffragia: cùm videlicèt per [o] deputatos, sive delectos Nationum, primò separatim, pòst ad invicem communicato consilio, dehinc per ipsas Nationes ubi singuli liberi erant, tandem collectis omnibus in unum nationibus ac Cardinalibus, in Sessione publicâ querebatur palàm de singulis præmeditatis & examinatis articulis, utrùm placerent, permissâ cuilibet ex priscâ Conciliorum formâ facultate dicendi quæ vellet. Ad tertiam; illam accusationem potiùs in eos derivandam esse, qui ad nutum Pontificis, & in ejus adulationē, (ne de illo ipso quicquam dicatur) cuncta fieri quærebant, ut in ipsos odor lucri reflueret. Additum posteà, summoperè Synodum cupere reditum Pontificis, ut unà cum ipso cuncta pacificè firmarentur. Quemadmodùm & Universitas Parisiensis auditâ ejus secessione, & expensis supradictis articulis ab eo missis, literas [p] confestim ad eum rescripsit die secundâ Aprilis, hortatorias ad reditum, quò tot annis totque laboribus & impensis quæsita pax & unio Ecclesiæ, unanimi ipsius & Synodi affectu faciliùs feliciúsque concluderetur: properarétque sacrę Synodi consiliis acquiescere, & ejus conclusiones feliciter exequi. Paritérq; ad nationem Italicam Concilij, ut eum ad hæc toto nisu induceret. Hæc minimè visa sunt omittēda, quæ continētur codicibus Victorinis.

[o] De hoc agendi modo pleniùs infr. in pr. Act. Conc. Basil. an. 1431. & I.

Universitatis Paris. literæ ad Ioannem.

[p] Ext. cod. V. ctor. P. I. fol. 61. & Sess. 6. Act. edit.

XVII. De Cardinalium in Synodo auctoritate.

Nec item ex Actis regiæ Bibliothecæ, quod dictas Congregationes attinet; Cardinales post recessum Pontificis petiisse à Concilio, ut ipsi pro unâ natione computarentur; & ut in literis quæ nomine Concilij scriberentur, fieret de iis mentio; sed minimè impetrâsse. Quam tamen repulsam intelligi tantum putamus de mentione ipsorum in literis Synodalibus faciendâ. Nam quod ad vota seu suffragia pertinet, reperias semper Cardinalem Sessionis præsidem, distinctum à Nationibus suffragium pro se & ceteris Cardinalibus dare; sicuti & Regem Romanorum suum per se. Quâ de re disputavit etiam Petrus de Alliaco Cardinalis tractatu [q] tunc facto de Ecclesiæ auctoritate.

[q] Ext. tom. 1. oper. Gerson. in fin.

XVIII. Peculiaria quædam ex Niemo.

[r] Niem. in Vit. Ioan.

Quod verò præterea res Ioannis spectat; agens de illis Niemus [r], qui eis interfuit, (resectis maledicentiis quibus eum impetit) ait fuisse ab initio qui ei secreta quæcumque revelarent: cúmque Italus quidam multos articulos famosos adversus eū clàm exhibuisset; præcipuos nationum Germaniæ, Angliæ, & Poloniæ noluisse ullatenùs consentire ut ij publicarentur, aut de iis fieret inquisitio in Ioannem, ne macularetur Sedes Apostolica, & confunderentur omnes qui ejus obedientiæ erant, ac ponerentur in dubio promotiones & provisiones per eum factæ, aliáque scandala orirentur: His autem à Ioann. auditis, valdè mente consternatum, metu perquisitionis delictorum suorum faciliorem se præbuisse ad promittendam cessionem: Eâ ingenti omnium gaudio susceptâ, Concilium item à Romanorum Rege obtinuisse, ut jurejurando sese obstringeret, habito procuratorio sufficienti à Ioanne & Concilio, personaliter accedere Niciam intra mensem Iulium ad conferendum cum Petro de Lunâ & Rege Aragoniæ de perfectione unionis: Túncque Ioannem dixisse, iturum & se pariter, vel ad locū aliquem proximum, ad tractandum cominùs cum Petro de eâdem unione; ac propterea non esse tempus adeò distrahendum: ut res quantocyus effectum optatum sortiretur: Timentes autem Patres quibus pax magis cordi erat, ne sic dissolveretur Concilium, & res in solitas Pontificum collusiones, ac demùm in nihilum redigeretur; remedium aliquod huic periculo quærere decrevisse: Intereà venisse Constantiam Fridericum Austriæ Deum, fingentem se longiùs ire: Cùm vero nihilominùs rumor mox sparsus esset, venisse eum ad abducendum Ioannem; Sigismundum Regem Pontifi-

cem adiisse, qui se aliquatenùs infirmum fingebat ex malitiâ aëris sibi adversi: Regem autem obtulisse ei alia proxima loca valdè salubria, rogâsse verò ne ex iis partibus recedere vellet nisi finito Concilio; & si utique vellet, ne clandestinè id faceret, séque eum quocumque cuperet fideliter comitaturum: Pontificem respondisse ambiguè, nullatenùs se nisi dissoluto Concilio recessurum; existimantem fortè quòd ipso discedente mox dissolveretur: Denique die vigesima primâ Martij hebdomadâ passionis Domini, dispositione Friderici Ducis, habitu laicali sero diei in crepusculo duobus tantùm comitatum recessisse Schaffusiam: Dominicâ sequenti Palmarum, quæ erat 24. Martij, summo mane duos Cardinales, Pisanum & Placentinum, recedentes secretè è Costantiâ, eâdémque die post prandium de Chalento, Brancacium, & Barensem, ac successivè quosdam alios Cardinales, multósque officiales & curiales, secutos esse Ioannem: Quartâ verò feriâ, videlicèt 27. Martij, rediisse quatuor Cardinales: eâque die factam esse congregationem Concilij, cui Rex interfuit: Ad eam accedentes sex Cardinales, affirmâsse Concilium esse dissolutum propter absentiam & recessum Pontificis; sed acriter eis restitisse plures ex Patribus magnæ auctoritatis & doctrinæ, asserentes Pontificem non esse supra Concilium, sed sub eo; factámque inde esse magnam contentionem, (Extat, ut diximus, Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis tractatus [s]. De auctoritate Ecclesiæ, Cardinalium, & Concilij, ibidem hâc ut puto occasione compositus:) auctam mox vehementius, quòd reperta fuisset in portis majoris Ecclesiæ Constátiensis affixa quædam schedula, quâ citabantur omnes officiales Papæ sub pœnâ excommunicationis & privationis ad ipsum accedere Schaffusiam, eâque ad prædictam Congregationem perlatâ, conclamatum esse in eosdem Cardinales quasi ipsi specie pacis & concordiæ venientes, illam schedulam ad res turbandas attulissent: cujus tamen ipsi se conscios esse negârunt: Die autem Veneris sanctâ circa meridiem Ioannem tempore valdè pluvioso, nec celebrato officio divino, trásîsse equitando ad castrum Louffenberg situm etiam ad ripam Rheni, remanentibus Schaffusiæ omnibus Cardinalibus qui priùs eum secuti fuerant: Cùm autem Schaffusiâ exîsset, coram tabellione & testibus contestatum esse, quicquid Constantiæ promisisset ac jurâsset, vi ac metu fecisse, ac propterea minimè ad id obligari: eamdémq; contestationem aliis quoque posteà locis pluries repetiisse. Ita Niemus usque ad Ioannis adventum in castrum Louffenberg: à quibus non abeunt quidem ceteri auctores, at non adeò distinctè res narrant.

s Ap. Gerson. tom. 1.

XIX. IOANNIS OBLATA AD SYNODUM.

Habent tamen ampliùs Acta Victorina, necnon Diaria Cerretina; Cardinales illos qui è Schaffusiâ redierát dictâ die 27. literas & mádatum à Ioanne retulisse, constituturum ipsum procuratores ad cedendum ipso absente vel nolente: futuros autem procuratores omnes & singulos Cardinales, itaut tres eorum possent facere cessionem: Ac præterea electurum octo prælatos, quorum similiter tres mandatum cessionis exequi possent: qui hoc modo eligerentur ab ipso, ut Concilium nominaret triginta ex omnibus nationibus, & ex iis Papa eligeret octo: Constituturum quoque Vicarios ad negotium Concilij, omnes & singulos Cardinales existentes Constantiæ, qui ex se unum constituerent præsidentem. Petere autem ut ageretur de provisione ejus post cessionem: & ut Rex Romanorum ac Concilium redderent eum securum tam ante quàm post cessionem ab omni molestiâ: párque securitas concederetur Duci Austriæ, saltem ad certum tempus. Hæc ibi: cetera posteà tam inde quàm ex prædicto Niemo, & aliis.

XX. FRIDER. AUSTRIUS DAMNATUR A CÆSARE OB FAVOREM IOANNI IMPENSUM.

Sed quod Fridericum Austrium spectat; præter illam quam superiùs diximus suspicionem de clandestinis consiliis Ducis Burgundiæ cum Pontifice & eodem Friderico, invenimus in uno ex suprà dictis codicibus [t] Victorinis epistolam ejusdem Ioánis Pont. scriptam Mayrani Curiensis diœcesis Idibus Octobris anno Pontificatûs 5. (nimirùm superiori, cùm peteret Constantiam) ad prædictum Fridericum Austriæ Ducem: quâ eum constituebat generalem Capitaneum omniũ & singularum gentium armigerarum suarum (ut loquitur) & Ecclesiæ Romanæ ubicumque militantium cum potestate ac jurisdictione & honoribus consuetis, ac provisione sex millium florenorum auri de camerâ pro quolibet anno: ac insuper Consiliarium suum & familiarem, cum honoribus, gagiis, (hoc est mercede, sive stipendio) & oneribus solitis. Ex quibus videas haud immeritò de eo fuisse dubitatum antequàm Ioannem abduceret: nec adeò eum culpes, si ejus obsequio se promptum exhibuerit. Habet auté Nauclerus, alterâ die post recessum Pontificis à Constantiâ, Sigismundum Cæsarem convocâsse Principes, & accusâsse Fridericum, quòd auctor & adjutor fuisset fugæ Pontificis, in Concilij injuriam, Christianæque Reipublicæ periculum maxinum: deinde eum per edictũ citari fecisse Dominicâ Quasimodo: ejúsque citationis virtute absolvisse omnes ejus subditos ab ejus obedientiâ, privâsse eum feudis & omnibus bonis, ac corpus & bona ejus exposuisse omnibus: ipsúmquemet sine morâ quædam ejus oppida occupâsse, alios alia, Helvetios cum suis confœderatis plura. De quibus in ipsorum Chronico Ioannis Suizeri legimus, illa eos oppida occupâsse auctoritate Patrum Concilij Constantiensis; à quo mandatum accepissent bellum in Fridericum movere, nullâ pacis anteà inter ipsos ad annos quinquaginta factæ ratione habitâ. Quod & antiquior scriptor Felix [u] Faber æquè testatur: nimirum auctoritate Concilij Suitensibus, hoc est Helvetiis, in pœnam Friderici totam regionem Argoviæ datam esse, facti jussione ut vi armorum omnia ejus oppida caperent. Et quamvis eam posteà Sigismundus Rex Friderico, ubi in gratiam receptus est, restitui jussisset, nihilominùs eos id facere recusâsse: sícque domum Austriæ ab illo tempore caruisse terrâ suæ nativitatis. Denique habet Nauclerus, citatum fuisse publicè Fridericum in Concilio, præter citationem Sigismundi Regis: Addítque, eum paulò pòst instrumento publico se ac sua omnia Regi subjecisse. Sed de hoc posteà. Iam enim ad Sessiones Synodales redeundum est, quæ ex prædictis non parùm lucis accipient.

t Cod. Vict. P. 9. fol. 361.

AMITTIT PARTEM DITIONIS SUÆ.

u Fel. Hist. Suevor. lib. 1. cap. 15.

XXI. SESSIO IV.

Earum ordine *Quarta* celebrata est die trigesimâ Martij in Vigiliâ Paschatis: cui unà cum Imperatore interfuisse ducentos Patres, in quibus erant novem Cardinales, habent Acta edita ex Appendice Surianâ, (ait enim Antoninus [x] rediisse aliquot Cardinales, vim Concilij verentes, ne forte suis dignitatibus privarentur :) itémque adfuisse aliquot Principes Germanos, unà cum oratoribus Regum Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Cypri, Navarræ, & aliis. Fueruntque per Cardinalem Florentinum publicatæ nonnullæ constitutiones : quibus imprimis decernebatur, Generale hoc ipsum Concilium legitimè congregatum pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à CHRISTO immediatè habere; cui quilibet cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi Papalis existeret, obedire teneretur in his quæ pertinerent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & prædictam reformationem. (Non enim de quocumque Concilio Universali locutam Synodum, sed de ipso tantùm Constantiensi collecto ad prædicta cùm nullus certus esset Pontifex; & ipsa ejus verba indicant; & fusè disputavit olim Ioannes de Turrecremata [y] Cardinalis, præterquàm quòd cùm non posset tunc dici hæc Constantiensis Synodus planè Universalis, quæ ex solâ Ioannis obedientiâ constabat, impugnantibus adhuc eam obedientiis Gregorij & Benedicti; ac proinde, quamvis omnino voluisset decernere Papam in omnibus subesse Concilio generali, nonpossit hoc dici decretū Concilij generalis.) Deinde prohibitum est, ne Ioannes Pontifex absque Synodi deliberatione & cōsensu, officia & officiarios, seu ministros, per quorum absentiam verisimiliter Concilium dissolveretur aut læderetur, ex civitate Constantiâ educeret; & si contrarium facere etiam per censuras vellet, totum irritum esset : jussúmque iisdem ministris, officia sua liberè Constantiæ exercere. Paritérque quicquid idem Pontifex contra quoscumque Prælatos & Ecclesiasticos, aut officiarios, per translationem, privationem, aliósve quoscumque modos tentaret; totum irritum esset. De quâlibet natione tres committerentur ad cognoscendum de causis recedere volentium à Synodo. Ac demùm ne novi crearentur Cardinales : itque tantùm pro Cardinalibus haberentur, qui in recessu Ioannis Pontificis publicè pro talibus agnoscebantur.

[x] Ant. tit. 22. cap. 6. §. 2.

DE POTESTATE CONCILIJ SUPRA PONTIFICEM.

[y] Turrecrem. lib. 2. de Eccles. cap. 99. Vid. infr. num. LIV. & an. 1418. V. & adde Duval. in 2. 2. S. Thom. tract. de com. par. Sum. Pont. & Concil. q. 7.

XXII. SESSIO V. HABITUS IMPERATORIS IN SYNODO.

Sessione Quinta habitâ die Sabbati sextâ Aprilis, cui præfuit Iordanus de Ursinis Cardinalis Episcopus Albanus, atq; interfuit Rex Sigismundus Augustali habitu, (sicuti & in aliis omnibus quamdiù fuit Constantiæ: quem habitum dum speciatim describunt acta Bibliothecæ regiæ, aiunt sedisse Regem dalmaticâ & pluviali vestitum, diademate coronatum, sceptro, pomo aureo, ac ense per tres proceres tentis, ac coronâ per alium quartum quando ipsemet non eam capite gestabat, assistentibúsque ei duobus Cardinalibus ad latera:) post Missam, litanias, preces, aliaque consueta solemnia,) quæ æquè semper in singulis Sessionibus servata fuere; ut non sit ultrà ea repetere:) confirmatæ sunt primo per definitionem Synodalem, constitutiones præcedenti Sessione publicatæ, & dilucidiùs explicatæ. Deinde definitum, teneri Ioannem Pontificem renunciare, non solùm casibus in suâ schedulâ comprehensis, verùm quocumque alio utili ad unionem Ecclesiæ; teneríque ipsum huic Concilij definitioni stare; quod si recusaret, vel differret, haberi debere pro abjecto à Papatu, & omnem ei obedientiam subtrahi : Ejus recessum clandestinum, fuisse illicitum : Requirendum esse ut revertatur facturus quod promisit : & si negaret, aut differret ultra terminum ei significandum, contra eum tanquam schismatis auctorem, & suspectum de hæresi processum iri : Si verò reverti vellet, datum ei iri salvum-conductum amplissimum; & pro ejus ac suorum statu post renunciationem, provisum iri arbitrio quatuor per ipsum nominandorum, ac totidem à Synodo. Post quæ, lecta sunt quædam monita seu placita ad fidem pertinentia : videlicèt de confirmatione factâ juxta determinationem Doctorum sacræ Theologiæ & Iuris canonici, sententiæ latæ in Concilio Romano contra doctrinam Wickleffi, ejúsque scripta : déque nonnullis committendis ad discutiendā causam Ioannis Huss detenti ibidem Constantiæ, & ad regimen processûs contra eum facti: nec non ad expendendum modum procedendi super condemnatione articulorum quadraginta quinque doctrinæ Vvickleffianæ, in Parisiensi & Pragensi Universitatibus jam damnatorum. Fuéréque ad hæc commissi Cardinales Cameracensis & S. Marci ambo Galli, (videlicèt Petrus de Alliaco, & Guillelmus Fillastrus, sive Philasterius Cenomanus olim Decanus Remensis) itémque Episcopus Dolensis (Stephanus Coëuret) & Abbas Cisterciensis (Ioannes de Martiniaco) itidem Galli; qui assumptis secum aliis Doctoribus Theologiæ & Iuris Canonici res expenderent.

DECRETA CONTRA IOANNEM.

DECRETI DISCUSSORES DOCTRINÆ VVICLEFFI ET HUSS.

XXIII. ALIÆ LOCORUM MUTATIONES IOANNIS.

Intereà verò Ioannes (ut Niemus in ejus Vitâ prosequitur) die Mercurij post Octavas Paschæ (nempè 10. Aprilis) in crepusculo matutino, & mutato habitu recedens à Louffenberg duobus vel tribus tantummodò comitatus, Friburgum petiit, munitissimum oppidum ejusdem amplissimæ diœcesis Constantiensis. Ubi postquàm aliquot dies mansisset, transtulit se Brisacum oppidum ejusdem diœcesis ad flumen Rheni; spe tractandi cum Duce Burgundiæ, cujus terræ aliquæ non longè aberant, de suî ipsius abductione ex Germaniâ ad civitatem Avenionensem, quæ erat Sedis Apostolicæ; conductâ jam ad hoc validâ armatorum manu, quæ tempus opportunum opperiebatur. Verùm re inter moras detectâ Regi Sigismundo, Ioannes iterùm mutato habitu ad oppidum Nuemburg, sive Novuum-castrum, ejusdem diœcesis ad idem flumen abiit. Sed illicò ex falso rumore advenientis exercitûs Sigismundi ad eum obsidendum, (collegerat enim Rex exercitum adversùs Fridericum Austrium, cujus oppida captum ibat) rediit cum magnâ festinatione Friburgum : ubi eum convenerunt legati Synodi.

XXIV. SESSIO VI.

Siquidem cùm *Sexta Sessione* celebratâ die Mercurij decimaseptimâ Aprilis, præsidente Ioanne de Borniaco sive Embroniaco Episcopo Cardinale Ostiensi, & Vicecancellario,

rio, natione Gallo, & Vivariensi à pristino Episcopatu dicto, ceterísque Cardinalibus creatione antiquiori; (unde & cunctis posthàc sessionibus usque ad electionem Martini V. præsedisse ponitur;) ac præsente Romanorum Rege, aliísque octo Cardinalibus; (erant enim adhuc nonnulli Schaffusiæ, redire detrectantes, dicentésque velle redire Romam; ut intelligitur ex Actis Sessionis 5. quos tamen non ita pòst rediisse, petito priùs & accepto salvo-conductu in formâ pleniori[1], Niemus refert; & ex Actis Concilij intelligitur,[2] quibus post hæc omnes simul recensentur:) quatuor Prælati quatuor Nationum, earum tunc præsidentes, conscenso ambone ubi publicari solebant constitutiones & monita, proposuissent per Episcopum Atrebatensem (Martinum Porræum Dominicanum) formam Procuratorij per Ioannem Pontificem faciendi ad renunciandum Papatui pro unione Ecclesiæ idque per quatuor Nationes compositum, ab universâ Synodo approbatum esset; decretúmque Ioannem obligari ad illud eâ formâ dandum, & ad nominandos certos procuratores ex singulis quatuor Nationibus ipsi à Synodo expositos, præter illos quos ipse constituere vellet: Adhæc ei denuncianda insignis legatio missa est, duorum Cardinalium, & ex singulis quatuor Nationibus aliquot Episcoporum, Abbatum atque Doctorum; necnon ad suadendum ei reditum Constantiam, vel accessum ad unum aliquem ex tribus aliis locis vicinis ei designatis, cum omni securitate & salvo-conductu Regis Romanorum (qui extat in Actis Victor. datus 18. April.) quò faciliùs res terminarentur: atq; interim dum ejus expectaretur responsio, supersederetur à processu contra eum faciendo. Præter quæ eâdem Sessione constituti sunt alij delegati contra Ioannem Huss, & super articulis Wickleffi; decreta citatio contra *Hieronymum de Praga*, de hæresi itidem infatum; qui affigi in portis Ecclesię Constantiensis curaverat libellos, quibus declarabat paratum se obtrectatoribus suis publicè respondere: datáque ei fides publica, justitiâ semper salvâ, & quantum fides exigeret orthodoxa; uti disertè ponitur. Prohibiti item sunt famosi libelli in civitate Constatiensi sub pœnâ excommunicationis: & decretæ literæ ex parte Concilij ad omnes Reges, Principes, & Universitates, pro significatione rerum hactenùs gestarum, mittendæ sub sigillis quatuor Prælatorum quatuor nationum præsidentium. Denique ab uno ex nunciis Universitatis Parisiensis lectæ sunt literæ ejusdem Universitatis ad Ioannem pro reditu, & ad Nationem Italicam pro eo procurando; quorum superiùs facta est mentio ex Actis Victorinis.

[1] Sess. 9. & seqq.

DECERNITUR DE MODO RENUNCIATIONIS IOANNIS.

HIERON. DE PRAGA CITATUR.

XXV. INEPTA CAPITULA AB ALIQUO EX CONCILIO PROPOSITA.

Habet verò insuper Gobelinus; in eâdem 6. Sessione fuisse per quemdam Prælatum Advisamenta quinque, seu monita proposita: videlicèt 1. Nequaquàm in Concilio Papam & Cardinales debere interesse; quia in eo agendum erat de reformatione Ecclesiæ in capite & membris, scilicèt in Papâ & Cadinalibus, qui non deberent sedere judices in propriâ causâ. 2. Cardinales qui elegissent Ioannem, scientes talem esse qualis arguebatur, debere puniri, quin per ejusmodi abusivam, electionem universam Ecclesiam scandalizârunt, ac proinde nequaquam debere interesse Concilio. 3. Cardinales qui absque licentiâ Concilij secuti essent Ioannem post suam è Constantiâ fugam, sese suspectos reddidisse, ac propterea non debere admitti ad Concilium. 4. Cardinales, qui asseruissent per fugam Ioannis dissolutum censeri Concilium, videri enormiter errâsse, sícque se ipsos exclusos judicâsse à Concilij ingressu. 5. Quamdiù non revocarentur aut suspenderentur potestates Papæ & dignitatum, haud posse Ecclesiam reformari in capite & membris; quoniam Ioannes inventurus semper esset fautores potentes, ut aurum ab eo emungerent. Hæc fuerunt bella illa capita cervicosi alicujus argutuli: quorum ineptia satis per se apparet. Quare cùm nihil addat Gobelinus, quid de iis actum aut deliberatum fuerit; vero est simile, exsibilata ea fuisse atque rejecta.

XXVI. LEGATI SYNODI AD IOANNEM QUID CUM EO EGERINT.

Adeuntes autem legati Synodi Ioannem, invenerunt eum primò apud Brisacum (Ita enim rem describunt Acta Victorina; objectúmque fuit Ioanni Sessione undecimâ Concilij inter crimina contra eum prolata:) oppidum dominij Friderici Austrij, Constantiâ distans trium dierum itinere: ac die Mercurij vigesima quartâ Aprilis ab eo auditi, remissi sunt ad sequentem diem pro accipiendo responso. Interímque Ioannes summo mane clàm recessit ad oppidum Nuemburgum duabus leucis Brisaco distans, volens ire in Burgundiam: mandans interim legatis, se recessisse eò quòd illâ nocte recepisset nuncium de periculo quod ei imminebat Brisaci. At verò resumentes iter legati Constantiam versùs, cùm pervenissent Friburgum, acceperunt à Ludovico Bavaro fratre Reginæ, & uno ex legatis Regis Francorum, (qui rogatus fuerat à Synodo convenire Ducem Austriæ ad eum reducendum à protectione Ioannis, eíque suadendum ne eum abire sineret) Ioannem futurum eâ die Friburgi, sic persuasum ab iisdem Austrio & Bavaro,) quod paulò aliter vidimus à Niemo narratum: sed major fides Actorum.) Quare moram ibi trahentes, appulso Pontifice, triduo cum eo egerunt; obtinuerúntque tandem procuratorium, relatum verbatim in prædictis Actis, datum 27. Aprilis; quo promisit ac juravit, purè & simpliciter renunciare Papatui per se vel procuratores, quamprimùm per Concilium de ipsius honesto statu pro vitâ & honesta libertate foret provisum, secundùm formam à se traditâ Cardinalibus S. Marci & SS. Cosmæ & Damiani, atque Episcopo Carcassonensi. Quod procuratorium) etsi ut facile apparet imperfectum, (quod & propterea à Concilio repudiatum est) noluit Concilio tradi, donec sibi de statu provisum esset; sed interim custodiri à Comite Bertholdo de Ursinis Romano, quem vidimus initio creatum Custodem Concilij. Quæ porrò essent Ioannis petitiones, recenset Niemus: videlicet quòd toto tempore vitæ suæ esset Legatus à latere irrevocabilis per totam Italiam: haberet sub se Bononiam & ejus Comitatum in temporalibus, necnon Comitatum Avenionensem: emerentur ipsi annui reditus ad vitam ducatorum 30. millium auri, videlicèt decem Venetiis, totidem Florentiæ,

IOANNIS POSTULATA.

totidem

totidémque Genuæ: liber esset ab omni cujuscumque subjectione, ac nihilominùs remaneret Cardinalis, & particeps esset emolumentorum capellæ, & immunis à reddendâ ratione omnium hactenùs gestorum ac in futurum gerendorum. Quæ tanta, & alia ejusmodi nonnulla, eum petiisse Niemus ait; quòd sciret ea non sibi fore concedenda, utpotè in multis irrationabilia: quærens dumtaxat tempùs hujusmodi ludificationibus trahere, spem semper habens eductionis à Burgundo.

XXVII. Sessio VII.

Die secundâ Maij *Sessione septima*, cui præfuit Ioannes Cardinalis Vivariensis, auditâ legatorum ad Ioannem Pontificem missorum relatione, cùm jam tædio affecti Patres essent tam variâ ejus locorum mutatione, seu potiùs suffugio, nec ulla ampliùs spes esse videretur aliquid eum ejusmodi circuitionibus pro sano acturum; adversus eum de jure procedere deliberantes, citationem in eum auctoritate Synodali publicárunt ad nonum diem Constantiæ sistendum, respondendúmque de fugâ, & aliis ei objiciendis: dato ad hoc pleno salconductu ad veniendum, & commorandum ibi liberè ac securè. Cui & suum Rex Sigismūdus hortatu Synodi addidit. Et allegatâ à promotore Concilij contumaciâ Hieronymi de Pragâ qui fuerat ex decreto præcedentis Sessionis citatus juridicè, nec comparuerat; decretum est ad ulteriora contra eum uti contumacem procedi. Ad quorum intelligentiam narrat Cochlæus [a] ex Ulrico Reichental teste oculato, qui tum Constantiæ fuit; venisse eò Hieronymum valdè clanculùm feriâ secundâ post festum Paschæ, uno comitatum scholari: & affixâ ad valvas Ecclesiæ schedâ, quâ Ioannem Huss excusare studebat, mox abiisse, usque adeò anxium ut ensis sui in diversorio fuerit oblitus. Cùm autem pervenisset ad Silvam Boëmicam, & apud plebanum loci oblocutus graviter fuisset contra Synodum Constantiensem, vocans eam diaboli scholam & Satanæ synagogam, séque & Hussum palmam contra eam tulisse jactans: hoc audito à loci prefecto, eum cepisse, & Constantiam reduxisse; qui illicò abductus est in quamdam arcem urbi proximâ, ubi à multis visitabatur ut ab erroribus reducerent. Additque idem auctor, ambos Huss & Hieronymum demùm acquievisse doctorum suasionibus; sed noluisse apud Boëmos sententiam retractare. De quibus posteà pleniùs suis locis.

Ioannes citatur.

[a] Cochlæ. lib. 2. Hist. Hussit.

Hier. de Praga retrahitur a fuga.

XXVIII. Sessio VIII.

Sessione VIII. celebratâ die Sabbati 4. Maij, præsidente eodem qui suprà Cardinale Vivariensi; proposito diligenti examine doctrinæ Wickleffi ac citationibus eorum qui eam defendere voluissent; fuit illa omninò damnata per sententiam Synodi, unà cum ejus scriptis, ac speciatim quadraginta quinque articulis jā olim in Angliâ, Boëmiâ, & Concilio Romano condēnatis, qui eidē sententiæ inseruntur. Præter quos editi sunt alij quamplurimi per classes distincti, pariter à Concilio damnati; (quorum etiam fit mentio in fine præsentis Sessionis) unà cum rationibus & argumentis, sive ut vocant motivis damnationis singulorum illorum quadraginta quinque. Eadem autem Synodi sententiâ scriptâ quoque ejus omnia prohibita fuêre, & concremari jussa, memoria anathematizata; uti hæretici notorij & impœnitentis defuncti, ossáque (si ab aliis fidelium corporibus dignosci possent) exhumari; & procul ab Ecclesiæ sepulturâ jactari jussa.

Vvicklefi scripta et memoria damnata.

XXIX. Fridericus Austrius veniam petit et obtinet ab Imperatore.

Cùm verò interim Fridericus Austriæ Dux (ut Niemus ait) Constantiam sub salvo-conductu Sigismundi Regis venisset, ad veniam, si posset, impetrandam: die Dominicâ quintâ Maij, factâ Regis rogatu (ut in Actis editis habetur) Congregatione Nationum in loco ubi Germanica congredi solebat; idem Rex exponens quomodò arma sumpsisset contra eumdem Fridericum, tam ob Pontificis abductionem, quàm quòd nonnullos Episcopos & Abbates expulisset, ac viduas & orphanos spoliâsset, jámque is recipi in gratiam rogaret: consilium petiit quomodò agendum cum ipso esset, eò quòd jurâsset Rex numquā se pacem cum eo facturum. Responsúmque ei est, ipsum minimè obligari ejusmodi juramento; posséque etiam illum simpliciter ad misericordiam & veniam admittere, non ad pacem ex æquo faciendam. Túncque missis quatuor Prælatis qui eum adducerent, venit ille cum Duce Bavariæ & Burgravio Nurembergensi: prostratúsque ad genua Regis, unà cum ceteris illis Principibus veniam pro eo postulantibus, se & omnia sua potestati Regis subjecit: promisítque terras suas in manus ejus tradere, & Ioannem Papam reducere, dummodò tam ei quàm suis cautum esset de vitâ & bonis quæ haberent; & interim dum omnia complerentur obses Constantiæ permanere. Hisque conditionibus receptus est in gratiam à Rege: facto eâ de re per protonotarios & notarios Concilij instrumento, quòd describitur in Actis.

XXX. [b] An. tit. 22. cap. 6. §. 3.

Ioannes custodiæ datur.

Sic igitur deserto à Friderico (ex protectore, ut ait Antoninus [b], proditore facto, vel potiùs ex malo promisso fidem rescindente) Ioanne Pontifice, qui Friburgi erat oppidi dicti Friderici, custoditus ne elaberetur, die nonâ Maij festo Ascēsionis Domini (ut habent Acta Victorina & Cerretana) missi à Concilio ad illum Archiepis. Bisūtinus & Rigēsis, quę gesta fuissent significárunt, fuiséque eum citatum ad 13. Maij. Quos ille vultu specie læto suscipiēs, paratum se esse dixit ire cum iis Constantiam, ægréque multùm ferre quòd sic Concilium malo consilio deseruisset. Cùm verò misisset Sigismundus Rex unà cum Archiepiscopis Burgravium Nurembergensem cum trecentis armatis ad securiorem ejus custodiam; ductus ab eis est ad oppidum Cellæ distans Constantiâ duobus tantùm milliaribus (quò eum pervenisse die decimâseptimâ, utraque eadem Acta habent; cùm tamen Niemus vigesimam primam ponat) ibíque diligenter custoditus est; mutatis omnibus ejus famulis præter coquum, datísque in consortium & solatium Vitale Episcopo Tolonensi unà cùm aliis octo viris honoratis, duobus ex quâlibet Natione; ipso ad hæc ingentes edente gemitus, & grandem contritionem de præteritis præseferente. Præter quæ idem Vitalis Episcopus recepit ab eo bullam sive Sigillum, & anulum Piscatoris dictum, misítque Constantiam. Ita Acta Victorina; reliqua posteà.

Interim habent Diaria Cerretana, die undecimâ Maij decretos esse à Concilio Iudices

IUDICES IN CAUSA POLON. ET PRUSSIENSIUM.

inter Ladislaum Regem regnúmque Poloniæ & Prutenos Marianos, Franciscum Cardinalem Florentinum & duos ex singulis quatuor Nationibus.

XXXII. SESSIO IX.

Die autem Lunæ decimatertiâ Maij, quæ præscripta fuerat comparitioni Ioannis, habita est *Nona Sessio* Concilij, præside Ioanne Episcopo Cardinale Ostiensi, Vivariensi dicto. Quâ imprimis per unum ex nunciis Universitatis Parisiensis (Benedictum Gentiani Magistrum Theologiæ Ordinis S. Benedicti) oblata est Concilio epistola ejusdem Vniversitatis, laudatoria de ipsius constantiâ in prosequendo negotio unionis post recessum Pontificis, & hortatoria ad illud consummandum; data die decimaquartâ Aprilis, cum hâc epigraphe, *Egregiis, inclytisque Patribus, viris ex omni gente delectis, in salutifero Constantiensi Concilio universalem Ecclesiam repræsentantibus*: hypographe verò, *Vestrarum Paternitatum egregiarum zelantissimi devoti imitatores, Rector & Vniversitas Studij Parisiensis.* Deinde per promotores & procuratores Concilij reproductâ citatione aliàs contra Ioannem Pontificẽ decretâ, accusatâque ejus contumaciâ; ex stylo juris petierunt dari commissarios in hâc causâ. Cardinalis verò Florentinus bullam ejusdem proposuit, quâ nonnullos Cardinales procuratores constituerat ad defendendam causam suam. Sed replicantibus promotoribus citationem esse personalem, causámque curialem, in quâ nullus admitteretur per procuratorẽ; ad observandas recti judicij formas, rogati sunt duo Cardinales diaconi & quidã Prælati Nationũ ire ad valvas Ecclesiæ inquisitum an Ioannes advenisset: recusãtibúsque Cardinalibus, Prelati id executi sunt in valuis & extra valvas Ecclesiæ: ac demùm delegati sunt à Synodo ad ejusdem Ioãnis causam, duo Cardinales & aliquot Prælati singularum quatuor Nationum. Constitutique insuper quidam Iudices ad audiendas causas quæ per appellationem ad Synodum devolverentur, & discutiendas querelas quæ ad eam deferrentur.

EPISTOLA VNIVERSIT. PARIS. AD SYNODUM.

CONTRA IOANNEM JURIDICÈ AGITUR.

XXXIII. SESSIO X.

Sequenti die decimaquartâ Maij *Sessione Decima*, preside eodem Cardinale Vivariensi, præsentéque de more Sigismundo Rege Augustali habitu cum suis proceribus, aliísq; undecim Cardinalibus, quorum duo pro consueto assistebant Regi, quatuor reliquis Cardinalibus absentibus, qui tamen erant in civitate: ad instantiam promotorum, inquisitus rursùm Ioannes Papa ad valvas ecclesię & extrà per duos Cardinales & quatuor Prælatos Nationum, nec repertus; de sententiâ totius Synodi declaratus est contumax, cum suis sequacibus & fautoribus, qui æquè citati fuerant, nec comparuerunt. Deinde factâ relatione per Cardinalem S. Marci, (assistentibus ei, ac idem sentientibus, ceteris delegatis ad cognoscenda & examinanda crimina Ioanni objecta) ex testium auditione, ac sufficienti eorum depositione, constare (quod dolenter se referre contestatus est) dictum Ioannem Papam fuisse dilapidatorem bonorum Ecclesiæ Romanæ, simoniacum, scandalosum, & perturbatorem fidei Christianæ, & aliàs talem quòd meritò deberet suspendi ab administratione bonorum ecclesiasticorũ spiritualium & temporalium: iis auditis, uno ac communi totius Concilij suffragio decreta est ac publicata cõtra eum sententia: quâ (ut sunt ejus verba diffinitiva) ex eo quòd legitimè cõstaret, eũ à quo tempore fuit assumptus ad Papatum, illum & politiam Ecclesię in scandalum notorium malè administrâsse, vitâq; suâ damnabili ac nefandis moribus, populis exemplũ vitæ malę præbuisse & præbere; atq; insuper ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus conventuales, & cetera Beneficia ecclesiastica pretio appretiato simoniacè notoriè distribuisse, bonáq; & jura Ecclesiæ Rom. & aliarũ plurium dilapidâsse; quódque charitativè monitus à præmissis desistere noluisset, &c. eapropter Synodus pronunciavit, decrevit, & declaravit, eum ab omni administratione papali spirituali & temporali fore suspendendum, & suspendit, eíq; administrationem ipsam interdixit; donec ex notorietate eorumdem criminũ procederetur ad finem ejiciendi eum omninò à Papatu. Districtéq; prohibuit omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis seu dignitatis, etiámq; regalis, Cardinalitiæ, Patriarchalis, &c. ei de cetero directè vel indirectè obedire, aut in quâcumq; re ad Papatũ pertinente respõdere, sub pœnis juris, &c. Cùm verò impactum quoque ei esset crimen hæresis, reservatum illud est ampliùs inquirendum per idoneos testes.

IOANN. DECLARATUR CONTUMAX.

SUSPENDITUR A PAPATU OB NOTORIA CRIMINA.

XXXIV.

Factis post hæc diligentioribus criminũ Ioãnis per testes omni exceptione majores inquisitionibus; antequàm ad sentẽtiam procederetur, missi sunt Cellam ad eum (ut referũt Acta Victorina, meminerúntq; edita) quinque Cardinales, qui ei referrent quæ facta fuissent, & quæ his inquisitionibus continebãtur. Observántq; Acta Bibliothecæ regiæ, hos Cardinales minimè permissos fuisse à custodibus deosculari pedes ejus, sed tãtùm manus & os: quoniam, ut jam antè dixerãt, post ejus suspensionem nulla ampliùs ei reverentia Papalis exhibebatur. Respondit autẽ ille scripto Cardinalibus, velle se in omnibus stare deliberationibus & determinationibus Synodi, paratúmq; se esse, si ita Synodo placuerit, Papatui cedere, sive in ipsâ civitate Constantiæ, sive alio quovis loco: neq; reclamaturum umquã contra Synodi sententiam, quinimmò ipsam ratam habiturum & approbaturum, & quantum in se fuerit confirmaturum omni meliori viâ, modo & formâ, quibus videbitur Synodo. Rogans tamen per viscera misericordiæ Domini, ut dignaretur Synodus commendatum habere honorem suum, personámque, & statum, nullam tamen ex hoc læsionem unioni Ecclesiæ præferendo. De quibus etiam scribens [b] ad Sigismundum Regem; repræsentansque quanto affectu ejus procurâsset apud Electores promotionem in regnum Romanorum, quantâ promptitudine desideratam ab eo suam præsentiam magnis sumptibus & periculis exhibuisset, quàm facilè consensisset electioni ejus de loco Constantiæ ad Synodum celebrandã, quàm sincerè de eo confidens ad Constantiã ejus adventum prævenisset; cùm hæc tantæ in eum dilectionis testimonia non possent nisi pari dilectione compensari, ad eum tamquam unicum post Deum spei suæ refugium recurrens, per viscera misericordiæ Domini Iesu Christi rogavit deponere iram, & clementiam assumere, ac suî misereri, agendo apud Concilium

PARATUM SE EXHIBET AD CESSIONEM FACIENDÃ.

b *In Act. edit. Sess. 11. ad fi.*

EJUS PRECES AD IMPERATOREM.

cilium ut personam suam haberet commendatam; & unione Ecclesiæ semper salvâ, famam & statum suum, post dimissionem Papatûs, quantùm possibile foret salvare & custodire dignaretur.

XXXV. Sessio XI.

A quo tempore sumatur dies sedis Pontificum.

Post quæ habitâ *Sessione XI.* die Sabbati vigesimâ quintâ Maij; eâdem ipsâ quâ, ut observat Niemus de his agens, incipiebat sextus annus Pontificatûs Ioannis: (sumendo videlicèt à coronatione, ut solet in Cancellariâ Romanâ: cùm alioqui electus fuisset die decimaseptimâ, à quâ propriè sumenda est chronologia, cùm verè tunc fiant Pontifices; nec coronatio aliquid addat præter solemnitatem publicam: quam sæpè in plures dies aliquando & menses, ob supervenientia impediméta differri contingit; contigítq; aliquando nonnullos mori absque coronatione:) præside eodem Cardinale Vivariensi, & præsidentibus ceteris omnibus Cardinalibus, uno S. Marci excepto qui infirmus erat: promotores Concilij petierunt legi articulos formatos & probatos contra eumdem Ioannem Pontificẽ super notoriâ dilapidatione bonorum Ecclesiæ; simoniâ in adeptione Cardinalatûs, collatione & distractione beneficiorum ac bonorum ecclesiasticorum, gratiarum, indulgentiarum, ac dispensationum Apostolicarum, sacrarúmque Reliquiarum; oppressione pauperum, ac virorum Ecclesiasticorũ, frequẽti fugâ in habitu indecenti ac transformato contra juraméta pręstita; favore schismatis; vitâ impiâ, impudicâ, scandalosâ, & incorrigibili, &c. qui lecti fuêre numero 54. unà cum designatione testiũ, quorũ aliqui Cardinales, alij Archiepiscopi, Episcopi, & viri honorati fuêre. Quibus & alij additi sunt de machinatione veneni in vitã Alexandri Pontificis; déq; hæresi contra resurrectionem mortuorum, & vitam æternam, quas negâsse dicebatur. Sed hæc ultima absque ullis probationibus testium, quæ in singulis præcedentibus diligenter adduntur: ut intelligas jactata quidem fuisse, at non probari potuisse; ac proinde inter calumnias, aut sanè inter incerta cõputari debere, si enim certa, an defuissent testes in tantâ calamitate miserrimi Pontificis, in tantâ sollicitudine examinandi vitam ejus, singuláq; facinora? Quę dixerimus obiter in pervicaces hæreticos nostrorum temporum, qui hinc etiam occasionem sumunt infamandi Sedem Apostolicam hæresis. Ut taceamus non necessariò hæc, aut alia ejusmodi in Ioanne esse defendenda, quòd eo tempore incertum esset quis trium contendentium esset legitimus Pontifex: adeò ut si contigisset singulos eorum etiam in fide deficere: haud propterea foret Sedes Apostolica aut verus Romanus Pontifex in crimen hæresis vocandus.

Articuli accusationum in Ioannem.

XXXVI.

Ioannes promittit in omnibus obedire Synodo.

Ceterùm cùm post hæc decretum fuisset, probatos illos articulos deferri ad Ioãnem, ut pro libito eis respõderet; eumdémq; citari ad audiendam sententiam super eis: missi ad hæc sunt Ioannes Episcopus Vaurensis & alij tres Prælati de quatuor Nationibus. Qui responsũ scriptum in formâ Instrumenti publici die Lunæ 27. Maij acceperunt: quo Ioannes proponens, se pro Dei Ecclesiâ & ejus unione plura fecisse, etiam antequã fuisset assumptus, ac præcipuè in Concilio Pisano, etiámq; in hoc Constantiensi quando cessionem liberè obtulit: séq; adeò pœnitere de turpi suo è Concilio recessu; ut maluisset eã die, sine animæ præjudicio mortuus esse: ea propter declaravit nolle se aliquid dictis articulis contra se propositis objicere; sed potiùs tam processum quàm se ipsum judicio Synodi subjicere, quam sciebat errare non posse; adeóq; obtemperaturum se planè sententiæ quamcumq; ferret, eámq; cõprobaturum, & confirmaturum; sicuti jam significaverat Cardinalibus nuper ad eum missis: hoc tantùm se rogare, ut quàm posset primùm fieri sententia ferretur, & ad se deferretur; quam esset cum omni reverentiâ, etiámque cum birreti sui depositione suscepturus.

XXXVII. Sessio XII.

Sententia depositionis in Ioannem.

Quare die Mercurij 29. Maij celebratâ *Sessione XII.* (cui de more præfuit Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis, interfuítque Rex Sigismundus) post solemnia consueta, propositâ à prædictis Prælatis responsione Ioannis; ad instantiam promotorum lecta est sententia Synodi definitiva ejus depositionis & absolutionis omnium Christianorum ab ejus obedientiâ; cum prohibitione ne quis ampliùs eum Papam nominaret, aut illi tamquam Papæ quocumque modo adhæreret: eúmq; sub custodiâ Regis Sigismundi, quamdiù Concilio pro bono unionis Ecclesię videretur honestè detinendum statuit: reservatis sibi aliis pœnis, quibus pro ipsius criminibus plectendus foret, suo tempore declarandis. Insupérque statuit, ne si contingeret Sedem Apostolicam quamvis modo vacare, in 1. vacatione ad electionem futuri Summi Pontificis ullo modo procederetur sine deliberatione & consensu Synodi: ac ne ullo umquam tempore reeligerentur in Pontifices Balthasar Cossa nuper Ioannes Papa XXIII. nec Angelus de Corario Gregorius XII. nec Petrus de Lunâ Benedictus XIII. in suis obedientiis nominati: & si prædictis contrarium quid fieret, esset id facto ipso irritum & inane. Quæ sententia uno omnium Concilij Patrum consensu approbata, cùm fuisset ad Ioannem perlata, eamdem ipse quoque Cellæ ultimâ Maij instrumento publico ratam habuit se numquam contra eam quicquam acturum; puréque simpliciter ac liberè Papatui cessit & renunciavit, depositis omnibus ornamentis papalibus. Quæ omnia Actis editis continentur. Addit autem Niemus, eumdem Balthasarem principio mensis Iunij ductum fuisse ad castrum Gotlevem prope Constantiam: traditúmque custodiæ Ludovici Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni, constituti à Rege Sigismundo Custodis Concilij: (loco Bertholdi de Ursinis absentis, quem vidimus ad id muneris primò per Concilium delectum:) à quo benignè habitus est, datis ei duobus cappellanis ad divinum officium, & quibusdã nobilibus ad ministerium mensæ, in loco spatioso & delectabili. Ita Niemus ab aliquibus se audivisse ait. At verò Platina, Nauclerus, & alij pessimè ipsum vel in eo habitum volũt, quòd privato omni famulitio Italico, tributi sint ei comites & custodes Teutonici, & non alij, quibuscum non linguâ, sed nutibus agendum esset, ut qui nec ipsum intelligerent, nec ab eo intelligerentur. Locus autem carceris, quo ferè quadriennio detentus fuit, à Nauclero Manheim, à Platinâ Heidelberga

Quam ipse comprobat, deposito habitu Pontificali.

nominatur: ut intelligas sæpiùs mutatum fuisse. De cujus fine dicetur suo loco. Sedit autem annos quinque & dies quindecim, ab electione usque ad abdicationem per se approbatam. Vacavitque Sedes usque ad novam electionem duos annos, quinque menses & dies decem. Post ejus verò abdicationem scriptæ sunt de eâ, déque ejus causis superiùs relatis, à Concilio literæ ad singulos Reges & Principes, quæ recitantur in Actis Victorinis: quibus demùm rogavit eos, ut quod à Synodo Dei auctoritate, & charitatis studio actum esset, suis præsidiis juvare & prosequi nusquam desinerent.

LITERÆ SYNODI AD PRINCIPES.

XXXVIII. CAROLUS MALATESTA LEGATUS GREGORIJ PRO FACIENDA CESSIONE.

Die 15. Iunij (ut habent Acta Victorina) intravit Constantiam Carolus de Malatestis Legatus Gregorij XII. (erat is dominus civitatis Arimini, in quâ Gregorius residebat, & pro Sede Apostolicâ rector Flaminiæ sive Romandiolæ) cui multi nobiles obviam occurrerunt unà cum primis Gregorij nunciis qui venerant initio anni. Ingressus est autem cum Summâ magnificentiâ ac splendore. Exhibito postridie Sigismundo Regi salutatoriæ venerationis officio, significavit missum se à Gregorio ad dandam pacem Ecclesiæ; directúmque eâ de causâ ad ipsum Regem; non ad Concilium, quòd illud Gregorius non approbaret. Deinde visitavit Nationes, dicens habere se facultatem renunciandi Papatui nomine Gregorij. Quod quando & quomodò factum fuerit, dicetur paulò pòst.

XXXIX. SESSIO XIII.

Interim eâdem die decimâquintâ Iunij, quæ fuit Sabbati, celebrata est *Sessio XIII.* Synodi, præside de more Cardinale Ostiensi, & præsente Rege Sigismundo. Quâ instantibus promotoribus pro condemnatione quorumdam errorum pullulantium super communicatione sacratissimæ Eucharistiæ, jam per Nationum Episcopos & Theologos atq; Doctores examinatorum; quibus asserebatur etiam laïcos debere necessariò sacramentum Eucharistiæ sub utrâque panis & vini specie suscipere; poséque communicare etiam post cœnam vel aliàs non jejunos: publicatum est decretum Synodi, quo declaravit & definivit, licèt Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utrâque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; nihilominùs tamen sacrorum canonum auctoritatem, laudabilem & approbatam consuetudinem Ecclesiæ servâsse, & servare, illud non debere confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure vel Ecclesiâ concesso vel admisso. Paritérque licèt in primitivâ Ecclesiâ idem Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utrâque specie, tamen ad evitanda aliqua pericula & scandala, rationabilem introductam esse consuetudinem, ut à conficientibus quidem sub utrâque specie, à laïcis verò sub unâ tantummodò panis suscipiatur; cùm firmissimè credendum sit, & nullatenùs dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quàm sub specie vini veraciter contineri. Unde cùm hujusmodi consuetudo ab Ecclesiâ & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè observata esset; habendam eam esse pro lege, quam non liceret reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Eáq; propter dicere, hanc consuetudinem aut legem observare esse sacrilegum aut illicitum, debere censeri erroneum; & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, aut sic populum absque licentiâ communicantes, tanquam hæreticos arcendos esse, ac graviter puniendos per ordinarios locorum, aut inquisitores hæreticæ pravitatis. Ita Synodus. Qui verò fuerint introductores prædictorum errorum, jam vidimus superiùs[c], videlicèt Iacobellus Misnensis & Petrus Desdrensis, socij Hussi, & Wickleffistæ. Deinde in eâdem Sessione constituti sunt ad audiendas & examinandas causas quarumcumque hæresum & errorum in fide Catholicâ & moribus, & quarumcumque personarum etiamsi Pontificali vel aliâ quâvis Ecclesiasticâ vel sæculari præfulgerent dignitate, quæ ad Concilium deferrentur, quatuor Cardinales, & quatuor Prelati aut Doctores ex singulis quatuor Nationibus.

DECRETUM SYNODI DE COMMUNIONE SUB UNA VEL UTRAQUE SPECIE.

c Supr. an. 1414. IV.

XL. SESSIO XIV.

Sessione XIV. celebratâ die quartâ mensis Iulij, alius servatus fuit ordo quàm in præcedentibus, eò quòd actum est de renunciatione Gregorij XII. quam voluit fieri in manibus Sigismundi Romanorum Regis, non autem Synodi. Quare non præfuit ei initio Cardinalis aut alius Prælatus, sed ipse Rex; nec facta est mentio Concilij aut Sedis Apostolicæ, sed tantùm Regis: ut Acta declarant. Quæ habent; anno à Nativitate Domini 1415. Apostolicâ Sede vacante, regnante serenissimo & invictissimo Principe domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ Rege, &c. die autem Iovis 4. mensis Iulij, habitam esse Sessionem generalem per sanctam Synodum Constantiensem in Ecclesiâ cathedrali; præsente ibidem dicto serenissimo Rege cum insignibus regiis, & nobilibus sibi in iis ministrantibus; præsentibúsque septemdecim Cardinalibus, & Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, atque aliis Patribus in copiosâ multitudine: In ejus principio eumdem Regem de suâ solitâ sede transîsse ad aliam positam in fronte altaris, tamquam præsidentem eâ vice in Concilio; Ioanne Dominici Cardinale Ragusino obedientiæ Gregorij, & Carolo de Malatestis domicello Ariminensi, procuratoribus ejusdem, sedentibus juxta Regem in quodam scamno facie versâ ad congregationem Synodi: Deinde invocato S. Spiritu, & collectâ de pace per Cardinalem Ostiensem dictâ, per protonotarium Comitis Palatini lectas esse de mandato Regis duas bullas Gregorij, datas Arimini 3. Idus Martij anno Pontificatûs sui nono: Quarum alterâ prædicto Ioanni Cardinali tituli S. Sixti, & alteri Ioanni in Patriarcham Constantinopolitanum electo, nunciis suis, itémque Wernero Archiepiscopo Treverensi, necnon Ludovico Comiti Palatino Rheni, & Carolo de Malatestis domicello Ariminensi, & provinciæ Romandiolæ pro Sede Apostolicâ rectori, facultatem tribuerat, ipsius vice ad pacem & unionem Ecclesiæ promovendam Concilium Constantiæ collectum, in quantũ per Regem, & non per Balthasarem Ioann. XXIII. dictum convocatũ esset, suo item nomine convocandi & comprobandi, & quæ in eo fierẽt pariter

NARRATIO CESSIONIS GREGORIJ.

confir

confirmandi; remota tamen omninò prædicti Balthasaris præsidentiâ & præsentiâ: Alterâ dicto Carolo de Malatestis specialiorem ac pleniorem tribuebat facultatem prædicta sive per se, sive per alios exequendi: Ejus vi Carolum dicto Ioanni Cardinali vices suas commisisse ad approbandum Concilium: quod ipse publicâ declaratione fecerit: Móxque ipsum ex decreto Synodi cooptatum esse in consortium ceterorum Cardinalium. Hísque peractis, Regem de sede præsidentiæ ad solitam præsentiæ Concilij recessisse; & Cardinalem Ostiensem reliquæ actioni de more præsedisse; celebratámque esse Missam, ac cetera solemnia servata.

XLI. Carolus cedit nomine Gregorii.

Post hæc lecto syngrapho, seu procuratorio Gregorij ad renunciandum, directo eidem Carolo de Malatestis; cum is quæsîsset, num magis expediret abdicationem Pontificatûs modò fieri Constantiæ, an verò expectari quousque cum Petro de Lunâ tractatum foret Niciæ: decretúmque à Concilio esset, utilius esse pro unione Ecclesiæ eam mox Constantiæ fieri: Lectis interim aliis Concilij decretis de non procedendo ad electionem futuri Romani Pontificis absque consensu Concilij; nec nisi modo, formâ, materiâ, tempore, & loco, ab eo designandis; déque non dissolvendo Concilio antequàm unus Pontifex eligeretur; & auxilio à Rege ad hæc præstando: itémque de confirmatione omnium quæ Gregorius aliàs ritè in suâ administratione gessisset; ac receptione Cardinalium ejus obedientiæ (qui sex numerantur, ipséque Gregorius septimus) in ceterorum consortium & ordinem; confirmationéque omnium ejus officialium & curialium in suis officiis & gradibus; denique de unione utriusque obedientiæ Ioannis & Gregorij, ut esset deinceps unum corpus & una societas; & abrogatione omnium pœnarum & censurarum invicem decretarum: Tandem dictum Carolum, præclarâ habitâ oratione, purè, liberè, ac sincerè procuratorij sui virtute renunciâsse ac cessisse expresè juri, titulo, & possessioni eidem Gregorio in Pontificatu Ecclesiæ Romanæ competenti: Eámque renunciationem Concilium admisisse, & collaudâsse, cantato hymno Te Deum laudamus: Demúmque decretum edidisse de requirendo Petro de Lunâ ut eamdem cessionem à se toties promissam faceret intra decem dies ab ejusmodi requisitione eidem faciendâ: Quòd si non faceret, declararet eum Synodus notorium schismaticum, incorrigibilem, & pertinacem hæreticum, à Catholicâ fide devium, omni honore & dignitate indignum & ejectum. Hæc prolixè in Actis Synodi. Carolum autem ita cessisse Platina ait, ut in sede non aliter structâ quàm si ipse Gregorius adfuisset collocatus, perlectâ renunciandi facultate, ab eâ sede abierit; sic à Pontificatu se abire professus. Habent etiam nonnulli, sedisse eum Pontificio habitu velut personam Gregorij gerentem; depositísque sacris insignibus Pontificatum pariter exuisse.

Decernitur monitio ad Petrum de Luna.

XLII. Gregorius ipse se abdicat. [cc] Niem. in Ioan. XXIII.

Quod tamen magis de ipsomet Gregorio accipi libet: quem Niemus [cc] ait, meminerúntque alij post eum, ubi intellexit cessionem per Carolum factam, convocatis suis curialibus & Cardinalibus, necnon Prælatis & clero, qui sibi ut Papæ tunc adhærebant in partibus illis; in publico Consistorio gaudenter & spontè approbâsse, laudâsse, & confirmâsse omnia in eâ parte gesta pro ipso per dictum Carolum: eóque facto, illicò deposuisse mitram Pontificalem, colobium & omnia insignia Pontificalia; cum solemni protestatione, numquam se illa resumpturum, immò quantum posset procuraturum unionem Ecclesiæ. Quæ satis sunt contra ipsummet Niemum, qui eum continuò tanquam hostem infensissimum unitatis insectatus est: cujus nihilominùs zelum semper Antoninus, multíque alij prædicaverunt. Etsi aliquid collusionis, ut plerisque visum fuit, cum Petro de Lunâ ad Pontificatum retinendum exercuit; totum illud hàc voluntariâ cessione eluisse existimandus est. Quamvis non desit Platina, Pontificibus nec ipse parcere sciens, qui scribat eum non multò post renunciationem mortuum esse, dolore animi ut ferebatur; propter subitam abrogationem ante constitutum tempus à Carolo factam; quam ipse in longum protrahi volebat; in morâ spem aliquam ponens. Cur verò non magis ex grandi ætate mortuum dixerit? quem octogenarium, nonnulli etiam nonagenarium decessisse affirmant. Decrevit autem post hæc Synodus [d], fore eum semper Cardinalem Episcopum, sub titulo per eamdem Synodum vel futurum Romanum Pontificem declarando, (quem fuisse Portuensem Niemus, Tusculanum Onuphrius [e] ait) ita ut secundus post Romanum Pontificem dignitate & ordine haberetur; nisi fortè Petro de Lunâ abdicante, aliud de utriusque ordine decerneretur. Insupérque perpetuum creavit Legatum Piceni, sive Marchiæ Anconitanæ; aliásque largita est gratias & concessiones, quas videre est in constitutione eâ de re edita. Mortuus est autem post biennium paulò antè Martini V. creationem. Non tamen Arimini, ut habet Antoninus; sed uti disertè ait ejus epitaphium [f], alíique auctores tradunt, Recaneti, anno 1417. Sederat ab electione usque ad privationem in Concilio Pisano annos duos, menses sex, dies quinque: ab eo tempore usque ad renunciationem ejus nomine Constantiæ factam, annos quinque, menses undecim. Qui etiam quatriduo post eamdem abdicationem, (quam fortè nondùm acceperat, sanè nondum confirmaverat) octavo Idus Iulij Pontificatûs sui, ut numerabat, anno nono, constitutionem [g] edidisse reperitur de approbatione regularis vitæ Fratrum Eremitarum S. Hieronymi Congregationis Fesulanæ; de quâ aliàs [h] dictum.

[d] Sess. 17.

Favores ei exhibitia Synodo.

[e] Onuphr. de Rom. Pontiff.

Eius postrema.

[f] Ap Onuphr. Addit. in Platin.

[g] Bullar. to 1. Greg. XII. const. 3.

[h] An. 1386. XII.

XLIII. Ioannes Hus profertur in Synodo.

Sessione XV. habitâ die Sabbati sextâ Iulij, præside Ioanne Cardinali Ostiensi, ac præsente Sigismundo Rege; quòd eâ de fide, & hæresiarchæ condemnatione agendum esset, ac propterea quietiùs & attentiùs res audiri deberet, post solemnia introducto in medium Synodi *Ioanne Hus*, accusato & per delegatos convicto hæretico, altóque sedili ut ab omnibus conspici posset constituto; ante omnia indictum est auctoritate Synodali sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, & carceris duorum mensium, ne quis cujuscumque gradûs aut præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Cardinalitiâ, Archiepiscopali præfulgeret

dignitate, in eâ Sessione loquentes jussione Synodi perturbaret, murmuraret, impediret, surgeret, disputaret, aut quemvis strepitum voce vel manibus aut pedibus faceret; sed omnes placidè & tranquillè rem diligenter tractatam, & Spiritu Sancto dirigente unanimiter & concorditer per omnes Nationes & Patres conclusam audirent & auscultarent. Deinde ad petitionem promotorum Synodi, lecti sunt plurimi articuli formati & dogmatizati per Ioannem Wickleff contra doctrinam Ecclesiæ de universis Sacramentis, de Romano Pontifice & Ecclesiæ hierarchiâ, atque Ordinibus Religiosorum; de Principum temporalium auctoritate, de peccatis, de decimis & oblationibus ac bonis Ecclesiasticis; de substantiis & essentiis: denique de Deo, ejúsque potentiâ; quem dicebat nihil posse annihilare; nec mundum majorare vel minorare; sed animas usque ad certum numerum creare, & non ultrà: quodlibet esse Deum: quamlibet creaturam esse Deum; omnia quæ evenient, absolutè necessarióve eventura: Infantem præscitum & baptizatum, necessariò victurum diutiùs & peccaturum in spiritum Sanctum, ut perpetuò damnetur: sumpti illi ex ducentis sexaginta per Academiam Oxoniensem in Angliâ (præter illos quadraginta quinque quos jam à diversis Universitatibus damnatos Synodus sessione octavâ æquè anathematizavit) ex libris Wickleffi collectis & reprobatis: quos omnes Synodus rursùm diligenter examinatos perpetuo decreto damnavit.

Wickleffi perversa doctrina panditur, et damnatur.

XLIV. *Ioannes Huss damnatur, et crematur.*

Deinde contra Ioannem Huss ibi præsentem Wickleffi heresiarchæ discipulum ac defensorem, seditiosum, obstinatum & incorrigibilem, aliorúmque errorum (qui magno numero, præter alios olim commemoratos, de Ecclesiâ, Pontifice Romano, ordine sacerdotali, dominio civili & Ecclesiastico, operibus, præscitis & prædestinatis, munere prædicationis, defensione hæresum Wickleffi, &c. examinati & confutati recensentur) pervicacem defensórem ac vafrum inversorem, improbum dictorum inficiatorem, & callidum cavillatorem, repertum, & per testes convictum; hæreticum denunciavit, ejúsque scripta omnia publicè cremari statuit; ipsúmque degradari, & curiæ sæculari relinqui decrevit. A quâ post consueti ritus degradationem abductus, combustis priùs ejus scriptis, ipse etiam vivus per rogum & incendium è vivis sublatus est. Cujus rei circumstantiæ cùm non extent Actis Concilij, referunt aliquas Æneas [i] Silvius & Antoninus [k]: sed prolixè ex aliis ejus temporis testibus, ipsísque etiam Hussitis, Ioannes Cochlæus [l] in Historiâ illius hæresis. Ex quibus abundè intelligas, rem longè diligentiùs examinatam fuisse, quàm heretici calumniantur. Tradunt autem multis eum precibus & psalmorum cantibus interitum prævenisse, magnáque animi firmitudine suscepisse rogum. Quod minimè mirum, cùm habeat etiam diabolus suos martyres. Denique & prophetam fecisse alij habent; cùm paulò ante mortem dixit, (quod & Hussianæ monetæ inscriptum ferunt [m]) *Centum revolutis annis Deo respondebitis & mihi.* Itémque, *Nunc quidem anserem comburitis*,) id enim Huss significat) *sed post centum annos cygnus existet*,) nempè, ut intelligi volunt, Lutherus) *quem non comburetis*, quæ figmenta fuisse ex pòst factis ad decipiendas simplicium animas, nec facta dictis respondere; inter alios docuit apprimè Gretserus libello de Numismate ab hæreticis Germaniæ cuso in laudem Hussi, Lutheri & Rabi; sub figurâ Anseris; Cygni & Corvi. Interim combusti cineres, reliquiæque rogi conjectæ fuère in flumen Rheni præterfluens, ne ab hæreticis ejus sectatoribus ad venerationem servarentur, qui nihilominùs terram in quâ ignis accensus est non omiserunt ad id ipsum eradere atque in patriâ deferre, ac pro sacrâ habere. Cujus & tantî martyrium, ut vocabant, fecerunt; ut narret Cochlæus [n] eò impudentiæ quemdam eorum sacerdotem, in ipsorum Ecclesiâ metropolitanâ Bethlehem dictâ, in quâ Huss sermocinari consueverat, concionantem erupisse, ut ex putido stomacho eructare non dubitaverit; ex omnibus Martyribus qui præcesserunt, nullius eorum passioném, sed solius Christi posse Hussi passioni æquiparari. Barones quoque ac nobiles qui ejus sectæ adhærebant, atroces & minaces scripsisse ad Concilium literas; & inito inter sese fœdere ad defensionem pessimæ doctrinæ conspirâsse; tam ex iisdem quæ extant [o] literis cum subscriptione omnium intelligitur; quàm ex citatione [p] Concilij contra eos decreta, & Sigismundi Regis ad eosdem scriptis literis [q].

Habetur ab hæreticis pro Propheta.

Et omnium sublimiori Martyre.

XLV. *De fide salvi-conductûs Husso dati.*

Quod verò objiciunt de fide salvi-conductus non servatâ, factóque à Synodo decreto servandam eam non esse hæreticis; id verò utrumque calumniosum est. Nihil enim aliud Concilium de salvis-conductibus declaravit [r], præterquàm quòd Ecclesiasticam potestatem in suo legitimo exercitio, nullâ ratione à sæculari magistratu impediri posse: ac proinde siquis sæcularis Princeps det alicui hæretico salvum-conductũ, hoc nõ debere obstare quominùs liceat Ecclesiastico Iudici suum officium exercere in ejusmodi hæretici examinatione & damnatione. Non autem dixit aut statuit, fidem hæretico ab Ecclesiastico magistratu datam, non esse servandam; quia tunc quod ipse in suo foro promisit, sanctè etiam præstare obligatur: sicuti & fecit posteà in Conciliis Basileensi & Tridentino. Paritérque Princeps aut Magistratus politicus fidem abs se datam quantum in se est observare debet; quamvis Ecclesiasticam potestatẽ ad id cogere nequeat cùm sit extra forum ejus. Quare & Sigismundus Rex, qui salvum-conductum Husso tradiderat, licèt initio videretur minùs æquè ferre ejus damnationem; tamen postquàm ejus obstinatissimam mentem vidit, adeò ut nec ipsemet cum eo agens potuerit eum flectere ad abjurationem errorum; Concilij Patribus (ut ex Cochlæo intelligitur) facultatem concessit, quinimmò eos hortatus est, in eum agere ad combustionem. Quem nec ampliùs ad fidem salvi-conductûs servandam obligatum fuisse constat postquàm, ut superiùs narratum est, Huss salvum-conductum violavit fugiendo è Concilio; è quâ fugâ retractus, custodiæ traditus est. Denique nihil Concilium egisse contra fidem aut Husso, aut Hieronymo, de quo posteà, datam; ostenderunt propriis Opusculis de fide hæreticis servandâ, Ioannes Molanus Theologus Lovianensis, & Martinus Becanus,

i Æn. Hist. Boëm. c. 36
k Ant. tit. 22. c. 6. §. 3
l Cochlæ. lib. 2. & 3.
m Cruf. Annal. Suevic. lib. 6. par. 3. cap 10.
n Cochle. l. 4.
o In Paraliom ad Ursperg.
p Ap. Bzov. an. 1416. ex Cerret.
q Ext. ap. Cochle. d. l. 4.
r Sess. 19.

ac

ac Heribertus Rosvveidus Societatis IESU: quæ etiam retractavit Abraham Bzovius in suis Annalibus [f]: eósque auctores legat qui ea uberiùs probata cupit. Synodus autem, ne fautores & cōplices falsam de gestis in câ tam in Boëmiâ quàm vicinis provinciis famam spargerent, Epistolas ad eas scripsit; quibus tam ejus quàm Wickleffi damnationem narrans, ab eorum erroribus abstinere mandavit; quarum exemplar, ut scriptum est ad Episcopum & Ecclesiam Wratislaviensem recitat idē Cochlæus [t]; simul & alios pandens utriusque heresiarchę errores. Quid verò post hæc ibidē Constantię contra Hieronymū de Pragâ Hussi socium gestum & decretum fuerit, aliaque item de Husso, dicentur inferiùs suis locis.

f Bzov. an. 1416.

t Cochla. lib. 3.

XLVI. Damnatur impia assertio de tyranni nece cuilibet permissa.

Eâdem autem Sessione XV. damnata præterea ponitur propositio, quâ asserebatur; quemlibet tyrannum posse & debere licitè & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes; non obstante quocumque prēstito juramento seu confœderatione factis cum eo, nec expectatâ sententiâ, vel mandato Iudicis cujuscumque. Cujusmodi doctrinam sancta Synodus definivit erroneam esse in fide & moribus; & tamquam hæreticam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem condemnavit, eámque pertinaciter asserentes hęreticos declaravit. Quâ verò occasione decretum hoc factum fuerit, cùm non exprimant Acta; ea aliunde explicanda est, cùm res sit non parvi momenti.

XLVII. u An. 1408. I. & 1414. I. Unde ea quæstio processerit.

Vidimus superiùs [u] impiam defensionem necis Ludovici Ducis Aurelianensis per Burgundum patratæ, factam à Ioanne Parvi Theologo Parisiensi octo veritatibus, uti vocabat; earúmque ut propositæ fuerant novem articulis per Gersonium, promulgatam condemnationem ab Episcopo Parisiensi & Inquisitore hæreticæ pravitatis. Causâ ad Concilium delatâ, dictus Dux Burgundiæ literis illis, quas nuper vidimus occasione fugę Ioânis Pontificis ad Synodum scriptas, questus esse quosdam Constantiæ qui honorem suum multipliciter gravare conarentur, ac præcipuè in materiâ fidei, occasione cujusdā propositionis, in quâ dicerent multos errores contineri, quos ipse approbâsset; rogavit Patres Synodi considerare, se licèt immeritū de Domo gloriosissimâ Franciæ originem ducere, quæ gratiâ Dei monstris hæreticæ pravitatis contaminata numquam fuisse legeretur: non se Theologicè eruditū subtilitatibus fidei, firmiter tantū credere & confiteri quæ nobis per Christum, per sanctos Apostolos, per sanctam matrē Ecclesiam tradita sunt, utpotè Christianum principem militem & laicum, paratum non solùm credere quæ sancta Mater decerneret Ecclesia, verùm etiam defendere usque ad effusionem proprij sanguinis: atque idcircò non posse dici approbâsse errores, quos numquam cognovisset, vel scîsset, aut intellexisset: Negare tamē plurimos, si proferretur illa propositio quæ veraciter per Ioannem Parvi prolata fuisset, ullos in eâ contineri errores, qui fortè continerētur in aliâ quę ejusdem Parvi nomine cōficta dicebatur Parisijs per æmulos & inimicos ipsius Ducis. Rogare itaque, ut si quid in hâc materiâ examinandum produceretur, ita discuteretur præsentibus ipsius Ducis oratoribus, ut evidēter cōstaret de propositionibus verè à Parvi prolatis; non autem aliæ damnarentur sub nominibus ipsorū Ducis & Parvi.

Ducis Burg. literæ ad Synodum.

XLVIII. Disceptatio de propositionibus Parvi pro defensione parricidii Ducis Burgund.

Re igitur in Concilio diligenter agitatâ coram Iudicibus ad hoc specialiter delegatis, Gersonio pro se & Episcopo Parisiensi, Martino Porræo Episcopo Atrebatensi Ducis nuncio pro ipso Duce & Parvi agente: totus causæ cardo in eo versus est, utrum octo illæ veritates Parvi, ut propositæ ab eo fuerant, (quæ non omnem tyrannum, sed quem ille describebat perimi posse & debere dicebant) essent erroneæ atque hæreticæ: & utrùm verè an falsò expressæ fuissent à Gersonio in illis suis novem Articulis, quòd omninò asserebat Gersonius; negabant alij, asserentes articulos Gersonianos esse damnabiles, Parvianas propositiones nihil habere erroris. Recensentur tam veritates quàm Articuli in iisdem Actis Victorinis [x]: ex quibus singula hîc verbatim transcribere visum, ad pleniorem gravissimæ controversiæ elucidationem.

x Cod. Vict. P. II. fol. 88.

XLIX. Propositiones Parvi.

Fuerunt igitur octo illæ Veritates, ex parte Ioannis Parvi propositæ.

1. Quilibet subditus & vassallus, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegia, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem sui Regis & superioris domini, pro tollendo sibi & subtrahendo ab illo ejus dominationem; committit crimen læsæ majestatis in primo gradu, & per consequens dignus est duplici morte, scilicèt primâ & secundâ.

2. Licèt in casu prædicto quilibet subditus & vassallus sit dignus duplici morte; tamen plus puniendus est unus miles quàm unus simplex subjectus, & isto casu unus Baro quàm unus miles simplex, unus Comes quàm unus Baro, unus Dux quàm unus Comes, cognatus Regis quàm extraneus, frater Regis quàm cognatus, & filius Regis quàm frater.

3. Casu prædicto in primâ Veritate licitum est unicuique subiecto sine quocumque mandato aut præcepto secundùm leges moralem, naturalem, & divinam occidere, aut facere occidi illum proditorem infidelem & tyrannum; & non solùm est licitum, sed honorabile & meritorium; maximè quando est tam magnæ potestatis quòd justitia non potest fieri bono modo per superiorem, & quando perseverat in suâ malitiâ, nec se vult corrigere, & specialiter quando est periculum in morâ.

4. In casu supradicto magis est honorabile, licitum & meritorium, quòd ille tyrannus sit occisus, aut fiat occidi per unum de propinquis & subjectis dicti Regis, quàm per unum extraneum qui non esset de sanguine regio; & per unum Ducem quàm per unum Comitem, per unum Comitem quàm per unum Baronem, per unum Baronem quàm per unum simplicem militem, per unum simplicem militem quàm per unum simplicem subjectum.

5. In casu alligantiarum, juramentorum, promissionum & confœderationum factarum unius militis ad alterum quocumque modo sit aut esse possit, si contingat quòd eas servare vergat in præjudicium sui principis, ejus sponsæ, aut liberorum, vel Reipublicæ; non

tenetur talis miles eas servare; quinimmò in talibus casibus eas servare, esset facere contra leges moralem, naturalem, & divinam.

6. Si contingat eas alligantias vergere in præjudicium animæ, vitæ, aut honoris alterius confœderatorum, sponsæ, vel liberorum ejus, in nullo tenetur eas servare.

7. In casu prædicto licitum est unicuique subjecto, honorabile & meritorium, occidere seu occidi facere suprà dictum tyrannum proditorem & infidelem suo Regi & superiori domino, per astutias, cautelas & insidias: & est licitum dissimulare & tacere suam voluntatem id faciendi.

8. Quilibet subjectus aut vassallus, qui proposito deliberato machinatur contra salutem sui Regis, & superioris domini ad faciendum illum mori in languore, cupiditate habendi suam coronam & dominationem, facit consecrare, aut propriùs loquendo, execrare in nomine dæmonum enses, sicas, pugiones aut cultellos, virgas aut anulos, per necromantiam & sortilegia; & pòst facit poni & figi per corpus hominis dissuspensi de patibulo, & dictos anulos facit poni in ore ejus ad sua maleficia perficienda; atque ulteriùs unà cum hoc portat super se de ossibus & pilis loci inhonesti dicti mortui dissuspensi: ille & omnes qui hoc faciunt, non solùm committunt crimen læsæ majestatis humanæ in primo gradu, verùm etiam divinæ item in primo gradu, & sunt digni duplici morte, primâ scilicèt & secundâ, maximè quando prædicta sortilegia & maleficia sortiuntur suum effectum.

Et has assertiones confirmavit idem Ioannes Parvi multis textibus & auctoritatibus sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, plurimísque rationibus ex Iuribus & philosophiâ morali petitis.

L. Articuli Gersoniani.

Novem autem Articuli à Gersonio tanquam ex dictis Parvi Veritatibus ejúsque probationibus educti, & ab Episcopo Parisiensi damnati, sic in dicto codice exprimuntur.

1. Licitum est unicuique subdito absque quocûmque mandato, secundùm leges naturalem, moralem & divinam, occidere & occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegia vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui & superioris domini, pro auferendo sibi ejus dominationem; maximè quando est tantæ potentiæ, quòd justitia non potest fieri bono modo per superiorem.

2. Leges naturalis & divina auctorisant unumquemque de occidendo dictum tyrannum.

3. Licitum est unicuique subjecto occidere dictum tyrannum proditorem suo Regi & superiori domino, per astutias & insidias: & est licitum dissimulare & tacere suam voluntatem de sic faciendo.

4. Ius est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur vilanè aut rusticè per astutias & insidias: & est propria mors tyrannis debita.

5. Qui occidit aut facit occidere talem tyrannum qui suprà describitur, non debet de aliquo reprehendi: & Rex debet habere factum gratum, & illud auctorisare.

6. Rex debet præmiare ejusmodi occisorem.

7. Rex debet diligere illum plùs quam antè, & facere prædicare ejus fidelitatem per suum regnum & extrà.

8. Litera occidit, spiritus vivificat: hoc est dictu quòd semper tenere sensum literalem in sacrâ Scriptura, est occidere suam animam.

9. In casu alligantiæ, juramenti, promissionis, aut confœderationis, factarum militis ad alterum quocumque modo sit aut esse possit, si vergat in præjudicium unius ex promittentibus aut confœderatis, sponsæ aut liberorum, non tenetur eas servare.

LI. y Cod. Vict. d. fol. 88. usque 105. & fol. 117. usque 143. Obiecta adversùs Gersonium.

Adduntur prætereà eodem codice y cetera quæcumque in hac causâ tunc gesta sunt Constantiæ; unà cum assertionibus & negationibus, productionibus & responsionibus partium, objectionibus & defensionibus personarum, & aliis id genus quæ in lite magnis animis & vehementioribus nisibus agitatâ fieri consueverunt. Inter quæ objectum fuit Gersonio, ipsum non tam zelo fidei quàm odio Parvi, cum quo graves simultates exercuerat, motum fuisse ad ejus jam defuncti accusationem, & propositionum ejus inversionem. Itémque Parisiensi Episcopo extitisse eum inimicum Ducis Burgundiæ: ac propterea cùm lata est ab eo sententiâ, haud liberum fuisse iis quos res tangebat Parisiis esse; sed nec debitè evocatos extitisse; nec denique in tam arduâ quæstione debuisse judicium absque Sedis Apostolicæ scientiâ præcipitari. Denique traditur iisdem Actis, rem ita se habuisse Parisiis, ut cùm ex octo Veritatibus Parvi Gersonius unicam conclusionem, velut earum corollarium composuisset, ac per Episcopum Parisiensem & Inquisitorem fidei quibusdam Theologis examinandam tradi curâsset, hoc tenore: *Quilibet tyrannus potest & debet licitè à quocumque suo vassallo aut subjecto, & per quemcumque modum, maximè per insidias & flaterias* (hoc est blanditias) *nonobstãte quocumque Iuramento, aut confœderatione, sine expectando sententiam aut mandatum cujuscumque Iudicis, occidi:* fuissétque illa meritò à Theologis damnata tanquam erronea in fide & doctrinâ morum, tendens ad subversionem Reipublicæ ac principatuum: sentiens nihilominùs Gersonius, Theologos illos agnovisse fraudem in truncatione propositionum Parvi, illas alias novem conclusiones proposuerit, veluti excerptas ex amplioribus propositionibus Parvi; eæque cùm pariter Episcopus examinandas aliis Theologis præbuisset, fuerint æquè erroneæ declaratæ.

LII.

Ceterùm eò res processit Constantiæ, ut etiã Cardinalis Cameracensis Petrus de Alliaco, unus ex Iudicibus à Concilio in hac causâ delegatis, vir licèt integerrimus, eò tamen quòd fuisset olim Gersonius ipsius discipulus, recusatus ab adversariis, coactus fuerit à judicio abstinere: ipséque Gersonius de vita periclitatus sit. Quâ de re legendus Dialogus z ejus apologeticus, quem pro Actis Concilij Constantiensis composuit: pluresque alij ejusdem tractatus & sermones de iis habiti, qui inter ejus opera a recensentur, unà cum supradictis Articulis & corollariis. Constantiæ verò, postquàm multùm digladiatum est inter partes & verbis & scriptis, Sigismundus Rex id

z Gers. oper. tom 3. ad pr.

a Id. tom. 1.

maximè respiciens quod præcipuum in re erat, institit ut damnaretur propositio à Gersonio tanquam Parvi prolata. Damnatáque meritò illa est à Synodo, uti & fuerat ab Episcopo Parisiensi, absque aliâ designatione, utrũ sic verè fuisset à Parvo prolata, an verò à Gersonio conficta: quinimmò & prudentissimè absque ullâ factâ mentione illius auctoris, nec Parvi, nec Ducis, nec denique alterius cujuscumque personæ, ne videretur Synodus derogare fidei aut famæ cujuslibet vivi aut defuncti. Cùm alioqui quæ per Episcopum Parisiensem contra Ioannem Parvi decreta fuissent, esse in Concilio nulla & irrita declarata, Monstreletus [b] Burgundi fautor scribat. Sed de his modò hactenùs.

Damnata propositio nomine Parvi prolata.

[b] *Monstrel. lib.1.c.154.*

LIII.

[c] *Cod.P.II. fol.73.*

Ducis Burgund. literæ ad Sigism. Cæs.

Quòd verò rursùm Burgundum attinet; reperimus eodem codice [c] binas alias ejus literas, ad Concilium alteras, alteras ad Sigismundum Regem, datas 26. Maij Divione: quibus valde conquerebatur de Ludovico de Bavariâ fratre Reginæ Franciæ, ex eo quod sibi relatum esset, illum eidem Regi Sigismundo persuadere voluisse, ipsum Ducem unà cum Duce Aquitaniæ primogenito Regis Franciæ genero suo, & Comite Sabaudiæ conspirâsse in eum, ut cùm iturus Niciam per Sabaudiam & Burgundiam transiret, ipsum morti traderent. Rogabat itaque nihil hujusmodi calumniosissimæ imposturæ credere; quin potiùs omnem opem omnéque obsequium ei offerens, obnixè deprecabatur ut prædictis nihili pensis per dictas regiones absque ullâ suspicione iter agere dignaretur. Misítque pariter legatos qui expressiùs calumniam apud Regem impugnarent: adeò ut coram ipso et ejúsque aulicis ausi sint effari, quicumque eam protulisset mentitum esse, vel qui proferre auderet mentiri. Unde ortus quidam rumor in eos à Principibus qui aderant, sopitus est à Rege; quamvis & ipso nonnihil ex hâc eorum temeritate commoto. Sed quid modestiæ aut urbanitatis poterat à nunciis audacissimi omnium hominis expectari?

Nunciorum ejus temeritas.

LIV. Sessio XVI.

Deliguntur comites itineris Sigism. ad Petrum de Luna.

[d] *Psalm.71.*

Sessione Concilij *XVI.* habitâ die Iovis 11. Iulij, præside Cardinale Ostiensi ceteris antiquiore, constituti sunt procuratores Concilij Iacobus Turonensis Archiepiscopus, alíique nonnulli Episcopi, Abbates, & Doctores; omnes numero 12. qui unà cum Sigismundo ad Regem Aragoniæ & Petrum de Lunâ Benedictum XIII. proficiscerentur, quò eum ad cessionem inducerent exemplo Ioannis & Gregorij. (Non enim, ut ex Psalmo Davidico [d] lepidè consueverat in Concilio dicere Gersonius, futura erat pax Ecclesiæ, donec auferretur Luna.) Datáque nonnullis potestas citandi eos qui clàm se à Concilio subducerent. Et adversus quosdam nobiles prædones, qui ex Synodo missos à Sigismundo ad Regem Francorum spoliaverant, processus decreti. *XVII.* celebratâ die Lunæ 15. Iulij, eodem Ostiensi præside, pro itinere Sigismundi ad eumdem Benedictum; idem Rex habitu quotidiano flexis genibus ante altare, Benedictionem Synodi solemnibus precibus per os dicti Cardinalis accepit, deinde processiones generales, & Missarum celebrationes pro ejus felici itu & reditu decretæ sunt: & impedimentum aliquod aut damnum ei aut comitibus itineris inferentes gravi excommunicatione perculsi; contrà verò pro iis orantibus indulgentiæ cõcessæ. Factáque primâ supplicatione seu processione generali die Dominicâ 21. Iulij, Ioannes Gersonius sermonem [e] sive orationem habuit: quâ nonnullis propositionibus, quas Directiones vocat, egit de auctoritate Concilij generalis etiam supra Pontificem. Quod tamen accipiendum de tempore Schismatis; cùm dubitaretur quis esset verus Pontifex; jam anteà [f] simili occasione monuimus. Non enim alioqui hæc quæstio unquam introducta fuisset; quæ acriter posteà hinc inde tractata est. De quâ semel dicimus, cùm apud diversos plurésque ejus temporis auctores reperitur assertum Concilium esse supra Papam; aut Papam subesse Ecclesiæ, intellexisse omnes, (si diligenter verba eorum expendantur) intelligendúmque omninò esse, quando agitur de fide, aut tempore Schismatis: quoniam si Papa fieret fortè hæreticus, desineret esse Papa; tempore verò schismatis, incertus est: Ecclesia autem nec unquam in errorem labi potest, nec ejus auctoritas est unquam incerta.

Sigism. profecturus benedictionem petita à Synodo.

[e] *Ext.to.1. oper.Gerson.*

[f] *Supr.num. XXI. & infr. an. 1418.V.*

LV.

Petri de Luna delusiones.

Quod verò iter Sigismundi spectat; imprimis habet Cerretanus, eum Constantiâ discessisse die 18. Iulij. Acta verò Victorina iter describentia, imprimis narrant Petrum de Lunâ jam anteà se apud eum per nuncios excusâsse, quòd non posset accedere Niciam, ut conventum fuerat, propter nimiam loci distantiam: sed futurum se Perpiniani unà cum Ferdinando Aragoniæ Rege mense Iunij: Rursúmque Ferdinãdum ob infirmitatem quâ detinebatur, eumdem Sigismundum monuisse ne iter accelerarent donec ipse convaluisset: Itaq; Sigismũdum mense tantummodò Iulij Narbonam îsse, non longè distantem à Perpiniano, opperiturum ibi tempus & commoditatem congressûs. Petrum autem, cùm ad finem Iunij ex condicto Perpiniani expectâsset, mediâ nocte ultimæ diei proclamare fecisse per urbem numquis adesset pro Rege Sigismundo: cúmq; nemo sese exhibuisset, accusâsse, velut in publicis criminibus aut litibus, ejus contumaciâ, & abscessisse: Sigismundum nihilominùs Narbonâ Perpinianum accessisse: Cúmq; Petrum sollicitaret, petiisse illum ab eo salvum-conductũ ut posset liberè cum habitu Pontificali venire; Respondente Rege, non suum esse in alieno regno salvum-conductum concedere, nec recepturum se illum ut Pont. sed tantùm ut Cardinalem; Regem Aragoniæ facultatem misisse Sigismundo dandi salvum-conductum, verùm quòd non daret, nisi ut Cardinali; Petrum noluisse venire, sed misisse plures articulos: quibus inter alia volebat, ut irritis & nullis declaratis quæcumque adversus eum ac suos fuissent hactenùs decreta, novum à se Concilium totius Ecclesiæ Catholicæ, omniúmq; obedientiarum convocaretur Lugduni, vel Avenione, aut unâ aliâ civitate provinciæ Narbonensis; in quo fieret per eũ habilitatio & absolutio, de cõsensu pariter ejusmodi Concilij, si in quantum oportuisset; & immediatè pòst eâdem Sessione ipse renunciaret Papatui: Pòst renunciationem, remaneret in statu Cardinalis, haberétq; legationem à latere cum pleno dominio in spiritualibus & temporalibus in totâ obedientiâ quam tunc actu habebat: forétq; super omnes

Qui cum Sigismundo se haberit.

mundi

mundi Prælatos ac Principes post Papam; nec ab ipso appellare fas esset: Sed his à Sigismundo rejectis, & congressu iterùm postulato; demùm accessisse Petrum Perpinianum, ibíque inter ipsum ac Reges, missósque à Concilio Constantiensi nuncios, varios ac multos tractatus habitos de viâ cessionis: verùm ob multiplicia Petri subterfugia ac delusiones & ambiguitates, re infectâ omnes recessisse: Petrúmque sibi ab eo Regéque Aragonio timentem, aut timere fingentem, sese Paniscolam (sive Peninsulam, oppidum firmissimum regni Valentini, ad maris oram rupi impositum, Chersonesum antiquis dictum, nunc alio nomine Roccha de Truena) proripuisse: Sigismundum nihilominùs Narbonæ substitisse: rursúmque egisse de Petro evocando, sed eum recusâsse redire: Inter Regem autem Sigismundum & delegatos Concilij ex unâ parte, & oratores Regum Aragoniæ, Castellæ, & Navarræ, ac Comitum Fuxi & Armaniaci, qui Benedicto obediebant, (adstantibus pariter & cooperantibus Regis Francorum oratoribus) post longos & diversos tractatus, demùm concordatum est in 12. articulos, qui tam iisdem Actis Victorinis, quàm etiam editis [g] recensentur: fuiséque eosdem juramento firmatos, & subscriptos à Sigismundo Rege, Alfonso filio primogenito Ferdinandi Aragonij ob patris infirmitatem, & aliis omnibus; facto de iis instrumento die 13. Decembris præsentis anni 1415. Quales autem ij fuerint, dicetur sequenti, quo lecti sunt & approbati à Synodo Constátiensi.

PANISCOLAM SE RECIPIT.

[g] Post Sess. 20. vid. an. seq. in pr.

LVI. DE ALIIS EJUS REBUS.

Præter quæ jam dicta, continetur eodem codice Victorino multa publica acta per notarios retenta, de requisitionibus eidem Petro factis ex parte prædictorum Regum ac Principum ipsius obedientiæ de cessione faciendâ, protestantium alioqui de ejus desertione: nec non de ejus responsionibus, plenis, ut aliàs sẽper fallaciis, & subterfugiis. Quæ cùm jam alibi [h] edita habeantur, abstinemus ab ampliori eorum tractatione. Extátque insuper prolixa epistola Iacobi Turonensis Archiepiscopi, unius ex nunciis Concilij, ad universos Christi fideles, de iisdẽ rebus cum Petro gestis: quâ omnes ejusdem responsiones & cavillationes diligenter aperit & confutat; cùm non cessaret Petrus per orben spargere, minimè per eum stetisse quin unio facta fuisset. De quibus pariter agens Valla in Vitâ Ferdinandi, & post eum Mariana [i], tam ejus obfirmatissimum describunt in retinendâ dignitate animum, quàm vegetam vivacitatem in ætate septem & septuaginta annorum; cùm septem continuis horis, cunctis qui aderant audiendo defatigatis, probare nisus esset verum se Papam esse; tum si renunciandum ob commune commodum foret, in se uno nonnullísque Romanis canonicis quos ipse nuncupâsset, consistere Summi Pontificis electionem: quippe se unum omnium esse indubitatum Cardinalem & ab indubitato creatum Papâ, cum ceteri qui se eodem nomine appellarent, creati essent tempore Schismatis, ut incertum esset an veri essent Cardinales, & ob id an ritè deligere Summum Pontificem possent. Quomodò verò desertus tandem ab omnibus fuerit, & à Concilio damnatus, dicemus posteà suis locis.

[h] Ap Bzov. hoc an. & adde Surit. Hist. Arag. lib. 12. & Vallam in Vit. Ferdin. Reg. Arag. lib. 3.

[i] Mar. lib. 20. cap. 7.

LVII. Quod autem prædicto conventui Perpinianensi & Narbonensi adfuisse etiam oratores Regis Scotorum, Niemus [k] ait; vereor ne id gratis dixerit: & fortè quòd sciret olim eum Regem Benedicto adhæsisse, existimavit tunc omnes ejus obedientiæ sectatores convenisse in unum. Sed præterquàm quòd tunc Regem Scotiæ in custodiâ fuisse Regis Angliæ certum sit, scribit insuper Boëthius Rerum Scoticarum diligens scriptor, hoc tempore venisse in Scotiam diversas atque adversas legationes unam à Concilio Constantiensi, cui Abbas à Pontiniaco præerat, vir multâ eruditione & vitæ sanctimoniâ insignis, adhortans ut Concilio generali Scoti adhærerent: alteram à Benedicto, quam obibat Minoritanus quidam Anglus, absurdas quasdam prætereà opiniones pertinaciter asserens: Huic Gubernatore Scotiæ adhærente, ac Benedictum contra Clerum Concilio faventem defendente; vicisse tamen Clerum, & nisi Minoritanus ille fugâ evasisset, fasciculos ignitos effugere ob hæresim de quâ convictus esset, nequivisse.

[k] Niem. in Ioan. XXIII.

QUOMODÒ SCOTI IN HIS SE GESSERINT.

LVIII. Die Sabbati 17. Augusti *Sess. XVIII.* præside Ioanne Cardinale Ostiensi, post Missam per Petrum Episc. Olorensem (quem Pamphilus [l] ait fuisse Ordinis Eremitarum Augustinianorum) celebratam, aliáq; consueta solemnia peracta, delegata est nonnullis Episcopis ex quatuor Nationibus potestas definiendi cum aliorum assessorum consilio causas & querelas ad Concilium devolvendas. Decretáque eædem pœnæ in corruptores Literarum Concilij, quæ in falsarios Literarum Apostolicarum.

SESSIO XVIII.

[l] Chron. Erem. S. August.

LIX. *Decima-nona* habitâ die Lunæ 23. Septembris eodem præside, Hieronymus de Pragâ Artium liberalium Magister, laicus, de quo suprà, errores Ioannis Wickleffi & Hussi, de quibus infamatus fuerat; publicè coram universâ Synodo anathematizavit; eósque jure ac meritò damnatos esse à Synodo agnovit: quæque ipse ex iis professus fuisset, aut explicare conatus est in rectum sensum, aut Concilij determinationi subjecit: & si postinde aliquid contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ sentire aut prædicare detegeretur, canonum severitati obnoxiũ se professus est, suámque ejusmodi abjurationem & professionem propriâ manu scriptam Synodo tradidit. Postquàm enim sumptum fuisset de Husso supplicium, cœptum fuerat agi contra eumdem ejus discipulum Hieronymum, quem æquè vidimus Constantiæ detentum, virum inquietum & vehementis ingenij. Quem tamen non tam ex animo abjurâsse, quàm metu pœnæ ex post factis apparuit. Cùm enim homo scientiæ & eloquentiæ dono superbus, atque honoris & gloriæ avidus, pessimè audiret de prædictâ suâ abjuratione apud Hussitas, & contemptui haberetur; mente confusus, primùm fluctuare cœpit, deinde nactus effugiendi opportunitatem, longum iter emensus per Germaniæ provincias, pervenit usque ad Boëmiæ confinia. Sed captus, & retractus à Duce Bavariæ Ioanne, Constantiam est reductus, ibíque tanquam relapsus carceri mancipatus, donec revocationem pristinam denuo comprobaret. De cujus fine dicetur anno sequenti quo contigit. Hæc autem pluribus tractat Cochlæus in Historiâ Hussitarum [m].

SESSSIO XIX. HIER. DE PRAGA DAMNAT HÆRESES, ET ITERÙM IN EAS RELABITUR.

[m] Cochlæus lib. 3.

LX. Eâdem porrò Sessione publicata est consti-

Quædam alia Synodi decreta.

tutio de modo electionum, alisque rebus ad Ordinem Minorum spectantibus. Itémque confirmatio constitutionum Friderici II. & Caroli IV. Imperatorum circa libertatem & immunitatem personarum, locorum & bonorum Ecclesiasticorum; cum aliis multis superadditis ad ea spectantibus; ex diversis Romanorum Pont. & Conciliorum statutis, recénsque ex hâc ipsâ Synodo Constantiensi. *Sessione* verò *XX.* habitâ die Iovis 21. Novembris, eodem præside Ioanne Cardinale Ostiensi, ad instantiam Georgij Episcopi Tridentini decretum est monitorium contra Fridericum Ducem Austriæ, propter invasa ab eo bona & jura Ecclesiæ Tridentinæ. Contra quod nihilominùs procurator prædicti Ducis protestatus est de nullitate ejus, & appellando petiit instrumentum. Nihílque præterea hoc anno in Synodo gestum reperitur; cùm post abitum Sigismundi Regis rariores fierent Sessiones, dum exitus expectaretur tractatûs ejus cum Petro de Lunâ, quod præcipuum jam reliquum erat Concilij opus: cujus certum nuncium nonnisi ad principium anni sequentis delatũ est. Extat [n] verò ad hoc tempus pertinens opusculum Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis *de Reformatione Ecclesiæ*; quod dicitur prædicto mense Novéb. primoribus Ecclesiasticis oblatum, ad illam procurandam: sex capitulis distinctum; de reformandis circa totum corpus; Ecclesiæ circa statũ Papæ & Romanæ Curiæ; circa Prælatos; circa Ordines Religiosorum; circa ceteros Ecclesiasticos; circa laicos: cùm hæc infaustissima diuturni Schismatis tempora, pleraque omnia in omni omnium genere subvertissent. Actum verò de reformatione hoc eodẽ Cõcilio, postcà videbimus: nunc cetera hujus anni aliis orbis partibus gesta breviter tractanda veniunt.

Sessio XX.

[n] *Inter ejus opera; & in Facisc. rer. exp. tend. atque al. ibi.*

Petri de Alliaco commentarius de reformatione.

LXI.

Rex Angliæ occasiones quærit invadendi regni Franc.

Contigerat anno præterito, dum Rex Francorum Carolus bellum prosequeretur contra rebellem regni destructorem Ducem Burgundiæ, mitti ab Henrico Rege Angliæ nuncios Lutetiam, duo petituros; nempe Catharinam filiam Regis in uxorem Henrici; & traditionẽ regni quod ipsi jure competere dicebant, vel saltem integrum Ducatum Aquitaniæ & Comitatum Pontivensem, aliáque olim ab Anglis occupata, supremo jure absque ullâ fidei aut clientelæ professione. Re ad reditum Regis remisâ, cùm iidem nuncij hoc anno iterùm Lutetiam accessissent; consentiens quidem Rex matrimonio, durum verò (nimis existimans privari penitùs provinciis petitis; nuncios & ipse suos in Angliam misit, per quos posset de mitiori aliquâ conventione agi: Rege Angliæ interim copias ad bellum quod omninò decreverat contrahente; nec alio fine duras hujusmodi conditiones proponente, quam quòd certò sciret non fore eas concedendas, & nihilominùs mundo imponeret de causæ suæ justitiâ, & æquæ pacis oblatione. Quare tam per nunciorum orationes; quàm per literas scriptas nihil aliud præseferebat quàm amicitiam & concordiam: quamvis literis numquam Carolum nominaret Regem, se verò semper Regem Angliæ & Franciæ. Veluti cùm 7. die Aprilis sic Latinè scripsit, *Carolo Dei gratia charissimo consanguineo nostro Franciæ, Henricus eadem gratia Rex Angliæ & Franciæ Salutem & pacem fieri in diebus nostris: Serenissime Princeps, consanguinee charissime, &c.* Aliis diei 15. *Serenissimo Principi Carolo Dei gratia charissimo cognato nostro Franciæ, Henricus eadem gratia Rex Angliæ & Franciæ Salutem, & dirigere pedes nostros in viam pacis. Serenissime Princeps consanguinee charissime, &c.* Postquàm verò legati in Angliam missi, nihil concludere potuerunt, quamvis & magnam partem Aquitaniæ, & pro dote Catharinæ decies centena millia aureorum, ingentem mundum muliebrem offerrent; tunc Henricus rebus omnibus ad transmissionem paratis, alias literas per præcipuum suum fecialem 28. Iulij præmisit cum hâc inscriptione. *Serenissimo Principi Carolo consanguineo & adversario nostro Franciæ, Henricus Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ spiritum consilij sanioris; & unicuique tribuere quod suum est. Serenissime Princeps consanguinee & adversarie noster, &c.* Cui pariter Rex Carolus (sed Gallicè) hoc modo rescripsit: *Serenissimo Principi Henrico consanguineo nostro & adversario Angliæ, Carolus Dei gratia Rex Franciæ; voluntatem nullum opprimendi, nec contra fas & æquum suscipiendi bonum pacis, dilectum Deo & naturæ &c.* pergens referre quomodo cunctis notum esset, pacem se & concordiam omnibus viis æquis & acceptabilibus quæsîsse: nec terreri comminatoriis ejus verbis, sed regnum suum cum auxilio divino ab ejus iniquâ invasione defensurum, ut hæc pluribus tractantur ab auctoribus Francis Iuvenale, Monacho Dionysiano, & Tilio: à quibus non abeunt Angli; nisi quòd differant utrique in exponendâ Regum mente, quàm sui quique rectam, adversarij subdolam fingunt.

Literæ utrimque scriptæ.

LXII.

Henr. Anglus transmittit in Gall.

Ceterùm Henricus mare transmittens cum mille quingentis navibus, ut Vvalsinghamus habet) & ingentibus copiis, exscensione factâ ad urbem Auriflorium (Harfleur) Normanniæ eam obsedit, & post validam obsessorum quadraginta fermè dierum propugnationem deditione cepit. Post quæ cùm tam armis, quàm morbo qui castra invasit, aliquot Anglorum millibus desideratis, reditum per Picardiam versùs Caletum maturaret magnâ rerum omnium penuriâ, ob insequentes & commeatum impedientes Francos: demùm cùm ad vicum Blangium prope Azincurtum ventum esset, post oblatas à Rege Francis amplas conditiones quò liber abire permitteretur, recusatásque illas ferocitate juniorum Principum inexpertorum, (cùm expertissimi duces amplectendas censerent, esséntque oppidò præteritarum calamitatum exempla quæ id suaderent) necesse fuit ad certamen venire, cùm in tanto periculo jubens Rex Anglus suos totam noctem in pervigiliis, orationibus, & mutuâ peccatorum exomologesi transigere, atque etiam ut ex Æneâ Silvio [o] Nauclerus narrat) pusillum terræ ob memoriam sacramenti Eucharistiæ alterum alteri porrigere: (cujus moris observationem jam aliàs vidimus) initâ pugnâ die 25. Octob. Franci sive ex solitâ inconsideratissimâ levitate, & numquam non nocuo hostium contemptu, sive loci iniquitate, seu proditione, sive etiam hostium fortitudine & disciplinâ militari, sive aliis causis quas historici seu veras seu prætextas referunt; seu potiùs, ut Rex ipse Henricus piè ac prudenter agnovisse dicitur,

[o] *Æn. de dict. et fact. Alfons. Reg. lib. 3. Naucler. gener. 48. Vide simile exemplum supr. an. 1302. IV. in fi.*

Prælium Azincurtium Francis luctuosum.

dicitur, & captivis exprobrasse, pœnas exigente divino numine de multiplicibus nobilitatis ac plebis Franciæ vitiis: turpissimè victi sunt, multis millibus occisis, pluribus captivis. Fuereque inter mortuos, Duces Alenconius, Barensis, Brabantinus, Comites Nivernensis & Marli, Dominus Alebreti Connestabilis Franciæ, Iacobus Castilloneus Admiralius, Archiepiscopus Senonensis; (nam & hic voluit suo damno & contra regulas Ecclesiasticas fortiter agere: vocabatur autem Ioannes de Monteacuto:) aliique nobiles ad quatuor millia, ut Iuvenalis habet, & alius ejusdem temporis chronographus, qui editus est in fine ejus Historiæ: omnes in universum; ut Monstreletus [p], qui totum hoc bellum diffusissimè narrat) ad decem millia cujuscumque conditionis. Inter captivos, Duces Aurelianensis & Borbonius, Comites Vindocinensis d'Eu, (Ugelli) & Richemontius, ac Marescallus Bucicaldus, qui in Angliam saucius ductus ibi occubuit. Haud tamen omninò incruentâ victoriâ Anglis; è quorum præcipuis occisi sunt Dux Eboracensis Regis patruus, & Comes Suffolciæ, omnisque generis hominum ad mille sexcentos. Inde Rex Henricus Caletum repetens, in Angliam rediit cum suis nobilioribus captivis, magnas ubique Deo gratias agens de victoriâ penè miraculo de hostibus partâ: adeò ut quòd ea contigerit die festo SS. Crispini & Crispiniani martyrum, qui iis partibus coluntur, eorum memoriam [q] quamdiù vixit in singulis Missis fieri jusserit. Putatur enim à plerisque clades ista Francis illata in vindictam fœdissimæ violationis sacrarum Reliquiarum illorum Sanctorum in occupatione anno præterito factâ urbis Suessionensis, quæ partes rebellis Burgundi sequebatur. Sed temperavit Deus vindictam. Si enim Henricus victoriam prosecutus fuisset, nullum est dubium quin jam tunc multas alias urbes, fortè & provincias adeptus foret: qui satis habens salvus à tanto periculo evasisse, ne unico quidem viculo tentato, festinantissimè penè ut fugiens in Angliam transfretavit.

p Monstrel. lib. 1. c. 141. usque 150.

q Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæc. 15. cap. 3.

LXIII. TIMETUR A BURGUNDO.

In Franciâ porrò magis trepidari cœpit à Ioanne Duce Burgundiæ, ne armatus ut erat Lutetiam accederet; quamvis præteritorum erratorum à se suisque commissorum abolitionem à Rege habuisset: qui Lutetiam prohibitus est ingredi, cùm propè accessisset. Dicebatur à nonnullis, Anglos in Franciam evocasse: qui nihilominùs duos fratres in prædicto prælio Azincurtio sive Blangiano dicto, amisit, Ducem videlicèt Brabantiæ & Comitem Nivernensem. Sed cùm natus videretur ad perniciem regni, nihil ab eo tutum putabatur. Rediit autem ad principium anni sequentis in ditionem suam, post obitum Ludovici Delphini generi sui, filiique majoris Regis qui anno ætatis suæ circiter decimo nono ex profluvio ventris & febre pestilentiali interiit die decimaoctavâ Decembris: parùm tamen lamentatus, quòd quamvis corpore decorus esset ac robustus, magis tamen desidiæ indulgeret, quàm armis aut negotiis attenderet: ut Monachus Dionysianus ait, qui hîc nos deserit, sive morte & ipse raptus, sive aliâ de causâ. Est tamen quædam ad eundem Principem adhuc in puerili ætate constitutum Nicolai

LUDOVICI DELPHINI OBITUS.

Clamengij epistola [r]; quâ laudat eum quòd quasdam morales eruditiones tunc per ipsum Clamengium tum per alios nonnullos sibi scribi desiderâsset, quibus velut quibusdam gradibus ad virtutem apprehendendam niti valeret, & tanquam stimulis incitari: hortatúsque est quàm maximè ad Mansuetudinem & Clementiam; multa egregia in hujus virtutis laudem proferens. Cúmque pollicitus esset de Iustitiâ quoque ad eum scribere; eo interim defuncto, tractatum illi paratum obtulit posteà Philippo Burgundiæ Duci, inscriptum *De Lapsu & reparatione Iustitiæ*; cujus restauratorem eum futurum prædicat, cujus pater præcipuus ejus corruptionis auctor exstiterat, ipséque plenissimus cumulator. Ex eo autem videre liceat quàm verè, ut diximus, Rex Angliæ Francos omnium scelerum reos dixerit; Iustitiâ pessumdatâ, Religione prostratâ, Politiâ proscriptâ, militari disciplinâ abdicatâ; earúmque virtutum loco omnibus vitiorum ac scelerum generibus introductis: nisi & fortè eadam fuerit ubique rerum facies, in tam diuturno schismate Ecclesiæ, in tot regnorum dissensionibus & bellis; cùm eædem ferè sint etiam ceterarum nationum apud auctores de corruptelis morum querelæ. Sed Clamengius homo austeri ingenij, ac præfidentis eloquentiam suam in vitiis insectandis, & rebus oratoriè amplificandis exercere consueverat. Qui & penè dixerim ardelionem agens, seséque rebus omnibus immiscere gestiens, monita quibusque impertire etiam non consultus præsumpsit: ut ex multiplicibus ipsius epistolis intelligitur. Inter quas sunt etiam ad prædictum Henricum [s] Angliæ Regem; in quem fortè proclivior erat, uti factione Burgundus, quàm in proprium suum: necnon ad ipsum Concilium generale Constantiense; quasi indigeret tam celebris cœtus, qui Spiritu Sancto ducebatur, hominis absentis, nulláque dignitate aut munere præstantis, admonitionibus, quibus & ejus consilia atque decreta carpere non dubitavit; in suum Benedictum Lunaticum adhuc apparet propensissimus, quicquid zelum sanctum & sinceram mentis intentionem præse ferret. Sed de illo hactenùs.

r Clam. ep. 56.

CLAMENGII SCRIPTA QUÆDAM.

SUMMA EIUS PRÆFIDENTIA.

s Id. ep. 137.

t Id. ep. 112.

LXIV.

Prædicto autem Delphino successit in titulum & dignitatem frater ejus Ioannes gener Comitis Hannoniæ; qui & ipse anno proximo obiit, sive morte naturali ex immodico pilæ exercitio, sive (ut Belgæ imponere soliti scribunt) ex veneno: laudatus satis à Francis, & valdè desideratus. Cujus demùm locum suscepit postremus filiorum Regis Carolus Comes Pontivensis, natus tunc tantummodò annos quatuordecim: qui posteà fuit Rex ejus nominis Septimus: habebátque uxorem filiam Ludovici Regis Siciliæ ac Ducis Andegaviæ, hostis capitalis Burgundi.

CAROLUS DELPHINUS.

LXV.

Hoc eodem anno in Angliâ Ioannes ille Oldcastellius pessimus Lollardus sive Wicklefista, de quo superiùs [u], cum rex Henricus in procinctu esset suæ prædictæ in Normanniâ transmissionis, è latebris suis emergens, suos convocare cœpit. Sed collectâ in eum militum manu, iterùm latebras repetiit. Captis tamen nonnullis ejus asseclis, indicio illorum detectũ est ipsius armamentarium; in quo reperta sunt quædam signa militaria cum calicis & hostiæ figu

u An. 1413. III.

WICKLEFISTÆ IN ANGLIA PUNIUNTUR.

figuris; (quod jam fortè eo penetrâsset Boëmorum error de necessitate calicis Eucharistici) necnon Crucis & aliorum Passionis Domini instrumentorum: eo fine sic artificiosè ornata, quò nova quædam simplicis populi animos ex eorum aspectu religio incesseret; crederétque hoc sacrum & sanctum esse pro aris, próque fide & pietate certamen & bellum. Nec multò pòst captus item est quidam inveteratus Lollardus *Vuillelmus Cleydon*, qui filium proprium sacerdotem constituit, & Missam celebrare fecit in domo suá in exitu uxoris à puerperio, qui de his convictus, combustus est Londini. Ipséque demùm Oldcastellius (ne finis nebulonis nos ulteriùs distineat) post biennium interceptus, tractus, suspensus, & combustus est; jactans se tertio die resurrecturum; uti rem pluribus describunt Vualsinghamus [x] & Harpsfeldius; narrantes etiam de repertis membranaceis libris precationum & litaniarum aurariis picturis decoratis, in quibus iidem perfidi hæretici Imaginum Sanctorum capita, & in litaniis eorumdem nomina abraserant, multáque blasphema in Beatam Virginem scripserant. Hæc enim sunt scilicèt pia opera sacræ reformationis, nostris etiam temporibus, ab eorum sectatoribus tamquam ad suam salutem omninò necessaria, diligentissimè & accuratissimè continuo usu recepta.

OLDCASTELLIUS COMBURITUR.

[x] *Vualsi.an. 1417. Harpsf. Hist. Vuicl. cap. 13.*

LXVI. CLADES HUNGARICÆ A TURCIS.

De rebus Hungaricis ait Niemus; dum Sigismundus Rex Constantiæ ageret pro unione Ecclesiæ, circa festum Paschæ præsentis anni Turcos magno numero clàm vocatos per præfectum Bosnæ, corruptum pecuniâ & promissis per Venetos Sigismundi æmulos, ad eamdem Bosnæ provinciam venisse; ac deinde latenter in Dalmatiæ oras maritimas & Sclavoniam sive Illyricum incursionem fecisse; & usque ad fines Germaniæ multas Ecclesias ac villas incendisse, Christianos interfecisse, captivos abduxisse: Posteà verò circa Assumptionem Beatissimæ Virginis ad dictum regnum Bosnæ rediisse: sed ab occurrentibus Hungaris, binas unâ eâdémque die clades accepisse: cúmque rursùm tertiò pugnandum esset à defessis Hungaris contra recentes Turcorum acies, proditione prædicti præfecti Hungaros ad internecionem deletos esse, nonnullis è præcipuâ nobilitate captis: Indéque Turcos ad interiora Dalmatiæ & Sclavoniæ, favore quorumdam Ducum Christianorum excurrentes, pervenisse ad fines Ecclesiarum Salisburgensis & Aquileiensis, flammâ & ferro cuncta sacra profanáque vastantes, & ampliùs triginta millia hominum secum in servitutem abducentes. Describunt horum partem, nempè cladem Hungaricam, illius gentis historici [y]; sed non eodem omninò modo, quamvis non minorem faciant, tribuántque & ipsi proditioni præfecti Bosnæ. Haud tamen mentionem habentes sollicitationis Venetorum: quam nec dubitamus negaturos Venetos; quippe quos, etsi Hungariæ Regi ob dissidia & bella de possessione Dalmatiæ à multo tempore continuata tunc infestos, & Saracenis Ægyptiis [z] fœdere junctos; cum Turcis tamen sub hæc tempora bellum prosperè in Ioniâ gessisse, ex Chalcondyle [a] intelligitur.

[y] *Thurof. in Sigism. c. 17. Bonfin. 3. dec. 3.*

[z] *Petr. Iust. Hist. Venet. lib. 6.*

[a] *Chalcond. lib. 4.*

LXVII.

Ad quæ etiam pertinet quod reperitur in Actis Cerretanis Concilij Constantiensis; Patres Synodi vigesima quintâ mensis Augusti Episcopum Astensem misisse in Hungariam, qui proceres ejus regni moneret, ut per tempus irruptionis Turcorum in id regnum, constantes in fide Sigismundi Regis permanerent. Necnon epistola [b] Vladislai Regis Poloniæ, ac patruelis ejus Vitoudi, sive Alexandri dicti, Ducis Lituaniæ ad eamdem Synodum data die decimaoctavâ Octobris: quâ inter alia meminerunt accepti ex parte Synodi nuncij deflendæ stragis nobilium regni Hungariæ, quos rabies Turcorum crudelis & impia nuper in bello cum ipsis habito devicisset ac prostrâsset; atque hortationis sibi ab eâdem Synodo factæ de subventione eidem regno ferendâ. Respondéntque, se cùm primùm cladem illam ex aliâ jam parte audivissent, scripsisse ad Archiepiscopum Strigoniensem Sigismundi Regis Vicarium, aliósque Prælatos ac proceres regni, obtulisséque spontè omnem subventionem possibilem: Quòd verò ob propriorum urgentium bellorum necessitates non adeò facile ipsis esset absque rerum suarum detrimento exercitus suos in Turcos ducere; misisse interim nuncios suos ad *Christen.* [c] *Magnum Turcum*, (ita enim vocant, quem Græci μέγαν αὐθέντην, & corruptè ἀφένδην: quæ etiam Imperatoris Turcorum denominatio ad alias nationes transiit, ut eum per antonomasiam & excellentiam *Magnum Dominum* appellent) & alios in Bosnam ad Harovvi, illum videlicèt, quem dicunt prædicti auctores Hungari Sigismundo rebellâsse, & Turcos evocâsse) qui eis significarent indissolubili se fœdere Sigismundo conjunctos, ac propterea quidquid damni regno ejus ab illis inferretur, uti sibi ipsis illatum accepturos: agerentque de induciis pangendis, dimittendísque sub fidejussoriâ cautione captivis, quousque unâ ipsi cum Sigismundo conjunctis copiis Turcos reprimere possent. Conquerentes demùm, quòd quamvis hæc ipsi Poloni propriâ sponte præstitissent, nihilominùs ab æmulis & malevolis fama ipsorum traduceretur, quasi clades Hungarorum de nutu ipsorum contigisset: ad eámque notam eluendam mittere se nuncios tam Constantiam ad Synodum, quàm ad alia loca. Putamus autem calumniam illam Principibus illis ex eo impactam, quòd multa fuissent inter Sigismundum & Vvladislaum dissidia; stetisséque Sigismundus à Cruciferis contra Polonos; ut ex Cromero [d] intelligitur. Ex quo etiam habemus confirmationem & elucidationem jam dictorum; dum ait Vvladislao Sigismundum ex Constantiâ Hungariam cummendâsse; idémque literis suis Concilium fecisse: fundúmque Vvladislaum amici officio, cùm Turcis Hungariam infestantibus, Bosnámque à Sigismundo priùs recuperatam iterùm recipientibus cum clade Hungarorum, misâ ad Turcos gravi & minaci legatione, sex annorum inducias inter eas gentes, captivis pro-

[b] *Rec. Bzov. hoc an.*

REX POLON. SOLLICITUS DE CONSERVATIONE HUNGARIÆ.

[c] *Vid. infr. num. LXIX.*

MAGNI TURCI, SIVE MAGNI DOMINI DENOMINATIO.

[d] *Crom. lib. 16. 17. 18.*

ceribus liberatis confecit: pacémque perpetuam confecturum fuisse nî Pipo (hoc est Philippus) Florentinus Comes Themessiensis temerè omnia turbâsset, capto pro exploratore Gregorio Armeno Vuladislai internuncio, qui Turcicæ legationi de pace venienti tutum ad Hungaros accessum præstructurus antecesserat: Prosperè tamen posteà rem contra Turcos gessisse aliquoties Nicolaum Petri Macedonis filium, absente Sigismundo, eósque Bosnâ expulisse. Ita Cromerus. Sed hujus Nicolai res præclarè gestas pluribus prosequuntur Thurosius & Bonfinius; apud quos eas videre est.

LXVIII. MIRACULUM INGENS DE HOMINE OCCISO SERVATO AD CONFESSIONEM PECCATORUM.

Hîc tamen ex iisdem haud omittenda videtur insignis historia de quodam Stephano Lonsoscio Hungaro Sigismundi duce, pij in Beatissimam Virginem animi viro. Nempe cùm in aliquo alio infausto contra Turcos certamine occubuisset, ac secundo tertióve pòst anno plerique in eum campum descendissent, editissimúmque cadaverum acervum spectarent, emissam inter ossa subinde vocem exaudîsse, faustissima Iesu Christi Salvatoris & B. Mariæ Virginis nomina resonantem, atque repetentem. Dum attoniti vocis locum inter ossa disquirerent, vivax loquáxque invenisse caput hominis; qui se Christianum profitens, sacerdotem petierit, cui peccata confiteretur: se enim inconfessum occumbentem, à Beatissimâ Virgine, cui olim addictus fuisset, septem ejus annuarum festivitatum vigilias panis & aquæ jejunio, ipsas autem festivitates religiosissimâ celebritate colens, vitæque ac mortis omnem spem in eâ collocans; sic servatum, quousque advenientibus aliquibus confessorem adipisci posset. Accersito igitur sacerdote, factâque confessione, & acceptâ absolutione, caput conticuisse, & perpetuò quievisse.

LXIX. DE MAHOMETE TURCO, ET GRÆCIS.

Imperabat hoc tempore Turcis Mahometes Bajazetis filius, quem debellatis fratribus superstitem vidimus: quémque Vualachiam & Bogdaniam vexâsse, etiam Græci testantur. *Ciritzen* fuisse cognominatum, Phranzes [e] Protovestiarius scribit: quem in literis Regis Poloniæ corruptè *Christen* nuncupatum vidimus: aliis etiam dictum Cyris celeben, hoc est nobilem dominum; à κύριος & Zelebis: & ex hâc ultimâ voce putamus multis Latinis Celebinum, corruptiúsque aliis dictum aliquem Turcorum Imperatorem Calepinum:) eumdémque fuisse Imperatori Constantinopolitano & Græcis amicum, idem auctor, necnon Chalcondyles tradunt. Et nihilominùs tam Cromerus [f] quàm Michovius [g] Poloni aiunt, hoc anno venisse in Poloniam nuncios à Patriarchâ & Imperatore Græcorum, petituros ut ipsis, à Turcis multis modis vexatis & oppressis, succurreretur frumentariâ largitione; eámque à Rege accepisse. Quemadmodùm & ex eodem Phranze intelligitur, aliquo ante obitum tempore insidiatum Mahometem esse urbi Constantinopoli; & nisi morte præventus fuisset, fore ipsam aggressurum. Ita nihil fidei est in impiis barbaris. Ceterùm Mahometes recuperatis in Asiâ iis quæ Tamerlanes patri ejus ademerat, Imperij sui sedem Prusâ Bithyniæ, ubi majores ejus habuerant, Adrianopolim nobilem Thraciæ civitatem transtulit.

e Phranz. lib. 1. c. 32. 39.

f Crom. lib. 18.

g Michov. lib. 4. c. 51.

LXX. SEPTA AFRICÆ, CAPITUR A LUSITANIS.

Habet Niemus [h] tunc Constantiæ agens, mense Novembri hujus anni famam eò delatam esse de felici expeditione Ioannis Regis Lusitaniæ in Africam, quâ Septam urbem amplam & potentem mense Augusto Saracenis eripuerat. Rem verò gestam Mariana [i] describens, ait prædictum Regem numerosâ prole auctum, propter angustiam ditionis novos in Africâ principatus filiis parare cogitâsse: Atque ideò magnâ comparatâ classe, Septam urbem freto adjacentem (quam Procopius Græcè Septon, alij Septem-fratrum civitatem à totidem montibus similis altitudinis appellant) primo impetu cepisse magnâ Maurorum cæde, ad undecimum Calendarum Septembris. A cujus filio Petro egregio Principe, narrat Nider [k] audivisse se aliquantò pòst Viennę Austriæ, dum illâc iter Petrus ageret [l] cum exercitu in Terram Sanctam, repertos esse circa hanc civitatem Septam in fonte quodam lapides varios, quibus naturaliter insita erant nomina nostræ Fidei, & Incarnationis Christi, licèt sparsim; ita ut in quibusdam *Ave Maria*, in aliis *Gratia plena*, in nonnullis *Dominus tecum*, & ita de Christi Dei incarnatione similia plura claro legebantur intuitu: faciente istud prodigij Deo in loco rudis & simplicis populi, ad faciliùs inducendum illum ad credendos articulos fidei Christianæ. Subdítque, habuisse Marchionem Badensem lapidem pretiosum à quodam rustico in agro repertum, qui quacumque parte inspiceretur, Christi crucifixi imaginem distinctè referret. Sed de imaginibus quæ cernuntur in lapidibus aut gemmis naturaliter impressæ, nonnulla refert Io. Bapt. Fulgosius [m] ex Alberto Magno & aliis: habéntque hodie multi ejusmodi lapides anulis aureis inclusos. Ceterùm à prædictæ Septæ urbis expugnatione bellum à Lusitanis contra Mauros susceptum; haud diù unquam intermissum fuit.

h Niem. in. Ioan. XXIII.

i Mar. lib. 20. c. 7.

k Nid. lib. 4. Formic. c. 6.

l Vid. inf. an. 1424. VI.

m Fulgos. lib. 1. fact. dict. memor. cap 6.

LXXI. MANUELIS CHRYSOLORÆ OBITUS, ET EPITAPHIUM.

Hoc eodem anno mortuus est Constantiæ *Emmanuel* (sive *Manuel*: ita enim plerumque, ut aliàs monuimus, Græci hoc nomen per apheresin scribere consueverunt) *Chrysoloras* Constantinopolitanus, literarum Græcarum Latinarúmque (ut olim vidimus) in Italiâ instaurator; & in Ecclesiâ Prædicatorum sepultus, anno ætatis suæ quadragesimo septimo. Cujus monumento hoc epitaphium ab Æneâ Silvio posteà Papâ Pio II. affixum tradunt [n]; quod in gratiam atque honorem utriusque hîc apponere non pigebit: *Ante aram hanc situs est Dominus Manuel Chrysoloras miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum qui cum Constantino Imp. migrârunt: vir doctissimus, prudentissimus, optimus: qui tempore Generalis Concilij Constantiensis diem obiit; eâ existimatione ut ab omnibus summo inter mortales sacerdotio dignus haberetur. Die* XV. *Aprilis conditus est anno Christi* M. CCCC. XV.

Ille ego qui Latium priscas imitarier artes,
Explosis docui sermonum ambagibus: & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucem retuli, Chrysoloras nomine notus:
Hîc sum post vitam, & peregrinâ in sede quiesco.
Huc me Concilij deduxit cura; trium dum
Pontificum Ecclesiam vexaret sæva Tyrannis.
Roma meos genuit majores: me bona tellus

n Cruf. Annal. Suevic. par. 3. lib. 6. cap. 10. ex Bruschio.

Byzan

Byzantina tulit: cinerem Constantia servat.
Quo moriare loco, nil refert: undique cælum,
Pœnarúmque domus, mensura distat eadem.

Habet alia Iovius Poggij & Latomi, in suis Elogiis doctorum virorum. Ejus porrò nulla edita sunt præter grammaticæ Græcæ Erotemata; docendi quàm scribendi sollicitior. Extare tamen dicuntur [a] ejusdem Epistolæ de veteris novæque Romæ descriptione: quibus & delectari se quamplurimùm ait contemplatione simulacrorum veteris: Magis enim nos affici pictis & fictis, quàm vivis formis; quoniam non pulchritudinem corporis in illis, sed mentem artificis admiramur.

[a] Crus. ibid. Gesner. in Bibl.

IESV CHRISTI Annus 1416.
SED. VAC. Ann. 2.
SIGISMUNDI Ann. 7.
EMMANUELIS II. An. 33.

I. Articuli XII. cum principibus obedientiæ Benedicti conventi.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimosexto, Indictione nonâ, die Iovis trigesimâ Ianuarij, facta est Constantiæ congregatio generalis ad audiendam relationem nunciorum missorum unà cum Sigismundo Romanorum Rege in Aragoniam. Quâ factâ per Iacobum Archiepiscopum Turonensem, lecti sunt duodecim illi articuli, quos diximus inter eosdem Regem nunciósque, ac Reges Hispaniarum aliósque Benedicti Lunensis sectatores, constitutos; quiq; in Actis Concilij referuntur. Quorum primo ferebatur; ut per Patres Constantienses fieret nova convocatio respectu prædictorum Regum & Prælatorum obedientiæ Benedicti, sistendorum Constantiæ intra tres menses: ita tamen ut literæ convocationis mitterentur Regibus, & per ipsos distribuerentur Prælatis in ipsorũ regnis constitutis. Secundò cavebatur nequid in eo Concilio tractaretur de rebus eosdem Reges, aut Prælatos, ceterósque obedientiæ prædictæ tangentibus, sed tantùm de schismate extirpando & Ecclesiâ uniendâ. Tertiò, Ut quicumque eorum ad Concilium accederent, confestim unirentur ejus corpori, sicut aliarum obedientiarum: & per Concilium sic unitum procederetur juridicè contra Benedictum nolentem aut refugientem renunciare purè & liberè. Quartò, Ut omnes processus formati, aut sententiæ latæ contra Benedictum ejúsque sequaces, irritæ essent ac nullæ. Quintò, Ut confirmarentur collationes omnes & gratiæ quæcumque à Benedicto impertitæ in suâ obedientiâ. Sextò, Ut Cardinales Benedictini venientes ad Concilium, admitterentur etiam cum aliis ad electionem novi Pontificis. Septimò, Ut officiales à Benedicto Romæ constituti, non deponerentur; dum tamen non adhærerent ei post subtractionem faciendam. Octavo, Si interim Benedictus ante abdicationem decederet, non esset alius Pontifex, quàm qui à Concilio eligeretur. Nono, Ut provideretur super titulis Cardinalium, ad quos bini vel plures ex diversis obedientiis fuissent nominati. Decimo, Ut Benedicto volenti ad Concilium ire, aliisve ipsius obedientiæ provideretur de salvo-conductu Regum ac Principum, per quorum ditiones transiturus esset. Undecimo, Ut conventa utrimque juramento firmarentur. Duodecimo, Ut instrumenta conventorum cuilibet parti traderentur quot necesse foret. Hi porrò articuli coram omnibus lecti, fuere quoque secundùm conventa ab omnibus juramento confirmati, atque subscripti; qui in Actis recensentur Cardinales numero viginti; Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Antiochenus; ac ceteri Archiepiscopi, Episcopi, Abbates; nuncij Regum ac Principum, & procuratores Episcoporum absentium, Vniversitatum, & Ordinum, atque Ecclesiarum particularium & Capitulorum, quotquot tunc Constantiæ erant, cùm plurimi Episcopi ex absentiâ Regis occasionem accepissent suas Ecclesias visitandi. Scriptæque sunt pridie Nonas Februarij literæ convocationis secundùm formam inter partes constitutam.

Confirmantur a Patribus Concilij.

II. Rex Aragoniæ subtrahit se a Benedicto.

At verò Rex Ferdinandus Aragoniæ sentiens se ad mortem ex morbo sontico tendere, nec rem quoad se imperfectam relinquere volens; tempus præscriptum prævenit: principióque hujus anni, nempè octavo Idus Ianuarij, ipsâ die Epiphaniæ, præcipuo Concilij auctore Vincentio Ferrerio, qui Benedicti auctoritatem constanter anteà secutus erat; eumdem rursùm monitum & reluctantem omninò deserens, publico edicto Perpiniani promulgato, narrans quæ cum illo ipse aliique egissent, ejusdémque obstinatum in schismate animum exponens ac damnans, interdixit ne quisquam suorum subditorum cujuscumque conditionis aut dignitatis eum ampliùs in Papam agnosceret; aut ei ut tali obsequeretur; omnésque Ecclesiastici majores ac minores eo derelicto ad Ecclesias suas se reciperent, sub pœnâ amissionis redituum, fructuum, officiorum & dignitatum quarumcumque. Háncque subtractionem idem ipse Vincentius ibidem Perpiniani coram Rege infirmo, ejúsque filio primogenito, multâ nobilitate, & ingenti populi multitudine, sermone facto legit ac promulgavit. Addens Regem credere, Reges Castellæ & Navarræ, similem eodem momento fecisse subtractionis publicationem; cùm misisset qui eos ad id impellerent. Sícque fieri, ut quemadmodùm simili die tres Reges obtulissent CHRISTO Domino munera pretiosa; ita tres isti eà die facerent hanc oblationem Deo & S. Matri Ecclesiæ pro ejus sanctâ unione. Ita quidem ille. Veruntamen distulerunt prædicti ceteri Reges id exequi. Et quamvis Ioannis Castellæ, qui sub prædicti Ferdinandi patrui sui matrísque Catharinæ tutelâ adhuc puer agebat; nomine, die decimaquintâ Ianuarij edictum simile in ejus regnis promulgatum fuerit nihilominùs Archiepiscopi Toletanus & Hispalensis, cum nonnullis Prælatis Castellæ & Legionis non tam citò edictis regiis obtemperârunt; quòd dicerent Ferdinandum minis & terroribus à Sigismundo Romanorum & Carolo Francorum aliísque Regibus, bellum ei terrâ maríque minitantibus, inductum fuisse. Inducti ipsi ad hæc prætexenda à Petro ipso Lunatico: qui Ferdinandi deliberatione perculsus, suis Paniscolæ convocatis, multísque in sui excusationem, & adversariorum accusationem prolatis,

se verum ac legitimum Pontificem asseruit, & velle quoad viveret jura suæ dignitatis pro viribus tueri; proinde rogare ut se non desererent: qui verò facerent, ab Ecclesiæ communione ejectos, dignitatibúsque omnibus etiámque Regiâ, Cardinalitiâ, Patriarchali, Archiepiscopali, & quâcumque aliâ exutos se esse scirent. Speciatímque Ferdinandum regno privatum declaravit, & anathemate percussit; quòd unde officia omnia deberentur, inde initium præcipitandi extitisset.

EXCOMMUNICATUR AB EO.

III. MORITUR.

Quas quamquam vanas esse ac sine viribus voces, nulli cordato non constabat, ex ejusdem tamen Ferdinandi obitu, (qui paulò pòst contigit, cùm in Castellam nativum solum, melioris spe valetudinis, atque ut eam nutantem Benedicto subtraheret, vehementi desiderio ferretur) vulgus ejus consilij accusandi non parvam occasionem sumpsit. Cujus obitu Castella in fide Benedicti perstitit aliquamdiù, ubi multi erant ejus beneficio devincti. Quomodò verò & ipsa eum deseruerit, dicetur posteà. Mortuus est autem *Ferdinandus* secundâ die Aprilis, regni anno quarto, vitæ quadragesimo tertio: delatúsque ad Populeti monasterium, Regum Aragoniæ conditorium. Dignus longiori vitâ, eximiis animi & corporis dotibus, naturâque magis ad benignitatem quàm severitatem propensus; adeóque dicere solitus; ad tuenda tenendáque regna, Regibus aptius esse diligi quàm timeri. Quem & tradunt ægrè ferre solitum, non posse munificentiam cupitam exercere in tantâ proventuum ex suis regnis exiguitate: dicerétque, non agere Regem qui non plùs quàm posceretur donaret. Illúdque insuper planè eximium ejus pietatis exemplum, quòd nulli domesticorum salarium numerari voluit, nisi qui testimonium à sacerdote attulisset eo anno se esse confessum & Corpus Domini communicâsse. Quæ aliáque de ejus virtutibus, rebúsque ad extinctionem Schismatis per eum studiosè procuratam pertinentibus jam breviter relata, fusè tractata videre est apud Vallam [a] Vitæ ejus scriptorem, & Suritam [b] in Rerum Aragonicarum historiâ, quorum & meminit Mariana. [c] Successit Ferdinando *Alfonsus* ejus primogenitus, virtutibus & ipse insignis, literis eruditus, gloriâ militari illustris; magnum sui temporis Principum decus, cognomento *Magnanimus* cuius Vitam quatuor libris Antonius Panormitanus ejus Epistolarum magister edidit: (ad quam Æneas Silvius posteà Pius II. commentarios addidit:) decem verò Bartholomæus Facius Genuensis, Vallæ æmulus. Eumdémque mirè auctores Hispanici laudant: laudandum sanè ab omnibus, quamquam non in omnibus, ut ex iis quæ de ipso dicentur apprimè intelligi dabitur. Hoc autem initio regni sui cùm à nonnullis suaderetur obedientiam Benedicto restituere, negavit omninò quæ prudenter gesta fuissent inconsideratè mutare: misítque oratores suos Constantiam, de quibus dicetur rerum & temporum ordine.

EIUS EGREGIÆ VIRTUTES.

[a] Val. lib. 3.
[b] Sur. lib. 12. cap. 55. & seqq.
[c] Mar. lib. 20. cap. 7. & 8.

ALFONSUS FILIUS SUCCEDIT.

IV. SIGISMUNDUS EXCIPITUR SUMMO HONORE LUTETIÆ.

Intereà Sigismundus Romanorum Rex, post satis felicem Ecclesiasticarum rerum in Aragoniâ ad unionem Ecclesiæ tractationem, de pace etiam aut induciis inter Reges Francorum & Angliæ procurandis sollicitus; antequàm Constantiam ad Concilium reverteretur, dum tempus constitutum sectatoribus Benedicti elaberetur, decrevit utrumque Regem invisere. Pervenítque Lutetiam Calendis Martij, ut Iuvenalis habet; confirmátque Monstreletus [d] dum Dominicam Quinquagesimæ signat: magnificè de more Francorum susceptus: adeóque honoratus, ut & permissus fuerit locum in curiâ Parlamenti occupare quem Rex tenere consuevit: & ibidem publicè militem creare; hoc est ordinem equestrem cuidam conferre, qui ejus defectu causâ quæ agitabatur casurus erat: non tamen (ut iidem auctores aiunt) sine plurimorum murmure, quòd hæc viderentur tantummodò Regum esse; nec Rex Francorum ullum agnoscat superiorem aut parem in regno. Quare & cùm posteà in reditu idem Romanorum Rex Lugduni constituisset Comitem Sabaudiæ magnâ celebritate Ducatûs insignibus exornare, intercesserunt (inquit Æmilius post Monstreletum [e]) regij magistratus, ne in regno Francico quicquam pro imperio agere decerneréve posse viderentur Imperatores, quem extra regnum non procul inde in arce Monluetanâ in Ducem evexit; evehendum posteà in Pontificem dictum in Schismate Felicem V.

[d] Monstrel. lib. 1. cap. 154.

NON PERMITTITUR ACTUS IMPERATORIOS GERERE.

[e] Id. cap. 164.

COMITEM SABAUDIÆ DUCEM CREAT.

V. ANGLIAM PETIT AD PROCURANDAM PACEM INTER REGES.

Transmisit quoque Sigismundus in Angliam; pervenítque Londinum (ut Walsinghamus habet) die septimâ Maij, magno pariter honore exceptus. Cúmque Regem non alienum reperisset à concordiâ, rem turbavit nuncius occisorum à Francis collatis ad Harfleum signis quadringentorum Anglorum; ne videretur Anglus post insignem victoriam Azincurtensem, ob parvam jacturam leges accepisse. Ita enim Æmilius: cùm Angli magis in Francorum tergiversationes culpam rejiciant. Sed si Krantzium [f] audiamus, evanuit labor Sigismundi Anglorum pertinaciâ. Fuerunt autem Franci ab Anglis vice versâ victi prælio quodam navali die Assumptionis Beatissimæ Virginis. Cùm interim Franciam incursionibus & rapinis de more infestaret Burgundus, administrationem regni toto nisu ambiens; & inter præclara scilicèt clementiæ signa petens ut restituerentur in integrum lanij, quorum operâ ad carnificinas olim usus fuerat. Hócque ipso anno teterrima facta est conjuratio, quâ deliberatum fuit Regem carceri includere, Reginam, Principes sanguinis regij, ac præcipuos ministros statûs neci dare, ipso die Paschatis: quæ divinâ misericordiâ detecta & dissipata est, diligentiâ præcipuè Iuvenalis Ursini Præpositi Parisiensis, cujus filius [g] rem leviùs describit, pleniúsque & acerbiùs Monstreletus. [h] Fuisséque tradunt inter conjuratores Nicolaum (Ita enim vocat Iuvenalis, quem Monstreletus Almericum) Ordeomontium canonicum Parisiensem: qui, ceteris ultimo supplicio affectis, redditus Capitulo Ecclesiæ, fuit ab eo omnibus suis beneficiis per sententiam privatus, & plaustro per urbem cum mitrâ papyraceâ ductus, carcere perpetuo in pane & aquâ damnatus.

[f] Krantz. 10. Vand. 23. in fin.

TETRA CONIURATIO IN REGEM FRANC.

[g] Iuven. in Car. VI.
[h] Monstrel. cap. 155.

VI.

Rebus inter hæc in Concilio lentè procedentibus, dum expectabatur Hispanorum accessus, & Sigismundi reditus; (haud tamen

cessan

cessantibus Patribus de variis aliis privatorum causis cognoscere, & in suis congregationibus decernere:) die Sabbati penultimâ Maij celebrata est *Sessio XXI.* præside Ioanne Cardinale Ostiensi. Eâque post consueta solemnia *Hieronymus Pragensis*, quem vidimus anno superiori hæresim abjurâsse, eamdémque iterùm resumpsisse, sæpè pòst auditus, & ad defensionem admissus, nec tamen satisfaciens; ultimò in Synodum introductus est: & in scamno omnibus conspicuus constitutus, ac de sententiâ Synodi uti relapsus & obstinatus damnatus, traditúsque potestati sæculari, vivus combustus est. Quod quàm justè factum fuerit, præter illa quæ sententiâ damtionis continentur; satis intelligitur ex oratione tunc à Iacobo Episcopo Laudensi adversus eum habitâ, cujus fit mentio in Actis [i] Concilij, quámque integram recitat Cochlæus [k] in Hussitarum Historiâ. Quâ etiam ostenditur quàm invitè Patres ad damnationem ejusmodi viri præclaræ eruditionis, raræ eloquentiæ, acrísque ingenij, delati sint; quámque nihil omiserint, quo eum ad meliorem frugem redigerent: concessâ quoque sæpiùs audientiâ publicâ, quò posset objecta ab adversariis crimina refellere. Quinimmò & post eam Episcopi orationem permissum ei respondere, & quæcumque voluit effari, iisdem Actis traditur. Quàm verò præfidenti animo ignem pertulerit, qui præsens fuit Poggius Florentinus epistolâ [l] ad Leonardum Aretinum oratoriè descripsit, cujus tributas eidem immensas laudes (uti philosopho tamen, non uti martyrij Christi) idem Cochlæus diligenter expendit; & quàm fuerit Hieronymus ipso etiam Husso noxior, atque in fide periculosior, abundè ostendit. Invehitur & in ipsum acriter Niemus [m] qui æquè tunc Constantiæ agebat; depingens eum magnum & crassum, satis eloquentem, sed imprudentem, insignémque & pertinacem hæreticum, in vitâ & morte præsumptione diabolicâ & damnabili perseverantem. Ceterùm ejus cineres, æquè ac Hussi, in profluentem jactos fuisse, discipulósque terram ad venerationem abstulisse in quâ ignis fuit, & utrumque apud Boëmos martyrum honores meruisse, nec minores quàm apud Romanos Petrum & Paulum habitos esse, Æneas [n] Silvius refert. Addítque Cochlæus [o], dies festos quotannis in eorum memoriam celebrando decretos esse. Sed quæ cum Boëmis posteà acta sint, dicetur inferiùs suis locis, sæpiùs in theatrum producendis.

Sessio XXI. Hier. de Praga damnatur, et comburitur.

i Sess. 21. in pr. k Cochlæ. lib. 3.

Qualis fuerit. l Pogg. ep. 3. & in Tom. Rer. Boëm.

m Niem. in Ioan. XXIII.

n Æn. Hist. Boëm. c. 36. o Cochlæ. lib. 4.

VII. *Galeci hæresis. p Prateol. de Hæres.*

Hîc interim non ommittentes, fuisse inter illos *Nicolaum* quemdam *Galecum* Thaboritarum sacerdotem, qui [p] peculiari hæresi asserebat prædictos Hussum & Hieronymum vel eo capite injustè combustos fuisse, quòd nullus homo justè occidi possit novæ legis tempore, etiamsi id fieret ex Iudicis sententiâ, quia Novum Testamentum id non dicat: cùm tamen sui nullũ finem facerent Catholicos occidendi. Ita namque illudebant populis, sibíque invicem adversabantur in doctrinâ & moribus.

VIII. *q Volater. lib. 21. Poggius*

Sed quod diximus Poggium tunc Constantiæ egisse; tradit Volaterranus [q], eum ibi tempore Concilij Quintilianum & Asconium invenisse. Et Quintilianum quidem in salsamentarij tabernâ, ut est apud Iovium in Elogiis, ubi pluribus de illo agit; & Eugenio atque Nicolao Pontificibus ab scriniis sive à secretis fuisse tradit: quod & testantur plures eorumdem Pontificum epistolæ & constitutiones, quibus nomen Poggij subscriptum reperitur. In Historiâ verò patriæ suæ Florentiæ quam scripsit; culpatur quòd pleraque omiserit quę ad civiles discordias pertinerent; & quòd nimis patriæ faverit. Unde sic quidam in eum lusit:

Florentinus qualis exstiterit.

Dum patriam laudat; damnat dum Poggius hostem;
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Sed ad alia.

IX. *Regis Lusit. legatio ad Synodum.*

Die quintâ Iunij (ut habent Acta Cerretana) oratores Regis Lusitaniæ in publico Patrum consessu, Regem suũ in potestate Concilij esse & fore renunciârunt: necnon victoriam ad Septam in Africâ obtẽtam, de quâ anno superiori, Patribus significârunt. Fuit autem is semper in obedientiâ Pontificum qui Romæ sederunt; nec voluit umquam adhærere Avenionensibus. Ceterùm eosdem oratores ingressos esse Constantiam die primâ ejusdem mensis Iunij; narrat Niemus qui aderat: quíque post relatam condemnationem factam à Patribus cujusdam simoniaci Leodiensis die tertio ejusdem mensis, finem imposuit historiæ suæ aculeatissimæ de Vita Ioannis XXIII. mortuus paulò pòst ibidẽ Constantiæ ex morbo. Quem sanè valdè desipiunt hæretici cùm suum esse jactant; qui hæreticorum atque hæresum acerrimum perpetuò sese adversarium exhibet: Pontificum quidem virulentissimus insectator; sed numquam nisi mores corruptos & vitia carpens, fidem & doctrinam Ecclesiæ semper comprobans & profitens.

Niemi scripta qualia.

X. *Sessio XXII. Oratorum Regum sessiones quomodo dispositæ.*

Sessio Concilij *XXII.* celebrata est die Iovis decimaquintâ Octobris, præside Ioanne Cardinale Ostiensi. Quâ, quòd oratores Regis Caroli ac Reginæ Ioannæ Ierusalem & Siciliæ, qui non ita pridem ad Concilium accesserant obedientiam ei præstaturi, requisiti fuissent locum quem in consessu tenebant cedere oratoribus brevì venturis Regis Castellæ, & ad partem sinistram transire, sessuri immediatè post oratores Regis Angliæ: ideò decrevit Synodus, si fortè alij venirent qui locum occuparent quem ipsi modò desererent, nullum inde iis, sicuti nec aliis quibuscumque præjudicium fore ex loco & ordine sessionum aut processionum. Posteà oratores Alfonsi Regis Aragoniæ, qui paulò antè advenerant, uniti sunt Synodo, & locati eodem scammo post oratores Regis Francorum; ita ut primo loco sederet Ioannes Gersonius Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis orator Regis Francorum, & post eum Comes Cardonæ orator Regis Aragoniæ, & ceteri sic intermixti. Et ex indulgentiâ Synodi ac singulari privilegio, pro bono pacis & pro hâc tantùm vice concessum est, ut tam eorumdem oratorum Aragoniæ, quàm Lusitaniæ & Castellæ atque Navarræ cùm advenissent, tanta esset suffragiorum auctoritas, quanta foret omnium Episcoporum suorum [r] regnorum, si adessent. Eóque modo constitutæ sunt voces seu suffragia. Quinque Nationum, addit Hispanicâ, cum hactenus fuissent tantummodò quatuor. Quâ de re

r Vid. inf. Sess. 28. an. seq. IV.

déque ordine qui in his observari deberet, ac de natione Anglicanâ sub Germanicam reducendâ; ita ut quatuor tantummodò Nationes essent, computatâ etiam Hispanicâ; disputaverat jam ante Hispanorum adventum Petrus de Alliaco Cardinalis in tractatu [f] de Ecclesiæ auctoritate.

[f] Ext. tom. 1. oper. Gerson in fin.

XI. SESSIO XXIII.

Sessione XXIII. habitâ die Iovis quintâ Novembris, eodem Ioanne Cardinale præside, constituti sunt duodecim Iudices commissarij, duo videlicèt Cardinales, Patriarcha Constantinopolitanus, duo Episcopi, septem alij Doctores, ad decernendum & dijudicandum, quâ ratione contra Petrum de Lunâ Benedictum XIII. usque ad perfectam Schismatis extirpationem procedendum esset, qui Schisma nutriturus ad unum terrarum angulum in castro munitissimo Paniscolæ in littore maris, ubi ad eum non esset tutus accessus, se recluserat. *Sessione* verò *XXIV.* habita die Sabbati vigesimaoctavâ Novembris, eodem Ioanne Cardinale præsidente, lecta & decreta est forma citationis prædicto Petro, tanquam obstinato Schismatis fautori, schismaticóque & hæretico censendo faciendæ ad centesimum diem: vel ad septuagesimum ab intimatione eidem ipsi, si liber accessus pateret, vel in Ecclesiâ Dertusensi cui Paniscolæ oppidum suberat; aut aliquâ aliâ illius diœcesis promulgandâ. *Sessione XXV.* habitâ die Lunæ decimaquartâ Decembris, oratores Comitis Fuxensis petentes uniri Synodo, admissi sunt eo modo quo anteà Aragonenses. Fuerunt autem ij, Petrus S. R. E. Cardinalis de Fuxo frater ipsius Comitis, Ordinis Minorum, creatus olim à Benedicto Presbyter Cardinalis tituli sancti Stephani in Cœlio-monte anno ætatis suæ vigesimosecundo; Sancius [t] Olorensis Episcopus, & Bernardus Addurensis. *Sessione* verò *XXVI.* habitâ die Iovis vigesimaquartâ Decembris; facta est simili unio oratorum Caroli Regis Navarræ: & ne ex consessu legatorum sive oratorum aliquid turbarum fieret; publicatum est decretum, nihil cuiquam nationi accrescere aut decrescere ex loco sessionis, responsionis, subscriptionis, & aliis ejusmodi quæ prioritatem vel posterioritatem inducere possent.

SESSIO XXIV. DECERNITUR CITATIO BENEDICTO.

SESSIO XXV. ORATORES COMITIS FUXENSIS.

[t] Cùm Sess. 18. reperiatur, jam fuisse Constantiæ Petrus Episcopus Olorensis, necesse est fuisse schisma in eâ Ecclesiâ uti & in quamplurimis aliis illo tempore Schismatis generalis: & hunc quidem Sancium fuisse à Benedicto constitutum, Petrum ab aliquo ex Pontificibus in Italiâ sedentibus.

SESSIO XXVI. ET REGIS NAVARRÆ.

IESU CHRISTI Annus 1417.
SED. VAC. Ann. 3.
SIGISMUNDI Ann. 8.
EMMANUELIS II. An. 34.

I. SESSIO XXVII. ET XXVIII. CONTRA FRIDERICUM AUSTRIUM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimo septimo, Indictione decimâ, die Sabbati vigesimâ Februarij celebrata est *Sessio XXVII.* Concilij Generalis Constantiensis, præsidente Ioanne Cardinale Ostiensi. Quâ post consueta in singulis Sessionibus solemnia, accusata fuit contumacia Friderici Ducis Austriæ. Et *Sessione XXVIII.* celebratâ die Mercurij tertia Martij, cui præsedit idem Ioannes, interfuitque Sigismundus Romanorum Rex ab itinere suo redux, idem Fridericus unà cum suis complicibus & fautoribus ob invasa [a] jura & bona Ecclesiæ Tridentinensis, sacrilegium, & perjurium [b] in prædictum Sigismundum, declaratus est incidisse in excommunicationem, necnon pœnas privationis & inhabilitatis in constitutione Carolinâ contentas incurrisse; & pro tali ubique denunciari jussus, invocato in eum auxilio Sigismundi.

[a] Vid. supr. Sess. 20.

[b] Supr. an. 1415. XXIX.

II. SESSIO XXIX. DE BENEDICTI CONTUMACIA.

XXIX. quæ celebrata fuit die Lunæ octavo Martij, centesimo à citatione contra Petrum de Lunâ decreta, accusata est ejus contumacia, atque ulteriores contra eum citationes decretæ: consentiente pro toto Concilio Ioanne Cardinale ejus præside. Quippe ob discordiam nationum Hispanicæ & Anglicanæ de prærogativa responsionum, aliorúmque actuum; fuit per Nationes & Cardinales statutum, ut præsidens solus pro toto Concilio responderet, habito tamen priùs scripto tam Cardinalium, quàm singularum Nationum sententiâ & consensu. *XXX.* habitâ die Mercurij decimâ Martij, oratores Concilij missi ad citandum Petrum de Lunâ, retulerunt quomodò auxilio Alfonsi Regis Aragoniæ eumdem Petrum in castro Paniscolæ Dertusensis diœcesis in propria persona citâssent, & quid ipse respondisset. Sed quid responderit non apponitur in Actis. Invenimus autem in quodam codice Victorino [c] brevem tractatum de Conciliis: quo de hac Lunensi citatione auctor agens, ait missos à Concilio Lambertum de Stipite & Bernardum de Plancâ Doctores Ordinis Cluniacensis, die vigesimaprima Ianuarij in castro Paniscolæ ad Petrum introductos sedentem tunc in plena audientia, præsentibus inter alios tribus Cardinalibus suis & pluribus Episcopis ac alia multitudine copiosâ populi, adstantibúsque duobus vel tribus notariis publicis ad hoc specialiter adductis, legisse alta voce citationem: Ac Petrum respondisse; quia in prædicta prætensa citatione multa continebantur magna & ardua quæ indigerent magna deliberatione, habiturum se illam cum fratribus suis, ac posteà responsurum brevi tempore; excusando se interim quòd non esset hæreticus neque schismaticus: Super his dictos citationis executores petiisse instrumentum, ac protinùs recessisse: Petrum autem misisse posteà ad Concilium Articulos suos responsorios ad singula puncta in citatione contenta; qui non fuerunt tamquam sufficientes admissi pro unione per ejus cessionem, prout tenebatur. Ita ibi. In Concilio verò, post auditam nunciorum relationem approbata est subtractio ejusdem Petri obedientiæ facta per Ferdinandum olim Aragoniæ Regem, ac pòsteà per Alfonsum ejus filium: & revocata quædam constitutio Petri. Nec prætereundum elegans scomma, quod apud Poggium legitur de prædictis duobus monachis nigris ad Petrum missis; cùm eos Petrus ad se venientes videns dixisset, *Synodales corvos audiamus*; alterum eorum respondisse, *Minimè mirum videri debet, si corvi ad dejectum cadaver accedimus.* Erat enim & ætate confectus, & à Synodo dejectus.

SESSIO XXX. RES A MISSIS SYNODI CUM EO GESTA.

[c] Cod. S. Victor. Par. MM. 7. fol. 105.

III. SESSIO XXXI. QUORUMDAM EPI-

Sessione XXXI. factâ die Mercurij ultimâ Martij promulgatum est monitorium contra Philippum Comitem Virtutum ex familia Vicecomitum Mediolanensium, qui Albertum Episcopum Astensem Lombardiæ vi armata

captum

SCOPORUM CONTROVERSIÆ DECISÆ.

captum in carcerem conjecerat. Et Guillelmum Baionensem in Aquitaniâ Episcopum, constitutum olim in Schismate à Petro de Lunâ, & in Concilio præsentem, mortuo Petro ejus competitore obedientiæ Ioannis XXIII. remanere Episcopum jussit: prohibuítque Capitulo Baionensi, ne quem alium in locum Petri eligeret. Quibus in actis Concilij contentis, addimus ex Historiâ Episcoporum [d] Argentinensium; cognitam quoque in Synodo fuisse causam Guillelmi Argentinensis Episcopi: qui cùm multo tempore cum Capitulo Ecclesiæ suæ & magistratu civitatis contendisset, & multas iis calamitates maximo etiam suo damno intulisset; demùm ab iis proditoriè captus, & custodiæ traditus, cùm vix post diversas Synodi de his certioris factæ jussiones permitti potuisset Constantiam remitti pro suæ causæ apud Patres disceptatione; toto ferè anno in contentione inter partes peracto, tandem Concilij decreto & Sigismundi Regis, quia in Episcopum & Romani Imperij Principem injicere manus erant Argentinenses ausi, communione Ecclesiæ interclusi sunt, & Imperiali proscriptione damnati. Qui pejora etiam sibi à Guillelmo Episcopo, & ab aliis vicinis pretextu proscriptionis timentes; pecuniâ transigere optimum factu rati, sex florenorum millia Cameræ Apostolicæ miserunt, & multò majorem summam Sigismundo, uti Guillelmus in Episcopatum remitteretur, & omnium controversiarum oblivio esset: ita ut quem omnibus studiis & opibus paulò antè ejectum & profligatum voluerant, jam immenso etiam pretio eumdem uti retinere possent pepigerint.

[d] Guiliman. in Episc. 68.

IV. Sessio XXXII usque XXXVI.

Sessione XXXII. habitâ die Iovis primâ Aprilis, & quatuor sequentibus celebratis duodecimâ Maij, quintâ & decimaoctavâ Iunij, ac vigesimasecundâ Iulij, nihil aliud gestum apparet, quàm quæ causam Petri de Lunâ respiciebant. Qui post multiplices citationes, contumacias, testium auditiones & alia ritè ac juridicè acta; demùm *Sessione XXXVII.* habitâ die vigesimasextâ Iulij, cui præfuit de more Ioannes Cardinalis Ostiensis, interfuítque Sigismundus Rex, post solita solemnia, lecta est per Cardinalem S. Marci sententia definitiva ipsius depositionis, & absolutionis omnium ab ejus obedientia. *Sessione* verò *XXXVIII.* habitâ vigesimaoctavâ Iulij revocata est facultas concessa oratoribus [e] Regis Aragoniæ de suffragiis pro regnis tam intra quàm extra Hispaniam: decretúmque ut repræsentarent tantùm Prælatos regnorum quæ haberet intra Hispaniam; & ut oratores Regum Castellæ, (qui tandem Constantiam accesserunt, & abjecto Petro de Lunâ uniti sunt Concilio Sessione XXXV.) Lusitaniæ, & Navarræ, repræsentarent pariter regnorum singuli suorum Prælatos & alios qui ad Concilia vocari consueverunt. In quo tamen notandum ex Gonzale de Avilâ in Historiâ Salmantinâ [f], oratores Ducis Burgundiæ, cum Castellanis (Episcopis Conchensi & Cordubensi) contendisse de loci ac sessionis præcedentiâ: tanta tunc erat illius Ducis [g] apud omnes æstimatio.

Sessio XXXVII. Benedictus deponitur.

Sessio XXXVIII. De suffragiis Hispanorum.

[e] Sup. Sess. 22. in super. X.

[f] Gonzal. lib. 3. cap 4.

[g] Vid. infr. 1433. XI. & seqq.

V. Sessio

Die Sabbati nonâ Octobris *Sess. XXXIX.* eodem Ioanne Ostiensi præside, ob probatam hâc Synodo Conciliorum Generalium utilitatem, factum est decretum perpetuum; ut quinquennio post absolutionem Concilij Constantiensis aliud celebraretur; & illo absoluto aliud septennio pòst; ac deinceps singulis decenniis; in locis per Pontifices Romanos per mensem ante finem cujuslibet Concilij, de ejusdem Concilij consensu, vel in defectum Pontificis, ab ipso Concilio indicendis: ut sic (inquiunt) per quamdam continuationem semper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur. Eúmque terminum liceret quidem Pontifici ob emergentes necessitates, de consilio Cardinalium contrahere, protrahere nunquam. Nec locus semel indictus, absq; evidenti occasione belli, pestis, aut hujusmodi mutari valeret. Si verò Schisma interim occurreret in Pontificatu; intelligeretur eo ipso terminus Concilij tunc fortè ultra annum pendens, ad annum proximum breviatus: ad quod omnes Prælati, ac ceteri qui ad Concilium ire tenentur, sub pœnis juris, & aliis per Concilium imponendis, absque aliâ vocatione convenire deberent; necnon Imperator, ceteríque Reges & Principes, vel per se ipsos; vel per solemnes nuncios, tanquam ad commune incendium extinguendum concurrere. Sed & qui primò foret electus in Pontificem, si audiret alium pòst electum in schismate, deberet sub interminatione maledictionis æternæ, & amissione juris quod haberet, Concilium intra mensem in loco priùs designato indicere. Additur postinde quid faciendum, si quis eligeretur per metum, & qualiter adversus eum procedendum. Deinde præscripta est forma Professionis fidei à singulis futuris Pontificibus præstandæ: Prohibitæque translationes Episcoporum invitorum; & reservationes per Pontifices fieri solitæ procurationum ordinariis & aliis inferioribus Prælatis debitarum; necnon spoliorum decedentium Prælatorum, aliorúmque clericorum.

XXXIX. Concilia Generalia fieri in perpetuum decernuntur.

VI. Sessio XL. Reformatio decernitur in capite et membris et Curia Rom.

Sessione XL. celebratâ die Sabbati trigesimâ Octobris, decretum est, futurum Pontificem cum delegatis singularum Nationum, antequàm Concilium dissolveretur, reformare debere Ecclesiam in capite & in membris, & Curiam Romanam, super certis articulis expressis; de numero, qualitate & natione Cardinalium; de reservationibus, annatis, collationibus, aut confirmationibus beneficiorum; de causis in Romanâ Curiâ tractandis; de officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ; de exemptionibus, Commendis, fructibus, dispensationibus, simoniâ, indulgentiis, decimis; de provisione Papæ & Cardinalium, propter quę & quomodò Papa possit deponi. Deinde decretum, ut nonobstante absentiâ Cardinalium Petri de Lunâ procederetur ad electionem novi Pontificis: qui tamen si advenirent antequàm facta esset electio, & Concilio adhærerent, admitterentur cum aliis. Denique & forma electionis statuta; ut scilicèt ad firmiorem rei certitudinem, & plenissimam insinuandam unionem, hâc dumtaxat vice, & de expresso consensu Cardinalium, unà cum ipsis Cardinalibus, sex Prælati, aliæve honorabiles personæ Ecclesiasticæ in sacris Ordinibus constitutæ, de singulis quinque Nationi-

Forma electionis futuri Pont. statuitur.

bus in Synodo tunc existentes, ad electionem admitterentur: & ut quicumque à duabus partibus Cardinalium, & à cujuslibet Nationis delegatarum duabus item partibus eligeretur, verus esse & indubitatus Pontifex.

VII. Sessio XLI. Electores ingrediuntur conclave.

Sessione autem *XLI.* habitâ die Lunæ octava Novembris; (cui, ut in ceteris, præsedit Ioannes Cardinalis Ostiensis, & interfuit Sigismundus Romanorum Rex) post solemnia peracta, lectámque Constitutionem Clementis Papæ VI. de modo & formâ conclavis, emissáque juramenta eâ contenta; nominati sunt electores Nationum Cardinalibus adjungendi; & promulgata excommunicatio, atque beneficiorum, officiorum & dignitatum privatio, contra eos qui ex abusivâ (ut inquiunt) licentiâ, res & bona electi, quasi culmen divitiarum adepti, invaderent & occuparent. Eâdémque die Cardinales quotquot Constantiæ erant ex triplici obedientiâ Gregorij, Ioannis, & Benedicti; (qui viginti numero exprimuntur in Actis editionis Romanæ, videlicèt quinque Episcopi, undecim Presbyteri, & quatuor Diaconi, si his Columnensem addideris, qui fuit in Pontificem electus: quãvis viginti tres à nonnullis numerentur: unà cum ceteris triginta electoribus, nempè Patriarchâ Constantinopolitano, quinque Archiepiscopis, undecim Episcopis, & uno electo, ac duodecim Abbatibus aut aliis in dignitatibus Ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus constitutis, qui in actis recensentur; ingressi sunt conclave paratum in domo communitatis civitatis Constantiensis. Ac tertio post die, nempè Iovis 11. Novembris elegerunt in Summum Pontificem *Odonem* (seu Othonem) *de Columnâ* Romanum ex nobilissimâ Columnensium familiâ patre Agapeto, Diaconum Cardinalem S. Georgij in Velabro, sive ad velum aureum: qui in honorem S. Martini, in cujus festo electus fuit, MARTINUS dici voluit, ejus nominis Tertius; Quintus tamen nuncupatus, ob confusionem duorum Martinorum, de quibus aliàs. Fuítque (ut iisdem Actis dicitur) per Sigismundum Regem unà cum Synodo in Ecclesiâ majori magnâ solemnitate, ingentíque omnium lætitia, collocatus in solio: & die Sabbati vigesimâ ejusdem mensis Novembris à Ioanne Episcopo Ostiensi in Presbyterum, & sequenti Dominicâ in Episcopum consecratus; ac per Raynaldum Cardinalem Brancatium Archidiaconum grandi celebritate coronatus: deindéque processionaliter de more per civitatem ductus, regentibus hinc inde equi ejus frenum eodem Sigismundo Romanorum Rege, & Friderico Marchione Brandeburgensi Imperij Electore Archicamerario. Sumpsit autem symbolum sigilli, sive sententiam, versum Psalmi 53. *Averte mala inimicis meis, & in virtute tua disperde illos.* Quo sanè nemo unquam majori, quinimmò nec pari, universæ Ecclesiæ consensu electus dici potest; cujus creationi non solùm Cardinales ordinarij electores, verùm etiam cunctarum Orbis Christiani nationum ex tribus partibus in quas Ecclesia fuerat antè distracta speciales delegati suffragia sua singulatim contulerint.

Card. Columnensis Martinus V. eligitur.

VIII. Ejus primordia.

Erat tunc ætatis quinquaginta annorum: qui post operam Iuri canonico Perusij datam, ab Urbano VI. inter Protonotarios relatus, ab Innocentio VII. Cardinalis creatus; (non ab Urbano VI. ut Gobelinus scribit; ut inde etiam Urbanum, cui impensè favit, magnificet, quasi ejusmodi electione unius ex ipsius Cardinalibus, voluerit Spiritus Sanctus confirmare veritatem Pontificatûs ejus) sub Ioanne XXIII. legatione Patrimonij & Tusciæ Ecclesiasticæ ditionis functus egregiè, etiam aliquot oppida ab hostibus occupata recuperavit. Humanitate ac mansuetudine simul & justitiâ atque prudentiâ excellens; cùm & prætereà in Concilio Constantiensi inter partium altercationes ita se medium habuisset, ut publicæ tantummodò utilitati consulens in neutram partem inclinare videretur; (quæ etiam potissima causa ipsius electionis in ipsis Synodi actis continetur) adeò omnibus se gratum exhibuit, ut nullus aptior existimatus fuerit, qui quassatam diuturno Schismate Ecclesiam restaurare posset. Cujus multiplices virtutes describens Platina [h], ait tantam fuisse omnium de ejus creatione lætitiam, ut præ gaudio loqui vix homines possent: Effusum nimio gaudio Sigismundum Regem, nullo habito dignitatis suæ discrimine conclave ingressum, & gratias omnibus egisse qui tantum virum támque Reipublicæ Christianæ propè extinctæ necessarium delegissent; & ante eum prostratum cum summâ veneratione ejus pedes exosculatum esse; quem contrà Pontifex amplexus, non secùs ac fratrem in pretio habuerit; eíque gratias egerit, quòd suâ operâ & industriâ pax tandem Ecclesiæ Dei reddita esset. Quod quidem contingit anno trigesimo nono expleto, quadragesimóque per duos ferè menses inchoato, ab ortu Schismatis per creationem Clementis dicti Septimi adversus Urbanum VI. à vocatione verò Sedis post abdicationem Ioannis XXIII. anno secundo, mense quinto, die octavo, quamquam non omninò possit dici sublatum Schisma quamdiù substitit Petrus de Lunâ, & successor ejus Clemens VIII. dictus, qui semper aliquam obedientiam habuerunt, ut dicetur inferiùs.

[h] Platin. in Ioan. XXIII. & Mart. V.

Quamdiù Schisma duraverit.

IX. Sessio XLII. Decretum de custodia Ioannis olim Pontif.

Celebratâ *Sessione XLII.* Concilij die Martis vigesima octavâ Decembris, cui præfuit ipse Martinus Pontifex petente Sigismundo Rege, unà cum Ludovico Bavariæ Duce, liberari à custodiâ Balthasaris Cossę olim Ioannis XXIII. sibi à Concilio commissâ; decretum est à Pontifice & Concilio, ipsos liberos ab eâ fore confestim ac eum in manus ipsius Pontificis aut ab eo delegandorum tradidissent. Quem tamen adhuc per biennium in Germaniâ detentum in custodia constat, donec auro fugam emit, ut dicetur suo loco. Atque hactenùs de gestis Concilij hujus anni.

X. Boëmorum declaratio de communione Calicis.

In Boëmiâ doctores Hussitæ post supplicium Hieronymi Pragensis pejores facti; ut tam nobilitatem quàm populum in suis erroribus continerent, ac si non aliâ de re controversia esset, quàm de usu Calicis, quem à Christo præceptum obtrudebant; per unum ex ipsis tunc Universitatis Pragensis Rectorem, Ioannem Cardinalem nuncupatum, tam suo quàm totius cœtûs Magistrorum Universitatis nomine declarationem quamdam promulgârunt die 10. mensis Martij præsentis

anni: quâ fingentes sæpiùs se à nobilitate populóque rogatos, confessionem suæ fidei de Calicis in sumendâ à singulis fidelibus Eucharistiâ usu, palàm proferre: fraudulentáque calliditate profitentes, nihil se temerè aut præsumptuosè contra sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam definire, aut aliquam novitatem inducere quærere; quin potiùs inhærere assertioni Concilij Constantiensis, quod communionem sub utrâque specie à Christo institutam & ministratam; atque in primitivâ Ecclesiâ diutino usu receptam comprobâsset: hortabantur omnes quos propriæ salutis cura tangeret, hoc vivificum duplicis speciei, unius tamen fidei sacramentum amplecti; & hanc Christi institutionem, omni humanæ constitutioni præferre. Quod quidem consilium Universitatis, ab Hussitis laicis loco generalis decreti, & instar legis Evangelicæ receptum, recitat Cochlæus [l], ejúsque fraudes aperit & confutat, doctrinámque Ecclesiæ eâ de re explicat. In id verò temeritatis hinc pervenisse eos Krantzius [k] narrat, ut etiam confusis ordinibus in Ecclesiâ, laici se administrãdis Sacramentis ingererent: In ipsa namque urbe Pragâ inventum esse hæreticum ordine laicum, artificio sutorem, qui cœpit attrectare Dominica sacramenta: Vvencesłaum Regem aliàs ignavissimum cùm hoc audîsset, magno lethargo excitatum, aliquando se commovisse, & captum sacrilegum igne jussisse concremari. Cùm & alioqui nacti essent perfidum Episcopum Hermannum Nicopolensem, Pragensis Archiepiscopi Vicarium, qui tot ex iis ordinavit sacerdotes, quot ipsi voluerunt, qui propterea ab Archiepiscopo depositus officio fuit, & ordinati ab executione ordinum suspensi. Sed hæc nihili æstimanda, præ illis longè audacissimis quæ posteà commiserunt.

[l] Cochlæus Hist. Hussit. lib. 4.
[k] Krantz. 10. Vvand. 27.

XI.

Patres autem Concilij Constantiensis ut nobile regnum ab eâ labe purgarẽt, viginti quatuor articulos ad id conceperunt, quos idem Cochlæus recitat. Sed omnia frustra; cùm jam tanta esset rerum turbatio, ut nec ipse Rex Vvenceslaus, etiamsi maximè voluisset, potuisset ampliùs regnum in pristinam tranquillitatem reducere. Quinimmò scribit Æneas [l] Silvius; cùm post cœptas dirui & incendi Ecclesias & monasteria, quibus Boëmia, præ ceteris ferè totius orbis regnis, nobilissimis & ornatissimis abundabat, ad quoddam castellum circiter triginta millia convenientes, trecentis erectis in patentibus campis mensis sacramentum calicis percepissent: territum hâc tantâ colluvie Vvenceslaum, vix periculum vitæ aut amissionis regni evasurum fuisse, nisi quidam eorum sacerdos cognomento Conrada singulari facundiâ & in plebibus auditus, dissuasisset; monens habere quidem ipsos Regem ebriosum atque inertem, sed quietum & benignum, sub quo liceret ipsis ex voto vivere: ideóque preces pro eo ad Deum fundendas, cujus desidia ipsorum salus & quies esset.

[l] Æn. Hist. Boëm. c. 36.

PERICULUM VVENCESLAI REGIS AB IIS.

XII.

MISER STATUS GALLIÆ.

Gallia hoc anno, hinc ab Angliæ Rege qui exscensione in Normanniam factâ, integram penè occupavit, stantibus ab eo Ducibus Burgundiæ & Britanniæ; illinc ab eodem Burgundo, qui Reginam sibi propitiam redditam secum abduxit; variis provinciis miserrimè devastata est: vix Rege infirmo, ac Delphinó Carolo adolescentulo, per Comitem Armaniacum Connestabulum regni urbem Lutetiam conservante, quam tantoperè Burgundus avebat. Quæ pluribus prosequitur, lugétque, qui videbat Iuvenalis [m] de Ursinis: fusiúsque Monstreletus [n] tunc quoque vivens, sed Burgundo nimis addictus, ac proinde in multis parcens. Meyerum enim nihil moramur, hostem juratissimum Francorum, & Burgundo Anglísque addictissimum, nec nisi calumniis agere scientem. Res verò sui Regis diligenter Vvalsinghamus tractat.

[m] Iuven. in Car. VI.
[n] Monstrel. tom. 1. c. 172. & seqq.

XIII.

FORTUNATARUM INSULARUM NOVA OCCUPATIO.

Quo eodem anno (ut plerique recentiores habent) *Ioannes Betancurtius* nobilis Gallus Normannus hortatu Roberti Braquemontij præfecti maris, sive Admiralij Galliæ propinqui sui, venditis suis bonis instructâ classe aliquot navium, auspiciis Regis Castellæ (obtento ab eo Regis nomine; eâ lege ut sub ejus fide ac clientelâ esset) insularum [o] Fortunatarum navigationem repetens, quinque illarum subegit: sed majore Canariâ nondum obtentâ in ipso rerum cursu defunctus successorem accepit Menautem propinquum, qui æquè ac Betancurtius earum se Regem dixit. Martinus autem Papa rogatu Betancurtij iis insulis Episcopum dedit Mendum quemdam monachum. Inter quem & Menautem nata sunt posteà dissidia, Episcopo suscipiente gentis barbaræ patrocinium, cùm Menautes arreptâ potestate ad quæstum abuteretur. Ita Mariana [p], & alij plerique. Verùm hæc cœpta esse anno 1402. & quamquam sub auspiciis Regis Hispaniæ, non tamen in ceteris gesta sicut Hispani & alij narrant; intelligitur ex harum Insularum (quæ & Canariæ ab earum præcipuâ dictæ sunt) factæ à Betancurtio occupationis; Christianitatis ac fidei & pietatis in eas introductionis, Episcopatûs institutionis, atque nepotis Betancurtij successionis; ac denùm earumdem Insularum dominij ad Hispanos translationis historiâ; à duobus ejus domesticis Petro Bonterio Franciscano & Ioanne Verrerio Presbytero, descriptâ linguâ Gallicâ, & in publicum edita, cum notis ac commentariis utilibus ad ejus confirmationem, ac terrarum hactenùs incognitarum per Gallorum aliorúmque navigationes detectarum elucidationem illustrata: quam harum rerum cupidos ac curiosos legisse non pœnitebit.

[o] Vid. supr. an. 1344. VII.
[p] Mar. lib. 16. cap. 14. & lib. 20. cap. 9.

XIV.

NOVUM GENUS LATRONUM AC FURUM PUBLICORUM.

Hoc eodem anno aliud innotuit primùm Germaniæ genus hominum (ut describit Krantzius [q]) nigredine informe, sole excoctum, veste immundum, & usu rerum omnium fœdum, furtis imprimis acre, præsertim feminæ ejus gentis, ex quarum furto viris victus erat. *Tartaros* vulgus eos appellasse: Ducem, Comites, milites inter se honorâsse: veste præstantes, venaticos canes pro more nobilitatis aluisse; sed ubi venarentur, nisi furtim non habuisse: Equos sæpè mutare, majorem tamen partem pedibus gradi, feminas cum stratis & parvulis jumentis invehi consuevisse: Literas tum prætulisse Sigismundi Regis, & aliquot Principum, ut transitus illis per urbes & provincias innoxius permitteretur: Hominum genus in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoscens patriam:

[q] K ant. 11. Sax. 1.

Canino

Canino ritu degens, nullâ religionis curâ, in diem vivens; ex provinciâ demigrans in provinciam, recipiénsque passim & viros & feminas volentes: rusticæ plebi graviter imminens; ubi illa foris laboraret in agris, hos spoliis invigilasse casellarum. Ita graphicè eos descripsit Krantzius. Eosdem alibi [r] reperimus *Zygenos* nominatos, & anno millesimo quadringentesimo in Helvetiam venisse: qui licèt miserè vestiti essent, haberent tamen vim auri & argenti: Dixisse, se ex Ægypto pulsos, ac pœnitentiæ causâ cogi septem annos vagari, ob abnegatam à majoribus suis religionem Christianam: Itaque Christianâ disciplinâ usos esse, ac post septem annos demùm rediisse: Eos imitatos multos nebulones, imposturis & furtis plurimos afflixisse. Aventinus [s] anno 1440. describit, quo primùm Bavariam peragrare cœperunt, Zygenos item appellans, ducémque habuisse quemdam nomine Zindelonem: item ex Ægypto se esse mentientes; extorrésq; domo à superis cogi majorum delicta, qui Deiparam Virginem cum puero IESU hospitio excipere recusâssent, septé annorum exilio expiare. Alij aliis annis eorũ meminêre pro tempore quo singulis regionibus primùm apparuêre. Súntque qui *Nubianos* vocent, quasi item ex Africâ advenirent. Audivimus eos Germanis dici *Heidem* & *Ziegevvner.* Galli *Boëmos*, seu *Ægyptios* vulgò nuncupant, cùm sit colluvies hominum ex omni gente & loco collectorum, peculiarem sibi linguam formantium, quâ & longinquos se fingant, & præsentes decipiant, Italis *Singari* sunt; quòd errones isti mentiantur, se ex eorum progenie descendere, qui olim Singarâ urbe Mesopotamiæ pulsi quando per Iovianum Imp. data est Persis, ab eo tempore vagari per orbem non cessârunt. Denique ut breviter describatur, turba est congerronum præstigiatorum & furum, impunè ubique latrocinantium, & stolidam plebem fatuis suis divinationibus, ac rerum permutationibus decipientium: quos sanè miramur à Principibus & Magistratibus non solùm permitti, verùm etiam protegi ac defendi.

[r] Ap. Stumpf. lib. 13. c. 10.

VARIA EORUM NOMINA.

[s] Avent. lib. 7.

IESU CHRISTI Annus 1418.

MARTINI V. Ann. 1.

SIGISMUNDI Ann. 9.

EMMANUELIS II. Ann. 35.

I. BENEDICTUS MONETUR A MARTINO, NEC AUDIT.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo decimooctavo, Indictione undecimâ, Martinus Papa, cùm restare adhuc (ut Platina loquitur) caput renascentis hydræ cerneret, Benedictum Lunam cum aliquot Cardinalibus & Prælatis Paniscolæ tamquam in arce schismatis se continentem, quibusdam Aragoniæ populis utram in partem inclinarêt adhuc titubantibus; approbante Concilio Cõstant. Alemanũ Ademarium virum doctissimum, patriâ Florentinum, titt. S. Eusebij Presbyterum Cardinalem, Legatum à latere suo in Aragoniam misit, qui sub pœnis & censurâ Ecclesiasticâ Petrum admoneret Pontificatu se abdicare. Quod cùm etiam Cardinales qui cum eo sentiebant suaderent, respondit Petrus cavillationibus quibusdam, id sibi nequaquam integrum esse; sibi autem cum Martino conventurum, si vera essent quæ de hominis integritate & humanitate dicerentur. Ex quatuor igitur Cardinalibus ei adhærentibus duo pertinaciam hominis inspicientes, ab eo ad Martinum statim defecêre; qui autem in ejus fide mansêre, anti-Cardinales sunt habiti, quorum alter Carthusiensis fuit, alter Iulianus Dobla appellatus. Narrat hæc Platina. Sed quatuor fuisse Cardinales qui eum tunc deseruerunt, & anno sequenti Florentiam ad Martinum accedentes ab eo sunt humanissimè recêpti, & in dignitatibus suis confirmati; habet posteà idem auctor, itémque Onuphrius & alij. Quomodò verò prædicta se habuerint; Réxque Alfonsus Aragoniæ magnam operam impenderit in Petro per ejus amicissimos magnis promissionibus persuadendo: omnibúsque frustrà factis, celebrato Leridæ à Legato omnium regnorum Alfonsi Prælatorum Concilio, Acta Constantiensia promulgata fuerint; expressiùs docet Surita [a] in Historia Aragonensi. Quo eitam auctore constat [b], jam ante Ademarium, missum fuisse à Martino confestim ac electus fuit, Bernardum Burdegalensem, qui res Constantiæ factas denunciaret: Alfonsúmq; Regé, existimâtem nihil sibi denegari debere ob Benedicti desertionem, multa à Martino immodica petiisse per nuncios; ob quorum repulsam non parùm in eum commotus fuerit, nec parvam Petro occasionem exhibuerit obdurescendi in schismate, ut sic sese detexerit non tam religionis ergò, quàm spe commodi, quod non poterat à Benedicto expectare, ab eo recessisse.

[a] Sur. lib. 11. cap. 69.
[b] Ib. cap. 66. & 67.

II. SESSIO XLIII.

Intereà verò Constantiæ celebratâ *Sessione XLIII.* die Lunæ vigesima primâ Martij, Martino Pontifice Præside; quod ante ingressum conclavis vidimus à Concilio decretum de submovendis multiplicibus abusibus, & reformandis moribus; ut decreto illi satisfieret, promulgata sunt aliqua statuta de exemptionibus, unionibus, fructibus, simoniâ, dispensationibus, decimis & aliis oneribus Ecclesiasticis; ac de vitâ & honestate, habitu & tonsurâ clericorum. Per quæ, simúlque per concordata cum singulis nationibus Concilij, ac per ea quæ in Cancellariâ Pontificiâ posita fuêre; statuit Pontifex de consensu & approbatione Concilij, satisfactum esse articulis contentis in dicto decreto de reformatione faciendâ. Ita in Actis. Sed quænam fuerint concordata cum nationibus, & quæ in Cancellariâ posita, non exprimunt. Verùm quod Nationem Gallicanam spectat, (præter deliberationem ibidem Constantiæ ab eâ factam ante Martini electionem, de non solvendis annatis & servitiis; ac luculentas responsiones ejusdem Nationis ad appellationem per Cardinales ministerio Ioannis de Scribanis procuratoris fiscalis contra eam factam; quæ apud Clamengium & Orthuinum [c] habentur: contra quas tamen pro solutione annatarum disputâsse tunc reperitur Petrus [d] de Alliaco Doctor Parisinus Cardinalis Cameracensis:) sunt in codice Victorino [e] Acta Concilij continente, constitutiones

ACTUM IN CONCIL. DE REFORMAT.

[c] In Fascic. Rer. expetẽd.
[d] Tract. de Eccl. auctor. inter opera Gerson. to. 1. in fin.
[e] Cod. Vict. P. 11. fol. 216. & seqq.

nes ejusdem Martini Pontificis cum nationis Gallicæ Prælatis & oratoribus concordatæ, de numero & qualitate Cardinalium, de Reservationibus Sedis Apostolicæ, de Annatis & servitiis, &c. Dicuntúrque oblatæ fuisse per Martinum Episcopum Attrebatensem, qui Concilio interfuit: Curiæ Parlamenti; nec [f] tamen ab eâ admissæ: sed confecta esse quædam monita super iisdem articulis, Martino Papæ pro parte Nationis offerenda. Subduntúrque Regulæ Cancellariæ ejusdem Martini, prærogativa Universitati Parisiensi & Consiliariis Parlamenti per eum indulta, ac denique concessio nominationum facta Carolo VI. Regi, quæ omnia cùm jam ab aliis tractata habeantur, abstinemus ab eorum inutili simul & rixosâ refricatione.

[f] *Sunt de his edicta quædam regia in Magn. Ordinat. Franc. sub Car. VI. & hoc an.*

III. ITEM DE REFORMATIONE.

Quod reliqua attinet; in Historiâ Pontificum auctoris Burdegalensis, cujus testimonio non semel usi sumus, traditur, in hoc Concilio multa circa reformationem Ecclesiæ tam in capite quàm in membris tractata fuisse, pauca verò conclusa. Rémque distinctiùs explicans Gobelinus [ff] ait, cùm ante electionem Pontificis electi fuissent viri literatissimi ex omnibus Nationibus, qui nomine totius Ecclesiæ reformationem ordinarent & conscriberent; illis moram facientibus ortam esse dissensionem inter Nationes, Germanicâ unà cum Rege petente ut priusquàm ad electionem Pontificis procederetur fieret reformatio tam in capite quàm in membris; ceteris contrà asserentibus melius fore ut per Pontificem fieret: tandem reformatione conceptâ, sed nondum publicatâ, processum esse ad electionem Pontificis. Qui postquam creatus fuisset, petitam à Nationibus fuisse publicationem articulorum præconceptorum: sed quia non omnes æquè ardenter instabant, ac Cardinales in hoc torpebant, Nationem Gallicanam à Rege petiisse ut Pontificem ad id urgeret: ipsúmque respondisse, ipsam olim obstitisse ne reformatio ante electionem fieret; adiret igitur modò illum, cùm jam non sibi integrum esset de iis agere, sicuti Sede vacante. Ita Gobelinus Persona: qui in his Cosmodromium suum, hoc est Mundi cursum, de sex Ætatum Mundi decursu, terminat: Opus scilicèt Historicum, breviter continens res toto orbe gestas ab ejus ortu usque ad præsentem Christi annum: quo jam sexagenarius erat, cùm natum se dicat anno 1358. Ceterùm scribit Platina [g], de componendis moribus nimiâ licétiâ jam labefactatis tam laicorum quàm clericorum mentionem in Concilio haberi cœptam: verùm cùm jam quartus ageretur Concilij annus magno omnium incommodo, Martino placuisse, approbante Concilio, rem tantam in aliud tempus magis idoneum transferre; eò maximè quòd unaquæque provincia suos haberet sensus, suásque consuetudines, quæ tolli sine perturbatione rerum subitò non possent.

[ff] *Cosmodr. sæc. 6. c. 96.*

GOBELINI HISTORIA.

[g] *Plat. in Mart. V.*

IV. SESSIO XLIV. FUTURUM CONCIL. DESIGNATUR PAPIÆ. SESSIO XLV. ET ULT.

Ut autem omnes intelligerent sibi id in animo esse, *Sessione* Concilij *XLIV.* habitâ die Martis 19. Aprilis, juxta decretum Sessione XXXIX. factum, locum futuri Concilij generalis, de omnium consensu, designavit civitatem Papiensem, ad quem cuncti tempore indicto convenire deberent. Ac demùm *Sessione XLV.* celebratâ die Veneris vigesimâ secundâ ejusdem mensis Aprilis, finis impositus est Concilio; Umbaldo, sive Raynaldo titt. S. Viti Diacono Cardinale de mandato Pontificis & totius Concilij pronunciante hæc gratissima cunctis verba, *Domini, ite in pace*; respondentibusque omnibus *Amen.*

FINIS IMPONITUR CONCILIO.

V.

Antequàm verò abirent, nuncij Vladislai Regis Poloniæ, & Vitoudi sive Alexandri dicti Ducis Lituaniæ, petierunt quemdam libellum cujusdam Fratris Ioannis Falckenberg, crudelissimos quosdam errores continentem, ritéque jam damnatum tanquam hæreticum per delegatos in causâ fidei, ac etiam per omnes Nationes Concilij; modò etiam in Sessione publicâ damnari, seu publicè damnatum pronunciari. Ad quæ respondit Pontifex ore proprio, & posteà per Concilij Advocatum iterari jussit, se omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiâ Fidei per Concilium, conciliariter tenere, & inviolabiliter observare velle; & non aliter, nec alio modo. Quam prædictorum nunciorum petitionem putamus de industriâ, Martini nutu ad ultimam Sessionem reservatam; ut eâ occasione significaret, quæ Concilij decreta ipse auctoritate Apostolicâ ac supremâ probaret, quæ verò non; ne si anteà quidquam de iis agere voluisset, murmur aliquod tumultúmve in Patribus excitaret; ob ea quæ ambiguè decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tam in capite quàm in membris: quas absolutè ut sonare videntur sumptas (de quo dictum est superiùs [h]) nullo modo Martinus agnoscere aut approbare voluit; utpotè contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à CHRISTO Domino Petro ejúsque successoribus auctoritati ac potestati; ipsíque demùm naturæ rei, quâ caput debet membra regere, non regi à membris: sicut plurimis est sæpè commentariis atque disputationibus probatum ab hujus dogmatis assertoribus. Quamquam (ut jam ibidem explicatum est) & possint hæc ita intelligi, ut duobus casibus, de quibus tunc agebatur, emineret absque ullâ dubitatione Concilium super tres illos qui de Pontificatu contendebant: nimirùm quòd incertum esset quis eorum existeret verus Pontifex; & quòd singuli eorum sese abdicationi Pontificatûs subjecissent quotiescumque ritè deliberatum esset quis verus existeret: itaut tunc Sedes Apostolica vacare censeretur; ac proinde ritè Concilium vel unum contendentium confirmandi, vel alium eligendi auctoritatem haberet.

MARTINUS CONFIRMAT TANTÙM QUÆ CIRCA FIDEM DETERMINATA ESSENT.

[h] *Seß. 4. & 16.*

VI. ULTIMA CONCILIJ.

Vltimò Martinus, requirente Concilio, omnibus & singulis qui Concilio interfuissent ejus causâ, tam dominis quàm eorum familiaribus, absolutionem plenariam semel in vitâ, præviis quibusdam jejuniis, ac præterea in articulo mortis concessit. Lectáque est ejusdem Pontificis constitutio (confecta jam anteà octavo Calendas Martij) de damnatione, seu confirmatione damnationis per Concilium factæ errorum Ioannis Vvicklefi, Ioannis Hussi, & Hieronymi Pragensis; additâ formâ examinandi eorumdem errorum sectatores ac suspectos, & pœnitentes recipiendi. Extant verò præter hæc apud Gersonium [i] conclusiones, sive assertiones cujusdam Fratris *Mat-*

[i] *Ap. Gers. tom. 1.*

MATTH. GRABONIS ASSERTIONES ERRONEÆ.

thai Grabon Ordinis Prædicatorum conventûs Vvismariensis diœcesis Mersesburgensis provinciæ Saxoniæ; quibus contendebat, nullum posse licitè & meritoriè, immò nec veraciter, obedientiæ, paupertatis, & castitatis universalia consilia conjunctim extra veras Religiones manendo adimplere; ac propterea peccare mortaliter sæculares omnes quicumque bonis suis omnibus se abdicant, aut etiam in eleemosynam largiuntur propter Christum: itémque, quicumque etiam Ecclesiastici sæculares, aut feminæ devotæ extra religionem communem vitam ducunt: nec pariter posse regulares voluntatem abdicare habendi communia, etiam si actu non habeant, eò quòd sine illis vivere non possint, nemóque possit absque peccato mortali illud abjicere quod sibi necessarium est ad vitam secundùm statum suum traducendam. Quæ viginti quinque articulis seu conclusionibus proposita, & à Martino Pontifice examinanda tradita Petro de Alliaco Cardinali & prædicto Gersonio ejusdem Petri olim discipulo; fuère ab iisdem damnata ut hæretica ad principium mensis Aprilis præsentis anni: ipséque eorum assertor coactus ea abjurare & anathematizare ibidem Constantiæ: ut patet ex ipsis hujus processûs actis, quæ apud eumdem Gersonium, ut diximus, descripta habentur. Unde verò hic Grabon occasionem sumpserit prædicta proponendi, declarat ipsemet in principio Conclusionũ Pontifici oblatarum nimirùm quòd Lector existens in conventu Groningensi diœcesis Trajectensis, videret quamplures personas sexûs utriusque novæ religionis habitum assumentes, & conventicula facientes, nullum habitum approbatum profitentes statuentésque sibi ipsis superiores pro libitu voluntatis & de eleemosynis Christi fidelium domus sumptuosas ad modum monasteriorum regularium ædificantes, & se in eis includentes cum observatione quorumdam rituum minimè per Ecclesiam approbatorum. Quibus hunc Grabonem designare voluisse congregationem *Fratrum Vitæ Communis*, de cujus institutione dictum est aliàs [k], tradunt qui de eâ egerunt [l]; sed eam validissimè à Gersonio defensam esse, atque à Martino Pontifice approbatam & confirmatam.

CONVENTUS VITÆ COMMUNIS EXAGITATI.

[k] *Supr. an.* 1384. *XII.*
[l] *Vid. Mira. Orig. monast. lib.* 1. *c.* 17.

VII.

Quod insuper ad Concilium Constantiense pertinet; habet præterea Antoninus [ll], Concilium concessisse bullas solemnes Ludovico Andegavensi, ac successoribus ejus, pro adeundo & possidendo regno Apuliæ, sive Siciliæ citra Pharum. (Quod & jam anteà Alexandrum Pontificem eidem concessisse vidimus; rursúmque posteà confirmâsse Martinus Pontifex reperitur [m].) Editas item in Concilio duas constitutiones, quæ in Actis non continentur: Alteram contra religiosos mendicantes transeuntes ad alias religiones monachales sine dispensatione Pontificis, præterquàm ad Carthusiensem. Alteram de non vitandis excommunicatis, nisi qui nominatim denunciati ac publicati à Iudice specialiter & expressè fuerint; vel qui in clericos manus injecerint adeò notorie ut factum non possit ullâ tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari. Sed prior illa relata inter Extravagantes [n] communes, data ponitur à Martino Papâ Gebennæ quarto Calendas Augusti, ac proinde post absolutum Concilium Posterior, quamquam etiam tribuatur ab aliis Martino Papæ, refertur tamen in Concilio Basileensi [o] tanquam ab ipso Concilio decreta absque ullâ mentione Martini, aut Concilij Constantiensis, de quâ pluribus idem Antoninus [p] in summâ.

[ll] *Ant. tit.* 22. *c.* 6. §. 3. & 4.
[m] *Infr. an.* 1423. *IV.*

CONSTITUTIONES MARTINI PAPÆ DE TRANSITIONE RELIGIOSORUM, ET VITATIONE EXCOMMUNICATORUM.

[n] *Extravag. tit.* 8.
[o] *Conc. Basil. Sess.* 20.
[p] *Ant. Sum. par.* 3. *tit.* 25. §. 3.

VIII.

Est verò etiam apud Cochlæum [q] epistola Martini è Constantiâ scripta octavo Calendas Aprilis ad Barones & milites Hussitas Boëmiæ: quâ dolens quòd Imagines Crucifixi, B. Mariæ, & Sanctorum frangerentur & comburerentur, claves Ecclesiæ contemnerentur, sacri ritus abjicerentur; ecclesiastici viri pellerentur, captivarentur; imagines Hussi & Hieronymi colerentur, eorúmque festa celebrarentur, aliáque nefandissima perpetrarentur; magnoperè hortabatur, ut ejusmodi errorum & impiorum facinorum defensione rejectâ, fidei Catholicæ firmiter inhærerent: scituri alioqui se ad extirpandos eos errores, & protervium ejusmodi comprimendam, omnibus viis ac remediis, etiam cum brachij sæcularis auxilio insurrecturum.

[q] *Cochl. Hist. Hussit. lib.* 4.

MARTINI EPISTOLA AD HUSSITAS.

IX.

FINIS CONCILIJ.

Hícque finis esto Concilij Generalis Constantiensis: quod tribus annis, séxque ferè mensibus celebratum est, ingenti Patrum constantiâ & patientiâ; immortalíque laude Sigismundi Regis, absq; quo funestiori Triumviratu periclitata fuisset Ecclesia Romana quàm olim Respublica. Ejus autem operâ & laboriosissimâ sollicitudine factum est, ut universus Orbis Christianus, unico excepto scopulo Paniscolæ, sub unius veri & legitimi Pontificis Martini obedientiam reductus sit. Qui quidem Martinus, cùm post absolutam Synodum, (ut narrat Platina) hinc à Sigismundo Rege & Germanis rogaretur in Germaniâ aliquandiù remorari, hinc à Principibus Gallis in Galliam proficisci; ostendit sibi nequaquàm id integrum esse, quòd patrimonium Ecclesiæ absente Pontifice à tyrannis distraheretur, Urbsque Roma penè ad interitum redacta esset. Ut tamen aliquo modo videretur utrisque gratificari, Constantiâ discedens (regente Sigismundo Rege frenum mulæ usque ad civitatis egressum) Gebennam sive Genevam in Sabaudiâ inter Galliam & Germaniam sitam petit, ibíque usque ad mensem Septembris permansit: ut narrat Monstreletus [r], confirmátque auctor Burdegalensis in Vita Martini: ubi constitutionem edidit, quam nuper diximus de Religiosorum transitione. Mense autem Septembri transiit Alpes, & venit Mantuam; & post modicam moram Florentiam accessit; ibiq; per totam hiemem & æstatem sequentem permansit. Ita breviter ille Auctor. Meminerunt porrò & ceteri scriptores transitûs Martini per Sabaudiam, sed non moræ Gebennensis: reliquúmque ejus iter relegunt. Solemnissimam autem Mediolani factam ejus à Philippo Duce exceptionem singillatim describit Corius: atque ibi eum pacem conciliâsse inter eumdem Philippum Ducem & Pandulphum Malatestam qui Brixiam tendebat, Blondus & Platina narrant. Mantuam posteà concedens, ibi quatuor menses commoratus est, ac multiplices undique ex Italiâ legationes accepit:

MARTIN. ABSCEDIT CONSTANTIA.

[r] *Monstrel. to.* 1. *c.* 192.

PETIT ITALIAM.

misit

misitque ipse vicissim, tum componendis aliorum dissidiis; tum ut itineri suo Romano facilitatem afferret.

X. Legatio Cardinalium in Galliam.

Cùm autem antequàm abiret Constantiâ, Legatos in Galliam ad regni turbas componendas misisset, Cardinales Iordanum Ursinum Romanum Episcopum Albanum Majorem Pœnitentiarium, & Guillelmum Philasterij Gallum Presbyterum tituli S. Marci: hi rem adeò promoverunt, ut pax sancita fuerit inter Delphinum & Burgundum de rerum præteritarum oblivione, & concordi regni administratione; ejúsque articuli publicati Parisiis die vigesima septima Maij, ut disertè scribit Iuvenalis [f] qui videbat: quantumvis Monstreletus [t] Burgundi fautor scribat rem infectam permansisse ob contradictionem Comitis Armaniaci Connestabilis, & Henrici Marlij Cancellarij.

[f] Iuven. in Car. VI. [t] Monstrel. cap. 186.

XI. Horrenda strages edita Parisiis à Burgundis.

Post hæc verò ingressi Lutetiam proditoriè ac fraudulenter quidam nobiles factionis Burgundæ sub velamine pacis, adeò horrenda commiserunt in partis regiæ defensores, ut satis sit breviter dicere, occidisse illos crudelissimè prædictos Connestabilem & Cancellarium, Episcopos Constantiensem, Silvanectensem, Ebroicensem, & Bajocensem, aliósque proceres, & Abbates, ac nobiles, Consiliarios Parlamenti, ministros regios, omnes denique tam Ecclesiasticos quàm sæculares quicumque suspecti essent adversari Burgundo, aut divitiis pollere ut eas raperent. Tantâ etiam rabie, ut aliquos vivos ex fenestris præcipitatos ceteri lanceis & gladiis inferiùs exciperent; & exanguia cadavera Connestabilis & Cancellarij atque Episcopi Silvanectensis aliorúmque nobiliorum uncis impacta, per urbem traxerint, & nonnullis corrigias è pelle extraxerint. Denique ad multa millia occisi viri, feminæ, pueri, etiámque mulieres gravidæ: Omniúmque cadavera plaustris & carris extra urbem delata, expositáque feris & vulturibus; vel in profluentem injecta, quibus pisces saginarentur. Rex miser & miserabilis equo impositus per urbem circumductus fuit. Et vix Delphinus, qui præcipuè quærebatur, è lecto nudus eductus est à quodam forti ac fido nobili Tanneguio de Castello natione Britone, & primò in arcem S. Antonij, inde Melodunum adductus. Cúmque interim Burgundiæ Dux unà cum Reginâ apud Trecas esset, auditâ hâc tempestate ad eam accurrens, ingenti pompâ Lutetiæ receptus est. Et mox novâ excitatâ in reliquias Armaniacorum (uti regios vocabant) seditione per Capelucham urbis carnificem, nihil non sceleris, sævitiæ, & sacrilegij patratum est. Fuit tamen & hic Capelucha tandem plexus Burgundi jussu. Quæ omnia uti se habuerint, Iuvenalis, pluribúsque narrat Monstreletus [u]. Observatque ille, plerosque eorum qui prædictas crudelitates exercuerant, malâ morte periisse impœnitentes, inconfessos, & desperationem profitentes.

[u] Monstrel. cap. 188. 190. 191. 197.

Anglus Rotomagum occupat.

Cùm interim Rex Angliæ capta per obsidionem civitate Rotomagensi, quæ princeps Normanniæ est, (mortuis [x] in eâ fame ampliùs quinquaginta millibus hominum) ingentia mala ceteris vicinis provinciis inferret: & ex aliâ parte Delphinus adolescens strenuis ducibus comitatus, nihil non ageret tam contra Anglos quàm contra Burgundos, de cujus progressibus pleniùs posteà.

[x] Id. c. 200.

XII. Ioannis Dominici legatio ad Hussitas. Moritur clarus miraculis.

Rogaverat etiam Sigismundus Romanorum Rex (ut Antoninus [y] scribit) Martinum Papam antequàm Constantiâ abiret, ut mitteret Legatum in Boëmiam Fr. Ioannem Dominici Florentinum Ordinis Prædicatorum Presbyterum Cardinalem tituli S. Sixti, ad reducendos Hussitas ad Ecclesiæ fidem. Quod cùm Martinus fecisset, eò profectus Dominicus, adeò duræ cervicis hæreticos illos expertus est, ut gladio opus esse Sigismundo significaverit. Qui regno, quod suum futurum erat cōpatiens, speransq; processu tempore eos sanari posse; tunc ab eo abstinuit. Dominicus autem Budam Hungariæ ad eumdem Regem, sive cum illo pergens, quò etiam eadem hæresis jam penetraverat; ibidem mortuus est hoc ipso anno, & honorificè sepultus, miraculis etiam post obitum clarus, cujus virtutes, doctrinam, scripta, res gestas, descripsit idem Antoninus [z] ejus discipulus, qui se ab ejus doctrinâ prædicationis ad religionem Prædicatorum attractum profitetur. De quo etiam, ejusque scriptis plura alij [a].

[y] Ant. tit. 22. cap. 7. in pr. [z] Id. tit. 23. cap. 11. §. 3. [a] Io. Car. Flor. in ejus Vitâ; Leand. de Vir. illust. Prædic. Nomenc. Card. Bzov. hoc an. Possevin. Appar. to. 1.

Iesu Christi Ann. 1419.

Martini V. Ann. 2.

Sigismundi Ann. 10.

Ioannis VII. Annus 1.

I. Mart. Pontif. Florentiam se recipit.

Anno Christi millesimo quadringentesimo decimo nono, Indictione duodecimâ, mense Februarij Martinus Pontifex Mantuâ discedens, Florentiam perrexit, à rectâ viâ declinans ne fines Bononiæ attingeret; quæ solitâ inconstantiâ, nuper jugum Ecclesiæ excusserat, auctore Antonio Bentivolo, qui ejus dominationem specie libertatis occupavit. Florentiæ Martinus summo honore exceptus, totum annum & majorem sequentis partem ibi egit; quousque rebus Urbis Romæ ac Statûs Ecclesiastici in tranquilliorem statum redactis ipsi tutò ad eam accedere, in eâdémque liberè & cum dignitate agere daretur.

Status Urbis Romæ.

Erant enim adhuc castrum S. Angeli, Ostia, & Civitas-vetus in potestate Ioannæ Reginæ Siciliæ: & Braccius Perusinus dux rei militaris peritissimus bonam partem patrimonij Ecclesiastici obtinebat; Martino infensissimus occasione Balthasaris olim Ioannis XXIII. sub quo meruerat, & quem quærebat iterùm restituere; qui & Romam aggressus, & in eam admissus, dominum etiam se Urbis indigitare non erubuerat; nisi à Romanis eo titulo prohibitus, mitiori *Almæ Urbis Romæ defensoris* contentus esse rogatus fuisset. Quem tamen & ipsum brevi amisit, cùm à Sfortiâ ejus æmulo & hoste, creato à prædictâ Reginâ Connestabulo regni, pulsus est: ut Corius [a] describit. Perseverans tamen nihilominùs in rebellione adversus Ecclesiam, & Martini Pontificis monitionibus acquiescere detrectans, ab eo publicè excommunicatus est, & ubique publicari jussus. Quod adeò ipsum contempsisse cum suis complicibus, Antoninus [b] scribit, ut ipsi pariter ex communicârint Pontificem in derisum &

[a] Cor. Hist. par. 4. [b] Ant. tit. 22. cap. 7. §. 1.

opprobrium. Donec Florentinis mediatoribus composita est concordia; Braccio veniam petente ad pedes Pontificis, quibusdam civitatibus & oppidis ei in vicariatum relictis, ceteris Ecclesiæ restitutis. Quæ tamen pax non diù apud inquietum & turgidum hominem locum habere potuit, ut dicetur posteà.

II. IOANNA REGINA CORONAM IMPETRAT.

c Summont. Hist. Neap. lib.4. cap. 3.

Quemadmodùm & Regina audito adventu Martini Florentiam, mittens ad obedientiam ei præstandam dilectissimum suum magnum regni Senescallum, castra etiam supradicta in potestatem ejus remisit: obtinens [c] vicissim à Pontifice mitti Neapolim Petrum Maurocenum Venetum Diaconum Cardinalem, virum apprimè doctum & Iurisconsultum insignem, ad Reginam coronandam ipsius auctoritate. Quod tamen eâ conditione concessum est, ut ante omnia Rex Iacobus Ioannæ maritus liberaretur è custodiâ, quâ à multo tempore detinebatur ab eâ, interim dum illa eodem palatio lasciviæ suæ Venereæ absque ullo pudore turpissimè indulgebat. Qui Iacobus libertate donatus, post aliquot dies Tarentum abiit animo bellum Reginæ inferendi: sed impeditus, rediit in Galliam; & rerum præteritarum tædio sese primò Tertio S. Francisci Ordini dedidit, quoniam adhuc vivebat ejus uxor; eâ verò mortuâ anno 1435. Regulam primi Ordinis ejusque habitum, hortatu B. Coletæ Clarissarum reformatricis, suscepit Vesontione, quò cùm ad hoc iret, ait Olivarius Marcianus [cc], se vidisse ipsum per oppidum Pontarli transeuntem; delatum habitu Franciscano, ferculo manuario quo purgamenta efferri solent: sic solitum urbes ingredi præ humili animi demissione, cùm ei à clero, magistratu, & populo, pomposè obviam iretur. Mansit autem Vesontione usq; ad obitum, qui contigit anno 1438. sepultus in Ecclesiâ Clarissarum: malè à quibusdam dictus vitam eremiticam amplexus esse. Regina verò Ioanna ab eo libera, longè impudentiùs quàm anteà & se & regnum prædicto Senescallo suo in prædam dedit: Coronata ad principium Octobris hujus ipsius anni, sub conditionibus in investiturâ appositis, quam recitat Summontius.

IACOBUS VIR EJUS INGREDITUR ORDINEM S. FRANCISCI.

cc Oliver. memor. lib. 1. cap. 1.

III.

d Ant. ibid. § 2.
e Plat. in Mart. V.
f Onuphr. de Rom. Pontif.

BALTHASAR OLIM IOANNES XXIII. VENIT AD MART. PP.

Quo eodem anno receptis à Martino 16. Calendas Aprilis quatuor illis Cardinalibus Benedictinis, de quibus dictum est anno superiori; longè gratius ei contigit quod (ut narrant Antoninus [d], Platina [e], Onuphrius [f], & alij) Balthasar Cossa olim Ioannes XXIII. sive ejusdem Martini tacitè operâ, (ut quidam habent) ne fortè diutiùs in Germaniâ detentus novas aliquando turbas cieret, pretio triginta millium aureorum carcere exemptus est, eo animo ut eumdem rursùm Martinus securiori custodiâ Mantuæ detineret: sive, ut ceteri, dato aliunde auro Comiti Palatino qui eum in custodiâ habebat, liber abire permissus in Italiam veniens: dum rursùm timeri inciperet à novo schismate, quòd & vir magni animi esset, & qui privatam vitam nequaquàm pati posse videretur: nec deessent qui hominis audaciam ad res novas moliendas concitarent, quasi nonnisi coactè injuriáque Pontificatu cedere visus fuisset: nihilominùs sive conscientia ductus, sive desperans aliquid proficere, seu quòd periculum illis esset qui juverant fugam; vel potiùs Deo omnipotente Ecclesiæ suæ miserto eum impellente: idem ipse propriâ sponte, nullis pactionibus interpositis, nullâ requisitâ cautione, Florentiam ad Martinum profectus est: ac in Vigiliâ Corporis Christi decimaquartâ Iunij, publicè ad pedes ejus procumbens, eum ut Pontificem verum & unicum, canonicéque electum professus & veneratus est; cunctis præ gaudio simul & commiseratione hominis lacrymantibus, maximè verò iis Cardinalibus qui vel ab eo creati, vel eum uti Pontificem secuti fuissent. Creatus à Martino Cardinalis Episcopus Tusculanus, & Collegij decanus, ac deinceps ab eo in honore habitus; non multò pòst ibidem Florentiæ, dolore animi, vel veneno adjutus, diem obiit vigesimâ secundâ Decembris ejusdem præsentis anni; cùm post abrogationem Pontificatûs vixisset annos quatuor mensésque ferè septem: honorificentissimè sepultus, procurante Cosmo Medice cive Florentino carissimo ipsius amico, quem (ut Platina [g] & Sabellicus [h] scribunt) homines existimârunt pecuniâ Balthasaris opes suas in tantum auxisse, ut & primarius apud Florentinos cives, & ditissimus omnium apud Italos, ac fortassè apud exteras quoque nationes deinceps sit habitus. Ceterùm sunt qui scribant [i], ex Familiâ Neapolitanâ Cossæâ, ex quâ oriundus Ioannes erat, processisse nobilem claràmque apud Andegavos familiam Cossæam, fide Catholicâ semper illustrem: Aliis [k] tamen id negantibus, & Cossæam Andegavensem longè Neapolitanâ antiquiorem demonstrantibus.

MORITUR.

g Plat. in Mart. V.
h Sabell. 10. Ennead. 1.

COSMUS FLOREN. EJUS OPIBUS DITATUR.

i Masson. in Ioann. XXIII.
k Bellefor. lib. 5. c. 142.

IV.

l Ant. ibid. §. 8.

Quo eodem fermè tempore, dum Martinus Florentiæ esset, venit eò (ut Antoninus [l] narrat) *Manfredus* quidam patriâ Vercellensis religiosus Ordinis Prædicatorum vir timens Deum. Qui cùm adventû Antichristi proximè venturum prædicaret argumentis ex Apocalypsi desumptis; terrore illius temporis multi utriusque sexûs & omnis ætatis homines bonis omnibus abdicatis, tertium ordinem S. Dominici seu de Pœnitentiâ sub eodem Manfredo suscipientes, ei adhæserunt; viventes in cōmuni viri seorsùm à mulieribus, de labore manuum suarum, non omissis divinis officiis, in summâ honestate & caritate conversantes. Quod hominum genus cùm timeret Martinus Pontifex scandalum aliquod posse generare, conatus est congregationem dissolvere, singulos ad sua remittendo, & eleemosynam eis dare prohibendo: nec tamen potuit, ob devotionem populorum in eorum subventionem. Quinimmò cùm Martinus Romam petiit, secutus est Manfredus cum suâ congregatione, ac præcipuè feminis, quarum magna pars Romæ obiit: reliquæ in summâ vitæ angustiâ degentes, pleræque juniores à dæmonibus vexatæ, & illusionibus tentatæ fuêre. Cúmque ab eis putaretur Manfredus Papa futurus, ipse nimiùm eis credulus post multos annos sub Eugenio decessit, in conventu Minervæ sepultus. Ac posteà divisæ in duas partes mulieres, paulatim defecerunt; nec Manfredum Papam, nec Antichristum videntes.

MANFREDUS DOMINICANUS NUGIVENDUS.

V. BERNARDINUS

Addit Antoninus, contra hunc Manfredum prædicâsse *Bernardinum*, magni tunc nominis ac pietatis, doctrinæque virum, patriâ

Senen

ORD. MINOR. AGIT CONTRA ILLUM.

m Ant. ibid. §. 5.

IDEM BERNARDINUS NOMINIS IESU INSIGNIS PROPAGATOR.

Senensem religiosum Ordinis Minorum: qui (ut paulò antè idem auctor [m] narrarat) prædicando regiones Italiæ miro audientium fructu peragrabat. Cùm verò præcipuus cultor nominis IESU esset; ut illud quasi obliteratum in cordibus Fidelium insculperet, & ad ejus amorem inflammaret, pictum vel sculptum in medio magnæ tabulæ ornatæ populo adorandum proponere consueverat. Quâ novitate sapientiores aliqui commoti veluti superstitiosâ, quòd videretur plebs literas illas magis quàm qui eis significabatur CHRISTUM venerari; jamque imitarentur eum aliqui alij prædicatores Minorum, tabulas ejusmodi in processionibus ante Crucem deferentes: rem ad Martinum Pontificem detulerunt. Qui habitâ super his diligenti Prælatorum ac Doctorum consultatione, rem ut periculosam prohibuit: ac Bernardinus obedientiæ filius ab eâ deinceps abstinuit, quamvis sint qui tradant, illo aliquando concionante, nomen IESU eâ formâ quam pingebat miro splendore coruscans supra illum apparuisse: jussúmque à Pontifice esse, non omninò à prædictâ picturâ abstinere, sed ei imaginem Crucifixi appingere. Sigonius [n] autem originem prædictæ picturæ inde prodiisse scribit, quòd cùm Bononiæ Bernardinus prædicationibus suis lusores omnes impulisset ludi & aleæ instrumenta igni objicere; atque hinc quidam artifex qui tabellas lusorias pingere, & familiam ex eâ re alere instituerat, eo quæstu privatus apud sanctum virum conquereretur se in extremam necessitatem illo dempto vitæ præsidio perductum iri, cùm nihil aliud pingere didicisset: Bernardinus mox sole in circulo formato, atque in ejus medio nomine IESU novis quibusdam literarum formis efficto, illud ita pingendum tradiderit, quod cùm ille fecisset, confluentibus ad emendam imaginem ex Bernardini auctoritate plurimis, longè majores inde pecunias quàm ex chartis aut tabellis lusoriis consueverat comparaverit. Hic autem est BERNARDINUS, qui monasteria Fratrum Minorum, quos ab antiquâ S. Francisci severitate sensim recessisse videbat, ad veterem disciplinam revocandam adduxit: unde divisio facta dicitur [o] *Conventualium*; (nempè qui in receptâ jam vivendi formâ juxta privilegia & dispensationes Sedis Apostolicæ permanere voluerunt: eam nuncupationem jam adepti ab Innocentio [p] IV.) & *Observantinorum*, qui Bernardini reformationi adhæserunt. Extant ejus præclaræ res gestæ à diversis conscriptæ, ingentium editorum ab eo miraculorum, & copiosissimorum ex prædicationibus collectorum fructuum testes. De quo etiam rursùm dicendum inferiùs. Hîc non omittimus, haud absque mysterio factum videri, ut eodem anno quo *S. Catharina* ejusdem civitatis sanctissima virgo ex hâc vitâ discessit, nempè 1380. natus sit Bernardinus; ne clara civitas lumine sanctitatis destitueretur, cujus radiis mundum illustraret.

n Sigon. de Episc. Bon. lib. 4. an. 1423.

o Maurol. in Mar. ocean. de Relig. lib. 4.

p Bullar. to. 1. Innoc. IV. const. 7.

OBSERVANTINORUM MINORUM CONDITOR.

VI.

IOANNES APOSTATA PRÆMONSTRATENSIS PRAGAM COMMOVET.

Per quod quidem tempus surrexerat huic contrarius pseudosacerdos apud Pragam *Ioannes* quidam ex Ordine Præmonstratensium impius monachus, & ad omne scelus audax. Quo suasore hæretici, ut suam potentiam ostentarent, singulis ferè diebus sacram Eucharistiam cum calice per suas Ecclesias circumvectabant: eásque cùm paucas esse dicerent, ductore Nicolao viro nobili, ejus loci domino, unde Hussum originem traxisse aliàs diximus, in regiam tumultuariè prorumpentes, Wenceslaum Regem oravêre sibi ut ampliores Ecclesias elargiretur, qui jam populi majorem partem obtinerent. Quos cùm benignè Rex in diem sequentem remisisset, Nicolao qui remanserat, & pro multitudine locutus fuerat, *Tu*, inquit, *quâ me regno ejicere orditus es telam; at ego laqueum inde efficiam quo te strangulem.* Ille è Regis conspectu abiens, populares magis ac magis accendit. Regéque in castellum novum, quod quinto inde lapide construxerat, cum paucis secedente, jussis Consulibus novæ civitatis Pragensis, ne ulteriùs ab hæreticis Dominicum corpus in pompâ deferri sinerent: hæretici illud nihilominùs armati circumferentes, clamoréque ingenti prætorium petentes, septem è Consulibus, (quatuor fugâ elapsis) Iudicémque urbis, atque alios nonnullos cives ex altissimis fenestris in forum præcipitârant, lanceis ac verubus irati populi exceptos; stante in foro perfido illo Ioanne monacho, & sacrum Christi Sanguinem sanguinario populo ostentante. Quæ cùm Regi dum pranderet nunciata fuissent, pincernáque dixisset futura hæc se præscîsse; indignatus in eum Rex, correptum subitò ante pedes suos prostravit, & pugione conatus occidere, impeditus à circumstantibus, illicò paralysi sive apoplexiâ correptus ægrotare cœpit; atque infra decem & octo dies, signatis nominibus hæreticorum quos neci destinaverat, fratrem Sigismundum assiduè vocitans, & amicorum auxilia anxiùs expectans, antè vitâ excessit quàm vocati Principes adessent: nempè die decimâ sextâ Augusti, cùm regnâsset in Boëmiâ annis quinquaginta quinque, vixisset duobus ampliùs. Rem narrant Æneas [q] Silvius, Dubravius [r], Cochlæus [s]. Istéque vel hoc in homine ignavissimo, cujus desidiæ culpâ hæc cuncta mala & nata sunt & creverunt, laudabile memorat, quòd à priscâ fide & religione majorum, nullis potuerit hæreticorum technis & machinationibus averti. Æneas autem; non potuisse cadaver ejus metu hæreticorum eâ pompâ circumferri quâ consueverant ceteri Reges: sed delatum esse ad Ecclesiam S. Viti in arce, & inde ad monasterium Aulæ-regiæ in sepulchra regia: cúmque posteà monasterium ab hæreticis diriperetur, & sepulchra Regum effringerentur, quemdem piscatorem qui Regem amaverat corpus clàm subripuisse; atque interjecto tempore rebus in meliorem formam redactis, acceptis viginti aureis reddidisse: túmque circumgestationem ex more factam esse, & justum Regi funus exhibitum.

WENCESLAUS REX MORITUR EX PARALYSI.

q Æn. Hist. Boem. c. 37.
r Dubrav. lib. 23. ad fin.
s Cochlæ. lib. 4. ad fi.

VII.

IO. ZISKA HUSSITARUM DUX.

Post cujus obitum magis invalescentes Hussitæ, in Ecclesias & monasteria rabiem suam exercuerunt direptionibus & diruptionibus: præcipuo eorum duce *Ioanne Ziska*; (quod monoculum significat, ob unum amissum in pueritiâ quodam ludo oculum) nobili genere sed censu tenui, in curiâ Regis à puero enutrito, & bellis exercitato, infecto Hussitarum hæresi, & rapinarum avido: qui & prætereà plura oppida in potestatem suam redegit.

Cùm interea Sigiſmundum regni heredem (nullos enim liberos Vvenceſlaus ejus frater reliquit (malo uſum conſilio, ut Æneas [t] loquitur, in Turcos arma priùs movere quàm Boëmiam petere, libido inceſſiſſet: qui ſi mox exercitum Pragam duxiſſet antequàm vires hæreticorum coaluiſſent, nunquam ea incendia quæ poſteà viſa ſunt, Germaniam exuſſiſſent, factúmque eſt, ut dum ille Turcos laceſſere pararet; & Boëmiam amiſerit, & Hungariam non defenderit. Quem & inter hæc in rebus inter Polonos & Cruciferos vertentibus, ad quas componendas Martinus Papa nuncios miſerat, adverſarium ſibi & ingratum contra jus fáſque ſenſiſſe Polonos, conqueruntur ipſi [u]. Denique cùm miſſis [x] primò qui ejus nomine regni adminiſtrationem capeſſerent, ipſóque ad finem anni Brunnam Moraviæ adveniente, Huſſitæ metu arma depoſuiſſent: ſi inde rectâ Sigiſmundus ſe Pragam contuliſſet, haud dubium videbatur, quin totâ Boëmiâ Huſſitarum labes exceſſiſſet. Sed divertens Vratiſlaviam Sileſiæ, cùm ibi ſeditionis auctores ſecuri percuſſiſſet, paris ſupplicij timore Pragenſes apertè deſciverunt; & in totum regnum literas dederunt, ne Sigiſmundo aditus præberetur, cui non aliud curæ eſſet quàm regni deſtructio. Quomodò verò res ſe poſteà habuerint, dicetur ſequentibus annis pro ratione temporis.

[t] Æn. c. 38.

SIGISM. IMPRUDENTIA.

[u] Cromer. lib. 18.

[x] Æn. c. 39. Dubrav. lib. 24.

VIII.

Ingens item malum hoc anno Galliam paribus aſſuetam invaſit, quò penè funditùs everſa eſt. Delphinus Carolus cùm patrem matrémque in favorem inimici ſui Ducis Burgundiæ adverſarios pateretur; ſolúſque (ut Polydorus [y] ait) patriæ mala defleret, ſolus in Rempublicam incumberet, ſolus hoſtibus reſiſtendum curaret; quò partem ſuam roboraret, Regentis regni nomen aſſumpſit. Rebúſque eò redactis, ut aut pax omninò ineunda eſſet, aut regnum in manus Anglorum incidendum: quæſitâ priùs à Burgundo (in cujus arbitrio Rex Regináque ac urbs regia regníque adminiſtratio erat) pace cum Angliæ Rege, nec ob duras Angli petitiones concluſâ; cum Regente agi cœptum eſt: & poſt mutuum prope Melodunum [z] congreſſum pacificum, cùm alius habendus foret ad controverſias omnes decidendas, pacémque firmiùs ſtabiliendam; conventum eſt ut cum denis utrimque comitibus, in medio pontis oppidi Monaſterioli, ubi amnis Iona Sequanam influit, convenirent, clauſuris ligneis cancellatis interpoſitis, & velut tabernaculo ligneo, in quo congrederentur. Res eo congreſſu geſtæ, verbáque utrimque prolata, ac ſecuta cædes Burgundi, diverſè admodùm à partibus recitantur pro ſtudio ſingularum. Quâ in re potiſſimùm eminet Iacobus Meyerus Flander: qui Megæricè, ut ita dicam, ſeſe verſans, ita puerilibus & ineptis exclamationibus invehitur in Capeticam (ut vocat) abominabilem perfidiam, ut videatur œſtro percitus; nec meminiſſe etiam Burgundum fuiſſe ex progenie Capeticâ, nec univerſum genus Capeticum in hanc Burgundi perniciem conſpirâſſe; qui & aliàs ſemper in rebus Francicis ita ſe impotenter gerere conſuevit [a], homo presbyter & curio, (fuit enim parochus Blankenbergæ municipij inter Oſtendam & Sluſas: Uleternis in agro Balliolano natus. Cujus hiſtoria ab Antonio Henrici fratris filio aucta & poſt patrui mortem publicata fuit) ac proinde ad veritatem & modeſtiam obligatior; ut frequentiſſimè res pervertens aut confundens, etiam in veris enarrandis nullam fidem ſibi conciliet. Haud tamen malè hâc in re philoſophatus (niſi fortè hoc ei incogitanti exciderit) quod ait, jam adfuiſſe tempus, quo Burgundus parricidium à ſe factum Ducis Aurelianenſis patruelis ſui, talione lueret. Denique ut mœrorem boni viri leniamus ex deſcriptione morum Burgundi, cujus ille obitum tantoperè luget, & virtutes extollit; per alium Belgam, qui non minori zelo honorem Ducum ſuorum proſecutus eſt, & hiſtoriam rerum ab iis geſtarum panegyricè ferè conſcripſit, Pontum Heuterum Delfium; ut inde conjicere liceat, in quem potiùs proditionis, & perverſionis regni culpa conjicienda ſit: Is in fine Vitarum quatuor Ducum è gente Valeſiâ ortorum, ſingulorum animorum habitus, omni, ut teſtatur, ſepoſito affectu delineans; de prædicto Ioanne necato, ait, fuiſſe eum indomitæ ac inquietis naturæ, unde effectus naſcebantur mirabiles, ſenſuum evagatio ac inconſtantia, faſtus planè regius inexplebilis vindictæ cupiditas, ambitio inſatiabilis, animus ferox, ſævus, turbulentus, quietis impatiens, Francici imperij ſtabilitatem ut ex eo fundamentum regno ſuo faceret quærens: popularis non naturâ, ſed neceſſitate, quo ejus bonis ac ſanguine affectibus ſatisfaciendo ſuis, hoſtes opprimeret: patre audacior, ſed imprudentior; facilè rem fortunæ committens, exiſtimans ſe eam uxorem duxiſſe, ac proinde numquam ab eâ deſeri debere: divinum cultum parvî pendens, uſu potiùs quàm pietatis ratione inductus ſacra frequentans; quod ab eo multorum prudentum nobilium virorum ſinceram alienârit amicitiam. Ita ille: & en ſanè virum egregium! cujus ſinceriſſimæ menti nos Meyerus omninò credere velit.

[y] Polyd. lib. 22.

RES IN GALLIA INTER DELPHINUM ET BURGUNDUM GESTÆ.

[z] Monſtrel. tom. 1. c. 206.

MEYERI HISTORICI IMPOTENTIA.

[a] Vid. ſupr. an. 1396. V. in fin.

QUALIS FUERIT IOANNES DUX BURGUND.

IX.

Sed his omiſſis, qui necem ejus (quam nemo ſanus probare poſſit, undecumque tandem ea proceſſerit) modúmque uberiùs narraverit, neminem illius temporis reperimus Monſtreleto [aa] æquandum; Belgæ ipſi tamen, ac proinde in Burgundum proniori: qui verò candidiùs ac diligentiùs utriúſque partis rationes & relationes perquiſîſſe & expendiſſe videatur, nullum habemus quem Ioanni Iuvenali Urſino tunc viventi, poſteàque Archiepiſcopo Remenſi comparemus, qui demùm Delphinum omninò innocentem prædicans, haud tamen omninò comites ejus crimini eximit, quòd eſſent in iis, qui quoniam familiares extiterant Ducis Aurelianenſis à Burgundo proditoriè occiſi, in eum conjurâſſe dicebantur, ſed inſcio Delphino: ac Burgundum ipſum ſibi hanc perniciem culpâ ſuâ aſciviſſe tradit. Qui etiam adeò in contemptum Delphini venerat, ut cùm dies congreſsûs aſſignata fuiſſet vigeſima ſexta Auguſti, Delphinúſque eâ ſe ſtetiſſet, Burgundus non niſi decimâ Septembris, quæ erat Dominica, acceſſerit; relictis interim Rege Reginâque Trecis Campaniæ urbe ad quam eos duxerat, ne Pariſienſium mobilitate ſibi eriperentur. Necem ejus literis

EIUS NECIS HISTORIA.

[aa] Monſtrel. cap. 211.

publi

publicis excusavit Delphinus: sed frustrà apud exulceratos animos. Quare animante cunctos adversus eum Philippo filio prædicti Burgundiæ Ducis, & fœdus cum Anglis amplissimis in eorum commodum & regni detrimentum conditionibus sanciente; habuit Delphinus adolescens annorum tantummodò septemdecim, non solùm ab eis se tueri, sed & à patre matreque; illo quidem ex morbo innocente, sed hâc ex odio plusquàm novercali in proprium filium, legitimúmque regni heredem, ut Anglo Burgundóque capitalibus inimicis complaceret, nocentissimâ. De quibus dicetur anno sequenti: nunc ad alia præsentis,

X. b Harfsfeld. Hist. Eccles. Angl. sæc. 15. cap. 10. ANGLI QUIDAM MAGIA ET HÆRESI INFECTI PUNIUNTUR. c Bzov. an. 1421. ex cod. Anglic.

Quo [b] habitâ ab Henrico Chicheleio Cantuariensi in Angliâ Archiepiscopo *Synodo provinciali*, *Richardus* quidam *Walcherus* ex Clero Wigorniensi delatus est, quòd Magiæ libris execrandis figuris aspersis uteretur, qui crimen confessus, se parùm jam fiduciæ in illâ arte habere professus est, per quam quod cupiebat sæpè facere non potuit: Publica illi pœnitentia injuncta, ut solemni supplicatione vetitis illis libris à fronte & tergo apertis dependentibus procederet: móxque libri palàm combusti sunt. Ex quâ eâdem Wirgoniâ prodiit [c] item hoc fermè tempore quidam *Wuillelmus Taylor*, liberalium artium professor, qui neque Sanctos, neque Iesum Christum ratione humanitatis esse pro salute Christianâ invocandos docuit: qui cùm hæc & alia similia dogmata jam aliàs abjurâsset, uti relapsus combustus est.

XI. S. VINCENTII FERRERII OBITUS, ET MIRACULA. d Ext. ap. Sur. 5. April. e Ant. tit. 23. cap. 8.

Mortuus est hoc anno Nonis Aprilis Venetiæ in Armoricis *Vincentius Ferrerius*, Ordinis Prædicatorum, de quo sæpè superiùs: cujus mirabil[illegible] vitam, sanctitate, doctrinâ, miraculis, rebúsque fidei ac morum præclarissimè gestis apprimè insignitam, uberiùs descripsit Petrus Rauzanus [d] Panormitanus: ex quo eamdem compendiosè Antoninus [e] suæ inseruit Historiæ; tractaverúntque item alij. Ingentibus quoque post mortem claruit miraculis: adeò ut testetur Antoninus, triginta octo defunctos post ejus mortem ad invocationem nominis ejus resuscitatos fuisse, quorum magnitudine motus Calixtus Tertius eum in numerum Sanctorum retulit: Piúsque Secundus diploma [f] canonizationis, quod morte præreptus Calixtus scribere non potuerat, publicavit Calendis Octobris millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo. Cùm autem etiam spiritu prophetiæ præditus fuisse dicatur; ait tamen idem Antoninus, reperiri quamdam epistolam ejus nomine, quâ videbatur dicere Antichristum jam tunc fuisse in mundo. Sed quoniam (ut addit) ab eo tempore quo ista scripserat, ad illud quo ipse Antoninus scribebat, jam transîssent ampliùs anni quadraginta, nedum tamen appareret Antichristum advenisse, qui secundùm communem sententiam Doctorum, sicut Christus, ita & ipse triginta trium annorum spatio vitam finiturus est, ac tribus annis cum dimidio potentiam suam exerciturus: dicendum est, si verè hæc scripsit aut prædicavit Vincentius, opinativè & non assertivè dixisse: sicuti & plurimi alij Patres fecisse reperiuntur, cùm pariter mundi finem propinquum esse ex testimonij Scripturarum sic à se intellectarum opinati sunt. Hæc pluribus Antoninus: quorum meminisse oportuit adversus hæreticos, qui hujusmodi auctoritatibus abuti consueverunt ineptè ad persuadendum Papam Romanum esse Antichristum illum à Christo & Apostolis prænunciatum.

f Bullar. tom. 1. Pij II. const. 1.

XII. DE EJUS FRATRE BONIFACIO. De quo jam suprà ann. 1409. XIII. g Chron. Carthus. lib. 4. cap. 25. h Trith. de scrip. Eccles. i Bost. de Carthus. famil. Patrib. cap. 15.

Fuit Vincentio frater germanus *Bonifacius*, Iuris Canonici Doctor celebris: qui post uxoris quam duxerat obitum, relictâ præcipuæ præfecturæ quam in regno Valentiæ patriâ suâ gerebat dignitate, Ordinem Carthusiensē ingressus, Prior generalis ordine vigesimus quintus factus est; doctrinâ & pietate, haud fratri inæqualis: cujus vitam breviter descripsit Dorlandus [g]: scripta utriusque recenset Trithemius [h]; intérque illa Bonifacij tractatum; *Cur in Ordine Carthusiensi pauci canonizati sint; & miracula publicè non faciant*; & *De approbatione Ordinis*. Defunctum autem esse ante fratrem, Dorlandus ait. Et Bostius [i]; eum, quòd ob schisma Ecclesiæ divisæ quoque Religiones, pro obedientiâ cui inhærebant suos haberent Generales, Alexandro V. in Concilio Pisano electo, misericordiam in capitulo generali) hoc est absolutionis ab officio beneficium (petiisse & accepisse: Stephano de Senis Priori generali alterius obedientiæ, unionis causâ similiter piè cedente.

XIII. DE PATRIARCHIS CONSTANTINOPOL. k Phranz. lib. 1. cap. 38. l An. 1421. II.

Hoc item anno factum esse Patriarcham Græcum Constantinopolit. *Euthymium* monachum ejus nominis Secundum, Onuphrius ponit in Chronico. Cujus tamen obitum Phranzes [k] Constantinopoli tunc agens, quamquam adhuc adolescentulus, etiam ante hæc collocat: nempè eodem mense quo Manuel Imper. Constantinopolim rediit ab Isthmi reparatione, anno mundi ex Græcorum computo 6924. qui respondet Christi millesimo quadringentesimo decimo sexto. Et vigesimâ primâ mensis Maij ejusdem anni suffectum ait Patriarcham *Iosephum* Ephesi Metropolitam: quem Onuphrius nonnisi anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto collocat: apertè tamen errans; quandoquidem vel ex relatione nuncij à Martino Pontifice Constantinopolim missi, de quo agetur inferiùs [l], omninò intelligatur, Iosephum etiam ante annum 1420. sedere cœpisse. Cùm autem in nonnullis præteritarum rerum narrationibus haud integram fidem Phranzi in temporibus digerendis adhibuerimus, ob discrepantias quibus ab aliis differt; (si tamen ejus interpres ac breviator rectè numeros retulit, cùm exemplar Græcum non viderimus) in sequentibus major ei habenda fuerit; quippe jam ætate firmiori. Narrat enim se anno mundi 6926. qui secundùm acceptam temporum rationem respondet Christi 1418. allectum esse in numerum cubiculariorum annos tunc natum sedecim, Manuele Imp. sexagesimum octavum cum dimidio agente.

XIV. IOANNES FIT IMP.

Quod verò addit, anno 6927. hoc est præsenti 1419. Ioannem filium natu maximum Manuelis, ducentem in uxorem 19. Ianuarij

PERATOR GRÆCORUM CESSIONE PATRIS.

Sophiam filiam Marchionis Montisferrati, solemni ritu inauguratum esse Imperatorem; non adeò abnuit Onuphrius in Chronico Ecclesiastico, qui ejus introitum sub anno præcedenti collocavit. Sed tamen res explicatione indiget; ut non propterea existimemus Manuelem jam tunc defunctum esse: quem adhuc usque ad annum Mundi 6933. Græcorum, Christ. 1425. supervixisse, idem Phranzes [m] scribit, quamvis omni ferè Imperij administratione sese spontè abdicâsset. Unde putamus factum esse, ut nonnulli magni alioqui viri, Antonius Augustinus, Ioan. Bapt. Egnatius, idémque Onuphrius in Chronico Imperatorum haud discernentes duplex initium imperij hujus Ioannis, alterum quo cedenti patri successit, alterum quo morienti; duplicem Ioannem post Manuelem constituerint: priorem filium Andronici fratris & decessoris Manuelis, qui quatuor tantùm annis regnârit; posteriorem hunc Manuelis filium qui Concilio Florentino interfuerit. Sed id absque ullo antiquorum testimonio: ex quibus ac præcipuè ex Phranze qui cum iisdem Impp. vixit, certò intelligitur duos tantùm post Manuelem regnâsse, Ioannem hunc, & post eum Constantinum ipsius fratrem, sub quo capta est Constantinopolis. In his enim, aliísque post hæc gestis, eidem auctori res per annos, menses, & dies consignanti, & in aulâ conversanti, tutiùs credi posse videtur, nisi ita patenter aliunde errare convincatur, ut excusari non possit. Habuit autem prætereà Manuel sex alios filios, quibus singulis singulas assignans discissi Imperij portiones, tum longè debilius illud reddidit ad resistendum Turcorum insidiis & insultibus; tum discordiarum inter illos ipsos fratres semina jecit, quibus facilior iisdem Turcis patuit aditus ad omnes atterendos.

[m] *Phranz. cap.* 41.

IESU CHRISTI Annus 1420.

MARTINI V. Ann. 3.

SIGISMUNDI Ann. 11.

IOANNIS VII. Annus 2.

I. THABOR HUSSITARUM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo vigesimo, Indictione decimatertiâ, Hussitis Boëmis malitiâ & potentiâ crescentibus, Ziska præcipuus eorum dux civitatem à se *Thabor* nuncupatam inter duo flumina velut in peninsulâ arte & naturâ munitissimam construxit atque ornavit. Nam & comites ejus *Fratres Thaboritæ* appellabantur; tanquam cum tribus Apostolis Salvatoris Christi transfigurationem in monte vidissent, indéque suas opiniones mutuati essent, quas *fidei veritates* appellabant. Quamquam enim Thabor sic vocatam Bonfinius [a] à castris velit, quòd Hungaricè Tabor castra significet, & tutissimum id hæreticorum asylum Ziska esse voluerit: prior tamen significatio magis apta est. Vocatus à Pragensibus in auxilium contra Sigismundum civitatem obsidentem; (qui interim in æde metropoliticâ, quæ in arce sita erat, coronam accepit regni Boëmiæ per manus Conradi Archiepiscopi, qui adhuc Catholicè vivens posteà in hæresim prolapsus est) postquàm Rex obsidione solutâ abiit, cùm omnia dirueret sacra profanáque celebriora loca, objurgatus à Pragensibus, quibus servandum ædificiorum decus videbatur; ortâ dissensione, reversus est ad suos Thaboritas, multáque Fidelium loca expugnavit; & quodam oppido viros ac mulieres cum pueris & infantibus cunctósque loci sacerdotes, in Ecclesiâ conclusos immisso igne combussit. Alij quemdam è proceribus Catholicis captum, humíque prostratum, flagellis rusticanis in modum manipuli flagellârunt, ad singulos ictus vociferantes, *Non ultrà insultabis Hussitis*, posteáque manibus truncatum flammis exusserunt. Similiáque, atque etiam longè detestabiliora & alibi perpetrârunt, horrendâ ubique sævitiâ: quorum scelera hoc & sequentibus annis patrata ex parte descripsère Æneas [b], Krantzius [c], Bonfinius [d], Cochlæus [e], & Dubravius [f]: omnia namque nec ipsi eorum patratores enumerare potuissent, nec vix mente quis concipere. Narrátque idem Krantzius, Iudæos quoque per Bavariam arma pecuniásque subministrâsse Boëmis, quò promptiùs infestarent Catholicos: sed Fridericum Ducem re compertâ Iudæos omnes captos misisse in carcerem; rebúsque exutos docuisse alienis malis non gaudere, nec insultare Christianis.

[a] *Bonfin. 3. dec. 2.*

SIGISM. CORONATUR REX BOËMIÆ.

CRUDELITATES HUSSITARUM IN CATHOLICOS.

[b] *Æn. in Hist. Boëm.* [c] *Krantz. Vvandal. lib. 10. & 11.* [d] *Bonfin. 3. dec. 2. & 3.* [e] *Cochla. in Hist. Hussit.* [f] *Dubrav. in Histor. Boëm.*

II. IMPOSTURA EORUM AD PRÆDAM CONCINNATA.

Atque ut misera plebs omnibus modis eluderetur; fuit [g] unus apostata, qui Ioannis Apocalypsin tunc Pragæ interpretans, ex eàque ad Sigismundum Regem retorquens quicquid ibi de rufo Dracone narratur; plebi eloquentiâ & licentiâ acceptissimus auctor extitit pellendo omnes Calicis Hussitarum osores. Alij [h] quò eosdem aliis quoque urbibus pellerent, ipsíque faciliùs eas occuparent ac spoliarent, vulgaverunt ipsâ die Pentecostes ignem de cælo casurum, qui urbes Boëmicas omnes, pagósque exureret, quinque exceptis quas designabant. Ad quas cùm fieret concursus undique maximus, vel populariter in agris erraretur; quamvis eâ die imber totâ fere Boëmiâ copiosissimè deciderit, religionéque in risum versâ multùm inde hæreticæ vanitati detractum sit; vicit tamen obstinatio eorum quos rapinarum & sacrilegiorum cupido pellexerat.

[g] *Dubrav. lib. 24.* [h] *Id. ibid. & Æn. cap. 42.*

III. ADAMITARUM TURPIS HÆRESIS.

Emersit [i] & alia apud eosdem Boëmos nefanda, & jam priscis temporibus abominationi habita hæresis, ADAMITARUM dicta: quam PIKARDUS quidam nomine renovans, ex Belgio in Boëmiam jam omnium capacem perduxit; præstigiis quibusdam fidem sibi concilians, adeò ut brevi tempore non parvam mulierum virorúmque plebem ad se traxerit, nudam incedere jubens in signum innocentiæ, quandoquidem primi parentes in statu innocentiæ nudi incedebant. Occupatâ igitur insulâ quâdam amne cinctâ, filium Dei se dixit, & *Adam* vocari. Connubiáque suis promiscua permittens, non tamen voluit injussu suo mulierem cognosci. Ac ceteros homines servos esse prædicans, se & qui ex eis nascerentur liberos asserebat. Verùm haud diù coaluit hæc pestis. Cùm enim ex eâ insulâ exeuntes grassatores, vicinarum villarum agrestes interficere cœpissent, quos diaboli filios esse dicebant; Ziska iis au-

[i] *Æn. c. 41. Dubrav. lib. 26. Prateol. de Heres.*

ditis

ditis, quamvis sceleratus ipse, scelus tamen hujusmodi abhorrens, expugnatâ insulâ Adamitas illos gladio delevit. Non tamen ita ut propterea secta perierit, quæ etiam ad nostrâ tempora pervenit: de quâ pluribus Prateolus [k], & alij qui de hæresibus ultimi hujus sæculi scripserunt. Addit autem Æneas, fuisse etiam nonnullos eorum igne exustos; sed tantâ impietatis suæ fiduciâ, ut etiam ridentes cantantésque flammarum incendia perferrent.

[k] *Prat. de Hæres. verb.* Adamit. & Pikard.

IV. Et ut est hæresis fecunda, peperit illa quoque in eâdem Boëmiâ aliam factionem, sed diuturniorem OREBITARUM [l]: qui Thaboritarum æmulatione, sicut ij ex monte Thabor, ubi facta fuit Transfiguratio Domini, denominationem suam accipere voluerunt; sic isti à monte Oreb, in quo Legem à Deo Moses accepit. Fuêre verò ceteris crudelitate nullâ ex parte inferiores, Catholicos ubique magnis afficientes cladibus; sacerdotes igne cremantes, aut nudos rigenti hieme super glaciem colligatos dimittentes; quos verò parvi æstimarent desectis virilibus abire permittentes. Adversus quos (ut Æneas ait) Martinus Pontifex nominatim Crucem decrevit; neque tamen in plures annos extirpari potuêre. Cúmque sibi istiusmodi homines in montibus complacerent, prodiit & alius non longè pôst *Ioannes* quidam *Roatius* [m] nobili genere, sed ingenio malo & mente pessimâ; qui inter silvas in edito colle castellum exædificavit, vocavítque *montem Sion*; asserens ex eo loco veritatem aliquando exituram, quæ gentem Boëmicam libertate donaret.

[l] *Æn. c. 43. Cochlæ. lib. 5.* OREBITARUM CRUDELIS HÆRESIS.

[m] *Æn. c. 52.* MONS SION ROATII HÆRETICI.

V. Cùm autem hoc eodem anno Calendis Martij Martinus Pontifex Florentiæ agens, Crucem adversùs omnes Wickleffistas & Hussitas, ac reliquorum hæreticorum fautores & defensores, publicâsset [n] tam ex proprio munere providendi necessitatibus Ecclesiæ, quàm etiam hortatione Sigismundi Regis: idem Rex congregatis undique immensis copiis eos aggressus, pro levibus quibusdam illatis cladibus, ingentes retulit; parùm consultè & fortiter rem agens, fugiénsque aliquando nemine persequente, nec viso hoste;) quas describunt iidem auctores, pleniúsque Dubravius:) etiámque postquàm effectus omninò cæcus est eorum dux Ziska, dum qui oculum unum amiserat in pueritia inter æquales ludens, alterum ante oppidum cui Rabi nomen erat sagittâ perdidit; numquam tamen propterea castrensem laborem omittens, cùm cæco populo cæcus placeret ductor: adeò ut qui alieno ductu ad incedendum egeret, ipse cæcus copias ducens, de oculatissimis Principibus, numerosissimísque exercitibus nobilissimas tulerit victorias; re apud posteros (inquit Æneas [o]) plus admirationis habiturâ, quàm fidei. Quippe ubi audiret constitisse adversas acies, ordinem requirebat hostium, & prout audierat res suas disponebat: nec illum umquam fefellit existimatio. Denique scribit Aventinus [p] se literas vidisse Henrici unius ex Ducibus Bavaricis, è castris Sigismundi scriptas ad Cancellarium suum præsenti anno mense Iulij; quibus referebat exercitum Catholicum quinquies intrâsse Boëmiam; quinquies copiis, impedimentis, tormentis, curris, machinis, armis, annonâ, commeatu, supellectile, instrumentis bellicis, calonibus amissis, plerisque occisis, multis in fugâ obtritis; necdum viso hoste turpiter terga vertisse. Nec adeò abnuunt ceteri auctores quos diximus. E quibus observat etiam Dubravius [q] cùm Sigismundus ad stipendia militibus exolvenda magnam vim auri argentíque de templis abstulisset, se obligans ad restituendum ablatum; Thaboritas eum insectari cœpisse; interrogantes quis major hæreticus censendus esset, illéne qui pictas & ligneas, an qui aureas & argenteas imagines è templis exigerent, & conflarent? Quasi verò illis ipsi parcerent, in perniciem templorum & totius Ecclesiæ.

SIGISMUNDI INFELICES EXPEDITIONES.

[n] *Ext. ap. Cochlæ. lib. 5.*

DUX CÆCUS VIDENTES PROSTERNIT.

[o] *Æn. c. 44.*

[p] *Avent. lib. 7.*

[q] *Dubrav. lib. 24. in fi.*

VI. Quod verò sunt [r] qui putent hoc tempore, hócque ipso anno usum Bullæ Cœnæ Domini ortum habuisse contra Boemorum hæreses; eâ ratione ducti, quòd Doctores Scholastici de eâ non meminerint: oppidò eos falli existimamus, cùm longè antiquiorem eam esse, vel ex Clemente V. intelligi detur, qui centum ampliùs antè annis disertè meminit [s] de diebus solemnibus, quibus Romani Pontifices processus consueverant facere generales; idque ex Bonifacio VIII. ipso etiam antiquiore, quos dies tres numero fuisse, videlicèt Iovis sanctæ, Ascensionis Domini, & Dedicationis basilicæ Apostolorum mense Novembris, Glossa observat; meminítque alibi Panormitanus [t]; ejusque rei usum vidimus etiam olim sub eodem Clemente & Ioanne XXII. ipsius successore. Processu verò temporis nonnisi semel in anno fieri consueverunt: auctore fortè Martino Papâ; cujus tempore aut paulò pôst vivens Antoninus, refert [u] ejusdem Martini constitutionem annualem promulgari solitam in Cœnâ Domini contra multa genera hominum ibi expressa.

[r] *Navar. in cap. ita quorumdam, de Iuda. notab. II. in gloss. ult. num. 23. Graff. Decis. par. 1. lib. 4. cap. 18. nu. 3.* DE ORTU BULLÆ COENÆ DOMINI.

[s] *Extravag. com. de dol. & contum.*

[t] *Panormit. in cap. ex communic. ext. de rap. & incend.*

[u] *Ant. Sum. par. 3. tit. 24. cap. 72.*

VII. Inter hæc in Galliâ Philippus Dux Burgundiæ necis paternæ vindictam non solùm in subversionem regni, verùm etiam in totalem Coronæ Franciæ extinctionem, à quâ ipse quicquid erat habebat, & ad quam jus habere poterat proximioribus deficientibus, cæcâ mente convertens; urbem regiam, cum aliis quamplurimis, Regémque ipsum, Reginam, & Catharinam virginem quam sæpè Rex Angliæ in uxorem postulaverat, (quæ omnia in potestate patris fuerant, & ab hominibus factionis suæ detinebantur) eidem Regi Angliæ incruentâ victoriâ nullo negotio tradidit. Qui Trecas accedens, nuptias cum Catharinâ (patre præsente, & quòd nec sui, nec regni, nec mentis potens erat, nihil detrectante; matre naturæ fines egressâ magis hosti quàm filio favente) celebravit ad principium Iunij: his priùs stabilitis legibus, ut idem Anglus, si socero Regi superstes foret, liberíve ex Catharinâ procreati, in regnum Franciæ succederent; intereáque, regnum ipse Henricus administraret, Rectórque & heres Franciæ diceretur. Concordiæ articulos breviter historiæ suæ inseruit Walsinghamus [x]; ac pleniùs uti conditi sunt Monstreletus [y]. Promissaque alia Iuvenalis ait, quæ præ eorum iniquitate & malitiâ referri non deberent. Retulit tamen Tilius [z] harum rerum scientissimus, & iniquitatem eorum aperit. Adeò certè divino

PHILIPPUS DUX BURGUNDIÆ REGEM REGNÚMQUE FRANC. ANGLO TRADIT.

[x] *Walsingh. in Henr. V.*

[y] *Monstrel. tom. 1. c. 224.*

[z] *Til. in Tract. Fr. & Angl.*

agente numine in his excæcati omnes, ut iisdem ipsis articulis, quibus volebant Carolum Regem hæc concedere Anglis, disertissimè agnoverint, exposuerintque tunc eum fuisse mentis impotem. Et sic defecerunt scrutantes scrutinio. Aderat verò his etiam Rex Scotiæ; quem Anglus captivum detinens secum duxerat, quò Scotos qui in auxilium Delphini venerant ab eo averteret; qui nihilominùs Delphino fideles permanserunt; quorum præcipuus ductor Ioannes-Stuartus Comes Buchaniæ factus est ab illo Connestabilis regni. Postquàm autem prædicto nomine Anglus aliquot alias urbes, quæ à Delphino stabant, in potestatem suam redegisset, tyrannicè in iis se habens, ut Iuvenalis conqueritur, adeò ut quibusdam captivis pro pane fœnum exhiberetur, mortui alligarentur vivis, alij variis afficerentur contra fidem datam tormentis & calamitatibus) secum ceteros Reges velut in triumphum Parisios duxit: ubi primâ Dominicâ Adventûs ingenti lætitiâ à stulto populo omnibúsque ordinibus exceptus est; gementibus nihilominùs sapientioribus patriæ servitutem. Postinde solicitante Burgundo, die vigesimâ tertiâ Decembris actâ magno apparatu coram Regibus causâ necis ipsius parentis, noxam contra Delphinum ejúsque comites concludente Burgundi advocato, necnon regio advocato parlamenti, & doctore quodam Theologo pro Universitate; (sic enim omnes in tranquillitate pro Rege regnóque leones, turbido tempore cervos agere consueverunt:) Delphinus voce præconis citatus, diéque dictâ absens, pronunciatus est indignus qui succederet in regum, exilióque perpetuo mulctatus; omnesque necis conscij suppliciis ignominiosis damnati, bonis omnium fisco addictis. A quâ multis nominibus iniquissimâ (ut multis scriptis ostenderunt) sententiâ Delphinus [a] ad Deum & ad gladij sui mucronem provocavit: quorum tandem auxilio, tam de Anglis quàm de cunctis aliis suis & regni hostibus gloriosissimè triumphavit, ut posteà videbitur. Ad quem etiam cunctorum patriæ amatorum, quibus liberum fuit, concursus factus est, ut in quo omne præsidium regni positum esset. Interim verò Rex Anglus re feliciter gestâ in Angliam unà cum conjuge Catharinâ revertit; eo applausu eâque magnificentiâ à suis exceptus, quibus decuit ob tam facilè partam nobilissimi regni possessionem. Quamdiù verò retinuerit videbitur posteà.

REX ANGLIÆ RECIPITUR UT RECTOR ET HERES REGNI.

DELPHINUS DAMNATUR, ET APPELLAT.

a Iuven. in Car. VI. Monstrel. cap. 231. & 238.

VIII. MANUELIS IMP. GRÆC. ET MARTINI PP. MUTUÆ LEGATIONES DE UNIONE ECCLESIÆ.

In Italiâ Martinus Papa Florentiæ adhuc existens, (ut narrat Platina) oratores suscepit Manuëlis Græcorum Imperatoris, pollicentes Græcos quod ad fidem pertineret, velle in sententiam Latinorum venire, si æquæ conditiones proponerentur. Quos perbenignè ac splendidè Pontifex habens, Legatum à latere creavit Petrum Fonsecam S. Angeli Diaconum Cardinalem hominem Hispanum in quàvis facultate doctum, qui Constantinopolim ad res componendas proficisceretur: præmisso tamen priusquàm eum dimitteret, Fr. Antonio Massano Ordinis Minorum generali gubernatore, qui Imperatoris ac Græcorum exploratâ sententiâ, quid eâ in re posteà sperandum esset Pontificem admoneret. Extat ejus legationis relatio, de quâ posteà [b]: ex quâ constat, oratores Imperatoris qui Florentiam venerunt fuisse Theodorum quemdam Episcopum, & Nicolaum Eudemonem-Ioannem. Cujus etiam meminit Ioannes Imp. Manuelis filius in Synodo [c] Florentinâ post Sessionem XXIII. cùm suos Græcos alloquens, reducit in memoriam, patrem suum philosophicis ac Theologicis facultatibus excultissimum, eo tempore quo erat in Isthmo, (de quo dictum superiùs) unà cum Euthymio Patriarchâ summo Theologo qui aderat unionem Ecclesiæ meditatum esse, ac per Eudæmonis-Ioannis missionem aggressum: De cujus operis prosecutione dicetur posteà suis locis. Hîc tamen interim monere visum, reperiri in Historiâ Eliæ Appamiensis Fuxensium Comitum, & in vitâ Petri Fuxensis Cardinalis, qui schisma Petri de Lunâ pòst extinxit; fuisse eumdem ipsum Fuxensem Cardinalem missum à Martino Papâ ad Imperatorem Græcorum: erroréque factum, ut pro Fuxensi Fonseca positus fuerit: ac Fuxensis Hispanus dictus, quòd & Fuxi provincia Hispaniæ finitima sit, & Petrus maternum genus ex Aragoniis Principibus duceret; ut fuêre sæpè duæ illæ familiæ fœderibus nuptiarum conjúctæ. Cui tamen nominum ac verborum immutationi nequaquàm adhærendum existimamus; tum quòd prædictus Massanus Nuncius oratione ad Imperatorem habitâ Constantinopoli, ut videbitur, excuset Legatum quòd non potuerit ob morbum Constantinopolim pergere: Elias autem disertè asserat, Petrum Cardinalem Fuxensem eò pervenisse, & cum Imperatore de necessitatibus Ecclesiæ tractâsse, bonaque verba retulisse: tum etiam quòd in ejus epitaphio [d], ubi præcipuæ ejus res gestæ aliáque legatio Hispanica memorantur, nihil agatur de hâc Græca quæ omittéda non erat.

b Infr. an. 1421. III.

c Inf. an. 1436. III.

DE LEGATIONE PETRI FUXENSIS CARDINALIS.

d Ap. Ciaccon. in Bened. XIII. & Frizon. Gall. purp. lib. 4.

IX.

Interim Martinus recuperatâ per deditionem Bentivoli Bononiâ; cùm [e] ex cantilenis puerorum Florentinorum, passim dicentium suâ linguâ rhythmicè, *Papa Martino non val un quatrino*, hoc est, Papa Martinus non valet unum quadrantem; existimaret hoc à pueris non ex se ipsis, sed impulsu hominum malevolorum concini: inde nonnihil in Florentinos commotus; demotus eâ opinione fuit per Leonardum Aretinum secretarium suum quanta ei prospera Florentiæ contigissent enarrantem, quæ non facilè alio loco consequi potuisset. Rebus igitur pro tempore pacatis, Romam petere constituens, in munus incolatûs sui plusquàm annui, civitati id supplicanti concessit, ut Ecclesia Florentiæ ex Episcopali promoveretur in metropolitanam, addictis tunc ei Fesulanâ & Pistoriensi tantùm, ut Antoninus [f] habet; cùm Platina [g] etiam Volaterranam adjiciat. Recedens autem Florentiâ mense Septembri, Romæ non secùs ac quoddam salutare sidus, (ut idem Platina refert) vel unicus patriæ parens receptus est; ita ut dies ille in Fastis à Romanis annotatus fuerit decimo Calendas Octobris. Qui eam adeò desolatam inveniens, ut nulla videretur urbis facies, nullum urbanitatis in eâ indicium, collabentibus domibus, collapsis templis, desertis vicis, solâ regnante rerum omnium caritate & inopiâ, animum ad eam exor-

e Anton. tit. 22. c. 7. §. 2.

MARTINUS PP. IRRIDETUR FLORENTIÆ.

FLORENTIAM ERIGIT IN METROPOLIM.

f Ant. ibi d. g Plat. in Mart. V.

ROMAM APPELLIT.

nandam, componendósque civium mores ita adjecit, ut brevì convalescens meliorem faciem præ se tulerit: eámque ob rem Urbs ipsa eum non modò Summum Pontificem; verùm etiam Patriæ Parentem appellaverit.

X. BRACCII INSOLENTIA IN EUM.

Passus autem rursùm Braccium Perusinum adversarium, adeóque suî contemptorem, ut jactaret[h] ejus se statum suppressurum, & ad celebrandum Missas privatas pro uno bajoco (genus est monetæ Italicæ, valentis sex denarios Turonenses) compulsurum: brevì divino auxilio liberatus est ab ejus persecutione. Quippe qui à Ioannâ Regiâ vocatus in auxilium adversus Sfortiam, qui partem Andegavensem in odium Reginæ exsuscitans civitati Neapoli instabat; cùm post hæc in id superbiæ culmen ascendisset, ut sibi persuaderet his tumultibus regnum adepturum: missis adversus eum à Pontifice auxiliaribus copiis, initâ gravissimâ pugna, idem Braccius quamvis sub alio habitu dimicans, ab exulibus nihilominùs Perusinis in eum solum intentis agnitus, & occisus est; atque ut hostis Ecclesiæ & excommunicatus (sicut scribit Antoninus[i] hæc narrans) animâ & corpore mortuus sepultus est in inferno, corpore inhumato projecto. Cujus tamen exitum non anno præsenti, sed tantùm post quadriennium, nec tempore prædicti Sfortiæ, sed sub ejus filio Francisco contigisse, Corius & alij narrant, rémque paulò aliter describunt. Quare & dicetur de eodem posteà ibi[k].

DAT POENAS TEMERITATIS.

h Ant. Ibid. §. 4.

i Ant. Ibid. §. 5.

k Infr. an. 1424. II.

XI. ALFONSUS REX ARAG. ADOPTATUR A IOANNA.

Quod verò diximus de suscitatâ parte Andegavensi; contigit id à Sfortiâ patre: qui Carracciolo Reginæ adultero infensissimus, ut eum deturbaret, Ludovicū ejus nominis Tertium, Ducem Andegavensem, filiúmque alterius Ludovici qui de regno cum Ladislao contenderat, è Galliâ accivit, annuente Pontifice, in spem ejus recuperandi: à quo etiam ipse Sfortia Connestabilis regni creatus est, sicut & fuerat à Pontifice Vexillifer Ecclesiæ. Contra quos ut se Reginámque Caracciolus muniret, per quemdam Malitiam ab insitâ vafritie nominatum evocavit in auxilium Alfonsum Aragoniæ Regem, qui tunc in expeditione Corsicanâ occupatus erat adversus Genuenses: (qui fortiter ejus conatibus, & immodicæ, ut loquuntur[l], proferendi imperij cupiditati restiterunt: facti tamen mox ipsi subditi Philippi Ducis Mediolanensis: ita vesana hæc civitas, nec libera, nec subdita quiescere umquā scivit:) eúmque in filium & hæredem adoptari à Reginâ curavit. Cui etiam adoptioni Pontificem consensisse tradunt, quamvis alioqui satis ad Ludovicum propensū. Sed quæ de his dicentur inferiùs[ll], videntur huic assertioni omninò contradicere. Si verò id Martinus præstitit, vel malitiæ temporis hoc dedit, vel ne irritatiorē in se Alfonsum redderet; qui jam anteà (ut vidimus) minas intentârat de præstando rursùm favore Benedicto Lunensi adhuc superstiti. Et utut sit, ex hâc infaustâ & adulterinâ quomodocumque factâ adoptione, non solùm Reginæ maximæ partæ sunt, ut videbitur, calamitates, & Sedi Apostolicæ non minimæ angustiæ; verùm etiam natā internecina & diuturna bella Gallis & Hispanis, alia ex aliis ad nostram ferè ætatem nexa. Cùm verò armis inter prædictos Reges Ludovicum & Alfonsum agi cœpisset, missi à Martino Papâ duo Cardinales Legati inducias anno sequenti inter eos composuerunt. Quæ ut contigerint narrant Blondus[m], Corius, Collenutius, Summontius, atque alij fusiùs[n]. Quæ verò secuta sunt in mobilissimâ gente, à mobilíque Reginâ, dicentur posteà suis locis.

l Foliet. lib. 10.

ll Infr. ann. 1423. IV. V. 1436. I.

m Blond. 3. dec. 1. Cor. par. 4. Coll. lib. 5. Summont. lib 4.

n Barthol. Facci. lib. 1. de Reb. Alphons. [illegible] Annal. lib. 13.

XII. HENRICUS LUSIT. NOVARUM TERRAR. DETECTIONI INCUMBIT.

Hoc item anno quo ad novum regnum aditus Aragonio aperiebatur, majoris quoque spes Imperij Lusitanis affulsit. Quippe cùm Henricus[o] Dux Viscensis & Militiæ Iesu Christi in Lusitaniâ Magister, Ioannis Regis filius, ex astrorum cognitione, in quâ magnam vitæ partem consumpserat; suspicatus esset, in Oceani maris vastitate ad novas insulas novásque gentes cursum patere: negotio cum aliis peritis communicato, & cujusdam visionis monitione, ad rem diligenter agendam excitatus, missis classibus rem tentavit. Hócque primùm anno Olisipponem inter & Fortunatas insulas, medio propemodùm intervallo, insula reperta est; angusta quidem spatiis, ceterùm eximia cæli solíque bonitate: uti condensæ silvæ indicio erant, cæduáque materia; unde & insulæ *Madera* nomen (hoc est à ligno, sive materie) est factum. Ab hócque principio extima Africæ littora lecta fuêre, atque ad ultimas orientis Solis oras penetratum, magnâ nominis Lusitani gloriâ, paríque proventu. Qui verò tam arduam navigationem suscipere ausi sint, tres præcipuè memorantur; *Ioannes Gonsalvus* Zarcus & *Tristanus Vasous*, qui prædictam insulam Maderam ad Lusitanicum imperium adjunxêre; atque *Ægidius Annius*, qui Syrtibus evitatis, & accuratè observato maris æstu recessúque, Ganariam promontorium flexit, & Christianæ fidei ad Hesperios Æthiopas aliásque inaccessas anteà nationes aditum aperuit. Ne verò conquirendi ardor in posteris refrigesceret, Henricus Princeps harum navigationum præcipuus auctor & impulsor, à Martino Pontifice impetravit, (fuitque idipsum ab aliis deinde Pontificibus confirmatum) uti quicquid à Ganariâ promontorio ad ultimam usque Indiam patefieret, id quàm optimo jure & conditione Lusitanicæ ditionis esset. Quievit nihilominùs hæc navigatio post Henrici obitum, qui contigit anno Christi 1460. quousque resumpta est felicioribus progressibus sub Ioanne II. Lusitaniæ Rege, ut suo loco videbitur. Quæ autem hactenùs gesta esse diximus, accuratè descripta videre est in diligenti Historiâ Asiæ *Ioannis Barrosij* Lusitani; ex quâ multi exscripsêre.

o Marian. lib. 20 cap. 11. Von. de Reg. Portug. gest. Maff. de Reb. Indic. lib. 1.

MADERÆ INSULÆ INVENTIO.

XIII. CONCIL. SALISBURG. PRO RESTITUTIONE DISCIPLINÆ.

Hoc eodem tempore celebratum reperitur *Concilium Salisburgense* in Germaniâ ab *Eberardo* Archiepiscopo & comprovincialibus Episcopis, ad restituendam disciplinam tēpore Schismatis collapsam & labefactatam: cùm jam (ut aiunt Acta[p]) post electionem Martini Pont. Ecclesia Romana & Vniversalis unico & indubitato gubernaretur pastore. Quo quidem confirmatis omnibus & singulis statutis Guidonis S. Laurentij Presbyteri & Ioannis Tusculani Episcopi Cardinalium Apostolicæ Sedis Legatorum, de quibus aliàs actum; necnon Friderici, Chunradi, & Pilgrini Archiepiscoporum, iisdémque observari jussis;

p Concil. edit. Bin. poster.

jussis, novis morbis emergentibus nova remedia adhibita sunt, plurimis conditis canonibus & statutis de fide & moribus, quæ videre est in Tomis Conciliorum. Quorum pleraque, aliáque nonnulla posteà publicata fuêre in Synodo diœcesanâ ejusdem Ecclesiæ per Ioannem tunc Archidiaconum, deinde Archiepiscopum prædicti Eberardi successorem.

IESU CHRISTI Annus 1421.
MARTINI V. Ann. 4.
SIGISMUNDI Ann. 12.
IOANNIS VII. Annus 3.

I. HUSSITARUM BOEMORUM QUERIMONIÆ DE SIGISMUNDO.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo vigesimo primo, Indictione decimaquartâ, Hussitæ hæretici à Sigismundo Rege, post publicatam Martini Pontificis jussu adversus eos crucem (ut vidimus anno superiore) armis impetiti; licèt vim eorum & ipsi armis feliciter hactenùs repulissent, tamen ut etiam ratione ac jure niti viderentur, ad invidiam rebellionis & hæresis, quibus maximè apud Christianos infamabantur, à se removendam, rebellionis culpam in Regem ipsum literis publicis rejicere, hæresis crimen per Concilium provinciale purgare conati sunt. Extant enim apud Cochlæum [a] utriusque rei monumenta hujus anni. Atque imprimis epistola encyclica Conradi Archiepiscopi Pragensis, (qui à fide Catholicâ apostatans iis adhæsit) ac Baronum, civitatum & communitatum Boëmiæ, ad ceteros Principes & civitates regni, data anno præsenti, Sabbato (ut ponunt) post Marcelli, mense Ianuarij, quâ Sigismundum criminantes de permissâ nece Hussi contra salvum-conductum, Cruce contra ipsos promulgari jussâ; devastatione & expilatione regni Boëmiæ; multis cōtra jus fásque supplicio affectis; Marchionatu Brandeburgensi absque regni consensu alienato, Coronâ & Tabulis regni ablatis; thesauris Ecclesiarum direptis; regno, ejúsque Baronibus per multiplices calumnias infamatis; nobilibus improvidè in bello morti expositis; libertatibus regni violatis: Petebāt hæc cuncta à Sigismundo reparari ac resarciri: hortabantúrque omnes non solùm à molestatione regni desistere, verùm etiam pro ejus defensione insurgere; cum nimis, nî utrumque facerent, se in eos, uti honoris regni desertores, duriùs processuros. Declarantes denique, numquam se à Quatuor Articulis inter ipsos cōclusis abscessuros: videlicèt de ministrandâ publicè omnibus communione sub utrâque specie; prædicando liberè ubique Verbo Dei; abscindendâ superfluâ Cleri dotatione; omni peccato mortali in quolibet statu per reformationem destruendo. De quibus Articulis latissimè disputatum est postea in Concilio Basileensi: qui etsi quamdam habeant speciem pietatis, verè tamen virtutem ejus maximè abnegant: ut non solùm tunc ostensum est, verùm etiam ab ipso Sigismundo apud Dubravium [b] ubi primùm ei oblati fuêre. Criminationes verò in eum intortas diluit Cochlæus [c]. Qui nihilominùs Sigismundum regno deturbare quærentes, illud Wladislao Poloniæ Regi, quem sciebant ob susceptam à Sigismundo contra ipsum Cruciferorum protectionem alienato esse ab illo animo, offerre decreverunt, missis ad eum eâ de re nunciis: Ziskâ nequicquàm adversante, qui nullum potiùs quàm aliquem Regem volebat, negans liberis hominibus Regem habendum esse. De negotiatione verò nunciorum hoc anno in Poloniam missorum, dicetur commodiùs sequenti.

QUATUOR ARTICULI BOEMORUM.

[a] Cochl. Hist. Hussit. lib. 5.

[b] Dubrav. lib. 24. in fin.
[c] Cochl. d. lib. 5.

II. CONCILIABULUM HUSSITARUM.

Quod Conciliabulum Hussitarum spectat; (*sanctam Synodum* ipsi vocant:) habitum illud est hoc ipso anno Pragæ die septimâ Iulij, sub eodem apostatâ Conrado Archiepiscopo, & de mandato, ut ponunt, Baronum, nobilium, ac civitatum regni Boëmiæ & Marchionatûs Moraviæ; præsidentibúsque quatuor Magistris. Editique sunt viginti duo articuli, quos idem Cochlæus recitat, fidem eorum continentes & explanantes de sacrâ Scripturâ, symbolis, & Ecclesiâ primitivâ; de directoribus Cleri; de sacramento Eucharistiæ, de ritibus Missæ; de morum Cleri reformatione, & ne civiliter aut sæculariter denominentur; de Confessione auriculari non prohibendâ; de Chrismate in ecclesiis retinēdo; & aliis: in quibus etsi nō pauca sint ritè ex doctrinâ & praxi Ecclesiæ decreta; sunt tamen & alia ambigua; quædam contraria, multáque fraudulenter de receptis Ecclesiæ ritibus recisa, quæ se ex certis causis deseruisse profitentur. Intercessit porrò inter Clerum Pragensem & Thaboritas dissensio eò quòd Pragenses in omnibus ferè cum Ecclesiâ sentirent, exceptâ necessitate usûs promiscui calicis; (unde & *Calixtini* vocabantur) Thaboritæ cum Wickleffistis omnem penè doctrinam Ecclesiæ subverterent, cunctósque ritus abolendos clamarent. Fuítque tam obstinata inter eos de his discordia, propositis utrimque articulis confessionum suarum, & obfirmatissimè defensis, ut nullis umquam tractatibus aut collationibus in concordiam reduci potuerint, quamvis sæpè tentatum fuerit: uti hæc prolixè apud Cochlæum videre est, meminítque Dubravius [d], non inscitum cujusdam inserens de calice, quem in parietibus, in vexillis, in templis pingere consueverant, distichon,

Tot pingit calices Boëmorum terra per urbes,
Vt credas Bacchi numina sola coli.

Harum porrò dissensionum causâ contigit, ut [e] cùm Pragenses Consules insolentiam Ioannis apostatæ Præmonstratensis, de quo suprà [f], ferre ampliùs non possent; eum in prætorium unà cum aliis novem scelerum principibus, tanquam cum iis de re publicâ acturi, intromissum statim gladio percusserint. Quod ubi detectum fuit, iidem Senatores tumultu populari occisi sunt: ac mulieres, quæ monachum veluti divinum habebant, caput ejus inter sacras reliquias aromatibus conditum servari obtinuerunt.

DISSENSIO INTER PRAGENSES ET THABORITAS.

[d] Dubrav. lib. 26.

[e] Æn. cap. 44.
[f] Supr. ann. 1419. VI.

III. ANGLI MAGNA CLADE AFFICIUNTUR A COPIIS DELPHINI.

[g] Iuven. in Car. VI. Walsingh. in Henr. V. Polydor. lib. 22. &c.

Hoc anno [g] sentire cœpit Henricus Rex Angliæ, nondum se Regem Francorum esse; nec pacificum regni Rectorem. Cùm enim frater ejus Dux Clarentiæ, quem in procuratione rerum Francicarum reliquerat, unà cum Comitibus Huntintonio, Sombresseto, Kenti, & aliis proceribus Anglis ex Normanniâ in Andegaviam cum valido exercitu pro-

gressus contra Delphinum Regentem; à Francis & Scotis; Delphino absente, ad vicum Baugium animosius quàm putabat acceptus, in vigiliâ Paschatis magnâ clade prostratus est, atque occisus unà cum eodem Comite Kenti, reliquis duobus cum pluribus aliis captis, duobus millibus occisis: qui verò reliqui fuêre, quò tuti abirent, desumptis candidis Francorum more crucibus, se Francos simulantes in Normanniam pervenerunt. Rem gestam, præter Gallos & Anglos, gloriosiùs describunt Scoti [h], quòd velint victoriam præcipuè suis deberi; atque in præmium rei benè gestæ, ducem eorum Comitem Buchaniæ creatum à Delphino Connestabilem regni. Rex autem Angliæ his auditis, in Galliam cum majoribus copiis rediens ad fraternam vindictam, peste ejus exercitum invadente, multa suorum millia tam morbo, quàm etiam fame, & oppidanorum ac rusticorum gladio amisit; & post quædam nihilominùs capta oppida, nihil non crudelitatis in Francos (ut eorum historici queruntur) omittens, ad hyberna Lutetiam se recepit: auctus interim filio, quem ei Catharina conjux peperit in Angliâ ad castrum Vvindesorium, cui nomen inditum paternum. Catharina autem simul atque partu levata est, ad virum venit multâ congratulatione accepta.

[h] Boëth. lib. 16. Buchan. lib. 10.

IV. INGENS AQUARUM INUNDATIO IN BELGIO.

Mense Novembri die decimonono in Hollandiâ, Zelandiâ, & Flandriâ, per maris tempestatem horrendæ factæ sunt inundationes. Inter Montem S. Gertrudis & Dordracum, tota illa fertilissima & ditissima regio unâ nocte ruptis aggeribus submersa est unà cùm septuaginta duobus pagis parrochialibus, misero hominum pecudúmq; interitu. Rem breviter narrat Meyerus [i], pleniùs Snous [k]. Sed Krantzius [l] nonnisi pagos sedecim absorptos scribit, Dordracum verò magnâ sui parte periclitatū esse.

[i] Meyer. lib. 16.
[k] Snou. Rer. Batav. lib. 9.
[l] Krantz. 11. Saxon. 8.

IESU CHRISTI Annus 1422.
MARTINI V. Ann. 5.
SIGISMUNDI Ann. 13.
IOANNIS VII. Ann. 4.

I. REX POLONIÆ RECUSAT REGNUM BOEMIÆ SIBI AB HUSSITIS OBLATUM.

Anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimosecundo, Indictione decimaquintâ, missi anno superiori legati à Boëmis hæreticis in Poloniam ad offerendum Regi Vvladislao regnum Boëmiæ, in expulsionem Regis sui Sigismundi; (hæreticali præsumptione, quâ docebatur subditorū esse Reges à Deo datos ad libitum deponere, aliósque sibi deligere:) cùm apud Regem questi de Sigismundi superbiâ & acerbitate regnum obtulissent; primò audierunt, Regem vicem eorum dolere, ipsum quoque multis insignibus injuriis à Sigismundo affectum: sed quoniam res difficilis esset, nolle quicquam de ea sine Vitoudi fratris (patruelis scilicèt) consilio statuere. Deinde cùm pars eorum in Lituaniam ad Vitoudum profecta (alterâ interim extra Cracoviam residere jussâ, ne in ea propter hæreticorum præsentiam supersederi sacris necessum esset) rediisset, præcisa apertè omni spe dimissi sunt. Quibus ad finem anni præcedentis sic gestis, præsenti rursùm remissi legati, responsum acceperunt; licèt tam Rex Vvladislaus quàm Vitoudus graviter à Sigismundo læsi fuissent, non esse tamen sibi in animo improbitate cum eo certare: scire se Boëmiam hereditario jure ad Sigismundum pertinere; religionémque sibi esse apud hæreticos regnare: curaturos tamē se omni ratione ut Boëmis eum, necnon Pontificem Romanum & Ecclesiam Catholicam, à qua descivissent, reconciliarent. Quòd si pateretur Sigismundus alium eos habere Regem, sive adeò non pateretur, modò illi in viam rectæ religionis redirent. Reipublicæ Christianæ causa alterutrum de ipsis, si ita Pontifici videretur, non esse recusaturum quin id regnum susciperet. Ita tunc illi. At tamen post hæc Vitoudus offensum se in causa Cruciferorum à Sigismundo Rege obtendens, Sigismundum Coributhum fratrem suum cum non contemnendis Polonorum & Lituanorum copiis in Boemiam ad recipiendum ac defendendum nomine suo regnum misit, si non annuente, certè non adversante Vvladislao. Isque à Pragensibus magnis exceptus honoribus, civitatem brevi ad meliorem formam redegit, nobilibus & qui quietè vivere vellent blandus atque amicus, in insidiosos atque facinorosos asperrimus vindex. Qui paulò pòst revocatus est ob renovatam inter Reges Sigismundum & Vvladislaum concordiam. Rem narrant pluribus Æneas [a], Cromerus, Dubravius, & Cochlæus. Hícque prætereà refert epistolam à Martino Papa duodecimo Calendas Iunij anno Pontificatûs quinto, videlicèt præsenti, ad Alexandrum (Vitoudum nempè) Lituaniæ Ducem scriptam de Boemorum protectione deserenda, cùm priùs literas ab eo accepisset de rationibus ob quas eam suscepisset; quarum inanitatem Pontifex ostendit, simul eum hortatus ut eos commoneret obedire Legato Sedis Apostolicæ à se illorum causa in Germaniam destinato.

[a] Æn. c. 44. Crom. lib. 18. & 19. Dubrav. lib. 26. Cochl. lib. 5.

II. BRANDÆ CARD. LEGATIO ADVERSÙS HUSSITAS.

Fuit is *Branda Castellioneus* Cardinalis Presbyter tit. S. Clementis; Placentinus ab Episcopatu dictus, sed patriâ Mediolanensis: missus à Martino ad sacrum in Hussitas bellum prosequendum, & mores corruptos Cleri reformandos. Cujus & meminit Nider [b], occasione cujusdam hæretici Hungari presbyteri & artium liberalium baccalaurei: qui nec vetus nec novum Testamentum, nec Doctores admittens, omnésque ritus & cæremonias ac Sacramenta Ecclesiæ respuens, (etiamsi ne detegeretur, Missam & alia Sacramenta nonnumquam celebraret:) necnon sectas omnes tam hæreticorum, quàm Saracenorum aliorúmque Infidelium deridens; nihil denique omninò credebat, nisi quantum à naturali philosopho demōstratione philosophicâ evidenter & efficaciter probari valeret, veluti demonstratur; unum esse principem totius universi, & primam causam. Qui à nonnullis doctissimis Theologis & Philosophis, qui cum eodem Cardinale Placentino venerant, sæpiùs disputatione convictus; postquam diù obstinatus permansisset, etiam usque ad vincula alacriter tolerata, & spontaneam postulationem ignis; demùm rationibus philosophicis de imbecillitate humani ingenij de judicio fallaci, & similibus impulsus, per

[b] Nid. 3. Formic. 10.

PRESBYTERI HUNGARI CONVERSIO.

divinum lumen illustratus est, & publicè perfidiâ revocatâ, ne ulterius mundo serviens à vanis deciperetur, Ordinem Paulitarum in Hungariâ florentem ingressus est.

III. De legatione Generalis Minorum Constantinopolim pro unione.

A Septentrione ad Orientem migrantibus occurrunt Acta legationis, quam vidimus à Martino Pontifice commissam Antonio Massano Ministro generali Ordinis Minorum; quæ cusa fuêre Parisiis anno 1612. unà cum Actis Concilij Pisani de quo suprà, & Senensis quod anno sequenti celebratum videbimus. Iis verò traditur, prædictum Antonium Massanum ad diem decimam Septembris præsentis anni Constantinopolim applicuisse, ac decimasextâ in præsentiam Imperatoris Manuëlis admissum, literas Martini Pontificis obtulisse: dúmque post aliquot dies legationem suam exponere haberet, Manuele in gravissimum morbum incidente, rem cum Ioanne ejus filio & quæ Imperatore, ac cum Iosepho Patriarchâ egisse; & primò quidem exposuisse vehementissimum desiderium Martini Pontificis & omnium Cardinalium de unione Ecclesiarum Græcæ & Latinæ quam legati Imperatoris & Patriarchæ Theodorus Episcopus & Nicolaus Eudæmon-Ioannes Florentiæ Pontifici obtulissent: cujus rei causâ tam ipse Antonius missus fuisset, quàm præcipuè Cardinalis S. Angeli destinatus ad celebrandum Constantinopoli Concilium Antistitum totius Græciæ & Orientis, sine quo non videbatur unio concludi posse, ne idem contingeret quod post Concilium Lugdunense, ut quamvis oratores Imperatoris adhæsissent unioni ac fidei Ecclesiæ Romanæ, minimè tamen Græcia id approbare voluisset, quòd id sine communi eorum Ecclesiæ consensu factum fuisset. Deinde excusatâ morâ adventûs prædicti Cardinalis, tum ex morbo quo detentus fuit in Hispaniâ multo tempore; tum maximè ex eo quòd literas ab eodem Theodoro Episcopo accepisset, quibus significabat Concilium Episcoporum Græcorum hoc tempore fieri non posse ob crudelissimum Turcorum bellum: omninò petiisse sibi indicari, quo tempore Concilium, quóque loco, & ex quibus Græcorum Prælatis celebrari vellent; & utrùm Patriarcha & Imperatores realiter amplexuri forent) sicut eorum nuncij promiserant) Ecclesiæ Romanæ fidem & obedientiam, etiamsi ceteri Græci qui non essent modò Imperio Constantinopolitano subditi eam detrectarent: Pontificem enim missurum Legatum à latere cum Prælatis & Magistris; & Cardinalem S. Angeli procuraturum auxilium armorum Regum Hispaniarum. Hæc Antonius.

IV. Responsum Imperatoris.

Ad quæ respondens Ioannes Imp. literis ad Martinum Pontificem rescriptis decimoquarto Novembris hujus ipsius anni, quæ iisdem Actis recitantur, imprimis contestatus est cupere se quidem unionem cum Romanâ Ecclesiâ; sed quòd dixisset Antonius Theodorum & Nicolaum ipsius Imp. oratores renunciâsse Pontifici, animi sui ac Patriarchæ esse, unionem sub fide & obedientiâ Ecclesiæ Romanæ amplecti; non solùm non se tale quid eis commisisse, verùm nec umquam in mente habuisse; sed tantùm ut Concilium universale fieret secundùm ordinem & consuetudinem sanctorum septem antiquorum, & quod suaderet Spiritus Sanctus id tenere. De loco verò, & modo, ac tempore celebrandi Concilij, nullum quidem locum aptiorem esse posse hoc rerum Græcarum statu ipsâ civitate Constantinopoli; quandoquidem ob ingruentia bella, & penuriam Imperij non possent Græci aliò ire. Quod ad modum, minimè necesse fore omnes Patriarchas & Episcopos interesse: eorum verò qui venturi forent & Concilij expensis à Pontifice provideri debere; quippe cùm id olim ab Imperio fieri consuevisset, jam deerat illi facultas. De tempore, tùm essent modò res adeò turbatæ, ut impossibile videretur Patres congregari; quamprimùm tranquillitas aliqua eluceret, certiorem se facturum Pontificem. Ultimò rogavit Pontificem ut censuris acerrimis ageret apud Christianos sibi subditos, ut Græcis in extremis laborantibus opitularentur. Hæc ille. Quid verò hinc secutum sit, dicetur posteà.

V. Prædicius Generalis abdicatur.

Interim de prædicto Antonio Massano nuncio Pontificio monemus ex sancto Antonino [c], fuisse quidem illum scientiâ Theologiæ & prædicationis arte eximium; sed quia nimis ordo relaxabatur sub illo, honesto modo fuisse privatum Generalatu, & translatum ad Episcopatum Messanum. De reformatione verò Ordinis factâ à Bernardino, diximus [d] non ita pridem: jam cetera videamus.

c Ant. tit. 14. cap. 9. §. 23.
d An. 1419.

VI. Henrici V. Reg. Angl. obitus.

Hoc anno rupit Deus cursum victoriarum *Henrici* Regis Angliæ: qui in castro Saltûs Vicennarum prope Parisios diem obiit penultimâ Augusti, ut Walsinghamus ponit; sive ultimâ, ut Iuvenalis & Monstreletus [e]: vel febre ex nimio labore contractâ, ut Angli habent; (qui etiam suspicionem veneni immiscent;) vel morbo S. Fiacrij, cùm vehementissimo ventris profluvio, ut plerique Franci & Scoti; vel igne sacro, & erysipile in ano, ut Monstreletus; aut etiam epilepsi, ut auctor Burdegalensis; vel denique morbo pediculari, ut Vvassemburgius [f], anno vitæ tregesimo sexto, regni nono & mense sexto. Qui moriens testatus est, votum se concepisse petendi Ierosolymam ad sanctam civitatem de manibus Infidelium eruendam. Quo sanè majorem gloriam consecutus fuisset, quàm Christianos sine causâ invadendo. Sed hi solent esse pij motus animorum, cùm ad finem vitæ pervenitur. Quales & fuisse patris ejus vidimus in ejus obitu [g]. Sed qui in vitâ recogitent, quærendi sunt in Mori Angli Utopiâ: cùm sit ita naturâ comparatum, ut proxima regna quàm longinqua appetantur, & quæ oculis exposita sunt quàm quæ auribus concupiscantur; denique quæ sua sunt quærantur quàm quæ Dei. Nec sanè ultima Henrici mandata de Ierosolymâ ab impiis Saracenis vindicandâ fuêre, sed de Galliâ legitimis heredibus auferendâ. Piè nihilominùs admodùm decessisse tradunt: quem & magnanimitate, prudentiâ, fortitudine, scientiâ militari, aliísque virtutibus inter omnes sui temporis Principes eminuisse, concors est omnium sententia. Reliquit Ioannem Ducem Bethfordiæ fratrem suum Rectorem regni Francorum, cum eo ut Duci Burgundiæ in omnibus adhæreret; Delphinū Gallia omninò pelleret; aut si non posset, numquam tamen

Ultima ejus man-

e Monstrel. tom. 1. c. 265.
f Vvass. lib. 7.
g Supr. ann. 1413. I.

ullas

DATA CONTRA FRANCOS.

ullas cum eo conditiones pacis iniret, nisi retentâ Normanniâ eo jure quo quæ optimo. Humfredo verò alteri fratri Duci Glocestrensi regni Anglici administrationem commisit. Utrique quoad Henricus filiolus tunc anniculus imperio maturus esset: cui etiam reservari voluit liberationem Principum ac procerum captorum prælio Azincurtensi, qui detinebantur in Angliâ. Hanc enim unicam prolem reliquit: ejúsque educationis specialem curam Thomæ Exoniæ Duci, & Henrico Vvintonensi Episcopo credidit. Funus amplum Parisiis & ad S. Dionysium ei factum, describit Iuvenalis: deductionem in Angliam Monstreletus: sepulturam in monumentis majorum apud Vvestmonasterium Londini, *Vvalsinghamus*; qui in eo Historiæ suæ finem imposuit: quæ per annos diligenter digesta, non parvo nobis usui fuit: majori futuro, si minùs æmulationis & invidiæ in exteras nationes, & odij in Francos habuisset.

VVALSINGHAMI HISTORIÆ TERMINUS.

VII. Ceterùm quamvis post Henrici obitum res Anglorum aliquamdiù constiterint tam in Galliâ quàm Angliâ: nihilominùs ut sunt rerum humanarum vicissitudines, quasi ipse fortunam suæ gentis ad cumulum felicitatis perduxisset; mox hebetatæ, paulò pòst interiêre prorsùs eorum vires, & recens gloriâ. Quod etiam ipsum præsensisse, Polydorus[h] & Harpsfeldius[i] narrant. Nimirùm cùm de Henrico filio nato nuncius allatus esset, mirâ illum lætitiâ exiliisse: at cùm natum audivit in castro Vvindesorij, conturbatum, perinde quasi locus ille nascenti puero fatalis esset, dixisse Henricum Vvindesoriensem amissurum omnia infeliciter, quæ ipse Henricus Monumethensis feliciter acquisîsset. Quam ejus qualemcumque vaticinationem effectu non caruisse videbimus: cùm *Henricus* iste Rex ejus nominis Sextus, non solùm quæ in Galliâ pater occupaverat, verùm etiam avitum Angliæ regnum unà cum vitâ, tam suâ ipsius quàm propinquorum culpâ perdidit.

h *Polyd. lib.* 22.
i *Harpsf. sæc.* 15. *cap.* 5.

HENR. VI. REX ANG.

VIII. Eodem anno post obitum generi mortuus est & socer *Carolus* Sextus Francorum Rex ex febre quartanâ, (ut quidam habent) vel, ut alij, ex mœrore tot turbarum regni; die vigesimâ octavâ Octobris, ut Iuvenalis ponit; sive vigesimo primo ut in ejus epitaphio legitur; ætatísque suæ anno quinquagesimo secundo nondum expleto, regni quadragesimo tertio per triginta quinque dies inchoato: adeò quidem populis suis charus ob probitatem, mansuetudinem, pietatem, ac liberalitatem, ut, sicut etiam aliàs diximus, *Benè-amati* cognomen ab iis sortitus sit: sed quo regnante, vel potiùs quo vivente, (si & vixisse dici potest in continuâ ferè mentis & corporis infirmitate, undecumque illa contigerit) ob malam primò administrationem patruorum, posteà æmulationem inter eos ac fratrem ejus, deinde malignitatem & perversitatem patruelium, postremò depravatam uxoris Bavaræ indolem, (de quibus omnibus dictum est superiùs) florentissimum Francorum regnum expositum est in prædam & exterorum & domesticorū, & intimorum & alienorum: ita ut nisi Dominus pro solitâ suâ in id benignitate manū tenus tendisset, proculdubiò casurum omninò fuisset nunquam in antiquâ stirpe resurgendum.

CAROLI VI. REGIS FRANC. OBITUS.

Sed ex quinque Caroli filiis reservaverat sibi Dominus novissimum, (ceteris ante patrem defunctis) per quem salutem regno afferret, atque illud in manu ejus ita firmaret, ut nunquàm, prout auguramur, à familiâ sanctissimi Ludovici avelli, aut in partes dissecari debeat.

IX. Fuit is *Carolus* ejus nominis Septimus: qui annum ætatis vigesimum nondum emensus, patris audito obitu, ex Delphino & regni Rectore; quibus nominibus post fratrum mortem hactenùs insignitum vidimus, *Regem se Francorum*, ut vere, juréque legitimo ac naturali erat, nuncupavit; posteà etiam jure gentium futurus, cùm ferè perditum armis & divinis & humanis fortiter recuperavit: unde & *Victoris* cognomen meritò consecutus est; cùm initio per derisum *Rex Biturigum* ab hostibus vocaretur, quòd frequentiùs ibi moraretur, & ferè retrusus ibi esset. Coronatus est autem Pictavis, cùm non daretur Remos, consuetum, non tamen necessarium inaugurationis locum, qui ab hostibus detinebatur, adire. Caroli autē patris funus Parisiis & ad S. Dionysium factum, descripsêre Monstreletus[k] & Iuvenalis. Nec potuit iste non Ducis Burgundiæ absentiam accusare; qui quamvis ad morbum & funus vocatus, ac plus solito expectatus, venire neglexit: cui nihilominùs Dux Bethfordiæ ex Angliâ redux, & Regentem se regni indigitans interfuit; lugente populo infrequentiam exequiarum, cùm nemo regij sanguinis, nec fere magnatum adesset; ut idem Iuvenalis queritur, finem hic imponens Historiæ suæ de Rebus Caroli VI. Adfuisse tamen sexdecim millia pauperum, Monstreletus habet, quibus larga eleemosyna facta est. Post quæ Angli ex ludicrâ illâ conventione matrimonij Catharinæ, Henricum pupulum, tam Parisiis, quàm in Angliâ, Regem Francorum & Anglorum proclamârunt, qui in Angliâ nutriebatur. De præcipuis verò rebus inter novos Reges eorúmque duces, quorum utrisque magna fuit copia, egregiâ fortitudine ac militari peritiâ præditorum, dicetur suis locis. Sed anteà vel hoc ultimo loco haud nobis omninò excidat, quod ipsius ferè regni Caroli VI. exordio factum volunt: nempè primum ipsum fuisse Regum Francorum, qui *Tres* tantùm *Liliorum Flores* pro insigni regio voluit deinceps adstare eo triangulari ordine quo conspiciuntur; cùm anteà incertus Liliorum numerus poneretur, seu (ut loquuntur) absque numero.

CAROLUS VII. PATRI SUCCEDIT.

k *Monstrel. cap.* 267.

TRES LILIORUM FLORES PRO REGNI INSIGNI À CAR. VI. INSTITUTI.

X. Nec item pereat quoad direptiones sub eodem Carolo factas in ejus regno, quod Bavarus Aventinus[l] narrat de Ludovico Bavariæ Duce fratre Reginæ, eum post obitum patris sui in patriam revertentem, potitum opibus regiis, secum abstulisse signa sacra, simulacra divorum, pretiosæ artis, aurea gemmata, Deiparam Virginem, Dionysios, Catharinam, Georgium, quinque Cruces, Ioannes Baptistam & Evangelistam, Michaëlem, Barbaram, Philippum, Petrum, Carolum Magnum, item pleraque omnia quæ Germania clenodia vocat, vulgus Boiorum Duodecim Nuncios sive Apostolos: præterea diademata, vasa, gutturnia, cantharos, malluvia, pateras, lances, patinas, circulos, pocula, cochlearia aurea, & hu-

l *Avent. l.* 7.

GALLIÆ SACRI THESAURI EXPILATI A DUCE BAVARIÆ.

juſcemodi: inſuper torques, annulos, uniones, adamantes, ſapphiros, ſmaragdos, carbunculos; alias gemmas, Gallici luxûs oſtentationem: quæ ipſe Ludovicus faſſus eſt ingenuè partim ſcelere parta, fraude, dolo, vi intercepta, partim ſibi à Carolo Rege, ac Reginâ Eliſabethâ donata eſſe, ſe quoque avarè, multa feciſſe. Ita Aventinus. Ut non mirandum ſi adeò concupiſcatur ab exteris Galliæ poſſeſſio, quæ tales fructus ferre ſoleat.

XI. [m] Leuncla. lib. 12. MAHOMETIS REGIS TURCORUM INTERITUS. [n] Phranz. lib. 1. c. 39.

Hoc item anno ponitur à Leunclavio [m] in Hiſtoriâ Turcorum obitus *Mahometis* illorum Regis in urbe regiâ Hadrianopoli; cùm regnâſſet annis octo, minùs aliquot diebus: quamvis anno ſuperiori Phranzes, & anteriorius alij collocent. Narrat idem Phranzes [n], eum ante obitum neceſſitate ductum tranſmittendi in Aſiam, ab Imperatore Græco rum ſeniore tranſitum per urbem Conſtantinopolim poſtulâſſe, animo in reditu eum aggrediendi quam ſic exploràſſet: cúmque omnes Imperatoris conſiliarij ſuaderent manus in eum injicere, Imperatorem omninò abnuiſſe datam fidem violare. Cùm autem rediiſſet Hadrianopolim, paulò pòſt ibi mortuum eſſe. Quatuor reliquit filios ſuperſtites: ſed ſuis injunxit, ut Amuratem, ſive Muratem, natu maximum, qui tunc in Aſiâ erat, in Sultanum acciperent; & ne interim dum ipſe evocaretur aliqui tumultus orirentur, mortem ſuam per quadraginta dies celaret, quouſque is regnum adeptus eſſet. Erat autem quidam Muſtapha, ſive filius, ut Græci volunt, ſive fictitius, ut Turcæ, Bajazetis qui fuit à Tamerlane captus; qui manus Mahometis evadens, à Græcis ſervatus fuerat in Lemno inſulâ. Mortuo igitur Mahomete, conſultatum eſt Conſtantinopoli, utrùm ſatius eſſet fœdus cum Amurate inire, qui adhuc in Aſiâ agebat; an verò Muſtapham ei opponere, & in regnum Turcicum Europæ evehere. Et quidem ſenex Imp. Manuel amicitiam Amuratis præferebat: & proceres Turcici qui Europam regebant multas & urbes & pecunias offerebant dum Muſtapha degereretur. Sed vicit Ioannis junioris Imp. ſentẽtia pro illo agentis, ob ſibi ab eo promiſſam Calliopolim amplam & copioſam munitámque Thraciæ urbem maritimam: & quòd prætereà ſperaret, dum fratres inter ſe digladiarentur, feliciores fore res Græcorum; & ſi fortè fieret ut alter Aſiæ, alter Europæ imperaret, diviſis viribus faciliùs ſubjugarentur iri à Chriſtianis. Quo factum eſt, ut Muſtapha quidem imperium Europæ obtinuerit, cunctis ſe ei dedentibus: ſed non ut proptereà Calliopolim Imperator habuerit, quantumvis eam vellet tradere aut velle fingeret Muſtapha: cauſantibus Turcis, eam ipſorum ſacris addictam eſſe, & impediri ſe religione; ſiquidem is primus erat locus, quem in Europâ obtinuiſſent, in quo primùm ſua ſacra tractâſſent, nec per legem ſuam licitum eſſe Chriſtianis reddi; cùm & prætereà iniquum exiſtimarent, nondum ſtabilito Muſtaphæ imperio urbem talem alienare. Cùm autem tranſmiſiſſet Muſtapha in Aſiam adverſus Amuratem; falſo allato nuncio de Græcis à ſe averſis, nullâ factâ pugnâ turpiter fugiens in Europam, perſequente eum Amurate, ab omnibus derelictus captus eſt, & ab Amurate laqueo ſuſpenſus Hadrianopoli. Poſt quæ mox Amurates exercitum Conſtantinopolim ducens, eam acriter oppugnavit: ſed poſt quatuor ferè obſidionis menſes re infectâ receſſit. Quando Græci aſcitum alium Muſtapham Amuratis fratrem puerum tredecim annorum ei opponere tentàrunt. Sed & ille poſt occupatam Nicæam Bithyniæ, in manus Amuratis traditus laqueo pariter vitam finivit: & *Amurates* confirmatus eſt in Imperio tam Aſiatico quàm Europæo: Græci verò longè debiliores facti ſunt quàm eſſent ſub Mahomete ejus patre. Hæc pluribus Chalcondyles [o]; quæ Phranzes [p] preſſiùs tractavit. De quibus nulla mentio in Turcorum Annalibus: quæ verò in iis reperiuntur de rebus inter Muſtaphas & Amuratem, & ab iſto contra aliquos alios rebelles Aſiaticos primò imperij ſui triennio, diffusè Leunclavius [q] recenſet. Cetera verò poſteà.

CERTATUR INTER FRATRES EJUS, AC LIBEROS DE SUCCESSIONE.

AMURATES SOLUS REGNAT. [o] Chalcond. lib. 5. [p] Phranz. cap. 40. [q] Leunclav. lib. 13. & 14.

XII. [r] Id. in Pandect. Hiſt. Turc. n. 89. GENUENSES QUID IN IIS PRÆSTITERINT.

Nunc autem minimè omittendum, referri [r] in prædictâ Turcorum Hiſtoriâ; dum Amurates Muſtapham illum fictitium ex Aſiâ fugientem inſequeretur, cunctis ab illo navibus Calliopolitani trajectûs in terram ſubductis, nullam inveniſſe quâ in Europam tranſmitteret; ſed inventâ unâ cujuſdam mercatoris, ejus operâ fretum trajeciſſe. Cujas verò fuerit mercator ille, non exprimitur. Exprimit verò Chalcondyles, cùm ait fuiſſe navem maximam Genuenſium, quæ fortè appulerat; mercedémque ei Amuratem ſolviſſe quantam voluit. Addunt alij, fuiſſe mercedem ſingulorum ducatorum; vel etiam binorum in ſingula capita. Indéque plurimi hallucinantur, (quod & aliàs [s] monuiſſe meminimus) navatam hanc fuiſſe Turcis operam à Genuenſibus tempore primæ Turcorum trajectionis in Europam: alij vero ſub Eugenio Papâ IV. cùm promiſſum fuiſſet Vuladiſlao Hungariæ Regi, impeditum iri Amuratis in Europam tranſmiſſionem. Sed his criminibus Genuenſes prædicta loca Hiſtoriæ Turcorum & Chalchondylis liberant. Cùm nihilominùs negari non poſſit, hanc Genuenſium mercatorum operam Amurati adverſus Muſtapham præſtitam, non leve Græcorum rebus attuliſſe damnum, fuiſſéque ceteris Europæ Chriſtianis populis valdè noxiam. Sed quibus eſt cor in auro, hæc parui pendere conſueverunt.

[s] Supr. an. 1349. VIII. & vid. infr. an. 1444. XI.

IESU CHRISTI Annus 1423.

MARTINI V. Ann. 6.

SIGISMUNDI Ann. 14.

IOANNIS VII. Ann. 5.

I. IUBILEUS ROMÆ CELEBRATUR. [a] Bullar. to. 1. Paul. II. Conſt. 7.

ANNO Chriſti milleſimo quadringenteſimo vigeſimotertio, Indictione primâ, celebratum eſſe Iubilæum Romæ, Onuphrius ponit in ſuo Chronico de Rom. Pontif. probatúrque conſtitutione [a] Pauli II. quâ diſertè ait Martinum V. reductionem per Urbanum VI. factam ad triginta tres annos ratam habuiſſe, & ad effectum deduci anno illo ingruente permiſiſſe. Cùm enim reductionem Urbani anno 1390. factam viderimus, Martini celebrationem in hunc incidiſſe neceſſe eſt;

non

non post biennium anno 1425. ut sunt qui ponunt [b]: cum alioqui paucissimi sint qui hujus Martinianæ celebrationis meminerint: fortè quòd ob bella quæ tam in universâ Italiâ, quàm in Galliâ & Germaniâ, aliisque regnis & provinciis vigebant, pauci Romam accedere potuerint.

[b] Ciaccon. & Bzov.

II. *Concil. Papiense inchoatur.*

Cùm autem hoc eodem anno tempus advenisset celebrationis *Concilij* PAPIENSIS, sessione XLIV. Concilij Constantiensis decreti; placuit Martino Papæ, (inquit Platina [c]) sentientibus etiam Cardinalibus omnibus, præmittere quosdam Prælatos qui illud inchoarent: videlicèt Petrum Donatum Archiepiscopum Cretensem, unà cum Iacobo Episcopo Spoletano, Petro Abbate Rosatio Ordinis Benedictini Aquileiensis diœcesis, ac Leonardo Generali Prædicatorum. Qui illud mense Maij (ut habet manuscriptus [d] Victorinus) inchoârunt: quamvis nulli adhuc transalpini advenissent, præter duos Abbates Burgundos; & quem Angli [e] addunt, Ioannem Bastonum Carmelitanum à Clero Anglicano missum. Cùm igitur ob paucitatem Patrum visum fuisset rem in aliquod tempus differre; grassante ibi pestilentiâ, post duos menses inutiliter trãsactos mutari locum placuit; assignatâ à Pontifice civitate SENARUM ad Calendas Novembris. Ita enim disertè auctor ille Victorinus tunc vivens. Recens tamen Historia [f] urbi Senensis, inchoatum ibi Concilium tradit die 22. Augusti: & cùm ingens numerus ex omnibus provinciis Antistitum, Doctorum, & Oratorum Principum advenisset, habitas fuisse sessiones aliquot: sed ortis nonnullis inter eos discordiis, Martinum qui Septembri mense adesse promiserat, sententiâ mutatâ prætextu pestilentiæ, quæ tamen nulla erat, veriúsque metu turbarum Alfonsi Regis, de quibus dicetur paulò pòst, permisisse Prælatos abire.

[c] Plat. in Mart. V.
[d] Cod. S. Vict. Paris. MM. 7. tract. de Concil.
[e] Pithœ. de Scrip. Angl.

Transfertur Senas.

[f] Malavolt. par. 3. lib. 1. ad fin.

III. *Acta Synodi Senens.*

At Victorinus auctor Sessionem primam hujus Senensis Concilij celebratam tantùm ponens octavo Novembris, præsidentibus pro Pontifice prædictis illis quatuor qui primùm Papiam missi fuerant, de rebus in Synodo gestis distinctiùs agens, ait Patres reformationem Ecclesiæ à fidei fundamento incipientes, damnationem hæresum Constantiæ factam, & à Martino pro viribus procuratam, confirmâsse, & ad eas penitùs extirpandas omnes Principes hortatos esse: Sententiam quoque contra Petrum de Lunâ ratam habuisse: atque in perseverantes post ejus obitũ quoquo modo in observantiâ aut quolibet favore ejus obediẽtiæ, aut ejus successorum, pœnas & censuras in dictâ sententiâ contentas pronunciâsse. Item cùm Papâ Martinus de reducendis ad ovile errantibus ovibus sollicitus, nuncios misisset ad Patriarcham & Imperatorem Constantinopolitanos, ad eos ad Ecclesiæ unionem exhortandos; iidémque nuncij retulissent Imperatoris responsionem, quòd talia his temporibus non possent fructuosè tractari, prout etiam in ejus literis aureâ bullâ munitis latiùs continebatur: nihilominùs Synodum decrevisse hoc negotium minimè deserendum esse, sed cum se facultas offerret, pro viribus ei intendendum. Additione quoque factâ Constitutioni Bonifacij VIII. de investigatione ac punitione hæreticorum faciendis & procurandis per dominos temporales locorum; statuisse ut quicumque eos ponerent in potestate Ordinariorum vel Inquisitorum, vel de suis territoriis expellerent, seu requisiti brachium sæculare contra eos præstarent; eam Indulgentiam consequerentur, quæ dari consuevisset personaliter proficiscentibus in subsidiũ Terræ Sanctæ. Mense verò Februarij anni proximi 1424. quia pauci Prælati ad hoc Concilium convenissent, nec spes esset deinceps venturos, ingruentibus ferè per universum Orbem bellis & calamitatibus diversis; ad prosequendam commodiori loco & tempore reformationem inchoatam, Concilio septennio pòst celebrando assignâsse civitatem Basileensem provinciæ Bisuntinæ; atque interim reformationes necessarias remisisse ad Martinum Pontificem, unà cum Cardinalium consilio, atque aliorum quos ipse duceret specialiter deputandos. Hactenùs ibi: quæ etiam fidem sibi vindicant tum ex Actis Synodi Basileensis [g]; ubi recitatur decretum de translatione Senensis in eam urbem; & numerantur nonnulli eorum qui huic Senensi interfuerunt, in quinque Nationes ex forma Concilij Constantiensis distincti: tum ex ipsimet Actis hujus Synodi Senensis, quæ in lucem data fuisse diximus superiùs [h] unà cum Actis Pisanis; in quibus ea quæ modò ex Victorinis brevi compendio narrata sunt, dilucidiùs explicantur. De rebus verò Græcis satis dictum anno præcedenti.

VII.

[g] Conc. Basil. sess. 1.
[h] An. 1422. III.

IV. De ceteris autem ait Platina, Alfonsum Aragonum Regem Martino Papæ infensum, quòd titulum regni Siciliæ & Neapolis obtinere ab eo nequivisset, datum paulò antè Cardinalium omnium consensu Ludovico III. Andegavensi, (qui eâ de causâ Romam post adventum Alfonsi accesserat, quíque etiam jam anteà collatum à Concilio Constantiensi vidimus [i]) oratorem ad Concilium Senas misisse, qui & Concilium in longum duceret, & causam Petri Lunæ adhuc in Paniscolâ superstitis restitueret, largitionibus, pollicitationibúsque ambiendo unumquemque ex his qui in Concilio auctoritatem haberent: Hanc ob rem Martinum non ignarum quantam calamitatem ea res Ecclesiæ Romanæ allatura esset, quantúmque periculi in morâ haberetur, mandasse Concilium statim dissolvi, approbatis decretis eo habitis quæ ad fidem pertinerent: Ac ne subterfugere conventum Christianorũ videretur, in sequens septennium Basileæ celebrandum adjudicâsse. Quæ pariter confirmant Hispanici [k] historici; ut non existimentur fœdi hi conatus Alfonsi, quem Magnum vocant, Platinæ esse, aut aliorum inventa. Addítque Mariana, interfuisse huic Concilio Ioannem Contrerium Archiepiscopum Toletanum, qui primus Archiepiscoporum illius Ecclesiæ, *Primatis Hispaniarum* nomen à Martino obtinuit. Ex prædictis autem omnibus, eorúmque perpensione & collatione satis intelligas, non audiendos esse eumdem Marianam, & Suritam, ac quosdam alios, cùm scribunt Petrum de Lunâ mortuum esse hoc ipso anno die Pentecostes decimo Calendas Iunias; quo nec ferè conventus Papiensis, nedum Senensis, inchoatus erat. Agetur igitur de ejus obitu anno sequenti, quo & alij ponunt;

[i] An. 1418. VII.

Foedi conatus Alfonsi Arag. contra Martinum Pont.

[k] Marian. lib. 20. c. 14.

Archiepisc. Toletanus obtinet titulum Primatis Hispaniæ.

l Monstrel. lib.1.c.13. in fin.

quamquam & æquè Monstreletus [l] præsenti collocet.

V. ALFONSUS RURSÙM QUERITUR DE MARTINO.

Pergit porrò Platina, Alfonsum post hæc palàm de Martino conquestum esse, ejus operâ sibi à Ioannâ Reginâ abrogatum regnum esse, & Ludovicum novum heredem institutum; sed Pontificem facilè hæc refellisse, cùm diceret Ludovicum heredem Ioannæ ab Alexandro V. & Ioanne XXIII. in regno priùs confirmatum fuisse: ad se autem pertinere feudatarios Ecclesiæ confirmare, non autem tollere nisi aliquod grande facinus in Sedem Romanam commisissent: nec se videre cur Ludovicus Ioannæ suo jussu coronatæ legitimus heres esse non posset.

VI. EJUS IN IOANNAM REGINAM INGRATUS ET FERUS ANIMUS.

Quod verò de abdicatione Alfonsi ait, sic se res habuit; ut cùm inter Ioannam & illum brevî post adoptioné suspiciones oriri cœpissent, móxque odia, ex eo quòd Alfonsus plus sibi auctoritatis rebus gerendis arrogaret, quàm pro cócessâ potestate, urbes ac nobiles in verba sua jurare compellens, legésque à gentis instituta mutare præsumens; denique cùm eam hæc ægrè ferre perspexisset, varium & mutabile ingenium feminæ veritus, eam in Cataloniam submovere deliberans; eò processum fuerit ut etiam ad arma ventum sit, Regináque in castro Capuano urbis Neapolis obsessa. A quâ in auxilium vocatus Sfortia, eam primò Nolam, deinde Aversam perduxit: ac post varias & ancipites inter eum & Aragonios factas intra ipsam Neapolim pugnas, eâ ab iis direptâ & magnam partem incensâ, habuit Alfonsus mense Octobri eam deserere, (relicto tamen in eâ præsidio) & in Hispaniam navigare; specie liberandi fratris sui Henrici à vinculis, & quæ tam in memoriam veteris audaciæ, quâ Catharinam Regis Castellæ sororem invitam ab invito sibi uxorem dari fecisset, eundémque ipsum Regem aliquo tempore veluti captivú detinuisset, quàm ob alia dissidia de regni gubernatione ab ipso mota, ab eodem Castellæ Rege conjectus fuerat. Qui in Hispaniam navigans, in trásitu Massiliá urbem, quæ Andegavensi parebat, nihil tale veritam improvisò aggressus, priùs occupavit quàm unde à quibúsve fieret vis, Massilienses scire potuissent; cámque diripuit; & magno opeis æpretio, sacra ossa S. Ludovici Episcopi Tholosani quæ ibi condita erant, Valentiá Hispaniæ detulit. Cùm intereà Ioanna Regina de suorum consilio, & approbatione Martini Pontificis, ejusdem Alfonsi adoptionem, tanquam ingrati & audacis, rescidisset, ac Ludovicum in ejus locum substituisset; publicatis eâ de re mense Iunio hujus anni per universum orbem literis. Vocatúmque eundem Ludovicum, qui adhuc Romæ erat, atque amantissimè susceptum, Ducem Calabriæ creavit. Quæ præsenti anno gesta, describunt plures auctores [m]: reliqua posteà.

ABDICATUR À IOANNA.

m Blond. 3. dec. 1. ad fi. Ant. tit. 22. c. 7. § 6. Colen. lib. 5. Constant. lib. 14. Summont. lib. 4. cap. 3. Cor. par. 4. Marian. lib. 20. c. 13 & 14. Surit. lib. 13. Facci. de R. Alfons. lib. 2.

VII. BELLUM INTER DUCEM MEDIOL. ET FLORENTINOS.

Quo item anno ortum est in Italiâ novum aliud bellum inter Philippum Mariam Ducem Mediolanensem, imperium dilatare quærentem, & Genuâ nuper Liguriáque obtentâ etiam Tusciam sibi subjicere aventem; ac Florentinos potentissimum ejusdem Tusciæ populum: adversante Florentinis Martino Pontifice, cùm ob verborum in ipsum quando Florentiæ erat contumeliam puerorum [n] à civibus non repressam; tum propter favorem quem Braccio Perusino Ecclesiæ & Martini hosti impendebant, orta occasione belli ex eo quòd Dux contra pacis fœdera Forolivium urbem Florentinis amicam, quamvis ditionis Ecclesiæ, occupâsset. Quod posteà bellum terrestribus navalibúsque præliis per plures annos vario marte gestum (illectis in Florentinorum contra Philippum societatem Venetis, Rege Aragoniæ, ac Duce Sabaudiæ) describunt Blondus [o], Poggius, Antoninus, & alij: de quibus erit aliquando locus agendi.

n Supr. an. 1420. IX.

o Blond. 3. dec. 1. 2. 3. Pogg. lib. 5. Ant. tit. 22. cap. 8.

VIII. CLADES GALLICÆ AB ANGLIS.

In Galliâ sub novis Regibus inter Francos & Anglos vario item marte hoc & proximis annis certatum est; vincentibus aliquando Francis, sed victis sæpiùs; maximéque ad Crepantum hoc anno, & sequenti apud Vernolium; ubi magna facta est eorum cædes, Scotorúmque, occiso etiam Connestabili, pluribúsque aliis proceribus aut necatis, aut captis, quantumvis non incruentâ Anglis victoriâ. Non tamen unquam totis copiis pugnatú est: sed vel ad urbium obsidiones, vel in fortuitis occursibus repentina prælia commissa, quæ tractant Monstreletus [p], Alanus Charterius [q], Meyerus [r], Polydorus [s], (sed iste, ut ferè de more, turbatis nonnihil temporibus) atque alij plures, quibus intelligas, Carolum valdè in arctum positum, quamvis & à Scotis & à Lombardis nonnullis auxiliis adjuvaretur, atque etiam Ducem Britanniæ, uti clientem, in partes suas allexisset; (cujus & fratrem Arturum Richemundiæ in Angliâ Comitem; Connestabilem creavit in locum occisi Buchani Scoti:) vix tamen ultimo subsistere potuisse contra Anglorum & Burgundi potentiam, nisi Deus omnipotens cælitùs succurrisset: cœpti ejusmodi ope in obsidione civitatis Aurelianensis anno 1429. ut tunc dicetur; ceteris bellicis interim omissis, nisi fortè quid speciatim notare necesse fuerit.

p Monstrel. lib. 1.
q Chart. in Vit. Car. VII.
r Meyer. lib. 16.
s Polyd. lib. 23.

IX. DISSIDIA BELGICA CUJUSDAM MATRIMONIJ CAUSA.

Erant item hoc eodem tempore dissidia bellorum in Belgio unius viraginis occasione. Fuerat Ioanni Delphino Franciæ, de cujus obitu dictum aliàs [t], uxor Iacoba filia unica Comitis Hannoniæ & Hollandiæ: quæ post ejus mortem nupta fuit dispensatione Pontificiâ Ioanni Duci Brabantiæ adolescenti sedecim tantùm annorum consobrino suo. Ejus hereditatem cùm ambiret alius Ioannes de Bavariâ ipsius patruus, qui relicto Episcopatu Leodiensi, quem continuis viginti octo jam annis subdiaconus tantùm administraverat, concessione Concilij Constantiensis uxorem duxerat, (vocatus inde cognomine *Sine pietate*) magnis contentionibus, necnon armis, inter eos certatum est; prævalétibus tamen Iacobæ causâ opibus ac viribus. His utcumque sopitis, Iacoba conquesta de viro, qui non erat explendæ ejus cupidini, quasi à matre ad eas nuptias coacta fuisset, quæ minimè sibi cordi erant; eo sub umbrâ insuper cognationis relicto, transmittens in Angliam nupsit Humfrido Glocestriæ Duci fratri Henrici Quinti Regis. Qui cùm eâ de causâ exercitum in Belgium duxisset; opponente se ei Philippo Burgundiæ Duce Brabantini cognato, in Angliam regressus est: & dimissâ Iacobâ, quòd sententiâ Martini Papæ ejus matrimonium declaratum esset nullum, aliam

t Supr. An. 1415. LXIV.

uxorem duxit. Iacoba verò animosa mulier bella per se ipsam gessit contra Brabantinum & Burgundum; & licèt victa non cedens, aliàs vicit. Mortuo autem ex morbo Brabantino, ipsâque sine marito existente; post aliquam concordiam cum Burgundo amitino factam, inde sumptu & jacturâ æris benè nummato cuidam Franconi Borsalio, nobili quidem, sed longissimè impari nupsit. Eóque à Burgundo capto; ut cum Iacoba libertati assereret, cessit Burgundo ditionibus suis, reservatis sibi nonnullis agris ad victum, vixítque deinceps cum Francone triennium; quousque anno demùm 1436. vivere desiit absque liberis. Historiam ejus prosequuntur diffusè Monstreletus [u], Aventinus, Meyerus, Snous, & alij rerum Belgicarum scriptores. In quam non illepidè quidam ita lusit:

Quatuor ipsa viros & habens, nec habens; sed iniquis
Vertumnis genita, mœsta Iacoba jacet.

quippe etsi illustris & genere & animo & factis, nihil tamen tam illustre in eâ quàm calamitas.

[u] Monstrel. lib 2. Avent. lib. 7. Meyer. lib. 16. Snou. lib. 10.

X. SYNODUS COLONIENSIS PRO REFORMATIONE.

In Germaniâ Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis *Synodum* provincialem habuit [x] mense Aprilis, pro reformatione quorumdam excessuum, ac speciatim clericorum concubinariorum, & quæstuariorum; & contra hæreses Vvicklefficam & Hussiticam. Quarum sectatores cùm non formidarent imagines Christi Domini, ac matris ejus ausu sacrilego comburere; statuit ut festum *Compassionis* ejusdem Beatissimæ Virginis, seu *Commemorationis* illius angustiæ & doloris, dum Redemptor noster expansis manibus in arâ Crucis pro salute nostrâ immolatus, eam dilecto discipulo commendavit, solemniter celebraretur deinceps singulis annis feriâ sextâ post Dominicam Iubilate (quæ est tertia post Pascha) in omnibus Ecclesiis provinciæ Coloniensis, secùdùm notas & historiam atq; homiliam de eodem festo compositas: ut Dominus noster Iesus Christus velamina de prædictorum hæreticorum cordibus auferre dignaretur, atque eosdem ad sacrosanctam Fidem Catholicam revocare, & Fideles ab erroribus & omni malo præservare. Et quicumque ejus festi Missæ cum devotione interessent, eis quadraginta dies Indulgentiarum largitus est: atque ut totidem singuli Suffraganei in suis diœcesibus superadderent hortatus est. Præter quæ, ab Antonio quoque Spinello Neapolitano Societatis Iesu in accurato Opere de Virginis Deiparæ laudibus, cui titulum fecit *Maria Deipara Thronus Dei*, tractatu de Festis observatur, festum *Dolorum Deiparæ*, quos cùm puerum Iesum sisteret in templo Simeon ei vaticinatus est, à Cistercienfibus die decimasexta Aprilis, ab aliis verò plurimis in locis, præsertim apud Atrebates, feriâ sextâ ante Dominicam Palmarum, solemni ritu celebrari consuevisse. Itémque apud Trajectum Societatem quamdam in eorumdem dolorum memoriam erectam esse, multáque facta in ejus comprobationem miracula, quibus omnibus institutionibus præluxit fortè noster hic Theodoricus Coloniensis.

[x] Collect. Concil. Colon.

VARIA FESTA ERECTA IN COMMEMORATIONEM DOLORUM DEIPARÆ.

XI. BALDI IURISCONSULTI OBITUS.

Hoc eodem anno (ut plerisque placet, cùm alium tamen nonnulli ponant) quarto Aprilis mortuus est Ticini, sive Papiæ, *Baldus de Ubaldis* Perusinus, Iurisconsultorum sui ævi princeps, decrepitâ prorsùs ætate, postquàm in juris professione versatus fuisset annis quinquaginta sex. Quem S. Francisci habitum cùm expiraret, induisse, nonnulli tradunt: fortè quòd in Ecclesiâ ejus Ordinis sepultus fuerit. De quo satis appositè Latomus:

Qui Baldum juri negat accendisse lucernam;
Ille potest medio Sole negare diem.

ITEMQUE ANGELI FRATRIS EJUS.

Eodémque anno (ut Thrithemius & Bergomensis habent) frater ejus *Angelus* Perusinus, studiorum ejus comes & socius, idémque inter Iurisconsultos celeberrimus, quorum extant plurima egregia opera; æquè mortuus est: ut qui in vitâ suâ dilexissent se, ita & in morte non separarentur. Alios verò eàdem familiâ plures diversis facultatibus insignes viros, Bergomensis enumerat.

IESU CHRISTI Annus 1424.
MARTINI V. Ann. 7.
SIGISMUNDI Ann. 15.
IOANNIS VII. An. 6.

I. SFORTIÆ DUCIS SUBMERSIO.

ANNO Christi millesimo quadragentesimo vigesimoquarto, Indictione secunda, ipso ejus initio inclytus ille bellorum ductor Sfortia, de quo sæpe superiùs; cùm bellū pro Martino Pontifice & Reginâ Ioannâ Siciliæ feliciter gerens, ad solvendam obsidionem urbis Aquilæ, quam à multo tempore Braccius insignis item dux, utriusque hostis, & Sfortiæ æmulus, cinctam tenebat, spe inde regnum aut bonam ejus partem adipiscédi; cum exercitu properaret: In transitu Aterni fluminis quà in mare interfluit, nocturnâ pluvia turgidi, dum filius ejus Franciscus jam trāsmissus hostes transitū impedire conātes funderet, ipséque adolescentem armigerum incautiùs progressum mersioni eriperet; concidente equo in amnem armis prægravis sub aquas tractus, absorptúsque est, ac nec vivus nec mortuus umquam ampliùs quamvis diligenter quæsitus apparuit. Mortuus est anno ætatis quinquagesimoquarto, nobili familiâ Attendulâ Romandiolæ sive Flaminiæ: cui *Sfortiæ* nomen (cùm Mutius diceretur) Albericus Balbianus olim præstantissimus Italicorū bellorū ductor Cunij Comes, cùm sub eo Mutius adolescens militaret, ob acriter repulsam aliquam sibi illatā injuriam, indidit, retinuéréque pro cognomine, avito relicto, posteri. De cujus virtutibus ac rebus præclarissimè gestis plenæ sunt Italorū historiæ tam Latinâ quàm vulgari linguâ scriptæ; nec tacent exteræ. Multam prolem reliquit tam ex justis cōjugiis quàm furto genitam: & ex furtivis filiis duo Franciscus & Alexander duobus initium fecêre Principatibus; ille Mediolanensi, hic Pisauriensi. Factúsque dux paterni exercitûs Franciscus, egregiè paternum obitum ultus est in Braccium.

II. BRACCII INTERITUS.

Qui quidem Braccius (ut tradunt) auditâ Sfortiæ morte altùm gemens, post effusas mortui laudes mœstior factus, cùm ab amicis causa quæreretur, respondit se à quodam fatidico accepisse sibi brevì post eum pereundum esse. Nec fefellit. Quippe immisso in eum exercitu

copiarum Pontificis ac Reginæ, cui & Franciscus cum turmis paternis interfuit; ingenti facto prælio die secundâ Iunij, idem Braccius suis in fugam versis, & ipse fugiens gladio caput percussus in terram dejectus est, captúsque paucis pòst diebus obiit. Ejúsque cadaver Romam ad Pontificem delatum, in commune sterquilinium, uti hostis Ecclesiæ acerbissimi, sæpiùs diris devoti, & impœnitentis mortui, extra portam S. Laurentij projectum est, vix levi cespite semitumulatum, quod posteà Nicolaus Fortebraccius ejus nepos, occupatâ Româ, pulsóque Pontifice, Perusium ejus patriam deportavit, & insigni funere in Ecclesiâ sepelivit. Interim verò post ejus obitum, Perusium aliáque loca Ecclesiæ ab eo occupata ad eam redierunt: Siciliæ regnum in manu Reginæ, ejúsque filij adoptivi Ludovici, ejusdem Martini & Philippi Ducis Mediolanensis operâ & auxiliis, confirmatum est: (reductâ etiam Neapoli, præter castrum novum, quod adhuc in potestate Aragonensium remansit:) & Florentini præcipuo rerum suarum adversus potentiam ejusdem Philippi fulcimento privati sunt. Agunt porrò de Braccij militari fortitudine auctores Itali [a]; ac vitam scripsit Campanus: mortuúsque & ipse dicitur eodem quo Sfortia ætatis anno quinquagesimoquarto, cùm ambo [b] ætate & genere fermè pares, ex prædicti Alberici Balbiani omnium sui temporis Italorum præstantissimi ducis, & qui artem & disciplinam militarem ad veram praxim reduxit, contubernio prodeuntes, & ab initio fraternâ caritate inter se conjuncti; ambitione posteà, & gloriæ atque potentiæ æmulatione, ex amicis hostes facti, ex adverso semper arma tractârunt; tanto etiam militum studio, ut ad alterum transîsse maximè turpe ac flagitiosum existimarent. Iisdémque tandem bello pereuntibus ac sepulturâ carentibus; id tamen maximè interfuit, quòd Sfortia pro Ecclesiæ defensione vincens, Braccius in ejus oppugnatione victus animas profuderint; illéque religioso casu sepulturâ caruerit, hic in pœnam scelerum & irreligiositatis eâ indignus judicatus fuerit. At de illis hactenùs.

[a] Ant. Platin. Blond. Bergom. Cor. Summont. &c.
[b] Iovi Elog. lib. 2.

SFORTIÆ ET BRACCIJ COMPARATIO.

III. PETRI DE LUNA OBITUS.

Alio mortis genere excessit è vivis hoc item anno (non superiori, ut ibi ostendimus: sicuti & de mense controvertitur, cùm nonnulli Septembrem, alij extremum Novembrem, quidam diem Pentecostes qui incidit in undecimam Iunij ponant:) inveteratus ille dierum malorum *Petrus de Luna*, olim Pontifex in suâ obedientiâ *Benedictus* nuncupatus: adeò in suâ obstinatione perseverans, ut & suos sacramento adjuraverit alium in suum locum eligere, quinimmò, ut habet auctor Burdegalensis illius temporis, etiam postquàm loquelam amisit, ne fortè rem negligerent, accepto calamo, suis qui aderant Cardinalibus injunxerit sub pœnâ maledictionis æterno, alium post mortem suam eligere in Papam. Quem quidem vel eo quòd triginta annos explens sui Pontificatûs (electus, ut vidimus, mense Septembri anni millesimi trecentesimi nonagesimi quarti) transierit annos Petri, pro illegitimo haberi debere, Antoninus & alij existimarunt. Haud enim mysterio vacare putatur, quòd nullus in tanto numero legitimorum Pontificum, quamvis juniori ætate permulti creati, inventus hactenùs fuerit, qui annos Romanæ Sedis Petri, non solùm non prætergressus sit, sed nec quidem attigerit. Non tamen ut propterea (quod nonnulli fabulantur) consueverit dici Pontificibus in coronatione, *Non videbis dies Petri*. Quis enim futurorum adeò securus, ut nullâ præcedente revelatione divinâ rem tantam possit asserere? Mortuus est autem hic Petrus ex veneno (ut quidam Hispani [c] habent) à Thomâ Monacho ei propinato; de quo supplicium sumptum sit: consilij nefarij auctore Cardinale Pisano, qui ad capiendum Benedictum venerat, auditáque morte confestim aufugit. Sed quod præsentius venenum, quàm ætas octogenaria, vel etiam nonagenaria, quâ confectum volunt? Cadaver in templo arcis Paniscolæ, ubi decessit, compositum est funere translatitio, quod sexto pòst anno [d] odorem suavissimum afflare compertum, (ut ex gratiâ potiùs quàm ex fide nonnulli scripsisse putantur) Ioannes Luna ejus nepos Illuecam transferendum curavit, suæ ditionis oppidum Aragoniæ: eâ tamen lege, ut in contumaciæ pœnam profano sepulchro compositum funeris honore careret. Dicitur [e] nihilominùs hactenùs incorruptum ibi perseverare. Scripsisse denique traditur [f] De Potestate Papæ & Concilij; ac vitæ humanæ adversus omnes casus consolationes.

[c] Vid. Marian. lib. 20. cap. 14.
[d] Id. lib. 21. cap. 2.
[e] Ciaccon. in Bened. infr.
[f] Nomencl. Cardin.

IV. CANONICUS BARCINON. ELIGITUR IN LOCUM EJUS.

Aderant ei duo tantùm reliqui suæ partis Cardinales Iulianus Dobla, sive de Lobâ, & Fr. Dominicus de Bonâ-spe Ordinis Carthusiani. Qui [g] post ejus obitum, ex ejusdem viventis præcepto, *Ægidium Sancij Munionis*, sive *Munotij*, Aragonensem, militari genere natum, Decretorúmque Doctorem, & canonicum Ecclesiæ Barcinonensis Catalaniæ, ibidem Paniscolæ in pseudopontificem elegerunt. Quem, pudendam ejusmodi dignitatem, contra totius orbis terrarum consensum, suscipere recusantem, Alfonsus Aragoniæ Rex Martino Pontifici, ut vidimus, infensus, heroico, ut sibi visum est, facinore admittere impulit; tunc amittendam, cùm sibi Martino reconciliari complaceret. Hæc enim sunt ludicra & oblectamenta Regum, qui commoda sua religioni & conscientiæ anteferunt. Idémque *Clementis VIII.* nomine accepto, mimum præclarè agens, & coronatus est, & Cardinales creavit, omniáque fecit quæ veri Romani Pontifices facere consueverunt. De cujus abdicatione dicetur posteà: quem interim Martinus, ubi ejus accepit intrusionem, anathemate unà cum auctoribus & fautoribus percussit; diémque omnibus Romæ dixit, parùm hæc præ nimiâ scilicet religione curantibus.

[g] Surit. Marian. Panvin. Ciaccon. &c.

V. MAGNA CELEBRITAS CORONATIONIS REGINÆ POLON.

Hoc eodem anno mense Februarij ad coronationem Sophiæ Polonorum Reginæ magna Principum, Prælatorum, ac nobilium convenit multitudo, eò magis quòd Sigismundus Romanorum Rex, ob renovatam cum Polono amicitiam huic celebritati interfuit, unà cum uxore; necnon Ericus Rex Daniæ, Suetiæ, & Norvegiæ; (qui tam ad Sigismundum [h] pro compromisso in seum de causâ inter ipsum & Duces Slevvicenses controversâ accesserat; quàm etiam quòd iter [i] tunc Ierosolymam religionis

[h] Krantz. 8. Dan. 8. & 11. Vvand.
[i] Cromer. lib. 19.

ligionis ergò haberet:) Branda item Cardinalis Placentinus Sedis Apostolicæ Legatus pro reformatione morum in Germaniâ, & contra Hussitas; Iulianus Cęsarinus tunc Auditor Cameræ Apostolicæ, posteà Cardinalis; ac permulti alij Principes ac proceres Germani & Hungari; præter Polonos, Lituanos, & Russos. Quorum discubitum mensæ describens Michovius [k], ait in medio sedisse Sigismundum, Vvladislao Polonorum Rege dextrum, Erico Daniæ sinistrum latus ambiente: Proximum Vvladislao Brandam Cardinalem; deinde ceteros Pontifices; lævâ Principibus sæcularibus cedente. Effectum autem est eo conventu, (ut Cromerus [l] ait) adnitente maximè Cardinale, ut Rex Vvladislaus Sigismundo, præter voluntarios, qui certatim Crucis militiam à Pontifice promulgatam amplectebantur, quinque millia equitum ad bellum contra Boëmos hæreticos promitteret. Cúmque post quindecim dies Reges aliíque recessissent, Vvladislaus legatione Boëmorum rogatus, ut quando ipse Vitoudúsque nollent; Coributhum sibi Regem mitteret: (probaverat enim is priori quam vidimus expeditione suam iis industriam ac diligentiam (non modò id negavit, sed bellum quoque denunciavit Boëmis, nî hæresim abjicerent, & Romano Pontifici dicto audientes essent. Profectus est nihilominùs iterum Coributhus, Rege inscio, cum aliquantâ facinorosorum & obæratorum manu. Quamobrem cùm suspicionem Sigismundi, multorúmque præterea vitare Vvladislaus non posset; ut tamen suam innocentiam notam faceret, tam promissa auxilia misit, (etsi irrito conatu) quàm etiam in Coributhum bonorum amissionis & perpetui exilij sententiam protulit.

k Michov. lib. 4. c. 46. in fin.

l Crom. d. lib. 15.

VI. DE BELLO HUSSITICO.

Quod verò bellum Hussiticum spectat; hoc anno illos Misnam devastâsse, Cochlæus [m] ponit ex historiâ Krantzij [n]: qui quatuor lancearum millibus, quæ sedecim vel etiam viginti millia equitum conficerent, expeditione constitisse ait, & horrendâ strage urbem Duxam suorum civium gladio & igne consumptorum commune sepulcrum fecisse enarrat: pluráque alia impia & plusquàm barbara & belluina eorumdem immanissimorum hæreticorum in Catholicorum perniciem patrata diversis locis facinora prosequitur: ita (inquit) ab alto dissimulante Domino, ut per occultam justitiam aut purgaret scoriam peccati, aut exciperet abundantiùs in cœtum sanctorum Martyrum vasa gloriæ. Feliciùs egerant in eos anteà Marchiones Misnenses; (haud enim illi adeò insuperabiles, quin & aliquando voluntate divinâ vincerentur) variis eos cladibus afficientes. Ad quarum unam illud egregium contigisse idem auctor [o] narrat, ut cùm in obsidione unius eorum oppidi Bruxe dicti, muri jam penè cessisse bombardis viderentur, hæretici obsessi captos quos tenebant ex Catholicis grandibus affixissent clypeis, ut nonnisi per eorum corpora muri confringerentur; calamitosi, ut poterant, magno animo acclamarent, non sibi parcendum, ut vindictam sumerent de hostibus Christianorum: Factum autem esse largiente Domino, ut oppidum illis non læsis caperetur, cæsis ad unum omnibus qui arma contrà tulissent. Pergunt item Æneas & Dubravius de iis agere, ac scelera enunciare; necnon supradicti Erici Regis Daniæ & Petri fratris Regis Lusitaniæ, (erat hic Dux Conimbricensis, laudatissimus scriptoribus Hispanicis aliísque tam armis quàm literis, ac longinquis peregrinationibus clarissimus) allata Sigismundo Regi nequicquàm auxilia: bellaque inter ipsosmet hæreticos Thaboritas & Pragenses gesta, quæ quisque pro libito apud eos legere poterit: nos enim jam plusquam satias eorum cepit.

m Cochlæ. lib. 5.
n Kratz. 11. Vvandal. 6.

o Krantz. lib. 10. c. 35.

VII. ZISKÆ HUSSITARUM DUCIS INTERITUS.

Quod autem sunt aliqui recentes chronographi, qui Ziskæ obitum hoc ante constituunt; antiquiores Krantzius & Cochlæus magis in annum millesimum quadringentesimum vigesimum septimum referunt. Sed propter quasdam difficultates in utrorumque sententiis à nobis observatas; malumus dicere eum circa hæc tempora contigisse, cùm equidem nullum certum annum indicare possimus quo ponamus. Quem sanè satius fuisset) sepositâ divini numinis admirabili providentiâ) nunquam natum esse. Et quod omnem stuporem superat, tunc mortuus est cùm spes esse cœpisset ejus reductionis. Verè judicia Dei abyssus multa. Narrat enim Æneas [p], Sigismundum, ubi Ziskæ cuncta ex sententia cedere animadvertisset, & jam illum esse unum ex quo res Boëmiæ penderent, clam sibi eum conciliare tentâsse, gubernationem ei totius regni, militiæ quoque ducatum, & ingens auri pondus promittendo, si se Regem nominaret; & in verba sua civitates jurare cogeret: (Magnam profectò regiæ majestatis ignominiam, & Imperialis gloriæ dedecus, atque infamiam Reipublicæ Christianæ sempiternam! Sigismundum pluribus regnis præfectum, ex Imperatoribus natum, & ipsum Imperatorem, cujus nomen Italia, Gallia, Germania, & omnis Europa venerata est, quem barbaræ nationes timuerunt; supplicem sese exhibuisse homini ex parentibus haud admodùm nobilibus nato, seni, cæco, hæretico, sacrilego, & in omne scelus audaci; pecuniámque ac summos honores obtulisse, ut suarum esse partium dignaretur.) Ziskam conditionibus annuentem, dum conventa completurus Sigismundum adiret, inter eundum divinitùs peste tactum expirâsse: monstrum detestabile, crudele, horrendum, importunum, cui lumen ademptum: quod postquàm manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit. Ferunt [q] illum, cùm ægrotaret, interrogatum quonam loco mortuus sepeliri vellet; jussisse, cadaveri suo pellem detrahi, carnes volucribus ac feris objectari; ex pelle tympanum fieri, eóque duce bella geri abrepturos fugam hostes, quamprimum ejus tympani sonum audirent. Aítque Krantzius [r], fecisse illos quod jusserat, ac reperisse quod promiserat. Denique Thaboritas, qui picturas sacras abominabantur, Ziskæ tantummodò & Angeli cujuspiam Calicem manu tenentis effigiem supra portam urbis pinxisse; eíque sacra quotannis egisse; Æneas aliique narrant.

p Æn. Hist. Boëm. c. 46.

q Id. ep. 130. & alij.

r Krantz. 11. Vvandal. 9.

COLITUR UT SANCTUS A SUIS.

VIII.

Eo sic mortuo, ingens mœror invasit exer-

DIVERSÆ FACTIONES HUSSITARUM.

citum: duæque exortæ sunt factiones, quarum altera *Procopium* Magnum (quem & *Rasum* vocavêre, eò quod post peragratam olim Galliam, Hispaniam, Italiam, ac visitatam Ierosolymam, presbyter factus fuisset, qui posteà Ziskæ adhærens primos ductavit ordines, demúmque ob res fortiter gestas *Magni* cognomen apud suos sortitus est,) sibi ducē præfecit, pristino retento Thaboritarum nomine: altera nullum inveniri posse dictitans qui jure Ziskæ succederet, selectis paucis qui communi consilio bellum administrarent, *Orphanorum* appellationem sibi indidit: inter quos potior habitus est alius *Procopius* cognomēto *Minor*. Fuit & tertius exercitus *Orebitarum*, (de quibus aliàs) cujus ductor fuit *Bedricus* alius presbytér natione Moravus; qui spretâ religione Christianâ uxorem publicè duxit. Hi separatim bella gerentes, & aliquādo inter se dissentientes, ubi tamen externa vis ingrueret, junctis viribus sese defendebāt. Idémque ut suos in Teutones, quos maximè oderant, concitarent acriùs, alios Philistæos, alios Idumæos, Moabitásque vocabant; Boëmiam verò Terram Promissionis. Quorum mores, bellandi modum, excursiones, atrocitates, scelera, pluribus prosequuntur auctóres.

BEDRICUS PRESBYTER UXOREM PUBLICE DUCIT.

IX.

s Krant. 8. Dan. 8.

ERICI DANIÆ REGIS PEREGRINATIO IN TERRAM SANCTAM ET PERICULUM OBITUM.

De Erico suprà nominato Daniæ Rege ait idem Krantzius [s], postquàm cum Sigismundo fuisset, abiisse ut peregrinationem in Terram Sanctam impleret. Cùm autem tum militaret Sigismundo nobilis quidam ex Orientis regno, hunc pictoris industrij usum artificio, ejusdem Erici faciem jussisse effigiari; eámque præmisisse in Orientē amicis, ut ejus imaginis vultū observarent; Regem enim esse trium regnorum, qui magno se ære redimeret. Regem omnium ignarum Venetiis familiâ arctatâ, vulgari habitu ceteris conformem factum, peregrinis peregrinum ignotum à suis haberi mandâsse. Cùm pervenissent in Terram Sanctam, magnóque tum opus esset conductu, propter vim Catalanorum quam nuper irrogârant; (constituerat enim Soldanus, ut Christiani non admitterentur, nisi damnis irrogatis satisfieret:) patronum cui pro famulo adhæserat, singulari gratiâ perfecisse ut admitterentur. Persoluto voto cùm in navim rediret, nobilem qui ductabat, evocato tacitè Regi effigie ostensâ notum sibi illum esse significâsse. Stupefactum Regem, interventu patroni pecuniam quantam corrogare potuit ei dedisse; ac dimissum non per Venetias, sed alio itinere reversum esse in sua. Ita Krantzius. Quænam verò fuerit vis illa Catalanorum ditioni Soldani illata, non reperimus. Reperimus tamen apud auctorem Burdegalensem sæpe memoratum, hoc eodem anno Soldanum Babyloniæ accessum ad Dominicum Sepulchrum interdixisse: sed causam non apposuit. Pergit porrò Krantzius [t] bella & dissidia Erici cum vicinis & subditis, quæ multiplicia quà prosperè quà infaustè gessit, enarrare; quorum aliàs meminimus, eritque imposterùm de nonnullis agendi locus.

t Id. ibid. & Vvand. lib. 10. & 11.

X.

u Id 11. Vvandal. 1.

MAGISTER.

Inter hæc refert idem auctor [u] rem satis memoratu dignam, quæ contigit in urbe Regensi Livoniæ. Ubi cùm Magister Fratrum Ordinis Teutonicorum vellet nuptias conserere inter juvenem professione mercatorem, & mulierem quam idem Magister non odisset, refragaretúrque juvenis quòd dubiæ videretur mulier pudicitiæ: hæc in vindictam de furto juvenem impetivit. Iussus publico Magistri judicio suspendio necari, jam moriturus innocentiam suam contestatus, Magistrum ad supremum Iudicem in diem tertium decimum vocavit, de justitiâ responsurum. Ridens Magister evocationem, die constitutâ subitâ ægritudine correptus, certúsque de morte, testatus videre se coràm astantem qui eum vocâsset, vivendi finem fecit. Mulier inde ab alio mercatore de vero furto impetita; inventis fidejussoribus ut jure responderet intra diem viriles sibi vestes aptavit; ut clericus tonsuratur, abiítque in Prussiam, non expectato judicio quod formidabat.

TEUTONICOR. VOCATUS AD JUDICIUM DIVINUM, DIE CONSTITUTA EXPIRAT.

XI.

x Id. cap. 3.

PUELLA SOLA EUCHARISTIA VICTITANS.

Subdit item historiam [x] de puellâ in Hollandiæ oppido Schiedamo Christo devotâ; quæ totos octo & viginti annos nullo corporali cibo refecta, solo Dominici corporis sacramento per singulos dies Dominicos accepto victitavit; corpore attenuato solis nervis cohærente & ossibus. Cui cùm aliquando tentandi causâ attulisset sacerdos hostiam non consecratam; mox destituta viribus, facta est velut in agone: & nisi citiùs Dominici corporis præstatione succurrisset, animam protinùs efflâsset. Quod aliis etiam locis usu non raro compertum. Hanc autem puellam *Luduvidem* sive Lydvvinam dictam, filiam Petri & Petronillæ, diem obiisse anno millesimo quadringentesimo trigesimotertio, alibi [y] scriptum reperimus; eamdémque post obitum sanam & integram effectam esse, cùm anteà magnis plagis & vulneribus sauciata langueret: infinitis quoque claruisse miraculis tam in vitâ quàm in obitu, & post obitum: & ad ejus exequias ferè totam confluxisse Hollandiam, ac multos ex Zelandiâ & Brabantiâ. Sed extat [z] ejus Vita planè admiranda, in quâ hæc legere proclive sit.

y Ap. Magn. Chron. Belg.

z Ap. Sur. 14. April.

XII.

a Gers. tract. De exam. doctor. to. 1. oper.

FEMINA PRÆSTIGIATRIX.

Et quòd in feminis sumus; alterius omninò generis illa Biergensis Sebusiana, cujus meminit Gersonius [a]: quæ hoc eodem tempore Lugduni in judicium delata, sub pallio devotionis & revelationum fingebat mirabilia. Astruebat enim se esse unam de quinque mulieribus missis à Deo pro redimendis innumeris animabus de inferno; ac quotidie tres liberare, unam vel duas facilè, tertiam vel duas majori cum difficultate: duos habere carbones in pede, qui eam affligebant quotiescumque aliqua in infernum descenderet. In frontis aspectu agnoscebat peccata quæ quisque fecisset. Mentis excessum frequenter patiens, mira per revelationem discebat: erátque miræ abstinentiæ ac singularissimæ vitæ. Quæ capta & quæstionis tormentis addicta, confessa est se hæc finxisse ad pauperem vitam sustentandam: quæ vel ad hoc fortè se in miseram famulam diabolo dedicaverat. Inventa est insuper morbum caducum habere, & sub extaticis excessibus quos fingebat palliare. Dimissa est ad pœnitentiam, quòd monita resipuit, nec obstinata permansit.

XIII.

IACOBUS I. REX

Hoc eodem anno Scoti Regem suum Iacobum ejus nominis Primum à longâ decem & octo annorum custodiâ Anglicanâ, quâ

contra

SCOTIÆ LIBERATUR CARCERE ANGLICO.

contra jus fásque conclusum fuisse vidimus [b], receperunt. Quam tamen non solùm non noxiam ei fuisse, quin etiam utilissimam, ex ipsis etiam auctoribus [c] Scotis intelligitur; cùm narrant, munificentiâ Regum Angliæ tam literis quàm armis, aliáque omni liberiori disciplinâ institutum, adeò in singulis excelluisse, ut in unâ qualibet solâ exquisite versatus videretur, quo & factum sit, ut erectâ dum ipse captivus detineretur Academiâ S. Andreæ, (quam posteà Martinus Papa confirmavit, & privilegiis auxit) ipse eam ita viris doctissimis undequaque amplissimis præmiis ac muneribus accersitis ornaverit, ut eâ re summam apud posteros laudem ac gloriam consecutus fuerit, & cives sui mãsuetioribus artibus imbuti horriditatẽ nativam sensim ac sævitiam exuerint. Liberatus est autem à custodiâ, suorum precibus; cùm regni Scotici Gubernator ei muneri non satis aptus, filios adeò insolentes haberet, ut etiam aliquando unus ipsorum falconem, quem sibi pater ad aucupium servaverat sæpè à patre petitum, nec obtentum, è patris manu vi abreptũ obtorto collo occiderit. Quâ de re meritò indignatus pater, quandoquidem filius mite patris imperium ferre non posset, vocaturum se alium dixit, qui utrumque virgâ ferreâ regeret. Missis igitur in Angliam legatis, haud difficulter à Duce Glocestriæ regni Rectore Iacobi liberationem obtinuerunt, pactâ pro redemptione summâ centum millium marcharum argenti, parte unâ præsenti pecuniâ solutâ, pro alterâ datis obsidibus. Qui in patriam rediens, 21. Maij Sconæ de more coronam regni accepit: móxque regnum à sceleribus, rebellionibus, oppressionibus ita purgavit, ut tradant duorũ annorum spatio per varia suppliciorum genera ob vetera flagitia plus tria hominum millia interempta esse. In quibus primi fuêre Gubernator ille cum suis filiis, quamvis ipsius Regis patrueles, aliíque principes & proceres. Inter quæ etiam animum applicans ad Ecclesiasticos sectæ disciplinæ restituendos, studia provehenda, Ecclesias componendas, atque ornandas; id demùm effecit, ut numquam Scotia florentior existimata sit. Quamdiù verò hæc felicitas perstiterit, videbitur inferiùs. Quæ autem breviter diximus, prolixè narrant gentis [d] historici.

ACADEMIA S. ANDREÆ IN SCOTIA.

REX SCOTIAM PURGAT ET RESTITUIT.

[b] An. 1406. VIII.
[c] Boëth. lib. 16. & 17. Leslæ. lib. 7.
[d] Iid. ibid. & Bucham. lib. 10.

IESV CHRISTI Annus 1425.
MARTINI V. Ann. 8.
SIGISMUNDI Ann. 16.
IOANNIS VII. Ann. 7.

I. LEGATIO PETRI DE FUXO CARDIN. AD EXTINCTIONEM DRACONIS ARAGONICI.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo vigesimoquinto, Indictione tertiâ, ipso ejus initio Martinus Pontifex tranquillitati Ecclesiæ in ditionibus Alfonsi Regis Aragonum, qui in odium ejus idolum Paniscolense, quod ipse sibi fabricaverat, colebat, provisurus; Legatum à latere cum amplissima & absolutissima in cunctis ejus regnis, insulis, civitatibus, terris, & locis potestate, ad eum destinavit *Petrum* tituli S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem, *de Fuxo* nuncupatum, quòd frater esset Comitis Fuxensis; ipsi Alfonso Regi propinquitate conjunctum, religione Franciscanum, (cujus Ordinis habitum adolescens sumpserat in conventu Morlanensi Bearni tunc maximè florente) doctrinâ verò & moribus insignem, atque administratorem Ecclesiarum Lascariensis & Convenarum. Extat ejus Legationis historia; quam integram Bzovius suis Annalibus inseruit.

II. INTRACTABILE ALFONSI REGIS INGENIUM.

Acceptis igitur Legationis suæ literis, (quæ datæ fuêre Romę sexto Idus Ianuarij anno Incarnationis Dominicæ 1425. Pôtificatûs Martini octavo) Petrus iter Aragoniam versùs assumens; præmisso ad Alfonsum nuncio de suo adventu, Carpentorati literas ab eo accepit, quibus significabat se non posse illum pro legato suscipere, donec Martinus Pontifex, de quo multùm querebatur, ipsi quædam concederet, quæ per certum nuncium suum ab eo postulabat: aliásque rursùm Avenione ad festa Paschalia, ne ulteriùs progrederetur: iterúmque alias, ut in aliquo oppido Comitis Fuxi tantisper opperiretur, quoad aliquid certi Alfonsus decerneret. Neque unquam Legatus obtinere potuit, ut simul aliquo loco congrederentur: sed tantùm post multos itus & reditus, ut in civitate Balaguerij certis modis & formis legatione suâ fungeretur. Quæ tamẽ quòd multùm derogarent suæ Legationis officio, noluit eas admittere; sed ad locum Orgarilianum fratris sui Comitis Fuxensis oppidum Vicecomitatûs Castriboni diœcesis Vrgellensis divertit. Ut hæc pleniùs continentur in scripto anno sequẽti eidem Regi à nunciis Legati oblato: necnon in prædictis Actis Legationis. Quibus etiam traditur, misisse Regem ad Legatum religiosum Dominicanum qui erat ipsi à confessionibus, tria ab eo postulatum: primum, ut Corpus, vel saltem Caput S. Ludovici Massiliensibus ereptũ concederet in aliquâ ecclesiâ Ordinis Minorum in regno Aragoniæ collocari: secundum, ut quæ de bonis & juribus Cameræ Apostolicæ à certo quodam tempore in regiis ditionibus recepta essent remitteret: tertium, ut oppidum Rocqualos Militum Rhodiorum ipsi concederet: Eorúmq; primum disertè negasse Legatum, quòd Regum & Principum Galliæ interesset, ne sacro illo corpore per sacrilegium ablato privarentur. Tertium item, quòd in damnum & injuriam verteretur Rhodiorum, qui pro illo oppido tuendo sumptus ingentes fecissent, & multum sanguinem sparsissent. De secundo spem fecisse, si priùs Rex idolum Paniscolæ ejiceret, ac de negotio Legationis secum coram conferret. Hęc præsenti anno: quibus videas ingenium Alfonsi, sua tantummodò, non quæ Dei aut religionis essent spectantis, quinimmò & pro nihilo ducentis. Quomodò verò res processerint, dicetur sequentibus annis: haud enim unius aut alterius opus fuit duram hujusmodi & intractabilem cautem rumpere, quæ magis ingenio & industriâ frangenda fuit.

III.

Erat autem adhuc idem Alfonsus occupatus in eximendo fratre suo Henrico à custodia Castellanâ, cui vidimus eum mancipatum quod demùm hoc anno obtinuit. Quorum Regum controversiæ [a] componendæ cùm *Carolus* Rex Navarræ cognomento Nobilis mul-

[a] Marian. lib. 20. c. 14.

CAROLI REGIS NAVAR. OBITUS.

tum operæ impendisset; antequàm perfecisset extinctus est repentinâ vi morbi sexto Idus Septembris die natali Beatissimæ Virgnis; corpore ad sepulturam Pampelonem delato. Cui successit in regnum *Blanca* filia unà cum viro ejus *Ioanne* fratre prædicti Alfonsi Aragonij.

IV. ACADEMIÆ LOVANIENSIS ERECTIO.

Hoc item anno Martinus Pontifex *Academiam Lovaniensem* in Brabantiâ Belgicâ, à Ioanne Duce, tum maximè cùm ejus ditio dissensionibus & bellis agitaretur occasione Iacobæ ejus uxoris nec uxoris, de quâ dictum superiùs [b], fundatam auctoritate Apostolicâ confirmavit, & privilegiis ac gratiis munivit; quæ ejus diplomate continentur dato 5. Idus Decembris Pontificatûs anno 9. paulò antè cœpto. Extat illud in Historiâ Suffridi [c] Petri de Episcopis Leodiensibus. Cui posteà Eugenius IV. Theologiæ facultatem addidit. Quæ verò ad eam pertinent pluribus descripsit Lipsius [d] in suo Lovanio: meritò omnibus sæculis laudandam, ob fortem præstitam propugnationem Fidei Catholicæ & Ecclesiæ Romanæ contra hæreses nostrorum temporum.

b *An.* 1423. IX.
c *Suffrid. cap.* 13.
d *Lips. lib.* 3 *cap.* 2.

V. CONCIL. HAFFNIENSE PRO DISCIPLINA.

Quo item anno celebratum reperitur *Haffniæ* in regno Daniæ *Concilium* Episcoporum sub *Petro Luckio* Archiepiscopo Lundensi, pro restitutione disciplinæ, & correctione morum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium, valdè per continua ferè bella corruptorum; cujus salubres constitutiones recensentur epistolâ synodali ab eodem Petro ad omnes ejus provinciæ Fideles pro illarum observatione conscriptâ. Quam qui recitat [e] quòd stomachatur de homicidis statutum esse, ut post gravem ac duram longámque pœnitentiam ibi expressam, recipiantur in Ecclesiam; ídque, ut exorbitantis libertatis vitium, ætatem posteriorem correxisse ait, cædium licentiâ capitali pœnâ per leges repressâ: debuit is meminisse Ecclesiam nescire sanguinem: & quæ videbat iis partibus frequentia homicidia impunita magistratibus sæcularibus permanere, (neque enim per ætatem tantummodò posteriorem, sed per omnem anteriorem homicidia capitali pœnâ per leges repressa fuisse nulli non notum est) saltem quod sui fuit officij, voluisse illâ seriâ ac verâ pœnitentiâ expiari ad salutem animarum. Sed haud adeò is auctor amicus Ecclesiæ, aut ejus sapientiæ cultor, ac disciplinæ peritus.

e *Pontan. Rer. Dan. lib.* 9.

VI. EREMITARUM S. HIERONYMI RESTITUTIO.

Ponitur hoc anno ab Onuphrio [f] Ordo monachorum *Eremitarum S. Hieronymi*, à *Lupo Olivetano* Romæ in monasterio S. Alexij restitutus sub propriâ Regulâ ex S. Hieronymi scriptis excerptâ. Olmetum alij vocant, seu Olmedum, vel Olmedium. De quo agens Maurolicus [g], ait fuisse natione Hispanum, (nempe Guadalupensem) literarum, sed audacem: qui post Generalatum Congregationis S. Hieronymi approbatæ olim à Gregorio Papâ XI. administratum, ingressus Ordinem Carthusiensem, móxque ad priorem reversus, apud Martinum Pontificem egerit ut dimissâ Regulâ S. Augustini quæ tradita prædictæ Cõgregationi fuerat, concederet aliam quam ipse Lupus ex Epistolis S. Hieronymi excerpsisset: sed intercedẽtibus huic mutationi præcipuis Patribus Congregationis, segregans se ab illis, obtinuerit à Pontifice monasterium S. Alexij in monte Aventino, ubi cum suis sequacibus Regulam à se conscriptam observaret: quam & posteà late per Italiam propagaverit: Contra eum verò scripserit Pontius Tarraconensis prioris Congregationis Professor; accusans hanc ejus novitatem ambitionis & imperandi libidinis. Alij [h] tamen ante hanc Alexianam ejus Congregationem, aliam *S. Isidori* nomine à monasterio ejus appellationis ad Hispalim in Bæticâ sito, ab eodem Olmedio jam anno 1422. institutam ponunt; ac posteà circa præsentem annum à Papâ habuisse monasterium Romanum S. Alexij: (quippe illum gratiâ apud Pontificem valuisse [i], cum quo Lutetiæ studiorum tempore eodem contubernio usus fuisset:) utramque verò posteà resarcitâ concordiâ, veteri Congregationi unde prodierant à Petro Fernando sub Gregorio XI. institutæ in monasterio Lupianæ diœcesis Toletanæ, contributam esse. Prædicti verò Lupi de Oliveto (ut vocant) scripta recensent cum laude Trithemius [k] & Bergomensis [l].

f *Onuphr. in Chron. Eccl.*
g *Mar. Ocean. Relig. lib.* 5.
DE LUPO OLIVETANO EJUS RESTITUTORE.
h *Vid. Mira. Orig. monast. lib.* 1. *c.* 25. & 26.
i *Marian. lib.* 20. *c.* 15. *in fin.*
k *Trith. de Script. Eccl.*
l *Bergom. lib.* 15.

VII. CONGR. S. BERNARDI IN HISP.

Addunt [m] & aliam Congregationem in Hispaniâ præsenti anno institutam titulo *S. Bernardi*, à *Martino Vargâ* Doctore Theologo & monacho cœnobij Petræ in Aragonia: qui Româ reversus cum aliis duodecim sodalibus, in monasterio Montis Sion non procul à Toletò consederit, & veterem disciplinam Cistercensem in usum revocaverit, eodem Martino Pontifice approbante: Haberéque hanc Congregationem varia collegia Philosophica ac Theologica; in quibus eminent Complutense, & Salmanticense.

m *Mira. lib.* 5. *cap.* 4.

VIII. B. COLETA REFORMATRIX CLARISSARUM.

Nec viri tantùm reformationem æmulati sunt; verùm & feminæ. Hoc enim item anno [n] *B. Coleta* Boyletta virgo Clarissa, Corbeiæ in Picardiâ nata, Ordinem S. Claræ cœpit primùm reformare in monasterio Bisuntino, id ipsum pòst in aliis prosecuta, usa potissimùm consilio *P. Henrici de Balmâ* confessoris sui Ordinis S. Francisci, viri morum integritate præstantissimi. Sicque contigit, ut uno eodémque tempore in eodem Ordine S. Francisci, pari ardore Bernardinus [o] virorum, & Coleta feminarum reformationis curam susceperint, & ad summam perfectionis per excelsas virtutes præiverint. Extat Coletæ Vita apud Surium [p]: eamdémque ob miraculorum merita Officio Ecclesiastico à suis coli, Clemens VIII. concessit; & Paulus V. confirmavit, atque etiam extendit. Cujus ejusdem virginis laudi atque præconio plurimùm confert, quòd dicatur in ejus Vitâ mirificus ille S. Vincentius Ferrerius motus visione de illâ divinitùs habita, ex Hispaniâ venisse in Galliam ut ipsam inviseret. Obiit Gandavi anno Christi 1447. ætatis suæ sexagesimosexto, miraculis in vitâ & post mortem illustrissima.

n *Id. lib.* 3. *cap.* 11.
o *Supr. an.* 1419 V.
p *Sur.* 6. *Mart. Adde Molan. in Natal. SS. Belg.*

IX. EMMANUELI GRÆC. IMPER. OBITUS.

Hoc eodem anno (nempè, ut Phranzes [q] numerat, Mundi ex Græcorum cõputo 6933. qui ex constitutâ suprà chronologiâ respondet præsenti Christi 1425. *Manuel* senex Græcorum Imperator vigesimo primo Iulij ex hâc vitâ decessit ex diuturnâ semiapoplexiâ; biduo ante obitum monastico habitu sumpto unà cum nomine *Matthæi*: annum emensus ætatis septuagesimum septimum. Cujus extat in Bibliothecâ regiâ Parisiis egregiũ opus viginti sex constans Dialogis cũ nobili quodam Persâ (ut fingit) de Religione Christianâ, ac

q *Phranz. lib.* 1. *c.* 41.

Ejus DIALOGI DE RELIGIONE.

Præcipuis Fidei mysteriis, déque Mahometismi impietate habitis. Fuisse namq; studiis philosophicis ac theologicis apprimè excultū, jam aliàs vidimus. In cujus obitum Bessarion, magnum illud Ecclesiæ Græcæ Latinæque lumen, de quo pleniùs posteà, tunc adhuc ferè adolescés, monodiam, seu orationem funebrem de ejus laudibus habuit: quā à Nicolao Perotto Latinam factam Bzovius [r] in lucem edidit.

r Bzov. annal. to. 18. an. 1472. num. LVI.

X.

Post ejus obitum solus regnavit *Ioannes* maximus natu ejus filius, ejus nominis inter Imperatores VII. cui jam vidimus [s] Imperio aliquot antè annis cessisse: vix tùm redux ab Hūgariâ, quò eum anteà abiisse, post dirutum à Turcis Isthumum Peloponnesi, idem Phranzes scribit (Ut enim pax ab Amurate obtineretur, destruendum fuisse Isthmum, quem tanto labore Manuel munierat, ex Chalcondyle [t] intelligitur.) Addit insuper mortuo sene Sophiam Ioannis uxorem, filiam Marchionis Montisferrati, quòd cerneret, se ob formæ invenustatem odio haberi, navi proripuisse se in patriam; atque Imperatorem [u] duxisse Mariam Comnenam filiam Regis Trapezuntini. Cui consentiens de odio uxoris Chalcondyles [x], ait fuisse quidem illā moribus præditam optimis, sed formâ illiberali, ac proinde Ioannem non cohabitâsse cum illâ, ipsámque proptereà ad propinquos suos rediisse. Dissentit autē in eo quod ait, Ioannē ejus loco sibi matrimonio junxisse Sarmatiæ Principis filiam. Alióque rursùm loco [y] de iisdem agens, scribit adeò ipsum Sophiam habuisse odio, ut statuerit aliquando monasticum habitum induere, & regnum in Constantinum fratrem transferre; sed à proceribus suis eâ deliberatione demotū, reconciliatum uxori esse; suavitérque posterùm cum illâ vitam exegisse. At verò Phranzes non Ioannem Imp. monachum fieri voluisse, sed Theodorum ipsius fratrem scribit; cujus ditionem Peloponnesiacam Ioannes in Constantinum fratrem transferre cogitabat. Quæ omnia ut sibi constent, & cohęreant, disquirat qui voluerit. Solent enim isti Græculi adeò perturbatè res exponere, ut sæpè difficile sit ab eorum se involutionibus & discrepantiis expedire; nec denique tantî res hęc est, ut sit diutiùs in eâ remorandum. De ceteris eorum præcipuis rebus dicetur posteà pro ratione tēporis, quantùm licuerit illud designare; cum interim dissidiis inter se divisi faciliorem viam præstarent Turcis ad omnes occasiones intentissimis, reliquias Imperij occupandi.

s Supr. an. 1419. XIV.

t Chalcond. lib. 5.

IOANNES SOLUS REGNAT.

u Phranz. lib. 1. c. 1.

x Chalcond. lib. 5.

DE ejus UXORIBUS.

y Id. lib. 5.

IESU CHRISTI Annus 1426.
MARTINI V. Ann. 9.
SIGISMUNDI Ann. 17.
IOANNIS VII. An. 8.

I.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, Indictione quartâ, Petrus Cardinalis Fuxensis Legatus Apostolicus ad regnum Aragoniæ, instās per suos nuncios apud Alfonsum Regem pro mutuo congressu, neque toto hoc anno eum obtinere potuit; sed multiplicibus tergiversationibus elusi nuncij re infectâ ad Legatum redire coacti sunt post principium mensis Iunij Orgarilianum, ubi ipse morositatis Regis exitum opperiebatur. Extant nunciorum propositiones illi oblatæ, & responsiones ab eo factæ: quibus videas iratum Alfonsi animum adversùs Martinum Pontificem laborare in extenuandâ Sedis Apostolicæ auctoritate in mittendis ad regna & provincias Legatis; ipsiúsque Martini in suscipiendâ morum reformatione, & hæresum ac Schismatis extirpatione, absq; Concilio Generali, contra decreta Synodorum Constantiensis & Senensis. Adeò ut edicto publico prohibuerit omnibus regni sui prælatis ne reciperent Apostolicas literas, vel Legatorum Pontificiorum, nec illas exequi auderent, sub pœnâ amissionis omnium bonorum: quod & ipsimet Legato denunciari jussit. Adversus quod protestatus Legatus de pœnis, sententiis & censuris tam à jure quàm ab homine in talia ordinantes, mandantes, & facientes, ipsísque adhærentes & consentientes inflictis; de omnibus Pontificem certiorem reddidit; & Fuxum se ad fratrem suum Comitem recepit. Pontifex autem his auditis processus contra Regem de more conficiens ob favorem schismatis, Idibus Iulij gravissimā ac severissimam in eum, ejúsque regna, ac personas sententiam promulgavit: quæ licèt non extet, fit tamen ejus mentio in conventis inter ipsum Regem & Legatum anno sequenti, (ut dicetur) quibus Rex petiit eam revocari, ac de Regestis Apostolicis tolli. Ita scilicèt postquàm homines ab animi commotione sedati sunt, pudet ipsos extra terminos vagatos esse: sed desinant delirare, & non plectetur eorum memoria.

ALFONSI REGIS ARAGON. MALEVOLENTIA IN MARTINUM PONT.

II.

Laboravit idem hoc eodem anno Martinus Pontifex in sanciendâ concordiâ inter Philippum Ducem Mediolanensem, & Venetos: Florentinos, atque alios Principes & populos contra eum fœderatos: misso ad hoc Legato *Nicolao Albergato*, Bononiensi cive & Episcopo ex ordine Carthusiensi, creato nuper invito Presbytero Cardinale tit. S. Crucis in Ierusalem, (unde ille signum Crucis pro insigni gentilitio ferre cœpit) viro usquequaq; doctissimo, piissimo, prudentissimo, & apud omnes illius temporis auctores laudatissimo: cujus Vitam omnibus numeris absolutā olim Ioannes Baptista Zeno Episcopus Feltrēsis, posteà Carolus Sigonius diligentissimè conscripsère; pleráq; omnium egregiáque de eo testimonia in unum collegit, edidítque Coloniæ Georgius Garnefelt Carthusianus. Is autē rem sibi à Pontifice commissam eò deduxit, ut conclusa pax fuerit, conditionibus quidem Philippo satis gravibus, sed tamen penè necessariis, eò quòd multa jam clades & præliorū & urbium accepisset ab adversariis, essétque in viâ plures accipiendi: (præcipuo adversariorū duce Frāscisco Carmaniolâ præstantissimo bellatore, cujus olim fortitudine & industriâ ipse Philippus ad summam potentiam pervenerat; sed ab eo ingratè aliquando habitus, ducem se hostium ejus præbuerat:) monente Legato, satius esse partē alicujus, quàm totius Principatûs periculum subire: utile fore nolle certare cum adversâ fortunâ: accidere posse ut minore impensa recuperaret amissa, quàm quâ essent perdita: denique eam esse Pontificis mentem; ut quâcumque conditione præsentibus

NICOLAI ALBERGATI LEGATIO PRO PACE MEDIOLAN.

malis

malis consuleret, incertámque victoriam certissimæ tranquillitati ne anteponeret. Quibus ille persuasus, acquievit conditionibus conclusis Calendis Ianuarij anni proximi; sed quas mox rescidit, inconstans animo, & nova in diem versans consilia. Quare graviùs quàm anteà bellum gerere cœpit: quod duobus ferè annis continuatum est novis ipsius cladibus; ac fermè usque ad totius principatûs spoliationem: donec recuperatis viribus, satis æquis pro tempore rerúmque statu conditionibus, post biennium renovata est pax eodem procurante Legato. Quæ omnia ut se habuerint, diligenter narrant Poggius,[a] Blondus, Antoninus, Sabellicus, Corius, & alij.

[a] Pogg. lib. 5. Blond. 3. dec. 2. & 3. Antit. 22. cap 8. § 7. & seqq. Sabell. 10. En. 1. & 2. dec. 9. & 10. Cor. par. 5.

III. CYPRI DESTRUCTIO A SOLDANO ÆGYPTI.

Præsenti anno ingens alia clades illata est Christianis Cypriis à Sarracenis. Siquidem Soldanus Ægypti, sive Babyloniæ dictus, juvenis ferox nuper imperium adeptus, ulturus direptionem Alexandriæ à Rege Cypri Petro olim factam[b], validissimâ classe in Cyprum trajecit. Ubi aliquot præliis gestis, ultimo Rex Ianus sive Ioannes captus est, fratre ejus Henrico Galilææ Principe occiso: Nicosia regia civitas, aliæque (exceptâ Famagustâ, quæ à Genuensibus valido præsidio tenebatur) captæ, direptæ, & unà cũ ecclesiis incensæ; universus penè populus occisus, aut in captivitatem adductus. Redemptus Rex operâ suorum, & cujusdam civis Genuensis, ducentis (centum vigintiquinque tantùm alij ponunt (millibus aureorum, & pensitatione tributi annui quinque millium; in regnum rediit, & reliquam vitam in pace transegit. Ita rem narrat Stephanus Lusinianus ex eâdem regiâ familiâ religiosus Dominicanus in suâ Cypri Historiâ. Cui assentitur in pluribus Æneas[c] Silvius, ac post eum alij. In quodam verò Chronico manuscripto auctoris illius tẽporis, legimus duplicem fuisse hâc barbarorum in Cyprum incursionem: priorem anno 1428. mense Augusti, quâ mille quingentos captivos secum abduxerunt. Alteram anni sequentis mense Iulij; quâ Soldanus ipse exscensionem faciens, cum Rege conflixit, & captivum cum sex millibus insulanorũ in propria reduxit. Monstreletus[d] autem trinam habet incursionem, unam anno 1423. alteram 1425. tertiam 1426. quâ frater Regis princeps Galilææ occisus, Rex ipse captus est, & ad Soldanum Cairum deductus, (non enim Soldanum in Cyprum venisse, sed tantùm exercitum misisse) ac posteà, ut ceteri dixêre, libertati restitutus. Habet item de suppetiis à Iano petitis & acceptis ex Europâ ejus. Missúmque à Burgundię Duce fratrẽ nothum: ac præstereà confluxisse ex Germaniâ, aliísque provinciis multos pugnatores. Pugnatum esse post captum Regem cum barbaris prælio maritimo: illósque territos denunciasse se Regem captivum mox interfecturos, nisi Christiana classis cessaret; sícque absque ullâ magnâ re gestâ revertisse. Cujus tamen rei nulla apud Lusinianum aut Æneam mentio.

[b] Supr. an. 1365. IV.

[c] Æn. in Asia, cap. 97. & commentar. lib. 7.

[d] Monstrel. lib. 2. c. 14. 30. 36.

IV. NAVIUM CATALANARUM FRAUDULENTUM FACINUS.

Habet tantùm Æneas; dum insulam Ægyptij spoliarent, & eorum navigia paucis custodibus servarentur in littore, navem Venetam quæ peregrinos quotannis Ierosolymam vehere consueverat, voto perfecto redeuntem eò applicuisse; ac paulò pòst sex Catalanorum naves adventâsse, quarum patroni Veneto allocuti ei suaserint ut signa deponeret, simúlque classem Ægyptiam aggrederentur: paruisse Venetos, sed inter noctis tenebras Catalanis dilapsis, in ortu lucis Ægytios navem Venetam solam & sine signo inventam adortos eam expugnâsse, jussisséque peregrinos qui aderant, si vivere vellent, erectis digitis Christum negare: nemine tamen reperto qui pluris vitam quàm fidem faceret, viros omnes qui prælio superfuerant numero triginta, lapidibus cæsos & obrutos usque ad ultimum spiritum CHRISTO benedixisse, felici exitu, & optimo cuique exoptando: Feminas in captivitatem ductas, apud Alexandriam à Venetis mercatoribus redemptas fuisse: inter quas una esset Corsiniana sive Pientina, vidua & sancta mulier, quæ domum reversa hæc à se visa ipsi Æneæ narrârit. Bergomensis autem hanc Iani Regis cladem ei accidisse existimavit, in pœnam necati olim ab eo crudeliter filij fratris sui, ad quem regnum spectabat; sicuti & pater ejus fratrem suum Regem trucidaverat: familiarissimúmque se fuisse Annæ filiæ ejus Iani, quæ in uxorem data fuit Ludovico Duci Sabaudiæ: à quâ rem scire potuit. Ut ex prædictis considerare possis, quantâ fide & Cyprij & Catalani tunc præstarent: licèt non debeat quorumdam culpa toti nationi imputari.

V. LITERÆ SOLDANI AD PONT. ET PRINCIPES CHRISTIANOS.

Denique invenimus in Chronico auctoris Burdegalensis, dum hanc eamdem Soldani Sagitaræ (ut vocat) incursionem recenset; scripsisse eum ferociâ barbaricâ in hunc modum Papæ: *Sagitara cum creatore potentior dominus, alma. Quia apud nonnullos Papa nuncupari, indignationem nostri ensis nudi & crudelis incurristi, non mireris si te verbis salutationis non exquirimus, cùm te habeamus capitalem hostem, & hostis hosti non debet orare salutem. Tibi sufficere deberet quòd terram quam dudùm prædecessor noster Æneas occupaverat, tu ex parte possedisti. Quare tibi per præsentes consulimus, ut inde te transferas alibi moraturus. Aliàs in brevi infelici morte succumbes, & gens tua crudeli morte peribit, & felix Roma tota ex ruinâ cessabit. Datum Baruch in mense Casleu.* Aliam etiam longè insulsiorem ab eodem ad Principes Christianos scriptam, jubente eos ad se accedere, & fidem deserere, refert Monstreletus[e]: sed quam, æquè ac superiorem, inventum esse insipidi alicujus ingenij, nihil dubitaverim. Vocatur autem in eâ Soldanus *Baldadoch*: quem Æneas & Bergomensis *Melchelam*, Heroldus[f] de hâc eâdem clade agens *Melethellam*. Ut denique nihil nostri instituti ad Cyprios pertinens hujus temporis omittamus; Martinus Pontifex factâ hoc ipso anno quatuordecim Cardinalium creatione, inter eos *Hugonem* Lusinianum prædicti Regis fratrem, electum Archiepiscopum Nicosiensem, posuit Diaconum Cardinalem S. Hadriani.

[e] Monstrel. cap. 42.

[f] Contin. Bel. sacr. lib. 5. cap. 18.

VI. PEREGRINATIONES AD SEPULCHRUM DOMINI.

Quod autem vidimus suprà, hunc ipsum Soldanum interdixisse etiam Christianis accessu Dominici Sepulchri; fuit is quidam præceps juvenilis animi impetus: quem facilè sedavit commodum inde emergens. Quare sublatâ interdictione consuetam restitutam esse peregrinationem, constat tam aliunde, quàm ex eo quòd anno superiori[g] Otto Archiepiscopus

[g] Trithem. in Chron. Sponheim.

scopus Treverensis pietatis ergò eò peregrinatus esse reperitur; secúmque detulisse preciosa ornamenta, quæ in suæ peregrinationis memoriam contulit Fratribus Minoribus ibidem degentibus: Et præsenti [h] Ludovicus Comes Palatinus Rheni Dúxque Bavariæ Elector Imperij, (idem quem vidimus custodiam habuisse Concilij Constantiensis, & Ioannis Papæ XXIII. pariter Domini sepulchrum cum ingenti devotione visitavit. Qui inde reversus, barbam quam in peregrinatione nutrierat, deponere ampliùs nolens, vulgò deinceps dictus est *Dux cum barbâ*: vel etiam *Cæcus*, eò [i] quòd in mari graviter infirmatus, cæcus & claudus in patriam rediit. De cujus laudibus librum scribendum fore Trithemius ait.

h Ibid.

i Id. in Chron. Duc. Bavar.

Iesu Christi Ann. 1427.

Martini V. Ann. 10.

Sigismundi Ann. 18.

Ioannis VII. Annus 9.

I. Anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, Indictione quintá, Martinus Pontifex audiens quanta mala, quámque ferales crudelitates Hussitæ, non solùm in Boëmiâ, in quâ ferè nihil sacri profaníque reliquum erat in quod sævirent; verùm etiam multis provinciis Germaniæ, quas paribus incendiis, direptionibus, diruptionibus, sacrilegiis, abominationibus, libidinibus, sævitiis, atrocitatibus, & quicquid horribilis & immanis dici aut excogitari potest, aggressi erant exercere pergerent: (quæ apud Æneam [a], Krantzium, Bonfinium, Dubravium, videre est:) ut Sigismundo Regi, & Catholicis quantum in se esset opitularetur; cùm parùm hactenùs per alios Legatos & crucis prædicationes profectum esset, sciens quantæ potentiæ & auctoritatis esset Henricus Wicestrensis, sive Wintonensis in Angliâ Episcopus, filius Ioannis Ducis Lancastriæ, & Henrici V. Regis patruus, quem anno præterito Presbyterum Cardinalem S. Eusebij creaverat; quantáque esset fama virtutis militaris Anglorum: legationem ei totius Germaniæ, Hungariæ, & Boëmiæ contulit per diploma [b] datum Romæ 15. Calendas Aprilis anno Pontificatûs decimo; cum amplissimâ auctoritate ad exercitus contra Wickcleffistas & Hussitas conscribendos, Crucémque ubique adversus eos prædicandam iisdem Indulgentiis & privilegiis, quæ concedi consueverant iis qui Crucem pro Terræ Sanctæ subsidio sumebant: simul sperans validam eum manum Anglorum ex patriâ suâ in Germaniam ducturum. Qui autem hunc Henricum, illum Henricum esse putavit [c] qui familiâ Chicheleiâ hoc eodem tempore Archiepiscopus fuit Cantuariensis Angliæque Primas; si diligenter legisset Harpsfeldium [d] quem citat, proculdubiò aliter sensisset: quamvis & ipse Harpsfeldius incautè in eumdem errorem impegisse videri possit, cùm scripsit prædictum quoque Chicheleium creatum fuisse Cardinalem & Legatum; qui in nullo Cardinalium catalogo recensitus reperitur. Denique promulgatio diplomatis Pontificij, injuncta in Angliâ per eumdem Henricum Cardinalem alteri Henrico Archiepiscopo, quæ extat apud Bzovium, quem æque idem auctor vidit, satis eum discrimen utriusque docere poterat.

a Æn. Hist. Boëm. c. 44. 47. Krantz. Vvandal. lib. 11. Bonfin. 3. dec. 3. Dubrav. lib. 27.

Legatio Cardinalis Angli contra Hussitas.

b Rer. Bzov. hoc an.

c Ferdin. Vghel. in Addit. ad Ciaccon. in Mart. V.

d Harpsfeld. sec. 15. c. 10. & 20.

II. Ceterùm cùm hanc promulgationem Humfridus Glocestriæ Dux & Angliæ pro Rege puero Rector, læsæ regiæ auctoritatis insimulâsset, eò quòd Legationis munus Henricus Cardinalis mini è petito regio permissu in Angliâ exerceret: per procuratorem regium, tam ab eo quàm ab ipso Pontifice de injuriis ac præjudiciis Regi & regno factis, ad proximum generale Concilium provocare fecit: tanquam nullus Apostolicæ Sedis Legatus venire aut mitti posset in regnum, nisi petitus & vocatus à Rege fuisset: siquid autem Cardinalis, non ut Legatus, sed ut Cardinalis dicere aut proponere à Pontifice Regi vellet, sibi liceret; impetraturus sine dubio, nisi juribus & privilegiis regiæ coronæ officeret. Ad quæ respondit Cardinalis, nec fuisse, nec esse nec fore sui animi, per ingressum suum in Angliam, neque per alia facta aut facienda, Legationem sine permissu regio exercere, nec juribus, privilegiis, ac libertatibus aut consuetudinibus Regis aut regni in aliquo derogare, sed ea conservare ac defendere. Vidimus quidem aliàs, non solùm Angli, sed & aliorum quoque Regum fuisse hanc de Legatis haud absque licentiâ introducendis persuasionem. Verùm & potuit duplex esse alia ratio, quâ Humfridus Henrico sese opposuerit. Altera, quòd à Martino Pontifice veniret, cui Humfridus ægrè favere cuperet ob rescissum ab eo matrimonium, quod ipse illicitè cum Iacobâ Bavarâ, ut vidimus, contraxerat, ex quo amplissimas possessiones sperabat. Altera, quòd inter ipsum & Henricum Cardinalem alias graves simultates intercessisse, ex historiâ [e] Anglicanâ & Monstreleto [f] intelligatur.

Altercatio inde inter Cardinal. et Proregem Angliæ.

e Harpsf. cap. 20.

f Monstrel. lib. 2.

III. Scribit nihilominùs Polydorus [g], Henricum Cardinalem non mediocrem militum numerum in Germaniam transmittendum confecisse: jámque milites naves conscendere cœpisse, cùm a Duce Bethfordiæ regni Gallici pro Anglis Rectore ad Glocestrensem literæ allatæ sunt, quibus novum militum supplementum petebat. Glocestrensem magnâ affectum sollicitudine, quòd nec commoditas nec spatium esset novi delectûs habendi, Cardinalem rogâsse, ut primùm ad Bethfordiensem cum suis copiis deflecteret: & Cardinalem, ne suis deesset, transmisso mari Lutetiam ad Bethfordiensem accessisse. (Grandis fiducia aut gentis aut historici; adeò de suis rebus præsumentis, ut nullo negotio existimaverit delendos Francos, & mox integris copiis prosternendos Boëmos!) Quòd enim animadverteret Bethfordiensis plerasque Francorum civitates quæ ab Anglis occupabantur, maximè cupere eorum jugo liberari, ea propter de summâ rerum decertare quæsîsse: Contrà verò Regem Carolum prudenter considerantem, & exemplis præteritis edoctum, quanta sit præliorum alea, simúlque per immissos exploratores intelligentem civitates paratas esse quamprimùm tentare defectionem; adeóque Anglos sine certamine brevi tota Galliâ expulsum iri: in animum induxisse

g Polyd. lib. 23.

Cardinalis deflectit in Galliam.

numquam nisi omninò coactum se fortunæ committere. Quare sublatâ certaminis occasione, Henricum Legatum in Germaniam perrexisse, rémque Christianam adversus Boëmos pro virili parte juvisse: mansisséque aliquot mensibus. Ita Polydorus: quem tamen confudisse tempora non dubitamus (ut est valdè in eis digerendis indiligens. Nec alium reperimus post Walsinghamum, qui res Anglorum per annorum chronologiam digesserit; absque quâ plerúmque in tenebris ambulandum esse intelligitur.) Cùm enim Michovius, qui res singulas per annos accuratè distinguere consuevit, asserat [h] Cardinalem unà cum Electoribus Imperij intrâsse in Boëmiam anno 1428. (nempè proximo & passum fugam de quâ mox dicetur: & ex Annalibus [i] Francorum constet, eumdem Cardinalem in Galliam cum exercitu venisse anno 1429. tempore Ioannæ Puellæ: inde colligere posse videmur, primùm Cardinalem ex Angliâ in Germaniam navig[a]sse: acceptáque clade mox in Angliam rediisse: rursúmque in Galliam evocatum, eò perrexisse.

[h] Michov. Hist. Polon. lib. 4. cap. 52.
[i] Gaguin. lib. 10. Til. in Tractat. inter Fr. & Angl.

IV. Turpis fuga Teutonicorũ ab Hussitis.

[k] Æn. c. 48.

Utut verò de his sit, de re Boëmicâ scribit Æneas [k]; cùm ad Cardinalis adventum tres instituti essent Catholicorum exercitus, ab iísque obsessa urbs Misna, quam priùs recuperare visum fuerat quàm ultrà procederent; allato nuncio hæreticos collecto raptim milite in eos properare, non viso hoste fugæ se dedisse; admirante Cardinale tot Ducum, tot fortium virorum pavidam fœdámque fugam: hortantémque magnis precibus ut redirent in hostem omni ex parte debiliorem, cùm frustrà niteretur, & ipsum turpis fugæ comitem effectum esse, nec priùs Teutones fugere quàm Boëmos persequi destitisse. Hæc Æneas. Et quod magis auget Teutonum infamiam, scribit Michovius tam copiosum fuisse exercitum Catholicorum, ut ad universam evertendam Boëmiam sufficere videretur.

V. Duo Fratres Minores impostores.

[l] Krantz. 11. Saxon. 16.

Pertinet ad hanc Henrici legationem quod Krantzius [l] narrat; venisse ab Urbe Romà in Saxoniam Germaniæ provinciam, specie nuncij Apostolici quemdam falsarium nomine Marcellum, cum fratre simulante Hospitalarium sancti Ioannis. Fuisse verò carnales fratres, ambósque professione Minores, religiosâ veste projectâ, literas prætulisse Apostolicas, quibus promittebatur Indulgentia plenaria dantibus pro redemptione captivorum pro Rege Cypri: Cùm per alia loca multam collegissent pecuniam, Lubicæ detectos ab Episcopo falsarios, mortuo brevî fratre, Marcellum secretò abscessisse: Cũ verò interim Episcopus rem Summo Pontifici significâsset, Pontificem Cardinali Anglico legatione in causâ Boëmicâ per Germaniam fungenti mandasse in falsarium jure agere: Captum igitur denuò, & fallentem custodes, (quâ in arte mirabilis erat) rursúmque interceptum, publico judicio convictum damnatum esse ad scalam & carcerem perpetuum Coloniæ: sed posteà ab Archiepiscopo Coloniensi, cùm quid incommodi pateretur, & is artem medicinam polliceretur, è carcere eductum, in regna pervenisse Aquilonis, & Episcopatum ambiisse incerto exitu.

VI.

Cetera verò de ingentibus Henrici Cardinalis divitiis, (unde & Divitis cognomentum consecutus est) de Humfredi ipsius nepotis in eum accusationibus, de impatientissimè susceptâ ex ægritudine morte; ob vanas spes regni & triplicis tiaræ; ac demùm de imnensis auri summis in egenos, captivos & carceribus detentos, pia loca & opera legatis; habet breviter Harpsfeldius [m] asserens insuper magno illum & Regi & regno, suâ prudentiâ, consilio, opibus, præsidio fuisse; & post, atque ob ejus mortem, (quæ non nisi anno 1447. contigisse dicitur,) in pejus omnia in dies ruere credita esse.

Alia de eodem Henrico Cardin. Anglo.

[m] Harpsfeld. sæc. 15. c. 20.

VII. Petrus Cardinalis Fuxensis recipitur à Rege Aragon.

Ab hâc legatione ad aliam transeuntes, legimus in Actis Petri Cardinalis Fuxensis Legati in Aragoniam missi, Alfonsum Regem post plures tergiversationes, de quibus dictum est annis præteritis, motum tandem (ut credere est) metu pœnarum in processibus contra eum confectis, & sententiâ Martini Pontificis in eum latâ, quorum facta est ibi mentio, nonnihil ad cor reversum, per nuncios & literas Legatum rogâsse ut ad se accedere vellet tractaturus de negotiis Legationis suæ. Quod ipse præstans nobili Prælatorum ac nobilium comitatu; Valentiæ in vigiliâ S. Bartholomæi vigesimâ tertiâ Augusti exceptus est magnâ pompâ à Clero, magistratibus; ipsóque Rege obviam ei extra civitatem occurrente, tantâque reverentiâ cum eo agente ut dextram in incessu recusanti cesserit, & detecto semper capite, Legato galerum Cardinalitium gestante processerit. Cùm verò die sequenti Cardinalis affigi in valvis Ecclesiæ suíque palatij jussisset libellos, quibus significabat auditores causarum quos secum duxerat incœpturos officium suum exercere post biduum; Rex ad ingenium rediens, gravissimè inde commotus publico edicto prohibuit, nequis sub gravissimis pœnis ad quoscumque Iudices delegatos vel subdelegatos Apostolicos recurrere auderet, vel eorum literis uti. Quod patienter Legatus ferens, adeò prudentia suâ & affabilitate apud Regem profecit, ut post multas consultationes & tractatus in id convenerint, ut factæ hinc inde postulationes conscriberentur, & per ipsummet Legatum ad Pontificem deferrentur, reversurum posteà in Aragoniam ad res omninò terminandas.

VIII. Postulata mutua Legati et Regis.

Fuêre autem postulata Legati: 1. Ut Rex efficacem daret operam quòd Ægidius Paniscolensis unà cum suis ad obedientiam & unitatem Ecclesiæ vel sponte reducerentur, vel capti in manus Pontificis aut ejus Legati reponerentur. 2. Ut edicta regia contra auctoritatem Summi Pontificis & Apostolicæ Sedis Legatorum publicata, solemniter revocarentur. 3. Ut ejusdem Sedis Collectores liberè permitterentur jura Cameræ Apostolicæ exigere. 4. Ut Ecclesia Romana aliæque omnes in ditionibus regiis existentes, juribus, libertatibus, ac privilegiis suis gauderent. 5. Ut Prælati, alíique Ecclesiastici pulsi aut spoliati, restituerentur in integrum. 6. Ut à molestatione regni Apuliæ (hoc est Neapolitani) omninò Rex desisteret; & siquid juris in eo prætenderet, judicio se personarum non suspectarum à Pontifice nominandarum subjiceret. Quibus omnibus annuit Rex: nisi quod ad

quintum

quintum aliquas personas excepit: & ad sextum respódit rem altiori deliberatione indigere. Ejus verò postulata fuere: 1. Corpus S. Ludovici. 2. Remissio ac condonatio omnium iurium Cameræ Apostolicæ, vacantiarum Ecclesiarum & beneficiorum quorumcumque, tam de præterito, quàm usque ad diem finiendæ concordiæ. 3. Remissio censuum debitorum usque ad dictam diem pro insulis Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ; ac deinceps ad vitam ipsius Regis: nisi quòd singulis quinquenniis teneretur dare Pontifici unum pallium panni aurei pro recognitione dictorum feudorum. 4. Solutio centum quinquaginta millium florenorum, in compensationem expensarum & laborum pro Ecclesiâ toleratorum. 5. Translatio Ordinis B. Mariæ de Montesiâ ex regno Valentiæ in insulam Siciliæ, ubi Rex alios reditus ei assignaret: vel concessio castris Paniscolæ, quod per Benedictum Lunensem fuerat Ecclesiæ Romanæ contributum. 6. Provisio Ecclesiarum & Abbatiarum vacantium usque ad diem finiendæ concordiæ, facienda ad voluntatem Regis. 7. Promotio ad Cardinalatum duarum personarum ex sex per Regem nominandis: paritérque certorum beneficiorum collatio certis aliis personis. 8. Denique remissio omnium injuriarum, damnorum, & expensarum Papæ & Sedis Apostolicæ illatarum; unà cum absolutione à quâcumque excommunicatione aut aliis censuris Ecclesiasticis à jure vel homine latis, dispensationibus, habilitationibus, &c. Super quibus omnibus factum est instrumentum publicum vigesimo quinto Octobris præsentis anni ibidem Valentiæ, quo præter prædicta utrimque postulata, Rex petiit per bullam publicam revocari & omninò aboleri, atque à Regestis Pontificiis aliísque scriptis & archivis publicis & privatis abradi, processus & sententias contra ipsum Regem ejúsque ditiones & subditos, tanquam ex falsis in ipsum Regem suggestionibus per subreptionem prolatas. Hisque peractis Legatus continuò ad Pontificem reversus est, paratis ei ad transmissionem à Rege duabus triremibus: pervenítque post multa maris pericula principio anni sequentis Romam; honorificè ab omnibus, & amantissimè à Pontifice susceptus. Quid verò posteà de his actum fuerit, dicetur anno sequenti.

IX. PORTENTA IN CATALANIA.

De rebus Catalanicis traditur in Chronico auctoris Burdegalensis, contigisse in valle quâdam diœcesis Gironensis insigne monasterium terræ motu horribili corruisse, unà cum quingentis domibus in viciniâ: Posteàque apparuisse ignem sulphureum in quodam monte, cujus flamma in formâ scuti coloris cærulei visebatur: fuisse denique iis partibus ingentem siccitatem. Addit alius [n], eo terræ motu viginti civitates subversas esse: (hoc est, ut puto, vicos: insupérque de quâdam terrâ exiisse ursum, quem sequebatur maxima multitudo serpentum, qui civitates & villas ingredientes infinitam populorum multitudinem occiderunt.

[n] Magn. Chron. Belg.

X. DE ALVARO LUNA REGIS

Erat eo tempore valdè turbatum regnum Castellæ diversis factionibus, ob Regis Ioannis juvenculam ætatem simul & inertiam, quasi veneficiis vix animi compotis: factâ præcipuè conjuratione adversus Alvarum Lunam Regis potentem, cui à puero in omnia jura familiaritatis assueverat: quem [o] furto ut ferebant genitum, in aulâ cum paucis, iísque novis hominibus, atque ejus beneficio obligatis superbè & avarè dominari dolebant; nullâque militari laude, nullis virtutibus, unâ ingenij dexteritate, & assimilatis ad tempus officiis, ad eum gratiæ & potentiæ gradum evectum querebantur. Quare eum aulâ pelli curârunt: ac nihilominùs eumdem paulò pòst Rex, cùm sine illo vivere non posset, nec umquam nisi tristi vultu lugubríque animo visus esset ex quo is ab eo fuerat abstractus, revocavit, majori auctoritate imposterùm futurum. Ita videlicèt devinctis amborum inter se voluntatibus, ut divelli vix possent; quamvis publicâ ex eâ re invidiâ flagrarent ambo. De Alvari verò rebus, virtutibus & vitiis, déque bellis ac seditionibus ejus occasione ortis ac gestis, quas fusiùs tractavit Gerivaius, [p] non malè philosophatus esse, sicut solet, videtur Rodericus [q] Santius: qui nihil de dubio ejus genere, tantùm ait fuisse eum ex nobili genere & antiquâ familiâ de Lunâ regni Aragoniæ, quondam Papæ Benedicti Petri de Lunâ nepotem, & quamdiû fortuna ei favit, plurima tam bello quàm pace præclara ejus consilio & animi magnitudine acta esse: cùm verò statûs sui incrementa supra modum quærere voluit virtutes pristinas suâ dominâdi cupidine obumbrâsse, & tandem à summo ad imum depressum esse. Quâ de re posteà,

CASTELLÆ POTENTES.

[o] Garivai. lib. 16. cap. 3. Marian. lib. 19. c. 17. & lib. 20. c. 15. & 16.

[p] Gariv. lib. 16.

[q] Roder. par. 4. cap. 28. & seqq.

IESU CHRISTI Annus 1428.

MARTINI V. Ann. 11.

SIGISMUNDI Ann. 19.

IOANNIS VII. Annus 10.

I.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, Indictione sextâ, appulso Cardinale Fuxensi Romam octavo Ianuarij, tractari cœpit de rebus Schismatis Aragonici. Expensis [a] autem postulationibus Alfonsi Regis, singulis Martinus Papa responsiones apposuit: quæ ad Regem missæ fuêre, unà cum literis de concessione castri Paniscolæ omniúmque ejus jurium, quam is petierat. Post quæ missis remisísque ultrò citróque diversis nunciis, antequàm res omninò concordata esset, transiit annus, eò maximè quòd ob pestem Romæ grassantem dispersi essent Cardinales, ut non facile esset negotiis seriis attendere. Quæ quidem pestis ex aëris intemperie provenisse existimata est: tantáque fuisse dicitur, ut hieme præteritâ, omnis frigoris expertes, passim arbores floruerint, atque etiam nonnullis locis fructus protulerint: æstate à mense Iunij usque ad Decembrem ne minimus quidem imber terras perfuderit, uberrimis etiam fontibus prorsùs exarescentibus.

[a] Act. Legat. Card. Fux. ap. Bzov. hoc an.

II. BELLA ITALICA.

Haud tamen propterea cessatum est à bellis & dissensionibus. Cùm enim pax inita esset inter Philippum Mediolanensem, & Venetos ac Florentinos, eorúmque fœderatos; attamen que Alfonsi Aragonij consilia & molitiones ad eam impediendam, aut Genuam sibi conciliandam, vel Apuliam invadendam, irritæ

hactenùs fuissent: nihilominùs ex unâ parte inquieti Florentini, libidine propagandi imperij, contra civitatem Lucensem, tunc à quodam Paulo Guinisio occupatam, Nicolai Fortebraccij, Braccij Perusini, de quo superiùs, ex sorore nepotis, instigatione bellum susceperunt; (nequicquàm dehortante Pontifice, ac prudentioribus civibus) quod variis casibus multis annis gestum auctores [b] describunt. Et ex aliâ levissimi & mobilissimi Bononienses rursùm in Sedem Apostolicam rebellantes, pulso Legato Ludovico Alamano Cardinale S. Cæciliæ, & Nicolao Albergato Cardinale S. Crucis ac civitatis Episcopo clàm mutato habitu aufugere coacto, titubantéque illicò Romandiolâ; occasionem dederunt Martino Papæ, exercitum in eos immittendi, & civitatem interdicto subjiciendi. Quando (ut Leander [c] refert) cùm non reperiretur qui interdicti literas introferre auderet; *Fr. Conradinus Bornatus* Brixiensis Dominicanus ingenti zelo atque animo eas acceptas, quò faciliùs manifestarentur hastæ affigens, urbem ingressus ad forum voce contentâ clamare cœpit, iis universa divinorũ sacra ipsis Bononiensibus Deo ejúsque Vicario rebellibus interdici: nullum quâvis occasione tergiversari posse: ignorâsse neminem ausurum: literas inspicerent, errorem corrigerent. Qui illicò captus, hoc uno necem effugit, quòd crediderunt non aliud se eo facturos, quàm optatam ei pro Ecclesiâ mortem allaturos. Qui deinceps neque minis, neque terroribus avocari potuit, quominùs publicis declamationibus, Pontifici esse obediendum, compluribus rationibus ostenderet: unde in carcerem denuò retrusus, cognitâ à Magistratibus viri sanctimoniâ liber dimissus est.

[b] *Pogg. lib. 6. Ant. tit. 22. c. 9. Blond. 3. dec. 4.*

[c] *Leand. de vir. illustr. Ord. Prædic. lib. 5.*

FR. CONRADINI GRANDIS ANIMUS.

III. SIGISMUNDI CÆS. FUGA A TURCIS.

Hoc item anno Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex, vinci ferè semper armis & ubique solitus, major omninò pace quàm bello) cùm arcem quamdam à nescio quo Turcis venditam, quam ipse Sigismundus emere noluerat armis recuperare vellet; (sive eo prætextu cessationem suam à bello Boëmico, Martino Pontifici id urgenti excusare in animo haberet:) priusquàm ad congressum cum hostibus veniret, retrò se, transmisso raptim Danubio, cum magnâ parte exercitûs ad tutiora loca in Transilvaniam recepit; proditis hosti reliquis quos naves capere non potuerant. In quibus fuit Zavissius Niger præfectus Scepusiensis, vir belli pacísque artibus clarissimus: qui submissum à Rege lembum ascendere recusans, maluit fortiter occumbere, quàm turpiter proditis sociis aufugere. Quare in medios hostes irruens post multam pugnam captus, controvertentibus duobus ab utro captus esset, ab imbecilliori defecto capite periit. Hæc Cromerus [d]; nonnihil aliunde in Sigismundum commotus, ob simultates quas cum Rege Poloniæ gerebat: quæ si eam originem habuerint, quam is auctor prætexit, haud sanè expers culpæ Sigismundus censendus. Ceterùm auctores Hungarici [e] fuisse quidem tunc Regem, verùm non nisi post allatas priùs Turcis clades narrant. Cùm autem parùm feliciter ipse per se aut suos agere videretur; usum esse virtute cujusdam viri Florentini, quem copiis suis præfecit, Krantzius [f] narrat: monstri loco habens, ut inter tot duces felicis Germaniæ, (ut loquitur) fortísque Hungariæ, homo miti mollique cælo genitus prælatus ceteris fuerit: Prosperum tamen fuisse talis consilij exitum, dum diversis præliis quadraginta Turcorum millia perdidisse commemoratur. Sed quid adeò mirum, ô bone vir, si Itali virtute bellicâ, aut rerum agendarum consilio, Germanis aut Hungaris præcelluerint? Fuit autem iste Florentinus Krantzio innominatus, nomine *Pipus*, (hoc est, ut puto Philippus) cujus spectatæ virtutis, & rerum fortiter pro Sigismundo gestarum, fit mentio in Historiâ Bonfinij.

[d] *Crom. lib. 19.*

[e] *Thuros. in Sigism. c. 13.*

[f] *Krantz. 11. Vvandal. 13.*

IV. MIRACULA AD INVOCATIONEM DEIPARÆ.

Ingens miraculum hoc eodem anno in vico juxta Cameracum factum ad invocationem Beatissimæ Virginis Hallensis in Hannoniæ finibus, pueri, qui natus mortuus, post quindecim dies sepulturæ revixit ad baptismum, & paulò pôst obiit; multis aliis miraculis comitatum, refert egregiè Lipsius [g] in Historiâ illius Ecclesiæ: Addens & aliud itidem hujus anni, de quodam captivo, in profundo puteo pedibus firmiter boiis illigatis detento; qui ad parem invocationem dum dormiret, eductus mirabiliter tribus inde milliaribus abjunctus liber repertus est. Sed quid impossibile Matri Dei; cæli, terræ, mundi universi, vitæ & mortis supremæ Imperatrici? Et quid non impetretur à Matre Misericordiæ, ab iis qui eam piè colunt, & sanctè invocant.

[g] *Lips. c. 21. & 23. Vid. supr. an. 1393. III.*

V. MARTINI PP. CONSTITUTIO PRO FORO ECCLESIASTICO.

Martinus verò Pontifex constitutionem [h] edidit Calendis Februarij; quâ reprimens officiales laïcos, jurisdictionem certis prætextibus usurpantes in personas Ecclesiasticas, etiam in causis spectantibus ad forum Ecclesiasticum; necnon certos prælatos, & alios item Ecclesiasticos, qui contra privilegia Ecclesiæ ad molestandos alios Ecclesiasticos ad forum laïcorum eos vocabant: renovans Concilij Milevitani, & Innocentij Papæ III. decreta super hoc edita, pœnam excommunicationis, & alias in constitutione expressas, statuit in omnes tam laïcos quàm Ecclesiasticos qui id agere deinceps præsumerent, cujuscumque gradûs & conditionis forent: & contra contumaces per procuratorem fiscalem Cameræ Apostolicæ, aut alios ab eo commissos, agi & procedi jussit.

[h] *Ext. Bullar. to. 1. Mart. V. const. 10.*

VI. IO. GERSON SCRIBIT CONTRA SUPERSTITIOSOS ET MAGOS.

Quo item anno Ioannes Gersonius Cancellarius Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Lugduni commorans (condemnatio namque propositionum Ioannis Parvi, de quibus actum in Concilio Constantiensi, tantum ei à Duce Burgundiæ odium & periculum creavit, ut Synodo Cõstantiensi exactâ voluntarium exilium [i], quàm Lutetiam cruentis Anglorum & Burgũdionum molitionibus discerpta redire elegerit; & post aliquas per Germaniam peregrinationes Lugduni sedem fixit, ut fratris sui Ioannis monachi Cælestini consuetudine uteretur) tractatulum scripsit [k] contra doctrinam cujusdam medici Montispessulani, qui curandis renibus sculpebat in numismate figuram Leonis cælestis cum characteribus insolitis; damnabilem ejus artis vanitatem ostendens: simul & aliis tractatibus observatores astrorum in genethliasi humanâ, & observatores dierum in operibus auspicandis, aliósque magicos errores exagitans. Obiit autem anno sequenti ibidem Lugduni duodecimo Iulij, ætatis anno sexagesimo sexto: sepultúsque est in

[i] *Vit. Gers. ante ejus opera. Trith. de Scrip. Eccles.*

[k] *Ext. tom. 1. oper.*

EJUS OBITUS, PIETAS, ET SCRIPTA.

Ecclesia

Ecclesiâ S. Pauli, inscripto ejus tumulo cum epitaphio, hoc proloquio, quod inter concionandum frequenter in ore habebat, *Pœnitemini, & credite Evangelio*; quòd summam omnium quæ sunt ad salutem necessaria complectitur. Pro Beato post mortem habitus, miraculis etiam claruisse dicitur. Extant multiplicia ejus opera, pietatis ejus, fidei, ac doctrinæ testes; nonnullorúmque apologia, & interpretatio in eorum prolegomenis. Qui autem scripserunt eum monachum extitisse Ordinis Cælestinorum, decepti sunt similitudine nominis, quòd fratrem habuerit æquè Ioannem nuncupatum, illiúsque Ordinis Priorem Lugdunensem: cùm & alioqui Cancellariatûs Academiæ Parisiensis dignitas hunc nostrum à monachatu satis alienum denotet; quæ, sicuti & Decanatus ejusdem Academiæ, indispensabili lege omnes regulares semper exclusit. Præcesserat ejus obitum præceptor quondã ipsius *Petrus de Alliaco* Cardinalis, de quo sæpè superiùs: quem volunt decessisse anno 14[.]5. Animadversione tamen dignum; reprehendi [1] eum quòd sensisse videatur Christi nativitatem prænosci potuisse genethliacis observationibus; in ejus rei confirmationem proferens stellæ apparitionẽ quæ Magis visa est. Debet ei Collegium Navarræum Parisiense, cujus magnus Magister quondam fuit, inter alia munera, amplissimæ aulæ, & Bibliothecæ regiæ erectionẽ.

[1] *Sixt. Sen. Bibl. lib. 5. Bellarm. de script. Eccles. Frizon. Gall. purp. lib. 4.*

IESV CHRISTI Ann. 1429.
MARTINI V. Ann. 12.
SIGISMUNDI Ann. 20.
IOANNIS VII. Annus 11.

I. PETRUS CARD. FUXENSIS ITERUM REVERTITUR IN ARAGONIAM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo vigesimo nono, Indictione septimâ, solutis tandem difficultatibus concordiæ inter Martinum Papam & Alfonsum Aragoniæ Regem, ultimo complemento extinctionis Schismatis quinquagenarij, quinto Calendas Februarij Petrus Cardinalis Fuxensis rursùm missus est à Pontifice ad Regem Legatus à latere: terrestríque itinere pervenit Barchinonem die duodecimâ Maij, exceptus ibi honorificè ab Archiepiscopo Patriarchâ Ierosolymitano, alijsque plurimis Prælatis, ac Clero universo populóque, denique ab ipso Rege extra civitatem obviam ei procedente. Et tamen adeò fuit varij ingenij hic Princeps, ut quantumvis quotidie à Legato urgeretur de negotiis quorum causâ venerat tractare, per varias tergiversationes, ac locorum mutationes, rem produxerit usque ad decimumquintum Iunij; quo vix inductus precibus Ioannis Regis Navarræ fratris sui ac procerum suorum, Calatajubij Tirasonensis diœcesis iis intendere consensit: sed tantâ morositate, & animi obstinatione in denegandâ, contra promissa ac jurata, revocatione decretorum quæ ipse contra Sedem Apostolicam publicaverat, quin priùs Legatus promulgaret literas Apostolicas de ejus excusatione à favore Schismati Paniscolensi impenso: ut negante penitùs Legato id juri ac rationi consentaneum esse, aut agere id se posse, cùm prohibitum omnino ipsi fuisset à Summo Pontifice & Collegio Cardinalium; post longas verborum altercationes, itúsque ac reditus, ab invicem discordes recesserint absque ulla spe futuræ concordiæ.

ALFONSI REGIS MOROSITATE.

Quando summam patientiam ac fortitudinem animi Legati respiciens Deus, in cujus manus sunt corda Regum; dum Rex postridie equum obfirmato in Legatum animo ascenderet ad expeditionem bellicam in fines Castellæ; superveniente Legato ut eum de observatione juratorum ultimò interpellaret; aut generale interdictum in omnibus ejus terris ac ditionibus intimaret; difficulter atque ægrè Rex eum admittens, cùm Legatus referre cœpisset labores quos passus fuisset in Legatione istâ, Rex momento in alterum divinitùs mutatus, præoccupans ejus verba dixit scire se quanta Legatus pro honore Dei & Ecclesiæ, ac pro ipso Rege fideliter egisset, ac passus esset; ideóque ob reverentiam Dei & Ecclesiæ, atque ipsius Legati ac domûs ejus, offerre se omnia jurata servare, & quæcumque Legatus vellet præstare: cunctísque mirantibus, ac præ gaudio lacrymas effundentibus, ambo Reges fratres Legati latera tegentes ad Ecclesiam perrexerunt, ac gratiis Deo redditis, acceptaque Legati benedictione, iter in Castellam acceleravunt. Fuit enim hoc tempore inter eos Reges bellum levibus de causis ortum, ac majori conatu quàm successu, nullo ferè magno operæ pretio gestum; quod ubertim describit Mariana [a]; eíque dirimendo Cardinalem Fuxensem necnon Regem Lusitanum operam suam impendisse tradit; prosequitúrque post hæc scriptor præsentis Legationis.

MUTATUR DIVINITÙS.

[a] *Mar. lib. 21. cap. 1. & 2.*

II. PAPA PANISCOLENSIS ABDICAT.

Die verò sequenti ab abitu Regis promulgata est revocatio decretorum regiorum; missíque à Rege Paniscolam duo præcipui ipsius consiliarij, qui res ad voluntatem Legati disponerent. Quibus effectum est, ut die S. Annæ vigesimâ sextâ Iulij, Ægidius se pro Clemente VIII. Papa gerens, Papalibus insignibus sedens in medio suorum Cardinalium & ministrorum Curiæ, publicâ sessione testatus se ad hoc potissimùm suscepisse prætentum Pontificatũ, ut per ipsum fieret unio Ecclesiæ, & extirparetur omne Schisma; séque dignitatem continuò depositurum fuisse, si per alios licuisset: publicè verbo & scripto renunciavit liberè ac voluntariè omni ejusmodi juri: ac de sede Papali descendens, depositis vestibus, privatam ac propriam Doctoralem, uti simplex Doctor sæcularis sumpsit: rogans prætẽtos Cardinales qui aderãt, (aderant enim duo obstinatiores in carcerem trusi) ut alium quantum in eis esset, eligerent indubitatum. Qui servatis consuetis in eâ re solemniis, quantum in ipsis fuit, concorditer elegerunt *Odonem de Columnâ* in Papam, & MARTINUM Quintum renunciârunt: confectâ ab Ægidio de suâ depositione bullâ plumbeâ, & à publicis notariis instrumento de electione Martini: quæ verbatim recensentur in Actis Legationis; unà cum submissionibus ab omnibus & singulis Martino Pontifici factis in personâ ipsius Legati, ac spontaneis abdicationibus Cardinalium schismaticorum; etiamque duorum illorum incarceratorum, qui post rem gestam veniam postulârunt; omniúmque absolutionibus & reconciliationibus per Lega-

tum impertitis, die decimanonâ Augusti & sequentibus, ac per publicos notarios retentis, tam in villâ S. Matthæi prope Paniscolam, quàm in ipso Paniscolæ oppido: quod posteà Legatus de mandato Martini Pontificis Regi Aragonum dimisit. Ipséque Ægidius expontifex creatus est Episcopus Majoricensis. Sícque demùm virtute divinâ, & longanimitate ac prudentiâ Legati, (non parùm etiam in his laborante Alfonso Borgiâ, qui fuit posteà Papa Calixtus III.) extinctum omninò est pestilentissimum omnium ac diuturnissimum Schisma; quod ab electione Clementis dicti VII. facti die 21. Septembris anni 1378. usque ad abdicationem alterius Clementis dicti VIII. factam prædictâ die vigesimâ sextâ Iulij præsentis anni 1429. perennaverat uno & quinquaginta annis, minùs quinquaginta sex diebus.

FINIS SCHISMATIS QUINQUAGENARII.

III. CONCIL. DERTUSENSE PRO RESTITUTIONE DISCIPLINÆ.

Post quæ feliciter præstita, Legatus *Concilium* celebravit *Dertusæ*, in cujus diœcesi Paniscola erat, ex omnibus Prælatis & aliis præcipuis Ecclesiasticis regnorum Aragoniæ & Valentiæ, ac Principatus Catalaniæ, qui magno numero interfuerunt, pro Ecclesiarum illarum partium, & totius statûs Ecclesiastici reformatione: quatuor omninò Sessionibus publicis acta; quarum prima habita est die decimanonâ Septembris; & ob morbum Legati re nonnihil dilatâ, ultima die quintâ Novembris: Quâ recitata primò sunt octo diplomata Alfonsi Regis; quorum primo juravit se edicta non facturum contra libertatem Ecclesiasticam, neque aliquid de bonis Ecclesiæ (nisi in casibus à jure communi vel patriæ concessis (vel Cameræ Apostolicæ recepturum: secundo & tertio sub gravissimis pœnis prohibuit suis ministris ac magistratibus, aliquod crimen clericis falsò imponere, vel eos indebitè vexare, aut incarcerare, vel Ecclesiarum immunitates violare: quarto id ipsum prohibuit omnibus suis Baronibus & vassallis: quinto Vicecancellario & Consiliariis suis, ne processus contra ejusmodi invasores Ecclesiarum aut Ecclesiasticorum impedirent: sexto contra clericos & Ecclesiasticos, qui fraudulenter literas familiaritatis regiæ obtinerent, ut sic de criminibus suis manerent impuniti: septimo præcepit Baronibus & vassallis adesse Iudicibus Ecclesiasticis processus contra usurarios, & ad exequendas pias testantium voluntates; & visitationes exercendas facientibus: octavo mandavit omnibus Iustitiariis & Gubernatoribus, ne in eorum terris & dominiis permitterent quæstores, qui officiis suis abuti consueverant, ea exercere absque literis Episcoporum in quorum diœcesibus quærere intenderent. Hísque recitatis, & Concilio traditis, publicatæ sunt viginti constitutiones synodales, tam de iisdem rebus prædictis diplomatibus contentis, quàm de vitâ & honestate clericorum, de certarum vestium ac colorum prohibitione: contra concubinarios; de non promovendis inidoneis; de modo instruendi populum; de neophytorum liberis infra octo dies à nativitate baptizandis; de negligentiâ Prælatorum Regularium in corrigendis suorum excessibus; contra clericos & religiosos, sine literis Ordinariorum confessiones audientes; ne Ecclesiarum Prælati bona decedentium occupent; ne medici ultra tertiam vicem visitent infirmos qui non fuerint confessi; & de observatione Clementinæ contra Iudæos & Saracenos. Quibus peractis crescente morbo Legati, & peste grassari incipiente; post quædam alia ad finem anni circa provisiones beneficiorum expedita, sequenti mutatis ob pestem sæpiùs locis, & in civitate Urgellensi compositâ discordiâ quæ inter Episcopum & communitatem à multo tempore etiam usque ad arma & certamina viguerat: demùm obtentâ ægrè à Rege Aragonum abeundi licentiâ, & à Pontifice dimissione Legationis; Calendis Iulij ejusdem anni proximi finem imposuit difficillimæ ac laboriosissimæ Legationi suæ; quam laudatissimè ingenti Catholicæ Ecclesiæ bono, regnorum ac Regum Hispaniæ commodo, & æternâ sui ipsius nominis gloriâ, atque eximiâ gratulatione Pontificis & totius Collegij Cardinalium, orbísque universi, exercuit. Acta verò ejus accuratissimè conscripsit *Bernardus de Rosergi* Decretorum Doctor & Cancellarius Tolosanus: eíque diligentissimè adlaboravit *Rogerius* Episcopus Adurensis, qui pars magna fuit totius Legationis.

IV. CAROLUS REX FRANC. AD EXTREMA REDACTUS AUXILIUM CÆLESTE OBTINET.

Hoc item anno post diuturnos regni Francorum, Regísque Caroli VII. labores & mœrores, exaudivit eum Dominus in die maximæ ejus tribulationis; cùm obsessâ ab Anglis nobilissimâ civitate Aurelianensi, in quâ totus ferè rerum cardo vertebatur; ruptísque prælio Halecum Francis, (ita eo dicto, quòd cùm Angli in castra ad Quadragesimam quingentos circiter carros hoc ferè genere piscium onustos ex Parisiis ducerent, Franci Scotis juncti eos in Belsiâ ad pagum Roboretum S. Dionysij aggressi, magnâ clade fugati fuerint) desertúsque à Britonibus, & à Philippo Burgundiæ Duce repulsam de imploratâ enixissimè concordiâ passus; in tantas redactus esset angustias, ut penè deploratus videretur. Exaudiens igitur Dominus, tum preces & supplicationes quas per universum regnum Rex indixerat; tum proprias ipsius, cùm ingenti aliquando contritione intentissimè solus in suo Oratorio deprecatus Deum esset, ut si ipse legitimus existeret Regni Francorum heres, (quem Angli spurium prædicabant) dignaretur ei regnum conservare: sin minùs, eum alio quocumque modo consolari; paríque modo Virginis Matris Christo compatientis opem singulariter implorâsset: misit tandem ei Dominus auxilium de sancto [b], & de Sion tuitus est eum. Atque ut evidentiùs ostenderet à se hæc procedere, qui non [c] in perpetuum irascitur, neque in æternum comminatur; infirma [d] mundi elegit ut fortia confunderet, & ignobilia atque contemptibilia ut nobiles ac potentes destrueret, cùm ad adventum simplicis puellæ custodis ovium, ferocia, robur, virtus, victoriáque Anglorum retrò abiit, ita ut brevi totâ Galliâ pulsi fuerint. Extat hujus PUELLÆ (AURELIANENSIS vulgò dictæ ob liberatam obsidione Aureliam) historia, per Ioannem Hordal Lotharingum ex variis scriptoribus excerpta; quæ nos à diligentiori testium ac testimoniorum perquisitionis labore liberet: ex quâ quæ præcipuè ad rem omnibus sæculis memo-

b Psal. 19.
c Psal. 102.
d 1. Cor. 1.

randam

randam pertinebunt referemus.

V. PUELLÆ AURELIANENSIS HISTORIA.

Fuit igitur in pago Dam-Remigij ad Moſam fluvium in agro Tullenſi apud Leucos[t] IOANNA dicta, patre Iacobo Darcio, agricolâ, matre Iſabella Valteriâ, utroque probis & honeſtis moribus, paternas oves paſcere ſolita: quæ anno ætatis circiter decimo octavo dum oves ruri paſceret, ſpecie quâdam humanâ auguſtiore (S. Michaëlem Archangelum, ſicuti Eccleſiæ univerſim, ſic Galliæ ſpeciatim tutelarem patronum, fuiſſe volunt) ſæpiùs monita Regem adire, ad civitatem Aureliam obſidione liberandam, Regémque Remos (quod hactenùs facere non potuerat, quoniam civitas ab hoſtibus occupabatur) ad ſacrum chriſma regnique inſigne ſuſcipiendum, deducendum; cùm de ſuorum conſilio rem ad Robertum Baudricurtium Valliſcoloris proximi oppidi pro Rege præfectum retuliſſet: riſu primùm ab eo excepta, deinde ab eodem certiore per ipſam reddito de recenti clade quam diximus Halecum divinitùs eodem ipſo die ei revelatâ, perſpectâque inſuper ejuſdem prudentiâ; nonnullis ad Regem equo virilique habitu quò ſecuriùs iret deducenda tradita eſt: quæ magnam regni partem per medios hoſtes incolumis emenſa, ad eum pervenit Chinonem Turoniæ oppidum ad finem Februarij; cúmque inter multos ſpeciem Regis de induſtriâ ſimulantes, tenui habitu experiundæ ejus causâ latentem, cùm numquam vidiſſet, facilè agnitum, priùs coram deinde ſecretò allocuta: poſtquàm variis & multis interrogationibus tam à Theologis, quàm Iuris Doctoribus, necnon à Senatu ſeu Parlamento Pariſienſi tunc Pictavos ob Pariſiorum urbem ab Anglis occupatam tranſlato, verſata, fidem apud omnes invenit: maximéque apud Regem, tum ſecretum quid ei ſoli cognitum referans; tum quòd inſigni oblato Puellæ ad bellum gladio recuſato, afferri ipſa ſibi petens alium quem divinitùs ſciret in venerabili eccleſiâ S. Catharinæ de Ferâ-ſilvâ ejuſdem provinciæ Turonenſis, quinque Crucibus in mucronis laminâ, & liliis ex utrâque parte ſignatum, inter donaria antiqua rubiginoſum dependere; is ut ipſa prædixerat inventus eſt.

RECIPITUR A REGE ET ALIIS.

VI. AURELIAS LIBERAT AB OBSIDIONE ANGL.

Quo recepto, ceteríſque armis inſtructa, equóque inſidens, ac præferens ſignum militare coloris candidi, in quo ſacratiſſima nomina IESU & MARIA, unà cum Imagine Crucifixi, & Beatiſſimæ Virginis nuncium de cælo ſuſcipientis, ac Lilium album in utriuſque manu inſcribi voluit; (deſcribunt hoc ſignum alij nonnihil diverſè) cum aliquot egregiis ducibus, modicâ militum manu ad ſolvendam Aureliæ obſidionem, quæ jam ſeptem menſes perduràverat, intrepidè perrexit: & quâ erat pietate quo die Aureliam adventare oportuit, omnes milites peccata priùs confiteri jubens; per hoſtium munitiones quas ex adverſo mœnium undequaque magno numero extruxerant, impetu facto, auxilia & commeatum laboranti in extremis urbi intulit die vigeſimâ nonâ Aprilis, ſummâ omnium ordinum omníſque ſexûs exultatione excepta. Deinde Anglos ab obſidione recedere, quòd ea eſſet Dei voluntas, monens, alioqui pœnam eos luituros, cùm non auſcultarent, ſed potiùs deriderent: poſtridie feſti Aſcenſionis Dominicæ, nempe ſextâ Maij, munitiones & aggeres illorum fortiter aggreſſa, biduo eas qua cepit, quà ab Anglis deſeri coëgit. Primaque die ictu ſagittæ inter humeros collúmque vulnerata, neque pedem tamen retulit, neque obligari vulnus paſſa eſt, quin hoſtes proſtràſſet, & arcem quam oppugnabat deſerere impuliſſet. Denique liberatâ omninò Aureliâ, magnâ Anglorum clade, & majori ignominiâ; die octavâ Maij, feſto Apparitionis S. Michaëlis Archangeli, decretæ ſunt públicæ ſupplicationes & gratiarum actiones. Cujus accepti beneficij monumentum extat in medio Aureliæ ponte, ærea Puellæ ſtatua armati militis habitu, unà cum aliâ Caroli Regis, utrâque de geniculis Crucem mediam CHRISTIúmque in ulnis matris compatientis adorante: & quotannis octavâ Maij ſolemnis proceſſio inſtituta in totius rei geſtæ gratam ſempiternámque memoriam; quæ hactenùs celebratur.

VII. REGEM DEDUCIT REMOS INAUGURANDUM.

c Vid. Frizon. Gall. .. p. lib. 2. in Guid. ... Card. infr. an. 1594 X. XI.

Captis poſteà nonnullis circumjectis oppidis ab Anglis occupatis, iiſdémque Anglis duce Talboto præſtantiſſimo eorum duce ad Pataium Belſiæ vicum collatis ſignis devictis, occiſis tribus eorum millibus, captóque Talboto; neque uſquam Anglis præ terrore ſubſiſtere auſis, ſed ad ſolum nomen Puellæ trepidantibus; ad Regem rediens, Remos ire perſuaſit, (quod alterum caput ſuæ miſſionis erat) quæ in poteſtate Anglorum erat: receptíſque in itinere multis inſignibus urbibus, jugum Anglorum faſtidientibus, ipsíſque Remis ſeſe pariter dedentibus, ibi Rex ſacro oleo unctus eſt, & corona redimitus, decimoſeptimo Iulij, Puellâ præſente armatâ, & ſignum ſuum manu erectum geſtante. Eóque facto, quamquam neque ad regnum obtinendum & legitimè poſſidendum, neque eo tantummodò[c] loci præſtari neceſſariò; ob frequentiorem tamen uſum, qui legis penè locum apud vulgus obtinet, factus eſt Rex & auguſtior ſuis, & hoſtibus formidoloſior. Receptis verò poſteà aliquot aliis urbibus, Lutetia regni caput tentata nec paruit nec capi potuit, tum ob forte Anglorum præſidium, tum quòd diſſeminâſſent Regem eam direptioni expoſuiſſe. Quinimmò ad portam S. Honorati Puella vulnus accepit; adeóque belli impetus aliò verſus eſt. De quo dicetur anno ſequenti, unà cum reliquis Puellæ geſtis ac fine.

VIII. AUCTORES QUI DE ILLA SCRIPSERUNT.

Quæ verò hactenùs diximus; ex ſilvâ illâ auctorum [f] illius & ſubſequentium temporum tam Latinorum quàm Græcorum, Italorum, Francorum, Hiſpanorum, Anglorum, omnium denique gentium omníſque generis & conditionis ſcriptorum, quorum aut verba aut opera tam conſtrictâ quàm ſolutâ oratione exarata recitat & recenſet idem qui ſuprà Hordal, quíque faciliùs ab omnibus haberi & intelligi valent; diligentiùs tractâſſe videntur Bergomenſis[ff], Gaguinus[g], Polydorus[h], Meyerus[i], Forcatulus[k]. Quibus & meritò Sauſſeium[l] addimus in Hiſtoriâ Eccleſiæ Aurelianenſis: & antiquiorem Hordalo intactum, eumdémque luculentiſſimum, Gobelinum[m] in commentariis Rerum memorabilium Pij Secundi temporibus geſtarum, quorum plures ipſummet Pium auctorem faciunt cui Go-

f Æn Silv. Europ. cap. 43. Anton. tit. 22. cap. 9. §. 7. Nider. lib. de malef. cap. 8. Naucler. gener. 48. Laziard. Epit. Hiſt. cap. 274. Æmil. lib. 10. Fulgoſ. lib. 3. factor. memorab. Sabell. 20. En. 3. Boet. Hiſt. Scot. lib. 16. Maſſon. Hiſt. Franc. lib. 4. Marian. Hiſt. Hiſp. lib. 20. cap. ult. Delri. Diſq. Magic. lib. 4. cap. 1. q. 3. ſect. 6. Chalcondyl. lib 2. Monſtrel. Charter. Gill. Til. Bellefor. Wuaſſeburg. &c.

ff Bergom. de Clar. mulier. cap. 157.

g Gaguin. lib. 10.

h Polyd. lib. 23.

i Meyer. lib. 16.

k Forcat. de Gall. imper. & philoſ. lib. 7.

l Sauſſ. lib. 14.

m Gobel. lib. 6.

n Bellefor. lib. 5. cap. 87. usque 93. & in Addit. ad Annal. Gil. Cod. S. Vict. CCC. I.

belinus à secretis erat: necnon linguâ patriâ Belleforestium,[n] qui omnium plenissimè historiam tractavit ex aliis & antiquioribus monumentis S. Victoris Parisiensis: & objectiones de imposturâ ac rei fictione, aliásque luculétissimè dissolvit. Nihil iis omnibus auctoribus inter se diversis in laudibus Peellæ, ejúsque fide Catholicâ, vitæ probitate, virginitatis integritate, prudentiâ, fortitudine, aliísque virtutibus, & divinæ ejusdé vocationis approbatione: quamvis in certis rerum gestarum minutiis, quæ nihil vel omninò parùm ad Puellæ historiam faciunt, ut ferè in omnibus narrationibus fieri consuevit, aliquid discrepent. Denique sunt [o] qui in confirmationem divinæ ejus missionis, apud Latiniacum suscitatum à mortuis puerum ejus precibus fuisse scribunt. Præter quæ prodiit etiam in lucem Historia Obsidionis Aurelianensis Latinè scripta à Io. Lodoico Micquello: aliáque Gallicè: quibus intextæ sunt res fortiter à Puellâ pro ejus solutione, subindéque pro Regis apud Remos inauguratione gestæ, ex monumentis ejusdem temporis eleganter conscriptæ: quibus prædicta omnia egregiè confirmantur.

o Valer. Varan. lib. 4. de gest. Ioan.

IX. PUELLÆ FAMILIA NOBILITATE DONATUR.

Rex autem Carolus pro navatâ tam forti & diligenti operâ, speciatímque pro liberatione Aurelia, tam illam quàm ejus parentes, tres fratres, consanguineos, & affines, eorúmque nepotes utriusque sexûs in perpetuum nobilitatis jure donavit, dato eâ de re diplomate mense Decembri præsentis anni: quod idem Hordal ex Cameræ Computorum recitat; inseruerátque anteà Petrus Gregorius commentariis suis de Republicâ, datis etiam à Rege nobilitatis insignibus, ense argenteo in campo cæruleo, cuspide aureâ coronâ, utrâque acie liliis aureis ornatâ: mutatóque inde eisdem cognomine, ut loco *Darc* dicerentur *de Lilio*. Atque interim Ioannæ sumptus quibus Comitis familiam æquaret, ne apud viros militares ac proceres propter inopiam vilesceret, suppeditavit.

X. CORPORIS CHRISTI CELEBRITAS ORNATUR INDULGENTIIS.

p Supr. ann. 1264. I.
q Bull. 10. I Mart. V. const. 12.
r Ibid. Eug. IV. const. 6.

Hoc eodem anno Martinus Pontifex septimo Calendas Iunij, ad faciliùs impetrandam in tot bellorum turbinibus; hæresum superstitionibus, pestilentiæ grassationibus, aliarúmque calamitatum afflictionibus; divinam opem & misericordiam; sacrosancti *Corporis Christi* celebritatem (de cujus institutione aliàs [p] dictum) pluribus indulgentiis & gratiis, editâ constitutione [q] ornavit, quas & paulò pòst Eugenius [r] confirmavit, auxítque.

XI. s Krantz. 11. Vuandal. 6. LIVONENSIUM CRUCIFERORUM ATROCITATES.

In Livoniâ [s] cùm Archiepiscopus Rigensis *Synodum* celebrâsset, è quâ visum esset nuncios ad Sedem Apostolicam dirigere contra oppressores illius Ecclesiæ; hi in Livoniæ finibus à quodam Teutonicorum Ordinis fratre crudeliter invasi, spoliati, & in profluentem sub glaciem detrusi, misero exitu perierunt. Isque nihilominùs quasi de egregio facinore literas ad terræ Pontifices scribens, se illorum clericos rebus & vitâ exuisse tamquam publicos hostes significavit. Quo confirmatum vides quod non semel aliàs monuimus, & frequentissimè Germani auctores & Poloni queruntur, Ordinem B. Mariæ qui ad Christianitatis amplificationem in eas partes missus fuerat, brevi in ejus ruinam delapsum esse. Vnde mirati sæpè sumus, quomodò Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex, tantus Princeps, tantíque nominis, & qui tantum pro Ecclesiâ laboravit, eò perduci potuerit, ut relictis sæpenumerò suorum regnorum, etiámque Boëmici, & fidei in eo negotiis, in favorem illius Ordinis (qui primò unus, posteà in duos divisus est, Prussiensium & Livonensium) multis contentionibus cum Polonis decertaverit; iisdem valdè ex parte ejus iniquis, si eorumdem Polonorum scriptoribus crediderimus. Sed fuerit hæc fortè invidia in gentem, ut fit inter vicinos; aut innata Sigismundi malevolentia in Wladislaum Poloniæ Regem, haud tamen, ut videtur, eam meritum; quem sæpè & fidum amicum & promptum auxiliatorem [ss] sensisse iidem auctores scribunt, nec sunt alij qui inficientur. Denique & hoc ipso anno omni nisu quæsivit Vitoudum, sive Alexandrum Lituaniæ Ducem, ejusdémque Wladislai patruelem cum eo committere; persuadendo ei, octogenario jam seni, ut contra pacta cum Polonis inita, quibus Lituania perpetuò unita Poloniæ esse debebat, eam in regnum erigi peteret, ídque se præstaturum pollicendo. Factúmque tandem fuisset, consentiente etiam initio, ut erat facilis, VVladislao, nisi acriter Poloni restitissent; & mors Vitoudi, quæ anno proximo contigit ex anthrace inter humeros orto, tractatum dissolvisset: neglectis etiam ab iis Martini Pontificis literis, utrumque tam Sigismundum quàm Vitoudum Polonorum petitione ab instituto dehortantibus. Quæ uti se habuerint, prolixè narrat Cromerus [t], breviter Michovius [u]: parcens uterque sævissimis Vitoudi moribus; nisi quòd suos metu magis quàm beneficentiâ in officio continere solitum tradant. Sed de iis agens Æneas [x] Silvius, (ex quo multi alij descripserunt) scribit fuisse eum à subditis adeò formidatum, ut jussi laqueo se suspendere, parere potiùs quàm in ejus indignationem incidere eligerent: detrectantes imperium insutos ursinâ pelle viventibus ursis, quos eam ob causam nutriebat, dilaniandos objectaret, crudelibúsque aliis afficeret suppliciis. Equitando arcum semper tensum gestâsse: siquem conspicaretur aliter incedere quàm vellet, confestim sagittâ confodisse: multos quoque per ludum interimere consuevisse. Sanguinarium carnificem, ut esset inter populares & ipsum Principem certum faciei discrimen, radere barbam omnibus imperâsse. Id ubi non succederet, quòd faciliùs cervicis quàm barbæ jacturam Lituani ferrent, tonsum ipsum mentum & caput prodiisse, capitale interminatum, siquis provincialium pilos faciei deponeret. Fuit autem impiger & vegeto ingenio, abstemius in omni vitâ, & temporis perparcus; at in Venerem proclivior: habens insuper in more ut procuratores bonorum suorum rapinis ditatos excuteret atque expilaret; rursúsque præficeret, ut eosdem & posteà exsugeret.

SIGISMUNDI CÆSARIS CULPA IN IIS PROTEGENDIS.

ss Vid. etiam supr. ann. 1415. LXVII.

t Cromer. lib. 19.
u Mich. lib. 4 cap. 47.
x Æn. Europ. cap. 26.

VITOUDI DUCIS LITUANI SÆVI MORES.

XII. HUSSITARUM NOVÆ GRASSATIONES.

y Krantz. 11. Vuandal. 17. & 20.

Ceterùm satiùs ei ac Sigismundo fuisset Martino Pontifici auscultare, eos adversus Hussitas animanti, quàm sic inter se contendere, & quodammodò hæreticis suffragari in perniciem Catholicorum: qui [y] rursùm hoc tempore Silesiam ingressi, indéque tripertito

agmi

agmine Hungariam, Poloniam, & Austriam aggressi, igni ferróque omnia fœdantes, vastantésque, sævissimas ubique de more crudelitates ac multiplicia sacrilegia in res & personas exercuerunt, immanissimo risu & joco in his ludentes. Quando *Ioannes de Przibram* vir doctus & magnæ apud eos auctoritatis, utpotè præcipuus inter quatuor Cleri publicè deputatos Rectores, resipiscens ab eorum erroribus cœpit multos adversus Thaboritas libros scribere: atque inter alios, tractatum quemdam de conditionibus justi belli, ad sacerdotes eorum, tyrannidem, ut loquitur, regentes. Quos in libro suæ professionis & revocationis sic describit, ut Sacerdos Thaborensis esset, qui in facie quidem pius & mansuetus, interiùs autem impius esset ac tyrannus: exteriùs innocens & purus, interiùs à cruore fœtidus & squalidus: exteriùs submissus, interiùs super omnes erectus: qui nemini subesse pateretur, præesse cunctis moliretur: præsumeret se meliorem, quia non crederet se superbiorem: de omnibus se intromitteret: à sapientioribus vultum averteret: ordinata reordinaret, facta reficeret: judicaret judicantes, præjudicaret judicatis: infrenis, inflexibilis, præceps & audax; in omnia divina temerarius, in sancta singula impius & profanus. Plura alia ejusmodi in aliis quoque tractatibus contra eos editis; quibus & potissimè & gravissimè invehitur in Procopium Rasum pseudo-presbyterum ac præcipuum eorum ducem, & Nicolaum de Pelhisimou eorumdem Thaborensium prætentum Episcopum, qui conati sunt eum ad se retrahere; eorumdem impias & horrendas in sacrosanctam Eucharistiam, Doctores Ecclesiæ, & sancta alia Catholicorum dogmata blasphemias aperiens & confundens. Quæ pluribus apud Cochlæum [z] in Historiâ Hussiticâ videre est.

PRESBYTEROKUM ILLORUM DESCRIPTIO.

z Cochle. Hist. Hussit. lib. 6. & post. lib. 12.

XIII. Ad hæc tempora refert Trithemius [a] originem reformationis monasterij Bursfeldensis Moguntinæ diœcesis in Saxoniâ; à quo Unio seu Congregatio *Bursfeldensis* orta, cui pleraque Germaniæ ac Galliæ Belgicæ monasteria sese adjunxerunt. Sumpto exordio reformationis à monasterio S. Matthiæ prope Treverim, auctore *Ioanne Rodio* insignis pietatis Abbate, qui auctoritate Apostolicâ ex Carthusiano factus Benedictinus, monasticam vitam secundùm regulam S. Benedicti instauravit: *Ioannes* autem Abbas Bursfeldensis ad suum pauperrimum monasterium transtulit, atque inde deinceps reformatio in alia derivata est. Rem pluribus narrat Trithemius: prosequitúrque Miræus [b] in suis Originibus Monasticis.

a Trith. in Chron. Sponheim.

CONGREG. BURSFELDENSIS IN GERMANIA.

b Mir. lib. 2. c. 25. & 26.

XIV. Hoc eodem anno mortuus ponitur [c] *Paulus* Venetus; quem alij Cretensem vocant, Theologus ac philosophus insignis Ordinis Eremitarum S. Augustini: quem Bergomensis [d] scripsit cunctos dialecticos philosophósque ac suæ ætatis Theologos sine controversiâ superâsse, atque etiam tanquam alterum Apollinem post se futuros philosophos suæ incredibilis sapientiæ lacte nutrîsse. Habet item Pamphilus, eum Senis cum quodam immanissimo hæretico, aliis invicto, nomine *Francisco Porcario* ita disputâsse, ut non solùm publicè superaverit, verùm etiam ut exurreretur effecerit: sícque Etruriam à contagione hujus hæresiarchæ liberâsse. Quænam verò fuerit ejus hæresis, nec is ponit, nec nos alibi invenimus. Porcariam autem familiam Romanam reperimus: ex quâ Stephanus quidam sede vacante Eugenij IV. turbas edere molitus legitur apud Platinam [e].

c Ap. Pamphil. in Chron. Erem. S. August.
d Bergom. lib. 14.

PAULI AUGUSTINIANI MIRA CELEBRITAS.

e Plat. in Nicol. V.

IESU CHRISTI Ann. 1430.

MARTINI V. Ann. 13.

SIGISMUNDI Ann. 21.

IOANNIS VII. Annus 12.

I. ANNO Christi millesimo quadringentesimo trigesimo, Indictione octavâ, die decimâ Ianuarij Philippus Dux Burgundiæ, post duarum sterilium uxorum obitum, tertiam ducens Elisabetham filiam Ioannis Regis Lusitaniæ; in ipsâ nuptiarum celebritate Brugis in Flandriâ, ad laudem & gloriam Redemptoris, ad reverentiam matris ejus gloriosæ Virginis, & honorem S. Andreæ Apostoli, (ut præsetulit) instituit & erexit *Ordinem* & fraternitatem dignitatis equestris, & amicabilis societatis certi numeri Equitum, quem voluit appellari *Velleris aurei*; sive à vellere Gedeonis ducis Israëlitarum, ut meliores volunt; sive ab aureo Iasonis Argonautæ, ut alij: quod & ita nonnulli interpretantur, ut per singulas literas vocis Iason intelligere voluerit menses Iulium, Augustum, Septembrem, Octobrem, Novembrem, quibus omnes fructus terræ colliguntur, erántque ei insta: velleris aurei: vel etiam, ut alij maluerunt philosophari, ratione solius tonsionis ovium quibus ea regio abundat. Nam quod fuère item, qui ad rem turpem referre non erubuerunt; nec eos audiendos putamus, nec ullatenùs patiuntur sanctissima nomina, in quorum gloriam & honorem erectio facta ponitur. Numerum autem Equitum definivit, ut essent triginta, virorum nobilium nomine & armis & sine reprehensione; quorum ipse suo tempore esset caput & supremus, ac post eum successores ejus Duces Burgundiæ. Ita enim habetur in ejus erectionis diplomate; quod è Gallico [a] in Latinum versum, Historiis suis, sed diversis versionibus, inseruêre Meyerus [b] (at iste sub anno præcedenti, eò quòd annos incipiat à Paschate) & Heuterus [c]. Singulis Equitibus qui primùm creati sunt, aureum torquem donavit, appendente aureo Velleris signo. Numerum posteà Carolus V. Imp. usque ad unum & quinquaginta auxit. Res [d] enim demùm ad Archiduces Comites Burgundiæ Regésque Hispaniarum transiit; qui nullum habent ambitiosius insigne, quo suos honestent; aut præmium, quo magna sibi præstita ab exteris officia levi impensâ persolvant.

ERECTIO ORDINIS VELLERIS AUREI.

a Ext. ap. Pcil. for. lib. 5. cat. 90.
b Meyer. lib. 16.
c Heuter. lib. 4. in Phil. [illegible]
d Vid. Mennen. de Ordin. Milit.

II. Idem verò Burgundus bellum Carolo Regi pro Anglis inferre pergens, Compendium Picardiæ oppidum obsidione cinxit. Ad quã solvendam cùm Ioanna Puella Aurelianensis, de quâ anno superiori, venisset, vi & arte urbem ingressa; altero die eruptionem faciens in hostes, post multam pugnam cùm hostium multi-

PUELLA AURELIANENSIS CAPITUR AB HOSTIBUS.

tuaine oppressa urbem repetere, suos ante se ducens & evadendi locum faciens, intérque postremos pugnans, à robusto equite turmæ Ioannis Lucemburgij sago militari apprehensa & equo dejecta, capta est pridie Ascensionis Dominicæ vigesimo quarto Maij; & post mutatos carceres, tandem Anglis pretio vendita: qui Rotomagum eam ducentes, die trigesimâ Maij anni sequentis igne publicè combusserunt; collectósue cineres in flumen demerserunt, nequid fortè reliquiarum servari aut coli posset: (excepto tamen corde, quod tradunt integrum atque illibatum permansisse:) Petro Cauchonio Bellovacorum Episcopo Anglorum & Burgundorum fautore, præcipuo concitatore; nemine pro captivâ contrà hiscere auso. Memorant quidam, à Guillelmo Flaviacensi oppidi Compendij præfecto hostibus venditam; eámque proditionem, suam secuturam mortem, Puellam genúsque mortis prædixisse confirmant: pœnásque ipsum posteà luisse, cùm ab uxore suâ noctu in lecto suffocatus est.

Crematur ab Anglis.

III. *Crimina ei falsò objecta.*

Tria præcipuè in eam intenta fuêre crimina, magiæ, hæresis, proditæ virginitatis: quorum vanitas facilè purgatur probationibus & testimoniis plerorumque scriptorum, qui uno fermè omnes ore ejus innocentiam comprobant; & quorum dubia videtur sententia, eam Hordal[e] apprimè aut ad aliorum reducit veritatem, aut planè confutat: uberiúsque Belleforestius[f] ex monumentis Bibliothecæ S. Victoris, ubi integra totius rei gestæ historia reperitur; quam & nos vidimus. De virili veste, quod quartum fuit criminationum caput, purgatum & illud est, tum ex eo quòd non propterea sexum mentita sit, nec in rebus bellicis, aut virorum militarium perpetuâ necessariáque conversatione femineus amictus commodus aut decens esset: (cùm & alioqui ad secretius ministerium puellas haberet: tum quòd mulierem sine peccato virilem habitum necessitate aut rationali causâ ferre posse, Theologi[g] consentiant; & multis sanctarum feminarum exemplis, quæ etiam sexum virilem finxerunt, comprobetur. Sed ne in eâ excusandâ ampliùs immoremur, facit (ut diximus) diligentia Ioannis Hordal: qui sicuti Vitam ab ejusmodi calumniis & criminationibus egregiè defendit, ita & Mortis iniquitatem manifestissimis ac sincerissimis eorumdem auctorum, quos anno præterito recensuimus, testimoniis & auctoritatibus, aliorúmque plurium superadditorum, (ac præcipuè Gersonij insignis Theologi, qui puellam vidisse profitetur, & ejus missionem, ac gesta planè approbavit, tractatu proprio[h] de illa ac pro illa habito: quamvis sint qui eum Henrico de Gorckeano tribuant ejusdem temporis auctori:) pluribúsque aliis rationibus & argumentis ostendit.

e Hord. in Hist. Puel. Aurel.
f Bellef. lib. 5. cap. 92. 93. 116. & in Addit. ad Annal. Gil. in Car. VII. Cod. ms. S. Victor. CCC. 1.
g S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2.
Purgatur a calumniis.
h Gers. oper. tom. 2. in fin.

IV. *Auctoritate Apostol. declaratur innocens.*

Et quod ceteris omnibus præpollere debet, cùm posteà auctoritate Calixti Papæ III. anno 1456. ibidem Rotomagi diligens recognitio facta esset sententiæ in eam latæ; fuit illa penitùs rescissa; declarantibus Iudicibus delegatis, processus & sententias illas, dolum, calumniam, iniquitatem, repugnantiam, jurisque & facti errorem continere, ac proinde nullas esse & inanes: dictámque Ioannam, ejúsque parentes & propinquos nullam infamiæ notam inde contraxisse: Uti distinctiùs continetur in eorumdem delegatorum sententiâ, quam continet codex[i] Victorinus, idémque auctor recitat; pronunciatâ die Septimâ Iulij ejusdem anni 1456. quâ etiam statutum est, Crucem in loco ejus combustionis ad memoriam perpetuam & injustæ ejus executionis monumentum poni. Cauchonium quoque Episcopum, ob pravam illam sententiam contra Puellam latam, fuisse à Calixto excommunicatione perculsum, sunt[ii] qui asserant: aliíque[k], misertimè eum periisse dum ei barba tonderetur. De ceteris verò qui eo judicio prædicto Petro adstiterũt, asserunt[l] duos ab iisdem Iudicibus delegatis adhuc superstites fuisse citatos, & legitime cõvictos, damnatósque & combustos: duorum verò aliorum mortuorum ossa effossa, & similiter concremata: ac jussum Rotomagi ubi virgo fuerat combusta, templum construi, & ex reliquorum prædictorum bonis, quæ per sententiam fisco addicta fuerant, ibidem ad Dei honorem & defunctæ propitiationem sacrificium quotidianum institui. Erubescant igitur Angli, (inquit Laziardus[m] Cælestinus de his agens) se à feminâ & quidem Catholicâ regno pulsos; nec deinceps apud exteras gentes suum robur jactent, sed per abrupta fugientes posteris enarrent, se Puellam nomine Ioannam, non quidem vi armorum, sed proditione deceptam morte mulctâsse. Denique ab hoc tempore numquam desierunt pessum ire Anglorum conatus, & sponte suâ festinare ad Francos victoria: uti omnes auctores veluti ex miraculo observant, & rerum probaverunt eventus. Cùm & hoc ipso anno coactis hostibus obsidionem Compendij dissolvere, multæ quoque aliæ urbes pulsis eorum præsidiis sese Carolo dediderunt, aut vi captæ sunt non minori hostium cæde quàm dedecore. Adeò ut ad casus suos novis auxiliis sustentandos, post supplicium Puellæ evocare habuerint ex Angliâ Regem suum Henricum cum potentioribus copiis; de cujus adventu dicetur anno sequenti.

i Cod. ms. S. Vict. CCC. 1.
ii Franc. des Rues in descrip. antiq. Gall.
k Gal. Christ. in Episc. Bellovac. n. 76.
l Bergom. de clar. mulier. cap. 157. Delrio Disq. Mag. lib. 4. c. 1. quæst. 3. sect. 6.
m Laz. Epist. Hist. c. 274.
Anglorum res in Gallia pessum eunt.

V. *Declaratio Regulæ S. Francisci.*

Præsenti intereà Martinus Pontificatûs sui decimotertio mense Iunij Ioannem titt. S. Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem, natione Hispanum, Legatum à latere destinavit ad Capitulum generale Fratrum Minorum Conventualium Assisij celebrandum, cum plenâ auctoritate Ordinem reformandi tam in capite quàm in membris. Quod ipse egregiè præstitit, declarationes edens singulorum capitulorum illius Regulæ, quæ extant[n]: ita tamen ut iisdem declarationibus ipse Pontifex[o] sequenti mense Iulij in nonnullis modum aliquem adhibere habuerit. Quas & rursùm uberiùs declaravit Pius[p] IV. suo tempore: præter alias aliorum Pontificum, quæ jam olim factæ fuerant, & postinde factæ sunt; ob frequentes Ordinis relaxationes, reformationes, divisiones, dissectiones, denique & dissensiones, quibus amplissimus Franciscanorum Ordo variis nominibus & vestibus gestiit sæpissimè Mundo innotescere; facili, fortè & aliquando coactâ Pontificum indulgentiâ, ad conservandum aut restituendum inter eos charitatis vinculum, quod frequentissimè dissolutum videri contigit; contingítque etiamnum magnâ ipsorum ignominiâ, nec minori Ecclesiæ scandalo.

n Bullar. to. 1. Mart. V. Const. 13.
o Ext. ejus const. in Append. Bullar.
p Bull. to. 2. Pij IV. const. 103.

VI. DUCIS VENET. PERICULUM A SICARIO.

Ponitur hoc anno à Donato Bossio in suo Chronico obitus Francisci Contareni Ducis Venetiarum; quem, dum solemnia Missarum apud S. Marcum audiret, quidam ex Contarenorum familiâ sude peracuto gutture transfixum occiderit. Sed longè eum falli, diligentior historicus Sabellicus[d], aliíque rerum Venetarum scriptores ostendunt; dum non occisum, sed tantùm vulneratum fuisse, plurimísque pòst annis vixisse tradunt. Rem autem ita describit Sabellicus; ut cùm Andreas Contarenus patritiâ familiâ natus ob adversam valetudinem parùm sibi constans, Hadriatici sinûs præfecturam peteret; post repulsam in comitiis habitam, iram in Principem convertens, eum è Senatu in auream ædem sacrorum horâ descendentem, mediis scalarum gradibus cupresseo pugione quem sub pallio occultum gestabat jugulare tentaverit: confecissétque, nisi Senensium orator qui proximo loco steterat, arrepto illius brachio in faciem circa nasum vulnus detorsisset. Continuò reus captus, & ad supplicium tractus, truncatâ eodem loco dexterâ, & ad collum suspensâ, ex superiori parte curiæ laqueo necatus est.

[d] *Sabel. 3. dec. 1. Instin. lib. 7. & alij.*

IESU CHRISTI Annus 1431.

EUGEN. IV. Ann. 1.

SIGISMUNDI Ann. 22.

IOANNIS VII. Annus 13.

I. IULIANI CÆSARINI CARDIN. LEGATIO CONTRA HUSSITAS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo trigesimo primo, Indictione nona, Martinus Papa de extirpatione hæresis Boëmicæ solicitus *Iulianum Cæsarinum*, è nobilissimâ Romanâ familiâ, S. Angeli Diaconum Cardinalem, virum doctrinâ, facundiâ, & rerum experientiâ, prudentiáque mirabilem, omnibúsque tam Latinis quàm etiam Græcis illorum temporum scriptoribus laudatissimum; jam tunc in Germaniâ apud Sigismundum Romanorum Regem agentem; ad id operis cum amplissimâ facultate Legatum à latere constituit, pro bello sacro contra Boëmos Hussitas indicendo, & aliis gerendis quæ ad eam rem pertinerent: dato ad eum diplomate tertio Idus Ianuarij, quod recitat Cochlæus[a] in Historiâ Hussitarum; unà cùm ejus promulgatione, & orationum ad divinum auxilium implorandum indictione, per eumdem Iulianum vigesimâ primâ Martij factâ Neurembergæ diœcesis Bambergensis: cùm, ut ait, pridem in eâdem urbe Sigismundus conventu Electorum Imperij, ceterorúmque Principum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, & communitatum habito, deliberâsset cum potenti ex totâ Germaniâ exercitu ad festum Nativitatis S. Ioannis Baptistæ Boëmiam ingredi ad extirpationẽ hæreticorũ: qui intereà (ut Krantzius de hoc eodem conventu agens describit) item factis potiùs quàm verbis agentes Silesiam & Marchiam de more crudeliter devastabant, nec ordini, nec sexui nec ætati deferentes, nullíque loco aut sacro aut profano parcentes. De Catholicorum verò exercitu dicetur postea.

[a] *Cochlæ. lib. 6.*

II. CONSTITUITUR IDEM LEGATUS AD CELEBRATIONEM CONCILII BASIL.

Intereà namque idem Martinus Pontifex, non armis tantùm, sed & doctrinis atque instructionibus agere decernens; instante jam tempore celebrationis Concilij generalis, ex decreto primùm Concilij Constantiensis[b], deinde Senensis[c], quo civitatem Basileæ ad id designatam vidimus: eumdem Iulianum Cardinalem, vitæ integritate (ut eum celebrat) & sapientiâ præclarum, magnitudine consilij conspicuum, ac in maximis Romanæ Ecclesiæ & universalis negotiis diuturnâ experientiâ comprobatum; tanquam Angelum pacis ad prædictam civitatem Basileensem destinavit Legatum-à-latere cum plenâ & absolutâ potestate, ipsius Pontificis nomine Concilio in eâ celebrando præsidendi, (ipso Pontifice, ut excusat, propter notoriam suam ægritudinem ei interesse non valente) atque in illo proponendi, & cum Patribus Concilij deliberandi ac statuendi quæ ad laudem Dei, conservationem & augmentum fidei, statum Ecclesiæ, reformationem Cleri, reductionem Orientalis Ecclesiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium, ac præcipuè Boëmorum, & extirpationem hæresum ubicumque grassantium; conservationem Ecclesiasticæ libertatis; pacem & quietem regnorum, Regúmque ac Principum & populorum pertinerent: ut pluribus continetur constitutione[d] eâ de re ad eumdem Iulianum missâ Calendis Februarij hujus anni Martini Pontificatûs 14. vigesimo ante obitum die.

[b] *Conc. Cõst. sess. 44.*

[c] *Sup. an. 1423. III.*

[d] *Bullar. to. 1. Mart. V. const. 14. & Sess. 1. Conc. Basil.*

III. MARTINI PP. V. OBITUS.

Dum enim isthæc prosequeretur pius Pontifex, contigit eum jam ab aliquo tempore infirmũ, apoplexiâ oppressum hâc vitam deserere 10 Cal. Martij Romæ, ætatis anno 6[illegible]. Sedis [illegible] mense 3. die 12. ut habetur in ejus æneo sepulchro, quod ei positu est in basilicâ Lateranensi ante Capita Apostolorum Petri & Pauli. Laudatur ab omnibus scriptoribus multarum virtutum, ut aliàs diximus: cui Ecclesia unionem, Italia quietem, Roma restaurationem debuit, ceteræ nationes eximiam de omnibus bene merendi voluntatem agnoverunt.

DEFENDITUR A CALUMNIIS.

Culpatur autem ab hæreticis, quasi cuidam permiserit sororem-germanam uxorem ducere; auctoritate fultis Angeli de Clavasio in Summâ. Qui si Antoninianam inspexissent, quam idem Angelus testem citavit, reperissent utique falsitatem citationis, quippe Antoninus disertè loquitur[e] de dispensatione concessâ cuidam, qui matrimonium contraxerat cum feminâ, cujus sororem priùs fornicariè cognoverat. Super qua affinitate dispensare, minimè excedere potestatis Pontificiæ limites in confesso est: tametsi Antoninus scribat variè super hac re à Theologis & Canonistis tunc disceptatum esse: nec dispensasse Martinum nisi quia fornicatio erat occulta, nec vir ille aptus esset ad religionem, vel ad longinquam peregrinationem: & si divortium factum fuisset, magna scandala sequenda erant. Quod verò & ab aliis idem Martinus accusatus est de nimia cumulandarum pecuniarum cupidine; excusatur ab eodem Antonino[f], quòd eæ insumptæ sint in stipendiarios, & contra hostes Ecclesiæ: præter ingentes illas, quæ in restaurationes Ecclesiarum aliáque Urbis ornamenta expendendæ fuerunt. Quem & tanta constantiâ fuisse Platina scribit, ut cùm duos ha-

[e] *Ant. Sum. p. 3. tit. 1. c. 11. in fin. ad fi.*

[f] *Id. Chron. [illegible] §. 3.*

beret fratres unicè sibi dilectos, quorum alter Iordanus Princeps Salernitanus major natu peste, alter Laurentius minor in turri igne casu injecto periisset; nil ex eo sit auditum, nil visum, quod impatientiæ abjecti animi signum aliquod præferret.

IV. Eo mortuo, post justa funebria de more celebrata, Calendis Martiis conclave ingressi quatuordecim Cardinales qui tunc in Urbe erant, (erant [g] omnes numero undeviginti, sed quinque ab Urbe absentes: præter quatuor alios à Martino creatos, sed nondum publicatos) altero pòst die, nempè quinto Nonas unum ex ipsis elegerunt in Summum Pontificem; videlicèt *Gabrielem Condelmerium*, sive Condulmerium, Venetiis familiâ populari antiquâ (quæ post Eugenij creationem Patritiis adnumerata est) patre Angelo ex sorore Gregorij PP. XII. natum; & ex canonico Congregationis S. Georgij in Algâ ab avunculo primùm Protonotarium Apostolicum & Thesaurarium, deinde Episcopum Senensem, demúmque tit. S. Clementis Presbyterum Cardinalem creatum, (Senensem tamen ab Episcopatu nuncupatum) & sub Martino agri Piceni legatione functum. Qui sumpto nomine EUGENII IV. & symbolo, *Adjutor [h] & protector meus es tu Domine, ne derelinquas me Deus meus*; coronam Pontificiam in Basilicâ S. Petri accepit 5. Idus Martij, anno ætatis duodequinquagesimo. Ita Platina, Onuphrius, & alij. Habet verò insuper Auctor Burdegalensis, sæpè citatus superiùs, (sive sit ejus continuator) satis accuratus chronographus, in Vitis Pontificum quas producit usque ad Nicolaum V. & annum 1453. antequàm Cardinales ad electionem Pontificis procederent, statuisse inter se certos articulos atque juràsse; intérque illos, Ut imposterùm poneretur in literis Apostolicis, *De consensu fratrum nostrorum*, non solùm ut priùs *De consilio*; Ut Papa non posset creare novos Cardinales absque consensu antiquorum: atque Ut medietas patrimonij Ecclesiastici esset ipsorum Cardinalium. Ceterùm fuit Eugenius (ut eum S. Antoninus [i], qui sæpè vidit, describit) staturâ procerus; gratiosus aspectu, nec animo minor; liberalissimus ad pauperes, ad reparationem Ecclesiarum munificus; religiosos Deum timentes eximio fovens affectu pariter & effectu; cultûs divini & Christianæ religionis dilatandæ zelator præcipuus. Multas autem persecutiones injustè passus & insidias vitæ, eas æquanimiter excelsóque animo tulit. Ita ille.

V. Cujus quidem variam admodùm fortunam portendisse quidam putârunt casum primo ipsius publico consistorio contingentem, quē Platina describit; cùm fatiscentibus ad immensæ multitudinis pondus trabibus trepidatum adeò tumultuosè fuit, ut in fugâ Senogalliæ Episcopus obtritus perierit, Referentes etiam ad infaustum ejusdem Pontificatum, eclipsin solis, quæ die mortis Martini contigerat: quasi non tam ejus obitum, quàm temporum sub Eugenio calamitatem denunciaret. Superavit tamen omnia Eugenius auxilio divino, & prudentiâ ac constantiâ suâ. Ipsóque Pontificatûs initio civilem [k] seditionem à Columnensibus Martini consanguineis passus, occasione conquisiti immensi thesauri, quem Martinus reliquisse dicebatur, eorum conatus armis repressit: incidénsque in infirmitatem sive paralysis seu veneni, pacem cum iis composuit: cùm priùs Masius quidam Presbyter ex Ordine Minorum ad monasticum trãslatus, qui fuerat cubicularius Martini, atque Eugenium ad prædictas requirendas pecunias impulerat, sceleratâ perfidiâ mortem Pontificis meditatus, quæsisset arcem S. Angeli proditione occupare, & Columnensibus tradere: idémque captus, facinúsque fassus post degradationem mercedem suæ iniquitatis ultimum recepisset supplicium, corpore quadrifariàm dissecto, & ad quatuor Urbis celeberrimas vias appenso.

VI. Subsequenter (inquit idem Burdegalensis) quidam frater Ordinis Carmelitarum, qui vocabatur *Thomas de Britannia*, & erat magnus prædicator, ac circuierat universam fermè Galliam, Lombardiam, & Venetiam; tandē veniens Romam, ibi accusatus & captus tanquam suspectus de hæresi, demùm combustus fuit. Meminit ejusdem Antoninus: húncque postquam per Franciam prædicàsset maximo populorum concursu & fructu, ad Urbem venientem cum oratoribus Venetorum, & ab iis Pontifici commendatum, captum esse instantiâ Cardinalis Rotomagensis; vocabatur hic Cardinalis *Ioannes de Rupescisâ*, natione Gallus ex vico ejus nominis prope Lugdunum, & ex Archiepiscopo Rotomagensis & Patriarchâ Constantinopolitano factus à Martino V. Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina & S. R. E. Vicecancellarius) & procuratoris Ordinis Carmelitarum; ac de hæresibus quas prædicare dicebatur examinatum, & ut relapsum convictum, degradatum solemniter, igni adjudicatum esse & consumptum. Meminerunt ejusdem & alij plures, dictúmque cognomento *Conectum*, Monstreletus [l] docet; ac plerosque eorum quibus prædicavit ad bonam frugem reduxisse. Quare & combustum esse ob libertatem reprehensionum, nonnulli scriptum reliquerunt: cui & bonæ beatæque vitæ testimonium Baptista Mantuanus [m] perhibet, ac per invidiam sublatum tradit. Sed magis S. Antonino credendum putamus, ac pro sententiâ Iudicis potiùs præsumendum.

VII. Antè verò quàm hæc præsenti anno fierent, Eugenius confestim à suâ promotione curam Ecclesiæ Universalis suscipiens; imprimis quæ præcipui tunc momenti res erant, de sacrâ in Boëmos hæreticos expeditione, & Concilij Basileensis celebratione, Iuliano Cardinali Cæsarino à Martino Papâ creditis sollicitus; postridie coronationis suæ, nempè quarto Idus Martij literas [n] ad eum dedit: quibus ejus Legationem ita confirmavit, ut tamen quod circa negotium Concilij mutationem in pluribus factam esse audiret, ab eo de iis certior reddi postulaverit. Receptis verò ejus literis, cùm percepisset paucos aut nullos adhuc convenisse, secundo Calendas Iunij (Ita enim tunc Pontifices numeràsse, ut *secundo Nonas, Idus Calendas* dicerent, pro eo quod antiquo Romano more *pridie* dicitur, jam non semel monuimus. Nec debent, quod à pluribus factum videmus, qui literas eorum verbatim recitant, id mutare; quamvis in narratione rerum, aut sensus epistolarum relatione, neque id damnemus, nec nos id frequentare

dubi

Marginalia:

[g] Onuphr. de Rom. Pontiff.

EUGEN. IV. ELIGITUR PONTIF.

[h] Psal. 26. & 39.

[i] Ant. tit. 22. cap. 10. in pr.

VARIA EUGENII FORTUNA.

[k] Ant. Plat. Burdeg. ibid. Blond. 3. dec. 4. Bergom. lib. 13.

THOMÆ CARMELITANI SUPPLICIUM.

[l] Monstrel. lib. 2.

[m] Mant. lib. de Vit beat. cap. ult.

IULIANUS CARD. IUBETUR NEGOTIO BOEMORUM INCUMBERE.

[n] Ext. in Append. Actor. Conc. Basil. edit. Bin. inter. epist. Eugen.

dubitaverimus) ad eumdem Iulianum rescribens[o], injunxit ut interim negotium Boëmorum agens, eo expedito Basileam se transferret ad opus Concilij.

[o] Ext. in Act. Concil. Basil. sess. 1.

VIII. Qui quidem Iulianus expeditioni in Boëmos decretæ (ut vidimus) ad festum S. Ioannis Bapt. intendens, ad quam convenisse dicuntur supra 40. equitum Germanorum millia, quibus Sigismundus Rex Fridericum Marchionem Brandeburgensem præfecit) dum exercitum moras aliquas nectentem opperiri statuisset usque ad Calendas Augusti, interim Basileam misit *Ioannem de Palomar* sacri Palatij Apostolici Auditorem, Archidiaconum Barchinonensem, & *Fr. Ioannem de Ragusio* Ordinis Prædicatorum procuratorem generalem, qui Concilium suo & Apostolicæ Sedis nomine auspicarentur. Ipséque deinde cum exercitu Boëmiam ingressus, multas hæreticorum villas incendit, oppidáque diripuit, in extremis regni partibus. Et miles Germanus, ut Hussitarum crudelitati vices rependeret, neque ætati neque sexui pepercit. Sed moventibus in eos hæreticis, priusquàm in conspectum Catholicorum pervenissent, adeò in castris tripidari cœptum est, sive ex proditione, sive ex terrore panico, ut fœdissima secuta sit fuga, incassùm conante eam cohibere Iuliano. Meliori aliquantùm fortunâ uso Alberto Austriæ Duce, qui ex aliâ parte Moraviam ingressus, adeò gentem afflixit, ut jugum ejus accipiens parcere sibi eâ lege promiserit, ut circa religionem id sequi teneretur quod Basileense Concilium decerneret. Quæ pluribus tractat Æneas[p]: & ex eo Cochlæus[q], culpam ferè infelicis expeditionis in Cardinalem referens, cùm ait nunquam se laudaturum, duces exercituum fieri Cardinales & Episcopos, aut ullos sacerdotes, quòd minimè deceat eorum officium, sítque divinis & humanis legibus prohibitum. (Quod tamen distinctionem recipere; nec absolutè concedendum; sciunt & Theologi & Iurisperiti; nec desunt exempla quamplurima quibus & id licitè & feliciter usurpatum esse dignoscitur.) At Iulianus epistolâ de his ad Eugenium scripta, quam Hopperus editioni operum Æneæ Silvij, & Orthuinus suo Fasciculo inseruit, culpam fugæ solis Principibus adscriptam esse ab ipsismet Germanis refert: adeò ut nobiles & militares Germaniæ qui in exercitu fuerant, offerrent iterùm cum multo majori exercitu ingredi in Boëmiam, & ibi vel mori vel vincere; ita tamen ut neminem Principum vellent adesse secum, sed ipsi soli eligerent sibi ducem, quem rerum experientiâ magis idoneum judicarent; rogantes tantùm ut provideretur ipsis de subsidio triginta millium aureorum. Adeò verò præcipitem fuisse fugam illam Michovius[r] in Rebus Polonicis scribit, ut castra cum curribus omni genere divitiarum & epularum plena relicta sint: captáque etiam fuerit Crux Legationis Iuliani ac vestes ejus, ludibrio à Boëmis habitæ. Qui post hæc Basileam (sive Basiliam antiquam & insignem Germaniæ civitatem ad Rhenum, provinciæ Bisuntinæ, Helvetiis posteà fœdere contributam) petiit ad celebrationem Concilij.

Fuga Teutonum ad nomen Boemorum.

[p] Æn. Hist. Boëm. c. 48.
[q] Cochla. lib. 6.
[r] Michov. lib. 4. c. 52.

IX. De quo acturi primùm monemus; præter Acta diversarum Editionum, quæ omnibus patent; & quæ de iis scripsit Panormitanus qui interfuit, necnon Æneas Silvius, qui æquè adfuit; & ex eo atque aliis auctoribus collegit Orthuinus Gratius in suo Fasciculo; quæque passim de eodem Concilio apud publicos scriptores reperiuntur: habuisse nos Parisiis duplicia ejus Acta manuscripta: alterâ ex Bibliothecâ Collegij Navarrici, (qualia etiam, sed confusiora & mutila reperiuntur in Bibliothecâ[s] Victorinâ) per singulas Sessiones distincta atque epistolas, legationes decreta, aliáque ad Concilium pertinentia, verbatim complectentia, collectáque à nonnullis Doctoribus qui aderant, ac proinde omni fide constantia. Altera ex Bibliothecâ regiâ, beneficio viri clarissimi Nic. Rigaltij dignissimi ejus custodis: compendiosè concinnata per Augustinum Patricium canonicum Senensem, (qui factus deinde Rituum Sacelli Pontificij Magister, librum de iis conscripsit, ac demùm creatus est Episcopus Pientinus) jussu Francisci Picolominæi Cardinalis Senensis posteà Papæ Pij III. cujus secretarium egerat in legatione Germanicâ ei à Paulo II. commissa: excerptáque, ut in fine profitetur, ex longâ historiâ, & maximis duobus codicibus, visis à se Basileæ magnâ diligentiâ ut Sybillarum libris à civibus servatis; quorum exemplum habuisse se ait à Cardinale S. Marci: Eorum autem scriptorem & auctorem fuisse Ioannem Segobiensem natione Hispanum, qui deinde à Basileensibus Cardinalis S. Calixti est appellatus, & ad extremum vitæ in pertinaciâ schismatis permansit: Primam quoque ejusdem Synodi partem habuisse se ex collectione Dominici Cardinalis Firmani, qui tamdiù Concilio interfuit, quamdiù mansit concordia cum Eugenio Pontifice. Denique paucis diebus antequàm hæc nostra typis mandarentur, venerunt opportunè in manus nostras Acta Œcumenici Concilij Florentini, ab Horatio Iustiniano Bibliothecæ Vaticanæ Custode collecta, editáque Romæ anno superiori 1638. quorum primâ parte, quæ est de rebus ante Græcorum in Italiam ad Concilium adventum gestis, non pauca recensentur ad Basileense pertinentia, quæ non adeò distinctè tractata reperiuntur in prædictis ceteris Actis. Ex his igitur omnibus historiam hujus Concilij Basileensis, satis alioqui perplexam & involutam in temporum distinctione non parùm turbatam; necnon ob dissensiones inter Eugenium & Synodum ortas ac longo tempore continuatas, factúmq; inde Ecclesiæ schisma, variè pro partium affectibus tractatam; quantum fieri poterit dilucidè sinceréque enarrabimus: sed more nostro compendiosè, ne exscribendis inutili labore libris, iísque maximè qui typis cusi prostant, in aliorum qui id præstare consueverunt ingratam culpam simul & nos vocemur.

De Actis Concilij Basileensis.

[s] Cod. S. Victor. P. 12.

X. Quoniam verò res fuit octodecim fermè annorum, ante omnia visum nobis summam ejus brevissimè ob oculos proponere; ac præcipuè ex eodem Patritio, qui in fine collectionis suæ epilogum addidit, cuncta strictim comprehendentem, tam ad gesta quàm ad eorum ordinem ac modum spectantia, quæ in Actis & Appendicibus Synodi fusiùs conti-

Summa Concilij Basileensis.

nentur. Cùm igitur Basileense Concilium originem & auctoritatem primam trahens à Synodis Constantiensi & Senensi inchoatum esset; paucis initio convenientibus, & quædam contra Romanis Pontificis potestatem moliri visis, Eugenius Papa illud anno primo dissolvere tentavit: nec tamen prævaluit, tribus circiter annis in hâc altercatione elapsis. Donec Sigismundi Romanorum Regis operâ concordia factâ, per annos fermè quatuor ea utcumque perseveravit: quo tempore multa salubria sunt statuta. Sed cùm nimis multa sibi Conciliares arrogarent, & divisione inter ipsosmet factâ, in omnibus Concilium Pontifice majus esse contenderent; qui sequioris fuêre partis adversus Eugenium processus redintegrare cœperunt. Quorum conatus ut is perfringeret, Concilium de plenitudine potestatis Ferrariam transtulit. Vnde illi ipsum primò suspenderunt, deinde quantùm in iis fuit deposuerunt, subrogato Felice Sabaudo: paucis tamen eis adhærentibus, quamvis initio multos viderentur habere fautores quorum præcipui fuêre Alfonsus Rex Aragoniæ, & Philippus Dux Mediolani, quousque demùm post cessionem Felicis factam Nicolao V. Pontifici anno Domini 1449. dissidium finem accepit. Fuit autem Synodus post primam cum Eugenio reconciliationem satis frequens, adstantibus aliquando Prælatis circiter centum infulatis, in quibus septem Cardinales connumerabantur. Sed crescente dissensione adeò diminutus est eorum numerus, ut cùm judicium in Eugenium intentarent, vix triginta adfuerint, & in ejus depositione septem tantùm Episcopi. Admittebantúrque ad definitiones non modò Episcopi & Abbates, verùm etiam Theologiæ, Iuris utriusque, & aliarum sciẽtiarum professores, quos graduatos appellant: tum Ecclesiarum canonici & parochialium rectores; itaut non minoris esset auctoritatis simplicis canonici quàm Episcopi cujusquam suffragium; & contra omnem formam Conciliorum, non tam Episcoporum quàm presbyterorum Synodus esset.

XI. Ordo in eo servatus.

Fuit autem in Synodo hic ordo servatus, (ex usu videlicèt Concilij Constant. cujus Actis multa hinc lux ad feratur (ut multitudo omnis in quatuor nationes primùm distincta, Italicam, Gallicam, Germanicam, & Hispanicam; ex iis, pari ex unaquâque numero, quatuor Conventus, quas sacras Deputationes appellabant, constituerentur inter quos, quantùm fieri poterat, etiam pari numero adessent Cardinales, (quamdiù scilicèt hi interfuerunt) Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Magistri, Doctores. Habebant quoque diversa ac propria tribunalia, variis nominibus censita; videlicèt Fidei, Pacis, Reformationis, & Communium: quippe celebrationis Concilij causæ prædicabantur, extirpatio hæresum, pacis inter Principes conciliatio, & morum emendatio. Erant cuique conventui proprij magistratus ac ministri; Præsidens, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & secundùm majoris partis sententias concluderet: Promotor, qui tanquam curator publicus ingeret negotia instarétque ut absolverentur: Scriba, qui gesta decretáque publicis monumentis adnotaret: Lector sive apparitor, qui conventus nomine Patres convocaret, & edicta proponeret. Conveniebant ter in hebdomadâ, iisdem horis, propriis in prætoriis; ubi confectâ re divinâ rebus gerendis operam dabant. Ex quatuor deinde Conventibus duodecim virorum collegium creabatur, qui appellabantur XII. Deputati, terni ex unoquoque Conventu, viri doctrinâ & experientiâ clariores. Ad hósque primùm negotia omnia deferebantur: qui rebus digestis vel respuebant; vel si admittendas judicabant, ad collegium sive tribunal cui competebant mittebant. Erátque XII. illis potestas, cùm aliquid grave instaret, convocare quatuor Conventus etiam extra Ordinem. Quæ verò ab iis ad quempiam ex conventibus remittebantur, in concione per Præsidentem illius conventûs proponebantur. Neque licebat primâ die de propositis quidquam decernere, nisi res necessariam celeritatem manifestè exigeret. Quod major pars statuisset, firmabatur signo Præsidentis, & ad alios tres conventus deferebatur: & si ita minori parti videretur, etiam deferebatur eorum sententia cum rationibus & argumentationibus utriusque partis. Quod autem per tres conventus approbatum erat, ad Præsidentem Concilij generalis publicis documentis defebatur: qui statuto die in generali Congregatione (quæ octavo quoque die fiebat) de eâ re referebat. Neque ei licebat de ullâ re agere cum Patribus in generali conventu, nisi priùs deliberatum de illâ, sive (ut aiebant) conclusum fuisset per quatuor aut saltem tres speciales conventus sive deputationes. Demùm ubi quippiam approbatum erat in generali conventu seu congregatione, id in formam decreti redactum, in publicâ universi Concilij Sessione solemni ritu statuebatur. Cùm verò res erat in publicâ Sessione promulganda, conveniebant Patres ad basilicam civitatis, & nonnumquàm Clerus cum sacrâ pompâ. Vbi re divinâ per aliquem ex Prælatis factâ, Præsules Abbatésque omnes sacras vestes & albas infulas sumebant. Præsidens autem Concilij mitrâ & veste pretiosiori ornatus in Pontificali sede ad altare sedens faciem ad Patres convertebat: cui diaconus & subdiaconus in sacris vestibus ut celebraturo adstabát. Patres infulati hinc inde in subselliis chori sedebant. Legati verò Regum & Principum in medio ante faciem Præsidentis humilioribus sedibus. Post eos Generales Ordinum, Magistri, Doctores, Graduatíque omnes, & alij Sacerdotes suo quique ordine. Dictis posteà precibus cum Litaniâ, (quarum forma ex Concilio Constantiensi edita extat in principio Actorũ Basileensis) unus aut duo Prælati, reliquis omnibus suo loco sedentibus, cum mitrâ suggestum ascendentes decreta legebant. Iísque perlectis interrogabant Præsidentes an placerent; & Præsidens Concilij pro toto Concilio, alij pro suis Conventibus respondebant, Placet. Aderant Scribæ; qui rogati omnia adnotabant ut lecta erant, & in acta publica redigebant. Tum depositis sacris vestibus, dimisso Senatu domum revertebantur. Decretum verò scriptum Concilij bullâ sive sigillo muniebatur: cùm tamen quæ à Scribis notabantur non priùs ederentur,

quàm

quàm à Correctoribus quibus ea provincia demandata erat, emendarentur. Erant verò præterea in Concilio alij ministri, seu Officiales: putà promotores, Sedium distributores, Procuratores & Advocati, Iudices & Auditores causarum, Auditor Cameræ jurisdictionem habens in omnes Conciliares, Soldanus prætor & executor Auditoris, denique magistratus & ministri omnes qui in Romanâ Curiâ esse solent. Ita ferè Patritius in Collectionis suæ Epilogo: quæ pariter tractantur in Appendice Actorum editionis Binianæ, & statuta dicuntur in generali Congregatione die Veneris vigesima sextâ Septembris; unà cum pluribus aliis articulis de recto vivendi modo, & modestiâ ac honestate tam in Prælatis, quàm aliis omnibus in Concilio existentibus in moribus servandâ.

XII. QUI PRIMI INTERFUERINT BASILEÆ AD CONCIL.

Ut autem jam propiùs ad ipsas res gestas accedamus; imprimis habent eadem Acta Patritiana, (ita namque posthâc vocabimus, quæ ab eo sunt collecta & composita) quarto Nonas Martij præsentis anni, quo die secundùm decreta Synodi Constantiensis inchoari oportebat Basileensem; *Alexandrum* Abbatem *Virzeliacensem* Ordinis sancti Benedicti Eduensis diœcesis, virum doctrinâ clarum, Basileæ se sistentem, convocatis canonicis & collegio Ecclesiæ Basileensis, ac plurimis aliis viris egregiis, proposuisse jam annos septem completos esse à fine Concilij Senensi; & secundùm illius & Constantiensis decretum Basileense debere inchoari, ad quod Prælatos omnes absque aliâ vocatione sub pœnis juris venire oporteret; Adesse se obedientiæ filium, paratum alios expectare, & cum iis ad quos sermonem habebat interim omnia agere quæ necessaria forent pro salute Christianæ plebis &c. protestando per se non stare quin decreta sacrorum Conciliorum implerentur. Ita ibi. Confirmatúrque id ipsum epistola [t] Iuliani Cardinalis ad Eugenium Pontificem contra dissolutionem Concilij posteà scriptâ: ubi & præterea traditur, infra mensem venisse nuncios Universitatis Parisiensis, ac cœpisse tractare de iis quæ ad Concilium pertinerent, scribendo etiam Regi Sigismundo ac Principibus Germaniæ ut mitterent ad Concilium.

[t] *Ext. int. oper. Æn. Silvij, & ap. Orthuin. in Fascic. rer. expetend. ep. 2.*

XIII. INCHOATUR CONCILIUM.

Mortuo inter hæc Martino Pontifice, & Eugenio ipsius successore legationem Iuliani Cardinalis Cæsarini confirmante, missi ab eo ut diximus, Ioannes Palomar & Ragusius, applicantes eò die Iovis 19. Iulij, (ut habetur in principio Actorum Biniensium) die Lunæ 23. convocatis paucis illis qui aliunde accesserant unà cum Clero Basileensi, CONCILIUM inchoaverunt; decernentes tamen majorem numerum ad res tractandas expectandum esse. Erat autem tunc Episcopus Basileensis *Ioannes*, ex Abbate Saleriensi ad eam dignitatem evectus. Ubi verò Iulianus Legatus advenit; ad Boëmos verbis alliciendos, qui armis superari non poterant quod ipsi quererẽtur nunquam sibi traditam fuisse qualem voluissent audientiam, scripta est 15. Octobris ad eos nomine Concilij epistola [u], benignissimis & sinceri affectûs plenissimis hortationibus invitans oratores ad Synodum mittere, cum quibus de fide tractari pacificè posset; cùm oblatione securissimi & amplissimi commeatûs seu salvi-conductûs. Hácque epistola missa est per Synodi nuncios ad Sigismundum Regem, ut in Boëmiam mitteret. Quod ipse præstitit in ipso itineris in Italiam procinctu: scribens & ipse ad eosdem Boëmos, se Romam non aliud petere quàm coronæ suscipiendæ causâ: cœptum jam esse suâ operâ Concilium Basileæ, quò deberent qui se audiri de religione peterent proficisci; audituros namque benignè Patres rationes eorum: & alia quæ Æneas [x] refert. Quando & Synodus monita, Catholicos Boëmis vicinos conditiones pacis ab eis post fœdam illam fugam accipere velle; arbitrans hoc ignominiosum esse, misit Ioannem Nyderium Ordinis prædicatorum, & Ioannem Helgusium sive de Mulbrun Cisterciensem, ut Catholicos consolarentur, & meliora sperare hortarentur, necnon à pacto cum hæreticis ineundo dehortarentur; simul & Moravos Boëmósque ad Concilium antè vocatos, ad veniendum sedulò urgerent, prout traditur in Narratione rerum cum Boëmis gestarum, quæ habetur ante Concilium Basileense, ex Fasciculo rerum expetendarum Orthuini Gratij: eadémque inserta Historiæ [y] Boëmicæ prædicti Æneæ editionis Germanicæ 1602. à quo illa nonnulli collecta putant ex prolixioribus Actis tunc confectis. Quid verò per legatos gestum fuerit, dicetur anno sequenti.

[u] *Est prima Concil. in fi. Actor. edit. Binian.*

INVITANTUR BOEMI AD ILLUD.

[x] *Æn. Hist. Boem. c. 49.*

[y] *Ap. Æn. post c. 50.*

XIV. AGITUR AB EUGENIO PP. DE DISSOLUTIONE CONCILIJ.

Cùm autem intereà missus ad Eugenium Pontificem à Iuliano Legato Ioannes Pulchri-panis canonicus Bisuntinus ei significasset,) ut narrat ipse Pontifex suis literis (nullos ferè adhuc Prælatos Basileam accessisse; tam urbem quàm vicina loca infestari armis Burgundiæ & Austriæ Ducum inter se bellantium adeò ut non esset tutus ad eam accessus; in eâdémque urbe Basileensi multa gravia scandala oboriri, cùm multi ex civibus Hussitarum hæresi infecti clerum persequerentur & crudeliter trucidarent: idémque aliâ parte Eugenius, ex tractatu [z] per Martinum ipsius decessorem cum Imperatore & Patriarchâ Constantinopolitano præhabito, per istorum nuncios sollicitaretur de Synodo habenda pro unione utriusque Ecclesiæ, electâ ad hoc Bononiâ Italiæ civitate; nec è re Christianâ & Ecclesiæ Catholicæ esset, duo simul disjuncta Concilia tam dissitis locis celebrari: His & aliis nonnullis rationibus, suis de hâc re literis ad Iulianum scriptis [a] secundo, seu pridie Idus Novembris, idem Eugenius de consilio decem Cardinalium quos penes se habebat, potestatem fecit eidem Iuliano, Concilium Basileense dissolvendi, & in annum cum dimidio novum Bononiæ indicendi, necnon aliud pro tempore decennij in Constantiensi decreti, in loco ab ipso Legato & iis qui Basileæ convenerant eligendo pariter indicendi: etiamsi Iulianus significâsset satius esse Concilium Basileæ fieri, ad morum Germanorum reformationem, & alia nõnulla quæ honestatis gratiâ magis subticenda quàm declaranda viderentur: hoc tantùm ab Eugenio petito, ut nova fieret vocatio Antistitum. Quod tamen Eugenius non probavit, magis cupiens Concilium omninò dissolvi; sive ob prædictas à se adductas causas; seu ut putatur, quòd jam subaudîsset

[z] *Vid. sup. an. 1412. Ul. IV. & infr. hoc an. num. pen.*

[a] *Ext. in Append. edit. Bin.*

aliqua ibi tractari cœpisse, quæ verebatur fore in præjudicium suum ac Sedis Apostolicæ.

XV. b Ext. Bull. to. 1. Eug. IV. const. 1. DECRETUM EUGENIJ DE CARDINALIUM VOTIS.

Eò namque etiam pertinere videtur quoddam ejus decretum [b], datum jam anteà septimo Calendas Novembris: quo de decem pariter Cardinalium consilio & consensu sancivit, Cardinales in secreto Consistorio pronunciatos pro talibus haberi non debere, quousque insignia Cardinalatûs, videlicèt capellum rubrum, tituli assignationem, & annuli in digitum immissionem accepissent: neque verò etiam his acceptis, & in publico Consistorio Cardinales pronunciatos, in electione Romani Pontificis aut alio quolibet actu vocem activam habere posse, donec de rebus & ritibus in Consistoriis tractari & observari solitis plenè instructis, à Romano Pontifice de consilio & consensu antiquiorum Cardinalium licentia impertita, & os apertum fuisset: & si qui sic pronunciati, contra præmissa Cardinales se ausi fuissent nominare, eo ipso perpetuam ad eam dignitatem inhabilitatem, fautores verò & auxiliatores excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrere. Quæ quidem putatur Eugenius potissimùm decrevisse contra *Dominicum Capranicam* Romanum, quem cum aliis tribus sic à Martino creatum fuisse absentem, ut nonnisi pòst declarandus foret, Onuphrius [c] & alij docent; résque distinctiùs declarata habetur in quâdam responsione factâ à Synodo Basileensi Nunciis Eugenij, quæ extat in Appendice Actorum ejusdem Synodi. Qui quidem Dominicus vir existens insigni doctrinâ & prudentiâ, cùm nihilominùs quibusdam adversantibus nec electioni Eugenij interesse, (quamvis id omninò decrevisset Martinus) nec ab eodem Eugenio permissus fuisset Urbem ingredi, aut insignibus dignitatis uti; ac propterea Basileam sese ad Concilium recepisset, ibíque ut Martini Cardinalis acceptus fuisset: inde creditur Eugenius timore ejus alti & præclari ingenij hanc declarationem in eum potissimùm publicâsse, cujus & omnia bona intercepit. Tantâ tamen, ut tradunt, insignis viri modestiâ, ut nihil unquam asperi aut contumeliosi in Eugenium ex ejus ore eruperit, cujus posteà opera idem ipse ac subsecuti aliquot Pontifices utilissimè in rebus arduis, pacísque ac belli negotiis, usi reperiuntur: ipséque ingentibus virtutibus, morum excellentiâ, vitæ austeritate, ac piis operibus nomen suum immortalitati consecravit: de quo non semel agendum inferiùs.

c Onuphr. Ciac. & Victore l. de Sum. Pontif.

DOMINICUS CAPRANICA CARDIN. EUGENIO SUSPECTUS.

VIR CETEROQUI IN IGNIS.

XVI. DE ORIS CLAUSURA CARDINALIUM. d Cherub. in not. ad d. const. Eug.

Quod verò rursum ad prædictam Eugenij constitutionem pertinet; cùm variè de his statutum fuerit diversis temporibus, ut qui de Ritibus ejusmodi scripsêre docent; Pius V. anno 1571. 26. Iunij, decrevit [d] Cardinales in electione Pontificis vocem habituros, etiamsi galerus Cardinalitius eis traditus non esset, neque os clausum, aut si clausum nondum apertum fuisset. Quod & olim judicatum vidimus [e] in Androino de Rochâ Sede Innocentij VI. vacante: fuítque nostris temporibus observatum in Cardinale de Comitibus Sede vacante Clementis VIII. anno 1605. cui recens è legatione Avenionensi advenienti cùm de more Clemens in Consistorio in quo galerum ei contulerat os adeò strictè clausisset, ut si ipsum Clementem mori contingeret antequàm illud ei apertum fuisset, minimè posset electioni successoris suffragium conferre; mortuo interim Clemente, nihilominùs re in deliberationem positâ, conclusum fuit clausuram illam oris simplicem esse cæremoniam quâ monentur novi Cardinales priùs addiscere quæ in Consistoriis & Congregationibus fieri consueverunt, quàm de iis loqui præsumant; quæ tamen nullis obsit actibus legitimis, quin eos validè exequi possint.

e Supr. an. 1362. X.

XVII. ÆNEAS SILVIUS CUM PRÆDICTO DOMINICO CARD. PETIT BASILEAM.

Fuit tunc prædicto Dominico Cardinali (*Firmano* dicto ab ejus Ecclesiæ administratione) à secretis *Æneas Silvius*, (postea Pius PP. II.) cujus nomine sæpissimè illustrantur hi Annales, & cum eo primùm Basileam venit: qui nobili familiâ Picolominæâ Senensi patre Silvio matre Victoriâ anno Christi 1405. 14. Cal. Novẽbr. Corsiniani, quod est oppidum agri Senensis, ortus; Romæ humanioribus literis & jure civili apprimè excultus; hoc anno vigesimum sextum ætatis agebat; *Bartholomæus* etiam tertio nomine appellatus. Cujus extat Vita à pluribus descripta ante ejus opera; & uberior in Commentariis nomine Ioannis Gobellini Vicarij Bonnensis amanuensis sui; ab ipsomet, ut veriùs putatur, conscriptis.

VIII. IULIANUS LEGATUS DELIBERAT DE CONCILIO CELEBRANDO.

Sed ut ad Concilium redeamus; cùm acceptis Eugenij literis Iulianus Legatus hæsisset in earum executione, videns tamen crescere in dies Antistitum numerum undique adventantium; itémq; oratores Regum ac Principum, ac nonnullos Cardinales concurrere: consideránsque præcipuam jam causam revocationis Eugenij, quæ erat Antistitum paucitas, & itinerum difficultas, cessare; nec tam dissolutionem Eugenius injunxisse, quàm rebus sic ut narrabat stantibus potestatem dissolutionis fecisse videretur; maximéque necessariam esse ad res Germanicas & Boëmicas Synodi continuationem; nec denique posse ampliùs absque pudore, & Principum ac Prælatorum injuria & quærimoniâ, rem in alium locum aliúdve tempus remitti: decrevit omninò ulteriùs procedere. Habitáque generali Congregatione die Veneris septimâ Decembris, Primam Synodi Sessionem indixit in sequentem diem Veneris decimamquartam, in Ecclesiâ cathedrali celebrandam. Eáque de re per nuncios incunctanter certiorem reddens Sigismundum Romanorum Regem, qui jam (ut posteà explicabimus) Mediolanum pervenerat ad iter Romanum pro coronâ Imperij accipiendâ; literas [ee] ab eo recepit tam ipsi quàm universo Concilio directas datásque Mediolani die undecimo ejusdem mensis Decembris; quibus eos valdè laudavit de eorum proposito, hortatúsque est vehementer ad rem constanter prosequendam; & siqui forent qui Concilium protrahere aut dissolvere conarentur, illos tanquam membra putrida præciderent; quippe ex ejusmodi induciis aut dissolutione Ecclesiam Dei in totalem interitum ruituram. Quo eodem sensu scripserat [f] jam anteà idem Rex ad Pontificem, cùm audîsset eum decrevisse Concilium dissolvere aut protrahere, hortans magis ad illud fovendum & augendum.

ee Ext. in Append. Conc. Basil. Edit. Bin. int. epist. Sigism.

f Ibid.

Adveni

XIX. PRIMA CONCILIJ SESSIO.

Adveniente igitur die 14. Decembris, celebrata est PRIMA SESSIO: quâ, post Missam per Philibertum Constantiensem provinciæ Rotomagensis in Galliâ Episcopum cantatam, & preces ac solemnia, de quibus suprà, servata; habitámque à Legato Synodi præside orationem paræneticam de recto vivendi modo, & pura in rebus gerendis mente: idem Philibertus de Synodi mandato suggestum ascendens, clarâ voce legit decretum Synodi Constantiensis de celebratione Conciliorum generalium; instrumentum electionis civitatis Basileensis, pro istius celebratione in Senensi factum auctoritate Martini Papæ: ejusdémque Martini atque ejus successoris Eugenij mandata Iuliano Cardinali injuncta de eodem Basileensi celebrando; & quæ hactenùs ibidem gesta essent pro ejus stabilimine.

STABILITUR CONCILIUM.

Deinde causis finalibus celebrationis Concilij, nempè extirpatione hæresum, pace Principum, & reformatione morum indicatis; decretum legit Concilij Toletani de modis & gestibus in Sessionibus servandis, aliúdq; istius Basileensis, (ad evitandas dissensiones quæ inter nonnullos Principes, certásque Ecclesias intervenire consueverant) de salvis cuiuscumque Prælati aut Principis honoribus, præeminentiis, & dignitatibus, in quibuscumque actibus, sessionibus suffragiis, dictis, aut factis, quæ præposterè vel inordinatè fieri possent; ut nullum inde præjudicium cuíque generaretur, nulli jus novum acquireretur. Itémque aliud Constantiensis, contra invasores seu spoliatores accedentium ad Concilium, stantium, ac recedentium: aliúdque præsentis Concilij, contra eos, qui quocumque modo ipsum impedire, aut perturbare verbo, facto, vel literis, aut etiam ejus prorogationem; vel dissolutionem palàm vel occultè molirentur: rursúmque aliud de fructibus beneficiorum integrè percipiendis per eos qui Ecclesiæ causâ Concilio interessent. Denique creati sunt ministri & officiales Concilij, notarij seu scribæ, protonotarij seu correctores, promotores seu procuratores, ac sedium ordinatores. Quæ sic eâ Sessione gesta, singillatim in Actis tam manuscriptis quàm per Binium editis recensentur. Ex quibus, & prædictâ Sigismundi ad Eugenium Papam epistolâ, cunctísque auctoribus de hoc Concilio agentibus, etiam intelligitur; priusquàm idem Sigismundus montes transiret, destinâsse suo nomine protectorem ac defensorem Concilij Vvillelmum Bavariæ Ducem, Comitem Palatinum; præter alios oratores à se ad Concilium missos, quos prædictæ Sessioni interfuisse Acta significant.

XX. EUGENIJ EDICTUM DE DISSOLUTIONE CONCILIJ.

Aliâ verò parte Eugenius occasione arreptì invitationis Boëmorum ad Concilium Basileense pro collatione articulorum controversorum; quòd id diceret esse in injuriam Apostolicæ auctoritatis, sacrorúmque Conciliorum Constatiensis & Senensis, à quibus iidem Boëmi fuissent solemniter damnati, & posteà publicis bellis uti perfidi & pertinacissimi hæretici impetiti, quibus propterea juxta Patrum decreta & Legum statuta omnis audientia deneganda esset: tam ex hâc causâ, & periculis atq; scandalis quæ ex ejusmodi collatione imminerent, quàm ex illis aliis quas inseruisse vidimus literis de revocatione Synodi Basileensis ad Iulianum Legatum scriptis: publico edicto [g], de consilio & assensu decem Cardinalium quos penes se habebat, 15. Calendas Ianuarij (quatriduo post celebratam prędictam Concilij Sessionem, ac proinde antequàm resciri potuisset quæ in ea gesta fuissent) promulgato; de plenitudine potestatis Apostolicæ, Concilium, si quod Basileæ congregatum videretur, omninò dissolvit; aliúdque post annum cum dimidio Bononiæ, cui ipsemet interesset, rursúmque aliud in decennio decreti Constantiensis Avenione celebrandum indixit. Déque ea re speciatim scribens [h] eodem die ad Sigismundum Regem, ceteró.que Reges ac Principes majorésque Prælatos; veritus ne existimarent fugere ipsam omnem Synodi celebrationem, asseruit se in proposito constátem esse, ac Concilij celebrationem necessariam putare. Quódque præcipuam revocationis causam insinuaret unionem Græcorum Bononiæ tractandam, Sigismundum rogavit, ut per literas nuncios Ioannem Imperatorem & Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum nuncupatum sollicitaret promissos oratores ad Synodum Bononiensem destinare.

g Ext. in Append. int. Epist. Eugenij.

h Ibid.

XXI. SIGISM. ACCIPIT CORONAM FERREAM MEDIOLANI.

Quid verò Sigismundus responderit, dicetur anno sequenti, quem intereà præsenti Alpibus transmissis Mediolanum pervenisse, & die S. Catharinæ 25. Novembris in basilicâ Ambrosianâ regium diadema (nempè coronam ferream, quæ aliàs Modoëtiæ in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, ubi servabatur, recipi consueverat) assumpsisse memorandâ celebritate, idem ipse prædictâ ad Iulianum & Synodum epistolâ significavit: meminítque Corius [i] solemnium in ejus coronatione observatorum per Bartholomæum Capram Archiepiscopum Mediolanensem; nimirùm impertitæ benedictionis, atque anuli pretiosi, gladij nudi, coronæ ferreæ, sceptri & pomi aurei in signum Monarchiæ traditionis. Quibus tamen noluit interesse Philippus Mediolani Dux, Placentiæ interim morbum simulans, jamque à Sigismundo abalienatus: eo quòd suspicaretur eum proniorem esse in Venetos & Florentinos ipsius Philippi hostes; (quorum inter se his temporibus bellica dissidia, cladésque utrimque illatas & acceptas, præter auctores domesticos, fusiùs describit Blondus [k]:) quamvis præcipuus is fuisset auctor ipsius adventûs, suis eum se opibus & copiis per Italiam deducturum pollicitus. Quod tamen non solùm non præstitit, verùm etiam nec potestatem introeundi cum paucis in arcem Mediolanensem visendi causâ concedere unquam voluit: unde & inimicissimus posteà factus est ei Sigismundus; qui interim Placentiæ ac Parmæ hiemavit, res suas inde prosecuturus, de quibus dicetur suis locis: modò verò aliæ provinciæ nobis invisendæ.

i Cor. Hist. Mediol. par. 5.

k Blond. 3. dec. 4. & 5.

XXII.

Inter quas cùm Galliâ vehementibus adhuc quateretur bellorum tam civilium quàm externorum turbinibus; quòd tamen res Caroli Regis prosperiorem successum per cæleste auxilium Ioannæ Puellæ de quâ superiùs, sortirentur; ad res suas sustinendas magis quàm promovendas, Regem suum Henricum Angli ex Angliâ Parisios cum majoribus copiis evo-

cārunt, (cujus ingressum, ac subsequentium rerum seriem distinctiùs Monstreletus [l] descripsit:) atque ut majestatem partibus suis fatiscentibus conciliarent, eumdem ætatis annum 12. dumtaxat agentem in majori Ecclesiâ Beatissimæ Virginis ad finem mensis Novembris Regem Francorum coronârunt, jure paterno Henrici parentis, (ut Tillius [m] observat (non avito Caroli materni avi. Quippe ex quo Eduardus III. sumptum adversus Philippum Valesium, dimissúmque pace Britiniacensi, Regis Franciæ titulum, iterùm resumpsit adversus Carolum V. (ut suis locis vidimus) semper Reges Angliæ illum hactenùs retinuerunt. Adeò ut quantumvis Richardus II. prædicti Eduardi successor Carolo VI. cùm ejus filiam duxit, ingentes alios honores exhibuisse reperiatur, numquam tamen eum Regem nominaverit; cúmque ad eum scriberet, his verbis utebatur, *Celsissimo & potentissimo Principi Carolo Dei gratia carissimo fratri & consobrino nostro*; & postquàm gener extitit, *patri Franciæ*: quando verò in bello erant, semper in omnibus tractatibus, *Carolo adversario Franciæ.* Fuit autem hoc tempore coronatus prædictus Henricus puer, Henrici Cardinalis Vvicestrensis sive Vvintonensis ministerio haud multò feliciori quàm fuerat ejus expeditio [n] Boëmica. Siquidem haud id Francos terruit, quo minùs cursu rerum secundarum uterentur; captis aut vi aut deditione multis urbibus, cæsis variis locis hostibus: quamvis nec semper incruentis victoriis, nec sine adversis aliquando cladibus; ut apud earum gentium auctores videre est: cùm intereà cultu agrorum intermisso, vastitas in agris, in urbibus inopia esset, & armorum cædísque assuetudine efferati apparerent animi mortalium.

REX ANGLIÆ CORONATUR PARISIIS.

[l] Monstrel. lib. 2.

[m] Til. in Tract. int. Reg. Franc. & Angl.

[n] Supr. an. 1427. III.

XXIII. ALBERGATI CARD. IMPROSPERA DE PACE GALLIA.

Quorum misertus jam olim Martinus Pontifex, ad res componendas aptissimum ministrum Angelum pacis destinaverat Nicolaum Albergatum Carthusianum Cardinalem S. Crucis, (de cujus virtutibus dictum superiùs) si animos æquè ad concordiam paratos nactus fuisset. Qui ab Eugenio ad idem opus confirmatur, tanto ipsius prudentiæ ac dexteritatis elogio, ut quod ipse non faceret, per quemquam hominem fieri posse negaret; in Galliam veniens, quamquam nihil labori, periculis, sumptibus pepercerit in Regibus adeundis, exhortandis, obsecrandis eorúmque ministris adjurandis & impellendis; nihil tamen proficere potuit, utrísque in retinendo Francorum regno obfirmatis: id tantùm opportunè importunè instando consecutus, ut sex annorum induciæ fierent. Sed illis paulò pòst per Anglos violatis, (ut disertè in Nicolai vitâ traditur, quantumvis Angli culpam in Francos derivare gestiant) tum demùm Nicolaus spem omnem sanandis adeò exulceratis animis abjiciens, in Italiam se recepit, relictâ omnibus magnâ suî æstimatione, recusatísque Regum muneribus.

XXIV. REGIS CASTELLÆ VICTORIA DE MAURIS.

Sanctius bellum, quod hoc eodem anno contra Mauros Granatenses in Hispaniâ, ob denegatum ab eorum Rege pendi olim solitum tributum, gessit Rex Castellæ: quo inter alias clades iis illatas, urbésque ereptas, Calendis Iuliis gravi prælio (cui à Ficu loco pugnæ extante nomen fuit) supra decem eorum millia cæcidit, paucis è suis amissis: poterátque Granata urbs capi, maximè cùm inter ipsos Mauros dissidium esset de regno, nisi Rex præproperè, Alvari Lunæ qui cuncta pro potestate gerebat, ut vulgò jactatum fuit, auro Mauritio corrupti, proditione abscessisset. Rem pluribus Mariana [o] narrat ex vetustioribus.

[o] Mar. lib. 21. c. 3. & 4.

XXV. IN SCOTIA AGITUR DE RESECANDO LUXU PER ANGLOS INDUCTO.

[p] Boëth. lib. 17.

Egregium est quod hoc eodem anno in Scotiâ factum legitur [p]; leve id quidem in speciem, sed tanti tamen momenti, ut omnium ferè calamitatum cunctis populis ex simili causâ oriatur initium. Cùm igitur à Iacobo Rege, de cujus egregiis virtutibus dictum est superiùs, indictus esset conventus trium regni ordinum ad tractandum de regni negotiis; inter cetera quæ illo acta fuêre, omnium unâ voce propositum est de novo apparandorum conviviorum more, quem ex tenuibus & parcis Scotorum rebus Angli qui cum Iacobo in Scotiam venerant, in immensum luxum infinitósque sumptus evexerant: unde nocturnæ diuturnæque compotationes, personatæ saltationes, peregrinarum vestium delitiæ, laxitas ædium, omnium corruptelæ morum elegantiæ nomine commendatæ, apud Scotos pariter introductæ essent. Quare omnium nomine Henricus Vardlau S. Andreæ Episcopus, vir sanctimoniâ vitæ apud omnes probatissimus, elegantem habuit ad Regem orationem; quâ declarans quanta ex hujusmodi conviviorum luxu nasci consueverint mala & publica & privata, in perniciem singulorum hominum, familiarúmque, ac rerum publicarum rogavit, ut qui adventu suo tot alia bona in regnum intulisset, temperantiam perire ne pateretur, quæ sola regno retinendo ac conservando sufficeret, eâ verò pulsâ id collabi necesse esset. Sic enim cùm olim consuetudo in Scotiâ fuisset sumendi semel dumtaxat in die refectionem, accedentes pariter Malcolmo III. regnante per pacem & connubia Anglos suo more bis cibum sumere cœpisse, & in eamdem consuetudinem Scotos pertraxisse gravi regni damno. Quâ oratione cum evicisset Episcopus extirpandas esse pravas ejusmodi introductiones; de modò tamen dubitatum est, cùm nequaquàm rem omnibus æquè interdicendam existimarent. Indulgentes autem magnatibus, ut solemnibus dumtaxat diebus, artocreis (quorum ante eam ætatem nunquam usus Scotis fuerat) aliísque delicatioribus cibis uti possent effecêre ut pretio & honore luxui addito, contemptis regiis edictis, paulatim in immensam creverit intemperantiam, quamquam [q] Rex ipse domestico exemplo quantum potuit restiterit, non solùm cultu corporis & frugalitate intra privati copiosioris modum se continens, sed si quid immoderatum apud quemquam conspicaretur, vultu & plerúmque verbis id sibi ingratum esse ostendens.

[q] Buchan. lib. 10.

XXVI. BOEMUS HÆRETICUS COMBURITUR IN SCOTIA.

[r] Boëth. ubi. Lesl. lib. 17.

Quo eodem propemodùm tempore [r] deprehensus ab eodem Henrico Episcopo quidam natione Boëmus, nomine *Paulus Crau*, ad dogmata Vvicklessi & Hussi in Scotiam introducenda velut Apostolus missus; cùm id agere cœpisset, captus Iudicíque sæculari traditus, igne combustus est: comprobante adeò Rege, ut eum, qui rem detexit monachum Cisterciensem pingui Abbatiâ donaverit.

Tetrum

XXVII. LITUANORUM INCANTATIONES CONTRA POLONOS. f Cromer. lib. 20.

Tetrum valdè quod in bello à Polonis contra Lituanos gesto fieri hoc eodem tempore contigit: nimirùm ut cùm munitio quædam à Polonis obsideretur; Lituani obsessi, & qui cum eis sentiebant Russi, (sicut narrat Cromerus [f]) tum quoscumque Polonici generis & Catholici ritûs ibi repererunt exquisitis suppliciis in propugnaculis, ut inspectarent Poloni, necârint, & omne genus contumeliæ in eos jactârint, sisi incantationibus, quibus gens ea valdè utebatur, & magicis artibus: tum earum artium professores Iudæi inter alia abominanda quæ perpetrârunt; captivum quemdam Polonum eleganti formâ infixo in jugulum cultro mactârint: haustúmque sanguinem & intestina, vitaliáque membra extracta, & in minuta frusta concisa prunis imposuerint & adoleverint: eóque suffitu impias & sacrilegas precationes adhibentes, omnes munitionis Angulos lustrârint. Non tamen vi illorum incantamentorum soluta est obsidio; sed perversâ indulgentiâ Vuladislai Poloniæ Regis, Suitrigelloni Lituanorum Duci gentique, cùm Lituanus & ipse origine esset, benè volentis: sicut ei in faciem exprobravit animosissimus jurium Ecclesiasticorum ac patriorum vindex Sbigneus Cracoviensis Episcopus, cùm Regem calamitosis quibusdam equitibus Ecclesiastica bona dilargientem à cœpto deterruit.

XXVIII. t Leunclav. lib. 14. THESSALONICA OCCUPATUR A TURCIS. u Phranz. lib. 2. c. 9. x Chalcond. lib. 5. y Innoc. III. 3. ep. 18. edit. Tolos.

Hoc eodem anno Annales [t] Turcorum captam ponunt ab Amurate eorum Rege Thessalonicam, insignem Macedoniæ civitatem; quam aliquot antè annis Græci, desperatione eam à Turcis contuendi, Venetis vendiderant. Quod mense Aprili contigisse, Phranzes [u] scribit. Plerique Latini rem multò tardiùs ponunt. Chalcondyles [x] pluribus hanc cladem describens, Thermam civitatem appellat, quòd Thermaici sinûs porta esset, magnitudine insignis, copiis locuples, nec ulli Græcarum civitatum ceteris ornamentis inferior; ac duplici Apostoli Pauli, insignique olim fide Christianâ nobilissima; cujusque olim Antistites, & propriæ Sedis auctoritate, & Romanorum Pontificum privilegiis ac legatione summoperè culti reperiuntur: & posterioribus temporibus ab Innocentio [y] III. antiquis honoribus insigniter restituti, cùm ea civitas ad Ecclesiæ Catholicæ obsequium post captam per Francos Constantinopolim rediisset. Cæsis nunc, aut captivis abductis & per Europam Asiámque dispersis ac venditis cunctis urbis incolis, data est aliis inhabitanda, direpta priùs à militibus. Veneti qui in præsidio erant, navibus quas in portu habebât, fugâ evaserunt. Vocant eam Turci Salonichi: dicitúrque esse hactenùs inter omnes Græciæ urbes & magnitudine & frequentiâ, propter sitûs opportunitatem, conspicua. Habent porrò Venetorum historiæ, post eam captam aliquo tempore bellum inter ipsos & Turcos gestum esse satis prospero successu. Meminerúntque pariter Turcorum Annales pugnarum & cladium inter eos editarum, pacísque posteà compositæ.

XXIX. THOMAIS PIA FEMINA.

Fuit eo tempore Thessalonicæ *Thomais* quædam ex honestâ familia Asiaticâ, quæ parentibus orbata, atque à cognatis Constantinopolim perducta, & à sorore Nicolai Cabasilæ educata, ab eâdémque Thessalonicam deducta monacham egit unà cum matertera Phranzis, & alia quâdam nobili feminâ: captáque Thessalonicâ, unà cum iisdem Constantinopolim rediens, Imperatori, Reginis Patriarchæ, cunctisque civibus acceptissima, institutum valdè propagavit mirâ vitæ asperitate; ac demùm magnâ sanctitudinis opinione diem obiit. Cujus vitam percurrit idem Phanzes [z]; qui è sacro fonte baptismi ab eâ susceptus fuerat.

z Phranz. lib. 1. c. 5.

XXX. INSIGNIS LEGATIO GRÆCORUM AD PONT. ROM. a Phranz. d. cap. 9. b Id. c. 13.

Quod autem ex epistolis Eugenij Papæ ad Iulianum Cardinalem & Sigismundum Regem superiùs vidimus de tractatu Græcorum pro celebratione Concilij; confirmatur id apprime ab eodem Phranze [a], dum scribit, mense Iulij præsentis anni legatos à Ioanne Imperatore ad Martinum Papam antea missos rediisse Constantinopolim: quos nominat Marcum Iagrum Protovestiarium familia Palæologâ. Stratopedarcham, (hoc est castrorum præfectum) Magnum Protosyngelum, hoc est præfectum Archimandritarum cœnobiorum) Præfectum basilicæ monasterij Pantocratoris, & Macarium hieromonachum patrem spiritualem ipsius Imperatoris, quibus videas quàm illustris fuerit ea legatio; simul & intelligas quàm ea res cordi esset Imperatori. Quem tamen ei non parùm dissuasisse olim patrem ejus Manuelem, idem auctor [b] alibi refert; dicentem quidem, Turcos intimis sensibus vehementer formidare, ne aliquando Græci cum Christianis Occidentalibus in unam fidem conjungerentur, quòd existimarent se inde ab Occidentalibus gravibus damnis affectum iri: cogere tamen Synodum ne aggrederetur; quippe Græci ad quærendam rationem modúmque unionis non valerent, nec solliciti essent de reducendis in sententiam suam Occidentalibus, quos & impossibile esset reducere; ac proinde timere se ne deteriùs schisma fieret. Cùm autem Ioannes Imperator patrem in hoc non putaret audiendum; dixisse patrem posteà ipsi Phranzi, Ioannem magna sapere, & qualia postulabant felicia majorum tempora; sed ut tunc res essent, non Imperatorem quærere principatum Græcorum, sed velut œconomum reliquiarum: metueréque se, ne audaciores filij conatus totam domum everterent. Sed de Ioannis itinere in Italiam suo loco. De cœpto verò unionis negotio sub Martino, copiosè dictum est in ejus Pontificatu [c].

c Supr. an. 1422.

XXXI. GEORGIUS CASTRIOTUS DATUR OBSES A PATRE AMURATI TURC. REGI.

Post captam Thessalonicam, Amurates continuo victoriæ cursu omnem circa Peloponnesum regionem usque ad sinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit. A quo ut Ioannes Castriotus, qui in Epiro, & eâ parte Macedoniæ quæ ad Adriaticum vergit Albaniæ nomine hodie celebris, regnabat, quietem & pacem impetraret, qui bello sustinendo imparem se prospiciebat; Croiâ ditionis suæ metropoli, urbe munitissimâ cessit; obsidésque fidei dedit filios, inter quos *Georgius* minimus. Quem cùm ducunt novennem tantummodò tunc fuisse; asseratúrque natus anno Christi millesimo quadringentesimo quarto; dicendum omninò esset hoc contigisse anno millesimo quadringentesimo decimo tertio: sed cùm

necdum eo tempore Amurates regnaret, sub cujus imperio id omnes gestum ponunt, & disertè Annales Turcorum anno præsenti constituant: necesse est Georgium tunc saltem viginti sex annorum fuisse. Videntur tamen quædam esse quæ his adversentur. Sed quicquid sit de tempore, de re constat, Georgium indole animi & formâ corporis fratribus præstantem tantam apud Amuratem iniisse gratiam, ut familiarissimum ipsum in suo palatio haberet; quem & literis & moribus Turcicis instructum ad Mahometanæ legis disciplinam traduxit: atque ob miram proceri vim corporis, & præstantis ingenij expeditique consilij vigorem, *Scanderbegum*, hoc est Alexandrum dominum cognominavit: ejusdémque virtute ac fortitudine multis privatis certaminibus affatim probata, usus etiam deinceps est ejus victrice operâ in bellis copiisque ducendis tam contra Mahometanos in Asiâ quàm Christianos in Europâ. Conscripta fuit ejus Vita Latinè tredecim libris à Martino Barletio sacerdote Scodrensi Epirotâ: egeruntque de præclarissimis ejus facinoribus permulti alij; cùm nullum ferè reperire sit auctorem cujuscunque nationis aut idiomatis, qui non egregia illius nominis memoriâ sua scripta nobilitanda existimaverit. Agendum nobis etiam de illo non semel inferiùs, jam ejus initia proposuisse contentis.

SCANDERBEGUS AB EO NUNCUPATUR.

IESU CHRISTI Annus 1432.
EUGENIJ IV. Ann. 2.
SIGISMUNDI Ann. 23.
IOANNIS VII. Ann. 14.

I. AGITUR CUM BOËMIS DE EORUM ACCESSU AD CONCILIUM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, Indictione decimâ, legati à Concilio Basileensi ad Boëmos Basileam evocandos missi, Nurenbergam venientes, cùm audissent Pragenses, quæ metropolis est Boëmiæ, literas Synodi magnâ reverentiâ accepisse; scripserunt [a] inde quinto Ianuarij ad universos Boëmos, magno affectu invitantes eos ad dirigendos oratores suos ad Synodum, cum plenâ spe perfectæ reconciliationis, quàm Synodus toto animo desiderabat. Factúmque demùm est post diversos hinc inde tractatus, & relationes per eosdem legatos ad Synodum missas, ut habito mense Maij apud urbem Egram conventu, (cui & alij recens missi à Synodo oratores unà cum præmissis, necnon Friderico Marchione Brandeburgensi & Ioanne Bavariæ Duce, interfuerũt unà cum duobus nũciis Boëmorum) post multas difficultates statutum fuerit, missuros Boëmos suos oratores, modò de commeatu, seu publicâ fide, quem salvum-conductum appellant, eis plenè provideretur. Ad quod omninò præstandum, prædicti Principes, aliique, necnon & civitates, Basileaque, adeóque ipsa Synodus sese obstrinxit: súntque diplomata Pragam missa, quorum securitate Boëmorum nuncij Basileam petierunt principio anni sequentis, ut tunc dicetur. Hæc autem quæ modò diximus pluribus continentur in Narratione rerum cum Boëmis gestarum, cujus meminimus anno præterito; & in epistolis Synodalibus his de rebus scriptis.

a In Append. Concil. Basil.

b Sess. 4. & in Append.

II. SIGISM. CÆSARIS MONITA AD EUGEN. PP. CONTRA DISSOLUTIONEM CONCILIJ.

Intereà verò ipso penè anni præsentis initio, nempè die 9. Ianuarij, Rex Sigismundus respondens [c] literis ad ipsum per Eugenium Pontificem sub finem anni præteriti scriptis de dissolutione Concilij Basileensis, Placentiæ receptis, significavit vehementissimè mirari se de ejusmodi ipsius edicto, quod innumeras calamitates, & gravissima scandala allaturum erat, ac fidem Catholicam radicitùs enervaturum: & tam pro zelo quem ad religionem haberet, quàm ex debito officij quod gereret advocati & defensoris Ecclesiæ, enixissimè rogavit ut permitteret Concilium ibidem Basileæ celebrari; nisi vellet Ecclesiam in deterrimas conditiones prolabi, ipséque sinistræ suspicionis notæ subjici. Mittensque unà cum litteris quædam de his monita, imprimis quam præcipuam ab eo allatam ait dissolutionis causam, reductionem Græcorum, ita diluit, ut quamvis ea quidem reductio valdè optanda esset, posset tamen illa absque ullo Catholicæ Fidei periculo differri: quinimmò & debere, quousque dissensio fidei & deformitas morum in Latinis composita esset; alioquin enim hæc magis Græcos ab unione alienatura quàm ad eam inductura. Quòd verò literis revocationis Pontifex negaret Boëmos hæreticos jam prædamnatos ampliùs audiri debere; respondit nec eam esse mentem Concilij, nec suam, solùm ut vocarentur ad instructionem à Patribus accipiendam; prout Martinus ipsius Eugenij decessor pluribus epistolis suis tam ipsi Sigismundo quàm etiam Regi Poloniæ faciendum præscripserat. Si verò Concilium dissolveretur jactaturos Hussitas, Catholicos fugere, & Ecclesiam eorum rationibus succumbere, qui & propterea eò deteriora mala populis illaturi essent per universam Germaniam, quò probatior ipsorum religio videri posset. Hæc & alia Sigismundus ad Eugenium. Qualia ferè & scripsisse ad eumdem Pontificem reperitur [d] Henricus Rex Angliæ, cùm nuncios ejus de Concilij dissolutione accepisset; qui priùs omnem suam operam Basileensibus spoponderat: insinuans & ipse, si qua Basileæ expediri non possent, faciliùs posteà tractatum iri vel Bononiæ, vel alibi. Quando & contra id quod dixerat Pontifex, haud debuisse vocari Boëmos prædamnatos, scriptus est à quodam Doctore tractatus De Iustificatione (ut habet titulus) vocationis Boëmorum, quem reperimus in Actis Navarricis absque nomine auctoris: quo quidem, ex eo quòd, ut ait, quidam dubitare viderentur an ejusmodi vocatio licita esset, cum disputationis speciem sapere videretur, quæ in pertinentibus ad fidem prohibita assereretur; omnes autem Germaniæ Principes ac populi, & alij quique eam non solùm licitam, sed sanctam & necessariam ducerent: horum sententiam is auctor plurimis rationibus, auctoritatibus, & exemplis probare contendit, contrariásque rationes & auctoritates refellere, vel explicare.

c Ext. in Act. Navarr. & in Append. Conc. Basil. edit. Bin.

IDEMQUE REGIS ANGLIÆ.

d Ibid. post Epist. Synod.

SCRIPTUS COMMENTARIUS PRO BOEMORUM VOCATIONE.

III. Sed longè vehementiùs ad Pontificem scribens Iulianus Cardinalis, post narrata quæ

e Ext. int. oper. Æn.

Silv. & ap. Orthuin. in Fascic. rer. expetend.

IULIANI LEGATI VEHEMENTES AD EUGENIUM LITERÆ PRO CONCILIJ CELEBRATIONE.

hactenùs in causâ Boëmorum & Concilij gesta essent pro necessitate ejus celebrationis in urbe Basileensi, easdem quas Sigismundus aliásque proponit & latè explicat causas, propter quas illud non posset dissolvi sine magno scandalo, & propè eversione fidei. Magnâ prorsùs libertate (haud tamen sine debitâ reverentiâ) Pontifici objiciens oblocutiones quæ in eum undique proventuræ essent; hortánsque, etiamsi sciret se occidendum ratione hujus Concilij, non permitteret se tam indelebili ignominiâ notari, & tanta scandala sequi, quorum districtam rationem Deo redditurus esset. Et quod ad petitum ab eo subsidium triginta millium aureorum in bellum Boëmicum de quo suprà: debuisse ipsum vendere cruces & calices, ac statim subvenire, & non in tantillâ summâ cunctari, aut excusationes quærere, cùm ipse Iulianus paratissimus esset vel carcerem subire, vel etiam vitam profundere, pro servandâ promissione cui sese ad tantum Ecclesiæ bonum de illo subsidio exhibendo obstrinxisset. Denique ita Pontificem rebus Concilij studere debere, ut etiam si certus esset perdere Romam, & totum patrimonium Ecclesiæ, potiùs subveniendum esse fidei & animabus, pro quibus Christus mortuus est. Et quamvis non fortè ex Concilij celebratione tot bona sequutura forent quot sperarentur; tamen si dissolveretur, omnes dicturos, si non fuisset dissolutum eventura fuisse. Diluénsque posteà rationes in literis Eugenij pro dissolutione allatas, conquerénsque de duplicitate verborum illius qui literas dissolutionis attulerat, quasi non ipsi Iuliano fideretur; proponit rursùm periculum præsentissimum Schismatis, Patrésque Basileenses omnnò decrevisse Concilium Basileæ continuare, ac mittere quemdam insignem virum ad ipsum Pontificem: Obsecránsque, ut si nihilominùs omninò statuisset illud dissolvere, saltem ad aliquod tempus differret, quo quæ cœpta erant in Synodo possent adimpleri. Postremò satis se clamâsse dicens, & raucas factas esse fauces suas, CHRISTUM invocat in auxilium derelictæ Ecclesiæ suæ, quam suo pretiosissimo sanguine fundavit.

IV.

Quæ sanè cum ingenti verborum acrimoniâ scripta esse constet, ideò ea Iuliani esse, cujus plerique omnes modestiam laudant, vix multi induci possunt ut credant; quamquam & reperiatur inter opera Æneæ Silvij, qui Concilio interfuit. Ut autem & nos non solùm de hoc dubitemus, verùm etiam omninò suspectum habeamus, suadet quòd non reperiatur in Actis Navarricis: ubi tamen descripta habetur alia ejusdem generis epistola Iuliani, de quâ dicetur paulò pòst. Nisi Iulianum sic scribere coactum à ceteris dixerimus: quandoquidem idem Æneas Pius Secundus in suâ Retractatione asserit, Iulianum auditâ Eugenij revocatione, præsidentiam dimisisse tanquam Summo Pontifici vellet obedire, sed cùm augesceret in dies Concilium, eam resumpsisse, & auctoritatem Concilij mirum in modum extulisse.

V. PATRUM CONCILIJ LITERÆ CIRCULARES PRO EJUS CONTINUATIONE.

Ne igitur his dissolutionis rumoribus, aut literis Eugenij inducti Prælati, aliique Basileam se conferre cessarent; scripsère qui ibi congregati erant publicas ad universos Christi fideles literas [f] vigesima primâ Ianuarij; quibus eos certiores fieri voluère, se omninò decrevisse, inchoatum semel ritè ac legitimè Concilium prosequi, nec ullo modo Basileam deserere, donec opus ad quod fuissent convocati consummâssent: cunctos hortantes, ut sibi in his adessent, ac Prælatis sub pœnis juris injungentes ut ad Synodum festinarent. Reges verò ac Principes pariter rogârunt, & Concilio favere; & Prælatos mittere, literas scribentes, quarum exemplar ut ad Poloniæ Regem datum est, extat in Appendice Actorum Concilij.

[f] In Append. Concil. int. epist. Synod.

VI. CONVENTUS BITURICENSIS PRO CONCILIO.

Quibus speciatim moti tam Rex quàm Clerus regni Franciæ, cùm hinc ad Synodum, illinc Bononiam ab Eugenio vocarentur; ut quid agendum esset deliberaretur, conventum Prælatorum fieri decreverunt: Qui auctoritate regiâ in civitate Biturigum congregati, post rem disputatam, causam Concilij Basileensis suscipientes, nonnulla capitula [g] nomine *Advisamentorum*, hoc est monitorum, condiderunt die vigesima sextâ Februarij; quibus id Concilium legitimè & justis de causis congregatum esse, neque inde transferri debere, multis rationibus contendentes, Regem Christianissimum suppliciter hortati sunt legatos ad Eugenium Pontificem mittere, rogatum ut pro fidei necessitate, próque religionis Christianæ universali utilitate, mandaret continuari Concilium Basileæ, obstruendo ora in fidem orthodoxam suámque sanctitatem malignantium: Scribere item Sigismundo Romanorum Regi, & Ducibus Saubaudiæ & Mediolanensi, ut faverent Concilio, curaréntque nihil à quibuscúmque attentari contra quoscumque itinerantes, ac præcipuè Pontificem aut curiam Romanam, unde Pontifex aut collegium occasionem mutationis Concilij assumerent. At quam legationem elegit idem conventus Bituricensis Archiepiscopum Lugdunensem, (Amedeum de Talaru, posteà Cardinalem) qui vel unà cum oratoribus Regis, vel solus tam Regis quàm Cleri nomine prædicta apud Pontificem prosequeretur. Supplicant insuper Regi, ut suos quoque oratores ad Concilium mitteret, permitterétque ire Prælatos regni; concedens in sumptus exigi 4. partem unius decimæ à Clero. De quo conventu est [h] etiam brevis epistola prædicti Archiepiscopi Lugdunensis ad Synodum: aliáque prolixior ad Episcopum Lausanensem Ludovicum de Palude, Basileæ agentem, quâ res Biturigibus, & cum quodam nuncio Eugenij tractatas, aliáque eò spectantia refert; vehementissimum præseferens Concilij studium, ac nihilominùs monens ut cum multâ mansuetudine ageretur cum Pontifice, qui caput esset Ecclesiæ, & depresso capite arida vel infructuosa remansura forent membra; eóque maximè quòd vita ejus esset commendabilis, & sine exceptione quâcumque.

[g] Ext. in Append.

[h] In ead. Append.

VII. SESSIO II.

Cùm intereà Basileensibus die Veneris 15. Cal. Mart. *Secundam* celebrantibus publicam conventûs sui *Sessionem*, (quâ, ut habetur in Actis Victorinis [i] celebrata est Missa de Spiritu sancto per Philibertū Episcopum Constantiensem

[i] Cod. P. 12.

tiensem provinciæ Rotomagensis præsidentem, ceteræque servatæ precum solemnitates, præsente Vuillelmo Bavariæ Concilij protectore) Berengarius Episcopus Petracoricensis nationis Gallicanæ ex suggestu decreta Synodi legit quibus imprimis definiendo declaratum est, sacram Basileensem Synodum, sacris Constantiensi & Senensi Conciliis generalibus decernentibus, & auctoritate Apostolicâ interveniente, fuisse & esse legitimè ac ritè initiatam & congregatam. Ac ne de ejus potestate à quoquam dubitaretur, duæ declarationes ex decretis Synodi Constantiensis conditæ confirmatæ sunt. Una; Synodum generalem legitimè congregatam potestatem immediatè à Christo habere, cui quilibet cujuscumque statûs vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis, generalémque reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris. Altera; Quicumque cujuscumque dignitatis, etiámque Papalis, statutis cujuscumque Concilij generalis super præmissis, seu ad ea pertinentibus, obedire contempserit, puniendum esse. Ex quibus collegerunt, Synodum Basileensem per nullum quâvis auctoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeret, dissolvi, aut transferri, aut in aliud tempus prorogari posse aut debere absque ipsius Synodi deliberatione & consensu: neque item personas ejusdem Synodi ad recedendum ab eâ compelli, vel ne ad illam accedant impediri: Et si quis aliud ejusmodi, etiamsi Papali dignitate fulgeret, quibuscumque modis tentaret, totum irritum fore & inane. Quæ quidem quantæ auctoritatis fuerint, quantum ad Concilium Constantiense, jam tunc ostendimus [k] cùm de illo egimus: quantum verò ad præsens Concilium Basileense, etiam olim disputavit Ioannes [l] de Turrecrematâ Cardinalis, cùm eadem examinavit, improbavítque ex defectu potestatis, & unionis Patrum qui Concilio intererant.

DECRETA PRO COMPROBATIONE ET AUCTORITATE CONCILIJ.

k Supr. an. 1415 XXI. & LIV & 1418. V.

l Turrecrem. lib. 2. de Eccles. c. 100.

VIII. SESS. III.

Sessione Tertia habitâ die Martis vigesima nonâ Aprilis, narratis quæ Synodus ipso initio præstitisset in rogando per diversos nuncios Eugenium Papam ac Cardinales ei adstantes, ut ob gravissima quæ in eâ forent tractanda negotia, dignarentur ad illam accedere; & quomodò auditâ ipsius dissolutione per eumdem Pontificem ex sinistrâ informatione tentatâ, rursùm alios destinâsset oratores ad ejusmodi dissolutionis revocationem petendam, nec tamen impetrare potuisset: jam eadem Synodus ex vi & consequentiâ decretorum præteritâ Sessione explicatorum, tam ipsum Pontificem ut prædictam dissolutionem literis publicis revocaret, atque intra trium mensium spatium vel ipsemet ad Synodum accederet, vel legitimè impeditus Legatos suos cum plenariâ potestate mitteret, obtestata est, ac monuit; quàm Cardinales rogavit, atque citavit, ut intra dictum trium mensium terminum, canonico impedimento cessante, ad dictam Synodum venirent: alioquin provisuram ipsam necessitatibus Ecclesiæ, prout Spiritus Sanctus dictaret, ac processuram contra illos ordine juris.

EUGENIUS PP. ET CARDINALES MONENTUR AD SYNODUM ACCEDERE.

IX.

Cùm verò intereà intellexissent quæ in conventu Bituricensi statuta fuissent à Galliæ Prelatis; literis [m] suis scriptis nonâ Maij Regi de iis gratias egerunt; rogaruntque ut quemadmodùm inter Reges Christianos, antecessores ejus semper primi fuissent ad auxilium fidei & Ecclesiæ, propter quod Christianissimi, vocari meruerunt, ita & ipse agere dignaretur ut ea Prælatorum deliberatio sortiretur effectum per celebrem Prælatorum missionem, unà cum insigni ipsius legatione, his namque roboratum Concilium tutò consulere Reipublicæ Christianæ posse. Hortatique pariter sunt ad idipsum eosdem Prælatos; necnon Dominum de Tremoliâ, qui tum primus auctoritate apud Regem erat; & Archiepiscopum Remensem (Reginaldum de Carnoto) regni Cancellarium: Lugdunensem autem, qui destinatus erat ad Pontificem, ut dimissâ eâ legatione, quam prorsùs inutilem censebant, Concilium quamprimùm adiret, cujus exemplo alij certatim adventuri forent. At huic satius visum fuisse pro rebus Concilij manere in Galliâ, quàm Basileam accedere; intelligitur ex ipsius ad Episcopum Lausanensem epistolâ, cujus nuper meminimus.

m Ext. in Append. int. epist. Synod.

GRATULATORIÆ EÆDEMQUE HORTATORIÆ LITERÆ AD REGEM ET PRÆLATOS GALLIÆ.

X.

Quo pariter tempore acceptis literis nunciorum Egram missorum, de conventione cum Boëmis factâ mittendorum ad Concilium oratorum; Iulianus Cardinalis Concilij præses novam ad Pontificem scripsit epistolam [n], priori breviorem, sed non minùs vehementem, quâ post commemorata quæ apud Egram & Bituriges statuta fuissent, & quæ spes affulgeret conversionis Boëmorum; ostendit, si his non moveretur Pontifex, provocaturum ipsum Ecclesiam ad indignationem, & populum Christianum irritaturum. Hortabatur igitur quàm maximè accedere ad Concilium ad tanta perficienda, exemplo Christi & Apostolorum, nec ejus dissolutioni ampliùs insistere: Si non posset personaliter venire, mitteret majorem partem Cardinalium: Si nec hoc posset, saltem hoc unicum verbum diceret; Placet ut fiat Basileense Concilium: Utrùm autem illud legitimum esset, pendere ex Constantiensi, quod illud fieri decrevit: Si Constantiense verum esset, item & Basileense: Neminem autem dubitare visum esse, quin illud legitimum fuerit, similiter & quicquid ibi decretum est: Nam siquis diceret decreta illius non esse valida, necesse pariter habere privationem Ioannis XXIII. factam vigore illius decretorum non valuisse: Si illa non valuit, nec etiam Martini electionem factam adhuc Ioanne superstite: Si Martinus non fuit verus Papa, nec Eugenium esse qui per Cardinales ab eo creatos fuit electus: Nullius igitur magis interesse, defendere decreta Concilij Constantiensis, quàm ipsius: Et si quodcumque illius decretum revocaretur in dubium, eâdem ratione posse revocari alia quæcumque ejus decreta: Eâdémque ratione nec aliorum quorumcumque Conciliorum decreta valida fore; quia quâ ratione vacillat fides unius, vacillare & reliqua omnia, juxta argumentationem B. Augustini [o]. Addénsque insuper alia ad Concilij Basileensis firmitatem, dissolutionis ejus aut translationis convenientiam, nec non Pontificis

ALIA IULIANI LEGATI EPISTOLA AD EUGENIUM.

n Ext. in Actis Nav. & ap. Æn. & Orthuin.

o Ep. 3. ad Hieron. c. si ad script. dist. 9.

ad id agendum impotentiam, veluti Concilio inferioris, adstruendam; excusabat demùm libertatem dicendi, ex purâ mente & integro animo procedentem: sic postremò rem concludens; *Dixi sæpè, & jam dico, & protestor coram Deo & hominibus, quòd causa eritis schismatis, & infinitorum malorum, si non mutaveritis consilium.* Quæ verba Iuliani esse, sicut & totam epistolam cùm multi dubitent; nos tamen, quòd eam reperimus in codice Navarrico scriptoris qui interfuit, ut veram agnoscamus non adeò difficilè inducimur; sed scriptum in summâ amaritudine animi Iuliani, à Basileensibus, & Principibus, urgentissimis querelis agitati.

XI. SESSIO IV.

Quarta Sessione celebratâ die Veneris 12. Calendas Iulij, vel vigesimo Iunij; quæ eadem est, ut diversè in Actis notatur (concessus est Boëmis, aliisque omnibus ad Synodum venire volentibus, commeatus, sive salvus-conductus amplissimus, qualis in conventu Egrensi postulatus fuerat. Missúsque ad Sigismundum Regem in Italiam Ioannes Mulbrunus, ut ejus etiam nomine publica fides eisdem daretur. Statutum deinde, necubi à Cardinalibus vocatis jam ad Synodum, si fortè Sedem vacare contingeret, (fuit enim circa hos dies Eugenius gravi infirmitate detentus) electio Summi Pontificis præterquàm in loco Concilij fieret. Præterea nequi prætextu cujuscumque juramenti, vel obligationis, existimarent se adstrictos aut impeditos ab accessu ad Concilium. Item quoniam multiplicatio Cardinalium esset Ecclesiæ dispendiosa & onerosa, ne Pontifex durante Concilio ullum creare posset, & si fortè crearet, eorum electio irrita esset. Bullam quoque plumbeam ad literas & acta Synodi fieri statuit, quæ uno latere missionem Spiritûs Sancti formâ columbæ, altero hæc verba *Sacro-sancta generalis Synodus Basileensis* sculpta haberet. Denique Alfonsum Carriglium Hispanum Diaconum Cardinalem S. Eustachij (olim à Benedicto Lunensi creatum, & à Martino factum Legatum Bononiensem) constituit gubernatorem & rectorem seu Vicarium civitatis Avenionensis & Comitatûs Vainaisini, cum omni plenariâ potestate; qualem anteà habuerat à Martino Franciscus Archiepiscopus Narbonensis S. R. E. Camerarius: (qui primus reperitur post discessum Curiæ & Pontificum factus Vicarius Avenionensis) cùm is quem Eugenius illi civitati Vicarium dederat, ob certas urgentes rationes non admitteretur à Synodo: Videlicèt Petrus Cardinalis Fuxi Episcopus Albanensis, Schismatis Paniscolensis extinctor, quem Acta Patritiana p, & auctor Burdegalensis tradunt, propterea cum fratribus suis Comitibus Fuxi & Convenarum bellum Alfonso intruso & Avenionensibus intulisse: Basileenses autem contra eum censuris egisse: sed demùm Petrum civitatem obsidione cepisse. Quod tamen non nisi biennio pòst contigisse noscitur: à quo tempore idem Petrus ejusmodi Lagatione usque ad obitum (qui contigit anno 1464.) functus est tantâ omnium gratulatione & laude, ut *Bonus Legatus* vulgò nominaretur.

MULTA DECRETA IN ALIQUOD DETRIMENTUM AUCTORITATIS EUGENIJ.

SIGILLUM SYNODI.

p *Post Sess. XI.*

XII. SESSIO V.

Sessione Quinta habitâ die Sabbati 5. Idus Augusti in vigiliâ S. Laurentij, constituti sunt Iudices & procuratores in causis fidei: aliique Iudices & præcognitores in ceteris causis ad Concilium deducendis: necnon alij ministri & officiales in Sessione nominati. Additúmque decretum, nequi Conciliares possent extra Concilium ad Curiam Romanam vel aliò ad judicium avocari.

DIVERSORUM OFFICIALIUM CREATIO.

XIII. NUNCIJ EUGENIJ AD SYNODUM.

Advenientes post hoc Basileam Nuncij Eugenij, Andreas de Constantinopoli Archiepiscopus Colossensis, & Ioannes Tarentinus, Bertrandus Episcopus Magalonensis, & Antonius de S. Vito sacri Palatij causarum auditor; in publico conventu auditi, Andreas quidem 11. Calendas Septembris, & Ioannes octavo, (ut ponunt Acta Patritiana) luculentissimas orationes habuerunt, quæ extant in Actis manuscriptis Navarricis, (ubi tamen collocantur post Nonam tantummodò Sessionem) & in editis q Binianis. Colossensis quidem, tota ferè de malo schismatis & divisionis, déque pacis & unionis bono; cùm exhortatione ad illam fugiendam, hanc amplectendam, & cum capite & principe Ecclesiæ tenendam; quò faciliùs & Græci reduci, (qui variis jam legationibus de collatione Synodali cum Latinis faciendâ tam cum defuncto Martino quàm cum Eugenio egissent) & Hussitæ converti, & morum reformatio fieri posset. Tarentini verò, magis de auctoritate Summi Pontificis, ejúsque necessitate; de justis causis dissolutionis Concilij Basileensis per Eugenium decretæ, cujus esset super loco & tempore celebrationis Synodorum disponere ad dispensare, neque eum alicui mortali in his aut aliis ejusmodi rebus subesse: Cùm verò percuperet, omninò Synodum fieri Græcorum, Hussitarum, morúmque causâ, nec posset ipse tam propter invaletudinem, quàm graves alias causas Italiam deserere; offerre ipsum, quemcumque alium in Italiâ locum Ecclesiæ subjectum, quem plenæ Concilij potestati tribueret: nec tempus celebrationis prorogaturum, sed confestim ac ejus electio facta esset, sese illò translaturum; subiturúmque ante omnia reformationem in personâ suâ, non solùm à tempore quo ad summum Apostolatûs apicem assumptus est, sed & à tenerâ juventute: indéque processum iri ad reliqua Romanæ Curiæ membra, Principésque, Prælatos, & alios qui indigerent.

q *In Append.*

XIV. SYNODI AD ILLORUM ORATIONES RESPONSIO.

r *Ibid.*

Ad quæ Patrum nomine longè proliziùs responsum r est tertio Nonas Septembris, imprimis formidabile esse in Sanctum Spiritum delinquere; quod ij facerent, qui Synodum ritè ac legitimè indictam & congregatam dissolvere conantes, Schisma in Ecclesiâ generarent, & offendiculum tam sanctis operibus, ob quæ illa congregata est, & quæ omnes necessaria esse agnoscerent, apponerent: Conciliorum generalium universam Ecclesiam Catholicam repræsentantium, supremam esse in omnes auctoritatem, ab ipso Christo immediatè manantem; cui & ipsi Pontifices teneantur obedire in his quæ pertinent ad fidem, schisma, & reformationem: ac propterea non posse dici Basileensem præsumpsisse cõtra Eugenium, eum citando. Causas & excusationes dissolutionis ab eo prætextas, multis nominibus nullas esse, quinimmò & valdè damnosas in rebus propter quas Concilium celebrari

brari deberet: ideóque non potuisse Synodum illas admittere, aut dissolutioni acquiescere. Hæc ipsi copiosissimè.

XV. SESS. VI. ACCUSATUR EUGENIJ CONTUMACIA.

Quibus deinde *Sextam* celebrantibus die Sabbati 6. Septembris *Sessionem*, post Missam de B. Virgine Mariâ per Philibertum Episcopum Constantiensem Normanniæ præsidentem Concilij cantatam; precésque solemnes recitatas, assistentibus Cardinalibus Placentino (Brandâ Castelioneo Mediolanensi) & Firmano, (Nicolao Capranicâ) cum triginta duobus aliis Prælatis cum mitris, & Vuillelmo Bavariæ Duce Concilij protectore; promotores Concilij contumaciam Eugenij accusârunt, quòd nec Concilij dissolutionem revocâsset, nec comparuisset per se vel alios die ipsi in tertiâ Sessione dictâ. Quando accedentes prædicti Nuncij Eugenij petierunt ad evitanda scandala, supersederi in negotio processûs cōtra Pontificem & Cardinales. Quemadmodum & cùm separatim ab iisdem promotoribus accusaretur Cardinalium absentium contumacia, fuerunt qui justas eorum absentiæ causas se habere assererent. Quibus examinandis duo Episcopi commissi fuêre, rem posteà Patribus relaturi. Denique ex hâc eâdem Sessione missum esse à Synodo Gerardum Landrianum Episcopum Laudensem ad Regem Angliæ, traditur in Actis Patritianis. Extátque in editis [f] gravissima ejus oratio, quâ de legitimâ Concilij convocatione disserens, hortatus est Regem Prælatos suos ad illud mittere, & pacem cum hostibus suis inire. In Actis verò Navarricis habentur plurima capita reformationis morum; & modi vivendi Conciliaribus indicti, publicatíque in Congregatione generali die Veneris vigesima quartâ Octobris præsentis anni.

f In Append.

XVI. SESS. VII. MULTA DECERNUNTUR CONTRA EUGENIUM.

Septima verò *Sessione* die Iovis sextâ Novembris, post Missam de Spiritu Sancto per Episcopum Novariensem cantatam, & alia peracta solemnia, quæ describuntur in Actis Victorinis; iterùm promulgatum est decretum Sessionis quartæ de non eligendo Summo Pontifice extra locum Concilij: & terminus intrandi conclave, quamdiù Conciliū subsisteret, prorogatus est ad sexaginta dies: ac beneficia Cardinalium contumacium remissa collationi Ordinariorum, nullâ habitâ ratione reservationum Sedis Apostolicæ. *Octava* autem celebratâ die Iovis decimoquinto Calendas Ianuarij, Eugenio Pontifici negligenti adimplere quæ sessionibus 3. & 6. decreta fuissent, rursùm sexaginta dies præfixi sunt, intra quos prætensas dissolutionem Concilij Basileensis & alterius convocationē publicè revocaret; aliòquin absque ulteriori monitione seu citatione contra ipsum processum iri: omnes ejus promotiones & ordinationes Ecclesiarum irritæ declaratæ sunt: Cardinales sub pœnâ privationis beneficiorum, ampliúsque Patriarchæ & Episcopi sub pœnis juris ad Concilium accedere jussi. Decretum item, præter generale Concilium Basileense eo durante nullum aliud cogi posse; fore namque schismaticorum conventiculum: ac propterea omnibus prohibitum ad illud accedere, sub pœnâ excommunicationis, & privationis omnium beneficiorum & dignitatum. Itémque ne Papa beneficia eorum qui Concilio Basileensi interessent aut adhærerent, conferre aliis posset; néve nova onera aut tributa terris Romanæ Ecclesiæ vel ceteris quocumque nomine imponere, aut earum alienationes, infeudationes, & impignerationes facere; & factæ, declaratæ sunt irritæ.

XVII.

Ad quæ decernenda putamus eos audentiores factos, ex eo quòd inter hæc Sigismundus Romanorum Rex Senis existens, die vigesima secundâ Novembris diploma [t] promulgâsset; quo testatus est se & ab initio favisse Concilio Basileensi, & imposterùm ei pro viribus patrocinaturum, nec permissurum ejus auctoritatem & libertatem in aliquo labefactari. Qui quidem post transactam Parmæ & Placentiæ hiemem, Lucam & Senas civium vocatione adversùs Florentinos ipsos vexantes accedens, totum penè reliquum anni iis partibus nihil aut perparùm agens consumpsit; ulteriùs progredi Romam versùs, armis Florentinorum simul & Pontificis Eugenij, ab eo sibi eorumdem Florentinorum persuasione timentis, impeditus. Donec diuturnis & inutilibus cunctationibus affectus, post aliquas frustrà missas vltrò citróque literas & legationes, concordia anno sequenti inita est; de quâ tunc dicetur. Hæc autem narrant Blondus [u], & Platina [x]: cùm tamen in Actis [y] rerum inter Eugenium & Oratores Sigismundi gestarum, non adeò res exasperentur, ut in apertum odium ventum esse inter eos appareat.

t Ext. in d. Append.

SIGISMUNDUS CÆS. AGIT PRO SYNODO.

u Blond. 3. dec. 5.
x Platin. in Eug. IV.
y In d. Append.

XVIII. DE REBUS NEAPOLITANIS.

Quo eodem anno aliâ Italiæ parte apud Neapolim, solio potentium superborum exitu Ioannes Caracciolus magnus regni Senescallus, qui tantùm non erat Rex, cùm ambitioni suæ modum non faceret, repulsam de Principatu Salernitano à Reginâ passus, summâ audaciâ in verba injuriosa adversus eam prorumpens, quinimmò, ut nonnulli scripsere, colaphum etiam impingens; meritas paulò post impudentissimæ fidentiæ suę pœnas luit: cùm Cobellæ Rufæ Ducissæ Sessæ propinquæ Reginæ conspiratione, miser nocte diei qua ingenti pompâ nuptias filij celebraverat, repentè è cubili tanquam ad Reginam apoplexia captam evocatus, aperto incunctanter cubiculi ostio, ut erat adhuc altero crure nudus à conjuratis confossus est 17. Augusti; non tam jubente quàm non negante Reginâ, quæ veniam occisoribus facile tribuit, bona ejus fisco addixit, memoriam damnavit. Rem pluribus narrat Summontius [z]; breviùs Mariana [a]. Post quæ cùm existimaret Ludovicus Andegavensis filius Reginæ adoptivus, qui in Calabriam Caraccioli invidiâ ablegatus specie belli conficiendi fuerat, Neapolim reverti: obstitit novis excusationibus Cobella, ne gratiâ quâ omnia jam apud Reginam poterat decideret. Proniórque visa erga Alfonsum Regem Aragoniæ, qui à Caracciolo in prioris recuperandæ adoptionis spem vocatus, in Siciliam navigaverat: & ipsum nihilominùs inanem remisit; nisi quòd præseferente Reginâ non omninò abnuere tractatum, modò facultas esset ac sine armis, pax in decennium cum eo icta est.

z Summont. lib. 4. c. 3.
a Mar. lib. 21. cap. 5.

XIX. SBIGNEI CRACOV.

In Poloniâ egregium religionis & constantiæ exemplum dedit *Sbigneus* Cracoviensis Episcopus: qui semper aliàs in defensione

patriæ

EPISCOPI CONSTANS ANIMUS.

b Crom. lib. 20.

patriæ libertatis, legumque ac consuetudinum contra earum temeratores fortis, fortissimum se propugnatorem fidei Catholicæ contra hæreticos præbuit. Cùm enim (ut rem narrat Cromerus [b]) ad Regem Wladislaum venissent legati Boëmorum, auxilia contra Cruciferos continuos Polonorum hostes pollicentes, & Basileensis Concilij propensionem erga se nunciantes; comiter & lautè habiti etiam ab Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopis qui tunc aderant ad sacrorum communionem quamvis hæretici admissi sunt. In reditu verò Cracoviâ divertentes, mox totâ civitate cessante à sacris mandato Sbignei Episcopi licèt absentis, qui jam anteà cum aliis eorumdem Boëmorum nunciis id ipsum præsens præstiterat; contumeliam ipsi apud Regem quiritati sunt. Rex autem in Episcopum excandescens, venientem ad se asperioribus verbis excepit, ac Petri Vissi fortunam, qui fuerat non ita pridem Episcopatu ejectus, ei comminatus est. Cui Episcopus imperterritus respondit, favorem se non offensam Regis meritum arbitrari; quòd solus & salutis ejus & existimationis, quæ ab inimicis ejus, & maximè Cruciferis, tum aliàs, tum in Concilio Basileensi tanquam fautoris hæreticorum, proscinderetur, optimâ fide curam haberet: Cùm verò de Religione ageretur, neque Regis, neque cujusquam omninò vultum atq; minas se reformidare: Petri calamitatem, non tam innocenti Episcopo quàm injurioso Regi ignominiosam accidisse: neque eâ se terreri, paratum non modò quasvis contumelias pro religione, verùm etiam exilium atque mortem subire. Post quæ monitus à quodam sibi cavere, quòd subornâsset Rex qui eum de medio tollerent; nihil eâ nocte in quam sibi periculum comparatum esse acceperat, de consuetudine remittens, eodē lecto, eodē cubiculo cubuit, nullâ sibi custodiâ adhibitâ; nocteque intempestâ, cum uno sacerdote, & puero lumen præferente, ad matutinas precationes templum adiit: neque adversi quicquam ei accidit, quòd vel Rex mutâsset consilium, vel vanus ille terror fuisset. Nec multò pòst sacerdotem hæreticum qui ad Regem venerat, idem Sbigneus ejecit: vir excelsi animi, & sempiternâ memoriâ dignus: quem posteà Eugenius Pontifex meritorum ergò Cardinalem creavit.

XX.

c Crom. ibid. Michov. lib. 4. cap. 52.

REGIS CYPRI LEGATIO IN POLONIAM.

Eodem tempore (ut idem auctor [c] narrat) venit ad eumdem Regem illustris legatio Iani sive Ioannis Regis Cypri Ierusalem & Armeniæ, mediterraneo mari per Propontidem & Pontum Euxinum, atque inde adverso Danubio advecta in Walachiam, & inde porrò terrestri itinere non sine magnâ difficultate in Russiam & Poloniam profecta. Ejus princeps Balduinus de Noris Marescallus Cypri; auctor Petrus de Bnin miles Polonus qui in Cypro incolatum suum fixerat: scopus, ut Heduigis Regis filia prædicti Iani filio uxor peteretur, ac ducenta aureorum millia mutuarentur ad excutiendum tributum quinque millium quod Soldano pendebat. Sed nihil impetratum; quòd Heduigis jam paulò antè obiisset, & pecuniam se Rex habere negaret assiduis bellis exhaustum. Nec verò etiam ipsum Ianum Regem Cypri diutiùs vitam produxisse, ex Lusiniano in Cypri Historiâ intelligitur. Successit filius adhuc impubes, cui conjux petebatur; *Ioannes*

MORITUR, ET FILIUS SUCCEDIT.

itidem prædicto auctori, necnon Æneæ [d] Silvio, dictus; Bergomensi [e] duplici nomine *Ioannes-Iacobus*. Quo inter delicias epulásque languente, ejus posterior conjux Helena Palæologa cordata femina & audax susceptis regni habenis, (absente Hugone Cardinale Cyprio Regis patruo,) eliminato in rebus Ecclesiasticis ritu Latino Græcum introduxit. Quid verò postinde contigerit, dicetur suis locis.

d Æn. de Asiâ cap. 97. & comment. lib. 7.

e Berg. lib. 15.

XXI.

CARMELITARUM REGULÆ MITIGATIO.

Hoc eodem anno Regula Fratrum Carmelitarum, de cujus approbatione aliàs dictum, declarationem, & novam mitigationem ab Eugenio Papa accepit; quam observant hactenùs qui ex eo Ordine *Mitigati* nuncupantur. Quâ de re extat ejusdem Pontificis constitutio [f] data decimoquinto Calendas Martij. Sicuti & alia [g], approbationis Congregationis S. Iustinæ Paduanæ monachorum Ordinis S. Benedicti; quâ retractans quæ de illâ Martinus ejus decessor statuerat, eam solidiùs firmavit, & quæ ad ejus optimum regimen pertinerent declaravit, instituitque. Eamdémque posteà gratiis & privilegiis auxit [h].

f Bullar. to. 1. Eug. IV. const. 3.

g Ibid. const. 5.

CONGR. S. IUSTINÆ APPROBATIO.

h Ibid. const. 9. & 10.

IESV CHRISTI Annus 1433.

EUGEN. IV. Ann. 3.

SIGISMUNDI Ann. 24.

IOANNIS VII. Annus 15.

I.

LEGATI BOEMORUM AD SYNODUM BASIL.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, Indictione undecimâ, die quartâ Ianuarij (ut habent Acta rerum cum Boëmis gestarum) oratores illorum ingressi sunt Basileam magnâ pompâ cum trecentis equitibus; effuso extra mœnia populo, reliquis ad portas, fenestras, tecta, plateas quà transitus erat spectantibus; vixque à pavore ad horribiles hominum facies, trucésque oculos, & crudelitatum eorum recordationem secutis. Fuêre illorum duces (ut Æneas [a] qui aderat describit) Guillelmus Cosca non tam equestri dignitate quàm Ecclesiarum direptione insignis: Procopius cognomento (à presbyteratu quem olim sumpserat) Rasus, multis victoriis magnísque sceleribus nobilitatus: Ioannes Rockysana (à vico ejus nominis Pragensis Ecclesiæ sic dictus, & ipse presbyter) Pragensium pseudoapostolus: Nicolaus Galecus Thaboritarum sacerdos: & Petrus Payne Anglicus patriâ profugus, ac solis elenchis in disputatione confidens. Plures verò nominantur in prædictis Actis. Exceptos illos hospitaliter, accersitósque in concionem die nonâ ejusdem mensis, Iulianus Cardinalis Cæsarinus Legatus Apostolicus benignè allocutus, & longâ ac luculentâ oratione nomine Ecclesiæ Catholicæ habitâ, (quæ extat in Appendice Synodi) ad ea quæ pacis & unionis essent cohortatus est: quamplurimis sacræ Scripturæ (quâ solâ usus est) auctoritatibus adstruens, Ecclesiam Christi Salvatoris sponsam omnium fidelium esse matrem; claves ligandi atque solvendi habere; in his quæ necessaria ad æternam vitam esse creduntur non posse errare: qui eam contempserint, quasi ethnicos publicanósque censendos: eam nusquam meliùs quàm in generali

a Æn. Hist. Bohem. c. 49.

IULIANI CARDIN. ORATIO AD ILLOS.

Concilio repræsentari: statuta Conciliorum Ecclesiæ placita censeri, eisque in omnibus credi oportere: Basileense hoc verum ac legitimum esse: Boëmos, qui se filios Ecclesiæ dicerent, vocem matris in eo audire debere; extra quam salus non inveniretur: Facessenda jam odia ac ponenda arma: Audituros benignè Patres quæcumque pro suâ causâ dicere vellent: tantùm parati animo essent, ne benè consulta sanctæ Synodi consilia respuerent. Ad quæ tunc Boëmi, quibus par facundia non erat, per Rockysanam paucis verbis responderunt; gratias imprimis agentes Deo, qui ipsos multipliciter consolari dignatus esset; deinde Cardinali Legato, universæque Synodo ob benignum erga se affectum, & honestam acceptionem (quam ejus oratiunculam recitat Cochlæus [b].) Deinde verò postulato die quo audirentur super articulis quibus potissimùm insistebant; (quamvis enim plurimi essent quibus ab Ecclesiâ dissentirent, quatuor tamen, ut aliàs vidimus, speciatim urgebant, nempè de Communione sub utrâque specie; De corrigendis & eliminandis peccatis publicis; De liberâ prædicatione verbi Dei; ac De tollendo civili dominio clericorum:) assignatus est illis dies decimus sextus ejusdem mensis Ianuarij.

[b] *Cochla. Hist. Hussit. lib. 6.*

II. BOEMOR. DISPUTATIONES DE ARTICULIS A SE PROPOSITIS.

Quo idem Rockysana primum articulum proponere incipiens, de illo per triduum disseruit, semper ante meridiem. Deinde Vvenceslaus (sive Nicolaus) Taborita de secundo, per bidui spatium: Udalricus Presbyter Orphanorum de tertio per alterum biduum: postremò Petrus Payne de quarto per tres dies.

CATHOLICORUM RESPONSIONES.

Exigente verò re ut iis aliquid responderetur, quatuor fuêre egregij Catholici tractatores qui id susceperunt: videlicèt *Ioannes de Ragusio* Ordinis Prædicatorum procurator generalis, qui octo diebus horis antemeridianis ad primum articulum respondit: *Ægidius Carlerius* decanus Ecclesiæ Cameracensis secundo per quatuor dies: *Henricus Kalteisen* Confluentinus Ordinis item Prædicatorum (qui posteà fuit [c] Archiepiscopus Nydrosiensis in Norvegiâ) tertio tribus diebus: *Ioannes Palomarius* Archidiaconus Barchinocensis & auditor causarum sacri Palatij quarto, tribus itidem diebus: non parùm ad tantam prolixitatem tædio affectis Boëmis; quamvis ipsi exemplum præbuissent; vixque possint breviores esse responsiones propositionibus. Extant [d] porrò quatuor istæ orationes prolixissimæ, eæque doctissimæ: ex quibus intelligi possit quæ Boëmi suis propositionibus, quæ non extant, de singulis iis quæstionibus in medium adduxissent. Quæ verò interim contentiones de his inter eos fuerint, narrant prædicta Acta rerum cum Boëmis gestarum; meminitque Æneas [e] qui aderat: & ex iis refert Cochlæus; disputatúmque esse totis quinquaginta diebus à decimo sexto Ianuarij usque ad sextum Martij.

[c] *Trithem. in Catal. de Script. Eccles.*

[d] *In Tom. Concil. post Act. Syn. Basil. edit. Bini en.*

[e] *Æn. c. 50.*

III.

Quamquam verò Doctores illi Catholici valdè accuratè respondissent; cùm tamen victa Hussitarum perfidia vinci nollet, & novæ subinde disputationes orirentur, nec videretur hoc pacto concordia facilè coitura; propositum est aliud remedium à Bavariæ Duce Concilij protectore, videlicèt ut omissis disputationibus res amicè tractaretur. Verum cùm per plures collationes nec de modo nec de conditionibus ineundæ concordiæ convenire possent; demùm communi consensu deliberatū est, mittendam cum Boëmis qui reditum premebant, insignem legationem à Concilio Pragam, ubi ad diem sanctissimæ Trinitatis, (quæ hoc anno incidit in septimam Iunij) populus conventurus esset: Missíque fuêre decimo quarto Aprilis, Philibertus Constantiensis provinciæ Rotomagensis Episcopus, ac Petrus Augustensis, prædicti Palomarius & Carlerius, séxque alij ex diversis nationibus viri doctissimi: à quibus quid actum fuerit, dicetur inferiùs; interim nonnulla alia tractanda veniunt.

MITTUNTUR LEGATI A SYNODO PRAGAM.

IV. SESSIO IX. SIGISM. RECIPITUR SUB PROTECTIONEM CONCILII CONTRA EUGEN.

Atque imprimis quæ inter Eugenium Pontificem & Concilium ac Sigismundum Regem gesta fuêre. Die namque Iovis vigesimâ secundâ Ianuarij *Nonam* celebrante Basileenses *Sessionem*, Sigismundum ob studium continuum in defensione & promotione Concilij, ab eo tam apud Eugenium Pontificem quàm ceteros ubique Principes exhibitum, sub specialis protectionis Concilij munimine susceperunt; & quóscumque processus contra eum factos, etiā privationem regnorum aut dignitatum forsan continentes, vel censuras, atque alia quæcumq; adversus eum per Eugenium Pontificem aut ejus nomine facta vel prolata fuissent, aut imposterùm fieri vel proferri possent; irrita & nullius roboris esse decreverunt eidémque sicuti priùs omnes obedire jusserunt. Idque ipsum declarârunt in favorem Vvillelmi Bavariæ Ducis protectoris Concilij, & aliorum quorumcumque Cōcilio adhærentium. Quod enim non parvæ intercessissent inter Eugenium & Sigismundum (ut vidimus anno superiori) simultates; potuit Eugenius præter arma temporalia quæ adversus eum immisisse reperitur, etiam de more solemni Pontificum spiritualia, eadémque longè potentiora & formidabiliora intentare. Quod tamen utrùm fecerit, alibi non reperimus: & fortè superveniens concordia ne publicarentur obstitit.

V. SIGISM. AGIT CUM EUGENIO DE SUA CORONATIONE.

Postquàm enim Sigismundus longo tempore Senis substitisset cum magnâ Senensium impensâ; & tentatâ sæpè incassùm illorum cum Florentinis pace, invalidiores vires haberet quàm ut Florentinos ad obsequium redigere posset: ne diutiùs nihil agendo tempus tereret, ceteris omissis ad id cujus causâ potissimè Italiam petierat animū intendens, de coronâ Imperij Pontificē diligentiùs solicitavit. Actúmque demùm est, ut his conditionibus [f] res inter eumdem Pontificē Eugenium & nuncios Regis Matikonem Comitē & Gasparum Schlick Vicecancellarium die septimâ Aprilis cōstituta fuerit, ut Rex Viterbium vel in Urbem concederet ad Pontificem; præstarétque ei vel ipsius Legato ad hoc instituto, omnia juramēta, aliáque cuncta quæ tam de cōsuetudine quàm de jure facere teneretur juxta formā Clementinæ, accederétque solùm cum comitatu suo & familiâ, nec ullum secum duceret scienter hostem aut inimicum Ecclesiæ, aut ipsius Pontificis, vel populi Romani rebellem; si verò inadvertenter aliquis ejusmodi inter ceteros reperirietur, illum ad indicationē Pontificis remitteret. De quâ concordiâ scribens [g] Rex confestim ex eadē urbe Senensi decimoquinto ejusdem Aprilis ad Patres Basileenses, à quibus incessanter solicitabatur ad reditum; significavit

[f] *Ext. in Append. Conc. Basil.*

[g] *Ibid.*

fuisse

fuisse quidem se eo semper animo ut ad ipsos per quæcumque pericula accederet tuitionis eorum causâ: Verùm cùm jam Pontifex persuasione tam suî ipsius Regis quàm Electorũ Imperij, aliorúmque insignium virorum, Concilium approbâsset; haud visum fuisse ab Italiâ ante susceptam Imperij coronam abire: Conventurum igitur se propediem Pontificem Viterbium, ac mense Iunij coronam Imperij Romæ de manu ejus accepturum: Nec quicquam de ipso Patres ex hujusmodi concordiâ sinistri suspicarentur; quoniam etsi promisisset Pontifici quantum in Deo posset opitulari, numquã tamen aliquid præstaturus esset in detrimentum Concilij, sed semper illud promoturus in rebus quarum causâ congregatum fuit.

VI. EUGENIUS CONFIRMAT CONCILIUM.

Quod autem ait de confirmatione Concilij recèns per Eugenium factâ; extat illa quidem in actis Navarricis, & in Appendice Binianorũ, data decimo sexto Calendas Martij, biduo ante finem sexaginta dierum ei à Synodo Sessione VIII. præfinitorum (ne enim res in schisma prolaberetur, satius duxit ad importunas eorum contentiones descendere, quàm instantissimis Sigismundi aliorúmq; Principum supplicationibus obfirmatiùs refragari) quâ post narratas causas congregationis Concilij, ac dissolutionis per ipsum Pontificem decretæ, quas superiùs vidimus; significans non esse reprehensibile si secundùm varietatem temporũ statuta quandoq; varientur humana; cum jam audîsset plures earum causarum quæ dissolutionem suaserant cessare (siquidem bella Ducum Austriæ & Burgundiæ sublata fuissent; numerus Prælatorum auctus esset, Boëmi suos oratores Basileâ misissent:) propterea annuendo supplicationibus Regis Romanorũ & Principum Electorum Imperij, statuit & mandavit Concilium Basileæ celebrari; ad quod propediem missurus ipse esset suos Legatos; & interim qui ibi congregati essent, intenderent saluti Boëmorum, & concordiæ Principum.

VII. PETITIONES EUGENII A SYNODO.

Sed antequàm hæc rescirent Basileenses, quę nonnisi posteà per nuncios Electorum Imperij acceperunt, advenêre Basileam sub fide publicâ (ut Patritius narrat) missi ab eodem Pontifice legati, Ioannes Mella Protonotarius Apostolicus, & Episcopus Cerviensis, ac duo Abbates. Qui ad octavum circiter Idus Martias in magno Patrum consessu legationem suam exponentes, dixerun, potuisse quidem Pontificem de plenitudine potestatis legitimè Concilium dissolvere & transferre, neque propterеà sanctionibus Constantiensis contravenire: Placere tamen ei pacis & concordiæ causâ aliquid etiam de suo jure cedere quantum cum Deo & honore Sedis Apostolicæ liceret: ac proinde orare ut translationem Concilij ad civitatem Bononiensem æquo animo Patres ferrent, quam ipse pro utilitate tantùm Reipublicæ & ad nullius injuriam fecisset: Polliceri decreta omnia per eum contra Patres promulgata quam primùm abrogare, si & ipsi sua in Pontificem ac suos edita revocarent: Si Boëmi Bononiam petere recusarent, concedere ut Basileæ Patres intra præscribendum tempus cum eis agerent, & reconciliationem aliorum Principum procurarent; dummodò alapso termino Bononiam se cõferrent. Quæ civitas si non placeret, aliam eligerent intra Italiam. Si verò nihil horum æquũ videretur, placeret ut duodecim Prælati è numero Basileensium eligerentur neutri parti suspecti, qui unà cum oratoribus Principum de his cognoscerent: & si judicarent Concilium intra Germaniam omninò esse oportere, placere ut locus alius extra Basileam eligeretur. Ita legati. Quibus à Patribus crudè responsum est, (quod semper contestati fuerant) Concilium legitimè inchoatum extitisse, nec à Romano Pontifice sine ipsius Concilij consensu dissolvi potuisse; nec ipsos cũ honore Dei & Ecclesiæ, prædictis illicitis & absurdis petitionibus ullatenùs annuere posse. Ita namque rem gestam esse, breviter narratur in responsione [h] Synodica factâ paulò pòst aliis Eugenij Legatis; de quibus mox agetur.

h Ext. int. epist. Synod. edit. Bin.

VIII. SESSIO X.

Cùm enim Basileenses nihilominùs cœptis diligenter instantes, *Decimâ Sessione* ante hæc celebratâ die Iovis decimonono Februarij, rursùm Eugenij contumaciâ per promotores accusatâ, Iudices delegâssent ad examinandum processum contra eum factum: *XI.* habitâ die Lunæ vigesimâ septimâ Aprilis, confirmârunt quæ in Synodo Constantiensi de celebratione Synodorum statuta fuerant, ac quædam eorum in suum sensum explicârunt; decernentes teneri omninò Pontificem per se vel per Legatos ad Concilium accedere, perinde ac ceteros quibus de jure competit; sub pœnis suspensionis à Papatu, & aliis beneficiis ac dignitatibus, ipso facto incurrendis, nisi infra quatuor menses resipuerint: nec posse Concilium à Pontifice mutari aut dissolvi absque consensu duarum partium Concilij: ac denique statuentes hæc decreta imposterùm jurari debere per futuros Pontifices. Recepitisque pòstinde literis à Sigismundo Rege, scriptis Viterbij die nonâ Maij; quibus significabat delegisse Pontificem Legatos, qui suo nomine Concilio à se confirmato præsiderent; sed quòd eorum missioni legitima quædam impedimenta adhuc obstarent, interim alios quosdam præsidentes mittere; hortabatúrque eos denique suscipere, nec quicquam agere quod posset pacem Ecclesiæ perturbare: appulsis demùm Basileam præsidentibus illis subdelegatis, iidem Basileenses rebus diligenter examinatis, renuerunt omninò tam decretum Eugenij de Concilio, quod multis modis captiosum & subdolum esse, atque ad destructionem Concilij magis quàm ad confirmationem compositum arguebant; quàm ipsos præsidentes admittere, quos pro novo celebrando Concilio, non pro illo quod hactenùs celebratum fuerat confirmando, missos esse argumentabantur, sicuti planè videre est in eorumdem ad dictos præsidentes responsione factâ in congregatione decimosexto Calendas Iulij, quæ extat in Actis Navarricis, & in Appendice Binianorum. Fuisse autem hos præsidentes vicarios, prædictum Ioannem Mellam, & Archiepiscopum Tarentinum, atque alios collegas qui priùs legati fuerant; traditur in Actis Patritianis.

SESSIO XI.

BASILEENSES NON ADMITTUNT PRÆSIDENTES MISSOS AB EUGENIO.

IX. PAX ITALIÆ.

Addunt item, per hæc tẽpora oratores Ioannis Regis Cypri & Philippi Burgundiæ Ducis Conciliũ petiisse, ut nomine dominorum suorum publicæ rei interessent. Ac pacem Italiæ, quæ multo tempore fuerat agitata, tandem confectam esse ad sextum Calendas Maij Ferrariæ operâ Nicolai Estensis Marchionis, inter

Philippum Ducem Mediolanensem, Venetos Florentinos, Senenses, Lucenses, & alios utrimque socios. Cujus conditiones referunt Poggius [i], Blondus, Platina, & ex illis aut post illos alij, quam tamen haud diuturnam fuisse, videbitur posteà.

i Pogg. lib 7. Blond. 3. dec. 5. Plat. in Eug. IV.

X. Carmaniolæ Ducis indignum supplicium.

k Blond. ibid Anton. tit. 2. c. 9. § 11. Bergom. lib. 15. & alij.

Rem memorià dignam eo tempore bellóque referunt auctores [k]; ut cùm Franciscus Carmaniola, qui humili apud Carmaniolam Taurinorum oppidum, à quo patrium sibi fluxit cognomen, natus loco, (agrestis namque villici filium, ipsúmque subulcum fuisse volunt) per omnes militiæ gradus ad summum honoris, gratiæ, & divitiarum culmen apud Philippum Ducem Mediolanensem victoriarum suarum merito ascenderat; eóque posteà cujusdam offensionis indignatione relicto, ad Venetos ejus hostes transiens, non minori gloriâ eorum exercitus duxerat; adeò secundâ fortunâ ubique rem agens, ut ipsam Victoriam mercede conduxisse videretur: cùm, inquam, hic talis in suspicionem proditionis, sive quæsitam, ut multis visum, seu justam, ut Veneti voluerunt, apud eosdem Venetos incidisset: decernente eorum Senatu plectendum eum esse, tantâ fide & taciturnitate res acta fuerit, ut cùm fermè ducenti huic deliberationi interfuissent, quorum plures consuetudine & amicitiâ conjunctissimos Carmaniola habebat, totos octo menses, quibus res dilata fuit, nulla umquam vel minima suspicio aut conjectura ad ipsum, sive ad alium quemquam pervenerit. Tempore verò constituto è castris evocatus ad civitatẽ, tanquam ad rerum bellicarum consultationem cùm totam illam noctem Senatus insomnem in consultando duxisset, ad ortum solis ex more salutaturus Carmaniola introductus; atque obvium hilari fronte Principem per jocum interrogans, vespertinámne illi nondum ad quietem post cœnam admisso, an matutinam faceret salutationem: subridens Princeps respondit, Senatum magna animis volventem, nihil magis eâ nocte in ore quàm ejus nomen habuisse, mox sermonem ad alia convertens, nequa ex eâ voce suspicio innasceretur. E curiâ descendens, dum ad paratum hospitium se deduci putaret, in carcerem proximum per adapertas ad id portas intrusus est, atque tortus, & ut tradunt convictus, undetrigesimo carceris die inter geminas columnas, ubi noxij plecti solent, ore, ne loqui posset, ligneo retinaculo compresso, purpureo paludamento securi percussus est; multis aut insontis calamitatem, aut severius ingrati Senatûs decretum detestantibus. Sed hæc obiter; quæ taciturnitas Venetorum fecit nos loqui magis quàm æquitas laudare.

Mirum Venetorum silentium.

XI. Loca Ducibus Burgundiæ et Sabaudiæ in Synodo assignata.

Quod verò dictum est de adventu oratorum Ducis Burgundiæ ad Synodum; (quorum præcipuus extitit Ioannes Episcopus Nivernẽsis;) cùm jam anteà quos Dux Sabaudiæ Amedeus miserat, locum in Synodo honorificum pro domini sui dignitate obtinuissent, nec jam Burgundis præire posse existimarent, cedere tamen verecundarentur: post aliquam de his controversiam, ita demum res composita fuit ut dextrum Burgundus locum post Patriarcham Alexandrinum, sinistrum Sabaudus post Antiochenum obtineret; additâ declaratione; hunc quàm proximum à Burgundis esse honoratiorem. Extat enim in commentario sub titulo *Amedei Pacifici* de schismate inter Eugenium Pontificem & eumdem Amedeum posteà Felicem dictum edito, instrumentum eâ de re factum hoc eodem anno septimâ Augusti coram Iuliano Cardinale præsidente Concilij, aliísque sex Cardinalibus, Antonio Ostiensi & Brandâ Portuensi Episcopis, Ioanne tituli S. Laurentij in Lucinâ & Ioanne tituli S. Petri ad Vincula presbyteris, Alfonso S. Eustachij & Dominico S. Mariæ in viâ latâ Diaconis: necnon Ioanne Alexandrino & Ioanne Antiocheno Patriarchis, Amedeo Lugdunensi, Hugone Rotomagensi, pluribúsque Archiepiscopis, Episcopis, &c. in congregatione generali. Quo Episcopus Bellicensis & alij ejus collegæ oratores Ducis Sabaudiæ acquieverunt acceptare locum ipsis à Synodo assignatum ad sinistram partem immediatè post Patriarcham Antiochenum; nisi de novo venirent aliqui Regum vel Ducum oratores, qui jure suo præcedere deberent: contestatione tamen priùs factâ, quòd possent quoties opportunum foret probare Comites Sabaudiæ trecentis antè annis quàm Sabaudia erigeretur in Ducatum, fuisse & insigniri ac nuncupari consuevisse Duces Chablasij & Augustæ, ac propterea debere præcedere creatione posteriores. Itémque quòd si Dux eorum dominus hæc rata non haberet, possent repetere priorem locum. Cetèrùm minimè hæc grata habuisse Amedeum, insinuat ipse in quâdam epistolâ ad Synodum aliâ de causâ scriptâ, quæ extat in Appendice Actorum, dum obiter queritur prægravatum se fuisse in sedibus oratorum suorum, qui tamen haud propterea altiorem obtinuisse repeciuntur.

XII. Burgundus contendit de loci prioritate cum Electoribus Imperij.

l Ext. in Appen.

Contendisse porrò Burgundos etiam cum Principibus Electoribus Imperij, insinuat Sigismundus Imp. in literis [l] ad Synodũ scriptis anno sequenti, quibus Patribus gratulatur de solertiâ, quâ controversiam sessionis inter Archiprincipes (ut vocat) sacri Romani Imperij Electores & Ducem Burgundiæ, per certam provisionem composuissent. Qualis autem ea fuerit, non exprimit: nisi quod ait spem se cõcipere fore illam honori Imperio & Electoribus. Denique adjudicatam fuisse Burgundo prærogativam sedis & ordinis post Reges in hoc Concilio, traditur in Historiâ [m] genealogicâ Regum Franciæ. Fatetúrque Britonica, etiam in controversiâ motâ inter oratores illius Ducis & Burgundi, sententiâ Synodi dictum esse, ut absque utriusque jurium præjudicio sederet orator Burgundi in parte dextrâ, Britonis in sinistrâ; facto de his instrumento quinto Iulij anno proximo 1434. sed posteà operâ Philippi Archiepiscopi Turonensis qui Concilio intererat, revocatâ illâ sententiâ, secundùm Britonem judicatum fuisse. Certatum quoque de his inter Reges Castellæ & Angliæ, Mariana [n] habet; Alfonsúmque Carthagenam Decanum Compostellanum, filium Pauli Burgensis olim Iudæi túncque Episcopi, de quo actum alibi, unum ex oratoribus Regis Castellæ, defensione de scripto conceptâ Patribus oblatâ, Anglorum impetum priora sibi vendicantium fregisse; præmiúmque hujus defensionis datum posteà ei esse, (præter proprias virtutes & paterna merita) ut patre Aqui-

m in Sammarth. lib. 12. c. 3.

Aliæ contentiones inter quosdam Reges et Principes.

n Mar. lib. 21. cap. 6.

leiæ

leiæ Patriarchâ renunciato, ipse in ejus locum Burgensis Episcopus sit creatus. De quibus item agens Surita [o] ait, eodem anno 1434. quo hæc in Congregationibus Nationum extra Sessiones publicas tractata fuêre, declaratum esse, oratores Regis Castellæ primum locum habituros post oratores Serenissimi Regis Franciæ tam quoad honorem quàm quoad suffragia. Verùm, ut refert Volaterranus [p], cùm sub Iulio II. Pontifice inter Henrici VII. Angliæ & Hispaniæ Regis oratores, Romæ inter sacra de sedendo orta esset contentio, quæ etiam sub Alexandro VI. cœperat; Iulius, quamquam rem minimè cognovit, locum honoratissimum Anglis pro tempore adjudicavit. Nec verò solùm Anglos cum Castellanis in hoc Concilio Basileensi contendisse, verùm etiam Gothos, hoc est oratores Erici Regis Daniæ, Succiæ, & Norvagi; tam intelligitur ex Ioanne Magno in Metropoli [q] Upsalensi, scribente Nicolaum Ragualdi tunc Episcopum Vexionensem in Succiâ, postea Archiepiscopum Upsalensem, ita in eodem Concilio causam Gothorum egisse ex antiquitatibus gentis, ut persuasum esset Patribus Regi Gothorum non injuriâ primum deberi locum inter Reges & Principes Christianos. Cùm nihilominus idem ipse quem diximus Alfonsus Carthagena Regis Castellæ orator, in Anacephalæosi [r] Regum Hispaniæ de his disputans, referat se cuidam Prælato Regis Daciæ, (hoc est Daniæ) oratori, qui audiens aliqua quæ in disputatione sedium cum Anglicis de antiquâ claritate Gothorum ad Regis Castellæ eminentiam demonstrandam in medium adducebantur, interserere voluisset, & Regi Daciæ, qui Gothorum Rex nuncupabatur, sedem eminentem quærere; respondisse, licèt Hispaniæ Reges ab iis Principibus descendissent; tamen sceptra altiora & clariora acquirentes, progenitoribus suis præstare non incongruum esse. His namque licuit iis quorum jura ambigua erant disputationibus sese exercere.

o Sur. Hist. Arag. lib. 14. cap. 24. in fi.

p Volater. lib. 3. in fi.

q Metrop. Upsal. lib. 4. in Nicol. Ragual.

r Anacephal. cap. 7. tom. 1. Rer. Hisp.

XIII. Ordo Regum et Ducum apud Rom. Pontificem.

Qui porrò ordo Regum & Principum Christianorum apud Pontificem Romanum ante ortas posteras hæreses de Religione & Statu esset, ita enumerat Paris de Grassis, qui sub prædicto Iulio II. commentarium de Cæremoniis scripsit: *Ordo Regum*: Imp. Cæsar, Rex Romanorum, Rex Franciæ: Rex Hispaniæ, Rex Aragoniæ, Rex Portugalliæ; Rex Angliæ, discors cum tribus prædictis: Rex Siciliæ, discors cum Rege Portugalliæ: Rex Scotiæ & Rex Hungariæ inter se discordes: Rex Navarræ, Rex Cypri, Rex Boëmiæ, Rex Poloniæ, Rex Daniæ. *Ordo Ducum*: Dux Britanniæ, Dux Burgundiæ, Dux Bavariæ, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis, Dux Austriæ, Dux Sabaudiæ, Dux Mediolani, Dux Venetiarum, Duces Bavariæ, Duces Franciæ, Lotaringiæ, Dux Borboniæ, Dux Aurelianensis, Dux Ianuæ, Dux Ferrariæ. Qui idem Regum ordo ferè servatus reperitur in quâdam epistolâ [s] circulari ejusdem Iulij II. scripta anno 1511. 24. Octob. ad Reges & Principes Christianos, de quatuor Cardinalium abdicatione à se factâ propter ipsorum inobedientiam: hâc nimirùm serie: Charissimo in Christo filio (quæ epigraphe singulis Regibus præponitur) Maximiliano electo Imperatori semper Augusto: Ludovico Francorum Regi Christianissimo; Ferdinando Aragonum & utriusque Siciliæ Regi Catholico: (erat idem jure uxoris Isabellæ Rex Castellæ, aut certè ejus administrator:) Emmanueli Portugalliæ & Algarbiorum Regi illustri: Henrico Angliæ Regi illustri: Iacobo Scotorum Regi illustri: Uladislao Regi illustri Ungariæ & Boëmiæ: Ioanni Regi & Catharinæ Navarræ Reginæ: Sigismundo Poloniæ Regi illustri: Ioanni Daciæ Regi illustri. Dilecto filio nobili viro Carolo Duci Sabaudiæ. Dil. fil. nob. viro Lauredano Duci Venetiarum, &c.

s Reg. Iul. II. an. 1511.

XIV. Sigismundi ingressus in Urbem.

Verùm ut his dimissis expediamus jam expectatam diù Sigismundi coronationem; cùm is Urbi appropinquaret, Eugenius Pontifex obviam illi destinavit aliquos Cardinales, & plures Prælatos ac proceres Romanorum; qui magno honore eum deduxerant, Clero populóque ingenti pompâ ac plausu comitante: ipséque Pontifex ad gradus basilicæ Vaticanæ cum magno apparatu eum excepit ad pedis & oris osculum, ipso die Ascensionis Dominicæ duodecimo Calendas Iunij. Pridie verò earumdem Calendarum, nempè festo Pentecostes, solemnissimis cæremoniis coronatum, Imperatorem Augustúmque appellavit: præstito priùs ab eo consueto juramento de Fidei Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ aliarúmque, ac jurium omnium privilegiorúmque earumdem defensione & conservatione. Redeuntem à Vaticano ubi coronam accepit, ad Lateranum ubi diverterat, Pontifex usque ad pontem Hadriani comitatus est eques equitem, sed stratoris munere in ascensu Pontificis & aliquot passuum incessu pedibus de more functum. E' ponte redeunte Pontifice ad S. Petrum, ibi Imperator, uti mos erat, multos tum Italos tum Germanos in equestrem ordinem ascivit. Moratus aliquamdiù pacificè Romæ, cum bona venia Eugenij Pontificis abiens, per Picentes & Flaminiam, Ferrariam atque Mantuam pervenit; & Ioannem Franciscum Gonzagam Mantuæ dominum Marchionali dignitate additis imperij signis ornavit; ac per singulas civitates pluribus contulit militiam, doctoratû, & varias dignitates. Demúmque trans Alpes abivit; & quidem tantâ varietate animi, vel fortunæ, ut inimicicissimus Philippo Mediolanensi abierit, cujus hortatu Italiam intrasset; Venetorum autem, quibus maximè inimicus venerat, amicissimus: à quibus etiam magnis honoribus per eorum fines iter faciens, affectus est. Ita enim de coronatione, & subsecuto itinere Sigismundi, Blondus [t] Antoninus, Platina, alij. Qui autem ejus coronationem anno præcedenti posuerunt, erràsse certum est.

Coronatio, ac reliqui ritus.

Mantuæ ditio erigitur in Marchionatum.

t Blond. 3. dec. 5. Ant. tit. 22. c. 10. §. 1. Plat. in Eug. IV.

XV. Gesta Legatorum Concilii cum Boëmis.

Inter hæc cùm oratores Concilij ad Boëmos legati, (quibus nonnulli alij quorumdam Principum ac civitatum sese junxerunt) Pragam pervenissent, magno ubique honore excepti: ibíque ad condictum diem sanctissimæ Trinitatis cóvenisset ingens Boëmorum multitudo ex clericis, magnatibus, & plebeis: adhortati sunt eos Synodici, sicut in Concilio factũ fuerat, ut primùm Ecclesiasticam unitatem amplecterentur; inde enim quæ dubia essent nulli modò discuti posse. Contrà verò Boëmi contendentes, ante omnia tradendam esse quatuor Articulorum ab ipsis propositorũ, quos pro Evan-

gelicis veritatibus habebant, declarationem; post illam promittebant se concordiam amplexuros. Cùm igitur post multos hinc inde tractatus super his habitos, orationes dictas, disputationes factas, (quas describit Cochlæus [u]; rem breviùs narrant Acta rerum cum Boëmis gestarum; profusissimè codex Navarricus, continens res cunctas per singulos dies totâ hâc legatione, aliisque ad eosdem Boëmos deinceps in diversa loca missis, gestas, verbáque dicta:) cernerent oratores rem aliter agi non posse, petierunt articulos illos eâ sibi formâ dari quâ vellent, mittendos ad Synodum. Qui uti dati missique sunt, referuntur in appendice Actorum Concilij; porrecti oratoribus, ut ponitur, in festo S. Tiburtij post Laurentij; videlicet die 11. Augusti. Forma autem illorum fuit; 1. *Vt communio Eucharistiæ sub utrâque specie universis Christi fidelibus in regno Boëmiæ & locis ei adhærentibus, per sacerdotes liberè administraretur.* 2. *Vt peccata per eos quorum interest, rationabiliter & secundùm legem Dei corrigerentur.* 3. *Vt Verbum Dei à Sacerdotibus Domini & Levitis idoneis liberè & fideliter prædicaretur.* 4. *Vt non liceret Clero super bonis temporalibus sæculariter dominari.* Quibus addebantur conditiones unionis; Ut fierent unum, quomodò omnes Christiani fideles uniri secundùm legem Dei obligantur: Obedituros se quibuscumque sibi legitimè præfectis, in omnibus quæ secundùm legem Dei mandarent: si verò Concilium, aut Papa, aut Prælati, quod à Domino prohibitum est juberent, vel quod in canone Bibliæ scriptum est præterirent; minimè obedituros: Unione factâ, prohiberetur per Concilium cunctis Prælatis ac Principibus ampliùs ipsos Boëmos propter aliquem dictorum articulorum hæresis infamare, aut armis impetere. Hisque acceptis oratores Concilij simul cum Boëmorum legatis Basileam petierunt.

[u] Cochl. lib. 7.

ARTICULI IV. BOËMORUM.

CONDITIONES UNIONIS FACIENDÆ.

XVI. DISCISSIO NOBILITATIS BOËMICÆ.

Cùm autem essent eo tempore Boëmi inter se plurimùm divisi; & Procopij Rasi Thaboritarum atque Orphanorum præcipui ducis tyrannidem ægrè ferrent Barones, quamvis & ipsi à parte Hussi contra Ecclesiam stantes: horum unus præcipuæ auctoritatis Mainardus Neuhaus, sive de nova-domo, vir cordatus & ingenio dextro, ceteris convocatis, & nimis indignum esse dicens, ut qui Regis sui imperium abdicâssent, intolerabile Rasi jugum ferrent, qui nobiles juxtà atque ignobiles mancipiorum loco habens, pro suâ libidine regnum duceret: proposuit deligendum esse unum ex nobilitate ducem, cujus potestas annua esset; nonnullósque ei adjungendos, quorum consilio domi bellíque Rempublicam administraret: ne verò usurpare sibi Barones imperiũ viderẽtur, ex mediâ nobilitate eum assumendum. Cõprobatâ Mainardi sententiâ, consensu omnium declaratus est dux Alscio quidam Risemburgensis antiquæ nobilitatis homo, sed tenui censu; quem Capitaneum vocavêre: præcipuâ tamen semper auctoritate apud Mainardum existente, quamvis insignia majestatis apud Alscionem essent. Quibus cognitis Procopius Orphanos & Thaboritas, gentem ferocem & inquietam, rapinis & bellis assuetam, ad obsidendam urbem Catholicorum Pilznam, quæ semper in fide Ecclesiæ fidelissimè permanserat, frustráque ab hostibus sæpè tentata fuerat, duxit; eámque integro penè anno pertinaci obsidione ac crebris oppugnationibus pressit. De cujus liberatione dicetur anno sequenti: cùm quæ modò diximus narret Æneas [x], & ex eo Cochlæus [y].

[x] Æn. Hist. Boëm. c. 51.
[y] Cochle. lib. 7.

XVII. EXPLICATIO ARTICULORUM FACTA PER SYNODUM.

Revertentes interim è Basileâ Pragam oratores Concilij cum Boëmorum legatis, declarationem trium Articulorum à Patribus Concilij diligentissimè examinatam, & semotâ omni ambiguitate secundùm veritatem Evangelicæ doctrinæ conceptam, in publico regni conventu promulgandam retulerunt: cum hoc ut si illam, pacémque Ecclesiasticam reciperent, inveniri posset ratio, quâ de articulo cõmunionis sub utrâque specie res per concordiam transigeretur. Propositæ sunt autem trium ceterorum declarationes hâc formâ: ut demptis à primo verbis *per eos quorum interest*, tanquam nimis generalibus, diceretur corrigenda fore peccata *Secundùm legem Dei & SS. Patrum instituta.* Secundus sic conciperetur, ut fieret *ab idoneis, & per superiores ad quos pertinet approbatis & missis, liberè, non tamen passim, sed ordinatè & fideliter; salvâ auctoritate Pontificis, qui est præordinator in cunctis, juxta SS. Patrum instituta.* Tertius quòd *Ecclesiastici viri bona Ecclesiæ, quorum sunt administratores, fideliter administrarent juxta SS. Patrum salubria instituta: Ipsaque bona Ecclesiæ ab aliis quàm ab his quibus administratio canonicè est commissa, usurpari sine sacrilegij reatu non posset.* Cùm autem recusarent Boëmi super his dare responsum, nisi priùs de articulo Communionis quid offerretur audirent; facta est etiam ita illius explicatio; ut quoniam generalis consuetudo Ecclesiæ communicandi sub unâ tantùm specie, multis de causis rationabiliter introducta, non posset reprobari, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito immutari; posset autem suadentibus rationabilibus causis communio sub utrâque specie ab eâdem Ecclesiâ concedi: si id omninò Boëmi contenderent, sacrum Concilium sacerdotibus eorum facultatem concessurum fore, sub utrâque specie populum, eos videlicèt qui in annis discretionis constituti essent, atque id reverenter postularent, communicandi: hoc semper observato, quòd sacerdotes si communicantibus semper dicerent, *debere eos firmiter credere, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantùm, sed sub qualibet specie est integer totus Christus.* Quibus demùm modis ac conditionibus, post multos tractatus & disputationes ultrò citróque habitas, remissósque ad hoc Pragam Episcopum Constatiensem, Ioannem de Palomar, cum duobus aliis; inita est concordia: promiserúntque Boëmi pacem & unitatem Ecclesiasticam suscipere, facto inde instrumento, quod vulgò COMPACTATA vocârunt, ultimâ die Novembris in festo S. Andreæ præsentis anni: cùm tamen non potuerit ea concordia tam citò in effectum perduci, eò quòd Thaboritæ & Orphani, aliíque hæretici qui Pilznam obsidebant, in eam consentire nolebant: Iis verò posteà, ut videbitur, deletis, fuit illa demùm Iglaviæ Olomucensis diœcesis die quinto Iulij anno 1436. coram Sigismundo Imperatore communi omnium Hussitarum consensu recepta, sigillísque publicis roborata. Recitat illam Cochlæus; & quæ circa illam facta sunt, quoque ordine ea processerint

COMPACTATA BOËMORUM.

rint, diligentiùs Acta tam edita quàm præcipuè manuscripta rerum à Concilio Basileense cùm Boëmis gestarum.

XVIII. His autem oratorum Concilij itineribus contigisse aliquando constat, quod Ioannes Nider Dominicanus, & hæreticæ pravitatis Inquisitor, atque muliercularum (ut Trithemius [z] scribit) quas maleficas vulgus appellat, acerrimus investigator & persecutor, in suo Formicario [a] agens de falsis revelationibus vel visionibus, quibus sæpè mulieres specie devotionis seducuntur, narrat, de quâdam virgine Ratisponensi, multis erroribus à dæmone infectâ atque delusâ: quæ à Ioanne de Palomario uno ex dictis Concilij oratoribus, unà cum ipso Niderio ejus itineris collegâ, examinata, se Dei spiritum habere dixit, beatioremque Principibus Apostolorum dum in viâ fuerunt, atque penitùs impeccabilem, denique matrem totius Christi Ecclesiæ quæ in Basileensi Concilio repræsentabatur; & ad has veritates tuendas paratam se esse ignem subire, quæ tamen, postquàm nullis suasionibus ab ejusmodi deliriis deduci potuit, quæstioni admota, resipuit, & deceptam se fuisse à dæmone publicè professa est.

z Trith. de Vir. illustr. & de Scrips. Eccles.
a Nider. Formic. lib. 3. c. 7.
MULIERIS RATISPON. DELIRIA.

XIX. Habet item [b], serpsisse tunc in partibus Sueviæ inter personas utriusque sexûs sæculares & Ecclesiasticas, religiosos, & religiosas, hæresim; quâ sibi licere assererent mentiri ad placitum, pacta nulla servare, occidere innocẽtes etiámque parentes: numquam jejunantes, nisi ne detegerentur; nec ab ovis in Quadragesimâ abstinentes: otio vacantes diebus laboris, laborantes in festivitatibus: cæremonias, abstinentias, virginitatis decus rejicientes tãquam animalium hominum: solámque perfectionem & virtutem collocantes in contemplatione quâdam altissimâ spiritûs, cùm tamen bestialissimè viverent: Ad tantum perfectionis apicem se venisse gloriantes, ut nihil eis pro peccato imputari valeret; adeò ut in ipso fervore congressûs maris cũ feminâ supremam contemplationem & raptum excellentissimũ consistere dicerent, eâque de causâ sibi mutuò ad nutum in his obtemperarent. Inter se uti consuevisse verbis amatoriis & meretriciis; sed cum aliis, sermonibus supra modum subtilibus, comptis, sublimibus, spiritualibus, & metaphysicalibus, quantum sustinere posset lingua Teutonica; adeò ut eos vix quisque benè literatus intelligere posset, involventes de spiritu, de abstractione, de luminibus, de personis divinis, & de contemplationum gradibus altas sententias: Ad suos errores abutentes verbis Scripturæ [c], *Si spiritu ducimini, nõ estis sub lege*. Et, *Vos in libertatem vocati estis*. Iuvehitur in hos plurimùm meritóque Nider; multáque exempla profert de hujusmodi fanaticis, quos ipsi videre contigit. Sed nobis aliò sermo convertendus.

b Ib. cap. 5.
FANATICÆ HÆRESES SUEVICÆ.
c Gal. 5.

XX. Cùm Eugenius Pontifex commotus repulsâ missis à se præsidentibus datâ à Basileensibus, sentiénsque rem ad schisma & hæresim tendere; publicâ declaratione [d] quarti Calendarum Augusti, omnes illas citationes, processus, & decreta, quæ contra ipsum aut Sedem Apostolicâ vel Cardinales, aliósque quoscumque ipsi adhærentes, ac cetera quæcumque Basileenses attẽtare præsumpsissent, aut imposterùm præsumerent, exceptis illis quæ ipse eis tractare permisisset, irrita & inania esse statuisset: Nihilominùs Basileenses in suis ausis perseverantes, *Duodecimam* celebrantes *Sessionem* die Lunæ 13. Iulij post narrata quæ hactenùs gesta fuissent, & dilationes Eugenio Pontifici indultas ad revocandam dissolutionem Concilij per ipsum decretam, acriùs in eum invecti, intuitu tamen Sigismundi Imp. per suas literas instantis, adhuc sexaginta dies concesserunt; intra quos nisi omninò revocaret, suspensus ipso facto esset ab omni administratione Papatûs in spiritualibus & temporalibus; præter illa quæ contra Cardinales & Prælatos, qui ei adhærerent, aut ad Concilium venire detrectarent, statuerunt. Decretúmque aliud condiderunt de legitimis Electionibus, & confirmationibus Episcoporum ac Prælatorum absque ullis reservationibus, & juxta Ecclesiasticas sanctiones circa ætatem, doctrinam, mores; ac ne Pontifex; aliíve quicquam omninò pro confirmationibus exigant aut recipiant, sic videlicèt Annatas à Pontificibus exigi solitas prohibentes; quorum, necnon Cardinalium necessitatibus se aliunde provisuros pollicebantur.

d Ext. in Seff 16. Con. Basil.
SESSIO XII.
INTENTATUR EUGENIO SUSPENSIO.

XXI. *Sessione* verò *XIII*. die Veneris undecimâ Septembris, cui interfuerunt septem Cardinales, accusatâ à promotoribus Eugenij contumaciâ, quòd ad diem non satisfecisset; cùm omnino ad ejus condemnationem procedere decrevissent rursùm tamen Dux Bavariæ protector Synodi tam suo quam Imperatoris nomine, necnon major civium pars, aliique instituerunt pro ulteriori dilatione triginta dierum, cum promissione de nullâ umquam ampliùs petendâ. Quando & accedentes Archiepiscopus Spalatensis & Episcopus Cerviensis nuncij Eugenij, contestati sunt terminum sexaginta dierum nondum esse elapsum. Quos Iulianus Cardinalis præses generalis Concilij malè de iis quæ agerentur instructos esse respondẽs, peténsque ab iisdem num adhæsionem Eugenij celebrationi Concilij ferrent; tacentibus illis, & dimissis, publicari nihilominùs permisit petitam prorogationem triginta dierum iisdem conditionibus. Factúmque insuper decretum, quo omnia contra Patres vel quoscumque alios in Concilio præsentes facta aut decreta essent, irrita declarata sunt, læsíque in integrum restitui. Quæ fusiùs in Actis editis videre est. Estque insuper in Appendice epistola Synodi ad Electores Imperij: quâ respondens petitionibus eorum ut in processu adversus Eugenium supersederetur, graviter in eum Patres invecti, certiores eos reddidère de prædictâ triginta dierum prorogatione.

SESSIO XIII.
ALIA PROROGATIO DATA EUGENIO.

XXII. Ad quid autem prædicti nuncij Eugenij venissent, intelligitur ex binis ipsius epistolis seu constitutionibus, quæ habentur in Appendice eorumdem Actorum. Quarum alterâ datâ Calendis Augusti, Pontifex intellectis causis repulsæ præsidentium ab ipso missorum, de quâ suprà; ad tollẽdam omnem schismatis occasionem, & ad instantiam Imperatoris, de consilio trium Cardinaliũ, quos solos apud se habebat, declaravit velle se Concilium à tempore suæ inchoationis inchoatũ fuisse, prosecutionémque semper habuisse, haberéque debere ad hæreses, bella, & morum deformitates extirpandas, perinde ac si nulla commutatio, trãslatio, ac dissolutio facta fuisset, quas omninò revoca-

EUGENII CONSTITUTIONES PRO CONCILIO.

bat; illúdque pro viribus promovere, & omni favore prosequi: cum hoc tamen, ut præsidentes ipsius admitterentur cùm effectu, ac omnia & singula contra personam, auctoritatem, ac libertatem ipsius Eugenij, ac Sedis Apostolicæ, Cardinalium, aliorúmque quorumcumque ipsi adhærentium in Concilio gesta, priùs omninò tollerentur. Alteris literis datis Idibus ejusdem mensis Augusti, prædictos Bartholomæum Spalatensem & Christophorum Cerviensem, ac Nicolaum Abbatem, committens ad petendum à Concilio prædictam gestorum Synodi revocationem, facultatem eisdem concessit cuncta pariter quæ per ipsum seu auctoritate ejus contra dictum Concilium aut ei adhærentes facta aut decreta fuissent, revocandi atque irrita declarandi.

XXIII. Aliæ contra Concilium.

Cùm verò nec his satisfieri Basileensibus animadverteret, qui nihil eorum quæ fecissent revocari posse aut debere, sed Pótificem eis purè ac simpliciter adhærere, tanquam Synodo inferiorem cõtendebant: idem Pontifex imprimis decretum in Sessione XII. tertio Idus Iulij contra ipsum Pontificem, Cardinales, ceterosque confectum, publicâ constitutione [e] Idibus Septembris promulgatâ, de plenitudine potestatis nullum & inane pronunciavit. Póstque inde publicatæ quoque sunt prolixiores ejusdem Eugenij nomine literæ [f] pro ipsius defensione ad universos Christi Fideles; (quas tamen ipse posteà suas esse, aut de scitu suo emanâsse negavit:) quibus earum scriptor cuncta speciatim enarrans quæ ab initio in hâc causâ gesta fuissent; ac rationes explicans ob quas Eugenius Concilij celebrationé revocâsset, & Bononiam transferri mandâsset; objectionésque Basileensium, ac criminationes dilués confutánsque & temeraria ipsorum contra Sedis Apostolicæ ipsiúsque Pótificis auctoritatem, & Ecclesiæ Catholicæ ritus facta recensens: protestatus est nefas fore talia approbare, nec umquam ab Eugenio factum iri. Deinde explicans quod à Basileensibus objiciebatur, ipsum cùm Synodum Basileæ fieri consensisset, injunxisse pariter agenda cum Concilij consilio per præsidentes à se missos perfici; ait Concilium sequi debere præsidentes, non contrà: ita ut si Papa, vel ejus Legatus, & Concilium in aliquibus disponendis dissentirét, Papæ vel ejus Legati, non Cócilij voluntas sequenda foret, cùm Papa super omnia Concilia potestatem haberet: nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicã fidem respicerent, vel si non fierent statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilij sententia esset potiùs attédenda. Falli igitur in eo quamplurimùm Basileenses, quòd in singulis se Pontifici superiores reputarent: id enim asserere, hæreticum esse ac profanum. Denique hortabatur Principes & omnes fideles Orthodoxos, Basileæ congregatos adhortari, ut desistentes ab incœptis vellent suos ipsius præsidentes admittere, ut canonicam Synodum facientes possent bona illa propter quæ sacrum Concilium erat institutum, debitæ executioni demandare. Quòd si secus facerent, & Dei Ecclesiam scindere (ut hactenùs conati essent) pergerent, tunc ipsi Principes eorũ improbis conatibus pro viribus resisterent, ne schisma in Ecclesia oriretur. Hoc enim ad Principes pertinere sæculares, ut eorum temporibus pacatam vellent matrem Ecclesiam, unde essent spiritualiter nati: nec permitterét sine auctoritate Pótificis conciliabula fieri, exemplo posteritati perniciosissimo. Hæc summa suppostitiarum illarum literarũ.

[e] Ext. in Seß. 16.

[f] Ibid. & in Act. Navar.

XXIV. Sigismundi Imp. adventus ad Synodum.

Quas tamen ut verè ab Eugenio emanatas, quinto Idus Octobris Dominicâ luce, in quam sicuti & alias duas, Basileenses existimantes, incidebat terminus triginta dierum ultimò Eugenio præfixorum, convenientes in templum (ut narrant Acta Patritiana) sententiam in eum uti contumacem ferre decreverunt. Cùm repentè nunciato Sigismundi Imp. adventu, & ad templum properationis, effundentes se Patres obviam ei, magnâ lætitiâ eum ad publicum consessum deduxerunt. Dilatúmque est negotium, ob adventũ ejus ad diem octavum. Et cùm dies Eugenio dicta sæpiùs deinceps prorogata esset; tandem septimo Idus Novembris die Sabbati celebratâ *Seßione XIV.* cui interfuit Sigismundus Imperiali paludamento, coronâ, sceptro, aureo pomo, nudóque ense, atque aliis Imperij insignibus ornatus; sancitum est adnitente illo, terminum Eugenio sæpiùs prorogatum, ad nonagesimum rursùs diem differri: Ita tamen ut intra id temporis adhærere deberet Concilio; & omnia quæ contra illud aut ei adhærentes fecisset aut decrevisset, ac speciatim ternas literas modò recensitas revocare; & quæ in eo gesta fuissent confirmare, secundùm formulas ei præscriptas, quæ habentur in Actis, editis. Eâque ratione futurum promiserunt Patres, ut omnes se ad ejus pedes submitterent, & uti unicum legitimumque Christi Vicarium venerarentur. *Seßione* verò *XV.* habitâ die Iovis sexto Calendas Decembris multa salutaria statuta sunt circa Synodos provinciales singulis trienniis, & diœcesanas minimùm semel in anno biduo vel triduo celebrandas, ac de modo celebrationis, & rebus in iis agendis, morúmque censurâ tam Ecclesiasticorum, ipsorúmque Antistitum, quàm regularium utriúsque sexus.

Sessio XIV.

Alia prorogatio trium mensium.

Sessio XV.

Synodi Prov. et Dioeces. præscriptæ.

XXV.

Quo tempore, si umquam, contingere debuit quod narrat Krantzius [g] de Sigismundo Imp. Nempè Turcorum Regem sæpè anteà à Sigismundo oppugnatum, tum non solùm inducias, sed perpetuæ pacis fœdera, ineuntem, misisse Basileam solemnes ad id perficiendum oratores, Imperatorem in Ecclesiâ jussisse apparari suggestum, in quo Imperialibus fultus ornamentis considens recepit dona sibi ab iisdem oratoribus oblata, primùm à viris duodecim totidé aureos scyphos apertos: deinde ab aliis vasa aurea geminata aureis nummis plena: tum à tertio ordine pannos voluto & auro pretiosos: denique à postremis vestem, serico, auro, gemmis incomparabilem: Imperatorem his donis suo ordine acceptis, vicissim pro magnificentiâ suâ donâsse oratores, nec parvis muneribus dominum ipsorum honestâsse. Ita ille: quæ fortè Rex Turcorum præstiterit, postquàm audivit Sigismundum coronam Imperij suscepisse Romæ; sive timens potentiam ejus valdè inde auctam fuisse, sive simplicis gratulationis ergò. Quâ de re nihil alibi reperimus.

[g] Krantz II. Saxon. 22.

XXVI.

Ad prædicta verò Sessionis XIV. ab Eugenio impetranda, pro pace universalis Ecclesiæ Romam ierunt oratores Sigismundi Imperatoris, Caroli Francorum Regis, & Philippi

Burgundiæ

h Blond. 3. dec. 5.
i In Amed. Pacif. n. 7.

Burgundiæ Ducis, quorum est apud Blondum[h] mentio: necnon in rescripto Pontificis [i] ad Amedeum Sabaudiæ Ducem, qui & ipse oratores suos ad ipsum cum illis aliis ire jusserat, nisi interclusis itineribus impediti fuisset. Quo prætereà significat Pontifex, se jam ante adventum dictorum oratorum, super materiâ illâ conclusisse; cùm venisset ad ipsum cum literis Imperatoris orator Venetorum, quem remiserat cum bullis opportunis. Traditúrque in Actis Patritianis, Eugenium assiduis Imperatoris persuasionibus pulsum, cum Basileensibus in hanc demùm sententiam convenisse; ut illi omnia contra ipsum ac suos acta revocarent, ejúsque præsidentes admitterent: Eugenius verò profiteretur, Concilium Basileæ esse, & hactenùs legitimè fuisse; atque omnia contra illud ejúsque sectatores à se decreta pariter revocaret, ac planè Concilio adhæreret. Præsidentes autem ab Eugenio electi fuère quatuor præstantissimi Cardinales, Iordanus Ursinus Sabinensis & Petrus de Fuxo Albanensis Episcopi, Nicolaus Albergatus S. Crucis & Angelottus Fuscus S. Marci Presbyteri: ad quos extat in Appendice Actorum Concilij eâ de re Pontificia bulla, data 18. Cal. Ianuarij. Et quoniam hi gravibus aliis negotiis adhuc detenti necdum poterant Basileam se conferre; ne proptereà Concilij prosecutio interrumperetur, eis interim subrogavit 17. earumdem Cal. cum pari potestate Ioannem Archiepiscopum Tarentinum, Petrum Episcopum Paduanum, & Ludovicum Abbatem S. Iustinæ. Ac ne Iulianus Cæsarinus, qui hactenùs Concilio præfuerat, contemptum se ob præterita quereretur, etiam illum aliis literis postridie exaratis præsidentē cum iisdem aliis Legatis, & eorum substitutis, de novo constituit. Denique quod ad revocationem pertinet; eodem ipso die decimo octavo bullam amplissimam confecit juxta formam Sessione XIV. præscriptam; insertis etiam, ac penitùs abrogatis ternis illis literis, quarum revocationem postulatam fuisse vidimus: tertias tamen illas prolixiores à se umquam emanâsse negans sed nihilominùs quia petitum esset, ad cautelam disertim revocatas esse decernens: Utrùm autem fuisset legitima citatio & defensio, standum esse judicio Concilij. Ita ibi. Quomodò verò hæc lecta in Synodo, & quanti ponderis fuerint, dicetur anno sequenti.

Eugenius adhæret Concilio.

XXVII. Eugenius variis adversis exagitatur.

k Turrecr. Sum. de Eccles. lib. 2. cap. 100.

l Ant tit. 22. cap. 10. §. 2.

Ad hanc verò tantam, ut multi vocârunt, animi vilitatem, seu pusillitatem, optimū Pontificem descendere, tam metus schismatis, & Imperatoris ceterorúmq; Principum violentissimæ suasiones compulerunt; (quod etiam Turrecremata [k] testatur) quàm factæ in eum undique conspirationes, Philippi Ducis Mediolanensis instigatione: qui ægrè ferens occupatas à Venetis urbes imperio suo subtrahi per fœdera pacis, quæ Eugenius rata habuisset: tanquam si is magis ex affectu, utpotè Venetus, quàm ex jure Venetis faveret, non parùm in eum indignatus; multa ei adversa in grave damnum ipsius & Statûs Ecclesiastici procuravit. Et cùm (ut Antoninus [l] scribit) nec satis fama prospera Eugenij foret, præsertim quia Pontificatum tranquillissimam à Martino susceptum, ipse confestim magnis perturbationibus involvisset, atque inde Cardinales plures ab eo recessissent ad Concilium Basileense: Philippus quoque omnes suæ juridictioni civitatum Episcopos illuc contra Eugenium direxit. Armáque in eum movens; per Franciscum Sfortiam generum sibi assumptum, & Nicolaum Fortebracium, qui priùs Eugenio militaverat, duces insignes, ingenióque ac manu promptos, aliósque in eum concitatos, adeò profecit, ut paucis locis in fide permanentibus; cetera omnia totâ Italiâ ad Ecclesiam pertinentia, quà vi, quà arte, quà proditione, quà rebellione, ab Eugenio desciverint. Idémq; Fortebracius adeò asperum Romanis civibus bellū intulit, ut & ipsis ad rebellionem respicere incipientibus, coactus sit Pontifex Urbem deserere, ut videbitur anno sequenti. Hæc autem, quæ Antoninus & Platina breviùs tangunt, profusè narrat Blondus [m] ipsius Eugenij secretarius. Apud quem legitur etiam oratio legatorum quos diximus Imperatoris, Regis Francorum, & Ducis Burgundiæ, omnium nomine facta à Baptistâ Cigalâ Genuensi equite Imperatoris oratorum altero: quâ inter cetera meminit astutiæ Philippi Mediolanensis, dum ut res Eugenij subverteret, sparsit in vulgus exemplum cujusdam epistolæ tanquam à Concilio Basileensi scriptæ, quâ ipse Vicarius Concilij in Italiâ constituebatur: substituisséque se Sfortiam ac Fortebracium, qui profanarum Ecclesiæ rerum statum reciperent, Pontificémque Eugenium ad exitium persequerentur. Ad quam diluendam calumniam missi iidē oratores, Concilium, Principes, nationes, ab eo crimine planè innoxios declarârunt.

m Blond. 3. dec. 5.

XXVIII. n Ap. Gaulter. Chronol. sec. 15.

De sanctiss. Hostia Divionensi.

Quo tempore contigisse noscitur quod alibi [n] reperimus scriptum; missam ab Eugenio Pontifice Philippo Burgundiæ Duci per ipsius oratorem, sacratissimam Hostiam multis locis à væsanâ cujusdam feritate (quem Iudæum fuisse volunt) gladij ictibus perforatam, & sanguine respersam, quæ in Sacrario Pontificio asservabatur. Quippe eâ de re proferuntur literæ ipsius Eugenij ad Philippum, datæ Romæ vigesimo septimo Septembris anno Pontificatûs tertio, qui est præsens. Reposita est autem illa à Philippo in sancto sacello Divionensi, ubi hactenùs conservatur. Cui & Ludovicus XI. Francorum Rex, cùm sumptione Eucharistiæ repentè convaluisset à morbo gravissimo, ob singularem erga eamdem sacratissimam Hostiam devotionem, dono misit eam ipsam coronam, quâ Remis inauguratus fuerat.

XXIX. o Marian. lib. 21. ap. S. Non. de Reg. Portugal. geneal.

Ioannis Reg. Lusitani obitus.

Hoc eodem anno [o] pridie Idus Augusti *Ioannes* Rex Lusitaniæ extremâ ætate, nempè septuaginta sex annorum mensium quatuor dierum novem, Olisipone mortuus est; postquàm regnâsset annos quadraginta, octo, menses quatuor, dies novem. *Rex bonæ memoriæ* à suis speciatim cognominatus, & rebus domi forisq; gestis præstantissimus. Corpus ingenti pompâ Aliubarrotam delatum ad monasterium ibi ab ipso in memoriam victoriæ de Castellanis partæ constructum. Successit patri *Eduardus* maximus natu filius anno ætatis suæ quadragesimo secundo: cui ad ceteram felicitatem numerosa proles fuit ex unis nuptiis Leonoræ Aragoniæ suscepta: Alfonsóque majori, patre superstite inter Lusitanos primùm inditum est nomen *Principis*. Eduardum autem ipso inaugurationis die à Iudæo Medico Gudialla monitum tradunt, cæremoniam ad pomeridianas

Eduardi successio.

horas

horas differre; astra si festinaret, infelicem exitum designare: sed perstitisse eum contemptu talium ut fortuitorum.

XXX. CONGREG. S. AMBROSII AD NEMUS. p *Maurol. lib.* 1.

Hoc item anno ponitur ab Onuphrio in Chronico, Ordinis Fratrum *S. Ambrosij ad Nemus* Mediolani instituti confirmatio sub Regulâ S. Augustini. De cujus ab ultimâ antiquitate repetitis initiis, quorum meminerint SS. Augustinus & Gregorius, agit Maurolicus p in Mari Oceano omnium Religionum.

XXXI. WLPHONIS NAUFRAGI LIBERATIO.

Ponit quoque Vastovius in Vite Aquiloniâ SS. Gothorum, obitum *Vulphonis*, insignis pietatis religiosi ordinis Vasthenensis S. Birgittæ, qui Vitam S. Catharinæ filiæ prædictæ Birgittæ scripsit. De quo illud valde mirum narrat; ut cùm naufragium juvenis subiisset, tabulæ quadraginta diebus fluctibus jactatus adhæserit omni edulio destitutus: donec voto facto de suscipiendo, si vitæ servaretur, Ordine S. Birgittæ, à piscatore quodam Dano divinitùs repertus, & ad littus perductus est. In eo totis sedecim annis usque ad mortem perseverans, numquam quievit jacendo, sed in quodam sedili sedendo tempus somno necessarium impendit; ac divinis revelationibus frequenter recreatus est.

XXXII. q *Sigism. de Episc. Bonon. lib.* 4. PRODIGIA IN ITALIA.

Fuêre q item hoc anno in Italiâ prodigia plura, divinas minas, ut vulgò rebantur homines, ostentantia. Mense namque Maio sævissimi terræmotus plurima ædificia diruêre. Iunio Sol usque adeò post meridiem obscuratus est; ut ipsas noctis tenebras adæquaret. Prætereà assiduæ & vehementes pluviæ, ac fœdæ omnis generis tempestates. Quibus avertendis supplicationes variæ ac multiplices adhibitæ sunt: & Bononiæ sacra gestatio Imaginis Beatissimæ Virginis à S. Lucâ, ut ferebant, depictæ, facta, cujus cælesti beneficio, civitas se ex ingenti periculo, ut aliàs non rarò, evasisse judicavit.

XXXIII. PISCIS FORMA EPISCOPI.

Circa quod tempus majori portento contigisse ait auctor Magni Chronici Belgici, ut captus fuerit ultra Poloniam piscis formâ perfecti hominis; ornatus mitrâ, baculo pastorali, aliísque omnibus ornamentis ac vestibus celebraturi divina Pontificis: cujus casula levabatur facilè antè & retrò à pedibus usque ad genua: permisítque se tractari à multis, sed præcipuè ab Episcopis illarum partium, quibus etiam honorem humiliter exhibuit: audiens quidem & percipiens quæ dicebantur, sed non loquens. Quem cùm Rex turri includere vellet, illo mœrorem inde præseferente, rogatu Episcoporum permissus in mare reduci, signa gratiarum actionis dedit: & à duobus Episcopis reductus, pedibus ambulans, mediúsque incedens manibus hinc inde ad eorum humeros innitebatur: Mare ingressus usque ad umbilicum, salutans Episcopos & turbam astantem, signo Crucis eis benedixit, nec ampliùs visus est. Ita ibi, quod unde sumptum sit non apponitur: nec reperimus in Historiâ Polonicâ. Reducunt verò hæc in mentem quæ scribit Alexander r Neapolitanus de nonnullis hominibus, qui circa hæc eadem tempora in Siciliâ nando immensa æquora & ingentia pelagi intervalla emensi fuêre haud secùs ac marinæ belluæ; fœdâ etiam tempestate & reluctantibus aquis, plus in mari degere, quàm in terris victitare consueti.

r *Alex. ab Alex. lib.* 2. *cap.* 21.

IESU CHRISTI Annus 1434.

EUGEN. IV. Ann. 4.

SIGISMUNDI Ann. 25.

IOANNIS VII. Annus 16.

I. SESSIO XVI.

ANNUM Christi millesimum quadringentesimum trigesimum quartum Indictionis duodecimæ ordiemur à rebus Concilij Basileensis. Quo celebratâ publicâ *Sessione XVI.* die Veneris Nonis Februarij, (cui Imperator interfuit habitu Imperiali, ac Prælati nonaginta mitris albis ornati, recitatis literis Eugenij Pôtificis de approbatione Côcilij, & revocatione dissolutionis, aliísq; à Synodo postulatis, quarũ anno præcedenti facta est mentio, latis ab Archiepiscopo Tarentino & Episcopo Cerviensi; Synodus declaravit, Pontificem per illas plenè satisfecisse monitioni, citationi, & requisitioni Synodi. Cùm nihilominùs aliquid ex iis elici posse, quod ipsorum Basileensium proposito suffragaretur, neget, plenissiméque disputet qui aliquando adfuit Ioannes posteà Cardinalis de Turrecrematâ in libris a de Ecclesiâ: docens, non proptereà Pontificem approbâsse quicquid per Concilium decretum esset aut institutum; nec se obligâsse ad comprobanda illa quæ ipsi præter auctoritatem Conciliis licitam condere vellent: nec denique revocando dissolutionem à se priùs factam, negâsse haud se potuisse revocare; sed quòd ex revocatione dicerentur oriri multa scandala, agnovisse illâ fecisse ex nô veris causis, licèt veris tunc æstimatis.

QUOMODO INTELLIGENDA CONSENSIO PONTIFICIS. a *Turrecr. lib.* 2. *cap.* 100.

II. ADMITTUNTUR LEGATI EUGENII PRIVATIS NOMINIBUS.

Post igitur literas illas à Synodo approbatas; die Sabbati vigesimo quarto Aprilis in Congregatione generali nationum, Legati Eugenij incorporati sunt Côcilio nominibus privatis; videlicèt Nicolaus Cardinalis S. Crucis, Ioannes Archiepiscopus Tarêtinus, Petrus Episcopus Paduanus, & Ludovicus Abbas S. Iustinæ. Decretúmque, juraturos illos in suâ incorporatione, fideliter agere pro honore Concilij, ejúsque decreta defendere; ac speciatim illud Concilij Constantiensis, de subjectione Pontificum Romanorum potestati coactivæ Conciliorum generalium, in iis quæ pertinerent ad fidem, & extirpationem schismatum, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & membris. Itémq; juraturos dare salubre consilium secundùm Deum & conscientias: nec revelare vota singulorum, unde verisimiliter posset oriri aliquod odium vel scandalum: nec denique recedere à loco Concilij absque licentiâ. (Quibus ipsos sese propriis nominibus, non Pontificis Eugenij, aut Sedis Apostolicæ, obligâsse; tum declarant Acta, cùm tradunt susceptos fuisse privatis suis nominibus, tum abûdiùs disputat idem Turrecremata.) Sícque *Sessione XVII.* celebratâ sequenti die Lunæ sexto Calendas Maij, (cui Imperator cum insignibus dignitatis interfuit, unà cum centum Prælatis mitratis) admissi fuêre prædicti quatuor Legati in Concilij præsidentes unà cum ipso Iuliano Cardinale antiquo præsidente; sed absque ullâ jurisdictione coactivâ; & salvis modis procedendi in Concilio eatenùs

SESSIO XVII.

observa

observatis; & quòd omnia acta expedirentur sub bullâ Concilij Ac XVIII. habita die Sabbati sexto Calendas Iulij absente Imperatore, qui Basil. â abscesserat; repetitum est denuò à Patribus decretum Concilij Constantiensis de Conciliorum supra Pontifices auctoritate [b]. Quando & Ioannes Patriarcha Antiochenus tractatum à se compositum (qui extat in Appendice) obtulit Synodo; quo æquè probare conatus est Concilium esse supra Papam, ac propterea non posse illud dissolvi ab Eugenio absque ejusdem consensu, sed ipsum ei obedire teneri. In congregationibus [c] verò extra Sessiones habitis, decimo sexto Calendas Iulij constitutio Caroli IV. Imp. contra violatores immunitatum Ecclesiæ, aucta & amplificata promulgata est: Et quinto Nonas Iulij, Eugenij constitutio de veneratione Corporis Christi, & Indulgentiis ejus festivitati concessis, pariter auctoritate Synodali publicata est, ac ubique servari jussa.

Sessio XVIII.

b Vid. supr. an. 1415. XXI. LIV. 1418. V. 1432. VI.

c In Append. Conc. Basil.

III.

d In Append. int. Epist. Eugen.

Aliæ benevolæ Eugenii ad Synodum literæ.

Cùm intereà ad eos scribens [d] nono Calendas Iulij Eugenius Papa è civitate Florentiæ; nequis existimaret mentem ejus cum aliquo nubilo rerum præteritarum existere, rursùm quæ priùs indulsisset de celebratione Synodi ex animo confirmans, propositum sibi esse ait, ipsos amare ut filios, observare ut fratres, & in benedictionibus dulcedinis unà illis præcipuâ charitate constringi: confidens etiam de ipsis, quòd pro Sedis Apostolicæ reverentiâ fideles & devotos animos erga se gererent; hoc vel ex eo sperans quòd præsidentes suos benignè suscepissent: Hinc enim tã se ipsum quàm Sedem Apostolicam consolatum iri in gravissimis illis angustiis & afflictionibus, quas diebus elapsis Romæ passus esset, quarum causâ coactus fuisset Urbem deserere. Ita ille: quæ putamus tam ipsum scripsisse ut eos de pressuris suis certiores redderet; quàm præcipuè ne ex ejus Florentiam accessu suspicio aliqua orivetur de priori proposito celebrandi alteriùs Concilij Bononiæ, quæ non adeò multùm distat à Florentiâ; quamvis ea quoque tunc civitas, in tantâ rerum mutatione, & unanimi ferè omnium in Eugenium & Sedem Apostolicam Philippicâ conspiratione, de quâ diximus anno superiori; rebellioni & ipsa adhæreret.

IV.

e Blond. 3. dec. 5. & 6.

f Ant. tit. 22. cap. 10. §. 2.

Eugenius vix evadit fuga insidias ac vim Romanorum.

Quænam verò fuerint Romanæ illæ turbæ; distinctè per singulas rerũ partes & temporum momenta describit Blondus, [e] Secretarius ipse Eugenij Pontificis & consiliorũ ærumnarúmque particeps: summam Antoninus [f] refert. Ex quibus constat; in summas angustias redacto Eugenio à ducibus exercituum Philippi Mediolanensis, Romanos quoque ægrè ferentes hostium excursiones; & ab amicis Philippi in Eugenium sollicitatos; consilia cepisse de eo capiendo & retinendo: Hísq; cognitis Pontificem, clàm ne deprehenderetur, in habitu monachali ad Tiberim cum paucis venientem, in paratâ sibi naviculâ descendisse per fluvium Ostiam: Ejus fugam perpendentes Romanos; insequutos illum esse magno numero per amnis ripas, nonnulli etiam cimbis, contumeliis & sagittis impetere non cessantes; donec forti defensione paucorum qui in scaphâ Pontificiâ erant: capitali periculo per medios hostes ereptus est: & conscensâ apud Ostiam triremi, primò Pisas, inde Florentiam delatus, omni honoris genere exceptus ibi fuit in vigiliâ Nativitatis S. Ioannis Baptistæ: quâ ipsâ mox ad Synodum Basileensem epistolam quam diximus scripsit: Romanos interim bona ejus diripuisse; & Franciscum Condelmerium Venetiarum Cardinalem ipsius nepotem & Romanæ Ecclesiæ Camerarium in vinculis detinuisse: castro tamen S. Angeli benè munito in Pontificis obsequio permanente; quod Romani diù oppugnatum obtinere minimè valuerunt. Cùm verò paulò pòst proditionis spe introducti fuissent in illud aliquot ex primoribus civibus, captivíque detenti, eorum commutatione liberatum esse Cardinalem, & concordiam cum Romanis factam, delictorum veniâ ipsis à Pontifice concesſâ. Hæc pluribus Blondus: haud interim omittens, quæ rursùm adversa Eugenio dũ Florentiæ esset obvenerint in grãdi sui exercitûs clade & Bononiensium aliorúmque populorum subdolis fraudibus. Donec allecto sibi ipsius Blondi operâ Sfortiâ, eodémque Ecclesiæ Romanæ Vexillifero; ac Piceni ad vitam Marchione declarato; & Fortebraccio infensissimo ac perpetuo Ecclesiæ hoste, quodam certamine à gregario milite occiso; res Eugenij & Ecclesiæ resurgere cœperunt, & pax facta est anno sequenti.

V.

Duo Cardinales legati à Synodo in Italiam in auxilium Eugenii:

g Sigon. Vit. Nicol. c. 14. Zen. cap. 37.

Quod autem ait Blondus, fretum animo Urbis receptione, & Camerarij liberatione Pontificem; aliam item in spiritualibus Ecclesiæ rebus bonam spem fiduciámque concepisse; duobus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, S. Crucis uno, & S. Petri ad Vincula altero quorum hic Basileensibus consensisset, ille demandatâ (Galliarum) legatione summâ integritate functus fuisset, Florentiam redeuntibus: explicationem hæc accipiunt ex iis quæ dicuntur in Vitâ prædicti Cardinalis S. Crucis, videlicèt Nicolai [g] Albergati. Nempè Concilium Basileense destinâsse hos duos Cardinales legatos in Italiam octavo Idus Augusti præsentis anni ad componendas pro viribus nomine Concilij bellorum dissensiones, & reducendas ad obsequium Eugenij Pontificis & Ecclesiæ Romanæ provincias & civitates quæ ab eis defecerant. Quippe existimamus, certiores factos Basileenses per literas Eugenij de ipsius fugâ; ut ejus rebus & Ecclesiæ quantum possent opitularentur, hos destinâsse legatos, qui pro auctoritate quâ pollebant, ac præcipuè Nicolaus, cujus erat probitatis ingens per Italiam nominis fama, id præstare conarentur: atque eò maximè, quòd cùm Philippus Mediolanensis jactanter mentiretur favere sibi per literas Basileenses adversus Eugenium, hi contrarium verbo & opere cunctis manifestarent. Cùm sint tamen qui putent, amandâsse Synodum hoc prætextu Nicolaum; quòd eum valdè sibi in iis quæ Sedis Apostolicæ auctoritatem tangerent adversari experiretur.

VI.

Literæ Imp. Trapuzuntini ad Eugenium:

h In Append.

Scripserat etiam tam de suis ærumnis, quàm de celebratione Concilij ad unionem perficiẽdã Eugenius ad Imperatores Orientis. Rescripsit itque decimo octavo Octobris Trapezuntinus [h], qui Morame Megatonenus in inscriptione dicitur; sed, ut putamus corruptè. Quid enim sit illud Morame nescimus: nisi vel à μόρος, fatum, seu portio fatalis, unde & μόριμος: vel potiùs si ridere liceat) à μωρὸς fatuus, & μωραίνειν, fatuari. Ita enim in adinventitiis magnitudinis

titulis

titulis sibi Græci complacebant, ut non parùm in iis desiperent cum suis μέγας, & πρῶτος, plurimísque superlativis, quæ videre est apud Codinum, Curopolatam, & alios: in quibus consolationem quærere videbantur labantis Imperij. Unde & fortè *Megatonenus* hic; qui fuerit *Megas Comnenus*. Fuisse enim Imperatores Trapezuntios ex familiâ Comnenorum veterum Imperatorum Constantinopolitanorum alias vidimus. Reperimus tamen in Vitâ Scanderbegi Italicâ quemdam Albaniæ primatem *Aranith Commenum*: ut potuit etiam Morame nomen proprium esse, à quo non adeò longè abit illud Aranith, alterutro fortè corrupto. Qui autem hoc tempore Trapezi regnabat Ioannes Comnenus dicebatur, frater major Davidis sub quo Trapezus capta est à Turcis: qui sanè prædictâ ad Eugenium epistolâ magnum indicavit desiderium rei pro unione propositæ; de vexationibus interim Eugenio allatis condolens.

VII. Tractatus Græcorum cum Eugenio.

Quid autem Græcis cum Eugenio Pontifice & Synodo Basileensi fuerit, declarans breviter Patritius in Actis; ait jam Martino Pontifice agi cœptum esse de unione, ac per oratores utrimque missos ad has conventiones deventum esse, ut Imperator & Patriarcha Constantinopolitani, cum Patriarchâ Armenorum, Imperatore Trapezuntino, & aliis Prælatis, ac legatis Principum Ecclesiæ Orientalis, ad generale Concilium in Italiâ celebrandum adnavigarunt: Martino interim è vitâ subtracto, ab Eugenio ejus successore tractatum instauratum esse: Venisse igitur Romam ejus Pontificatûs initio Græcorum legatós; ac post multas disceptationes tandem conventum esse ut mitterentur à Sede Apostolicâ legati cum numero congruo Doctorum, qui Constantinopolim Orientales omnes convocarent, ibíque de unione agerent in Generali Concilio Apostolicæ Sedis nomine. Quæ cùm Orientalibus admodùm placerent, Imperatorem tamen & Patriarcham legationibus Basileensium provocatos, suos illuc oratores misisse.

VIII. Sessio XIX. Et cum Basileensibus.

Quid porrò ibi egerint, intelligitur ex Concilij *Sessione XIX.* habitâ die Martis septimo Idus Septembris. Quâ declatás Synodus, Boëmorum ad eam vocationem longè plus Ecclesiæ profuisse, quàm multos potentissimos exercitus qui eos agressi essent; inde quoque se spem cepisse ait de Græcorum unione, quam ipsa Synodus prosequi cœpisset. Græcorum quippe Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum, ut primùm per Synodi oratores requisiti fuissent, tres insignes viros quorum primus ipsum Imp. consanguinitate attinebat, ad Synodum destinâsse; qui tam ipsorum speciatim, quàm totius Ecclesiæ Orientalis ad hanc unionem desiderium exponentes, illam magnoperè urgerent. Et [i] extant quidem ipsorum Imperatoris Ioannis Palæologi & Iosephi Patriarchæ literæ ad Synodum scriptæ jam anno superiori: quibus respondentes illis quas per oratores Synodi, Antonium Episcopum Sudensem & Fr. Albertum de Crispis Theologum (provincialem Fratrum Eremitarum S. Augustini provinciæ Lombardiæ) acceperant, Concilium Oecumenicum utriusque Ecclesiæ secundùm antiquum ordinem & consuetudinem celebrari summoperè se desiderare declarârunt: mittentes ad hoc prosequendum Demetrium Palæologum protovestiarium, unà cum Isidoro Abbate monasterij S. Demetrij, & Ioanne Dysypato Imperatoris familiari. Cum quibus habitis diversis tractatibus à Præsidentibus & aliis ad hoc à Concilio delegatis, pvimò disputatum est de loco Concilij: ac petentibus Græcis pro majori ipsorum commodo celebrari Constantinopoli, Basileensibus autem Basileæ ubi jam inchoatum esset; demùm ne propter locum tantum bonum negligeretur, convenerunt celebratum iri in Occidente, ac loca nominata, Calabria, Ancona, vel alia terra maritima; Bononia, Mediolanum, vel alia civitas in Italiâ: extra Italiam verò, Buda in Hungariâ, Vienna in Austriâ, & ad ultimum Sabaudia: Ita tamen ut si persuaderi Imperatori posset, consisteretur Basileæ: alioqui tenerentur Basileenses, post unum mensem ab adventu Græcorum ad eum locum accedere quem Græci elegissent: accessurum ad illum ipsummet Imperatorem, unà cum Patriarchâ Constantinopolitano, & ceteris tribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliísque Ecclesiasticis qui commodè venire possent, & ex populis, cum plenâ potestate: Missuros Basileenses octo millia ducatorũ, pro faciendâ Constantinopoli congregatione Prælatorum Orientalium: Præstaturam Ecclesiam Occidentalem sumptus necessarios deducendo Imperatori, Patriarchis & Prælatis cum suis usque ad numerum septingentarum personarum; alendísque eisdem in Concilio, & usque ad reditũ in urbem Constantinopolim; Itémq; decem millia ducatorum, & aliquod hominum & navium præsidium ad custodiam ejusdem urbis à Turcorum invasione in absentiâ Imperatoris: Denique Imperatori & Ecclesiæ Græcorum exhibitum iri eosdem honores quos habebat ante schisma; salvis tamen privilegiis & juribus summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, atque Imperatoris Romanorum. Quæ sic inter oratores ac delegatos constituta, approbavit & confirmavit Synodus: atque ut pariter confirmarentur ab Eugenio Pontifice rogandum eum decrevit. Hactenùs ibi. Addunt verò Acta Patritiana, Eugenium rei novitate non parùm commotum; quamvis priorem sententiam de mittendis Constantinopolim legatis commodiorem utiliorémque putaret, tamen ne Basileenses perturbaret, rem confirmâsse. Estque etiam eâ de re testimonium nunciorum Synodi Constantinopolim posteà missorum, in oratione ad Imperatorem habitâ: ubi dicitur, Simonem Freiron canonicum Aurelianensem missum ad hoc fuisse à Synodo ad Pontificem, & consensum ejus ac Cardinalium qui cum ipso erant retulisse.

i Sess. 19. & in Append.

IX. Decreta Synodi de Iudæis.

Decretum autem prætereà fuit Basileæ eâdem Sessione, ut ad Iudæorum & infidelium procurandam conversionem, compellerentur omninò ad Verbi Dei prædicationem audiendam; observareturque constitutio Concilij Viennensis de docendis discendísque linguis Hebraicâ, Arabicâ, Græcâ, & Chaldæâ. Renovatáque sunt anteriora omnia decreta de vitandâ eorum cõmunicatione in fide, moribus, victu, habitatione, conversatione, ac commercio, necnon de vestitûs distinctione, quò facilè à ceteris dignosci possent. Iudæis ad fidem

conversis indultum est bona ex usuris anteà acquisita, si incertum esset quibus deberetur restitutio, sibi retinere; gravísque hortatio facta antiquis Christianis, pauperibus qui converterentur subvenire. Prohibitúmque eisdem, mortuo Iudaico more sepelire; aut alios antiquos sectæ suæ ritus quoque modo servare. Hæcque sunt quæ præsenti anno in Synodo gesta reperiuntur.

X. Hussitarum clades.

Pertinent nihilominùs ad eam & alia non pauca de variis diversarum Ecclesiarum particularibus controversiis ad Synodum relatis, quæ apud nationum scriptores reperiuntur; quibus non immoramur; ut celeriùs transeamus ad insignem victoriam de Thaboritis & Orphanis Hussitarum scelestissimis partam. Cùm scilicèt odio ipsi à cæteris habiti, primum in novâ civitate Pragensi à veteris incolis magnâ clade prostrati ipsâ die Ascensionis Domini; deinde gravissimo prælio Procopius uterque, post solutam subventione Synodi Basileensis obsidionem Pilznensem, de quâ anno superiori, cum Mainardo & Alscione, (junctis etiam armorum societate Catholicis) Dominicâ festum post Corporis Christi cruentissimo prælio confligentes, occisi sunt; deletis maximâ parte Thaboritis & Orphanis, & captivis superstitibus, quorum multa millia fuêre egregio Mainardi dolo igne combusti. Quippe qui veritus ne simul cum nocentibus innocentes, qui ex agris coacti ad pugnam venerant, interficerentur; voce præconis edici jubens, segregari à cæteris inertibus eos qui sub Procopiis militâssent, quorum ut virorum fortium operâ in aliâ difficili expeditione usurus esset, oblâto grandi stipendio; cùm illi ingenti numero horrea quædam ad danda nomina intrâssent, homines nigri ad solem & ventum indurati, aspectu tetri atque horribiles, aquilinis oculis, impexo crine, promissâ barbâ, corporibus proceris, membris hispidis, cute adeò durâ ut ferrum quasi lorica repulsura videretur: (uti eos egregiè describit Æneas [k] rem narrans) clausis horreorum ostiis, exustione pœnas demùm sumpsit contemptæ ab eis tanto tempore religionis. De quibus mox certior factus Sigismundus Imper. qui tunc Vlmæ erat, & ipse confestim literas de iis ad Synodum scripsit; & oratores suos in Boëmiam misit, qui se in Regem, uti legitimum fratris sui hæredem, admitti curarent. Quorum diligentiâ factum est, ut coacto omnium, etiámque illorum qui adhuc ex Thaboritis supererant, apud Ratisponam cum Imperatore conventu mense Augusti, eum suum Regem salutaverint. Extant enim de his tam scriptæ tunc ad Imperatorem & Synodum à diversis literæ [l], quàm narrationes prædicti Æneæ, Krantzij [m], Naucleri [n], Cochlæi [o], Dubravij [p], & aliorum, qui ferè ex Æneâ cæteris antiquiore descripserunt.

[k] Æn. Hist. Boëm. c. 51.

Sigism. suscipitur in Regem Boemiæ.

[l] In Append. Actor. Basil. [m] Krantz. 11. Vvandal. 33. [n] Nauclér. gener. 48. [o] Cochla. Hist. Huss. lib. 8. [p] Dubrav. lib. 27.

XI. Disputatur de communione sub utraque specie.

In Actis verò Navarricis describitur legatio à Concilio Basileensi ad hunc conventum Ratisponensem, rogatu Imperatoris, missa duodecim virorum, quorum præcipui fuêre Episcopi Constantiensis & Augustensis, Abbas Mombronensis, & Palomar Auditor. Narrantúrque concertationes inter ipsas & Boëmos cervicosos, qui nondum unitatem anteà cum aliis factam susceperant, coram Imperatore & seorsùm habitæ; ac potissimùm de communione sub utrâque specie, ad quam Boëmi omninò contendebant debere compelli etiam Catholicos Boëmos, ad tollendas omnes divisiones, quantumvis Catholici non eam peterent, quod tam à Legatis, quàm ab ipso quoque Imperatore fuit eis omninò negatum: sicut etiam ingressus Ecclesiæ cum Catholicis, & sepultura Ecclesiastica uni ex ipsis qui tunc mortuus est Ratisponæ. Continentúrque insuper ibidem nonnullæ querelæ Imperatoris factæ Legatis adversùs Synodum, à quâ se contemptum in pluribus querebatur; putà quòd cùm ipse in Italiâ esset, Synodus ad Ducem Mediolanensem scripsisset pro recuperatione patrimonij Ecclesiæ, & non ad ipsum Imper. cùm tamen Imperatores & non Duces Mediolan. dotâssent Ecclesiam, ac suæ restituissent libertati: quòd cùm esset ipse Basileæ, decrevisset Synodus mittere Cardinales ad Papam, & Cardinalem Cyprium in Galliam, nullâ harum rerum cum Imp. communicatâ; & quòd causas quæ non essent de foro Synodi tractare præsumeret in præjudicium Imperij: ac propterea ipsum Imp. cùm non posset talia pati, recessisse à Concilio: si verò Concilium vellet diligenter attendere reformationi, ac rebus quarum causâ congregatum erat, etiamsi ipse esset in paradiso, venturum nihilominùs libentissimo animo ad Concilium ut iis cooperaretur. Qui etiam cùm adhuc Vlmæ esset, binis die 28. Iulij scriptis ad Synodum literis [q] graviter expostulâsse reperitur, de causâ inter Duces Saxoniæ de illo Ducatu éique annexis officiis & juribus vertente, quæ ad forum Imperiale pertineret, ab altero illorum ad Synodum delatâ: contra quam, nisi eam Synodus à se penitùs abdicaret, & ad cognitionem Imp. remitteret, protestationem publicam fecit.

Sigismundi Imp. querimoniæ adversùs Synodum.

[q] Ext. in Append. edit. Bin.

XII. Revelationes S. Birgittæ confirmantur.

Scripsit item hoc eodem anno die 3. Iulij Ericus Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ ad Synodum pro defensione Regulæ Ordinis S. Salvatoris a S. Birgittâ olim instituti, & Revelationum ejus, quas nonnulli malevoli calumniantes, effecerant ut Confessoribus Ordinis dies dicta fuisset à Synodo. Quâ etiam de re, eodémque sensu scripsêre pariter Archiepiscopi & Episcopi illarum partium. Fuerèque utræque literæ anno sequenti lectæ in Congregatione Patrum die 26. Martij, insertæ Appendici Actorum Concilij. Quid verò Synodus responderit, aut circa illa decreverit, non ibi additur. Testatur autem Blosius [r], rem Synodum commisisse aliquibus pietate & doctrinâ conspicuis viris: qui Birgittæ Revelationes ab Episcopis Theologísque insignibus ipsâ adhuc vivente examinatas, rursùm diligentissimè discussas, constanter affirmaverunt processisse à Deo.

[r] Blos. Monil. Spir in f.

XIII. Turbæ Sueticæ.

Erant autem hoc tempore prædicti Erici Regis turbatissima regna, ob defectiones populorum, ac præcipuè Suecorum qui cæteris opulentiores videbantur, propter gravissimas tributorum, pensionum, & omnis generis exactionum pressuras, exortas à præfectorum crudeli avaritiâ, & à Rege vel permissas, vel etiam aliquando imperatas ad bella quæ diù in Germaniâ gessit; neglectis populi ac nobilium de illarum remissione frequentissimis precibus. Donec insurgens quidam

Engelbertus mediocri nobilitate patre libertino ortus, non dominandi amore, non lucri cupiditate, sed oppressorum commiseratione ductus, communicato cum multis consilio rem gessit adeò fortiter, si tamen vera fortitudinis virtus ei tribui possit, qui in legitimum suum Regem ac dominum, brachium suum quocumque prætextu erigit) ut nec ipse Rex aut monitionibus, aut minis, aut armis, potuerit eum à cœpto demovere; quin potentiâ, favore, & auctoritate crescens in dies, totam penè Sueciam, pulsis Danis qui rerum potiebantur, in libertatem asseruerit. Qui nihilominùs aut æmulatione aut odio cujusdam per insidias occisus est post biennium ingenti patriæ mœrore. Quæ pluribus referunt Krantzius [s], & Ioannes [t] Magnus: cætera verò Erici dicentur posteà.

[s] Krantz. 8. Dan. 18. & seqq. 5. Suec. 37.
[t] Io. Magn. lib. 22. Hist. Sueon.

XIV. AMEDEUS SABAUD. DUX FIT EREMITA.

Quo eodem anno Amedeus primus Sabaudiæ Dux, imperio ultra & citra montes Alpinos potens, affinitate magnis Christianis Regibus junctus, multis præclaris rebus gestis illustris, & plurium magnorũ Principum in rebus arduis arbiter ac consultor, ad quem quasi ad alterum Salomonem Itali Gallique recurrerent, demùm in se ipsum eandem sapientiam exercens, vanam & fluxam hujus sæculi vitam abdicare decrevit. Commissáque Statuum suorum administratione duobus quos habebat filiis Ludovico & Philippo; unà cum sex aliis proceribus grandævis cælibibúsque, senex ipse cælébsque, penulâ talari è panno rudiori cinericij coloris, pallióque humeros tegente, cingulo lato, & baculo retorto, toto denique habitu eremitico, promissáque barbâ & capillis intonsis & impexis, septimâ die Novembris in locum Ripalliæ ad ripam Lemani lacûs è regione Lausannæ, prope oppidum Tononij, nemoribus, vinetis, pratis, & aquis amœnissimum, ubi Ecclesiam ac monasterium, sibíque & sodalibus magnificas mansiones, & amplum vivarium continendis innocuis feris construxerat, secessit: id tantùm nobilitatis signum retinens, quòd tam se quàm sodales Crucem auream in pectore gestare voluit: Erecto inde novo militari Ordine *S. Mauritij* martyris Sabaudiæ patroni, (neque enim procul ab eo loco S. Mauritius cum legione Thebæâ pro CHRISTI nomine martyrium pertulit,) cujus originem qui antiquiorem referunt, errare certum est: sicuti & qui Amedeum monasticam vitam coluisse scripsêre, cùm sæcularem semper habitu eremitico retinuerit: constituto, ut diximus, Mauricianorum Equitum ordine, sub certis regulis; quas descripsit, unà cum istâ Ordinis institutione, & aliis ad eam pertinentibus auctor aliàs citatus Amedei Pacifici. Apud quem etiam defensionem reperias objectionum adversùs hanc Amedei vitæ mutationem à plurimis factarum, quòd eam amplexus fuerit, tum ut liberiùs deliciis ac voluptatibus indulgeret, exquisitam & opiparam vitam seorsùm agendo; (unde & dictum Francorum *Facere ripaliam*, hoc est indulgere ventri & lautitiæ, ortum volunt:) tum spe Summi Pontificatûs, quem ei obventurum fatidici prædixerant. Qui verò rei gestæ historiam elegantiùs descripserit, neminem antiquorum, ut puto, reperies Æneâ Silvio posteà Pio Secundo in rerum suarum Commentariis [u], quos sub nomine Ioannis Gobelini amanuensis sui vulgari voluit.

ORDINEM S. MAURITII INSTITUIT.

[u] Comment lib. 7.

XV. IAGELLONIS REGIS POLONIÆ OBITUS.

Hoc eodem anno, absolutiore mundi hujus desertione, in vivis esse desiit *Vuladislaus Iagello* Poloniæ Rex pridie Calendas Iunias, jam octogenarius, regni anno 49. ritè curatus sacramentis Ecclesiæ. De illo actum sæpè superiùs. Fuítque magnis virtutibus præditus; & totâ vitâ abstemius, ut nonnisi purâ aquâ uteretur: clementiâ & lenitate insignis: in peregrinos hospitalis & munificus: in cæteros quoque tantâ liberalitate, ut ad prodigalitatem transiret, adeò ut eam aliquando Martinus Papa V. cohibere habuerit. Cultui divino apprimè deditus, ut & jejuniorum dies pane ferè & aquâ agere solitus esset, atque in orationibus assiduus; superstitiones tamen aliquas pristinæ Gentilitiæ vitæ servavit usque ad finem, sed pietatis specie contegens: veluti cùm sub elevatione divinissimi Sacramenti, quidquid juxta se inveniebat, pulverem, stramen, aut festucas, digitis comminuebat, & projiciendo expuebat: de quo cùm à Præsulibus redargueretur, id se agere respondit ad significandum se coram Deo pulverem & nihili esse. Multas Ecclesias ac monasteria construxit aut restauravit, ornavítque ac dotavit. Idémque ob gentes Lituanam & Samagitiam ad fidem, ut vidimus, conversas, meritò earum dici potuit Apostolus. Nec tamen caruit suis nævis, vel potiùs grandibus vitiis: quæ minimè tacent inter tot præclara, ejus gentis [x] historici; & paulò antè ad correctionem in os exprobravit in publico conventu Sbigneus Episcopus Cracoviensis, egregius magni Stanislai Martyris successor & imitator. Præcessisse autem Regis obitum cometem lucidum à vespera ad auroram totis tribus mensibus, iidem tradunt. Cæterùm successor ei datus filius natu major æquè *Vuladislaus* dictus: haud tamen absque tumultu quorumdam seditiosorum regnum ambientium specie ejus minoris ætatis, qui adhuc impubes erat. Vicit tamen major pars, constantiâ præcipuè Sbignei, qui cæterorum molitiones disjecit: coronatúsque est Wladislaus ab Archiepiscopo Gnesnensi Cracoviæ die festo S. Iacobi octavo Calendas Augusti; & Status regni à primoribus rectè compositus.

EJUS VIRTUTES ET VITIA.

[x] Michov. lib. 4. c. 48. Crom. lib. 20.

WLADISLAUS FILIUS SUCCEDIT IN REGNO.

XVI. LUDOVICI ANDEGAVENSIS OBITUS.

Obiit item hoc anno decimo-quinto Novembris in Calabriâ apud Cosentiam *Ludovicus* Andegavensis filius adoptivus Ioannæ Reginæ Siciliæ, ex labore militari, & æstu insolito: ingenti totius regni dolore, quod magnam de ejus prudentiâ, fortitudine, & benignitate spem conceperat: Ipsiúsque specialim Reginæ; quæ serò nimis exiguæ tam patientis & obsequentis filij habitæ curæ, mortísque ei summâ ingratitudine conciliatæ ingentibus gemitibus sese incusavit. Cujus & propterea corpus noluit permittere deferri extra regnum: vixque cor nobilibus Andegavensibus concessit ad majorum sepulchra Andegavim portari. Ex ejus verò obitu in novam spem potiundi regni erectus Alfonsus Aragonius, nihil prætermisit quo posset ardentissimum suum desiderium explere: de quo dicetur anno sequenti.

XVII.

Quo eodem anno (ut ponit Trithemius [y]) apparuerunt in cœlo septem circuli in modum Iridis, arcus contra arcum mirabili ordine dispositi. Fuítque hiems satis dura &

[y] Trith. in Chron. Sponheim.

PORTENTA QUÆDAM.

longa. Septimo autem die Octobris, nocte ventus horrendus & validissimus ab Aquilone veniens, à mari Anglico per ascensum Rheni & omnes adjacentes religiones usque ad Italiam tam aquis quàm terrâ desæviens infinita damna intulit, multis hominum millibus oppressis; turribus, domibus, & Ecclesiis innumeris subversis. Quo tempore & Krantzius [z] narrat cecidisse lapidem in Ecclesiâ Coloniensi insignis magnitudinis, vento dejectum, per duplicem actum testudinem, locoque sanctarum ex tribus Magis reliquiarum incubuisse; sed divino miraculo cessisse thecam ad parietem, dedisséque cadenti saxo locum: servatúmque saxum monstrari posteà solitum. In Chronico verò Auctoris Burdegalensis reperimus, hoc anno in confinibus Sabaudiæ maximâ factâ corvorum congregatione in quâdam areâ, certamen terrestre acerrimum inter se egisse, quo magna eorum multitudo periit: Putâsse nonnullos, præsagium hoc fuisse prælij inter Hussitas gesti, de quo supra. Sed ut quid tam longè à Boëmiâ hoc debuit præsagiri? An non magis hæc fuerint prænuncia digladiationum Concilij Basileensis & Eugenij Pontificis occasione Amedei Sabaudiæ Ducis, qui ex hujus anni eremitâ factus est postea in schismate suæ partis Pontifex? At hæc conjecturæ divinationum sunt, non exploratarum rerum veritates.

[z] Krantz. 11. Sax. 25.

IESU CHRISTI Annus 1435.
EUGEEN. IV. An 5.
SIGISMUNDI Ann. 26.
IOANNIS VII. Ann. 17.

I. SESSIO XX. DECRETA CONTRA CÓCUBINARIOS.

ANNO Christi 1435. Indictione decima tertiâ, die Sabbati undecimo Calendas Februarij *Vigesimâ* celebratâ Basileæ Concilij *Sessione*, clerici publici concubinarij à perceptione fructuum tribus mensibus, & si concubinam statuto tempore non dimitterent, omnibus beneficiis privati ipso facto, & ad alia inhabiles declarati sunt. Illi autem publici concubinarij definiti, non solùm qui per sententiam aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam notorij essent, verùm etiam qui mulieres de incontinentiâ suspectas & infamatas moniti non dimitterent. Súbque maledictione æternâ prohibitum est, ne tales, sicut nonnullis locis fieri consueverat, pecuniariâ multâ in suis turpitudinibus sordescere permitterentur. Vetitique insuper eorum filij apud patres habitare. Ac pariter laïci à concubinatu abstinere, seriò moniti.

QUI EXCOMMUNICATI VITANDI.

Deinde vitandos eos tantùm excommunicatos decretum, qui vel nominatim denunciati essent, vel adeò manifestè in aliquam excommunicationem incidissent, ut nullâ posset tergiversatione celari, aut excusari. Itémque interdicta non leviter esse imponenda: nec super eodem gravamine secundò appellandum. Hæc eâ Sessione. Antequàm verò ad sequentes progrediamur, sunt alia quæ interim acciderunt commemoranda.

II.

Atque imprimis legatio ab eâdem Synodo die sequenti, nempe 23. Ianuarij, Basileâ egressa, hortatu Imperatoris, ad novum congressum cum Boëmis habendum pro integra eorum reductione; credita de more Philiberto Episcopo Constantiensi, Ioanni Palomar, Ægidio Carlerio, tribúsque aliis jam in his versari solitis: cujus extant prolixissima Acta in Codice Navarrico Legationum ad Boëmos à Concilio missarum, collecta ab eodem Carlerio Decano Cameracensi, qui omnibus interfuit, & pars earum non ultima extitit. Hujus autem summa fuit, quòd convenientes Legati unâ cum delegatis Boëmorum in urbe Brunâ Boëmiæ coram Sigismundo Imp. post multas plurimorum dierum contestationes mensibus Iunij & Iulij; (non enim priùs conventus fieri potuit ob Boëmorum tergiversationes) cùm demùm annuissent Boëmi (quorum Rockysana coryphæus erat) stare Compactatis, & de aliis quæ ultra Compactata petebant mittere ad Synodum; rursùm unius clausulæ, concordiæ libello inserendæ occasione, quâ circa bona Ecclesiastica legati dicebant, ea non posse ab aliis usurpari absque sacrilegij reatu, quemadmodùm jam olim fuerat ea clausula concepta; Boëmi verò simpliciter dici volebant, ea ab aliis injustè detineri non posse, eò quòd per clausulam legatorum se sacrilegos confiteri viderentur: utriusque in suâ sententiâ persistentibus, ob levissimam hanc difficultatem dilatum est concordiæ negotium: novísque subinde emergentibus suspicionibus, visum est Imperatori, ut quidam ex legatis Basileam redirent ad sciscitandam super iis Concilij determinationem; reliqui verò Viennæ Austriæ interim expectarent, ne Boëmorum reductionis negotium omninò derelictum videretur: Missus autem Palomar, cùm mitigationem dictæ clausulæ retulisset, rebus apud Albam regalem Hungariæ, ubi tunc Imperator erat, denuò acerrimè disputatis mense Decembri præsentis animi; demùm ad principium Ianuarij sequentis omnibus ad concordiam propemodùm deductis, decretus est novus conventus Iglaviæ in quo cuncta pleniori formâ terminarentur. De quo dicetur anno sequenti.

NOVI TRACTATUS CUM BOEMIS HUSSITIS.

III. IOANNÆ REGINÆ SICILIÆ OBITUS.

Quod cæteras res præsentis tangit, imprimis sese offert mors *Ioannæ* Reginæ Siciliæ: quæ annis (agebat enim sexagesimum quintum) & ærumnis oppressa, diem obiit secundo Februarij in ipsâ Beatiss. Virginis Purificatione, cujus se filiam spiritualem indigitabat; ut ejus inscriptione epitaphij [a] apparet. Regnavit annos viginti cum dimidio: & sepulta est in Ecclesiâ Virginis Annunciatæ ignobili sepulturâ, ut ipsa jusserat, in pœnitentiâ luxuriosæ vitæ quâ vehementer infamatâ est. Nullis relictis liberis, *Renatum* Ducem Andegavensem, Ludovici, quem priùs adoptaverat, fratrem hæredem testamento reliquit, constitutis interim sexdecim proceribus, qui usque ad ejus adventum regnum administrarent. Inter vitia quibus fœdata est, egit & multa pia opera, tam in Ecclesiarum, quàm in status regni utilitatem, quæ Summontius Neapolitanus enumerat. Inter quæ fuit, quòd potestatem fecit Fr. Ioanni Capistrano insigni Ordinis S. Francisci professori, (de quo pluribus agendum inferiùs) interdicendi Iudæis usuras & alia ab Ecclesiâ prohibita;

[a] Ap. Summont. lib. 4. ad fi.

RENAT. ANDEGAVENSEM HÆREDEM NUNCUPAVIT.

SIGNUM THAU A' IUDÆIS DEFERRI IUSSIT.

& cogendi ferre signum Thau, ut dignoscerentur à Christianis. Fuit autem ultima è priori stirpe Andegavensium; quæ à coronatione Caroli I. usque ad ejus obitum centum septuaginta annis propagata est; & ad multa alia regna ramos suæ inclytæ progeniei extendit. Secunda autem cœpit in Ludovico Primo, avo prædictorum Ludovici & Renati; de quo, itémque de Secundo horum patre dictum est suis locis: ostensúmque fuisse & illam auctoritate Concilij generalis Constantiensis, & Martini Pontificis acceptam, & in jure regni stabilitam.

IV.

Obitu Ioannæ ab Eugenio Papâ intellecto, misit confestim Neapolim, qui proceres populúmque monerent ab aliquo recipiendo Rege abstinere, quàm cui ipse ut feudi dominus concessisset: missurum autem se interim brevì Ioannem Vitellescum Episcopum Recanetensem, quem Patriarcham Alexandrinum creaverat, virum rei militaris peritissimum. Sed paucis hæc approbantibus, responsum est à Neapolitanis, nolle se alium Regem quàm Renatum. Ad quem missi aliquot proceres qui eum accerserent, invento illo in Ducis Burgundiæ potestate; (cùm in bello quod pro Ducatu Lotharingiæ post mortem Caroli soceri sui cum Antonio Comite Vallemontensi fratre ejusdem Caroli gesserat captus, ac Burgundo Antonij armorum socio traditus fuisset. Et fuerat quidem hoc tempore ad expediendum pro redemdemptione aurum, domum à Burgundo dimissus oblatâ jurejurando fidei: sed eâ salvâ, quæ illi antiquior regno extitit, bellum Neapolitanum capescere, nisi eo persoluto non poterat.) Isabellam ejus uxorem magni animi raræque prudentiæ feminam, cui Sigismundus Imp. in Concilio Basileensi Ducatum Lotharingiæ adjudicaverat, Neapolim cum duobus ejus filiis parvulis Ludovico & Ioanne deduxerunt ad decimum-quintum Calendas Novembris; ubi summo honore uti Regina recepta est. Cùm interim qui Alfonso Aragoniæ, Regi favebant evocantes eum è Siciliæ insulâ, ubi agebat in omnem occasionem intentus regni occupandi, Capuam interceptam in manus ejus tradiderunt. Qui aggressus etiam obsidione Caietam, à venientibus in subsidium Caietanorum Genuensibus, tam proprio in Aragonenses Catalanósque odio, & suorum qui in urbe illâ erant cum multis pretiosis mercimoniis intuitu; quàm Philippi Mediolanensis cui tunc adhuc obediebant, Aragonij æquè hostis, & Renati partibus tunc addicti, mandato; grandi pugnato ad Pontiam insulam die quinto Augusti decem horarum spatio navali certamine, idem Alfonsus Rex, unà cum Ioanne Rege Navarræ ipsius fratre, & Henrico eorumdem germano Magistro Ordinis S. Iacobi, (quarto fratre Petro Infante ex gentis more dicto fugâ lapso; omnes enim simul aderant, quòd & hi amoti Castellâ fuissent) ac proceribus quamplurimis tam Hispanis quàm Italis, à multò minori hostium & navium numero, atque à duce nullo quidem natalium splendore conspicuo, Blasio Assereto uno ex publicis scribis sed qui & famosos piratas, & ferocissimos Reges sub jugum ducere scientissimus esset; captus est, & ad Philippum Ducem Mediolanum delatus. Eâque in re haud consideratione indignum, duos Principes qui regnum Siculum affectabant, fuisse eodem tempore captivos hostium. At verò Alfonsus plus gratiæ apud suum invenit, quippe non ut captivus, sed tantùm non ut victor & triumphans exceptus atque habitus, paulò pòst unà cum fratribus, aliisque omnibus, etiam cum muneribus amplissimis libertati redditus est: inito contra Francos in occupationem regni Siciliæ fœdere. Adeò ut benè faventibus superis, captivitas Regis gradus factus sit ei ad regnum Siciliæ faciliùs occupandum. E contra verò Philippus, quem omnes putabant tantæ victoriæ commodo, universam Italiam invasurum, qui jam antè finitimis formidolosus etiam à longinquis timebatur; præmium munificentiæ suæ, ac mobilitatis animi, tulit amissionem Genuæ. Quippe cùm & Genuenses, quibus & gloria victoriæ, & remuneratio tanti officij præstiti debebatur, vellent econtra etiam huic novæ & hostili Aragonicæ ac Catalanicæ expeditioni opitulari: illi injuriæ impatientiâ, Philippi jugum excusserunt, & occiso gubernatore sese in libertatem asseruerunt: præcipuo auctore Francisco Spinolâ, generis ac rerum gestarum præstantiâ, defensâque nuper contra Regem Caietâ gloriosus. Alfonsus autem, interceptâ interim per fratrem ejus Petrum Caietâ, eò se proripiens pòst principium anni proximi, aliquot menses ibi duxit. De cujus felicibus progressibus & successibus, dicetur suis locis. Hæc autem quæ breviter retulimus, prolixè narrantur à Blondo[b], Sabellico, Corio, Collenutio, Summontio, Marianâ, Suritâ, Nebiensi, Foliettâ, Facio, Fazello, & aliis: errantibus tamen nonnullis adulationis vitio, dum Ioannæ Reginæ testamentum, quo regnum Renato legavit, commentitium esse comminiscuntur; quod plures & indubiæ notæ auctores planè sincerum ac legitimum agnovêre.

RENATUS CAPTIVUS BURGUNDI.

ISABELLA EJUS CONJUX NEAPOLIM PETIT.

ALFOSUS REX ARAGON. CAPITUR A' GENUENSIBUS.

DIMITTITUR A' DUCE MEDIOL.

GENUENSES IUGUM EXCUTIUNT DUCIS MEDIOL.

[b] Blond. 3. dec. 6. & 7. Sabel. 10. En. 3. Cor. par. 5. Collen. lib. 6. Sum. lib. 4. cap. 4. Mar. lib. 21. cap. 9. & 10. Sur. lib. 14. c. 23. & seqq. Neb. lib. 5. Fol. lib. 10. Fac. lib. 4. Faz. 2. dec. 9. cap. 9.

V.

EUGENII PERICULUM AB INSIDIIS DUCIS MEDIOL.

Intereà casus accidit memorandus Florentiæ: ut cùm ibi esset Eugenius Pontifex, Bartholomæus Episcopus Novariensis, apud eum existens Ducis Mediolanensis orator, cum Nicolao Piccinino copiarum Ducis imperatore tractaverit de capiendo proditoriè Pontifice, cum extra Florentiam per æstatem ad loca amœniora recreationis causâ procederet. Quâ re detectâ, ne plecteretur vicerunt Cardinalium preces, præsertim S. Crucis: quo suasore Episcopus convocatis quotquot tunc habebat curia Prælatis Principúmque oratoribus, ad Pontificis præsentiam publico in loco perductus, & Pontificis pedes prostratus, voce vultúque reatum fatentibus, facinus omni studio conficere contendisse confessus est. Cui Pontifex vitam, quâ indignus esset, se in gratiam Cardinalis S. Crucis, cui nihil denegare posset, condonare ait, quem posterâ die Cardinalis iter in Galliam ad pacem Regum arripiens, secum ad Ducem Mediolanensem duxit. Rem autem narrat Blondus[c]: pergens agere de prosecutione belli inter Eugenium Pontificem, Venetos & Florentinos, quibus militabat Franciscus Sfortia; & Ducem Mediolanensem rem per Piccininum præcipuè agentem: donec operâ Nicolai Marchionis Estensis Ferrariæ dominantis, pax conclusa est ad principium Augusti, antequàm

[c] Blond. 3. dec. 6.

Dux certior factus esset victoriæ de Aragoniis adeptæ, quam si rescisset, vix ad pacem animum inclinâsset. Meminit eorundem Antoninus [d]: agens insuper de restitutione disciplinæ in nonnullis monasteriis virorum feminarúmque.

[d] Ant. tit. 22.c.10. §. 5.

VI. De rebus Gallicis.

Ex Italiâ in Galliam remigrantes, non jam ampliùs horrenda bella, sed pacem acceptabilem enarrabimus. Cùm enim satias cladium & miseriarum omnes cepisset, & odia cruore civium exsatiata essent; intercedentibus privatis collocutionibus componendæ pacis, ac præcipuè inter Regem Carolum Francorum & Philippum Burgundiæ Ducem, qui alienato jam animo erat ab Anglis: facto primùm apud Nivernates his de rebus colloquio; placuit ut aliud plenius fieret Calendis Iuliis Atrebati. Testantur hæc enim præter alios auctores, iidē Rex & Dux literis [e] ad Synodum Basileensem scriptis ad finem mensis Martij: quibus rogabant mitti à Synodo aliquos Cardinales & Prelatos, quorum operâ res faciliùs confici posset. Ac speciatim Rex petiit à Concilio Cardinales de Cypro & S.Petri ad Vincula; ab Eugenio verò Pontifice, S.Crucis & Arelatensem. Fuit autem hic conventus Atrebatensis, túncque longóque pòst tempore totâ Galliâ celeberrimus. Cui interfuerunt pro Summo Pontifice Nicolaus Albergatus Cardinalis S.Crucis, qui jam aliàs eâ in re totis viribus laboraverat; pro Concilio Hugo Cardinalis Cyprius, multis stipati Episcopis, & Thelogis: pro Carolo Rege Dux Borbonij, Comes Richemundi Connestabilis, Comes Vindocinensis, & Archiepiscopus Remensis Cancellarius regni, aliíque plures tam Ecclesiastici quàm sæculares proceres: pro Henrico Rege Angliæ Cardinalis Wicestrensis sive Wintoniensis, Archiepiscopus Eboracensis, ac nonnulli Comites: Dux ipse Burgundiæ, sub cujus dominio urbs erat, unà cum Duce Gueldriæ pluribúsque Comitibus, & Cameracensi, Atrebatensi, ac Leodiensi Episcopis: necnon Legati Sigismundi Imperatoris, Regúmque Cypri, Lusitaniæ, Siciliæ, Hispaniæ, Navarræ, Poloniæ, Daniæ, Ducum Britanniæ & Mediolani, ac terrarum Philippi Burgundi, necnon Vniversitatis Parisiensis, aliarúmque plurium, atque urbium præcipuarum: uti Monstreletus [f] & Meyerus enumerant, qui cæteris diligentiùs rem descripsêre. Sed quod ad res ibi gestas, quarum plerique & nonnihil diversè meminêre; nulla habemus scripta, quæ relationi Legatorum Synodi anteferamus, sive etiam æquiparemus; descriptæ in ejus Appendice, unà cum ipsis articulis Tractatûs inter Regem & Ducem conventis.

[e] Ext. in Append. Conc. Basil.

Celebris cōventus Atrebatensis pro pace inter Reges Gal. et Angl. ac Ducem Burgūd.

[f] Monstrel. lib.2. Meyer. lib.26.

VII. Quomodò res in eo tractatæ fuerint.

Cùm igitur rediisset Cardinalis Cyprius unà cum aliis Legatis Synodi Basileam, factâ generali Congregatione ad eos audiendos die Sabbati decimo-quinto Novembris; unus eorum Hugo Archidiaconus Metensis, relatis oblationibus hinc inde ex parte Regum factis, ait ultimas, & in quibus ipsi immutabiliter perstiterunt, fuisse pro parte Christianissimi Regis, ut Anglus sibi haberet omne dominium quod tenebat in Ducatu Aquitaniæ, & totum Ducatum Normanniæ, certis modo & formâ contentis in quodam scripto à Legatis Regis tradito. Pro parte verò Angli, ut Francus retineret id totum quod possidebat in regno: ita tamen ut terræ ac civitates unius obedientiæ inclusæ in alterâ, commutarentur invicem ad tollendas confusiones. Legatos Concilij hortatos esse Anglos, ut oblationes Regis Caroli, quas valdè æquas judicabant, acciperent: sed iis abjectis illos abiisse ad sua. Ducem autem Burgundiæ rogatum ab iisdem Legatis, acquievisse concordiæ cum Rege Christianissimo componendæ; postquàm per eosdem Legatos solutus fuisset ab omni obligatione juramentorum ac conventionum ab eo cum Anglis anteà factarum, quibus hujusmodi pax impediretur. Ita ibi: ex quibus licet intelligere quid alij Principum Legati in his egerint: ac potissimùm nomine Pontificis, Cardinalis S.Crucis, cujus præcipuæ fuêre in his omnibus partes, cujúsque egregia navata opera describitur in ejus Vitâ à Sigonio; celebratúrque ab omnibus scriptoribus qui de his agunt; ac præcipuè ab Æneâ [g], seu Gobellinum dixeris in Commentariis Pij II. Vbi etiam traditur, quasdam simultates inter illos duos Cardinales intercessisse de suarum legationum auctoritate ac prærogativâ; sed in omnibus prævaluisse Cardinalem S.Crucis, ac Ducem à jurejurando quod Anglico præstiterat auctoritate primæ Sedis absolvisse; satius esse arbitratum, ex duobus regnis alterum salvare, Francis inter se pacatis, quàm perseverantibus odiis utrumque perdere. In ejusdem autem Vitâ referuntur eadem illa quæ in prædictâ relatione Basileensi, de oblatis utrimque à Regibus conditionibus. Ampliúsque additur de petitionibus Burgundi; quamquam essent illæ graves admodùm, tamen acceptas fuisse ab oratoribus Regis. Agnoscunt idipsum Franci scriptores. Sed nihil nimium tunc visum est præ cupiditate distrahendi Burgundum ab Anglis: haud ignaro Rege, hoc fœdere Galliæ opes, quæ nimiùm accisæ erant, brevì restitutum iri; uti & factum videbimus.

[g] Æm. comment. lib.6.

VIII. Conditiones pacis inter Regem et Ducem.

Sunt autem conditiones pacis Latinè insertæ Appendici Actorum Synodi Basileensis; Gallicè, uti conscriptæ fuêre, Historiis Olivarij [h] Marchani, & Monstreleti [i]. Sed quæ de suo addit Monstreletus, ac Meyerus amplificat, & siqui alij meminerunt, de prostratis regiis Legatis ad pedes Burgundi, cædem patris deprecantibus, nugæ sunt. Non enim umquam Rex necem illam suâ voluntate suóve scitu factam esse concessit. Neque de eâ re ullum verbum Olivarius scriptor sincerissimus, qui domesticus fuit Ducis. Nec denique id habent Acta: sed tantùm dicturum Regem per suos, mortem patris Burgundi fuisse iniquam, & malitiosè factam per illos qui eam perpetrârunt, & semper sibi displicuisse; ac si scivisset dictum casum; ei tunc obviaturum fuisse; nunc verò auctores ejus persecuturum. Reliquæ autem præcipuæ conditiones fuêre; ut Memoriæ cæsi Ducis in loco occisionis Crux, in loco sepulturæ Sacellum erigeretur, monasteriúmque Carthusianorum; & sacra celebrarentur: rerum tunc perditarum damna resarcirentur: urbes Matisconensis, Altissiodorensis, Barensis, cum omnibus earum juribus & appendicibus, perpetuo jure Duci cederent; alia oppida ad fluvium Somonam pignoris loco,

[h] Olivar. lib.1. cap.3.
[i] Monstrel. lib.2. ann. 1435. Meyer. lib.16.

dum quadringenta aureorum millia solverentur. Addita multa de nonnullis juribus tam Ducis quàm suorum: & ut Dux totâ vitâ liber esset ab omni homagio Regi faciendo, sed hæredes ejus in verba Regis jurarent: Si occasione hujus tractatûs Angli Ducem impeterent, Rex teneretur ei succurrere; Renunciarétque omnibus fœderibus cum Ducis inimicis factis; neque cum Anglis Duce excluso pacem ullam faceret. Fuêre autem hæc jurata die vigesimo-primo Septembris in manibus Cardinalium Sanctæ Crucis & Cyprij Legatorum Pontificis & Synodi. Pactúmque insuper eodem conventu matrimonium inter Carolum Philippi filium & Catharinam Regis filiam, cum dote centum viginti millium aureorum.

IX. ANGLI IRASCUNTUR DUCI OB PRÆDICTAM PACEM.

Promulgata ubique pax gaudium attulit inæstimabile universis Francis, indignationem Anglis: qui missos à Philippo legatos, quibus rem nunciabat & ad pacem hortabatur, nihil rescribere dignati, probris [k] tantùm & contumeliis oneratos remiserunt: perjurum & fidifragum criminantes quòd fœdera secum inita violaret, quibus inter alia continebatur ne alter sine altero pateretur Regi conciliari, denique ejus subditos mercaturæ causâ aut aliis occasionibus in Angliâ existentes, totâ insulâ expulerunt, nonnullósque interfecerunt. Sed ut diximus, legati Pontificis & Synodi declarârant Philippum ad ulteriora non teneri. Quid enim si Rex Angliæ pertinax esset, nunquamne perinde futuram pacem? Maximo verò rei Anglicæ detrimento, mortuus est sub idem tempus Dux Bethfordius Regis patruus, & Franciæ Vicarius. Mortua item eodem tempore ultimâ die Septembris Lutetiæ *Isabella* Caroli Sexti uxor, fortunis tenuis & pauper: quæ sub Anglorum principatu privatæ fœminæ vitam agens, nullâ re magis mœsta extitit, quàm quòd Carolum Regem incesto concubitu suscepisse ab Anglis diffamabatur. Cadaver quatuor tantùm comitibus naviculâ advectum apud S. Dionysium sine ullâ pompâ sepultum est. Sicque pœnas luere visa est postpositi Anglis filij: quod aliàs superbissimæ feminæ & omni naturali affectu exutæ exprobravimus. Sunt tamen qui [l] scripserint, eam nimio gaudio ex audito fœdere inter Regem & Burgundum correptam expirâsse.

[k] Polyd. lib. 23. Monstr. & Meyer. ibid.

[l] Hist. Abbat. S. Dionys.

X. SIGISM. IMPER. CONVENTŨ AGIT PRO IMPERII REFORMATIONE.

Antequàm verò à Principibus abeamus, lubet referre ex Krantzio [m] quæ Sigismundus Imp. pro reformatione Imperij conatus est operari. Ait igitur, eum indixisse Francofordiæ conventum Principum in diem S. Nicolai sextum Decembris ad reformandum statum Imperij in capite & membris; ut eo in suum ordinem redacto, cogitarent omnes quomodò Ecclesiæ quoque tum vacillantis gradum solidarent: Iussisse primùm de Imperiali fastigio attendere, ut à capite ederetur ratio quid ad Imperatorem pertineret, quæ vigilantia, quæ instantia, quæ singulorum in suis juribus defensio: tum vicissim quid à suis deberetur Imperatori, quæ obsequia, quæ obedientia, quæ subjectio: tum de Imperij juribus, ut ea aliquando recuperarentur: déque Imperij nervis, & vectigalibus. Sed hæc omnia (inquit Krantzius) admonere potuit; cæterùm quibus cogeret renitentes, illi tenebant quibus hæc imperabat. Quippe (ut sæpè conqueritur, & nos aliàs vidimus) patrimonium Imperij maximè Carolus IV. Sigismundi pater distraxerat, distributum inter Electores ut in Wenceslaum natu majorem, pecudem illam, propudiúmque Imperij, post se regnum transferrent: & ne donata retraherentur, jurejurando in electione Reges adstringebantur. Addit autem, inventos esse eo conventu articulos sexdecim, qui magnâ indigerent reparatione, nî vellent Imperium penitùs collabi. Sed quoniam neque Principes Electores, neque alij proceres regni satis cumulatè aderant, Imperatorem jussisse rem omnem in disquisitionem secum quemque ponere, & in proximam S. Gregorij duodecimam Martij diem in eundem redire locum. Sic enim inter Germanos agi, ut cœtus semper ex cœtu oriatur, quasi fœtus ex matre. Ita Krantzius. Hujusmodi tamen conventum potiùs Ratisbonæ factum esse, significare videtur Dubravius [n]: nisi utrobique diversis temporibus eadem tractata fuisse dixerimus.

[m] Krantz. 11. Saxon. 25. & 11. Vvandal. 35.

[n] Dubrav. lib. 27. ad fi.

XI. PRÆLIŨ DE LITUANIA LUCTUOSUM LIVONIENSIBUS.

Hoc eodem anno contendentes de Ducatu Lituaniæ duo patrueles Suitrigello & Sigismundus, hic Vitoudi Ducis, ille Iagellonis Regis frater; cùm magnas utrimque vires suppetiásque collegissent, (agentibus præcipuè pro Sigismundo Polonis, in quorum fide erat? pro Suitrigellone Cruciferis Livoniensibus, cum quibus fœdus icerat:) cruentissimo prælio in Lituaniâ autumno dimicârunt: quo victus Suitrigello vix cum paucis Russis elapsus est. E cujus partibus cecidit Magister Livoniensium cum universis Fratribus, & omni suorum numero; ac Georgius Rex Novogardiæ cum Russis: de parte Sigismundi Dux Masoviæ cum Prussis. Ferúntque, peracto prælio viginti millia equorum ad arma aptorum in manus venisse victoris. Supremus Magister Fratrum in Prussiâ, ubi lugubrem nuncium de interitu Livoniensium & Fratrum accepit; nequid ea provincia acciperet detrimenti, creatum ex Fratribus à se Magistrum, cum ducentis Fratribus in Livoniam misit. Sed qui superfuêre ex Livioniâ Fratres, non passi suo jure fraudari, Marescallum terræ Magistrum elegerunt, eúmque multis precibus & muneribus à supremo Magistro confirmatum acceperunt. Rem pluribus narrat Krantzius [o]: meminítque Cromerus [p]. Addit ille [q] de incursione Turcorum in Hungariam, repressâ ab Alberto Austriæ Duce auspiciis soceri sui Sigismundi Imp. absentis: ita tamen ut cùm post acrem pugnam, numero & viribus Christiani inferiores, dejectis magnâ suorum cæde signis militaribus, ad fugam spectarent; vir unus ex peditibus prælium restituerit: qui procerus corpore, & animi pariter viribus invictus, securimita distrinxit in obvios Turcos, ut dejiceret sine numero plures, viámque fecit sequentibus se Hungaris, ut signa jam conculcata denuò recepta surrigerent, & victoriam extorquerent de manibus hostium, cæsis octodecim eorum millibus: Re ad Sigismundum perlatâ, evocatum hominem, per quem ea salus cælitùs facta fuerat, militem auratum fecisse; datis prædiis & possessionibus quibus dignitatem tueretur.

[o] Krantz. 11. Vvand. 35.

[p] Crom. lib. 21.

[q] Krantz. cap. 36.

TURCI VINCUNTUR AB HUNGARIS.

XII.

Sed jam satis foris expatiati, ut ad Conci-

MANDATUR CARDINALI ARELAT. PERQUIRERE SCRIPTA DE CONCEPTIONE B. VIRG.

lium Basileam redeamus; in Actis Navarricis extat mandatum Concilij, decimo Calendas Iunij præsentis anni datum Ludovico Cardinali Arelatensi, qui aderat: quo post narratas disputationes, quæ factæ fuissent apud delegatos Concilij pro rebus fidei tractandis, de Conceptione Beatissimæ Virginis utrùm ejus anima in instanti suæ infusionis in corpore, præservata fuerit à peccato originali, an non: injunxit ut diligenter procuraret, per omnes Bibliothecas ac singula archiva Vniversitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Regúmque ac Principum, perquiri quoscumque libros, scripta, acta, deliberationes, decisiones, conclusiones publicas vel privatas quaslibet in generalibus studiis & alibi de hâc materiâ factas, aut quæ ad eam quomodolibet spectarent; eásque extrahi, & ad Synodum deferri, ut iis adjuta posset illa quæstionem hanc decidere & definire. Id verò Ludovicum Cardinalem diligenter præstitisse, intelligitur ex declaratione factâ post quadriennium in Sessione XXXVII. ubi de illâ dicetur.

XIII. SESSIO XXI. PROHIBETUR OMNIS SOLUTIO IN BENEFICIIS ET ORDINIBUS.

Sessione autem Synodi *XXI.* habitâ die Iovis nonâ Iunij statutum est, ne tam in Curiâ Romanâ quàm alibi, pro, seu in confirmatione electionum, admissionum, &c. provisione, collatione, institutione, investiturâ, &c. de quibuscumque Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, beneficiis, officiísque Ecclesiasticis; necnon ordinibus sacris, & benedictione, ac pallio, imposterùm aliquid antè vel pòst exigeretur ratione literarum, sigilli, annatarum, servitiorum, primorum fructuum, &c. prætextu cujusvis consuetudinis, privilegij, aut statuti, &c. solvendo solùm scriptoribus, abbreviatoribus, & registratoribus literarum pro labore competenti salario: Qui contrà faceret, pœnam simoniæ incurreret: & si Romanus Pontifex, qui præ cæteris universalium Conciliorum exequi & custodire canones teneretur, adversùs hanc sanctionem aliquid committeret, deferretur Concilio; cæteri pro modo culpæ per suos superiores punirentur. Insuper decretum est, triennalem beneficij possessorem non esse ampliùs turbandum; excepto hostilitatis casu, vel alio legitimo impedimento partis adversæ. Additum de modestiâ & gravitate in celebrando & recitando officio divino, tam in Missâ quàm Horis Canonicis; déque vestitu decenti, modo, & tempore, ac pœnis absentium, discurrentium, negligentium: & ne actus capitulares citra necessitatem tempore Missæ majoris celebrentur. Ac denique quod in quibusdam Ecclesiis frequentabatur, ut certis anni celebritatibus nonnulli in habitu Pontificali more Episcoporum benedicerent; alij ut Reges ac Duces induerentur, quod festum fatuorum vel innocentum seu puerorum nuncupabatur; hæc unà cum aliis quibuscumque larvalibus ac theatralibus, jocis, choreis, comessationibus, negotiationibus, in Ecclesiis aut cœmeteriis; sub pœnis censurarum, & aliis juris remediis, omninò prohibita sunt.

DECRETUM DE TRIENNALI POSSESSIONE. ET DE OFFICIO DIVINO.

XIV.

Præter quæ in Congregationibus suis decreta ediderunt, quæ in Appendice Concilij reperiuntur data mensibus Augusti & Septembris hujus ipsius anni; de prærogativis graduatorum, incorporatorum Concilio, in electionibus & assecutionibus beneficiorum Ecclesiasticorum: Vt Collectores fructuum ac proventuum Cameræ Apostolicæ ad Concilium accederent, rationem de receptis & expositis reddituri: & contra appellationes causarum per Synodum judicatarum. Quæ omnia cùm in præjudicium auctoritatis Eugenij Papæ & Sedis Apostolicæ fieri viderentur; quod Annatas spectat, traditur in Actis Patritianis, diù & acriter de iis disputatum esse in Congregationibus: Cúmque tandem inter omnia quatuor collegia conclusum esset pro earum abrogatione, Archiepiscopum Tarentinum & Episcopum Paduanum. Legatos Eugenij Papæ protestatos esse, iniquum esse inaudito Pontifice tantum detrimenti Romanæ Ecclesiæ inferri: Hoc enim modo dignitatem Pontificiam sine viribus ruituram: Non tanti esse Romanæ Ecclesiæ patrimonium, ut à tyrannis suis sumptibus Pontifices defendi valerent; aut ut tot aliis Ecclesiæ necessitatibus, legationibus, subventionibus, sufficere posset: At nihilominùs Patres asserentes se necessitati Romanæ Ecclesiæ opportunè consulturos, decretum sanxisse, & publicâsse. Quod tamen non eos hoc tempore aliquos pietatis aut justitiæ zelo, quo aliàs res commodiùs tractari potuisset, constituisse, sed solâ mente Pontificem ad ea quæ vellent cogendi, & Sedis Apostolicæ auctoritatem deprimendi; Pontificij vel ex eo constare querebantur, quòd id tunc maximè urgendum suscepissent, cùm viderent Eugenium Româ exactum, patrimonio omni Ecclesiæ ubique ab hostibus spoliatum, tantúmque non ostiatim mendicantem. Qui & non aliâ conditione subventuros se ei pollicebantur, quàm si priùs decreta Synodi approbâsset, & se ei submisisset. Quid verò non boâssent, si in suî tali necessitate subsidium novum aliquod onus Ecclesiis imposuisset; ut sæpè ab aliis factum est absque tot tumultuosis clamitationibus: Sanè si verum loqui liceat, quis convenientior unquã modus excogitari potuit, quo regna & provinciæ, ipsæque Ecclesiæ minùs graventur, & aptiùs communi omnium Christianorum patri pro debito subveniatur, quàm per Annatas, sive primorum fructuum solutionem? Sed quoniam & de his non pauca jam nos superiùs [r] egimus; & qui pleniùs ea tractata videre voluerit, habet Antonium Gallesimum, & Fernandum Cordubensem, qui id præ cæteris præstiterunt propriis commentariis de Annatis; & quæcumque iis opponuntur, diluerunt & explicârunt; jam quid porrò de iis in Synodo actum sit, videamus.

ANNATÆ ABROGANTUR.

QUÆ BASILEENSIUM EA IN RE INTENTIO.

[r] An. 1399. n. 11.

XV. DISPUTATUR DE IIS CUM EUGENII NUNCIIS.

Addunt igitur Acta Patritiana, misisse Basileenses ad Pontificem oratores, rogatum ut tum alia decreta Synodi, tum quæ de Electionibus, Causarum evocationibus, & Annatis condidissent, confirmaret. Fuéreque illi Ioannes de Bachenstein Decretorum Doctor & Matthæus Mesnaige Baccalaureus in Theologiâ: quorum petitiones recensentur in responsione factâ Synodo per Antonium de Sancto Viro Cameræ Apostolicæ Auditorem, ab Eugenio ad id Basileam unà cum Ambrosio Priori genera Camaldulensi viro Græcè Latinéque doctissimo missum; quæ habetur in Appendice Actorum Concilij: unà cum

oratione ejusdem Ioannis anteà Florentiæ habitâ ad Pontificem; quâ magnâ libertate insinuavit Pontifici, nisi petitionibus Synodi acquiesceret, daturam eam operam efficacem, per quam decreta sua ab omnibus, etiam quâcumque præfulgerent dignitate, inviolabiliter servarentur. Ac speciatim quod de Annatis decretum fuisset, ait legi divinæ & Canonibus Sanctorum Patrum consonum esse: eóque jam omninò aboleri debere, quòd introductæ fuissent occasione expeditionum Terræ Sanctæ, quæ jam cessâssent; aliáque ingentia mala & scandala ex earum exactione oriri consuevissent. Earum verò loco Synodum per alios honestiores modos Pontifici & Cardinalibus provisuram, dummodò ei placuerit decreta Synodi servare, & aliis servanda proponere, prout in bullâ suæ adhæsionis promisisset. In actis verò Navarricis extat prætereà oratio ejusdem Ambrosij ad Synodum habita; quâ vehementi affectu hortatus est Patres ad unionem cum Ecclesiæ capite Romano Pontifice servandam, & obedientiam ei præstandam. Ad quorum nunciorum orationes ac rationes respondens ex congregatione generali de iis rebus habitâ tertio Nonas Novembris, Iulianus Cardinalis Concilij præses; (quæ ejus responsio extat inter epistolas Synodales Concilij) resuméns que præcipua orationum illorum capita, quibus Patres hortati ad pacem & unitatem cum Pontifice servandam, ejus sanctum propositum ad res quarum causâ Concilium celebrabatur, laudaverant; Sedem Romanam opibus abundare debere, ut oppressos relevet, & indigentibus subveniat, explicaverant; Annatas jure divino, naturali, & humano tolerari posse, ideóque aut suspendi debere decretum quo eas Synodus sublatas volebat, aut provisionem Sedi Apostolicæ sufficientem fieri postulaverant: Primò & ipse optimam Synodi mentem ad unitatem colendam explicavit: ut autem utrimque servaretur, necessarium esse ut Pontifex quæ ad justitiam spectarent primò ipse præmitteret, hoc est Ecclesiæ universali jus suum tribueret, Concilij universalis, quod illam repræsentabat, decreta diligenter, & per alios suo exemplo & jussu servari faciendo, sanctorum antecessorum suorum imitatione, Damasi, Gelasij, Gregorij: Concilij statuta in nullo derogare ejus potestati, quin pro tempore, loco, causísque & personis, utilitate vel necessitate suadente; moderari dispensaréque posset, atque uti summi Principi epicheiâ, quæ ab eo auferri nequiret: Si verò in aliquo læderetur à Concilio ejus auctoritas, paratum illud esse, quicquid illud esset, ad justitiæ rectitudinem, & regulæ normam redigere: In prohibendis Annatis nihil Synodum fecisse, quàm quod divinæ Scripturæ, sacrorum Conciliorum, Romanorum Pontificum, probatorúmque Doctorum Codices statuissent, ne videlicèt pro rebus spiritualibus & Ecclesiasticis quid antè vel pòst ab invitis exigatur: quod in Annatis multo abusu & scandalo fieri compertissimum esset: Nec tamen prohiberi decreto Synodi, quin pro vitæ sustentatione, aliísque Ecclesiæ necessitatibus, Summus Pontifex aliarúmque Ecclesiarum Episcopi charitativum subsidium indicere, decimam seu aliam quotam imponere, fructúsque aliquorum beneficiorum ad tempus reservare, vel alias subventionum species petere possent: Denique provisuram competenter Synodum Sedi Apostolicæ, dummodò observantiæ decretorum Synodalium rationem haberet: Quod verò objectum fuerat de subventionibus ab antiquis Pontificibus, pluribus sanctis Episcopis de sedibus suis pulsis, aliísque indigentibus factis; haud de Annatis illas processisse, cùm necdum hæc vocabula in Ecclesiâ Dei audirentur: neque etiam alij sancti Episcopi, præclara sua pietatis & charitatis opera de emolumentis sigillorum explere consuevissent. Hæc pluribus Iulianus: quæ ac cætera superiùs recensita, semina fuêre novorum inter Pontificem & Synodum dissidiorum; de quibus agetur posteà.

XVI. Ducis Eremitæ expostulat o de Synodo.

Interim quod ad Appellationes à Concilio pertinet; iracundissime cum Synodo expostulâsse reperitur Amedeus Sabaudiæ Dux ex suâ eremo, non sanè pro eremita sed planè pro Principe offensarum acerrimo vindice, ac dignitatis suæ studiosissimo; de eo quòd cùm in causâ Episcopatûs Lausanensis, quam Synodus Ludovico de Palude adjudicaverat adversùs Ioannem de Preugino per Amedeum postulatum, idem Amedeus a sententiâ Iudicum Synodi per procuratorem appellâsset Eugenium Pontificem; vix ille vociferantium in se ministrorum Synodi manus evasisset. Quæ quòd gesta fuissent ante decretum quod diximus Synodi; (nempè ante Calendas Maij, quibus datæ sunt literæ illæ Amedei, cùm decretum notetur die decimo-sexto Septembris:) ideò eodem decreto nominatim excepta est persona Ducis Sabaudiæ; statutúmque ut scriberetur ei, paratum esse Concilium tam ei quàm aliis quibuscumque de suppositis Concilij conquerentibus justitiam administrare. Satius fuisset, non inconsultè agere, quàm abjectè excusare.

XVII. Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio solicitantur.

Quod Græcos attinet; post pacta quæ vidimus ab eorum oratoribus in Concilio transacta, cùm Eugenius Pontifex ad unionem accelerandam Christophorum Garatonum secretarium suum Constantinopolim misisset; ísque contra quod Basileæ conventum fuerat, eos in antiquâ suâ propositione celebrandæ Constantinopoli Synodi, cui Legatus Pontificius interesset, obfirmatos reperisset; (sive suâ sponte; sive, ut Basileenses interpretari maluerunt, suasione ipsiusmet Pontificis, ægrè ferentis tantum sibi ipsos auctoritatis arrogare:) iidem Basileenses rursùm alios nuncios Constantinopolim miserunt, Ioannem de Ragusio Ordinis Prædicatorum Henricum Menger Decretorum Doctorum Canonicum Constantiensem, & Simonem Freiron Canonicum Aurelianensem Theologiæ Baccalaureum; qui Græcis persuaderent pacta Basileensia adimplere, his præcipuè rationibus, quòd perfecta unio ipsis etiam Græcis fatentibus, fieri non posset absque Concilio œcumenico ex utraque Ecclesiâ Occidentali & Orientali, non autem Constantinopolitanum œcumenicum futurum esset ex parte Ecclesiæ Occidentalis, etiamsi interesset Legatus Sedis Apostolicæ, sed tantùm particulare seu regionale; ac proinde nullum inde fructum secuturum: Basileam autem opportunissimam esse ad generale celebran-

dum, quòd regio esset pacifica ac fertilis, civitásque libera & amœna. Quibus ab Imperatore & Patriarchâ auditis; demùm post aliquas difficultates agitatas, confirmatis pactis Basileæ transactis, conclusum est Synodum fieri in Occidente, ad quam iidem Imperator & Patriarcha cum aliis Prælatis ac proceribus populorúmque electis accedere deberent. Ita tamen ut ad vitandas itinerum aliarúmque rerum incommoditates, ac præcipuè Patriarchæ senis & infirmi, necnon ipsius Pontificis Romani qui necessariò adesse deberet, eligeretur una ex civitatibus maritimis Italiæ; ex quâ item posset faciliùs succurri emergentibus civitatis Constantinopolitanæ necessitatibus. Remissúsque est ad hæc Synodo denuncianda prædictus Henricus unus ex nunciis die vigesimo sexto Novembris, cæteris duobus interim Constantinopoli ad providendum expensis itineris Græcorum remanentibus. Vti hæc pleniùs continentur in literis, orationibus, & actis, super his scriptis, recitatis, & confectis, quæ habentur in Appendice Concilij Basileensis & Sessione XXIV. Quid verò pòst secutum sit, dicetur pro ratione temporis. Nunc ad alia Synodalia.

XVIII. Sessio XXII.

Sessione XXII. celebratâ die Sabbati Idibus Octobris, promulgata est condemnatio cujusdam libelli *Augustini de Româ* Archiepiscopi Nazareni, Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, *de Christo & Ecclesiâ* conscripti, ob plures erroneas & scandalo plenas propositiones eo contentas. Inter quas fuit, Christum quotidie peccare, & semper peccâsse: (quamquam hoc non ad Christum ipsum Dominum, sed ad membra ejus, quæ cum Christo capite unum esse Christum asserebat, referret:) Non omnes fideles justificatos esse membra Christi, sed solos electos: Non sufficere Christo uniri per vinculum charitatis, ut aliqui efficiantur membra Christi: Humanam naturam in Christo, verè esse Christum, & personam Christi, & personam Verbi: & aliæ ejusmodi ibi recensitæ, quæ partim in articulos damnatos in Concilio Constantiensi incidebant, partim periculosâ subtilitate aliunde adinventæ erant: quas Synodus tanquam erroneas in fide, unà cum eodem libello eas continente, ac ejus tractatus defensorios damnavit, & legere aut tenere prohibuit. Haud tamen propterea personæ auctoris præjudicare volens: quoniam etsi debitè vocatus non comparuisset, causas tamen absentiæ allegavit: & in aliquibus suis scriptis & aliàs doctrinam suam determinationi Ecclesiæ submisit. Relegunt ejus Scripta Trithemius [s] & Bellarminus: quæ etiam cusa extant, nonnulláque inter libros prohibitos relata, donec corrigantur. Pamphilus in Chronico Ordinis, eum ex Priore generali factum primò Episcopum Nazianzenum, (potiùs Nazarenum) deinde Cesenensem tradit, & anno 1443. ex hâc vitâ decessisse multis illustribus & gloriosis suæ sanctitatis indiciis.

Aug. de Roma liber damnatur in Synodo.

[s] Trith. & Bellarm. de Script. Eccles.

XIX. Synodus non auditur à Venetis

Sub finem anni, nempè vigesimo secundo Decembris, prolata est sententia ab eâdem Synodo in causâ vertente inter Rempublicam Venetam & Ludovicum Ducem Tecchium Patriarcham Aquileiensem: de quorum inter se bellis, occasione Vtinensium & Carnorum, qui ditionis Ludovici erant, agit Bonfinius [t] inter res gestas Sigismundi Imperatoris qui partes Ludovici fovit; & Iustinianus [u] in Historiâ Venetorum. Cùm autem ventilatâ jam antea hâc causâ in Synodo, ad quam Ludovicus succumbens potentiæ Venetorum eam detulerat; monitorium in Venetos latum fuisset pro civitatis, terrarum, rerúmque occupatarum ad Ecclesiam Aquileiensem pertinentium restitutione, idque parvî pependissent Veneti: demùm prædictâ sententiâ Dux, consiliarij, procuratores, nobiles, &c. declarati sunt in excommunicationem intentatam, Communitas verò in interdicti pœnam incidisse; tamdiù vitandi, quamdiù restitutionem non facerent. Quòd tamen haud propterea restitutus in integrum Patriarcha fuerit; inde hoc eodem anno desiisse eum, Onuphrius [x] habet: eíque suffectum ponit Ioannem Vitellium; qui æquè fuit Patriarcha Alexandrinus, sed titulo tantùm. Sicuti & Ludovicus usque ad obitum titulum tenuit Patriarchatûs Aquileiensis; qui in Concilio Basileensi stetisse reperitur contra Eugenium Pontificem, & ut constitit odio Venetorum.

In causa Patriarchæ Aquileien.

[t] Bonfin. 3. dec. 3.
[u] Iustin. l. 6.

[x] Onuphr. in Chron. Eccl.

XX. Supplicia de Sortilegis.

In civitate & diœcesi Burdegalensi fuerunt reperti multi sortilegi utriusque sexûs, qui ligabant conjugatos, habebant colloquia cum dæmonibus, & multos veneno interficiebant. Quorum multi combusti sunt, nonnulli in carceribus seipsos interfecerunt, quorum cadavera igne pariter cremata sunt. Acciditque in quâdam Ecclesiâ ejusdem diœcesis, ut cum nobilis mulier, quæ fuerat excommunicata, in eâ sepulta esset; quidam spiritus non cessare die ac nocte inquietare ac molestare Presbyteros ejus: donec Petrus Archiepiscopus jussit exhumari mulierem, & Ecclesiam reconciliari, & postquàm hæredes ejus satisfecissent absolvi, ac de novo sepeliri; quo facto, molestia cessavit. Ex quibus vim excommunicationis & absolutionis perspicere liceat. Rem autem narrat idem ipse *Petrus* Archiepiscopus in Chronico nobis sæpè citato nomine auctoris Burdegalensis: quod à diversis successivè conscriptum esse intelligitur; & quæ sunt hujus temporis, à Petro esse addita: qui in eodem Chronico electus dicitur anno 1430. Fuit autem cognomine *Berlandus*, rusticanus homo, sed planè sanctus, ex Canonico illius Ecclesiæ omnium consensu in Archiepiscopum electus, qui postea protestationem fecisse contra Pragmaticæ Sanctionis promulgationem reperitur. Ejúsque tempore, nempè anno 1441. instituta est Burdegalæ Academia instar Tolosanæ, Eugenio Pontifice approbante. Vitam propagavit usque ad annum 1453.

Summa vis excommunicationis et absolutionis.

Petrus Berlandus insignis Archiep. Burdegalensis.

IESU CHRISTI Annus 1436.

EUGENII IV An. 6.

SIGISMUNDI Annus 27.

IOANNIS VII. An. 18.

I. ALFONSUS REX ARAGONIÆ AGIT CONTRA EUGEN. PP.

ANNO Christi 1436. Indictione decimâ-quartâ, Alfonsus Rex Aragoniæ immoderatissimâ potiundi regni Siciliæ, sive Apuliæ, aut Neapolis dicti, cupidine agitatus; cùm post illud invasum absque Sedis Apostolicæ supremæ illius dominæ consensu, immò contra absolutam illius prohibitionem, apud Eugenium Pontificem & precibus, & minis, & quibuscumque artibus licitis illicitísve tentâsset ejus investituram ab eo adipisci; nec potuisset cùm ob prædictam iniquam invasionem, tum in præjudicium primùm Ludovici filij Ioannæ Reginæ adoptivi, deinde Renati fratris Ludovici ab eâdem Reginâ hæredis instituti: (nam & quod ipse adoptionem Ioannæ [a] obtendebat, fuerat illa justissimis de causis revocata, & quam allegabat Martini Pontificis confirmationem, nec poterat ipse proferre, nec in archivis Ecclesiæ Romanæ reperiebatur, nec ullus produci ejus testis poterat: & siquid denique juris ad regnum se habere existimaret, depositis armis apud Sedem Apostolicam illud prosequi Eugenius hortabatur:) demùm querelis publicis in eum invectus, & merita in Sedem Apostolicam jactans: (quam tamen nunquam nisi in proprium commodum respexisse reperitur, sed semper cùm non dicto obsequentem haberet despexisse, ut ex superiorum temporum narrationibus manifestè intelligitur: qui & recens urbem Terracinam, quæ ditionis Ecclesiasticæ erat occupârat, ac restituere recusabat; & nihilominùs Magni cognomine evehitur in astra à suis:) ut ei acerbiùs noceret, totum se Concilio Basileensi dare decrevit, quod sciebat auctoritati Eugenij & Sedis Apostolicæ in quibus poterat refragari. Literísque Patres hortatus est, aliquem qui pro Sede Apostolicâ, seu universali Ecclesiâ Romam, & reliqua Ecclesiæ Romanæ patrimonia reciperet, committere: sibi enim in animo esse, armis omnia recuperare, atque ei addicere. Eugenióque denuò mandavit ne sibi in regno adipiscendo obsisteret, & ut Concilij decretis adhæreret: alioquin se Deum judicem, Cardinales omnes & Ecclesiam universalem testes invocare, nemini alteri præterquàm ipsimet imputandum, siquid secùs imposterùm contingeret. Hæc namque de illo pluribus diligens Aragonum regius historicus Surita [b]; cæterorum namque scriptorum plerique solas laudes Alfonsi prosequuntur; quæ vitio aut opprobrio verti possunt, (ut hæc fuêre) non attingunt. In Appendice verò Concilij Basileensis extat epistola ejusdem Alfonsi Regis scripta ad Synodum Caietâ die octavo Martij præsentis anni; quâ magnificis eam laudibus extollens, grandiáque de suâ ad fidem Catholicam & Ecclesiæ utilitatem promovendam devotione promittens; significabat se brevì insignem legationem Basileam missurum, omnésque suorum regnorum Prælatos, plurimósque Doctores eò se transferre compulsurum. Ad quod etiam ipsum misisse in Hispaniam Gubernatorem regni Majoricarum, qui Episcopos & Prælatos Basileam se conferre compelleret, recusantes omnibus bonis temporalibus exueret; idem auctor scribit; quem legat, qui vafra hominis consilia in alliciendis sibi utriusque partis animis nôsse voluerit.

AUCUPATUR FAVOREM CONCILII.

[a] Suprà an. 1420. XI.

[b] Sur. Hist. Arag. l. 14.

II. SESSIO XXIII. CONSTITUTIONES AD COERCITIONEM ROM. PONTIFICUM.

Sive igitur his animati Basileenses, sive propriâ sponte, nequid quod Pontifices & Sedem Apostolicam respiceret absque auctoritate Synodali fieri censeretur; celebratâ die Sabbati octavo Calend. Aprilis *Sessione XXIII.* constitutiones Conciliorum generalium & Summorum Pontificum de modo & formâ electionis Romani Pontificis & Conclavis editas innovârunt: formámque adjecerunt consensûs ab electo Pontifice præstandi, quâ promittere jurejurando deberet, se fidem Catholicam & decreta cunctorum Conciliorum generalium, etiámque Basileensis, inconcussè servaturum; extirpationem morum, pacem Christianorum celebrationem Conciliorum generalium, & confirmationem electionum, fideliter prosecuturum: atque hæc & alia salubria monita singulis annis die recurrente electionis vel coronationis ejus intra Missarum solemnia à primo Cardinale præsente ei ex scripto legerentur. Addidêre & plura de modo, quo se gerere tam in negotiis publicis ad optimum universalis Ecclesiæ regimen pertinentibus, quàm in Curiæ Romanæ ac domûs Pontificiæ reformatione, Romanæ Vrbis ac patrimonij Ecclesiastici administratione haberet. Item, ne consanguineos vel affines usque ad tertium gradum inclusivè Duces, Marchiones, Comites, feudatarios, gubernatores, copiarum ductores, &c. provinciarum aut civitatum Ecclesiæ Romanæ constitueret: Iuxta Nicolai Papæ IV. constitutionem, medietas proventuum quorumcumque terrarum & locorum omnium Ecclesiæ Romanæ ad Cardinales pertineret: Graviáque omnia negotia de consilio Cardinalium tractarentur. Decretum item ut tantùm viginti quatuor essent Cardinales ex omnibus Christianitatis regionibus, scientiâ, moribus, & rerum experientiâ excellentes, atque ætate maturi, eligendi cum rigore examinis, & consensu cæterorum Cardinalium, quorum nec essent consanguinei, nec affines, sicuti nec Pontificis. Aliáque addita de jurejurando ab iis præstando, curâ titulorum habendâ, solicitudine Ecclesiarum, moribus, & sanctâ conversatione. Denique decreta de Electionum libertate, & omni Reservationum Pontificiarum abolitione, confirmata fuêre.

III. SESSIO XXIV. INDULGENTIAS MANUS ADJUTRICES PORRIGENTIBUS LARGIUNTUR.

Sessione XXIV. habitâ die Sabbati decimo-octavo Calendas Maij, confirmatæ sunt promissiones ab oratoribus Synodi factæ Imperatori & Patriarchæ Constantinopolitano, de quibus anno superiori: publicatus Salvusconductus Synodi pro iisdem aliísque Græcis ad Concilium generale accessuris. Ac promulgatæ Indulgentiæ remissionis omnium peccatorum semel in vitâ & semel in mortis articulo, qualem Ecclesia concedere soleret euntibus Romam tempore Iubilei, vel Cruce

signatis ad recuperationem Terræ Sanctæ; in favorem omnium utriusque sexûs, qui ad sanctum opus unionis Græcorum tantum contribuerent, quantum quisque unâ integrâ hebdomadâ pro suâ ac familiæ suæ refectione expenderet: aliis tamen præterea injunctis quibusdam pietatis operibus. Cui tamen Sessioni tradunt Acta Patritiana tres tantùm & viginti infulatos interfuisse, videlicet decem Episcopos & tredecim Abbates; reclamantibus Legatis Apostolicis decreto Indulgentiarum. Quas certè si pauculi isti sanctuli & fidei Catholicæ zelatorculi prædicto suo decreto venales non exposuêre; quid sit vendere, quid emere, hactenùs Iurisconsulti ignoraverint. Et tamen vide cæcitatem malignantium! Lutherani, cæterique ab iis orti novatores, qui occasione abusûs quorundam privatorum hominum, lucrum ex pravâ Indulgentiarum à Sede Apostolicâ ad salutem animarum concessarum nundinatione quærentium, tam ipsummet legitimum Indulgentiarum usum, eas omninò abdicando, sustulerunt, quàm etiam colluviem antiquarum omnium hæresum in orbem invexerunt; nihilominùs Synodum istam Basileensem, quæ illas vænum exposuit, toto affectu exosculantur ut divinum opus, eò quòd in Pontificem Romanum insurrexerit; qui tamen earundem Indulgentiarum introductum ab infaustâ istâ Synodo sordidum abusum auferre quæsivit: qui & posteà severis Ecclesiæ edictis penitùs sublatus noscitur.

IV. Queritur de Basileensibus Eugenius.

Cùm autem post prædicta missi ab Eugenio Cardinales S. Crucis & S. Petri ad Vincula, qui quæ Synodus de Electionibus, Confirmationibus, Annatis, Indulgentiis statuissent, minimè ferenda esse demonstrarent; & locum Synodi cum Græcis celebrandæ quamprimùm eligi, ac Basileenses ad illum se transferri postularent: Ad hæc singula iidem Basileenses respondentes, tum cætera sua ipsorum decreta justè sancita esse probare satagerunt, & quæ Pontifex de iis offerret, non esse sufficientia, aut idonea; tum Indulgentias se potuisse promulgare: nec pro illis denuò ad Pontificem recurrendum esse, quandoquidem antequàm eas Synodus promulgâsset, petiisset id ab eo fieri. De loco verò Concilij responderunt, nondum esse tempus de eo agendi; sed nihil se prætermissuros quod huic negotio conducere posset. Extat enim satis prolixa eorum de his tractatio in Actis Navarricis, & in Appendice Binianorum, facta in Congregatione generali quinto Idus Maij præsentis anni. Habent autem insuper Acta Patritiana, obtulisse prædictos Cardinales Basileensibus, si convenire cum Eugenio vellent de loco Concilij, daturum ipsum pro conductu Græcorum sexaginta aureorum millia; quantam summam Indulgentiæ ab iis promulgatæ nunquam conficerent.

V. Alfonsi Regis Aragoniæ conatus retunduntur.

Interim Alfonsus Aragonius nihil omittens quo posset rebus Eugenij incommodare, etiam Vrbem Romam per Antonium Pisanum penè occupavit: aliáque plura mala præcipuè in regno Neapolitano per se suósque inferre contendit: nisi Ioannes Vitellius, seu Vitellescus patriâ Cornetanus, Archiepiscopus Florentinus & Patriarcha Alexandrinus, inter viros ejus ævi gloriâ militari illustres excellens, conatibus ejus restitisset: quem & existimatus est crebris quas obtinuit victoriis potuisse toto regno exigere, illúdque Eugenio Pontifici asserere, (quod tantopere concupisset Pontifex, & grandi impensâ quæsisset sibi, seu Renato Andegavensi, à cujus uxore de auxilio contra Alfonsum rogatus fuerat) si faciliori fuisset in retinendis amicis, & aliquando difficiliori in parcendo inimicis animo; ad res quidem agendas aptissimus, naturâ tamen sævissimus & immitis: Romanis autem adeò gratus ob ingentia in eos collata beneficia, ut ei hoc ipso anno equestris statua in Capitolio erecta fuerit [c], cum hujusmodi inscriptione, *Ioanni Vitelliensi Patriarchæ Alexandrino III. à Romulo Romanæ Vrbis parenti*: & in ejus præterea honorem omnes Cornetani in Romanorum civium numerum, ac privilegia omnia, immunitatésque cooptati fuerint. De cujus rebus præclarè gestis prolixè Blondus [d]: eidémque Iovius [e] in suis Elogiis honoratum locum tribuit: ac denique Eugenius Pontifex anno sequenti, meritorum ergô, & quòd ejus victoriis integer penè Ecclesiæ status recuperatus fuisset, Cardinalem creavit; jam minùs timens Synodi Basileensis in se molitiones, quas ob rerum angustias dissimulare cogebatur, & certis lenimentis mitigare.

A' Vitellio.

[c] *Addit. ad Ciacon Eug. IV.*

[d] *Blond. 3. dec. 7.*
[e] *Iov. lib. 2.*

VI.

Hoc interim anno idem Pontifex recuperatâ Bononiâ, eò se contulit, provisurus inde faciliùs rebus suis, & Ecclesiæ necessitatibus. Cui inter alia cultûs divini augmenta Florentiæ instituta, tribuit Antoninus [f] illius Ecclesiæ paulò pòst Archiepiscopus, institutionem Scholæ Clericorum; qui quotidie interessent Missæ decantandæ & Horis diurnis, completorio dempto, sub magistro qui in grammaticalibus, & cantu, ac moribus eos instrueret; loco eis propè Ecclesiam deputato: erántque assumendi ex legitimis natalibus, à decimo anno usque ad decimum-quintum, & usque ad sacerdotium detinendi ab Antistite civitatis, certâ eis provisione decretâ. Vbi videas praxim, nisi fortè & originem *Seminariorum*, à sacro Concilio Tridentino [ff] posteà diligentiùs præscriptorum. Quale & hoc eodem tempore Petrus [g] Archiepiscopus Burdegalensis, vir pius & prudens, de quo diximus anno superiori, pariter instituisse reperitur scholam duodecim pauperum, qui per decennium in literis erudirentur, cum obligatione assumendi Presbyteratum & Ecclesiæ inserviendi. Cùm alioqui jam olim Eugenius Papa II. in Concilio Romano decrevisse dicatur [h], ut in universis Episcopis, subjectisque plebibus, & aliis locis in quibus necessitas occurreret, magistri & Doctores constituerentur, qui studia literarum assiduè docerent. Et Alexander atque Innocentius III. statuerint [i], ut Clerici & scholares pauperes gratis docerentur per singulas Ecclesias.

[f] *Ant. tit. 22. cap. 10. §. 6.*

Seminarium Clericorum institutum Florentiæ ab Eugenio Pôt.

[ff] *Concil. Trid. Sess. 23. cap. 18 de reformat.*
[g] *Chron Burdeg. Lurb. an. 1442.*

[h] *Dist. 37. c. 12.*

[i] *Alex. Conc. Rom. cap. 8. Innoc. Conc. Rom c. 11.*

VII. Concordia stabilitur cum Boemis.

In Boëmiam jam ut migremus ad conventum, quem in hunc annum vidimus ab Imperatore indictum Iglaviæ Olomucensis diœcesis eò cùm pristini oratores Concilij Basileensis, Philibertus Episcopus Constantiensis provinciæ Rotomagensis, Ioannes de Palomar Archidiaconus Barchinonensis Auditor

sacri Palatij, aliíque eorum socij, necnon Boëmi, ipséque Sigismundus Imp. unà cum Alberto Austriæ Duce ipsius genero, se contulissent: post multiplices disputationes, confectis datísque literis utrimque pro pacis & unitatis confirmatione; imprimis dicti oratores pro parte Concilij sublatis omnibus censuris, pacem cum Boëmis acceptârunt, & ab omnibus ubique Christianis servari mandârunt, secundùm tenorem Compactatorum: datis eâ de re literis ibidem Iglaviæ die 5. mensis Iulij præsentis anni; quibus ad majus robur apposita etiam sunt sigilla Sigismundi Imp. & Alberti Ducis: iidémque ipsi, pro majori rerum firmamento suas proprias literas addiderunt. Deinde verò die duodecimo Iulij Alscio gubernator regni, unà cum cæteris Baronibus, & Pragæ aliarúmque civitatum electis in eodem Conventu existentibus, literas & ipsi de eâdem susceptâ pace dederunt. Demùm Rockysana præcipuus Pragensium doctor, unà cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius Cleri sibi adhærentibus, sedente pro tribunali Imperatore, & Alberto Austrio ipsius genero assistente, magnâque Principum ac procerum circumstante coronâ, obedientiam Romanæ Ecclesiæ præstare se publicè professus est. Sequentique die pari solemnitate absoluti sunt Boëmi & Moravi illius partis ab anathemate cæterísque censuris, & in Ecclesiam per Concilij oratores introducti. Vbi tamen cùm sacra celebrarentur, & Rockysana ad altare accedens, divinâ re peractâ uni quem jusserat ex Laïcis adesse, Sacramentum ex Calice dedisset; prohibente ac contestante uno ex oratoribus id ipsi in alienâ diœcesi non licere, parùm abfuit quin in irritum conventa caderent. Sed composita res est ex eo conventionum capite, quo sancitum erat ne paucis pacta violantibus communis concordia rumperetur. Quæ omnia uti se habuêre, pluribus enarrat Æneas [k] Silvius: & ex eo Cochlæus, plerasque etiam suo operi de Hussitis inserens quas diximus literas; quarum item nonnullæ habentur in Appendice Concilij Basileensis. Nunquam tamen hæc Compactata ex integro servata esse à Boëmis Hussitis, sed sæpè aut contempta, aut inversa, ut mos est hæreticorum, idem Cochlæus variis locis & annis ostendit ac queritur.

[k] Æn. Hist. Boëm. c. 52.
[l] Cochla. l. 8.

VIII. QUID IMPERATOR CUM BOEMIS.

Imperator autem cupidus potiendi regni paterni; ut Boëmos devinctiores sibi redderet, multa seorsùm eis promisit ac permisit, quæ nequaquàm oratores Concilij concessissent. Quippe, ut Æneas scribit, & ex eo Bonfinius [m], Ecclesiarum prædia occupatoribus jure pignorum relicta sunt, donec certâ pecuniâ redimerentur: Religiosis utriusque sexûs, quibus adempta monasteria essent, atque exulibus spes reditûs interdicta: Rockysanæ Pragensis Ecclesiæ præsulatus promissus: De disponendo Ecclesiarum Boëmicarum regimine Summo Pontifici facultas ablata. Quæ tamen non reperiuntur in formulâ pactionum inter Imperatorem & Boëmos initarum, quas ex vetusto codice Cochlæus recitat: quamvis insint alia plura capita contra jura & privilegia Sedis Apostolicæ, ac ritus sanctæ Ecclesiæ, quæ nec potuit nec debuit Imperator illis concedere. Nisi fortè, ut alius antiquus auctor de iis agens verisimiliter opinatus est, dicamus eas surreptitiè, seu per nimiam importunitatem ab eo extortas esse. Denique necessitate magis quàm voluntate eas pepigisse; voluisséque eum paternam hæreditatem quoquo modo intrare, sensímque regni possessione acceptâ, sub veram Christi Religionem illud reducere, idem Æneas scribit. Quod etiam ex eo confirmatur, quòd ubi Imperator Pragam venit, conventicula Hussitarum vitavit, Ecclesiam ritu Catholico purgatam sibi habens; Canonicos & Monachos ab exilio revocatos restituit stipendia eis de suo assignans; & Rockysanam verbis tumultuantem minis urbem deserere compulit. Et qui obstinatissimis Thaboritis quinquennium sub tributo annuo indulsisset, quo religionis suæ cultum mutare non cogerentur; ubi accepit nefandos eorum ritus; duxit se haud expectaturum quinquennium, sed propediem correpturum scleratæ urbis insaniam. Quemadmodùm & Roacium, de quo aliàs, castri Sion quod construxerat fortitudine fretum, sibíque obsequi detrectantem, misso exercitu cepit, & suspendio cum sociis sustulit. Quæ omnia quomodò gesta fuerint, & Imperator summâ pompâ & magno applausu Pragæ exceptus (quod Æneas sexto Calendas Septembris, Bonfinius & Cochlæus nono contigisse aiunt) juramenta fidelitatis à Baronibus & civitatibus acceperit; Philibertus Episcopus sacra restituerit; oratores Basileam missi fuerint, qui ex pacto, gestorum & Compactatorum confirmationem, necnon declarationem super articulo communionis expeterent: congratulati sint Principes Imperatori de regni adeptione; ac Pontifex Eugenius auream Rosam indicem suæ lætitiæ miserit: narrant iidem auctores. Quid verò de iis in Concilio, & cum aliis post hæc gestum sit, dicetur annis sequentibus pro ratione temporis.

[m] Bonfin. 3. dec. 3.

IX. PETITUR CANONIZATIO PETRI CARD. DE LUCEMBURGO.

Ad principium hujus anni, nimirùm die penultimâ Ianuarij, Philippus Dux Burgundiæ literas [n] dedit ad Synodum pro canonizatione & elevatione, diversis jam antè, ut ait, Conciliis tractatâ, Cardinalis Petri de Lucemburgo consanguinei sui (creati à Clemente nuncupato in suâ obedientiâ VII.) Quæ ejus literæ lectæ traduntur in generali Congregatione nono Martij: sed quid responsum fuerit non additur. Quid verò factum de eo sit, diximus in ejusdem Petri obitu [o]. De ipso autem Philippo Duce, Franciæ, Belgicæ, & Anglicæ, historiæ scriptores narrant, uberiúsque Monstreletus, eum jam Anglorum hostem, Caletum eis obsidione eripere tentâsse; sed post aliquas leviores pugnas, turpi recessu Flandrorum coactum esse inglorium recedere; gravibus inde seditionibus, etiam cum uxoris contumeliâ, ipsiusmet gravi vitæ periculo, ab iis populis agitatum. Cùm intereà urbs Parisiorum Anglis erepta est, postquàm in eorum potestate octodecim fermè annis permansisset: eodem qui pro Anglis ceperat Ioanne Villario, pro Rege Carolo eam recipiente, cum auxilio Connestabilis, aliorúmque ducum, regiorum ac Burgundionum.

[n] Ext. in Append. Conc.
[o] An. 1387. III.

VRBS PARIS. ERIPITUR ANGLIS.

X. CATHARINA REGINA ANGLIÆ NUBIT OVINO, &c.

Mortuaque hoc eodem anno est Catharina Regis Francorum soror, vidua Henrici V. Anglorum Regis: quæ defuncto viro, (ut Meyerus [p] narrat) furtivo concubitu duos genuit filios

[p] Meyer. l. 16.

Edmundum & Gasparem, ex Ovino vestiario suo, juvene formoso, sed plebeio, & cauponis cerevisarij notho: cui posteà Catharina nupsit ut legitimos faceret filios sed miser consilio procerum securi percussus est. At Polydorus [q] huic Ovino Reginam primò occultè nupsisse scribit; fuisséque illum patriâ Wallum, nobili genere, ac multis virtutibus mirabilem, qui genus suum ad antiquos Britannorum Reges referebat: & ex eo genuisse tres filios mares, videlicèt prædictos Edmundum & Gasparem; ac tertium qui factus est Monachus S. Benedicti non diù pòst superstes; atque unam feminam, quæ Monacha quoque fuit: Ovinum autem, post Catharinæ obitum, jussu Ducis Glocestrensis patrui Regis Henrici Iunioris, & regni Gubernatoris, quòd ausus esset per Reginæ connubium miscere sanguinem suum cum regio, securi percussum esse. Sed quid adeò justè, si & ipse ex regiâ stirpe oriundus erat, & virtutibus mirabilis: Cæterùm factus est posteà Edmundus ab Henrico Rege fratre uterino Comes Richemundiæ, & Gaspar Comes Penbruchij: atque Edmundus ductâ uxore ex domo Lancastriæ Henricum Regem VII. sustulit; de quo suo loco.

[q] *Polyd. l. 23.*

XI. IACOBUS REX SCOTIÆ PRODITORIE OCCIDITUR.

Hoc item anno die vigesimo Februarij *Iacobus* Rex Scotiæ, de cujus virtutibus dictum est aliàs, conjuratione Walteri Atholiæ Comitis ejus patrui regnum ambientis, proditoriè occisus est noctu in cubiculo suo, anno regni sui duodecimo à coronatione nondum expleto. Quo casu illud egregium nobilis adolescentulæ, quæ Reginæ ministrabat, Catharinæ Douglassiæ, facinus contigit; ut cùm proditor Regis cubicularius ad sicarios introducendos pessulum magnum ostij abstulisset, & ad unius alterius necem clamore facto ipsa ostium claudere niteretur, nec aliud ad manum esset, brachium in foramen loco pessuli inseruerit. Sed tenello brachio celeriter sicariorum pulsu confracto, Reginâque suo corpore Regem protegere conante duobus vulneribus affectâ, Rex ipse viginti & octo plagis confossus est. Laudatissimus, ac suis lamentatissimus Princeps: qui paulò antè filiam suam Margaritam, frustrà rem impedire conantibus Anglis, petenti Carolo Francorum Regi Ludovico filio suo uxorem miserat. Ejus interfectores diligenter conquisiti, captique exquisitissimis suppliciis sublati sunt. Ipséque imprimis conjurationis auctor Comes Atholiæ, inter tormenta quibus toto triduo publicè laceratus est, ferreâ coronâ candente capiti impositâ Rex proditorum omnium appellatus est; eò quòd aliquando à quâdam maleficâ mulierculâ accepisset, se in maximâ celebritate Regem coronatum iri: ut solent ejusmodi prædictiones tales sortiri eventus. Reliquit Rex filium unicum, posteriorem è geminis, ejusdem cum patre nominis, cui faciei dimidium velut sanguine suffusum rubebat; qui vix dum septimum ætatis annum ingressus, Rex consalutatus est sexto Calendas Aprilis *Iacobus* ejus nominis Secundus. Quæ sic breviter relata prolixè narrant ejus gentis [r] historici; & ex cæteris Monstreletus [s]: pergentes porrò illi factiones & seditiones, cædes, grassationes, & omnis generis mala, quibus minori Regis ætate Scotia per multos annos afflictissima fuit, enarrare.

IACOBUS II. FILIUS SUCCEDIT.

[r] *Boëth. l. 17. & 18. Buchan. l. 10. & 11. Lesl. l. 7. & 8.*
[s] *Monstrel. lib. 2.*

XII. ÆNEÆ SILVII LEGATIO IN SCOTIAM.

Ait Boëthius, fuisse tunc Æneam Silvium in Scotiâ cùm Rex occisus est, eò missum ab Eugenio Pontifice ad componendam inter Anglos & Scotos pacem; eò quòd haberet in animo Pontifex compositâ in orbe Christiano pace bellum in Saracenos transferre: Factâ autem nece Regis, eundem Æneam ad sumendum de sicariis supplicium Scotos animâsse; cùm verò sumptum vidit, (ut alius [t] addit) dixisse, dubitare se majori-ne laude eos qui ita vindicâssent afficere, an acriori sententiâ eos qui scelus commisissent configere deberet. Quæ tamen gratis dicta videntur. Non enim sanè ea tacuisset Æneas, cùm in commentariis [u] Gobelini nomine inscriptis suum in Scotiam iter seriatim describit; qui multa leviora inserere non omisit. Ait igitur, missum se fuisse in Scotiam, (non à Pontifice, aut ad pacem illorum populorum,) sed à Cardinale S. Crucis ex Conventu Atrebatensi (de quo anno superiori) ad Prælatum quendam in Scoti Regis gratiam reducendum. Post multas terrestres interturbationes, & impedimenta, ac sævissimas maris tempestates, eò appulisse, atque ad Regis præsentiam intromissum, nihil non impetrâsse ex his quæ petitum ierat; sumptus ei viarum restitutos esse, & in reditum quinquaginta nobilia, ac duos equos gradarios dono datos. Addit posthæc descriptionem Scotiæ, & incolarum mores varios, & quæ apud eos nascantur. Ac demùm iter per Angliam ad reditum dissimulato habitu sub specie mercatoris sumptum; quo jucunda quædam ei contigisse, & pericula nonnulla evasisse narrat. Cùm igitur scivisset Boëthius Æneam in Scotiâ fuisse, cætera vel divinavit ipse, vel ab alio divinatore excepit; cùm magis Æneæ ipsi credendum nemo dubitaverit.

[t] *Lesl. lib. 7. in fin.*
[u] *Æn. comment. lib. 1.*

XIII.

Hoc denique anno, occiso Engelberto, quem vidimus [x] Sueciam ab Erici Regis vexationibus liberare conatum esse, idem Rex Ericus Calendis Septembris concordiam auctoritate Synodi Basileensis cum Suecis iniit de privilegiis Ecclesiarum & Ecclesiasticorum illius regni; quæ promulgata est die quintâ Octobris: recitatúrque à Ioanne Magno in Metropoli Vpsalensi in fine Vitæ Olai Laurentij Archiepiscopi; qui ob gravissimam persecutionem Erici Eugenium Pontificem & Concilium Basileense adire coactus, tandem Regi reconciliatus, pro ejus restitutione in integrum quamdiù vixit laboravit. Post hæc verò Rex (ut ejus reliqua satis apud auctores perplexa & intricata breviter uno ductu absolvamus) cùm cerneret se minùs gratum trium suorum regnorum populis esse, nec verò potuisset impetrare ut Bogislaus Pomeraniæ Dux patrui sui filius in sui locum Rex præficeretur; quin etiam fidei atque obsequij renunciationem ab iis accepisset; denique conceptæ à multo tempore tranquillitatis à motibus quibus per totam ferè ætatem agitatus fuerat, nulla in iis regni spes illi superesset: jam senex subducere se deliberans negotiis, sive coactè, ut creditum est, sive spontè, ut credi ipse voluit, primùm in Gotlandiam insulam, inde in Pomeraniam patriam solum se recepit; atque ibi quietus multos annos egit usque ad obitum. Agunt de his Krantzius [y], & Magnus [z], uberiúsque Pontanus [a]: præter alios

[x] *Suprà an. 1434. XIII.*

ERICUS REX DANIÆ, &c. SECEDIT.

[y] *Krantz. 8. Dan. c. 15. Suet. 37.*
[z] *Magn. Hist. Sueon. lib. 22.*
[a] *Pont. Rer. Dan. lib. 9.*

qui contractiùs eorundem meminerunt. Laudat ejus postremum secessum maximè Krantzius: (Gotlandici enim non meminit:) sicuti verè laudabilis extitit, si quietis tantummodò adipiscendæ, sibique vacandi gratiâ susceptus fuit. At Magnus severiùs, utpotè Suevus in eum agens, eum in Gotlandiâ piraticam exercuisse vult. Quemadmodùm & auctor incertus à Lindenbruchio editus de Regibus Daniæ, scribit eum sibi malè conscium de perversâ regni administratione, confugisse in eam insulam, compilatis regni thesauris, ac comitatum unâ concubinâ præ cæteris carissimâ, quæ non minimam præstitit expulsionis causam. Æneas [b] autem Silvius de illo quoque agens in suâ Europâ, ait eum post decennium incolatûs Gotlandiæ, sive ut vocat Gothiæ, pulsum inde fuisse à Carolo tunc regnante, ætate, ut ait, confectum, nulli noxium, sibi viventem: atque in Pomeraniam, unde illi origo, sese recepisse, parvóque contentum vitam ibi egisse: quàm sint incerta mortalia, & quàm inania suo exemplo docentem, qui tribus potentissimis regnis exutus, nec parvam insulam, in quâ decem annis delituerat, usque ad mortem retinere potuerit, ætate plenissimus. Abiit autem regno anno Christi 1438. sequenti nuncium accepit abdicationis; post decennium in Pomeraniam abscedens obiit 1459. vitæ 77. Cui debet Dania non solùm sceptri tot per annos gnaviter defensi decus, sed etiam gentis suæ eam quæ est in manibus [c] brevem historicam narrationem rerum Regúmque Daniæ, usque ad annum Christi 1288. cujus nos sæpè suis temporibus testimonio usi meminimus.

[b] Æn. Europ. cap. 33.

SCRIPSIT HISTORIAM DANIÆ.

[c] Tom. Rer. Germ. Lindenbrug.

IESU CHRISTI Annus 1437.

EUGENII IV. An. 7.

SIGISMUNDI Annus 28.

IOANNIS VII. An. 19.

I. SESSIO XXV. DELIBERATUR DE LOCO CELEBRANDI CONCILII CUM GRÆCIS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, Indictione decimâ-quintâ, inter Eugenium Pontificem & Synodum Basileensem æmulatione certatum est de loco Concilij Oecumenici ad quod Græci convenire deberent. Et Basileenses quidem habitâ *XXV. Sessione* die Martis Nonis Maij, statuerunt celebrandum fore vel Basileæ, si omninò fieri posset, vel Avenione, vel denique in Sabaudiâ; ad quod tum cæteri omnes tum ipse Pontifex accedere haberet: & quicquid secùs statueretur, irritum ac nullum declaraverunt. Pro sumptibus verò alendorum Græcorum, omnibus Ecclesiasticis exemptis & non exemptis, etiamsi Cardinalatûs vel Pontificali vigerent dignitate, decimam beneficiorum Ecclesiasticorum imposuerunt: quatuor delectis Episcopis, qui ducendorum Græcorum curam haberent. Deinde verò pro cautione civitatis Avenionensis, quæ septuaginta millia florenorum auri ad id opus mutuò obtulerat, obligârunt quicquid ex Indulgentiis à Synodo promulgatis, ac decimis nuper injunctis proveniret usque ad prædictæ summæ solutionem.

II. GRAVIS EA DE RE CONTENTIO INTER PATRES.

De quibus agens enucleatiùs Patritius in Actis Synodi ait, magnâ inter Patres ortâ dissensione, nominâsse majorem eorum partem pro loco futuri Concilij Basileam, Avenionem, & Sabaudiam, Præsidentibus frustrà reclamantibus; itémque Græcis conquerentibus nimis durè secum agi: Tandémque Patres his legibus in concordiam venisse, ut si Avenionenses intra dies triginta promissam pecuniam non solvissent, & intra alios duodecim dies se id integrè perfecisse non docuissent; Concilium posset & teneretur procedere ad electionem alterius loci: Elapsis autem triginta & duodecim diebus, cùm Præsidentes convocarent Patres ad loci electionem, secessisse magnam partem quæ Pontifici erat infensa, & Concilium in Italiâ nullo pacto volebat: Verùm hanc factionem ferè ex viri plebe constitisse, quamvis ducem haberet Cardinalem Arelatensem, & quosdam alios Prælatos: In alterâ extitisse Cardinales Iulianum, olim S. Angeli jam S. Sabinæ mutato titulo dictum,) & Ioannem S. Petri ad Vincula, ac plerosque alios digniores Antistites, qui tamen numero longè superabantur: Præsidentes & Legatos per illos qui novam electionem fieri volebant, cùm alij vocati non venirent, primò in Deputationibus, tum in generali Congregatione legitimè conclusisse Florentiam & Vtinum in Foro Iulij ponendas esse in manu Concilij; seu quemcunque alium locum tutum, in decreto conventionis cum Summo Pontifice & Græcis contentum, qui citiùs expediret pecunias, triremes, & alia necessaria ad traducendos Græcos: Contrà verò parte adversâ decernente admittenda esse postulata Avenionensium, ut firma electio illius civitatis fieret; & decimæ statuerunt, quarum pecuniæ simul cum iis quæ ex Indulgentiis provenirent, sibi ratione mutui obligarentur: Hâc vigente dissensione publicam celebratam esse Sessionem dictis Nonis Maij: in quâ sedentibus seorsùm factionibus, à Præsidentibus Concilij & Legatis Apostolicis Florentia & Vtinum decretæ fuêre, ut fuerat priùs ab eis conclusum: ab altera verò factione, quæ multitudine & numero se tuebatur, quòd advocatis ex vicinis oppidis & civitatibus sacerdotibus, iísque qui in familiari obsequio Patrum erant, togatis in Ecclesiam admissis, superabundaret, decretum esse pro Avenione.

DUO CÔTRARIA DECRETA EJUSDEM SESSIONIS.

III.

Ita ut fuerint duo valdè inter se discrepantia decreta, uno eodémque die Nonarum Maij, ac nomine Synodi Basileensis in publicâ Sessione, confecta: illud scilicèt factiosorum, quod in Actis editis habetur sub Sessione XXV. & aliud saniorum, quod Acta Patritiana proferunt sub Sessione XXVI. quippe quæ eam Sessionem in duas secuerint, ob secessionem partium. Quòd verò nollent factiosi permittere Concilij sigillo decretum cæterorum signari, Præsidentes facto novo decreto statuerunt sigillum Cardinali S. Petri, Archiepiscopo Panormitano & Episcopo Burgensi esse credendum: quorum posteà operâ literæ illorum fuêre eo munitæ. Et Eugenius Pontifex decreto factiosorum rejecto, alterum sanio-

rum, cum approbatione locorum Italiæ in eo contentorum confirmavit ad quartum Calendas Iunij: ut eadem Patritiana Acta habent. Extátque in Florentinis editionis Iustinianæ eadem ipsa Eugenij confirmatio; insertam habens Ioannis Dissypati, sive Bissipati, legati Imperatoris & Patriarchæ Græcorum tunc Basileæ existentis, protestationem factam in Congregatione generali die 15. Februarij, contra prædictam electionem Avenionis.

IV. DISCEPTATIONES NUNCIORUM PONTIF. ET CONCILII APUD GRÆCOS.

Addunt postinde Acta Patritiana, ab eâ parte Synodi quæ Eugenio favebat, nomineque Synodi, legatos decretos esse in Græciam Diniensem & Portugalensem Episcopos. Quorum illum nomine Petrum, istum Antonium fuisse, & Regum Franciæ & Portugalliæ in Synodo Basileensi oratores extitisse; cognovimus ex literis Eugenij ad Ioannem Græcorum Imp. de illorum missione scriptis, quas recitat, unà cum multis aliis eâdem de re ad diversos exaratis, Iustinianus in suâ collectione Actorum Synodi Florentinæ. Hi autem (ut pergunt Acta) mense Iunij Bononiam petentes ubi Eugenius erat, inde unà cum Episcopo Coronei Pontificis oratore (videlicet Christophoro Garetonio Eugenij secretario, qui sæpiùs Constantinopolim hâc de causâ missus, ob rem benè gestam creatus est illius urbis Peloponnesi Episcopus) Venetias profecti, Constantinopolimque navigantes, eò appulerunt tertio Nonas Septembris, & Imperatori ac Patriarchæ persuaserunt in Italiam navigare: advenientibus insuper eodem Pontificis nomine Marco Archiepiscopo Tarentasiensi ac Nicolao de Cusâ Germano Præposito monasterij Wotobergensis, (qui postea fuit Cardinalis.) cum aliis triremibus. Dum autem Græci ad navigationem se accingerent, appulerunt pariter Constantinopolim 5. Nonas Octobris triremes Avenionenses, præfectis Visensi & Lausanensi Episcopis: quorum adventus eò visus fuit Græcis ineptior, quò ipsi Græci apertè Basileæ protestati fuerant se Avenionem nullo modo ituros. Redditis nihilominùs Concilij factiosi & aliquot Principum literis, in vim præstiti juramenti expostulârunt ut Græci Basileam vel in Sabaudiam, aut Avenionem se conferrent: Si in Eugenij triremibus navigarent, priùs eum à Concilio Pontificatu dejectum iri quàm ad eum pervenirent: Diniensem & Portugalensem Præsules non esse Concilij legatos, sed adulterinos: Nisi ad unum de prædictis tribus locis se conferrent, Principes quorum literas attulissent, simul cum Basileensi Synodo futuros eis adversarios; sin autem secum navigarent, auxilia præstaturos contra Turcos. Quibus non obstantibus, cùm legati Papæ ac Diniensis & Portugalensis objecta omnia Avenionensium dissolvissent, Imperator & Patriarcha se cum eis navigaturos promiserunt; multísque verbis hortati sunt Avenionenses, ut depositis dissidiis simul Venetias vellent petere, ubi de loco Concilij commodiùs disceptaretur. At illi indignati ad sua reverterunt: & Græci ad finem Novembris cum novem triremibus iter ingressi, Venetias appulerunt ad principium Februarij sequentis. Ita Patritius. De quibus breviùs agens Blondus [a]; tacitis Episcopis Diniensi & Portugalensi, ait Garetonum à Pontifice missum persuasisse Imperatori, ut quæ Basileenses ei impossibilia obtulissent, à Pontifice majora melioráque spondente acceptaret: eâ tamen adhibitâ modestiâ, ut illius partium triremes conscendere, illiúsque destinatum Concilio locum accedere promitteret: Tum Pontificem Venetorum auxilio triremes necessarias, & ballistarios ac pecunias à Basileensibus promissas brevì misisse: parique celeritate, sed longè dispari rerum omnium apparatu, armatas apud Massiliam Avenionémque triremes misisse Basileenses: sed conscendisse Imperatorem Pontificis classem.

[a] Blond. 3. dec. 8. in fin.

GRÆCI INHÆRENT EUGENIO.

V.

Ad quod eum hortaturus vir doctissimus *Georgius Trapezuntius* (ita ab antiquâ familiæ origine dictus, cùm natus ipse in Cretâ esset) luculentam scripsit [b] epistolam: quâ in Basileense Concilium vehementissimè invectus, eò quòd non aliud iniquis decretis suis & pravis in Eugenium verum Pontificem machinationibus, quærere dignosceretur, quàm ut Ecclesiam schismate perderet, & Pontificatum iterùm in Galliam, vel in Germaniam transferret; cui qui adessent non Synodi populares, sed viri sanguinum & Concilium malignantium vocandi essent: graviter monebat ne ad illos accederet, vel aliũ locum ab iis indictum: Id enim præterea indecorum ei futurum, si ad Synodum œcumenicam jam coactam ipse accederet; cùm ejusmodi celebrandarum Synodorum primæ semper partes post Romanum Pontificem Imperatoris fuissent. Iis igitur valere jussis, in Italiam navigaret Synodum sanctam & legitimam cum Romano Pontifice celebraturus: alioquin enim ampliùs eum Ecclesiam scissurum, cujus unionem percupere præseferret, & porrò perficeret si cum Pontifice concors esset. Econtrà verò Phranzes [c] hoc totum iter Imperatoris, Synodíque celebrationem omninò improbavit, addictus nimiùm Græcorum schismati: Idque etiam Amuratem Regem Turcorum dissuadere conatum esse scribit, eò quòd vereretur ne si unio doctrinæ cum Latinis fieret, unirentur etiam arma contra Turcos: eâque solâ ratione destitisse ab obsidione urbis Constantinopolitanæ, quam statim post discessum Imperatoris animo conceperat, dum videret quid in Italiâ geretur. Ante quæ idem Phranzes disputationem recitaverat cujusdam Hebræi nomine Xeni cum ipso Imperatore de Christo, multísque religionis Christianæ articulis. Cujus is fuerit exitus, ut Hebræus religionem Christianam professus sit baptismum susceperit, & pro Xeno Emmanuelis nomen acceperit. Quâ disputatione intelligas, fuisse Imperatorem in rebus fidei apprimè versatum, ac propterea facilius ei fuisse orthodoxæ Latinorum doctrinæ acquiescere. De cujus Venetias appulsu dicetur anno sequenti, quo contigit. Nunc ad gesta Concilij Basileensis remigrandum est.

[b] Edidit Pontan. Gr. & Lat. post. Histor. Phranz.

GEORGII TRAPEZUNTII EPISTOLA PARÆNETICA AD IMPER. CÕSTANTINOP. CONTRA BASILEENSES.

[c] Phranz. lib. 2. c. 13.

IMPERATORIS GRÆCI DISPUTATIO CUM HEBRÆO, CUJUS VI FIDEM SUSCEPIT.

VI. FACTIOSI BASILEENSES EUGENIO DIEM DICUNT.

Cùm audîssent igitur factiosi illi Basileenses, Eugenium alterius partis decretum de loco confirmâsse, acriùs in eum irritati (ut iisdem Actis traditur) decretum contra eum confecerunt, (protestantibus in contrarium Cardinalibus S. Sabinæ & S. Petri, ac plerisque optimis Patribus) quod habetur in Actis Binianis Sessione XXVI. quamquam Patritiana id assignent Sessioni vigesimæ septimæ, & sic deinceps in aliis numero semper Binianam subsequantur, eò quòd ejus XXV. ut diximus in

SESSIO XXVI.

duas secuerint. Hâc igitur *Sessione XXVI.* habitâ die Mercurij pridie Calendas Augusti, iidem factiosi non sine magnâ contentione. Eugenium Pontificem insimulantes incuriæ in rebus Ecclesiasticis, imperitæ officij sui administrationis, simoniæ, dilapidationis, prævaricationis, inobedientiæ decretis Concilij, & aliorum ejusmodi criminum; rursùm ei ac Cardinalibus ejus publico monitorio diem dixerunt ad diem sexagesimum. *Sessione* verò *XXVII.* celebratâ die Iovis sexto Calendas Octobris, nullam declarârunt promotionem Ioannis Vitellij Patriarchæ Alexandrini & Archiepiscopi Florentini ad Cardinalatum; utpotè contra decreta Concilij ab Eugenio factam. Necnon literas de locorum Florentiæ & Vtini pro futuro Concilio nominatione, quæ clandestinè & contra Concilij ordinationem fuissent sigillatæ. Declarâruntque civitatem Avenionensem ac Comitatum Venaissini non posse vendi, pignori obligari, in feudum vel censum dari, vel alio quovis modo aut quocumque prætextu alienari. Timebant enim ei, eò quòd promptam se exhibuisset in pecuniis Synodo contra Eugenium annumerandis. Atque ut Sigismundum Imp. in suas partes traherent (ut eadem Acta Patritiana habent) literis suis ei significârunt se triremes Constantinopolim misisse ad Græcos advehendos: quòd verò hæc Eugenius interturbaret, se diem ei dixisse: proindè orare, ut suâ auctoritate Concilium tueretur. Ad quæ Imperator molestè se has dissensiones audire respondit: hortari ut maturiùs se gererent; caveréntque ne qui Græcos ad unionem vocarent, Latinos majori scissione distraherent: Supersedendum esse in processu contra Eugenium; & exquirenda omninò Regum ac Principum consilia, quorum auxilia sint posteà imploraturi: Alioquin se cum suis Principibus Eugenio non defuturum. At nihilominùs Basileenses perseverantes in suo proposito, elapso termino sexaginta dierum habitâ *Sessione XXVII.* die Martis primâ Octobris quantâ potuerunt celebritate quæ in eâ describitur, præsidente Episcopo Vicensi Hispano ditionis Aragonicæ, promotoribus Concilij Eugenium contumacem declarari petentibus, quòd in termino peremptoriè præfixo non comparuisset nec per se nec per procuratores: is sententiâ Concilij declaratus est contumax; ac propterea contra eum procedendum esse ad ulteriora. Quo tempore Regis Hispani legati (ut observant Acta Patritiana) recessêre: eique decreto se Regis sui & Prælatorum atque nationis nomine minimè consentire contestati sunt.

SESSIO XXVII.

ARGUUNTUR A SIGISM. IMPER.

SESSIO XXVIII.

EUGENIŪ CONTUMACEM DECLARANT.

VII. EUGENII LITERÆ PUBLICÆ DE TRANSLATIONE CONCILII.

Intereà verò Eugenius hinc de eorum ausis certior factus, illinc de felici successu negotiationis Constantinopolitanæ certam spem habens; in medio grandium afflictionum suarum animum resumens, literas publicas translationis Concilij edidit decimo-quarto Calendas Octobris: quarum contextu multa lux affertur rebus jam enarratis. Quippe post declarata quæ inter ipsum ac Synodum Basileensem Græcósque intercessissent; imprimis Basileenses arguit, quòd civitatem Avenionensem, in conventionibus non comprehensam, atque à Græcis disertè ac sæpè repudiatam, támque ipsis quàm etiam Pontifici valdè incommodam, inscio etiam ipso nec monito, ad celebrationem Oecumenici Concilij elegissent. Deinde narrat misisse se Basileam Ioannem Archiepiscopum Tarentinensem, unum ex præsidentibus Concilij, cum mandatis ad Ioannem S. Petri ad Vincula, & Iulianum S. Sabinæ Cardinales Apostolicæ Sedis Legatos, ut quibuscumque modis persuadere Patribus conarentur, ad omnem dissensionem tollendam locum eligerent qui gratus esset Græcis, & ipsi Pontifici commodus atque accessu facilis: Iis verò nequicquàm hæc agentibus, sedandi tumultûs causâ eò deventum esse, ut nisi intra præstitutum diem Avenionenses promissas pecunias persolvissent, integrum jam esset alium locum eligere: Cùm autem Avenionenses non satisfecissent, Legatos ac præsidentes Concilij, aliósque ex Prælatis plurimos, & omnes fermè Regum Principúmque oratores, procuratores Prælatorum, Theologósque & Doctores, saniorem Concilij partem facientes, cæteris requisitis nec adesse volentibus, Florentiam aut Vtinum elegisse, sive alterum quemlibet locum in decreto conventionis comprehensum, qui pecunias aliásque res advectioni Græcorum necessarias maturiùs parâsset: Idque Pontificem ipsorum postulatione confirmâsse, & ad rem conficiendam operam dedisse ut quatuor triremes & alia necessaria ad Græcos mitterentur: His auditis ab iis qui Avenionem præferebant, primùm in prædictum Archiepiscopum Tarentinensem, qui decretum de Florentiâ aut Vtino transmiserat, variis modis sævîsse, procuratorem ejus pro justitiâ illius in congregatione generali & Ecclesiâ majori loqui volentem injectis manibus percussisse, ac per capillos in carcerem trahere conatos esse; adeò ut prædictus Cardinalis S. Sabinæ de sublatâ Concilij libertate publicè protestari habuerit. Post has autem, atque alias quibusdam è suis illatas injurias recensitas, veniens Eugenius ad monitorium contra se Pontificem conflatum, significat obstitisse ei totis viribus prædictos Cardinales S. Petri & S. Sabinæ: sed eis non auditis, tantâ præcipitatione cæteros rem egisse, ut contra ipsiusmet Concilij ordinem, eadem die & generalis congregatio, & Sessio, quod nunquam vel in minimis negotiis factum fuisset, repentè sint habitæ: Legatis, ac plurium Principum oratoribus, Prælatísque plurimis, nullâ ratione, licèt minis excitis, tanto facinori interesse sustinentibus: Ipsúmque Sigismundum Imperatorem cùm rem audivit, vehementer exhorruisse; ac protinùs Petrum Episcopum Augustanum Basileam misisse, qui eos hortaretur ab ejusmodi scandalis abstinere, & quod egissent revocare: quod illi facere neglexerunt. His igitur & aliis de causis, idem Pontifex de consilio & assensu Cardinalium qui secum erant, plurimorúmque aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, cæterorúmque Prælatorum in Curiâ existentium; prædictis suis Literis, si Basileenses in obstinato suo adversùs ipsum Eugenium, eíque obaudientes, proposito perseverarent, auctoritate Apostolicâ & de plenitudine potestatis, civitatem *Ferrariensem* pro futuro Oecumenico Concilio assignare se, & ad illam omnes convenire mandare; locum Græcis gratum, in decreto conventionis comprehensum, cæteris

AUDACIA FACTIOSORUM BASIL.

CONCIL. TRANSFERTUR FERRARIAM.

omnibus commodum: ad quem ad hoc tempore Basileensi Concilium transferre, ac translatum esse declaravit pro omnibus causis pro quibus fuerat Basileæ congregatum: Exceptâ dumtaxat Boëmorum causâ quoad articulum communionis sub utrâque specie; quem solum voluit Basileæ tractari infra triginta dies. Huicque Eugenij declarationi subscripserunt unà cum ipso octo Cardinales qui tunc apud eum erant: extátque illa in Appendice editionis Binianæ. Præter quam scripsit etiam ad quamplurimos Prælatos, Generales Ordinum, ac Principes speciales de iisdem literas, quibus eos ad Concilium Florentinum evocabat.

VIII. SESSIO XXIX. BASILEENSES CONTRA AGUNT.

Cui quibus tantum abest ut obedierint Basileenses, ut contrà eâ acceptâ, publicâ *Sessione XXIX.* habitâ die Sabbati 4. Idus Octobris, omnes & singulas criminationes, objectiones, & rationes Pontificis, confutare ac diluere conati sint, & dissidij causam in Pontificem rejicere. Eáque propter dissolutionem Concilij, ac translationem, nullas esse declarârunt: præcepe
rúntque eidem illas revocare; alioquin incursurum ipsum in pœnas olim à Synodo adversùs Romanum Pontificem id tentare audentem prolatas: quibus cavebatur, si infra quatuor menses non resipisceret, à Papatu esset ipso facto suspensus; & si alios duos menses obduratus maneret, contra ipsum per privationem procederetur. Prohibuêre insuper, nequi Ferrariam ire aut mittere, aut à Basileâ ac Concilij ibi existentis decretis abire auderent, sub pœnis excommunicationis & interdicti. Qui & prætereà, quòd nonnullus defensionem Eugenij à criminationibus ei in monitorio adversùs eum confecto impactis edidisset; epistolam [d] prolixam ad omnes Christi Fideles publicârunt decimo-quarto Calendas Novembris, quâ monitorium suum æquitate inniti, defensiones aut excusationes non accipiendas esse probatum voluerunt. Ad hæc verò tanta in Eugenium audenda, fuisse eos maximè ab Alfonso Aragoniæ Rege animatos, præ invidiâ in Pontificem ob præstitutum ab eo favorem parti Renati competitoris Alfonsi, in adeptione regni Siculi seu Neapolitani, quam Alfonsus jure vel injuriâ, & vafritie magis quàm virtute Christianâ aut militari, vehementissimo nisu appetebat; ex Suritâ [e] regio Aragoniæ historico abundè intelligi datur.

[d] *Extat inter epist. Synodal.*

ALFONSUS REX ARAGON. SCHISMATIS PROMOTOR.

[e] *Sur. lib. 14. c. 40. & seqq.*

IX. SESSIO XXX. DECLARATIO DE COMMUNIONE EUCHAR. AD BOEMOS.

Sessione XXX. celebratâ die Lunæ decimo Calendas Ianuarij, actum est de modo communionis Eucharisticæ Boëmorum, cujus declarationem vidimus anno superiori remissam è Boëmiâ ad Synodum fuisse. Decreverunt autem fideles Laïcos, sive Clericos communicantes & non conficientes, non adstringi ex præcepto Domini ad suscipiendum sub utrâque specie sacrum Eucharistiæ sacramentum: Ad Ecclesiam pertinere, decernere quomodò ministranda sit: Sive autem sub una specie, sive duplici, nullatenùs ambigendum esse quin sub qualibet sit integrè totus Christus: Consuetudinem communicandi sub unâ ab Ecclesiâ & sanctis Patribus rationabiliter introductam, pro lege habendam esse: nec alicui licitum esse eam reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiæ immutare. Cæterùm quamvis propter bonum pacis fuerit Boëmis permissum in Compactatis, communicare Laïcos sub utrâque specie, certis conditionibus ibi appositis; illi tamen nunquam eas servârunt, ut Cochlæus [f] de iis agens observat. Cúmque eorum oratores plus peterent à Concilio quam in Compactatis contineretur; ea vel rejecta fuêre à Concilio, vel explicata: quæ qualia fuerint, idem Cochlæus narrat; continentúrque uberius in tractatu [g] de Gestis cum Boëmis.

[f] *Cochl. Hist. Hussit. l. 8.*

[g] *Extat ant. Conc. Basil. & in Hist. Boëm. Æn. Silv. edit. 1602. post. cap. 50.*

X.

Intereà præsentiens Sigismundus Imperat. (inquit Krantzius [h]) in urbe Pragâ reviviscere plantaria mala, eáque extirpare contendens, cùm nonnulli vel sibi timentes, vel quibus tranquillitas gravis videretur, in eum conjurâssent; id ubi rescisset, absque tumultu quatuor & viginti captos publice gladio affecit. Deinde suspectam [i] ducens fidem aliquantorum, in Hungariam eos misit suppetias contra Turcos. Quibus Hungari aucti, ducentes in Turcos, magnam eorum stragem ediderunt: multis tamen ex Boëmis pereuntibus, sapiente Imperatoris instituto, ut vel vincentes vel cæsi prodessent. Ipse verò Imperator ægrotare incipiens, exaugente morbum senectutis incommodo, è vitâ excessit die Dominicâ octavâ Decembris in festo Conceptionis Beatissimæ Virginis in urbe Znoymâ Moraviæ, ubi Albertus Austriæ Dux ipsius gener agebat cum filiâ Elisabethâ Alberti conjuge: cùm æger se Pragâ educi curâsset, metu seditionis in Hungaros qui cum ipso erant post ipsius obitum concitandæ: eóque maximè quòd ipsius conjux Barbara Augusta, licèt anus, jam tractare cum nonnullis Boëmorum Baronibus cœpisset de novo conjugio post viri obitum, cum Rege Poloniæ adhuc penè puero contrahendo, in detrimentum prædictæ filiæ suæ Elisabethæ; quam & propterea idem Imp. ibidem Znoymæ custodiæ tradi jussit, mulierem luxuriæ perditæ; ut hæc narrat Æneas [k] & ex eo Bonfinius [l], Nauclerus, Cochlæus, Dubravius. Thurosius [m] autem ait, obiisse illum ex paralysi anno ætatis septuagesimo, regni Hungarici quinquagesimo primo, Romanorum vigesimo septimo, Boëmici decimo-septimo, Imperij quinto. Ejus civiles virtutes, ac præclara pro fide Catholicâ & pace Ecclesiæ gesta, (quibus magis excelluit fortunatúsque fuit, quam armis aut robore bellico) satis superiùs variis ac multis locis patuerunt, quas in unum colligens Bonfinius, atque oratoriè amplificans, egregiè ut solet descripsit; necnon corporis habitum, quem talem esse concludit, ut nihil ampliùs ei ad decorum augustæ majestatis adjicere natura potuisset. Corpus delatum in Hungariam, sepulturæ traditum est in Ecclesiâ Varadiensi S. Ladislai, ex supremâ ejus voluntate. Quem breviter simul & copiosissimè laudans Trithemius [n], ait fuisse amatorem Dei, defensorem Cleri, & pauperum advocatum; sepultúmque non sine opinione sanctitatis. Eo verò maximè culpatus reperitur, quòd frequenter alienos thoros maculavit: cúmque uxorem suam sæpiùs in adulterio deprehendisset, adulter adulteræ ignovit. Sed hæc posteà pœnitentiâ deleverit. Inter cujus plurimas constitutiones reperitur [o] etiam præclara una ac pia de privilegiis & immunitatibus Clericorum; quâ antiquas Friderici II. & Caroli IV. confirmans, multa alia addidit ad firmiorem Ecclesiasticæ libertatis usum ac possessionem.

[h] *Krantz. 12. Vvand.*

[i] *Ibid. cap. 4.*

SIGISM. IMPER. OBITUS.

[k] *Æn. cap. 55.*

[l] *Bonfin. 3. dec. 3. Naucler. gen. 49. Cochla. l. 8. in fin. Dubrav. lib. 27.*

[m] *Thuros. Chron. Hungar. in Sigis. cap. 24.*

EJUS DOTES ANIMI ET CORPORIS.

[n] *Trithem. in Chron. Sponheim.*

[o] *Ap. Bzov. hoc an. ex Goldasto in Collect. Const. Imp.*

XI. TURPISSIMA ET IRRELIGIOSISSIMA VITA BARBARÆ AUGUSTÆ.

De prædictâ verò Sigismundi conjuge non tacendum, quod iidem auctores [p] decantatissimum esse voluêre: eam libertati restitutam apud Grecium Boëmiæ vitam inter concubinos egisse turpissimam, viro sæpius petentem quàm peteretur; neque Christianæ, neque alteri cuipiam Religioni adstrictam; quæ superos inferósque ullos esse negaret; & ancillas suas jejuniis aut orationi vacantes graviùs increpare consuesceret, quòd corpus suum frustrà macerarent, fictúmque cœli numen placari verbis crederent: somniaréque eos qui alteram vitam intruderent: Ejus tamen corpus post multos annos defunctæ, quamvis profanæ & infidelis, Boëmos Pragam tulisse; peractóque funere ritu Ecclesiastico in sepulchris Regum condidisse. Ita plerique ex eodem Æneâ in Historiâ Boëmicâ: qui nihilominùs alibi [q] cordatam mulierem vocans, ait se à nonnullis audivisse eam ut Christianam decuit supremum spiritum emisisse.

[p] Æn. c. 55. & 59. Naucler. ibid. Bonfin. lib. 7. Cochl. ibid. 2. Dubra. l. 28.

[q] Æn. ep. 130.

XII. QUO JURE ALBERTUS DUX AUSTRIÆ SUCCESSERIT IN REGNA SIGISM.

Reliquit Sigismundus moriens regnorum suorum Hungarici & Boëmici hæredem prædictum *Albertum* generum suum; non solùm jure propinquitatis, quo filiæ marito debebatur successio; verùm etiam antiquo fœdere, quod inter Boëmiæ Reges & Austriæ Principes intercedebat, de alterutrâ successione in iis Principatibus, deficientibus hæredibus masculis. Ita enim idem Æneas [r], & ex eo, ut reliqua, Bonfinius [s] & Cochlæus. Sed quod de mutuo fœdere habent; quamvis sciamus multos quoque alios illud agnoscere; non tamen Dubravius Boëmicæ historiæ scriptor. Nescimúsque quid sit, quod Cuspinianus cùm in Historiâ Imperatorum illud item agnoscat, in Austriâ tamen disertè scribat, Albertum astu Sigismundi soceri sui sortitum esse duo illa regna. Quis enim alius hic astus? Sanè Friderici II. Imp. diplomate confirmato à Carolo IV. patre hujus Sigismundi, quod recitat de his agens Cochlæus [t], disertè tradit, quotiescumque de progenie aut prosapiâ regali Boëmiæ masculus vel femina superstes non fuerit, ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles, & Communitatem Regni pertinere Regem sibi eligere: nullâ penitùs factâ mentione prædicti fœderis quod non videtur debuisse omitti. Denique ne hujusmodi excutiendis vaframentis, si quæ tunc, & quæcumque fuerint; immoremur; proculdubiò qui historiam Domûs Austriacæ scrutatus fuerit, omninò reperiet eam in tantam potentiam, quâ divino nutu meritóque gloriatur, ex solis ferè nuptiarum fœderibus, (Indiam Occidentalem excipimus, quam dono Romani Pontificis possident) & fecundâ familiæ sobole pervenisse: cui & Deus ob manifestam fidei Catholicæ defensionem imprimis benedixit: & porrò benedicet uberiùs, dum quod foris præsefert coram hominibus, etiam intùs apud Deum gerat. Fuit autem Albertus multis virtutibus præditus; adeóque à Sigismundo laudatus, & iis populis commendatus, ut beatum fore diceret imperium, quod ejus ductu & auspiciis gereretur: quippe cui religio, pietas, magnificentia, æquitas, & prudentia singularis esset insita: quíque rerum experientiâ, ac morum excellentiâ usque adeò præstaret, ut si etiam infensus ipsi Sigismundo extitisset, res tamen ipse suas in tanta bonorum Principum orbitate ei committere coactus fuisset. Quibus ab optimo socero in bonum generum ad obsequentes populos ultimo vitæ termino, tenero affectu prolatis, haud difficile fuit eos in suam sententiam allicere. Quomodò verò tam illa regna Albertus, quàm etiam Imperium adeptus sit, dicetur anno sequenti.

[r] Æn. dec. 55.
[s] Bonfin. l. 4. in pr. Cochl. l. 8. in fin. & 9. in pr.

[t] Cochl. l. 9.

AUSTRIÆ DOMÛS POTENTIA UNDE PROCESSERIT.

INSIGNE ELOGIUM ALBERTI DUCIS A SOCERO IMPER.

XIII. LUSITANORUM CLADES IN MAURITANIA.

Hoc eodem anno magnâ clade Lusitani in Africâ attriti sunt. Cùm enim nequeuntes Regis fratres, qui quinque numero erant, in angustis illius regni finibus opes amplificare, aut nomen dilatare; in Africam arma transferre cogitâssent, regionem amplissimam, & Christianis infensissimam: impetratâ ab Eugenio Papâ veniâ peccatorum omnibus qui sacro ei bello nomen acceptâ Cruce darent, Ferdinandus Avisij Magister cæteris fratribus ardentior, contra plurimorum sententiam, qui nonnisi totis regni viribus transmittendum censebant, cum solis sex millibus armatorum in Africam navigavit. Vbi cùm Tingin urbem olim nobilissimam obsidione cinxisset, venientibus suppetias sexcentis millibus peditum, septuaginta equitum, post acrem pugnam intra munimenta obsessus, nullo fugæ loco; Septam à pluribus annis Lusitanorum fortitudine captam, dummodò suis incolumibus abire liceret, restituere promisit; remanenti ipsomet obside cum aliis viris primariis. Rege autem ipsius fratre hanc conditionem injussu suo pactam, irritam declarante, Ferdinandus in pœnam præcipitis suæ temeritatis captivus usque ad obitum permansit. Rem ex antiquioribus desumptam narrat Mariana [u]; qui deinde mortuum ponit anno 1444. laudátque de vitâ sanctâ, moribúsque castissimis, adeò ut muliebri nunquam fœdatus sit contactu, nunquàm in vitâ mentitus, Deum ardentissimâ pietate coluerit. Quanta verò mala passus sit in carcere, quæ opprobria, quas calamitates, quantâque patientiâ ea omnia pertulerit; videre est in ejus Vitâ, quam Chrysostomus Henriquez, utpote ad Ordinem Cisterciensem, ratione Militiæ Avisiensis, pertinentis, Fasciculo [x] suo inseruit: ubi & miraculis claruisse post obitum dicitur. Corpus multis post annis à quodam Mauro furtivè in Lusitaniam delatum ingenti pompâ exceptum est, ac juxta patrem conditum.

[u] Mar. l. 21. cap. 12.

INSIGNIS VIRTUS FERDINANDI PRINCIPIS LUSIT.

[x] Fascic. SS. Cisterc. lib. 2. dist. 38.

XIV. FURES SACRI EGREGIE PUNITI.

Anno item præsenti mense Decembri detecti fuêre Romæ captíque fures, qui Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli in Basilicâ Lateranensi, magnâ parte pretiosissimarum gemmarum & unionum ad æstimationem triginta millium aureorum, quibus eorum thecam argenteam ornatam vidimus [y] per Vrbanum PP. V. spoliaverant. Duo fuêre beneficiati ejusdem Ecclesiæ è regno Neapolitano, qui furtum duabus vicibus factum cùm Capita populo de more demonstraturi eduxissent, apud ipsorum patruum Canonicum deposuerant. Fuêre patruus & nepotes primò caveis ferreis publicè in Campo Floræ expositi: deinde patruus asino impositus cum mitrâ papyraceâ in quâ erant depicti duo diaboli, & nepotes caudis equorum tracti, in plateâ Lateranensi dextris abscissis igne combusti sunt, cùm ante omnia sacris exauctorati fuissent. Quæ historia ad memoriam posteritatis, & terrorem cæterorum, in muro basilicæ depicta fuit & descri-

[y] Suprà an. 1368. I.

XV. pta narratúrque à Ciacconio in Eugenio IV.

Quo item anno ponitur à Trithemio [z] (ab aliis anno sequenti:) obitus *Pauli de Castro* Iurisconsulti, omnium propemodùm sui temporis celeberrimi atque disertissimi; ut ex ejus operibus quæ extant intelligitur. Obiit autem Patavij; ubi, atque Florentinæ, Bononiæ, & Senis, 57. annos laborem docendi sustinuisset.

[z] Trith. de Script. Eccl.

Pauli de Castro Iurisc. obitus.

Iesu Christi Annus 1438.

Eugenii IV. An. 8.

Alberti II. Ann. 1.

Ioannis VI. Annus 20.

I. Anno Christi 1438. Indict. primâ, in Concilio Basileensi tam inter se Patres quàm cum Eugenio Pontifice; & in Ferrariensi, eodémque facto per translationem Florentino, tam Græci inter se quàm cum Latinis decertârunt; sed vario exitu Basileensibus funesto, Florentinis fortunato. Nec mirùm cùm duceret Florentinos Spiritus unionis, versaret Basileenses turbo divisionis. Quæ uti se habuerint, ordine temporis breviter narraturi, à Basileensibus ordiemur. Qui nono Calendas Februarij XXXI. celebrantes sui conventûs *Sessionem*, tria promulgârunt decreta: primum de causis litigantium ad Romanam Curiam deferri solitis; ut omnes qui ultra quatuor dierum iter Româ distarent, in partibus propriis suas (exceptis majoribus) agitarent; rejicerentúrque appellationes frivolæ: legitimæ verò hoc tempore contingentes, non apud Eugenium aut Synodum Ferrariensem, sed Basileæ judicarentur. Secundum de collationibus beneficiorum; ne Romanus Pontifex ullas deinceps expectativas aut reservationes concederet, & jam factæ irritæ essent: ac beneficia non nisi doctis & literatis conferrentur, eo ordine & modo qui in decreto præscribitur; ubi speciatim agitur de Theologo, qui in singulis Ecclesiis cathedralibus esse debet. Tertium nominatim contra Eugenium Papam; quem ob contumaciam ab omni administratione Pontificatûs suspenderunt, eámque ad Concilium devolutam esse declarârunt: decernentes irritum atque inane quicquid durante hâc suspensione per Eugenium fieret; & tam Reges ac Principes in virtute sanctæ obedientiæ monentes, quàm quibuscumque Ecclesiasticis cujuscumque ordinis & dignitatis sub pœnâ excommunicationis, suspensionis, ac privationis prohibentes ne Eugenio ullatenùs obedirent, aut ad ipsum accederent; sed omnes infra quadraginta dies ad Synodum venirent. Ita in Actis editis. Habent autem prætereà Patritiana, Basileenses, ne Romanæ Ecclesiæ provinciæ, interdicto Eugenio, sine administratore remansisse viderentur, collegium Duodecim virorum instituisse quod earum curam gereret, ternos ex qualibet natione: ab his constitutos esse legatos de latere qui eas regerent, sed istos ejusmodi administrationem recusâsse; intercessisséque multas alias de his turbas & dissensiones: Iulianum Cæsarinum Cardinem S. Sabinæ Concilij præsidem, qui tanto olim animo pro eo steterat, ubi vidit rem in apertum schisma proruere, ac Basileenses in proposito deponendi Pontificem obstinatos permanere, Basileâ discessisse 5. Idus Ianuarij: Cæterisque Cardinalibus pariter abeuntibus, solum relictum esse *Ludovicum* Cardinalem Arelatensem: quem qui perstiterât Patres præsidem cum plenâ potestate crearunt: Dictam esse diem Archiepiscopo Tarentasiensi, quòd contra Concilium egisset, torturæque exposuisset fecialem Ducis Sabaudiæ per Concilium in Græciam missum: Vocatósque ad causam Diniensem & Portugalensem Episcopos, ac Nicolaum de Cusâ, quòd falsò se appellâssent Concilij legatos ad Imperatorem Græcorum: de quibus omnibus dictum est anno superiori.

Basileensium Sessio XXXI. Decreta de litibus.

De collationibus beneficiorum,

Et de suspensione Eugenii Pontif.

XII. Viri administratores patrimonii Eccl. Rom. constituuntur.

Cardinales deserunt Basileam uno excepto.

II. Convenerant interim (pergunt eadem Acta Patritiana) Ferrariæ Patres complures, ex vocatione Eugenij Pontificis, Concilij celebrandi gratiâ: & Nicolaus Albergatus Cardinalis Sanctæ Crucis Eugenij nomine Concilio præsidens *Primam Sessionem* solemni more habuit quarto Idus Ianuarij præsentis anni 1438. (existente tunc Episcopo Ferrariensi *Ioanne*, qui cum aliis recensetur in Actis, unà cum Petro olim Ferrariensi Episcopo, & subscriptus reperitur Concilio Florentino.) In qua Sessione decretum est, Eugenium ob causas justas & necessarias, de Consilio Senatûs, approbantibus laudantibúsque Prælatis Romanæ Curiæ transtulisse Ferrariam Concilium Basileense: eamque translationem legitimam & canonicam existere: ac proinde Concilium Ferrariense Oecumenicum ritè ac legitimè congregatum esse, deberéque illud incumbere unioni navandæ cum Græcis, consummationique rerum illarum quæ Basileæ inchoatæ nondum perfectæ essent: Cuncta per Concilium Basileense gesta post translationem irrita esse ac nulla; nisi fortè pro reductione Boëmorum aliquid egerint utile, quod sacrum Concilium Ferrariense approbabit: Omnes qui in verba olim Concilij Basileensis jurâssent, absolutos liberósque esse eo juramento. Cùm verò post hæc audito Græcorum Venetias adventu, Eugenius Pontifex Ferrariam è Bononiâ accessisset; habitâ *Sessione Secunda* decimo-quinto Calendas Martij, gesta Basileensium damnata fuisse iterùm, Prælatósque omnes jussos inde discedere intra dierum triginta spatium, sub pœnâ excommunicationis & privationis: & cives Basileenses, nisi eos qui ultra id temporis remanerent ejicerent, in eâdem esse censurâ: Resipiscentibus impunitatem concessam, & omnium injuriarum remissionem: Imperatorem denique Græcorum ex urbe Venetiarum Basileensibus significâsse in Italiam se venisse, ut impleret promissa pro unione; & quòd ipsi non satisfecissent conventis, se Ferrariam petiturum; hortarique Patres, ut & ipsi eò se conferrent.

Sessio I. Cõcilii Ferrariensis.

Stabilitur Concil. Ferrariense.

Sessio II.

Basileensis conventus interdicitur.

III. Ita summatim in Actis Patritianis: quæ quoad prædictas Sessiones Ferrarienses confirmantur etiam per responsionem Basileensium, quæ extat in ipsorum Actis editis [a]; factam, ut dicunt, ad fundamenta & rationes primæ & secundæ Sessionum Conventiculi Ferrariensis, ut vocant; convellenda; promulgatáque ad universos Christi fideles è suâ congregatione generali Idibus Martij ejusdem præsentis anni; eo

Basileensium pervicacia.

[a] Int. Epist. Synod.

fine ut cunctis persuaderent, Papam in erigendo aliud Concilium Ferrariæ contra quod priùs statutum fuerat, introducere schisma in Ecclesiam: nihil non omittentes quo ipsum odiosum reddere, sibique favorem & auxilium Principum ac populorum conciliare possent. Quod verò habent Acta Patritiana de literis Imperatoris Græcorum ad Basileenses scriptis, testatur id ipsum Eugenius Pontifex in decreto promulgationis Synodi Ferrariensis de consensu Græcorum posteà, ut videbimus, facto. Et quod subdunt, multos quoque alios Principes hortatos esse Basileenses, ut à processu contra Eugenium supersederent; id quidem imprimis præstitisse Electores Imperij, intelligitur ex aliâ Responsione [b] eorumdem Basileensium jam anteà factâ illorum oratoribus in Congregatione generali decimo-sexto Calendas Februarij; quâ excusabant quòd non possent eam diutiùs differre: promittentes nihilominùs haud se ad ejus dispositionem nisi cum magnâ maturitate processuros.

[b] In Act. Basil. ibid.

IV.

Sed quoniam jam nobis copia est integrorum Actorum Synodi hujus Ferrariensis, beneficio ac diligentiâ Horatij Iustiniani Custodis primarij Bibliothecæ Vaticanæ, in quâ illa delitescebant: ne quid ea Synodus minùs habeat à nobis, quàm cæteræ quarum hactenùs gesta recensuimus; singula ejus capita dilucidiùs in gratiam electorum, breviter tamen more nostro, describenda existimavimus. Cùm igitur omninò decrevisset Eugenius Concilium Ferrariæ celebrare, imprimis *Nicolaum Albergatum* Ordinis Carthusiensis Presbyterum Cardinalem S. Crucis, magni illum nominis majorúmque virum meritorum, de quo sæpè superiùs, ad illud suo & Apostolicæ Sedis nomine inchoandum delegit cum plenâ potestate Legati de latere: literis ad eum hâc de re scriptis Bononiæ quarto Nonas Ianuarij, anno ut in iis ponitur 1437. ab Incarnatione Domini: more scilicèt Romanæ Cancellariæ, quæ annum ab eâ, hoc est 25. Martij inchoare consuevit; respondétque præsenti 1438. inchoato à Calendis Ianuarij. Iis autem literis acceptis Nicolaus Ferrariam confestim se transferens; die Mercurij octavâ ejusdem mensis Ianuarij in Ecclesiâ Majori Ferrariensi conventum habuit, unà cum quinque Archiepiscopis, Episcopis duodeviginti, quatuor Electis, Generale Camaldulensi, aliisque decem Abbatibus, Generalibus Augustinianorum & Servorum, Provinciali Dominicanorum per Lombardiam, & Minorum Procuratore generali: & post publicam supplicationem ac processionem, Missámque de Spiritu S. per Thomam Ravennatensem Archiepiscopum cantatam, (infra cujus solemnia Fr. Martinus Rogas Vallisbonæ Abbas sermonem habuit) aliaque adhibitas consuetas Conciliorum Oecumenicorum solemnitates: ad ejusdem Synodi è Basileâ translatæ continuationem, & Ferrariæ inchoationem legi publicè fecit per Christophorum de Rogeriis canonicum B. Mariæ majoris de Vrbe Promotorem Concilij, decretum olim Basileæ factum electionis loci pro Concilio transferendo; & literas seu constitutiones Eugenij, translationis Ferrariam, salvi-conductûs Græcorum, & facultatis dicti Legati; necnon alias salvi item conductûs Nicolai Estensis Marchionis Ferrariæ pro libertate & securitate Concilij in eâ civitate, ac de obsequiis & servitiis ab eo præstandis: Hísque peractis, Synodum à civitate Basileensi ad Ferrariensem fuisse & esse translatam, ad omnia ad quæ Basileensis instituta fuerat, necnon ad unionem Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ; ex scripto pronunciavit & declaravit.

INITIUM CONCILII FERRARIENSIS.

V.

Die Iovis sub sequenti nonâ Ianuarij, statuta sunt ab Antistitibus per Synodum delegatis nonnulla Advisamenta, ut vocant, seu consilia, vel sententiæ in publicâ Sessione posterâ die publicandæ. Quâ, nempè die Veneris decimâ mensis, seu quarto Idus Ianuarij, eadem *Sessio Prima* celebrata est: cui præter illos qui initiationi Concilij interfuerant, adstiterunt nonnulli alij Episcopi & Generales Ordinum Minorum & Prædicatorum, aliíque Doctores qui interim Ferrariam appulerant. In quâ post consueta solemnia, votáque à singulis petita super dictis Advisamentis, & Missam de Spiritu S. per Ioannem Episcopum Ferrariensem cantatam, aliásque preces recitatas; Aloysius sive Ludovicus Episcopus Foroliviensis Ordinis Minorum, Synodi jussu ex ambone legit Decretum Synodale inde factum: quo translatio Synodi Ferrariam legitimè & justis atque urgentibus de causis facta esse declarata est; nec ei obstare ullo modo posse decreta octavæ & undecimæ vel alterius cujuscumque Sessionis Basileensis: & quæcumque ibidem Basileæ post translationem agi contigisset, (exceptis quæ Boëmos tangerent) aut porrò contingeret, inania & irrita pronunciata sunt: ísque cœtus, & alius quicumque alicubi fieri posset sub nomine generalis Concilij, illegitimus renunciatus: denique prohibitum est, eos qui Synodo Ferrariensi interessent, aut imposterùm ad eam venturi essent, ullo modo in aliquo lædere, turbare, & inquietare.

SESSIO I. FERRARIENSIS.

TRANSLATIO SYNODI CONFIRMATUR.

VI.

Adveniens post hæc die 27. Ianuarij Eugenius Pontifex Ferrariam, die Sabbati octavâ Februarij Congregationem omnium Cardinalium, Antistitum, & Doctorum habuit: quâ de Basileensibus modestè questus, suam innocentiam contestatus est: & nihilominùs si vel ipse vel sui aliquorum facinorum rei judicarentur, submittere se libenter Patrum correctioni & determinationi declaravit: hortatúsque omnes est, ut & ipsi ita se in omnibus gererent, ut eorum bona opera cæteris in exemplum cederent. Die verò decimâ Februarij in aliâ Congregatione generali coram Iordano Cardinale Episcopo Sabinensi de Vrsinis nuncupato, cæteris Cardinalibus antiquiore, & Præsidente Concilij à Pontifice declarato; facta sunt quædam Advisamenta de modo consedendi in Concilio, Cardinalium, Antistitum, oratorum Regum ac Principum, & Officialium ac Ministrorum Curiæ Romanæ. Qui modus ita decretus est ut Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi sederent secundùm dignitates suas & tempora ordinationum suarum; quatuor Patriarchalibus sedibus tantummodò exceptis, quæ juxta juris dispositiones suum haberent locum: Abbates generales qui sub se haberent alios Abbates, sederent immediatè post Episcopos, & Electos confirmatos, secundùm tempus suæ benedi-

EUGEN. PONTIFEX SUBMITTIT SE CORRECTIONI SYNODI.

ORDO SEDENDI STABILITUR.

ctionis vel promotionis: cæteri verò Abbates non generales post illos, juxta tempus pariter suæ benedictionis vel ordinationis: Prælati majores, & majores oratores Regum & Principum, in eodem gradu & loco sedendi præcederent cæteros Prælatos non oratores, (Patriarchis dumtaxat exceptis & secundùm prærogativam dignitatis suorum Regum & Principum: oratores autem non Prælati, sed inferiores Episcopis, & Laici etiam ordinis cujuscumque, in navi inferioris Ecclesiæ in medio ante gradus thalami vel tribunalis à dextris & à sinistris: Cæteri omnes officiales Curiæ, (qui longo ordine enumerantur) Generales Ordinum, procuratores Episcoporum absentium, & Capitulorum, Doctores, Advocati, &c. prout in cæteris Conciliis, ac speciatim Constantiensi & Basileensi locum habuissent. Ita tamen ut in omnibus supradictis per antelationem vel postpositionem, nulli Ecclesiæ vel Prælato, Regi aut Principi, seu Communitati, aliquod jus acquireretur, vel præjudicium generaretur.

VII. Duabus aliis Congregationibus undecimo & decimo-quarto Februarij habitis, tractatâ materiâ rerum in proximâ Sessione promulgandarum; confectum est de communi omnium assensu (etiámque nonnullorum Cardinalium & Antistitum ægrotantium, quorum vota & sententiæ per unum ex Promotoribus & alterum ex Notariis Concilij, ad domos eorum accedentes postulata fuêre) Decretum: quod in *Secunda* Synodi *Sessione*, celebratâ die Sabbati decimo-quinto Februarij, præsidente ipsomet Eugenio Pontifice, ac præsentibus septuaginta duobus Episcopis; post solemnia consueta, & Missam de Spiritu S. Per Angelotum tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem cantatam, cæteráfque preces recitatas; per Aloysium qui suprà Episcopum Foroliviensem ex ambone lectum ac publicatum est: quo scilicèt Eugenius Papa, sancto approbante Concilio, post narrata quæ cum Basileensibus pro concordiâ conatus fuisset, eorúmque contumaciam accusatam, non solùm irrita pronunciavit eorum seditiosa decreta; verùm etiam eos omnes qui in eo cœtu perseverarent, quâcumque dignitate Ecclesiasticâ vel sæculari præfulgerent, in pœnas excommunicationis, privationis dignitatum, beneficiorum, officiorum, ac inhabitationis ad futura in literis translationis contentas, incidisse decrevit & declaravit, omnibus cujuscumque conditionis & statûs, qui in civitate Basileensi sub prætextu Concilij convenirent, mandavit sub iisdem pœnis ac censuris infra triginta dies inde recedere: & Magistratibus atque officialibus & civibus urbis, post eum terminum elapsum eosdem expellere, sub pœnâ magistratibus & officialibus excommunicationis, populo Ecclesiastici interdicti. Venuítque demùm sub eâdem pœnâ excommunicationis, si prædicti contumaces existerent, nequid mercimonij, aut rerum ad usum hominum necessariarum, in eam civitatem à quocumque importaretur.

Sessio II.

Pœnæ decretæ in Basileenses contumaces.

VIII. Iam quod adventum Græcorum in Italiam attinet; describunt illum, unà cum magnificâ ipsorum receptione Venetiis & Ferrariæ, Acta Concilij Ferrariensis seu Florentini Romæ edita Græcè & Latinè; conscriptáque, ut appareret Græcè ab uno ex Episcopis qui Patriarchæ adstiterunt: qui fortè Melenicensis fuerit, qui subscriptus reperitur Actis, Matthæi nomine: uti ipsummet indicare putamus, cùm in narratione disceptationis post Sessionem XXV. inter ipsos Græcos agitatæ ait in unam ivisse sententiam Præsules numero decem, è quibus unus ipse scriptor erat; eosdémque nominatim enumerans, postremum Melenicensem ponit, quæ urbs erat Thraciæ. Eamdem porrò Imperatoris & Patriarchæ receptionem refert pariter Gregorius Phranzes [c] ex relatione, ut ait, Demetrij Despotæ fratris Ioannis Imperatoris qui æquè adfuit, sibi factâ. Habent item sed contractiùs, Acta editionis Binianæ, pariter ex Græco ab Abramo Cretensi centum circiter pòst annis traducta, sed quæ præterquàm quòd multa omiserunt, & pleraque alia breviârunt, in iis etiam quæ habent multa menda continent, corrigenda ad textum Græcum, cujus nec semper ipse sententiam percipere, nec in Latinum vertere valuit homo Græcus. Meminítque insuper Laonicus Chalcondyles [d] semel iterúmque hujus adventûs Ioannis in Italiam ad Eugenium Pontificem, nec non Concilij primò Ferrariæ, deinde Florentiæ celebrati, quamvis quod valdè mirati sumus, scriptor ille qui Phranzem traduxit, & ut attestatur, breviavit in notis ad hanc ejus narrationem fidenter asserat, Laonicum nullum verbum facere de Ioannis Imp. adventu in Italiam & Ferrariam. Ex Latinis eadem tractavit Andreas de S. Cruce patricius Romanus, & Apostolici Consistorij Advocatus, qui Concilio interfuit, in Collationibus à se in formam Dialogi cum Ludovico Pontano de rebus ante & in ipso Concilio gestis habiti, conscriptis: quas Iustinianus edidit in Actis ejusdem Concilij.

Auctores qui scripserunt de adventu Græcorum in Italiam.

[c] Phranz. lib. 2. c. 14. & seqq.

[d] Chalcond. lib. 1. & 6.

IX. Ex quibus omnibus hæc breviter referimus; Ioannem Imper. die octavâ Februarij ad littus Venetiarum appulisse, unà cum eodem fratre suo Demetrio, Iosepho Patriarchâ Constantinopolitano, ac cæterorum Patriarcharum legatis, aliísque plurimis Antistitibus, de quibus posteà, cæteróque comitatu, quem ad septingentorum numerum in pactis definitum fuisse superius vidimus: ac postridie ing nti pompâ & applausu à Duce & Senatu universóque populo navi Bucentauro magnificè ornatâ exceptum in urbem esse; stupentibus vehementissimè Græcis & situm mirabilem urbis, & magnificentiam ædificiorum, & rerum omnium abundantiam: Confestim Imperatorem & Patriarchàm ad Summum Pont. oratores destinâsse, seculares tres & duos Abbates, qui Pontificem de ipsorum adventu certiorem facerent: qui vigesimâ Februarij Pontificem adeuntes, sæculares quidem coram eo genu flexerunt, sed Abbates nonnisi caput curvârunt: Pontificem autem mox ubi Græcorũ appulsum Venetias audivisset, Cardinalem S. Crucis & Marchionem Ferrariensem ad eos salutandos misisset: Die verò vigesimo-octavo ejusdem mensis Imperatorem cum fratre & pleroque clero (Patriarchâ adhuc Venetiis subsistente) Ferrariam versùs, nobilissimam urbem ad Padum fluvium sitam ubi Pontifex erat, navigâsse: ibi occurrentibus ei obviam Cardinalibus omnibus extra civitatem, exceptum quartâ die

Receptio eorũ Venetiis et Ferrariæ.

Martij honorificentissimè à Marchione Estensi illius urbis domino sub umbellâ aureâ; & rectâ ad palatium Pontificis ductum fuisse: cúmque adventaret, Pontificem lento gradu paulò procul à sede suâ obviam factum, volentem genu flectere, non permisisse, sed amplexu excepisse, datâque dexterâ osculandâ, ad sinistram suam consedere fecisse: denique postquàm secretò aliquamdiù collocuti fuissent, Pontifice in suo palatio remanente, Imperatorem ad suum hospitium magnificè ornatum recessisse: Triduo pòst, nempè die septimâ Martij, Patriarcham speciosissimo atque in aurato vectum navigio Ferrariam appulisse: ac posterâ die à quatuor Cardinalibus, & viginti quinque Episcopis Latinis, ac Marchione urbis domino, ad portum exceptum, inde medium inter duos Cardinales Diaconos equitâsse ad Pontificem; qui in privato cubiculo sede suâ consistens, opperiebatur eum; & advenientis genam deosculatum esse, eúmque ad lævam suam in scabello sedere fecisse: ipsísque consedentibus, cæteros Græcos Antistites sedentis Pontificis dexteram & genam pariter deosculatos esse, reliquis aut dexterâ tantùm, aut profundâ veneratione contentis: pósteque inde Patriarcham domum sibi paratam petiisse: In quâ jussu ejus proximâ Dominicâ celebrata fuit solemniter Missa per quindecim ferè sacerdotes Græcos: absolutóque sacro omnes adstantes per manus Patriarchæ panem benedictum more Græco sumpsêre: Post dies aliquot Imperatorem à Pontifice contendere cœpisse, ut juxta conventa non solùm Episcopi, cæterique Antistites, verùm etiam Reges ac Principes per se aut per legatos celebrandæ Synodo interessent: Quod quamvis difficile nimiùm fore Pontifex excusaret ob mutua inter eos bella; rem nihilominùs urgente Imperatore, Pontificem quatuor mensium spatium quæsivisse quo id exequi conaretur; continuóque nuncios & literas quoquoversùm ad eos invitandos misisse. Hæc ex iisdem Actis & narrationibus.

X. BASIL. SESSIO XXXII.

Quæ dum Ferrariæ fierent, interim Basileenses *Sessionem XXXII.* celebrantes nono Calendas Aprilis decretum ediderunt: quo post longam narrationem eorum quæ circa electionem loci pro celebrando Concilio cum Eugenio Papâ & Græcis gesta fuissent, quâ culpam à se in Eugenium derivare multis ambagibus sategerunt; auctoritate quâ se suprà Pontificem pollere de more jactârunt, rursùm conventiculum, ut vocabant, Ferrariense damnârunt, & quicquid in eo sive ab Eugenio suspenso, sive ejus nomine ab aliis fieri contingeret, necnon quæ fuerant, in eo contra cives Basileenses decreta, irrita ac prorsùs nulla declarârunt: pœnásque in eos qui ad prædictum conventiculum accederent aliis jam ante à Sessionibus promulgatas, cum graviorum etiam comminationem confirmârunt. Quorum omnium præcipuum architectum extitisse Ludovicum protonotarium Rom. Alfonsi Aragoniæ Regis oratorem, Patritius ait; virum ab Æneâ [e] Silvio de prodigiosâ memoriâ, & summâ Iuris peritiâ impensissimè laudatum; quem anno ætatis trigesimo pestilentiâ vitam finîsse ait, nemine tantæ doctrinæ hærede relicto.

DAMNANT QUÆ FERRARIÆ FIERENT.

[e] Æn. de Gest. Conc. Basil. l. b. 1.

XI. LUDOVICUS CARDIN. ARELAT. COLUMEN CONVENTûS BASIL.

Præerat porrò tunc illi cœtui alius *Ludovicus* Alemannus, sive Alemandus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, Arelatensis ab Ecclesiâ cujus pastor erat dictus, nationémque Burgundus: qui solus Cardinalium, ut diximus, Basileæ remanserat, reliquis ad Eugenium redeuntibus; altero excepto Cardinale S. Petri Hispano, qui extra Basileam adhuc vagabatur: Vir quidem ille Arelatensis, legationibus Apostolicis aliísque rebus præclarè gestis insignis magnáque pietate, doctrinâ, & religione, ac vitæ austeritate conspicuus, (ut sunt plurimorum auctorum elogia, quæ in unum collegerunt auctores Amedei Pacifici, & Additamentorum in Vitas Pontificum Ciacconij) sed quem sive simultas aliqua, (à pluribus asserta, licèt non adeò probata [f]) seu zelus non secundùm scientiam, & nimia credendi calumniatoribus facilitas, ab Eugenio retraxerat, & in defensione Concilij Basileensis, quod legitimum credebat, obfirmaverat præcipuum sanè illius columen, post abscessum cæterorum omnium Cardinalium, aliorúmque præcipuorum Antistitum; absque cujus auctoritate fuisset, reliqua remanentium colluvies sponte dilapsa & dissipata evanuisset. Sed schismatis hinc exorti culpam pœnitentiâ ipsum diluisse, intelligi datur ex sancto ejus fine: quippe quem & miraculis ad ejus sepulchrum Arelate fieri solitis, ut Æneas [ff] Silvius testatur, claruisse constat; & unà cum Petro Lucemburgio, quem æquè in schismate sub Clemente dicto Septimo sanctè vixisse & obiisse vidimus [g], posteà Clemens verè Septimus anno 1527. ob memoriam egregiarum utriusque virtutum, ac piorum operum necnon miraculorum coruscationem, debito Beatis cultu ac veneratione honorari concessit: haud tamen propterea intendens, ut ait, (extat [h] enim ejus de his constitutio) eosdem in Catalogo Sanctorum esse relatos, donec servatis debitis solemnitatibus in canonizatione servari solitis, ad illorum canonizationem deventum fuerit. Sed de Ludovico interim agendum sæpè inferiùs.

[f] Vid. infr. an. 1439. XXX.

[ff] Æn. Eurrop. cap. 42. in fi.

[g] Supr. an. 1387. III.

[h] In Addit. id Ciaccon. & in Hist. Eccl. Arelat. Petri Saxij.

XII. ORDO SESSIONIS LATINORŨ ET GRÆCORUM IN SYNODO.

At Ferrariæ tantisper dum nuncij expectarentur à Regibus & Principibus, visum est locum Synodo Oecumenicæ ibidem Ferrariæ, & non alibi, stabilire. Eáque propter electâ die nonâ Aprilis feriâ quartâ Majoris Hebdomadæ ad Synodum indicendam ante omnia ortâ controversiâ de ordine Sessionis, quem sic Pontifex dispositum cupiebat, ut ad unum latus Ecclesiæ omnes Latini ad alterum Græci, ipse verò in capite medius ante altare consideret; Imperator verò eum sibi potiùs locum deberi contendebat: demùm ex formâ antiquarum Synodorum Oecumenicarum ita res transacta est, ut erecto solio ante altare, super eo sanctorum Evangeliorum liber inter sacra Capita Beatorum Apostorum Petri & Pauli cereis accensis collocaretur; ipséque Pontifex cum suis Latinis dexteram [i] partem, (quæ læva est ingredientibus) alteram Imperator cum Græcis teneret. Sicque posita est Pontificia sedes ad latus aquilonare, distans à sacro altari quatuor ferè passus: infra illam uno ferè passu sedes Imperatoris Latini, quæ semper vacua remansit ob ejus absentiam: prope hanc sedere Cardinales (qui recensentur numero octo, à quibusdam novem) ac deinceps pluribus sedium ordinibus Archiepiscopi & Episcopi Latini ad centum circiter & quinquagin-

[i] Vid. in Epit. an. 325. XVII. XVIII.

ta, præter Abbates, cæterámque turbam Ecclesiasticorum. E' regione Pontificis & sedis Imperatoris Latini, sedes Imperatoris Græcorum posita; paulóque inferiùs Patriarchæ Constantinopolitani ejusdem eminentiæ & ornatûs cum Pontificiâ: deinde Vicariorum cæterorum Patriarcharum, subindéque Metropolitarum, aliorúmque majorum & minorum Antistitum Orientalium, diversis pro dignitate sedilium ordinibus. Demetrio verò Imperatoris fratri à dextris ejus collocata, sed humilior, & quatuor ferè palmos remota. Fuêre autem Vicarij Patriarcharum; Alexandrini quidem (qui Philotheus dicebatur) Antonius Metropolita Heracleensis Thraciæ & Macedoniæ Primas, & Gregorius hieromonachus Protosyncellus à confessionibus Imperatoris; Antiocheni, nomine Dorothei, Isidorus Metropolitani Kioviensis totiúsque Russiæ, (quem ad Synodum accessisse cum nonnullis Prælatis Moscovitis & Russis, ac ducentorum equitum comitatu, Krantzius[k] scribit, & in itinere Archiepiscopum Novogardensem deposuisse, quòd detrectaret ire cum ipso ad Concilium) & Marcus Ephesius; Ierosolymitani dicti Ioachimi, Dositheus Metropolita Monembasiensis, & Dionysius Sardium, qui paulò pòst obiit ibidem Ferrariæ. Post quos sederunt suo quique loco cæteri Metropolitæ, Dorotheus Trapezuntinus, Metrophanes Cyzicenus, Bessarion Nicænus, Macarius Nicomediensis, Dorotheus Mitylenensis, & alij quamplurimi Antistites, & viri Ecclesiastici, qui subscripti reperiuntur in fine Actorum Synodi. Interfuisséque pariter Metropolitam unum, aliúmque Episcopum ex Iberia Asiæ, (Georgianos dictos volunt, de quibus aliàs) eadem Acta habent. Et ipse Eugenius in literis post factam unionem ad Principes scriptis, legatos etiam nominat Imperatoris Trapezuntij, Iberorum, Ruthenorum, & Walachorum: præter Armenios, qui posteà venerunt. Denique Ioannes de Turrecrematâ, qui Synodo interfuit, in Apparatu ad Decretum Vnionis, de quo posteà, præter Imperatorem ejúsque fratrem, oratores ponit Imperatoris Iberiæ, Imperatoris Trapezuntij, magni Regis Russiæ, Despotæ Peloponnesi, & magni Immonde Blachiæ. Pluresque etiam enumerat Krantzius. Addunt nulli & Æthiopas & Indos; sed de iis posteà. In primâ autem Sessione, de quâ deinceps, ampliùs additur, suprà Papam altare versùs sedisse non in sedibus aut scabellis, sed in plano, Notarios & Primicerios, & quosdam alios in dignitate constitutos: ante verò Papam ad pedes ejus & pro sede Imperatoris Latini, Duces, Marchiones, Comites, Equites, ac Rerumpublicarum & Communitatum tam aristocraticarum tum democraticarum oratores. Paritérque supra Imperatorem Græcorum ubi Demetrius germanus ejus in scabello sedebat, adstitisse optimates non in scabellis, sed in plano, & cum iis oratores Principum Orientalium. Ante Patriarcham in scamno sedisse Cruce signatos; (erant hi ex præcipuis ministris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quos & Cardinales vocabant: dicebantúrque Cruciferi, ut Andreas ait, à Cruce quam supra pileum præter communem presbyterorum habitum gestabant) & quosdam alios viros primarios. Quæ singula cùm diligentiùs in Actis descripta habeantur, noluimus etiam nos omninò præterire; quia nullum hactenùs, nec porrò deinceps celebratum fuit universale Concilium Latinorum simul & Græcorum, cui Romanus Pontifex per se ipsum interfuerit cùm Imperatore & Patriarchis Græcorum.

Qui interfuerint ex Græcis.

[k] *Krantz. 12. Vvandal. 7.*

XIII. *Primus consessus Ferrar. Latinorum et Græcorum, ad indicendam communibus votis Synodum.*

Convenientibus igitur omnibus prædictâ die nonâ Aprilis in Ecclesiâ majori S. Georgij Ferrariæ ad publicas agendas Sessiones destinatâ, sacrísque vestibus indutis: post hymnos & preces cantatas, primò recitatus est ex suggestu, Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani consensus de celebrandâ Synodo:) quòd enim senio gravatus, quippe octogenarius, & infirmitate detentus esset, non potuit huic actioni interesse: quo declaravit consentire se ut Synodus Oecumenica celebraretur in urbe Ferrariâ. Id enim tantùm habetur apud Andream de Cruce: cùm Græcus auctor quem diximus[l], longè aliud Patriarchæ mandatum apponat: quo scilicèt declaravit indicere se ipsam Synodum, & spatium concedere quatuor mensium à die hujus indictionis, omnibus tam qui Basileæ quàm qui alibi existerent, ad eam accedendi, aut mittendi, sub pœnâ excommunicationis; quâ pariter impliciti forent quicumque posteà decreta Synodi non admitterent. Quod quamvis non videatur facilè admittendum, (ut etiam pluribus rationibus omninò rejecit Iustinianus in Notis ad Andream) haud tamen adeò absonum existimamus ut & factum fuerit à Patriarchâ, qui fortè ut id solemniùs se absente fieret, ægritudinem excusaverit: & publicari permiserit Pontifex, tum ut sciretur ubique Patriarcham Græcorum ejusdem cum ipso esse sententiæ; quod non parvi erat momenti ad auctoritatem Synodo conciliandam: tum ut eo promptiores redderentur Græci ad tractationem & conclusionem unionis, ad quam sanciendam ipsimet Synodum indictam voluissent. Cùm & alioqui non ita se gerere videri vellet Patriarcha erga Pontificem, ut quamvis ei deferret, subesset tamen ad nutum, sed quasi æqualitatem affectaret. Cæterùm post hæc lectum est per Episcopum Portugalensem ex ambone decretum Eugenij Papæ: quo post breviter narratam occasionem celebrationis hujus Synodi, de consensu Imperatoris & Patriarchæ cæterorúmque qui aderant, omni meliori modo & formâ decrevit & declaravit, sacram Oecumenicam SYNODUM esse in urbe FERRARIA libero tutóque loco constitutam, atque ita debere ab omnibus haberi & nominari. Quibus omnium calculo comprobatis, gratiísque Deo actis, dimissa est Synodus.

[l] *Supr. num. VIII.*

XIV.

Hæcque non tam Synodi Sessio existimata fuit, quàm Indictio: quamvis Acta Patritiana *Tertiam* hanc Sessionem nuncupent; ratione habitâ ad priores illas duas, quas vidimus celebratas ante adventum Græcorum. Sed Romana & Biniana *Primam* nonnisi octavo mensis Octob. assignant, quâ cœptum est disputare de processione Spiritus sancti, quod præcipuum caput erat discriminis utriusque Ecclesiæ. Eumque Romanæ ordinem & nos posteà servabimus, ne ex diversitate confusionem narrationi rerum ingeramus. Quod verò hanc Synodum

Cur hæc Synodus

OCTAVA DICTA FUERIT.
[m] *In Epit. an. 869. X.*

Octavam Oecumenicam plerique Græci nuncupaverint, dictum de eo jam aliàs [m] in verâ Octavâ. Nec putamus aliunde id contigisse, quàm quòd ipsi non nisi Græcas numeraverint; & illam verè Octavam, ob sui Photij damnationem in eâ factam, agnoscere noluerint. Vt non videatur adeò anxiè, sicut à nonnullis factum videmus, inquirendum, cur Octavam vocaverint, quæ, si numeres alias Oecumenicas in Occidente celebratas, XVIª. vel etiam XXIIª. vocanda fuerit. Quamvis autem Ferrariæ primùm & indicta, & sexdecim Sessionibus celebrata fuerit; magis tamen FLORENTINÆ nomen accepit, eò quòd ob pestilentiam in eam urbem translata, ibi felicem unionis exitum sortita sit.

XV.

INCIPIŪT DISPUTARE DE PURGATORIO, ET SANCTORUM BEATITUDINE.

Elapsis diebus Paschalibus, cùm Patres Latini, ne medium tempus quod citatis absentibus præfixum erat inutiliter transigeretur, efflagitarent examinati dogmata inter ipsos & Græcos controversa; (erant autē præcipua, De Processione Spiritûs sancti, De Purgatorio, ac De Primatu Romanæ Ecclesiæ) recusantibus Græcis propter Basileensim absentiam; demùm tamen acquieverunt, ut quæstiones de Purgatorio, aliæque Ecclesiasticæ agitarentur. Itaque delecti sunt ad id utrimque duodecim; ex parte quidem Latinorum bini Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, sacerdotes monachi, Abbates, & Notarij; à Græcis bini primarij metropolitæ, medij, postremi, hegumeni, (seu Abbates) crucesignati, & notarij; ut enumerantur in Actis Græcis. Qui bis in hebdomadâ convenientes in templo S. Francisci, de Purgatorio & Sanctorum beatitudine disputârunt: cùm Latini, Sanctorum animas perfectam in cælis jam adeptas esse gloriam, quâ post resurrectionem cum corporibus perpetuò lætabuntur; quæ verò peccatis venialibus infectæ, vel absque perfectâ mortalium satisfactione de corporibus exeunt, vero igne temporaliter purgari; quæ autem sine pœnitentiâ abeuntes perpetuæ damnationi addictæ essent, jam quidem igne cruciari, sed cumulatiùs cùm corpora resumpserint; assererent, & Scripturæ ac Patrum auctoritatibus demonstrarent: Græci verò non alium ignem quàm æternum damnatorum post resurrectionem corporum agnoscerent; pœnámque animarum temporaneam, non ignem, sed locum tenebricosum ac mœroris, è quo precibus ac sacrificiis sacerdotum, atque eleemosynis fidelium purgatæ liberarentur, interpretarentur: addentes, etiam propterea dæmones, ut in eos ignis agere posset, postquàm ejecti fuêre, aliqua ex parte materiales factos esse: Beatas autem animas nonnulli ex Græcis dicerent, in loco separato versari usque ad resumptionem corporum, ibique lætari mente volventes absolutam illam beatitudinem quæ eas maneret; alij unà cum Latinis, eas jam assecutas esse plenam beatitudinem animarum, sed pleniorem cum corporibus habituras post resurrectionem. Convenientibus igitur in hoc omnibus, quæstio tamen de Purgatorio tunc indecisa remansit, quam ad finem Synodi retractatam videbimus. Hæcque sic gesta fuêre mensibus Iunij & Iulij; quæ pluribus tractata habentur in iisdem Actis. Nihilque præterea actum ibi legitur, sicuti neque apud Andream, usque ad Primam Synodalem Sessionem, quæ celebrata est octavâ die mensis Octobris.

XVI.
[n] *Æn. Europ. cap. 52.*

DISPUTATIO PRIVATA DE PHILOSOPHIA PLATONIS ET ARISTOTELIS.

Reperimus tamen apud Æneam [n], ex quo multi descripserunt, dum Græci Ferrariæ agerent, Hugonem Senensem, qui per id tempus medicorum princeps habitus est, omnes qui ex eis studiosi philosophiæ eò convenisse crediti essent, apud se invitâsse: cúmque opiparè magnificéque pavisset, remotis mensis eos pedetentim placidéque in disputationem pellexisse; ac Marchione Estensi & multis in Synodo excellentibus philosophis adventantibus, cunctos in medium philosophiæ locos adduxisse, de quibus inter se Plato & Aristoteles in suis operibus magnoperè dissentire videntur; eam se partem defensurum suscipientem quam Græci oppugnandam ducerent: cùm Græci certamen minimè recusâssent, protractâ ad multas horas disputatione, postremò cùm Hugo Græcos alterum post alterum argumentis & dicendi copiâ victos tacere compulisset, palàm factum esse, Latinos homines, qui jam pridem bellicis artibus & armorum gloriâ Græcos superaverant, ætate nostrâ etiam literis & omnium doctrinarum genere anteire. Ita Æneas in laudem sui conterranei, & honorem prædicti Marchionis, qui viros in omnibus facultatibus præstantissimos magnis ad se præmiis trahere consueverat. Sed his expeditis etiam cætera tractanda veniunt, quæ interim alibi ad res nostras pertinentia gesta reperimus.

XVII.

ALBERTUS AUSTRIUS CORONATUR REX HUNGARIÆ ET BOEMIÆ.

Mortuo, ut vidimus, anno superiori Sigismundo Imp. *Albertus* Austrius gener ejus, titulis illis quos tunc vidimus ab eo commendatus, post justa ei persoluta, facili negotio ipsis Calendis Ianuarij præsentis anni coronatus est Rex Hungariæ unà cum conjuge in Albâregali: Et pridie Nonas Maij Pragæ Rex item Boëmiæ renunciatus, ac tertio Calendas Iunij solemni pompâ Pragæ coronatus: frustrà nonnullis obnitentibus, in favorem Casimiri germani Poloniæ Regis: quem ipsi nihilominùs eò quòd Albertus postulata eorum, nisi quæ Sigismundus concessisset, admittere renuisset, puerum tredecim annorum Regem appellârunt, missísque oratoribus auxilia petierunt quibus regnum ei conservarent: cum quibus fuit [o] dein Alberto decertandum; interponentibus se pro pace inter eos conciliandâ, iisdémque adversùs Turcos fines Hungariæ vastantes uniendis, tam Eugenio Pontifice, quàm Basileensibus; qui non pacem, sed inducias pepigerunt.

[o] *Æn. Boëm. c. 55. Cromer. lib. 21. Cochlæ. lib. 9. & alij.*

XVIII.

ELIGITUR ITEM IN IMPERATOREM.

[p] *Mar. lib. 21. cap. 13.*

Inter quæ etiam Electores Imperij apud Francofordiam tempore Quadragesimæ coëuntes ad successorem Sigismundo eligendum; eundem *Albertum* communibus votis 13. Calend. Aprilis (errat planè Onuphrius, & cum eo Mariana [p], dum Calendis Ianuarij id factum ponit; deceptus coronatione Hungaricâ, quæ eo die contigit:) Regem Romanorum ejus nominis Secundum dixerunt. Cui cùm dignitatem acceptare injussu Baronum Hungariæ haud esset integrum, quòd antea id eis jurejurando promisisset, qui Sigismundum aiebant suâ absentiâ dum Germaniam Italiámque ac cæteras provincias peragraret, Hungariam Turcorum direptioni exposuisse: demùm tamen & ipsi victi precibus Friderici Ducis Au-

striæ tunc adolescentis assensum dedêre; & Albertus summâ Germanorum congratulatione imperium suscepit. Ita Æneas [q] Nauclerus, Trithemius, Dubravius, & alij, quorum etiam nonnulli [r] tradunt, Albertum electioni de se factæ assensum præbere renuentem, ejusdem quoque Friderici precibus & hortationibus devictum esse.

[q] Æn.d.c.55. Naucler. gener.48. Trit. in Chron. Sponheim. Dubrav. lib. 28.

[r] Cuspin. de Cæsar.

XIX.

Biduo verò antè quàm renunciaretur, nempè 15. Calend. Aprilis, (ut Acta Patritiana observant) Electores Imperij, cùm varia in dies Romani Pontificis & Basileensium edicta cernerent; statuerunt decreta alterius partis contra alteram non suscipere, venerarique & Eugenium Papam & Concilium Basileense, & usque ad sextum mensem deliberare cuinam parti esset inhærendum. Hócque principium fuit *Neutralitatis Germanicæ*; quæ in octavum annum producta est, tam ab Eugenio quàm à Basileensibus reprobata. Extátque eorum de his decretum apud Cochlæum [s]; sed in anno depravatum; cùm dicitur factum anno 1440. die 21. Martij, Cùm enim dicant congregatos ipsos esse pro electione Cæsaris; nec ullam mentionem faciant depositionis Eugenij, aut surrogationis Felicis; eique suo conventui interesse Patriarcham Aquileiensem tradant: ex his omnibus constat, non agi ibi de electione Friderici III. qui electus est Romanorum Rex eo anno 1440. 4. Non. Febr. post intrusionem Felicis: nec potuisse eo anno Patriarcham Francofordiæ adesse, qui jam peste sublatus fuerat anno 1439. ante eandem Felicis intrusionem. Cæterùm Albertus novus Cæsar legatos suos in Concilio jussit esse, qui fuerant Sigismundi, Episcopum Lubicensem & Georgium Vischel; Concilium approbans, & fidem publicam à Sigismundo Patribus datam securitatémque innovans. Patres verò illi pecunias concesserunt, ex Indulgentiis in Austriâ collectas pro Græcorum adventu. Sed cùm peterent decreta Concilij contra Eugenium per Germaniam observari; responsum est præstolari oportere conventum indictum, in quo statueretur quid agendum foret pro utilitate publicâ.

NEUTRALITAS GERMANORUM IN CAUSA EUGENII ET BASILEENSIUM.

[s] Cochla. lib. 9.

ALBERTUS APPROBAT CONCILIUM BASILEENSE.

XX.

Elapsis verò interim 2. mensibus à suspensione Eugenij per Basileenses Sess. XXXI. factâ, volentibus illis secundùm sua & Concilij Constantiensis decreta ad depositionem ejusdem procedere eò quòd intra id tempus Concilio satisfacere neglexisset; instíterunt multi Principes ac Prælati ut iudicium differretur; ipséque imprimis Ludovicus Protonotarius, qui priùs instigator præcipuus fuerat accelerandi. Quæ res cùm in longam disceptationem venisset, statuerunt nihilominùs procedendum esse. Et ut maturiùs rem tantam agredi viderentur, tria Fundamenta formârunt, quæ *Veritates fidei Catholicæ* appellarunt, depromptas ex suis & Constantiensibus, ut dicebant, decretis, easdem illas quas posteà Sessione XXXIII. promulgârunt: nempè de potestate Concilij generalis supra Pontificem; Quòd Papa Concilium generale legitimè congregatum, non possit sine ejus consensu dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut ad alium locum transferre: & His duabus assertionibus repugnantes censendos esse hæreticos. Post quæ Concilij procuratores, accusationes in Eugenium capitibus 150. proposuerunt, quales testibus & publicis documentis se probaturos asseruêre. Quarum summa continetur in sententiâ depositionis contrà eum latâ anno sequenti in Sessione XXXIV. videlicèt contumacem esse ac rebellem Ecclesiæ; violatorem ac perversorem sacrorum canonum Synodalium: pacis & unitatis perturbatorem; universalis Ecclesiæ scandalizatorem, simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, à fide devium, pertinacem hæreticum; dilapidatorem jurium & bonorum Ecclesiæ, inutilem ac damnosum ad administrationem Romani Pontificis. Et quamvis contra insisterent Franciæ, Hispaniæ & Angliæ Reges, aliíque Principes, per oratores suos qui aderant, ut aut omninò ab his desisterent, aut saltem supersederent; quinimmò & idipsum plurimi è Patribus fieri debere censerent: prævalente tamen Cardinalis Arelatensis auctoritate, qui omni conatu rem agebat, repugnantibus cæteris factâ Congregatione generali 5. Calend. Maij, admissæ sunt criminationes in Eugenium: statutúmque ut intra 30. dies testibus approbarentur: contumacem porrò esse Eugenium & Cardinales, atque alios qui Ferrariæ convenissent, eò quòd decreto XXXII. Sessionis intra statutum tempus non paruissent. Paucísque pòst diebus admissi sunt testes jurati viginti duo ad probandas propositas in Eugenium criminationes. Ita Acta Patritiana. De prædictorum verò gestorum auctoritate & valore dicetur post sententiam depositionis in Eugenium latam anno sequenti; ex Æneâ Silvio, qui his intererat validus athletes partis Basileensis.

VERITATES FIDEI A BASILEENSIBUS FORMATÆ.

ADMITTUNTUR CRIMINATIONES IN EUGENIU.

XXI.

Carolus autem Rex Francorum, quamvis eo quod semel Concilio Basileensi adhæsisset; etiam hoc ipso anno prohibuisset per literas in Parlamento Parisiensi [t] publicatas die 10. Martij, omnibus Prælatis suis Ferrariam se conferre; (etiamsi non destiterint aliqui, ut ex subscriptionibus Synodi patet) cum nihilominùs pacis & concordiæ studiosus, per suos oratores apud Basileenses ageret nequid contra Eugenium, statueretur: quid porrò agendum dubius, collectis in civitate Biturigum Antistitibus & Principibus regni sui; de consilio eorum in Basileenses longè proniorum, nequicquàm obnitentibus Eugenij nunciis, (qui missi ad Regem fuerant petitum ut vellet mittere legatos ad Concilium Oecumenicum proximè cum Græcis celebrandum; permitterétque suis Prælatis ad illud accedere: & ne acceptaret, aut permitteret in regno suo acceptari monitorium ac suspensionem ipsius Eugenij per Basileenses factam? ac revocaret legatos suos ac subditos Basileâ) famosam illam PRAGMATICAM SANCTIONEM, edidit die 7. mensis Iulij hujus ipsius anni; quâ Pontifices Romanos in conferendis sacris beneficiis, causísque eorum cognoscendis, ac controversiis dijudicandis, propè in ordinem coactos voluit. Extat illa, etiámque commentariis non contemnendis, si rerum tantummodò tractationem respicias, illustrata: cujus & capita Gaguinus [u] Historiæ suæ Franciæ inseruit. Quâ imprimis professus Rex obligari se tum ex debito regiæ suæ dignitatis, tum vi sacramenti in susceptione diadematis præstiti, ad defensionem &

[t] Closs. ad Pragmat. tit. de caus. §. ne tamen verb. dissolutionē.

PRAGMATICA SANCTIO IN CONVENTU BITURICENSI CONDITA.

[u] Guaguin. lib. 10.

protectionem sanctæ Ecclesiæ, ejúsque ministrorum, & sacrarum constitutionum, necnon ad diligentiam adhibendam ut antiquorum Patrum decreta in suo regno executioni mandentur: deinde narrat, Concilium generale Basileense ritè, & auctoritate Constantiensis & Senensis, necnon Romanorum Pontificum Martini & Eugenij celebrari ordinatum, ad reformandum in capite & membris statum Ecclesiasticum; cùm in id solicitè incumbens, nonnulla statuisset quæ per suos oratores Regi & Ecclesiæ Gallicanæ obtulisset: & recipi rogâsset: se de Concilij deliberatione convocâsse regni Prælatos, unà cum aliis Theologis & Doctoribus atque Vniversitatum delegatis: ibique in præsentiâ suâ ac suorum Principum & procerum, auditis Eugenij Pontificis & Synodi Basileensis nunciis super his & aliis statum Ecclesiæ concernentibus; eorumdémque postulationibus diligenter discussis: cùm expositum sibi à suis Prælatis fuisset, quantum ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ fides Catholica & disciplina Ecclesiastica in Galliis effloruisset; quantáque bona ex observatione antiquorum salubrium decretorum processissent; quantæque econtrà ex eorum contemptu morum corruptiones; & ex ambitione & avaritiâ, extrema penè Statûs Ecclesiastici exinanitio, ac præsertim per dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum reservationes & gratias expectativas, quibus plerumque ea personis incognitis, & non probatis, nec residentibus, aut linguam non intelligentibus, ingenti animarum & Ecclesiarum, atque etiam Vniversitatum & Doctorum, proborúmque virorum detrimento, multorúmque aliorum malorum ac vitiorum, periculorúmque invectione, necnon gravissimo jurium Coronæ regiæ, totiúsque regni damno conferrentur: Demùm declarat, Ecclesiam Gallicanam eo conventu Bituricensi tot malis compatientem, præhabito diligentissimo decretorum Basileensium sibi oblatorum examine, nonnulla eorum simpliciter ut statuta fuêre, alia cum certis modificationibus & formis quatenùs commoditatibus, temporibus, moribus regni magis congruere conspexit illicò recipienda censuisse. Ita Rex: ex cujus verbis manifestè apparet, nullius ferè pretij fuisse apud Gallos Concilij Basileensis auctoritatem, quam ita sensibus suis ac dispositioni subjicerent.

XXII. Quænam capita fuerint per eam recepta.

Recepta verò in universum fuêre decreta de auctoritate & potestate Conciliorum generalium, temporibúsque & modis eorum convocationis: de validitate Concilij Basileensis: de Electionum conservatione; & reservationum (his exceptis quæ continentur in corpore Iuris) atque expectativarum abrogatione, de Collationibus per Ordinarios faciendis: de Causarum evocationibus ad Romanam Curiam restringendis: de frivolis Appellationibus: de pacificis possessoribus: de numero & qualitate Cardinalium: de Annatarum, aliarúmque quarumcumque exactionum aut munerum pro cófirmatione electionum aut beneficiorum, &c. abolitione: de rectâ ac decenti Missarum celebratione, & Officij divini tam in choro quàm extra recitatione, de spectaculorum intra Ecclesias detestatione: de clericorum concubinariorum pœnis: de excommunicatis vitandis aut non vitandis: de interdictorum moderatione: de abrogatione Clementinæ, literis, de probationibus. Hæc sunt quæ ex decretis Concilij Basileensis eatenùs factis Congregatio Bituricensis retinenda censuit, quæ tamen non omninò eo ordine quo in Concilio statuta sunt, recensentur in Pragmaticâ; eò quòd Congregatio ea tantummodò attigit quæ ad reformationem morum, aut abusuum abolitionem spectare existimavit. Additis etiã certis restrictionibus seu modificationibus, ad titulos de Electionibus, Collationibus, Causis, & Annatis; quæ non tam res exasperent, quàm ad ritus & consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ adaptent: idque etiam sub spe (ut in literis regiis habetur) quòd illæ per Concilium admitterentur. Quâ etiam freti decretum Concilij de Cardinalibus ita mitigârunt, ut voluerint nepotes Pontificum, si alias fuerint benemeriti, posse Cardinales fieri, quod Concilium omninò prohibuerat. Denique tantâ libertate in recipiendis, rejiciendis, truncandis, ampliandis, Basileensium placitis usi sunt, ut patentissimè se etiam judices Conciliorum Generalium, quale Basileense agnoscere præseferebant, constituerint. An verò hinc dicetur, Ecclesiam Gallicanam approbâsse ac recepisse Concilium Basileense? Nugæ hæ sunt, & imposturæ. Absit à puritate & dignitate Ecclesiæ Christianissimæ tanta calumnia. Siquid ejus illa recepit, non ut ab ejus auctoritate obligatoriâ, (qualis omninò debuisset esse, si verè ejus decreta tanquam legitimæ Synodi Oecumenicæ agnovisset) recepit, sed velut à proponente quæ utilia & conducibilia existimabat; ita ut libitum esset quæ vellet recipere, quæ nollet rejicere: uti & fecit tam hâc in re quàm nonnullis aliis auctoritate regiâ ac propriâ.

XXIII. Reprobata fuit à Rom. Pont.

Quæ tamen ita à nobis dicta volumus ad infirmandam tantummodò conventûs Basileensis auctoritatem post ejus per legitimum Pontificem abrogationem, non etiam ad confirmanda Bituricensis decreta, cùm utrumque inanem & irritum legitimâ potestate Pontificiâ & regiâ declaratum fuisse, unà cum plerisque eorum gestis, suis locis visuri simus. Adeò ut quamvis prædicta Basileensium decreta edita fuerint ante postremam superioris anni Concilij dissolutionem per Eugenium factam, (præterquàm illa de Causis & Collationibus, quæ præsenti condita sunt) ac proptereà non absolutè videretur Ecclesia Gallicana ea contra Eugenij Pont. auctoritatem suscepisse; qui Concilij gesta usque ad postremam illam dissolutionem aliquo modo approbâsse existimabatur: nihilominùs tamen quia & priorum Concilij gestorum putata approbatio Pontificia, ut vidimus, apertè violenta fuerit, ac proinde nulla ab eo declarata; (quæ & prætereà generalibus verbis concepta, ambiguum sensum habere reperta est:) fuerintque posteà illa gesta prorsus abrogata; exceptis nonnullis circa beneficia decretis, & iis quæ cum Boëmis tractata fuissent: Idcircò fuit & pariter hæc Gallicanæ Ecclesiæ Pragmatica Sanctio ab eodem Eugenio subsecutísque Pontificibus, consentientibus Regibus, penitùs abrogata; tum iisdem de causis propter quas decreta Basileensia, è quibus maximam partem hausisset, abrogata fuêre;

tum quòd nonnisi post illius dissolutionem, in manifestum declarationis Eugenij cótemptum id præstitisse existimata sit: præter multiplicia alia scandala, ab Æneâ Silvio [x], sive Gobellino, enumerata, quæ in ipsos etiam Præsules cæterósque Ecclesiasticos reciderunt, dum hâc Pragmaticâ in libertatem se asserere arbitrantes, in servitutem sæcularium judicum redacti sunt. Quorum interim suasu eam Rex Carolus per universum regnum & ditiones suas diplomate quod diximus inviolabiliter observari sancivit. Ac nihilominùs contra eam ipsósque ejus fabricatores, ac Regis edictum, Archiepisc. Tolosanus (Bernardus, ut puto, de Rossergio, inclytus Iuris professor) eodem tempore tractatum edidit [y] pro auctoritate Sedis Apost. tit. *Accensus veri Luminis Francorum, Christianissimi Regis & Regni contra tenorem Pragmaticæ Sanctionis.* Putamúsque ad hæc tempora pertinere tractatum alium satis prolixum, quem æquè ac superiorem reperimus in Bibliothecâ Collegij Navarrici Paris. auctore *Guillelmo de Montjoye* Episcopo Biterrensi, quem Rex de his consuluerat: distinctum in quatuor Avisamenta, ut vocat, hoc est monita seu consilia. 1. Vt ab unitate Ecclesiæ nullatenùs se abripi fineret. 2. Vt processus factos per paucos segreges contra PP. Eugenium nullo modo admitteret. 3. Vt diligenter curaret Schisma hoc extingui. 4. Ne permitteret ulteriùs in suo regno audiri Concilium Basileense, sed in omnibus adhæreretur sanctæ Rom. Ecclesiæ & Apost. Sedi. Hæcque omnia firmavit, suasítque multis rationibus, argumentis, & auctoritatibus.

ETIAMQUE TŨC IN GALL. IMPUGNATA.

x Æn. comment. lib. 6.

y Ext. in cod. Bibl. Navar. Paris. unà cũ alio tract. contra eandẽ conscripto per Eliam Burdel. de quo infr. an. 1467. XII. in fi.

XXIV. VNDE SIC DICTA.

Vocata est autem Sanctio *Pragmatica*, secundùm vocis Græcæ proprietatem in Iure [z] receptam, quâ sumitur pro re quam Princeps de consilio procerum statuit pro rebus communibus & universitatis. Sicuti & S. Ludovicum Regem olim vidimus fecisse quamdam *Pragmaticam*, pro juris communis in electionibus & collationibus beneficiorum defensione. Vnum modò ad hæc tantummodò addidimus; mirari nos vehementissimè, quâ facie Franci contra Annatas Pontificias tantopere conclamare, & Prædictâ Pragmaticâ, & tot aliis conscriptis de eâdem re tractatibus confidant; qui in ipsis Galliis totâ ferè Normanniâ, & aliis quibusdam provinciis permittant Episcopos, etiámque nonnullis Archidiaconos, Annatas (quas *Deportus* vocant: sicuti & vocantur à Basileensibus [a] & Pragmatistis [b] in eorum damnatione:) percipere, hoc est fructus primi anni omnium beneficiorum vacantium. Si enim hic abusus est, cur non tollitur? si non est, cur in Pontifice, qui longè melioribus titulis eos sibi vendicare noscitur, damnatur? Sed ut semel de his agere desinamus, scripsêre de Annatis alij, ad quos jam superiùs [c] lectores remisimus.

z l. fi. C. de divers. rescript. l fi. C. de dom. & prot. lib. 12. lib. 2. C. de novo Cod. &c.

a Conc. Basil Seff. 21. ad pr.

b art. de Annat.

c Supr. an. 1435. XIV. in fi.

XXV.

Miserant quoque Biturim Basileenses articulos errorum Græcorum, super quibus essent ipsi interrogandi si Basileam accederent: quos acceptos à solertissimo rerum abstrusarum indagatore eruditissimóque Iacobo Sirmundo Societatis IESU, hîc ingerere operæ pretium duximus, cum vix alibi sit eos reperire in unum collectos, nec verò etiam ita distinctè expressos: súntque numero 41. quos iisdem omninò verbis quibus recipimus, eodémque ordine referemus.

ERRORES GRÆCORUM.

1. Dicunt Spiritum sanctum non procedere à Filio.

2. Negant Primatum Rom. Ecclesiæ.

3. Dicunt se esse extra obedientiam Rom. Ecclesiæ.

4. Dicunt Rom. Pontificem non habere plus potestatis quàm Græcos Patriarchas; & quicquid præter conscientiam eorum per Papam fit esse nullius valoris.

5. Quod quicquid actum est per Papas à tempore septimæ Synodi, nullum esse.

6. Eucharistiam consecratam per Ecclesiam Rom. non esse corpus Christi eò, quòd fiat in azymo.

7. Ecclesiam Rom. errare in formâ Baptismi.

8. Non esse Purgatorium: & dicunt suffragia Ecclesiæ vivorum non prodesse nisi illis qui sunt in inferno.

9. Animas exeuntes è corporibus non habere neque pœnam neque gloriam usque in diem judicij, sed errare sicut aves cæli.

10. Condemnant 2. & 3. vel ulteriores nuptias, negantes in his esse matrimonium.

11. Vsuram non esse peccatum mortale.

12. Divortia fieri posse sine causâ ad libitũ.

13. Errant, quia sacerdotes eorum committunt bigamiam.

14. Condemnant Ecclesiam Rom. quòd ponat aquam frigidam in sacrificio.

15. Errant, quia dominator eorum vendit Prælaturas, & dat pro eis aliquid offerenti.

16. Prælati eorum vendunt sacros ordines.

17. Reliquias panis fermentati, de quo conficiunt sacrificium, volunt quoque esse corpus, & valere tanquam sacrificium tempore extremo ubi non inveniunt sacrificium.

18. Condemnant Ecclesiam Rom. eò quòd celebrat Missam diebus Quadragesimalibus, præterquàm diebus Sabbati & Dominico.

19. Deficiunt in duabus unctionibus quæ præcedunt baptismum.

20. In duabus scapulis ungunt oleo tantùm parum tam presbyteri quàm mulieres ibi assistentes.

21. Non conficiunt chrisma, nec oleum sanctum Infirmorum: & non habent sacramentum Confirmationis.

22. Cùm ordinantur eorum Episcopi, injungitur eis aliquod factum, quod contra canones & decreta, & de sacrâ unctione.

23. Errant in Extremâ Vnctione, intelligentes B. Iacobum de infirmitate peccati, non corporali.

24. Confessores eorum nullam satisfactionem injungunt pro furto vel rapinâ manifestâ; nisi quòd vadat ad septem sacerdotes pro peccato, & ungunt oleo simplici pro remissione omnium peccatorum suorum; & solvunt eis pecuniam pro absolutione.

25. Semel in anno in Cœnâ Domini conficiunt Sacramentum pro infirmis, & pro toto anno; desiccantes Eucharistiam ad solem: asserentes, quòd eâ die Dominus instituit Sacramentum, majoris esse efficaciæ. Nec diebus jejunant Sabbati, nisi sit vigilia Paschæ.

26. Animas Sanctorum usque in diem Iudicij non futuras in cælo, nec animas damnatorum in inferno: immò sunt errantes sicut aves cæli.

27. Non habent nisi quinque Ordines, Lectoris, Sudiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi.

28. In Sacramento Pœnitentiæ etiam errare videntur; quia cùm per gratiam contritionis, aut sacramenti, ac potestate clavium, pœnam æternam commutari in temporalem dicunt, quod hîc non perficitur pœnitentia injuncta, nec satisfactio perfici potest, vel purgari, nec potest mortem igne purgari, vel suffragio Ecclesiæ, aut bonorum eleemosynis piari, negant Purgatorium & asserentes his tantùm qui sunt in inferno prodesse, ut dictum est, in magnâ parte annihilant pœnitentiam.

29. Solent quolibet anno excommunicare Ecclesiam Romanam.

30. Non permittunt Latinos celebrare in altaribus ipsorum: & sic casu aut necessitate acciderit ut aliquis Latinus celebret, lavant altaria pro abominatione talis sacrificij. Et quia verè tenent, quòd nullus in uno altari eodem die nisi unam tantùm Missam habere.

31. Simplicem fornicationem, & solutum habere solutam, non esse peccatum mortale.

32. Prælati Græcorum sacerdotes & religiosi injungunt pœnitentias Græcis ut interficiant Latinos, & habituros remissionem omnium peccatorum.

33. Religiosi ipsorum non servant obedientiam, nec castitatem, & sunt usurarij.

34. Dominator eorum ordinat Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, pro arbitrio, ac pariter deponit, & confert beneficia retinens sibi arbitrium suum.

35. Verberantes Prælatos, religiosos, & clericos, non peccant, nec incurrunt excommunicationis pœnam.

36. Non posse peccare mortaliter quemquam: quod est magnum scelus.

37. Credunt licitum esse quocumque modo decipere inimicum suum, etiamsi contingat perjurare; nec esse peccatum mortale.

38. Latinos esse in peccato mortali, & damnant eos qui comedunt de suffocato, & radunt barbam, & comedunt alia in veteri Testamento prohibita.

39. Latinos damnant, qui comedunt carnes ultra hebdomodam carnis privij.

40. Comedunt carnes quatuor diebus ven::::::anni.

41. Damnant Ecclesiam Rom. & Latinos comedentes carnes die Mercurij, & die Veneris ova & caseum & non carnes in die Sabbati: & ponunt hoc sub interdicto anathematis.

En quantæ molis esset Græcorum à tam densâ errorum silvâ ad rectam doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ viam reductio! quantæque gloriæ & meriti fuerit id perfecisse in Synodo Florentinâ! ac denique quantæ eorum culpæ ad eosdem subinde recidisse!

XXVI. CONVENTUS IN GERMANIA PRO REBUS SYNODICIS COMPONENDIS.

Iam ut ad Basileensia redeamus; de Germanis tradunt Acta Patritiana, semel eos iterúmque post electionem Alberti Romanorum Rege, convenisse Nurimbergæ, cùm propter alias communes regni causas; (legimus) enim in eorum historiis, consuetudine receptum esse ab antiquo, ut post Regum Francofordiæ fieri solitam ejectionem, & Aquisgrani coronationem; ad homagia recipienda, & res Imperij tractandas, primi conventus celebrentur apud Nurimbergam, urbem jam superis quàm inferis Teutonibus communem: tum etiam ut de illâ quæ inter Eugenium Papam & Basileenses vigebat discordiâ tractarent. Atque in posteriori conventu ad finem anni habito adfuisse quoque (præter legatos Basileensium, quorum Princeps Patriarcha Aquileiensis) legatos Eugenij insignes planè viros, Nicolaum Albergatum Cardinalem S. Crucis, decretum per Germaniam Legatum à latere, Ioannem Archiepiscopum Tarentinum, Petrum Diniensem & Antonium Vrbinatem Episcopos, Franciscum de Capitibus Listæ Iuris utriusque Doctorem & militem, Ioannem de Turrecrematâ Hispanum Ordinis Prædicatorum sacri Palatij Magistrum, qui posteà sancti Sixti, & Nicolaum de Cusâ Germanum Decretorum Doctorem, qui sancti Petri ad Vincula Cardinales fuêre: cujus etiam inclytæ legationis fit mentio in Vitâ prædicti Albergati per Sigonium conscriptâ. Quem quidem confestim ubi nihil eo conventu agi perspexit, in Italiam rediisse constat; quippe qui Synodo tam Ferrariæ quàm Florentiæ interfuisse reperiatur. Aiunt enim eadem Acta Patritiana: cùm in eo conventu Nurimbergensi ad concordiæ tractatus deventum esset; videretúrque Principibus optimum esse si tertius locus eligeretur celebrando Concilio Vniversali, in quo & Basileenses & Ferrarienses cum Græcis & Pontifice convenirent: post multas disputationes, legatos Basileenses respondisse, super eâ re se potestatem non habere; petere tamen responsum super pridem postulatis de suscipendis decretis contra Eugenium: Cæsarem autem ac Principes respondisse, mox se per suos nuncios Patribus sententiam aperituros: Per hos autem legatos significâsse, fateri Germanos Concilium generale Basileæ esse: deliberationem Neutralitatis omnes approbare, ac venerari simul eodem tenore & sacrum Concilium & Eugenium Pontificem; Pro concordiâ verò omninò videri tertium locum eligendum, quem Patres de consilio Cæsaris nominarent: Hæc & Regis Francorum oratores confirmâsse; ab eo se nuper missos asserentes ad eandem concordiam & loci mutationem suadendam: Accessisse pariter in eandem sententiam oratores Hispaniæ, Aragoniæ, Navarræ & Portugalliæ Regum, ac Ducis Mediolanensis: Esse eâ de re per 2. menses disputatum, pacis conditionibus sæpè hinc inde præscriptis. Nullas tamen Basileenses suscipere voluisse, quin multa adderent, multa demerent, ut omnem Pontificis auctoritatem penitùs enervarent; tandémque promisisse missuros se nuncios ad novum conventum Francofordiæ celebrandum Calendis Martiis anni proximi: qui tamen ob pestem ibi grassantem celebratus est (ut videbitur) Moguntiæ. Narrant hæc prædicta Acta Patritiana: meminítque eorundem Æneas Silvius in principo commentariorum suorum de Gestis Concilij Basileensis, quæ tunc pro ejus defensione conscripsit. Ac præterea extat inter Epistolas Synodales ejusdem Concilij editionis Binianæ, & Responsio prædictis Principum oratoribus facta in Congregatione generali 10. Cal. Martij anni proximi: quâ per longas verborum ambages, ac pro-

QUID IN EO DELIBERATUR.

lixam rerum præteritarum repetitionem, continuationémque prædicationis auctoritatis Conciliorum supra Pontificem, & accusationis contumaciæ Eugenij; demùm multiplices difficultates petitæ loci mutationis, & inconvenientia ex illâ emersura exponentes, eam ullo modo posse fieri negant quin Concilium omninò dissolveretur; quod nunquam se passuros, sed potiùs quæcumque incommoda, mortémque ipsam oppetituros magnificè profitentur. Denique & legitur ibidem alia Responsio ex generali item Congregatione 13. Calendas Octobris præsentis anni, facta Francisco de Barbavariâ oratori Ducis Mediolanensis, qui protestationem quamdam specialem nomine sui domini fecerat contra processum in Eugenium intentatum: quam iidem negantes esse Ducis, sed ipsius solummodò nuncij, liberiùs confutare nisi sunt; semper suam auctoritatem extollentes, & gesta Eugenij condemnantes. Quæ verò pòst ibi secuta, dicentur anno sequenti.

XXVII. De cultu nominis Iesu.

Habent insuper Acta Patritiana; per hoc idem tempus ibidem Basileæ deferente quodam Bartholomæo ex Ordine Eremitarum S. Augustini, actum esse de cultu Tabellæ nominis Iesu, quem Fr. Bernardinus Senensis, qui posteà inter Sanctos relatus est, introduxerat: (de quo & nos superiùs [d] egimus:) & cùm à multis cultus ille reprobaretur, Cardinalísque Arelatensis assereret fuisse cum Bernardino prohibitum per Martinum Papam; affirmatum esse ab eo tempore Bernardinum eo abstinuisse: sícque rem indiscussam esse dimissam.

[d] An. 1419. V.

XXVIII. Deliberatur Ferrariæ de celebrandis Sessionibus.

Vt verò jam ad Græcos redeamus, quos Ferrariæ de suis opinionibus interim dum evocati ad Synodum venirent disputantes reliquimus, ubi tempore præscripto elapso viderunt nullum è Basileâ, nec ferè aliunde recèns advenire; asserente Pontifice, ubi ipse esset cum Imp. & Patriarchâ Constantinopolitano, cæterorúmque legatis, ac Cardinalibus, ibi esse universalem Christianorum Synodum; solutáque dubitatione Græcorum ne multitudine Latinorum qui aderant in suffragiorum enumeratione superarentur, dum statutum est ut non suffragiis res ageretur, sed quisque suam sententiam simpliciter proferret: Demùm communi consensu decretum est, ut celebrarentur Synodi Oecumenicæ Sessiones: atque ante omnia disputaretur de duabus quæstionibus, Vtrùm scilicèt fas esset quicquam symbolo addere, & Vtrùm additio Filioque pia esset.

XXIX.

Sessio I. Ferrar. Græcor. simul et Latinor.

Quòd autem Eugenius Pont. podagrâ laboraret, ideóque ad Episcopalem Ecclesiam ubi Synodus fuerat indicta venire non posset; habita fuit *Prima Sessio* die 8. mensis Octobris feriâ 4. in amplo sacello palatij ejus; eodem ordine & apparatu, quem dispositum & stabilitum vidimus in majori templo S. Georgij. Cùm autem prætereà ad disputandum de re propositâ electi fuissent utrimque seni; fuerunt illis ante altare, ad quod Librum Evangeliorum positum diximus, sedilia locata, Latinis ad partem Pont. Græcis ad Imperatoris & Patriarchæ, ita ut spectarent sese invicem. Fuerúntque Latini duo Cardinales, Nicolaus Albergatus tit. S. Crucis, & Iulianus Cæsarinus tit. S. Sabinæ Presbyteri; Andreas Archiepiscopus Rhodius, Aloysius sive Ludovicus, malè Ioannes in Actis Græcis dictus) Episcop. Forolíviensis Ordinis Minorum; & duo sacerdotes Monachi Theologiæ Magistri; Græci verò, Marcus metropolita Ephesius, Isidorus Rutenus, Bessarion Nicænus, Theodorus Xantopulus magnus vasorum custos, Michaël Balsamon magnus Bibliothecarius, & Gregorius Gemistus. Ita namque recensentur in Actis Græcis: cùm tamen Andreas de S. Cruce, unicum ponat Cardinalem, nempè S. Sabinæ; ac cæteros Latinos disertiùs exprimat, prædictos scilicèt Rhodium & Forolíviensem, Provincialem Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, (cui Ioanni de Montenigro fuisse nomen, S. Antoninus [c] docet) Petrum Perquerij Ordinis Minorum, & Ioannem de S. Thomâ Ordinis Eremitarum. Quem porrò Græcus textus habet Andream Archiepiscopum Rhodi, Colossensem Andreas de S. Cruce in suis Collationibus, & Abraham Cretensis in suâ Actorum versione appellat: paritérque in subscriptionibus Synodi disertè inter Latinos ponitur Andreas Archiepiscopus Colossensis; (de quo etiam, pro Eugenio ad Concilium Basileense fungente legatione, dictum aliàs [f]:) inter Græcos Nathanael Metropolita Rhodi. Ac denique S. Antoninus qui Andream novit, Colossensem vocat: atque fuisse Ordinis Prædicatorum egregium Theologum, & utriusque linguæ peritissimum. Cujusmodi discrimen ex eo venisse constat, quòd cùm duo essent in insulâ Rhodo quæ tunc à Latinis Militibus Hospitalariis possidebatur, Antistites, alter Græcus in regimen Græcorum qui in insulâ erant, alter Latinus qui Latinorum curam gereret: Græcus ex antiquâ consuetudine Metropolita Rhodiorum dicebatur, Latinus verò Archiepiscopus Colossensis, ex eâ Insulæ nuncupatione, quâ à recentioribus Græcis, Suidâ, Glycâ, Zonarâ, & aliis, Rhodij dicti sunt Colossenses à prodigioso Solis Colosso qui ibi fuerat. Id enim manifestum vel maximè redditur ex compositione quâdam inter eos Antistites aliquando [g] dos factâ: quâ Metropolita Græcorum Rhodiorum submissionem profitetur Archiepiscopo Colossensi, tanquam eâ in parte Sedis Apostolicæ delegato. Cæterùm interfuit quoque prædictæ decretæ disputationi tanquam interpres Nicolaus Euboicus Sagundinus, cujus fit mentio in Sessione 7. quémque Ænæas [h] Silvius fuisse ait utráque linguâ disertissimum, ingenio facundiáque juxtà promptum, illustréque eo munere adeptum esse. Quâ etiam de re testem pariter se asserit Matthæus Palmerius Florentinus in suo Chronico; scribens vidisse se illum disputantium verba atque sententias tum Græcè tum Latinè prolatas, mirâ celeritate ultrò citróque in utrâque linguâ fidelissimè & summo ornatu reddentem.

Seni utrimque electi ad disputandum.

Duo Archiep. Rhodii.

[c] Ant. tit. 22. cap. 11.

[f] Supr. an. 1432. XII.

[g] Infr. ann. 1474. XIII.

[h] Æn. Europ. c. 54.

XXX. Bessarionis oratio in Synodo.

Omnibus igitur ex ordine consedentibus, Latinísque honoris causâ, & pro suâ in Græcos Benevolentiâ, sermonis eis prærogativam concedentibus; surgens Bessarion Nicænus, facundissimus orator, ætate juvenis (ut Andreas ait) sed doctrinâ & gravitate venerabilis, acceptâ priùs ab Imp. & Patriarchâ dicendi facultate, post profundam incurvationem, luculentissimam habuit orationem, quæ extat in Actis: quâ exultans hâc die quam fecisset Do-

minus pro unione totius Ecclesiæ SS. Trinitatem, singulásque ejus personas laudavit invocavítque; ac Pontificem Imperatorem, Patriarcham, universúmque cœtum pariter laudans de sancto omnium desiderio, hortatus est ad constantiam & perseverantiam usque ad susceptæ rei consummationem. Nihilque ampliùs eâ Sessione gestum est. Sicuti nec *Secunda* celebratâ die Sabbati undecimâ ejusdem Octobris, aliud quàm quod Andreas Colossensis (sive Rhodius) Archiepiscopus ex parte Latinorum Bessarionem imitatus, gravi oratione Pontificis, Imp. Patriarchæ, totius denique Synodi laudes & gloriam celebravit, decretúmque est, disputationes dialectico more argumentis brevibus agitari: ordientibus Græcis, cùm optio data eis esset, quas vellent proponentium vel respondentium partes suscipere.

SESSIO II. ARCHIEPISC. RHODII ORATIO.

XXXI. SESS. III. USQ. AD VIII.

Quare *Sessione III.* habitâ feriâ tertiâ decima-quartâ Octobris, & quatuor sequentibus eodem mense celebratis, privatísque nonnullis disputationibus, inter Marcum Ephesium & Andream Colossensem præcipuè disceptatum est (loquentibus etiam nonnumquam cæteris electis ex utrâque parte, ac potissimùm Iuliano Cardinale pro Latinis, Bessarione pro Græcis; nec omninò silente Imperatore ipso: admixtâ etiam utrimque non semel, ut solet in disputando, aliquâ verborum acrimoniâ, & inutili modorum agendi contentione, de additione vocis *Filióque*; quam Marcus & sui omninò negabant fieri potuisse contra septem priorum Conciliorum generalium decreta, quibus prohibebatur ulla fieri additio Symbolo: Andreas verò sustinebat, accessionem illius vocis, non propriè additionem, ut Græci appellabant, esse, sed tantùm expositionem vocis Symboli *Ex Patre*, & fidei Ecclesiæ de processione Spiritûs S. ex utroque; quam multis argumentis & auctoritatibus probavit: Additiones quidem contraria semel decretæ fidei esse interdictas, sed non illas per quas exponitur fides: quippe quibus etiam usi sint Patres Nicæni I. Concilij ad Symbolum Apostolorum; & Ephesij ac Chalcedonenses ad Nicænum: Quod licuit Apostolicis, non esse inconcessum sequenti Ecclesiæ, cui Christus promisit se affuturum omni tempore usque ad consummationem sæculi. Licuisse autem Apostolo ex generalibus Fidei principiis alia dogmata inferre & exponere; veluti cùm ex eo quod semel dixit [1] *Vnus Dominus, una fides, &c.* intulit, *Ergo & una Ecclesia.* Si non liceret per expositionem aliquid ad dogmata fidei superaddere, nullâ ratione hæreses confutari posse: Nec propterea dicenda priora Symbola imperfecta fuisse: sed perfecta quoad veritatem & fidem, etiamsi non quoad notionem, ad quam insinuandam opus fuit dilucidâ expositione & explanatione. Hæc Andreas & Iulianus, aliáque ejusmodi plura, tam ex Theologiâ & Philosophiâ petita, quàm ex Historiâ Ecclesiasticâ; quam in his disputationibus locum habere posse ac debere, ostenderunt Imperatori qui de eo subdubitaverat. Post quæ argumentis & objectionibus Græcorum tam ex priorum Conciliorum quàm Patrum auctoritatibus desumptis respondens Andreas, insuper asseruit ab ipsismet Græcis aliquam vocem post Ephesinum & Chalcedonense Concilium Constantinopolitano fuisse additam, quæ fidei non adversabatur: atque in Nicæno II. formulam fidei esse recitatam, in quâ apertis verbis contineretur Spiritum S. *à Patre Filióque* procedere: Paritérque alios Patres Græcos professos esse Spiritum S. *ex Patre per Filium*, id est ex Filio procedere: Susceptas denique ab iis fuisse absque ullâ reprehensione, etiámque à Photio schismatis auctore, epistolas nonnullorum Romanorum Pontificum, quibus illi Spiritum S. à Patre Filióque procedere disertè profiterentur. Vnde & appareret, nequaquàm ignorantibus Græcis, quod illi objiciebant, eam vocem à Sede Apostolicâ appositam esse declarationis ergò. Cùm & alioqui potuerit illa pro suâ auctoritate eum apponere etiam non vocatis Græcis: quippe sicut nullum Concilium, ipsorum etiam auctoribus attestantibus, ratum est, quod citra consensum Sedis Apostolicæ celebratur; ita è contrario firmum sit decretum Synodi auctoritate Apostolicâ congregatæ & approbatæ; sive Orientales & Occidentales simul, sive etiam alterutri tantùm Episcopi, plures vel pauciores interfuerint. Quæ cuncta prolixè sparsim tractata ac disputata prædictis Sessionibus, legere est apud Acta Romæ & in Germaniâ à Binio edita: necnon in Collationibus Andreæ de Cruce: quæ Patritius rebus Basileensium potissimùm in[illegible]ntus, non nisi leviter attigit.

QUÆ ADDITIONES INTERDICTÆ VEL PERMISSÆ IN DECRETIS FIDEI.

[1] Ephes. 4.

PROCESSIO SPIR.

S. A PATRE FILIÓQUE PROBATA ANTIQUIS GRÆCIS.

XXXII. SESSIO VIII. USQUE AD XII.

Sessione VIII. celebratâ Calendis Novembris die Sabbati, & quatuor sequentibus eodem mense habitis, præcipui fuêre disputatores Bessarion & Marcus pro Græcis; Iulianus Cardinalis pro Latinis, qui doctissimè rem egit, unà cum Ioanne Provinciali Prædicatorum Lombardiæ uno ex iis qui ad disputandum selecti fuerant. Quarum disputationum summa fuit; quòd Græci concederent fieri quidem posse expositionem verborum Symboli, at non Symbolo addi, quòd id esset contra prohibitionem Ephesinæ Synodi: Latini verò assererent, eam prohibitionem manifestè esse de additionibus, quæ fierent ad eversionem fidei, non de iis quæ ad explicationem necessariam; qualis erat ista *Filióque*, necessariò addita ad vitandam hæresim, quæ ex ejus defectu emergere incipiebat. Quâ etiam de causâ in eâdem Synodo Ephesinâ receptum fuisse contra Nestorianos symbolum Charisij, quod neque Nicænum, neque Constantinopolitanum esse constabat, quo Spiritum S. Patri Filióque consubstantialem posuit. Et in Chalcedonensi, cùm Leo Papa & Flavianus Episcopus Constantinopolitanus accusati fuissent, quasi contra prohibitionem Ephesinæ egissent eo ipso quòd fidei dogmata explicatiùs docerent; auctoritate ejusdem Synodi Chalcedonensis iustè meritóque absolutos fuisse, utpotè qui suis additamentis non tam Symbolum evertissent, quàm distinctiùs contra hæreses proposuissent. Hísque prolixè disputatis, demùm Iulianus *Sessione XII.* institit, ut iis deinceps omissis, ad principalem quæstionem transiretur; utrùm nimirùm Spiritus Sanctus à Patre tantùm, vel à Patre simul & Filio procedat: Eâ enim controversiâ compositâ, facile fore ut de potestate addendi convenirent.

RURSÙM ACTUM DE ADDITIONE VOCIS FILIÓQUE.

XXXIII. SESSIO XIII. ET XIV. ORATORUM DUCIS BURGUNDIÆ INURBANITAS.

Sessione XIII. habitâ die Iovis 27. Novembris, Ducis Burgundiæ oratores introducti fuêre. Qui cùm Pontificem sedentem de more veneratí essent osculo manûs & genæ, nullâ habitâ ratione Imperatoris qui præsens aderat; dimissâ Synodo Imperator ægerrimè hæc ferens, contestando denunciavit, nisi sequenti sessione honor sibi debitus ab eis redderetur, se Synodum soluturum. Quare interponente se Patriarchâ Constantinopolitano, qui abfuerat ob ægritudinem, factâ *XIV. Sessione* die Iovis sequenti 4. Decembris, cùm omnes convenissent, atque ordine consedissent, ingressi prædicti oratores reverentiam Imperatori præstitêre; at non ita uti par erat. Adeò isti intempestivâ suâ morositate, sive ea spontanea fuerit, sive imperata, rem propemodùm perdiderunt. Ipse tamen Imp. æquo animo id ferens, ne unionis negotium dissolveretur, jussit disputantes illud prosequi. Quo Marcus Ephesius post multa disputata conquestus propter dicendi Latinorum ubertatem plerumque tempus in vanum protrahi, agendum petiit per simplices affirmationes & negationes: Iulianus autem Cardinalis objecta ejus de re propositâ multis rationibus diluens, sermonem adeò protulit, ut dicendo dies eum defecerit. Quod verò aiunt Acta, oratores Burgundi fuisse quatuor Episcopos, unum Archidiaconum, duos nobiles equites, & alios Monachos & Laïcos: meminit quidem & Monstreletus[k] missæ hoc anno à Philippo Duce legationis ad Eugenium; sed nullum in eâ Episcopum recensens, duos tantùm ponit minoris ordinis Ecclesiasticos in dignitate constitutos, aliósque nobiles. At Andreas de S. Cruce de hâc legatione distinctiùs agens, tres tantùm Episcopos habet; videlicèt Morinensem, qui in Curiâ degens honoris ergô cæteris missis adjunctus fuit; Cabilonensem, & Nivernensem: iísque junctum fuisse Abbatem Cisterciensem, ætate & doctrinâ venerabilem; qui Burgundi nomine luculentam orationem habuit ad Synodum, in commendationem unionis fidei, & eximij Ducis ad eam promovendam affectûs, quam idem Andreas verbatim recitat. Fuit[l] autem hic Abbas Ioannes nomine, cognomine de Alneto, 39. ordine inter Abbates Cistercienses. Et in subscriptionibus Synodi reperiuntur Ioannes Episcopus Morinensis, & alter Ioannes Episcopus Nivernensis, uti oratores Ducis Burgundiæ, unà cum Petro Archidiacono Trecensi. Sed ad alia.

[k] Monstrel. tom. 2.

[l] Rob. in Gall. Christ.

XXXIV. SESSIO XV.

Die Lunæ octavâ Decembris celebratâ *Sessione XV.* rursùm Marcus Ephesius longâ oratione probare voluit nefas esse vel syllabam Symbolo addere. Cujus orationem Iulianus Cardinalis admirabili memoriâ in duodetriginta capita distribuens, ad singula respondit; & tum ex Philosophiâ, tum ex Scripturâ sacrâ petitis argumentis, vocem *Filioque* licitè appositam fuisse contendit. Marcus contrà orationem Iuliani in octo partes dividens, adeò longum pro suâ assertione sermonem instituit, ut nequaquàm disputare, sed velle rei finem imponere videretur. Ad quæ Iulianus non tacens, postremò addidit, si decem proponeret Marcus argumenta, decem millia se redditurum ei. Post quæ dimissâ Synodo, cœperunt Græci tædio affici, ac de reditu cogitare; quòd cernerent impossibile esse Latinos inducere ad tollendam eam vocem de Symbolo, ipsique pariter omninò decrevissent nunquam illam admittere.

GRÆCI COGITANT DE RECESSU.

Quare cupiebant finem imponi disputationibus: ac si denique vox illa admittenda foret, non quidem in Symbolo apponeretur, sed in definitione seorsùm, cùm econtra Latini urgerent ut quæstio processionis Spiritûs agitaretur; si enim convinceretur erronea, tunc vocem non solùm è symbolo, verùm etiam ex omnibus undequaque locis expungendam fore: si verò orthodoxa, cur vox jam recepta expungenda? Ad quæ inclinans Imperator (qui nonnihil inter hæc ægrotavit) unà cum Patriarchâ qui continuâ pene ægritudine detentus paulùlùm revixit; deliberatum fuit ut duodecim præsules Græci cum totidem Latinis de processione privatim dissererent. Ob pestem verò Ferrariæ vigentem, cùm Pontifex Synodum Florentiam transferre decrevisset; turbatis nonnihil inde Græcis, auctoritate nihilominùs Imperatoris & Patriarchæ, (absque quorum æquitate animi ac zelo tollendi schismatis fuisset, nihil pro sano à cæteris factum expectari poterat) assensum est eò se transferre: his tamen conditionibus, ut Pontifex mensium octo subsidium Constantinopolim mitteret; ut commeatus ubique ipsis suppeditaretur; ut Florentiam tantùm, & non aliò irent; ut ibi Synodus quatuor omninò mensium spatio terminaretur; ac Græcis inde pro libito abscedendi facultas esset. Sícque habitâ *XVI. Sessione* quarto Idus Ianuarij anni proximi ad publicandam Synodi translationem facta illa est postinde ut ibi dicetur. Hanc porrò Sessionem Acta Patritiana *Quartam* tantum numerant; quoniam ex modo servato in Synodis Constantiensi & Basileensi, Sessiones duntaxat vocant, quibus promulgata sunt aliqua decreta; non etiam conventus, seu congressus, etiamsi publici fuerint, quibus est tantummodò disputatum.

SESSIO XVI.

SYNODUS TRANSFERTUR FLORENTIAM OB PESTEM.

XXXV. VITELLESCI CARD. IGNOMINIOSA FACINORA.

De rebus mundanis Italiæ referunt historici,[m] Cardinalem Vitellescum, qui armis suis atque victoriis universum regnum Neapolitanum haud difficili negotio, pulso Alfonso Aragonio qui contra Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, ac legitimum Renati Andegavensis a Ioannâ Reginâ adoptati jus, per summum nefas illud sibi usurpare vehementissimo nisu conabatur; Ecclesiæ, aut prædicto legitimo hæredi vendicare potuisse, creditus fuerat; illud sive vano metu perterritum: sive aliâ occultâ de causâ, ignominiosè deseruisse; eo sanè maximè meritóque infamatum[n], quòd cùm inducias aliquando fecisset cum Alfonso; nihilominùs eundem dum securus quodam vico Natale Domini celebraret, intercipere opprimeréque quæsierit: fecisśetque, nisi eodem ipso momento Alfonsus de proditione certior redditus, fugâ saluti suæ consuluisset.

[m] Sumont. Hist. Neapol. l. 4. & alij.

[n] Fac. de gest. Alfons. lib. 5. Ant. tit. 22. cap. 11. §. 10.

XXXVI. RENATUS NEAPOLIM ACCEDIT.

Renatum item tradunt pretio redemptâ libertate à Duce Burgundiæ, Neapolim cum triremibus Genuensium advenisse, & multa oppida quà vi quà deditione recepisse: cùm verò pugnam obtulisset Alfonso propè cum exercitu posito, hícque eam acceptare simulasset; specie tamen eligendi loci abeuntem, tam scivisse faciles falli Francos eludere acceptando, quàm ejus decessores offerendo; ne fortè iisdem non utens artibus, quibus illi *Magnorum* nomen adepti essent, eo ipse solus privaretur. Sed quod

jam aliquoties repetivimus, dolus an virtus quis in hoste requirat? Qui etiam (ut erat procul dubio magnus & rei militaris peritiâ, & multis præclaris animi dotibus, si plus quid religionis, & in Sedem Apostolicam matrem ac dominam suam reverentiæ habuisset; quamvis & dixerit etiam olim Lucanus [o], nullam fidem pietatémque inesse viris qui castra sequuntur: quod tamen non negamus cum temperamento intelligendum esse:) virtute rem agere volens, belli caput, ac præcipuum victoriæ præmium, Neapolim ipsam, quæ in potestate Renati erat, interim dum ille aliis locis occupabatur, oppugnare statuens, obsidione cinxit: (Hoc enim ipso anno id Hispani [p] ponunt; at Itali [q] sequenti:) sed amisso Petro fratre suo, egregio planè Principe, qui pilâ tormenti tertiò ad terram illisâ quarto ictu caput percussus repentè occubuit; ac supervenientibus continuis imbribus, re in prodigium ac religionem vulgò versâ, post triginta circiter obsidionis dies eam solvit. Causam autem prodigij ac religionis cùm veram non narrent iidem Hispani, (quid enim prodigij, si mense Octobris, cujus die decimo-septimo Petrus occisus est, copiosi imbres deciderint?) aperiunt Itali: dum narrant, pridie illius diei contigisse, ut cùm Petrus contra turrim Ecclesiæ Carmelitarum, quæ à militibus custodiebatur, & mœnibus urbis adhærebat, tormentum omnium maximum explodi jussisset; pila immensi ponderis muro perforato casu ad imaginem ligneam Crucifixi, quæ in transversali trabe medio templo pendebat, rectà pervenerit: ejúsque caput commisisset, nisi ea ingenti prodigio illud inclinâsset ne percuteretur, coronâ tamen spineâ sublatâ, & capillis verticis relecatis: diéque postero, eâdem ipsâ horâ ictu pilæ tormenti ex eâdem turre prædicti templi explosi Petrum capite percussum periisse: Extare adhuc Imaginem sic inflexo, capite, & à Neapolitanis summâ veneratione coli. Hócque fuit prodigium, quod jure merito, ubi rescitum est, milites religione implevit.

[o] Luc. lib. 12.

[p] Marian. lib. 21. c. 13. Surit. lib. 14. cap. 50.
[q] Collenut. l. 6. & Cost. in Supplem. Summont. lib. 4 cap. 4.

ALFONSUS NEAPOLIM OBSIDET, ET PRODIGIO REPELLITUR.

XXXVII. ALIA BELLA ITALICA.

Æstuabat etiam iisdem his temporibus reliqua Italia bellis inter Philippum Ducem Mediolanensem inquietissimi ingenij hominem, & Venetos simul ac Florentinos, necnon copiarum Pontificiarum præfectos; Francisco Sfortiâ fœderatis contra Philippum socerum, Nicolao Piccinino ipsi Philippo, aliísque militum ductoribus his atque illis pro tempore militantibus; & quà per varias ac multiplices artes fraudésque, quà vi apertâ & bellicis stratagematibus, prœliis, pugnis, obsidionibus interceptionibus, aquâ terrâque sese invicem opprimere ac superare vario marte contendentibus; & diversis tractatibus ac conventionibus potiùs fallere quàm concordare satagentibus. Quæ præsenti & sequentibus annis gesta, & satis confusè ab auctoribus, ob rerum ipsarum confusionem, & confusas partium & contendentium mentes ac cogitationes, enarrata, qui scire cupierit, habet ejusdem temporis scriptores, Blondum [r], Poggium, Antoninum, ac posterioris Corium [s], Sabellicum, Iustinianum, a quibus abundè hauriat. Illud solùm hîc non omittimus hoc bello gestum, cùm in subsidium Brixiæ quæ Venetorum erat, & ab hostibus premebatur, necessaria classis esset in lacu Benaco; nec silvæ essent unde pararentur, aut flumina per quæ naves eò attrahi possent; inventum esse Græculum ex Cretâ oriundum nomine Sorbolum, qui susceperit duas triremes, quatuor celoces, ac scaphas viginti quinque ex urbe Venetiarum ad eum lacum per ducenta ampliùs passuum millia, pérque obvia flumina, & altissimorum montium horribiles asperitates, præruptósque scopulos deducere: ídque feliciter, haud tamen sine magno labore trium mensium spatio perfecisse: opus omnibus sæculis memorabile. Dicuntur & alij nonnulli qui ejusmodi jam antè præstitisse: putà Augustus in bello Actiaco, cùm propter hostes circumire Peloponnesum non posset, per Angustias Isthmi naves in Asiam pertraxit: Et Nicetas quidam Patricius sub Basilio Macedone Imperatore, qui & ipse per eandem terram Isthmi ex mari Helladico in occidentem triremes trahens, Agarenos Cretenses fugavit. Sed quid hæc ad istius Sorboli ausum? cùm vix ille Isthmus sex passuum millium esset, nec tot montium & scopulorum difficultatibus refertus? Cæterùm sive horum exemplo, sive suo invento, etiam Mahometem Turcorum Regem id ipsum, licèt longè minori spatio, in obsidione Constantinopolis triremes unâ nocte è mari in portum à tergo urbis Galatæ traduxisse, Phranzes [t] prædicta etiam alia exempla referens scribit; dicemúsque nos suo loco.

[r] Blond. 3. dec. 8. 9. 10. Pogg. l. 7. Ant. tit. 22. c. 11.
[s] Cor. par. 5. Sabell. 3. dec. 2. 3. 4. 5. Iustin. lib. 7.

NAVES PER MONTES DUCTÆ.

[t] Phranz. l. 1. c. 36. l. 3. cap. 10. Vide infrà an. 1453. V.

XXXVIII. EDUARDI REG. LUSIT. OBITUS.

Hoc anno, diéque decimo-nono Septembris [u], (sunt qui [x] notent diem nonam, feriámque tertiam; sed cùm omnes consentiant eo die factam esse Solis eclipsim, incidisse ea noscitur in feriam sextam diémque decimam-nonam) *Eduardus* Rex Lusitaniæ diem obiit ad Tomarem Cœnobium, quò se ad vitandum pestis periculum quæ regnum affligebat contulerat; suscepto, ut quidam volunt, morbo ex epistolâ ibi acceptâ regno anni quinto, vitæ quadragesimo-septimo. Fuit pietate & religione insignis, literísque valdè deditus, cujus etiam extant commentarij de regni moderatione, de Iustitiâ, de arte equitandi. Reliquit filios infantulos sub curâ & tutelâ matris quorum natu major *Alfonsus* ejus nominis V. Regis titulum accipiens sexcennis tantùm erat. Sed Lusitani feminæ imperium aversantes, abdicato Eduardi testamento, Petrum Conimbricæ Ducem ejus fratrem, Alfonsíque patruum, regni administrationem constituerunt. Quod mater non ferens, implorato nequicquàm fratrum Aragoniorum Regísque Castellæ auxilio, Lusitaniam deserens in Castellam se contulit: ubi miserè vitam finivit. Quemadmodùm & posteà Petrum Rex ubi adolevit, quamquam ejus etiam gener factus esset, in præmium affinitatis & regni administrationis, ex calumniis eum primò exulare coëgit; deinde in suî defensionem armatum pugnâ occidit, & aliquamdiù insepultum inter vilissima cadavera jacere sivit. Quæ omnia fusiùs apud ipsorum historicos tractantur.

[u] Marian. lib. 21. c. 13.
[x] Garivai lib. 35. c. 11. Duar. de Reg. Portugal. geneal.

ALFONSI SUCCESSIO, ET SÆVA INITIA.

Iesu Christi Annus 1439.

Eugenii IV. An. 9.

Alberti II. Annus 2.

Ioannis VII. An. 21.

I. Patres Synodi perveniunt Florentiam.

Anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo nono, Indictione secundâ, mense Ianuarij egressi Ferrariâ Eugenius Pontifex Romanus, Ioannes Imp. & Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus, unà cum aliis Synodalibus Patribus tam Græcis quàm Latinis; suo quique itinere diversis diebus mensis Februarij Florentiam pervenerunt, ad continuandam ibi Synodum Ferrariæ inchoatam. Quem Pontificis egressum describens scriptor Actorum Græcorum Synodi meminit etiam sacratissimæ Eucharistiæ in arculâ equo ornatissimè phalerato de more, quem aliàs [a] vidimus, ante Pontificem delatæ, comitantibus viris plurimis cum cereis accensis. Patriarchæ autem primùm, deinde verò Imperatoris Florentiam magnificum ingressum valdè prædicat: quamvis hunc nimborum copiâ turbatum esse, Andreas de S. Cruce observet. Eadem S. Antoninus [b], qui vidit, attingens, de Eugenij itinere ait, tentas fuisse ei ab hostibus insidias ad capiendum eum: (à quibus tamen, non dicit: sed vel fuêre illæ à Philippo Duce Mediolanensi, vel ab Alfonso Rege Aragoniæ, quos adversarios patiebatur:) verum detectis eis, declinâsse à viâ rectâ, & alterâ insuetâ assumptâ periculum evasisse.

[a] Suprà an. 1377. III.

[b] Ant. tit. 22. cap. 11.

II. Sessio XVII. Agitur de modo ineundæ concordiæ.

Vbi omnes advenerunt, cœptum est tractari de modo agendi: celebratâque *Sessione XVII.* (ratione habitâ sexdecim Ferrariensium: alioquin enim hæc *Prima* dicenda esset Florentina:) feriâ quintâ vigesimâ sextâ Februarij, post longum ferèque altercatorium dialogismum inter Imperatorem & Iulianum Cardinalem eâ de re habitum; conclusum est ut Græci inter se conferrent de modo ineundæ concordiæ, eúmque proximâ Sessione in medium afferrent. Sed eo ab ipsis non invento, consilium inierunt de vitandis publicis Sessionibus, & petendâ disputatione privatâ; delectis ad eam septem ex suis, videlicèt trium Patriarcharum absentium vicariis, Antonio Heracleensi, & Gregorio Protosyncello Alexandrini, Isidoro Rutheno & Marco Ephesio Antiocheni, Dositheo Monembasiensi Ierosolymitani, Bessarione Nicæno, & Dorotheo Mitylenensi; cum facultate disserendi & transigendi cum totidem Latinis de quæstionibus propositis. Quòd tamen hæc occulta minùs placerent Pontifici, satius ducenti rem publicè agi, sicuti hactenùs Ferrariæ factum fuerat, habita est *Sessio XVIII.* (eadémque II. Florentina) feriâ secundâ, mensis Martij die item secundâ, præsidente ipsomet Pontifice, sed absentibus ob valetudinem Imperatore & Patriarchâ. Quâ inter Ioannem provincialem Dominicanorum Lombardiæ & Marcum Ephesium disputari cœpit de processione Spiritûs Sancti. Ac primùm quidem de significatione vocis *Processio*, deinde de testimoniis SS. Epiphanij & Basilij, quibus Ioannes asserebat, negante tamen Marco, probari processionem Spiritûs tam ex Filio quàm Patre. Quæ eadem sequentibus item quinque Sessionibus eodem mense Martij habitis, iisdémque disputationibus, præsente etiam Imperatore, agitata fuêre: aliáque addita hinc inde aliorum Patrum testimonia, & quamplurimæ argumentationes. Actúmque prætereà à Ioanne, ac planè doctissimè, de modo processionis ex utroque per communem Patris & Filij spirationem; de acceptione in Personis divinis vocum *Naturæ, Essentiæ, Substantiæ, Subsistentiæ*, atque *Hypostasis*, & quomodò idem sint & inter se differant in propositâ quæstione: de corruptione codicum Græcorum per ipsos Græcos post Schisma conflatum, quam Græci Latinis impingebant: confutatísque quæ ad prædicta singula Marcus opponeret, aut responderet, adeò ut sæpiùs obmutescere cogeretur; exposuit etiam Latinos non propterea duo Principia, aut duas Causas asserere, quod Marcus inferebat, sed unum Principium & unam Causam Filij ac Spiritûs Sancti Patrem: denique omnes ferè Patres Græcos apertis verbis testari, Spiritum Sanctum *ex Patre per Filium*, vel ex utroque procedere, neminem autem negare, ipsámque particulam *Per* idem significare quod *Ex*.

Sessio XVIII. usque XXIV. Disputatur de Processione Spir. Sancti.

III. Scomma Iuliani Card. ad Imperatorem.

Egregiúmque est quod narrat S. Antoninus Florentinus, qui his disputationibus se interfuisse testatur (non tamen adhuc ejus urbis Archiepiscopus, qualis posteà fuit, sed ut privatus Doctor Ordinis Prædicatorum scientiâ & pietate insignis. Archiepiscopus enim tunc erat *Ludovicus Mediarota*, qui inter cæteros Patres Latinos subscriptus reperitur Actis Synodi; de quo plura inferiùs;) cùm Ioannes assereret Basilium in libro ad Eunomium de Spiritu sancto disertè testari Spiritum Sanctum non solùm à Patre procedere, sed etiam à Filio; & ex collatione diversorum codicum Basilij deprehensa fuisset malitia Græcorum, qui in nonnullis vocem Filij subtraxerant: túncque Imperator dixisset, in Græciâ multos reperiri ejusmodi codices absque illâ voce, ideóque non esse standum paucis illis qui jam in medium afferebantur: Iulianum Cardinalem Imperatori respondisse. Nónne Serenissime Imp. cùm decrevisses ad certamen venire, decuit arma tua tecum afferre, & non in ipso certamine expectare? Ait enim idem Antoninus, (quod Acta minimè exposuerunt) ad disputationem electos esse ex Latinis quatuor, duos videlicèt Episcopos, Colossensem Ordinis Prædicatorum, & alterum Ordinis Minorum, Ambrosium Generalem Camaldulensem, (fuisse hunc Foriliviensem, originémque duxisse ex vetere & nobili Traversariorum Ravennatium familiâ, Rubeus [c] scribit, quem alij Florentinum volunt, Græcè Latinéque doctissimum, & scriptis utrâque linguâ clarissimum) & prædictum Ioannem provincialem: præfectum disputationi Iulianum Cardinalem: solos autem Ioannem & Ephesium disputâsse: ac medium inter utrosque constitutum fuisse quendam utriusque linguæ peritissimum, qui disputantium dicta promptissimè ac fidelissimè suâ cuique linguâ referret; videlicèt Nicolaum Saguntinum, de quo superiùs.

[c] Rub. Hist. Raven. l. 7.

IV. IMPERATOR SUADET SUIS UNIONEM.

Post prædicta cùm Imperator adiisset Patriarcham ægrotantem, de iis quæ porrò agenda forent cum eo consultaturus; convocatis omnibus Metropolitis in ejus ædibus, ipse orationem ad eos habens, exposuit quomodò non ipse primus negotium unionis suscepisset, sed patrem suum Manuelem Imper. cùm esset in Isthmo, misso Eudæmone-Ioanne in Italiam rem aggressum esse de consilio & assensu Euthimij tunc Patriarchæ qui cum ipso erat: sed tempus obstitisse; rémque ad ipsos jam delatam esse: Latinos magnis sumptibus & multo studio unionem quæsivisse: si ea non fieret, majores calamitates ipsis universósque Græcorum imperio obventuras: ac propterea contentiones & disputationes cessare debere, ac medium aliquod concordiæ reperiri, eò maximè quòd faterentur Latini unam causam Filij & Spiritûs Sancti Patrem. Quare duabus adhuc *Sessionibus XXIV. & XXV.* celebratis die Sabbati 21. & Martis 24. Martij (quibus tamen noluit Imp. interesse Ephesium & Heracliensem Antistites, quòd nimis contentiosè rem agerent, ipse verò viam unionis toto animo quæreret) magis ad audiendas novas Latinorum responsiones ad argumenta Græcorum, & doctrinæ suæ probationes atque confirmationes, quàm ad disputationes ineundas: postquam id Ioannes provincialis præclarè egit, nemine Græcorum contradicente; habitis deinceps pluribus privatis congressibus tam Græcorum inter se, quàm etiam Latinorum cum ipsis; missísque hinc inde à Pontifice, Imperatore & Patriarchâ internunciis; factísque insuper inter Pontificem & Imperatorem interlocutionibus: quamquam plures Græcorum sententiam Latinorum approbarent; obnisus tamen vehementer est Marcus Ephesius; ausus etiam asserere Latinos non solùm schismaticos, verùm etiam hæreticos esse ob additionem vocis *Filioque*; verùm Ecclesiam Græcam hanc ipsorum de hæresi damnationem hactenùs reticuisse, quòd Latini numerosiores essent & potentiores Græcis; cæterùm Græcos nullam aliam ob causam sese ab iis sejunxisse, nisi quòd hæretici essent.

SESSIO XXIV. ET XXV. EAM PERSUADET FERÈ CUNCTIS.

MARCUS EPHESIUS LATINOS HÆRESIS ACCUSAT.

X. BESSARIONIS ORATIO PRO ACCEPTATIONE FIDEI LATINORUM.

Econtrà Bessarion pro Spiritûs à Filio processione fortiter agens, háncque sanctorum etiam Patrum Græcorum doctrinam esse confirmans, qui sanè nec fuissent nec dici possent hæretici; habuit insuper ad suos Græcos elegantissimam, admodúmque prolixam orationem dogmaticam, in decima capita distinctam, pro unione faciendâ; quâ imprimis de causis schismatis agens, docuit, tametsi ante generale Concilium aliqua Græcis de suâ à Latinis divisione excusatio fuisset; nunc tamen celebrato Concilio Oecumenico, non posse ipsos absque scelere dividi ab eis, nisi eos à veritate deviare probarent: Necesse esse tam Occidentales quàm Orientales Doctores invicem esse concordes: & quamvis nulla omninò esset in propositâ quæstione Doctorum contradictio, si tamen aliqua appareret, conandum magis esse eos conciliare quàm erroris accusare; potiúsque sibi ignorantiæ culpam imputare, quàm illos credere discordare: Ad intelligentiam illorum Doctorum qui obscuriùs loquuti essent, utendum illis qui clariùs loquerentur: Ipsos Orientales Doctores idem cum Occidentalibus de processione Spiritûs Sancti sentire, manifestè intelligi ex solis præpositionibus *Per* & *Ex*, quibus usi sunt ad eam exprimendam, cùm partim dixerunt Spiritum Sanctum ex Patre per Filium, partim ex Patre & Filio procedere; quibus si addatur omnium Patrum Occidentalium probatissima assertio de processione ex utroque, & ita ex Filio sicut ex Patre, & principium Spiritûs Filium esse sicut ipsum Patrem, & unum & idem ejus principium esse Patrem & Filium simul, non duo principia; futilésque essent objectiones de corruptis per Latinos codicibus Patrum qui prædicta testentur; nec minùs in hâc quæstione verba *mitti, profluere, prodire, emanare, scaturire, oriri*, & alia ejusmodi quibus Græci utuntur, quàm *procedere* significent; nec denique aliæ quas Græci comminiscerentur evasiones ullius essent momenti: nihil ampliùs restare quàm ut perfecta fieret unio Ecclesiæ; ad quam eos magno affectu & efficacissimis rationibus hortatus est, ne si Schisma continuaretur, animarum simul & corporum interitum paterentur.

VI. ALIA EJUSDEM BESSARIONIS DE IISDEM NARRATIO.

Ad quam dogmaticam orationem addidit idem Bessarion post Concilium, prolixiorem etiam appendicem [d], ad Alexium Lascarim Philanthropinum, quam Arcudius noster Latinam fecit, de dicto quodam S. Basilij, quod tunc omiserat; quo is Sanctus libro tertio contra Eunomium disertissimis verbis scripsit *Spiritum Sanctum à Filio habere esse, & omninò ab illa causa dependere*: Eáque verba verè Basilij esse, ac de reali processione Spiritûs à Filio, de quâ disputabatur intelligi, sed in multis codicibus à Græcis abrasa esse, prolixè disputavit: résque in Synodo gestas, ac Marci Ephesij, cæterorúmque argumentationes, denique quæ ibidem tam à Græcis quàm à Latinis ultrò citróque prolata disputatáque fuissent, diligenter & accuratè recensuit; quámque potentes essent Latinorum rationes, ad quas obmutescere Græci haberent, declaravit. Easdémque jam ipse plurimis aliis auctoritatibus, rationibus, & argumentis Philosophicis ac Theologicis egregiè confirmans, prolatas etiam objectiones ex dictis Patrum explicavit: illud insuper inter cætera urgens, quòd nunquam ab aliquo ex Patribus dictum aut scriptum reperiatur, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, aut à Filio non procedere.

[d] *Rec. Bzov. Annal. tom. 16. an. 1440. Horatius verò Iustinianus qui etiam edidit; in fin. Act. Flor. ait in codicib. Vatic. haberi, fuisse eam non solùm à Bessarione Græcè conscriptam, verum etiam ab eodem ipso Latinitate donatam, atque etiam auctam.*

VII. GEORGII SCHOLARII ORATIONES DE EODEM.

Post prædictam autem Bessarionis orationem Florentiæ suis oblatam, obtulit etiam iisdem *Georgius Scholarius* vir sapientissimus & Senator amplissimus, nondum sacerdos, tres alias luculentissimas orationes à se compositas pro unione deliberativas, quæ extant post Acta Synodi editionis Roman. & in postremâ Bibliothecæ Patrum. Quarum primâ argumentatur non faciendam esse pacem, ut quidam vellent, quæ præsenti rerum statui esset tantummodò profutura; sed dogmaticam, quæ perfectè utramque Ecclesiam in veritate unius fidei perpetuò uniret: Alterâ hujusmodi pacis impedimenta tollit, putà timorem dedecoris ex mutatione sententiæ, aut nonnullorum defectionem à Græcorum communione si hæc unio fieret: Tertiâ modos exponit per quos pax vera confici posset; videlicèt recurrendo ad fundamenta fidei, & ad illa opiniones examinando; de-

inde inquirendo quomodo accepta essent ab Ecclesiæ Doctoribus pronunciata Scripturæ, quæ videntur spectare ad hanc materiam; ac denique quid singuli de quæsito hoc philosophati fuissent. Quæ ubi prolixè tractavit, postremò hortatus est iterùm ad unionem.

VIII. PATRIARCHA CÓSTANTINOP. UNA CUM IMP. ET POTIORI PARTE GRÆCORUM ADHÆRET LATINIS.

Habitis deinde plurimis congressibus & collocutionibus, cùm nec inter se Græci, nec cum Latinis in omnibus convenirent; optarétque nihilominùs Imperator unionem fieri, sed tamen nollet omninò repugnantes Græcos deserere, demùm post multas altercationes, & orationem parænetica m ab Eugenio Pontifice ad Græcos habitam, ut omni pertinaciâ sepositâ ad concordiam promptiores efficerentur, & quam obtulerant ambiguam fidei professionem de Spiritûs Sancti emanatione à Filio lucidiùs exponerent: Vbi de omnibus certior factus fuit Patriarcha qui ægritudine detinebatur, veritatem fidei Latinorum palàm agnoscens, Imperatori significavit se pacem & concordiam desiderare; & cum Romanâ Ecclesiâ conjungi velle etiamsi Imperator contradiceret; hísque perterritus Imp. suis denuò convocatis, eos studiosiùs ad unionem animavit. Qui rursùm sententias Patrum tam Græcorum quàm Latinorum examinantes, & congruentes reperientes; tandem Sabbato post Pentecostes 30. Maij, convenientibus omnibus Græcis Episcopis unà cum Imperatore in domo Patriarchæ, cùm & vocatus ad sententiam suam de quæstione propositâ promendam prædictus Georgius Scholarius vir disertissimus & maximæ auctoritatis, rursùm pro unione & dogmatis Latinorum acceptione conclusisset: Antistitibus sententiam suam rogatis, primus Patriarcha censuit, quoniam sanctorum Patrum Occidentalium & Orientalium dicta quædam assererent Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, aliqua ex Patre per Filium, & *per Filium* idem sit quod *ex Filio*; se tamen omissâ voce *ex Filio* dicere, Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium æternaliter & substantialiter, tanquam ab uno principio & causâ; præpositione *Per* hìc significante causam in Sancti Spiritûs processione: Sanctósque Occidentales suscepit asserentes Spiritum Sanctum esse ex Patre & Filio: haud tamen existimans id Symbolo adjici debere; sed unionem fieri retentis suis ritibus. Post eum Imperator agnoscens Florentinam Synodum Oecumenicam esse, séque debere sequi sententiam majoris illius partis; illam amplecti professus est; hoc posito, ut neque Symbolo quicquam Latini addere cogerent, neque ex ritibus Ecclesiæ Græcæ aliquid immutaretur. Inde Isidorus Ruthenus Antiocheni Patriarchæ locum tenens, dicta Patrum Occidentalium suscipienda dixit, & Spiritum Sanctum habere esse ex Filio, & Patrem ac Filium unum esse principium Spiritûs Sancti. Bessarion Nicænus idem sentiens, longiori etiam oratione evidenter probavit impossibile esse Christiano salutem consequi, nî fateatur Spiritum Sanctum ex Patre & Filio esse. His nihilominùs contradicens Marcus Ephesius cum nonnullis aliis, facta est discissio opinionum Præsulum. *Attamen* (inquit scriptor Actorum) *in unam ivimus sententiam Præsules numero decem*, Ruthenus, Nicænus, Lacedæmonius, Mitylenensis, Rhodius, Nicomedensis, Distrensis, Gannensis, Dramensis, Melenicensis. Ex quibus, ut in principio Synodi diximus, inferri posse videtur, fuisse ipsum Melenicensem eorundem Actorum conscriptorem: qui sese ultimo loco numeraverit, quamvis in subscriptionibus postponatur ei Dramensis, qui hìc præponitur. Seu verò is fuerit, seu unus alius ex iisdem 10. subdit fuisse ejusdem cum ipsis sententiæ Gregorium magnum Protosyncellum locum tenentem Patriarchæ Alexandrini & ex hegumenis Pachomium Hieromonachum: Accessisséque posteà Præsules Cyzicenum, Trapezuntinum, Heracleensem alterum locum tenentem Patriarchæ Alexandrini, & Monenbasiensem locum tenentem Ierosolymitani, qui priùs vehementissimè repugnaverant.

IX. OMNES DEMÙM CONSENTIUNT, EXCEPTO EPHESIO.

Die verò tertiâ Iunij, feriâ quartâ, facto rursùm omnium Græcorum tam Præsulum quàm cæterorum conventu in ædibus Patriarchæ, rogatísque rursùm singulorum votis; omnes in Patriarchæ sententiam euntes, statuerunt Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio ut ab uno principio & unâ substantiâ: & procedere per Filium ut connaturalem & consubstantialem: procedere ex Patre & ex Filio, ut per unicam spirationem & productionem. Vno excepto Ephesio, qui obstinatè perstitit in negatione processionis Spiritûs ex Filio. Hæc autem sententia in scriptum redacta, & Pontifici missa, placuit ei cæterísque Latinis: nisi quòd levi motâ de præpositione *Per* contentione, ea sopita est per clariorem prædictæ sententiæ declarationem à Græcis factam. Quâ Papæ oblatâ feriâ secundâ, Iunij 8. & ab eo approbatâ; magna facta est omnium lætitia, & complexus atque osculationes.

X. PATRIARCHÆ REPENTINUS OBITUS, ET PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

Nec tamen hic finis contentionum. Cùm enim ad perfectam unionem peteret Pontifex ut quæstiones de Purgatorio igne, de Primatu Romanæ Ecclesiæ, de Fermentato & azymo, ac de divino Sacrificio, in quibus Græci differebant à Latinis, agitarentur, ac terminarentur: cœptâ de his controversiâ, contigit Patriarcham vesperè diei 9. Iunij repente migrare è vitâ: cùm de more à cœnâ recedens in suam ædiculam hoc manu suâ scriptum reliquisset. *Ioseph miseratione divinâ Archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha*; (quem inanem titulum, à decessoribus longo tempore usurpatum, sibi & ipsum absque ullâ arrogantiâ, sed ex simplici consuetudine tribuisse putamus: atque ideò, & ne fortè nova inde oriretur apud Græcos occasio scandali, ab Eugenio facilè toleratum: quemadmodum & sæpè superiùs vidimus admissum ab aliis Pontificibus fuisse in Patriarchis Armenorum & Georgianorum titulum *Catholici* cujus est eadem significatio.) *Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam commune debitum, Dei gratiâ scribo & subscribo sententiam meam apertè universitati meorum filiorum. Omnia igitur quæ sentit, & quæ dogmatizat Catholica & Apostolica Ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoque Beatissimum Patrem patrum, & maximum Pontificem & Vicarium Domini nostri Iesu Christi antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem: necnon Purgatorium animarum. In horum quippè fidem subscriptum est die mensis Iunij 9. 1439. Indictione secunda.* Fuit autem cùm summo honore &

amplâ funeris pompâ, cui etiam omnes Cardinales interfuerunt, terræ mandatus ritu Græco in templo Fratrum Dominicanorum. Cui Maffeum Vegium hujus temporis Poëtam Laudensem non ignobilem epitaphium versibus imparibus edidisse, Æneas [c] Silvius ait: quod tamen non extat in Vegij operibus quæ vidimus; in quibus desunt epigrammata, quæ Trithemius inter ejus opera recenset. Diligentior Andreas de S. Cruce qui aderat, hoc refert ipsius tumulo adscriptum:

[c] Æn. Europ. cap. 54.

Ejus Epitaphium.

Ecclesiæ Antistes fueram, qui magnus Eoæ
Hic jaceo magnus relligione Ioseph,
Hoc unum optaram, miro inflammatus amore,
Vnus ut Europæ cultus & una fides.
Italiam petij, fœdus percussimus unum,
Iunctáque Romanæ est me duce Graia fides.
Nec mora, decubui, nunc me Florentia servat,
Qua nunc Concilium floruit urbe sacrum.
Felix, qui tanto donarer munere vivens,
Qui morerer voti compos & ipse mei.

XI. Disputatur de ceteris articulis controversis.

Haud tamen propter mortem Patriarchæ cessârunt contentiones de articulis ante ejus obitum propositis; ac præcipuè de supremo Romani Pontificis principatu: Dum quamvis Græci concederent quæ de Purgatorio, & Animabus ac visione Dei, jam fuerant Ferrariæ tractata antequàm Sessiones Synodi fierent; (ita tamen ut de pœnis purgatorij non absolutè deciderent, utrùm ignis esset, seu caligo ac turbo, sive quid aliud) de Azymo verò & Fermentato, consentirent ut in differentia essent, & æquè in uno atque altero consecratio fieret, dummodò esset ex tritico, & à sacerdote, & in loco sacro: quæ autem verba post Dominica consecrationis addere Græci solerent, non pertinere ad consecrationem, quam per sola verba Dominica fieri faterentur, sed esse preces pro invocatione Spiritûs Sancti erga communicantes, quemadmodùm & Latini alias addere consueverunt: Quamvis, inquam, nulla in his remaneret difficultas, nolebat tamen Imperator ullam de iis fieri mentionem in Definitione Vnionis. De Primatu verò Pontificis consentiebat ut generatim agnosceretur; nō autem speciatim ut appellationes ad eum fierent ab aliis Sedibus Patriarchalibus, aut facultas ei esset celebrandi Synodos Oecumenicas absque Imperatore & Patriarchis, quorum privilegia in omnibus salva esse petebat. Hâcque potissimùm quæstione res usque eò processit, ut desperatum propemodùm fuerit unionis negotium. Donec paulatim, in sententiam Latinorum cum nonnullis temperamentis reductis Græcis, (uno semper excepto Ephesio, & quodam altero: duos enim consentire noluisse, nec omninò plures, disertè testatur Bessarion in narratione rerum gestarum in Synodo, quam non ita pridem memoravimus: Vbi & Deum testem invocat, cæteros omnes absque ullâ vi liberè ac spontè consensisse. Alterum autem illum putamus fuisse Scholarium ejusdem Marci discipulum, de quo dicetur anno sequenti, non enim intelligi posse Metropolitam Heracleensem, quem vidimus primò contentiosiùs rem contra Latinos unà cum Ephesio egisse; satis constat ex eo quòd subscriptus reperiatur decretis Synodi ac proinde iis cum cæteris consensisse:) senis utrimque delectis viris, literæ Vnionis, cum expressione dogmatum controversorum, Græcè & Latinè conscriptæ fuêre: ac sextâ die Iulij, Octavâ SS. Apostolorum Petri & Pauli (quam Acta Patritiana *Quintam* Sessionem vocant;) cùm Græcâ sub XXV. collocent; sub eâ comprehendentia quicquid à 24. die Martij, quo eam inchoatam vidimus, usque ad finem Synodi gestum fuit: post sacrum solemni ritu à Pontifice celebratum, cunctis Præsulibus sacris vestibus indutis, à Iuliano Cardinale primùm Latinè, deinde à Bessarione Nicæno Græcè publicè in majori Ecclesia lectæ, ac ingenti omnium lætitiâ auditæ. Quarum Definitio hæc fuit.

XII. Definitio Synodi.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam; consentiente ad infrascripta charissimo in Christo filio nostro Ioanne Palæologo Romæorum Imperatore illustri, & Loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus. Lætentur cœli, & exultet terra: Sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalémque dividebat Ecclesiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo charitatis & pacis utrumque jungente parietem, &c. Convenientes enim Latini ac Græci in hac Sacrosancta Oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus Sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis verò testimoniis ex divinis Scripturis, plurimisque auctoritatibus SS. Doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam verò ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum & ad eandem intelligentiam adspicientibus sub diversis vocabulis, &c. tandem in infrascriptam Spiritum & Deo amabilem eodem sensu, eadémque mente unionem unanimiter concordarunt & consenserunt. In nomine igitur sanctæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, Diffinimus ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur. Quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suúmque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit. Declarantes quòd id quod sacri Doctores & Patres dicunt, & Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem: & quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, Præter esse Patrem; hoc ipsum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè & rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotésque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicèt juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint,

ferint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari; & ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicèt sacrificia, orationes; & eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta. Illorúmque animas qui post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus (prout superiùs dictum est) sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum; & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodùm etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus, cæterorum venerabilium Patriarcharum; ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctiss. Romanum Pontificem; Tertius verò Alexandrinus, Quartus autem Antiochenus, & quintus Ierosolymitanus; salvis videlicèt privilegiis omnibus & juribus eorum. Datum Florentiæ in Sessione publicâ synodali, in Ecclesia majori solemniter celebrata. Anno Incarnationis Domicæ 1439. prid. Non. Iulij Pontificatus nostri anno 9. In Græco autem additur etiam annum Mundi secundùm computum Græcorum; nempè 6947. & *Indiction.* 2.

XIII. Subscriptiones Synodi.

Huic porrò Definitioni Latinæ subscripsit Eugenius Papa cum octo Cardinalibus qui aderant, duobus videlicèt Episcopis, quatuor Presbyteris, & duobus Diaconis: atque insuper ex parte Latinorum duo Patriarchæ Ierosolymitanus & Gradensis; duo Episcopi oratores Ducis Burgundiæ; octo Archiepiscopi; & alij Episcopi quadraginta septem, in quibus nonnulli tantùm electi & confirmati; quatuor Generales Ordinum, quadraginta unus Abbates, & Archidiaconus Trecensis unus ex oratoribus prædicti Ducis Burgundiæ: cùm, ut Acta habent, post ultimam Sessionem celebratam multi alij priusquàm subscriptio fieret abiissent: quippe ab eâ ultimâ Sessione, quæ celebrata fuit 24. Martij, usque ad subscriptionem Definitionis intercesserint ampliùs centũ dies. Græco verò autographo subscripti reperiuntur Imperator, duo Vicarij Patriarchæ Alexandrini, (jam enim vidimus obiisse Constantinopolitanum; necdum alius fuerat ei substitutus) unus Antiocheni (alter namque Marcus Ephesius noluit Definitionem approbare unúsque item Ierosolymitani,) alterum enim Metropolitam Sardium Ferrariæ defunctum vidimus; cujus locum in subscriptionibus supplevit Bessarion Nicænus) aliíque quatuordecim Metropolitæ, decémque Abbates aut in variis aliísque dignitatibus constituti. In Additionibus verò Victorelli ad Ciacconium traditur ex codice manuscripto Ioannis Leonis Dominicani rerum gestarum hujus Synodi, interfuisse unà cum Eugenio Pont. ex parte Latinorum Cardinales decem, Patriarchas duos, Archiepiscopos duodecim, Episcopos sexaginta duos Abbates triginta unum: ex Orientalibus Imperatorem, Despotam, Patriarcham Constantinopolitanum, ac cæterorum Legatos, viginti Archiepiscopos, octo Abbates, tres Cruciferos Constantinopolitanæ Ecclesiæ Cardinales appellatos, duóque Armenos Patriarchas sive Archiepiscopos Armeniæ universæ: præter Principum utriusque partis oratores, alióstque sacerdotes, doctores, & monachos. Denique in quodam ejus temporis Fragmento, ab Horatio Iustiniano apposito ad Andream de S.Cruce, legitur, Definitionem illam ex parte Græcorum subscriptam fuisse Græcè ab Imperatore encausto rubro, & à quadraginta sex Patriarchis & Archiepiscopis Græcis, Trapezuntiis, Iberis, & Ruthenis, encausto nigro. Post publicationem verò Definitionis, omnes Græci osculati sunt genu & dexteram Pontificis: ipsimétque inter sese consalutârunt mutuis amplexibus. Ipsam verò Definitionem Ioannes de Turrecrematâ, Cardinalis factus, commentario, quem Apparatum nuncupavit, extátque post ejus Summam de Ecclesiâ, illustravit, pro declaratione veritatis, (ut ipse ait ad Eugenium) defensione auctoritatis eorum quæ illâ continentur.

XIV. Aliæ nonnullæ quæstiones agitatæ.

Post hæc aiunt Acta Græca, quæsîsse Latinos à Græcis rationem aliquot rituum ab iis in sacrificio Missæ observari solitorum; necnon de Chrismatis unctione concessâ sacerdotibus, quæ solis Pontificibus data est: itémque de mortuorum unctione, ac de diremptione matrimoniorum: iísque omnibus satisfactum esse ab Episcopo Mitylenensi, præterquàm de diremptione matrimoniorum. Quomodò autem de cæteris satisfactum sit, non exponunt. Sed est egregium & utilissimum Opus *Petri Arcudi*, presbyteri Corcyræi, olim nobis piâ familiaritate Romæ conjuncti, *De Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in Septem Sacramentorum administratione*, Parisiis excusum; quo illa intelligi, & qui usus quique in iis Græcorum abusus fuerit, perspicere liceat. De dissolutione verò Matrimonij, de quâ nihil tunc Græci respondere potuerunt, nisi non se id agere sine justis causis; præcipua controversia inter Græcos & Latinos in eo consistit, quòd matrimonium Græci putant in causâ adulterij dirimi fas esse, ac nova contrahere; Latini verò, quoad thorum quidem & cohabitationem ex ejusmodi causâ, nullo verò pacto quoad vinculum, dissolvi posse. Quâ de re cùm plurimi alij tractarint; tum maximè contra Græcos, idem Arcudius, ex ipsis antiquis Patribus, Græcis; quorum auctoritate recentiores pro erroris sui confirmatione abutuntur, rem accuratè examinans; eosdem antiquos cum Latinis consentire demonstrat; ac quæ etiam Latini nonnulli in eandem sententiam dixisse visi sunt, ad rectum sensum reducit, & quorumdam posteriorum temporum

auctorum erronea argumenta refellit. Illud miramur, neque ab ipso dilucidè: neque ullo modo in Actis tractatum, quod apud Ruardum [f] Tapperum insignem Lovaniensem Theologum legimus; in Synodo Florentinâ discussam disputatam esse diligenter quæstionem de Sacramento Confirmationis, propter quorundam errorem Græcorum negantium hoc Sacramentum: ac demùm coactos esse Episcopos & Doctores Græcos Scripturarum testimoniis, suam relinquere opinionem, & agnoscere Confirmationem verè esse Sacramentum Ecclesiæ. Quod unde accepit Tapperus, nescimus; ab eo autem nequaquam fuisse commentum omninò existimamus. Sanè inter errores Græcorum, quos missos vidimus anno superiori à Conventu Basileensi ad Bituricensem, disertè ponitur art. 21. Græcos non habere Sacramentum Confirmationis. Et ex eorum testimoniis qui de Armenorum & Ruthenorum Græcorum Schismati faventium erroribus scripserunt, æquè intelligitur eos hoc sacramentum minimè agnovisse. Vt jam antiquissimum Novatum omittamus: quippe qui non hæc animo de Sacramento disputandi adducimus, quod firmiter jure divino stabilitum cum Ecclesiâ credimus; sed referendi tantummodò quæ cum Græcis apud Florentiam gesta fuêre.

[f] Tapp. to. 2. art. 12. De Confirm.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS ACTUM CŨ GRÆCIS.

XV. DISCEPTATIO DE ELECTIONE PATRIARCHÆ CŌSTANTINOP.

Postremam cum eis ibi factam disceptationem ponunt Acta; quòd vellet Pontifex antequàm illi abirent, Patriarcham Constantinopolitanum ab ipsis eligi quemcumque vellent in locum Iosephi demortui, quem ipse confirmaturus esset, & amplum viaticum ad reditum ei suppeditaturus: offerens etiam eum dimovere qui è Latinis eum titulum habere, ut unicus esset qui frueretur privilegiis: nunquam autem Imperatorem cæterósque Græcos consentire voluisse, eò, quod moris ipsorum esset, eum Constantinopoli ab universâ provinciâ eligi, & in majori urbis templo consecrari. Demùm die 21. Iulij quinque exemplaria Literarum Vnionis Latinè & Græcè conscripta, subscripta sunt à Latinis & Græcis ex utrâque parte, ut unum Latini sumerent, Græci alterum, cætera mitterentur ad Patriarchas. Atque ita finem accepit negotium Vnionis, sive Conjunctionis. Quam quidem S. Antoninus [ff] Vndecimam numerat factam post undecim quas recenset discussiones Ecclesiæ Græcæ, ac præcipuè Constantinopolitanæ à Romanâ. Cùm tamen sint, qui reconciliationem factam in Concilio Lugdunensi II. sub Gregorio X. Decimam-tertiam nuncupent, ut ibi [g] observavimus. Quem verò effectum hæc Florentina Synodus tantis laboribus & impensis quæsita & celebrata, in Oriente habuerit, quæque mendacia ad suam turpitudinem tegendam Marcus Ephesius in eam effutierit; & præclarissimi alij viri qui Synodo pariter interfuerunt pro ejus defensione scripserint; dicetur anno sequenti post reditum eorum Constantinopolim. Eugenius verò postridie quàm decretum Vnionis promulgaverat, nempè ipsis Nonis Iulij, ad omnes Principes, universósque Christianos, literas scripsit de prædictâ unione & concordiâ; dignas tanto Præsule, tantâque re gestâ; quæ extant [h].

[ff] Ant. tit. 22. cap. 13.

[g] Suprà an. 1274. VIII.

[h] Liter. Rom. Pontif. edit. Rom. & ap. Amed. Pacif. & ap. Horat. Iust. Actor. Flor. par. 3. in princ.

XVI. ARMENORUM ADVENTUS.

Dum vero adhuc esset Imperator Florentiæ, (ut additur in Actis Synodi) advenerunt apocrisiarij sive legati Patriarchæ Armenorũ, viri præstantes, quærentes & ipsi unionem, fideique rectitudinem. Qui Imperatorem in procinctu ipsius abitûs salutantes, & auxilium ejus ad rem propter quam venerant implorantes, bona & gratulatoria verba ab eo acceperunt: eóque abeunte, ipsi Florentiæ permanserunt; non, ut habet versio Abrami Cretensis, cum Græcis abierunt, cùm vix tunc advenissent. Non enim erat illorum negotium unius diei. Discessit autem Imperator ad finem Iulij; obtentis ab Eugenio Pontifice pluribus (ut Acta ponunt ante obitum Patriarchæ) quàm ex pacto ei promissa fuissent: nimirùm præter necessarios sumptus, ac triremes pro ejus omniúmque Græcorum reductione Constantinopolim; trecentos milites sumptibus Pontificis perpetuò alendos, unà cum duabus triremibus ad custodiam ejus urbis; naves quæ peregrinatores Ierosolymam ducerent, Constantinopolim appulsuras: cùm opus forent Imperatori longæ naves, sumptibus suis Papam daturum viginti armatas per sex menses, vel decem per annum: & si copias terrestres peteret, solicitè curaturum Papam ut Christiani suppetias ei afferrent. Sicque abiit Imperator Venetias, indéque Constantinopolim: quò eum pervenisse mense Februarij anni proximi, Phranzes testatur.

IMPERATORIS RECESSUS.

XVII.

Quod verò Armenos attinet; venisse quoque unà cum illis oratores ex Indiâ, Antoninus [i] & Palmerius [k] aiunt: sed nihil de istis in Decreto Eugenij, quorum saltem meminisse opportunissima sese offerebat occasio. Quòd tamen adessent tunc hi auctores Florentiæ; non eos imposuisse fas est dicere, sed Indos accepisse (ut est multiplex eorum denominatio) vel pro Æthiopibus, quos & constat ad Synodum [l] venisse, vel pro aliquo populo iis contermino; aut denique fuisse verè aliquos ex Indiâ, sed qui sub Armenis comprehensi fuerint. De Armenorum autem erroribus, déque ipsorum Patriarchâ, *Catholico* nuncupato, dictum jam sæpè superiùs [ll]. Eos verò magnis laudum præconiis dignos prædicans Eugenius in Decreto de Vnione Armenorum, quod extat post Acta Synodi; eo quod ut primùm ab ipso ad Synodum accersiti essent, spectabiles doctósque oratores ex remotissimis regionibus per multos labores marísque pericula destinâssent; addit, elegissent se de omni statu sacri Concilij viros juris divini & humani peritissimos, qui omni studio & diligentiâ de fide cum iis tractarent. Quæ ita generatim dicta, lumen accipient ab iis quæ de hâc Armenorum legatione scripsit distinctiùs Andreas [m] de S. Cruce qui aderat: nempè Constantinum Patriarcham eorum, ubi audivit celebrandam fore Synodum pro unione fidei, legâsse ad eam quatuor Doctores viros præstantes, videlicèt Sarchim, Marcum, & Thomam, ac Ioachimum Episcopum Pere, qui decretis Synodi suo nomine adnuerent; scriptis eâ de re litteris 25. Iulij 1438. Cùm autem pervenissent Florentiam, Pontificem Cardinales Ostiensem, S. Crucis, & S. Sabinæ, nonnullósque Doctores sacrâ approbante Synodo, delegisse, qui cum Armenis convenirent, ac de rebus propositis differerent, eósque instruerent.

[i] Ant. tit. 22. c. 11. §. in fin.
[k] Palmer. in Chron.

[l] Infrà an. 1442. II. III.

QUOMODÒ CUM ARMENIS ACTUM.

[ll] Suprà an. 1219. VI. VII. Epit. Bar. 535. XIII.

[m] Ap. Iust. Act. Flor. par. 3.

XVIII.

His igitur præviis, (ut pergit Eugenius

DECRETUM EUGENII AD ARMENOS.

in prædicto Decreto) post accuratissimam rerum cum Armenis discussionem, visum fuit, sacro approbante Concilio, ipsísque oratoribus consentientibus, sub quodam brevi compendio orthodoxæ Fidei veritatem, quam Romana profiteretur Ecclesia, iis tradere: ut eo firmior eorundem Armenorum unio perseveraret, quò essent ipsi unius cum Ecclesiâ Romanâ fidei. Tradidit autem eo Decreto, non quidem omnes & singulos universæ Fidei articulos; sed illos tantùm (ut putamus) in quibus tunc Armeni aut errarent, aut dubitarent. Ac primò Symbolum Concilij Constantinopolitani, cum additione *Filióque* in Ecclesiâ decantandum: deinde definitionem Concilij Chalcedonensis de Duabus Naturis in unâ Christi personâ: tertiò definitionem Concilij Sexti de duabus Voluntatibus, duabúsque Christi Operationibus: quartò, quoniam hactenùs Armeni præter Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam Primam Synodos, nullas posteriores recepissent, ostendit etiam Chalcedonensem, quam ipsi Nestorianum fuisse crediderant, esse uti Nestorij & Eutychetis damnatricem recipiendam: quintò omnium Septem Sacramentorum veritatem, ac materiam & formam, aliáque requisita, necnon eorum rationem exposuit. Et de Confirmatione quidem ait, quamvis nonnisi per solos Episcopos, qui vicem Apostolorum tenent, conferri debeat; nonnumquam tamen per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodùm causâ, simplicem sacerdotem schismate per Episcopum confecto eam administrâsse. (Quam consuetudinem cæteris diligentiùs explicavit Arcudius [n] contra errores Græcorum.) In sacramento autem Eucharistiæ Aquam modicissimam ante consecrationem admisceri debere: quam Armeni nullam admittebant. (Sunt qui etiam hunc errorem Græcis impingant; sed sine causâ, cùm numquam eo infecti fuerint: in eo tantùm discrepantes à Latinis, quòd aquam calidam in calicem infunderent.) Sextò tradidit eisdem Eugenius Symbolum S. Athanasij: septimò Decretum unionis nuper cum Græcis consummatæ: postremò dies certos assignavit celebrandorum festorum, Annunciationis Beatissimæ Virginis, Nativitatis B. Ioannis Baptistæ, Nativitatis & Circumcisionis Domini, ac Purificationis ejusdem B. Virgnis juxta consuetudinem Ecclesiæ universalis, & testimonia Patrum Græcorum & Latinorum; cùm illa Armeni aliis incertísque diebus celebrarent. Quæ omnia prædictos Armenos devotè acceptâsse; necnon quicquid teneret ac doceret sancta Sedes Apostolica & Romana Ecclesia, se quoque tenere velle, & quicquid damnaret ac reprobaret, pro damnato & reprobato habere, professos esse, eodem Decreto traditur.

[n] *Arcud. lib. 2. de Cócord. Eccl. Occid. & Orient.*

XIX. SESSIO FLOREN. XXVII.

CONTINUATUR CONCI-

Quod cùm promulgatum Florentiæ ponatur *in publicâ Sessione Synodali* solemniter in Ecclesiâ majori celebratâ præsenti anno Domini 1439. 10. Cal. Decembris, Pontificatûs Eugenij anno nono: (quæ ratione habitâ præcedentium, & unius alterius, quam videbimus celebratam prid. Non. Septemb. dici debet XXVII. in Actis autem Patritianis *Septima* dumtaxat nuncupatur) inde percipias, non unà cum Græcorum discessu dissipatam esse, quod multi crediderunt, Synodum Florentinam, sed porrò continuatam cum Patribus Latinis; nec verò hoc solùm anno, verùm etiam tribus sequentibus, ut inferiùs videbitur: quòd scilicèt vellet secum perpetuò habere Eugenius, cum quibus posset tum de cæteris negotiis ad Ecclesiæ regimen pertinentibus, tum maximè de schismate quod parabatur in Germaniâ, consultare, ac decernere. Quod & luculenter confirmatum reperimus [o] ex Actis Concilij Tridentini, quæ in arce S. Angeli asservantur Romæ, ubi legitur, quòd cùm Episcopus Clodiensis in Congregatione generali die 26. Febr. 1547. excitâsse difficultatem de bullâ unionis Iacobitarum, quasi ea non pertineret ad Concilium Florentinum, quod terminatum fuisse anno 1439. quæ consignata est bulla unionis Græcorum, bulla autem Iacobitarum anno 1441. Cardinalis à Monte Concilij Præsidens responderit, hallucinari eos qui putarent finem Concilij Florentini fuisse unionem Græcorum; cùm longè post, per tres scilicèt ferè annos perduraverit, usque ad annum Domini 1442. quo anno 6. Calendas Maij celebratâ Sessione Romam translatum fuit. De quâ translatione, ac rebus interim Florentiæ in Synodo gestis, dicetur inferiùs suis quibusque locis.

LIÚ FLORENTINUM PER TRES ANNOS.

[o] *Ap. Hor. Iust. par. 3. Auctor. Syn. Flor.*

XX. CONVENTUS MOGUNTINUS DE REBUS BASILEENSIBUS.

De schismate verò quod parati in Germaniâ diximus acturis nobis videndum, modò, qui dum Spiritus S. adeò magnificè ac planè divinè per eos calamum Eugenij veri atque legitimi Christi Domini Vicarij cum laude & approbatione totius orbis, loquebatur, ac dulce canebat; ranæ illæ querulæ ac garrulæ Basileenses coaxârint, atque ovantes gutture corvi crocitaverint. Sed primùm de conventu agendum, quem vidimus [oo] ad mensem Martium Moguntiæ indictum. Eum describens Patritius in Actis Concilij Basileensis, ait interfuisse ei cum legatis Alberti Cæsaris Cardinalem S. Petri ad Vincula, Archiepiscopos Imperij Electores, Treverensem, Coloniensem, Moguntinum, cum tribus aliis Germaniæ Episcopis; Turonensem Archiepiscopum & Trecensem Episcopum oratores Regis Francorum; Episcopum Conchensem Regis Hispaniæ, (hoc est Castellæ) Albiganensem Ducis Mediolanensis, aliorúmque Principum Germanorum legatos complures: atque a Basileensibus missum Patriarcham Aquileiensem cum potestate & insignibus Legati-à-Latere: Post multas collationes, cùm Principes qui aderant, & aliorum oratores instarent, sicuti olim, apud Basileenses, ut à judicio contra Eugenium supersederetur, & locus Concilij mutaretur; nihil obtineri potuisse: Nicolaum verò de Cusâ, qui æquè interfuit ut causam Eugenij tutaretur, palàm prædicâsse Basileæ non esse Concilium generale: Conventum tamen Germanorum, instantibus Basileensibus suscepisse omnia Concilij decreta, præter illa quæ ad judicium contra Papam quoquo modo spectarent: & in plerisque aliis limitationes & exceptiones præscripsisse, à Concilio statuendas: factáque hæc esse Moguntiæ 7. Cal. Aprilis præsentis anni. Ita Patritius. Quæ paulò uberiùs (consimili tamen ferme rerum narratione) tractans Æneas [p] Silvius in Gestis Concilij

[oo] *Supr. an. 1438. XXV.*

[p] *Æn. lib. 1.*

Basileensis, cui tunc interfuit magisque luxurians in stylo quo sibi complacebat, quàm rectæ rationis compos, ut ipsemet posteà agnovit, ac propterea Basileensia totis ingenij viribus supra & extra modum, falsis apertorum jam schismaticorum in Eugenium calumniis deceptus efferens; quippe quos, ut ipsemet in suâ Retractatione loquitur, non putabat mentiri, qui nesciret ipse mentiri: (neque enim disputare est animus, utrùm hæc Gesta verè ab Æneâ conscripta fuerint, ut nos quidem credimus; an verò à quibusdam schismaticis & hæreticis ejus nomine supposita, sicut nonnullis visum:) observat præterea, fuisse quoque in Concilio complures, qui quamvis laboraturos se pro statu Concilij juràssent, nihilominùs in omni negotio Eugenio magis quàm Concilio favebant; quorum sectam Willelmus Constantiensis Iurisconsultus *Griseam* appellaverit: (allusione, ut putamus, ad Ligas, ut vocant, seu factiones Griseas Rætorum: vel quòd is color leucophæus nec ater sit nec albus, sed quid medium:) Herculem tamen omnium Eugenianorum Nicolaum Cusanum existimatum esse, hominem & priscarum literarum eruditissimum, & multarum rerum usu perdoctum: Post varios autem multiplicésque tractatus Conventûs Moguntini, visum esse Germanis decreta Concilij in suâ natione recipere, suspensionis tamen decretum suspendere, ne desperata pax cum Eugenio videretur: Interímque duos missos ab oratoribus Papæ advenisse, ac conatos esse efficere ut suscepta semel à Germanis decreta refutarentur: ídque ubi non succéssit, inaudito Papâ non esset alia peragenda protestatos esse.

XXI.

De Iudicio Westphaliæ.

Inserit hîc Patritius, (quod alibi non reperimus) per hoc tempus Albertum Cæsarem Patres Basileenses hortatum esse, ut causam quandam profanam ad *Iudicium Westphaliæ*, quod *Vetitum* & *Secretum* appellant, remitterent. Quod quidem Iudicium à Carolo Magno institutum tradunt ad Saxonum barbaram tunc gentem ac perferocem, cædibus ac latrociniis assuetam, & crebrò rebellantem, in officio continendam. Fecerúntque illud deinde Cæsares tanti, ut rarò aut nunquam ab illo ad se provocantes admiserint. In eo autem etiam non vocati damnantur: hoc ritu, ut cùm de aliquo noxio refertur, ponatur in medio chordula: quam qui necandum censent reum, digito tangant omnes. Et ne damnatus sit omninò inscius, per unum ex Iudicibus (qui incogniti sunt) cùm datur obvius, virgâ leviter percutitur, vel ab eo audit, *Et alibi ita bonus comeditur panis ut hic.* Post quæ, ubicumque damnatus repertus fuerit suspenditur. Nec possunt hujusmodi Iudices evitari, cùm non cognoscantur. Ita apud Patritium. Sed hoc Iudicium Westphalicum pluribus descripsit Felix [q] Fabri Dominicanus in Suevorum Historiâ; ex quo, seu potiùs ex antiquiori Æneâ Silvio [r], quæ prævivit, exscripsit Ioannes Boëmus [s] Aubanus in Opere de Moribus & ritibus Gentium. Ex quibus intelligitur, illud Carolum sapienti deliberatione instituisse: cùm ad Westphalos (populi Saxoniæ sunt) in fide Christianâ, ad quam eos sæpissimè victos, totiénsque rebellantes, compulisset, & in observatione legum à se latarum continendos; aliquot viros sapientes atque industrios secretò delegit, qui auctoritatem haberent, ut quoscumque comperissent res novas tam in religione quàm imperio moliri, aliúdve flagitium atrox commisisse; confestim illos, nullâ citatione aut defensione præviâ, ubi primùm comprehendi possent, pro arbitrio de medio tollerent: Terruisse eam rem Westphalos & Saxones, cùm frequenter in nemoribus & proceres & mediocres viri laqueo suspensi reperirentur, nullâ accusatione priùs auditâ; sícque demùm metu similis supplicij quievisse: Qui huic Iudicio præessent, *Scabinos* dictos esse; qui etiam præsumerent jurisdictionem suam per universam Germaniam exercere: Nunquam autem repertos esse, qui ritus suos arcanáque Iudiciorum vel pretio, vel precibus, vel etiam metu revelare voluerint: Scabinorum quoque majorem partem occultam fuisse, qui per provincias discurrentes criminosos notarent, & ad Iudicium referrent; executione sententiæ junioribus Scabinis demandatâ. Degeneràsse verò paulatim Iudicium, dum interdum viles personæ in illud admitterentur, & negotia quoque civilia tractare auderent, quibus erat solùm de criminalibus & infidelitate permissa potestas. Hæc illi. Ex hâc verò corruptione seu degeneratione, contigit ut primùm Fridericus III. qui post suprà dictum Albertum regnavit, in Comitiis Francofurdiensibus anno 1442. ac subinde Maximilianus I. ejus filius in Wormaciensibus anno 1495. statuerint [t], ut hæc Iudicia Vetita, honestis, probis, prudentibus, ac peritis hominibus, non bannitis, illegitimis, perjuris, aut mancipiis (ut sunt verba constitutionum, ex quibus subintroductam corruptionem perspicias) committerentur: útque hi non aliter in iis procederent, quàm ab initio esset à D. Carolo Magno, deinde etiam in Reformatione Theodorici Archiepiscopi Coloniensis mandato Sigismundi Imperatoris sancitum: ut nimirùm ad illa Iudicia nemo citaretur, vocaretur, aut sisteretur, præterquàm ob causas quæ ad illa propriè pertinerent, aut qui aliâ honestâ ratione in ordinem redigi non posset. Subdunt inde modum & rationem procedendi, aliáque ad id Iudicium pertinentia. Verùm (ut pòst alibi [u] legimus) ob abusus inde emergentes, per totam Westphaliam ejusmodi clandestina Iudicia obsoluerunt: & quamvis Scabini illi etiamnum in nonnullis oppidis supersint, Iudicia tamen nulla clàm, sed omnia palàm, citatis & auditis iis qui denunciantur, peragi solent. At de iis hactenùs: nunc Basileam ad audienda ranarum & corvorum quos diximus vernacula carmina redeundum.

XXII.

Basileensium conclusiones contra Eugenium.

Dum Conventus Moguntiæ ageretur, veriti Patres (inquit Patritius) ne criminationes Eugenio objectæ satis viderentur ad dejiciendum illum de Pontificatu, conclusiones octo per Theologos qui aderant excusserunt, quibus contendebant Eugenium hæreticum, & in hæresim relapsum esse: quas Veritates Catholicæ Fidei appellabant: videlicèt 1. Potestatem Generalis Concilij supra Romanum Pontificem: 2. Pontifici non licere dissolvere generale Concilium præter ejus consensum: 3. Has veritates qui negaret pertinaciter, hæreticum

[q] Fel. l. 1. c. 7.
[r] Æn. Europ. cap. 36.
[s] Boëm. lib. 3. cap. 14.
[t] Goldast in Const. Imp. tom. 1.
[u] Ap. Chytræ. in Sax. lib. 3.

esse censendum: 4. Dissolutionem Concilij Basileensis primò per Eugenium factam esse contra primas Veritates: 5. Eugenium monitum à Concilio errores suos primæ dissolutionis revocâsse: 6. Secundam dissolutionem ab eo factam, manifestum esse errorem fidei: 7. Eandem secundam dissolutionem probare eum esse relapsum: (seu, ut posteà mutârunt, in revocatum errorem prolapsum.) 8. Iteratam dissolutionem ejúsque pertinaciam post accusatam ejus contumaciam, & erectionem alterius Concilij durante adhuc Basileensi, contra primas Veritates esse. Ita recenset eas Conclusiones ac Veritates Patritius: quæ in Actis Basileensibus editis x ac Navarricis pariter recitantur: Necnon apud Æneam y Silvium, cùm disputationes ac sententias recitat singulorum Theologorum, & Episcoporum, aliórumque tunc Basileæ existentium, qui ad eas consultationes vocati fuêre. In quâ relatione facilè videas eum sibi supra modum placere, non solùm quoad approbationem eorum quæ contra Eugenium dicta factáque fuêre, verùm & maximè in styli & orationis exercitio, quo ut jam diximus luxuriari gaudet; accurato illo quidem, cùm inter oratores & Poëtas illius temporis emineret, sed tamen plurimis vocibus asperso quas minùs pura Latinitas admiserit. Vt autem quo pede, quóve animo Basileenses in Eugenium processerint, quibúsque armis eum impetierint, lectores percipiant; paucis ante eorum oculos proponenda putavimus quæ prolixè de singulis Æneas prosequitur.

x Sess. 33. & post 45.
y Æn. de Gest. Concil. Basil. lib. 1.

XXIII. Quibus gressibus adversùs Eugeniũ processum fuerit.

Ait igitur, haud parvam inter Theologos Basileenses hæsitationem subortam esse, dicíne posset hæreticus Eugenius, qui tam rebelliter Ecclesiæ mandata contemneret, eámque ob causam congregatos ad invicem diutiùs inter se disputâsse. Triplicem inde emersisse opinionem; aliis hæreticum affirmantibus, aliis etiam relapsum, tertiis nec relapsum nec hæreticum. Sed pervicisse sententiam Ebrenensis Episcopi oratoris Regis Castellæ, & cujusdam Abbatis Scoti, ut non solùm hæreticus, verùm etiam relapsus diceretur. Octo inter ipsos Theologos conclusiunculis approbatis, (iis nempè quas modò recensuimus) quas Veritates appellitârunt; earum copiam in orbem divulgâsse: Cœptis his circa medium mensis Aprilis, industriâ atque instantiâ Nicolai cujusdam Burgundionis ex Ordine Prædicatorum, viri acuti, & longè majoris animi quàm corporis; re istâ intactâ remansurâ, nisi istius homuncionis diligentia Patres excitâsset. Reversis oratoribus ex Conventu Moguntino, habitâque certitudine de receptione decretorũ Concilij; visum esse conclusiunculas Magistrorum diligentiùs discutere, congregatis ad hoc Doctoribus omnibus humani ac divini Iuris, cum Prælatis. Timentem Mediolanensem Antistitem Ducis oratorem ne disputatio hæc privationem Eugenij secum traheret, quam timore schismatis semper impedierat, omni studio nisum esse ut res ipsa turbaretur. Peractam nihilominùs disputationem sex continuis diebus & ante prandium & ante cœnam: medio inter omnes, ut judice fidei, totiúsque disputationis moderatore & arbitro, Ludovico Cardinale Arelatensi: Nicolao Amici Theologo Parisiensi procuratore fidei quod quisque sentiret interrogante: suffragia Ioanne Dienlist scribâ publico annotante.

XXIV. Singulorum sententiæ de Eugenio.

Lectis Conclusionibus, rogatísque omnibus viritim sententiam dicere, cùm pedibus ferè omnes in eas irent. Panormitanum Archiepiscopum, (Nicolaum nomine, cognomine ex familiâ Tudescum, patriâ Siculum Catanensem, olim Abbatem Ordinis S. Benedicti: quâ etiam appellatione, videlicèt Abbatis Panormitani, inter Iuris Canonici peritissimos celeberrimus extitit:) virum inter omnes scientiâ eminentem, plurima in adversum disputâsse: plurimáque item Prælatorum decus Burgensem Episcopum, ac Eleemosynarium Regis Aragonum non minùs eloquentiâ quàm doctrinâ præclarum; non tamen his se prioribus Conclusionibus opponentibus, sed illis tantùm quibus Eugenius tangebatur. Argutéque, ut erat subtilissimus, adversus posteriores Conclusiones Panormitanum disseruisse; ostenderéque summo studio multísque rationibus nisum esse, Eugenium non esse relapsum, cùm nunquam per dissolutiones Concilij fidem violâsset. Ejus orationem laudatam magis quàm probatam, id tamen efficacitatis habuisse, ut posteà verbum *Relapsum* ex septimâ conclusione tolleretur, ejúsque loco poneretur *Prolapsum*. Ejus verò orationem Ioannem Segoviensem Theologiæ peritissimum ex Collegio Salamantino confutandam suscepisse, inde maximè quòd ex decreto Concilij Constantiensis Papa Concilio generali subjiceretur. Ei Argensem Episcopum auxilio fuisse; sed tantâ exasperatione, ut etiam ad probra ventum fuerit, de quibus veniam Argensis petere habuerit. Rogatum deinde sententiam Archiepiscopum Lugdunensem oratorem regium, postquàm hæreticum esse Eugenium pluribus rationibus comprobavit, amarè conquestum esse, illorúmque ignaviam plurimùm detestatum, qui talem hominem Pontificio Romano præfecissent. Post hæc Burgensem Episcopum oratorem Hispanum de tribus primis Conclusionibus nullatenùs se dubitare asseverâsse, nisi quòd illa sibi adjectio dubia videretur quæ fidei faceret mentionem: cæteris verò Conclusionibus sese opposuisse. Eleemosynarium verò Regis Aragonum, ut erat consilio callidus, nequaquàm directè ad Conclusiones disputâsse; sed furtim quædam argumenta collegisse, quibus nunc hîc nunc illic præstaret impedimentum.

XXV. Thomæ de Courcellis sententia.

Adversùs autem illos & Abbatem Scotum virum subtilis ingenij plurima disputâsse; & Thomam de Courcellis (Canonicum Ambianensem) inter sacrarum literarum Doctores insignem, quo nemo plura ex decretis Concilij dictavit, virum juxta doctrinam mirabilem & amabilem, sed modestâ quâdam verecundiâ semper intuentem terram, & veluti latenti similem, pro Conclusionibus latè & clarè disseruisse; ac Papam subesse Concilio & Ecclesiæ quòd hæc errare non possit, ille possit, quòd mater illa, hic filius; sponsa Christi illa, hic tantummodò Vicarius; quòd quæ data sunt Petro Apostolo privilegia, data fuerint ut personam Ecclesiæ ferebat: quem etiam ad Ecclesiam remisit Dominus, cùm dixit, Dic Ecclesiæ; unde & fiat ut si Papa Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & publicanus haberi

debeat qui secùs sentirent, aut quod Ecclesiæ competit Concilio generali non æquè competere assererent; id vel aviditate gloriæ vel præmiorum expectatione, & ambitionis excæcatione, adulatoriè dicere: (Attende quam laudet hominis modestiam Æneas: excæcatus sanè tunc ipse, & dementatus ad hæc vana, & penè dixerim vesana argumenta, & obliquas Scripturarum ac Patrum interpretationes; easdem ipsas quibus nostri temporis hæretici adversùs Summum Pontificem abutuntur; quas diffusissimè Thomas ille, non Apostoli in fide, sed, ut summum quid excusationis concedamus, in dubitatione discipulus, apud ipsum prosequitur:) Gabrielem, qui se Eugenium dictitaret, blasphemiæ in Spiritum S. Concilij Basileensis decreta contemnendo, esse participem; qui Romanum Pontificem per Concilium deponi posse negarent, rabulas esse, pertinaciâ magis quàm ignorantiâ contendentes, magis verbosos quam eloquentes: Papam veriùs dici Ecclesiæ Vicarium, quàm Christi; nullum autem esse dubium, quin dominus vicarios suos possit ad nutum suum destituere: si Ecclesia potest, ergo & Concilium: Concilium sine Papæ authoritate congregari posse, & qui id negarent, ruinam secum Ecclesiæ trahere: Illud autem plusquàm fatuum esse, dicere, postquàm semel consensus Papæ accesserit, si revocetur, cessare Concilium; cùm jus habere in suum superiorem non possit qui est inferior, quascumque demùm causas quascumque rationes habuerit. Hæc autem de veritate fidei Catholicæ esse, ex definitionibus Concilij Constantiensis intelligi: adeò ut quicumque ea negarent, hæretici essent: ac planè delirare illos, qui veritatem de superioritate Concilij fassi, veritatem esse fidei non faterentur. Ita egregius ille orator, ac perorator: quo dictante cùm, ut ait Æneas, maxima pars decretorum Consilij Basileensis condita sit, quis miretur si talia fuerint qualia leguntur: Convenientissimè sanè terram semper intuebatur, qui nihil tunc cœleste sapiebat. His igitur (inquit Æneas) & aliis majoribus rationibus admodùm multis, visæ Theologis sunt tres primæ Conclusiones veræ; & per eas etiam reliquas approbârunt.

XXVI. Cùm autem (ut narrare pergit) hæc à Theologis comprobata, ad Deputationum [z] examen delata fuissent, tres earum sine magno negotio cum Theologis consenserunt. Quarta, cui de communibus nomen erat, admissis tribus primis Conclusionibus, de reliquis titubare videbatur: obéxque ibi maximus fuit Georgius Vicensis Episcopus, cui persuaderi non poterat, absque novâ vocatione Eugenium declarari posse hæreticum: favebâtque ei plurimùm Amedeus Lugdunensis Archiepiscopus, (quamvis palàm in disputatione Theologorum, etiam relapsum Eugenium prædicâsset) quia timebat depositionem Papæ nimium festinari. Sícque hæc Deputatio, ne secundùm veterem Concilij consuetudinem, à tribus Deputationibus concluderetur, omnem deliberationem suspendit; plus suspendendo impedimenti, quàm denegando præstans. Vocandi igitur fuêre undique qui causam Concilij tutarentur: atque inter alios Cardinalis Tarraconensis (Dominicus Ram, illius civitatis Archiepiscopus) qui tunc Solodori moram trahebat; & alij complures Episcopi Aragoniæ. Vt autem ad generalem deventum est congregationem, evestigiò Principum oratores affuerunt, & quasi factâ conspiratione in unam sententiam consonârunt, conclusionem pro viribus impedituri, dum rem adhuc suspendi petierunt, vel saltem usque ad reditum cæterorum oratorum Principum ex conventu Moguntino; ac præcipuè pro Rege Castellæ Episcopus Burgensis; pro Aragonio, Archiepiscopus Panormitanus & Ludovicus Protonotarius; pro Duce Mediolanensi, illius civitatis Archiepiscopus; & nisi exaudirentur, protestari se in adversum dicentes: ad quorum sententiam cæteri illarum regionum Prælati accesserunt. Quorum verba Cardinalis Arelatensis resumens, in Panormitanum præcipuè egit, accusans quòd minas eis à Rege suo intentâsset, nisi ipsius sequerentur sententiam: & quòd idem Panormitanus conquestus fuisset, contra morem Conciliorum, in isto spretis Episcopis, in quibus potestas Concilij resideret, quod majori parti inferiorum placeret, concludi; pluribus disputavit, etiam minores sacerdotes semper ad Concilia vocatos fuisse, nec tantùm ad consultationem, sed etiam ad definitionem: neque in Concilio dignitatem Patrum, sed rationem spectandam esse, ac veritatem. Multáque alia pro confirmatione sententiæ Theologorum, & pro constantiâ in defensione fidei demonstrandâ prolocutus, multa admiscuit quæ vellem alterius fuisse; cùm dolendum sit tam nobile ingenium ad illa putidissima schismatis studia prolapsum fuisse.

XXVII. Qui ubi finem dicendi fecit, (ut Æneas prosequitur) ingenti ortâ dissensione, & verbali rixâ, cùm nec mandata Præsidentis reciperentur, nec ordo in rebus agendis solitus custodiretur, omnia contentionibus & probris insonarent: Ludovicus Patriarcha Aquileiensis versus ad Panormitanum & Protonotarium, *Nec credite (inquit) rem sic abire, Germanorum nescitis mores: nempè si sic proceditur, nequaquàm fas erit integris hanc provinciam exire capitibus.* Ad quæ verba illi unà cum Archiepiscopo Mediolanensi uno impetu assurgentes, exclamantes de ereptione libertatis, versi ad Ioannem Comitem de Tierstein, qui tunc locum protectoris Concilij tenebat, sciscitati ab eo sunt an protegere Concilium vellet, omnésque in libertate tutari. Quod cùm ille promisisset, rogâsétque Patriarcham verba revocare sua, útque nihil deinceps tale admitteret; interpretatus illa ipse est ut potuit de constantiâ præstandâ in rebus fidei. Haud tamen propterea cessante contentione, cùm Duodecim [a] virorum concordata de Conclusionibus legi cœpissent jussu Arelatensis; Panormitanus cum suis altissimè clamans, quoniam planè loquens exaudiebatur nemo, negavit ipsorum esse concludere, sed Prælatorum, quorum ipsi major pars essent; ac propterea se nomine Prælatorum supersedendum esse conclusit. Quo verbo tantus exortus est clamor, quantus solet in prœliis tubarum clangor, & equorum fremitus audiri

Marginalia:

XXVI. [z] *Vide suprà an. 1431. XI.* OBNITUNTUR MULTI CUM ORATORIBUS PRINCIPUM.

CARD. ARELAT. OBFIRMATE AGIT CONTRA EUGENIŪ.

XXVII. INGENS INTER CONCILIARES DISSENSIO.

[a] *d. num. XI.*

cùm signis collatis duo invicem concurrunt exercitus. Cúmque adversarij contenderent conclusionem Panormitani nullius esse momenti, Cardinalémque Arelatensem, etiam conviciis impellerent; is sub specie legendæ epistolæ quam ex Galliâ accepisset, tres primas Veritates se concludere professus est; tanto suorum applausu, turpíque adulatione, ut etiam fimbriam vestimentorum ejus deoscularentur. Nónne sunt ista præclarè sanctéque in Spiritu S. conclusa? ô propudium! ô colluviem! sed sequentia videamus.

XXVIII. *Omnia vi et fraude fiunt.*

Cùm post hæc demùm advenisset Cardinalis Tarraconensis, necnon ex Moguntino conventu oratores Cæsaris, Regúmque Francorum & Castellæ, & de concordiâ agi cœptum esset; nonâ die Martij, feriâ sextâ, quâ fieri solerent generales congregationes, dum Principum oratores per Lubecensem Episcopum Alberti Cæsaris oratorem & Conradum de Winsperg, Concilij protectorem in choro Ecclesiæ detinerentur de pace tractantes; interim Arelatensis in Capitulo Ecclesiæ legi evestigiò concordata jussit: inter quæ illud etiam erat, ut posset ipse Arelatensis, quando sibi videretur, Sessionem indicere. Quod ut intellexerunt oratores, Lubecensi omnia imputantes, qui eos ex industria tenuisset in choro ingressi concionem totum templum querimoniis impleverunt. Et Conchensis Episcopus Regis Castellæ orator, siquid inde scandali oriretur, nec sibi nec suo Regi imputandum contestatus est. Mediolanensis etiam in Arelatensem acerbissimè conviciatus est. Panormitanus in omnes invectus est, quòd contemptis Principibus atque Episcopis, clanculùm uti lucifugæ rem egissent. Similia & alij; exprobrantes insuper Arelatensi, quòd cùm solis aliquot Episcopis titularibus, & pædagogorum ac copistarum grege res fidei concluderet. Quæ eludere quærens Arelatensis, & rem legitimè gestam contendens; demùm bono animo suos esse jussit, quia numquam eos dimitteret, etiamsi eum mori oporteret. Tarraconensis verò oratoribus inhærens, protestationem contra ejusmodi gesta legi mandavit. Cúmque ad hæc Arelatensis abire vellet, retentus fuit à nepote Tarraconensis qui à Concilio stabat, & ab aliis consiliaribus. Albigaunensis tamen Episcopus protestationem legit, sed tanto strepitu ut vix ab ullo audiretur. Eóque finiente, Tarraconensis, & omnes ferè Aragonenses, Longobardíque, & Castellani discesserunt; remanentibus adhuc Lubecensi Cæsaris & Turonensi Francorum Regis oratoribus, quòd Arelatensis privatarum personarum negotia aliqua legi jussisset. Cùm verò legi iterùm Conclusiones, & formam decreti de iis promulgandi præcepisset; voluit etiam Turonensis abire, nisi retentus à Lubecensi fuisset: ad quorum pedes se tunc sedisse, Æneas hæc narrans tradit, qui nisi ipsemet coitionis ejusmodi manceps, hæc adeò virulenta, fraudulenta, violenta, descripsisset, quis credere potuisset? aut quis sanæ mentis res sic gestas credens, eas à Spiritu S. processisse sibi persuadere valeat? Sed attende sequentia.

Oratores Principum sese opponunt.

XXIX.

Indictâ per Arelatensem Sessione publicâ in diem Sabbati decimum-septimum Calendas Iunij, rursum opposuerunt se oratores Principum, tum aliis de causis, tum quòd in conventu Moguntino stabilitum fuisset, nihil fore suscipiendum ex his quæ durante pacis tractatu ibi incœpto, vel Papa contra Concilium, vel Concilium contra Papam fecisset. Ad quæ respondens Arelatensis, nihil se gesta Moguntina curare respondit, cæteràsque objectiones diluere contendit: Conclusiones autem quæ modò promulgari deberent, esse admodum generales: si contra eas sentiret Eugenius, Papam corrigi æquius esse quàm veritatem omitti. Celebratáque est eo die *Sessio* ordine *XXXIII.* cui nullus Aragonensium, nullus ex totâ Hispaniâ Prælatus interfuit, sed multi inferioris ordinis: ex Italiâ soli Grossetanus Episcopus, & Abbates de Donâ Cumanæ diœcesis: ex reliquis nationibus mitrati circiter viginti, (non quidem omnes Episcopi, sed plerique Abbates: ut hinc videas quæ majestas hæc fuerit Synodi Oecumenicæ:) inferioris ordinis, & Doctores circiter quadringenti. Vt verò paucitatem Prælatorum Arelatensis aliquâ arte suppleret, ut erat industriosus, plurimas Sanctorum Reliquias totâ urbe perquiri jussit, ac per sacerdotum manus in Sessione portatas, absentium Episcoporum locum tenere. Missâ per Lausanensem Episcopum celebratâ, Decretum Massiliensis Episcopus legit, quod recitatur in Actis manuscriptis & editis Synodi, de tribus illis primis Veritatibus Fidei: videlicet de potestate Concilij generalis universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam & quemlibet alterum: Quod Papa ejusmodi Concilium sine ejus consensu non possit dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre: & Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnantem esse hæreticum censendum. Addit Æneas, Veneris die undecimâ Calendas Iunij oratores Principum præter omnium spem generali Congregationi se miscuisse: quod Conciliares interpretati sunt, quasi eo facto præteritæ Sessioni præstare voluissent assensum; excusantibus Cæsareis & Francicis non se ei interfuisse quòd missi tantùm essent ad negotium pacis, non fidei, & si interfuissent, inutiles se reddidissent tractatui pacis. Ita Æneas.

Sessio Basil. XXXIII. Quam ea turpis.

XXX. *Agitur de condemnatione Eugenii.*

At verò addit Patritius, tam prædictos oratores, quàm aliorum Regum & Principum, eâdem congregatione multis precibus & argumentationibus Patres rogâsse, ut processum contra Eugenium pro bono pacis differrent, & in tertium Concilij locum consentirent. Super quibus petitionibus cùm diù multùmque disceptatum esset, auctore Cardinale Arelatensi tandem Concilij nomine responsum datum esse Idibus Iunij. Extat illud inter Epistolas Synodales Concilij: quo demonstrare conati sunt, si Concilium mutaretur, majorem futuram esse Ecclesiæ turbationem, quâ ipsa in miserabile discrimen adduceretur: Ac de more pergentes contra Eugenium declamare, Concilij extulêre auctoritatem; easdem calumnias, & pravas rerum ac dictorum interpretationes, maximéque Concilij Constantiensis, immiscentes, quibus semper eatenùs causam suam probatam orbi reddere satagissent. Iussa sunt igitur omnia ad judi-

cium conficiendum parari. Et communi consensu quinque alias quas vidimus Conclusiones, quas Veritates fidei appellabant, jam oratoribus Principum silentibus, contra Eugenium compositas comprobarunt in congregatione generali nono Calendas Iulij, ut Patritius habet; & ut narratur in Actis editis [b]: ubi & promulgatæ ponuntur sexto Nonas Iulij post depositionem Eugenij, Apostolicâ Sede, ut aiunt, vacante. Eadémque congregatione jusso citari publico edicto Eugenio ad sententiam audiendam ad septimum Calendas ejusdem mensis; affixum est edictum ad valvas Ecclesiæ.

[b] Post. Sess. 45.

XXXI. Sessio XXXIV.

Sententia depositionis in Eugeniũ.

Quo die celebratâ *Sessione XXXIV.* peractis de more sacris, (ut Patricius habet) vocatus per duos Episcopos Eugenius iterùm, & non comparens, contumax judicatus est; & vigore atque auctoritate Concilij Constantiensis, sententia Depositionis à Papatu lata est in eum omnésque Christiani ab ejus obedientiâ absoluti, prohibitíque ei ampliùs adhærere, sub pœnis hæresis & schismatis, ac privationis omnium bonorum, beneficiorum ac dignitatum, ut pluribus continetur in eâdem sententiâ, quæ extat in Actis editis: ubi Eugenius (quem deinceps Gabrielem semper à priori ante Pontificatum nomine appellant) depingitur ut pacis & unitatis Ecclesiæ perturbator, simoniacus, perjurus incorrigibilis, schismaticus, à fide devius: pertinax hæreticus, dilapidator jurium & bonorum Ecclesiæ, inutilis & damnosus ad administrationem Romani Pontificij. Hæcque eodem ipso die 25. Iunij gesta reperiuntur, ut ex Actis Græcis Synodi Oecumenicæ Florentinæ intelligitur, nec leviter transeundum censemus) quo inter Eugenium Pontificem & Ioannem Græcorum Imperatorem stabilita potissimùm est unitas utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, operâ maximè Isidori Rutheni, Bessarionis Nicæni, & Dorothei Mitylinensis, talium ac tantorum virorum, quos eadem Acta tradunt excitatos divinitùs ad tantum bonum fuisse, idque ut diximus eodem ipso tempore quo picæ illæ loquaces Basileæ in Eugenium tot ac tanta scelera occentabant. Interfuisse verò huic Sessioni infulatos præsules triginta novem, inferioris autem ordinis non minùs trecentis, Acta Patritiana habent. Sed unde tot infulæ? cùm in Veritatum promulgatione vix viginti intervenisse viderimus. An & hîc Cardinalis Arelatensis novâ aliquâ arte, ut tunc, usus ad numerum amplificandum? Dolemus periisse commentarium illum Æneæ Silvij, quo Eugenij depositionem descripserat; unde multa sciremus quæ ipse præsens videbat, quamquam nimis tunc Eugenio cum cæteris adversatus. Periisse namque librum secundum Gestorum Concilij Basileensis ab eo conscriptorum & qui secundus nunc inscribitur, tertium fuisse; apertè ipsemet ostendit; dum imprimis in fine libri primi ait, *Nunc depositionem Eugenij, quo pacto transierit, qui secuturus est liber exponet.* At hæc expositio nullibi reperitur. Deinde ad principium secundi qui nunc extat, scribit *traditum esse superioribus commentariis* quo statu tunc Ecclesia fuisset. At non nisi unus extat commentarius, videlicèt liber primus, cujus superiùs summam retulimus. Denique quòd aggrediens narrationem electionis Amedei Sabaudi, sic fatur: *Deposito igitur, sicut jam monstravimus, ex Romano Pontificio Gabriele:* cùm tamen nihil penitùs de hâc depositione primo libro tradiderit.

Æneæ commentarius mancus.

XXXII. Qui et quales Præsules interfuerint depositioni Eugenii.

Quod verò numerum illum Episcoporum attinet; in Responsione [c] Cardinalis S. Sixti Ioannis de Turrecrematâ, ad Basileenses, de quâ posteà, disertè traditur, de triginta Episcopis, qui tunc Basileæ fuisse dicerentur, solùm octo vel novem interfuisse huic Sessioni, universósque Catholicorum Principum oratores cum cæteris Episcopis ei contradixisse. Vt inde intelligas, reliquos infulatos Patritrianos, fuisse saltem majori parte Abbates. Episcopum sanè Dertusensem Hispanum ei Sessioni præsedisse, Æneas [d] est auctor. Qui nihilominùs alibi [e] ingenuè fatetur: non potuisse Basileenses ad Eugenij privationem procedere, Episcoporum deficiente numero, nisi Amedeus Sabaudiæ Dux eremita cunctos suæ ditionis Episcopos atque Abbates & insignes presbyteros ac Concilium misisset. Quínam verò fuerint octo vel novem illi quorum Turrecremata meminit; recenset ipsemet nominatim, etiam causas addens cur Eugenio infensi essent. Videlicèt *Cardinalis Arelatensis*, antiquus (inquit) Eugenij Summi Pontificis inimicus [f], quia ab eo juxta insatiabilem ambitionem suam non valuerat impetrare ut avunculo suo in officio succederet Cameræ Apostolicæ. *Patriarcha quondam Aquileiensis*, Papæ capitalis inimicus propter Patriarchatum occupatum à Venetis. *Ludovicus de Palude* Episcopus sine Ecclesiâ, inimicus Papæ quia in causâ Ecclesiæ Lausanensis contra Ducem Sabaudiæ Concilij sententias contemnentem non habuerat optatos favores. *Episcopus quondam Venciensis* furiosus adversarius Papæ, quia in Ecclesiâ Massiliensi non habuerat contra justitiam desiderata suffragia. *Gratianopolitanus* Sabaudiensis. *Arelatensis* consanguineus Basileensis, homo sine literis, timore, ut credebatur, ductus, & *Duo Religiosi* à sui Ordinis obedientiâ apostatæ, sine Ecclesiis cathedralibus Episcopi nominati. *Raimundus Thaloni* sine mitrâ, qui dicebat Episcopum se Tricaricensem, Papæ jamdudùm infensus, quòd ab ipso ob sua demerita privatus fuisset officio Auditoris Curiæ Avenionensis. Post quæ exclamat dictus Cardinalis; *Ecce nomina, ecce merita, ecce numerum eorum qui furore percussi nomen Ecclesiæ universalis sibi usurpantes, auctores fuerunt cum complicibus suis decretationis erroneæ. Cæteri namque omnes Episcopi, inter quos Cardinalis Tarraconensis, & Regum ac Principum oratores sacrilegæ eorum Sessioni contradicentes non interfuerunt.* Ita ille. Cui concordans S. Antoninus [g], & plerique alij, æquè testantur fuisse inter hos Basileenses, aliquos privatos Episcopatu, & dignitatibus suis ab Eugenio propter scelera sua. Et Patritius in Epilogo Actorum Concilij disertè ait, non interfuisse depositioni Eugenij nisi septem dumtaxat Episcopos. Idque ipsum exprobravit Basileensibus Nicolaus de Cusâ (ut videbimus) in quodam conventu Moguntino, cùm tamen ad depositionem unius simplicis Episcopi duodecim essent necessarij.

[c] Ext. in Cod. S. Vict. Paris. P. 12. fol. 311.
[d] Æn. de Gest. Conc. Basil. lib. 1.
[e] Ap. Gobell. comment. lib. 7.
[f] Vid. supr. an. 1438. XI.
[g] Ant. tit. 22. cap. 10. § 4.

XXXIII.

[h] Æn. d. l. 2.

Quid verò post hæc gestum sit, docebit nos idem Æneas [h], qui interfuit, & magna pars fuit. Ait igitur deposito Gabriele, ipso die inter Patres disceptatum esse, an expediret illicò novum creare Pontificem, an in tempus differri: & quamvis ob grassantem Basileæ pestem, multi accelerandam electionem existimarent; vicisse tamen eorum sententiam, qui honestum utili præferentes, non timendam esse mortem viris fortibus pro fide Christi pugnantibus, duobúsque mensibus juxta decretum Sessionis Septimæ expectandum esse censerent. Fuítque de his rebus promulgatum decretum in *Sessione XXXV.* sexto Idus Iulij; *Apostolica Sede vacante:* (ut deinceps addiderunt, quousque Felix electus est,) hoc etiam addito, quòd per recessum quorumcumque à civitate Basileensi, non censeretur Concilium dissolutum, nisi interveniret consensus duarum partium ejusdem Concilij; secundùm decretum Sessionis XI. Additque Æneas; ut solidiùs res firmaretur, lectos esse ad ejusmodi curam nonnullos Patres, quos *De stabilimento* appellavêre, (nam & prædictæ Sessioni XXXV. inscriptio facta est *De stabilitate Concilij*) quorum posteà in longum tempus potestas duraverit. Missos verò interim ad Principes nuncios, per quos depositio Eugenij ubique gentium promulgata fuerit. Idque ipsum Acta Patritiana testantur.

SESSIO XXXV.

PRINCIPES IMPROBANT FACINUS BASILEENSIUM.

Sed ampliùs habent, (non enim Æneas immoratur nisi in iis quæ rebus Concilij conferre existimavit) paulò pòst literas Regis Francorum delatas esse, quibus graviter conquerebatur; quòd non modò non annuissent Patres suis precibus & exhortationibus ut in judicio contra Eugenium superfederetur, verùm etiam graviora commisissent: obsecrabatque (nondum enim depositionem audierat) ne ulteriùs procederetur. Ad hæc verò Patres respondisse, Regem paulò pòst per suos legatos cogniturum quid in hâc re gestum esset: nec dubitare se, quin Rex Christianissimus omnia in meliorem partem suscepturus esset, quando non aliter pax Ecclesiæ cum Deo posset inveniri. Reperimúsque insuper alibi [i] responsionem ab iisdem factam ad litteras à Rege Angliæ vehementiori zelo pro defensione Eugenij etiam ante ejus depositionem scriptas: quâ pariter excusabant res in Synodo gestas, & rogabantur non priùs Synodi intentiones & gesta damnare vellet, quàm rationes ejus audisset & expendisset. Denique & Albertum Cæsarem ac cæteros Principes de iisdem cum Basileensibus expostulâsse, apparet ex iis quæ paulò pòst de eo dicentur.

[i] Cod. S. Victor. P. 12. fol. 174.

XXXIV.

PESTIS GRASSATUR BASILEÆ.

Describit post hæc Æneas, idque ut solet egregiè, depopulationem urbis Basileensis per sævissimam pestem: quæ, cadente sine numero plebe, ausa est etiam aggredi Patres Conciliares: atque inter alios Ludovicum Patriarcham Aquileiensem virum grandævum, & Ludovicum Protonotarium Romanum ætate florentem, (quos duas Concilij columnas esse dicebant) pluresque alios ibidem Basileæ, ac multos aliis locis absumere. Ipséquemet Æneas eodem morbo percussus, divinâ tamen adjutus evasit gratiâ, cùm qui in ægritudinem inciderent, admodùm pauci liberarentur. Subdit, magnas apud Cardinalem Arelatensem habitas esse preces, ut vicinum aliquod in rus secederet; haud tamen illum preces, neque etiam domesticorum funera flectere potuisse; volentem potiùs cum vitæ periculo salvare Concilium, quod sciebat se recedente facilè solutum iri, quàm cum periculo Concilij salvare vitam. In suspicionem tamen postea incidisse, quòd videretur præter omnium opinionem electionem futuri Pontificis differre; sed eam facilè expurgâsse. Quâ de re expressiùs in Actis Patritianis traditur; cùm acriùs pestis grassaretur, Arelatensis consilium fuisse, cessandum esse ab actibus Conciliaribus usque ad finem Septembris, differendámque electionem ad Calendas Novembres; quo tempore pestis cessatura foret; sed Patres re in discussionem deductâ, statuisse satius esse mori Basileæ, quàm videre (ut aiebant) Ecclesiæ Dei ruinam: Forè namque si actus Conciliares dimitterentur, ut mox dissolveretur Synodus, omniáque remanerent interrupta. Rebus ita firmatis, legatos delegisse ad Conventum Francofordiensem, per Electores Imperij circa Calendas Augusti celebrandum: alios ad Synodum provincialem Moguntinam ad solemnitatem Assumptionis Beatæ Virginis; alios ad Cæsarem Albertum; alios ad Regem Hispaniæ; alios ad conventum Bituricensem à Rege Francorum indictum. De quibus singulis dicetur successivè.

XXXV.

EUGENII DECRETUM CONTRA BASILEENSES.

Intereà verò Eugenius Pontifex auditis Florentiæ quæ facta fuissent Basileæ circa sui depositionem; per novam constitutionem sacro approbante Concilio Florentino, promulgatam in generali ejus *Sessione* (quæ XXVI. [k] earum, quarum memoriam reperimus, ex ordine superiorum dicenda foret, in Actis tamen Patritianis *Sexta* tantùm dicta) celebratâ in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Novellæ FF. Prædicatorum pridie Nonas Septembris quæ incipit *Moyses vir Dei*: acerrimè in eos invectus, & temeraria eorum facinora, etiámque in conatu impediendi unionem Græcorum, exprobrans; tam Veritates Fidei à Basileensibus declaratas, eo sensu quo ab iis accipiebantur, qui sacræ Scripturæ, ac SS. Patrum ipsiúsque etiam Concilij Constatiensis, cujus auctoritate ipsi nitebantur, sano sensui contrarius esset, reprobavit; quam decretum contra eosdem Ferrariæ [l] 15. Calendas Martij editum innovavit: declaravítque omnes cujuscumque dignitatis essent aut ordinis, qui ei non obtemperâssent, excommunicatos esse, & privatos omni dignitate & beneficio. Omnia Basileensium acta atque decreta post translationem Concilij, & maximè in duabus ultimis Sessionibus, seu, ut vocat, conspirationibus, circa prædictas Veritates & temerariam suî depositionem, tanquam ab impiis hominibus, & nullam potestatem habentibus, sed à Deo abjectis & reprobatis, per mutiplices conspirationes & conjurationes peracta, irrita nulliúsque roboris vel momenti esse declaravit: illósque omnes schismaticos & hæreticos censendos, & ut tales puniendos cum omnibus suis fautoribus & sectatoribus, &c. Narrantur ista in Actis Patritianis: extatque [m] ipsum Eugenij Decretum, quo prædicta ubertim continentur. Paténtque eadem ex Respon-

[k] Vid. supr. hoc an. num. XVII. ad fi.

[l] Supr. an. 1438. III.

[m] Edidit ex parte Cochl. in Hist. Hussit. an. 1439. integrû ext. in præd. cod. Victor. P. 12. fol. 303. edidítque ex Vat. Hor. Iustin. in Act. Florent. par. 3. ac notis illustravit.

[n] *Ext. int. epist. Synod.* RESPONDETUR EI A' BASILEENSIBUS.

sione [n] ad illud facta per Basileenses in congregatione sua generali Nonis Octobris confirmatâ in *Sessione XXXVIII.* 3. Calendas Novembris, quâ eadem continuè reciprocantes, dicta sæpissimè pro gestorum suorum defensione ad nauseam repetivêre atque Eugenium per ea quæ cum Græcis extra Basileam, etiamsi bona forent, Ecclesiam Catholicam scidisse, & Schisma conflâsse.

XXXXVI. [o] *Cod. P. 12. fol. 311.* REFUTATIO EORUM PER IOAN. DE TURRECREM.

Ad quam eorum Responsionem est prolixior Refutatio Ioannis de Turrecrematâ Card. S. Sixti; quam vidimus in codice Biblioth. Victor. [o] Paris. meminitque Cochlæus & alij: éstque ejus principium, *Dissimulare non possumus.* Quâ quidem multis rationibus, argumentis, & auctoritatibus supremitatem Pontificis supra Concilium probans, & argumenta Conciliarium refellens, Eugeniúmque à calumniis Basileensium vindicans; quod translationem Synodi, quam illi fieri posse absque ejus consensu negabant, spectat, ait Romanum Pontif. in multis casibus posse illam dissolvere, aut transferre: videlicèt, aut cùm esset illa ad eorum hominum impietatem devoluta, quorum studia privata in eversionem fidei & pacis atque unitatis Ecclesiæ agitarentur: Aut cùm Episcoporum judicio contempto inferiores seditiosâ multitudine prævalente hierarchicum ordinem molirentur confundere: Aut cùm Synodus verti contingeret: Aut cùm aliquis novis ausibus usurpare jura Apostolici Principatûs pertinaciter contenderet: Aut cùm Princeps terræ in quâ celebrari Concilium contingeret, cum multitudine clericorum dominij sui adversum Pontificem sive Ecclesiam Rom. aut alios Reges & Principes Christianitatis, sinistrum aliquid intentare præsumeret: Aut cùm Synodus devolveretur ad manus laïcorum, qui pro gloriâ Principatûs sui ampliandâ perpetuare Concilium niterentur: Aut cùm cautelosè & malitiosè id ageretur, ut adveniente morte Summi Pontificis ad eos futura devolveretur electio. Et sic de hujusmodi: quæ omnia tunc ex praxi præteritorum temporum, tum ex corruptione hominum tum ex perversis studiis Basileensium posse contingere, quinimmò & contigisse, notum esset.

QUIBUS CASIBUS POSSIT TRANSFERRI SYNODUS.

XXXVII. EXPROBRANTUR CONSPIRATIONES BASILEENSIUM.

Ad id verò quòd responderant Basileenses, Eugenium perperàm vocare decreta ipsorum conspirationes & conjurationes, cùm nihilominùs factæ assent à duabus partibus Concilij & ampliùs in Deputationibus & Congregationibus generalibus ac Sessionibus publicis; respondet, consuevisse principes factionis illius perversæ simul conspirantes & convenientes, conclusione captâ quid & quomodò agendum esset, diversis artibus improvisè & impetuosè in Deputationibus & Congregationibus obtinere quæcumque volebant: Et cùm ageretur de electione loci pro œcumenico Concilio, infra paucissimos dies pervenisse homines undique accitos circiter 80. ne locus Eugenij præsentiæ accommodus eligeretur: sæpiúsque pariter è diversis partibus principes factionibus, ut multitudine vocum possent obtinere quæ vellent, plures vocasse: & notarios, copistas, (qui scripta transcribunt) familiares etiam idiotas & ignorantes clericos, admissos esse ad consedendum cum Patribus, paria cum S.R.E. Cardinalibus, cum Apostolicæ Sedis Præsidentibus, cum Prælatis ac Principum oratoribus vota habentes, paríque fungentes auctoritate. Hos fuisse sanctos Patres, hos Patres conscriptos, qui duas illas partes Concilij constituebant, quarum unanimitate Basileenses scandala sua conclusisse jactabant. Hos esse quorum pertinacior & impotentior prævaleret multitudo: cui resistere non poterant pauciores, quibus erat sanior sinceriorque sententia: conclusa verò per Legatos Pontificios & Concilij præsidentes, alióśque præstantissimos Patres, acta dici per paucos: paucos profectò numero respectu ridiculæ multitudinis, virtute verò & auctoritate totam Synodum fuisse, apud quos & zelus & veritas & auctoritas resideret Concilij.

XXXVIII. ALIÆ REFUTATIONES.

Ad id quod dixerant Basileenses mentis suæ esse eum eligendi Pontificem, qui verbo & exemplo Christianum populum pascere esset idoneus; improperat electionem hominis sæcularis, sine ullâ rerum Ecclesiasticarum experientiâ (scripsit enim hæc Turrecremata post electionem Felicis.) Sed de hoc, inquit, nimis multa diceremus, quæ præfatam idoli erectionem irrisibilem cunctis gentibus demonstrarent, quæ nunc ob spem conversionis ejus sub silentio præterimus. Quod verò recantabant Basileenses de rebus cum Græcis gestis, & legationibus hinc inde ad eos evocandos in locum Synodo generali conficiendæ aptum missis, respondit eis plenissimè Turrecremata secundum ea quæ jam superiùs suis quibusque locis narrata fuêre; quæ non repetimus, cùm satis ex iis mala fides malúsque animus Basileensium patentissimè manifestatus fuerit. Quare ad alia progredimur.

XXXIX. SESSIO XXXVI. DECRETUM DE IMMACULATA CÕCEPT. B. VIRG. [p] *Supr. an. 1435. XII.*

Inter hæc Basileenses, ne semper malè agere dici possent, illud boni præstiterunt, quòd *Sessione XXXVI.* celebratâ 15. Calendas Octobris, declarârunt Doctrinam variè agitatam *de Conceptione B. Virginis*, quæ docet eam, præveniente & operante divini numinis gratiâ singulari, numquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpâ; (cujus doctrinæ perquisitionem vidimus [p] olim commissam fuisse à Synodo Cardinali Arelatensi) tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam esse, tenendam & amplectendam. Renovantes prætereà institutionem antiquam de celebrandâ, ejus Conceptionis festivitate sexto Idus Decembr. cum additione Indulgentiarum. Verùm non hæc gloria Basileensibus tribuenda, ut ab iis hanc doctrinam teneat Ecclesia Catholica, aut festivitatem ab iis celebrandam acceperit: cùm jam anteà, ut ipsimet asserunt, ita observaretur. Nullámque rationem habitam ipsorum decretis, satis intelligitur ex eo quòd nec dum hæc doctrinâ de fide decisa habeatur: quòd sanè esset, si Concilium istud legitimum & approbatum extitisset. De festi nihilominùs antiquitatatem apud Græcos quam Latinos videndus Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, cui illud insertum est. Ac nihilominùs tanta etiam fuit vis hujus Basileensis decreti, antequam ejusmodi doctrinam confirmantis; ut, quod alicubi observatum reperimus, immediatè pòst totâ civitate expe-

rimento palpabili remissa sit, quinimmò & cessaverit quæ vehementer, ut vidimus, grassabatur pestis gravissima.

XL. Provocatur in Germania à decreto Basileensiũ contra Eugeniũ.

Habent insuper Acta Patritiana, Basileensium legatos ad Synodum provincialem Moguntinam (ut nuper indicavimus) missos, edicta privationis Eugenij in valvis basilicarum Argentinæ, Spiræ, & Wormatiæ affixisse. Cùm autem id etiam Moguntiæ fecissent, ea sublata esse; prohibitósque legatos ne ultrà illa uspiam affigerent. Quippe cùm utrimque varia in dies contraria edicta emanarent, neque de tam difficili re determinare pronum esset; statuisse se neutri parti adhærere, quemadmodùm aliàs inter Principes Germaniæ constitutum fuerat. Et ne censurarum, aliarúmve pœnarum per Basileenses indictarum timore cogi possent, nomine totius Germaniæ provocâsse ab illis ad proximè futurum Concilium generale, ad Papam Eugenium, vel alios ad quos de jure spectaret.

XLI.

Addunt, cùm rursùm urgeret Albertus Cæsar, ut quandoquidem Basileenses contra suas aliorúmque Principum preces & protestationes, tam atrociter in Eugenij damnationem processissent; saltem ab electione alterius supersederent, quò pax tractari & conciliari posset: nihilominùs urgente præcipuè Cardinale Arelatensi, non ampliùs differendum ratos, ut liberiùs puriúsque (ut aiebant) electio fieri posset, statuisse quæ in *Sessione XXXVII.* habitâ nono Cal. Novemb. continentur: imprimis scilicèt ut omnes protestationes, conventiones, juramenta, à quibuscumque facta, aliáque omnia impedimenta quæ futuræ electioni adversari possent, pro nullis & irritis haberentur: Deinde ut ex antiquioribus ejusdem Concilij decretis, electio futuri Pontificis in Concilio tantùm & non alibi fieret. Post hæc, ut electio per Cardinalem Arelatensem Concilij præsidem, & alios triginta duos tam ex prælatis quam minoris ordinis Ecclesiasticis in sacerdotio aut saltem diaconatus ordine constitutos fieret; ita ut non valeret electio, nisi duæ illorum partes in unum concurrerent: útque iidem electores ante ingressum in conclave publicè omnes simul sacratissimam Eucharistiam sumerent, ac juramentum præstarent secundùm decretum Sessionis XXIII. Vt electus præsentatâ ei electione, intra diem naturalem acceptare modis ibi designatis teneretur: sin minus, electio irrita esset, & alius eligeretur iisdem modis & formis: Iuraret autem ante omnia electus, se firmiter semper crediturum & tenturum fidem Catholicam secundùm traditionem Apostolorum, & Conciliorum generalium, ac speciatim pro viribus laboraturum pro observatione & executione decretorum Constantiensis & Basileensis; denique prosecuturum celebrationem Conciliorum generalium, ac confirmationem electionum.

Sessio XXXVII.

Regulæ de electione futuri Pontif.

XLII. Designantur electores.

Ad eligendos autem duos illos & triginta futuri Pontificis Electores, post multas de modo in eo observando disceptationes, designati sunt tres viri; *Thomas de Scotia* Abbas de Dondrainâ Ordinis Cisterciensis diœcesis Candidæ-casæ; *Ioannes de Segovia* Archidiaconus de villâ-Vissozâ in Ecclesiâ Ovetensi; & *Thomas de Corcellis* canonicus Ambianensis; in sacrâ Theologiâ Magistri: qui quartum sibi asciverunt *Christianum de Gretzregino* præpositum Ecclesiæ S. Petri in Brunâ Olomucensis diœcesis, æquè Theologiæ Magistrum. Ita enim nominantur in Sess. XXXVIII. & apud Æneam, dum quomodò hæc gesta sint, uberiùs prosequitur: subdens postinde, qui fuerint & quales, cæteri viginti octo quos ij Quatuor viri nominârunt, magno omnium applausu à cunctis acceptos: qui iidem nominantur pariter in prædictâ Sess. XXXVIII. Fuêre autem pares numero ex quatuor præcipuis Nationibus electi; Italicâ, quam, ut Æneas ait, & sedes B. Petri, & Romanum Imperium facit priorem: Gallicâ, quæ secunda est, cujus in Ecclesiam Dei proxima extant beneficia: Germanicâ, quæ omnium est amplissima; & Hispanicâ, quæ & ipsa vastissimos habet ac pernobiles campos. Ita enim omninò Æneas, nationum, ut ait, servare volens ordinem, quem neque nobilitas, neque majoritas, sed tempus peperisset; quia ut quæque natio verbum Dei priùs suscepit, sic prior habetur: cùm tamen electores illi, ut quisque nominatorum prior aut prælaturâ aut dignitate fuisset, sic priùs eum nominâssent: prout etiam eâdem Sessione observatum est. Fuêre autem in universum (præter Cardinalem Arelatensem, qui non vi electionis, sed jure proprio Cardinalatûs extra nationum ordinem primus electorum fuit in conclavi) Episcopi undecim, Abbates septem, Theologi quinque, Doctores novem, præter alios ministros, seu officiales, ibidem recensitos: in quibus etiam duo Clerici cæremoniarum, quorum unus fuit idem ipse Æneas horum omnium diligentissimus descriptor.

Ordo Nationum.

XLIII. Fraus in designatione nationalium.

Quod autem Episcopos illos undecim, aut septem Abbates, ad electionem Pontificis faciendam designatos spectat; illud observare lectorem velim, (Theologos enim, ac Doctores, cæterósque ministros prætereo, quorum ad omnia quæ velis ingentem semper numerum ubique venalem reperire facile sit:) sub natione Italicâ positos Episcopos, qui non tam in Italia quam in finibus Italiæ essent, omnésque in dominio constitutos aut Ducis Mediolanensis generi Sabaudi & hostis Eugenij, aut ipsius Sabaudi qui Pontifex electus fuit; videlicet Vercellensem, Augustensem, Eporediensem & Taurinensem: necnon Abbatem Fructuariensem, prædictæ diœcesis Eporediensis, & Segusianum ejusdem Taurinensis. Sub Gallicâ nullum item Gallum adfuisse ex regno tunc Franciæ; sed Archiepiscopum Tarentasiensem & Episcopum Gebennensem, utrumque in Sabaudiâ, itémque Episcopum Massiliensem, hostem (ut vidimus) Eugenij Pontific. & ex provinciâ Provinciæ, quæ adhuc suberat proprio Comiti Renato Andegavensi: (suffectus enim hic est in locum Aquensis Episcopi, qui fuerat à Quatuor viris electus, nec tamen voluit sive non valuit ob podagram, conclave ingredi:) Abbas tamen Conchensis qui æquè inter Gallicæ nationis electos nominatur, fuit regni Franciæ diœcesis Rutenensis. Sed an propterea dicetur Gallica natio electioni Felicis aliquid contribuisse? Vulgò dicitur, unum monachum non facere Abbatem; quantò minus faceret unus Abbas Summum Pontificem: Denique vidimus intercessisse Regẽ Galliæ ne electio novi Pontificis fieret; & cum facta fuit, videbimus

ejus oratores adversùs eam protestationem fecisset: nec ullum hic Abbas ab Ecclesiâ Gallicanâ mandatum habebat. Sed reliqua adverte. Ex amplissimâ Germaniâ unicus affuit Episcopus Basileensis, in cujus civitate Concilium fiebat; unicus Abbas Lucellensis ejusdem diœcesis Basileensis. Nam qui ei adjungitur Abbas de Dondrainâ diœcesis fuit Candidæ-casæ in Scotiâ sub metropoli Glascuensi. Tantâ existente hominum penuriâ in vastissimâ Germaniâ, qui Concilio faverent, ut ex Scotiâ in supplementum aliquis evocandus fuerit. Quippe vidimus variis conventibus & comitiis Germanorum Principum neutralitatem constitutam;& Albertum Cæsarem repugnâsse ne novus crearetur Pontifex. Ex Hispanicâ numerantur Episcopi tres, sed duo Catalani regni Aragonij, etiámque contra voluntatem sui Regis, (sive id seriò, sive, ut solebat subdolè vellet: quâ de re videndus Surita [q]:) quamvis Eugenio contrarij; videlicèt Dertusensis, & Vicensis: unus Lusitanus, nempè Vicensis, sine ullâ aut Regis sui, aut Ecclesiæ regni auctoritate & approbatione, ut ex ipsomet Æneâ intelligitur: nullus verò ex Castellâ, aut Navarrâ. Nam & duo Abbates qui adduntur, nempè S. Cucuphatis & Arularum, prior diœcesis fuit Barcinonensis, posterior Elnensis in eâdem Catalaniâ. Sicuti, ut idem Æneas observat, nemo adfuit ex Angliâ, quæ quintam constituerat in Concilio Constantiensi nationem, sive præcederet Hispanicam, sive subsequi deberet, ut tunc diximus: nemo ex aliis orbis Christiani gentibus. Quòd verò fuerunt etiam inter officiales Conclavis Episcopi Lausanensis, Bellicensis, & Grossetanus; erant duo priores ex ditione Sabaudicâ ísque Lausanensis Ecclesiam non habens titulo tantùm Episcopus erat; Grossetanus Episcopatu privatus fuerat. Denique, ut ipsemet Æneas alibi [r] scribit, (ejus enim, ut sæpè monuimus, esse putantur Commentarij qui nomine Gobellini feruntur) cùm Basileenses Eugenij privationem perficere nequirent Episcoporum deficiente numero, Amedeus cunctos suæ ditionis Episcopos atque Abbates, & insignes presbyteros ad Concilium miserat: quibus adnitentibus depositio Eugenij tandem exorta est, & ipse paulò pòst Amedeus decreto Concilij ad Summum Pontificium accersitus. His igitur sic stantibus, quomodò dici potuit concurrisse in electionem Felicis universum orbem? Addet & aliquis, & quomodò potuit non ille creari? Sed tamen quæ in electoribus culpa, si persuasi eligendum esse Pontificem aliquem, eum elegerint quem idoneum nôssent, & qui vel gratitudinis vel debiti cultûs obligatione adstringerentur? Culpa proculdubiò fuit ingens, Pontificem eligere, cùm superesset verus ac legitimus, sícque schisma in Ecclesiam inferre: sed Amedeum eligere, cùm foret aliquis eligendus, si eum idoneum scirent, nulla erat: & siqua fuit, ipsorum fuit; non Amedei, si nec suasit, nec scivit; gravissima tamen & ejusdem, si vel affectavit, vel nutu significavit.

[q] Sur. lib. 14. c. 54. lib. 15. cap. 1.

[r] Æn. Comment. lib. 7.

XLIV. SESSIO BASIL. XXXVIII.

Omnibus igitur constitutis, & conclavi in medio urbis parato, in domo quam nobiles quondam in usum struxerant chorearū; (quod nec mysterio carere putamus;) habitâ *Sessione* publicâ *XXXVIII.* tertio Cal. Novembris, quâ rem divinam fecit Cardinalis Arelatensis, omnes electores communicarunt. Deinde Lausanensis ambone conscenso tria decreta legit; videlicèt damnationis libelli Eugenij *Moyses vir Dei:* limitationis cujusdam circa decretum de Electionibus pastorum Ecclesiæ dudùm in Synodo editum: & confirmationis nominatorum ad eligendum Pontificem. Demùm Cardinalis unà cum cæteris omnibus coëlectoribus, post præstitum manibus ejusdem Lausanensis Vicecamerarij juramentum de Sessionibus *XXIII.* & *XXXVII.* decretum; processionaliter ad locum conclavis accessit; illúdque eâdem die ingressus est eo ordine, quem idem Æneas, unà cum formâ Conclavis, cibariorum admissione & qualitate, occupatione eorum qui intùs reclusi fuerunt, (omnes numero tres de nonaginta) modo scrutiniorum, & aliis ad hæc pertinentibus, graphicè, ut res sui tunc muneris, nempè Clerici Cæremoniarum, descripsit. Quâ sanè in re nihil putamus omissum, quo ritus conclavium etiam cum omni severitate servarentur.

DE INGRESSU CONCLAVIS.

XLV. QUI FUERINT IN CONCLAVI PROPOSITI.

Cùm ventum est ad suffragia, ait Æneas primo scrutinio septem & decem ex diversis nationibus fuisse nominatos, nullum tamen habuisse necessarium suffragiorum numerum; unum tamen omnes superâsse Amedeum Ducem Sabaudiæ. Quínam verò fuerint cæteri tunc nominati, non refert. Massonus in Vitis Pontificum [s] ait deliberatum Basileæ esse de eligendo *Ioanne* Comite Engolismæ & Petracoriorum, minore filio Ludovici Aureliæ Ducis fratris Caroli VI. Regis, quem vidimus olim à Burgundo necatum Parisiis: qui post patris necem obses nono ætatis anno à fratre Anglis datus pro auxilio ab iis adversùs Burgundum petito, ibíque triginta duobus circiter annis detentus, ingentem apud omnes heroicarum virtutum maximéque pietatis æstimatione generaverat. Idque se reperisse in depositionem testium longè posteà coram Episcopo Engolismensi examinatorum super eximiis ejusdem Ioannis Comitis virtutibus, pietate, vitæ instituto, sanctitate atque obitu. De eo tamen nihil alibi: quamvis minimè dubitemus, quin si ejusmodi electores eâ sinceritate quam præseferebant prædit erant, in quærendo potente aliquo viro qui etiam pietate præstaret, de Ioanne nonnulli eorum tractatus inter se habere potuerint, spe etiam alliciendi sibi Regem Francorum ejus patruelem. Legimus verò etiam in Chronico [t] Carthusiensium, *Franciscum Maresmium* Generalem illius Ordinis, virum pietate clarum, ac prudentiæ opinione & eruditionis laude celebrem, decem habuisse ad Pontificatum suffragia. Cùm autem singulis scrutiniis, ut Æneas addit, crescerent suffragia erga Amedeum; demùm postquàm auditæ fuêre & consideratæ rationes unius ex electoribus de vitâ ejus in principatu optimè transactâ, de justitiæ studio, prudentiâ, charitate in subditos, pacis amore, de pietatis exercitiis in suo recessu Ripallensi, de opibus & potentiâ: rejectis ut nullius momenti nonnullorum objectionibus, quæ ejus electionem dissuadere videbantur, quòd adhuc laïcus esset, quòd conjugatus fuisset, quòd liberos haberet, quòd Doctor non esset; sequenti scrutinio, quod factum est Nonis Novembris,

[s] Masson. in Eugen. IV. & in Elog.

[t] Petra. in Not. ad Dorland. lib. 4. cap. 26.

AMEDEUS DUX SABAUDIÆ EREMITA RENUNCIATUR.

compertum est sex & viginti voces in eundem *Amedeum* concurrere; quæ plures essent quàm necesse foret ad legitimam ejus ex decreto Concilij electionem. Rem pluribus narrat Æneas: & cum declaratione lætitiæ populi ac gratulationis, & gratiarum actionis Deo in Ecclesiâ in exitu conclavis redditæ, finem suo operi de gestis Concilij Basileensis imponit. Electionem verò Amedei Synodus 15. Cal. Decemb. *Sessione* publicâ *XXXIX*. confirmavit, & in universum orbem promulgatam voluit.

SESSIO XXXIX.

XLVI.

Delecti post hæc legati, qui eam Amedeo deferrent, nempè ipsemet Cardinalis Arelat. cum nonnullis Episcopis, Abbatibus, Magistris & Doctoribus, & Comite Tierste in subprotectore Concilij cum aliis nobilibus, omnes viginti quinque numero, ut acta Patritiana habent:) obtulerunt illam ei apud Ripalliam die 17. Decembris; ac multis suasionibus apud reluctantem egerunt, ut specie necessitatis obsequij, & affectûs publicæ salutis, flexis genibus & obortis lacrymis humiliter susceperit; electo sibi nomine *Felicis* ejus nuncupationis Quinti. Qui mox promissâ barbarâ crinéque, toto denique eremitico habitu deposito, emissóque juramento Sessionis *XXXVII*. ornamentis Pontificalibus indutus est, atque in Ecclesiâ monasterij S. Mauritij super altare de more intronizatus: ut seriatim narratur in Sessione XL. mense Februarij anni proximi habitâ: meminítque Æneas [u] in commentariis rerum suarum nomine Gobellini editis. Habéntque insuper Acta Patritiana, statutum inter alia à Concilio fuisse, ut in scribendis à Felice ad illud literis, is nomen suum postponeret; ita ut scriberet, *Sacrosanctæ Basileensi Synodo, &c. Felix Episcopus servus servorum Dei.* Ita enim belluli illi abuti voluêre facilitate opimi Principis: quem & posteà veluti mancipium, seu, ut Catholici Eugeniani vocabant, idolum, ad omnia quæ vellent in depravatissimorum suorum conaminum stabilimentum, & omnimodam auctoritatis Sedis Apostolicæ depressionem habere voluerunt; præparatis ad id rebus per temeraria quampiurima superiorum gestorum facinora; & plausibilem atque popularem supremitatis Conciliorum exaltationem. Nam quòd Poggius, Blondus, & alij illius ac posteriorum temporum scriptores in Felicem invehuntur, non planè rem tangunt. Tot enim Basileenses pigmentis fucísque res suas adumbrabant, tot etiam aliunde criminibus malevolorum invidiâ Eugenius per orbem impetebatur; ut non adeò crimini imputandum fuerit Principi pietati dedito, solitudinem colenti, & salutem Ecclesiæ sitienti, si aliorum, qui nihil præter fidei defensionem, Christianitatis restaurationem, & disciplinæ reformationem prætexebant, addo & quorum plerique non solùm doctrinâ sed etiam moribus præstabant, verborum lenociniis dociles aures commodaverit; omninò, si non ab errore, à quo illum nullatenùs liberem, certè à temeritate (si nullus ambitus fuit) immunis; qui non tam actione quàm passione peccaverit. Peccârunt verò vel maximè ac malitiosissimè alij; qui Ecclesiæ regimen & administrationem sibi tribuentes, quorúmque propterea erat officium ac debitum æquâ rationis lance singula ponderare, & quædam mala, etiamsi apertissima fuisse concederemus, (non enim fortè usquequaque Eugenius, quamvis Gabriel, propterea Archangelus) ad tempus tolerare, quam toto Ecclesiæ ac fidei periculo, & totius Christiani orbis subversione, in obstinatissimis suis ac nefariis propositis perseverare.

SUMIT NOMEN FELICIS V.

[u] *Æn. Comment lib.* 7.

EIUS FACILITATE BASILEENSES ABUTUNTUR.

XLVII. QUÆ DE HIS SCRIPSERIT ÆNEAS PIUS II.

In illorum tamen qui in tantâ turbâ innocentiâ magnis quàm malitiâ peccabant, excusationem, (quæ magis Amedei fuerit;) operæpretiũ facturi videmur, si aliqua ex Æneâ, quo nemo fuit rerum Conciliarium studiosior, referamus; tum ad certitudinem historiæ, & confirmationem multarum rerum antehàc tractatarum, aliarúmque etiam cæteris ferè intactarum notitiam; tum in ipsiusmet excusationem: cujus causâ Retractationem factus posteà Pontifex edidit, quam licèt Hopperus suæ ejus operum collectioni, & Orthuinus Fasciculo suo inserere neglexêre, sive ex ignoratione, sive quòd res esset eorum gustui ingrata; habetur ea tamen in Tomis Conciliorum, & alibi, ut scripta est ad Rectorem & Vniversitatem Scholæ Coloniensis; ad quos olim è Basileâ Dialogorum quemdam libellum scripserat, ut ait, in quo de auctoritate Concilij generalis, ac de gestis Basileensium, & Eugenij Papæ contradictione, ea probaverat vel damnaverat, quæ tunc probanda vel damnanda censuisset. Postquàm autem errorem suum ingenuè agnovit; ne fortè quæ ipse incautè juvenis necdum in sacris ordinibus constitutus scripserat, auctoritatem apud posteros inde mererentur quasi ita & Romanus Pontifex factus sensisse videretur; volens quæ perperàm dixerat retractare, res ab ipso initio Basileæ gestas recenset ex vero, ut profitetur; quippe qui ferè semper interfuerit, & mentiri non didicerit. Quâ etiam occasione nonnulla de ejus vitâ transactâ innotescent.

XLVIII. RELATIO RERUM BASILEENSIUM EX ÆNEA.

Ait igitur, se anno 1431. cum Dominico Capranicâ, quem Martinus V. in secreto Consistorio Cardinalem creaverat, Eugenius IV. spreverat, Basileam petiisse; ibique Concilium inchoatum invenisse, verùm ab Eugenio revocatum; quamvis congregati noluerant obedire, asserentes jam inceptum Concilium sine consensu Patrum qui convenissent, haudquaquàm potuisse dissolvi: Ibi Iulianum Cardinalem moribus & doctrinâ conspicuum, cùm cæteris præstaret; auditâ Eugenij revocatione, præsidentiam dimisisse, tanquam Summo Pontifici vellet obedire: sed cùm augesceret in dies, Eugenio vel invito, Concilium, & Regum legati adventarent, ac Cardinales ex Romanâ Curiâ profugi concurrerent; præsidentiam resumpsisse, & auctoritatem Concilij mirum in modum extollentem, eminentiam primæ Sedis supprimere cœpisse: venientes Eugenij legatos, & potestatem Romanorum Pontificum magnificantes, apparenter confutâsse; & cùm esset facundissimus, facilè persuasisse auditoribus quæ cupiebat: Cardinales ex Vrbe profectos, Eugenio infensos, vitam ejus morésque carpere cœpisse; & accedentes catervatim in horas novos curiales, ut est omnis multitudo maledica & inimica principi (ejusdem nomen modis omnibus lacerare, quæ ipse Æneas, qui ex Senensi gymnasio nova tum primum avis evolaverat, vera esse arbitrabatur; nec putabat mentiri alios qui nesciret ipse men-

tiri: Adfuisse & legatos Parisiensis Scholæ, cujus esset fama percelebris: necnon studiorum Germanicæ nationis oratores; qui uno cuncti ore Concilij generalis auctoritatem ad cœlum efferebant: de potestate verò Romani Pontificis paucos fuisse qui loqui præsumerent: Accessisse ipsius Eugenij consensum, qui dissolutionem Concilij à se factam revocavit: Sed novas intercessisse discordias, tum aliis de rebus, tum potissimè super translatione Concilij Græcorum causâ, quod Eugenius non sine ratione in Italiâ petebat, sed popularitas Synodalis transire montes horrebat: Adivisse per id temporis duos viros ex Italiâ Concilium Basileense, Nicolaum Panormitanum Archiepiscopum, & Ludovicum Pontanum Apostolicæ Sedis Notarium, Alfonsi Magni Regis Aragonij oratores, qui velut duo orbis sidera, ceu Pontificij Iuris & totius civilis sapientiæ duo clarissima lumina censebantur: qui dictis & scriptis Concilij gesta probabant, Eugenij facta damnabant; nec erat qui aut vellet aut auderet dicta eorum refellere: Adversùs Concilij dignitatem mutire aliquid, crimen hæresis fuisse: de Sedis Apostolicæ præcellentiâ aut silentium, aut contemptum. Prædictis igitur magistris Æneam credentem, & ipsum scripsisse epistolas & opuscula, probantibus omnibus, ipsóque sibi applaudente more poëtarum qui poëmata sua tanquam filios amant. Et quamquam posteà Eugenius cum Græcis primùm Ferrariæ, deinde Florentiæ Concilium celebrâsset; quamquam Iulianus S. Angeli & Ioannes S. Petri Cardinales, quibus plurimùm Æneas credebat, ad Eugenium defecissent; quamquam paucissimi in fide Basileensium remansissent: remansisse tamen se Basileæ, existimantem cunctos qui abibant, metu recedere ne bona temporalia perderent; & cùm nihil ipse haberet quod ei auferri posset perseverandum putâsse, ne partem quæ verior ipsi apparebat relinquens, detrimentum animæ faceret. Mansisse igitur se Basileæ, quoad Eugenio, ut credidit, justo judicio deposito Amedeus Sabaudiensis suffectus est: quem non ut idolum, quod erat, sed tanquam verum Christi vicarium veneratus est: donec in familiam Friderici Romanorum Regis (quod posteà contigisse videbimus) receptus, ad Neutrales transivit; apud quos multa didicit, quæ ipsum anteà latebant: Eugenium falsò de multis accusatum invenisse: Cardinales qui Basileam venerant, ob privatas inimicitias bono & sancto viro notam inurere voluisse; qui tamen cuncti posteà ad eum redierunt, & veniam errati petierunt: Ab ipso quoque Iuliano Cardinale in Hungariâ audivisse, quam misericorditer secum fecisse Deum existimaret, quòd ipsum eduxisset ab erroribus Basileensium; docuissétque salvari non posse (quæ vox est omnium Doctorum Græcorum & Latinorum) qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet unitatem, omnésque virtutes mancas ei esse qui Summo Pontifici obedire recusat: Id ipsum etiam se audîsse à pluribus aliis doctrinâ & pietate præstantibus viris. Donec tandem cadente ab oculis suis caligine quæ verum cernere impediebat, Basileense dogma rejecit, & Ecclesiæ Romanæ reconcilatus doctrinam ejus imbuit: quam unicam veram esse, Romanúmque Pontificem verum Christi Vicarium, Vniversalis Ecclesiæ caput, patrem & Pastorem; multis rationibus & auctoritatibus ostendere ac probare pergit.

QUOMODÒ IN IIS SE ÆNEAS GESSERIT.

XLIX.

Hæc sunt quæ voluimus tam in ipsius Æneæ, posteà viri Summi Pontificis, quàm etiam Amedei, qui eumdem aliquo tempore titulum erroneè gessit, ac postmodùm veritate agnitâ repudiavit; aliorúmque qui in eâdem navi ex deceptione malevolorum & calumniatorum fuêre, qualemcúmque excusationem adducere, cùm nullam satis idoneam reperire possimus. Nec sanè potuit S. Antoninus; cùm præterita ferè schismata aliquo modo excusans, istud omninò damnavit [x], dum de Amedeo, Felice dicto, (quo nomine posthâc semper appellabimus, errorem communem sequentes, Pontificatum abnegantes) ait eum inthronizatum fuisse non in sede Petri, sed Luciferi; Basileámque peperisse basiliscum. Quod magis; ut diximus, in opprobrium electorum quàm electi vertere nullum est dubium. Quod verò pertinet ad assensum ejus electioni ab aliquibus Principibus præstitum; de Rege quidem Francorum monemus, vidisse nos in quodam codice [y] Victorino Parisiensi, Protestationem oratorum ejus factam Basileæ quando depositus est Eugenius, & Felix electus, his planè verbis. *Protestatur Rex sicut Princeps Christianissimus, quòd more prædecessorum suorum paratus est audire Ecclesiam ritè & legitimè congregatam. Verum quòd apud multos graves & probos non modica est dubitatio, an suspensio, privatio, & subsecuta electio facta Basileæ, sint ritè & canonicè factæ & celebratæ; Dubium etiam est an illa congregatio illis diebus quibus prædicta agitata & facta sunt, sufficienter repræsentaret universalem Ecclesiam ad tantos & tam arduos actus: Idcircò Rex perstat & manet in obedientia Domini Eugenij in quâ nunc stat. Vbi verò Rex plenè & sufficienter de prædictis informatus fuerit, sive per Oecumenicum aut alium Generale Concilium; aut in Congregatione Ecclesiæ suæ Gallicanæ extensius congregandæ, seu in conventione Principum; Rex comperta veritate stabit cum ea, & ei adhærebit.* Cùm verò eumdem Regem in congregatione Ecclesiæ suæ itidem in obedientiâ Eugenij perseverare decrevisse constet; miramur unde quidam auctores hauserint eum Felici adhæsisse. Sed de his expressius anno sequenti; jam cætera præsentis prosequamur.

[x] Ant. tit. 22. cap. 10. §. 4.

[y] Cod. MS. P. 8. fol. 124.

PROTESTATIO ORATORŨ REG. FRANC. CONTRA ELECTIONEM FELICIS.

L.

ALBERTI CÆS. OBITUS.

Tertiò die antequàm Basileenses Conclave ad electionem novi Pontificis faciendam ingrederentur, nempè sexto Calendas Novembris, *Albertus* Romanorum Rex diem obiit. Qui cùm exercitum è Budâ Hungariæ contra Turcos eduxisset in Serviam, seu Mysiam superiorem, quam Rasciam vocant, versùs castellum Synderoviam in ripâ Danubij, quod Turcorum Rex Amurates obsederat: (erat enim Servia sub tutelâ Regum Hungariæ: cujus tunc Despotes Georgius ad Albertum pro auxilio recurrens Stephanum filium ad tuendam Synderoviam reliquerat) ubi cognovit castellum captum, ac Turcum Stephano alteróque ejus fratre Georgio excæcatis, (tertius Lazarus cum patre erat) quamvis eorum sororem sibi uxorem accepisset, more gentis plurimis junctus, ad sua se recepisse; dimisso exercitu Budam rediit. Sed insolito ferventis

Augusti calore vexatus, nimio peponum esu in ventris solutionem incidit, sentiénsque periculum, moriturus in patriâ Viennam repetere statuit. At iter ingressus, cùm jam Strigonium præteriisset, in villâ quæ Longa dicitur, condito testamento dicto die 6. Cal. Novemb. decessit: cùm Hungariam rexisset duos & viginti non solidos menses, regnum Romanorum novemdecim, & aliquot dies. Vxorem reliquit gravidam, quæ filium peperit Ladislaum, de quo sæpè inferiùs. Sepultus verò est magnifico funere in basilicâ Albæregalis: Princeps de liberalitate ac fortitudine, maximéque de religionis studio laudatus. De quo Æneas [z], Dubravius, Bonfinius, & alij: quorum etiam nonnulli eum veneno periisse creditum ferunt. De cujus successoribus in regnis dicetur anno sequenti, cùm ipse moriens duas tantùm filias reliquerit, & conjugem prægnantem.

[z] *Æn. Hist. Boëm. c. 56. Dubrav. lib. 28. Bonf. 3. dec. 4. Cochlæ. lib. 9. Michov. lib. 4. c. 65. Cuspin. de Cæsar. &c.*

LI. CARDINALIUM INSIGNIS NOMINATIO FACTA AB EUGENIO PP.

Intereà Eugenius ubi audivit intrusionem Felicis, Romanæ Ecclesiæ suísque rebus consulturus, Florentiæ in Concilio generali & publico Consistorio 15. Cal. Ianuarij Cardinales septemdecim creavit ex omnibus ferè nationibus viros doctrinâ, moribus, & natalibus insignes. Atque inter eos, duos præstantissimos Græcos qui post unionem confectam, cujus ipsi præcipui fuêre promotores, & veritatis de Spiritûs S. à Patre Filióque processione assertores, remanserant in Italiâ; *Isidorum* Thessalonicensem monachum S. Basilij Archiepiscopum Ruthenum; & *Bessarionem* Trapezuntinum, monachum item & Archiepiscopum Nicænum, in utrâque linguâ Græcâ & Latinâ eloquentissimum, eximiumque philosophum, vt ex ejus operibus quæ plurima extant, & ex omnium doctorum virorum de illo elogiis, probè intelligitur. De quorum virorum pro fide Catholicâ & Ecclesiæ negotiis, susceptis exantlatísque laboribus agendum sæpè inferiùs. Ex diversis Italiæ provinciis quinque creati fuêre, virtute & nobilitate præstantes: de quibus, quòd fuerint variis legationibus pro necessitatibus Ecclesiæ functi, erit occasio agendi suis locis. Qui verò primo loco nominatur ab Onuphrio *Reginaldus de Carnare* Gallus, dicendus est *de Carnoto* Archiepiscopus Remensis, & Caroli Francorum Regis Cancellarius. Qui autem quinto loco ponitur *Ludovicus de Lucemburgo* Archiepiscopus Rotomagensis, Cancellarius fuit non prædicti Caroli veri Francorum Regis; sed Henrici Regis Angliæ, qui injusto vanóque titulo etiam se Regem Francorum nuncupabat: In cujus gratiam creatus fuit, unà cum *Ioanne Kemp.* Anglo Archiepiscopo Eboracensi, postéaque etiam Cantuariensi, pietatis & doctrinæ laude inter suos celebri. Additus est etiam *Guillelmus Destoutavilla* Normannus, & ipse posteà Archiepiscopus Rotomagensis; qui ob familiæ splendorem, (quæ juncta sanguine erat Francorum Regibus) & vitæ integritatem, maximâ in æstimatione fuit: & *Ioannes Iuvenis* Picardus, qui legatione Philippi Burgundiæ Ducis in Concilio Florent. sub nomine Episcopi Morinensis functus est. Ex Poloniâ desumptus est constantissimus ille Ecclesiæ & patriæ defensor *Sbigneus* Episcopus Cracoviensis, de quo non semel actum superiùs. Sed de isto notandum quod habent Acta Patritiana; cùm misissent Basileenses legatos in Poloniam, ut Regem & provinciam ad se traherent; Sbigneum qui magnâ auctoritate & gratiâ valebat, ad eos inclinare visum esse: Astutè tamen rem gessisse, ita ut assumptus ab Eugenio ad Cardinalis dignitatem, non consenserit, & Felici apertè non adhæserit. Quam causam esse putamus, cur etiam Felix eundem anno sequenti Cardinalem nominaverit, ut Onuphrius ponit. Confirmántque Michovius [a] & Cromerus, dum scribunt, eum Cardinalis presbyteri honore tam ab Eugenio Pontifice quàm ab Amedeo auctum esse. Hoc porrò utrùm laudi aut vituperio sit ei vertendum, dijudicent alij. Vt autem cæteros Cardinales ab Eugenio hoc anno creatos relegamus; ex Lusitaniâ, quæ toto illo longissimo schismate fidissima fuit semper Pontificibus in Italiâ sedentibus, assumptus est *Antonius Martini de Clavibus* Episcopus Portugalensis. Ex Germaniâ, quamquam Neutralitatem servaret, *Petrus Schoumbergus*, nobili familiâ in Franconiâ ortus, Episcopus Augustanus, doctrinâ & prudentiâ excellens. Ex Hungariâ *Dionysius de Zoech* Archiepiscopus Strigoniensis. In postremis denique ex Hispaniâ nominatus, (quòd nullâ dignitate Ecclesiasticâ insigniretur) qui cunctis (si Bessarionem excipias) Theologiæ Iuris canonici, philosophiæ, aliarúmque scientiarum peritiâ facilè fuit præferendus, cujus jam sæpè facta est, fiétque imposterùm, gravissime atque honorificentissima mentio; *Ioannes de Turrecremata* Ordinis Prædicatorum, sacri Palatij magister.

DUO GRÆCI INTER EOS.

SBIGNEUS POLONUS AB UTROQUE PONT. FIT CARDINALIS.

[a] *Michov. lib. 4. c. 57. Crom. lib. 21.*

IOAN. DE TURRECREM. FIT CARDINALIS.

LII. ANDREÆ EPISC. POSNANIENSIS ZELUS PRO FIDE CATHOL.

In Polonia [b] cùm quidam Abrahamus Sbanscius Boëmorum hæresi favens aliquos eorum sacerdotes domi suæ aleret, per quos virus in populum spargeret; sacerdotes verò Catholicos diversis modis vexaret: *Andreas* Episcopus Posnaniensis eum anathemate perculit. Sed cùm eâ viâ nihil proficeret, vi coërcere novatores adortus, coactis nongentis ampliùs equitibus de propinquiis & clientibus suis, dedi sibi in arce quâdam quinque Boëmos sacerdotes compulit, eósque instaurato Posnaniæ judicio publicè cremavit. Nec multò pòst Abrahamus ipse mœrore, ira, & pudore confectus periit. Sicque incendium illud pestilens haud leviter jam gliscens, virtute Episcopi restinctum est.

[b] *Crom. lib. 21.*

LIII. DE REBUS SUETICIS.

Hoc anno in locum Erici Daniæ, Suetiæ & Norvegiæ Regis, è regno, ut aliàs [c] vidimus, pulsi, Dani evocatum e Bavariâ *Christophorum* Ducem ejusdem Erici sororis filium ad coronam accipiendam, Suecis etiam post aliquas moras difficultatésque eumdem pariter suscipere persuaserunt; proclivibus alioqui longè magis in Carolum Finlandum ex antiquis Gothorum Regibus originem ducentem, regni post Erici expulsionem Gubernatorum ab ipsis constitutum; quem & post Christophorum in Regem evexerunt. Consentientibúsque pariter Christophori receptioni Norvagis, factus est unus idémque Rex eorumdem trium regnorum, sicut olim constitutum à Margarita Reginâ fuerat. Fuêréque omnia sub ejus principatu, quoad ipsum tranquilla, quamvis non adeò populis illis placere potuerit, quin saltem ex eo offensam eorũ incurrerit

[c] *Supr. an. 1436. ult.*

quòd suis Germanis præfecturas passim concrederet. Quem & Sueci solutæ vitæ, ac pravis cupidinibus deditæ notant: accusántque quòd permiserit Ericum nuperum Regem è Gotlandiâ ubi adhuc degebat, latrociniis & spoliis Sueciam affligere. Regnavit autem usque ad annum 1448. cujus principio die ipsâ Epiphaniæ in pace obiit. Quæ pluribus narrant Krantzius [d], Ioannes [e] Magnus, ac diligentiùs Pontanus [f].

[d] Krantz. 8. Dan. 22. & seqq. 5. Suec. 38. [e] Io. Magn. lib. 22. c. 17. & seqq. [f] Pont. in Hist. Dan.

IESU CHRISTI Annus 1440.
EUGEN. IV. An. 10.
FRIDERICI III. Ann. 1.
IOANNIS VII. Ann. 22.

I. FRIDER. III. ELIGITUR IN REGEM ROMAN.

ANNO Christi 1440. Indict. tertiâ, convenientibus Francofordiæ Electoribus ad novum Cæsarem Alberto nuper defuncto subrogandum; concordi omnium consensu electus est *Fridericus*, Imperatorum ejus nominis Tertius, (Quartus tamen, si Pulchrum æmulum Ludovici Bavari numeraveris) Austriæ Dux Ernesti filius, & Alberti nuper Regis patruelis; juvenis viginti sex tantummodò annorum, pietate insignis, cujus etiam ardore Terram Sanctam inviserat, aliísque virtutibus Principe dignis apprimè dotatus; pacísque tuendæ adeò studiosus ut & *Pacifici* cognomentum obtinuerit: quamvis sint qui pusillitati animi magis quàm virtuti id tribuerint; & avaritiæ, cujus causâ multa toleraverit ut sumptibus parceret. Denique plerique omnes tradunt, fuisse eum Fabio Maximo quàm Scipioni propiorem. Sed satis supérque fuit, quòd à viis superiorum Fridericorum deflexerit, quorum fuêre tot & tam gravia in Ecclesiam Romanam Summósque Pontifices facinora, lœdoria, bella; cui etiam deerant vires, & ditiones Italicæ, quarum præcipuè potentiâ priores illi tanta ausi fuerant.

II. RATIO TEMPORIS.

Quòd verò eum Onuphrius Calendis Ianuarij electum esse, octavo Idus Ianuarij coronatum scribit; videtur ex condicto eosdem ipsos dies Friderico tribuere voluisse, quos & Alberto tribuerat; utrobique apertè falsus. Quomodò enim potuit Fridericus eligi Calendis Ianuarij; cùm per Bullam auream Caroli IV. quam Electores ad amussim observabant, statueretur ut à die intimationis per Archiepiscopum Moguntinum faciendæ infra tres menses Electores Francofordiæ convenirent; ab obitu autem Alberti ad prædictas Calendas Ianuarias nonnisi duo menses & quatuor dies intercurrerint? Denique Trithemius [a] ait, in medio Quadragesimæ Electores convenisse ad electionem. Incidit autem eo anno, quo Pascha contigit 27. Martij, fuítque bissextilis, media Quadragesima in quintum Nonas Martij. Et Nauclerus diserte electum Fridericum tradit tertio Calendas Aprilis: cùm nihilominùs Acta Patritiana Concilij Basileensis, quibus non parùm fidimus, id contigisse ponant quarto Nonas Februarij. Major verò error est prædicti Onuphrij, cùm Fridericum coronatum ponit octavo Idus Ianuarij hujus ipsius anni; cùm certum sit non accepisse coronam Aquisgrani nisi post biennium, ut tunc dicetur. Regnavit autem ab hoc electionis suæ tempore ampliùs quinquaginta tres annos. Atque in ejus posteritate feliciter firmata est hactenùs Imperialis dignitas, cum amplissimâ multorum insigniúmque regnorum adjunctione. Videátque nobilissima familia, ne ingratam se tot tantísque beneficiis divinitùs acceptis reddens, majori facilitate quæ tenet amittat, quàm felicitate obtinuit. Cui verba Spiritûs Sancti apud Ioannem [b] Apostolum aptari apprimè posse videntur; dum ait ad Ephesinæ Ecclesiæ Angelum, hoc est rectorem; habere se adversùs ipsum quòd caritatem suam primam reliquisset: Ageret igitur pœnitentiam: si autem, venturum Dominum & moturum candelabrum ejus de loco suo aptissimè ad rem ipsam: ut non potest Spiritus nisi aptissimè loqui. Est enim Ephesus) ut Grammatici volunt) provocatio de judicio ad judicium: translatio causæ de foro ad forum: Est etiam appetitus, & desiderium. Refrenetur hujus posterioris significationis vitium, ne prioris illius effectus veniat. Deus Danieli quatuor tantùm Monarchias designavit: aliam non addidit, quàm quæ æterna est Regis sempiterni. Quintam ergo qui extra Imperium Romanum quærit, aut etiam illud subjectum sibi habere gestit (quod & Turcus ambit) extra Deum quærere videtur; ac propterea si fortè invenerit, à Deo non erit, sed à principe hujus mundi. Qui habet aures (ut Ioannes addit) audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis, nosque jam cætera hujus anni in Domino prosequamur.

[a] Trith. in Chron. Sponheim.

FRIDERICI POSTERITAS HACTENUS TENUIT IMPERII ROM. TITULUM.

[b] Apocal. 2.

III. DISSIDIA DE REGNIS HUNGAR. ET BOEM.

Quod imprimis regna Hungariæ & Boëmiæ spectat, quæ morte Alberti Cæsaris vacare videbantur, quòd nullam prolem masculam, sed tantùm duas filias parvulas & uxorē prægnantem reliquerat; divisionibus in utroque certatum est: dum ex unâ parte Hungari parum cautâ suasione Elisabethæ viduæ, quæ rursùm feminam parere timebat, Wladislaum Poloniæ Regem sibi item elegerunt in Regem; & quamvis interim Regina peperisset filium, in Hungariam venientem multi susceperunt; reliquis a Reginâ jam facti pœnitente, ejúsque filio, cui nomen *Ladislao* impositum est, stantibus, unde bella orta, quibus regnum valdè afflictum fuit. Quarto autem nativitatis pueri mense, coronare eum Regina fecit per Dionysium Zeech Archiepiscopum Strigoniensem & Cardinalem, sacrâ coronâ, regno, ut putabant, fatali, quam Regina in potestate habebat. Sicuti & Wladislaus, eâ deficiente, coronatus est à suis fautoribus coronâ quam imago S. Stephani Regis in templo gestabat. Regina interim regni dissidium causata, ad Fridericum Cæsarem in Austriam contendit, ejúsque fidei filium coronámque commisit: unde longæ discordiæ, ac diuturna cum Alemannis bella promanârunt. Quæ cuncta prolixè tractata videre est apud Hungaricos & Polonos auctores [c]. Quæ verò Boëmiam tangunt, Æneas [d], & ex eo alij tractant. Quibus imprimis laudes Alberti Bavariæ Ducis, qui à pueris in aulâ WencesIai Regis educatus fuerat, modestiam, dum oblatum à Boëmis regnum, monitus à Friderico Cæsare, cum pueruli Ladislai injuriâ recusavit suscipere. Necnon ipsius Friderici Cæ-

[c] Æn. Europ. 1. Thuros. cap. 27. & seq. Bon. 3. dec. 4. Phil. Call. lib. 1. Crom. lib. 21. [d] Æn. c. 57. Bonfin. ibid. Cochla. lib. 9. Dubrav. lib. 28. & alij.

saris; qui post repulsam Alberti ab iisdem Boëmis rogatus, tutorio, vel etiam abdicâta tutelâ proprio nomine sibi regnum habere; utrumque pariter recusavit; satius ducens ut Boëmia per duos electos ab ipsismet Gubernatores (quorum alter Catholicorum partem, alter hæreticorum tueretur) regnum administraretur, donec infans adolesceret. Et hæc quidem præsenti anno utrobique gesta; quæ verò deinde in utroque regno memoriâ digna ad res nostras pertinentia contigêre: dicentur porrò pro ratione temporis. Iam certa prosequamur.

IV.

In quibus sese primùm offerunt Basileensia. Quippe habent Acta Patritiana, misisse Basileenses ad suprà memoratum Principum Germanorum conventum suos legatos, curaturos ut dimissâ Neutralitate Felicem susciperent in Romanum Pontificem: sed post electum Fridericum, datum eis esse responsum, non posse eos discedere ab his quæ priùs statuissent, nec velle provinciam scindere; sed daturos se operam omni studio ad pacem Ecclesiæ procurandam: Intereà Basileenses *Sessione XL.* celebratâ 4. Cal. Martij, promulgâsse Felicis consensum, quem nos superiori anno ex hâc eâdem Sessione descripsimus) & statuisse ab omnibus illi esse parendum: Vt autem is augustiori cultu Basileam petere posset, indulsisse ei ut novos Cardinales etiam ante coronationem suam, etiámque præter decreta XXIV. Sessionis, creare posset: ac creatos quatuor mense Aprili, approbâsse & confirmâsse: (E quibus tamen nullus nisi fortè unus Felicem Basileam comitatus est) Cardinalem Arelatensem Legatum Apostolicum & Concilij præsidentem a Felice designatum esse: sed literas Felicis de ejusmodi legatione & præsidentiâ, cùm non placerent Patribus, deletas esse, & ex regestis abrasas, & rursùs aliis verbis concessas: Cùm denique orta esset dubitatio de jurisdictione Concilij præsente Pontifice, statutum esse Auditorem Cameræ Concilij nomine, ut hactenùs fecerat, Iurisdictionem habiturum in omnes & singulos Concilio incorporatos, incorporandósve: (sic enim appellabant Concilio adscriptos:) non tamen licitum illi fore, pro re criminali contra quempiam illorum agere, nisi de consensu quatuor Prælatorum si reus foret prælatus, seu quatuor aliorum Patrum si ordinis inferioris: qui consultores singulis mensibus à Patribus designandi forent. Ita iis Actis: quæ adduxisse voluimus, ut consideret lector quàm turpiter infelicia illa atque audacissima capita, etiámque absente Cardinale Arelatensi ac præcipuis Prælatis qui cum eo ad Felicem abierant, quos vix tunc rediisse cum hi talia machinarentur arbitramur; arreptitiâ suâ auctoritate abusa sint ad frenandam auctoritatem Felicis; quem Papam non ad aliud esse voluerunt, quàm ut ludibrio exponerent, superciliosè præscribentes ac limitantes quæ agenda ipsi forent, quæve non longè sanè infelicior ille eâ servitute, quàm felix Pontificatu; cujus acceptatione non servus servorum Dei factus est; sed ex tantâ nobilitate & religione quâ priùs vixerat, vilissimum mancipium impurissimæ & fæculentissimæ turbæ.

SESSIO XL. BASILEENSIUM.

INSOLENTISSIMA EORUM AUDACIA.

V. CONCILII FLORENTINI SESSIO XXVIII.

Inter quæ Eugenius Pontifex (ut eadem Acta narrant) Florentinæ judiciali ordine per debita intervalla priùs servato, *Sessione* publicâ (quæ *XXVIII.* numeranda venit, dicta in Actis Patritianis dumtaxat *VIII.*) ad 10. Cal. Aprilis Amedeum Sabaudum, electores, fautores, ac sequaces omnes, nisi infra quinquaginta dies resipiscerent, ut hæreticos & schismaticos anathemati subjecit, incursuros pœnas contra ejusmodi à jure promulgatas. Quod edictum valdè aculeatum, in Gallicam linguam, sed multis locis inscitè versum Monstreletus [e] integrum Historiæ suæ inseruit. Confirmánsque id ipsum qui tunc Florentiæ erat S. Antoninus ejus posteà Ecclesiæ Archiepisc. servata omnia judicia ait, ne videretur Eugenius livore vindictæ, non zelo justitiæ procedere. Contra quæ Basileenses *Sessione* suâ *XLI.* habitâ 10. [f] Cal. Augusti intonârunt; ejusmodi Eugenij, quem Gabrielem vocant, sententiam declarantes scandalosam, injuriosam, schismaticam, à fide deviam, & hæreticam: inhibentésque ne quis cujusvis statûs & conditionis eam acceptare vel publicare (quod Eugenius jusserat) auderet, sub pœnis in ipsorum declaratione contentis. Postridie verò, nempè 9. Cal. Felicem (qui 8. Cal. Iulij Basileam pervenerat, magno triumpho susceptus) primùm per [ff] Cardinalem Arelatensem in Episcopum ordinârunt, ac deinde pretiosissimo diademate coronârunt: cujus solemnitatis insignem apparatum & pompam (ad quam tamen quòd deessent Cardinales, asciscі habuerunt eorum loco aliquot Episcopi, aliique spurij officiales vice legitimorum deficientium) egregiè descripsit Æneas [g] qui aderat, ad Ioannem de Segoviá tunc oratorem agentem Felicis ad conventum Bituricensem, de quo mox dicetur.

FELIX EJÚSQUE SEQUACES DAMNANTUR.

[e] Monstrel. vol. 2. sub an. 1439.

BASIL. SESSIO XLI. CÓTRA EJUSMODI DAMNATIONEM.

[f] In Act. Binian. [ff] Gobell. comment. Pij II. lib. 7.

FELIX CORONATUR BASILEÆ.

[g] Æn. oper. post. Gest. Conc. Basil.

VI. BASIL. SESSIO XLII.

Posteà verò pridie Nonas Augusti, providi illi Felicis tutores, fidíque scilicet Sedis Apostolicæ Catholicæque Ecclesiæ curatores, *Sessione XLII.* qui Annatas in Eugenio damnârant, in subventionem sui Pontificis, propriámque, & ministrorum atque officialium Curiæ, quintum denarium veri valoris annui cunctorum ac quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum tam sæcularium quàm regularium, & tam majorum quam minorum, in quinquennium, & deinde ad aliud quinquennium decimum denarium, collectoribus ac subcollectoribus ejusdem Felicis realiter & cum effectu persolvendum statuerunt, sub pœnâ suspensionis & interdicti, non obstantibus quibuscumque privilegiis & constitutionibus. Consentientes tamen humanissimi de summâ benignitate, ut si aliqua natio, regnum vel provincia modum provisionis hujusmodi sibi non convenire sentiret, Felix auditis ejus rationibus cum eâ concordare posset. Et in gratiam Germanicæ nationis indulsêre, ut beneficia quorum proventus quinque marcas argenti annuatim necessariis oneribus deductis non excederent, prædicto ipsorum decreto non continerentur. De quibus cùm agunt Acta Patritiana, aiunt Germanicæ nationis & Scholæ Parisiensis oratores, cum plerisque aliis Gallorum nomine intercessisse; obstitisséque quominùs id decerneretur, antequàm provinciales eâ de re certiores fierent. Recitátque Cochlæus [h] revocationem ejusdem exactionis ab eodem Concilio factam, quoad nationem Germanicam, perinde ac si nullate-

[h] Cochla. Hist. Hussit. lib. 9.

nùs promulgata fuisset: cum promissione quòd nullam ampliùs in eâ impositionem faceret, aut fieri permitteret. Sic enim vilia ac ridicula illa capita in omnes partes se vertere habebant, ut aliquos sibi allicerent, nec à cunctis desererentur.

VII. CONVENTUS BITURICENSIS IN CAUSA EUGENII ET FELICIS.

Convocaverat interim (ut eadem Acta narrant) Carolus Rex Francorum Prælatos ac proceres suos Biturigibus, ut super hâc divisione Ecclesiæ cum iis deliberaret. Aderant Patriarcha Antiochenus, (Dionysius de Molendino Meldensis, ex Archiepiscopo Tolosano postulatus & confirmatus Episcopus Parisiensis) Archiepiscopi Viennensis Guillelmus de Lauduno, & Remensis Reginaldus de Carnoto regni Cancellarius, (vidimus hunc ab Eugenio creatum Cardinalem ad finem anni præcedentis: sed hinc apparet non tam citò dignitatem acceptâsse, eò quòd nondum deliberatum in regno esset cui obediendum foret: unà cum pluribus Episcopis. Aderant oratores Concilij Basileensis & Felicis; (quorum unus, ut nuper vidimus, Ioannes de Segoviâ Hispanus, de quo aliàs pluries; alter Thomas de Courcellis Gallus, decretorum Basileensium præcipuus fabricator, de cujus pariter in Eugenium virulentiâ dictum superiùs:) necnon Eugenij legati, quorum princeps Ioannes de Turrecrematâ æquè Hispanus, Cardinalis ab Eugenio creatus. Habitis inter ipsos variis disputationibus & altercationibus; adveniens demùm Rex ipse cum aliorum Prælatorum & procerum multitudine ad principium Septembris, post auditos utriúsque partis oratores, re maturè cum suis discussâ, respondit per organum Episcopi Claromontensis linguâ Gallicâ loquentis, (Dicebatur hic Martinus Gouge, quem Alanus Carterius ait præfuisse negotiis statûs Regis Caroli:) Francorum Regem, ut Christianissimum Principem deceret, semper favisse dignitati generalium Conciliorum; & Basileensis imprimis, in quo semper legatos suos habuisset: tulisse mœstissimo animo discordias inter Patres & Pontificem exortas: monuisse rogâsséque Patres literis ac nunciis ut à Iudicio contra Eugenium supersederent; illos verò his spretis non modò non supersedisse, verùm etiam illum dejecisse, & alium subrogâsse. Itaque jam ex consilio Prælatorum ac procerum regni sui statuisse perseverare in obedientiâ Eugenij, nec alium agnoscere Pontificem: cui supplicaturus esset ut intra annum Generale Concilium in Galliis celebraret ad scissionem Ecclesiæ tollendam: Rogare Patres Basileenses, & Dominum Sabaudium (sic Felicem nominabat) ut dimissis censuris & comminationibus, ad ea quæ pacis essent intenderent; neque ullo modo regni sui clericos judiciis infestarent. Dominum Sabaudium sanguine Regi esse conjunctum: non placere Regi ut à quopiam injuriæ ei inferrentur: sed in hâc re, quoniam ad fidem pertinet, nihil præter justitiam Regem audere: sperare tamen, consanguineum suum solitâ suâ prudentiâ rem hanc tractaturum. Hæc ubi nono Calendas Novembr. Patribus & Amedeo nunciata sunt, omnium mentes mœror occupavit. Ita omninò Acta Patritiana referunt.

REX FRANC. OMNINÒ ADHÆRET EUGENIO.

VIII. PETITIONES EUGENII, ET REGIS RESPONSIONES.

Quibus consentientia sunt quæ inter opera Nicolai Clamengij post tractatum de Annatis, (licet non sint ejus) & aliis locis relata legimus de hoc Bituricensi conventu: Nempè oratores Eugenij quatuor petiisse à Rege. 1. Vt reprobaret Concilium Basileense à tempore translationis Ferrariam, & approbaret Concilium Ferrariense. 2. Vt nullo modo depositioni Eugenij consentiret, & electionem Ducis Sabaudiæ reprobaret. 3. Ne ad civitatem Moguntinam inconsulto Papâ mitteret. 4. Quatenus Pragmaticam Sanctionem suspenderet & tolleret: Papámque Eugenium provisurum. Posterâ die auditos à Rege fuisse oratores Felicis, Thomámque de Courcellis cum Regis cæterorúmque omnium gratulatione causam ejus orâsse.[i] Postinde Prælatis per sex dies super iis deliberantibus, demùm die nonâ Septembris responsum esse ad singula Eugenij postulata: Ad 1. Regem tenuisse Concilium Basileense pro Concilio; ad ipsum oratores suos misisse, & multa bona de fide & moribus ab eo decreta approbâsse: nec umquam congregationem Ferrariensem pro Concilio habuisse, aut habere. Ad 2. Regem numquam depositionem Eugenij, & electionem Felicis, approbâsse, aut approbare; immò tenuisse Eugenium pro Papâ, & adhuc tenere; Velléque ut ipsi in suo regno obediretur, nisi aliud in Concilio Generali intra annum in aliquo loco Galliarum celebrandò, quod à Pontifice indici rogabat, decerneretur. Ad 3. de missione Moguntiam, consulturum se cum suis tempore opportuno. Ad 4. velle se Pragmaticam inviolabiliter observari: & si aliqua viderentur nimis rigida, in illo Generali Concilio moderatum iri.

[i] Ext. ejus prolixa valde Oratio tunc habita.

IX.

His igitur magis credimus, quàm vel Sabellico Scriptori Veneto parùm res exteras callenti, vel Mario Belgæ auctori parùm item accurato, vel quibuscumque aliis, si fortè inveniantur, qui scripsêre Regem Francorum, vel regnum ejus, aut Ecclesiam Gallicanam Felicis Pontificatum agnovisse contra Eugenium: etiamsi non negemus aliquos Gallos ei adhæsisse privato nomine. Sicuti & ex aliis provinciis factum esse constat: sed ferè (inquiunt Acta Patritiana) quibus Felix gratiam aliam concesserat, vel qui aliquam ab eo expeterent: & quibus non paucos permissu Concilij Cardinales creavit diversis civibus non quòd regna aut provinciæ è quibus ij assumebantur Felici adhærerent, aut quòd peterentur à Principibus, sed ut per ejusmodi benevolentiam provincias illas earúmque Principes sibi conciliaret. Festivus utique Gobellinus[ii], (vel etiamsi fuerit Æneas ipse) dum scribit Carolum Regem cùm aureorum triginta millia à Felice petivisset, neque impetrâsset, Eugenium ei præposuisse. Apage rem ridiculam! Francorum Regem Christianissimum potentissimúmque, quod vel à singulis triginta millibus mercatoribus regni sui nullo negotio exigere potuisset, tantilli pretij causâ Pontificem consanguineum suum quem verum credidisset deseruisse? qui tot centena millia in procurandâ Ecclesiæ concordiâ, tot legationibus mittendis, tot congressibus ac conventibus faciendis insumpsisset. Sanè qui hæc crediderit, vel nescit omninò quid sit Regem esse Francorum, & quid Franciam, vel illudi amat aut illudere. Putamúsque hæc Æneam dixisse ex alicujus Basileensis Conciliaris im-

[ii] Gobel. Comment. lib. 7.

posturâ, quàm propriâ sponte, etiamsi parùm benè vellet nationi Gallicanæ. Denique quod omne tollat dubium de Rege Francorum, luculentissima habemus testimonia Olivarij [k] Marciani, & Poggij Florentini tunc viventium: quorum ille scribit, multos quidem alios Principes adhæsisse Felici, at verò Regem Francorum & Ducem Burgundiæ noluisse unquam deserere primum Canonicum Papam Eugenium. Poggius autem in vehementissimâ tunc scriptâ contra Basileenses & Felicem Invectivâ, disertè scribit, demirari se insaniam illius execrandi idoli, (nempè Felicis) adeò stupore oppressam, adeò stultitiâ & cupiditatibus excæcatam, ut mentem auderet tentare Christianorum Principum, atque optimorum: & præsertim Regis Franciæ, cujus animus semper firmus atque inconcussus stetisset pro servandâ unitate, semper hæsisset vero Vicario Christi, semper Eugenium, & tunc Nicolaum virum sanctissimum (sub cujus scilicèt initio hæc Poggius scribebat) Pontifices summâ coluisset veneratione. Ita de Rege egregiè Poggius. Quid verò demùm si Rex Francorum aliquando Felici adhæsisset, an propterea dicendus foret Felix legitimus Pontifex, qui seipsum illegitimum tandem agnovit? Nec quidem, etiamsi totus orbis Eugenio deserto eum secutus fuisset. Nec si Felix Pontificatum accipiendo peccavit, totius orbis adhæsio Felicem excusaverit. Sed ut jam in ejus electione diximus, excusari satis eum putamus ex falsis suggestionibus & turpibus mendaciis illorum cervicosorum, qui ejus quietem in malum ejus turbatam ierunt.

[k] Olivar. lib. 1. c. 6.

X. Quomodò ceteri Principes et populi in his se gesserint.

Quemadmodum & quod iidem Sabellicus & Marius scribunt, Fridericum Cæsarem Felici adhæsisse; de eo cui magis credendum, quàm Æneæ, qui adfuit, nec solùm auribus, sed oculis perspexit. Ait [l] enim; cùm Felix post coronationem Basileæ ageret, Fridericum illàc transeuntem clàm & intempestâ nocte audîsse; neque enim Fridericum voluisse Felicem quasi Pontificem in publico honorare. Quod quomodò factum fuerit, dicetur anno sequenti quo contigit. Siquid autem vel ipse, vel nonnulli alij Principes, in his ab Eugenio aversi fuêre; non eos propterea Felicis Pontificatum agnovisse, sed Concilio adhæsisse; distinctè ac disertè Acta Patritiana exprimunt, dum aiunt eos Principes magis Concilio adhæsisse quàm Felici, cùm Concilium approbarent, electionem Felicis non agnoscerent. Vt brevi (inquiunt) manifestatum fuerit, ejus Pontificatum non diù duraturum. Habent nihilominùs, misisse ad Concilium literas adhæsionis volubilem illum Alfonsum Regem Aragonum, cùm priùs oratores suos revocâsset: Necnon Elisabetham Reginam Hungariæ relictam Alberti Cæsaris, ad Felicem suas dedisse de obedientiâ ei præstandâ: Eíque pariter favisse Albertum Baioariæ, qui electus in Regem Boëmiæ regnum recusavit; & alterum Albertum Austriæ Friderici Cæsaris germanum. Quantum verò ab his abhorruerint cæteri Germaniæ Principes, dicetur commodiùs anno sequenti in relatione generalis Conventûs Monguntini: cùm nihilominùs nonnullis Academiis aliter visum fuisse, paulò pôst visuri simus. Nam quod futilis Orthuinus (dum insulsè ex reformatore illo generali Nicolao Clamengio refert prædictam responsionem Regis, cum Nicolaus ad hæc tempora non pervenerit; licèt ea inter ejus opera, ut diximus, reperiatur) in malè compacto Fasciculo suo rerum expuendarum ferè magis quàm expetendarum, ait, etiamsi Rex Franciæ Eugenio adhæserit, nationes tamen Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Norvegiæ, Suetiæ, Scotiæ, Angliæ, & regna Hispaniarum, cum non parvâ etiam Galliarum parte quæ tunc Philippo Burgundiæ Duci subdita fuit, Felici simul adhæsisse: has meras esse hominis schismati faventis nugas, & putida commenta, ex singularum illarum gentium historiis apertè intelligitur: iis exceptis quos modò recensuimus. Denique ut auctoritate Æneæ cæteris omnibus præferendâ rem absolvam, asserit is disertè in tractatu de Ritu, situ, & moribus Germaniæ ad Martinum Meyer; Galliam, Hispaniam, Italiam, Hungariam, & Angliam Eugenium secutas: Sabaudiam, Suitenses, Basileenses, Argentinenses, ac ex Saxonia Caminenses, simúlque de Ducibus Bavariæ Albertum Monaci, Felici obedîsse: Regem Aragonum & Siciliæ Alfonsum, Polonosque, & Britones, nec Eugenio, nec Felici, sed Concilio auscultâsse: Germaniam Neutralitatem quandam induisse, suámque nationem acephalam reddidisse.

[l] Æn. d. l. 7. & Europ. cap. 42.

XI. Felicis parcitas ei nocuit.

Quod verò rursùm Fridericum Cæsarem attinet; narrat ex eodem Æneâ [m] Nauclerus [n], cùm aliquando Felix ei filiam præstantem in matrimonium obtulisset cum dote nummûm ducentorum millium, si Eugenio relicto se Petri successorem appellaret; horruisse Cæsarem, miniméque Sacramento suo Ecclesiæ Sacramenta fœdare voluisse. De cujus tamen narrationis fide dubitans Nauclerus, addit se audivisse à quodam Prælato qui Basileæ interfuit, renuisse Felicem dotis tantum dare, licèt Concilium omninò dandum suaderet. Sanè observat Antoninus [o], si Felix thesaurum suum per tempora congregatum exponere voluisset, satis dilataturum fuisse obedientiam suam: sed Deum elicientem ex malis bona majora, permisisse in eo avaritiam superare ambitionem, cùm pro exaltatione summi sui Pontificatûs pecunias suas non acquievit diminuere, sed ex ipso studuit augeri, beneficiorum vacantium fructus sibi reservans, & alia exercens ex quibus divitias accumularet. Et Æneas [p] memorans causas terroris, quo perculsum ait Eugenium cùm Felicis electionem audivit, videlicèt quòd universis Christianis Regibus aut consanguinitate aut affinitate conjunctus esset, & quòd sapientissimus existimaretur, ejúsque opes inæstimabiles crederentur, addit, Iulianum Cardinalem Cæsarinum qui diù in Concilio Basileensi præfuerat, in consistorio docuisse, ex iisdem rebus è quibus timeretur exitium, expectandam esse salutem. Irrisuros enim Reges, non adoraturos hominem, qui è sæculari principatu ad Ecclesiasticum evolaverit, &c. Fecisse ipsum suæ sapientiæ periculum; neque se parvo involvisse negotio, in re omnium maximâ peccantem, &c. Pecuniam non tantam esse quanta prædicaretur; neque exponere qui cumulant: Nihil

[m] Æn. de dict. & fact. Alfons. lib. 1.
[n] Naucler. gener. 48.
[o] Ant. tit. 22. cap. 10. § 4.
[p] Æn. d. l. 7.

tam Eugenio profuturum, quàm pecuniosum adversarium existimari; cunctos ab eo aurum petituros, neque impetrantes inimicos abituros. Hæc prudentissimè Iulianus. Addit autem Æneas, solitum Felicem dicere cùm aurum ab eo peteretur, pulcherrimam sibi sobolem esse, nolle se filios inopes relinquere. Quæ cùm passim vitio vertantur Felici; ego sanè magis sapientiæ ac virtuti tribuerim: (avaritiâ tamen semotâ si qua fuisse putetur; quippe quæ cùm in omnibus, tum maximè in Principibus damnanda damnosáque semper extitit:) quòd quam pietatis ac Religionis intuitu adeptus esse sacram dignitatem, ne videretur eam ambitu aut largitione acquisivisse, elegerit divinæ providentiæ committere, quàm turpibus commerciis conservare quâ etiam animi moderatione, cùm animadvertit rationi & æquitati consentaneum esse loco cedere, ad quem ab Ecclesiæ turbatoribus iniquâ fraude magis quàm legitimâ potestate vocatus fuerat, spontè cessisse videbimus qui invitus occupaverat. Quocircà & Nicolaus V. Eugenij successor, ejusdem Felicis studiosum semper pacis animum agnoscens, ejus acta confirmavit, & quæ in eum ab Eugenio decreta fuissent revocavit. Sed hæc posteà.

Excusatur de ea.

XII. *Alfonsi Regis Arag. Artes.* [q] *Sur. l. 4. cap. 54. & seqq. l. 15. c. 1. & 3.*

Quod autem diximus Alfonsum Aragoniæ Regem per suos oratores Basileense Concilium ut legitimum agnovisse; præter illa quæ de iis superiùs de eo dicta sunt, narrat Surita [q] rerum Aragonicarum scriptor, eum nihil tam aventem quàm regno Neapolitano potiri, quod vi apertâ non facilè poterat, obnitente sibi Renato Andegavensi qui Neapolim ipsam cum magnâ regni parte possidebat; ad artes, quarum erat scientissimus, conversum, hinc cum Eugenio, qui Renato studebat, illinc cum Basileensibus diversimodè tractâsse, ut utrosque velut in æquipondio distinens, interim res suas ageret. Hoc verò tempore mandâsse nequa Basileensium rescripta in suis regnis admitterentur, & siqui adhuc ex iis Basileæ essent revocarentur omninò; servaretúrque neutralitas, sicut initio Schismatis post obitum Gregorij XI. conflati. Cùm verò Felix suos oratores misisset, qui eum in partes suas traherent; destinâsse Regem ad eum, Archiepiscopum Panormitanum, qui obedientiam ei à se præstandam his conditionibus pacisceretur, si Felix adoptionem primò à Reginâ Ioannâ de se factam confirmaret: regnum tam sibi quàm suis successoribus in perpetuum concederet: ac centum aureorum millia pro integrâ ejus occupatione contribueret: Ita se in ejus obsequio futurum, totísque viribus enisurum ut & Vrbs & universus Ecclesiæ Romanæ status in manus ejus veniret: ad quod opportunum esset, eum mari primò in regnum Siciliæ accedere, quò inde faciliùs Romam introduci posset. Ita illudebat Alfonsus Felici; cujus verba parùm curâsse Felicem, nec consensisse ullâ in re ejus petitionibus; idem auctor posteà tradit.

XIII. *Basileensium Epistola circularis*

Vt autem reliqua hujus anni Basileensium expediamus; extat inter Epistolas Synodales editionis Binianæ prolixa illorum epistola ad universos Christi fideles scripta ex Congregatione generali sexto Idus Novembris: qui antiquas cantilenas de rebus inter ipsos & Eugenium, uti referre libuit, denuò canentes, persuadere conati sunt actum esse de Republicâ Christianâ, déque disciplinâ Catholicæ fidei, si auctoritas Conciliorum deprimeretur: quorum superioritatem multis argumentis fulciunt; Eugenij depositionem & Felicis subrogationem obtrudunt: hortantur, rogant, jubent, decreta sua suscipi, & Felici obedientiam exhiberi. Addúntque Acta Patritia; per idem tempus Parisiensem Scholam, & plurima Germaniæ gymnasia, putà Viennense, Erfordiense Coloniense, necnon Cracoviense Poloniæ, suis scriptis declarâsse supremam esse potestatem apud Concilium Basileense, cui etiam Papa obedire teneretur. Quas cunctas prædictarum Scholarum seu Vniversitatum determinationes, seu Concilia, unà cum nonnullis aliis tractatibus pro eodem Concilio, & comprobatione Felicis, aliísque item adversus illos pro Eugenio compositis, vidimus Parisiis in quodam Codice [r] manuscripto insignis Bibliothecæ Victorinæ; quo etiam diximus nonnullam partem Actorum Concilij Basileensis contineri. Denique addunt Acta Patritiana, statutum ibidem Basileæ per hoc tempus esse, ut Abbates ex ordine Canonicorum Regularium Rochettis (lineis scilicèt) uterentur ad differentiam Episcoporum. Multáque item alia decreta circa præsidentiam in Concilio, collationem & commendas beneficiorum tam pro Cardinalibus quàm aliis Prælatis & Ecclesiasticis: cùm nihil non agerent ardeliones, quo omnem sibi auctoritatem fastu suo Conciliari arrogantes, non solùm Eugenium omninò proscriberent, sed & ipsum miserum Felicem ne hiscere quidem aut mutire sine ipsorum veniâ permitterent.

Pro se et Felice.

Academiæ nonnullæ Basileensibus student.

[r] *Cod. P. 12. fol. 63. & seqq.*

XIV. *Schisma in Ecclesia Græca.* [s] *Phranz. l. 2. c. 17.*

Iam antequàm nonnulla temporalia quorundam aliorum Occidentalium regnorum, quæ hoc eodem anno contigerunt, attingamus; quæ Græcæ Ecclesiæ fuêre tractemus: imprimis tradit Phranzes [s] Ioannem Imp. cum cæteris qui cum eo ierant in Italiam, salvos revertisse Constantinopolim mense Februarij: præter Iosephum Patriarcham & Metropolitam Sardiensium qui illic occubuerant; & Bessarionem, qui Romæ sedem fixit; cùm ab Imperatore in locum Iosephi creatus Patriarcha, propter rerum perturbationes & scandala nescio quæ Constantinopolim non veniens, à Romano Pontifice Cardinalis factus est cum pensionibus liberalissimis. Patriarcha autem constitutus est *Metrophanes* ex Metropolitâ Cyziceno, qui Concilio Florentino cum aliis interfuit. Ita is auctor; nullam mentionem habens de Georgio Trapezuntio, Gemistio Pletone, & aliis nonnullis viris doctis, qui remanserunt in Italiâ ingenti bono literarum Græcarum & Latinarum tunc reviviscentium. Sicut nec quæ fuerint perturbationes illæ, & scandala, propter quæ Bessarion Constantinopolim non adiit, explicat.

XV. *De Patriarchis Cóstantinopol. ejus temporis.* [t] *Turcogr. l. 1.*

Tangit Theodosius Zygomalas Ecclesiæ Constantinopolitanæ Protonotarius in Historiâ Græcâ, cui inscriptionem *Turcogræciæ* apposuit, quam Latinam fecit Martinus Crusius hæreticus: dum scribit [t], redeunte Imperatore Constantinopolim, qui ibi remanserant Clerici, Monachi, ac cæteri, recusâsse cum iis qui ex Italiâ redierant sacra celebrare, aut in

Precibus memoriam eorum facere; sed ab eis recessisse, tanquam qui pietatem abjecissent; magnámque inde divisionem consecutam esse. Ad huncque modum jactato Ecclesiæ statu, cùm propter rerum confusionem nemo se ad honorem Patriarchatûs promoveri pateretur; demùm *Gregorium*, quendam cognomine *Mammen*, vitæ sanctimoniâ & prophetiæ dono præstantem, arreptum, Patriarcham factum esse invitum; sed eum, cùm serpere in dies longiùs dissidium cerneret, eo se munere abdicâsse, prænunciato priùs Imperij interitu, & urbis expugnatione. At verò hujus Gregorij electionem contigisse post obitum, aut fortè etiam dimissionem supradicti Metrophanis, ex eodem Phranze [u] intelligitur; dum scribit Gregorium, quem Melissenum vocat, patrem spiritualem Imperatoris, donatum esse Patriarchatu in æstate anni 1445. si tamen unus idémque fuerit, ut putatur, cum illo Mammâ. Onuphrius, qui Phranzem non novit, ab obitu Iosephi qui Florentiæ tempore Concilij decessit, usque ad captam per Turcos Constantinopolim anno 1453. unicum agnoscit Patriarcham Gregorium Monachum, eúmque Orthodoxum: qualem fuisse illum sive Mammam sive Melissenum, omninò putamus, tum quòd Imperatoris qui Latinis consenserat, pater spiritualis esset; tum etiam quòd turbas de religione horrens, maluerit abdicare quàm factiosis adhærere: (ut taceam donum prophetiæ, quod non reperitur extra Ecclesiam:) tum denique quòd nihil dubitemus, quin ille ipse fuerit *Gregorius Hieromonachus Protosyncellus* à confessionibus Imperatoris, qui in Synodo Florentinâ locum tenuit Patriarchæ Alexandrini; quem post abdicationem Romam secessisse paulò pòst videbimus. Vbi tamen susceptum semel titulum Patriarchatûs quoad vixit [x] retinuit; nemine alio inter Latinos, neque etiam inter Græcos usque ad captam per Turcos Constantinopolim, in ejus locum suffecto; quandoquidem ex iisdem Phranze & Zygomalâ constat, quando urbs capta est, nullum fuisse à longo tempore Patriarcham, & qui ultimus fuerat suâ sponte sedem reliquisse, nemine in ejus locum subrogato. Quod tamen longum tempus, nonnisi à mense Augusti anni 1451. accipiendum esse, idem Phranzes [y] ostendit, dum ait Georgium Patriarcham (Gregorium, ut putamus: confunduntur enim sæpissimè hæc duo nomina: necdum Georgius Gennadius electus fuerat:) eo tempore instar exulis discessisse Constantinopoli.

[u] *Phranz. cap. 19.*

[x] *Vide infrà an. 1453. XXI. XXII.*

[y] *Phranz. lib. 3. cap. 3.*

XVI. MARCI EPHESII OBSTINATIO IN SCHISMATE.

De prædictis item Constantinopolitanis turbis agens Chalcondyles [z], scribit, Græcos domum reversos non ampliùs in his quæ convenerant in Italiâ stare voluisse, aut in religionis negotio adhærere Romanis: Hìncque motum Eugenium Pontificem viros quosdam doctos Byzantium misisse, ut cum iis in colloquium venerint: sed obnitentibus Marco Ephesio & Scholario, qui nunquam Latinis consensum præbere voluerant; Romanos illos disputationibus suis nihil efficere potuisse, réque infectâ domum revertisse. Expressiúsque è nostris Antoninus [a], Marco in patriam reverso, cùm Cardinalis Venetus (Franciscus Condelmerius fratris Eugenij Papæ filius) destinatus Legatus in regionem illam, Constantinopoli moram traheret, & in ejus societate esset Bartholomæus de Florentiâ Episcopus Coloniensis Theologiæ Professor egregius & Græcæ linguæ non ignarus; placuisse Imperatori Græcorum ac proceribus ejus, ut fieret publica concertatio inter Ephesium & Coronensem: Ephesium interùm à Coronensi superatum & confusum, tantam inde mœstitiam hausisse, ut intra paucos dies expiraverit in suâ perfidiâ.

[z] *Chalcond. lib. 6.*

[a] *Ant. tit. 22. cap. 11.*

XVII. AUCTORES GRÆCI QUI CONTRA MARCUM SCRIPSERUNT.

Sed de molitionibus Marci postquàm Constantinopolim rediit, clariùs nonnulli illustres viri Græci, qui adversus eum pro defensione Synodi Florentinæ, & Fidei Catholicæ in eâ assertæ, apologias * scripserunt. Videlicèt (præter *Bessarionem*, de cujus lucubratione ad Alexium Lascarim, quæ maximè ad rem facit, dictum est aliàs [b]) *Iosephus* Methonensis Episcopus, & prædictus *Gregorius* Hieromonachus magnus Protosyncellus qui Synodo interfuerat, & posteà ad Patriarchatum pervenit; quorum Responsiones ad scripta per Marcum promulgata, editæ habentur Græcè & Latinè post Acta prædictæ Synodi Romæ excusa: Necnon *Georgius Scholarius*, qui & *Gennadius* dictus, posteà itidem Patriarcha, in Defensione Quinque Capitum in ejusdem Synodi, cui & ipse interfuit, Definitione contentorum: quæ excusa prostat separatim Romæ, & in collectione Bibliothecæ Patrum. De quibus omnibus singillatim breviter nonnulla adducenda putavimus, tum ad confirmationem eorum quæ in actis Synodi continentur; tum ad ostendendum qualis Marcus fuerit; ac contundendam Græcorum obstinationem, qui unius hujus Marci potissimùm fallacibus persuasionibus, & putentibus mendaciis, futilibúsque rationibus, aversi fuêre à suscipiendis prædictæ Synodi decretis; (quibus tam Imperator, quàm Patriarchæ omnes, cæteríque præcipui Orientalis Ecclesiæ Antistites consensum liberum præbuerant:) ac Rutheni Schismatis Græcorum studiosissimi sectatores, suam pseudo-Florentinam Synodum confecerunt: tum denique ad nonnullarum rerum cognitionem, quæ non alibi ita dilucidè explicentur.

* *Extat post Act. Syn. Flor. edit. Rom.*

[b] *Suprà an. 1439. VI.*

XVIII. IOSEPHI METHONENSIS CONFUTATIO MARCI EPHESII.

Imprimis igitur Iosephus ille Methonensis respondens libello à Marco edito, quo quid de Synodo Florentinâ sentiret manifestum omnibus fieri voluit: cùm præfatus esset Marcus, nullâ morbi quo laborabat ratione habitâ, neque rei de quâ agebatur difficultatibus deterritum, itineri se commisisse; respondet Iosephus, debuisse sanè ipsum corporalis sui morbi rationem habere, qui maximus erat; quippe comitialis, quo ubicumque corripiebatur, volutabatur spumas ore agens: Magísque curare debuisse ut mentem dirigeret ad Sanctum Spiritum, pro quo tunc Ecclesia laborabat; cùm nihilominùs ipse nonnisi terrenas cogitationes animo volveret, parùm curans de dogmate, sed sperans Latinos ipsius rationibus subitò cessuros, & copias adversùs Turcos immissuros, qui solus erat suî ipsius suorúmque scopus. Ad singula verò quæ pòst Marcus addidit, respondens, expertum statim ipsum ait quod ut insipiens non putârat, esse inter Latinos viros admodum eruditos: adeò ut aufugere

IMPUDENTIA ET IMPERITIA MARCI. inde voluerit pertimescens disputationis certamen. Quando autem actum est de Sessionum ordine, ipsum turbas civisse, cum qui quinto tantummodò loco, utpotè Sedis Ierosolymitanæ vices gerens, constitui debebat, locum occupavit Alexandrinæ quæ tertia erat: (in Actis tamen tam Græcis quam Latinis dicitur locum tenuisse Antiocheni, qui quartus erat: (cúmque Alexandrinus suo vellet sedere, iratum esse, ac disputare recusâsse. Cùm ventum esset ad disputationem, ita Marcum eam aggressum esse, ut causam dissidij & schismatis additamentum vocis *Filióque* extitisse, falsò asseruerit, quod nemo nisi ignorantiâ aut pravitate ductus concessurus fore: neque enim solùm ante Schisma appositum fuisse, verùm etiam ante ipsam Sextam Synodum, ut ex Maximo constat; quinimmò & mox à Secundâ tempore Papæ Damasi, ut Aristinus historicus scribit, cùm tamen Schisma non nisi longè post Septimam Synodum exortum esset per Photium: ac propterea apparere, additamentum illud fuisse Græcis acceptum, quandoquidem ejus occasione nulla facta esset iis dissensio. Quòd autem Marcus multa protulisset ex decretis Conciliorum & Patrum scriptis, ut nullam probaret additionem faciendam esse ad symbolum; respondet, Iulianum Cardinalem virum doctissimum atque sanctissimum ejus argumentationes tanquam aranearum telas dissolvisse, & meridianâ luce clariùs demonstrâsse, in Symbolo dictionem illam non esse additionem, sed explanationem, quam nunquam non licuit Ecclesiæ facere. Ad quæ cùm nihil haberet Marcus quid responderet, suasisse suis ut porrò ad sua reverterentur; quoniam si, ut Latini urgebant, ad disputationem de præcipuâ quæstione processionis Spiritûs Sancti veniretur, non possent Græci non vinci à Latinis, cum ignominiâ abire: sed non persuasisse plurimis, qui erant veritatis & salutis avidi.

XIX. Cùm Ferrariâ abeundum fuisset, Eugenium mutuo petiisse à Florentinis quadraginta nummûm aureorum millia, oppigneratâ mitrâ suâ, aliunde non habentem quo alimenta Græcis ministraret: Florentinos tamen pignore accepto tantundem se dono daturos promisisse, si in eorum urbem transferret Synodum, ut illorum Respublica honore hoc augeretur si inibi Definitio fieret. Ibi cùm Marcus codices Græcos quos Latini proferebant, depravatos diceret, qui aliter illorum auctoritatem eludere non posset; stultissimum ab omnibus habitum esse, detectúmque ipsummet cum suis eorum corruptorem. Nec verò ipsum ulla producere potuisse testimonia pro suo dogmate, præter putida quædam Cabasilæ, & Palamæ, Phurnij, Camateri, Moschamparis, & aliorum schismaticorum: unde & ignominiam tantam reportavit, ut cùm ulterioris Franciæ Antistites & pedum strepitu & vocibus exsibilarent, clarâ voce hæreticum & maledictum appellantes, caput attollere non audens in turpem se fugam dederit: túncque demùm desiisse disputare, & ad Synodum accedere, cùm à Ioanne provinciali in angustias redactus, sæcula sæculorum exclamans recessit simulato morbo. Cúmque nihilominùs semel iterúmque vocatus esset, insanientem repertum esse, &

CONFUSIO MARCI.

vocibus inconditis stridentem; negantem se posse ire, quòd eâ nocte venissent Cardinales sublato domicilij tecto, & membra sua virgis igneis cæcidissent; simul ostendentem membra sua, quasi esset totus præ verberibus lividus, cùm nihil appareret præter mentis perturbationem.

XX. LOCUS MAXIMI EXPONITUR. Ad sententiam Maximi Confessoris in epistolâ ad Marinum Presbyterum, quæ in Synodo à Græcis proposita, ferè indiscussa remanserat, quia jam inter se Græci & Latini de quæstione convenerant ex testimonio aliorum Patrum, fuerátque nihilominùs à Marco rursùm in hoc libello adversus Latinos objecta; quâ quidem Maximus significavit, nequaquam Romanos asserere, Filium esse causam Spiritûs, quippe qui unam nôssent causam Filij ac Spiritûs Patrem, illius quidem secundùm generationem, hujus autem secundùm processionem; sed dicere, Spiritum per Filium procedere; eâque ratione denotare ejusdem essentiæ nullâ cum varietate communionem: respondet Iosephus, Maximum ita intelligendum esse, ut velit Filium non esse causam Spiritûs principalem & primordialem, aut principium sine principio, vel causam absque causâ: hoc enim soli inesse Patri, à quo etiam Filius est: sed Spiritum ex Patre procedere, uti primo principio à nullo principio; ex Filio, & per Filium, ut per ipsum ex Patre. (Quod etiam distinctiùs à Latinis expositum vidimus in Actis, ad aliorum Patrum objectas similes loquendi formulas.) Ex quibus item Actis refellit Iosephus plures alias Marci objectiunculas, & fictas falsásque de Latinis querimonias. Inter quas & illa fuit, quòd mentiretur Græcos ad unionem cum Latinis faciendam coactos fuisse ex eo quòd sumptuum condictorum subtractione egestate premerentur. In cujus impudentem assertionem invectus Iosephus, ostendit non solùm ad alimenta impensam fuisse eis pecuniam, verùm etiam ad indumenta, atque etiam in vasa argentea, quibus locupletati in patriam rediêre.

XXI. Et, quod pari protervitate Marcus dicebat, Patriarcham in aliorum sententiam îsse, quòd esset jam pridem & ipse corruptus, simul verò discessionem sitiret, quamvis eum ad mortem debitum fatale compelleret: horum dictorum falsitatem Iosephus coarguens, & pium Patriarchæ zelum finémque memorans, Marco objectat mortis suæ turpitudinem, cùm unà cum ani stercore animam efflavit, teste universâ Constantinopoli; simili ferè Ario fine; nisi quòd ille viscera deorsum, Marcus per os stercus egessisset. Vnde intelligas hanc Responsionem factam esse post Marci obitum; qui propterea contingere debuit non multò post ejus reditum Constantinopolim; sicuti etiam innuunt quæ de illo superiùs ex Antonino retulimus: Scripsisse autem illam Iosephum, non in Marci correctionem, cujus non ampliùs capax, sed in aliorum quos ipse mendaciis suis perverterat instructionem ac reductionem. Denique quod jactabat segregâsse se ab iis qui unioni consenserant, ut sanctis suis patribus & doctoribus perpetuò adhæreret: respondet Iosephus, segregando se à Patribus Synodi, ab ovili etiam Christi segregâsse se; qui extra

MARCI TURPIS EXITUS.

ovile est, extra salutarem quoque versari arcam: qui extra navim est, pravæ hæreseos fluctibus agitari: sícque aggregatum esse sanctis suis, quos vocabat, Patribus & Doctoribus, videlicèt Photio Schismatis auctori, Cabasilæ, Palamæ, Camatero, Phurnio, Psello, Moschampari, Bulgariæ, Nicolao Methonensi, Panareto, & cæteris qui post schisma in Romanam invecti sunt Ecclesiam, & Spiritum Sanctum ex solo Patre ignorantiæ atque impudentiæ nugis affirmârunt; eadem planè sentientes quæ desipiens Nestorius, qui & ipse soli Patri productionem Sancti Spiritûs tribuebat. Hæc breviter ex Iosepho Methonensi; quæ prolixè ipse prosequitur.

XXII. De auctore Apologiæ V. Capp. Synodi Florent.

Cæterùm cùm idem Iosephus in productione cujusdam loci S. Damasceni (quem à Marco ut valdè Latinis contrarium objectum, potentissimè etiam Bessarion explicavit commentario ad Alexium Lascarim, de quo suprà) dicat jam se eum solvisse in primo capite apologiæ: quam pro Quinque Capitibus Synodi Florentinæ scripserat; reperiatúrque solutus primo [c] tractatu Quinque illorum qui sub nomine Georgij sive Gennadij circumferuntur: sed & eodem primo [d] tractatu turpis exitus Marci iisdem verbis referatur, quibus secundò refertur in prædictâ Iosephi contra libellum Marci responsione; (bis enim ejus meminit) aliáque de disputationibus Marci utrobique simili modo, licèt in tractatu concisiùs, quòd non propriè ad hominem auctor ageret, recenseantur: Ex his conjici posse videretur, unius ejusdémque auctoris utrumque esse opus: nec quidem tam prædicti Iosephi, (cui dicitur in codice quodam Bibliothecæ Vaticanæ attribui, cùm nullum aliunde testimonium extet) quàm ipsius Georgij sive Gennadij, cui plerique omnes auctores Defensionem illam Quinque Capitum tribuunt: quantumvis eam Gregorij Protosyncelli esse, conjecerit aliquando, licèt non asseruerit, Arcudius [e] Corcyreus, cujus aliàs meminimus, in commentario De concordiâ Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in Sacramentorum administratione. Scimus porrò & alium fuisse Georgium Scholarium, sed Marci discipulum, ejúsque pravorum scriptorum contra Latinos & Florentinam Synodum vehementem defensorem; cui quid cum illo pio?

[c] Gen. tract. Sect. 12.
[d] Ibid. sect. 1.
[e] Arcud. l. 2. cap 15.

XXIII. De Gregorio Protosyncello, et Georgio Scholario.

De Gregorio verò Protosyncello tradit idem Arcudius, eum præter responsionem ad epistolam Marci, (quæ extat post Acta Synodi; de quâ mox dicetur) etiam aliam confutationem conscripsisse sententiæ Marci quam de facto unionis proferre in Synodo debuerat, (ut pariter in Actis traditur) nec tunc ausus promere ne à cæteris derideretur, posteà inter Græcos divulgaverat; quàm æquè in Bibliothecâ Vaticanâ reperiri tradit: Patriarcham autem factum, rogatu Imperatoris Trapezuntij tractatum elucubrâsse de processione Spiritûs à Filio. Ex eo verò quod addit, habetúrque itidem in monitione ad Lectorem, quæ post Acta Synodi præfertur orationibus à Georgio Scholario Synodo oblatis pro unione; eundem Gregorium Patriarcham suasisse eidem Georgio, ut Marci Ephesij argumenta contra processionem Spiritûs à Filio confutaret, eóque defuncto ejusdem Gregorij hortatu Bessarionem opus ejus imperfectum absolvisse: (quod & probari dicunt ex ipsis Bessarionis scriptis, quæ nondum edita fuêre. Inde percipias, quod superiùs innuimus, Gregorium post spontaneam suam abdicationem, non ante captam Constantinopolim mortuum esse, ut Phranzes scripsit; sed Romam, tanquam ad portum salutis, ac fidei asylum confugisse: unde hortatus fuerit Georgium qui Constantinopoli agebat, & post illius obitum Bessarionem qui pedem in Italiâ fixerat, ea scribere; quippe quem nonnisi anno 1459. quo Pius II. Mantuæ conventum celebravit, defunctum esse (idque opinione sanctitatis) idem Pius in suis commentariis [f] scribit.

[f] Gobell. comment. lib. 11.

XXIV. Gregorii responsio ab Marcum Ephes.

Vt verò tandem Responsionem ipsiusmet propriam ad Epistolam Marci ad omnes ubique terrarum Christianos & insularum incolas directam, percurramus: primò quod Marcus eos qui cum Latinis sentiebant de Spiritu sancto vocandos esse Græcolatinos subsannando dixerat; respondet Gregorius, nequaquàm ipsos id nominis pro subsannatione habere, sed verum esse fateri. Cùm enim Constantinus Magnus Româ profectus nobilissimos ab urbe Romanos optimates incolas duxerit Byzantium, quæ nova Roma est appellata; eorum posteros Græcè loquentes, sed oriundos ab illis, jure esse vocandos Græcolatinos: Cæterùm ipsos veritatem quâvis ratione quærentes, quicumque illam haberent omnes ad communionem admittere, sive Græci, sive Latini essent, sive barbari, sive Scythæ: Eos autem qui sententiis Oecumenicarum Synodorum non acquievissent, alia nomina consecutos esse, ut vel Ariani, vel Eunomiani, vel Nestoriani, &c. dicti sint: qui verò œcumenicam amplecterentur sententiam, nequaquàm mutare nomen consuevisse: œcumenicam porrò fuisse Florentinam Synodum, neminem posse negare. Quod autem Marcus addiderat, prædictos Græcolatinos cùm Latinis dicere Spiritum Sanctum ex Filio procedere, & cum Græcis ex Patre procedere: respondet Gregorius, ita loquentem Marcum simulare se nescire, Latinos quoque cum Græcis fateri, Spiritum Sanctum ex Patre procedere: eos verò quos ipse Græcolatinos appellabat, ex Filio etiam fateri cum Latinis: ita scilicèt à Sanctis edoctos: quorum nonnullorum testimonia tam Græcorum quàm Latinorum idem Gregorius subdit.

De nuncupatione Græcolatinorum.

XXV. Rituum diversitas non nocet essentiæ rei.

Quod item Marcus exprobrabat, eosdem Græcolatinos additamentum *Filioque* Symbolo factum approbare, & tamen neutiquàm illud in Symbolo exprimere; itémque cum Latinis in azymo Christi corpus confici asserere, & tamen in fermentato celebrare: unde & duo diversa Symbola, & duo diversa sacrificia arguebat: sicuti & duo baptismata, unum Latinorum trinâ immersione & adhibito chrismate; alterum Græcorum, quod aquæ infusione à summo vertice & sine chrismate confertur: respondet Gregorius de additamento, rectè quidem illud explicationis causâ appositum fuisse à Latinis; non tamen inde inferri ut non possit etiam absque eo Symbolum ut initio recitari: quod & aliis exemplis probat. De Azymo, Christum in eo sacrificium mysticum peregisse, (ut etiam auctoritate Scripturæ sacræ ostendit) tempus Paschæ

à lege præscriptum omninò observando; ac proinde rectè Latinos facere, qui eum imitentur: nec tamen Græcos peccare in fermentato conficientes, quod id quoque Apostoli nonnunquam observâsse reperirentur. Et quamquam in his differant Latini à Græcis, non tamen propterea duo diversa Symbola esse; sicuti nec duo diversa sunt Apostolicum & Nicænum quamvis sit in verbis differentia: nec duo sacrificiorum genera, quoniam apud utrosque sacerdotum scopus & intentio sit, per Dominica verba & triticeum panem Corpus Christi facere. Paritérque Baptisma unicum esse, quod fit in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti. Trinam autem Latinorum immersionem traditam esse à Patribus, ad significandam triduanam Domini sepulturam: Græcos autem, infantes in sacrum immittere fontem, quasi uteri imaginem referente lavacro, & regenerationem per hoc indicante; & quòd caput, sedes sit omnium sensuum & vehiculum animæ, cavâ manu aquam è sacro fonte haurientes illud perfundere. Quoniam verò hæc rituum diversitas nihil derogat essentiæ Baptismi, idcircò nunquam Latinos à Græcis, aut contrà, iterùm baptizatos esse. Quare nihil horum impedire (quod Marcus objiciebat) quin vera facta fuerit unio in Synodo, quantumvis in jejuniis quoque & aliis quibusdam rebus unaquæque Ecclesia suos ritus conservet; cùm etiam intra ipsam Constantinopolim diversis uterentur pleræque Ecclesiæ.

XXVI. De processione Spiritûs Sancti.

Ad id quod objiciebat Marcus, Græcorum Ecclesiam semper dixisse Spiritum, à Patre procedere, nunquam verò à Filio, ac proinde censuisse, eum à solo Patre procedere: negans hoc Gregorius, respondit primùm, Ecclesiam Græcorum non ita hoc intellexisse, constare ex eo quòd vox *Ex solo* tollit omninò vocem *Per Filium*, quâ Patres Græci frequentissimè usi sunt: Nam & qui Patrem dicit, simul & Filium intelligere: Et præpositiones *Per* & *Ex* ita se habere, ut altera alterius vice fungatur. Hâncque esse Patrum Græcorum sententiam, plurimorum testimoniis explanat. Quemadmodùm & quod Marcus objiciebat, Græcos habuisse Latinos non solùm pro schismaticis, verùm etiam pro hæreticis, ob illud additamentum: respondet, non ob hæresim Græcos segregâsse se à Latinis, cùm nulla esset in additamento; sed quòd soli illud præstitissent, non vocatâ Ecclesiâ Orientali: Quâ etiam de causâ illos in perpetuum Græci relicturi fuissent, nî voluissent pro veteri instituto quæ communia erant per generalem Synodum examinari; sicut & modò factum esset. Deinde prolixè explicatâ Catholicâ & orthodoxâ sententiâ de processione Spiritûs confutat testimonia Patrum quæ Marcus in contrarium protulerat; & fraudes ac calumnias, quibus in eis producendis, tam in eâdem quæstione de Spiritûs processione, quàm etiam in aliis Sanctissimæ Trinitatis mysteriis, in quibus Latinos erroris accusabat usus fuerat, detegit. Sicuti & quæ idem Marcus Latinis improperabat de doctrinâ Ignis purgatorij, explicat confutátque; & ad pleniorem de eâ re editum à se tractatum in Apologiâ Quinque Capitum remittit. Vnde nonnulli existimârunt, quod superiùs diximus, Defensionem illam Quinque Capitum, quæ nomine Gennadij, sive Georgij Scholarij circumfertur, opus esse hujus ipsius Gregorij Protosyncelli: nisi fortè plures fuerint, qui pro iisdem Capitulis apologias composuerint.

Marci fraudes in testimoniis producendis.

XXVII. Objectiones de Eugenio refelluntur.

Denique quod Marcus scripserat, se quidem Papam Romanum ut unum de Patriarchis habere, non autem ut Patrem & Doctorem omnium Christianorum, quomodò eum Græcolatini vocabant; respondet Gregorius, ipsos quoque Papam dicere unum Patriarcharum: esse tamen inter ejusdem ordinis plures unum primarium; húncque inter Patriarchas esse Papam Romanum, cui sit potestas exercendi judicium de Fide & Sacerdotibus, ipsorum quoque Patrum Græcorum & Synodorum Oecumenicarum testimoniis. Cúmque ultimò exprobrâsset, Papam Eugenium adversâ uti fortunâ, cùm Antipapam haberet satis molestiarum illi exhibentem; nempè Felicem: respondet Gregorius, voluisse quidem Antipapam dignitatem arripere, sed à prudentioribus, & quibus recta Reipublicæ cura cordi esset, rejectum fuisse: Basileensem quoque Synodum dissolutam esse, nec ampliùs Antipapam esse, aut Schisma, seu cuncta in pace & summâ tranquillitate. Ex quibus intelligas, Marcum epistolam suam scripsisse post creationem Felicis à Basileensibus factam ac Gregorium eidem respondisse post spontaneam Felicis abdicationem, quæ contigit anno 1449. quatuor omninò annis ante captam Constantinopolim. Hæc ex Gregorij Responsione ad Epistolam Marci.

XXVIII. Gennadii defensio V. Capp. Syn. Florentinæ.

Quæ verò extat Georgij Scholarij, sive Gennadij prolixior Defensio Quinque Capitum Synodi Florentinæ, de quâ sæpè diximus; non aliud continet, quàm fusiorem tractationem Quinque præcipuarum Quæstionum, quas in Synodo Florentinâ disputatas vidimus, quarúmque fit in Constitutione Vnionis mentio: videlicèt de Processione Spiritûs sancti; De sacrificio in Azymo, vel Fermentato; De Igne Purgatorio; De fruitione Sanctorum; De Primatu Papæ. Quas auctor diligentissimè juxtà & elegantissimè contra Marcum ejúsque asseclas Græcos, qui calumniabantur illos qui Florentiæ unioni consenserant, temporariâ ductos gloriâ, & muneribus ac pollicitationibus corruptos id præstitisse; discussit, elucidavítque, atque adversariorum objectiones disjecit ac confutavit: ostendens antiquam Ecclesiam Græcam nunquam à solo Patre procedere Spiritum sensisse; neque in Azymo sacrificium aspernatum esse; neque Animarum purgationem utcumque abnuisse; neque Sanctorum fruitionem reprobâsse; nec denique Romanum Pontificem rejecisse, quasi non esset totius Ecclesiæ Caput: sed ea à quibusdam contentionis studiosis dicta & scripta esse, quos vulgi temeritas sequens, convicia & contumelias adversùs Romanam Ecclesiam, & eos qui eam sequerentur, effundebat: Quæ autem in his omnibus Romana Ecclesia Latinique tenerent, doctrinam esse Christi & Apostolorum, sanctorúmque Patrum tam Græcorum quàm Latinorum: Omnes denique calamitates quæ Græcis contigerunt, ipsámque etiam urbis Constantinopolitanæ direptionem per Mahometem Turcorum Regem factam, non [g] aliunde contigisse, quàm ob schisma, & quod se Græci subtraxissent

[g] Gen. tract. 5. cap. 15.

xissent ab obedientiâ & subjectione Romanæ Ecclesiæ. Ex quibus apparet, hæc scripta ab auctore esse post Constantinopolim captam; cujus etiam cladem tragicè acerbéque deplorat [h]. Cumque ex ipsius verborum contextu satis colligatur, aliquod jam tempus elapsum fuisse ab urbe captâ usque ad ejus scriptionem, scripsisséque eum Constantinopoli; nec aliquod indicium præbeat Patriarchalis in se dignitatis: inde imprimis evidenter colligi posse videtur, non esse illius scriptionis auctorem Gregorium Protosyncellum, qui non solùm non Constantinopoli tunc erat, verùm etiam, ut Phranzes testatur obierat: ac propterea tractatum de Quinque Capitibus ab ipso, ut vidimus, conscriptum, alium esse ab hoc qui Gennadio tribuitur. Deinde, si hic de quo modò egimus verè Gennadij sit; haud tam citò fuisse eum creatum Patriarcham post captam Constantinopolim, ut auctores volunt: vel ipsum post suam tantummodò abdicationem (cùm pauco tempore Patriarchatum tenuisse tradant) elucubrâsse. Plura autem alia eum scripsisse, traditur in ejus Vitâ prædicto Quinque Capitum tractatui præfixâ. Cujus tractatus de Fide ad Mahometen habitus, extat in Turcogræciâ [i], & in Bibliothecâ Patrum; dicetúrque de illo suo loco. De cæteris verò ejus rebus hactenùs, simúlque de apologiis à Græcis orthodoxis pro Definitione fidei Synodi Florentinæ compositis.

[h] Ibid. c. 14. & 15.

[i] Turcog. l. 2.

XXIX. RUTHENI GRÆCISMI STUDIOSISSIMI.

De Ruthenis, sive Russis, quorum eadem quæ Græcorum quoad religionem fuit ratio, déque eorum Archiepiscopo Isidoro, quem post Synodum Florentinam vidimus creatum ab Eugenio Pontifice Cardinalem; refert Alexander Guagninus Veronensis in suâ Sarmatiæ Europeæ descriptione, ut de Ruthenorum, Moscovitarum, aliorumque ejusdem Sarmatiæ populorum moribus & religione agit: Isidorum, postquàm in Synodo Ecclesias Ruthenicas abjectis Græcorum ritibus cum Romanâ Ecclesiâ univisset, in Russiam reversum, cùm propositum suum & rem jam conclusam proponeret, illóque ex Verbo Dei ad unitatem & concordiam fidei instrueret; captum, omnibúsque bonis spoliatum in carcerem conjectum esse. Fuêre namque ij populi, ex quo semel ritus & errores Græcorum imbiberunt, (quibus & alios non paucos circa sacramenta de suo addiderunt, quos idem auctor aliique adnotârunt) adeò eorum tenaces observatores, ut nullis cæterorum Græcismi professorum cesserint, multis etiam præcesserint. Adeò etiam ut scribat Gobellinus, sive Pius Papa II. in suis Commentariis [k]; cùm Eugenius misisset ex Hungariâ viros Religiosos qui prædicarent fidem Christianam aliis populis regionem quandam ultra Taniam incolentibus, qui deos more Gentilium & idola colerent, rituque propemodùm ferino vitam agerent; interjacentes Ruthenos transitum vetâsse, perire potiùs in errore idololatras volentes, quàm Romanæ ritum Ecclesiæ ad eos deferri. Non sic tamen Rutheni, qui regni Poloniæ finibus continebantur. Hos namque tradunt, ejusdem Isidori sollicitudine, & Wladislai Regis beneficentiâ ac privilegiis, Definitionem Florentinam suscepisse, ac multo tempore retinuisse.

[k] Gobell. lib. 12.

XXX.

De Isidori verò vitæ periculo, aliísque ærumnis apud Ruthenos, distinctiùs agens Michovius [l], ait eum hoc anno ab Eugenio Papâ in Russiam missum, unà cum bullis Apostolicis plumbeis, & Imperatoris Constantinopolitani aureis, intrasse in Sandech oppidum Poloniæ feriâ sextâ Parasceves, ibique per Sbigneum Episcopum Cracoviensem hospitio fuisse receptum, & ad celebrandum divina more suo Græco, tanquam Ecclesiæ Romanæ reunitum, admissum. Vnionem tamen illam Ecclesiæ Latinæ & Græcæ breviusculè durasse, Græcis & Ruthenis illam irridentibus & contemnentibus: atque inde dum præfatus Isidorus ad suos suffraganeos in Russiam & Moscham venisset, & illam unionem eis prædicaret; per Principes Moschæ captum, & in carcere reclusum, omnibus rebus spoliatum fuisse; pòst tamen de hujusmodi captivitate favente Deo fugâ evasisse; quem Romam revertisse constat: unde posteà in graviora pericula Constantinopolim missum videbimus. Nunc reliqua hujus anni ad nos pertinentia percurramus.

ISIDORI CARD. RUTHEN. LABORES PRO FIDE CATHOL.

[l] Michov. Rer. Polon. lib. 4. cap. 57.

XXXI. EUGENII EPISTOLA DE DIGNITATE CARDINALATÛS.

Ac primò ex Italiâ in Angliam transmissuri, reperimus Epistolam [m] Eugenij Pontificis ad Henricum Archiepiscopum Cantuariensem, (erat is Chicheleius ille, de quo aliàs) de Cardinalium dignitate, silentio non prætereundam. Cùm enim ad finem superioris anni, ut vidimus, Eugenius inter cæteros quos ad eam dignitatem promovit, Ioannem Kemp Archiepiscopum Eboracensem adnumerâsset; atque Henricus ei quæstionem super sessionis prærogativâ, sive præcedentiâ, movisset; scripsit ad eum Eugenius (cujus tamen epistolæ annus apertè corruptus intelligitur, dum ponitur scripta anno Pontificatûs octavo; quod non potuisse ante præsentem 1440. quo currebat Eugenij decimus, fieri, ex suprà dictis indubitatum redditur) mirari se rem novam & insolitam ab eo attentari; qui jam per quatuordecim & ampliùs annos cum Henrico Cardinale S. Eusebij (Wintonensi dicto, è regio sanguine, de quo sæpè superiùs) in sedendo & ferendis votis sine ullâ disceptatione vixisset. Neque enim regij sanguinis rationem prætendi posse; quoniam cùm is Episcopus Wintonensis tantummodò esset, & voce & loco ipsi Henrico Archiepiscopo cedebat; posteà verò quàm à Martino V. factus esset Cardinalis semper ei antecessit. Cur igitur non in Ioanne eadem dignitas idipsum operaretur; cùm & insuper iste Archiepiscopus, ille tantùm Episcopus; hujus Ecclesia Cantuariensis sit suffraganea, illius nullo jure ipsi Henrico Archiepiscopo subjecta: ita Eugenius: putabamúsque nos, Henricum quæstionem Ioanni movisse, non ob dignitatem Cardinalatûs, sed ob veterem controversiam de subjectione Ecclesiæ Eboracensis Cantuariensi: eò maximè quòd eâdem epistolâ laudet Henricum Eugenius, quòd in suæ protestationis fine significaverit, haud se proptereà quid honori, prærogativæ aut dignitati Cardinalium in aliquo detractum aut derogatum velle: sed nihil de eo epistola.

[m] Bullar. to. 1. Eug. IV. const. 15.

XXXII. DE ANTIQUITATE ET AUCTORITATE ILLIUS.

Quodcumque verò fuerit Henrici Archiepiscopi consilium, de Cardinalatu ab ipsâ ejus origine tractare incipiens Eugenius, ait; etsi hujus dignitatis nomen quod modò in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressum fuerit, officium tamen ipsum à B. Petro, ejúsque successoribus institutum evidenter inveni-

ri: immò, ut inquit Innocentius III. ex Veteri Testamento traxisse originem, cùm Deuter. 17. in ambiguitate judicij jubetur accedi ad sacerdotes & judicem qui esset illo tempore. Ex eo verò quod Stephanus Papa in Concilio dixit, oportuisse ut Sacrosancta Romana Ecclesia, juxta quod à B. Petro & ejus successoribus institutum fuit, ritè ordinaretur, & in Apostolatûs culmine unus de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis consecraretur; intelligi dari, hos qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitisse. Silvestrum quoque in Concilio, eos suos coadjutores nuncupâsse; reliquósque Pontifices partem sui corporis appellare: unde intelligitur, post Caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua sui corporis membra præ cæteris Ecclesiæ membris ac partibus debere honorari; sicuti etiam à sacris Canonibus majoribus privilegiis decorantur, quàm vel Episcopi vel ipsi Patriarchæ. Quòd autem ea dignitas tanto honore præfulgeat, haud cuiquam molestum esse debere; quoniam ut sancti attestantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, aliásque dignitates Romana fundavit Ecclesia: sicútque licuit uni Ecclesiæ amplam, alij ampliorem, & alij amplissimam, prout expedire judicavit, tradere potestatem; ita & Cardinalium cœtum ad cœlestis Hierarchiæ similitudinem condere potuisse. Hócque jus ab immemorabili tempore apud universum Christianum orbem, atque etiam in Generalibus Conciliis usu & consuetudine absque omni controversiâ receptum esse, ut non possit ampliùs de eo dubitari. Nemini non patere Cardinalatûs dignitatem Archiepiscopali esse majorem, quia cùm ista privatæ unius patriæ præsit utilitati, illa publicæ totius populi Christiani; ista unam dumtaxat regit Ecclesiam, illa cum Sede Apostolicâ universas. Denique Cardinalium officio nomen ipsum consonare optimè: ut sicut super cardinem volvitur ostium domûs, ita super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur. Hæc pluribus, & in eandem sententiam alia plura eâdem Epistolâ Eugenius; cùm hujus controversiæ nullum vestigium in Historiâ Anglicanâ, aut alibi repererimus. His verò, quoad dignitatem Cardinalium, addi possunt constitutiones [n] Leonis X. & Sixti V. præter plures alios qui de iis egerunt.

[n] *Bull. const. 7. Leon. & 50. ac 55. Sixt.*

XXXIII. CARD. VITELLESCI CASUS.

Sicuti autem hanc dignitatem præclarè scivit extollere Eugenius, ita & qui in eâ peccarent deprimere. Hoc enim eodem anno memorabilis se offert in Italiâ casus Ioannis Vitellij seu Vitellesci, Patriarchæ Alexandrini & Cardinalis, de cujus rebus præclarè in bello contra Alfonsum Aragoniæ Regem in Apuliâ, Romæ, & alibi gestis dictum est superiùs. Qui cùm diversis de causis infensus esset Venetis & Florentinis, adeóque secreta cum Philippo Mediolanensi, utrorumque ipsiúsque etiam Eugenij hoste, (durabant enim adhuc bella à multo tempore cœpta, aliquando intermissa, sed mox resumpta: quæ uti hoc tempore se habuêre, Blondus [o], Antoninus, Poggius, Corius, & alij tractant: cúmque ejus copiarum strenuissimo ductore Nicolao ab exiguâ humilique staturâ Piccinino dicto, patriâ Perusino & è sorore Braccij inclyti ducis, de quo aliàs, genito, consilia communicâsse diceretur, quibus & Florentiam ex improviso subigere, & Pontificatum invadere, quâ potentiâ erat validas Pontificis copias & præcipuas munitiones & arces in potestate habens, meditabatur: sive hæc vera fuerint, sive ab ejus æmulis conficta, vel sanè plus æquo aucta; (quâ de re variè scribitur;) capto de ejus pernicie consilio, ejúsque executione præfecto arcis S. Angeli, in Vrbe, ubi tunc Vitellescus agebat demandatâ; ad Calendas Aprilis præsentis anni, cùm præmissis copiis in Etruriam, Vrbem cum solis familiaribus egredi vellet, in pontis transitu à præfecto arcis honoris specie, & simulatione secretioris colloquij equi habenas molliter tractante comitatus; ad signum condictum demissâ cataractâ quæ extremum pontis caput excludebat, à satellitibus arcis circumsessus, & dum educto gladio quo militari more cinctus erat præfectum ferire aggrederetur vulneratus, intra arcem pertractus est. Cui ingratè se proditum conquerenti cùm præfectus benè sperare suaderet, quòd imposterùm Eugenius non militari, sed senatoriâ ejus operâ uti vellet: ad id Vitellescus anxiè æstuans, se non esse adeò rerum imperitum respondit, ut temerè crederet summæ dignitatis viros, vel iniquo jure captos dimitti solere. Nec multò pòst, sive acerbitate vulnerum, sive, ut nonnulli scripsêre, indito iis veneno, fato functus est: caruítque honore funeris & tumuli; quamquam ei posteà propinqui Corneti marmoreum cenotaphium extruxerint: sintque qui corpus in æde Minervæ conditum scribant. Cujus denique & memoriam [p], & grandia, ut vocant, merita, honorâsse reperiuntur subsecuti Romani Pontifices Sixtus IV. Iulius II. Leo X. Paulus III. Casum narrant iidem qui suprà auctores; itémque Iovius [q], & alij.

[o] *Blond. 3. dec. 9. 10. 11. Ant. tit. 22. cap. 11. Pogg. lib. 7. Cor. par. 5.*

[p] *Addit. ad Ciaccon.*

[q] *Iov. Elog. lib. 2.*

XXXIV. MEDIAROTÆ CARD. GESTA.

In cujus locum suffectus à Pontifice copiarum suarum ductor Ludovicus Mediarota sive Scarampus, Patavinus, ex medico Archiepiscopus Florentinus & Patriarcha Aquileiensis, vir astuto peracríque ingenio, ejusdémque Vitellesci æmulus, & ut volunt conspirationis in eum præcipuus concitator; Piccininum Etruriam invadentem, ingenti prælio, divinâ [r] magis virtute, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, quorum die festo id contigit, causam Romanæ Ecclesiæ tuentium auxilio, quàm viribus vel industriâ humanâ, ad Anglariam oppidum in finibus agri Aretini, armis Pontificiis & Florentinis devicit: navatæque rei præmium, Cardinalatum tulit. Qui, ut Volaterranus [s] ait, tantos sibi spiritus assumpsit, immemor generis, ut primus sit ausus Cardinalium canes equósque alere; conviviorum lautitiæque, ac supellectilis plus quàm illi ordini par erat, splendorem introducere: cives Romanos ad omnem ignaviam vitæ collapsos, ad cultum civiliorem reducere: Campum Floræ, ubi greges pascebantur, munire: denique unus omnia tunc administrare. Ita ille: Sed de Ludovici aliis rebus præclarè gestis, erit post hæc non semel dicendi occasio. Piccininum autem ferunt [t], post hanc cladem sæpè solitum dicere, intulisse sibi terrorem, omnémque victoriæ spem ademisse vexilla Ecclesiæ, in quibus B. Petri, cujus tunc, ut diximus, festivitas aderat, claves inspexisset. Nec verò post hęc dignum laude aliquid gessit: obiítque tandem inglorius Mediolani propè septua-

[r] *Anton. d. cap. 11. §. 13.*

[s] *Volat. l. 21.*

[t] *Pius II. Comment. lib. 2.*

genarius [u], & in Ecclesiâ majori sepultus est.

[u] *Iov. Elog. lib. 2.*

XXXV. [x] *Monstrel. vol. 2. Charter. in Vit. Car. VII. Æmil. in Car. VII. Bellefor. l. 5. cap. 100. & seqq. Tit. in tract. int. Er. & Angl.* TURBÆ GALLICÆ.

In Galliâ [x] quæsita per intercessores pax inter Francos & Anglos, inveniri non potuit; Anglis obstinatè Aquitaniam & Normanniam summo jure possidendas petentibus, Francis obfirmatiùs denegantibus. Qua propter variis locis variè pugnatum est, sed majori Anglorum damno; nonnullis aliquando intervenientibus induciis. Fuêre etiam quidam nobiles bellíque duces, qui instar antiquiorum illarum Societatum, quas olim vidimus Italiam Galliámque pessumdedisse, coactis sex circiter millibus equitum omnia indiscriminatim diripiebant, prædabantur, rapiebant, nemini parcentes, nullam nationum, aut conditionis hominum, aut rerum locorúmve sacrorum seu profanorum rationem habentes, crudelissiméque in omnes & omnia sese gerentes: dicti propterea à vulgò *Excoriatores*; seu etiam *Armaniaci*, tum quòd fortè plures ex eâ gente essent, tum ob memoriam veterum expilationum ab iis in dissidiis Burgundorum & Aurelianensium fieri solitarum. Qui etiam modò ut pij viderentur, prætextu subveniendi parti Eugenij contra Basileenses, excursionem eò usque fecerunt: (hanc Trithemius [y] cum aliâ confundit factâ posteà per Ludovicum Delphinum, ut dicetur suo loco:) sed à Germanis viriliter repulsi, gravi acceptâ clade Galliam repetere habuerunt. In quâ insuper factâ multorum Principum ac procerum in Regem conspiratione, tanquam non rectè (scilicèt quia non ad ipsorum libitum) regnum administraret; Ludovicum quoque Delphinum Regis primogenitum adolescentem in partes suas traxerunt: (quæ coïtio *Pragueria* dicta est:) sed Rege in eos movente, Philippi Ducis Burgundiæ interventu, quem frustrà illi adhærere sibi sollicitârant, veniam petiêre, obtinuêréque; solo notho Borbonio, cæterorum audaciæ promotore, supplicio postmodùm affecto.

[y] *Trith. in Chron. Sponheim. an. 1439.*

XXXVI. CONCORDIA INTER BURGUND. ET AURELIAN.

Fuit pariter in eâdem Galliâ hic annus insignis concordiâ inter eundem Philippum Burgundiæ Ducem (meritò vel hoc solo facinore dignum cognomine *Boni*, quod & multis aliis adeptus est) & Carolum Aurelianensem quâ infausta illa partium nomina Burgundionismi & Aurelianismi sublata fuêre. Cùm scilicèt Aurelianensis, qui à tempore prœlij Azincurtij quo captus perductúsque fuerat in Angliam, ibi hactenùs per viginti quinque annos detentus fuisset; à Burgundo pretio quadringentorum millium aureorum redemptus, in perpetuæ amicitiæ vinculum accepit in uxorem Mariam Clevensem Philippi neptem. Et ut nihil deesset quo strictiùs inter se colligarentur, alter alterius Ordinem militarem suscepit; Carolus Aurei velleris Burgundi; Philippus Hericij, sive Hystricis, Aurelianensis, quem pater ejus Ludovicus olim instituerat.

XXXVII. ÆGIDII RETII MARESCALLI SUPPLICIUM EX MAGIA.

Illud item in minori Britanniâ memoriâ dignum hoc eodem anno contigit, quòd Ægidius Retius præcipuæ vir nobilitatis, & Marescallus Franciæ, bellóque dux præstans, criminis magiæ accusatus, captúsque apud Nannetes; convictus est circiter centum sexaginta infantes vel feminas prægnantes exenterâsse ad sortilegia sua conficienda; sodomiámque exercuisse; ac multa alia scelera commisisse: ob quæ ab Episcopo Nannetensi, & Senescallo Iudice sæculari vivus igne consumi damnatus, magna veræ pœnitentiæ ac contritionis testimonia dedit. Vix igne admoto laqueo strangulatus est: corpúsque propinquis concessum, ritu Christiano sepulturam accepit in Ecclesiâ Carmelitarum. Rem verò narrat Monstreletus [z], qui tum vivebat: distinctiùs posteà Argentreus [a] in suâ Historiâ Britonicâ; ubi etiam errorem arguit nonnullorum historicorum, qui hunc Ægidium è sanguine Ducum Britanniæ extitisse scripserunt; cùm tamen non neget nobilissimo genere ortum fuisse; quod ipsum & ante illum Belleforestius [b] præstiterat, hunc Ægidium de Retio distinguens ab alio ejusdem temporis Ægidio de Britanniâ.

[z] *Monstrel. tom. 2.* [a] *Argentr. lib. 11. c. 47.*

[b] *Bellefor. l. 5. c. 102.*

XXXVIII. [c] *Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sec. 15. cap. 4.* ALIUD IN ANGLIA UXORIS PROREGIS.

Quo eodem tempore in Angliâ [c] Aleonora Cobbama uxor Humfredi Ducis Glocestrensis, patrui Regis & regni procuratoris, magiæ pariter & incantationum insimulata est, quibus vitæ Regis insidias struere dicebatur; sceleris administris & sociis quibusdam Rogerio & Margaritâ Capti, Rogerius perduellionis suspendio, Margarita incendio pœnas pependêre. Aleonora publicam Londini, cereum de more funalem manibus portando, pœnitentiam egit: deinde Monam insulam perpetui exilij causâ incolere jussa est.

XXXIX. [d] *Marian l. 21. c. 14. 15. 16. lib. 22. cap. 1. 2. 3. 4.* TURBÆ HISP. OCCASIONE ALVARI DE LUNA.

Rex etiam Castellæ [d] conjuratione suorum Principum procerúmque agitatus est, specie reprimendæ potentiæ Alvari de Lunâ, de quo aliàs. Quæ cùm semel per certas susceptas conditiones, inter quas fuerat ablegatio Alvari semestri spatio, sopita videretur; confestim revixit majoribus spiritibus, cùm nullis finibus ambitio consistere possit; esséque Regis imbecilla mens, neque curis imperij satis idonea, nisi alieno consilio adjuvaretur. Auctores novorum motuum, qui etiam priorum participes fuerant, Aragonij fratres Rex Navarræ & Henricus D. Iacobi Magister, invidiâ regni administrationis aliis quàm sibi absente Alvaro delatæ. Abiit aliquando & filius à patre ad conjuratos: ipsáque Regis uxor propensiorem se iis exhibuit. Denique anno proximo Rex Medinæ obsessus, in potestatem conjuratorum venit. Indéque omnia aulæ ministeria mutata, & exilium Alvari in sexennium decretum, non sublatâ ejus potentiâ, sed in alios translatâ; Rege Navarræ cuncta pro arbitrio disponente, & susceptam rerum potestatem acerbiùs exercente; ac Regem insigni audaciâ captivi instar habente, adeò ut etiam sermonis liberi commercium abstulerit, adhibitis custodibus qui sermones adeuntium eum ac vultus notarent; bonis, sed clàm, Aragoniorum fratrum vecordiam detestantibus. Donec post quatuor demùm annos conjuratione procerum pro Regis libertate & filij ejus securitate, Alvarus revocatus est; & Aragoniis fratribus prœlio victis, minori ex vulnere mortuo, rerum facies mutata est in pristinum statum.

XL. S. FRANCISCÆ ROM. OBITUS.

Hoc anno in cœlum abiit S. *Francisca* Romana, piis ac nobilibus parentibus nata: quæ post viri obitum, domum religiosam Turpis Speculorum Vrbis Oblatarum in Regulâ S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, quam ipsa conjugata instituerat, ingressa; virtutibus ac miraculis clarissima diem obiit anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. De cujus canonizatione

cùm mox agi sub Eugenio tunc sedente,& Nicolao ejus successore cœptum esset; re tamen diversis aliis occupationibus dilatâ, demùm eam perfecit Paulus V. an. Christi 1608. 4. Calendas Iunij, instituto ejus festo die nonâ Martij: in cujus eâ de re constitutione [e] vitam ejus, virtutes ac miracula delineata videre est.

[e] *Bull. to. 3. Paul. V. const. 45.*

XLI. BRANDÆ CARD. PERICULUM OB TENTATAM MUTATIONEM OFFICII AMBROS. MEDIOL.

Notabile est quod hoc anno Mediolani contigisse refert Corius [f]. Nimirùm cùm Branda Castilloneus Cardinalis nobilis Mediolanensis & Episcopus Placentinus, qui etiam Abbas erat monasterij S. Ambrosij Mediolanensis, in animo haberet Officium Ambrosianum delere,& Romanum introducere; primùm ejecisse illinc monachos Cistercienses, qui ab initio ipsorum Ordinis fundationis ibi collocati fuerant, ac loco eorum Carthusianos introduxisse: sed cùm eâ re Mediolanenses offensi ad Ducem recurrissent, ísque abire extemplò Carthusienses sub pœnâ ignis jussisset: Cardinalem aliâ viâ tentatâ, à Præposito ecclesiæ S. Theclæ accepisse codicem ritûs Ambrosiani ejus custodiæ concreditum, quem ipsemet ille Sanctus composuisse & scripsisse dicitur; atque in festo Natalis rem divinam in altari majore Romano ritu celebrari curâsse: Cives hoc viso ad Cardinalis ædes cum facibus advolâsse, minas incendij ingeminantes nî codex redderetur: Eo territum Cardinalem, illum è fenestrâ projecisse, ac postridie Mediolano exeuntem, numquam ampliùs eò reversum esse. Quibus videas quanto zelo Mediolanenses antiquos suos ritus, eorúmque auctorem Ambrosium venerentur. Branda verò tertio abhinc anno diem obiit nonagenario major, vir multis virtutibus magnâque scientiâ præditus, ac pluribus legationibus pro Ecclesiæ Catholicæ necessitatibus praeclare functus; de quo etiam non semel actum à nobis superiùs.

[f] *Cor. part. 5.*

XLII. CONCIL. FRISINGENSE PRO DISCIPLINA.

Hoc item anno celebratum reperitur *Concilium Frisingense* in Germaniâ pro disciplinâ, & constitutionum Ecclesiasticarum observatione, per *Nicodemum de Scala* Episcopum, ex familiâ dominorum Veronensium, quem series Episcoporum Frisingensium in Metropoli Saltzburgensi tradit se illi Ecclesiæ ingessisse, consentiente Martino V. Pontifice, expulso Ioanne notho Ducis Bavariæ. Statuta verò prædictæ Synodi extant [g], præclara multa continentia.

[g] *In Append. Concil. edit. poster. Binian.*

XLIII. TYPOGRAPHIÆ INVENTUM.

Hoc tēpore plures Artis TYPOGRAPHICÆ inventum ponunt; nonnulli paulò tardiùs. Verùm si jam anno 1442. (ut Iunius in suâ Bataviâ memorat) *Alexandri Galli Doctrinale*, quæ Grammatica celeberrimo tunc in usu erat, cum *Petri Hispani* tractatibus, prima fœtura in lucem prodiit; saltem hoc anno characteres inventos esse non negabimus. De primo quoque inventore controvertitur. Et is quidem Iunius Harlemo Belgij oppido ac *Laurentio Ioanni* cognomento Æedituo, sive Custodi, tribuit: cujus infidus famulus typicam supellectilem furto surripiens Moguntiam se receperit. Quod deridet Serarius [h] in Rebus Moguntiacis. Id tamen etiam scribit Petitæus [i] in magno Chronico Bataviæ, dum hujus inventionis occasionem, originem, & progressum exponit; ac *Laurentium Iansonium*, unum ex primariis civibus Harlemensibus primum inventorem fuisse, sed *Ioannem Faustum* unum ex quatuor operariis illius, instrumenta & scientiam imprimendi surripuisse, ac Moguntiam concessisse, ibique Artem illam quasi à se inventam exercuisse. Polydorus [k] Virgilius *Ioanni Guttembergio* tribuit viro apud Moguntiam equestri dignitate. Aut si Winphelingum [kk] audimus, Guttembergius eam invenit Argentinæ in patriâ; & inde discedens illam feliciter Moguntiæ consummavit. Aventinus [l] item prædicto *Ioandi Fausto* civi Moguntino assignat: nonnulli etiam aliis; fortè respectu eorum qui variis locis primitùs eam artem exercere cœperunt. Vidimus Officia Ciceronis impressa Moguntiæ anno 1466. quartâ die mensis Februarij, ut dicitur in fine, ubi hæc verba ponuntur: *Præsens Marci Tullij clarissimum opus Ioannes Fust Moguntinus civis, non atramento, plumali canna, neque ærea, sed arte quadam perpulchra, manu Petri de Gernskern pueri mei feliciter effeci.* Quæ amicus noster Petrus Frizon Theologus Parisiensis, & Vicarius generalis in magnâ Franciæ Eleemosynariâ nobis è suâ Bibliothecâ communicavit. Eam in Italiam primi tulisse dicuntur *Vlricus Haen* & *Sixtus Resius* sive *Rusinger*. Quòd autem vox illa *Haen* significet gallum gallinaceum, & is nomen suum in Latinum vertens nominâsset se Gallum, inde etiam nonnulli existimârunt eum fuisse natione Gallum: quod tamen non constat. In quem hujus artis de causâ ingeniosè lusisse reperitur Antonius Campanus hoc epigrammate.

Anser Tarpeij custos Iovis, unde quòd alis
Constreperes, Gallus decidit, ultor adest
Vlricus Gallus, nequem poscantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.

[h] *Serrar. lib. 1. cap. 37.*
[i] *Petit. to. 1. lib. 4. sub fin.*
[k] *Polyd. de rer. invent. lib. 2. cap. 7.*
[kk] *VVinph. epit. rer. Germ. cap. 65.*
[l] *Avent. Rer. Boicar. lib. 7.*

ANTIQUIUS EJUS INVENTUM APUD SINAS.

Raphaël Volaterranus [m] duos è Germaniâ fratres cœpisse Romæ anno 1465. tradit: primósque omnium prodiisse Augustinum de Civitate Dei, & Lactantium. Cùm tamen Polydorus scribat, jam anno 1458. quemdam hominem Germanum nomine *Conradum*, artem primò Romam detulisse: quam deinde *Nicolaus Ienson* Gallicus primus mirum in modum illustraverit. Habemus nos Biblia duobus ingentibus voluminibus Romæ excusa anno 1471. in ædibus Maximorum à duobus Teutonibus, quibus nomen *Conrado Svveinheim* & *Arnoldo Pannartz*; qui testantur plurimos se libros jam anteà excudisse. Sunt tamen multi [n], qui hanc artem antiquissimam esse apud Sinenses sive Chinenses velint. Visuntúrque in Bibliothecâ Vaticanâ & aliis nōnullis libri ibi excusi, sed per solos characteres ad invicem distincti, neq; à lævâ ad dexteram, ut Græci & Latini consueverunt, aut à dextrâ ad lævam, ut Hebræi, sed à summo ad imum deducti, similes magis notis hieroglyphicis quam scripturæ continuæ. Atque Guido Pancirolus Iurisconsultus in tractatu [o] de rebus noviter inventis, invaluisse opinionem, quemdam per mare Germanicum & Balthicum navigantem, in regionem Chinensium fuisse delatum, ibique animadversam imprimendi artem in Germaniam detulisse. Quod tamen nos vanum omninò putamus. An enim si characteres illi hieroglyphici apud Chinenses in usu impressorio ab antiquo fuêre, non potuit alicui in Europâ idipsum in mentem venire? Quid enim prohibet, easdem artes à diversis, vel eodem vel diverso tempore, citra ullam communicationem inveniri? Unde-

[m] *Volat. lib. 33.*
[n] *Io. Barros. Asi. dec. 1. lib. 9. cap. 1. Iovi. Hist. lib. 19. Osor. de reb gest. Emman. lib. 11. & alij.*
[o] *Pancir. tit. 12.*

cumque porrò hæc venerit, aut ubicumque inventa fuerit, certum est divinitùs esse missam, cujus utilitati vix ullum aliud inventum comparari possit. Vt non jam immorer recudendis plurium auctorum de hâc nobilissimâ arte præconiis, quæ cuncta longè infra ejus dignitatem esse censemus: quamvis nec desint, qui malignè nimis ei detrahere non sint veriti. Alij mitiùs ambiguo beneficio inventam volunt, quòd non minùs ad perniciem quàm utilitatem hominibus ancilletur. Cui nihilominùs non absonè Wernerus [p] sententiam illam Proverbiorum [q] aptâsse videtur: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua dicens, Vsquequò parvuli diligitis infantiam, &c.* quippe cùm anteà paucis, nec nisi magnis sumptibus manifestarentur libri, jam hujus artis beneficio cuncti & ubique parvo pretio communes fiant.

[p] Vvern. at. 6.
[q] Prov. 1.

IESU CHRISTI Annus 1441.

EUGENII IV. An. 11.

FRIDERICI III. Annus 2.

IOANNIS VII. An. 23.

IACOBINORUM ACCESSUS AD SYNODŪ FLORENTINAM.

ANNUM Christi 1441. Indictionis quartæ, auspicabimur à concordiâ & unione *Iacobinorum*, sive Iacobitarum Orientalium, ad quam admitti petierunt cum Ecclesiâ Romanâ, & admissi sunt ab Eugenio Papâ in Synodo Florentinâ; quæ adhuc perdurabat ad salutem Orbis procurandam, interim dum Basileenses stridulis suis sibilis illam labefactare quærebant. De Iacobitis, eorúmque erroribus dictum est aliàs [a]. Hi igitur Ægyptum incolentes, cùm unà cum Græcis, Armenis, aliisque populis ab Ecclesiâ Romanâ Schismate aut errore divulsis, ab Eugenio Pontifice per literas & oratores ad Synodum & unionem invitati fuissent; tardiùs paulò cæteris ob diversas difficultates, Ioannes eorum Patriarcha ad illam incundam misit Andream Abbatem monasterij S. Antonij in Ægypto, (in quo & habitâsse & obiisse Sanctus ipse Antonius Magnus perhibetur (religione & moribus non mediocriter institutum; cum mandatis ut fidei doctrinam quam S.R.Ecclesia tenet, nomine ipsius Patriarchæ & suorum Iacobinorum reverenter susciperet, & in patriam deferret cunctis prædicandam. Cui annuens in Synodo Eugenius, luculentam tradidit ejusdem Fidei expositionem, quæ in Decreto [b] eâ de re confecto, & in publicâ *Sessione* (quæ ordine *XXIX.* dicenda venit, in Actis Patritianis *IX.* tantummodò numeratur) celebratâ ibidem Florentiæ pridie Nonas Februarij promulgato continetur: de sanctissimâ Trinitate, & erroribus veterum hæreticorum circa illam: de rerum Creatione, & Veteris ac Novi Testamenti libris, uno eodémque Deo auctore conscriptis, & Manichæorum contraria sentientium reprobatione: de divinitate & humanitate Christi, ac passione ejusdem & humani generis redemptione; cum hæresum contrariarum condemnatione: de usu legalium, quamdiù duraverit; déque ciborum delectu: de receptione sanctarum Synodorum Oecumenicarum Nicænæ, Constantinopolitanarum, Ephesinæ, & Chalcedonensis, cùm rejectione hæresum in iis damnatarum; necnon aliarum item Oecumenicarum Synodorum auctoritate Romanorum Pontificum legitimè congregatarum, & ab iisdem confirmatarum; ac speciatim Florentinæ, in quâ inter alia Græcorum & Armenorum unico consummata est, & multæ circa eam definitiones editæ: de verbis, quibus consecratio Eucharistiæ conficitur, & qualitate panis ad id adhibendi: denique de multiplicitate nuptiarum successivè, dummodò nullum adsit impedimentum Canonicum. Quæ cuncta idem Abbas nomine sui Patriarchæ & omnium Iacobinorum, necnon quicquid tenet & docet Sancta Romana Ecclesia, suscepit & acceptavit, & quicquid illa reprobat pariter reprobavit, facto de iis instrumento tam Latino quàm Arabico idiomate.

[a] Vide suprà an. 1237. 1.
[b] Extat Bull. tom. 1. Eugen. IV. const. 23.

SESSIO FLORENTINA XXIX.

II. TITULI A' PATRIARCHA IACOBINORUM TRIBUTI EUGENIO PP.

De quibus agens Iacobus Navarchus Ondischotanus in Epistolâ Asiaticâ [c], tradit Ioannem Iacobitarum Patriarcham, qui se B. Marci Sedis Alexandrinæ, & totius Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, & Occidentalis Africæ Patriarcham nominabat, literis suis Eugenium Romanum Pontificem vocâsse *Sacerdotij perfectionem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum Pastorem, Sacerdotum Principem, peregrinantium qui cæteris viam salutis ostendat ducem, & languentium medicum.* Ipsius verò Ioannis Vicarium Ierosolymitanum Andream Abbatem Syrum, eundem appellâsse *Caput & universalem Ecclesiæ Doctorem*: Latinam verò Ecclesiam retinere doctrinam, quam ab initio Petrus & Paulus tradiderunt; quam aliæ Ecclesiæ deserentes, & se à Romanâ Ecclesiâ matre & magistrâ omnium separantes, gentibus in opprobrium & ruinam traditæ essent, ut evidenter in Armenis, & Græcis, ipsisque etiam Iacobitis cernebatur. Ita ibi: quorum cùm nulla mentio fiat in decreto Eugenij: inde tacita præ modestiâ videas quæ longinqui illi populi ipsi legitimè tribuerant: quandoquidem non ex aliorum dictis pendeat Romanæ Ecclesiæ ejúsque Pontificum auctoritas, sed ex potestate ipsis in personâ Petri Apostoli à Christo Domino in æternum traditâ, quam omnes venerari & agnoscere tenentur.

[c] Apud Sander. de visib. monar. lib. 7. num. 1121.

III. EPISTOLA PATRIARCHÆ IACOBITARUM AD EUGENIŪ PP.

Ac ne putes fuisse illa à prædicto Navarcho conficta, extat integra eadem ipsa Ioannis Patriarchæ Epistola [d] ad Eugenium per Andream Abbatem scripta, ut ponitur, Chayren 12. Septembris anno 6940. secundùm Græcos, secundùm verò Iacobitas 1157. à tempore Martyrum, (nempè à Persecutione Diocletiani; de cujusmodi Ægyptiorum numerandi ratione dictum aliàs) & ab Incarnatione Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo. Cujus epigraphe Latinè reddita sic se habet: *Ioannes humilis servus servorum Christi, Minister Sedis S. Marci, magnæ scilicèt Alexandriæ, & totius Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, Pentapoleos, Occidentalis Africæ totiúsque prædicationis Apostoli Marci; humilis dico in*

[d] In Act. Flor. edit. Hor. Iustin. par. 3.

suis peccatis, petita priùs venia, & absolutione ab ipso Domino, usque ad terræ pavimentum, coram Te justissime ac sanctissime Pater inclino, Perfectio Sacerdotij, Pastor optime, Honestatis ac Sanctitatis princeps, piissime Ductor eorum qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui studio ac sanctitate cæteris viam salutis ostendis, Domine Eugeni Papa magnæ Vrbis Romæ omnium Ecclesiarum Christianorum Apostolice Pastor, Principum Christi sedium Vnice, Veneran de, Patrum ac Sacerdotum Princeps, & Medice languentium animarum. Custodiat Deus omne suum ovile tua oratione ac ministerio, dirigátque illud lumine tuæ similitudinis, quemadmodùm & quondam Magos stella direxit, nec recedat à disciplina tua, immò servet tua præcepta omnia qui doctrinam tuam auditurus est. Confirmet prætereà Deus sedem suam, multiplicétque honores Sacerdotum, optime Pater. Narrat deinde quantâ suâ totiúsque Cleri ac populi sui exultatione, receperit literas ab Eugenio ad ipsum scriptas per Albertum sacerdotem, (quem Ordinis Minorum extitisse, constat ex oratione Andreæ Abbatis ad Eugenium factâ) missum in Ægyptum ad ipsum ad Synodum & unionem invitandum. Et in fine excusans quòd ob paupertatem non posset per se ipsum accedere, mittere se ait eundem Andream Abbatem S. Antonij, religione & moribus non mediocriter institutum, unà cum prædicto Alberto. Audito porrò eodem Abbate coram Pontifice & Cardinalibus ac Patribus Synodi in generali Congregatione die Iovis ultimâ Augusti, (ut habetur in Actis) & quæ ipse sermone Syro effatus est, per Blondum Eugenij secretarium in Latinum redditis: post cuncta diligenter examinata & discussa, confectum est Decretum quod diximus publicatum Sessione XXIX. qui etiam inserta sunt decreta jam anteà pro Græcis, & Armenis composita, quò plenam de omnibus Iacobitæ cognitionem & instructionem haberent; additis etiam nonnullis ad pleniorem dilucidationem: habentúrque seriatim omnia in Actis Florentinis per Horatium Iustinianum ex Codicibus Vaticanis editis.

IV. ALEXANDRINI PATRIARCHÆ EPISTOLA AD EUGEN.

Ex quibus pariter habemus Literas Philothei Patriarchæ Alexandrini, (cujus locum tenuisse vidimus in Synodo Antonium Metropolitam Heracleensem) ad Eugenium scriptas post acceptum ab ipso decretum unionis Græcorum: quibus sic in principio eum compellat: *Pater sanctissime, Pater beatissime, Religiosissime, Iustissime Terrestris Angele, & Cœlestis Homo, qui cum gratia Dei indutus, cum sacra veste ornatus, boni gregis optime Pastor, qui doctrina tua irruentes lupos ab ovibus universalis ovilis depellis, Christi nostri benefactoris patrocinio, deinde principis Apostolorum Petri Petra fidei, Caput omnium Christianarum Ecclesiarum qui ex Christo Iesu Domino nostro sacram potestatem accipiens, Papa magnæ Vrbis Romanorum, & Protector cæterorum Patriarcharum factus es Comminister, & Frater in Spiritu sancto Domine sancte Papa Eugeni, sit tibi gratia, magnificentia simul, & gloria à Deo Patre omnipotente, & Domino nostro Iesu Christo.* Laudat post inde maximè unionem factam; additque se ad Imperatorem & quosdam Pontifices Constantinopolim scripsisse, ut qui eam non admitterent unà cum definitione Synodi, pro tyrannis & hæreticis haberentur, decideréntque à communione sanctæ Catholicæ Ecclesiæ.

V.

En ut agerent Patriarchæ Orientis pro unione cum Eugenio Pontifice ac Romanâ Ecclesiâ, interim dum Occidentis Basilisci & illum & illam pro viribus discerpere non cessarent. Qui nihilominùs pij videri cupientes, constitutionem hoc eodem anno edidêre in *Sessione XLIII.* habitâ Calendis Iulij de celebrando festo *Visitationis B. Virginis* factæ ad S. Elisabeth matrem S. Ioannis Baptistæ sexto Nonas Iulij, pro impetrandâ ejusdem intercessione pace & unione Ecclesiæ. Quod quidem ut justis & egregiis tanti mysterij præconiis ab iis factum non negamus; haud tamen existimandum, eam gloriam iis deberi, aut hanc festivitatem ab Ecclesiâ receptam esse ob ipsorum decretum: cùm satis constet, & nos superiùs suo loco dixerimus, Bonifacium IX. constitutionem eâ de re publicâsse, quæ jam concepta fuerat ab Vrbano VI. ejus decessore pariter ad turbas quæ tunc etiam Ecclesiam dividebant sedandas: quorum nullam hi mentionem fecêre. Quâ autem ratione, quóve ordine ad hujusmodi institutionem, præclari illi dogmatistæ processerint, narrant Acta Patritiana: Nimirùm cùm per longum tempus de illâ inter ipsos disceptatum esset, eò quòd prima declaratio à Bonifacio IX. facta Schismatis tempore non fuisset suscepta à sectatoribus alterius obedientiæ; tandem decreto de eâ confecto, cùm videretur plerisque illud promulgandum esse Felicis nomine sacro approbante Concilio, quod observatum dicerent in antiquis Conciliis; vel saltem addendum Papâ Felice præsidente, ut Senis fuerat factum in ultimo Concilio de Præsidentibus Martini Pontificiis: his aliis non placentibus, annuente Felice dimissa esse, & decretum publicatum nomine Synodi. Quibus magis ac magis confirmatum videas quod sæpiùs monuimus, quanto contemptu agerent ardeliones illi in eum quem pro Papæ simulacro obtrudere volebant, ut ne quidem ullam de ipso mentionem fieri in suis decretis permitterent, tanquam pro nihilo eum habentes. Infelicior proculdubiò bonus Princeps inter ejusmodi scorpiones, quàm fuerat felix in suâ Ripalliâ. Quamquam, ut non omninò inexcusatos illos relinquamus, putamus non tam ex supercilio ipsos ita se in Felicem gessisse, quàm quòd perspicerent ipsum à Principibus non recipi; & si ejus nomine decreta fierent, omnem Concilij auctoritatem labefactatum iri: sícque maluerint irrisioni eum exponi, quàm aliquid sibi imminui. Hoc enim colligimus ex eo quod narrat Cochlæus [e], Concilium promisisse nationi Germanicæ, quòd quandocumque Fridericus Rex & Principes Electores se pro Concilio declararent; ut omnia fine suspicione procederent, in generali Concilio alibi celebrando Felix non præsideret, sed Concilium in omnibus procederet quemadmodum ante electionem Felicis. At quod hoc monstri genus, ut corpus fuerit fine capite, caput fine corpore: Verùm & nos istud divinâ Providentiâ per-

SESSIO BASIL. XLIII. DECRETUM DE FESTO VISITATIONIS B. VIRG.

FELIX PRO NIHILO A BASILENSIBUS HABITUS.

[e] Cochla. Hist. Hussit. lib. 9.

missum existimamus; ne vel umbrâ quidem Romani Pontificatûs eorum instituta, sive illa in se pia, sive impia, certè semper absque ullâ legitimâ auctoritate fabricata, velata dici possent. Sed vide quid inter multa alia addant Acta. Cùm de pecuniis conquirendis tam pro Conciliaribus quàm ipso Felice, qui egebant, consilia agitarentur; postulante Felice, ut quoniam aliunde ex Pontificatu nihil omninò acciperet, ad onera sufferenda concederet Concilium Ecclesiam unam, monasterium unum, & unum aliud beneficium in provinciis Sabaudiæ, tamdiù obtinenda quoad majorem Partem Romanæ Ecclesiæ recuperaret: ægerrimè id ei concessum fuisse, & non sine maximâ contentione, annitentibúsque amicis. O bellum Pontificem! ô fœdam colluviem!

VI. CONVENTUS MOGUNT. IN CAUSA SCHISMATIS.

Quomodò autem à Principibus Germanis in conventu Moguntino mense Maij celebrato, cui etiam interfuerunt aliorum aliquot Principum, ac præcipuè Regis Franc. (qui ad eum invitatus per literas [f] à Friderico Cæsare fuerat) oratores Basileenses accepti fuerint, ex iisdem Actis audire dignum est. Aiunt igitur; cùm ad illum cōventum, sive ut vocant Dietam Principum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, nuncij Basileenses Cardinalis Arelatensis & duo alij novi Cardinales Felicis accessissent, velletque Arelatensis Legatum à latere agere; Principes eis significâsse, Arelatensem quidem se honoraturos ut verum Cardinalem, auditurósque eum æquo animo, etiámque alios, dummodò ille Crucem & legationis insignia, alij habitum Cardinalitium domi dimitterent; quoniam neque eum pro Legato, neque illos pro Cardinalibus habebant. Idémque se facturos siquis Cardinalium ab Eugenio post suam suspensionem creatorum veniret: Cúmque ingens per multos dies contentio super his habita esset, Basileensibus nullo modo cedere volentibus, Principibus conventum se aliò translaturos asserentibus; tandem Magistratum ac cives Moguntinos Basileensibus significâsse, nisi voluntati Principum acquiescerent, se fidem publicam eis datam revocaturos nisi infra 8. dies ab ipsorum urbe discederent: His auditis Basileenses, ne causam suam indefensam dimitterent, cedere statuisse. Igitur nono Calendas Aprilis Cardinalem Arelatensem Cruce domi dimissâ, ad locum congregationis isse, multáque primùm ipsum, multóque pòst plura collegam ejus ac Concilij columen Thomam de Courcellis dixisse de supremâ Conciliorum potestate, de recto Concilij judicio contra Eugenium, ac legitimâ & necessariâ subrogatione Felicis. Postridie verò auditos legatos Eugenij, unúmque eorum Ioannem Caravajal multa & miranda dixisse contra adversarios: ac post eum, collegam ejus Nicolaum de Cusâ nòn minora prosecutum esse, adversariorum dicta prosternendo, suorúmque confirmando: Amedeum, Papatum, quem plurimis annis sub ovinâ pelle aucupatus fuerat, tandem ab electoribus pecuniâ emisse; ac Venetis duodecim millia equitum promisisse, si dimisso Eugenio sibi adhærerent: Depositionem Eugenij ab Episcopis tantùm septem factam esse, cùm simplicis Episcopi depositio à paucioribus duodecim ritè fieri non possit. Addunt Acta, auditos esse Eugenianos non sine magno Principum applausu, quòd visi essent optimè adversariorum objecta repulisse: Respondisse tamen rursùm Basileenses per organum Ioannis Segoviensis, quem Felix Cardinalem S. Calixti nuncupaverat, viri doctrinâ & facundiâ potentem: qui dimisso domi Cardinalitio habitu, ut privatus concionem petiit, longúmque ibi tractatum habuit in duodecim partes divisum; quibus, infinitis argumentationibus, rationibus, & Scripturarum Patrúmque testimoniis confirmare nisus est quæ priùs fuerant à collegis dicta, & Veritates à Concilio approbatas defendere. Contra hæc sequenti die Eugenianos rursùm auditos esse; qui eas Veritates, cæteráque gesta dictáque Basileensium, ut falsas fatuitates & iniquè gesta damnârunt, & irrisioni exposuerunt: Basileenses subinde audiri petentes, non esse ampliùs admissos Principes unà cum legatis Cæsaris & Francorum Regis in hanc sententiam convenisse; pro pace Ecclesiæ congregandum esse Generale Concilium alio loco extra Basileam & Florentiam: Si contendentes, vel alteri eorum locum eligere noluerint, nominatum iri loca sex in Germaniâ, & totidem in Galliâ: oratores nomine Cæsaris ac Regum & Principum ad Eugenium mittendos esse mense Novembri super eâ re: idémque Amedeo significandum per aliquem ex suis Prælatis: Concilium omninò inchoandum Calendis Augusti anni proximi 1442. Basileenses autem, cùm fandi locus ampliùs datus non esset, longam apologiam contra Eugenianorum dicta scripsisse, ac disseminâsse. Ita prædicta Acta. Nec plura de his rebus præsenti anno reperimus.

DEGERNITUR ALIUD CONCIL.

[f] Ext. cap. Clameng. Orthuin. & Goldad. ex cod. Bibl. Victor. PP. 10. sed in anno vitiatæ, dum signatur 1421. quippe cum inscribantur mense Maij & regni anno primo; his, secundùm illa quæ dicta sunt superiùs de ejus ingressu, designatur omninò annus 1440.

QUOMODÒ IN EO HABITI LEGATI UTRIUSQUE PARTIS.

VII. IMPIUM FACINUS FILII IN PATREM

Tetrum facinus describit Trithemius [g] de Ludovico Gibboso Bavariæ Duce: qui proprium patrem in oppido Nuemburg ad ripam Danubij obsedit, cepitque; & Marchioni Brandeburgensi in prædam dimisit, qui illum Henrico alteri Duci Bavariæ æmulo ejus acerrimo magno auri pondere vendidit. Quod nefandum in patrem scelus non diù tolerans divina vindicta impunitum, filium brevi sine liberis de medio tollens suo judicio præsentavit.

[g] Trith. in Chron. Sponheim.

VIII. MUSCULI REFUGIUNT CENSERI.

Mirum item narrat Meyerus [h] apud Slusam Flandriæ contigisse hoc anno; ut cùm conscharum, quæ musculi dicuntur, quibus pauperrimi vescuntur loco piscium, collectioni impositum esset quoddam genus vectigalis, cessáverint affluere; postquàm verò sublatum est tributum, rursùs advenerint.

[h] Meyer. lib. 16.

IESU CHRISTI Annus 1442.

EUGEN. IV. Ann. 12.

FRIDERICI III. Ann. 3.

IOANNIS VII. Ann. 24.

I. ANNO Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, Indictione quintâ, sexto Calendas Maij (ut habent Acta Parritiana Conciliorum Basileensis & Flo-

SESSIO XXX. SYNODI FLORENTINÆ.

EUGEN. SYNODŨ TRANSFERT FLORENTIA ROMAM.

rentini) Eugenius Pontifex *Sessionem* publicam Florentiæ celebravit, ordine *XXX*. in Actis Patritianis *Decimam*. In quâ asserens legatos *Zerah-Iacob* magni Regis Æthiopiæ, quem Presbyterum-Ioannem vocant, ad Concilium Oecumenicum Fidei orthodoxæ suscipiendæ gratiâ properare; Concilium, ut majorem authoritatem etiam ex loco acciperet, Florentiâ Romam, approbante ipso Concilio transtulit, prosequendum in basilicâ Lateranensi propriâ & primâ Sede Summi Pontificis, decima-quintâ die post ejus ad Vrbem reditum. Addidit & alias causas satis æquas ejusmodi translationis. Quas nihilominùs Basileenses in deteriorem partem assumentes, prædicabant eum id egisse, tum ne compelleretur ad aliud Concilium in Germaniâ celebrandum, (quod vidimus in conventibus Germanicis deliberatum) accedere; tum ut ostenderet se summum imperium habere supra Concilium, quod de loco ad locum arbitrio transferret.

II. ÆTHIOPES INVITANTUR AB EUGENIO AD UNIONEM.

Quod autem Æthiopas attinet; ex epistolâ post hæc scriptâ à Davide Æthiopum Imper. ad Clementem Papam VII. anno 1524. quæ habetur apud Damianum à Goës Lusitanum in tractatu de moribus Æthiopum ex versione Iovij, intelligitur Eugenium Pontificem postquàm Græcos & Armenos ac Iacobitas ad concordiam suscepisset, misisse quoque ad Regem seu Imperatorem Æthiopum, qui tunc vocabatur *Zerah-Iacob*, hoc est, Semen-Iacob, quatuor legatos ad eum pariter ad communionem Ecclesiæ invitandum; videlicèt Theodorum, Petrum, Didymum, & Georgium, cum plenâ instructione rerum cum Græcis in Synodo gestarum, unionis Ecclesiarum, & revocationis errorum quibus divisio fovebatur: denique, ut putamus, cum ipsis Synodi Actis, quandoquidem ait David volumen ab Eugenio missum æquâsse librum Epistolarum Pauli Apost. Cæterùm cùm idem pariter habeat, Eugenium literis suis ad prædictum Regem Semen-Iacob missis significâsse Ioannem Græcorum Imperatorem qui ad Synodum accesserat, jam biennio antè quàm Eugenius scriberet mortuum esse; nisi erratum fuerit ab interprete literarum, inde patenter intelligi datur, legationem illam ad Æthiopas non multò ante obitum Eugenij Romam advenisse, cùm Ioannes non nisi anno 1445. obierit: ac proinde Eugenium, quod in animo habebat ac futurum sperabat de adventu legatorum Æthiopum, tanquam rem in limine positam proposuisse; ut eâ occasione commodiùs & plausibiliùs Concilium Romam transferret, quò cum alia Ecclesiæ & Status Ecclesiastici negotia, ipsíque cives Romani instantissimè vocabant: cùm nihilominùs haud tam citò eò accesserit, detentus adhuc dissensionibus bellicis, quibus patrimonium iis partibus ab inimicis aut occupabatur, aut pessumdabatur.

III. EPISTOLA PRÆPOSITI ÆTHIOPUM AB EUGEN.

Missam tamen jam antehàc fuisse legationem, intelligitur ex Epistolâ Asiaticâ Iacobi Navarchi Ondischotani, de quâ diximus anno [a] superiori; ex ipsísque literis [b] quas citat, scriptis ad Eugenium à Nicomedo Abbate Æthiope Ierosolymis constituto super Æthiopibus ibi degétibus; cùm ipse priùs, ut testatur, alias ab Eugenio accepisse; super causâ fidei & unionis: quibus gratias ingentes agens de hujusmodi visitatione, palàm esse dicebat, eos qui à Romanâ Ecclesiâ defecissent, corruisse; & dum quíque suam fidem veriorem esse prædicaret, in vias sui sensûs abiisse omnes: Æthiopicam tamen integram & liberam perdurâsse, qui nequaquàm perfidiâ & voluntariâ defectione, ut aliæ Ecclesiæ, peccâsset; ac propterea in servitutem & exterminium non incidisse: Et quamvis Romanorum Pontificum negligentiâ minùs eas partes curantium, & immensâ locorum distantiâ, accidisset, ut nulla visitationis memoria, aut literarum communicatio ab octingentis fermè annis apud eos extaret; nihilominùs Æthiopas tantâ veneratione Sedem Romanam semper coluisse, ut pedes eorum qui Româ venirent in Æthiopiam oscularentur, vestiúmque eorum partes raperent, & reliquiarum loco servarent: Nec id quidem mirum. Si enim Regina Saba abiit Ierusalem ut sapientiam Salomonis audiret, plusquàm Salomon Summum Pontificem esse: Regem item potentissimum Æthiopum, cui centum subessent Reges, tantum facere Romanum nomen, & Latinorum fidem, ut nihil æquè in votis haberet, atque cùm Romanâ Ecclesiâ uniri, & Pontificis subjici pedibus, avidissiméque amplexurum quæ de concordiâ statuerentur in Synodo: Se autem, ipsum Pontificem omnium Ecclesiarum caput fateri; cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores & Reges inclinentur: Nec se Legatos disputandi gratiâ mittere, sed ut Summi Pontificis sententiam de rebus fidei sequerentur: Vetustam enim & orbi notam esse Latinorum sententiam; nec debere discipulum esse supra magistrum. Cæterùm non prædictâ tantùm viâ Nicodemi Abbatis Eugenium certiorem fuisse de Regis Æthiopum desiderio unionis cum Romanâ Ecclesiâ; verùm etiam per ipsiusmet Regis oratores ad se ab Angelo Mauroceno milite Sciensi adductos: testatur idem Pontifex aliis literis pro ejusdem Angeli commeatu scriptis, quæ habentur in Actis Florentinis Iustiniani: in quibus idem Rex vocatur Constantinus: fuerunt namque plurium nominum, seu cognominum, quibus cum suis & cum exteris uti consueverant.

IV. DE REGIBUS ÆTHIOPŨ, EORÚMQUE NOMINIBUS.

Tradit autem Marius Victorius in Historiâ [c] Regum Æthiopum, prædictum Zerah-Iacob non ita pridem duobus Principibus contra posteritatem David & Salomonis Regum Israël, à quâ Reges Æthiopum per Reginam Saba, quæ ex Salomone conceperit, descendere profitentur, (quam fabulam nos aliàs explosimus [cc]) rebellantibus cæsis, cùm ipse ex legitimâ progenie ortus esset, Imperium Æthiopiæ adeptum esse. Fuisséque eundem à suis *Rectæ fidei* cognominatum; asseritur in brevissimo catalogo eorumdem Regum, quem ex Æthiopiâ advectum volunt. *Abyssinorum*, seu *Abassinorum* Regem seu Imperatorem plerique vocant: aliis *Æthiopum* magis dicendum existimantibus; cùm tamen non omnem Æthiopiam ad Abbassiam pertinere, qui regionum mundi & finium hujus Imperij peritiores haberi volunt, pro constanti habeant. Plurimis tamen regni id constare, licèt non prodigiosâ quam multi asse-

[a] An. 1441. II.
[b] Ext. in Act. Flor. Hor. Iustin. par. 3.
[c] To. 2. Rer. Hispan.
[cc] Annal. Sacr. Vet. Test. ann. 3043. XII.

runt amplitudine, consentiunt plerique. Cur autem vocatus sit vulgò *Presbyter-Ioannes*, seu per contractionem *Pretejannes*, à nonnullis etiam *Pretiosus Ioannes*; tradunt [d] priorem nuncupationem inde provenisse, quòd ij Reges in honorem Ionæ Prophetæ communi omnium appellatione *Ioanna* vocarentur, & Crux ipsis Archiepiscoporum more præferri soleret: posteriorem ab ipsis Abassinis postquàm in partibus Occidentalibus conversari cœperunt; cùm suum Regem Pretejannem vocari reperissent, voluisse id nominis ex linguæ suæ corrupta derivatione confirmare, & à *Belulgian* deduxisse, quod eorum linguâ Pretiosum Ioannem significat; ac si nomine ipso vellent indicare, nihil in orbe esse Abassinorum Imperatore pretiosius. Populos autem illos religionem quidem Christianam [e] professos esse, & adhuc profiteri; verùm non tantùm ex Hebræis damnatas servare cæremonias, sed etiam ex Græcis aliísque hæreticis prava dogmata & multiplices errores; docet qui aliorum auctorum de origine, denominatione, situ, moribus, judiciis, imperio, potentiâ & religione Abassinorum, eorúmque Regum, hallucinationes ex veris nonnullorum relationibus corrigere profitetur *Nicolaus Godinus* [ee] Societatis IESU commentario *De Rebus Abassinorum*: etiámque Damiani à Goës equitis Lusitani, qui de iisdem non indiligenter scripsit; eò etiam, quoad res cum Romanis Pontificibus & Lusitaniæ Regibus ab iis tractatas, utiliùs, quòd literas ab iisdem ad illos scriptas narrationibus suis inseruit. De quibus dicetur pleniùs cùm ad ea tempora Deo favente pervenerimus.

[d] *Vid. supr. ann.* 1202. XI.

[e] *Vid. infr. ann.* 1524. XV.

[ee] *Quem impugnat Godignus, fuit is* Fr. Ludovicus de Vretâ *Dominicanus; qui scripsit Historiam Ecclesiasticam, politicam, naturalem, & moralem Æthiopiæ; impressam anno* 1610. *in* 4. *Sic plerumque ludunt, & illudunt, qui de rebus longinquis & incognitis scribunt.*

V. SESSIO BASIL. XLIV. DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

Nunc ut cæteras res Ecclesiasticas hujus anni tractemus; celebrârunt Basileenses quinto Idus Augusti *Sessionem XLIV.* quâ miseri sibi & suis providere quærentes, sanctionem ediderunt de restitutione in integrum eorum omnium qui occasione Concilij spoliati suis beneficiis fuissent, pulsis invasoribus & detentoribus cum auxilio brachij sæcularis.

VI. CONVENTUS FRANCOFORD. IN CAUSA SCHISMATIS.

Quo tempore (ut narrant Acta Patritiana) agebatur Francofordiæ conventus magnâ Principum frequentiâ, cui præerat Fridericus ipse Cæsar. Ad quem accesserunt quoque legati Concilij, Cardinalis Arelatensis, & Panormitanus ac Segoviensis Cardinales Felicis: Iussi tamen, ut alias, legationis insignia dimittere: necnon Ioannes Carvajal, Nicolaus de Cusâ, & Iacobus Ferrariensis ab Eugenio missi. Quod verò antequàm negotia tractari inciperent, eundum fuerit Cæsari unà cum Principibus Aquisgranum ad suscipiendam primâ coronam, quam nondum aliis negotiis detentus commodè accipere potuerat: constituit interim nonnullos Episcopos aliósque viros graves, qui legatorum utriusque partis propositiones & jura audirent: unà cum aliis quos Principes suo quique nomine iis adjunxerunt. Coram quibus primùm Panormitanus Iuris utriusque peritorum sui temporis excellentissimus, (ut Acta nominant, & re verâ erat) explicatâ imprimis longâ narratione rerum serie, multis argumentationibus & infinitâ Iurium allegatione conatus est probare causam Concilij, & quæ ab eo gesta erant in Eugenium; ac deinde adversariorum objecta, & libellum quemdam Eugenij plurimis rationibus confutare. Auditique sunt Basileenses sine arbitris per tres dies. Deinde admissis eodem modo Eugenianis, Nicolaus de Cusâ primùm iniquum fuisse ait damnatos Amedeistas audiri; deinde causam Eugenij & translationis Concilij validè egit: Addens, Basileensis Concilij fructum schisma esse, divisionem, & abominationem in Ecclesiâ Dei: Florentini, unionem & conversionem Græcorum, Armeniorum, Iacobitarum, Iberorum: Proinde ejiciendos Basileenses cum suo idolo ac recipiendum, honorandúmque ut verum Christi Vicarium Eugenium, &c. Dederunt insuper utrique in scriptis suas contradictiones, ut fideliùs pleniúsque Cæsari & Principibus cuncta referrentur.

VII. FRIDER. CÆS. CORONATUR AQUISGRANI.

Interim verò Fridericus coronam accepit Aquisgrani à Theodorico Archiepiscopo Coloniensi, decimo-septimo die mensis Iunij; ut præter Acta, habent Trithemius, Annales Treverorum, Suevorum, ac multi alij; ex quibus refellas eos qui eodem mense quo electus fuerat etiam coronatum scripsêre. Narrat item Cuspinianus [f], accessisse etiam ad ejus coronationem Ludovicum Cardinalem Arelatensem nomine Concilij Basileensis; sed restitisse ei Leodiensem Præsulem, pro Eugenio consurgentem, eúmque è civitate fugasse: (erat is *Ioannes Heinsbergius* nobilissimâ prosapiâ ortus, & egregiis virtutibus prædictus: cujus extant res gestæ in Actis Ecclesiæ Leodiensis, reformationes Cleri suæ diœcesis sub Eugenio conditæ, & à Nicolao V. ejus successore confirmatæ, in Tomis Conciliorum Generalium:) sed Coloniensem Archiepiscopum hanc turbam sedâsse. Rediens autem inde Fridericus cum Principibus Francofordiam initio mensis Augusti, auditis visísque quæ interim ibi fieri contigisset; post multas demum disputationes, multaq; consilia, constitutū est, (quod etiā aliis conventibus deliberatum vidimus) aliud Concilium indubitatum esse celebrandum: mittendos nuncios super eâ re Basileam ad Patres, & Florentiam ad Eugenium: interim Germanos in suâ suspensione mansuros. Conquerentibúsque Basileensibus, quòd Cæsar & Principes partiarij viderentur, non indifferentes, eò quòd nuncios ad Eugenium, non etiam ad Felicem mittere statuissent; respondit Cæsar, se æquâ lance rem tractaturum. Deditque in mandatis nunciis, ut venerarentur Eugenium ut Romanum Pontificem: excusarentque Cæsarem & Principes cur tamdiù in neutralitate perseverarent: Peterent celebrari intra Germaniam aliud Generale Concilium ad pacem conciliandam; quod unicum videretur remedium: Nihil omninò ab eo postularent, vel etiam spontè oblatum reciperent: Felici autem non exhiberent reverentiam ut Pontifici, sed per internuncios cum eo agerent. Ita in Actis Patritianis: quæ tangunt & alij, sed non ita diligenter.

[f] *Cuspin. de Cæsar. in Frid. III.*

DELIBERATIO CONVENTÛS FRANCOFORD.

VIII. BASILEENSES CŌCEDUNT FRIDERICO TRANSLATIONEM CŌCILII.

Pergunt porrò, Cæsarem decimo-octavo Calend. Octobr. prope Basileam iter agentem, cùm à Cardinalibus & aliis ei occurrentibus rogaretur urbem intrare, omninò negâsse nisi priùs consentirent celebrationi alterius Concilij. Quod post multas contentiones concessum demùm est, sub conditionibus positis in Responsione nunciis Cæsaris ac Principum data in suâ Congregatione secundo Nonas Octo-

bris, quæ habetur inter Epistolas Synodales Concilij. Quâ post declarata pericula quæ ex mutationibus ac translationibus imminerent, (quorum præcipuum fuisse putamus, quod tamen ipsi tacuerunt, quoniam per translationem dissolutum videri poterat; semel autem dissolutum, non poterat ampliùs congregari nisi post decennium,& cum consensu Pontificis; ex decreto Concilij Constantiensis, cujus auctoritatem ipsi semper in ore habebant:) nihilominùs ut Cæsaris & Principum votis pro pacificatione Ecclesiæ complacerent, offerebant se paratos ad locum accommodum, & regiæ celsitudini gratum se transferre, dummodò adessent securitates, & illud Concilium pro legitimo haberetur. Qui boni viri si tantumdem dixissent aut præstitissent in gratiam Eugenij quando ipsum pro vero Pontifice agnoscebant; maximè conflatum fuisset schisma. Sed venerabiles Patres cogente necessitate temporali dedicerunt Cæsari reddere, quæ abundante proterviâ obliti fuerant Deo ejúsque supremo Vicario reddenda esse: sic vexatio dat intellectum.

IX. FRIDERICI ET FELICIS CÕGRESSUS QUALIS.

His peractis, Cæsar (pergunt Acta) tertio Idus Novembris Basileam solemni pompâ ingressus est, medius inter Cardinales Arelatensem & Tridentinum, (Alexander iste vocabatur, filius Ducis Mazoviorum, patruelis Regis Poloniæ, ipsiúsque Friderici Cæsaris consanguineus, Episcopus Tridentinus & Patriarcha dictus Aquileiensis) cæteris præeuntibus: subsequentibus autem Principibus, cæterísque Prælatis. Altero die Felicem visitaturus, sub crepusculo vespertino cum paucis ejus domum nudo capite adiit,& in camerâ quam papagalli vocant substitit. Illuc Felix cum suis Cardinabus accessit. Cæsar eum modestâ reverentiâ excepit;& per Episcopum Chiemensem se excusavit quòd non exhiberet ei reverentiam Romano Pontifici debitam, ut paci aptior esset; ad quam eum hortatus est. Et Chiemensis, ne illum Pontificalibus titulis umquam appellaret, clementem benignitatem tuam dicebat, non Sanctitatem aut Beatitudinem. Felix autem Pontificalibus verbis usus benignè Cæsari respondit, egítque gratias de visitatione. Multis præthereà hinc inde dictis, Cæsar domum rediit, & sequenti die è Basileâ discessit. Paucísque pòst diebus Felix valetudinis gratiâ (ut dicebat) Lausannam petiit, pollicitus transactâ hieme ad Concilium sed rediturum.

X. EUGENII RESPONSIO AD CONVENTŨ FRANCOFORD.

Eugenius autem legatis ad se è conventu Francofordiensi missis respondit, mirari se illos petere Generale Concilium indubitatum celebrari, cùm ipse sacram Oecumenicam Synodum auctoritate Apostolicâ & omnium Patriarcharum Orbis Christiani institutam celebraret, mirabilium rerum effectricem: quam si in dubium revocare vellent, nihil aliud esset quàm fidem Catholicam oppugnare. Posse igitur in eâ Synodo rectè consuli siquid restaret, & dubia aperiri siqua essent: tamen ut Cæsari ac Principibus morem gereret, quam primùm Romam pervenisset,ad quam Vrbem apud Lateranum Concilium transtulerat, convocaturum Prælatos majori numero, cúmque eis tractaturum an expediret aliud Concilium celebrari: Missurum se nihilominùs suos legatos, qui de iis cum Cæsare & Principibus agerent: quamqam non videret quid cum eis recte agi posset, nisi suspensionem deposuissent, quam Christi fides ignoraret; reverterentúrque ad pristinam Apostolicæ Sedis reverentiam, quâ unâ re pacem Ecclesiæ daturi forent. Quod si facerent, concurrentibus aliis Regibus & Principibus qui solidi permanserant, libenter se aliud Concilium celebraturum. Ita in Actis Patritianis.

XI. ARMA ITALICA.

In quibus etiam additur, Basileensibus inter hæc magnam spem factam esse rei benè gerendæ ex officiosis delationibus Francisci Sfortiæ, se suáque eis offerentis: quæ ut vanæ fuerunt, ita etiam in nihilum evanuerunt; cùm & ipse non eas fecisset nisi ad majus suum commodum. Sed de Sfortiâ jam dictum superiùs. Qui strenuus valdè dux, gener Philippi Mediolanensis, ac nihilominùs hostis ejus in gratiam Venetorum quibus conjunctus erat, Eugenij insuper indignationem incurrerat ob usurpata quædam Ecclesiæ Romanæ bona: & ut erat homo varij & inquieti ingenij nunc his nunc illis intendens, in omnibus res suas promovere cujuscumque detrimento quærebat. Reconciliatus autem Philippo; quòd tamen in pace inter ipsos simul & Venetos ac Florentinos sancitâ nulla ratio habita fuisset Eugenij, quamquam Venetis & Florentinis fœderati, adeò ut cùm partibus fieret amissorum aut occupatorum restitutio, Ecclesiæ tamen nec Bononia quæ intercepta fuerat, nec alia contra jus fásque usurpata redderentur: perstitit adhuc Sfortia in odio Pontificis:qui præter excommunicationis fulmen quod in eum vibravit, armis etiam temporalibus (suasu & auxilio ipsiusmet Philippi, confestim in alium mutati contra generum, ut erat otij impatientissimus, & novarum semper rerum molitor) eum post hæc impetens, Piceni tandem ab eo occupati possessione pepulit. Quæ omnia ut gesta sint, describunt illius temporis historici [ff] Poggius, Antonius, Corius, & alij.

[ff] *Pogg. lib. 8. Ant. tit. 22. cap. 11. § 14. 15. 16. Cor. par. 5.*

XII. ALFONSUS REX ARAGONIÆ OCCUPAT REGNUM NEAPOLIT.

Quo etiam anno obtinuit demùm jure armorum, omni alio destitutus, Alfonsus Rex Aragoniæ, concupitam diù, ingentibúsque laboribus ac multiplicibus artibus quæsitam regni Neapolitani possessionem; obnitentibus in cassùm ejus conatibus Romanis Pontificibus supremis regni dominis; & legitimis hæredibus Andegavensibus, tum impotentiâ virium, tum procerum mobili fide, tum denique inconstantissimorum populorum levitate, loco cedere compulsis. Quos sanè,(ut hoc obiter dicamus) eorúmque successores, mirati sæpè sumus, quomodò tanto cæterarum certarúmque rerum suarum certo penè, aut saltem valdè probabili, inter alieni ingenij, naturæ, sortis, moris, soli, cælique homines discrimine, post tot luctuosissima domestica exempla, sese committere sustinuerint. Nisi fortè excuset, seu veriùs accuset levitas & superbia gentis, eventuum inconsiderantia, periculorum contemptus, ac propriæ vitæ prodigalitas. Quibus si addideris nativum animi candorem, ac facilitatem credendi fidendíque versutis aliorum consiliis cùm nimis naturâ ingenui vix sciant ipsi versutiis uti; proculdubiò animadvertes haud abs re esse, quòd qui populis de quibus modò agimus, aliísque eis similibus dominantur, regant eos in virgâ ferreâ, quos leni duci nescire alienis

exemplis experti sunt. Ingressus est Alfonsus Neapolim, quam arctissimâ obsidione cinxerat, & ad gravissimam famem reduxerat, die secundâ Iunij, intromissis à quodam fabro cæmentario, quem fames Neapoli exire compulerat, ipsius militibus per aquæ ductum subterraneum, (quâ eâdem viâ olim eamdem urbem Gothis surripuisse Belisarium, Procopius scribit) & resistentibus vi compressis, imposito post brevem prædam populationibus militum modò, & civibus benignè habitis. Renatus Andegavensis, qui in urbe erat, postquam ad hanc subitam & improvisam irruptionem accurrens, nullum prudentis ducis aut strenui militis officium prætermisisset, in arcem sese recepit. Quam cùm tueri contra victorem exercitum, & amissam urbem recuperare non speraret; naves ingressus quæ sub arcem anchoras jecerant, (quò enim magis digitum Dei in his agnoscas, postridie quàm capta est civitas duæ ingentes Genuensium onerariæ quibus commeatus deferebantur advenêre, quæ si pridie antequàm capta est adventâssent, navaléſque socios in terram exposuissent, dubiam facere victoriam poterant:(Pisas devectus est: indéque Florentiam ad Eugenium Pontificem quo amico utebatur, profectus; cùm multa recuperandis amissis, aut retinendis quæ adhuc ejus nomine tenebantur, frustrà tentâsset, in Gallias rediit. Alfonsus autem brevi tempore universo regno potitus est: confectóque bello, triumphans veteri Romanorum more, quâdam muri parte disjectâ, curru inaurato sublimis, agentibus quatuor eximij candoris equis, præcedentéque alio æquè candido, ingressus est, currum pedibus sequentibus totius regni principibus atque proceribus; viris sacratis præeuntibus cum infulis & velamentis, circumfusâ multitudine, viis constratis floribus, parietibus multâ veste pretiosâ tectis, variâ ubique odorum suavitate: hoc solo in tantâ vanitate modestus, quòd lauream capiti non imposuit, eum honorem superis habendum dictitans, quorum ope victoria parta esset. Quæ cuncta prolixè narrantur, & miris laudum præconiis extolluntur à Bartholomæo Facio & Antonio Panormitano ejusdem Alfonsi familiaribus, in ejus Rebus gestis: ex quibus posteriores [g] quæ de iis habent exscripsêre.

Renatus Galliam repetit.

Alfonsus triumphat.

[g] *Æn. de Europ. cap. 65. Collen. lib. 5. Constant. lib. 8. Summont. lib. 4. & 5. Marian. lib. 21. cap. 17. Fazell 2. dec. 9. & alij.*

XIII. *Iuliani Card. legatio in Hungariam.*

Misso inter hæc in Hungariam ab Eugenio Pontifice Iuliano Cardinale Cæsarino, cùm ad pacem inter Wladislaum Poloniæ Regem ab Hungaris, ut vidimus, evocatum, & Reginam Elisabetham, de regni possessione armis discrepantes, conciliandam; tum ad res contra Turcos promovendas, quorum Imperator Amurates Belgradum (aliis Albam-Græcam, antiquis Taurunum Pannoniæ Inferioris urbem ad confluentia Savi in Danubium) firmissimum Hungariæ propugnaculum ingenti exercitu obsederat: adfuit etiam missus à Felice Alexander Cardinalis Tridentinus prædicti Wladislai Regis patruelis, qui regem in partes Felicis pertraheret. Cùm uterque de jure sui Pontificis disputâsset, justior Hungaris Eugenij causa visa est. Polonis verò, quoniam Academia Cracoviensis auctoritatem Concilij Basileensis defendebat, tutius visum, neutrum, donec dissidium illud maneret, pro Pontifice agnoscere. Quod verò pacem attinet; egit adeò Iulianus frequentibus ultrò citróque commeatibus, ut ea certis quibusdam conditionibus componeretur: inutilis tamen illa ob repentinam ferè supervenientem Reginæ mortem, defendentibus nihilo seciùs partes Ladislai pueri iis qui cum Reginâ priùs senserant: quorum tamen plerique demùm vel vi vel metu aut spontè Wladislao accesserunt. Turci verò præter id quod Amurates à septimestri Belgradi oppugnatione re infectâ turpiter discedere coactus est, tribus insuper magnis cladibus eodem tempore à *Ioanne Huniade* Vaivodâ, sive Palatino Transilvaniæ, (qui & *Iancus* à proprio nomine à Turcis dictus; & ab aliis *Corvinus* à vico in quo natus est matre Græcâ patre Walacho strenuo viro, & Sigismundo Imperatori ob virtutem charo, à quo etiam Huniadum arcem in extremâ Transilvaniæ orâ & inde cognomen sive priùs ipse, sive filius accepit:) affecti fuêre, unâ apud idem Belgradum, alterâ in Transilvaniâ, tertiâ apud Vascapum in finibus ejusdem Transilvaniæ: quarum causâ multi illarum partium populi ad Christianos redierunt, Turcorúmque vires admodùm diminutæ fuerunt. Quomodò verò hæc omnia se habuerint, diffusè tractata videre est apud Philippum Callimachum [h] in Rebus gestis Wladislai Regis, Ioannem Thurosium [i] in Chronico Hungarorum, Antonium Bonfinium [k] in Rebus Hungaricis, Martinum Cromerum [l] in Polonicis, & alios qui eorumdem meminerunt: in quibus non omittendus Chalcondyles [m] Græcus in Turcarum Historiâ.

Ioannis Huniadis victoriæ de Turcis.

[h] *Callim. lib. 2.*
[i] *Thuros. cap. 36. 37. & 38.*
[k] *Bonfin. 3. dec. 4. & 5.*
[l] *Crom. lib. 21.*
[m] *Chalcond lib. 5.*

XIV. In Hispaniâ [n] impuræ Fratricellorum sectæ semina excitata fuêre Durangi: quâ qui infecti reperti fuêre, post alia tormenta plerique vivi combusti sunt. Alfonsus Mella è Franciscano Ordine dux sectæ, judicij metu Granatum ad Mauros fugit, puellas magno numero secum ducens, quæ turpem vitam inter barbaros exegerunt. Ipse verò sive eâ de causâ, sive aliâ incertâ, ab ipsis Mauris calamis per ludum petitus confixúsque periit exitu vitæ consentaneo. Cui Ioannes Mella frater fuit Zamoræ tunc Episcopus, deinde Cardinalis a Calisto III. ob singularem ejus utriusque Iuris peritiam creatus.

[n] *Marian. lib. 21. c. 17.*

Mellæ Minoritæ turpitudo et supplicium.

XV. Fine anni, à septimo die Decembris ad septimum Februarij tantam vim frigoris in Lombardiâ invaluisse tradunt [o], ut congelatus amnis Padus equis plaustrísque permeabilem se præstiterit: Ferrariensísque Marchio in rei memoriam solemne epulum super ipsâ glacie numerosissimæ turbæ dederit. Nix prætereà toties ac tanta cecidit, quantam nulla meminisset ætas.

Frigus intensissimum.

[o] *Boss. in Chron.*

Iesu Christi Annus 1443.
Eugenii IV. An. 13.
Friderici III. An. 4.
Ioannis VII. Ann. 25.

I. Anno Christi 1443. Indictione sextâ, Eugenius Papa Florentiâ Romam petiturus, Nonis Martij inde exiens, Senas sexto

Idus solemni pompâ ingressus est; ac sex mensibus ibi substitit, visitatus à multis Principibus Italiæ, aliorúmque oratoribus. Quo tempore ibi mortuus est septimo Idus Maij magnus ille *Nicolaus Albergatus* Cardinalis S. Crucis Carthusianus, de quo sæpè superiùs: quem cùm frequenter Eugenius nocte solus invisisset, voluit etiam publicè ejus funeri interesse; præter morem quidem Pontificium; (quamvis & Gregorium Decimum æquè S. Bonaventuræ Cardinalis funus comitatum esse, suo loco [a] viderimus) sed ex intimo affectu quo tantum virum prosequebatur. Mortuus est anno ætatis suæ sexagesimo-octavo ex morbo calculi; qui extractus post ejus obitum, inventus est bilibris magnitudine ovi anserini, ex minutissimis arenulis paulatim concretis: quem Pontifex pro conceptâ sanctitatis ejus opinione retinuit; Florentinæ Carthusiæ monachi (apud quos etiam sepultus est, Senis eò ut jusserat translatus) deinde habuêre. Illum Poggius Florentinus oratione funebri laudavit; præter Iacobum Zenum, & Carolum Sigonium, qui ejus Vitam luculenter scriptis mandârunt: quæ omnia extant uno volumine edita unà cum aliorum quamplurimorum celebrium auctorum eximiis de illo elogiis, scriptorúmque ejus enumeratione. Erat præfectus ipsius familiæ, quando is obiit, Thomas Apostolicus Subdiaconus, qui posteà fuit Nicolaus V. Pontifex Maximus, in ejus honorem eo nomine sibi assumpto: à quo etiam ipsi post obitum apparente, & de felici suo statu commonente, Pontificatum prænunciatum esse traditur.

NICOLAI ALBERGATI CARD. OBITUS.

[a] An. 1274. XI.

II. ALFÕSUS LUDOS CŨ PONTIFICIBUS AGIT.

Intereà Alfonsus Aragoniæ Rex post regnum Neapolitanum penitùs occupatum, adhuc consuetis ludificationibus cum Eugenio Pont. Felicéque Sabaudo agens, utrumque simul uno eodémque tempore de concordiâ tentavit, ut ei à quo ampliores conditiones exigere posset, adhæreret. Rem sinceriùs narrat Surita rerum Aragonicarum scriptor: Facius enim & Panormitanus ita Vitam ejus descripserunt, quippe ejus in ministerio existentes, ut laudum tantùm encomia tractaverint; (quarum sanè permagna fuisse in eo semina nemo inficiari possit; nisi regnandi ambitioni jus omne divinum humanumque posthabuisset) quæ ei vitio verti possent, aut omninò dissimulaverint, aut prudentiæ & dexteritati tribuerint. Ait igitur Surita [b]; cùm hactenùs Rex cum utroque Pontifice commercium per suos nuncios de concordiâ habuisset; die Aprilis 16. Neapoli acceptâsse propositiones Felicis, quibus pollicebatur primam Regis adoptionem à Ioannâ Reginâ factam regníque titulum confirmare, ac ducenta aureorum millia pro recuperando Ecclesiæ patrimonio contribuere: Verùm quòd Regis cum Eugenio tractatus longiùs jam processisset, qui & honestior ipsi & utilior apparebat; ut Felicis oblata eludere posset, petiisse ab eo ut prædicta pecuniarum summa unicâ solutione daretur: ut Rex Terracinam Ecclesiæ civitatem retineret pro summâ trecentorum millium aureorum, in partem mulctæ, in quam olim occasione violationis induciarum Vitellescus inciderat: denique protectionem patrimonij Ecclesiæ Rex pro se ipso susciperet, ac post ejus obitum filio suo illegitimo Ferdinando cederet:

[b] Sur. Hist. lib. 15. c. 18.

His conditionibus exhibiturum Regem tam suo quàm fratrum nomine obsequium Felici; missurum oratores & suorum regnorum Prælatos Basileam, vel ad alium quemcumque locum quo ab eo congregaretur Concilium; & ad idipsum solicitaturum Regem Castellæ ac Ducem Mediolanensem; fœdúsque perpetuum cum domo Sabaudiæ icturum.

III. ALFONSI CUM EUGENIO CONCORDIA.

Sed rebus intereà cum Eugenij legatis conclusis, postquàm (inquiunt Acta Patritiana Cõcilij Basileensis) Alfonsus variis tractatibus Felicem ac Basileenses ludificâsset, concordiam cum Eugenio iniit pridie Idus Iunij, his demùm præcipuè legibus; ut regnum Neapolitanum Alfonso cederet iisdem juribus & formis, quibus per Romanos Pontifices aliàs concedi consuevisset; & cum clausulâ, Nonobstante quòd illud Alfonsus vi & armis occupâsset: absolverétque eum Pontifex ab omni pecuniarum solutione quas deberet Apostolicæ Cameræ ex quâcumque causâ: Alfonsus verò in verba Eugenij juraret; homagium ei præstaret; restitueret Ecclesiæ Romanæ oppida quæ occupaverat; contra Turcos sex triremes mitteret, & quatuor equitum millia adversùs Franciscum Sfortiam ad recuperanda Ecclesiæ loca quæ is detinebat. Ita Acta: habet Surita nonnulla alia minora; déque censu annuo ab Alfonso de more Ecclesiæ Romanæ solvendo; & conservandâ nobilitate ac plebe regni in privilegiis quibus olim gaudebant sub Guillelmo II. Rege. Alij insuper, de libertate Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, déque appellationibus ad Sedem Apostolicam, aliísque Sedis Apostolicæ juribus tam circa spiritualia quàm temporalia: quæ continentur in literis investituræ ab Eugenio ipsi factæ Senis Idibus Iulij præsentis anni, & instrumento homagij ab Alfonso præstiti die 2. Iunij anno 1445. Cúmque eâdem investiturâ disertè exprimatur, si Alfonsus nullam post se relinqueret prolem legitimam, regnum ad Ecclesiam rediturum; inde manifestè intelligas, quod fertur de conditione concordiæ additâ, ut Ferdinandus filius illegitimus Alfonsi, sublato per Pontificem natalium vitio & impedimento, successor patris designaretur in regno unà cum ipsius progenie; id seorsùm factum esse; ut etiam tam eodem loco quàm & alio [c] Surita testatur: adeò ut & Pontifex rei indignè, invitéque ac coactè magis quàm spontè factæ pudore, stipulatus fuerit, bullam investituræ ac legitimationis Ferdinandi non iri publicatum quamdiù ipse viveret: quasi scilicèt tolerabilius esset famæ maculam æternùm post mortem pati, quando nulla superest emendationis via; quàm pauco tempore in vitâ, dum adhuc facultas est res in integrum restituendi.) Quò item pertinet quod scribit Facius, nonnullos Cardinales partim Italos partim Gallos omni studio, ne pacta inter utriusque partis legatos concordia rata haberetur, apud Pontificem intercessisse: quippe qui optimè nôssent animum Alfonsi, & ex præteritis timerent futuris. Nec quidem abs re, cùm tam apud eundem Suritam videre liceat, quantâ fiduciâ abusus sit facilitate, aut necessitate Eugenij in priore investiturâ immutandâ, & conditionibus concordiæ alterandis: quàm etiam apud Baronium [d], quâ posteà solertiâ (ut protervíæ parcam) contra proprium juramentum

PUDENDA CONCESSIO EUGENII.

[c] Sur. c. 31.

[d] Baron. Annal. To. XI. an. 1097. & Epit. eod. ann. num. XXXV.

Alfonsus

ALFÓSUS PESSIME DE ECCL. ROMANA MERITUS.

Alfonsus infaustæ illius Monarchiæ Sicula defensorem ac promotorem sese exhibuerit. Vt vix certè ullus sit Regum Christianorum, cui minùs Ecclesia Romana ab ipso regni ejus exordio usque ad finem debuerit, quàm isti Alfonso, cætera omnia opinione hominum Magno, at in versutiis ac fallaciis Maximo. Quomodò verò nihilominùs hoc eodem anno operam navârit Francisco Sfortiâ è Piceno pellendo; multáque oppida in potestatem Romani Pontificis reduxerit; Philippo Mediolanensi solitâ suâ mutabilitate rem disturbare adnitente in gratiam generi sui, quem modò fovere, confestímque persequi, & contrà, consueverat; pluribus narrant historici. Meminítque Æneas [e] Silvius, scribens è comitatu Cæsaris ad Iulianum Cardinalem Cæsarinum in Hungariâ existentem; Eugenium Senis cum Rege Aragonum, & duce Mediolani, ac Nicolao Picinino, & cum totâ illâ factione fœdus percussisse: ejúsque rei vigore revocaturum esse Regem ex Basileensi Concilio Prælatos suos, eâ lege ut in Eugenianâ Curiâ suis dignitatibus potirentur.

[e] Æn. ep. 3.

IV. ALFONSUS REVOCAT PRÆLATOS SUOS È BASILEA.

Sed quod hoc ultimum attinet; narrant distinctiùs Acta Patritiana Concilij Basileensis, Alfonsum confestim pacta ab Eugenio firmata, duodecimo Calendas Iulij literis suis per omnes regnorum suorum provincias promulgâsse, se post longam dubitationem tandem verè cognovisse Eugenium esse indubitatum Christi Vicarium, cui vellet ab omnibus obediri, & Basileensium acta irrita esse: Panormitanum, Dertusensem, & Vicensem Cardinales Felicis, qui erant ipsius Alfonsi subditi, & in ejus regnis beneficia possidebant, hortatum esse Basileâ quamprimùm discedere, & in Italiam vel ad suas Ecclesias se recipere: Hósque post multas consultationes, lamentationésque cum suis collegis, asserentes se in Concilij & Felicis fide semper mansuros, tandem pridie Nonas Augusti Basileâ discessisse, & ad suas Ecclesias revertisse: Eósque mox secutos esse reliquos ferè omnes qui ex regnis Alfonsi Basileæ erant. De Panormitano verò speciatim memorat, eum dimissis Cardinalatûs insignibus Italiam repetiisse. Fuerat is à Concilio Legati-à-latare per universam Germaniam titulo honestatus. Scripta ejus notissima sunt. In quibus tamen non reperitur tractatus quem scripsisse dicitur pro Concilio Basileensi; fortè quòd abrasus inde fuerit, uti in malâ causâ scriptus. Obiit Panormi anno 1445. sepultus in cathedrali, cum epitaphio insignis ejus peritiæ Iuris teste; cujus initium est.

PANORMITANI FINIS.

Morte tua canon, leges, & jura Quiritum
Occubuêre, jacent hoc tumulata loco, &c.

V. NOVUS INDICITUR CONVENTUS PRINCIPUM PRO CAUSA SCHISMATIS.

Addunt Acta patritiana, Alfonsum unà cum Venetis, Florentinis, Senensibus, & aliis Italis Cæsari per literas suadere conatum esse, ut Concilium Laterani celebrari consentiret, illúcque juberet ire Prælatos. Quod putamus eos præstitisse, quoniam (ut eadem Acta habent) Fridericus Cæsar, ubi vidisset desiderio suo congregandi novum Concilium, cui utraque pars interesset, non satisfieri neque ab Eugenio, neque à Basileensibus; literas ad Reges & Principes dedit Calendis Iulij, quibus hortabatur omnes mittere legatos ad conventum Nurimbergæ à se indictum ad S. Martini celebritatem ad tractandum de his communi consilio. Ad quod eum motum esse monitione Caroli Francorum Regis, intelligitur ex Æneâ [f] Silvio ejusdem Friderici tunc secretario; dum scribens ad Cancellarium, & ad Episcopum Chiemensem, ait viam sopiendi schisma Carolum Regem & tutam & brevem ostendisse, ut fieret conventus Principum, vel eorum oratorum in communi aliquo loco, ibique una reciperetur conclusio per omnes: visúmque esse suis literis permisisse Friderico hujus congregationis vocationem.

[f] Æn. ep. 54. & 55.

VI.

Quod verò dixit Fridericus, non satisfactum sibi fuisse ab Eugenio aut Basileensibus in proposito celebrandi novi Concilij; jam vidimus quid ab utrisque responsum fuerit. Et Eugenius quidem Florentinum jam transtulerat Romam. Basileenses cùm promisissent ad locum Cæsari gratum se transferre, habitâ *Sessione* publicâ decimo-septimo Calendas Iunij præsentis anni, malè nonnullibi notatur annus præteritus 1442.) quæ XLV. & ultima numeratur, statuerunt ex decretis Concilij Constantiensis, ipsiúsque Basileensis, aliud Generale Concilium celebratum iri post triennium in civitate Lugdunensi, quam ad id Felix delegisset; cui nihilominùs concessum est terminum abbreviare: Haud tamen propterea dissolutum censeri debere Basileense, sed potiùs velle se illud continuare ac prosequi, dummodò civitas Basileensis securitatem hactenùs servatam illæsam imposterùm servaret: Si verò impedimentum aliquod intercederet, tunc pro ejusdem Basileensis Concilij continuatione, nominatam & statutam decreverunt civitatem Lausannensem ejusdem provinciæ Bisuntinæ, ad quam se Patres transferre haberent.

SESSIO XLV. BASIL. DECERNUNTUR ALIA LOCA CONCILII.

VII. FELIX RECUSAT REDIRE BASILEAM.

Agebat interim Felix quà in eâdem civitate Lausannensi, quà Gebennæ sive Genevæ. Ex cujus absentiâ cùm multum Concilij auctoritatis amissum videretur; tradunt Acta Patritiana, rogatum illum ab iis qui supererant Basileam redire; respondisse experientiâ se didicisse, longè meliùs Rempublicam Lausannæ seu Gebennæ quàm Basileæ se gerere, quoniam multi eum iis locis convenirent qui Basileam non ituri essent: Promisisse eos multa ante ipsius electionem, quæ minimè adimplerent: se filiorum suorum hæreditatem consumpsisse, &c. Quare destitisse Patres ab ejus ulteriori invitatione; eóque maximè quòd bella in eâ regione recrudescerent, quæ inter Austriæ Principes & cives Basileenses eorúmque socios jam anteà inchoata, Patres summâ diligentiâ & labore tempus compresserant. Quòd verò ex quatuor Cardinalibus quos Felix à se creatos Basileâ discedens secum duxerat, duo mortui essent, tertius apud Cæsarem existeret, unicúsque superesset; cùm instaret Felix apud Patres, ne solus omninò videretur, utque sacra publicè posset celebrare, decretum de creatione Cardinalium pro illâ vice relaxari, permittíque sibi quinque alios deligere: actam rem esse magnâ Patrum contentione, ac tandem relaxatum esse decretum: Felicémque quinque creâsse, sed duos tantùm publicâsse, Ioannem Tarentasiensem Sabaudum, & Ludovicum Visensem

Lusitanum mense Aprilis. Ita iis Actis: quæ hîc desinunt; nec aliquid habent de supradictâ electione urbis Lugdunensis ad futurum Concilium. Tractant verò passim, præter illa quæ ex iis recensuimus, de plurimis causis privatorum in Concilio diversis temporibus agitatis & decisis, ac præcipuè de Ecclesiis & beneficiis controversis, de dissidiis multarum communitatum, aliísque id genus quæ in congregationibus examinata & judicata fuêre; ut sunt etiam plurimorum apud diversos auctores testimonia, quæ nos ut minùs ad institutum rerum generalium pertinentia prætermisimus.

VIII. Illud verò non omittimus, quod extremo hoc tempore eadem Acta habent, *Philippum Hibernicum*, cum obtinere à Patribus non posset sententiæ articulorum damnatorum revocationem (qui quales fuerint, nec Patritius habet, nec nos alibi reperimus) instare cœpisse ut in acta referrentur literæ quædam decretæ à Concilio, quæ damnabant quasdam Mendicantium assertiones: ídque post multas Mendicantium contradictiones tandem concessum esse: Fuisse autem illas; Parochianos non teneri de jure Dominicis & solemnibus diebus Missas in propriis Ecclesiis parochialibus audire: Illis diebus parochianos non teneri oblationem curatis suis facere: Obnoxium faciendi celebrari Missas, pro vivis seu defunctis, non satisfacere debito si per curatum sacerdotem id fieri curet, quoniam ratione curæ ad id est obligatus: Decimarum solutionem, etsi de præcepto sit, non tamen de præcepto esse cui sit solvenda, sed liberum esse quibus velint solvere, vel in pia opera pro arbitrio impendere: Morientes in professione & habitu Ordinis Minorum, ultra annum non passuros in pœnis Purgatorij, quoniam B. Franciscus ex divino privilegio quotannis ad purgatorium descendit, suósque omnes ad cælum deducit: Fratres Mendicantes etiam non præsentatos Ordinariis posse confessiones audire; & qui apud eos essent confessi non teneri etiam semel in anno confiteri proprio sacerdoti: Episcopos non posse sibi reservare ullos casus præter in jure expressos. Has omnes opiniones (inquiunt Acta) Synodus per suas literas damnavit ut erroneas.

PROPOSITIONES MENDICANTIŨ DAMNATÆ.

IX. FINIS CŌCILII BASIL.

Hîcque modum terminúmque ponimus Concilio Basileensi, cum ejus Actis tam editis quàm ineditis quæ viderimus. Quamvis enim adhuc tam ibidem Basileæ, quàm etiam Lausannæ utcumque substiterit usque ad annum 1448. parum tamen est quod ab illo post præsentem annum gestum reperitur apud auctores, quam magis dixeris laceræ navis errationem, quàm rectam velificationem; quousque demùm aurâ divinâ aspirante delata est ad tranquillum & tutum portum Sedis Apostolicæ; ut de singulis videbitur suis locis. In quo quidem si excipias pauca quædam de beneficiis, & de rebus cum Boëmis gestis, reliqua omnia Acta illius talia sunt, ut lectori longè plus tædij quàm fructûs afferant; & Ecclesiæ Dei plus absque ullo dubio nocuerint, quàm in aliquo profuerint, cùm & illa etiam quæ cum Boëmis compactata sunt, (ut illi vocabant) abierint in irritum; non permittente divino numine, ut qui ab Ecclesiæ suæ capite discissi essent, unionem cum aliis stabilire possent.

X. DE ALFONSO TOSTATO.

Senis dum esset Eugenius Pontifex, *Alfonsus Tostatus* Hispanus Madrigale in Vaccæis ortus, posteàque Episcopus *Abulensis*, scriptorum mole, cognitione antiquitatis, prodigiosâ memoriâ, multiplici omnium scientiarum & artium eruditione, ad miraculum clarus; sermonis tantùm elegantiâ minor quàm ut cum quovis antiquorum conferri possit: de quo meritò [g] scriptum sit,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne:

Et quod magis est mirandum, tanta scripsit brevissimo tempore, cùm non vixerit nisi annos quadraginta: quem & interfuisse tradunt [h] Concilio Basileensi, ibíque cum Ioanne Capreolo Tolosano Ordinis S. Dominici doctissimo professore, & doctrinæ S. Thomæ egregio defensore, disseruisse: Hic igitur tunc junior, necdum Episcopus, Senis existens quando Eugenius aderat, theses unam & viginti ex intima Theologiâ depromptas, disputandas cùm proposuisset; in iis, locis aliquot offendisse, Eugenius edito diplomate notavit: impugnavítque dicato opere Ioannes de Turrecremâta doctissimus ille Cardinalis Hispanus ex ordine Dominicanorum, de quo sæpè superiùs facta est mentio. Contra quæ respondens Tostatus commentario cui defensorio [i] nomen fecit, in Pontificum etiam auctoritatem invectus, injuriúsque præ studio tuendi sua apparuit. Quæ verò accusabantur hæ propositiones fuêre; primò quòd assereret, etsi nullum peccatum cujuscumque conditionis, & pro quocumque statu irremissibile sit; à pœnâ tamen aut à culpâ Deum non absolvere, nec aliquem sacerdotem absolvere posse. Deinde quòd diceret, Christum non esse mortuum die 25. Martij, ut communis est sententia, sed die 3. Aprilis anno 33. ætatis suæ inchoato. De quibus obtulit ipse schedulam, ut vocat, ipsi Summo Pontifici, quæ extat in fine primæ partis sui Defensorij: quâ quidem subjicit se determinationi Ecclesiæ & Pontificis; sed cùm non obtinuit quod petiit, (ea est fragilitas præstantiorum etiam ingeniorum, ut cùm eorum placitis resistitur, animi offensionem facilè concipiant) non potuit adeò genio imperare, ut non acerbiùs rem in contradictores egerit.

[g] Bellar. de Script. Eccl.

[h] Bibl. Hisp. in Alfons. Tost.

EIUS PROPOSITIONES IMPUGNATÆ.

[i] Ext. to. ult. oper. Tost.

XI. EUGEN. PAPA ROMÆ CONCIL. INDICIT.

Eugenius autem post hæc relictis Senis Romam invitatu civium petens, eò pervenit 28. die Septembris, post decennium propemodùm absentiæ. Ibique honorificentissimè receptus, cùm in ipso ingressu tumultuantem populum intelligeret ob duplicatum tributum vectigaléque novum vino impositum; facto silentio, audientibus omninò exactionem illam ut minùs liberalem sustulit, miris inde acclamationibus exaltatus. Aliquot verò pòst diebus ad *Lateranum* proficiscens, *Concilium* generale eo loci se habiturum denunciavit, missis ad Principes literis & nunciis, quibus eâ de re certiores fierent. Hâc enim ratione (inquit ista narrans Platina) infirmari ac tolli omninò Concilium Basileense volebat. Animum deinde applicuit ad Picenum è manibus Sfortiæ vindicandum, per Alfonsum Aragoniæ Regem & Picininum copiarum Philippi Mediolanensis ducem: de quo dictum est superiùs, prosequi-

túrque prolixè idem Platina, aliíque historici.

XII. CLADES TURCORUM A CHRISTIANIS.

Intereà in Hungariâ, bello in Turcos hortationibus maximè Iuliani Cardinalis Legati decreto, missæ quoque legationes ad Fridericum Romanorum Regem, & ad Prussienses ac Livonenses Cruciferos, nominatim in hostes Christiani nominis militiam professos, necnon ad Polonos & Walachos, pro auxiliis fuêre. Sed Fridericus fluctuantem Boëmiam causatus, Cruciferi exhaustam longo bello provinciam, nulla misêre. Poloni & Walachi equitum peditúmque non pauca, etiam cum semestri stipendio ministravêre. Cúmque Eugenius Pontifex piam Crucis militiam per omnes gentes prædicari jussisset, adfuit ingens voluntariorum multitudo, etiámque è Galliâ & Germaniâ. Motis castris, ubi transmissus est Danubius; post Sophiam urbem, (quam antiquam Sardicam, Concilij sub Constantio Imp. celebratione insignem, esse volunt) aliáque multa oppida capta, cùm propè adesse Turcos ad Moravam fluvium Rex Wladislaus intellexisset; præmissus ab eo Ioannes Huniades Vaivoda cum decem millibus equitum, qui eos per silentium noctis adoriretur; adeò feliciter rem gessit, ut triginta eorum millia occiderit, quatuor millia unà cum novem signis ceperit, cæterísque fugâ lapsis (centũ millium fuisse exercitum volunt) castra opulentissima diripuerit; vix quingentis è suis amissis. Procedentes ulteriùs Christiani, cùm ad fines Thraciæ & Macedoniæ pervenissent, iterùm ad montem Hæmum, alium exercitum hostium (quem Amurates ex Asiâ accitum, non ad pugnam, quam omninò prohibuit, sed ad vetandum, infessis montium angustiis, Christianorum transitum, Carambejo Asiæ præfecto, viro manu & ingenio prompto, ducendum tradiderat) grandi pariter cæde prostraverunt; ipso eorum duce Carambejo capto: qui perspectâ Christianorum præ suorum multitudine paucitate, & ex locorum difficultate, rerum penuriâ, & hiberni temporis inclementiâ, fatigatione; pugnæ prohibitione postpositâ pridie Natalis Christi in eos impetum fecerat. Cùm autem angustiæ montium à reliquis Turcis occuparentur, nec facilis esset Christianis transitus; ne quicquam Iuliano Cardinale, Georgio Despote Rasciæ, ipsóque Huniade, quinimmò & Rege patientiam exercitui suadentibus; necesse fuit eum in Hungariam reducere: Vbi Rex ingenti gaudio & sacrâ pompâ exceptus, Budæ nudis pedibus ex voto, priusquàm regiam adiret, Ecclesiam Beatiss. Virg. petens, signa hostium in eâ affixit. Quæ prolixè prosequuntur historici[k]; nonnihil tamen, ut fit, in quibusdam levioribus diversi: maximúmque harum victoriarum fructum esse volunt (præter Religionis Christianæ plurimis locis restitutionem) ut didicerint Turci posse etiam se à Christianis vinci; quod rarò hactenùs contigerat. Quare & has suorum clades levi cursu illorum Annales apud Leunclavium transiliunt; eas insuper non Christianorum virtuti, sed suorum ducum inconsiderantiis tribuentes. Nec tamen celamus, Æneam[l] Silvium, qui tunc secretarium agebat Friderici Cæsaris, de prædictâ Huniadis victoriâ breviter agentem scribere, Hungaros qui huic bello interfuêre, cupiditate gloriæ res suas ampliantes, ac de magnis majora tradentes, eidem Friderico scripsisse, triginta millia hominum cæsa, captáque multò plura; Iulianum autem Cardinalem sex millia duntaxat hominum ex prælio cecidisse suis literis affirmâsse, eíque fidem habitam: quinimmò & alibi[m], non nisi duo millia Turcorum occisa esse, & quatuor millia capta inter quos ductores tredecim fuêre, signa militaria novem, ex ejusdem Iuliani literis ad Fridericum scriptis asserit.

[k] Callim. de Reb. gest. Vvaladisl. lib. 2. Bonfin. 3. dec. 5. & 6. Thurosc. c. 40. Crom. lib. 21. & alij ex iis.

[l] Æn. de Europ. cap. 5.

[m] Id. ep. 44. & 81.

XIII. TURCOR. TERROR.

Ingentem tamen terrorem universo Orienti hinc illatum esse, vel inde constat, quòd cùm Ioannes Heinsbergius Leodiensis Episcopus (ut habetur in Historiâ ejus[n] Ecclesiæ) peregrinatione Ierosolymitanâ anno proximo susceptâ, libello quo commeatum se salvum conductum petebat, inter cæteros etiam titulum Ducatûs Bullionensis qui ad eam Ecclesiam pertinet, admiscuisset; Infideles eo titulo perterrefacti (ex memoriâ Godefridi Bullionensis, qui Ierosolymam Christianis vendicaverat) salvum-conductum negaverint. Fratribus autem Principibus Constantinopolitanis, quasi nihil de rebus Turcorum, in quorum medio versabantur, ad eos pertineret, inter se dissentientibus; etiam Demetrius junior ipsorum Turcorum auxilio Constantinopolim obsedit contra Ioannem Imp. & magnam cladem foris intulit; pace tamen paulò pòst inter ipsos confectâ: ut ex Phranze[o] intelligitur.

[n] Gest. Episc. Leodiens. Suffrid. Petr. cap. 18.

[o] Phranz. lib. 2. cap. 17. & 18.

XIV. SCANDERBEGUS TURCOS DESERIT, ET DITIONEM AVITAM RECUPERAT.

Erat in prædicto exercitu Turcorum, conflictúque ad Moravã, Georgius Castriotus Scanderbegus, de cujus initiis dictum superiùs[p]. Qui cùm defuncto patre, ejúsque ditione ab Amurate occupatâ, & veneno fratribus ejusdem Amuratis insidiis de medio sublatis, nullam reliquam spem haberet ditionem paternam recuperandi, quamvis ei promissam ab Amurate: in prædicto certamine, sive Haniadis fortitudine coactus, sive fictè retrò cedens quò faciliùs Huniades victoriâ potiretur; (utrũque enim scribitur:) post acceptam cladem, occasionem ipse arripiens rebus suis consulendi; quod jamdiù mente conceperat, jugum Turcicum excutere deliberans, secretarium Bassæ Turcici exercitûs ducis captum literas nomine Amuratis ad præfectos Croienses & Epirotas scribere coëgit, ut ipsi Scanderbego civitas & præfectura traderetur: moxque eundem secretarium aliósque Turcos rei conscios neci dedit, ut res diutiùs Amuratem celaretur. Deinde ingenti celeritate Croiam urbem paternæ ditionis caput adiens, cedente sponte ad fictum mandatum Amuratis præfecto, eam obtinuit maximo Croientium & omnium Epirotarum gaudio; Turcis inde, aliísque plurimis munitionibus & locis, aut pulsis, aut cæsis. Quo audito longè majorem ex eo dolorem Amurates animo concepit, ob tanti momenti virum amissum, quam vel ex ipsis exercituum suorum cladibus, vel quocumque alio graviori nuncio. Scanderbegus Christianitatem iterùm professus, cæterísque Albaniæ proceribus in societatem allectis, & in Principem seu Regem acceptus; recuperatâ universâ ditione paternâ, quinimmò & proximâ Turcorum ipsum invadentium occupatâ; sollicitatus ab Amurate literis ad pristinum obsequium, ipséque vicissim illum ad fidem Christianam amplectendam cohortatus, missos ad-

[p] An. 1431. XXXI.

versum se diversos exercitus, magnâ fortitudine cum modicis copiis profligavit: Donec & ipsemet tandem Amurates expeditionem in eum suscepit, de quâ dicemus suo loco. Cùm & interim habuerit Scanderbegus cum Venetis certare, occasione cujusdam successionis unius ex suis consanguineis: adeò ut ventum sit ad prælium, quo Veneti victi concordiam cum eodem posteà inierunt. Quæ cuncta prolixè in commentariis Vitæ ejus enarrantur, tredecim libris scriptis à Marino Barletio Scodrensi presbytero.

XV. LEONARDI ARETINI OBITUS.

Hoc anno ex vitâ decessit *Leonardus Brunus*, à patriâ dictus *Aretinus*, nobis sæpè citatus quoad historiam civitatis Florentinæ, multis aliis scriptis valdè illustris, Græcéque ac Latinè doctissimus; quem Æneas [q] magnum Etruriæ splendorem appellat, quo nemo post Lactantium Ciceroni proximior fuerit. Fuit olim Innocentij VII. brevium magister, pòst Florentinorum scriba: quâ in civitate obiit annos natus septuaginta quatuor. De cujus præthereà laudibus Bergomensis, Volaterranus, Trithemius, Iovius, & alij. Ei apud Florentinos successisse *Poggium*, idem Æneas subdit; virum & ipsum facundum, & utriusque linguæ peritissimum: cùm tamen ejus locum tenuisse *Carolum* item *Aretinum*, Leander [r] scribat, qui pariter doctrinâ excelluit. Cujus Caroli est elegans epitaphium de eodem Leonardo:

Postquàm Leonardus è vitâ migravit,
Historia luget, eloquentia muta est;
Fertúrque, Musas tum Græcas tum
Latinas, lacrymas tenere non potuisse.

[q] Æn. ep. 51.
[r] Leand. in descript. Ital.

IESU CHRISTI Annus 1444.
EUGENII IV. An. 14.
FRIDERICI III. An. 5.
IOANNIS VII. Ann. 26.

I. SCRIPTORES PUGNÆ VARNENSIS.

ANNO Christi 1444. Indictione septimâ, repensæ sunt Christianis gravissimo fœnore clades anno præcedenti Turcis illatæ. Quorum culpâ, judicabit prudens ac pius lector ubi rem gestam perpenderit: quam proprio commentario *De rebus gestis Vvladislai Regis & pugna Varnensi* Philippus Callimachus natione Tuscus, sed odio Pauli II. in Poloniam profugus, eleganter conscripsit; atque ex eo Bonfinius [a] in Rebus Hungaricis, & Cromerus [b] in Polonicis, (nonnullis tamen aliunde additis) uberrimè descripsêre; plurimique alij breviùs tractavêre.

[a] Bonfin. 3. dec. 6.
[b] Crom. lib. 21.

II. APPARATUS CHRISTIANORUM AD BELLUM TURCICUM.

Cùm igitur post insignes victorias anno superiori de Turcis ab Wladislao Poloniæ & Hungariæ Rege, auxilio & ministerio Iuliani legati Pontificij & Huniadis Vaivodæ partas, plerique Christiani Principes gratulati Wladislao Regi fuissent, & ad prosequendum bellum adeò feliciter inchoatum exhortarentur: Eugenius etiam Pontifex cum Venetis, Genuensibus, & Philippo Duce Burgundiæ, classem ad prohibendum Turcis ex Asiâ transitum obtulerunt: & Ioannes Imp. Constantinopolitanus viribus suis, quanquam debilibus, negotium iis in Thraciâ facessiturum promisit, Iulianus quoque Cardinalis nihil omittebat quo eamdem rem promoveret: & Georgius Despota lacrymis & precibus restitutionem suam instantissimè urgebat. Nec defuit ex ipsis barbaris Caramaniæ Princeps Asiaticus, qui bellum Amurati, ut olim consueverat, inferret, dum Christiani eum in Europâ persequerentur. Quibus additâ Scanderbegi defectione, de quâ anno superiori; his omnibus pensatis, cùm parvo negotio Turcicum Imperium oppressum iri speraretur, dissuadentibus licèt Polonis, qui ob crebras Tartarorum incursiones, & alia bellorum pericula Regem Wladislaum ad se revocare studebant, nihilominùs decreta est in Hungariâ prosecutio belli: missáque ex Italiâ classis septuaginta triremium, cui præfectus est Franciscus Condulmerius è patricio Veneto & Eugenij Pontificis fratris filio Cardinalis Camerarius & Vicecancellarius, ingenio & virtute præstans; (malè nonnulli Albertum Albertium Cardinalem Florentinum huic classi præfectum scripsêre; adscriptúmque reperitur in ipsius recenti epitaphio: nisi dicamus adstitisse etiam ipsum Franciscо, quod apud nullum antiquorum reperimus:) qui in Hellespontum navigans, portus occupavit & littora, nequa ex Asiâ auxilia transmitti possent. De cujus adventu Constantinopolim est etiam testimonium Phranzis [c] Græci.

[c] Phranz. lib. 2. c. 8.

III. FOEDUS CUM AMURATE ICITUR.

His territus Amurates Turcorum Imperator, ad tot ac tantos conatus & militares apparatus, quibus par esse diffidebat, dissipandos, de pace cogitans, cui numquam aures præbere, præ cupiditate propagandi imperij, & odio Christianæ religionis, acquieverat; missis nunciis specie redemptionis Carambei captivi, Despotæ clàm, si pax ejus operâ sanciretur, filiorum & principatûs restitutionem promitti jussit: hícque mox iis delinitus, re cum Huniade communicatâ, promissísque ei Turcorum nomine pro Carambejo quadraginta (seu ut alij, quinquaginta) millibus aureorum, & nonnullis oppidis quæ in Hungariâ occupabat, eundem ad pacem inclinâsset: facile fuit etiam Regem ad eam inducere. Quæ demùm (seu inducias dixeris) mense Iunij in decennium pacta est his conditionibus; ut Amurates Bulgariam haberet, cætera omnia iis partibus ab eo occupata iis restituerentur, quorum juris fuerant ante bellum: Captivi utrimque solverentur, imprimísque Despotæ filij: iísque exequendis dies præstituta. Dolente quidem ad hæc vehementer Iuliano, eò quòd ejus potissimùm operâ fœdus in Italiâ ad immittendam classem ictum fuisset, cujus forent hâc transactione irriti apparatus: sed nihilominùs non habente quo cæterorum omnium unanimem consensum vinceret. Cùm autem ventum est ad pacta firmanda, petentibus Turcis ut prolatâ in medium sacrâ Eucharistiâ Rex ad eam juraret; cæteris plerisque minimè adversantibus, Gregorius Sanoceus Polonus homo quidem plebejus, sed magnæ pietatis & Doctrinæ, necnon apud Regem auctoritatis, posteaque Episcopus Leopoliensis, minùs approbans hoc fœdus; fœdiúsque existimans si sacrosanctum divini mysterij arcanum sub profanorum

oculis proferretur; præclarâ oratione omninò restitit ne id fieret: minori namque ipsos facinore per ignaviam domi inermes sedendo pati potuisse mysterium Christianorum profanari, quàm nunc essent armati prodituri: multis aliis modis stabilitati conventorum caveri posse; quamvis ad fidei pignus regium verbum satis esse deberet: ad extremum relicturum se profanata castra, si eo modo Rex juraret. Qui cùm tam verè quàm è religionis majestate dixisse visus esset, constitutum est, ut Rex super Evangeliorum libro, Turci super Alcorano jurarent.

IV. Tractatur de illo rũpendo.

His peractis, Francisci Cardinalis, qui in Hellesponto Latinæ classi præerat, literæ allatæ sunt, Amuratem exinanitâ ferè Europâ cum omnibus copiis in Asiam adversùs Caramanum trajecisse, occasionémque maximam oblatam esse facilè recuperandi quicquid in Europâ fuerat amissum: Meminisset Rex Wladislaus fidei sponsionísque Principibus Christianis factæ, properarétque cum promissâ expeditione, quando illi quoque, quod suum erat, auxilia præmisissent. Allatæ sunt pariter ab Imperatore Constantinopolitano literæ, id ipsum urgentes, significantésque se cùm tentaretur à Turco de fœdere, non solùm repudiâsse conditionem, verùm etiam hostilia ultrò intulisse, & in armis esse: Omnia per dolum ac fraudem ab oratore Turcico in fœdere transacta: non committendum ut gloriosa initia vecordi negligentiâ fœdarentur. Quibus acceptis & consideratis, tanta mox Regem cunctósque proceres facti pœnitentia incessit, ut nullius umquam rei vehementiùs puderet, pigerétque: cùm eorum obversarentur oculis species gratulationum, quibus tot Regum populorumque veluti publico consensu paulò antè tanquam Christiani nominis servatores excepti fuerant; & secutura ex hoc fœdere perpetua apud omnes ignominia: meminissétque obligatam priùs abs se fidem Eugenio Pontifici, Palæologo Imperatori, Græcis simul Latinísque, absque quorum scitu consensúve ob præsentem quamdam utilitatem impium fœdus pepigissent; cùm tamen implorata ab iis auxilia præstò essent, quæ nisi per summum scelus in discrimine, in quod pellexerant, relinquere non poterant. Præter quæ videbatur etiam quædam causa repudiandæ concordiæ, quoniam Turci ad constitutam diem neque captivos omnes solverant, nec oppidis quibus ex fœdere oportuit, cesserant.

V. Iuliani Card. oratio contra foedus.

Itaque Iulianus Cardinalis Legatus apud suspensos animos occasionem suam adesse ratus, magno eloquentiæ vigore, quo maximè præstabat, considerare jussit in quas miserias præceps consilium ipsos conjecisset: pacem cum Turco fecisse infideli, ut sanctam Fidelium fidem violarent, & sacrosanctum cum Summo Pontifice sociisque Principibus initum antè fœdus rescinderent; idque exiguæ & calamitosæ utilitatis gratiâ, ut Mysiam diù populatam recuperarent, quæ rursùm ad breve tempus intercipi posset. Quare cùm superiore anno cum Pontifice Maximo qui Christi Dei vicem gerit in terris, cum Palæologo Imperatore, cum Italis & Græcis fœdus iniissent: si humani, si rationis compotes, si Christiani essent, secundùm omninò fœdus rescindendum eis esse, ne primum & divinum violarent. Quid Imperatori Constantinopolitano, qui ex composito jam à primo tempore fuit in castris, & ipsorum in tantâ opportunitate expectabat exercitum? quid Pontifici Maximo; quid Venetis & Genuensibus, qui classem instructam habebant, ut constitutum fuerat? quid Burgundionibus, qui ardore fidei ex Oceano diù solverant, & tot pericula maris emensi, jam in Hellesponto navigabant, responsuri essent? Adfuisse se quidem cùm execrabile id fœdus ad Christianæ Reipublicæ exitium ictum est: verùm quantum in se fuit ne id fieret intercessisse, improbâsse, & instantissimè damnâsse. Victum se fuisse Huniadis sapientiâ & auctoritate, Despotæque commiseratione: ac ne commodorum populi Hungarici & proximorum oppugnatorem quisquam ipsum appellaret, tristem & invitum cessisse; haud inscium, hinc salutem Christianæ Reipublicæ labefactari, spem gloriæ & immortalitatis extingui; ipsósque omnes pariter divini humaníque fœderis violatores, perfidos, & Christianæ gentis proditores appellari. Quare, antequàm ipsorum perfidiæ rumor longiùs effunderetur, se ipsos ab hâc infamiâ vindicare debere: Fas esse quandoque publicæ salutis gratiâ, neque stare pactis quæ illi contraria, neque perfidis fidem servare: Æquum & justum jusjurandum, omnium judicio esse sanctè servandum; quod autem non modò ad privatum, sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debere: Displicere Deo stultam & infidelem promissionem: Nefarium & detestabile esse, Pontificis & Christiani fœdeis violare sanctitatem: Deum, si aliter facerent, acerrimum violatæ fidei fore vindicem: Nihil Christo Domino gratius, ipsísque gloriosius futurum, quàm occupatas a Turcis provincias à ferâ illorum servitute vindicare: hanc opportunissimam occasionem prætereundam non esse, quâ nulla umquam commodior dari posset: Ac ne quâ Rex procerésque tenerentur jusjurandi Turcis præstiti religione, eâ se illos auctoritate Pontificis, cujus legatione fungebatur, liberare.

VI. Decernitur bellum in Turcos.

Quæ cùm Iulianus, aliáque ad rem spectantia, magnâ vehementiâ perorâsset; adeò à paucis ejus oratio non est probata, ut ex concione totâ fremitus audiretur deposcentium bellum, asserentiúmque succurrendum esse iis quos in belli societatem attraxissent, etiamsi parùm prosperè res eventuræ forent: satius enim esse pro Christianâ religione occumbere, quàm desertâ illâ & proditâ indecoram vitam trahere. Quibus nec Despotes, aut Huniades adeò fortiter restiterunt; ille facilitate invitatus, quæ in debellando apparebat; hic regni Bulgariæ post victoriam sponsione pellectus. Misso igitur abrogationis fœderis Turcici decreto ad Imperatorem Constantinopolitanum, & Franciscum Cardinalem classis præfectum, ne cœpta desererent; Rex undecimo Calendas Octobris Segedino movit, sed copiis paucioribus quàm anno superiore: quippe & volonum minor numerus accurrerat, propter vulgatum fœdus cum Turcis, & multi etiam inter agendum de concordiâ dimissi Poloni & Walachi, quos futura pax

Movent Christiani in hosticum.

parùm necessarios redditura videbatur. Trajecto ad Orsavam Danubio, expositóque in Bulgariâ exercitu, licet undique circa iter oppida pleraque arcésque Turcorum præsidiis tenerentur; non ad prædam milites discurrere, non hostibus insultare, non bellicæ quicquam cladis inferre agris Rex patiebatur. Constituerat enim minimè tempus aut vires suas præconsumere, priusquàm conjungeret se cum navalibus copiis ad Hellespontum. Tantùm cùm ad Nicopolim Bulgarorum metropolim ventum esset, quoniam collatas illuc belli trepidatione provincialium divitias rumor erat, exercitus contineri non potuit, quin per suburbana discurrens ad prædam etiam in ipsas portas faceret impressionem; sed mœnibus strenuè defensis ab oppugnatione cessatum est. Dum moram ibi traherent reficiendis militibus & jumentis, Dracula Walachiæ, quam Montanam vocant, princeps magnitudine animi & rebus gestis præclarus, ne in servitutem Turcorum, quorum sine ullis externis auxiliis bellum diù toleraverat, nimis attenuatis jam viribus incideret, ad hanc expeditionem, veluti ad præsentem salutem accurrens; ubi militum paucitatem animadvertit, Regem obtestari cœpit ne ultrà contenderet contra potentiam Turci, qui cum majori propemodùm servorum manu venatum prodire soleret, quàm Hungaricæ nunc essent copiæ: cùm & insuper sævitia hiemis instaret, quæ vix superari posset: ac proinde ad primum tempus legiones reservandas esse, & quærenda interim cum supplementis externorum auxilia. Cùm autem Regem spe auxiliorum Græcorum & Italorum fretum, ab itinere se revocare non posse cognovit, ne ipsi eo periculo deesset, quatuor millia equitum cum proprio filio copiis regiis adjecit. In Thraciam deinde Rex iter convertens, cùm in itinere Turcorum quædam præsidia diripienda militibus concessisset, grassatum est etiam ab iis per summam licentiam in templa & sacra Bulgarorum Græcorúmque, magno Regis dolore: qui edixit vulgò inquiri, ac restitui desiderantibus; nullius magis quàm ipsorum interesse asseverans, abstinere manus à sacris pro quibus arma sumpsissent.

VII. Amurates occurrit Christianis.

Cladibus post hæc nonnullis cum cæde non parvâ Turcis illatis, à Francisco Cardinale præfecto classis literæ allatæ sunt, nunciantes Amuratem, aut elusis arte, aut corruptis pretio speculatoribus qui littora servabant infra Gallipolim, quà fauces Hellesponti arctissimæ sunt, ingenti multitudine militem reduxisse in Europam & conjunxisse cum aliis qui non procul ab Isthmo Thracij Chersonesi convenerant. Qui confestim magnis itineribus obviam Christianis pergens, eos apud *Varnam* Mœsiæ Inferioris urbem ad Pontum Euxinum (quam nonnulli Dionysiopolim, alij Odyssum antiquorum fuisse volunt) castra posuisse invenit. Cùm postridie pugnandum fuit, Rege nonnihil ex furunculi in sinistro crure molestiâ laborante, ac nihilominùs certamen ingenti animo conclamante, quamvis Iulianus Cardinalis securiùs judicaret illud differre donec & hostium vires præcognitæ ac prætentatæ fuissent, certíque aliquid de classe & Græcis haberetur; multique cum eo censerent: prævaluit tamen Despotis & Huniadis temeraria audacia, quâ confestim certandum esse volebant. Commissâ igitur eidem Huniadi acierum ordinúmque dispositione, factum est *Prælium* celeberrimum *Varnense* decimâ die Novembris, in vigiliâ S. Martini; (ipsammet diem S. Martini nonnulli ponunt, sed plures vigiliam) Christianis vix sexdecim millium armatorum numerum explentibus, Turcis ampliùs sexaginta: (viginti tamen Christianorum, octoginta vel etiam centum Turcorum, quidam fuisse volunt:) quo post acerrimam diversis locis longámque pugnam, quâ variâ admodùm fortunâ nunc Christiani nunc Turci victores visi sunt; ubi Rex, nequicquàm eum conato retrahere Huniade, præ juvenili audaciâ & victoriæ ardore inter confertissimos hostes sese ingerens, & cunctis obviis dextrâ lævâque prostratis, ad Ianizaros Regis sui custodes penetrans, confosso equo inter medios eorum enses cecidit, iisque non tam cæsus quàm obrutus est: tunc demùm qui de salute suâ Regísque sui desperaverant Turci, resumpto animo fugantes se fugare cœperunt; plenâque demùm victoriâ nescientes potiti sunt: cùm plurimi eorum primùm à Rege fugati, Christianorum victoriam in proxima oppida divulgâssent: qui verò ad finem usque prælium pertulerunt, non usquequaque se vicisse rati, ac nescij quonam locorum se Christiani à fugâ recepissent, insidias aliquas suspicati, biduo à castrorum direptione se continuerint: prudentiores etiam hâc parte Christianis; è quibus fuêre qui in ipso conflictu à fugientium Turcorum cæde ad prædam animos revocantes, non parvam hostibus præbuerunt propriæ cædis opportunitatem.

Prælium Varnense.

Christiani vincuntur.

VIII. Amurates Deum ultorem violati foederis invocat.

Tradit autem Bonfinius, Amuratem cùm suos ab Wladislao Rege non sine magnâ cæde fugari conspicaretur, depromptum è sinu codicem initi cum ipso fœderis explicâsse, & intentis in cœlum oculis, *Hæc sunt*, dixisse, *Iesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum percussêre, per nomen tuum sanctè jurantes: Nunc si Deus es, tuas meásque hîc injurias, te quæso ulciscere, &c.* vixque hoc dicto, prælium contra Christianos inclinare cœpisse. Quæ tamen putamus oratoriè magis quàm verè dicta: voluisséque ornatiùs & copiosiùs referre, quod Callimachus, à quo ipse sua deprompsit, breviter dixerat, Amuratem suos in medio conflictu adhortantem dixisse, Deum fœderis testem, formidinémque fugámque & cædem in pacis fideique violatores conversurum. Invocâsse quidem sua numina, opémque in ultimo periculo implorâsse, etiam Turcici Annales, ut pòst videbimus, tradunt. E Turcis minimùm triginta millia periisse dicuntur, cùm quidam numerum valdè augeant: Christianorum vix tertiam partem evasisse; reliquis non tam acie cæsis, quàm ad lacunas & paludes mersis, vel in silvis vepribúsque occisis, per ignota fugientibus loca: præter illos qui in castris reperti ad unum omnes seu saucij seu integri fero more trucidati sunt, & qui in reditu fame, siti, frigore, lassitudine, cæterísque malis absumpti, vel ad hostilia loca delati in servitutem rapti sunt. Corpus Regis Amurates eodem campo ubi pugnatum fuit

Wladislai Re-

GIS OCCISI CORPUS HONESTÆ SEPULTURÆ TRADITI.

sepulturæ tradidit, appositâ ad caput columnâ modicæ altitudinis cum inscriptione rei gestæ; sive in trophæum partæ victoriæ, sive in honorem eximiæ Regis fortitudinis : qui multis insignibus virtutibus, magnisque animi & corporis dotibus præditus, justitiæ ac religionis cultor eximius, abstemiúsque paucis antè diebus annum ætatis vigesimum excesserat; longiori vitâ & immortalitatis gloriâ dignissimus. Despotes ubi rem inclinatam vidit, maturè aufugit. Huniades quoque post Regem occisum, cùm nequicquàm corpus recuperare tentâsset, Hungariam versùs sumpto itinere, in Walachiâ à Draculâ Vaivodâ præter opinionem aliquot diebus detentus est; sive ut Turcis aliquantulùm gratificaretur, quibuscum paulò antè fœdus inierat; sive filio, quem cum quatuor millibus equitum hortatu Huniadis miserat, nondum reverso timebat. Paucis tamen pòst diebus muneribus donatus dimissus est : qui in Hungariam celerrimè se recepit, ne aliquid per mortem Regis innovaretur, & ut esset qui Varnensem cladem & ignominiam aliquando vlcisceretur. Iulianus Cardinalis in confertissimâ pugnâ, sive in castris occisus; seu etiam inter fugiendum cæsus; vel denique à transalpino naviculatore, cùm per Danubium veheretur, propter aurum quod secum ferebat occisus, & in profluentem nudus projectus periit. Misero enim tot modis auctores illudunt, & in eum conclamant, quasi auctorem infelicis expeditionis. Iure verò, an injuriâ, ut initio hujus narrationis diximus, judicent æqui lectores. Quem sanè si nos defendendum susciperemus, in Huniadis potiùs temeritatem, necnon in Græcorum aliorúmve sive incuriam, sive etiam proditionem, aut pusillanimitatem, præcipuam cladis culpam rejiciendam autumaremus : vel denique ultioni divinæ de occupato contra jus fasque ab Wladislao Rege alieno regno. Sed cùm res ex eventibus judicantur, perit omnis rationis ordo.

IULIANI CARD. CASUS.

IX. ÆNEÆ IN HIS FIDES.

Et quoniam hujus infaustæ expeditionis historiam longiùs traximus quàm pro more; nequid insuper præcipui ab eâ pereat, agè prodeat item in medium prædictis omnibus auctoribus antiquior, & auctoritate major, qui non in gratiam gentis alicujus; aut aliquorum Principum, ut illi, sed simplicis veriorísque narrationis causâ uti accepit cùm res gererentur memoriæ mandavit; nemini parcere sciens, sicuti nec ut credere licèt cuiquam imponere. Æneas nempè Silvius, posteà Pontifex : qui cùm ab electione Felicis Antipontificis secretarium ejus egisset, usque ad coronationem Friderici Cæsaris Aquisgrani ante biennium factam : eo tempore laureâ coronâ poëtarúmque privilegiis donatus, in familiam Cæsaris munúsque secretarij receptus est, (ut ipsemet testatur, aut pro illo Gobellinus [d]) ac proinde quæ per orbem gererentur apprimè scire potuit, & veraciter eloqui : quamquam quæ scribit à Polonis præcipuè accepisse videatur Hungarorum æmulis; seu verè res ita transacta fuerit, & Hungari dissimulaverint, aut oblinierint.

[d] Gobell. commentar. lib. 1.

X. [e] Æn. Europ. cap. 5.

Is igitur de hoc bello agens [e], ait Turcos, post anni superioris Christianorum victoriam, cùm non Hungaricas tantùm vires, sed Germanicas quoque in se commotas arbitrarentur; consternatos ac perculsos metu, perinde ac totus occidens conjurâsset, pacem petiisse : atque Hungaros qui suas vires non ignorarent, nec tam potentiæ suæ quàm casui victoriam imputarent, periculosum existimantes sæpiùs tentare fortunam, oblatas ultrò conditiones pacis non recusâsse. Molestam eam rem Iuliano Cardinali fuisse, cui prosequenda victoria videbatur, Eugeniúmque Romanum Pontificem, cujus menti nulla major cura insidebat quàm Christianæ fidei propagandæ, re auditâ scripsisse Iuliano, nullum valere fœdus quod se inconsulto cum hostibus religionis percussum esset : Wladislao Regi, uti conventa dissolveret, imperâsse : juramenta remisisse : novum instaurari bellum tum precibus, tum minis extorsisse : Ex Christianis Principibus auxilia petiisse : præter Philippum tamen Burgundiæ Ducem, neminem Christianæ religionis zelo commotum esse : hunc solùm classem instruxisse, quæ usque in Hellespontum profecta, Turcis ex Asiâ transitum prohibere in Europam conata est : (Qui res Philippi descripsêre, hoc insigne illius pietatis & magnanimitatis monumentum, cujus etiam Callimachus, & Bonfinius meminerunt, ignorantes, aut confundentes; tradunt tantùm eum anno sequenti tres triremes Rhodum versùs in subsidium Christianorum à Turcis laborantium misisse :) Franciscum Cardinalem Venetiarum Eugenij nepotem cum pluribus triremibus eò missum classi præfuisse : Wladisiaum, qui alienum regnum invasisset, accersitis nonnullis auxiliis Turcorum agros invadere statuisse; Ioanni Huniadi castrorum curâ commissâ; in quibus quadraginta equitum millia fuisse nonnulli dicerent, plerisque dimidio minorem numerum prodentibus : Iuliano Cardinale milites Crucesignatos non paucos secum ducente : Vbi in Mysiam ventum est, Amuratem eorum cognito adventu, cùm Græcis & Turcis in Europâ manentibus non satis confideret, exercitum ex Asianis militibus comparâsse : Anxio animo de trajiciendo freto, quod à classe Apostolicâ obtinebatur, quosdam Genuenses suis navibus acceptâ pecuniâ transportare copias promisisse; transportasséque per angustissimum fretum, quo non ampliùs quàm stadiorum quinque latitudo est, aureo nummo per capita accepto.

EJUS DE PRÆDICTO BELLO NARRATIO.

XI.

Ita Æneas : meminimúsque nos [f] aliis occasionibus hujusmodi per Genuenses mercatores factæ Turcorum transvectionis : quam sunt qui ex Chalcondyle [g] & Leunclavio referre velint ad aliam anteriorem transmissionem Amuratis adversùs patruum Mustapham. Hoc autem tempore quomodò vel quo navigio ex Asiâ transmiserit in Europam adversùs Christianos, non quidem explicat Chalcondyles [h] : nisi quod ait, cùm animo agitaret quâ ratione posset classis Christianæ impetum evitare, cùm in angustias Hellesponti pervenisset, non ampliùs eam invenisse, quoniam vehementissimo vento coorto pulsa aliò fuisset, sícque ipsum absque ullo impedimento facilè transmisisse. Sed explicant Annales Becchani Turcorum, & Verantiani apud Leunclavium [i], dum referunt cernentem Amuratem impeditum esse transitum Gallipolis à classe Italo-

[f] Suprà an. 1349. VIII. 1422. XII.
[g] Chalcond. lib. 5. Leunclav. lib. 13.

GENUENSIUM IN HIS CULPA.

[h] Chalcond. lib. 6 in fin.
[i] Leunclav. lib. 14.

rum, versùs Constantinopolim profectum esse, & apud Galatam, quæ à Genuensibus possidebatur, è regione Neocastri mercatorum Italorum navigiis in Europam trajecisse. Horúmque Annalium testimoniis intelligas, Genuenses, quibus nominatim rem Æneas tribuit, bis in id ipsum peccâsse. Quod si nunc fecerint, sanè pessimè de totâ meriti Republicâ dici debent, per quorum turpissimam avaritiam factum fuerit ut Turci non universâ exciderint Europâ: sicuti & olim vidimus ipsorum ac Venetorum obstinatissimis odiis atque dissidiis Christianos toto Oriente pulsos fuisse. Ne tamen eos in Æneæ memoriam de hujus Bosphorani transitûs testimonio concitatos relinquam; aut omninò noxios obtrudere videar, quos alio loco idem Æneas non penitùs damnatos voluerit; profero ex quâdam ejus [k] ad Episcopum Pataviensem epistolâ, quod ait quosdam asserere Magnum Turcum (ut vocat) ingentes copias suas Genuensium navibus transmisisse: se tamen ejus rei periculum ad se non recipere; nec sibi persuasum esse tantâ quempiam avaritiâ fore ut Christianum sanguinem pecuniâ vendat, nisi quem diabolus in modum Iudæ sibi subjecerit. Videant Genuenses, an talem dominum habuere voluerint. Sed quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? At Zygomalas [l] Græcus clarè, Græcorum Imperatorem minis territum Chalibassæ ducis copiarum Turcicarum Occidentis, missâ trireme Amuratem traduxisse, scribit. Sed de his plus satis: jam ad alia.

[k] Æn. ep. 81.

[l] Turcogr. l. 1.

XII. RELIQUA ÆNEÆ NARRATIO PRÆLII VARNENSIS.

[m] Æn. Europ. cap. 5.

Pergit Æneas [m], cum ad Varnam nunciatum esset adventare innumerabiles Turcorum copias, cedendum Wladislao Cardinalique visum esse; & ne circumveniri possent munitum montanúmque locum petendum: Sed resistente Huniade, Turcorum se nôsse vires dicente famam semper majorem esse; quòd si Turci omnes adessent, Hungaris tamen impares fore; vicisse ejus sententiam ut expectarentur hostes; cùm verò posterâ die hostium exercitum contemplatus esset, territum eundem Huniadem de fugâ Regem admonuisse: Regem serum consilium arguentem, perniciosam magis fugam quàm pugnam dixisse: magnifica ejus pridiana verba plenum irarum exprobrâsse; jussisque omnibus arma capere prælium expectâsse: Itum esse ferocibus utrimque in pugnam animis: superiorem aciem Christianorum Turcos in fugam vertisse: perculsum eâ re magno metu Amuratem fugere protinùs voluisse, nisi circumstantes Satrapæ comprehenso ejus equi freno fugienti necem comminati fuissent: perstitisse ergo vel invitum, ac prœlium instaurâsse: Pugnatum esse summâ contentione pluribus horis, nunc Christianis, nunc Turcis propinquiore victoriâ sese præbente: quousque non tam virtute quàm numero superati Christiani, paulatim referre pedem cœpêre: Tum Wladislaum cum globo fortissimorum in colle ubi Amurates consederat impetum fecisse; unde illi novus injectus pavor; trepidatum totis castris, ut non jam consistendi animus adesset: Quòd si Huniadi par animus ac Regi fuisset, & arridenti fortunæ dedisset manus, haud dubium quin ea dies & Amurati vitam, & posteris ejus imperium Græciæ abstulisset: Verùm ut primùm cedere Christiana signa conspexit; cùm decem millibus Hungaris ac Walachis ex acie se subtraxisse; atque insalutato Rege, nutante adhuc victoriâ, fugam arripuisse: fortasse quòd rei militaris perito nulla in pugnâ salus videretur, & salvare aliquos quàm perire omnes maluisset: Wladislaum suæ sorti dimissum, dum fortiter circa munimenta hostium pugnaret, equo dejectum obtruncatum esse: caput ejus hastâ infixum per circuitum in signum victoriæ ostentatum; quem nihilominùs Poloni jam peracto bello pluribus annis vivere crediderint, captum non interfectum arbitrati: Polonos ad unum omnes cæsos; (quosdam tamen excipit Cromerus) Episcopos & proceres Hungariæ qui aderant oppressos.

HUNIADIS CULPA.

XIII. IULIANI CARD. INDIGNUS FINIS.

De Iuliano Cardinale ait; dum fugeret amisso prœlio, cùm jam hostes evasisset, Hungarorum manus evadere non potuisse: potum equo dantem apud stagnum fortè repertum, à latrunculis quibusdam notum, arbitrantibus pecuniam apud eum esse, dejectum equo necatum esse, & ablatis vestimentis nudum cadaver feris ac volucribus dimissum: Húncque exitum fuisse viri magni & admirabilis, in quo nescires doctrina major an eloquentia fuisset: gratam hominis præsentiam, blandos mores, vitam in omni ætate nitidam; religionis zelum, qui omnia pro Christo & mortem ipsam verè suasisset: Cardinali Venetiarum hujus culpam cladis magnâ in parte imputatam esse, qui neque fretum, uti par fuerat, custodisset, neque transvectos hostes Christianis ducibus maturè nunciâsset. Ita Æneas: qui item alibi nomine Gobellini [n] de Iuliano refert, tribus sagittis vulneratum inter fugiendum apud quandam paludem nobilem exhalâsse spiritum. Vt sic demùm verum apparueruit quod de eodem idem Æneas ante hæc ad amicum scribens [o] dixerat, non consuevisse illum fortunatum esse in bellis, sicut Boëmia olim ostendisset. Mortuus autem est ætatis anno quadragesimo sexto; de cujus virtutibus plura multi alij [p] elocuti sunt: scriptáque ab eo composita ab aliquibus [q] recensentur, egimúsque nos de illis jam superiùs. Eundem Chalcondyles [r], hoc bellum pariter describens, ejúsque necem memorans, virum optimum appellat. Regis verò Wladislai necis causam tribuit nonnullis è suis, qui invidentes Huniadi (quem ipse Choniatem à patriâ vocat) Turcorum acies ingenti fortitudine prosternenti, Regi etiam persuaserunt, ut & ipse gloriam consequeretur, in ipsummet Amuratem irrumpere: Amuratem fugere voluisse, sed ab aliquo conviciis eum onerante detentum esse: Qui caput Wladislai Regis abscidit, multis opibus & magnis præfecturis donatum posteà esse; Huniadem in fugâ detentum à Dracule, quòd ipsius hostis esset; sed metu minarum Hungarorum dimissum esse, etiámque cum muneribus; quem nihilominùs postmodùm Huniades persecutus ad necem usque fuerit, quod & cæteri æquè tradunt. Phranzes [s] quoque Regem arguit quòd noluerit acquiescere Huniadis consiliis, eum à prœlio retrahere enitentis. Denique longè plures Huniadem excusant, quàm accusant:

[n] Gobel. commentar. l. 12.

[o] Æn. ep. 8. in fin.

[p] Vide Addit. ad Ciaccon. in Iulian. sub Mart. V.

[q] Nomenc. Cardin.

[r] Chalcond. lib. 7.

CHALCONDYLIS GRÆCI RELATIO.

[s] Phranz. lib. 2. c. 18.

inexcusabilis tamen meo sensu censendus omninò, si ante Regis necem prælium deseruit, pro cujus defensione vitam profundere debuisset.

XIV. QUID DE HIS TURCI.
[t] Leuncl. Annal. Turc. lib. 14.

Quid verò Turci de hujusmodi expeditione in suis Annalibus habeant, narrans Leunclavius [t], ait Amuratem post pacem cum Christianis anno superiori factam, decrevisse mundo valedicere, Imperiúmque filio suo Mahometi relinquere: ac propterea recessisse Manissam oppidum, olim Magnesiam Ioniæ, reliquum vitæ quietè traducturum: sed redintegrato bello, coactum fuisse à suis proceribus ob juniorem filij ætatem administrationem resumere: In prælio Varnensi cùm trepidam suorum fugam cerneret, immotum permanentem sublatis ad cœlum oculis, Deum, suúmque Mahometem, omnésque quos suæ sectæ sanctos colebat invocâsse pro victoriâ; ac confestim Regem Wladislaum temerariè in ipsum Amuratem prorumpentem lapsum esse ac peremptum: ejúsque capite hastæ affixo per exercitum ostentato, Christianos territos per Huniadem rursùm ad pugnam animatos esse; donec hostiles acies redintegratas & multiplicatas intuens fugam arripuit. Amuratem Adrianopolim reversum, iterùm dominatione se abdicâsse: (ex voto, ut multi cum Chalcondyle volunt, in extremo prælij periculo facto:) verùm occasione cujusdam seditionis militaris denuò resumpsisse. Quod tamen ipsum privatæ vitæ impatientiâ, arte & industriâ Chatitis, sive Chalitis potentissimi Bassæ, adeptum esse, Mahometémque filium facilè ei Imperium dimisisse, reservatâ tamen animo in Chalitem vindictâ, idem Chalcondyles scribit. De quo prætereà habet Æneas [u]; post victoriam nulla inter suos magnifica verba jactâsse, neque ut antè assueverat hilarem vultum ostendisse: Interrogatum quídnam tristior esset, & cur non victis hostibus exultaret? *Nollem* (dixisse) *hoc modo sæpius vincere.* Quare nec victoriam ultrà prosecutus est, sed quietè Adrianopolim revertit: modestiâ an metu sequioris fortunæ: & petitam à Ioanne Imperatore Constantinopolitano pacem ultrò concessit, servavítque usque ad obitum.

AMURATIS MODERATIO IN VICTORIA.
[u] Æn. d. c. 5.

XV.
[x] Crom. l. 21. in fin.
POLONORUM ADOLESCENTUM EGREGIŪ FACINUS.

Addimus demùm pro corollario ex Cromero [x]; duodecim ingenuos adolescentes Polonos, cùm ab Amurate ex omni captivorum numero propter eximiam formam secreti, ut circumcisi pro catamythis & cinœdis essent, in cubiculum tyranni deducti fuissent, in necem ejus conjurâsse: peracturos omninò facinus præclarum, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem unum socium consilij adhibuerant proditi fuissent: At eos tamen, ubi rem palàm esse cognoverunt, ne tyranni sive libidini, sive crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis, armatos inter se concurrisse, & mutuis vulneribus fortiter cecidisse. Sed jam tandem à luctuosâ & prolixâ hujus cladis narratione (de quâ ultimò cave omninò ne Spandugino Constantinopolitano eandem describenti credas: nihil enim quàm meras hallucinationes habet:) ad pacem Ecclesiæ promovendam stylum convertamus: pòstquam tamen dixerimus, etiam hoc anno Sultanum Ægypti insulam Rhodū invasisse urbémque obsidione cinxisse, sed virtute Militum repulsum esse cum ignominiâ: uti videre est in Historiâ Rhodianâ Bosij [y].

RHODUS DEFENDITUR AB INVASIONE SULTANI.
[y] Bos. lib. 6. tom. 2.

XVI. CONVENTUS NUREMBERGENSIS DE SCHISMATE.
[z] Æn. 87. in fin. & Comment. lib. 1.

Cùm anno superiori, ut vidimus, Fridericus Cæsar reliquos Principes Christianos literis hortatus esset oratores suos ad conventum Nurembergæ pro tollendo schismate indictum mittere; pauca tamen sunt quæ tunc ibi facta reperimus, ut plerumque aliàs ejusmodi conventibus. Refert Æneas [z] qui adfuit, venisse utriusque partis Eugenianæ &. Felicianæ oratores: Episcopum quoque Virdunensem ex parte Ducis Burgundiæ oratione habitâ magnoperè suadere nisum, ut Fridericus cum totâ natione Eugenio adhæreret: Exin placuisse ut Cæsar quatuor viros eligeret, quilibet Elector duos, & alius quivis Princeps unum, qui auditis Eugenij ac Felicis oratoribus providerent nequid Respublica Christiana detrimenti pateretur. Denique ex variis ejusdem auctoris eo tempore scriptis epistolis, ejusdémque commentariis intelligitur, nihil prætereà actum esse, quàm ut Romam ad Eugenium, & ad Felicem Basileenséque mitterentur oratores, qui eos ad novum Concilium, aut alium concordiæ modum hortarentur; & ut novus conventus anno sequenti Francofordiæ ageretur: Fecundas [a] enim esse omnes Germanorum diætas; quamlibet in ventre aliam habere: & sicuti phœnix avis, dum fatum sibi instare sentit, rogos suos instruit, ex cujus cineribus mox altera surgit, & semper unica phœnix est; ita neque diætam fieri quæ diætam non pariat: fortè (ut jocari Æneas delectatur) quia [b] femineum est nomen, libenter imprægnari diætas ac parturire: Ac ne hæc consuetudo periret, Concilium Nurembergense quod erat inditum neutri generis, quod non poterat concipere, quia fortassè finem dedisset in rebus Ecclesiæ, sublatum esse, & ad diætas reventum prolificantes, ut in æternum fierent conventiones, manerétque neutralitas, dulce nonnullorum aucupium; quia [c] seu juste seu injuste quis quid teneret, repelli non posset, & Ordinarij pro suo arbitrio conferrent beneficia.

[a] Id. ep. 72.
[b] Id. ep. 92.
[c] Id. ep. 65.

XVII.
[d] Monstrel. vol. 2. c. ult.

Intereà factis inter Francos & Anglos aliquibus induciis, quarum conditiones Monstreletus [d] Historiæ suæ inseruit; (quæ subinde in quinquennium prorogatæ fuere:) pactóque matrimonio, spe pacis, Henrici Sexti Angliæ Regis cum Margaritâ filiâ Renati Ducis Lotharingiæ & Andegavis; (qui licèt regno pulsus, Regis tamen Siciliæ titulum nunquam dimisit: ut militum prædonúmque colluvie purgaretur Gallia, Ludovicus Delphinus filius Caroli Francorum Regis collectas ex utriusque gentis militibus copias in Helvetios sive Suitenses duxit: ac primò Montis Belligardi oppidum obsedit, eò quòd ejus præfectus aliquam incursionem fecisset in Regis subditos versùs Lingonas; illúdque deditione recepit. Indeque à Friderico Cæsare in Basileenses & Argentinenses, aliósque eorum tractuum populos ipsius jugum detrectantes, accitus ingentibus damnis illos affecit, nonnulláque alia oppida cepit: Helvetiorúmque validam manum ad urbem Basileam aggressus, ferocissimè sese inter quædam septa

DELPHINI EXPEDITIO IN ALSATIAM.

defendentium ægrè devicit: ipsósque Basileenses egredi præsumentes leviori certamine, sed ferè majori occisioni repressit. Donec amisso itineris duce à Friderico dato, cùm regionis situm ignoraret, & à Germanis æque ac Helvetiis ob damna illata acriùs urgeretur; in Galliam rediit: cùm & interim Rex Carolus pater ejus urbem Metensem in gratiam prædicti Renati Regis, qui suam esse dicebat, ipsâ se liberam asserente, obsidione cinxisset: quæ post longam ampliùs quinque mensium oppugnationem, datis Regi in belli sumptus ducentis millibus aureorum, & dimissis Renato aliis centum millibus quos ab eâ mutuò acceperat, libertatem suam conservavit. Ita namque hæc narrat prædictus Monstreletus [e]. Sicuti & Trithemius [f], Fridericum introduxisse Armaniacos de Franciâ, (ut vocat cum aliis scriptoribus Germanis, de cujusmodi nuncupatione dictum est superiùs [g]) in Alsatiam contra Suitenses scribit. Súntque insuper, qui ab Eugenio contra Basileenses ad dissipandum Concilium Delphinum immissum tradiderint.

[e] Monstrel. vol. 3. cap. 1.
[f] Trith. in Chron. Sponheim.
[g] An. 1440.

XVIII. Rem copiosiùs Æneas, qui tunc in conventu Nurembergensi erat, enarrans [h], ait Delphinum post deditionem Montis-belligardi, famam undique sui adventûs publicâsse, sed non uno modo apud omnes. Apud aliquos namque, se in auxilium nobilitatis venisse, tanquam in Germaniâ per comitatus esset oppressa: apud alios, vocatum se per Romanorum Regem contra Suitenses: nonnullis, se velle vendicare jura Domûs Franciæ, quæ usque ad Rhenum protendi dicebat: aliis, se venisse propter Ducem Austriæ Sigismundum, cui affinitas cum ipso Delphino futura erat per matrimonium unius ex filiabus Regis Scotiæ, quæ soror erat uxoris Delphini: Dum hæc diversè prædicaret, nobiles Alsatiæ quibus gravior videbatur Suitensium dominatus, oratores ad eum misisse, ut præsidia contra eos præberet: Progredientem ad solvendam obsidionem cujusdam castelli quod Suitenses prope Basileam cinxerant, atrocissimâ initâ pugnâ, ad extremum victoriam lugubrem obtinuisse, dum Suitenses longè numero pauciores non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes hostium catervas ad quatuor millia ceciderunt. Quibus auditis, etiam eos qui urbem Thuricensium, quæ cum Austriacis fœdus inierat, obsederant, ad sua se recepisse. Inter hæc Regem Romanorum oratores ad Delphinum nonnullos Episcopos & nobiles misisse, perscrutatum quid causæ esset quod Imperium cum exercitu esset ingressus: Pariterque Basileenses Patres, Cardinales Arelatensem & S. Calixti cum pluribus Doctoribus, & cum iis præcipuos cives, eundem adiisse, deprecantes ne vel Concilio vel civitati noceret: Adfuisse item oratores Felicis, ac Ducis Sabaudiæ, totiúsque Suitensium factionis: Ad omnes Delphinum suos destinâsse: & qui ad Romanorum Regem missi sunt Nurembergam; vulgò prædicâsse Delphinum vocatu illius contra Suitenses venisse; petiisséque stationes in hiemem, quæ sibi si negarentur, non posse se abstinere quin nocerent: Nihil adhuc responsi datum esse, quando Æneas hæc scribebat. De quibus agens breviter Krantzius [i], & virtutem exercitûs Delphini valdè extollens, Friderici vel patientiam, vel prudentiam, vel utrumque miratur, ut maluerit Imperio minùs audientes per alios quàm suis armis castigari. Felix [k] verò Fabri in Historiâ Suevorum de more philosophatur, quomodò justo Dei judicio factum fuerit, ut Suitenses sive Suiceri ad hospitale Leprosorum Sancti Iacobi (ubi scilicèt propè Basileam cæsi sunt; quam eorum cladem valdè exaggerat) cæderentur à Delphino de stirpe Caroli Magni, qui Sanctum Iacobum præ cæteris Sanctis coluerat, & Suiceros de ultimis Saxonum finibus in montana quæ incolunt transtulerat. In quibus item memoriâ dignum, (si tamen verum; solet enim auctor multa affingere) quod Mutius [l] utrum ex Helvetiis, qui manserat inter salices impeditus nescio quâ causâ, ignaviâne an corporis noxâ, cùm solus evasisset à suorum fortissimâ clade, ubi domum revertit, ceu desertorem capite plexum esse. Non desunt antiquorum exempla, quæ Helvetij sequi potuerunt: sed putamus non tam exemplo id eos præstitisse, quàm innatâ ferocitate, aut verò virtute.

PUGNA FEROX CŪ HELVETIIS.

[h] Æn. ep. 87.
[i] Krantz. 11. Saxon. 32.
[k] Fel. lib. 1. cap. 16.
[l] Mut. Chrō. Germ. l. 28. ad fin.

XIX. Tetrum facinus hoc anno Romæ contigit [m], ut Angelottus Fuscus Romanus Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, à quodam adolescente cubiculario suo, quem à puero ut filium nutrierat, dum post meridiem quiesceret, fortéque nullus alius tunc in domo esset, occisus fuerit pecuniarum ejus habendarum causâ. Clamans deinde ad facinus idem ipse cubicularius, cùm nulla de eo suspicio haberetur, captus tamen, tortúsque, cùm in tormento nihil fateretur, posteà verbis blandis, quasi rem fortiter probéque egisset in hominem avarissimum, (erat enim eo vitio Angelottus plurimùm infamatus) rem confiteri impulsus, suspensus est, & in quatuor partes dissectus, quæ ad præcipuas Vrbis portas appensæ sunt. Tertius verò quod Bossius [n] narrat; die decimooctavo Aprilis hujus ipsius anni, Eusebium Caymum nobilem Mediolanensem in majori Ecclesiâ Mediolani juxta altare S. Iulittæ, Philippi Ducis jussu occisum esse, quòd ipsius secreta Francisco Sfortiæ genero suo Veneti exercitûs ductori revelaret.

TETRÆ NECES.

[m] Anton. tit. 22. c. 11. §. 16. Platin. & Ciaccon. de Vit. Pontif. in Eug. IV.
[n] Boss. in Chron. Mediol.

XX. Hoc anno misisse Eugenium Pontificem auream Rosam à se Dominicâ Lætare quartâ Quadragesimæ, de more solemnibus precibus consecratam, Henrico VI. Angliæ Regi, tradunt illius gentis historici [o]: ac literis ab Eugenio ad Regem scriptis, occultiora quædam illius Dominicæ contenta esse; quòd scilicèt septima sit à Septuagesimâ, & lætitiam populi Israëlitici post septuaginta annos à jugo servitutis asserti; tum & potissimùm Christiani populi à diaboli servitute per Christum assertionem (cujus illa altera fuit typus tantùm atque umbra) septimâ jam mundi ætate amplissimè partam significet: Atque ideò Dominicæ illius sacra mysteria, à verbis quæ gaudij & lætitiæ nostræ magnitudinem testentur exordium ducere. Complecti autem Rosam in se, quòd & usu, & spiranti odoratu, atque afflatu sit jucundissima, mysticas multas rationes: Nec alio die solitos Romanorum Reges, ex antiquis Pontificum scitis, nec nisi post Rosam eo illis die datam, Imperij solemnia atque diadema capere.

DOMINICÆ LÆTARE, ET ROSÆ EA BENEDICI CONSUETÆ MYSTERIA.

[o] Harpsfeld. sæc. 15. c. 4.

Hæc ibi pluribus. Formam autem consecrationis seu benedictionis Rosæ habet Marcellus [p] in Ritibus Ecclesiæ Romanæ.

[p] Marcel. lib. 1. tit. 7.

XXI. Sessio XXXI. Synodi Florent. Romæ habita.

[q] Act. Conc. Flor. par. 3. ad fin.

Syri recurrunt Romam pro fide.

At majoris fuit momenti *Sessio* Synodi Florentinæ Romam, ut vidimus, translatæ *XXXI.* dicenda; celebratáque Laterani pridie Calendas Octobris præsentis anni: cujus decretum evulgavit ex Codice Vaticano Horatius Iustinianus in Actis [q] Andreæ de S. Cruce. Quo quidem Eugenius gratias Deo agens, quòd post unionem Græcorum in sacro œcumenico Concilio Florentino factam, & reductionem Armenorum & Iacobitarum; aliæ quoque nationes inter Tygrim & Euphratem Mesopotamiam habitantes, instrui pariter quærentes Romam misissent Abdalam Archiepiscopum Edessæ, Ignatij Patriarchæ Syrorum totiúsque nationis nomine: subdit, se nonnullos Cardinales & Doctores Concilij delegisse, qui cum prædicto Archiepiscopo de difficultatibus, dubiis, & erroribus illius nationis conferrent: inventúmque eum fuisse de fide & moribus per omnia rectè sentientem, tribus dumtaxat exceptis articulis, de processione scilicèt Spiritûs Sancti, de duabus in Christo naturis, ac totidem in illo voluntatibus & operationibus. De quibus cùm plenè ad omnem satisfactionem instructus fuisset; idem Eugenius Pontifex sacro approbante Concilio, rectam Fidei de iisdem articulis formulam eidem Abdalæ Archiepiscopo præfatis nominibus recipienti eâdem publicâ Sessione tradidit: Declarans, Spiritum Sanctum ex Patre & Filio æternaliter esse, & essentiam suam, suúmque esse subsistens habere ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unicâ spiratione procedere. Dominum Iesum Christum perfectum esse in Deitate & perfectum in humanitate; atque in duabus naturis inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; non in duas personas divisum, sed unum & eundem Dei & Hominis filium. In eodem Domino Iesu Christo vero Deo & vero Homine, duas esse naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, duas etiam naturales voluntates, unam divinam, alteram humanam, non contrarias, sed humanam subjectam divinæ: & quemadmodùm ejus animata caro deificata est, non perempta, sed in proprio suî statu & ratione permansit, ita humanam ejus voluntatem deificatam esse, non peremptam, sed salvatam magis atque perfectam. Hæc ibi pluribus, quomodò verò & Chaldæi & Maronitæ ad eandem Sedem Apostolicam recurrerint pro pari fidei instructione, dicetur anno sequenti.

Formula fidei eis tradita.

XXII. S. Bernardini obitus.

Præsenti verò 13. Calendas Iunij *S. Bernardinus* Senensis, Ordinis Franciscanorum reformator, & ardentissimus atque efficacissimus concionator, de quo dictum est superiùs, migravit ex hâc vitâ Aquilæ in Vestinis, sive ut nunc vocant in Aprutio, (ubi adhuc ejus corpus integrum visitur) ex profluvio ventris, anno ætatis sexagesimo sexto, miraculis in vitâ & post mortem clarissimus. Ob quæ primùm ab Eugenio Pontifice, deinde à Nicolao ejus successore plenè recognita, fuit ab eodem Nicolao anno 1450. Pontificatûs quarto, nono Calendas Iunij in Sanctorum numerum ritu solemni relatus: quòd ut Platina [r] ait, prædicando, docendo, monendo, castigando etiam, factiones Italiæ, Guelfam scilicèt & Gibellinam, magnâ ex parte extinxisset, & Christianis hominibus benè beatéque vivendi vicem ostendisset: præter miracula, quibus & vivus & defunctus claruit. Extat in Bullario [s] Nicolai de ejus canonizatione constitutio: Vita verò Bernardini apud Surium [t], ex auctore ejusdem temporis: Scripta ejusdem multiplicia de rebus sacris & pietatis, apud Trithemium [u] & Bellarminum. Memoriáque dignum quod Chronicon [x] refert Minorum; cùm eo tempore quod de canonizatione Bernardini ageretur, Reate defunctus quidam Thomas Florentinus ejusdem Ordinis Laïcus, miraculis etiam fulgeret; ne inde aliquâ ratione Bernardini negotium retardaretur, Ioannem de Capistrano insignem alium ejusdem Ordinis Patrem ante Thomæ sepulchrum prostratum, orâsse ut tamdiù à miraculis edendis abstineret, quoad Bernardini canonizatio perfecta esset; Thomámque cessâsse, atque eâ factâ rursùm continuâsse.

[r] Plat. in Nicol. V. in fin.

[s] Bull. tom. 1. Nicol. V. const. 2.

[t] Sur. 20. Maij

[u] Trith. & Bellar. de Script. Eccl.

[x] Chron. Min. lib. 2. par. 3. c. 18.

Miraculum pro ejus canonizatione.

XXIII. Mortuus resurgens fit Monachus.

Ponimus ad finem anni, quod in fine Inventarij authenticorum Rescriptorum pro verâ corporis S. Benedicti apud Floriacum Galliæ monasterium præsentiâ, reperimus in Bibliothecâ Floriacensi Ioannis à Bosco Cælestini: Nempè hoc anno quendam puerum, filium Laurentij Covillantij molitoris, à famulo patris intra cymbam ad molendinum dum duceretur, fortuitò in aquam cadentem interiisse: eductum, & ad altare S. Sebastiani martyris, quod est in Floriacensis cœnobij basilicâ, deportatum, vitæ ibidem esse restitutum, & Monachum ibi factum, annos quinquaginta supervixisse.

XXIV.

Ponit verò hoc eodem anno Isacius Pontanus in Historiâ Rerum Danicarum, ex Ioanne Messenio, ut ait, in opere quod Sueticæ nobilitatis Theatrum inscripsit; Christophoro Regi à Soldano Ægypti sive Babyloniæ, (fallitur hæc narrans idem Pontanus, dum unum eundémque putavit tunc extitisse Turcorum Imperatorem cum Soldano Babyloniæ: nondum enim Turcus, nec per multum pòst tempus, Regnum Soldani destruxerat; quod quo tempore contigerit dicetur suo loco) filiam fuisse in conjugem oblatam, literis ad eum scriptis: quas ex eo duximus hîc inserendas, magis ad oblectandos lectores, quàm quòd pro legitimis obtrudere velimus, etiamsi nec penitùs abjiciendas existimemus: quid enim non possit à barbaro expectari? Nam quod ad titulorum numerum spectat; sunt etiam hodiéque inter Christianos Principes, qui singulas quasque provincias ac penè urbes inter regna recensentes, longè plures suis diplomatibus apponant; atque in eis non paucas, in quibus minus juris, saltem quoad possessionem habeant, quàm habebat tunc in suis Soldanus. Sunt autem literæ hujusmodi: *Baltazar Soldanus, consanguineus deorum, Babyloniæ Imperator continuus, Alexander Macedo, dominus dominantium Africæ, Rex Regum Arabiæ, Chaldææ, Persiæ, Libyæ, Barbariæ, Armeniæ, Assyriæ, Mostenæ, Nubiæ, Alexandriæ, Ægypti, Parthiæ, Mediæ, Mesopotamiæ, & Hyrcaniæ Custósque Speluncæ Crucifixi, salutem & amicabilem felicitatem.*

Literæ Soldani ad Regem Daniæ.

Nuper per tuum nuncium nobis dilectum M. Ioannem de Europa auribus nostris innotuit, te fore magnum Regem Gothorum famosorum, & moderatorem gelidæ plagæ, scilicèt validorum Suecorum ac Norvagiæ, & magnæ gentis Danorum, & Principem Bavarorum, victorémque inexpugnabilem Gothorum; qui magna & varia olim in terris nostris triumphantes fecerunt, & nostris divis antecessoribus angustias posuerunt. Igitur de tua persona & potentia amicitiam voluimus, in quibus auditi miro gaudio gavisi sumus & fuimus. Ideò in basilicis nostris Deorum nostrorum offerta obtulimus, quòd de Deo tonante tibi data sit potestas, laus & gloria hujus mundi in tam juvenili ætate. Miramur & quòd obedis magno Sacerdoti Romanorum, cùm etiam dij nostri Mahometus & Amon Ciemethi tibi prosperitates faveant. Eapropter scias in brevi nos te visitare, & cum Zephyro navigio nostro magno versùs Septemtrionalem plagam, versùs Arachesiam, Vesgenteam, Moschoviam Russiæ tuam regionem tangentem, personaliter visitare: & ibidem filiæ nostræ Xerzinæ pulcherrimæ consignare velle te in maritum, & ipsam tibi in uxorem. Ideo misimus tibi epistolam præsentem nostris cum munusculis, vas aureum puro balsamo plenum, per tuum prædictum hominem, commensalem nostrum continuum, qui tibi nostra ex parte multa dicet. Datum Babylone super Nilum Machometi & Ciemethi deorum nostrorum, Rameatri Amonis Elgasistri. Ita Epistola cujus inscriptio hæc fuit: *Cui nostri dij favent, de quo in oraculo nostro deorum responsa habuimus, & in quo fortè spiritus Alexandri Magni operatur, magno Regi gelidorum Hyperboreorum, Suedorum, Gothorum robustorum, Danorúmque & Slavorum, Bavarorum principi excellenti, collaterali nostro nobis percharo.* Sive autem epistola vera fuerit, sive ut facile fuit conficta, certum quidem est nuptias eâ promissas minimè secutas esse: sed Christophorum, quod prædicti nostri auctores narrant, anno proximo 1445. uxorem duxisse Dorotheam Marchionis Brandeburgensis filiam.

IESU CHRISTI Annus 1445.

EUGENII IV. An. 15.

FRIDERICI III. Annus 6.

IOANNIS VII. An. 27.

CONSTANTINI XV. An. 1.

I. ANNO Christi 1445. Indictione octavâ, ex clade Varnensi anni superioris facta est divisio magna in regnis Hungariæ & Poloniæ, pro successoribus Regis Wladislai in eâ extincti eligendis. Ac primò quidem in Hungariâ, postquàm aut dubitatum verè fuit, aut simulatum, Wladislaum adhuc vivere, & à clade salvum elapsum proximè affuturum, multique interim coronam ambirent, in id demùm conventum est, ut *Ladislaus* filius Alberti & Elizabethæ ultimorum legitimorum

LADISLAUS RE- NUNCIATUR REX HUNGARIÆ.

Regum, puer adhuc quinquennis, sed ingentis expectationis, qui apud Fridericum Cæsarem patruelem suum asservabatur cum Coronâ sanctâ Hungaricâ, (de quibus dictum est superiùs) in Regem assumeretur; & interim dum adolesceret, Ioannes Huniades Gubernator regni cum summâ potestate esset. Postulatus tamen à Friderico cum Coronâ, denegatus ab eo est; collaudante quidem eorum debitum officium, qui Regem suum tandem agnoscerent, sed puerum adhuc esse dicente, quem non apud alium quemcumque satius esset educari quam apud ipsum Cæsarem ejus propinquum: nec coronâ opus esse, cùm jam olim ritè coronatus fuisset. Neque ab hoc unquam proposito Fridericus, ullis Hungarorum legationibus, precibus, minis, (quæ etiam ex decreto gentis Huniades in Austriam Stiriam, Carinthiam; cùm maximis damnis intulit) demoveri potuit. Narrant autem hæc Thurosius [a], Bonfinius, Dubravius, & alij. Sed quibus artibus, rationibus, suasionibus, ea gesta fuerint, nemo Æneâ distinctiùs aut securiùs, qui rebus intererat, & magna pars eorum erat, utpotè Cæsari à secretis. Sunt plures ejus epistolæ [b], quas qui ea scire cupierint consulant; ex quibus & egregiam indolem pueri agnoscant. Quæ verò est apud eundem [c] Friderici Cæsaris ad Eugenium Pontificem pro commendatione ejusdem Ladislai pueri, & ne æmulis ejus aures præberet in jurium ipsius detrimentum; putavit eam Cochlæus [d] scriptam confestim post obitum Elisabethæ matris Ladislai, quando Wladislaus eos proceres qui Reginæ favebant in partem traxit suam. Verùm illam hoc tantummodò tempore scriptam, series rerum & cæterarum contextus satis insinuant: ut omittamus, vix dum eo tempore Æneam in ministerio secretariatûs Friderico fuisse.

[a] Turos. c. 44. & 45. Bonfin. 3. dec. 7. Dubrav. l. 18.

[b] Æn. ep. 13. 54. 63. 78. 81. 93. 95.

[c] Epist. 118.

[d] Cochle. Hist. Hussit. lib. 9.

II. CASIMIRUS ELIGITUR REX POLONIÆ.

In Poloniâ cùm major esset credulitas, aut spes vitæ Wladislai Regis; postquàm missi in Thraciam, Græciam, & Bulgariam nuncij, qui eum perquirerent, nihil explorati retulere; cognitumque est Hungaros alium sibi Regem, Ladislaum nempè puerum adscivisse: ipsi quoque Poloni de successore solliciti, Fridericum Marchionem Brandeburgensem, qui pueritiam in regno transegerat, ut regnum acciperet rogaverunt. Responso verò ab eo dato, Casimirum Lituaniæ Ducem, qui defuncti frater esset, hæredem extare; in eum vota sua contulerunt. Hócque pariter regnum accipere recusante, cùm ob incertam fratris mortem, tum quòd Lituani ægrè eum à se dimitti paterentur; aut denique rem protrahi postulante: iidem Poloni tædio tandem affecti tot procrastinationum, anno proximo fine Martij Boleslaum Ducem Massoviorum Regem renunciârunt, si Cazimirus ante Pentecosten mutatæ voluntatis significationem nullam dedisset. Qui pœnitentiâ recusationis ductus, ac nihilominùs aliis rursùm tergiversationibus rem agens, ultimò regnum acceptans, tertio demùm anno, videlicèt 1447. die 26. Iunij solemni ritu coronatus est Cracoviæ: uti etiam dicetur suo loco. Hæc autem fusiùs narrantur à scriptoribus [e] Polonis.

[e] Michov. l. 4. c. 58. Cromer. lib. 21.

III. Intereà Æneas ex conventu Norimbergensi superioris anni à Friderico Cæsare ad

ÆNEÆ LEGATIO AD EUGENIUM.

Eugenium Papam Romam missus; petitâ primò ab eo, brevi, sed nervosâ oratione, veniâ de iis quæ in eum Basileæ alibique dixerat, scripserat, fecerat; facileque obtentâ, causam legationis exposuit, quæ erat de novo Concilio in Germaniâ celebrando. Sed ei petitioni noluit omninò Eugenius annuere; quòd diceret hoc non esse pacem Ecclesiæ, sed majorem divisionem ac seditionem quærere. Factúsque paulò pòst est idem Æneas ab Eugenio secretarius; haud tamen propterea dimisso Cæsaris obsequio. Constat de his ex ipsiusmet scriptis.[f]

[f] Æn. Comment. lib. 1. & epist. 98.

IV.

[g] Ext. in Act. Flor. edit. Iustin par. 3. in fin.

DECRETUM DE MARONITARŪ ET CHALDÆORUM RECEPTIONE.

Perseverabat adhuc Concilium Florentinum, Romam translatum. Cujus approbatione Eugenius hoc eodem anno 7. Non. Aug. Decretum[g] condidit in generali Congregatione apud S. Petrum habitâ pro *Chaldæis* & *Maronitis*, quo narrat, quomodo cùm post celebratam in œcumenico Concilio Florentino Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali unionem, póstque Armenorum, Iacobitarum & Mesopotamiæ populorum reductionem: Andream Archiepiscopum Colossensem ad patres Orientis & Cypri insulam destinâsset ut & Græcos & Armenos & Iacobitas ibidem degentes in susceptâ fide confirmaret, & quos ex aliis sectis à verâ doctrinâ alienos, tam Nestorii qui purum hominem Christum asserebat, quàm Macarii, qui unicam in eo voluntatem profitebatur, sectatores inveniret, monitionibus & exhortationibus ad fidei veritatem reducere conaretur: id ipse diligentissimè per diversas multiplicésque disputationes præstans, Timotheum Archiepiscopum Tharsensem metropolitam Chaldæorum Cypri Nestorianum, & Eliam Episcopum Maronitarum Macarianum, cum universo eorum clero & populo insulæ Cypri, ad rectam fidem perduxisset; adeò ut Timotheus ipse, & ab Eliâ missus Isaac nuncius, solemnem professionem emissuri Romam accessissent. Eâ verò ab utroque emissâ, iidem in communionem Ecclesiæ recepti sunt, & in plenum munerum suorum exercitium restituti: decretúmque de eo factum, ut diximus, ac publicatum.

V.

[h] Bos. Hist. Rhod. tom. 2. lib 6.

REGIS CYPRI IRREVERENTIA IN PŌTIFICEM.

[i] Vide sup. an. 14, 2. XIX.

Quæ cum ab exteris obedienter fieret, econtra domesticos eodem tempore expertus est Eugenius reluctantes in eadem Cypro: cùm[h] scilicet Rex insulæ non solùm possessionem Archiepiscopatus Nicosiensis Galesio Montolifio, cui eum Eugenius contulerat, denegavit; verùm etiam cùm nuncium Eugenius ea de re ad ipsum misisset, hunc in carcerem conjecit, & Galesium insulâ pepulit, qui Rhodum se contulit. Quod tamen non tam à Rege, qui penè nihil erat, quàm ab ejus conjuge feminâ Græcâ[i], quæ regnum administrabat, & ritum Latinum ab Ecclesiis exterminaverat, provenisse putamus. Cæterùm magister militum Rhodiorum à Pontifice monitus, egit cum Rege ut Galesium admitteret, & nuncium liberum dimitteret.

VI.

[ii] Æn. ep. 3.

BONONICÆ TURBÆ.

Agitata adhuc motibus bellicis Italiâ, Bononia civitas, quæ, ut Æneas[ii] alicubi ait, super Mercurio fundata est, de more motum agente: cùm in libertatem se erexisset à tyrannide Piccinini; illam non ad aliud quæsisse visa est, quàm ut se ipsam civilibus dissidiis conficeret. Potentioribus tunc existentibus Bentivolorum & Cannetulorum, familiis, cùm ambarum capita Annibal Bentivolus & Baptista Cannetulus, in speciem firmæ concordiæ affinitatem contraxissent; invidiâ Cannetulorum qui videbant Bentivolos in majori populi gratiâ esse, teterrimum scelus factum est hoc anno: primùm videlicèt ut die festo S. Ioannis Baptistæ, postquam invitatus Annibal ad festum Ecclesiæ quemdam parvulum de sacro fonte levâsset, egressus Ecclesiam, in anfractu viæ, nihil tale suspicatus, crudeliter interfectus fuerit: deinde ut in sceleris vindictam Baptista à furente populo in latibulo deprehensus, in frusta concisus & igne combustus, aliíque ejusdem factionis tam intra templum quàm extra sævissimis modis cruciati ac lacerati sunt. Rem narrat S. Antoninus[k], Platina, Æneas, & alii. Habéntque, hoc tempore Eugenium Pontificem ope Alfonsi Aragoniæ & Siciliæ Regis, (quod etiam supra retulimus) Marchiæ seu Piceni possessionem recuperâsse, exploso Francisco Sfortiâ ejus occupatore; quod tamen non ita absolute accipiendum, ut non superfuerit adhuc in his laborandum, quousque demùm Nicolaus V. totam recuperavit. Sed hæc bellica relinquimus historicis.

[k] Act. tit. 22. c. 11. Paragr. 16. Plat. in Eugen. IV. Æn. de Europ. cap. 53.

VII.

[l] Ciaccon. in Greg. XII. & Eugen. IV. & Addit. ad Ciacon.

ANTONII CORARII CARD. OBITUS.

Meliori fine sublatus hoc eodem anno[l] Patavii *Antonius Corarius* Venetus Cardinalis Episcopus Ostiensis sacri Collegii Decanus, Gregorii XII. nepos, & fundator; sed unus ex fundatoribus Congregationis S. Georgii in Alga, de quâ aliàs; virginitatis perpetuus cultor: qui pinguibus beneficiis dimissis, & opibus in pauperes erogatis, vix sibi quo viveret retinuerat. Corpus Venetias translatum, in Ecclesiâ S. Georgii sepultum est. Dicitúrque scripsisse *Historiam* rerum suâ ætate gestarum, quæ hactenùs extet in Bibliothecâ ejusdem Ecclesiæ quam præstaret in lucem magno rerum cognitionis & veritatis bono ederet, quàm absconditam nullo cujuscumque commodo retinere.

VIII.

[m] Naucler. gener. 49.

IOANNIS IMPER. CONSTĀTINOP. OBITUS.

[n] An. 1410. XIV. 1425. X.

Ponunt item hoc anno Nauclerus[m], Antonius Augustinus, Onuphrius, aliique Latini, obitum *Ioannis* Palæologi Imperatoris Constantinopolitani: cujus regno ex duplici ejus initio, de quo disputavimus superius[n], vel viginti quatuor anni, vel viginti septem tribui possint. Sanè Phranzes Græcus, qui cum eo versabatur, nonnisi viginti tres, cum tribus mensibus & diebus decem tribuit, quòd videlicèt imperium à morte Manuelis patris ejus inchoët: cùm nos à patris abdicatione ordientes necesse habeamus viginti septem tribuere sicuti & fecit Onuphrius in Chronico Ecclesiastico. Verùm nihil hanc discrepantiam nostræ historiæ officere, jam aliàs monuimus; quia nunquam per ejus annos tempora consignamus, sed per annos mundi ex computo Græcorum, aut per æram Christianam. In quibus rursùm & differre necesse sit à Græcis, si Latinis adhærere velimus. Quippe Phranzes[o] nonnisi ultimo Octobris anni 1448. Ioannis mortem collocat: (cui & vitæ annos quinquaginta septem, menses decem, dies quindecim attribuit:) ac proinde Constantino ejus successori non integrum quinquen-

[o] Phranz. lib. 2. cap. ult. in fin.

nium tribuere possit usque ad expugnationem urbis Constantinopolitanæ, ut quâ ipse cæsus est: quinimmò nec Chalcondiles quadriennium tribuat: Cùm tamen & Latini saltem septennium, vel etiam octennium concedant: & ex epistolâ Eugenii Papæ ad Æthiopas, de quâ egimus superiùs [p], necessariò ad præsentem annum, vel etiam magis ad præcedentem, Ioannis obitus collocandus sit; cùm eâ dicat Eugenius, illum jam ante biennium mortuum esse; decesserit autem Eugenius mense Februarii anni 1447. Fuit autem *Constantinus* Ioannis, qui nullos liberos reliquit frater ex superstitibus natu major, ejus nominis XV. contra quem Demetrius minor frater turbulenti vir ingenii, uti Porphyrogenitus, hoc est patre jam Imperatore & in purpurâ constituto natus, eligi quærens, ambitu decidit, ipséque Constantinus, & judicio Græcorum ob prærogativam tam ætatis quàm virtutum, & confirmatione Amuratis Turcorum Regis, quæ petenda fuit, Imperator factus est magis ut Imperium finiret quàm ut regeret; cùm jam nec quid ferè ampliùs restaret quod administraret, præter urbem ipsam; cui vel ipsi defendendæ non supererant vires. Duo reliqui fratres Peloponnesum inter se diviserunt. Fuit autem Constantinus cognomento *Dracoses*, seu *Draco*, ob fortitudinem, ut volunt bellicam, quâ Peloponnesum viriliter adversus Turcos tutandam susceperat, refecto Hexamili sive Isthmi muro, quem posteà Amurates disjecit: ut fusè narrat Chalcondyles [q]; cujus pater in hâc expeditione à concordiâ, quòd immoderatiora essent Constantini postulata, in carcerem ab Amurate conjectus est.

[p] *An. 1442. 11.*

Cōstantinus XV. Imperat.

[q] *Chalcond. lib. 7.*

IX. Narrat quoque Trithemius [r] hoc anno juvenem quemdam nomine *Fernandum* annorum viginti, militem auratum, artium, medicinæ, & sacræ Theologiæ Doctorem, ex Hispaniâ venisse Parisios, & totam eam Scholam suâ mirabili scientiâ vertisse in stuporem, cùm memoriâ teneret universam Scripturam omnes utriusque Iuris libros, Aristotelem, Hippocratem, Galenum, omnésque illarum scientiarum, philosophiæ, ac metaphysices præcipuos doctores & commentatores, ad unguem: Linguas Hebræam, Græcam, Latinam, Arabicam, Chaldæam perfectè intellexisse: Romam à Rege Castellæ missum oratorem, in cunctis Galliæ Italiæque Gymnasiis publicè disputâsse, omnes convicisse, à nemine convictum vel in minimo esse: Magum à multis existimatum esse; etiámque à nonnullis Antichristum: Scripsisse commentaria quædam in Almagestum Ptolomæi, & in Apocalypsin Ioannis aliáque nonnulla multæ eruditionis opuscula, (quorum etiam meminit Gesnerus in Bibliothecâ sub nomine Ferdinandi de Cordulâ, Hispani.) Qui si talis fuit, miramur valde nihil de illo egisse Hispanos historicos, qui multò minora de suis observare ac magnificare consueverunt.

[r] *Trith. in Chron. Sponheim. an. 1501.*

Mirum ingeniū cujusdam Hispani.

Iesu Christi Annus 1446.

Eugenii IV. An. 16.

Friderici III. Annus 7.

Constantini XV. Annus 2.

I. Anno Christi 1446. Indictione nonâ, convenientes apud Francofordiam Electores Imperii ob depositionem Theodorici Coloniensis & Iacobi Treverensis Archiepiscoporum & Electorum, qui impensè Felici & Basileensibus favebant, ab Eugenio factam; occultum inter se fœdus percusserunt, nisi Eugenius irritam depositionem hanc decerneret nationis onera tolleret, & auctoritatem Conciliorum, ut Constantiæ declarata fuerat, profiteretur, se ejus depositionem Basileæ factam amplexuros: legatósque ad Cæsarem miserunt, qui hæc ei soli & sex juratis Consiliariis exponentes, ut fœderi se adjungerent, & cum eis mitterent Romam, orarent. Ad quæ Cæsar missurum se ad Eugenium dixit, rogaturúmque ut eorum precibus morem gereret. Fœdus autem sprevit, indignum atque impium dicens, nisi Papa quæ peterentur concederet, ab eo desciscere. Misit igitur Æneam secretarium suum ad Eugenium, ut suaderet ei ne Principes Electores contemneret: maximè verò ut depositis Archiepiscopis pristinam redderet dignitatem: Sic enim futurum ut Germani omnes depositâ neutralitate ad ejus gremium redirent: alioquin timendum esse ne scandalum perpetuæ divisionis oriretur. Eugenius his auditis, facturum omnia promisit quæ Cæsar suasit: atque inde Thomam Sarzanensem (olim præfectum familiæ Cardinalis Albergati, nunc Episcopum Bononiensem) ad Philippum Burgundiæ Ducem direxit, ut consensum Archiepiscoporum restitutioni præberet, eò quòd nepos ejus in Coloniensis, & frater naturalis in Treverensis locum vocatus esset. Quod cùm is fecisset; in alio conventu Francofordiensi ad principium Septembris indicto, cui legati Pontificis prædictus Thomas, & Ioannes Carvaiales Hispanus interfuerunt, atque ex parte Basileensium Cardinalis Arelatensis, aliíque; rebus gravissimè agitatis, demùm arte Æneæ, aliorúmque Cæsaris oratorum operâ, conscriptæ sunt aliquæ notulæ; quas si Eugenius admitteret, Neutralitas Germaniæ cessaret, & obedientia Eugenio restitueretur. Missi de his tam à Cæsare, quàm ab Electoribus, aliísque Germaniæ Principibus legati, rem demùm cum Eugenio concluserunt ad principium anni proximi, ad quod eam remittimus. Hæc verò quæ diximus, narrat idem Æneas [a]; breviúsque Antoninus [b] factus recèns Archiepiscopus Florentinus; & ex aliis vetustis monumentis Cochlæus [c]. Tradítque idem Æneas, prædictos Thomam & Ioannem legatos Eugenii, eò quòd rem benè felicitérque egissent, ad Cardinalatûs eminentiam provectos esse: Nempè decimo septimo Calendas Ianuarii:

Tractatus Germanici de rebus Schismatis.

[a] *Æn. Comment. lib. 1.*
[b] *Ant. tit. 22. cap. 11. Paragr. 17.*
[c] *Cochla. Hist. Hussit. lib. 9.*

[d] Platin. in Nicol. V.

quibus Eugenius [d] ad portam Flaminiam galeros obviam misit, ut Vrbem insigniores ingrederentur: Illéque paulò pòst Eugenio in Pontificatu successit: Ioannes insignibus legationibus etiam post hæc functus reperitur.

II. BASILEENSES ALIUS CELEBRATIONI CONCILII CONSENTIUNT.

Vt verò etiam suum his symbolum Basileenses, jam penè ab omnibus derelicti, contulisse viderentur: decretum paulò antè ediderant, quod idem Cochlæus refert; quo profitentes, quod semper hactenùs fateri detrectaverant, nullam videri aptiorem & toti populo Christiano gratiorem tollendi schismatis viam, quàm ut aliud Concilium celebraretur: bonâ fide (ita loquebantur) cùm vix ulla jam ampliùs eorum fidei vel perfidiæ ratio haberetur, nisi in quantum adhuc eâ Electores in commodum suum apud Eugenium uti velle præseferebant:) promiserant, se Generale Concilium indicturos, séque translaturos in locum, quem Cæsar & Electores, aut ipsorum oratores in prædicto tunc futuro Conventu Francofordiensi duxissent eligendum, ac tempore ab iisdem præfiniendo. O quantum mutati ab illis! ut jam vel oratoribus Principum ignavè se submitterent, qui anteà etiam ipsismet Imperatoribus atque Pontificibus cedere protervè recusâssent. Statuerunt verò Principes eodem conventu, si foret Concilium celebrandum, id factum iri mense Maio anni proximi in una civitate Germaniæ ex sex ab ipsis proponendis, quam Eugenius Pontifex eligere vellet. Sed ne novo hujusmodi labore Christianitas fatigaretur, Deus, ut dicetur providit.

III. NICOLAI TOLENT. CANONIZATIO.

Cùm intereà idem Eugenius; qui pacem ingenti sollicitudine in terris quærebat; ut efficaciùs novo pro cœlitibus officio eam consequeretur, *Nicolaum Tolentinatem* Ordinis Eremitarum sancti Augustini, longè antè defunctum, de quo suo loco diximus, ob insignem pietatem quâ vivens mundo illuxit, & grandia miracula quibus tam in vitâ quàm post obitum coruscavit; in numerum sanctorum Confessorum, quos Ecclesia venerari deberet, retulit [e] Calendis Februarii præsentis anni. Idémque reformationem Monachorum Græcorum Ordinis sancti Basilii regnorum Siciliæ, in Capitulo eorum Romæ ipsius jussu congregato præfinitam, suâ Constitutione [f] eodem anno promulgatâ confirmavit. Qui etiam jam anteà Congregationem [g] Fratrum S. Hieronymi de Fesulis confirmaverat: & Illicetanam [h] privilegiis ornaverat: Necnon fratres S. Ambrosii [i] sub unâ Congregatione, cujus caput esset monasterium S. Ambrosii ad Nemus civitatis Mediolanensis, redegerat. Anno autem proximo Regulam [k] monialium S. Claræ in aliquibus declaravit; & mitigavit: præter alia quæ circa varios Ordines Religiosorum aliis temporibus constituit; quorum facta est olim mentio.

[e] Bullar. to. 1. Eugen. IV. const. 27.

VARIÆ EUGENII CONSTITUTIONES DE REGULARIBUS.

[f] Ibid. const. 26.
[g] Const. 21.
[h] Const. 27.
[i] Const. 22.
[k] Const. 28.

IV.

De rebus Genuensibus hujus anni historiam narrat Monstreletus [l], gesta sui temporis candidè describere solitus; quam miramur ab historicis illius civitatis, satis alioqui diligentibus, penitùs silentio obvolutam. Habent quidem ipsi [m] elapsorum nuper annorum turbas ob Ducatum Reipublicæ inter Fulgosios, Adornios, Fliscos, motas: nec abnuunt, quinimmò & asserunt infamem semper fuisse urbem seditionibus civilibus, quibus etiam sese frequenter exterorum Principum dominationi turpiter subjicere, quam pacem & concordiam inter se colere maluerint: (ut non immeritò Æneas [n] de his ipsis turbis agens, eam æquè ac sororem ejus Bononiam super Mercurio fundatam esse: ejusdémque creberrimas mutationes & Orientem simul & Occidentem admirari scripserit:) ut autem hoc anno pars una ad Regem Francorum recurrerit cum oblatione dominationis, nihil penitùs habent. Narrat autem Monstreletus, aliquos ex Fulgosiis & Auriis cum quinque corbitis, seu magnis navibus armatis Massiliam appulisse, ac Regi Carolo per nuncios significâsse, dominium se ei totius statûs Genuensis, si accipere vellet collaturos: Regem ad eos misisse Archiepiscopum Remensem & alios legatos cum plenâ potestate conveniendi cum eis. Cúmque interim Ianus Fulgosius Genuam auxilio nonnullorum Francorum & expasso vexillo regio occupâsset, pulso Barnabâ Adornio qui paulò antè Ducatum invaserat; his auditis Regis legatos Genuam accedentes ad ejus possessionem nomine Regis ex pacto adeundam, delusos à Iano fuisse, dicente armis se urbem conquisîsse, armísque se illam contra omnes tutaturum. Ita Monstreletus, & Francorum [o] historici; quorum etiam quoad occupationem urbis per Ianum, & expulsionem Barnabæ, habent item historici Genuenses sub principium anni sequentis: sed nihil penitùs de Francis, sive pudore sive ignoratione: Ianúmque non integrum biennium Ducatu potitum tradunt, mortuum cum laude illius rectè administrati. Obtinuisse verò nihilominùs Francos urbem Finalem, quæ ditionis Genuensis erat, idem Franci historici docent.

[l] Monstrel. vol. 3. cap. 3.
[m] Nebiens. lib 5 Foliet. lib. 10.

FOEDÆ GENUENSIUM DIVISIONES.
[n] Æn. ep. 3.

ILLUDUNT REGI FRANCORUM.

[o] Gill. in Card. VII. Bellefor. lib. 5. cap. 106. & alii.

V. TURBÆ ANGLICANÆ DE REGNI ADMINISTRATIONE.

In Angliâ mala cœperunt, quæ postmodùm illam in gravissimas confusiones præcipitârunt. Vidimus biennio antè Margaritam Renati Andegavensis, sive Regis Siciliæ filiam nuptui datam esse Henrico Sexto Angliæ Regi; puellam (ut Polydorus [p] ait) tam ultra alias feminas pulchram, quàm prudentem, atque animo præter naturam sexûs præditam ingenti. Hæc cùm animadverteret Henricum virum non ad suum, sed ad Humfredi Ducis Glocestrensis patrui Regis præscriptum regnare; virum miti simplicique ingenio, qui pacem bello, requietem sollicitudini, honestum utili, & otium curis anteponebat: statuit sibi curam rerum suscipiendam, ac Ducem omni paulatim auctoritate privandum: eóque maximè quòd is ejusmodi nuptiis restitisset, eas & regno damnosas, quoniam Rex & sine dote illam acciperet, & possessionibus etiam quibusdam in Galliâ (civitate nempè ac Comitatu Cenomanorum) Renato, sive ejus fratri Carolo cederet; & cum non modicâ regii nominis maculâ conjuncta propter nuptias jam priùs pacta cum Armaniaci Comitis filia constituta, asserens. Propter quam etiam nuptialem fidem violatam, fuisse qui existimarent Deum partim secutam postea cladem Henrico immisisse, Harpsfeldius narrat. Sed inani, ut putamus, suspicione

[p] Polyd. l. 25.

Harpsfeld. hist Eccles. Anglic. sec. 5 cap. 4.

atque imprimis quod in conventionibus liberationis Renati è custodiâ Philippi Ducis Burgundiæ, tunc adhuc Anglorum fautoris & Francorum hostis infensissimi, decem fermè anthàc annis transactis, quas legimus in Historiâ Provinciæ Cæsaris Nostradami [r], inter cætera contineatur, Renatum renunciaturum amicitiæ Francorum, & in pignus adhæsionis parti Anglicanæ daturum filiam suam Margaritam in uxorem Henrico Regi. Si igitur jam tunc pacta fuêre ea sponsalia, quâ conscientiâ potuit iis spretis contrahere Rex Angliæ cum Armaniacâ? Quòd autem non priùs nuptiæ cum Margaritâ fieri potuerint, tùm fecit bellum Neapolitanum, quo per plures annos Renatus occupatus extitit: tùm discordiæ inter Reges Francorum & Angliæ, cùm vix possit alterutri Renatus intendere sine alterius offensâ, cùm uxor Caroli Regis esset ejus soror. Factis autem inter eos Reges induciis, tunc potuit commodè matrimonium olim pactum perfici. Præter quæ fuit & alia ratio contra Armaniacum, quòd non in potestate ejus esset filiam suam Anglo elocare absque supremi domini sui Francorum Regis auctoritate, vetante hoc lege regni; ac proptereà etiamsi nulla præcessisset pactio cum Andegavensi, haud potuerit Angliæ Rex culpæ accusari si Armaniacam non duxit, quam Rex Francorum jure suo ei nubere prohibuit. Quâ de re scribunt Francorum historici [s], cùm Rex Carolus audîsset Comitem Armaniaci præsumpsisse filiam suam nuptui dare Regi Angliæ absque permissu & consensu suo eóque insuper arrogantiæ elatum esse, ut se inscriberet, *Dei gratiâ Comitem Armaniaci*, quod solis supremis Principibus competeret utroque eo capite majestatis reo diem dixisse; séque excusantem, nec tamen sistentem se, misso adversus eum Delphino cepisse unà cum uxore & liberis, ac longo tempore captivum detinuisse. Quamquam quod sunt [ss] qui observent formulam illam *Dei gratiâ* ab omni ævo usurpari consuevisse à Comitibus Armaniacis, necnon à pluribus aliis Comitibus & Baronibus, ac præcipuè in Occitaniâ & Aquitaniâ: intelligi possit, Regem in Comitem potissime commotum fuisse ob tractatum matrimonii: qui majoris momenti esse videbatur. Cùm & alioqui dignitatis suæ sceptrique perstudiosus, nollet quemquam ex suis subditis titulum sibi qui aliquo modo ei æquari posset usurpare.

[r] Nostrad. par. 6.

LEX REGNI FRANC. DE CONNUBIIS PROCERUM.

[s] Gill. in Car. VII. an. 1443. Bellefor. lib. 5. cap. 104. Duchesn. Hist. Anglic l. 18 n. 12. & alii.

[ss] Duchesn. in Not. ad Alan. Chartor.

VI. HUMFREDI REGIS ANGLIÆ PATRUI INDIGNA CÆDES.

Sed ut in Angliam redeamus, factum demùm est, ut primùm omnium Humfredo à rerum administratione excluso; permissâque deinde multorum criminum in eum per æmulos accusatione, atque inter alia quòd scelerum convictos gravioribus justo pœnis affecisset; denique in publicis regni Comitiis Buriensibus, ipse nihil sibi ob purgata atque à se depulsa crimina metuens, noctu clàm, ne tumultus fieret, interceptus sit, & strangulatus, post quinque & viginti annos quàm regnum ab Henrici V. fratris sui obitu administrare cœperat: quod magnâ ipsum integritatis laude administrâsse plerique tradunt. Ejus autem necem præsenti anno contigisse, idem Polydorus tradit, cùm à nonnullis in alios referatur. Quid porrò secutum sit, dicetur annis consequentibus pro ratione temporis.

VII. GRAVISSIMA AQUARUM INUNDATIO.

[t] Trithem. in Chron. Sponheim.

Hoc anno Dominicâ Palmarum (ut Trithemius [t] habet) nocte mare apud Dordracum in Belgio ruptis aggeribus inundans, plusquàm centum millia hominum cum omnibus rebus & pecoribus improviso submersit. Eodémque die tonitrua & coruscationes fuêre horribiles in Zutphaniâ, & ad Rhenum venti validissimi & nives copiosissimæ.

VIII. LEGATIO GERMANIÆ AD EUGENIŨ PP.

[u] Cochla. Hist. Hussit. lib. 9.

Missi ad finem anni ex conventu Francofordiensi legati Romam ad Eugenium Papam, honorificè tanquam angeli pacis suscepti sunt: tertiâque die in Consistorio secreto auditi, nomine omnium Æneas à Friderico Cæsare directus orationem habuit de rebus propter quas venissent: cujus partem Cochlæus [u] recitat. Ad cujus finem dixit, afferre pacem Germaniæ Principes, sed pacem etiam expetere: cupere enim aliqua, quæ nisi obtinerent, nec curari vulnera possent, nec pax nationis haberi. Quatuor autem principalia esse: primum, ut Generale Concilium in tempore locóque designando convocaretur: alterum, ut professio potestatis, auctoritatis, & præeminentiæ Generalium Conciliorum, per oratores Eugenii facta, ipsius literis approbaretur: tertium, ut Nationi Germanicæ super gravaminibus opportunè provideretur: quartum, ut quæ in præjudicium Principum Electorum Archiepiscoporum Coloniensis & Treverensis acta essent, ex ipsius Eugenii clementiâ revocarentur, ipsique in pristinum statum redigerentur. In primâ petitione communem versari utilitatem, in secundâ Eugenii humilitatem, in tertiâ æquitatem, in quartâ benignitatem atque humanitatem.

IX.

[x] Comment. Pii II. lib. 1.

OBEDIENTIA REDDITUR EUGENIO A GERMANIS.

Ait verò Gobellinus [x], seu potiùs Æneas ipsemet sua haud aspernari solitus, ipsius orationem cùm à Papâ tùm à Cardinalibus mirum in modum laudatam esse: Eugenium verò eâdem ipsâ die correptum ægritudine in lectum se dedisse, Cardinalibúsque rem tractandam commisisse; cùm autem omnia quæ petita fuissent Eugenius approbâsset, atque literas super his decrevisset; ac ejus cubiculum omnes legatos intromissos, jacenti Pontifici obedientiam præstitisse: Illum confestim bullas Apostolicas in manus Æneæ dedisse: Nec moram, rursùs in consistorio publico præsidentibus Cardinalibus, publicatis Cæsaris & aliorum Principum mandatis, repetitas esse cæremonias: Inde totâ Vrbe ob publicam lætitiam ignes factos, & campanas tubásque sine modo sonuisse. Sequenti die justitium indictum, supplicationes rogationes decretas: Cardinales cæterósque Prælatos cum populo in ordine procedentes, Silvestri coronam, (sive Mitram; quam non ita pridem Avenione delatam magnâ veneratione Eugenium è Vaticano ad Lateranum detulisse cum letaniâ sacerdotum omnium Populíque Romani, Platina refert: eamque à Petro Cardinale Fuxensi Legato Avenionensi restitutam esse, legimus in ejus Vitâ.) Ioannis Baptistæ Caput præcipuásque Sanctorum Reliquias, ex templo sancti Marci Lateranum detulisse, ibique sacrificatum, atque de Friderici Eugeniíque laudibus habitum esse sermonem. Ita Æneas: quæ breviùs referens Antoninus [y], ait se iis interfuisse, tunc Archiepiscopum Florenti-

[y] Anton. tit. 22. c. 11. § 17.

X. num ex Ordine Prædicatorum.

Extat [z] Bulla Eugenii, cujus Æneas meminit data septimo Idus Februarii anni sequentis: quâ (ut ait Cochlæus, & ex ejus lectione apparet) pacis gratiâ, multa Germanis circa beneficia Ecclesiastica, jurisdictionem principatuum vel diœcesum, eorúmque subditorum ac vassallorum, annatas & servitia, &c. dispensativè indulsit, admisit, approbavit & confirmavit; quæ tempore schismatis facta, circa & contra Sedis Apostolicæ auctoritatem per se invalida erant. Insupérque omnes illos qui Congregationi Basileensi post Concilii ibi incœpti dissolutionem adhæserant, tam qui jam ad obedientiam redierant, quàm qui intra sex menses reversuri essent, ab omnibus censuris & pœnis absolvit, & in pristinas dignitates, officia & beneficia plenissimè restituit, de consilio (ut ait) & assensu S.R.E. Cardinalium. Fuitque hoc Concordiæ diploma ultimum *Eugenii* opus publicum: in quo assimilari possit cygno, quem sub finem vitæ dulcissimè canere ferunt. Obiit enim decimo sexto pòst die; nempè 23. Februarii sepultus in basilicâ sancti Petri sepulchro marmoreo: sed pòst translatus ad monasterium sancti Salvatoris in Lauro Congregationis Canonicorum sæcularium, cujus ipse professor fuerat. Vixit annos sexaginta quatuor, (ut plures volunt, cùm quidam 66. tribuant) sedit sexdecim minùs octo diebus. Quem satis laudâsse existimamus Æneam, cum in suâ Europâ [a] ait; etsi oriente schismate in principio sui Pontificatûs usque ad obitum cum Basileensibus contenderit, coronato tamen Sigismundo Cæsare, Græcorum & Armeniorum (addimus Iacobinorum, Æthiopum, Mesopotamenorum, Chaldæorum, Maronitarum) factâ cum Ecclesiâ Latinâ unione, civitatibus Ecclesiæ recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumaciâ Romanorum edomitâ, Germanicâ Neutralitate sublatâ, (quæ cuncta vidimus superiùs) victorem inclytum, veterem hominem exuisse. Reliqua de ejus privatis operibus, sacris ædificiis, moribus, liberalitate in viros literatos quorum familiaritate delectatus est, quamvis ipse modicæ literaturæ esset; (qui nihilominùs contra Hussitas hæreticos, & alia quædam scripsisse reperitur [b]) religiosorum dilectione, quos opibus & immunitatibus auxit; aliisque ejus virtutibus, nec non & culpis, collecta in unum videre est apud Platinam, & Ciacconium, hujúsque Adauctores. Quibus ex Volaterrano [c] addimus, quod se à patre suo qui Eugenium sequebatur audivisse ait, tantâ fuisse eum modestiâ atque pudore, ut oculos in publico nunquam attolleret.

[z] Bullar. to. 1. Eug. IV. const. 29.

EUGENIUS MULTA INDULGET GERMANIS.

EUGENII PP. OBITUS.

[a] Æn. Europ cap. 58.

PRÆCLARA EJUS GESTA.

[b] Nomencl. Cardinal.

[c] Volater. lib. 22.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX TOMI PRIMI
CONTINVATIONIS
ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

In quo prior numerus notis recentioribus designatus Annum Christi : posterior antiquioribus characteribus exaratus marginalem numerum cujusque anni denotat.

Index.

Index.

C

Index.

E

Index.

G

Index.

I

Index.

M

Index.

N

Index.

Q

R

S

V

FINIS.

ESPONDAN
CONTINVA
ABARONIO

TOM. I.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm